
I. A S.TO THOMA
CURSUS
PHILOSOPHICUS
401
B
19





Ad Maiorem Dei Gloriam

Fr Rainerus Büylen 1667

R.^{MI} P. IOANNIS
A S.^{TO} THOMA
ORD. PRÆDICATORVM,
CVRSVS
PHILOSOPHICVS THOMISTICVS.

R.MI P. IOANNIS A S.TO THOMA

ORD. PRÆDICATORVM, DOCTORIS THEOLOGI,

IN COMPLVTENSI ACADEMIA PROFESSORIS Primarij, Supremi fidei Censoris, & tandem PHILIPPI IV. Magni Hispaniarum Regis à Confessionibus;

CVRSVS PHILOSOPHICVS THOMISTICVS,

Secundum exactam, veram & genuinam Aristotelis & Doctor. Angelici mentem; & in diuersas partes distributus;

Quarum prima continet ea quæ ad artem Logicam spectant: Secundæ partis Pars I. Quæ de natura in communi, eiúsque affectibus disserit: Eiusdem secundæ Partis Pars II. & III. Quæ de Ente mobili corruptibili ad Lib. Arist. de Ortu & Interitu, & de Ente mobili animato ad Lib. Arist. de Anima explicant;

Nunc primum in Gallia excusus, à multis mendis vindicatus, & ex eiusdem Auctoris doctrina illustratus, & amplissimo Indice locupletatus.



LVGDVNI,
Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, & GVILLIELMI BARBIER.

M. DC. LXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PROLOGVS AD LECTOREM.

SISTIT se (ô Lector candide) tuum in iudicium Ioannes à Sancto Thoma verissimus Angelici Doctoris assecla, & fidelissimus Achates, qui sic S. Thomæ mentem assequutus est, vt illius doctrinam diuinius intellexerit nemo, luculentiùs scriptis nullus mandauerit, nemo vtilius in lucem ediderit; quare quod de S. Thoma insigni cum laude acclamarunt olim viri plures conspicui, illum sic D. Augustini spiritum ebibisse, vt animam tanti Patris & tanti Ecclesiæ Doctoris in D. Thomam migrasse non dubitarint asserere, id de fidelissimo D. Thomæ Discipulo Ioanne à S. Thoma possimus asseuerare; sic enim tanti Magistri pressit vestigia, sic illius Spiritu fuit informatus, vt non incongruè illius intelligibilis imago censeatur. Is doctrinam Philosophicam daturus in publicum ad hunc scopum collimauit, vt Sanctissimi Præceptoris æmularetur modestiam, sensum & intelligentiam proderet, sanam & solidam doctrinam imitaretur; & quoniam in humano illo Cherubino mirabilis inuenitur ordo, doctrina clara, facundia grata, sententia firma, stylus breuis, æmulanda modestia, admiranda subtilitas, sed magis obstupescenda claritas, Ioannes à S. Thoma has partes non sine stupore ita comparauit, vt an Thomas à S. Thoma differat vix facilè sit iudicare. Cursum suum Philosophicum in duos Tomos distinxit, quos in vnum volumen compingere & redigere ordine seruato, pro vtilitate & commodo Lectorum Bibliopolis curæ fuit, & ne illorum mens in conquirendis materiis vltrò citróque dispersis distraheretur, illarum omnium vnicus syllabus accuratissimus & amplissimus effectus est. In Tomo primo Logicam docet eamque in duas partes diuidit, quarum prima Dialecticas Disputationes (quas summulas vocant) complectitur, & circam formam Logicalem versatur: Secunda verò circa prædicabilia & prædicamenta ac libros posteriorum, tractatque de instrumentis logicalibus ex parte materiæ, & posterioristicæ resolutionis. Et vt Sanctissimi Præceptoris breuitatem imitaretur immensam inextricabilium quæstionum syluam, & spinosa sophismatum dumeta, quæ cum sint pungentia, & mentibus onerosa vtilitatis nihil, dispendij verò non parum afferunt curauit excidere, neruosis potiùs

rationibus, quàm phaleratâ verborum pompâ doctrinam suam confirmat, paucis multa complectitur, humana quippe mens breuitate gaudet, prolixitate confunditur, atque vt D. Ambrosius ait, faciliora sunt quæ breuius explicantur. In secundo Tomo naturalem Philosophiam explicandam aggressus est; & vt D. Thomæ methodum æmularetur, atque vel ipso ordine disceret Dominæ vestigiis ancilla procumbere, in totidem partes quot summa Theologica naturalem hanc scientiam partitus est, vnicuique peculiares suas materias & tractatus assignans, vt in ipsa prima libri fronte adnotauit. Petentibus scripsit non fastidiosis, gratis non inuidiosis, studiosis non oscitantibus. VALE.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

LVDOVICVS XIV. Dei gratiâ Galliarum & Nauarræ Rex Christianissimus, singulari Priuilegio sanxit, ne quis per vniuersos Regnorum suorum fines, intra nouem annos, à die finitæ Editionis computandos, Imprimat, seu typis excudendum curet, & vænale habeat opus, quod inscribitur. *R. P. Ioannis à Sancto Thoma Ord. Prædicator. Cursus Philosophicus & Theologicus.* præter Petrum Rigaud Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibuit insuper eadem authoritate Regiâ omnibus suis subditis, idemmet opus extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti Petri Rigaud. Idque omne sub confiscatione Librorum, aliisque pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Dabatur Parisiis 12. Martij 1655.

Ex mandato Regis. Signatum,

MOREL.

Registré sur le Liure de la Communauté, le 19. Mars 1655. conformement à l'Arrest du Parlement du 9. Auril. 1653. Signé BALLARD Scindicq.

Ledit Pierre Rigaud a transporté son droict du susdit Priuilege à Estienne Michallet, qui en a fait cession à Philippes Borde & Compagnie, comme appert par les Actes entre-eux passez.

APPROBATIO.

CVRSVM tum Theologicum cum Philosophicum R. Patr. Ioannis à S. Thoma Philippi IV. Magni Hispaniarum Regis à confessionibus. Ego infrascriptus Doctor Theologus Parisiensis accuratè & non sine magna animi voluptate perlegi, nihilque nec minimum apicem orthodoxæ fidei aduersantem offendi, imò nihil quod Sanctorum Patrum doctrinam nõ redoleat. Sed potissimum Doctoris Angelici mentem sic exprimit, vt S. Thomam Aquinatem, in Ioannem à Sancto Thoma seu quantum ad profunditatem doctrinæ; seu quantum ad perspicuitatem quodammodo transfusum existimare cogamur. Quamobrem vt publicæ consulatur vtilitati, necessarium reor in lucem emitti. Lugduni hac die 25. Ian. 1663.

Fr. IOANNES ROBE'.

INDEX

INDEX
CAPITVLORVM ET QVÆSTIONVM,
quæ in prima parte artis Logicæ continentur.

Numerus paginam designat.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM.

INDEX QVÆSTIONVM ET ARTICVLORVM, quæ in secunda parte artis Logicæ continentur,

V. Quo

II. Vtrum

INDEX QVÆSTIONVM ET ARTICVLORVM super octo Libros Physicorum.

IV. Vtrum

INDEX QVÆSTIONVM ET ARTICVLORVM omnium, quæ in hac ſecunda Philoſophiæ parte continentur.

INDEX QVÆSTIONVM ET ARTICVLORVM in tres libros de Anima.

QVÆSTIO PRIMA.

QVÆSTIO II.

QVÆSTIO III.

QVÆSTIO IV.

QVÆSTIO V.

QVÆSTIO VI.

QVÆSTIO VII.

QVÆSTIO VIII.

QVÆSTIO IX.

QVÆSTIO X.

QVÆSTIO XI.

QVÆSTIO XII.

LIBER

LIBER PRIMVS
DE HIS, QVÆ SPECTANT AD Primam operationem intellectus.

CAPVT PRIMVM.

Definitio Termini.

VAriè de definitione *Termini* (idest *Simplicis Dictionis*, vt homo, Petrus, lapis) sentiunt Authores, secundùm quod considerant in eo diuersos respectus, vel officia, siue *Partis componentis orationem* quomodocumque, siue *Partis principalis*, & per modum *Extremi* tantùm, siue per modum *Terminantis* resolutionem propositionis, & syllogismi, siue per modum *Prædicati*, & *Subiecti*. Et quidem considerationes istæ Veræ sunt, & omnes in *Termino* locum habent, sed oportet videre, quænam conuenientiùs explicet naturam *Termini* in communi vt pertinet ad ad præsens. Cùm enim mens nostra in scientiis resolutoriè procedat, & præsertim in Logica quæ *Analitica* ab Aristotele dicitur, quia resolutoria, oportet quòd sit designabile vltimum elementum, seu *Terminus* huius resolutionis, vltra quod non fiat resolutio ab arte; sicut etiam in naturali generatione *Materia prima* est vltimum principium in quod fit resolutio; alioquin, vel procedetur in infinitum, vel non fiet perfecta resolutio. Et quia idem est terminus resolutionis, & principium compositionis, id quod fuerit vltimum elementum in quod composita Logicalia resoluuntur, dicetur etiam primum, ex quo cætera componuntur, & vnde incipere debeamus.

Hoc igitur attendentes dicimus Nos agere in præsenti de *Termino* sub conceptu vltimi elementi in quod terminatur omnis resolutio compositionis Logicæ, etiam ipsius propositionis, & orationis, quia ab hoc, vt à primo, & simpliciori conuenit incipere. Et licèt Aristoteles in primo Priorum definierit Terminum per id, *In quod resoluitur propositio, vt in prædicatum & subiectum*, tamen ibi non definiuit Terminum in tota sua latitudine, sed contractè, vt deseruit ad fabricam, & compositionem syllogisticam, in qua syllogismus constat ex tribus terminis, quatenus sunt extrema in propositionibus, & induunt habitudinem partis syllogisticæ, id est, illatiuæ. Cæterum alibi considerauit Aristoteles *Terminum* sub vniuersaliori ratione, vt etiam est communis nomini, & verbo, & non sub vocabulo *Termini*, sed sub vocabulo *Dictionis*, vt induit ordinem componentis enuntiationem, non habitudinem inferentis in syllogismo. Vnde D. Thom. 1. Periherm. lect. 8. §. *Excludit*, exponens illud verbum Aristotelis, *Nomen ergo, & verbum dictio sit sola*, inquit: *Et videtur ex modo loquendi, quòd ipse imposuerit hoc nomen ad significandum partes enuntiationis.* Datur ergo secundùm Aristotelem, & D. Thomam aliqua ratio communis partibus enuntiationis, quam philosophus *Dictionem*, nos *Terminum* vocamus, quia in ipso omnis resolutio terminatur; non solùm syllogismi, sed etiam enuntiationis, quæ ex simplicibus componitur, & consequenter in illa resoluitur. Et ibidem lect. 5. §. *Ostendit*, dicit S. Thom. *Quòd aliquando nomen sumitur prout communiter significat quamlibet dictionem, etiam ipsum verbum.* Et in Opusc. 48. in initio vocat terminos, *Partes enuntiationis*. Ab hac ergo communissima acceptione Termini tanquam ab vltimo elemento totius resolutionis logicæ, dicimus esse incipiendum, & de illo tradendam definitionem.

Et sic definitur *Terminus*, seu *Dictio*, non per extremum propositionis tantùm, aut per prædicatum, & subiectum, sed per aliquid communius, scilicet, *Id ex quo simplex conficitur propositio*, vel potiùs imitantes Aristotelem, qui Nomen, Verbum, & Orationem per voces definit, quia sunt signa nobis notiora, definitur: *Vox significatiua ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio, vel oratio.* Vt autem comprehendit Mentalem terminum, & Scriptum, definietur *signum ex quo simplex conficitur propositio*.

Dicitur *signum*, vel *vox significatiua*, ad excludendum voces non significatiuas, vt *Blitiri*, sicut illas exclusit Arist. in nomine, & verbo, & cùm omnis terminus sit nomen, verbum, vel aduerbium, si nihil horum est vox non significatiua, non est Terminus, vt latiùs in Quæstione de hac re ostendam. Dicitur *ad placitum*, ad excludendas voces significatiuas naturaliter, vt *Gemitus*. Dicitur *ex qua simplex conficitur propositio*, ad excludendum ipsam propositionem, seu orationem, quæ non est primum elementum componens, sed est aliquid compositum, & quoddam totum, atque adeo supponit alias partes componentes, & si aliquando componit, non simplicem, sed hypotheticam propositionem componit, vel syllogismum.

An verò *Terminus* sit extra propositionem actu pars quantùm ad essentiam, & habitudinem partis, licèt non quoad exercitium componendi, dicemus inf. q. 1. de Termino art. 3.

CAPVT II.

Definitio, & Diuisio Signi,

QVia ergo, tàm Terminus, Quàm Oratio, & Propositio, & reliqua instrumenta Logicalia per significationem definiuntur, eo quòd intellectus co-

gnoscit per conceptus significatiuos, & loquitur per voces significatiuas,& in vniuersum omnia instrumenta, quibus ad cognoscendum, & loquendum vtitur, signa sunt; ideo vt Logicus exactè cognoscat instrumenta sua, scilicet terminos, & orationes, oportet, quòd etiam cognoscat, quid sit signum. Signum ergo definitur in communi, *id quod potentiæ cognoscitiuæ aliquid aliud à se repræsentat.* Ita tradimus definitionem signi vt complectatur omnia signa tam formalia,quàm instrumentalia. Definitio enim quæ communiter circunfertur. *Signum est quod præter species quas ingerit sensui, aliud facit in cognitionem venire*, solùm instrumentali signo competit. Hæc ergo definitio, vt meliùs innotescat oportet considerare, quòd est quadruplex causa cognitionis, scilicet *Efficiens, Obiectiua, Formalis,* & *Instrumentalis.* Efficiens est *ipsa potentia, quæ elicit cognitionem*, sicut oculus, auditus, intellectus. Obiectum est *res quæ mouet, vel ad quam tendit cognitio*, vt cùm video lapidem, vel hominem. Formalis est *ipsa notitia, qua redditur potentia cognoscens*, vt visio ipsa lapidis, vel hominis. Instrumentalis est *medium per quod obiectum repræsentatur potentiæ.* Sicut imago exterior Cæsaris repræsentat Cæsarem. Obiectum est triplex, scilicet *Motiuum tantùm*; *Terminatiuum tantùm*; *motiuum,& terminatiuum simul*: motiuum tantùm est, quòd *mouet potentiam ad formandum notitiam non sui, sed alterius*, sicut Imperatoris imago, quæ mouet ad cognoscendum Imperatorem. Terminatiuum tantùm est *res cognita per notitiam ab alio obiectio productam* Sicut Imperator cognitus per imaginem. Terminatiuum, & motiuum simul, *quod mouet potentiam ad formaadum cognitionem sui*, sicut quando paries in se videtur.

Igitur *Facere cognoscere* latiùs patet,quàm *Repræsentare*, & *repræsentare*, quàm *Significare.* Nam *Facere cognoscere* dicitur de omni concurrente ad cognitionem, & sic dicitur quadrupliciter, scilicet *effectiuè, obiectiuè, formaliter, & instrumentaliter. Effectiuè*, vt de ipsa potentia eliciente cognitionem, & de causis ad eam concurrentibus,vt Deo mouente,intellectu agente, seu producente species, habitu adiuuante, &c. *Obiectiuè*, vt de ipsa re, quæ cognoscitur, v. g. si cognosco hominem, homo vt obiectum facit cognoscere seipsum præsentando se potentiæ. *Formaliter* vt de ipsa notitia, quæ tanquam forma reddit cognoscentem. *Instrumentaliter*, vt de ipso medio deferente obiectum ad potentiam, vt imago Imperatoris defert Imperatorem ad intellectum, quasi medium,& hoc medium vocamus *Instrumentum. Repræsentare* dicitur de omni eo, quo aliquid fit præsens potentiæ, & sic dicitur tripliciter,scilicet *Obiectiuè, formaliter*, & *instrumentaliter*: obiectum enim repræsentat se obiectiuè,vt paries:notitia repræsentat formaliter; vestigium, vel imago instrumentaliter. *Significare* dicitur de eo quo fit præsens aliquid distinctum à se,& sic solùm dicitur dupliciter, scilicet *Formaliter*, & *instrumentaliter.*

Hinc nascitur duplex diuisio signi; Nam qua parte signum ordinatur ad potentiam, diuiditur in signum *Formale, & Instrumentale:* quatenus verò ordinatur ad signatum, diuiditur penes causam ordinantem illud, *in Naturale, & ad placitum, & ex Consuetudine.* Signum formale est *formalis notitia, quæ seipsa, non mediante alio repræsentat.* Signum instrumentale est, *quod ex praexistente cognitione sui, aliquid aliud à se repræsentat*, sicut vestigium bouis repræsentat bouem, & hæc definitio solet tradi communiter de signo,sed non conuenit nisi signo instrumentali. Signum naturale est, *quod ex natura rei repræsentat, quauis impositione, & consuetudine remota*, & sic representat idem apud omnes, vt fumus ignem. Signum ad placitum, *quod repræsentat aliquid ex impositione voluntatis per publicam authoritatem*, vt vox homo. Signum ex Consuetudine, *Quod ex solo vsu repræsentat sine publica impositione*, sicut mappæ supra mensam significant prandium. De his omnibus, quæ ad naturam, & diuisionem signorum spectant latè agimus in Logica disp. 21. & 22.

CAPVT III.

De Quibusdam Diuisionibus Terminorum.

PRima diuisio Termini est *in Mentalem, Vocalem, & Scriptum:* Mentalis *est notitia seu conceptus ex quo simplex conficitur propositio.* Conceptus est illa imago, quam intra nos formamus,cùm aliquid intelligimus. Vocalis suprà est definitus cap. 1. Scriptus est *Scriptura ad placitum significans, ex qua simplex conficitur propositio.*

Terminus mentalis, si attendamus ad diuersas species essentiales eius, diuiditur penes obiecta, à quibus species notitiarum sumitur & sic non agimus de diuisione illarum in præsenti; sed solùm agimus de quibusdam generalibus conditionibus notitiarum, seu cõceptuum, quibus distinguuntur varij modi cognoscendi. Et nota diuidi hìc notitiam simplicicem, idest, pertinentem tantùm ad primam operationem, agimus enim de diuisione termini mentalis; terminus autem ad primã operationem spectat. Vnde in hac diuisione notitiarum non includitur aliqua notitia pertinens ad discursum,aut ad cõpositionem; nulla enim istarum est *Terminus*, vel simplex apprehensio; et similiter remouetur omnis notitia practica, & quæ dicit ordinem ad voluntatẽ,quia voluntas nõ mouetur à simplici apprehensione termini, sed à compositione, seu iudicio de conuenientia rei, vt dicemus in lib. de Anima.

Igitur Notitia, quæ est simplex apprehensio, seu terminus mentalis, primò diuiditur in *notitiam intuitiuã, & abstractiuam*, quæ diuisio non solùm amplectitur notitiam intellectiuam, sed etiam sensuũ externorum, quæ sunt notitiæ intuitiuæ & internorum, quæ aliquando sunt intuitiuæ, aliquando abstractiuæ. Notitia intuitiua est *notitia rei præsentis.* Et dico *res præsentis*,non præsentatæ ipsi potentiæ, esse enim præsens pertinet ad rẽ in seipsa, vt est extra potẽtiam;esse præsentatã conuenit rei,vt obiectæ ipsi potẽtiæ;quod omni notitiæ cõmune est. Notitia abstractiua *est notitia rei absentis*, quæ opposito modo intelligitur ad intuitiuã. De his notitiis latè agimus in Logica disp. 23.

Secundò diuiditur Notitia ex parte conceptus in *conceptum vltimatum,& non vltimatum.* Conceptus. Vltimatus *est conceptus rei significatæ per terminum*, vt res quæ est homo est significata per vocem *homo.* Conceptus non vltimatus,seu medius *est conceptus ipsius termini, vt significantis*, vt conceptus huius termini *homo.*

Tertiò diuiditur conceptus *in Directum,& Reflexum.* Reflexus est, *quo cognoscimus nos cognoscere*, atque ita habet pro obiecto aliquem actum, vel conceptum,aut potentiam intra nos. Directus est, *quo cognoscimus aliquod obiectum extra conceptum nostrum*, nec reflectimus supra cognitionem nostram, vt cùm cognoscitur lapis, vel homo. De his diuisionibus conceptuum agimus in Logica disp. 23.

Secunda diuisio. Termini pertinet propriùs, & principaliùs ad terminum vocalem, & sic diuiditur terminus *in Vniuocum,& Æquiuocum.* Terminus Vniuocus dicitur: *Qui sua significata eodem conceptu significat*, vt ly *homo* significat omnes homines, vt conueniunt in eodem conceptu naturæ humanæ; & intelligitur in eodem conceptu *simpliciter vno*; sicut ea quæ conueniunt in specie, vel genere, non proportionaliter tantùm vno, sicut *Analoga*, quæ saltem proportione *Vnum* dicuntur, vt in Logica qu. 13 dicimus.

Æquiuocus

Æquiuocus terminus dicitur, *qui sua significata non eodem, sed pluribus conceptibus significat*, idest, non vt conueniunt aliquo modo etiam proportionaliter, sed vt differunt, sicut *Canis* significat canem animal, & sydus, sine vlla conuenientia in natura, sed in voce. Et ideo non datur æquiuocatio in conceptu vltimo mentis, vt dicemus cit. loco Logicæ artic. 2. quia conceptus est naturalis similitudo, & si est vnus, repræsentatum eius est vnum; si autem plura attingit, est vt conueniunt in aliqua ratione vna, quod est proprium vniuocorum. Et ideo hæc diuisio propriè tangit terminum vocalem, in quo inuenitur æquiuocatio, idest vnitas vocis cum pluralitate significationis, quia significatio ad placitum est, non naturalis. Vide etiam quæ dicuntur in Logica qu. 23. art. 4. circa secundum argumentum.

Et aduerte quòd Arist. definiuit in Antepræedicamentis Æquiuoca, *Quorum nomen commune est, ratio verò significata, diuersa*, quia illa definitio dabatur de rebus significatis per nomen æquiuocum, vel vniuocum: quæ dicuntur *æquiuoca æquiuocata* (idest æquiuocè significata) Nos verò definiuimus hìc terminos æquiuocè, vel vniuocè significantes qui dicuntur *æquiuoca æquiuocãtia* (idest æquiuocè, vel vniuocè significantes.)

Diuiditur Æquiuocum in æquiuocum à casu; & a consilio. Primum est simpliciter æquiuocum; & conuenit ei definitio data. Secundum est analogum & est id, *Quod significat sua significata et sunt vnum secundùm quandam proportionem, & non simpliciter*, sicut *Sanum* dictum de animali, & de herba. De his tractamus in Logica q. 13. & 14.

In præsenti nota duas regulas pro analogis. Prima: *Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato* sicut dicendo *Homo*, & nihil addendo, quod restringat, vel determinet, stat pro homine viuo, non pro picto, Secunda: *In analogis, vel æquiuocis talia sunt subiecta qualia permittuntur à suis prædicatis, vel restrictionibus*, idest, Quando nomen significat plura, determinatur ad standum pro aliquo iuxta exigentiam prædicati, vel restrictionis, vt si dicas *Canis latrat*, stat pro Cane, qui est animal. Has regulas explicamus in Logica quæst. 13. art. 2.

Tertia diuisio termini est *in Categorematicum, & Sincategorematicũ* quasi Latinè dicas, *Significatiuum*, seu prædicatiuum, & consignificatiuum. Categorematicus est, *qui aliquid per se significat*. Vbi ly *per se* coniungẽdũ est cùm ly *aliquid*, idest, significat aliquid quod repræsentatur vt *aliquid per se*, idest, non vt aduerbiũ, aut modificatio, sed vt res quædam, sicut cùm dico *Homo*. Terminus syncategorematicus est, *qui aliqualiter significat*, vt aduerbium *velociter, faciliter*, signum *omnis, quidam, &c.* Et dicitur *aliqualiter significare* non quia verè, & propriè non significet, sed quia significatum eius non repræsentatur vt *res per se*, sed *vt modus rei*, idest exercendo modificationem alterius rei.

CAPVT IV.

De alijs Diuisionibus Terminorum.

QVarta diuisio est Termini categorematici in varias subdiuisiones, quarum vna non subordinatur alteri; sed quasi ex æquo conueniunt termino. Et reduci possunt istæ subdiuisiones ad quinque præcipuas. *Prima est:* Terminus categorematicus, alius Cõmunis, alius Singularis. Terminus communis est *qui significat plura diuisim*, vt homo, & intelligimus *plura diuisim*, idest, communicabiliter ad plura, significat enim aliquid quod vel ex parte rei significatæ, vel saltẽ ex modo concipiendi non repugnat intelligi vt communicatum pluribus, & quasi diuiso modo in illis: qua ratione etiam hoc nomen *Deus* est terminus cõmunis propter modũ significandi illum ex parte nostri conceptus, vt explicamus in Log. q. 5. art. 3. Terminus singularis est, *qui vnum tantum significat*, vt Petrus, hic homo, idest, qui non habet significatum communicabile pluribus, nec etiam ex modo significandi. Et hìc adiungitur diuisio termini in Collectiuum, & Diuisiuũ. Collectiuus *qui in singulari plura copulatim significat*, vt ly Populus, Salmantica, &c. quia aggregantur ex pluribus. Diuisiuus, *qui vnum in singulari, vel plura diuisim significat*; vt Petrus, Homo.

Secunda subdiuisio. Terminus categorematicus, *alius Absolutus, alius Connotatiuus*, Absolutus, *qui significat aliquid per modum per se stantis*, idest, ad modum substantiæ, siue in se substantia sit, vt homo, siuè ad modum substantiæ, vt si accidens sine subiecto concipiatur, vt albedo. Connotatiuus, *qui significat aliquid per modum alteri adiacentis*, vt album, cæcus. Vnde connotatiuum debet habere vnum significatum principale, & in recto, quod est idem cum suo absoluto, vt album, significat albedinem; & aliud in obliquo, scilicet illud cui adiacet, & in quo inuenitur. Et non significat connotatiuum in obliquo, & de connotato, nisi illud cui verè conuenit, non cui imaginario, & falso. Nec sufficit connotare obiectũ sicut scientia, sapientia, quę sunt absoluta; & tamen respiciunt obiecta sua, & cõnotant illa; sed debet connotare subiectum in quo inuenitur. Et Caue ne confundas *Connotatiuum, Concretum & Adiectiuum*, nam concretum solùm opponitur abstracto, & potest inueniri in termino absoluto, vt homo est concretum, & absolutum. Dicitur ergo concretum, *quod significat aliquid tanquam constitutum vt quod* sicut homo: Abstractum verò, *quod significat aliud, vt quo constituitur* sicut humanitas. Adiectiuum etiam opponitur substantiuo, non connotatiuo, vnde potest inueniri connotatiuum, quod non sit nomen adiectiuum, vt Pater, Creator, licet omne adiectiuum sit connotatiuum.

Tertia subdiuisio: Terminus categorematicus *alius primæ intentionis, alius secundæ intentionis.* Terminus primæ intentionis est, *qui significat aliquid secundùm quod habet in re, vel in suo proprio statu*, idest secluso statu quem habet in intellectu, & prout conceptum, sicut album, homo vt in re. Terminus secundæ intentionis est, *qui significat aliquid secundùm id quòd habet per conceptum mentis, & in statu intellectus*, sicut species, genus, & alia similia quæ Logicus tractat. Et dicuntur ista *primæ*, & *secundæ intentionis*, quia id, quod conuenit alicui secundùm se, est quasi *primum* in illo, & status proprius: quod verò conuenit alicui secundùm quòd est intellectùm, est quasi *secundum*, & secundus status superueniens primo, & ideò vocatur *secundæ intentionis*, quasi secundi status.

Quarta subdiuisio: Terminus categorematicus, *alius complexus, alius incomplexus.* Terminus complexus est *terminus cuius partes sunt per se significatiuæ*, vt homo albus. Terminus incomplexus *cuius partes non sunt significatiuæ seorsum*, vt homo. Et nota duo. *Primum* quòd terminus complexus etiam potest esse Oratio, sed sub alio modo, & formalitate est Oratio, sub alio est Terminus. *Est Oratio* quando considerantur illæ partes significatiuæ, vt componentes vnum totum, quia quasi attribuendo vnum alteri sistit ibi intellectus, vt in quodam toto composito. *Est Terminus*, quando considerantur illæ partes significatiuæ non vt componentes totum, sed vt facientes quandam partem compositam ex aliis partibus, ordinabilem tamen de se ad componendum totum, sicut Caput est pars hominis, composita tamen ex aliis partibus, vt oculis, auribus, ore, &c. *Secundum* est, quòd vt terminus sit complexus debet habere partes significatiuas per se, idest, habentes

& exercentes suam significationem etiam intra ipsum complexum quod componunt, ita quòd si aliqua pars deponeretur à sua significatione, complexum destrueretur. Vnde præcipua ratio *Termini Complexi* est, quòd suæ partes subordinentur pluribus conceptibus, vt docet S.Thom. 1. Periherm. lect. 4 Qua ratione termini compositæ figuræ, vt *Equifer, Legifer*, &c. apud Dialecticum sunt incomplexi, quia subordinantur vnico cõceptui incõplexo, & vnica significatione sunt impositi, ita quòd licèt equus deponeretur à sua significatione in se ipso, adhuc ly *Equifer* significaret idem.

Quinta diuisio pertinet ad comparationem terminorum inter se, nam *alij sunt impertinentes, seu disparati*, idest, quorum vnus nec alterum infert, nec alteri repugnat, vt album, & dulce; doctus, & iustus, *Alij sunt pertinentes*, idest quorum alter alterum infert, vel alteri repugnat, & ideo diuiduntur in pertinentes sequela, & pertinentes repugnantia. *Pertinentes sequela*, quia se consequuntur, & comitantur, vt homo & risibile: *Pertinentes repugnantia*, quia opponuntur, & repugnant inter se, vt videns, & cœcum; calidum, & frigidum De pertinentibus repugnantia agitur in Postprædicamentis in capite de oppositis, & infra agendo de oppositione propositionum, & ideo hìc supersedendum est.

CAPVT V.

De nomine.

EGimus hucusque de *Termino* tanquam de simplici parte propositionis, & complectente in se omnes partes propositionis, etiam minùs principales, quomodocumque illæ partes sint, nunc specialiter descendimus ad partes principales, quibus ipsa *Oratio* de necessitate construitur, & diuidimus illas non secundùm varium modum significandi, sicut hucusque fecimus de Termino; sed secundùm diuersum modum componendi, & construendi Orationem, quæ apud Dialecticum sunt duæ, scilicet, *nomen*, & *verbum*, de quibus agit Aristoles in 1. Perihern. & vt notat S.Thom. ibi. lectio. 1. sola ista duo considerantur à Dialectico vt partes orationis prætermissis aliis. *Quia solũ ista, scilicet Nomen, & Verbum de necessitate requiruntur ad enuntiationem, eo quòd sine illis, nec simplex enuntiatio stare potest.* Nomen ergo componit enuntiationem tãquam *Extremitas*, verbum tanquam *Vniens*, & medium copulans, & sic habent diuersum modum in construendo propositionem.

Nomen ergo definitur ab Arist. *Quòd est vox, significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars significat separata, finita, & recta.* Ita definit Aristoteles 1. Periherm. & ibi explicat S. Thom. lect. 4. Primæ tres particulæ sunt expositæ in definitione Termini; scilicet *vox significatiua, & ad placitum.* Reliquæ quatuor sunt propriæ nominis, & discriminant Nomen ab his, quæ propriè nomina non sunt. Illa ergo particula *sine tempore* distinguit nomen à verbo, quod significat cum tempore, vt cap. sequenti videbitur, & ideo *ly sine tempore* in nomine non excludit tempus, vt rem significatam, sed significationem cum tempore tanquam modum significandi, quia nomen significat rem vt extremum stans, verbum vt fluens, seu vniens, & agens; omnis autem actio tempore, & motu decurrit. Dicitur *cuius nulla pars significat separata*, ad excludendum Orationem, & Terminum complexum, illam, quia oratio non est nomen, sed componitur ex nomine; istum quia terminus complexus non est nomen, sed plura nomina; eadem autem ratio est entis, & vnius entis.

Finita ponitur ad excludendum nomina infinita, vt *non homo*. Vbi nota quod ly *non homo* si sumatur in vi duarum dictionum tanquam negatum, est quid complexum, & excluditur per priorem particulam, *cuius nulla pars &c.* Si verò sumatur in vi simplicis dictionis, sic est infinitatum, excluditur à ratione nominis, non quia non possit esse pars propositionis, vt prædicatum, & subiectum, sed quia non habet modum nominis, qui est *notare*, & determinatum aliquid significare. Nomen autem infinitatum non significat aliquid determinatum, sed tollit determinatum significatum, & quià tollendo significatum procedit, non autem ponendo, nomen non est. Vbi descerne quod non est propria vis nominis infiniti non significare aliquid, nam hoc nomen *Nihil*, non significat aliquid, sed tollere significatum quod est in aliquo nomine, & ideo iure excluditur à ratione nominis, quia tollit significatum nominis, & non ponit, nec habet officium ponendi, sed tollendi notamen significatum.

Recta ponitur ad excludendos casus obliquos per quos nomen declinatur vt *hominis, homini*, &c. Et excluduntur isti à nomine, quia per se non sunt nomina, sed ratione sui principalis, seu *Nominatiui* à quo deriuantur, & à quo cadunt, vnde nominatiuus, & obliquus significant eamdem rem; sed non exercent significationem eodem modo, quia non exercent illam vt conducit ad significandam rem tanquam *quid*, & vt extremum quoddam in se; sed vt *alterius*, & respectiuè ad alterum, vnde sequitur quod non reddant suppositum verbo substantiuo, sed impersonali, *vt pœnitet me*, & sic faciunt orationem reductiuè, seu subintelligendo nominatiuum, ac si diceretur *pœnitentia tenet me.*

CAPVT VI.

De Verbo.

DEfinitur Verbum ab Aristotele, quod *est vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars significat separata, finita, & recta & eorum quæ prædicantur semper est nota.* Ita Aristoteles 1. Periherm. & D. Thom. ibi lect. 5. Primæ tres particulæ scilicet *vox significatiua, & ad placitum* in definitione Termini explicatæ sunt.

Particula *Cum tempore*, quæ ponitur ad differentiam *Nominis* nihil aliud designat quàm significare rem aliquam per modum *motus*, aut *actionis*, & *passionis*, eo quòd motus mensuratur tempore, & *significare cum tempore* est significare non ipsum tempus, vt res quædam est, id enim fit per nomen, v g. hoc nomine, *Tempus, dies, Annus*; sed significare rem aliquam, vt mensuratam tempore. Tunc autem mensuratur tempore, quando significatur vt fluens secundùm aliquem motum, aut actionem; motus enim, & actio, primò, & per se mensurantur tempore. Vnde fit quòd quando verbum absoluitur à tempore, vt cùm dico *homo est animal*, & in aliis propositionibus æternæ veritatis, non desinit verbum significare cum tempore, idest, per modum actionis, seu fluxus, sed *desinit restringere veritatem propositionis, vt dependeat à tempore*, idest, quod non vniantur extrema, ratione solius temporis, & dependenter ab aliquo temporali, sed per suam intrinsecam quidditatem; licet hoc ipsum per modum temporis, & actionis significetur ex parte modi significãdi, quo à nobis significatur. De quo vide inf. q. 3. art. 1.

Quinta particula *cuius nulla pars significat separata*, ponitur ad differentiam *Orationis*, & ad excludendum *Verba complexa*, quæ non sunt vnum verbum, sed plura verba, sicut diximus de nomine. Nec verbũ siue adiectiuum, siue substantiuum subordinatur duplici conceptui, ita vt significet rem aliquam, & significet

nificet actionem, seu motum quasi modum vnionis, seu compositionis; hæc enim non sunt duo significata, nec duo conceptus, sed vnum significatum cum tali modo significandi, sicut etiam *Nomen* significat rem per modum per se stantis; vbi *res*, & *modus per se stantis* non sunt duo significata, quia nulla res significatur sine aliquo modo. Et ipsum verbum *est* siue fiat propositio de secundo adiacente, vt quando dico Petrus est, siue de tertio adiacente vt cùm dico *Petrus est Albus*, addendo tertiam vocem vt prædicatum, semper significat idem, scilicet esse, quia vt dicit Sanctus Thom. 1. Periherm. lect. 5. in fine. *Ista actualitas est communiter omnis formæ, siue substantialis, siue accidentalis, & inde est, quòd quando volumus significare quamcumq; formam inesse alicui, significamus per verbum est, vnde ex consequenti significat compositionem.* Ita D. Thom.

Sexta particula *Finita* excludit verbum infinitum, vt non ambulat, non ambulet, eadem ratione qua & nomina infinita exclusa sunt à ratione nominis. Et distinguitur verbum negatum à verbo infinitato quòd *Negatum* respondet conceptui complexo scilicet ipsius verbi, & particulæ *non*; verbum autem infinitatum respondet vnico conceptui; sicut diximus de nomine; & verbũ negatum facit propositionem negatiuam, infinitatum autem non. Quòd si verbum intra propositionem positum infinitatur, non est quãtum ad copulam, & vnionem extremorum, hæc enim per negationem numquam infinitatur, sed negatur, efficitque propositionem negatiuam; sed solùm, quoad rem significatam infinitatur, vt dicendo *non ambulat*, infinitatur ambulatio, vt inf. qu. 3. art. 2. dicetur.

Septima particula *Recta* ponitur ad excludenda verba obliqua; & sicut in nomine, illud dicitur obliquum, quod declinat & cadit à proprio modo nominis, quod est significare per modum quid; & per se stantis, obliquum autem significatur, vt alterius; sic in verbo, obliquũ dicitur quod cadit à modo proprio verbi quod est significare cum motu, & actione, quando scilicet significat actionem de præterito, aut futuro, &c. quia hæc simpliciter non est actio, sed tantùm illa quæ est præsens vnde per declinationem temporum fit obliquatio verbi.

Vltima particula, *& eorum quæ prædicantur semper est nota*, ponitur ab Aristotele, & Diuo Thoma, ideoq; & nos illam ponimus, licèt ab aliis omittatur, & ponitur ad excludendum participium, quod quidem potest poni tam ex parte prædicati, quàm subiecti, licèt significet cum tempore, & tamen excluditur à ratione verbi, quia verbum semper ex parte prædicati se tenet, quia vel significat ipsum prædicatum, vel requiritur ad coniungendum prædicatum subiecto, & ideo est *Nota*, idest, signum eorum quæ dicuntur, idest, quæ prædicantur, quia componit, & vnit illa subiecto vt dictum est; si quando verò ponitur ex parte subiecti, vt verbum infinitiui modi, est quia tunc verbum accipitur in vi nominis, non per modum verbi. Ità D. Thom. primo Periherm. lect. 5.

LIBER SECVNDVS

DE HIS, QVÆ PERTINENT AD Secundam operationem intellectus.

CAPVT PRIMVM.

De oratione in communi, & eius Diuisione.

DEfinitur Oratio ab Aristotele: *Oratio est vox significatiua ad placitum, cuius partes separatæ aliquid significant, vt dictio, non vt affirmatio, & negatio.* Ita *Aristot. 1. Periherm. & D. Thom. ibid. lect. 6.* Definitur hîc Oratio in communi tam respectu orationis perfectæ, quàm imperfectæ, simplicis, aut hypotheticæ: & primæ tres particulæ explicatæ sunt in definitione Termini. Illa autem particula *cuius partes significant separatæ*, non potest meliùs explicari, quàm dicendo, Quòd oratio subordinatur conceptui composito; vt ex *D. Thom.* elicitur 1. *Periherm. lect. 6.* ita quòd etiam intra ipsam orationem habeantur partes componentes ipsam, quæ distinctis & separatis conceptibus correspondeant, vt componentibus vnum totum. Et ratione primi, dictiones compositæ figuræ, vt *Respublica*, *Signifer*, &c. non sunt oratio, quia non respondent duplici conceptui, sed vni, licèt voces separatæ ab ipso nomine diuersa significent: ratione verò secundi distinguitur Oratio à termino complexo, quia terminus complexus habet etiam partes significantes, & plures conceptus, sed per modum partis vlterius componentis, non per modum totius compositi.

Vltima particula ponitur ab Arist. & D. Thom. ad designandum, quòd partes orationis ad minùs debent esse significatiuæ *vt dictio*, idest, vt terminus & non requiritur quòd sint affirmatio, & negatio; nam etiamsi oratio sit hypothetica, & habeat partes, quæ constant ex affirmatione, & negatione, tamen quia etiam ipsa simplex affirmatio, & negatio oratio est, & debet resolui in partes significatiuas, quæ significãt solùm vt simplex terminus, & nõ vt affirmatio, ideo ad definiendam orationem in communi, ponitur id, quod omni orationi commune est, scilicet habere partes, quæ sint simplices termini, seu dictiones, idest quæ ad minùs hoc habeant.

Diuiditur autem Oratio prima sui diuisione in Perfectam, & Imperfectam. *Perfecta Oratio* dicitur secundum D. Thom. 1. Periherm. lect. 7. illa. *Quæ perfectum sensum generat in animo auditoris. Imperfecta quæ sensum imperfectum generat.* Dicitur autem perfectus, vel imperfectus sensus, non quia vna importet assensum, altera non; vna verum, aut falsum, altera non, sed ex eo præcisè quòd vna, scilicet perfecta, non reddit suspensum intellectum & quasi expectantem totum sensum orationis, sed perfectè complet, & exprimit integram sententiam, sicut cùm dico; *Deus est summum bonum.* Imperfecta verò, quæ non integrum sensum explicat, sed quasi suspendit intellectum, vt cùm dico *Petrus disputans, si dormiatis; cùm transiret,* & similia. Quæ orationes valde affines sunt terminis complexis, & solum differunt ex modo componendi. & coniungendi terminos, quia in oratione coniunguntur per modum totius, sed imperfecti, & cum suspensione; in termino complexo per modum partis compositæ. Species orationis perfectæ numeran-

tur quinque à *D. Thom. 1. Periherm. lect. 7.* illas ponimus infrà in principio Quæstionis 5.

CAPVT II.

De Modo sciendi.

ANtequam de Oratione perfecta principali, quæ est *Propositio*, agamus, oportet tractare de *Modo sciendi*; licèt enim plura, quæ pertinent ad modum sciendi in tertia operatione intellectus inueniantur, scilicet Argumentatio; quia tamen etiam alia in secunda operatione inueniuntur, & quædam etiam ad orationem imperfectam pertinent, ideo modus sciendi in genere non determinatur ad orationem perfectam, vel imperfectam atque adeò opportunè antequam agamus de perfecta oratione determinatè, agimus de modo sciendi in communi, qui tam in oratione perfecta, quàm imperfecta inueniri potest.

Igitur Modus sciendi in communi definitur, quòd est *Oratio alicuius ignoti manifestatiua.* Vbi nota aliud esse *Manifestare*, aliud *Significare*: licèt enim signum videatur rem significatam manifestare potentiæ, tamen aliud est hoc manifestare, de quo agimus in præsenti, aliud significare absolutè; *manifestum* enim sumitur dupliciter; vno modo, vt opponitur obscuro, alio modo vt opponitur incognito, & non applicato potentiæ cognoscenti. Primo modo manifestatio fit per aliquid notius, & magis clarum, quo tollitur obscuritas illa, & sic manifestare ignotum in intellectu nostro pertinet ad modum sciendi, dummodo id fiat per orationem, nam manifestatio, quæ fit per rationem formalem simplici modo manifestantem, sicut Authoritas dicentis manifestat credibilia, lux visibilia, non est modus sciendi; quia non est oratio, seu explicatio complexa, idest ad scientiam ordinata, quæ modum illatiui habet. Secundo modo *manifestatio* fit per aliquod medium, seu instrumentum applicans nobis obiectum non applicatum, & hoc modo manifestare pertinet ad signum, seu ad repræsentatiuum communiter loquendo.

Quando ergo aliquid ignotum, seu obscurum indiget explicatione per aliquam orationem, quæ explicet, & tollat illam obscuritatem, talis oratio dicitur *Modus sciendi*, quia omnis manifestatio, scientia dicitur, aut ad scientiam ordinatur. Duo autē sunt quæ intellectui possunt manifestari per orationem, scilicet, vel aliquid incomplexum, vel aliqua veritas complexa. Id quod est incomplexum vt homo, cœlum, terra, &c. explicantur *Definitione* quātùm ad obscuritatem suæ quidditatis, aut *Diuisione* quantùm ad confusionem partium, aut multitudinis, quæ in re aliqua continetur. Veritas autem complexa, si sit obscura, aut dubia manifestatur per probationem, probatio autem fit per discursum, & consequentiam, & sic est *Argumentatio*: vnde modus sciendi adæquatè diuiditur in *Definitionem*, *Diuisionem* & *Argumentationem* ex parte rerum manifestabilium. Qua ratione aliquando dicitur definitio, & diuisio pertinere ad primam operationem, seu apprehensionem simplicem ratione sui obiecti, quod manifestat, quod est aliquid incomplexum.

CAPVT III.

De Definitione.

DEfinitio est *Oratio naturam rei, aut termini significationem exponens*, sicut cùm dico *Homo est animal rationale*, naturam hominis explico, quæ in illo termino *homo* non explicabatur, & cum dico *album est habens albedinem*, non explico naturam albi, sed significationē nominis, quia idem est, ac si dicam Album est vox significans id, quod habet albedinem. Definitioni correspondet definitum tanquam obiectum eius, quod cum ipsa conuertitur. Vnde oportet explicare tria; primum Quæ conditiones requirantur, vt aliqua definitio sit bona; secundum, Quæ conditiones requirantur, vt aliquid sit definitum; tertium, Quotuplex sit definitio, & quot modis fiat.

Circa primum tres conditiones requiruntur ad bonam definitionem: *Prima* est. Quod definitio debet tradi per genus, & differentiam, & quia hæc conditio non solùm complectitur definitionem essentialem, in qua propriè inuenitur genus, & differētia, sed etiam accidentalem, & descriptiuam, in qua non est propriè genus & differentia, sed aliquid loco illius; ideò intelligimus nomine *Generis* aliquid commune, nomine *Differentiæ* aliquod distinctiuum particulare; & ita sensus est quòd omnis bona definitio, vt explicet naturam aliquam, debet explicare illam per id quod est ei commune, cum aliis, & per id quod est sibi proprium, & à cæteris distinguit, sic enim totam rei naturam complectitur. *Secunda* conditio est, quòd definitio clarius significare debet quàm definitum, quia illud manifestat; & inde infertur, quòd non debet definitum intrare definitionem; quia sic non redditur clarior, sed magis perplexa, sicut in illa definitione hominis, quod est animal rationale, non bene adderetur animal rationale, quod est homo. *Tertia* conditio est, vt definitio non sit redundans, nec diminuta, si enim aliquid habet plusquam definitum, vel minus, hoc ipso naturam eius non explicat, attribuit enim illi aliquid quod nō habet, vel ab eo tollit quod habet; & ita definitio non potest alij conuenire quam definito, sicque est optimus locus arguendi à definitione ad definitum, & è contra.

Circa secundum tres etiam conditiones requiruntur, vt aliquid sit definitum, seu vt possit definiri. *Prima*, quòd sit *vnum per se*, idest, vna essentia, si enim plures essentias explicat, non est vnum definitum, sed plura: & ideo priusquam aliquid definiatur, tollenda est æquiuocatio, & confusio pluralitatis, & tunc vnumquodque definiendum est. Si autem plura se habeant per modum vnius, & concurrant ad vnam essentiam constituendam, vel vnum se habeat vt res, alterum vt modus illius, non repugnat vnica definitione comprehendi. *Secunda* conditio est, vt definitum sit vniuersale, nam cùm sola quidditas, & natura definiatur, singularia quæ supra naturam addunt conditiones indiuiduales, quæ de conceptu, & essentia naturæ non sunt, definiri non possunt, sicut nec sub scientia cadere, licèt singularitas in communi definiri possit, quia tunc accipitur, vt quidditas, & natura quædam. *Tertia* conditio est, vt omne definitum si rigorosa, & propria definitione definiatur, sit species aliqua contenta sub aliquo genere, eo quòd omnis definitio propria constat genere & differentia, & sic debet tradi de aliquo, quod contineatur sub genere, nisi forte definiatur per extrinsecas causas, aut habitudines quod non ita rigorosam definitionem importat.

Est autem duplex Definitum, scilicet *Remotum*, & *Propinquum*, quod diuersimode explicatur à Diuersis, prout diuerso modo considerant rationem propinqui, & remoti. Quidam enim dicunt *Definitum propinquum* esse ipsum nomen, seu terminum significantem rē definitam. Remotum verò esse ipsam rem significatam, vt si definio hominem esse animal rationale, terminus *Homo* est propinquum definitum, res vero significata remotum, eo quòd res mediis terminis nobis

appropin

appropinquant, vnde in definitione quid nominis, solùm est vnicum definitum. Alij dicunt quòd *Definitum propinquum* est ipsa natura, & quidditas, quæ immediatè cadit sub definitione; *Remotum* verò sunt illa in quibus inuenitur talis natura, scilicet indiuidua, quando enim definio hominem, immediatè definitur natura humana, remotè Petrus, & alia indiuidua eius. Vtroque modo potest dici.

Circa tertium, definitio est multiplex. *Primò* diuiditur in definitionem *quid nominis*, & *quid rei*. Illa est definitio quid nominis, *quæ explicat significationem nominis*, vnde maximè accedit ad rationem etymologiæ. Definitio quid rei, *quæ explicat naturam rei significatæ*, sicut si definio album quod est idem, atque *habens albedinem*, est definitio *quid nominis*, si autem dico, quòd est *disgregatiuum visus*, est definitio *quid rei*, explicat enim quid sit res ipsa, prima verò, quid significat nomen. Et in ista distinctione definitionis quid nominis, & quid rei semper procedimus in sensu formali, & per se; nam non negamus, quòd ex definitione quid rei etiam deueniamus in notitiam propriæ significationis, & sæpe non potest explicari significatio nominis, nisi rem ipsam declarando, sed ex eo quòd directè & per se explicat vnaquæque definitio, iudicandum est quæ sit definitio nominis, vel rei.

Secundò definitio *quid rei* diuiditur in Essentialem, Descriptiuam, & Causalem. *Definitio essentialis, seu quidditatiua est oratio rem aliquam per suas partes, seu prædicata essentialia explicans*, vt homo est animal rationale. Cùm autem considerentur in vnaquaque re partes physicæ, vt *materia & forma* & partes metaphysicæ, vt *genus & differentia*; duplex quoque est definitio quidditatiua, scilicet *physica*, quæ traditur per materiam & formam & *metaphysica*, quæ traditur per genus, & differentiam, quamquam etiam in physica, materia ponatur loco generis, forma loco differentiæ, vt sic verificetur, quòd omnis definitio constat genere, & differentia, seu aliquo, loco generis, & differentiæ. *Definitio Descriptiua est quæ traditur per eius accidentia, siue propria, siue communia*, vt si dicas Homo est animal risibile, aut animal bipes. *Definitio Causalis est quæ traditur per causas extrinsecas*, quæ causæ extrinsecæ sunt duæ, scilicet efficiens, & finalis, vt dicetur in 2. Physic. quia non constituunt naturam, sed extra illam sunt (nam materia & forma sunt causæ intrinsecæ) vt si definias Animam humanam *quod est forma creata à Deo ad beatitudinem*, ly *à Deo* est causa efficiens; ly *ad beatitudinem* est finis.

CAPVT IV.

De Diuisione.

Diuisio est *Oratio rem aliquam per sua membra aut terminum per varias significationes distribuens*, sicut si dicam *Animal aliud est rationale, aliud irrationale*; Canis *significat sydus, & significat animal.* Et quia diuisio ordinatur ad manifestandum per distributionem confusionem diuisi, sicut definitio ad manifestandã quidditatem, tres conditiones exiguntur ad bonam diuisionem. *Prima* Quòd singula membra sint inferiora, idest, minora diuiso, nam omne totum est maius sua parte *Secunda* Quòd omnia membra diuidentia, simul exhauriant, seu adæquent totum diuisum, quia in toto non est aliud quam omnes suæ partes simul. *Tertia* Quòd membra diuidentia habeant inter se oppositionem aliquam saltem formalem, quia si nullam oppositionem haberent, neque distinctionem haberent sed identitatem, & sic non essent diuersa membra. Omnes istæ conditiones videri possunt in hac diuisione: *Animal aliud rationale, aliud irrationale*; & in hac: *Bonorum aliud honestum, aliud vtile, aliud delectabile.*

Addunt Quidam quartam conditionem, scilicet, vt diuisio fiat tantùm in duo membra diuidentia, aut saltem in quampaucissima. Sed licèt verum sit, quòd omnis diuisio potest reduci in duo membra, si tradatur per contradictoria, vt *Bonorum aliud honestum, aliud non honestum*, tamen non est hoc semper necessarium ad bonitatem diuisionis, sed quando aliquod genus distribuitur per species ex æquo, & immediatè subiectas, in illas diuidi potest; si autem non diuidatur in plures immediatè, & ex æquo subiectas, debet fieri diuisio in duo membra, vel in quampaucissima; & deinde in alia inferiora distribui: sicut substantia non bene diuideretur in hominem, plantam, & Angelum, sed ordine quodam in corporalem, & spiritualem, corporalis in viuentem, & non viuentem, &c.

Species, seu modi diuisionis sunt multæ, cùm enim diuisio distribuat totum in suas partes, sicut esse totum dicitur multis modis, ita & diuisio. Datur enim Totum essentiale, Totum integrale, Totum Vniuersale, Totum potentiale, & sic multiplicari possunt species diuisionum.

Et vt breuiter omnes comprehendere possis, facito duas lineas, seu ordines. Quædam linea est diuisionum per se, alia diuisionum per accidens, seu accidentalis. In diuisione per se include quinque species, quæ hoc modo colliguntur. Nam omne quod diuiditur, aut est vox significans, respectu suarum significationum, aut est res significata. Si primum, est *diuisio nominis*, si secundum, est *diuisio rei*. Res autem quæ est totum comparari potest, aut ad partes quibus integratur, aut ad partes quibus constituitur essentialiter, aut ad partes sibi subiectas. Si primo modò fiat, est *partitio* qua aliquid diuiditur per partes integrantes, vt si dicas Corpus humanum diuiditur in caput, pectus & pedes; vniuersum in Angelos, corpora corruptibilia, & incorruptibilia. Si secundo modo, est *diuisio essentialis in sua constituentia*, vt si dicas, hominis alia pars est anima, alia corpus, vel hominis alterum extremum est animal, alterum rationale. Si tertio modo, aut fit in partes sibi subiectas secundùm prædicationem, aut secundùm potestatem. Si secundùm prædicationem, *est Generis in species*, quia de speciebus prædicatur genus vt de inferioribus; ad quam etiam pertinet diuisio generis per differentias, imò videtur esse eadem, quia genus non diuiditur in differentias, sed per differentias diuiditur in species, & meliùs explicatur quando fit per differentias, vt *Animalium aliud rationale, aliud irrationale*, & hæc est diuisio propriissima & quidditatiua, vtpotè de his in quæ, & per quæ essentialiter contrahitur genus, & in qua diuisum prædicatur de membris diuidentibus. Si fiat diuisio in partes subiectas, quæ se habent vt potentiæ, est *diuisio totius potentialis*, vt si dicas Animæ, aliud intellectiuum aliud appetitiuum; Prudentiæ aliud indicatiuum, aliud consiliatiuum, aliud imperatiuum, quæ diuisio est penes diuersa officia, seu potentias rei.

In linea diuisionum per accidens, etsi multiplicari possint infinitæ diuisiones, quia de his, quæ sunt per accidens non datur certa regula, tamen frequentiores sunt tres: *Prima est diuisio subiecti in accidentia*, vt animalium aliud album, aliud nigrum: *Secũda è conuerso accidentis in subiecta*; vt Alborum, aliud nix, aliud lac: *Tertia accidentis in accidentia*, vt Alborum aliud dulce, aliud amarum, &c.

Regulæ diuisionis, seu Loci arguendi sunt tres, qui deducuntur ex conditionibus bonæ diuisionis: *Prima: A toto diuiso ad totam diuisionem, & è conuerso* valet consequentia affirmatiue, vel negatiue

ue. Pater, quia se habent conuertibiliter. *Secunda: A toto diuiso cum negatione vnius membri* (si sit diuisio bimembris, vel plurium, si sit multiplex) *ad positionem eius membri quod restat*, bona est consequentia, vt Equus est animal & nō est rationalis, ergo irrationalis. *Tertia:* Quando membra sunt realiter opposita, bene valet *à positione vnius membri ad negationem alterius*, patet, quia opposita non possunt esse simul, saltem naturaliter, & per se loquendo.

CAPVT V.

De Argumentatione.

DE hac tertia specie modi sciendi, agendum nobis est in 3. libr. ad quem directè spectat, cum pertineat ad tertiam operationem intellectus. Pro præsenti vbi distinximus species modi sciendi sufficit notare hæc tria. *Primum* est definitionem argumentationis, quæ est *Oratio in qua vno dato aliud sequitur*, vt si dicam, Petrus est animal, ergo est corpus. Quare argumentatio debet componi, & constare ex tribus, scilicet *antecedente*, seu præmissa tanquam inferente, & *consequente* tanquam illato, & *nota illationis*, quæ est coniunctio antecedentis, & consequentis, illationem seu sequelam denotans.

Secundum est, quòd species Argumentationis sunt quatuor scilicet *Syllogismus*, *Enthymema*, *Inductio*, *& exemplum*. Et possunt reduci ad duas, scilicet ad *Syllogismum & Inductionem*, nam *Enthymema* est quidam syllogismus imperfectus, seu truncatus, & *Exemplum* est quædam pars inductionis. Diuiditur autem in istas species Argumentatio, in quantum manifestatiua est veritatis, in quo eius consistit quidditas. Duæ autem solùm sunt viæ manifestandi veritatem scilicet, vel discurrendo ex principiis per intellectum notis, vel ad sensibilia, seu singularia deducendo, quia ibi est origo totius notitiæ nostræ. Si fiat primo modo, est per *Syllogismum*, qui constat ex tribus propositionibus, *Maiori*, *Minori*, & *Consequente*, vel ex duobus si sit *Enthymema*, scilicet *Antecedente*, & *Consequente*, & ideo est imperfectus syllogismus, quia ponit vnam propositionem pro antecedente, & syllogismus duas, cuius tota vis inferendi consistit in vnione aliquorum in vno tertio, vnde infert vnionem eorum inter se. Si secundo modo, est *Inductio*, quæ non ex connexione cum vno tertio, sed ex pluribus singularibus sufficienter enumeratis infert vniuersaliter sic fieri in omnibus, & ad hoc reducitur *Exemplum*, quod ex vno singulari infert non vniuersale, sed aliud simile. Exempla inductionis vide infrà lib. 3. cap 2.

Tertium est, quòd aliæ diuisiones argumentationis dantur præter istas species, sicut *ex parte notæ illationis*, alia Argumentatio est *Rationalis*, scilicet, quæ fit per particulam *ergo*, vt *homo est animal, ergo est viuens*, alia *Conditionalis*, quæ fit per particulam *si*, vt *si Sol lucet, dies est*: alia *Causalis*, quæ fit per particulam *quia*, vt *Quia homo est rationalis, est risibilis*. Et differt inter ista tria, quòd ad veritatem conditionalis sufficit, quòd sit bona consequentia, licèt extrema sint falsa, vt hæc est conditionalis vera: *Si homo, volat, habet alas*, & tamen extrema sunt falsa. Ad veritatem Rationalis requiritur, quòd antecedens & consequens sint vera, ad veritatem inquam, nam, ad bonitatem consequentiæ etiam ex falso potest sequi verum, vt dicemus lib. 3. Ad veritatem Causalis, quòd extrema sint vera & quòd antecedens sit causa consequentis, est enim verum quòd homo est animal, & est risibilis, sed falsum, quòd *quia est animal, sit risibilis*: verum autem est, quòd *quia est rationalis est risibilis*.

Ex parte autem qualitatis, consequentia diuiditur in bonam & malam. *Bona consequentia* est, in qua antecedens infert consequens, taliter quòd non potest antecedens esse verum, & consequens falsum. *Mala consequentia* est in qua antecedens non infert consequens, licèt videatur, seu significetur inferri, ratione cuius significationis denominatur *Consequentia*, sed mala, quia non infert, sed datur antecedens verum & consequens falsum.

De Regulis Consequentiarum ad discernendum bonas à malis dicemus lib. 3. vbi ex professo agendum est de defectibus consequentiæ.

CAPVT VI.

De Propositione, siue Enuntiatione.

PRæcipua species perfectæ orationis est *Enuntiatio*, seu *Propositio*, & de illa, magna in Dialectica tractatio est, quia potissimū deseruit syllogismo, & discursui. Et sumimus pro eodem *Propositionem*, & *Enuntiationem*, quia sic obtinuit vsus etiam inter Sapientes, vt constat in disputationibus communibus, in quibus magis vtimur nomine *propositionis*, quàm *enuntiationis*, & sic etiam vtitur *S. Thom.* 1. *p. q.* 13. *art.* 12. nomine propositionis pro enuntiatione; aliàs verò officium propositionis distinxit à simplici officio enuntiationis cum *Aristot.* 1. *Poster. lect.* 5. *& Opusc.* 48. *tractatu de syllogismo simpliciter cap.* 1. scilicet quòd *Propositio* addit supra *Enuntiationem* quòd proponatur ad inferendum aliquid in argumentatione. Definitur ergo *Enuntiatio*, quòd est *oratio verum vel falsum significans indicando*, vt cùm dico *Homo est animal*. Ita ex Arist. 1. Periher. D. Thom. lect. 7. *Oratio* ponitur loco generis; *significare verum vel falsum* loco differentiæ, per quam distinguitur enuntiatio à cæteris orationibus siue imperfectis, siue perfectis non explicantibus veritatem. Particula *indicando* ponitur non quia in omni propositione formaliter inueniatur, sed ad designandum, quo pacto Verbum in propositione simplici deseruiat ad significandum verum vel falsum, scilicet, per modum asserendi, quod communiter fit verbo indicatiui modi, vel ad illud debet reduci; est enim modus *indicatiuus* seu *assertiuus* id per quod cognoscitur, seu regulatur enuntiatio veritatis, veritas enim in simplici enuntiatione assertiuè significatur, siue affirmando, siue negando. In hypotheticis autem licèt non semper assertiuè procedatur, vt in conditionalibus non indicatiui modi, v. g. *Si percuteres Petrum, te occideret* & similibus, tamen ex aliquo sensu subintellecto reduci potest veritas propositionum ad assertionem, eo modo quo reduci potest ad categoricas, & verificari per illas, vt dicemus infrà c. 23.

Vt autem constet quid sit *significare verum*, non ex *D. Thom.* 1. *Periherm. lect.* 7. Quod veritas est in enuntiatione sicut in signo intellectus veri, vel falsi; sed sicut in subiecto est verum, vel falsum in mente (idest in iudicio mentis) vt dicitur in 6. *Metaph.* In obiecto autem sicut in causa, quia vt dicetur in libro Prædicamentorum *Ab eo quòd res est, vel non est, oratio vera vel falsa est.* Loquitur autem hic *D. Thom.* de enuntiatione vocali, quando dicit quod est in enuntiatione veritas, sicut in signo intellectus veri, vel falsi, nam loquendo de enuntiatione iudicatiua mentali, in illa est veritas sicut in subiecto.

Sed tamen quia etiam iudicatiua mentalis, significatiua est, & repræsentatiua veritatis obiectiuæ, vlterius dicimus quòd significare verum, vel falsum in propositione mentali, non est aliud, quàm significare per modum componentis, aut diuidentis, ita

ita quod significetur aliquid vt iudicabile, sicut ex hoc quod aliquod prædicatum copulatur, vel disiungitur à subiecto, resultat quod conformetur & adæquetur, vel non conformetur ipsi rei, non solùm conformitate, vel difformitate assimilationis, sed attributionis, & coniunctionis prædicati cùm subiecto, nam assimilatio ad rem extra, etiam in simplici apprehensione inuenitur. Et ita docet S. Thom. 1. p. q. 16. art. 2. quòd *simplex apprehensio, vel sensus est verus, sed non cognoscit verum, quia non cognoscit conformitatem veritatis, quia non applicat aliquid alicui, vel remouet ab eo* Quapropter significare applicationem vnius ad aliud, vel potiùs significare rem applicando vnum alteri per modum iudicabilis est significare verum vel falsum. Ipsa autem veritas propositionis, non est ipsa significatio veri vel falsi, sed est conformitas, seu adæquatio cum re significata ex tali significatione resultans, & hæc conformitas est relatio quædam ad obiectum in re, quod totum vnico verbo significare voluerunt, qui dixerunt, quòd significare verum, est *significare rem esse, qualiter se res habet* & significare falsum, *significare aliter quam res habet.* Hoc autem non est solùm significare aliqualiter sicut sincategorema, nec solùm aliquid simplex, sicut categorema, sed aliquid compositum, seu aliquid quod est applicatio vnius ad alterum quod est enuntiatiua oratio. Quomodo autem veritas ipsa, aut falsitas non sint essentia propositionis, sed significatio ex qua resultat veritas, vel falsitas; & quomodo vna veritas formaliter non sit maior, nec minor alia dicemus infra q. 5.

Sed aduerte quòd sunt aliquæ propositiones se falsificantes, seu destruentes suam veritatem, sicut & aliæ destruentes suam possibilitatem, vel suam necessitatem, & hoc contingit quando ex ipsamet verificatione propositionis sequitur quòd sit falsa, idest, ex eo quòd ita sit, sicut per illam significatur, vt si dicam, *Omnis propositio est falsa*, vel *Hæc propositio est falsa*, ipsammet demonstrando, ex eo enim quòd ita sit, sicut significat, sequitur ipsam esse falsam. Et tales propositiones simpliciter sunt falsæ, quia licet habeant verificationem, illa tamen non est simpliciter veritas, quia ex illa sequitur falsitas, malum autem est ex quocumque defectu, & id vnde sequitur falsum simpliciter non est verum.

CAPVT VII.

De Diuisionibus Propositionis.

Omissa Diuisione Propositionis in veram & falsam, quæ simpliciter non est diuisio, cum eidem propositioni conuenire possit, imo veritas, & falsitas nō sunt formaliter in ipsa propositione quatenus enuntiatiua est, sed quatenus iudicatiua, iudicium autem pertinet ad assensum, & dissensum, enuntiatio ad copulationem extremorum super quam cadit iudicium assensus tanquam supra materiam, vt dicemus q. 5. art. 1. Omissa ergo hac diuisione, & agendo solùm de propositione quatenus enuntiatiua est.

Omnes diuisiones propositionis ad quatuor principales, quasi ad Capita reducuntur. *Prima* diuisio est in *propositionem categoricam, & hypotheticam*, quæ est diuisio essentialis, vt dicemus loco prædicto, nam tenet se ex parte partium essentialium, quibus constat. Est enim *categorica propositio quæ habet subiectum, copulam verbi, & prædicatum tanquam partes principales sui*, omnis enim propositio verbo constare debet, vt Aristoteles docet 1. Periherm. cap. 4. & cum eo D. Thom. ibid. lect. 1. & 8. *Subiectum* dicitur illud, *de quo aliquid dicitur. Prædicatum, id quod de aliquo dicitur*, vt in hac propositione homo est albus, ly *Homo* dicitur subiectum, ly *Albus* prædicatum, & ly *est* copula verbalis, & quia ex istis tanquam ex principalibus constat hæc propositio, dicitur *Categorica*, idest prædicatiua, & ab aliis dicitur simplex, quia solùm ex verbo, & nomine componitur, vt dicit *S. Th. lect.* 8. *citata*, nec enim est alia compositio simplicior. *Hypothetica*, quæ ab aliis dicitur *Composita*, seu coniunctione vna dicitur *illa quæ habet duas categoricas tanquam partes principales sui*, vt si homo currit, homo mouetur. Et sic differunt hypothetica, & categorica penes copulas & penes extrema copulata, quia hypothetica non vnit verbo, sed particula *& vel si*, & similibus: nec immediatè vnit terminos, sed propositiones. Istæ autem copulæ, & partes essentialiter differunt, in modo copulandi.

Sedunda diuisio ex parte quantitatis propositionis in *vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem* Et sicut in naturalibus quantitas rei sequitur materiam ita in propositionibus quantitas sequitur subiectum, quod est quasi materia respectu prædicati & copulæ. Constat autem quod extensio propositionis, seu quantitas eius sumitur penes pluralitatem, & extensionem subiectorum, quibus prædicatum conuenit. Vnde hæc diuisio est accidentalis, vt probabitur citata q. 4. art. 4. Igitur *propositio vniuersalis est illa in qua subiectum propositionis afficitur aliquo signo vniuersali.* Signa autem vniuersalia sunt *Omnis, Nullus, Quilibet, Neuter*, & similia, quæ distributionem pro pluribus important, vnde talia signa non affiguntur nisi termino communi, vt *Omnis homo disputat.*

Sed aduerte quòd in propositione distinguitur aliquando subiectum distributionis à subiecto prædicationis, seu enuntiationis, vt in hac propositione, *Cuiuslibet hominis equus currit*, vbi *Cursus* prædicatur de equo, vt de subiecto, sed distributio non conuenit subiecto, sed homini. Itaque illud subiectum propositionis cui affigitur signum distributionis, dicitur *Subiectum distributionis.* Sed hæc distributio, & vniuersalitas est simpliciter distributio quando non dependet, nec restringitur ab alio termino antecedente, cuius resolutio priùs dari debeat, quam resolutio termini distributi. Est autem distributio secundùm quid, quando est dependens ab alia priori resolutione, vt si dicam, *Hominis quilibet equus currit*; licèt ly *Equus* afficiatur signo distributionis, non tamen simpliciter est vniuersalis, quia restringitur à ly *hominis*, & non possumus resoluere, idest, descendere sub illo termino *Equus* antequam descendamus, sub illo termino *hominis*, *vt in lib.* 3. *in Tractatu de Inductione* clarè ostendemus, & sic vniuersalitas propositionum, tunc est simpliciter talis quando in sua distributione, & resolutione, seu descensu est independens ab aliqua priori resolutione alterius termini; quando autem est dependens, est vniuersalitas secundùm quid.

Propositio particularis est, in qua subiectum afficitur signo particulari, vt quidam homo disputat. Signa particularia sunt, *Quidam, Aliquis, Alter*, & similia, quæ pluribus conuenire faciunt, sed non distributiuè. *Propositio indefinita est, in qua subiectum est terminus communis & nullo signo afficitur*, vt homo disputat. *Propositio singularis est, in qua subiectum est terminus singularis, vel terminus communis affectus signo singularitatis*, vt Petrus disputat, iste homo disputat. Terminus autem singularis est *qui de vno solo, & non de pluribus potest prædicari.*

Tertia diuisio est in propositionem *Affirmatiuam, & Negatiuam*, quam D. Thom. 1. Periherm. lect. 8. appellat generis in species. *Affirmatiua propositio est, in qua prædicatum affirmatur de subiecto,*

vt

vt homo eſt albus; *Negatiua in qua prædicatum negatur de ſubiecto*, & ſic affirmatio facit compoſitionem; negatio verò diuiſionem.

Quia ergo affirmatio, & negatio penes copulam attenditur, oportet aduertere, quòd duplex eſt copula, *quædam principalis*, quæ vnit prædicatum ſubiecto: *quædam minùs principalis* (quam etiã *Implicationis* vocant) quæ eſt pars extremi, vt quando dico Petrus, qui eſt doctus, eſt iuſtus, illud *qui eſt*, tenet ſe ex parte ſubiecti, & conſtituit vnum extremum ſuper quod cadit copula vniens prædicatum, & iſta eſt principalis. Copula principalis, *alia eſt ſimplex*, *alia complexa*; ſimplex vt quando vnam ſolum pono, v.g. *Petrus eſt iuſtus*, complexa, vt quando ponitur duplex, v. g. *Petrus eſt vel fuit iuſtus*. Et quidem in copulis complexis ſi vtraque negetur, vel vtraque affirmetur, clarè conſtat, quòd tota propoſitio eſt affirmatiua, vel negatiua, vt *Petrus nec eſt, nec fuit albus*, eſt ſimpliciter negatiua, *Petrus eſt & fuit albus*, ſimpliciter affirmatiua; ſi autem vna affirmetur, & altera negetur, vt ſi dicas *Petrus eſt, vel non fuit albus*, formaliter eſt mixtæ qualitatis, ideſt ſimul affirmatiua & negatiua; virtualiter autem illa dicetur affirmatiua, quæ ex ſe infert vnam affirmatiuam, & virtualiter negatiua illa, quæ infertur ex vna negatiua. *Cuius ratio eſt.* Quia ſi vna propoſitio infert vnam affirmatiuam, illa propoſitio illata non poteſt verificari niſi ſupponant extrema; ergo oportet quod etiam in eius antecedente extrema ſupponant, quia non poteſt antecedens eſſe verum, & conſequens falſum in bona conſequentia: ergo oportet quòd talis propoſitio inferens affirmatiuam per bonam conſequentiam, ſit virtualiter affirmatiua, hoc eſt, exigat ad ſui verificationem idem quod affirmatiua, ſcilicet ſuppoſitionem extremorum, v.g. hæc propoſitio *Petrus eſt & non fuit albus* eſt virtualiter affirmatiua, quia infert hanc *Petrus eſt albus*, quæ eſt abſolutè affirmatiua.

E contra verò ſi vna propoſitio infertur ex vna negatiua, dicitur virtualiter negatiua, licèt in ſe ſit mixtæ qualitatis, quia non exigit ad ſui verificationem, niſi id, quod exigit negatiua, ſcilicet quòd verificetur etiam ſine ſuppoſitione extremorum, eo quòd infertur ex vna negatiua, quæ ſine ſuppoſitione extremorum verificatur, & per conſequens eodem modo verificabitur ea quam infert, quia in bona conſequentia, ſi antecedens eſt verum conſequens non poteſt eſſe falſum, ſicut hæc *Petrus eſt vel non fuit albus* infertur ex iſta *Petrus non fuit albus*, & ita prima eſt virtualiter negatiua. Et ſic propoſitio disiunctiua mixtæ qualitatis eſt virtualiter negatiua: copulatiua verò mixtæ qualitatis eſt virtualiter affirmatiua.

Propoſitio negatiua, cùm conſtet ex copula negata, negatio autem eſt malignantis naturæ, quæ deſtruit quidquid poſt ſe inuenit, conſequenter duplicata negatio efficit affirmationem, quia prima negatio deſtruit ſecundam. Et eodem modo cum negatio habeat vim diſtribuendi, ſi inuenit ſubiectum diſtributum, tollit diſtributionem eius quod Dialectici vocant *Immobilitare*, & ſic negatio mobilitat, ideſt, diſtribuit immobilitatum, & immobilitat mobilitatum, ideſt, diſtributum; vt ſi dicas Non omnis homo diſputat, ly *non omnis*, eſt idem, quod *quidã*; particularis; de quibus in c. de Æquipollentia.

Quarta diuiſio eſt in propoſitionem de ineſſe, & modalem. *Modalis propoſitio eſt in qua verbum, ſeu copula afficitur aliquo ex his quatuor modis*, ſcilicet, *neceſſariò, contingenter, poſſibiliter, impoſſibiliter*, quia iſti modi afficiunt ipſum verbum, quantùm ad rationem, & modificationem componendi propoſitionem & copulandi. *Propoſitio autem de ineſſe eſt illa, quæ ſine talibus modis copulat, componit vnum extremum cum alio*, quamuis aliis aduerbiis modificantibus verbum aut prædicatum conſtet, quia non pertinent ſpecialiter ad modificationem compoſitionis & copulationis, hæc propoſitio, *Petrus eſt albus*, *Petrus iuſtè viuit*, ſunt de ineſſe, hæc vero modalis, *Petrus contingenter diſputat, neceſſariò videt, &c.* De his modalibus latiùs dicemus tractando de Oppoſitionibus.

Omnes iſtæ diuiſiones fiunt & ſumuntur ex parte copulæ, præter illam, quæ eſt in vniuerſalem, & particularem, &c. Quæ ſumitur penes quantitatem ex parte ſubiecti; categorica enim & hypothetica penes copulam diſtinguuntur, quia categorica conſtat copula verbali, hypothetica coniunctione propoſitionum. Item affirmatiua conſtat copula affirmata, negatiua, copula negata: Modalis conſtat copula modificata modificatione tangente ipſam compoſitionem: Propoſitio de ineſſe, copula ſimplici, & abſoluta.

CAPVT VIII.

De Materia Propoſitionum.

IN Propoſitione ſubiectum habet rationem materiæ quaſi partialis reſpectu prædicati, quia prædicatum de ſubiecto dicitur, & quaſi eo recipitur. Rurſus ſubiectum & prædicatum dicuntur quaſi *materia copulæ*, quia ſecundum habitudinem, & conuenientiam prædicati ad ſubiectum, fit vel non fit debito modo vnio ipſa inter prædicatum, & ſubiectum. Et hæc habitudo terminorum, ex quibus quaſi ex materia propoſitio componitur, dicitur abſolutè *Propoſitionum materia*. Et eſt triplex, alia naturalis, alia contingens, alia remota. *Naturalis in qua vnus terminus eſt de eſſentia alterius*, & ſic vel fundant habitudinem eſſentialem, vt ſi dicas homo eſt animal, vel neceſſariam propriæ paſſionis, vt homo eſt riſibilis. *Contingens in qua prædicatum accidentaliter conuenit ſubiecto, & poteſt adeſſe, & abeſſe ſine ſubiecti corruptione*, vt Petrus eſt iuſtus. *Remota in qua prædicatum repugnat ſubiecto*, vt homo eſt lapis; & ſufficit repugnantia naturalis, nam ſupernaturaliter id quod erat in materia remota, ſcilicet Deus, & homo, factum eſt in materia naturali, poſtquam Verbum factum eſt homo.

Prædicatio alia identica, alia formalis. Item alia directa, alia indirecta. Identica, *in qua idem de ſe ipſo, vel ſinonimum de ſinonimo prædicatur*, vt homo eſt homo. Formalis, *in qua prædicatur forma, vel aliquid ad inſtar formæ de aliquo*, vt homo eſt iuſtus, homo eſt animal. Prædicatio directa eſt, *in qua prædicatur id, quod habet rationem formæ de eo, quod habet rationem ſubiecti*, ſiue ſit forma eſſentialis, vt definitio, vel pars definitionis de definito, & ſuperius de inferiori, ſiue ſit forma accidentalis de ſubiecto; vnde & prædicatio directa, alia eſt eſſentialis, alia accidentalis. Indirecta prædicatio eſt, *in qua è conuerſo ſubiectum dicitur de forma, aut definitum de definitione*, vt coloratum eſt homo, animal rationale eſt homo; & iſta propriè non eſt eſſentialis, aut accidentalis. Sed de his latiùs in Logica q.5.art.2. (§ § §.)

CAPVT IX.

De Proprietatibus Propoſitionis, quo ordine tractandæ ſunt?

EXplicatâ naturâ propoſitionum, earumque diuiſione & diuerſitate materiæ, ſequitur ordine do-

ctrinæ agere de proprietatibus propositionis. Quædam autem proprietates sequuntur ipsa extrema, seu partes propositionis, quædam totam ipsam propositionem. Proprietates partium propositionis quæ solùm conueniunt illis prout intra propositionem, sunt quinque, scilicet *Suppositio*, *Ampliatio*, *Restrictio*, *Alienatio*, *Appellatio*. Proprietates quæ sequuntur totam propositionem sunt tres, *Oppositio*, *Conuersio*, *Æquipollentia*: Et istæ proprietates possunt inueniri tam in propositionibus de inesse, quàm in Modalibus. Et ideo priùs agemus de proprietatibus extremorum propositionis, deinde de proprietatibus totius propositionis & priùs in propositionibus de inesse, deinde in modalibus.

CAPVT X.

De Suppositione.

SVppositio definitur, quòd est *Acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur*. Multi ex Recentioribus hanc definitionem non admittunt, existimantes quòd suppositio solùm est *Acceptio nominis pro re quam significat*, nec distinguunt suppositionem à significatione seu ab exercitio significationis, qua vox substituitur in significando loco rei. Vnde illud antiquum, & acceptatum principium, quod aliquæ propositiones sunt *de subiecto non supponẽte*, & ideo si sint affirmatiuæ falsæ sunt ab ipsis reiicitur, quia omne nomen siue intra, siue extra propositionem supponit, hoc ipso quòd substituitur pro aliquo apud intellectum, nam & Aristoteles dixit *in* 1. *Elenchorum*, quòd quia res nobiscum ferre non possumus, vtimur nominibus pro rebus.

Cæterum euidenter distinguit *S. Thom.* inter significationem nominis, & suppositionem in *q.* 9. *de Potentia art.* 4. *in corpore*, & *ad* 6. & idem colligitur ex *prima parte q.* 39. *art.* 5. *ad* 5. vbi admittit illam regulã Sophistarum. *Quòd nomina substantiua supponunt, adiectiua verò non supponunt, sed copulant*, ergo apud *S. Thom.* non est idem *significatio*, quod *suppositio*, adiectiua enim significare constat.

Denique rationem huius assignauit *S Thom. in* 3. *sent. dist.* 6. *quæst.* 1. *artic.* 3. vbi ita inquit, *Quòd in quolibet nomine est duo considerare, scilicet, id à quo imponitur nomen, quod dicitur* Qualitas nominis, *& id cui imponitur, quod dicitur* substantia nominis, *& nomen propriè loquendo dicitur significare formam, siue qualitatẽ, dicitur verò supponere pro eo cui imponitur.* Et inde infert solutione ad 1. quòd *diuersitas suppositionis non facit æquiuocationem, sed diuersitas significationis.* Distinguit ergo manifestè *Sanctus Thomas* suppositionem à significatione. Et nos ex eius verbis dicimus, quòd cùm significatio nominis sit quædam substitutio pro re significata, dupliciter potest intelligi substitutio, vno modo *substitutio repræsentatiua*, qua ipsæ voces nobis ingerunt res significatas; & hæc non est suppositio, sed *significatio*. Alio modo est substitutio quasi *applicatiua* (& ideo solùm est intra propositionem vbi fit applicatio ad copulam, & ad extremum) qua postquam intellectus accepit repræsentationem & significationem vocis, vel conceptus, applicat diuersimodè in propositionibus ipsum nomen, vt stet pro eo cui vult aliquid applicare, sicut cùm dico *Homo est albus*, ly *homo*, non solùm mihi repræsentat naturam humanam, sed etiam substituo illud pro eo cui applicanda est albedo per illam copulam *est*. Vnde considerat intellectus, an respectu talis copulæ detur verè, & propriè subiectum quod sit homo, & si datur, verè substituit tale subiectum in propositione; si autem non inuenitur, substitutio est nulla, sicut si dicerem *Anti-Christus fuit bonus*; *Adam est albus*, non substituo, nec suponunt illa subiecta, quia respectu illius copulæ *fuit*, non datur, nec applicatur *Anti-Christus*, & respectu illius copulæ *est*, non datur *Adam*, & sic vocantur propositiones *de subiecto non supponente*.

Sic ergo explicatur definitio: *Suppositio est acceptio termini*, idest, *acceptio substitutiua* ab intellectu facta in ordine ad aliquam copulam in propositione; & sumitur pro *acceptione passiua* ex parte termini accepti, non pro *actiua* ex parte intellectus accipientis. Additur in definitione, *Pro aliquo de quo verificatur*. Intellige pro quo verificatur illa acceptio termini seu substitutio, non de quo verificatur propositio. Non enim requiritur ad suppositionem veritas, seu verificatio propositionis, siquidem etiam in propositione falsa datur suppositio, vt cùm dico Homo est lapis, ly *Homo* supponit, quia verè inuenitur id cui conuenit esse homo respectu illius copulæ *est*, & secundùm exigentiam eius, sed requiritur ad suppositionem verificatio acceptionis termini, & substitutionis eius, idest, quod id cui conuenit illud nomen, & pro quo substituo illud in ordine ad copulam propositionis, verè inueniatur, & detur iuxta illius copulæ exigentiam.

Ad comprobandam autem, & ostendendam suppositionem termini, vtimur propositione demonstrante illam in ordine ad copulam, vt si dico *Homo est albus*, ostendo quòd *homo* supponit, quia in ordine ad illam copulam *est* demonstrato homine verum est dicere, *hoc est Homo*, & in ista propositione *Adam fuit*, ly *Adam* supponit, quia hoc indiuiduo demonstrato *Adam* aliquando fuit, & si dico *Homo est nomen* verificatur suppositio subiecti, dicendo *Homo* (demonstrata voce) *est ly homo*, seu est *vox homo*, & sic de cæteris. Hæc autem demonstratio, quando dico *Hoc est, &c.* non requirit quòd fiat ad sensum, sed sufficit quòd ad intellectum demonstretur, quia præterita & futura non demonstrantur ad sensum, & similiter occulta, vt si dicam, *Aurum est non demonstratum*, scilicet aurum, quod est in terra, ly *aurum* supponit, quia verificatur dicendo *Hoc* (demonstrato auro per intellectum) *est aurum* non autem demonstrato per sensum; sic enim falsificaretur propositio, quia si monstratur non est occultum, sicut etiam falsificatur, si ly *demonstratum*, etiam ad intellectum non demonstretur. Quare propositio demonstans suppositionem non dat illi verificationem, sed designat & ostendit illam, & sic cùm dicitur, quòd *suppositio est acceptio pro aliquo, de quo verificatur*, intelligitur sic, de quo verificatur in propositione in qua ponitur, quasi in exercitio; in alia verò in qua demonstratur, quasi in actu signato, vt in manifestante, seu probante suppositionem.

Ex dictis colligitur, quòd suppositio termini non datur extra propositionem: licet enim terminus, & quælibet vox significatiua extra propositionem significet vt terminus; non tamen applico, & substituo illum pro aliquo, verificando illum secundùm exigentiam alicuius copulæ, nisi in propositione, in qua solùm inuenitur copula, & inuenitur applicatio vnius ad alterum per modum prædicati & subiecti, & sic substitutio applicatiua pro aliquo verificata secundùm exigentiam copulæ, quod est suppositio, extra propositionem non datur; substitutio verò significatiua, & ordinata ad componendam propositionem datur.

Colligitur secundò quòd suppositio, vt explicatur in definitione ita generaliter est definita, quòd etiam adiectiuis quando adiectiuè tenentur potest applicari,

applicari, vt si dicam *Petrus est albus*, ly *albus* etiam accipitur pro aliquo de quo verificatur, & cui conuenit ratio albi iuxta exigentiam copulæ. Si tamen suppositio accipiatur strictiùs, pro eo quod est non solùm accipi pro aliquo, sed etiam *reddere suppositum verbo*, quod est strictiori modo supponere, sic adiectiua non supponunt, sed copulant suum significatum formale alteri supposito, vt dicebant Antiqui.

CAPVT XI.

De Diuisionibus Suppositionis.

SVppositio cùm sit acceptio termini pro eo de quo verificatur, dicit respectum, & ordinem ad tria, & penes illa sumuntur eius diuisiones. Dicit enim respectum *ad significatum*, pro quo supponit, *ad verbum*, in ordine ad quod supponit, *ad signum modificans*, quo modificatur ad supponendum.

Primò ergo ex parte significati diuiditur suppositio in Propriam, & Impropriam. *Suppositio propria est acceptio termini pro eo quod propriè significat, vel repræsentat*, vt cùm dico *Leo rugit*, accipitur *Leo* pro animali, quod propriè significat: *Impropria suppositio est acceptio pro eo quod impropriè significat, & quasi metaphoricè*, vt cùm dico *Vicit leo de Tribu Iuda*, accipitur Leo pro Christo quem propriè non significat. Et sic in istis propositionibus *Christus vicit*, *Leo de Tribu Iuda vicit*, licèt accipiatur subiectum pro eodem, scilicet pro Christo, diuerso tamen conceptu, & repræsentatione, nam in primo repræsentatur Christus absolutè, & simpliciter, quia propriè; in secundo verò repræsentatur Christus cum connotatione ad leonem verum, & ita nomen *Leo* impropriè repræsentat, & supponit pro Christo, quia ratione connotationis, & non simplicis, ac directi significati illum repræsentat, & ideo isti modi metaphoricæ locutionis habent elegantiam, & delectationem, quia non simplici modo, sed quasi quodam circuitu, & connotatione res significant.

Propria suppositio diuiditur in tres species, scilicet Materialem, Simplicem, Personalem. *Materialis est acceptio termini pro se*, idest pro ipsa voce, & non est proprietas logicalis formaliter, & artificiosè, sed materialiter, & ideò in definitione suppositionis propriæ posuimus, quod est acceptio pro eo quod propriè significat, vel repræsentat, quando enim supponit materialiter, repræsentat se, non significat, vt cùm dico *Homo est nomen*, *Blytiri est vox*, nisi fortè subintelligas, *vox homo*, *vox Blytiri*, tunc enim ly *vox* non supponit materialiter, ly autem *Homo* vel *Blytiri* materialiter supponunt, quia non pro re quam significant, sed pro voce vt se repræsentat, supponunt. Cognoscetur suppositio materialis ex tribus: primò si ponatur terminus non significatiuus vt *Blytiri*, *Scindapsus*: isti enim non possunt supponere nisi pro se. Secundò si ponantur signa materialitatis, vt sunt; *hac dictio*, *hic terminus*, *&c.* faciunt stare rem demonstratam per illam materialiter. Tertiò, si ex parte prædicati ponatur aliquid, quod non significat rem, sed terminum, vt si dicas *homo est vox*, *homo est nomen*.

Suppositio Simplex est, *Acceptio termini pro eo quod primò, & immediatè significat*, & non mediatè, vt si dico *Homo est species*, ly *homo* supponit suppositione simplici. Vbi aduerte, nomina significare duo: primum quod est quasi primarium, & formale: secundum quod est id in quo inuenitur tale primarium, & est quasi secundarium significatum à nomine, quia in eo, quasi in supposito, & materiali susceptiuo reperitur id quod significat nomen, v.g. *Homo* significat primariò, & immediatè humanam naturam, mediatè verò omne illud in quo illa inuenitur, idest, omnia indiuidua hominis.

Suppositio ergo simplex est acceptio termini pro eo quod est significatum primariò & immediatè, ita præcisè quod non transit ad secundarium significatum, & ad ea, in quibus inuenitur primarium, sed cum præcisione stat pro primario significato, & ideò est simplex, & præcisa suppositio, quæ stat in immediato, & primario significato, non quasi duplex, quæ transeat ad secundum, & mediatum, sicut quando dico *Homo est species*, non accipitur *homo* pro indiuiduis, sed pro homine vt sic, & præscindendo ab indiuiduis, vnde non valet, *Homo est species*, *ergo Petrus est species*. Et ideò in simplici suppositione semper intercedit appellatio, quia prædicatum conuenit subiecto sub aliqua præcisione, & formalitate, qua non descendit ad indiuidua.

Suppositio Personalis est *Acceptio termini pro indiuiduis*, seu pro his, quæ materialiter, & mediatè significantur, & ideò vocatur *personalis*, quia conuenit quasi personis, seu suppositis alicuius rei, sicut cùm dicimus *Omnis homo est animal*, conuenit hoc etiam indiuiduis, & valet benè descendendo, *ergo iste homo est animal*, &c. vnde suppositio personalis est capax ascensus, & descensus, non simplex.

Deinde tertiò diuiditur *suppositio personalis* ex ordine ad verbum, seu copulam in *Essentialem*, *seu Naturalem*, *& Accidentalem*. Suppositio naturalis est *Acceptio termini pro omnibus*, *pro quibus natus est accipi* seu aliis verbis, *est Acceptio termini pro eo*, *cui intrinsecè*, *& essentialiter conuenit prædicatum*, vt homo est animal, vbi verbum *est*, abstrahit à tempore in sui verificatione. Suppositio accidentalis est *Acceptio termini pro his solùm*, *de quibus verificatur iuxta exigentiã verbi*, seu alio modo, *est acceptio termini pro eo cui prædicatum non intrinsecè*, *sed accidentaliter conuenit*, vt in hac *Homo est iustus*, *Homo disputat*.

Quartò diuiditur suppositio ex parte significationis in *Communem*, & *singularem*. Communis est, *acceptio termini communis pro suis inferioribus*, vt homo disputat Suppositio singularis, & discreta est *acceptio termini singularis pro re singulari*, vt *Petrus disputat*, *hic homo disputat*.

Quintò diuiditur suppositio communis ex parte signorum in *Determinatam*, & *Confusam* Suppositio determinata est, *Acceptio termini communis indefiniti*, *aut signo particulari affecti*, vt *Homo disputat*, *Quidam homo disputat*. Suppositio confusa est *Acceptio termini communis cum signo vniuersali*, *vel etiam speciali signo confusionis*, vt *Omnis homo disputat*, *Tantùm homo disputat*. Confusa est duplex, altera Distributa, altera Confusa tantùm. Distributa est, *Acceptio termini communis*, *qui immediatè afficitur aliquo signo distributionis*, vt *Omnis homo disputat*, ly *Homo* stat distributiuè. Confusa tãtùm est, *Acceptio termini*, *qui afficitur mediatè signo vniuersali affirmatiuo*, *vel aliquo speciali signo confusionis*; exemplum primi, *Omnis homo est animal*, ly *animal* stat confusè tantùm; exemplum secundi, *Tantùm homo disputat*, *Requiritur oculus ad videndum*, ly *homo*, & ly *oculus* stant confusè. In c.seq. explicabimus specialia signa confusionis. Et ista confusa, vel est confusa Disiunctiua, vel Copulata. *Disiuncta* est, quam exemplis allatis explicauimus. *Copulata quæ afficitur signo collectiuo*; vt *Omnes Apostoli sunt duodecim*, *Omnes Planetæ sunt septem* ly *Apostoli*, & ly *Planetæ* stant confusè copulatè, seu collectiuè.

Solet etiam cognosci differentia istarum suppositionum ex descensu, vel ascensu qui vnicuique debetur; nam suppositioni determinatæ debetur descensus disiunctiuus; distributiuæ, copulatiuus; confusæ tantùm disiunctus, vel copulatus. Quis sit autem ascensus copula

copulatiuus, & disiunctiuus, disiunctus; & copulatus, dicetur Libro sequēti c.2.& 3.Cùm autem solùm personali suppositioni debeatur ascensus& descēsus, quia ascensus &descensus sumitur per ordinē ad indiuidua, ad quæ descendimus ab vniuersali, vel ascendimus ab ipsis singularibus ad vniuersale, soli autem personali conuenit accipi pro indiuiduis, ideò optimè dignoscitur varia suppositio personalis penes varium descensum, & ascensum ad indiuidua. Et quia descensus & ascensus, quasi quidam motus est, ideo terminus sub quo possumus immediatè, & independenter ab alio descendere, & ascendere dicitur *supponere*, seu *stare mobiliter*, quando autem non potest descendi, aut ascendi immediatè, sed dependenter à resolutione alterius termini (idem est resolutio, quod descensus, & ascensus) dicitur *stare immobiliter*. Et descensus disiunctus, vel copulatus non reputantur simpliciter resolutio termini, quia non fit descensus per propositiones notiores quoad veritatem, sicut ad resolutionem requiritur, sed per numerationem eiusdem termini, vt si dico, *Omnis homo est animal*, disiunctus descensus debetur illi termino, *Animal*, sic dicendo, *Omnis homo est hoc, vel illud, vel illud, vel illud animal*: Ad equitandum requiritur equus, sub ly *Equus* fit descensus disiunctus, *requiritur hic vel ille, vel ille equus ad equitandum*, quæ numeratio non magis manifestat & resoluit veritatem, sed solùm numerat terminos. Et similiter *Omnes Apostoli sunt duodecim*, resoluitur sic, *iste, & ille, &c.* sunt duodecim.

CAPVT XII.

Regulæ Suppositionis.

VT meliùs cognoscantur suppositiones determinatæ, distributiuæ, & confusæ, solent tradi aliquæ Regulæ, quæ sunt generales pro omnibus, & aliæ, quæ sunt speciales pro Relatiuis; habent enim relatiua specialem difficultatē in resoluendo suam suppositionem.

Antequam verò tradantur Regulæ, supponendum est esse quædam signa, seu notas, & syncategoremata, quæ afficiunt terminos ad faciendum illos stare vniuersaliter, vel particulariter, & sic efficiunt suppositionem Distributam, vel Determinatam, vel Confusam tantùm. Signa vniuersalitatis sunt, quædam affirmatiua, quædam negatiua, quædam mixta. Affirmatiua vt *Omnis, Quilibetus, Cunctus, Totus &c.* Negatiua vt *Nullus, Nemo, Non, Nec.* Mixta vt *Contingenter, Tantùm*, & alia quæ exponuntur per affirmationem & negationem, vt *Contingenter homo est albus*, exponitur sic, *potest esse, & potest non esse albus*; Tantùm homo est rationalis, exponitur, *Omne rationale est homo, & nihil aliud ab homine est rationale.* Et sunt aliqua signa vniuersalitatis, seu distributionis completæ, scilicet, quæ nihil includunt particularitatis, vt *Omnis, Nullus*, absolutè sumpta: alia sunt signa vniuersalitatis, seu distributionis non completæ, vt *Alter, Neuter, Omne* pro generibus singulorum. Item est signum vniuersalitatis; ly *Et* copulatiuè tantùm, vt quando dico *Petrus & Paulus est animal*; habet enim vim vniuersalitatis, quia copulat plura indiuidua.

Signa particularia sunt *Aliquis, Quidam, Nonnullus, &c.* & particula *vel*, quando non copulat terminos, sed disiungit. Signa specialia confusionis, quæ scilicet non distribuunt, sed tantùm confundunt, sunt ly *Omnes* collectiuè, acceptum, ly *tantum*, vt dico, *Tantùm Homo est discursiuus*, ly *Requiritur*, aut ly *Promitto* & similia, vt *requiritur equus ad equitandum, promitto tibi librum, Bis cantaui Missam*, in istis propositionibus terminus tenetur confusè tantùm, quia non licet sub illo ascendere, aut descendere.

Inter signa distributionis affirmatiua, & negatiua hoc interest, quòd virtus distributionis affirmatiuæ sistit in termino immediato, non autem transit ad mediatum, sed relinquit illum confusum, vt si dico *Omnis homo est animal*, solùm ly *homo* distribuitur, *animal* verò confunditur. Et ferè omnis suppositio confusa habet ortum ex aliqua vniuersalitate mediata, à qua dependet in sui resolutione, vel formaliter vel virtualiter, sicut ly *Tantum*, ideo est signum confusionis, quia habet vnam exponentem in qua terminus affectus à ly *Tantum* sequitur mediatè vnam vniuersalem, vt si dico: *Tantùm homo est rationalis* exponitur per hanc: *Omne rationale est homo*, vbi *homo* sequitur mediatè vniuersalem distributam: & si dico *Ad equitandum requiritur equus*, æquiualet isti, *Ad omnem equitationem requiritur equus*, vel *Non potest fieri aliqua equitatio sine equo*, vbi subsequitur vniuersalem affirmatiuam. Et quando dico *Bis cantaui Missam*, ly *Bis* tenetur copulatiuè, idest *semel & iterum*, vbi ly *&* est signum vniuersalitatis. Itaque ferè semper confusa suppositio oritur virtualiter, aut formaliter ex vniuersalitate affirmatiua mediata à qua dependet. At verò vniuersalitas negatiua distribuit terminum immediatè, & mediatè positum, quia negatio distribuit totum, quod inuenit post se, vt *Nullus homo est lapis*, ly *homo*, & ly *lapis* distribuuntur.

Ponuntur ergo sex Regulæ ad cognoscendas suppositiones. *Prima est*: Omnis terminus nullo signo affectus, aut signo particulari, supponit determinatè, vt *Homo disputat, aliquis homo disputat*, quæ suppositio *Determinata* vocatur, quia verificatio eius debet fieri in aliquo determinato supposito, non in aliquo vagè secundùm numerationem copulatam, vel disiunctam, vt in Confusa., nec in distributione, & vniuersalitate, vt in Distributiua. Et non dicitur *suppositio indefinita*, licèt conueniat termino in propositione indefinita, vt *homo disputat* quia *indefinitum* dicitur respectu propositionis, quia veritas eius stare potest siue in vno tantùm indiuiduo, siue in multis. At verò suppositio termini, non verificatur indefinitè, aut vagè, sed ostendendo determinatè hoc indiuiduum, vel illud in propositione determinata.

Secunda Regula: Omnis terminus affectus immediatè signo vniuersali affirmatiuo, vel affectus signo vniuersali negatiuo mediatè, vel immediatè supponit distributiuè, vt *Omnis homo est animal*, ly *homo* stat distributiuè; *Nullus homo est lapis*, vterque terminus stat distributiuè. *Tertia*: Omnis terminus communis, qui sequitur mediatè signum vniuersale affirmatiuum, vel generalius loquendo: Omnis terminus qui dependet in sui resolutione ex aliqua priori vniuersalitate, vel formaliter in se, vel virtualiter in sua exponente, supponit confusè disiunctim. Et denique omnis terminus affectus immediatè aliquo signo speciali confusionis ex supra relatis supponit confusè disiunctim, idest, debetur illi solùm descensus, & ascensus disiunctus, non disiunctiuus, vt *Omnis homo est animal*, ly *animal* stat confusè; *Tantùm homo est rationalis*, ly *homo* stat confusè, quia vna suarum exponentium est hæc, *Omne rationale est homo*, vbi ly *homo* supponit confusè. *Requiritur equus ad equitandum*; *Promitto tibi librum*, *Bis cantaui Missam*, supponunt tantùm confusè.

Quarta Regula: Terminus communis affectus immediatè signo collectiuo supponit confusè copulatim, vt *Omnes Apostoli Dei sunt duodecim*, quia sub illo termino *Apostoli*, solùm licet ascendere copulatim, non copulatiuè.

Quinta: Si concurrant duo signa vniuersalia super eundem terminum, videndum est quomodo dempta

prima negatione, aut signo vniuersali, remaneat, & si remaneat, distributus in ordine ad terminum supponentem determinatè, antea supponebat confusè; si autem remanet distributiuè in ordine ad supponentem confusè antea stabat determinatè, vt si dicam, *Nullus homo non est animal*, dempta prima negatione de ly *Nullus*, ly *animal* remanet distributum in ordine ad ly *homo*, qui stat determinatè, & sic antea ly *animal* supponebat confusè: si autem dicam, *Non omnis homo est animal*, dempto ly *non* remanet *homo* distributus in ordine ad ly *animal* stans confusè, & sic antea supponebat determinatè.

Sexta Regula: In complexis quorum vna pars se habet vt determinans, alia vt determinabilis, vt si dicam *Equus hominis*, vbi ly *hominis*, determinat & restingit, ly *Equum*, quando accipiuntur vnica acceptione, pars illa quæ se habet vt determinans non potest resolui antequam resoluatur totum complexum, vt si dicas *Equus hominis currit*, non potest descendi sub ly *hominis*, antequam sub ly *equus*: si verò non accipiatur vnica acceptione, potest vtraque pars resolui ante resolutionem totius, vt si dicas. *Hominis equus est animal*, vel *Hominis quilibet equus est animal*, sub vtroque potest, descendi, & ascendi iuxta regulas communes. Dicitur accipi *vnica acceptione*, quando obliquus sequitur post rectum, quia facit quasi vnum terminum cum illo, idem est enim dicere *Equus hominis*, & Equus *possessus*. Accipitur autem *pluribus acceptionibus* quando obliquus antecedit, vt *Hominis equus*, quia sumantur, vt diuersæ acceptiones, seu vt diuersi termini capaces diuersæ suppositionis, & resolutionis. De quo vide infr. q. 7. art. 2. argum. 5.

CAPVT XIII.

De Relatiuis.

Circa *Relatiua* notandum est, quòd loquimur de Relatiuo grammaticali, vt *Qui*, *alius*, *&c.* non de Relatiuo logicali, quod pertinet ad prædicamentum Relationis. Et definitur tale relatiuum, quod est *Rei ante latæ recordatiuum.* Diuiditur autem *in relatiuum substantiæ*, & *accidentis.* Relatiuum substantiæ est quod refert suum antecedens per modum substantiæ, vt ly *qui*, ly *ille &c.* Relatiuum accidentis quod refert antecedens per modum denominatiui, vt ly *quale*, ly *tale*, *&c.* Et vnumquoque istorum vel est relatiuum identitatis, scilicet quod refert, & accipitur directè pro eo, pro quo suum antecedens, vt *Petrus est doctus, & ille disputat*, *Nix est alba*, *& talis est cygnus*; vel est relatiuum diuersitatis, quod scilicet accipitur pro alio, quàm suum antecedens; refert autem suum antecedens in obliquo, vt *Petrus disputat*, *& alius loquitur*, idest, *alius à Petro*, vbi ly *à Petro*, refertur in obliquo: *Nix est alba*, *& alter est coruus*, vbi ly *alter* refert aliud accidens à suo antecendente.

Denique aliud est *Relatiuum reciprocum*, scilicet quod regressionem quandam significat super suum antecedens, vt *Homo diligit se*; *Petrus est ipsemet*: & non reciprocum, quod scilicet talem regressionem non significat, vt *Petrus est albus*, *& ille loquitur*; *Petrus qui loquitur*; *est albus*. Et regressio stat in hoc quod relatiuum reciprocum non solùm refert suum antecedens, vt subiectum, sed etiam vt prædicatum, vnit enim idem sibi ipsi. At verò non reciprocum refert suum antecedens vt subiectum, cui aliquid aliud vnit, vel ab eo diuidit.

Igitur pro Relatiuis sunt quatuor regulæ: *Prima* quantùm ad resolutionem, seu expositionem relatiui. Relatiuum *Qui*, positum in vna propositione, resoluitur, seu exponitur per vnam proposionem copulatiuam significatam per hunc terminum, *& ille*, vt si dicas *Petrus, qui est doctus, disputat*, resoluitur sic, *Petrus est doctus*, *& ille disputat*: *Homo est animal, qui est rationalis*, resoluitur sic, *Homo est animal*, *& ille est rationalis.*

Sed in resoluendo Relatiuo aduerte duo: *Primum* quòd aliquando relatiuum est pars extremi, & cum copula implicationis, vt si dicas *Petrus qui est doctus disputat*, ly *qui est doctus* tenet se ex parte subiecti, & facit vnum extremum cum illo, & ita implicatur illa copula cum extremo, vocaturque *Copula implicationis.* Tunc ergo relatiuum non semper resoluitur immediatè, sed dependet à resolutione sui complexi, quod contingit quoties copulatiua, per quam est resoluendum, habet aliquam partem falsam, si immediatè resoluatur, vt si dicas, *Omne animal*, *quod est rationale est risibile*, non potest ly *quod* immediatè resolui, fieret enim hic sensus, *Omne animal est rationale*, *& illud est risibile*, vbi prima pars copulatiuæ est falsa; sed oportet priùs descendere sub distributione illa, & tunc resoluetur relatiuum. *Secundum* est, quod quando vna affirmatiua habens copulam implicationis de ly, *Qui*, resoluitur immediatè per copulatiuam, cuius contradictoria debet resolui per disiunctiuam, vt hæc, *Aliquod animal, quod est rationale, est risibile*, habet hanc contradictoriam, *Nullum animal quod est rationale*, *est risibile*, hæc non potest resolui per copulatiuam, sicut sua affirmatiua, sed per disiunctiuam, quia copulatiuæ non opponitur contradictoriè altera copulatiua, quia habet eandem vniuersalitatem ratione de ly, *Et*, sed disiunctiua. Vnde meliùs est ad euitandas istas difficultates non resoluere relatiuum *Qui* per copulatiuam, nisi facto priùs descensu, & resolutione totius complexi in singulares.

Secunda Regula est pro restrictione relatiuorum. In resolutione relatiui facta per copulatiuam, relatiuum vnius propositionis refert suum antecedens positum in altera restrictè, vt *Animal est rationale*, *& illud est risibile*, ly *illud* refert restrictè animal, scilicet *illud animal, quod est rationale.* Et nihil aliud est referre restrictè, quàm referre antecedens pro eo supposito, pro quo verificatur: non autem est sensus, quòd referat omnes terminos inuentos in categorica sui antecedentis, vt si dicas, *Omnis homo est animal*, *& ille est risibilis*, non intelligitur, *ille Omnis homo*, non enim designari potest aliquid, quod sit omnis homo, sed *ille homo qui est animal*, & pro quo verificatur, quod est animal.

Tertia Regula pro suppositione relatiui reciproci. Relatiuum reciprocum supponit suppositione sui antecedentis, ita quòd descendendo, aut ascendendo sub antecedente, fit descensus sub relatiuo reciproco, & hoc vocant aliqui suppositionem sigillatam, idest, sub suppositione alterius conclusam, quia non indiget alia suppositione, quàm sui antecedentis vt *Homo diligit se*, ly *se* supponit determinatè sicut ly *homo*, *Mater diligit filium suum* ly *suum*, quod est reciprocum deriuatiuæ speciei, quantùm ad connotationem, quã includit, supponit sicut suum antecedens, connotat enim matrem in obliquo ly *suum*, idest, *filium matris*, & prout sic connotatum in obliquo, supponit sicut ipsum antecedens.

Quarta Regula pro suppositione relatiui non reciproci. Relatiuum hoc non supponit suppositione sui antecedentis, sed iuxta naturam signorum, quibus afficitur, sicut alij termini, vt *Omnis homo disputat*, *& ille doctè loquitur*, ly *ille*, non stat distributiuè sed determinatè: *Aliquod animal est rationale*, *& omnis homo est illud*, ly *illud* stat confusè tantùm.

CAPVT XIV.

De Ampliatione, Restrictione, Alienatione.

AMpliatio definitur quod est *Extensio termini à minori ad maiorem suppositionem*, vt homo potest esse iustus, extenditur vsque ad homines possibiles. Restrictio est *Coarctatio à maiori ad minorem suppositionem*, vt homo qui est iustus, est sapiens, non stat pro omni homine, sed pro eo tantùm, qui iustus est.

Vt intelligantur istæ definitiones nota, quòd terminus dupliciter potest ampliari, vel restringi vno modo *in ordine ad plura, vel pauciora supposita* quibus conuenit. Secundo in ordine *ad plura tempora, vel pauciora* in quibus verificatur. Primo modo solùm ampliatio, & restrictio inuenitur in termino communi; solùm enim terminus communis habet indiuidua, quibus conuenire potest, vnde talis ampliatio, & restrictio solùm inuenitur in suppositione personali accidentali, nam simplex suppositio non transit ad indiuidua, naturalis verò omnibus absolutè conuenit, sola verò accidentalis pluribus, vel paucioribus conuenire potest, de pluribus enim dicitur, *Omnis homo est coloratus*, quàm hæc, *Aliquis homo currit*, & de pluribus dicitur, *Homo est sapiens*, quàm hæc *Homo iustus est sapiens*. Secundo verò modo ampliatio, & restrictio etiam termino singulari conuenit. potest enim aliquod singulare verificari in pluribus differentijs temporum. Et tunc dicitur ampliari terminus quantùm ad differentias temporis quando verificari potest in pluribus temporibus, seu differentijs temporum disiunctim, seu diuisim: nam si supponit in ordine ad plura tempora copulatim, potiùs restringitur, vt si volo verificare, quòd *Aliquis homo, qui est vel fuit, est albus*, faciliùs id inuenitur, quàm si velim verificare de *Homine aliquo qui est & fuit*, & ideo illud primum ampliatur in pluribus suppositis, hoc restringitur.

Licèt autem differentiæ temporum apud Physicos sint solùm tres, scilicet præsens, præteritum, & futurum; in ampliatione tamen Logica attendenduntur quinque, scilicet *præsens*, *præteritum*, *& futurum*, *possibile*, *& imaginabile*. Et sunt aliquæ regulæ quibus dignoscitur quando terminus aliquis ampliatur. *Prima*: in proposionibus constantibus copula de præterito, terminus antecedens verbum ampliatur ad id, quod est, vel fuit, subsequens vero restringitur ad id quod fuit; vt *Petrus fuit albus*, ly *Petrus* potest stare pro eo qui modò est & fuit, vel qui fuit tantùm, & iam non est; sed ly *album* stat solùm pro albo præterito; album enim præsens non verificabitur per ly *fuit*, sed per ly *est* in quantùm præsens, etiamsi aliàs fuerit. Similiter si constat copula de futuro ampliatur terminus antecedens verbum ad id quod est vel erit, sequens verò restringitur ad id, quod erit, vt *Petrus erit albus*, *Anti-Christus*, *erit peccator*.

Intellige tamen quòd semper requiritur, quòd terminus antecedens qui ampliatur fuerit, si est de præterito, & futurus sit, si est de futuro. aliàs non verificaretur propositio, quia non rectè vnirentur extrema; sed ampliatio stat in hoc, quòd terminus ille ita stet pro præterito, aut futuro, quòd per eandem copulam etiam verificari possit de subiecto præsenti, dummodo etiam fuerit, aut futurus sit.

Secunda Regula: Terminus significans inceptionem ampliat omnes terminos ante se, & post se ad id quod est, vel erit: significans verò desitionem ad id quod est, vel fuit; vt si dicas *Motus incipit esse*, *Motus desinit esse*. Idem dicitur de termino significante actionem incipiendi, vel corrumpendi, vel prioritatem & posterioritatem; ampliat enim terminum supra quem cadit actio incipiendi ad præsens & futurum, vt *Petrus ædificat basilicam*; vel ad præsens, & præteritum, si significat corruptionem, *vt Petrus destruit domum*. Ly *domus*, & ly *basilica* ampliantur ad eam quæ est, vel erit, aut est vel fuit.

Tertia Regula: Verbum *Potest*, & ly *Possibile*; positum in propositione, ampliat omnes terminos ad possibilia; vt *Homo Potest esse albus*, verificatur etiam de homine & albo possibili. Idem inuenitur in terminis significantibus aptitudinem, aptitudo enim quædam possibilitas est; ampliantur autem subiecta ad possibilia, si significetur aptitudo ad existendum, non verò solùm ad agendum, vt *Petrus est generalis*, *vel corruptibilis* ampliat etiam ad Petrum possibilem, non existentem: hæc verò *Petrus est ambulatiuus*, vel, *visiuus* non ampliat subiectum, quia aptitudo ad agendum supponit esse subiecti, licèt si propria passio sit, conueniat etiam abstrahendo ab esse.

Quarta Regula: Iste terminus *Imaginariò*, aut verbum, *Imaginatur*, ampliat omnes terminos antecedentes, & subsequentes ad imaginabilia, vt *Corpus imaginariò est chymæra*. Similiter terminus significans actum animi interiorem, vt *volo*, *intelligo &c.* ampliare potest terminũ super quem cadit tanquam supra obiectũ vsque ad imaginabilia, vt *Petrus intelligit chymæram*, ampliatur ly *chymæra* ad rem imaginabilem.

Restrictio est coarctio à maiori ad minorem suppositionem, & potest fieri restrictio, vel quoad tempus; vt *Petrus qui fuit, non erit*, vel quoad genus scilicet fœmininum, vel masculinum, vt si sumatur *Aliquis homo est albus* pro solis masculis, vel pro solis fœminis; & denique quoad supposita per adiectiuum, vel per genitiuum possessionis adiunctum; v. g. *Homo albus currit*, *Equus hominis non currit*; genitiuum enim possessionis restringit sicut adiectiuum. Et potest restrictio cognosci, seu fieri dupliciter, vel per copulam implicationis, vt *Petrus, qui est iustus, est doctus*, vel per simplicem adiectiui appositionem, vt *Petrus iustus est doctus*, *Petrus, qui præterijt, non erit*, *Petrus præteritus non erit*, imò habitudinem copulæ implicationis pro suppositis ad quæ restringit, & pro tempore ad quod dicit ordinem, optimè intelliges reducendo ad participium per modum adiectiui; *vt Petrus, qui est, erit*, explicatur sic, *Petrus existens erit*, *Antichristus, qui non est, erit*, *Antichristus non existens erit*. Et hoc seruit pro regula cognoscendi quando terminus restringitur.

Regulæ arguendi in Ampliatione, & restrictione sunt eædem, quia *amplum*, & *non restrictum* sunt idem; & sumitur *amplum* pro eo quod est superius, seu communius; *non amplum* autem seu *restrictum* pro eo quod est inferius. Et solent tradi sex Regulæ, sed reducuntur ad duas, quia solùm duplici modo procedit consequentia, vel *Ab amplo ad non amplum*, idest, à superiori ad inferius, vel è conuerso *A non amplo ad amplum*, idest, ab inferiori ad superius.

Prima Regula: Procedendo ab amplo ad non amplum, siuè à non restricto ad restrictum (idem enim sunt) valet consequentia in affirmatiuis, si procedatur cum distributione ampli, & posita constantia non ampli: in negatiuis etiam sine constantia non ampli. Si vero procedatur sine distributione ampli, seu non restricti, nunquam valet consequentia, nec negatiuè, nec affirmatiuè, quia sine distributione non complectitur omnia indiuidua: & sic non infert determinatè aliquod. *Constantiam* vocamus affirmationem de existentia alicuius subiecti vt si dicam;

Omnis homo est albus, non possum inferre, ergo *Petrus est albus*, nisi addam constantiam, *& Petrus est*, qua constet illud indiuiduum dari. Sed si dicam *Nullus homo est albus*, etiam sine constantia infertur, ergo *Petrus non est albus*, quia ad negatiuam non requiritur suppositio, & existentia extremorum.

Secunda Regula. A non amplo ad amplum, siue à restricto ad non restrictum, valet consequentia opposito modo, scilicet in affirmatiuis, si procedatur ad amplum sine distributione ampli, etiam sine constantia non ampli: in negatiuis si arguatur sine distributione ampli, & cum constantia, vt bene valet *Petrus disputat, ergo homo disputat, & Petrus non disputat, & Petrus est, ergo aliquis homo non disputat.* Sine constantia autem posset consequens esse falsum, casu, quo tantùm esset Paulus in mundo, & disputaret, tunc enim omnis homo disputaret, & verum esset antecedens, quòd Petrus non disputat, quia non est. Si verò arguatur à non amplo cum distributione ampli, nunquam valet consequentia, nec affirmatiuè, nec negantiuè, vt si dicas *Homo disputat, ergo omnis homo disputat*; *Aliquis homo non disputat, ergo nullus disputat*, est falsa.

Alienatio, quæ ab aliis solet dici remotio, *est distractio termini à propria ad impropriam significationem*, vt *Homo est pictus*, *Petrus est leo*, scilicet in crudelitate; vnde alienatio pertinet ad impropriam suppositionem, & terminus alienans subiectum ponitur à parte prædicati, quia *Talia sunt subiecta, qualia permittuntur à suis prædicatis*; at verò quando ponitur, vt adiectiuum ex parte subiecti, restringit illud quasi adiacens ei, non verò alienat, vt si dicas, *Homo pictus est imago*, ly *pictus* non alienat, sed restringit ipsum analogum, & trahit ad minùs principale,

---

CAPVT XV.

De Appellatione.

APpellatio apud Gramaticos est idem, quod *Nominatio*, & appellare est *nominare*. Apud Dialecticos sumitur pro applicatione, qua speciali modo significatum vnius termini applicatur ad significatum alterius, & sic definitur. Appellatio, quod est *Applicatio significati formalis vnius termini ad significatum formale alterius*, vt si dicas, *Petrus est magnus Logicus*, *ly magnus* non conuenit adsolutè Petro, sed sub ratione, & formalitate Logicæ; vnde appellatio inducit hunc effectũ, quòd terminus appellãs non absolutè cõueniat subiecto, sed ratione eius super quod appellat, & quasi alligatus illi formalitati, media qua subiecto applicatur, sicut in dicta propositione ly *magnus* nõ absolutè conuenit Petro, sed ratione Logicæ. Et ideo appellationis variatio magnũ defectũ affert in paralogismis, & aliquando valde latentem. Dicitur autem in definitione *Applicatio significati formalis ad significatum formale*, quia applicatio formalis ad materiale tantũ est simplex applicatio, seu prædicatio, non autẽ appellatiua, quæ aliquid applicat ad subiectũ mediante aliqua formalitate, & nõ absoluté, vnde si dicas *Petrus est citharædus, & bonus*, vtrumquæ prædicatũ applicatur simpliciter, & absolutè subiecto, nõ autem appellatiuè vnum ad altetum, idest sub aliqua forlitate alterius.

Appellatio diuiditur in Realem, & Rationis. *Appellatio realis est, quæ fit secundum accidentia, aut formalitates reales*, vt petrus est magnus logicus. *Appellatio rationis est quæ fit mediante accidente rationis*, vt Homo est species, non enim conuenit prædicatum homini absolutè, sed homini vt abstractè conceptο, vbicumque autem aliquod prædicatum non conuenit subiecto absolutè, sed ratione alicuius formalitatis, est appellatio.

Quatuor sunt Regulæ appellationis, duæ primæ pro appellatione Reali, duæ aliæ pro appellatione Rationis. Pro appellatione reali est *Prima Regula.* Quando adiectiuum ponitur à parte prædicati, & substantiuum à parte subiecti, non est appellatio ad formale substantiui, sed applicatio ad suppositum eius. Itaque prædicatum respectu subiecti non appellat, sed simplici modo applicat suum significatum ad suppositum materiale subiecti, quod Antiqui solebant dicere aliis verbis, quòd subiectum stat materialiter, & prædicatum formaliter. De quo vide *S. Thom.* 3. *p. q.* 16. *art.* 7. & 9 Exemplũ est in hac: *Medicus est magnus*, *Album est dulce*, *Hic homo*, demonstrato Christo, *est æternus*; applicatur in his prædicatum ad suppositum materiale subiecti. Excipimus propositionem in qua subiectum supponit suppositione simplici, vt *Homo est species*, nam ibi, *homo*, præscindit à suppositis, & supponit abstractè ab illis, & sub ista abstractione fit applicatio. Et nomine *suppositi* intelligimus suppositum importatum per nomen, non suppositum quod conuenit rei, & non importatur per nomen, vnde hæc est falsa, *Essentia diuina generat*, quia actus generandi applicatur ad essentiam, quæ est suppositum illius nominis, non ad Personam, quæ in re est suppositum essentiæ.

Et nota aliquando terminum importare vicem duplicis suppositi, quod in re est idem, sed ratione formali diuersum, & mutatio istius suppositi est sicut mutatio appellationis, & hæc est fallacia accidentis, quæ fræquenter accidit in paralogismis, vt si dicas, *Albedo est similitudo*; *similitudo est intensa*; *ergo albedo est intensa*, variatur suppositum, quia *albedo* realiter est idem cum similitudine, sed non formaliter. Et similiter non valet in diuinis, *Pater est Deus Filius est Deus*; *ergo Filius est Pater*, quia ille terminus *Deus*, etsi realiter sit idem, virtute est multiplex, & identificari potest & modificari tribus Personis, illis manentibus distinctis, & qualibet inadæquatè modificante essentiam. De quo vide *inf. lib.* 3. *c.* 6.

Denique quando ex parte subiecti ponitur ly *In quantum*, fit appellatio ex parte prædicati ad terminum reduplicatum, quia est idem ac si poneretur ex parte prædicati, vt *Christus in quantum homo, est creatura*, *Petrus in quantum albus, disgregat visum*, &c. Hæc enim non absolutè conueniunt subiecto, sed ratione termini reduplicati.

Secunda Regula: Quando substantiuum, & adiectiuum ponuntur à parte eiusdem extremi, fit appellatio adiectiui supra formale substantiui, vt *Petrus est magnus Logicus*; *Magnus Logicus disputat*, &c. Intelligitur regula dummodo adiectiuum non se habeat disparatè ad substantiuum; sed possit illud determinare, nam in ista, *Petrus est niger Logicus*, non est appellatio, quia termini sunt disparati. Intelligitur etiam de termino substantiuo, quando licèt sit absolutus, habet tamen vim conuocationis, vt *Homo* dictus de Christo, negatur enim hæc propositio *Christus est homo æternus*, propter appellationem æternitatis supra humanam naturam. Et eadem appellatio fit inter determinabile, & determinationem, sicut inter substantiuum, & adiectiuum, vt si dicas, *Equus Regis currit*, denotatur, quòd *quando est Regis* currit, non autem fit appellatio, si dicas, *Regis equus currit*, quia verificatur de equo, qui est, vel fuit Regis, & ideo quando antecedit genitiuus, seu determinatio acccipitur

pluribus,

pluribus, quando sequitur nominatiuum, accipitur vnica acceptione, vt suprà diximus. Idem est de istis *Papam vidi, vidi Papam*, in hac enim secunda, denotatur vidisse ipsum *quando erat Papa*, in prima id non requiritur, sed sufficit vidisse hominē, qui est, vel fuit Papa. Denique vt appellet formale adiectiui supra substantiuum requiritur, quòd verè conueniat ipsi supposito substantiui, ratione tamen formalis, sicut cùm dico: *Petrus est bonus pater*, oportet quòd bonitas conueniat ipsi supposito patris, ratione tamen paternitatis; & cùm dico, *Christus moritur*, conuenit supposito mors ratione humanitatis, seu vt habet vices suppositi humani.

Tertia Regula: Prædicatum secundæ intentionis conueniens rei significatæ per nomen, appellat supra primarium significatum, quia facit stare suppositione simplici, & ita non conuenient absolutè supposito, sed vt stat sub conceptu abstracto, vt si dicas, *Homo est species, Animal est genus*. Prædicatum autem secundæ intentionis, quod ipsi nomini, seu termino conuenit, non rei significatæ, non appellat, vt si dicas ly *homo est nomen, Homo est animal est propositio*, & similia, tunc enim faciunt suppositionem materialem.

Quarta Regula: Terminus significans actum animæ interiorem appellat supra obiectum seu terminum, in quem fertur sub propria formalitate talis actus, vt *Cognosco hominem*, idest, sub conceptu *hominis*; *cognosco Papam*, idest, *in quantùm Papa*; *Volo delectari*, idest, sub ratione *delectationis*, non sub ratione mali. Semper enim actus isti feruntur in obiecta non absolutè: sed sub ea formalitate, & præcisione, qua pertinent ad talem actum. Et præsertim hoc contingit, quando terminus significans obiectum ponitur post terminum significantem actum animæ, & non ante, nam si dicas *Venientem cognosco*, non appellat, sed potiùs ampliat ad obiectum, siue cognoscatur tantùm *vt veniens*, siue cognoscatur etiam in se; & sic non valet ista consequentia. *Cognosco venientem, veniens est Petrus; ergo cognosco Petrum*, possum enim cognoscere sub conceptu *venientis*, & non sub conceptu *Petri*. Et in hac regula fundantur omnes præcisiones, & prioritates, & diuersa signa intellectus, in quibus ab vno ad aliud non valet Argumentum.

Omnes Regulæ pro consequentiis appellationum reducuntur ad hanc: Quòd variata appellatione non valet consequentia tam in appellatione reali, quàm rationis de quo dicemus in 3. *lib. c.* 9. circa defectus appellationis.

CAPVT XVI.

De oppositione.

POst explicatas proprietates Propositionis ex parte extremorum, & partium ex quibus componitur, restat videre illas, quæ sunt proprietates totius, & non partium, & ideo conuenire solent vni propositioni comparatiuè ad aliam. Et sunt tres, scilicet *Oppositio, Æquipollentia, Conuersio*. Cùm autem istæ tres proprietates non conueniant alicui propositioni, nisi in habitudine ad aliam, quia oppositio vnius propositionis cum alia propositione exercetur, & Æquipollentia etiam est æquiualentia duarum propositionum, & Conuersio est mutatio vnius in aliam, ideò oportet quòd istæ proprietates exerceantur inter propositiones non disparatè se habentes, sed eisdem terminis constantes, sicut non opponuntur istæ duæ, *Petrus currit, Paulus non disputat*, nec vna in aliam conuertitur, aut æquipollet.

Igitur Oppositio in communi potest definiri, quòd *sit Affirmatio, & negatio eiusdem de eodem*. In quà definitione non comprehenditur *Subalternatio*, quæ non ita propriè est oppositio, nisi relatiua, scilicet inter superius, & inferius. Reliquæ autem oppositiones penes affirmationem, & negationem exercentur. Vnde ad oppositionem inter propositiones requiritur triplex conditio. *Prima* ex parte extremorum, Quòd *sint propositiones constantes eisdem partibus, seu extremis*, ita quòd non ponatur aliquid in vna, & non in alia, quod possit variare subiectum, vel prædicatum propositionis. *Secunda*, Quod *seruetur eadem acceptio terminorum*, idest, idem genus suppositionis, eadem ampliatio, eadem restrictio, eadem appellatio. Genus suppositionis, v. g. quòd si in vna propositione terminus supponit simpliciter, aut personaliter, etiam in alia; sed non eadem species personalis suppositionis; hæc enim in aliquibus oppositionibus mutatur, v. g. vniuersalis in particularem vt *seq. cap.* dicetur: debet autem seruari ampliatio, & appellatio, & restrictio, quia hoc pertinet quasi ad identitatem materiæ, & extremorum. *Tertia*, quòd ex parte copulæ sit opposita qualitas, scilicet in vna affirmata, in altera negata.

Diuiditur Oppositio dicta in tres species, scilicet in Contradictoriam, Contrariam, & Subcontrariam. *Oppositio Contradictoria*, si definiatur secundùm suam rationem formalem, *est illa, quæ repugnat in veritate, & falsitate*, ita vt duæ contradictoriæ numquam possint esse simul veræ, aut falsæ, sed si vna est vera, altera est falsa. Ex parte autem eius quod se habet quasi materialiter, Contradictoriæ propositiones sunt vniuersalis & particularis propositio, quarum vna affirmatur, altera negatur, vel duæ propositiones de subiecto singulari, vna affirmata, altera negata: Exemplum primi: *Omnis homo est albus, aliquis homo non est albus.* Exemplum secundi: *Petrus currit, Petrus non currit.*

Oppositio, Contraria, si definiatur ex parte suæ rationis formalis *est illa, quæ repugnat in veritate non tamen in falsitate*, ita vt duæ contrariæ numquam possint esse simul veræ, benè tamen simul falsæ. Ex parte rationis materialis, contrariæ propositiones sunt vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua eiusdem de eodem, vt *Nullus homo est albus*, *Omnis homo est albus*, ambæ sunt simul falsæ, numquam tamen contrariæ possunt esse simul veræ. Nec tamen intelligimus, quòd semper sint simul falsæ, sed possunt esse, scilicet in materia contingenti. *Oppositio Subcontraria*, ex parte suæ rationis formalis *est illa, quæ repugnat in falsitate, non tamen in veritate*, ita vt possint esse simul veræ, numquam tamen simul falsæ. Ex parte verò rationis materialis, Subcontrariæ propositiones sunt particularis affirmatiua, & particularis negatiua eiusdem de eodem, vt *Aliquis homo currit, aliquis homo non currit.*

Et nota, quòd vbi oppositio exercetur penes quantitatem subiecti propositionis, & habent repugnantiam, quæ formaliter requiritur ad talem oppositionem, dicuntur tales propositiones opponi *de lege, & de modo.* Quando autem habent repugnantiam requisitam ad talem oppositionem, sed non quantitatem, dicuntur opponi *de lege*, sed non *de modo*. Itaquè formalis repugnantia vocatur oppositio *de lege*; oppositio autem ex parte quantitatis subiecti dicitur *de modo enunciandi*. v. g. istæ sunt contrariæ de modo & de lege, *Omnis homo disputat, Nullus homo disputat*, istæ autem sunt contrariæ de lege, sed non de modo, *Aliquis homo disputat* (restringendo ly *aliquis* pro solis masculis) *Omnis homo non disputat*, non restringendo ly *omnis* pro solis masculis; tunc enim vtraque est falsa,

falsa, & non potest esse vera, casu, quo fœmina, disputaret, & nullus masculus.

CAPVT XVII.

De Conditionibus requisitis ad species Oppositarum Propositionum, & Regulis cognoscendi ipsas oppositiones speciales.

DVo in præsenti sunt certa. *Primum* quòd quæcumque propositio, posita negatione à principio totius propositionis redditur contradictoria eius, quia negatio illa negat totum, quod altera affirmat. *Secundum.* Si propositiones constent termino singulari ex parte subiecti, nihil aliud requiritur, vt sint contradictoriæ, nisi vt vna neget, quod altera affirmat, inuariata suppositione, restrictione, ampliatione, & appellatione, vt *Petrus loquitur, Petrus non loquitur.*

Si autem constent termino communi, requiritur ad oppositionem contradictoriam triplex conditio. *Prima.* Quòd terminus non sit in vtraque propositione vniuersaliter distributus, nec in vtraque particulariter supponens, sed in altera vniuersaliter, in altera particulariter. *Secunda.* Quòd ille terminus qui in vna propositione est vniuersalis, in altera mutetur in particularem, & è conuerso particularis mutetur in vniuersalem. *Tertia.* Quòd terminus stans vniuersaliter in ordine ad terminum stantem confusè, mutetur in particularitatem determinatam, & terminus stans vniuersaliter in ordine ad terminum stantem determinatè, mutetur in particularitatem confusam. Exemplum est in istis, *Omnis homo est albus*, *Aliquis homo non est albus* vbi *Homo* stat vniuersaliter in prima, particulariter in secunda, & determinatè. Et ly *albus* in secunda stat vniuersaliter in ordine ad ly *homo* determinatè, & in prima stat confusè.

In oppositione contraria, quæ solùm versatur circa terminos communes, si est contrarietas *de modo*, oportet quod in vtraque propositione maneat eadem vniuersalitas, & si quis terminus tenetur particulariter, mutetur in vniuersalem, vt *Omnis homo est albus, Nullus homo est albus* At verò in propositionibus contrariis quæ non sunt contrariæ de modo, sed *de lege*, non requiritur, nisi quòd inueniatur defectus veritatis in illis, idest, quòd non possint esse simul veræ, possint auté esse simul falsæ. Vide exemplum contrariarum de lege tantùm, inf. in fine huius c. & suprà in fine c. præced.

In Oppositione subcontraria, quæ etiam versatur inter terminos communes requiritur ordine inverso, quàm in contrariis. Primò, quòd si quæ vniuersalitas datur in vna propositione subcontraria, in alia mutetur in particularitatem, si est subcontrarietas de modo. In oppositione autem subcontraria de lege tantùm, non requiritur nisi quòd inueniatur defectus falsitatis, idest, quòd non possint esse simul falsæ, licèt possint esse simul veræ, quidquid sit de vniuersalitate, aut particularitate propositionum.

Et nota, Quòd in propositionibus potest inueniri vniuersalitas, & particularitas dupliciter, vno modo ratione signi, quod est nota particularitatis, aut vniuersalitatis, *vt Omnis, Nullus, quidam, &c.* alio modo ratione modi afficientis propositionem modalem, vt *impossibiliter, necessario, possibiliter.* Et similiter ly *Et* copulatiuè sumptum, ly *vel* disiunctiuè, quando tenent se ex parte termini; primum enim est vniuersalitas, secundum particularitas. Quando ergo dicimus, quòd vniuersalias debet mutari in particularitatem, & è conuerso, intelligitur tam de vniuersalitate signorum, quàm modorum; nisi vniuersalitas efficiatur pars extremi & nō exerceat officiū distribuendi, aut particularizandi; tunc enim mutari non debet, vt si dicas, *Id quod est omnis homo est animal*, ly *omnis* est pars extremi, nec debet mutari.

Sunt autem alia signa, quæ partim habent vniuersalitatem, partim particularitatem, & vocantur *Vniuersalia incompleta*, & *particularia incompleta*, vt ly *Omne* pro generibus singulorum, non pro singulis illius generis, vt si dicas *Omne animal fuit in arca Noë*, quod verificatur de omni specie animalis, non de omni indiuiduo; & similiter ly *Vterque* facit vniuersalitatem incompletam, & ly *Contingenter*, quia resoluitur per ly *Et* copulatiuè, & per ly *possibiliter*, quod est modus particularitatis. Si enim dicas, *Homo contingenter currit*, resoluitur sic, *Homo possibiliter currit, & possibiliter non currit.* Vnde si isti modi incompleti in vtraque propositione opposita affirmentur, vel in vtraque negentur, etiamsi aliàs copula ipsa in vna propositione negetur, & in alia affirmetur, nullam legem participant oppositionis, vt si dicas. *Omnis homo contingenter currit, aliquis homo contingenter non currit*, vbi ly *contingenter* vtrobique affirmatur, non sunt contradictoriæ nec legem oppositionis participant, imo sunt æquiualentes ex parte modi, quia vtrobique ly *contingenter* includit vniuersalitatem, & particularitatem. Si tamen duæ exponibiles includant virtualiter exponentes contrarias, habent oppositionem contrariam, vt istæ, *Tantùm homo est animal, Tantùm homo non est animal*, sunt contrariæ; quia inter suas exponentes habent istas, *Omne animal est homo, Omne animal non est homo.*

Ad cognoscendum propositiones contrarias, & subcontrarias, tàm de modo, quàm de lege sunt duæ Regulæ. *Prima.* Quando dantur duæ propositiones oppositæ qualitatis circa eadem extrema, si affirmatiua infert contradictoriam negatiuæ, & non infertur ex illa, tales propositiones sunt contrariæ. *Secunda.* Quando sunt duæ propositiones oppositæ qualitatis circa eadem extrema, si ex contradictoria negatiuæ inferatur affirmatiua, sed non è conuerso, tales sunt subcontrariæ. Itaque semper attendenda est, quasi pro principio, & regula, contradictoria negatiua (quæ semper affirmatiua est) & videndum est, an inferatur ex vna affirmatiua, vel inferat illam, vt inde iudicemus an propositio sit contraria, vel subcontraria.

Ratio primæ Regulæ est. Quia posita contradictoria propositionis negatiuæ, si illa infertur ex affirmatiua, non stat affirmatiuam esse veram, quin contradictoria negatiuæ sit etiam vera, siquidem infertur ex illa, & in bona consequentia, si antecedens est verum etiam & consequens. Si autem contradictoria negatiuæ est vera, ipsa negatiua non potest esse vera, sed falsa, quia contradictoria eius est, ac per consequens pugnant in veritate illæ duæ propositiones affirmatiua, scilicet & negatiua. Rursus non pugnant in falsitate, sed possunt simul esse falsæ, quia ex contradictoria negatiuæ non sequitur affirmatiua, ergo stat contradictoriam negatiuæ esse veram, & affirmatiuam falsam, quia vbi non datur bona consequentia, potest antecedens esse verum, consequens falsum, sed in eodem casu etiam negatiua est falsa, quia contradictoria eius est vera; stat ergo negatiuam & affirmatiuam esse falsam. Exemplum huius practicari potest in his propositionibus, *Omnis homo currit, Nullus homo currit*, contradictoria enim negatiuæ est, *Aliquis homo currit*, & illa infertur ex affirmatiua, non verò infert

infert illam.

Ratio secundæ est ordine inuerso, quia data duplici propositione affirmatiua, & negatiua circa eadem extrema, si contradictoria negatiuæ infert affirmatiuam, nunquam possunt simul falsæ esse, nam si est vera contradictoria negatiuæ, & infert affirmatiuam, iam illa affirmatiua est vera: si autem dicitur quòd affirmatiua est falsa, infertur autem ex contradictoria negatiuæ, talis contradictoria erit falsa, quia in bona consequentia, si consequens illatum est falsum, etiam & antecedens; sed tunc negatiua erit vera, quia contradictoria eius falsa est, & sic nunquam possunt esse falsæ. Rursus possunt esse simul veræ, quia ex affirmatiua non infertur contradictoria negatiuæ, ergo potest affirmatiua esse vera, contradictoria negatiuæ existente falsa, per regulam malæ consequentiæ, in qua potest antecedens esse verum & consequens falsum: stante autem contradictoria negatiuæ falsa, negatiua est vera, quæ est eius contradictoria, ergo possunt simul esse veræ. Exemplum poni potest in istis, *Homo est albus*, *Aliquis homo non est albus*, data contradictoria negatiuæ, quæ est ista, *Omnis homo est albus.*

Ex quo sequitur quòd si contradictoria negatiuæ nec inferat affirmatiuam, nec inferatur ex illa, nullam legem participant, vt *Homo omne album est*, *Homo non est albus.* & istæ sunt contrariæ, *Petrus currit*, *Nullus homo currit*, quia illa affirmatiua infert hanc, ergo *aliquis homo currit*, quæ est contradictoria illius, *Nullus homo currit*, sed non infertur ex illa, & sunt ambæ falsæ, casu quo Petrus sit mortuus, & Ioannes currat, sunt autem contrariæ de lege, sed non de modo enunciandi.

CAPVT XVIII.

De Æquipollentia Propositionum.

ÆQuipollentia nihil aliud est, quàm *Propositionum oppositarum penes variationem negationis æquiualentia, & eiusdem sensus significatio.* Ad hoc autem sunt tres Regulæ. *Prima*: Propositis duabus contradictoriis, si vni illarum præponatur negatio, redduntur æquipollentes. Intelligitur dummodo negatio teneatur neganter, & non infinitanter, v.g. si dicas, *Omnis homo disputat*, *Aliquis homo non disputat*, si vni præponas negationem, vt dicendo: *Non omnis homo disputat*, est idem ac dicere, *Aliquis homo non disputat*; Et si dicas, *Non aliquis homo non disputat*, est idem ac dicere *Omnis homo disputat*, similiter *Nullus homo disputat*, *aliquis disputat*, si dicas *Nonnullus disputat* est idem ac dicere *Aliquis disputat*: *non aliquis* idem ac *nullus.* Et hinc etiam colliges quomodo quacumque propositione data, per solam præpositionem negationis fiat contradictio, quia negatio est malignantis naturæ destruens quidquid inuenit post se, vnde sicut præposita contradictoriæ facit illam æquipollentem, ita præposita eidemmet propositioni efficit contradictoriam eiusdem.

Secunda Regula: Positis duabus propositionibus contrariis fiunt æquipollentes postponendo negationem subiecto propositionis ante copulam, vt *Omnis homo currit*, *Nullus homo currit*, fiunt æquipollentes dicendo, *Omnis homo non currit*, vel *Nullus homo non currit*; quæ regula intelligitur vbi *distributio est completa*, alioquin potest habere instantiam, vt in his, *Vterque homo disputat*, *Nullus homo disputat*, non fient æquipollentes per solam postpositionem negationis, & tamen sunt contrariæ de lege, quia possunt esse simul falsæ, casu quo tantùm vnus homo disputet & non duo; nunquam tamen est casus quo possint simul esse veræ.

Tertia Regula est pro Subalternis, vt *Omnis homo disputat*, *Aliquis homo disputat*, fiunt æquipollentes per præpositionem, & postpositionem, vt Si dicas, *Non omnis homo non disputat*, æquipollet huic, *Aliquis homo disputat*, & *Non aliquis homo non disputat*, æquipollet illi, *Omnis homo disputat*, Vnde versus.

Præ Contradic, Post Contra, Præ postque Subalter.

De Subcontrariis non dantur æquipollentiæ, quia non sunt capaces; si enim præponas negationem, redditur vniuersalis propositio, & consequenter non æquipollens particulari, vt *Quidam homo est albus*, *Quidam homo non est albus*, si dicas *Non quidam homo est albus*, est idem quod *Nullus*: si postponas negationem subiecto in affirmatiua, fiet non æquipollens, sed formaliter negatiua, vt *Quidam homo est albus*, si postponas negationem fiet negatiua, *Quidam homo non est albus*, non autem æquipollens negatiuæ; si verò ipsi negatiuæ postponatur, fiet repetitio inutilis, *Quidam homo non est albus*, Colligendo ergo omnes æquipollentias fiunt isti versus.

Non omnis quidam non; omnis non quasi nullus.
Nonnullus quidam; nullus non valet omnis.
Non aliquis nullus, non quidam non valet omnis.
Non alter, neuter; neuter non præstat vterque.

CAPVT XIX.

De Conuersione Propositionum.

COnuersio est *Mutatio extremorum propositionis de subiecto in prædicatum, & de prædicato in subiectum seruata qualitate, & veritate*, idest, quòd maneat copula affirmatiua, aut negatiua vtrobique, & vtraque sit vera quod intelligitur si illa quæ conuertitur veritatem habeat; ita quòd si veritas habetur, mutanda non est. Vbi semper oportet diligenter attendere quid sit verè subiectum, & verè prædicatum in propositionibus, vt illa transmutentur & non alia, vt si dicas, *Caput homo*, ly *caput* non est subiectum, sed ly *homo*, quia reddit suppositum verbo, vnde debet conuerti sic, *ergo habens caput est homo*, Et si dicas *Ad equitandum requiritur equus*, conuertitur in hanc, *Requisitum ad equitandum est equus*, quia ly *requiritur* est prædicatum.

Triplex est Conuersio scilicet *Simplex*, seu mutua, *Per accidens*, seu non mutua, *Per contrapositionem*, quæ etiam mutua est, sed penes extrema finita, & infinita. *Conuersio Simplex dicitur illa, in qua transmutatur prædicatum in subiectum manente eadem quantitate*, vt Nullus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo; Quidam homo est albus ergo quoddam album est homo, *Conuersio per accidens, seu in partem est, quando transmutatur prædicatum in subiectum, non manente eadem quantitate* vt Omnis homo est animal, non potest conuerti, ergo Omne animal est homo, quia est falsa, sed in hanc, *ergo aliquod animal est homo.* Et nota quòd propositiones, quæ conuertuntur simpliciter, si sint vniuersales à fortiori possunt conuerti per accidens; quia particularis continetur sub vniuersali. *Conuersio per contrapositionem est mutatio prædicati in subiectum variatis terminis penes finitum, & infinitum*, vt si dicas, Omnis homo est animal, sequitur bene, ergo *Omne non animal est non homo*, *Quidam homo non est albus*, *ergo non album, non est non homo* Quæ conuersio inuenta est, vt suppleret conuersionem mutuam in his quæ mutuo conuerti non possunt secundùm se. Et propriè non est conuersio terminorum, quia non manent ijdem termini, seu extrema,

ſed eſt cõuerſio ſecundùm ſenſum, mutatis terminis de finitis in infinitos.

Regulæ Conuerſionum ſunt, Prima. *Propoſitio vniuerſalis negatiua conuertitur ſimpliciter.* Secunda. *Propoſitio particularis affirmatiua conuertitur ſimpliciter.* Tertia. *Propoſitio vniuerſalis affirmatiua conuertitur per accidens*, poteſt etiam conuerti per accidens vniuerſalis negatiua. Quarta, *Vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua conuertuntur per contrapoſitionem.* Fundamenta, & probationes iſtarum Conuerſionum tractabimus *diſput. 7. art. 3.*

Ad retinendum has regulas memoriter, quatuor vocales, ſcilicet *A. E. I. O.* deſignatæ ſunt, ad ſignificandum iſtas quatuor propoſitiones. *A.* ſignificat vniuerſalem affirmatiuam. *E.* ſignificat vniuerſalem negatiuam. *I.* ſignificat particularem affirmatiuam. *O.* ſignificat particularem negatiuam, & fit verſus comprehendens omnes conuerſiones.

FECI *ſimpliciter, conuertitur Eua per acci.*
ASTO *per contra, ſic fit Conuerſio tota.*

Vbi ly *Feci* deſignat quòd vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua, ſimpliciter conuertuntur. *Eua* ſignificat quod vniuerſalis negatiua poteſt conuerti etiam per accidens, vniuerſalis autem affirmatiua ſemper per accidens. *Aſto* ſignificat quòd vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua per contrapoſitionem conuerti poſſunt. Vnde pro litteris eſt Verſus.

Aſſerit A. negat E. ſunt vniuerſaliter ambæ.
Aſſerit I. negat O. ſunt particulariter ambæ.

CAPVT XX.

De Modalibus.

SPecialis conſideratio eſt in oppoſitione, & æquipollentia circa propoſitiones Modales. Et accipitur Modalis propoſitio prout contraponitur propoſitioni de ineſſe. *Propoſitio de ineſſe eſt illa, in qua ſimpliciter denotatur prædicatum conuenire, & ineſſe ſubiecto*, Propoſitio Modalis *eſt in qua denotatur prædicatum ineſſe ſubiecto cum modo, quo illi ineſt, & conuenit.* Cùm autem modus nihil aliud ſit, quàm *adiacens rei determinatio*, vt dicit D. Th. in Opuſc. de Logica, tractatu de Modalibus, multiplex eſt modus, qui afficere poteſt propoſitionem, ſed non omnis modus conſtituit propoſitionem modalem de qua hic agimus. Aliqui enim modi dantur, qui ſolùm modificant prædicatum, aut ſubiectum, vt ſi dicas, *Petrus currit velociter*, *Operatur delectabiliter*; ille modus *velociter*, & *delectabiliter* ſolùm afficit prædicatum. Et ſi dicas, *Homo iuſtus eſt ſapiens*, aut *Equus hominis currit*, ly *iuſtus*, & ly *hominis* modificant, ideſt, reſtringunt ſubiectum, ſed non extrahunt propoſitionem à ratione propoſitionis de ineſſe, ita vt alias regulas oppoſitionis, vel æquipollentiæ habeant. Alij modi ſunt, qui afficiunt ipſam copulam, & conuenientiam prædicati ad ſubiectum modificant, & modificando addunt aliquid pertinens ad vniuerſalitatem, aut particularitatem, vel ad affirmationem, & negationem, & iſti modi faciunt propoſitiones modales, de quibus agimus in præſenti; & ſunt quatuor, ſcilicet *Impoſſibile*, *Poſſibile*, *Neceſſarium*, *Contingens.* Alij addunt alios duos ſcilicet *verum & falſum*, ſed iſti propriè non ſunt modi de quibus agimus in præſenti, quia veritas, & falſitas ita ſequitur ad omnem propoſitionem, quòd non mutat ordinem, & modum oppoſitionis, & æquipollentiæ, &c. quæ ſunt in propoſitionibus de ineſſe.

Quare propoſitio modalis, definitur, *illa quæ vnó ex his quatuor modis afficitur.* Et eſt duplex, quia duplici modo poteſt affici; alia eſt Modalis Diuiſa, alia Compoſita. *Modalis Compoſita eſt, in qua modus ſe habet, vt prædicatum, & ipſum dictum vt ſubiectum*, vt ſi dicas, Petrum diſputare eſt poſſibile, *Modalis Diuiſa eſt, in qua modus aduerbialiter ſumptus fertur in copulam*, vt Petrus poſſibiliter diſputat.

Et nota, quòd hinc ortum habet ſenſus compoſitus, & diuiſus in propoſitionibus, nam ſenſus compoſitus ſumitur ex modali cõpoſita, & diuiſus ex diuiſa. Et iſti ſenſus conſiſtunt in hoc, quòd in ſenſu compoſito ſignificatur *ipſa ſimultas, & vnio duplicis formæ in vno ſubiecto*: in ſenſu autem diuiſo ſignificatur *vnio, ſeu conuenientia duplicis formæ in ſubiecto non ſimul, ſed ſucceſſiuè*, ſeu vna excludente aliam, hoc enim eſt diuiſiuè. Vnde numquam valet à modali diuiſa ad compoſitã, ſeu à ſenſu diuiſo ad compoſitum, ſicut non valet à conuenientia ſucceſſiua ad ſimultaneam.

Et ideo *Senſus Compoſitus* ſignificatur bene per modalem compoſitam, in qua modus prædicatur de toto dicto, ſignificatur enim vniri, & conuenire ſimul formam prædicati, & ſubiecti ſub illo modo. *Senſus autem Diuiſus* ſignificatur per modalem diuiſam, in qua modus ſolum afficit copulam, & ita denotat ſubiecto conuenire illum modum, non autem ipſis formis prædicati, & ſubiecti ſimul conuenire. Exemplum eſt, ſi dicas, *Nigrum eſſe album eſt poſſibile*; *Sedentem ſtare eſt poſſibile*, in ſenſu compoſito ſignificat, quòd coniunctio ſedendi, & ſtandi poſſibilis eſt. Si autem dicas *Sedens poſſibiliter, ſtat*, ſeu *poteſt ſtare*, in ſenſu diuiſo ſignificat quòd ſubiecto ſedenti conuenit potentia ad ſtandum non tamen ad ſtandum ſimul cum ſeſſione. Vnde quando in ſubiecto, & prædicato importantur formæ oppoſitæ, vt quia forma non excludit potentiam ſubiecti ad recipiendum aliam, ſed ſolùm coexiſtentiam, & ſimultatem cum illa, tunc adhuc in ſenſu diuiſo manet illa potentia, ſtante illa forma in ſubiecto, nec enim illa forma tollit potentiam, aut ponit. Et ſic cùm dico, *Voluntas efficaciter mota poteſt non operari in ſenſu diuiſo*, non ſignifico, quòd diuidendo efficacem motionem poteſt non operari, ſed adhuc ſtante in ſubiecto efficaci motione, manet potentia ad oppoſitum, ſed non ad coniungendum oppoſitum cum forma efficacis motionis. Itaque *Senſus Diuiſus* ponit potentiam in ſubiecto ad oppoſita ſucceſſiuè; *Compoſitus* denotat potentiam ad oppoſita ſimul coniungenda.

CAPVT XXI.

De Quantitate, Qualitate, Oppoſitione & Æquipollentia Modalium.

QVia omnis oppoſito, & æquipollentia propoſitionum reſultat ex qualitate, & quantitate earum, vbi ſpecialis difficultas inuenitur etiam circa quantitatem, & qualitatem, inuenitur etiam circa oppoſitionem, & æquipollentiam; & ideo ad explicandam difficultatem circa oppoſitionem & æquipollentiam modalium, oportet explicare priùs quantitatem, qualitatem earum vt modales ſunt.

Igitur iſti quatuor modi *Impoſſibile*, *Neceſſe*, *Poſſibile*, *Contingens* ſecundùm ſe importans quantitatem ſimilem illis ſignis: *Omnis, nullus*, *quidam &c.* *Neceſſarium* enim, & *Impoſſibile* dicunt vniuerſalitatem, eo quòd id, quod conuenit neceſſariò, ſemper & omnibus conuenit, quod verò impoſſibiliter, nulli

&

& nunquam conuenit. *Possibile* autem & *Contingens* dicunt particularitatem, quia ad saluandum, quòd aliquid sit possibile, sufficit quòd pro aliquo tempore, aut subiecto sit possibile, & *Contingens* sumitur hic pro eodem atque *possibile*, non autem pro defectibili, sic enim opponitur necessario, sed pro eo quod potest esse aliquando, præscindendo à defectibilitate.

Ex quo constat, quòd cùm propositio modalis constet ex dicto, & ex modo, & modus ipse quantitatem habeat, dictum autem etiam quantitatem habere possit, concurrunt aliquando duæ quantitates in eadem propositione, vna de dicto, alia de modo, quas oportet mutare ad oppositiones, & æquipollentias faciendas. Et hæc duplex quantitas manifestiùs cernitur in modalibus diuisis, in quibus quantitas dicti eodem modo operatur, atque in propositionibus de inesse, vt si dicas: *Omnis homo possibiliter currit*, ly *Omnis* distribuit simpliciter; in modalibus autem compositis, quia totum dictum fit quasi vnum extremum, & modus prædicatur de illo, ideo quantitas dicti minùs videtur operari, & magis relucet quantitas modi: sed nihilominus etiam quantitas dicti mutanda est in oppositione propter sensum propositionis; modalis enim composita reducitur ad diuisam, & consequenter veritas vnius debet regulari sicut veritas alterius. Ad euitandum autem hoc, & videndum propriam oppositionem, & æquipollentiam modalium, vt modales sunt, solent poni exempla in propositionibus, quarum dictum sit de termino singulari, vt *Petrum currere est possibile*, in quibus sola quantitas modi attenditur. Si autem ponatur dictum de termino communi, infrà afferemus exempla in Rotulis modalium diuersarum.

Similiter quòd attinet ad qualitatem, cùm inueniatur in modali composita duplex copula, scilicet dicti, & modi, potest vel vtraque affirmari, vel vtraque negari, aut affirmari dictum, & negari modus, vel affirmari modus, & negari dictum. Quod vt faciliùs memoriæ mandaretur, & exerceretur, pro istis quatuor combinationibus affirmationis, & negationis, Dialectici statuerunt quatuor litteras vocales *A. E. I. V.* quarum A significat propositionem affirmatiuam in modo, & in dicto *E.* propositionem de dicto negato, & modo affirmato. *I.* propositionem de modo negato, & de dicto affirmato. *V.* propositionem de dicto, & de modo negato; vnde versus.

E dictum negat, Ique modum, nihil A sed V totum.

Quare vt oppositio fiat in his modalibus aduerte semper, vt sicut in propositionibus de inesse attenditur quantitas, ita attendatur in modalibus quantitas modorum, & supponimus quòd ly *Necesse*, & ly *Impossibile* sunt vniuersales, sicut ly *Omnis*, & ly *Nullus*, & ly *Possibile*, & ly *Contingens* sunt particulares, sicut, *quidam, aliquis, &c.* Vnde sicut contrariatur *Omnis, & Nullus*, ita *Necesse, & Impossibile*, & sicut subcontrariatur *quidam, & quidam non*, ita subcontrariatur *possibile, & possibile non*, & sicut contradicunt *nullus & quidam, omnis, & quidam non*, ita contradicunt *impossibile, & possibile, necesse & possibile non*. Et sicut æquipollentiæ fiunt per negationem præpositam, aut postpositam, &c. Ita & æquipollentiæ fiunt in modalibus per eandem negationem præpositam, aut postpositam.

Deinde necesse est vt attendatur ad mutationem negationis, & affirmationis, vt videlicet semper in oppositionibus detur affirmatio, & negatio de dicto: de modo verò in tantùm requiritur negatio, aut affirmatio, in quantùm necesse est mutare quantitatem eius, vel eandem seruare, aliquando enim mutatur quantitas modi, negando ipsum modum, sicut in ly *Omnis* mutatur quantitas eius dicendo *non omnis*, Exemplum horum potest accipi in hac propositione, *Petrum currere est impossibile*, si vis contrariam eius facere dic, *Petrum currere est necesse*; si contradictoriam, dic, *Petrum currere est impossibile*, eo quòd ly *impossibile* negat dictum, si vis facere sub contraria dic *Petrum currere est possibile*, *Petrum non currere est possibile*; si vis facere æquipollentes, *Petrum currere est impossibile*, *Non est possibile Petrum currere*, vel *Necesse est Petrum non currere*, prout videlicet volueris facere æquipollentias; si ex contrariis, vt necesse & impossibile postponendo negationem: si ex contradictoriis anteponendo, &c.


Vt autem hæc omnia meliùs memoriæ inhærerent, inuenerunt Dialectici quatuor dictiones, seu Rotulos compositos ex quatuor illis vocalibus, *A. E. I. V.* in quorum singulis distinctè appareret æquipollentia, & oppositio iuxta omnes combinationes possibiles, siuè affirmãdo, siuè negando modum, siuè dictũ, siuè vtrumque, & sunt istæ, *Amabimus, Edentuli, Illiace, Purpurea*, incipiendo à litera *A* in *Amabimus*, à litera *E* in *Edentuli*, &c. Et ita debet procedi, vt in qualibet dictione ponas in prima littera modum de ly *Possibile*, in secunda modum de ly *Contingens*, in tertia modum de ly *Impossibile*, in quarta modum de ly *Necessariò*. Et exempla ponenda sunt in dictis de termino singulari pro modalibus compositis, de termino verò communi pro diuisis, sic enim facilè poteris vtrumque intelligere, & de vno ad aliud transire.

ROTVLI COMPOSITARVM MODALIVM.

Pur. *Non Possibile est Petrum non currere*
Pu. *Non contingens est Petrum non currere.*
Re. *Impossibile est Petrũ non currere.*
A. *Necesse est Petrum currere.*
Æquipollent.

Non est Possibile Petrum currere. I.
Non est contingens Petrum currere. Li.
Impossibile est Petrum currere. A
Necesse est Petrum currere. Ce
Æquipollent.

Contrariæ.



Subcontrariæ

A. *Possibile est Petrum currere.*
Ma. *Contingens est Petrũ Currere.*
Bi. *Non impossibile est Petrũ currere.*
Max. *Non necesse est Petrum non curere.*
Æquipollent.

Possibile est Petrum non currere. E.
Cõtingens est Petrũ nõ currere. Den.
Non impossibile est Petrum non currere. Tu.
Non necesse est Petrum currere. Li.
Æquipollent.

Incepimus Rotulum à *Purpura*, & non ab *Amabimus*, vt in superiori loco poneretur oppositio contraria, in inferiori subcontraria, in transversali autem contradictoria; contrarietas autem versatur inter *Purpurea, & Illiacè*, subcontrarietas inter *Amabimus, & Edentuli*; contradictio inter *Purpurea, & Edentuli*, inter *Amabimus, & Illiace*. Æquipollentiæ inter quatuor, quæ sunt in vnoquoque rotulo inter se.

Rotuli

Rotuli diuisarum constantium dicto de termino communi.

Simpliciter vniuersales ratione dicti, & ratione modi.
Omnis homo necessariò disputat.
Omnis homo impossibiliter disputat.
Simpliciter particulares ratione dicti, & ratione modi.
Aliquis homo possibiliter disputat.
Aliquis homo possibiliter non disputat.

Duæ primæ superioris loci sunt contrariæ simpliciter, & duæ inferioris loci sunt subalternæ simpliciter illis primis, & inter se subcontrariæ simpliciter, transuersaliter autem sunt contradictoriæ simpliciter, & præposita, vel postposita negatione fient æquipollentes iuxta regulas suprapositas de æquipollentibus.

Vniuersales ratione dicti, & non ratione modi.
Omnis homo possibiliter disputat.
Omnis homo possibiliter non disputat.
Particulares ratione dicti, & ratione modi.
Aliquis homo possibiliter disputat.
Aliquis homo possibiliter non disputat.

Istæ sunt subalternatæ ratione subiecti tantùm, sed non ratione modi. Et ideo ratione subalternationis hìc illas posuimus, particulares autem ratione dicti, & vniuersales ratione modi, quæ hìc videbantur ponendæ, in sequenti rotulo meliùs collocabuntur. Duæ autem primæ inter se non sunt contrariæ, quia licèt ratione subiecti contrarietatem postulent, ratione tamen modi particularis de ly *possibilis* impeditur contrarietas, quia manet eadem vniuersalitas, & particularitas, & duæ inferiores sunt simpliciter subcontrariæ, transuersaliter autem non sunt contradictoriæ, quia manet eadem particularitas ratione de ly *possibiliter*, sed sunt subcontrariæ ratione modi; sed habent contradictionem illæ duæ primæ cum modalibus de dicto particulari, & modo communi, quas statim referemus.

Vniuersales ratione modi, & particulares ratione dicti.
Aliquis homo necessariò disputat.
Aliquis homo impossibiliter disputat.
Particulares ratione modi, & non ratione dicti.
Omnis homo possibiliter disputat.
Omnis homo possibiliter non disputat.

Istæ duæ superiores inter se disparatè se habent, & duæ inferiores inter se, quia manet eadem particularitas & vniuersalitas in illis, sed tamen transuersaliter consideratæ habent contradictionem simpliciter. Vt autem facias contrarias ratione subiecti tantùm, aut ratione modi tantùm, hoc obserua, vt semper in altera propositione ponas dictum, & modum vniuersalem; aliàs si vtrobique sit vnum vniuersale, & alterum particulare, disparatè se habebunt, vt istæ sunt contrariæ ratione modi, *Omnis homo necessariò disputat*, *Aliquis homo impossibiliter disputat*, & istæ ratione dicti, *Omnis homo possibiliter disputat*, *Omnis homo impossibiliter disputat*. In subcontrariis similiter ratione subiecti tantùm, aut modi tantùm, obseruetur, vt semper in altera propositione sit particularitas dicti, & modi.

CAPVT XXII.

De Reductione Modalium ad suas de inesse.

Reductio Modalium ad propositiones de inesse nihil aliud est quàm probare, seu regulare veritatem modalis per veritatem propositionis de inesse, si enim est verum quòd *Petrus possibiliter disputat*, ideo est, quia hæc de inesse *Petrus disputat*, habet possibilitatem. Et nota, quòd omnis modalis, si est vera, est propositio necessaria, & æternæ veritatis, quia applicat modum conuenientem veritati propositionis ex intrinseca connexione, vt si dicas, *Petrum currere est contingens*, hoc ipsum, est propositio necessaria, quia cursus Petri necessariò conuenit contingentia. Et hinc disces, quomodo prima causat potest causare in nobis libertatem, & contingentiam operando infallibiliter, quia non solùm causat res ipsas, sed etiam modos earum, & vnicuique dat modum suum, & ita ex causatione diuina non sequitur, v. g. quòd ambulatio Petri sit necessaria, sed quòd ambulationem Petri fieri liberè & contingenter, sit infallibile, & necessarium, quia illi ambulationi ab intrinseco, & necessariò conuenit libertas, & contingentia. Et quia in modali composita dictum supponit quasi immobiliter, & facit vnum extremorum respectu modi, ideò ad resoluendum modalem compositam descendendo sub dicto, oportet quòd reducatur ad suam diuisam, cui æquipollet, vt *Necesse est hominem currere*, *Necessariò homo currit*, & tunc descendatur sub ly *homo*.

Vt autem videamus quomodo reducendæ sunt propositiones modales ad suas de inesse, nota quòd propositio de inesse dicitur dupliciter. Vno modo quia caret modis afficientibus eam, & vt opponitur modali, alio modo quia est de præsenti, & opponitur propositioni de præterito, aut futuro, quæ dicitur de extrinseco tempore.

Reducitur ergo modalis ad suam de inesse, formando propositionem de inesse, & ostendendo, quod illi conuenit modus in propositione modali positus, vt si dicas, *Petrus contingenter currit*, reducitur ad suam de inesse sic, *Hæc propositio Petrus currit est contingens*, & ista vocatur *Officians* illius modalis, diciturque probari., seu reduci modalis per officiantem de inesse, idest, ostendendo illam per vnam propositionem, quæ probet, aut significet suæ de inesse conuenire talem modum possibilitatis, aut contingentiæ, &c.

Quo supposito plures regulæ, quæ traduntur ad reducendum & regulandum modales, vel de extrinseco tempore, ad suas de inesse, reducuntur ad hanc. *Ad veritatem propositionis modalis, vel de extrinseco tempore, quæ immediatè reducibilis est ad suam de inesse, sufficit & requiritur, quod suæ de inesse conueniat, & verificetur de illa talis modus, aut talis differentia temporis*, v. g. ad veritatem huius, *Petrus possibiliter disputat*, sufficit vt hæc propositio *Petrus disputat* sit possibilis, & ad veritatem huius, *Petrus necessariò est homo*, requiritur quòd hæc *Petrus est homo* sit necessaria, & ad veritatem huius *Adam fuit*, sufficit quòd aliquo tempore fuerit vera *Adam est* quæ est sua de inesse, & sic de aliis omnibus. Dixi autem *propositionis immediatè reducibilis*, quia aliquando requiritur aliqua prior resolutio, vel explicatio termini, quàm reducatur ad suam de inesse, vt si dicas, *Album fuit nigrum*, non immediatè verificatur, quòd aliquando fuit verum, *Album est nigrum*, sed verificatur resoluendo subiectum

amplia

ampliatum hoc modo, hoc est vel fuit album, & hoc (scilicet quod est album) fuit nigrum aliquando. Et similiter vbi est duplex copula, vt *Petrus fuit, & erit albus*, resoluatur prius vtraque copula in suam copulatuam, & tunc quælibet categorica reducatur, seu reguletur per suam de inesse.

CAPUT XXIII.

De Hypotheticis Propositionibus.

HOc est vltimum, quod considerandum restat in secunda operatione intellectus, scilicet agere de altera specie enuntiationis, quæ est *Hypothetica*, hucusque enim egimus de Categorica, eiusque proprietatibus. *Hypothetica* autem magis accedit ad tertiam operationem intellectus, quia plures categoricas coniungit. Vnde definitur *Hypothetica quod est illa, quæ habet duas categoricas coniunctas, tanquam partes principales sui*, vt Si homo volat, habet alas. Vnde fit quòd copula hypothetica non est verbum, sed aliquod aduerbium, seu nota coniungens propositiones, v. g. ly *Et*, ly *si*, *&c.* atque adeò in coniunctione hypotheticæ vna pars coniuncta non prædicatur de altera, sicut in categorica; solum enim verbum, est nota eorum, quæ prædicantur.

Diuiditur Hypothetica propositio in tres species, quæ formaliter sunt hypotheticæ, penes tres diuersas copulas coniungentes propositiones *si*, *Et*, *vel*, Et diuidi potest in alias tres, quæ virtualiter sunt hypotheticæ, vocanturque proprio nomine *Exponibiles*, quia cum in se sint Categoricæ, continent tamen aliquem terminum resoluendum, & exponendum per plures categoricas, quæ hypotheticam faciunt, & ideo virtualiter dici possunt hypotheticæ, de quibus in c. sequenti.

Species ergo hypotheticæ sunt, *Conditionalis*, *Copulatiua*, *Disiunctiua*. *Conditionalis est quæ coniungit propositiones per illam particulam Si*, vt si homo currit, homo mouetur: & ad illam reducitur rationalis, *quæ coniungit propositiones per particulam Ergo*, nam omnis conditionalis consequentiam virtualiter includit; propriè tamen ly *ergo* facit consequentiam, & discursum, non propositionem hypotheticam. *Copulatiua est quæ coniungit propositiones per particulam Et*, vt Petrus est albus, & Paulus est niger. Et particula illa, *Et*, quando coniungit terminos, facit propositiones de extremo copulato, habetque vim vniuersalitatis, si diuisiuè, non collectiuè accipiatur, confunditque terminum post se positum, vt *Petrus & Paulus currit*; *Parisiis & Romæ venditur piper*; ly *piper*; stat confusè, nec licet sub illo immediatè descendere. *Disiunctiua est, quæ coniungit propositiones per particulam vel*, vt Petrus currit, vel Paulus loquitur. Et quando illa particula coniungit terminos, facit propositionem de extremo disiuncto, & habet vim particularitatis, vt *Petrus vel Paulus loquitur*, *Homo vel Equus est albus*.

In his speciebus hypotheticarum duo solùm veniunt aduertenda, Primum est, quid requiratur ad veritatem cuiuslibet hypotheticæ, Secundum, qui sint loci, seu Regulæ arguendi in talibus hypotheticis.

Quoad primum: *In Conditionalibus est hæc Regula.* Ad veritatem conditionalis non requiritur, quod aliqua pars sit vera, sed sufficit bonitas consequentiæ; & ad falsitatem sufficit, quòd consequentia sit mala. Et sumimus *Conditionalem* in rigore pro conditionali illatiua, nam si solùm sumatur particula *Si*, ad denotandum concomitantiam vnius cum alio, *vt si Petrus loquitur, Paulus ambulat*, non ita propriè est conditionalis, de qua in præsenti agimus. Cùm ergo ad conditionalem illatiuam, vt sit vera, solùm requiratur bonitas consequentiæ, sequitur quòd omnis conditionalis vera est necessaria & omnis falsa, impossibilis, quia bona consequentia semper, & necessariò est bona, alioquin si deficere potest, est mala; fundatur enim bonitas consequentiæ in connexione extremorum. Et ità docet *S. Thom. Opusc. de Logica tract. de Enuntiatio. cap.* 14.

In Copulatiuis est hæc Regula. Ad veritatem Copulatiuæ requiritur, quòd vtraque pars sit vera; ad falsitatem sufficit quòd altera pars sit falsa, *vt Homo est rationalis, & equus est hinnibilis*, est vera, quia vtraque pars est vera, consistit enim veritas illius in copulatione veritatum. Si autem dicas *Petrus disputat, & lapis currit*, tota est falsa, quia pars eius est falsa. Idem quod dicimus de veritate, dicendum est de possibilitate, & necessitate, vt enim sit possibilis, aut necessaria copulatiua requiritur quamlibet partem esse possibilem, & necessariam: vt autem sit impossibilis, vel contingens, sufficit alteram partem esse impossibilem, aut contingentem. Inter impossibile autem, & contingens, si vna pars est contingens, altera impossibilis, tota est impossibilis, vt si dicas, *Petrus est lapis, & Paulus currit.* Itaque in defectu sequitur debiliorem partem; in effectu & bono, requirit integram causam.

In Disiunctiuis est hæc Regula. Ad veritatem disiunctiuæ sufficit alteram partem esse veram, consistit enim veritas eius in separatione veritatis, & falsitas in opposito; & idem est de necessitate, & possibilitate, quòd sufficit alteram partem esse necessariam, vel possibilem, *vt Homo est animal, vel Sol est niger*, est vera, & necessaria ratione vnius partis tantùm. At verò ad falsitatem disiunctiuæ requiritur, vt vtraque pars sit falsa, & similiter ad impossibilitatem vt si dicas, *Homo est hinnibilis, vel Equus est risibilis.* In summa. Copulatiua sequitur semper debiliorem partem, disiunctiua fortiorem; fortior pars dicitur *vera, necessaria, possibilis*; debilior dicitur *falsa, contingens, impossibilis.* Ad vnius enim partis fortioris positionem, tota disiunctiua redditur vera, vel necessaria, vel possibilis; ad vnius verò debilioris positionem tota copulatiua redditur falsa, vel impossibilis. Denique ad contingentiam disiunctiuæ sufficit alteram partem esse contingentem, dummodo nulla sit necessaria, nec omnes in falsitate repugnent, vt si dicas, *Petrus disputat, vel homo est lapis.*

Quantùm ad secundum. In conditionalibus sunt hi loci arguendi: *Primus*: *A tota conditionali cum destructione consequentis ad destructionem antecedentis, est bona consequentia*, vt si dicas, si Sol lucet, dies est, ergo si non est dies, Sol non lucet. *Secundus*: *A tota conditionali cum positione antecedentis ad positionem consequentis est bona consequentia*, vt si Sol lucet, dies est, sed Sol lucet, ergo dies est. *Tertius*: *A conditionali ad disiunctiuam constantem consequente, & contradictorio antecedentis valet*, vt si Sol lucet, dies est, ergo vel est dies, vel Sol non lucet.

In Copulatiuis: *A copulatiua affirmatiua ad quamlibet eius partem est formalis consequentia*, è conuerso tamen non est formalis consequentia, vt benè sequitur, *Petrus currit, & disputat, ergo Petrus disputat.* E conuerso autem non valet; *Petrus disputat, ergo currit & disputat. In Negatiuis autem copulatiuis*, non sequitur à toto ad partem, vt non valet, *Non aliquis homo est equus, & homo est lapis, ergo homo est lapis*: nec etiam sequitur negatiuè, per formalem consequentiam; non enim valet, *Non Petrus disputat, & Petrus currit, ergo Petrus non currit*, casu quo currat, & non disputet, antecedens

cedens est verum, quod non simul disputat & currit & falsum est, quòd non currat.

In Disiunctiuis; Primus locus est : A parte disiunctiuæ ad totam bona est consequentia, vt Petrus est iustus, ergo vel est iustus, vel diues; non enim requiritur ad verificationem consequentis, plus quàm ad veritatem antecedentis. *Secundus : A tota disiunctiua cum destructione vnius partis ad positionem alterius, valet consequentia*, vt Petrus disputat, vel currit, & non disputat, ergo currit.

Quæ dicuntur de Propositionibus de extremo disiuncto, vel copulato, vel conditionato, vt quando dico, *Petrus est albus, & frigidus*, &c. vbi prædicatum, vel subiectum sunt vnum copulatum, aut disiunctum, non pertinent ad præsens, quia tales propositiones non sunt formaliter hypotheticæ, sed virtualiter, & debemus illas resoluere, seu reducere ad copulatiuas, disiunctiuas, vel conditionales, quibus correspondent, & sic de illis iudicare sicut de præfatis hypotheticis.

CAPVT XXIV.

De Exponibilibus.

EXponibiles Propositiones *sunt, quæ ratione alicuius termini importantis sensum explicabilem pluribus propositionibus necesse habent exponi, seu declarari*, & quia pluribus propositionibus declarantur, dicuntur virtualiter hypotheticæ. Et aliquæ sunt exponibiles ratione rei significatæ, vt verbum, *Incipit, Desinit, Differt*, & similia; exponitur enim ly *incipit* dicendo, *Nunc est & antea non erat*. Et hæc omittimus in præsenti, explicanda vbi eorum tractatur materia, sicut de Inceptione, & Desitione, in *lib. 6. Physic.* de Differentia in *Prædicabilibus*. Alia ex ipso modo significandi indigent exponi, & hæc propriè pertinent ad Dialecticum.

Sunt autem tres species, scilicet *Exclusiuæ, Exceptiuæ, Reduplicatiuæ*. Propositio Exclusiua dicitur illa, *quæ modificatur termino significante exclusionem*, vt *Tantùm, Solùm*, & similia, & potest constituere, vel propositionem de excluso extremo, scilicet quando se tenet ex parte prædicati, vt *Petrus est solùm Dialecticus*, vel totam propositionem exclusiuam reddere, scilicet quando se tenet ex parte subiecti, vt *Tantùm homo est risibilis*, vel potest excludere gratia alietatis, idest, significare quod aliis subiectis non conuenit prædicatum, vt *Tantùm homo est risibilis*, idest non alius quàm homo est risibilis, vel potest excludere gratia pluralitatis, vt Prædicamenta sunt tantùm decem; idest, non plura quàm decem.

Et licèt possit fieri exclusiua tam affirmatiua, quàm negatiua, & negatiua, vel solùm de modo, vel solùm de dicto, vel de vtroque; tamen in præsenti sufficit expositionem tradere pro affirmatiua, ex ea enim constabit, quòd in negatiua opposito modo debet exponi. Exponitur ergo exclusiua propositio per duas categoricas copulatiuè acceptas, quarum vna affirmat prædicatum conuenire subiecto, & vocatur *Propositio præiacens*, idest, simplex seu simpliciter prædicans vnum de alio, alia negat prædicatum conuenire alij subiecto, & sic est vniuersalis negatiua respectu omnis alterius subiecti: v. g. *Tantùm homo est risibilis*, exponitur sic: *Homo est risibilis, & nihil aliud ab homine est risibile.* Prædicamenta sunt tantùm decem, exponitur sic *Prædicamenta sunt decem, & non sunt plura quàm decem.* Vnde sequitur quòd propositio affirmatiua exclusiua conuertitur in vniuersalem affirmatiuam transmutatis terminis, vt benè valet: *Tantùm homo est risibilis, ergo omne risibile est homo*, & consequenter, ly *Tantùm*, est signum confusionis respectu termini, quem immediatè afficit, quia in sua conuertente, ille terminus affectus à ly *tantùm* afficitur mediatè à signo vniuersali affirmatiuo, quod est confundi.

Loci arguendi in exclusiuis sunt tres. *Primus* : Ab exponibili ad exponentes, & è conuerso bona est consequentia. *Secundus.* Ab Exponibili exposita copulatiuè, ad quamlibet exponentium bona est consequentia. *Tertius* : A qualibet exponentium ad exponibilem disiunctiuè, valet consequentia.

Et bene obserua, quòd licet particula, *Tantùm*, posita à parte subiecti faciat totam propositionem exclusiuam, posita autem à parte prædicati faciat de excluso extremo : tamen quia exclusio ita afficit suum terminum, quòd quasi appellat super eum, non licet arguere à propositione de excluso extremo ad exclusiuam, vel è contra, sicut non valet, *Tantùm Adam est albus, ergo Adam est tantùm albus*; prima enim erat vera casu, quo solus Adam esset albus in mundo, & secunda est falsa; quia multa alia sunt in Adam, quàm albedo, & similiter non valet, *Tantùm Sol lucet, ergo Sol tantùm lucet. Prædicabilia sunt tantùm quinque, ergo tantùm prædicabilia sunt quinque.*

Sedunda Exponibilis est *Exceptiua*, vt si dicas. *Omne animal præter hominem est irrationale.* In hac nota, quòd talis exceptiua, si sit affirmatiua, habet tres exponentes copulatiuas, scilicet suam præiacentem, & vniuersalem affirmatiuam, in qua terminus, à quo fit exceptio, prædicatur de parte excepta, & negatiuam, in qua prædicatum negatur de parte excepta. Vt exponentis illius positæ propositionis sunt, *Omne animal, quod est non homo*, seu *aliud ab homine est irrationale, & Omnis homo est animal, & Nullus homo est irrationalis.* Contradictoria autem huius exponitur disiunctiuè per contradictorias exponentes. Aliqui breuius exponunt particulam *Præter*, per particulam *Excepto*, dicendo. *Omne animal, excepto homine, est irrationale*, vel per copulam implicationis, dicendo, *Omne animal quod non est homo est irrationale* : sed hoc non est ponere exponentes, sed æquiualentes in vno termino, quia etiam indiget expositione, nam ly *excepto*, æquè indiget expositione ac ly *præter*.

Loci arguendi in Exceptiuis sunt, *Primus.* Ab Exceptiua ad omnes suas exponentes, & è conuerso est formalis consequentia. *Secundus*; Ab exceptiua copulatiuè exposita, ad quamlibet exponentem, est formalis consequentia, sicut in quacunque copulatiua, à tota ad partem. *Tertius* : In Exceptiuis, quæ exponuntur disiunctiuè, & contradictoriè respectu copulatiuarum, valet à qualibet exponente ad totam, per regulam disiunctiuarum.

Tertia Exponibilis est *Reduplicatiua* per illum terminum *in quantùm*, quæ vocantur Recuplicatiuæ, quia quasi duplicant subiectum, aut prædicatum; vt dicendo, *Petrus in quantùm homo, est risibilis*, & idem est de his terminis. *Quatenus, qua ratione*; *secundùm quod, vt sic, &c.*

Et sumuntur dupliciter isti termini reduplicantes, primò *specificatiuè*, secundò *reduplicatiuè*, specificatiuè reduplicant, seu applicant subiecto formalem, & specificum conceptum : reduplicatiuè applicant rationem causæ propter quam aliquid est tale, & sic faciunt propositionem causalem. Exemplum primi, *Coloratum in quantùm coloratum, est obiectum visus*, specificatiuè tenetur, quia reduplicat solùm rationem formalem; si autem dicam : *Homo in quantùm albus, disgregat visum*, denotat causam propter quam disgregat.

Exponitur Reduplicatiua per quatuor exponentes, quando tenetur reduplicatiuè, & non specificatiuè tantùm, scilicet per præiacentem, & per affirmatiuam, vbi terminus reduplicatus affirmatur de subiecto

cto illius exponibilis, & aliam affirmatiuam, inqua prædicatum affirmatur de termino reduplicato, & per causalem, vbi explicatur ratio connexionis inter prædicatum & subiectum, vt si dicas: *Omnis homo in quantum rationalis, est risibilis*, exponitur sic: *Omnis homo est risibilis, & omnis homo est rationalis, & omne rationale est risibile, & quia est rationale, est risibile. Sic Antiqui.*

Sed Re vera sola quarta propositio est legitima, & sufficiens exponens, scilicet causalis, & ad summum potest addi illa tertia, quia implicitè continetur in causali, sufficit enim dicere, quia aliquid est rationale, est risibile, ergo in quantùm rationale, est risibile. Nam prima & secunda exponens, quod necessariæ non sint, imò aliquandò falsificentur constat, quando reduplicatua verificatur mediante aliqua restrictione, aut diminutione, & non absolutè, vt si dicas: *Christus in quantùm homo, est creatura, Omne animal in quantùm rationale, est risibile*, falsa est prima, & secunda exponens, in qua simpliciter dicitur, *Christus est creatura, Omne animal est risibile, Omne animal est rationale*; illæ enim absolute prolatæ sunt falsæ. Quare sufficit causalem ponere pro exponente, & quia ad veritatem causalis requiritur illa tertia exponens, addi potest; si enim est verum quod quia est rationale est risibile, etiam est verum, quod omne rationale est risibile: causalis enim si est semel vera, in omnibus est vera.

Et aduerte quòd aliquando ly *in quantùm* ly *secundùm quod*, sumuntur non tam specificatiuè, & reduplicatiuè, quàm diminutiuè, & restrictiuè, quia verificantur solùm secundùm quid de subiecto, & ratione partis, & non absolutè, vt si dicas, *Æthiops est albus secundùm dentes*, seu in quantùm habet dentes, *Christus in quantùm homo est creatura* non autem absolutè est creatura, & tunc vtere illa regula S. *Thom.* 3. *p.* q. 16. *art.* 8. Quod quando aliqua indifferenter possunt conuenire toti, & parti, si solùm conueniunt parti, non absolutè denominant, sed secundùm quid, & per ly *in quantùm*, vt quia albedo potest conuenire toti corpori, & parti, si solùm conuenit parti, v.g. dentibus, non dicitur absolutè de toto, quando verò solùm potest conuenire patri, & ratione eius toti, absolutè dicitur de toto, licèt conueniat soli parti, vt absolutè dicitur homo crispus, licet crispitudo sit solùm in capillis. Et quia esse creaturam propter sui transcendentiam conuenire natum est supposito, & naturæ, non dicitur absolutè de Christo nisi explicando quod ratione naturæ humanæ conuenit.

Secundò aduerte, quòd reduplicatiua aliquando non reduplicat causam, sed conditionem, aut concomitantiam, vt si dicas: *Ignis in quantùm applicatus comburit*, ibi non reduplicatur causa, sed conditio, aut modus, *Homo in quantùm existit, operatur*, ly *existit* dicit concomitantiam conditionis requisitæ, & tunc illæ reduplicatiuæ non exponuntur per causalem, sed per conditionalem, in qua prædicatum reduplicatiuè ponitur ex parte subiecti, vt si homo operatur, existit, si ignis comburit est applicatus, &c.

LIBER TERTIVS

DE TERTIA OPERATIONE INTELLECTVS.

CAPVT PRIMVM.

De Consequentia, & Diuisione eius.

TErtia intellectus operatio agitur discursu, qui necessario exigit illationem, & consequentiam, qua deducitur vnũ ex alio. Consequentia autem *in communi* definitur sicut Argumentatio, quod est *Oratio in qua vno dato, aliud sequitur*. Et cùm omnis illatio fundetur in connexione vnius veritatis cum alia, quando dicitur in definitione consequentiæ ly *sequitur*, non est idem quod connectitur, sic enim solùm definiretur bona consequentia, quia sola illa habet connexionem, & illationem vnius ex alio, sed ly *sequitur*, si sumatur vt commune ad bonam, & malam consequentiam, est idem ac *designatur consequi*, ita quod vbicumque orationes notâ illationis coniunguntur, consequentia est, licèt in re non sit bona, & conueniens illatio. Quid sit autem consequentia bona, & mala, in quam primò diuiditur consequentia in communi, diximus *præced. libro cap.* 5. Et si quæratur cur diuiditur Consequentia in bonam, & malam, non in veram, & falsam? *Respond.* Quia consequentia non est propositio ad quã solum pertinet verum & falsum quia affirmat aut negat, sed est connexio illatiua propositionum, ad quam pertinet debita dispositio, & conuenientia connexionis; conueniens autem, & inconueniens faciũt bonum, vel malum, non verum, aut falsum.

Diuiditur secundò Consequentia in Materialem & Formalem. *Materialis dicitur, quæ solùm ratione alicuius materiæ, est bona. Formalis quæ in quacumque materia, & terminis eiusdem formæ bona est.* Et ideo consequentia formalis, quæ semel est bona, semper est bona verbi gratia si dicas: *Aliquis homo est rationalis, ergo omnis homo est rationalis*, ista consequentia valet in illa materia, quia est materia necessaria

necessaria, in qua ex vna particulari potest inferri vniuersalis, sed non valet ex vi Formæ, quia in alia materia, & similis formæ non tenet, vt si dicas, *Aliquis homo est albus, ergo omnis homo est albus.* Et hinc cognosces quæ sit forma consequentiæ, ratione cuius dicitur consequentia esse bona formaliter, est enim *Forma* dispositio propositionum, & terminorum secundùm quantitatem, & qualitatem, & alias proprietates logicales in ordine ad inferendum vnum ex alio, & quando non ratione materiæ dispositæ, sed ratione ipsius dispositionis in quacumque materia sequitur vnum ex alio, dicitur *Consequentia formalis.* Et similitudo formæ *Est conuenientia dispositionis propositionum in eadem quantitate, qualitate, & proprietatibus logicalibus.* Proprietates logicales iam suprà diximus esse *suppositionem, ampliationem*, & similia, quæ meliùs dignoscentur ex designatione defectuum in Consequentiis, quos infrà ponemus.

CAPVT II.

De Inductione.

SVperiori libro cap. 5. de Argumentatione diximus, quòd omnes species argumentationis ad duas reduci poterant, scilicet ad *Inductionem & Syllogismum*, nam *Enthymema* est quidam syllogismus truncatus, & *Exemplum* quædam inductio imperfecta, vt inquit *Sanct. Thom.* 1. *Poster. lect.* 1. in fine. Vnde tandem in *lect.* 30. eiusdem libri, solum ponit *D. Thom.* duos modos acquirendi scientiam, scilicet per *Demonstrationem*, & *Inductionem*, & demonstratio quidem est syllogismus, qui procedit ex vniuersalibus, inductio autem ex singularibus, eo quòd omnis nostra cognitio ex singularibus originatur, quæ per sensus percipiuntur.

Definitur ergo *Inductio, quòd sit à singularibus, sufficienter enumeratis ad vniuersale progressio*, vt si dicas, iste ignis calefacit, & ille, & ille, &c. Ergo omnis ignis calefacit. Et quia oppositorum eadem est ratio, sub hac definitione inductionis, quæ est per ascensum, intelligitur oppositum eius, quod est Descensus, idest, *ab vniuersali ad singularia progressio.* Et inductio quantùm ad ascensum ordinatur ad inueniendas, & probandas veritates vniuersales, vt vniuersales sunt, idest, in quantùm constant ex singularibus sub eis contentis; nec enim potest probari, quòd aliquid vniuersaliter sit tale, nisi quia eius singularia sunt talia. Descensus autem ab vniuersali ad singularia præcipuè ordinatur ad demonstrandam falsitatem vniuersalis vt vniuersale est; optimè enim ostenditur falsitas vniuersalis descendendo sub illo, & ostendendo aliquod singulare non esse tale. Sed tamen supposita veritate vniuersalis comprobata, & inuenta per ascensum, etiam descensus deseruit ad ostendendam correspondentiam vniuersalis ad ipsa singularia sub eo contenta. Præcipuum tamen inductionis munus est reducere ad sensum probationem vniuersalis à singularibus ascendendo.

Vnde manifestum est rectè tradidisse *Arist.* 2. *lib. Prior. cap.* 23. differentiam inter syllogismum & inductionem, quòd *Syllogismus* vtitur medio ad ostendendum extrema vniri inter se; at verò *Inductio*, per tertium probat extremum de medio. Quod est dicere, syllogismum vti præmissis in quibus assumitur medium vnitum extremis, vt per illud probetur vniri extrema inter se. Inductio autem non assumit medium vniens extrema ad probandum extrema vniri inter se, sed probat extremum, seu prædicatum aliquod conuenire alicui subiecto communi, quia conuenit singularibus, aut singularibus conuenire, quia conuenit communi.

Inquires: Quotuplex, & qualis sit ascensus, & descensus. Et dico, quòd est quadruplex. *Copulatiuus, Disiunctiuus, Copulatus, & Disiunctus.* Copulatiuus ascensus, & descensus est, *quando singularia numerantur per propositiones copulatiuas*, vt Omnis homo est animal, ergo hic homo est animal, & ille homo est animal, &c. Disiunctiuus, *quando numerantur per propositiones disiunctiuas*, vt Aliquis homo est albus, ergo vel ille homo est albus, vel ille homo est albus, &c. Copulatus ascensus, & descensus est, *quando terminus aliquis per singulares resoluitur, complexiuè numeratas*, vt omnes Apostoli Dei sunt duodecim, resoluitur sic; ille, & ille, &c. sunt duodecim, omnes in vna propositione numerando. Disiunctus est *quando aliquis terminus resoluitur per suas singulares diuisim numeratas in vnica propositione*, vt si dicas, Omnis homo est animal, illud prædicatum *animal* resoluitur disiunctim sic: Omnis homo est hoc, vel illud, vel illud animal, ita vt totum disiunctum sit prædicatum. An verò inductio ex sua formali ratione, & propriis meritis sit consequentia formalis? dicemus infrà quæst. 8. art. 2.

CAPVT III

De Ordine, & modo resoluendi terminos per Ascensum, & Descensum.

CVm omnis Ascensus, & Descensus versetur à singularibus ad communia, & è conuerso, secundùm diuersam quantitatem, & suppositionem termini, puta quòd sit vniuersalis, vel particularis, determinatè, vel confusè supponens, diuersimodè applicantur ascensus & descensus. Vnde duo sunt obseruanda. Primum, quis ascensus, & descensus debeatur isti, vel illi suppositioni? Alterum, quis ordo sit, immediatè, vel mediatè descendendi, vel ascendendi sub aliquo termino, quod est resoluere illum.

Quantùm ad primum est triplex Regula. *Prima.* Termino supponenti distributiuè debetur ascensus & descensus copulatiuus. *Secunda*: Termino supponenti determinatè debetur ascensus, descensusque disiunctiuus. *Tertia*: Termino supponenti confusè tantùm copulatim, debetur ascensus, descensusque copulatus; supponenti verò confusè disiunctim, debetur ascensus, descensusque disiunctus. An verò possit ascendi disiunctiuè? Statim dicemus. Sed tamen iste ascensus copulatus, aut disiunctus non est resolutorius propriè, sed manifestatiuus veritatis; æquè enim manet ignotum ponere terminum confusè supponentem, vel disiunctim numeratum, ideò talis terminus simpliciter manet irresolubilis, & immobilitatus. id est, quia non potest moueri. & progredi in illo per resolutionem à singularibus ad vniuersalia, vel è contrà.

Quantùm ad secundum. Quando in propositione sunt plures termini diuersimodè supponentes, non potest

potest æquè immediatè descendi, & ascendi sub quolibet illorum. Et ideo ad hoc cognoscendum sunt tres Regulæ: *Prima*: Sub termino supponente determinatè in ordine ad distributum, priùs debet ascendi, quàm sub termino distributo; potest tamen immediatè descendi sub distributo: & oppositum est defectus, qui vocatur *à pluribus determinatis ad vnicam determinatam.* Itaque ad ascendendum semper est aptior terminus determinatè supponens; ad descendendum terminus distributus; vt si dicas: *Aliquis homo non est albus*, non bene ascendes immediatè sub termino distributo, dicendo *Aliquis homo non est hoc album, neque illud album, ergo aliquis homo non est albus*, bene tamen sub termino particulari supponente determinatè; poteris tamen immediatè descendere sub distributo, & ita quoad ascensum est dependens à priori illa resolutione, non quoad descensum.

Secunda Regula. Sub termino supponente confusè disiunctim in ordine ad vniuersalitatem antecedentem, non licet descensus disiunctiuus, antequam descendatur sub termino vniuersali; benè tamen valet ascensus, vt si dicas: *Omnis homo est animal*, non valet, *ergo Omnis homo est hoc animal, vel illud animal, &c.* valet tamen ascensus. *Omnis homo est hoc animal, vel Omnis homo est illud animal, ergo Omnis homo est animal.* Itaque in descendendo dependet resolutio confusi à resolutione distributi antecedentis. Et oppositum est defectus *ab vnica distributione ad plures*; de quo inf. *cap.* 13.

Tertia Regula: Si omnes termini supponant distributiuè, vel omnes determinatè, potest immediatè resolutio incipere à quolibet termino in ascensu, & descensu, quantùm est ex vi suppositionis, nisi aliunde adsit impedimentum, vt si dicas distributiuè, *Nullus homo est lapis*, vel determinatè *Aliquis homo est albus*, à quocumque incipere potes. Atque ita resolutio terminorum quoad ascensum, qui deseruit probationi veritatis, hunc habet ordinem, vt priùs resolualtur, idest, ascendatur terminus stans determinatè, secundò distributus; quoad descensum autem immediatè possumus incipere à distributo: à confuso autem non nisi post descensum sub distributo. Et semper intelligitur descensus; & ascensus fieri inuariatis proprietatibus logicalibus, genere suppositionis, restrictione, ampliatione, appellatione, &c. Quod maximè obseruandum est in terminis complexis, præsertim qui constant ex determinatione, & determinabili, in quibus diuersitas restrictionis maximè obstat resolutioni immediatè vel mediatè faciendæ, vt postea attingemus agendo de *Defectibus consequentiarum*, & inf. *q.7.art.2.*

Denique in Relatiuis sunt duæ Regulæ. *Prima*: In relatiuo reciproco non licet facere resolutionem ascensus, vel descensus, priusquam sub antecedente, quia supponit eadem suppositione, qua suum antecedens, vocaturque *Sigillata suppositio. Secunda*: Relatiuum non reciprocum non habet necessariam dependentiam in sua resolutione ab antecedenti, vt si dicas, *Omnis homo est animal, & illud est rationale*, potest sub ly *illud*, descendi, vel ascendi, antequam sub ly. *Omnis homo*, vel sub ly *animal*, sicut in termino posito in propositione distincta.

* * *

CAPVT IV.

De Syllogismo, eiusque Materia, & Forma.

SYllogismus definitur, quod est. *Oratio, in quâ quibusdam positis, & concessis, necesse est aliud euenire, eo quòd hæc posita sunt.* Sciendum est, quòd Syllogismus ad hoc tendit, vt ordinet discursum secundùm connexionem terminorum inter se; non verò sicut *Inductio* per resolutionem, & reductionem ad singularia, vnde oportet quòd respiciat extrema vnibilia inter se, & rationem, seu medium propter quod vniuntur; vnde ex medio applicato; seu vnito cum extremis, vnit & infert extrema esse vnita inter se, & hic est totus ordo, & progressus syllogismi, inferre, & deducere aliquam propositionem, in qua duo termini, seu extrema sint vnita ex alia propositione, vel propositionibus, in quibus explicatur medium, seu ratio ob quam possunt, & debent inter se vniri, & propterea dicitur in definitione, quòd est *Oratio, in qua quibusdam positis*, scilicet *Præmissis*, in quibus medium applicatur extremis, *necesse est aliud accidere*, id est, inferre conclusionem, in qua extrema coniungantur inter se, *eo quòd illa posita sunt* idest, ex vi, & positione præmissarum. Exemplum huius est in hoc syllogismo, *Omne corpus est substantia, omnis homo est corpus, ergo omnis homo est substantia.* Vbi vides tres propositiones; duas, quæ sunt præmissæ inferentes, tertiam, quæ est Conclusio, & in tertia vniuntur illa duo extrema *homo*, & *substantia*; in præmissis verò medium, ratione cuius vniuntur illa extrema, applicatur extremis, medium autem est ly *Corpus*, quod quia conuenit homini, & substantiæ, facit quòd homo, & substantia conueniant inter se.

Ex his ergo fit syllogismum constare materia, & forma, sicut quodlibet artificiale. Forma *est ipsa dispositio, & artificium ordinans, ac disponens materiam vt debitè possit inferre, & concludere.* Materia est duplex, alia proxima, alia remota. *Proxima* sunt propositiones ex quibus syllogimus construitur. *Remota* sunt termini, seu extrema, qui componunt propositionem, & in illa vltimatè resoluitur syllogimus. Et ideo terminus in hac parte syllogistica, definitur ab Aristot. quòd est *id, in quod resoluitur propositio tanquam in subiectum, & prædicatum.* Et definitur per resolutionem vt *D. Thom.* inquit *Opusc.* 48. *tract. de Syllogismo, cap.* 1. Quia scientia nostra, & iudicium, procedit resoluendo rem in suas causas, vnde terminus vt deseruit parti iudicatiuæ, seu resolutoriæ, definitur per resolutionem, non per compositionem. Et dicitur *tanquam in prædicatum, & subiectum*, quia *verbum*, non est *terminus* respectu syllogismi, sed vnio; terminus autem solùm dicitur illud, quod se habet vt extremum inferens, vel illatum, & sic per vnionem verbi componitur non solùm id, quod enuntiationis est ad veritatem, sed id quod connexionis quoad illationem: quare vnio, seu copula verbi non est id, in quod resoluitur, sed id, quod dissoluitur resoluto syllogismo.

Quare propositiones in syllogismo sunt solum tres, duæ pro præmissis, quæ sunt inferentes, vna pro conclusione, quæ est illata. Et prima præmissarum vocatur *Maior propositio*, secunda vocatur *Minor*, tertia, *Conclusio*, seu *Consequentia.* Similiter termini non

possunt esse, nisi tres, licèt multiplicentur in tribus propositionibus; duo ex illis sunt *Extremitates* quæ in conclusione vniendæ sunt; alter est *Medium*, quod in præmissis vnitur cum extremitatibus, sed non intrat conclusionem; infert enim illam. Et vna extremitas, vocatur *Maior*, altera *Minor*. Maior extremitas *est illa, quæ sumitur in Maiori, & ponitur in conclusione.* Minor extremitas *est, quæ sumitur in minori & ponitur in conclusione.* Medium *est terminus bis positus in præmissis; non verò in conclusione.* Et nomine *termini* non intelligimus solùm aliquid simplex, seu incomplexum, sed etiam complexum, dummodo vnius extremi, vel medij vice fungatur.

Forma autem syllogismi potest etiam dici duplex, correspondens huic duplici materiæ proximæ & remotæ; & quidem cùm forma syllogismi sit ordinatio, seu dispositio materiæ eius, illa dispositio, qua ordinatur materia remota, seu termini, dicitur *Figura*; illa autem, qua ordinatur materia proxima, scilicet propositiones, dicitur *Modus* Figura ergo in syllogismo *est. Dispositio terminorum secundum subiectionem, & prædicationem.* Modus *est ordinatio præmissarum, seu propositionum in debita quantitate, & qualitate.* Debita qualitas est, vt saltem aliqua præmissarum sit affirmatiua, & non omnes negatiuæ. Debita quantitas, vt saltem aliqua sit vniuersalis, & non omnes particulares. Figuræ sumuntur secundùm prædicationem, & subiectionem termini medij cum extremitatibus, & iuxta combinationem diuersæ prædicationis, & subiectionis resultant diuersæ Figuræ, vt *sequenti capite* dicemus.

CAPVT. V.

De Diuisione Syllogismi penes materiam, & formam.

Diuisio Syllogismi potest sumi, vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ. Ex parte materiæ; primò est illa diuisio, quæ ad libros Posteriorum pertinet, scilicet quòd syllogismus est quadruplex *Demonstratiuus*, *Probabilis*, *Sophisticus*, *Erroneus*. *Demonstratiuus* generat scientiam, constatque materia necessaria, *Probabilis* constat materia contingenti, & generat opinionem; *Erroneus* constat materia remota, & generat errorem; *Sophisticus* non seruat regulas rectas, sed fallaces, & generat deceptionem. *Secundò* diuiditur syllogismus in *communem & expositorium.* Communis est, *in quo ponitur pro medio terminus communis.* Expositorius est, *in quo ponitur pro medio terminus singularis.* Vnde ista diuisio tenet se ex parte materiæ, quia ex parte terminorum, potest etiam diuidi in Hypotheticum, & cathegoricum affirmatiuum & negatiuum ratione propositionum ex quibus constat.

Ex parte formæ diuiditur syllogismus primò per tres figuras. Et in qualibet figura sunt plures modi, scilicet, sexdecim, tam vtiles, quàm inutiles, perfecti, & imperfecti, sed reducuntur omnes ad nouemdecim vtiles, qui istis versibus continentur.

Prima. Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.
Figura. Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Secunda. Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti.
Tertia. Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Modus perfectus est, in quo saluantur perfectè principia regulatiua syllogismorum, quæ sunt *Dici de omni, & dici de nullo*, vt postea explicabitur. Modus imperfectus est, in quo ista principia non perfectè saluantur, ideoque reduci potest ad perfectum. Modus vtilis est, in quo saluantur regulæ necessariæ ad bonam consequentiam. Modus inutilis, in quo tales regulæ non saluantur. Modus directus, in quo directè concluditur, prædicando maiorem extremitatem de minori in conclusione. Modus indirectus, in quo è conuerso minor extremitas prædicatur de maiori extremitate in conclusione.

Dari autem tres figuras, & non plures constat, quia solùm possunt esse quatuor combinationes. Nam vel medium prædicatur in vtraque præmissa, vel in vtraque subiicitur; vel subiicitur in maiori, & prædicatur in minori, aut denique è conuerso prædicatur in maiori, & subiicitur in minori. Sed tamen est aduertendum, quòd ex istis quatuor combinationibus hæc vltima est concludens indirectè, & quia syllogismi concludentes indirectè reducuntur ad directos, ideò quarta figura, quæ per se & semper concludit indirectè, semper transpositis præmissis reducitur ad primam, & ideo tanquam non distincta ab illa, non numeratur seorsum. Dicitur autem syllogismus concludere *directè*, quando in conclusione prædicatur maior extremitas de minori extremitate: *indirectè* verò quando è conuerso, quia maior extremitas est superius extremum, & superiori directè conuenit prædicari, inferiori verò subiici. Vnde oportet ad hoc vt prædicetur in conclusione de minori extremitate, quòd prædicetur etiam in maiori de medio tanquam quid superius. Et ideo directa figura est, in qua medium subiicitur in maiori, & de illo maior extremitas prædicatur, & hæc est prima figura. Si verò medium prædicetur in maiori, & maior extremitas subiiciatur, concludetur indirectè; & ideò per transmutatoinem præmissarum debet reduci ad primam figuram, ideoque quarta figura non admittitur tanquam distincta essentialiter, cùm sola transpositione præmissarum differat, non quantitate, aut qualitate, terminorum, sed reducitur ad primam, quia figuræ non diuiduntur nisi per diuersum modum directum, & naturalem concludendi, non per indirectum, cùm hic ad directum pertineat, & reducatur, & sic restant tres figuræ distinctæ, *Prima*; In qua medium subiicitur in maiori, & prædicatur in minori. *Secunda* In: qua medium prædicatur in vtraque præmissa. *Tertia*: In qua medium in vtraque subiicitur. Exempla inferiùs apponemus numerando omnes modos figurarum.

CAPVT. VI.

Explicantur omnes tres Figuræ, & modi Syllogismorum.

Qvia *Figura*, vt dictum est, nihil aliud sunt quàm combinationes diuersæ, secundùm prædicationem

nem & ſubiectionem medij, & modi ſunt combinationes ſecundùm quantitatem & qualitatem propoſitionum, in vnaquaque figura poſſunt fieri ſexdecim combinationes modorum penes quantitatem, & qualitatem. Nam quantitas propoſitionum poteſt variari quatuor modis, aut enim vtraque præmiſſa eſt vniuerſalis, aut vtraque particularis, aut prima vniuerſalis, & ſecunda particularis, vel è conuerſo prima particularis, & ſecunda vniuerſalis. Similiter dico de qualitate, quòd vel vtraque præmiſſa eſt affirmatiua, vel vtraque negatiua, vel prima affirmatiua, & ſecunda negatiua, aut è conuerſo, prima negatiua, & ſecunda affirmatiua.

Exiſtente ergo quadruplici combinatione ex parte qualitatis, & ex parte quantitatis, poſſunt inter ſe quantitas, & qualitas miſceri ſexdecim modis, quia vnuſquiſque modus, & combinatio quantitatis admittit quatuor modos qualitatis, & è conuerſo, verbi gratiâ ſi vtraque præmiſſa eſt vniuerſalis, quæ eſt prima combinatio ex parte quantitatis, ex illa etiam poteſt dari quadruplex modus qualitatis, quia illa vtraque vniuerſalis, vel habet vtramque affirmatiuam, velvtramque negatiuam, vel habet primam affirmatiuam, & ſecundam negatiuam, aut è conuerſo. Et idem planè in qualibet alia combinatione fieri poteſt. Vnde cùm ſint quatuor ex parte quantitatis, & quatuor ex parte qualitatis, & quælibet ex illis quatuor modis, ex alijs affici poſſit, reſultant in vtraque figura ſexdecim modi penes diuerſam quantitatem, & qualitatem.

Sed quia non omnes modi ſunt inutiles, ideſt, bonæ, & legitimæ conſequentiæ ad diſcernendum in vnaquaque figura, qui ſunt vtiles, & qui inutiles, oportet videre regulas, quæ requiruntur ad bonitatem conſequentiæ in his ſyllogiſmis, & qui ſeruauerit omnes illas, erit modus vtilis, qui non ſeruauerit erit inutilis.

Regulæ igitur ad bonum ſyllogiſmum requiſitæ, quædam ſunt generales pro omnibus figuris, quædam ſpeciales, pro ſingulis. Regulæ communes ſunt quatuor. *Prima.* Ex puris particularibus, aut indefinitis nihil ſequitur. *Secunda*: Ex puris negatiuis nihil ſequitur. Ratio vtriuſque ſumitur ex illo generali principio, cui tota fabrica ſyllogiſtica innititur, vt infrà explicabitur. *Quæcunque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ideſt, ex eo quòd extrema vniantur in aliquo, vniuntur inter ſe; ergo oportet quòd ſaltem in aliqua præmiſſarum vniantur, & ſic non in vtraque diuidantur, vel negentur, & ſimiliter quòd illud tertium, in quo vniuntur, complectatur extrema, & diſtribuatur in illis, aliàs non dicentur de omni, vel de nullo; ergo oportet quòd ſaltem aliqua præmiſſarum habeat diſtributionem & affirmationē. *Tertia Regula eſt*; Quòd nullus terminus debet eſſe diſtributus in concluſione, qui non ſit diſtributus in præmiſſis; alioquin argueretur à non diſtributo ad diſtributum. *Quarta*: Quòd medium non debet intrare in concluſionem, vt dictum eſt. Et ſic omnis ſyllogiſmus qui infert concluſionem negatiuam eſt negatiuus, qui particularem, eſt particularis.

Ex his Regulis generalibus inferuntur aliæ quatuor particulares pro ſingulis figuris. *Prima eſt*: In prima figura in modis concludentibus directè, maior non poteſt eſſe particularis, & minor non poteſt eſſe negatiua *Ratio eſt*: Quia ſi maior eſt particularis, medium non diſtribuitur, eo quòd medium debet ſubijci in maiori, & prædicari in minori affirmatiua: Si autem minor eſt negatiua, inferet concluſionem negatiuam, in qua terminus aliquis diſtribueretur, qui in præmiſſa affirmatiua non diſtribueretur, vt ſi dicas, *Omnis homo eſt animal, nullus equus eſt homo, ergo nullus equus eſt animal*, ly *animal* diſtribuitur in concluſione, & non in præmiſſis. In modis tamen indirectè concludentibus poteſt maior eſſe particularis, quia illis non ſubijcitur medium: & minor poteſt eſſe negatiua, vt in *Fapeſmo*, & *Friſeſomorum*.

Secunda Regula pro ſecunda Figura: Si vtraque præmiſſa ſit affirmatiua, nihil concluditur. *Ratio eſt*: Quia cùm medium in ſecunda figura prædicetur in vtraque præmiſſa, ſi vtraque eſt affirmatiua, non diſtribuitur. *Tertia eſt pro eadem Figura*: Si maior eſt particularis, nihil ſequitur. *Ratio eſt*, Quia diſtribueretur tunc aliquis terminus in concluſione, qui non diſtribueretur in præmiſsis, vt ſi dicas, *Aliquod animal eſt homo, nullus equus eſt homo, ergo nullus equus eſt animal*, ly *animal* diſtribuitur in concluſione, non in præmiſsis.

Quarta Regula pro tertia Figura: Si minor ſit negatiua, nihil concluditur. *Ratio eſt*, Quia tunc maior debet eſſe affirmatiua, ac proinde prædicatum illius non diſtribuitur: diſtribuetur autem in concluſione, vt ſi dicas, *Omnis homo eſt animal, nullus homo eſt equus, ergo nullus equus eſt animal*, ly *animal* diſtribuitur in concluſione, & non in præmiſſis.

His regulis viſis, facilè poteris reiicere omnes modos inutiles in quacumque figura. Nam in prima figura ex ſexdecim combinationibus debent reiici omnes quatuor purè particulares, & omnes quatuor purè negatiuæ, ex duabus primis regulis generalibus. Debent ſecundò reijci omnes, qui habent maiorem particularem, & qui habent minorem negatiuam. Vnde tantùm reſtant quatuor modi, in quibus inuenitur, quòd vtraque præmiſſa ſit affirmatiua cum maiori vniuerſali, vel quòd altera ſit negatiua cum minore affirmatiua, & hi ſunt *Barbara. Celarent, Darij, Ferio*; nam literæ illæ vocales, vt diximus *lib. præced. cap. de Conuerſione*, ſignificant, *A.* vniuerſalem affirmatiuam *E* vniuerſalem negatiuam, *I.* particularem affirmatiuam, *O* particlarem negatiuam.

Nihilominus, quia vt diximus, illæ duæ regulæ particulares primæ figuræ ſolùm requiruntur ad concludendum directè, non indirectè, poterunt admitti in prima figura alij modi indirectè concludentes, in quibus aut maior ſit particularis, aut minor negatiua, dummodo concludant indirectè, ita quòd maior extremitas in concluſione non prædicetur de minori, ſed ſubiiciatur; & iſti ſunt quinque modi deſignati iſtis quinque dictionibus: *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.* In quibus omnibus ſeruatur indirecta concluſio, ſcilicet quòd minor extremitas prædicetur de maiori, ſed non in omnibus inuenitur, aut maior particularis, aut minor negatiua ſed poteſt inueniri. Exemplum ſyllogiſmi directè concludentis in prima figura: *Omne animal eſt viuens, Omnis homo eſt animal*; *ergo Omnis homo eſt viuens*. Exemplum indirectè concludentis in Celantes, v. g. *Nullus lapis eſt animal, Omne animal eſt ſenſitiuum, ergo Nullus lapis eſt ſenſitiuus.*

Similiter in ſecunda figura excluduntur duodecim combinationes ex ſexdecim, quæ fieri poſſunt; excluduntur enim octo per duas primas regulas generales, ſcilicet ex puris particularibus, & ex puris negatiuis. Item per ſecundam, & tertiam regulam, excluditur combinatio ex vtraque præmiſſa affirmatiua, vel ſi maior ſit particularis; & vtraque iſta combinatio fieri poteſt bis, ſcilicet vtraque affirmatiura cum prima præmiſſa particulari, & ſecunda vniuerſali, vel è contrà, & vtraque præmiſſa particularis, exiſtente prima præmiſſa affirmatiua, & ſecunda

cunda negatiua, vel è contra. Et sic remanent solùm quatuor modi vtiles, scilicet *Cesare, Camestres, Festino, Baroco.* Exemplum est in Cesare *Nullum animal est lapis, Omne marmor est lapis, ergo Nullum marmor est animal.*

Denique in tertia figura excluduntur decem combinationes, scilicet octo ex regulis generalibus. Ex quarta autem regula, si minor sit negatiua nihil concluditur; siue prima præmissarum sit particularis, & secunda vniuersalis, siue è conuerso, quod est excludere duas alias combinationes, & sic manent sex modi vtiles, scilicet *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison*, & sic omnes modi vtiles sunt nouemdecim, qui in versibus suprà dictis continentur.

Et obserua, quòd in hac tertia figura, primi duo modi, scilicet *Darapti, & Felapton*, cùm habeant vtramq; præmissarum vniuersalem, concludunt particularem, & non vniuersalē, quia si concluderent vniuersalem; argueretur à non distributo ad distributum contra tertiam regulā, vt patet in hoc syllogismo in *Darapti. Omne animal est sensibile, Omne animal est substantia, ergo omnis substantia est sensibilis*, vbi ly *substantia* distribuitur in conclusione, & non in præmissis.

CAPVT VII.

De reductione Syllogismorum imperfectorum ad perfectos.

COmmuniter assignatur duplex potestas syllogismorum, licèt *Arist. in 2. Prior.* sex assignauerit, sed nobis in præsenti sufficit duas præcipuas explicare. *Prima* est potestas concludendi plura. *Secunda* est potestas reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos. *Potestas concludendi plura*, nihil aliud est, quàm hoc ipso, quòd concluditur aliquod consequens, seu conclusio, posse etiam concludi id quod sequitur ad tale consequens; vt si concluditur vniuersalis affirmatiua, vel negatiua, potest etiam concludi particularis sub illa contenta. Et similiter potest concludere conuertentem suæ conclusionis, & æquipollentem, & vniuersaliter, quidquid sequitur ad talem conclusionem. Et hoc totum prærequiritur ad reductionem ostensiuam, vt statim dicemus.

Potestas reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos consistit in hoc, quòd illi syllogismi, in quibus non ita euidenter, & perfectè apparet *Dici de omni, & dici de nullo*, quæ sunt principia regulatiua syllogismi, vt *inf. dicemus cap.* 10. reducantur, & probentur per illos, in quibus, perfectè, & euidenter talia principia saluantur. Perfectissimi autem modi concludendi sunt illi primi quatuor primæ figuræ, scilicet, *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*: omnes enim conclusiones inferibiles, aut sunt vniuersales affirmatiuæ, aut vniuersales negatiuæ, aut particulares affirmatiuæ, aut particulares negatiuæ. Et vniuersalis affirmatiua perfectissimè infertur in *Barbara*, vniuersalis negatiua in *Celarent*, particularis affirmatiua in *Darij*, particularis negatiua in *Ferio*, vt *inf.* ostendemus *cap.* 10.

Omnes ergo alij modi indirectè, aut directè concludentes possunt ad istos quatuor reduci, & per illos probari. Et est duplex reductio, altera *Ostensiua* altera *per impossibile. Ostensiua* vtitur duplici principio, scilicet conuersione alicuius propositionis, & transmutatione, vt scilicet maior mutetur in minorem, vel contrà, quia hæc reductio solùm ostendit clariori modo posse disponi præmissas, vt sic euidentiùs ibi innotescat regulatio dici de omni, & de nullo, & totum hoc fundatur in illo suprà posito principio, *Quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad eius antecedens.*

Reductio per impossibile probat deducendo ad duas contradictorias simul veras, quod est impossibile, & ad hoc assumit contradictoriam propositionis negatæ, & adiuncta vna propositione concessa, infert contradictoriam alterius concessæ, & consequenter infert duo contradictoria simul vera. Et fundatur in illo principio, *In bona consequentia ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis.*

Et ista reductione per impossibile possunt reduci omnes modi imperfecti ad perfectos, quia in omni modo vtili, in quo negatur consequentia debet concedi contradictorium eius, quod negatur, ex qua contradictoria concessa, & altera præmissa concessa, sequitur contradictorium alterius præmissæ. Specialiter tamen duo modi dicuntur reduci per impossibile, scilicet *Baroco*, & *Bocardo*, quia alio modo reducibiles non sunt.

Vtriusque modi reducendi exempla subiicimus; v. g. volo reducere ad modum perfectum *Ferio*, modum imperfectum eiusdem primæ figuræ *Fapesmo*, facio syllogismum in *Fapesmo*, hoc modo: *Omne corpus est quantum; Nulla anima est corpus; ergo aliquod quantum non est anima*: Reduco ad *Ferio*, transmutando præmissas, id est ponendo maiorem pro minori, & minorem pro maiori, & conuerto per accidens propositionem affirmatiuam, & negatiuam simpliciter, & formo sic syllogismum, *Nullum corpus est anima; Aliquod quantum est corpus; ergo aliquod quantum non est anima.* Volo reducere *Darapti*, qui est primus modus tertiæ figuræ ad *Darij*, formo syllogismum in *Darapti*, sic: *Omne animal est substantia; Omne animal est sensibile, ergo aliquod sensibile est substantia*: Reduco ad *Darij*, conuertendo per accidens minorem, & dico, *Omne animal est substantia; Aliquod sensibile est animal, ergo aliquod sensibile est substantia.*

Similiter in reductione per impossibile pono exemplum in *Baroco*, qui est quartus modus secundę figurę, quem per impossibile reduco ad *Barbara*, & formo syllogismum in *Baroco* sic: *Omne animal est sensibile, aliquis lapis non est sensibilis; ergo aliquis lapis non est animal.* Si neges consequentiam, assumo contradictorium, & dico, Ergo contradictoria est vera scilicet, *Omnis lapis est animal*, qua concessa, assumo maiorem prioris syllogismi, quæ concessa fuerat, & hanc contradictoriam pro minori, & infero contradictoriam minoris concessæ, atque adeo cogo te concedere duas contradictorias in *Barbara* sic: *Omne animal est sensibile; Omnis lapis est animal; ergo Omnis lapis est sensibilis*, sed concesseras, quòd *Aliquis lapis non est sensibilis*, ergo duas contradictorias concedis.

Item volo per impossibile reducere *Bocardo*, qui est quintus modus tertiæ figuræ ad *Barbara*, formo syllogismum in *Bocardo: Aliqua virtus non est naturalis; Omnis virtus est habitus; ergo aliquis habitus, non est naturalis*; si concessa maiori & minori, negas consequentiam, sumo contradictorium negatæ, & dico, Ergo contradictoria est vera, scilicet *omnis habitus est naturalis*, & sumo pro maiori hanc propositionem, retenta minori concessa, & formo in *Barbara* syllogismum inferentem contradictorium maioris sic: *Omnis habitus est naturalis, omnis virtus est habitus, ergo omnis virtus est naturalis*, quæ est contradictoria illius maioris, *Aliqua virtus non est naturalis.*

Vt autem facilè possis memoriæ mandare, qui modi reducantur ad alios, & quomodo, aduerte artificium, quo facti sunt illi versus suprà positi, *Barbara Celarent, &c.* nam primi quatuor incipiunt ab illis primis

primis litteris consonantibus *B.C.D.F.* & omnes alij modi, siue in prima, siue in secunda, siue in tertia figura, incipiũt ab aliqua ex dictis litteris ad hoc significandum, vt quilibet modus ostensiuè reducatur ad illum, qui incipit simili litera, & ita ad *Barbara* ostensiuè reducitur *Baralipton. Bocardo* autem, & *Baroco* non reducuntur ostensiuè ad *Barbara*, sed per impossibile, eo quòd oportet assumere contradictorium conclusionis, quæ est vniuersalis affirmatiua, vt ponatur in *Barbara*, & hoc est reducere per impossibile, scilicet assumendo contradictorium conclusionis. Ad *Celarent* reducitur ostensiuè *Celantes, Cesare, Camestres*. Ad *Darij* reducuntur ostensiuè *Dabitis, Darapti, Disamis, Datisi*. Ad *Ferio* reducitur *Fapesmo, Frisesso, Festino, Felapton, Ferison*. Atque ita ab illa littera, à qua incipit vnaquæque dictio, ad similem dictionem incipientem à simili littera, in vna ex quatuor primis modis reducenda est ostensiuè.

Inuenies etiam in istis dictionibus alias consonantes, quæ consultò positæ sunt, quia indicant, vel conuersionem propositionis, quæ facienda est, vel transmutationem præmissarum, & sunt istæ tres litteræ. *P.S.M.* Vbi inueneris literam S. significat, quòd illa propositio est conuertenda *simpliciter*; vbi inueneris litteram, *P.* quòd est conuertenda *per accidens*: vbi inueneris litteram M. quòd sunt *transmutandæ præmissæ*, v. g. in *Fapesmo*, inuenies post primum *A.* litteram *P.* significat, quòd affirmatiua vniuersalis est conuertenda per accidens. Post *E.* inuenies litteram S. & significat quòd vniuersalis negatiua est conuertenda simpliciter, & littera M. significat transmutandas esse præmissas, scilicet maior in minorem, & sic reducitur ostensiuè ad *Ferio*; quod facile etiam in reliquis poteris aduertere. Quando autem inueneris litteram *G.* in medio dictionis, significat illum modum non posse reduci ostensiuè, sed solùm per impossibile, quod solùm inuenitur in *Baroco*, & *Bocardo*.

Specialiter autem in Conuersione ostensiua de *Baralipton*, aduerte, quòd in illa infertur particularis affirmatiua indirecta, & habet litteram *P.* non circa aliquam præmissam, sed circa conclusionem, ad denotandum, quòd reducitur ad *Barbara* retinendo easdẽmet præmissas de *Baralipton*, & inferendo immediatè & directè cõclusionẽ de *Barbara*, quæ est vniuersalis affirmatiua, & quia hæc conuertitur per accidens, per bonam consequentiam, qui infert immedatè vniuersalem affirmatiuam in *Barbara*, inferre etiam potest, addita conuersione per accidens, particularem affirmatiuam indirectam, quæ erat conclusio in *Baralipton*, & sic *Baralipton*, non reducitur conuertendo, aut transmutando ipsum in *Barbara*, sed ex *Barbara*, per conuersionem per accidens conclusionis, quæ est vniuersalis affirmatiua, deducitur *Baralipton*; (verbi gratia) hic syllogismus est in *Baralipton. Omne animal est substantia, Omnis homo est animal, ergo aliqua substantia est homo*, reduco illud ad *Barbara*, probando quòd talis conclusio infertur mediatè ex *Barbara*, hoc modo. *Omne animal est substantia; Omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia*, & per conuersionem per accidens, *ergo aliqua substantia est homo*, quæ erat conclusio de *Baralipton*.

In reductione autem syllogismorum per impossibile, certum est omnes imperfectos, siuè primæ, siuè secundæ, siuè tertiæ figuræ reduci posse per impossibile ad quatuor primos, sed non similiter, sicut in reductione ostensiua reducitur quælibet dictio ad similem litteram initialem, ex primis quatuor modis, excepto in *Baroco*, & *Bocardo*, quæ reducuntur ad *Barbara*, sumendo contradictorium conclusionis illatæ, quæ est vniuersalis affirmatiua. Reliqui omnes modi, vt reducantur per impossibile, semper attendi debet ad conclusionem illatam: & sume contradictorium illius, & pone illam pro vna ex præmissis cum altera; & infer contradictorium, vel contrarium alterius præmissæ concessæ, sicque deducens ad vnum impossibile; quod est duas contradictorias, vel contrarias concedere.

Vt verò expeditè, & promptè id facias, nota, quòd in quinque modis imperfectis primæ figuræ, scilicet; *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesso*; sumi debet contradictorium conclusionis, & poni loco maioris, & maior concessa poni loco minoris, & inferre contrariam minoris concessæ. Excipe tamen *Celantes*, in qua contradictorium conclusionis, quia est particularis debet poni pro minori, & minor de *Celantes* poni pro maiori, & sic in *Darij*, inferre contradictorium maioris concessæ. In modis verò secundæ figuræ, si fiat aliquis syllogismus, & velis reducere per impossibile, sume contradictorium conclusionis, & pone illam pro minori, & simul cum maiori syllogismi, inferes contrariam, vel contradictoriam minoris concessæ. In modis verò tertiæ figuræ; assume contradictorium conclusionis, & pone loco maioris, & cum eadem minori inferes contradictorium, vel contrarium maioris concessæ.

Et licèt solæ istæ regulæ in ipso exercitio deducant ipsam reductionem cuiusque syllogismi per impossibile ad modum sibi correspondentem, ex quatuor perfectis; tamen inuentus est versus correspondens omnibus modis imperfectis, & habens quatuor illas vocales. *A.E.I.O.* quarum *A.* denotat reduci per impossibile ad *Barbara. E.* ad *Celarent. I.* ad *Darij. O.* ad *Ferio*. Versus est iste.

Febiferaxis, Obit terras, Ethramque quotanis.

Alij ponunt has literas hoc ordine, *Nesciebatis, Odiebam, Lætare, Romanis*, quæ ad idem reducuntur.

Febiferaxis habet quinque vocales, correspondentq; quinque modis primæ figuræ imperfectis; & prima vocalis *E.* donotat, quòd primus modus imperfectus; scilicet *Baral.* reducitur ad *Celarent*. Secunda vocalis *I.* quòd secundus modus *Celantes*, ad *Darij*. Tertia vocalis *E.* quòd tertius modus *Dabitis*, ad *Celarent*. Quarta vocalis *A.* quòd quartus modus *Fapesmo*; ad *Barbara*, & sic de aliis. *Obit terras* correspondet quatuor modis secundæ figuræ. *Ethramque quotanis*, sex modis tertiæ figuræ. Et prima vocalis *O.* dicit quòd primus modus secundæ figuræ reducitur ad *Ferio*. Secunda *I.* quòd secundus reducitur ad *Darij*, & sic de aliis.

CAPVT VIII.

De Syllogismo Expositorio.

SYllogismus *Expositorius dicitur ille, qui habet pro medio terminum singularem*: & dicitur expositorius; vt inquit *S. Thom. Opusc.* 47. quia est quædam sensibilis resolutio, quæ quasi rem sensibus exponit, vt si dicas, *Petrus est albus, Petrus est currens, ergo currens est album*. Et ideò ferè omnes syllogismi expositorij fiunt in tertia figura, quia in ea medium subiicitur in vtraque præmissa, & terminus singularis conuenientiùs subiicitur, quàm prædicatur. Potest tamen etiam fieri in aliis figuris. Quia verò aliæ extremitates sunt termini communes, & non singulares, in illis seruari debent omnes conditiones, quę seruantur in aliis syllogismis, & euitari defectus, qui possunt inueniri. Cęterum cùm ipsum medium non sit termnius communis, sed singularis, nec destribui potest, nec vniuersalizari, sed potiùs perfectè debet

singularizari. Vnde si perfectè, & completè non sit singularizatus, erit vitiosus syllogismus. Quod maximè obseruandum est pro terminis diuinis, in quibus ille terminus *Deus*, *& Essentia diuina*, & alij, qui pertinent ad absoluta, ita sunt singulares, quòd æquiualenter sunt communes, quia re ipsa communicatur pluribus personis; vnde non sunt apti ad syllogismũ expositorium, sicut non valet, *Hic Deus est Pater, hic Deus est Filius: ergo Filius est Pater*, quia medium non perfectè singularizatur. Vnde vtendum est illo tanquam termino communi, & consequenter si opponitur pro medio, debet perfectè distribui, dicendo. *Omne, quod est Deus, est Pater, Omne, quod est Deus, est Filius*, &c. sed sunt falsæ præmissæ.

Secundò requiritur quòd medium, quod est terminus singularis, accipiatur pro eodem indiuiduo alioquin committitur æquiuocatio medij, siue diuersa acceptio, aut arguitur in quatuor terminis, & sic non valet, *Hoc animal est equus* (demonstrando equum) *Hoc animal est homo* (demonstrando Petrum) *ergo homo est equus*, quia medium non accipitur pro eodem.

Tertiò cùm fiunt syllogismi expositorij in tertia figura, cauendum est ne minor sit negatiua, iuxta Regulas tertiæ figuræ, ratione cuius non valet *Petrus est homo, Petrus non est Paulus; ergo Paulus non est homo*; sed è conuerso valet, *Petrus non est Paulus, Petrus est homo, ergo aliquis homo non est Paulus*, in *Ferison*.

CAPVT IX.

De Modo inueniendi Medium.

OLim valde difficile iudicabatur inuentionem medij perfectè, & clarè cognoscere, hoc est inuenire, & assumere conueniens medium ad inferendam conclusionem. Nunc facili negotio res ista deducitur, non vt Quidam putant solùm assignantes pro medio, id, quod est causa, & ratio, cur prædicatum conueniat subiecto, vel vt Alij loquuntur, pro concludenda affirmatiua conclusione assumere pro medio, id cum quo res illæ identificantur, & pro concludenda negatiua, id cùm quo vnum extremum identificatur, & aliud secernitur. Nam hoc est, quod inquirimus, Quid sit illud, in quo extrema identificantur, vel vnum eorum secernitur; & quid est illud, quod est ratio & causa, vt prædicatum conueniat subiecto? De hoc potest videri breue Opusculum *S. Th.* quod est 50 inter eius Opuscula.

Est ergo aduertendum, quòd omnis conclusio inferenda, vel est vniuersalis affirmatiua, vel vniuersalis negatiua, aut particularis affirmatiua, aut particularis negatiua. Cùm autem terminus, qui assumitur pro medio, debeat communicari, & vniri extremis, vel ab aliquo illorum disiungi, ad hoc vt ipsa extrema vniantur, vel disiungantur; extrema autem vnibilia inter se, sunt subiectum & prædicatum in conclusione, oportet pro medio vnitiuo, aut diuisiuo vtriusque sumere vel aliquid quod sit prædicatum superius, vel inferius, vel æquale, vel repugnans, seu extraneum. Et Antiqui vocabant prædicatum superius, vel æquale, *terminum consequentem*, eo quòd consequitur ad aliud, sicut ex homine infertur Animal, quod est superius, & Risibile, quod est æquale, vtrumque enim in illo continetur. Prædicatum autem inferius, vocabant *terminum antecedentem*, eo quòd inferat, sed non inferatur ex superiori, ex Animali enim non sequitur Homo, sed è conuerso. Prædicatum autem repugnans vocabant *terminum extraneum*.

Igitur ad inferendam vniuersalem affirmatiuam, quæ solùm concluditur in *Barbara*, assumitur pro medio aliquis terminus consequens ad subiectum, siue superius prædicatum sit, siue æquale, antecedens autem, siue inferius ad prædicatum, sicut si vis probare omnem hominem esse animal, sumes pro medio *Risibile*, quod sequitur ad hominem, & est inferius, seu antecedit animal, *Omne Risibile est animal; Omnis homo est Risibilis: ergo omnis homo est animal.* Ad inferendam verò vniuersalem negatiuam, sumes pro medio illum terminum, qui sequitur ad subiectum, & repugnat prædicato, idque in *Celarent*, qui est secundus modus primæ figuræ, & in *Cesare*, qui est primus modus secundæ. In *Camestres* autem, vbi minor est negatiua, debet è conuerso quæri medium, quod repugnet subiecto, & sequatur ad prædicatum, eo quòd debet remoueri à minori extremitate, & consequi ad maiorem, sicut ad concludendum, quòd *Nullus homo est lapis* in *Celarent*, & in *Cesare*, est bonum medium *Rationale*, seu *Risibile*, quod sequitur ad hominem, & repugnat lapidi; in *Camestres* autem *Insensibile*, quod conuenit lapidi, & repugnat homini.

Ad inferendam particularem affirmatiuam, si inferatur in prima figura, vt in *Darij*, conueniens medium erit terminus, qui sequitur ad subiectum, & antecedit prædicatum, vt ad inferẽdum, quòd *Aliquod Animal est substantia*, conueniens medium est *Sensibile*, quod infertur ex animali, & infert substantiam dicendo, *Omne sensibile est animal. Aliqua substantia est sensibilis; ergo aliqua substantia est animal.* Si verò inferatur in tertia figura (nam in secunda non infertur particularis affirmatiua) vt in *Darapti*, aut *Disamis*, conueniens medium erit ille terminus, qui antecedit, idest, quod est inferius ad prædicatum, & subiectum, eo quòd debet subiici in vtraque præmissa, vt ly *homo*, ad inferendum, quòd aliquod animal est substantia, eo quòd est animal, & est substantia.

Denique ad inferendam particularam negatiuam, quæ in omnibus tribus figuris concludi potest, si inferatur in prima figura assumitur pro medio ille terminus, qui sequitur ab subiectum, & repugnat prædicato, vt ad concludendum, quòd *Aliquod animal non est lapis*, sumo pro medio ly *homo* dicendo, *Nullus homo est lapis, Aliquod animal est homo*; vel si volo concludere, *Aliquod animal non est equus*, sumo *Rationale* quod est consequens ad aliquod animal, & repugnans equo, & dico, *Nullum rationale est equus, aliquod animal est rationale*, &c. Si verò inferatur particularis negatiua in secunda figura, in tertio quidem modo, qui est *Festino*, idem medium assumetur, quod in prima figura. In *Baroco*, autem assumetur medium, quod sit extraneum à subiecto, & consequens ad prædicatum, vt in prædicta conclusione, *Aliquod animal non est lapis*, sumetur pro medio, *Insensibile*, quod repugnat animali, & sequitur ad lapidem. Denique si infertur in tertia figura assumetur pro medio ille terminus, qui sit antecedens, idest, inferius ad subiectum & extraneus, seu repugnans prædicato, vt in prædicta conclusione *Rationale*, quod est inferius ad animal, & repugnat lapidi.

CAPVT X.

De Principiis, quibus innititur tota ars syllogizandi.

TOta ratio Artis syllogisticæ innititur tribus principiis per se notis. Primum est: *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* In hoc innititur vis probationis discursiuæ, cum enim discursus ad hoc ordinetur, vt inferat conclusionem, in qua coniungantur

gantur duo extrema in vi alicuius medij, per quod ostenditur illa coniunctio, oportet, quòd vniat aliqua inter se, eo quòd vniuntur in aliquo medio. Et opposito modo, si infert conclusionem negatiuam, in qua vnum negatur, & separatur ab alio, necesse est, quòd aliquod illorum negetur, & separetur ab vno tertio; quæ enim sunt eadem inter se, si vnum eorum distinguitur ab aliquo tertio, etiam & illud ab illo tertio distinguitur, & separatur. Et ideo ex negatione vnius cum aliquo tertio sequitur negatio eius, quod sibi identificatur, cum eodem tertio.

Et nota, quòd D. Tho. 1. *p. q.* 28. *art.* 3. explicat illud principium. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, si sint eadem vni tertio re, & ratione* quod non intelligitur, quasi nec re, nec ratione distinguantur, sed illud *Re & Ratione*, debet construi cum ly *vni tertio*, ita quòd sint eadem vni tertio, quod est vnum re & ratione, idest, *non virtualiter, aut formaliter multiplex*; quia sic potest esse idem cum vno extremo sub vna formalitate, & cum alio sub alia, atque adeò non sequitur, quòd illa extrema sint idem inter se. Imò hinc multi paralogismi eueniunt, quia medium non est perfectè, & simpliciter vnum, sed multiplex saltem virtualiter, aut formaliter, vnde ex vnione talis medij cum extremis, nisi sit sub eadem ratione formali, non infertur vnio extremorum inter se, sicut non sequitur: *Albedo est relatio, Albedo est intensa, ergo relatio est intensa*, quia alio modo identificatur cùm albedine relatio, alio modo intensio, vnde non sequitur, quòd identificentur inter se. Et in terminis diuinis non valet, *Pater est essentia diuina*; *Filius est essentia diuina*; *ergo Filius est Pater*, quia Essentia diuina in qua vniuntur, propter infinitam perfectionem, & est vna simplicissima res, & virtualiter multiplex, & sub diuerso conceptu modificatur à Personis; à qualibet inadæquatè.

Secundum principium est, *Dici de omni*; idest, quidquid vniuersaliter dicitur de subiecto, dicitur de omni quod sub tali subiecto continetur; sicut si affirmatur de homine vniuersaliter, quòd sit risibilis, debet affirmari de quocumque indiuiduo hominis. *Tertium* Principium est, *Dici de nullo*, idest, quidquid vniuersaliter negatur de aliquo subiecto, negatur & de omni contento sub tali subiecto, vt si negas de homine vniuersaliter quòd sit lapis, debes id negare de omni indiuiduo contento sub homine.

Et hæc principia sunt per se nota, quia natura vniuersalis in hoc consistit, quòd dicatur de omnibus, respectu quorum vniuersalis est. Et hæc principia non deseruiunt ad syllogismum expositorium qui constat medio singulari, sed ad syllogismum constantem medio communi, in quo oportet, quòd discursus procedat in vi alicuius termini distributi, quia si nullus distribuitur, arguitur ex puris particularibus, quæ est forma malæ consequentiæ, quia per particulares non redditur medium complectens, & continens perfectè ea, quæ inferenda, & vnienda sunt in conclusione. Posita autem distributione termini, cùm omne quod de illo dicitur, vel negatur, dicatur etiam, vel negetur de contento sub illo per talem distributionem, rectè concluditur de contento sub illo, id quod negabatur, vel affirmabatur de termino distributo in antecedenti. Et ideò ista duo principia deseruiunt ad constituendam necessitatem illationis, non arguendo ex puris particularibus, sed ex distributione,

Hinc autem fit, quòd illi syllogismi dicuntur perfecti, qui immediatè regulantur per ista duo principia, eo quòd euidenter ibi fit applicatio eorum quæ dicuntur, vel negantur vniuersaliter, ad ea quæ sub ipsis vniuersalibus continentur. At verò alij modi dicuntur imperfecti, qui non immediatè regulantur per ista principia, nec ibi ita euidenter fit dicta applicatio, sed regulantur mediatè, & ideo reducuntur ad illos modos perfectos, qui immediatè, & euidenter per se talibus principiis regulantur. Immediatè regulantur per ista principia quatuor modi primæ figuræ, quia in eis perfectè distribuitur medium in maiori, in qua stat vniuersaliter ex parte subiecti, & postea in minori prædicetur, hoc ipso euidenter ostenditur illud de quo prædicatur contineri sub sua vniuersalitate, & consequenter conuenire illi id, quod de tali medio vniuersaliter posito prædicabatur in maiori, vel negabatur, quod est immediatè manifestari dici de omni, & de nullo; quia immediatè, & per se ostenditur contineri, vel negari aliquid de tali subiecto vniuersaliter cōtentō; & hoc subiectum est medium. Quod non fit in aliis figuris vbi medium vtrobique prædicatur, vel subiicitur, nec in modis, quibus indirectè concluditur. Vide infr. *q.* 8. *art. vltimo*. Sed vt hæc omnia perspicaciùs intelligantur, & simul possint cognosci omnes defectus malæ consequentiæ, & syllogismorum, oportet agere de bonitate, & defectibus Consequentiarum, tam in communi, quàm in particulari.

CAPVT XI.

Quibus Principiis vniuersaliter innitatur Bonitas Consequentiæ?

IN Bonitate cuiuscumque Consequentiæ regulanda datur vnum vniuersalissimum principium, à quo cætera deriuantur, & ad quod reducuntur, scilicet: *Non potest in bona consequentia dari antecedens verum, & consequens falsum, sed si antecedens est verum, etiam & consequens.* Quod principium reducitur immediatè ad illud supremum omnium principiorum, *Quodlibet est, vel non est*, seu, *impossibile est idem simul esse & non esse*, nam si antecedens est verum, iam ita est sicut per illud significatur; si autem consequens est falsum, trahit post se antecedens, ratione connexionis quam habet veritas consequentis cum veritate antecedentis; idem est ergo ponere antecedens verum, & consequens falsum, ac ponere antecedens verum, & ex parte falsum, quia consequens est quasi pars quædam, & aliquid antecedentis, si quidem est aliquid connexum cum illo, & consequentia ipsa, connexio quædam est; quod autem ex parte est falsum, absolutè non est verum, ergo si datur antecedens verum, & consequens falsum, datur antecedens verum, & non verum, quæ sunt contradictoria.

In his ergo principiis fundatur bonitas consequentiæ, & ideo totus labor in assignandis consequentiarum defectibus, consistit in hoc, quòd detur antecedens verum, & consequens falsum, & sic ea quæ magis conducunt ad falsificandum consequens quàm antecedens, conducunt ad malam consequentiam, quæ autem faciliùs conducunt ad veritatem consequentis, quàm antecedentis, ædificant bonitatem consequentiæ. *Cuius ratio* est. Quia antecedens debet continere in se veritatem consequentis, siquidem ex illo infertur; vnde & Arist. dixit 1. Posterior. *Quòd præmissæ debent esse magis veræ, quàm conclusio*, idest, magis certæ; ergo plus debet requiri ad veritatem antecedentis, quàm consequentis, ergo semper antecedēs difficiliùs debet reddi verum quàm cōsequens, illud enim difficilius habetur, ad quod plura requiruntur.

Quare cum consequentia nihil aliud sit, quàm connexio illatiua ex aliquo in aliquid, & non be-

nè

nè connectatur veritas antecedentis cum falsitate illati, seu consequentis, redditur ipsa connexio, seu consequentia mala, quotiescumque antecedens est verum, & consequens falsum.

Ex hoc principio manifestantur plures Regulæ quas tradunt Dialectici circa bonitatem consequentiæ, & solent esse sex, quas ad tres reducimus. *Prima*: Si antecedens est verum, etiam & consequens; & è conuerso, si consequens est falsum, etiam antecedens. Hæc est ipsummet principium quod posuimus. *Secunda*: Si antecedens est possibile, etiam consequens est possibile, & è contrà, si consequens est impossibile, etiam antecedens. Deducitur hæc ex prima, Quia si antecedens est possibile, ergo potest esse verum; ergo etiam suum consequens poterit esse verum, nam si est impossibile quod sit verum, in nullo casu verum esse poterit, cùm autem antecedens sit possibile, in aliquo casu potest esse verum; ergo in aliquo casu daretur antecedens verum, & consequens falsum. *Tertia*: Si antecedens est necessarium, etiã consequens est necessariũ, & è contra, si consequens est cõtingens, etiam & antecedens, Quod ex eodem principio deducitur, quia si antecedens est necessarium semper est verum, atque adeo & consequens semper debet esse verum, aliàs posset dari antecedens verum, & consequens falsum pro aliquo casu. Vnde si consequens est contingens, quod potest esse falsum, antecedens non potest esse necessarium, quia necessarium semper est verum.

Intellige tamen ex necessario antecedenti inferri semper necessarium consequens, non tamen requiri quòd omnibus modis necessarium sit, sed sufficit quòd sub eo respectu, & ratione qua antecedenti subest consequens necessarium sit, & in quantùm infertur ex antecedenti, non tamen sub alia ratione, vt in illa consequentia, *Deus scit Petrum peccaturum, ergo peccabit*, consequens est contingens secundùm se, & per ordinem ad causam proximam, infallibile tamen vt scitum à Deo, & consequenter vt illatum ex antecedente, & hoc ideo, quia Deus non solùm scit Petrum peccaturum, sed peccaturum liberè, & contingenter, vnde ex illo antecedente, & infertur quòd contingenter peccabit, & quòd est infallibile totum hoc, scilicet quòd peccabit contingenter.

Denique sequuntur ex illo principio aliæ duæ Regulæ, quæ etiam ad bonitatem consequentiæ deseruiũt. *Prima*. Quidquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, sequitur ad antecedens illius, quod aliis verbis dici solet. Quod valet consequentia de primo ad vltimum, quod de se manifestum est. *Secunda*: Quidquid repugnat consequenti in bona consequentia, repugnat & antecedenti; quod aliis verbis dici solet. Si ex antecedẽte sequitur cõsequens in bona cõsequentia, ex opposito consequentis, sequitur oppositum antecedentis. *Ratio est*, Quia si ex opposito consequentis non sequitur oppositum antecedentis, ergo poterit stare oppositum consequentis cum isto antecedente, siquidem non infert antecedentis oppositum, sed oppositum consequentis est falsum, supposito, quòd ipsum consequens erat verum, idest, illatum ex antecedente vero, ergo poterit stare falsitas consequentis cum ipso antecedente; & sic dabitur antecedens verum, & consequens falsum. Et per hanc Regulam sæpissimè regulamur in ostendenda bonitate consequentiæ, procedendo à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis. Et in reductione syllogismorum per impossibile hac regula vtimur; & instantiæ, quæ deseruiunt ad ostendendum defectum vnius consequentiæ, deseruiunt & illi in qua procedimus ab opposito ad oppositum.

CAPVT XII.

De Principiis defectuum malæ consequentiæ.

EX præcedenti Cap. Colligitur vnicum esse principium, & radicem, vnde defectus, & malitia consequentiarum oritur, scilicet *Quotiescumque potest reddi antecedens verum, & consequens falsum, consequentia est mala.* Cùm enim consequentia sit connexio illatiua duarum propositionum, quotiescumque datur antecedens verum sine consequente vero, connexio non est bona, nec formalis, quia potest vnum stare sine altero, seu veritas vnius sine veritate alterius; si autem stat vnum sine altero, soluitur connexio, ergo illa mala connexio, & consequentia est, quia dissolubilis. Vnde sequitur, quod quidquid facilitat magis veritatem antecedentis, quàm consequentis, conducit ad malam consequentiam, quia efficit vt possit stare antecedens verum sine consequenti. Et è conuerso, quod difficilius reddit consequens falsum quàm antecedens, conducit, seu ædificat bonitatem consequentiæ.

Ex his Principiis elici possunt omnes defectus consequentiarum, vt vnicuique consequentiæ possit assignari quo defectu laboret. Et quidem Magister *Soto in 5. lib. Summularum*, assignat septem defectus intrinsecos, & totidem extrinsecos in syllogismis. Vocat intrinsecos defectus, illos qui tenent se ex parte medij, qui defectus dicuntur *intrinseci*, quia reddunt præmissas inhabiles; extrinsecos autem, qui tenent se ex parte extremitatum in modo inferendi conclusiones, quia non seruant proprietates logicales, vel debitam dispositionem in quantitate, & qualitate, distributione, &c. Et ferè omnes defectus intrinseci reducuntur ad hoc, quòd medium vel teneatur æquiuocè, vel non distribuatur completè, seu perfectè, vel non seruentur conditiones, & regulæ suprà positæ, vt medium non stet magis amplè vbi non distribuitur, quam vbi distribuitur; ac denique defectus extrinseci, quòd non seruentur in extremis omnes proprietates logicales. Qui defectus in particulari ostendentur *capit. sequent.*

CAPVT XIII.

De Defectibus in particulari.

VT ergo assignari possint defectus in consequentiis; Nota, quòd cum Consequentia sit solùm duplex, scilicet Inductio, & Syllogismus, vel possunt assignari defectus proprij vnicuique eorum, vel communes. Proprij sunt, quando omittitur aliqua regula ex traditis, & requisitis ad bonam inductionem, vel bonum syllogismum. Communes sunt quando est aliquis defectus in aliqua proprietate Logicali, sicut est *suppositio, restrictio, ampliatio, appellatio, oppositio, conuersio*; sunt enim istæ proprietates communes inductioni, & syllogismo, Breuiter ergo subiiciemus hic defectus omnes, siuè proprios, siuè communes, licèt sparsim ferè omnes tradiderimus in præcedentibus.

CIRCA INDVCTIONEM

In Inductione committitur defectus: *Primò*: Si ascensus copulatiuus affirmatiuus fiat non numeratis sufficienter singularibus, non est consequentia formalis, quia potest instari in his, quæ numerata non sunt, nisi sit materia necessaria, quod est materialiter

rialiter solùm esse bonam consequentiam, de quo vide inf. *q.8.art.2.*

Secundò Descensus copulatiuus affirmatiuus, sine constantia demonstrante indiuidua sub quibus descenditur, non est formalis consequentia, vt si dicas: *Omnis homo fuit peccator, ergo iste homo fuit peccator* v.g. *Petrus, & ille homo fuit peccator,* &c. Sed debes addere, *& iste homo* v. g. *Petrus est vel fuit,* quod est ponere constantiam, *ergo Petrus fuit peccator,* alioquin si designes indiuiduum nondum existens, sed futurum, instatur consequentia.

Tertiò Defectus possunt contingere si omittantur regulæ suprapositæ de Ascensu, & Descensu in *Cap. 3. huius libri,* scilicet si termino supponenti determinatè non detur ascensus, descensusque disiunctiuus; termino verò supponenti distributiuè, copulatiuus; supponenti confusè, tantùm disiunctus, aut copulatus. Item si termino non supponenti distributiuè completè, detur descensus, & ascensus copulatiuus completè, si enim incompletè distribuit, incompletè etiam debet descendi, vt *Omne animal fuit in arca Noë,* vbi ly *Omne* sumitur pro speciebus, non pro indiuiduis, non valet, ergo hoc animal, & illud, demonstrando indiuidua, sed demonstrando species.

Quartò est defectus circa ipsum ordinem resoluendi terminos, quando plures concurrunt in eadem propositione, si non resoluantur iuxta ordinem suum, & non omnes æquè immediatè. Ordo ergo resolutionis, seu ascendendi per viam inductionis, vt diximus in *Cap. de Inductione,* talis est, vt primò ascendatur sub termino supponēte determinatè secundò sub termino supponēte distributiuè; tertiò sub termino supponēte confusè. Quòd si priùs ascendatur sub termino supponente distributiuè, quàm supponente determinatè, est defectus qui vocatur *à pluribus determinatus ad vnicam:* verbi gratia, si facias hunc ascensum, *Homo non est hoc rationale, & homo non est hoc rationale, &c. ergo homo non est rationalis,* consequentia non valet, quia terminus ille, *Homo,* determinatè supponit respectu plurium singularium, quæ sunt plura determinata (omnia quippe singularia determinata sunt) in consequenti autem non supponit in ordine ad plura determinata, sed ad vnicum in communi. Qui defectus in Theologia aliquando contingit, vt cum dicitur, *Homo potest facere hoc opus bonum, & potest facere illud, &c. Ergo potest facere omne opus bonum.* Cæterum si omnes termini in aliqua propositione supponãt determinatè, vel distributiuè poterit æquè immediatè quilibet eorum resolui.

Quintò est defectus in descensu: Si prius descendatur disiunctiuè sub termino supponente confusè tantùm quàm sub termino supponente distributiuè, vt non valet. *Omnis homo est animal; ergo omnis homo est hoc animal, vel omnis homo est hoc animal.* Et vocatur iste defectus, arguere *ab vnica distributione ad plures,* eo quòd descenditur sub termino non distributo, perinde ac si esset distributus.

Hic verò insinuabat se difficultas illarum propositionum, quæ constant ex complexo recti & obliqui, vt *Equus hominis currit,* vel *Hominis equus non currit,* & genitiuus se habet, vt determinatio, rectus vt determinabile, eo quòd genitiuus quasi restringit rectum ad standum pro equo possesso, & multa sophismata fiunt circa ordinem resoluendi istos terminos, minúsque vtilia, de quibus aliquid attingemus inf. *q. 7. art. 2. argum. 5.* Hoc solùm interim breuiter aduertentes, faciliorem resolutionem esse, quam *Magister Bañez ponit lib. 4. Summul. tract. 1. c. 3.* Quòd quando totum complexum accipitur *vnica acceptione,* scilicet, quando genitiuus, qui est determinatio, sequitur post determinabile, vtrique termino debetur eadem resolutio, & suppositio, quia illud genitiuum æquiualet adiectiuo, idem enim est dicere, *Equus hominis,* ac dicere, *equus possessus ab homine,* & ideo supponit, ac resoluitur sicut complexum ex substantiuo, & adiectiuo, quia eadem suppositione tenetur, sicut enim si dicatur *Equus albus currit,* ly *albus* supponit sicut ly *equus* ita si dicatur *equus possessus,* vel *equus hominis* ly *possessus,* & ly *hominis* supponit sicut ly *equus.* Vnde si dicas *Quilibet equus hominis currit,* immediatè potest descendi sub ly *hominis* dicendo quilibet equus istius hominis (scilicet possidentis) currit, dummodo apponatur, vel intelligatur constantia, *& iste homo possidet equum,* quia non distribuit pro omni absolutè, sed pro omni possidente equum, sicut neque *quilibet equus* ibidem distribuit absolutè; sed pro omni possesso Quare ly *hominis* non supponit ibi cõfusè, sed distributiuè pro possidentibus.

Si verò totum complexum accipitur pluribus acceptionibus, quia genitiuum præcedit, tunc cuilibet termino debetur seorsum sua resolutio, iuxta suam suppositionem, & signa, quibus afficitur, vt suppositioni determinatæ detur prior locus, deinde distributiuæ, deinde confusæ. Quis verò terminus supponat determinatè, quis distributiuè, ex Regulis in *Cap. de Suppositione* dignosces.

CIRCA SYLLOGISMVM.

Primus defectus in syllogismis est, si arguatur in quatuor terminis, eo quòd tota ars syllogistica consistit in connexione duorum terminorum inter se, illata ex connexione cum vno tertio, vnde nec debent esse plura extrema quàm duo, nec plura media quàm vnum; & sic non valet, *Omnis homo possibiliter est albus, Æthiops est homo, ergo Æthiops est albus,* quia medium non est solùm ly *homo* sed ly *possibiliter.* Et ad hoc reducitur, quòd extremitates debent esse totalia extrema, nam si totalia non sunt, arguitur in pluribus terminis, quàm tribus.

Secundus defectus: Medium non debet teneri æquiuocè. sed eodem modo in præmissis, alioquin non posset vnire extrema inter se, vt non valet, *Omnis canis est latrans, aliquod sydus est canis, ergo aliquod sydus est latrans.*

Tertius defectus: Ex puris particularibus nihil sequitur. Exposuimus id suprà.

Quartus: Ex puris negatiuis nihil sequitur. Etiam suprà expositum est.

Quintus: Si medium non completè distribuitur in aliqua præmissarum, vnde non valet, *Omne animal fuit in arca Noë* (ly animal pro speciebus distributo) *Socrates est animal, ergo Socrates fuit in arca Noë.*

Sextus: Nullus terminus debet distribui in conclusione, qui non fuit distributus in aliqua præmissarum. Suprà hoc expositum est, & coincidit cum defectu arguendi à non distributo ad distributum. Et ad hoc pertinent etiam defectus ex parte ampliationis, aut restrictionis, vt medium non accipiatur magis amplè, vbi non distribuitur, quàm vbi distribuitur.

Septimus defectus: Si Medium intret conclusionem: Alioquin valerent syllogismi omnes, in quibus variatur appellatio, v.g. si dicas: *Omnis homo est creatura, Christus est homo, ergo Christus est creatura, in quantum homo: Omnis similitudo est qualitas, hæc qualitas est intensa, ergo hæc similitudo est intensa, in quantùm qualitas.*

Octauus defectus, si non seruentur particulares Regulæ pro figuris syllogismorum suprà positæ, vt quòd in prima figura maior propositio non possit esse particularis, & aliæ quæ ibi explicatæ sunt.

DEFECTVS COMMVNES.

Defectus omni consequentiæ, siue syllogisticæ, siue inductiuæ communes, dicuntur illi qui oriuntur ex defectu alicuius proprietatis logicalis, puta suppositionis, ampliationis, &c.

In suppositione *Primus defectus est*: Si varietur in aliqua consequentia genus suppositionis. Et dico *Genus*, quia species variari potest, vt si ex distributiua suppositione, inferatur determinata, seu particularis. Sed genus suppositionis non potest variari, v.g. quòd mutetur suppositio simplex in personalem, vel materialis in personalem, &c. Et propter hunc defectum non valet ista consequentia, *Homo est species, Petrus est homo, ergo Petrus est species, Homo est vox, omnis homo est animal, ergo aliquod animal est vox.*

Secundus defectus est. A suppositione non distributa ad distributam, non valet consequentia; bene tamen è contra, sicut non valet, *Aliquis homo currit, ergo omnis homo currit.*

Tertius defectus est: A suppositione confusa tantùm, non distributa, ad determinatam, non valet consequentia; benè tamen è contra, à determinata ad confusam, sicut non valet *Omnis homo est animal, ergo aliquod animal omnis homo est*, bene tamen è contra.

In Ampliatione & Restrictione, quæ est secunda proprietas logicalis, inueniuntur regulæ ampliationis, ex quibus constant & defectus consequentiarum. Igitur quando procedimus ab amplo ad non amplum si procedatur sine distributione ampli, non valet consequentia. *Secundo est defectus*, si procedimus ab amplo ad non amplum affirmatiuè, etiamsi procedatur cum distributione ampli, si proceditur sine constantia, vt si dicas, *Omnis homo est albus*, non poterit immediatè inferri, *ergo Petrus est albus*, nisi addas constantiam, *& Petrus est*, alioqui in Petro non existente, falsò infertur. Et aduertenter dicimus, *cum distributione ampli*, quia si amplum non distribuitur, etiam posita constantia, non valebit, vt *Homo possibiliter est albus*, seu *Omnis homo possibiliter est albus, & Petrus est, ergo Petrus est albus*, quia ly *possibiliter* ampliat quidem, sed non distribuit ad minus ampla, nisi sub ipsa ratione possibilitatis, & ita deberet inferri; ergo *Petrus possibiliter est albus*; alioquin arguitur affirmatiuè à potentia ad actum Cuius signum est, quia si ponatur, ly *impossibiliter*, aut *necessariò*, quia sunt modi distribuentes bene valet, *homo impossibiliter est albus, ergo Petrus non est albus.*

Tertiò est defectus. Si procedimus à non amplo ad amplum cum distributione ampli; est enim arguere à non distributo ad distributum, qui semper est defectus. Ad quem defectum etiam reducitur defectus procedendi ab vniuersalitate incompleta ad completam, vel à particularitate completa ad incompletam, vbi semper arguitur à non distributo ad distributum, saltem æquiualenter. Vocamus *Vniuersalitatem incompletam*, quando non distribuitur perfectè, *Completam*, quando perfectè. E conuersò autem *particularitatem completam*, quando perfectè particularizatur, ita quòd nihil manet de vniuersalitate, *Incompletam*, quando non perfectè particularizatur; sed retinet aliquam vniuersalitatem v. g. *Aliquod animal non fuit in arca Noë*, est particularitas incompleta, idest, *alicuius speciei nullum animal fuit*; *Neuter homo currit*, idest *alicuius binarij nullus*, vbi semper iungitur particularitati aliqua vniuersalitas.

In Appellatione, quæ est alia proprietas logicalis, omnes defectus reducuntur ad vnum: Quoties variatur appellatio consequentia non valet, siue sit appellatio realis, siue rationis, siue circa terminos significantes actum animæ, vt non valet, *Petrus est magnus logicus, ergo est magnus*; *Homo est species, ergo Petrus, qui est homo, est species. Albedo est intensa, ergo similitudo, quæ est albedo, est intensa: Cognosco venientem, ergo cognosco Petrum, qui est veniens*, quia actus animæ semper feruntur in sua obiecta sub præcisa formalitate, qua tales actus sunt. Vnde non valet, *Venientem video, ergo video venientem*; *Papam vidi, ergo vidi Papam*, nec è contra, nisi vtrobique sub eadem appellatione, idest, sub eadem ratione cognoscendi sumatur *in quantùm veniens*, & *in quantum Papa*, non sub alia, alioquin multis deceptionibus datur locus, variando rationes formales cognoscendi. Et qui dicunt valere ab appellante ad non appellantem in his terminis significantibus actus animæ, non propterea dicunt valere mutata appellatione, sed valere à formali ad materiale, vt tamen stat sub formali, & sic est verum.

In Oppositionibus est *Prima Regula*: In Contradictoriis præsupposita veritate vnius sequitur falsitas alterius, & è contra.

Secunda Regula in Contrariis: A veritate vnius sequitur falsitas alterius, sed è contra est mala consequentia, à falsitate vnius ad veritatem alterius, quia possunt ambæ esse falsæ, non simul veræ.

Tertia Regula in Subcontrariis. A falsitate vnius sequitur veritas alterius, sed è contra est mala consequentia, quia possunt esse simul veræ.

In Æquipollentiis non est defectus, sed semper est bona consequētia ab æquipollente ad æquipollentem.

In Conuersione est *Prima Regula*: A conuersa ad conuertentem semper est bona consequentia; vt *Omnis homo est animal, ergo Aliquod animal est homo.*

Secunda Regula. Non est bona mutua consequentia conuersionis, nisi in conuersionibus simplicibus; non autem in conuersionibus per accidens Dicitur *Mutua consequentia*, quando valet non solùm à conuersa ad conuertentem, sed etiam è contra, à conuertente ad conuersam, sicut non valet, *Aliquod album est homo, ergo Omnis homo est albus*, quæ est à conuertente ad conuersam in conuersione per accidens vniuersalis affirmatiuæ, sed è contrà valet.

In Exponibilibus, seu Resolubilibus est *Prima Regula*: Ab exponibili ad omnes exponentes, vel à resolubili ad omnes resoluentes, & è contrà, bona est consequentia, quia est ab æquipollentibus.

Secunda: Ab Exponibili, vel Resolubili ad quamlibet exponentem copulatiuè est bona consequentia, sed è contra est defectus, à qualibet exponente ad resolubilem, quia prima est à copulatiua ad partem, secunda à parte ad copulatiuam.

Tertia est. A qualibet exponente disiunctiuè ad suam exponibilem est bona consequentia, sed è contra non valet. Constat ex Regula disiunctiuarum. Vide quæ diximus *Cap. de Exponibilibus, & Hypotheticis*, de singulis locis arguendi. (§ § §).

CAPVT XIV.

De Fallaciis.

S. Thom. Opusculum edidit de Fallaciis, quod est 39. & ferè omnia quæ ad Fallacias pertinent, explicata sunt tangendo defectus syllogismorum, Fallaciæ enim defectus sunt consequentiæ.

Quare solùm indicabimus hìc quomodo Fallaciæ reducantur ad illos defectus. Quædam ergo Fallaciæ pertinent ad vocem, quædam ad rem significatam. Fallaciæ ex parte vocis, reducuntur ad æquiuocationem, quia ista fallacia generatur ex apparentia eiusdem vocis, vel quia eadem vox plura significat, vel

quia vna vox est similis alteri, siue in prolatione, vel denique quia ipsa orationis compositio est cum æquiuocatione,& amphybologia, sicut accidit in his quæ applicantur secundum sensum compositum, & diuisum,quæ est vna ex fallacijs dictionis.

Omnes Fallacias, quæ ex parte dictionis se tenent ad æquiuocationem reducimus,& sunt sex modi fallaciarum quorum tres inueniuntur in terminis simplicibus,scilicet *Æquiuocatio,diuersitas accentus,figura dictionis. Æquiuocatio*, vt si ex hoc termino *Canis*, inferam,quod id quod conuenit animali conuenit syderi. *Diuersitas accentus*, vt si sumatur pro eodem *pendere*, breuiter dictum,*& pendére* longum,*populus* pro arbore, producta prima vocali, vel pro gente, vocali illa correpta. *Figura dictionis*, est similitudo vocis, vel significationis cum alia voce, vt si vox quæ significat masculum, videatur significare fœminam, vt si dicas, *substantia colorata albedine est alba; ergo vir, qui est substantia colorata albedine est alba*; vel si vox significans quale, v g. differentiam, mutetur in quid, hoc est in speciem, aut quale quid significans essentiam in hoc aliquid, totum hoc pertinet ad figuram dictionis. Ex parte verò orationis inuenitur etiam æquiuocatio in tribus modis, scilicet in Amphibologia; quæ dubiam reddit acceptionem orationis; in compositione, & in diuisione, quando scilicet mutatur sensus compositus in diuisum, vel è contra, & quando oratio est falsa in sensu composito,dicitur fallacia compositionis;quando verò in sensu diuiso est falsa,dicitur fallacia diuisionis.

At verò Fallacia non ex parte dictionis, sed ex parte rei significatæ, reducentur ad alios defectus supra assignatos, & sunt septem fallaciæ huius generis, scilicet *fallacia accidentis, fallacia à secumdum quid ad simpliciter: fallacia secundùm ignorantiam elenchi: fallacia petitionis principij: fallacia consequentis;fallacia secundum non causam, vt causam: fallacia secundum plures interrogationes,vt vnam.*

Fallacia accidentis, est fere eadem atque mutatio appellationis, prouenit enim fallacia accidentis, ex eo quod aliquid significatur, vt conueniens duobus, quæ sunt per accidens vnum, & sic vnitas per accidens cum diuersitate in re,est causa huius fallaciæ;quod totum est diuersitas appellationis, vel ad illam reducitur,siue ad diuersam acceptionem medij, vt *cognosco venientem, Petrus est veniens,ergo cognosco Petrum.*

Fallacia à secundum quid ad simpliciter, reducitur ad illam quæ est à non distributo ad distributum, siue à non amplo ad amplum sine constantia, cum distributione ampli, vt si dicas, *Æthiops est albus secundum dentes;ergo est albus simpliciter.*

Fallacia secundum ignorantiam elenchi, reducitur ad defectum oppositionis, quia apparent aliqua opposita, & non sunt, quia non seruantur leges oppositionis, vt si dicas, *Domus est clausa in nocte,& non est clausa in die;ergo est clausa, & non clausa.*

Fallacia petitionis principij est, quando id supponitur, vel assumitur, quod debebat probari, vt si velis probare quod *Socrates est Pater Platonis* assumas pro medio,quod *Plato est filius Socratis.*

Fallacia consequentis oritur ex defectu illius regulæ, quidquid sequitur ad consequens alicuius bonæ consequentiæ,sequitur ad eius antecedẽs;ex eo enim quod existimamus aliquid esse consequens,& habere connexionem cum alio illud inferimus ex illo antecedente, cum tamen in re non habeat conuenientiam, & proptetea fallacia consequentis habet magnam affinitatem cum fallacia accidentis, vt si dicas, *Si aliquis est fur errat de nocte,sed tu erras de nocte, ergo tu es fur*;vel ab opposito consequentis,*Omne quod generatur habet principium,sed anima non generatur,ergo non habet principiũ.*

Fallacia à secundum non causam, vt causam, est quando accipitur pro medio id, quod vere non est medium, nec causa vniendi prædicatum subiecto, & tamen videtur esse causa, vt si dicas, *Mors est corruptio,ergo vita est generatio, ergo viuere est generari*, quia mors, & vita sunt contraria, non enim hæc est bona causa, quia non sunt contraria sed priuatiua.

Fallacia secundum plures interrogationes vt vnam, est deceptio proueniens ex eo, quod vnica interrogatione plura interrogantur, quæ diuersam exigunt responsionem, & ideo vnica responsione non potest satisfieri,sed est distinguendum, vt si dicas. *Æthiops estne homo albus? Mel & fel sunt dulcia? Homo & equus sunt animal rationale?* Si enim vnica responsione affirmatiuè respondeas,infertur contra te, dicendo, *Æthiops est homo albus, ergo est albus*, si verò negatiue respondeas, infertur, *ergo non est homo*, & ideo debet distingui interrogatio quod est homo, sed non albus.

FINIS TEXTVS.

ILLVSTRATIONES PRÆCEDENTIS TEXTVS.

QVÆSTIO PRIMA DE TERMINO.

ARTICVLVS PRIMVS
Vtrùm Recto Ordine doctrinæ incipiat Dialectica à Termino.

SVpponit Titulus in omni doctrina dari ordinem id est, in omni scientia tractante materias suas scientificè,nec à casu, nec pro libito incipere debere ab ista,vel ab illa,sic enim pariet confusionem,non claritatem, quæ maximè pendet ab ordine tractandi. Ordo autem Artis,seu scientiæ est sicut ordo naturæ, incipiunt enim ab imperfectiori, & faciliori,&consummãtur,seu terminantur in perfectiori.Et ideo à communioribus, idest quæ ad plura pertinent, & à simplicioribus, & notioribus quoad nos incipit doctrina, sicut & natura. Quæ verò sunt notoria non quoad nos,sed secũdum se propter magnam perfectionem,&dicuntur notoria naturæ, idest, nobilioris & cognoscibilioris naturæ vt Deus, & res spirituales, licet

licèt non facilioris, ab his non incipit cognitio in executione. De quo vide in Phyſ. q. 1.

Dico ergo primò Ad Logicam per ſe pertinet dirigere omnes tres operationes intellectus,quæ ſunt *ſimplex apprehenſio, Compoſitio, & Diſcurſus*. De ſecunda & tertia operatione nullus dubitat; de prima Aliqui. Sed deducitur clare ex Ariſt. & D Th. q. 1. Poſter. lect. 1. ita inquit: *Vna actio intellectus eſt Intelligentia indiuiſibilium, ſiue incomplexorum, ſecundum quod concipit quid eſt res, & ad hanc operationem ordinatur doctrina, quam tradit Ariſt. in lib. Prædic.* Nec minus aperte idem affirmat *Sanct. D. in 1. Periherm. lect. 1.* vbi ordinem librorum *Ariſt. in Logica*, penes iſtas tres operationes intellectus diſtribuit.

Dices S. Thom. non docere quòd prima apprehenſio abſolutè per ſe pertinet ad Logicam, ſed per accidens, & ratione alterius, ſcilicet iudicij. ſic enim id quod eſt primum in apprehenſione ſimplici, poſtea eſt partiale obiectum iudicij, & ſub illo primo ſtatu non pertinet ad Logicam, ſed ſub ſecundo. *Sed contra eſt*. Primò; quia D. Thom. eodem tenore, & modo loquitur de vna operatione, quam de alia, nec magis facit tractatum dirigentem per accidens primam operationem quam ſecundam. Deinde ex fundamento noſtræ concluſiònis. Quia per ſe eſt dirigibilis etiam prima operatio & fundat ſuas intentiones ſcilicet relationes ſuperioris, & inferioris, vniuerſalis, & particularis in Prædicabilibus; & coordinationes prædicamentorum, in quibus diſtinguimus confuſionem rerum in ſuas claſſes, quod totum indiget aliqua arte, & directione, in quantum iſta omnia ordinatè, & diſtinctè, & diſponuntur, & tollitur confuſio ſub qua primum res apprehenduntur; & hoc ſpectat ad primam operationem, non ad complexionem & orationem, cum potius complexa excludantur à Prædicamentis & tantùm ſimplicia ibi ponantur, vt in Logica in Anteprædicamentis dicetur, nec poteſt hoc ab alia Arte dirigi, quam à Logica, ergo, &c.

Dico ſecundo: Inter ipſas operationes, recto ordine doctrinæ incipit Logica à directione primæ operationis. *Conſtat ex dictis*. Et ſecundo; Quia ordo artis debet proportionari, & conformari ordini naturæ; ars enim imitatur naturam, naturaliter autem intellectus procedit de prima operatione in ſecundam in cognoſcendo, ergo etiam ars Logicæ procedere debet à prima operatione in ſecundam dirigendo.

Dico vltimo. Intra ipſam primam operationem, conuenientiſſimè incipitur in linea, & ordine tractandi prioriſticam reſolutionem Logicæ, à termino, ſeu ſimplici dictione, non abſolutè, ſed vt eſt pars enuntiationis, & vt ad illam componendam dicit habitudinem. Hæc concluſio pendet ex dicendis articulo ſequenti. Interim colligitur aperte ex D. Thoma 1. Periherm. lect. 1. vbi dicit Tripliciter poſſe conſiderari terminos, ſeu ſimplices dictiones, vel ſecundum quod abſolutè ſignificant ſimplices intellectus, & ſic pertinent ad librum Prædicamentorum, vel *ſecundum rationem prout ſunt partes enuntiationis, & ſic determinatur de eis in hoc libro & ideo traduntur ſub ratione Nominis, & Verbi de quorum ratione eſt quod ſignificent aliquid cum tempore, vel ſine tempore, & alia huiuſmodi, quæ pertinent ad rationem dictionum ſecundum quod conſtituunt enunciationem*; vel tandem ſecundum quod ex eis cōſtituitur ordo ſyllogiſticus, & ſic pertinent ad libros Priorum; ergo ſecundum *S. Thomam* Terminus, ſeu dictio ſimplex ad primam operationem pertinet, vt eſt pars enunciationis, & vt ad illam componendam ordinatur. Ergo ſi à directione primæ operationis rectè incipimus (vt probatum eſt) à termino in communi incipere debemus, vt dicit rationem partis compoſitiuæ.

Probatur ratione. In ſummulis tractamus de his, quæ ſpectant formam logicalem, ſeu reſolutionem prioriſticam, in Logica autem de his, quæ pertinent ad materiam, & reſolutionem poſterioriſticam, quia prior eſt in qualibet Arte forma, quam materia, & ideo *Ariſtotel.* vocauit *libros Priorum* eos in quibus tractauit de forma Syllogiſmi, *Poſteriorum* vbi de materia; ergo tractare debemus in præſenti de *Termino*, aut ſimplici dictione vt pertinet ad partem prioriſticam, & vt reſpicit fabricam, & conſtructionem enunciationis, & ſyllogiſmi; ergo de *Termino* ſub reſpectu ad ea quæ conſtruit, vel in quæ conſtructum reſoluitur, ergo de *Termino* priùs vt reſpicit enunciationem, quam ſyllogiſmum, quia enunciatio ſyllogiſmum præcedit, cum ſit pars eius. Licet enim abſoluta conſideratio alicuius rei, præcedere ſoleat reſpectiuam; in ordine tamen ad aliquem ſpecialem tractatum, vel finem, poteſt reſpectiua conſideratio abſolutam præcedere. Ergo conuenienter incipimus à Termino ſecundum officium, ſeu reſpectum conficiendi enunciationem, acturi deinceps de illo ſub reſpectu extremi ſyllogiſtici.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

ADuerſus primam Concluſ. oppones. Simplex apprehenſio non eſt capax artificij logicalis, nec modi ſciendi; ergo logica nullum ius, nec directionem habet in eam. *Antec prob.* Simplex apprehenſio ideo vocatur *Simplex*, quia nihil habet de artificio; & tam naturaliter fertur in obiectum ſibi propoſitum ſicut ſenſus externus, ſicut enim viſus v. g. propoſito ſibi *colore* illum videt abſque artificio, aut directione aliqua, neque errare poteſt in eo videndo; ſic prima operatio, propoſitio ſibi *Homine* v. g. aut quolibet alio obiecto ſimplici, illum cōcipit abſque indigētia artis, & ſine periculo erroris; ergo nullo modo pertinet ad Dialecticum illam dirigere.

Reſpond. Diſting. Antec. Non eſt capax artificij logicalis per modum compoſitionis, & diuiſionis *conced. antec.* per modum diſtinctionis, & coordinationis, *neg. anteced.* eſt enim duprex artificium, duplex modus ſciendi, & duplex error, vel compoſitiuus, aut diuiſiuus, qui conſiſtit in attribuendo vnum alteri, vel diuidendo vnum ab altero; huius non eſt capax prima operatio, cum ſit ſimplex apprehnſio omnem compoſitionem excludens, vel eſt artificium, aut modus ſciendi diſtinctiuus, & coordinatiuus, ſicut diſtinguimus inter gradus ſuperiores, & inferiores, inter intentionem generis, & ſpeciei: inter commune, & particulare, concretum, & abſtractum, & hoc artificio indiget prima operatio, cum enim in ea multa ſoleant inuolute, & confuſè apprehendi, illa euoluere, coordinare, & diſtinguere ſecundum diuerſas intentiones artificium eſt ad modum ſciendi requiſitum, ſcilicet ad definitionem, & diuiſionem, quæ penes intenſionem generis, & differentiæ ſolent fieri, &c. Emendare autem errores ſimplicis apprehenſionis ex parte naturæ, ſeu rei apprehēſæ, pertinebit ad Metaphyſicum, ex parte verò formæ, & ſecundæ intentionis, v. g. ex parte generis & differentiæ, ex parte cōcreti, & abſtracti, & ſimiliū, pertinebat ad Logicum.

Secundò Arguit. Terminis vt à Nobis traditur nec eſt ſimplicior, aut imperfectior, nec notior quoad nos; ergo ab illo non eſt incipiendum. *Prob. min. quoad 2. partem.* Terminus eſt adhuc reſolubilis in alia ſimpliciora, & imperfectoria, ex quibus conſtat, ſcilicet in ſignificationem, & vocem, & ſyllabas; ergo prius agendum eſſet de ſigno, de ſyllabis, & voce, quam de termino. *Quoad 2. part. prob.* Oratio, & propoſitio eſt notior termino; ergo terminus non

non est notior quoad nos, *Antec. prob.* Propositio est totum respectu termini, qui est pars ipsius, ergo propositio est notior termino, notitiâ confusâ saltem, quia hac notitia Totum est notius parte, vt dicitur in 1. *Physic.* Item. Terminus definitur per propositionem, est enim Terminus pars propositionis; ergo etiam notitiâ distinctâ propositio est notior termino; *Conseq. patet.* Quia definiens notificat, & manifestat definitum; ergo debet esse manifestior, & notior illo; si enim prius non cognoscamus propositionem, quomodo per illam definiemus Terminum? Quod confirmat *Aristot.* in. 1. Prior. cap. 1. prius definiens Propositionem, deinde Terminum; ergo à propositione prius incipi debet, quàm à Termino.

Respond. Neg. Antec. Ad probat. Disting. Antec. Terminus est resolubilis in alia, de quibus agere pertinet ad Logicum; *neg. antec.* quæ præsupponit tractata ab aliis artibus, vel scientiis, *conced. antec.* ergo non est simplicior simplicitate absoluta *cõcedo.* simplicitate logicali, seu pertinente ad Logicam, *nego.* Vox enim, significatio, & syllabæ, quæ sunt elementa compositiua Termini, ad Dialecticum non spectant, de voce enim agit Physicus; de syllabis Grammaticus; de signis ad placitum quoad institutionem Respublica, quoad communicationem hominum Politica. Si quid vero agit Logicus de signo; aut est mutuatum ab aliis scientiis; vel agit de illo vt est fundamentum secundæ intentionis, termini, orationis, &c. Itaque resolutio logicalis propriè sistit in termino, vt constructiuo propositionis, & syllogismi, vlterior verò resolutio termini, scilicet in vocem, & significationem, & similia, non est perscrutationis Logicæ, Sicut Statuarius sistit in ligno ex quo facit statuam, licet lignum, & æs resoluantur in materiam, & formam, non ab arte, sed à natura.

Ad probat. secundæ partis, Disting. antec. Propositio est notior termino notitia confusa; *conc. antec.* notitia distincta, & scientifica *neg. anteced.* ergo incipiendum est à propositione, & non à termino, *nego conseq.* Quia nos incipimus ordine scientifico, & notitia distincta, quæ supponit cognitionem confusam totius. Ex quo patet ad *secund. probat.* vt enim definiamus partem per habitudinem ad totum, tanquam ad terminum extrinsecum, seu terminum per habitudinem ad propositionem, sufficit cognoscere ipsum totum, seu propositionem confusè, non vero scientifice, & distinctè. *Et cum vrgetur.* Quod definiens debet esse notius definito: *Disting. eodem modo* notius notitia simplici, & confusa *concedo*; distincta, & scientifica, *nego.* Quando enim color definitur per ordinem ad visum, non oportet prius definitè, & scientifice cognoscere visum, sed sufficit quod confusè cognoscatur. Quæ doctrina præcipue est vera in rebus, quæ definiuntur per ordinem ad aliquid extrinsecum (quæ appellantur in 7. *Methap. Definitiones per Additamentum*) ordo enim ad illud est intrinsecus rei, quæ definitur, non illud extrinsecum ad quod est talis ordo, & sic non requiritur perfecta, & distincta cognitio talis extrinseci. Vno itaque verbo Dico, quod quando aliquid definitur sufficit quod sua definientia sint notiora *quoad an est*, *non quoad quid est.*

Ad Confirm. ex Arist. Respond. Retorquendo eam contra Arguentem Si enim Phylosophus acturus de syllogismo, prius attigit materiam eius proximam, & remotam, quæ sunt propositiones, & termini, in quem tanquam in vltimum resoluitur syllogimus; ergo quando via compositionis procedimus, & ordine scientifico, & distincto, à Termino debemus incipere, licet supponatur notitia syllogismi, & propositionis *quoad an est*, siue confusa.

Vltimò arguitur. Omnis scientia incipit ab vniuersalibus, ergo Logica non à termino, sed ab illo, in quo conuenit terminus, & propositio in genere Logico, scilicet ab intentione secunda in communi, deberet incipere, & hoc etiam conuenit modo, quo incipit Philosophus in Physicis; incipit enim ab *Ente Mobili* in communi; deinde singulas partes explicat in libris de *Cœlo*, de *Generatione*, & *Anima*, &c. Ergo similiter Logica deberet incipere ab Ente Logico, idest, à secunda intentione, deinde ad partes eius descendere.

Confirmatur: Quia ipse *Modus sciendi* secundum se est facilior ad cognoscendum, quam terminus, quia ipse modus sciendi facilitat, & parat viam ad sciendum, cum sit instrumentum sciendi: ergo prius debebat agi de *Modo sciendi* tanquam de faciliori, seu facilitante scientiam; deinde de obiectis scibilibus in particulari, scilicet termino, oratione, &c.

Respond. Disting. Antec. omnis scientia incipit ab vniuersalibus siue in prædicando, siue in componendo, aut causando *conc. antec.* Ab vniuersalibus in prædicando solum *neg. antec.* Terminus autem est vniuersalissimum quid in componendo, componit enim omnia instrumenta Logicalia, Orationem, Propositionem, syllogismum, ipsum etiam Modum sciendi, &c. Non semper autem est necesse incipere ab vniuersali in prædicando, vt quando specialem difficultatem non habet provt concipitur in communi, sed vt explicatur per suas partes. Sicut Modus sciendi in communi non habet aliam difficultatem, quam quæ explicatur per suas partes. *Et ad illud de ordine seruato à Philosopho in Physicis*; Dicimus, idem obseruari in Logica, quia sicut Physicus agit prius de Ente mobili tanquam de obiecto in communi, & in isto communi incipit scientificè à principiis, & elementis, quibus constituitur ens mobile, scilicet à Materia, & Forma, ita Logica agit de modo sciendi, vel forma logicali (quæ est secunda intentio) non communi, tanquam de obiecto, sed tamen incipit scientificè à primo elemento, & simpliciori eius constitutiuo, quod est Terminus.

Ad Confir. Respond. Quod modus sciendi vt scientificè, & distinctè cognoscendus & definiendus, tanquam res cognoscenda *vt quod*, non est facilior cognitu, quàm Terminus, si quidem Terminus est pars illius, & à cognitione partium incipit distincta, & scientifica cognitio compositi; Modus autem sciendi vt conditio, seu vt instrumentum cognoscendi in exercitio, & *vt quo*, est facilior termino & parat viam ad illum; sicut & ad omnia obiecta, quæ scientificè cognosci debent. Sed ad hoc non est necesse prius cognosci ipsum modum sciendi quidditatiuè, & scientificè, sed notitia quadam imperfecta, & confusa, vt totum respectu partiũ. In summa, doctrina quæ incipit à Termino sciẽtificè, incipit etiam cognoscere scientificè ipsũ modum sciendi, & propositionem, & syllogismum, quia scientifica istorum cognitio, incipit à cognitione distincta partium, & prima pars illorum Terminus est.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sit bona Definitio Termini Enuntiatiui, & in quo eius formalitas consistat.

IN Cõtrouersiis, quæ de definitionibus rerũ agitãtur, ferè omnia tandem reducuntur ad quæstionem, de nomine, quia cum definitio sit principium, quo vtitur aliqua scientia ad cognoscendas naturas rerum, earũque passiones, non habet alia priora principia, ex quibus discerni possit, nisi tãtum nomina, & diuersũ, modũ concipiendi eandẽ rem: quod fortasse maximè cõtingit in his quæ de definitione Termini solẽt agitari.

Igitur vt clarius procedamus, distinguimus terminum *Enuntiatiuum*, & terminum *Syllogisticum*, fundati in illa doctrina *Diu. Thom.* præcedenti articulo relata *in 1. Periherm. lectione* 1. Quod simplices dictiones habent triplicem considerationem, & secundum quod pertinent ad Prædicamenta, & secundum quod sunt partes enuntiationis, & secundum, quod ex eis constituitur syllogismus, tanquam ex extremitatibus. Et quia de Prædicamentis in præsenti non agimus, consideramus & definimus Terminum secundum duas vltimas acceptiones, & secundum primam vocamus *Terminum enuntiatiuum*, vt dicit ordinem ad enuntiationem, & sic agimus in hoc articulo; & secundum vltimam, vocamus illum *Terminum syllogisticum*, & sic agemus de illo sequenti articulo.

In definiendo ergo Terminum mirum est, quam variant Auctores. Quidam satis ample etiam ad voces non significatiuas extendunt rationem termini, dummodo in propositione, extrema esse possint: Alij quamcumque dictionem simplicem significatiuam, non curando quod possit esse extremum propositionis: Alij exigunt ad rationem termini vtramque formalitatem, scilicet quod sit signum, siue vox significatiua, tanquam genus, & quod sit pars, vel constitutiuum propositonis, tanquam differentia. Alij tertiam formalitatem addunt magis adhuc restringentem, scilicet, quòd terminus sit pars propositionis non quomodolibet, sed pars principalis, quæ est extremum, & ita definiunt Terminum, quòd sit *Extremum propositionis*. Denique Alij quartam addunt formalitatem, scilicet, quod non solùm sit signum, nec solùm pars etiam vt extrêmum (ista enim omnia supponit) sed tandem quod sit actuale extremum resolutionis syllogisticæ, ita quod quando fit resolutio syllogismi, & propositionis, tunc habeat essentialem, & vltimam differentiam termini, quia in illum resoluitur propositio; dicit autem Philosophus Terminum esse, *In quem propositio resoluitur.* Addunt tamen quod Terminus ita constat ex significatione, & ratione partis, vt ex formalitatibus prærequisitis, & præcedentibus, quod illæ non verificantur essentialiter de ipso termino sed de *Substituto*, seu subiecto Termini.

Dico primò. De essentiali ratione Termini Logicalis seu artificialis est, quod sit significatiuus significatione ad placitum, si sit vocalis, vel scriptus, non si sit conceptus. Conclusio est communis Dialecticorum, qui sequuntur *Aristotelem*, vniuersa instrumenta Logica, Syllogismum, Orationem, Nomen, verbum, &c. definientem per voces significatiuas, Sequitur *S. Thom. 1. Periherm. lect.* 1. agens de definitione Nominis, & *lectione 6. in fine* agens de difinitione Orationis, & excludit voces naturaliter significantes (licet oppositum senserit *Plato in Cratillo*) eo quod Oratio, & partes eius non sunt res naturales, sed quidam artificiales effectus, vnde debent significare artificialiter, seu ad placitum, sicut omnia artificialia causantur ex humana voluntate, & ratione; voces autem significationis expertes solum naturaliter repræsentant, non ad placitum, vnde per se non pertinent ad coustruendam orationem

Ex quo sumitur Ratio pro conclusione. Quia vox non significatiua, vt *Blitiri*, nihil potest menti repræsentare, quod indigeat directione artis, & ad ratiocinandum conferat: ergo per se non pertinet ad Logicale instrumentum; *patet. conseq.* Quia omne instrumentum Logicale ad aliquam rationis directionem, & artificium deseruire debet siquidem formalis ratio Logicæ (vt dictum est) est respicere directionem rationis ad hoc, vt sine errore procedat intellectus. An verò per accidens possit vox nõ significatiua assumi à Logica ad componendã Orationem, dicemus in Argumẽtis.

Quod verò *Terminus* debeat significare *ad placitum*, & non *naturaliter*, probatur *Primò*. Quia in præsenti definitur *Terminus in communi*, vt comprehendit omnem partem Orationis, etiam *copulam*, seu *verbum* (hoc enim intelligimus nomine *Termini*) Sed nulla vox naturaliter repræsentat copulam aliarum (si negas, assigna eam) ergo saltem ex parte copulæ indiget *Terminus* significatione *ad placitum. Tunc vltra.* Copula significat *ad placitum*? Ergo non potest per se vnire extrema repræsentantia *naturaliter*; Quomodo enim Verbum *est* vniet duos visus, vel duos gemitus. Ergò vt detur artificium Logicale necessario requiritur significatio ad placitum tam in Verbo quam in extremis Verbo vnitis, & consequenter in *Termino*, qui est quid commune ad omnia illa. Si enim scriptura non significatiua, verbi gratia linea calamo tracta logicè non componit; ergo neque vox non significatiua componet.

Dico secundo. Vltima formalitas *Termini enunciatiui*, est quod sit pars enunciationis, *ex quo simplex conficitur propositio*, non solum vt prædicatum, & subiectum, sed secundum rationem magis communem, comprehendentem *Verbum*, & alias partes, vt Pronominu, Aduerbia, præpositiones, & similia. Hæc conclusio est communis inter Thomistas, *Petri Hispani, Soto, Bañes*, & Aliorum. Probatur primo Authoritate *Aristotet. & D. Thom. 1. Periherm. cap. de Enunciatione*, vbi docens *Philosophus* Quomodo *Nomen*, & *Verbum* excludatur ab *Oratione*, inquit. *Nomen ergo, & Verbum Dictio sit sola, quoniam non est dicere sic aliquid significantem voce enunciare*, Quæ verba exponens *Thom. ibi lect.* 8. §. *Excludit ab vntate*, inquit. *Nomen ergo, & Verbum dictio sit sola, itia dictio, quod non Enunciatio; & videtur ex modo loquendi quod ipse imposuerit hoc nomen* Dictio, *ad significandum partes enuntiationis.* Ergo Nomini, & Verbo commune nomen imposuit *Philosophus*, scilicet quod sint *Dictio* sola: & hoc nomen imposuit (ait Sanctus Thomas) *ad significandum partes enunciationis.* Ergo *Dictio* seu *Terminus* secundum *Arist. & D. Thom.* significat rationem partis enunciationis in qua conueniunt Secundum *Nomen*, & *Verbum*, illisque communem, & secundum quam pertinent ad præsens institutum, vt expresè asserit S. Doct. 1. Periher. lect. 1. dicens, Quod considerantur *Simplices Dictiones prout sunt partes enunciationis, & sic determinatur de eis in hoc libro, &c.* Ergo optimè definitur *Terminus*, seu *Dictio* per hoc quod sit pars enunciationis, seu *Id ex quo simplex conficitur propositio*, quia si Logicus considerat *Terminum vt est pars*, eum definire debet in communi per hoc quod sit pars. Et hæc est formalitas constitutiua illius, quia omni alia formalitate seclusa intelligitur manere *Terminum*, seu *Dictionem*, si maneat concipiatur in ratione partis enunciationis.

Et si Inquiras; Vtrum ista consideratio *Partis* includat omnes partes enunciationis; an solum principaliores: *Respond.* Quod *Terminus*, seu *Dictio* potest sumi dupliciter, aut generali, ampla, & *communi acceptione*; aut *restricta*, vel magis determinata. *Primo modo* comprehendit *Terminus* omne genus partium eo modo quo partes sunt, etiam *Aduerbia*, *Pronomina*, & *alia syncathegoremata* quæ magis sunt colligationes partium Orationis, quam Orationis partes sicut Claui, & alia huiusmodi non sunt partes Nauis, sed partium Nauis coniunctiones, absolutè tamen, seu communiter Partes nauis appellantur quæcumque eam componunt, quomodocumque componant. Si verò *Terminus* secundo modo, & stricta significatione sumatur, solum com-

ſolum comprehendit principales Orationis partes, quæ ſunt *Nomen*, & *Verbum*, ad quas aliæ reducuntur, ſub *Nominibus* enim comprehenduntur *Pronomina*, ſub *Verbo Participium*. Aduerte tamen quod licet Verbum copulet extrema propoſitionis, quaſi *vnio*, & *Ligamentum*, Syncathegoremata autem dicantur *colligationes partium*, aliter tamen, & aliter; nam Verbum colligat ſignificando aliquid per modum actionis, & motus, poteſtque habere rationem prædicati in propoſitione, vt cum dico *Petrus currit*; *Petrus eſt*: Syncathegoremata autem ſunt colligationes ſignificando aliqualiter, & non aliquid, vnde nequeunt habere rationem prædicati, & ſubiecti per ſe loquendo, ſicuti *Verbum*, & *Nomen*, quæ *partes principales* Orationis appellantur, & ideo ſolas illas *Ariſtot.* pertractauit (vt ait S. *Thomas loco citato*, cuius tota eſt hæc doctrina) quia de ſimplici oratione determinare intendebat, quæ de neceſsitate *Nomen*, & *verbum* expoſcit.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimo *Arguitur contra* 1. *Concl.* Blitiri eſt terminus; & non eſt vox ſignificatiua; ergo malè difinitur Terminus per hoc. *Prob. Mai.* Competit ei vltima, & eſſentialis differentia termini, ſcilicet eſſe partem ſimplicis propoſitionis, eſt enim pars iſtius *Blitiri non eſt ſcindapſus*; *Blitiri eſt Tryſyllabum:* Supponit etiam in propoſitione ſuppoſitione materiali. Ergo eſt Terminus.

Reſpond. Neg. ant. Ad probat. *Diſting. antec.* eſt pars, vel componit propoſitionem *Materialiter* Conced. ant. *Fomaliter* & ſignificatiuè, *Neg. ant.* Terminus enim, & reliqua inſtrumenta logicaria dupliciter accipi poſſunt, vel *obiectiuè* pro ipſis rebus ſignificatis (& hoc eſt *Materialiter*) vel *Formaliter* pro ipſis ſignis, quibus vtimur, eo quod res ad ſcholas adducere non poſſumus (& hoc eſt *ſignificatiuè*) Quando ergò propoſitio, vel oratio, fit ex vocibus non ſignificatiuis, vox illa ſtat *materialiter pro ſe*, ſicut in ſuppoſitione materiali, vt cum dico *Homo eſt nomen: Homo eſt vox*, tunc enim illæ voces ſtant pro ſe, quia repræſentant ſe ipſas ſenſui; vnde non indigent ſignificatione, ſed repræſentatione ſui (tunc enim rem adduximus in ſcholas) quæ ſupplet vicem ſignificationis, ſignificatio enim non eſt ſui, ſed alterius, eſt namque ſignum *Quod aliquid aliud à ſe repræſentat*, non ſe. Quare per ſe loquendo ad artificioſam compoſitionem Logicæ requiritur ſignificatio: per accidens autem poteſt vti repræſentatione, quando non format orationem de rebus ſignificatis, ſed de ipſis vocibus. (vt in Argumento) & tunc voces *materialiter* componunt, non formaliter.

Contra Oratio compoſita ex *Blitiri* eſt formaliter oratio; ergo Blitiri formaliter componit eam *Patet conſeq.* quia Totum quod eſt formaliter totum, petit partes quæ ſint formaliter partes. *Antec. prob.* Illa eſt formaliter Oratio, quæ ſenſum Orationis generat in mente Audientis, talis eſt hæc *Blitiri non eſt ſcindapſus.* Ergo. Quinimo *Ariſtot.* ſuas Demonſtrationes ex ſolis litteris *A. B. C.* efformauit, quæ nihil ſignificant tanquam *Dictio*, ſeu *Terminus*. Et ad Orationem non omnes partes ſignificatiuas poſtulauit, ſed aliquam, dicens Orationem eſſe *Cuius partium aliquid ſignificat ſeparatim.* Ergo voces non ſignificatiuæ *formaliter* componunt Orationem, & Syllogiſmum; & iſta non omnes partes ſignificatiuas expoſcunt.

Reſpond. ad. 1. *probat.* *Primo* conſequenter ad dicta. Quod formalitas Orationis, cum ſit Totum, conſiſtit compoſitione, & ita vt ſit formalis. Oratio ſufficit quod formaliter detur compoſitio, licèt non per ſignificationem extremorum facta, ſed per repræſentationem ſuppleta. Datur autem per Verbum *eſt*, ratione cuius ipſa compoſitio Orationis formaliter ſignificatur, & ſic eſt Oratio formaliter formalitate compoſitionis, quæ deſumitur à Verbo, non formalitate extremorum, quia iſta ſolum materialiter, & repreſentatiuè componunt. Si vero omnes partes eſſent voces non ſignificatiuæ, nec formaliter eſſet Oratio, neque eſſet Oratio.

Reſpond. Secundò Quod voces non ſignificatiuæ non omponunt per ſe ipſas orationem formaliter, & artificioſè, ſed ratione vocis ſignificatiuæ ibi ſub intellectæ, vt cum dico *Blitiri non eſt ſcindapſus*, ſubintelligitur *Vox Blitiri non eſt vox ſcindapſus*; vbi ly *vox* eſt terminus formalter componens, *Blitiri* autem ſtat ſolum obiectiuè, & *materialiter*, & hæc ſimpliciter eſt, vera, & certa ſolutio. *Ex quo patet ad Reliq. Probationes. Ad Primam de literis A.B.C.* Dicitur vel tenere ſe ibi materialiter: vel quod ibi ſubintelligitur *vox A. vox B.* vel quod *A. & B.* ſignificant prima illa elementa & primas literas ad placitum, non naturaliter vt patet in præpoſitione A, vel *Ab.* Ad Definitionem orationis *S. Thomas* Reſpondet 1. Peri her. lect. 6, Non intendere *Phyloſophum*, quod voces non ſignificatiuæ formaliter cum Verbo Orationem componant; ſed quod aliqua ſaltem pars Orationis debet ſignificare *aliquid*, ideſt vt *cathegorema*, etiam ſi reliquæ ſolum ſignificent *aliqualiter* tanquam *Syncathegoremata*.

Secundò Arguitur contra ſec. Concl. Diuerſa eſt formalitas *Partis*, & *Extremi*; ſed terminus eſt *Extremum propoſitionis*, vt deſumitur ex Ariſt. 1. Prior. cap. 1. dicente Terminum eſſe. *In quem reſoluitur propoſitio*; Ergo male dicitur vltimam Termini formalitatem in ratione partis conſiſtere. *Mai. Prob.* Ratio *Partis* vniuerſalior eſt, quam ratio *Extremi*; pars enim ſaluatur in eo quod *Componat Totum*: Extremum autem quod contineat, & *Claudat Totum*, ita quod extra illud non ſit, & ſe habeat quaſi principalis pars ergo vera Major.

Reſpond. Explicando Minorem. Quod ſcilicet *Ariſt.* ibi loquutus fuit *de Termino Syllogiſtico*, non de *Enunciatiuo*, de quo nos loquimur in præſenti; ille enim conſiſtit in ratione *Extremi*, iſte verò in ratione *Partis* & comprehendit omnes partes Orationis, etiam minus principales. *Cuius ratio eſt.* Quia *Terminus Enunciatiuus* ſolum ordinatur ad conſtruendam veritatem in Enuntiatione: Syllogiſmus autem, ſeu *Terminus Syllogiſticus* ad inferendam. Veritas autem, componitur non ſolum ex extremis, ſed etiam ex verbo copulante, Aduerbijs, vel Negationibus, à quibus ſæpe dependet veritas propoſitionis. Cum ergo tractemus in præſenti de Termino in ordine ad componendam Enunciationem, hinc eſt quod illum ſumimus generaliter, vt omnem partem Enunciationis comprehendit. At vero Syllogiſtica illatio, quia non conſideratur *vt vera*, ſed *vt inferens*, ſolum requirit tres terminos, duos qui ſint extremitates in concluſione inferenda: tertius qui ſe habeat vt Medium probans, & inferens, & inferendo coniungens, quod ſolum ſubiecto, & prædicato competere poteſt. Vnde ſolum Extrema propoſitionis ſunt termini Syllogiſtici, & de iſtis locutus fuit *Philoſophus* verbis citatis, non vero Nos, ſed in latiori acceptione.

Vltimò Arguit. Eſſe partem propoſitionis conuenit alijs à Termino; ergo non benè definitur per rationem partis. *Patet conſequent.* Quia definitio non poteſt competere alijs à definito. *Antec. prob.* Conuenit propoſitioni, & Orationi, ſiquidem Propoſitio componit Syllogiſmum, & aliam propoſitionem Hypotheticam, quæ eſſentialiter conſtat ex cathegoricis.

Si Dicas. Quòd Terminus componit propositionem simplicem, cathegorica autem componens Hypotheticam, componit propositionem compositā, qualis est Hypothetica. *Contra.* Etiam propositio cathegorica componit aliam simplicem. *Prob.* Hæc propositio *Homo est animal est verum*, est simplex quædam propositio cathegorica; & componitur ex hac *Homo est animal*; ergo iam cathegorica est pars componens simplicem propositionem.

Si dicas. Quòd Propositio componit aliam non vt pars per se primò, & essentialiter, sicut Terminus, sed accidentaliter, secundariò. *Contra.* Syllogimus, & Hyppothetica per se componuntur ex propositionibus; ergo propositiones sunt per se partes componentes, & constitutiua illorum.

Respond. ad omnia dicta *Hac Distinctione.* Propositio potest componere aliam propositioné, siue simplicem, siue compositam. *Distinguo,* per se, *nego*, per accidens *concedo*: ergo *esse partem*, quæ est ratio Termini conuenit propositioni, *nego conseq.* Quia Terminus per se est compositiuus simplicis propositionis, non per accidens. *Explico.* Aliqua sunt *per se Partes*, & per se ordinantur ad compositionem Totius; alia autem per se habent rationem *Totius*, & si aliquando ordinantur ad componendum aliud Totum, non est per se, sed per accidens, verbi gratia, Ossa, & caro hominis per se sunt partes illius, & per se ordinantur ad componendum illum, ipse autem Homo, quia per se habet rationem Totius, si aliquando ad aliud Totum, vt ad *Exercitum* componendum ordinatur, non habet hoc per se, sed per accidens. Idem est de Domo, quæ per se est Totum, & si Ciuitatem componit, est per accidens. Eodem modo in Artificialibus Logicis Termini sunt per se partes, & per se ordinantur ad componendam simplicem propositionem, quia non habent aliam essentiam prius constitutam (sic enim intelligitur *Ex quo simplex conficitur propositio*, quæ est differentia Termini) Propositio autem quia est totum per se, si aliquando aliam propositionem componit non per se ad id ordinatur, sed per accidens, quia non per hoc constituitur in sua essentia.

Ad vltimam Replic. Respond. Hyppotheticam, & Syllogismum habere iuxta *Arist. Cap. de Enunciat.* Vnitatem coniunctionis, seu Ordinis, non vnitatem simpliciter, sicut cathegorica. Illa autem composita, seu Tota, quæ tantum coniunctione, & ordine componūtur, possunt componi ex partibus, quæ per se, & primò non sunt partes, sed per accidens, & materialiter, sicut exercitus, qui ex multis hominibus, & Ciuitas, quæ ex multis domibus componitur.

Inquires. Terminus (vt suprà dictum est ex D. Thoma) tripliciter considerari potest, vt pertinet ad Prædicamenta, vt est pars propositionis, & vt est pars Syllogismi. Quare ergo non definitur secundùm rationem communem ad omnes has formalitates, & considerationes; *Respond.* Terminum vt pertinet ad Prædicamenta sumi pro rebus ipsis significatis, vt coordinantur in Prædicamento secundùm gradus superiores & inferiores: vt pertinet ad propositionem, & syllogismum sumitur pro signo, aut voce significatiua, & sic non potest vnica definirione definiri, cùm signū & Res vnum non sint. Vel dato quòd sic posset definiri, non pertinet ad præsens, vbi solum tractamus de Termino, vt præcisè pertinet ad formam Logicalem, & Prioristicam Resolutionem.

Inquires Tandem. Quare magis & solùm definitur Terminus per hoc, quòd sit pars propositionis, quàm syllogismi, siquidem etiam formalissimè componit syllogismum; Sine verbo enim saltem non inferetur conclusio, nec dabitur syllogismus; *Respond.* Verbum componere, & requiri ad syllogismum, *præsuppositiuè* ratione enuntiationis, non ratione illationis, quia non requiritur ad coniungendum extremitates per modum illationis, & probationis, sed per modum Enuntiationis, & quia Enuntiatio præ requiritur ad syllogismum, etiam verbum, sed non *formaliter*, sed *præsuppositiuè*.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm Definitio Termini syllogistici bona sit: & Quæ eius formalitos?

COgimur in præsenti tractare etiā de *Termino Syllogistico*, licèt hoc magis videretur pertinere ad ipsum Tractatum de Syllogismo, vt perfectè exponamus definitionem termini, & differentiam eius à *Termino Enuntiatiuo*, quia aliqui sic existimant tradidisse Philosophum definitionem termini, quando dixit *Terminum voco in quem resoluitur propositio, vt in prædicatum & subiectum*, quod sola ista definitio termini acceptanda sit, etiam secundùm considerationem Termini ad ipsam enuntiationem, & non ad syllogismum. Imò Aliqui ita litteraliter adhærent illis verbis definitionis, quòd termino denegant essentiam termini, quando componit, sed solùm quando terminat resolutionem syllogismi, vel propositionis; imò solum quando terminat actu istam resolutionem, mediante actu intellectus resoluente; non autem quando habet potentiam, vt possit resolutionem istam terminare, cum tamen verba in definitione non dicant actum, sed potentiam.

Dico Ergo Primò. Philosoph. in 1. *Prior.* non definiuit generaliter omnem Terminum, ex quo potest constare Propositio, vt enuntiatio est, sed vt præcisè deseruit ad construendum ordinem syllogisticum. Hoc constat manifestè, intuentibus ipsam definitionem; dixit enim Philosophus; *Terminum voco in quem resoluitur propositio tanquam in subiectum, & prædicatum.* Vbi manifestè in hac definitione non inclusit omnes partes enuntiationis, scilicet, Verbum, syncategoremata, & negationes; & tamen Verbum numerauit Philosophus inter partes enuntiationis in 1. Periherm. & ibi lect. 1. notauit D. Thom. *esse numerandum inter partes principaliores*: & ex dictis præcedenti articulo, manifestè constat, quòd cùm enuntiatio ordinetur ad construendam veritatem, quæ in ipso iudicio, & enunciatione inuenitur, plures partes requirit ad sui constructionem, quia ex illis dependet veritas, quàm syllogismus, qui formaliter non respicit componere veritatem, sed inferre; supponit enim veritatem constitutam in propositionibus, & solum addit, quod sit inferens, vel illata.

Dico secundò. Terminus etiam secundùm ordinem syllogisticum consideratus, non solùm habet quidditatem, & essentiam suam in *Terminando* resolutionem syllogismi, & propositionis, sed etiam in *Componendo*: nec solum consistit in ipso exercitio resolutionis actualis, sed etiam in eo, super quod cadit talis resolutio, quod est esse partem, seu extremum componens propositionem, & syllogismum. Et quidem diuersitas Opinionum est, vnde appellationem termini, *Simplex dictio* desumpserit, an à *Terminando* resolutionem, an vero à *Terminando constructionem*, seu compositionem? Et vtrumque tanquam probabile referunt *Conimbricenses super capit. 1. Prior. quæstione 1. art. 3.* Sed hoc tangit nominis etymologiam: supponimus enim Terminum habere vtrumque munus, scilicet componendi, &

& resoluendi id, quod ex illa componitur, & Dicimus quòd non solùm consistit in ipso munere, seu officio resoluēdi, sed etiam essentialiter importat ipsam formalitatem componendi, quod Aliqui negant, existimantes solùm posse definiri essentialiter terminum, per ipsam terminationem resolutionis, non per rationem partis.

Oppositum tamen accipimus ex *D. Thom. in* 1.*Periherm.lect.* 1. Vbi loquens de illa triplici consideratione simplicis dictionis suprà relata, & deueniens ad tertiam considerationem termini, quam considerauit Aristot. 1. Prior. *Tertiò* (inquit) *considerantur secundum quod ex eis constituitur ordo syllogisticus, & sic determinatur de eis in libris Priorum.* Ecce ipsam formalissimam considerationem Termini, vt tractatur in libris Priorum dicit esse, secundùm quod ex eis constituitur, seu componitur syllogisticus.

Ad hæc *D. Thom.* 2. *Physic. lectione* 5. explicans verbum Philosophi, qui dixerat *Propositiones esse materiam conclusionum*, & inquirens, quomodo hoc sit intelligendum, inquit. *In quantùm termini, qui sunt materia propositionum, sunt etiam materia conclusionis, licèt non secundum quod stant sub ordine propositionum.* Sic ergo termini habent rationem materiæ in conclusione, & propositionibus, ideſt, in toto syllogismo: sed de intrinseca ratione materiæ est, non solùm terminare resolutionem compositi, sed etiam ipsum construere, & componere tanquam pars: ergo non minùs pertinet ad terminum esse partem construendi, quàm finem, & terminum resoluendi.

Et confirmatur: Quia nihil resoluitur, nisi in ea, ex quibus constat, & constituitur; construitur autem ex partibus, quæ facta resolutione separantur, ergo si est de essentia definitionis termini, quòd sit id in quòd resoluitur propositio, etiam est de essentia eius, vt sit id, ex quo construitur, atque adeò definiri potest per hoc quod est esse partem, aut extremum propositionis, quia per omne id, quod est de essentia eius definiri potest.

Sed Cur, inquies, Aristoteles per solum resolutionis officium, terminum definiuit, dicens, *Terminum voco id in quod resoluitur propositio*: An fuit diminutus tantus Philosophus? *Respondeo.* Qui per resolutionem definit, etiam compositionem compendio intelligit, nam si resoluitur in partes ex quibus constat propositio, hoc ipso virtualiter significat, ex ipsismet componi? sed tamen optima ratione potius expressit *Philosophus* resolutionem in definitione *Termini Syllogistici*, quàm compositionem, tum quia hoc magis conducebat ad explicandam simplicitatem termini; melius enim & distinctius simplicitas partis dignoscitur per id, quod remanet soluto composito, quàm per id quod intra compositum habet, tum quia expediebat hoc ad cognoscendum modum procedendi analyticum, & resolutorium, quem ibi tradebat *Aristotel.* & qui proprius est Logicæ, vt scilicet cognosceremus id, vltra quod non transit resolutio Logica; sistit enim in Termino, in quem soluitur vltimatè propositio. Pertinebat autē ad notitiam resolutionis Logicæ notificare nobis id, vltra quod non transit in resoluendo; si autem traderetur per compositionem, non constaret, an aliquid aliud restaret, ex quo etiam componeretur propositio, & ad quod posset resolutio Logica se extendere. Quam solutionem vide in *Diuo Thoma Opusculo* 48. *Tractatu de Syllogismo simpliciter cap.* 1.

Ex Dictis Colligo Duo. Primum est, quòd si loquamur de *Termino Enuntiatiuo*, verbum *est* etiam est terminus, quia etiam est pars componens vt copula extremorum, vt iam suprà diximus. At verò loquendo de *Termino Syllogistico*, verbum *est*, vt copulans non est terminus, quia non est maius, aut minus extremum, neque medium, cùm non sit prędicatum, vel subiectum, quod requiritur, vt aliquid sit extremitas syllogismi, vel medium deseruiens ad illationem. Et sic verbum *est*, non est terminus in definitione Aristotelis, ita quòd sit formaliter terminus inferens, vel illatus, quod pertinet ad formalitatem syllogismi, sed est *Terminus Enuntiatiuus*, quia est pars componens enuntiationem, quoad ipsam rationem veri, vel falsi. Secus est si non se habeat solùm vt copulans, sed vt extremum, vt si dico *Petrus est*, ideſt *existit*, de secundo adiacente.

Secundò Colligo: quòd *Terminus Enuntiatiuus*, etiam extra propositionem habet actu essentiam termini, ideſt, partis propositionis, licèt non habeat actu exercitium terminandi, vel componendi illam; non tamen extra propositionem est prædicatum, vel subiectum, sed prædicabile, vel subiicibile. *Ratio est.* Quia essentia actualis termini est esse partem propositionis; ratio autem & essentia partis consistit in hoc, quòd sit compositiua, & constitutiua totius, non verò quòd actu componat: vnde aliud est actu habere essentiam partis, & actu habere habitudinem partis, aliud habere actu exercitium componendi, sicut anima rationalis etiam quando est separata est pars, licèt actu non componat. Et idem apparet in partibus rerum artificialium, vt in partibus Domus, vel Cathedræ, quæ actu sunt partes, ideſt, actu habent entitatem constitutiuam partis, etiam si actu non componant. Aliud est ergo *actualiter construere*, aliud esse *actu constructiuum*, hoc secundum est ratio partis; primum verò est exercitium: sicut potentia visiua actu est potentia, licèt actu non videat. Actu ergo componere, dependet ab applicatione, & existentia in toto. Actu esse partem est habere entitatem ex qua fieri potest totum, vel in illud resolui. Aliud est esse prædicatum, & subiectum, & suppositionem, vel ampliationem habere, & similia, quæ important ipsum actuale exercitium prædicandi, vel subiiciendi, & non solùm esse prædicabile, vel subiicibile, vel supponibile.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur. Non sufficit formalitas partis, vel extremi, vt aliquid dicatur *Terminus*, sed vlterius requiritur formalitas *Terminandi*, siquidem tunc solùm actu, & formaliter resoluit, & terminat; ergo sola ista formalitas constituit rationem termini: reliquæ verò formalitates, vt esse *Partem*, vel *Extremum*, vel *Signum* supponuntur necessariò, sed non constituunt formaliter rationem Termini, vnde dicit D. Th. 7. Metaph. lect. 12. *Quòd tota essentia definitionis, in differentia quodammodo comprehenditur:* Ergo definitio termini, per hoc solùm debet tradi, quod est vltima differentia, scilicet Terminare resolutionem syllogisticam.

Confirmatur. Nihil essentialiter dicitur id ex quo est sed id quod est; sed terminus est ex parte: ergo non est pars. *Maior est nota*, quia id ex quo aliquid est, se habet tanquam pars illius; nulla autem pars dicitur de toto. *Minor constat*, quia ex formalitate partis, & formalitate terminationis resultat, quòd illa pars sit terminus: ergo terminus est ex parte, sed non est pars.

Confirmatur Secundò, Quia legitima definitio termini syllogistici, debet tradi per id, quod conuenit termino in genere, & isti termino in specie; sed termino in genere conuenit ratio terminandi vt sic, & termino resolutionis terminare resolutionem, termino verò syllogistico, terminare resolutionem syllogisticam, ergo rectè definitur terminus per hoc, quod est terminus resolutionis syllogisticæ.

Respondetur ad principale Argumentum, ex dictis: Quod ad rationem *Termini* requiritur formalitas terminandi, vel componendi, non quantùm ad actuale exercitium compositionis, & resolutionis, sed quantum ad actualem entitatem, & proportionem, ex qua potest fieri compositio; actualis enim terminatio, vel compositio supponit in ipsa parte, quæ assumitur ad componendum, esse naturam, & proportionem debitam vt assumatur,& licèt ipsa *ratio partis* dicat actualem relationem ad totum, cuius est pars. tamen aliud est *exercitium respiciendi*, aliud *exercitium componendi*; illud primum est intrinsecum, & inseparabile à parte, quia hoc ipso quod est pars respicit actu totum,sed *vt constructiuum*, non *vt construens actu*, sicut potentia respicit actu obiectum vt potens facere, non vt faciens; id enim pertinet ad operationem actualem. Igitur terminùs, hoc ipso quod habet proportionem debitam ad componendum, & resoluendum propositionem, licèt actu non resoluat, & terminet, habet rationem *Termini*. Et sic verificatur commune dictum; *Quod verba in definitione posita, non dicunt actum, sed potentiam.*

In loco autem citato *ex D.Thom.* non ita reducitur definitio ad solam differentiam, quòd excludatur genus, vt de se patet, sed ad significandum, quod differentiæ sunt ipsa forma generis cum determinatione, ideo per solam differentiam explicari potest definitio, id est ipsa vltima determinatio,& actualitas naturæ,vt ibidem explicat *S. D.*

Ad primam Confirm. Dicitur, Quod ex formalitate partis, & formalitate terminationis actualis non resultat quòd illa pars sit Terminus, sed quod exerceat officium termini; & hoc exercitium supponit terminum constitutum; per ipsam autem fosmalitatem partis constituitur in ratione apti, & proportionati ad ipsam compositionem, & resolutionem, etiam antequam actu id exerceat.

Ad secundam Confirm. Resp. Quòd genus termini,& differentiæ non est actuale exercitium terminationis, vel compositionis syllogismi, sed actu habere aptitudinem, & proportionem ad componendum & resoluendum. Sicut essentia animæ non est actu terminare resolutionem, vel compositionem, sed posse componere, & terminare illam.

Secundò Arg. Ratio partis non inuenitur extra totum, per se, & essentialiter loquendo, nam hoc ipso, quod est extra totum, non est pars, sed totum in se; quod autem semel est totum,si postea fit pars, accidentale est ei esse partem: sed Terminus etiam in ratione termini inuenitur extra totum & separatim extra propositionem; ergo per se essentialiter non est pars,sed quoddam totum.

Nec obstat Exemplum de Anima separata, quæ non amittit ratione partis; Nam Anima est quædam substantia spiritualis per se existens, & ideò manet separata à toto: at verò terminus non est aliquid per se existens; ergo non attribuitur illi ratio partis separatim à toto, sed solùm intra ipsum;sicut etiam aliæ formæ per se non existentes, non habent rationem partis extra totum.

Et Confirm. Quia terminus constituitur in esse termini per secundam intentionem, quæ est *Relatio partis ad totum*: sed ista relatio consistit in ipso actuali exercitio respiciendi, & non in potentia ad respiciendum; ergo si constituitur in esse partis per relationem, constituitur per actuale exercitium partis, non per potentiam ad conponendum.

Resp. Non esse de ratione partis,quòd actu componat,vt patet in exemplo adducto de Anima separata,& idem suprà ostendimus de partibus rerũ artificialium.

Et ad Replicam Resp. Quod sicut anima rationalis existit realiter per se extra totum, ita terminus potest cognosci separatim à toto, & quia ens rationis non habet aliud esse quàm cognosci, ideò potest terminus existere per rationem extra totum,retinendo ipsam rationem partis.

Vel secundò dicitur: Quod etiamsi aliqua pars non possit existere de facto extra totum,propter dependentiam quam habet in existendo à toto, nihilominus officium partis non consistit in actuali compositione,vt patet in ipsa *Materia prima*, quæ potest modo esse sub vna forma, & sub vno composito, modo sub alio. Et ita licèt non possit esse extra totum saltem naturaliter; tamen non consistit in ipso actuali exercitio componendi hoc totum, vel illud, sed in potentia ad quodlibet.

Ad Confirmat. resp. Aliud esse *potentiam respiciendi*, aliud *potentiam componendi* (vt supra diximus) & benè stat, quòd *potentia componendi* actualiter respiciat ipsum totum, quòd potest componere, licèt actu non componat sicut potentia visiua actu respicit obiectum visibile, licet actu non videat. Dicitur autem relatio, seu intentio partis constituere ipsum terminum in esse artificiali termini, quatenus induit rationem partis potentis componere propositionem, non vt actualiter componentis; ex qua tamen relatione non componitur propositio, sed ex ipso termino, qui induit rationem partis.

Vltimo arg. Aptitudo ad conficiendam propositionem est accidentalis termino; ergo non potest per illam definiri essentialiter. *Antecedens prob*, Quia ipsum conficere propositionem in exercitio est illi accidentale; ergo & ipsa aptitudo proxima ad componendum; actus enim & potentia proxima sunt in eodem genere; Terminus autem dicit potentiam proximam ad componendum, quia radicalis, & remota, etiam in ipso signo secundùm se inuenitur.

Et Confirmatur. Quia etiam Secunda Operatio ordinatur ad Tertiam, sicut Prima ad Secundam; & tamen Secunda non definitur per ordinem ad Tertiam; ergo neque Prima operatio, in qua inuenitur Terminus, per ordinem ad secundam.

Respond. Terminum consistere in potentia proxima ad conficiendum propositionem, intelligendo nomine *potentiæ proximæ*, idest, de se vltimo ordinatæ, & expeditæ ad componendum. Quod autem dicitur, *Potentiam & actum esse in eodem genere.*

Respond. aliud esse,quòd sint in eodem genere id est, in eodem Prædicamento,aliud in eodem genere,id est, in eodem Prædicabili, seu modo prædicandi,ita vt cui conueniat,essentialiter potentia, cõueniat essentialiter actus. De primo non disputamus, an debeat actus semper esse in eodem prædicamento; habet enim hoc plures instantias in potentiis, & actibus per se, & intrinsecè non ordinatis, de quo alibi disputandum est. De secundo tamen constat manifestè, quòd bene potest alicui conuenire essentialiter potentia, & accidentaliter actus, sicut animæ essentialiter conuenit posse componere, & oculo posse videre; non tamen actu componere, vel actu videre.

Ad Confirm. respond. Quod Secunda operatio non respicit Tertiam, sicut pars vltima, & simplex elementum non habens aliam essentiam, quàm partis, sicut habet terminus, sed Secunda operatio habet esse compositum in se & quoddam Totum; respicit autem tertiam operationem non vt pars simplex componens, sed vt inferens, & mouens de vno ad aliud, quòd non est per se primo esse partem vt terminus.

ARTIC.

ARTICVLVS IV.

Quod sit Definitum Termini, & pro quo supponat?

CVm Terminus definiatur: *Quod sit vox significatiua, ex qua simplex conficitur propositio*, in eius definito explicanda accidit communis illa difficultas, quæ in explicatione cuiuscumque definitionis accidentis in concreto inuenitur, nempè, An definitum eius stet pro ipso subiecto (Aliqui vocant *Substitutum*) an verò stet pro ipsa forma; an verò pro illo quòd resultat ex subiecto, & forma? Aliqui vocant *Constitutum*) Nam si stet pro ipso subiecto, v.g. pro voce in definitione termini, illi non conuenit essentialiter definitio, sed denominatiuè, & accidentaliter, quia est id de quo dicitur, non verò id quòd est ipsa ratio termini. Si verò stet pro forma malè ponitur in definitione subiectum, v.g. *Vox significatiua*, cum Vox, & quodcumque subiectum, non sit ipsa forma, sed susceptiuum formæ, & ita malè diceretur definiendo formam termini quòd est *ipsa vox*; Si verò sumatur pro eo, quòd resultat ex subiecto, & forma, illud non est definibile quia est ens per accidens, quòd non cadit sub definitione.

De hac difficultate plura tractamus in Logica *q.7. de Genere*. In præsenti pauca sufficit aduertere.

Dico ergo secundùm doctrinam Philosophi, & S.Th. non posse *Concretum Accidentale*, vel Artificiale definiri pro ipso constituto, seu resultante ex subiecto & accidenti; sed definitum in istis concretis v.g. in Termino, in Oratione, in Albo, in Statua, esse ipsam *Formam accidentalem non absolutè, & abstractè, sed respectiuè, & connotatiuè ad subiectum*, ita quòd esse in subiecto, vel extra subiectum pertinet quasi ad statum, & modum essendi non ad substantiam ipsius definiti, & sic intrat definitionem vt additamentum extrinsecum, & vt connotatum. Id sumitur in primis ex *Philos. in Prædicamentis Cap. de Substantia* vbi dicit, quod album solam qualitatem significat; verba *Philos.* sunt: *Non autem simpliciter quale quid significat, quemadmodum album, nihil enim aliud album significat, quam qualitatem*, non ergo significat constitutum ex subiecto, & qualitate. Deinde *D. Thom. in lib. de Ente, & essentia cap. 7.* circa finem: *Ex accidenti*, inquit, *& subiecto non fit vnum per se, vnde non resultat ex eorum coniunctione aliqua natura, cui intentio generis, vel speciei possit attribui.* Constat autem, quod omnis definitio explicare debet aliquam naturam generis, vel speciei, quam D. Thom. negat conuenire illi constituto.

Et ratio est in promptu. Quia constitutum ex corpore, & albedine, subiecto & accidente, est conflatum ex rebus diuersorum prædicamentorum; ergo non constituit vnum ens per se, illud enim est vnum ens per se, quod gaudet vnico prædicamento, vnico genere, & differentia, & vnica definitione, quia definitio ex genere, & differentia constat: si autem pertinet ad diuersa prædicamenta, non habet vnum genus, sed plura genera, quia prædicamentum est genus. Ens autem per accidens non est definibile, quia vt optimè dicit S. Thom. 7. Metap. lect. 3. *Ens per accidens non significat aliquid, sed aliquale*, & consequenter non significat quid, seu quidditatem, quæ sola est obiectum definitionis. Et ideo *in Opuscul. 2.* quod est compendium Theologiæ cap. 211. *Subiectum* (inquit) *& accidens non sic vniuntur, vt ex eis aliquod tertium constituatur.* Clarissimè ergo excludit illud constitutum ex accidente, & subiecto, quod sit per se definibile, & considerabile, vnde inter entia per accidens (quæ constant non esse definibilia) numeratur à *Philosopho 5. Methaph. Tra. 16.* & à *S. Thom. ibi lect. 11. & 7. Methaph. tex. 11. & 14. lect. 3.*

Ad hoc etiam deseruit doctrina illa sæpius à *D. Thoma* repitita, Quòd res artificiales sunt in duplici genere, seu prædicamento, ex parte materiæ in genere substantiæ, ex parte formæ in genere accidentis. Et sic *in 4. Dist. 44. Quæst. 1. art. 2. Quæstiunc. 2. ad 4.* ait: *Quod statua potest considerari dupliciter, vel secundum quod est substantia, vel secundum quod est artificiale quoddam; & in genere substantiæ ponitur ratione suæ materiæ; sed in genere artificialium ponitur secundum quod est forma, quæ accidens quoddam est.* D. Th. Vnde quià id, quòd pertinet ad substantiam, constituit aliquid in genere entis simpliciter, ideo aliquando dicuntur artificialia simpliciter pertinere ad genus suæ materiæ, non in quantum artificialia, sed in quantum entia; quià ens simpliciter, substantia est, & sic loquitur *D. Thom. in 4. distinct. 3. quæstion. 1. art. 1.*

Quare Terminus, & Oratio, & reliqua artificialia, non sunt ipsum constitutum ex substantia, & forma artificialia, quia non datur genus aliquod conflatum ex genere substantiæ, & ex genere accidẽtis sunt enim diuersa genera, & prædicamenta, quæ autem differunt genere non conflantur in vnum genus; sed secundùm rationem generis artificialis, solùm ponuntur in genere suæ formæ, quæ est quoddam accidens; sicut reliqua accidentia, siue sumantur in concreto, siue in abstracto, semper ponuntur in ipso genere suæ formæ, quia essentia accidentis eadem est in concreto, & in abstracto; ratio ergo cõcreti, vel abstracti pertinet quasi ad modum essendi, vel ad statum ipsius accidẽtis, vnde debet esse idem definitum accidentis in abstracto, & in concreto, licèt non idem status; & eadem connotatio.

Sed *Dices*, Quomodo ergo *Aristot. in 7. Meth. Tex. 42.* dixit, Quod materia est genus in istis accidentibus, & specialiter Vox respectu litterarum, seu syllabarum; & quòd tale genus nunquam est sine speciebus, neque ab illis distinguitur, ergo oportet quod ex differentia, seu forma, & tali materia, seu genere constituatur aliquod vnum. *Respondet.* Debere attentè legi *Textum Philosophi*, qui dixit, Aliquando idem esse genus, & materiam, sed diuerso modo. Cuius explicationem optimè tradit ibi *D. Thom. lect. 12.* & Nos latius Docemus *citat. loco Logicæ.* In summa, quod ex eius doctrina colligitur est, Quod materia, seu subiectum accidentis, licèt ponatur in definitionibus loco, & vice generis, tamen non habet rationem generis logici secundùm se, quasi ex ipsa, & forma accidentali constituatur aliquid vnum, quod sit per se definibile, cum toties neget *D. Thom.* non resultare vnum per se, sed per accidens ex subiecto & accidenti; sed intelligitur, quod materia, seu subiectum *in quantum formatum forma accidentali*, duplicem habet considerationem, scilicet vt formatum ipsa forma accidentali secundùm rationem communem talis formæ, & secundum rationem determinatam, & specialem; & talis materia vt formata secundum rationem communem, constituit rationem generis ad ipsam vt formatam secundùm rationem determinatam. Sicut si diceremus, quod in albo ipsa ratio *qualis* in communi, est genus ad *album*, quod est determinatum *quale*, & ea ratione corpus *vt quale* est genus ad *Corpus vt album*; quare materia secundum se nunquam est genus, sed communis ipsa ratio formæ, seu materia vt formata ratione communi formæ dicitur genus ad rationem determinatam talis formæ, seu ad talem formationem in particulari.

Ad Rationem ergo dubitandi à principio positam Respond. Quod quãdo definitur forma accidentalis in concreto, significatur ipsum subiectum formæ in recto, id est

est, per modum habentis ipsam formam, & ideo prædicatur de ipsa forma in concreto accepta, non tanquam aliquid quod sit de intrinseca ratione formæ, sed tanquam aliquid extrinsecum, sine quo non potest definiri accidens in concreto, quia accidens dicit ordinem essentialem ad subiectum, & ideo istæ definitiones accidentium in concreto dicuntur fieri ex additione, siue *per Additamentum* in 7. *Methap. lect.* 4. *apud D. Thom.* Nec ipsum subiectum est propriè genus talis accidentis, sed loco generis, vel quasi genus physicum ponitur, vt dicit *S. Thom.* 1. *Periherm. lect.* 4. Quia cum genus sumatur à materia, & ignoremus sæpè proprium genus accidentium, ponimus loco generis materiam à qua sumitur, vel potius ponimus ipsum subiectum non absolutè, sed vt formatum illa forma accidentis secundum gradum communem, & sic est genus ad ipsammet secundum gradum particularem: vt si dico, *Album est corpus disgregatiuum visus*, intelligitur non corpus absolutè, sed *Corpus vt coloratum*, vbi ly *Coloratū* facit ad definitionem per se, ly *Corpus*, ad suppositum rei definitæ, quia non existit per se, sed in alio.

Sed adhuc obiicies: Nam essentia concreti v.g. *Albi* neque est corpus, neque albedo, sed tertium constitutum; ergo idem erit de Termino, quod neque est significatio, nec pars, sed constitutum ex his, atque adeo illud erit, quod definitur. *Antecedens probatur ex Arist. in Cap.* 5. *Prædicament.* vbi dicit: *Album dici quidem de corpore vt de subiecto, rationem verò albi numquam de corpore prædicari*; Ergo sentit *Philosophus* essentiam albi non dicere ipsum corpus essentialiter, alioquin prædicaretur de illo, sed aliquid distinctum, scilicet constitutum ex corpore tanquam de subiecto, seu substituto. Et eadem ratione, quando plures formæ prædicantur de subiecto in concreto, *vt Album est dulce*, non verificantur pro constitutis ipsorum, quæ sunt distinctæ essentiæ, sed pro substituto, seu subiecto. Vnde cum in termino concurrant plures formalitates, vt esse *significatiuum*; esse *partem propositionis*, & *terminare Resolutionem*, Terminus non erit aliqua ex illis formalitatibus, sed illud quod resultat ex ipsis tanquam ex substitutis, & præsuppositis, & ex vltima formalitate, quæ vltimatè constituit essentiam Termini. Et ita poterit quidem prædicari de termino, quod sit pars, & quod sit extremum proprositionis, quia hæc verificantur de termino pro substituto, idest, præsupposito ad rationem termini, sed non ingrediuntur definitionem, quia non pertinent ad constitutum. Ita opposita sententia.

Respond. Sensum *Philosophi* esse satis perspicuum, scilicet *Rationem albi* numquam de corpore prædicari tanquam *rationem*, seu tanquam quid essentiale corpori; loquitur enim in sensu valde formali, *rationem albi non prædicari de corpore*, tanquam *rationem*, idest, vt importans prædicationem essentialem de corpore, seu essentiam Accidentis non esse intrinsecam subiectō, siquidem prædicatio accidentalis est. Ex hoc autem non licet inferre, quod essentia albi, vel cuiuscumque accidentis in concreto sit tertium quoddam constitutum ex subiecto, & forma, cum non detur tale constitutum. nisi ens per accidens (vt dictum est, & amplius dicetur in Logica, *quæstion.* 5. *&* 7.) & tamen verificatur accidentalis prædicatio de subiecto, vt cum dico *Corpus est album*, non quidem ratione tertij constituti, seu potius aggregati ex corpore, & albedine, hoc enim non potest prædicari de corpore, quia *Corpus* respectu huius se habet vt pars; neque ratione subiecti tantum, quia ex parte prædicati scilicet ly *album*, aliquid importatur præter substitutum, seu subiectum; importatur enim accidentalis entitas, quæ concretiue applicatur subiecto, sed verificatio illius prædicationis fit ratione identitatis albi cum corpore importata ex parte de ly *Album* ratione sui connotati; connotat enim subiectum habens, & hoc est *Corpus*, *Habens* enim, & *corpus* identificantur, & sic album vt habens albedinem verificatur de corpore *in quantum habens*, sic enim identificatur ly *habens* cum *corpore*; & sic illam solutionem explicat *S. Thom.* 1. *p. quæst.* 13. *art.* 10.

DE MODO LOQVENDI IN CONcretis substantialibus.

HÆc autem Doctrina amplius obseruari debet, & opposita caueri in concretis substantialibus vt *Homo & Humanitas*, vbi Aliqui distingunt hominem pro constituto, & pro substituto & dicunt *Hominem pro constituto* esse naturam ipsam humanam, pro substituto vero ipsum suppositum habens naturam humanam. Vnde infertur quòd sicut diuinum suppositum assumpsit humanitatem, ita assumpsit hominem sumendo *hominem* pro constituto. Sed tamen ista illatio, quæ in hac doctrina conceditur, eius ostendit inconuenientiam, nec enim taliter debemus vti vocibus, quod cogamur propositiones concedere in Theologia valde suspectas; & male audientes saltem in modo, in re enim nec suspicamur hæresim in Catholicis. Dicere autem, quod *Deus assumpsit hominem*, ita male audit in Theologia, quod in *Indice expurgatorio* Hispaniæ anno 1612. *&* 1632. *&* 1640. expunctum est in *Bibliotheca Veterum Patrum tom.* 3. *in S. Ignatij Schotio cap.* 47. & in *Ludouico Viues lib.* 9. *de Ciuit. cap.* 17. & *in Indice* habetur in *Operibus D. Aug. tom.* 5. Volebat enim Viues hanc locutionem *Deus assumpsit hominem* non recte negari à Scholasticis, quia Patres illam vsurpant aliquando & S. *Thom.* eam damnat 3. *paro. quæst.* 4. *art.* 3. Quia *Homo* ex modo significationis plus dicit, quam naturam. Oportet autem in his locutionibus valde attendere ad modum significandi, vsitatum & ad vsum Ecclesiæ, & Sapientium, nam ex variatione modi significandi, & inordinatis verbis incurritur error: hæc enim propositio *Deitas generat* est hæretica, & *Deus generat* catholica, & tamen si quis pro eodem acciperet *Deum*, ac *Deitatem* ratione constituti, posset vtramque negare, vel affirmare, quod esset erroneum. Hæc dixerim, vt in ista doctrina de Concretis, & Abstractis, constitutis, & substitutis ponamus modum, cómuni vsui potius, quàm ingenio proprio credentes. De his latius vide *q.* 5. *&* 7. *Log.*

Ad id vero, quod additur in argumento quod quando plures formalitates concurrunt ad vnam essentiam constituendam, non possunt prædicari essentialiter nisi vltima formalitas, falsum est; nam omnes gradus superiores, quasi præsupponuntur ad vltimam differentiam, & tamen prædicantur essentialiter de ipso constituto ex vltima differentia, & talibus gradibus: sicut dicitur, quod *homo est animal*, *&* *viuens*, *&* *corpus*; *&* *album est coloratum*, *&* *quale*, &c. dummodo prædicentur secundum eundem modum, idest, concretum de concreto, & abstractum de abstracto. Similiter ergo cum esse significatiuum, & esse partem essentialiter pertineant ad rationem Termini, quantumcumque præsuppositè, & substitutè, prædicabuntur nihilominus essentialiter de ipso termino, quia essentialiter pertinent ad illum, vt prædicata generica, vel superiora. De *signis*, seu *significatione* plenè disserimus in Logica sup. *lib. Perih.* à *q.* 21.

ARTIC

ARTICVLVS V.

Vtrùm Voces significent per prius Conceptus, an Res.

SVpponimus tanquam apud Omnes certum, Voces significare conceptus, tam formales, quam obiectiuos, (*formales* sunt ipsæmet notitiæ, *obiectiui* res, seu obiecta cognita per notitias) cum id sit apertè statutum a *Philosopho in* 1. *Periherm. cap.* 1. Et manifestè attestatur experientia, cum enim volumus manifestare non solum quid concipiamus, sed etiam quod concipimus, id facimus per voces, quibus loquimur. Videatur *D. Thom.* 1. *Periherm. lect.* 2. *& quæstion.* 9. *de Potentia articul.* 5. vbi inquit: *Quod vox significat conceptum intellectus, quo mediante significat rem*: Vbi apertè distinguit inter conceptum formalem, & obiectum, & vtrumque attribuit voci, Et in 4. *contra Gent. capit.* 11. dicit: *Quod intentio intellecta est similitudo concepta, quam voces exteriores significant.*

Difficultas ergo potest esse in duobus. *Primum* An voces, eadem significatione significent *Conceptus*, & *Res*? *Secundum.* Quidnam significent principalius, Res, an Conceptus? & idem potest inquiri de Scriptura respectu vocum.

Circa Primum, Aliqui tenent Voces significare res, & conceptus duplici significatione, citantque pro hac sententia *Magistrum Soto*, sed immeritò, cum ipse non dixerit, quod nomen significat res, & conceptus duplici significatione, sed quod ipsum *significare nominis, bifariam accipitur*, vel pro mouere potentiam, vel pro exprimere conceptus, sed tamen vtrumque munus conuenire potest eidem significationi.

Dico Ergo: Voces vnica significatione significant Res, & Conceptus. *Fundamentum est.* Quia significant vtrumque eadem impositione; ergo eadem significatione. Et secundò. Quia significant res, & conceptus non æquè immediatè, & vnum seorsum ab alio, sed vnum mediante alio, & vt subordinatum alteri; ergo sufficit eadem significatio ad vtrumque. *Conseq. patet.* Quia vbi sunt plura subordinata, significantur eadem significatione, sicut nomen *Homo*, verbi gratia, non solum significat naturam humanam, sed etiam indiuidua, pro quibus supponit, eadem significatione. *Anteced. verò constat*, tum ex *D. Thom.* 1. *part. quæstion.* 13. *articul.* 1. *& quæstion.* 9. *de Potentia articul.* 5. vbi dicit: *Quòd voces immediatè significant conceptiones mentis, & illis mediantibus res.* Et idem habet in 1. *Periherm. lect.* 2. Tum etiam, Quia si vox diuersis significationibus significaret res, & conceptus, ita quod non subordinarentur inter se, omne nomen esset æquiuocum, & non repugnaret deponi ab vna significatione ex illis altera remanente, sicque significaret conceptum, & non rem, vel è conuerso quod esset absurdum.

Aduerte autem quod ipse conceptus potest significari dupliciter. Primò vt in se res quædam est in actu signato, & vt cognoscibilis alio conceptu reflexe. Et hoc modo conceptus significatur speciali nomine ad hoc imposito, vt hoc nomine *Conceptus*, significatur enim sicut aliæ res. Alio modo conceptus significantur tanquam interiora quædam signa, seu mudia concipiendi res, à quibus hæc exteriora signa deriuantur, quibus interiora manifestantur & sic significantur conceptus à vocibus vt exercentes hoc munus.

Sed obiices. Datur duplex impositio ad significandas res, & conceptus; ergo duplex significatio, *Consequent. est nota*, & *anteced. prob.* Quia prius voluerunt homines suos conceptus communicare in communi, deinde; inuestigauerunt modum ad talem communicationem accomodatum, qui fuit impositio vocum; ergo interfuerunt duo actus, atque adeò duæ impositiones. *Et confirm.* Quia voces significant res ipsas vt quod, & doctrinaliter, idest, tanquam id, quod significatur in tradendis doctrinis: Conceptus verò non significantur, sed indicantur; vnde dicuntur voces substitui pro *Conceptibus*, significare verò Res.

Respond. illud argumentum nimis deficere, tum quia idem probaret de significatione ipsarum rerum tantum, nam prius voluerunt homines, quasi in communi significare res, deinde inuestigarunt modum, quo ipsas significarent mediante impositione vocum. Tum etiam, quia velle, seu intendere aliquid facere, & postea eligendo medium, quo faciendum est, illud exequi, non inducit duplicem effectum, quia respectu eiusdem effectus debet dari intentio, & electio, & exequutio; ergo non sequitur duplicem impositionem fuisse, quia duplici actu voluerunt intendendo, & exequendo.

Ad confir. Respond. Quod illa omnia pertinent ad vnicam significationem quia ordine quodam totum hoc significatur, nam eadem significatio vocis habet duplex officium, scilicet substituere pro rebus, quas manifestat, & secundò substituere pro conceptibus, qui ipsas res occultè, & interius significant, quod totum fit vnica significatione, & vnica impositione, quia istud signum sensibile imponitur ad manifestandum illud signum interius, in ordine ad res cogitatas. Sicut Minister Regis eodem ministerio, & officio substituitur Regi, vt principali, in ordine ad res aliquas gubernandas, vt ad finem.

Secundò obiices. Vox non potest significare conceptum immediatè, & rem mediatè; ergo falsò dicitur, quod mediante conceptu rem significat, sed immediatè debet significare illam, atque adeò diuersa significatione. *Anteced. probat.* Primo: Quia conceptus non est res significata reflexè, id enim fit per hoc nomen *Conceptus*; neque est *ratio formalis* significandi, quia hæc est impositio; neque est *Conditio* requisita ad significandum ex parte rei significatæ, quia non significantur res, vt conceptæ, sed vt existentes in se. *Secundò.* Quia voces non significant medio conceptu *audientis*, neque *loquentis*, neque *imponentis*; ergo nullo. Non *Audientis*, quia ipse audiens non est, qui declarat suos conceptus, sed cui alterius conceptus declaratur. Non *Loquentis*, quia etiamsi nullus sit loquens, vt si voces formentur in aëre, vel à adormiente, adhuc significant: & præterea, conceptus Loquentis est extra audientem; non ergo est illi medium ad cognoscendam rem. Non *Imponentis*, Quia non recordamur per vocem ipsius imponentis; neque eius conceptum, qualis fuerit, cognoscimus; imo potest vox melius mihi repræsentare rem, quam imponens ipse conceperit; ergo conceptus imponentis non est ratio repræsentandi.

Respond. Neg. ant. Ad prob. *Conc. antec.* Quia non omnia adæquatè ibi numerantur; Et *disting. Conf.* Ergo vox non significat rem *mediante conceptu*, tanquam ratione formali, aut tanquam primario, & immediato significato. *Conc. Conf.* Ratio enim formalis significandi in voce est impositio, & in conceptu est similitudo. *Mediante conceptu*, vt ptincipali significante, cuius vox est substitutum, & quasi instrumentum, *Neg Conf.* Vox enim significat conceptum, quia vice eius subrogatur, vt suppleat id ad quod non potest pertingere conceptus, vt scilicet tam sibi quam aliis manifestet exterius. Et ita vox se habet quasi substitutum, quod repræsentat, tam suum principale, cui deseruit (quod est Verbum mentis,

mentis, à quo, vt ait *Sanct. Thom. quæst.* 4. *de Verit. artic.* 1. *ad* 7. participat esse, & significationem(quàm id ad quod ordinatur, quod est res significata. Et sic voces significant conceptum *vt principale significatiuum*, res autem vt *significatum directe*. Quas quidem repræsentant voces vt conceptas *specificatiue*, & *Exercite*; seu ly *Vt* dicente conditionem, repræsentantur enim res conceptæ. Non tamen ly *Vt* reduplicatiue sumpto pro statu in quo sunt cognitæ. Licèt etiam aliquando voces significent res vt subsunt intentioni, & statui, quem habent in mente. Et tunc ipsa intentio est quasi res repræsentata, sicut in intentionibus Logicis *Species*, *Genus*, &c.

Ad *Secund. Prob. Neg. ant.* Voces enim significant ex conceptu imponentis, vt à quo suscipiunt significationem, & impositionem; conceptum autem loquentis tanquam id pro quo subrogantur: ad hoc enim imponuntur, vt à quolibet loquente subrogari possint loco sui conceptus. Cum autem voces à non loquente formantur, non sunt locutio illæ voces, sed sonus materialis similis locutioni, vnde non significant ex impositione, sed ex consuetudine, quã nos habemus cũ similes voces audimus, quia illæ similes sũt vocibus, quæ sunt locutio. Vnde *D. Th.* 1 *part. Quæst.* 51. *articul.* 3. *ad* 4. dicit, *Quod vox formata ab Angelo nõ est proprie vox.* Et dato quòd istæ essent verè voces, & non significarẽt cõceptum loquentis, quando sic formantur, non sequitur, quod quando illum significant, diuersa significatione significent conceptum & res, sed eadem significatione habente potestatem significandi vtrumque, sed non semper vtrumque exercente; nec enim semper aduertimus ad conceptus loquentis discernendo illos à rebus. Et licèt conceptus loquentis sit extra audientem secundum se; est tamen illi præsens per vocem, per quam redditur sensibilis.

Circa secundum punctum, scilicet, Quid voces principaliùs significent, Res, an Conceptus? *Respondetur.* Principalius significare res (nisi fortè ipsa res significata sit conceptus, vel eius intentio.) *Ratio est.* Quia ipse conceptus ordinatur vltimatè, & principaliter ad repræsentandam ipsam rem, cuius est similitudo intentionalis; ergo vox, quæ solùm est instrumentum ipsius conceptus in repræsentando, & reddit sensibilem ipsum conceptum, ad easdem res repræsentandas principalius ordinabitur, quia ad hoc ipsum deseruit conceptus. *Dices Primo.* Instrumentum principalius respicit suum principale à quo mouetur, quàm effectum quem facit; Ergo ex eo quòd vox sit instrumentum conceptus, potius infertur quod principaliter illum sihnificet, & minus principaliter rem, quàm intelligibilem, seu cognoscibilem facit.

Resp. dist. ant. Instrumentum consideratum in ratione operandi, & agendi, *Conc.* In ratione repræsentandi, *Nego.* Quia instrumentum repræsentatiuum, quale est vox, habet pro principali principio suæ repræsentationis conceptum, qui etiam est repræsentatiuus rei, ad quam repræsentationem manifestandam aliis substituit sibi vocem, & sic præcipuum vtriusque significatum est res ipsa. Vnde dicit Sanct. Thom. Quæst. 9. de potentia, articul. 4. *Quod id formaliter significatur per nomen ad quod principaliter est impositum sicut nomen homo ad significandum compositum ex corpore & anima rationali.*

Contra Secundo. Verbum Diuinum principalius repræsentat Patrem, qui est principium exprimens Verbum, quàm creaturas, quæ sunt res expressæ, & repræsentatæ per ipsum; Ergo etiam Verbum exterius, seu vox, principalius repræsentabit suum principium Exprimens, scilicet conceptum, quam rem significatam, & expressam.

Resp. Primò. Transeat ant. & Nego Cons. Quia vox non est naturalis expressio sui principij, sicut Verbum, aut conceptus, sed imposita, & principaliter ordinata ad significandum, id quòd conceptus naturaliter repræsentat scilicet, res & sic non benè arguitur ex vno ad aliud *Secundò Resp.* Quod conceptus, seu Verbum principaliter repræsentat suum principale, & formale obiectum, quia est expressio sui principij formalis, quod est species impressa repræsentans obiectum, cuius formaliter est species; hoc autem in Diuinis est Essentia & Personæ. Creaturæ autem sũt obiectum secundarium, & materiale, & ideo non principaliter repræsentantur à Verbo diuino. Hinc autem non sequitur quòd Verbum exrerius, seu vox principalius repræsentet conceptum, quia non est formale obiectum repræsentatum, sed principale significatiuum rei.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm Terminus habeat aliquam diuisionem essentialem.

QVi asserunt essentiam Termini solùm consistere in ratione *Terminandi resolutionem syllogisticam*, duas diuisiones assignant Termino; aliam per se, qua diuiditur in *Terminum Prioristicum*, & *Posterioristicum*, eo quòd solùm datur ista duplex resolutio: aliam accidentalem, accidentis videlicet in subiecta, qua diuiditur Terminus in *maius Extremum*, & *minus Extremum.*

Qui autem quidditatiuam, & formalem rationem Termini in ratione *Partis* constituunt, illum essentialiter diuidunt penes diuersam specificam rationem partis componentis orationem, vel propositionem. Quænã verò sit ista diuisio? deinceps disquirendũ est.

Dico ergo Primo. Terminus Syllogisticus in quantum talis, non diuiditur diuisione essentiali per Terminationẽ resolutionis prioristicæ, vel posterioristicæ. *Fundamentum est.* Duplex, & opposita essentia non potest vni, & eidem rei conuenire, sed vni, & eidem Termino simplici conuenit terminare resolutionem prioristicam, & posterioristicam; ergo istæ duæ terminationes non sunt differentiæ essentiales essentialiter diuidentes Terminum. *Min. prob.* Idem Terminus, v.g. *Homo* quatenus fundat connexionem necessariam respectu propriarum passionum, aut prædicatorum essentialium, fundat resolutionem posterioristicam, demonstratiuam: respectu prædicatorum contingentium fundat topicam. Quatenus verò respicit Vniuersalitatem, aut particularitatem, affirmationem, vel negationem, fundat resolutionem prioristicam, quæ tota fundatur in *Dici de Omni*, & *Dici de nullo*, vnde terminantur diuersi modi, & figuræ formæ syllogisticæ. Ergo omnes isti respectus possunt eidem Termino cõuenire, & sic non essentialiter illum diuidunt, sed sunt diuersi respectus, & formalitates in eodem inuentæ.

Dico Secundo. Terminus Enuntiatiuus essentialiter diuiditur in *Nomen*, & *Verbum*, *in Cathegorematicum*, & *syncategorematicum.* Reliquæ verò diuisiones licèt diuidant Terminum secundùm diuersam rationem signi ex parte rei significatæ; non tamen diuidunt ipsam essentialem rationem Termini, vt est pars propositionis *Prima pars huius Conclus. prob.* Terminus Enunciatiuus formalis consistit in ratione partis componentis, & resoluentis propositionem (vt suprà dictum est) ergo illud per se, & essentialiter diuidet Terminum, quod per se, & essentialiter diuidit rationem partis. *Tunc vltra.* Sed in ratione partis diffe-

runt

runt essentialiter categorematicus, & syncategorematicus, & nomen, & Verbum; ergo diuisio Termini in ista membra est diuisio essentialis, & per se. *Prob. min.* Illa differunt essentialiter in ratione partis; quæ differunt in modo componendi totum, essentia enim partis est esse compositiuam Totius: sed categorematicus, & sycategorematicus, Nomen, & Verbum differunt essentialiter in modo componendi Enuntiationem; ergo differunt essentialiter in ratione partis, & Termini. *Prob. min.* Categorematicus ex propria sua essentia habet esse partem principalem, quæ significat aliquid per se, syncategorematicus habet esse partem per modum modificantis, & significantis, aliqualiter, vnde dixit Sanct. Thom. 1. Periher. lect. 1. *Quod ista syncategoremata magis sunt colligationes partium, quam partes.* Ergo vera est Minor quoad istam partem.

Quoad secundam constat. Quia *Nomen* componit vt extremum; *Verbum*, vt copula, & vnio; sed componere vt *Extremum*, & vt *Copula* ex natura sua, est diuerso modo habere rationem partis, ergo & Termini. Distinctio enim specifica partium in ratione partis sumitur secundum diuersas habitudines, & secundum diuersum modum componendi Totum ad quod ordinatur, vt patet in Pede, Oculo, Aure, quæ differunt specie in ratione partis, quidquid sit an etiam specie differant in ratione substantiæ. Ergo diuersus modus componendi Enuntiationem, qui reperitur in *Nomine*, & *Verbo* facit ea essentialiter differre in ratione partis, & Termini.

Secunda Pars proposita Conclus. Quod reliquæ Termini diuisiones non sint essentiales, sed Accidentales; neque diuidant Terminum in ratione *Partis*, sed in ratione *Signi*, constat discurrendo per eas. Nam diuisio Termini in *Mentalem*, *Vocalem*, & *Scriptum*, est penes diuersa subiecta, & penes diuersum modum significandi. *Mentalis* enim significat naturaliter: *Vocalis*, & *Scriptus* ad placitum, quod materialiter se habet ad ipsam essentiam Termini, quæ consistit in secunda intentione, & relatione partis. Diuisio in *Vniuocum*, & *Æquiuocum*, *Communem*, & *singularem*, *Connotatiuum*, & *Absolutum*, *Primæ intentionis*, vel *Secundæ*, est etiam Accidentalis, quia omnes istæ diuisiones fiunt ex parte diuisæ rei significatæ, vel diuersi modi significandi, non secundum diuersam ordinabilitatem vnius signi ad aliud, vel ad totum compositum in ratione Partis. Imo potius sunt diuisiones non *signi Logici*, idest, signi vt ordinatur ad fabricam, & compositionem discursus & iudicij, & vt est fabricatiuum operum Logicalium, sed *Signi Grammatici*, aut *Politici*, idest, signi vt diuersas res significat. Ergo tota diuersitas ex parte significantis, aut significationis se tenet. Ergo non diuersificant istæ diuisiones signum Logicum, aut Terminum essentialiter, quia omnes isti Termini ex parte diuersi significati præcisè differunt, quod materialiter se habet ad diuersum modum componendi propositionem, vel syllogismum. Sicut in Corpore Humano *Caro*, *Ossa*, & *Nerui*, differunt in ratione partis, quia diuerso modo componunt; quod verò hæc pars *Nasus*, vel *Auris* sit huius figuræ, vel coloris non variat essentialiter rationem partis. Sic *Totum Logicale*, quod est *Propositio*, tanquam principales partes sui respicit *Nomina*, seu extrema ex quibus conflatur, & quibus tanquam Ossibus innititur; *Verbum* vt vnionem, seu Neruum, *Syncategoremata* vt colligationes, & modos. Quod verò vniuocè, æquiuocè, communiter aut singulariter significent, materiale est ad rationem partis propositionis.

Dico Vltimo. Diuisio Termini in Prædicatum, & subiectum, & in *Maius*, & *Minus Extremum*, non est essentialis, sed accidentalis. *Probatur.* Esse prædicatum, & subiectum, Maius, aut Minus Extremum; potest eidem met Termino conuenire; ergo non sunt differentiæ aut membra diuidentia essentialiter rationem Termini. *Anteced constat.* Quilibet Terminus (præter Syncategorema & Verbum vt exercet munus copulæ) qui potest esse subiectum, potest esse prædicatum; essentia enim Termini extra propositionem inuenitur, & ibi habet Terminus esse subiicibile, & Prædicabile, de facto autem assumi intra propositionem in prædicatum, & subiectum; maius, aut minus extremum, est quid accidentale, & ad exercitium actuale Termini vt componentis spectans, eidemque pro arbitrio intellectus potens competere. Ergo membra ista non diuersificant Terminum essentialiter.

Obiicies Primo contra Secund. Conclus. Signum est Genus termini; ergo Termini, qui differunt essentialiter in ratione signi, à fortiori different essentialiter in ratione Termini. *Antec. Constat* ex supradictis *Vox* enim *significatiua ad placitum* constituitur in definitione Termini loco generis. *Conseq. probat.* Membra quæ diuidunt essentialiter aliquod genus; non possunt solum accidentaliter diuidere, aut diuersificare speciem ex tali genere compositam; sed Mentale, & vocale, commune, singulare, &c. diuidunt essentialiter signum quod est genus Termini; ergo non possunt solum accidentaliter diuidere, aut diuersificare Terminum. *Minor, & conf. constant.* Maior *patet exemplo.* Si enim Animal, quod est genus hominis, diuideretur, aut diuersificaretur essentialiter per aliqua membra, necesse esset quod eadem membra diuersificarent essentialiter hominē, & equum. Ergo, &c.

Respond. Disting. Antec. Signum est Genus Termini, si consideretur absolutè signum, & vniuersalissimè. *Neg. antecedens.* Si consideretur signum, vt subest intentioni Logicæ, idest, vt ordinabile ad opera rationis *conc. antecedens.* Et similiter *dist. conseq.* Ergo Termini, qui differunt essentialiter in ratione signi secundum eam rationem, qua signum est genus Termini, different in ratione Termini, *concedo consequen.* Secundum rationem absolutam signi, *neg. conseq.* Pro cuius explicatione pulchram obserua doctrinam. In artificialibus siue realibus, siue rationis, Materia dicitur esse genus, seu loco generis apponi. Potest autem Materia dupliciter considerari, aut secundum se; & absolutè; aut ingrediens Ordinem, Et lineam artificialem, verbi gratia Lapis, Lignum, Aurum; & Argentum sunt materia Artificialis physici, nempe *Statuæ*, & consequenter genus illius. Sed non sunt materia, neque genus absolutè, & secundum sua prædicata essentialia præcisè considerata, quia sic diuisio Statuæ in Ligneam, Lapideam, Auream (vel secundum diuersitatem Lapidum, aut lignorum) esset diuisio essentialis quod Nullus dicet; materialiter enim se habent ista ad rationem, & diuersitatem statuæ. Sunt ergo Lapis, & Lignum, &c. Materia, & genus statuæ vt subijciuntur formæ artificiali, & lineam Artificialem ingrediuntur. Naturalia enim, & Artificialia non pertinent ad idem genus, & sic species rerum Artificialium, non habent pro genere materiam secundum se, & absolute consideratam, & vt aliquid naturale est, sed vt ingreditur talem ordinem, vnde materia, nec diuisio, aut diuersitas materiæ, secundum se considerata non variat essentialiter Artefactum.

Sic similiter, Terminus est Artefactum quoddam Logicale; signum est materia illius, & ideo loco generis collocatur; sed non est materia secundum communem rationem signi, & absolutè consideratum sed vt subiicitur formæ artificiali logicali. Vnde, *Mentale, Vocale*, *Commune*, *Singulare*, &c. Non variant essentialiter *Terminum*, nec signum vt est genus termini, sed materialiter; Sicuti *Aurum*, *Lapis*, *Lignum* non variat essentialiter *statuam*, nec genus statuæ, sed materialiter, & accidentaliter solum, & ideo prædicti Termini accidentaliter distinguuntur, sicut etiam statua aurea, lignea, aut lapidea.

Secundò Arguitur. Propositiones distinguuntur specie penes diuersum significatum, aut diuersam veritatem, quam significant; ergo & Termini. *Cons prob.* Quia Terminus per se ordinatur ad propositionem; ergo Terminus qui per se ordinatur ad propositionem specie distinctam, erit Terminus specie distinctus. Ergo tandem ex significatione diuersificantur essentialiter Termini. *Confirmat.* Diuersæ sunt definitiones Terminorum: diuersæ intentiones Logicæ inueniuntur in illis: nec vnus terminus potest fieri alius, v. g. Terminus *Communis* nequit fieri *singularis*; ergo essentialiter distinguuntur; hæc enim sunt signa essentialia distinctionis.

Respond. Dist. antec. Propositiones distinguuntur specie penes diuersum significatum, &c. In ratione formali propositionis, & artificij logici, *neg. ant.* In ratione repræsentationis, & signi, *Conc. ant.* Et eodem modo distinguendum est consequens. Penes significationem enim distinguuntur Propositiones, & Termini *Materialiter*, non *formaliter*, seu in forma artificiali. Et sic Terminus non ordinatur per se, totaliter, & adæquatè ad vnam tantum Propositionem determinatam, sed ad quamcumque, quæ ex tali termino confici potest. Sicut Materia prima ordinatur ad quamcumque formam corruptibilem.

Ad prim. Part. Confirmat. Respond. Distin. Diuersæ sunt definitiones Terminorum, diuersitate accidentali *Conc. antec.* diuersitate essentiali, *Neg. antec.* Sunt enim præfatæ definitiones descriptiuæ, quæ solum explicant id quod est accidentale Termino vt sic, licet hoc sit essentiale Termino vt tali, *verbi gratia* Definitur Homo in quantum albus quod est *disgregans visum*: hæc definitio accidentalis est *Homini secundum se*, essentialis autem *Homini vt albo*. Sic Definitio connotatiui, communis, singularis, &c. Sunt accidentales Termino secundum se, & in communi; essentiales vero Termino vt connotatiuo, & singulari, &c. Isti enim Termini includunt rationem Termini tanquam subiectum, sicut Album includit corpus, & simum includit nasum; non tanquam genus. Eodem modo *Respond. ad sec. partem Confirmat.* Quod Intentiones Terminorum sunt accidentales Termino; essentiales tali Termino.

Ad tert. Part. Conc. ant. & *neg. conseq.* Vnus enim Homo nequit fieri alius, & tamen non sequitur quod distinguantur specie.

QVÆSTIO II.

DE NOMINE.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo Intelligenda sit illa Particula; Cuius Nulla Pars significat separata?

DEfinitionem *Nominis* supra positam, quæ essentialis est explicans rationes genericas signi Logici, & differentiales, quibus differt ab Oratione, Verbo, & Aduerbiis, scilicet *Vox significatiua ad placitum* (istæ particulæ iam sunt explicatæ in definitione Termini) *Sine Tempore* (hæc explicabitur in definitione Verbi) *Cuius nulla pars significat* separata, Finita, & Recta, aggredimur explicandam sequent. tribus Artic.

Aliqui ex Recentioribus Aristotelem deserunt in hac parte, & dicunt, quod aliqua nomina verè sunt Nomina, etiamsi habeant partes significatiuas; Vt hoc nomen *Equiferus*, *Respublica*, *Proconsul*, & alia compositæ figuræ, in quibus partes verè, & propriè significant separatæ; ergo falsa est ista pars.

Oppositum tamen expresè est Arist. *in 1. Periher. Cap. de Nomine*, vbi dicit, *In nomine quod est Equiferus, ferus per se nihil significat*; *quemodmodum in Oratione, quod est Equus ferus.* Idem asserit ibi S. D. lect. 4. Et rationem reddit, quam sic ad formam reducimus. Nomen dicit ex se vnum, & simplicem conceptum; si enim plures dicat non erit vnum, sed plura nomina: Ergo etiam si Nomen componatur ex partibus aliàs significatiuis, nulla tamen separata significare debet vt intra nomen existit. *Prob. cons.* Voces aliàs significatiuæ, quando assumuntur vt vnum Nomen componant, non ingrediuntur compositionem illius Dictionis vt componentes vnam significationem ex propriis suis significationibus, sed vt suscipientes aliam impositionem distinctam ab ea, qua primò impositæ sunt, vt significationem distinctam habeant à prima quam hbent; ergo non componunt Nomen vt significatiuæ sunt formaliter; ergo separatæ non significant, quia *vt coniunctæ* fuerunt impositæ, & *vt coniunctæ* significationem susceperunt, vnde etiamsi quælibet deponatur à sua prima significatione, coniunctum tamen semper significat, verbis gratia *Res*, & *Publica* significabant seorsum, & separatim *rem publicam*; coniunguntur in hac dictione *Respulica*, & vt sic coniunctæ impositæ sunt ad significandum *Ciuitatem*, vel *Regimen Commune* vnico simplici conceptu. Et sic nulla separata significat, nec ex eis separatis resultat Nomen. Aliud est enim componere ad suscipiendam nouam impositionem, aliud ad fabricandum, & construendum ex suis significationibus conceptum complexum, & compositum. Quando ad hoc componunt, componunt vt significatiuæ formaliter, secus vero quando componunt ad significandum de nouo aliquem simplicem intellectum, quem singulæ partes non significant.

Ex His ad Argum. Partes huius nominis *Equiferus*, *Respublica*, &c. Significant separara *Disting.* Significant

Significant separatæ quasi materialiter, & per accidens *conc.* formaliter *nego* Idest: significant secundum se sumptæ, non verò in ordine ad componendam illam vocem, cui imponenda est noua significatio conceptus simplicis. Sub hac enim formalitate non componunt vt significatiuæ, & vt impositæ antecedenter ad significandum, sed vt de nouo imponibiles, materialiter, & quasi non esset se habente prima impositione, & significatione. Sicut in hoc Nomine *Dominus* ly *Do*, & ly *Minus* significant seorsum, componunt illum terminum.

Contra instabis. In his vocibus *Proconsul*, *Prorex*, & similibus; attenditur significatio vtriusque partis vt resultet significatio Nominis; ergo significatio antecedens formaliter intrat compositionem illius. *Antec. probat. Proconsul* est idem quod *Vice Consul*, vbi non amittitur significatio de ly *Pro*, & ly *Consul*, sed potius attenditur vt significetur officium *Vice Consulis*; ergo intrant vt significatiuæ.

Resp. ex D. *Thom. vbi sup. Dist. ant.* Attenditur significatio vtriusque partis vt origo, & occasio ad imponendum illud coniunctum ad aliam significationem simplicem habendam, distinctam à prima, quam habebant partes *conc. anteced.* Attenditur significatio partis vt eadem seruetur partialiter intra Nomen, *nego anteced.* Pro quo est notandum, Quod aliud est à quo Nomen imponitur, aliud quid significat Nomen. Ad imponenda Nomina attenditur etymologia, & origo alterius prioris significationis, quæ non concurrit ad componendam significationem Nominis, sed ad originandam, quia impositor ex illa sumpsit occasionem ad imponendam aliam significationem, vt *Lapis* dicitur à *lædendo pede*, & significat lapidem; *Prouidentia à pro* & *Videntia*; *Propheta* quasi *procul fans*, *Proconsul* originatur à *Pro*, & *Consul*; *Respublica* à *Re*, & *publica*; sunt tamen diuersæ impositiones, & vna non est pars alterius, sed origo, vel occasio illius; & sic prædicta Nomina ab aliis etymologiam habent, sed non componuntur ex partialibus significationibus illorum.

Secundò Arg. Nomen complexum est verè nomen; & tamen habet partes separatim significatiuas; ergo malè ponitur illa particula *Cuius nulla*, *&c. Maior. prob.* Terminus complexus est verè Terminus, ergo Nomen complexum est verè Nomen. *Resp. neg. mai. Ad prob. conc. ant. & neg. con.* Disparitas est, Quia in Termino formaliter, & principaliter consideratur ratio partis, inuenimus autem partes compositas, vt *Brachium* est pars Hominis, composita tamen ex manu, digitis, neruis, &c. Est ergo Terminus complexus vnus terminus, quia est vna pars, etiamsi composita, & completa sit. In Nomine autem non principaliter, & formaliter attenditur ratio partis, sed ratio *Nominis*, idest quod sit *Notamen*, & designatiuum rei, inde enim dicitur *Nomen*, ad designandas enim, notificandas, & discernendas res vtimur Nominibus. Complexum ergo Nomen, non est vnum nomen, sed plura, quia non est *vnum Notamen*, & designatio, sed plures; & sic erit vnus Terminus, non vnum nomen.

Contra. Nomen æquiuocum est vnum nomen; & tamen significat plura, vt constat ex eius definitione; ergo licet Nomen complexum significet plura, erit Nomen, & vnum nomen. *Resp.* Quod æquiuocum est vnum nomen ratione vnius vocis significatiuæ, quia in concretis accidentium vnitas subiecti dat vnitatem simpliciter, & indiuiduam, licet formæ sint plures. Sicut subiectum habens colorem, & calorem, non est plura qualia, sed *vnum Quale*, vt dic. *in Logica Quæst.* 13. *art.* 2.

ARTICVLVS II.

Vtrum Nomen infinitum sit Nomen.

Explicamus hic particulam *Finita*, per quam diximus excludi Nomina infinita à ratione Nominis. Est autem Nomen infinitum, *Quod aliqua negatione apposita reddit suam significationem indeterminatam*, hoc est *infinitari* Pro quo nota, quod Negatio alicui Termino affixa dupliciter potest in illum agere, vel transeundo in significationem eius illam destruendo, & loco illius subrogando negationem talis rei significatæ quæ vtique conuenit omnibus subiectis talis negationis capacibus: aut non immutando eius significationem, sed remouendo compositionem, seu copulationem, quia vis illius affigitur verbo vt copula extrema. Quando primo modo fit, dicitur *infinitare*, idest indeterminare ipsum nomen: quando fit secundo modo dicitur *negare*, efficitque propositionem negatiuam. Vnde solùm exercetur effectus iste negandi intra propositionem, cum respiciat copulam.

Hinc est quod ad Infinitationem Nominis requiritur, quod negatio non significetur per se, & ex ipsa prima impositione, sed quod nomen afficiendo significationem eius reddat indeterminatam idest, non significantem *quid res sit*, sed *quid non sit*. Vnde ista nomina *Nullus*, *Nihil* non sunt infinita, quia significant ipsam negationem per se, & directè sub determinato suo conceptu, non verò significationem aliquam positiuam ex adiuncta negatione indeterminant.

Secundò est aduert. Quod nomen infinitum est incomplexum, & connotatiuum. Primum constat ex *Arist.* & *D.Thom.* 1. *Perih. cap. de Nomine*, id expressè asserentibus. Et ex ratione. Quia Nomen infinitum non relinquit suum significatum in eo statu in quo erat sed mutat in oppositum, scilicet in negationem sui significati; ergo non relinquit duplex significatum, nempe positiuum quod antea habebat, & negationem adiunctá (si enim relinqueret non mutaret illud) ergo non est complexum, siquidem non est ibi duplex significatum. Vnde in hoc complexo *Nullus homo*, non datur infinitatio, quia vtrumque significatum manet illæsum. Debet ergo omninò immutari, & ex duplici fieri, & consequenter incomplexum. Quod sit connotatiuum patet. Quia nomen infinitum non significat negationem in abstracto, sed in concreto; ergo significatur connotatiuè, quia de formali significat formam negatam, & ex parte habentis ipsum subiectum de quo verificatur in concreto, quod est connotatiuè se habere. *Antec. prob.* Quia Nomen infinitum verificatur de aliquo positiuo, sed non potest verificari si significet negationem in abstracto; ergo debet eam significare in concreto, & per modum adiacentis, *Min. prob.* Quia non potest verificari de lapide, v.g. *Lapis est negatio hominis*, sed *Lapis est non homo* Ergo vt prædicatur debet in concreto, & connotatiuè significari.

Sit ergo conclusio. Nomen Infinitum non est nomen; rectèque excluditur à ratione nominis per particulam *Finita*. Ita *Arist.* & *D. Thom.* hic. Prima pars, quod non sit nomen, ab Omnibus communiter admittitur; & probatur. Infinitatio tollit proprium, & essentiale officium Nominis; ergo nomen infinitatum non est nomen *Ant. prob.* Officium, & ratio propria nominis est esse *Notamen*, & designatiuum rei (vt supra diximus) *Nomen* enim dicitur à *Notando*, quia vnamquamque rem suo nomine notamus, discernimus & designamus, sed nomen infinitum nec notat, nec designat, nec nominat aliquid; ergo

non eſt nomen. *Min. Conſtat*, Quia nomen eo ipſo quod infinitatur reddit ſignificatum ſuum in determinatum,& ſolum ſignificat.*quid non ſit*, non vero *quod ſit*. vt videre eſt in *Non homo*, & ſimilibus.

Secunda pars concluſ. ſcilicet quod excludatur per particulam *Finita*. & non per aliam, eſt contra aliquos Recentiores, qui illam expungunt tanquam ſuperfluam, expreſſa tamen *S. Thomæ* tum *in Opuſ.* 48. *Cap. de Nomine*; tum *in* 1.*Perih. lect.* 5.vbi agens de Verbo infinito(idem autem eſt de Nomine)dicit *Quod Philoſophus prius definierat Verbum in communi, & poſtea per particulas iſtas excludit ea, quæ imperfectè ſunt verba* Ergo definitio perfecta, & exacta Nominis, & Verbi requirit iſtas particulas, abſque illis enim, & vt ad rem loquamur, abſque iſta particula *Finita*, non explicatur proprium munus,& modus ſignificandi Nominis, ſcilicet per modum *Notaminis*, ſeu notantis *quid ſit res*, hoc enim eſt nominare.

Nec excluditur nomen infinitum per illam particulam *Cuius nulla pars, &c.* Quia(vt diximus) nomen infinitum non habet partes, ſed eſt incomplexum: Si enim complexum eſſet, Propoſitio ex ſubiecto infinitato eſſet propoſitio negatiua, quia illa negatio etiam ferretur in copulam,& non ſolum in ſubiectum, cum ibi habeat ſuam ſignificationem partialem, quæ ſignificatiuè,& formaliter componit propoſitionem, & relicta ſuæ naturæ totum quod poſt ſe inuenit deſtruat: conſequens autem eſt abſurdum, vt patet in conuerſione per contrapoſitionem, quæ fit ex negatiua in affirmatiuam infinitatis terminis; ergo, &c.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

OBijcies Primò. Nomen infinitum eſt verè Terminus;ergo eſt verè nomen. *Ant.prob.* Eſt extremum,& pars propoſitionis, vt patet in hac *Lapis eſt non homo*; ergo eſt Terminus. *Prima conſeq. prob.* ex *D. Thom.* 1. *Perih. lect.* 1. dicente, Quod omnis propoſitio debet conſtare Nomine & Verbo, quia iſtæ ſunt principales partes eius; ergo ſi ex Verbo, & Nomine infinito fit verè propoſitio, nomen infinitum verè eſt nomen. *Confirm.* Verbum quod eſt copula in propoſitione vere eſt Verbum; ergo Nomen quod eſt extremum copulatum, aut copulabile verè eſt nomen, ſicut enim eſt de ratione Verbi quod ſit copula, ita eſt de ratione Nominis quod ſit extremum copulabile.

Reſp.ad Arg.conc.ant.& neg.conſeq. vt enim ſit Terminus,ſufficit quomodocumque ſit pars; vt vero ſit nomen requiritur,quod ſit pars per modum notaminis, ſeu notantis *quid ſit res*;& hoc non habet nomen infinitum. *Ad prob. ex D. Thom.Reſp.* explicando illam propoſitionem, Omnis propoſitio debet conſtare Nomine, &c. Quod per ſe, & ab intrinſeco, aut ex accommodatione & per accidens induat ſtatum,vel proprietatem Nominis *concedo*, quod per ſe, & rigoroſe ſit nomen, *nego*. Multa enim ponuntur in propoſitione vt extrema (ſic S, Thom. in præſenti lect. 5. & Opuſc. 48. cap. de Verbo) non quia ſunt nomina, ſed quia loco nominis collocantur, aut in vi nominis tenentur, vt ſi dicas *Currere eſt moueri*, *Heri non eſt Hodie*, *velociter non eſt tardè*. Iſta enim ex accomodatione intelligentis quamdam acceptionem nominis ſortiuntur, non ex proprietate ſignificationis, ſed per accidens tantummodo, & ſic conſtruunt propoſitionem. Dicitur idem de nomine infinitato.

Ad confirm. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. Diſparitas eſt, Quia vt ſit Verbum nihil aliud requiritur niſi quod ſignificet copulando, ſiue per modum copulæ; hoc enim eſt proprium officium,& munus Verbi, vnde ſi id habet, eſt verè Verbum. Nomen autem non ſolum dicit eſſe extremum copulabile, ſed per modum *Notaminis*, ſeu *notantis*, quod non habet nomen infinitum, & ideo non eſt nomen.

Secundo Arguitur. Nomen infinitum ſignificat aliquid certum, & determinatum ex parte ſui ſignificati formalis,licet ex parte materialis, & connotati indeterminatè ſignificet,ergo eſt verè nomen.*Conſeq.patet*, Quia vnaquæque res vt talis, vel talis ſit, aut dicatur, Iudicari debet ex ratione ſui formalis, quod eſt principale,& ſpecificatiuum in ea,non ratione ſui materialis, ant connotanti. *Ant. prob.* Quia *Non homo*, verbi gratia ſignificat negationem determinatam, ſcilicet hominis, & non equi, Sicut *Cæcum* ſignificat negationem viſus, & non auditus; ergo ſicuti *Cæcum* verè, & propriè eſt nomen, ita *Nonhomo*, & reliqua nomina infinita.

Confirm. Intelligibile, & *Imaginabile* ſignificant aliquid indeterminatum, ſicut & *Nonhomo*; dicuntur enim tam de eo quod eſt, quam eo quod non eſt;tam de ente reali, quam rationis; & tamen ſunt vere nomina; ergo ex eo quod nomen infinitum aliquid indeterminatum ſignificet, non debet à ratione nominis excludi. *Confirmat. ſecundo.* Nomina tranſcendentia, aut ſupertranſcendentia poſſunt infinitari, ſicut & alia per appoſitionem negationis;& tamen ſic infinitata ſunt verè nomina: *probo* *Nonens* verbi gratia ſic infinitatum aut ſignificat aliquid, vel nihil; ſi nihil ſignificat; ergo non ſignificat, ergo nec Terminus eſt, nec Nomen eſt, ſed per appoſitam negationem à ſua ſignificatione cadit. Si aliquid ſignificat, ergo ſignificat *ens*, & ſic *Nonens* ſignificat *ens*, quod eſt contradictorium.

Ad Arg. Reſp. Diſt. ant. Nomen infinitum ſignificat aliquid certum, & determinatum ex parte rei ſignificatæ, *tranſeat ant.* ex modo ſignificandi, *nego ant.& nego conſeqq.* Quia vt ſit nomen non ſufficit,nec requiritur quod rem certam, & determinatam ſignificet,ſed modo certo, determinato, deſignatiuo, certificatiuo,& per modum notaminis. *ad prob. Nonhomo* ſignificat negationem determinatam,*diſting.* ex parte rei ſignificatæ, *tranſeat.* modo determinato, quaſi notando, & deſignando *nego*. Pro quo nota. Quod ſignificare aliquid determinatum ſtat dupliciter, vel ex parte rei ſignificatæ hoc eſt rem determinatam ſignificare; vel ex modo ſignificandi. Ideſt modo deſignante quid ſit id quod ſignificat. Vt aliquid ſit nomen non requiritur quod ſignificet primo modo aliquid determinatum, nam quantumcumque aliquid ſit indifferens, & commune, etiam ipſa *Negatio, Intelligibile, Imaginabile, Ens*, ſi modo deſignatiuo, & notatiuo ſignificetur, id eſt, dicente quid ſit res, aut quomodo ſit, verum nomen erit quod ſic ſignificat. Si autem rem determinatam ſignificat indeterminato tamen modo, & non deſignante, aut notante quid, ſed potius quid non ſit, nomen non erit, quia non habet munus, & officium nominis, quod eſt nominare, ſeu deſignare; nominando enim diſtinguimus, & deſignamus vnum ab alio. Et non iudicatur aliquid eſſe nomen ſolum ratione rei ſignificatæ, ſed etiam ratione modi, qui modus tenet ſe ex parte formalis ſignificati, & diſtinguit Verbum à Nomine; alio enim modo ſignificat Verbum, alio Nomen, licet eamdem rem ſignificent vt *Curro*,& *Curſus*.

Hinc patet ad probationes, & Confirmationes. Cæcum enim etſi ſignificet negationem viſus, ſignificat quaſi notando & deſignando quid ſit, non vero quid non ſit forma, vt *Nonhomo*, *Intelligibile*, *Imaginabile*, *&c.* Res indeterminatiſſimas, ſed modo determinato. *Ad vltim. probation. Reſp negando minorem*; *ad probation.* Nonens vel ſignificat aliquid, vel

vel nihil, Dico significare negationem entis non modo determinato, & designatiuo, dicendo quid sit negatio entis, sed quid non sit. Ergo *Nonens* significat aliquid, *Disting.* In quantum significatur per illud nomen infinitatum *Nonens nego*; sic enim præcisè significat negationem entis modo indeterminato. Quatenus per reflexam cognitionem illamet negatio entis ad modum entis cognosci potest, & fieri ens rationis, *transeat* (quia tunc significabit ens, seu aliquid rationis, non per illud nomen *Nonens*, sed per aliud, quod significet illum reflexum conceptum Nonentis ad modum entis, verbi gratia *negatio rationis*, vel *Ens rationis*.

Vltimò Arg. Nomen infinitum habet partes significatiuas separatim; ergo exclusum manet à ratione Nominis per illam particulam *Cuius nulla pars, &c.* non verò excluditur per *Finita*. *Ant. prob.* *Nonhomo* constat ex *Non*, & *Homo*; sed ly *Non*, non componit nomen infinitum materialiter, sed significatiuè, & secundùm conceptum suum vltimatum: ergo mediante diuerso conceptu ab eo, quem infinitat, & consequenter nomen infinitum subordinatur duplici conceptui, & est complexum. *Min. prob.* Infinitatio huius vocis *Non homo* non prouenit à materiali sono illius vocis *Non*, sed à significatione formalissima illius, si enim ly *Non* non significat, nihil tollit, aut negat, ergo infinitat, significando, & non solum materialiter componendo.

Respond. sicut suprà dictum est de *Respublica*, *Proconsul*, *&c.* Quod in Nomine infinito, sicut & in nominibus compositæ figuræ, & est *Deriuatio* vnius nominis ab alio, & est *Compositio*. Si ad *Deriuationem* attendamus, certum est, quod ex significatione de ly *Non* deriuata fuit significatio de ly *Nonhomo*. Si attendamus ad *Compositionem* materialiter se habetin hac voce *Nonhomo* ly *Non*, & ly *homo*; & tamen infinitatio, qua impeditur significatio positiua nominis originatur, & fit à significatione de ly *Non*, & de ly *homo* deriuatiuè, & efficienter, non compositiuè, & formaliter. Datur ergo alia noua impositio, & significatio, secundùm quam nomen infinitum subordinatur vnico conceptui, & significat negationem hominis in concreto, quia penuria nominum non habemus simplices voces ad eam significandam; sic in infinitatione, ly *Non*, non est quomodocumque negatio, sed negatio mutans, & impediens significationem Nominis.

ARTICVLVS. III.

Vtrum Casus Obliqui rectè excludantur à Ratione Nominis?

EXplicando definitionem Nominis diximus Particulam *Recta* poni ad excludendos casus obliquos; hos enim non esse Nomina constat ex *Arist.* 1. *Perih. cap. de Nom. & Verbo.* Quia ratio propria, & officium Nominis est significare directè, & per se nominando; sed casus obliqui non sic significant; ergo non sunt Nomina. *Mai. ex Etymologia Nominis constat. Min. prob.* Quia significare aliquid nominando, est significare aliquid quasi notando, & designando quid sit in se, Casus autem *Cuius*, vel *Cui* significant rem vt est alterius, non per se, & in se; ergo non sunt nomina, quin potius *Casus* dicuntur, quia à propria Nominis ratione cadunt. Vide *& Arist.* & *D. Thom. ibi lect.* 4. asserunt Casus obliquos non sufficere per se solos constituere verum, vel falsum cum verbo *est*, sicuti Nominatiuus. Si ergo casus obliquus Nomen est, debitè ponitur particula *Recta*, vt per eam à ratione Nominis excludantur.

Sed Inquires. Cur prius *Arist.* definierit Nomen sine illis particulis *Finita*, & *Recta* & postea eas addiderit ad excludenda Nomina infinita, & obliqua? *Respondet S. Thom. lect.* 5. Aristotelem solum tradidisse prius rationes communes Nominis, & verbi, quasi incipiens definire per magis communia; postea verò consummauit magis exprimendo, quæ requiruntur ad rationem Nominis simpliciter.

Inquires secundò. An Obliquus, & Rectus habeant in intellectu conceptus eiusdem rationis, & speciei? Breuiter expediemus Dubium istud, quia lata eius explicatio ad Metaphysicam pertinet. Duo dicta S. *Thomæ* inueniemus in hac parte. Primum habetur 1. *Perih. lect.* 4. in fine, vbi dicit ex Philosopho *Quod ratio, quam significat Nomen, est eadem etiam in casibus nominis.* Hoc est, quod Rectus, & Obliquus ex parte rei significatæ idem significant, eundemque conceptum habent quasi categorematicè, & logicè, idest quod si Rectus est terminus absolutus connotatiuus, communis, &c. Sic & obliquus; istæ enim sunt differentiæ quasi categorematicæ, & logicæ.

Secundum habetur *Quodli.* 4. *art.* 17. vbi *S. D.* dicit cum diuersitate vocis posse esse diuersitatem conceptuum, *siue propter diuersitatem rei intellectæ siue propter diuersitatem modi intelligendi. Et hoc contingit quandocumque est diuersitas consignificationis; quæ consequitur diuersum modum intelligendi vnam, & eamdem rem. Et præcipuè hoc apparet in tempore; quod per se commiscetur operationi intellectus humani; & ideo dicendum est, quod non est idem enunciabile Socratem sedere, & Socratem sedisse.* Vbi S. D. apertè fatetur, quod diuersificatio Temporis in Verbo postulat diuersos conceptus. Constat autem casus obliquos verbi fieri penes diuersam temporis declinationem, vt dicunt *Arist. cap. de Verbo*, & ibi *S. Thom. lect.* 5. Qui idem asserit de casibus obliquis Nominis. *Quodl. citato ad* 3. dicens *Quod diuersitas significationis tollet Nominis identitatem; in tantum quod obliqui secundum Philosophum non sunt Nomina.*

Ergo secundùm *S. Thom.* casus obliqui diuersum conceptum habent à Recto, non ratione diuersæ rei conceptæ, sed diuersi modi concipiendi eamdem rem. In Obliquo enim exprimitur aliquis respectus, & habitudo possessionis; *Cuius*, *cui*, *&c.* Quæ non explicatur in Recto. Vbi autem diuersa habitudo, & respectus exprimitur in conceptu, diuersus conceptus est, & diuersa repræsentatio, quia iste respectus pertinet ad diuersum modum significandi, & intelligendi vnam, & eamdem rem. Ergo licèt ex parte rei significatæ non varietur conceptus, variatur tamen in ratione, & Officio Nominis, obliquando à modo significandi *in quid* ad modum *cuius*, *&c.* Et propterea dixit *S. D. quod Tollitur Nominis identitas*, in ratione, scilicet & modo nominandi. Quod manifestius cernitur in casibus Verbi, quia variantur penes significationem diuersi temporis præteriti, vel futuri, quæ sine dubio postulant diuersam repræsentationem.

Arguitur Primò. Esse *Prædicatum*, & *subiectum*; habere hanc vel illam suppositionem; mutari de vero in falsum, Conceptum, seu notitiam esse abstractiuam, aut intuitiuam, non faciunt diuersitatem essentialem in conceptu, neque addunt diuersam repræsentationem, sed solùm diuersum exercitium. Ergo similiter Casus obliqui solum distinguentur à Recto penes diuersum exercitium eiusdemmet repræsentationis, non verò addent diuersam repræsentationem.

Respond. Conc. ant. & neg. conf. Disparitas est. Quia aliqui Modi se habent solùm vt *Applicatio* conceptus: alij verò se habent vt *Explicatio conceptus.* Illi non

oriuntur ex diuerso modo intelligendi, aut repræsentandi rem, sed ex applicatione & vsu intellectus; quatenus intelligendo habitudinem vnius ad aliud diuerso modo applicat, & coniungit vnum alteri. Et huiusmodi est habitudo *Prædicati, & subiecti*; diuersitas *suppositionis*, &c. Similiter veritas, & falsitas nascitur ab *eo quod res est, vel non est*, vnde existente re, veritas consurgit in Oratione, non existente, consurgit falsitas ipsa Oratione inuariata, vt dixit *Arist. cap. de substantia*, eo quod non oportet variari repræsentationem, sed existentiam obiecti, vt diuersa relatio conformitatis, vel diuersitatis ad illud resultet. Eodem modo ex coexistentia obiecti cum notitia fit intuitiua, vel abstractiua absque noua repræsentatione (in sententia probabili) & sic Modi isti in Argum. citati, sunt applicatio conceptus solum, & ideo eum in repræsentatione non variant. Modus autem Obliquitatis quem importat *Futurum*: vel *Præteritum* in Verbo, *Quid*, *cuius*, *cui* in Nomine, pertinent ad diuersum modum intelligendi vnam, & eandem rem, vt dicit *S. D. citat. Quod l.* Intelligitur enim aliquid in Recto vt Persona, vel *Res Agens*, in Obliquo, vt *Patiens*, vel vt connotans esse alterius, quæ sunt diuersæ modificationes repræsentationis, & obiecti repræsentati, ortæ ex diuerso modo intelligendi illud. Habitudo enim Personæ *Agentis*, *Possidentis*, aut *Patientis*, *à quo*, vel *Cui*, non significatur vt res, sed vt *modus rei* quæ modò significatur vt *à quo*, modò vt *ad quem*, &c. Et sic sub illo diuerso modo explicandi producitur conceptus. Vnde non est sola applicatio, sed explicatio, & repræsentatio diuersa.

Arguit. Secund. Casus obliqui variant intrinsecam repræsentationem conceptus; ergo differunt categorematicè à Recto, quod est contra primum dictum *S. Thomæ.Conseq. prob.* Distinctio categorematica, & in ratione Termini habetur penes diuersum modum exprimendi vnam, & eandem rem, vt *curro*, & *cursus* idem significant, quia tamen vnum per modum fluentis, aliud per modum nominis, aut per se stantis, vnum est Nomen, & aliud Verbum, & idem est videre in Nominibus Finitis, quia categorematicè differunt ab Infinitis, *Confirm.* Album & Albedo differunt Categorematicè penes absolutum, & connotatiuum, quia licèt significent idem, differunt tamen ex parte connotati, seu substituti; ergo ly *Cuius*, & *Quid* facient à fortiori diuersitatem categorematicam.

Respond. neg. cons. ad probat. dist. ant. Distinctio categorematica habetur *penes diuersum modum* exprimendi eamdem rem, ita vt sit diuersitas solum ex parte significationis, *neg. ant.* Ita vt sit diuersitas ex parte significationis, & rei significatæ. *Con. ant.* Obliqui autem retinent eamdem rem significatam, & solum obliquant modum, & habitudinem intelligendi illam, & ideo non differunt categorematicè. Nomina autem infinita transferunt nomen in aliam rem significatam, scilicet in negationem sui positiui, & ita differunt categorematicè ex parte rei significatæ. *Ad Confirm. Respond. Conc. anteced. & neg. conf.* Absolutum enim & connotatiuum, commune, & singulare, diuersificantur penes modum significandi rei ipsi attributum, qui rem ipsam significatam in se modificat; vt Res absoluta à connotatione, vel cum ea; per modum adiacentis, vel per se stantis, diuersitatem rei aliquo modo importat. Casus vero Obliqui, solum dicunt diuersum modum consignificationis, pertinentem ad deficiētiam quamdam ipsius Nominis vt nomen est, in quantum nomen tali modo significat rem, vt notet seu designet, *quid illa sit*, obliquus vero quod sit *Alicuius*, vel *Alicui*, quod est variare modum consignificandi rem in ratione Nominis, quod pertinet ad modum consignificationis, non ad modum afficientem rem in se categorematicè: talis enim modus etiam per modum Nominatiui designari potest, & non solum in obliquo, vt patet in exemplis de communi, connotatiuo, absoluto, &c.

QVÆSTIO III.

DE VERBO.

ARTICVLVS I.

Quid sit significare cum Tempore, *&* absolui à Tempore?

IN Definitione Verbi solum restat explicare quid sit *significare cum Tempore*, & *Abstrahere à Tempore*, quia omnes aliæ particulæ in definitione Nominis explicatæ sunt. *Dico ergo primò.* Quod Verbum non solum *Adiectiuum*, sed etiam *substantiuum* habet diuersum conceptum ab extremis. De *Adiectiuo* Omnes concedunt. De *substantiuo* negant aliqui Recentiores dicentes, quod Verbum *Est* solum explicat conuenientiam suorum extremorum, dicitque in enuntiationibus connexionem non habentem conceptum peculiarem, & distinctum ab extremis. Contrarium tamen sentit *S. Thom.* 1. *Periherm. lect.* 5. dicens. Quod ideo *Arist.* dixit Verbum *Est* consignificare compositionem, quia non eam principaliter significat, sed ex consequenti: significat enim illud, quod primò cadit in intellectu per modum actualitatis absolutè nam ly *Est* simpliciter dictum significat actu esse. Quia vero actualitas, quam principaliter significat Verbum *Est*, est actualitas omnis formæ vel substantialis, vel accidentalis; inde est quòd cùm volumus significare quamcumque formam inesse subiecto, id significamus per Verbum, *Est*, & sic *ex consequenti significat compositionem.* Item in 1. Distin. 8. Quæst. 2. art. 3. ad 2. dicit *Quòd ly* Fuit, *&* Erit *significant essentiam per modum actus, & significant tempus.* Ergo proprium conceptum attribuit *S. D.* Verbo *Est*, vnionem autem ex consequenti, & pertinentem ad modum significandi Verbi, non ad rem significatam. Non Stat enim quòd participium de ly *Est*, scilicet *Ens* habeat proprium conceptum, quo significat entitatem vt sic, & verbum *Est* à quo illud deriuatur non habeat proprium conceptum.

Dico secundò ex *D. Thom.* 2. *Periherm. lect.* 4. Quod est *significare tempus* vt rem significatam, & hoc fit per Nomen *Tempus*, *Dies*, *Annus*, *Mensis*, Et est *significare habitudinem vnius temporis ad aliud*, & hoc fit per hæc, & similia Aduerbia *Heri*, *Hodie*, *Cras*, &c. Et est *Connotare tempus*, idest, significare rem aliquam cum determinatione alicuius temporis in quo fit, vt *Prandium* significat comestionem meridianam, connotando tempus in quo fit; *Cœna* comestionem serotinam, &c. Et tandem est *significare cum tempore*, quod est proprium Verbi, idest, *significare actionem*, *vel passionem prout in fieri*, seu per modum fluxus, & motus. Cùm enim Motus, & Actio tempore mensurentur, vt dicitur in *Physic.* Et motus sit ratione cuius cætera mensurantur tempore,

tempore, est namque Tempus, vt ibi dicitur *Numerus motus, &c.* (substantia enim secundùm se, & ex modo substantiæ, non est tempore mensurabilis, sed solùm prout subest motui & mutationi) inde est, quòd verbum dicitur *significare cum tempore*, quia per modum motus fluxus significat, seu quod idem est, actionem, & passionem prout in fieri, Nomen autem *sine tempore*, quia modo substantiæ, & per se stantis, seu notantis significat, & nullum est nomen, quod significet motum, actionem, vel passionem prout in fieri, vt videre est in *Curro*, & *Cursus*; eundem enim cursum significant, sed *Curro*, vt in fieri & exerceri, *Cursus* quasi in facto esse, & per modum substantiæ.

Abstrahere autem, seu *Absolui à tempore*, nihil aliud est nisi quòd Verbum ita vniat extrema quod non restringat ea vt stent pro differentia temporis quam importat, Vt patet in propositionibus æternæ veritatis, vt *Homo est animal*, & similibus. In quibus etsi verbum significet cum tempore, hoc enim ita intrinsecum, & essentiale est Verbo, vt ab eo nunquam absolui possit, aut dispensari, quia hoc conuenit illi ex vi propriæ significationis vt distinguitur à Nomine; non tamen vnit extrema dependenter à tempore, & sic ante omne tempus erat verum dicere *Homo est animal*. Et ideo appellantur istæ, & similes propositiones *æternæ veritatis*, non quia positiuam æternitatem, & durationem habeant, sed quia à tempore non dependent, nec fundantur in eo, aut per illud mutantur, si necessariæ sunt, *Pereunte enim vero*, dixit Augustinus *non perit veritas*. Verbum ergo absolui à tempore, est significare veritatem non dependentem à tempore, si enim veritas significata per Verbum, à tempore non dependet, neque etiam vnio extremorum à tempore dependebit: ergo Verbum in quantum vnit extrema non dependet à tempore, quod est absolui ab illo quoad exercitium vniendi, seu copulandi extrema, quæ connexionem intrinsecam habent, non contingentem, & temporalem, seu à tempore dependentem, Semper tamen cum tempore significat, quia per modum actionis, fluxus, seu motus significare debet etiam in propositionibus æternæ veritatis, quia ea quæ sunt æterna & independentia à tempore, per modum temporis intelliguntur à Nobis, & sic etiam quando vnio, seu copulatio verbi absoluitur seu non dependet à tempore ex parte extremorum super quæ cadit, adhuc intelligitur à nobis ad modum temporis, & ideo significat cum tempore, quantum ad modum significandi, licèt absoluatur à tempore quantum ad vnionem, & habitudinem extremorum.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

Primo Obiic. Multa verba non significant per modum motus, & fluxus, ergo non significant cum tempore. *Ant. prob.* Verbum *est* non significat actionem, sed *esse*, sicut ipsum *ens*, quod est eius participium *Habeo, Possideo, Quiesco*, & similia non significant motum aliquem, vel actionem sed oppositum actionis, & motus, ergo non significant cum tempore.

Resp. ex dictis Disting. ant. Verbum *Est*, *Habeo*, *Possideo*, &c. non significant actionem, aut motum ex parte rei significatæ *conc. ant.* ex modo significandi *neg. ant.* Vt enim de Verbo verificetur quod significet cum tempore, non requiritur quod res significata per Verbum sit actio, motus, passio, vel fieri, sed quod per modum motus, aut temporis significet, hoc est per modum transeuntis, & secundùm habitudinem præsentis, præteriti, vel futuri. Vnde Verbum *Est*, & alia in argumento numerata, significat actum essendi, & sua significata vt subest præsentiæ, & transit ad præteritum, & sic cum tempore ex modo significandi.

Secundò Obiic. Ad probandum Verbum non absolui à tempore. Verbum significat ipsam copulam, & vnionem extremorum, sed significatio Verbi nunquam mutatur, ergo neque vnio quam facit Verbum; ergo vel semper vnio dependet à tempore, & sic non absoluitur, vel mutatur significatio Verbi, *Confirm. Primò.* Verbum semper ex vi suæ significationis vnit mediate aliqua differentia temporis, vel de præsenti, vel de præterito, &c. Ergo restringit extrema vt stent, & verificentur secundum differentiam temporis, quam importat, siquidem secundum exigentiam illius vniuntur. Ergo nunquam absoluitur à tempore. *Confirm. secundò.* Si verbum absoluitur à tempore, erunt falsæ omnes propositiones affirmatiuæ, in quibus Verbum à tempore absoluitur. *Prob. sequel.* Erunt de subiecto non supponente; sed propositio affirmatiua de subiecto non supponente est falsa. Ergo *Mai. prob.* Suppositio debet verificari in ordine ad copulam, vt si dicas *Homo est animal*, debet verificari de Homine dicendo *Hoc est Homo*, demonstrato homine; sed si abstrahit à tempore non potest demonstrari quod *Hoc est Homo*, vt patet antequam homo crearetur; ergo suppositio non verificatur.

Resp. ad Arg. Dist. Mai. Verbum significat copulam, & vnionem extremorum immediatè, principaliter, & directè, *neg. Mai.* Ex consequenti. *conced. Mai.* Sed significatio verbi non mutatur *conc. min.* Ergo neque vnio, *neg. conseq.* Quia vnio, seu compositio non potest intelligi sine extremis vnitis, & componentibus, sed ab eis dependet quoad exercitium vniendi, & sic secundùm connexionem extremorum resultat vnio dependens à tempore, vel absoluta à tempore, secundum quod extrema à tempore dependent, vel non dependent. *Ad prim. Confirm. Dist. ant.* Verbum semper vnit mediante aliqua differentia temporis ex parte modi significandi, *conc. antec.* Ex parte rei significatæ, rei vnitæ, seu vnionis consecutæ in extremis *neg. anteced.* Ergo restringit extrema, &c. *Neg. cons.* Quia potius vnio trahitur ad modum extremorum, quæ vnit, & si ista non dependent à tempore, non potest vnio ea restringere, neque vnire dependenter à tempore, licèt significet, & vniat ex modo significandi in ordine ad aliquam differentiam temporis, quia non potest non significare cum tempore.

Ad Sec. Confir. Resp. neg. seq. & prob. vsque ad Majorem. Quam sic *Distingue*, debet verificari dicendo *Hoc est Homo* demonstrato homine quoad intellectum, *Conc. Mai.* Demonstrato homine ad sensum, seu existenter in tempore, *neg. Mai.* Suppositio enim ista est naturalis, & talis suppositionis verificatio non fit demonstrando subiectum existens in tempore, sed essentiam hominis quando dico *Hoc est Homo*, prout inueniri potest in omnibus indiuiduis.

Inquires. An verbum *Fuit*, & *Erit* quæ sunt casus obliqui Verbi *Est*, possint absolui à tempore. Videtur quod sic, quia Verbum *Est* cùm non sit Verbum æquiuocum, non significat duas actualitates, sed vnam, ergo sicut *Est* absoluitur, etiam *Fuit*, & *Erit*. Quod verò absolui non possint; prob. Quia tunc hæc propositio *Adam fuit homo* esset æternæ veritatis, quæ tamen falsa est pro illo tempore antequam esset creatus Adam.

Resp. duplici solutione. Prima negante Casus illos absolui posse à tempore. Quia *Fuit*, & *Erit*, restringunt suam significationem ad *futurum*; vel ad *præteritum* tantùm; quæ non est capax abstrahendi à tempore sicut ly *est*, aut ratio *Præsentis*: nam id quod *Præsens est*

potest significari vt non transiens, sed semper præsens qualia sunt ea, quæ non dependent à tempore vt duratio Dei,& Angeli. *Præteritum* autem ex parte rei significatæ essentialiter importat ipsū transitum, & successionem temporis, vnde vnio ex illa consecuta semper est dependēs à tēpore. Et hoc non euenit quia Verbum *est* habeat diuersas significationes, aut sit æquiuocum, sed quia *Fuit*, & *Erit* cadunt à significatione Verbi præsētis. Suntque alia multa Verba vt *Existere, Moueri &c.* quæ non possunt absolui à tempore.

Secunda solutio affirmat posse absolui à tempore *Fuit*, & *Erit* (de quo *D. Thom. 1. dist. 8. Q. 2. art. 3.*) siquidem attribuuntur Deo, vt cum dicitur, quòd Deus fuit ab initio, *Verbum erat apud Deum*; *Deus erit in æternum*, &c. Et tunc dicendum est, quod illa propositio *Adam fuit homo* erat vera antequam crearetur Adam, sumēdo ly *Fuit*; non pro eo quod est *extitisse*, sed pro eo quod est connexa fuisse illa duo extrema.

ARTICVLVS II.

Vtrum Verbum infinitari possit intra propositionem.

NOn loquimur de Verbo, quando tenetur in vi Nominis, vt cum dico *Currere, est non quiescere*, tunc enim infinitari potest, sicut & alia Nomina; sed de Verbo quando exercet rationem copulæ. Et consistit difficultas in hoc, vtrum Negatio possit ita subtiliter affigi Verbo intra propositionem vt infinitet significationem eius, & non efficiat exercitium copulandi, quod est proprium Verbi intra propositionem. Si enim negatio afficit Verbum vt copulat, propositio erit negatiua, & Verbum negatum, non infinitatum, quia negatio, quando infinitat, consumit totam suam vim intra terminum cui affigitur, ita quod ad alium terminum non transit, vt cum dico *Non homo est non rationale*, vbi prima negatio non transit vltra suum terminum, alioquin negaret Verbum, & non esset propositio affirmatiua. Si ergo Negatio afficit Verbum & quoad significationem, & quoad copulam, negatum reddit, non infinitatum; & sic Dubium consistit in eo vt videamus, An afficere possit significationem Verbi, & non copulationem; seu exercitium vniendi.

Conclusio est. Non potest Verbum intra propositionem infinitari, sed apposita negatione negatur; Benè autem extra propositionem. Ita *S. Thom.* expresſè 2. *Perih. lect.* 1. dicens. *Negatio afficiens Verbum intra propositionem remouet Verbum ab aliquo, & sic facit Enunciationem negatiuam. Quod non accidit ex parte Nominis, non enim Enunciatio redditur negatiua nisi per hoc quod negatur compositio, quæ importatur in Verbo, & ideo Verbum infinitum positum in Enunciatione fit Verbum negatiuum.* Quid expressius?

Ratione Prob. Verbum intra propositionem habet rationem copulæ, & exercet munus vniendi; ergo negatio afficiens Verbum intra propositionem negat illud, & non infinitat. *Conseq. prob.* Negatio afficiens Vnionem destruit illam, & propositionem reddit negatiuam (propositionem esse negatiuam nihil est aliud, quàm extrema ab inuicem remoueri, & vnionem eorum, quam exercet Verbum, dissolui, & destrui per appositionem negationis.) Ergo eo ipso quod negatio afficiat Verbum intra propositionem, intra quam exercet munus vniendi, negat illud, & non infinitat. *Dices* Negationem afficere significationem Verbi, non minus vniendi, seu rationem copulæ, & sic infinitare, non negare. *Contra* Vel negatio afficit Verbum quoad significationem tantum, & non quoad munus vniendi; vel afficit Verbum quoad vtrumque. *Si hoc secundum*, Negatur verbum, & tota propositio redditur negatiua, quia destruit munus vniendi, & remouentur extrema. *Primum fieri non potest.* Quia negatio afficiens significationem Verbi non potest relinquere vnionem affirmatam, sed necesse est in illam etiam inuehi, & destruere. *Probo* Des mihi Verbum infinitum, Nonne infinitatio illa reddit significatum Verbi in suum oppositum negatum, & sublatum? hoc est enim infinitari. Ergo ex vi talis infinitationis non potest reseruari copula affirmata. *Patet conseq.* Quia negatio significari debet vt remouens, & indeterminans formam positiuam; ergo quomodocumque applicetur Verbo, remouēdo significat. Ergo firma permanet ratio *D. Thomæ*, quod quia in propositione *negatio remouet Verbum ab aliquo, facit enunciationem negatiuam*, & sic Verbum infinitari non potest.

Dicere autem, quòd negatio infinitabit Verbum quoad significationem, & negabit quoad rationem copulæ, implicat, quia tunc neganter, & infinitanter se teneret eadem negatio, in quo manifesta est repugnantia, quia vt infinitans facit vnum simplicem, & incomplexum conceptum cum termino infinitato, vt negans debet habere conceptum distinctum, & complexum cum re negata (vt suprà dictum est) non potest autem vnica negatio simul pertinere ad conceptum complexum & incomplexum respectu eiusdem rei.

Secunda pars Conclus. Quod extra propositionem, Verbum possit infinitari, constat ex dictis, cum extra propositionem non teneatur in vi copulantis. Quod etiam docet *S. D.* 1. Perih. lect. 5. §. *Excludit quædam.*

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

Primò obiic. Verbum infinitatum adhuc intra propositionem significat cum tempore; ergo significat vniendo. *Antec. est Arist. Cap. de Verbo.* Et prob. Quia tale Verbum est declinabile, per præteritum, & futurum. *Conseq. prob.* Verbum habet, quod sit vnio ex eo quod significet cum tempore, ergo vbi significat cum tempore, significat vniendo. *Antecedens constat*, Quia nulla est particula in definitione Verbi, quæ explicet Verbum esse vnionem, nisi *significare cum tempore*, cum enim hoc sit significare per modum actionis, fluxus, aut motus, & actio, seu motus, quasi duobus terminis innitantur *à quo*, & *ad quem*, Verbum sic significans indicatur duobus extremis inniti, & copulam eorum esse.

Confirm. Ista est bona consequentia *Petrus habet non currere, ergo Petrus non currit*; ergo in consequenti ly *Non currit* infinitatur. *Prob. conseq.* Si non infinitatur, sed negatur, est mala consequentia, quia arguitur in ea *A non distributo ad distributum*; Et instatur casu quo Petrus currat, & disputet; tunc enim antecedens est verum, scilicet *Habet non currere* id est, *Disputare*, consequens autem *Ergo non currit*, est falsum sumpto ly *Non* neganter, quia eius contradictoria est vera, *Petrus currit*. Ergo debet sumi infinitanter in consequenti.

Resp. ad Arg. Dist. ant. Verbum significat cum tempore, &c. Remouendo, & tollendo formam, quam reddit negatam, & indeterminatam, *conc.* Ponendo aliquam formam determinatam, *Nego.* Ergo significat vniendo, *Distinguo*, vniendo positiuè, *Nego*: Remotiuè, *Conc.* Et sic efficit propositionem negatiuam, quia, vt sit affirmatiua, requiritur, quod determinatè vniat, & aliquid applicet, non autem remouendo tollat significatum Verbi, quia sic etiam remouebit à subiecto, si ei applicetur, quod est negare, non

non infinitare. Et sic explicatur *Arist.* quando dixit *Verbum infinitum consignificat tempus, & semper de aliquo est*, idest (vt explicat ibi S. D.) *est nota eorum quæ prædicantur*, quod significet tempus, & sit nota, non applicando, & vniendo, sed indeterminando, & remouendo, & intra propositionem solùm negando. *Ad Confirm. Resp.* Illam consequentiam esse malam, & nihil contra nos exinde inferri. Si autem ly *Non currere* sumatur in antecedente neganter, consequentia est bona, sed nihil probat, quia non infinitatur Verbum.

Obiic. Secundo. Istam consequentiam fecit *Arist.* 1. Poster. lect. 23. apud D. Thom. *Stellæ non scintillantes sunt propè nos; Planetæ non scintillant; ergo sunt propè nos.* Sed Minor non potest esse de Verbo negato; ergo est de Verbo infinitato. *Prob. Min.* Si esset de Verbo negato, esset Minor negatiua, & consequenter inferret conclusionem negatiuam, non affirmatiuam.

Resp. Aristotelem non sic formasse illum syllogismum, sed sicut ibi dicit *S. Thom.* dum dicit, *Formetur ergo syllogismus sic. Omne non scintillans est prope, Planetæ sunt non-scintillantes, ergo sunt prope*, vbi in vtraque præmissa *Non scintillare* sumitur infinitanter. Et etiamsi *Arist.* dixisset *Planetæ non scintillant*, deberet intelligi æquiualenter, idest, *sunt* stellæ quæ non scintillant, vel sunt *non scintillantes.*

Vltimo Arguit. Verbum obliquum etiam intra propositionem habet rationem Verbi; ergo etiam Verbum infinitum. *Resp.* Disparem esse rationem (vt dicit S. Thom. 2. Perih. lect. 4.) Quia Verbum obliquum potest copulare extrema in propositione saltem de præterito, & futuro, quia solùm cadit à Verbo quantum ad significationem temporis præsentis, non verò quoad indeterminationem actionis, seu rationem copulæ: nullius enim temporis Verbum præter Verbum præsentis temporis indicatiui significat actionem prout in fieri, sed prout faciendam de futuro, vel iam factam de præterito, & ideo dicuntur cadere à propria ratione Verbi, quæ consistit in significare actionem, vel motum prout in fieri. Infinitum verò per infinitationem perdit, seu impeditam habet copulationem positiuam, & determinatam, quæ fundatur in significatione actionis determinatæ, vt dictum est. Potest autem Verbum infinitum in vi nominis tanquam prædicatum, & subiectum propositionem componere, sed non copulando positiue. Et quando sumitur in vi Nominis non mutat significationem non significando cum tempore, sed mutat acceptionem, quia accipitur vt prædicatum, vel subiectum, quod etiam in Verbo non infinitato requiritur, vt cum dico *Currere est Moueri.* (§ § §).

QVÆSTIO IV.

De Oratione, & Modo Sciendi.

ARTICVLVS I.

Vtrum sit Bona definitio Orationis; & Quod sit eius definitum?

DEfinitionem *Arist.* non Omnes acceptant, sed reiiciunt, ex eo quod videtur coincidere cum Termino complexo, qui etiam habet partes seorsum significatiuas. Vnde aliter definiunt Orationem dicentes, quod *Oratio sit plures dictiones, seu termini congruè se habentes* quasi hoc etiam non inueniatur in Termino complexo. Alij Orationem sic definiunt, *Oratio est vox significatiua ad placitum constans nomine, & verbo mutuo congruentibus*, vel saltem verbo, & voce, si non significatiua sit: Alij tandem definitionem *Aristotelis* admittunt, sed dicunt Formam Orationis esse ipsam grammaticalem vnionem partium.

Prima conclusio. Optima est Orationis definitio tradita ab Aristotele, scilicet *Oratio est vox significatiua ad placitum, cuius partes separatæ significant vt Dictio, non vt affirmatio, & negatio*: Et eodem modo essentialis, & quidditatiua sicut definitio Termini, vel Nominis. Communis est Assertio ista, cuius nulla est alia probatio, quam ipsius definitionis explicatio Hanc tradit S. *Th.* 1. *Perih. lect.* 6. Quam ad formam sic reducimus. Totum in communi optimè definitur per hoc quod sit, *Id quod habet partes*, seu *ex partibus componitur*; ergo tale Totum in particulari optimè definietur per hoc quod sit quòd tales partes habet, vel ex talibus partibus componitur. Sed Oratio est quoddam Totum significatiuum, logicum, seu compositum quoddam totale; ergo optimè definitur per hoc quod sit *Vox significatiua ad placitum cuius partes separatæ, &c.* Conseq. est euidens; Quia per hanc definitionem explicatur quidquid essentialiter conuenit huic composito, quod est *Oratio*; quidquid debent habere partes ex quibus componitur, & id in quo ab aliis à definito differt. *Min. prob.* Oratio pertinet ad secundam operationem intellectus, quæ est Compositio, quia per Orationem explicamus aliquid coniunctum, & compositum cum alio, sicut per Terminum aliquid seorsum, & simpliciter prolatum. Ergo Oratio quæ est quoddam Totum Logicale, & significatiuum optimè definitur per hoc quod sit *Cuius partes separatæ significant, vt Dictio.*

Et notauit *S. Thom.* non dixisse *Aristotelem*, cuius partes significant aliquid, sed *significant* absolutè, propter Negationes, & Syncategoremata, quæ non significant *aliquid*, sed *aliqualiter*, & tamen sunt partes Orationis, in qua necesse est quod saltem aliqua pars significet aliquid, idest, sit Nomen, aut Verbum, licèt aliæ significent aliqualiter. Item dixit *Vt Dictio, non vt affirmatio*, Quia partes Orationis saltem debent significare *vt Dictio*, hoc enim ad minus in qualibet Oratione reperiri debet; si tamen habuerit etiam partes *vt affirmatio*, melius erit, vt in Hypothetica. Præterquam quod ratio partis per se solùm inuenitur in Dictione, seu Termino, propositio autem etsi componat hypotheticam non est pars per se primo, sed per accidens, vt supra diximus.

Ex Dictis infertur Definitiones alias non esse bonas, nec propter eas Aristoteles deserendus; esse enim Orationem *Plures dictiones congruè se habentes*, præterquam quod etiam conuenit Termino complexo, non explicat benè illius essentiam, quæ sita est in eo quod sit Totum quoddam compositum, & totale coniunctum; res autem composita non aptè definitur dicendo, quod *est Plures partes*, sed quod est aliquid vnum compositum ex partibus. Minus etiam placet quod Oratio sit vox *constans nomine & Verbo.* Multæ enim adhuc ex Orationibus perfectis non constant nomine, vt *Currere est moueri.* Imò potest Oratio constare Verbo, & aduerbio vt *Velociter curritur, Benè est.* Etiam datur Oratio imperfecta (quæ verè oratio est, licet generet sensum imperfectum) sine verbo, vt *Homo iustus*, quam *S. Thom.* 1. *Perih. lect.* 4. asserit esse orationem. Ergo non est de essentia Orationis in communi, quod constet nomine, & verbo.

Secunda

Secunda Conclusio. Forma essentialis Orationis non est vnio Grammaticalis partium, sed prædicatorum (si loquamur de forma partiali) aut significatio ipsa complexa, & composita, vt induit intentionem Totius (si loquamur de formali Totali.) *Prima pars prob.* Quia vnio est coniunctio, & applicatio vnibilium; per vnionem enim forma applicatur ad suam materiam, seu subiectum: ergo vnio in quantum vnio, non est forma constitutiua compositi, sed medium aut copula extremorum, ergo supponit extrema constituentia, quorum illud quod est forma applicatur per vnionem, vt constituat; sicut in Homine non est forma constituens vnio, sed applicatio animæ, quæ est forma constituens, Vt ergo in Toto physico datur forma partialis, quæ est *Anima* respectu corporis; & datur forma Totalis, quæ est *Humanitas* respectu suppositi; ita in Oratione forma partialis est *Prædicatum*, vel quod respectu subiecti ponitur loco prædicati, vel potius quia (vt ait *S. Tho. 1. Perih. lect.* 8. in Oratione vna pars debet aliam determinare, illa quæ determinat est Forma, & si adinuicem se determinant, adinuicem sunt formæ, forma vt determinat, materia vt determinatur sicut in contractu Matrimonij dici solet, quod verba contrahentium adinuicem sunt forma, & materia) Forma vero totalis est significatio Orationis totalis, & complexa vt induit respectum, & intentionem Totius, & sic quasi relatiuè opponitur Termino, qui est pars, habens sicut iste essentiam suam in oratione partis, Oratio essentiam suam in significatione complexa per modum Totius.

De Definito Orationis dicendum est esse formam Orationis in concreto, conformiter ad ea quæ dicta sunt supra de Definitione Termini, & semper dicenda sunt de definito cuiuscumque concreti accidentalis.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

Primo Obijc. Termino complexo conuenit etiam habere partes significatiuas, vt dictio, &c. ergo conuenit Termino complexo tota definitio Orationis: ergo non est bona. *Ant. patet* ex definitione Termini.

Resp. Disting. ant. Termino complexo conuenit habere partes formaliter, *nego ant.* Materialiter, *conc. ant.* Appellatur *pars formaliter* illa quæ componit sub formalitate partis: formalitas autem partis est in Ordine ad Totum, quod respicit, & quod componit sistendo in eo, ita vt ad aliud vlterius non ordinetur. Quando autem partes ita componunt aliquid, quod in illo non sistitur, sed vlterius ordinantur ad Totum, tunc dicitur illud habere *partes materialiter*, & non sub formalitate partis. Dupliciter ergo possunt partes coniungi in aliquo vno; vno modo taliter quod in illo terminetur, & sistat earum compositio tanquam in quodam toto: alio modo vt componant illud non sistendo in illo, sed ordinando vlterius ad Totum, quod illa pars composita etiam respicit. Exemplum habes in *Brachio*, aut *Pede*, istæ enim partes ordinantur ad componendum animal, quod est Totum, & ibi terminatur, & sistit earum Vnio, Animalque dicitur compositum ex partibus formaliter, seu sub formalitate partis, idest, ex partibus respicientibus ipsum vt Totum quod componunt, & in quo sistunt. Caro autem, Nerui, & Ossa, ex quibus Brachium componitur sunt partes materialiter, quia non componunt Brachium tanquam quoddam Totum in quo sistant sed tanquam partem principaliorem, & compositam, (dantur enim in Totis & partes simplices, & partes compositæ ex aliis partibus) quæ ordinatur ad ipsum Animal componendum. Et tamen si Brachium, vel pars alia organica separetur ab Animali, & fiat quoddam Totum, partes eius ordinabuntur ad ipsum in ratione partis formaliter, id est, sub formalitate, & relatione partis ad Totum.

Igitur Oratio, seu Propositio est quoddam Totum ex partibus constans. Partes autem huius Totius, aliæ sunt simplices, vt Termini incomplexi; aliæ sunt compositæ vt cōplexus, qui est quasi Brachium Orationis, seu pars composita non Totum etsi habeat partes, quia ita ad vnãtur illæ partes in Termino cōplexo, quod per illum ordinantur ad aliquod totum vlterius componendum, nempe Orationem. Idem autem complexum *Homo Albus*, si separetur, & sumatur per modum Totius (vt Brachium separatum ab animali) fit Oratio imperfecta, vt autem est in Oratione, est pars composita. Vnde Oratio imperfecta, & Terminus complexus materialiter coincidunt, differunt tamen formaliter, quia complexus semper est pars, etsi composita ex partibus; Oratio vero etiam imperfecta semper est Totum.

Contra. Oratio imperfecta etiam vt Oratio, est pars, ergo tota solutio ruit Ant. Prob. Primo ex *D. Thom. 1. Perih. lect.* 9. dicente, quod *Oratio imperfecta est pars orationis perfectæ.* Item idem S. *D. Opusc.* 48. *Tract. de Enunciatione cap.* 3. sentit Orationem imperfectam pertinere ad primam operationem intellectus; & non ad secundam, dicit enim ibi, Quod *sensui, quem generat oratio imperfecta aliquid deest, scilicet compositio, & diuisio*; ergo deest id, quod spectat ad secundam operationem; ergo remanet intra limites primæ; ergo intra rationem partis, quia quidquid ad primam operationem pertinet, est pars respectu aliarum. *Secundo.* Oratio perfecta est Totum completum in genere Orationis; ergo Oratio imperfecta, cum sit aliquid incompletum est minus ipso Toto; ergo est pars.

Resp. Neg. ant ad Prim. prob. ex D. Thom. Resp. Quod S. D. vocauit Orationem imperfectam *Partem*, vel sumendo partem largo modo, pro eo quod est Totum *imperfectum*, id enim quod in aliquo genere ad perfectum non peruenit, appellatur initium, vel pars illius. Aut si sumit partem strictè, & propriè, loquitur de Oratione imperfecta materialiter, id est, vt est Terminus complexus, non de ea formaliter vt Oratio, & Totum. *Ad Sec. Prob. ex eodem S. D. Resp.* deesse Orationi imperfectæ Compositionem, & Diuisionem, quæ sit quasi *Affirmatio*, & *Negatio* tollens suspensionem animi, deest igitur ei compositio, & diuisio, quæ sensum perfectum generet, non verò deest ratio secundæ operationis, quæ est compositio, & diuisio imperfecta. Imo ex hoc quod generat sensum suspensum, & imperfectum conuincitur differre à Termino complexo, quia iste puram apprehensionem plurium rerum, seu conceptuum generat, nullum tamen sensum etiam suspensum facit, & sic manet intra rationem Termini, & partis. At vero Oratio imperfecta vltra rationem apprehensionis, sensum aliquem generat, licèt inchoatum, & imperfectum, quia incipit transire ad compositionem Totius (vt quando verbi gratia profero hanc Orationem *Homo albus*) & quasi aliquid vlterius vult dicere, suspendit tamen ibi, & non consummat sensum. Pertinet ergo ad secundam operationem etsi modo imperfecto, & inchoato, & sic non est pars, sed Totum.

Ad secund. prob. ex ratione Resp. Dist. conf. Ergo Oratio imperfecta est minus ipso Toto intra genus Totius, scilicet totum imperfectum, *conc. conf.* Extra genus Totius ita vt sit pars, *neg. conf.* est enim Oratio imperfecta quasi Oratio inchoata respectu perfectæ, seu quasi fieri respectu Totius perfecti, quod quia suspenditur, vlterius non progreditur, neque ad rationem perfecti peruenit.

Secundo Arg. Si ly *A* imponeretur ad significandam istam

istam Clausulam *Homo est albus*, tunc ly *A* esset Oratio & non haberet partes significatiuas; ergo hoc non requiritur ad Orationem. Item in opinione probabili propositio mentalis est qualitas simplex; ergo tunc Oratio non habet partes significatiuas. *Resp.* Quod in illo casu ly *A* haberet partes significatiuas virtualiter, aut æquiualenter, licet non formaliter, quia subordinaretur pluribus conceptibus. *Ad sec. prob. Resp.* iuxta illam opinionem dicendum esse, quod licet propositio, aut Oratio non habeat partes entitatiuè, habet tamen illas obiectiuè, quia significat aliquid complexum. Et etiam habet illas præsuppositiuè, quia ex pluribus apprehensis conceptibus, tanquam ex præsuppositis formatur.

Inquires. Quomodo Oratio, Terminus, & alia instrumenta Logicalia, cum formaliter sint entia rationis, definiuntur per *vocem* (Oratio est *vox*, Terminus est *vox*, &c.) Quæ est aliquid reale? *Resp.* Omnia prædicta definiri per *vocem*, tanquam per subiectum extrinsecum, & fundamentum in quo secunda intentio rationis fundatur. Et sic S. Thom. 1. Perih. lect. 4. dixit, *Quod ista debet concedi* Scutella est lignum figuratum, *& similiter* Nomen est vox significatiua; *licet etiam denominatiuè concedatur, quod Scutella est lignea, & Nomen est vocale.* In Artificialibus enim materia potest prædicari de toto, quia continet totam eius substantiam, & forma artificialis solum addit accidens. Et quando *Arist.* 7. Metaph. Tex. 35. negat quod statua est aurum, seu lapis, loquitur de lapide vt non figurato, nec subiecto formæ artis, sed sumpto precisè pro substantia naturali, vt ibi explicat S. D. Vnde quia accidens, seu forma in concreto supponit pro subiecto, quando subiectum est aliquid reale, & forma ens rationis non potest absolutè dici, quod est ens rationis, sed cum addito, scilicet *pro formali*; absolutè autem potest dici ens reale ratione eius pro quo supponit in concreto.

ARTICVLVS II.

Vtrùm definitio definitionis, rectè sit tradita?

COmmuniter definitur Definitio, quod sit *Oratio naturam rei, aut nominis significationem explicans*, vbi includitur tam definitio nominis, quam rei; & quantum ad definitionem quid rei, sumitur ex Arist. qui sæpe dicit definitionem esse operationem significantem quid erat esse rei, vt 1. *Topicor. cap.* 4. *&* 7. *Topic. cap.* 2. *& latè in* 7. *Metaph. & in* 2. *Post. lect.* 2. apud *D. Thom.* Vbi etiam S. Doctor dicit, quod definitio *est Oratio significans quod quid.*

Circa quam definitionem Aliqui reijciunt ab illa rationem orationis, quæ se habet vt genus, quia existimant orationem non inueniri sine verbo: Alij per aliud extremum putant ita requiri orationem ad rationem definitionis, quod solum in propositione inueniatur actu definitio, videlicet cum applicatur suo definito de quo verificatur, vnde consequenter docent definitionem non tantum posse dici bonam, aut malam, sed etiam veram, vel falsam, quia omnis enuntiatio vera, vel falsa est. Quod tamen Alij etiam extendunt, vel contendunt conuenire definitioni, etiamsi enunciatio non sit, eo quod existimant in simplici apprehensione dari verum vel falsum.

Circa id verò quod pertinet ad differentiam definitionis, scilicet quòd sit explacatiua naturæ rei, Aliqui addunt, quod explicet naturam, vel proprietatem rei, quia existimant definitionem descriptiuam, proprietatem rei declarare, non essentiam definire.

Dico primo. Rectè traditur definitio definitionis per Orationem tanquam per materiam, intelligendo nomine *Orationis* etiam terminum complexum; potestque inueniri definitio extra propositionem. Prima pars est communiter recepta: & quod nomine *Orationis* debeat intelligi oratio imperfecta, quæ materialiter coincidit cum termino complexo, ex eo constat; Quia definitio potest esse prædicatum in aliqua propositione categorica, officium autem prædicati in categorica solum conuenit termino. Similiter *D. Tom.* sæpe docet definitionem pertinere ad primam operationem intellectus, vt 1. 2. *q.* 90. *a.* 2. & *Quodlib.* 5. *a.* 9. *&* 1. *part. q.* 17. *art.* 3. cum tamen de oratione strictè dicta dixerit, pertinere ad secundam operationem 1. *Periherm. lect.* 6. Ac denique, Quia definitio directè est modus sciendi in quantum est manifestatiua alicuius ignoti, ad rationem autem modi sciendi optimè dixit *D. Thom.* 7. *Metaphys. lect.* 9. requiri, *Quod non sit vna dictio, quia vna dictio non est manifestatiua, eo modo quo nomen minus notum manifestatur per notius.* Requiritur ergo ad rationem modi sciendi, quod in illo concurrant plures dictiones seu termini conducentes ad explicandum aliquid ignotum. Quod verò sit oratio perfecta, vel imperfecta, vel per modum termini complexi, aut orationis, materialiter se habet; dicitur tamen communiter oratio, quia cum modus sciendi inueniatur tam in oratione perfecta, quam imperfecta, & quando inuenitur in oratione imperfecta materialiter solum sit terminus complexus, vt vnico vocabulo definiretur, dicitur esse oratio, & habet orationem pro materia quia formalis ratio est esse artefactum Logicum ordinatum ad manifestandum ignotum, quod instrumentum fit ex oratione, tanquam ex materia, sicut syllogismus ex propositione.

Secunda verò Pars Conclusionis sumitur ex *D. Thom. in* 1. *Periherm. lect.* 8. vbi inquit ex *Arist.* Quod definitio oratio quædam est, & tamen si ad *rationem hominis*, idest, definitionem, non addatur verbum aliquod, vel casus verbi, nondum est oratio enuntiatiua & 2. Poster. lect. 2. §. *Quæ talis est, In definitione* (inquit) *non prædicatur aliquid de aliquo sicut in hac definitione homo est animal bipes neque prædicatur animal de bipede, neque bipes de animali.* & lect. 5. §. *Inducit rationem, &c.* dicit *Manifestum est, quod definitio significat vnum aliquid, vnde ea quæ ponuntur in definitione ad significandam vnitatem debent poni absque copula, vt dicatur quod homo est animal risibile bipes, non autem debet dici, quod sit animal & bipes.* Et Fundamentum huius est, Quia vel definitio debet esse in propositione ad hoc vt copulentur ipsæ partes definitionis inter se, vel vt ipsæ partes applicentur subiecto definito, ita quod hæc applicatio requiratur ad rationem definitionis: primum est apertè falsum, nam si partes definitionis coniungerentur inter se per copulam enunciatiuam, cùm illæ partes sint genus, & differentia, propositio illa definitionis redderetur falsa, vt si dicerem *Animal* (idest genus) *est rationale*, in definitione hominis. Si secundum, manifestè constat quod applicatio definitionis ad definitum non facit, sed supponit definitionem, quia hæc applicatio non reddit illam explicatiuam sui definiti, siquidem per illud complexum quod applicatur, definitio adæquatè explicatur, eo quod continet genus, & differentiam illius; ergo hæc applicatio non pertinet ad constitutionem actualem definitionis, sed ad execitium actuale prædicationis eius.

Dico Secundò. Et si definitio possit dici bona, vel mala, non tamen per se dicitur vera, vel falsa, sed solum per accidens. Quod sit dicenda bona, vel ma-

la

a Omnes admittunt, quia hoc est commune omni modo sciendi, quatenus manifestat ignotum per conuenientem, & debitam explicationem; vbi autem est conuenientia debita, etiam denominatur aliquid bonum, & si sit indebita, malum. Quod verò definitio dici possit vera vel falsa, Aliqui affirmant (vt diximus) existimantes etiam in simplici apprehensione posse dari verum, vel falsum, non quidem affirmatum vel negatum, sed per simplicem conformitatem, vel difformitatem. Alij negant, quia *Arist.* solùm in enuntiatione dixit dari verum, vel falsum.

Sed litem dirimit Sanctus Thomas 1. p. quæst. 17. art. 3. vbi inquit: *Quia fasitas intellectus per se solum circa compositionem intellectus est, per accidens etiam in operatione intellectus, qua cognoscit quod quid est, potest esse falsitas, in quantum ibi compositio intellectus admiscetur, quod potest esse dupliciter; vno modo secundum quod intellectus definitionem vnius attribuit alteri, vt si definitionem Circuli attribuat Homini; alio modo secundum quod partes definitionis componit adinuicem, quæ simul sociari non possunt, sic enim definitio non solum est falsa respectu alicuius rei, sed etiam in se; vt si formem talem definitionem, animal rationale quadrupes, falsus est intellectus sic definiendo, propter quod falsus est in formando hanc compositionem, animal rationale est quadrupes.* Ita D. Thom. Ex cuius verbis constat quomodo definitio possit dici vera, vel falsa, nempe per accidens, idest, per aliud, quatenus hoc ipso quod coniungit complexè partes explicantes naturam definiti, ita conuenienter debet illas coniungere quod possint prædicari de tali definito, & simul, & vnaquæque seorsum; ex illa autem prædicatione participat veritatem, aut falsitatem definitio, quatenus ad illam dicit habitudinem, & ordinem.

Dico tertiò: Definitio Descriptiua, & Quidditatiua non differunt ex parte rei definitæ, sed ex parte partium definientium, seu illorum per quæ traditur definitio. Hanc conclusionem proponimus ad expungendam quandam particulam, quam Aliqui addunt in definitione, scilicet quod sit *Oratio explicans naturam, vel proprietatem rei*, non enim proprietas rei explicatur in definitione descriptiua, sed ipsa proprietas explicat quidditatem rei, tanquam accidens illius, & ideò dicitur definitio descriptiua esse accidentalis, quia traditur per accidentia, quare proprietas rei non potest pro definito poni, quasi in hoc distinguatur definitio quidditatiua, & descriptiua, quod illa explicet naturam, hæc proprietatem. Absurda est hæc intelligentia; Quomodo enim proprietas potest esse definitum, & explicatum, cum sit definiens, & explicans? Quare in vtraque definitione res ipsa, seu natura rei est quæ definitur, aliquando per genus & differentiam, aliquando per proprietatem loco differentiæ. *Nec obstat*, quod quando definitur homo, Animal aptum ad ridendum, ly *aptum ad ridendum*, significat ipsam hominis passionem, vel hominem sub ea; hoc inquam non obstat, æquiuocatur enim de significatione nominis, & de manifestatione, seu explicatione definitionis, nomen quidem *Risibile*, siue *aptum ad ridendum* significat proprietatem rei quasi repræsentando, & significando; sed ipsum *Risibile* quod est significatum per nomen, manifestat nobis quidditatem hominis modo accidentali definiendo.

Dico vltimo: Conditiones requisitæ ad bonam definitionem optimè sunt assignatæ. Illas explicauimus in nostro Textu Cap. de Definitione, & pendent omnes ex prima scilicet, Quòd definitio debet constare genere, & differentia, vel aliquo supplente vicem generis, & differentiæ. Ex hoc enim manifestè sequitur quod definitio sit clarior, & explicatior suo definito, & quòd non sit redundans, nec diminuta, cum explicet ipsos terminos intra quos definitum clauditur, & quod conuertatur cum suo definito.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

Contra totam definitionem Definitionis solet fieri illud commune argumentum, Quia repugnat idem esse simul definitum, & definitionem, esset enim notius & ignotius se ipso; ergo si definimus definitionem, ipsa definitio erit definitum, siquidem est id quod definitur. Et rursus est definitio, quia hæc est eius natura, & essentia, ergo est simul definitio & definitum. ¶ *Et Confirmatur*. Quia definitio dicitur ad conuertentiam cum suo definito, hæc autem tradita non dicitur ad conuertentiam cum definitione, ergo. *Min. prob.* Quia hæc definitio est quædam singularis definitio contenta sub definitione in communi, ergo non potest adæquare ipsam & conuerti cum illa, siquidem est aliquid sub illa contentũ, vnde ex consequenti se ipsam definit, & sic redit Argumentum, quod est idem definitum & definitio. Sicut si Petrus definiret Hominem non diceretur ad conuertentiam cum Homine.

Resp. Dist. illam propositionem. Idem est definitum, & definitio, *formaliter*, neg. Definitio formaliter (quia hæc est sua essentia) & definitum *denominatiuè*, (quatenus comparatur ad suam definitionem) *Con.* Est enim valde commune, quod vna secunda intentio sit talis formaliter, & sit alia denominatiue. Sicut Genus formaliter est intentio generis, & denominatiuè est quædam species Prædicabilium, vt dicemus in Logica. *Ad Conf. Resp.* Quod Definitio Definitionis dicitur ad conuertentiam cum suo definito, formaliter vt definitum eius est: vt autem respicit definitionem in communi vt genus eius est, sic non conuertitur cum illa, sed continetur sub illa. Petrus autem non respicit hominem vt definitum suum, sed præcisè vt speciem superiorem.

Secund. arg. Definitio pertinet ad primam operationem intellectus, Oratio ad secundam (vt diximus art. præcedenti) ergo incongruè ponitur loco generis *Oratio. Mai.* constat ex *S. Thom.* 1. *Dist.* 19. *Quæst.* 5. *art.* 1. *ad* 7. dicente, *Quod veritas, & falsitas non inuenitur in prima operatione, & signo eius, quod est definitio.*

Confirm. Definitio est modus sciendi; Modus sciendi non habet pro genere *Orationem*, ergo neque Definitio. *Min. pr.* Illud quod ponitur sub aliquo genere, debet determinatè poni sub aliqua eius specie; sed Modus sciendi non est in aliqua determinata specie Orationis, ergo non habet pro genere Orationem. *Prob. Mai.* Modus sciendi potest inueniri tam in Oratione perfecta, quam in imperfecta; ergo non est determinatè in aliqua specie Orationis.

Resp. Quod nomine *Orationis* intelligitur etiam Oratio imperfecta, quæ materialiter coincidit cum Termino complexo, ad Modum enim sciendi non amplius requiritur (vt dictum est supra) & sic non repugnat Definitionem inueniri in prima operatione intellectus. quando videlicet accipitur in vi Termini cõplexi; & quia obiectum eius est aliquid simplex, scilicet *Quidditas rei*, licèt explicetur compositè. Definitur tamen per *Orationem*, quia modus sciendi est, & modus sciendi communiter per *Orationem* definitur; & quia definitio in vi orationis teneri potest, si accipiatur per modum Totius, licèt sumpta in vi Termini complexi ad primam operationem pertineat.

Ad Conf. Resp. Dist. Mai. secundi syllogismi. Debet determinatè poni sub aliqua specie illud, quod *formaliter, & directè* ponitur sub aliquo genere *Conc. Mai.*

Mai. Quod *materialiter* ſolum, ſeu *conſecutiuè* pertinet ad aliquod genus, *Nego*, v. g. Statua materialiter ponitur in Lapide, & Ligno, quia non pertinet ad genus naturale niſi materialiter, ideſt, vt ex eo fiat, & ſic non ſequitur quod debeat ſub tali lapide, vel ſub tali ligno determinatè conſtitui, quia non reſpicit lapidem, vel lignum vt genus, ſed vt Materiam, & ſic ex quolibet lapide, & ex quolibet ligno fieri poteſt, abſque vlla determinatione. Similiter *Album* determinatè eſt *Corpus*, & non determinatè animatum, vel inanimatum: Sapientia, aut *Intelligibilitas* determinatè eſt *Ens*, non tamen determinatè eſt creatum, vel increatum, quia ad vtrumque conſequi poteſt. Oratio ergo non eſt genus modi ſciendi, ſed Materia ex qua formatur ſub alio artificio Logicali, nempe in artificialem modum manifeſtandi ignotum.

Tertiò Argum. Extra propoſitionem non poteſt inueniri Definitio; ergo falſa eſt prima concl. *Anteced. probat.* Definitio, & Definitum ſunt relatiua, ergo actu debet reſpicere, & comparari ad definitum vt ſit definitio. Sed quando non prædicatur de definito, non reſpicit illud in actu, ſed in potentia, ergo non erit actu definitio. *Conſ.* Definitio non eſt actu Accidentalis, vel eſſentialis niſi ex comparatione actuali ad tale definitum; ergo non eſt abſolutè definitio, niſi ex comparatione ad definitum. *Anteced. probat.* Hæc definitio *Animal aptum ad ridendum* ſi applicetur *Riſibili*, eſt eſſentialis, ſi Nomini accidentalis. Ergo.

Reſpond. ad Argum. Diſtin. conſ. ſecundi Entymematis, Actu debet reſpicere, & comparari ad definitum ſub ratione ſubiecti, aut prædicati, *Nego.* Sub præciſa ratione definiti, *Conc.* Et hoc modo Definitio reſpicit ſuum definitum etiamſi actu non prædicetur de illo. Sicut Nomen reſpicit ſuum ſignatum; Materia reſpicit Formam; Omnis potentia ſuum obiectum, etiamſi actu non exerceat ſuam cauſalitatem, & operationem circa illud. Aliud eſt enim actu reſpicere, aliud actu cauſare, ſeu prædicari. Extra propoſitionem definitio reſpicit ſuum definitum, vnde habet quod definitio ſit, etiamſi actu non prædicetur. *Ad Confirmat. Reſpond. eodem modo.* Eſt enim defintio eſſentialis, vel accidentalis non ex applicatione prædicatiua ad definitum in ratione ſubiecti, aut prædicati; ſed ex reſpicientia, & habitudine ſimplici ad illud in ratione definiti, quod extra propoſitionem inuenitur.

OBIEC. CONTRA CONDITIONES Definitionis.

GEnera, Differentiæ, Proprium, Indiuidua, præſertim incorruptibilia, definiuntur ſuis propriis definitionibus; ergo non eſt neceſſe quod Definitio conſtet genere & differentia. *Prob. Conſ.* Nam ſi hoc eſſet neceſſarium ſola ſpecies eſſet definibilis, cum ſola ſpecies conſtet genere, & differentia; at omnia prædicta definiuntur, ergo. *Reſp. Negando Ant. abſolutè*, propriè enim ſola ſpecies eſt definibilis, vt docet *S. Thom.* 7. *Metap. lect.* 3. Genera enim *ſi ſunt ſuprema*, non definiuntur, ſed Deſcribuntur per conceptum analogum determinatum non per differentiam, ſed per Modum. *Si ſunt ſubalterna*, ſunt ſimul ſpecies, & in quantum tales definiuntur. *Differentia, Proprium*, & *Accidens*, in tantum definiuntur in quantum habent aliquam naturam, quæ ad ſpeciem reducatur. Si autem ſumantur in ratione partis, non naturæ integræ, ſicut differentiæ, non definiuntur, ſed deſcribuntur. Indiuidua autem vt talia formaliter, & vt in exercitio, non ſunt definibilia, nec ſcibilia (etiam incorruptibilia, formaliter vt indiuidua) ſed ſi definiuntur eſt mediante natura ſuæ ſpeciei; aut ſumendo indiuiduationem in communi. Vnde *S. Thom.* loco citato lect. 15. aſſerit ſingulare carere definitione non ſolum ex hoc quod eſt corruptibile, & materiale, ſed ex hoc quod eſt ſingulare, quia vt ſic non dicit quidditatem, quæ eſt obiectum definitionis, ſed modum; aut modificationem quidditatis.

Item. Relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione; ergo vnum non eſt notius alio; quod enim eſt notius, eſt prius cognitione: & tamen vnum Relatiuum definitur per aliud; ergo non requiritur quod definitio ſit notior definito. *Reſp. dupliciter*, Primò, Quod non requiritur, quod ſingulæ partes definitionis ſint notiores definito, ſed quod tota definitio ſimul ſumpta. Relatiuum autem eſt tantum vna pars in definitione relatiui. *Secundo.* Tranſeat quod etiam partes debeant eſſe notiores. Explica tunc; quod vel notiores *poſitiuè*, vel *negatiuè*. Relatiuum non eſt notius poſitiuè, nec prius ſuo correlatiuo; eſt tamen negatiuè notius, quatenus ſine ipſo manet obſcurum, & ignotum ipſum Relatiuum.

Tandem. Demonſtratio, & ſcientia manifeſtant naturam rei; ergo conuenit aliis definitio definitionis. *Si dicas* Demonſtrationem probare paſſiones, aut proprietates: *Contrà.* Ergo manifeſtabit naturam ſaltem eo modo, quo definitio deſcriptiua, quæ circa proprietates verſatur. *Reſpond. Neg. anteced.* Definitio enim eſt vnum ex principiis, ſeu præcognitis ad demonſtrationem, vt dicitur 1. *Poſt. Cap.* 1. Demonſtratio autem manifeſtat paſſiones conuenire ſubiecto, non vt *definitio deſcriptiua*, quia hæc non probat paſſiones ſubiecto conuenire, ſed ſupponendo hoc, per illas ſimplici modo explicando (non probando, & demonſtrando) manifeſtat naturam accidentaliter.

QVID SIT DEFINITVM PROXIMVM & Remotum?

IN Textu diximus *Nomen* rei, quæ definitur, poſſe dici *Definitum proximum*, Rem vero ſignificatam per illud, *Definitum Remotum.* Ratio eſt, Quia Nomen eſt ſignum repræſentans, & approximans, ſeu applicans materiam definibilem, quod quidem ſignum ex conſequenti manet declaratum, quia definito, & declarato ſignificato, manet declaratum, & explicatum ſignum. Vnde *Nomen* ex hac parte dici poteſt *Proximum definitum*, etiamſi non ſit res proximè manifeſtata. Addunt alij Quidditatem definitam, ſeu Naturam poſſe dici *Proximum definitum*, Paſſionem vero, quæ eſt coniuncta, & connexa eſſentiæ poſſe dici *Remotum.* Falsò tamen aſſerunt. Quia illum ſolum eſt definitum, quod eſt explicatum, & declaratum per definitionem (definitum enim & definitio relatiuè ſe habent) ſed in definitione eſſentiali Paſſio non eſt res definita, ſed Natura: in deſcriptiua ſimiliter Paſſio non eſt res quæ definitur, & notificatur, ſed per Paſſionem notificatur Natura; ergo nunquam poteſt dici quod ſit definitum, niſi quando ſeorſum à natura definitur.

Si autem obiic. Quod etiam *Nomen* non eſt res definita, & tamen appellatur *definitum proximum*; ergo etiamſi *Paſſio* non ſit res definita poteſt appellari *definitum remotum.* Dices, Nomen ipſum declarari, & explicari ſaltem virtualiter, licet non formaliter. *Contra.* Etiam declarata natura declaratur virtualiter paſſio illius; ergo hoc ſufficiet vt dicatur definitum ſaltem remotum. *Item.* Philoſoph. 2. Poſter. tex. 7. aſſerit definitionem *quid nominis*, & *quid rei* eandem

esse non posse; ergo non potest vnica, & eadem definitione vnum definiri vt proximum definitum, & aliud vt remotum.

Ad Argum. Benè ibi responsum est. *Ad Replic. Neg. ant.* Passio enim se habet vt effectus secutus ad naturam, non vt signum repræsentans ipsam, sicut Nomen. Declarata autem natura causæ potest adhuc manere ignotus effectus: declarata autem re significata non potest ignotum manere signum, quod actu, & exercitè rem significatam repræsentat. *Ad Philosophum Resp.* Loqui de definitione *quid rei, & quid nominis*, quæ per se, & directè sunt tales, & quælibet explicat suum definitum. Quod vero definita ipsa re possit ex consequenti, & indirectè explicari ipsum Nomen tanquam proximum definitum per modum signi, non per modum materiæ definitæ, *Aristot.* non negat.

ARTICVLVS. III.

Vtrum definitio Diuisionis; & ea quæ ad Diuisionem pertinent rectè tradantur?

EA quæ ad Diuisionem pertinent, potius per Interrogationes, quàm per Argumenta dissoluemus. Estne quidditatiua, & propria definitio Diuisionis, *Oratio*, videlicet *Rem, vel Nomen* per suas partes distribuens? Affimatiuè Respond. Traditur enim per id, quod est proprium, & quidditatiuum Diuisionis; nam loco generis, siue pro Materia ponitur *Oratio*, nomine cuius intelligimus etiam Terminum complexum: Diuisio enim sicut & definitio potest habere rationem prædicati in propositione categorica, atque adeo rationem Termini complexi, & pertinere ad primam operationem sicut & definitio. *Distribuens* idem valet atque distribuendo manifestans, in quo explicatur specifica, & differentialis ratio modi sciendi, quæ propria est Diuisionis, quia distribuendo, & distinguendo partes manifestat confusionem Totius. Etenim tam definitio, quàm diuisio manifestant aliquid per partes, sed definitio manifestat partes constitutiuas, diuisio verò quasi quantitatiuas, quia definitio respicit totalitatem quidditatis, diuisio autem totalitatem quantitatis, seu distributionis. Habere partes conuenit quidditati, & quantitati, licet diuerso modo, vnde Definitio explicat definitum per partes constituendo, non distribuendo, Diuisio distribuendo & tollendo confusionem Diuisi per distributionem, & quasi numerationem partium. *Rem*, vel *Nomen*, dicitur vt indicetur illa duplex Diuisio Nominis, & Rei, de qua egimus in Textu.

Inquires secundò. Vtrum Diuisio Logica solum versetur & distribuat Totum Logicum; an vero se extendat ad diuisiones Physicas, Metaphysicas, Nominis, Rei, &c. Pro resolutione; nota. Quod est *Totum Logicum*, idest, Prædicabile, seu vniuersale respectu suorum inferiorum: & *Totum Physicum*, idest, compositum ex Materia & forma, aut ex partibus integralibus: & *Totum Metaphysicum*, idest, compositum ex genere, & differentia: & *Totum potestatiuum*, idest, constans ex diuersis Potentiis, seu partibus potentialibus, & *Totum accidentale*, idest constans ex multis accidentibus. Aliqui ergo dicunt ad Dialecticum solum pertinere tradere diuisionem Totius Logici.

Dicendum tamen est, Quòd in omnibus istis Diuisionibus potest attendi Materia in qua exercetur Diuisio, vel Forma, nempe artificium, seu Modus manifestandi diuisionem & procedendi in illa. Ex parte Materiæ non omnes diuisiones pertinent ad Logicum, quia multæ sunt Physicæ, aut Metaphysicæ; & sic verum est, quòd ex parte materiæ solum pertinet per se ad Logicum considerare diuisionem Totius Logici, scilicet Vniuersalis, seu Prædicabilis in partes subiectiuas, vt Generis in species, speciei in indiuidua &c. Ex parte vero formæ, seu artificij, aut modi diuidendi (quæ est secunda intentio diuisionis) ad Logicum pertinet agere de omni diuisione, quia siue in Physica, siue in Metaphysica, talis diuisio est modus sciendi, & artificioso modo fit. Sicut etiam definitio, aut Physica, aut Metaphysica ad Logicum pertinet, quia de earum omnium artificio, & intentione agit.

Inquires Tertio. An Diuisio possit tradi per terminos negatiuos, seu contradictorios, v.g. *Animal aliud Homo, aliud non Homo*? Negant Aliqui. Tum quia talis diuisio nihil nobis notificat, membrum enim negatiuum nihil notificat, sed purè negat. Tum etiam quia diuisum in quolibet membro subintelligendum est, & à diuidentibus participari; at vero ly *non homo* non participat rationem animalis, quia latius patet *non Homo* quàm *Animal*.

Dicendum tamen est Prædictam Diuisionem artificiosam esse, & secundum regulas Logicas. *Probat.* Quia in bona diuisione membra debent esse inter se opposita, alioquin non separarentur per differentias, sed vel essent idem, vel disparata; non est autem necesse quod semper opponantur relatiuè, aut contrariè; ergo possunt opponi contradictoriè. *Confirm.* Hæc est bona diuisio *Homo alius videns, alius cæcus*; *Aër alius tenebrosus, alius lucidus*; *Animal aliud rationale*; *aliud irrationale*, quarum vnum membrum negatiuum est, seu priuatiuum, vsu tamen communi sunt receptæ: ergo.

Ad Rationes dubitandi Resp. Quod membrum negatiuum non sumitur absolutè, sed vt cadens super tale diuisum, & ad illud restrictum, & sic non latius patet suo diuiso. Vnde cùm dico *Animal aliud homo, aliud non homo*, ly *non homo* non intelligitur absolutè, & in tota sua latitudine, *sed pro animali quod non est homo*, quod non latiùs patet quàm animal vt sic. Similiter in ly *Irrationale* subintelligitur *Animal*, non autem *Irrationale absolutè* vt inuenitur in lapide. Et sic membrum negatiuum prout adiacens tali diuiso aliquid notificat, & manifestat, videlicet animal irrationale omne animal brutum, &c.

Contra. Genus rectè diuiditur per differentias, vt animal, aliud orationale, aliud irrationale; & tamen genus non prædicatur de differentiis; ergo non debet diuisum subintelligi in membris diuidentibus. *Respond.* Genus non diuidi in differentias, sed per differentias diuidi in species (vt ait S. *Thom.* 3. *Met. lect.* 4. & 10. *Met. lect.* 5,) de speciebus autem prædicacatur genus, & sic quando diuiditur Animal aliud rationale, aliud irrationale, subintelligitur ibi, aliud est animal rationale, aliud animal irrationale, quæ sunt species.

Instabis. In Partitione, qua res diuiditur in partes integrales, Diuisum non potest prædicari de diuidentibus, quia diuisum est Totum, diuidentia sunt partes, & Totum non prædicatur de parte. In Diuisione etiam accidentali Accidens non prædicatur de ipsis subiectis, nec subiectum de accidentibus, quia non identificantur. Ergo. *Respond.* in primo casu non prædicari diuisum de singulis partibus, sed singulæ participant aliquid de Toto, non per prædicationem, sed per dependentiam ab illo *In secundo casu*, Diuisum prædicatur de diuidentibus, scilicet de subiectis accidentaliter, & ibi accidens identificatur cum subiecto, & è contra, quia significatur accidens in concreto, & sic non dicit solam formam, sed *habens formam*, & tale *habens* identificatur cum subiecto.

Vnde *D. Thom. 1.part. Q. 13.art. 12.* dixit quod *Homo est albus sunt idem subiecto, sed differunt ratione*, idest forma & quidditate.

Inquires Quarto. An Diuisio analoga includatur in hoc modo sciendi; Aliqui negant dicentes in diuisione analoga non dari diuisum in quo membra diuidentia conueniant, nisi solum Nomen, nec dari differentias, quibus fiat diuisio Nihilominus affirmatiuè est respondendum, quia diuisio analoga artificiosa est, pertinetque ad modum sciendi, eo quod membra diuidentia inter se realiter distinguuntur vt Deus & creatura, accidens, & substantia. Conueniuntque in aliquo vno, non simpliciter, aut vnitate vniuoca, sed proportionali, & analoga, & licet differentias non habeat Analogum, habet tamen modos quibus diuidi potest. Quod sufficit ad artificiosum modum diuidendi, quia ordinationem aliquam requirit in facienda diuisione, & ad Logicum spectat.

Inquires vltimo. Vtrum possit aliquid pluribus diuisionibus essentialibus diuidi, An omnis diuisio ita debeat esse adæquata, quod totaliter exhauriat diuisum, nec alij diuisioni locum relinquat; *Respond.* Quod quando aliquid diuiditur penes illud quo vltimo, & indiuisibiliter constituitur in sua essentia, non admittit nisi vnam diuisionem essentialem. Si vero plures formalitates concurrant, quarum quælibet diuerso modo est participabilis, tunc poterit pluribus essentialibus diuisionibus diuidi, inadæquatis tamen. Sic *Lex Humana* apud D. Tho. 1. 2. Q. 95. ar. 4. diuersas accipit diuisiones ex parte diuersorum principiorum à quibus procedit, & diuersorum finium, quos respicit. Peccata etiam diuiduntur specie in carnalia, & spiritualia, & ex eo quod sint in Deum, & Proximum. De quo, & de hac doctrina loco citato, & 1. 2. *Quæst. 72. articul. 2. & 4.* Et infra tractando de diuisionibus propositionis.

QVÆSTIO V.

DE ENVNTIATIONE.

ARTICVLVS PRIMVS.

In quo consistat Ratio Enuntiationis in communi.

ORationem perfectam diuisit *S. Thom. 1. Periherm. lection.* 7. in Deprecatiuam, Vocatiuam, Optatiuam, Interrogatiuam, & Enuntiatiuam, quia omnes istæ generant sensum perfectum. Nos autem in præsenti solum agimus de *Enuntiatiua*, perfectior cæteris est, & ad veritatem explicandam (quod Logicus intendit.) præcipuè conducens. Sumimusque *Enuntiationem* & *Propositionem* pro eodem, vt communiter sumitur apud Sapientes, licet diuersos respectus connotare possint, & addat *Propositio* supra *Enunciationem* proponi, vel assumi ad inferendum, De Enunciatione igitur inquirimus Quid sit illud commune in quo consistit, & in quo cathegorica, & Hypothetica conueniunt.

Quidam existimant quod Propositio est ipsum iudicium intellectus (non enim illam ab actu iudicatiuo distingunt) quia hoc propriè est capax veritatis, & falsitatis. Quod autem sit significatiua veri, vel falsi solum putant conuenire propositioni scriptæ, vel vocali. Alij distinguentes inter iudicium, & Enunciationem, super quam cadit, & fertur iudicium; existimant essentiam propositionis in communi consistere in Enunciando absolute connexiones, seu repugnantias rerum; ex quo sequitur tanquam proprietas quod sit significatiua veri, vel falsi. Alij prædictam essentiam asserunt consistere in Enunciando strictè vnum de alio, & quia hoc solum in categorica inuenitur, & non in hypothetica, hypotheticam reijciunt à ratione Enunnciationis. Quid sit autem enunciare? dicunt esse *significare esse vel non esse*; vnde postea sequitur quod sit vera, vel falsa; hoc enim non habet propositio ex vi suæ significationis, sed ex eo quod res significata, vel enunciata ita sit, vel non sit. Alij tandē propositionis essentiam constituūt in eo quod sit Oratio affirmatiua vel negatiua.

Dico primo. Distingui debet Propositio iudicatiua ab Enunciatiua: & de se iudicium potest esse posterius, & consequi ad Enunciationem. Sumitur hæc assertio ex *Diuus Thom. 2. 2. Quæst. 173. art. 2. & Qu. 12. de verit. art. 7.* dicente; *Quandoque dari lumen alicui ad iudicandum, quandoque verò ad accipiendum, & ordinandum, seu componendum præexistentes species.* Sed compositio; seu ordinatio præexistentium specierum est compositio enuntiatiua, quia est compositio alicuius veritatis complexe significatæ, & super quam potest cadere iudicium; ergo enuciatio distinguitur à iudicio; quia *quandoque dari potest lumen ad iudicandum, & quandoque ad componendum.* Ratione prob. concl. Iudicium est assensus intellectus circa aliquid quod est capax talis iudicij, sed solum est capax talis iudicij veritas complexa significata per Enuntiationem; ergo actus iudicij distinguitur à formatione Enunciationis. *Mai. constat*, Quia iudicium est id; quo determinatur intellectus assentiendo; quod ita est vel non est, hoc enim est iudicare; sed non potest assentiri, aut pronuntiare quod ita est, vel non est, nisi circa aliquid complexum, quod connectitur cum verbo, vt experientia constat, & hoc est enunciatio; ergo prius formatur enunciatio, & deinde iudicatur. *Quod etiam patet* Quia multoties apprehendimus; & formamus Enunciationes de rebus dubijs sine vllo iudicio, vt cum dicimus *Astra sunt paria*; *Thesaurus est in isto loco*, de quibus nescimus iudicare, & determinare assertiuè; ergo aliud est enuntiatio, aliud iudicium.

Verumtamen est, quod Enuntiatio ratione Verbi ex quo constat & habet vim copulandi extrema, & exprimendi iudicium assertiuum, & sic aliquando vnico actu formantur enunciatio, & Iudicium, vt cum dico *Homo est animal*, exprimendo in ly *Est* tam copulationem quam assertionem, seu assensum. Aliquando vero separantur, quia sumitur ly *Est* præcise in vi copulandi, non asserendi.

Dico secundo. Ratio, seu essentia Enuntiationis in communi consistit in hoc, quod sit *Oratio perfecta* (per hoc distinguitur ab imperfecta) *exprimens obiectum complexum circa quod potest ferri iudicium* (per hoc distinguitur, ab aliis Orationibus perfectis, quæ obiectum iudicij exprimere non possunt, vt Vocatiuæ, Interrogatiuæ, &c.) Ex quo consequitur, quod significat verum, vel falsum. Ita *S. Thom. 1. Periherm. lect. 7.* dicens hanc esse definitionem Enunciationis *Oratio in qua verum, vel falsum est.* Dicitur autem esse *verum*, *vel falsum* in Enuntiatione sicut *in signo*; in mente sicut *in subiecto*: Vbi ly *in mente* idem est ac in iudicio mentis, nam veritas non in ipsa potentia immediatè est, sed in actu potentiæ, neque in alio actu quam iudicij. *Ratio huius assertionis est*, Quia hoc modo explicatur distinctio Enuntiationis à reliquis Orationibus, & communis ratio Hypotheticæ, Categoricæ, ratio quoque significandi verum, vel falsum; ergo huic

huic definitioni standum est, cum explicet quidquid habet Enunciatio, nempe significare obiectum complexum siue per copulam verbalem, quæ vnit prædicatum, & subiectum in categoricis, siue per copulam hypotheticam, quæ vnit categoricas, de vtroque enim complexo fertur iudicium, in quo veritas, & falsitas est, illa enim Oratio super quam non potest cadere iudicium, siue assensus, siue dissensus, non est enunciatio. Et hoc voluerunt exprimere Authores, qui dixerunt enunciationem esse Orationem, quæ enunciat connexiones, aut repugnantias rerum, vel affirmationem, & negationem: & siquid aliud, non acquiescimus.

Dico Tertio. Veritas, aut falsitas quantum ad actuale exercitium conformitatis, vel difformitatis sunt accidentia propositionis, & Iudicij. Cōstat hoc ex *Arist.* dicente in *Cap. de substantia* quod *Oratio eadem permanens potest mutari de vera in falsam,* vt cum dico *Petrus sedet,* ipso sedente est vera, ipso non sedente est falsa, & tamen propositio semper est eadem, quia dicit, & significat idem; ergo per mutationem veritatis, & falsitatis non mutatur substantia enunciationis, & sic veritas, & falsitas solum est accidens consecutum ad significare obiectum complexum super quod potest cadere Iudicium, in quo consistit essentia. De his pleniùs disserimus in 2. Tom. 1. p. disp. 2.

Dico vltimo. Vna Propositio non est verior altera formaliter; fundamentaliter autem est certior, & firmior, *Ratio est.* Veritas consistit in indiuisibili, & non suscipit magis & minus; ergo vna propositio non est magis vera quam alia. *Ant. prob.* Veritas consistit in adæquatione, seu conformitate ad esse vel non esse rei, inter esse autem & non esse nullum datur medium, nec latitudo cum contradictoriè opponantur; ergo conformitas propositionis ad esse, & correspondentia ad ipsum vt recedit à non esse, & ei non conformatur, vel è contra, non recipit magis & minus. Et idem est de quacumque relatione, quæ consistit in indiuisibili vt æqualitatis, &c. à qua quomodocumque recedatur cadit ab æqualitate, vel conformitate. Firmitas autem & certitudo, quæ fundant veritatem sumuntur ex eo quod res habeat firmiores causas sui esse, vel suæ connexionis, in hoc vero est magis & minus vt constat, sic enim Deus est summa veritas, quia summè firma, & veritates creatæ quanto magis necessariæ tanto firmiores.

Contra. Ipsa indiuisibilis adæquatio in veritatibus creatis est causata & participata à Deo; ergo talis veritas magis est in Deo quam in creaturis etiam quoad indiuisibile, & sic in ea formaliter vna veritas est maior alia. *Resp. conc. ant. & dist. conf.* Magis ex parte latitudinis obiecti circa quod versatur veritas, *nego.* Magis ex parte certitudinis, & firmitatis, seu ex parte entis, & dependentiæ, ac participationis vnius ab alio *transeat.* Itaque veritas participata semper est minor veritate non participata, sed quia vtraque versatur circa esse, vel non esse, in hoc non datur latitudo, neque magis & minus, & hoc se tenet ex parte obiecti, & correspondentiæ ad illud in veritate. Quod vero veritas sic attingens esse, & recedens à non esse sit perfectior, firmior, & immutabilior, in hoc datur magis, & minus: inter esse vero vel non esse circa quod est veritas nunquam est magis vel minus, siue in veritate creata, siue in diuina. Sicut æqualitas participatur ab æqualitate, quæ est in Deo, & ista creata est minor in sua perfectione, & esse, seu in ratione entis, non in indiuisibili veritatis, idest in non recedendo à puncto æqualitatis, & conformitatis ad suum terminum; si enim caderet aliquo modo ab eo, esset inæqualitatis.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

PRimo obiic. contra prim. conclus. Si daretur ante Iudicium Enunciatio, illa esset vera, vel falsa in significando; sed ante iudicium non datur veritas vel falsitas; ergo Enunciatio, & iudicium non distinguuntur. *Mai. pr.* Quia essentia propositionis consistit in significare verum vel falsum; ergo si ante iudicium datur Enunciatio, significabit verum vel falsum. *Min. constat ex D. Thom. 1. p. Quæst. 16. art. 2. & Quæst. 1. de verit. art. 3. & 6. Met. in fin.* id expresse asserente, & ex ratione. Quia per solam apprehensionem Enunciationis nullus dicitur errans, vel sciens, aliàs qui apprehenderet aliquid falsum, & illi non assentiret, intellectus eius esset falsus, quod est absurdum, Deus enim multa falsa apprehendit, & non fallitur.

Resp. Conc. mai. & dist. min. Ante iudicium non datur veritas vel falsitas vt asserta, & iudicata, *Conc.* vt significata, & apprehensa, *Neg.* & *D. Thom.* non negat dari in Enunciatione veritatem per modum repræsentationis, sed per modum assensus, quin potius in 1. *Per. lect. 7.* dicit, *Veritas propriè inuenitur in secunda operatione & in signo eius, quod est enunciatio.* Ex veritate autem apprehēsa, vel repræsentata tantum non denominatur intellectus errans, aut sciens, deceptus, vel falsus, sed solum ex veritate iudicata, quando scilicet assentit, seu consentit deceptioni, aut veritati.

Secundo obiic. Iudicio, quod per nos est actus distinctus ab Enunciatione conuenit exprimere, aut significare veritatem & falsitatem, vt quando assentimus propositioni dicendo *Ita est*; ergo definitio enunciationis cōuenit aliis à definito, vel Iudicium, & Enunciatio sunt idem. *Item* in his vocibus *verum vel falsum* explicatur veritas vel falsitas; & tamen non est Enunciatio; ergo. *Item.* Definitio debet explicare determinatè naturam rei, sed verum vel falsum est quid sub disiunctione, & indeterminatum; ergo non rectè per hoc definitur Enunciatio; præsertim cum dentur propositiones quæ determinatè sunt veræ, vt quæ sunt in materia naturali.

Resp. Dist. ant. Iudicio conuenit exprimere veritatem, aut falsitatem complexiuè, aut copulatiuè, seu per modum copulæ, & vnionis extremorum, super quam possit cadere iudicium, *nego ant.* Assertiuè, seu per modum assensus, *conc. ant.* Primum est propria essentia propositionis. Secundum conuenire potest etiam Iudicio. Licet aliquando vtrumque simul exerceat intellectus significando copulationem extremorum, & simul assertionem circa esse, vel non esse, vt cum dico *Homo est animal*, ly *est* vtrumque significat & copulari extrema, & intellectum assertiuè assentiri. Aliquando vero separatur significatio assertionis à significatione copulationis extremorum, vt quando prolata Enunciatione suspenditur Iudicium. Et quod dicimus de copulatione extremorum in categorica, procedit similiter de copulatione categoricarum in hypothetica. *Ad secund. prob. Respond.* Quod illæ voces *verum vel falsum* significant nominaliter, non per modum complexi enunciabilis, super quod cadat Iudicium. *Ad tert. Respond.* Quod enunciatio ex parte obiecti complexi semper est determinatæ significationis, sed veritas inde consecuta variari potest ipsa Oratione inuariata manente. Ista autem veritas, vel falsitas non pertinent ad essentiam Enunciationis.

Ad id quod additur de Propositionibus determinatæ veritatis, vel falsitatis *Respond.* Non ex veritate determinata sumere essentiam determinatam, sed ex determinato obiecto significato, cuius connexio talis naturæ est, vt immutabiliter ad illam sequatur veritas

Vnde

Vnde *significare verum, vel falsum* non debet intelligi præcisiuè, idest, quod in qualibet propositione præcisè debeat inueniri illud disiunctum *Veri vel falsi*, sed accommodatiuè, idest, quod ex vi obiecti significati potest resultare aliquando verum, aliquando falsum. Et sic non est inconueniens definire aliquid per opposita non quasi simul eidem conueniant, sed quia susceptiuum est eorum successiuè, sicut substantia dicitur susceptiua contrariorum.

Tertio obiic. Significare verum vel falsum etiam ex parte repræsentationis obiecti complexi non potest esse essentia Enunciationis; ergo incongruè definitur. *Ant. prob.* Repræsentatio obiecti complexi in mente nunquam potest esse falsa, sed semper vera, sicut simplex apprehensio, quia est repræsentatio naturalis. Et *S. Thom.* 1 *p. q.* 17. *art.* 3. Ideo dixit quod in simplici apprehensione potest dari veritas, & non falsitas. quia est naturalis similitudo, quæ nunquam potest difformari suo obiecto, sed semper conformari: ergo neque enunciatio poterit suo enunciabili difformari, quia illud naturaliter significat.

Resp. neg. ant. & ad prob. Dicitur, Quod est lata differentia inter similitudinem naturalem obiecti simplicis, & obiecti complexi per modum compositionis, nam hoc ipso, quod similitudo enuntiationis resultat, & formatur per compositionem plurium, & non per naturalem impressionem obiecti, potest in ipsa compositione resultare deceptio in quantum attribuitur vnum alteri, quod ei non conuenit, qua ratione etiam in ipsa definitione admittit. S. *Tho.* posse dari deceptionem; & falsitatem 1. *p. q.* 17. *artic.* 3. Similitudo autem obiecti simplicis, cum ex ipsa naturali impressione feratur in obiectum, & non ex compositione aliqua consurgat, non est capax falsitatis, sed solius adæquationis naturaliter repræsentatiua. Et præterea enuntiatio potest etiam ipsum assensum iudicij repræsentare, & non solam copulationem extremorum, & ratione huius est capax falsitatis, si assensus ipse falsus sit.

Vltim. Arguit. Quia definitio data non conuenit omnibus hypotheticis, ergo non est adæquate data de propositione in communi. *Antec. patet.* in ista conditionali *si homo habet alas, volat*, quæ non significat veritatem, sed consequentiam; ergo non omnis propositio significat veritatem, aut falsitatem. *Et confirm.* Quia propositiones copulatiuæ non dicunt veritatem distinctam à categorica, sed aggregationem veritatum, quæ aggregatio si est distincta veritas à partibus, ex quibus constat, non est veritas hypothetica, sed categorica, quia est vna consurgens ex duabus copulatis, vel aggregatis, vt si dcas *Petrus currit, & Ioannes legit*, significatur quod vtraque propositio est vera, dicere autem, quod *Vtraque est vera* est aliquid categoricum.

Resp. Quod propositiones hypotheticæ, in quantum tales, possunt habere suam veritatem. & falsitatem distinctam à categorica, quia non fit verificatio per prædicationem vnius de alio, sed per copulationem, vel disiunctionem plurium categoricarum, sed tamen non oportet, quod semper importent ipsam veritatem; nisi quando procedunt asserendo, & exprimendo aliquem assensum iudicij, sicut etiam oratio simplex, nisi sit assertiua, & enuntiatiua non habet veritatem. Quare si illa conditionalis, vel aliæ similes teneantur in vi præcisæ consequentiæ, non importaut veritatem, sed illationem, illatio autem dicitur bona, vel mala, non vera, vel falsa. Si autem sub conditione aliquid affirment, vel promittant; tunc habebunt veritatē hypotheticā, & cōuenit ills definitio propositionis.

Ad Conf. Respondetur *art.* 2. sequenti. Hic disputari solet. *An propositio Categorica sit simplex, vel composita qualitas.* Quia tamen dependet ex dicendis 3. lib. de Anima, nec in nostra Vniuersitate fuit in vsu, illam ad finem Summularum remittimus pertractandam vbi cui legere placuerit, patebit.

ARTICVLVS II.

Vtrum Diuisio in Hypotheticam, & Categoricam sit essentialis, & vniuoca?

ANalogam esse hanc diuisionem diuersi Authores putant ex variis fudamentis moti. Quidam id videntur haurire ex *D. Thom.* qui expresse id docere videtur in *Opusc.* 48. *tract. de Enunciatione c.* 6. & 1. *Perih. lect.* 8. Eo quod hypothetica propositio non est simpliciter vna, sed coniunctione vna, vt *Philosophus* dicit ibidem *Cap. de Enunciatione.* Est autem eadem ratio entis, & vnius entis; ergo quod non est simpliciter vna propositio non est simpliciter propositio.

Alij ex alio fundamento, quia existimant saltem copulatiuas, & disiunctiuas, propositiones, non esse in rigore propositiones hypotheticas, quia non significant connexionem enunciatiuam, sed solum continent coniunctas propositiones; & quidem accidentaliter, idest, sola simultate prolationis; vnde consequenter solum analogicè possunt propositiones dici. Erunt autem propositiones hypotheticæ in rigore illæ, quæ connexionem duarum enunciationum significant, sicut Conditionalis, Causalis, & Rationalis

Dico primò. Diuisio propositionis in categoricam, & hypotheticam substantialiter est generis in species; habet tamen quendam modum analogæ diuisionis. Est communior inter Thomistas, & desumitur ex *Diu. Thom. Opusc.* 48. *tract. de Enunciatione cap.* 6. vbi prius dicit hanc diuisionem esse, vt analogum in sua analogata (vbi ly *vt*, modum designat) postea verò subdit: *Hanc diuisionem diuidere propositionem quoad substantiam, quia diuidit eam ex parte copulationis, seu coniunctionis; diuisionem verò in affirmatiuam, & negatiuam diuidere quoad qualitatem, quia diuidit ex parte prædicati, quod est quasi pars formalis respectu subiecti; diuisionem denique in vniuersalem, & particularem diuidere quoad quantitatem, quia diuidit ex parte subiecti, quod est quasi materia propositionis ad quam sequitur quantitas.* Sentit ergo *Diu. Thom.* hypotheticam pertinere ad substantiam propositionis, atque adeo in ipsa saluari vniuocè propositionem, quia saluatur eius substantia. Vnde tandem subdit, *Quod quando interrogamus quid sit propositio, interrogamus de substantia propositionis, & sic respondemus, quod est categorica, & hypothetica.* Ergo qui dicit hypotheticam propositionem, dicit substantiam propositionis. Et nihilominus, quia ex parte rei significatæ categorica, & hypothetica se habent, tanquam vnum & multa, & vna per prius, & alia per posterius, dicitur habere modum analogiæ, vt postea explicabimus.

Fundamentum Conclusionis consistit in hoc, Quod propositio hypothetica habet totum, quod requiritur ad essentialem rationem enuntiationis in quantum hypothetica est, nam vt talis, est *Oratio perfecta*, & non sub specie optatiuæ, vel interrogatiuæ, aut aliarum; ergo enunciatiuæ. *Anteced. Constat.* Nam quod sit *Oratio* manifestum est, cum habeat partes significatiuas, & non sit sola dictio, sed sit modus sciendi. Quod sit *Perfecta* constat, quia non relinquit suspensum sensum in audiente, sed perfectum, vt cum dico, *Petrus currit, & Ioannes sedet; Si Petrus currit, Petrus mouetur. Conseq. verò patet.* Tum discurrendo per species orationis perfectæ, quas supra in initio

istius quæst. ex *D. Thom.* posuimus, neque enim per hypotheticam propositionem fit optatiua oratio, aut vocatiua, aut imperatiua, aut interrogatiua, vt patet in hac propositione *Si homo currit, mouetur, Ioannes legit, & Paulus disputat*; ergo debet esse enuntiatiua. Tum etiam quia hypothetica in quantum talis significat veritatem, aut falsitatem distinctam à categorica, quia non solum fertur iudicium de qualibet categorica, sed etiam de ipsa coniunctione hypothetica, non quantum ad dispositionem illationis vt in consequentia, sed quantum ad ita esse, vel non esse, vt patet in hac propositione *Si homo esset equus, esset hinnibilis*, nam de singulis categoricis formatur iudicium falsum, de tota autem hypothetica, verum. Et similiter est in copulatiua, & aliis hypotheticis; ergo signum est, quod hypothetica in quantum talis pertinet ad rationem enuntiationis, siquidem significat verum vel falsum disiunctum à categorica, quæ est essentia enuntiationis. Quare sicut terminus complexus, & incomplexus vniuoce conueniunt, licet vnus significet rem compositam, alius simplicem; ita hypothetica & categorica vniuocè conueniunt in significando veritatem, licèt vna sit simplex, alia composita.

Dico secundò. Copulatiuæ, & Disiunctiuæ verè & in toto rigore sunt propositiones hypotheticæ. Constat hoc expresse ex D. Thom. Opusc. 48. tract. de Enunciat. c. 14 *Diuiditur*, inquit, *propositio hypothetica in tres species, quia quædam est Conditionalis, quædam disiunctiua, quædam Copulatiua.* Et idem habet in eodem Opusc. tract. de syllogis. simpliciter c. 16. *Et ratio* huius est. Quia illis conuenit definitio hypotheticæ, quæ secundùm D. Thom. definitur, *quod sit illa, quæ habet duas categoricas principales partes sui*, hoc autem manifestissime apparet in propositione copulatiua, & disiunctiua. *Item.* Quia veritas copulatiuæ, & disiunctiuæ, & iudicium quod de illis datur, est diuersum à veritate, & iudicio quod datur de categorica; plus enim requiritur ad verificandum vnam, quam aliam, nam ad verificandum disiunctiuam sufficit alteram partem verificari, ad copulatiuam, vtramque partem verificari necesse est; diuersum autem iudicium & diuersa veritas est de vnaquaque propositione categorica seorsum, quam de vtriusque simultate, & de hoc quod non solum vnum, sed etiam aliud, ita sit. Multò melius in disiunctiua hoc apparet, nam altera parte existente falsa, tota disiunctiua est vera; ergo aliud est iudicium, & alia veritas totius & alia partis.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

PRimo arguitur. Nam *D. Thom.* expresse affirmat, quod diuisio propositionis in categoricam & hypotheticam est analogi in analogata, vt patet in Opusc. 48. tract. de Enunciat. cap. 6. *eo quod enunciatio categorica est simpliciter vna, hypothetica verò coniunctione vna.* Idem habet in 1. Periherm. lect. 8. vbi inquit: *Quod enunciatio est vna absolute, quæ vnum de vno significat, vel secundum quid, scilicet quæ est coniunctione vna.* Ergo contra *D. Thom.* dicimus, quod diuisio ista est vniuoca. *Et Confirm.* Quia hypothetica dicitur vna secundum quid, seu coniunctione vna in quantum significat plura, quadam tamen coniunctione vnita; ergo saltem in ratione signi propositio hypothetica est secundum quid vna; ergo etiam in ratione propositionis, nam propositio essentialiter est signum. Si ergo in ratione signi non est vna simpliciter, sed secundum quid, etiam in ratione propositionis, quæ est essentialiter signum, non erit vna simpliciter, sed secundum quid.

Respond. Sanct. Thom. in illo Opusc. non dixisse absolutè, quod ista diuisio est analogi in analogata, sed diuidi, *Vt analogum in analogata*, quod est habere modum diuisionis analogæ, licèt non substantiam. Sicut etiam docet S. Thom. in q. 9. de Potent. art. 2. ad 6. Quod *diuisio substantiæ in primam & secundam non est generis in species, sed magis analogi in analogata* & tamen, vt in Logica videbimus, communiter tenetur, quod ista diuisio est vniuoca, & exponitur D. Thom. de diuisione analoga quantum ad modum. Ista vniuocatio quoad substantiam, & analogia quoad modum consistit in hoc; quod in propositione duo considerantur, alterum quoad substantiam, idest, significatio veri vel falsi, seu obiecti complexi, vt enuntiabilis, & iudicabilis, & in hoc conueniunt vniuocè categorica, & hypothetica, vt diximus. Aliud est ex parte identitatis, & vnitatis orationis vt significatiua est absolutè, & hoc tenet se ex parte materiæ, scilicet orationis significatiuæ: sicut in termino quod sit complexus vel incomplexus; & quantum ad hoc datur modus analogiæ in quantum hypothetica constituitur ex categorica, & per prius inuenitur veritas in categorica, quam in hypothetica: sed non omne prius & posterius infert analogiam veram, vt patet in Numeris, quorum vnus est prior altero, & componit alterum; & tamen non analogantur in ratione numeri, sed prius & posterius in participando rationem superiorem facit analogiam. Et sumitur hæc explicatio ex ipso Diu. Thom. 1. Periherm. lect. 8. vbi inquit. *Manifestum est enunciationem, quæ est vna coniunctione, esse etiam plures, plures autem in quantum significat plura, & non vnum.* Et infra. *Quædam enunciatio est simpliciter vna in quantum vnum significat, quædam simpliciter plures in quantum plura significat, sed est vna secundum quid in quantum est coniunctione vna.* Ergo solum ex parte rei significatæ, & vnitatis, vel identitatis significatio dicitur esse simpliciter vna, vel secundum quid, in ratione tamen veritatis assertæ, & enunciatæ non negat *Diu. Thom.* quod sit simpliciter vna veritas hypothetica.

Ad Confirm. Respond. Primo Quod etiam si ratio signi quæ superior est, sit analoga, non sequitur, quod ratio inferior non sit vniuoca, vt patet in Ente in quo analogicè conuenit homo & planta, non tamen in ratione viuentis, vel substantiæ. *Secundò* dicitur, Quod ratio signi non est genus artefacti Logici absolutè, sed in ratione signi artificiosi, & sic in enuntiatione simplici, & complexa multiplicari potest ratio signi quasi materialiter, & absolutè sumpta; in ratione autem complexi enunciabilis artificiosi habere vnitatem simpliciter in quantum significat vnam veritatem, etiam si hypothetica sit. Sicut terminus complexus, & incomplexus in ratione termini vniuocantur, sicut Domus habens vnam aulam tantum, vel habens viginti, vniuocè sunt domus, & similia exempla multiplicari possunt in aliis artefactis.

Secundò arguit. Propositio hypothetica non est vnicus mentis conceptus, seu qualitas simplex, sed plures conceptus ordinati, categorica autem est vnus simplex cõceptus, vt probabilis Opinio tenet; ergo non conueniunt vniuocè. *Conseq. patet*, quia categorica vnit suas partes vnico conceptu, & consequenter vnico esse, hypothetica autem, non vnico esse, sed vnitate ordinis; non est autem aliquid vniuocè commune ei, quod est vnum per se, & per accidens intra lineam eiusdem artefacti, scilicet propositionis enunciabilis.

Confirmatur. Quia enunciatio hypothetica formaliter & essentialiter componitur ex categorica, ergo non est species illi condistincta. *Conseq. patet*, Quia quod

quod formaliter componit aliud non condiuiditur, vt species contra illud, sed vt includens, & inclusum, sicut malè diuideretur animal in hominem; & in animam. *Ant. constat*; Quia categorica componit hypotheticam in quantum significat verum vel falsum; ex veritate enim categoricæ fit veritas hypotheticcæ; ergo componit ratione eius, quod est formale in categorica, scilicet ratione significandi verum vel falsum.

Respond. Argumentum probare quod *in esse qualitatis*, seu in esse entitatiuo, & physico hypothetica, & categorica se habent tanquam vnum & multa quæ secundùm quid, & vnitate ordinis sunt vnum. Cæterum artificialiter, & Logicè *in ratione enunciandi veritatem* vniuocè conueniunt, & sic in ratione artefacti enuntiabilis simpliciter est vnum, & per se propositio hypothetica. Sicut Vas auri factum ex vnica, & continua quantitate auri, vel ex pluribus partibus diuisis compactum, in ratione *Artefacti* vniuoce conueniunt, licèt non in ratione *physicæ Quantitatis*, & vnius substantiæ; & ratio termini quæ inuenitur in prima operatione, & oratio, vel syllogismus qui inueniuntur in tertia, vniuoce conueniunt in ratione artefacti Logici, licet non in vnitate physica.

Ad Confirm. Resp. Quod licèt hypothetica, componatur ex eo quod formale est in categorica, tamen hoc ipsum formale materialiter, & non formaliter est componens; illud enim dicitur formaliter componere, quando eius formalitas, & essentia consistit in ratione partis componentis, sicut materia, & forma in physicis, & sic non condiuiditur contra totum, sed in illo includitur. Quando verò aliquid in se est quoddam totum licèt secundum formale quod habet, possit componere aliud, quod essentialiter postulat illud ad sui compositionem, non dicitur formaliter esse componens, licèt suo formali componat, quia formaliter non est pars, & sic potest esse species condiuisa respectu eius quòd componit; sicut binarius, & ternarius sunt species numeri, & tamen ternarius essentialiter constituitur ex binario.

Vltimo arguitur contra secundam conclusionem. Quia Copulatiua disiunctiua & non sunt vna propositio, sed multiplex sola simultate prolationis coniunctæ, quia non habent aliam veritatem à suis categoricis simul sumptis, vel disiunctis, talis autem coniunctio, vel disiunctio non facit distinctam propositionem, sed aggregationem plurium; ergo non sunt species enuntiationis. *Ant. prob.* Quia præter aggregationem veritatum categoricarum non est alia veritas copulatiuæ nisi significare, quod vtraque categorica est vera; vel si sit disiunctiua, quod altera est vera, hæc autem propositio, *Vtraque illarum propositionum est vera*, est quædam tertia veritas categorica. Ergo nunquam dabitur veritas hypothetica, quæ in quantum talis sit distincta species à categorica, sed si habet distinctam veritatem, illa est quasi reflexa, quæ explicatur per illam categoricam, *Vtraque est vera*; vel *Altera est vera*.

Respond. neg. mai. & ad prob. dicitur, Quod ex illa aggregatione veritatum categoricarum disiunctiuè, vel copulatiuè facta, resultat alia veritas, quæ quia pendet ex veritatibus categoricis dicitur veritas hypothetica, quia habet categoricas principales partes sui. Et licèt significatio reflexa, & in actu signato, qua dicitur *Vtramque esse veram*, explicetur per vnam categoricam, non tollit, quin obiectum significatum per illam reflexam, quæ est ipsa hypothetica in se sit veritas quædam non categorica, sed hypothetica, non enim illa reflexa categorica est vera, nisi quia id quod significatur per illam verum est. Significatur autem, quòd non solùm vna, sed etiam altera propositio est vera quæ est veritas hypothetica, & non simplex. Quod si sufficeret ad tollendam veritatem hypotheticam explicatio illa reflexa per vnam categoricam, etiam ipsa cōditionalis non esset hypothetica & syllogismus non esset oratio constans ex propositionibus, quia reflexe definimus conditionalem per vnam categoricam dicendo, quod est coniunctio plurium propositionum per particulam *si*, & quod syllogismus est oratio inferens ex præmissis conclusionem non tamen sequitur ex hoc, quod syllogismus non sit oratio composita; & quod conditionalis non sit verè hypothetica.

ARTICVLVS. III.

Vtrum Diuisiones in Affirmatiuam, & Negatiuam, in Vniuersalem, & Particularem sint bonæ, & essentiales?

QVidam existimant diuisionem in Affirmatiuam, & Negatiuam esse accidentalem, quia est diuisio penes *qualitatem* propositionis, qualitas autem supponit essentiam, & substantiam rei. Consistit autem qualitas propositionis in affirmare, & negare, sicut quantitas in vniuersalitate, & pariticularitate. Alij existimant esse analogicam, quia traditur per prius & posterius; affirmatio enim prior est negatione.

De diuisione autem in vniuersalem, & particularem fere omnes conueniunt esse accidentalem.

Nihilominus expressa S. Thomæ sententia est, diuisionem propositionis in Affirmatiuam, & Negatiuam esse vniuocam, & generis in species. Ita habet in 1. *Perih. lect.* 8. & euidentius *Opusc.* 48. *tract. de Enunt. cap.* 6. Vbi postquam dixit esse diuisionem generis in species, addit infra: *Quod hæc diuisio pertinet ad qualitatem enuntiationis, qualitatem scilicet essentialem secundum quod differentia significat quale quid.* Igitur in sententia S. Thomæ clare constat, quod hæc diuisio sit essentialis, & vniuoca.

Quod sit vniuoca probat D. *Thom.* contra *Alexandrum*; Quia tam affirmatiua, quam negatiua participat æqualiter essentialem rationem enuntiationis, scilicet *significare verum vel falsum*; tam propriè enim & essentialiter significat verum vel falsum affirmatiua propositio, quam negatiua, & eodem modo potest terminare iudicium assensus, vel dissensus; non enim minus verum est dicere affirmatiue *Verbum Diuinum est Deus*, quam negatiue *Verbum Diuinum non est creatura*: *Homo est animal*, quam *Homo non est lapis*: ergo vniuoce conueniunt in significando verum vel falsum.

Quod vero Diuisio sit essentialis, non accidentalis ex eo probatur. Quia est diuisio penes formā essentialem propositionis, quæ est copulatio extremorū significatiua veritatis, quatenus fundatur in cōueniētia, vel disconuenientia eorum inter se, nam ante conuenientiam, vel disconuenientiam extremorū nulla substantia enuntiationis concipi potest; tunc autem primo, & essentialiter ipsa ratio enuntiationis cōcipitur, & constituitur, quando intelliguntur extrema vniri in ordine ad veritatem: ergo essentialis differentia in ratione vnionis huius facit essentialem differentiam in ratione enuntiationis. Hac enim ratione hypothetica differt essentialiter à categorica, quia differt in ratione, & modo copulandi, & componendi, sed copulatio negatiua essentialiter differt ab affirmatiua, cum negatio essentialiter opponatur affirmationi, siquidem destruit illam totaliter, ergo, &c.

Dico secundò. Diuisio propositionis penes quantitatem, scilicet in *Vniuersalem, Particularem*, &c. non est essentialis, sed accidentalis. Supponimus, quod *quantitas propositionis*, non inuenitur in omni propositione,

ſed ſolum in propoſitione conſtante termino communi, nam ſi conſtet ſubiecto ſingulari, propoſitio non eſt quanta: quia quantitas in propoſitionibus attenditur penes extenſionem ſubiecti ad plura, vel pauciora; ſingularis autem propoſitio caret extenſione, quia ſoli conuenit vni, vnde eſt quaſi indiuiſibile in genere quantitatis propoſitionis.

Ex quo manifeſtè deducitur, quod iſta diuiſio penes quantitatem eſt accidentalis; tum quia non ſumitur penes id, quod eſt eſſentiale in propoſitione, ſcilicet penes ſignificationem veritatis, ſeu copulationem extremorum, ſed penes extenſionem ſubiecti in ea quibus poteſt conuenire prædicatum, vnde ſupponit enuntiationem conſtitutam, & eſſentiam propoſitionis ſignificantem ipſam veritatem complexam, quæ per copulationem extremorum conſtituitur. *Tum* Quia ſi iuueniri poteſt tota eſſentia propoſitionis in indiuiduo ſine vlla quantitate, vt in propoſitione ſingulari; ergo diuiſio penes quantitatem non eſt eſſentialis, quia ſine illis ſpeciebus eſſentia inuenitur.

Et ſi dicas. Nam poſſunt aliquæ propoſitiones ſpecie differre ſolum ratione quantitatis, vt ſi dicas *Omnis homo eſt albus*, *Aliquis homo eſt albus*, prima eſt falſa, & ſecunda vera, & ſolum ratione quantitatis; ergo diuerſa quantitas eſſentiale, & ſpecificum diſcrimen facit.

Reſpond. neg. ant. Quia veritas, & falſitas non ſunt eſſentiales differentiæ (vt ſupra diximus) vnde ex hoc præciſè, quod vna ſit vera, & altera falſa ex variatione quantitatis, non ſequitur, quod ſint eſſentialiter diuerſæ, & præſertim hoc eſt verum quantum ad eſſentialem differentiam propoſitionis ex parte formæ, & artificioſæ compoſitionis, ſic enim non eſt eſſentialis differentia inter illas duas propoſitiones. Ex parte autem materiæ ſcilicet, quia res ſignificata eſt diuerſa, non eſt aliqua repugnantia, quod poſſint aliquæ propoſitiones ſpecifice differre, quia res ſpecie diſtinctas ſignificant, ſed hoc non eſt ratione quantitatis, ſed etiamſi eiuſdem quantitatis ſint, hoc modo differunt ſpecie, vt ſi dicas *Omnis homo eſt animal, Omnis equus eſt hinnibilis.*

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

PRimo *arguitur* ad prob. non rectè diuidi propoſitionem in Affirmatiuam & Negatiuam, Nam affirmatio, & negatio explicantur per eſſe, & non eſſe, affirmatur enim dicendo, quod aliquid eſt, & negatur dicendo quod non eſt; ſed ad eſſe, & non eſſe non poteſt dari aliquid commune, aut aliquod tertium medium inter illa, cum immediate opponantur; ergo iſta diuiſio nec eſt bona, neque vniuoca, cum ad eſſe, & non eſſe nihil ſit vniuocum. *Et Confirm.* Quia affirmatio, & negatio traduntur per prius, & poſterius; affirmatio enim prior eſt negatione, nam negatio in affirmatione fundatur, vt conſtat ex *Ariſtot.* 1. *Periher. cap. de Enuntiat.* & *D. Thom. ibi lect.* 8. Ergo non eſt diuiſio generis in ſpecies, ſed analogi in analogata. *Conſeq. patet*, quia ſpecies vnius generis ſunt ſimul natura, vt dicitur in *Poſtprædicam.* ergo non poteſt tradi diuiſio generis penes ſpecies, quæ ſe habeant, vt prius & poſterius.

Reſpond. In illo argumento Aliquos malè torqueri, ſed ſine fundamento. Concedo enim inter eſſe, & non eſſe non dari medium, nec aliquid commune abſtrahi poſſe, ſed inter *ſignificare eſſe vel non eſſe*, poteſt dari aliquid commune abſtrahens ab vtroque, ſcilicet ſignificare complexa extrema, & vnire illa, quæ poſtmodum determinatè ſignificantur vnita penes affirmationem, vel negationem quorum vna ſignificat eſſe, alia ſignificat non eſſe. Itaque ipſum eſſe & non eſſe contradictoriè opponuntur, ipſa vero ſignificatio affirmans, & ſignificatio negans, non opponuntur contradictoriè, ſed contrariè, quia vtraque ſignificatio eſt poſititiua, & ſe habent ſicut duæ ſpecies ſignificationis artificioſæ, & complexæ, & hæc ſignificatio complexa enuntiatiuè, eſt ratio illis communis.

Ad Confirm. Reſp. Ex doctrina *S. Tho.* 1. *Perih. lect.* 8. *& Opuſ.* 48. Vbi ſoluit hoc ipſum argumentum, quod non omne prius & poſterius conſtituit analogiam, vt patet in ſpeciebus numeri; vnus enim numerus prior eſt alio, & tamen vniuoce ſunt numeri; & potentia & habitus, & actus habent rationem prioris, & poſterioris, & tamen vniuoce ſunt qualitas, ſed illa prioritas, quæ facit inæqualiter participare rationem ſuperiorem, ita quod in vno ſit principalius & per ſe, in alio ſecundum quid & per accidens, facit analogiam; ſicut *Ens* reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, *Sanum* reſpectu animalis, & herbæ, in vno enim inuenitur per prius, in alio per poſterius. Et dicuntur ſpecies vnius generis eſſe ſimul natura ſimultate participandi rationem ſuperiorem, non ſimultate exiſtendi inter ſe.

Secundò Arg. Non poteſt idem diuiſum duplici eſſentiali diuiſione diuidi, ſiquidem eſſentiales differentiæ ex æquo diuidunt genus, & adaquatè opponuntur inter ſe intra idem genus; ſed propoſitio diuiditur eſſentialiter in categoricam, & hypotheticam, vt dictum eſt *art. præced.* Ergo non poteſt iterum diuidi eſſentialiter in affirmatiuam & negatiuam, cum vna diuiſio non contineatur ſub alia. *Et Confir.* Quia generum non ſubalternatim poſitorum non poſſunt eædem eſſe ſpecies, vt dicitur in Antepræd. ſed categorica, & hypothetica ſunt genera non ſubalternatim poſita; ergo non poſſunt diuidi eiſdem differentiis eſſentialibus; ſed vtraque poteſt diuidi in affirmatiuam & negatiuam; & rurſus tam affirmatiua, quam negatiua in categoricam, & hypotheticam. Ergo iſtæ diuiſiones non poſſunt eſſe eſſentiales, ſed accidentales.

Reſp. In primis nullum eſſe inconueniens, quod idem diuidatur pluribus diuiſionibus eſſentialibus immediatè, quando ſunt diuiſiones indæquatæ, quando ſcilicet aliqua eſſentia conſtituitur pluribus formalitatibus, quarum quælibet partibilis eſt in aliquas ſpecies. Quæ eſt doctrina S. Thom. 1. 2. quæſt. 95. art. 4. vbi inquit: *Quod ſunt multa de ratione legis humanæ ſecundum quorum quodlibet lex humana propriè, & per ſe diuidi poteſt*, & ibi numerat diuerſas diuiſiones per ſe, & eſſentiales legis humanæ ſecundum inadæquatas conſiderationes. Imò in diuiſionibus prædicamentorum non eſt neceſſe omnem diuiſionem fieri per duas ſpecies adæquatas, ſed per plures, quibus idem genus diuidi poteſt, ſicut *Animal* poteſt diuidi in *Greſſibile*, & *volatile*, & rurſus in Reptile, & Natabile, & in multas & varias ſpecies eſſentiales. Et ſimiliter qualitas diuiditur immediatè in habitum, & diſpoſitionem, in potentiam, & impotentiam, &c.

Secundò Reſponderi poteſt Affirmationem, & Negationem non eſſe immediatam diuiſionē propoſitionis, ſed ſubdiuiſionem eius; primò enim diuiditur in categoricam & hypotheticam: categorica autem in affirmatiuam, & negatiuam. Quod ex *Philoſ.* in 1. *Perih. Cap. de Enuntiat.* ſumpſit *D. Thom. ibi lect.* 8. dicens: *Quod enuntiatio quædam eſt vna ſimplex, quædam coniunctione vna.* Et ſtatim addit, *Alia ſubdiuiſio enuntiatinis eſt, quod ſi enuntiatio ſit vna, aut eſt affirmatio, aut negatio*, Quod ſtatim amplius explicabitur.

Ad Confir. Reſp. Ex hac vltima ſolutione, regulam Anteprædicamentalem hic non habere locum

cum

cum sint genera subalternatim posita diuisio in categoricam & hypotheticam, & subdiuisio categoricæ in affirmatiuam & negatiuã. *Et cum instatur*, quod etiam hypothetica diuiditur in affirmatiuam & negatiuam. *Resp.primo*, hypotheticas non dici per se affirmatiuas, aut negatiuas, nisi ratione suarum categoricarum, ex quibus cõstant, nam ipsæ copulæ hypotheticales propriè non negantur, sed copulæ verbales, ex quarum negatione propositiones etiam hypotheticæ redduntur negatiuæ. Vnde quando fiunt contradictoriæ in hypotheticis, negationes ponuntur in copulis categoricis, non in hypotheticis (nisi forte negatio toti enuntiationi præponatur) vt si dicas hanc copulatiuam, *Petrus currit, & Ioannes legit*, contradictoria eius disiunctiua hæc, *Petrus non currit, vel Ioannes non legit*, vt bene aduertit *M. Soto lib. 3. Summ. cap. 9.* notab. 5. Vbi copulæ hypotheticales, scilicet ly *&*, ly *vel* vtrobique non negantur.

Secundò Resp. Quod si hypothetica per se diuiditur in affirmatiuam & negatiuam talis affirmatio & negatio est longè diuersa ab affirmatione & negatione, quæ diuidit categoricã, quia copulæ catagoricæ, & hypotheticæ sunt longè diuersæ, & ita non sunt capaces affirmationis, & negationis secũdum eandẽ rationem; copula enim categorica est verbum; copula verò hypotheticalis est modus, vt ly *&*, ly *vel*, ly *si*. Sicut qualitas quæ est Dispositio in genere, diuiditur in Dispositionem permanentem, quæ est habitus, & transeuntem, quæ est Dispositio tantum; & tamen quando qualitas diuiditur etiam in Passionem & Passibilem qualitatem penes hoc quod sit permanens, & transiens non diuiditur eisdem differentiis permanentis, & transeuntis, quibus dispositio, sed diuersis.

Vlt. Arg. Nam aliquæ propositiones sunt simul affirmatiuæ & negatiuæ, seu mixtæ qualitatis, vt hæc propositio *Petrus est, & non fuit albus*, ergo ista diuisio non est essentialis, quia duæ essentiales differentiæ non possunt eidem indiuiduo conuenire. *Nec dici potest*, Quod illa est duplex propositio & non vna, contra enim est, quia solùm constat vno subiecto & prædicato, & vnico iudicio iudicari potest, ergo est vnica formaliter, licet virtualiter possit esse multiplex, quia ex illa multæ formari possunt. *Et Confirm.* Quia propositio affirmatiua & negatiua possunt esse synonimæ, vt *Homo est rationalis*, *Homo non est irrationalis*, ergo sunt eiusdem speciei. *Patet conseq.* Quia respiciunt idem obiectum, ab obiecto autem sumitur species.

Resp. Quod in propositionibus mixtæ qualitatis virtualiter inuenitur duplex propositio, quia est quasi duplex, licet de eodem subiecto dicatur, eo quod multiplicatur copula; sed tamen quia formaliter est vnica propositio, dicetur pertinere ad speciem affirmatiuæ illa propositio mixtæ qualitatis, quæ infert vnam affirmatiuam, & pertinebit ad negatiuam illa, quæ infertur ex vna negatiua, prout diximus *in Textu in cap. de Diuisionibus propositionis*. Et sic non constituitur vnica propositio formaliter in duplici specie, sed formaliter in vnica tantum, virtualiter autem, quia est duplex, in duabus.

Ad Confirm. Respond, Quod illæ duæ propositiones, licet sint eiusdem speciei ex parte materiæ seu subiecti materialiter considerati; tamen ex parte formæ, & artificiosi modi enunciandi sunt diuersæ, quod est esse eiusdem speciei posterioristicè, diuersæ autem prioristicè, sicut ex eodem obiecto, & materia potest fieri enthymema, & syllogismus, quæ in ratione artificiosæ orationis, & consequentiæ sunt diuersæ speciei; posterioristicè autem tunc erunt eiusdem rationis.

QVÆSTIO VI.

De Suppositione, & alijs proprietatibus partium Enunciationis.

ORdo doctrinæ postulat, vt explicata essentia, seu natura propositionis incipiamus explicare illius proprietates. Et prius agemus de proprietatibus partium in hac quæstione; deinde de proprietatibus totius propositionis in sequenti. Proprietates partium sunt, *Suppositio, Ampliatio, &c.* proprietates totius, *Oppositio, Conuersio, Æquipollentia.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Definitio Suppositionis sit bona?

DEfiniuimus in textu Suppositionem, quod sit *Acceptio termini pro aliquo de quo verificatur iuxtà exigentiam copulæ*; vnde ad eius exactam explicationem tria inquirenda sunt. *Primum* circa genus, quomodo intelligatur, quod suppositio est Acceptio? *Secundum* circa differentiam, quomodo sit verificatio termini iuxta exigentiam copulæ? *Tertium* an solùm intra propositionem inueniatur suppositio?

Circa primum *Acceptio* in definitione suppositionis sumitur pro vsu passiuo, seu ordinatione intellectus, qua vtitur aliquo termino, seu ordinat, & comparat illum in ordine ad aliquid. Et constat distingui suppositionem à significatione, cum significatio termini sit permanens, & vna, suppositio autem variari possit eadem significatione manente, quia illa ab impositione, quæ non mutatur, dependet; hæc ab applicatione, & vsu intellectus, quo applicat, & vtitur aliquo termino. Et cum ista acceptio sit passiua, seu vsus passiuus termini, qui supponit & accipitur, necessario requirit acceptionem actiuam, quæ non est aliud quam actus intellectus ordinans, & comparans ipsum terminum, & consequenter denominans ipsum non solùm cognitum, sed etiam sic directum, & applicatum, & acceptum; & in hac acceptione passiua fundatur ipsa relatio rationis, in qua formaliter consistit intentio Suppositionis.

Secundò dicendum est. Quod *Acceptio* vt sic est communis ad multiplices, & varias intentiones, quæ in *Acceptione* fundantur, sicut est ratio prædicati, & subiecti, ratio ampliationis, & restrictionis, & appellationis, & similium, quæ omnia fundantur in aliqua acceptione intellectus, idest, in aliqua ordinatione, & comparatione, qua aliquem terminum comparat secundum diuersas considerationes, & rationes, vel comparando vnum terminum ad alium in ratione subiecti & prædicati, qui sunt respectus, *de quo aliquid dicitur*, & quòd *de aliquo dicitur*, vel in ratione applicationis, qua significatum vnius determinat significatum alterius, vt in *Appellatione*: vel comparando terminum ad id, pro quo substituitur, vt in *Suppositione*, vel ad ea ad quæ extenditur, vel ad quæ restringitur vt in *Ampliatione, & Restrictione.* Quare hæc acceptio intellectus, quæ ponitur, vt genus suppositionis, nihil aliud est, quam ordinatio intellectus circa aliquem terminum non vt significet (id enim facit impositio, non acceptio termini) neque vt conficiat propositionem absolutè (id enim pertinet ad exercitium termini in ratione partis) sed vt coordinetur

netur, & applicetur secundùm diuersos respectus, & vsus cum aliis terminis, & cum tota propositione.

Sed Obiic. Quia si acceptio est communis omni intentioni, quæ fundatur in vsu passiuo intellectus vt intentio prædicati, & subiecti, appellationis, ampliationis, &c. ergo debuit in omnium istarum intentionum definitione poni *Acceptio* tanquam genus, & non in sola definitione suppositionis: imò in definitione signi debuit poni, nam etiam signum accipitur pro eo quod significat, & pro illo substituitur: vel si respectu istorum non est genus, neque respectu suppositionis.

Et Confirm. Quia in ista propositione, *Essentia diuina est Pater*, ly *essentia Diuina*, accipitur pro Patre; & tamen non supponit pro illo, ergo mala est definitio. *Mai. prob.* Quia si acciperetur pro Filio, aut Spiritu Sancto, aut pro tota Trinitate, esset falsa, ergo accipitur pro solo Patre. *Min. prob.* Nam si supponit pro Patre posset concedi isti *Essentia diuina generat*, quia supponit pro Patre, qui generat, sicut conceditur quod *Homo ambulat*. quia Petrus ambulat, pro quo supponit *Homo*, licet directè non significet Petrum, sicut neque Essentia diuina Patrem. *Et Conf. Secund.* Nam in libro clauso terminus supponit, siquidem ibi inuenitur propositio scripta; ergo & suppositio: & tamen ibi non accipitur passiuè ab intellectu, quasi in actu, quia non cognoscitur actu; ergo non consistit essentia suppositionis in actuali vsu, & acceptione intellectus.

Respond. Quod in aliis proprietatibus, seu intentionibus, quæ fundantur in passiuo vsu intellectus semper subintelligitur acceptio, vt cum dicitur, *Appellatio est applicatio significati formalis*, *&c.* sensus est, quod est acceptio applicatiua. *Et quando dicitur, quod Ampliatio est extensio*, *&c.* intelligitur *Acceptio extensiua*. Exprimitur autem potius in Suppositione, quam in aliis, quia cum sit prima inter istas proprietates logicales, quæ conueniunt termino intra propositionem, non potuit alio nomine exprimi ipsa ratio communis, nisi per acceptionem. Aliæ verò proprietates, quæ sunt quasi additiones, vel extendendo, vel coarctando, vel modificando, &c. possunt aliis nominibus exprimi. Signum autem non accipitur, vel substituitur pro significato eo genere acceptionis, de quo hic loquimur; substituitur enim solùm in præsentando, vel significando mediante impositione, seu repræsentatione: in præsenti autem loquimur de acceptione quasi applicatiua, & ordinatiua termini significantis ad aliquem vsum intellectus.

Ad primam Confir. Resp. Quod vt dicit *S. Thom. 1. part. quæst. 39. art. 5. ad 4.* Essentia Diuina non supponit pro Patre ex modo significandi (qui maximè attenditur in verificatione locutionis) siquidem significatur vt abstracta à Personis, sed ratione identitatis, & summæ simplicitatis supponere poterit pro Patre, seu verificari de illo. Et ideò quando significatur, & supponit pro Persona Essentia Diuina ratione identitatis; quando verò significatur actus notionalis, & proprius Personæ, non supponit ly *Essentia* pro Persona, quia tunc non significatur identitas, sed proprietas Personæ, à qua ex modo significandi abstrahit ly *Essentia*.

Ad secund. Confir. resp. Quod in scriptura clausa inuenitur propositio, & Suppositio, & reliquæ proprietates logicales, quasi in signo non actualiter cognito, & ideo solùm virtualiter, non autem in actu sunt ibi tales intentiones. Non tamen eodem modo concedendum est, quod ibi sit signum virtualiter, & non formaliter, quia ipsa scriptura, quæ est in libro clauso formaliter in se ipsa est imposita ad significandum, sicut & voces, & ita licet actu non repræsentet scriptura, actu tamen est imposita, & ideo actu est signum, quia actualis essentia signi non consistit in actuali exercitio repræsentandi, quia signum dicitur *repræsentatiuum*, non repræsentatio. Suppositio autem fundatur in actuali applicatione & vsu intellectus; quamquam etiam relatio rationis signi, quæ inuenitur in libro clauso non sit actu existens, nisi actu cognoscatur; denominatur tamen signum ab ipsa impositione, & fundamento proximo huius relationis. De quo plura dicemus Quæst. 21. Logicæ.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Ad secundam difficultatem à principio positam, quæ tangit differentiam suppositionis, scilicet quod sit *Acceptio pro aliquo pro quo verificatur*; vt respondeatur, notandum est quod vt diximus in *Text. c. 10.* Aliud est *Verificatio termini*, aliud *Verificatio propositionis*, stat enim quod aliqua propositio non verificetur vt ista *Homo est lapis*, & tamen termini vere supponant, & verificentur. Atque ita verificatio propositionis sumitur penes ipsum esse, vel non esse à parte rei, sicut significatur per esse vel non esse propositionis. Ad verificationem autem termini supponentis, sufficit, quod illud pro quo supponit, inueniri, & designari possit secundum exigentiam illius copulæ, & verbi, cui applicatur, vt supponat, in loco citato latius diximus. Et ista verificatio, seu designatio, potest aliquando fieri ad sensum, vt si res sit sensu demonstrabilis, vel ad intellectum si sit occulta, vel in abstracto considerata, vt ibidem diximus. Imò aliquando non potest fieri demonstratio in ipso termino immediatè, sed mediatè, & facta resolutione illius, vt cum dico, *Omnis homo est animal*, non debeo demonstrare aliquid, quod sit *Omnis homo*, sed resoluta illa vniuersali in suas singulares, hic homo est animal, & ille, &c. in quolibet illorum potest demonstrari, *Hoc est homo.*

Hoc supposito Aliqui Recentiores non admittunt Suppositionem in hoc sensu, quod debeat verificari pro aliquo iuxta exigentiam copulæ; vnde solùm restat nobis probare, quod ita admittendum sit. *Et Fundamentum est.* Quia dantur aliquæ propositiones de subiecto non supponente, quando scilicet alicui termino adiungitur restrictio aliqua, vel terminus illi repugnans, vt si dicas, *Angelus Corporeus mouetur*; *Deus Creatus intelligit*; ly *Angelus* & ly *Deus* non supponunt, quia non datur *Angelus Corporeus*, nec *Deus Creatus*. Et hoc ideò, quia vt substituitur terminus pro aliquo, oportet quod non sit impeditus, nec aliquid ei repugnet, vt possit pro tali re substitui: ergo similiter si in ordine ad aliquam copulam repugnat inueniri id pro quo substituitur, non poterit substitui pro illo stante tali copula, vt si dicas *Adam est*, *Antichristus fuit*, non datur talis Antichristus, qui fuerit, nec talis Adam qui sit; ergo non potest substitui pro illo: requiritur ergo ad substitutionem, seu Suppositionem verificatio termini iuxta copulam, idest, quod possit inueniri, & designari id pro quo supponit terminus, iuxta significationem talis copulæ.

Sed dices. Nam in aliquibus propositionibus subiectum supponit, & non verificatur iuxta copulam; ergo &c. Ant. prob. *Primò* in propositionibus falsis vt *Adam est*, *Antichristus fuit*, illæ propositiones sunt falsæ, quia prædicata non conueniunt rebus, pro quibus subiecta supponunt, aliàs non intelligeremus falsitatem propositionis, nisi cognosceremus cui disconuenit, vel repugnat prædicatum; ergo pro aliquo supponit illud subiectum. Et in hac propositione, *Chymera erit*, ly *chymæra* supponit, siquidem ampliatur à verbo *Erit*, &

& ampliatio eſt extenſio à minori ad maiorem ſuppoſitionem, & tamen non verificatur iuxta copulam, quod aliquando erit Chymæra, ergo ſtat bene ſuppoſitio, ſicut & ampliatio ſine verificatione. *Secundò* in propoſitionibus Optatiuis, & Imperatiuis, termini poſſunt ſupponere, quia determinatè de aliquo dicuntur, & tamen non verificantur iuxta aliquam copulam, quia ibi non eſt. Ac denique in propoſitionibus æternæ veritatis, vt *Homo eſt animal*, non poteſt verificari terminus demonſtrando illum per pronomen, *Hoc*, ad aliquam differentiam temporis, cùm verbum illud abſoluatur ab omni tempore: ergo datur ſuppoſitio ſine verificatione. *Confirm.* Quia verificatio termini fit per aliam propoſitionem diſtinctam ab illa in qua ſupponit terminus, vt diximus; ergo talis verificatio non poteſt pertinere ad differentiam conſtitutiuam, & eſſentialem ſuppoſitionis.

Reſpond. neg. Ant. ad prim. prob. Dicitur Illas propoſitiones ideò eſſe falſas, quia ſunt de ſubiecto non ſupponente, quia ſecundum illam copulam non inuenitur aliquid pro quo ſupponant; non autem ſemper reliquitur ad falſitatem, quòd terminus, ſupponat pro aliquo cui deſconueniat prædicatum, ſed ſufficit, quòd non ſupponat, ideſt, non inueniatur ſub tali copula, & tamen de illo affirmetur prædicatum. In illa autem propoſitione, *Chymera erit.* vel non datur propriè ampliatio, quia non datur ſuppoſitio vera; vel ſi eſt ibi ampliatio non debet ſumi pro maiori extenſione ſuppoſitionis, ſed pro extenſione ſuppoſitorum, vel temporum ad quæ fit ampliatio, ſiue terminus ſupponat, ſiue non.

Ad ſecundam verò probat. reſpondet. Quòd in illis orationibus Optatiuis, &c termini ſupponunt iuxta exigentiam copulæ, vt in optatiuis ſi ſint de futuro verificatur terminus ex parte ſubiecti pro eo qui eſt vel erit, vt ſi dicas, *Vtinam Petrus fiat iuſtus*, ly *Petrus*, ſupponit pro Petro, qui eſt vel erit; ſi ſit de præterito, vt *Vtinam fuiſſet iuſtus*, ſupponit pro eo quòd eſt, vel fuit, & ſic de aliis. In Imperatiuis ſupponit pro præſenti, vt ſi dicas, *Petre fac hoc*, Petrus debet ſupponere pro præſenti, cui imperatur, & ſimiliter in Vocatiuis, &c. Itaque ad ſuppoſitionem ſufficit oratio in qua inueniatur copula iuxta cuius exigentiam poteſt inueniri, & demonſtrari talis terminus, & ſic intelligimus ſolùm ſupponere in propoſitione, ſumendo *Propoſitionem* pro omni oratione conſtante ex copula. In ſuppoſitione autem naturali, vbi veritas abſtrahit à tempore, verificatio ſubiecti ſupponentis non demonſtratur ad ſenſum, ſed ad intellectum, quia verificatur ſecundùm exiſtentiam verbi abſtrahentis à tempore, vt ſi dicas *Petrus eſt homo* ly *Petrus* ſupponit demoſtrando Petrum per intellectum ſecundùm ſe, vt dicendo, illud, quod eſt Petrus, ly *eſt* abſtrahente à tempore; & quando dico, *homo eſt animal*, demonſtrando per intellectum hoc, quod eſt homo ſecundùm ſe, non ratione ſtatus ſingularis, vel vniuerſalis.

Ad conf. reſp. Quòd verificatario termini non conſtituit ſuppoſitionem, ſecundum quod fit quaſi in actu ſignato, & vt demonſtrata per aliam propoſitionem, ſed verificatio in actu exercito fit in ipſa propoſitione in qua ſupponit, poſtea autem manifeſtatur, & probatur in alia propoſitione diſtincta.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Ad Tertiam Difficultatem à principio propoſitam. *Reſpond.* Terminum nullo modo ſupponere actu extra propoſitionem, vel orationem conſtantem copula, iuxta cuius exigentiam poſſit acceptio termini verificari. *Ratio* ſumitur ex dictis, Quia ſuppoſitio non eſt ſubſtitutio ſecundùm ſolam rationem ſignificationis (ſic enim conſtat inueniri extra propoſitionem) ſed ſuppoſita ſignificatione ſubſtituitur terminus pro aliquo ſecundum applicationem, & reſpectum ad alterum; vt ergo verè ſupponat, requiritur, quod ſic inueniatur, & deſignari poſſit id, pro quo ſupponit, alioquin ſi non inuenitur, neque eſt deſignabile, non eſt etiam applicabile in tali ſubſtitutione. Ex eo autem conſtat inueniri, ſeu deſignari poſſe id, pro quo ſupponit, ſi demonſtretur per aliquam copulam, quia ratione alicuius verbi conſtat quod ſit, vel non ſit ſeu inueniatur id, pro quo aliquid ſupponit. Requiritur ergo neceſſariò, quòd terminus coniungatur alicui verbo, vt reſpectu illius inueniri, & demonſtrari poſſit id, pro quo terminus accipitur. Adde, quod reſpectu vnius copulæ poteſt ſubſtitui, reſpectu alterius non poteſt, vt ſi dicas, *Adam fuit*, ly *Adam* ſupponit reſpectu præteriti. Si verò dicas, *Adam eſt*, non ſupponit, quia non inuenitur, & conſequenter, nec verificatur reſpectu temporis præſentis. Et aliquando etiam ſuppoſitio variatur ratione copulæ non abſolutè ſumptæ, ſed reſpectu prædicati, vt cum dico: *Homo eſt nomen, homo eſt ſpecies*, ly *homo* non ſupponit ratione ſolius copulæ *eſt*, vt ſignificat tempus præſens, ſed cognoſcitur ſupponere materialiter in vno, & ſimpliciter in altero, quia ſic exigit prædicatum per talem copulam vnitum termino; ergo in ordine ad diuerſam copulam diuerſa ſpecies ſuppoſitionis ſumi poteſt.

Sed obiic. Nam terminus extra propoſitionem verè habet rationem termini, & partis; ergo dicit ordinem ad verbum mediante cuius coniunctione poteſt componere; ergo habet rationem ſuppoſitionis, ſicut & habet potentiam proximam ad compoſitionem. Sicut enim ad componendum terminus non dicit actum, ſed potentiam, ſic etiam ad ſupponendum: præſertim cum ſuppoſitio ſit proprietas termini, & conſequenter non ſeparatur ab ipſo, neque intra, neque extra propoſitionem. *Et Conf.* Quia extra propoſitionem etiam terminus dicit ordinem ad verbum, vel ad alium terminum, tum in orationibus imperfectis, vt ſi dicas *Petrus albus*, *Homo iuſtus*, vbi vnus terminus accipi poteſt in ordine ad alium: cur enim ſolùm accipietur in ordine ad verbum? Tum etiam in orationibus perfectis non enuntiatiuis, quæ verè & propriè conſtant verbo, licèt non enuntiando, ſed imperando, vel optando, &c. *Confir. ſecund.* Nam ſi terminus ſolum ſupponit intra propoſitionem, quia ſubſtituitur ſecundum exigentiam verbi, ſequitur quòd omnes propoſitiones affirmatiuæ veræ, ſint eſſentiales, vt patet in hac propoſitione, *Petrus currit*, quæ ideo eſt vera, quia iuxta exigentiam copulæ ſupponit pro Petro currente, ſed de Petro currente eſt eſſentiale dicere, quòd currit, ergo eſt propoſitio eſſentialis.

Reſp. ad principale argument. Eſſe differentiam inter rationem Termini, & rationem Suppoſitionis, quòd intentio termini ſolùm eſt intentio partis, & ſubſtitutio ſignificationis; vtrumque autem non fundatur in ipſo actuali exercitio, vel ſignificandi, vel componendi, ſed in habilitate, & potentia ad componendum, vel ſignificandum; ratio enim partis non eſt ratio componentis, ſed compoſitiui, & ſimiliter ratio ſigni eſt ratio ſignificatiui, non ſignificantis. At verò intentio ſuppoſitionis reſultat ex actuali determinatione, & vſu paſſiuo intellectus circa aliquem terminum, quem determinat, & applicat, ſiuè in mente, ſiuè in voce vel ſcripto, pro iſto vel illo, pro quo verificatur, vnde ante actualem applicationem intellectus non datur iſta determinatio. Quòd vero dicitur eſſe proprietatem termini,

Reſpond.

Respond. Suppositionem non esse proprietatem termini in omni statu, sed prout applicatur intra propositionem, sicut proprietas Grauis est quiescere, non absolutè, sed in centro.

Ad primam Confirm. resp. Quod extra propositionem, terminus dicit respectum ad verbum, vel ad prædicatum per modum partis potentis componere, non autem per modum actus determinati & substituti pro aliquo, quod vere inueniatur ita substitui, eo quod non potest constare, quod vere sic inueniatur, nisi in ordine ad aliquod verbum constet inueniri. Vnde in orationibus imperfectis non constantibus aliquo verbo non datur Suppositio, quia nondum datur id per quod debet verificari, & designari quomodo verè, & propriè supponat terminus. Cuius signum est, quòd quando sine verbo coniunguntur termini, vt dicendo, *Homo albus*, illud complexum est indifferens ad quodcunque genus suppositionis, possunt enim formari ex illo complexo suppositio materialis, dicendo, *Homo albus est vox complexa*, vel formalis, dicendo, *Homo albus disgregat visum*, vel simplex, dicendo, *Homo albus est prædicabile de multis*, vel naturalis, dicendo, *Homo albus est coloratus*, vel accidentalis, dicendo, *Homo albus ambulat.* Vnde si est indifferens ad omnes species suppositionis, manifestum est, quod nullam habet in actu, & sic determinatur, & verificatur ratione copulæ, In propositionibus autem non enuntiatiuis constantibus verbo, iam diximus posse reperiri Suppositionem.

Ad secund. Conf. respond. Quod licet in illa propositione ly *Petrus* supponat identicè pro Petro currente, illa tamen propositio non est essentialis, quia ad essentialem propositionem non sufficit identitas subiecti cum prædicato ex parte suppositi, & ex parte suppositionis eius, sed requiritur necessaria connexio, & habitudo terminorum, quæ est identitas quasi formalis: Vnde in prædictis propositionibus accidentalibus est quidem vera coniunctio, & vnio inter prædicatum, & subiectum, non tamen est necessaria, vnde licèt supponant pro eodem, non tamen sub ea formalitate necessariæ connexionis, quæ requiritur ad essentialem propositionem, sicut si formaliter significaretur ex parte subiecti, dicendo, *Petrus currens currit*, tunc enim est propositio essentialis, quia habitudo terminorum non solùm veritatem fundat, sed intrinsecam necessitatem significat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm suppositio impropria reperiatur in conceptu mentis vltimato?

PVnctum huius difficultatis nascitur ex ipsa definitione *Suppositionis impropriæ*, seu metaphoricæ, quæ est *Acceptio pro eo, quod terminus impropriè, & per translationem significat*, quod in terminis vocalibus videmus fieri, quia vnus terminus transfertur ad supponendum pro alia re, quàm sit illa, quam directè significat, eo quod habet aliquam conuenientiam, vel similitudinem, aut comparationem cum ipsa; omnis enim metaphora in aliqua comparatione, vel similitudine fundatur. Inquirimus ergo, An in ipso conceptu mentis vltimato, qui est naturalis similitudo alicuius rei inueniatur fundamentum, vt applicari possit pro eo, quod non significat naturaliter, & propriè, sed pro eo cum quo potest habere aliquam similitudinem, vel comparationem metaphoricam. v. g. In illa vulgari propositione *Vicit Leo de Tribu Iuda*, vt sit impropria suppositio in mente, requiritur, quod conceptus *veri Leonis*, & qui est naturalis, & expressa similitudo Leonis supponat, & applicetur pro *Christo*, quem non significat propriè, & directè; nam si supponeret pro verò Leone, propositio esset falsa; vt autem supponat pro Christo impropriè, non debet repræsentare illum æque dirrectè cum repræsentatione veri Leonis, alias ille conceptus esset æquiuocus, & suppositio pro Christo nó esset impropria, sed propria vtriusque, scilicet Christi & Leonis, quia vtrumque proprie, & naturaliter repræsentaret, sicut nomen æquiuocum propriè supponit pro quolibet significato. Est ergo difficultas. An sufficiat ad suppositionem impropriam ille conceptus veri Leonis, vt potest saltem in obliquo connotare Christum vt similem Leoni. An verò requiratur alius distinctus conceptus ad supponendum, qui directe repræsentet Christũ cum connotatione Leonis in obliquo, non repræsẽtando Christũ absolute, sed comparatum Leoni.

In hoc ergo puncto diuisi sunt Authores, nam Quidam simpliciter, & absolutè fatentur dari suppositioné impropriam, quia existimant in prædicta metaphora illũ conceptum veri Leonis represẽtare Christum connotatiuè sub analogia, & similitudine quadã ad Leonem illo primo modo. Alij verò existimant conceptum illũ veri Leonis nec repræsentare Christum, nec supponere pro illo, sed formari alium conceptum, repræsentantem Christùm cum aliqua comparatione, & connotatione ad verum Leonem, illo secundo modo, & ita supponere propriè ratione rei significatæ pro Christo cum connotatione ad Leonem.

Nihilominus resolutoriè dico. Quod simpliciter hæc secunda sententia in sensu. *D. Th.* probabilior videtur, & hoc sequuntur plures ex Thomistis, non tamen caret probabilitate prima sententia. Prima pars deducitur ex *D. Thom. 1 part. q. 13 art.* 10. vbi inquit: *Quod cum nominamus Deum secundum participationem, intelligimus nomine Dei aliquid habens similitudinem veri Dei*; Deus autem secundum participationem est Deus metaphoricè, sicut Christus est Leo metaphoricè; ergo audito nomine Dei metaphoricè, intelligimus, id quod habet similitudinem veri Dei, & nomine Leonis metaphoricè, intelligimus id quod habet similitudinem veri Leonis, non ergo est conceptus veri leonis, sed distinctus conceptus, scilicet eius, quod habet similitudinem veri Leonis; iste autem est conceptus Christi cum quadam connotatione ad Leonem

Et Fund. sumitur ex dictis, nam illa suppositio metaphorica non potest verificari pro eo quod est leo verus, sed pro eo quod est *tanquam Leo*, nam leo verus de Tribu Iuda non inuenitur, nec supponit magis, quam si diceretur *Angelus corporeus*, vel *Homo rugibilis*; solum ergo supponit, & verificatur pro eo quod est *tanquam Leo.* Sed conceptus *Veri Leonis* non potest esse conceptus eius, quod est *tanquam Leo*, quia vt dictum est alium conceptum formamus de vero Leone, alium de eo quod comparatiuè se habet tanquam verus Leo; ergo si pro hoc secundo verificatur illa suppositio, & non pro primo, iste secundus conceptus supponet, & non primus. Vt autem esset suppositio impropria, deberet conceptus veri Leonis supponere pro eo quod nó est Leo, sed tanquam Leo, non significando illud proprie, sicut vox Leo trahitur ad supponendum pro eo quod non est Leo, sed sicut Leo. *Et Conf.* Quia conceptus veri Leonis solùm significat naturali repræsentatione Leonem verum, sub qua non continetur Christus, & proprietatem fortitudinis, cui assimilatur Christus, quia illi potest comparari, & ratione huius comparationis nominatur nomine eius cui comparatur. Hæc autem cõparatio supponit alium conceptum

repræ

repræsentantem Christum, vt comparatum Leoni, & non absolutè; eiusdem enim ad seipsum non est comparatio, vnde *Analoga metaphorica* vocantur *duorum conceptuum* (vt dicemus in Logica *Qu* 13. *art* 5.) & Deus connotatiue, aut comparatiuè cognitus ad creaturas, dicit alium conceptum à creaturis, ergo cum suppositio accipiat, & substituat terminum pro re aliqua quæ prædicatur, vel subiicitur, non pro eo, quod in obliquo connotat, licet ab eo possit nominari in voce, sequitur quod in mente conceptus Leonis veri non supponat pro Christo, licet connotetur à Christo, sed conceptus Christi, vt comparatus Leoni, & iste non impropriè supponit.

Ex quo infertur quod ille conceptus *Veri Leonis*, quando aliquis concipit illam propositionem *Vicit Leo*, non est necesse, quod corrumpatur addita illa particula, *ex Tribu Iuda*, sed format intellectus alium conceptum Christi secundum quod, abet connotationem, & comparationem ad conceptum veri Leonis, & sic primus conceptus veri Leonis non se habet vt res supponens, sed vt terminans comparationem, & connotationem Christi ad se.

Secunda pars Concl. quam tenent etiam aliqui Thomistæ sequentes *Magistr. Sot. lib.* 2 *Summul.* cap. 10. notabil. 3. fundatur in hoc, Quod ad supponendum nõ requiritur significatio alicuius rei, sed ordinatio, & applicatio intellectus etiam pro eo quod non significat, sed pro eo cui assimilatur significatum; sufficit enim quod significet aliquid saltem secundario, vt dicatur habere capacitatem, vt ab intellectu substituatur & supponat pro illo, & non solum pro eo quod directè & formaliter significat: Sicut Terminus communis significat indiuidua secundariò, & materialiter & tamen supponit pro illis & Terminus connotatiuus pro substrato, quod solum connotat, & vnum analogum pro suis analogatis, etiamsi sit attributionis metaphoricæ.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Primo arg. Quia stat benè, quod aliquis conceptus significet aliquid impropriè; ergo stat benè quod supponat impropriè, *Conseq. constat* cum tota ratio negandi suppositionem impropriam sit negatio significationis impropriæ in conceptu. *Ant prob.* In omnibus conceptibus repræsentãtibus rem non vt est in se, sed ad instar alterius, & non per species proprias, sed per alienas, sicut cognoscimus Deum, & Angelos per sensibilia, & Ens rationis per ens reale, & per conceptum vnius analogari alterum analogatum; ergo non repugnat dari conceptum significantem impropriè. *Et Conf.* In Connotatiuis, & Terminis communibus, qui supponunt pro indiuiduis, quæ important in connotato, in obliquo; ergo etiam conceptus veri Leonis poterit supponere pro Christo significato in connotato, & in obliquo. Et idem est in Alienatione, quæ reperitur in conceptu mentis, cum sit proprietas quædam logicalis, quæ est secunda intentio, & tamen definitur quod sit distractio â propria ad impropriam suppositionem, atque adeò supponitur dari verè suppositionem impropriam in mente.

Respond. neg antec. Ad prob. dicitur, Quod conceptus, qui repræsentant res non vt sunt in se, sed per species alienas, sunt conceptus improprij ex par te modi repræsentandi; non tamen ex parte rei repræsentatæ, licèt ad instar alterius cognitæ: sicut conceptus quem formamus de Deo, vel de Angelis ex parte rei cognitę dicitur esse conceptus proprius Dei, quia ipsi soli attribuitur, & appropriatur; ex parte tamen modi cognoscendi non cognoscitur proprio modo, vt est in se. Et idem est de alijs conceptibus in *argum.*

relatis. Ad suppositionem autem impropriam requiritur, quod ex parte rei, pro qua supponit non significet illam propriè, quia suppositio non est pro modo significandi, sed pro re significata. Analogum autem si sit attributionis metaphoricæ, non est analogum vnius cõceptus sed diuinum, & ideo vnus conceptus non supponit impropriè pro alio, sed quilibet pro suo significato.

Ad Confir. resp. Quod in termino connotatiuo, vel communi, sit suppositio pro eo quod connotatur, & non solum pro formali significato, quia illud quod connotatur importatur tamquam res, seu subiectum, vel suppositum, vnde potest supponere pro illo suppositione propria, quia non metaphoricè, sed propriè significatur, licet tanquam materiale. At vero in metaphoris, & alijs figuris rhetoricis, id quod connotatur importatur tanquam terminus comparationis, quia omnis metaphora per quandam comparationem formalem, vel virtualem fit, vnde pertinet quasi ad connotationem ex parte modi significandi, non ex parte rei significatæ, & sic non supponit pro illo, sed formatur alius conceptus, qui rem propriè significat cum connotatione ad id per quod metaphora designatur. *Quod autem dicitur de Alienatione*, negamus illam reperiri in conceptu vltimato, quia hic alienari non potest, nisi corrumpatur; sed conuenit illa secunda intentio voci, vel conceptui non vltimato ratione cuius distractio, seu alienatio significationis verificatur.

Secundo Arg. Istæ duæ propositiones *Vicit Leo de Tribu Iuda, Vicit Christus*, non sunt synonimæ, sed diuerso modo significant; sed in ista propositione *Christus vicit*, significatur *Christus* propriè; ergo in alia non potest idem propriè significari, sic enim ex omni parte propositiones eædem manerent. *Si dicatur*, Quod in vna significat Christum propriè absolutè, & sine vllo respectu, in alia autem propriè cum aliquo respectu, & connotatione. *Contra est.* Quia si non est significatio propria absolutè in illa propositione, *Vicit Leo, &c.* Ergo neque est suppositio propria absolutè, quia supositio propria fundatur in significatione propria; ergo vt sit propria absolutè, debet fundari in significatione propria absolutè.

Et Confirm. Quia quãdo primum audio illos duos terminos *Vicit Leo*, repræsentatur mihi conceptus veri Leonis, adueniente verò illa particula *de Tribu Iuda.* non corrumpitur ille prior conceptus veri intra propositionem; ergo manet intra illam sicut antes; ergo supponit, nõ prose, quia esset propositio falsa; ergo pro Christo, quem non significat propriè; ergo supponit impropriè. Quod conceptus veri Leonis non corrumpatur, *patet*: Quia si corrumpitur; ergo non concipitur Christus in ordine ad leonem, sed in se absolute sine respectu, siquidem non manet conceptus Leonis, in ordine ad quem ista connotatio desumatur, vnde esset eadem propositio *Christus vicit, & vicit leo de Tribu Iuda.*

Respond. Solutione data, quæ sumitur ex verbis *B. Thom.* supra relatis, quod *quando nomino Deum per participationem, intelligitur id quod habet similitudinem veri Dei.* Vnde similiter quando Christum nomino *Leonem*, intelligitur id quod habet similitudinem veri Leonis, & hoc ex parte rei significatæ est conceptus proprius Christi. *Ad replic. dicitur* Quod conceptus Christi connotatiuè cogniti, & non omnino absolutè est proprius Christi ex parte rei significatæ, licet non ex parte modi significandi, quia cum quadam connotatione, & respectu ad alterum significatur. Suppositio autem propria, vel impropria non attenditur ex parte modi significandi propriè, vel impropriè, sed ex parte rei propriè, vel impropriè significatæ, pro illa enim substituitur &

supponit tanquam pro supposito, & eadem ratione significatur Christus immediatè vt res significata, licèt sub modo respectiuo, & connotatiuo ad alterum tanquam ad terminum comparationis.

Ad Confirm. Resp. Quòd non est necesse corrumpi illum conceptum *Veri Leonis*, sed tamen adueniente illa particula *de Tribu Iuda*, aliter applicatur, eo quòd formatur conceptus de Christo, vt comparatur ad verum leonem quoad eius fortitudinem, vel proprietates; vnde manet conceptus veri leonis, *vt terminus talis comparationis*, & connotationis, non vt præbens suppositionem termini ex parte rei significatæ impropriè.

Vltimo Arg. Nam si prius formatur conceptus veri Leonis, cum incipio audire illam propositionem, & postea formo conceptum Christi non absolutè, sed relatè, & connotatiuè, ad verum Leonem; ergo per discursum formatur illa propositio, quatenus ex collatione, & comparatione vnius ad aliud colligimus tali metaphora velle nos significare Christum. Si autem per discursum colligitur, & discursus formatur ex propositionibus tanquam ex præmissis, ergo prius formabũtur istæ propositiones, *Leo vicit de Tribu Iuda*, & *ille non est verus Leo, sed habens similitudinem veri Leonis; ergo Christus vt habens talem similitudinem vicit.* Sed tunc in præmissis illa prima propositio, *Vicit Leo*, &c. antequam inferat conclusionem non supponit pro Leone vero, sic enim esset falsa; ergo tunc conceptus veri Leonis supponit pro Christo impropriè quod est intentum.

Resp. Quòd cum in istis metaphoris intellectus vtatur quodam circuitu, & comparatione ad significandum res, potest etiam vti discursu in colligendo significationem talis metaphoræ, præsertim quando statim à principio non plene comprehendit metaphoram, sed indiget discursu, vt illam intelligat. Dato ergo, quod ibi interueniat discursus, ad instantiam *Respond.*. Quòd in illo discursu proposito illa prima propositio quæ assumitur pro præmissa, *Leo vicit de Tribu Iuda*, non concurrit ibi quasi formaliter, sed quasi materialiter, & alia propositione in conceptu vltimato posita, scilicet Hæc propositio vocalis proponitur, *Vicit Leo de Tribu Iuda*; & hæc non verificatur secundùm significationem veri Leonis, ergo secundum significationem eius quod habet similitudinem veri Leonis; hoc est Christus, ergo, &c. Hic est dicursus, qui pro istis metaphoris formatur; assumitur enim propositio metaphoricè repræsentata quasi pro maiori, & cum in sensu proprio non verificetur, fit discursus ad videndum, in quo sensu verificari possit, vnde quando assumitur propositio metaphorica in maiori antequam plenè intelligatur metaphora per discursum, illa propositio non est in conceptu vltimato, sed in conceptu non vltimato, quæ repræsentat propositionem vocalem, & deinde discurrit circa eius sensum, & cum inueniat metaphoricè verificari, format in mente vltimata conceptum illius, qui habet similitudinem *Veri Leonis*, qui est Christus, & hic supponit in conclusione, estque suppositio propria.

Denique si dicas, cur potest Vox applicari pro eo quod non significat directè, sed in connotato metaphoricè, Conceptus autem non potest? *Respond.* Quod in Voce, cùm non sit repræsentatio naturalis potest aliquid subintelligi, & non significari ab illa, & ratione rei subintellectæ accipi, & supponere. Conceptus autem naturaliter repræsentat, & comparat vnum alteri, & sic supponit, cum ratione rei solùm significatæ supponit (§ § §).

ARTICVLVS III.

Quæ sint notanda circa alias Species Suppositionis & Proprietates Logicales?

Circa *Simplicem suppositionem*, solet esse difficultas, Quomodo distinguatur ab aliis Suppositionibus & primò à *Suppositione naturali?* Nam videtur in Suppositione simplici etiam importari connexio, & habitudo necessaria terminorum, nam cum dico *Homo est species*, ideò est suppositio simplex, quia facit hunc sensum, *Homo conceptus conceptu proprio*, seu *in communi est species*, sed illud prædicatum, *species*, essentialiter conuenit conceptui communi hominis, ergo importat essentialem connexionem terminorum. Item ex alio capite definitio Suppositionis simplicis conuenit naturali, vt quando definitio prædicatur de definito, vt si dicas, *Homo est animal rationale*, ly *Homo* accipitur pro immediato significato, quod per se, & formaliter significat, nam ita definitur *Homo*, quòd non definitur *Petrus*, aut *Paulus* in singulari: ergo definitiò Suppositionis simplicis etiam conuenit naturali, in qua definitio prædicatur de definito.

Secunda difficultas est: An possit inueniri Suppositio simplex in termino singulari, vt cum dico *Petrus est indiuiduum*, nam terminus singularis non videtur habere significatum immediatum distinctum à mediato, ratione cuius possit supponere *simpliciter*, sed solum habet vnicum, & adæquatum, pro quo supponit *singulariter*, Ex alia autem parte videtur, quòd sicut in hoc termino *Homo*, quando prædicatur aliquis terminus secundæ intentionis de illo, datur suppositio simplex, quia non transit ad significata mediata, non enim valet, *Homo est species, ergo Petrus est species*; ita similiter quando prædicatur aliquod prædicatum secundæ intentionis, quod non conuenit naturæ in communi, sed solùm indiuiduo, etiam supponit simpliciter, vnde eodem modo non valet *Perus est indiuiduum, & non est prædicabile de multis, ergo homo est indiuiduum, & non est prædicabile de multis.*

Denique in Propositionibus, in quibus prædicatum secundæ intentionis repugnat subiecto, vt si dicas, *Petrus est species, Homo est indiuiduum*, subiectum debet supponere simpliciter, quia prædicatum est terminus secundæ intentionis, quod non transit ad significata mediata; & tamen non accipitur pro eo, quod primo, & per se significat, cum conceptus prædicati repugnet conceptui subiecti, & consequenter non appellat proprium, & per se conceptum illius, ergo, &c.

Ad istas Difficul. breuiter Respond. Supponendo Suppositionem simplicem distingui à *Materiali*, & *Personali*, quia Suppositio simplex est pro ipsa re significata, non pro ipso nomine significante; à Personali verò, quia supponit pro solo immediato significato & nullo modo pro mediato. Est enim præ oculis habenda illa doctrina *S. Thom. q. 9. de Potentia art. 4.* Quod Nomen significat dupliciter, vno modo *formaliter*, alio modo *materialiter*. Significatum formale est illud, ad quod significandum Nomen principaliter est impositum; materiale est illud, in quo talis ratio significata per nomen saluatur, & inuenitur, sicut nomen *Homo* significat naturam hominis, sed saluatur in indiuiduo. Vt ergo sit Suppositio simplex, requiritur, quod ita supponat pro vno significato scilicet immediato, quod non possit transire, nec descendere ad mediatum, quia si potest transire ad vtrumque non manet simplex, sed quasi duplex suppositio.

&

& quaſi duplici ſignificato conueniens. Hoc autem ſolum contingit in prædicatis ſecundæ intentionis reſpectu ſui ſubiecti,ſeu fundamenti, nam ſi ſint prædicata realia,hoc ipſo poſſunt inueniri à parte rei, & conſequenter in aliquo indiuiduo , & non ſolum in natura ; non ergo ſufficit ad ſuppoſitionem ſimplicem dari aliquod prædicatum,quod conueniat immediato ſignificato nominis,ſed requiritur,quod cóueniat cum aliqua præciſione,ita vni ſignificato, quod non alteri.

Ad Prim. ergo diffic. Reſp. Quod illa propoſitio nullo modo eſt eſſentialis ; vt enim propoſitiones ſint eſſentiales oportet, quod neceſſaria connexio , & habitudo importetur ex vi ipſorum terminorum , non ex alicuius applicationis,vel ſtatus , quo aliquis terminus veſtitur,aut applicatur, niſi talis applicatio, aut ſtatus explicetur in propoſitione ; tunc enim ex vi termini explicantis ſtatum poterit importari neceſſaria connexio cum prædicato. Vt ſi dicas ; *Homo diſgregat viſum*, licet verificetur ſubiectum pro homine albo, & ſupponat pro illo , tamen quia ex vi illius termini *Homo* non importatur ipſa albedo , cui eſſentialiter conuenit diſgregare,ideo iſta propoſitio non eſt eſſentialis Si verò dicas ; *Homo albus diſgregat* , eſt eſſentialis : Similiter ſi dicas *Homo eſt ſpecies*, licet verificetur pro homine concepto in communi, non tamen eſt eſſentialis propoſitio , quia ex vi illius termini, *Homo* non explicatur,quod ſit conceptus in communi. Si autem exprimatur in propoſitione. *Homo conceptus conceptu communi*, tunc de illo prædicabitur eſſentialiter , quod ſit ſpecies ; facit enim hunc ſenſum, *Homo in quantum ſpecies, eſt ſpecies.*

Ad inſtantiam pro alia parte dicitur , Quod definitio,licet conueniat termino ratio naturæ,& quidditatis, non tamen eſt ſuppoſitio ſimplex, quia non ita præciſè conuenit naturæ, quæ eſt immediatum ſignificatum, quod non poſſit etiam conuenire perſonæ, ſeu indiuiduo, in quo inuenitur talis natura, imò ſicut quidditas , & natura deſcendit ad indiuidua , ita & definitio. Et licet quando definitur *Homo*, non definiatur *Petrus* immediatè, & ſecundum indiuiduationem ; definitur tamen mediatè,ſecundum naturam,& quidditatem Petri.

Ad ſec. Diffic. Reſpond. Quod etiam in Termino ſingulari poteſt inueniri Suppoſitio ſimplex , eo quod inuenitur ſignificatum immediatum & mediatum, ſed inuerſo modo ad terminum communem; nam in Termino communi immediatum ſignificatum eſt natura , & mediatum eſt perſona cui conuenit natura;in terminis autem ſingularibus immediatum ſignificatum eſt Perſona,ſeu indiuiduum, mediatum autem Natura, cuius eſt perſona , vnde definitur perſona , *Quod eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia.* Vbi immediatum, & directum ſignificatum eſt ſubſtantia, ſeu ſuppoſitum indiuiduum , mediatum verò,ſeu indirectum eſt Natura.Quare omnia illa prædicata , quæ important ſecundam intentionem ſingularitatis faciunt Suppoſitionem ſimplicem in termino ſingulari , & non perſonalem, V. G. quando dicitur de Petro , quod eſt aliquid inferius ſubijcibile ad ſpeciem atomam ; quod eſt prædicabile de vno & non de multis;quod eſt indiuiduum, & ſimilia , in quibus valet conſequentia a termino ſingulari ad communem, vt in argumento dicitur.

Ad Tert. Diffic. Reſpond. Vtrumque poſſe ſuſtineri in illis propoſitionibus, & quod ſubiectum ſupponit ſimpliciter , & quod ſupponit *Perſonaliter*. Primum ſic. Quia hoc ipſo quod ſubiectum per copulam vnitur termino ſecundæ intentionis iuxta exigentiam talis copulæ , facit quaſi appellationem ad ſtandum ſub ratione proprij, & immediati conceptus ; & licet prædicatum ſit repugnans ſubiecto, hoc ſolum conuincit , quod non conuenit illi , & ſic redditur propoſitio falſa, non tamen quod ſubiectum non ſupponit iuxta exigentiam illius copulæ ; & prædicati; Quare facit hunc ſenſum illa propoſitio *Petrus vt conceptus conceptu proprio eſt ſpecies*, & ideo eſt falſa ; ſicut etiam in hac *Homo eſt lapis*, ly *Homo* ſupponit ; quia licet ei non conueniat prædicatum,poteſt tamen inueniri , & demonſtrari *Homo* ſecundum exigentiam verbi *eſt* ; alioquin non apparet, qua ſuppoſitione ſupponat illud ſubiectum *Petrus eſt ſpecies* ; ſi ſimpliciter non ſupponit; cum perſonalis ſuppoſitio non conueniat reſpectu illius prædicati ſecundæ intentionis. *Secundum* verò ſic explicatur , dicendo Quod poteſt ſupponere ſuppoſitione perſonali; quia licet prædicatum ſit ſecundæ intentionis,tamen non ſignificatur conuenire ſubiecto , ſed repugnare ; repugnat ſubiecto etiam à parte rei. Quare vbi prædicatum ſecundæ intentionis eſt repugnans ſubiecto ; non oportet, quòd faciat illud ſupponere ſimpliciter ; quia etiam in perſonali ſuppoſitione ei repugnat, & in ſuo ſignificato mediato , quod eſt à parte rei.

Circa alias Species , & Diuiſiones ſuppoſitionis ; & Regulas earum , tam pro abſolutis , quàm pro relatiuis , plura ſolent multiplicari Sophiſmata , & conſequentiæ , quæ ſi hic exactè tractarentur in immenſum creſceret iſtud Opus, ideo illa in præſenti omittimus , in *ſeq. Quæſt.* præcipua indicaturi artic. 3.

Circa *Alienationem* , illud venit in præſenti notandum , An propoſitiones in quibus fit alienatio ſubiecti à prædicato ſint in materia contingenti , vel remota , vel neceſſaria , vt cùm dico *Homo eſt pictus*, *Homo eſt mortuus* ? Nam ſi ſubiecta alienantur non ſupponunt pro homine vero , ſed pro homine picto , & mortuo , de quo eſſentialiter dicitur, quod eſt mortuus , aut pictus.

Reſpond. Quod illud prædicatum *Pictus* , & *Mortuus* poteſt ſumi dupliciter; vno modo *participialiter* , ſeu in vi Verbi , alio modo *nominaliter* , ſeu in vi Nominis. *Participaliter* verificatur illa propoſitio, *Homo eſt mortuus* , per ampliationem ſubiecti de vero homine , non per alienationem; nam de homine verò dicimus per ampliationem quod mortuus eſt , ideſt *Obijt* , vel *deſiit eſſe* , & hoc de homine verò dicitur , quia facit hunc ſenſum , *Homo qui antea erat , iam non eſt , ſed deſiit eſſe.* Similiter ſi dicatur *Homo eſt pictus* participialiter , facit hunc ſenſum , *Homo verus eſt effigiatus per picturam*, ſiue exiſtat modò ille homo , ſiue non , & in hoc ſenſu iſtæ propoſitiones ſunt in materia contingenti , quia prædicata accidunt ſuis obiectis. Et licet cum corruptione ſubiecti illi adſint , non eſt cum corruptione conceptus eſſentialis , ſed ſolum cùm corruptione exiſtentiæ, quod non tollit prædicationem accidentalem, vt in Prædicab. cap. de Accidenti dicetur. Si verò ſine ampliatione conſideretur illa propoſitio , præciſè in vi terminorum , eſt in materia remota , quia illi duo termini *Homo* & *Mortuus* , *Homo* & *Pictus* repugnant inter ſe , quia non poteſt aliquid eſſe Homo & mortuus , At verò ſi ly *Mortuus* accipiatur nominaliter ſic facit alienationem ſubiecti ; idem eſt enim *Homo mortuus*, ac dicere *Cadauer hominis* , *Homo pictus* , *Pictura hominis.* De ſubiecto autem ſic alienato conſtat verificari prædicatum illud neceſſariò , quia alienatio illa relinquit terminum , quaſi in aliena ſignificatione , ideſt, cadaueris hominis , & picturæ , de qua eſſentialiter dicitur ly *Mortuum* , & ly *Pictum.* Quare tunc eſt in materia naturali.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Regulæ Appellationis traditæ in Textu veræ sint?

ANtequam Difficultates proponantur suppono tria. *Primum est.* Quòd communis acceptio intellectus, qua vtitur aliquo termino, duplici modo potest applicare duos terminos inter se, primò quasi *simplici applicatione*, & generali modo, & sic applicatur id, quod se habet vt forma, ei, quod se habet vt materia, & subiectum, & vocatur hæc *Simplex & absoluta applicatio*, quia non mediante respectu, vel modificatione, sed absoluto, & simplici modo fit. *Secundò* potest fieri applicatio vnius termini ad alterum non absolutè, & simpliciter, sed medio aliquo respectu, vel modificatione, seu formalitate vnius ad formalitatem alterius, ratione cuius verificatur vnum de altero præcisè vt stat sub illa modificatione, & non aliter, vnde si variatur & mutatur, vitiatur consequentia, & talem applicationem speciali modo *Appellationem* vocamus, vt cùm dico, *Petrus est magnus Medicus*, vbi magnitudo non applicatur *Petro absolutè*, sed *respectiuè ad medicinam.*

Secundò sequitur ex hoc falsam esse Aliquorum Recentiorum sententiam, qui appellationem definiunt, quod sit *Denominatio, qua vnus terminus alium denominat*, illamque saluant in applicatione, qua formale vnius termini applicatur materiali alterius, vt cùm dicitur *Homo sedet*, *Homo currit*, &c. Sed hæc sententia confundit generalem applicationem prædicati ad subiectum cum speciali proprietate Logicæ, quæ vocatur *Appellatio.* Quod tamen falsum esse constat, nam diuerso modo inuenitur applicatio, & vsus termini, quando prædicatum simpliciter, & absolutè applicatur alicui subiecto materialiter tento, & quando applicatur solum, vt stat sub aliquo respectu, & modificatione; hoc enim pertinet ad significandum diuerso modo veritatem, & ex illius variatione redditur defectuosa, & vitiosa consequentia; ergo talis *Appellatio*, seu applicatio specialem considerationem debet habere in Logica, & specialem proprietatem logicalem inducit, quam *Appellationem* dicimus; sicut non valet, *Petrus est magnus medicus, ergo est magnus absolutè.*

Tertiò reuocandæ sunt in memoriam Regulæ Appellationis positæ in Textu tam circa Appellationem realem, quàm circa Appellationem rationis. Additur autem in appellatione reali specialis difficultas circa *Terminos numerales*, quando apponuntur termino substantiuo, vel adiectiuo. Quando enim adiicitur termino substantiuo dicitur *numerare supposita ratione formæ*, atque ita ibi interuenit appellatio, quia non numerantur supposita nisi numerentur secundum multiplicationem formarum, in qua regula non dicitur quod numerantur formæ, sed quod numerantur supposita ratione formarum. Itaque supposita debent esse numerata, & formæ ipsæ debent esse ratio numerandi, vnde si non dentur plura supposita, non currit regula. Et procedit de forma substantiali secundum suum modum naturalem, idest, vt affert secum suum suppositum, & subsistit, & ita vt sint *Tres Homines* requiruntur *Tres Humanitates*, vt sint *Tres Dij*, Tres Deitates, Vt autem numerentur adiectiua, sufficit, quod *multiplicentur Supposita*, licet formæ adiectiuæ non multiplicentur, sed solum denominatio earum, sicut si Vna Albedo esset in pluribus suppositis dicerentur esse *Plura Alba*, quia ista pluralitas non resultat ex multiplicatione albedinis, sed ex multiplicatione adiectionis, & denominationis.

Igitur contra prim. regulam potest fieri argumentum: Quia datur Appellatio etiamsi termini non ponantur à parte eiusdem extremi, ergo regula est falsa. *Antec. patet* in hac propositione *Album est intensum*, vel *Album disgregat visum*, & *Christus vt homo est creatura*, fit appellatio ad subiecta ex parte prædicati, nam est sensus, quòd *Christus ratione humanitatis est creatura*, alioquin si applicaretur ad Suppositum illud prædicatum, esset falsa. Similiter in illa propositione *Hoc album est intensum* potest fieri consequentia defectuosa ex sola variatione appellationis, vt si dicas, *Hoc album est intensum*; *Hoc album est simile*; *ergo simile est intensum.* Quæ consequentia non valet solum ex defectu appellationis; ergo signum est ibi interuenire appellationem. Et quando dicitur *Album disgregat visum*, intelligitur ratione formalis importati in ly *album*, alioquin propositio non esset essentialis. Idem argumentum potest fieri de hac, *Essentia est generans* in diuinis quæ ideo est falsa, quia ly *generans* applicatur formali significato Essentiæ, non naturali, & identico; nam si applicaretur significatio identico, & materiali Essentiæ diuinæ, propositio illa esset vera, verificaretur enim de *Patre*, qui identicè est Essentia diuina. *Et Conf.* Quia hæc regula non tenet in appellatione rationis, cùm enim dico, *Homo est species*, ibi interuenit, appellatio, & tamen non ponuntur termini ex parte eiusdem extremi; ergo nec regula tenet in appellation ereali.

Respond. Quòd regula intelligitur de appellatione formali & expressa, non quasi virtuali, & æquiualente; cum enim dico *Album disgregat*, *Album est intensum*, *&c.* aliud est quomodo fiat; seu significetur fieri applicatio, aliud quomodo in re fiat verificatio. Ex parte quidem modi significandi non significatur applicatio vnius termini ad alium per appellationem, sed tantum significatur simplex applicatio prædicati ad subiectum; sed quia non potest verificari, nisi mediante aliqua ratione formali se tenente ex parte subiecti, dicitur virtualiter, & æquiualenter habere appellationem. Quare in his consequentiis, & similibus datur defectus appellationis quasi virtualis ex variatione quasi duplicis suppositi importati ex parte subiecti, scilicet *Albi, vt album*, vel *Albi vt simile*, quod est quasi duplex suppositum logicum licet sit vnum materiale, & physicum, & variatio de vno ad aliud variat consequentiam. Cæterum appellatio, quando expresse significatur, & ponitur, non fit, nisi vt dicit regula, quando termini ponuntur ex parte eiusdem extremi. In illa autem propositione *Essentia generat* non est appellatio, sed simplex applicatio prædicati ad subiectum, sed quia subiectum non significat Personam, nec supponit pro illa, sed solum Essentiam, ideò est falsa. Et licet identicè, & materialiter sit idem cum Persona, est identitas ex parte rei significatæ non ex ipso modo significandi huius termini *Essentia*, & ita cum significatiuè, seu ex modo significandi non importet Personam, non verificatur actus personalis de illa.

Ad confir. Respond. Quod regula solum loquitur de appellatione reali, non rationis, quia quando prædicatum est secunda intentio, in quantum dicitur de prima, vel de suo fundamento, cui conuenit, significatur ipsum subiectum, seu fundamentum sub statu capaci talis intentionis, qui est status præcisionis, & acceptionis intellectus, sub quo tantum potest illi conuenire tale prædicatum, & ideo cum importet ipsam præcisionem ex parte subiecti,

subiecti, sufficienti modo ponitur ad faciendam appellationem, quia appellatio importat conuenientiam vnius termini ad alium sub quadam præcisione, aut restrictione. Quod non currit in alijs terminis, qui faciunt appellationem realem.

Secund.arg. Terminus Numeralis adiectus substantiuo aliquando non numerat supposita ratione formarum; ergo falsa est regula. *Ant.prob.* Nam si Verbum Diuinum assumeret tres naturas humanas, non diceretur *Tres Homines*, sed *Vnus Homo*, vt determinat *S. Thom. 3. part. quæst. 3. artic. 7.* Et tamen numerantur plures formæ substantiales; ergo regula falsa. *Et Conf.* Si è conuerso Tres Personæ assumant eandem humanitatem, dicentur *Tres Homines*, & solùm *Vnus* secundum quid, vt eodem loco *artic.6. dicit S. Thom.* Ergo iam numeratur substantiuum non ratione formarum, sed ratione suppositorum, etiamsi habeant vnam formam substantialem.

Resp. Quod in illo casu non essent Tres homines, quia non essent tria Supposita, neque enim dicit Regula, quòd substantiuum plurificatur quando plurificantur formæ, & non supposita, sed quod *Supposita numerantur ratione formarum*, quod verissimum est; sed ad hoc non sufficit multiplicari formas substantiales, si non multiplicentur etiam supposita, (licèt ratio multiplicandi sint ipsæ formæ) quia tunc formæ non ferunt secum supposita, nec sunt modo connaturali, subsistendo in se.

Ad Confir. Respod. Quod in illo casu dicit *S. Thom.* Quod illæ Tres personæ essent *Vnus homo* secundum quid, & simpliciter plures, vt patet 3. p. q. 3. art. 6. ad 1. *Quia non posset* (inquit) *argui, quod ex hoc quod tres personæ sunt vnus homo, quod essent vnus simpliciter; nihil enim prohibet dicere, quod homines, qui sunt plures simpliciter, sint vnus quantum ad aliquid, sicut vnus populus.* Quare si Tres Personæ assumerent vnam naturam dicerentur *Tres Homines simpliciter*, quia vt sint Vnus simpliciter non sufficit vnitas formæ substantialis, quando ipsa non affert secum suppositum, sed aduenit pluribus suppositis, & habet quasi modum termini connotatiui. Itaque tam plurificatio, quam vnitas in formis substantialibus intelligitur ratione formarum substantialium substantiali modo se habentium, id est vt important secum suam subsistentiam, & suppositum, non autem vt trahuntur ad suppositum, vel supposita aliena, & quasi induunt leges, & modum connotatiuorum.

Sed cur (inquies) Tres personæ modo dicuntur *Vnus Deus* simpliciter, & non *plures Dij* ratione vnius naturæ; in illo autem casu non dicerentur *Vnus homo* ratione vnius naturæ humanæ, sed plures homines? *Respond.* Differentiam consistere in hoc, Quod natura Diuina, etiamsi sit in tribus Personis, ita est perfecta in ratione formæ substantialis, ac si esset in vna tantum Persona & afferret secum suum suppositum; vnde natura Diuina respectu trium Personarum non induit rationem termini connotatiui, quia non trahitur ad Personas, vt ad assumentes & dantes esse ipsi naturæ, sed ex se habet esse, vnde simpliciter & substantialiter fit existens independenter à Personis. Et quia Vnitas sequitur esse, si ex se habet esse perfectè, ex se affert vnitatem. At vero natura humana licèt substantialiter vniatur Personis, tamen non habet in se totam perfectionem substantiæ, nec induit modum formæ substantialis, sed quasi connotatiuæ accipiendo esse substantiale ab ipsis personis, & ideo non est in statu perfecto dandi vnitatem substantialem simpliciter independentem à personis, quia non habet ex se, sed ex personis esse. Sed natura diuina independenter à personis est vnus Deus propter infinitam perfectionem talis esse, & substantiæ diuinæ

Vide *Caiet. 3. part. quæstio. 3. articulo 6. in calce art.*

Argumenta, quæ possent fieri contra Regulam appellationis rationis, sunt eadem, quæ allata sunt in præcedenti articulo, agendo de suppositione simplici. Videantur ibi.

QVÆSTIO VII.

De Oppositione, & Conuersione Propositionum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Oppositio Contradictoria sit maxima inter omnes Oppositiones?

SVppono quòd oppositio, alia est realis, alia Logica, id est, vel rerum, vel propositionum, & istæ due ita se habent, quod oppositio realis, seu physica est quasi obiectum oppositionis Logicæ, quia illud esse, & non esse, quod datur à parte rei & in ipsis obiectis, significatur per propositiones oppositas, vnde licet agere de Oppositione reali pertineat ad Metaphysicum; tamen quia ad Logicum spectat agere de Oppositionibus propositionum, etiam aliquo modo oportet attingere id, quod spectat ad oppositionem rerum, quatenus obiecta sunt oppositionis propositionum.

Respond. ergo ad Difficult. Propositam: Quod Oppositio contradictoria tam in propositionibus, quàm in rebus, tam Dialectica, quàm Physica est maior inter omnes oppositiones. Pro qua conclusione videndus est *S. Thom. Opusc. 37. capit. 1.* & in 10. *Metaphysic. lect. 6.* *Fundamentum* sumitur ex eo, Quod illa est maior oppositio, in qua est minor conuenientia, & vnum oppositum magis destruit aliud, tunc enim dicuntur carere medio, quia carent omni conuenientia, in qua aliquo modo conuenire possint, vel ex parte subiecti, vel ex parte alicuius tertiæ formæ, quæ mediat inter formas extremè oppositas, vel in quocumque alio modo conuenientiæ. Constat autem quod sola Oppositio Contradictoria absolutè, & omnibus modis destruit suum oppositum, reliquæ autem oppositiones non ita absolutè, & simpliciter destruunt, sed aliquid de illo relinquunt, & ita habent aliquam conuenientiam, & hoc habent minus de Oppositione.

Constat hoc discurrendo per singulas species Oppositionum siue ex parte rerum, siue ex parte propositionum. Nam in omnibus quidem inuenitur aliqua negatio opposita affirmationi, sed non ita purè, & absolutè, sicut in *Contradictione*. Nam oppositio contraria, si sit physica, versatur inter duas formas positiuas, quæ possunt esse in eodem subiecto, vel simul, si sint in gradibus remissis, vel successiuè si sint in intensis; vnde vna forma contraria non destruit totaliter aliam, nec conuenientiam ipsarum in subiecto. Similiter *Oppositio Contraria* in propositionibus, quæ est Oppositio Dialectica non tollit in vna propositione totum, quod est in alia, quia saltem non tollit vniuersalitatem & distributionem, sed in hac debent conuenire propositiones contrariæ, & consequenter, neque falsitas vnius destruit falsitatem alterius, & sic non est negatio absolutè negans, & tollens, quod est in altero extremo. Similiter *Subcontrarietas* non tollit particularitatem, & consequenter neque veritatem, sed duæ propositiones subcontrariæ sunt simul particulares, & possunt esse simul veræ. Denique *Oppositio priuatiua* non tollit, sed relinquit aptitudinem

ad oppositam formam; ergo saltem ex hac parte relinquit aliquam conuenientiam cum suo opposito. *Relatiua* etiam Oppositio non includit negationem, qua vnum oppositum remoueat alterum, sed potius relatiua sunt simul natura, & cognitione, & vtrumque ponit aliquid positiuum, & esse. Qua ratione venit intelligendus locus *D. Thomæ q. 7. de Potent. art.* 8. ad 4. vbi dicit, *Quod in relatiuis vnum non remouet aliud, neque includit negationem alterius.* Intelligitur enim non quod in vna relatione non sit negatio sui correlatiui, sed quod non includit illam per modum remouentis, & excludentis ab aliquo subiecto, sed potius supponit tale correlatiuum dari, licet in se sit distinctum ab illo, & non sit illud; sed sit ad illud.

At vero in Contradictoriis negatio vnius, ita est pura, & absoluta, quod omnem conuenientiam cum suo extremo negato tollit, & ita nec relinquit esse, nec aptitudinem, nec vniuersalitatem, nec particularitatem, sed quasi malignantis naturæ totum destruit, Vnde simpliciter & absolutè est maior oppositio intensiuè, & ex illa deriuatur Oppositio tanquam ex principaliori ad reliquas oppositiones, quæ in tantum habent oppositionem in quantum aliquid habent de contradictione, vt citatis locis docet *S. Thom*, & dicitur *in Logica in C. de Oppositis.*

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

OBiicies primò. Nam *Contraria* maximè distant inter se; ergo maximè opponuntur, quia oppositio quædam distantia est, vnde & illa opposita, quæ magis sunt immediata videntur minus opponi, quia minus distant. Contradictoria autem sunt immediata quia non datur medium inter esse, & non esse *Secundò*. Quia plus destruit Contrarietas, quam contradictio; ergo est maior oppositio. *Antec. patet*, Quia est vniuersalior in negando; ergo & in destruendo, nam contrariæ propositiones constant ex vtraque vniuersali, altera negata, altera affirmata, ergo negatiua semper est vniuersalis, & consequenter magis negat, & destruit. *Tertiò*. Quia ex Contrariis sequuntur Contradictoriæ, tum in Logicis. tum in Physicis. In Logicis quidem, quia bene sequitur, *Omnis homo est albus, & Nullus homo est albus, ergo Omnis homo est albus, & Aliquis homo non est albus*, quæ sunt Contradictoria. In Physicis autem, quia *Calidum & Frigidum* contrariantur, & tamen ex Calido rectè sequitur *non frigidum, quod* cōtradictoriè oponitur frigido, *Quartò*, Quia reliquæ omnes oppositiones includunt contradictoriam, & addunt aliqiud super illam; ergo sunt maiores oppositiones, quam solæ Contradictoriæ. *Antec. prob.* Quia includunt negationem & affirmationem; ergo & contradictionem, quæ per affirmationem & negationem perficitur; ergo omnes oppositiones dicunt contradictionem, & ad eius principia reducuntur, & per eam regulantur; ergo addunt aliquid ad oppositionem contradictionis, & sic sunt maiores.

Ad primum resp. Quòd Contraria maximè distant in eodem genere, & intra vnum genus, Contradictoria autem in omni genere; quia datur per negationem purè & absolutè, quæ est extra omne genus, & ita negat omne ens, vnde maximè distat, nec habet medium conuenientiæ cum altero extremo. Dicuntur autem Opposita immediata maximè distare, quia carent medio conuenientiæ, quæ autem immediatè collocantur carent medio situationis, & ita minus distant distantia locali. Sed non loquimur de hac distantia in præsenti, sed de distantia repugnantiæ, & oppositionis. Et sic magis distat esse & non esse; caret tamen *medio*, idest *conuenientia*, quia nihil relinquit, quod non tollit.

Ad secund. Dico. Quod negatio vniuersalis in propositione contraria plus destruit quasi *extensiuè* & quātum ad modum significandi per distributionē, sed non quasi *intensiuè*, & in ordine ad destruendum totum quod ponitur in suo opposito tam quoad veritatem, quàm quoad falsitatem, & vniuersalitatem, & particularitatem, &c. Si enim Contradictio totum tollit, Contrarietas verò aliquid relinquit, scilicet vniuersalitatem & falsitatem. Vnde aliud est plus destruere de suo opposito, aliud negationem distribuendo ad plura subiecta applicare; hoc secundum habet Contrarietas, non primum.

Ad Tertium Respond. Quod ex ipsa Oopposititione Contraria formaliter non infertur Oppositio Contradictoria, sed quasi materialiter, quamuis ex vna propositione vniuersali inferatur illa particularis, quæ est materia oppositionis contradictoriæ ad alteram vniuersalē; sed hæc illatio non est ex ipsa oppositione contraria formaliter, & vt Contrarietas est inter duas propositiones, sed ex vna tantum propositione vniuersali deducitur sufficienter. Ex Oppositione autem Contraria deducitur quidem Subcontraria, idest duplex propositio particularis affirmata & negata quæ illis vniuesalibus subalternantur, sed hæc oppositio est minor. Similiter ex *Contrarietate physica* non infertur formaliter Contradictoria, neque enim ex frigido infertur negatio calidi absolute & simpliciter, sed negatio calidi in hoc, id est, in frigido, vt frigido, quæ negatio in aliquo positiuo, & hoc non absolutè, nam bene possunt esse simul in eodem subiecto in gradibus remissis. *Secundo etiam dici potest.* Non esse inconueniens, quod ex minori oppositione inferatur maior, quæ se habet tanquam origo, & principium minoris oppositionis; ex Contradictoria enim vt ex principio oriuntur aliæ oppositiones, nam etiam distinctio specifica est minor, quàm distinctio primò diuersa; & tamen ex distinctione duarum specierum infertur distinctio differentiarum, quæ sunt primò diuersæ inter se, quasi à posteriori.

Ad quartum resp. Quòd aliæ Oppositiones addunt aliquid supra Contradictoriam, quod oppositionem nem minuat, non quod augeat, vt videri potest in *D. Thom. Opuscul.* 37. *cap.* 1. Cùm enim negatio contradictionis sit pura, & absoluta negatio, negatio autem contrarietatis, & priuationis retineat aliquid de positiuo opposito, clarum est quod minuit rationem oppositionis, quia minuit absolutam rationem negationis, & remotionis de suo opposito.

ARTICVLVS II.

Vtrùm dari poßint aliquæ Contradictoriæ, quæ simul sint veræ, aut falsæ?

AGimus solùm de Contradictorijs, quia his cognitis facilè erit assignare Contrarias, & Subcontrarias, mutando propositionem particularem in vniuersalem, & è conuerso.

Igitur in hac parte solent fieri innumera Sophismata, quæ infirmare conantur illam inuiolabilem regulam de Contradictorijs, quod *Non possunt esse simul veræ, aut falsa* vnde omnia prosequi, & morosum esset, & inutile, sed summatim difficiliora aliqua capita in asignandis contradictorijs attingemus. Et illud tanquam certum ante omnia aduertendum est, Nullam esse propositionem, quæ contradictionis capax non sit, saltem præponendo negationem toti propositioni, vnde in hoc modo asignandi contradictoria non erit laborandum. Sed difficultates sunt circa alium modum contradicendi per negationem non præpositam toti propositioni, sed post subiectum iuxta verbum

verbum. Igitur propositiones, vel sunt de termino singulari, vel de termino communi, vel sunt hypotheticæ. Circa propositiones *de Termino singulari*, non est difficultas in assignandis contradictoriis, dummodo seruetur eadem suppositio, ampliatio, & restrictio, & aliæ proprietates logicales.

Ratione tamen materiæ est specialis difficultas in propositionibus de futuro contingenti, inter quas potest esse contradictio, vt *Petrus curret*, *Petrus non curret*; ergo tunc vna erit determinatè vera, altera determinatè falsa, siquidem impossibile est vtramque veram esse, vel vtramque falsam; ergo vna tantum est vera, & vna falsa. Huic autem repugnat contingentia de futuro, quia veritas illa contingens de futuro determinata esse non potest: ergo non in omni materia tenet Lex Contradictoriarum, *Resp.* Quod Lex Contradictoriarum non est, quod vna sit determinatè, & in singulari vera, altera determinatè falsa, nec ex vi contradictionis, quæ vni propositioni apponitur eius veritas determinari potest, quia veritas debet esse determinata per causas proprias, & intrinsecas, quod autem alicui propositioni contradictio fiat, extrinsecum quid est. Igitur Lex Contradictoriarum solum petit, *Quod si vna est vera, altera sit falsa*, vel è contra. Quòd verò ista, vel illa in particulari sit vera, vel falsa, contradictio præcisè non facit: sufficit ei saluare, quod nec vtraque sit vera, neque falsa. Si autem in futuris contingentibus apponatur ly *Contingenter* dicendo *Petrus contingenter curret*, *Petrus contingenter non curret* non sunt contradictoriæ, vt diximus *lib.2.cap.* 17. Imo sunt æquiualentes, quia contingens est ad vtrumlibet, & includit indeterminationem ad esse, & non esse. Secus si negetur modus, dicendo *Petrus contingenter curret*; *Petrus non contingenter curret*.

Circa propositiones ergo *de Termino communi*, plures solent difficultates inuolui propter diuersum modum vniuersalitatis, & particularitatis, quæ aliter, atque aliter ponitur in diuersis propositionibus. Vbi semper oportet obseruare, quod *Genus suppositionis* nunquam mutetur; genus autem suppositionis vocamus illos tres modos suppositionis, scilicet *Suppositio materialis, simplex, & Personalis*; non enim licet mutare de vna in aliam. Et ita in hac propositione *Homo est species*, & alijs similibus de simplici suppositione non debet fieri contradictio per distributionem, *Nullus homo est species* &c. sed per simplicem negationem, *Homo non est species*. Et similiter quando ponitur particula *secundum se*, vt *Homo secundum se est albus*, *homo secundum se non est albus*, stat enim pro natura nec singulari, nec vniuersali, sed secundum prædicata essentialia præcisè, & ita illa negatiua est vera.

Hoc supposito, primò inquires Circa proprositiones, quæ constant subiecto habere vniuersalitatem, vel particularitatem non absolutam, sed incompletam, vt ista, *Omne animal fuit in Arca Noe*, vbi ly *Omne* distribuit pro generibus singulorum, quomodo sit assignanda contradictoria, nam dicendo *Aliquod Animal non fuit* etiam est vera, sicut vniuersalis negatiua demonstrando *Petrum*, qui ibi non fuit. Et similiter in hoc signo vniuersali non completo, *Quasi quilibet homo disputat*, & in hoc *Vterq; homo disputat*, quomodo contradictoriæ sunt assignandæ? *Resp.* Communiter in his propositionibus includi alias virtualitèr, quæ sunt quasi exponentes prioris propositionis, vnde non debemus illis assignare immediatè cõtradictoria, nisi prius facta resolutione propositionũ inclusarũ, vel illis subintellectius. Igitur illa distributio incompleta in illa propositione facit hunc sensum, *Ex omni specie animalium aliquod animal fuit in Arca Noe*, vbi ponitur vna vniuersalitas dicendo, *Ex omni*, & vna particularitas dicendo *Aliquod*, & consequenter ad designandam contradictoriam oportet, quod è conuerso ponatur vna particularitas, cum vna vniuersalitate, d cendo, *Ex aliqua specie nullum animal fuit in Arca Noe*, & sic est falsa. Quare illud signum *Omne* distribuit Species, non indiuidua. Et similiter illud signum *Aliquod* particularizat speciem non indiuidua illius speciei, vnde non valet illud argumentum; *Hoc animal non fuit in Arca Noe*, v.g. *Petrus*; ergo *Aliquod animal non fuit*, ly *aliquod* pro specie animalis, seu pro particularitate incompleta, quæ scilicet, aliquid vniuersalitatis includit, est enim virtualiter arguere à non distributo ad distributum. Quare posito illo signo *Omne* incompletè, contradictoria eius debet tradi per signum particularitatis incompletæ (non autem per particularitatem completam (scilicet, quæ feratur in species, & nõ in indiuidua. Nec obstat quod *Lib.2.c.* 17. diximus, Quod si modi incompleti in vtraque propositione opposita negentur, vel affirmentur, nullam legem participant, *Resp.* enim Quod locuti sumus de modis, non de signis incompletis; modi enim sunt, qui faciunt propositionem modalem, & modus incompletus est ly *Contingenter*, qui si vtrobiq, affirmetur, vel negetur, nullam legem participant propositiones.

In alio autem signo incompleto, *Quasi quilibet homo disputat*, vbi fit distributio non pro omnibus absolutè, sed pro maiori parte; in primis contradictoria potest signari per præpositionem negationis dicendo, *Non quasi quilibet homo disputat*. Si autem contradictoria signanda sit non per præpositionem negationis, sed modo consueto, non potest vnica negatione contradictoria illius formari, eo quod illa propositio virtualiter continet duas propositiones copulatiuas, quibus componitur: cum enim dico *Quasi quilibet homo disputat*, facit hunc sensum *Non omnis homo disputat, & maior pars disputat*, cuius contradictoria assignanda est per disiunctiuam oppositam (disiunctiua enim importat, quasi particularitatem ratione illius particulæ *Vel* respectu copulatiuæ, quæ vniuersalitatem importat ratione particulæ *&*) dicendo *Omnis homo disputat, vel maior pars non disputat*. Contrariam verò assignabis per copulatiuam negantem vniuersaliter, scilicet, *Non omnis homo non disputat, & maior pars non disputat*, & loco de ly *non omnis* potest poni *aliquis non*, quæ est æquipollens, & cùm dicitur *Non omnis homo non disputat*, potest etiam addi *Aliquis homo disputat*, vt retineatur eadem particularitas propter rationem distributionis incompletæ Quicumque alius modus assignandi hanc oppositionem non expedit difficultates.

In illo autem signo incompleto *Vterque, Alter, Neuter*, vt assignentur contradictoriæ est considerandum, quod ly *Vterque*, & ly *Neuter* dicunt distributionem non absolutè, sed in aliquo binario, perinde ac si dicas *Quilibet duorum*, vel *Nullus duorum*, & similiter ly *Alter*, dicit particularitatem in binario, vnde ratione istius vniuersalitatis restrictæ non valet ista consequentia, *Omnis homo currit, ergo vterque homo currit*, à non restricto ad restrictum affirmatiuè sine constantia restrictionis, sicut si diceres, *Omnis homo currit, ergo homo albus currit*, & instatur casu, quo sit tantum vnus homo in mundo, ille currat; tunc enim non valet quod *Vterque currat*, cum non sint duo homines, de quibus dicatur ille terminus *Vterque*. Igitur contradictoria de ly *Vterque* assignanda est iuxta eius exponentes; potest enim intra rationem binarij vel completè distribuere, vel adhuc incompletè, vt si dicas *Vterque homo currit*, id est, *Cuiuscumque binarij quilibet homo currit*, & tunc debet assignari contradictoria per ly *alter*, in sensu omnino completo. *Alter homo non currit*, idest, *Alicuius binarij aliquis non currit*. Si verò di-

ſtribuit incóplete faciendo hunc ſenſum *Vterque currit*, ideſt, *Alicuius binarij quilibet currit*; debet etiam contradictoria aſſignari per particularitatem incompletam dely *Alter* dicendo, *Alter non currit*, ideſt, *Cuiuſcumque binarij aliquis non currit*.

Vnum tamen aduerte, quod ſi ly *Vterque*, & ly *Neuter* teneantur incompletè nullam oppoſitionis legem participant, quia poſſunt dari ſimul veræ, & ſimul falſæ, vt ſi dicas, *Vterque homo diſputat*, *Neuter homo diſputat* in ſenſu incompleto, ideſt *Alicuius binarij quilibet diſputat*, *alicuius binarij nullus diſputat*, ſunt ſimul veræ, caſu, quo eſſent tantum duo binarij, & vnus diſputaret, alius non; & eſſent falſæ, caſu quo tantum vnus binarius ſit in mando, & vnus homo diſputet, alius non. Eadem ratione propoſitiones de ly *Alter* in ſenſu incompleto non ſunt ſubcontrariæ, nec vllam legem participant.

Secundò inquires: Quomodo fiant oppoſitiones in propoſitionibus pluralis numeri, vt cum dicitur *Omnes homines currunt* diſtributiuè; *Omnes Planetæ ſunt ſeptem* copulatim? *Reſpondetur.* Quod ſi ly *Omnes* teneatur copulatim, fiunt in illo contradictoriæ, ſicut quando propoſitio eſt de termino ſingulari; vt cum dicitur *Omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim*, non eſt contradictoria illius, *Aliqui Apoſtoli non ſunt duodecim*, ſed iſta, *Omnes Apoſtoli Dei non ſunt duodecim*, quia debet vtrobique ſeruari idem ſignum collectiuum.

Et ratio eſt. Quia ſignum collectiuum æquiualet ſingulari ratione collectionis applicatæ ad determinatam materiam, vnde ſicut quando dico *Ciuitas iſta Populus iſte*, terminus collectiuus eſt ſingularis, ita cum dico: *Omnes Apoſtoli*, *omnes Planetæ*, ly *Omnes* collectiuè, eſt collectio alicuius materiæ determinatæ, ſcilicet iſtorum Apoſtolorum, iſtorum Planetarum, & ita ſtat in ſingulari, perinde ac ſi diceretur, *Numerus Apoſtolorum eſt duodecim*, *numerus Planetarum eſt ſeptem*.

At verò quando ly *Omnes* in plurali diſtributiuè accipitur, aliqui hærent in aſſignanda contradictoria, & in varia placita diuiduntur. Sed res eſt facilis, nam ly *Omnes* diſtributiuè perinde ſe habet in plurali, & in ſingulari; vnde ſi dicitur *Omnes homines currunt*, ſufficienter contradicitur dicendo *Aliquis homo non currit*, & in caſu quo ſit vnus tantum homo, non plures, ſi diſtributiua eſt vera, illa alia eſt falſa, ſi verò diſtributiua eſt falſa, in eo caſu particularis illa *Aliquis homo* erit vera, etiamſi vnus tantùm currat, & reliqui non, & à fortiori ſi plures non currant, tunc enim diſtributiua eſt falſa, & particularis vera. *Quod ſi inſtes.* Nam in ſimili propoſitione. *Omnes homines ſunt pluſquam vnus*, eſt veritas caſu, quo ſint plures homines, & non tantum vnus in mundo, & tamen non poteſt aſſignari contradictoria eius per negationem in ſingulari numero dicendo, *Aliquis homo non eſt pluſquam vnus*, quia iſta etiam eſt vera, vt ſatis conſtat; ergo non eſt contradictoria illius. *Reſpondetur.* Quod in iſto caſu quando dicitur, *Omnes homines ſunt pluſquam vnus*, ly *Omnes* non poteſt ſumi diſtributiuè, ſed collectiuè, vt patet, quia non poſſumus deſcendere ſub ly *Omnes* dicendo iſte homo eſt pluſquam vnus, & ille, &c. Vnde non debet eius contradictoria aſſignari per terminum ſingularis numeri; ſed per ſignum *Omnes*, etiam collectiuè tantum.

Tertio inquires. De iſta propoſitione *In hoc fluuio ſunt piſces*, *In hoc fluuio non ſunt piſces*, an ſint contradictoriæ? Videtur enim quod ſic. Quia eſt propoſitio de termino ſingulari, & quidquid affirmatur in vna, negatur in alia, ex alia parte redditur vtraque vera, nam affirmatiua conſtat; negatiua probatur *In hoc fluuio ſunt non piſces*, ideſt, *Lapides*, *ergo non ſunt piſces*, per regulam ab affirmatiua ad negatiuam variato prædicato penes finitum, & infinitum. *Reſpond.* Illas eſſe contradictorias, & negatiuam eſſe falſam, neque arguitur iuxta illam, quia illa intelligitur, quando totum prædicatum infinitatur, & aſficitur negatione; alioquin arguitur à non diſtributo ad diſtributum, eſt enim ſenſus *In hoc fluuio ſunt quædam entia non piſces*, *ergo nulla entia ſunt piſces*, ſicut non valet *Petrus eſt videns non hominem*; ideſt, *lapidem*, *ergo non eſt videns hominem* quia ly *videns*, quod eſt pars prædicati non afficitur negatione.

Quartò quæritur. De propoſitionibus in quibus importantur ſpecialia ſigna confuſionis, quomodo in illis ſit ponenda contradictio, v.g. cum dicitur *Ad videndum requiritur oculus*, *Promitto tibi librum*, *Bis cantaui Miſſam*; & ſimiles?

Reſp. Quod quando termini ponuntur poſt iſta verba *Promitto*, *Requiritur*, & ſimilia, quæ ſunt ſigna ſpecialis confuſionis, tunc dicuntur illi termini ſupponere confusè tantùm; non autem quando antecedunt ipſa verba, vt ſi dicas; *Aliquis oculus requiritur ad videndum*, vel ſine illo ſigno *aliquis*, ſi dicas, *Oculus requiritur ad vidẽdum*, tunc enim ſupponit ly *Oculus* determinate, vt conſtat ex regulis ſuppoſitionis.

Dico ergo. Quod quãdo terminus ſtat cõfusè, non eſt facienda contradictio per vniuerſalem negatiuam, v.g. *Requiritur oculus ad videndum*, *nullus oculus requiritur ad videndum*, ſed contradictoria debet aſſignari per ſimplicem negationem dicendo, *Requiritur oculus*, *non requiritur oculus ad videndum*: Ratio eſt. Quia in his ſignis ſpecialis confuſionis vt *Promitto*, *Requiritur*, *&c.* interuenit virtualiter appellatio, quia non cadunt ſuper terminos ſequentes abſolutè, ſed vt ſubſunt illi neceſſitati, vel actui promiſſionis; neceſſitas autem non eſt de iſto, vel illo in particulari, ſed in communi, & promiſſio non fertur ad hoc, vel illud determinate, ſed ad ſpeciem rei ſecundum ſe. Sicut etiam quando importatur actus cognoſcendi, v.g. quando dico cognoſco Leonem, ſtat bene, quod nullum Leonem in ſingulari cognoſco, quia ſolùm in communi, non in particulari attingo. Vbi autem interuenit appellatio debet manere inuariata in ſua contradictoria. Quando autem confuſio termini oritur non ex ſpeciali ſigno confuſionis importante appellationem, ſed ex eo quod ſequitur mediate ſignum vniuerſale affirmatiuum, vt *Omnis homo eſt animal*, in contradictoria debet mutari in vniuerſalem, vt *Aliquis homo eſt animal*.

In terminis autem numeralibus, vt cum dico: *Bis cantaui Miſſam*, *Ter manducaui panem*, *&c.* Non eſt appellatio, ſed quia illa aduerbia numeralia virtualiter includunt vniuerſalitatem, ideo confundunt terminos ſequentes, includunt autem vniuerſalitatem, vt patet per ſuam exponentem. *Semel*, *& iterum cantaui Miſſam*, vbi illa copulatiua *&*, vniuerſalitatem includit. Quare debet aſſignari contradictoria præponendo negationem *Bis cantaui*, *Non bis cantaui*, vel reſoluta propoſitione in ſuas copulatiuas, *Semel & iterum cantaui* aſſignare illi contradictoriam per disiunctiuam oppoſitam, *Aut ſemel*, *aut iterum non cantaui*, &c. Iſte eſt facilior modus ſtatuendi iſtas oppoſitiones.

Vnum tamen aduerte iſtas eſſe Subcontrarias de lege, *Requiritur oculus ad videndum*, *Nullus oculus requiritur ad videndum*; *Promitto tibi equum*, *Nullũ equum tibi*

tibi promitto, quia ex contradictoria negatiuæ propositionis, quæ est ista affirmatiua *Aliquis oculus requiritur*, *Aliquem equum promitto* infertur illa prior affirmatiua confusa procedendo à determinata ad confusam, sed non è contra, quod est signum subcontrarietatis de lege, vt ostendimus in *lib. 2. c.* 17. Similiter istæ sunt contrariæ de lege. *Aliquis oculus requiritur ad videndum*, *Non requiritur oculus ad videndum*, quia ex illa affirmatiua, quæ determinatè supponit, infertur confusa *Requiritur oculus*, quæ est contradictoria illius negatiuæ, sed non è conuerso.

Quintò inquires. Quomodo sint assignandæ contradictoriæ propositionibus constantibus subiecto complexo, *vt Quilibet equus hominis currit*, *Petrus qui volat est homo*. *Homo irrationalis est animal*, & aliis similibus?

Resp. Quod in his Complexis aliquando vnus terminus se habet vt restringens, & determinans alterum, aliquando non. Quando non se restringunt, contradictoriæ sunt assignandæ modo consueto, vt si dicas, *Homo & equus sunt animalia*, contradictoria erit, *Nullus homo, vel equus sunt animalia*, si autem vnus terminus restringat, & determinet alterum, vel vterque est rectus, vt *Homo albus*, *homo iustus* vbi adiectiuum restringit substantiuum, & tunc vterque terminus vnica distributione distribuitur, & vnico signo particularizatur, & sic debet assignari contradictoria, perinde ac si esset vnus terminus, vt *Omnis homo iustus orat*, *aliquis homo iustus non orat*. Vel vnus terminus se habet in recto, & alter in obliquo, & tunc dupliciter potest teneri, vno modo, ita quod obliquus sequatur rectum, vt *Equus hominis*, & tunc dicitur, *acceptum vnica acceptione*, quia reputatur vt vnicus terminus, perinde ac si esset adiectiuum, idem est enim dicere, *Equus hominis*, *& equus possessus*: alio modo obliquus præcedit rectum, vt *Hominis equus*, & tunc dicitur *acceptum pluribus*, quia reputantur quasi plures termini, vt diximus *Lib. 2. c.* 12. *& Lib. 3. c.* 13.

Igitur quando complexum ex recto, & obliquo se habent priori modo, iudicandum est de illis sicut de complexo substantiuo, & adiectiuo, ita quod vniuersalitas, vel particularitas obliqui numquam est mutanda, vt si dicas, *Quilibet equus hominis currit*, habet hanc contradictoriam, *Aliquis equus hominis non currit*, & in ista *Equus cuiuslibet hominis currit*, in contradictoria debet manere ly *Cuiuslibet* immutatum dicendo, *Quilibet equus cuiuslibet hominis non currit*; quia illa vniuersalitas *Cuiuslibet* est quasi pars extremi, & habet vim restringendi potius quam distribuendi.

Et si instes. Illæ duæ contradictoriæ sunt veræ, *Quilibet equus hominis est animal*, *aliquis equus hominis non est animal*, casu quo aliqui homines habeant equos, alij non, affirmatiua est vera, vt constat; negatiua prob. demonstrando Petrum, qui non possidet equum, bene valet, *Equus Petri non est animal* (quia est de subiecto non supponente) *Petrus est homo*, *ergo aliquis equus hominis non est animal*. quæ est contradictoria illius primæ, *Resp.* Illas esse contradictorias, & negatiuam esse falsam: & in probatione committitur defectus, quia mutatur restrictio ex qua dependet identitas subiecti requisita ad contradictionem, cum in antecedenti stet pro equo Petri, in consequenti pro equo hominis vt sic, sed debebat inferri, *Ergo Equus hominis, qui est Petrus, non est animal*, & tunc est vera, sed non contradicit illi primæ *Quilibet equus hominis est animal*, vbi solum supponitur pro equis possessis ab homine. Qui defectus vt clarius tibi constet, aduerte quod non semper illa consequentia est mala *equus Petri non currit*, *ergo equus hominis non currit*, siue affirmatiuè. *equus Petri currit*, *ergo equus hominis currit*, sed tunc solùm quando negatiua verificatur per non suppositionem extremorum pro equo non possesso, in consequenti autem sumitur vt contradictoria illius *Quilibet equus hominis est animal*, tunc mutatur restrictio, & arguitur mutando identitatem subiecti pro contradictoria requisitam, & arguendo in quatuor terminis, scilicet *Equus Petri*, *Equus hominis*, *Animal*, *& Homo*.

In Complexis autem, vbi obliquus antecedit, rectum, quæ dicuntur *acepta pluribus*, vniuersalitas obliqui, vel particularitas se habet tanquam distincta ab vniuersalitate, & particularitate recti, & ideo semper mutanda est in sua contradictoria, vt si dicas: *Cuiuslibet hominis equus currit*, contradictoria est *Alicuius hominis nullus equus currit*. Nec obstat, quod vniuersalitas de ly *Equus* in negatiua videtur esse vniuersalitas incompleta, vtpote dependens à resolutione illius obliqui *Alicuius hominis*, quod supponit determinate. *Resp.* enim, quod illa vniuersalitas non est incompleta sumendo incompletam pro ea, quæ includit aliquid particularitatis, sed quia est dependens ad alia priori resolutione, vt bene aduertit *M. Bañez lib. 4. Summul. tract.* 1. *c.* 5. Non est autem inconueniens quod ponatur in contradictoria aliqua vniuersalitas dependens ab alia priori resolutione, quando est vniuersalitas termini restricti dicentis ordinem ad alium terminum à quo restringitur.

In aliis Contradictoriis allatis, in quibus ponitur restrictio alienans, seu destruens subiectum. *Resp.* in illis semper esse seruandam eandem restrictionem nam iste terminus, *Petrus qui volat*, idem est ac dicere, *Petrus volans*, vbi adiectiuè tenetur illa restrictio, & contradicunt, *Petrus volans est homo*, *Petrus volans non est homo*, neque vtraque est falsa, sed negatiua est vera, cum sit de subiecto non supponente, de quo quidquid negatur verum est. Et idem iudicium est de illa *Omnis homo irrationalis est animal*, *aliquis homo irrationalis non est animal*, ista enim negatiua est vera, quia prædicatum verum negatur de ente ficto, sicut si diceres *Chymæra non est animal*.

Sextò quæritur. Circa propositiones quæ significant vnionem copulæ pro æternitate; videntur enim verificari duæ contradictoriæ, quia in *Nunc æternitatis* verum est dicere, *Petrus sedet*, *Petrus non sedet*; *Petrus viuit*, *Petrus non viuit*, quia in tempore aliqando sedet, aliquando non sedet, vtrumque autem est simul in æternitate. Idem est de illo vulgato sophismate *Inter hanc & hanc diem pluet*, designando inter Sabathum, & Sabathum, *inter hanc & hanc diem non pluet*, quia si pluat *die Iouis*, non autem *die Veneris*, vtrumque est verum, quia vtrumque in illo interuallo temporis stare potest.

Respond. Aliquos existimare, quod respectu æternitatis vtraque contradictoria est vera, quia illud *Nunc æternitatis* æquiualet diuersis temporibus, non est autem inconueniens, quod pro diuersis temporibus, Petrus sedeat, & non sedeat. Sed verius est etiam respectu æternitatis non posse esse simul veras, dummodo in vtraque propositione copula affirmetur, & negetur pro æternitate, non verò in vna pro æternitate, in alia pro tempore; nam primo modo negatiua excludit totaliter ab æternitate, ita quod est sensus, *Petrus non sedet in tota æternitate*, & sic est falsa, quia respectu alicuius temporis sedet in æternitate. Si autem propositiones significentur, non per negationem, sed per contrarietatem positiuam, vt *Petrus viuit Petrus moritur*, *Petrus sedet*, *Petrus stat*, tunc concedendæ sunt in eodem nunc

nunc æternitatis, quia respectu diuersi temporis in illo *Nunc* inclusi, verificatur, & nō significatur negatio remouens à tota æternitate, licet significetur negatio remouens à tempore, quia quando stat, non sedet in tempore, sed æternitas ambit totum illud tempus & in quo sedet, & in quo stat.

Ad illud secundum sophisma similiter dicitur, quod illa negatiua distribuit pro toto interuallo illius temporis, vnde non verificatur nisi in toto illo interuallo non pluat, & ita non valet: *In hac die*, scilicet Iouis *non pluet*, *ergo inter hanc & hanc diem non pluet*, à non distributo ad distributum, seu à magis ad minus, restrictum cum distributione minus restricti, scilicet à negatione vnius diei ad negationem totius interualli absolutè.

Vltimò in contradictoriis Hypotheticarum, nota esse illas tres species hypotheticas, scilicet *Copulatiuas*, *Disiunctiuas*, *Conditionales*. Et Copulatiuæ ratione de ly *&*, quo copulantur important vniuersalitatem, Disiunctiuæ verò ratione de ly *vel*, particularitatem, vnde per disiunctiuas contradicimus copulatiuis, si sint oppositæ qualitatis, vt si dicas: *Omne lac est album & omne lac est dulce*, contradictoria eius est, *aliquod lac non est album, vel aliquod lac non est dulce*: In conditionalibus autem, siuè sint causales, siuè rationales, siuè pure conditionales, fiunt contradictoriæ per negationem particulæ conditionalis, *vt si sol lucet dies est*, *non si sol lucet dies est*; *quia sol lucet dies est non quia sol lucet dies est*. Videatur M. Soto lib. 3. Summul. cap. 9. notabil. 5.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Regulæ Conuersionis sint rectè aßignatæ?

REgulæ quas proposuimus in Capite de Conuersione sunt quatuor. *Prima*, Vniuersalis negatiua conuertitur simpliciter, & etiam conuerti potest per accidens. *Secunda*. Vniuersalis affirmatiua conuertitur per accidens. *Tertia*, Particularis affirmatiua conuertitur simpliciter. *Quarta*, Particularis negatiua conuertitur per contrapositionem.

Igitur Philosophus 1. *Prior. c.* 2. posuit tanquam primam regulam ex qua cæteras probauit illam de vniuersali negatiua, quam dicit conuerti simpliciter. Eius autem probatio formatur hoc modo secundùm Philosophum: Benè sequitur *Nullus lapis est homo, ergo nullus homo est lapis*; si non sequitur, ergo contradictorium consequentis erit admittendum, scilicet *Aliquis homo est lapis*, ex quo vlterius formatur argumentum, *Aliquis homo est lapis*; *ergo vel hic homo est lapis*, *vel ille*, &c. Sit ergo iste homo, v.g. Petrus, & fiat syllogismus expositorius, *Petrus est homo*, *& Petrus est lapis*, *ergo aliquis lapis est homo*, sed ista est contradictoria illius primæ, *Nullus lapis est homo*; ergo dabuntur duæ contradictoriæ simul veræ, si illa non conuertitur simpliciter.

Dices: Non est bona illa probatio Philosophi *Aliquis homo est lapis*, *ergo iste homo determinatè est lapis*, *vel ille*, non enim sub illo termino particulari semper licèt descendere, vt patet in simili. *Oculus requiritur ad videndum*, *ergo iste*. *Respond.* Legitimum esse descensum, quia ibi ly *Aliquis* habet suppositionem determinatam sub qua licet descendere immediatè, & quod faciat suppositionem determinatam constat, quia est contradictoria vniuersalis negatiuæ *Nullus homo est lapis*. In illa autem *Oculus requiritur ad videndum*, ly *Oculus* supponit determinatè vt dictum est, & sic bonus erit descensus, sed antecedens est falsum, quia nullus oculus determinatè requiritur, sed solùm in confuso, & ita debet dici, *Requiritur oculus ad videndum*. vt ly *Oculus* supponat confusè.

Stabilita conuersione negatiuæ vniuersalis, ex illa reliquas probat *Philosophus*, nam quod *Vniuersalis affirmatiua* conuertatur per accidens, probatur. Quia bene valet, *Omnis homo est animal*, *ergo aliquod animal est homo*, alioquin si non sequitur, contradictorium erit concedendum, scilicet *Nullum animal est homo*, sed hoc ex prima regula conuertitur simpliciter, scilicet *Nullus homo est animal*, quæ est contraria illius affirmatiuæ, *Omnis homo est animal*, ergo dabuntur duæ contrariæ simul veræ, quod repugnat.

Similiter probatur *Particularem affirmatiuam* conuerti simpliciter, vt *Aliquis homo est albus*, *ergo aliquod album est homo*, nam si consequentia non est bona, ergo eius contradictorium erit verum, scilicet *Nullum album est homo*, sed hoc conuertitur simpliciter per primam regulam, *ergo Nullus homo est albus*, quæ est contradictoria illius primæ *Aliquis homo est albus*; ergo dabuntur duæ contradictoriæ simul veræ.

Conuersio per Contrapositionem fundatur in illa duplici regula tradita ab Arist. 2. *Periher.* Prima *Ab affirmatiua ad negatiuam variato prædicato penes finitum, & infinitum bona est consequentia*, vt homo est albus, ergo homo non est non albus. Secunda *A negatiua ad affirmatiuam variato prædicato penes finitum & infinitum*, *& posita constantia subiecti in affirmatiua*, *valet consequentia*. Vt homo non est lapis, & homo est (hoc dicitur *Constantia*, quia constat dari tale subiectum) ergo homo est non lapis. Quod intelligitur nisi varietur aliqua appellatio, vel reduplicatio, quæ impediat bonitatem consequentiæ, vt non valet *Homo essentialiter non est albus*, *ergo homo essentialiter est non albus*, essentialiter enim nec est vnum, nec aliud, sed indifferens ad vtrumque. Ex quibus regulis probatur conuerti Vniuersalem affirmatiuam sic, *Omnis homo est albus*, *ergo omne non album est non homo*, quia bene valet *Omnis homo est albus*, *ergo omnis homo non est non album* per primam regulam. Rursus *ergo Omne non album non est homo*, per conuersionem vniuersalis nagatiuæ. Rursus per secundam regulam positam valet, *Omne non album non est homo*, *& non album est*, *ergo omne non album est non homo*, quæ est conuertens illius primæ *Omnis homo est albus*. Idem in conuersione particularis negatiuæ probatur. *Aliquis homo non est albus*, *& homo est*, *ergo aliquis homo est non albus*, per secundam regulam, *ergo aliquod non album*, *est homo* per conuersionem particularis affirmatiuæ; *ergo non album non est non homo* per primam regulam, ergo de primo ad vltimum, &c.

Sic Arist. probauit istas regulas, Aliqui tamen sumunt primam radicem illarum ex conuersione simplici particularis affirmatiuæ, & probant illam conuerti simpliciter, quia si Aliquis homo est animal, vnum sunt animal, & homo, quia distinctum non verificatur de distincto, ergo vnum erit alterum, & è conuerso, & sic mutuo verificabuntur inter se. Sed hæc probatio est omnino inefficax, quia quando dicitur quod sunt *Vnum animal*, *& homo*, vel intelligitur quod sunt vnum adæquatè, & mutuo, vel inadæquatè, & non mutuo; si hoc secundum, ergo malè probatur, quod vicissim vnum de altero dicatur, aliàs enim similiter probaretur, quod vniuersalis affirmatiua simpliciter conuertitur, quia etiam sunt vnum in ea prædicatum, & subiectum, sed quia non adæquatè, & mutuo sunt vnum, non conuertitur. Si primum, petit principium, nam hoc est probandum, quod in particulari affirmatiua prædicatum & subiectum sint vnum mutuò, & adæquatè.

Obiicies

Obicies contra Conuersionem vniuersalis negatiuæ: Ista consequentia non valet. *Nulla essentia diuina est generans, ergo nullum generans est essentia diuina,* instatur enim in Patre, qui est generans, & Essentia diuina. Item non valet, *Nulla nauis requiritur ad nauigandum, ergo nullum requisitum ad nauigandum est nauis : Nullus senex erit puer, ergo nullus puer erit senex*, ergo illa regula non semper est vera.

Ad prim. Resp. Quod illa non est vniuersalis, cum non constet termino communi, sed singulari, scilicet *Essentia diuina* sicut si diceretur, *Nullus Petrus est albus* non est propositio vniuersalis. Si autem dicatur *Nulla res, quæ est essentia diuina, est generans*, propositio esset vniuersalis, sed falsa, & sic sua conuerrens etiam est falsa, *Nullum generans est Essentia diuina.* Si autem dicatnr in singulari *Essentia diuina non est generans* debet conuerti per contrapositionem, sicut particularis negatiua, *ergo aliquod non generans non est essentia diuina*, quæ verificatur in Filio, & Spiritu Sancto. *Ad Secundam instantiam dicitur*, Illam conuersionem esse bonam, sed consequens verificatur in eodem sensu quo antecedens; antecedens enim est verum supponendo pro *Nulla naui* distributiuè, ita quod sub illo termino possit immediatè descendi, vnde in sua conuertente *Nullum requisitum ad nauigandum*, debet supponere pro requisito distributiuè, & determinatè, sic enim verificatur eius conuersa *Nulla nauis requiritur determinatè*; in confuso enim constat, quod aliqua requiritur; vnde conuertens debet facere eundem sensum, *Nullum requisitum determinatè est nauis*, & sic est vera.

Ad tertium dicitur. Quod in illa conuersione non seruatur eadē ampliatio, nam in illa propositione *Nullus senex erit puer*, ly *Puer* restringitur à ly *Erit* pro puero futuro, subiectum autem ampliatur ad id, quod est vel erit, & ita si in illa propositione vniuersali *nullus senex erit puer*, ly *Senex* sumatur pro eo, quod solùm est senex, propositio est vera, & similiter sua conuertens, quæ est hæc, *Nullus qui erit puer est senex*, si verò sumatur pro eo, qui est vel erit senex, est falsa, quia multi qui sunt futuri senes, adhuc sunt futuri pueri, quia nondum sunt nati, vnde non mirum, quod sua conuertens sit falsa.

Contra Conuersionem vniuersalis affirmatiuæ instabis, non valet hæc consequentia, *Omnis homo albus est homo; ergo aliquis homo est homo albus*, nam antecedens est necessarium, consequens autem potest esse falsum, casu quo nullus homo albus sit in mundo. Et similiter non valet *Omne grammaticum est homo, ergo aliquis homo est grammaticus, Omne album est corpus, ergo aliquod corpus est album*, instatur enim casu quo nullus grammaticus, vel nullum corpus album sit in mundo.

Resp. Quod illa non est conuertens in sensu, quo verificatur prima propositio, nam quando dicitur *Omnis homo albus est homo*, si ly *est* sumatur accidentaliter pro homine existente, falsa est illa propositio in casu argumenti, & similiter sua conuertens: si verò ly *est* abstrahit à tempore faciendo propositionem necessariam, ly *albus* non debet ibi verificari secundum existentiam, sed secundum possibilitatem, seu abstractionem à tempore in hoc sensu *Omnis homo possibiliter albus est homo*, nec potest facere sensum, *Omnis homo existens albus*, cum ponatur casus, quo nullus existat; vnde conuertens debet esse hæc, *ergo aliquis homo est homo, qui possibiliter est albus*, & sic est vera.

Ad secund. Dicitur. Quod in illis propositionibus si in antecedenti ly *est* absoluitur à tempore, stat pro subiecto albedinis, vel grammaticæ, & facit hunc sensum *Omne subiectum albedinis est corpus, Omne subiectum grammaticæ est homo*, vnde conuertens debet etiam sumi in eodem sensu, & secundum copulam absolutam à tempore, *ergo aliquod corpus est subiectum albedinis*; & sic est vera. Si autem mutetur copula, ita quod in vna abstrahat à tempore, in alia non, variatur suppositio. Si verò in antecedenti non abstrahat à tempore, sed dicat existentiam, sic est falsa in casu argumenti, cum supponatur nullum esse album, neque grammaticum, & ideò sua conuertens est falsa.

QVÆSTIO VIII.

De consequentia, & Syllogismo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Rectè assignetur Differentia inter Consequentiam Bonam, & Malam?

CONsequentia Bona illa dicitur, *in qua antecedens infert consequens.* Mala autem est *in qua non infertur consequens ex antecedenti*, licet significetur inferri. Tunc autem non infertur consequens ex aliquo antecedenti, quando potest dari antecedens verum, & consequens falsum, quandocumque autem infertur vera, & propria illatione consequens verum siue ex antecedēti falso, siue vero, bona est consequentia. In præsenti ergo duo breuissimè veniunt discutienda. *Primum*, an ista differentia inter bonam consequentiam, & malam sit essentialis, vel accidentalis? *Secundum*, Quomodo verum sit, quod ex falso infertur verum, cum nunquam ex vero inferatur falsum?

Ad primum Respond. Affirmatiuè, scilicet quod ista diuisio est essentialis, & analoga, loquendo de *Consequentia formali simpliciter*, de qua in præsenti agimus. *Ratio* est. Quia essentialis, & intrinseca forma consequentiæ est cōnexio illatiua antecedentis cum consequenti: sed cōsequentia mala caret ista vi illatiua; ergo caret forma essentiali consequentiæ, ergo ita differt consequentia bona & mala, sicut homo viuens & carēs vita, qui analogicè conueniunt in ratione hominis. Neque est dabile in consequentia formali, quod habeat aliquam connexionem, & tamen aliquando possit deficere, & ideò dicatur mala, nam forma quæ semel est defectibilis, & aliquando saltem instari potest ex vi consequentiæ, hoc ipso formaliter non est bona, vnde caret omnino connexione formali, idest dispositione requisita ad inferendum. Quare solùm per accidens potest quandoque sequi consequens ex antecedenti nunquam tamen ex vi formæ, sed ratione materiæ.

Obiicies. Non requiritur ad rationem consequentiæ, quod in re detur connexio inter antecedens & consequens; ergo non ideo caret essentiali ratione consequentiæ, quia non datur connexio, dummodo significetur dari. *Anteced. probat.* Nam consequentia probabilis est vera consequentia, est enim verus syllogismus, Syllogismus Topicus; & tamen in re potest carere connexione, quia multa falsa sunt probabiliora veris; ergo non requiritur ad essentialem rationem consequentiæ connexio in re, sed sufficit in apparentia, & signo. *Secundò* Quia propositionem esse veram, vel falsam est diuisio accidentalis; ergo etiam consequentiam esse bonam vel malam; nam ita *bonum & malum* in consequentia, sicut *verum & falsum* in propositione, siquidem illa est bona consequentia, in qua verè sequitur vnum ex alio; illa autem est mala, in qua non verè sequitur.

Ad

Ad primum respond. Quod loquendo de consequentia formali, idest, *quæ ex vi formæ & dispositionis suæ infert*, non datur consequentia probabilis, & topica sed vel est bona, vel mala, non vera aut falsa, euidens, vel probabilis; & quæ semel est bona ex parte formæ, non potest deficere, & consequenter ex parte formæ non potest esse topica, quia si potest deficere potest instari, & vitiari, & consequenter potest dari antecedens verum, & consequens falsum. Forma autem consequentiæ, quæ potest instari, hoc ipso est mala ex parte formæ, & si aliquando est bona solùm est materialiter, & ratione materiæ, non ratione formæ, sed in hac parte fallimur, & æquiuocamur, si existimamus idem esse Consequentiam & *Argumentum*; quæ tamen longè differunt, quia *Argumentum* pertinet ad probationem, *Consequentia* vero ad ipsam illationem, & formam consequendi vnum ex altero; probatio autem potest esse euidens vel probabilis, & ideò syllogismus ex parte materiæ consideratus & posterioristicè, seu ex parte probationis diuiditur in demonstratiuum & topicum; non autem prioristicè, & ex parte formæ. In præsenti autem solum loquimur de consequentia ex parte formæ & prioristicè.

Ad secund. respond. Quod veritas, vel falsitas non mutat significationem enuntiatiuam, quod est constitutiuum propositionis, sed potius significatione immutata potest mutari veritas ex eo quod res est, vel non est: at bonitas, vel malitia consequentiæ mutat ipsam formam connexionis, & illationis, atque adeo & ipsam essentialem rationem consequentiæ, quæ non consistit in significando veritatem, sed in connectendo illas conuenienti modo ad inferendum.

Circa secundum difficultas est. Quomodo ex vero non possit sequi nisi verum, ex falso autem possit sequi verum? Nec enim apparet quomodo verum possit in falso contineri, vt ex illo inferatur, falsum autem non possit contineri in vero, cum æquè pugnent inter se verum & falsum.

Respond. Omissa aliquorum Solutione, qui dicunt omne falsum continere in se aliquid veri ratione cuius potest inferre verum, verum autem nihil falsi continere debet, & ideò non potest inferre falsum. Hac (inquam) solutione omissa, nam aliquando potest vtraque præmissa esse falsa; & tamen inferre consequens verum, vt si dicas, *Omnis lapis est viuus & Omnis homo est lapis, ergo Omnis homo est viuus*, vbi non infertur aliquid in vi alicuius veri ex parte præmissarum.

Resp. Quod ex falso dicitur sequi verum, non quia possit causari, vel manifestari per falsum, sed quia stat benè cũ assensu falsæ præmissæ assẽsus veræ cõclusionis; vnde alid est sequi verum ex falso, aliud est probari verum per falsum. Hoc secundum nunquam stare potest, vt aduertit optimè *S. Thom. 2. Met. lect. 2.* Vnde consequenter non potest manifestari verum per falsum, nec causari ab illo, quia si ab illo causaretur per illud probaretur; solum ergo dicitur verum sequi ex falso, quatenus supposita admissione præmissæ falsæ, adhuc potest stare connexio cum conclusione vera, quia falsitas præmissarum non semper destruit omnem veritatem consequentem, nec enim malum destruit omne bonum. Cæterum si semel dantur præmissæ veræ hoc ipso, quod conceduntur, non potest dari consequens falsum, quia falsum non potest concedi, sed negari; negato autem consequenti, debet negari antecedens, cum quo habet connexionem, siquidem est negare illud consequens, atque admittere oppositum eius; ex opposito autem consequentis sequitur oppositum antecedentis; atque adeò debet admitti oppositum antecedentis, & negari ipsum antecedens. Vnde de primo ad vltimum, si ex concessione veri sequeretur falsum, idem antecedens concederetur, & negaretur.

Posset etiam in præsenti fieri Argumentum, Quando ex propositionibus necessariis sequitur aliquod contingens, vt ex ista *Deus scit Petrum peccaturum, ergo Petrus peccabit.* Anteced. necessario est verum, & consequens est contingens, & consequenter potest esse falsum, & sic dabitur antecedens verum & consequens falsum. Sed huius Solutionem vide supra *Lib. 3. c. 11.* & apud Theologos 1. *p. Q.* 14. *art.* 13.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Inductio sit Consequentia Formalis?

Ratio dubitandi sumitur ex dictis. Quia *Inductio* est vera species consequentiæ, cum sit vera species argumentationis; argumentatio autem & consequentia idem sunt, ergo debet esse bona consequentia, nam mala consequentia non habet essentiam consequentiæ. Si autem est bona consequentia debet esse formalis, quia illa quæ formalis non est, potest instari, & consequenter non est bona; vnde in ratione consequentiæ nunquã datur consequentia probabilis, sed vel est bona vel mala, & quæ est bona, semper est bona, quia est formalis; ergo idem est inductionem esse consequentiam, & esse formalem consequentiam.

Conf. Quia aliquæ sunt inductiones, de quibus non potest dubitari quod sint consequentiæ formales, ergo absolutè non est negandum inductionem esse formalem consequentiam. *Anteced. probat.* Nam descensus copulatiuus in termino supponente distributiuè, & ascensus disiunctiuus respectu termini supponentis determinatè sunt formales consequentiæ, quæ in nulla materia possunt instari, vt patet in istis consequentiis *Iste homo est albus; ergo aliquis homo est albus; Omnis homo est albus, & homo est, ergo iste homo & ille, & ille est albus.* Et similiter quando in ipsa inductione enumerantur omnia singularia, vel saltem aliqua cum particula, *& sic de singulis*, manifestum est esse consequentiam formalem, quia proceditur à collectione omnium singularium ad vniuersalem, quod nunquam potest instari.

Denique Conf. Quia vt dicit *Philos. 1. Post. tex. 31. lect. 30.* apud D. Thom. *Vniuersalia, de quibus est demonstratio non possunt cognosci absque Inductione.* Si ergo inductio non sit bona, & formalis consequentia, omnis demonstratio, & scientia quæ ex illa pendet, inniteretur incerto & fallibili fundamento; ergo necesse est quod inductio sit consequentia formalis, & certa.

De hac Difficultate præter ea, quæ diximus in text. solum in præsenti aduerto Inductionem non solam importare rationem consequentiæ ex parte dispositionis, & formæ connectendi propositiones, quæ est ratio prioristica in consequentia; sed etiam importare rationem argumenti, seu probationis, quatenus est locus arguendi, & probandi aliquam propositionem vniuersalem ex reductione ipsius ad suas singulares. Et si Inductio consideretur in vi *Argumenti*, & loci probatiui, non semper facit euidentiam, sed aliquando solam probabilitatem, & ex hac parte admittit quod sit consequẽtia probabilis, quia innititur experientiæ sensuum, vnde intellectus accipit cognitionem vniuersalium: experientia autem non semper est infallibilis, nec totam collectionem singularium potest semper percurrere, & ita nec infallibilem semper probationem fundare. In quo Aliqui hallucinati sunt, existimantes

forma

formalitatem inductionis requirere, quod in antecedenti numerentur omnia singularia, vel si non numerentur omnia, apponatur particula, *& sic de singulis*, qua posita Inductio reddetur efficax argumentum, & consequentia formalis; procedit enim à tota collectione singularium ad vniuersalem, quod est ab æquiualente ad æquiualens.

Cæterùm hoc non est facere Inductionem in ratione præcisa inductionis consequentiam formalem, sed adiungere illi alium locum arguendi, nempè ab æquiualenti ad æquiualens, qui semper est probatio efficax. Sed tamen Inductio ex natura sua, & propria vi id non petit, nam cum Inductio deseruiat, vt ex ipsa sensuum experientia sumatur notitia rei vniuersalis, si necesse esset numerare omnia singularia sub vniuersali contenta, numquam, aut rarissimè fieret inductio, quis enim omnia singularia experiri posset? Si autem non expertis omnibus, pro reliquis, quæ non experimur, ponatur particula, *& sic de singulis* etiam non expertis, respectu illorum manet inductio ineuidens, & incerta, quia non constat sic reliqua se habere, & ita solum erit argumentum probabile, ex his quæ experta sunt (licet non omnia, sed plurima) inferens vniuersale.

Idem dico de aliquibus speciebus Inductionis, in quibus inuenitur efficax probatio, & formalis consequentia, sed non est præcisè in vi inductionis, sed ex alio loco arguendi adiuncto, vt quando ex singulari infertur non vniuersalis, sed particularis determinata, vt *Petrus currit, ergo aliquis homo currit* tenet consequentia, non in vi inductionis; siquidem solum vnum singulare numeratur, sed à non amplo ad amplum affirmatiuè sine distributione ampli. Et similiter, cum ab vniuersali distributo descendimus copulatiue ad quodlibet singulare, *vt Omnis homo est albus, ergo iste est albus, & ille &c.* tenet ab amplo ad non amplum cum distributione ampli affirmatiue. Et idem est à particulari ad singularia disiunctiue, tenet enim ab æquiualenti, ad æquiualens, aut aliquo simili loco arguendi.

Quare licet Inductio adiunctis his vel alijs similibus locis arguendi sit efficax prob. & conseq. tamen pura, & mera inductio id non petit, sed potest inueniri enumeratis sufficienter singularibus, *sufficienter* (inquam) ad inferendam vniuersalem probabiliter, si non omnia numerentur, vel euidenter si omnia, & vtrumque pertinet ad inductionem, imò illud prius frequentius, quia vix aut numquam omnia singularia enumerantur, & tamen datur inductio ad vniuersale simpliciter, imò si numerentur nō solum sufficiēter, sed totaliter, non est pura inductio, sed ab æquiualenti ad æquiualens, sicut si sufficienter numerentur non ad inferendam vniuersalem distributam, sed tantum particularem, vt supra diximus. Hæc de inductione vt dicit rationem Argumenti & loci probatiui.

Si verò consideretur ipsa dispositio & forma deducendi vnum ex alio, sic Inductio (si præcisè sumatur, non adiuncto alio loco arguendi) non importat dispositionem, & formam perfectam consequentiæ, sicut syllogismus, in quo ipsa dispositio; & forma fundatur in connexione terminorum perfecta cum vno tertio tanquam in medio, vnde cogitur intellectus fateri connexionem eorumdem terminorum inter se. At vero Inductio non vtitur connexione extremorum cum vno tertio tanquam ratione, & forma illatiua, sed ex ipsis singularibus, quæ experitur, quasi ex partibus subiectiuis totius vniuersalis, infert ipsam propositionem vniuersalem, vt diximus. Et hæc connexio singularium expertorum cum suo vniuersali fundat consequentiam non absolutè formalē, sicut syllogimus, sed formalē inductiuè, cum enim omnis consequentia sit quædam illatio probatiua, & manifestatiua veritatis; omnis autem veritas, & scientia nostra habeat duos progressus, scilicet primò in sui introductione, secundum quod oritur, & dependet à sensibus, secundò in probatione ex propositionibus iam vniuersaliter conceptis; consequenter illatio ipsa veritatis secundum formalem rationem consequentiæ, & illationis debet habere duplicem modum connexionis, & consequentiæ, scilicet in inducendo, seu introducendo nos ad cognitionem vniuersalium ex ipsis singularibus, & in probatione, seu discursu ex propositionibus factis vniuersalibus ad alia. Inductio ergo habet dispositionem consequentiæ, primo modo tantum, vnde licet possit vitiari, & deficere absolute, tamen habet quidquid requiritur ad formalem consequentiam in ratione inductiui, non simpliciter, & euidenter probatiui.

Ad Rationes Dubitandi Respond. Ad primam, Quod inductio ex præcisa ratione inductionis est vera species consequentiæ, sed non ita perfecta sicut syllogismus, neque ordinata ad probandum, seu conuencendum intellectum, sed ad introducendum in vniuersalia ex comparatione, & numeratione singulariū, & in hoc genere inducendi habet formalem rationem cōsequentiæ, non probatiuæ ex vniuersalibus, sed inductiuæ ex singularibus. Vnde eius bonitas non est, quod conuincat plenè, sed quod sufficienter inducat ad vniuersalia ex singularibus expertis.

Ad primam Confirm. Respond. Quod illæ consequentiæ inductionis tenent non in vi inductionis præcisè; sed quia vel reducuntur ad formam syllogismi, vel alius locus arguendi sibi adiungitur, qui habet efficacem, & infallibilem connexionem, vt diximus.

Ad secundam Confirm. Respond. Quod omnis nostra speculatio dependet ab inductione, sicut dependet à sensu, & experientia; vnde si propositiones vniuersales alicuius scientiæ non sint ita abstractæ & communes, quod ex quocumque indiuiduo manifestari possit, ipsarum veritas, sed ex plurium numeratione, & experientia pendeat, sicut scientiæ naturales, non sunt ita certæ, sicut aliæ scientiæ abstractiores, & communiores, vt Metaphysica, & Mathematicæ quorum principia etiam in vno indiuiduo habent totam certitudinem, vt *Quodlibet est, vel non est.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm conclusio sit de essentia Syllogismi, an solum Præmissæ?

Litigant in hac difficultate diuersæ Sententiæ ferè ex eodem motiuo: Quia enim syllogismus fit per discursum, in quo ex connexione præmissarum infertur, & manifestatur conclusio, putant Aliqui de ipsa essentia syllogismi non solum esse præmissas inferentes, sed etiam Conclusionem illatam, quia discursus non sistit in præmissis, sed in conclusione, & quandiu non infertur conclusio, manet suspensus discursus, & incompletus. De ratione ergo syllogismi completi, & perfecti est conclusio *Alij è contrà*: Quia conclusio est illata, & manifestata per discursum, inferunt inde, quod Conclusio non pertinet ad essentiam syllogismi, sed est effectus ipsius, quia syllogismus formaliter est modus sciendi, & Argumentatio, quæ est manifestatiua alicuius ignoti; saluatur ergo tota ratio ipsius in ipsa ratione manifestatiui; non autem in ratione manifestati, cōclusio autem est manifestata, nō manifestatiua. *Alij* denique existimant solum consistere formaliter in ipso motu, seu illatione, non in præmissis, neque in conclusione, licet illa quasi materialiter, & in obliquo includat.

Verius tamen videtur Syllogismum in suo essentiali conceptu dicere Orationem compositam ex antecedente, & consequente, ipsaque illatione, seu consequentia. Itaque & habet vim illatiuam, quæ est in præmissis, & habet rem illatam in consequente,& habet ipsam illationem,quæ passiuè sumpta est in consequente illato, actiuè autem in præmissis inferentibus, atque ita est quasi organicum instrumentum, quod constat ex parte mouente,& ex parte mota,sicut in Viuentibus vna pars mouet aliam. Constat enim, quod ipsæ præmissæ sunt motiuum, & ratio cognoscendi conclusionem,vnde ad rationem Syllogismi,quo tamquam instrumento fit ista cognitio conclusionis, necessario,& essentialiter requiruntur præmissæ.Similiter ipsa conclusio est obiectum cognitum, ad hoc enim tendit syllogismus, vt conclusionem cognoscat per illationem, cognitio autem non respicit in cõnotato, & materialiter, sed formalissimè suum obiectum,vnde non potest consistere syllogimus in solo ipso motu, seu illatione secundum quod præcisè illatio sumitur passiuè pro eo quod sequitur passiuè ex alio, sic enim solum inuenitur in ipso consequente illato, & cum in aliquo syllogismo admittimus præmissas, & negamus consequentiam, non negamus totum syllogysmum, sed solum illationem, & deductionem passiuam eius quod sequitur; ergo signum est totum syllogismum non supponere pro illatione passiue accepta, sed pro illo composito ex inferente,& illato, in quo inuenitur plena, & adæquata illatio, seu consequentia actiuè, & passiuè sumpta. Sicut motus licet passiuè solum sit in passo tamen in quantum actio dimanat ab agente, & respicit illud, & sic completè, & adæquate respicit agens & patiens. Sed tamen deficit exemplum in hoc, quod syllogismus non est ipse motus, sed instrumentum logicum, quo intellectus mouetur de vno ad aliud cognoscendum, vnde debet includere partem mouentem, quæ sunt præmissæ, & partem motam, quæ est obiectum illatum, seu Conclusio.

Vnde rationem primæ sententiæ admittimus, quæ ita includit conclusionem, quod non excludit præmissas *Ad secundam* verò dicimus, Quod conclusio est effectus syllogismi non quidem totius syllogismi, sed partis illius, sicut in Viuentibus pars mota est effectus ipsius viuentis in quantum mota ratione partis mouentis, includit tamen adæquatè, & completè ipsum totum constans ex parte mouente, & ex parte mota, sic syllogismus in sua essentia adæquatè, & completè includit illuminans, & illuminatum, manifestatiuum, & manifestatum tanquam partes, vnde licèt de essentia consequentiæ & argumentationis sit esse manifestatiuum alicuius ignoti, tamen ipsum ignotum, quod est conclusio, essentialiter includit, vt illatum, & manifestatum, & obiectum rationis manifestatiuæ tanquam partem.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm, Syllogismus rectè diuidatur in Perfectum & imperfectum?

ALiqui existimant nullum syllogismum indigere reductione ad alium Syllogismum perfectiorem, sed æquè immediate regulari omnes illo principio, *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, vnde immediatè per istud principium, non autem per reductionem ad alium syllogismum possunt ostendi, quia sicut in primis quatuor modis primæ figuræ inuenitur identificatio extremorum cum vno tertio, ita & in aliis syllogismis secundæ, & tertiæ figuræ, vt constat quocumque syllogismo in illis facto; ergo ex tali principio poterit immediate conuinci, qui negauerit illationem talium syllogismorum;non autem necessaria est reductio ad primos syllogismos primæ figuræ.

Cæterum Philosophus expressè docet omnes syllogismos imperfectos reduci posse ad vniuersales primæ figuræ, vt patet in 1. *Prior.capit.*7. Idem docet S. *Thom. Opusc.* 48. *tract. de syllogismo* cap.6.7.& 8. Et ratio est Quia licet tota vis syllogistica consistat in illo principio, *Quod quæcumque sunt identificata vni tertio, sunt identificata inter se.* Tamen vt clarè constet hæc identificatio cum vno tertio, requiritur, quod illud tertium sit distributum, quia si medium teneatur particulariter in vtraque præmissa ex puris particularibus nihil sequitur; si ergo medium debet identificari cum extremis secundum distributionem mediante qua extrema ipsa contineat, & vniat in se, oportet, quod ista identificatio medij reguletur per illud principium, *Dici de omni,& dici de nullo*, & hoc est quod non in omnibus syllogismis æque euidenter fit, quia non in omnibus ita immediate, & per se constat contineri aliquod extremum sub ipso medio distributo, sicut constat in quatuor primis modis primæ figuræ, in quibus medium est subiectum in maiori, & prædicatum in minori, ratione cuius cùm ponatur vniuersaliter in maiori ex parte subiecti, postea in minori prædicatur de aliquo, vnde hoc ipso illud de quo prædicatur designatur contineri sub ipso medio, quod non ita manifestatur in secunda & tertia figura, vt patet si facimus syllogismum in *Barbara, Omne animal est substantia omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia*, vbi ille medius terminus *animal* in quo identificantur *homo, & substantia*, in maiori ponitur vniuersaliter ex parte subiecti, deinde vero in minori cum animal prædicetur de homine hoc ipso clare constat, quod homo continetur sub animali, & consequenter, quod substantia, quæ prædicabatur de animali per regulam *Dici de omni* prædicabitur etiam de homine, qui continetur sub animali. Hoc autem in secunda, & tertia figura non ita per se manifestatur, vnde ad hoc vt constet ita identificari extrema cum vno tertio, quod saluetur in illo *Dici de omni*, vel *Dici de nullo*, indiget reduci ad modum primæ figuræ, & non solùm immediatè probari per illud principium, *Quæcumque sunt eadem vni tertio, &c.* excludendo principia, *Dici de omni*, & *Dici de nullo.*

De quarta figura An detur, Aliqui longius disputant; sed pro ista difficultate sufficiunt ea quæ tradidimus *lib. 3. cap. 5.* Non enim negamus hanc quartam figuram, sed dicimus reduci ad primam ideoque non ponere figuram omnino distinctam, sed sub prima contentam.

De Simplicitate aut Compositione Propositionis Categoricæ.

HVcusque remisimus difficultatem istam, ne Discipulos ad eam cogere videremur. Eius Resolutio etsi ad cognitionem Propositionis conducat, pertinet tamen & pendet ex 3. *lib.* de Anima, vnde hic eam breuiter attingemus. Difficultas consistit in eo vt videamus An Categorica propositio sit in mente vnicus simplex conceptus, vel aggregatio plurium? Non loquimur de Actu iudicij, seu assensu cadente super ipsam Enunciationem, iste enim simplex qualitas est, & vnicus actus, quo intellectus non com-

componit, ſed de compoſitis iudicat dicendo *Ita eſt*; & ſic in Deo,& Angelis actus iudicij ponitur, non tamen ponitur compoſitio. Loquimur ergo de Enunciatione, quæ antecedit iudicium, ideſt, de Enunciatione apprehenſa, non iudicata, & Inquirimus. Vtrum ſint in mente multi actus formantes Enunciationem; An vero formatio Enunciationis vnico ſolùm actu fiat reſultante ex collatione,& compoſitione plurium ſimplicium conceptuum.

Diuiſi ſunt Authores in hoc puncto. Quidam exiſtimant, quod ſicut in Tertia operatione Diſcurſus non eſt qualitas aliqua,ſeu conceptus reſultans ex orationibus conſtituentibus Syllogiſmum,ſed ipſę Enunciationes inter ſe ordinatæ, ſic Enunciatio non eſt qualitas ſimplex, ſed plures conceptus ordinati. Alij dicunt formari Enunciationem per aliquem conceptum ordinantem conceptus ſimplices, vel ex illis ordinatis reſultantem. Alij dari vnicum actum, qui non ſolùm dirigat, & ordinet conceptus ſimplices, ſed qui repræſentet totam propoſitionem. Alij ponunt quatuor actus, tres qui repræſentent ſubiectum, prædicatum, & copulam ſecundùm ſe, & quartum qui illos conceptus dirigat, & ordinet; & in hoc formaliter conſiſtit propoſitio, in aliis verò præſuppoſitiuè.

Pro Reſolutione ſupponendum eſt ex *D. Thoma*, quod ſecunda Operatio intellectus in qua formatur Enunciatio, producit conceptum, ſeu Verbum diſtinctum à conceptibus ſimplicibus, qui per primam operationem producuntur; vnde conceptus productus per ſecundam non ſolùm habet diſtinctam ordinationem, ſed etiam diſtinctam repræſentationem ab ea, quam habet conceptus Primæ. Conſtat hoc ex 3. *de Anima lect.* 6. *Met. lect. vlt. Opuſc.* 13. *& ex Quodl.* 5. *art.* 9. vbi ſic habet. *Duplex eſt operatio intellectus ſecundum Phil.* 3. *de Anim. vna quidem* quæ vocatur Indiuiſibilium *intelligentia*(ideſt ſimplex apprehenſio)*per quam intellectus format definitionem,vel conceptum alicuius incomplexi. Alia autem operatio eſt intellectus componentis,& diuidentis* (ideſt compoſitio, vel Diuiſio)*ſecundum quam format Verbum. Et vtrumque iſtorum per intellectum conſtitutorum vocatur Verbum cordis, quorum primum ſignificatur per terminum incomplexum, ſecundum per orationem.* Et Ratio eſt, Quia diſtincta repræſentatio, & ordinatio reperitur in ſecunda operatione, non in prima; ergo & diſtinctus conceptus. *Ant. pr.* Quia in ſecunda operatione attribuitur, & vnitur vnum alteri, quod in prima operatione non fit, in qua ſimplices conceptus apprehenduntur; ergo talis hæc vnio, & attributio repræſentabilis eſt; ergo diſtincto modo, & diſtincto conceptu ab illo, quo ſecundùm ſe, & abſque attributione repræſentantur in prima operatione.

Hoc ſuppoſito Reſp. Probabilius eſt in *D. Thom.* quod conceptus ſecundæ operationis, qua formatur Enunciatio, eſt vnicus actus, & conceptus, non ſolùm vnitate Ordinis, ſed vnitate qualitatis: Oppoſitum autem etiam eſt probabile. Primum tenet *Caiet.* 1. 2. *Quæſt.* 113. *artic.* 7. §. *in Reſp. ad* 2. *Ferrara* 1. *contr. Gent. cap.* 55. §. *Ad horum Euidentiam. Mag. Soto, cap. de Propoſit.* & Alij Thomiſtæ. Fauet *S. Thom.* loco cit. *contr. Gent.* dum dicit: *Quod quando aliqua multa accipiuntur quocumque modo vnita ſimul intelliguntur, ſimul enim intelligitur totum continuum, non partes poſt partem, & ſimiliter intelligitur ſimul propoſitio non prius prædicatum, & poſtea ſubiectum quia ſecundum vnam totius ſpeciē omnes partes cōprehenduntur.* Nota cauſalem. Si ergo per vnam ſpeciem comprehendentem prædicatum, & ſubiectum vtrumque cognoſcitur; ergo non repugnat vnico conceptu, qui entitatiuè ſit vnus, propoſitionem formare. Si ergò propoſitio eſt capax repræſētari vnica ſpecie impreſſa repræſentante totum, cur nōn poterit repræſentari vnica ſpecie expreſſa? per ſe enim loquendo vna ſpecies vnum poſtulat conceptum niſi illa inadæquatè vtamur. Videatur *S. D.* 6. *Met. lect. vlt. &* 1. *p. Q.* 85. *art.* 4. *Quæſt.* 58. *art.* 2.

Dices primò, loqui *S. Thom.* de propoſitione iudicatiua, ſeu de ipſo aſſenſu, non de enuntiatione. *Secundò* Loqui de vno conceptu, ſeu ſpecie vnitate ordinis, non vnitate entitatis, ſiquidem 1. 2. q. 113. artic. 7. ad 2. dicit: *Quod ſimul intelligimus prædicatum, & ſubiectum, in quantum vniuntur in ordine affirmationis vnius, & per eundem modum poteſt liberum arbitrium ſimul moueri in duo ſecundum quod vnum ordinatur ad aliud.* Conſtat autem voluntatem moueri duplici actu, & ſolum vnitate ordinis, non ſimpliciter, vnum actum eſſe; ergo ſimiliter intellectus cùm intelligit prædicatum, & ſubiectum.

Sed contra primam ſolutionem eſt; Quia iudicium, ſeu aſſenſus, non componitur ex prædicato, & ſubiecto, ſed ſuper enuntiationem compoſitam cadit dicendo *Ita eſt*, vt iam probauimus ſupra; ſed *D. Thom.* loquitur de illo toto, quod componitur ex prædicato & ſubiecto,& hoc dicit fieri vnum,vt patet in 6. *Metaphyſ.* cita. dum dicit: *Quod cum ex ſimplicibus conceptibus format compoſitionem, vel diuiſionem, intelligit ambo vt vnum, in quantum ſcil. ex eis ſit aliquid vnum*; Ergo loquitur *D. Thom.* de enuntiatione ipſa prout formatur, & componitur ex ſimplicibus conceptibus, ideſt ex prædicato & ſubiecto, non pro iudicio quod non format propoſitionem, ſed ſuper eam formatam cadit, & iudicat. Denique quando dicit 1. *p. quæſt.* 12. *artic.* 9. *ad* 3. Ex ſpeciebus montis, & auri formari in nobis ſpeciem *montis aurei*, & ex conceptu generis, & differentiæ formari conceptum *Speciei*, planè loquitur de conceptu entitatiuè vno, talis enim eſt qui repræſentat ſpeciem conſtantem genere, & differentia, vt Hominem, ſed eodem modo loquitur *D. Thom.* de formatione propoſitionis, quam dicit ſic intelligi, ſicut cum totum ſimul intelligitur vt domus, & non ſingulæ partes ſeorſum, vt patet in locis allatis, præſertim 6. *Metaph.* Ergo loquitur de ſpecie, ſeu conceptu vno entitatiue, ſicut eſt conceptus domus vt totum quoddam eſt.

Contra 2. *Solutionem* optimè aduertit *Caiet.* ſuper illum locum 1. 2. Quod Liberum arbitrium non vnico actu mouetur in Deum, & peccatum, licet ſimul, quia vnum eſt ratio alterius. Exemplum autem de intellectu plus dicit quàm oporteat, quia dicit etiam vnitatem actus. *Sic Caiet.* Vnde *D. Thom.* adduxit exemplum de intellectu in quo vnico actu, ſeu conceptu repræſentantur res, ad oſtendendum non repugnare, quod voluntas in inſtanti, licet duobus actibus ordinatis moueri poſſit, ſicut ex præmiſſis mouetur in concluſionem eodem inſtanti ſimul, ſed non eodem actu. Ex locis enim adductis conſtat *S. Thom.* vnitatem ſpeciei, ſeu conceptus, & non ſolùm ſimultatem temporis, vel ordinationem poſuiſſe.

Fundamentum ſumitur ex dictis. Quia intellectus poteſt vnico conceptu, ſeu ſpecie habente vnitatem repræſentatiuam plura ſub ratione vnius conprehendere; ergo cum ſecunda operatio formet nouum conceptum reſpicientem plura ſub vnitate vnius compoſiti, & habentis rationem totius, habet ſufficientem rationem vt vnico conceptu, ſeu ſpecie repræſentet. Et certè quādo vnum cognoſcitur cum connotatione, & habitudine ad aliud, vtrumque ſub illa habitudine poteſt intelligi vnico conceptu entitatiuè vno, licèt obiectiuè plura includat vt vnita, vt patet cum repræſentatur accidens in concreto, vt album, connotando

corpus, aut totum connotando partes. Et in Opinione opposita cum repræsentat vnum terminum, v. g. *Subiectum* non absolutè, sed vt conueniens prædicato & copulam, vt vtrumque coniungentem, nisi enim sic repræsentet numquam vniet illa intellectus, etiam vnitate ordinis. Si ergo vnico conceptu entitatiuo plura vnita repræsentari possunt, vnum directè, aliud in connotato, & vt terminum habitudinis, Cur non poterit conceptus vnus formatus modo compositiuo ex pluribus præsuppositis repræsentare ipsum totum compositum vt vnitum, & vnum factum? Et cur non attribuemus conceptui secundæ operationis, qui est perfectior, id quod conceptui primæ operationis repræsentanti plura vt vnum, imò Visioni externæ plura videnti vnica visione? Denique vnica Scientia quæ est vnus habitus entitatiuè iuxta sententiam *D. Thom.* 1. 2. *quæst.* 54. *artic.* 4. sufficit ad attingendum discursiuè omnes conclus. talis scientiæ, vt in *Log. quæst.* 27. *artic.* 2. ostendemus; Ergo idem conceptus repræsentatiuè sufficit ad attingendum omnes terminos, qui sub vna compositione clauduntur per modum vnius.

SOLVVNTVR OBIECTIONES contrariæ Sententiæ.

Nihilominus Opposita sententia etiam est probabilis. *Et primum Fundamentum* eius sumitur ex hoc, quòd intellectus noster est formaliter compositiuus, & non solùm obiectiuè, hoc est non solùm apprehendit obiectum complexum (hoc enim etiam facit Angelus) sed etiam pluribus actibus, & conceptibus apprehendit id, quod Angelus vnico actu; ergo non est dicendum, quòd vnico conceptu formet propositionem, sic enim non formaliter componeret, nec formaliter compararet vnum alteri, sed solùm virtualiter; at verò D. Thom. compositionem hanc intellectus per modum comparationis explicat, non per modum physicæ vnitatis, vt patet in 6. *Metaphys.* vbi inquit: *Quod illa compositio vel diuisio, qua intellectus coniungit, vel diuidit sua concepta, est tantum in intellectu, non in rebus; consistit enim in quadam duorum comparatione conceptorum, siuè illa duo sint idem secundum rem, siue diuersa.* Vbi non potuit clarius exprimere, quod compositio, & diuisio consistat non in vna simplici qualitate, sed in multis conceptibus ordinatis, & vnitis. Et idem sumitur ex 1. *p. Quæst.* 58. *art.* 4. *ad* 1. Vbi dicit: *Quod in Angelis non est compositio, & diuisio, licet sit multitudo conceptuum, quia non qualiscumque multitudo causat compositionem, sed illa quorum vnum attribuitur alteri, quod in Angelo non reperitur.* Ergo compositio non potest perfici per simplicem formationem, & productionem vnius conceptus, sed per attributionem, & compositionem vnius ad alterum: sicut etiam dicit in 1. Periherm. lect. 3. *Quod veritas, & falsitas non inuenitur in compositione, nisi secundum quod comparat vnum conceptum alteri.* Et 1. Quæst. 13. artic. 21. dicit. *Quod noster intellectus repræsentat Deum diuersis conceptibus, quam diuersitatem repræsentat per pluralitatem subiecti, & prædicati.* Ergo subiectum & prædicatum non repræsentatur vnico conceptu, quo formatur propositio. Denique Oratio, est illa, quæ pluribus conceptibus subordinatur, sic enim distinguitur à Termino, ergo non vni tantum conceptui subiicitur.

Secundò. Quia syllogismus licèt componatur ex pluribus propositionibus per modum vnius, non tamen per vnicam qualitatem formatur, sed per plures ordinatas inter se; & similiter propositio hypothetica, quæ non est vna nisi vnitate ordinis. Cur ergo propositio categorica non sufficienter formabitur per coordinationem, & comparationem conceptuum ex quibus constat? Denique propositio vocalis est composita ex pluribus vocibus; ergo & mentalis. *Conseq. prob. Quia D. Thom.* 1. *p. quæst.* 85. *art.* 5. ex eo probat in mente esse compositionem, quia in vocibus est compositio.

Vltimò. Quia sequitur, quod non sit formaliter in intellectu ratio Verbi, seu copulæ, & ratio subiecti, & prædicati, quia idem entitatiuus conceptus non potest esse id *de quo aliquid dicitur*, & id *quod dicitur*, & copula *qua dicitur.* Sequitur etiam, quod idem conceptus possit esse notitia intuitiua, & abstractiua, clara, & obscura, vt cùm dico *lapis non est Angelus*, vel *non est Deus*, lapidem clarè video, Angelum, & Deum non video, sed obscurè attingo. Denique in propositionibus negatiuis, vt cùm dico. *Homo non est lignum*, non potest vnica species mihi repræsentare hominem, & lignum, cùm vnum negetur, & separetur ab alio; ergo debent concurrere plures species, ergo & plures conceptus.

Hæc sunt quæ probabilem faciunt hanc partem, sed non omnino conuincunt; vnde sustinendo primam sententiam ad illa respondetur.

Ad primum Fundamentum. Possumus vnico verbo dicere, quod propositio dicitur formaliter composita non formalitate plurium entitatum, & compositione ordinationis cóceptuum sed formatione vnius ex pluribus præsuppositis, ex quorum collatione, & comparatione formatur, & resultat vna tertia species, seu conceptus, sicut ex speciebus montis, & auri formatur species montis aurei, quæ tamen non est vna vnitate ordinis, sed vnitate entitatiua, & iste modus formandi vnam speciem ex pluribus collatis, & comparatis inter se, est longe diuersus à simplici conceptu, & specie Angeli. Angelus enim non solùm habet conceptum simplicem entitatiuè, sed etiam non est formatus ille conceptus ex pluribus inter se collatis, & comparatis; sed ex ipsa naturali efficacia, & indiuisibili lumine repræsentando vnum repræsentat omnia, quæ illi conueniunt, quia modo comprehensiuo, non collatiuo procedit. Itaque non negamus ad omnia loca *D. Thom.* requiri comparationem, & collationem conceptuum ad formationem propositionis, sed dicimus ex tali formatione, & collatione produci vnum verbum, seu conceptum, qui est terminus per secundam operationem procedens, eo modo quo ipse D. Thom. 1. p. q. 12. artic. 9. dicit: *Quod ex speciebus montis, & auri formatur species montis aurei.* Et Quæst. 13. art. 12. expressè dicitur: *Quod intellectus noster pluralitatem diuinarum rationum repræsentat per pluralitatem prædicati, & subiecti, vnitatem verò, seu identitatem repræsentat per compositionem.* Manifestè ergo præter pluralitatem conceptuum subiecti, & prædicati ponit vnitatem, seu identitatem in qua consistit ipsa compositio, & quia ista identitas, & vnitas compositionis formatur ex collatione plurium quasi arte elaborata, & formata ab intellectu præsupponens plura, non ex prima & naturali efficacitate omnia illa repræsentans, ideo longè distat à conceptu Angeli qui simplicior, & efficacior est in repræsentando propositionem, quia non ex pluribus præsuppositis, & prius conceptis formatur, & resultat.

Sd secundum Respond. Esse diuersam rationem inter propositionem hypotheticam, seu syllogismum ex vna parte, & categoricam ex alia; nam categorica est illud, quod per se primò format secunda operatio nostri intellectus, vnde cùm illa operatio producat verbum, & conceptum distinctum à prima operatione, oportet quod talem composionem formet per productionem vnius qualitatis, & non solùm vnitate ordinis sine noui conceptus productione, priores,

con

conceptus primæ operationis coniungat; postea verò ad coniungendum plures propositiones categoricas iam formatas, vel ad mouẽdum se de vna ad aliam per discursum, sufficit propositiones inter se coordinare, nec requiritur nouam aliam qualitatem producere per modum vnius repræsẽtationis, sed ordinationis, aut transitus de vno ad aliud, quod pluralitatem exigit. Et vlterius possumus rationem huius inuestigare ex doctrina *S. Thom. 1. p. q. 85. art. 5.* Vbi docet quod compositio intellectus est signum identitatis eorum, quæ componuntur, neque enim intellectus attribuit vnum alteri, nisi repræsentando identitatem, qua vniuntur prædicatum, & subiectum in vno, quod significatur per modum habentis, *& secundum hanc identitatis rationem* (inquit D. Thom.) *intellectus noster vnum componit alteri, prædicando.* Quam identitatem, tam in prædicationibus accidentalibus, quam substantialibus interuenire docet *S. Thom. 1. p. quæst. 13. art. 12.* & hanc vnitatem, seu identitatem repræsentari per compositionem. Ex quo elicimus. Quod in illa cópositione, quæ fit per identitatem extremorum, vel remotionem identitatis, est sufficiens fundamentum, vt vnica repræsentatione omnes illæ partes identificatæ repræsententur, sicut per speciem totius repræsentantur partes: & ita contingit in propositione categorica. In hypothetica autem, & multo minus in syllogismo non intercedit prædicatio vnius de altero, neque identitas extremorum, sed plures propositiones inter se ordinantur, vnde non est fundamentum ad attribuendum, nisi vnitatem ordinis inter ipsas propositiones.

Ad id quod additur de compositione vocum. Respond. Voces non repræsentare, nisi ex impositione, non est autem imposita vna vox ad repræsentandum integram propositionem, vnde oportet, quod per continuationem, & ordinationem vocum ipsam compositionem mentis significemus. In mente autem intellectus simul intelligit prædicatum, & subiectum, vt ex *D. Thom.* suprà diximus; non autem per continuationem. Vnde quando *D. Thom* ex compositione vocum probat compositionem in mente, loquitur de compositione ex parte rei significatæ, non autem ex parte conceptus repræsentantis, quia licet tam in voce, quam in mente vnum attribuatur alteri, tamen in mente formatur species totius, in quo illæ partes attribuuntur, non autem sic formatur in voce.

Ad vltim. Respond. Primum inconueniens nullo modo sequi; datur enim prædicatum, & subiectum & copula formaliter, tum antecedenter ad formationem ipsius propositionis, tum cum ex coordinatione & collatione illorum conceptuum nominis, & verbi formatur propositio, tum in ipso conceptu, seu specie formata, in qua repræsentatur prædicatum, & subiectum, & copula per modum identitatis & vnitatis totius, sicut in specie montis aurei, repræsẽtantur mons & aurum, & in specie totius domus, fenestræ, & columnæ, &c.

Ad secundum-Dico. Non repugnare, quod eadem qualitas formata ex pluribus repræsentet intuitiuè, & abstractiuè respectu diuersorum, scilicet prædicati, & subiecti, non respectu eiusdem. *Et secundò.* Intuitiuum & abstractiuum solùm inueniuntur, in notitiis simplicibus, non in ipsa cópositione, vel discursu, & sic præsuppositiuè supponuntur diuersæ notitiæ intuitiua, & abstractiua, clara & obscura; in ipsa autem cópositione solùm attenditur attributio vnius ad alterum & identitas, vel differentia istorum, sub qua ratione in vno conceptu identitatis, vel differentiæ adunantur, licet nunquam respectu eiusdem, apprehensiua & simplex notitia fit clara & obscura. Quod autem diuersæ species impressæ possint concurrere ad vnam propositionem præsuppositiuè, non arguit quod formari non possit vna tertia species, vel conceptus repræsentans illa per modum vnius totius, sicut ex speciebus auri, & montis quæ diuersæ sunt, formatur species vna, & conceptus montis aurei: Intellectus enim sicut ea quæ vnita sunt potest diuidere, ita & diuersa vnire solet in vno cóceptu.

SECVNDA PARS ARTIS LOGICÆ.

EXpeditis in prima parte Logicæ his, quæ ad formam ratiocinandi, & resolutionem prioristicam spectant, restat in hac secunda parte ad complementum totius artis agere de materia illius, quæ pertinet ad resolutionem posterioristicam; quæ tractatio longior est, & prolixior, quia materia artis plura solet habere tractanda, quàm ipsa forma.

Notandum est igitur, quod omne iudicium mentis est quædam resolutio, seu assensus, & si sit vltimum est quasi definitiua quædam sententia; tunc autem certò, & firmiter traditur, quando per suas probationes resoluitur in sua principia, cum quibus habet connexionem: vt autem diximus *in prima parte Summularum ex D. Tho. 1. Poster. lect. 1.* firmitas iudicij sumitur, vel ex parte formæ ratiocinandi, vel ex parte materiæ; ex parte formæ quatenus innititur conclusio rectæ dispositioni, & colligationi præmissarum ad inferendum, quæ nomine consequentiæ, seu argumentationis appellari solet: vnde requiritur bonitas, seu firmitas consequentiæ ad rectam resolutionem iudicij. Ex parte materiæ, quando per propositiones necessarias, & per se connexas fit resolutio vsque ad principia per se nota, ex quibus deducitur demonstratio, & de his agimus in hac secunda parte Logicæ. Quæ enim pertinent ad partem topicam, quæ agit de probabilibus, & quæ pertinent ad libros Elenchorum, qui agunt de parte sophisticâ omittuntur in præsenti, quia non agunt de certâ, & perfectâ resolutione iudicij, & ideò solum libri Priorum, & Posteriorum vocantur analytici ab Arist. id est, resolutorij, quia solùm in illis docetur firmitas, & certitudo resolutionis tam prioristica ex parte formæ, quàm posterioristica ex parte materiæ.

Quia ergo materia requisita ad demonstrationem, seu resolutionem certam sunt propositiones necessariæ, & per se; illæ autem sunt per se, in quibus essentialia prædicata, vel propriæ passiones prædicantur, quia hæc sola habent necessariam connexionem cum subiecto, vt ex 1. *Poster.cap.2.* constat; illæ autem sunt propositiones contingentes, in quibus accidentalia prædicata dicuntur, ideò conueniens modus inueniendi istam materiam necessariam, & per se, sumitur explicando coordinationes prædicamentorum, in quibus res omnes ad sua capita, & genera reducuntur, & in vnoquoque illorum ponuntur prædicata superiora, & inferiora, inter quæ inuenitur essentialis connexio, ex quibus definitio rei integratur, & similiter manifestantur proprietates cuiusque prædicamenti, vel saltem ponuntur prædicamenta, in quibus cuiusque naturæ proprietates collocantur, vnde saltem in generali possumus colligere materiam propositionum, & connexionum necessariarum, nam in particulari id cognoscere pertinet ad particulares scientias. Rursus quia prædicamenta, quæ sunt coordinationes generum, & specierum, cognosci non possunt, nisi ipsa prædicabilia, quæ sunt modi prædicandi essentialiter, vel accidentaliter in quid, vel in quale cognoscantur, ideò tota materia Artis Logicæ, de qua in hac secunda parte agimus, in his tribus continetur, scilicet in prædicabilibus, quæ sunt modi prædicandi, in quibus distinguitur modus essentialis, & quidditatiuus à modo accidentali, vel qualificatiuo; deinde in decem prædicamentis, ad quæ tanquam ad decem classes, & summa genera reducuntur omnes naturæ rerum, & earum gradus, atque essentialia prædicata; & tandem in libris Posteriorum, in quibus docentur formari propositiones necessariæ, & per se, & fieri demonstrationes scientificæ.

Et licèt plura ex his, quæ de prædicamentis tractantur, & de vniuersalibus, & prædicabilibus ad Metaphysicam spectent, ideoque breuiter, & sobriè à Logico debeant tractari; plura tamen in his disputandis consumuntur, quàm in ipsis libris Posteriorum enucleandis. Nec mirum, quia plura solent in præparationibus rerum consumi, quàm in vltima perfectione, ad quam ordinantur: sicut in intelligibilibus per plures discursus peruenitur ad vltimam sententiam, quæ breuissima est: Et in naturalibus, substantialis generatio in instanti perficitur, & in multo tempore accidentalis alteratio ad eam disponit.

Priùs autem, quàm ea, quæ pertinent ad obiectum Logicæ iuxta ordinem præfatum explicanda aggrediamur, de ipsa scientia Logicæ, quasi proœmialem quæstionem præmittemus, vt cognitâ scientiâ facilius ad obiectum ipsius cognoscendum deueniamus.

QVÆSTIO I.

De Logica, qualis sit, & ad quæ se extendat?

In hac quæstione ordinem illum sequemur, quem seruauit D. Thom. in Proœmiali Quæstione Theologiæ, vt prius incipiamus à necessitate ipsius Logicæ, quod pertinet quasi ad quæstionem, an est, deinde de ipsa quidditate scientiæ eiusque qualitate, & specifico obiecto agemus. Quæstiones autem communes, vt de vnitate, & diuersitate scientiæ, & an sit vna qualitas in lib. Post. *inquirentur. Nec opus est maiorem notitiam præmittere de ipsa Logica ante istas quæst. proœmiales, quàm quæ habetur ex notatis in initio Summularum, & quæ in istamet quæstione accipi potest, sicut de Theologia in ipsa quæstione proœmiali, & non ante traditur eius notitia.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Ars Logicæ sit necessaria simpliciter ad alias scientias adquirendas?

Ferè tota difficultas huius articuli pendet ex intelligentia terminorum, qui in titulo ponuntur. Primò enim loquimur DE ARTE LOGICÆ, id est, de Logica artificiosa, non de naturali; naturalis enim non est aliud, quàm ipsum lumen naturale vtens discursu, de quo nulla potest esse difficultas, quod requiratur non solùm ad omnes scientias, sed etiam ad omnes discursus non scientificos, sed inquirimus de Logica, prout modo artificioso procedit in formandis discursibus, & demonstrationibus.

Secundò, nomine *scientiæ* potest intelligi, vel scientia solùm quoad substantiam in statu imperfecto, sicut in prima demonstratione generatur scientia quantum ad substantiam, quod est conuincere intellectum certò, & euidenter; vel potest intelligi scientia in statu perfecto scientiæ, & quæ simpliciter denominat sciēté, & est illa, qua non solùm cōuincitur intellectus, sed etiā qua per se discurrere potest circa ea, quę ad plenam notitiam obiecti talis scientiæ spectant, & ab oppositis erroribus, seu impugnationibus se defendere. Et potest vtroque modo sumi scientia, quando in præsenti inquiritur de necessitate Logicæ ad illam.

Tertiò proponimus in titulo, *An Logica sit necessaria simpliciter.* Et sumitur hìc *necessarium simpliciter*, non pro *necessario absoluto*, quod sumitur ex parte alicuius causæ intrinsecæ materiæ, siue formæ, sicut est necessarium hominem esse rationalem, & esse mortalem; sed pro *necessario respectiuè*, seu ad aliud, id est, ad finem aliquem consequendum; & hoc necessarium ad finem dicitur dupliciter, vel quod est necessarium simpliciter, vel secundùm quid; *simpliciter*, quando requiritur ad ipsum esse rei, vel acquirendum, vel conseruandum; sicut cibus & respiratio requiruntur ad viuendum. *Secundum quid*, quando requiritur ad benè esse, id est, vel ad aliquod maius commodum, vel maiorem ornatum, non ad ipsum esse secundum se. De quibus distributionibus necessarij absoluti, & respectiui, simpliciter & secundum quid, videatur D. Thom. 5. *Metaph. lect.* 6.

Quia ergo nemo dubitat Logicam ad minus esse vtilem, seu necessariam secundùm quid, id est, ad melius, & commodius esse ipsarum scientiarum, tota difficultas reducitur ad hoc vt videamus, an sit simpliciter necessaria

RESOLVTIO.

Sit vnica conclusio: *Ad sciētias speculatiuas artificialis Logica est simpliciter necessaria quantū ad statum perfectum scientiæ, & quoad eius conseruationē, & quasi nutritionem, non quoad imperfectum esse, & quasi primam generationem scientiæ.* Itaque potest dici necessaria simpliciter sine addito, & non simpliciter omnibus modis, sicut respiratio, & cibus dicitur necessarius simpliciter animali, non quia requiratur omnibus modis, & pro omni statu, nam in ventre matris, quando primò generatur animal, nec cibo indiget, nec respiratione: nihilominùs tamē dicuntur simpliciter necessaria animali, quia non ad aliquem ornatum, vel vtilitatem superadditā, sed ad ipsum esse animalis non primò generandū, sed conseruandum, vel nutriendum necessaria sunt.

Et dicimus: *Ad scientias speculatiuas esse necessariam Logicam,* non ad practicas, quia practicæ solum respiciunt rectitudinē operis, siue interni, siue externi, non autem ipsam indagationē veritatis, vnde solùm indigebunt prudentiā, vel arte, quæ dirigunt ipsam bonitatem, seu rectitudinem agibilium, & factibilium; non

verò Logica, quæ solum dirigit rectitudinem discurrendi circa veritatem.

Et per hanc conclusionem componimus oppositas sententias, quæ circa necessitatem Logicæ versantur. *Quibusdam existimantibus* Logicam solùm esse vtilem, non simpliciter necessariam, vt Conimb. *q.6. proœ. art.* 2. & alij. *Aliis* esse necessariam simpliciter omnibus modis, sicut causa vniuersalis requiritur simpliciter ad omnes actiones causæ particularis, vt *Araujo 2. Met. q.* 3. *a.*3. & alij.

Nos autem dicimus esse simpliciter necssariam absolutè loquendo, sed non omnibus modis, & pro omni statu cuiuscumque scientiæ; potest enim aliquid simpliciter dici tale, vel quia absolutè, & sine addito est tale, vel quia omnibus modis, & secundum omnem considerationem dicitur tale; vt benè obseruat S. Th. 3. *p. q.* 50. *art.* 5. & quod est simpliciter tale primo modo aliquam recipit latitudinem, & potest dici necessarium, vel tale simpliciter, licèt non omni modo, & sub omni statu necessarium sit, & de qua conclusione videatur Cursus Carmel. *disp. proœm. q.*7.

Prima ergo pars conclusionis, scilicet, *quòd Logica non sit simpliciter necessaria, id est, omnibus modis ad alias scientias*: Ex eo manifestè constat; quia Logica non requiritur ad alias scientias, nisi tanquā ars, & instrumentum acquirendi illas, effectus autē artis non ita dependet ab arte, vt non possit aliquo modo, saltem imperfectè fieri sine illa: sicut dicit Philosophus. 9. Metaphys. tex. 7. quòd *addiscens artem operatur actionem artis sine arte*, quod explicat ibi D. Thomas lect. 7. in fine, *quia potest homo aliqualiter exire in scientiæ, & virtutis actum, antequam habeat habitum scientiæ, & virtutis, quo adepto perfectè operatur*. Et quidem si ita nō esset, nō possent ipsæ artes, & scientiæ nostris actibus acquiri, nam saltem illi primi actus, quibus acquirūtur, non possunt ab arte procedere, siquidem generant illam, ergo similiter aliquæ demonstrationes nō pendent necessariò à Logica, saltem quæ generant primam demonstrationem Logicæ, licèt enim illæ demonstrationes non sint sine Logica generata per illas, non tamen ad illas requitur Logica, sed ex illis procedit: & si demonstratio fiat in materia alterius scientiæ potest percipi, & conuincere intellectum non habentis Logicam, & tunc acquiret quidem hàbitum scientiæ, ad quam pertinet illa demōstratio, sed non habitum Logicæ de cuius præceptis tunc non edocetur.

Denique pro hac parte videnda, est doctrina D. Th. 7. *Metaph. lect.* 8. *&* 1. *p. q.* 117. *art.* 1. *&* 2. *contra Gent. c.* 75. vbi duplex genus artiū distinguit, *quadā sunt in quarum materia non est aliquod principiū agens ad effectum artis producendū, sicut in lignis, vel lapidibus non est aliqua vis actiua mouens ad constitutionē domus, quæ est effectus artis domificatiuæ. Aliquādo verò est ars, in cuius materia est principiū mouens ad producendum effectū artis, sicut patet in Medicina, quia in corpore infirmo est aliquod principium actiuum ad sanitatem; & effectum artis primi generis nunquā producit natura, sed semper fit ab arte, effectus autē secundi generis fit ab arte, & aliquādo à natura sine arte*. Ita D. Th. Cùm ergo Logica versetur circa opera intellectus dirigenda, in quo inuenitur principium mouens ad scientificè procedendum, sicut in corpore ad sanitatem, potest vtique sine arte fieri aliquādo effectus artis Logicæ, & ita non est simpliciter necessaria ad omnem demonstrationem, & scientiam pro quocumque statu, & modo.

Secunda verò pars conclusionis, scilicet, *quòd requiratur simpliciter ad statum scientiæ, & ad eius conseruationem*, sumitur ex D. Thoma tum *in opusc.* 70. *quæst. vltima art.* 1. *ad* 3. vbi dicit: *Quod necessitas requirit, vt in addiscendo incipiamus à Logica, licet non sit facilior aliis scientiis, quia aliæ scientiæ ab ipsa dependent*: tum in 2. *Metap. lect. vlt. &* 1. *Posterior. lect.* 1. vbi dicit: *Logicam ordinari ad hoc, vt facilè, & promptè, & sine errore procedatur*; constat autem quod sine errore procedere, non solùm est vtile, sed simpliciter necessarium ad ipsum esse aliarum scientiarum. Et constat manifestè, quod nuda potentia intellectus, sine arte adiuta non potest cognoscere omnes defectus consequentiarum, & scientificè attingere bonitatem cuiuscunque consequentiæ, cum multæ non sint notæ lumine naturali, sed per discursum colligantur; multa etiam, quæ pertinent ad cognitionem propositionum per se, & necessariæ connexionis, pendent ex principiis, & præceptis artis Logicæ; ergo non potest intellectus peruenire ad statum perfectum scientiæ, in quo omnes errores istos euitet, & ad diuersas conclusiones suas se extendat, nisi sit perfectus per aliquod principium sibi superadditum, qui talem artificiosum modum procedendi demonstret. Itaque sicut animal in statu perfecto, id est, in statu, in quo per se nutritur, & augmentatur, indiget cibo tanquam materia nutritionis, & digestione, & concoctione alimenti; ita ad nutritionem, & extensione[m] scientiarum, quæ debet fieri per multas conclusiones, & varias consequentias indiget intellectus cibo, idest, speciebus, sed digestis & concoctis, artificiosè dispositis ad inferendum, alioquin non scientificè colliget, & hoc præstat ars Logicæ.

Dicas: Hoc non est esse necessarium ad simpliciter esse, sed ad melius, seu perfectius esse, quia supponitur ipsum esse scientiarum, sicut cibus supponit esse animalis, & solùm requiritur ad aliquid superadditum ipsi esse, ergo non est simpliciter necessarium, idest, ad esse.

Resp. Quod licet supponat esse, non tamen dicitur requiri ad aliquid superadditum ipsi esse, & quasi illi extrinsecum, sed ad continuationē ipsius esse & conseruationē ne amittatur: sufficit autem ad necessarium simpliciter quod requiratur ad esse rei, & non ad aliquid superadditū, licet non requiratur pro omni statu ipsius esse, sicut cibus non requiratur ad esse hominis pro statu generationis, sed pro statu conseruationis.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

PRimò arguitur: Multæ demonstrationes fieri possunt sine Logica, ergo non requiritur ad esse scientiæ etiam pro statu conseruationis. *Antec. prob.* quia possunt multæ cōclusiones in aliqua scientia demōstrari per quatuor modos primæ figuræ, qui ipso lumine naturali sunt noti, & non per discursum artis Logicæ, cum ad illas vt ad principia cæteri reducātur, & in ipsa arte Logica addiscenda manifestè constat, quod per lumen naturale sine alia anteriori Logica acquisita est; ergo non requiritur ars Logicæ ad ipsum esse scientiæ, etiam vt extenditur ad plures conclusiones, quod est in esse perfecto.

Resp. neg. anteced. Nam qui demonstrationes format sine Lgica, etiāsi in quatuor primis modis syllogizandi id faciat, semper dicitur habere scientiā in statu imperfecto, quia sine Logica non potest ita perspicuè disponere plures materias, & cōclusiones alicuius scientiæ, vt omnes reducat ad primos modos syllogizandi; imò ad hoc officium oportet esse perfectissimè exercitatum in aliqua scientia, & maximè callere præcepta Logicæ, nec similiter potest ab oppositis se defendere perspiciendo defectus, & infirmitatem consequentiarum, quibus impugnatur, aut definitionum, & diuisionum defectus, &c. sine quo quantumuis fiant plures demōstrationes, semper manet in statu infirmo, & imperfecto; ipsa autem Logica, quando primò inuenta est, imperfectè fuit inuenta per lumen naturale, sicut omnes

aliæ artes, deinde ipsa in statu perfecto, sicut iuuat alias, ita etiam iuuat seipsam, & conseruat, & ita non necessaria alia Logica, sed ipsa sibi sufficit.

Secundò arguitur. Nam in ipso lumine naturali est sufficiens virtus ad acquirendam quamcumque demonstrationem seorsum sumptam, nec enim assignari potest aliqua vltima, vltra quam non possit, & illâ acquisitâ non diminuitur virtus naturalis luminis, sed potius augetur, ergo poterit in secundam, & tertiam, & in alias omnes sine Logica, licèt non ita commodè.

Resp. In his argumentis, quæ procedunt à numeratione diuisiua eorum, in quæ aliqua potentia potest ad numerationem completam, & integram, communiter committi fallaciam accidentis, seu defectum appellationis, quia numeratur vnaquæque operatio seorsum,& omittitur modus operandi cum continuatione & extensione vnius ad aliud, & defensione à contrarijs,&c. Et tamen infertur collectio multorum, seu omnium, in qua collectione iste modus continuationis, seu extensionis includitur, quod in potentijs limitatis stare non potest nisi aliunde adiuuentur,licet enim non diminuatur virtus intellectus ex vna demonstratione facta, tamen propter limitationem suam non potest omnia illa continuare, & ab oppositis defendere,nisi adiuuetur ab aliqua arte: illa ergo numeratio licet videatur fieri copulatiuè per particulam, & dicendo, potest hoc, & potest illud,&c. tamen quoad sensum fit disiunctiuè, quia posse hoc seorsum, & diuisiuè, & aliud seorsum, &c. est idem quod posse hoc, vel illud disiunctiuè, seu diuisiuè; ex numeratione autem disiunctiua non colligitur distributiua. Nec propter hoc assignamus aliquem terminum in singulari, vltra quem non possit seorsim, & diuisiuè, sed in hac numeratione terminus in quem non potest, est tota collectio siuè tota sphæra perfectæ potestatis, in hanc non potest, & in imperfectam, seu diuisiuam potest.

Vltimò arguitur. Logica influit in omnes scientias modum artificiosum procedendi, vt constat ex Philosopho 2. *Metaph.*& D.Tho.*ibi lect.vlt.& 4.Metaph. lect.* 4. ergo se habet vt causa vniuersalis respectu omnium scientiarum; sed causa vniuersalis requiritur simpliciter ad omnem operationem causæ inferioris, sicut deficiente motu cœli deficerent omnes inferiores motus, ergo Logica ad omnem artificialem demõstrationem simpliciter, id est, omnibus modis requiritur: siquæ verò demonstrationes fiunt sine Logica, artificiosæ non erunt, nec vsq; ad prima principia resolutæ.

Resp. Quòd Logica non est causa vniuersalis per se primò, sed tanquam instrumentum coadiuuans agens principale,quod est intellectus,quod de omni arte docet S.Thom. 1.p.q.117.art.1. causa autem vniuersalis instrumentalis non est ita simpliciter necessaria, quod sine ipsa nullus effectus artis fieri possit, præsertim quando tale instrumentũ virtualiter continetur in ipsa causa principali, & ex eius principijs deducitur, vnde loco illius causa principalis potest supplere defectum artis, & facere effectum artis sine arte. Cœlum autem nõ est causa per modũ artis,&instrumenti,sed est causa principalis,& vniuersalis,licèt ab alia superiori mota.

Et quod additur de resolutione in prima principia, *Resp.* Aliquam resolutionem in prima principia,& aliquam bonitatem consequentiæ posse ita esse per se notam, vt sine arte possit attingi,licet sub eo statu imperfecto qui declaratus est, sicut omnes aliæ artes, & scientiæ quando primò fuerunt acquisitæ imperfectum statum habuerunt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Logica sit vera scientia, & ars?

NOn est quod immoremur in explicando quid intelligatur nomine scientiæ, constat enim intelligi *habitum per demonstrationem acquisitum*, & ad demonstrationem inclinantem, demonstratio autem certam, & euidentem probationem alicuius veritatis importat, quæ certitudo, & euidentia licet requirat resolutionem vsque ad prima principia, quæ forte in paucissimis inuenitur,& circa paucas materias;hoc tamen non est ex defectu scientiæ,sed ex defectu scientium, plures enim solùm sciunt sciantiâ imperfectâ, & quasi subalternatâ,quia credunt principia ab alia scientia tradita potiùs, quàm in illa resoluant.

Sit ergo conclusio. *Logica est verè,& propriè scientia, & simul est ars; liberalis tamen.* De hac conclusione vix est qui dubitet,licèt aliqui voluerint Logicam non esse dicendam scientiam, sed modum scientiæ:&D.Thom. illam apertè vocat scientiam 4.*Metaph.lect.*4 *& 1.2.q.57.art.3.ad 3.& art.6.ad* 3.Et similiter vocat artem *in lib.1.Poster.lect.1.& 2.2.q.47.art.2.ad3.* Ac denique *in opusc.70.q.5. art. 1. ad 3.* inquit, *quod illæ inter cæteras scientias dicuntur artes, quæ nõ solum habent cognitionem, quod sed opus aliquod quod est immediatè ipsius rationis, sicut syllogismum & orationem formare, numerare, &c.*

Prima ergo pars conclusionis probatur. Quia Logica est habet actus demõstratiuos,ergo est habitus sciẽtificus. *Consequentia est nota, & antecedens est notius,* quia Logica reducit conclusiones ad prima principia indemonstrabilia, v. g. cùm probat contradictorias non posse esse simul veras ex illo principio *Quodlibet est, vel non est*, ostendit duas contrarias non posse esse simul veras,quia sequeretur duas contradictorias esse simul veras,ostendit syllogismũ in *Darij*, rectè cõcludere,quia perfectè saluatur in illo *Dici de omni*, & sexcenta alia.

Secunda pars eodem modo probatur, quia conuenit illi definitio Artis, quæ dicitur, *Recta ratio operum faciendorum*, vnde requiritur ad materiam artis, quod nõ sit omnino determinata, sed habeat aliquam indifferentiam, alioquin non erit capax regulationis & artis,sicut actus videndi, & audiendi non sunt arte dirigibiles. Secundò requiritur, quod regulatio fiat per certas ac determinatas vias, alioquin si non sint certa &determinata media,sed contingentia,non per artem, sed per prudentiam diriguntur, quæ consilio dirigit, non arte, eò quod non habet certas, & determinatas regulas, sed arbitrarias, & prudentiales,iuxta circunstantias occurrentes, vt docet S. Thom. 2.2. *quæst.* 47. *art. 2. ad* 3. Cadunt autem sub regulatione artis non solùm opera externa, quæ vocãtur factibilia,circa quæ occupantur artes, quæ vocantur Mechanicæ, eò quod opera externa sunt magis seruilia & despotica; sed etiam opera interna, quæ sunt magis libera, & minus seruilia,& ideo artes, quæ illa dirigunt, vocantur artes liberales: in vtrisque actionibus inuenitur materia dirigibilis per certas, ac determinatas regulas, vnde cum Logica tradat certa, & determinata præcepta, & & regulas immutabiles circa constructionem argumentationum, definitionum, & diuisionum, &c. vt in pluribus locis, Summularum ostensum est, manifestè constat, quod Logica habet quidquid requiritur ad rationem artis liberalis, non minùs quàm Rhetorica, vel Arithmetica, & aliæ similes.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Contra primam Partem Conclusionis arguitur. Quia Logica est modus,& instrumentum sciendi;ergo non est scientia: *Antecedens* est commune proloquium:& sumitur ex Aristot. 2. *Metaph. circa finem*, & D.Th. *opusc.70. quæst.5. art.1. ad 2.* vbi dicit, *Logicã non poni sub Philosophia, quasi principalẽ partem, sed vt quoddã reductũ ad eam, prout ministrat speculationi sua instrumenta. Conseq. verò prob.* Quia instrumentum non est eiusdẽ principalitatis cum sua causa, vel effectu, vt patet in serra, & in penicillo, & aliis quæ non sunt eiusdẽ rationis cum re quã faciunt,& agẽte à quo mouẽtur.

Resp. Quod Logica dicitur modus,& instrumentum sciendi quasi obiectiuè, non formaliter;agit enim tanquam de obiecto de modo sciendi,& de instrumentis necessariis ad alias scientias,vt sunt syllogismi, propositiones, &c. & ex parte huius obiecti differt ab aliis scientiis,quia aliæ agunt de rebus,ista de modo sciẽdi. Et quia prius debet cognosci modus sciendi,quàm res, ideò dixit Arist. *Esse absurdum vtrumque simul quærere*; & eodem modo S.Tho. dixit non contineri Logicam princpaliter sub Philosophia, quia non agit de rebus sicut illa,sed de modo cognoscẽdi res,quod est aliquid minus principale. Vnde *respondetur ad consequentiam argumenti.* Quod imprimis Logica non est instrumentum aliarum scientiarum, sed ipsius intellectus, qui vtitur Logica vt instrumento ad alias scientias dirigendas. Et ita solùm sequitur,quod Logica nõ adæquatur intellectui; & deinde non repugnat vnum instrumentũ esse eiusdem rationis cum re effecta, licet non semper sit necessarium,sicut per vnũ martellũ fit aliud.

Secundò arguitur. Quia probabile est Logicam docentem,& vtentem esse eundem habitum, vt *articulo vltimo* dicitur,ergo habitus Logicæ elicit actus opinatiuos,vt patet in Logica vtente,quæ topice, & probabiliter procedit,vt ex D.Th. 4. *Metaph. lect.4. & opusc. 70.* constat. Sed habitus,qui elicit actus opinatiuos non potest esse scientia,ergo Logica non est scientia. *Confir.* Quia ens rationis non potest specificare sciẽtiam realem, cum ens rationis non sit per se cognoscibile, & consequẽter neque per se scibile, nec habet veras causas per quas sciatur,aut passiones quæ de illo sciantur: sed ens rationis est obiectũ formale Logicæ,vt sequẽti articulo dicemus,ergo Logica non est verè scientia.

Resp. de illo argumento esse tractandum infrà *artic. vltimo.* Interim dicimus Logicam,prout vtentem, habere actum opinatiuum non ratione motiui formalis, quia non innititur principiis fallibilibus,& cõtingentibus,sed ratione effectus subsequuti, quia dirigit modum procedendi opinatiuè in disputatione topica & tentatiua, quæ non plenè resolutiua est,vnde habet actum opinatiuum directè potius,quam elicitiuè principaliter. Sic autem non repugnat habitui scientifico habere actum opinatiuum,quasi secundario,& consequutiuè ad regulas topicas & opinatiuas, quas scientificè tradit.

Ad Confir. Respondebitur etiam *art. seq.* vbi ostendemus in ente rationis inueniri sufficiẽtem cognoscibilitatẽ,& veritatem cum connexione necessaria, qualis requiritur ad scientiam,non quia subiectiuè,& trãscendentaliter habeat veritatem,sed quasi obiectiuè.

Vltimo arguit. Ratio artis repugnat scientiæ, ergo altera illarum non cõuenit Logicæ *Anteced. prob.* nam ars agit de singularibus & contingentibus, & est in parte animæ opinatiua,vt dicit S.Thom. *1.2.q.57. articulo 4. ad secundum*, scientia verò est de vniuersalibus, & necessariis, & est in parte demonstratiua: similiter ars procedit modo compositiuo & practico, scientia modo resolutiuo & speculatiuo: vnde S.Thom. 1. *Metaph. lect. 1.* diuidit artem contra rationem speculatiuam, illamque ponit in parte practica intellectus.

Et Confirm. Quia Artes liberales dicuntur artes secundum quandam similitudinem, vt inquit D. Thom. *1.2. quæst. 57. art. 3. ad 3.* ergo Logica non est simpliciter, & propriè ars.

Respondetur. Quod ars dicitur esse de singularibus & contingentibus ex parte applicationis ad opus, non ex parte regularum,quibus dirigit; illæ enim sunt certæ & determinatæ, & in vniuersali, vnde & ars numeratur inter virtutes intellectuales 1.2. *quæst. 57.* quæ tamen non versantur circa verum contingens, sed circa necessarium, cui non potest subesse falsum, alioquin virtutes non essent, vt docet S. Thom. 6. *Ethic. lect. 5.* Dicitur autem ars esse in parte animæ opinatiua, vel propter artes mechanicas, vel propter applicationem ad opus, non verò ex parte directionis, & regulationis, qua ratione ars est virtus intellectualis, quæ nonconuenit habitui opinatiuo. Nec denique est de ratione artis, quod procedat modo compositiuo & practico, sed quando eius opus est speculatio, dirigit non componendo, sed resoluendo, vt infra amplius declarabitur. Directio enim artis potest tradi etiam modo resolutiuo, quando est circa speculationem. Et quando S. Thom. diuidit artem contra rationem speculatiuam, non loquitur de arte liberali, sed de illa, quæ ita est ars, quod non est scientia.

Ad Confirm. dicitur, Quod artes liberales dicuntur artes similitudinariè ex parte materiæ dirigibilis, non ex parte rationis dirigentis;cum enim materia artis liberalis sit opus internum, & rationis, quod minus est seruile, minus subiicitur imperio, & directioni artis, quàm opus artis mechanicæ, quod totaliter est opus seruile,ex parte tamen regulæ dirigentis vniuocè conueniunt ars liberalis,& mechanica, & tamẽ quidquid sit de hoc, cum non dicamus Logicam esse artem quomodocumque, sed liberalem,habet rationem artis, solum eo modo, quo conuenit liberalibus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm obiectum formale & adæquatum Logicæ sit ens rationis, quod est secunda intentio.

Dvo præsupponenda sunt, quæ ad alium quidem locum exactius pertinent, sed pro præsenti difficultate breuiter oportet libare. PRIMVM est, dari entia rationis, de quo *seq. q.* agendum est, & intelligimus nomine entis rationis id quod in se, & semota consideratione intellectus non potest existere, potest tamen per intellectum considerari, multa enim nos considerare, quæ non sunt, notius est, quam vt egeat probatione,sed quia omnia considerat intellectus, ad modum entis,ideo ea quæ considerantur, & non sunt, dicuntur entia rationis, & aliquando tale ens rationis est purè fictum, vt quando imaginamur aliquid, fingendo illud sine aliquo fundamento in re, vt quando formo chimæram, montem aureum,& similia: aliquando verò non est purè fictum, sed fundamentum habet in aliquo ente reali quod tali modo est cognoscibile, vt ad ipsum modum cognoscendi aliquid illi attribuatur, vel consequatur, quod tamen in re non est,vt quando cognosco Deum relatiuè ad creaturas, vel cognosco tenebras ad modum formæ afficientis aërem, cum in re non sit forma, sed carentia formæ, & quæ primo modo finguntur, vocantur entia rationis ratiocinantis; quæ secundo modo, dicuntur rationis ratiocinatæ, id est, fundata in re cognita.

Secundum quod præsupponimus est. Quid intelligamus nomine obiecti formalis; & dicitur formale obiectum illa formalitas, seu ratio, vel determinatio; mediante qua aliquid habet attingi ab aliquo habitu, vel

potentia;

potentia, constat enim in his, quæ sunt obiecta alicuius habitus, vel potentiæ, & dari rem quæ attingitur, & rationem seu determinationem ratione cuius attingitur, imò & plures formalitates possunt requiri, vt aliquid attingatur, quarum vna determinat aliam, & respectu eius, quod determinat, vocatur formale illius, & ratio ista formalis solet vocari ratio, quæ attingitur, seu ratio attingendi, & si sit vltima à qua cætera determinãtur, dicitur etiam ratio sub qua, quia sub illa reliquæ continentur. Exemplum est in visu, videmus enim lapidem tanquam rem visam, & obiectum materiale, sed ratione coloris, quæ est ratio ob quam lapis potiùs pertinet ad visum, quàm ad tactum, vel ad alium sensum. Et rursum color determinatur, & formatur à luce, ratione cuius vltimò constituitur obiectum in ratione visibilis. Quare quando inquirimus an ens rationis sit obiectum formale Logicę, est idem, atque inquirere, an omnes res, & materiæ, quę à Logica tractantur, & diriguntur, pertineant ad Logicam ratione alicuius, quod sit ens reale, vel rationis? Et si est ens rationis, quodnam illud sit?

His positis duo in hac parte sunt certa, & in vno est totũ difficultatis pondus. *Primò est certum*, & extra cõtrouersiam Logicam agere saltem de aliquibus entibus rationis, quæ inueniũtur, & attribuuntur rebus cognitis, & vocibus, quibus Logica vtitur tanquam instrumentis, v.g. ratio generis, & speciei, ratio prædicati & subiecti, & similium aliarum intentionum. *Secundò est certum* non agere Logicam de omni ente rationis in tota sua latitudine sicut de priuationibus, & negationibus, & alijs quæ sunt omnino ficta, sed solum agere de illis relationibus, quæ fundantur in rebus in quantum sunt ordinatæ, & cognitæ per rationem, & vocantur intentiones Logicæ, vnde istæ intentiones Logicæ, & respiciunt conceptus obiectiuos, & cõceptus formales, & voces, sed diuersimodè, nam ad res cognitas pertinent vt ad fundamenta, in quibus fundantur, & quæ denominant, sicut animal cognitũ denominatur genus, & homo species; ad conceptus verò formales, & actus intellectus tanquam ad operationes, quibus istæ intentiones formãtur, & ex attingẽtia obiectorum, quibus istæ intentiones conueniunt, dicuntur etiam operationes rationis rectè, & ordinatè procedere. Ad voces autem pertinent, vt ad instrumenta exterius exprimentia conceptus sic, vel sic ordinatos.

Quidam ergo attendentes ad res cognitas in quibus fundantur illæ intentiones rationis simpliciter Dicunt obiectum formale Logicæ esse ens rationis, quod est secunda intentio, quia solùm ratione illius tales res spectant ad Logicam. *Hæc communis est apud Thomistas.* Vide *in cursu Carm. dis.* 1.q.2. *Alij* attendentes ad voces, & ad conceptus, Dicunt Logicam prout respicit voces significatiuas agere de intẽtionibus secundis, prout verò respicit operationes intellectus agere de aliquo reali. Vide *Doctor. Martinez quæst.* 4 *proœm. Alij* denique attendentes ad solas operationes intellectus, quas primò, & per se dirigit Logica, simpliciter Dicunt agere de aliquo reali. Vide *Fons.* 2.*Met.c.*3.*q.*1.*sect.*5 *Suarez in Met. dis.*54.*M. Cabero tract.*1.*disp.*1.*dub.*2. Ergo punctũ difficultatis est, quid formalius ex omnibus istis sit respectu Logicæ, an conceptus obiectiui sub ratione intentionum, quas fundant, an cõceptus formales, vel voces sub directione, quam habent à Logica, & an hæc sit aliquid reale.

RESOLVTIO IVXTA MENTEM SANCTI THOMÆ.

SIt vnica conclusio: *Materia dirigibilis à Logica tanquam operatio est aliquid reale: Materia denominabilis ab artificio Logico, tanquam obiectum, seu res cognita est quodcunque cognoscibile per illas operationes intellectus, siuè sit reale, siuè rationis, Forma verò tam respectu operationis dirigibilis, quàm respectu rei cognitæ, sub qua pertinent ad Logicam, est aliquid rationis, non purè fictum, sed habens fundamentum in rebus, tanquam secunda intentio.*

Hæc conclusio quantum ad vnum est communiter recepta, scilicet quod id quod resultat ex directione Logicæ in rebus cognitis est aliquid rationis, licet alij solum appellent illud denominationem extrinsecam. Quod statim ostendemus esse falsum, & vberius *quæstione sequenti*. In alio verò est varietas apud Authores, quia aliqui existimant has intentiones sic resultantes non esse formale obiectum Logicæ, sed solùm ipsas operationes intellectus quas dirigit. Quid autem illa directio addat supra conceptus, si est aliquid reale, ferè nulli explicant.

Quare præcipuum quod a nobis explicandum est in eo consistit, quod nulla forma inducatur à Logica, & per se respiciatur ab illa, quæ sit realis, sed solùm secunda intentio rationis. Et pro mente Diui Thomæ ponderari possunt inter alia tria loca Primum est in *Prœm. Ethic.* vbi inquit: *Quod ordo quadrupliciter ad rationem comparatur, est enim quidam ordo quem ratio non facit, sed solùm considerat, sicut est ordo rerum naturalium. Alius autem est ordo quem ratio considerando facit in proprio actu puta cùm ordinat conceptus suos ad inuicem, & signa conceptuum, quæ sunt voces significatiuæ. Tertius autem ordo est, quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus ordo est, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa, sicut in arca, & domo. Ordo quem ratio considerat, sed non facit pertinet ad Philosophiam naturalem; ordo quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem Philosophiam* (illa est Logica) *ordo autem actionum voluntatis, pertinet ad considerationem moralis Philosophiæ, ordo autem quem ratio considerando facit in rebus exterioribus, pertinet ad artes mechanicas.* Ecce ponit D. Thomas pro obiecto rationalis Philosophiæ, seu Logicæ ordinem quem ratio considerando facit in suo conceptu, qui ordo non est ipsa realitas conceptus, nec relatio realis illis superueniens, sed intentio consideratione ipsa facta, & formata.

Secundus locus est 1. *Poster. lect.* 20. vbi inquit: *Quod quia circa omnia quæ sunt, habet negotiari ratio Logica autem est de operationibus rationis, Logica etiam, erit de his quæ communia sunt omnibus, id est, de intentionibus, rationis quæ ad omnes res se habent.* Et denique clarissimè in 4. *Metap. lect.* 4. *Ens, inquit, est duplex, scilicet ens rationis, & ens naturæ: ens autem rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, & speciei, & similium, quæ quidem non inueniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur; & huiusmodi scilicet ens rationis, est propriè subiectum Logicæ.*

Respondent Aliqui D. Th. loqui de obiecto per accidens, vel si loquitur de obiecto per se, sumit ens rationis pro ipso opere rationis, quatenus habet artificium dialecticum. Sed contra. Nam dicit S. Doctor, quod tale ens rationis est propriè subiectum Logicæ, ergo non loquitur de obiecto per accidens, seu materiali, de hoc enim statim subdit, quod est omne ens naturæ, vt subijcitur intelligibilibus intentionibus. Itẽ dicit, quòd illæ intentiones de quibus agit Logicus non inueniuntur in rerum natura, actus autem intellectus inueniuntur in rerum natura, ergo frustra explicatur D. Thom. de opere intellectus, vt habente artificium rationis, nisi ipsum artificium dicatur ens rationis; & sic habemus intentum, quia illud artificium est formale, ratione cuius ille actus consideratur, à Lo-

Logica. Si autem illud artificium non est ens rationis, sed inuenitur in rerum natura non est intentio considerata à Logica.

Alij respondent, loqui S. Tho. de ente rationis, id est, de denominatione extrinseca, quæ est obiectum formale Logicæ. *Sed contra est*, Quia dicit D. Thom. Logicam agere de intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus consideratis, & quæ non inueniuntur in rerum natura. Illæ autem denominationes extrinsecæ, vel inueniuntur in rerum natura, quatenus extrinsecæ sunt, & sic de illis non agit Logica, vel non inueniuntur, sed formantur à ratione, & sic sunt ens rationis, quod nos dicimus.

Denique alij dicunt, S. Thom. loqui de vocibus significatiuis, de quibus tanquam de mediis, seu instrumentis agit Logicus, & intentiones istarum sunt aliquid rationis. Sed oppositum manifestè docet S. Thom. Quia loquitur de intentionibus, quæ sequuntur ipsas operationes intellectus, & ratio facit in proprio actu, siue adinuenit in rebus consideratis, vt patet in *loco Metaph. & Ethic. suprà citatis, & opusc. 42. c. 4.* ergo non loquitur solùm de intentionibus vocum, sed etiam de intentionibus rerum cognitarum, vt sunt genus, species, &c. vel quæ attribuuntur ipsis operationibus propriis intellectus. Quare de mente S. Thom. non potest dubitari, quod pro formali obiecto Logicæ ponit ens rationis, sicut etiam pro materiali ponit ipsas res cognitas, & conceptus ordinatos, vt patet in *locis citatis, & opusc. 56. & opusc. 70. qu. vlt. art. 1. ad 3. & 1. Post. lect.* 1.

Fundamentum Conclusionis est, Quia omnis realitas, quæ inueniri potest in obiecto Logicæ, vel est actus intellectus, à quo denominantur res cognitæ, vel est res intellecta, & repræsentata, vel aliquid reale superadditum, & accrescens conceptibus ex ordinatione Logicæ. Duo prima secundum suam realitatem solùm pertinent ad obiectum materiale Logicæ, quia de rebus cognitis, vt res sunt, agunt scientiæ reales, & de conceptibus etiam vt sunt reales perfectiones intellectus, agit Philosophia, solum ergo de illis quatenus ordinatis artificioso modo formaliter agit Logica, & hoc quod accrescit ex ordinatione Logicæ, vel est sola denominatio extrinseca, qua res redduntur cognitæ, & hoc naturaliter ad cognitionem consequitur: non autem est aliquid artificiosum, quod per se respicit Logica, quia est ars scientifica. Debet ergo esse aliquod artificium conueniens obiectis non in re, sed vt cognitis, & si conuenit rebus, vt cognitis, constat esse aliquid rationis, quia conuenit illis non vt sunt in re, sed vt sunt cognitæ, neque enim inuenitur in re relatio generis, aut speciei, &c.

Quod verò accrescit ipsis actibus intellectus, vt ordinatis per Logicam non potest esse aliud, quam realis tendentia, vel ordo ad obiecta cognita, & ordinata per intentiones Logicas, nam quidquid aliud in conceptu ponatur præter ordinem istum ad obiecta sic ordinata, non est aliquid reale, & ex hoc illi conceptus, & actus dicuntur ordinati à Logica, quia versatur circa obiecta cognita, quæ sic ordinata sunt, sicut conceptus non dicitur genus, vel species, aut prædicatum aut subiectum, nisi quia attingit rem, quæ est genus vel species, aut prædicatum, &c. ista autem tendentia, & repræsentatio circa obiecta sic intentionata sine dubio realis forma & perfectio est, sicut etiam ipse habitus scientiæ, qui eadem obiecta respicit, realis qualitas, & scientia est, sed non est id quod per se & formaliter respicitur à Logica, tum quia isti actus, & conceptus non dicuntur ordinati, nisi quia obiecta circa quæ versantur ordinata sunt, atque adeò & ordinatio in ipsis rebus cognitis est aliquid rationis etiam denominatio ab illa proueniens in actus, non addit nouam realitatem. Tum etiam quia hoc ipso quod Logica proponit aliis scientiis conceptus obiectiuos per intentiones Logicas ordinatos, sine alio influxu reali illas dirigit, sicut aliæ artes architectonicæ, quæ dirigunt inferiores, non habent pro obiecto formali actus inferiorum artium quas dirigunt, sed obiectum quod respiciunt, per cuius propositionem redduntur aliæ inferiores artes directæ, quomodò etiam lumen superius Angeli illuminantis inferiorem, explicando & proponendo obiectum, ipsum illuminat, vt colligitur ex D. Thom. *de verit. q. 9. art. 1. ad 2.* Vnde obiectum formale talis luminis superioris non est actus inferioris, qui illuminatur, sed ipsum obiectum, quo proposito inferior illuminatur. Similiter cum Logica reliquas scientias ordinet, & illuminet quantum ad modum artificiosum discurrendi, non habebit pro obiecto formali ipsos actus aliarum scientiarum ratione tendentiæ, & ordinis realis ad obiecta sua ordinata, sed illud quod in obiecto cognito speculatur Logica, & aliis scientiis proponit sequendum, id erit obiectum formale ipsius, quæ vtique ordinatio obiectorum secunda intentio est.

Respondent Aliqui Logicam solum respicere per se collocationem, & dispositionem conceptuum, vt vnum sit prædicatum, aliud subiectum, &c. quod verò ex hac collocatione resultet aliquid rationis, non per se attenditur à Logica. Alij quod Logica dirigit intellectum, vt eliciat actus, qui postea habent pro obiecto aliquid ordinatum secundum intentiones Logicas, & ita obiectum immediatum Logicæ sunt isti actus, sed obiecta istorum actuum erit aliquid rationis in quantum sunt ordinata, sed hoc est obiectum remotum. Alij Denique quod quia operationes intellectus realiter perficiuntur per Logicam, aliàs non esset perfectior in discurrendo Logicus quam rusticus, ideo habet aliquam perfectionem realem pro obiecto.

Sed contra primam solutionem est, Quia collocatio & dispositio conceptuum non est collocatio aliqua situalis, sicut lapides in domo, sed est repræsentatio & tendentia ad res rectè collocatas, & ordinatas inter se, neque enim conceptus dicuntur ordinati quasi entitatiuè, sed quasi repræsentatiuè, & respectu obiectorum circa quæ versantur, ergo principaliter respicit Logica ordinationem obiectorum, formalem autem tendentiam & repræsentationem conceptuum, vt medium attingendi ista obiecta ordinata.

Contra secundam autem solutionem est, quod Logica non docet elicere quantum ad suam entitatem, sed vt artificiosè disponantur, & quia dispositio artificiosa non aliter inuenitur in actibus, nisi in quantum attingunt obiecta ordinata & disposita, idem est dirigere Logicam intellectum, vt eliciat actus suos artificiosè, quod obiecta ipsa ordinata proponere, circa quæ actus scientiarum eliciantur, atque adeò primò, & per se Logica attingit intentiones secundas, quibus obiecta ipsa formaliter dicuntur ordinata.

Tertia denique solutio non est ad rem, non enim dubitamus, quod attingentia obiecti in quantum rectè ordinatum est, est realis perfectio cognitionis & scientiæ, sed non est illa formale obiectum Logicæ, sed est medium quo attinguntur obiecta ordinata à Logica, sicut cognoscere entia rationis vt priuationes vel denominationes rationis, quæ in aliqua moralitate consistunt, vt contractus, dignitates, & similia, perfectio realis est ex parte cognitionis, sed obiectum per illam attactum non est realis perfectio, sic etiam in scientiis attingentia obiecti ordinati à Logica realis perfectio est, sed ipsa ordinatio obiecti non est aliquid reale, sed secunda intentio.

Sed inquires duo? Primum: Vtrum secunda intentio sit formale obiectum Logicæ tanquam ratio sub qua, vel tanqua m ratio quæ attingitur. Resp. esse rationem formalem quæ attingitur, nam de secundis intentionibus demonstrantur multæ passiones in Logica, sicut de Vniuersali prædicabilitas, ergo est res cognita per scientiam Logicæ, & consequenter pertinet ad rationem quæ cognoscitur. Vnde D. Thom. appellat istas intentiones subiectum Logicæ in 4. *Met. lect.* 4. constat autem quod subiectum est res quæ cognoscitur. Ratio autem sub qua, sicut in alijs scientijs sumitur secundum abstractionem à materia quæ præstat modũ intelligibilitatis sub quo res diuersimodè potest cognosci secundum quod diuersimodè abstrahitur à materia, vt latiùs in *Phil.* tradetur, & in *vlt. q. Post.* Obiectum autem Logicæ, quod est ens rationis habet abstractionem similem abstractioni Metaphysicæ, id est, ab omni materia, non per depurationem actualitatis ab illa, sed per negationem omnis materiæ.

Secundum est. Inter obiecta, de quibus agit Logica, quodnam est obiectum principalitatis? Resp. Quod syllogismus qui fit per tertiã operationem est principale obiectum Logicæ, & inter syllogismos ratione materiæ principalior est demonstratio. RATIO EST MANIFESTA. Quia vt docet S. Thom. 1. *Perih. lect.* 1. & 1. *Poster. lect.* 1. Omnes tres operationes intellectus ita se habent, quod prima & secunda ordinantur ad tertiam vt ad principalem, in qua perficitur ratiocinatio, & discursus, qui rectè disponitur per syllogismum, & certò ac firmiter resoluitur per demonstrationem. Cùm ergo scientia Logicæ propriè, & essentialiter sit directiua rationis, illud est principale obiectum, vbi principalius inuenitur ratiocinatio & discursus cum certitudine, & sine errore. Cõtingit autem error, vel ex defectu formæ vel ex contingentia materiæ; ergo principale obiectum ex parte formæ est syllogismus rectè dispositus: principale autem ex parte materiæ est demonstratio, in qua inuenitur processus rationis sine errore tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ. De his tamen, quæ pertinent ad alias secũdas operationes etiam per se agit Logica, licèt minùs principaliter, vt in 1. q. *Summ. art.* 1. ostendimus.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

PRIMÒ ARGVITVR: Ens rationis non potest esse obiectum scientiæ primò & per se, ergo falsa est conclusio. ANTECEDNES PROB. tum quia ens rationis non est per se, & formaliter cognoscibile, quia non est per se ens, & ita per se non fundat cognoscibilitatem, ergo neque per se est scibile. TVM quia non habet passiones, de quibus agat, cùm nihil causet; neque causas per quas sciatur, cùm non causetur, ergo de tali ente rationis directè, & per se non datur scientia.

RESP. Quod de ente rationis, quòd nullum habet fundamentum neque ordinem ad ens reale nulla datur scientia, sicut de chymæra, & alijs similibus. De ente autem rationis, quod habet fundamentum in re, vel ordinem ad ens reale potest dari scientia per se, sicut de priuationibus agitur in scientijs, & in Philosophia vnum ex principijs naturalibus est priuatio, & de relationibus, & distinctionibus rationis multa agunt Theologi.

Et ad replicam. per se non est ens, ergo per se non est scibile; *Dist. consequens*; per se *quasi subiectiuè* non est scibile, *transeat*; per se *quasi obiectiue, nego.* Vt autem aliquid sit simpliciter, & vniuocè scibile, sufficit, quòd per se obiectiuè sit attingibile à potentia secundum quod obiectum fundat necessariam connexionem; sicut etiam aliquid potest dici possibile dupliciter, vel intrinsecè, & per potentialitatem, quam subiectiuè habet, vel extrinsecè, quia obiectiuè se habet ad potentiam affectiuam, vt docet S. Th. 1. *p. q.* 9. *art.* 2. Et tamen vtrumque est simpliciter & vniuocè possibile. Sic potest esse aliquid scibile, vel ratione intrinsecæ entitatis, quæ est subiectum cognoscibilitatis, vel quia obiectiuè potest cognoscibilitatem habere respectu intellectus cum fundamento in re. Et hoc sufficit vt per se, id est, simpliciter & vniuocè sit cognoscibile; & sic explicat S. Thom. 7. *Met. lect.* 4. Philosoph. dicentem quod non scibile est scibile secundum quid, id est, inquit D. Thom. *per posterius, quia de non scibili, hoc scire possumus, quod non scitur, sic & de non ente quia non est. Et ad secundam probat. dicitur:* Quod ens rationis non habet passiones realiter causatas, vel causas reales, & efficientes sui, habet tamen fundamentales, & formales, quæ fundant veram, & nenessariam connexionem, & veritatem, quod est habere quasi causas metaphysicè.

Secundò Arguitur. Logica per se respicit operationes intellectus & dirigendas, sed in istis operationibus accrescit aliqua perfectio realis ex ordinatione Logicæ, ergo aliquid reale habet quod formaliter respiciat pro obiecto. *Mai. manifesta est*, & à D. Thom. sæpius asserta in *locis supra citatis. min. verò prob. Tum* quia perfectior intelligentia, & discursus est in Logico, quàm in rustico nesciente præcepta Logicæ. *Tum* quia proprium demonstrationis est generare scientiam, in quantum demonstratio est rectè disposita, hanc autem dispositionem habet à Logica: *tum denique* quia prudentiæ & reliquæ artes dirigunt actiones suas secũdum rectam moralitatem & artificium, quod totum est aliquid rationis, & tamen quia actiones directæ sunt aliquid reale, dicuntur prudentia & artes habere pro obiecto formali aliquid reale, ergo similiter Logica.

RESP. Supponendo id quod diximus in conclusione, materiam dirigibilem à Logica esse operationes intellectus, quæ artificiosè disponuntur in quantum attingunt obiecta Logicis intentionibus ordinata, & ponendo ista obiecta sic ordinata à Logica, dicuntur reliquæ scientiæ ordinari eliciendo actus, qui versentur circa illa, eo quod in conceptibus & actibus intellectus non ponitur à Logica aliqua ordinatio, quasi entitatiua, sed quasi repræsentatiua, & in ordine ad ipsa obiecta. *Vnde dicitur ad min. argumenti.* Quod licet ordo & tendentia conceptuum ad obiecta rectè ordinata sit aliquid reale; non tamen illa tendentia est obiectum formale Logicæ, sed est id, quo intellectus attingit obiecta ordinata à Logica.

Et ad Primam prob. Dicitur. Quod perfectior est actus intelligendi in Logico, quàm in rustico, in attingendo, & repræsentando melius obiecta ordinata; inde tamen non sequitur, quod formale obiectum Logicæ sit illa repræsentatio, & tendentia cognitionis, sed illa ordinatio obiectorum circa quæ versatur ista cognitio.

Ad secundam probat. Dicitur, quod effectiua, & physica causalitas, qua actus demonstrationis generat scientiam, quæ est habitus, non pertinet per se ad Logicam, sed ad realem scientiam, & hæc effectiua generatio conuenit illi ratione actuum realium, quibus demonstratio constat. Per se autem pertinet ad Logicam considerare in demonstratione rectam dispositionem syllogisticam, & conuenientiam materiæ, scilicet quod propositiones sint necessariæ & per se, & rectè dispositæ, quæ sunt conditiones ex parte obiecti requisitæ, vt processus scientificus ordinetur, non virtus ipsa effectiua scientiæ.

Ad tert. prob. Dicitur in primis circa artes, quæ versantur in exteriori materia, & Logicam, esse manifestam differentiam, quod artes illæ, respiciunt quidem aliquem ordinem ab intellectu efformatum, & factum, & exterius producibilem per potentiam executiuam, v.g. quod ligna disponantur in tali figura, & in tali situ & collocatione, quod totum aliquid reale est in se, licèt dependens à directione rationis effectiuè. Vndè tales effectus artificiosi non dicuntur, aliquid rationis obiectiuè, sed effectiuè, id est, procedunt quidem à ratione, vt ab efficiente, & dirigente eorum productionem, non tamen consistit eorum esse in obiectiua formatione, seu in ipso cognosci obiectiuè. Logica autem respicit ea quæ sunt in obiecto non à ratione mouente ad executionem, sed à ratione, vt purè negotiante circa obiecta cognita.

Similiter est differentia circa prudentiam, & Logicam, licèt prudentia versetur circa agibilia, quæ sunt actus interiores. Nam in prudentia sunt duæ partes, alia quæ versatur circa iudicium de rebus, & consilium, alia quæ versatur circa imperium, & præceptum, seu applicationem circa res iudicatas, & consiliatas. Et quidem actus iudicans, vel consilians non est inconueniens, quòd versetur circa aliquid rationis formaliter, id est circa ipsa obiecta sub moralitate considerata: quatenus à regulis legis, aut recti arbitrij ordinata, quæ ordinatio nihil reale ponit in rebus ipsis in se, sed denominationem rationis, vel relationem quæ tamen non vocatur secunda intentio, quia conueuit rebus, vt cognitis, seb vt appetibilibus, sub regula moris: actus verò imperandi, & præcipiendi, qui est principalis in prudentia, vt docet S. Thom. 2.2. quæst. 47. artic. 8. non respicit directè obiecta ordinando illa, id enim ordinat lex, & ratio, sed directè respicit applicationem voluntatis ad eliciendum actus circa obiecta ordinata, eò quòd in ista applicatione est præcipua difficultas practica, & ideò prudentia in suo principali actu formaliùs respicit elicientiam actuum, qui sunt aliquid reale, quàm ordinationem obiectorum. At Logica non habet actum imperandi, & applicandi voluntatem, vel alias potentias, sed tantum ordinandi obiecta in esse cognita per secundas intentiones, quâ ordinatione facta, vel proposita sine noua difficultate, vel applicatione imperij, ipse intellectus, vel aliæ scientiæ formant actus suos circa obiecta sic ordinata. Vnde formaliter non versatur circa elicientiam actuum, sicut imperium practicum, sed circa ordinationem obiectorum cognitorum.

Vltimò arguitur. Logica habet pro obiecto modum sciendi, scilicet definitionem, diuisionem, &c. hoc enim aliis scientiis præbet, ista autem formaliter sunt actus cognitionis, vt artificiosè dispositi, ergo illi quatenus sic dispositi, sunt obiectum Logicæ, nec ad aliam scientiam pertinent, sic autem aliquid reale sunt, id est actus intellectus.

Confirmatur. Qui etiamsi nulla entia rationis resultent circa obiecta, vel etiam antequam resultent, Logica habet dirigere cognitionem, ergo non versatur formaliter circa ens rationis, vt ens rationis.

Respondetur. Non esse dubium, quod actus rationis, quibus formatur definitio, & diuisio, cæteráque Logicæ instrumenta, sunt reales entitates, quæ habent ordinem naturalis repræsentationis, & tendentiæ ad obiecta, super quam tēdentiā nihil addit actibus Logica, vt ordinati dicantur, sed tota eius difficultas est circa obiecta cognita, vt ordinata sint, quę ordinatio in obiectis est aliquid rationis. Circa elicientiam verò actus erga hæc obiecta non est aliqua difficultas à Logica vincenda, sed tantum naturalis repræsentatio producenda ab intellectu. Itaque sunt actus reales ex parte tendentiæ ad obiecta, & repræsentationis, concedo; ex parte obiectorum, quę per intentionem rationis ordinantur, nego. Et hoc formaliter pertinet ad Logicam, licèt id quo tale obiectum attingitur conceptus, & actus realis esse debeat.

Nec potest dici, Quod solum in connotato respicit Logica illud artificium, formaliter verò & directè actus. Quia formalis ratio propter quam illi actus pertinent ad Logicam est illud artificium, cùm ratione illius pertineant isti actus ad artem, & non ratione suæ entitatis realis, quæ subiicitur isti artificio, quatenus repræsentatiuè respicit illud in obiecto ordinato, quia sic sunt aliquid naturale, & considerantur à scientia naturali Philosophiæ.

Ad confirmationem respondetur. Quod etiamsi non resultarent entia rationis formaliter, & secundum existentiam obiectiuam, adhuc daretur Logica, quæ illarum rationes consideraret, saltem ex parte sui fundamenti. Si autem nec formaliter, nec fundamentaliter darentur tales intentiones, non daretur Logica. Sicut etiam in opposita sententia, si non essent denominationes extrinsecæ, vel dirigibilitas artificiosa, & realis ipsorum actuum, non esset Logica, quæ solùm versatur circa illam: de facto tamen hoc ipso, quod Logica dirigat artificiosè actus suos, resultat in obiectis ordinatis secunda intentio, quia vt seq. quæst. dicemus, art.4. ex D.Thom. ex ipso modo intelligendi vnum in ordine ad aliud, resultat relatio rationis.

Quando autem dicit D. Thom. 1. Posterior. lect. 1. versari Logicam circa actus rationis dirigendos, sicut ars fabrilis circa actiones manus, sensus manifestus est, quod versatur circa actus rationis, sicut circa materiam dirigendam supponendo tamen formam artificiosam tanquam rationem formalem istius directionis, quæ, vt dictum est tenet se ex parte obiecti circa quod versatur actus rationis, sicut obiectum formale artis fabrilis non sunt actiones manus, sed res factæ per manus.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Logica sit scientia speculatiua, vel practica.

MVlta solent in præsenti tradi ab Authoribus circa differentiam practici, & speculatiui, & quid sit praxis, & vtrùm inueniatur solùm extra intellectum, vel etiam in intellectu, quæ omnia huius loci non sunt, sed solùm, vt titulus quæstionis intelligatur, sufficit notare communem differentiam inter practicum, & speculatiuum, quæ sumitur ex Philosop. in 3. de Anima, lect. 15. apud D. Th. & 2. Met. lect. 2. & 1. p. q. 79. art. 11. & q. 14. art. 16. Et consistit in hoc quod speculatiuum respicit veritatem, vt sciatur; practicum verò, vt fiat, & executioni mandetur in opere. Sed cùm ipsa veritatis cognitio sit etiam quoddā opus, & rursus quodlibet opus sit etiam aliqua veritas, oportet valde formaliter inter hæc distinguere, non enim practicum dicitur, quod efficit quomodocumque opus seu elicit operationem, sed quod dirigit ad opus, & illud per regulas ordinat, & habet pro fine, ita quod non solum sit operatio elicita, sed etiam obiectum, seu materia quæ in sui executione, & vt efficiatur, regulis directionis ad faciendum indigeat, & non solùm regulis ad sciendum, semper enim sciri, & fieri distinguntur in speculatiuo, & practico. Nec speculatiuum dicitur quod cognoscit quomodocumque veritatem, sed

ſed quod tantum intendit cognoſcere, non vero vlterius facere, nec dirigit, vt faciat, ſed vt ſciat, & vt ignorantiam effugiat. Vndè vt ſit ſpeculatiuum requiritur, quod vel materia eius operabilis non ſit, ſicut qui conſiderat Deum, & Angelum, aut cœlum, &c. Vel ſi ſit operabile, non vt operabile, ſed vt ſcibile, & tanquam verum quoddam attingatur. Vt autem ſit practicum requiritur, vt materia ſit operabilis, & vt modo operabili attingatur. Vndè Philoſophus cùm diſtinguit practicum, & ſpeculatiuum ex fine non loquitur de fine ſolùm ex parte intelligentis, & operantis actualiter, ſed ex fine intento ex vi ipſorum principiorum, & regularum, quibus vtitur aliqua ſcientia; ſi enim ſunt principia ſolùm manifeſtantia veritatem, & quaſi illuminantia, & fugantia ignorantiam, ſpeculatiuè procedunt: ſi autem non ſolùm manifeſtant veritatem, ſed dirigunt ad hoc vt fiat, & conſtituatur in eſſe, ſunt practica, & ordinant praxim, intelligendo nomine *praxis*, generaliter obiectum practicæ cognitionis. Vndè principia ſpeculatiua dicuntur reſolutiua, quia ſolùm reſpiciunt veritatem, vt reſoluitur cognoſcibiliter in ſua principia: principia autem practica dicuntur compopoſitiua, quia reſpiciunt veritatem, ſeu entitatem, vt ponendam in eſſe. De quo videatur Sanctus Thomas, 2. Metaph. lect. 2.

Igitur in præſenti, quando inquirimus: An Logica ſit practica, vel ſpeculatiua, punctus difficultatis ad hoc reducitur, An principia formalia, quibus Logica procedit, ita reſpiciant veritatem, quam tractat, vt purè reſolutiuè procedant in ordine ad ſciendum, an modo compoſitiuo vltimatè ordinentur ad aliquod opus exercendum, & faciendum præter ipſum ſcire, ita quod non ſit ſola ſpeculatio veritatis, ſed etiam praxis, vel potius an ipſa ordinatio ad ſciendum, practica eſſe poſſit.

Et in hoc diuiduntur Authores in tres præcipuas opiniones.

Quidam ſimpliciter practicam exiſtimant Logicam, quia licèt multa ſpeculetur, omnia tamen ordinat ad opus, ſcilicèt ad rectam conſtructionem ſyllogiſmi, & ita deſignat hæc ſententia pro materia practicabili operationes intellectus, pro principijs autem practicis regulas, ſeu præcepta, quibus non ſolùm docet in vniuerſali, quæ ſit natura ſyllogiſmi, ſed in particulari quomodo ſit conſtruendus. De qua ſententia videatur Fonſ. 2. Metaph. cap. 3. quæſt. 2. ſect. 3. Conimb. quæſt. 4. procem. artic. 5.

Alij ſimpliciter faciunt ſpeculatiuam è contrario fundamento, vel quia exiſtimant nullum actum intellectus eſſe praxim, vel quia etſi fateantur actum intellectus, vt ſubditur voluntati poſſe eſſe praxim, non tamen vt purè reſpicit obiectum ſub ratione cognoſcibilis; Logica autem non dirigit immediatè ipſos conceptus entitatiuè, ſed obiecta, quæ ſic ordinat, & diſponit ſicut requiritur ad debitam ſpeculationem. Eſt communis Thomiſtarum. Videatur Magiſter Sotus hìc quæſt. 4. Sanchez quæſt. 16. Cur. Carmel. quæſt. 6. procem.

Alij denique exiſtimant ſimul eſſe practicam, & ſpeculatiuam, quia rationem ſpeculatiui, & practici dicunt eſſe accidentales differentias in ſcientijs, vel ſaltem eſſe habitum duplicem partialem in Logica, quorum vnus ſit ſpeculatiuus, alter practicus. Ita Pater Vazquez 1. part. diſput. 8. capit. 1. Magiſter Cabero, diſputat. 3. dubio 3. Martinez, quæſt. 3. & alij.

Nihilominus dicendum eſt primò, non poſſe vnicam ſcientiam naturalis ordinis ſimul eſſe practicam, & ſpeculatiuam, & conſequenter neque Logicam. Sumitur hæc concluſio ex D. Thom. 1. p. quæſt. 1. artic. 4. vbi fatetur practicum, & ſpeculatiuum in ſcientijs philoſophicis aliam atque aliam ſcientiam conſtituere, quod eſt ſignum diuerſitatis eſſentialis. Et ſimiliter in 6. Ethic. lect. 2. & 3. & 1. 2. q. 57. diſtinguit tanquam virtutes eſſentialiter diuerſas ſcientiam, & ſapientiam, ab arte & prudentia, quia illæ ſunt ſpeculatiuæ, illæ practicæ. Et videri etiam poteſt in opuſc. 90. quæſt. 5. artic. 11.

Et ratio eſt. Quia diſtinctio ſpecifica habituum ſumitur ex obiecto formali, in ſcientijs autem formalis diuerſitas obiectorum reducitur ad diuerſa principia, ex quibus proceditur circa vnum obiectum, vel circa aliud, vt ex Philoſopho oſtendit S. Thom. 1. Poſter. lection. 41. *Sicut*, inquit, *formalis ratio viſibilis ſumitur ex lumine, per quod color videtur, ita formalis ratio ſcibilis ſumitur ſecundum principia ex quibus aliquid ſcitur*: practicum autem, & ſpeculatiuum exigunt diuerſa principia in ipſa formali ratione, cognoſcere, ſiquidem principia ſpecifica procedunt modo reſolutorio, & ſolùm tendunt ad manifeſtandum veritatem ſecundum connexionem, & dependentiam à principijs formalibus talis veritatis: principia autem practica, neque reſoluunt, neque illuminant veritatem quantum ad ſua formalia principia, & quidditatem quaſi abſtrahendo ab exiſtentia; ſed applicant, & ordinant illam ad ponendum in eſſe, & ita procedunt modo compoſitiuo, vndè ſpeculatiuum reſpicit cauſas veritatis abſtractè, & in ſe, practicum autem concretè, & in opere, non abſtrahendo ab exiſtentia. Numquam ergo principia ſunt ſpeculatiua, niſi, quia diſtiguntur à practicis illiſque opponuntur, quia oppoſito modo procedunt, quia non ſunt applicatiua ad opus. Et ſic magis diſtant in ratione cognoſcendi, & illuminandi principia practica, & ſpeculatiua, quàm duo ſpeculatiua, quę diuerſas ſpecies ſcientiæ conſtituunt, quod ſi ſemel diuerſas ſpecies conſtituunt ſecundum ſe, non poſſunt inadæquatè, & vt partes concurrere ad aliam tertiam ſpeciem conſtituendam, quæ ſimul ſit practica, & ſpeculatiua etiam inadæquatè, vt dicunt aliqui, ſicut non poteſt vnica ſcientia duas ſpecies ſcientiæ diuerſas advnare, verbi gratia, quod ſimul ſit Mathematica, & Metaphyſica, aut quid ſimile, quia repugnat differentias ſpecifias, cùm ſint oppoſitæ, vniri inadæquatè ad vnum tertium conſtituendum, niſi earum oppoſitio, & differentia tollatur in aliqua eminentiori forma, vt ſtatim dicam. Nunc autem ſolùm loquimur de ſcientijs ordinis inferioris.

Quomodo autem in Theologia, & alijs habitibus ſupernaturalibus advnetur ratio practici, & ſpeculatiui, vt docet D. Tho. 1. part. quæſt. 1. art. 4. & 2. 2. quæſt. 8. articul. 2. & quæſt. 45. artic. 3. alterius negotij eſt.

Breuiter dicimus, non vniri in iſtis habitibus rationem practici, & ſpeculatiui inferioris ordinis, prout reperitur in ipſis inferioribus, quia hæc ſemper ſpecie diſtinguntur, ſicut vegetatiuum, prout inuenitur in planta, & in bruto, nunquam vniuntur in aliqua forma, neque vllæ ſpecificæ differentiæ vniri poſſunt in illo ordine in quo ſunt differentiæ ſpecificæ, id enim implicat, cum hoc ipſo, quod ſunt differentiæ ſpecificæ ſint oppoſitæ, & ſi ſunt oppoſitæ repugnat in vnum advnari, ſed vniri poſſunt in aliquo ſuperioris ordinis in quo forma eminentior vnico modo ſuperiori exercet ea, quę plures formę inferiores diuerſo, & oppoſito modo exercent. Aliud eſt de gradibus, ſeu prædicatis ſuperioribus, & inferioribus, vt ſenſitiuo vegetatiuo, &c. qui vniuntur in aliqua forma contracta, vt in homine; ſed iſti gradus non ſunt oppoſiti ſicut ſpecies, vel differentiæ ſpecificæ, ſed ſe habent, vt ſuperius, & inferius prædicatum, quorum vnum contrahit aliud, & non ei repugnat. Conſiſtit autem iſta ratio ſuperior ſcientiæ in qua practicum, & ſpeculatiuum vniuntur in eo quod iſtæ ſcientiæ ſupernaturales attingunt

Deum

Deum secundum quod est in se: in ipso autem Deo idem est principium propriæ speculationis, & practicæ ordinationis, quia ita est veritas necessaria in se, quod etiam est regula contingentium, & ita simplici modo vnit principia speculationis, & praxis, quia non contingit in alijs luminibus, quod non possunt vnica manifestatione simul manifestare rem seundum principia necessaria, & secundum contingentia, secundum resolutionem in principia veritatis, & secundum principia factiua, & compositiua rei in esse, quia limitatio luminis non potest omnia ista comprehendere, cum fundent oppositas differentias, & modos procedendi.

Dico secundò: Logica essentialiter, & ex vi suorum principiorum simpliciter est speculatiua, licèt aliquem modum practice induat, quatenus regulas; & directionem præbeat speculationi ipsi. Hanc conclusionem perpetuo docet D. Thom. Primò ponendo omnes artes liberales sub genere speculatiuo, vt in 1. Metaphysicæ elect. 2. §. *Hic probat secundum*. Secundò specialiter loquens de Logica, prima secundæ, quæst. 57. art. 3. ad 3. docet quod etiam in ipsis speculabilibus, est aliquid per modum cuiusdam operis, putà constructio syllogismi, aut orationis congruæ, &c. & subdit. *Et quicumque ad huiusmodi opera rationis habitus speculatiui ordinantur, dicuntur per quandam similitudinem artes.* Vbi non solùm actum Logicæ, sed etiam habitum vocat speculatiuum. Constat autem apud D. Thom. scientiam esse vnum habitum tantum, vt docet 1. 2. quæstion. 54. artic. 4. ergo Logica tantum est speculatiua. Similiter 2. 2. quæstion. 47. art. 2. ad 3. docet. *Dari artem speculatiuam, sed non speculatiuam prudentiam, quia speculatiua ratio quædam facit, putà syllogismum, propositionem, &c.* Et quæstion. 51. articul. 2. ad 3. dicit: *Quod in speculatiuis alia rationalis scientia est Dialectica, & alia scientia demonstratiua, quæ est veritatis demonstratiua.* Eandem sententiam docet Scotus, quæstion. 4. prologi, §. *Dico igitur*, & 6. Metaphisic. quæst. 1. & communiter tota eius Schola licèt in fundamento à Thomistis non nihil differre quidam putent, sed falsò, nam in hoc vltimo loco ex eodem fundamento procedit cum D. Tho. scilicèt quia opus, quod dirigit Logica, est ipsa speculatio.

Nec potest responderi. Quod loquitur S. Thom. de speculatiuo secundum quid, quia dicit, quod speculatiua ratio aliquid facit per modum cuiusdam operis, speculatiuum autem operans aliquid, videtur speculatiuum secundum quid.

Sed hoc non potest stare; Quia in his locis inquirit S. Doctor: An prudentia sit speculatiua essentialiter, & simpliciter non secundum quid? Inquirit enim de ipso genere cognitionis in quo ponitur habitus ipse prudentiæ, ergo inconuenienter resolueret de speculatiuo secundum quid. Vnde etiam procederet omnino insipienter, si quando ex professo inquirit in quo genere cognitionis ponatur prudentia, vel ars liberalis, vel Dialectica, omisso genere simpliciter, diceret quod est in genere speculatiuo secundum quid: sic enim non explicaret in quo genere esset absolutè, & simpliciter. Et D. Thom. quando simpliciter affirmat, quod aliquid est tale, sine alia restrictione, vel explicatione, non procedit in sensu diminuto, & secundum quid, sed in sensu formali, & simpliciter loquendo, alias nihil certi haberemus in doctrina D. Thom. & præsertim, quia de hoc procedebat argumentum. Et vrgetur, quia si dicitur speculatiua secundum quid, maxime quia est operans, ratio autem operationis, vt sic, non minuit speculationem, quia in se speculatio ipsa est operatio quædam, vt iam notatum est.

Fundamentum huius conclusionis à priori, & à posteriori sumi potest. A posteriori facio in primis illam consequentiam Philos. in 1. Met. lect. 3. apud D. Tho. Nulla scientia in qua quæritur ipsum scire propter se ipsum est practica, sed qui propter fugiendam ignorantiam philosophatur, causa tantum cognoscendi philosophatur, & tendit ad scire propter se ipsum, ergo talis non est practicus sed speculatiuus. Hæc consequentia est, quam facit Philosoph. sed eadem prorsus applicatur Logicæ, nam Logica quærit scire propter se ipsum, ergo est speculatiua. Antecedens probatur. Logica solùm intendit fugere ignorantiam, ad hoc enim inuenta est, vt ratio non procedat ignoranter, neque erroneè sed rectè sciat, ergo solùm intendit scire, & cognoscere, fugere enim ignorantiam, & scire, idem est, ergo si Logica quærit ipsum cognoscere propter fugam ignorantiæ, & vt purificet ipsum scire ab errore, & modo non sciendi, quærit cognitionem propter scire, ergo non est practica.

Et confirmatur: Quia si Logica dirigit speculationes, ergo vis speculatiua est, quæ perficitur per Logicam artificialem, ergo Logica artificialis non potest esse practica, cum perficiat vim speculatiuam, alioquin ratio practica dirigeret speculatiuam, & prius perficeretur vis practica, quam rectificaretur speculatiua, quod repugnat, cùm practicum sit posterius speculatiuo vtique rectificato, quia à speculatione rectificata, & sine errore, practica deriuatur, non è contra.

Fundam. autem à priori. Sumitur, tum ex parte principiorum quibus Logica procedit: tum ex parte materiæ circa quam versatur. Ex parte quidem principiorum, quia principia Logicæ sunt omnino speculatiua, nec dabitur aliquod practicum etiam in ipsis syllogismis construendis, ergo ipsa Logica non est practica. Conseq. est euidens. Antecedens verò probatur, nam principia quibus vtitur in construendis syllogismis, sunt illa duo. *Quæcumque sunt eadem vni tertio, &c.* Et, *Quæcumque dicuntur de aliquo vniuersali, dicuntur de omni contento sub illo*, quæ principia omnino sunt speculatiua: nam multis scientijs speculatiuis deseruire possunt ad alias veritates comprobandas, & sic attingunt veritatem ipsam secundum se. Et idem obseruari potest in alijs principijs quibus procedit Logica circa naturam generis, & vniuersalium, circa rationem oppositionis, circa modum definitionis, & diuisionis, & similia, quæ ita sunt speculatiua, quod etiam aliæ scientiæ speculatiuæ vtuntur illis, sicut notauit S. Tho. 1. Poster. lect. 20. & sæpè in alijs scientijs speculatiuis vtimur his principijs. Si ergo habet Logica principia deseruientia ad conclusiones speculatiuas, ipsa ergo principia speculatiua sunt, ergo non habet principia practica, quia simul practica, & speculatiua habere non potest, vt dictum est.

Ex parte autem materiæ circa quam versatur Logica, idem proportionabiliter probatur. Quia ordinatio Logicæ directè, & per se versatur circa ipsa obiecta cognita, & ordinata, ex qua ordinatione habent dirigi conceptus ipsi formales, quatenus versantur circa obiecta sic ordinata, ergo non habet pro materia aliquid practicabile. Consequentia patet. Quia obiectum sub statu cogniti, & secundæ intentionis non est practicabile, & operabile ab aliqua reali operatione, sed ex ipsa cognitione redditur sic cognitum, & in statu cogniti ordinatum, sed si quæ esset materia practicabilis, & operabilis ab intellectu realiter, essent ipsi conceptus, vt eliciendi, & operandi, ergo si versatur directio Logicæ circa ipsa obiecta cognita, vt cognita sunt, nõ versatur circa operabile, vt operabile. Antecedens autem constat, quia principia quibus Logica discurrit, per se, & directe respicit obiecta cognita, sub statu cogniti, & secundæ intentio-

nis, ſicut cùm dicit: *Quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, quidquid dicitur de aliquo, vniuerſali dicitur de contento ſub illo.* Et ſimiliter in Regulis Ampliationis, reſtrictionis, ſuppoſitionis, &c. Et in ipſa coordinatione Prædicamentorum, & diſtinctione Prædicabilium omnia iſta reſpiciunt, & verſantur circa obiecta cognita in quantũ cognita ſunt, ergo non reſpiciunt aliquid operabile, vt operabile, quia illud eſt operabile, quod attingibile reali operatione, vt ſic in executione, non vt extrinſece tanquam cognitum attingatur. Etenim, vt ſuprà diximus, hoc ipſo quod obiecta ſunt ordinata, & vt talia proponuntur, non eſt neceſſe aliquid operari circa ipſos conceptus, vt in talia obiecta tendant modo aliquo artificiali, quia naturali repræſentatione, & ſimilitudine tendunt ab obiecta ſua, ergo totum artificium Logicale circa obiecta ipſa, vt cognita verſatur, non circa ipſam tendentiam, & repræſentationem conceptuum, quæ naturalis eſt, & artificioſa eſſe non poteſt, niſi tantum obiectiuè, quia ordinatur ad obiecta artificioſè diſpoſita.

Ex quibus ſequitur: Non repugnare, quod actus intellectus ſit praxis, ex eo quod actus intellectus ſit præcisè, ſed ex eo quod ſpeculatio eſt, & tendit ad veritatem, ibique ſiſtit; quod autem ſiſtit in veritate, contemplatiuum eſt. Vnde ſola exterior actio (ideſt extra cognitionem inuenta, vt præcisè ſiſtentem in veritate) pertinet ad intellectum practicum, ſiue actiuum, vt docet S. Thomas, 2. 2. q. 179. art. 2. Actus autem intellectus, vt induunt moralitatem, & liberæ voluntatis motioni ſubſunt, poſſunt practicis regulis prudentiæ regulari, ſicut actus aliarum virtutum, quia ſic quodammodo actus exteriores ſunt reſpectu cognitionis veritatis, id eſt extra illam.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur. Aliquibus authoritatibus S. Thomæ, quibus videtur Logicæ attribuere rationem practicæ, & non ſpeculatiuæ. Nam in 1. Metaph. lect. 2. & in opuſcul. 70. quæſt. 5. articul. 1. dicit: *Logicam non contineri ſub Philoſophia ſpeculatiua, vt principalem partem, ſed vt quoddam reductum ad ipſam, quia res de quibus agit non quæruntur propter ſe ipſas,* ergo eſſentialiter non eſt ſpeculatiua, ſed ſecundùm quid, & reductiuè. Et ibidem ſolutione ad 3. ſubdit, *quod aliæ ſcientiæ dicuntur Artes, quæ non habent ſolam cognitionem, ſed etiam opus,* ergo cùm Logica ſit ſcientia, & ars, non habet ſolam cognitionem, ſed etiam opus, atque adeò aliquod opus habet diſtinctum contra cognitionem. Item in 6. Metaph. lect. 2. & 11. Metaph. lect. 12. ſolùm tria genera numerat ſcientiarum ſpeculatiuarum ex Philoſopho, ſcilicet Phyſica, Mathematica, & Metaphyſica, ad nullum autem iſtorum pertinet Logica, vt de ſe patet, ergo non eſt in genere ſpeculatiuo.

Denique. Quod non repugnet aliquem ſcientiam eſſe ſimul practicam, & ſpeculatiuam, conſtat ex Diu. Thoma, qui vtrumque attribuit Medicinæ, opuſcul. 70. quæſt. 5. art. 1. ad 4. & Theologiæ 1. p. q. 1. art. 4.

Reſpondetur, ad primum locum, ſolùm probare quod Logica non eſt principalior inter ſcientias ſpeculatiuas, ſed inferior & miniſterialis, eo quod res de quibus agit Logica deſeruiunt alijs ſcientijs, tanquam dantes modum, & formam ſciendi, non vt obiectum in quo vltimatè ſiſtitur. Sed tamen non tollitur, quod ſit eſſentialiter ſpeculatiua, tum ex modo procedendi, & principijs ſpeculatiuis quibus vtitur, tum quia ipſæ res de quibus agit, ita ordinantur ad alias, quod non ad operationem, ſed ad ſpeculationem aliarum ordinantur, cum inſtrumenta ſpeculandi miniſtrent.

Ad ſecundum locum dicitur. Quod ſcientiæ quæ ſunt Artes dicuntur non ſolùm habere cognitionem, ſed etiam aliquod opus, non opus quod ſit diſtinctum ab ipſa ſpeculatione, ſed quod ſpeculationem ipſam ordinat, & dirigit, & ita reſpicit ipſam ſpeculationem modo quodam operis, quatenus regulabilis, & dirigibilis eſt per certas regulas, & ideò, vt diximus ſupra habet Logica quemdam modum practici, ſed quia omnis iſta directio ad ſpeculandum ordinatur, & ad rectificandum ſpeculationis opus, ſimpliciter ſpeculatiua manet.

Ad tertium locum dicitur ſicut ad primum. Quod Logica continetur ſub ſpeculatiua Philoſophia reductiuè, id eſt, minus principaliter, quia res de quibus agit minus principales ſunt, vt potè ſpeculationis inſtrumenta.

Ad vltimum reſpon. Quod Medicina expreſsè ponitur à Diu. Thom. ſub ſcientia practica ſecundum finem, ideſt ſecundum obiectum, quia tota ad operationem ordinatur, ſed ſecundum quid dicitur Theorica, ſecundum quod aliqua pars Medicinæ aliquid à Philoſophia mutuatur, & non ex proprijs; ſicut mutuatur Chirurgus à Geometria; vel quia pars aliqua Medicinæ minus proximè ordinatur ad operationem. Theologia autem eſt ſimul practica, & ſpeculatiua, quia eſt ſcientia ſuperioris ordinis in quantum participat in ſuis principijs, ea quæ ſunt luminis diuini.

Secundò arguitur. Logica reſpicit operationes, vt practicè dirigibiles, ergo eſt practica. Antecedens probatur. Quia Logica tradit regulas, & præcepta quibus ordinantur opera rationis ne errent in ſpeculatione, & ſi quid ſpeculatur, ad hoc ſpeculatur, vt dirigat, nõ dirigit vt ſpeculetur, ergo reſpicit operationes, vt dirigibiles practicè circa modum ſpeculandi, vt quando docet conſtruere ſyllogiſmũ in Barbara ſecundùm talem quantitatem, & qualitatem, & alias regulas certas, & determinatas, quibus ſyllogiſmus regulabilis eſt.

Et confirmatur. Quia Logica non ſolùm dirigit ſyllogiſmos ſpeculatiuos, ſed etiam practicos, nam incontinens dicitur male ſyllogizare, quia ſyllogizat in quatuor terminis, vt dicit Philoſophus 7. Ethic. lect. 3. apud D. Thom. ergo ſicut ex eo quod dirigit ſpeculationes eſt ſpeculatiua, ita ex eo quod dirigit practicos ſyllogiſmos erit practica.

Reſp. neg. antec. Ad probationem dicitur, quod operationes intellectus ſunt dirigibiles, & regulabiles regulatione, & artificio tenente ſe ex parte obiecti cogniti, vt cogniti, non regulatione, & artificio tenente ſe ex parte ipſius actus, vt operabilis, aut artificioſo, vel morali modo eliciendi, ſed qui modo reſolutiuo, & naturali repreſentatione, & tendentia fertur in obiecta ſic ordinata, & intentionata. Vnde talis directio nullo modo eſt practica propter rationes dictas. Et ita quando dicitur, *ſpeculatur, vt dirigat.* Diſtinguitur; directione tenente ſe ex parte obiecti cogniti, & ad ſolam fugandam ignorantiam ordinata, concedo, ſed hæc directio eſt ſpeculatiua; directione tenente ſe ex parte operis, & ad exiſtentiam rei, aut efficientiam ordinata, nego. Et ſic præcepta, & regulæ conſtruendi ſyllogiſmos, & alia Logicalia inſtrumenta non introducunt aliquam formam realiter in materiam, ſed quæ ſolùm verſatur circa obiecta cognita penes principia ſpeculatiua, vt dictum eſt.

Ad confirmationem reſpondetur. Quod in ſyllogiſmo practico, licèt concluſio immediata non ſit operatio, ſed ratiocinatio, ſeu cognitio, vltima tamen concluſio, operatio eſt, vt latè docet D. Thom. in lib. de Motu animaliũ lect. 5. & q. 22. de verit. art. 15. ad 2. Vnde iſte ſyllogiſmus non infert concluſionẽ tantũ in ratione veri, & cogniti, ſed etiam reſpicit rationẽ boni per conſiliũ, & iudicium; vnde diſpoſitio eius in quantum eſt ſyllogiſmus

logiſmus practicus, id eſt, vt vltimatè ordinatur ad operationem, non pertinet ad Logicam, ſed ad prudentiam. Quæ tamen habet aliquam ſimilitudinem cum diſpoſitione Logicæ, quia ſicut arguens in quatuor terminis ſpeculatiuè paralogizat, ita imprudens, & incontinens, quia non rectè diſponit dictamen vniuerſalis, & particularis iudicij, fallitur practicè. Vndè S. Thom. vocat iſtam diſpoſitionem, practicam ſimilitudinariè, & ſecundum quid ſyllogiſmum in 1. ſentent. diſtinct. 22. quæſt. 2. art. 1.

Vltimò arguitur. Nam ſcientia moralis eſt practica ergo & Logica. Conſequẽtia patet à paritate rationis, quia ideò moralis eſt practica: quia tradit regulas dirigendi actus voluntatis, ergo ſimiliter Logica, quia tradit regulas dirigendi actus rationis. Antec. prob. Tum quia ſcientia moralis procedit per principia practica, vt *Bonum eſt faciendum, malum eſt fugiendum*, nec procedit reſoluendo, ſed mouendo. Tùm quia ſi ipſa non eſt ſcientia practica, nulla erit ſcientia practica, nam artes mechanicæ ſunt artes, & non ſcientiæ, artes verò liberales ſunt ſcientiæ, ſed non practicæ in noſtra ſententia.

Et confirmatur. Quia Ars pertinet ad partem practicam, numeratur enim cum prudentia à Philoſ. in 6. Ethic. vbi aſſignat pro materia contingenti artem, & prudentiam; pro neceſſaria, ſcientiam, & ſapientiam. De quo videri poteſt D. Thom. ibi lect. 3. & 4. vnde, & aliæ artes liberales, vt Arithmetica, Geometria, & Rethorica non ſunt ſpeculatiuæ, ſed practicæ, ergo etiam Logica.

Reſpond. Quod ſcientia moralis poteſt dupliciter conſiderari: vno modo, vt etiam includit prudentiam, alio modo, vt eam excludit, & ſolùm verſatur circa cognitionem virtutum ſpeculando. Primo modo habet rationem practici ex parte prudentiæ quam includit, & vtitur illo principio practico: Bonum eſt faciendum, modo practico. Et tunc eſt diſparitas inter ipſam & Logicam, quia prudentia dirigit opera voluntatis per electionem, & imperium, quia opera voluntatis cum ſint libera, & non naturaliter tendentia in obiectum, ſunt in ſe capacia realis directionis, & moralis motionis; Logica autem, vt dictum eſt, verſatur circa obiecta cognita ex principijs ſpeculatiuis, & ſolùm motione reſolutiua procedit, non autem introducit aliquam realem ordinationem in conceptu, quia naturali & non artificioſa ſimilitudine conceptus tendit in objectum. Si vero ſcientia moralis ſecludat prudentiam, & ſolùm tractet de materia virtutum definiendo, dividendo, &c. eſt ſpeculativa ſicut fit in Theologia in 1. 2. Nec vtitur principijs practicis, aut modo practico, id eſt vt moventibus & inclinantibus affectivè, ſed præciſè ſpeculativis, quatenus cognoſcunt naturam virtutum, & prudentiæ in ratione veri, vt in Ethicis, & in tota 1. 2. videri poteſt; & ita bene poteſt aliquis eſſe inſignis Philoſophus Ethicus, & Theologus, & imprudens peccator.

Neque eſt inconveniens, quod non detur ſcientia practica ſi verè, & propriè ſcientia eſt, quia ſcientia procedit reſoluendo, & definiendo; practica movendo, & componendo.

Ad confirmationem reſpondetur ex D. Thom. 2. 2. q. 47. art. 2. ad 3. Quod non omnis ars ponitur à Philoſopho in eadem parte animæ in qua prudentia, ſed aliqua ars ponitur in parte ſpeculativa, ſicut ars conſtruens ſyllogiſmum, quia ſufficit ad artem, quod procedatur per certas, & determinatas vias ad aliquid ordinandum, ſive materia ejus ſit ſpeculatio, ſive aliquid operabile. Artes autem liberales ſcientificæ, vt Arithmethica, & Geometria in ſpeculativis ſcientiis ponuntur à D. Tho. 2. Metaph. lect. 2. & aliis locis, quæ citauimus, cum circa numeros, & magnitudines procedant purè ſpeculando, tanquam mathematicæ, & oſtendendo veritatem: Grammatica autem, & Rethorica non videntur eſſe ſcientiæ, nec tractant de quidditatibus obiectorum, & connexionibus neceſſarijs, ſed de modo loquendi, & elegantia, nec procedunt definiendo, & reſoluẽdo aliquid in ſua principia.

Nec ſufficit ad rationem practicæ ſcientiæ, quod habeat vim ad producendos actus ſuos in ſingulari; ſic enim omnis ſcientia eſſet practica, quia omnis ſcientia producit actus in ſingulari, ſed oportet videre, an tales actus verſentur circa veritatem rei contemplando, & circa obiecta cognita, vt cognita, an vt operabilia, & ex principiis ſpeculatiuis, vel practicis, vt dictum eſt.

ARTICVLVS V.

Quomodo diſtinguatur Logica docens, & vtens?

VAriè, & obſcurè loquuntur Authores de iſta diſtinctione Logicæ docentis, & vtentis. Dicitur autem Logica docens, quatenus ſcientificè docet regulas dirigendi intellectum: vtens verò quatenus executioni eas tradit in hac, vel illa materia. Et ſumpta eſt hæc diuiſio vtentis, & docentis in Logica, quia ſicut ea quæ directiua ſunt in practicis, & regulas tradunt & vſum habent, ita Logica quæ in ſpeculatiuis eſt directiua, hæc duo habet. Et ratio controuerſiæ ad duo reducitur. *Primum*, ex parte materiæ an vſus, & doctrina in Logica verſentur circa eandem materiam, ſiue demonſtratiuam, ſiue opinatiuam, an ſolum in topica? *Secundum* ex parte formæ, an pertineat ad eundem habitum, & principium formale doctrina, & vſus Logicæ.

Vt autem iſta obſcuritas declaretur, vnum tantum oportet aduertere ex Doctrina D. Thom. nempè quod triplex vſus Logicæ poteſt attribui. *Primus eſt*, quo præbet aliis ſcientiis modum procedendi artificiosè per formam ſyllogiſticam, ſiquidem ad ipſam pertinet modum procedendi præbere aliis ſcientiis ne errent, & opera rationis dirigere inſtrumenta ſpeculationis præbendo, vt ex Philoſopho docet D. Tho. 2 Metaph. lect. vltim. & opuſc. 70. q. 5. art. 1. & 1. Poſter. lect. 1. & alibi ſæpè.

Secundus vſus eſt ipſius Logicæ docentis, quando præbet aliis ſcientiis principia, & non ſolum formam ſyllogiſticam ad probationes aliquas deducendas, ſicut etiam aliæ ſcientiæ ex aliis adiuuantur aſſumendo illarum principia, præſertim à Metaphyſica, & hunc vſum conuenire Logicæ docet D. Th. opuſc. 70. q. 6. art. 1. in corpor. vbi inquit: *Quòd aliquando vtimur in Logica prout eſt docens, in aliis ſcientiis quia ſcilicet præbet aliis principia aliqua ad probandum ſicut ex intentionibus generis aut ſpeciei, vel oppoſiti probamus aliquid in aliis ſcientiis.* Et in 1. Poſter. lect. 20. de hoc ipſo ponit exemplum; *ſicut probamus*, inquit, *amorem, & odium pertinere ad concupiſcibilem, quia contraria ſunt circa idem, qua probatio ſumitur ex principio Logico, ſcilicet ex natura contrarietatis.*

Tertius vſus Logicæ, eſt ipſi ſpecialiſſimus, quatenus præbet vſum in alijs ſcientijs, ſeu materijs probabiliter diſputandi ſine hoc, quod procedatur demonſtratiuè, & reſolutiuè vſque ad prima principia, & tunc propriè dicitur Logica vtens, vt diſtinguitur à demonſtrante, & docente, eo quod demonſtrans non præciſè vtitur diſcurſu ſiſtendo in eo, ſed peruenit reſoluendo vſque ad prima principia, quæ diſcurſu non probantur, ſed ſunt terminus diſcurſus. Vtens autem diſcurſu, ſed non demonſtrans, ita vtitur, & ſiſtit in diſcurſu,

quod non peruenit ad terminum discursus, qui est resolutio, vsque ad prima principia, & hoc pertinet ad processum disputatiuum, seu tentatiuum quando inquirendo, non autem resoluendo proceditur, & ita vocatur probabililis processus, quia non cum certitudine vltimatæ resolutionis, vsque ad principia fit. Hic est actus Logicæ vtentis, quasi dicatur Logica vtens Logica, vt disputans non vt resoluens; & sic explicat illum D.Th.opusc.70. q.6. art.1. dicens: *Logicam vtentem esse, qua vtitur discursu, sed non termino discursus, qui terminatur in princia per se nota, vbi cessat vsus rationis discurrentis.*

His positis, certum est Logicam vtentem sumpto vsu primo, vel tertio modo (quia secundus pertinet ad docentem, quia ad doctrinæ exercitium spectat commodare alijs sua principia, vt demonstrent) non denominari formaliter scientiam. In tertio quidem modo, quia solum probabiliter, seu disputatiuè non resolutiuè procedit. In primò autem modo, quia ille vsus Logicæ non est demonstratio, quæ solùm denominat scientiam, sed applicatio, & concursus disponens syllogisticam formam, siue in materia demonstratiua, siue in topica, vnde non est determinatè vsus scientiæ, & demonstrationis. Circa difficultates verò positas,

Dico primò. Logica vtens sumpto vsu primo modo, habet dirigere non solum partem topicam, sed etiam demonstratiuam, imò hanc maximè. Et vtimur verbo *dirigere*, licèt aliqui in hoc sensu appellent illam non vtentem, sed dirigentem, vt euitemus quæstionem de nomine, quia vsus Logicæ in hac parte directio est, sicut scientiæ superiores, & artes Architectonicæ pro actu, seu vsu proprio habent dirigere alias inferiores. Et ita hæc conclusio docetur à D. Tho. tum in 1. Poster. lect. 1. vbi non solùm alia opera rationis, sed etiam specialiter partem ipsam iudicatiuam, seu demonstratiuam à Logica dirigi affirmat. Tum etiam, quia omnibus scientiis (quæ vtique demonstrativè procedunt) ministrare Logicam instrumenta speculationis docet in opusc. 70. q. 5. art. 1. & 2. Met. lect. vlt. docet quo modo Logica præbeat modum sciendi omnibus scientiis, ergo in hac parte non est restringendus vsus Logicæ ad solam partem topicam, sed etiam ad demonstratiuam.

Et ratio est constans. Quia demonstratio non minùs exigit structuram syllogismi, & bonitatem consequentiæ regulatam secundum regulas, & principia Logicæ, quam reliqui syllogismi probabiles, ergo talis dispositio, & forma artificiosa in demonstrationibus deriuatur à Logica, siquidem ex principiis & regulis Logicæ dependet, tam ex parte formæ, quæ regulatur, per *Dici de omni*, & *Dici de nullo*, aliisque principiis disponentibus syllogismum, quàm ex parte materiæ, quia demonstratio debet vti propositionibus necessariis, & per se, quod maximè Logica considerat in posteriori resolutione.

Nec obstat, quod istæ demonstrationes etiā vt rectè dispositæ effectivè procedunt à particularibus scientiis elicientibus, à Logica autem solùm pendent directivè. Hoc inquam non obstat, quia non determinamus modo Logicam influere in demonstrationes aliarum scientiarum effectivè eliciendo illas, sed sufficit quod directivè, sicut prudentia influit in virtutes, non elicitiuè, sed imperativè; aut si effectivè Logica influit non est influxus causæ principalis demonstrantis, sed coadjuvantis, & ministrantis, sicut virtutes eliciunt actum moralem à prudentia regulatum, sive ille modus regulationis in actibus virtutum effectivè sit à prudentia per impressionem realem in virtutes morales, sive solum directiuè, hoc enim non pertinet ad præsens, sed ad illam quæstionem. An imperium superioris potentiæ, seu virtutis in inferiora, quæ mouet, fiat per effectiuam impressionem? Sed quidquid sit de hoc, constat quod etiam respectu syllogismi opinatiui & probabilis Logica non magis influit dispositionem syllogisticam effectiuè, & elicitiuè, quam syllogismum demonstratiuum, sed directiuè, & hanc eandem directionem, seu vsum dicimus habere Logicam in syllogismo demonstratiuo.

Dico secundò. Logica vtens tertio modo accepta, solum versatur circa partem Topicam, & sophisticam, id est processu non resolutiuo, sed probabili seu probatiuo & disputatiuo. Et si talis vsus fiat in aliis scientiis ex principijs talium scientiarum, disputando ex illis & non resoluendo, talis vsus pertinet ad Logicam solum directiuè; si autē procedat ex principiis ipsius Logicæ talis disputatio non resolutiua, non solùm directiuè, sed elicitiuè erit à Logica, quasi actus secundarius, & imperfectus. Hanc conclusionem intendit S. Thom. in 4. Metaph. lect. 4. dum inquit: *Quod Logica secundum quod est docens habet considerationem de istis intentionibus, instituens modum quo per eas procedi possit probabiliter in singulis scientiis, & sic est scientia. Vtens verò est secundum quod modo adjuncto vtitur ad concludendum aliquid in singulis scientiis probabiliter, & sic recedit à modo sciendi.* Expressius autem hoc tradit D.Thom. opusc. 70. citat. quæstio. 6. artic. 1. vbi docet: *Quod aliquando dicitur processus rationalis ex termino in quo sistitur procedendo. Vltimus autem terminus ad quem rationis inquisitio perducere debet, est intellectus principiorum in qua resoluendo judicamus, quod quidem quando fit, dicitur demonstratio. Quando autem inquisitio rationis vsque ad vltimum terminum non perducit, sed sistitur in ipsa inquisitione, quando scilicet quærenti adhuc manet via ad vtrumlibet, sic rationalis processus distinguitur contra demonstratum. Et hoc modo procedi potest rationabiliter in qualibet scientia, vt ex probabilibus paretur via ad necessarias conclusiones. Et hic est alius modus, quo Logica vtitur in aliis scientiis, non vt est docens, sed vt vtens.* Sic D. Thom. Et sic accipiendo Logicam vtentem, clarum est, quod non pertinet ad partem demonstrativam, sed topicam, quia talis vsus non est demonstratio, siquidem non est resolutio cum plena determinatione in principia certa, & euidentia, sed tantum inquisitiuè, & disputatiuè procedit ad vtrumlibet Et si hoc faciat præbendo principia propria tali discursui, & disputationi, elicitiuè totū illum discursum producet Logica, quia non solùm præbet modum disputandi, sed etiam materiam, seu principia. Pertinet autem ad aliquem habitum elicitiuè, quidquid ex propriis principiis, & objecto suo deducit, siue resolutiuè, siue tantum disputatiuè. Si autem principiis aliarum scientiarum, seu habituum formetur discursus, seu disputatio, tunc Logica solùm præbet modum disputandi, quod est præbere directionem, non autem elicientiam actus quoad substantiam.

Dico vltimò. Idem est habitus Logicæ docentis, & vtentis, siue dirigat, siue eliciat, siue probabiliter disputet, siue demonstratiuè procedat, & eadem est specifica ratio formalis vtriusque. Non conueniunt omnes in hac conclusione; sed quidā in vno extremo dicunt, non solū Logicam vtentem, & docentē esse eundem habitū, sed eodē actu vti; & docere, vt Mart. hîc q. 2. *Alij* in alio extremo non solùm distinctos actus, sed etiam distinctos habitus constituunt, quia docentem dicunt esse speculatiuam, vtentem verò practicam, vt Vazquez 1. p. disp. 8. cap. 5. vel quia docentem dicunt esse scientiam, vtentem verò opinatiuum habitum, vt quidam apud Conimb. quæstion. 4. proœm. artic. 2. *Alij* dicunt Logicam docentem, & vtentem in materia, & obiecto ipsius Logicæ, esse eundem habitum, in alijs verò scientijs dicunt vtentem non esse habitum Logicæ, sed ipsum habitum aliarum scientiarum producentem

tem suas illationes ordinatè. Ita M. Caber. disput. 2. procem. dubit. 2. à quo in re non recedit P. Merinero hic, q.2.sect. 2. Qui distinguit habitum Logicæ vtentis elicitiuum ab habitu Logicæ docentis, quando in materia aliarum scientiarum versatur, tunc enim illa elicientia tribuitur habitibus aliarum scientiarum.

Nihilominus proposita conclusio absolutè, & sine tot distinctionibus est communior inter Authores,& præsertim apud Thomistas, de qua videndus est Flandr. 2. Metaphysic. quæstion. 5. articul. 2. M. Arauxo ibi, quæstion.3.artic. 2. M. Soto, Sanch. Masius, & Curs. Carmel. quæstion. 5. procem. §. 2.

Ratio est. Quia aliæ scientiæ non habent in se principia ordinatiua suarum illationum, sed ea mutuantur à Logica quæ illa tradit, & explicat, ergo non eliciunt ordinatas consequentias, nisi ex virtute Logicæ, seu lumine sibi communicato saltem directiuè,& per propositionem obiecti, & sic Diu. Thom. perpetuò docet præsertim opusc.70. Logicam ministrare alijs instrumenta speculationis. Ipsa autem Logica eodem habitu docet modum speculandi, & vtitur, quia in quacumque materia eisdem principijs quibus tradit doctrinam, vtitur, & applicat ea ad formandum consequentias, nec requirit distinctum dictamen, nec specialem difficultatem habet vincendam, ergo non exigit distinctum habitum,sed extensionem,seu applicationem eiusdem. Anteced. prob. nam quod ex eisdem principijs procedat manifestè constat, quia si alia principia applicaret, quæ non pertinerent ad Logicam docentem, iam non esset Logica vtens tantum, sed esset docens, vtpotè tradens alia principia, & essent distinctæ scientiæ, vtpotè ex distinctis principijs procedentes, & sic dicerentur duæ docentes, non docens, & vtens. Necessariò ergo vsus, & directio Logicæ conuenire debent in principijs doctrinæ.

Quod verò non indigeat distincta facilitate, & habitu propter applicationem, constat ex dictis præcedenti articulo. Quia tota difficultas directionis, seu ordinationis Logicæ consistit in cognoscendis ipsis secundis intentionibus provt fundantur in primis, hoc enim cognito, applicatio ipsa non habet specialem difficultatem, qui applicatio ipsa fit ad res cognitas per actus naturali representatione, & tendentia respicientes obiecta non morali, seu voluntaria motione, aut artificiosa deductione tendentes, sed totum artificium, & ordinatio tenet se ex parte obiecti ordinati per intentiones secundas vt dictum est: non ergo est difficultas in dirigendis actibus, vt eliciantur, sed in cognoscendis obiectis in quibus secundæ intentiones applicantur.Similiter etiam ex parte ipsorum obiectorum cognitis regulis,& præceptis Logicæ,quæ demonstratiuè traduntur à parte docente, non est vlla difficultas in applicatione, & vsu earum ad talem, vel talem materiam, sed solùm indiget appositione materiæ, ad quam ipsæ regulæ sine noua difficultate vincenda ex parte sui applicantur, & extenduntur. Sicut qui habet artem Musicæ, vel qui cytharizat, ex eisdem præceptis artis potest digitos applicare ad quodcumque instrumentum, quod sibi efferatur; quia si digitos mouere non potest, aut non ita expeditè, ad hanc difficultatem vincendam non indiget noua arte, sed exercitatione corporali, aut aliquo, quo tollatur prædictum impedimentum, & ita qui expeditius mouet digitos non generat nouam artem, sed impedimentum exercitij eius tollit. Sic intellectus quando exercetur in syllogizando circa diuersas materias, vel scientias non acquirit nouam artem, seu habitum diuersum ab ipsa doctrina Logicæ, sed expeditiorem vsum.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

PRimo arguitur: Ad probandum quod solùm in parte topica, & non in demonstratiua inuenitur Logica vtens. Nam id videtur expresè dicere Sanctus Thomas in 4. Metaphysic. lect.4. *Quod in parte Logicæ quæ dicitur demonstratiua, sola doctrina pertinet ad Logicam, vsus verò ad Physicam, & ad alias scientias particulares, pars autem Logicæ tentatiua, & Sophistica habent doctrinam & vsum.* Ergo secundum D. Thomam pars demonstratiua non est vtens.

Si dicatur. D. Thomam loqui de vsu, quo ex principiis Logicis proceditur, probabiliter in aliis scientiis,& disputatiuè tantum, quod vtique parti demonstratiuæ non conuenit, vt docet 1. Poster. lect.20. non autem loqui de vsu, quo ipsam formam syllogisticam, & modum artificialem præbet aliis scientiis, quod etiam conuenit parti demonstratiuæ.

Contra est, quia aliæ scientiæ producunt elicitiuè suas demonstrationes virtute sua, & non virtute Logicæ,& producunt illas ordinatas,aliàs non essent demonstrationes,illa autem secunda intentio formæ syllogisticæ cum sit aliquid rationis non efficitur, sed resultat ex ipsa cognitione demonstrante, ergo neque ad eliciendam demonstrationem, neq; ad modum illum, seu formam rationis requiritur efficientia,& vsus Logicæ.

Respondetur solutione data inter arguendum. Et ad replicam dicitur,quod demonstratio procedens,à particulari scientia, ab illa quidem habet rationem specialis demonstrationis ex speciali ratione talis scientiæ; rationem autem ordinati, & artificiosi processus habet ab ipsa scientia non ex propria virtute illius, sed ex directione Logicæ quatenus influit in alias scientias, siue influxu effectiuo imprimente aliquam realitatem in actus, siue directiuo ex parte objecti, quod proponit vt ordinatum,vt nunc supponimus,& ita particularis scientia vtrumque facit, & veritatem specialem respicit ex propria virtute,& ordinationem objecti in virtute directionis Logicæ, & licet ille modus,seu forma syllogistica sit ens rationis, quod ex cognitione ipsius scientiæ, vt particularis scientia est, sed ex cognitione directiua Logicæ, quæ vniversaliter dirigit omnes scientias, & illam particularem afficit.

Secundò arguitur. Actus Logicæ vtentis non est scientificus,nec demonstratiuus, ergo non procedit ab habitu Logicæ. Consequen. patet,quia habitus Logicæ est euidens,& certus,cum sit scientia,ergo non potest elicitiuè producere actum opinatiuum,qui incertus & ineuidens est, ergo procedit ab alio habitu, & sic alius est habitus Logicæ docentis, & vtentis. *Item* Logica docens procedit modo resolutiuo, & speculatiuo: vtens verò applicatiuo, & compositiuo, ergo sunt diuersi habitus.

Respondetur Disting. conseq. non procedit ab habitu Logicæ actus probabilis quasi primario, & per se, concedo,quasi secundario,& indirectè,vel etiam directiuè,nego. Non est autem inconueniens, quod aliquis habitus euidens, & certus eliciat actum probabilem,vel etiam dirigat ad illum,tanquam actum secundarium,& imperfectum. Et in directione quidem minor difficultas est,quia Logica per regulas scientificas, & certas, docet quomodo opinatiuus assensus dirigendus sit, & consequenter licèt ex parte materiæ sit aliquid opinatiuum, ex parte tamen modi dirigendi, & regularum, quibus procedit, scientificum est.Quod verò eliciat ipsemet habitus Logicæ actum opinatiuum, & non solùm dirigat, difficilius est, sed tamen explicari potest ex dictis. Quod in habitu scientifico primarius actus, qui perfectè procedit, & resolutiuè

deducendo vsque ad prima principia semper est certus, & euidens, non tamen repugnat aliquando ex eisdem principijs formare aliquem discursum imperfectum, & non plene resolutorium, sed solùm disputatiuè, & tentatiuè procedentem, & talis est discursus probabilis: sicut generans non solùm producit perfectum effectum, & perfectè similem, verbi gratia, hominem, vel equum, sed etiam aliquando imperfectum, vt embrionem, vel etiam monstruosum, aut degenerantem à sua perfectione, licèt virtus perfecta sit, sed propter aliquod impedimentum, vel materiæ incapacitatem, vel inapplicationem agentis, sic potest scientia Logicæ vti discursu, & principijs scientificis non planè resoluendo, sed inquirendo, & tentando, qui est actus imperfectus: sicut etiam Diu. Thom. 2. 2. quæstione 1. articul. 4. docet quod habitus fidei euidenter cognoscit credibilitatem suam, & opinatiuus probabilitatem, obscurè tamen vterque attingit suum obiectum, scilicet rem creditam, & opinatã, vnde euidẽtia, & ineuidentia non versantur circa idem, sed vnus circa rem creditam, alter circa credibilitatem eius, & licèt videantur esse plures actus specie distincti, sunt tamen specie distincti quasi materialiter, non formaliter, seu ex parte rationis formalis, sicut aliqua virtus potest habere diuersos actus inadæquatos specie distinctos quasi materialiter, & partialiter, vt Religio habet orationem, deuotionem, &c. qui sunt actus diuersi inadæquati, & partiales.

Ad confirmationem dicit. Quod vtens non procedit modo compositiuo ex parte regularum, & principiorum, quibus vtitur, hæc enim sunt ipsa principia Logicæ docentis, sed solùm applicat illas regulas determinatæ materiæ, vt speculatio ipsa rectè ordinetur. Quod autem modus ipse speculationis applicetur diuersis materijs, non iduit rationem practici, vt suprà diximus, quia quod applicatur, speculatio est.

Vltimò arguitur. Nam prudentia est distincta virtus, & habitus à synesi. & eubulia, vt tradit Sanctus Thomas 2. 2. quæstione 51. articul. 2. & tamen solùm distinguuntur, quia istæ duæ benè iudicant, & consiliantur, prudentia verò imperat, & exequitur, ergo similiter in Logica habitus docens, & iudicans distinguitur ab operante, & vtente.

Confirmatur. Quia actus vtentis multiplicati generant aliquem habitum, non Logicæ docentis, quia non sunt actus scientifici, & sic non generant, neque augent scientiam, ergo alium distinctum à docente.

Respondetur. Negan. conseq. Et disparitas est, quia in prudentia est distincta difficultas ad imperandum, & applicandum voluntatem ad opus, quam in judicando, & consiliando, in Logica verò non. Cujus radix sumitur ex doctrina Diu. Thom. 2. 2. quæstione 47. articul. 8. quia perfectio artis consistit in iudicando, non in præcipiendo, perfectio verò prudentiæ è conuerso, vnde reputatur melior artifex qui volens peccat in arte, quam qui ignorans: Econtra verò imprudentior est, qui volens peccat. Quod præcipuè verificatur in arte Logicæ, cujus materia sunt ipsi actus rationis: tota enim difficultas intellectus est in judicando, seu ordinando de aliqua veritate, quidquid verò restat, vt alij actus dirigantur ex ista veritate sic cognita, non habet specialem difficultatem, quia intellectus naturaliter tendit ad objecta semel proposita. Vndè totum artificium, & ordinatio tenet se ex parte objectorum quæ attinguntur à cognitione naturaliter tendante ad illa. In moralibus autem post iudicatum, & cognitum bonum, restat præcipua difficultas in applicanda voluntate propter eius libertatem, seu indifferentiam, vel resistentiam ad bonum regulatum. Vnde requirit distinctum habitum, in quo consumatur prudentia.

Ad confirmationem respondetur. Quod actus Logicę vtentis generant quandam facilitatem per modum dispositionis, & expeditionis in applicatione materiæ, non per modum nouę artis seu habitus, quia habitus generatur de nouo, vel crescit, non per quoscunque actus, sed per illos qui ipsam specificam rationem, & formale motiuum habitus per se attingunt: non qui secundariò consequuntur, vel dispositiuè se habent tantum, eo quod habitus non generatur de nouo, aut crescit, nisi secundum substantialem, & formalem rationem suam, aliæ vero formalitates accessoriæ sunt. Est exemplum in Diuo Thom. 2. 2. quæstione 144. articul. 1. & 5. vbi inquit, quod ex frequentatis actibus verecundiæ non generatur habitus distinctus à temperantia, quia verecundia non est habitus virtutis perfectæ, sed dispositio ad generandam temperantiam, non ergo omnes actus frequentati etiam imperfecti, & secundarij generant nouum habitum perfectum qualis est scientia, sed aliquid imperfectum in genere habitus, quod est quasi dispositio, seu expeditio quædam in ipso exercitio artis. Et distinctio hæc dispositionis, seu expeditionis ab habitu, intelligitur melius in his, quæ pertinent ad intellectum, quia invenimus aliquando habitum, sine facilitate exercitii, verbi gratia habitum scientiæ, sine ordinatione expedita specierum, vt in illo cui fit prima demonstratio, & generat habitum scientiæ, nondum tamen habet species ordinatas, & expeditas de omnibus aliis conclusionibus scientiæ, & ècontra inuenimus facilitatem exercitij, sine habitu in eo qui coordinatas habet species ob frequens exercitium de omnibus conclusionibus, & ex errore in aliquo principio amisit habitum, verbi gratia, ex errore fidei amisit principia veræ Theologiæ, & consequenter ipsum habitum Theologiæ, sed non species coordinatas conclusionum.

QVÆSTIO II.

De ente rationis Logico, quod est secunda intentio.

VT obiectum, seu materiam Logicæ tractare incipiamus, ipso ordine doctrinæ oportet ab vniuersalioribus incipere, & sic disputationem inchoamus ab ente rationis; non quidem provt præcise opponitur enti reali, & est commune omnibus entibus rationis, sic enim pertinet ad Metaphysicum, sed vt est commune solis secundis intentionibus, quæ ad Logicum spectant. Circa quod tria consideranda occurrunt. Primùm, *quodnam sit hoc ens rationis?* Secundum, *Quotuplex sit?* Tertium, *Per quam causam formetur? Prius tamen, vt aliqua saltem imperfecta notitia entis rationis in communi habeatur, aliqua de ipso genere entis rationis prælibanda sunt.*

ARTICVLVS I.

Quid sit Ens Rationis in communi? Et quotuplex.

ENs rationis in omni sua latitudine, si nominis significationem attendamus, dicit *Id quod dependet aliquo modo à ratione*, potest autem dependere, vel vt effectus à causa, vel vt obiectum à cognoscente. Primo modo inuenitur aliquid dupliciter dependere à ratione, vel quia est ab ipsa, vt ab efficiente,

ciente, ſicut opera artis, quæ per rationem excogitantur; vel quia eſt in ipſa, vt in ſubiecto, & cauſa materiali, ſicut actus, & habitus ſunt in intellectu. Sed vterque iſte modus pertinet ad ens reale, quia ens ſic dictum habet veram, & realem exiſtentiam, dependentem tamen ab intellectu. Quod autem ſecundo modo ab intellectu dependet, ſcilicet vt obiectum, dicitur propriè ens rationis, vt pertinet ad præſens, quia nullum eſſe habet extra rationem, ſed ſolùm obiectiuè dicitur eſſe in ipſa, & ſic opponitur enti reali. Quod quidem licet aliqui negauerint, communi tamen Theologorum, & Philoſophorum conſenſu dari conſtat, cum omnes diſtinguant ens reale ab ente ficto, ſeu rationis, quia illud exiſtit in rerum natura, hoc non habet exiſtentiam in re, ſed ſolùm cognoſcitur, & fingitur. Imò ipſa experientia ſufficienter id probat, cum videamus multa nos imaginari, & cognoſcere, quæ omnino impoſſibilia ſunt, & talia ſunt entia ficta. Entia quidem, quia cognoſcuntur ad modum entis: ficta verò, quia non correſpondet illis aliquod eſſe verum à parte rei.

Ex quibus elici poteſt definitio, ſeu explicatio entis rationis in communi ſcilicet. *Quod ſit ens habens eſſe obiectiuè in ratione cui nullum eſſe correſpondet in re.* Quod ſumitur ex D. Thom. libr. de ente, & eſſentia capit. 1. & 5. Metaphyſic. lect. 9. & 1. p. quæſtione 16. articul. 3. ad 2. dicente: *Quod ens rationis dicitur, quod cum in re nihil ponat, & in ſe non ſit ens, formatur tamen, ſeu accipitur, vt ens in ratione.* Qui modus explicandi conuenientior eſt, quia cum ens dicatur ab eſſendo, & per ordinem ad exiſtentiam, ſicut ens reale definitur per ordinem ad eſſe, quod verè habet, & in re, ita ens rationis, quod illi opponitur, opportet quod oppoſito modo explicetur: ſcilicet quod non habet eſſe in re, & habet illud in cognitione obiectiuè. Quod verò aliqui dicunt ens rationis conſiſtere in denominatione extrinſeca, qua res dicitur cognita, vt Durandus in 1. diſtinct. 19. quæſtione 5. numer. 7. in primis dubium aſſumitur, cum inter Authores valdè controuerſum ſit, an denominatio extrinſeca formaliter ſit ens rationis, vt ſtatim dicemus. Deinde falſum eſt, vniuerſaliter loquendo ens rationis, vt ſic conſiſtere in ſola denominatione cogniti, nam iſta denominatio, vel eſt forma conſtituens ens rationis, vel eſt id quod ſuſcipit formationem entis rationis. Primum eſſe non poteſt, cum denominatio iſta etiam cadere poſſit ſuper entia realia, quæ denominantur cognita, nec tamen hac denominatione formantur in entia rationis, quia ficta non redduntur. Si ſecundum, verum eſt denominationem extrinſecam apprehendi, vt ens rationis, ſed non ſolùm denominatio extrinſeca, ſed alia etiam non entia, vt negationes, priuationes, &c.

Si autem quæras. Quid ſit habere eſſe in cognitione. *Reſpondetur.* Hoc pendere ex his, quæ poſtea dicenda ſunt de cauſa, & actu, quo formatur ens rationis. Interim ſufficit audire Diu. Thom. 4. Methaphyſicor. lect. 1. vbi inquit: *Dicimus aliqua in ratione eſſe, quia ratio eis negotiatur, quaſi de quibuſdam entibus, dum de eis aliquid affirmat, vel negat.* Quod non eſt intelligendum, quaſi ens rationis ſolùm formetur per propoſitionem, quæ negat, vel affirmat; ſed quia formatio propoſitionis circa obiectum, quod non habet eſſe à parte rei eſt ſignum, quod ad modum entis ab intellectu accipitur, quia ei applicatur copula, quæ ſignificat eſſe. Itaque ipſe actus intellectus attingens obiectum ad modum entis, quod extra intellectum non eſt habet duo, & in quantum cognitio reddit cognitum, & ſic in obiecto ſolùm ponit denominationem extrinſecam cogniti, & in quantum ad inſtar entis reddit tale obiectum cognitum cum in re non ſit ens, & hoc eſt dare eſſe rationis, ſeu eſſe fictum. Et ſic Diu. Thom. opuſcul. 42. capitul. 1. dicit: *Quod tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere, quod non eſt, & ideo fingit illud ac ſi eſſet ens*, & in 1. ſentent. diſtinct. 2. quæſtione 1. articul. 3. inquit: *Quod ens rationis conſequitur ex modo intelligendi rem quæ eſt extra animam, & huiuſmodi ſunt intentiones quas intellectus noſter adinuenit*, vbi Sanct. Thom. pro eodem reputat in ente rationis effici, adinueniri, apprehendi, & conſequi ex modo intelligendi, & ita vt infra dicemus, ens rationis non habet formaliter eſſe fictum, ſeu obiectiuum per hoc quod reddatur cognitum, vt *Quod*; ſic enim iam ſupponitur habere eſſe, ſeu rationem aliquam ſupra quam cadat denominatio cogniti, ſed ille actus, qui reſpicit non ens ſub ratione, & modo entis dicitur fingere, ſeu formare ens rationis, & non ſolùm denominare. Et in hoc conſiſtit habere eſſe obiectiuè in intellectu, id eſt ex ipſo modo cognoſcendi affici apprehenſiuè, vt ens, quod non eſt ens.

Dices. Ergo omne obiectum quod aliter ab intellectu concipitur, quam ſit in re, eſt ens rationis. Conſequens eſt falſum, nam plura entia realia cognoſcimus ad inſtar alterius, & non ſicut ſunt in ſe, ſicut Deum, & Angelos, & ea quæ non ſumus experti.

Negat. Conſequentia. Quia talia entia ſupponuntur in re eſſe vera entia realia, vnde ex modo cognoſcendi non attribuitur illis ratio entis, ſed quia modo proprio, & ſpeciali ſuo non attinguntur, dicuntur attingi ad inſtar alterius. Quod tamen non ſufficit, vt denominentur entia formata à ratione abſolutè in ratione entis, ſed denominantur modo alienæ naturæ non propriæ eſſe cognita, & connotationem inde recipiunt in ſuo cognoſci ad id ad cuius modum cognoſcuntur.

Habita notitia entis rationis in communi, reſtat etiam breuiter attingere, *Quotuplex ſit ens rationis.* De diuiſione ergo quæ ens rationis in tota ſua latitudine diuidit non pertinet agere ad Logicum, qui ſolùm tractat de ente rationis Logico, quod eſt vnum ex membris diuidentibus: ſed tamen vt ſciatur ad quod membrum diuiſionis pertineat, *Breuiter dicimus*, Diuum Thomam in quæſtione 21. de Veritate articul. 1. diuidere ens rationis communiſſimè ſumptum in duo membra adæquatè diuidentia, ſcilicet in *Negationem, & relationem* rationis: *Id*, inquit, *Quod eſt rationis non poteſt eſſe, niſi duplex, ſcilicet negatio, vel aliqua relatio; omnis enim poſitio abſoluta aliquid in rerum natura exiſtens ſignificat.* Sub negatione autem etiam priuationem includit, nam priuatio eſt quædam negatio, ſeu carentia formæ in ſubiecto apto ad recipiendam formam oppoſitam, negatio autem eſt carentia in ſubiecto repugnante formæ, ſicut negatio potentiæ viſiuæ in lapide eſt negatio, in homine priuatio. Relatio etiam habet proprium ex vi ſui conceptus, qui eſt ad alterum, quod poſſit inueniri in ſola apprehenſione, & non in re, quando ſcilicet ita ſe habet ad aliud quod non eſt in aliquo, vt Diuus Thom. oſtendit 1. part. quæſt. 28. art. 1.

Huius autem diuiſionis ſufficientiam non omnes admittunt, quia exiſtimant, *Aliqui* prius eſſe diuidendum ens rationis in illud quod habet fundamentum in re, & quod non habet, & primum vocatur rationis ratiocinatæ, ſecundum rationis ratiocinantis. Solum autem illud, quod eſt rationis ratiocinatæ dicunt diuidi in negationem, & relationem, quod verò eſt rationis ratiocinantis per omnia genera putant diuagari. Videatur Serna in Logica, diſput. 1. ſection 4. quæſtione 2. articul. 3. Magiſter Cabero de

de vniuers. disputat. 1. dub. 3. Merinero disputat. 3. q. 2.

Alij existimant nullam dari speciem determinatam entis rationis, sed omnem repugnantiam, seu omne impossibile, & contradictionem implicans dicunt esse speciem entis rationis, quia omne illud est ens fictum. Ita Martinez disputat. 2. prologi quæstion. 1.

Alij alias species pro libito assignant, de quibus non est curandum.

Dicendum nihilominus est. Optimam, & adæquatam esse hanc diuisionem, & magis directè conueniens enti rationis in communi; Nam in ente rationis tria possumus considerare.

Primum est, subiectum cui attribuitur. *Secundum est* ratio ipsa, quæ concipitur, & attribuitur alteri. *Tertium est*, id ad cuius instar concipitur, & apprehenditur. Ex parte subiecti cui attribuitur aliquando inuenitur fundamentum, vt tali, vel tali modo aliquid ei attribuatur, aliquando non, & ita respectu huius sumitur illa distinctio entis rationis cum fundamento, vel sine fundamento in re; accipitur enim hoc respectiuè ad id cui attribuitur tale ens rationis. Similiter ex parte eius ad cuius instar concipitur ens rationis non repugnat per omnia genera diuagari, quia aliquando potest fingi, & apprehendi aliquid ad instar substantiæ, vt chymæra, mons aureus, aliquando ad instar quantitatis, vt vacuum, aliquando ad instar qualitatis, vt si mors, vel cæcitas concipiatur tanquam nigredo, vel forma quædam obscura, &c. At verò si consideremus ens rationis ex parte rei conceptæ, seu ex parte eius, quod ad modum entis realis cognoscibile est, cum in re non sit ens, adæquatè diuiditur in illa duo membra tanquam in prima genera entis rationis, scilicet in *negationem*, & *relationem*, sub quibus plures negationes, & relationes subdiuiduntur, & quia hoc est formale, quod attingitur in ente rationis, ideò hæc diuisio est directa, & formalis, cum tamen aliæ diuisiones etiam possint admitti, sed quasi desumptæ ex conditionibus entis rationis, non quasi directè sub illo positæ. Est autem adæquata hæc diuisio: quia ratio ipsa entis rationis formaliter consistit in oppositione ad ens reale, scilicet quod non sit capax existentiæ, hoc autem vel est aliquid positiuum, vel non positiuum; si non positiuum, est negatio, ist est non ponens, sed tollens formam: si positiuum, solùm potest esse relatio, quia omne positiuum absolutum, cum non concipiatur ad aliud, sed in se, vel in se est substantia, vel accidens in alio, quare non potest aliquid positiuum absolutum sumi, vt ens rationis, cum per ipsum conceptum essendi in se, vel in alio realitatem aliquam importet: sola verò relatio, quia non dicit solùm conceptum, *in*, sed etiam conceptum *ad*, ratione cuius præcisè non dicit existentiam in se, sed extrinsecam termini attingentiam, ideò non repugnat concipi, sine realitate, atque adeò vt ens rationis, concipiendo illud non vt in alio, vel vt in se, sed vt ad aliud cum negatione existentiæ in aliquo.

Sed obiicies duo: Primò ad probandum non rectè dici priuationem, & negationẽ esse entia rationis: Nam priuatio & negatio nullo intellectu considerante dicunt carentiam formæ, & denominant subiectum carens, ergo non sunt carentiæ fictæ, nec entia rationis. Patet conseq. quia ens rationis dependet a cognitione, vt sit, & vt conferat suum effectum formalem, ergo si ante cognitionem dat suam denominationem rebus, negatio nõ est ens rationis, & idem argumentũ fit de denominatione extrinseca, verbi gratia, esse visum, esse cognitum, quod nullo intellectu considerante per hoc solùm quòd detur visio parietis in oculo denominatur paries visus, & similiter ante resultantiam entis rationis potest denominari natura superior, & inferior, prædicatum, vel subiectum, &c.

Et confirmat. Quia denominatio extrinseca sequitur ad formam realem existentem in aliquo subiecto, ergo est forma realis. Conseq. patet. Quia sicut denominatio, quæ sequitur ad formam substantialem est substantialis, & quæ sequitur ad accidentalem est accidentalis, ita quæ sequitur ad formam realem debet esse realis.

Respondetur. Negationem, vt dicit carentiam formæ dari à parte rei negatiuè, quia ipsa forma in re non est, non tamen ex hoc dicitur ens rationis, sed quia cum in re non sit ens, sed carentia formæ, accipitur ab intellectu per modum entis, & ita ante considerationem intellectus denominat subiectum carens, sed ista carentia propriè non est effectus formalis; nec tollere formam est aliqua forma, sed per modum effectus formalis accipitur ab intellectu, quatenus per modum formæ accipitur, & consequenter ad modum effectus formalis, cum in re illa carentia non sit effectus formalis, sed ablatio illius. Et similiter denominatio extrinseca à parte rei datur quantum ad formam denominantem, sed quia applicatio eius ad rem denominatam, non est realiter in ipsa re denominata, ideò concipere illam formam, vt adiacentem, & applicatam ipsi rei denominatæ, aliquid rationis est. Esse autem prædicatum, & subiectum, superius, & inferius ante cognitionem intellectus solùm inuenitur fundamentaliter, non formaliter sub conceptu relationis, vt latius dicetur agendo de Vniuersalibus.

Ad confirmationem respondetur. Aliquos absolutè sentire, quod denominatio extrinseca est aliquid rationis, vt Pater Vazquez 1. part. disputat. 115. num. 2. & 1. 2. disputat. 95. capit. 10. Alii verò, quod absolutè est aliquid reale realitate tamen extrinseca, non intrinseca quæ sine aliquo rationis superaddito præbet suum effectum. Ita Suarez disputat. vltima Metaphysicor. sect. 2. & alij. Sed verius videtur, quod in denominatione ista concurrunt duo, scilicet ipsa forma, vt ratio denominans, & adiacentia, seu applicatio eius ad denominatum. vt conditio. Et quantum ad ipsam formam manifestum est esse aliquid reale, sicut visio qua paries denominatur visus, realis forma est in oculo; applicatio tamen eius, vt tangit subiectum denominatũ, non est aliquid reale, quia nihil in ipso pariete ponit; omne autem non reale apprehensum, est quid rationis, & sic ex parte applicationis in forma denominata aliquid rationis est denominatio extrinseca. Dicitur tamen denominatum subiectum ante operationem intellectus non ratione eius, quod extra illud supponit, quia in se est forma realis, sed non realiter applicatur, & existit in eo quod denominat: vnde ratione non existentiæ sumitur vt ens rationis; ratione autem præexistentiæ in alio à quo respicit rem denominatam, dicitur denominare ante operationem intellectus.

Et si inquiratur, ad quod membrum huius diuisionis pertineat denominatio extrinseca, quando concipitur, vt ens rationis? *Respondetur* pertinere ad relationem, quia non concipitur, vt afficiens negando, & tollendo formam, sed ordinando, & dependendo ab eo, vnde sumitur denominatio, vel ad id ad quod imponitur, & destinatur per cognitionem.

Secundò obijcitur ad probandum, quod non sit diuisio adæquata. Nam vnitas rationis qualis attribuitur vniuersali ab intellectu est aliquid rationis, & non relatio, neque negatio: Non relatio, quia vnitas dicitur absolutè, non respectiuè, non negatio, tum quia vnitas dicit aliquid positiuum, & non puram negationem, vt dicit Sanct. Thom. 1. part. quæstione 11.

ne 11. articul. 1. Tum quia, si esset negatio, deberet concipi per modum entis rationis, & sic non diceretur vnitas rationis idest negatio rationis, sed ens rationis absolutè. Et similiter dualitas, seu distinctio rationis non est negatio, cum potius tollat negationem vnitatis, nec relatio, quia super distinctionem, seu dualitatem fundatur relatio distinctorum, ergo est altera species.

Confirmatur in his, quæ sunt purè figmenta, vt chimæra, mons aureus, & similia; hæc enim non sunt negationes, nec relationes, sed plures substantiæ ab intellectu adunatæ ex partibus inter se repugnantibus. Et similiter potest dari qualitas, vel quantitas rationis, vt si vacuum accipiatur per modum quantitatis, vel tenebræ per modum qualitatis, ergo non omnia entia rationis ad illa duo reducuntur.

Respondetur: Aliquos existimare quod vnitas rationis tantum sumitur ex vnitate conceptus, & distinctio ex pluralitate, quod quidem verum est ex parte causæ efficientis, seu causantis ens rationis, quam in præsenti non inquirimus, sed de obiectiua, seu fundamentali. *Vndè respondemus*, quod vnitas rationis ex parte obiecti pro formali pertinet ad negationem, seu priuationem, quia nihil aliud est, quam segregatio eius, in quo est conuenientia à pluribus facientibus differentiam. *Et ad primam impugnationem respondetur.* Quod secundum Diu. Thomam in illo loco vnitas materialiter, & entitatiuè est aliquid positiuum, sed formaliter est negatio diuisionis. *Et ad secundam respond.* Quod non repugnat, quod ista vnitas rationis sit etiam ens rationis; siquidem ipsa negatio, seu separatio pluralitatis, & differentię per modum entis accipitur ab intellectu. Et ad id quod additur de dualitate, seu distinctione rationis. *Respondetur.* Quod distinctio rationis formaliter, relatio rationis est, & est ipsamet relatio distinctorum, quæ hoc ipso quod sola ratione distinguuntur eorum distinctorum, quæ hoc ipso quod sola ratione distinguuntur eorum distinctio relatio quædam est, licèt ipsa extrema ad instar absolutorum aliquando distincta concipiantur, verbi gratia, ad modum duplicis substantiæ, &c. Fundatur autem relatio ista distinctionis, non super alia distinctione formaliter accepta, sed fundamentaliter, idest, in pluralitate virtuali, quæ tenet se ex parte obiecti, vt pluralitati conceptuum subijcitur.

Ad confirmat. Respondet. Omnia illa figmenta esse entia rationis, quæ sunt negatio; non verò dari substantiam rationis, vel quantitatem rationis, quia non est substantia, vel quantitas, id quod per rationem formatur ad instar entis realis, sed negationes substantiæ, vel quantitatis concipiuntur. Non dicitur autem ens rationis id ad cuius instar aliquid concipitur, sed id quod concipitur ad instar entis cum non sit in se ens. De hoc vide latius infra quæst. 17. de Relat. art. 2.

Ex hoc sequitur quod in vniuersali metaphysico quod solùm dicit naturam abstractam, & per modum vnius conceptam, vt sequent. quæstione dicemus, iam inuenitur aliquid rationis, scilicet id quod ex vi abstractionis conuenit naturæ representatæ seu cognitæ, idest vnitas siue aptitudo, aut non repugnantia ad essendum in pluribus, istæ enim negationes aliquid rationis sunt, sed non sunt formaliter secundæ intentiones quæ in relatione consistunt fundata in naturis sic abstractis; dicitur autem vniuersale sic abstractum, Metaphysicum non Logicum, quia non omne ens rationis formaliter, & directè pertinet ad Logicum, sed secunda intentio, vt ex Diu. Thom. ostendimus quæstione præced. articul. 3. hæc autem est relatio rationis, non negatio, vt vnitas, quæ tamen conuenit rei abstractæ, & vni.

ARTICVLVS II.

Quid sit secunda intentio, & relatio rationis Logica? Et quotuplex?

HOc ens rationis est, de quo propriè agit Logicus quatenus ex ordinatione conceptuum adinuenitur talis relatio quæ à Logico consideratur. Et ita Diuus Thomas in quarto Metaphysicæ, lectione quarta inquit: *Quod ens rationis dicitur propriè de illis intentionibus quas ratio adinuenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei, & similium, & huiusmodi ens rationis est propriè subiectum Logicæ.*

Supponenda ergo sunt, quæ de terminis primæ, & secundæ intentionis diximus in primo libro Summularum, & sumitur intentio in præsenti, non prout dicit actum voluntatis, qui distinguitur ab electione, & respicit finem, sed pro actu, seu conceptu intellectus, qui dicitur intentio generali modo, quia tendit in aliud, scilicet in obiectum. Et ita sicut conceptus alius est formalis, alius obiectiuus, scilicet ipsa cognitio, vel res cognita, ita alia est intentio *formalis*, alia *obiectiua*: obiectiua *dicitur ipsa relatio rationis, quæ attribuitur rei cognita*: formalis verò *ipse conceptus per quem formatur*, sicut quando concipimus animal tanquam superius ad sua inferiora, ipsa vniuersalitas ex parte animalis se tenens dicitur intentio obiectiua, seu passiua; ipse verò conceptus, quo sic concipitur animal, dicitur intentio formalis, & sic aliud est formalis intentio, vt distinguitur contra obiectiuam, aliud formalitas intentionis secundæ, vt distinguitur contra fundamentum, & tenet se ex parte obiecti cogniti; hæc enim semper est aliquid rationis, vtpotè ex cognitione resultans, illa verò est actus realis.

Vocatur verò *secunda* intentio ista, secundùm differentiam *à prima*, quasi dicatur secundus status, seu conditio obiecti. Potest enim obiectum considerari in duplici statu, primo secundùm quod est in se, siue quantum ad existentiam, siue quantum ad quidditatem. Secundo, vt est in apprehensione; & status iste essendi in cognitione est secundus respectu status essendi in se, qui est primus; quia sicut cognoscibilitas sequitur ad entitatem, ita esse cognitum est post illud esse quod habet in se: illæ ergo affectiones, seu formalitates, quæ conueniunt rei prout in se, vocantur primæ intentiones; quæ conueniunt rei prout cognita, vocantur secundæ; & quia pertinet ad Logicam dirigere res secundum quod sunt in apprehensione, ideò per se considerat Logica intentiones secundas, quæ conueniunt rebus vt cognitis.

Ex quo deducitur primò. Quod non omnis relatio rationis est secunda intentio, omnis tamen secunda intentio formaliter sumpta, & non solùm fundamentaliter est relatio rationis, non forma realis, non denominatio extrinseca, vt malè aliqui putant. Prima pars constat manifestè: Quia licet omnis relatio rationis resultet ex cognitione; non tamen omnis ista relatio denominat rem solùm in statu cogniti, qui est status secundus, sed etiam in statu existentiæ extra cognitionem, sicut relatio Creatoris, & Domini non denominat Deum in se cognitum, sed Deum existentem; & similiter esse Doctorem, esse Iudicem. Neque enim homo vt cognitus est Doctor, aut Iudex, sed homo existens, & ita denominant

minant illæ relationes pro statu existentiæ.

Vbi Discerne, Quòd licèt cognitio sit causa, ex qua resultat relatio rationis (quod omni enti rationis commune est) & ita vt conueniat, & denominet relatio rationis aliquod subiectum, necessariò exigat cognitionem, non tamen semper cognitio reddit ipsum obiectum aptum, & congruum susceptiuum talis denominationis, ita vt solùm conueniat illi in esse cognito, sed solùm hoc contingit in intentionibus secundis. Et ita relatio Creatoris & Domini, Iudicis & Doctoris, vt denominet subiectum requirit cognitionem, quæ talem relationem causet, sed non quæ constituat subiectū in esse cognito capax, vt denominationem illam suscipiat: At verò esse genus, vel speciem, non solùm supponit cognitionem causantem tales relationes, sed etiam supponit cognitionem, quæ reddat subiectum abstractum ab inferioribus, & super rem sic abstractam cadit illa denominatio.

Secunda verò pars. est expressa Diu. Thom. opuscul. 42. cap. 12. vbi dicit: *Quod secundæ intentiones sunt proprietates conuenientes rebus, ex eo quod sunt in intellectu*, & quæstione 7. de potentia art. 9. *Quod sequuntur modum intelligendi*, & 4. Metaphysic. lection. 4. *Quod conueniunt rebus provt cognitæ ab intellectu.* Non ergo reales formæ sunt, sed rationis; & constat hoc, tum quia ratio generis, & speciei, & reliquorum vniuersalium consistit in relatione superiorum ad inferiora, quæ non possunt esse relationes reales, aliàs daretur vniuersale formaliter à parte rei, tum etiam quia istæ intentiones supponunt pro fundamento esse cognitum, sicut genus supponit rem esse abstractam ab inferioribus, & ratione abstractionis ei conuenit, ergo supponit denominationem extrinsecam cogniti, & abstracti, non verò formaliter estipsa denominatio extrinseca, & multo minus sunt formæ reales, sic enim descenderent ad ipsa singularia, in quibus realiter inuenirentur, & non solum in abstracto à singularibus. Ipse autem actus intellectus, est quidam actus realis, sed non est ipsa intentio secunda obiectiua, de qua nunc agimus, sed formalis ex qua ista obiectiua resultat.

Secundò sequitur. Quod licet prima intentio absolutè sumpta debeat esse aliquid reale, vel conueniens alicui in statu realitatis, aliàs non esset simpliciter prima, quia semper id quod est reale præcedit, & prius est eo quod est rationis, nihilominus tamen nō repugnat etiam in ipsa secunda intentione, aliam secundam intentionem fundari, & tunc secunda intentio fundans induit quasi conditionem primæ intentionis respectu alterius fundatæ, non quia sit simpliciter prima, sed quia est prior illa quam fundat. Nam cum intellectus sit reflexiuus supra suos actus, potest ipsam secundam intentionem reflexè cognoscere, & super ipsam cognitam fundare aliam secundam intentionem, sicut intentio generis quæ tribuitur animali, iterum vt cognita potest fundare secundam intentionem speciei, quatenus intentio generis est quædam species prædicabilis. Et tunc secunda ista intentio fundata, denominat priorem fundantem, ratione cuius dicitur, quod genus formaliter est genus, & denominatiuè species. Quod frequenter contingit in istis secundis intentionibus, quod secundum se vna formaliter sit talis, & denominatiuè, vt cognita sit alia, & nihilominus omnes istæ dicuntur secundæ intentiones licèt vna fundetur super aliam, non tertia vel quarta intentio, quia omnes conueniunt obiecto vt cognito, esse autem cognitum est semper status secundus rei. Et quia vna intentio, vt fundat aliam induit quasi conditionem primæ respectu illius, & sic alia quæ fundatur semper dicitur secunda.

Dices. Secunda intentio respicit primam, vt correlatiuum, quia secunda dicitur per respectum ad primam, ergo nō vt fundamentum, sed vt terminum. *Item.* Secunda intentio prædicatur de suo fundamendo, vt *homo est species*, sed secunda intentio non prædicatur de prima, nam hæc est falsa, *prima intentio est secunda intentio*, ergo non fundatur in illa.

Respondetur ad Primum. Secundam intentionem non respicere primam, vt correlatiuum per modum termini, sed per modum subiecti cui attribuitur, & quod denominat, vel in quo fundatur, & sic dicitur per ordinem ad primam, vt ad subiectum, non vt ad terminum, sicut relatio dicitur per ordinem ad absolutum, vt ad subiectum, vel fundamentum, non verò vt ad correlatiuum, nisi induat rationem termini, & tunc erit aliquid respectiuum, seu correlatiuum non vt subiectum, vt dicemus in Prædicamentis relationis. Et similiter correlatiuum formale secundæ intentionis semper est aliqua secunda intentio, vt genus ad speciem, & ècontra.

Ad secundum Dicitur. Quod secunda intentio prædicatur de prima in concreto, sicut album de homine, sed non in abstracto, & ideò est verum quod *homo est species*, & falsum quod *prima intentio sit secunda intentio.* Nam etiam secundæ intentiones nomine abstracto significari possunt, tam in communi per hoc nomen, *secunda intentio*, quam in particulari, vt hoc nomine, *Vniuersalitas, Genereitas*, & similia, quæ solùm important formam rationis in abstracto, subiectum autem, seu rem in qua fundantur, non significant directè, sed in obliquo, sicut albedo in abstracto importat corpus in obliquo, quia est qualitas corporis.

Si quæras. Quotuplex sit secunda intentio, & quomodo *diuidatur*? *Respond.* Omnem relationem diuidi ratione sui fundamenti proximi, seu rationis fundandi, vt dicemus in prædicamento relationis. Vnde similiter relatio rationis, quæ ad instar relationis realis formatur rectè diuidetur per sua fundamenta. Cum autem fundamentum secundæ intentionis sit res vt cognita, & vt subest statui apprehensionis juxta diuersum ordinem cogniti, ad cuius ordinationem secunda intentio formatur, sumetur quoque diuisio secundæ intentionis. Vnde quia aliter ordinatur & dirigitur prima operatio intellectus, aliter secunda, & aliter tertia, ideò penes diuersas ordinationes istarum operationum, diuidetur secunda intentio, & in qualibet operatione secundum diuersum ordinem dirigibilitatis erit diuersa intentio, sicut in prima operatione alia est intentio termini, quæ ordinatur, vt pars enunciationis, & syllogismi, sub qua diuersæ intentiones partis continentur, sicut ratio Nominis, ratio Verbi, & aliorum terminorum: alia est intentio vniuersalitatis per modum superioris prædicabilis, quæ etiam diuiditur in varios modos vniuersalitatis, vt genus, species, &c. Cui correspondet intentio subijcibilitatis sicut inuenitur in indiuiduo, & aliis inferioribus prædicatis.

In secunda autem operatione inuenitur intentio orationis, quæ diuiditur per varios modos orationis perfectæ, & imperfectæ, rursus propositio quæ est vna ex orationibus perfectis diuiditur per affirmatiuam, & negatiuam & alias diuisiones, quas libro secundo summularum explicauimus. Et rursum propositio fundat alias secundas intentiones, quæ sunt proprietates propositionis, vt oppositio, & conuersio, quæ pertinent ad totam propositionem, & suppositio, & ampliatio, prædicatum, & subiectum,

aliaque

aliaque similia, quæ sunt proprietates partium propositionis, vt in eodem libro explicandum est.

Denique in tertia operatione est intentio consequentiæ, seu argumentationis, quæ diuiditur per inductionem, & syllogismum, & illa per ascensum, & descensum, hic per varios modos, & figuras, de quibus ibidem dictum est.

ARTICVLVS III.

Quid sit distinctio, & vnitas rationis ratiocinatæ, & ratiocinantis?

EXplicatio istorum terminorum maximè conducit ad plura quæ in Vniuersalibus tractantur circa distinctionem graduũ superiorum, & inferiorum, pluribus etiam Quæstionibus, Metaphysicis, & Theologicis deseruit. Vnde exacta huius difficultatis resolutio illuc reseruanda est. Hic tamen saltem rudiori Minerua ipsos terminos oportet declarare.

Igitur aduertendum est, quod ista nomina, *Distinctio, Pluralitas, Diuisio, Separatio, Diuersitas, Differentia*, licèt aliquando promiscuè accipiantur pro eodem, non tamen sub eadem formalitate significant. Nam *Distinctio seu Pluralitas*, vel *Multitudo* opponuntur vnitati, vel identitati, *Diuisio* verò vel *Separatio* vnioni, seu continuitati: *Diuersitas*, &, *Differentia*, dicunt distinctionem cum inclusione, vel exclusione conuenientiæ: ea enim sunt diuersa, quæ in nullo conueniunt, & in alio distinguuntur, non autem se totis diuersa sunt, de quo Philosoph. & Diu. Thom. 5. Metaphys. lect. 12.

Loquendo ergo in genere, conueniunt communiter Authores, quod sicut dantur solùm duo genera entiũ scilicet realis, & rationis, ita datur solùm duplex distinctio, scilicet realis, & rationis, vnitas enim, & distinctio debent sequi ordinem, & rationem entis, & sicut non dantur plura genera entium, & implicat dari ens medium inter reale, & rationis, ita nec plura genera distinctionum.

Et quidem distinctio realis in genere loquendo, est *Remotio, seu carentia identitatis, quæ datur à parte rei, sine apprehensione, seu fictione intellectus.* Distinctio verò rationis, *quæ beneficio intellectus fit, & in re non datur.* Diuidi autem solet hæc distinctio rationis in distinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ. Illa prima dici solet distinctio, quæ fingitur ab intellectu sine fundamento in re, & ita solum est distinctio quoad modum significandi, & intelligendi, sicut quando idem apprehenditur prædicari de se, & distingui à se. Secunda verò dicitur formata ab intellectu cum fundamento in re, vt quando distinguimus in Deo attributa & in eadem forma, seu natura gradus, seu prædicata essentialia, quę sunt eiusdem entitatis. Distinctio realis diuiditur in realem simpliciter, vt inter duas res, v. g. Petrum, & Paulum, quantitatem, & qualitatem, & in realem modalem, seu formalem, vt inter rem, & modum, v. g. inter hominem & sessionem, vel vbi, siue inter duos modos, qui realiter identificantur cum subiecto, id est ab illo realiter non differunt, modaliter autem distinguntur. Dari autem entitates modales minores realibus, in Metaphysica probandum est, hîc supponendum.

Caterùm, duplicem illam distinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ non omnes admittunt. Sed quidam explodunt distinctionem rationis ratiocinantis, & solum admittunt illam, quæ habet fundamentum aliquod in re, distinctionem verò rationis ratiocinantis, vtpotè fictam solùm esse repetitionem eiusdem conceptus, sine resultantia alicuius distinctionis in conceptu obiectiuo. Videatur Suarez in Met. disp. 7. sect. 1. Vazq. 1. p. dist. 117. c. 3. Alij verò putant ex hac distinctione ficta etiam in conceptus obiectiuos refundi aliquam distinctionem, non tamen in ipsis fundari.

Sed per aliud extremum videntur procedere ij, qui solam admittunt distinctionem rationis ratiocinantis, eo quod non assignent pro fundamento distinctionis rationis aliquid, quod sit à parte rei vnum, cum virtuali distinctione, sed existimant distinctionem virtualem re vera actualem esse ex natura rei, & secluso opere intellectus, in quo subtilitas Scoti, & tota eius schola cum D. Th. controuertit. Existimat enim Scotus, quod præter distinctionem realem siue modalem, quæ in re versatur inter res, seu modos saltem de potentia Dei separabiles, & distinctionem rationis, quæ consistit, & sumitur ex diuersis conceptibus, dari aliam, qua vnum ex ipsa natura, & essentia sua, & ante omne beneficium intellectus non est de intrinseco & formali conceptu alterius, & ita in sensu formali non identificantur, & consequenter formaliter diuiduntur, licet in eadem realitate, & entitate conueniant, & ita conueniant, quod nec de potentia absoluta separari possint. Et ita vocat hanc distinctionem, *formalem ex natura rei*, id est, negantem identificationem in sensu formali ex ipsa propria rei natura, ratione cuius opposita seu contradictoria possint verificari de istis formalitatibus. Quare distinctio rationis non supponit fundamentum distinctionis virtualis in re, sed hoc ipso quod res ex se habet rationes, diuersos conceptus fundantes, id est, quorum vnum non est de conceptu alterius, ex natura sua actualem diuisionem, seu negationem identitatis habet, & sic solùm remanet distinctio rationis ratiocinantis.

Qui verò distinctionem rationis ratiocinatæ admittunt, id est, cum fundamento in re non eodem modo assignant hoc fundamentum. Nam quidam existimant in ipsa re, quæ per rationem distinguitur nec actualem, nec virtualem distinctionem supponi, sed sufficere quod res aliqua sit cognoscibilis ad instar eorum, quæ realiter distincta sunt, & cum connotatione quadam ad illas, cum imperfecto tamen modo attingendi & cognoscendi rem. Quod tenet Vazq. vbi supra, & declarat Torrejon tract. 2. disputatione 1. quæstion. 1. Alij verò videntes, quod imperfectio cognoscendi vnum, & idem ad instar eorum quæ realiter distincta sunt saluari possunt etiam, quando sine vllo fundamento distinguere volo id quod formaliter est vnum & idem, & de conceptu intrinseco illius, solum quia ad similitudinem diuersarum rerum id afingo, dixerunt fundamentum distinctionis rationis requirere in ipsa re quæ distinguitur, aliquam eminentiam vnientem diuersas perfectiones seu formalitates, quod vocatur virtualis distinctio, quia eadem forma virtute facit sola quidquid facerent diuersæ, vt ex Caiet. 1. p. q. 39. art. 1. §. *Ad secundum vero* colligitur. Cum adiungi debet imperfectus modus intelligendi non valentis totam illam eminentiam vnico actu attingere, sed diuersis conceptibus, licèt alij neque hoc requirant.

Dico primò. Distinctio rationis ratiocinantis est illa, quæ inter extrema, quæ distinguit, nullam identitatem tollit ex parte obiecti neque materialiter, seu entitatiuè, neque formaliter, atque adeò distinctionem virtualem non supponit, sed tota distinctio est in ipso modo significandi, & concipiendi. Distinctio verò rationis ratiocinatæ est, quæ relinquit ex parte obiecti identitatem materialem, sed non formalem, seu virtualem. Vocamus identitatem formalem illam, quæ

proprio, & formali conceptu exprimitur, seu quo formaliter aliquid cõstituitur. Vnde dicuntur differre formaliter, quæ differunt definitione, seu ratione propria. Identitatem materialem, seu in sensu identico vocamus, quando aliqua sunt idem in ipsa entitate, & realitate, non in ipsa ratione, quæ per se primò significatur. De qua distinctione videndus est Caiet. de ente & essentia, cap. 3. littera E. Sumiturque ex Diu. Thom. 1. part. quæstion. 13. articul. 4. & quæstione 7. de Potent. artic. 6. & 1. contra Gent. capitul. 36. vbi inquit: *Quod quamuis nomina de Deo dicta eandem rem significent, non tamen sunt synonima, quia non significant eandem rationem.* Ac denique 1. part. quæstione 41. articulo 4. ad 3. in fine inquit. *Quod inter intelligere, & intellectum in Deo solùm datur distinctio ex modo significandi*, quæ vtique distinctio est rationis ratiocinantis. Itaque istæ duæ distinctiones sic se habent, quod vna minus tollit de identitate extremorum quam alia, cum manifestum sit minorem esse distinctionem rationis ratiocinantis quam ratiocinatæ, illa enim sic dicitur, quia solùm ex ipso intelligente, seu ratiocinante originatur, hæc verò etiam ex ipso obiecto fundamentum præbet. Ergo si relinquit in obiecto omnem identitatem, tam in sensu identico, quam formali, nullo modo ab ipso obiecto originatur distinctio, sed solùm ab intelligente, si verò obiectum sit quidem vnum, sed non in omni sensu, licèt in re habeat identitatem, fundabit respectu intelligentis distinctionem.

Dico secundò. Ad fundamentum distinctionis ratiocinatæ non sufficit distinctio earum rerum ad quarum instar fit distinctio, sed in ipso obiecto requiritur fundamentum distinctionis. *Ratio* est clara, quia vel in ipso obiecto, quod distinguitur est aliqua proportio, seu fundamentum, vt ad instar illarum rerum distinctarum concipiatur, vel non: Si primum, iam non sumitur tota ratio distinguendi ex parte eorum ad quorum instar concipitur, sed ex parte ipsius obiecti, quod hanc proportionem & fundamentum habet. Si secundum, ergo stat, quod sine vllo fundamento rem istam concipiamus in ordine ad ea quæ distincta sunt, & sic sine fundamento distinctionem rationis ratiocinantis, sicut si idem à se ipso distinguas, concipiendo illud in ordine ad res diuersas.

Dico tertiò. Distinctio rationis ratiocinatæ non supponit distinctionem aliquam ex natura rei actualem ex parte obiecti, nec illa datur: Quando verò actualiter fit ab intellectu ista distinctio, ex conceptibus intellectus resultant diuersi conceptus obiectiui non in esse rei, sed in esse obiecti, & representati. De prima parte conclusionis dicemus quæstion. sequent. articul. 9. Inter Thomistas est communis, & apud multos negantes illam distinctionem formalem ex natura rei mediam inter realem, & rationis. Et videri potest Caiet. 1. part. quæst. 39. articul. 1. & de ente, & essentia, cap. 6. quæstion. 12. & M. Soto quæst. 3. Vniuers. Curs. Carmel. disput. 3. Vniuers. q. 4. Breuiter dicimus, quòd licèt Scotus & eius schola non neget illam distinctionem verè existere à parte rei, & quantum ad hoc realem esse, sed affirmat solùm consistere in hoc quod vnum realiter quidem sit alterum, sed tamen realiter vnum non sit de conceptu alterius. Cæterum ex hoc ipso sumitur fundamentum ad negandum istam distinctionem esse veram, & actualem à parte rei ante operationem intellectus, quia illa non identificatio formalis non est aliud, quam negatio habitudinis, & connexionis intrinsecæ vnius cum alio, sed hæc negatio non sufficit constituere extrema distincta actualiter, & distinctionem ipsam reddere realem, ergo, &c. *Major* est certa, quia vnum esse de cõceptu formali alterius, nihil aliud est, quam habere connexionem, seu habitudinem essentialem, & intrinsecam cum alio, ergo negatio istius identitatis, solùm est negatio istius habitudinis, & connexionis. Minor probatur. Posita illa negatione habitudinis essentialis tantum, extrema non manent ita distincta, quod possint fundare inter se relationem huius distinctionis, vt patet in attributis diuinis, quæ Scot. ponit hoc modo distingui, & tamen inter vnum, & aliud non sunt relationes reales, solùm enim quatuor relationes reales notionales agnoscunt Theologi, & in eodem homine in quantum homo, ad se ipsum, vt animal non datur relatio realis, ergo neque distinctio, quia distinctio, relatio quædam est, si ergo non existit in re illa relatio, neque distinctio.

Secunda verò pars conclusionis, ex eo explicatur, quia apprehensio non causat aliquid in genere rei in obiecto apprehenso, sed tantum in genere cogniti, & in hoc conueniunt, tam distinctio rationis ratiocinantis, quam ratiocinatæ, sed differunt in hoc, quod distinctio rationis ratiocinatæ, ita distinguit ipsa extrema, quod non omnia, quæ manifestantur respectu vnius conceptus, manifestantur etiam respectu alterius, sed in vno relucet aliqua ratio, vel formalitas, quæ in alio non relucet, eo quod obiectum respectu talis luminis, & cognitionis non est ex omni parte, seu formalitate manifestabile: vbi autem est diuersa manifestatio, & diuersum manifestabile, resultat diuersa ratio obiecti in esse obiecti, id est, in esse cognoscibilis, seu manifestabilis, non in esse rei, & ita respondet diuersum obiectum conceptibus istius distinctionis rationis ratiocinatæ. At verò distinctio rationis ratiocinantis non respicit diuersam manifestationem in obiecto, ita quod vnum extremum manifestetur vni conceptui, & alterũ alij, sed idem extremũ, seu obiectum manifestatur vtrique conceptui, quantum ad intrinsecam rationem obiecti, nam si diuersa formalitas, seu ratio representaretur vni, & alteri, non haberent identitatem secundum formales rationes, sed in illis differrent, atque adeò in esse obiecti.

Et ex hoc Aliqui, vt Suarez & Vazq. vbi supr. videntur esse moti ad dicendum, quod distinctio rationis ratiocinantis non est propriè distinctio ex parte conceptus obiectiui, sed solùm repetitio conceptus formalis circa idem omninò obiectum: In quo tamen falluntur, quia vis concipere, seu cognoscere idem obiectum non sufficit ad distinctionem rationis ratiocinantis: Alioquin etiam sensus externus videndo Petrum dicetur facere hanc distinctionem. Oportet ergo, quod vt intellectus illam faciat, aliquam comparationem, vel respectum apprehendat in ipso obiecto, quo accipiat ipsum, quasi duo, non quidem secundum diuersas rationes in ipso obiecto intrinsecas, ex parte eius fundatas, sed ex ista comparatione extrinseca resultãtes, sicut quando prędicatur idem de se ipso, vt *Petrus est Petrus*, fit quædam comparatio eiusdem ad se ipsum, ratione cuius quasi duplicatum concipio ipsum Petrum, & ita fit distinctio non quasi in ipso obiecto intrinsecè, & secundum propria considerato, sed quasi extrinsecè, & secundum comparationem, vel respectum adiunctum. In distinctione autem rationis ratiocinatæ, licèt versetur circa eandem rem, quia tamen non adæquatè omnes ipsius rationes representat, quilibet conceptus respiciens distinctam rationem in ipso obiecto format distinctam rationem obiecti, quasi intrinsecam, quia ex his, quæ ipsi obiecto intrinsecè conueniunt, accipit vnum, & relinquit aliud, & ita in esse obiecti, quasi intrinsecè fit ista distinctio, quia in rationibus, quæ in obiecto inueniuntur, fundatur. Et hoc modo distinctionem istam explicat S. Thom. in 1. sententent. distinct. 2. quæstion. 1. articul. 2. Et sumitur etiam ex locis supra citatis, dum inquit: *Quod diuersi conceptus, seu nomina de Deo, licet eandem*

eandem rem significent, sed non eandem rationem. Et in 1. distinct. 22. quæst. 1. artic. 3. *Dicimus*, inquit, *Deum verè esse sapientem, & bonum, & non tantum in intellectu ratiocinantis, & inde veniunt diuersa nomina attributorum, quæ omnia quamuis significent vnam rem, non tamen secundum vnam rationem.*

Nec obstat. Quod in opuscul. 9. in principio dicit Diu. Thom. *Quod distinctio inter attributa Diuina non est ex parte ipsius Dei, sed in conceptionibus intellectus, in quibus est diuersa ista ratio significata subiectiuè*: In his enim verbis, vel aliis similibus solùm docet Diu. Thom. quod distinctio ista actualiter solùm habetur per conceptiones intellectus, & non autem ex parte Dei, quod verò ex conceptione intellectus resultet distinctio in obiecto in esse obiecti, vel in illo fundetur in quantum manifestatur vna ratio ex parte obiecti, & alia non, Diu. Thom. non negat, imò in aliis locis citatis apertè affirmat.

Dico vltimò. Fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ ex parte obiecti est virtualis aliqua distinctio, seu eminentia rei, quæ vnica existens plures rationes, seu perfectiones continet in aliquo esse: Ex parte autem nostri intellectus est imperfectio ipsius non adæquatè concipiens omnes illas rationes obiecti, sed diuersis conceptibus ea attingens, seu comparans. De hac conclusione videndus est D. Thom. citato loco primi sententiarum dist. 2. quæst. 1. art. 2. vbi luculenter eam tractat, & docet, & Caietan. 1. p. q. 39. art. 1. *Ratio* autem est: quia res aliqua quanto superior, & eminentior est, plures perfectiones vnit, quam inferior, vnde in vna entitate simpliciori modo inueniuntur rationes, quæ in inferioribus diuersas entitates constituerent: vnde intellectus si lumine suo non manifestat omnes illas rationes, sed vno conceptu attingit vnam, & alio aliam, distinguit illas in esse obiecti cum tamen in esse rei distincta non sint, sed vnum. Fundamentum ergo huius distinctionis consistit in eminentia, seu vnitate rei continente plures rationes, simul cum intellectu inadæquatè attingente illam, & sic pluribus conceptibus diuidente, & abstrahente vnam rationem ab alia. Hac ratione distinguit noster intellectus diuina attributa, quæ in vna forma diuinitatis sunt vnũ, quia tamen illa forma adæquatè nõ attingitur à nostro intellectu, sed ad instar rerum creatarum, diuidit illas secundum diuersos conceptus explicando vnam rationem, & non explicando aliam. Hoc etiam modo gradus Metaphysici, idest, prædicata superiora, & inferiora, vt esse animal, esse viuens, in eodem indiuiduo distinguntur ratione ratiocinata, vt infra latius dicetur. Et sic in singulis distinctionibus ratiocinatæ inuenietur, quod omnes illæ habent radicem, & principium in aliqua forma, quæ secundum aliquam vnitatem formæ, vel eminentiam continet plures rationes, ab intellectu autem inadæquatè illas attingente diuiduntur. Videatur D. Thomas locis supra citatis, & libro de ente, & essentia cap. 3. Logico enim istam libare sufficiat de his distinctionibus.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur. Ad probandum, quod distinctio rationis ratiocinatæ fundatur supra aliquam distinctionem ex natura rei; quia ante operationem intellectus concurrunt omnia principia sufficientia ad distinctionem actualem, eo quod ante operationem intellectus verificantur duo contradictoria, quæ respectu eiusdem verificari non possunt, sed de distinctis; siquidem omnis oppositio quædam distinctio est, si ergo in re verificatur oppositio, etiam & distinctio. Est autem verum dicere ante operationem intellectus. Animal non est propria, & specifica natura hominis, rationale autem sic. Quod essentia diuina communicatur. Persona autem non communicatur: Quod filius procedit per intellectum, non verò per voluntatem: Ergo istæ rationes ex natura rei habent aliquam distinctionem. Similiter ante operationem intellectus verificantur diuersæ definitiones, quià aliter definitur animal, aliter homo, aliter Natura, aliter Persona in Diuinis, & similiter attributa: quæ autem diuersas habent definitiones, etiam & diuersa constitutiua. Et ita si à parte rei diuerso modo definiuntur, etiam ex natura rei distinguuntur. *Denique.* Quia conceptus formales circa ista obiecta sunt distincti, ergo supponunt ipsos obiectiuos esse distinctos, aliàs fieret circulus, quod conceptus formales distinguerentur per obiectiuos, obiectiui verò per formales.

Respond. Quod omnia ista non sunt sufficientia indicia distinctionis actualis ex natura rei, sed sufficit virtualis, qualis inuenitur in eminentia alicuius formæ, non actualiter separantis, sed vnientis diuersas rationes; nam contradictoria possunt verificari de eodem, sub diuersis rationibus concepto, non sub eadem, præsertim quando contradictoria fiunt sub aliqua reduplicatione, vel appellatione saltem virtuali, vt quia explicant aliquem actum, vel rationem pertinentem ad aliquem actum animæ, vel significationem alicuius formalitatis, vt quod essentia communicatur, persona nõ communicatur; filius procedit per intellectum, non per voluntatem, explicatur enim proprius actus notionalis procedendi, communicandi, vel non communicandi, atque adeò cadunt illa contradictoria super naturam, vel personam sub proprio conceptu personæ, vel naturæ. *Et ad instantiam* quod ista contradictoria in re verificantur, & omnis oppositio facit distinctionem. *Resp.* quod contradictoria verificantur in re ratione diuersarum rationum virtualium, quæ fundamentaliter non actualiter sunt diuersa. Et oppositio facit distinctionem quando inducit limitationem, quæ ipsas formas separet. Si verò in aliqua forma eminentiori fiat vniente plures rationes facit distinctioné virtualem, non actualem. *Similiter.* Animal non est natura specifica hominis sumendo animal sub abstractione ab homine, & in quantum est illi commune, & rationale pertinet ad propriam naturam hominis, vt distinguitur ab animali, & sic ista non sunt contradictoria, quia non sunt eiusdem de eodem, id est, vt stat sub eodem conceptu, & manifestatione.

Ad id quod dicitur de definitione, Respond. Quod cum aliquid definiatur in quantum apprehenditur, non repugnat, quod si de eodem apprehenduntur, & præscinduntur diuersæ rationes formales, etiam diuersò modo definiantur, & explicentur.

Ad vltimum dicitur. Non committi circulum; quia conceptus formales distinguuntur ex diuersis obiectiuis non actualiter, sed virtualiter diuersis, actu tamen in ipsa apprehensione redditis diuersis.

Secundò, Arguitur, ad probandum quod non inuenitur distinctio rationis in ipsis obiectis, sed solùm in conceptibus, & denominatione extrinseca obiectorum. Nam ista distinctio nihil ponit actu in obiectis in genere rei vt reddat illa distincta, nisi denominationem rationis qua obiectum redditur sic, vel sic cognitum, ergo hæc distinctio non inuenitur formaliter, nisi in conceptibus, in obiecto autem secundum extrinsecam denominationem.

Et confirm. Quia istæ formalitates non repræsentantur, vt distinctæ, quasi ex natura sua distinctæ sint, vt contra Scotum diximus; nec quia sint obiectiuè distinctæ, ita quod repræsentetur vna, & non alia; quia hoc non sufficit, vt dicantur esse plures, nam nisi

fiat distinctio ab intellectu non resultat pluralitas. Si autem fit distinctio, & ex parte obiecti non correspondet ei diuisio ex natura rei; ergo verè intellectus non diuidit, ergo solùm potest dici distinctio, quia dantur diuersi conceptus denominantes obiectum, non tamen quod illi distinctioni conceptuum aliqua distinctio ex parte obiectorum respondeat.

Respond. Quod ista distinctio conceptuum non ponit aliquam distinctionem in obiecto in esse rei, sed in esse obiecti manifestabilis in quantum inadæquatè obiectum ipsum attingitur, & manifestatur quantum ad vnum, & non quantum ad aliud, & hoc non est sola extrinseca denominatio, qua res dicatur cognita, sed qua dicatur diuerso modo manifestata, ex quo resultat distinctio rationis, non quidem in ipsis conceptibus formalibus, qui realiter distinguuntur, sed in ipso obiecto, vt in esse obiecti manifestato.

Ad confirm. Resp. Non oportere, quod illi distinctioni rationis per diuersos conceptus resultanti, correspondeat actualis diuisio ex parte obiecti extra intellectum, sed sufficit quod correspondeat virtualis, secundum quod est inadæquatè manifestabilis, vel comparabilis ad diuersos conceptus, & sic verificatur illa cognitio distinguens. Neque enim affirmat, quod à parte rei sint distincta, sed sine affirmatione respicit vnam rationem, & non aliam, seu rem, vt virtualiter distinctam, quæ diuersam manifestationem, & conceptum fundat, abstrahentium enim non est mendacium, neque falsitas. Vndè dicit S. Thom. 1. contra Gent. cap. 36. *Quod intellectus concipiens multa de vno non est falsus, quia illud simplex esse diuinum huiusmodi est, vt ei secundum formas multiplices aliqua assimilari possint.*

ARTICVLVS IV.

Per quam potentiam, & per quos actus fiant entia rationis.

Constat potentias quibus fit ens rationis debere esse potentias operantes immanenter, nam quæ transeunter operantur, patet facere aliquid extra intellectum existens, potentiæ autem immanentes, aliæ sunt cognoscitiuæ, aliæ appetitiuæ. Et de appetitiuis, Aliqui dixerunt etiam ex voluntate resultare entia rationis, vt Scotus contra quem agit Caietanus 1. p. q. 28. art. 1. quamuis Scotus loqui videatur de ente rationis non strictè, sed prout hoc nomen *Ratio* comprehendit intellectum, & voluntatem in 3. distin. 26. quæ. 2. §. *Resp.* Imò Aliqui hoc extendunt ad quamlibet potentiam, vnde resultat in obiecto extrinseca denominatio, eo quod existimans ens rationis in denominatione extrinseca consistere, de quibus diximus præced. artic. De potentiis verò cognoscitiuis dubitari potest saltem de sensibus internis, vt de imaginatiua, vel Phantasia, quia multa fingunt, & imaginantur, quæ sunt entia omnino ficta.

De actu verò formante ens rationis in duobus etiam potest esse dubium. Primò. *An possit fieri per actum absolutum*, qualis est operatio simplex, An requirat aliquem comparatiuum, vel compositiuum. Secundò: *An requirat actum reflexum*, quo cognoscatur de ipso ente rationis formato tanquam de obiecto cognito, ad hoc vt existat; An vero sufficiat actus directus, quo cognoscatur aliquid quod non est ens ad instar entis.

Dico primò. Neque voluntas, neque sensus externi formant entia rationis, ita quod ex vi actuum eorum habeant esse. Conclusio est certa, & probatur vnica ratione. Quia tam voluntas, quàm sensus externi non formant suum obiectum, sed extra se supponunt formatum, ergo non fingunt aliquid intra se, sed si respiciunt obiectum fictum, ab alio supponunt esse fictum, & formatum. Anteced. patet in voluntate quæ supponit obiectum propositum per cognitionem, siue sit verum, siue apparens, ergo ipsa non facit obiectum, sed in obiectum propositum fertur. Sensus verò externi feruntur in obiecta extra se posita non intra se: quidquid autem habet esse extra potentiam cognoscentem non est ens rationis.

Nec obstat, quod sensus falli videatur in multis, atque adeò fictè cognoscere, non enim fallitur sensus externus in se, sed occasionaliter dicitur falli, quia præbet occasionem intellectui, vt fallatur, sicut visus videns aurichalchum, non fallitur iudicando, quod sit aurum, sed hoc iudicium pertinet ad intellectum, visus autem solùm apprehendit illam apparentiam coloris aurichalchi, in quo falsitas, aut fictio non est.

Dico secundò. Sensus interni non formant entia rationis formaliter loquendo, licèt materialiter repræsentare possint id ad cuius instar formatur aliquod ens fictum, quod est materialiter formare entia rationis: Dicimus *formaliter loquendo* non formare illa, id est, discernendo inter ens rationis, & ens reale, & concipiendo id, quod non est ens ad instar entis realis, materialiter autem cognoscere ens rationis, est ipsam apparentiam realis entis attingere, sed non discernere inter id quod rationis, & realitatis est, v. g. imaginatiua potest formare montem aureum, & similiter animal compositum ex capra, Leone, & serpente, quod est chymæra, sed in istis solùm attingit id quod sensibile, seu quoad sensum repræsentabile est. Quod autem habeant habitudinem ad non ens, & ex ista habitudine entia ficta, seu rationis dicantur, quod est formaliter discernere inter ens, & non ens, sensus internus non attingit.

Ratio videtur manifesta. Quia sensus internus non potest ferri in aliquid, nisi sub ratione sensibilis, quod autem id quod sibi repræsentatur, vt sensibile, opponatur enti reali, ad ipsum non pertinet iudicare, quia non concipit ens sub ratione entis. Quod autem aliquid accipiatur tanquam ens fictum formaliter consistit in hoc, quod cognoscatur nihil entitatis habere in re, & tamen ad instar entis attingi, alioquin non discernitur ens reale, & ens fictum, sed solùm attingitur illud ad cuius instar formatur ens rationis, quod quando est aliquid sensibile non repugnat à sensu cognosci, sed ad sensum solùm pertinet id, quod in illo de sensibilitate est attingere, habitudinem verò ad non ens cuius loco subrogatur, & vnde fictè habet esse, ad sensum non pertinet, & ideò ens fictum sub formali ratione ficti ab ente vero non discernit.

Quod verò ens fictum materialiter possit cognosci sensus, constat manifestè, non quidem, quia sensus etiam externus potest, v. g. cognoscere colorem fictum, seu apparentem; quia iste color licèt apparenter sit color, non tamen est ens fictum, sed verum, & reale, scilicet aliquid ex luce resultans; sed ex eo probatur. Quia sensus internus multa ad inuicem componit, quæ extra se nullo modo sunt, aut esse possunt; cognoscit ergo aliquid quod in se est ens fictum, licèt ipsam fictionem non apprehendat, sed solùm id quod in illo ente ficto tanquam sensibile se offert: Priuationem autem proprij obiecti, vt tenebras, sensus non percipit fingendo illas admodum entis, sed actum videndi non eliciendo.

Dico tertiò. Intellectus indiget aliquo actu comparatiuo, vt entia rationis formentur, & dicantur formaliter esse, & non solùm fundamentaliter. Hæc conclusio sumitur ex D. Thom. 1. Periherm. lect. 10. vbi inquit:

Quod

Quod huiusmodi intentiones (de vniuersalibus loquebatur) *intellectus format secundum quod comparat eas ad res, quæ fiunt extra animam.* Et quæst.7.de potentia, articul. 11. inquit: *Quod relationes rationis aliæ sunt quas intellectus inuenit, & attribuit rebus intellectus, aliæ verò quæ consequuntur modum intelligendi, licèt illum modum intellectus non adinueniat, sed ex modo intelligendi consequatur. Et primas quidem relationes ratio adinuenit considerando ordinem eius, quod est in intellectu ad res, quæ sunt extra, vel etiam ordinem intellectuum adinuicem; aliæ verò consequuntur ex eo, quod intellectus intelligit vnum in ordine ad aliud.* Ergo omnes intentiones existimat D. Thom. formari per aliquem actum comparantem.

Ratio conclusionis est. Quia omne ens rationis, vel est relatio, vel aliqua negatio. Si relatio, debet comparatiuè apprehendi ad terminum; si negatio, debet concipi positiuè ad instar entis, quod est comparatiuè ad alterum, quæ negatio si concipitur absolutè, non concipitur positiuè, cum in se nihil positiuum sit, debet ergo concipi ad modum entis, non solum quia ex parte principij cognoscendi per speciem realem concipi debet, sed etiam quia ex parte termini cogniti debet accipi ad instar entis, & hoc exigit aliquam notitiam comparatiuam, sicut quando concipio Romam ad instar Toleti, comparatiuè concipio Romam, & non absolutè, quia connotatiuè, & respectiuè ad aliud. Ita quando negationem concipio ad instar entis non absolutè, sed respectiuè, & comparatiuè concipio illud; relatio autem rationis, quia positiuè de se dicitur, & non negatiuè, aliunde indiget comparatiua cognitione, scilicet quia relatio comparatio quædam est ad terminum, & rursus quia ad instar relationis realis concipitur, licèt in se positiuè dicatur. Nomine autem actus comparatiui non solùm intelligimus comparationem compositiuam, vel iudicatiuam, quæ pertinet ad secundam operationem, sed quamcumque cognitionem, quæ cum connotatione, & ordine ad aliud concipit, quod etiam extra secundam operationem fieri potest: vt quando apprehendimus relationem per ordinem ad terminum. Potest etiam fieri ens rationis per comparationem compositiuam, aut discursiuam, imò quia de cæcitate intellectus affirmat, *quod est*, probat Philos. & D. Thom. 5. Met. lect. 9. & alibi sæpe quod cæcitas est ens rationis. Per illam ergo enunciationem qua de non ente affirmatur aliquid, positiuè concipitur, ac si esset ens, scilicet per connotationem ad verbum, *est*.

Et dixi in conclusione, *vt entia rationis dicantur formaliter esse, & non solum fundamentaliter*; Nam fundamentum relationis rationis non requirit istam comparationem, vt patet quando simplici abstractione denudatur natura à conditionibus indiuiduantibus, & tamen ibi non est actus comparationis, sed sola præcisio ab inferioribus, sed tunc vniuersale non est vniuersale Logicum formaliter, sed Metaphysicum, quod est fundamentum intentionis Logicæ, vt infra q.4. dicetur.

Vnde colliges. Quod in relationibus rationis contingit fieri denominationem, etiam antequam actu cognoscatur per comparationem ipsa relatio, solùm per hoc, quod ponatur fundamentum, v.g. natura denominatur vniuersalis hoc ipso, quod abstrahitur etiam antequam actu comparetur, & literæ in libro clauso sunt signum etiam si actu non consideretur relatio signi, quæ est rationis, & Deus denominatur Dominus, etiam si actu non consideretur relatio dominij, sed ratione potentiæ dominatiuæ; in quo differunt relationes rationis à realibus, quia reales non denominant, nisi existant, sicut non dicitur aliquis pater, nisi actu habeat relationem ad filium, nec similis, nisi habeat similitudinem, etiamsi habeat fundamentum.

Cuius ratio est; quia in relationibus rationis esse actuale ipsarum consistit in actualiter cognosci obiectiuè, quod non prouenit ex fundamento, & termino, sed ex intellectu, vnde multa poterunt ratione fundamenti dici de subiecto sine resultantia relationis, quia hæc non sequitur ipsum fundamentum, & terminum, sed cognitionem: In relationibus verò realibus cum relatio naturaliter resultet ex fundamento, & termino, nihil conuenit ex vi fundamenti in ordine ad terminum, nisi media relatione: intelligimus autem conuenire denominationem hanc ratione fundamenti proximi, absolutè loquendo sed non omni modo, quia non sub illa formalitate, qua denominatur à relatione vt cognita, & existente, denominatur enim Deus ante relationem Dominus, sed non relatus, quod in relationibus realibus non contingit, quia non existente relatione, nullo modo denominant in ordine ad terminum.

Dico vltimò. Cognitio formans ens rationis non est reflexa respiciens ipsum tanquam rem cognitam, *vt quod*, sed illa cognitio directa, quæ ipsum non ens reale, vel quod realiter relatiuum non est, denominat cognitum ad instar entis, vel relationis realis, dicitur formare, vel ex illa resultare ens rationis.

Ratio est manifesta. Quia talis cognitio qua ipsum ens rationis denominatur cognitum reflexè, & tanquam, *Quod*, supponit ens rationis formatum, siquidem super ipsum fertur, tanquam super terminum cognitum, ergo talis cognitio reflexa non primò format ipsum, sed supponit formatum, & quasi speculatur ipsum ens rationis. Vnde ab intentionibus sic reflexè cognitis non fit denominatio in cognoscentem; sicut quando Angelus, vel Deus intelligit hominem syllogizare aut propositionem formare, non propterea dicitur Deus syllogizare, vel enuntiare, & tamen intelligit quasi in actu reflexo, & signato ipsum syllogismum, & propositionem, & intentiones Logicas; & idem est quando aliquis intelligit istas intentiones speculando naturam earum, tunc enim non formantur ipsæ intentiones speculatæ, sed super ipsas fundantur aliæ quatenus cognoscuntur in vniuersali, vel per modum prædicationis, &c. Et ita dicit S. Thom. opusc. 42. c. 2. *Quod tunc efficitur ens rationis quando intellectus nititur apprehendere, quod non est, & ideò fingit illud, ac si ens esset.* Et in 1. sent. dist. 2. quæst. 1. art. 3. dicit: *Quod intentiones consequuntur ex modo intelligendi rem extra animam*, non ergo cognitio reflexa, qua præcisè ens rationis denominatur cognitum, *vt quod*, sed qua denominatur cognitum ad instar entis id quod non est, formaliter, & per se primò format ens rationis.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur.* Nam multæ aliæ potentiæ, præter intellectum versantur circa non entia, attingendo illa, & ordinando ad instar entis realis, ergo etiam formabunt entia rationis. *Anteced. probat.* in voluntate, & sensu interno, nam voluntas tendit appetendo in bonum apparens, quod non est bonum in re, ordinat etiam vnum ad aliud, vt medium in finem, quod aliquado verè non est medium, nec verè ordinatur, ergo comparat vnum alteri, comparatione non existente in re, quod est formare ens rationis. Similiter sensus præsertim internus comparat vnum alteri formando propositiones, & discursus circa singularia, & ex speciebus diuersis format ens fictum, vt ex auro & monte, montem aureum, vt docet D. Tho. 1. p. q. 12. art. 9. Ergo cognoscit entia ficta. Et generaliter ex omni

sensu consequitur denominatio extrinseca cogniti, quæ est ens rationis.

Resp. Neg. Anteced. Ad probat. Respond. Quod voluntas cum feratur in obiectum cognitum, & apprehensum, formaliter non cognoscit illud, nec dat illi esse per rationem, sed solùm id quod resultat ex actu appetitus est aliqua denominatio extrinseca, quæ quidem est ens rationis fundamentaliter; quando autem actu cognoscitur ad instar formæ, seu relationis realis, tunc existit actu; bonum ergo apparens voluntas ipsa non fingit, sed cognitum, & sibi propositum supponit, & sic non format ipsa. Ordinatio autem medij ad finem etiam sibi proponitur ab intellectu, ipsa verò solùm appetendo ordinat, non agnoscendo: talis autem ordinatio ponit quidem denominationem extrinsecam in re ordinatè volita, non formaliter reddit ens rationis cognitum.

Ad id quod additur de sensu Res. Quod sensus internus ita comparat vnum alteri formando propositioné & discursum, quod ipsam ordinationem prædicati, & subiecti, & antecedentis ad consequens formaliter non cognoscit discernendo relationem fictam à reali. Et similiter montem aureum cognoscit quantum ad id quod sensibile est in illis partibus representatis auri, & montis, non quantum ad rationem fictionis, vt distinguitur à realitate. Quod est cognoscere non formaliter id quod in ratione entis fingitur, sed materialiter id ad cuius instar fingitur, quod in se non est. Denominatio autem extrinseca, quæ sequitur ad cognitionem sensus in quantum denominatio extrinseca, non est formaliter relatio rationis, sed fundamentaliter, tunc autem est formaliter quando ad instar relationis cognoscitur.

Secundò arguitur. Simplex apprehensio intellectus etiam non comparat, neque discernit rationem ficti à ratione entis veri, quia aliàs non esset simplex apprehensio, sed comparatiua, seu compositiua cum altero, ergo non format ens rationis formaliter loquendo, sicut neque sensus interni.

Et confirm. Quia simplex apprehensio non est fictio, fictio enim falsitati subiecta est, simplex autem apprehensio semper est vera, quia præcisè representat rem vt est in se, seu vt proponitur sibi, ergo eius obiectum non est ens fictum, & consequenter, neque ens rationis. *Resp.* Quod simplex apprehensio non comparat vnum alteri affirmando, vel negando, benè tamen discernendo vnum ab alio, & ordinem vnius ad alterum attingendo sicut cognoscit relatiua, & attingit definitionem rei, & congruitatem terminorum ac prædicamentorum distinctionem. Vndè in prædicamentis secundum Philosophum agitur de simplici apprehensione, vt dicit S. Th. 1. Periherm. lect. 1. habet ergo sufficientem comparationem ad formandum ens rationis. Sensui autem interiori non negamus formationem entis rationis ex defectu comparationis, sed ex defectu vniuersalitatis cognoscendi, quia non cognoscit vniuersaliores rationes discernendo inter ens verum, & fictum, quod tamen facit simplex apprehensio, discernit enim prædicamenta ab iis, quæ in prædicamento non sunt.

Ad confirm. dicitur. Quod simplex apprehensio non est fictio per modum renunciationis affirmando, vel negando in quo consistit fictio, quæ est deceptio, seu falsitas, sed benè potest esse fictio per modum formationis apprehendendo aliquid quod in re non est; seu rem impossibilem admodum entis, & discernendo ipsum ab ente vero, & reali. Vnde non semper apprehendit rem, vt est in se quasi nunquam ad instar alterius, cum plura apprehendamus non per proprios conceptus, sed per connotatiuos, sed apprehendit, vt est in se, id est, sine additione compositionis, ratione cuius dicitur etiam quod simplex apprehensio non est falsa, quia formaliter non indicat, neque enunciat, in quo solùm consistit veritas, vel falsitas formalis, benè tamen potest aliquid quod non est, apprehendere adinstar eius, quod est sine hoc quod affirmet, vel neget.

Vltimò arguitur. Nam ens rationis etiam, sine actu comparatiuo potest existere, ergo & formari. Anteced. prob. nam in primis quando in ipso exercitio formatur aliqua propositio, vel syllogismus, resultat secunda intentio, & ipsa propositio denominatur esse, & tamen tunc non cognoscitur comparatiuè relatio ad suum terminum, vel ad instar relationis realis *Item.* Quando ipsum ens rationis reflexè dicitur cognitum, per hoc cognosci habet esse, siquidem obiectiuè terminat cognitionem, quod est obiectiuè existere. Nec est aliqua ratio cur natura realis in communi concepta, & cognita dicatur esse obiectiuè, ens autem rationis cognitum in communi non dicatur existere obiectiuè. Cognoscitur autem in communi quando reflexè, & in actu signato redditur cognitum. *Denique* Phil. in 5. Met. & Diu. Th. ibi lect. 9. dicunt: *Quod cæcitas & quodlibet ens rationis dicitur esse ex hoc, quod vera est propositio, qua dicimus cæcitas est.* sed quando formatur hæc propositio non consideratur priuatio ad instar entis, nec fit ille actus comparatiuus, ergo sine tali actu existit formaliter ens rationis.

Resp. neg. ant. Ad primam prob. dicitur: Quod quando formatur propositio non est adhuc formaliter secunda intentio propositionis, sed fundamentaliter proximè, sicut quando abstrahitur natura vniuersalis à singularibus, nondum est intentio vniuersalitatis, sed fundamentum eius. Denominatur tamen propositio, & syllogismus hoc ipso quod formatur in exercitio, sicut denominatur aliquid vniuersale Meta. hoc ipso quod abstrahitur, nam vt suprà diximus, denominatio formæ rationis etiam ex ipso fundamento proximo potest haberi, antequam formaliter cognoscatur, & existat forma rationis.

Ad secundam prob. dicit. Quod ens rationis quando cognoscitur reflexè existit obiectiuè, vt denominatum extrinsecè in esse cogniti, non vt primò formatum, terminare autem cognitionem quasi extrinsecè, & tanquam id super quod cadit cognitio non est formari in ratione entis, sed formatum supponi, & sic præsuppositum, denominari à cognitione reflexa, quæ est quasi secunda non prima respectu entis rationis. Quando autem cognoscitur ens rationis in communi non dicitur formari, quia iam formatum supponitur, sed formatur ipsa vniuersalitas, seu communitas, sub qua cognoscitur, natura autem realis, quando cognoscitur in vniuersali, non ipsa est quæ formatur, sed vniuersalitas eius, quæ tunc primò ad instar relationis accipitur, cum obiectum relatiuè cognoscitur ad inferiora.

Ad vlt. prob. dicitur. Quod quando formatur illa propositio cæcitas est, in ipso exercitio consideratur cæcitas, vt existens, atque adeò adinstar entis realis, & sic formaliter, tunc est ens rationis, & tunc cognoscitur comparatiuè, tam respectu sui prædicati, quam respectu eius ad cuius instar concipitur, vt existens, & per hoc constituitur ens rationis.

ARTICVLVS V.

Vtrum Deus formet entia rationis?

HÆc diffic. magna ex parte Theologica est, sed quia etiam ex principiis Logicis dependet, & non parum conducit ad perfectam intelligentiam formationis

tionis entium rationis, communiter solet in præsenti à Recentioribus tractari.

Licèt ergo in hac difficul. variæ sint Authorum sententiæ, vnum tamen tanquam certum supponendum est, & in aliis duobus videtur esse totus cardo difficultatis. Supponimus Deum cognoscere entia rationis, quæ nos formamus, quantumcunque sint chymærica, & sine fundamento, quod aliqui, sine fundamento negant, vt Vazq. 1. p. disp. 118. cap. 2. & 3. & alij, contra quod docet S. Thom. 1. p. q. 14. art. 9. cum constet cognoscere Deum perfectissimè actus nostros quibus imaginamur, & fingimus ista entia rationis. Et ex illa Sapientiæ 8. aperiè colligitur. *Scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, signa, & monstra scit antequam fiant.* Et quomodo sciret Deus, quæ cogitamus, nisi obiecta cogitata videret, præsertim tot inutiles cogitationes, quibus formamus multa, quæ sunt figmenta, & ens rationis.

Diffic. verò est in duobus. *Primum.* An entia rationis sic à nobis formata, hoc ipso, quod à Deo cognoscuntur ex ipsi cognitione Dei sicut denominantur cognita, ita denominentur esse, siquidem eorum esse est cognosci? *Secund.* An omnia entia rationis ita fundentur in modo intelligendi imperfecto, vt Deus per se ipsum vllo modo ea formari possit.

Dico ergo primò. Ex eo quod Deus intelligit entia rationis, vt formata à nostro intellectu, non dicitur ea formare, neque ex vi illius cognitionis talia entia rationis formaliter, & per se dicuntur esse. Hæc conclusio ex dictis in præcedenti articulo manifestè sequitur: diximus enim ens rationis non existere, nec formari per illam cognitionem, qua cognoscitur, *vt quod*, & vt terminus cognitus, sic enim solum redditur cognitum denominatiuè, sicut aliæ res quando cognoscuntur; Deus autem quando cognoscit entia rationis formata à me, supponit illa existere per talem formationem, & cognoscit illa, vt obiectum iam formatum & præsuppositum, *vt quod*, ergo solum reddit illa cognita extrinsecè, non autem formaliter, & per se formata.

Et con. Quia id quod cognoscitur, vt existens extra propriam Potentiam, non potest habere esse ex vi talis cognitionis, nam ens rationis non potest esse extra potentiam formantem illud, quando autem cognoscitur ens rationis, vt formatum ab alio, cognoscitur extra potentiam, scilicet in cognitione alterius, ergo ex vi talis cognitionis non accipit esse, & formationem tale ens rationis, atque adeò illa cognitio non est formatiua entis rationis, sed cognoscitiua formati, vnde cognoscit illud, vt pendens à meo intellectu, non à suo.

Dico secundò. Illa entia rationis quæ ex sua ratione intrinseca formantur, & cognoscuntur ex imperfecta apprehensione rei, Deus nullo modo potest per se immediatè formare. Talia sunt pura figmenta, vt chymæræ, intentiones Logicæ, quæ resultant ex cognitione componente, & discurrente, distinctiones rationis, quæ fundantur super cognitione limitata alicuius obiecti, vt distinctio diuinorum attributorum. Hæc conclusio à nemine negari potest supponendo, quod dantur talia entia rationis, quæ imperfectam cognitionem ad sui formationem exigant: nullus enim imperfectam cognitionem Deo tribuit. Quod autem ita suppositio vera sit, aliqui negant, qui Deo formationem entium rationis concedunt, qui videri possunt, apud P. Merin. disp. 3. de vniuers. q. 6. sed tamen sumitur ex D. Thom. in 1. disp. 2. q. 1. art. 2. vbi distinctionem diuinorum attributorum reducit ad imperfectionem cognoscentis, & supereminētiam cogniti, quia scilicet noster intellectus non valet adæquatè totum, quod est in ipsa forma diuinitatis: Similiter aliquas relationes rationis, & intentiones Logicas fundari super cognitionem imperfectam, manifestè constat: Quia istæ relationes fundantur in rebus cognitis per abstractionem, per prædicationem, seu compositionem, aut discursum: sunt enim relationes vniuersalis abstracti ab inferioribus prędicati ad subiectum antecedentis ad consequens, ergo intellectus carens abstractione, compositione, & discursu non poterit per se immediatè talia entia rationis formare, sicut neque sensus externus ea format, quia caret isto modo cognoscendi.

Ac denique. Quia intellectus formans illas per suam immediatam cognitionem, denominatur ab illis, intellectus enim formans intentionem syllogismi dicitur syllogizare, & formans intentionem propositionis ditur enuntiare, &c. Deus autem non dicitur syllogizare, aut enuntiare, ergo relationes istas per suam cognitionem immediatè non format, sed solum à nobis formari cognoscit, quod pertinet ad primam conclusionem, non ad istam secundam, in qua loquimur de cognitione immediatè formante, non ab alio formatum cognoscente.

Dico tertiò. Aliqui respectus rationis sunt, qui non fundantur super cognitionem imperfectam, & tales causantur ab intellectu diuino quasi fundamentaliter proximè, non formaliter eo modo, quo ex nostra cognitione consequuntur, & causantur. *Pro* huius conclusionis intelligentia notandum est aliquos respectus, seu distinctiones rationis, non fundari in modo imperfecto cognoscendi Deum, sed potius in modo perfectæ cognitionis, quatenus cognoscitur sub omni modo, quo participabilis, & imitabilis est à creaturis, quod sine comparatione ad creaturas non potest cognosci, & ista comparatio, quidam respectus rationis est, quia Deus non respicit realiter creaturas, cum sit omnino independens, & ab illis absolutus; Sed tamen dupliciter ista comparatio potest intelligi conuenire Deo, vno modo quia consideratur adinstar respectus formalis, & relationis realis licèt in se relatio realis non sit. Aliò modo potest intelligi non vt formaliter comparatio Dei ad creaturas; sed potius vt ordinans creaturas ad se, & reddens illas participatas, & imitantes sui, vnde accipitur fundamentum, vt etiam ipse Deus consideretur, vt comparatus ad creaturas. Hoc secundo modo intelligo S. Thom. quando dicit respectus ideales qui rationis sunt ab æterno conuenire Deo, & causari ab intellectu diuino comparante essentiam suam ad creaturas, vt 1. p. q. 15. art. 2. ad 3. & 4. vbi docet: *Causari istos respectus non à rebus, sed ab intellectu diuino comparante essentiam suam rebus.* Cæterum isti respectus rationis dicuntur causari ab intellectu diuino, hoc est fundari, & sunt intellecti à Deo fundamentaliter, vt videtur colligi ex ipso D. Thom. in 1. dist. 36. quæst. 2. art. 2. ad 2. vbi inquit: *Quod istæ relationes secundum rationem, & intellectum in Deo sunt, quia intellectus diuinus ab æterno fuit intelligens essentiam suam diuersimodè à creaturis imitabilem, & propter hoc fuit ab æterno pluralitas idæarum in intellectu diuino non in natura ipsius:* igitur S. Thom. solùm attribuit intellectui diuino cognitionem essentiæ suæ, vt imitabilis est diuersimodè à creaturis. Quod autem istam imitabilitatem admodum comparationis, & relationis intelligat, S. Thom. non dicit, igitur si causare istos respectus solum est intelligere essentiam suam, vt diuersimodè imitabilem, & imitabilitas ista est fundamentum relationis rationis, non ipsa relatio rationis formaliter, non enim Deum esse imitabilem & participabilem est formaliter esse comparatum, & ordinatum ad creaturas, quod formaliter facit illa relatio reddendo comparatum, & ordinatum, oportet quod de causatione fundamentali explicemus D. Thom.

quando dicit respectus istos causari ab intellectu diuino.

Et ratio huius conclusionis sic explicatæ ea est. Quia relatio rationis tunc formatur, quando consequitur ex modo cognoscendi, ita quod intellectus nititur apprehendere, tanquam ens id quod non est ens, & quando ad modum relationis intelligitur id, quod non est relatio in re, tunc formatur relatio rationis. Hoc autem totum est imperfectè cognoscere, & quasi connotatiuè attribuendo alicui id quod in se non habet, quod vtique Deo conuenire non potest.

Itaque relatio illa rationis non potest cognosci à Deo, nisi vel per suam essentiam tanquam per rationem cognoscendi à qua participetur, vel ad instar relationis realis, vel vt formatum ab intellectu nostro, vel per oppositam formam quam tollit sicut negatio. Primo modo non potest concipi à Deo, quia relatio rationis non est participatio Dei, sicut neque ab ipso causata, neque ad instar illius formari potest cum nihil reale sit, & sic ad instar Dei se habet. Nec secundo modo, quia sic cognosceretur à Deo ens rationis eo modo quo nos illud apprehendimus, idest, attribuendo ei entitatem quam non habet, sicut quando nos cognoscimus non ens ad instar entis. Et hoc non conuenit Deo, quia quidquid apprehendit ita perfectè apprehendit, quod etiam iudicare potest, vt apprehendit, si enim aliter iudicaret quam apprehendit imperfecte se haberet. Si autem iudicaret esse relationem id quod ad instar relationis apprehendit cum non sit, falso iudicaret. Nec tertio modo, quia sic non formatur immediatè à Deo ens rationis, sed formatum à nobis intelligitur. De quo iam diximus in prima conclus. in ista autem loquimur de formatione facta immediatè à Deo. Nec vltimo modo, quia sic non accipitur, vt ens rationis, sed vt datur à parte rei talis negatio per modum formæ ablatæ, non ad instar formæ positiuæ, nec est idem cognoscere negationem per formam oppositam, & adinstar alicuius, non enim ad instar suæ oppositæ intelligitur, quando per eam eius ablatio cognoscitur. Ridiculum autem valde est, quod aliqui dicunt posse Deum cognoscere aliquid aliter ac est, dummodo etiam cognoscat vt est. Hoc enim est idem ac dicere quod potest Deus habere aliquam imperfectionem, dummodo etiam perfectionẽ habeat.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur.* Ad probandum Deum simpliciter loquendo formare entia rationis ex hoc, quod cognoscit nos ea formare. Ens rationis consistit in cognosci, & cognosci est eius esse, sed entia rationis habent cognosci à Deo, hoc ipso quod cognosci nos ea formare, ergo habent esse obiectiue per talem cognitionem, siquidem sunt obiectum cognitionis. *Conf.* Nihil aliud est efficere ens rationis, quam cognoscere non ens ad modum entis, sed quando Deus cognoscit meam fictionem, cognoscit ibi illa figmenta ad modum entis, quia sic continentur ibi, ergo dum fictiones noscit, figmenta facit. *Mai.* constat, & *min.* prob. nam Deus apprehendendo meam fictionem facit figmentum meum suæ cognitioni esse præsens, ergo dat illi esse obiectiuè, quia esse obiectiuè, est præsentia ad cognitionem.

Res. Quod ens rationis non consistit in cognosci quasi denominatiuè extrinsecè, hoc enim est commune enti reali, & rationis, sed in cognosci quasi consequutiuè, id est, quando ex ipso cognosci consequitur, quod non ens se habeat vt ens: quando verò ex cognitione, præcisè sequitur denominatio cogniti, id est solùm, quod illud obiectum sit cognitum non est formatio entis rationis, sed formatum supponitur, quia vt formatum cognoscitur, vnde ex hoc, quod sic formatum cognoscatur, non habet esse obiectiuè formaliter, sed denominatiuè tantum, tunc autem formaliter dicitur, habere esse, quando non habet aliud esse quam cognosci, si autem postquam formatum est cognoscitur, iam supponitur habere esse, & consequenter ex tali cognitione non consequitur esse, sed illud esse quod habet denominatur cognitum, vt ergo formaliter & primò accipiat esse, oportet quod intellectus cognoscat id quod non est ens, & ex modo cognoscendi, quia ad instar entis cognoscitur, consequatur, quod in ipso cognosci sit ens, & non ante supponatur iam formatum, & habere esse.

Ad conf. dist. min. Cognoscit fictionem ad modum entis formaliter, & immediatè, nego. Præsuppositiuè, & mediatè, i. vt formatam & contentam in mea cognitione conced.

Ad pro. dicitur. Quod Deus sic cognoscendo figmentum, & ens rationis facit illud esse obiectiuè præsens sibi, vt formatum ab alio intellectu, & cognitum, *vt quod*, transeat, vt formatum à se, nego. Vnde non dat esse illi obiectiuè formaliter, vt dictum est, sed denominatiuè, quia vt formatum ab alio cognoscit, non primò & per se format.

Secund. arg. Deus cognoscit omnia obiecta eo modo quo cognoscibilia sunt, sed entia rationis ex se non habent propriam intelligibilitatem, sed solùm ad modum entis realis cognoscibilia sunt, ergo hoc etiam modo cognoscuntur à Deo, sed hoc est formari ens rationis, quando cognoscitur ens rationis, ad instar entis realis, ergo formatur à Deo. Mai. est Diu. Th. 1. p. q. 14. artic. 9. vbi dicit, *Cognoscere Deum omnia quæcunque sunt quocumque modo.*

Conf. Quia si Deus non format entia rationis maximè propter perfectionem sui actus, qui sic attingit obiectum per apprehensionem, quod etiam iudicat per assensum, sed benè stat, quod Deus intelligat non ens admodum entis, & tamen iudicet tale ens esse fictum, non enim in ipso iudicio consistit formatio entis rationis, sed in cognitione exprimente non ens ad modum entis. Nos enim per simplicem apprehensionem etiam ante iudicium formamus ens rationis, ergo potest dari formatio entis rationis, licèt Deus iudicet non esse ens verum. Denique cum perfectione diuini actus stat, quod Deus cognoscat priuationes, & creaturas non existentes, & affirmet de illis, quod non sunt entia, ergo ex tali cognitione illæ priuationes, & non entia redduntur cognita, sed hoc esse cognitum in illis non est ens reale, ergo est ens rationis.

Respond. Deum cognoscere omnia cognoscibilia quocumque modo cognoscibilia sunt ex parte rei cognitæ, sed non omnimodo ex parte modi cognoscendi, alioquin probaretur, quod Deus cognoscit per discursum, quia tali modo res sunt cognoscibiles à nobis, & sic ly quocumque modo non debet construi cum ly cognoscit, sed cum ly sunt, id est, quæ sunt quocumque modo, Deus cognoscit.

Dicere autem. Quod non est inconueniens Deum cognoscere aliquid ad instar alterius dummodo etiam cognoscat illud in se, iam diximus, omninò esse impossibile, quia est imperfectio cognoscere ad instar alterius. Cæterùm ex parte rei cognitæ non est inconueniens, quod Deus cognoscat ens rationis eo modo, quo cognoscibile est à nobis, quatenus cognoscit illum formatum à nobis.

Et quod additur de cognoscibilitate aliena, qua ens rationis est cognoscibile. *Dicimus*, quod licèt ens rationis cognoscatur cognoscibilitate aliena ex parte rei cognitæ, & vt est in nostro intellectu, si tamen cognoscitur, vt formatum, talis cognoscibilitas aliena non

non format ipsum,nec constituit, sed solum denominat extrinsecè cognitum, quia iam formatum inuenit.

Ad Conf. Resp. Non repugnare formationem entis rationis Deo ex eo solùm, quod simul apprehendit, & iudicat, sed quia non potest apprehendere vnum adinstar alterius, quod est apprehendere modo connotatiuo, nisi etiam sic iudicet quomodo apprehendit, licet cognoscat nos apprehendere, adinstar alterius, & in nostro conceptu formata entia rationis videat, & iudicet.

Et ad aliam partem Conf. Respond. Quod Deus intelligit priuationes per formam oppositam qua priuant, vt dicit Diu. Thom. 1. part. quæstion. 14. art. 9. & 1. contra Gent. cap. 73. Non autem adinstar formæ oppositæ, repugnat enim esse ad instar, si est opposita, & res non existentes, possibiles tamen, cognoscit per suam essentiam, esse autem cognitum, quod ex tali cognitione resultat, est denominatio extrinseca, quæ non est ens rationis formaliter, sed fundamentaliter, vt supra dictum est. Et quando affirmat de negationibus, & priuationibus, & aliis figmentis, quod non sunt, vel sunt impossibilia, ipsas negationes, & priuationes in quantum negationes apprehendit per formam negatam; in quantum entia rationis, vel vt figmenta apprehendit illa, vt formata à nobis, non à se, & de illis sic formatis à nobis affirmat esse impossibilia.

Tertiò arguitur contra vltimam conclus. Respectus idæales sunt æterni, non in aliquo intellectu creato, sed in diuino, vt S. Thom. docet locis citatis in conclusione, ergo formaliter, & non solùm fundamentaliter sunt in diuino intellectu. Conseq. patet, tum quia respectus, vt intellecti sunt actu, & non fundamentaliter tantum, cum formale eorum esse sit intelligi, tum quia D. Tho. concedit intellectui diuino, quod negat humano, sed in intellectu humano illi respectus intellecti habent esse formaliter, & non solùm fundamentaliter, ergo & in diuino. Tum denique quia hac ratione etiam diceretur distinctio attributorum esse ab æterno, quia fundamentaliter est ab æterno, licet formaliter sit solùm in intellectu creato.

Conf. Quia D. Th. dicit, *quod illi respectus causantur ab intellectu diuino comparante essentiam suam ad res*; sed non causantur quantum ad fundamentum, hoc enim supponitur ab intellectu, non causatur; ergo quantum ad formale illius relationis, & distinctionis rationis. Similiter neque comparat essentiam suam, nisi ipsam comparationem intelligendo, ergo redditur comparatio cognita, & habens esse obiectiuè, quod est esse ens rationis formaliter.

Respon. Illos respectus idæales esse æternos, fundamentaliter proximè, non formaliter, secundum illam formalitatem, qua ad instar relationis concipiuntur.

Ad primam prob. conseq. Respond. Illos respectus, esse intellectos à Deo non formaliter in se, ad instar respectus realis, sed in suo fundamento, id est in essentia cognita, vt imitabili à creaturis, vt docet ipse D. Thom. supra citatus. Comparatio autem essentiæ diuinæ non est cognita adinstar relationis, & ideò non est formaliter in intellectu diuino, vt relatio, sed creaturæ intelliguntur subiectæ imitabilitati diuinæ essentiæ, & participantes ab ea, in quo fundantur illi respectus, & ita fundamentaliter proximè dicitur cognosci relatio comparationis. Itaque illi respectus dicuntur intellecti eo modo quo essentia dicitur comparata, scilicet cognoscendo imitabilitatem Dei ad plura, non comparationem ad instar relationis formando.

Ad secund. Prob. Dicitur, Diu. Thomam concedere intellectui diuino, quod negat humano, quantum ad hoc quod est cognoscere ab æterno imitabilitatem illam essentiæ diuinæ, quam comparat ad creaturas, hoc enim non potest ab æterno cognoscere intellectus humanus. Quod autem illa imitabilitas, & comparatio cognoscatur ad instar relationis, & distinctionis realis, formaliter non concedit D. Thom. ipsi intellectui diuino.

Ad tertiam Prob. Dicitur. Quod est latum discrimen inter fundamentum distinctionis attributorum, & distinctionis Idæarum: attributa enim fundant suam distinctionem in ipsa eminentia naturæ diuinæ continente omnes perfectiones, non vt cognita à Deo, sed vt cognoscibili à nobis; ita quod vtrumque requiritur, & ex parte diuinæ naturæ tanta eminentia, & ex parte cognoscentis tanta limitatio: At verò distinctio idæarum non fundatur in eminentia diuina; vt limitatè cognoscibili, sed vt diuersimodè imitabili; & illos diuersos modos imitabilitatis cognoscere ad maximam perfectionem diuinæ cognitionis pertinet.

Ad Confirm. Resp. Quod illi respectus causantur ab intellectu diuino, id est, fundantur: intellectus autem non causat fundamentum remotum; potest tamen causare fundamentum proximum aliquarum relationum rationis, sicut aliquæ intentiones Logicæ fundantur in natura vt cognita, respectus autem idæarum non fundantur in natura diuina secundum se, sed vt cognita per modum diuersæ imitabilitatis, non enim proponitur Deo, vt exemplar, nisi in quantum cognita; & ratione huius imitabilitatis cognitæ dicuntur respectus idæales pertinere ad complementum idæarum, scilicet vt cognoscantur idææ tanquam distinctæ: Cæterum ipsa imitabilitas & comparatio diuinæ essentiæ ad creaturas, non cognoscitur à Deo ad instar relationis ex parte Dei se tenentis, sed solùm dicitur comparare essentiam suam cognoscendo illam, vt imitabilem à creatura. Quando autem comparatio ipsa, & imitabilitas ad instar relationis cognoscitur, tunc formaliter dicuntur esse illi respectus in cognitione.

QVÆSTIO III.

De vniuersali secundum se.

EXplicato ente rationis in communi oportet descendere ad explicandas intentiones Logicas quæ deseruiunt ad cognoscenda, & ordinanda Prædicamenta, scilicet ipsa vniuersalia, & prædicabilia. Et prius oportet considerare rationem vniuersalitatis secundum se, & in communi, deinde de vno quoque Prædicabili in particulari.

Circa *vniuersale autem secundum se tria occurrunt consideranda.* Primum est *ipsa ratio vniuersalis.* Secundum: *Causa à qua fit.* Tertium: *Actus vniuersalis qui est prædicatio actualis de inferioribus.*

Circa *primum tria inueniuntur in vniuersali secundum se.* Primum *est ipsa natura quæ in communi consideratur, & est subiectum quod denominatur vniuersale.* Secundum *est fundamentum ipsius vniuersalitatis, quod est vnitas abstracta à multis, & aptitudo ad essendum in illis.* Tertium *est ipsa formalis relatio, seu intentio vniuersalitatis qua respicit inferiora. Et de istis in hac quæstione agendum est.*

ARTICVLVS I.

Explicatur diuersa acceptio vniuersalis, & definitio illius.

COmmunis omnium intelligentia, & conceptus est, nomine *vniuersalis* intelligi, id quod habet respectum

respectum aliquem ad plura, contra ponitur enim singulari, quod incommunicabile est ad multa. Sed quia contingit multipliciter aliquid respicere plura, & habere se erga plura, multipliciter etiam contingit accipi vniuersale. Et reducuntur omnes acceptiones eius ad tres. Est enim vniuersale in significando, vniuersale in causando, vniuersale in essendo, seu prædicando.

Vniuersale in significando, est signum aliquod, quod ipsum vniuersale significat, siue ad plura vniuersaliter applicari potest, sicut nomina, seu termini communes significant rem in communi, & ad plura applicari possunt, vt homo, animal.

Vniuersale in causando, est illud, cuius virtus ad plures effectus se extendit, siue sit efficiens, siue in alio genere causæ, vt cœlum, vt Deus. Et nota quod vniuersalitas in causando ita respicit effectus suos, quod in illis non attingit solùm rationes, seu prædicata vniuersalia, & cõmunia, sed etiam particularia, imò quanto vniuersalior est virtus in causando, tanto profundius penetrat effectum, omnesque particulares illius rationes attingit, & causat, eo quod omnes participant illam rationem communem, & sic virtus quæ potest super totam illam rationem, consequenter potest super omnia, quæ illam participant. Sicut cœlum quod est causa vniuersalis istorum corporum attingit omnes rationes corporeas vsque ad indiuiduales differentias; & Deus, qui est causa vniuersalissima entis in quantum ens, causat omnem rationem quæ quoquo modo participat entitatem. Quod principium pro multis difficultatibus Theologicis deseruit, præsertim ad intelligendum, quomodo ex parte causæ inferioris nihil præsupponitur ad agendum, siue quoad substantiam operis, siue quoad modum, quod non præueniatur à causa superiori in quantum participatur, & descendit ab illa.

Denique vniuersale in essendo, seu prædicando, est illud, quod respicit plura, in quibus habet esse, & de quibus prædicatur, sicut animal inuenitur in omnibus animalibus & homo in omnibus hominibus. Definitur autem vniuersale hoc vltimo modo acceptum: *Vniuersale est vnum in multis, & de multis*: vel vt Arist. defi. 7. Met. text. 14. *Vniuersale est, quod pluribus inesse natum est.* Vbi lect. 13. notat S. Thom. non dixisse Philosophum, vniuersale esse, quod pluribus inest, sed quod pluribus inesse aptum est, quia plura vniuersalia sunt, quæ de facto non existunt, nisi in vno singulari, vt Sol & Luna. explicat autem illa prima definitio data, omnia quæ concurrunt ad rationem vniuersalis, scilicet *subiectum, fundamentum, relationem ad terminum*, & *propriam passionem.* Subiectum quidem, & fundamentum explicatur in illo verbo, *Vnum*, dicit enim rem, quæ est vna, & vnitatem, explicátque ipsam vnitatem, vt separatam à multis, & communicabilem illis, quam cõmunicabilitatem expressiùs explicat definitio Philosophi, dicens, *Quod aptum est inesse*; vnitas autem à multis separata, & aptitudo, vt sit in illis suum fundamentum relationis vniuersalis, sicut potentia ad generandum est fundamentum relationis paternitatis: ipsa autem relatio, in qua consistit formalis vniuersalitas explicatur per ordinem ad suum terminum, scilicet *in multis*: hæc enim se habent tanquam inferiora, quæ directè respicit vniuersale. Dicitur autem *esse in multis* per identitatem cum illis, quia per communicationem, & contractionem ad inferiora vniuersale fit idem cum singulari, seu inferiori; & dicitur esse *de multis* per prædicationem; nihil autem prædicatur de alio, nisi sit idem cum illo, non diuersum, & per hoc explicatur prædicabilitas, quæ est passio vniuersalitatis.

Ex dictis colliguntur duo. *Primum.* Quomodo explicanda sit distinctio duplicis vniuersalis, alterum Metaphysicum, alterum Logicum, quia enim Metaphysicus considerat principaliter naturas, Logicus verò intentiones, seu relationes rationis, ipsa natura, seu subiectum abstractum à pluribus dicitur vniuersale Metaphysicum, quia in illo directè, & principaliter consideratur natura; abstractio autem, seu vniuersalitas tanquam *conditio*; est enim conditio requisita ad omnem scientiam ipsa vniuersalitas, quia nulla scientia agit de singularibus. At verò vniuersale Logicum principaliter respicit ipsam intentionem, seu formam, quia aliquid denominatur vniuersale quæ est secunda intentio, & relatio rationis, hanc enim præcipuè considerat Logicus, præsuppositiuè autem naturam, tanquam id in quo fundatur vniuersalitas, agit enim de secundis intentionibus vt fundantur in primis. Et sic intelligitur, quod Metaphysicus, & Logicus agunt de eodem, sed diuerso modo, vt 4. Metaph. dicitur lect. 4. apud D. Thom. *Metaphysicus* principaliter de natura, *Logicus* de intentione.

Secundò colligitur. Quod vniuersalitas, & particularitas pertinent ad rationem status ipsius naturæ, quæ ab vniuersalitate, vel singularitate denominari potest. Vnde triplex status solet assignari in qualibet natura, vt constat ex doctrina D. Thomæ 4. cap. de ente, & essentia, & Caietano ibi.

Primus est, status naturę secundum se, quia in eo non considerantur, nisi tantum illa, quæ constituunt ipsam naturam, & quidditatem, vnde vocatur etiam status indifferentiæ, quia natura secundum se indifferens est ad prædicata accidentalia, nec includit illa ex se, nec excludit à se, sed tantum est capax illorum, & explicat sua prædicata essentialia tantum. Et vocatur etiam status solitudinis, quia natura est sola ab omni extrinseco prædicato. Et vocatur etiam communis negatiuè, quia non intelligitur multiplicata natura.

Secundus status est, secundum esse quod habet in singularibus, qui est status singularitatis.

Tertius denique status est, secundum esse quod habet in abstractione intellectus, quæ abstractio etiam dici potest status solitudinis, non pro solitudine ab omni extrinseco prædicato; sed solùm pro solitudine, seu præcisione ab indiuiduis. Et isti duo status non conueniunt naturæ secundum se, quia neuter eorum est prædicatum essentiale naturæ; si enim natura secundum se esset vniuersalis, numquam posset esse singularis, vel si secundum se esset singularis, numquam posset inueniri vniuersalis. Quare in statu naturæ secundum se, omnia quæ non sunt prædicata quidditatiua' illi denegantur. Et hinc est, quod extrema, quæ videntur contradictoria, addita particula, *secundum se*, negantur de natura in illo primo statu; dicimus enim, quod natura secundum se, neque est vna, nec plures, nec est alba, nec est non alba, quod est dicere, essentialiter non est vna, essentialiter non est plures, sed capax vtriusque. Nec tamen inde inferas verificari duas contradictorias de natura secundum se; hoc enim numquam est possibile, sed semper altera est vera, altera falsa; si enim dicas homo secundùm se est albus, hæc secunda est falsa, & prima vera, quia est sensus, homo essentialiter non est albus, quod verum est, homo essentialiter est albus, quod falsum est; & sic non valet, secundùm se non est album, ergo secundùm se est non album, quia variatur appellatio propter illam particulam, *secundum se.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Vniuersale materialiter sumptum, & pro subiecto inueniatur à parte rei.

EX vno principio dimanarunt in hac parte duæ extremæ sententiæ. Fuit enim antiquissima opinio Heracliti,& Cratilli,circa tempora Socratis,vt refert Aristot. 1. Met. lect. 10. apud D.Th. qui dixerunt de sensibilibus non posse dari scientiam,quia sunt in continuo fluxu,& motu,vnde Cratillus in tantam deuenit dementiam,(vt inquit Arist. 4. Metaph. & ibi D. Th. lect. 12.) quod opinatus est oportere, nihil verbo dicere,eo quod veritas rei transibat,priusquam finiretur oratio.

Ex hac opinione sumpsit Plato occasionem ponendi naturas separatas à singularibus, quas Idæas nominauit; quia cum videret singularia esse in continuo fluxu,& motu negauit (quod verum est) de illis non dari firmam,& certam scientiam, sed quia dementiam Cratilli voluit euitare,quod nulla scientia, & veritas daretur,finxit extra singularia inueniri naturam, quæ in re sine singularitate existeret vt de illa diceretur scientia.

At verò per aliud extremum Nominales consentientes cum Platone,& Cratillo, quod singularia non sunt obiecta veritatis certæ propter suam contingentiam & perpetuum motum,& ex alia parte contra Platonem negantes naturas à singularibus separatas existere, dixerunt pro vniuersalibus solas voces significantes remanere, sine rebus significatis. Quorum sententiam omnino euitandam grauiter admonet D. Anselm. lib. de Incarnat. Verbi. cap. 2. *Cùm omnes* (inquit) *vt cautissimè ad sacra paginæ quæstiones accedant, sunt commonendi, illi vtique nostri temporis Dialectici, imò Dialecticæ hæretici qui quidem non nisi flatum vocis putant esse vniuersales substantias, &c.*

Dico ergo Primò. Vocibus, & conceptibus vniuersalium verè, & simpliciter correspondet pro obiecto aliqua entitas,seu natura, quæ vniuersalis denominatur: non quidem quæ existat à parte rei sub illo statu vniuersalitatis, & abstractionis,sed quæ per ipsam abstractionem intellectus ita attingat in obiecto naturam, vt non attingat singularitatem; vel ita attingat superiora prædicata, quod non inferiora. In qua abstractione nulla inuenitur falsitas ex parte intellectus, sicut nec in visu datur aliqua falsitas ex eo quod ita attingat colorem in pomo, quod non attingat saporem,non separando ipsum in re à sapore, sed non coniugendo vtrumque in cognitione: ita ergo apprehenditur homo ab intellectu sine singularitate, licèt in re non sit sine illa.

Sic docetur ista conclusio à Philosopho, qui perpetuò hanc Platonis sententiam impugnat, & ex consequenti nominalium sententiam condemnat. Videri potest præcipuè S. Thom. 1. Metaph. lect. 10. vbi de hac opinione Platonis sic inquit: *Patet autem diligenter intuenti rationis Platonis, quod ex hoc in sua positione errauit; quia credidit quod modus rei intellectæ in suo esse est, sicut modus intelligendi ipsam rem, & ideò quia inuenit intellectum nostrum dupliciter abstracta intelligere; vno modo sicut vniuersalia intelligimus abstracta à singularibus: alio modo sicut Mathematica abstracta à sensibilibus, vtrique abstractioni intellectus posuit respondere abstractionem in essentijs rerum, vnde posuit, & Mathematica esse separata, & species: hoc autem non est necessarium; nam intellectus etsi intelligat res per hoc, quod similis est eis quantum ad speciem intelligibilem per quam fit in actu, non tamen oportet quod modo illo sit species illa in intellectu, quo in re intellecta; nam omne quod est in aliquo est per modum eius in quo est, & ideò ex natura intellectus quæ est alia à natura rei intellectæ necessarium est, quod alius sit modus intelligendi, quo intellectus intelligit, & quo res existit.* Hucvsque D.Th. Qui etiam videri potest 4. cap. de Ente, & Essentia, & in opusc. 55. & 56. & 1. p. q. 15. art. 1.

Ex quo loco, & verbis D.Thomæ colligitur reijciendam esse sententiam Platonis, & Nominalium, quia non distinxerunt inter modum essendi,& modum cognoscendi; si enim eo modo quo res cognoscitur abstracta à singularibus esset à parte rei, vel ista res sub illo modo existens produceretur à Deo,vel non; si non produceretur à Deo nihil esset, vel esset ipse Deus, qui est singularissimus; si à Deo productum est, ergo per aliquam actionem singularem, à Deo enim qui singularis est non potest; nisi actio singularis procedere, ergo & singularem terminum, seu effectum habet. Quare modus iste vniuersalitatis nullo modo potest existere in ipsis rebus, sed solùm ex modo cognoscendi naturam sine singularitate resultat.

Ex quo etiam Nominalium sententia destruitur negantium correspondere conceptui illi sic abstrahenti aliquid reale, ex eo quod modus ille abstrahendi non inueniatur in re, quandocumque enim plura coniunguntur in aliquo à parte rei, intellectus non semper debet plura illa simul accipere, sed vnum potest sine alio attingere. Id autem quod accipitur remoto alio verum & proprium ens est, licet non sine alio in re existat, sicut patet in exemplo supra allato de visu attingente verum,& realem colorem pomi,non tamen saporem, igitur accipere vnum, & omittere aliud non est formare conceptum falsum,sed inadæquatum; aliquid ergo correspondet ei ex parte obiecti cogniti, licèt non cum omni modo, quo inuenitur à parte rei, nec enim omne illud,cum quo coniungitur, intelligitur. Et hoc manifestius apparet in ipsa compositione & diuisione intellectus, quando enim affirmo de aliquo subiecto aliquid quod illi conuenit non affirmato alio, quod illi coniunctum est, vt cum dico, homo est animal,non affirmando, quod sit corpus, vel Deus est misericors, pomum est coloratum, & similia, vel talis affirmatio est falsa,vel vera; falsa esse non potest, cum affirmetur aliquid, quod illi non repugnat, sed conuenit; si autem est vera, ergo aliquid correspondet illi conceptui ex parte rei; si enim nihil illi correspõderet, vera esse non posset: ergo stat bene quod correspondeat aliquid ex parte obiecti conceptui inadæquato,& præciso,licèt in re præcisum non sit, sed simul cum alio existat. Et sic secundum distinctionem conceptus adæquati,& inadæquati optimè intelligitur abstractio vniuersalis, quæ tunc datur quando non concipitur totum, quod est in obiecto, tam natura, quàm singularitas, sed inadæquatè attingitur vnum, scilicet natura,omisso alio,scilicet singularitate.

Sed inquiunt Nominales. Conceptum vniuersalem significantem v.g. hominem,vel animal esse quasi nomen collectiuum, quod non significat aliquid vnum, sed advnatum, scilicet omnes homines, seu omne id cui conuenit ipsa ratio hominis, & ita quando dico, homo est animal,sensus est, omne quod est homo, seu omnes homines sunt animal. Qua ratione videntur aliqui in conceptu analogo entis ponere, quod id quod correspondet illi conceptui est tota collectio entium sub quadam confusione.

Cæterum hæc euasio ex duplici capite excluditur. Primò quando nomen vniuersale ponimus à parte prædicati, vt quando dicimus, Petrus est homo, esset enim sensus, quod Petrus est omnes homines, seu omne quod est homo,quod patet esse falsum. Secundò ponendo ex parte subiecti terminum communem sine distri

distributione, vt homo currit, esset sensus quod omnes homines, seu omne quod est homo currit, & sic omnes propositiones indefinitæ essent falsæ. Et hæc propositio, essentia diuina non generat, quæ est catholica, redderetur falsa, quia esset sensus, omne quod est essentia diuina non generat, quod manifestè est falsum, nam Pater est res quæ est essentia diuina, & generat.

Quare nullo modo nomen vniuersale, potest esse nomen collectiuum, sed aliquid vnum significat, abstractum tamen à singularitate. Et quod additur de conceptu entis inf. q. 14. discutietur quomodo abstrahat, vel includat inferiora. Constans tamen esse debet, quod hoc nomen ens, non est nomen collectiuum, quia non significat aggregationem omnium inferiorum, sed conuenientiam in ratione analoga, quæ tamen quia non est simpliciter vna, sed solùm proportionaliter non simpliciter abstrahit ab inferioribus, sed solùm secundum quid, ideoque dicitur illa includere implicitè, & in confuso, non explicitè, vt ibidem ostendetur.

Dico secundò. Vniuersale pro substrato, seu materiali potest esse aliquid reale, id est natura à parte rei dabilis, licèt non cum illo statu vniuersalitatis, vnde pro formali, id est, pro vniuersalitate, & abstractione, non nisi in cognitione inuenitur. Hæc constat ex dictis, & de ea videri potest Philosophus in Prædicamentis, c. de substantia, vbi secundas substantias, quæ sunt genera, & species dicit subsistere in primis, & in 7. Met. tex. 44. & sequentibus, vbi Diu. Th. lect. 3. sic inquit: *Vniuersale dupliciter potest accipi, vno modo pro ipsa natura cui intellectus attribuit intentionem vniuersalitatis, & sic vniuersalia vi genera, & species substantias rerum significant, & prædicantur in quid, animal enim significat substantiam eius, de quo prædicatur, & homo similiter alio modo potest accipi vniuersale in quantum est vniuersale, & secundum quod natura prædicta subest intentioni vniuersalitatis, id est, secundum quod consideratur animal, vel homo, vt vnum in multis & sic posuerunt Platonici animal, & hominem in sua vniuersalitate esse substantias, &c.* Hæc D. Th. Itaque vniuersalitas, vt ibi pluribus rationibus ostendit non est substantia, vel aliquid reale, sed accidens rationis, quod pertinet ad statum ipsius rei cognitæ, quem acquirit ex eo quod cognoscitur cum præcisione quadam abstrahendo ab indiuiduatione. Ex hoc enim natura, quæ in re non existit, sine conditione indiuiduante in cognitione intellectus manet nudata ab illa. Et pertinet hoc ad statum naturæ in cognitione, quia eadem natura extra cognitionem posita in re amittit illum modum essendi vniuersaliter, retenta quidditate naturæ.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Sententia Platonis ferè tota fundabatur in perpetuitate scientiæ & veritatum, quæ ad scientias pertinent, quæ sunt veritates necessariæ, & æternæ, istæ autem non inueniuntur in singularibus, quia singularia sunt corruptibilia, & contingentia, ergo inueniuntur extra singularia, vel non erunt realia, & vera obiecta, sed ficta per intellectum ea quæ sciuntur, similiter dantur causæ exemplares, à quibus singularia participant suam essentiã, sicut Petrus participatione hominis est homo, & participatione animalis animal. Ergo datur homo, & animal separatum, à quibus istæ participationes deriuantur.

Resp. Obiecta scientiarum, & veritates, quæ ab illis attinguntur dici perpetuas, & æternas non ratione alicuius existentiæ æternæ, quam realiter habent in aliquo subiecto extra intellectum diuinum, sed dicuntur æternæ obiectiuè, & negatiuè, id est, quia connexio veritatum essentialium, quæ sunt obiecta non dependet ab aliquo fundamento temporali, vel existentia facta in tempore, sed ex se habet semper veritatem attingibilem ab intellectu quantumcunque intellectus sit æternus, & nullo modo fundatam in aliqua ratione libera, vel contingenti, quare non est necesse, quod veritas, quæ attingitur à scientia existat subiectiuè extra singularia, sed obiectiuè attingatur, sine illis. Ad illud de causis exemplaribus respondetur, dari quidem causas exemplares quarum participatione res creatæ habent suas naturas, sed istæ causæ exemplares sunt ideæ diuinæ non naturæ creatæ à singularibus separatæ.

Secundò arguit. Supposita opinione Scoti infra tractanda, quod ex natura rei, & ante operationem intellectus distinguũtur gradus superiores ab inferioribus, v. g. animal ab homine, homo ab indiuiduis, ergo à parte rei datur extra intellectum gradus superior non includens inferiorem, sed hoc ipso, quod non includit illum est vniuersale, vtpotè de se abstractum ab inferioribus, ergo datur à parte rei abstractio naturæ à singularitate, & superioris prædicati ab inferiori.

Respon. Hanc opinionem Scoti longè distare à fictione Platonis, cum expressè Scotus affirmet gradus istos superiores, & inferiores, ita distingui secundum suas rationes formales, quod tamen non possit vna separatim existere ab alia, nec de potentia absoluta, sed subtilitas Scoti in eo consistit, quod ex natura rei, & ante operationem intellectus formalitas, quæ sumitur pro conceptu gradus superioris non includit ex suo essentiali conceptu formalitatem, quæ deseruit pro gradu inferiori, quod verò separatim possit ab illa existere, nec somniauit Scotus, sicut posuit Plato.

Tertiò arguit. pro sententia Nominalium. Quia conceptus obiectiuus vniuersalis, vel est aliquid vnum, vel plura, si plura habetur intentum, quia vox seu conceptus vniuersalis solum erit nomen collectiuum immediatè significans aggregationem plurium, si verò est vnum, illud in quantum vnum non est aliquid reale, sed in quantum vnum est obiectum illius conceptus vniuersalis, ergo in quantum obiectum illius conceptus non est aliquid reale. Maior patet. Quia in quantum vnum non existit extra intellectum, neque existere potest: illud autem est ens reale quod est capax existentiæ.

Conf. Quia ex ea quod detur talis natura vniuersalis abstrahens à pluribus indiuiduis, sequuntur plura inconuenientia.

Primò. Quia omnia illa indiuidua sunt illud vnum vniuersale, ergo sunt idem inter se, quæcumque enim sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, sed Petrus, & Paulus sunt idem vni tertio, scilicet homini, qui est aliquid reale, ergo sunt realiter idem inter se.

Secundò, vel ipsa natura vniuersalis descendit tota ad quodlibet indiuiduum, vel vna pars descendit ad vnum indiuiduum, & alia ad aliud, hoc secundum dici non potest, sic enim Petrus esset pars hominis, non integrè homo, si verò dicatur primum admittimus Mysterium Trinitatis, in creaturis, quod natura hominis vna existens, & aliquid reale tota communicatur vni indiuiduo & tota alteri.

Tertiò. Ille homo in vniuersali, vel est corruptibilis, vel non. Si non est corruptibilis, ergo corruptibilitas non est propria passio eius, quod est falsum, quia omnis homo est corruptibilis. Si est corruptibilis, ergo & generabilis, ergo ad illum potest terminari generatio, & existentia, quod est ponere idæas Platonis.

Resp. Quod ille conceptus obiectiuus est vnus, non vnitate reali, sed rationis & præcisionis, *& ad prob. Dicitur* Quod illud vnum est aliquid reale, materia-

terialiter acceptum pro subiecto vnitatis, non formaliter pro ipsa vnitate præcisionis, & relationis vniuersalitatis. Et sic licèt non existat à parte rei sub illo statu vnitatis præcisè, existit tamen illa natura, sub alio statu. Et hoc sufficit vt dicatur, ens reale, & capax existentiæ absolutè, & secundum se, licet non in omni statu.

Ad confirm. Respond. Primum inconueniens non sequi, quia illa maxima intelligitur de his, quæ sunt eadem vni tertio, quod ita est vnum vt virtualiter non sit multiplex. Quod Diu.Th.1.p. q.28.art.3. appellat esse idem vni tertio re, *& ratione*, id est, vni tertio, quod est idem secundum rem, & secundum rationem, & non virtualiter multiplex, id est, quod non solùm entitatiuè est vnum, sed etiam respectiuè, & communitatiuè non est ad multa, natura autem vniuersalis virtualiter est multiplex, quia est communicabilis in plura, vnde ex identitate cum illa non sequitur identitas indiuiduorum inter se. *Vel secundò*, omnia indiuidua dicuntur esse vnum in natura cõmuni non vnitate reali, sed vnitate similitudinis & conuenientiæ, quæ per intellectũ accipitur tanquam vnitas, vnde non sequitur, quod sunt vnum inter se entitatiuè, sed solùm similia, & cõuenientia, per rationẽ autem accipiuntur tanquã vnũ.

Ad secund. inconueniens dicitur. Quod communicatio naturæ vniuersalis ad singularia non est sicut communicatio totius integralis ad partes integrantes, sed sicut totius prædicabilis ad partes subiectiuas in quo non fit diuisio per partes, sed diuersa multiplicatio naturæ in diuersis indiuiduis. Vnde in diuisione integrali quęlibet pars non adæquat totum, in communicatione verò vniuersalis ad particularia quælibet pars subiectiua adæquat totum quantum ad naturam communicatam, sed non quantum ad extensionem, & multiplicabilitatem illius. Quod longè distat à Mysterio Trinitatis in quo non fit communicatio rei vniuersalis per multiplicationem naturæ, sed per identitatem eiusdem naturæ singularis cum tribus personis realiter distinctis.

Ad tertium inconueniens Resp. Quod homo in communi dicitur corruptibilis, & generabilis quantum ad radicem, & conuenientiam corruptibilitatis, nõ quantum ad exercitium, conuenit enim corruptibilitas naturæ, sed exercetur in indiuiduis, sicut conuenit ei risibilitas sed exercitium ridendi non conuenit naturæ in communi, sed indiuiduo. Vnde hoc in omnibus propriis passionibus inuenitur, quod connexio & conuenientia earum est respectu naturæ communis, exercitium verò respectu indiuiduorum.

ARTICVLVS III.

Vtrum vnitas formalis, vt distincta à singulari conueniat naturæ ante operationem intellectus?

QVia vniuersale, vt dictum est in articul. 1. definitur, *Quod est vnum in multis, seu aptum ad essendum in multis*, necesse est declarare, quomodo illi conueniat vnitas, & quomodo conueniat aptitudo ad essendum in multis. Et in hoc articulo agemus de vnitate, in sequenti de aptitudine.

Duo ergo pro præsenti difficultate notanda sunt. *Primum.* Quid nomine *vnitatis formalis* intelligamus? *Secundum.* In quo consistat punctus difficultatis, & controuersiæ inter scholam D. Thomæ, & Scoti circa distinctionem huius vnitatis formalis ab indiuiduali ex natura rei? *Vnitas* ergo generaliter loquendo formaliter importat carentiam diuisionis, & dicit aliquid positiuum ex parte entitatis, & aliquid negatiuum ex parte formalis, quod addit supra entitatem, vt colligitur ex D.Thom. 1. part. q. 11. artic. 2. ad 2. & in 1. distinction. 9. quæst. 4 art. 1. ad 2. & distinct. 24. quæst. 1. art. 3. Vnde ex diuersa ratione negandi diuisionem solet diuersus modus vnitatis resultare, vt tamen resultet non solùm diuersus modus vnitatis, sed diuersa vnitas absolutè, oportet quod non solùm varietur modus negandi diuisionem, sed etiam ratio ipsa entitatis positiua diuersa reddatur, quia diuersitas vnitatis absoluta facit multitudinem, plures enim vnitates multitudo est, vbi autem non est multitudo, non est diuersa vnitas absolutè loquendo licet sit diuersus respectus negandi diuisionem, multitudo enim non componitur ex negationibus, sed ex entitatibus quantum ad positiuum, quod includitur in vnitate, vt S. Thom. docet loco citato quæst. 11. primæ partis. Quando ergo in præsenti distinguimus in eadem re vnitatem formalem & indiuidualem, & vniuersalem, & rursum formalis distinguitur in genericam, & specificam, non distinguimus varias vnitates absolutè, & ex parte entitatis positiuæ, quasi illæ constituant aliquam multitudinem, sed solùm distinguimus varios respectus negandi diuisionem. Cum enim concurrant in aliqua re, & principia formalia, quæ constituunt quidditatem, & materialia, quæ pertinent ad indiuiduationem, quando principia formalia sunt indiuisa, id est, non fit diuisio penès formalia principia, tunc ex illo respectu carendi diuisione quantum est ex parte talium principiorum dicitur vnitas formalis, quæ adhuc variari potest penès variationem principiorum formalium, nam quædam principia formalia sunt generica, & quædam specifica, & si detur carentia diuisionis penès principia generica tantum, dicitur vnitas formalis generica, si autem sit carentia diuisionis penès principia specifica, dicitur vnitas formalis specifica. Quando verò non solùm datur carentia diuisionis ex parte principiorum formalium, sed etiam ex parte materialium, quæ pertinent ad indiuiduationem, tunc illa vnitas est numerica, seu indiuidualis. Et quia quidditas, & indiuiduatio simul concurrunt in vno indiuiduo, non repugnat etiam inueniri vnitatem formalem coniunctam vnitati indiuiduationis. Si autem per intellectum separatur ab omni indiuiduatione, vnitas illa formalis manebit præcisa, & tunc dicitur vnitas vniuersalis, seu præcisionis.

Secundò notandum est. Punctum controuersiæ & difficultatis inter scholam D. Th. & Scoti in hac parte non consistere in eo quod vnitas formalis inueniatur in re ita distincta ab vnitate singulari, quod vel existat separata ab illa (hoc enim esset ponere ideas Platonis) vel quod positiuè inueniatur communis ad vnitates numerales, hoc enim Scot. nunquam dixit, sed solum in duobus consistit eius sententia.

Primum, quod inueniatur à parte rei vera, & propria vnitas, quæ comitatur naturam secundum se consideratam, quæ neque est numerica, nec vniuersalis, sed minor numerica, eo quod non est ita indiuisa, sicut numerica, vnde ista vnitas, quia conuenit naturæ secundum se consideratæ, in omni statu inuenitur: In statu quidem præcisionis manet coniuncta vnitati vniuersali: in statu autem singularitatis manet coniuncta vnitati numericæ, sed tamen vera, & propria vnitas est etiam secundum se considerata, & non solùm ratione vnitatis numericæ, vel præcisionis sibi adiunctæ, sed in vnoquoq; indiuiduo, & datur vnitas numerica, & prætereà vnitas formalis, & in vnoquoque vniuersali datur eadem vnitas formalis, & simul vnitas præcisionis.

Secundum est. Quod hæc vnitas formalis, quæ conuenit naturæ secundum se dici potest vniuersalis negatiuè, id est, non singularis, quia de se illa natura, & consequenter vnitas eius neque singularis est, neque vni

vniuersalis positiuè, vt etiam sentit Di u. Thom. 4. cap. de Ente, & Essentia. Solùm enim in il lo statu conueniunt naturæ prædicata quidditatiua, & propriæ passiones, quarum vna est vnitas. Videatur Scotus in 2. distinction. 3. quæstion. 1. §. *Sed contra.* & §. *Ad quæst.*

Dicitur autem hæc vnitas formalis conuenire ex natura rei, quia consequitur ipsa principia naturæ secundum se, & non benefic i o intellectus.

Aliqui tamen sinistrè interpretati Scotum dixerunt, istam vnitatem ita c nuenire naturæ in statu solitudinis & secundum se, quod non descendit ad indiuidua, neque in illis inuenitur, sed secluso illo statu solitudinis euanescit ista vnitas. *Alij* autem per aliud extremum voluerunt hanc vnitatem formalem, ita in singularibus inu eniri, quod etiam retinet ibi aliquid vniuersalitatis, saltem imperfectè, & inchoatè, quatenus existit in pluribus actu, non tamen secundum aptitudinem, qua potest prædicare de pluribus, de quo videri potest apud Conimb. quæst 4. vniuer. art. 3.

Nihilominus pro resolutione, *Dico Primò.* Naturæ secundum se, non conuenit aliqua vnitas, quæ positiuè & absolutè vnitas sit, minor numerali, & quæ à parte rei inueniatur coniuncta cum vnitate numerica, sed solùm conuenit vnitas formalis negatiua, id est, negatio diuisionis per principia formalia. Itaque in re inuenitur conuenientia & similitudo vnius naturæ cum alia in prædicatis quidditatiuis, quam intellectus per modum vnitatis assumit, & consequenter inuenitur in qualibet natura negatio diuisionis per principia formalia. Et in hoc est ferè tota æquiuocatio in hac parte, quod existimatur negationem diuisionis solùm fieri per veram, & positiuam vnitatem, cum tamen etiam fieri possit per solam conuenientiam, quæ enim conueniunt ex vi illorum principiorum per quæ conueniunt, non diuiduntur. Ita sumitur ex Caietano 4. cap. de Ente, & Essentia, q. 6. & hoc ipsum ibi docet D. T. dicens. *Quod natura secundum se, neque est vna, neque plures. Si quæratur* (inquit) *vtrum ista natura possit dici vna, vel plures, neutrum concedendum est, quia vtrumque est extra intellectum humanitatis, & vtrumque potest sibi accidere, si enim pluralitas esset de ratione eius nunquam posset esse vna, cum tamen vna sit secundum quod est in Socrate: similiter si vnitas esset de intellectu, & ratione eius, tunc esset vna, & eadem natura Socratis, & Platonis, nec posset in pluribus plurificari.* Ita D. Thom.

Ex cuius verbis sumitur fundamentum huius conclusionis, Quia vnitas positiua, tunc obsolutè, & simpliciter est vnitas, quando non solùm negat diuisionem ex vna parte, sed relinquit subiectum, seu entitatem ex omni parte indiuisam, & determinatè reductā ad vnitatem: si enim ex aliqua parte relinquit locum diuisioni, vel pluralitati, solùm secundum quid erit vnum, & non simpliciter, sufficit enim ad tollendam vnitatem simpliciter, quod ex aliqua parte non sit sublata diuisio, seu pluralitas, sed natura considerata secundum se non habet ex omni parte sublatam diuisionem, nec remouet omnia principia pluralitatis, ergo non habet vnitatem formalem positiuè, & simpliciter. Minor probat. Quia natura secundum se cōsiderata est indifferens ad pluralitatem, vel vnitatem, & determinatè neutrum sibi vendicat, vt probat ratio D. Thomæ, quia si haberet pluralitatem nunquam posset esse vna, & si vnitatem, nunquam posset plurificari, quia illud quod conuenit naturæ, sub illo statu essentialiter illi conuenit, quia solum est status, in quo considerantur prędicata quidditatiua, & quidquid ibi conuenit quidditatiuè conuenit, ergo natura pro illo statu est indifferens, vt sit determinatè vna, vel determinatè plures, quia ex sua quidditate neutri repugnat, ergò nōdum habet statum, in quo remoueat, & repugnet omni principio plurificationis, & diuisionis, ergo nondum habet vnitatem positiuam.

Nec obstat, quod habet negationem diuisionis penès principia formalia, quia hoc solùm probat habere vnitatem negatiuam, ratione cuius dixit D. Th. opusc. 42. cap. 7. *Quod in ipsa natura absolutè accepta est quædā vnitas, cum definitio eius sit vna*, & hæc est vnitas non simpliciter, & positiuè, sed quantum ad negationem diuisionis per principia formalia, quæ solùm pertinent ad definitionem, sed de vnitate positiua, & simpliciter subdit ibi D. T. id quod dixerat loco citato de Ente, & Essent. *Quod non est de intellectu naturæ absolutè vnitas aliqua, neque etiam pluralitas, quia vtrumque potest sibi accidere.* Et hoc amplius manifestatur, quia ista negatio diuisionis penes principia formalia taliter afficit naturam secundum se consideratam, quod multiplicata natura in statu indiuiduationis, etiam ipsa negatio multiplicatur, & non manet vnica in omnibus indiuiduis, ergo signum est, quod non reddebat naturam vnam simpliciter, quia taliter ibi inuenitur negatio diuisionis formalis, quod adhuc est cum indifferentia, vt ipsamet negatio plurificetur, vel vna maneat, negatio autem indiuisionis, quæ adhuc in se non est vna quomodo potest reddere naturam simpliciter vnam? Non ergo omnimodam vnitatem ex parte subiecti habet, quousque talis natura in aliquo statu reperiatur, vel singularitatis, vel vniuersalitatis.

Dico secundò. Licèt natura secundum se sit negatiuè communis, & negatio diuisionis formalis, quę illi conuenit sit etiam negatiuè communis, id est, non singularis, tamen in re, & extra intellectum absolutè, & de facto nunquam reperitur ista vnitas, neque positiuè, neque negatiuè communis. *Ratio conclusionis est.* Quia hoc ipso quod natura ponitur extra intellectum accipit statum singularitatis cum non possit inueniri natura, sine singularitate, aliàs poneretur natura Platonica extra intellectum, posita autem singularitate non solùm remouetur communitas positiua, quam in intellectu natura adquirit, quod etiam Scotus fatetur, sed etiam remouetur communitas negatiua, tum quia non manet vna negatio in illis naturis singularizatis, sicut enim multiplicatur ipsa natura specifica, ita & negatio indiuisionis formalis, quæ naturam comitatur. Tum etiam: Quia esse communem negatiuè, est non esse diuisam in multis, sed posita singularitate manet diuisa in multis, cum verè, & positiuè natura sit multiplicata, quod est habere oppositum illius negationis, qua negatiuè est communis, id est, non diuisa, ergo non manet communis negatiuè, sicut aër posita luce non manet negatiuè tenebrosus, quia ipsa illuminatio expellit negationem lucis.

Dices. Natura illa singularis, & extra intellectum adhuc non habet illam multiplicationem ex se, sed ex statu singularitatis adiuncto, ergo secundum se semper manet illa natura communis negatiuè, & conuenit illi vnitas formalis communis negatiuè quantum est ex se, non obstante multiplicatione.

Resp. Quod non sufficit aliquam naturam non habere ex se aliquam formam, vel prædicatum accidentale, vt dicatur simpliciter non habere illud, quando illi reuera conuenit absolutè, licèt ex propriis, & intrinsecis non conueniat, sicut homini ex propriis non conuenit esse album, neque aëri esse lucidum, & tamen quando actu homo est albus, & aër illuminatus, non possumus dicere quod absolutè non sit talis, quia ab intrinseco id non habet, sic natura licèt secundum se non sit plurificata, & diuisa, & consequenter negatiuè communis, i. e. non singularis, si tamen actu sit singularizata, & multiplicata, non manet amplius negatiuè communis, licèt ex propriis, neque sit communis, neq; singularis, & hoc semper illi conuenit. Atq; ita nunquā debet concedi absolutè quod natura secundū

se est communis negatiuè in re, sed quod ex propriis, & essentialibus non habet singularitatem, & multiplicationem in re, quod est verum, absolutè tamen habet illam, vt autem denominetur communis negatiuè in re, non sufficit, quod ex se non sit singularis, vbi ly *ex se* pertinet ad modum non essendi, sed quod careat ipsa singularitate.

Sed obycies. Quia D. Thom. 4. cap. de Ente, & Essentia dicit, Quod Natura secundum se est id quod prædicatur de indiuiduis, hoc autem est proprium vniuersalitatis, ergo natura secundum se vniuersalis est.

Resp. Quod vt benè aduertit Caietanus ibi circa 3. dub. In natura aliud est res, quæ prædicatur, aliud conditio, seu status vt prædicetur. Res quidem quæ prædicatur est natura secundum se, eius enim quidditas communicatur inferioribus. Conditio autem, seu status, vt communicetur est superioritas, hæc non conuenit naturæ secundùm se; esse autem rem, quæ prædicatur de singularibus, hoc est quod conuenit naturæ secundum se, nec amplius dicit D. Thom.

Dico vltimò. Facta præcisione à singularibus per intellectum natura, & eius vnitas formalis habet rationem vnitatis determinatæ, & positiuæ in quantum redditur vnitas communis ad multa, quæ est vnitas præcisionis. Et similiter contracta ad singularia redditur vna vnitate numerica, quare nunquam vnitas formalis inuenitur simpliciter, & positiue, nisi sit vnitas vniuersalitatis, vel singularitatis. Hæc conclusio constat ex dictis, & de ista vnitate dicit D. Thom. opuscul. 42. citato cap. 7. *Quod alia est vnitas naturæ quam habet ab intellectu in quam omnia supposita conueniunt.* Sentit ergo quod natura, cui conuenit formalis vnitas ab intellectu vnitatem accipit rationis determinatam. Et similiter in opusc. 55. inquit D. Thom. *Quod illa natura quæ est vniuersalis in quantum est in anima est vna numero*, id est, concepta ad modum vnitatis positiuæ, ac si esset vna numero. Et opusc. 29. dicit: *Quod naturæ relinquitur vnitas rationis in communicatione sua*, non ergo est vnitas à parte rei. Et ratio est clara, quia natura sic concepta solùm repræsentat id in quo conueniunt omnia inferiora, tanquam si esset vna natura separata ab omnibus illis, sed si ista natura sic existeret à parte rei vt concipitur (sicut Plato dicebat) à parte rei haberet vnitatem positiuam, ergo in intellectu illam habet, quia sub vnitate concipitur. Et hæc vnitas attribuitur ab intellectu ipsi naturæ cognitæ, licèt fundamentum habeat in ipsa re propter similitudinem, & conuenientiam inferiorum in aliqua vna ratione: sed tamen redditur vna illa ratio communiter concepta, *in quantum habet rationem vniformem ad omnia indiuidua, quæ sunt extra animam, & ratione huius vniformitatis plures homines sunt vnus homo*, sicut dicit D. Thom. opusc. 41. c. 7. & opusc. 55. Vnde non repræsentat iste conceptus sic vniformis omnia indiuidua immediatè, & formaliter, sed vnam rationem in qua conueniunt repræsentat directè; materialiter autem, & mediatè ipsa inferiora, quatenus sunt ea quibus talis ratio conuenit, & in quibus multiplicatur dissoluta vnitate præcisionis.

Ex quo inferes, malè aliquos explicare vnitatem vniuersalis per hoc, quod non sit aliud quam essentia multorum, seu ipsa multa concepta per ordinem ad aliquam communem operationem, passionem, vel accidens. Sed hoc non est verum, nam si vnitas naturæ communis non est aliud quam plura per ordinem ad vnam operationem, inquiro quomodo operatio illa, vel accidens, aut passio sint vnum? Si solùm per similitudinem æquè sunt plura, atque ipsæ res quarum sunt passio, nam etiam res, seu naturæ similes sunt. Si autem propter istam similitudinem operatio, vel passio accipitur vt vna ab intellectu, cur non etiam ipsa natura quæ eandem similitudinem habet?

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur communi illo argumento. Petrus, & Paulus à parte rei non distinguuntur formaliter, sicut distinguitur Petrus ab equo, ergo sunt vnum formaliter à parte rei, & illa vnitas non est numeralis, quia in vnitate numerali non sunt vnum, sed distincti, ergo datur vnitas formalis à parte rei distincta à numerali.

Et confirmat. Quia quot modis dicitur vnum oppositorum tot modis dicitur, & aliud, sed datur distinctio formalis à parte rei diuersa à numerali, sicut homo, & equus formaliter in re distinguuntur, seu specificè, ergo etiam datur vnitas formalis distincta à numerali à parte rei.

Resp. Probare argumentum quod Petrus, & Paulus habent vnitatem formalem à parte rei fundamentaliter, & quantum ad vnitatem negatiuam, non formaliter, & secundum vnitatem positiuam. Vocamus vnitatem fundamentalem conuenientiam, seu similitudinem, hæc enim datur à parte rei, quia Petrus, & Paulus sunt similes in natura: sed ista conuenientia non est vnitas, conuenientia enim potius supponit distinctionem extremorum. Similiter cum dicimus dari vnitatem negatiuam formalem, non est sensus, quod in duobus indiuiduis sit eadem negatio, cum sint diuersa subiecta, & consequenter duæ negationes, sed quod vtraque negatio facit vnum effectum, scilicet illam naturam non esse diuisam per principia formalia. Eodem modo dicendum est, quod duo indiuidua diuersæ speciei minus sunt vnum quam indiuidua eiusdem, id est, minus conuenientia, & similia neutra magis, vel minus vnum vnitate reali, & positiua.

Ad confirm. Resp. Similiter probare, quod sicut datur distinctio formalis in re, ita datur vnitas formalis in re, sed in re formaliter semper est coniuncta numericæ, non seorsum ab illa, sed sufficit, quod sit vnitas negatiua, vel fundamentalis in re, quæ solùm est conuenientia, & similitudo; hæc enim etiam opponitur diuisioni formali.

Secundò arguitur. Natura secundum se, vt distinguitur ab indiuiduatione est vera entitas, ergo habet veram, & formalem vnitatem, quæ est passio entis. Nec sufficit conuenientia, aut similitudo, quia passio entis non est conuenientia, vel similitudo, sed vnitas, ergo illa conuenit naturæ secundum se & non conuenit illi vnitas numerica, vt constat, ergo formalis, seu specifica.

Et confirm. Quia ipsa similitudo, & conuenientia est relatio fundata in vnitate, & non in vnitate conuenientiæ, & similitudinis, sic enim conuenientia fundaretur in conuenientia, ergo in vera, & propria vnitate, non in vnitate numerica, quia hæc non datur inter Petrum, & Paulum, ergo in vnitate formali.

Resp. Vnitatem inueniri in natura, eo modo quo ipsa natura inuenitur, si enim consideratur natura sine aliquo statu determinato, sed solùm secundum principia essentialia, sic non consideratur, vt habens vnitatem determinatè, & positiuè, sed solùm negatiuè, id est, non est diuersa penès illa principia formalia, in re autem, quia habet statum singularem, determinatè habet etiam vnitatem positiuam, non qua plures naturæ singularizatæ dicantur vnum, sed qua quælibet natura habet suam vnitatem, & in ratione specifica, & formali conuenientiam, & negationem diuisionis penès eadem principia formalia.

Quod si instes. In natura secundum se inuenitur entitas positiua & inuenitur negatio diuisionis, quoad principia formalia, ergo inuenitur plena, & perfecta vnitas, quia hæc non consistit in alio, quam in entitate cum negatione diuisionis.

Respond. Non inueniri in tali natura negationem diuisionis absolutè, & determinatè, ita quod negatio illa diuisionis sit per positionem vnitatis, sic enim dicitur negatio diuisionis absolutè; sed solùm sub illa reduplicatione quantum est ex principiis formalibus, id est, quod non ex illa parte habet diuisionem, licèt nondum habeat positiuè vnitatem: & quia relinquit indifferentiam, vt habeat pluralitatem, vel vnitatem absolutè, & principia materialia, ideò perfectè, & simpliciter non manet vna, sed solùm negatiuè, id est sub illa duplicatione dicta; hoc modo semper aliqua vnitas saltem negatiua consequitur ens in quocumque statu.

Ad Confirmat. Respond. Quod similitudo, & conuenientia pro relatione fundatur in ipsa conuenientia & similitudine pro fundamento, & sic non fundatur conuenientia in conuenientia, sed relatio conuenientiæ in ipsa vnitate, id est vniformitate ipsa conuenientiæ, quæ est fundamentum talis relationis, non autem fundatur in vnitate simpliciter; hæc enim potius repugnat conuenientiæ, quæ est plurium conformitas.

Tertiò arguitur. Vnitas formalis est illa, qua aliquid dicitur vnum formale, seu vnum in specie, sed vnum indiuiduum sine consortio alterius non dicitur vnum in specie, neque enim admittimus, quod Petrus est vnum in specie, nisi addamus, Petrus cum Paulo, vel cum Francisco, ergo vnitas formalis non multiplicatur in quolibet indiuiduo, sed facit plura indiuidua esse vnum inter se. Vnde Diuus Thom. 3. part. quæst. 2. artic. 5. ad 2. inquit: *Quod natura humana non habet rationem speciei secundum quod est in vno indiuiduo, sed secundum quod est abstracta ab omni indiuiduo, vel secundum quod est in omnibus.* Ergo sentit D. Thom. vnitatem speciei in omnibus indiuiduis inueniri, & non in vnoquoque seorsum.

Respond. distin. min. Vnum indiuiduum sine consortio alterius non dicitur vnum in specie, quantum ad similitudinem, & conuenientiam concedo. Quantum ad indiuisionem, & vnitatem specificam nego. Habet enim natura, quæ est in vno indiuiduo, etiam prout in illo, negationem diuisionis specificæ per principia formalia. Conuenientiam autem, & similitudinem cum alio indiuiduo non habet sine consortio alterius; & sic dicitur illa vnitas formalis quæ est in quolibet indiuiduo facere plura indiuidua vnum inter se, quia facit illa conuenire in vno, seu habere similitudinem, & conuenientiam in natura.

Ad locum D. Tho. Resp. Quod natura humana habet rationem speciei secundum quod est in omnibus indiuiduis eo modo quo dicitur vniuersale esse in multis, vel fundamentaliter, quia abstrahitur vna natura à multis, in quibus inuenitur vna, non per identitatem, & vnitatem simpliciter, sed per conuenientiam, & similitudinem, vel quia est in multis per prædicationem, & aptitudinem ad essendum in illis, sed hoc habet per intellectum, & non in re per vnitatem communem multis.

Vltimò arguitur. Quia natura in statu solitudinis habet quidquid requiritur, vt sit libera à singularitate, quia neque est contracta, neque determinata, neque incommunicabilis secundum se, ergo secundùm se est communicabilis, & non singularis, & contrahibilis, ergo vnitas quam habet est vnitas communis multis.

Respond. Quod posita illa reduplicatione *secundum se* non valet à negatiua ad affirmatiuam variato prædicato penès finitum, & infinitum, neque valet à negatione vnius absolutè ad positionem alterius, & sic non valet, natura secundum se non est singularis, nec determinata, nec incommunicabilis, ergo secundum se est communicabilis, vel vniuersalis, &c. Nam *secundum se*, neque est vnum nec alterum, sed vtriusque est capax. Erit autem contradictio si dicas, homo secundum se non est communicabilis, homo secundum se est communicabilis, sed hæc secunda est falsa, & prima negatiua est vera, & à destructione vnius valet ad positionem alterius, seruando semper eandem reduplicationem, seu appellationem illius particulæ *secundum se*; nunquam tamen affirmatiuæ debent fieri determinatè de illa natura secundum se, vt dicatur quod est communicabilis, vel quod secundum se est incommunicabilis, sed semper negatiua est vera, quod secundum se, & essentialiter, neque est vnum neque alterum.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm aptitudo, & indifferentia ad multa conueniat rebus extra operationem intellectus?

EAdem fere controuersia est in hac quæstione, ac in præcedenti, nam qui admittunt vnitatem formalem communem ex natura rei, pari modo admittunt ex natura rei conuenire ipsam indifferentiam, & aptitudinem ad multa.

Cæterùm in liberanda hac aptitudine, & indifferentia vnitatis ab vniuersalitate quam Plato posuit non parum laboratur ab authoribus huius assertionis. Nam Scotus in 2. dist. 3. quæst. 1. §. *Ad quæstionem*, & §. *Sed contra*, solùm fatetur naturam in illo statu, seu prioritate qua consideratur secundum se habere vnitatem, nec singularizatam, nec vniuersalizatam, sed indifferentem ad vtrumque, & ideò hæc indifferentia non sufficit ad vniuersalitatem in actu, quia est indifferens ad habendam illam, non autem habet illam vniuersalitatem qua sit indifferens ad prædicationem, & existentiam in multis. Alij in ipsamet natura secundum se existimant verè dari vnitatem præcisionis ab inferioribus, & consequenter habitudinem proximam ad existendum in multis singularibus supposita opinione de distinctione actuali inter gradus superiores & inferiores, de qua sequenti art. 6. nec tamen dicunt inueniri in re vniuersalitatem, quia illa indifferentia non conuenit naturæ tanquam prædicatum intrinsecum, sed ratione illius status solitudinis, quæ solitudo soluitur descendendo ad indiuidua: de qua videatur Fons. 5. Met. c. 28. quæst. 5. sect. 3. Suar. disp. 5. Met. sect. 2. n. 9. in fine, qui tamen id reiicit. Videantur alij apud Conimb. q. 4. vniu. art. 3. section. 2. Alij denique adhud peius dixerunt aptitudinem ad multa etiam in indiuiduis inueniri, sed per modum actus non per modum potentiæ. Putant enim naturam contractam, & singularem quantum est ex ratione naturæ manere aptam ad plura, etsi illa aptitudo impediatur per differentiam singularem, ne de aliis prædicetur; sicut materia prima quādo est sub vna forma retinet aptitudinem ad habendum aliam, licèt impeditam quando est sub prima forma. Et naturam sic contractam in pluribus dicunt esse vniuersale actuale, non potentiale, idest, habere actum existendi in multis, non potentiam præcisam ab illis; contra quos vide Conimb. quæst. 4. de vniu. artic. 4.

Verùm pro solutione notandum, nomine, *Aptitudinis,*

dinis, seu *potentiæ indifferentis ad multa*, non intelligi in præsenti aliquam potentiam ad agendum aliquid, vel recipiendum, cum vniuersale de quo agimus in præsenti, non respiciat inferiora tanquã effectus, quia non est vniuersale in causando: sed esse potẽtiam per modum capacitatis, seu non repugnãtiæ, vt multiplicetur in multis, & sit in illis per identitatem, & consequenter per prædicationẽ quatenus vniuersale, & particulare, superius, & inferius, significant quoddam totum scilicet vniuersale quasi indeterminatum, & abstratum, particulare verò, vt determinatum, & contractum; & quia indeterminatum potest fieri determinatum, dicitur habere aptitudinem, vt sit in illo, & prædicetur de illo.

Et quidem hæc aptitudo potest considerari formaliter, & positiuè in quantum respicit inferiora, vel fundamentaliter pro ipsa capacitate, seu non repugnantia ad respiciendum inferiora & descendendum ad illa, in hac enim non repugnantia fundatur ille respectus, & quando sumitur positiuè, seu per modum respectus est ipsa formalis intentio, seu vniuersalitas in actu, quam à parte rei dari etiam Scotus negauit, solùm admittens communitatem negatiuè ex natura rei, quæ non est aliud, quam naturam ex se non esse singularem. Quare punctus difficultatis in præsenti est, an ratione huius communitatis negatiuæ inueniatur in natura secundùm se sumpta aliqua non repugnantia, seu capacitas, vt sit in pluribus, & prædicetur de illis.

Nec distinguimus in præsenti aptitudinem ad essendum in multis, & ad prædicandum de multis, quia licèt sint distincti respectus vniuersalitas, & prædicabilitas, siquidem prædicabilitas est passio vniuersalitatis, vt infra dicetur, tamen capacitas, seu non repugnantia eadem est ad essendum in multis, & ad prædicandum de multis, quia ista duo scilicet esse, & prædicari, ita essentialiter coordinantur, vt posito vno sequatur aliud: quando autem aliqui actus essentialiter ordinantur, eadem aptitudo, seu non repugnantia est ad vnum, & ad alterum: sicut formam vniri materiæ, & materiam recipere esse ab illa in eadem capacitate, seu non repugnantia materiæ fundantur.

Sit ergo vnica conclusio. Ista aptitudo, seu non repugnantia, quæ est fundamentum proximum vniuersalitatis nullo modo inuenitur in natura secundùm se, neque vt contracta in indiuiduis, sed in natura abstracta, & præcisa per intellectum. Itaque illa non repugnantia ad essendum in multis sequitur naturam ratione status, non ratione quidditatis. Hæc conclusio est Sancti Thomæ, & communis Thomistarum, de qua videri potest Caietanus cap. 4. de ente, & essentia quæst. 7. & sumitur ex Diuo Thoma in opusc. 56. vbi inquit: *Habilitas essendi in pluribus non est de essentia hominis, quia tunc homo, qui est in Sorte esset habilis ad participationem plurium, quod est impossibile.* Et 4. cap. de Ent. & Essent. *Non potest*, inquit, *dici, quod ratio vniuersalis conueniat naturæ sic acceptæ* (scilicèt secundum se) *quia de ratione vniuersalis est vnitas, & communitas, naturæ autem humanæ neutrum eorum conuenit secundum suam absolutam considerationem, si enim communitas esset de intellectu hominis, tunc in quocumque inueniretur humanitas, inueniretur communitas. Relinquitur ergo, quod ratio speciei accidat naturæ humanæ secundum illud esse, quod habet in intellectu, &c.* Et prosequitur Diu. Thomas ostendens quomodo natura in intellectu habeat vnitatem ex eo, quod habet rationem vniformem ad omnia indiuidua, quæ sunt extra animam, prout est imago omnium.

Et ratio Vnica, & efficax pro conclusione ex eo deducitur, quia aptitudo ista, quæ est fundamentum proximum vniuersalitatis non est sola communitas negatiua, seu negatio habendi singularitatem, sed est capacitas, seu non repugnantia, vt natura vna existens multiplicetur in multis, ergo in statu in quo natura non est vna, nec plures, vel in statu in quo est contracta ad indiuiduationem non habet capacitatem vnitatis ad multiplicationem. Sed in statu singularitatis habet repugnantiam ad istam multiplicationem: in statu autem solitudinis, seu naturæ secundum se nondum habet vnitatem multiplicabilem in plura, sed solùm prædicata quidditatiua inter quæ non potest numerari ista capacitas, seu non repugnantia vnitatis ad multiplicationem. Alioquin vbicumque esset natura conueniret illi talis capacitas, quod manifestè est falsum cum à parte rei sit incapax ad existendum in multis.

Nec sufficit dicere. Quod est incapax à parte rei absolutè loquendo, sed non est incapax ex vi principiorum essentialium. Hoc inquam, non sufficit: Quia licèt natura secũdum se, non sit incapax, neque ad existendum in multis, neque ad singularitatem in vno, tamen non potest dici quod ibi habet capacitatem vnitatis ad multa qualis requiritur ad fundandum vniuersalitatem quæ est capacitas absolutè, & non solùm quod ex aliqua parte non sit incapax. Sicut etiam in lapide est incapacitas simpliciter ad intelligendum, & consequenter non habet fundamentum intellectualitatis, licèt ex eo præcisè quod sit substantia, non sit incapax ad intellectualitatem. Sic aliud est dicere, quod natura secundum se non est incapax vnitatis ad multa, aliud est quod secundum se determinatè, & positiuè sit capax, & habeat talem non repugnantiam, cum nondum habeat ipsam vnitatem, quæ multiplicabilis est in multis.

Et confirm. Quia natura secundum se, & in singularibus non est capax intentionis, & respectus positiui ad multa, ergo neque fundamenti proximi istius relationis, qualis est aptitudo vnitatis ad multa, ergo non datur talis aptitudo in natura secundum se, neque in indiuiduis. Sed omnino dicendum est, quod ista aptitudo necessariò supponit vnitatem capacem multiplicationis in multis. Vnde quamdiu in natura non inuenitur talis vnitas, neque aptitudo reperitur; ista autem vnitas solùm est vnitas abstracta, & non realis, vel naturæ secundum se.

Dices. Non est solidum illud fundamentum D. Thor. quod ea quæ conueniunt rei secundum se, semper conueniunt, nam continuum de se est diuisibile in partes, & tamen in cœlo diuidi non potest, & de se omnis quantitas diuidi potest in infinitum, non tamen quantitas in re naturali sic diuidi potest.

Respond. Quod ista dicuntur conuenire secundum se non positiuè, & absolutè, sed negatiuè, idest, habent non repugnare, & pro aliquo statu solùm non pro omni conuenire actu. Eodem ergo modo, naturæ secundum se non repugnat quantum est ex principijs essentialibus vniuersalitatem habere, vel particularitatem, si tamen positiuè, & absolutè illi secundum se conueniret capacitas ad prædicandum vnum de multis in omni statu conueniret. Et hoc efficaciter probat ratio D. Thom.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PLura argumenta, quæ afferuntur pro sententia Scoti, vel potius illi attribuuntur, fundantur in illa æquiuocatione præcedenti articulo soluta à negatiua ad affirmatiuam penès prædicatum infinitum, vt natura secundum se non est singularis, ergo secundum se est communis, non est incapax ex principijs essentialibu ad essendum in multis, ergo est capax.

Et secundò fundatur hoc in proprietatibus naturæ vniuersalis, quæ conueniunt naturæ secundum se sicut esse

esse obiectum intellectus, esse perpetuæ veritatis, habere vnam definitionem, & alia similia quæ non conueniunt naturæ in indiuiduo, & tamen conueniunt naturæ secundum se, & ante operationem intellectus, quia obiectum præcedit actum suum, si ergo actus intellectus versatur circa vniuersale, datur vniuersale ante illum actum.

Denique. Quia non repugnant ista duo, quod natura ex principijs materialibus sit singularis, & contracta, ex principijs tamen formalibus, & specificis sit indeterminata, & consequenter apta ad essendum in pluribus, licèt impediatur per ipsam singularitatem, sicut materia prima habet aptitudinem ad plures formas, licèt sit impedita quandiu est sub vna, vt informetur illis, & natura Angelica est apta ad essendum in multis in sententia Thomistarum, licèt absolutè illi repugnet esse in illis.

Hac omnia ex dictis in præcedenti articulo soluta manent. Nam quod attinet ad primam probationem constat, quod posita particula, *secundum se*, illa possunt negari de subiecto, quæ illi essentialiter non conueniunt. Ad affirmandum autem, quod aliquid conueniat etiam sistit aliquid negatiuum oportet, quod secundum essentialem connexionem conuenit posita particula *secundum se*, quia designat conuenire aliquid ex vi quidditatis, & ita à negatione eius, quod accidentaliter conuenit non infertur conuenire oppositum affirmatiuum de prædicato infinitato. Et sic non valet, natura secundum se non est singularis, ergo secundum se est non singularis, & multo minus ergo est vniuersalis.

Ad secund. instant. dicitur. Quod esse obiectum intellectus, & esse perpetuæ veritatis quantum ad ipsam rationem obiectiuam ex parte rei cognitæ inuenitur obiectiuè, & si non semper realiter existat, & sic obiectiuè præcedit intellectum, quantum autem ad conditionem vniuersalitatis, quæ concomitatur obiectum in ipsa cognitione, hæc non præcedit actum intellectus, sed ex ipso resultat in obiecto, & sic definitio redditur vna vnitate fundamentali ex parte rei definitæ, positiuè autem formaliter ex parte intellectus. Et similiter se habet obiectum in quantum vnum, & vniuersale.

Ad tert. instan. dicitur. Esse disparem rationem inter aptitudinem materiæ, & aptitudinem vniuersalitatis, quia materia ex sua propria natura habet capacitatem ad plures formas, & eius aptitudo & potentia ad illas est eius entitas. Vnde vbicumque saluatur entitas illius, saluatur & ista aptitudo, quia conuenit illi secundum se, at verò aptitudo ad essendum, & prædicandum de multis consequitur naturam ratione status, & vnitatis abstractæ: est enim aptitudo non quomodocumque, sed ad hoc vt vna natura multiplicetur in multis, quæ vnitas illi non conuenit ante operationem intellectus. Quod verò additur de natura Angelica, infra latius discutiemus, quæstione 8. Sed in præsenti sufficit dicere, quod Angelo, si perfectè, & adæquatè concipitur, repugnat aptitudo ad essendum in multis, quia repugnat concipi, sine indiuiduatione, si tamen semel, sine illa concipiatur propter imperfectum & inadæquatum conceptum Angeli, sicut ex tali imperfecto conceptu habet vnitatem abstractionis, ita & aptitudinem, & non repugnant iam ad essendum in multis quantum est ex parte naturæ sic imperfectè conceptæ.

Secundò arguitur. Actus huius aptitudinis est realis, ergo & ipsa aptitudo conuenit rei secundum se, seu à parte rei. Conseq. est nota. Quia potentia sumit suam specificationem ab actu, sic enim verificatur, quod potentia, & actus sunt in eodem genere, quando est per se specificatiuũ potentiæ, ergo si actus est realis etiam & potentia. Antec. verò constat, quia actus huius aptitudinis est existere in pluribus singularibus quod est aliquid reale, esse enim particulare aliquid reale est, ergo & eius correlatiuum, quod est esse vniuersale.

Et conf. Quia ista aptitudo est fundamentum vniuersalitatis, ergo non est secunda intentio, sed prima, secunda enim intentio fundatur in prima. *Quod si dicas.* Esse fundamentum proximum quod debet esse eiusdem rationis cum intentione, & relatione in illo fundata. Contra est duplex instantia. *Prima*, Quia si ista aptitudo fit ab intellectu, ergo prius est cognitum obiectum, quam resultet illa aptitudo, & sic non requiritur vniuersalitas etiam fundamentalis, vt aliquid sit obiectum intellectus. *Secunda*, Quia si fit ab intellectu, ergo est aliquid singulare, vtpotè cum resultet ex actu singulari, ergo non potest formaliter constituere vniuersale.

Resp. Actum huius aptitudinis non esse aliquid reale, non enim actus aptitudinis vniuersalis est existentia plurium indiuiduorum, sed prædicatio, seu contractio vnius naturæ ad plura indiuidua, quod aliquid rationis est, existentia autem plurium indiuiduorum, solùm potest esse fundamentum vt abstrahatur vnitas vniuersalis, & reddatur apta ad istam prædicationem. Particulare autem non est correlatiuum vniuersalis, nisi sumatur secundò intentionaliter: si autem sumatur pro particulari vt inuenitur in re, seu primò intentionaliter, sic non est correlatiuum vniuersalis, sed fundamentum eius.

Ad conf. Resp. Quod secunda intentio habet pro fundamento remoto primam intentionem, sed pro fundamento proximo dicit aliquid rationis, non quidem quod sit relatio secundæ intentionis, sed quod sit aliqua negatio, vel denominatio extrinseca, sicut vniuersalitas supponit rem esse cognitam & abstractam ab indiuiduis ex qua abstractione sequitur vnitas præcisionis, quæ est negatio, & non repugnantia ad plura quæ est aptitudo ad illa, & inde sequitur relatio.

Ad primam replicam dicitur. Prius esse cognitum obiectum ab intellectu, quam aptitudo ista resultet, & ita vniuersalitas non requiritur ad obiectum intellectus, quasi antecedenter, sed quasi consequenter, quia non stat esse obiectum actu cognitum, nisi consequatur illa vniuersalitas, vel si intelligatur requiri vniuersalitatem antecedenter ad actum intellectus intelligitur de vniuersali fundamentaliter, non formaliter.

Ad secund. replic. dicitur. Quod illud, quod fit ab intellectu tanquam effectus, est aliquid singulare, quod verò resultat, vt cognitum, vel ex cognitione consequutum, est vniuersale, seu intentio, & forma vniuersalitatis, quæ rursus formaliter, & *vt quo* est vniuersalis, id est formaliter vniuersalem reddens naturam, denominatiuè autem, & vt quod, est singularis in quantum attribuitur determinato obiecto per determinatam cognitionem.

ARTICVLVS V.

An consistat essentialiter vniuersalitas in relatione.

HÆc difficulas plenius declarabitur ex his, quæ dicenda sunt, sequente quæstion. agendo de actu per quem resultat vniuersalitas in obiecto ex apprehensione intellectus. Sed vt totum quod pertinet ad vniuersale secundum se in hac quæstione attingeremus breuiter delibanda est.

Vniuersale ergo,vt supra annotauim.art.1.aliud est Logicum,aliud Metaphysicum,inter quæ illa est differentia,quod licèt vtrumque respiciat,seu connotet inferiora,Metaphysicum tamen respicit illa, vt terminũ à quo relictum,Logicum verò,vt terminum ad quem comparatur, id est Metaphysicum considerat naturas denudatas à conditionibus indiuidualibus, non verò pertinet ad ipsum considerare respectum earum ad easdem naturas, vt prædicetur de illis, sed ad Logicum.

Cæterum dissensio inter authores orta est in assignanda forma,seu ratione,qua vniuersalitates istæ, seu denominationes earum constituuntur,& in qua præcisè ipsa vniuersalitatis quidditas ponenda sit. Nam quidam,vt Martin.super prologo Porphyr.dispur. 1. q. 2. distinguunt constitutionem vniuersalitatis, vt sic, à constitutiuo vniuersalitatis, quatenus Metaphysicum, vel Logicum. Vniuersale vt sic dicunt constitui vnitate rationis resultante ex præcisione, quæ vnitas est aptitudo radicalis ad plura. Metaphysicum autem dicunt constitui abstractione negatiua, quatenus sine differentijs, id est, per omissionem, aut negationem illarum consideratur, Logicum verò constitui abstractione positiua, quatenus non solùm inferiora negatiuè omittuntur, sed positiuè considerantur, vnum ab alio separando, & comparando. Et sic natura per abstractionem positiuam extra differentias inferiores est quasi positiuè ab illis distincta, & extra earum conceptum, sed manet in ipsis inferioribus per inclusionem in illis, hoc enim est esse in multis, scilicet includi in illis, nihil autem includitur in alio nisi tanquam in distincto saltem per rationem, in se enim nihil includitur. Vniuersale autem, v. g. animal non abstrahitur ab inferioribus, scilicet equo,& homine etiam per rationem, sed ab aliquo illorum tantum, id est, à differentijs. Vt ergo extra differentias est, sed in inferioribus inclusum, dicitur Logicum vniuersale, quia tunc est vnum in multis. In summa dicit hæc sententia,vniversale, vt vniuersale præcisè (nondum Logicæ, vel Metaphys.) dici, quatenus vnum vnitate rationis,quæ aptitudinem includit non proximam, sed radicalem, proxima enim sine actu non apprehenditur. Vniuersale Metaphysicum, qua vniuersale, est vnum,qua Metaphysicum, sine multis. Vniuersale Logicum, qua vniuersale,est vnum, qua Logicum,in multis,non verò solùm sine multis.Hoc autem esse in multis,respectus est ad illa multa, sed iste respectus non potest esse nisi in illis includatur natura, siquidem non potest intelligi quod respiciat alterum nisi ipsum alterum cogitetur. Hoc autem quod respicit sunt inferiora, ergo debent inferiora cogitari, hæc sine inclusione superioris non cogitantur, igitur respectus ad inferiora, inclusionem petit in illis.Alij dicũt absolutè vniuersale Metaphysicum fieri abstractione, tam positiua, quam negatiua nihil in hoc distinguentes, vt tractat P. Mer.disp. 2. de vniu. q. 3. contra Mart. Et communis sententia multorum qui absolutè docent vniuersale fieri per abstractionem non distinguunt de positiua, & negatiua. Et P. Suar. disput. 6. Met. sect. 6. n. 8. & 11. vniuersale absolutum, quod est Metaphysicum quacumque abstractione docet fieri iuxta secundam sententiam à se relatam de vniuersali facto per abstractionem,respectiuum verò, quod est Logicum docet fieri per comparationem.

Circa vniuersale Logicum, communis sensus est Authorum, quod consistit in respectu ad inferiora, sed est triplex respectus, primus aptitudinis ad essendum in inferioribus, secundus aptitudinis ad prædicandum, seu prædicabilitas ipsa positiuè, & relatiuè accepta, quia prædicabilitas sequitur ad esse vniuersale. Tertius est relatio ipsius prædicationis actualis, qua prædicatum est, & non solùm prædicabile. Et secundum istos tres respectus diuiduntur tres sententiæ. Quidam essentiam vniuersalis ponunt in relatione aptitudinis ad essendum in multis, respectum verò prædicabilitatis esse passionem eius. Alij è contra prædicabilitatem esse priorem, relationem ad essendum posteriorem. Alij denique relationem actualis prædicationis esse vniuersalitatem, quia iudicatur vnum conuenire multis,de quibus vide P. Mer. disp. 2. de vniu.q.2.

Nihilominus pro resol.dico primò. In vniuersali solùm inueniuntur tria,quæ ad integram rationem eius pertinent, scilicet vniuersale materiale, fundamentale,& formale.Quod est dicere naturam,seu subiectum, quod denominatur vniuersale, & hoc dicitur vniuersale pro materiali, fundamentum proximum relationis vniuersalis, quod est vnitas præcisa ab inferioribus cum aptitudine, seu non repugnantia ad essendum in illis, formam ipsam relatiuam, qua comparatur, & respicit illa plura. *Ratio* est quia vniuersalitas consideratur à Logico, vt quædam secunda intentio, quæ est relatio rationis, in omni autem relatione hæc tria concurrunt, & sufficiunt scilicet subiectum, fundamentum, & forma ipsa relationis, ergo hæc tantum sufficiunt, & concurrunt ad vniuersalitatem.

Dico secundò. Vniuersalitas pro fundamento (relinquimus vniuersale materiale, hoc enim est res denominata, non ratio denominans vniuersale) requiritur vt natura ipsa denominetur vniuersalis Metaphysicè, & consistit in absoluta vnitate præcisionis, & aptitudine nondum relatiuè sumpta, sed pro non repugnantia ad essendum in multis. *Ratio* est quia vniuersale Metaphysicum non dicitur tale per additionem alicuius modi ad vniuersalitatem, vt sic, iste enim modus si est rationis ad Metaphysicum non pertinet, qui naturas considerat, sed ad Logicum qui modos, seu relationes rationis attingit. Si verò est modus realis,ad naturam ipsam pertinebit, non ad vniuersalitatem, inuenietur enim etiam in singularibus. Quare vniuersale Metaphysicè acceptum nihil aliud est,quam res ipsæ,seu naturę (quas Metaphysicus considerat,quia reale obiectum respicit) cum separatione ab indiuiduis, quia nulla scientia considerat naturas in singularibus. Sola autem separatio, seu præcisio necessariò præbet fundamentum vniuersalitatis,quia præscindendo naturam ab indiuiduis reddit illam vnam vnitate abstractionis, seu præscisionis, eo quod naturam per modum vnius considerat illa præcisio,& similiter reddit aptam ad essendum in multis, quia natura sic considerata conuenientiam habet cum illis à quibus abstracta est, & consequenter non repugnantiam, vt in illis sit, quia esse in illis est conuenire illis, ergo manet vna,& apta ad essendum in pluribus,& hoc ante relationem ad plura, quia talis præscisio non respicit illa plura,vt terminũ ad quem tendit,& ordinatur, sed à quo separatur, terminus autem à quo non est terminus relationis in quantum exercet rationem termini à quo,ergo nondum accipitur relatiuè, sed præscisiuè,quod est fundamentum relationis.

Dico tertiò. Hæc vniuersalitas fundamentalis, tam per abstractionem negatiuam, quam positiuam habetur. De abstractione negatiua non est dubium, quia hæc consistit in pura negatione,seu omissione inferiorum accipiendo naturam, vt vnum. De positiua probatur, quia hæc non est aliud quam abstractio facta cum cognitione positiua termini à quo qui relinquitur, & naturæ quæ ab illa accipitur, hæc autem operatur eundem effectum quem abstractio negatiua, licèt non eodem modo, quia tantum respicit inferiora, vt terminum à quo,nec in illa, vt in terminum ad

quem conuertit ipsam naturam, ergo nondum ponit relationem, sed tantum præcisionem, quod totum pertinet ad vniuersale Metaphysicum. Itaque abstractio negatiua, & positiua relinquunt naturam tãquam nudam, aut nudatam, negatiua enim non considerat conditiones indiuiduas à quibus denudet, sed illas omittit, & purè negat, positiua autem illas considerat: vt ab illis denudet naturam, sed vtraque eundem effectum facit, scilicet relinquere naturam, sine illis.

Dico quartò. Vniuersale Logicum siue pro secunda intentione non consistit in comparatione attributionis, siue prædicationis, sed simplicis relationis, seu ordinis, sine inclusione actuali in inferioribus. Itaque ipsa aptitudo ad prædicandum de multis, vt positiuè respiciens inferiora, vniuersale Logicum est. Hæc conclusio amplius constabit infra, vbi ostendemus ex Diu. Thom. & ratione quomodo fiat vniuersale Logicum per actum comparatiuum. Nunc sufficit fundamentum huius indicare, nam constans est, quod vniuersalitas Logica, seu secunda intentio est relatio rationis ad multa, id enim sumitur ex definitione vniuersalis, quod est *vnum in multis, & de multis*, sed ante relationem actualis prædicationis inuenitur ista relatio vnius ad multa, siquidem ante actualem prædicationem inuenitur natura ipsa sine singularibus, vt prædicabilis de multis, potentia enim qua potest prædicari præceditur actum prædicationis, ergo datur ratio prædicabilis ad multa, ergo ante actualem prædicationem datur relatio vnius ad multa per modum potentiæ, & aptitudinis. Imò si datur vnitas, & aptitudo ad multa ante actualem prædicationem, vt constat in vniuersali Metaphysico, hæc aptitudo considerari potest, vt respiciens illa multa in quæ potest, sicut omnis potentia potest considerari, vt ordinata, & respiciens suum terminum in quem potest, ergo datur respectus aptitudinis ad multa ante actualem prædicationem, & hic est vniuersalis. Quin potius quando actu prædicatur potest non applicari nisi vni singulari tantum, vt Petrus est homo, Paulus est homo, & tunc ly homo est vniuersalis, & actualis applicatio prędicationis non est nisi ad vnum tantum non ad plura, ergo reuelatio ad plura non consurgit ex prædicatione determinata.

Nec obstat, quod vniuersale tunc concipitur ad multa cum iudicatur conuenire multis quod fit per prædicationem. Dicitur enim quod potius tunc concipitur cum apprehenditur aptitudo ordinata ad multa, vt potens prædicari de illis, quod fit ante actualem prædicationem, quia potentia præcedit actum.

Quod verò actualis inclusio non exigatur constat, quia inclusio ista est esse in multis, & identificari in multis, sed vniuersale prius est aptum ad essendum, & identificandum, quam actu identificetur, quia aptitudo vniuersalis est ad vtrumque, vt sit, & vt prædicetur in mltis, & de multis, ergo ante actualem inclusionem datur vniuersalitas, quia datur aptitudo cum respectu, & ordine ad essendum in multis. Et præterea inclusio actualis in multis non potest intelligi sine contractione actuali in illis, siquidem non includitur actu in singularibus nisi eo modo quo est in illis, vt contractum, & determinatum in quolibet singulari, cum quo identificetur, non autem est, vt indifferens ad plura in quolibet singulari, ergo identificatur, & includitur in illis mediante contractione, sed prius vniuersale est contrahibile in multis, quam contractum actu, ergo prius quam inclusum actu.

Nec obstat fundamentum oppositum, quod scilicet ipsa inferiora non sunt, nisi per inclusionem superioris in illis. *Resp.* enim quod ante actualem inclusionem ipsa inferiora sunt, vt potentia includere in quantum inferiora, sicut ipsum superius, vt potens includi, & sic terminant relationem superioris antequam consideretur actualis inclusio. Itaque sicut actu aliquid est superius, quando actu ei conuenit aptitudo, vt includatur, & sit in multis, non quando solùm actu includitur, ita actu sunt inferiora sub formalitate inferiorum, quando considerantur, quod actu eis conuenit posse includere, & contrahere superius suum, non quando actu includunt, tunc enim dissipatur distinctio superioris, & inferioris. In re tamen inferiora actu includunt superius, sed hoc identicè habent cum superiori, non formaliter quatenus inferiora.

Dico vlt. Prædicabilitas, seu relatio ad plura in ratione prædicandi est quasi passio vniuersalitatis, quæ est relatio ad essendum in pluribus. Est contra P. Mer. c. 2. de vniu. disp. 2. q. 2. *Ratio* est quia fundamentum, & radix prędicabilitatis est identitas extremorum prædicabilium, vt dicemus, q. 5. & de se constat, quia quod non est idem cum alio, non verè prædicatur, sed remouetur ab illo, ergo aptitudo ad identificandum est fundamentum aptitudinis ad prædicandum seu radix illius, & sic prædicabilitas, se habet vt passio, & quid consecutum ad istam aptitudinem. Ergo & relatio ad multa in essendo, seu identificando, est prior relatione ad multa in prædicando, & illa est vniuersalitas, hæc prædicabilitas.

Nec obstat, quod aptitudo ad essendum est solùm non repugnantia, non positiua relatio, vnde in genere positiuæ relationis, prima est prædicabilitas, quia positiua aptitudo est ad essendum per operationem intellectus, quod fit per prædicationem, non ad essendum in re, & extra operationem intellectus. *Sed Respond.* Quod ista aptitudo ad essendum etiam positiuè, & relatiuè consideratur ab intellectu ante prædicationem, quatenus ipsa natura abstracta consideratur, vt contrahibilis, & identificabilis ad multa, non solùm per non repugnantiam, sed etiam per positiuam relationem, siquidem cum ipsis multis verè in re identificatur, & quia identificabilis est, ideò prædicabilis. Vnde est apta, vt per operationem intellectus non solùm prædicetur, sed etiam contracta, & identificata intelligatur per hoc, quod natura communis ante secundam operationem intellectus (in qua est prædicatio) intelligatur, vt identificabilis cum singularibus, & aliquando per simplicem conceptum identificata intelligi potest ex vi prioris per contractionem ante prædicationem.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm gradus Metaphysici in qualibet re distinguantur sola distinctione rationis: an ex natura rei?

NOmine *Gradus Metaphysici* (vt supra dictum est,) nihil aliud intelligimus, quam prædicata superiora, & inferiora, quæ de aliquo prædicantur, quæ idcirco *gradus* dicuntur, quia cum sit vnum vniuersalius, & superius altero, in cognoscendis illis quasi ascendimus, & descendimus, sicut de Petro, v. g. prædicatur *homo*, & supra illud *animal*, & supra illud *corpus*, &c. Et inquirimus, an distinguantur ista prædicata, seu gradus inter se in eodem subiecto ex natura rei, ante omnem operationem intellectus, an solùm mediante eius operatione?

Et quia in hoc est controuersia satis celebris inter scholam Diu. Thomæ, & Scoti quæ maximè pendet ex his, quæ supra de distinctione, & identitate rationis dicta sunt breuiter recolere oportet, quæ ibi dicta sunt de triplici distinctione, quam agnoscit Scotus, scilicet

ſcilicet reali abſoluta, id eſt, quæ admittit ſeparationem extremorum; formali ex natura rei, quæ ſeparationem non admittit, ſed negationem identificationis formalis, ita quod vna ratio non ſit de conceptu alterius ex propria natura, & denique diſtinctione rationis, quæ ex ſola ratione formante dependet, non in re datur. Econtra verò D. Thom. ſolùm duo genera diſtinctionis agnoſcit realem, & rationis, quia omnis ratio diſtinguendi, & cauſa, vel eſt in re, vel non eſt in re, ſed in ratione. Et vtraque diſtinctio eſt duplex; realis, alia rei à re, alia rei à modo. Rationis, alia rationis ratiocinatæ, alia rationis ratiocinantis, quæ præced. q. explicata ſunt.

Inquirimus in præſenti: An prædicata eſſentialia, quæ in eodem ſubiecto reperiuntur habeant diſtinctionem illam, quam Scotus vocat ex natura rei; An ſolùm rationis? Nam quod realis diſtinctio non ſit tanquam inter duas res, ſeu entitates, in confeſſo eſt apud omnes, ſiquidem in vna, & eadem entitate conueniunt, v.g. in vno homine, & ab eadem forma proueniunt etiam in ſubſtantia compoſita, in qua vna tantum forma datur, vt in libris de Anima ex profeſſo oſtendendum eſt. In hac autem quæſtione vniuerſalius procedimus, quia in reliquis prædicamentis præter ſubſtantiam, conſtat non dari entitatem compoſitam ex pluribus formis, ſed accidentia eſſe formas ſimplices in quibus tamen dantur gradus Metaphyſici, ſeu prædicata ſuperiora, & inferiora, & in ipſo etiam prædicamento ſubſtantiæ dantur formæ ſimplices, vt Angeli, in quibus gradus iſti ab eadem forma debent ſumi, & conſequenter in illis manifeſtè conſtat non poſſe gradus iſtos diſtingui realiter tanquam res à re. Vnde tota difficultas deuoluitur ad diſtinctionem illam ex natura rei formalem, an ſit admittenda in iſtis gradibus?

Sit vnica concluſio. Nulla datur diſtinctio ex natura rei formalis actu extra intellectum inter gradus iſtos Metaphyſicos, ſed ſolùm datur diſtinctio virtualis, & fundamentalis, quæ actualis redditur per intellectum. Hæc concluſio ſumitur ex Philoſopho in 7. Metaph. tex. 43. vbi videri poteſt, D. Thom. lect. 12. & 13. Et cap. 5. de Ente, & Eſſent. & opuſc. 42. cap. 9. & 1. p. q. 76. art. 3. Quibus locis oſtendit quomodo genus non differat à differentia, & ab inferioribus ſecundũ rem, ſed ſolùm per rationem. Et quæſt. de ſpiritualibus creaturis art. 1. ad 9. vbi ſimiliter dicit quod *formæ quibus ſpecies diſtinguuntur non ſunt aliud à forma generis ſecundum rem.* Et D. Thomam communiter ſequuntur eius diſcipuli, vt videri poteſt in Caietano prædicto loco de ente, & eſſent. & cap. 6. quæſt. 12. M. Sot. q. 3. vniu. & alij videri poſſunt in Curſu Carmel. diſp. 3. de vniu. q. 4.

Fundamentum huius concluſionis ſumitur ex duobus. *Primò* ex deſtructione illius diſtinctionis ex natura rei formalis generaliter loquendo. *Secundò* ex peculiari ratione prædicatorum eſſentialium, quæ ab eadem forma proueniunt.

Et quantum ad primum, ſupra q. præc. art. 3. diſtinctionem illam reiecimus. Nunc ſolùm addo, quod diſtinctio iſta neceſſario debet actu, & in re tollere aliquam identitatem, ſi ante operationem intellectus, actu eſt diſtinctio; eſſentialiter enim diſtinctio habet tollere identitatem in eo, in quo eſt diſtinctio. Iſta autem diſtinctio formalis non tollit identitatem in ipſa entitate, & realitate, ſic enim eſſet verè, & propriè diſtinctio realis, & non formalis, ſiquidem haberet effectum formalem diſtinctionis realis, qui eſt tollere identitatem realem, & ſic nihil ei deeſt, quominus realis diſtinctio eſſet. Solùm ergo in ſententia Scoti tollit identitatem conceptus, ſeu formalis rationis, id eſt, quod vnum in re non ſit de conceptu, & formali ratione alterius, ſeu de conſtitutione illius. Ad hoc autem non requiritur diſtinctio actualis, ſed ſufficit virtualis, & fundamentalis, quia ſcilicet præbet fundamentum, vt vnum ſub diſtinctione ab altero concipiatur, & ſine illo repreſentetur, & ſic ibi actu reluceat diſtinctio, vbi actu eſt ablata identitas. Cæterum in re ſolùm inuenitur, quod vnum non ſit formale conſtitutiuum alterius, atque adeò non habet connexionem eſſentiale cum alio, formaliter, ſeu conſtitutiuè, licèt habeat identicè. Hoc autem non eſt actu habere diſtinctionem in re, ſed ſolùm non omnimodo eſſe identificatum in re, & aliud eſt dicere, hoc non eſt actu idem cum illo, ſed diſtinctum, aliud hoc non eſt tali modo idem cum illo, licet abſolutè ſit idem; ſufficit enim ad hoc ſecundum, quod inter aliqua extrema non ſit habitudo, & connexio eſſentialis formaliter, & ideò eſſentiali modo non ſunt idem, vt autem actu ſit diſtinctio, requiritur quod abſolutè non maneant idem, & non ſolùm tali modo, quod eſt ſecundum quid; ſicut etiam dici poteſt, quod natura manet negatiuè communis in ſingularibus ex ſe non abſolutè, & in actu, & ſicut manet vna formaliter negatiuè, non poſitiuè, ſic datur diſtinctio formalis negatiuè, non poſitiuè, quaſi dicas ex vi conceptus formalis hoc non eſt idem cum illo, ſeu eſt diſtinctum ab alio, ſicut ex principiis ſpeciei eſt vnum, ſeu non diſtinctum, & natura ſecundum ſe non eſt ſingularis, quod totum non eſt actu in re ponere communitatem negatiuam, aut vnitatem formalem, ergò neque diſtinctionem illam formalem actu eſt dare.

Et confirm. Quia tunc dicitur aliquid actu dari in re quando actu exiſtit in re, ſi enim actu non exiſtit, ſolùm eſt in potentia, & virtualiter, erit autem actu, cum cognoſcetur, vel ponetur exiſtens. Sed vt ſit actu in re, non ſufficit quod dicatur aliquid dari quantum eſt ex vna parte ſi ex alia non detur, ſed requiritur quod abſolutè, & ſimpliciter detur, ergo non ſufficit dicere, quod vnum non eſt idem cum alio ex vi conceptus formalis, vt dicatur ſimpliciter eſſe actu non idem, ſeu diſtinctum in re, ſed ſolùm ſecundum quid, & negatiuè, id eſt quantum eſt ex vi conſtitutionis, & conceptus formalis non eſt idem, ſicut res ex ſe non eſt ſingularis in re, ſed non dicetur, quod actu non eſt ſingularis in re.

Secundum principium, ad non diſtinguendos iſtos gradus ex natura rei, frequenter ſumitur à D. Thom. ex eo quia proueniunt ab eadem ſimplici forma, vt patet 1. p. q. 76. art. 3. ad 4. & 7. Met. lect. 12. §. *Soluit* in fine. Nam ſubſtantiæ ſeparatæ, & accidentia ſunt ſimplices entitates, in vno autem compoſito ſubſtantali eſt tantum vnica forma, vt modò ſupponimus, & in libris de Anima probabitur, ergo omnes gradus, ſeu prædicata, quę ex tali forma conueniunt rei, non diſtinguuntur actu in re. Patet conſequen. quia habent identitatem eiuſdem formæ, ergo non diſtinguuntur in ipſa forma. Si autem ex eo, quod vnum prædicatum, ſeu vnus gradus non eſt de conceptu alterius, diſtinguuntur actu in re, cur non diſtinguantur tanquã diverſæ formæ? Siquidem ſunt diſtinctæ rationes formales actu, & conſequenter diſtincta principia *quo*, hoc autem eſt eſſe actu in re diſtinctas formas.

Solum de gradu indiuiduali poſſet aliquis hæſitare, neque enim videtur ſumi à forma, ſed à materia ſignata principiis materialibus, quæ ſunt extra eſſentiam ſpecificam, vt communiter dicitur in Sententia D. Th. Similiter genus dicitur ſumi à materia, & differentia à forma, non ergo gradus omnes ſumuntur ab eadem entitate.

Sed ad primum Reſpond. Quod indiuiduatio in his, quæ ſunt compoſita ex materia & forma licet ſumatur à materia ſignata, non tamen excludit formam, quia ipſa

ipsa signatio materiæ ex quantitate prouenit, quæ à diuersis formis diuersa quantitas est, vt constat ex D. Th. 1. p. q. 7. a. 3. & in 2. dist. 3. q. 2. art. 1. ibi: *Cum quantitates determinatæ, & omnia alia accidentia, secundum exigentiam formæ in materia recipiantur.* Et hoc patet, quia licèt quantitas habeat partes materiales ratione materiæ tantum, vt patet in homine, cuius forma spiritualis est, nec partes habet, tamen quod sit quantitas sic, vel sic formata, habet à forma. Vnde etiam ratio formæ ad gradum indiuidualem concurrit, licèt dependenter ab incommunicabilitate materiæ & illius designatione, & diuisione per quantitatem, quæ est conditio ad indiuiduationem requisita. In substantiis autem quæ non sunt compositæ ex materia, & forma constat indiuiuuationem non sumi à materia licèt in accidentibus habitudinem ad subiectum dicat. De quibus latius dicemus infra agentes de indiuiduo, & in libris de generat. tractando de principio indiuiduationis.

Ad secund. Resp. ex Diu. Tho. c. 3. de ente, & essent. & c. 6. & opusc. 42. c. 5. Quod non sumitur genus à materia quatenus est pars physica distincta à forma, sed quia sumitur ab eo, quod materiale, & potentiale est in vnaquaque re, & quia in substantiis compositis, quæ magis nobis sunt notæ materia est principium potentialius quam forma, ideò sumpta est illa propositio, quod genus sumitur à materia, & differentia à forma.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRæcipua argumenta Scoti ad probandam distinctionem illam formalem ex natura rei quæstione præcedenti, artic. 3. sunt proposita. Et reducitur præcipuum fundamentum ad hoc, quia ante omnem operationem intellectus dantur aliquæ formalitates quarum vna non includit aliam, & in quibus datur actualis oppositio, ergo & actualis distinctio. Conseq. est bona, quia omnis distinctio fundatur in aliqua oppositione, & exclusione vnius ab alio, ergo si hæc datur actualiter ante operationem intellectus, etiam & distinctio. Anteced. verò prob. Nam rationale non est de conceptu animalis, nec definitur eadem definitione, siquidem inuenitur animal sine rationali, ergo vnum non includitur in conceptu alterius. Similiter in animali & rationali verificantur actu contradictoria, ergo reperitur actualis aliqua oppositio, nam formalitati animalis conuenit esse id, in quo conueniunt homo, & brutum, non verò rationali; & formalitati rationalis conuenit discurrere, seu intelligere, formalitati animalis non conuenit discurrere, ergo ista contradictoria verificantur à parte rei de istis formalitatibus, ergo non sunt idem à parte rei, quia de eodem à parte rei contradictoria non verificantur. Idem prorsus argumentum fit de actione, & passione de personis, & essentia diuina, quod essentia est communicabilis, persona non est communicabilis, quæ sunt contradictoria.

Respond. Quod ista omnia saluantur cum sola virtuali distinctione, nec requiritur quod sit actualis diuisio inter extrema. Et si hæc argumenta aliquid probant, etiam probant distinctioné realem, & non solùm formalem, quia etiam contradictoria non possunt conuenire eidem realitati. Et negatio inclusionis vnius in conceptu & definitione alterius si actu facit diuisionem, non est cur actu non constituat diuersas realitates. Dicimus ergo, quod vnum potest esse idem cum alio dupliciter, vno modo adæquatè, & ex omni parte idem, & sic vbi reperitur vnum reperitur aliud, & in conceptu vnius intrat alterum: alio modo aliqua sunt vnum, & idem inadæquatè, quia licèt identificetur cum alio simpliciter non tamen omni modo, nec cum omnimoda restrictione ad illud, sicut ens identificatur cum modo per se, & in alio, ita tamen quod non quidquid est ens habet esse per se determinatè, aut in alio determinatè. Et essentia diuina identificatur cum paternitate realiter, & entitatiuè, vt etiam Scotus fatetur, non tamen cuicumque conuenit essentia diuina entitatiuè, conuenit paternitas entitatiuè, vt Filio. Quod ergo admittere tenentur in identificatione entitatiua, & reali, nos dicimus de formali, quod licèt vnum non sit de conceptu alterius, adhuc tamen non distinguitur à parte rei ab illo, quia etsi deest illi habitudo essentialis, quæ requiritur ad identificationem intrinsecam, & essentialem non tamen datur actualis diuisio tollens actu identitatem, & vnitatem, quæ inuenitur à parte rei, quia realiter, & identicè vnum sunt. Et ita manent vnum simpliciter, sed non omni modo, nec adæquatè, & sic possunt habere distinctas definitiones propter virtualem distinctionem, quia concipi possunt tanquam distincta, & sic definiri; definitio enim fit per actum intellectus, qui actualiter distinguit conceptus, in re autem solùm fundamentaliter differunt, ratione cuius virtualis distinctionis non sunt nomina synonima, *animal & homo*, & alia quæ istas distinctas rationes formales significant: vt docet Diu. Thom. 1. p. q. 13. art. 3. & 7. de Potentia. art. 6.

Similiter. Respondemus ad ea, quæ ex parte oppositionis, & contradictionis opponuntur, dicimus enim quod de eodem secundum diuersas rationes possunt contradictoria verificari, & oppositio exerceri, præsertim quando contradictio fit ratione alicuius reduplicationis, & appellationis, seu specialis modi concipiendi, quæ est expressa doctrina D. Thom. 1. part. q. 39. art. 1. ad 12. vbi inquit: *Quod quia essentia, & persona in diuinis differunt secundum intelligentiæ rationem, sequitur quod aliquid possit affirmari de vno; quod negari de altero.* Nec argumentum oppositum aliquid probat contra hoc; Quia non dicimus verificari contradictoria à parte rei, sed negamus requirere distinctionem actualem à parte rei, sed sufficere virtualem, ratione cuius aliqua non sunt idem omnino, & adæquatè, & ita fit contradictio circa idem non sub eadem ratione, nec sub eodem modo. Oppositio autem actualis causat distinctionem actualem in extremis inter quæ versantur, v.g. inter esse, & non esse, inter contraria, &c. sed non in subiecto, cui conuenit, & de quo enunciantur ista contraria, seu contradictoria, sufficit enim quod subiectum virtualiter sit diuersum, & sub diuersa ratione contradictoria admittat.

Secundò arguitur. Totum Metaphysicum, & gradus illius correspondent toti, & partibus physicis, ex quibus Metaphysicum desumitur, sed totum Physicum componitur ex partibus realiter distinctis, vt ex corpore & anima; ergo similiter totum Metaphysicum componetur ex gradibus ex natura rei distinctis. Antecedens constat, quia compositum Metaphysicum non est pura compositio rationis, alioquin conueniret Deo, ergo correspondet illi in re aliqua compositio. Conseq. patet. Tum quia totum physicum, & metaphysicum in re sunt idem, ergo admittunt eandem distinctionem in suis componentibus. Tum quia D. Thom. in 3. cap. de Ente & Essentia dicit hominem componi ex corpore, & anima, sicut ex duabus rebus tertia res: corpus autem non dicit solam materiam, sed gradum corporeitatis, ergo potest vnus gradus distingui realiter ab alio cum quo componit.

Et

Et confirm. Quia si non distinguuntur isti gradus absolutè, prædicaretur genus, & differentia etiam in abstracto, quia vna ratio esset alia, & sic esset verum, quod rationalitas est animalitas, & è contra, quod tamen non est admittendum, ergo aliquam habent distinctionem à parte rei.

Respond. Totum Metaphysicum non componi ex partibus, sed ex prædicatis eiusdem totius, nec correspondere compositioni ipsi ex materia & forma, cum inueniatur compositum Metaphysicum, etiam in his, quæ non sunt composita ex materia & forma, vt in Angelis, & in accidentibus; in rebus autem compositis super ipsum totum Physicum cadit ipsa compositio Metaphysica assumens ipsum totum, vt magis, vel minus determinatum, & sic componens non ex partibus, sed ex conceptibus, vnde ista compositio est rationis, sed cum fundamento in re, quod tamen fundamentum non inuenitur in Deo, quia cum sit actus purus non habet aliquid minus determinatum, & actuabile, & aliquid magis determinatum, & actuans, seu contrahens. Vnde licèt totum Metaphysicum, & Physicum sint idem in re, non tamen eiusdem modi compositionis est vtrumque. Et quando dicit Sanctus Thomas hominem componi ex corpore, & anima, vel sumit corpus pro materia, & non pro corpore informato forma, sed solùm pro materia disposita, & organizata; & sic loquitur de compositione Physica; vel sumit corpus pro eo, quod antecedit infusionem animæ, & est sub forma embrionis, ex illo enim adueniente anima, sed excludente formam embrionis, fit homo, vt ex duabus rebus tertia res.

Ad confirm. Respond. Quod licèt rationalitas, & animalitas sint à parte rei indistinctæ, propter modum tamen significandi, non verificatur in sensu formali, quod rationalitas est animalitas, vel è contra, quia ista abstracta significant ipsam solam formalitatem, vt præcisè, secundum quam non verificatur, quod formaliter rationalitas est animalitas, cũ vnum non includatur in conceptu alterius, nec respiciat illud, vt constitutiuum sui, sed significetur sub præcisione, quando verò dicitur, humanitas est animalitas, quia animalitas est de conceptu humanitatis. Identicè tamen verificatur, quod rationalitas est res, quæ est animalitas, & è conuerso, sed de his amplius dicemus infra quęst. 5.

QVÆSTIO IV.

De causa Vniuersalis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm beneficio intellectus agentis in specie ab ipso producta representetur Vniuersale Metaphysicum.

VT intelligatur quid nomine *Intellectus agentis* significetur supponendum est ex li. 3. de Anima, & D. Th. 1. p. q. 79. art. 2. & 3. & pluribus aliis in locis esse in nobis duplicem intellectum, alterum agẽtem, alterũ possibilem, seu passibilem. Dicitur intellectus agens, non ab agendo, & producendo cognitionem, sed ab agendo species quæ recipiuntur in intellectu possibili, qui ideò nominatur possibilis, quia patitur, seu recipit istas species, & illis receptis operatur cognitionem, eo quod omnis cognitio generatur à potentia, & obiecto, obiectum autem non potest per suam entitatem esse in potentia, sed per suam speciem, seu similitudinem, quæ in nostris potentiis est accidens quoddam gerens vices obiecti, & illud repræsentans. Et licet ab obiectis externis mittantur species istæ ad sensus exteriores, quibus sensus informati in cognitionem procedunt, & inde ad interiores sensus alias species transmittunt, quas dari ipsa experientia manifestat, cum cessantibus sensibus externis repræsentationes fiant in internis, sicut patet in somniantibus. Tamen istæ species non sunt proportionatæ intellectui, qui cum spiritualis sit, spiritualium repræsentationem postulat, & obiectum intelligibile, non sensibile; ideò necesse fuit ponere quandam vim, seu potentiam, quæ ex istis speciebus sensibilibus spiritualem speciem eliceret, quam intellectui possibili tribueret. Et ista vis, seu potentia non potest intelligere, quia intellectio producitur à potentia, & specie, ista autem potentia facit species, quando ergo facit non supponit illas, vt intelligat, vnde faciendo illas non intelligit.

Hoc breuiter supposito. Duo sunt quæ difficultatem in hac parte faciunt. *Primum est*, An illa species quam producit intellectus agens solum representet naturam, & non singularitatem, ita quod non detur in intellectu species directè repræsentans singulare sensibile, vt propria illius. Et de hac quæstione nihil dicemus in præsenti, quia pertinet ad libros de Anima, & ad initium Physicorum, vbi tractatur an singulare directè cognoscatur à nostro intellectu.

Secundum est. An supposito, quod illa species intelligibilis producta ab intellectu agente repræsentet naturam, & non singularitatem, seu conditiones indiuiduas, quod ibi ostendemus, & hîc supponimus, hoc ipso repræsentet naturam cum vniuersalitate saltem Metaphysica, an solum repræsentet naturam secundum se, omni statu remoto, tam vniuersalitatis, quam singularitatis. Et loquimur de vniuersali Metaphysico, quia ad hoc sufficit exclusio singularium, & abstractio negatiua. Ad vniuersale autem Logicum requiritur etiam ordo ad inferiora, qui cum sit relatio rationis, non consequitur ex abstractione quomodocumque, sed ex abstractione, quæ est cognitio. Hîc autem non loquimur de vniuersalitate cognita, sed repræsentata antecedenter ad omnem cognitionem: intellectus enim agens omnem cognitionem præcedit.

Negatiuam partem plures Authores sustinent, vel quia existimant species productas ab intellectu agente, licet entitatiue spirituales sint, repræsentatiue tamen à singularibus non abstrahere, vt indicat P. Mer. disp. 2. de vniu. q. 1. num. 29. & ex Scoto referunt Conimb. q. 5. de vniuer. artic. 2. Alij quia etiamsi repræsentent naturam sine singularibus, adhuc tamen negant ibi repræsentari vniuersalitatem, quia hæc solum fit per cognitionem: illa autem species est principium cognoscendi naturam, non cognitam supponens, vel constituens, de quo vide P. Suarez disp. 6. Met. sect. 6. num. 7. qui etiam addit non omnem vniuersalitatem fieri per intellectum agentem, verbi gratia proprij, differentiæ, vel accidentis, sed solum specificam.

Nihilominus sit vnica conclusio. In sententia D. Th. quod species producta ab intellectu agente repræsentat naturam, sine singularitate, dicendum est repræsentari vniuersale fundamentaliter, quod est vniuersale Metaphysicum, ita quod illa species non solum respicit naturam secundum se, & in statu solitudinis, sed sub vnitate præcisionis. Hæc conclusio docetur

expresse

expressè à Caietano in 4. cap. de Ente, & Essentia post quæst. 6. §. *Istis prælibatis.* Et sumitur ex D. Thoma non solum ex locis, vbi docet per intellectum agentem formari speciem repræsentantem naturam, & non conditiones materiales indiuiduantes, vt specialiter videri potest, 1. part. quæst. 14. artic. 11. ad 1. & q. 79. art. 3. in fine corporis, & quæst. 85. artic. 1. ad 3. & 4. & 2. contra Gent. cap. 77. Sed etiam in aliis locis, vbi docet naturam sic abstractam per intellectum agentem esse vniuersalem, vt patet in opusc. 55. vbi dicit: *Quod vna, & eadem natura quæ singularis erat, & indiuiduatur per materiam in singularibus hominibus, fit postea vniuersalis per actionem intellectus depurantis ipsam à conditionibus, quæ sunt hic, & nunc, &c.* Et opusc. 48. cap. 1. inquit: *Quod in nostra phantasia forma repræsentans, tunc hominem agit virtute intellectus agentis in intellectum possibilem, & causatur, tunc in intellectu possibili quædam forma, quæ dicitur species intelligibilis vel secundum alios actus intelligendi, vel verbum, quæ forma repræsentat hominem, vt abstractum à conditionibus materialibus, & hoc dicitur esse vniuersale.* Ergo secundum D. Thom. non repræsentat naturam secundum se, quia ista nec est vniuersalis, nec particularis, sed repræsentat vniuersale.

Fundamentum Conclusionis est. Quia species illa sic producta per intellectum agentem repræsentat naturam exclusis indiuiduis, vt nunc supponimus, & repræsentat illam tanquam vnam, ergo non repræsentat solum naturam secundum se, nec cum vnitate singulari, sed cum vnitate præcisionis, quam consequitur aptitudo, seu non repugnantia ad respiciendum illa, & essendum in illis, quod est vniuersale Metaphysicum, & fundamentum Logici. Conseq. manifesta est, quia natura secundum se, nec est vna, nec plures, vt quæst. præc. ex D. Thom. satis ostensum est, ergo si ibi repræsentatur natura, vt vna, debet repræsentari, cum vnitate singulari, vel vniuersali, & non singulari, vt supponimus, ergo vniuersali. Et hoc vocamus vniuersale Metaphysicum, quod in hoc distinguitur à Logico, quod vtrumque respicit singularia, sed Metaphysicum respicit illa, vt terminum à quo, quia abstrahit ab illis, Logicum autem, vt terminum ad quem, quia respicit illa, vt dicatur de illis.

Totus iste discursus legitimus est & solum restat probare illam minorem, quod in illa specie repræsentatur natura, vt vna. Et hoc prob. Quia intellectus informatus illa specie cognoscit naturam, vt vnam, ergo in ipsa specie repræsentabatur vt vna, cognitio enim id attingit cognoscendo, quod species repræsentando. Quod autem intellectus cognoscat naturam vt vnam, informatus illa specie, manifestè constat, quia si non cognosceret vt vnam, ex vi talis cognitionis natura non redderetur vna vt cognita, ergo si redditur cognita vt vna, cognitio attingit illam vt vnam.

Dic. Etiam quando intellectus cognoscit naturam secundum se, cognoscit illam vt vnam, quia vnico actu illam attingit, actus autem vnus respicit obiectum vnum, & tamen ex hoc illa natura non habet vnitatem vniuersalis, ergo neque colligitur sufficienter, quod habeat illam quando ex vi speciei ab intellectu agente productæ naturam cognoscit. Potest enim illam cognoscere, vt vnam secundum se.

Resp. Quod quando cognoscitur natura secundum se, licet ex ipsa natura, quæ est res cognita non sit vna, nec plures, tamen consequitur vnitatē hoc ipso quod sub modo vnitatis cognoscitur, & ex illo consequitur in tali natura aliquando vnitas præscisionis, & ideo naturam cognosci, secundum se, non tollit vnitatem consequutam ex modo cognitionis, sed solum designatur, quod ex parte rei cognitæ secundum se, non habet illam vnitatem. Natura ergo secundum se solum significatur ex parte rei cognitæ, si tamen cognoscitur per modum vnius, hoc ipso ex ipso modo cognoscendi habet vnitatem præscisionis, & vniuersalitatis. Itaque vt cognita est vna ex modo cognoscendi, & secundum se non est vna ipsa res cognita scilicet, vt ex se consideratur.

Ad fund. oppositæ sententiæ Resp. In illa specie non dari vniuersalitatem, & vnitatē præcisionis actu cognitam, sed virtute cognitam, & actu repræsentatam, eo modo quo repræsentatio conuenit speciei impressæ, sicut enim in memoria manent species repræsentantes vniuersale, non quod actu ibi sit cognitū, sed quia ibi est repræsentatū in actu primo repræsentatione speciei impressę: sic dicimus de illa specie formata ac intellectu agente. Vnde consulto non proposuimus in tit. quæst. *An sit* ibi vniuersale Metaphysicū? sed *An repræsentetur?* Agimus enim hic non tam de vniuersali in essendo, quam in repræsentando: quia tamen ibi repræsentatur vniuersale, quod adueniente cognitione redditur actu cognitum, & vniuersale in essendo, ideò dicimus illam speciem repræsentare vniuersale Metaphysicum, licet ibi nondum existat actu aliquod ens rationis, quod pertinet ad vniuersale Logicum.

Instabis. In illa specie non repræsentatur vniuersale formaliter, vt est ens rationis, sed fundamentaliter, ergo vel fundamentaliter proximè, vel remotè. Si remotè sunt ipsamet singularia, à quibus sumitur vniuersale: si proximè, hoc ipsum est ens rationis, quod non potest ante cognitionem intellectus possibilis haberi. Et præsertim hoc vrgetur de ipsa aptitudine vniuersalis, nam per intellectum agentem non potest haberi actus huius aptitudinis, ergo neque ipsa aptitudo, & potentia. Conf. patet, quia vbi est impossibilis actus non potest dari potentia, quæ possibilitatem ponit ad actum. Ant. verò constat, quia actus eius est prædicari de multis, sed non potest prædicari per intellectum agentem, ergo, &c. De vnitate etiam est difficultas, quia intellectus agens non format vnam naturam ex pluribus indiuiduis, quia non habet actum conferendi, & comparandi vnum alteri, cum non cognoscat, sed habet solam præcisionem negatiuam, quatenus sumit vnum, scilicet naturam, & relinquit alterum, scilicet singularitatem, ergo solum in vno indiuiduo accipit id, quod est naturæ, relicto eo quod est indiuidui, hoc autem est solum accipere naturam secundum se, non vero secundum vnitatem indifferentiæ, & aptitudinis ad plura, ergo non facit vnitatem vniuersalitatis, quæ non est sola vnitas siue vna indiuiduatione, sed cum indifferentia ad plura.

Respond. In illa specie repræsentari vniuersale fundamentaliter cum fundamento proximo nondum cognito, sed repræsentato. *Et ad instantiam Respond.* Quod fundamentum proximum vniuersalitatis est quidem ens rationis, quod ante cognitionem intellectus non est in actu, & formaliter, potest tamen esse virtualiter, & repræsentatiuè sicut in imaginatiua potest dari ens rationis, vt chymæra repræsentata, vt diximus, quæst. 2. Quare ex vi intellectus agentis non habetur aliqua secunda intentio formaliter, potest tamen haberi fundamentaliter, quia ipsa præcisio sub qua repræsentat naturam, realis non est, licet nondum sit actu cognita, sed repræsentata, vt cognoscatur, eo modo quo præcisio illa repræsentari potest non vt res, sed vt conditio rei repræsentatæ.

Ad replic. de aptitudine dicitur, quod vbi est inpossibilis actus quasi ab intrinseco, deest potentia, si autem solum ab extrinseco, scilicet defectu applicationis non deest potentia, sicut ignis habet potentiam ad

comburen-

comburendum lignum Romæ, sed non applicationem, sine qua non potest comburere, sic natura illa præcisa habet captiuitatem, seu non repugnantiam, vt prædicetur de multis, deest tamen applicatio, quæ est cognitio.

Ad instant. de vnitate. Respond. Quod intellectus agens non accipit vnam naturam collatiuè, sed præcisiuè ex pluribus, vel ex vno indiuiduo, accipiendo id quod de se non repugnat esse in pluribus. Vnde ex hoc non redditur natura solum representata intrinsecè quantum ad prædicata essentialia, sed representata tali modo scilicet per modum vnius, quod est accipere illam vnam vnitate præcisionis cum non repugnantia ad plura. Et quando dicitur quod est præcisio purè negatiua. *Respond.* Quod illa præcisio respectu inferiorum, quæ relinquit negatiuè se habet, respectu autem naturæ quam accipit repreſentando positiuè, per modum vnius illam represeutat, sicut & posteà quando cognoscitur ex informatione talis speciei, & hoc sufficit ad vniuersale Metaphysicum representatum, quia dicit naturam cum conditione vnitatis præcisionis, & cum non repugnantia ad plura.

Argumenta autem quæ afferri possent ad probandum, quod species abstracta ab intellectu agente non representat directè naturam, sine indiuiduatione ex eo, quod non possit intellectus agens illuminare phantasma, quod est corporeum actione, & lumine spirituali, omittimus in præsenti, quia pertinent ad libros de anima. Sufficit aduertere, quod phantasmata non illuminantur recipiendo in se aliquam lucem spiritualem, sed vt inquit Diuus Thomas, prima parte, quæstione octagesima quinta, articulo primo, ad quartum. *Illuminantur phantasmata, quia ex virtute intellectus agentis redduntur habilia, vt ab eis species intelligibiles abstrahantur.* Phantasma ergo quatenus est capax, & habile, vt determinet intellectum agentem ad producendum speciem huius obiecti potius quam illius, dicitur illuminari ab eo quasi intrinsecè, quia vtitur illo quasi instrumento determinante, ipsa verò species producta ex determinatione phantasmatis est illuminatio spiritualis, sed hæc ponitur in intellectu possibili. An verò recipiat aliquem modum, vel impressionem phantasma ab intellectu agente, quæ non sit illuminatio, sed modus quidam habilitatis sicut instrumentum ab artifice, non abhorreo, sed de hoc in libris de Anima.

ARTICVLVS II.

Vtrum Vniuersale Metaphysicum in actu cognitum fiat per actum absolutum intellectus. Et Vniuersale Logicum per comparatiuum?

ACtus comparatiuus intellectus potest sumi dupliciter, vno modo, vt pertinet ad secundam, & tertiam operationem intellectus, qua comparat vnum alteri componendo, vel diuidendo, vel etiam per illationem discurrendo: alio modo, vt pertinet ad primam operationem per quam vnum non attribuitur alteri, vel deducitur ex alio, sed tamen cognoscitur vnum vt ordinatum ad aliud, & non in se absolutè sicut relatio ipsa cognoscitur per simplicem operationem quando apprehenditur, vel definitur. Itaque per cognitionem secundæ operationis attribuitur aliquid subiecto tanquam prædicatum, & sic per talem actum comparatiuum potest prædicari ipsa natura de inferioribus ad quæ habet relationem, & potest etiam vniuersalitas ipsa prædicari de natura, quam denominat tanquam forma, & consequenter prædicatur de illa. At verò per comparationem primæ operationis non attenditur attributio prædicati ad subiectum, sed cognoscitur natura, vt respiciens terminum ad quem ordinatur, quæ potest cognosci, vel in actu signato, & reflexo, vel quasi in actu exercito cognoscendo naturam cum ordine ad suum terminum. Et discerne, quod actus iste comparatiuus non dicitur talis, nisi quia respicit terminum ad quem, qui propriè est terminus comparationis, seu relationis, non quia respicit terminum à quo, non enim ad illum comparatur, sed ab illo separatur.

Actus autem absolutus dicitur per opositum ad comparatiuum, scilicet ille qui non comparat, neque ordinat vnum ad aliud, sed rem ipsam cognoscit secundum se. Potest autem aliquis absolui ab ordine ad aliud dupliciter: vno modo pure negatiuè accipiendo vnū omni alio suppresso, vel omisso, ad quod poterat ordinari, alio modo priuatè, seu positiuè, quia accipit vnum separando ab alio cum cognitione vtriusq; termini. Hinc nascitur duplex abstractio, alia negatiua, alia positiua. Negatiua concipit vnam naturam omissis conditionibus indiuiduantibus, & circa illas negatiue se habendo. Abstractio positiua est illa, quæ separat naturam à conditionibus non pure omittendo, & relinquendo indiuidua, seu differentias indiuiduales, sed cognoscendo id, quod relinquit, & id quod assumit, & consequenter cognoscendo distinctionem inter vnum & aliud.

His suppositis, loquendo de vniuersali cognito per intellectum possibilem, & non representato tantum in specie, de quo præced. articul. duplex est principalior sententia inter grauiores Authores. *Prima* docet absolutè fieri vniuersale per actum abstractionis. *Secunda* fieri per actum comparatiuum non distinguendo de vniuersali Metaphysico, vel Logico, de comparatione simplicis apprehensionis, vel prædicationis. Primam docuit Durandus in prima distinct. tertia, quæstion. decima quinta, numer. 17. & in 2. distinct. 3. quæstione 7. numer. 7. Toletus quæstione 2. de vniuers. & alij. Secunda attribuitur Scoto in 1. distinct. 3. quæstione 1. sol. ad 1. Soncina titul. 5. Met. quæst. 27. & 10. Met. quæstione 15. & alij. Videatur Arauxo 3. Met. quæstione 3. articul. 5. Curs. Carm. disputat. 3. de vniu. quæst. 6.

Inter has sententias principales, quidam volentes eas concordare dixerunt primam sententiam esse veram de vniuersali Metaphysico, & absoluto, secundam de Logico, quod est relatiuum. Ita Pater Suarez disput. 6. Met. sect. 6. num. 8. At verò Martinez disp. 1. de vniuers. quæst. 2. distinguit vniuersalitatem, vt sic & vniuersalitatem Metaphysicam, & Logicam Et vniuersalitatem secundum se dicit fieri per abstractionem quatenus dat ei vnitatem præcisam. Vniuersalitatem autem, vt Metaphysicam fieri per abstractionem negatiuam, quatenus relinquit, seu omittit inferiora, vniuersalitatem autem Logicam fieri per abstractionem positiuam, quæ explicatur ab ipso sic, quod ista abstractio cum fiat considerando positiue ipsa inferiora, & intelligitur natura inclusa in inferioribus, vt quid distinctum ratione ab ipsis, omne enin inclusum non in se, sed in alio includitur, & intelligitur à differentiis inferiorum separari, à quibus solis, non autem ab ipsis inferioribus fit separatio vniuersalis,

uersalis. Iam supra retulimus hanc sententiam, quæstion. præc.

Denique, aliqui existimarunt naturam fieri vniuersalem per actum comparatiuum non simplicis relationis, sed prædicationis, quod pertinet ad secundam operationem. Ita attribuit quibusdam Complutensibus Pater Merinero disp. 2. de vniu. q. 2. & 3.

Dico primò. Vniuersale Metaphysicum fit per actum absolutum abstrahentem naturam ab inferioribus, tam abstractione negatiua, quam positiua. Itaque vtraque abstractio est actus absolutus, & non deseruit ad vniuersale Logicum formaliter constituendum, quod in relatione consistit. Hæc conclusio prob. quantum ad duo. *Primum*, quod ille actus præscindens naturam siue positiuè, siue negatiuè, sit absolutus. *Secundum*, quod vniuersale Metaphysicum, tam ex præscisione negatiua, quam positiua resultet. Et primum probatur sic: ille dicitur actus absolutus qui attingit obiectum, sine respectu, & ordine ad quid, vt ad terminum quem respiciat, sed actus præcisionis solum habet separare vnum ab alio, vt à termino à quo, ergo per talem actum non consideratur aliquid, vt ordinatum, & vt respiciens terminum ad quem, sed potius, vt relinquens, ergo repugnat, quod aliquis actus abstractionis, cuius officium sit tollere, & separare vnum ab alio non sit actus absolutus, siquidem non comparat, neque ordinat ad aliud à quo separat. In summa, repugnat quod aliquis actus faciat respicere aliquid, vt terminum à quo, & vt terminum ad quem cum sit oppositio inter ista duo, sed actus præscindens, & abstrahens respicit id à quo abstrahit tanquam terminum à quo, ergo non potest respicere illud tanquam terminum ad quem, sed comparatio, & ordo est ad aliquid, & ad terminum ad quem, ergo actus præscindens non est comparatiuus in eo in quo præscindit, respicit vt terminum à quo, non ordinat ad illud, vt ad terminum ad quem.

Secundum, quod probandum est in hac conclusione sic ostenditur. Non solum præcisio negatiua, sed etiam positiua relinquit inferiora, & ab illis separat naturam, vna per positiuam cognitionem, alia solum omittendo, seu non attingendo illa, ergo vtraque solum pertinet ad vniuersale Metaphysicum. Anteced. Constat ex dictis, & consequent. probat. Quia negotiatur circa eundem effectum, scilicet circa separationem naturæ ab inferioribus, siue à differentiis extra quas concipitur, ergo tantum habet respicere ista inferiora vt terminum à quo, ergo nondum ponit in illa respectum, qui requiritur ad vniuersale Logicum, quia iste respectus debet esse ordo ad essendum, & prædicandum de multis, vt dicit ipsa definitio vniuersalis, ergo oportet quod sit ordinatio conuertens naturam ad respiciendum ipsa inferiora, vt terminum ad quem, quia tendit ad illa, vt in illis sit, & de illis prædicetur, ergo non sufficit ille respectus quo solum natura auertitur ab inferioribus, seu ab illis abstrahitur per cognitionem positiuam, sed hoc totum pertinebit ad denudationem naturæ ab inferioribus, sub quo statu attingitur à Metaphysico, sicut à Logico sub statu quo conuertitur ad inferiora, vt possit prædicari de illis, quia ad Logicum pertinet prædicabilitas, & ordo rationis.

Dices: Abstractio ista positiua solum ponit naturam extra differentias, non verò extra ipsa inferiora, aliud est enim abstrahi à differentiis, quia extra conceptum illarum est, aliud ab inferioribus, extra quorum essentiam non est vniuersale, non enim conuenienter dicimus, quod animal abstrahitur ab homine, & equo, quia in eis semper manet etiam per rationem, sed ab aliquo nominis, & equi nempe à differentiis eorum, illa ergo præcisio positiua licet respiciat differentias, vt terminum à quo, ipsa tamen inferiora non respicit vt terminum à quo, nec ab illis abstrahit, sed potius in illis includitur, quod sufficit, vt dicatur illa respicere.

Sed contra est. Quod semotis differentiis quibus natura contrahitur, & determinatur, nihil manet in inferioribus in quo maneat inclusa, & ad quod comparetur, vt ad terminum, nam in homine, verbi gratia, tantum sunt duo ex quibus constituitur, scilicet animal vt genus, rationale vt differentia, abstractio ergo quæ remouet animal à rationali quid relinquit in inferioribus, in quo animal illud excludatur? Solum ergo manet inclusum in ipso animali, nam homo remota differentia destruitur, ergo non stat præscindi à differentiis, & per eundem actum includi in inferioribus. Ac denique, quia ille actus sic præscindens à differentiis, vel solum præscindit ab illis, vel etiam attingit aliquid aliud ad quod tanquam ad terminum referat naturam. Si primum non est actus comparans, & respicere faciens, vt terminum ad quem inferiora, sed solum remouens à differentiis. Si secundum. Ergo iste actus non habet solum officium abstrahendi, & remouendi differentias, sed etiam comparandi ad inferiora, & sic quatenus abstractiuus est positiuè, adhuc non Logicum vniuersale, sed Metaphysicum constituit, quatenus verò comparatiuus idem faciet quod in aliorum sententia actus comparatiuus distincto à præscisiuo, & solum differet ista sententia ab aliis, quod ponit fieri vnico actu, id quod alia ponit fieri duobus, scilicet abstractiuo Metaphysicum vniuersale, comparatiuo verò Logicum.

Dico secundò. Vnitas, & aptitudo, quæ sunt fundamentum proximum vniuersalitatis ex isto actu præcisionis conuenire dicuntur, etiam ante vniuersale Logicum. Hæc constat ex dictis, quia vnitas illa non est prædicatum essentiale naturæ, siquidem natura secundum se, nec est vna, nec plures, sed accidentale conueniens illi per intellectum, siquidem est vnitas rationis, sed hoc ipso, quod præscinditur natura à differentiis inferioribus, siue positiuè, siue negatiuè cognoscitur vnico conceptu, ergo accipitur tanquam vna, quia vnus conceptus ad vnum obiectum terminatur, & in natura sic accepta vt vna, non inuenitur repugnantia vt reddatur indiuidua, quia non habet oppositionem, sed potius conformitatem cum illis differentiis à quibus assumpta est per intellectum, ergo habet aptitudinem ad illa quæ est non repugnantia, & vnitatem. Quomodo verò ista vnitas non constituat vniuersale, nisi fundamentaliter tantum, quod pertinet ad vniuersale Metaphysicum, non ad vniuersale vt abstrahit à Logico, & Met. dictum est q. præc. art. 5.

Dic. vlt. Vniuersale Logicum, seu relatiuum, & secunda eius intentio fit per actum comparatiuum, non per modum compositionis, vel iudicij, nec per modum inclusionis in inferioribus, sed per modum simplicis apprehensionis, qua cognoscitur natura cum ordine, & respectu ad inferiora. Hæc conclusio docetur à D. Thom. & ab eius discipulis communiter, & in schola Scoti, vt communis etiam acceptatur. Videatur Diu. Th. 1. part. q. 28. art. 1. vbi inquit: *Quod aliquando respectus significatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis vnum alteri*. Et q. 7. de potentia art. 11. inquit: *Quod respectus rationis adinuenitur per hoc, quod cõsideratur ordo eius, quod est intellectũ ad res extra, aut quia cõsideratur ordo intellectũ ad inuicẽ*. Et denique 1. Periher. lect. 10. loquẽs in specie de relatione vniuersalitatis inquit: *Quod intelle-*

ctus attribuit has relationes naturæ intellectā secūdū quod comparat eam ad res extra animam. Et idem sumitur ex opusc. 48. cap. 2. Et ponderandum est, quod actum istum comparatiuum quo inuenitur relatio vniuersalitatis non ponit Diu. Thom. in actu comparatiuo, quo attribuitur aliquid alicui, vt subiecto, sed quo ordinatur ad aliquid, vt ad terminum, vt constat ex verbis allatis, sed præcipuè ex loco citato 1. p. solutione ad 1. vbi inquit: *Quod propria ratio eius, quod ad aliquid dicitur non accipitur per comparationem ad illud cui inest relatio sed per respectum ad alterum.*

Et hinc sumitur fundamentum pro conclusione posita. Nam ad inueniendum relationem per actum intellectus requiritur comparatio aliqua ad terminum, & non comparatio compositiua, & attribuens prædicatum subiecto, vel inclusionem faciens in illo, ergo relatio tantum ordinatiua ad terminum. Maior manifestè constat: quia relatio non est aliquid absolutum, sed cuius totum esse est ad aliud, ergo vt inueniatur per intellectum necessariò debet apprehendi in eo, in quo differt ab absoluto: differt autem ab absoluto in comparatione ad aliud, ergo requirit actum comparatiuum, id est comparationem, & ordinationem in natura cognita ad terminum. Min. prob. nam comparatio compositionis, & attributionis, vel attribuit naturam cognitam inferioribus, vel attribuit relationem ipsi naturæ cognitæ tanquam denominatæ per ipsam relationem: primum non est ad ad rem, tum quia actus compositiuus formaliter solum potest efficere relationem prædicati ad subiectum, quæ longe diuersa est à relatione vniuersalis ad inferiora, tum etiam, quia prædicatio naturæ de suis inferioribus, vt est in propositione facta per actum compositionis solum facit actu prædicatum, ergo supponit prædicabile, quia prius aliquid dicitur prædicabile, quam prædicatum; prædicabilitas autem est passio vniuersalitatis, vel ad illam pertinet, ergo relatio illius antecedit comparationem compositiuam, & formalem compositionem, sicut relatio prædicabilitatis antecedit relationem prædicati, vt potentia actum.

Et eodem modo probatur non consistere in actu faciente inclusionem. Quia vel ista inclusio est actualis inclusio in inferioribus, vel solum aptitudinalis, si primum est inclusio per prædicationem, vel contractionem in actu, quod necessario supponit contrahibile, & prædicabile, atque adeò relationem prædicabilitatis, & contrahibilitatis. Si verò est inclusio aptitudinalis, ergo solum est aptum includi non vero inclusum actu in inferioribus, & illa aptitudo, vt includatur, est idem quod aptitudo, vt contrahatur, & prædicetur: inclusio enim per contractionem fit, ergo ante inclusionem datur vniuersale Logicum, scilicet respectus aptitudinis, vt includatur.

At verò si dicatur secundum. Constat quod attribuere relationem ipsi naturæ cognitæ, vt subiecto denominato per illam non est formalis consideratio relationis ad terminum, sed ad subiectum, & in ratione *in*, non in ratione *Ad*; ergo est consideratio communis omni accidenti, etiam absoluto, quod habet subiectum, non verò est proprium relationis, vt relatio est, & consequenter non constituit illam formaliter, sed supponit, quia in subiecto ponit, non ad terminum ordinat; vnde non est necesse non solum in relatione vniuersalitatis, sed etiam in aliis secundis intentionibus, scilicet relatione syllogismi, & Propositionis, &c. in actu signato cognoscere illam relationem, & attribuere illam subiecto denominato; hoc enim iam supponit relationem formatam, sed sufficit quod ipsa extrema relationis comparatiue cognoscantur vnum ad aliud in ipso exercitio, siue quando formatur propositio, vel iudicium, aut syllogismus, siue ea quæ pertinent ad primam apprehensionem, ipsa enim comparatione cognoscuntur istæ intentiones tanquam ordinatæ, & consequenter ad instar relationis, etiamsi non apprehendantur tanquam obiectum, *quod* per actum reflexum, vt quæst. 2. diximus artic. 4.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *Arguitur* ad probandum, quod non est necessarius actus comparatiuus ad vniuersalitatem formalem, quia posito fundamento proximo statim resultat relatio, ergo non indiget alio actu, quam illo, quo ponitur fundamentum proximum; hoc autem ponitur ante actum comparatiuum, quia est vnitas, & aptitudo ad essendum in multis, quæ ex vi abstractionis habetur, ergo ex hoc actu resultat vniuersalitas, quæ est relatio; sicut enim sola contractio sufficit vt natura fiat singularis, ita & abstractio, vt actu fiat vniuersalis.

Et confirm. Quia ante actum comparatiuum natura abstracta actu denominatur vniuersalis, ergo actu habet formam vniuersalis, quæ est relatio. Conseq. patet. Quia denominatio formæ non fit, nisi ab ipsa forma, cum sit effectus eius formalis, ergo si deniminatur actu vniuersalis, actu habet formam vniuersalitatis. Antecedens constat. Quia ex vi abstractionis, ante actum comparatiuum natura non denominatur singularis cum sit denudata à conditionibus singularibus, nec solum dicitur natura secundum se, quia illa secundum se, nec est vna, nec plures, nec contracta, nec abstracta, ergo dicitur vniuersalis.

Respond. In relationibus rationis non resultare relationem posito fundamento quia non habet esse illa relatio per resultantiam, sed per cognitionem: non autem cognoscitur, nisi in ordine ad suum terminum, & hoc est comparari; nec abstractio dici potest virtualis comparatio, quia ea quæ per cognitionem habent esse non sufficit virtualiter cognosci, vt actu dicantur habere esse, sed solum habebunt esse virtualiter, & in potentia. Vnde cum relatio non cognoscatur actu nisi per actum comparatiuum, quia debet cognosci in ordine ad suum terminum ad quem comparatur, siue ordinatur, virtualis comparatio, solum erit virtualis cognitio relationis, quia nondum cognoscitur ordinari ad suum terminum, sed abstrahi. Contractio autem efficit singulare Metaphysicum, sicut abstractio vniuersale Metaphysicum, non Logicum, id est relatum ad suum superius.

Ad Confirm. Respond. Quod ante actum comparatiuum denominatur natura vniuersalis Metaphysicè non Logicè, seu fundamentaliter proximè, non formaliter. Hebere autem fundamentum proximum vniuersalitatis neque est esse singularem, quia ab indiuiduis denudatur, nec accipi naturam solum secundum se, quia hoc fundamentum non est prædicatum essentiale naturæ, sed est esse vniuersale Metaphysicè, quod licet non sit forma vniuersalitatis quantum ad ipsam secundam intentionem, est tamen forma quantum ad fundamentum proximum talis relationis, quæ fundatur in vnitate, & aptitudine ad plura. Hæc autem aliquid rationis sunt, & ita hoc nomen, *vniuersalis*, indifferens est ad fundamentum vniuersalitatis, & ad ipsam formam relatiuam, sicut Deus denominatur dominus à potentia, quæ est fundamentum relationis dominij, & iudex, & Doctor, &

& signum ad placitum ex designatione, & impositione, & non solum à relatione rationis, quæ in tali impositione & designatione fundantur. Vnde si daretur à parte rei vniuersale eo modo quo posuit Plato, esset vniuersale Metaphysicum, quod in vnitate præcisa consisteret, fundaret tamen relationem ad ipsa inferiora prædicamentalem quidem, si inferiora existerent, vel secundum dici tantum si non existerent.

Secundò arguitur. Ad probandum quod requiritur actus comparatiuus per modum inclusionis, quod aliqui vocant abstractionem positiuam, vel per modum prædicationis, & compositionis. Etenim vniuersale Logicum debet consistere in respectu naturæ abstractæ ad sua inferiora, ergo oportet, quo ipsa inferiora cognoscantur, respectus enim nequit sine termino cognosci; sed inferiora constituuntur per inclusionem sui superioris, ergo necessariò requirit vniuersale Logicum inclusionem in suis inferioribus, alioquin inferiora non habebit, neque respiciet, siquidem per hanc inclusionem constituuntur.

Et Confirm. Quia iste actus comparatiuus, vel intelligit naturam esse in multis attribuendo, & prædicando eam de illis actu, vel solum intelligit esse aptam ad essendum in illis. Si primum, est comparatio prædicationis, neque enim actu intelligitur in multis, nisi prædicando naturam de multis. Si secundum, sufficit actus abstractionis ad constituendum istam relationem, quia ista relatio est relatio aptitudinis ad multa, ergo ille actus, qui sufficit ad ponendum aptitudinem sufficit ad ponendam relationem aptitudinis; ponitur autem aptitudo per actum abstractionis, quæ virtualiter est comparatio, hoc ipso quod naturam rei inquit aptam ad ipsa inferiora; sicut enim per aptitudinem virtualiter est in illis, ita virtualiter comparatur ad illa, ergo, &c. Et in sententia eorum qui censent iudicium solum consistere in respicientia duorum extremorum, seu conceptuum, manifestè sequitur istam comparationem fieri per actum iudicij, quia ista comparatio sine respicientia extremorum non est. Sed hoc fundamentum est omnino falsum, quia etiam ante omne iudicium potest aliquid relatiuè concipi, sicut per simplicem apprehensionem cognoscimus relationes, & definimus illas.

Respondetur ad principale argumentum. Quod est totum fundamentum Martinij, solutione superius data, quæst. præcedenti, articul. 5. Quod vniuersale respicit sua inferiora non per inclusionem formaliter, seu potius supponendo exclusionem, & abstractionem ab illis, vnde licet inferiora in re non constituantur, nisi includendo naturam superiorem; formaliter tamen in ratione inferioris non constituuntur per inclusionem, sed per subiectionem ad naturam superiorem: supponendo tamen, quod in re illam includant. Vnde sicut superius, licèt identificetur cum inferiori, cognoscitur in ratione superioris sine illo, ita inferius licet includat, & identificetur cum superiori, respicitur tamen à superiori non per inclusionem in illo, sed per subiectionem ad illud. Vnde in conceptu inferioris, quatenus terminat respectum superioris non explicatur inclusio inferioris, licet illam habeat in re, sed solum inferioritas, & subiectio.

Quod si instes. Ergo non potest dari formaliter intentio generis, sine intentione speciei, nec species sine intentione indiuidui, cum hæc sint correlatiua, & ita respectus generis stare non potest, sine suo termino formali, quod est species, nec species sine indiuiduo, quod est terminus speciei.

Resp. Probare argumentum, quod potest dari intentio generis formaliter, sine specie cognita, vt subijcibili, & similiter species, sine indiuiduo, vt subijcibili, sic enim induunt rationem termini formalis relationum generis, & speciei, potest tamen dari intentio generis sine hoc, quod cognoscatur intentio speciei, vt prædicabilis, & species quin cognoscatur, intentio indiuidui, vt prædicabilis de vno tantum.

Ad confirm. Resp. Quod aptitudo dupliciter potest considerari, vel negatiuè, vel positiuè; negatiuè est sola non repugnantia ad essendum in pluribus, & ista non cognoscitur actu comparatiuo, sed ipso actu absoluto abstractionis consequitur: Positiuè dicit ordinem ad ea, ad quæ habet aptitudinem, & iste ordo, seu relatio formaliter non inuenitur, nisi quando ipsa aptitudo concipitur cum aliqua comparatione, & ordine ad suum terminum. Quare actus comparatiuus constituens formaliter vniuersale non est ille quo actu attribuitur multis, sed quo concipitur aptum ad essendum in multis, non aptitudine sumpta pro sola capacitate, seu non repugnantia quæ est aliquid absolutum, sed sumpta pro aptitudine ordinata, & respiciente positiue ipsa plura. Ad hoc autem non est necesse, quod ipsa relatio cognoscatur, quasi in actu signato, & tanquam res cognita, *vt quod*, sed sufficit quod actu cognoscatur aliquod extremum, vt comparatum ad aliud, & ad instar relatiui, sic enim in ipso exercitio comparatio ipsa, & relatio cognoscitur.

Vltimò potest obijci ad probandum quod abstractio non reddat naturam vniuersalem Metaphysicè, & fundamentaliter. Quia per illam abstractionem solùm cognoscitur natura secundum id quod ei conuenit in sua essentia remotis indiuiduis, ergo non fit natura vniuersalis, sed solum ponitur in statu solitudinis, seu secundum se. *Item.* Natura ab intellectu non cognoscitur, nisi vt abstracta ab indiuiduis, in sententia Diu. Thomæ. Ergo ipsa præcisio non potest dare vniuersalitatem, quia hæc conuenit naturæ, vt cognitæ, & consequenter, vt præcisæ, ergo prius datur præcisio, seu cognitio naturæ, quam vniuersalitas. *Ac denique.* Quia vniuersalitas est relatio secundum esse, ergo solùm habetur per actum, quo apprehenditur ipse ordo, & relatio, actus autem abstractionis est actus absolutus, non comparans, neque ordinans vnum ad aliud.

Respond. Hæc omnia probare, quod vniuersalitas pro relatione formaliter non habetur, nisi per actum comparatiuum, tamen fundamentum eius, quod est vnitas præcisionis, & aptitudo habetur, hoc ipso quod natura cognoscitur, vt præcisa per modum vnius, neque hoc supponit naturam cognitam, sed ipsamet præcisio cognitam reddit. Quod si non cognoscatur per modum vnius non loquimur in isto casu, neque in ista præcisione, quia talis cognitio non solum abstrahit ab indiuiduis, sed etiam ab omni modo vnitatis, & relinquit naturam in statu puræ solitudinis, & secundum se, sed abstractio quæ cognoscit naturam per modum vnius, illa facit vniuersale Metaphysicum. Et fortasse non est possibile concipere naturam, ita quod ex modo intelligendi, nec vnitatem habeat, nec pluralitatem, licet secundùm se ex parte rei cognitæ, nec vna sit, nec plures, quantum est ex vi essentialium prædicatorum. Quidquid tamen sit de hoc, saltem ille actus, qui abstractiuè concipit naturam per modum vnius, vnitatem præbet ipsi naturæ ex modo cognoscendi, & tamen ille actus non est comparatiuus, sed absolutus, quia nondum respicit inferiora per modum termini ad quem comparetur, sed vt terminum à quo separetur.

QVÆSTIO V.

De Actu Vniuersalis, qui est Prædicari de multis.

ARTICVLVS I.

Quid sit in natura Vniuersali Esse in multis & Prædicari de multis?

SVPPONIT hæc Difficultas naturam dum prædicatur actu de multis adhuc esse vniuersalem saltem Metaphysicè, quia si vniuersalitas per prædicationem amittitur, non habet locum quæstio, qua inquirimus quid in ipso vniuersali sit prædicari, & esse in multis? Et quidem aliqui de hoc dubitauerunt existimantes hoc ipso quod actu prædicatur vniuersale de multis extraneari relationem vniuersalis à natura, quod Scoto quæstione nona, in Porphyr. attribuunt, Conimb. quæstione sexta, Vniuers. numer. quart. Tum quia natura non prædicatur, vt indifferens, & indeterminata, sed vt applicata isti indiuiduo de quo prædicatur, & vt vnum cum illo, alioquin verè non prædicaretur, ergo non manet vniuersalis, quia remota indifferentia tota vniuersalitas ruit. Tum etiam, quia natura non habet vniuersalitatem, nisi in suppositione simplici, nam quando dicitur: *homo est species*, *homo est vniuersalis*, ly *homo* supponit simpliciter, ita quod non descendit ad supposita sub formalitate speciei, & vniuersalis, sed quando actu prædicatur de indiuiduis non habet suppositionem simplicem, sed personalem, verificatur enim de personis, & indiuiduis, ergo in actuali prædicatione non habet vniuersalitatem.

Nihilominus oppositum, vt dixi, supponendum est; proprium est enim naturæ vniuersalis esse prædicabilem multis, ergo ipsa prædicatio de multis non repugnat vniuersali, ergo quando prædicatur ipsa prædicatio vniuersalitatem non tollit. Nec dici potest vniuersalitatem destrui per prædicationem, licet ipsa prædicabilis sit, sicut quantitas decem palmorum est diuisibilis in decem palmos, & tamen si actu diuidatur, non manet amplius diuisibilis in illos. Hoc, inquam, dici nequit, quia aliud est quantitatem actu diuisam in facto esse, non posse amplius diuidi in illas partes, aliud ipsum actum diuidendi tollere diuisibilitatem: hoc secundum est falsum, diuisio enim super diuisibilitatem cadit, illique non repugnat, licet facta diuisione illam diuisibilitatem destruat, sicut corruptio actualis non repugnat corruptibili, sed conuenit illi; posita autem corruptione in facto esse, iam non est corruptibile, sed corruptum. Sic prædicatio de multis conuenit prædicabili, sed facta prædicatione, & contracta natura ad indiuidua iam non est diuisibilis, seu prædicabilis de multis, sed plurificata in illis. Itaque in hac prædicatione, *Petrus est homo*, ly *homo*, manet vniuersalis, quia non supponit suppositione singulari, sed communi, alias esset sensus, *Petrus est hic homo*, & sic nunquam prædicaretur de Petro aliquid quod est ipsi commune cum Paulo in natura. Vniuersalitas autem pro secunda intentione non est necesse, quod in actuali prædicatione consideretur, & sic actu non manet.

Ad opposita fundamenta dicitur. *Ad primum:* Quod natura quando prædicatur, intrinsecè vniuersalis est, & indifferens: extrinsecè autem applicatur indiuiduo determinato, nam quando dico, *Petrus est homo*, ly *homo*, non amittit vniuersalitatem, quia vt eam amitteret necessarium erat, conceptum communem mutari in singularem, vnde non corrupto illo conceptu communi, intrinsecè non redditur singularis, licet extrinsecè applicetur subiecto singulari formando illam propositionem *Petrus est homo*.

Ad secundum. Dicitur quod terminus etiam in suppositione personali retinet vniuersalitatem, quia quamdiù intrinseca repræsentatio naturæ vniuersalis non tollitur, vniuersalitas Metaphysica manet, licet quia fit applicatio, & prædicatio, naturæ repræsentatæ, non autem quoad secundam intentionem vniuersalitatis, suppositio non est simplex, quæ tunc solum datur, quando prædicatur de ipsa re aliqua secunda intentio, quæ non potest inferioribus ipsis communicari, & conuenire, sicut dictum est in Summulis in capite de suppositione.

His suppositis inquiritur. Quid sit naturam esse in multis? An sit ipsamet relatio vniuersalitatis ad multa, vel aptitudo ad existendum in illis, vel contractio ad ipsa inferiora?

Respond. Aliquos existimare, naturam esse in multis, non esse aliud, qua includi in illis, quæ inclusio præcisionem requirit ab ipsis differentiis, vt enim aliquid includatur in aliquo, opportet quod concipiatur, vt distinctum ab illo saltem per rationem, nihil enim in se ipso includitur, habet tamen identificationem cum ipso toto, quod est inferius, solum enim à differentiis eius non ab ipso præscindit, & sic ista inclusio relatio est ad inferiora, in quibus includitur. Ita Martinez disp. 1. in Porph. q. 2.

Nihilominus dicendum est, quod naturam esse in multis non consistit in ipsa relatione vniuersalis ad multa, nec in ista inclusione, quam sententia relata requirit ad talem relationem, sed esse in multis, si sumatur potentialiter, pertinet ad ipsam aptitudinem, qua natura redditur potens, vt sit in multis per identificationem, & multiplicationem in illis. Si autem sumatur actualiter, hoc quod est actu esse in multis non est relatio vniuersalis ad inferiora, sed identificatio, & contractio ad illa non abstractio positiua, vt ponit illa sententia. *Ratio* conclusionis sumitur ex dictis in præced. qu. Quia potentia ad essendum in multis antecedit ipsum actuale esse seu actualiter côuenire multis, sicut potentia præcedit suum actum, ista autem potentia ad essendum in multis, nihil aliud est quam aptitudo ipsius vniuersalis ad essendum in multis, vt sæpè dictum est. Non autem dicitur actu esse in multis per ipsam relationem vniuersalitatis, quia relatio ista est respectus ipsius aptitudinis, quatenus natura communis positiuè per modum potentiæ respicit inferiora, in quibus esse potest. Non ergo relatio ista reducit ipsam potentiam, seu aptitudinem in actum existendi, & consequenter non est actus talis aptitudinis, sed respectus ipse, quo talis aptitudo respicit ea, in quibus esse potest. Esse autem in multis est reductio talis aptitudinis, seu potentiæ in actum, & quando fit talis reductio dissoluitur illa aptitudo, quia dissoluitur abstractio per contractionem, respectus autem aptitudinis manet cum ipsa aptitudine, & abstractione, non eam dissoluit.

Restat ergo, quod esse in multis eo modo sit explicandum, quo ipsa potentia ad essendum in multis, sicut enim vniuersale dicitur potens, seu aptum esse in multis, quia habet non repugnantiam, vt identificetur cum multis, in quibus multiplicatur, sic dicetur esse actu in multis quando ista potentia, seu aptitudo reducitur in actum, vnde si erat aptitudo ad essendum in multis per identificationem, seu multiplicationem

tionem essentialem, vel accidentalem, ipsa identificatio multiplicata in multis est actu esse in illis. Etsi hanc identificationem vocamus inclusionem, ita sit inclusio quod non consistat formaliter in abstractione etiam positiua, sed in contractione, & coniunctione, quomodo enim formalis ratio inclusionis erit præcisio ab his, in quibus includitur?

Et si quæras. Quomodo differat talis contractio, seu inclusio, siue esse in multis, ab hoc quod est prædicari de multis?

Respond. Quod esse in multis explicatur per identificationem cum multis qualis fieri potest etiam per simplicem repræsentationem, qua natura intelligatur identificari, & esse in inferiori cui conuenit, prędicatio autem fit per applicationem vnius ad alterum in secunda operatione componente, & prædicante, vt sequent. art. dicetur. Vnde ista prædicabilitas se habet, vt passio vniuersalitatis: ex eo enim, quod vniuersale est in multis per identificationem, sequitur quod possit de illis verè prædicari.

Ad fundamentum. Oppositæ sententiæ sæpiùs responsum est. Inclusionem superioris in inferiori requiri quidem ad constitutionem ipsius inferioris in se, cuius natura, & quidditas prædicata superiora includit. Cæterum hæc inclusio, non fit per præcisionem positiuam, sed per contractionem, contractio enim non est eiusdem ad se ipsum, sed ad aliud, seu per aliud saltem ratione distinctum. Inferiora autem, quæ à superiori respiciuntur includunt quidem iure ipsum superius, sed non sunt inferiora, quatenus includentia, sed quatenus subiecta, & minora.

ARTICVLVS II.

Quid sit Prædicatio? Et quid ad eius verificationem requiratur?

QVatuor in hoc articulo notanda sunt. *Primum*, quid sit prædicatio formaliter sumpta, & fundamentaliter? *Secundum.* Quid requiratur ad verificationem prædicationis? *Tertium.* Quomodo prædicatum superius debet esse totum respectu inferioris, vt de illo prædicetur? *Quartum.* Quotuplex sit prædicatio?

Circa Primum. Notandum est quod prædicatio pertinet ad secundam operationem, in qua enunciatur vnum de alio, & sic prædicatio est attributio vnius ad alterum negando vel affirmando, vnde dicit S. Thom. 4. cap. de Ent. & Essent. in fin. *Quod prædicatio est quoddam quod completur per actionem intellectus componentis, & diuidentis, habens tamen fundamentum in re ipsam vnitatem eorum quorum vnum dicitur de alio.* Vbi explicat, & formalem rationem prædicationis, quæ est ipsa attributio, seu coniunctio extremorum, per modum attributionis, coniunctio autem relatio est. Fundamentum autem huius relationis, seu attributionis est identitas, seu conuenientia extremorum, si prædicatio sit affirmatiua, vel disconuenientia si sit negatiua. Quod vberius explicat D. Thom. 1. part. quæst. 13. art. 12. vbi ostendit. *Quod in qualibet propositione affirmatiua requiritur, quod subiectum, & prædicatum significent id quod aliquo modo est idem secundum rem, & diuersum secundum rationem, quod patet tam in prædicationibus accidentalibus, quam substantialibus, sicut cum dico, homo est albus, constat quod sunt idem subiecto, sed differunt secundum rationem, quia alia est ratio albi, alia hominis. Et similiter cum dico homo est animal, id ipsum quod est homo, verè est animal, vnde prædicatum, & subiectum sunt idem supposito sed diuersum ratione.* Quare identitatem extremorum significat intellectus per ipsam compositionem, & copulam, diuersitatem vero per distinctos conceptus prædicati & subiecti. Et eadem doctrina sumitur ex 1. Periherm. lect. 3. Et sic constat quid sit prædicatio, & in quo fundetur. Quomodo verò differat identitas extremorum, & connexio intrinseca, vel extrinseca, infra circa quartum notabile dicetur.

Circa secundum. Verificatio prædicationis ita fundatur in identitate, & conuenientia extremorum, quod non solum debet illa attendi ex parte rei significatæ, sed etiam ex parte modi significandi, quia intellectus cum natus sit diuisa componere, & vnita diuidere, solet vnam, & eandem rem tali modo aliquando apprehendere, & significare, vt ex ipso modo significandi non sit alteri applicabilis, & vnibilis, & alio modo sic concipere, vt applicabilis, & vnibilis sit. Vnde Diu. Thom. 1. p. q. 39. art. 4. & 5. monet in proprietatibus locutionum, & ad veritatem earum non solum considerari debere res significatas, sed etiam modum significandi, qui modus præcipuè relucet in abstracto, vel in concreto, per modum totius, vel partis, cum enim omne totum sit maius sua parte non potest ex æquo pars, & totum adæquari, & attribui. Vnde Diu. Thom. opusc. 69. supra secundum text. Boëtij, inquit: *Circa quodcumque abstractè consideratum hoc habet veritatem, quod non habet in se aliquid extraneum, quod scilicet sit præter essentiam suam, sicut humanitas, & albedo, & quæcumque hoc modo dicuntur. Cuius ratio est, quia humanitas significatur, vt quo aliquid est homo, & albedo, quo aliquid est album: non est autem aliquid homo formaliter loquendo, nisi per id quod ad rationem hominis pertinet. Et similiter non est aliquid album formaliter, nisi per id, quod pertinet ad rationem albi, & ideò huiusmodi abstracta nihil in se alienum habere possunt. Aliter autem se habet in iis, quæ significantur in concreto, nam homo significatur, vt qui habet humanitatem, & album, vt quod habet albedinem. Ex hoc autem quod homo habet humanitatem, vel albedinem non prohibetur habere aliquid aliud, quod non pertinet ad rationem horum, nisi solum quod est oppositum his. Et ideò homo, & album possunt aliquid aliud habere quam humanitatem, vel albedinem. Et hæc est ratio quare albedo vel humanitas significantur per modum partis, & non prædicantur de concretis sicut nec sua pars de suo toto.* Ita D. Thom.

Ex qua doctrina colliges, quod abstractum respectu concreti abstrahit abstractione formali, non totali. Vocatur abstractio formalis, qua forma abstrahit à materia, actus à potentia, essentiale & proprium ab extraneo, & alieno. Abstractio autem totalis est, qua superius abstrahit ab inferiori, & commune ab indiuiduis, quia habet se vt totum respectu inferioris includendo illa virtualiter, & implicite: abstractum autem formale non se habet vt totum respectu concreti, sed vt pars, & quasi forma, & actus respectu potentiæ, & subiecti.

Secundò sequitur. Quomodo verum sit illud, quod communiter dicitur, scilicet: Quod quando aliquid conuenit alicui per se, oppositum eius, nec per accidens ei potest conuenire, id est, non potest in eodem subiecto reperiri, quia vt inquit Diu. Thom. subiectum habens aliquam formam non prohibetur habere aliquid aliud nisi solum quod est oppositum illi, ergo oppositum formæ non potest reperiri in ipso subiecto habente formam, quod est non posse illi conuenire, nec per accidens, id est, per aliud & ratione subiecti.

Circa Tertium. Quomodo tale prædicatum superius sit totum respectu inferioris, eius explicatio sumitur

ex Diu. T. loco supra citato, & in cap. 3. de Ente, & Essent. & Caietano ibi explicante quomodo genus, & habeat rationem partis, & rationẽ totius, nam in prædicato generico (& idem est de specifico & differentiali) & continetur aliquid quod explicat & aliquid quod implicat, seu includit, verbi gratia animal exprimit naturam sensitiuam, & corpus exprimit naturam corpoream, id est, exprimit id quod actu constituit sensitiuum & corporeum, includit vero omne illud à quo talis ratio sensitiui, vel corporei prouenire potest, vel in quo inueniri potest, siue includat aliquid præter rationem sensitiui, siue non. Et quidem quantum ad id quod exprimit non est dubium, quod genus, verbi gratia animal solum partem naturæ dicit, & non totum, vnde si nihil amplius includeret ly *animal*, quam id quod explicat, non posset prædicari de aliquo, in quo inuenitur aliquid amplius quam ipsa ratio naturæ sensitiuæ, sed quia significat omnem formam, à qua ratio animalis prouenit, & in qua inuenitur, siue à tali forma solũ illa ratio proueniat, siue aliquid aliud, inde est, quod animal in illo conceptu includit virtualiter quidquid habet rationem animalis, & homo quidiqud habet rationem hominis, & id in quo inueniri potest.

Ex qua doctrina, Colligitur, quod vt aliquid sit genus, & vniuersale non debet significare suum significatum cum præcisione formali, sed solum cum præcisione totali, hoc est, non debet ita significare rationem aliquam, seu formam quod excludat ab ijs, quæ illi adiungi, & coneccti possunt, sed significat omne illud, in quo inuenitur talis perfectio, etiam si vlteriorem aliam perfectionem inuoluat, licet illam non explicet. Atque ita significari per modum totius, & partis non est idem quod esse partem, vel totum, nam etiam id quod est pars potest significari per modum totius respectu alterius partis, in qua includitur, sicut animalitas respectu humanitatis, quia de illa prædicatur, sed significari per modum totius consistit in hoc quod significetur aliquid respectu alterius, vt includens illud. Significatur autem per modum partis, quando per modum exclusionis significat aliquid, licet in re coniungatur cum illo, quod excludit, & quia in re non datur natura aliqua vel forma, ita constituens aliquem gradum, quod excludat vlteriorem perfectionem, vel gradum, sed ab eadem forma substantiali plures gradus proueniunt ideò diximus supra ex Diu. Th. non distinguit gradus Metaphysicos in eadem re, nisi per rationem.

Circa Quartum. Multiplex est diuisio, & differentia prædicationis, quæ resultat ex diuerso modo habendi identitatem, & diuersitatem rationis, in qua est totum fundamentum prædicationis, vt diximus ex Diu. Th. Et primò diuiditur in directam, & indirectam: directa est, *quando id quod se habet per modum formæ tenet se ex parte prædicati*, indirecta quando è conuerso, *id quod se habet per modum subiecti ponitur ex parte prædicati.* Vbi nomine *subiecti*, & *formæ*, non solum intelligimus id quod physicè se habet vt forma, & materia, sed quod habet se quomodocumque, vt actuans & actuabile, vel superius, & inferius, dicitur enim superius forma inferioris, non quia gradus superior sit actualior in entitate & perfectione, sed quia contrahibilis, & omne quod contrahitur, quasi recipitur in eo ad quod contrahitur. Si autem sint prædicata æqualia, vt homo & rationale, vel risibile, tunc id quod actuat se habet vt forma, & quod actuatur, vt subiectum. Vnde hæc est directa prædicatio homo est rationalis, homo est risibilis: indirecta verò, rationale est homo.

Et si requiras. Quando prædicatur gradus superior indiuiduatus, vt si dicas, homo est hoc animal, an sit prædicatio directa? *Respond.* Quod vt fiat prædicatio directa debet poni ex parte subiecti genus indiuiduatum, vt si dicas hoc animal est homo, ly *hoc animal* demonstrat indiuiduum hominis, vel illud animal quod est in homine. Etenim hoc ipso, quod gradus superior indiuiduatur, ex modo significandi indiuidualiter, se habet vt rationem speciei, quia supponit pro animali, quod est indiuiduum hominis, ergo respicit hominem vt superius, & consequenter vt prædicatum formale, & ita hæc est directa, hoc animal est homo, indirecta vero, homo est hoc animal, secus si dicas, homo est quoddam animal, si ly *quoddam* non demonstret indiuiduum, sed rationem genericam animalis, vt vagè contractam.

Prædic. directa diuiditur in essentialem, & accidentalem: essentialis est, *Quando prædicatum est de intrinseca ratione subiecti.* Accidẽtalis, *Quando est extra illum.* Vbi oportet discernere identitatem extremorum, & connexionem. Identitas pertinet ad coniunctionem, seu conuenientiam, & adæquationem extremorum, quæ ad omnem prædicationem requiritur, connexio ad habitudinem, quam extrema ordinantur, vel essentialiter, & intrinsecè, vel accidentaliter & extrinsecè.

Prædicatio disparata est illa. *Quæ constat ex terminis disparatè se habentibus, qui non habent habitudinem conuenientiæ inter se*, & bene nota, Quod aliud est prædicatio disparata, aliud identica Propositio enim respicit veritatem, & falsitatem, prædicatio habitudinem terminorum. Et potest esse prædicatio disparata, & propositio vera, & inter terminos identicos potest esse propositio falsa. Vt patet in negatiuis, *homo non est lapis*, est propositio vera, & prædicatio disparata, id est, inter terminos disparatos. Et ista propositio, *homo non est homo*, est falsa, sed prædicatio est identica, id est inter terminos identicos, licet negatiue. In propositionibus tamen affirmatiuis, si prædicatio est disparata, propositio semper est falsa, & si prædicatio est identica, propositio est vera.

Prædicatio identica, alia est identica materialiter, alia formaliter. Formaliter identica est, *quando ex vi significationis terminorum idem significat vnus ac alter*, vt sic dicatur, homo est homo. Materialiter identica est, *quando significationes siquidem sunt diuersæ sed realitas seu entitas est eadem*, vt cum dicitur actio est passio, album est substantia, vel corpus, quæ ex parte formæ significatæ est disparata, ex parte autem materiæ, seu subiecti quod corpus, seu substantia est identica, si in eodem subiecto conueniant. Et similiter, quando duo accidentia prædicantur ratione conuenientia in eodem subiecto, vt album est dulce, & vnum attributum de alio in Deo, vt misericordia est iustitia, omnes istæ prædicationes sunt identicæ materialiter.

ARTICVLVS III.

Quomodo requirantur multa, vt aliquid dicatur vniuersale, vel commune?

SVpponimus non esse idem quod aliquis terminus vel res significata per illum sit communis, & quod sit vniuersalis, vt expresse docet Diu. Thom. in 1. senten. Annibaldum, distinction. 19. quæst. 4. artic. 2. ad 2. vbi inquit: *Vniuersale non est idem quod commune, differunt enim, quia commune de se non determinat, an id quod communicatur pluribus sit idem numero, vel non, sed vniuersale hoc determina, quia nunquam idem numero est in pluribus.* Similiter 1. p. q. 30. artic. 4. ad 3. dicit: *Quod in Deo non est particulare, & vniuersale, genus & species*, & tamen, quæstio. 13. artic. 9. inter terminos communes numerat Deum. Et constat hoc in indiuiduo vago,

duo vago, quod est terminus communis, vt *aliquis homo*, quod supponit non suppositione singulari, sed communi, & determinata, & tamen non est vniuersale, quia non potest distribui, & res ipsa significata non omnino præscindit à conditionibus indiuiduantibus, sed significat naturam communem cum modo indiuiduationis non perfectè singularizato, ratione cuius impeditur ne sit vniuersale, licet sit commune. Vnde dicit S. Thom. quæst. 9. de Potent. artic. 2. ad 1. *Quod sicut nomen quod significat naturam est commune, & definibile, ita & nomen quod significat naturam cum tali modo existendi sicut* ly *aliquis homo*.

Ad difficultatem ergo propositam respondeo. Quod vt aliquid sit commune multis non requiritur quod habeat multa indiuidua in re existentia, vel possibilia, sed sufficit quod ex modo concipiendi, concipiatur vt communicabile pluribus, & terminus sic significans illam naturam, dicetur terminus communis. Et quidem quod non requiratur pluralitas indiuiduorum actu existentium apertè docet Diu. Thom. 7. Met. lect. 13. exponens definitionem vniuersalis traditam à Philosoph. Quod *vniuersale est quod pluribus natum est inesse*. Vbi notat ideò dici, quod *pluribus inesse natum est, non quod pluribus inest, quia quædam vniuersalia sunt quæ non continent sub se nisi vnum singulare, sicut Sol, & Luna, sed hoc* (inquit D. Thom.) *non est, quin ipsa natura speciei quantum est de se, nata sit in pluribus esse, sed est aliquid aliud prohibens sicut quod tota natura speciei comprehendatur in vno indiuiduo*. Quæ doctrina etiam deseruit pro naturis, in quibus pluralitas indiuiduorum est impossibilis, vt de Angelis communiter existimant Thomistæ, & infra dicemus in quæst. de specie.

Quod verò modus cognoscendi sufficiat ad constituendum aliquid vt commune, sumitur ex ipso Diu. Thom. 1. part. quæst. 13. art. 9. vbi docet. *Quod si formas simplices cognosceremus secundum quod in se sunt, neque re neque ratione apprehenderemus, vt communes, seu vt communicabiles, quia vero apprehenduntur ad modum rerum compositarum & non adaquate, vt in se ipsis, apprehenduntur, vt communicabiles quantum est ex modo significandi & cognoscendi, licet in re communicabiles non sint*. Et hac ratione lib. 1. cum mul. cap. 7. diximus, quod terminus communis est ille, qui significat plura diuisim, id est, communicabiliter est in pluribus, vel ratione rei significatæ, vel ex modo concipiendi. Et ita hoc nomen Deus est terminus communis ex modo significandi. Quando enim in ipsis rebus datur multiplicatio plurium cum similitudine in aliqua ratione communi, tunc accipitur aliquid, vt commune ex parte rei significatæ: quando tamen in re non datur multiplicatio, nec similitudo multorum, ex parte ipsius rei significatæ directè, & per se non datur fundamentum ad concipiendam naturam communem, indirectè tamem, quia non repugnat talem naturam concipiendi inadæquatè, & imperfectè non apprehensa ratione singularitatis, sed solius naturæ adinstar eorum, in quibus natura multiplicatur, ex tali modo concipiendi dicitur natura illa communis, & terminus illam significans, communis.

An verò hoc solum sufficiat, vt natura aliqua dicatur vniuersalis tanquam genus vel species præcertim vniuersalitate prædicabili & Logica? Ad hoc dicemus infra in quæstione de specie, vbi hoc latius discutietur loquendo de Angelis. Interim sufficit dicere, quod vt aliquid sit vniuersale, & prædicabile de pluribus, non sufficit quod concipiatur, vt commune, semota singularitate, quasi negatiuè sed requiritur quod ita abstrahat ab inferioribus, quod etiam possit contrahi ad illa per additionem differentiæ inferioris ad superiorem naturã, quod non potest esse sine aliqua potentialitate eius quod concipitur, vt contrahibile ad id, quod concipitur, vt contrahens. Quod ergo natura creata cum potentialitate apprehendatur, non est ei repugnans, sed maximè conuenit, & consequenter non repugnat vniuersalitas Logica, diuina autem natura non potest cum aliqua potentialitate concipi, etiamsi inadæquatè eius perfectiones concipiantur, & ideo sine singularitate potest concipi, vt communis, sed non vt contrahibilis, & vniuersalis.

Et si Dicas. Quia etiam repugnat actui puro concipi sine singularitate, & vt commune multis, siquidem conceptus repræsentans solam naturam, & non singularitatem concipitur, vt multiplicabilis ex modo significandi, ergo & contrahibilis, & in potentia ad singularitatem.

Respond. Negand. anteced. quia vt natura diuina concipiatur sine singularitate non requiritur quod concipiatur cum aliqua potentialitate, sed sufficit quod non adæquatè concipiatur à nobis, sed solum eius quidditas, & non ipse modus seu singularitas, sicut concipitur natura, sine personis, & vnum attributum sine alio, non quia concipitur, vt in potentia ad illud, cum sit actu includens illud, non tamen actu exprimens illud. Vt autem concipiatur eadem natura, vt contrahibilis, & multiplicabilis ad plura singularia requiritur, quod concipiatur talis natura, non solum, vt non exprimens, sed etiam vt non includens singularitatem ipsam, seu vt existens in potentia ad illam, quod repugnat conceptui actus puri. Et licet concipiatur, vt communis multis ex modo significandi, non tamen vt multiplicabilis per contractionem, & additionem differentiæ contrahentis, sed ita concipitur communis ad multa ex modo significandi, quod non explicat modum multiplicationis penes potentialitatem, eo quod ad hoc, vt sit vniuersalis requiritur indifferentia ad multa quæ contrahunt, & addunt ad conceptum communem: additio autem supponit de esse id quod additur illi cui additur, & hoc potentialitatem dicit; vt autem non exprimatur singularitas, & sic maneat communis sufficit conceptus limitatus, non omnia repræsentans.

Quod si insles. Ergo Analoga non dicentur vniuersalia, quia non possunt perfectè abstrahere à suis inferioribus, ita vt actu non includantur in differentiis, vt dicemus infra agentes de Analogia.

Et Confirm. Quia iste terminus complexus *Petrus, & Paulus*, habet vim termini communis sumpto ly & diuisiuè, vt diximus in Summulis, & per modum vniuersalis distribuentis, quia confundit terminum sequentem in propositione, vt cum dico, Petrus & Paulus est animal, & tamen non præscindit ab ipsis indiuiduis, ergo hoc non requiritur ad rationem vniuersalis.

Resp. Quod Analoga si sint duorum conceptuum habent se sicut æquiuoca, quæ vniuersalia non sunt, quia carent vnitate conceptus; si autem habeant vnum conceptum, quia non perfectè abstrahunt ab inferioribus non sunt perfectè vniuersalia, quia non habent perfectam vnitatem, sed proportionalem, sed reducuntur ad vniuersale; cum enim vniuersale, diuidatur adæquatè in quinque prædicabilia, & Analogum non sit genus, nec species, vel aliquod aliud prædicabile, non erit etiam per se vniuersale. Et tamen non eo modo continet differentias inferiores in actu, sicut Deus singularitatem, & attributa, quia in confuso, & imperfectè, non in actu puro sicut Deus illas continet.

Ad Confirm. Dicitur. Quod ille terminus complexus habet vim termini communis respectu suarum

partium,

partium, ex quibus componitur, quatenus illis diuisinè, seu cuilibet illorum applicat prædicatum, quod de ipso dicitur. Et sic quia supponit pro quolibet illorum dicitur habere rationem termini communis, & vniuersalis distributi, quasi in modo significandi, non tamen habet omnes conditiones termini vniuersalis, & multo minus rei vniuersaliter acceptæ, quæ per modum vnius naturæ abstrahit à pluribus, hanc enim naturam non significat ille terminus complexus, sed tamen suo modo abstrahit à pluribus complexiuè, eo modo quo totũ cõplere significatũ, & in cõfuso abstrahit à partibus, vt determinatè, & incõplexè significatis.

Vltimò instabis: Quia repugnat, quod Deus verus sit communis multis etiam ex modo significandi, nam modus significandi, si est verus debet conformari modo essendi, sed repugnat esse verum Deum, qui non sit vnus & singularis, ergo repugnat ex modo significandi vero, quod accipiatur, vt communis.

Et confirm. Quia Petrus nunquam potest concipi, vt communis, eo quod essentialiter, & intrinsecè est singularis, sed Deus multò magis intrinsecè est singularis, quam Petrus, ergo magis illi repugnat concipi vt communis; licet enim possit apprehendi in Deo vnum attributum sine alio; non tamen cum opposito attributo, sicut licet possit considerari, sine misericordia; non tamen cum crudelitate, ergo licet possit considerari sine singularitate, non tamen cum communitate ad plura.

Respond. Quod Deus verus, vt adæquatè cognitus, & eo modo, quo est in se non potest concipi, vt communis, cognitus autem inadæquatè, & ad instar rei compositæ, ex modo cognoscendi concipitur vt communis, licet non vt in re communicabilis, modus autem significandi, & cognoscendi conformatur quidem modo essendi quantum ad affirmationem, & negationem, vt sit verus, vel falsus, quantum ad modum autem repræsentationis non sequitur modum essendi, qui est in rebus, sed modum quo obiicitur ipsi cognitioni; vnde si intellectus concipiens modo communi iudicaret Deum esse communem falleretur, repræsentando tamen, & apprehendendo illud sine singularitate ad instar rei communis non fallitur. Vnde dicit Diu. Thom. 1. p. quæst. 13. art. 9. ad 2. *Quod nomina non sequuntur modum essendi qui est in rebus, sed modum essendi secundum quod in cognitione nostra est, & tamen secundum rei veritatem est incommunicabile illud nomen*, quia videlicet in repræsentando modus cognoscendi non semper conformatur modo essendi, nisi quandiu concipit rem, vt in se: in iudicando autem semper conformatur modo essendi, si verè iudicat. Et ita Deus repræsentatur modo communi, sed non affirmatur esse communicabilis.

Ad confirm. Respond. Quod singularitas magis est essentialis Deo, quam Petro ex parte ipsius rei cognitæ, non tamen ex parte modi significandi, quia Petrus significat solam singularitatem naturæ, vnde ex vi talis nominis non potest concipi, vt communis. Deus autem non significat directè singularitatem, sed naturam diuinam cui essentialiter conuenit singularitas sicut & alia attributa, à quibus tamen ratione inadæquati conceptus præscindit. Vnde dicit D. Thom. 1. p. quæst. 13. art. 9. ad 2. quod *ly Deus est nomen appellatiuum, & non proprium*. Et art. 8. dicit *quod est nomen naturæ*, non ergo est nomen singularitatis, licet illa natura singularis sit in se. Neque hoc est apprehendere naturam cum opposito sibi, quia non attribuitur illi communitas, quæ est oppositum singularitatis, sed ex modo cognoscendi sine singularitate repræsentatur ad modum rei communis; non potest autem ex modo cognoscendi sequi in Deo crudelitas, sed si apprehenditur in Deo est, quia attribuitur illi talis forma, quod semper est falsum.

ARTICVLVS IV.

Quomodo verificentur prædicationes in concretis, & abstractis substantialibus?

IN præsenti tria sunt certa apud Authores. *Primum est*, quod tam in concretis substantialibus, quam accidentalibus contretum benè prædicatur de concreto, vt homo est animal, homo est albus. *Secundum est*. Quod abstracta non prædicantur verè de concretis, nec concreta de abstractis ex vi modi significandi, vt S. Thom. latè docet cap. 3. de Ente, & Essentia, & sumitur, ex 1. p. q. 3. artic. 3. licet aliquando identicè verificentur, vt in diuinis est idem Deitas, & Deus, Paternitas, & Pater, & in transcendentibus idem est vnitas, & vnum, entitas & ens; vnde dicit Diu. Thom. quæst. 21. de veritate art. 4. ad 4. Quod formæ generales non vno modo dicuntur, non enim dicitur ens solum id quod aliquid est, atque ita tam in abstracto, quam in concreto prædicatur ens; & formæ transcendentes, tam de concretis, quam de abstractis.

Tertium est. Quod in accidentibus prædicata superiora prædicantur de inferioribus in abstracto, vt albedo est color, est qualitas, &c. quia in accidentibus abstracta significant totam essentiam, & intrinsecam rationem: accidentia enim secundum se non sunt, nisi formæ. Vnde dicit S. Thom. cap. 7. de Ente, & Essent. Quod accidentia concretiuè dicta non ponuntur in prædicamento sicut species, vel genera, vt album, vel musicum, nisi per reductionem, sed solum secundum quod abstractè significantur vt albedo, musica, & de eodem videri potest opusc. 42. c. 19. & q. 3. de veritate art. 7. ad 2.

Et fundamentum omnium istorum ex hoc tantum pendet, quod prædicatio debet fieri secundum applicationem totius ad totum; cum enim vnum affirmatur esse aliud, prædicatum non debet minus continere quam subiectum, vel è contra quantum est ex modo significationis, & ideò quando vtrumque est concretum, vtrumque significatur vt totum, & ita rectè identificantur per prædicationem. E contra verò abstractum respectu concreti se habet vt pars, quia abstrahit ab illo non sicut superius ab inferiori, sed sicut forma è materiali, & forma à subiecto, vnde non potest inter abstractum, & concretum fieri adæquatio, quia omnis pars est minor toto, nisi forte sit transcendens, quia tunc imbibitur in omni toto, & in omni parte, & ita non se habet, vt pars respectu concreti. Solum in ista prædicatione excipitur quantitas de qua in abstracto prædicatur quantum, dicitur enim quantitas quanta, seu extensa. Quod ideò est quia quantitas etiam separata à subiecto habet partes, vt constat in Eucharistia; habens autem partes dicitur extensum, & quantum, & sic de quantitate benè prædicatur, quod est quanta. Ac denique ex eodem fundamento constat, quod abstracta accidentium rectè prædicantur de similibus abstractis, quia accidentia abstracta dicunt totam rationem quæ in accidentibus inuenitur, & sic per modum totius prædicantur.

Duo ergo solum supersunt dubia. *Primum*. An prædicatio abstracti de concreto in substantialibus sit vera secundum se, & solum ex defectu modi significandi sit falsa? *Secundum*. Vtrùm in abstractis substantialibus

tialibus sit vera, & formalis prædicatio superioris de inferiori, vt cum dicitur, *humanitas est animalitas.*

Ad primum. Quidam existimant prædicatum substantiale in abstracto verè prædicari de inferioribus, non tamen completè, & adæquatè, & sic quantum est ex se verè prędicari de inferioribus in concreto. Ita Martinez disp. 3. in Porphyr. quæstio. 1. *Fundamentum est.* Quia abstractum licet significetur vt pars, re ipsa tamen est idem cum toto, sed veritas prædicationis solum habet pro obiecto vnitatem, & identitatem à parte rei, quę est in ipsis extremis, ergo ex vi terminorum talis prædicatio vera est. Cæterum non prædicatur completè, & adæquatè, quia tunc completè, & adæquatè est prædicatio, cum prædicatum dicit, vel non excludit quidquid est in subiecto. Abstractum autem non dicit totum, quod est in subiecto, cum significetur vt pars, concretum verò vt totum, ergo non completè prædicatur. Atque ita hæc prædicatio, *homo est humanitas,* non verificatur (vt ipsi dicunt) pro substituto, id est, pro ipso supposito, seu subiecto, quod est homo, sed pro constituto, id est, pro ipsa natura, quæ identificatur cum homine.

Oppositum tamen deducitur ex Diu. Thom. qui ad veritatem propositionum non solum requirit identitatem ex parte rei significatæ, sed etiam ex parte modi significandi, vt patet in 1. p. q. 39. art. 4. & 5. Et expresse excludit hanc prędicationem humanitatis de homine 1. p. q. 3. art. 3. & de ent. & essent. c. 3. in fine, & opusc. 69. lect. 2. semper eadem vtens ratione, quia scilicet concretum, vt homo includit in suo conceptu, seu non excludit aliquid quod non includit humanitas, dicit enim humanitas id præcise quo homo est homo, concretum autem scilicet, homo, dicit id quod habet humanitatem, non est autem inconueniens, quod habens humanitatem habeat aliquid aliud, quod humanitas non sit, ergo & aliquid de quo humanitas non prædicetur, & ideò non fundant veritatem, neque prædicationem ista extrema.

Sed dicunt, S. Thom. solum negare prædicationem formalem, & quasi completam non fundamentalem, & ex parte identitatis extremorum, hoc enim solum respicit iudicium verum. *Sed contra* vrget ipsa ratio D. Thom. quia ad fundamētum veritatis requiritur identitas cum omni illo de quo aliquid prædicatur, nam si habeat identitatem cum aliquo, & non cum alio, pro ea parte qua non habet, redditur disconueniens, & incongrua prædicatio, & consequenter falsa, nam ad falsitatem cum sit malum, & defectus, sufficit ex vna parte deficere, & ideò S. Thom. dixit 1. p. q. 3. citata, quod homo, & humanitas non sunt omnino idem, atque adeò ex ea parte qua non sunt idem, prædicatio claudicat. Et vt hoc amplius penetres.

Aduerte, quod fundamentum veritatis non est identitas prout solum inuenitur in re quomodocumque, sed quod etiam vt obijcitur intellectui sub ea ratione obijciatur, qua identificantur extrema, non sub illa sub qua non identificantur, alioquin variatur appellatio, & præcisio; videmus enim quod animal, & homo identificantur in re, & tamen animal dicitur genus, & homo non dicitur genus, quia hoc prædicatum non conuenit illis quatenus identificantur, sed quatenus virtualiter præscinduntur, & sub præcisione obijciuntur intellectui; & similiter dicimus, quod Pater generat, & essentia diuina non generat, licet identificentur Pater, & essentia. Ita ergo, vt verificetur prædicatio humanitatis de homine non sufficit, quod humanitas, & homo identificentur quomodocumque, sed quod obijciantur prædicationi, vt identificata, & non sub præcisione qua vnum præscindit ab alio. Vt autem significatur nomine humanitatis in abstracto obijcitur sub abstractione, & præcisione ab homine in concreto, & vt pars illius, & non omnino idem cum omni eo quod includit concretum hominis, ergo non datur fundamentum ex parte rei ad veram prædicationem, sicut non datur fundamentum, vt verè dicatur, essentia generat, licet sit idem cum Patre qui generat, & sicut non potest vllo modo admitti quod essentia generat explicando pro substituto, seu supposito, sed non pro constituto, id est, natura, licet in re suppositum essentiæ generet, quia ex modo significandi id non dicitur, ita non valet è contra, quod humanitas est homo pro constituto, id est pro natura, licet non pro substituto, id est pro supposito, quia ex modo significandi, homo non solam naturam significat.

Vnde soluitur fundamentum contrarium, licet enim humanitas, & homo sint idem ex parte naturæ, præscindunt tamen, & distinguuntur secundum modum significandi, & concipiendi, & ideò non habent fundamentum vt prædicentur quatenus stant sub tali modo significandi, sicut de hac propositione essentia diuina generat dictum est.

Ad secundum dubium. Aliqui sentiunt illas prædicationes in quibus abstractum substantiale de abstracto substantiali prędicatur esse falsas, quia existimant abstractum non solùm abstrahere à concreto, sed ab omni alia ratione, quę non sit formaliter ipsa forma abstracta. Humanitas enim dicit præcise id, quo homo est homo; vnde non includit etiam implicitè aliud, quam quod explicat sub ista abstractione, & sic non continet aliud abstractum, de quo prædicetur, quia vbi est abstractio formalis nullo modo includit id à quo abstrahit, sed facit quasi appellationem, & reduplicationem formæ abstractæ.

Nihilominus Resp. Per distinctionem, quod formæ abstractæ possunt teneri, vel specificatiuè, vel reduplicatiuè; primò modo solùm explicant naturam cum omni formali constitutiuo sub abstractione tanquam sub modo essendi. Secundo modo explicant, & reduplicant officium abstractionis formalis. Et primo modo potest vna forma abstracta communis prædicari de aliqua minus communi etiam in abstracto, vt dicendo: *Humanitas est animalitas,* vel in exemplo Phil. 7. Met. lect. 12. apud Diu. Thom. *Quod scissio pedis est quædam pedalitas.* Si verò sumatur secundo modo non potest verificari prædicatio abstracti de abstracto. *Ratio primæ partis est.* Quia istæ formæ in abstracto de aliquo prædicantur, hæc enim est vera. *Ista animalitas est animalitas, hæc humanitas est humanitas,* ergo etiam hæc erit vera, *humanitas est animalitas.*

Anteced. constat. Quia verbum diuinum assumpsit aliquam humanitatem in singulari, ergo est verum dicere, quod hæc humanitas verbi est humanitas, & hęc animalitas quam assumpsit est animalitas.

Conseq. verò patet, quia si est verum dicere quędam animalitas est animalitas, ergo descendendo sub illa poterit ostendi aliqua animalitas, quæ est humanitas: nam vna ex animalitatibus est humanitas, & alia equinitas, ergo sicut aliqua animalitas est animalitas, ita & humanitas est animalitas, quia humanitas quædam animalitas est: animalitas enim quæ est in homine natura hominis est, & consequenter humanitas. Et idem dicimus de hac, Petreitas est quædam humanitas, dummodo nomine Petreitatis non suppositalitas intelligatur, sed singularitas humanitatis, suppositum enim à natura distinguitur.

Et Confirm. Quia humanitas, & quælibet forma abstracta habet aliqua prædicata essentialia ex quibus constat, significat enim id, quo homo est homo, homo autem est homo per prædicata essentialia, ergo illa includit humanitas, ergo debent verificari de illa, & prædicari de illa, siquidem illi conueniunt, alioquin darentur aliqua prædicata verè conuenientia

alicui

alicui, de quo prædicari non possent.

Secunda verò pars conclusionis constat manifestè, quia vbi interuenit appellatio, & præcisio quantumvis detur identitas in re non sequitur prædicatio, sicut licet animal, & homo sint idem, tamen animal sub præcisione animalis est genus, & non homo, & licet iustitia in Deo sit misericordia, tamen non est verum dicere, quod attributum iustitiæ reduplicatiuè est attributum misericordiæ? similiter ergo licet humanitas sit animalitas, tamen ratio vnius reduplicatiuè non est ratio alterius: falsum est enim dicere, quod ratio qua aliquid est homo est animalitas, alioquin vbicumque esset animalitas, esset homo. Et idem potest inueniri in abstractis accidentium, si cum hac præscisione abstrahant.

Et per hoc patet ad fundamentum oppositum, quod confirmat hanc secundam partem. Et quando dicitur quod forma abstracta, neque implicite includit id à quo abstrahit. *Respond.* Id verum esse; sed tamen forma abstracta solum abstrahit à suo concreto, & materiali subiecto, non à suis prædicatis essentialibus consideratis etiam in abstracto.

Et si instes: Hæc est bona consequentia: Humanitas est id quo homo est homo, & humanitas est animalitas, ergo animalitas est id quo homo est homo. Consequens est falsum, ergo aliqua ex præmissis: non maior, quia est definitio humanitatis, quæ solum dicit id quo homo est homo, ergo minor erit falsa.

Respond. Variari appellationem, quia minor verificatur specificatiuè solum, & sine vlla appellatione; maior autem verificatur sub appellatione, & præcisione, non quidem ipsius definitionis, sed ipsius definiti; quia quando dicitur, id quo homo est homo, significatur humanitas sub conceptu, & reduplicatione suæ præcisionis, id est, sub ea ratione, qua præscise respicit suum constitutum formaliter, homo enim humanitate est homo, & humanitate non est animal, licet animal, & homo sint idem; & ita quando dicitur, humanitas est quo homo est homo, facit hunc sensum; ratio humanitatis, vt distinguitur ab animalitate est id quo homo est homo, idest, vt respicit hominem sub formalitate constituentis illum in ratione hominis, sic licet includat animalitatem, non tamen sub illius ratione constituit.

Quod si adhuc obiicias: Quia D. Thom. essentiæ significatæ per modum partis, vt humanitas, negat quod conueniat ratio speciei, vel differentiæ, vt patet in 4. cap. de Ente & Essent. Et vniuersaliter docet non esse in genere quasi directè, nisi quod habet naturam completam, & sic manus, & aliæ partes non sunt in genere, vt patet in 3. dist. 6. quæst. 1. art. 1. ad 1. constat autem quod humanitas, & reliqua abstracta significantur vt partes. Ac denique expresse dicit quod humanitas, neque est genus, nec species in 1. dist. 23. quæstion. 1. articul. 1. in corpore. Ergo falso dicimus quod prædicatur de aliquo cum non sit vniuersale.

Respond. Sensum D. Thomæ in primo loco solum esse, quod abstracta non habent rationem generis & speciei respectu suorum concretorum de quibus non prædicantur, non tamen negauit D. Thom. quod abstracta de aliis abstractis prædicari non possint, tanquam superius, & inferius. Et licet hoc etiam modo possemus explicare alia duo loca, addimus tamen solum velle Diu. Thom. quod partes, & reliqua entia incompleta non sunt directè in prædicamento, non tamen negat, quod possint esse reductiuè. Et eodem modo humanitas in quantum significatur per modum partis non est genus, vel species directè, sed reductiuè. Vel etiam in tertio loco sumit humanitatem, sub reduplicatione, & præcisione, sicut dictum est in secunda parte conclusionis, sic enim non est genus, vel species, quod prædicetur, vel de quo prædicetur aliquid.

ARTICVLVS V.

Quomodo verificentur prædicationes in concretis de abstractis accidentalibus?

PLura quæ de accidentium concretorum definitione dicenda sunt, in quæst. 7. de genere disputabimus. Nunc solum quid concreta ista, & abstracta accidentium sint, & quomodo prædicentur, indicandum est.

In concretis ergo accidentium tria consideramus, scilicet subiectum quod recipit formam, & ab ea denominatur, quod aliqui vocant *substitutum*, formam quæ in subiecto recipitur, illudque afficit, & denominat, & tandem compositum, seu conflatum illud tertium ex his resultans, quod aliqui vocant *constitutum*, v. g. in albo possumus accipere ipsum pro subiecto, quod denominatur, & pro conflato, seu composito ex subiecto, & forma, vbi etiam forma ipsa quæ est albedo includitur.

Aliqui, ergo apprehendunt ista concreta accidentium longe diuerso, aut inuerso ordine à communi modo sentiendi. Communiter enim existimant Authores abstractum accidentium esse ipsam formam accidentalem sumptam sine aliqua connotatione, vel significatione subiecti habentis illam. Concretum vero esse ipsum accidens, vt connotans subiectum habens illud. Similiter ex subiecto, & accidenti non resultare vnum ens per se, seu quidditatem vnam, sed ens per accidens. Denique ipsum concretum accidentis v. g. album non significare directè ipsum aggregatum, seu constitutum ex subiecto, & accidente, sed significare formaliter ipsammet formam connotando, in obliquo subiectum, quod habet illam. Contra quod Authores isti dicunt ipsam formam accidentalem propriè non esse id quod est abstractum respectu subiecti, v. g. quod albedo non est abstractum respectu habentis illam: sed in albedine illud esse abstractum quod est ratio qua albedo est albedo, v. g. albedinitas, vel quid simile, & sic distinguunt concretum Physicum, & Metaphysicum, & similiter abstractum, & Physicum dicunt concernere subiectum in quo est forma, Metaphysicum concernere formam, & rationem formę.

Secundò censent, accidens abstractum etiam pręcisè sumptũ vere prędicari de concreto, quia idẽtificatur cũ illo, non tamen completè, & adęquate, sicut art. pręced. de abstractis substantialibus dictũ est. *Tertio* concretũ accidentis posse sumi pro constituto, vel pro substituto. Et quidem constitutum, quod est resultans ex forma, & subiecto dicunt pręedicari de suis inferioris quidditatiuè, tanquam primum, vel secundum pręedicabile: pro substituto autem, idest, pro subiecto habente formam prædicari de his quæ habent formam denominatiuè, & vt quintum prædicabile. Constitutum autem non prædicari de subiectis quibus inhæret forma, quia sic prædicaretur totum de parte cum illud constitutum resultet ex forma, & subiecto. Et hoc constitutum, dicunt esse definibile quando definitur concretum accidentale, neque esse ens per accidens, sed per se, vtpotè vnica definitione definibile. Et distinguũt inter aggregatũ & compositum: Et aggregatum inquiunt est ens per accidens, quia non dicit aliud quam ipsas partes; scilicet subiectum,

& formam aggregatas, & coniunctas, componitum verò est illud, quod resultat ex coniunctione partium.

Nihilominus, quod attinet ad rationem definibilem istorum concretorum dicemus in quæstion. 7. sequenti. Quod verò abstractum accidentium non possit verè prædicari de concreto ex dictis in præcedenti articulo manifestè constat, cum abstractum significetur per modum partis respectu sui concreti, quod habet rationem totius, de illa verò distinctione inter concretum Physicum, & Metaphysicum non est multum curandum, nam reuera constat formam accidentalem significari in abstracto respectu sui subiecti, vt loquitur D. Thom. 1. 2. quæstion. 53. articul. 2. & 3. & in cap. 7. de Ente, & Essent. circa finem, & opuscul. 42. cap. 19. & 7. Metaphys. lect. 1. Et aqud Authores nihil est notius, quam quod albedo dicatur abstractum respectu albi, quod est concretum, quia illud dicitur concretum, quod significat formam connotando id quod habet illam, quod propriissimè reperitur in subiecto physicè recipiente albedinem, vel aliam formam accidentalem. Quod verò dicatur concretum Metaphysicum ipsa forma respectu rationis formæ, valde impropria locutio est, licet enim forma accidentalis dici possit composita ex genere, & differentia, quia ponitur in prædicamento, non tamen ipsa forma dicitur concretum, seu habens rationem formæ, siquidem id quod constituitur in genere, seu prædicamento accidentis ex genere, & differentia forma quædam est accidentalis, non ergo est propriè concretum habens formam, vel rationem formæ, forma enim vt forma concretum non dicit, quod propriè appellatur ipsum habens talem formam.

Restat ergo. Vt videamus in præsenti Duo. *Primum est.* An illud constitutum, seu resultans ex subiecto physico, & accidenti sit ens per accidens? *Secundum.* Quomodo prædicatio accidentis concreti verificetur respectu sui subiecti, quod denominat, & respectu sui constituti, de quo essentialiter prędicatur, hęc enim prædicatio est denominatiua, *corpus est album*, ista verò quidditatiua, *album est coloratum, hoc album est album.*

Et quantum ad primum: Sententia Diu. Thom. apertissima est, ex accidenti, & subiecto physico, in quo recipitur, non resultare aliquam quidditatem per se, sed ens per accidens, vt constat ex cap. 7. de Ente & Essent. circa principium. *Ex accidenti*, inquit, *& subiecto non fit vnum per se, sed vnum per accidens, & ideo ex eorum coniunctione non resultat essentia quadam, sicut ex coniunctione forma cum materia.* Et idem expresse habet in opuscul. 2. quod est compendium Theologiæ cap. 211. Sed quod caput est in 7. Metaphysic. lect. 3. ponit S. Thomas ex Philosopho istammet quęstionem in terminis, inquirit enim sic: *Sicut quoddam compositum est ignis ex materia, & forma substantiali, ita est quadam compositio ex substantijs, & accidentibus, & ideo perscrutandum est, cum aliqua sit definitio substantiarum compositarum ex formis, & materijs, si etiam cuiuscumque istorum compositorum ex accidentibus, & subiectis est ratio, quod quid, id est, si habent definitionem, qua est ratio significans, quid quid erat esse, & iterum si est in eis hoc ipsum, quod quid, quod significat definitio, id est, si habent aliquam quidditatem, siue aliquid quod potest respondere ad quid. Sicut hoc ipsum, quod est albus homo est quoddam compositum ex subiecto, & accidente, vtrum scilicet albo homini sit quod quid erat esse in quantum huiusmodi. Et quia forte aliquis posset dicere, quod albus homo sunt dua res, & non vna, ideo subiungit, quod hoc ipsum quod dico homo albus habeat vnum nomen, quod causa exempli sit vestis, & tunc quæstio erit de isto vno scilicet de veste, vtrum habeat quod quid est, vt possimus dicere, quid est vestem esse. Tunc enim sicut hoc nomen homo significat aliquod compositum scilicet animal rationale, ita & vestis significat aliquod compositum, scilicet hominem album.*

Ecce quæstionem à Diu. Thoma propositam ex Aristotele, quæ inquirit de constituto, seu composito ex subiecto, & accidenti. Soluit autem eam difficultatem Diu. Thom. ex verbis Philosophi, sic. *Dicit ergo primò, quod hoc ipsum quod dico albus homo siue vestis, qua hoc ponitur significare, non est aliquid eorum, qua dicuntur secundum se, imò est aliquid eorum, qua dicuntur secundum accidens, hoc enim quod est homo albus est vnum per accidens, non per se.* Quod ibi latè prosequitur, ostendens, quod illud coniunctum ex subiecto, & accidenti est vnũ per accidens. Quare in D. Th. perspicuum est non esse vnum per se, sed per accidens, neque definibile vnica definitione tanquam vna quidditas. Loqui autem de constituto, & non solum de aggregato, vt plures res, similiter de substituto, seu subiecto, manifestum est ex ipsis verbis, vbi loquitur de composito ex accidente, & subiecto non vt duæ res tantum, & hoc compositum dicit esse vnum per accidens, de ipso autem subiecto, seu substituto subdit D. Thom. *Hoc quod est album non habet, quod quid erat esse, sed solum hoc de quo dicitur scilicet homo, vel homo albus.* Igitur secundum Diu. Thom. ipsum subiectum, seu substitutum, scilicet illud de quo dicitur significat aliquid, & habet quidditatem, non verò ipsum constitutum ex accidenti, & subiecto.

Ratio autem huius non est difficilis, quia illud constitutum ex accidenti, & subiecto, constat ex rebus diuersorum prædicamentorum, scilicet substantia, & accidente, hæc autem non possunt conuenire in vnam quidditatem, & definitionem, quia definitio, & quidditas constant ex genere, & differentia, vbi autem sunt plura prędicamenta sunt plura genera, prędicamentum enim est series generum, & specierum, & diuersa prædicamenta diuersa genera, & differentias habent, & consequenter diuersas species, seu quidditates, ergo ex rebus diuersorum prædicamentorum non componitur vna quidditas, & vnum definibile constans ex vno genere, & differentia, ergo est per accidens. Plura vide inf. q. 7. art. 3. quomodo accidens in concreto definiatur.

Quantum ad secundum, scilicet quomodo verificatur prædicatio accidentis in concreto? Tota difficultas est in explicando quomodo possit habere identitatem cum eo de quo prædicatur, sine qua prædicatio vera non datur. Ad hoc ergo.

Respondeò primò. Verum esse, quod constitutum, seu compositum ex subiecto, & accidente non prædicatur de ipso subiecto, seu constituto, sed solum ipsum accidens in concreto, quod affirmat D. Th. 7. Metaphysicorũ lect. 3. §. *Excludit, &c.* Vbi inquit: *Non solum hoc quod est esse album non est quod quid est superficiei, sed neque ipsum compositum ex vtrisque scilicet superficie, & albedine, quod est esse superficiem albam, vel esse superficiei alba, quidditas enim, seu essentia superficiei alba non est quidditas, vel essentia superficiei. Et si quaratur quare? Responderi potest quia hoc adest ei, id est quia cum dico superficiem albam, dicitur aliquid, quod adhæret superficiei tanquam extrinsecum, & non tanquam intrans essentiam eius.* Vbi rationem insinuat quare non possit prædicari de ipso subiecto ipsum constitutum, quia scilicet in constituto importatur aliquid quod non potest intrare quidditatem, nec identificari cum subiecto, scilicet accidens, quod à subiecto distinguitur. Vbi autem non est identitas prædicati cum subiecto, prædicatio non est vera, etiam si vtrumque significetur in concreto.

Secundò Respondeò. Quod accidens in concreto cũ in recto importet formã, & in obliquo subiectum, potest prædicari de aliquo, vel quia habet identitatem cum

illo

illo ex parte formæ, vel quia habet identitatem ex parte subiecti connotati, & quando identificatio fit ratione formæ, prædicatio esse essentialis, vt si dicas *album est coloratum*, *album est disgregatiuum visus.* Quando verò identificatio fit ratione subiecti connotati, prædicatio est accidentalis, & denominatiua, vt si dicatur, *homo est albus*, ly *albus* identificatur cum homine ratione subiecti, quod connotat, importat enim habens albedinem, habens autem albedinem identificatur cum homine. Et hac ratione dicit Diu. Th. 1. part. quæst. 13. art. 12. Quod in qualibet propositione affirmatiua vera oportet, quod prædicatū, & subiectum significent idem secundum rem aliquo modo, & aliquo modo diuersum. Et hoc patet, tam in propositionibus essentialibus, quam accidentalibus, manifestum est enim, quod homo, & albus sunt idem subiecto, & differunt ratione (id est essentia) alia est enim ratio hominis, alia ratio albi. Et 7. Metaph. lect. 5. secundum quod in albo intelligitur homo, homo, & homo albus sunt idem, & ratione huius, inquit, quod prædicatur, seu dicitur vnum de alio. Prædicatio ergo accidentalis est quidem totius de toto, sed fundatur in identitate, seu vnitate subiecti, quod de materiali, & connotato importatur in accidenti concreto. Sic enim datur sufficiens identitas ad prædicationem accidentalem & denominatiuam, in qua non datur identitas secundum quidditatem, seu rationem formæ sed secundum denominationem, & rationem subiecti.

At verò si de concreto accidentis prædicatur aliquid, quod habet connexionem, & identitatem cum ipsa forma, tunc prædicatio erit essentialis, quia enim albedo essentialiter est color, ideo cum dico, *album est coloratum*, essentialis prædicatio fit, quia fundatur in connexione, & identitate ipsius prædicati cum forma, nam etiam in ipsis accidentibus inueniuntur prædicata quidditatiua, quidquid autem quidditatiuum est ipsi formæ vniuersali in abstracto, etiam debet esse quidditatiuum ipsi formæ in concreto. Quod si aliquando subiectum ponitur in definitione accidentis, non ponitur tanquam prædicatum quidditatiuum intrinsecum, sed vt quid extrinsecum ad quod dicit habitudinem ipsum accidens. Et ideo vocatur definitio per additionem, vt dicitur 7. Met. lect. 4. apud D. Th. De quo amplius dicemus q. 7. de Genere.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò obijcies. Concreta accidentium ponuntur à Philosopho in prædicamentis, ergo non important aliquid ens per accidens, sed per se, siquidem ens per accidens cum non sit vnum non ponitur per se in prædicamento, vt diximus, sed non potest poni in prædicamentis accidentium tale concretum pro substituto siue subiecto, quia hoc est substantia affecta accidente, nec pro forma solum, quia sic esset abstractum, ergo pro tertio constituto ex accidente, & subiecto. Primum antecedens constat ex Philosopho 5. Met. c. 4. *Secundum se* (inquit) *dicuntur quæcumque significant figuras prædicationum.* Numerans autem istas figuras inquit: *Quod alia significant quantum, alia quale, alia ad aliquid, &c.* Ergo secundum Philosophum compositum ex accidente, & subiecto sumit tanquam ens per se positum in prædicamento.

Resp. Philosophum in illo textu sumere concretum ratione formæ, sicut ipse dicit in cap. de substantia, quod *album solam qualitatem significat.* Vnde alia numerat ibi in concreto, vt quantum, quale, &c. Alia in abstracto, vt facere, pati, vbi, &c. Et in 7. Metaph. tex. 16. lect. 4. apud Diu. Thom. eadem prædicamenta numerat in abstracto, dicens: *Quod ens, hoc quidem, hoc aliquid, aliud verò quantitatem, aut qualitatem significat.* Et in 3. topic. cap. 1. dicit, *quod iustum non ponitur in prædicamento, sed iustitia*; & ita docet Diu. Th. quod accidentia in abstracto ponuntur directè in prædicamento opusc. 42. cap. 19. & cap. 7. de Ente, & Essent. in fine. Non ergo constitutum ex subiecto, & accidente ponitur in prædicamento, sed si concretum ponitur, est ratione formæ.

Secundò obijces. Forma accidentis, & denominat aliquid, & constituit, ergo ex illa, & resultat aliquid denominatum, & aliquid constitutum: denominatum autem est ipsum subiectum, seu substitutum, hoc enim ab albedine denominatur album, sed non constituitur albedine, non enim est idem constitutio subiecti, verbi gratia hominis, & albi: id ergo quod denominatur non constituitur forma accidentis, ergo debet designari aliquod tertium, quod constituatur tali forma, & hoc erit album pro constituto. Qui discursus videtur elici ex Philosopho 5. cap. cathegoriarum, vbi inquit: *Quod eorum quæ sunt in subiecto, nomen quidem de subiecto nihil prohibet prædicari, rationem verò impossibile est prædicari*, ergo subiectum denominatur, non constituitur accidente. Et similiter 1. Physic. cap. 3. inquit: *Quod si id, quod propriè est, scilicet substantiam, idem etiam sit album, albi autem essentia non est, vt propriè sit*, ergo essentia albi aliud est à substantia quam denominat, scilicet illud constitutum, quod ex albedine, & subiecto resultat.

Et confirm. Quia illud verè, & propriè prædicatur quod non solum est vnum cum subiecto, sed explicat omne, quod est in subiecto, sed concretum accidentis sumptum pro constituto explicat tam subiectum, quam formam, ergo verè prædicatur de suo inferiori.

Respond. Formam accidentis constituere quidem aliquid, sed non quod sit ens per se, seu *quod quid*, vt dicit Philosophus, sed quod sit ens per accidens, seu *quale quid*. vt in 7. Met. tex. 12. lect. 3. apud Diu. Thom. dicitur. Quare respectu subiecti cui inhæret tribuit denominationem, non vero rationem ipsam, seu quidditatem, & ideo dicit Philosophus prædicare nomen (idest, denominationem) non rationem (idest quidditatem) de subiecto. Constituit ergo cum subiecto non quidditatem, vel vnum esse quod sit aliquid, sed esse quod sit aliquale, vnde non sequitur quod constituat vnum tertium quod est quale quid seu ens per accidens, vt dictum est.

Et ad Textum Philosophi ex 1. Physic. *Resp.* Sensum esse planum, quod album non est id quod verè est, idest, quidditas eius non est substantia, quæ verè est id quod est, sed essentia eius est quale, quod est aliquale. Inde tamen non sequitur, quod album sit tertium constitutū per se ex subiecto, & albedine, sed sit ipsum subiectū, vt aliquale, quod est ens per accidens.

Ad Conf. Resp. Quod illud totum constitutum ex subiecto, & accidente, cum sit ens per accidens poterit prædicari de alio ente per accidens, de qua prædicatione hic non loquimur. Quod si aliquando fit prædicatio per se inter concreta accidentium, vt si dicas album est coloratum, perseitas illa attenditur ratione formæ, quæ prædicata quidditatiua habet, non ratione tertij constituti.

Vltimò arguitur. Concreta accidentium rectè definiuntur per res diuersorum prædicamentorum, vt cum dicitur album, *est corpus disgregans visum*, talis enim definitio rectè explicat suum definitum, ergo tale concretum est definibile, & ibi ponitur subiectum loco generis, & forma accidentis loco differentiæ, vt cum dicitur simum *est nasus curuus*, vel ergo est ens per accidens, vel per se: si ens per accidens, ergo illud est definibile vnica definitione: si ens per se, ergo iam datur ens per se compositum ex rebus diuersorum

prædicamentorum, dummodo vnum se habeat, vt subiectum, aliud vt actus, & forma. Imò ipsum accidens in abstracto, etiam definitur per res diuersorum prædicamentorum, scilicet per subiectum in obliquo, & formam in recto, vt cum dicitur, simitas *est nasi curuitas*, vt sæpè dicit D. Th. locis citatis ex 7. Met.

Et confirm. Quia ens per accidens est illud, quod non potest vnica generatione generari, sed pluribus, album autem, vel calidum, aut aliud accidens in concreto possunt vnica generatione generari, ergo tale concretum non est ens per accidens. Conseq. est bona. Mai. autem, & min. sunt expressæ Philosophi. 6. Met. text. 4. lect. 2. apud D. Thom. solum ergo erit ens per accidens, quod est aggregatum plurium, sicut aceruus lapidum.

Respond. Ex Diu. Th. 7. Met. lect. 4. & de Ente, & Essent. cap. 7. in principio. Accidentia quando definiuntur per subiectum, siue in abstracto, siue in concreto definiri per additionem, idest, per aliquid quod additur extra conceptum essentiæ scil. per subiectum, quia ab illo dependent accidentia, sed talis definitio quæ includit res diuersorum prædicamentorum non est per se vna, idest, explicatiua vnius quidditatis, sed est vna per additionem, includens aliquid extra proprium genus. Et quando dicitur, quod perfectè explicat suum definitum. *Respondet.* Quod perfectè explicat per additionem, non per solam essentialem, & quidditatiuam definitionem. Et ita ens per accidens erit definibile vnica definitione per additionem, non vnica simpliciter.

Vel secundò dicitur. Quod tale concretum si per se definitur, erit ratione solius formæ, & tunc subiectum secundum se, & absolutè non intrat definitionem, sed vt formatum ipsa forma accidentis secundum gradum genericum talis formæ ad ipsammet secundum gradum specificum. Et sic cum dicitur album *est corpus disgregatiuum*, non intelligitur corpus absolutè, sed vt coloratum, & sic explicat rationem generis, ponitur autem ly *corpus*, vt substentans, non vt intrans quidditatem albi.

Et proportionaliter dicendum est, & applicanda vtraque solutio definitioni accidentis in abstracto, quando in eius, definitione ponitur subiectum in obliquo. Quare ex rebus diuersorum prædicamentorum non potest constare vnica definitio quasi ex intrinsecè componentibus, benè tamen vt extrinsecè terminantibus, aut causantibus, sicut potentia, & actus definiuntur per ordinem ad obiectum, non tamen illud, quod resultat ex accidente, & subiecto per se est definibile, vt dictum est.

Ad conf. resp. Ens per accidens dici multipliciter, vt dicitur in 5. Metaphys. lect. 9. apud D. Th. & 6. Metaphys. lect. 2. aliquando quidem per concursum accidentalem ex parte subiecti, seu causæ materialis, & formalis, quia forma est accidens, aliquando per concursum per accidens ex parte agentis. Exemplum primi, vt homo albus, exemplum secundi, vt quod ædificator sit medicus. Quæ ergo sunt per accidens ex parte agentis non fiunt vnica generatione, sed pluribus, quia plures formæ disparatæ supponuntur in agente, & de his ad litteram loquitur Philosophus, quæ verò sunt per accidens ex parte subiecti, & formæ tantum, si sit vna forma, poterit vnica generatione fieri, sed accidentali, & secundum quid, non simpliciter vna, sicut cum fit album, vel musicum vnica generatione accidentali.

EXPLICATIO TEXTVS ISAGOGIS PORPHYRII.

LIBER Prædicabilium simpliciter appellatur Isagoges, idest introductio, quia deseruit ad percipienda prædicamenta à quibus Logica Aristotelis incipit. Et quia Logica est prima inter cæteras scientias ordine acquisitionis, ideò introductio ad ipsam, absolutè, & simpliciter nominatur Introductio.

In hac ergo introductione declarat Porphyrius quinque voces significantes quinque prædicabilia, idest, quinque modos quibus vniuersale prædicari potest, scilicet genus, differentia, proprium, & accidens, quibus ipsa prædicamentorum ordinatio, & series integratur. De qua diuisione, & quomodò ad prædicamenta ordinentur seq. quæst. dicturi sumus, & aliquid in proœmio huius operis attigimus.

Distribuitur Libellus iste in tres partes. In prima ponit præfationem in qua explicat intentionem suam. In secunda per singula capita singula prædicabilia tractat, & explicat. In tertia quæ vltimo cap. continetur omnia inter se confert, & quomodo inter se conueniant, aut differant, discernit.

SVMMA PRÆFATIONIS.

IN hac præfatione Porphyrius duo facit. Primò quid sit intentum & scopus huius operis proponit. Secundò methodum, quam obseruaturus sit, ostendit. De primo inquit propositum, sibi esse tractare de genere, specie, differentia, proprio & accidente, eo quod huiusmodi rationum notitia maximè conducat ad prædicamenta, & alia quæ in Logica traduntur, abstinendo tamen à difficilioribus quæstionibus, quæ magis Metaphysicæ sunt. De secundo proponit se breuiter, ac facile tractaturum, & iuxta modum peripateticum.

SVMMA CAP. I. DE GENERE.

TRia facit Porphyrius in hoc cap. 1 proponit tres acceptiones generis. Secundò eam quæ propria Philosophorum est explicat. Tertiò distinctionem eius à reliquis prædicabilibus declarat.

Quoad primum. Prima acceptio generis est pro multitudine hominum ab vno progenitore, vel communi

Patria descendentium. Vt Genus Heraclidarum ab Hercule, Genus Romanorum à Romulo. Secunda acceptio est: pro naturali vi quam aliqui trahunt à Parente, vel Patria, sicut dicimus Pindarum genere esse Thebanum, Platonem Atheniensem, Orestem à Tantalo genus ducere; Genus enim dicitur principium generationis cuiusque. Tertia acceptio est pro genere prædicabili, & hoc est proprium Philosophorum.

Quod secundum describit genus prædicabile hoc modo: Genus est id, quod de pluribus specie differentibus hoc ipso quid est prædicatur. Sicut animal prædicatur de equo & homine.

Quoad tertium distinguit genus ab indiuiduis, quæ de vno dicuntur, quia genus de pluribus dicitur: à specie verò; quia genus dicitur de pluribus specie differentibus; species autem de pluribus numero differentibus tantum, vt homo de Petro, & Paulo. A proprio, quia proprium dicitur de vna specie, & eius indiuiduis, vt risibile de homine, subintellige in quale, genus autem de pluribus specie in quid. A differentia verò, & accidentibus communibus, quia prædicantur in quale, & non in quid.

SVMMA CAPITIS II. DE SPECIE.

TRes partes continet hoc caput: in prima ponit tres acceptiones speciei: in secunda docet quomodo prædicamentum ordinetur per genera, & species. In tertia definit indiuiduum.

Quoad primum. Prima acceptio speciei est pro forma seu pulchritudine externa. Secunda, Pro specie subijcibili scilicet de qua genus in eo quod quid prædicatur. Tertiò accipitur pro specie prædicabili, quæ sic definitur: Species est quod de pluribus solùm numero differentibus, & in quæstione quid est prædicatur.

Quoad secundum. Ordinatio cuiusque prædicamenti constat ex genere summo, specie infima, & generibus intermedijs. Genus summum est supra quod nullum datur genus. Species infima sub qua nulla datur species. Genera media, seu subalterna, quæ respectu superioris se habent, vt species, & respectu inferioris vt genus.

Quoad tertium. Assignat tres definitiones indiuidui, prima est: Indiuiduum est id quod de vno solo prædicatur. Secunda est nominis Ethymologia. Indiuiduum est quod diuidi non potest. Tertia est: Indiuiduum est cuius omnes simul proprietates alteri conuenire non possunt.

SVMMA CAP. III. DE DIFFERENTIA.

HOc caput in duas partes diuiditur. In prima proponuntur quinque diuisiones differentiæ. In secunda totidem definitiones assignantur.

Prima Diuisio, *Differentia est in communem, propriam, & maximè propriam. Differentia communis est forma qua aliquid à se in alio; atque alio tempore, vel ab alia re differt, vt moueri, ægrotare. Propria differentia est forma accidentalis re ipsa inseparabilis, qua vnum differt ab alio, vt risibile facit hominem differre propriè ab hinnibili. Maximè propria est forma, qua essentialiter vnum differt ab alio, vt rationale est differentia, qua homo differt ab æquo.*

Secunda Diuisio, *Differentiarum, quædam faciunt differre per accidens vt communis, & propria, quædam per se, vt maximè propria.*

Tertia Diuisio; *Quædam differenciæ sunt separabiles, vt communes; Aliæ inseparabiles, videlicet propria, & maximè propria.*

Quarta Diuisio, *Est solum differentia inseparabilis. Quia alia est per se, vt risibile & mortale, alia per accidens, vt esse simum, vel aquilinum.*

Vltima Diuisio, *Differentia essentialis, alia est diuisiua generis, vel constitutiua speciei, quæ sunt duo officia eiusdem differentiæ.*

Quoad secundam partem. Prima definitio sic habet: Differentia est qua species suum genus excedit. Secunda, Differentia est quæ prædicatur de pluribus specie differentibus in quale essentialiter. Tertia, Differentia est, quæ diuidit ea quæ sub eodem genere collocantur. Quarta, Differentia est, qua differunt à se singula. Quinta, Differentia est, qua distinguitur vna species ab alia, ita vt sit pars illius essentialis.

SVMMA CAPITIS IV. DE PROPRIO.

COnsumitur hoc caput in explicando quatuor acceptiones Proprij, quarũ vltima omnibus alijs præfertur. Proprium primo modo est id quod conuenit alicui speciei, sed non omni sicut homini esse Grammaticum. Proprium secundo modo è conuerso, quod omni speciei conuenit, sed non soli, vt homini esse bipedem. Proprium tertio modo, quod conuenit omni, & soli speciei sed non semper, vt homini canescere. Proprium quarto modo est quod conuenit omni, & soli, & semper, vt homini esse risibile, & hoc est maximè proprium, quia conuertitur cum specie.

SVMMA CAPITIS V. DE ACCIDENTI.

IN hoc capite proponit Porphyrius tres definitiones Accidentis, & vnam diuisionem. Prima definitio est: Accidens est id quod adest, & abest sine subiecti corruptione. Secunda est: Accidens est, quod potest eidem inesse, & non inesse. Tertia: Accidens est, quod neque est genus, nec species, neque differentia, neque proprium; semper autem est in subiecto.

Diuisio est: Accidens aliud est separabile, vt dormire, ambulare. Aliud inseparabile, vt nigredo corui, vel Æthyopis; quæ tamen per intellectum separari possunt à subiectis sine eorum destructione.

SVMMA CAPITIS VI.

IN hoc capite longo sermone Porphyrius comparat ista quinque prædicabilia inter se, & in quo conueniant, & differant perspicuè explicat.

Ex dictis tamen sufficienter cognoscitur quomodo differant inter se ista prædicabilia, & in quo possint conuenire.

QVÆSTIO VI.

De Diuisione Vniuersalis in quinque Prædicabilia.

ARTICVLVS I.

Vtrùm hæc Diuisio sit bona, & adæquata.

CELEBRI omnium consensu diuisio ista in scholis acceptata est, qua diuiduntur quinque Prædicabilia, scilicet Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Duo autem possunt inquiri ad eius explicationem. *Primum* est quodnam est diuisum huius diuisionis? *Secundum.* An membra diuidentia exhauriant diuisum? Quod est diuisionem esse adæquatam.

Quantum ad primum. Dico duo. *Primum.* Quod diuisum huius diuisionis est vniuersale vniuocè prædicabile. *Secundum.* Quod diuiditur vniuersale pro formali, id est, ratione vniuersalitatis, & prædicabilitatis, (nec enim hæc ponunt in numero ad præsens) non ratione naturæ, quæ vniuersalitati substernitur.

Et ratio primi est. Quia omnia membra diuidentia sunt prædicabilia de multis, & non de vno tantum; prædicabile enim de vno tantum, vel est indiuiduum, vel prædicatur identicè, non formaliter: in præsenti autem, neque agimus de indiuiduis, neque de prædicatione identica, sed de formali, quia agitur de prædicatione artificiali: idem autem prædicari de se ipso non est modus artificialis. Similiter debet esse prædicabile vniuocum, quia licet Analogum prædicetur de pluribus, non tamen simpliciter, & vno modo, sed partim vno, partim diuerso, vnde non est vniuersale simpliciter, sed secundum quid, id est, modo proportionali, & ita excluditur ab vniuersali simpliciter, de quo hic agimus. Et præterea. Hic solum tractantur prædicabilia, vt conducunt ad constituenda prædicamenta, quæ vtique constant ex genere, & differentia, quibus constituitur species, cui conuenit propria passio, & prædicata accidentalia: Analogum autem nihil horum constituit, & sic non pertinet per se ad prædicabilia, sicut neque ad prædicamenta.

Ratio secundi est. Quia esse prædicabile, & vniuersale accidit naturæ, ergo diuersus modus prædicandi non est diuisio ipsius naturæ vt natura est, sed ipsius prædicabilis vt aptitudinem dicit ad prædicandum ergo diuisio in varios modos prædicabilitatis debet respicere pro formali diuiso ipsam formalem rationem ipsius vniuersalitatis, seu prædicabilitatis, non verò naturam quæ illi substernitur. Præterquam, quod natura, quæ substernitur vniuersalitati non est aliquid certum & determinatum; potest enim esse aliquid reale, vel rationis, substantia, vel accidens. Ipsa autem intentio vniuersalitatis est aliquid certum, & determinatum, tanquam accidens rationis respectu naturæ, ergo ratione illius diuisio ista super certum, ac determinatum diuisum cadit.

Et si inquiras. An diuisum sit solum vniuersale Logicum pro relatione vniuersalis, vel etiam vniuersale Metaphysicum pro fundamento istius relationis?

Respondetur. Vtrumque diuidi proportionali modo; neque enim diuiditur relatio, nisi diuidatur suum fundamentum: imo relatio per fundamenta diuiditur. Quare si modus prædicandi est diuersus, opportet, quod etiam detur diuersus modus identificationis cum illis, de quibus prædicatur, ergo opportet, quod iste diuersus modus non solùm accipiatur penes ipsam comparationem, & relationem ad inferiora, vt ad terminum ad quem, sed etiam penes aptitudinem ad essendum, id est identificandum cum inferioribus, & consequenter penes abstractionem, quæ istam aptitudinem fundat in vnitate sic abstracta, & tali vel tali modo identificabili cum inferioribus.

Circa secundum. Diuisio ista exacta, & adæquata est, & exhaurit omnem rationem prædicabilitatis.

Ratio est. Quia ipsa formalis ratio prædicationis consistit in identitate, & connexione vnius extremi cum alio, ergo illa erit adæquata diuisio prædicabilitatis, quæ est adæquata diuisio connexionis, & identificationis extremorum. Omnis autem identitas, seu connexio extremorum, vel est essentialis, vel accidentalis, intrinseca, vel extrinseca, necessaria, vel contingens. Si essentialis: vel explicat totam, & integram essentiam, idest, omnia quæ ad definitionem concurrunt, vel solum partem. Si integram rationem essentiæ, seu quidditatis est species. Si partem: vel partem potentialem, & contrahibilem, vel actualem, & contrahentem. Si potentialem, & contrahibilem est genus, & dicitur in *quid* incomplete, quia dicit partem quidditatiuam, idest primam, & substantialem, seu sub aliis stantem, & determinabilem per alias, non determinantem, & quasi qualificantem. Si partem actualem, est differentia, quia est prædicatum, quasi actus, determinans, & qualificans. Si verò non conuenit essentialiter, sed accidentaliter, id est non ingrediens constitutiua essentiæ, vel est prædicatum proueniens ex propriis principiis, & necessariam habens connexionem cum illis, & sic est proprium, vel conuenit ex extraneis, & communibus, & sic est accidens. Quæ diuisiones cum tradantur per membra immediatè, & contradictoriè opposita, rectè & adæquatè diuidunt ipsum diuisum.

Quidam tamen in secundo prædicabili, quod est species, dicunt non prædicari totam quidditatem, sed partem, quia species est pars indiuidui, & non totum indiuiduum, & sic prædicatur eo modo quo genus, scilicet vt pars.

Sed hoc inconuenienter dicitur. Quia species explicat totam definitionem, seu totum quod in definitione includitur, id est, id quod est constans ex genere, & differentia, ergo explicat totam essentiam rei; vnde respectu essentialium cuiuscumque indiuidui non explicat partem, sed totum, licèt non explicet totum ex parte modi, qui est singularitas; indiuiduatio enim non addit aliquid pertinens ad naturam seu essentiam, sed ad modum naturæ, vnde species est tota quidditas indiuidui, neque enim duo indiuidua differunt essentia, sed numero, & modo essendi;

incon

inconuenienter ergo negatur, quod species prædicet totum, id est, quidquid pertinet ad constitutiua essentialia integre, & complete in ratione quidditatis.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò potest obijci. Quia multa sunt quæ prædicantur de pluribus, & non continentur in ista diuisione, ergo non est adæquata. Antecedens patet in primis in Analogo, quod prædicatur de multis Analogatis, & tamen nec est genus, nec species, & multo minus differentia, &c. Similiter indiuiduum vagum vt aliquis homo, persona, suppositum, prædicantur de multis, sicut Petrus dicitur indiuiduum, dicitur persona, & Paulus similiter, &c. & tamen nec est genus, nec species, quia genus, & species abstrahunt ab indiuiduis, & solum prædicant naturam. Denique existentia, & mors, & similia neque prædicantur essentialiter, quia non pertinent ad quidditatem rei, neque vt proprium, quia non dimanant à principiis intrinsecis, neque vt accidens, quia non adsunt, & absunt sine subiecti corruptione, ergo in nullo istorum prædicabilium comprehenduntur.

Confirmatur specialiter in modo quo prædicatur natura humana, & eius prædicata superiora de Verbo diuino, neque enim prædicantur de Deo essentialiter, quia in tempore illi cœperunt conuenire: neque contingenter, vt accidens, quia vnio illa hominis ad Deum est substantialis, facitque Deum verè & vniuocè esse hominem, sicut Petrus & Paulus, quibus non conuenit contingenter natura humana; neque vt proprium quia non dimanat naturaliter ex principiis intrinsecis Dei, alioquin ab æterno ei conueniret, ergo datur modus prædicandi non pertinens ad ista quinque prædicabilia.

Respond neg. anteced. Et ad instantiam de Analogo dictum est supra, quod Analogum non est simpliciter vniuersale, sed reductiue, quia non dicit prædicatum simpliciter vnum, sed partim vnum partim diuersum; definitio autem vniuersalis est, quod sit *vnum in multis*, ergo sicut deficit à ratione vnitatis, ita à ratione vniuersalitatis simpliciter.

Ad secund. Instant. de indiuiduo vago; dicimus ex eodem fere principio excludi à ratione vniuersalis simpliciter, quia non dicit solam naturam sed etiam modum essendi, qui est indiuiduatio, seu personalitas, vt docet Sanct. Thom. 1. part. quæst. 30. articul. 4. vnde non habet vnum simplicem modum prædicandi, sed prædicatur in quid & in quale; in quid quatenus dicit naturam; in quale quatenus dicit modum indiuiduationis, qui extra conceptum naturæ est, & à conditionibus accidentalibus dependet, quæ pertinent ad *hic & nunc*; & ita non reducitur ad vnum tantum prædicabile, sed ad plura, scilicet accidentale, & essentiale. Et similiter definitio excluditur à ratione prædicabilis simpliciter, quia est terminus complexus, & non simplex; reducitur autem ad secundum prædicabile, quia reducitur ad suum definitum; propriè enim sola species definitur, vt dicitur in 7. Met. quia sola constat ex genere, & differentia.

Ad tertiam instant. dicetur, in quæst. 12. de Accidenti. Sufficit nunc insinuare, quod adesse, & abesse sine subiecti corruptione est idem, quod sine destructione conceptus quidditatiui; & sic intelligitur definitio accidentis; & ita mors, & existentia sunt accidentia, quia licet non adsint, vel absint sine corruptione physica, quæ pertinet ad existentiam; benè tamen sine metaphysica, quæ pertinet ad quidditatem subiecti cui conueniunt. Quod secus accidit in propria passione, cuius connexio ad subiectum si destruitur, destruitur essentia ex consequenti.

Ad Confirmat. Respondet. Aliquos existimare ex vnione naturæ humanæ ad verbum resultasse noua prædicabilia, quę vocant assumptiua, quia neque essentialiter, neque accidentaliter dicuntur de Deo, sed substantialiter. Cæterum euidenter S. Thom. 3. part. quæst. 16. artic. 1. sentit, eodem modo prædicari naturam humanam facta incarnatione, atque de quolibet alio indiuiduo talis naturæ, alioquin illa persona non esset vniuocè homo, si essentialiter non prædicaretur homo de illo, sicut de aliis indiuiduis. De quo videatur ibi Caietanus. Et quando dicitur, quod Deo accidentaliter, & ex tempore conuenit esse hominem.

Respondet. Quod Deo vt subsistenti in natura diuina accidentaliter conuenit esse hominem & in tempore Deus factus est homo: Deo autem vt subsistenti in natura humana, & supposita incarnatione essentiale est esse hominem, quia sic est indiuiduum hominis.

Et cum instatur. Ergo ab æterno est homo, quia essentiales propositiones sunt æternæ. Negatur consequentia propter variationem appellationis, quia quando dicitur Deus est homo ab æterno, ly *Deus* tenetur absolutè, & facit sensum absolutum, applicatur enim Deo sine aliqua restrictione, & sic inuoluit Deum prout subsistit in natura diuina: de Deo autem, vt subsistenti in natura diuina temporaliter dicitur quod est homo & non ab æterno. Si autem restrictiuè sumatur pro Deo, vt subsistenti in natura humana, seu Deo incarnato, sic est propositio æternæ veritatis sumendo ly *est*, quantum ad connexionem & conuenientiam non quantum ad existentiam: In his autem propositionibus propter periculum errandi non debet ita absolutè concedi propositio, sed cum restrictione.

Secundò arguit. Sufficiunt duo prædicabilia, in quæ omnia alia conueniunt, scilicet prædicabile essentialiter, & accidentaliter, ergo superfluunt quinque. Si dicas illa duo esse genera prædicabilium non species vltimas, in quas illa necesse est, quod diuidantur. Contra, quia si quinque prædicabilia sunt infimæ species, plura debent poni quam quinque, nam sicut prædicatio in quid diuiditur, in prædicationem de pluribus specie differentibus, quæ est genus, & de pluribus numero differentibus, quæ est species, ita prædicatio in quale essentialiter potest diuidi, in illud, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, scilicet differentia generica, & quæ de pluribus numero differentibus, vt specifica. Similiter genus potest diuidi in supremum, & subalternum. Et sicut diuiditur prædicabile penes prædicationem in quid, & in quale, essentiale, & accidentale, cur non etiam penes prædicationem separabiliter & inseparabiliter, intrinsecè & extrinsecè, possibiliter & impossibiliter, & alios similes modos, qui diuersas species prædicabilitatis constituent.

Confirm. Quia Philosoph. 1. Topic. cap. 3. nominat solum quatuor prædicata, scilicet genus, definitionem, proprium, & accidens, ergo totidem erunt prædicabilia, quia sic se habent, sicut prædicata. Quod si per ordinem ad prædicamenta sumatur numerus prædicabilium, cum sint decem modi essendi, scilicet decem prædicamenta, totidem erunt prædicandi, quia modus prædicandi sequitur modum essendi.

Respond. solutione data ad argumentum. Et ad primam replicam dicitur, quod prædicari de pluribus specie differentibus, & numero differentibus, si præcise sumatur, non distinguit formaliter prædicabilia, cum idem genus prædicetur de speciebus, & indiuiduis diuersis; & eadem differentia, & proprietas generica similiter. Sed formalis distinctio inter genus, & speciem est quod genus prædicatur in quid incomplete, id est, non integram quidditatem, sed eius partem, species autem in quid complete, id est, in-

tegram quidditatem, integra autem ratio quidditatis non nisi de pluribus indiuiduis prædicari potest. Et dicimus prædicare integram quidditatem, non quia explicet totum, quod est in indiuiduo etiam modum singularitatis, sed totum quod pertinet ad quidditatem in indiuiduis. Differentia autem siue sit generica, siue specifica semper prædicat partem essentialem, non totum, vnde in modo prædicandi non differt, sed in re materiali, quam prædicat. Et similiter genus supremum, & subalternum habent eundem modum prædicandi scilicet partem quidditatiuam non totam quidditatem, licet vna pars quidditatiua sit vniuersalior, & superior altera, hoc enim per accidens se habet in formali modo prædicandi per modum partis in quid, de quo fusius dicemus in q. de Genere, & de Differentia.

Ad vltimam instantiam dicitur, non omnes modos variare per se rationem prædicabilitatis, nisi illos, qui per se variant modum identificationis, & connexionis extremorum secundum rationem vnius in multis, sicut essentialiter & accidentaliter se habere, per modum quid vel quale. Reliqui vero qui modum istum connexionis, & identitatis per se non variant, neque diuersa prædicabilia constituunt, nisi ad istos modos *essentialiter, & accidentaliter* reducantur, sicut reducuntur ly *intrinsecè*, & *extrinsecè*, & in aliquibus separabiliter, & inseparabiliter, sicut si separabile sit accidens, & inseparabile proprium, quando tamen inueniuntur intra genus accidentale tantum, per se non variant rationem prædicabilitatis vnius de multis.

Ad confirm. Respond. illo loco Aristot. non numerare modos prædicandi vniuersalium de inferioribus, cum etiam numeret definitionem, quæ est quid complexum, sed numerat prædicata, ex quibus loci arguendi deducuntur ad varias quæstiones. Et quia idem argumentum sumitur ex specie, & ex differentia vltima illius (genus enim rationem importat magis indeterminatam) ideò Aristoteles compendio tradidit speciem & differentiam vno nomine definitionis.

Et ad instantiam, quæ additur de numero prædicamentorum respondetur, quod modi prædicabilium non sequuntur modum essendi absolutè, & secundum participationem entis, sed comparatiuum, quo connectuntur inferiora cum superioribus. In summa, prædicamenta distinguuntur in accidentibus penes diuersum modum participandi substantiam, ipsa autem substantia per hoc quod habet esse per se. Prædicabilia verò penes diuersum ordinem vniuersalis ad inferiora.

ARTICVLVS II.

Vtrum hæc diuisio sit generis in species & immediata?

CIrca primam partem difficultatis propositæ, scilicèt, an sit diuisio generis in species, notandum est, ex duplici cap. prouenire difficultatem. Primò, quia inter ipsa prædicabilia, quædam accidentaliter prædicantur, vt duo vltima, *Proprium & accidens*, quædam essentialiter, vt tria prima, non videtur autem aliquid vniuocè se habere ad hoc, quod est accidentaliter, & essentialiter dici.

Secundò prouenit difficultas ex ipsa complicatione diuisionis, quia si vniuersale est genus ad quinque prædicabilia, & vnum ex membris diuidentibus est genus, coincidet diuisum cum membro diuidente. Nec sufficit dicere, quod vniuersale, quod est hîc diuisum formaliter in se est vniuersale, denominatiuè autem genus, quod non est formaliter coincidere cum membro diuidente. Contra enim est, quia sic eidem intentioni vniuersalitatis conueniret esse vniuersale formaliter, & denominatiuè, essentialiter, & accidentaliter. Nam in se essentialiter vniuersalitas est, & cum denominatiuè sit genus, genus autem quædam vniuersalitas est, accidentaliter habebit vniuersalitatem, quæ est in genere, cum tamen essentialiter sit ipsa vniuersalitas in communi, quæ in ipsum genus ingreditur.

Prima difficultas aliquos compulit, vt dicerent hanc diuisionem esse Analogam, licet respectu trium primorum prædicabilium vniuoca sit. *Alij* autem vniuocam esse putant, & generis in species. *Alij* mediant inter vtrosque dicendo, quod vniuersale Metaphysicum, seu pro vnitate, & aptitudine ad multa, est Analogum, pro relatione autem rationis, quæ est secunda intentio, est vniuoca. Apud omnes tamen certum est, quod vniuersale sumptum materialiter, & pro substracto, non est vniuocum ad omnia prædicabilia, imo nec respectu vnius tantum, nam genus, verbi gratia, potest habere pro materiali, quod denominat, tam ens reale, quam ens rationis, substantiam, & accidens. Quare non loquimur nisi pro vniuersali formaliter accepto.

Secunda verò difficultas non minus aliquorum torsit ingenia, qui diuidunt duas vniuersalitates, aliam per se, & intrinsecam, aliam per accidens, & extrinsecam. Prima est, quæ conuenit naturis, & in eis exercetur, easque denominat, resultat enim ex abstractione naturarum. Secunda est, quæ super ipsam vniuersalitatem reflectit, & diuersas intentiones, seu modos vniuersalitatis in vnum adunans, eis tribuit iterum aliam denominationem vniuersalis accidentaliter & denominatiuè, ita quod sicut prima vniuersalitas respectu naturarum denominatiuè se habebat, licet in se vniuersalitas esset, ita secunda vniuersalitas respectu primæ denominatiuè, & accidentaliter se habet. Vnde non repugnat in his secundis intentionibus vnum & idem prædicatum essentialiter & accidentaliter eidem inesse, & quod eadem intentio possit esse superior, & inferior respectu eiusdem, non eadem intentio, & prædicatum numerice sumptum, sed specificè, seu vniuersaliter, quia intentio vniuersalitatis, quæ essentialiter, & formaliter est talis, rursus potest denominatiuè induere vniuersalitatem per reflexam cognitionem, qua illi attribuitur alia vniuersalitas, verbi gratia, Animal per vniuersalitatem, & abstractionem dicitur genus. Rursus illa intentio generis, vt conuenit cum alia intentione generis reflexe cognoscitur, & abstrahitur, ab illaque abstractione denominatur species quædam vniuersalium, hoc enim est genus. Quod totum non continet aliud mysterium, quam vulgarem illam doctrinam, quod potest aliquid formaliter esse genus, & denominatiuè species, formaliter vniuersale in communi, & denominatiuè tale vniuersale, quod est genus. Ita Martinez disput. 1. super Porph. q. 4.

Dicendum nihilominus est diuisionem hanc vniuersalis in quinque vniuersalia, seu prædicabilia esse vniuocam, & per modum generis in species. Hanc communiter sequuntur Authores præsertim Thomistæ & etiam schola Scoti. Et fundamentum est, quia ista quinque prædicabilia quantumcumque accidentaliter prædicentur, vt *proprium & accidens*, verè & vniuocè prædicantur de multis, ergo vniuocè sunt vniuersalia. Antecedens est D. Thom. 1. contra Gentil. cap. 33. vbi dicit: *Quod omne quod vniuocè prædicatur, vel est genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens*; ergo omnia ista quinque prædicabilia fundant vniuocam prædicationem. Prædicatio autem vniuoca in omnibus, quæ vniuocè prædicantur, simpliciter

pliciter est eadem, saluatur enim vna ratio, quæ prædicatur de multis, siquidem vniuoca prædicantur secundum eandem rationem, ergo quidquid vniuocè prædicatur, simpliciter saluat veram, & propriam vniuersalitatem, quæ solum consistit in hoc, quod sit vnum in multis. Vnde aliud est, quod prædicatio aliqua sit secundum quid quantum ad entitatem, quam prædicat, aliud quod sit secundum quid quantum ad vniuersalitatem secundum quam prædicatur. Ad primum enim sufficit identitas accidentalis inter prædicatum, & subiectum, ad secundum verò requiritur quod id quod prædicatur simpliciter non sit vnum in multis, ad quod necesse est, vel quod non habeat vnitatem simpliciter, vel quod ea de quibus dicitur non sint plura simpliciter. Quidquid autem vniuocè prædicatur vnum simpliciter est, & de pluribus dicitur, ergo habet vniuersalitatem vniuocè. Vnde benè stat aliqua Analogari in ratione entis, & non in modo prædicationis.

Quod verò per modum generis se habeat, constat, quia diuiditur in illas quinque intentiones prædicabilium, quæ non differunt inter se solo numero, sicut duæ intentiones generis, vel speciei, vel differentiæ, ergo differunt specie in genere intentionis, habet ergo se ad illa vt genus.

Ad primam ergo difficultatem à principio dicitur, quod vltima duo prædicabilia dicuntur accidentaliter, quod est dici secundum quid ex parte rei, quæ prædicatur, non tamen dicuntur secundum quid, quantum ad modum vniuersalitatis, quia in hoc retinet rationem vnitatis, quæ dicitur de multis.

Instabis. Quartum, & quintum prædicabile solum dicuntur denominatiuè, denominatiua autem non sunt vniuoca, tum quia distinguuntur ab vniuocis, & æquiuocis à Philosopho in anteprædicamentis, tum quia dicunt concretum accidentis, quod est ens per accidens, & consequenter non habet rationem vnius prædicabilis. Tum denique quia accidens vtitur quidem subiecto quod denominat, sed non identificatur cum illo, neque ex pluribus subiectis potest abstrahi vnum accidens, nisi eo modo, quo forma abstrahitur à materia, quæ est abstractio formalis, non autem abstractione totali, sicut requiritur ad vniuersale.

Respondetur. Prædicationem quarti, & quinti prædicabilis esse quidem denominatiuam, sed non tollere quod possit etiam esse vniuoca, vel æquiuoca, quando enim distinguitur à Philosopho ab æquiuocis, & vniuocis, non ita distinguitur, quasi non possit eidem vtrumque conuenire, sed quia non conuenit sub eadem ratione. Quomodo autem conducebat ad doctrinam Philosophi distinguere ab æquiuocis, & vniuocis denominatiua, dicemus in anteprædicamentis. Quod vero dicitur denominatiuum esse ens per accidens,

Respond. Formaliter non esse ens per accidens, seu ex parte formæ, album enim solam qualitatem significat, vt dicit Aristotel. capite de Substantia, & Diu. Thomas 5. Metaphysic. lectione 9. Sed constitutum ex subiecto, & accidente est ens per accidens, sed hoc non prædicatur denominatiuè, solum enim de substituto, seu subiecto fit prædicatio denominatiua, cum de illo forma prædicatur.

Et ad tertiam instantiam dicitur, quod inter accidens, & subiectum non est identitas quidditatiua, & intrinseca, sed denominatiua, & omnia inferiora conueniunt in accidente, sicut in denominante, non sicut in constituente, & sic resultat vniuersale prædicationis denominatiuæ, & hoc simpliciter est vniuersale, licet secundum quid identificetur cum subiecto ex parte entitatis, prædicatur autem absolutè ex parte vniuersalitatis, & modi sub quo identificatur.

Ad secund. difficult. Respondetur ex doctrina data, quod in istis intentionibus aliud est esse formaliter vniuersale, vel genus, vel speciem, aliud denominatiuè. Et potest contingere, quod aliqua intentio sit formaliter genus, & denominatiuè species, & formaliter vniuersale & denominatiuè genus. Neque hoc est idem esse essentialiter, & accidentaliter tale sub eadem ratione, sed secundum diuersa, vt statim dicemus, quod contingit propter reflexionem intellectus supra suos actus, & denominationes, cum enim resultet aliqua intentio ex abstractione alicuius naturæ, rursus supra istam intentionem reflectit intellectus, & intentionem sic de nouo cognitam tanquam rem quandam vel naturam noua illa abstractione, & intentione afficit, & denominat. Et sic de aliis intentionibus in infinitum, quod non consistit in alio, quam in hoc quod est, vnam intentionem, quæ denominat naturam in qua fundatur, posse iterum cognosci tanquam rem, & naturam quandam, sicque de nouo fundare aliam intentionem, quæ denominet ipsam. Et sic respectu naturæ, in qua fundatur, est forma denominans, quod est formaliter esse vniuersalitatem, ipsa verò concepta, vt natura quædam est fundans, & denominata ab alia secunda intentione inde resultante, & sic est denominatiue vniuersalis.

Dicimus ergo. Quod vniuersale in communi non coincidit cum membro diuidenti, quod est genus formaliter, & *vt quo*, sed denominatiuè, vt *vt quod*, id est, vniuersale in communi non est forma, qua aliquid est genus, sed qua est vniuersale, illa tamen forma concepta, vt res quædam, suscipit in se denominationem generis respectu quinque prædicabilium, & sic denominatur à suo membro diuidente. Et eadem ratione vnum membrum diuidens potest à suo opposito denominari, sicut genus potest dici species, id est intentio generis denominatur esse quædam species vniuersalis, & indiuiduum est species, id est intentio indiuidui quædam species est intentionis. Et specieitas in abstracto etiam potest denominari species, quia formæ rationis per omnia transcendunt, quia in omnibus fundantur.

Si instes. Vniuersale includitur in differentiis contrahentibus ipsum, tum quia differentiæ contrahentes etiam vniuersaliter prædicantur. Tum quia vnum ex prædicabilibus est differentia, ergo vniuersale non est genus ad illa, quia genus extra differentias est.

Respondet negando antecedens. Nam differentiæ quibus diuiditur vniuersale in quinque prædicabilia non sunt relationes vniuersalitatis, sed modi differentiales, quibus relatio ista contrahitur, & ideo formaliter non sunt vniuersalitas, possunt tamen esse denominatiuè, sed hoc non est includi in illis formaliter, & essentialiter genus, sed ipsa posse esse fundamentum vniuersalitatis, hoc enim conuenire potest omni enti abstrahibili, siue sit reale, siue rationis. Quod autem vnum ex prædicabilibus sit differentia, non arguit, quod vniuersale includitur formaliter in differentiis, id est in modis se contrahentibus, sed in intentione differentiæ, quæ est quædam species vniuersalitatis ex tali modo contrahente resultans, scil. ex modo in quale essentialiter.

Circa secundum, quod in titulo articuli quæritur. An diuisio ista in quinque predicabilia sit immediata?

Respondetur. Parum referre sic, vel aliter loqui. Potest enim dici, quod vniuersale immediatè diuiditur in vniuersale essentiale, & accidentale, non quidem sumendo essentiale, & accidentale absolutè, sed prout inuenitur in ratione vniuersalis, quatenus scilicet vnum existens respicit multa modo essentiali, vel modo accidentali. Deinde verò modus respiciens plura essentialiter, alius est in quid per modum

generis, vel in quid per modum ſpeciei, vel in quale per modum differentiæ. Et ſimiliter modus reſpiciendi plura accidentaliter alius eſt accidentaliter propriè, vel accidentaliter communiter, & ſic poteſt dici quod eſt diuiſio immediatè in illa duo membra tanquam generica, & mediatè in iſtas quinque tanquam in ſpecies infimas.

Poteſt etiam dici, quod vniuerſale immediatè diuiditur in illas quinque ſpecies, quia prædicatio eſſentialis, & accidentalis, vt ſic, non per ſe diuidunt rationem vniuerſalitatis, niſi quatenus pertinent ad ipſam rationem generis, vel ſpeciei, &c. Abſolutè enim eſſentiale, vel accidentale poteſt inueniri etiam extra prædicationem vniuerſalem, ſicut cum dico Petrus eſt hic homo, eſt prædicatio accidentalis, non ergo eſſentiale, & accidentale, vt ſic, ſunt per ſe, & propriè differentiæ vniuerſalis, cum extra prædicationem vniuerſalem inueniantur, ſed ſolum accidentale, & eſſentiale, quatenus conſtituunt, vel imbibuntur in ipſa ratione generis, vel ſpeciei, vel proprij, &c.

QVÆSTIO VII.

De Genere.

ARTICVLVS I.

Vtrum Definitio Generis tradita à Porphyrio ſit bona.

GENVS Logicum definitur à Porphyrio: *Id quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in eo quod quid.* In qua definitione tria explicantur.

Primum eſt ratio communis omni prædicabili, in illis verbis: *Quod prædicatur de pluribus*, hoc enim omni prædicabili commune eſt. Vnde intelliges non definiri hîc vniuerſale pro materiali, ſeu ſubſtrato, ſed pro ipſa ratione vniuerſalis, quia illud prædicatum commune, ſcilicet prædicari de pluribus non eſt naturæ, ſed vniuerſalitatis.

Secundum, quod explicatur in definitione eſt id quod ſpecialiter pertinet ad rationem generis ex parte termini quem reſpicit, à termino enim relationes ſpecificantur. Et ſic ponitur illa particula *de pluribus ſpecie diſtinctis*, hæc enim reſpicit pro termino vniuerſalitas generica.

Tertium denique quod explicatur in hac definitione eſt modus ſeu ratio prædicandi, ſcilicet *in quid*.

Quartum ad primam particulam. Quid ſit *prædicari de pluribus* ſatis in ſuperioribus explicatum eſt, id enim pertinet ad rationem vniuerſalitatis. Quid ſit autem id quod de pluribus prædicatur tanquam eſſentiale definitum cui iſta definitio eſſentialiter conuenit, dicemus in ſequenti articulo. Vnde ad exactam explicationem huius definitionis ſufficit explicare in præſenti illas duas particulas, *de pluribus ſpecie differentibus*, & *in quid*.

Igitur, quoad priorem particulam *de pluribus ſpecie differentibus*, dicendum eſt, quod licet alia prædicabilia poſſint dici de pluribus ſpecie differentibus, ſicut aliquæ differentiæ genericæ, & proprietates etiam genericæ dicuntur de ſubiectis ſpecie differentibus, tamen hoc materialiter ſe habet in talibus prædicabilibus.

Solum autem generi formaliter, & per ſe conuenit prædicari de pluribus ſpecie differentibus, alia enim prædicabilia licet poſſint prædicari de pluribus ſpecie differentibus, tamen etiam ſaluantur, ſine hoc quod prædicentur de pluribus differentibus ſpecie, vt patet in differentiis, & proprietatibus ſpecificis, vnde non habent ſpecie differre, ea quæ ſunt inferiora talium prædicabilium ex eo præciſè quod inferiora illorum ſint.

Genus autem eo ex præciſè, quod genus eſt, habet, quod ea quæ ſunt ipſi inferiora ſpecie differant, quia ex intrinſeca ratione generis dicit aliquid contrahibile, & diuiſibile per differentias ſpecie diuerſas, quæ differentiæ continentur in ipſo genere potentialiter, & ex illo originantur, vt benè notauit Caietan. ſuper iſtud caput de Genere ex Alberto Magno, vnde ex ipſa formali ratione generis petit habere inferiora ſpecie diſtincta.

Secunda particula. Scilicet: *Prædicari in quid*, explicat modum, & rationem formalem prædicationis generis quatenus genus eſt. Ad quod intelligendum oportet aduertere, quod illa particula *in quid*, vt ſæpè docet S. Thom. poteſt quærere, vel de ſuppoſitio, vel de natura, ſicut quærenti quid natet in mari? Reſpondemus, quod piſcis, & quærenti quid eſt homo. Reſpondemus, quod animal rationale, & in præſenti cum dicitur, quod genus prædicatur *in quid*, intelligitur hoc ſecundo modo, non primo.

Rurſus ſecundo oportet videre quomodo prædicatio *in quid* differat à prædicatione *in quale*, non ſolum quando accidentalis eſt, id enim eſt manifeſtum, ſed etiam quando eſſentialis, ſicut prædicatur differentia. Non enim debemus dicere abſolutè, quod differentia prædicatur *in quid*, vt admittunt quidam Recentiores, ſed genus prædicatur *in quid*, & differentia *in quale*, id eſt, genus prædicatur modo ſubſtantiuo quidditatiuo, differentia autem modo adiectiuo eſſentialiter etiam, vt notat Sanctus Thomas opuſc. 48. c. de Genere in fine, & ideò dicitur differentia prædicari in quale quid, id eſt, in quale eſſentiale, ſeu quidditatiuo, differentia enim licèt eſſentialis ſit, munus tamen, & prædicationem differentiæ exercet per modum adiacentiæ, non per modum ſubſtantiui, quod pertinet ad quid.

Et ratio eſt. Quia differentiæ munus eſt non præbere primum fundamentum quidditatis, ſed aduenire generi, illudque determinare, vt conſtituatur ſpecies, vnde nunquam ſe habet, vt primum fundamentum, & prima ratio quidditatis, ſed tanquam ratio contrahens, & aduenions alteri, illudque determinans, vnde modus eius eſt determinare, & actuare aliquid prius præſuppoſitum, & contrahibile, vt genus, & ideò ad genus pertinet modus ſubſtantiuus, ad differentiam autem modus qualificatiuus, ſeu adiacentiæ, & illud dicitur *quid*, hoc *quale*. Et quando Philoſophus dixit in 7. Topic. cap. 2. vtramque partem definitionis prædicari in quod quid, ſenſus eſt, quod vtraque pars prædicatur eſſentialiter; diuerſo tamen modo, genus in quid, & differentia in quale.

Tertiò conſideratur adhuc in ipſo modo prædicandi in quid, differentia, qua prædicatur genus in quid, & qua prædicatur ſpecies; prædicatur enim ſpecies in quid completè, quia prædicat integram, & completam rationem quidditatis, & genus prædicatur in quid incompletè, quia prædicat partem conſtitutiuam eſſentiæ, quæ potentialis eſt, & prima, & tanquam fundamentum differentiæ contrahentis. Vterque autem modus ſignificandi dicit modum ſubſtantiuum, & in quid. *Cuius ratio eſt.* Quia ſubſtantia ſignificatur, vt totum, & completum ens, pertinet enim ad ſubſtantiam habere rationem totius, & ſuppoſiti. Similiter pertinet ad modum ſubſtantiæ eſſe quaſi ſubſtans, ſeu fundamentum aliorum, & id quod habet rationem

rationem primi in aliquo genere. Inde tracta est similitudo, vt modo substantiuo dicantur significare, vel ea quæ significantur per modum totius, vel quæ significantur per modum fundamenti, & primi in aliquo ordine, & species quidem significat per modum quid, seu per modum substantiuum, quia significat integrum,& completum in ratione quidditatis.Genus autem significat per modum quid,& modo etiam substantiuo, quia significat per modum primi prædicati, quod est fundamentum,& radix aliorum. Et hoc totum explicat ipsa definitio dicendo in definitione generis, quod *prædicatur in quid de pluribus specie differentibus*,id est,quasi contrahibile per differentias specificas; id autem quod est contrahibile est primum prædicatum, continens illas in potentia. In definitione autem speciei dicitur, *in quid de pluribus numero differentibus*, per quod designatur integra ratio quidditatis, non amplius contrahibilis per differentias formales, & specificas, sed multiplicabilis per singulares, quæ sunt materiales.

Si inquiras. Vtrùm ista definitio generis sit essentialis, vel descriptiua?

Respondetur. Vt traditur à Porphyrio descriptiuam esse, vt ipse significat, & Diu. Thom. sic eam vocat opuscul. 48. cap.2. Essentia enim generis consistit in ratione vniuersalitatis, quæ tali modo respicit inferiora, quod sunt specie distincta,& per modum quid. Definitio autem eius traditur per prædicabilitatem, quæ est passio vniuersalis, ergo explicat naturam generis per proprietatem, quod est esse descriptiuam; potest tamen reduci ad essentialem dicendo, *Genus est vniuersale respiciens* (vel aptum respicere, si fundamentaliter tradatur) *plura specie distincta in quid.* Vbi traditur definitio per prædicatum superius, seu genericum, quod est ly *vniuersale.* Et per differentiam intrinsecam, scilicet tali modo respicere, id est,*in quid*, & talem terminum habere, scilicet *plura*, specie distincta.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Contra particulam *in quid*, arguitur. Nam conuenit aliis à definito, etiam si sumatur prædicatio in quid de pluribus specie distinctis; & prædicari in quale potest conuenire generi, ergo malè ponitur illa particula. Antec. quoad primam partem prob. Nam ens prædicatur in quid de pluribus specie distinctis; est enim prædicatum quidditatiuum, vtpotè in ipsis quidditatibus imbibitum; & tamen non est genus cum sit Analogum. Ipsa etiam definitio prædicatur in quid de definito; quærenti enim quid est homo? rectè respondetur, animal rationale. Et ipsa etiam differentia cum sit nobilior genere nobiliori etiam modo debet prædicari, est autem nobilior modus prædicari in quid, hoc est prædicari substantiuè, quam prædicari in quale, quod est prædicari adiectiuè, & per modum accidentis, ergo debet illi conuenire, & non solùm generi. Quoad secundam partem prob. Quia in prædicamento substantiæ genera, & species vocantur secundæ substantiæ; has autem dicit Philosoph. in cap. de Substantia text. 7. significare quale quid, & addit quod genus, & species circa substantiam qualitatem determinant, ergo genus prædicatur in quale. Deinde hæc prædicatio, album est coloratum, est prædicatio generis, sicut hæc, albedo est color; & tamen coloratum prædicatur per modum adiacentis, & consequenter in quale, ergo non est de ratione generis prædicari in quid.

Respond. Neg. Antec. Ad primam partem Respond. Quod ens non est prædicatum quidditatiuum, sed transcendens, & in omni re imbibitum, siue ad quidditatem pertineat, siue non; vnde quod est commune quidditati, & non quidditati, non potest quidditatiuum conceptum constituere. Et ita præsupponitur conceptus transcendens ad conceptum quidditatis, non illum constituit, nec magis pertinet ad quid, quam ad quale: Sicut enim quando dicimus quid est homo? & respondetur, quod ens, sic etiam quando dicimus qualis est homo? responderi potest, quod ens. Et vlterius quia ens Analogum est, non prædicatur in quid simpliciter, & secundum vnam rationem, sed secundum plures, & solum proportionaliter vnam, genus autem prædicatur in quid, simpliciter, & vt vnum.

Ad id quod dicitur de definitione.

Respond. Quod definitio est quid complexum, & continet non solum rationem in quid, sed etiam rationem in quale: constat enim ex genere, & differentia, nec prædicatur in quid sicut genus, sed ad modum speciei per modum integræ quidditatis quam explicat.

Ad id quod dicitur de differentia.

Respond. Quod licet sit nobilior quam genus ex parte rei significatæ, ex parte tamen modi prædicandi non prædicatur in quid, quia modus prædicandi non sequitur præcise modum essendi in re, sed modum concipiendi. Quod S.Thom. docet 7. Metaph. lect.1. & opusc. 42. cap.19. Differentia autem concipitur ad modum determinantis, & actuantis, genus autem vt determinabile, & contrahibile, & ideo hoc fundat in quid modo explicato, illa verò in quale.

Ad secundam partem argumenti.

Respond. Quod Philosophus vocat secundas substantias quale quid, & quod determinant qualitatem, non respectu naturæ, & quidditatis, sed comparatione ad primas substantias, quæ significant suppositum sustentans,respectu enim suppositi,tam species,quam genus, & reliqui gradus superiores habent rationem prædicati, & rationem formæ sustentatæ à supposito, comparatiuè autem ad naturam, & essentiam quam constituunt, vna pars constituens, scilicet genus, dicitur in quid, & alia scilicet differentia, dicitur in quale. De qua solutione videndus est Caiet. super cap.5. cathegoriar. Vnde etiam soluitur alia instantia, quia genus se habet vt forma respectu inferioris de quo prædicatur, ergo non prædicatur in quid, sed vt informans. *Resp. enim*,quod genus se habet vt forma non ex parte rei, quam explicat, neque comparatiuè ad naturam, quam constituit, sed ex parte modi se habendi, vt prædicatum, quod respectu subiecti induit modum formæ, & comparatiuè ad primam substantiam à qua sustentatur; quo sensu D.Thom.1. 2. quæstion.18. art.7.ad 3. dicit quod genus comparatur ad speciem, vt quid formalius quatenus est minus contractum.

Ad vltimam prob. Resp. Quod in illa prædicatione album est coloratum, ly *coloratum*, tenetur substantiuè respectu albi, licet sit adiectiuum respectu corporis, seu subiecti coloris; vnde respectu subiecti erit prædicatio denominatiua, & adiectiua respectu tamen albi, quod est suum inferius est prædicatio quidditatiua ratione formæ importatæ.

Secundò arguitur. Contra particulam *de pluribus specie differentibus.* Nam genus etiam prædicatur de pluribus numero differentibus, sicut animal de Petro, & Paulo, ergo non explicatur in definitione adæquatus terminus generis.

Si dicas solum explicari immediatum, qui est species. *Instatur* in prædicatione generis de indiuiduis genericis, vt quando prædicatur animal de hoc animali, & de illo animali, tunc enim immediatè prædicatur

dicatur de indiuiduis, & non de speciebus, ergo definitio est diminuta. Item genus potest prædicari de pluribus non solum specie sed etiam genere differentibus, sicut genus supremum quod prædicatur de pluribus generibus mediis quæ sunt species subalternæ, ergo illa particula *de pluribus specie differentibus*, non sufficienter explicat intentionem generis in communi.

Resp. Quod genus prædicatur de pluribus numero differentibus mediatè, scilicet hoc ipso, quod prædicatur de pluribus specie differentibus. Cum enim sub specie contineantur indiuidua, & quidquid prædicatur vniuersaliter de aliquo prædicatur de omni contento sub illo per principium. *Dixi de omni* consequenter genus prædicatur etiam de pluribus numero differentibus, non tamen sicut species infima, quæ immediatè de illis prædicatur.

Et ad replic. De indiuiduis genericis.

Resp. Quod etiam prædicatur de illis mediatè, siue sint contenta in eadem specie infima, siue in diuersis. Exprimunt enim indiuidua generica, gradum genericum indiuiduatum non exprimendo gradum specificum mediante quo sub generico continentur. Et quia non exprimunt ipsum gradum specificum, illum tamen includunt, & mediante eo pertinent ad genericum, ideo dicuntur mediatè contenta, licet non repugnet talia indiuidua generica ad diuersas species pertinere ratione inclusionis talium specierum, semper tamen de illis quatenus indiuidua sunt, gradus genericus non nisi mediatè prædicatur, quia mediate contrahitur, & conuenit indiuiduis, licet aliquando solus gradus genericus exprimatur omisso specifico, & hoc modo prædicantur illa indiuidua generica.

Ad secund. partem argum. dicitur. Genus supremum prædicari de pluribus genere differentibus, non quatenus genera sunt, sed quatenus subalterna, genus autem quod subalternatur alteri superiori, subiicitur illi quatenus species quædam est, quia subiicitur illi quatenus constat ex illo, & ex differentia, quod est esse speciem. Vnde genus prædicatur de pluribus, quatenus specie differunt, quia quatenus species ei subiiciuntur. Et ideo non dicuntur differre genere, nisi quæ differunt prædicamento; nam quæ sunt intra idem prædicamentum differunt penes differentias contrahentes, & consequenter constituentes aliquam speciem, omnis enim differentia speciem constituit.

Vltimò arguitur. Probando quod ista definitio est essentialis. Quia intentio prædicabilitatis includitur in ratione huius intentionis quæ est genus, vt S.Th. dicit in 4.c. de ent. & essent. in fine. Vbi etiam addit quod prædicare conuenit generi per se, cum in eius definitione ponatur, ergo sentit prædicabilitatem essentialiter pertinere ad essentiam generis, & præsertim, quia iste tractatus agit per se de prædicabilibus, ergo res quatenus pertinent ad istum tractatum essentialiter definiuntur, quando per prædicabilitatem definiuntur.

Respond. Sensum D.Thomæ planum esse, quod prædicabilitas est de ratione generis, & per se illi conuenit, & essentialiter, sumendo prædicabilitatem pro radice, non pro ipsa formali intentione prædicabilitatis. Radix autem prædicabilitatis vniuersalitas est. Vel si prædicabilitas sumatur formaliter intelligitur conuenire per se generi, & in eius intentione claudi perseitate secundi modi, & tanquam passio, non perseitate primi modi, & tanquam prædicatum essentiale. In hoc autem tractatu agit Porphyrius de prædicabilibus, non prout distinguuntur ab vniuersali, sed prout in illo radicantur, & includendo ipsam rationem vniuersalis non excludendo. Vnde oportet, quod definitiones essentiales etiam per ipsam rationem vniuersalis tradantur.

ARTICVLVS II.

Quodnam sit definitum in definitione generis; intentio ipsa, vel subiectum, vel ex vtroque compositum?

PVnctus huius difficultatis sæpè à nobis attactus est, & pendet ex illa communi difficultate definiendi accidentia in concreto; cum enim inueniatur in concreto accidentis subiectum denominatum à forma, & forma denominans ipsum, & constitutum, seu compositum ex vtroque, difficile est assignare proprium, & per se definitum, cui essentialiter definitio conueniat. Nam si dicamus v.g. in hac definitione generis, quod definitum est ipsum subiectum, seu natura, cui conuenit intentio generis; illi non conuenit essentialiter definitio: nam v.g. animal non habet pro essentiali ratione prædicari de multis, licet sit id quod prædicatur de multis; neque definitum potest esse ipsa intentio, seu forma generica, hæc enim non est id quod prędicatur, sed quo natura aliqua redditur vniuersalis & prædicatur de pluribus: neque ipsum constitutum ex natura, & intentione, hoc enim constitutum non prædicatur de pluribus specie differentibus, quia non descendit ad ipsas species conflatum illud ex natura reali, & rationis, sed solum natura.

Hæc difficultas multorum ingenia torsit, & in varias sententias diuisit, quibusdam dicentibus definitum in istis definitionibus esse subiectum prout dicit ordinem ad formam; aliis è contra, quod est forma prout dicit ordinem ad subiectum: aliis denique, præsertim inter aliquos recentiores dicentibus definiri ipsum constitutum ex subiecto, & forma accidentali, tanquam id cui essentialiter conuenit definitio: ipsi autem subiecto, seu substituto solum denominatiue.

In hoc puncto sæpe à nobis reiectum est tanquam contrarium Aristotel. & D.Thomæ, quod possit aliquod conflatum ex subiecto, & accidente definiri tanquam aliquid per se vnum, in hoc enim oppositi Authores conueniunt, quod nomine illius constituti, seu compositi ex subiecto, & accidente intelligunt quidditatem aliquam resultantem ex subiecto, & accidente tanquam ex constitutiuis vnius tertij, quod habet subiectum tanquam partem sui, vnde non prædicatur de illo, quia totum non prædicatur de parte. Et cum dicitur, homo est albus, verificatur adiectiuè de ipso substituto, non essentialiter, & substantiuè pro ipso tertio constituto. Dicimus ergo quod ex istis duobus subiecto, & accidente non resultat aliquid per se, & vnica definitione definibile, sed vt ens per accidens, vt latè supra diximus q.5. ex mente D.Thom.

Et vltra ibi dicta explicatur, quia ex substantia, & accidente non potest resultare aliqua quidditas per se vna, quæ nec sit substantia, nec accidens, nam inter substantiam, & accidens non cadit aliquod medium, diuiduntur enim modis explicantibus contradictionem, scilicet esse per se, & esse in alio; illud ergo tertium, quod resultat, cum habeat substantiam partem sui, & similiter accidens, non potest esse aliqua quidditas, quæ sit sola substantia, vel solum accidens, media autem inter istas duas est impossibilis, ergo non est aliqua quidditas per se, sed ens per accidens: Si dicas, quod non est vna quidditas, quæ non est substantia, nec accidens, sed vna quidditas, quæ sit vtrumque. Hoc est quod nos intendimus, quia illa quidditas,

quidditas, seu conflatum, si est simul substantia, & accidens non potest esse per hoc quod transeat in vnam quidditatem per se ab vtroque distinctum, quæ nec sit per se accidens, nec per se substantia, cum hæc non detur. Ergo solum est substantia, & accidens accidentali vnione coniuncta, non essentiali, & per se; plura autem accidentaliter vnita sunt ens per accidens, licet conueniant in eodem subiecto, & non sunt vnum constitutiuè, sed denominatiuè.

Sed respondent aliqui. Quod concreta accidentium sumi possunt, vel adiectiuè, vel substantiuè, & adiectiuè quidem subordinantur pluribus conceptibus, & non sunt ens per se, substantiuè autem accepta dicuntur vnum per se, quia concipiuntur, & obiiciuntur vt vnum, adiectiuè autem obiiciunt subiectum, & formam vt plura. Vnde quod sint ens per accidens, vel per se dependet ex modo concipiendi. Alij dicunt non resultare vnum per accidens ex accidente, & subiecto, quia veram vnionem habent inter se, & aliquid verum componunt. Alij quod etiam si sit ens per accidens, definiri potest, sicut definitur respublica, & exercitus, populus, & alia similia, quæ minorem vnitatem habent.

Sed prima solutio inconuenienter distinguit inter nomen adiectiuè, & substantiuè tantum quantum ad hoc quod sit ens per accidens, vel per se; etenim quod nomen adiectiuè teneatur, dependet ex eo quod significetur vt applicans suam adiacentiam alteri, substantiuè verò vnum significatur vt importans secum suppositum cui in re adiacet, & inhæret. Cæterum quod sit ens per accidens, vel per se dependet ex vnitate, & identitate illius rei, quæ resultat ex vtriusque combinatione, hæc autem quidditas, seu vnitas quæ resultat non est per se vna, siue significetur vt applicans adiacentiam alteri, siue significetur vt ferens secum suppositum, quia quocumque modo significetur, quidditas ex illa forma, & subiecto resultans oritur ex coniunctione accidentali extremorum, & non facit aliquam quidditatem mediam inter substantiam, & accidens, quia hæc est impossibilis, nec quidditatem, quæ sit sola substantia, vel solum accidens, ergo non facit aliquid per se constitutum, sed accidentaliter denominatum, siue adiectiuè teneatur, siue substantiuè.

Secunda solutio. In eo deficit, quod ex vnione accidentali putat resultare ens vnum per se, licet enim sit vera vnio, non tamen est vnio per se, sed secundum quid, & accidentalis, ergo id quod resultat ex illa est vnum solum secundum quid, qualis enim fuerit vnio extremorum, talis erit vnitas resultans ex illa.

Denique. Tertia solutio in eo manifeste peccat, quia definitio solum versatur circa quidditatem, ergo in tantum definitio est vna; in quantum vnam quidditatem attingit, & definit, ens autem per accidens non dicit quidditatem vnam simpliciter, & per se, sed plures, quæ solum per accidens sunt vnum, ergo non est vnica definitione definibile, definitio enim definit per genus, & differentiam; vbi autem sunt plures quidditates sunt plura genera, & differentiæ, ergo plures definitiones. Quæ ratio sumitur ex Philos. 7. Met. lect. 12. apud D. Thom.

Ex his ergo resoluo difficultatem propositam. *Et dico primo.* Definitum generis non est constitutum ex subiecto, & intentione generis, nec illi potest essentialiter conuenire definitio. Ita Caietan. super cap. de genere, & communiter Thomistæ. Relinquitur manifesta ex dictis cùm intentio generis sit accidentale prædicatum respectu subiecti, & consequenter ex illo, & subiecto non resultat natura aliqua, seu quidditas per se diffinibilis.

Dico secundò. Non potest definitum formale in hac definitione, & cæterorum accidentium esse ipsa natura, seu subiectum próvt vestitum, & subditum intentioni. *Ratio est,* quia formale definitum debet esse, quod ipso nomine formaliter, & per se designatur, sed album v. g. non significat subiectum formaliter, & per se, sed in connotato, & ex consequenti, ergo. Min. prob. ex D. Thom. 5. Met. lect. 9. vbi inquit: *Nec verum est, quod Auicenna dicit, quod prædicata quæ sunt in generibus accidentis principaliter significant substantiam, & per posterius accidens sicut hoc quod dico album, nam album, vt in prædicamentis dicitur, solam qualitatem significat hoc autem nomen album significat subiectum ex consequenti, in quantum significat albedinem per modum accidentis.* Ita D. Thom. Ratio autem est, quia concretum accidentis conuenit cum suo abstracto in formali, & per se significato, ab illo enim desumit formam qua denominatur, & quam concernit, ergo concretum significat idem quod abstractum ex parte formæ denominantis, licet applicatum subiecto denominato, formale autem significatum abstracti est forma, ergo & formale significatum concreti est forma, licet addat modum existendi eius in subiecto denominato. Subiectum autem solum importatur, vt sustentans, & recipiens formam, non vt pertinens ad quidditatem formæ; definitio autem intendit nobis explicare quidditatem formæ receptæ, & significatæ in concreto, non subiectum recipiens, multo minus naturam ipsam recipientis subiecti declarare intendit; cum enim definio album non naturam corporis, sed albi definio rationem.

Dico vlt. Definitum formale, & quidditatiuum in hac definitione (idem est cæteris concretis accidentalibus) est secunda intentio generis: Id autem quod reddit suppositum definito, seu denominatum ab illo est subiectum huius intentionis, & ita ex consequenti, & de connotato importatur in ipso definito. Hæc est Caiet. in c. de genere, & cap. 4. de Ente, & Essen. sequunturque communiter Thomistæ. Itaque in his definitionibus aliud est definitum formale, aliud id, quod reddit suppositum definito, quia in hoc distinguitur accidens à substantia, quod definitum in substantia, à se habet suppositum, & rationem, quod accidens verò illud extra se emendicat. Et constat hæc conclusio ex Diu. Thom. vbi dicit concretum accidentis significare solam formam, vt album qualitatem, non autem habere subiectum tanquam partem significationis suæ, vt patet 5. Metaphys. lection. 9. & 8. Metaph. lect. 4. §. *Determinat, &c.* Et 7. Met. lect. 1.

Nec sufficit respondere, quod Arist. & Diu. Th. solum voluerunt quod concretum accidentis non significat determinate subiectum hoc, vel illud, sed in confuso, formam autem determinatè significat, nec enim negari potest, quod concretum accidentis subiectum nobis representet, & non solum formam. *Sed hæc solutio* stare non potest, quia non negat Diu. Th. per nomen concretum significari subiectum, sed dicit non significare illud principaliter, sed ex consequenti, vt patet in 5. Met. lect. 9. contra Auicennam, & quod non significat illud ex æquo, & vt partem significationis in 7. Met. lect. 1. ergo siue significet subiectum in communi, siue non, tamen apud D. Thom. id quod nomine albi importatur vt subiectum (quod certum est in confuso, & non determinate hoc, vel illud subiectum sigcificari) non principaliter, sed ex consequenti significatur, & vt subiectum substentans formam, ergo non est principale, & per se definitum, sed reddens suppositum definito, & ex consequenti importatum.

Denique videri potest quam luculenter hanc doceat concl. S. Th. 7. c. de Ente, & Essent. vbi inquit: *Quia essentia per definitionem significatur, oportet quod*

eo modo accidentia habeant essentiam quo habent definitionem. Definitionem autem habent incompletam , quia non possunt definiri, nisi ponatur subiectum in eorum definitione , & hoc ideo est quia non habent in se esse absolutum per se à subiecto. Ponit deinde S. Thom. differentiam inter formam substantialem, & accidentalem, *Quod illa adueniens materiæ constituit essentiam quandam, & ideò forma est pars essentiæ completæ; forma autem accidentalis cum subiecto non facit vnum per se , sed per accidens , & ideo ex eorum coniunctione non resultat essentia quadam sicut ex materia, & forma, & ideo accidens neque rationem completæ essentiæ habet , neque pars est completæ essentiæ , sed sicut est ens secundum quid, ita essentiam habet secundum quid.* Igitur apud Diu. Thom. definitio accidentis semper incompleta est, sicut & eius essentia, quia est essentia dependens ab aliquo extra se, scilicet à subiecto quod reddit suppositum ipsi definito, non autem pertinet, nec intrat, quidditatem definiti. Et hæc est ratio quare dicuntur accidentia definiri per additionem, vt loquitur Phi. 7. Met. tex. 17. lect. 4. apud Diu. Thom. quia definiuntur per aliquid quod est extra essentiam definiti, scilicet per subiectum, distinguitur enim in accidentibus *quod quid*, ab eo *cuius est*, vt ibidem text. 20. dicit Aristoteles, & lect. 5. D. Thom. Aliud est ergo definitum formale, & quidditatiuum in accidentibus concretis, aliud suppositum definiti.

Et ex hoc sumitur fundamentum conclusionis, quia prædicata quidditatiua, & formalia accidentis sistunt in ipsa forma accidentali, nec subiectum ad quidditatiuum prædicatum pertinet, licet ea sustentet, & recipiat. Ergo definitum quidditatiuum, & formale in his definitionibus ad subiectum non transit, sed in ipsa forma sistit, definitum enim formale, & quidditatiuum est illud in quo prædicata formalia, quidditatiua includuntur. Sed quia talis forma, & talia eius prædicata quidditatiua non definiuntur in statu separationis, & abstractionis à subiecto, sed cum modo existendi in subiecto, ideo subiectum ex consequenti in eorum definitione ponitur vt reddens suppositum definito, non vt prædicatum eius quidditatiuum. Et ita aliud est definitum quidditatiuum, & formale, aliud in quo inuenitur hoc definitum, illique reddit suppositum. Hoc est subiectum, seu natura, illud forma, seu intentio in hac definitione generis.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur argumento supra posito in introductione difficultatis, quia intentio generis non est id *quod* prædicatur de pluribus speciebus essentialiter, cum non descendat ad illas, sed est id *quo* natura prædicatur, ergo non conuenit ei definitio data. Vnde etiam quando dico in concreto, Petrus est albus, non prædico de illo albedinem, sed prædico habens albedinem, hoc autem, quod est habens albedinem non est sola qualitas, sed subiectum affectum qualitate, ergo illud est definitum, sicut illud est significatum per ly album.

Resp. Intentionem non esse id, quod prædicatur, vt suppositum talis intentionis, & res prædicata, & ideo neque conuenit illi definitio, vt supposito definitionis, sed solum vt rationi, seu formæ prædicandi de multis. Vnde in definitionibus accidentium concretorum non inuenitur definitum, vt *quod* essentialiter, sed denominatiue, cum redditur suppositum definito per aliquod extrinsecum, nec etiam ferunt ex se suppositum accidentia, & ideo definitiones eorum dantur per additionem, quia in eis aliud est *quod quid*, aliud *cuius est*, vt ex Philosopho, & D. Thom. supra diximus. Cur autem definitiones istæ tradantur pe id *quod*, denominatur tale, non per id *quo* est tale, cum huic soli essentialiter conueniat definitio, & solum sit formale definitum? *Ratio est*, quia accidentia habent esse incompletum, & dependens à subiecto denominato, non in se subsistens, vnde melius exprimitur ista dependentia, & imperfectio accidentis definiendo illa per subiectum, *quod* denominatiuè est tale, quam solum per se ipsum significatum, vt *quo*, de qua ratione videatur S. Thom. 7. Met. lect. 4. & c. 7. de Ente, & Essen. Et deinde vt congrueret hoc ipsi modo significandi, cum enim accidens definitur in concreto, vbi significatur subiectum, vt reddens suppositum definito, inconuenientius diceretur tale significatum esse id *quo* aliquid est tale vbi solum significatur ratio abstracta, quam id *quod* est tale, licet solum denominatiuè ei conueniat definitio. Et quando dicitur Petrus albus, ly albus significat quidem habens albedinem, & non albedinem in abstracto, sed non ex æquo vtrumque, sed albedinem de formali, subiectum vero quod est habens, de connotato, & pro materiali, ratione cuius verificatur accidentaliter de subiecto cui applicatur, quia identificatur in supposito cum illo, vnde similiter habens albedinem est definitum, sed non ex æquo, albedo formaliter, ly habens donominatiuè, & vt intrans per additionem in definitione.

Secundò arguitur, argumento supra facto, q. 5. art. 5. quo aliqui hic vtuntur, quia scilicet album benè definitur, sic *est corpus disgregatiuum visus*, vel *est habens albedinem*, ergo non sola qualitas, sed constitutum ex qualitate, & subiecto est definibile. Huius solutionem vide præfato loco argum. vlt.

Tertiò arguitur. In definitione generis non potest importari subiectum vnum, ergo neque principaliter, neque ex consequenti illud importat. Consequentia patet, quia subiectum intentionis generis si non importatur vt vnum, sed vt plura, hoc ipso non benè definitur per modum vnius dicendo, *id quod prædicatur*, sed erunt plura quæ prædicantur. Antecedens vero manifestum est, quia id quod substernitur naturæ generis non est vnum, nec potest vnico conceptu concipi, substernitur enim intentioni generis, tam ens reale, quam rationis, tam accidens, quam substantia, ergo non est vnum subiectum.

Resp. Multos torqueri isto argumento. Sed tamen meo videri in omnium sententia soluendum est siue subiectum importetur ex parte principalis definiti, siue vt denominatiuè definitum, & ex consequenti importatum. Et eadem difficultas inueniri potest in quocumque concreto importante subiectum valde amplum vt verum, bonum, intelligibile, &c. quorum subiectum tam in ente reali inuenitur, quam in ente rationis in substantia, & in accidente. Dico ergo, quod in illo concreto non importatur subiectum vnum, vnitate naturæ, vel esse, sed vnitate capacitatis, & receptibilitatis illius formæ, seu intentionis: quidquid enim habet capacitatem illius formæ, per modum vnius subiecti, hoc est vnius receptibilis, significatur, licet sint diuersissimæ naturæ, sicut dicunt Theologi, quod in illis verbis: *Hoc est corpus meum*, per ly *hoc* intelligitur contentum sub speciebus, id est, quidquid sub illis speciebus esse potest, siue sit corpus viuum, siue mortuum, siue panis, siue homo, sic nomine substrati generis intelligimus quidquid est capax genereitatis siue sit reale, siue non, dummodo conueniat in hac ratione capacitatis, etsi non conueniat in quidditate naturæ, & vnitate.

Quartò arguitur. Si intelligamus definiri hîc constitutum ipsum ex subiecto, & forma, essentialiter explicatur

explicatur omne quod pertinet ad rationem generis, explicatur enim, & res prædicata denominatiuè, & forma qua redditur prædicabilis, ergo melius quadrat toti ipsi definitioni tale conflatum pro definito.

Et confirm. quia totum illud constitutum subordinatur vnico conceptui vltimo, ergo est vnicum definibile. Consequentia patet, quia ideò ens per accidens non est definibile, quia non est vna quidditas, sed plures, ergo à contrario sensu, si est vnum vtpote vnico conceptui subordinatum, definibile est per se. Antecedens verò probatur, tum quia concretum hoc album est vnius conceptus, ergo & constitutum ipsum ex albedine, & corpore, nec enim plura inueniuntur in concreto quam in constituto, tum etiam quia tam illud concretum accidentale, quam constitutum potest ordinari ad vnicam operationem, scilicet album ad disgregandum, calidum ad calefaciendum, ergo vnico conceptui subordinari potest.

Resp. Quod in illo constituto explicatur quidem totum quod est in genere sed non ex æquo, & tanquam pertinens essentialiter ad ipsum genus, sed subiectum vt denominatum, & intentio vt forma qua formaliter constituitur genus, quod verò ex illis duobus resultet vna tertia quidditas, quæ essentialiter sit definibilis hac definitione generis, hoc est impossibile vt vidimus, neque melius explicat definitum generis, aut definitio illi quadrat, quia neque est id quod prædicatur quia intentio non descendit cum natura ad inferiora, neque est id quo prædicatur, quia natura non pertinet ad formam qua aliquid redditur prædicabile, sed ad rem prædicatam, vnde ex natura, & intentione, neque fit quidditas quæ sit genus, vt *quod*, neque vt *quo*. Explicatur autem vtrumque quando non sumitur pro constituto, sed formaliter pro forma, & denominatiuè pro subiecto.

Ad confir. Resp. Quod concretum accidentis subordinatur vnico conceptui importando subiectum, & formam non æquè principaliter, sed formam essentialiter, & formaliter, subiectum verò materialiter, & vt denominatum, & sic sub isto conceptu definiri potest, nec se habebit, vt ens per accidens, sed definietur eo modo quo subordinatur illi conceptui, scilicet vt forma sit ipsum definitum formale, & subiectum denominatiuum. At verò constitutum ex albedine, & corpore, & forma, & accidenti, includit vtrumque æquè essentialiter, & vt constituens vnum tertium, & hoc modo est ens per accidens, quia resultat ex extremis accidentaliter vnitis, nes quidditas vna resultare potest, quæ non sit substantia, neque accidens, sed vtrumque simul. Concretum vero non dicit quidditatem aliquam resultantem, sed ipsam formalem quidditatem accidentis habentem subiectum non vt partem, seu extremum componens, sed vt materiale à se denominatum, & in quo habet statum essendi non abstractè, sed concretè.

Vlt. arguit. Sola natura est, quæ prædicatur de inferioribus, seu natura secundum se, vt dicit S.Th.4. c.de Ent.& Essent.ergo licet talis natura habeat relationem, & intentionem generis, tamen definitum directè erit ipsum substratum intentionis, quia huic soli essentialiter conuenit definitio, scilicet prædicari de pluribus. Nec potest dici, quod illi conuenit prædicari denominatiuè, non formaliter, & essentialiter, natura enim generica, v. g. animal, non denominatiuè, sed essentialiter de inferioribus prædicatur.

Resp. Verissimum esse, quod natura est id quod prædicatur essentialiter de inferioribus ex parte rei prædicatæ, ipsa tamen prædicabilitas, & status vniuersalitatis quo prædicatur de pluribus, denominatiuè conuenit naturæ. Variatur autem appellatio cum dicitur, non prædicatur denominatiuè, sed essentialiter, ergo non conuenit illi denominatiuè prædicari de pluribus, aliud est enim quomodo prædicabilitas conueniat naturæ, aliud quomodo natura de inferioribus prædicetur eisque conueniat. Natura non conuenit inferioribus denominatiuè, ipsi tamen naturæ denominatiuè conuenit prædicabilitas, seu vniuersalitas de inferioribus essentialiter prædicetur, quoad rem prædicatam, sed per modum vniuersalis, & superioris, sine qua tamen vniuersalitate inuenitur essentia. Ratione autem rei quæ prædicatur, dicit D. Thom. naturam secundum se prædicari de inferioribus.

ARTICVLVS III.

Quomodo genus dicatur totum potentiale, & à materia desumi?

VT aliqua natura sit genus, aliquas requirit conditiones, quæ in hoc artic. explicandæ à nobis sunt. *Prima*, quod se habeat vt totum respectu inferiorum. *Secunda*, quod non dicat totam naturam actualiter, & explicitè, sed partem. *Tertia*, quod dicat partem naturæ magis potentialem, ratione cuius dicitur genus totum potentiale. *Quarta*, quod desumatur à materia, genus verò à forma.

Quomodo genus sit totum, & pars?

DVo oportet aduertere. *Primum est*, quod in vniuersalibus ratio totius, & partis duplici ratione consideratur. Primò ex modo concipiendi: secundò ex parte rei conceptæ, & significatæ. Ex parte modi concipiendi omne vniuersale dicit rationem totius, & non partis respectu suorum inferiorum, si quidem tali modo concipi debet, quod possit prædicari de quolibet inferiori, si autem conciperetur per modum partis respectu illorum, non posset de illis prædicari, quia omne totum est maius sua parte, & omnis pars minor suo toto. Vnde si significatur per modum partis respectu alicuius, hoc ipso ex modo significandi significatur, vt minus illo, & consequenter non est ipsum totum, atque adeo non prædicatur de illo, prædicatio enim significatur per verbum *est*, quatenus hoc est illud. Talis ergo ratio totius ex modo concipiendi omni vniuersali, & omni prædicabili communis esse debet, & sic non pertinet specialiter ad rationem generis.

Ex parte autem rei significatæ, seu conceptæ ratio totius, & ratio partis consideratur secundum, quod constituunt ipsam quidditatem, vel ipsa quidditas consideratur, vt constituta, & hoc modo solum in tribus primis prædicabilibus inuenitur ratio totius, & partis, quia genus, & differentia concurrunt ad componendam speciem, & ideo designant partes illius, species autem est ipsa quidditas totalis, & integra ex genere, & differentia constituta. Vnde licet genus, & differentia ex modo concipiendi, tanquam vniuersalia habeant rationem totius, ex parte tamen rei quam explicant, non totam quidditatem explicant sed partem.

Secundum, quod aduertimus est quod in Metaphysica compositione propriè non sunt partes, sicut in Physica, sed gradus. In compositione enim Physica coniunguntur duæ partes separabiles, sicut patet quod materia modo est sub vna forma, modo sub alia, & forma rationalis etiam est, sine materia, vnde ex illis partibus ita componitur totum, quod vna pars non includitur in alia, nec prædicatur de alia, nec de toto, non enim dicimus, quod anima est corpus, vel homo,

vel è contra. At verò partes Metaphysicæ non sunt res distinctæ componentes vnum totum, sed diuersæ designationes eiusdem rei penes magis, & minus determinatum, vt Sanctus Thomas docet in tertio capite de Ente, & Essentia. Quare cum isti gradus Metaphysici solum differant penes designationem magis, vel minus determinatam eiusdem rei, non possunt propriè importare partes, quæ realiter inter se sint distinctæ, sed idem totum magis, vel minus designatum, & magis, vel minus determinatum, vnde eadem res, seu idem totum, vt exprimens, seu designans rationem animalis, quæ est minus determinata & idem totum, vt designat rationale, quæ est ratio magis determinata, componunt hominem, qui exprimit integram rationem quidditatis humanæ. Qua ratione venit intelligendus idem S.D. in 1. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2. vbi dicit, quod homo non est ex animali, & rationali, sed animal rationale, quia scilicet non est ex illis, vt ex partibus distinctis, benè tamen vt ex gradibus diuersimodè designantibus eandem rem.

Ex quo colligitur, quod genus non dicitur pars Physica, sed Metaphysica, quæ simul potest esse totum, pars quidem in quantum explicat, & designat vnum tantum constitutiuum quidditatis specificæ, totum verò in quantum implicitè ex ipso modo significandi, & concipiendi dicit totum quod est in inferiori de quo prædicatur v. g. animal ex parte rei significatæ solum designat, & explicat rationem sensitiuam, vbi non explicatur omne quod pertinet ad essentiam hominis, vel equi, aut cæterarum specierum, sed tamen implicitè dicit quidquid est in homine vel in equo, quia ita dicit formam sensitiuam explicando solam rationem sensitiui, quod non excludit omne aliud quod tali formæ sensitiuæ coniungi potest, & sic dicit quamcumque formam quæ sensitiua est, siue solum sit sensitiua, siue aliquid amplius habeat. Et hoc quod est non excludere omne aliud quod tali formæ sensitiuæ coniungi potest, est illud implicitè continere, quod si significaretur forma illa animalis, vel generica cum tali præcisione, quod excluderet quodcumque aliud quod non est forma sensitiua, sicut quando significatur nomine abstracto animalitatis, tunc non posset prædicari de inferioribus in concreto, vt supr. q. 5. latè diximus.

Vnde soluitur illa quæstio. An genus prædicetur vt totum, vel vt pars de inferioribus? Constat enim ex dictis, quod genus prædicatur, vt totum ex parte modi concipiendi, sed ex parte rei prædicatæ non explicat nisi partem quidditatis illius rei de qua prædicatur, quando enim prædico animal de nomine, id quod explicatur nomine animalis est ratio formæ sensitiuæ, modus autem quo prædicatur est absolutè dicendo totum, quod est in homine, quatenus implicitè inuoluit non solum formam sensitiuam cum exclusione vlterioris perfectionis, sed dicit quidquid est sensitiuum etiam si aliud vlterius habea, & hac ratione est simpliciter ipsum totum. Et sic conciliantur sententiæ, quæ in hac parte videntur esse oppositæ, nec rationes vnius, & alterius amplius probant.

Quomodo genus sit totum potentiale?

VT non oriatur confusio in nomine *totius potentialis* oportet aduertere, non accipi hîc totum potentiale vt distinguitur à toto essentiali, quomodo dici solet, quod totum potentiale diuiditur in partes potestatiuas de quibus non prædicatur: totum autem essentiale diuiditur in partes subiectiuas de quibus dicitur. Sed genus dicitur totum potentiale, vt opponitur toti actuali, quia non explicat totum actualiter constitutum, sed partem illius vlterius actuabilem & contrahibilem, atque adeo potentialiter se habentem.

De hoc ergo toto potentiali duo restant explicanda. *Primum.* Respectu quorum dicatur genus esse potentiale, & implicitum, & consequenter, vtrum ista potentialitas illi conueniat in quantum totum, vel in quantum pars? *Secundum.* Quid sit illud actuale comparatione cuius, genus dicitur potentiale?

Ad primum. Resp. Primò genus dici potentiale in quantum importat aliquam rationem communem contrahibilem per additionem alicuius differentiæ, quæ actu non includitur in illa ratione superiori, sed in potentia. Sed hoc commune est omni vniuoco, etiam ipsi speciei ad differentiam transcendentium, & Analogorum, quæ in ipsis differentiis imbibuntur. Vnde transcendentibus non additur aliquid quasi extraneum, quia in omni re includuntur, eo quod transcendentia sunt. Et hac ratione non perfectè abstrahunt à suis inferioribus, vt dicemus quæstion. 13. Vniuocum autem quia perfectè abstrahitur ab inferioribus, neque includitur in ipsis differentiis, dicitur in potentia manere ad illas.

Secundò dicitur speciali modo genus esse quid potentiale respectu compositionis Metaphysicæ, quia in ipsa quidditate specifica genus designat partem contrahibilem per differentiam, & sic magis indeterminatam, & potentialem, differentia autem dicit partem contrahentem, & determinantem, & ideo prædicatur per modum qualis, licet essentialiter, quia quod determinat, & afficit alterum quasi qualificat illud, & ita genus potentialiter se habet respectu differentiæ contrahentis, sicut materia respectu formæ, & respectu totius constituti tanquam incompletum respectu completi.

Ex quo patet. An genus sit dicendum totum potentiale, vel pars potentialis? Vtrumque enim debet dici secundum diuersas considerationes. Nam cum partes Metaphysicæ non sint propriè partes, sed gradus, reuera autem sunt ipsum totum implicitè, & non totaliter explicatum, quoad quidditatem sicut explicat species, ideo genus quando consideratur, vt pars etiam est totum, sed de illo toto non explicat totum, sed partem, seu gradum designabilem, & complebilem vlteriori actualitate, quæ est differentia. Vnde ex parte quidditatis quam explicat, comparatiuè ad differentiam pars potentialis est, respectu autem speciei inferioris, totum potentiale est, id est, totum quod est in specie non totaliter designatum, & explicatum, sed indeterminatè acceptum.

Ad secundum verò quod proposuimus, explicandum, Respond. Prædicatum actuale in ordine ad quod sumitur maior, vel minor potentialitas generis esse vltimam differentiam specificam, quæ reddit quidditatem aliquam ita formatam, & determinatam, quod non est amplius contrahibilis, nisi per differentias indiuiduales, quæ non faciunt differre formaliter, & quidditatiuè, sed materialiter, & numericè, vt amplius explicabitur, quæst. 9.

Quid sit genus desumi à materia, & differentiam à forma.

VVlgare est hoc Axioma, licet non eodem modo applicari possit omnibus naturis, quæ generis intentionem subeunt. Quædam enim naturæ sunt compositæ ex forma, & materia, quædam sunt formæ tantum, licet dependentes à materia, sicut accidentia. Quædam neque compositionem habent ex mat ria, neque ordinem ad illam sicut Angeli. Et de istis omnibus quomodo genus sumant à materia, & differentia à forma agit D. Thom. 6. & 7. cap. de ente, & essent. & opusc. 42. c. 4. & 5. & 1. p. q. 50. art. 2. ad 1. & q. de spiritualibus creaturis, artic. 1. ad 24. & 7. Met. lect. 9. & 8. Met. lect. 3, & alibi frequenter.

Est

Est ergo considerandum. Quod quando dicimus genus sumi à materia, differentiam à forma, non est sensus, quod genus dicat solam materiam, & differentia solam formam, sed quia forma est principium differentiæ à qua illa desumitur, sicut cum dicimus principium indiuiduationis esse materiam signatam, non est sensus quod indiuiduatio consistat formaliter in materia signata, sed quod inde tanquam ex radice sumatur, vt notat S.Thom.6.cap.de ente & essent. Et hoc constat manifestè, quia genus vt sæpè probatum est dicit totam essentiam eius de quo prædicatur, ergo non dicit solam materiam, nec differentia solam formam. Sic enim non differrent partes Physicæ, & Metaphysicæ.

In gradibus ergo genericis, & specificis, seu differentialibus distinguendum est, id quod habent de potentilitate, & id quod explicant de actualitate, sicut animal, v. g. actualiter explicat formam sensitiuam, & potentialiter inuoluit ea quæ tali formæ coniunguntur.

Dico ergo, quod in ipso gradu generico non importatur pura potentialitas sicut in materia prima, sed aliquid etiam determinatæ actualitatis, & quidditatis licet non omnino completæ, & determinatæ; & ideo non debet desumi proximè ratio generica à sola materia quæ est pars Physica, sed ab eo quod materiale est, seu potentiale in vnaquaque re, siue sit composita, siue simplex. Vnde etiam in rebus compositis diximus, quod ab eadem forma sumuntur omnes gradus, materia verò non dat gradum, sed recipit, & informatur ab illo, remote tamen potest sumi in rebus compositis genus à materia, quatenus est principium omnis potentialitatis, & ita forma secundum gradum perfectum informans materiam, illamque relinquens informabilem ab vlteriori gradu, dicetur radix, & principium generis, etiam ex parte ipsius materiæ sic informabilis. Ita sumitur ex D.Thom. loco citato de spirit. creat. vbi inquit: *Quod genus sumitur à materia, ita tamen quod per materiam non intelligatur materia prima, sed secundum quod per formam recipit quoddam esse imperfectum, & materiale respectu esse specifici, sicut esse animalis est imperfectum, & materiale respectu hominis.* Et similiter in cap.6. de ent. & essent. *In sensibilibus* (inquit) *genus sumitur ab eo, quod est materiale in re; differentia verò ab eo quod est formale in ipsa. Vnde dicit Auicenna, quod forma in rebus compositis ex materia, & forma, est differentia simplex, non autem ita quod ipsa forma sit differentia, sed quia est principium differentiæ.* Itaque genus non sumitur à sola materia prima nuda, sed à materia, vt habente esse imperfectum à forma, & materia sic habens esse imperfectum, dicitur materiale respectu gradus perfectioris, genus enim dicit naturam aliquam determinatam, licet nondum perfectam omni perfectione; materia autem secundum se nullum determinatum gradum dicit, nec determinatam actualitatem, est enim in potentia ad omnem actualitatem substantialem, vt in Physicis latius probabitur. Et dato quod ipsa habeat aliquam actualitatem substantialem, tamen manifestè constat, quod à forma recipit non tantum vltimam actualitatem, & gradum, sed diuersos gradus, & perfectiones, magis, vel minus determinatas. Vnde genera illa, quæ istis imperfectioribus gradibus correspondent non possunt à materia nuda desumi, sed à materia informata secundum rationem, & gradum imperfectiorem, ad ipsam, vt perfectiori gradu, & ratione informabilem.

Quando autem dicit D. Thom. opusc.42. c. 2. *Quod potentialitas totius compositi in rebus materialibus est à materia, ideo sumitur genus ab ea, perfectio verò totius est à forma, ideò à forma sumitur differentia.* Et 1. p. quæstione 50. art.2. ad 1. inquit: *Quod in rebus materialibus aliud est quod determinat specialem gradum scilicet forma, & aliud quod determinatur scilicet materia.* atque adeò videtur affirmare, quod genus à sola materia sumatur, differentia à sola forma.

Respond. sensum D. Thom. ex eius verbis perspicuum esse, videlicet materiam in compositis esse primam radicem potentialitatis, & sic licet gradus genericus sumatur à forma pro ea parte, qua gradus dicit actualitatem, tamen potentialitas generis ad materiam, vt ad radicem deuoluitur, licet proximè desumatur non à materia nuda, sed ab eo quod materiale est, respectu eius quod formalius, & perfectius, & hoc materiale vocat Diu. Thom. materiam, illud formalius formam, non materiam nudam, à qua sumatur genus.

At verò in rebus non compositis, scilicet in Angelis, qui non conueniunt in materia cum corporibus (ideoque aliquando dicuntur differre genere ab illis, idest, materia, quæ est genus Physicum) non verificatur, quod genus sumatur à materia etiam remote, quia carent illa, sed sumitur ob eo quod potentialius est, & quasi materiale in talibus substantiis. Hoc autem vt dicit Sanct. Thom.6.cap.de Ente, & Essentia, & 1. parte, quæstione 50.articul.3.ad 1.est ipsa intellectualitas, seu immaterialitas præcisè, vel indeterminatè accepta, id est, quatenus intellectualitas finita, & limitata, & in potentia, vt per maiorem, vel minorem accessum, & participationem actus puri sit perfectior, vel imperfectior: hoc enim præbet rationem differentiæ, & gradualis perfectionis quatenus vniformius vnus intellectus intelligit, quam alius, & sic similior est Deo, magisque ad illum accedit. Denique in accidentibus, genus etiam non sumitur à materia sibi intrinseca, quia ea carent, sed ex diuersa habitudine ad substantiam, vt dicemus in ante prędicamentis, sicut quantitas dicitur ex eo quod respicit substantiam mensurando per modum extensionis; qualitas afficiendo per modum virtutis, vel ornatus, & sic de aliis. Differentiæ verò sumuntur, vel ex propriis subiectis à quibus accidentia propria oriuntur, vel ex affectibus talium accidentium eas desumimus, quasi à posteriori, quia proprias differentias ignoramus. Videatur D.Thom. 7.cap.de Ente, & Essentia.

Dices: Non potest ex eodem principio, & radice desumi genus, & desumi indiuiduatio, cum genus sit maximè indeterminatum, indiuiduum vltimo determinatum, ergo inconuenienter dicetur genus sumi à materia, cum in sententia D. Thom. ab ea sumatur indiuiduatio.

Respondetur, vtrumque conuenire materiæ secundum diuersos respectus, & considerationes. Nam materia respicit formam tanquam subiectum primum & potentiale, quod scilicet est in potentia ad formam, eiusque gradus recipiendos, non habet autem ipsa materia vlterius aliud subiectum in quo recipiatur. Vnde respectu formæ habendo potentialitatem relinquit indeterminationem, & indifferentiam ad recipiendum gradum imperfectum vnius formæ, & vlterius alium perfectiorem vsque ad vltimum, quod est esse radicem, & principium generis. Quia verò recipiendo formam ita est subiectum vltimum, quod est vlterius incommunicabile alij subiecto ratione huius vltimæ incommunicabilitatis est principium indiuiduationis, quod non est amplius commune pluribus, nec communicabile.

Quæ naturæ sint capaces generis?

RESpondeo. Omnes illæ, quæ directè possunt esse in prædicamento, siue reali, siue rationis, siue sint

sint accidens, siue modi, vel substantiæ. Itaque omne ens, quod habet modum, seu rationem totius constans ex metaphysica compositione est capax habendi genus, & differentiam, quod per modum totius prædicet de illo partem quidditatiuam; quæ autem solum sunt partes simplices, siue physicæ, vt materia, & forma, siue integrantes, & similiter differentiæ non habent per se rationem generis, sed solum reductiuè. Quæ est sententia S. Thomæ in 3. dist. 6. quæst. 1. art. 1. ad 1. & opusc. 41. c. 10. Caietani in cap. de Specie, & Aliorum.

Ratio ad excludendum partes physicas, & integrantes ea est, quia istæ partes non possunt habere genus supremum, ergo neque subalternum, quia cum in generibus non sit procedere in infinitum, oportet sistere in vno, & illud erit supremum. Antecedens probat. Quia si haberent supremum genus, vel illud est substantia completa, quæ est genus supremum prædicamentale, vel incompleta: completa esse non potest, quia hæc non prædicatur verè de partibus, ergo neque genericè. Incompleta esse non potest, quia hæc imbibitur in quacunque differentia, & sic etiam in ipsis differentiis partium imbibetur, nam etiam sunt aliquid incompletum, atque ita transcendentaliter se habet, non verò per modum generis, quod debet esse extra conceptum differentiarum. Et simile argumentum potest fieri de corpore, & viuenti, &c. In accidentibus autem non est necesse facere hoc argumentum, quia non habent partes, sed sunt formæ simplices, si tamen haberent, idem argumentum fieret.

Ratio verò ad excludendum differentias à ratione generis ea est, quia sequeretur processus in infinitum; nam si rationale, verbi gratia habet genus debet contrahere illud per aliam differentiam, omne enim genus per differentiam contrahibile est. Rursus illa differentia sic contrahens haberet etiam suum genus, non enim est maior ratio de vna, quam de alia, ergo contraheretur per aliam differentiam: & illa rursus haberet aliud genus, & differentiam, & sic in infinitum, non ergo differentiæ habent directè genus, sed reducuntur tanquam ad latus.

Ex hoc tamen non inferas abstracta substantiarum non esse genera, & species, quia licèt significentur per modum partis; sunt tamen formæ totales, habentque compositionem ex genere, & differentia, sicut humanitas respectu animalitatis, & rationalitatis. Vnde non sequitur idem inconueniens, quod in aliis partibus.

Quòd si obijcias. Nam partes istæ, & differentiæ habent aliqua prædicata superiora quidditatiua præter ens, habent enim conuenientiam magis cum vna parte, quam cum alia, sicut forma leonis magis conuenit cum forma bouis, quam cum forma lapidis, ergo possunt habere genus, quod est prædicatum superius tanquam id, in quo conueniunt, & similiter suam differentiam.

Et confirm. Nam materia cœlestis, & sublunaris differunt specie secundum sententiam S. Thom. 1. p. q. 66. art. 2. ergo vnaquæque habet suam speciem distinctam, & consequenter habent genus in quo conueniunt, & differentiam qua diuiduntur.

Resp. Quod partes istæ habent prædicata superiora quidditatiua, sed quia per se non sunt aliquod totum, & completum non constituunt directè speciem. Et consequenter neque directè habent genus, sed totum hoc habent reductiuè, sicut incompletum reducitur ad completum; imò magis istæ prædicationes in talibus partibus & incompletis entibus sunt transcendentales, quam genericæ, quia includuntur in ipsis differentiis, quod non conuenit generi. Et ita non sufficit habere prædicata superiora quidditatiuè ad hoc, vt sint generica, sed opportet quod transcendentales non sint, sed extra differentias se habeant.

Et si quæras de hac prædicatione. *Hæc forma est forma, Hæc manus est manus, &c.* An sit speciei de indiuiduo. *Resp.* Hoc non esse, nisi secundùm quid, & reductiuè, sicut cum dicitur; *Hæc persona est persona. Hoc indiuiduum est indiuiduum,* quia ibi non prædicatur natura, sed aliquid naturæ, & licèt sit prædicatio essentialis, est tamen incompleta; & consequenter reductiuè pertinens ad completam.

Ad confirm. Respond. Materiam cœlestem, & sublunarem esse diuersæ speciei modo incompleto, quia scilicet non dicunt ordinem & capacitatem ad easdem formas, & ita vna materia non transit de vna forma ad aliam. Ista tamen diuersitas capacitatum non addit aliquam differentiam, quæ per modum actualitatis determinet & constituat materiam, cum vtraque sit pura potentia, atque ita in ipsismet differentiis vtriusque materiæ includitur potentialitas ipsa, quæ constituit materiam in communi, & substantia, quæ de illis prædicatur, est substantia incompleta, quæ prædicatur magis transcendentaliter, quam genericè, vt dictum est. Et eodem modo intelligitur materiam habere rationem naturæ, & alia prædicata quidditatiua, scilicet modo incompleto transcendentali, non generico.

QVÆSTIO VIII.

De specie prædicabili, & subiicibili.

CORRELATIVVM generis est species, de qua genus prædicatur, ipsa autem vlterius de indiuiduis prædicabilis est, & ideò includit duplicem respectum, subijcibilitatis ad genus, superioritatis ad indiuidua. Et ideò ad explicandum exactè hoc secundum prædicabile, vterque respectus explicandus est.

ARTICVLVS I.

Vtrùm species constituatur in ratione speciei per rationem subijcibilis, vel prædicabilis?

SVppono vtroque modo definiri speciem à Porphyrio, quatenus subiicibilis dicitur illa, *quæ sub assignato genere collocatur, & de qua genus prædicatur in quid.* Definitur autem quatenus prædicabilis, *quæ de pluribus differentibus numero in eo quod quid prædicatur.* Vbi explicatur vnica habitudo eius non ad sibi superius, sed ad sua inferiora respectu quorum superius est. Et obiter nota. Quod non est vitiosus circulus in definitionibus Porphyrij cum definit genus per respectum ad speciem, de qua prædicatur, & speciem per respectum ad genus cui subiicitur. Tum quia inter correlatiua mutua, qualia sunt genus, & species, necessario interuenire debet iste mutuus respectus, sine vitio circuli hoc ipso, quod mutua sunt, & consequenter mutuo in definitione vtriusque includi debet alterum, vt dicemus infra q. 17. artic. 6. Tum quia species non illa tantum definitione definitur, scilicet per respectum subiicibilitatis ad genus, sed etiam alia, scilicet prædicabilitatis ad inferiora, & sic non præcise notificatur per genus, sed alia via. Vbicumque autem aliquid supponitur notificatum, & definitum alia definitione, & alia via, quam per illud, cum quo circulariter definitur, non committitur circulus formalis,

formalis, sed materialis tantum, qui vitiosus non est, eo quod non idem per idem tantum notificatur, sed aliunde notificatum, aliter suum notificans, & definiens manifestat, vt in lib. Posterior. quæst. 25. amplius dicemus.

Cum ergo in hoc secundo prædicabili concurrat, duplex ista intentio prædicabilis, & subiicibilis, difficultas est in duobus. *Primum* Quænam ex istis intentionibus constituat formaliter secundum prædicabile? *Secundum*, Quomodò vna se habeat erga aliam; an omnino disparatè; an vt propria passio, & quid consequens, vel modificans aliam. Est autem certum istos respectus, seu intentiones esse diuersas relationes, nam habent distinctos terminos, & fundamenta; terminus enim subiicibilitatis est ipsum superius cui subiicitur; fundamentum verò inferioritas, seu dependentia ab illo; at verò terminus prædicabilitatis, seu vniuersalitatis sunt ipsa inferiora, de quibus prædicantur, fundamentum verò ipsius sumitur ex ipsa communitate naturæ, in qua conueniunt illa inferiora, quæ communicabilis, & superior est illis. Sunt ergo diuersa fundamenta, & termini istarum relationum, à fundamento autem & termino sumit relatio suam vnitatem, vel diuersitatem. Et licèt ipsa ratio, seu intentio speciei non pluribus relationibus, sed vnica constituatur, potest tamen plures habere, vt proprietates, vel conditiones requisitas, sicut etiam prædicabilitas est passio vniuersalitatis. Et inquirimus quænam relatio sit essentialis, & constitutiua speciei.

Ad hanc ergo difficultatem aliqui censent speciem prædicabilem non conuenire speciei, vt species est, sed in ratione speciei constitui per subiicibilitatem ad genus ad quam sequitur prædicabilitas, & vniuersalitas eius. Et hoc ideò, quia propria ratio speciei est esse correlatiuum generis, & hanc rationem correlatiui non habet per ordinem ad inferiora, de quibus dicitur, sed per ordinem ad genus sub quo ponitur: ita sumitur ex Caiet. in capit. de Specie. Alij autem per aliud extremum existimant speciem ita constitui per vniuersalitatem, quod etiam ipsa subiicibilitas ad genus, ei in quantum vniuersalis est, & ratione vniuersalitatis conueniat: Attribuitur Toleto quæst. vnica de Specie. Alij autem dicunt subiicibilitatem, & prædicabilitatem se habere, vt disparatas relationes, neque vnam oriri ex alia tanquam passionem ab essentia, de quo videatur Curs. Carmel. hîc disputat. 6. quæst. 3. M. Cabero disp. 3. dub. 2. & Merinero, disp. 3. dub. 2.

Circa secundum etiam variant Authores; quidam enim vt Caietanus capit. de Specie, existimant subiicibilitatem ad genus esse primam rationem speciei, & ex illa oriri prædicabilitatem ad indiuidua, & hoc loquendo de specie athoma, in qua vna istarum intentionum pullulat ex alia, ex eo enim quod species ponitur sub genere immediatè, & directè nascitur, quod species sit prædicabilis, in specie autem subalterna ratio speciei, quæ inuenitur, propriè est species subiicibilis, nam prædicabilitas illius non est de pluribus solum numero differentibus, sed etiam specie. Alij verò è contrà existimant intentionem prædicabilitatis, & vniuersalitatis, ita esse primam in specie quod ex ea oritur subiicibilitas.

Nihilominus dico primò, constitutiuum intrinsecum, & essentiale speciei, vt est secundum prædicabile condiuisum ab aliis prædicabilibus est vniuersalitas, talis quæ dicit respectum, & prædicabilitatem ad plura solo numero differentia.

Ratio est. Quia species in tantum est vnum de quinque prædicabilibus in quantum participat rationem vniuersalis, siquidem ista quinque prædicabilia sunt species quædam vniuersalis, vt supra probatum est, ergo constitutiuum eius debet esse intra latitudinem, & rationem vniuersalis, ergo non per subiicibilitatem, sed per superioritatem debet constitui. Conseq. patet, quia implicat quod aliqua relatio in communi importet tendentiam ad aliquem terminum, & relatio, quæ est eius species, & sub ea contenta, tendat ad oppositum. Sicut si relatio Patris in communi respicit filium, relatio talis patris in particulari non potest respicere auum, sed etiam respicere debet filium talem in particulari. Constat autem quod relatio vniuersalitatis in communi, quæ est genus ad quinque prædicabilia respicit, vt proprium terminum inferiora, ergo relatio talis vniuersalis, scilicet speciei, non potest respicere formaliter loquendo, & constitui per respectum ad superiora, sed ad inferiora, ergo non potest constitui formaliter per subiicibilitatem in ratione secundi prædicabilis, sed per vniuersalitatem, seu prædicabilitatem talem, id est, quæ talia inferiora respiciat. Quam rationem ita difficilem existimauit Caietanus in c. de Specie, quod eam insolutam relinquit.

Dico secundò. Non possunt concurrere per accidens, & disparate se habere in secundo prædicabili, prædicabilitas, & subiicibilitas, sed vel secundum se, vel per sua fundamenta vna determinat, & modificat alteram.

Ratio est. Quia secundum prædicabile non habet esse vniuersale quomodocumque, sed vniuersale subordinatum, & minus altero, scilicet genere, ergo id quod conducit ad hoc vt sit vniuersale minus amplum altero, non potest disparate se habere ad constitutionem talis vniuersalis, siquidem de intrinseca ratione eius est, quod sit vniuersale subordinatum, & inferius, sicut non disparate se habet ad constituendam causam secundam, hoc quod est subordinari causæ primæ, & in ordine politico, ministro inferiori non est per accidens, & disparatum quod subordinetur superiori, & superior minister Regi, cum hoc sit de ratione ministri talis ex subordinatione agentis, ita species essentialiter habet prædicari de inferioribus, sed non est ei per accidens, & disparatum, sed per se requiritur subordinari superiori vniuersali, sub quo continetur in quantum minus vniuersale est.

Nec sufficit dicere, quod hoc quod est subiici generi competit ipsi naturæ specificæ. Cæterum intentioni per accidens coniungitur alia intentio subiicibilitatis, non enim eadem relatio, & intentio est subiicibilitas, & prædicabilitas. Hoc, inquam, non sufficit, nam licet sit duplex relatio prædicabilitas, & subiicibilitas, tamen hoc ipso quod prædicabilitas, quæ pertinet ad rationem speciei non est prædicabilitas suprema, sed inferior, per se & non disparate petit ex parte sui fundamenti fundare relationem subiicibilitatis sine qua ratio inferioritatis nequit intelligi, omne enim inferius subiicibile est. Ergo ex parte fundamenti vniuntur per se prædicabilitas, & subiicibilitas, & inter se etiam connexionem habent, nec per accidens concurrunt in ratione speciei, sicut etiam vniuersalitas, & prædicabilitas sunt duæ intentiones, seu relationes distinctæ, vna respiciens inferiora, vt superius in essendo, altera in prædicando, id est inuerificando, quod hoc sit illud per applicationem vnius ad alterum, & tamen vna sequitur ad aliam, & per se connectitur cum alia, licet verum sit, quod quia earum esse consistit in cognosci, non repugnet vnam cognosci sine altera, & actu esse, sine altera in ipsa ratione cognoscente: ista enim connexio intentionum non est, quoad existentiam actualem, ita quod vna sequatur ad aliam in esse, cum esse non conueniat eis per consequutionem, sed per cognitionem, est

autem connexio ratione fundamenti, quia fundamentum ita fundat vnam, quod etiam petit ex vi illius fundare aliam.

Dico vltimò: Subiicibilitas non dimanat ab vniuersalitate præcisè accepta, multo minus prædicabilitas ex subiicibilitate: sed prior, & essentialior intentio in secundo prædicabili est vniuersalitas limitata & coarctata, & ex ipsa quatenus sic limitata, & modificata, oritur subiicibilitas immediata ad genus. *Ratio* huius sumitur ex dictis, quia secundum prædicabile per se, & essentialiter est quoddam vniuersale, cum vniuersale diuidatur tanquam genus in ista quinque prædicabilia, essentialiter ergo ad ipsum debet pertinere intentio vniuersalitatis: sic determinatæ, scilicet, quæ solum respiciat inferiora numero distincta. Ex vniuersalitate autem in linea, & respectu vniuersalitatis respicientis inferiora solum sequi potest id, quod superioritatis, non quod inferioritatis, & subiectionis est, ergo ex vi vniuersalitatis non sequitur intentio subiicibilitatis. Sed quia vniuersalitas limitata est, & coarctata, ratione illius, vt limitatæ, subiicibilitas sequi potest: sicut in creatura, aliæ passiones sequuntur, ex eo quod ens creatum est, vel quia tale ens est, v.g. substantia, vel corpus, aliæ ex eo quod ex nihilo est, v. g. quod sit defectibilis, peccabilis, annihilabilis, &c. Similiter in causa, ex eo quod causatiuum est, seu ex linea causalitatis non sequitur subiectio ad aliam causam, sed ex eo quod causa limitata, & dependens & inferior in causando. Eodem ergo modo ex vi vniuersalitatis, & ex respectu, & linea eius etiam vniuersalitatis specifice, non sequitur vt passio propria, subiicibilitas, sed ex vniuersalitate dependente, & limitata, & subordinata alteri, seu minori illa, sequitur subiicibilitas ad superius vniuersale quod est genus.

Ex qua conclusione intelligitur, quomodo connexæ sint in secundo prædicabili istæ duæ intentiones *subijcibilitas*, & *prædicabilitas* in vna forma vniuersalitatis, quia cum per accidens non concurrant in hoc secundo prædicabili, nec esse est, quod per se ex aliqua forma consequantur, & ratione illius per se conueniant. Sic ergo consequuntur ad vniuersalitatem limitatam, & subordinatam, ex parte subordinationis, & limitationis, subiicibilitas, ex parte vniuersalitatis prædicabilitas, sicut ad hominem quatenus rationalis sequitur inclinatio ad virtutem, quatenus defectibilis, & ex nihilo, peccabilitas. Et similiter constat quomodo species intrinsecè, & essentialiter sit correlatiuum generis quatenus illi subiectum, & inferius, hoc autem habet quatenus limitatum, & subordinatum vniuersale est.

Ex quo patet, diuisionem speciei in prædicabilem, & subiicibilem non esse diuisionem in diuersas res, sed in diuersas passiones, seu modos eiusdem, quibus habet diuersos respectus ad superiora, scilicet, & inferiora.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, Species formalissimè quatenus species solum habet esse correlatiuum generis, sed in quantum correlatiuum non est prædicabilis, sed subiicibilis, ergo formaliter in quantum species non est prædicabilis. Maior est certa, quia genus per se definitur relatiuè ad speciem, vt ad proprium correlatiuum, ergo species vt species formaliter est correlatiuum generis. Minor constat, quia vt correlatiuum respicit id cuius correlatiuum est, sed est formaliter correlatiuum generis, ergo formaliter, vt species respicit illud, vt autem respicit genus non est prædicabilis, sed subiicibilis, ergo essentialiter constituitur per subiicibilitatem potius quam per prædicabilitatem.

Confirmatur: Genus subalternum vniuersalius est, quam species infima, cum de illa prædicetur, sed non constituitur in ratione generis subalterni per prædicabilitatem, ergo multo minus species infima. Minor probatur genus subalternum non constituitur in esse talis, nec per prædicabilitatem de pluribus specie differentibus, nec per prædicabilitatem de pluribus differentibus numero, ergo per nullam. Non per prædicabilitatem de pluribus specie differentibus, quia hoc etiam conuenit generi supremo, & sic non est propria ratio subalterni. Non per prædicabilitatem de pluribus numero differentibus, quia hoc etiam conuenit speciei infimæ, ergo per nullam prædicabilitatem, sed per subiicibilitatem constituitur.

Respondetur, varias esse opiniones de proprio, & per se correlatiuo generis, quas videre poteris apud Conimb. q. 2. de Specie, art. 1. nam quidam existimant genus, vt genus solum, & anæquatè referri ad speciem, ad indiuidua verò, non referri per modum generis. *Alij dicunt* adæquatum correlatiuum generis esse aliquid abstrahens ab indiuiduo, & specie, quod uocant *subijcibile in quid completè*, eo quod in hac ratione conueniunt, tam indiuiduum, quam species. *Alij denique, & melius censent*, immediatum, ac formale correlatiuum generis esse speciem, sed non omni modo nec adæquatè, nam etiam indiuiduum ei subiicitur, sed non formaliter sicut species, nec enim contrahit genus formali diuisione, sicut species, sed materialiter per conditiones, scilicet materiales, & indiuiduatiuas, in quibus substentatur species, & mediante specie genus. Dicimus ergo, quod species est quidem correlatiuum generis, sed formale, id est, formaliter contrahens genus, & per differentiam, quæ formaliter, & specifice facit differre, non numerice, ex quo habet non solum esse correlatiuum, & subiicibile generis, sed etiam relatiuum propriè, & per se ad indiuidua, quia non est correlatiuum generis formale, & immediatum, nisi sit etiam vniuersale in se, limitatum tamen, & coarctatum, seu dependens, quia generi subiectum, & sic esse correlatiuum generis non est tota essentia speciei, sed potius est conditio eius, directè autem & per se species vniuersale est, & prædicabile de indiuiduo, cum dependentia tamen subiicibilitatis ad genus.

Ad confirmationem respondet, esse disparitatem inter speciem infimam, & subalternum, quia subalterna, non habet esse vniuersalis in ratione speciei, sed in ratione generis, habet enim vniuersalitatem, & prædicabilitatem solum, *in quid incompletè*, subalternationem autem habet in ratione speciei subiicibilis, quatenus scilicet superiori generi subiicitur, & per differentiam contrahit illud, & facit quandam speciem non infimam, sed subalternam, quæ etiam genus subalternum dicitur, re vera tamen subalternatio conuenit ei in quantum species quædam est, & ita secundum aliam rationem habet vniuersalitatem, scilicet vt genus secundum aliam subiicibilitatem, scilicet vt species. At verò species infima non habet vniuersalitatem in ratione generis, sed in ratione secundi prædicabilis *in quid completè*, & ideò vniuersalitas per prius est in illa, vt constituatur secundum prædicabile, quam subiicibilitas in eadem ratione speciei infimæ.

Secundò arguitur. Dari potest subiicibilis species, quæ non sit prædicabilis, vt species Angelica in opinione, quod tantum habet vnum indiuiduum, quam infra probabimus. Datur etiam è contra species prædicabilis, quæ non est subiicibilis, vt substantia quando prædicatur de hac, & illa substantia tanquam de indiuiduis,

indiuiduis, quæ tamen alteri superiori, non subiicitur, cum supra substantiam non sit alius gradus, ergo quod aliqua species sit subiicibilis, & prædicabilis per accidens concurrunt. *Et confirmatur*, quia subiicibilitas ad genus non conducit, aut proportionat speciem ad hoc, vt prædicetur de indiuiduis, nec è contra prædicabilitas de indiuiduis, vt generi subiiciatur, vna enim relatio istarum non deriuatur ex alia, nec fundat aliam, ergo per accidens se habent, & purè concomitanter.

Resp. negando antecedens, si loquamur de specie propriè, quæ est secundum prædicabile. Et quod attinet ad speciem Angelicam, infra ostendemus non solum esse subiicibilem, sed etiam prædicabilem, est enim vniuersalis, & non vt genus, sed vt dicens totam quidditatem complete. De substantia verò dicimus, quod etiam respectu huius, & illius substantiæ indiuiduatæ non est species secundum prædicabile cum prædicetur in quid incomplete, sed est prædicatio generica mediata tamen, quia genus mediatè prædicatur de indiuiduis, sicut præcedenti quæstione ostendimus, quomodo genus de indiuiduis genericis prædicetur, & sequenti quæstione amplius dicetur.

Ad confirmat respondet. Quod subiicibilitas ad genus non conducit ad prædicabilitatem de indiuiduis absolutè consideratam, benè tamen ad prædicabilitatem, vt limitatam, & dependentem, & in quantum infima prædicabilitas est, hæc enim esse non potest sine tali subiicibilitate, sicut obscuritas per se non conducit ad cognitionem, benè tamen ad cognitionem talem scilicet ad fidem, quæ est imperfecta, & limitata cognitio petens illam modificationem obscuritatis.

Vltimò arguitur ad probandum, quod in specie prius inuenitur subiicibilitas, quam prædicabilitas, quia subiicibilitas speciei est qua redditur immediatè subiicibilis generi, sed immediata subiicibilitas est, prior vniuersalitate, ergo. Minor probatur. Prius est naturam specificam esse naturam contractam respectu generis, quam contrahibilem respectu indiuiduorum, per hoc enim quod contrahit genus constituitur in se, prius est autem constitui, quam ab aliis contrahi, sed per hoc quod contrahit genus subiicitur generi, per hoc quod est contrahibilis ad indiuidua est vniuersalis ad illa, ergo prior est subiicibilitas, quam prædicabilitas.

Respond. negando minorem. Ad probationem dicitur quod contractio generis, prout pertinet ad ipsam constitutionem naturæ, quæ fit per genus, & differentiam non est subiicibilitas, quia constitutio naturæ pertinet ad naturam secundum se, & primo intentionaliter, subiicibilitas autem dicit relationem, qua coordinatur species generi, & sic pertinet ad secundam intentionem naturæ, non ad constitutionem. Et in hoc genere intentionis prior est vniuersalitas, & prædicabilitas in ordine ad constituendum secundum prædicabile, quod est species, quam subiicibilitas, licet respectu naturæ secundum se prius intelligatur contractio generis, quæ est fundamentum subiicibilitatis, quam contrahibilitas ad indiuidua, quæ est fundamentum vniuersalitatis, sed ad constituendam speciem, hoc est prius illo.

ARTICVLVS II.

Explicantur definitiones Speciei.

DVo hìc notanda sunt. Primum circa definitum harum definitionum quibus species prædicabilis, & subiicibilis definiuntur (definitiones posuimus in initio præcedentis art.) Secundum circa ipsarum definitionum particulas explicandas.

Circa primum idem dicendum est de definito harum definitionum, quod de definito generis dictum est, quod præced. eadem enim est ratio de vno, & de altero.

Circa secundum ad explicandas particulas definitionis, illa videtur communis difficultas, quia definitiones istæ conueniunt aliis à definito. Species enim subiicibilis dicitur, quæ sub assignato generi collocatur, vel de quo genus prædicatur in quid: vtrumque autem non minus conuenit indiuiduo, quia etiam indiuiduum sub genere collocatur, & de illo prædicatur genus in quid. Si dicas speciem collocari immediatè sub genere, non indiuiduum: hoc est addere nouam particulam definitioni, scilicet ly *immediatè*, quam definitio non ponit, & præterea instatur in indiuiduis genericis, vt hoc animal, hoc corpus, &c. de quibus genera immediatè prædicantur. Similiter definitio speciei prædicabilis conuenit aliis à definito, tum quia conuenit generi, prædicatur enim genus etiam de indiuiduis in quid, & licet prædicetur incomplete, & alio modo quam species, tamen hoc non explicatur in definitione speciei, & sic est diminuta, tum etiam quia plura prædicantur de pluribus numero differentibus, & non sunt species, vt entia incompleta, v. g. motus, anima, materia, punctum, & similia, & Deus prædicatur de tribus personis, & non est species, tum quia tertium prædicabile etiam prædicatur in quid, id est, essentialiter, & de pluribus numero differentibus, vt species, athomæ: ac denique species Angelorum sunt verè species, & non prædicantur de pluribus numero differentibus, quia illa plura sunt impossibilia, vt dicemus seq. art.

Respon. nihilominus rectè tradi has definitiones. Et vtrum essentiales an descriptiuæ sint? non opportet immorari. Sicut enim diximus de generis definitione, quod est descriptiua, quia traditur per propriam passionem vniuersalitatis, quæ est prædicabilitas. Ita definitiones speciei censendæ sunt descriptiuæ, quia traduntur per proprietates, prædicabilis quidem per ipsam prædicabilitatem, quæ est passio vniuersalitatis, subiicibilis autem per proprietatem vniuersalitatis specificæ, quatenus vniuersalitas imperfecta est, & dependens ab vniuersalitate generis.

Ad primam ergo instantiam contra speciem subiicibilem.

Resp. Quod in omnibus istis definitionibus prædicabilium debet subintelligi proprium earum genus, quod est vniuersale, & ita sensus definitionis est, quod species est vniuersale quod sub genere collocatur, & differentia vniuersale, quod prædicatur de pluribus in quale, &c. & sic de aliis. Neque hoc est addere aliquam particulam extraneam definitioni, sed necessario præsuppositam, nam vniuersale est genus ad quinque prædicabilia, debet ergo in omni prædicabili necessario subintelligi, & consequenter debet etiam subintelligi particula *immediatè*, scilicet quod species est, quæ immediatè subiicitur generi, quia hic solum agimus de eo, quod tanquam vniuersale, seu vnum ex quinque prædicabilibus subiicitur, indiuiduum enim non tanquam vniuersale subiicitur, & ideò neque immediatè.

Et ad instantiam de indiuiduis genericis.

Resp. Quando non subiiciuntur tanquam vniuersale, neque immediatè simpliciter loquendo, sed solum secundum quid, & quoad explicationem, quia quando dico, *hoc animal, hoc corpus*, licèt explicem gradum genericum cum indiuiduatione, tamen aliquid supponitur mediate inter indiuiduationem, & genus, quod non explicatur in illo indiuiduo gene-

rico, neque enim in re inuenitur animal, aut corpus singularizatum, nisi mediante aliqua specie. At verò species ita plenè, & simpliciter subiicitur generi, quod non solum explicatur nihil mediare, sed neque in se aliquid mediare potest inter ipsam, & genus, quod est immediatè subiici simpliciter, & absolutè loquendo.

Ad secund. instant. Contra definitionem speciei prædicabilis. Respondetur. Quod vt diximus quæstione præcedenti, generi non conuenit prædicari de pluribus numero differentibus formaliter & immediatè, sed materialiter, scilicet quia continentur sub specie, de qua per se, formaliter, & directè prædicatur, & ita debet intelligi prædicatio generis, quod sit in quid incompletè, neque hoc est addere aliquid definitioni, sed in ipso imbibitum explicare, nam si prædicatur de pluribus specie differentibus, non potest totam quidditatem prædicare, sed partem scilicet id quod contrahibile est per differentiam, & cum differentia constitutiuum speciei, & hoc est prædicari in quid incompletè, id est non totam, & completam quidditatem, sed partem quæ est genus.

Ad secundum respondet. Entia incompleta reductiuè, & non per se pertinere ad speciem, vel genus, sicut ad prædicamentum, vnde non habent plura numero distincta, nisi reductiuè, & secundum quid. Deus autem non prædicatur de tribus personis tanquam multiplicabilis, & contrahibilis in illis, sed tanquam natura vna singularis, quæ prædicatur de pluribus suppositis eiusdem singularis naturæ, & ideo nec diuina natura se habet, vt vniuersalis, nec ipsæ personæ, vt inferiora contrahentia naturam superiorem, & numericè illam distinguentia, quia ita multiplicantur supposita, quod non multiplicatur natura, sed sunt tria supposita eiusdem singularis naturæ.

Ad tertium iam supra diximus quæstione præcedenti, quod differentia prædicatur quidem essentialiter, sed non in quid, quia non substantiuè, sed adiectiuè, seu qualificatiuè, vnde licet prædicetur in quid, quantum ad essentiam, non tamen quantum ad modum, id est non essentialiter substantiuè, sed essentialiter adiectiuè, seu in quale.

Ad vltim. Respondebitur articulo sequenti.

ARTICVLVS III.

Vtrum possit dari species subiicibilis, quæ non sit prædicabilis de multis, sed tantum habeat vnum indiuiduum?

VT Punctus difficultatis innotescat, duo sunt notanda. Primum quod inter naturas non habentes, nisi vnum indiuiduum triplex differentia considerari potest. Nam quædam natura est, quæ de facto non habet plura indiuidua, potest tamen habere de possibili, sicut Luna, Sol, & similia, quæ habent materiam diuisibilem absolutè, sed non diuisibilem naturaliter, ex diuisione autem materiæ nata est consequi multiplicatio indiuiduorum. Alia natura est, quæ nec de facto, nec de possibili potest habere multiplicationem indiuidualem ex parte diuisionis materiæ, quia caret omni materia, vt sunt substantiæ spirituales completæ, sicut Angeli. Est tamen in opinione positum an ex alio capite, quam ex diuisione materiæ possint habere multiplicationem numericam, & tamen licet illam habere non possint, adhuc tamen possint concipi illæ naturæ, vt vniuersales, & secundum aliquam indifferentiam, & potentialitatem ad illud vnum indiuiduum quod habent. Tandem alia natura est, quæ non solum non habet plura indiuidua de facto nec de possibili secundum multiplicationem naturæ, sed nec ipsa natura potest concipi cum potentialitate aliqua ad indiuiduationem & vt contrahibilis per singularitatem, quia est actus purus, scil. Deus, & sic in essendo non potest esse vniuersalis, licet possit concipi ipsa natura non explicata indiuiduatione, & sic significari potest per modum termini communis, & non termini singularis, sicut hoc nomen, *Deus*, est terminus communis in significando.

De prima natura non est difficultas in præsenti, quia constat illam naturam posse prædicari de multis, in qua multa indiuidua possibilia sunt, de quibus prædicetur. Similiter de tertia natura non est quæst. præsens, de illa enim egimus super quæst. 5. art. 3. Sed tota difficultas est de secunda natura. Circa quam non disputamus modo, an sint possibiles, vel non possibiles plures Angeli solum numero distincti. De quo agitur, 1. part. quæst. 50. si enim sunt possibiles plures numero distincti, quæstio difficultate vacat. Dicendum est enim de natura Angelica sicut dicitur de Sole, & Luna, & aliis naturis, in quibus plura indiuidua sunt possibilia. Sed admisso, quod sint impossibilia plura indiuia in natura Angelica, tunc præsens consurgit difficultas: An quia ex modo concipiendi illa natura concipitur, vt indifferens ad indiuiduationem sufficiat, vt sit species prædicabilis de multis, non quæ de facto habet, vel habere potest in re, sed quæ ex modo concipiendi illi naturæ sic indifferenti non repugnant.

Secundo aduerte. Quod habere plura indiuidua contingit dupliciter, vel positiuè, vel per non repugnantiam saltem ex parte alicuius principij. Quæ distinctio sumitur ex Diuo Thoma quæstione de spiritualib. creaturis articulo 8. ad quartum. Prædicari de multis positiuè est, quando datur positiuum fundamentum in ipsa re, vt fiat prædicatio de multis, scilicet, quia talis multiplicatio in re inuenitur. Et inde sumitur fundamentum ad concipiendam vnam naturam prædicabilem de illis. Per non repugnantiam dicitur prædicari de multis, quando non inuenitur quidem in multis à parte rei, sed in vno tantum, ita tamen se habet natura ad illud vnum indiuiduum, quod potest abstrahi ab illo eodem prorsus modo, quo abstrahitur à pluribus, scilicet manente natura cum indifferentia, & potentialitate, ad illam indiuiduationem. Et ita ex vi talis abstractionis non habet natura repugnantiam ad plura indiuidua, licet in re ex alio capite repugnet, scilicet propter carentiam materiæ, sine cuius diuisione non fit multiplicatio indiuiduorum.

In hac ergo difficultate, communiter extra scholam D. Thomæ tenetur, quod supposita sententia Diui Thomæ de impossibilitate plurium indiuiduorum in eadem specie Angelica talis species erit subiicibilis, & non prædicabilis; videtur enim contra omnem rationem, quod aliquid sit prædicabile de multis, cui repugnat actualis ipsa prædicatio de multis. Hanc autem repugnare manifestum est, quia repugnat dari ipsa multa: Non tamen negant isti Authores posse concipi naturam Angelicam, vt vniuersalem negatiuè, & Metaphysicè, quia potest concipi, sine aliqua singularitate, & differentia indiuiduali, quod est remanere præcisam ab indiuiduatione.

Nihilominus oppositam sententiam communiter defendunt Thomistæ, & existimant hoc ipso quod datur fundamentum in tali natura, vt concipiatur præcisa ab illa vnica indiuiduatione, & cum indifferentia, & potentialitate ad ipsam posse concipi, vt vniuersalem, & vt speciem prædicabilem, ad hoc tamen necesse est, quod non concipiatur natura Angelica adæquatè, & plenè secundùm quod est in se, sed

inadæquatè,& ad instar rerum compositarum ex materia, & forma. Et sumitur apertè hæc sententia ex doctrina S. Thomæ in quæst. de Spiritual. creatur. art. 8. ad quartum, vbi sic inquit: *Sicut hac albedo non prohibetur habere sub se multa indiuidua ex hoc, quod est albedo, sed ex hoc quod est in hoc, quod pertinet ad rationem indiuidui, ita natura huius Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc, quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex hoc quod non est nata recipi in aliquo subiecto, quod pertinet ad rationem indiuidui.* Ita Diu. Thom. Quæ verba clariora sunt, quam vt vlla ponderatione indigeant. Idem affirmat in opuscul. 42. capit. 5. & 1. part. quæstion. 13. artic. 9. & ibi Caietan. & 5. capit. de Ente, & Essentia, quæstione 6. ad secundum, & super caput de specie in Logica.

Totum autem fundamentum huius sententiæ est. Quia licèt non possit in tali natura concipi respectus positiuè tendens ad plura indiuidua, nec vnitas naturæ collecta à pluribus indiuiduis, quia in rei veritate non dantur: potest tamen concipi indifferentia naturæ, & potentialitas ad vnum indiuiduum talis, quod ex se sufficeret ad plura, si aliunde in re ponerentur. Itaque indifferentia naturæ ex proprio modo suo communicabilis est ad plura, ex parte autem eorum quibus facienda est communicatio, talis communicabilitas exerceri non potest. *Ratio* huius est. Quia non potest negari, quod detur indiuiduum naturę Angelicæ positum in prædicamento, cum Angelus qui in re inuenitur sit substantia prædicamentalis. Et non ponitur immediatè sub genere, ergo immediatè est positum sub aliqua specie athoma. Sed species athoma sub qua continetur indiuiduum est superior respectu illius, ergo vniuersalis, & prædicabilis respectu illius; talis enim species non prædicatur de indiuiduo tanquam æqualis, alioquin de indiuiduo Gabrielis, non prædicaretur species prædicatione superioris de inferiori, sed esset quasi prædicatio identica, sicut quando indiuiduum prædicatur de indiuiduo, est ergo prædicatio superioris de inferiori, alioquin non posset species conseruari in vno solum indiuiduo, vt dicemus articulo sequenti, si habendo tantum vnum indiuiduum, non posset concipi, vt superior. Ex hoc autem manifestè sequitur, quod illa natura, & species sic concepta, vt superior respectu illius indiuidui habeat indifferentiam, quæ de se sufficit, ad plura indiuidua, licèt de facto non possit exerceri multiplicatio ob defectum conditionis requisitæ, scilicet diuisionis, ex parte materiæ. Etenim illa species, sic abstracta ab indiuiduatione non includit actu illam, sed in potentia, & consequenter, sicut nec includit vnitatem, aut pluralitatem indiuidualem, ita neque ex vi illius conceptus excludit pluralitatem indiuiduorum, ergo si ex vi illius non excludit, habet ex vi indifferentiæ ordinem ad plura non positiuè, sed non repugnanter.

Et confirm. Quia repugnantia ad plura indiuidua in natura Angelica non est secundum omnia prædicata naturæ, sed secundum pręcisam rationem irreceptibilitatis in materia, quia scilicet non indiuiduatur per designationem materiæ, sed per carentiam illius. Vnde repugnantia ad pluralitatem non est ex natura, sed ex modo indiuiduandi naturam, quia non est aliud principium indiuiduandi, quam ipsa irreceptio formæ, inde enim, & non aliunde habet incommunicabilitatem, quæ est ratio indiuiduationis. Igitur si concipiatur natura inadæquatè, id est quantum ad rationem speciei, & non modus ipse indiuiduandi naturam, non accipitur natura, vt repugnans multiplicationi indiuiduorum, & consequenter, vt habens prula indiuidua non repugnanter, licet positiuè non respiciat multa, non defectu sui, sed quia illa multa non sunt.

Quod autem. Quidam dicunt naturam Angelicam esse communem positiuè ad vnum indiuiduum reale, & ad plura ficta, futile est, quia respicere plura ficta est non respicere plura in quibus possit esse, & de quibus possit prædicari. De pluribus enim fictis non nisi fictè prædicatur; fictè autem prædicari est non prædicari verè, nec verè concipi, vt prædicabilem.

Dices, Ergo nulla est differentia inter Deum, & naturam Angelicam, nam etiam Deus potest concipi, vt res communis sine singularitate, & significari, vt terminus communis, sicut supra diximus quæst. 5. Ergo ex modo concipiendi habebit vniuersalitatem, & consequenter gradum superioris, & inferioris, quod in Deo admitti nequit.

Respond. Esse disparem rationem, quia Deus etsi possit concipi sine singularitate, & consequenter modo communi significari tamen ipsa natura sic concepta non manet cum indifferentia, & potentialitate ad indiuiduationem, siquidem concipitur, vt actus purus, qui quidem etsi ex modo nostri conceptus imperfecti non semper explicet singularitatem, tamen ex parte sua non manet indifferens ad illam, sicut cum vnum attributum concipimus, sine alio, non manet vnum in potentia, & indifferens ad aliud, sed solum non exprimit illud. Vnde natura diuina solum vno titulo est communis, scilicet ratione nostri imperfecti conceptus, non tamen ratione indifferentiæ, & potentialitatis ex parte naturæ. Natura autem composita triplici titulo est vniuersalis, scilicet ex modo concipiendi abstrahendo à singularibus, & ex indifferentia naturæ secundum se, & ex pluralitate indiuiduorum ad quæ potest terminari respectus vniuersalis. Natura autem Angelica, solum duplici titulo, scilicet ex modo concipiendi, & ex ipsa indifferentia naturæ secundum se, licet ex defectu multorum indiuiduorum exerceri non possit in re ista communicabilitas ad plura: & ita est vniuersalitas sine exercitio. Vt autem diuina natura termino communi significetur, sufficit quod ex modo significandi, sine singularitate concipiatur; vt autem sit genus, vel species requiritur, quod concipiatur vt contrahibilis, & determinabilis, & consequenter, quod ratio contrahens sit magis determinata, & magis actuans, quod sine potentialitate in ipso contrahibili, & maiori actualitate in contrahente, concipi non potest. Quod totum repugnat actui puro.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur: Argumento insinuato referendo oppositam sententiam. Nam species Angelica habet repugnantiam, vt prædicetur de pluribus, & hoc ab intrinseco ipsius naturæ, quia ab intrinseco impossibilis est multiplicatio talis naturæ in singularibus, ergo repugnat, quod sit species prædicabilis de multis; cui enim prædicatio ipsa repugnat, prędicabilitas non conuenit, sicut cui repugnat visio, potentia videndi non conuenit.

Et confirm. Quia vnitas formalis quæ inuenitur in specie prædicabili desumitur ab intellectu ex similitudine, & dissimilitudine indiuiduorum, & conuenientia eorum inter se, neque enim aliud est fundamentum istius vnitatis formalis, ergo deficiente conuenientia plurium indiuiduorum, non restat vnde sumatur vnitas formalis speciei, quæ est vnitas conuenientiæ plurium in aliquo gradu.

Respond. Disting. anteced. Natura Angelica habet repugnantiam, vt prædicetur de multis, ex modo indiuiduationis, & incommunicabilitatis ipsius formæ, concedo;

concedo; Ex vi naturæ, & indifferentia eius, *nego*. Et licet ipse modus indiuiduationis sit intrinsecus naturæ Angelicæ, non tamen secundum conceptum naturæ, vt natura est, sed vt irreceptibilis, & includens modum naturæ quo ipsa indiuiduatur. Vnde licet concepta adæquatè natura cum modo, prædicari non possit de multis, si tamen inadæquatè concipiatur, sine illo modo, & cum potentia ad ipsum, concipitur, vt prædicabilis de multis, non positiuè, quia non sunt multa quæ terminent respectum prædicabilitatis, sed non repugnanter, quantum est ex parte conceptus naturæ, vt natura sine illo modo concepta, licet ille modus ex propria ratione naturæ conueniat. Et multa sunt quæ absolutè, & simpliciter non possunt in re poni, & tamen, quia ex vi alicuius principij non repugnant, sub conceptu talis principij dicuntur non repugnare. Sicut aduertit D. Thom. quæst. de spiritual. creat. art. vltimo ad 7. Quod substantia potest intelligi, sine aliquo accidenti, sed in re non potest creari aliqua substantia, sine aliquo accidentali prædicato, saltem sine ipsa existentia. Ita stante natura Angelica cum suo modo indiuiduationis, quem habet in re, idest, sine illa receptione, & diuisione materiæ, non stat multiplicari indiuidua, & tamen ex vi naturæ, non vt induit modum indiuiduationis, sed sub præciso conceptu naturæ, vt in potentia ad istam indiuiduationem, non repugnanter se habet ad plura. Et cui repugnat visio, repugnat potentia videndi, si ab intrinseco visio ipsa repugnat; si autem ab aliquo extrinseco modo, vel impedimento, non continuo potentia videndi repugnat, ex vi principij intrinseci.

Et quando instatur. Quod non potest esse vniuersalis, nisi ad multa indiuidua ficta, cum in re sint impossibilia.

Respondetur. Quod ex vi conceptus naturæ, illa multa indiuidua impossibilia non sunt, nec tamen ex vi illius sunt absolute possibilia, & in re, quia ad hoc vt aliquid sit in re possibile, oportet, quod attentis omnibus, quæ in re concurrunt possibile sit: in re autem concurrit modus indiuiduandi, in ipsa natura, ex quo habent esse impossibilia. Vt autem dicatur non impossibile quantum est ex vi naturæ, sufficit quod ex illa parte, seu ex vi conceptus naturæ præcise, non habeat impossibilitatem. Et ideò solum dicitur non repugnanter respicere illa plura, & quantum est ex vi naturæ, non positiuè in re & absolutè.

Ad confirmat. Respondetur. Vnitatem formalem in naturis compositis sumi ex conuenientia positiua plurium indiuiduorum; in naturis autem simplicibus non sumitur ex conuenientia positiua plurium, sed ex ipsa vnitate naturæ conceptæ sine indiuiduatione, & cum indifferentia, quæ de se non repugnat communicari multis, quando concipitur sine modo indiuiduationis, & ad instar rei compositæ. Melius est autem sumi vnitatem formalem ex indiuisione naturæ specificæ, quam ex conuenientia plurium indiuiduorum.

Secundò arguitur. Modus ille irreceptionis in materia essentialiter conuenit Angelo, siquidem per hoc distinguitur ab anima rationali quæ est forma recepta, ergo non potest abstrahi natura specifica Angeli ab illo modo indiuiduationis, qui est per irreceptionem in materia. Conseq. patet, quia quantuncumque abstrahatur natura Angelica non potest abstrahi ab eo quod sibi essentialle est, sic enim non abstraheretur, sed destrueretur, sicut si homo conciperetur sine animali, quod est essentiam aliquam concipi sine eo, quod est sibi essentiale. Nec obstat, quod inadæquate concipiatur, vel ad instar rei compositæ, & sic concipi potest modo communicabili ad plura. Contra primum enim instatur. Quia aliàs Petrus posset concipi, vt vniuersalis, & similiter natura diuina, quia Petrus inadæquate conceptus solum explicat naturam non indiuiduationem, & consequenter si inadæquatus conceptus rei intrinsece singularis qualis est Angelus sufficit, vt possit denominari vniuersalis, cur etiam Petrus, qui intrinsecè est singularis, si inadæquate concipiatur, id est, quantum ad naturam, non quantum ad indiuiduationem, non poterit concipi, vt vniuersalis? Et idem est de natura diuina, quæ essentialiter singularis est.

Contra secundum verò instatur, quia etsi Angelos concipiamus ad instar rei corporeæ, non tamen illis attribuimus proprietates rei corporeæ, sed remouemus ab eis, quia illis repugnant, ergo cum multiplicatio numerica, quæ conuenit rebus corporeis repugnet spiritualibus, non possumus id eis tribuere.

Respond. Admittendo quod natura Angelica essentialiter est irreceptibilis in materia, & carens illa, & ab ista carentia materiæ nunquam potest pręscindi. Negamus tamen, quod non possit pręscindi à sua singularitate, quia carentia materiæ, & irreceptibilitas non est ipsa indiuiduatio Angeli, sed radix illius. Indiuiduatio enim in Angelo non dicit solum radicem, & principium incommunicabilitatis, sed etiam designationem formalem, & determinationem certam indiuidui, quæ etiam in Angelis dependet, seu dicit ordinem ad extrinseca pręedicata, puta ad subsistentiam, & accidentia; constat enim posse separari in Angelo personalitatem propriam, vt si natura Angelica assumeretur à Deo, personalitas autem est terminus singularitatis. Vnde singularitas, & indiuiduatio dicit ordinem ad aliqua extrinseca, nec pure pertinet ad constitutionem essentialem Angeli. Sicut autem in rebus corporeis materia habet duplicem considerationem, sc. licet componere, seu constituere ipsam naturam, & radicaliter esse principium indiuiduationis, & multiplicationis numericæ, secundum se quidem remote, vt autem signata est quantitate proximè; & tamen quando consideratur natura in communi, consideratur ratio materiæ, vt constituens, non vt principium indiuiduandi est. Ita in suo opposito, quod est carentia materiæ, & irreceptibilitas in ea, qualis inuenitur in Angelo, duplex consideratio potest attendi, & secundum quod pertinet ad ipsam constitutionem formæ simplicis, & purè spiritualis, & secundum quod pertinet ad modum indiuiduationis, quatenus talem naturam spiritualem reddit incommunicabilem, & immultiplicabilem; & vna consideratio secernitur ab alia, ita quod ipsa carentia materię, vt requiritur ad constitutionem talis naturæ, non est aliud quam ipsa ratio simplicis formæ, prout est forma immaterialis, & vt sic nondum fundat repugnantiam multiplicationis. Ipsa autem carentia formæ, vt præbet modum incommunicabilitatis, & fundat subsistentiam, & singularitatem completam, sic præbet modum indiuiduationis, & repugnat multiplicationi. Vnde quando abstrahimus naturam specificam Angeli à modo indiuiduandi, non pręscindimus in tali natura id quod essentiale est in carentia materiæ, quantum ad constitutionem quidditatis, sed id quod in natura illa pertinet ad modum indiuiduationis, qui radicaliter quidem originatur in ipsa natura specifica, non tamen formaliter in ea consistit, cum dependeat in sui designatione à prædicatis extrinsecis.

Ad instantias autem allatas. *Respond*. Ad primam, quod Petrus non solum radicaliter, sed etiam formaliter explicat ipsam indiuiduationem, vnde non potest concipi, sine differentia indiuiduali, etiam inadæquate, nisi destructo conceptu Petri, & accipiendo conceptum naturæ. Natura autem Angelica non

explicat

explicat formaliter ipsam indiuiduationem, licet radicem eius includat sub formalitate constituendi naturam immaterialem, non sub formalitate emittendi, & fundandi indiuiduationem. Diuina autem natura potest quidem concipi per modum naturæ sine singularitate, non tamen vt vniuersalis, quia non potest concipi, vt contrahibilis per differentias cum sit actus purus, & nullo modo in potentia.

Ad secund. Instantiam dicitur, quod quando concipimus Angelum ad modum rei corporeæ non attribuimus illi conditiones rei corporeæ per modum attributionis, & iudicij, sed per modum simplicis repræsentationis ad instar rei corporeæ apprehendimus ipsam sine indiuiduatione, non explicando totum, quod est in natura Angelica, non quidem ex parte prædicatorum constituentium quidditatem, sed in quantum est radix indiuiduationis. Si enim plenè, & adæquatè concipiatur explicando id quod radicaliter, & implicitè continetur in natura non posset concipi, vt vniuersalis, quia explicaret modum naturæ, qui est singularitas, & immultiplicabilitas. Quod etiam affirmat S. Thom. 1. p. quæst. 13. art. 9.

Adhuc tamen instabis. Quia natura Angelica non solum, vt concipitur ad instar rei corporeæ, sed etiam secundum se est in prædicamento, cum sit ens finitum, & creatum, ergo secundum se etiam si ad instar rei corporeæ non concipiatur habet rationem generis, & speciei prædicabilis, quia sine hoc non ponitur in prædicamento.

Item instatur. Quia natura corporea posita radice indiuiduationis, quæ est natura signata non potest concipi, vt vniuersalis, quia natura vniuersalis abstrahit ab ista radice, ergo si ipsa species naturæ Angelicæ est radix indiuiduationis ratione incommunicabilitatis, & irreceptibilitatis in materia, non potest etiam inadæquatè concipi, vt vniuersalis. Præsertim, quia quod conuenit alicui per se, non potest oppositum, etiam per accidens ei conuenire. Ergo cum conueniat ei ex ipsa ratione naturæ immultiplicabilitas non potest etiam per accidens, & ratione inadæquati conceptus multiplicabilitas in plura ei conuenire, sicut requiritur ad speciem prædicabilem de multis.

Respond. Naturam Angelicam secundum se esse in prædicamento quantum ad coordinationem graduum superiorum, & inferiorum, secundum se enim est quidditas composita ex genere, & differentia, sed quod species ista habeat vniuersalitatem prædicabilem de multis non pertinet ad rationem ponendi in prædicamento, sed ad conditionem, seu modum rei, quæ ponitur in prædicamento. Et talem modum non repugnat, quod natura Angelica habeat per hoc quod concipiatur inadæquatè, & ad instar rei corporeæ, ad quod tamen, fundamentum præbet ipsa natura.

Ad secund. instant. *Resp.* Quod materia signata est principium indiuiduationis determinatum, & signatum, non remotum, à qua signatura debet abstrahi natura vniuersalis; ab ipsa autem materia quæ est principium remotum indiuiduationis non abstrahit natura vniuersalis. Sic in Angelo carentia materiæ, & irreceptibilitas in ea, vt conducit ad rationem spiritualitatis, & formæ simplicis in Angelo non est proximum principium indiuiduationis, sed remotum. Vt autem fundat subsistentiam, & ordinem ad accidentia extrinseca designantia ipsam naturam in singulari, sic est principium proximum indiuiduationis, & ab ista abstrahit natura Angelica in vniuersali concepta. Et quando dicitur; quod si alicui conuenit per se non potest oppositum conuenire etiam per accidens. *Resp.* Aliud esse non conuenire, aliud non repugnare ex aliqua parte: multiplicario quidem in pluribus nullo modo conuenit naturæ Angelicæ positiuè, & simpliciter. Cæterum non repugnat illi ex vi naturæ indifferenter conceptæ, & ideo ex vi huius vt sic potest esse prædicabilis de multis, non quidem positiuè, sed non repugnanter.

Quod si dicas. Ergo talis natura non est vniuersalis Logicè, sed Metaphysicè, quia Logica vniuersalitas fit per comparationem positiuam ad plura, species autem Angelica non est positiuè vniuersalis, nec potest comparari ad plura nisi ficta, ergo non est vniuersalis Logicè.

Resp. Naturam Angelicam habere intentionem Logicam, non quæ actu comparetur ad plura positiuè ea attingendo, siquidem non sunt, nisi ficta, sed actu attingendo vnum indiuiduum positiuè, & plura non repugnanter. Et hoc sufficit ad relationem intentionis Logicæ, sicut in sententia S. Thom. 3. p. quæst. 35. art. 5. vna relatio patris respicit plures filios si sint actu, si autem non sit nisi tantum vnus filius, de facto non attingit plures, sed illa relatio quæ attingit vnum positiue, non repugnanter attingit plures, quia ita se habet, vt si plures darentur, illos attingeret. Ita relatio illa naturæ specificæ taliter respicit vnum indiuiduum positiue, quod de se posset plura attingere, si darentur, quantum est ex vi illius conceptus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum species poßit conseruari in vno tantum indiuiduo, & genus in vna tantum specie?

Difficultas hæc affinis est præcedenti, & ex illa plenius intelligetur, quomodo species possit esse prædicabilis de multis, licet illa non sint possibilia, ex modo indiuiduationis. Cum autem tam in genere, quam in specie duo considerentur, scilicet, & natura quam explicant actualiter, & plura ad quæ sunt in potentia, certum est quod tam genus, quam species, quantum ad naturam quam actualiter dicunt, in vna specie, & indiuiduo conseruari possunt, quia genus totam suam essentiam communicat cuilibet inferiori, ergo in vnoquoque saluatur tota natura generis, & speciei. Vnde dicit S. Thom. 1. p. quæst. 77. art. 1. ad 1. *Quod totum vniuersale adest cuilibet parti secundum totam suam essentiam, & virtutem, sicut animal homini, & equo.* Igitur tota essentia generis in qualibet specie saluatur.

Reducitur ergo tota difficultas ad hoc, an genus quoad potentialitatem, & ordinem quem habet ad plura possit respectu vnius speciei saluari, etiam si aliæ essent impossibiles, nam si possibiles sunt, licet de facto non existant, certum est saluari potentiam generis ad illas quia ab existentia earum non dependet, & de facto post diem iudicij in toto genere animalis non erit nisi vnica species hominis, idque etiam potuisset fieri ab initio. Et similiter loquimur de specie secundum potentiam, & aptitudinem ad existendum in pluribus. Et non est sermo de ipsis intentionibus, sed de aptitudine, & potentia ad plura quæ est earum fundamentum. Intentio enim est relatio, quæ sequitur naturam fundamenti.

Quidam ergo absolute censent, genus in vna specie posse conseruari, & speciem in vno indiuiduo, eadem enim est ratio vtriusque quia æque vniuersalia sunt, vniuersale autem est vnum in multis, ergo si ad speciem sufficit multitudo solum ex parte modi concipiendi, licet non ex parte rei conceptæ, vt præcedenti

denti articulo diximus, similiter sufficiet ad genus. Alij è contra, neque genus, neque speciem in vno tantum inferiori saluari posse existimant, quia essentiale est vnicuique vniuersali diuidi per multas differentias, cum sit vnum de multis, ergo deficientibus multis deficit vniuersale. Alij denique distinguunt inter genus, & speciem, & ad conseruandum genus in ratione totius potentialis existimant requiri plures species: ad saluandum verò speciem non requiri plura indiuidua. De quibus sententiis vide Curs. Carmel. hic disp. 6. quæst. 2.

Hæc vltima sententia communior est, & sine dubio Diu. Thom. in 1. Poster. lect. 12. vbi inquit: *Quod non est possibile inuenire aliquod genus, cuius vna tantum sit species, genus enim diuiditur in species per oppositas differentias, oportet autem si vnum contrariorum inuenitur in natura, & reliquum inueniri, vt patet per Philosophum in 2. de Cœlo, & ideo si vna species inuenitur, inuenitur, & alia. Vna autem species diuiditur in diuersa indiuidua per diuisionem materiæ, contingit autem totam materiam alicui speciei proportionatam ab vno indiuiduo comprehendi, & tunc non est nisi vnum indiuiduum sub vna speci*. Idem docet S. D. in 1. dist. 19. quæst. 4 art. 2. in corpore.

Et sumitur fundamentum, huius sententiæ ex duabus propositionibus à D. Thom. positis. *Prima*. Quod genus diuiditur per oppositas differentias. *Secunda*. Quod si vnum oppositum, seu contrarium inuenitur in rerum natura, etiam & reliquum. Et prima propositio constat. Quia genus contrahitur per differentias formaliter diuersas, seu formas incompatibiles, & distantes in eodem genere. In hoc autem consistit oppositio, seu contrarietas, quod sint aliquæ formæ distantes in eodem genere, & si maximè distent est perfecta contrarietas. Diuidi autem genus per differentias formaliter diuersas constat. Quia genus diuiditur per differentias, quæ ipsum contrahunt ad constituendam speciem, ergo oportet, quod dicat naturam actuabilem, & contrahibilem per differentias formales, quæ compleant actualitatem eius, & essentiam formalem constituant. Vnde si plures habet differentias formaliter debent esse diuersæ, & non solum materialiter, id est in ipsa formali ratione quidditatis, atque adeò oportet, quod sint oppositæ, vt potè formaliter incompatibiles.

Secunda verò propositio. Probatur ab eodem Diu. Thom. 2. de Cœlo lect. 4. Quia contrariorum eadem est materia & subiectum, alioquin non se inuicem expellerent si circa idem subiectum non versarentur, ergo oportet quod materia, seu subiectum vnius contrarij habeat potentiam ad alterum contrarium, ergo si vnum contrariorum est in rerum natura, aliud etiam est possibile, quia datur potentia, susceptiua illius, quod si esset impossibile, hoc ipso destrueretur potentialitas susceptiua illius, quæ est in materia, vel in genere, quia solum esset potentialitas receptiua vnius. Et sic destrueretur potentialitas generis ad multa, quia est ad multa vt contraria, & formaliter opposita.

Ex quibus propositionibus aperte deducitur differentia inter genus, & speciem, quia genus habet se ad differentias specificas quasi materia potentialis ad formas actuales, & formaliter oppositas, seu incompatibiles, species autem dicit ordinem ad plura solum materialiter diuersa, & materialiter solum incompatibile, & ita non se habet ad differentias indiuiduantes sicut materia ad formam, sed potius sicut forma ad materialem diuisionem. Quod autem se habet, vt materia si est communicabilis pluribus, debet supponere possibilitatem eorum, quibus communicabilis est, id autem quod se habet vt forma ex ipsa ratione, & conceptu formæ communicabilis est pluribus, licet ex defectu materiæ recipientis possit impediri communicatio. *Et huius ratio est*. Quia materia, & id quod ex parte materiæ se tenet potius de se est principium incommunicabilitatis, sicut & limitationis, & restrictionis, cum sit vltimum subiectum vltra quod non datur communicatio, sed si materia communicabilis est pluribus, ex eo est, quia illa plura sunt possibilia circa talem materiam. Vnde ex possibilitate formarum circa aliquod subiectum, seu materiam, sumitur potentialitas materiæ ad plura. Quod si materia communicatur formæ potius est, vt perficiatur in se à forma, quam vt ipsa se communicet, quia communicare se est proprium boni. Materia autem non est bona in actu, quia non est perfecta, neque in actu, & vt dicit D. Thom. 1. p. quæst. 5. art. 3. ad 3. materia prima non est appetibilis, sed appetens. Vnde forma non tam appetit materiam, quam esse in materia.

Quare esse materiam communicabilem pluribus, nihil aliud est quam posse recipere, & perfici à pluribus. Ergo potentialitas materiæ, seu generis ad plura ex ipsa pluralitate formarum, quæ possunt ipsam perficere, oritur. At verò forma ex ipsa ratione formæ, quæ est actus, & perfectio est communicabilis pluribus quantum est ex se, quia est perfectio, & actus, perfectio autem est bonum & bonum, vt bonum est communicatiuum sui, vnde non ex pluralitate recipientium dependet, quod de se sit communicabilis, sed id habet ex ratione formæ, & actus. Vnde 1. Periherm. lect. 10. inquit D. Thom. *Quod omnis forma quæ nata est recipi in materia quantum est de se communicabilis est multis materiis*. Et 1. p. quæst. 3. art. 2. ad 3. & 1. Metaphys. lect. 5. §. *Ponit aliam rationem*, vniuersaliter dicit, quod *qualibet forma quantum est de se nata est in pluribus esse*. Cum ergo species sumatur à forma, & dicat essentiam formaliter completam ex ipso modo concipiendi illam, non repugnat concipi, vt communicabilem pluribus, licet ex defectu materiæ recipientis, & materialiter diuidentis, non semper possit in exercitio communicari, vt diximus art. præcedenti de speciebus Angelicis. De se ergo quælibet species etiam quantum ad communicabilitatem ad plura non dependet à pluribus indiuiduis, genus autem dependet à pluribus speciebus.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur. Ad probandum, quod genus potest saluari in vna tantum specie. Quia in vna tantum specie potest accipi gradus, seu ratio indeterminata, & potentialis, & ratio, seu gradus actualis, & determinatus, ergo potest accipi genus, & differentia. Anteced. patet, quia illa species esset in prædicamento, cum esset res creata, ergo haberet gradum superiorem, & inferiorum, & consequenter determinabile, & determinatum, siquidem non omnia prædicata illius essent æqualis actualitatis, & determinationis.

Respond. Quod illa species esset quidem in prædicamento ratione naturæ limitatæ, & haberet gradum superiorem, & inferiorem, non quidem superioritate magis extensa, & ampla respectu inferiorum, sed minus determinata, & actuali, seu magis potentiali ex parte quidditatis, quam differentia contrahens. Vnde non esset vniuersalis generice, licet haberet naturam magis potentialem quam differentia, sicut habet genus. Esset ergo potentialitas respiciens tantum vnam formam non ad plures indifferenter se

habens,

habens, sicut potentia animæ,& Angeli ad suscipiendum intellectum, quæ non est potentialitas ad contraria, & ad multa, sed tantum ad vnum.

Et quando instatur, quod illud prædicatum genericum non esset æquale cum prædicato specifico,& differentiali, ergo esset superius tanquam genus.

Respondet. Quod non esset æquale in actualitate, quia differentia actuaret illud, sed esset æquale in extensione, quia non ad plura se extenderet, quam species, & differentia. Vniuersalitas autem generica extensionem petit ad multa, quantum ad rationem totius potentialis, licet natura, quam explicat imperfectior sit, & potentialior differentia contrahente in ratione quidditatis.

Secundò arguitur. Si tota potentialitas generis non posset saluari in vnica specie, ergo neque in duabus, vel decem, vel in aliquo alio numero certo, quia non est maior ratio quod illa potentialitas exhauriatur per duas species, quam per viginti, vel centum, & ita quodlibet genus requireret infinitas species, nec posset de potentia absoluta saluari tota potentialitas generis in vna specie, vel duabus, cum tamen possit tota potentialitas materiæ satiari vnica forma incorruptibili. Imò ex hac ratione sequeretur, quod nec species posset in vnico indiuiduo saluari, quia est in potentia ad plures conditiones indiuiduantes, quæ in vno solo indiuiduo saluari non possunt, ergo sicut genus non saluatur in vna tantum specie, quia est in potentia ad plures differentias, neque species in vno indiuiduo, quia non possunt omnes conditiones indiuiduantes in vno colligi.

Respondet. Quod potentialitas generis sufficienter saluatur hoc ipso, quod habeat plures species, siue sint in numero determinato, siue infinito, de hoc enim non disputamus. Requiruntur ergo ad minus, & sufficiunt duæ species sub vno genere, nec potest eius potentialitas extensiua saluari etiam de potentia absoluta respectu vnius tantum speciei ob rationem dictam. Et ad exemplum allatum de materia dicimus, quod vel illa materia est capax plurium formarum corruptibilium, vel solum est capax vnius formæ incorruptibilis, sicut multi existimant de materia Cœli. Si hoc secundo modo se habeat non saluatur in illa materia potentialitas contrarietatis, & extensionis ad plura, sed solum potentialitas actuationis,& informationis, quod fit per vnum. Si primo modo, semper materia illa manet cum potentialitate ad plura à quibus potens est informari, licet de facto non sit in statu transmutationis ad illa si habeat formam incorruptibilem à qua satiatur quantum ad transmutationem ad alias, non quantum ad capacitatem illarum.

Et ad exemplum de specie respectu plurium indiuiduorum. *Respond.* Verum esse quod in vnico indiuiduo non potest habere species omnes proprietates, & differentias indiuiduantes, si de facto sint possibiles, sed habet in vno indiuiduo naturam, quæ ex conceptu formæ, & actus quo constituitur, non repugnat esse communicabilem pluribus differentiis indiuiduantibus, licet ob defectum materiæ, illæ sint impossibiles. At verò genus ex eo quod sit in vna specie non est communicabile pluribus speciebus, si illæ sunt impossibiles, quia materia de se non est principium communicandi pluribus, sed recipiendi plura. Vnde si illa sint impossibilia, non remanet potentialitas ad recipiendum illa. Et idem est de genere, cuius potentialitas materiæ assimilatur in ordine ad formas, seu formales differentias.

Vltim. arguitur. Si aliqua species conseruatur in vnico indiuiduo, vel habet essentialiter annexam repugnantiam ad plura, vel non habet, si non habet, ergo illa plura sunt possibilia,& sic tollitur casus, quod tantum vnum indiuiduum sit possibile. Si habet intrinsecam repugnantiam, ergo neque ex modo concipiendi potest accipi, vt communicabilis, & vniuersalis pluribus, & sic non erit differentia inter ipsam, & genus.

Et confirm. Quia in illo casu, species, & indiuiduum non distinguuntur, quia non est possibile, nisi vnum indiuiduum, ergo non saluatur in illo indifferentia ad plura, sicut requiritur ad vniuersalitatem speciei, vel si reperitur indifferentia, quia est prædicatum superius, idem dicemus de prædicato generico in vna tantum specie.

Respondet. Quod etiamsi species habeat essentialiter annexam repugnantiam ad plura indiuidua, potest saluari ratio vniuersalitatis eius, si illam repugnantiam habeat non ex conceptu naturæ, vt natura est, sed ex modo indiuiduationis, qui radicaliter continetur in ipsa specifica natura, vt diximus articulo præcedenti. Vnde non repugnat ex modo concipiendi talem naturam inadæquatè, & sub præciso conceptu naturæ, & formæ, concipi vt communicabilem pluribus non repugnaret ex vi talis præcisionis, & conceptus inadæquati, licet in re repugnet ex alio principio etiam ad ipsam essentiam pertinente, scilicet quia caret materia in cuius diuersis partibus recipiatur diuersa natura indiuidualis.

Ad confirm. respondet. Illam naturam specificam distingui solum ratione ab illo vnico indiuiduo, sed tamen dicitur fundamentaliter manere indifferentia, & potentialitas ad plura in tali specie, non verò in genere, non solum quia est prædicatum superius, sed quia est tale prædicatum superius, scilicet per modum quidditatis formalis quæ secundum proprietates formæ ex ipso conceptu formæ, & naturæ est communicabilis ad plura, licet ea quibus communicari posset, non dentur. Genus autem ex vi sui conceptus præcisi non dicit communicabilitatem ad plura sicut forma, sed sicut materia, quæ nisi sint plures formæ possibiles, potentialitatem ad recipiendum illas non habet.

Ex quo etiam soluitur alia instantia quomodo scilicet species cum sit totum potentiale respectu indiuiduorum, saluetur in vnico tantum indiuiduo, quod est pars illius, cum omne totum sit maius sua parte.

Respon. enim. Quod species in vno tantum indiuiduo, existens est totum potentiale non respectu illius tantum, sed respectu plurium ad quæ ex vi sui conceptus formalis non repugnat communicari, licet in re non sint possibilia multa quibus communicetur. Vnde non dicimus respectu vnius tantum indiuidui saluari speciem, sed in vno indiuiduo existentem non repugnare, quod concipiatur, vt communicabilis pluribus, quantum est ex modo concipiendi illam formam, seu naturam.

QVÆSTIO IX.

De indiuiduo.

DVplex est indiuiduum, aliud designatum, & determinatum, vt Petrus, Paulus, &c. Aliud vagum seu in communi, vt aliquis homo. De priori agemus in hoc articulo, de secundo in sequenti.

ARTICVLVS I.

Vtrum definitiones indiuidui rectè explicentur?

VT indiuidui rationem, quæ satis perplexa est inuestigare possimus, eiusque definitiones explicare, duo prænotanda sunt. Primum, vel posse nos loqui de indiuiduatione generaliter accepta, prout in omnibus generibus inuenitur, tam substantiæ, quam accidentis, vel specialiter provt in genere substantiæ inuenitur, speciali enim modo indiuiduatur, eo quod subsistit in se, & per se ipsam indiuiduari debet. Vnde licet in omni indiuiduo inquiri possit, & de principio, seu fundamento indiuiduationis, & de ipsa indiuiduatione, in substantia tamen non solum inuenitur principium indiuiduationis, & ipsa indiuiduatio ex tali principio causata, sed etiam terminus, seu complementum ipsius singularitatis, quo natura illa redditur completa, & subsistens, potestque inueniri natura, sine tali termino, & propria subsistentia, vt patet in natura humana assumpta à persona diuina. Et ita dixit Diu. Thom. quæstion. 9. de Potent. artic. 2. *Quod in substantia particulari est tria considerare, quorum vnum est natura in singularibus existens. Secundum est modus existendi talis naturæ, quæ existit vt propria huic indiuiduo. Tertium est principium ex quo causatur talis modus existendi.* Vbi singularitatem modum vocat naturæ.

Secundò est prænotandum quod indiuiduum, seu singulare, quod communiter in omnibus generibus inuenitur, potest considerari, vel primo intentionaliter, vel secundo intentionaliter. Indiuiduum quantum ad primam intentionem dicit ipsam singularitatem provt à parte rei inuenitur quæ singularitas, seu indiuiduatio realis non est aliud physicè, & in re quam ipsa vnitas numerica qua aliquid ita est vnum, quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, vt S. Thom. docet 1. p. quæst. 29. art. 4. Et hæc vnitas numerica in re est sicut modus naturæ, & reddit vnitatem simpliciter, quia specifica, & generica sunt vnitates per rationem, in re autem conuenientiæ, seu similitudines, & possunt vlterius diuidi in inferiora, quod non potest numerica. Quantum ad secundam intentionem, indiuiduum constat duplici relatione rationis. Prima est subiicibilitatis ad prædicata superiora, siue ad prædicatum immediatum, quod est species athoma, siue ad prædicata mediata, quæ sunt genera, vt constat in indiuiduis genericis, vt *hoc animal, hoc corpus, &c.* Hæc enim indiuidua ex parte subiicibilitatis accipiuntur. Secunda relatio rationis, est prædicabilitatis, qua indiuiduum prædicatur, non de aliquo inferiori, sed de se ipso.

Iuxta ista tria, triplex Porphyrij definitio de indiuiduo procedit. Prima de indiuiduo primò intentionaliter accepto. *Indiuidua ex eo dicuntur, quod ex proprietatibus consistit vnumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio, eadem erit.* Quæ sint autem istæ proprietates indiuiduantes, communiter admittitur dictum Alberti Magni, quod suntseptem, & illo vulgari versu continentur.

Forma, Figura, Locus, Tempus, cum nomine Sanguis.

Patria, sunt septem, quæ non habet vnus, & alter.

Ex quarum proprietatum numeratione satis constat explicari hanc definitionem primo intentionaliter, quia numerantur hîc proprietates, quæ realiter inueniuntur, vt patet de forma, & figura, &c. Imò in ista definitione solum definitur indiuiduum substantiæ, quia soli substantiæ conuenit habere collectionem istarum proprietatum. Et adhuc restrictius non quodlibet indiuiduum substantiæ, sed completum, & subsistens, quod vocatur suppositum, seu persona, definitur ista definitione, quia aliquæ proprietates sunt, quæ soli supposito conueniunt, & non partibus, vt nomen quod toti personæ imponitur, sanguis, id est, genus, seu generatio, quæ solis personis conuenit, & similiter patria, &c. neque enim manus, vel pes dicitur habere patriam, vel genus suum ducere à tali sanguine, sed totus homo.

Aliter tradit D. Thom. definitiones indiuidui primo intentionaliter accepti, nam in 1. p. q. 29. artic. 4. inquit: *Quod indiuiduum est indistinctum in se, & distinctum ab alijs*, vel melius in 10. Met. lect. 11. *Indiuiduum est, quod non diuiditur vlterius, nec formali, nec materiali differentia.* Quæ definitiones non solum conueniunt indiuiduis substantialibus, sed etiam accidentibus, & explicari potest prima definitio sic, quod indiuiduum est in se indistinctum, id est vnum & indiuisum, & distinctum ab aliis, id est vltimatè distinctum, nec amplius distinguibile per alias differentias, quod ipsa secunda definitio explicat, quando dicit, quod indiuiduum est, quod vlterius non diuiditur. Sicut autem vnitas licet dicat aliquid positiuum cum negatione diuisionis, non tamen addit super ens aliquid positiuum sed negationem illam, quæ tamen non intrat constitutionem entitatis, sed ad eius pertinet passionem, ita indiuiduatio non dicit aliquid pertinens ad quidditatem rei, sed extra quasi modificationem, aut determinationem eius per modum negationis explicatam.

Si autem inquiras: An ista definitio tradita à Porphyrio essentialis sit, vel descriptiua? *Resp.* Descriptiuam esse, quia traditur per proprietates, quarum collectio, seu aggregatio ita inuenitur in vno quod non in alio, ergo supponit ipsam essentiam indiuidui constitutiua, quia proprietates supponunt id cuius proprietates sunt. Nec sufficit dicere, quod supponunt naturam specificam, quia respectu eius non sunt proprietates, sed accidentia, alioquin omnibus conuenirent, quibus conuenit natura specifica. Vel potius dicendum, & fortasse magis ad mentem Porphyrij, quod non definitur indiuiduum, per proprietates consequutas, & posteriores ipsa indiuiduatione. Fortassis enim indiuiduo propriæ passiones quæ fundatur in connexione necessaria ad naturam non conueniunt; sed quæ sunt principium, & ratio indiuiduationis, quatenus designant materiam, vt ex ipsa materia signata nascatur indiuiduatio, vt in libris de Gener. probabitur ex sententia D. Thom. Et ad hoc videntur inclinare verba Porphyrij, dum inquit: *Indiuidua ex eo dici, quod ex proprietatibus consistit vnumquodque, &c.* Vbi non dicit consistere in hoc indiuiduum, sed *ex eo dici*, quia scil. inde originatur indiuiduatio, quia talibus proprietatibus designatur materia, quæ est principium indiuiduationis. Vnde aduertit optimè D. Thom. 7. Met. lect. 15. *Quid collectio accidentium non est principium indiuiduationis, sed materia signata, quia qualibet forma de se nata est in pluribus esse. Vnde quantumcumque aggregentur formæ seu accidentia, non indiuiduant.* Requiritur ergo materia, quia ipsa est principium incommunicabilitatis, eo quod est vltimum subiectum, vltra quod non datur communicatio. Signatur autem proprietatibus, vel recipiendo illas, vel dicendo ordinem ad illas, præsertim ad quantitatem, vnde resultat designatio, seu diuisio materiæ, vt dicto loco dicetur.

Si iterum inquiras. Quid sit ista indiuiduatio formaliter? *Resp.* aliud esse principium indiuiduationis, aliud indiuiduationem ipsam, quæ à tali principio

causatur.

causatur. Principium indiuiduationis sumit D.Thom. in rebus compositis ex natura designata per quantitatem, & accidentia, vel per ordinem ad illam; in rebus autem à materia separatis ipsamet forma, vt incommunicabilis est materiæ docet esse principium indiuiduationis. Et in hoc est varietas opinionum, & contrarietas inter D.Thom. & Scot. & alios. Quia Scot. docet prouenire istam indiuiduationem ex aliquo modo superaddito naturæ, quem vocat hæcceitatem, quo scilicet redditur natura formaliter hæc, & designabilis. Alij verò docent vnumquodque ens se ipso indiuiduari, & non ex alio principio, sicut se ipso vnum est. De qua controuersia in præsenti non est agendum, sed in libris de Gener. q.9. Et videri potest Caiet. de ente, & essent. c.2. circa finem. At verò indiuiduatio ipsa formalis, quæ à principio indiuiduationis causatur, metaphysicè est ipsa differentia indiuidualis; physicè autem est ipsa vnitas, seu modus vnitatis, vt indiuidua, qua aliquod ens taliter est vnum, quod non est amplius diuisibile, seu communicabile per alias differentias contrahentes, vt iam supra explicatum est, & amplius in dicto loco de Generatione dicetur.

Specialiter autem loquendo in genere substantiæ inuenitur peculiaris ratio indiuiduationis, vt benè notat S.Thom. 1.p.q.29.art.1. eo quod substantiæ per se ipsas indiuiduantur, idest, sine ordine ad aliquid extra se, sed subsistendo in se. Et ideò in ipsis substantiis aliud est singularitas, seu indiuiduatio, quæ inuenitur etiam in accidentibus, aliud subsistentia, vel suppositalitas; nam in humanitate Christi constat assumptam esse naturam singularem, id est, non vniuersalem, non tamen subsistentem, & suppositatam. Est ergo suppositalitas distinctum quid ab indiuiduatione, & habet se tanquam terminus complens ipsam singularitatem, & existentiam naturæ. Vnde indiuidua substantiæ speciali modo nominantur, dicuntur enim *supposita personæ, & hypostases, primæ substantiæ, res naturæ subsistentia*. Quæ significant indiuiduum, prout est quoddam totum, & completum in genere substantiæ, quod substat aliis tam prædicatis essentialibus naturæ, quam accidentalibus. Et sic non solum dicunt singularitatem completam, & subsistentem, de quo inf. q.15. agemus, & 1. Physic. q. 7. Alia nomina sunt communia indiuiduis accidentis, & substantiæ, siue totali, siue partiali, siue sit subsistens, siue non, vt *singulare, indiuiduum, particulare*, & similiter pronomina designatiua, vt *hoc, istud, illud*, & similia, vt optimè declarat D. Thom. in 3. sentent. ad Anibaldum dist. 6.q. vnica, art.1. & in aliis sententiariis ibidem, & in 1. dist. 26.q.1.art.1. Vbi etiam explicat, quomodo ista nomina aliquando accipiuntur primo intentionaliter, aliquando secundo intentionaliter, sicut indiuiduum, particulare, singulare, aliquando realitatem singularitatis designant, aliquando habitudinem secundæ intentionis ad prædicata superiora, & promiscuè iam istis nominibus vtimur ad significandam indiuiduationem, tam primo intentionaliter, quam secundo intentionaliter.

Hucusque definitionem Porphyrij de indiuiduo primo intentionaliter explicauimus. De indiuiduo autem secundo intentionaliter duas definitiones tradit Porphyrius. Primo ex parte prædicabilitatis, dicens. *Quod indiuiduum est illud, quod de vno solo prædicatur.* Secunda ex parte subiicibilitatis dicens: *Quod indiuiduum continetur sub specie, species autem sub genere.* Ostendens per hoc, quod conuenit illi esse vltimum subiicibile, vtpotè sub genere, & specie contentum. Vbi aduerte subiicibilitatem, quæ est relatio indiuidui, vt inferioris ad sua superiora esse præcipuum, quod in indiuiduo importatur, quia principalis ratio indiuidui est ratio inferioritatis ad vniuersale, opponitur enim indiuiduum vniuersali, sicut inferius superiori. At verò prædicabilitas, quæ conuenit indiuiduo cum sit tantum prædicabilitas de vno, vel de se ipso non tam est artificialis prædicatio, quàm identica. Sed tamen, quia prædicatio identica etiam conuenit rebus in vniuersali acceptis, vt cum dicitur, *homo est homo, animal est animal*, addendum est, vt hæc definitio soli indiuiduo applicetur, quod id quod solum identice, & non alio modo prædicari potest de vno, illud dicatur indiuiduum; res enim in communi etsi identicè prædicari eis conuenit, scilicet formaliter, de suis inferioribus, id est vt prædicatum formale distincti conceptus.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, Illo communi argumento. Quia singulare neque est definibile, nec scibile, de singularibus enim non est scientia, ergo frustra hic traditur definitio indiuidui. Si dicatur definiri ipsam indiuiduationem in communi. *Contra est*. Quia hæc indiuiduatio non est indiuiduum, sed vniuersale, prædicatur enim de pluribus, & non de vno tantum, pluribus enim conuenit ratio indiuidui, & illa indiuiduatio communis, vel est secunda intentio, vel prima. Si secunda intentio non saluat primam definitionem Porphyrij, quæ est de singulari pro prima intentione. Si prima intentio, non est aliquid vniuocum, neque vna definitione definibile, quia differentiæ indiuiduales sunt primò diuersæ, & sic nihil habent vniuocum, siuè commune.

Respond. Hoc argumento tangi difficultatem sequenti articulo discutiendam de indiuiduo in communi, seu de indiuiduo vago, quod potest concipi in communi. Videatur ibi solut. ad primum, vbi ostendemus indiuiduum in communi esse denominatiuè vniuersale, non formaliter.

Ad aliam partem argumenti. *Respondetur* indiuiduationem, primo intentionaliter acceptam posse concipi in communi Analogicè, & sic definiri, vt seq. articul. dicetur. Sed secundo intentionaliter pro relatione rationis subiicibilitatis, vel prædicabilitatis, etiam vniuocè potest concipi in communi.

Secundo arguit. Quando dicitur in definitione indiuidui, *cuius tota collectio proprietatum non est in alio*, vel intelligitur de proprietatibus illis in communi acceptis, vel de singularibus, & determinatis. Si in communi, falsum est totam collectionem earum non posse esse in alio, constat enim eandem patriam, eundem sanguinem, &c. posse conuenire pluribus indiuiduis, similiter figura, & forma communiter accepta pluribus conuenit, si in singulari, verbi gratia, de hac forma, de hac figura, &c. in primis petitur principium, quia definimus indiuiduum per proprietatem indiuiduam, cum tamen ab ipso subiecto sit proprietas ista indiuidua, & singularis. Et deinde quia tunc frustra diceretur, quod tota collectio proprietatum non est in alio siquidem non solum tota collectio, sed neque vna sola proprietas indiuiduata, & singularis potest esse in alio, v.g. hæc figura, hæc forma, hic locus, &c. nam licet vnica denominatio extrinseca possit conuenire multis, vt eadem patria denominare multa indiuidua, & vnum accidens reale possit diuinitus poni in multis subiectis, tamen connaturali modo non potest esse, nisi in vno tantum subiecto, hoc ipso quod est accidens indiuiduatum, & singulare.

Respond. Definitionem intelligi de collectione proprietatum non in communi, sed in singulari, nam quod

quodcumque accidens in communi potest multis conuenire. Et ad replicam dicitur non committi petitionem principij, quia non definitur indiuiduum per proprietates, quatenus indiuiduatæ, & singulares sunt, sed quatenus sunt principium indiuiduationis, quia scilicet ita designant, & determinant hoc indiuiduum, quod in alio reperiri non possunt. Et licet hoc non possint præstare, nisi in se sint singulares, & indiuiduæ; tamen non quatenus in se indiuiduatæ, sed quatenus sunt principium indiuiduandi, & reddendi ipsum indiuiduum incommunicabile alteri, ponuntur in definitione indiuidui, quia ab ipsis, vt à conditionibus dependet designatio, & determinatio indiuidui. Vnde obiter intelligitur, quam vera sit sententia D.Thom. quod principium indiuiduationis est materia signata quantitate, & accidentibus, non quia accidentia formaliter constituant indiuiduationem, sed quia à materia, vt à principio per se dependet indiuiduatio, ab accidentibus autem, vt à conditionibus designationis: alias frustra indiuiduum definiretur per collectionem proprietatum, &c.

Et ad vltim. Replic. dicitur. Quod inter istas proprietates indiuiduationis aliqua conueniunt pluribus indiuiduis, scilicet quæ extrinsece denominant, vt patria, Nomen, sanguis, locus, &c. Alia verò solum vni, vt hæc forma, hæc figura, &c. Vnde oportuit de tota collectione, non autem de aliqua proprietate seorsum dicere, quod non potest esse in aliquo alio indiuiduo.

Vltim. arguitur. contra definitionem indiuidui prædicabilis. Nam aliqua indiuidua prædicantur de pluribus, ergo falsa est definitio. Antecedens probat. nam eadem numero materia est in vno indiuiduo, postea in alio, vt in Petro, & in eius cadauere; eadem numero actio denominat causam primam, & secundam, eadem cognitio plura cognita, idem locus plura locata saltem successiuè. Deniquè eadem numero aqua potest diuidi in plures aquas quarum quælibet est vnum indiuiduum, ergo male dicitur, quod indiuiduum est indiuisum in se, & non diuisibile in alia.

Respondetur. Non repugnare, quod aliquod accidens extrinsecè denominans conueniat pluribus tanquam inadæquatis, & particularibus subiectis, vel quod vna materia, seu subiectum possit recipere diuersas formas, siue simul, siue successiuè: sed hoc non est prædicari indiuiduum de pluribus numero distinctis tanquam de inferioribus, vel vnam formam esse in pluribus subiectis indiuiduis adæquatis, quod requiritur, vt indiuiduum de pluribus simpliciter, & adæquatè prædicetur. Quare accidens, seu forma denominans plura subiecta, habet illa quasi partialia, & inadæquata, non quasi tota in respectu suæ denominationis, licet verum sit quod non possit forma inhærens esse in pluribus realiter distinctis, & separatis. Quando autem aqua diuiditur in plures aquas non hoc fit per multiplicationem, & prædicationem sui, sed potius per corruptionem, & diuisionem, quia desinit esse vnum indiuiduum aquæ, & ex illo fiunt plura per diuisionem. Sed de hoc modo diuidendi non loquimur in præsenti.

ARTICVLVS II.

Quid sit indiuiduum in communi, seu indiuiduum vagum?

Diuus Thomas 1. p. quæst. 30. articul. 4. agens de indiuiduo in communi, seu de indiuiduo vago, inquit, quod indiuiduum vagum, vt *Aliquis homo*, significat naturam communem cum determinato modo essendi, qui competit singularibus, scilicet, vt sit per se subsistens distinctum ab aliis. De hoc autem indiuiduo tria possunt controuerti. *Primò*, an indiuiduum sic conceptum importet aliquam rationem communem indiuiduis, quæ sit realis, vel rationis? *Secundò*, an ista ratio communis sit vniuoca, vel Analoga? *Tertiò*, ad quam prædicationem pertineat ex quinque prædicabilibus.

Circa primum aliqui existimant indiuidua solum habere communitatem negationis, vel intentionis, quia omnia indiuidua in aliqua negatione, vel intentione conueniunt, in negatione quidem, quia omnia indiuidua non sunt vniuersalia, neque habent proprietates communes. In intentione autem, quia omnia indiuidua contrahunt speciem, & constituunt indiuiduum, quod habet relationem subiicibilitatis ad superiora. Negant autem hi Authores conuenire indiuidua in aliquo reali, quod sit illis commune, eo quod differentiæ indiuiduales sunt primo diuersæ, vnde in nullo conueniunt, vt Petrus, & Paulus non habent infra speciem hominis aliquid, in quo conueniant. Ita Martinez sup. cap. de Specie quæst. 3.

Authores isti ex diametro pugnant cum sententia D.Thomæ, qui in 1. par. loco citato referens aliquorum sententiam, qui dicebant hoc nomen *persona*, solum habere communitatem negationis, vel intentionis, vtrumque horum excludit, quia hoc nomen *persona*, neque est nomen negationis, neque intentionis, sed nomen rei. *Et ideò* (inquit) *dicendum est, quod etiam in rebus humanis hoc nomen, persona, est commune communitate rationis, non sicut genus, aut species, sed sicut indiuiduum vagum*; ergo sentit D.Thom. idem iudicium dari de communitate personæ, & indiuidui; sed persona dicit aliquid commune per modum rei, ergo, & indiuiduum: Idem docet quæst. 9. de Potentia. art. 2. ad 1. & quæst. 8. de Potent. art. 3. ad 11. & in 1. dist. 25. quæst. 1. art. 3. vbi videri potest præsertim ad tertium.

Et ratio est. Quia indiuiduatio est modus, quo natura ipsa redditur singularis, & indiuidua; hic autem modus potest significari in communi, sicut etiam ipsa subsistentia, & personalitas, licet non inueniatur, nisi in singularibus determinatè, & signatè; ergo non repugnat dari conceptum communem ipsius indiuidui non solùm ex parte naturæ, sed etiam ex parte indiuiduationis. Minor probat. Nam audito hoc nomine indiuiduum, vel persona, aliquid tali nomine significatum concipio, non naturam, vt de se constat, quia indiuiduum non significat naturam in vniuersale, sed significat indiuiduationem naturæ, & non significat ipsam in particulari determinatam, & signatam, non est enim idem dicere indiuiduum, vt sic, & dicere Petrum, vel Paulum determinate, nam ratio indiuiduationis conuenit multis, esse autem Petrum, vel Paulum solum vni.

Et confirm. Quia quando dico aliquis homo, ly *homo*, non redditur singularis, sed est terminus communis, alioquin idem esset dicere, *aliquis homo*, & *hic homo*, nec posset, ly *aliquis homo*, deseruire ad constituendam contradictionem cum ly *nullus homo*, si vtraque non esset de termino communi; sed ly *aliquis homo*, est indiuiduum vagum, & non significat tantum naturam, sed naturam cum modo indiuiduationis, ergo modus indiuiduationis concipitur in communi; si enim significaretur in singulari, ly *homo* singularizaretur, sicut quando dicimus *hic homo*.

Dices: concipi quidem modum indiuiduationis in communi, sed non tanquam aliquid reale, sed rationis, scilicet, vel negationem aliquam, v.g. incommunicabilitatem in persona, vel negationem collectionis omnium proprietatum vnius indiuidui in alio,

vel

vel aliquam secundam intentionem prædicabilitatis, vel subiicibilitatis.

Sed contra hoc vrget D. Thom. Quia persona non est nomen negationis, vel intentionis, sed nomen rei, & idem dicere possumus de singularitate, & particularitate. Et in quæst. 9. de Potent. art. 2. ad 2. & 5. expresse distinguit S. Thom. rationem intentionis in persona, à ratione modi essendi indiuidualiter, qui aliquando nomine intentionis designatur, & constat quod ipse modus singularitatis inuenitur in re, & est aliquid positiuum; habet enim positiuum effectum, qui est reddere naturam perfectè vnam indiuisam in se, & diuisam ab aliis. Et similiter reddit naturam capacem effectus positiui, scilicet existentiæ, & accidentium, quæ illi inhærent in quantum singularis est, & exercitium omnium actionum realium, vel passionum conuenit soli singulari; vnitas autem illa numerica non est pura negatio, sed aliquid positiuum includit, alioquin multitudo, quæ ex vnitatibus numericis componitur non esset aliquid positiuum. Quod verò personalitas, seu subsistentia sint aliquid positiuum, & non pura negatio in capite de substantia, & in q. 7. Physicæ probandum est.

Circa secundam Difficultatem. An scilicet indiuiduum in communi sit vniuocum, vel Analogum? Videtur, quod cum ipsæ differentiæ indiuiduales sint primò diuersæ nihil illis vniuocum dari possit in ratione differentiæ indiuidualis. Neque enim in differentiis simplicibus potest considerari aliquid commune, vt contrahibile per differentias, vt optimè S. Thom. deduxit 1. p. q. 3. art. 8. ad 3. & quæst. 90. art. 1. ad 3. Et sic responderi posset non improbabiliter, quod conceptus indiuidui sit Analogus ad omnes differentias indiuiduales, & quod contrahitur, & abstrahitur eo modo, quo Analoga à suis Analogatis, scilicet non per resolutionem duorum conceptuum quorum vnus abstrahat ab alio, sed per eundem magis, vel minus explicitum, atque adeò per transcendentiam in ipsis differentiis determinatis. Quod insinuare videtur D. Thom. 1. p. quæst. 30. art. 4. dum inquit: *Quod indiuiduum vagum significat naturam communem cum determinato modo essendi, qui competit singularibus, vt scilicet sit per se subsistens distinctum ab alijs, sed in nomine singularis designati, significatur determinatum distinguens*: Igitur secundum D. Thomam indiuiduum in communi, & indiuiduum determinatum, solum differunt penes determinatum distinguens, & non determinatum.

Nihilominus. In hac parte tria mihi dicenda videntur. *Primum est.* Quòd si abstrahamus conceptum indiuiduationis ab ipsis differentiis indiuidualibus, talis conceptus incompletus differentiæ indiuidualis in communi ad omnes differentias indiuiduales non est vniuocus, sed Analogus. *Ratio est*, quia est sicut transcendens, & imbibitus in ipsis differentiis: neque enim per alias differentias contrahitur, alioquin esset processus in infinitum. Et cum illæ differentiæ indiuiduales sint primo diuersæ non sunt resolubiles in duos conceptus, quorum vnus abstrahat ab alio, & includatur in ipso. Ergo est ratio Analoga, siquidem includitur in differentiis.

Secundum est. Quod si in vnoquoque genere, & prædicamento abstrahamus in communi non differentiam ipsam indiuiduationis quæ est aliquid incompletum, sed ipsum indiuiduum constitutum ex differentia, & natura per modum totius, & entis completi, sic non est propriè vniuersale, & vniuocum, sed reductiuè, & secundum quid, simpliciter autem Analogum. *Et ratio est.* Quia ille conceptus indiuidui conflatur ex natura, & modo indiuiduationis in communi accepto, qui modus non est vniuocus, sed Analogus respectu huius, & illius differentiæ indiuidualis. Ergo licet ex parte conceptus naturæ, in potentia contineat differentias indiuiduales, & vniuocationem fundare possit ad illas, tamen ex parte conceptus indiuiduationis non se habet vniuocè respectu differentiarum in singulari. Ergo simpliciter ille conceptus non manet vniuocus, nisi secundum quid, & simpliciter Analogus, quia non ex omni parte abstrahit à differentiis, ita quod in illis non imbibatur: ad vniuocationem autem requiritur quod conceptus simpliciter sit vnus, si autem solum ex vna parte sit vnus, ex alia autem non præscindat simpliciter à differentiis, sed illas actu includat, manet partim vnus, & partim diuersus, quod est esse Analogum. Sicut si animal constitueretur non per ipsam rationem sensibilis, sed per rationale, & irrationale in communi concepta, non posset animal esse simpliciter vniuocum homini, & æquo, siquidem includeret actu differentias illorum, & non abstraheret ab illis. Sic cum indiuiduum in communi includat differentiam indiuidualem, quæ non abstrahit perfectè à differentiis ipsis indiuidualibus, consequenter indiuiduum in communi non poterit abstrahere ab eis, & sic non manet simpliciter vnum. Aliud est de differentia specifica constituente ipsam naturam secundum quidditatem, & conceptum naturæ, verbi gratia rationale. Natura enim quæ componitur ex illa & ex genere, simpliciter continet differentias inferiores in potentia, & sic abstrahit vniuocè ab illis. At verò differentia indiuidualis in communi non constituit naturam in esse naturæ, sed in statu indiuiduationis respectu cuius non potest indiuiduatio in communi constituere naturam abstrahentem perfectè à differentiis singularibus, sed modum naturæ includentem illas. Quod si indiuiduum vagum, vt *aliquis homo*, sumatur tanquam aliquid complexum in vi duorum conceptuum sic propriè non est Analogum, nec vniuocum, quia non est vnus conceptus, sed plures quorum vnus significat naturam scilicet *ly homo*, alter significat modum indiuiduationis in communi scilicet ly *aliquis*.

Tert. dic. Quod si sumatur indiuiduatio pro secunda intentione indiuidui, scilicet pro relatione rationis est simpliciter vniuoca ad omnes relationes indiuiduationis. Relatio enim indiuiduationis est quædam species relationis rationis, scilicet subiicibilitas, infima, quæ potest diuidi vniuocè in hanc, & illam relationem, quæ inuenitur in hoc, & illo indiuiduo per modum subiicibilitatis concepto. Vnde habet distinctum fundamentum à reliquis relationibus, & distinctam speciem, quæ diuiditur in sua indiuidua, sicut aliæ relationes.

Circ. tert. quæst. scilicet ad quam prædicationem pertineat indiuiduum vagum? Caietanus in præsenti sensit prædicari indiuiduum non in quid, sed in quale, quia prædicatur vt modus, qui propriè dici potest, quod prædicatur *in cuiusmodi*, non *in quid* & hoc prædicabile, inquit, esse distinctum à reliquis, sicut etiam definitio prædicatur de suis inferioribus, nec tamen est aliquod ex quinque prædicabilibus. Sic indiuiduum vagum non est aliquod ex quinque prædicabilibus. Cæterum definitio, vt supra diximus non est aliquod ex his quinque prædicabilibus, quia est quid complexum, prædicabilia autem sunt simplicia. Si ergo indiuiduum vagum est quid complexum excludetur etiam à quinque prædicabilibus, sicut definitio. Si verò sumatur in vi termini complexi, restat explicare, cur indiuiduum vagum non pertineat ad aliquod ex quinque prædicabilibus, sed prædicetur distincto modo ab omnibus. Si enim est prædicabile vniuocum, & constituit alium modum prædicandi ab istis,

istis, quinque diminutus fuit Porphyrius omittendo illud, & tantum quinque ponendo.

Nos verò facilè ab hac difficultate expedimur, *dicendo*. Quod indiuiduum vagum non est vniuocum, sed Analogum, & ideò non continetur in his prædicabilibus, in quibus tantum prædicata vniuoca continentur. Vel certè solum in eis continentur ea quæ propria sunt vniuersalia in prædicando, siquidem vniuersale est id quod diuiditur in quinque prædicabilia. Indiuiduum autem etsi in communi concipiatur, non tamen vniuersale redditur etiam per modum differentiæ, & tertij prædicabilis, quia indiuiduum est, vniuersale autem ab omni indiuiduatione abstrahit, etiam in communi sumpta eo quod abstractio vniuersalis reddit naturam contrahibilem per differentias, indiuiduatio autem in communi non est contrahibilis per differentias sed est ipsa differentia indiuidualis in communi sumpta, quam supra ostendimus non abstrahere à differentiis particularibus vniuocè. Reducitur tamen ista prædicatio indiuidui ad prædicationem speciei, non quia prædicetur in quid sicut ipsa species, sed quia prædicat modum naturæ specificæ, qui est indiuiduatio, modus autem complens reducitur ad rem cuius est modus, sicut subsistentia ad substantiam. Non tamen indiuiduum significat passionem propriam entis, vt dicit Vasq. 1.p.q.31. art.4. disp. 130. c.2. quia propria passio sequitur ad aliquam naturam per necessariam connexionem fundatque prædicationem æternæ veritatis cum illa, ideoque toti speciei conuenit, modus autem indiuiduationis non ita se habet ad naturam speciei. Et licèt vnitas, vt transcendentalis sit passio entis, quia abstrahit ab vnitate formali, vel indiuiduali, tamen ipsa indiuiduatio vnitatis, non est propria passio naturæ, seu speciei, respectu verò ipsius indiuidui non est propria passio, esset enim passio suimet. Est ergo complementum naturæ per modum vltimæ determinationis, & indiuisionis eius.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur*. Repugnat indiuiduum concipi in communi, quia repugnat ei communicabilitas, & diuisio in plura multo magis, quam naturæ Angelicæ, siquidem ex suo intrinseco conceptu, indiuiduum est prædicabile solum de vno, ergo non datur indiuiduum vagum.

Nec potest dici, quod denominatiuè est commune, formaliter autem indiuiduum, *& vt quo*, quia denominatio illa vniuersalitatis contrariatur, & repugnat formali rationi indiuidui: opponuntur enim esse in vno, & esse in pluribus, ergo non potest suscipere illam denominationem. Quando enim aliquod subiectum repugnantiam habet cum aliqua intentione, non potest denominari ab illo, sicut homo non potest denominari ab intentione generis. Ergo si indiuiduum formaliter repugnat huic quod est esse in pluribus, non poterit suscipere denominationem prædicandi de pluribus.

Et conf. Quia Philosophus dicit in c. de Substantia, quod prima substantia de nullo prædicatur, quia nec de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est: sed prima substantia est singulare in genere substantiæ, ergo non potest concipi in communi, ita vt de pluribus dicatur. Ac denique. Quia vt dicebamus, differentiæ indiuiduales sunt primò diuersæ, ergo non possunt habere aliquod commune in quo conueniant, quia si haberent, resoluerentur in illud conceptus differentiarum indiuidualium, & consequenter non essent primò diuersæ, sed in aliquo conuenirent, & per aliquod additum differrent.

Resp. Quod indiuiduo signato, & determinato repugnat communicabilitas, non tamen indiuiduo vago & in communi accepto, sicut ly *Pet.* vel *hic homo*, non possunt pluribus communicari, quia sunt indiuidua determinata: at verò *aliquis homo* potest concipi, vt communicabilis pluribus licet non vniuersalis, & ita non est subiectum cui repugnat talis communicatio.

Vel secundò dicitur. Quod indiuiduum est, quod prædicatur de vno tantum, *vt quo*, seu forma talis prædicabilitatis, hæc autem forma concepta, vt res quædam, & in actu signato potest denominatiuè, & *vt quod* recipere intentionem prædicandi de pluribus. Vnde talis indiuiduatio, licet habeat repugnantiam prædicandi de pluribus formaliter, & in exercitio, quia non potest esse forma, & ratio prædicationis de pluribus, tamen concepta materialiter, vt quædam res, non habet repugnantiam ad talem denominationem. Homo autem etiam materialiter & vt quædam res conceptus, non potest recipere intentionem generis, quia non abstrahit à pluribus speciebus.

Ad confirm. Similiter respond. Quod prima substantia determinatè, & designatè accepta non prædicatur de aliquo subiecto, benè tamen concepta in communi respectu huius, & illius substantiæ primæ. Vel id habet formaliter, & *vt quo*, denominatiuè autem, & *vt quod*, potest dici de pluribus.

Ad aliam partem argumenti respond. Probare quod differentiæ indiuiduales non habent aliquem conceptum communem vniuocum, qui sit simpliciter vnus, & abstractus, non tamen quod non possint habere aliquem conceptum communem saltem Analogum, & per modum transcendentis imbibiti in differentiis, vt dictum est.

Secundò arguitur. Omnes differentiæ indiuiduales, & omnia indiuidua significantur in communi sub vnica, & eadem ratione, scilicet secundum quod conueniunt in officio singularizandi, ergo ratio illis communis est vniuoca, & eadem. Antecedens probat. Quia non repugnat modum, seu officium singularizandi concipere per modum vnius in communi, & in confuso, ergo saltem sub illa indeterminatione ille conceptus vniuocus est.

Resp. Illud officium seu modum singularizandi, non posse præscindere actu à differentiis determinatis, & indiuidualibus, quia illæ sunt primo diuersæ, & non resolubiles in duos conceptus, quorum alter sit contrahens, alter contrahibilis, vt dictum est, & quælibet differentia contrahens officium illud singularizandi participat. Et licet concipiatur in confuso, & in communi, tamen concipitur, vt non perfectè præscindens ab ipsis differentiis, sed vt actu in eis inclusa, licet non actu illas explicet, quando in communi concipitur, & sic præscindit ab illis eo modo quo Analogum, & transcendentalia à suis inferioribus, vt in tractatu de Analogia plenius dicetur.

QVÆSTIO X.

De Differentia communiter dicta, & vt tertium prædicabile est.

QVIA Porphyrius tractaturus de Differentia, quæ est tertium prædicabile præmisit diuisiones differentiæ in propriam, communem, & propriissimam, consueuerunt Interpretes hic multa agere de ipsa ratione differentiæ in communi, eiusque diuisionibus,

nibus, quæ tamen propriè tractantur in 5. & in 10. Metaph. Ideò breuiter ab illis non expediemus. Illud admonentes de ratione differentiæ, eiusque relatione debere nos agere conformiter ad rationem, & relationem similitudinis, vel conuenientiæ, quæ rationi, & relationi differentiæ opponitur.

ARTICVLVS I.

Vtrum benè diuidatur differentia in communem propriam, & propriissimam?

Differentia in communi sumpta nihil aliud esse videtur, quam *forma faciens differre*, seu quatenus habet officium faciendi differre. Et ita dicit Porphyr. in cap. de Differentia, quod vniuersaliter omnis differentia addita, alteratum facit. Vnde in quacumque forma faciente differre nascitur duplex respectus, seu ordo, scilicet ad subiectum, seu rem, quam facit differre, & ad terminum seu extrema, à quibus facit differre. Est enim differentia, quasi segregatio, & separatio quædam, & ita habet subiectum quod segregat, & terminum à quo separat. Et necessario debet intelligi in ipsa ratione differentiæ relatio aliqua, sicut in ratione conuenientiæ, quæ est eius oppositum intelligitur relatio aliqua respectu terminorum conuenientium, & similium. Respectus ergo differentiæ ad subiecta, quibus conuenit constituit differentiam prædicabilem de illis, & sic conducit ad differentiam Logicè, seu prædicabiliter acceptam. Respectus autem differentiæ ad ea, à quibus differt, constituit rationem differentiæ quantum ad officium segregandi, & separandi ab alio, quod pertinet ad quidditatem differentiæ Metaphysicè consideratam, seu communiter dictam.

Et quia dicitur, quod differentia est forma faciens differre oportet notare, quod aliud est differre aliud diuersum esse, & aliud est diuersitas, aliud differentia. Ea enim dicuntur diuersa, quæ non per aliud superadditum, sed se ipsis differunt, sicut ea quæ sunt primo diuersa. Ea autem dicuntur differre, quæ per aliquid superadditum differunt ab alio, & ita non se totis differunt, sed conueniunt in aliquo, & differunt in alio. Vnde omnis differentia supponit aliquam conuenientiam, & quæ nullam conuenientiam, habent, sunt primò diuersa, iuxta doctrinam Aristot. 10. Metaphys. text. 12. & Diu. Thom. ibidem lect. 4. & 1. p. quæst. 3. art. 8. ad 3. & quæst. 90. art. 1. ad 3. Et dicuntur esse primò diuersa genera generalissima, seu prædicamenta, & ipsæ differentiæ, quæ propriè non differunt, sed sunt rationes differendi, & se ipsis differunt sine aliquo superiori vniuoco, in quo conueniant.

His positis circa diuisionem propositam tria explicanda sunt. *Primum.* An diuisio sit adæquata? *Secundum.* Quodnam sit diuisum, & quæ sint membra diuidentia? *Tertium.* An diuisio sit Analoga, vel vniuoca?

Circa primum. Fere apud omnes constat diuisionem esse adæquatam, valde paucis exceptis. *Et ratio* est manifesta. Quia ista diuisio fit per membra exhaurientia, & adæquantia totum diuisum, nam omnis forma faciens differre, vel est essentialis, & intrinseca, vel accidentalis. Si essentialis, est maximè propria. Si accidentalis, vel illud accidens est separabile, vel inseparabile. Si inseparabile est proprium, & facit differre propriè. Si separabile, est commune etiam aliis, & facit differre communiter. Ideò enim dicitur differentia communis, quia non ita est affixa vni, & propria eius, quod non possit inueniri in alio, vel quia communiter differentiam apprehendimus per accidentia sensibilia, quæ sunt communia, vt motus, color, figura, &c. Dicitur autem differentia propria accidentis inseparabilis, intelligendo per illam non solum proprietatem, quæ dimanat à principiis intrinsecis, & quidditatiuis, sed etiam de accidente immobiliter inhærente, licèt non dimanet à principiis essentiæ, imò de illis Porphyrius attulit exemplum explicando differentiam propriam sicut inquit, cicatrix vulneris, simitas nasi, &c.

Vnde facilè soluitur, quod aliqui quærunt de propria passione, quæ facit differre, & tamen neque essentialiter, cum non sit differentia essentialis, & constitutiua, neque accidentaliter, cum ea quæ habent diuersas passiones, essentialiter differant. Item differentiæ indiuiduales in substantia faciunt differre vnum ab alio, & non essentialiter, quia alias differrent specificè, neque accidentaliter, quia duo indiuidua substantialiter differunt, ergo non est adæquata diuisio in essentialem, & accidentalem.

Sed resp. Ad primum. Quod propria passio formaliter solum facit differre propriè, virtualiter autem, seu illatiuè facit differre propriissimè, vt benè notat Caietan. in hoc cap. de Differentia, quia est effectus consecutus ad differentiam propriissimam, & ex differentia per propriam passionem benè infertur differentia essentialis, formaliter tamen solum facit differre accidentaliter propriè.

Ad secund. vero dicitur. Quod Porphyrius inter exempla, quæ affert pro differentia communi ponit differentiam inter Socratem, & Platonem, quæ est differentia indiuidualis. Et S. Thom. 5. Metaphys. lect. 12. *Ea* (inquit) *quæ conueniunt in specie non distinguuntur nisi per accidentales differentias, vt Socrates albus, vel iustus, Plato niger, vel musicus.* Nihilominus tamen licet aliquæ differentiæ communes intercedant inter duo indiuidua, sicut illæ quas D. Thom. assignat, negandum non est indiuidua substantiæ differre etiam per differentias proprias, quia inseparabiliter differunt, non quidem per differentias proprias, quæ dicant proprias passiones naturæ, cum eiusdem naturæ, & speciei sint duo indiuidua, sed per differentias proprias, hoc est inseparabiles. Et benè stat, quod differant substantialiter, & tamen non essentialiter, sed accidentaliter, non accidentalitate prædicamentali, sed accidentalitate quinti prædicabilis, quia ipsa differentia intrinseca in his indiuiduis, substantialis est, quia est singularitas primæ substantiæ quæ indiuiduum substantiale constituit. Differentia autem indiuidualis etsi substantiam diuidat, non tamen formaliter, & essentialiter diuidit, sed materialiter. Et licet hæc diuisio fiat in substantia, est tamen dependens ab accidentibus, per quorum connotationem, & respectum materia redditur signata, à qua tanquam à principio sumitur indiuiduatio. Vnde, & indiuiduum postulat, vt collectio suarum proprietatum (quæ vtique accidentia sunt) in alio non possit inueniri.

Circa secundam difficultat. In primis certum est differentiam, quæ est diuisum in hac diuisione non esse differentiam, quæ est tertium prædicabile, hæc enim est vnum ex membris diuidentibus, scilicet differentia maximè propria, quæ sola prædicatur in quale essentialiter, vnde etiam sequitur non esse id quod diuiditur aliquam secundam intentionem alicuius ex quinque prædicabilibus, siue tertij, siue quarti, aut quinti. Quia intentio tertij prædicabilis est intentio differendi essentialiter. Quarti & quinti, est intentio differendi accidentaliter, ergo nulla illarum est diuisum complectens omnia ista membra diuidentia.

Difficultas ergo est. An diuisum huius diuisionis sit aliquid reale, vel rationis, seu forma aliqua, vel intentio

tentio? Quod est idem ac quærere, quod sit hoc munus faciendi differre? Nam vt benè notat Caietanus in hoc capite, non sumitur differentia in hac diuisione materialiter pro ipsa forma, quæ facit differre, sed pro ipsa formalitate, seu munere faciendi differre, quod aliqui vocant intentionem differentiæ, quia sicut conuenientia plurium in vno est quædam notio seu intentio, ita & differentia quatenus talis, ne tamen inuoluamus intentiones logicas, cum formalitatibus Metaphysicis, nos non vocamus intentionem, sed formalitatem, seu munus faciendi differre, quod consistit in aliquo respectu ad ea, à quibus fit separatio, seu differentia, sicut è contra conuenientia consistit in respectu ad ea, quæ similitudinem habent, seu conuenientiam.

Existimant ergo aliqui, hoc munus faciendi differre esse aliquid rationis, eo fundamento innixi, quia differre supponit conuenientiam, nam quæ se totis distinguuntur diuersa sunt, non differentia: conuenientia autem inter duo indiuidua, vel inter duas species relatio rationis est, conueniunt enim in aliquo communi, quod solum per rationem commune est, ergo etiam actualis differentia, quæ talem conuenientiam necessario supponit, non potest esse respectus realis, sed rationis.

Addunt vlterius aliqui, quod etiam differentia communis, & propria, licet fiat per accidentia, quæ distinguuntur à subiecto, quia tamen faciunt differre non ratione sui generis in quo conueniunt, sed ratione suarum differentiarum, quæ necessario supponunt conuenientiam in genere, ideò etiam formalis ratio differentiæ, quæ fit mediantibus talibus accidentibus aliquid rationis est, sicut v. g. albedo, & nigredo faciunt accidentaliter differre Petrum, & Paulum non per ipsam rationem colorati, quæ est genus albi, & nigri, sed per disgregatiuum, & congregatiuum, quæ sunt differentiæ ipsorum, ergo faciunt differre, quatenus supponunt conuenientiam genericam, & per intellectum præcisè accipiuntur in ratione differentiæ, quod totum aliquid rationis est.

Nihilominus dicendum est, quod in formis realibus, & quæ realiter faciunt differre, hæc formalitas, seu munus faciendi differre non est sola intentio, seu relatio rationis sed vera & realis formalitas, nec video posse aliquem de hoc dubitare, nisi qui negauerit dari relationes reales dissimilitudinis, & diuersitatis, similitudinis, & conuenientiæ, seu æqualitatis. Quis autem neget duo alba habere à parte rei relationem realem similitudinis, quidquid illa sit, quam amittunt, altero albo amisso? Relatio autem similitudinis, relatio & formalitas conuenientiæ realis est in formis realibus. Et non repugnat eandem entitatem respectu diuersorum fundare similitudinis relationem, & dissimilitudinis, vt album respectu albi similitudinem, respectu nigri dissimilitudinem.

Et fundamentum est manifestum. Quia effectus differentiæ facientis differre realis est, & relationem realem fundat, si terminus existat à parte rei, ergo non est aliquid rationis. Antecedens constat. Quia à parte rei datur distinctio, & segregatio inter ea, quæ non sunt omnino diuersa, sed aliquam retinent conuenientiam, & similitudinem, sicut Petrus, & Paulus retenta similitudine in natura, realiter sunt distincti, & separati, ergo sicut conuenientia, & similitudo, quam retinent realis est, ita differentia, & distinctio, quam in re habent, realis est, siquidem vnum realiter non est aliud. Quare benè potest supponi conuenientia, & similitudo realis, & dari distinctio, seu differentia realis. Et licet hæc differentia, & conuenientia fiat secundum diuersas formalitates, tamen aliquæ formalitates etiam dantur in re, vt relationes reales, secundum quas dicitur aliquid formaliter simile, vel conueniens, cum alio, aut dissimile, & diuersum, & similiter fundamenta proxima harum relationum dantur in re.

Ex quo patet. Quam debile sit fundamentum oppositum. Primò enim deficit, quia dicit conuenientiam actualem inter Petrum, & Paulum equum, & hominem, esse aliquid rationis, cum à parte rei sint similes, & ratione similitudinis conueniant, similitudo autem realis relatio est. Sed æquiuocati sunt illi Authores non discernendo inter conuenientiam, & vnitatem, Petrus enim, & Paulus sunt vnum per rationem, sed conuenientiam, & similitudinem habent in re. Et deinde deficit, quia licet formalitas differentiæ supponat conuenientiam, non tamen requiritur, quod supponat conuenientiam per modum relationis actualis, seu fundetur in tali relatione, sed sufficit quod supponat conuenientiam fundamentalem, & ea supposita, differentia formalis exerceatur, siue aliàs exerceatur, etiam relatio conuenientiæ, siue non.

Ex hoc autem explicatur, quodnam sit diuisum huius diuisionis, diuiditur enim ipsa formalitas, seu ratio faciens differre, in modum faciendi differre essentialiter, & accidentaliter (hæc enim sunt membra immediatè opposita) & rursus accidentalis differentia in modum differendi separabiliter, quæ est differentia communis, & inseparabiliter, quæ est propria, vbi etiam differentia penes propriam passionem includitur, quæ est differentia accidentalis, licet inferat, vel præsupponat essentialem à qua deriuatur. Et includitur etiam differentia indiuidualis, quia impossibile est, quia differentia indiuidualis sit essentialis, vel accidentalis, cum ista membra sint immediatè opposita. Et licèt quidam eam reducant ad essentialem, quia substantialis est, de quo iam supra diximus, alij ad accidentalem, quia materialis, & dependens ab accidentibus signantibus materiam, tamen certum est sub aliquo istorum membrorum contineri, sicut certum est esse differentiam essentialem, vel non essentialem. Vnde negari non potest, quod ista diuisio sit adæquata, quod perperam aliqui negant.

Circa tertiam controuersiam, seu difficultatem, scilicet, an ista diuisio sit Analoga, vel vniuoca duplex est opinio. Quidam existimant hanc diuisionem esse vniuocam, quando sumitur penes ipsum munus faciendi differre, vt videri potest apud Magistrum Cabero, tract. 3. disp. 4. dub. 2. quia hoc munus vniuocè, & simpliciter exercetur, à quacumque differentia fiat, siue essentiali, siue accidentali, si autem sumatur differentia pro ipsa re, seu forma faciente differre, sic erit diuisio accidentis in subiecta, quia modus ipse faciendi differre, quasi intentio quædam est, & notio, quæ accidit rebus, non eas constituit.

Et vrgetur hoc amplius, quia si aliqua ratione hæc diuisio esset Analoga maximè, quia vna differentia facit differre essentialiter, alia accidentaliter: hoc non obstat, ergo. Minor probatur, nam etiam hoc non obstãte prædicabile essentiale, & accidẽtale vniuocè conueniunt in ratione prædicabilis, vt sic, & similiter conuenientia, seu similitudo accidentalis, & essentialis vniuocè conueniunt in ratione assimilandi, & sub eodem relationis genere, ergo similiter differentia essentialis, & accidentalis vniuocè conuenient.

Nihilominus oppositam sententiam communiter defendunt Thomistæ, de quo videatur Caietan. & Soto in commen. capitis de Different. & Cursus Carmelit. hic disputatione 7. quæstione 1. Et sine dubio fundamen

fundamentum est solidius, nam quatuor possumus considerare in ipsa differentia. *Primum* est forma, quæ facit differre. *Secundum*, ipsa segregatio, seu diuisio, quæ ex tali forma faciente differre resultat. *Tertium*, ipsa relatio differentiæ, seu dissimilitudinis. *Quartum*, ipsa ratio tertij prædicabilis. Et tria prima pertinent ad differentiam primo intentionaliter, seu Physicè acceptam: Quartum vero ad differentiam logicam, & secundo intentionaliter. Si attendamus primum, constat quod forma essentialiter, vel accidentaliter constituens, aut differre faciens non est vniuoca; forma enim essentialis simpliciter constituit esse rei; accidentalis autem, secundum quid. Eodem autem modo quo constituit, facit differre, ergo sicut in constituendo non conueniunt vniuocè forma essentialis & accidentalis, simpliciter constituens, & secundum quid, ita similiter, neque in faciendo differre.

Si verò secundum consideremus, similiter constat, quod segregatio, seu diuisio essentialis, est simpliciter diuisio: accidentalis autem secundum quid; ea enim quæ solum accidentaliter differunt, & essentialiter conueniunt, differunt secundum quid, & simpliciter conueniunt, ergo ratio faciendi differre non simpliciter illis conuenit, sed secundum quid. Et quidquid sit, an aliquæ differentiæ accidentales faciant aliqua duo differre realiter, & simpliciter, sicut differunt duo indiuidua sub eadem specie, tamen constat, multas differentias accidentales non facere simpliciter differre, quia non faciunt simpliciter aliud & aliud, seu alterum, & alterum, etiam si maneat idem subiectum numero, sicut in exemplis, quæ Porphyrius affert, in quibus idem à se ipso aliter, atque aliter differt, vt Petrus sanus à se ipso ægroto.

Si autem tertium consideremus scilicet relationem differentiæ, illa quidem vniuocè conueniet in prædicamento, & genere relationis, siue sit relatio differentiæ essentialis, siue accidentalis. Sed hic non loquimur de diuisione differentiæ pro relatione prædicamentali, sed pro ipso effectu differendi, & ratione faciendi differre, quæ simpliciter fit in differentia essentiali, secundum quid in differentia accidentali.

Denique si quartum attendamus, multò magis constat non posse vniuocè conuenire differentiæ accidentali, & essentiali, nam essentialis sola constituit tertium prædicabile, quod prædicatur in quale essentialiter. Reliquæ non constituunt illud, quia prædicantur in quale accidentaliter. Ergo in ratione constituendi tertium prædicabile non possunt vniuocè conuenire.

Ad fundamenta oppositæ sententiæ respondetur. *Ad primum* dicitur munus faciendi differre non eodem modo inueniri in essentiali differentia, & accidentali, vt ostensum est, quia essentialis tollit identitatem, quod est oppositum differentiæ simpliciter: accidentalis autem secundum quid, quia in eodem subiecto exerceri potest secundum alium, & alium statum, vel accidens ipsius.

Ad secundum. Respondetur negando minorem. Ad probat Dicitur esse disparem rationem inter prædicari essentialiter, & accidentaliter, & facere differre; quia prædicabilitas non consequitur rem ipsam secundum quod est in se, sed vt est in intellectu. Intellectus autem vniuoce, & simpliciter applicat prædicatum ad subiectum, siue sit prædicatum essentiale, siue accidentale, in qua applicatione consistit prædicatio. Similiter eodem modo abstrahit vnum à multis, siue essentialiter conueniant, siue accidentaliter. In hac autem vnitate segregata à multis fundatur vniuersalitas. In omnibus autem quinque prædicabilibus inuenitur vniuocè hoc, quod est esse vnum in multis, vt supra diximus quæstione sexta. At verò facere differre non est effectus conueniens per intellectum, sed in re distinguens, & faciens differre vnum ab alio, quia metaphysicè hic loquimur de illo; forma autem quæ essentialiter facit differre, tollit identitatem simpliciter, quæ est in essentia; differentia autem accidentalis non tollit illam, sed relinquit.

Ad illud, quod affertur de relatione similitudinis, & conuenientiæ. *Respond.* Quod relatio similitudinis, & conuenientiæ in genere relationis prædicamentalis vniuoca est, siue conuenientia sit accidentalis, siue essentialis, sicut de relatione differentiæ dictum est. Cæterum ratio ipsa, seu forma faciens conuenientiam in ratione conueniendi, non est vniuoca in essentiali, & accidentali conuenientia, quo ad effectum faciendi vnitatem, vel conuenientiam simpliciter, sicut de differentia dictum est.

ARTICVLVS II.

Vtrùm definitiones differentiæ tertij prædicabilis sint bonæ?

EXplicata ratione differentiæ communiter dictæ, & provt pertinet ad Metaphysicum restat specialiter descendere ad differentiam Logicam, quæ constituit tertium prædicabile, quod solum conuenit differentiæ proprissimæ quæ essentialis est; reliquæ enim differentiæ non prædicantur in quale essentialiter, nec constituunt prædicabile sub ratione differentiæ, sed sub ratione proprij, vel accidentis ad quod sequitur differentia accidentalis.

Huius autem differentiæ quæ est tertium prædicabile quinque definitiones tradidit Porphyrius. Prima *differentia est, id quo species genus excedit.* Secunda *differentia est, id quod de pluribus, & differentibus specie hoc ipso quale quid prædicatur.* Tertia *differentia est, quæ suapte natura ea quæ sunt sub eodem genere separat.* Quarta *differentia est id, quo singula differunt*, scilicet secundum quidditatem. Quinta *differentia est, quæ non solum separat ea quæ sub eodem genere collocantur, sed ad substantiam rationemque confert, & pars eius est cuius differentia dicitur esse.* Ex quibus definitionibus colligimus tres respectus ad logicalem differentiam constituendam concurrere, scilicet respectus ad genus quod contrahit differentia, & super quod aliquid addit. Secundus ad speciem quam constituit contrahendo genus, & segregando speciem à reliquis. Tertius ad inferiora de quibus prædicatur in quale quid, quæ sunt ipsamet inferiora speciei, solum enim de illis prædicatur in quale. Et quia illa definitio qua differentia dicitur prædicari de pluribus, &c. magis ipsam rationem prædicabilis, & vniuersalis explicat, communiter vtimur illa in explicatione tertij prædicabilis. Et in his definitionibus non agitur de differentiis indiuidualibus, quia istæ non sunt vniuersales, sed indiuiduales, & ideo ad tertium prædicabile, quod vniuersale est non pertinent. Et licet in communi concipiatur differentia indiuidualis, vt sic, tamen non prædicatur in quale essentialiter, quia indiuidualis est, & totam naturam constitutam supponit.

Igitur circa istos tres respectus qui concurrunt ad rationem tertij prædicabilis, suæ difficultates occurrunt, quæ in isto, & sequentibus articulis examinandæ sunt. Circa respectum enim ad inferiora occurrit difficultas, quomodo in definitione tertij prædicabilis dicitur, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, quod solum conuenit differentiæ subalternæ,

subalternæ, non autem de differentibus numero, quod conuenit differentiæ athomæ. Circa respectum ad speciem est difficultas an differentia sit vniuersalis respectu speciei quam constituit, an respectu inferiorum, quæ sub specie continentur. Circa respectum ad genus, difficultas est an differentiæ contineantur sub genere, ita quod differentiæ inferiores contineantur sub differentiis superioribus. Et primam difficultatem expediemus in hoc articulo. Secundam in sequenti. Tertiam in vltimo.

Circa primum in quo explicatur illa particula *de pluribus specie differentibus* occurrit communis difficultas, quare illa ponatur in definitione differentiæ in communi, quæ comprehendit tam differentiam athomam, quam subalternam, cum prædicari de pluribus differentibus specie solis subalternis conueniat. Nec potest dici Porphyrium, & Aristotelem aliosque antiquos ignorasse, aut negasse differentias athomas; cum enim definitiones, & species athomas non ignorauerint, cum tam multæ in scientiis definiantur, quomodo differentias athomas sine quibus quidditates specificæ, nec constituuntur, nec intelliguntur, ignorare potuerunt?

Sane Aristoteles expresse inquirit quomodo definitio tradenda sit per genus, & differentiam, & quæ sit differentia vltima, vt patet in 2. Posteriorum lect. 13. apud D.Thom.& lect. 14. & 15. in fine, & 7. Metaphys. lect. 12. & 8. Met. lect. 2. Cur autem in illa definitione in qua Porphyrius explicauit differentiam, quæ est tertium prædicabile solum egerit de differentia, quæ prædicatur de pluribus specie differentibus, quæ est differentia subalterna quæstionem censeo non tanti momenti, quantum anxietudinis in aliquibus parit, præsertim cum ipse Porphyrius in aliis definitionibus differentiæ athomæ explicationem non prætermiserit, vt quando dicit: *Differentia est qua species excedit genus, qua singula differunt, quæ separat ea quæ sub eodem genere continentur*, & cætera quæ indifferentiam athomam optimè quadrant.

Et quidem Caiet. super hoc 3. cap. Porphirij, existimauit illam definitionem adaptari posse differentiis athomis, explicando illam non positiuè, sed per non repugnantiam, seu negatiuè, quia videlicet ex ipsa ratione differentiæ non repugnat prædicari de pluribus specie differentibus, sicut quantitati ex ipsa ratione quantitatis non repugnat diuidi in infinitum sincategorematicè, & tamen quantitati naturali, scilicet vt subest formæ alicuius rei naturalis, id repugnat, quia destruitur forma, & res naturalis si in tam minima diuidatur. Sic differentiæ athomæ non repugnat de se prædicari de multis specie differentibus, licet repugnet ratione speciei athomæ, quam constituit. Quod amplius intelligi potest, si consideremus, quod differentia quæcumque in ratione prædicabilis in quale de multis, non habet alia multa, nec alia inferiora, quam illa quæ habet species per talem differentiam constituta: vnde de se, nec dicit prædicari de pluribus specie, vel numero differentibus, sed ad id determinatur ratione eius, quod constituit; si enim quidditas quam constituit fuerit species athoma habens sub se inferiora solo numero differentia, eadem habebit differentia, quæ talem speciem constituit: si autem id quod constituit fuerit species subalterna habens sub se inferiora specie athoma diuersa, de eisdem specie differentibus prædicabitur differentia. Si tamen species constituta per differentiam non habeat plura inferiora specie distincta, sed numero, tunc repugnabit ei non ratione sui, sed ratione speciei ab ea constitutæ, quæ non præbet ei alia inferiora.

Adhuc tamen emolliendi amplius mihi videtur Caiet. explicatio, & ipsi literæ Porphyrij inhærendo; *Dico*, verba ipsa Porphyrij bene attendenda esse, dixit enim *differentiam esse, quæ prædicatur de pluribus, & specie differentibus in quale.* Vbi pondero non dixisse Porphyrium, quæ prædicatur de pluribus specie differentibus, sed de pluribus, & specie differentibus. Vt quid enim interposuit illam particulam, *&*? nisi vt distingueret inter prædicari de pluribus absolutè, & prædicari de specie differentibus, & sic in illa particula *de pluribus*, omnes differentias prædicabiles inclusit, siue athomas, siue subalternas, in illa verò additione, *& specie differentibus* specialiter subalternas indicauit, quasi diceret differentia est, quæ de pluribus prædicatur in quale, etiam si illa plura sint specie differentia, & ita particula *&*, æquiualet particulæ *etiam*. Et fuit hoc necessarium ad explicandum perfectè naturam differentiæ in quantum prædicatur in quale; cum enim differentia ideò prædicetur in quale, quia prædicatur per modum actualitatis, & formæ determinantis, hoc enim pertinet ad modum qualificationis, opportuit explicare, quod etiamsi differentiæ genericæ sint, seu subalternæ, ideóque non videantur habere rationem actus, sed potius potentialitatis respectu suarum specierum; adhuc tamen prædicantur in quale, quia prædicantur ratione formæ genericæ quam important, ac proinde sensus Porphyrij est, differentia est, quæ de pluribus prædicatur in quale quid, etiamsi talia plura sint specie differentia. Hanc enim vim habet illa particula *&*, in definitione interposita cum dicitur, de pluribus, & specie differentibus; id est *etiam* specie differentibus.

Sic intellecta mente Caietani, quem plures, & insignes sequuntur Authores, nihil asperitatis, aut difficultatis habet, sed plurimum subtilitatis, & maximè ad Porphyrij mentem se accommodat. *Alij* facilius, neque improbabiliter dicunt Porphyrium tantum definisse subalternas differentias, quia sunt communiores, & notiores, athomæ autem multiplices, & vix cognitæ; definitis autem subalternis virtualiter athomæ definitæ manent loco illius particulæ *specie differentibus* subrogando, *numero differentibus*. Et præsertim, quia in aliis definitionibus de differentia traditis, etiam species athomas incluserat, vt supra notauimus. Ac denique ea videtur sufficiens causa omittendi differentias athomas, quia illæ in definitionibus specierum explicantur; cum quibus conuertuntur. Vnde sicut in tractatu prædicabilium non agit de definitione, sed de ipsa specie definibili, ita nec de differentia athoma, quæ cum ipsa definitione conuertitur, & propria illius est, bene tamen de differentia subalterna, quia hæc genus constituit, quod non conuertitur cum definitione speciei.

Omitto aliorum solutionem, qui dicunt in illa definitione de pluribus differentibus specie, debere intelligi de pluribus specie differentibus, non inter se, sed ab aliis à quibus specificè distinguntur. Qua ratione etiam ista diffinitio conuenit differentiis athomis, nam rationale, v.g. prædicatur de Petro, & Paulo, vt differunt specie, non inter se, sed ab equo, & boue, à quibus rationale specificè distinguit Petrum, & Paulum. Hæc tamen solutio extorta videtur, nec enim absolutè dicuntur plura differre specie, si non differunt specie inter se, sed ab aliis, alioquin etiam dici potest, quod genericè differunt, quia sicut differunt specie ab aliis à quibus specie distinguuntur, ita differunt genericè Petrus, & Paulus ab his à quibus genere distinguuntur. Vnde inciditur in simile inconueniens, quare solum Porphyrius posuerit in definitione differentiæ illud *de pluribus specie differentibus*, & non addiderit de pluribus genere differentibus, secundum hanc explicationem.

Sed obijcies. Contra primam solutionem, nam inconueniens

conueniens est, quod definitio aliqua tradatur solum per id quod se habet non repugnanter ad aliud, tum quia definitio positiue debet explicare rationem definiti, & non solum per non repugnantiam: Tum quia alias posset tradi per terminos sibi repugnantes, vt si homo diffiniretur quod est animal irrationale, quia licet irrationale repugnet homini, quatenus homo, sed non quatenus animal, & vna species infima posset definiri per aliam, quia licet sibi repugnet secundum specialem rationem, non tamen secundum communem, & genericam, ergo similiter est inconueniens, quod differentia definiatur per id quod sibi non repugnat comprehendendo, tam athomam, quam subalternam, solum quia non repugnat differentiæ in communi esse subalternam.

Et confirm. Quia si illa particula, *de pluribus*, significat tam de pluribus specie, quàm numero; cur quando Porphyrius definiuit speciem expressit de pluribus numero differentibus, & quando definit differentiam specificam id non exprimit, sed solum de pluribus? Item in hoc, quod est prædicari de pluribus omnia prædicabilia conueniunt, non ergo per illam explicatur specialiter hoc tertium prædicabile.

Respond. Hoc argumentum non militare contra nostram expositionem, quia ostendimus iuxta Porphyrij textum illam particulam, *differentibus specie*, solum subalternis differentiis conuenire; in illa autem particula *de pluribus*, absolutè includi, tam athomam, quam subalternam, quæ prædicantur de pluribus, siue numero, siue specie distinctis. Additur tamen illa particula, *& specie differentibus*, vt ostendatur quomodo etiam differentiæ genericæ conueniat prædicari in quale. Stando autem in rigoroso Caietani sensu, dicitur quod definitio data de aliqua specie per non repugnantiam alterius sibi oppositæ vitiosa est, quando verè tale oppositum datur in illa specie, vt in exemplis allatis constat. Quando autem aliqua natura, seu species ex se habet non repugnantiam ad aliquid sed quod de facto habeat, vel impediatur habere, pendet ex aliquo extrinseco, non est vitiosum definire per non repugnantiam, sicut definitur quantitas, quod est diuisibilis in infinitum, licet naturali quantitati repugnet. Sic cum differentia, & proprium, & accidens, quæ prædicatur in quale non habeant alia inferiora quam quæ permittuntur habere à suis subiectis, quæ constituunt, vel afficiunt, opportet quod prædicari de pluribus specie, vel numero differentibus, in his intelligatur permissiuè, seu non repugnanter, & quantum est ex se, licet differentiæ, vt affectæ, & alligatæ speciei athomæ, quam constituit, id repugnet, sicut quantitati, vt est in subiecto naturali repugnat diuidi in infinitum. Vnde in hac solutione debet dici quod differentia athoma, & subalterna non sunt species differentiæ vt sic, neque ipsa differentia est genus ad illas. Sed hæc diuersitas athomæ, & subalternæ prouenit ipsi differentiæ ex ipsa re quam constituit, nam si est natura generica erit subalterna, & prædicabitur de pluribus specie differentibus: Si specifica, non nisi de differentibus numero.

Si autem inquiras. Si differentia permissiuè se habet ad vtrumque, scilicet vt de pluribus specie vel numero differentibus prædicetur, cur Porphyrius posuit solum de differentibus specie?

Respond. Id fieri, quia quando aliquid per non repugnantiam, & permissionem definitur, semper debet poni id quod maius, & principalius non repugnat, melius innotescit, quod non repugnat minus principale. Sicut melius definitur quantitas per hoc quod sibi non repugnat diuisio in infinitum, quam per hoc quod sibi non repugnat oppositum.

Ad confirm. Dicitur, quod in illa particula *de pluribus*, non intelligitur solum de pluribus numero, sed absolutè de pluribus numero, vel specie differentibus, quod tamen incongrue in specie secundo prædicabili diceretur, quia secundum prædicabile solum de numero differentibus prædicatur, tertium autem vtrumque compatitur, & de pluribus numero, & de pluribus specie differentibus pro vt fuerit species, quam constituit.

Ad aliam partem confirm. dicitur: Quod prædicari de pluribus omni prædicabili commune est, sed prædicari de pluribus in quale quid soli tertio prædicabili est proprium. Quod deinde diuidi potest in prædicari de pluribus numero, vel specie distinctis. Et Porphyrius non solum posuit primam particulam, sed etiam addidit secundam.

Circa vltimam particulam, *in qualequid.* Aduerte duo, primum est quod cum dicitur in qualequid, ly *quid* est idem quod essentialiter, sec quidditatiuè, non idem substatiuè, nam illa particula *quid* vtrumque designat, ex parte rei significatæ rationem essentialem, & quidditatiuam, ex parte modi quod substantiuè, & non adiectiuè se habeat, vt in quæst. de genere explicabimus.

Secundum est. Quod sicut in naturalibus forma, seu actus, & comparatur ad materiam tanquam ad potentialitatem ex qua educitur, & ad totum quod ex materia, & forma constat, sic etiam differentia primò respicit genus tanquam potentiale quod actuat, & de cuius potestate educitur, non eductione Physica, sicut forma à materia, sed eductione Metaphysica, sicut ratio determinata, & actuans ab indeterminata, & confusa, & actuabili. Deinde respicit speciem tanquam totum quoddam constitutum, & formatum per ipsam differentiam, vnde respectu generis differentia se habet in quale, quia determinat confusionem, & potentialitatem eius, respectu autem speciei non dicitur in quale, quia determinat potentialitatem eius, sed quia est pars constitutiua illius actualior, & magis determinata. Quam doctrinam inueniens in D. Thom. 1. p. q. 50. art. 4. ad 1. & quæst. de spiritualib. creaturis, art. 8. ad 9. & ex illa constat differentiam semper debere esse perfectiorem suo genere, sicut actus potentia, & determinatum indeterminato, & qualitas qualificabili.

ARTICVLVS III.

Vtrum differentia dicatur vniuersalis respectu suæ speciei, an respectu inferiorum talis speciei?

CVm differentia conuertatur cum specie, quam constituit, & mediante ipsa de indiuiduis prædicetur, species autem vniuersalis sit, & ex hoc ipso, quod differentia dicitur de specie æqualiter, & ad conuertentiam, oportet quod sit vniuersalis sicut ipsa species, tamen difficultas est, an ex hoc formaliter, quia respicit speciem vniuersalis sit, an vero ex formali respectu, quo respicit indiuidua talis speciei?

Ex parte etiam inferiorum ipsius differentiæ potest esse dubium, quæ sint directè, & per se inferiora differentiæ, quædam enim sunt inferiora, quasi immediata ipsius differentiæ, alia sunt inferiora immediata ipsius speciei, & mediatè sunt etiam inferiora differentiæ, v. g. rationale, & potest prædicari de Petro, & Paulo tanquam de inferioribus hominis, & potest prædicari de hoc, & illo rationali tanquam de inferioribus sibi immediatè. Inquirimus ergo respectu quorum inferiorum constituatur differentia in ratione tertij prædicabilis?

Respon

Respondeo, & dico primo. Differentia non habet rationem vniuersalis Logici formaliter per respectum ad speciem, sed ad inferiora licet concomitanter habeat ordinem ad speciem tanquam ad vniuersale cum quo conuertitur. *Ratio* est manifesta, quia formalitas vniuersalitatis sumitur per ordinem ad suum correllatiuum: correlatiuum autem vniuersalis formaliter sunt inferiora, nam vniuersale se habet, vt superius ad multa, & vt contrahibile ad inferiora. Constat autem, quod differentia respectu speciei non est superior, neque contrahibilis ab ipsa, cum sit illi æqualis, ergo non potest habere vniuersalitatem formaliter respectu illius, & esse superior ad illam.

Et confirm. Quia illud est vniuersale, & superius respectu alicuius, quod quando illi communicatur contrahitur ab illo, illud autem contrahitur ad aliquid quod per contractionem amittit vniuersalitatem, & abstractionem. At vero differentia per hoc, quod communicetur speciei non redditur singularis neque amittit vniuersalitatem, sed potius conseruat eam, ergo respectu illius non est contrahibilis neque superior. Vnde non potest dici, quod prædicetur de specie tanquam vniuersale Logicum, quia non prædicatur tanquam quid superius de illa, sed tanquam æquale de æquali. Quare ista æqualitas supponit vniuersalitatem concomitanter, vt dicit secunda pars conclusionis, non formaliter vniuersalitatem constituit, sicut ex hoc, quod aliquis sit æqualis Regi formaliter non dicitur Rex, sed ex hoc quod habet Regnum, imperat aliis ratione, cuius æqualis est Regi.

Si dicatur. Quod per ordinem ad speciem non est formaliter vniuersale, quia species non est inferior, est tamen radicaliter, quia ex hoc quod respicit speciem & conuertitur cum illa, consequenter respicit indiuidua contenta sub specie.

Contra est. Quia radix vniuersalitatis idem est, quod fundamentum vniuersalitatis, quod est vnitas abstractionis, & aptitudo ad multa, sed vnitas abstracta à multis, & aptitudo ad illa non habet pro radice respectum ad speciem quia hic respectus est conuertentiæ, & æqualitatis, non superioritatis ad ipsa multa, ergo ex hoc quod respiciat speciem non est radicaliter vniuersalis differentia, sed ex abstractione, & aptitudine ad ipsa multa, quæ sunt inferiora.

Dico secundo. Differentia non respicit pro inferioribus tertij prædicabilis hanc, & illam differentiam, v. g. rationale, hoc, & illud rationale, sed inferiora contenta sub specie, quam constituit, v.g. rationale respicit pro inferioribus, Petrum, & Paulum. *Ratio* est manifesta. Quia prædicabilitas tertij prædicabilis est *in quale quid*, ergo solum illa sunt constituenda, vt eius inferiora respectu quorum differentia se habet, vt quid superius, & in quale, & prædicari potest in quale. Sed respectu huius, & illius differentiæ non se habet in quale, sed benè respectu indiuiduorum speciei, quando enim dico hoc rationale est rationale, non est prædicatio in quale, quia non prædicatur de hoc rationali aliqua differentia eius, sed tota, & integra eius natura, qualiscumque illa sit completa, vel incompleta, ergo non qualitatem prædicat de illa, sed quidditatem, licet non sit per se genus, aut species, vt supra diximus in quæst. de genere, quia non contrahitur per alias differentias alioquin esset processus in infinitum. Respectu autem inferiorum suæ speciei, quam constituit, prædicatur in quale, quia prædicatur, vt ratio qualificans naturam eorum, & se habet, vt superius, ergo illa sunt inferiora differentiæ, vt tertium prædicabile est.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur contra primam conclusionem. Hęc prædicatio. *Homo est rationalis*, est prædicatio tertij prædicabilis, ergo respectu hominis datur vniuersalitas tertij prædicabilis, sicut datur prædicabilitas: Homo autem non concipitur ibi, vt indiuiduum, sed vt species. Antec. est certum. Quia illa prędicatio non potest pertinere ad aliud prædicabile, quam ad tertium.

Et conf. Quia tertium prędicabile habet pro immediato correlatiuo speciem, & mediante illa respicit indiuiduum sub ea contentum, ergo magis dicitur vniuersale per ordinem ad speciem, quam per ordinem ad indiuiduum. Conseq. prob. Quia relatio magis denominatur per ordinem ad immediatum correlatiuum, quam in ordine ad mediatum. Anteced. verò probat. Quia tertium prędicabile formaliter in quantum tale respicit suum correllatiuum in quale: sed non immediatè qualificat indiuidua, sed naturam indiuiduorum, quę est species, alias non esset qualitas essentialis si immediatè non qualificaret essentiam, ergo est immediatum correlatiuum eius ipsa species, seu essentia constituta. Illud enim est immediatum correlatiuum, quod est immediatè constitutum, & qualificatum à differentia.

Resp. Quod illa prædicatio *homo est rationalis*, est tertij prędicabilis, quasi materialiter, & Metaphysicè, non formaliter, & Logicè, prędicatur enim de homine illa res, quæ est tertium prædicabile, non tamen sub formalitate, & relatione tertij prædicabilis, seu tertij vniuersalis, & sic est magis tertium prædicatum quam tertium prædicabile, licet concomitanter ibi retineat vniuersalitatem tertij prædicabilis, quam exercet non respectu speciei, sed respectu indiuiduorum, sicut genus cum prædicatur de indiuiduo, vt Petrus est animal ibi retinet rationem generis, licet non per ordinem ad illud sit genus, sed per ordinem ad speciem. Et propria passio cum prædicatur de natura specifica, vt homo est risibilis non exercet rationem vniuersalis, licet prædicet naturam quæ susceptiua est quarti prædicabilis per ordinem ad indiuidua.

Ad confirm. Negatur anteced. Et ad prob. dicitur quod species est immediatum constitutum per differentiam, & in ratione constitutiui respicit illam immediatè per modum differentiæ Metaphysicæ non in ratione vniuersalis, & differentiæ Logicæ, sic enim immediatum correlatiuum eius sunt inferiora, sed quia respicit illa secundum prædicabilitatem in quale, oportet quod supponatur ordo ad ipsam naturam specificam, vt constitutam tali modo per differentiam, quod fundet prædicabilitatem in quale. Neque est inconueniens, quod alia sit habitudo differentiæ ad speciem in ratione constitutiui, alia in ratione vniuersalis ad inferiora, sicut enim differentia, respicit genus vt contractiua illius, & tanquam compartem ad constituendam speciem, ita relatione constituentis respicit ipsum constitutum, quæ tamen relatio est rationis, quia non distinguitur realiter genus, differentia, & species. Relatio verò differentiæ ad sua inferiora in quale est relatio superioris ad inferiora, quæ tamen præsupponit relationem ad speciem in ratione constituti.

Secundo arguitur. Differentia vt tertium prædicabile eadem relatione, seu intentione respicit speciem, & indiuidua, sed ista relatio, vt tangit indiuidua est vniuersalis, ergo etiam, vt tangit speciem. Conseq. constat, & minor concessa est supra. Maior

Maior verò probat. Tum quia respiciendo speciem respicit omnia sub ea contenta, quidquid enim vniuersaliter dicitur de aliquo, & adæquatè, dicitur de omni contento sub illo. Tum etiam quia differentia sub eodem conceptu, & prædicatione prædicatur de specie, & de indiuiduis, ergo sub eadem intentione, & relatione.

Et confirm. Quia differentia prædicatur de specie, vt æqualis, & ad conuertentiam cum illa, ergo vt vniuersalis, quia species non potest æquari nisi ab vniuersali, cum in se vniuersalis sit.

Resp. Disting. anteced. Si sumatur relatio differentiæ pro relatione constitutiui ad speciem vt constitutam sic eadem relatione respicit speciem, & indiuidua, quia non aliud constituit in indiuiduis quam in specie, scilicet naturam. Si verò sumatur relatio differentiæ pro relatione vniuersalis, & prædicabilis formaliter, & Logicè, sic diuersa relatione respicit indiuidua, & speciem, quia indiuidua, vt superior, speciem vt æqualis: Et ad probat. dicitur. Quod respiciendo speciem respiciuntur etiam indiuidua sub ratione quidem constituentis eadem relatione, sub ratione vero superioritatis, & æqualitatis, diuersa, licet vna connexionem habeat cum alia. Et sic prædicatio de indiuiduis est vniuersalis, de specie verò non.

Ad conf. Dicitur quod hoc ipso quod differentia est æqualis ad speciem habet quidem esse vniuersalis, sed non respectu speciei, cui æqualis est, sed respectu indiuiduorum quibus æqualis non est, sed superior.

ARTICVLVS IV.

Vtrum differentiæ superiores, & genericæ includantur in differentiis athomis, & de illis prædicentur?

CErtum est, supposito quod gradus Metaphysici non distinguntur, nisi ratione vt supra determinauimus, non distingui rem, quæ est differentia, & quæ est genus realiter, & materialiter inter se, & consequenter differentiam genericam non distingui à specifica in eodem subiecto. *Sed difficultas est*, an secundum formalem prædicationem differentia superior, & generica ita se habet ad inferiorem, quod de illa prædicetur, & in illa includatur tanquam prædicatum illius constitutiuum.

Resolutio est negatiua. Et inter Doctores communior, de qua videatur Sanchez hic lib.3.quæst.28. & Cabero tract.3. disput.4. dub.3. Carm. disp.7. quæst.4. Sumiturque ex D. Thom. in 3. Met. lect.8. § *Obiicit ad propositum.* Et in 1. contra Gent. cap.17. eo quod genus non potest prædicari de differentia, differentia enim non participat genus, vt dicitur in 4. Topic. Sic enim genus includeretur in differentiis, redderetur que Analogum, vt in tractatu de Analogia probabimus. Eadem autem ratio est de differentia generica, quia hæc constituit genus, & est pars illius quidditatiua. Et explicatur amplius. Quia differentia specifica contrahendo genus, etiam contrahit ipsam differentiam genericam ex qua quidditas generis constituitur, sed differentia contrahens genus est extra conceptum generis, ergo etiam est extra conceptum differentiæ genericæ, siquidem illam contrahit, contrahendo genus. Min. prob. ex Phylos. 3. Met. & D. Thom. ibi lect.8. Quia si genus includeretur in differentiis non posset in eis includi tanquam pars contrahibilis, sed vt tota, & integra differentia, quia differentia cum sit simplex non componitur ex genere, & differentia, neque ex aliquo contrahibili, & contrahente, alioquin esset processus in infinitum, quia si differentia constaret ex genere, & differentia, rursus illa differentia per quam constituitur, etiam genere, & differentia constaret, & de illa alia rursus inquireretur, esset enim de illa eadem ratio. Quare si genus, vel differentia generica includitur in specifica, non includitur tanquam pars contrahibilis, & generica, sed cum ipsa differentia sit simplex, & sine parte, erit tota ipsa differentia. Et sic genus esset Analogum vtpotè partim idem in quantum dicit vnicam naturam in qua conueniunt species, & partium diuersum, in quantum dicit ipsam differentiam integre qua differunt species inter se, & similiter si differentia generica includitur in specifica, non tanquam pars (differentia enim cum sit simplex partibus caret) differentia generica esset tota, & integra differentia specifica, & sic sequeretur, quod vna species infima differret ab alia per ipsammet differentiam genericam sine alio super addito, quod repugnat, sic enim eadem differentia constitueret genus quatenus differentia generica est, & diuideret ipsum, quia totaliter, & integrè esset differentia specifica.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimo obiicitur ex Aristot. qui 7. Met. text. 43. lect. 12. apud D. Thom. dicit quod differentiæ communes diuiduntur in alias differentias, sicut habere pedes, quæ est differentia quorundam animalium diuiditur in habere pedes scissos, vel non scissos. Imò de differentia pedalitatis scissæ: dicit quod prædicatur differentia superior: verum est enim dicere, quod fissio pedum est pedalitas quædam. Ergo differentię superiores prędicatur de inferioribus. Item 10. Met. text. 23. lect. 9. apud D. Thom. in fine ostendit quod in generibus sub quibus inueniuntur contraria, differentiæ mediæ componuntur ex differentiis contrariis. Ergo ruit nostrum fundamentum quo dicimus genericas differentias non includi in specificis, quia non sunt compositæ.

Confirm. Illo vulgari syllogismo. Omnis homo est sensibilis, omnis homo est rationalis, ergo aliquod rationale est sensibile, qui est in bona figura, scilicet in *Darapti*, & præmissæ sunt veræ: ergo, & conclusio.

Si dicas. Non sequi in conclusione quod rationale sit sensibile formaliter, sed materialiter, seu identicè. *Contra est.* Tum quia prædicatio illa est formalis, rationale est sensibile, sicut & prædicationes præmissarum. Tum quia potest fieri syllogismus addendo particulam formaliter, omnis homo formaliter est sensibilis, omnis homo formaliter est rationalis, ergo aliquod rationale formaliter est sensibile.

Respond. Ad primum locum Arist. quod differentiæ communes diuiduntur in alias non formaliter, sed materialiter, id est non ratione sui, sed ratione generis constituti per differentias superiores. Non enim potest diuidi genus per differentias inferiores, nisi etiam ipsæ differentiæ constitutiuæ generis diuidantur, potius autem dixit Arist. diuidi ipsas differentias superiores quam genus constitutum per ipsas, vt ostenderet, quæ nam sint differentiæ per se alicuius generis, & quæ sint differentiæ per accidens. Quando enim aliquod genus diuiditur per differentias inferiores, secundum quod tale genus ex intrin-

ſeca ratione, qua conſtituitur eſt in potentia ad illas, diuiditur tale genus differentiis per ſe, & non per accidens. Sicut animal bipes ex ipſa ratione bipedis eſt in potentia ad habere pedes fiſſos, vel non fiſſos, & ideo per ſe diuiditur animal bipes in tales differentias. Quando verò genus eſt in potentia ad inferiora non ratione ſuæ differentiæ conſtitutiuæ, ſed aliunde, talis diuiſio non eſt per differentias per ſe, ſed per accidens, ſicut ſi animal bipes diuidatur in album, & nigrum. Cæterum ex hoc non poteſt concludi, quod ipſæ differentiæ communes prædicentur de inferioribus differentiis formaliter, imò potius diuiduntur per illas, non prædicantur de illis, & quia diuiduntur per illas, potius ipſum genus, vt tali differentia conſtitutum eſt id, quod diuiditur, & cum eo ipſa eius differentia. Et hæc eſt plana explicatio illius textus quam ibi tradit D. Th. lect. 12. citata vbi inquit: *Quod hoc modo hæc differentia eſt diuidenda habens pedes, ſcilicet, huiuſmodi animalium aliud eſt habens pedes ſciſſos, aliud non ſciſſos.* Vbi non ſolum ipſa ratio bipedis, ſeu differentia habendi pedes, ſed etiam ipſum animal diuiditur, & ſic quando dicitur, quod ſciſſio eſt quædam pedalitas, *idem eſt*, inquit Diuus Thom. *Quod eſſe contentum ſub hoc quod eſt habere pedes*, atque adeo continetur ſub pedalitate ſicut differentiæ continentur ſub genere cuius pars eſt differentia generica.

Eodem modo Reſpondet. ad ſecundam authoritatem ex 10. Metaphyſ. differentias medias ibi non ſumi pro differentiis quæ ſunt tertium prædicabile, ſed pro ſpeciebus oppoſitis ſub eodem genere, non oppoſitione contraria, ſeu extrema, ſed media, dicuntur verò tales ſpecies differentiæ mediæ, quia differunt, ſeu opponuntur non extreme ſicut contraria, ſed tanquam contraria media.

Ad Confirm. Reſpondet, Quod in primo ſyllogiſmo nulla eſt difficultas, verificatur enim concluſio illata, rationale eſt ſenſibile, identicè non formaliter. Neque eſt neceſſe, quod ex præmiſſis in ſenſu formali verificatis, inferatur concluſio vera etiam in ſenſu formali, ſed ſufficit quod in ſenſu identico, vt frequenter contingit in hac tertia figura; vt ſi dicas omne lac eſt album, omne lac eſt dulce, ergo aliquod dulce eſt album, hic homo currit, hic homo eſt iuſtus, ergo iuſtus currit. Quæ concluſiones ſolum ſunt veræ in ſenſu identico. In ſecundo autem ſyllogiſmo vbi additur illa particula *formaliter*, manifeſtè variatur appellatio ex diuerſa applicatione illius particulæ *formaliter*, quia ſub reſpectu ſub quo applicatur in præmiſſis facit prædicationem formalem. In concluſione autem verificantur extrema identicè, & ideò illa particula *formaliter*, non habet ibi locum. Ad bonitatem autem ſyllogiſmi ſufficit quod ſi antecedens eſt verum etiam & conſequens, ſed non requiritur, quod in eodem ſenſu, & reſpectu verificetur, ſed poteſt antecedens eſſe verum ſecundum prædicationem formalem, & conſequens ſecundum identicam, vt vidimus.

Et ratio eſt. Quia illa particula *formaliter*, ſemper debet intelligi reſpectiue, & ſub aliqua appellatione, quod enim eſt formale reſpectu vnius, poteſt non eſſe reſpectu alterius. Vnde ſemper ille reſpectus ſub quo formaliter ſe habet, debet manere inuariatus quoties apponitur particula *formaliter*. Et quia verificatur quod homo ſit rationalis, & ſenſibilis formaliter, quia recipit iſta prædicata tanquam formalia, quod verò rationale ſit ſenſibile non verificatur, niſi ex identificatione in eodem ſubiecto, ideò non poſſunt ſub eadem formalitate verificari, ſed ſi apponatur particula, *formaliter*, variatur appellatio.

Quod ſi inſtes: Hic ſyllogiſmus eſt bonus in celarent: *Nullum rationale formaliter eſt ſenſibile, omnis homo formaliter eſt rationalis, ergo nullus homo eſt ſenſibilis.* Vbi nulla eſt variatio appellationis, & tamen etiam ſi tollatur particula *formaliter*, à concluſione, illa eſt falſa, ergo ſolutio data non eſt ſufficiens.

Reſpond. Eodem modo variari appellationem ex parte illius particulæ formaliter, quæ ſemper facit ſenſum non abſolutum, ſed cum aliqua reſtrictione, & dependentia, ſeu reſpectu, quatenus ſcilicet ſubeſt illi formalitati, & reſpectui extremorum. Contingit autem quod ea, quæ ſub vna formalitate, & reſpectu non coniunguntur, neque conueniunt, ſub alio conueniant, vnde à negatione ſub vno reſpectu ad negationem ſub alio, vel ad negationem abſolutè non valet. Et ſic ex eo quod rationale formaliter, id eſt, ſub conceptu, & formalitate rationalis nullo modo ſit ſenſibile, non licet inferre, quod ſub conceptu, & formalitate hominis, homo qui eſt idem cum rationali non ſit ſenſibilis. Quæ variatio formalitatum, & appellationum in multis aliis materiis valde obſeruanda eſt. Sicut non valet, Chriſtus poſito præcepto hic, & nunc poteſt operari, & non operari, quia libere operatur, & ſi non operaretur, peccaret, ergo poteſt peccare, & non peccare. Non inquam valet, quia poteſt non operari ſub reſpectu, & formalitate operationis, vt requiritur ad rationem liberi, non ſub formalitate, & conceptu peccati, vt eſt à ratione liberi deficientis.

Vltimò arguitur. Differentia ſpecifica inferior habet aliqua prædicata communia, & ſuperiora, v. g. rationale eſt viuens, & eſt ſubſtantia, &c. Ergo aliquid habet ſibi commune tanquam genericum, & ſuperius: ergo poteſt talis differentia generica, ſeu genus prædicari de differentia inferiori.

Et confirm. Quia conceptus differentiæ aliquam compoſitionem admittit, cum aliquid habeat potentialitatis, vtpotè res creata, ſolus autem actus purus eſt omnino ſimplex, ergo poteſt reſolui in conceptum communem, ſeu genericum, & ſpecialem, ſeu differentialem. Ille autem conceptus ſuperior eſt differentia ſubalterna, quia differentia inferior habet naturam & operationem ſubordinatam differentiæ genericæ, v. g. hinnibile in equo eſt quædam operatio ſenſibilis, & conſequenter ſubordinata ſenſibili in communi, quod eſt differentia generica animalis.

Reſpond. Quod illa prædicata ſuperiora conueniunt differentiæ non in formali, & directa linea, ſed reductiue, & ſecundum quandam habitudinem, ſeu connotationem. Dicitur enim rationale ſubſtantia, vel viuens, non quia in ſe ſit ſubſtantia, vel viuens, ſed quia forma à qua ſumitur eſt principium ſubſtantiæ, vel viuentis, vel alterius gradus, non enim forma eſt id quod eſt, ſed quo aliquid eſt, ſicut etiam materia, & forma ſunt ſubſtantiæ, quaſi principia ſubſtantiæ, ſeu ſubſtantiæ incompletæ. Eodem modo differentiæ ſunt quid incompletum in ſuo prædicamento. Et ſic non ipſa ratio ſuperior, quæ completa eſt prædicatur de illis, nec differentiæ ipſæ genericæ, ſed incompleta ratio illius prædicamenti, v. g. ſubſtantia vt abſtrahit à completa, & incompleta, quæ modo tranſcendentali includitur in omni, eo quod ad tale prædicamentum pertinet, & reducitur.

Ad confirm. Reſpond. Differentiam non eſſe compoſitam *ex his*, ſed compoſitam *huic*; quia eſt pars, ſeu per modum partis ſe habet, pars autem non eſt ſimplex, ſicut actus purus ſimplicitate perfectionis, ſed ſimplicitate negationis, quia ſcilicet non eſt plene perfecta. Simplicitas autem negationis, plus habet potentialitatis, quia eſt componibilis alteri à quo perficiatur,

ficiatur, non tamen est composita per resolutionem in plures conceptus ex quibus constat, nisi forte analogicè, quia ens in omnibus includitur, etiam in differentiis, nec differentia inferior est subordinata superiori formaliter, & directe tanquam generi licet præsupponat illam, sicut præsupponit genus quod constituitur ex illa. Et sic hinnibile est principium operationis sensibilis, distinguo præsuppositiuè, & materialiter sensibilis transeat; formaliter, & directe sensibilis, nego. Idest, vt sit hinnibile præsupponitur sensibile, sed non formaliter est illud.

QVÆSTIO XI.

De proprio.

ARTICVLVS I.

Explicatur natura Proprij, eiusque diuisiones expenduntur.

POrphyrius in cap. de Proprio quatuor proprij acceptiones posuit, & ipsa diuisione videtur vnum quodque definisse. Diuiditur enim proprium quatuor modis. *Primo*, dicitur proprium, quod conuenit soli speciei, sed non omni eius indiuiduo, vt esse Grammaticum, vel Medicum homini. *Secundo*, quod è contra conuenit omni indiuiduo, sed non soli speciei, sicut homini conuenit esse bipedem. *Tertio*, quod conuenit soli speciei, & omni indiuiduo, sed non semper, vt homini in senectute canescere. *Quarto*, quod est maximè proprium, quod soli speciei & omni indiuiduo, & semper conuenit vt hominem esse risibilem. Et est maximè proprium, quia plene conuertitur cum suo subiecto.

Vbi Porphyrius omnem rationem proprij aliquo modo per ordinem ad speciem, id est, ad naturam aliquam rei, siue sit species infima, siue subalterna explicauit, quia ad quamcumque potest consequi aliquo modo proprium. Et deinde perfectam rationem proprij ex perfecta conuenientia, & adæquatione cum ipsa specie, seu natura, & contentis sub specie desumit. Tunc autem dicitur ad conuertentiam quando comitatur ipsam naturam vbicumque sit, & extra ipsam non inuenitur, nam hoc ipso quod in aliis inuenitur, non est perfectè proprium eius, sed etiam aliis commune, sibi vero solum erit quasi appropriatum, aut accommodatum eo modo quo videmus pleraque accidentia inueniri extra proprium subiectum, vt calorem, frigus, albedinem, &c. Ad hoc autem vt aliquod accidens perpetuo comitetur aliquod subiectum, & extra illud non sit, oportet quod in tali subiecto habeat aliquam radicem, seu principium, quo illi sit connexum, & à quo dimanet. Accidentia vero, quæ conueniunt etiam iis subiectis in quibus radicem non habent, communia dicuntur, quia carent principio quo illis solum conueniat.

Vnde contingit quod quando aliquod accidens habet principium & radicem in aliqua natura, & ex illa communicatur alteri v.g. lux quæ in sole habet radicem à qua dimanat, communicatur vero aëri, & calor habet radicem in igne, communicatur verò aquæ, vel alij corpori, illud accidens habet rationem proprij respectu illius subiecti à quo dimanat, non respectu illius cui communicatur. Cæterum tale accidens quod communicatur extra proprium subiectum non eodem modo est in aliis subiectis: atque in proprio, quia in aliis est quasi participatiuè, & imperfectè; in proprio autem subiecto plene, & perfecte, vtpotè suo proprio principio coniunctum. Vnde sub illa perfectione, & modo quo est in proprio subiecto nunquam communicatur extra proprium subiectum. Quæ ratio est, vt aliqui Authores dicant non posse accidens proprium crescere, & augeri etiam intrinsecè in ipso subiecto cuius est propria passio, quia ibi habet summam perfectionem quæ sibi nata est competere. Solum verò potest augeri in subiecto alieno, sicut lux non potest crescere in sole, neque calor in igne. Quod in Physicis latius disquiretur, & Theologi tractant agentes de plenitudine gratiæ Christi, 3.p.q.7.art.11.

Duo ergo nobis restant explicanda. *Primum* quodnam sit diuisum istius diuisionis proprij, & quę nam sit ipsa diuisio in quatuor modos? *Secundò*, quo modo sit explicanda definitio ipsius proprij quarto modo?

Circa primum: *Respondeo, & dico primò*, Diuisum huius diuisionis non est proprium quartum prædicabile, sed ratio proprij communiter dicti, quæ consistit in relatione conuenientiæ ad vnum cum exclusione consortij, seu communicationis alterius: quod enim mihi est proprium, ita est peculiare, quod non est alterius, nec illi commune. Itaque procedimus in hac diuisione, sicut in diuisione differentiæ in communem, propriam, & proprissimam. *Et ratio* conclusionis est, Quia ratio quarti prædicabilis consistit in hoc, quod prædicetur in quale necessariò accidentaliter; per hoc enim distinguitur à reliquis prædicabilibus, per ly *in quale* à genere, & specie, per ly *accidentaliter*, à differentia, quæ est quale essentialiter, per ly *necessariò* ab accidente communi, quod est quintum prædicabile, sed istæ conditiones non conueniunt diuiso huius diuisionis, sed tantum vni membro diuidenti, scilicet, proprio quarto modo. Ergo quartum prædicabile non est diuisum in hac diuisione, cum sit membrum diuidens; & consequenter diuiditur proprium communiter dictum. Et hoc ideò est: Quia ad hoc ponitur hæc diuisio, vt inter multa, quæ nomen proprij sumere possunt, inuestigetur illud, quod est propria passio, cui quarta prædicabilitas assignetur, non ergo debebat pro diuiso accipi ipsum quartum prædicabile, sed inter membra diuidentia quæri, & discerni ab aliis, quæ etsi rationem proprij videantur habere; non tamen rationem propriæ passionis assequuntur.

Dico secundò. Proprium communiter dictum diuisione Analoga diuiditur in istos quatuor modos proprij. Non est in hac conclusione magna Authorum dissensio, sed communiter eam sequuntur, præsertim Thomistæ. Et vocamus proprium communiter dictum, quod est proprium quasi physice, seu metaphysice consideratum, prout opponitur ei, quod est commune, non pro proprio quarto prædicabili, vt diximus. Hic enim solum agimus de natura proprij, non de intentione: sicut ergo rectè dicimus, quod commune absolutè sumptum est illud, quod habet conditiones requisitas ad rationem communis; ita proprium communiter dictum est, quod habet conditiones requisitas, vt aliquid sit proprium, & sicut commune dicit relationem communicatiui, seu conuenientiæ ad multa, ita proprium dicit relationem conuenientiæ ad vnum cum exclusione communicationis ad extraneum. Et sic ista duo generaliter requiruntur ad rationem proprij. Et secundum quod istæ duæ conditiones simpliciter seruantur, simpliciter inuenitur ratio proprij, si autem secundum quid inueniantur, simpliciter non erit proprium. Sic autem se habent isti quatuor modi, quod solum in quarto modo inueniuntur simpliciter istæ duæ conditiones, non in aliis: Nam prima conditio est, quod

quod conueniat vni non separando se ab illo, quoad conuenientiam: secunda quod non conueniat alteri extraneo, & vt prima conditio seruetur, debet conuenire vbicumque talis res inuenitur, & semper, hoc est firmiter, & inseparabiliter: tunc autem aliquid firmiter conuenit alicui, quando habet in illo radicem, & principium; si enim ibi radicem non habeat, transeunter, & separabiliter conuenit quantum est ex vi connexionis, licet per accidens ex aliquo extrinseco conseruante possit permanere quoad existentiam, non quoad conuenientiam. Ad secundam autem conditionem, requiritur quod conueniat soli, quia non debet conuenire alij extra ipsum. Vnde deficiente aliqua ex his conditionibus non datur simpliciter proprium, nec integrè, quia non habet ipsam rationem proprij, & conditiones essentialiter requisitas. Deficiunt autem in tribus primis modis proprij, nam primus modus conuenit soli, sed non omni, nec semper, vnde est separabile, & sic non est proprium. In secundo modo conuenit omni, sed non soli, & sic est commune aliis. In tertio modo conuenit omni, & soli, sed non semper, & sic neque permanenter, sed separabiliter, quod est non possidere, & habere ipsum tanquam proprium, non solum quia non existit aliquando in ipso, sed quia non conuenit semper ipsi.

Quòd si inquiras: Cur ergo vocantur propria ea, quæ istis modis propria sunt, cum verè propria non sint.

Respond. Quod sunt propria secundum quid, primo quia saltem participant aliquas conditiones proprij, vt quod conueniant, vel soli, vel omni. Et secundo, quia licet absolute non sint propria; comparatiue tamen propria sunt, verbi gratia, esse bipedem, licet absolute non sit proprium hominis, tamen comparatiue ad quadrupedia proprium est illi.

Vnde tandem constat diuisionem esse adæquatam, quia ex tribus conditionibus, quæ requiruntur ad proprium, scilicet omni, soli, & semper, vel conueniunt omnes, vel deest aliqua; si conueniunt omnes est proprium simpliciter, & quarto modo: si deest aliqua, vel deest prima, scilicet, quod non conueniat omni, & sic est proprium primo modo; vel secunda, scilicet quod non conueniat soli, & sic est proprium secundo modo, vel deest tertia, & sic est tertio modo proprium. Si vero desint omnes nullo modo est proprium.

Circa secundum: Definitio proprij simpliciter ex dictis manet explicata. Et traditur dupliciter, vno modo à Porphyrio, quod proprium quarto modo *est quod conuenit omni soli & semper*: alio modo ab Aristotele 1. Topic. capite 4. quod proprium est, *quod non indicat esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur.* Vbi potius explicatur ipsum substratum quarti prædicabilis, id est, ipsa propria passio, quam ratio ipsa quarti prædicabilis. Et in definitione Porphyrij, si ly *conuenit*, sit idem quod prædicatur, seu prædicari potest, & ly *omni* distributiue accipiatur pro inferioribus, reddetur illa definitio secundò intentionalis, & pro prædicabili logico, poteritque sic in formam redigi. *Proprium est quod prædicatur de pluribus in quale, accidentaliter, & necessario.* Quam definitionem sequenti articulo explicabimus. Si autem ly *conuenit*, idem est, quod in esse, seu competere, vel deberi, tunc ly *conuenit*, sumitur primò intentionaliter pro eo quod fundat prædicationem vniuersalem per modum quarti prædicabilis. Et reducetur definitio ad hanc formam. *Proprium est, quod necessariò consequitur ad aliquam naturam, & illi conuenit accidentaliter, sed conuertibiliter.* Et sic comprehendimus etiam definitionem Philosophi, prout dicit conuenientiam accidentalem, & conuertibilem.

Quòd si inquiras. Quid sit consequi, & dimanare ab essentia, seu habere illam pro radice; & quæ causalitas sit ista dimanatio?

Respondet. Hoc ad Metaphysicam spectare. Sed breuiter dicimus dimanationem proprie non esse causalitatem effectiuam; id est, quæ per actionem agat, sed habet modum efficientiæ, nam substantia se sola sine accidentibus non efficit propriè, & ideò ipsa accidentia, quibus efficit, & operatur dicuntur dimanare à substantia, non quia ab ipsa producantur; producuntur enim ab egente simul cum ipsa substantia, dependenter tamen ab ipsa substantia cuius sunt propriæ passiones, & à qua habent participationem, sicut formæ secundariæ, & minus principales à radicali, & primaria; quod autem est participatiue tale, dependet ab eo, quod est principaliter, & radicaliter tale. Et talis dependentia dicitur dimanatio, quia ab ipso tanquam à principio participatur, & sic habet rationem quasi actiuam, seu reductiuè actiuam non formaliter, quatenus est participatio quædam, & connexio cum natura. De quo videri potest D. Thom. 1. p. quæst. 77. art. 6. ad 3. & art. 7. ad 1. & opusc. 48. cap. de Proprio in fine. Videri etiam potest Caietan. capit. 7. de Ente, & Essentia, quæstion. 16. §. *Accedit*, vbi tractat quomodo propria passio causetur à subiecto in genere causæ materialis, efficientis, & finalis: & nos latius explicamus in Physica quæst. 12. & in lib. de anima, quæstione 2.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Contra diuisionem datam arguitur, ad probandum, quod non diuiditur in illa proprium primo intentionaliter acceptum, & physicè, sed secundo intentionaliter. Nam proprium, vt inuenitur in re est indiuiduum, & singulare, vel ergo est proprium quatenus singulare, vel secundum se; si quatenus singulare non est proprium quarto modo, cum non dimanet à principio essentiali: sed indiuiduali. Si secundum se, non conuenit cuilibet subiecto singulari, vt proprium, sed vt commune, quia conuenit multis indiuiduis, ergo in re nunquam datur proprium, sed solum quoad secundam intentionem. Si autem sumatur proprietas in singulari, v. g. hæc risibilitas respectu huius indiuidui, v. g. Petri, talis proprietas est indiuidualis, de qua non agimus in præsenti, sed de illo, quod est proprium naturæ, & potest esse quartum prædicabile.

Et confirm. Quia proprium sic diuisum dicitur de pluribus, scilicet, quod conuenit omni, &c. ergo non proprium, prout physicè est in re, sed prout est in intellectu. Et sic est proprium logicè acceptum.

Respond. Quod proprium vt inuenitur in re est quidem singulare, quia nihil, nisi singulare datur in re, non tamen est proprium ratione singularitatis subiecti, sed ratione naturæ. Et sic inest cuilibet singulari, vt proprium non ipsius singularitatis, sed naturæ, quæ in eo inuenitur: sicut etiam prædicata constitutiua naturæ in re inueniuntur singularizata, & non sunt quidditatiua, & essentialia ratione singularitatis, sed ratione naturæ quam in re constituunt, essentialiter vt naturam, indiuidualiter, vt hanc. Eodem modo se habet passio, quæ à natura dimanat in re.

Ad confirm. Respond. Quod proprium quod dicitur de pluribus, quantum ad rem substratam huic prædicabilitati de pluribus inuenitur in re; quantum ad modum prædicabilitatis, non. Sicut etiam genus, & species

species pro secunda intentione non sunt in re: pro natura verò substrata, in re sunt, licèt sub alio modo. Sic proprium quantum ad relationem proprietatis, & rem ipsam, quæ propria passio est in re inuenitur. Et hæc fundamentaliter habet conuenire omni, & de pluribus prædicari; formalis autem intentio prædicabilitatis conuenit per intellectum: & in hac diuisione consideratur ipsa ratio proprij secundum se non intentio.

Secundò arguitur. Diuisum huius diuisionis debet esse aliquod accidens; vel ergo abstrahens à quarto, & quinto prædicabili, vel determinate quartum, vel quintum. Si primum, diuisum huius diuisionis non est proprium, sed abstrahens à proprio, & communi. Si secundum, ergo male negauimus diuisum huius diuisionis esse quartum prædicabile. Si tertium, quomodo vnum ex membris diuidentibus est quartum prædicabile, scilicet proprium quarto modo quod opponitur quinto prædicabili?

Confirm. Quia proprium secundo modo est accidens commune, conuenit enim omni, sed non soli, ergo nullo modo pertinet ad rationem proprij, sed ei opponitur; cuiuscumque enim proprij intentio, siue primi, siue secundi modi, non debet esse intentio quinti prædicabilis.

Respond. Quod diuisum huius diuisionis non est accidens vt abstrahit à proprio, & communi accidenti, quia in ista diuisione non consideratur formaliter diuisio in ratione prædicabilis quarti, vel quinti, licèt in re membra diuidentia aliquo ex illis modis prædicentur. Sed diuisum est accidens prout potest inducere, & fundare conditiones proprij, & relationem conuenientiæ ad aliquid sub formalitate proprietatis, sicut ratio differentiæ, quæ diuiditur in communem, propriam, & propriissimam, non est differentia sub conceptu facientis differre. Et quia formalitas illa proprij, & conditiones ad illam requisitæ, non ex æquo inueniuntur in omni proprio, ideò diuisio ista fit Analogicè secundum diuersos modos habendi proprietatem.

Ad confirm. Respond. Quod proprium secundo modo, in genere prædicabilis, & vniuersalis pertinet ad quintum prædicabile, quia simpliciter est accidens commune, in ratione tamen conuenientiæ proprietatis, & proprij Physicè considerati induit rationem proprij non simpliciter, sed quantum ad aliquam conditionem, scilicet, quia conuenit *omni*, neque absolutè, sed respectiuè, & comparatiuè, sicut esse bipedem absolutè quidem conuenit aliis ab homine, respectu tamen quadrupedum, proprium est hominis. Et hoc modo reductiuè pertinet ad proprium quarto modo, vt ad principale Analogatum. Neque est inconueniens quod simpliciter pertineat ad vnum prædicabile, & secundum quid, & reductiuè ad aliud sicut rationale respectu Petri, & Pauli est differentia, respectu huius, & illius rationalis, induit modum speciei.

Vltimo arguitur contra definitionem proprij quarto modo. Nam illa particula *semper* non conuenit omnibus propriis passionibus, ergo male ponitur. Antecedens probatur, nam in primis potest Deus separare propriam passionem à subiecto, sicut quantitatem à corpore in Eucharistia, vel sine illa subiectum conseruare, vt solem sine luce, imò naturaliter potest impediri propria passio, vt motus deorsum in lapide, frigus in aqua, potentiæ sensitiuæ in animali, quæ tamen ab anima dimanant. Denique existentia contingenter conuenit omni creaturæ, nec potest esse propria passio, alias idem efficeret se ipsum si à se dimanaret existentia, & tamen per se conuenit formæ, sicut rotumditas circulo, vt dicit D.Thom. 2. contra Gent. cap. 55. ideoque si forma est subsistens, hoc ipso est incorruptibilis, quia per se conuenit illi existentia, ergo non consistit propria passio in dimanatione, & perseitate ad subiectum.

Resp. Negan. Ant. Et ad probationem, quod attinet ad separationem propriæ passionis à subiecto non est negotij Logici id disputare, sed admittimus reales passiones separari posse à subiecto, licet modales, quæ consistunt in solo modo, aut quæ admiscent priuationem aliquam, vel negationem ex parte subiecti requisitam non possint separatæ existere, quia non distinguuntur realiter à subiecto. Quia ergo solum reales separari possunt, dicimus, quod in definitione proprij, quod conuenit semper, ly *conuenit* non dicit existere vel adesse subiecto, sed ly *conuenit* est idem, quod *debetur*, seu connectitur, & postulatur à subiecto, licet non semper actu existat in eo. Et ita intelligitur D.Thom. quando dicit in q. de Spiritualib. creaturis art. vlt. ad 7. quod subiectum esse, sine propria passione, nec intelligibile est, id est, non conuenire, aut non connecti propriam passionem. Quam conuenientiam in hoc assignamus, quod non potest subiectum de se non exigere, & postulare propriam illam passionem, ita vt possit negari propria passio de subiecto, seu non conuenire illi, licet per primam intellectus operationem possit separari à subiecto, accidens autem commune, quod distinguitur à proprio, etiam per secundam operationem potest negari de subiecto, eo non destructo, vt benè S. Th. notat opusc. 48. cap. de Accidente, & in 1. dist. 26. in expositione literæ.

Ad aliam partem argumenti de propriis passionibus, quæ impediuntur. *Resp.* Quod licet omnes propriæ passiones dimanent à subiecto, & connectantur ei, sed non omnes eodem modo. Quædam enim dimanant absolutè, & sine vlla alia dependentia, quam à subiecto à quo dimanant, sicut risibilitas, & intellectus ab homine, diaphaneitas à cœlo, lux à sole. Aliæ dimanant supposito aliquo statu connaturali, vt lapidi conuenit quiescere non absolute, sed in centro, nec moueri absolutè, sed extra centrum, & gratiæ in statu consumato habere lumen gloriæ, in statu viæ fidem, & spem, & aquæ habere frigus summum in suo connaturali statu, & animali habere potentias sensitiuas supposito temperamento organi, ac denique, graui conuenit moueri per medium non impeditum, sed liberum. Dicimus ergo has passiones impediri posse ab extrinseco, quia non dimanant à subiecto absolutè, sed supposito aliquo statu, vel aliquo extrinseco. Primæ verò quæ absolutè dimanant à subiecto, eo posito non possunt impediri naturaliter. Et aliquæ etiam proprietates conueniunt subiecto non determinatè, sed vage, vt aliqua figura quantitati, aliquis color, mixto: si tamen proprietates sunt.

Ad id, quod additur de existentia. *Resp.* Respectu cuiuscumque creaturæ non habere necessariam connexionem, sed contingenter conuenire, alias conueniret semper, & ab æterno propter connexionem æternæ veritatis, cum tamen ab efficienti libero scilicet, Deo dependeat. Dicitur autem per se conuenire formæ non perseitate Logica, quæ fundatur in habitudine connexionis intrinsecæ, sed perseitate Physica, quæ fundatur in re, vt producta, & vt subest influxui Physico agentis. Et dicitur sequi ad formam existentia, sicut splendor ad lucem, quia existentia determinationem, & specificationem accipit à forma, cuius est, & ita vt determinata, & specificata erit à forma, existentia enim hominis, vt specificatiuè est hominis, & non Angeli, sequitur ad formam hominis, quia de se existentia determinata, & specificata non est, sed ratione eius cuius est existentia. Et in forma

forma dependente à materia, per segregationem formæ à materia soluitur existentia, quia forma amittitur, si autem dependens non sit à materia, non potest tolli à forma, nisi per suspensionem actionis agentis, à quo solo pendet talis forma, quod est desinere per anihilationem.

ARTICVLVS II.

Quid sit proprium quartum prædicabile, & respectu quorum sumatur?

DVo sunt, quæ in hoc quarto prædicabili, quatenus vniuersale est, explicatione indigent. *Primum*, an ratio quarti prædicabilis conueniat solum proprio quarto modo, an etiam aliis. *Secundum* respectu quorum inferiorum conueniat ei ista vniuersalitas quarto prædicabilis.

Circa primum non pauci Doctores existimant intentionem quarti prædicabilis non solum proprio quarto modo, sed etiam proprio secundo modo conuenire, vel etiam omnibus. Et totum fundamentum videtur reduci ad hoc: quia ista propria saltem quod est proprium secundo modo prædicantur in quale accidentaliter, & distincto modo à quinto prædicabili, quod solum dicit posse abesse, & conueniunt necessario, quia quod est proprium secundo modo, vt hominem esse bipedem necessario illi conuenit, licet non soli, ergo pertinet ad quartum prædicabile.

Et confir. Quia nullum est accidens, quod ab aliqua substantia non dimanet, licet etiam possit conuenire aliis subiectis à quibus non dimanat. Vnde Sanct. Thom. in 7. cap. de Ente, & Essentia, absolutè docet omnia accidentia dimanare à substantia. Quod constat quia omne accidens est quædam participatio substantiæ, ergo sub ea ratione, qua dimanat à substantia debet pertinere ad quartum prædicabile, licet quatenus communicatur aliis, à quibus non dimanat, deficiat à perfecta ratione proprij.

Nihilominus, oppositum tenendum est. Et dico solum proprium quarto modo, vel quod ad illud reducitur esse substratum intentionis quarti prædicabilis. Quæ sententia est communior inter Thomistas, de quo videri potest, Soto, Masius, Arauxo, & alij cum Cursu Carm. disp. 8. q. 1.

Ratio sumitur ex determinatis per Philosophum 1. Post cap. 4. lect. 10. apud D. Thom. Vbi assignans quatuor modos per se, & explicans secundum, scilicet quando subiectum ponitur in definitione prædicati, dicit hanc esse differentiam inter accidens proprium & commune, quod quando in definitione alicuius prædicati ponitur subiectum est accidens proprium. Si verò aliquod prædicatum non ponatur in definitione subiecti, neque subiectum in definitione prædicati, talia sunt accidentia communia, & per accidens prædicantur. Sed quando aliquid non significatur, vt proprium quarto modo, quæ omni soli, & semper conuenit, subiectum non ponitur in definitione ipsius accidentis, sicut homo non ponitur in definitione bipedis, nec cygnus in definitione albi, ergo illud non est proprium, vt discernitur à quinto prædicabili. Et quod non ponatur subiectum in definitione talis prædicati patet. Quia saluatur extra illud subiectum, quia licet competat omni, sed non soli.

Dices. Hac ratione probaretur, quod risibile non esset proprium quarto modo respectu Petri, & aliorum indiuiduorum, quia etiam Petrus non ponitur in definitione risibilis, sicut neque homo in definitione bipedis.

Respondet. Quod Petrus non ratione singularitatis, sed ratione naturæ specificæ, quæ in Petro est ponitur in definitione risibilis, omne enim, quod pertinet ad naturam specificam Petri in definitione risibilis ponitur, sed non quod pertinet ad singularitatem Petri non verò tota natura hominis ponitur in definitione bipedis. Et hæc est causa, quod ex proprietatibus genericis magis fiunt propria secundo modo respectu specierum, quam ex specificis.

Deinde, vt optimè notat S. Thom. opusc. 48. cap. de Proprio Accidentia communia solum habent habitudinem ad subiectum, vt ad causam materialem, & receptiuam, quia causa materialis, vt sic non ponit necessariam connexionem cum forma accidentali. Proprium autem non respicit subiectum solum, vt causam receptiuam, sed vt principium à quo dimanat, quia habet causam connexionis cum illo. Quod etiam aduertit Sanct. Thom. 1. Posterior. loco citato. Ergo vt aliquid sit proprium quartum prædicabile, vt discernitur à quinto, oportet quod subiectum non solum habeat recipere, sed etiam habeat esse radix talis accidentis, & necessariam connexionem cum illo. Sed si non conuenit ei soli non habet necessariam connexionem cum illo, siquidem est commune aliis, & non potest habere pro principio essentiali, & radicali diuersas essentias vt diuersa sunt, ergo vt sit quartum prædicabile debet conuenire omni soli, & semper. Vnde dicit D. Thom. in 1. distinction. 8. quæstione 1. articul. 1 ad primum. *Quod cum dicitur aliquid propriè conuenire ex parte subiecti, oportet, quod per proprietatem excludatur omne extraneum à natura subiecti, vt cum dicitur proprium hominis esse risibile, quia nulli extraneo à natura hominis competit*. Quod ergo omni competit, sed non soli, conuenit extraneo à natura subiecti, & sic non propriè conuenit.

Ad fundamenta opposita sentent. Respondet. Quod alia propria, etiam quæ secundo modo propria sunt non prædicantur necessario necessitate, quasi formali, & connexionis intrinsecæ, sed necessitate, quasi materiali, seu necessitate materiæ indiuidualis, vt sumitur ex Diu. Thom. opuscul. 48. cap. de Accidenti, sicut dicemus de Accidente in separabili quæst. seq. Quod autem prædicatur necessario necessitate, quasi formali, & ex principiis naturæ, & non solum ex principiis indiuidualibus, & necessitate materiæ, hoc est proprium quartum prædicabile. Dicitur autem quintum prædicabile. Quod potest adesse, & abesse, quia non habet connexionem intrinsecam, neque radicem in propriis naturæ, licet ex aliqua causa extrinseca separari non possit quantum ad existentiam. In homine autem esse bipedem, si est proprium quarto modo respectu alicuius gradus subalterni, respectu illius erit quartum prædicabile, & solum secundum quid erit in secundo modo proprij in quantum non dicitur ad conuertentiam respectu hominis.

Ad confirmat. Respond. Omnia accidentia causari à substantia, vt ibi dicit D. Thom. sed quædam secundum principia formalia, & ista sunt propriæ passiones, quia habent connexionem necessitatis formalis, quædam ex principiis materialibus, sunt accidentia communia, seu accidentia indiuiduorum, vt ibi dicit Diuus Thomas. Quæ autem ex formalibus principiis causantur, si alij subiecto communicentur, erunt accidentia communia respectu eius, cui communicantur, vt calor respectu aquæ vel ligni, sed propria respectu eius à quo causantur.

Circa secundum punctum, scilicet respectu quorum subiectorum conueniat ratio quarti prædicabilis, an respectu speciei cum quo passio conuertitur. An verò

respectu

respectu inferiorum, de quibus dicitur, ratio dubitandi est, quia proprium quarto modo neque conuenit indiuiduis necessario, neque conuertibiliter, ergo, respectu illorum non est prædicabile, vt proprium. Antecedens patet, quia proprium non conueniet soli indiuiduo, sed aliis, ergo non habet necessariam connexionem cum indiuiduo quatenus tale: neque conuertitur cum illo, quia non valet mutua consequentia inter indiuidua, & proprium, licet enim valeat est Petrus, ergo est risibilis, non tamen è contra, est risibile, ergo est Petrus, ergo non se habet conuertibiliter cum indiuiduis.

Et confirm. Quia propriæ passiones generis respectu inferiorum non se habent, vt propria quarto modo, sed secundo, ergo non dicitur quartum prædicabile respectu inferiorum, sed respectu naturæ cum qua conuertitur. Antecedens prob. Quia bipes est propria passio animalis condistincti contra quadrupedia, quod est genus innominatum respectu omnium bipedum, & tamen respectu hominis est proprium secundo modo, imo omnia accidentia communia, vt albedo, & nigredo, & similia, respectu alicuius subiecti sunt propria quarto modo, & tamen de corporibus singularibus dicuntur tanquam accidentia communia, ergo quartum prædicabile non dicitur tale respectu inferiorum. Ac denique potest fieri simile argumentum, sicut supra de differentia, quia hæc prædicatio homo est risibilis, est quarti prædicabilis cum non pertineat ad alium modum prædicandi, & est vniuersalis, quia prædicatur de vniuersali ad conuertentiam, scilicet de homine, ergo est vniuersale quarti prædicabilis respectu speciei.

Omitto rationes ad probandum, quod inferiora proprij non debeant esse ipsamet propria singularizata, verbi gratia respectu risibilis, hoc & illud risibile, quia in simili iam hoc resoluimus in quæstione præcedenti de Differentia.

Ad propositam ergo difficultatem Respondeo. Iuxta dictam quæstionem præcedentem de differentia, quod proprium non induit rationem quarti prædicabilis, nisi respectu indiuiduorum ipsius speciei, cum qua conuertitur. Itaque quantum ad Metaphysicam rationem propriæ passionis, scilicet rationem necessariæ connexionis, & conuertibilitatem cum eo cuius est proprium totum hoc habet respectu speciei cum qua dicitur ad conuertentiam, & est potius quartum prædicatum, quam quartum prædicabile. Quantum vero ad rationem quarti vniuersalis Logici sic necessario debet respicere inferiora ipsius speciei, cum qua conuertitur.

Et ratio est, quia proprium respectu suorum singularium, verbi gratia, risibilitas ad hanc, & illam risibilitatem est quidem superius & vniuersale, sed non in quale, sed in quid, sicut species, & indiuidua. Accidens enim proprium etiam habet suam quidditatem, & naturam, quam prædicat de suis inferioribus. Respectu autem speciei, seu naturæ, à qua dimanat proprium, sumptæ in communi, prædicatur quidem in quale, sed non vt superius, sed vt æquale & conuertibiliter. Vnde concomitanter erit vniuersale, sed non formaliter respectu eius, cum non sit respectu illius superius. Vnde cum proprium prædicetur per se, & de omni, per se quidem dicetur respectu subiecti, seu naturæ à qua dimanat, de omni autem respectu contentorum sub tali natura, vt egregie adnotauit D.Thom. 1. Poster. lection.9. §. *Interponit, &c.*

Ad fundamenta opposita Resp. Ad primum negatur antecedens. Ad prob. dicitur. Proprium habere necessariam connexionem cum indiuiduis mediate, & ratione naturæ à qua dimanat, non ratione indiuiduationis cui communicatur. Similiter mutuo conuertitur cum illis ratione naturæ eorum, non ratione indiuiduationis, quod autem sit commune multis non tollit rationem proprij respectu naturæ, quia hæc communitas non est ad extranea, sed ad indiuidua propriæ naturæ. Nec requiritur, quod connexio necessaria fundetur in aliquo ratione omnium, quæ in eo sunt, vel sub eo continentur: sed ratione naturæ, seu radicis, & principij in quo fundatur. Vnde non requiritur, quod sit mutua consequentia inter proprium alicuius naturæ, & quodlibet indiuiduum, sed sufficit, quod inter ipsas naturam, & proprium sit mutua connexio, & consequentia.

Ad confirm. Respond. Quod ea quæ vere sunt passiones generis conueniunt omnibus inferioribus tanquam propria quarto modo, non minus quam propria specifica indiuiduis talis speciei, sicut tactatiuum, quæ est proprietas animalis, & quantitas respectu corporis, si tamen consequitur ad formam corporis, & non solum ad materiam. Nam quod quantitas sit proprietas corporis satis significat D.Thom. q. de Spiritual. Creat. art.3. ad 18. Alij autem de hoc dubitant, de quo Caietanus de Ente, & Essentia, c.7.q.16. ad 1. Hoc tamen ad præsens non spectat.

Quod autem dicitur de bipede, non omnino constat esse proprium quarto modo, nam inter essentiales differentias ponitur à D. Thom. 5. Metaph. lect. 16. in principio, sed tamen absolutè numeratur inter accidentales differentias 1. de Anima lect. 1. in fin. Et dicitur accipi tanquam differentiam essentialem, quia vtimur accidentalibus differentiis nobis notioribus pro essentialibus.

Ad id, quod dicitur de aliis accidentibus respond. Non omnia esse proprias passiones, quia non omnia oriuntur ex principiis formalibus naturæ, sed quædam oriuntur ex materialibus, vt sup. diximus ex D. Thom. 7. cap. de Ente & Essent. & idem habet in 1. dist. 17. quæst. 1. art. 2. ad 2. Et talia non sunt propriæ passiones alicuius naturæ, licet ab extrinseco possint habere causam inseparabilitatis in aliquo subiecto, vt nigredo in coruo.

Ad argumentum autem de prædicatione proprij de specie respond. esse quidem prædicationem rei vniuersalis, sed tamen non habentis vniuersalitatem respectu speciei, quæ est illi æqualis, non inferior, vniuersale autem formaliter solum est respectu inferiorum.

Vltimò aduerte aliquando propriam passionem non esse accidens determinatum, sed disiunctum vt par vel impar respectu numeri, masculinum, & fœmininum respectu animalis, & tunc quodlibet eorum determinatè est accidens, illud verò disiunctum est, quod conuenit per se. De quo videatur D.Thom. 1. Poster. lect. 10. in fine.

QVÆSTIO XII.

De Accidente quinto Prædicabili.

ARTICVLVS I.

Vtrum Definitiones, & diuisiones Accidentis rectè sint traditæ à Porphyrio.

SVPPONIMVS differentiam inter accidens prædicamentale, & accidens prædicabile, quæ consistit in hoc, quod accidens prædicamentale contra ponitur substantiæ, quæ est primum prædicamentum, & sic

ſic ſolum ſtat pro accidenti inhærenti, accidens autem prædicabile contra ponitur prædicato eſſentiali, & ſic quidquid non conuenit eſſentialiter, vel neceſſario, dicitur accidens prædicabile ſiue ſit aliquid reale ſiue rationis, ſiue inhærens, ſiue ſubſiſtens.

Igitur in præſenti Porphyr. tres definitiones tradidit de accidenti. Prima eſt, *Accidens eſt quod adeſt, & abeſt, ſine ſubiecti corruptione.* Secunda, *Accidens eſt, quod eidem ineſſe, & non ineſſe poteſt.* Tertia, *Accidens eſt, quod neque eſt genus, neque ſpecies, neque differentia, neque proprium, ſemper autem ineſt in ſubiecto.* Circa quæ duo ſunt explicanda in præſenti articulo. *Primum.* Vtrum definiatur hic accidens primo intentionaliter, vel pro ſecunda intentione huius quinti prædicabilis? *Secundum eſt.* Quomodo intelligendæ ſint illæ particulæ definitionis. *Quod adeſt, & abeſt ſine ſubiecti corruptione?*

Circa primum exiſtimant aliqui, vt Martinez hic ſuper cap. de Accidenti, definiri ſecundam intentionem, quia definitur aliquid quod conuenit accidenti per intellectum, non in re, licet enim adeſſe vni, & abeſſe ab alio realiter conueniat accidenti, tamen adeſſe, & abeſſe ab eodem ſubiecto non conuenit in re, ſed per rationem præſertim accidenti inſeparabili. Et alij ex eo probant, Quia ſi definiretur hic accidens pro prima intentione non conueniret omni prædicato, quod poteſt adeſſe, & abeſſe; non enim conueniret entibus rationis, quæ non ſunt primæ intentiones, ſed ſecundæ, & tamen multa ex illis prædicantur prædicatione quinti prædicabilis, vt cum dico animal eſt genus.

Nihilominus. Reſpond. Definitionem traditam conuenire ſubſtrato, ſeu primæ intentioni huius quinti prædicabilis; poſſe tamen aliquid addendo accommodari ſecundæ intentioni. Et intelligimus pro ſubſtrato huius quinti prædicabilis non ſolum primam intentionem realem, ſed quodcumque prædicatum accidentale, etiam ſi ſit ens rationis. Eſt manifeſta ratio: Quia id quod explicant iſtæ definitiones inuenitur etiam in accidenti ſingulari, & indiuidualiter accepto, ſed quidquid inuenitur in ſingularibus, & ad illa deſcendit non pertinet ſolum ad ſecundam intentionem prædicabilitatis, & vniuerſalitatis, quia hæc non deſcendit ad ſingularia, ergo hic prima intentio accidentalis definitur. Maior probat. Quia adeſſe & abeſſe in ſubiecto, etiam conuenit accidenti ſingulari, vt patet tum in accidente ſeparabili; quod aliquando adeſt, aliquando abeſt in ſingulari, ſine ſubiecti corruptione; tum in accidenti inſeparabili, quod etiam indiuidualiter acceptum non dependet ab eo ſubiectum, ſeu natura cui ineſt, licet conſeruatio indiuidualis aliquando dependeat, ergo id quod explicant iſtæ definitiones conuenit etiam accidentibus ſingularibus.

Si quis autem velit ſecundæ intentioni Accidentis accommodare definitionem accidentis oportet ſubintelligere particulam *de multis*, dicendo quod accidens eſt quod prædicatur de multis, vt prædicatum, quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem.

Vnde patet ſolutio fundamenti contrarij. Dicimus enim ad primum, quod adeſſe vni, & eidem ſubiecto, accidenti conuenit in re, tam in ipſo accidente ſeparabili, quam inſeparabili, eo quod contingenter, & non neceſſario connectitur ſubiecto. Nihil autem aliud illa verba ſignificant, quam contingentiam conuenientiæ.

Ad ſecund. Dicitur, quod etiam in entibus rationis poteſt inueniri prima intentio, ſicut ſunt multæ negationes, & priuationes, & denominationes extrinſecæ; poteſt etiam vna ſecunda intentio materialiter ſubſterni, & denominari accidentaliter ab alia ſecunda intentione. Et ſic induit, quaſi modum primæ intentionis reſpectu eius cui ſubſternitur.

Inſtabis. Adeſſe, & abeſſe in prædicta definitione ſumitur ſecundo intentionaliter pro eo quod eſt affirmari, vel negari, ſine ſubiecti corruptione, ergo traditur per id, quod eſt ſecundæ intentionis, ſcilicet affirmationem, & negationem.

Reſpondetur in primis hoc non conuincere, quod hæc definitio tradatur per ſecundam intentionem vniuerſalitatis huius quinti prædicabilis, ſed per ſecundam intentionem affirmandi, & negandi, quod pertinet ad ſecundam operationem intellectus. Deinde dicitur, quod affirmari, & negari poteſt vtroque modo ſumi, & fundamentaliter, quod eſt primæ intentionis, & inuenitur in omni accidente etiam ſingulari; & formaliter pro ſecunda intentione affirmandi, & negandi, prout ſtatim explicabimus.

Circa ſecundum punctum, controuerſia eſt inter Authores quomodo debeat intelligi illa particula, *adeſt, & abeſt, &c.* An intelligatur de reali præſentia, & abſentia, an verò de affirmatione, & negatione; nam quod non poſſit intelligi de reali præſentia, & abſentia illud videtur conuincere, quia accidens inſeparabile non poteſt realiter adeſſe, & abeſſe, alioquin eſſet ſeparabile. Si verò dicatur intelligi ſecundo intentionaliter pro affirmari, & negari, ſequeretur omne accidens eſſe ſeparabile, quia nullum eſt, quod per intellectum non poſſit ſeparari, etiam ipſum proprium, ſine quo ſubiectum poteſt optimè intelligi. Nec per hoc euaditur, ſed ſupponitur realis præſentia, & abſentia quia affirmatio, & negatio, vel eſt vera, vel falſa; ſi falſa, ergo falſum eſt, quod accidens adſit, & abſit, ſine ſubiecti corruptione. Si vera, ergo ita eſt à parte rei, quod adeſt & abeſt, in re, ergo datur præſentia, & abſentia accidentis realis. Si dicatur non intelligi adeſſe, & abeſſe de affirmatione, & negatione per modum compoſitionis, ſed per modum ſimplicis præciſionis intelligentis vnum ſine alio.

Contra eſt. Tum quia hoc expreſsè aduerſatur Diuo Thomæ quæſtion. de Spiritual. Creatur. articulo vltimo ad 7. & opuſc. 48. capit. de Accidente. Tum quia hoc modo etiam proprium adeſſe, & abeſſe poteſt à ſubiecto, ſcilicet, per ſimplicem cognitionem præſcindendo, ſiue intelligendo vnum, ſine alio.

Propter hoc aliqui ſingularem viam ſequuti ſunt dicentes, quod in hac definitione debet intelligi idem accidens poſſe adeſſe & abeſſe reſpectu diuerſorum ſubiectum intra adæquatam ſphæram eorum, quibus conuenire poteſt, & ſic conuenit omni accidenti quantumcumque inſeparabili, v.g. Albedo habet multa corpora pro ſubiecto adæquato, ſcilicet niuem, lapidem, hominem, &c. totam adæquationem non poteſt abeſſe, intra illam tamen adæquationem alicui determinato abeſt, alicui vero adeſt. Ita Martinez ſup. cap. de Accid.

Cæterum hic modus ſentiendi verus non eſt; Tum quia Porphyrius loquitur de accidente ſeparabili, & inſeparabili tanquam de diuerſis; in hac autem ſententia omne accidens eſt inſeparabile ab adæquatione omnium ſubiectorum ſuorum; eſt verò ſeparabile ab inadæquatis ſubiectis: Tum etiam, quia tunc ſenſus definitionis erit, quod accidens partim adeſt, & partim abeſt ſine ſubiecti corruptione; ſed reſpectu cuius ſubiecti? Si reſpectu totalis & adæquati, ab hoc nunquam poteſt abeſſe; ſi reſpectu partialis aliquando datur ſubiectum aliquod determinatum à quo non poteſt abeſſe, ſicut albedo reſpectu niuis. Quare hoc non euitat, ſed auget difficultates. Denique quia dari poteſt aliquod accidens ſeparabile à tota adæquatione ſui ſubiecti, ergo ſaltem reſpectu illius patitur eaſdem difficultates, quomodo intelligenda eſt definitio,

nitio, quod adest & abest sine subiecti corruptione. *Antecedens constat*, nam esse Grammaticum est accidens, & potest separari ab omni homine, vt patet si tantum sint duo homines in mundo non Grammatici; & similiter dormire est accidens quod potest separari in tali casu, si vterque homo vigilaret.

Quapropter dicendum est. Per illa verba, *Adest & abest sine subiecti corruptione, nihil aliud significari, quam contingentiam accidentis, quod prædicatur, & indemnitatem subiecti in sua quidditate ex conuenientia vel disconuenientia talis accidentis.* Quod videntur communiter sentire, qui definitionem quinti prædicabilis sic explicant, *quod est illud, quod dicitur de pluribus in quale contingenter.* Vnde neque consistit in hoc quod est adesse vel abesse per realem præsentiam, vel affirmari & negari per prædicationem intellectus præcisè, sed in tali fundamento negationis vel affirmationis, quod sine dissolutione quidditatis & naturæ subiecti possit aliquid accidens conuenire, vel disconuenire subiecto.

Quæ resolutio & explicatio sumenda est ex D.Thoma quæst. 2. de Anima art. 12. ad 7. vbi totam difficultatem sic resoluit. *Tria*, inquit, *sunt genera accidentium, quædam causantur ex principijs speciei, & dicuntur propria, sicut risibile homini, quædam causantur ex principijs indiuidui, & hoc dicitur, vel quæ habent causam permanentem in subiecto, & hæc sunt accidentia inseparabilia, sicut masculinum, & fœmininum, & alia similia; quædam verò habent causam non permanentem in subiecto & hæc sunt accidentia separabilia, vt sedere & ambulare; est autem commune omni accidenti, quod non sit de essentia rei, & ita non cadit in definitione rei, vnde intelligimus quod quid absque hoc quod intelligamus aliquod accidentium eius. Sed species non potest intelligi sine accidentibus, quæ consequuntur principium speciei, potest tamen intelligi sine accidentibus indiuidui etiam inseparabilibus; sine separabilibus verò esse potest non solùm species, sed etiam indiuiduum*, Ita S. Doctor.

Ex cuius doctrina colligimus, quod illa particula *adest, & abest sine subiecti corruptione*, idem est ac dicere, conuenit subiecto sine dissolutione quidditatis & naturæ eius in prædicatis essentialibus. Quod verò accidens sit separabile, vel inseparabile, non respectu speciei, & naturæ subiecti, sed respectu indiuiduorum sumitur, in quibus aliquando habet causam permanentem, aliquando transeuntem. Et ita potest accidens conuenire, vel abesse à subiecto cum corruptione indiuidui; non tamen cum corruptione speciei, sed cum indemnitate illius. In quo distinguitur à proprio, quod si abest, id est, si non conuenit neque connectitur cum specie, dissoluitur species. Et ex hoc constat quod indiuiduum dependere potest in sui conseruatione & existentia, imò in ipsa indiuiduatione ab accidentibus; species autem & quidditas à nullo accidente dependet. Et ita quæcumque affirmatio vel negatio, conuenientia, vel disconuenientia accidentis ad subiectum semper est sine corruptione, sed cum indemnitate quidditatis.

Et benè nota, quod illud adesse & abesse non sumitur hic pro eo quod est inhærere, vel non inhærere, id enim soli accidenti prædicamentali conuenit, sed sumitur pro eo quod est conuenire, vel disconuenire accidentaliter. Neque negamus, quod ly *adesse & abesse*, significet affirmari vel negari, sed non solùm hoc, sed etiam fundamentum illius quod est conuenire, vel non conuenire naturæ specificæ sine hoc, quod dissoluat essentialem prædicatorum eius connexionem. Ex quo sequitur, quod possit affirmari vel negari cum indemnitate quidditatis in subiecto; & in hoc consistit contingentia accidentis in conueniendo vel disconueniendo subiecto.

Ad fundamenta opposita. Dicitur ad primum. Quod accidens inseparabile non potest adesse, & abesse secundum realem absentiam, & præsentiam respectu indiuidui in ordine ad quod sumitur ista distinctio separabilis, & inseparabilis. Respectu tamen speciei, siue quidditatis in ipso subiecto potest adesse, & abesse, id est, conuenire, vel disconuenire, sine destructione subiecti in sua quidditate, licet in sua existentia destruatur.

Ad secundum dicitur. Quod omne accidens separari potest ab ipsa specie, seu quidditate, transeat, ab ipso indiuiduo, & existentia eius, quæ sequitur indiuiduationem, nego, quia potest habere causam permanentem in illo, separabile autem, & inseparabile dicitur in accidentibus respectu subiecti ex parte indiuiduationis, adesse autem, & abesse sine subiecti corruptione respectu quidditatis. Et sic potest intelligi de adesse, & abesse realiter, & affirmari & negari verè sine corruptione subiecti ex parte quidditatis, licet non sine corruptione ex parte indiuiduationis, vel existentiæ, quæ indiuiduationem sequitur. Vel secundo adesse, & abesse sumitur conditionate, id est, siue adsit, siuè absit accidens, sine subiecti corruptione ex parte quidditatis id fiet.

Quod si instes. Quia separatio, vel conuenientia respectu speciei vt distinguitur ab indiuiduo est secunda intentio rationis, quia species non distinguitur ab indiuiduo nisi per rationem, ergo definitio hæc intelligitur secundo intentionaliter.

Respond. Quod nomine speciei non intelligimus ipsum statum abstractionis ab indiuiduis, sed naturam ipsam specificam, quæ etiam in indiuiduis reperitur, vnde potius vtimur nomine quidditatis dicendo quod accidens adest, & abest sine corruptione quidditatis etiam indiuidualiter sumptæ in subiecto.

Adhuc tamen inquires. Quomodo per hoc distinguatur accidens à proprio, siquidem etiam proprium potest intelligi, & separari ab essentia sine corruptione ipsius quidditatis cum sit extra definitionem illius?

Respond. Ex D.Thoma quæst. de spiritualibus citata artic. vltimo ad 7. vbi inquit: *Quod duplex est operatio intellectus, alia qua intelligit quod quid est, & tali operatione potest intelligi essentia rei, & sine proprio, & sine accidente, cum neutrum eorum ingrediatur rei essentiam. Alia est operatio intellectus diuidentis, & componentis, & sic potest intelligi substantia sine accidentali prædicato etiam si secundum rem sit inseparabile, sicut potest intelligi coruus albus, non enim est ibi repugnantia intellectuum, cum oppositum prædicati non dependeat ex principiis speciei, quæ significatur nomine in subiecto posito. Hac vero operatione intellectus non potest intelligi substantia sine proprio, non enim potest intelligi, quod homo non sit risibilis, aut triangulus non habeat tres angulos æquales duobus rectis, hic enim est repugnantia intellectuum quia oppositum prædicati dependet ex natura subiecti.* Ita D.Thom. Ex quo colligitur non solùm solutio argumenti, sed etiam quod licet propositio in qua accidens inseparabile negatur de subiecto & in qua negatur proprium, vtraque sit falsa, quia in re non ita est, tamen falsitas vnius plus destruit quam alterius. Ex eo enim quod negetur conuenire accidens inseparabile non distruitur quidditas, si autem negetur conuenire propria passio, & radicari in natura destruitur essentia. Quod tamen non tollit quin de facto possit Deus propriam passionem separare à subiecto non quantum ad conuenientiam sed quantum ad existentiam.

Dices: Mors est prædicatum accidentale respectu animalis, & tamen non solum corrumpit indiuiduum, sed etiam naturam, quia conceptus naturæ animalis non

non compatitur cum conceptu mortis, ergo datur aliquod accidens quod destruit subiectum etiam quantum ad quidditatum. Et omitto hoc prædicatum *existens*, quod dicitur quidem contingenter de ente creato, & tamen non abest sine corruptione eius, cæterum absentia existentiæ non inducit quidditatis corruptionem, sicut coniunctio mortis quando prædicatur.

Resp. Quod illud prædicatum mors, vel potest sumi pro morte in facto esse, vel in fieri, vt quando homo agit animam, dicitur mori. Si sumatur hoc secundo modo est prædicatum accidentale respectu hominis, & verificatur pro eo tempore quo propinquat morti, nec tollit essentiam hominis, sed eam supponit, disponit autem ad corruptionem. Si primo modo sumatur sic non est prædicatum quinti prædicabilis, homo est mortuus, quia respectu hominis est prædicatum repugnans, respectu cadaueris est prædicatum essentiale. Et sic ly *homo*, alienatur in illa propositione ab illo prædicato mortuus, & stat pro homine non viuo, qui æquiuocè est homo, sic est propositio essentialis; si autem non alienetur, sed maneat in suo significato proprio ly *homo*, sic prædicatum non verificatur de subiecto, sed ei repugnat, & ita non pertinet ad quintum prædicabile. Si autem sumatur per ampliationem, vt sit sensus, homo est mortuus, id est, qui fuit homo, est mortuus, sic etiam propositio est essentialis, quia id quod fuit homo nunc est cadauer, & sic essentialiter illi conuenit tale prædicatum. Aliqui etiam dicunt verificari hanc propositionem per synecdochen, id est, ratione partis, quia corpus quod est mortuum est idem, quod fuit in homine ratione materiæ.

Vlt. inquires an omne accidens sit propria passio respectu alicuius subiecti ad quod persequatur? Aliqui affirmatiuè respondent. Sed verius est non omnia accidentia esse proprias passiones, nec sequi ex principiis formalibus naturæ, sed quædam sequi ad principia materialia, & indiuiduantia, quæ est expressa sententia D. Thom. 7. c. de ente, & essent. & in 1. dist. 17 q. 1. ar. 1. ad 2. & 1. Post. lect. 14. & constat manifestè in aliquibus accidentibus, quæ non immediatè sequuntur ad substantiam, sed ad aliqua alia accidentia, vt actus immanentes, species repræsentantes, habitus supernaturales, & in corporibus pulchritudo, sanitas, ægritudo, & similia, quæ sunt accidentia contingenter conuenientia, & non necessario neque ex principiis naturæ. Et talia accidentia prius conueniunt indiuiduis quam speciei; è contrario autem propriæ passiones prius conueniunt speciei, quam indiuiduis, licet quantum ad inhærentiam prius sustententur ab indiuiduis quæ sunt prima substantia.

Et si dicas. Quod omne quod conuenit per accidens reduci debet ad id quod conuenit per se. *Resp.* Quod reducitur ad id quod est per se non quantum ad connexionem necessariam cum aliquo subiecto à quo dimanat, sed quantum ad causalitatem efficientem, vel finalem quia non per accidens causantur ab aliqua causa, sed per se; non enim est necesse, quod omne quod conuenit per accidens reducatur ad omnem modum perse, sed sufficit, quod ad aliquem, sicut est ad causalitatem per se, licet non ad connexionem per se cum subiecto.

ARTICVLVS II.

Quomodo accidens dicatur quintum prædicabile. Et respectu quorum inferiorum?

TRia breuiter in hoc art. tractanda sunt. *Primum*, quomodo accidentale prædicatum verificetur de subiecto, an ratione nominis, vel ratione rei quæ illi inhæret? *Secundum.* Respectu quorum inferiorum dicatur quintum prædicabile, an respectu suorum singularium, vt album respectu huius, & illius albi; an respectu subiectorum? *Tertium*, an solum prædicetur quintum prædicabile respectu subiectorum existentium, vel etiam respectu possibilium.

Ad primum aliqui affirmant, quod cum accidens prædicatur de subiecto nudum nomen prædicatur, dicit enim Philos. c. 5. in anteprædicamentis quod eorum quæ in subiecto sunt nomen prædicari de subiecto nihil prohibet, rationem verò impossibile est prædicari. Cuius ratio est quia prædicatio per verbum substantiuum *est* dicit identitatem prædicati cum subiecto, hæc autem non datur inter subiectum quod est substantia, & accidens.

Nihilominus oppositum omnino dicendum est, scilicet prædicari in istis prædicationibus accidentalibus non ipsum nomen, sed rem significatam per nomen, denominatiuè tamen. Et deficit valde hæc sententia quia non distinguit denominationem fieri dupliciter, primo ex parte nominis, vt album ab albedine, secundo ex parte formæ significatæ etiam si in eodem nomine non participent, sicut ab officio deriuatur hoc nomen officiosus non quantum ad nomen, sed quantum ad rem significatam ab effectu seu diligentia, vnde non prædicat nomen, sed rem, & constat manifestè, quod quando dico Petrum esse album, non verifico hoc, ratione nominis sed ratione rei significatæ, si enim nomen illud verificatur de Petro, oportet quod ratione sui significati verificetur, non ratione ipsius vocis: ridiculum enim esset dicere, quod Petrus est illa vox album, significatum autem est res ipsa, scilicet habens albedinem, ergo hæc prædicatur, & verificatur in his prædicationibus accidentalibus. Et hoc est, quod intendimus significare per istas prædicationes, scilicet quod illa accidentia insint, & conueniant illis subiectis, non verò sola nomina. Et de his plura diximus supra quæstione 5. agentes de prædicatione concretorum accidentalium.

Vnde ad fundamentum contrarium Respond. communem Aristotelis expositionem esse quod accidentia dicuntur de subiecto secundum nomen, & non secundum rationem, id est, non quidditatiuè, sed denominatiuè, quia ibi ly *ratio* significat essentiam: essentia autem accidentis non conuenit essentiæ subiecti, alioquin si secundum nomen tantum, & non secundum rem significatam prædicarentur, solum essent communia quantum ad nomen, & non quoad rem, atque adeo essent æquiuoca.

Ad argum. Et ratione Respond. Quod accidens est idem secundum rem cum subiecto, identitate denominatiua, & concretiua, non essentiali, & intrinseca, quia vt dicit D. Thom. 1. p. q. 13. art. 12. *In propositione vera affirmatiua oportet quod prædicatum, & subiectum significent idem secundum rem aliquomodo* (nota secundum rem, & non secundum nomen) *quia etiam in prædicatis accidentalibus prædicatum, & subiectum sunt idem supposito.* Accidens ergo in concreto, v.g. album, quia dicit habens albedinem ratione de ly *habens*, est idem cum subiecto. Et quia alia est prædicatio per identitatem, alia per denominationem vt dicit S. Thom. in 3. dist. 5. in expositione literæ, concedimus quidem ad omnem prædicationem requiri aliquam identitatem, sed sufficit denominatiua, & accidentalis, sicut inuenitur inter accidens in concreto, & subiectum, non verò est necessaria omnimoda, & essentialis.

Circa secund. difficult. Respond. Inferiora quinti prædicabilis esse ipsa subiecta de quibus dicitur denominatiuè, & accidentaliter non ipsa constituta ex accidente, & subiecto de quibus dicitur per se, & quidditatiuè, v.g. album

album de hoc & illo albo prædicabitur essentialiter, sed vt quintum prædicabile de subiectis quibus inest, siue inter se distinguantur specie, siuè non. Et ratio est manifesta. Quia quintum prædicabile prædicatur in quale accidentaliter, ergo oportet, quod inferiora eius sint illa ad quæ comparatur in quale accidentaliter: solum autem respectu subiectorum comparatur hoc modo, quia accidentaliter conuenit illis, & per modum formæ actuantis & qualificantis. Respectu autem propriorum inferiorum, vt album respectu huius, & illius albi prædicatur essentialiter, quia dicit totam eorum quidditatem. Quare cum album dicat albedinem in concreto, vel potest respicere inferiora ipsius albedinis, quæ sunt inferiora ex parte formæ, vel inferiora ex parte subiecti, quod connotatur ab albo; si respiciat inferiora formæ, essentialiter dicitur de illis, quia sicut hæc & illa albedo essentialiter participat albedinem, ita hoc & illud album essentialiter participat album ex parte formæ. Si autem considerentur inferiora ex parte subiecti sic accidentaliter participant rationem albi, & consequenter respectu illorum prædicatur in quale accidentaliter, quod est quintum prædicabile.

Sed obijcies. Album, v.g. non potest esse vniuersale respectu Petri, & Pauli, nisi abstrahat ab illis, non vt subiecta sunt, sed vt alba, ergo ipsa subiecta secundùm se non sunt inferiora istius prædicabilis. *Conseq. patet.* quia illa sunt inferiora à quibus abstrahit, ergo si non abstrahit quatenus subiecta, sed quatenus alba, quatenus alba erunt inferiora. *Anteced. probat.* tum quia abstractio accidentis à subiecto vt subiectum est, est abstractio formalis, abstrahit enim forma à materia: abstractio autem vniuersalis debet esse totalis. *Tum etiam* quia hoc vniuersale, quod est quintum prædicabile debet abstrahere ab inferioribus, quatenus sunt similia, seu quatenus conueniunt in aliquo, & non quatenus conueniunt accidentaliter. Sed conueniunt accidentaliter in albo quatenus sunt alba, ergo ab illis quatenus alba abstrahit album in communi.

Et confirmatur. Quia ipsa subiecta sunt inferiora albo per accidens, quia per accidens identificantur Petrus, & Paulus in albo, ergo respectu istorum subiectorum album est vniuersale, & prædicabile per accidens, atque adeo non est vna ex speciebus prædicabilium, quia prædicabilia sunt vniuersalia per se.

Respond. Quod album potest vtroque modo abstrahere, & ab hoc & illo albo, & à suis subiectis, sed à subiectis dupliciter. Vno modo vt forma physica à subiecto & vt abstractum à concreto; alio modo vt denominatiuum à denominato: si fiat abstractio vt forma à subiecto, vel vt abstractum à concreto, erit abstractio formalis, nec tunc abstrahetur album, sed albedo. Sed hæc non prædicatur de subiecto, quia significatur vt pars respectu totius quod est album. Si verò fiat abstractio vt denominatiuum à denominato sic abstrahitur album vt quintum prædicabile ab hoc, & illo subiecto quod est inferius ipsi albo ex parte connotati, non ex parte formæ, & sic ad abstractionem formalem requiritur quod non abstrahatur accidens in concreto, sed in abstracto, & tanquam forma à materia, sed si abstrahatur album in concreto per modum abstractionis totalis se habet, & comparatum ad subiecta est quintum prædicabile, comparatum ad inferiora formæ est quidditatiuum.

Et sic etiam intelliges quòd in quod adest, & abest secundùm physicam inhærentiam non est album, sed albedo: quod verò adest, & abest secundùm denominationem est album in concreto.

Ad secundam probationem dicitur. Quod album non abstrahitur à Petro, & Paulo, vel alijs subiectis quatenus formaliter alba (sic enim sunt inferiora formæ importatæ per album) sed quatenùs denominatiuè, vel potius quatenus denominabiles ab albo. Et prout sic conueniunt in albo accidentaliter, seu denominatiuè, & continetur in illis album, non formaliter, sed denominatiuè, quia sic considerantur non vt formaliter alba subiecta, sed vt denominabilia ab albo, & sic conueniunt in aliquo quod extrinsecum est ipsis, scilicet in albo, & consequenter sunt inferiora illi accidentaliter tanquam quinto prædicabili.

Ad confirm. respond. Quòd inferiora sunt subiecta per accidens ex parte rei, quæ subiicitur, sed intentio subiicibilitatis, & prædicabilitatis per se est vera intentio prædicandi & subiiciendi, sicut requiritur ad vniuersalitatem. Itaque intentio quinti prædicabilis per se est intentio vniuersalis, & per se postulat inferiora; sed non inferiora, quæ habeant perseitatem in natura & forma, quæ prædicatur, sed contingentiam. Et ita ei quod prædicatur accidentaliter de multis conuenit per se vniuersalitas, seu respectus ad multa, sicut opinioni per se conuenit versari circa propositiones contingentes, & libertati per se conuenit contingenter operari.

Circa tertiam difficultatem. Constat tanquam certum quod prædicata accidentalia vt actu exerceant prædicationem affirmatiuam requirunt tanquam conditionem existentiam subiecti. Ratio est, quia in prædicationibus accidentalibus verbum *est* non absoluitur à tempore, ergo verificatur dependenter ab existentia extremorum, & non existente subiecto non verificatur. Et intelligo requiri existentiam prout fuerit prædicatio præterita pro præteritis, & futura pro futuris.

Difficultas verò est: An non solum exercitium prædicationis accidentalis, sed etiam ipsa vniuersalitas quæ est aptitudo ad prædicandum accidentaliter solum respiciat inferiora existentia? Et aliqui affirmant moti ea ratione, quia non possunt respici ab accidente subiecta non existentia nisi per modum possibilium in quibus possibiliter esse potest, sed existentia possibilis non prædicatur accidentaliter, sed essentialiter; vt si dicas Adam possibiliter ambular, vel possibiliter est albus, ergo vniuersalitas quinti prædicabilis non respicit possibilia.

Et confirm. Quia respectu subiectorum non existentium prædicatio redditur impossibilis cum sit contingens, quæ requirit existentiam tanquam conditionem: si autem prædicatio est impossibilis, vniuersalitas, seu prædicabilitas dari non potest.

Nihilominus oppositum verius videtur, non destrui vniuersalitatem quinti prædicabilis ex sola destructione existentiæ subiectorum, quia vniuersalitas consistit in aptitudine quantum est ex parte naturæ, vt prædicetur de multis. Quòd verò illa multa de facto non dentur, non est impedimentum intrinsecum illius aptitudinis, nec illi opponitur, sed solum opponitur ipsi exercitio prædicationis. Quod autem opponitur actui, seu exercitio non destruit aptitudinem, & potentiam, oppositio enim ad actum non est oppositio ad potentiam.

Et confirm. In accidente physico, & reali. Quod ex hoc quod separatur à subiecto non amittit aptitudinem ad inhærendum in illo, quia hæc sequitur naturam accidentis, ergo similiter accidens concretum metaphysicè consideratum non amittit potentiam vt prædicetur de multis contingenter, quia hæc habilitas non tollitur ex defectu existentiæ subiectorum, sed solum applicatio eorum vt in illis sit.

Dices: Tollitur ratio concreti, quia destruitur omne subiectum, quod possit concernere, & sic manet solum accidens in abstracto.

Sed contra, quia solum destruuntur subiecta singularia per defectum existentiæ, subiectum autem in communi

communi adhuc potest concipi, concretum autem accidentis in communi non est subiectum singulare, sed subiectum in communi acceptum sicut album vt sic non habet pro subiecto suæ concretionis solum hoc, vel illud corpus, sed corpus in communi.

Ad fundament. oppositum respond. Quòd accidens respectu subiectorum non existentium solum habet respectum possibilem, vt illis conueniat. Cæterùm hæc existentia & respectus possibilis non est id, quod prædicatur, sed conditio ex parte rei prædicabilis, & si ipsa possibilitas prædicaretur, non accidentaliter, sed essentialiter prædicaretur de subiecto. Omnis enim propositio modalis, si est vera, est propositio essentialis, & sic procedunt exempla allata. Nos vero dicimus quod accidens in communi remota existentia subiectorum habet aptitudinem vt prædicetur de illis contingenter, non quantum ad possibilitatem prædicando ipsam, sed quantum ad formam, quæ contingenter potest conuenire quando subiecta extiterint.

Itaque vno verbo. Possibilitas vt prædicata facit propositionem essentialem: possibilitas vero ex parte subiectorum de quibus potest prædicari forma accidentalis, non facit prædicationem essentialem, sed relinquit illam cum sua aptitudine, & potentia, vt possit contingenter prædicari, licet exercitium eius sine existentia subiectorum fieri non possit.

Ad secundum fundamentum dicitur. Quòd talis prædicatio est impossibilis subiectis non existentibus, non ex defectu accidentis secundùm se, sed ex defectu applicationis ex parte subiectorum, sicut accidens separatum retinet possibilitatem inhærendi licet actu non inhæreat, nec applicetur stanti tali statu.

LIBER PREDICAMENTORVM.

AB hoc libro Peripateticæ doctrinæ exordium sumitur, cuius Author, & Princeps est Aristoteles. *Quis autem fuerit, & vnde originem traxerit, aut quomodo vitam transegerit, nostra non interest, qui viri huius historiam non teximus, sed doctrinam explicamus. Igitur Logicæ, ac totius doctrinæ suæ, ab hoc libro Aristoteles initiauit principia, ea ductus ratione, quia hinc Logica incipit directionem operum rationis ex parte materiæ artis suæ. Cum enim proprium eius munus sit tres operationes rationis dirigere, quarum prima est simplex operatio, quæ simplicia apprehendit, oportet primum Logicam huic operationi admouere manum. Et licet hæc operatio quia simplex per se non videatur regulatione indigere, sicut nec simplex visio exterioris potentiæ, tamen vt benè aduertit Caietan. in prologo ad hunc librum ex parte sui obiecti seu propositionis sui obiecti magna eget ordinatione, eò quod res à sensibus ad intellectum valdè inuolutè, & confusè procedunt, nam v.g per oculos proponitur coloratum cum figura, quantitate, relatione, substantia, motu, & sexcentis alijs, quæ simul inuoluta præsentantur; vt autem intellectus perueniat ad quidditatem rerum, sciatque formare definitiones, & ex definitionibus proprietates per demonstrationes elicere oportuit segregare res istas, & in sua genera quasi in classes distribuere, quæ vocamus prædicamenta Græcè cathegorias, id est, series seu coordinationes, prædicatorum superiorum, & inferiorum in vno quoque genere, & classe, vt inde vnicuique rei sua propria prædicata essentialia, & proprietates consignemus.*

Quare liber hic simplicia rerum genera considerat ea disgregando, & discernendo; non quia eorum naturas consideret, quod ad metaphysicum spectat, sed coordinationem prædicatorum superiorum, & inferiorum quod Logici negotij est. Sed non est hæc consideratio Logicæ ex parte formæ, & prioristicæ resolutionis, sed ex parte materiæ, & posterioristicæ resolutionis in hac arte, vt sæpius notauimus, & idcirco simplices conceptus, quos in hoc libro ex parte obiecti segregabilis, & distinguibilis in varia genera Philosophus considerauit, iterum in libro Perihermenias vbi egit de oratione, & propositione considerandos suscipit secundùm habitudinem partium orationis, scilicet nominis, & verbi, seu simplicis dictionis, & termini, vt in 1.p. in Summulis diximus, & sapienter aduertit D. Thom. in initio 1. libri Perihermenias.

De his igitur generibus, seu prædicamentis quibus omnes res creatæ distribuuntur, & continentur, acturus Aristoteles, totum librum in tres præcipuas partes diuisit. Prima vocatur antepredicamenta, & est quasi caput libri, continetque quatuor capita, in quibus agit Aristoteles de quibusdam necessarijs, & requisitis ad rationem entis prædicamentalis, & ad eius coordinationem in generibus suis, v. g. quia prædicamenta, seu suprema genera supra se solum continent analoga, seu æquiuoca, & infra se solum continent vniuoca, considerando verò comparatiuè vnum prædicamentum ad aliud se habent denominatiuè, ideo necessarium fuit præmittere quasi antepredicamenta de æquiuocis, vniuocis, denominatiuis, & de alijs regulis ad coordinationem prædicamentorum requisitis, prout explicabimus quæst. 13. sequent. art. 1.

Secunda pars vocatur prædicamenta quasi ipsum corpus libri, vbi per quinque capita sequentia vsque ad cap. 9. inclusiuè explicat decem genera, seu prædicamenta, ad quæ reducit omnia entia creata

simplici

simplici conceptu cognoscibilia, & distinguibilia, scilicet, Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Vbi, Situs, Quando, Habitus seu Vestis.

In tertia parte, quasi in clausula totius libri agit de post prædicamentis, id est, de quibusdam modis, qui vel ad omnia, vel ad plura genera consequuntur, & velut quædam passiones generales sunt, sicut anteprædicamenta sunt quædam prærequisita, & præambula ad fundanda prædicamenta, seu coordinationem eorum. Sunt autem isti modi quinque; scil. Oppositio, Prius, Simul, Motus, Habere, *& quinque capitibus traduntur. Quorum ratio est, quia cum decem genera distinguantur ad discernendum, & coordinandum omnia, necessario sequitur oppositio, super quam distinctio fundatur. Item coordinationem sequetur prius, & posterius, & similiter compatitur aliquorum simultas saltem in tempore, sicut datur prius, & posterius in ordine, causalitate, & natura. Et hæc tria, scilicet*, Oppositio, Prius, & Simul, *omnia genera consequuntur. Motus autem, seu mutatio, ad quatuor genera per se sequitur, scilicet substantiam, quæ mutatur generatione, quantitatem, quæ augmentatione, qualitatem, quæ alteratione, vbi, quod motu locali. Per accidens autem ad istorum mutationem omnia alia genera mouentur. Denique omnia genera, quæ accidentia sunt, aut habent aliquid, id est, proprietates & accidentalia prædicata, aut habentur à substantia, quæ illa recipit, & sic habere ad omnia genera sequitur, vel actiuè, vel passiuè. Et hæc sunt quæ summatim in hoc opere tractantur.*

An verò principaliter in hoc libro agat Philosophus de rebus significatis, an de vocibus significantibus, vel conceptibus? Multi quærunt. Sed res non est magni momenti. Agit enim de rebus non secundum earum naturam, sic enim ad metaphysicum spectat, sed vt fundant intentiones coordinabilitatis, quibus in suis generibus ordinantur prædicata superiora, & inferiora, & de vocibus, ac conceptibus, vt ordinatas, & distinctas res exprimentibus: sic enim agit Logica de rebus significatis, quæ etiam ordinat conceptus, & voces quibus vt instrumentis vtitur ad res coordinandas simplici operatione in prædicamentis, compositione verò in propositionibus, discursu in syllogismis. Vnde non aliter agit hic de vocibus, & conceptibus vt instrumentis ordinantibus prædicamenta, quam ibi vt ordinantibus propositiones, & syllogismos.

SVMMA CAPITIS I. DE ÆQVIVOCIS, &c.

TRes definitiones continet hoc caput. Prima est Æquiuocorum hoc modo. Æquiuoca dicuntur ea, quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ nomini accommodata, diuersa: sicut canis dicitur de animali, & de sydere, homo de vero & picto. Secunda definitio est vniuocorum, & sic habet. Vniuoca dicuntur, quorum nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata eadem vt homo respectu Petri & Pauli. Tertia definitio est, denominatorum. Denominatiua dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu, vt à grammatica, grammaticus denominatur. Traduntur istæ definitiones de æquiuocis æquiuocatis, & vniuocis vniuocatis, id est, rebus significatis, non nominibus significantibus æquiuocè, vel vniuocè, ideo ponitur in definitione, dicuntur, *non* significant, *vel* sunt.

SVMMA CAPITIS II. DE COMPLEXIS, &c.

HOc Caput continet duas partes. Prima continet duas diuisiones. Secunda continet vnam definitionem. Prima diuisio est, eorum quæ dicuntur, quædam complexè dicuntur, vt, homo currit, quædam incomplexè, vt homo, lapis, &c. Secunda diuisio eorum quæ sunt, seu rerum prædicamentalium quædam de subiecto dicuntur, & in nullo subiecto sunt, id est, inhærent vt vniuersales substantiæ quæ prædicantur, seu dicuntur de inferioribus, sed non inhærent. Quædam in subiecto sunt, & de subiecto non dicuntur, vt accidentia singularia. Alia nec in subiecto sunt, nec de subiecto dicuntur, vt substantiæ singulares. In secunda parte ponit definitionem eorum, quæ in subiecto existunt, id in subiecto esse dico, quod est in aliquo non vt pars, vt sit autem seorsum ab eo in quo in est, fieri nequit.

SVMMA CAPITIS III. DE REGVLIS.

DVas regulas tradit quæ deseruiunt ad cognoscendas lineas prædicamentorum, & quantum ad progressum à superioribus ad inferiora, quod pertinet quasi ad profunditatem, seu altitudinem prædicamenti, & quantum ad progressum ad ea quæ ponuntur ad latera, scilicet differentias, quod pertinet quasi ad latitudinem. Prima regula cum quidpiam de quopiam prædicatur vt de subiecto, quæ dicuntur de prædicato, dicuntur etiam de subiecto, vt si homo dicitur de Petro, & animal dicitur de homine, etiam animal dicitur de Petro, & rursum quod dicitur de animali, dicetur de homine, & de Petro.

Secunda regula quando genera non sunt subalternatim posita, id est, vnum sub alio coordinatum, differentiæ eorum diuersæ sunt: quando verò sunt subalternatim posita, differentiæ possunt esse eædem, sicut animal quod est in substantia, & scientia, quæ est in qualitate non habent easdem differentias, benè tamen animal, & corpus quæ sunt in eadem coordinatione.

SVMMA CAPITIS IV.

Dvo facit in hoc Capite. Primo diuidit ea quæ incomplexa, seu simplicia sunt in 10. prædicamenta, scil. substantiam, quantitatem, &c. quæ supra numerauimus. Secundo probat istas voces esse simplices, quia omnis oratio, aut est vera, aut falsa, sed nulla istarum vocum incomplexarum est vera, aut falsa, ergo non est complexa, sed simplex.

QVÆSTIO XIII.

De Antepraedicamentis, & Analogis.

ARTICVLVS I.

Quid sint Antepraedicamenta, & cur de illis hic egerit Aristoteles?

Diximvs superius Antepraedicamenta continere quædam quasi præambula & prærequisita ad coordinationem prædicamentorum constituendam, & discernendam. Talia ergo prærequisita sunt quatuor distinctiones seu conditiones quas hic Arist. præmittit. *Prima distinctio*, seu primum antepraedicamentum est diuisio vniuocorum, æquiuocorum, & denominatiuorum. *Secundum* est distinctio complexorum & incomplexorum. *Tertium* antepraedicamentum est distinctio eorum, quæ sunt in subiecto, & eorum quæ dicuntur de subiecto. *Quartum* est distinctio eorum quæ ad rectam lineam prædicamentorum pertinent, & eorum quæ ad latus, & indirectè se habent quod per duas regulas antepraedicamentales explicat. Ipsa autem diuisio entis in diuersa prædicamenta non pertinet ad antepraedicamentum, sed notificatio est ipsorum prædicamentorum.

Ratio primi antepraedicamenti est, quia ad ordinationem prædicamentorum intelligendam oportet considerare triplicem respectum. *Primus* est ad ea prædicata, quæ sunt supra omnia prædicamenta. *Secundus* est ad ea quæ in eodem prædicamento coordinantur. *Tertius* est eorum, quæ sunt in vno prædicamento ad ea, quæ sunt in alio. Et similiter oportet considerare conuenientiam, vel disconuenientiam in nominibus, quia Logicus non agit de rebus nisi prout nominibus, & conceptibus explicantur. *Respectus* ergo prædicamentorum ad ea, quæ sunt supra prædicamenta est respectus analogorum, vel æquiuocorum, quia non conueniunt prædicamenta in aliquo superiori vniuoco. *Respectus* ad ea quæ in eodem prædicamento ordinantur est vniuocorum, quia est secundum eamdem rationem, & non solum secundùm idem nomen. *Respectus* verò vnius prædicamenti ad aliud est secundùm denominationem, quatenus vnum accidentaliter se habet ad aliud, nam essentialiter non potest comparari vnum prædicamentum ad aliud, quæ enim essentialiter communicant, sunt in eodem prædicamento; & ideò necesse fuit agere de æquiuocis, & vniuocis, & denominatiuis tanquam de primo antepraedicamento explicante istum triplicem respectum, sine quo coordinatio & adunatio prædicamentorum non potest explicari.

Ratio autem secundi antepraedicamenti est, quia prædicamenta sunt coordinationes rerum simplicium non complexarum, ponuntur enim naturæ in prædicamentis quæ habent vnicam definitionem & quidditatem, quod enim non habet vnitatem & quidditatem in essentia, non est simpliciter ens, sed plura entia. Vnitas enim est passio entis. Oportet ergo in coordinationibus essentiarum ponere naturas incomplexas, quæ solum sunt quidditates definibiles. Et sic debuit poni pro alio antepraedicamento distinctio complexorum, & incomplexorum.

Ratio tertij antepraedicamenti est quia istæ series, seu coordinationes prædicatorum in quolibet prædicamento dicuntur penes subiici & prædicari, id est, penes subiecta & prædicata superiora, & inferiora, necesse est ergo ad coordinationes istas formandas distinguere quid sit esse in subiecto, & dici de subiecto: nam esse in subiecto pertinet ad aliquid reale, scil. ad accidens quod inhæret, & dici de subiecto ad aliquid intentionale, scilicet ad prædicatum quod de aliquo dicitur, & sic facit Aristot. quatuor combinationes; *nam quædam* dicuntur de subiecto, sed non sunt in subiecto vt substantiæ vniuersales, quæ prædicantur de inferioribus, sed non inhærent: *alia per aliud* extremum sunt in subiecto, sed non dicuntur de subiecto, sicut accidentia singularia, quæ inhærent, vt hæc albedo, sed non prædicantur quia non sunt superiora: alia nec dicuntur, nec sunt in subiecto, vt singulares substantiæ, v.g. hic homo: *alia denique* dicuntur, vt sunt in subiecto, vt accidentia vniuersalia, v.g. album. Atque ita in hoc tertio antepraedicamento distinguit Aristoteles duplex genus entium, scilicet substantiam, & accidens, & duplex genus intentionum, scilicet vniuersalitatis, & singularitatis, quod totum maximè conducit ad formandum istas coordinationes prædicamentorum accidentium, & substantiæ secundùm singularitatem, & vniuersalitatem.

Denique ratio quarti antepraedicamenti ea est, quia in coordinatione prædicamentorum necesse est cognoscere tam connexionem eorum quæ in recta linea ponuntur, quod pertinet ad collocationem rectam prædicamenti, quam connexionem, vel separationem eorum quæ ponuntur ad latus tanquam differentiæ. Et sic tradit duas regulas. Prima est, *quando aliquid prædicatur de aliquo subiecto, quæcumque dicuntur de prædicato dicuntur de subiecto.* Et est sensus. Quando aliquid dicitur de subiecto, id est, de inferiori siue sit simpliciter subiectum infimum, vt indiuiduum, siue non sit omnino infimum sicut species, quidquid est vniuersale respectu illius inferioris se habet tanquam prædicatum illius. Et sic quidquid de tali prædicato dicitur, & respectu ipsius prædicati, vniuersale est, etiam dicetur, & erit vniuersale respectu illius inferioris subiecti, & contenti sub tali prædicato, & sic ista regula deseruit ad coordinationem directæ lineæ prædicamentalis intelligendam, quæ ex prædicatis superioribus, & vniuersalibus, & inferioribus sub illis contentis coalescit.

Secunda verò regula est, *Generum non subalternatim positorum, id est, quorum vnum sub altero non ponitur, non sunt eædem essentiales differentiæ. Si autem subalternatim ponantur easdem differentias habere possunt, id est, participare superiores differentias*, quia istæ cum constituant genera superiora cum ipsis ad inferiora descendunt. Genera autem subalternatim esse posita dupliciter possunt intelligi: vel quia vnum sub altero ponitur, uel quia vtrumque sub vno tertio sicut animal & planta, vnum non ponitur sub alio, sed vtrumque sub viuente. Et ideo dicendum est quod vt aliqua genera

genera simpliciter,& omni modo careant eisdem differentiis oportet quod neutro modo sint subalternatim posita & consequenter pertineant ad diuersa prædicamenta, quia si sunt sub vno tertio genere, saltem differentiam illius generis eandem participant; sed quia vnum non participat differentiam alterius, sed ambo differentiam superiorem sui generis sub quo tanquam sub tertio continentur, ideo non dicunturhabere easdem differentias quasi ab vno genere ad aliud communicatas, sed ab vno tertio superiori deriuatas.

Sed oportet benè notare. Quod contingit diuersa genera similes habere differentias quibus diuidantur, sicut potentia diuiditur in cogniscitiuam,& appetitiuam vt in duo genera,& quodlibet illorum in corporalem & spiritualem. & similiter è contra spiritualis potentia diuidi potest in cognoscentem, & appetitiuam, & quantitas diuiditur in continuam,& discretam,& vnaquæque earum in successiuam,& permanentem. Et similiter propositio diuiditur in cathegoricam, & hypotheticam & vnaquæque earum in affirmatiuam, & negatiuam. Cæterum istæ differentiæ si sunt essentiales, & formales, licet similes videantur reuera tamen sunt diuersæ, & non possunt esse eiusdem rationis, quod patet, quia constituunt formaliter naturas diuersas, ergo ipsæ non possunt esse eiusdem rationis. Vnde est regula generalis Sancti Thomæ 1.2. qu.72. art.5. *Quod differentia* quæ constituit diuersitatem specierum nunquam inuenitur nisi in speciebus diuersis sicut rationale, & irrationale, animatum,& inanimatum nunquam possunt inueniri nisi in diuersis speciebus. *Differentia* autem quæ non constituit diuersitatem speciei, sed in diuersis speciebus inuenitur non repugnat inueniri etiam in his,quæ sunt eiusdem speciei.vt in cygno,& coruo quæ sunt diuersæ speciei inuenitur albedo,& nigredo, quæ etiam in duobus hominibus inueniuntur. Si ergo differentiæ allatæ sunt constitutiuæ, & essentiales poterunt esse similes, sed non sunt eædem, sicut corporeum, & spirituale quod diuidit potentias, & quod diuidit substantias non est idem corporeum, & spirituale, & adhuc inter ipsas qualitates,& potentias corporeum, & incorporeum diuersæ rationis inuenitur; sicut alia est spiritualitas appetitiui alia intellectiui. Et in propositione cathegorica, & hypothetica diuersa affirmatio, & negatio est quæ diuidit vnam,atque diuidit alteram. Bipes autem, & quadrupes non sunt differentiæ per se constitutiuæ,sed accidentales vt ex D.Thom.supra diximus. Quare nunquam differentiæ per se,& formaliter constitutiuæ sunt eiusdem rationis in diuersis generibus, vel speciebus.

ARTICVLVS II.

De diffinitione, & diuisione Æquiuocorum?

ÆQuiuoca definiuit Arist. *Quod dicuntur ea quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ significata diuersa.* In qua definitione clarè constat voluisse agere de æquiuocis æquiuocatis: Tum quia definiuit in plurali æquiuoca: tum quia dicit quorum nomen commune est. Non ergo ipsum æquiuocum æquiuocans quod est nomen, sed ea quæ nomine significantur definiuit. Et hæc sunt æquiuoca æquiuocata. Sed quia non dicuntur æquiuocata nisi ratione intentionis alicuius, quæ dicitur æquiuocatio, & hæc vt statim dicemus non conuenit rebus significatis nisi vt subsunt nomini, non verò conceptui vltimato, ideò traditur definitio per nomen in ordine ad quod sumitur intentio æquiuocationis.

Particulæ definitionis non indigent longa expositione. Dicitur *quorum nomen*, id est, vox significatiua siue sit propriè nomen, siue verbum vel quilibet alius terminus significatiuus. Dicitur *ratio significata diuersa*, sumendo ly *rationem*, vt benè notat Caiet. in præsenti pro conceptu significato per nomen,& præcipuè pro conceptu obiectiuo. An vero etiam conceptus formalis debeat esse diuersus statim dicemus. Et dicitur: *Ratio substantiæ*; id est, quidditatis, seu rei, quia æquiuoca significant res prout diuersæ quidditatis, aliàs essent vniuoca,si pro eadē quidditate significarēt.

Definitum autem in hac definitione explicandum est sicut in aliis definitionibus logicalibus, vt diximus de definito generis, quod est ipsa intentio secunda in concreto,prout conuenit æquiuocis æquiuocatis.

Insurgunt tamen aliquæ breues difficultates ad pleniorem explicationem eorum,quæ de æquiuocis dicitur. *Prima,* An detur pura æquiuocatio in conceptu mentis vltimato; sicut in voce? Ad quod breuiter respondimus 1. *lib.Summul.cap.* 6. negatiuè. Et fundamentum est. Quia æquiuocum est quod significat plura significata in quantum diuersa, id est, in quantum in nullo conueniunt, si enim significaret plura vt conueniunt in aliquo, vt simpliciter vno, vel saltem proportionaliter vno, non esset pura æquiuocatio, sed vniuocatio, vel analogia. Conceptus autem cum sit naturalis similitudo rerum non potest esse vnus si obiecta sunt plura, & nullo modo vna, quia vnitas eius in ratione repræsentationis, & similitudinis sumitur ex aliqua vnitate rei repræsentatæ, ab obiecto enim sumit specificationem,& consequenter vnitatem specificam.Si ergo obiecta sic repræsentantur vt plura quod non prout conueniunt in aliquo,quod est repræsentare plura in quantum diuersa,non remanet aliquid vnde sumat vnitatem ille conceptus,quia repræsentatio naturalis solum ab obiecti vnitate sumit vnitatem.

Ex quo constat non esse similem rationem de ipsa voce,seu conceptu non vltimato qui est conceptus vocis significatiuæ, nam vox significatiua non intrinsecè significatiua est,sed ex impositione non autem repugnat eidem voci accumulare plures impositiones; repugnat verò plures naturales repræsentationes eidem conceptui conuenire, cum eius essentialis ratio in repræsentatione consistat. Nec etiam est simile de analogia,quæ respicit sua analogata non secundum rationem omnino diuersam,sed aliquo modo unam saltem proportionaliter, quod sufficit ad vnitatem conceptus vt postea dicemus,vel si ipsa non sufficit,multo minus sufficiet vniuocatio.Sicut etiam in sententia probabili subiectum & prędicatum in eadem propositione vnica qualitate repræsentatiua attinguntur quia sub aliqua vnitate saltem prædicationis, & coniunctionis conueniunt.

Secunda diffic. est. An nomen æquiuocum sit dicendum vnum nomen,vel plura, sicut propositio æquiuoca vocatur propositio plures? *Resp.* simpliciter esse dicendum vnum nomen licet habeat plures significationes, quia vnitas alicuius concreti accidentalis sumitur ex vnitate subiecti,vt sæpè affirmat D.Th. præsertim 3.p.q.3.ar.7.ad 2. sicut homo vestitus pluribus vestibus non dicitur plura vestita,sed vnum vestitum, & vnum corpus cum pluribus qualitatibus non dicitur plura qualia,sed vnum;numerantur enim concreta accidentalia ratione suppositorum, non ratione formarum, quæ per se non habent esse, sed per subiectum. Cum ergo nomen, seu terminus sit concretum accidentale constans ex voce, & significatione numerari non potest,nisi multiplicetur subiectum,& non solum significationes quæ sunt formæ. In æquinocis autem est vna, & eadem vox, habent enim nomen commune, igitur non sunt dicenda plura nomina simpliciter. Et hæc est expressa sententia S.Thom. licet aliqui recentiores contradicant, vt videri potest in

in quodlib.4.art.17. cum inquit: *Quod vnitas, aut diuersitas vocis significatiua non dependet ex vnitate, aut diuersitate rei significatæ, alioquin non esset aliquod nomen æquiuocum.* Et similiter in opusc. 39. cap. 4. inquit: *Quod apparentia infallacia æquiuocationis est vnitas dictionis eiusdem simpliciter.* Et videri etiam potest c.33. 1. contra Gent. & 11. Metaphys. lect.3. Et constat ex definitione Philosophi, quia dicit æquiuoca esse quorum nomen commune est, si autem non esset vnum,& idem nomen,nec esset commune. Nec dixit Philosoph. quorum vox communis est, sed quorum nomen, atque adeò non sufficit dicere quod æquiuocum est vnum materialiter ratione vocis, sed in quantum nomen.

Nec obstat, quod propositio æquiuoca, id est, constans termino æquiuoco dicatur propositio plures; dicitur enim plures non vocaliter, sed mentaliter, quia non subordinatur vni propositioni in mente, in voce autem vnica propositio est; vnde dicit S.Th.opusc.39. cap.5. *Quod sicut æquiuocatio prouenit ex eo quod dictio penitus eadem plura significat; sic amphybologia ex eo quod vna oratio penitus eadem plura significat*: amphybologia autem est oratio constans termino æquiuoco.

Sed dices: Nomen æquiuocum habet plures formas constitutiuas nominis, scilicet significationes, & solum habet vnitatem subiecti, quod pertinet ad vnitatem materialem non ad formalem, quæ sumitur à forma: sufficit autem ad pluralitatem accidentium in concreto pluralitas ex parte formæ, licèt subiectum sit idem,tum quia aliàs omnia accidentia,quæ sunt in vno subiecto haberent eandem vnitatem, & facerent idem concretum, v.g.in homine, album, calidum, sanum,essent idem concretum, siquidem desumitur ab vnitate subiecti,quod cum sit absurdum, consequenter etiam dicendum est, quod vnitas numerica accidentis in concreto poterit multiplicari non multiplicato subiecto,sed solum forma.*Tum etiam* quia substantiua multiplicantur iuxta multiplicationem suæ formæ, vt docet S.Th.1. part. q.39.art.4. ergo multo magis accidentalia, præsertim quando etiam substantiuè significantur; sicut ly *nomen*, ly *terminus*, nam minus videtur requiri ad multiplicationem accidentis, quam substantiæ; præsertim cum multiplicatio sit de genere malorum, quæ ex quocunque defectu nascitur, ergo si ad multiplicationem substantiæ sufficit multiplicatio formæ etiam ad multiplicationem accidentium.

Respond. Quod in pluralitate numerali aliud est quid requiratur tanquam ratio & principium multiplicationis numeralis,aliud quid requiratur tanquam conditio; in substantiis quidem ratio multiplicationis sumitur à diuersitate formæ non quomodocumque, sed afferentis se cum suppositum,quia hæc conditio afferendi suppositum est connaturalis formæ substantiali. Vnde si desit,quantumcumque multiplicentur formæ non fit numeratio indiuidualis,sicut D.Th. docet 3. p.q.3.art.7. in casu quo assumerentur à Persona Diuina tres naturæ humanæ. In accidentibus verò è contra, ratio multiplicandi numeraliter concreta formatum est multiplicatio suppositorum.Vnde dicimus, quod pluralitas accidentis sequitur pluralitatem formæ, prout fuerit pluralitas, nam specifica sequitur pluralitatem formæ absolute, & in abstracto secundum principia formalia; pluralitas numerica sequitur formam, vt suppositam per se, si fuerit substantia, vel vt subiectatam in alio, si est accidens.

Et ad replic. Quod omnia accidentia erunt in subiecto vnum numero accidens. *Respond.* Non sequi quod sint idem numero, nisi in quantum significantur intra eandem formam specificam. Et sic licèt homo sit calidus, & albus, non tamen dicitur plura qualia, sed vnum quale, quia accidentia diuersæ speciei, quæ sunt in eodem subiecto non habent eandem vnitatem numericam, sed vnumquodque habet suam intra suam speciem. Cæterum concretionem secundum significationem eiusdem formæ non multiplicant, nisi multiplicentur subiecta, quia ipsæ formæ non sunt ex se concretum, seu suppositum, sed ratione subiecti cui inhærent.

Ad secundam replic. Quod substantiua multiplicantur per multiplicationem formarum, iam diximus intelligi per multiplicationem formarum,quæ important secum suppositum, alias si suppositum manet vnum,formæ non multiplicantur nisi specifice, & secundum nomina significanda diuersam speciem, non secundum concretionem numeralem. Quod multo magis currit de accidentibus, etiamsi substantiuè significentur, quia ipsa secundum se non ferunt suppositum, sed concretionem habent ratione subiecti. Et ita minus requiritur ad multiplicationem concretam accidentis, quam substantiæ scilicet sola numeratio suppositorum, ad multiplicationem autem substantiæ requiritur multiplicatio suppositi & formæ, seu potius formæ,vt ferentis secum suppositum.Neque multiplicatio accidit ex quocumque defectu, sed talis multiplicatio scilicet numerica ex tali defectu, scilicet quia non multiplicantur supposita.

De æquiuocis, seu analogis duas regulas tradidimus lib.1.Summul.c.6.Prima, *Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato*, vt si dicas leo currit, stat pro leone vero,non metaphorico.Et intelligitur regula de analogis duorum conceptuum, vt sunt analoga attributionis, vel metaphoræ. Quæ regula habetur apud D.Thom.in 1.dist.9. quæst.1 art.1,ad 2. *Quando* (inquit) *aliquid dicitur absolutè, intelligitur de eo quod simpliciter est, sicut ens absolutè dictum significat substantiam.* Secunda regula: *Talia sunt subiecta qualia permittuntur à suis prædicatis*: quæ etiam sumitur ex D. Thom.q.7.de Verit.artic.5.ad 3.vbi inquit. *Quod aliquid simpliciter dictum intelligitur,quandoque de eo quod posterius dicitur ratione alicuius adiuncti.* Et prima regula intelligitur de analogo per se sumpto sine aliqua restrictione, siue ex parte subiecti, siue ex parte prædicati, ratione enim vnionis etiam subiectum restringit, vt si dicas, Pratum ridet, ly *ridet*, stat metaphoricè ratione vnionis ad Pratum. In secunda autem regula caue, ne ponatur distributio à parte subiecti; illa enim impedit alienationem, quæ restrictio quædam est, & sic in rigore est falsum dicere omne ens est Deus, omnis homo est pictus, quamuis ex modo loquendi, & non ex rigore logico concedatur hæc propositio omnes Reges Hispaniæ sunt in ista aula intelligendo, de Regibus pictis. *Secundo* obserua,vt posita alienatione in aliquo analogo ex particula *adiuncta*, vt in hac homo est pictus, vbi stat pro homine picto non pro vero, sua contradictoria detur sic nullus homo pictus est pictus, vt seruetur idem subiectum cum eadem alienatione; quia si sic non fieret, in illa distributiua impediretur alienatio à distributione;sicut etiam impeditur à negatione, vt cum dicitur homo non est pictus, ibi non applicatur,sed remouetur alienatio, vt etiam in hac Deus non generat,non restringitur, ly *Deus* ad standum pro Patre. vt S.Thom. docet 1. par.q.39.art.4.ad 3.

ARTICVLVS III.

Quid & quotuplex sit analogia?

D*Ifficultates* de analogia, quæ satis metaphysicæ sunt, ita copiose & subtiliter à Caiet. disputatæ

sunt

sunt in opusc. de analogia nominum, vt nobis locum non reliquerit quidquam aliud excogitandi.

Ergo communis, & vulgata sententia est analogiam esse mediam inter puram æquiuocationem & vniuocationem, eo quod res significata, nec est omnino eadem, sicut in vniuocis, neque omnino diuersa, vt in æquiuocis, sed in se quidem diuersa, proportionaliter autem, & secundum habitudinem vna, quod tanquam manifestum docet S. Thom. 11. Metaph. lect. 3. Aliqui tamen Recentiores existimant analoga, quidem distingui ab Aristotele ab æquiuocis à casu, sed simpliciter pertinere ad æquiuoca, eo quod analogia est species quædam æquiuocationis, & ità oportet quod conseruet genus illius, quod est habere ex parte rei significatæ diuersas rationes, & solum vnum nomen. Vnde reducitur tota ratio analogiæ non ad rem significatam quasi alia, & alia non sit, sicut in æquiuocis, sed ad causam significationis in nomine, quia scilicet habitudo vnius ad alterum vel ad plura, causa est, quod nomen vnius alteri applicetur. Et hæc habitudo tunc analogia vocabitur, quando fuerit habitudo proportionis; si autem alia habitudo fuerit, dicetur æquiuocum ad vnum, sed non analogum.

Cæterum licèt verum sit, quòd si præcisè attendamus significationem & græcismum illius nominis *Analogiæ* solum significat proportionem, & ea quæ ratione habitudinis proportionis vnum sunt, qua ratione Philosophus 1. Ethicor. & D. Thom. ibi lect. 7. vocant vnum secundum analogiam, ea quæ sunt vnum in habitudine proportionis, quæ verò secundum alias habitudines vnum sunt, vocant plurium ad vnum vel ab vno, & Caiet. ipse opuscul. cit. cap. 1. solam analogiam proportionalitatis vocat veram analogiam, reliquas abusiue, quod etiam obseruat Magist. Soto super cap. de Æquiuocis, art. 2. corollario 1. tamen negari non potest quod ex vsu scholæ & sapientium analoga sumuntur generaliter pro his, quæ nec purè vniuoca, ex quacunque habitudine vnitatem illam proportionalem, & secundum quid habeant, ita quod ratio significata non sit purè diuersa. Nam generaliter fatetur Aristoteles, quædam dari, quæ nec æquiuocè dicantur neque vniuocè, & hæc dicit D. Thom. analogicè dici vt constat præsertim ex 4. Metaph. cap. 1. lect. 1. apud D. Thom. 7. Metaph. lect. 4. textu. 10. & 11. Metaphys. lect. 3. & 12. lect. 4. in fine, & quæst. 2. de Verit. art. 11. & quæst. 7. de Potentia, art. 7. & 1. par. quæst. 13. art. 6. Et ipsam analogiam diuidit S. Thom. in analogiam, attributionis, & proportionalitatis, seu habitudinis plurium ad vnum, vel ab vno, aut aliis similibus nominibus, quæ æquiualent istis, vt constat præsertim ex illa quæst. 2. de Veritate, art. 11. & 7. de Potent. art. 7. & in 1. dist. 19. q. 5. art. 2. ad 1. & loquitur de analogia condistincta ab æquiuocis simpliciter, quæ sunt æquiuoca à casu. Et ratio est, quia ista omnia non significant res omnino diuersas, sed aliquo modo vnam, ergo aliquam differentiam habent ab æquiuocis purè, & tamen nondum vniuoca sunt, quia non significant omnino idem. Quare ergo analoga non appellabuntur, vt ista differentia significetur?

Aliqui autem ex eo quod analoga à nullis analogatis præscindunt, neque etiam à modis, seu differentiis, sed in illis imbibuntur ex parte rei nullam vnitatem analogis tribuunt, sed solum in significatione vocis vt P. Vasq. 2. om. 1. p. disp. 114. cap. 2. & disp. 121. cap. 2. Cæterum illud primum nos admittimus, vt infr. art. 5. ex D. Thom. & Caietan. probabitur. Sed secundum est omnino impossibile, quia est facere ens purè æquiuocum quod toties negat Philos. vt quæst. seq. art. 2. probabitur. Et propositiones, in quibus prædicatur ens vel esse, constat rebus ipsis conuenire, nihil enim magis reale quam esse vel ens à quo quidquid reale est dicitur realitatem habere si habet esse, ergo esse in communi, in quo omnia realia entia conueniunt, non appellationem dicit, sed veritatem realitatis. Quomodò autem vnitatem habeat ille conceptus infra declarabitur?

Quare constat ex dictis, quod analoga sunt quidem species æquiuocorum quatenus non significant omnino idem, sicut vniuoca: Cæterum distinguuntur ab æquiuocis à casu quia non significant purè diuersa, sed diuersa quæ proportionaliter sunt vnum. Neque hoc solum tenet se ex parte significationis seu causæ significationis, sed etiam ex parte rei significatæ, nam si ex parte rei significatæ non esset aliqua proportio, & habitudo conuenientiæ, ipsa significatio, seu applicatio ex parte significationis cum tali habitudine falsificaretur.

Vt ergo explicemus diuisiones analogiæ supponenda est ipsa communis ratio analogiæ, deinde diuidenda. Cum autem ex dictis constet analoga dici, quæ rationem significant non omnino diuersam, sed cum aliquali vnitate; omnis autem vnitas, in qua plura conueniunt fundatur in conuenientia, vel similitudine, aut identitate rerum, oportet discernere vnitatem analogam ab vniuoca ex parte diuersæ conuenientiæ, seu identitatis vnius ab altero. Dicuntur enim vniuoca conuenire secundum vnitatem simpliciter, seu conuenientiam simpliciter, quia assimilantur in aliqua vna natura, siue specifica siue generica. Analoga verò dicuntur conuenire secundùm vnitatem proportionalem, quatenus non sunt res habentes paritatem, seu similitudinem in aliqua natura, sed dicuntur esse idem proportionaliter non æqualiter, quod significantius Hispan. exprimitur, *Es lo mismo ensu taranto* quasi dicas in sua mensura, & in sua proportione; dicitur enim proportio iuxta D. Thom. 5. Et hic. lect. 5. *habitudo vnius quantitatis ad aliam*, quantitas autem habet rationem mensuræ, & ideò vnitas, seu conuenientia proportionis est vnitas commensuratiua, seu iuxta cuiusque termini mensuram, non absolutè. Vniuoca verò dicuntur, quæ habent rationes absolutè similes, id est, cum æqualitate & paritate in aliqua natura: analoga verò, quæ deficiunt ab vnitate seu conuenientia absoluta, & solum habent conuenientiam modo relatiuo, id est, iuxta proportionem, seu commensurationem. *His suppositis* est duplex diuisio analog. Prima est in analogiam proportionis & proportionalitatis. *Analogia proportionis*. Pluribus nominibus nominatur, solet enim etiam appellari *analogia attributionis*, eo quod ab vno principaliori solet fieri denominatio seu attributio ad alia vt à sanitate animalis fit attributio, & denominatio ad vrinam & medicinam, quæ etiam dicuntur sana. Vocatur etiam *analogia vnius ad alterum, vel plurium ad vnum*, ob eandem rationem, quia ab vno fit denominatio ad plura. Denique vocatur etiam *analogia proportionis*, quia fit ratione alicuius correspondentiæ, vel commensurationis inter plura, quæ proportio aliquando est secundum determinatum excessum, vt proportio, quæ est inter vires hominis & pondus, quod ferre potest, aliquando est sola habitudo correspondentiæ sine determinatione, vt inter creaturam & Deum ex D. Thom. 7. de Poten. art. 10. ad 9. & 2. de Verit. art. 11. *Analogia autem proportionalitatis*, vocatur etiam secundum comparationem, eo quod fit secundum æqualitatem, vel comparationem ipsarum proportionum, nam ut docet S. Thom. 5. Metaph lect. 5. *Æqualitas in proportionibus vocatur proportionalitas.*

Definitur ergo analogum proportionis seu attributionis, *Quorum nomen commune est, ratio verò significata eadem est secundum terminum, diuersa secundum habitudines*

bitudines ad illum, ſicut ſanum dicit eandem rationem ex parte ſanitatis, quæ eſt in animali, diuerſas verò habitudines in vrina, & herba ad ipſam ſanitatem animalis vt ad terminum. Ita ſumitur ex D. Thom. 11. Metaph. lect. 3. vbi iſta analoga ſic definit, dicitque vocari analoga, quia proportionantur ad vnum, & videri etiam poteſt Caietan. opuſc. cit. cap. 2. & 3. Analoga proportionalitatis dicuntur, *Quorum nomen commune eſt, ratio verò ſignificata eadem ſecundum ſimilitudinem, ſeu conuenientiam proportionum.* Ita ſumitur ex D. Thom. 1. Ethicor. lect. 7. & q. 2. de Verit. art. 11. aliiſque locis ſupra cit. & Caiet. nuper cit.

Verum eſt has ſpecies analogiæ aliis nominibus exprimi à Diu. Thom. in 1. diſtinct. 19. quæſt. 5. artic. 2. ad 1. nam analogia proportionis, ſeu attributionis dicitur *analogia ſecundum intentionem, & non ſecundum eſſe*, quia videlicet intentio illa, ſeu ratio, à qua denominatio fit, non eſt in omnibus analogatis ſecundum eſſe, ſed in vno tantum, quod eſt magis principale. Analogia verò proportionalitatis vocatur ibi *ſecundum eſſe, & ſecundum intentionem*, quia videlicet non purificantur analogata, ſeu non conueniunt in aliquo vno à quo habeant intentionem, ſeu denominationem, neque in aliquo vno, quod in omnibus habeat idem eſſe, ſed oportet quod vnumquodque habeat ſuam rationem intrinſecam diuerſam ab alio, ſed aliquo modo proportionatam cum alio, ſicut ens cum dicitur de ſubſtantia & accidente. Alia autem analoga, quæ vocantur ibi *ſecundum eſſe, & non ſecundum intentionem*, & à Caietan. & aliis vocantur analoga inæqualitatis, proprie analoga non ſunt, licet apud phyſicum analoga dicantur, quia non conueniunt in materia, ſicut corruptibile, & incorruptibile, vt dicitur 10. *Metaphyſ. textu* 5. quæ tamen conueniunt vniuocè in ratione corporis vel ſubſtantiæ.

Secunda diuiſio eſt analogiæ proportionalitatis in propriam & impropriam, ſeu metaphoricam. Propria eſt quando ratio ſignificata per analogum inuenitur in vtroque analogato formaliter & verè ſicut ens inuenitur in accidente & ſubſtantia. Metaphorica eſt, quando ratio ſignificata inuenitur formaliter in vno, & ſimilitudinarie ſeu per tranſlationem in alio, ſicut riſus inuenitur formaliter in homine, abuſiue in prato. Quæ diuiſio non eſt prætermiſſa, ſed aſſerta à D. Thom. 1. Ethicor. lectione 7. vbi metaphoricam analogiam deſignat illis verbis, *Quia dicuntur ſecundum proportionem vnam ad diuerſa ſubiecta, eandem enim proportionem habet viſus ad corpus, & intellectus ad animam.* Et ſic intellectus dicitur oculus ſimilitudinariè, quia verè non eſt oculus, ſed tanquam oculus. Et omne quod metaphoricè, & ſimilitudinariè denominatur ab aliquo, non denominatur eſſe illud, ſed tanquam illud, vt Chriſtus non dicitur leo, ſed tanquam leo, ideóque non retinent eundem conceptum in mente, licet habeant idem nomen, vt diximus in Summulis quæſt. 7. artic. 2. Nec iſta nomina metaphoricæ analogiæ deſeruientia, ex ſua impoſitione analoga ſunt, ſed ex tranſlatione, & vſu hominum ſic circumloquentium, & comparantium, vt accipiant vnum tanquam aliud, vt magis inf. manifeſtabitur, art. 5. Vnde neque propriè eſt ſpecies analogiæ, ſed quædam comparatio vnius ad aliud cum retentione eiuſdem nominis, & ſic abuſiuè analoga dixit Caiet. eſſe cap. 3. illius opuſc. & nos de illis tanquam de non propriè analogis Philoſophati ſumus loco cit. Summarum.

Denique diuidi ſolet analogia in analogiam duorum conceptuum, & vnius conceptus, quod examinandum eſt infra artic. 5. vbi oſtendemus, quæ analoga vno conceptu concipi poſſint, & quæ diuerſo.

Sed inquires. An tranſcendentalia dicant aliquam ſpeciem analogiæ ab iſtis diſtinctam. *Reſpon.* Aliquos ita exiſtimare. Sed nos iuxta Ariſtotelis & D. Thom. placitum tranſcendentia quidem inter analoga numeramus, vt patet. 3. Metaph. lect. 8. cuius rationem fuſius expendemus quæſt. ſequen. agentes de entis analogia, quia ipſæ differentiæ, in quibus tranſcendentia imbibuntur, ex ipſamet ratione tranſcendentali, non autem ex additione conceptus à tranſcendente diſtincti, diuerſitatem habent, & conſequenter ratio tranſcendens æquè ſe habet ad vnitatem & diuerſitatem ex ſuo conceptu, quod eſt non eſſe ſimpliciter vnum. Cæterum analogiam hanc tranſcendentium, ad analogiam hanc tranſcendentium, ad analogiam proportionalitatis propriæ reducimus, vel attributionis vt aliqui putant, ſicut manifeſtabitur agendo de analogia entis quæſt. ſeq. eadem enim ratio eſt ac de cæteris tranſcendentibus. Et interim videri poteſt D. Thom. 1. Ethic. lect. 7. vbi id aſſerit de bono quod eſt vnum ex tranſcendentibus, & 1. var. quæſt. 6. art. 4 & qu. 7. de Potentia, art. 7. vbi agit de ente, & aliis locis ſup. citatis.

Dices: Ens dictum de Petro & Paulo, vel de duobus aliis indiuiduis eſt tranſcendens cum imbibatur etiam in eorum differentiis, & in omni eorum ratione, & tamen neque eſt proportionalitatis, neque proportionis, ſiquidem inter indiuidua eſt omnimoda æqualitas, ergo falſa eſt doctrina. *Reſpond.* Tranſcendens de ſe, & per ſe ad plura extendi, quæ & ſpecie, & genere differunt, reſpectu quorum analogum eſt, & ſic non coarctatur ad illa tantum indiuidua, reſpectu tamen illorum præciſe analogum non eſt licet tranſcendens ſit, ſed hoc eſt per accidens, quia non ſumitur ratio tranſcendens ſecundum ſe totam, ſed cum reſtrictione ad duo inæqualitatem formalem non habentia, ſed tantum materialem, quæ non eſt diuerſitas inæqualis, & ideò ſecundum reſtrictionem ad illa non exercetur inæqualitas & diuerſitas ſimpliciter analogiæ, licèt tranſcendentia remaneat, ſed reſtrictè, & per accidens conſiderata, non ſecundum quod habet ex ſe.

ARTICVLVS IV.

Explicantur conditiones horum Analogorum.

DVæ *ſunt principes* conditiones in analogis attributionis, & proportionalitatis, ex quibus aliæ acceſſoriæ pendent. In analogis attributionis ſeu proportionis ex multis conditionibus, quæ illis tribui ſolent, illa eſt præcipua: *Quod in principali analogato inueniatur forma intrinſecè, in alijs verò extrinſecè, & per denominationem.* Ex qua conditione ſequuntur aliæ tres, prima, *Quod forma analoga in iſtis debet eſſe, vna numero*, vtpotè quæ ſolum reperitur in vno analogato. Secunda *forma principalis analogati debet poni in cæterorum definitione, quæ ab illa denominantur.* Tertia, *Quod illa analoga non ſunt vnius conceptus*, ſed plurium habentium aliquam connotationem inter ſe, & non ſicut æquiuoca à caſu. Quæ omne conditiones videri poſſunt in *ſano* reſpectu animalis, & medicinæ vel herbæ, &c. Similes autem conditiones inueniuntur in analogis metaphoricis, quæ etiam ſunt plurium conceptuum, & ſimilia ſatis analogis attributionis.

In analogis autem proportionalitatis propriæ, præcipua conditio eſt, *Quod in omnibus analogatis intrinſecè, & formaliter inueniatur aliqua ratio proportionis*, ſecundum quam aſſimilantur inter ſe modo proportionali. Ex qua ſequuntur aliæ tres conditiones oppoſitæ conditionibus analogiæ proportionis. Prima,

Quod ratio analoga non debet solum reperiri in vno analogato formaliter & in alijs per denominationem, sed in omnibus formaliter suo modo. Secunda, *Quod non debet vnum poni in definitione aliorum.* Tertia, *Quod possunt habere conceptum vnum vnitate imperfecta & secundum quid*; quæ dicitur vnitas proportionalis, quæ ex parte obiecti se tenet.

Igitur circa duas præcipuas conditiones, vnde aliæ pendent, difficultas est, an ita sit, quod necessario requirantur ad istas analogias constituendas. *Aliqui enim Recentiores* censent in analogis attributionis posse saluari, quod ratio significata non solùm intrinsecè sit in principali analogato, sed etiam in aliis analogatis, dependenter tamen ab illo primo analogato. *Econtra verò* ad analogiam proportionalitatis dicunt semper requiri aliquid attributionis vel metaphoræ. Et hoc sequitur ex primo, quia existimant analogiam attributionis dari hoc ipso, quod vna forma inuenitur per prius in vno & per posterius in alio, etiam si intrinsecè sit in vtroque. Ita P. Suarez disputatione 23. Metaph. sect. 3. quem alij sequuntur, & videri potest Cabero tract. 4. disp. 2. dub. 3.

Fundamentum primæ partis est, qui in ente & aliis, quæ secundum intrinsecam denominationem dicuntur de inferioribus, potest inueniri analogia attributionis, ergo illa conditio non est requisita. *Antecedens* constat primo ex D. Thom. qui in bono, & vero analogiam attributionis agnoscit respectu diuinæ veritatis, & creatæ vt patet in 1. part. quæst. 16. art. 6. & qu. 6. art. 4. idem de ente respectu Dei & creaturarum docet primo contra Gentiles, c. 32. & quod dicatur de Deo & creaturis, substantia & accidente per prius & posterius, quod est proprium analogiæ attributionis docet q. 2. de ver. art. 11. Secundò, quia definitiio analogiæ attributionis non requirit, nisi quod analogata dependeant ab vno primo & principaliori, non vero quod extrinsecè sit in illis & denominatiuè. Dicit enim definitio, quod analoga attributionis sunt eadem secundum terminum, & diuersa secundum habitudinem ad illum. Vnde ergo habetur, quod hæc habitudo debeat esse secundum formam extrinsecè in aliis & intrinsecè in vno se habentem; Tertiò apparet manifeste in hoc analogo *sanum*, quod est analogum proportionis respectu animalis & herbæ, & tamen in herba non est denominatio extrinseca, sed respectus intrinsecus ipsa ratio, qua denominatur sana fundatur enim ille respectus in aliquo intrinseco, scilicet in efficientia sanitatis, vt sumitur ex D. Thom. 1. p. q. 16. art. 6.

Fundamentum verò alterius partis est primo ex D. Th. qui generaliter docet in omnibus analogis necesse esse, quod omnia dicantur per respectum ad vnum, & quod illud vnum ponatur in definitione omnium, vt patet 1. par. q. 13. art. 6. & q. 16. artic. 6. sed hoc est proprium analogiæ proportionis vel metaphoricæ ergo illa necessaria est etiam ad analogiam proportionalitatis. Secundo quia proportionalitas absolutè loquendo potest inueniri in vniuocis, possumus enim dicere, quod sicut se habet homo ad suum esse animalis, ita & equus ad suum, & tamen hoc non excludit vniuocationem, ergo vt illam excludat, & constituat analogiam, requiritur præter comparationem proportionalem, etiam aliqua dependentia in vno analogato respectu alterius, vbi autem vnum analogatum est principalius, & alia minus principalia ab eo dependent & denominantur, ibi est analogia retributionis, aut metaphoræ, tollens ne in proportionibus seu comparationibus sit omnimoda æqualitas, quæ ipsi analogiæ opponitur directè.

Nihilominus quoad vtrumque oppositum tenendum est. Et quoad primam partem dicimus analogiam attributionis, & similiter metaphoricam, quæ illi valde affinis est quantum ad formam analogicè denominantem necessariò debere esse in vno intrinsecè, in aliis extrinsecè & denominatiuè, possunt tamen in illis analogatis minus principalibus prærequiri aliqui respectus intrinseci, non quibus denominentur analogicè, & sub forma analoga constituantur sed quibus respiciant illud principale analogatum, vt deinde denominentur extrinsecè ab illo analogicè. Ita sumitur ex D. Thom. qui vtrumque docet. Nam quod forma analoga in istis analogis attributionis debeat tantum inueniri intrinsecè in vno, & denominatiuè in aliis, constat ex 1. 2. q. 20. art. 3. ad 3. & 1. p. q. 16. ar. 6. & 4. Met. lect. 1, & 11. Met. lect. 3. vbi ponit formam debere inueniri in vno analogatorum tantum secundum propriam rationem, à quo alia denominantur, ergo sentit non inueniri formaliter in omnibus, siquidem dicit in vno tantum inueniri secundum propriam rationem, & esse vnum numero, quod aliis formaliter non communicatur. Quod verò analogata minus principalia aliquid intrinsecum habeant, non quo analogicè denominentur, sed quo intrinsecè respiciant principale analogatum, constat ex eodem D. Thom. 1. p. q. 16. cit. art. 6. dum dicit, *quamuis sanitas non sit in medicina & vrina, tamen in vtraque est aliquid, per quod, hoc quidem facit, illud autem significat sanitatem.* Igitur secundum Diu. Thomam forma denominans analogicè non est nisi vna numero tantum, quæ est in vno analogato, id est in principali, & similiter datur aliquid in istis analogatis, quæ respiciant principale analogatum vt deinde ab eius forma denominentur, sicut in herba virtus efficiendi sanitatem non denominat sanam, sed sanitatem respicientem, & in vrina ratio significandi sanitatem denominat significantem, non autem sanam nisi per sanitatem animalis extrinsecam.

Et ratio huius est, quia si in vtroque analogato sit forma intrinseca denominans, non denominabitur tale per formam in alio existentem, sed per eam, quam in se habet intrinsecè, & sic non indigebit attributione extrinseca alterius denominari, quod est destruere analogiam attributionis. Quod explicatur amplius, quia si in vtroque analogato est intrinsece forma denominans, licet in vno principalius & perfectius, vel vtraque forma est similis, & identicè vna, vel proportionaliter vna, vel omnino diuersa. Si omninò diuersa resultabit æquiuocum, non analogum. Si omnino similis, & eiusdem rationis, erit vniuocum. Si proportionali modo vna, & in vtroque analogato intrinsecè inuenitur, nihil illi deest, vt sit analogum proportionalitatis, vt ex eorum definitione constat, ergo vt detur analogia attributionis, ab istis distincta debet fieri denominatio, non per formam in singulis intrinsecè, & in aliis denominantem extrinsecè, sicut sanitas intrinsecè est in animali in herba autem, vel medicina non datur intrinsecè forma sanitatis, sed extrinsecè.

Quoad secundam partem sumitur etiam fundamentum ex Diu. Thom. & ex ratione. Ex D. Thom. quia omnino distinguit analogiam proportionalitatis ab analogia attributionis, & metaphoræ, vt patet in quæst. 2. de Verit. artic. 11. & 1. Ethicor. lect. 7. in fine. Imò in quæstione 7. de Potentia. articulo 7. fatetur quod etiamsi per etiamsi per impossibile in Deo & creaturis esset bonitas eiusdem rationis (id est vna non deriuata ab alia) ex diuersa habitudine adesse, adhuc impediretur vniuocatio. Quare remota omni attributione seu denominatione extrinseca & metaphorica adhuc datur locus analogiæ, & impeditur vniuocatio propter diuersum modum essendi in Deo & creaturis. Et in 1. distinct. 19. quæst. 5. artic. 2. ana-

loga secundùm esse & intentionem, quæ sunt analoga proportionalitatis, dicit in analogatis debere intrinsecè reperiri. Et in 3. Metaphys. lect. 8. ens & reliqua transcendentia amittunt rationem generis & vniuocationis ex eo, quod in differentiis ipsis imbibuntur vt artic. sequent. & quæst. sequent. latius ponderabimus, ergo sine vlla ratione metaphoræ, aut attributionis saluatur vera analogia, siquidem in transcendentibus nec attributio est, nec metaphora, alioquin transcendentia non essent.

Ratio verò huius facillima est, quia licet in his quæ omnimodam & vniuocam similitudinem habent, fieri possit comparatio proportionis, & æqualitatis, sicut dici potest, quod sicut homo est animal, ita & equus, tamen ibi non est sola vnitas talis æqualitatis, & proportionis, sed alia maior nempe similitudinis vniuocæ, super quam fundata vnitas proportionis, vniuocationem non tollit. Cæterum quando sola vnitas proportionum inuenitur, & non omnimoda similitudo, quantumuis inueniatur fieri secundum formas intrinsecas, non poterit constituere vniuocationem, quia non est vnitas simpliciter & omnimoda, ergo aliqua vnitas minor vniuoca & secundum quid, & hæc est analoga, sicut cum facimus proportionis comparationem inter cor in animali, & fundamentum in domo, & vtrumque nomine principij nominamus, quo non significatur aliqua vna natura seu similitudo omnimoda vtrobique participata, sed vniuscuiusque formæ proportio, vt sicut se habet cor in animali, ita fundamentum in domo atque adeò aliquam vnitatem retinent ista duo in ipsa ratione principij, sed non vnitatem, seu similitudinem rerum siue naturarum, sed solùm proportionum, ergo datur analogia sine aliqua attributione seu metaphora per solam vnitatem proportionalem, quando videlicet hæc non habet adiunctam aliam vnitatem similitudinis & conuenientiæ, super quam fiat comparatio proportionum, sed ipsam nudam proportionis comparationem, & per formam intrinsecam in vtroque non denominatione, vel metaphora sumpta ab eo quod existit in vno tantum; verè enim & non metaphoricè cor est principium, & fundamentum est principium; & tamen analogicè cor, & fundamentum nomine principij nominantur. Et similia inueniri in transcendentibus, in quibus vniuocatio non datur *art. seq. & quæst. seq.* ostendemus.

Ad fundamenta opposita pro prima parte respondet. Ad D. Thomam dicimus; illis analogatis attribuere analogiam proportionis, secundùm vnam considerationem, sed non negare analogiam proportionalitatis secundùm aliam. Vnde in ipsa quæst. 6. 1. par. art. 4. ad 3. vbi dicit omnia dici bona à bonitate diuina exemplariter & efficienter, addit *vnumquodque dici bonum similitudine bonitatis diuinæ sibi inhærente, quæ est formaliter sua bonitas denominans ipsum*, Sentit ergo S. Doct. analogiam bonitatis ad Deum creaturam secundum intrinsecam formam in vtroque dici non ratione attributionis & metaphoræ. Et expresse in 1. Eth. lect. 7. in fine, dicit analogiam boni magis dici secundum bonitatem inhærentem rebus, & hanc analogiam præfert aliis, quæ ibi anumerauerat secundum proportionem, seu attributionem. Non ergo analogiæ secundum attributionem D. Thom. attribuit, quod dicatur secundum formas inhærentes, sed magis analogiæ proportionalitatis, licet eisdem analogatis possit secundum aliam considerationem analogia proportionis conuenire.

Quod si inquiras; quomodò ista duplex analogia possit eidem conuenire, v. g. enti, cum habeant conditiones omnino oppositas, siquidem analogia proportionis dicit quod forma sit intrinsecè in vno, & extrinsecè in alio, analogia proportionalitatis, quod sit intrinsecè in vtroque ens autem intrinsecè est in omnibus analogatis, non in vno solum, & denominatiuè in aliis. *Respond.* Non dari vtramque analogiam formaliter, sed alteram virtualiter, nam ens intrinsecè solum inuenitur in omni analogato; est tamen fundamentum, vt si per impossibile creatura, verbi gratia, non esset intrinsecè ens, vel accidens; per attributionem & denominatiuè esset ens, quia creatura est ens ab alio, & accidens in alio. Et sic conciliabis diuersa loca S. Thom. nam. 1. parte q. 16. art. 6. analogiam attributionis agnoscit inter veritatem creatam & increatam, licet non omnino absolutè. At verò in q. 2. de Verit. ar. 11. solum analogiam proportionalitatis agnoscit inter Deum & creaturam, quia videlicet de facto intercedit analogia proportionalitatis, quæ est secundum intrinsecam participationem, & tamen quia participatur, & deriuatur id quod est in creatura à Deo vt à principali analogato, est sufficiens fundamentum, vt si deesset intrinseca denominatio, per solam attributionem & denominationem diceretur tale, quatenus, aliquid Dei est.

Instabis, inter substantiam & accidens perpetuo agnoscit Philosophus analogiam attributionis, sicut sanum ad animal & ad medicinam, vt patet in 4. Met. c. 1. & 7. Met. cap. 1. & cap. 4. & ibi D. Th. & in eadem q. 2. de Verit. art. 11. ergo saltem respectu istorum datur de facto analogia attributionis cum participatione intrinseca de facto *Resp.* Ex D. Th. 4. Metaph. lect. 1. *Quod omne ens dicitur per respectum ad vnum primum, sed hoc primum non est efficiens vel finis, sicut in præmissis exemplis de sano, medicina, sed est subiectum.* Ab eo autem quod se habet vt primum per modum subiecti, non fit attributio per denominationem extrinsecam sicut à fine & efficiente, sed per inhærentiam formæ.

Ad secundam prob. principalis argumenti Resp. quod hoc ipso, quod analoga attributionis solum habent habitudinem ad aliquem terminum, à cuius attributione denominantur vt ab extrinseco termino, non possunt per intrinsecam rationem denominari.

Ad tertiam prob. Resp. quod herba habet intrinsecè relationem ad sanitatem propter virtutem sanandi, & ideò intrinsecè dicitur respiciens sanitatem; sed non intrinsecè denominatur sana: & sic sanitas in animali habet rationem formæ, respectu herbæ rationem termini extrinsecè denominantis.

Ad fundamenta pro secunda parte. Ad primum ex authoritate S. Thom. *Resp.* quod in illa vniuersali loquitur S. Thom. non de omnibus analogis absolutè, sed restrictiuè de analogis attributionis tantum, quia in illo loco 1. p. q. 13. agit de analogia magis dialecticè, quam metaphysicè scilicet, vt tenet se ex parte nominum non ex parte rerum (de nominibus Dei ibi agebat) sicut autem ad analogiam metaphysica attenditur inæqualitas ex parte rerum, ita in analogia dialecticè considerata attenditur inæqualitas in modo significandi & nominandi. Quod patet ex ipsis exemplis, quæ S. Thom. adducit de sano respectu animalis & vrinæ, & de his, quæ metaphoricè dicuntur de Deo & creaturis, in quibus principalius inuenitur ratio significata in creaturis. Loquendo autem de aliis perfectionibus Dei, quæ etiam in creaturis intrinsecè inueniuntur, vt esse bonum, esse sapientem, &c. dicit, quod ex parte rei significatæ per prius dicuntur de Deo, quia ab ipso in creaturas manant, non autem dixit, quod per respectum ad Deum vt extrinsecè denominantem dicuntur. Non ergo voluit in his similiter intelligi regulam antea vniuersaliter positam, quasi in omnibus analogis omnia dicantur per respectum ad vnum primum, à quo denominentur, sed

id solum pro analogis attributionis voluit intelligi. In loco autem ex q.16. non loquitur vniuersaliter de omnibus analogis, & sic non cogit.

Ad secundam prob. dicitur, quod comparatio proportionum seu proportionalitas si solum fiat ad explicandam comparationem similitudinis omnimodæ, non tollit vniuocationem, sed quando aliam vnitatem, & conuenientiam non supponit, nisi proportionalem, tunc est analogia. Vnde per hoc quod proportionalitas exerceatur in vniuocis, non probat argumentum, quod non constituat analogiam licet intrinsecè forma sit in vtroque analogato, si aliam vnitatem maiorem, quam proportionalitatis non supponat.

ARTICVLVS V.

Vtrum in analogis detur vnus conceptus ab inferioribus præscisus.

Hoc est præcipuum & difficilius ad intelligendum in analogis, in quo eorum vnitas, quæ ipsa secernit ab æquiuocis, sed ad vniuoca non peruenit, explicatur. Et loquimur de conceptu præsciso vel segregato ab inferioribus, quia in inferioribus constat esse plurificatum, vnde nisi segregetur ab illis, vnitatem non habet, & sic non potest inquiri de vnitate conceptus analogi, nisi inquiratur de præscisione illius ab inferioribus. Ista autem vnitas fundatur in conuenientia, & secundum diuersum modum conuenientiæ sumitur diuersa vnitas. In vniuocis autem datur conuenientia, & vnitas vno modo scilicet per vnitatem simpliciter; in analogis autem, quia est vnitas secundum quid, & proportionalis vel secundum habitudinem, & comparationem non eodem modo in omnibus inuenitur, & ideo oportet sigillatim illa distinguere, & modum suum vnitatis vnicuique assignare.

Dico ergo primo. Analoga attributionis, & analoga metaphorica non possunt habere vnum conceptum communem, neque obiectiuum, neque formalem, sed plures, cum vnitate tamen comparationis & connotationis, quo solo differunt à purè æquiuocis. Et hæc est ratio cur ista analoga vocari soleant plurium conceptuum, vt à M.Soto in hac q. de Æquiuocis & Analogis, & ab aliis Thomistis.

Ratio huius est; quia vnitas horum analogatorum non consistit in aliquo quod intrinsecè reperiatur in omnibus, siue absolutè, & simpliciter, siue respectiuè, & proportionabiliter, seu suo modo, sed consistit in ordine vnius vel plurium ad vnum terminum, à quo recipiunt denominationem, quia ad illum habent connotationem, vel habitudinem. Talis autem vnitas cum sit vnitas ordinis, & habitudinis vnius, vel plurium ad aliud, necessario exigit plures conceptus illi ordini adiunctos, & ad talem connotationem & habitudinem exercendam necessarios. Et manifestatur hoc amplius, quia talia analoga, ex sua primaria impositione, analoga non sunt, sed ex translatione & vsu hominum quod insinuauimus in Summ. q.6. de Supposit. art.2. sed ibi ad plenum non explicauimus, quia locus non erat, ideoque diximus non esse vera analoga in translationibus, & metaphoris, sed nomina ipsa propria assumi ad metaphoricam translationem. Et verè ita est, quia ista analoga attributionis, & proportionalitatis, metaphoricæ non sunt talia ex impositione sua, vt benè notat M. Soto super cap. de Æquiuocis q. vnic.art. 2. corollar. 2. sed ex translatione, & vsu hominum, nam nomen *sanum*, & nomen *risus*, & nomen *leo*, & similia multa, ex sua impositione sunt vniuoca, & significant directè formalem sanitatem, quæ est in animali, & risum, qui est in homine, & leonem verum. Ex vsu autem hominum qui faciunt comparationem vnius ad aliud propter similitudinem aut connotationem quam dicunt, nomen vnius applicatur alteri, sub quo comparationem, aut connotationem quasi occultat, & circumlocutione explicant. Sed tale nomen non habet pro significato etiam secundariò rem illam, quæ sibi comparatur, & ad quam per metaphoram transfertur, sed solum habet pro significato, id cui talis res potest comparari, & habitudinem dicere vt ad terminum. Ex eo autem quod possit esse terminus comparationis, vel habitudinis aliorum non significat omnia illa directè aut indirectè ex impositione, aut naturali repræsentatione conceptus, sed nomine illo abusiue vtimur ad illa nominanda, quæ sibi comparantur, sicut videntes medicamentum vel cibum conducere ad sanitatem, quæ est in animali, vocamus cibum sanum, & videntes pratum floridum esse causam lætitiæ, dicimus illud ridere, Christum habere fortitudinem ad instar leonis, vocamus illum leonem.

Quod S.Thom. expressit 1.p.q.13.art.6.dicens: *Quod nomen leonis dictũ de Deo, nihil aliud significat, quàm quod Deus similiter se habet vt fortiter operetur in suis operibus, leo in sicut suis.* Vnde patet quod cõceptus leonis, vt correspondet nomini *leo*, quod est vniuocũ, non potest extendi ad significandum Deũ, vel aliud quidpiam quod leoni comparetur, quia leo solum se habet, vt terminus illius comparationis, & assignationis, non vt habens Deum pro significato minus principali, ideoque monuimus in citat. loco Summularum, quod quidquid sit, an analoga, quæ verè analoga sunt significent secundariò analogata minus principalia, tamen etiam in ipso nomine vniuoco danda est suppositio impropria quando transfertur ad significandum aliud. Vbi cum præscisione, & breuitate hæc doctrina tradita est, quia impropria suppositio, & metaph. analogia (idem enim sunt) alicui nomini vniuoco conuenire possunt, quod ex sua impositione, aut directa significatione aliquid vniuocum significat, translatiuè autem ad aliud extenditur, sicque conceptus leonis, v. g. nec directè, nec indirectè significat Christum, sicut analoga, quæ ex sua prima significatione, aut impositione talia sunt, significant sua analogata minus principalia; nomen autem leo ex sua impositione vniuocum est & sola translatione applicatur Christo. Quare ista analoga non possunt reduci ad unum conceptum, quia solum habent vnitatem comparationis & connotationis, quæ plures conceptus exigit, licèt ad vnum terminum comparentur. Et in hoc fundatur, quod ista analoga per se sumpta, id est, relicta suæ impositioni, & remota alienatione stant pro famosiori significato, quia redeunt ad vniuocationem.

Dico secundo Analoga proportionalitatis propriæ possunt habere conceptum vnum respectu omnium analogatorum inadæquatum, & imperfectum, nec præscindentem ab inferioribus per aliquid quod in potentia illa includat, & actu excludat, sed per aliquid quod actu non explicet, actu autem includat seu implicet. Ita sumitur ex Caiet. *in breui quodam opusc. de conceptu entis, & in opusc. de Analogia nominum*, c. 4. & Ferrar. 1. cont.Gen. c. 34. & communiter Thomistæ. Et loquimur tam de conceptu obiectiuo, quàm formali, vtrumque enim sibi adinuicem correspondet, tanquam repræsentans & repræsentatum. *Fundamentum huius est*, quia plerumque intellectus audiens nomen analogum, v. g. ens (quod seq. quæst. ostendemus analogum esse) colligit se ad vnum conceptum, nec in plures diuiditur, quod signum est, quasi à posteriori, & ex inductione, vnum

conceptum

conceptum habere posse, & de illo ente dicimus quod eius passio est vnitas & bonitas, &c. ergo vnum quid esse debet, alioquin quomodo vnitas esset eius passio? quomodò de illo tanquam de vno obiecto tractaret metaphysica, demonstraretque passiones? *A priori autem ea ratio est*, quia in his analogatis inuenitur sufficiens fundamentum ad formandum vnum conceptum, quia conuenientia analogatorum non est in respicientia ad vnum terminum vel connotatione ad alterum, quæ connotatio, aut respicientia exigit plura, inter quæ talis respicientia, & connotatio exercetur, sed est conuenientia in modo habendi formam, quia quodlibet analogatorum habet formam suam non eodem modo, sed proportionaliter. *en su tanto*; est ergo ibi aliquid quod terminare possit vnum conceptum, scilicet illa conuenientia proportionalis in aliquo, quod intrinsecè conuenit, quod non exigit explicationem plurium conceptuum. In summa, hoc analogum non debet habere conceptum omnino diuersum, sicut æquiuoca à casu alias analogum non esset, ergo aliquam vnitatem. Non vnitatem comparationis, & connotationis ad vnum, sic enim esset analogum attributionis, quod exigit plures conceptus ergo vnitatem alicuius conuenientiæ solum in modo habendi formam suam, vnitas autem conuenientiæ vnico deseruit conceptui.

Quod verò conceptus ille vnus, sit imperfectus, & inadæquatus, & non ita præscindens ab inferioribus quod maneat in potentia ad illa, & sit contrahibilis per additionem conceptus differentialis, *ex eo deducitur*; quia sic esset conceptus vniuocus, nam animal ideò est vniuocum ad omnes species, quia concipitur ita vnum in actu, quod differentias diuidentes solum habet in potentia, & per earum additionem diuiditur; Ergo analogum quod talem vnitatem non habet, sed secundum quid, non debet solum in potentia includere diuersitatem inferiorum, sic enim in actu simpliciter maneret vnum, quod est esse vniuocum, & solum in potentia multiplex, seu diuersum. Vt ergo non maneat simpliciter vnum, actu debet includere diuersitatem, licet actu non explicet illam. Item analogum hoc, & præsertim transcendentia includuntur in differentiis, & in eis imbibuntur, non verò solum per additionem earum extrinsecam contrahuntur sicut vniuoca. Ergo ex ipso analogo prouenit non solum vnitas, & conuenientia, quæ est in inferioribus, sed etiam differentia, & diuersitas cum non fiat diuisio per aliquid extraneum in quo ipsum transcendensnon includatur. Si ergo adæquatus, & perfectus detur eius conceptus, explicans totum quod est in analogo, non solam vnitatem, sed etiam diuersitatem repræsentabit. Quando ergo sub sola vnitate concipitur, inadæquatè, & imperfectè concipitur, non explicando totum, quod illi conuenit actu.

Sed quia aliqui difficile intelligunt, quomodo possit ille conceptus implicitè solum continere diuersitatem inferiorum, & tamen in actu includere, siquidem tunc conceptus videtur continere in actu, quando actu repræsentat, tunc autem in potentia, quando non repræsentat aliquid actu, sed indiget alio conceptu superaddito, vt repræsentatio fiat: *ideo obseruandum valde est* id, quod maximè seruit pro conceptu analogiæ explicando, & transcendentium, & diuinorum attributorum, quod præscisio, seu distinctio, vel abstractio intellectus potest dupliciter fieri: Vno modo simpliciter vnum segregando ab alio per conceptum, ita quod non includat illud à quo separatur, sed fiat distinctio per inclusionem vnius, & exclusionem alterius, sicut cum separatur animal ab homine. Alio modo præscisio non fit simpliciter, nec per exclusionem vnius rationis ab alia, sed penès magis confusum, vel explicitum de eadem re, quod non variat res conceptas, sed modos concipiendi, sicut res visa à longe in confuso, vel prope cum distinctione non variat res visas.

Et istæ abstractiones melius cognoscuntur per suum oppositum, quod est contractio. Quando enim conceptus aliquis abstractus, v. g. animal, vel homo, indiget vt contrahatur additione alicuius extranei, id est, de quo illud abstractum non prædicatur, tunc illa abstractio facta est per exclusionem huius contrahentis, sicut animal indiget, vt contrahatur rationali, de quo animal non prædicatur, ista contractio fit per additionem, & consequenter abstractio ab illo per exclusionem. Quando verò conceptus abstractus non indiget, vt contrahatur additione alicuius extranei, sed aliquo de quo ipsum abstractum prædicatur, talis abstractio non fit per exclusionem illius, sed per non explicationem eius, licet actu illud includat in confuso tamen, sicut ens vt contrahatur ad substantiam, vel accidens, aut viuens, aut corpus indiget aliquo, quod etiam est ens, & de quo prædicatur ens, & consequenter non est extraneum ab ente, talis contractio non fit per additionem, & consequenter abstractio entis non per exclusionem, sed solum per non explicationem inferioris, includendo tamen illud actu in confuso.

Ex quo colliges primo distinctionem attributorum in Deo, & præscisionem analogorum. & transcendentium non fieri propriè per abstractionem à rebus diuersis, sed penès diuersam explicationem, vel confusionem eiusdem conceptus. Vnum enim attributum non potest à suo conceptu excludere aliud, ita vt in potentia remaneat ad ipsum, & per additionem sit perfectibile ab eo, cum sit actus purus & ita omnem potentialitatem excludat. Quare conceptus diuinæ misericordiæ in quantum est misericordia diuina, & actus purus, necessario includit actu non in potentia iustitiam, sed quia non explicat mens nostra in illo conceptu totum quod est vt diuinum, sed vt misericordia in Deo, distinguitur à iustitia, non per separationem, sed per non explicationem. Et similiter transcendentia vt ens, quia dicunt rationem, quæ in ipsis differentiis, & modis imbibitur, quia omnia entia sunt, ideo non potest separari conceptus entis in communi ab aliquo, quod enti sit extraneum, sicut segregatur animal à rationali, & ab extraneo sibi in quantum animal est, sed separatur conceptus entis à suis contrahentibus per hoc quod in confuso, & non explicite cognoscuntur ea, quæ diuisa sunt in inferioribus. Et hæc est doctrina D. Thom. quando docet quod ens non potest contrahi per additionem, sed per modos explicantes, & exprimentes aliquid, quod nomine entis non exprimitur, vt patet q. 1. de verit. art. 1. & similiter in 1. dist. 22. q. 1. art. 3. ad 2. & ex Philos. docet in 8. met. tex. 16. lect. vlt. *Quod ens non exspectat aliquid additum vt fiat hoc, id est substantia, vel quantum, vel quale sed statim à principio est substantia, vel quantitas, vel qualitas, &c.* Et istimet modi contrahentes ens, quantum ad rationem entitatis conceptus entis sunt, quantum ad expressionem modificationis. diuersi sunt.

Secundo sequitur, quomodo reducatur ad vnitatem ille conceptus analogus per hoc præcisè, quod confusè respiciat analogata, & per hoc contrahatur, & multiplicetur quia respicit illa explicitè. Nam vnitas illa analogi non est vnitas alicuius tertij, quod tanquam forma seu ratio superior maneat vna, & contrahibilis per inferiora, quia si illud quod in communi accipitur est vnum in se abstractione ipsa formatum, & est contrahibile per additionem contrahentium,

tium, vel ista contrahentia & diuidentia in actu includit, vel in potentia. Si in potentia, habet conceptum in se vnum, & in potentia ad plura, quod est vniuocam. Si verò actu includit ipsa contrahentia, quæ per additionem diuidunt, & contrahunt, remanebit conceptus ille diuisus, & contractus actu, quomodo, ergo abstractus, & vnus? Non ergo quærenda est vnitas, & diuersitas in analogis per hoc quod in aliqua forma vna communi abstracta adunentur, ibique intelligantur adesse actu ipsa contrahentia, sic enim maneret illa ratio actu abstracta, & contracta. Ergo aliter sumenda est vnitas, scilicet non quia forma vna seorsum sumatur, & deinde differentiæ illi adueniant, sed quia per modum confusionis ipsa analogata sumuntur non exprimendo ipsa distinctè, sicut quando à longe videmus multitudinem, nec discernimus aliquid sigillatim; sic multitudo analogatorum confuse attacta, est vnitas analogi, explicitè verò est diuersitas. Nec ille conceptus communis est conceptus ipsius proportionis, quatenus proportio habitudo, & relatio est, sic enim esset conceptus cuiusdam relationis, sed est conceptus illius, quod proportionem fundat, quatenus confuse accipitur, & non explicitè in diuersis, v.g. os, & spina confuse accipiuntur, si cognoscantur secundum rationem sustentandi carnes: substantia, & accidens confusè accipiuntur si cognoscantur, vt habens esse: fundamentum, & cor si cognoscantur vt habens principium, & dans originem.

Dices: Cur non dicetur quod ille conceptus sustentandi carnes, habendi esse, ducendi originem, sit simpliciter vnus, qui postea per rationem talis modi sustentandi carnes, vel habendi esse contrahatur? *Respond.* Quod non significatur illo conceptu vna forma, quæ simpliciter sit vna in ratione, & quidditate formæ, sed in modo habendi, quod est suo modo, & proportionaliter esse tale non simpliciter, sicut ratio principij in fundamento, & in corde non dicit formam aliquam constituentem rationem fundamenti, & cordis, sed omnino diuersas formas, suo tamen modo habentes rationem Principij. Ens autem vlterius non est vna forma quia est transcendens & imbibitur in differentiis, & sic non minus est ratio, seu principium diuersitatis quàm vnitatis, quod est non esse formam vnam simpliciter, sed partim eandem partim diuersam vt q. seq. dicetur.

Vltimo intelligitur; quomodo conceptus iste analogi proportionalitatis possit supponere pro quolibet suorum analogatorum, non verò conceptus analogi attributionis, vel proportionalitatis metaphoricæ. Quia ille conceptus primæ analogiæ respicit omnia analogata sub vnitate confusionis in habendo proportionalem vnitatem in suis formis, non explicando earum diuersitatem, vnde illi conceptui vnumquodque analogatum potest reddere suppositum, quia ibi continetur vt habens proportionali modo talem formam, & sic ens supponit pro substantia dicendo: *Ens subsistit*, & pro accidente dicendo. *Ens inhæret* quia confusio illa entis determinatur per ly *subsistit*, vel per ly *inhæret*. At verò in analogis attributionis, seu metaphoræ, cum sit directè conceptus vniuocus, translatiue in voce accommodatus ad alia, non potest conceptus ille in mente significare illa aliena vt supposita suæ formæ, sed illa significantur diuerso conceptu cum connotatione ad se, & ideò, quia solum se habet vt terminus habitudinis, & connotationis, indiget alio conceptu ad supponendum pro eo, quod connotat se, & respicit se vt te minum habitudinis, eo quod suppositionem fit pro eo, quod connotatur quasi in obliquo, sed quod directè significatur vt contentum in se, & vt *quod*.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur* ad probandum analoga attributionis posse habere vnum conceptum, nam vbicumque reperitur similitudo, & conuenientia plurium potest vnus conceptus de tali conuenientia formari diuersus ab eo in quo est disconuenientia, & diuersitas, sed analogata attributionis, habent aliquam conuenientiam, & similitudinem, ergo possunt habere vnum conceptum. *Maior constat*, quia non aliunde accipit intellectus vnitatem conceptus communis, quam ex conuenientia, & similitudine multorum, relinquendo id, quod est dissimilitudinis, & accipiendo quod est conuenientiæ. *Minor constat*, quia illa analoga non sunt omnino diuersa, alioquin essent æquiuoca, ergo habent aliquam similitudinem, licet cum diuersitate. Quid ergo prohibet separare intellectum id quod similitudinis est, & vnico conceptu repræsentare, relinquendo quod est diuersitatis, sicut facit in aliis analogis proportionalitatis propriæ.

Confirm. Quia hoc analogum verè, & propriè est vniuersale respectu suorum inferiorum, ergo vnum in multis, & abstractum à multis, non ergo includit illa multa, vel si includit vniuersale non est.

Respond. Quod vbi est similitudo est vnitas conceptus iuxta modum similitudinis, & conuenientiæ. Si similitudo fuerit simpliciter, & absolute, etiam vnitas abstracta simpliciter erit vnitas. Si similitudo fuerit secundùm quid, & proportionalis tantum, non poterit vnitas purificari ab omni diuersitate, sed erit partim idem, partim diuersum, qualis est vnitas proportionalis, non idem simpliciter, esset enim vniuocum. In analogis autem attributionis, & metaphoricis adhuc inuenitur minor similitudo, quia solum habent conuenientiam non in aliqua forma, quam participant, sicut vniuoca, non in modo habendi formas suas proportionaliter, sicut analoga proportionalitatis propriæ, sed in vnitate termini, quem respiciunt, vel quem connotant extrinsecè, & à tali connotatione & habitudine, seu comparatione denominantur. Vnde non differunt ab æquiuocis puris in hoc, quod habeant vnum conceptum, habent enim plures, sed quia sub aliqua vna habitudine, vel comparatione, aut connotatione illos coniungunt, æquiuoca enim totaliter disiungunt.

Ad confirm. respondetur. Quod analogum est vniuersale secundùm quid, sicut est vnum secundùm quid, & abstractum secundùm quid non excludendo inferiora, sed tantum non explicando, sed confuse accipiendo, & imperfectè, & sic suo modo est vnum in multis, & habet inferiora, & est superius, scilicet secundùm quid, & ratione explicationis, vel confusionis eorundem analogatorum vt diximus.

Instabis potest analogum esse obiectum simpliciter vnius scientiæ, sicut ens Metaphysicæ, ergo simpliciter est vniuersale, & simpliciter est vnum. *Respondetur*, Quod sicut habet vnum conceptum formalem, ita & vnam scientiam. Stat enim benè quòd sit vnitas secundùm quid inesse entis, in ratione autem formali repræsentabilis sit vnum simpliciter inesse obiecti, quatenus est repræsentabilis illa confusio entis vnica specie, & vnico lumine illuminabilis illa connexio entis cum suis passionibus.

Secundò arguitur. Conceptus analogi sumpti in communi, nullo modo repræsentat analogata inferiora, neque modos contrahentes, ergo nullo modo includit illa, sed separat per exclusionem. *Consequentia patet*, quia præscisio intellectus etiam exclusiua fit solum

per

per præsentationem vnius in conceptu, & non alterius: quidquid ergo non repræsentat excludit, & præscindit. *Anteced. prob.* quia vel illud analogum habet plures conceptus, vel vnum. Non plures quia loquimur de analogo proportionalitatis propriæ, quod est analogum vnius conceptus, vt admittimus; si vnum, ergo in illo vno conceptu non repræsentantur plura, verbi gratia, substantia, quantitas, qualitas, &c. immediatè, & per se, sic enim daretur æquiuocatio in mente, id est, repræsentatio plurium, vt plura sunt. Et secundo sequeretur, quòd quando facio hanc prædicationem, lapis est ens, homo est ens, si ex parte prædicati conceptus entis includit actu omnia analogata, scilicet substantiam, quantitatem, &c. sensus esset, homo est substantia, quantitas, qualitas, &c. quod, quàm sit absurdum, satis patet. Et tertio sequeretur illo conceptu actu contineri, & repræsentari infinita, quia infinita sunt analogata entis.

Confirm. Vel in illo conceptu vno, & imperfectò continentur omnia analogata tanquam quoddam aggregatum, vel tanquam quoddam disiunctum ex illis, vel vnum vt contentum in alio, & assimilatum illi. Hoc vltimum non potest stare, cum vnum non sit simile alteri, nisi quatenus in aliquo communi conueniunt, analogata autem in nullo communi conueniunt, tanquam in aliquo tertio, vt dictum est, sed sunt plura, vt confusè, & proportionatè vnum. Primum verò, & secundum omnino sunt falsa, nam cum dico, homo est ens, non est sensus, homo est substantia, vel accidens, nec enim aliquod disiunctum prædico, sed simplex prædicatum, multo minus dico, homo est substantia & accidens, vt aggregatum, seu copulatum, esset enim falsum.

Respond. Analogum in abstracto repræsentare sua analogata confusè in actu, non explicitè. Et *ad primam probat. dicitur*, vnico conceptu repræsentari posse multa confusè, non distinctè, & vt plura sunt, sicut quando à longè video mille homines, aut montem arenæ, & non discernimus singula, vnica visione totam multitudinem videmus, & tamen multa sunt, & per modum vnius terminant vnam uisionem, nec tamen in istis conceptibus sunt plura solum in potentia, sed actu, licet confusè attacta; sic se habet conceptus entis confusus respectu omnium analogatorum, repræsentat enim immediatè omnia sub confusione habendi esse, quod solum explicat. Ex quo non sequitur dari æquiuocationem in conceptu vltimato, quia æquiuocum significat plura vt plura, id est, vt nullo modo conuenientia, nec in proportione, nec in modo confusionis plura attingentis, sed vt explicitè diuersa. Conceptus autem confusè attingens plura, ipsa confusione ea vnit, solumque explicat vnitatem illorum plurium non præcisionis, sed confusionis, vnitas autem confusionis requirit actualem pluralitatem eorum, quæ confusè accipiuntur, sicut cum videtur multitudo aliqua sub vna confusione.

Ad secundam probationem respondetur. Quod in illa prædicatione homo est ens prædicatum ens, licet actu confuso omnia analogata respiciat, non rationem aliquam determinatam, quæ in potentia contineat inferiora, tamen id, quod prædicat, non sunt omnia illa quæ materialiter, & implicitè continet, sed illa ratio in quo omnia confunduntur, scilicet habere esse, hæc enim est ratio non quæ præscindit, sed quæ confundit omnia, & hanc solum explicat, sicut multitudinem à longè confundit debilitas lucis, & distantia, & hanc explicitè solum attingit oculus. Est exemplum manifestum in hac prædicatione, *Pater est Deus*, nam ly *Deus* non in potentia, sed actu includit omnia quæ in Deo sunt etiam tres personas, non vt constitutiua, sed vt terminatiua, & modificatiua sui: Et tamen quia non explicitè illa dicit, sed implicitè includit, ideo non prædicat de Patre omnes tres personas, sed solam Deitatem in qua continentur; ita ens prædicat solum id in quo omnia confunduntur, scilicet habens esse. Ista enim verba *significat*, *prædicat*, & similia, quæ important actum animæ, important appellationem supra obiectum vt formaliter significatur, & prædicatur, non ad id, quod materialiter includitur, & confunditur.

Ad tertiam probat. respondetur. Quod licet infinita contineantur sub ente, reducuntur tamen ad vnam rationem communem sub qua confunduntur, scil. habere esse, & ad genera, seu prædicamenta finita.

Ad confirmat. respond. Quod illa plura non correspondent illi conceptui vt aggregata, vel disiuncta, sed vt proportionaliter similia, non in aliquo tertio vt in ratione simpliciter vna, in qua conueniant, sed in habendo formas suas non eodem modo, sed vnumquodque suo modo, proportionali tamen, & sic sunt plura confusè, non plura explicitè, nec vnum simpliciter.

Tertiò arguitur. Conceptus analogi contrahitur per additionem alterius conceptus distincti, & non per maiorem explicationem eiusdem, ergo ille conceptus simpliciter præscindit ab inferioribus. *Consequent. patet*, quia ille conceptus est simpliciter præcisus, qui vt contrahetur indiget sibi fieri additionem, sic enim cum abstrahitur, excludit illam. *Antecedens probat.* analogata distinguuntur inter se entitatiuè, vt substantia, & quantitas, & non distinguuntur in ipso conceptu entis, in quo conueniunt, ergo in aliquo quod superaddunt, nam omne id in quo distinguuntur superaddunt ei in quo conueniunt, ergo id quod nos dicimus ibi non explicari, melius dicetur superaddi.

Confirm. Quia si ille conceptus actu contineret omnia analogata, qui comprehensiuè penetraret conceptum entis, videret actu omnia entia, quod est falsum, cum ab analogo, v. g. ab ente procedatur ad analogata de potentia ad actum, & ita non poterit actu omnia videre. Item haberet ille conceptus inferiora tanquam partes actuales & integrantes, non vt subiectiuas, quia actu illas includit non in potentia, & sic penetrato illo conceptu, actu videbuntur, & non in potentia, sicque habebunt se vt partes actuales eius, & qui vicelicet illum conceptum sola confusione sublata, videbit in actu omnes partes. Falsitas autem consequentis constat ex illa ratione, qua D.Th. 1. p.quæst. 14. art.6. probat Deum non cognoscere omnia solum in ratione entis, quia sic imperfectissimè, & maximè in potentia res cognosceret, non ergo conceptus entis potest sua analogata manifestare in actu & determinatè, cum indifferenter se habeat ad illa.

Respondetur negando antecedens, principalis argumenti. *Ad probationem respond.* Analogata differre entitatiuè inter se differentia contenta sub eadem ratione analoga in qua conueniunt, non extranea ab ipsa. Et consequenter id quod contrahit ens non est superadditum enti, sed sub ente contentum, solum autem diuerso modo explicat, id quod communis ratio implicat. Et in eo in quo conueniunt etiam differunt, licet sub alio respectu, in hoc enim consistit analogum præsertim transcendens, quod habet vnitatem, & diuersitatem, nec est solum ratio conueniendi, sed etiam differendi. Ratio ergo in qua differunt, non superaddit analogo, sed solum aliter explicat analogum; nec propter hoc analogata modaliter solum distinguuntur inter se, sed entitatiuè, sed illa differentia qua entitatiuè differunt, etiam sub ente continetur, dicitur tamen contrahi per modos, & non per

Per differentias, non quia modi superadantur, aut quia ens sit potentia ad modos, & non ad differentias reales, esset enim puerilis intelligentia, sed quia aliquem modum exprimunt analogata super ens, quod nomine entis non exprimitur, vt expresse docet D. Thomas quæst. 1. de verit. art. 1. In expressione ergo est modus, non in additione.

Ad confirm. respond. Quòd qui penetraret conceptum entis in communi nihil amplius videret ibi contineri, quàm omnia entia in confuso, vnde non penetraret omnia entia in confuso, vnde non penetraret omnia entia distinctè, & determinatè, quia sic ibi non continentur. Si autem tolleret confusionem destrueret illum conceptum entis in communi, qui essentialiter est confusus, & alium distinctum determinati entis formaret. Et ita benè probauit S. Thom. quòd si Deus videret creaturas solum in ratione entis, imperfectè videret, quia cognosceret illas vt confunduntur in ente; non vt inter se distinguuntur, & determinantur, & secundùm proprij modi explicationem. Opponitur enim confusio illius conceptus explicationi entium determinatorum, & sic ex sola cognitione, & penetratione illius conceptus, non potest determinatè explicari pluralitas entium, sed sub confusione manere, si verò tollitur confusio, conceptus ille destruitur. Et qui procedit ab ente ad sua analogata procedit à cognitione magis potentiali, quia à magis confusa, & indistincta. Est autem magis confusa, & imperfecta illa, quæ procedit à conceptu repræsentante omnia confusè, licet non repræsentet aliquid continens plura in potentia, quàm quæ procedit à repræsentatione alicuius continentis plura in potentia, & non in actu, quia ista ad minus non confusè tangit illud potentiale, quod inferiora continet in potentia, sicut qui concipit animal, omnes species animalis in potentia tangit, & confusè, sed animal distinctè, qui verò ens in confuso attingit; nihil distinctè attingit, sed solum proportionali modo habens esse.

Ad aliam partem argumenti dicitur, analogata, nec esse dicendas partes integrantes actuales simpliciter, neque subiectiuas, quia solum sunt partes secundùm quid, vt dictum est, sed dicuntur subiectiuæ, actu tamen contentæ in superiori, & coadunatæ, seu confusæ in illo conceptu, non per modum aggregationis, sed proportionis in esse. *Nec ex hoc sequitur*, quod illa abstractio entis sit actualis, id est, formalis, cum sit omnium potentialissima, quia formalis abstractio fit per segregationem potentialitatis, & materiæ, & quanto vniuersalior tanto purior, & perfectior, sicque abstractio entis formalis est actus purus, si in tota vniuersalitate abstrahat: sed abstractio entis in communi vt analogum est confusissima, & licet actu includat omnia confusè: ideo potius non est abstractio formalis, quia non fit per segregationem imperfecti, sed per inclusionem omnium sub quadam confusione, & caligine.

* *
*

QVÆSTIO XIV.

De Ente prædicamentali, & diuisione in decem prædicamenta.

ARTICVLVS I.

Quid sit prædicamentum, & quid requiratur vt aliquid sit in prædicamento?

PRÆDICAMENTVM nihil aliud est, quàm *Series, seu coordinatio prædicatorum superiorum, & inferiorum ab vnò supremo genere, quod prædicatur de omni inferiori, vsque ad indiuiduum quod subiicitur omni superiori.* Et quia ista coordinatio fit per prædicata superiora, & inferiora, magis & minus vniuersalia, vocantur illa prædicata *gradus*, quia quasi scala est in qua ascendimus & descendimus in ipsis prædicatis constitutiuis rei: sicut in prædicamento substantiæ ponitur vt genus supremum substantia, deinde corpus, deinde viuens, deinde animal, deinde homo, deinde Petrus, sicut infra in vnoquoque prædicamento ordinabimus ad finem eius arborem illius prædicamenti.

Et quia prædicamentorum distinctio ad hoc introducta est, vt diuersarum naturarum ordines, & classes proponentur, ad quæ omnia, quæ naturam aliquam participant, reducerentur, ideo in primis secludendum est ab omni prædicamento ens rationis, quia non habet naturam, neque entitatem veram, sed fictam, ideoque neque ad prædicamentum verum, sed fictum reiici debet. Vnde D. Thom. q. 7. de Potentia art. 7. tantum res extra animam dicit pertinere ad prædicamenta.

Inter entia autem realia necesse est quædam pertinere ad lineam istam, & graduationem prædicamenti in recto, quædam ad latus & quasi reductiuè; quia non omnia æquali modo entis rationem, aut ipsius generis participant rationem. Vt autem discernamus, quænam entia totaliter à prædicamento separentur, quænam vero in recta linea, quæ vero reductiuè, & quasi ad latus ponantur, quinque enumerantur conditiones, quæ requiruntur, vt aliquid sit in prædicamento, & licet alij plures enumerent, omnes ad istas reducuntur. Prima, vt sit ens per se seu non per accidens. Secunda, vt sit ens completum. Tertia, ens finitum. Quarta, ens completum. Quinta, vt sit vniuocum.

Quantum ad primum, dicitur debere esse ens per se ad excludendum ens per accidens, quod ideo excluditur à prædicamento, quia non dicit vnam naturam, sed plures, atque adeo, neque rem constantem vnico genere & differentia, sed pluribus, cùm sint diuersæ naturæ, vel si constant eodem genere & differentia, erunt tamen multiplicatum genus & differentia, si diuersæ naturæ sunt, sicut requiritur ad ens per accidens, & ita illud conflatum ex istis diuersis naturis, quod vocamus ens per accidens non per se ponetur in prædicamento, sed per illas naturas, vel vnaquæque in prædicamento distincto, si sint naturæ diuersorum prædicamentorum, vel vnaquæque distincto modo & multiplicatis naturis in eodem prædicamento, quod est non poni per se, & vnica positione.

Ex hac autem conditione existimo reiicienda esse à prædicamento concreta accidentalia sumendo illa non pro formali tantum, sed pro composito, & con-

conflato ex vtroque, scil. ex subiecto, & accidente. Nam pro formali tantum, significant solam formam accidentalem, qua ratione dixit Philosoph. in cap. de substant. *album solum qualitatem significare*, & sæpè in Metaphysica, prædicamenta, quæ sunt accidentia numerat in concreto, vt quantum, quale, &c. Sic ergo concreto accidentis spectato tantum ratione sui formalis non repugnat ratio generis, & speciei, & consequenter series prædicamentalis, licet, aliqui in modo significandi inueniant difficultatem, quia significant per modum adiacentis, non per modum quidditatis. Sed hoc non obstat, quia licet significentur per modum adiacentis respectu subiecti, respectu tamen ipsius formæ accidentalis, & prædicatorum ipsi essentialium in quid potest fieri prædicatio, vt cum dicimus album est coloratum, est enim quidditatiua ratione formali, quod in eis importatur.

Cæterum si subiectum, quod ratione connotati importat, concipiatur vt faciens vnum compositum, & conflatum cum ipsa forma, ita quod ratione vtriusque sumatur quidditas, seu ratio concreti, & conflati, sic non potest poni illud conflatum per se in prædicamento, quia conflatur ex naturis diuersorum prædicamentorum, sicut sunt subiectum, & forma accidentalis, ergo prout sic in vno prædicamento non ponitur, quod est per se non poni in prædicamento.

Nec obstat, quòd aliqui dicunt accidentia in concreto habere definitionem, ergo & naturam, seu speciem; habere item operationem, sicut calidum calefacit, operatio autem est signum naturæ, quæ operationis principium est. Sed *Respond.* Quòd concreta accidentium non definiuntur quidditatiuè nisi ratione sui formalis, cui essentia alia sunt prædicata, quæ in definitione ponuntur. Concretum autem vt conflatum ex subiecto, & accidente solum definitur definitione quid nominis, vt cum dico, album est habens albedinem. Et similiter habent operationem ratione formæ, quæ illius operationis principium est, non ratione tertiæ naturæ resultantis ex accidente & subiecto.

Secunda conditio requisita ad rationem entis prædicamentalis, est, vt sit ens completum. Quod intelligitur de his, quæ ponuntur in recta linea prædicamentali, non reductiuè, vel ad latus. Et vocamus ens completum, quod significatur vt totum constitutum, & per modum quid, qua ratione etiam in accidentibus inuenitur ratio entis completi in suo genere, scilicet in genere accidentis, licet comparatiuè ad substantiam sint incompleta entia, id est, non per se subsistentia. *Ratio huius conditionis est*, quia in recta linea prædicamenti ponuntur inferiora, quæ ex superioribus constituuntur, & superiora, quæ prædicantur de illis. Et quidem inferiora sunt quædam constituta ex suo superiori, & differentia contrahente, & sic se habet, vt quædam tota, vtpotè ex suis constitutiuis constantia quasi ex partibus. Superiora autem identificantur cum ipsis inferioribus de quibus prædicantur, & sic sunt tota sicut ipsamet inferiora per identitatem. Si autem ex modo significandi non significentur vt totum, sed vt forma & pars, sic ex ipso modo significandi non sunt in recta linea eorum quæ prædicantur vt totum: præterquàm quòd de differentiis est alia ratio, quod ipsæ licet prædicentur de specie, quam constituunt, & de inferioribus talis speciei, tamen de ipsis differentiis alia superiora prædicata non prædicantur, cum genus non prædicetur de differentiis, nec differentiæ sint resolubiles in duos conceptus generis, & alterius differentiæ, aliàs esset processus in infinitum. Vnde cum superiora non prædicentur de ipsis, discontinuant rectam lineam, & seriem graduum superiorum, & inferiorum, & sic ad latus ponuntur.

An verò partes Physicæ, vt materia & forma, & aliæ partes, & modi excludantur etiam à prædicamento? Diximus supra *q.7. art.3. circa fin.* videatur ibi.

Sunt autem quædam substantiæ, quæ etsi sint entia subsistentia, sunt tamen imperfectæ naturæ, & per modum viæ ac tendentiæ ad perfectiorem terminum, vt embrio respectu animalis perfecti, & ista reductiuè ponuntur in specie sui termini à D. Thom. in q.3. de potentia, art.9. ad 1. sunt enim ex sua natura istæ species quasi viæ ad aliud, & quasi motus, quatenus sunt in statu imperfecto, & tendente adhuc ad terminum, in quo perficitur generatio, & sic habent quasi rationem partis non in componendo, sed in tendendo ad vltimam perfectionem.

De modis autem non ita facilè generalis regula tradi potest, nam quidam modi sunt, qui solùm reductiuè ponuntur in prædicamento, vt modi substantiales subsistentiæ, vnionis, & similes. Alij per se habent sua prædicamenta, vt vbi, situs, & similes. *Sed breuiter dico* (hoc enim metaphysici negotij est) quod modi sunt in duplici differentia. Quidam qui pertinent ad ipsam compositionem, vel complementum alicuius rei, vel naturæ, sicut constitutio substantiæ fit per vnionem, & completur per subsistentiam; accidens per inhærentiam, qualitas per gradus intensionis, & remissionis, siue illi sint diuersæ vniones, siue diuersæ terminationes eiusdem qualitatis. Et isti modi reducuntur ad prædicamentum rei quam componunt, aut terminant modificando, sicut partes componendo. Alij modi sunt neque ad constitutionem, neque ad complementum id pertinentes, sed tantum ex aliqua extrinseca ratione, seu principio conuenientes, & tales non repugnat prædicamenta per se seorsum constituere, vt vbi, & situs, & secundùm aliquos relatio, &c.

Tertia conditio est, quòd ens prædicamentale sit finitum. Quæ conditio excludit infinitum simpliciter, & in toto genere entis, vt Deus, non infinitum determinati generis si daretur, v. g. quantitatem, aut qualitatem infinitam. *Ratio est*, quia infinitum determinati generis solum accidentaliter est infinitum, nam ex parte essentiæ constat actu, & potentia, quæ sunt termini, quibus essentia finitur in ratione essentiæ, illi enim sunt termini essentiæ quibus in essendo componitur, solum autem componitur actu, & potentia, & ab eo quod est potentia sumitur genus, ab eo quod est actus differentia, ergo simpliciter retinet coordinationem, & seriem prædicatorum superiorum, & inferiorum, generis, & differentiæ, quod est poni in genere, & prædicamento. At verò infinitas in substantia, seu in genere entis est infinitas actus puri, quia solum est infinitas penes carentiam terminorum essentiæ, & sic si est in actu, est infinitus actus, quæ excludit omnem potentialitatem, quæ excludit omnem potentialitatem, qua exclusa non remanet genus, quod est quid potentiale ad differentias, à quibus actuatur & determinatur. Vnde excludit actus purus omnem coordinationem gradus determinabilis, & determinantis, actuabilis, & actuantis, quibus constat graduatio, & series prædicamentalis, vt qu. seq. amplius dicetur.

Quarta conditio est, quòd ens prædicamentale sit incomplexum. Per quam non solum excluduntur complexa accidentalia, & ea quæ sunt entia per acci

accidens, quod per primam conditionem exclusum est, sed etiam complexa essentialia, vt definitiones, v.g. hoc complexum *Animal rationale. Et ratio est*, quia ista complexa correspondent duplici conceptui explicanti vnam, & eandem naturam, quæ per se ponitur in prædicamento, est enim ipsum definitum quod est species. Si ergo species, seu definitum per se ponitur in prædicamento, & ipsum complexum explicans tale definitum, etiam per se ponitur in tali prædicamento, bis poneretur idem in prædicamento, semel ratione sui, iterum ratione suæ definitionis complexè sumptæ. Aliquando tamen, quia forte incomplexum vocabulum Authores non habent, quo rem aliquam significent, complexo vocabulo rem illam significant, & in prædicamento ponunt, quia res significata incomplexa est. *Nec dici potest*, quòd definitio sola ponatur in prædicamento, non verò res ipsa definita, quæ est natura specifica, quia sic prædicamenta formaliter essent aliquid rationis, scil. intentiones definitionum, quæ in prædicamento ponerentur, non res ipsæ definitæ, quæ solæ in definitione aliquid reale sunt.

Quinta conditio est, quòd sint vniuoca. Nam æquiuoca non significant vnam naturam, sed plures, & sic non dicunt aliquid vnum possibile in prædicamento. Analoga autem remouentur, quia non habent rationem vnam contrahibilem, sicut genus per differentias, nec tanquam speciem ex genere constitutam, quod contrahatur ad indiuidua. Excluso autem genere, specie, & differentia excluditur coordinatio prædicamenti, quæ ex istis constat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Ens sit vniuocum, vel analogum ad decem prædicamenta?

CElebris est hæc Controuersia inter scholam D.Th. & Doctoris subtilis Scoti. Sentit enim Scot. ens esse vniuocum ad decem prædicamenta, idque consequenter ad suam sententiam, qua existimat ens dicere conceptum vnum obiectiuum ab inferioribus præcisum, & ad illa contrahibilem. Oppositum autem sentit D. Thom. vt mox videbimus. Quare duo tantum in præsenti nobis agenda sunt. *Primum* determinare, an ens sit analogum ad decem prædicamenta, vel vniuocum? *Secundum* dato quod sit analogum; quâ analogiâ? De hoc secundo dicemus artic. seq. de primo hîc, & non agimus de analogia entis ad Deum, & creaturas, quia ad præsens institutum non pertinet, & ex resolutione huius quæstionis facile resolui potest.

Circa primum ergo sententia Scoti est, ens esse quidem vniuocum ad 10. prædicamenta, sed non genus. Et nomine vniuoci intelligit conceptum ita vnum, quod eius vnitas sufficit ad contradictionem affirmando, & negando ipsum de eodem, vt expresè dicit in 1. dist. 3. quæst. 2. §. Secundo non asserendo. Pluribus autem aliis locis, asseruit Scotus ens esse æquiuocum, seu analogum ad decem prædicamenta, quia scilicet non habet vniuocationem sufficientem, vt sit genus, vel aliquod ex quinque prædicabilibus. Rationem enim generis semper Scotus remouit ab ente propter expressam authoritatem Philosophi 3. metaph. textu 10. & 4. metaph. text. 2. & alibi sæpe. Nec oportet varios modos vniuocationis amplius distinguere, vt quidam discipuli Scoti faciunt, & videre est apud Aretinum in suis formalitatibus pag. 78. sed sufficit distinguere pro nunc vniuocum quod est genus, seu aliquod ex quinque prædicabilibus, & vniuocum quod genus non est, quod Scotus solum concedit enti: & inferius probauimus non debere distingui, sed si ens genus non est, neque vniuocum esse.

Fundamentum Scoti pendet maximè ex illo principio, quod etiam admittunt plures extra eius scholam, scilicet quod conceptus entis, & cuiuscumque analogi proportionalitatis propriæ est vnus, & præcisus à suis analogatis eadem præcisione, qua quodcumque vniuocum à suis inferioribus præscindit. Exinde enim neruosè videtur concludi, quod ens vniuocum esse debet, siquidem conceptus ille sic præcisus est vnus, & habet inferiora in potentia, & non in actu inclusa, ergo contrahitur ab illis per additionem quæ determinant, & diuidunt conceptum illum superiorem, ergo nihil obstat quominus sit conceptus vniuocus, nam tota inæqualitas seu diuersitas in illo prouenit ex differentiis contrahentibus, non ex ratione superiori quæ præcisè est vna, sic autem inuenitur in animali, & aliis generibus tota inæqualitas ex differentiis prouenire, tota vnitas ex superiori.

Illud autem principium, quod hæc sententia pro fundamento assumit, inde satis videtur probari, quia conceptus entis non potest immediatè repræsentare plura, vt actu inclusa in tali repræsentatione, quia idem est actu non includere, & actu non repræsentare, nec esse obiectum illius. Conceptus autem entis in communi non repræsentat nobis plura in actu, verbi gratia, quantitatem, qualitatem, &c. sed vnum quid distinctum ab istis. Nec ista sunt de conceptu essentiali entis in communi, aliàs vbicumque inueniretur ens, inuenirentur ista, ergo sine illis potest repræsentari ens, quia repræsentari potest vnumquodque sine omni eo, quod non est de conceptu eius quidditatiuo, sicut animal repræsentatur sine suis differentiis, quas in potentia, & in confuso includit; similiter ergo si quidditatiua ratio entis ista inferiora non includit, nec ab eis pendet, solum in potentia, & in confuso includet illa, quod est explicitè, & actu solum esse vnum, plura verò in potentia, quod vniuocationis proprium est, quod in potentia tantum includit illa quibus diuersificatur.

Adduntur alia inconuenientia quasi à signo, quibus deprehendare possumus vnitatem illius conceptus entis præcisi ab inferioribus. Nam potest quis esse certus de ratione entis, dubius autem de tali, vel tali ente, sicut à longè potest mihi constare, quod id quod video est ens, & dubito, quodnam ens sit, & hoc exigit diuersitatem conceptus, de eodem enim non possum simul esse certus, & incertus seu dubius. Item in istis prædicationibus substantia est ens, qualitas est ens, prædicatum non prædicat aliquid, quod sit omnia entia etiam proportionaliter, sic enim falsificaretur, ergo prædicat vnum solum prædicatum, non plura obiecta actu inclusa in illo, sic enim plura in actu applicarentur subiecto, quæ illi actu non conueniunt, nec enim substantia est actu quantitas, qualitas, & reliqua entia, quæ tamen si actu includuntur in conceptu entis, actu illi applicantur. Ac denique, quia si sic esset, id quod significatur nomine entis, non deseruiret vt medium ad demonstrandum, quia non significat vnam rem, quæ solum seruit veræ demonstrationi, & sic non esset scientia de ente, si non esset medium demonstrandi passiones, nec admitteret contradictionem, quia non esset eiusdem de eodem.

Nihilominus pro resolutione: Dico primò. *Ens commune ad decem prædicamenta non potest habere* con

conceptum vniuocum, siue sumatur pro conceptu entis completi tantum, siue vt abstrahit à completo & incompleto. Hæc conclusio est indubitanter D. Thomæ, & miror aliquos Authores velle in sensu D. Thom. illam negare. Sic ergo affirmat in 1. disput.22. quæst.1. artic.3. ad 2. vbi inquit: *Aliter diuiditur æquiuocum, aliter vniuocum, aliter analogum. Æquiuocum secundùm res significatas, vniuocum secundùm differentias, sed analogum secundùm modos diuersos. Vnde cum ens prædicetur analogicè de decem generibus, diuiditur in ea secundùm modos diuersos.* Ita D. Thomas, quo nihil expressius potest dici. Item in eadem sentent. distinct.25. quæst.1. art.2. & in sententiariis ad Anibal. eodem loco ponit pro regula generali, *quod quæcunque non conueniant in vno genere generalissimo non potest de eis aliquid vniuocè dici.* Ens autem constat quod est supra genera generalissima, id est, decem prædicamenta. Similiter in 1. distinct.19. quæst.5. art.2. probat quod ens, & reliqua transcendentia analogicè dicuntur de inferioribus Et in q.1. de verit. art.1. probat quod ens non potest contrahi per additionem (qualis est contractio vniuoci per differentias) sed per modos diuersimodè ipsum explicantes. Et quod conceptus eius non sit omnino præcisus ab inferioribus prædicamentis sumitur ex his, quæ docet 8. Metaph. lect.5. §. Soluit prædictam, &c. vbi ex Philosopho dicit: *Quia cum decem prædicamenta non hoc modo se habeant ex additione ad ens, sicut species se habent ex additione differentiarum ad genera, sed hoc ipsum quod est ens, manifestum est quod ens non expectat aliquid additum ad hoc, quod fiat hoc, id est substantia, vel quantitas, vel qualitas.* Vbi manifestè excludit in ente conceptum contrahibilem per additionem, atque adeò supponit non esse vniuocum, nec in potentia solum includere plura, siquidem non possunt sibi addi, ergo actu non est segregatum ab illis, licet non explicet illa. Denique in 4. Metaph. lect. 1. apertè docet ens non dici vniuocè de substantia, & accidente, cæterisque prædicamentis. Et videri etiam potest *in 3. Met. lect.*8.

Nec dici potest, quod quando Philosoph. & D. Thom. dicunt ens non dici vniuocè, sed sicut sanum respectu medicinæ non loquuntur de ente absolutè, sed de ente per se quod est ens primum; tale enim ens solum conuenit accidenti denominatiuè, & per attributionem, quatenus dicitur entis ens, *Sed contra*, quia si ens sumitur ibi pro substantia seu primo ente, accidens in vi talis attributionis deberet dici seu denominari substantia denominatione extrinseca, sicut herba denominatur sana à sanitate animalis: non loquitur autem Philosophus de tali denominatione, nam accidens absolute dicitur ens per intrinsecam denominationem; non autem substantia neque intrinsecè, neque extrinsecè. Deinde quia de eodem ente, de quo negat 4. Metaph. tex.2. esse vniuocum ad substantiam, & accidens, in 3. Metaph. tex.10. negat esse genus aliquo modo. Si autem loqueretur de ente primo quod est substantia, non negaret esse genus saltē ad aliqua, scilicet ad substantias ipsas; cū tamen ens simpliciter dicatur nō esse genus.

Respondent alij Philosophum in his locis, & 7. Metaph. tex.15. & aliis plurimis vbi docet ens, neque æquiuocè dici, neque vniuocè, sed analogicè, non negare vniuocationem logicam enti, sed physicam. *Sed contra*, quia analogia physica compatitur cum ratione generis, sicut corpus respectu corruptibilis & incorruptibilis dicitur analogiâ phisicâ, & tamen est genus verè & propriè: Aristoteles autem talem analogiam tribuit enti, quod ab illo negat rationem generis, vt patet 3. Met. cit. ergo non loquitur de analogia physica. Deinde analogia physica solum est inæqualitas causata in inferioribus ex ipsis differentiis, in quibus ratio superior non includitur; vniuocatio verò physica est æqualitas etiam in inferioribus contrahentibus superiorem rationem qualis inuenitur solum in speciebus athomis, quæ æqualitatem habent in indiuiduis. Si ergo solam vniuocationem physicam Philos. excludit ab ente, solum negat de illo, quod est species athoma, atque adeò non negaret esse genus, quod tamen expresse negat.

Et vt rationem fundamentumque huius assertionis explicemus. *Aduerte*, quod loquimur in conclusione, tam de ente completo, quàm incompleto, seu prædicamentali, inter quæ hæc est differentia, quod ens vt abstrahit à completo, & incompleto includitur in modis, seu differentiis contrahentibus; vt autem completum includit illos, quia completur per illos, nec enim aliter potest dici ens completum, seu prædicamentale, nisi quia per tales modos completur, quibus contrahitur. Quod patet, quia ens non potest reddi completum nisi per aliquem modum, quo distinguatur ab incompleto. Talis ergo modus, vel est æqualis ipsi enti, illudque concomitans, vel inferior. Si æqualis, habebit se, vt passio entis, & non minus transcendens, quam ipsum sicut verum & bonum, & sic non reddet ens completum, quia relinquit transcendens, & consequenter in differentiis inclusum. Si inferior, est modus contrahens, quia minus amplus, quàm ens vt sic, ergo completur ens illis modis quibus contrahitur, & sic includit illos, nec est aliud ens completum, quàm ipsa decem prædicamenta. Et licèt posset concipi ens prædicamentale in communi ad omnia entia prædicamentalia, tamen illud erit commune quantum ad intentionem ponendi in prædicamento, sed si concipitur prædicamentale ex parte naturæ, non potest dici res prædicamentalis, nisi quæ in prædicamento ponitur, non quæ à prædicamentis abstrahit.

Hoc supposito, formatur ratio pro conclusione sic: ens includitur in modis, seu differentiis contrahentibus seu prædicatur de illis, si autem sit ens completum includit illos, ergo non dicit conceptum simpliciter vnum, sed inæqualem & diuersum, vtpote in ipsis differentiis inclusum. Quod manifestè patet, quia illud dicitur includi in differentiis quod prædicatur, & conuenit illis etiam quatenus diuersitatem formaliter dicunt, hæc enim diuersitas aliquid est, ergo quod includitur in differentiis, communicat illis ipsam diuersitatem, ergo includit illam actu, quia id includit actu, quod communicat. Et præterea ipsæ differentiæ seu modi contrahentes non resoluuntur in duos conceptus, alterum quatenus dicunt conuenientiam in aliquo, alterum quatenus differentiam, sed sunt simplex conceptus differendi, alias esset processus in infinitum, si in qualibet differentia esset conceptus conuenientiæ in vno differentiæ per aliud; idem enim diceremus de illa secunda differentia, & sic de aliis. Ergo conceptus qui includitur, & prædicatur de differentiis est purè faciens diuersitatem non præbens conuenientiam, & alias etiam dicitur vnus respectu eorum, quæ conueniunt in ente, ergo est partim vnus partim diuersus, & sic analogus.

Respondent aliqui rationes differentiales non esse ens, sed modo entis. Sed esto, sit differentia modus entis, vel ille modus est aliquid in rerum natura vel nihil. Si nihil, ergo facit differre per nihil, quod est non differre. Si extra nihil, ergo ens, quia in hac generalissima acceptione entis, dicitur ens, quidquid opponitur nihil.

Alij

Alij ex Scoti schola vt P. Merinero disp. 2. de Æquiuocis, q. 1. & seqq. distinguunt duplicem cōsiderationem entis scilicet *Ens quid & ens quale* Ens quid dicunt esse ens contrahibile, & potentiale ad inferiora. Ens quale dicunt esse ens actuans & determinans seu contrahens, id est, ipsa differentia. Dicunt ergo quod *ens quid* non includitur in differentiis contrahentibus, quia sequeretur processus in infinitum, quia si differentiæ vltimæ includerent ens quid, conuenirent in illo, & rursus differrent inter se, non per id in quo conueniunt, ergo aliquo alio quo differunt, & rursum de illo modo differentiæ inquiretur, & sic in infinitum: debet ergo terminari iste processus in aliquo, quod non includat ens quid, licet sit ens quale, id est, differentia.

Sed hæc responsio, nec est vera, nec euacuat difficultatem. *Non est vera*, quia illud ens quale, seu modus differentiæ, vel includit ens quid, vel non includit. Si non includit, ergo est nihil, quia ens quid, seu ens aliquid est illud, quod opponitur nihilo & recedit à nihil: vel si ens quale etiam opponitur nihilo, ergo rursum ens quale & ens quid conueniunt in hoc, quod est esse aliquid, & non nihil, seu habere esse vere & propriè, & de illo conceptu communi ad ens quale, & ens quid inquiram quomodo intrinsecè includitur in vtroque, siquidem vtrumque habet intrinsece esse extra nihil & opponi ipsi nihil. Si autem ens quale includit ens quid, vtique intrinsece & quidditatiuè est ens, id enim est includere ens quid, ergo ens quid intrinsecè includitur in modis intrinsecis & differentijs vltimis, istæ enim sunt ens quale. *Non euacuat difficultatem*, quia de istis modis, qui vocantur *ens quale* inquiram, quomodo conueniant in ente quali in communi, & rursus inter se distinguuntur; diuersi enim sunt; si enim per aliquem modum seu differentiam superadditam distinguuntur, rursum de ista inquiram quomodo conueniat, & quomodo differat ab aliis differentiis per alium modum superadditum & sic in infinitum. Si verò dicatur, quod illæ differentiæ seu modi se totis differunt intra rationem entis qualis, & non per aliquid superadditum, non obstante quod conueniunt in illa ratione communi, cur non idem dicemus de ratione entis quid, quod scilicet conueniunt in illo istæ differentiæ seu modi, & tamen sunt inter se primo diuersi, quia esse primo diuersa non tollit conuenientiā in transcendentibus?

Quare dicendum est, quod in istis modis intrinsecè imbibitur ens, quia vere sunt aliquid reale & extra nihil. Et non est processus in infinitum, qui in eadem ratione differunt & conueniunt, vel potius non in eadem, quia analoga non habent vnitatem simpliciter, sed sunt partim idem partim diuersum, licèt quatenus explicant conuenientiam non explicent diuersitatem, illum tamen actu confuso implicant & includunt, vt diximus quæst. præced. art. 5.

Vltimò explicatur assertio nostra ex alio fundamento, quia si ens est vniuocum sequitur, quod sit genus ad decem prædicamenta, quod expressè negat Philosoph. 3. Metaph. tex. 10. & ibi S. Thom. lect. 8. & constat, quia includitur in differentiis, quod omnino opponitur rationi generis, vt sæpe dictum est, & quia alias non essent decem suprema, genera, si ens esset genus ad illa. *Sequela probatur*, quia nihil deest enti vniuoco, vt sit genus, nam prædicatur in quid, includitur enim quidditatiuè, & intrinsece in quacumque natura: similiter conceptus est vnus, non inclusus in differentiis contrahentibus iuxta istam opinionem, & per additionem contrahibilis, & solum in potentia includens inferiora, nihil ergo deest vt genus sit.

Respondent discipuli Scoti, non esse genus quia non contrahitur per differentias, sed per modos intrinsecos. Est autem discrimē inter istum duplicem modum contrahendi, quia differentia aduenit quasi extrinsecè, & sine illa potest ratio communis perfectè concipi, vt animal sine rationali, sine modo autem intrinseco non potest res perfecte concipi. Modus etiam intrinsecus non variat essentiam, quam modificat, sicut modus intensionis & remissionis non variant qualitatem; differentia autem variat rem cui aduenit, & in alia realitate constituit. Vnde ad hoc vt genus contrahatur per differentias requiritur, quod conceptus generis sumatur à realitate, quæ sit in potentia essentiali ad realitatem, vnde sumitur differentia, quod totum in ente inuenitur.

Sed hæc solutio, vel inuita concedit, quod intendimus, scilicet conceptum entis non posse separari perfectè à modis contrahentibus, & causantibus diuersitatem, ex quo sequitur non habere simpliciter vnitatem illum conceptum, atque adeò ruere fundamentum Scoti. Etenim si non possumus concipere realitatem sine suo modo intrinseco, nec perfectè segregare illam à modo, vt hi Authores dicunt, ergo non præscindit ille conceptus à modis causantibus diuersitatem, & sic actu, & non in potentia includit illos, licèt non explicet, nam si in potentia includeret, perfectè intelligi posset sine illis, sicut animal perfectè sine rationali intelligitur, licèt in potentia illud includat, vel si perfectè præscindit non sunt modi intrinseci, sed differentiæ, atque adeò ens erit genus *Et confirmatur implicatio huius solutionis*, quia ex vna parte ponit ens habere conceptum obiectiuum, ita vnum & præcisum ab inferioribus, quod manet in potentia ad illa, siquidem actu illa non includit, & ex alia parte dicit non esse genus, quia realitas, à qua sumitur ille conceptus entis non est in potentia essentiali respectu realitatis, à qua sumitur modus intrinsecus. Si ergo non est in potentia ad talem realitatem, ergo actu eam includit, ergo & modos, qui ab illa desumuntur, vel nullo modo nec actu, nec potentia eos includet, sed disparatè se habebit ad illos, & sic non erit contrahibilis per illos, & actuabilis, si nec in potentia se habet ad illos, cum tamen quidditatiuè contrahant ens. Solum ergo restat, quod actu eos includat, sed non explicet, quæ est nostra sententia, sed destruit vniuocationem conceptus.

Alij ergo vt M. Cabero hîc tractatu 4. disp. 3. dub. 7. admittunt ens esse genus, & ad Philosoph. dicunt id negasse enti communi completo. Et sic concedunt decem prædicamenta non esse genera à primo diuersa saltem, quæ important formas denominationis, & realitatis intrinsecæ. Solum autem dicunt esse suprema respectiuè, quia in quantitate, v. g. non datur alia quantitas superior, nec in substantia alia superior substantia. Sed hoc nihil est, destruitque omnem ordinem decem prædicamentorum, nam si genus supremum solum sumitur respectiuè, non absolutè, etiam animal dicetur genus supremum, quia in ratione animalis non datur aliud superius, & sic omnia genera subalterna erunt suprema hoc modo, eruntque infinita ferè prædicamenta, vel vnum tantum prædicamentum constituetur scilicet ens completum: vtrumque autem à schola Peripatetica exulat.

Ex his soluta manent fundamenta allata pro sententia Scoti: Deducitur enim manifestè conceptum entis non posse perfectè præscindere ab inferioribus, & ita esse vnum, vt in potentia non in actu pluralitatem includat, siue sumatur ens completum, siue abstrahens à completo, & incompleto. Hoc enim præter

præter allata quæst. præced. art. 5. efficaciter ex transcendentia entis probatur, ex quo probabit S. Thom. 3. Met. lect. 8. non esse genus, quia scilicet ob suam transcendentiam includitur in differentiis intrinsecè, vt explicatum est.

Si autem dicas nam saltem ens completum non est transcendens, sicut licet substantia communis ad completam & incompletam in suo prædicamento transcendens sit, tamen non completur per suas inferiores differentias, sed per communem rationem substantiæ, quatenus prædicamentalis redditur. Resp. quod supra satis apertè ostendimus ens completum dici non posse nisi per inferiores modos contrahentes ipsum. Substantia autem vt reddatur completa, non indiget aliqua differentia inferiori, sed solum modo communi, quem petit essendi per se, sic enim ordinatur ad subsistendum, & redditur quoddam totum in genere substantiæ, quod est separari à substantia incompleta, ens autem non habet modum communem entis, quo reddatur completum, quia si est communis enti, est transcendens sicut ipsum, & ita imbibetur in omnibus etiã incompletis.

Ad probationes autem à principio factas. Ad 1. Resp. In conceptu entis non repræsentari plura actu explicito, & exprimendo diuersitatem, bene tamen confuso, & sub proportione habendi esse, quod est implicite illa plura concipere, sed non est idem implicite, quod in potentia. Implicitum enim in potentia dicit aliquid determinatum in se, sed per additionem determinabile ad plura, sicut animal respectu rationalis, & irrationalis. Implicitum autem in actu confuso, dicit omnia sine determinatione alicuius, sed vt confusione vna comprehenduntur, sicut cum multitudinem in confuso à longè videmus. Et actu non repræsentare est actu non includere, distinguo: Actu non repræsentare explicite est actu non includere explicite, *concedo*: Actu non repræsentare explicitè, est actu non includere etiam confuse, *nego*.

Ad 2. prob. Quod ista inferiora non sunt de quidditate entis in communi, & sic sine illis perfectè repræsentari poterit. *Respon.* quod illa plura vt explicita, quoad modum diuersitatis non sunt de ratione entis in communi, illa eadem vt implicita in proportionali vnitate habendi esse, sunt de conceptu entis in communi, imò nihil est aliud ens in communi, quàm quidquid entitatis est sub confusione, & sine vlla determinatione acceptum, nisi tantum sub proportione ipsa habendi esse, in quo distinguitur à conceptu animalis, & aliorum vniuocorum, qui non solùm includunt, sed explicant determinatum gradum cui potest fieri additio per inferiores differentias contrahentes, ratio enim seu gradus alicuis explicitus non potest contrahi, nisi per additionem vlterioris gradus. Conceptus autem analogus nullum gradum determinate explicat, sed transcendenter analogata confundit sub proportionali ratione, & ita non per additionem, sed per explicationem confusionis fit illa contractio, & distinctio conceptuum, sicut præced. quæst. art. 5. explicatum est.

Quod si instes, nam conceptus entis seu analogi non solum potest formari repræsentando nullum analogatum determinate, sed solum indeterminate, id in quo fit analogatio, verum etiam potest repræsentare vnum analogatum determinate, v. g. substantiam, & alia indeterminate & in confuso in quantum illi assimilantur in ente, ergo talis conceptus non erit omnino confusus. *Resp.* vtrumque modum admitti à Caiet. in opusc. de Conceptu entis, sed tamen quando determinate exprimit vnum analogatum, & alia analogata in confuso, quatenus illi proportionaliter similia, ille conceptus respectu eius quod determinate exprimit est vniuocus, quia rem vnam repræsentat, sed virtualiter analogus, quatenus extenditur ad similitudinem confusionis cum alijs analogatis, & ita in illa similitudine non aliqua natura determinata importatur, sed indeterminatio & confusio in esse secundùm quod fit proportio analogatorum.

Sed addhuc aliqui faciunt vim in ipso ente completo, quatenus accipi potest, vt commune ad duo indiuidua, v. g. ad Petrum & Paulum, de illis enim inæqualiter non prædicatur, & consequenter neque analogicè. *Resp.* iam supra q. præced. art. 3. ad hoc dixisse, quod non repugnat aliquod analogum si restrictè sumatur in ordine ad aliqua inferiora non exercere ibi analogiam, quia illa non sunt simpliciter diuersa, sicut sanum dictum de duobus animalibus non est analogum; sic ens restrictè ad duo indiuidua non exercet analogiam, licèt exerceat transcendentiam, quia illa singularia eiusdem speciei ita sunt vnum quod diuersitatem simpliciter non habent, sed tantum materialem, quæ extrinseca est naturæ, in qua omnino conueniunt. Vnde inclusio in talibus differentiis non soluit vnitatem conceptus simpliciter, licèt ex vi sui conceptus, transcendens illud sit analogum, quia ratio transcendentiæ postulat non coarctari ad illa duo indiuidua, & consequenter diuersitatem simpliciter habere. Quare ex hoc argumento nihil deducitur pro vniuocatione transcendentium secundum se.

Ad rationes autem vltimo loco allatas. Respond. Ad. Quod non repugnat eundem conceptum, seu notitiam respectu diuersorum esse dubiam & certam, obscuram & claram, quod in actu fidei admittere videtur S. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 4. ad 2. & 3. dum fidei attribuit euidentem attingentiam credibilium sub ratione credibilitatis, obscuram sub ratione rei creditæ. Et visus potest certificari de aliquo quod à longè videt, quod est animal, & dubitare, seu non certificari, an sit equus vel bos, &c. quod præsertim est verum de dubio negatiuo, id est, de non certificatione: actus enim attingens plura sub aliqua ratione non pari claritate omnia attingit, sed de vno potest certificari plene, non de alio. Fortassis ad dubitandum positiuè de vno, & ad euidentem certitudinem de alio non sufficiet vnus actus etiam respectu diuersorum, sed ad vim argumenti hoc non pertinet, quod tantum procedit de dubio negatiuo, si enim positiuè incipiat dubitare soluetur conceptus confusus entis, & transibit ad expediendum conceptus inferiorum dubitando de illis.

Ad secundam instantiam diximus q. præc. art. 5. quod in istis prædicationibus substantia est ens, homo est ens, prædicatum ens non attribuit subiecto analogata particularia vt plura sunt, & secundum se, sed vt stant sub illa confusione & proportionali vnitate habendi esse, & hoc solum prædicatur ibi, facitque hunc sensũ homo est habens esse, id est habet id in ratione essendi, quod proportionaliter est simile quantitati, qualitati, substantiæ, &c. non tamen est substantia, quantitas, qualitas expresse, & determinate.

Ad vltimam respond. Quod ens bene potest esse medium in demonstratione, siquidem habet passiones demonstrabiles, & non significat diuersa, vt diuersa sunt, sicut æquiuocum, sed sub vnitate proportionali, & confusione quadam, quod sufficit, vt de illo detur scientia, & consequenter demonstratio, & habeat proprias passiones etiam transcendentes, & analogas connexas illi rationi proportionali, quæ est expresse sententia Philos. 2. Poster. cap. 11. & ibi

ibi id notat Caietan. ponendo pro medio demonstrationis aliquid proportionale. Et similiter fieri potest contradictio circa illum conceptum entis propter vnitatem illam proportionalem, quam habet, vt stat sub illa confusione.

Quod verò aliqui instant, quod ens habeat conceptum simpliciter vnum, quia adunatur ille conceptus in habendo proprias passiones communes substantiæ,& accidenti,nihil omnino probat quia restabat probandum, quod illæ passiones sint communes vniuoce,cum autem solum analogicè, & transcendenter sint communes,sicut verum & bonum,&c.non non mirum quod analogica vnitas subiecti eis sufficiat,& non simpliciter vna.

ARTICVLVS III.

Quæ Analogia ens sit Analogum?

ALiqui existimant, analogiam entis,nec esse proportionis, nec proportionalitatis, sed quandam tertiam, quam dicunt transcendentiæ, de quo Mag. Cabrero tractat. 4. disputat. 3. dub.3. *Alij existimant* ens respectu substantiæ, vt accidentis solum vocem habere communem, & esse sicut analogum proportionis, verbi gratia, sanum ad medicinam & vrinam,vt P. Vazquez.2. tomo 1.p.disp.121.cap.2. Sed hi loquuntur communiter de omni analogo, quod sola voce putant esse commune, contra quos non agimus in præsenti,sed qu.præced. egimus. *Alij* denique intelligunt dari analogiam proportionalitatis propriæ,& hoc est verius.

Vnde *Sit vnica conclusio*, *Analogia entis ad decem prædicamenta non sufficienter explicatur dicendo, quod est transcendentiæ,sed dicendum est,quod est analogia proportionalitatis propriæ formaliter,licèt virtualiter analogiam attributionis,seu proportionis includat. Prima pars* constat,quia transcendentia non est species analogiæ,sed est subiectum analogiæ, & denominatiuè est analogum id quod est transcendens, sicut animal denominatiuè est genus.Et *ratio est manifesta*, quia transcendens est aliquid reale, quod in omnibus inuenitur, analogia autem sicut vniuocatio, & æquiuocatio formaliter est intentio secunda,sicut genus formaliter est secunda intentio, pertinet enim ad modum prædicabilitatis & vniuersalitatis, & conuenit media abstractione intellectus, ergo dicere quod transcendentia est species analogiæ,est sicut dicere, quod animal est species vniuersalis seu prædicabilis. Assignare ergo oportet formalem rationem analogiæ, quæ inuenitur in ente,& transcendentibus,vt in subiecto.

Secunda pars manifestè constat,quia ens, & transcendentia intrinsecè inueniuntur in omnibus,& non per extrinsecam denominationem,alias transcendentia non essent Vnde D.Thom.sæpè docet,quod accidentia habent suum esse,& essentiam verè & propriè à substantia distinctum,vt patet in 4. distinct. 12. qu. 1.artic.1. quæstiunc.3.ad quintum, & in 4. contra Gentiles,cap.14.ad 9.rationem vbi dicit, *Quod accidentia sunt formæ quædam substantiæ superadditæ, & à principijs substantiæ causatæ; vnde oportet,quod eorum esse sit superadditum supra esse substantiæ, & ab ipso dependens.* Et similiter docet quidditatem accidentis esse rem, quæ petit esse per inhærentiam cit.loc.ex 4.q.1. ad 2.& 3.part.q.77.art.2. & quodlibet.1.lib.1.art.5. Quod totum stare non potest,nisi accidens sit intrinsecè, & quidditatiuè ens Quando autem dicit S. Th. 12.q.55.art.4.ad 1. quod accidentia, & formæ non subsistentes non habent, sensus est manifestus, quod intelligit non habere esse per se,& vt quod,sicut supposita non verò sicut formæ.

Denique apertè docet S. Thom. in 1. dist.19. q.5. art.2.ad 1. quod analogia secundùm esse & intentionem,quę est analogia proportionalitatis cōuenit enti, & transcendētibus: *Et talia,*inquit *oportet,quòd habeant esse in vnoquoque eorum,de quibus dicuntur.* Et idem sumi potest ex q.7. de Pot. art.7. Et *ratio est manifesta*, quia analogia proportionalitatis in hoc distinguitur ab analogia attributionis,quod hæc dicitur per denominationem ab vna forma, quæ est intrinsecè in vno principali, & denominatiuè in aliis, illa verò dicitur penes formas intrinsecè in vnoquoque analogato existentes, sed non conuenientes in vno aliquo simpliciter,sed proportionaliter vno.Accidens autem intrinsecè est ens,quia verè est extra nihil,& verè inhæret præbendo effectus reales,vt esse quantum,coloratum,calidum, &c. ergo ens dicitur de illo analogiâ proportionalitatis propriæ.

*Tertia verò pars prob.*quia vt q. præced.diximus,Philos. & D. Thom. sæpe comparant analogiam entis analogiæ sani ad animal, & medicinam,quod est analogū attributionis,vt in 4.Metaphys.lect.1.&11.Met. lect.3.& q.2.de Verit.art.11. non quia solùm sit hæc analogia,nam in 1. Ethic.lect.7.apertè attribuit bono analogiam proportionalitatis, & eadem ratio est de ente,sed quia accidens ita est dependens à substantia, & entis ens,vt si per impossibile non haberet in se intrinsecè entitatem, adhuc ex denominatione extrinseca posset ab esse substantiæ dici ens,quia ad illud ordinatur,& illi deseruit virtualiter:ergo habet accidens analogiam attributionis ad substantiam, sed quia intrinsecè habet esse, formaliter non dicitur per attributionem ens, sed habet,vnde dici posset,si intrinsecè ens non esset. Vel vt dicit S.Thom. 4.Metaph.cit. *ens* dicitur sicut sanum respectu substantiæ, & accidentis non attributione causæ efficientis vel finalis, sed materialis,quatenus accidens inhæret in substantia,vt in subiecto.Vnde ex hoc potius deducitur, quod habere debet esse intrinsecè scilicet per inhærentiam non per attributionem ad causam, vel effectum extrinsecum.

Instabis illa proportio accidentis ad esse, seu substantiæ ad suum,est proportio rationis non realis, ergo non sufficit ad constituendam analogiam realem, & secundum intrinsecam conuenientiam. *Anteced. probat.* Proportio est relatio, illa relatio est rationis, quia non est inter extrema realia,nihil enim à suo esse distinguitur,ergo est rationis. Item ista proportionalitas, quæ est inter accidens & substantiam non significatur hoc nomine *ens*, nec sufficit constituere analogiam per hoc quòd exerceatur, licèt non significetur, quia etiam inter duas species contentas sub vno genere potest exerceri proportionalitas, sicut enim hæc species se habet ad suum genus, ita & alia, & tamen vniuocationem non tollit, ergo neq; in ente.

Resp. In primis in sentent. D. Th. distinguentis realiter existentiam ab essentia non habere locum instantiam, quia ibi extrema inueniuntur, in quibus exerceatur relatio realis. Sed etiam extra hanc sententiam dicimus, quòd analogia formaliter est secunda intentio, & sic pro secunda intentione non est relatio realis, sed rationis, sicut intentio generis, vel speciei. Habet verò pro fundamento proportionem, non quatenus relatio est, sed quatenus conuenientia, & similitudo proportionalis multorum,siue in entibus realibus siue rationis, sicut intentio generis fundatur in conuenientia similitudinis genericæ, siue in entibus realibus,siue rationis.

Ad secundam partem argum. Resp. Ipsam proportionalitatem non debere significari, quasi in actu signato,sed exerceri in analogis, sicut neque æqualitas, aut vnitas significatur in vniuocis. Quod verò in

ſpeciebus eiuſdem generis exerceatur proportionalitas, iam diximus quæſt. præced. proportionem illam cadere ſuper abſolutam & perfectam conuenientiam, atque ita vnitas ſpecierum ſub genere non à ſola proportionalitate ſumitur, alia, ſiquidem maior vnitas ſupponitur: at verò in analogis tota vnitas ſeu conuenientia à proportionalitate ſumitur, non alia maior vnitas præſupponitur. Et hæc eſt differentia inter proportionalitatem, quæ in analogis, & quæ in vniuocis reperitur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Accidens ſit vniuocum ad nouem genera?

NOn deſunt Authores, qui partem affirmatiuam teneant, præſertim ſi accidens ſumatur pro accidente completo prædicamentali, non vt abſtrahit à completo & incompleto, & ſumatur accidens pro accidente reali & intrinſecè denominante, nam reſpectu denominantis extrinſecè & intrinſecè non eſt conceptus vniuocus. Igitur loquendo ſic de accidente completo *plures Authores etiam extra ſcholam Scoti exiſtimant* eſſe vniuocum ad illa prædicamenta, quæ ſunt formæ denominantes intrinſecè. *Fundamentum eſt*, quia tale accidens non includitur in differentiis, ſed ſe habet vt ſubſtantia completa, quæ eſt vere genus, quia non includitur in differentiis, licet prout abſtrahit à completa & incompleta genus non ſit, cur ergo ſimiliter accidens completũ non erit vniuocum? præſertim cum non minus vnum accidens. v. g. quantitas participet rationem accidentis, quam aliud ſcilicet qualitas, tota autem eorum diuerſitas ex propriis proueniat differentiis, in quibus accidens completum non includitur. Denique non facile aſſignatur analogia accidentis completi, non enim eſt tranſcendens, cũ non imbibatur in differentiis, non eſt attributionis, aut metaphoræ, cum omnia accidentia intrinſecè non denominatiuè accidentia ſint. Non proportionalitatis propriæ, quia in opinione horum Authorum, hæc non ſufficit reddere analogum, cum etiam in vniuocis inueniatur.

In contrarium verò eſt generalis regula S. Thom. in 1. diſtinctione 25. quæſt. 1. artic. 2. *Quod quæcumque non conueniunt in vno genere generaliſſimo, non poteſt de eis aliquid vniuocè dici*, ſed nouem genera accidentium ſunt genera generaliſſima, vtpotè diuerſa prædicamenta, ergo nihil de eis vniuocè dici poteſt, & conſequenter neque accidens.

Dico ergo primo. Accidens vt abſtrahit à completo & incompleto non eſt vniuocum, ſed analogum. Conueniunt in hoc communiter Authores, quia eſt eadem ratio, atque de ante communi completo & incompleto, imo & de ſubſtantia, ſic enim imbibuntur etiam in differentiis & tranſcendunt per omnes res & modos, nam differentiæ accidentales etiam accidentia ſunt, incompleta tamen, quia aliquod ens ſunt, & non ens ſubſtantiale, ergo accidentale. Ex quo ſequitur, quod iſta eſt ratio non omnino vna, ſed etiam diuerſa vtpotè in differentiis incluſa ab ipſis perfectè abſtrahens, ratio enim quæ ſemel in differentiis includitur ab ipſis non abſtrahit, quia non ſunt aliæ differentiæ, talium differentiarum, à quibus abſtrahat relinquendo illas, & ſic ſi abſtrahit à differentiis à totis abſtrahit, & ſolum manebit ratio communis, & vna reſpectu inferiorum non reſpectu differentiarum, ſi ab eis abſtrahit. Vt ergo illis communis ſit ab eis non abſtrahit, & hoc eſt includere illas actu, & eſſe rationem non ſimpliciter vnam.

Dico ſecundò Accidens completum etiam *analogum eſt ad nouem genera: etiamſi omnia conſiſtant in forma denominante intrinſeca. Ratio* ſumitur ex his, quæ diximus articulo ſecundo de ente completo, quod licet ſub conceptu completi non includatur in ipſis differentiis, tamen vt ſit completum debet differentias ipſas includere, quia ſolum, per illas poteſt reddi completum. Nam accidens ſolum poteſt reddi completum per aliquem modum, qui diſtinguat ipſum ab incompleto. Hic autem modus, vel eſt ipſa inhærentia, ſicut ſubſiſtentia complet ſubſtantiam, vel eſt accidens eſſe in concreto, vel eſt accidens reddi prædicamentale vt ſic vel denique ſunt ipſæ differentiæ contrahentes accidens ad hoc, vel illud prædicamentum.

Primum non reddit accidens completum, nam inhærentia non ordinatur ad conſtituendum aliquod totum, ſicut ſubſiſtentia, quod in ſe completum ſit, nam inhærentia eſt propria formæ informantis ſubiectum: vnde cum in accidente tam ratio communis, quàm ratio particularis & differentialis pertineant ad rationem formæ, vtrique conuenit inhærentia: vnde accidens per hoc quod concipiatur inhærens præcisè, non extrahitur & eximitur ab hoc; quod eſt intrare differentias, cum etiam ipſæ inhæreant. Atque ita per differentias completum reddetur in ratione, & quidditate formæ, non per inhærentia vt ſic: imò inhærentia in ratione complendi, & faciendi totum, oppoſito modo ſe habet ad ſubſiſtentiam, quia hæc reddit incommunicabile, quæ eſt conditio totius, inhærentia communicabile, quæ eſt conditio formæ, & non totius.

Secundum etiam non pertinet ad præſens, quia accidens redditur concretum per hoc, quod eſt in ſubiecto; ponitur autem in prædicamento etiam vt abſtractum à ſubiecto, & ſecundum ſe, ergo eſſe concretum in ſubiecto non reddit completum accidens, prout exigitur ad rationem accidentis prædicamentalis; potius enim accidens in concreto non ponitur in prædicamento, niſi in ratione ſuæ formæ.

Tertium etiam non ſufficit, quia accidens prædicamentale vt ſic, vel intelligitur reddi prædicamentale per ſecundam intentionem ordinandi in prædicamento, vel per aliquam primam intentionem, quæ reddat illud capax talis ſecundæ intentionis, quæ eſt in prædicamento. Primum neque complet accidens reale, quia ſecunda intentio eſt aliquid rationis, neque poteſt conuenire, niſi ſuppoſita prima, quæ rem ponibilem reddit in prædicamento, & capacem huius ſecundæ intentionis. Secundum verò non eſt aſſignabile quid ſit præter ipſos modos, quibus vnumquodque prædicamentum conſtituitur, & accidens prædicamentale redditur, nec enim eſt aliquis modus realis nouem prædicamentis communis, quo accidens vt ſic realiter reddatur completum, & à differentiis ſegregabile.

Quare dicendum eſt, quod accidens completum non eſt vnus aliquis conceptus ſuperior ad nouem prædicamenta, ſed immediatè per ipſos modos conſtituentes prædicamenta redditur accidens completum, & ſi eſt actu completum, actu includit illos, & ſic non habet vnitatem ſimpliciter, vt requiritur ad vniuocationem, magis autem diuerſitatem ipſam differentiarum & modorum induit. Et propter hoc S. Thom. 5. Met. lect. 9. dicit, quod ea in quæ diuiditur ens primo, ſunt prędicamenta, quia diſtinguuntur ſecundum diuerſos modos prædicandi, ergo diuiſio in decem prædicamenta immediata, & prima eſt enti, non autem mediat accidens completum complemento aliquo à decem prædicamentis diſtincto. Et 8. Met. leg. vltima dicit, quod ens non expectat aliquid additum ad hoc

vt fiat substantia, quantitas, vel qualitas, sed statim à principio est substantia, vel quantitas, &c. ergo similiter accidens non expectat aliquid superadditum, sed statim à principio est quantitas, vel qualitas, &c. & istis modis completur immediatè.

Præterea non euitatur illa ratio, quia si accidens completum est vniuocum ad nouem genera, ergo est genus ad illa, & consequenter non sunt nouem genera suprema, sed subalterna; omne enim vniuocum adæquatè diuiditur in genus, speciem & alia quinque prædicabilia, vnde dicit D.Thom.1.cont. Gent. cap.32. *Omne quod de pluribus vniuocè prædicatur, vel est genus, vel species, vel indifferentia, vel proprium vel accidens*, accidens autem in communi non est species athoma, multo minus differentia, aut proprium respectu suorum inferiorum, ergo erit genus, si est vniuocum.

Quidam negant sequelam, & dicunt accidens non esse genus, quia diuiditur inæqualiter quantum est ex se. Sed hoc sicut destruit genus, ita astruit analogiam, ideò enim analogum est, quia ex se inæqualiter diuiditur; si autem inæqualitas ex ipsis differentiis tantum prouenit, hoc etiam in genere inuenitur, cuius differentiæ inæquales sunt. *Alij dicunt* accidens non esse genus, quia non significat quidditatem, sed esse accidentis, quod est in esse substantiæ, vel si significat quidditatem, non significat gradum distinctum, sed id quod in quocũq; includitur. Sed hoc est, quod destruit vniuocationem, quia includitur in quocũq; & non dicit determinatum gradum, sic enim completum accidens non est, si in quocumque includitur, si autem in differentiis non includitur, cur non dicet conceptum genericum? siquidem vniuocum est, & quidditatiuè prædicatur, tam quidditatiuè enim qualitas est accidens, sicut quidditatiuè non est substantia, & hoc ipso, quod extra differentias est, gradum dicit; si autem gradum non dicit, ideò est, quia in differentiis includitur, quod vniuocationem tollit.

Alij dicunt non esse genus, quia est transcendens, vel quia dicit conceptum compositum ex duobus analogis, vel saltem conceptum, qui respectu aliorum analogum est. Sed totum hoc, si destruit genus, etiam destruit vniuocationem. *Alij* dicunt non esse genus, quia non sumitur à distincta realitate ratio generis, & ratio differentiæ. Sed hoc iam supra art.2. impugnauimus agendo de ente. *Alij* tandem admittunt accidens esse genus. Et ad inconueniens, quod nouem prædicamenta non erunt suprema genera respondent, quod sunt suprema genera respectiuè non absolutè. Sed hoc supra reiectum est; sic enim omnia subalterna possent dici suprema respectiuè, verbi gratia, viuens in ratione viuentis non habet aliud superius, sicut qualitas in ratione qualitatis. Sed si qualitas absolutè habet genus super se, absolutè non est supremum, respectiuè autem etiam genera inferiora suprema esse possunt, id est, in ratione sua.

Ad fundamenta opposita à principo Resp. Ad.1. esse latam differentiam inter substantiam completam & accidens, quia in substantia assignamus aliquid vnius rationis, & prædicamenti per quod completur scilicet esse substãtiam integram seu totalem, & vt Quod. At verò in accidente cum sit forma non est assignabile aliquid, quo compleatur, nisi illi modi prædicamentales quibus commensuratur substantiæ, & talis modus constituit determinatum prædicamentum, si determinatus est. Si autem in confuso, & indeterminate accipitur pro accidente prædicamentali vt sic, si ly *prædicamentale* dicat secundam intentionem sic non est complementum reale accidentis sed supponit illud; si autem dicat ipsam naturam accidentis completam, omnes modos prædicamentales dicit in confuso, quia non alio reali completur, quam illis modis, & sic includit differentias, & est analogum. Quod verò dicitur quantitatem esse æqualiter accidens cum qualitate. *Resp.* Quod licet æqualiter participent rationem accidentis, quantum ad rationem inhærendi, non tamen quantum ad rationem disponendi, & commensurandi se substantiæ, in hoc enim primo diuersa sunt, & inæqualiter se habent. Modus autem inhærentiæ non est constitutiuum quidditatis, sed modus illius pertinens ad modum existentiæ, vt communicabilis, sicut subsistentia facit incommunicabilem substantiam, vnde æqualitas in inhærendo non facit æqualitatem absolutè in quidditate accidentis.

Ad 2. fundament. Respondet. Æque currere respectu accidentis, vt abstrahit à completo, & incompleto, quod tamen omnes analogum esse fatentur. Et ita dicimus, quod est analogum proportionalitatis propriæ, quia in omnibus analogatis est per formam intrinsecam. Quod autem etiam in vniuocis inueniri possit comparatio proportionalitatis, iam sæpè responsum est hanc inueniri non tanquam id à quo solo sumatur vnitas eorum, sed quæ vnitatẽ supponat, & super eam cadat. Quando autem inuenitur tanquam id à quo vnitas ipsa desumitur, ita quod non est alia vnitas, quam proportionalitatis, tunc analogiam constituit, & sic non inuenitur in vniuocis.

ARTICVLVS V.

Vtrum sit adæquata bona diuisio in decem Prædicamenta?

CElebris valde, & antiqua est diuisio hæc in decẽ prædicamenta, & tot sæculorum authoritate recepta, vt de illa dubitare nefas sit. *Rationem autem reddere huius diuisionis non ita facile plerique indicant.* D.Thom.5.Metaph.lect.9.& 3.Phys. lect.5. sic eius adæquationem colligit. Quidquid prædicari potest de subiecto, seu de prima substantia, solum tripliciter potest prædicari: vno modo tanquam pertinens ad essentiam eius, alio modo, vt ad essentiam non pertinens, sed subiecto inhærens vel tertio modo, vt prædicatum desumptum ab aliquo extrinseco, vnde sumit denominationem. Si primo modo constituitur prædicamentum substantiæ. Si secundo modo vel illud prædicatum inhærens est absolutum vel respectiuum, & ordinans ad alium terminum. Si est forma absoluta & inhærens, vel consequitur ad materiam, vel ad formam, vt forma est, siue spiritualis forma sit, siue corporea. Si consequitur materiam est quantitas, quia hæc partes materiales extendit. Si consequitur formam est qualitas, quæ in qualificando & determinando modum formæ habet. Si verò est forma respectiua est relatio.

Si verò tertio modo fiat prædicatio, scilicet sumendo denominationem ab aliquo extrinseco à quo dependet, pertinet ad sex vltima prædicamenta, quæ sic colliguntur. Ea enim quæ in denominando dependent ab aliquo extrinseco, vel illud extrinsecum, est causa, vel mensura, vel nude, & extrinsecè applicatum sine mensuratione, vel causalitate. Si hoc vltimo modo fiat, est prædicamentum habitus, quo quis dicitur vestitus. Si verò fiat denominatio ab aliquo extrinseco, quòd sit causa, illa non potest esse materialis, vel formalis, quia hæc intrinsecè constituunt, vel denominant secundum intrinsecam vnionem. Vnde causalitates

litates earum non constituunt speciale prædicamentum, quia magis ordinantur ad perficiendum, & complendum ipsam materiam & formam, quæ per informationem & receptionem perficiuntur in se, quam ad perficiendum, & immutandum alia, sicut causalitas efficientis. Modi autem non constituunt speciale prædicamentum, quando solum dicunt complementum aliquod rei alicuius, sic enim reducuntur ad rem cuius sunt modi, sed solum, quando specialem aliquam commensurationem ad substantiam important, & non purè complementum, aut conditionem ipsius esse rei. Finalis autem causa solum habet causalitatem metaphoricam, & in eo in quo est realis, coïncidit cum causalitate efficientis. Restat ergo quod causa efficiens extrinsecum denominans sit, & tunc vel denominat subiectum, quod immutatur, & est passio, vel causam à qua dimanat effectus, & est actio. Si vero denominatio fiat ab extrinseco mensurante, vel illa mensura est loci, vel temporis. Si loci vel mensurat secundum absolutam rationem essendi in loco penes diuersam distantiam, & sic est vbi, vel ratione ordinis partium in loco, & sic est situs. Si verò est mensura temporis constituit prædicamentum quando. Nec sunt plures mensuræ extrinsecæ.

In hac ratione colligendi numerum prædicamentorum aliqui inueniunt scrupulum præsertim in duobus. *Primò* quia dicitur quantitatem sequi materiam, qualitatem verò formam. Si enim intelligatur de inhærentia vtrumque inhæret composito in sententia D. Thom. in libris de generat. explicanda. Si de dimanatione, quantitas non dimanat à sola materia; sed à composito, quod est corpus, corpus enim est quod habet trinam dimensionem, hoc autem non dicit solam materiam, sed informatam formâ corporeitatis. *Secundò*, quia videtur S. Thom. sex vltima prædicamenta constituere in extrinseca denominatione, quod falsum esse ostendemus infra agendo de illis, & præsertim passio non potest dubitari, quod sit mutatio intrinseca. Nec dici potest quod sunt modi intrinseci, dependentes tamen ab aliquo extrinseco ad quod habent respectum; sic enim etiam relatio diceretur accidens extrinsecæ denominationis, quia pendet à termino extrinseco.

Nihilominus hæc nihil obstant sufficientiæ prædictæ rationis D. Thom. Nam quod quantitas sequatur materiam, & qualitas formam est commune proloquium Philosophorum, & non fundatur in dimanatione, vel inhærentia in sola materia, sed in hoc quod quantitas est prima dispositio materiæ; quia secundum quantitatem attenditur diuisio, & indiuisio eius, vt dicit D. Th. in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. & quæst. 9. de potentia artic. 7. Vnde quantitas non inuenitur nisi in rebus materialibus. Et ita dicitur cõuenire alicui ratione materiæ, quia partes materiales disponit, & ordinat, & iterum quia proportionatur ipsi materiæ, eo quod quantitas non est actiua, sed medium recipiendi alia accidentia. Et sic proportionatur materiæ quæ est primum receptiuum. Qualitas autem, inuenitur tam in materialibus, quam spiritualibus, inuenitur etiam qualitas disponens ad agendum, & vt instrumentum actiuum, atque adeo fundatur in eo quod actiuitatis, & actualitatis est, quod vtique spectat ad formam.

Ad secund. Respond. Diu. Thomam non constituere sex vltima prædicamenta in denominatione extrinseca, qualis est esse cognitum, esse visum, &c. quæ nihil inhærens subiecto dicit, sed denominationes istæ aliquid intrinsecè ponunt, dependenter tamen ab aliquo extrinseco, non terminante tantum, sed etiam denominante, vel ad denominationem concurrente, ideo dicuntur aliquando denominari ab aliquo extrinseco non formaliter, sed originatiuè, originatur enim, & pendet denominatio illius modi intrinseci ab aliquo extrinseco. *Et ad instantiam* de relatione, & aliis quæ dependent è terminis extrinsecis, *dicitur* esse diuersam rationem, quia relatio non dependet à termino vt à denominante, vel originante denominationem relationis, sed terminante, sicut potentiæ habitus, & actus (& idem est de relatione) non mediante termino denominant, sed ad illud diriguut, & ordinant: ipsæ autem formæ per se intrinsecè denominant ad terminos respiciendo. Illa autem sex vltima prædicamenta, non ordinant subiectum ad terminum, sic enim essent relatio, sed subiecto conueniunt ex subordinatione, & deriuatione ab aliquo extrinseco, à quo dependent in denominando, sicut locus, vt reddat locatum dependet à locante, vt reddatur quis vestitus dependet à veste circundante, vt reddatur in quando, dependet à tempore, vt reddatur patiens, ab agente, vt reddatur agens, ab effectu. Non tamen ista relinquunt solum denominationem extrinsecam, sed realem aliquem modum quo immutatur intrinsecè, & denominatur subiectum dependenter ab extrinseco.

SVMMA

SVMMA TEXTVS ARISTOTELIS de Prædicamentis.

SVMMA CAPITIS V. DE SVBSTANTIA.

IN tres partes diuiditur hoc caput. In prima diuidit substantiam, in primam, & secundam: in secunda comparat eas inter se: in tertia sex proprietates substantiæ enumerat.

Quantum ad primum, *definit primam substantiam hoc modo.* Prima substantia est, quæ neque in subiecto est, nec de subiecto aliquo dicitur, *quia enim est substantia, non inhæret subiecto, & quia singularis, non dicitur de inferiori. Secunda substantia definitur in plurali.* Quod sunt genera, & species, sub quibus insunt primæ.

Quoad secundum. *Docet primas substantias esse magis substantias, quam secundas: magis enim sustant aliis: inter secundas verò substantias, species esse magis substantias, quàm genera, quia magis accedunt ad primas substantias. Deinde docet omnes species infimas æqualiter esse substantias, quoniam æquè distant ab indiuiduis: & similiter omnes primas substantias esse æquales, si inter se, comparentur.*

Quoad Tertium. *Prima proprietas substantiæ est non esse in subiecto, II. Vniuocè prædicari. III. Significare hoc aliquid. IV. Nihil substantiæ esse contrarium. V. Non suscipere magis, & minus. VI. esse susceptiuum contrariorum.*

SVMMA CAPITIS VI. DE QVANTITATE.

DIuiditur hoc caput in duas partes. In prima proponit Aristotel. quasdam diuisiones Quantitatis. In secunda quasdam ipsius proprietates recenset.

Quoad primum. *Ponit duas diuisiones Quantitatis. Prima est in* quantitatem continuam, & discretam; *quantitas continua est,* cuius partes aliquo communi termino copulantur. *Discreta,* cuius partes nullo communi termino copulantur, *sub discreta ponit* numerum, *&* orationem vocalem. *sub continua ponit,* lineam, superficiem, & corpus, locum, & tempus, *quorum vltima habent continuitatem successiuam. Secunda diuisio est, quantitas,* quædam habet positionem in partibus, *quædam* non habet positionem, *linea, superficies, corpus, & locus, habent positionem: numerus, oratio, & tempus non habent, quia partes eius non permanent, licet ordinem inter se habeant.*

Quoad secundum. *Tres assignantur proprietates Quantitatis. Prima non habere contrarium. Secunda, non suscipere magis, nec minus. Tertia, quæ est maximè propria, vt secundum quantitatem res dicantur æquales, vel inæquales.*

SVMMA CAPITIS VII. DE ADALIQVID.

TRes partes habet hoc caput. Prima continet definitionem Relatiuorum, iuxta antiquorum opinionem. Secunda recenset quatuor proprietates Relatiuorum. In tertia parte reijcit Antiquorum definitionem, & propriam introducit, & ipsius aliam propriam passionem explicat.

Circa primum. *Definitio Antiquorum erat: Relatiua sunt ea,* quæ id, quod sunt aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur.

Quoad secundum. *Prima proprietas, quam assignabant Antiqui, est habere contrarium. Secunda, habere magis, & minus. Tertia, dici ad conuertentiam, quia mutuò se explicant. Quarta, esse simul natura, id est, ita existere, quod vnum non sit causa, & prius altero.*

Quoad tertium. *Reijcit definitionem Antiquorum, quia illa etiam conuenit aliquibus substantijs, & alijs rebus, quæ transcendentali ordine explicantur; sicut caput, & manus dicuntur esse alicuius; & tamen non sunt Relationes. Vnde tradit definitionem propriam, quod Relatiua sunt,* quorum totum esse est ad aliquid se habere. *Vnde sequitur tanquam propria passio, quòd sint simul cognitione, id est, qui definitè scit vnum, scit & alterum.*

SVMMA CAPITIS VIII. DE QVALITATE.

In hoc capite quatuor facit Philosophus. Primò definit Qualitatem, & diuidit eius species. Secundò agit de Quali in concreto. Tertiò tradit proprietates Qualitatis. Quartò soluit quoddam dubium propositum.

Quoad primum. *Qualitas dicitur id*, quo res dicuntur quales. *Diuiditur autem Qualitas in quatuor species, seu potius quatuor genera duarum specierum. Prima diuisio est in* habitum & dispositionem. *Secunda est* naturalis potentia, & impotentia. *Tertia est* passio & passibilis qualitas *Quarta est* forma, & figura; *inter quas ponit Aristoteles differentias, quia habitus est dispositio difficile mobilis à subiecto; dispositio autem est facilè mobilis, similiter potentia, est naturalis potestas, seu aptitudo ad aliquid, impotentia autem naturalis ineptitudo qua difficile aliquid agit, vel resistit. Paßio est qualitas breui transiens quæ aut sensum mouet, aut ex motu oritur, patibilis qualitas est diu permanens, quæ aut sensum mouet, aut ex motu oritur. Forma est qualitas resultans ex terminatione quantitatis, prout est in aliqua re naturali; figura est qualitas resultans ex terminatione quantitatis secundum se, & sine respectu ad rem naturalem, vt triangulus, circulus, &c.*

Quoad secundum. *Qualia in concreto definiuntur*, ea quæ denominatiuè à qualitatibus, vel aliquo alio modo dicuntur, *denominatiuè quidem vt album ab albedine, vbi seuratur eadem vox; aliquo alio modo, vt studiosus, vel honestus à virtute.*

Quoad tertium. *Numerat tres proprietates qualitatis. Prima habet contrarium. Secunda suscipere magis, & minus. Tertia, quod secundum qualitatem aliquid dicatur simile, vel dißimile, quod est proprium quarto modo,*

Quoad quartum. *Proponit hoc dubium. Habitus, & dispositio numerantur inter relatiua capite præcedenti, ergo non debent poni inter qualitates. Respondet primo hoc conuenire habitibus in communi acceptis, non in particulari; exprimitur enim nomine scientiæ, v.g. ordo ad id, cuius est scientia; quod non exprimitur in nomine particularis scientiæ, v.g. Grammaticæ, vel Rethoricæ, vbi insinuat solùm esse relatiua secundùm dici, quæ non pertinent ad prædicamentum Relationis. Vel secundò Respondet. Pertinere ad duplex prædicamentum secundùm diuersas rationes.*

SVMMA CAPITIS IX. DE VLTIMIS PRÆDICAMENTIS.

Sex vltima prædicamenta numerando, percurrit Aristoteles; quia de illis aliis locis, acturus est, Actioni, & paßioni duas aßignat proprietates; scilicet habere contrarium, & suscipere magis & minus, de quibus in tertio Physicorum agendum est. Situm dicit esse denominationem à positione quantitatis. Vbi sicut esse in licæo, vel in foro. Habere, vt esse indutum, vel armatum. Quando, vt esse in tali, vel tali tempore.

QVÆSTIO XV.

De Substantia Prædicamentali.

ARTICVLVS I.

Quæ sit formalis Ratio constitutiua substantiæ Prædicamentalis.

SVBSTANTIA in præsenti non accipitur pro quidditate, seu essentia rei, sic enim non est speciale prædicamentum; sed generalis ratio cuiuscumque quidditatis, vel essentia, & solum opponitur substantia, sic sumpta prædicato accidentali, non accidenti prædicamentali, nam cr[illegible] accidens suam quidditatem habet. Quare [illegible]ur substantia in præsenti, pro ente per se, id est, q[illegible]d opponitur accidenti inhærenti, seu existenti in alio. Hæc autem proprietas existendi per se intelligitur, vel secundum considerationem absolutam & in ordine ad se, & sic dicitur subsistens, quasi non indigens alio, vt sustentetur, sed in se sistens, vel dicitur secundum habitudinem ad alia, quatenus illa sustentat in esse, & sic dicitur non solum subsistens, sed etiam substans; sicut enim aliud est lucere, aliud illuminare, licet hoc secundum ex primo oriatur, ita esse in se sine indignentia sustentationis ab alio, est diuersa consideratio ab eo, quod est alia sustentare, & illis dare esse.

Et hoc modo explicauit D. Thom. rationem huius primi Prædicamenti in 1. *distinct.* 23. *quæst.* 1. *artic.* 1. dum inquit: *Quod esse dicit id, quod est commune omnibus generibus, sed subsistere, & substare id, quod est proprium primo Prædicamento secundum duo, quæ sibi conueniunt, quod scilitet sit ens in se completum, & iterum quod omnibus aliis substernatur, scilicet accidentibus, quæ à substantia esse habent.* Ita D. Thom. Vbi manifestè explicat, quod constitutio substantiæ, vt est primum prædicamentum sumitur per ordinem ad istos duos actus, qui sunt subsistere, & substare: & subsistere dicitur in ordine ad se, & per ordinem ad proprium esse; substare per ordinem ad ea, quæ sustentat, sicut sunt accidentia. Et potest ly *esse per se*, sumi positiuè vel negatiuè. Positiuè pro illa perfectione essendi, quæ excludit dependentiam ab alio negatiuè pro ipsa negatione dependentiæ, & communicationis ad aliud. Potest etiam ly *per se* dici multipliciter, vt in 3. *conclusione* dicemus. Et ita explicare oportet quomodo

sumatur

sumatur ly per se in constitutione substantiæ, & ad quam proprietatem prius se habeat, ad subsistere, vel substare.

Dico ergo primò. Definitio, vel descriptio substantiæ, vt est primum Prædicamentum (propriè enim definitur, cum sit supremum genus, quod non constat ex genere, & differentia) *est ens per se existens.* Ita D. Th. opusc. 48. de Prædicam. c. 2. Idem explicat in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. q. 1. ad 2. vbi docet definitionem hanc sic esse intelligendam. *Quod substantia est res, cui debetur esse per se, seu existere per se, sicut accidens est ens, cui debetur esse in alio, quia esse actu per se, vel in alio, non est ipsa quidditas substantiæ, vel accidentis, quia esse, seu existere, in nulla quidditate creata est intrinsecum prædicatum*; & quantitas in Eucharistia est verum accidens & non existit in alio actu, sed solum aptitudine. Et magis definitur substantia per ordinem ad existere per se, seu subsistere, quàm per ordinem ab substare, quia prius ei conuenit subsistere, quod est in ordine ad se, quam substare, quod est in ordine ad sustentanda alia.

Dico secundò. Perseitas substantiæ non consistit in sola negatione, sed in ratione positiua. Ratio est manifestissima, quia esse per se est nobilius, quam esse in alio, & perfectius; sed esse in alio est positiuus modus essendi; scilicet per inhærentiam, & vnionem ad aliud, Ergo esse per se non est pura negatio, sed aliquid positiuum, sola enim negatio, & exclusio alicuius rei positiuè non constituit aliquid perfectius, sicut negatio Bruti sola non constituit perfectionem hominis Denique negatio ista fundari debet in aliquo positiuo, alias esset purum nihil, & non constituere, positiuum ens, quale est substantia, sed non fundatur in ipso ente in communi: sic enim omni enti conueniret, ergo in aliquo determinato ab accidenti distincto, & hoc est substantia.

Et quando dicit D. Thomas 1. contra gent. cap. 25. Quod ly *per se* non videtur importare nisi negationem tantum, quæ non potest naturam, vel rationem generis constituere, ex quo aliqui sumpserunt occasionem imponendi D. Thomæ, quòd senserit perseitatem in substantia solam negationem dicere, quod tamen S. Doctor non affirmat, sed solum, quod illa particula *per se* non constituit genus. Quomodo autem substantia constituatur per rationem essendi per se statim explicat D. Thom. his verbis: *Oportet igitur quod ratio substantiæ intelligatur hoc modo, quod substantia sit res, cui conuenit esse non in subiecto, nomen autem rei quidditate imponitur, sicut nomen entis ab esse, & sic in ratione substantiæ intelligitur, quod habeat quidditatem, cui conueniat esse non in alio.* Aliud est quid importet ly *per se*, ex impositione suæ significationis. Aliud quid importet, vt explicat constitutiuum quidditatis substantiæ. Primo modo non requirit amplius quàm significare negationem in alio. Secundo vero modo positiuam rationem essendi dicit, cum tanta perfectione quod habeat negationem essendi in alio.

Dico tertiò, ly per se potest opponi enti per accidens, enti in alio inhærenti, quod est accidens, enti in alio existenti, vt pars in toto, enti in alio existenti non incommunicabiliter, nec cum vltima terminatione, sicut humanitas integra est in supposito. Primo modo esse per se, non pertinet solùm ad hoc prædicamentum substantiæ, sed ad quodcumque ens, quod non est ens per accidens, nam etiam quantitas hoc modo est ens per se. Secundo modo pertinet ad substantiam, tam completam, quàm incompletam, vt aduertit D. Thom. opusc. 42. c. 10. & opusc. 48. tract. de substantia cap. 2. nam etiam pars substantiæ non est accidens. Tertio modo pertinet ad substantiam prædicamentalem, quæ dicit totam quidditatem, & naturam completam in ratione naturæ, licet non in supposito, sicut humanitas. Quarto modo pertinet ad suppositum, de quo videatur D. Thom. op. 48. citato vbi inquit: *Quod dupliciter potest esse substantia composita; scilicet natura, & suppositum; humanitas enim licet forma dicatur [...] tamen composita ex materia, & forma; dicit enim [h]umanitas animam, & corpus, ita tamen humanitas, [...] quæcumque natura, dicit formam substantialem, & [gene]ralem, quod de suo significato principali præscindit [...]e aliud à prædicta forma, & materia; non autem si[...] de supposito, quod est homo. Homo enim de suo pri[ncip]ali significato dicit habens humanitatem, & quia habens humanitatem potest esse suppositum non humanum, vt patet in humanitate Christi, quæ suppositatur supposito diuino, vel potest habere aliqua alia, puta accidentia, quæ humanitas omnino præscindit, ideo in creaturis differunt suppositum, & natura.* Ita D. Thom. Et quidem esse per se, vt opponitur accidenti inhærenti manifestum est conuenire omni substantiæ, siue completæ, siue incompletæ, sicut & distingui ab omni accidenti, si autem fuerit substantia completa debet excludere etiam rationem partis; cum sit totum, & completum; at verò substantia, & existentia pertinet ad modum essendi, & substare ad sustentationem aliorum, quod totum extrinsecum est ipsi naturæ, & quidditati. Ergo per ipsam non constituitur actu natura substantiæ, sed solùm habet aptitudinem ad ipsa, sicut accidens ad inhærendum, & existendum in alio.

Dico quartò, Subsistentia, Suppositum, Hypostasis, seu Persona, explicant terminum non intrinsecum, & essentialem substantiæ, quasi prædicatum constitutum, sed extrinsecum, ad quem spectat reddere naturam vltimo incommunicabilem alteri. De distinctione istorum nominum videri potest D. Thomas in primo distinct. 13. citata Et quidem Subsistentia, & Suppositum, & Hypostasis communiter dicuntur de substantia in quacunque natura, Persona verò solum in natura intellectiua, & quidem non pertinere ad terminum intrinsecum docemur ex Mysterio Incarnationis, in quo inuenitur tota quidditas naturæ humanæ sine propria subsistentia. Ergo illa non est prædicatum quidditatiuum, est autem terminus, quia reddit naturam vltimò terminatam, & incommunicabilem; & ita receptiuam accidentium quod manet natura accidentis inconfusa cum natura substantiæ, quod est signum accidentia non immediatè coniungi naturæ, sed in aliqua re naturæ; quæ est suppositum, & distinguitur à natura.

Quid vero sit ista subsistentia, res, an modus à natura distinctus, non est præsentis loci declarare, sed ad Metaphysicam spectat, & videri potest Caietanus 3. parte quæstione 2. artic. 2. Quomodo autem si distinguitur à natura, prædicetur de illa? Respondetur prædicari de natura in concreto, sicut existentia, & reliqua accidentalia prædicata, sicut dicitur Homo existens, & subsistens, & persona, sed non dicitur substantia, vel existentia, nec humanitas dicitur persona.

Sed hìc dicunt aliqui humanitatem physicè sumptam distingui à subsistentia, & solum importare naturam subsistentia spoliatam, sed metaphysicè importare naturam, præcisam à differentiis indiuiduantibus, & è contra concretum hominis physicè importare naturam suppositatam; concretum verò metaphysicè dicere naturam connotando differentias. Sed hæc est abusio nominum; nam humanitas etiam metaphysicè considerata significatur per modum formæ, & non per modum totius: significat enim abstractum huius nominis *homo*, & id tantum quo homo est homo. Ergo ita præscindit à differentiis indiuiduantibus, quod non est prædicabilis de indiuiduis; hoc

autem non aliunde prouenit, nisi quia significatur, vt pars. Ergo respectu alicuius totius; sed totũ est suppositum, ergo humanitas, etiam metaphysicè accepta, significatur, vt spoliata supposito, & subsistentia? licet verum sit, quod physicè considerata accipiatur, vt singularis, eo modo quo illam assumpsit Verbum Diuinum. Metaphysice autem potest etiam considerari in communi. Cæterum homo in concreto metaphysice consideratus non apparet, quo modo connotet differentias inferiores, quia abstrahit ab illis, sicut vniuersale à differentiis contrahentibus.

Dico vltimò. *Quando dicitur in definitione substantiæ, ens per se existens, ly existens, vel esse sumitur pro ipsa existentia, qua res est extra causas, qua non est esse quidditatiuum. Ratio est*, quia differentia substantiæ, accidentis sumitur ex diuerso ordine, & modo quo petit existere extra causas, quia accidens existere petit cum dependentia inhærentiæ, substantia sine tali dependentia. Quod autem distinguatur hæc existentia à natura, & quidditate cuiusque rei creatæ, in Physica dicemus. Nunc sufficit audire Diuum Thomam opusculo 48. tract. de substantia capite secundo, vbi inquit: *Quod in creaturis esse essentiæ, & esse actualis existentiæ differunt realiter, vt duæ diuersæ res; quod sic patet, illud enim quod est extra essentiam alicuius* (intellige physicè, ne fiat instantia de differentia, quæ est extra conceptum generis metaphysicè loquendo, & realiter non differt ab illo) *differt realiter ab eo, esse autem actualis existentiæ est extra definitionem, quia in definitione ponitur solum genus, & differentia, & & nulla fit mentio vtrum res definita existat, vel non existat.* Ita Diuus Thom.

Obiicies. substantia debet constitui per aliquid superadditum enti, non positiuum, ergo negatiuum. *Min. patet.* non positiuum rationis, quia constitutum per illud est ens reale; non positiuum reale, quia sic nihil adderet superens, cum ipsum ens in quolibet ente reali includatur; imò esset nugatio dicere substantia est ens per se, id est, ens reale, ens reale ergo aliquid negatiuum importat.

Secundò; esse per se etiam conuenit constituto ex accidenti, & subiecto, verbi gratia, albo, ergo non soli substantiæ: conuenit etiam accidenti separato in Eucharistia esse per se sine subiecto: ergo non exprimitur adæquata ratio substantiæ per illam definitionem.

Vltimò Substare est quod propriissimè facit substantiam, dicit enim Aristoteles, quod primæ substantiæ sunt maximè substantiæ, quia maximè substant: ergo substare est propria ratio substantiæ.

Ad primum Respondetur. Substantiam constitui per modum essendi per se positiuum, qui non superaddit ad ens nouam, & distinctam realitatem, sed nouum modum, qui quidem quantum ad entitatem in ipso ente continetur, sed nouo modo explicatur; hæc enim est generalis ratio in contractione transcendentium, quod non contrahuntur per aliquid superadditum in quo ipsa non includantur, sed per se ipsum contrahuntur solum per nouum modum explicationis non per nouum modum superadditionis, vt Diuus Thomas docet quæstione 1. de veritat. articul. primo. Vnde & duo suprema genera se totis differunt, & non per aliquid superadditum, quod latius supra explicauimus agentes de analogia entis, vbi ostendimus, quod abstractio entis non fit per exclusionem inferiorum, neque contractio per additionem, sed per expressionem magis, vel minus explicitam eiusdem, ratione cuius diuersi modi, & expressionis, non est nugatio, & repetitio quando dicimus *ens per se*, quia ly *per se* diuersum modum explicat quam ly *ens reale*.

Ad secundum dicitur, quod constituto ex accidenti, & substantia non conuenit esse ens per se, sed esse ens per accidens, & iterum constat ex duobus, quorum vnum scilicet albedo est inhærens, & ideò non secundum omnem partem sui absoluitur ab inhærendo, quod requiritur, vt absolute sit ens per se, & non in alio. *Ad aliam partem de accidenti separato dicitur*, non esse per se ab intrinseco, vt requiritur ad rationem substantiæ, sed ab extrinseca conseruatione Dei continuante illud esse accidentis sine adminiculo substantiæ. Vnde illud accidens dicit aptitudinem ad inhærendum, quod non dicit substantia.

Ad tertium dicitur. Quod substare constituit maximè substantiam, non quoad naturam quæ non suscipit magis, vel minus sed quoad exercitium sustentandi, & officium essendi sub aliis, quod supponit naturam subsistentem, & consequenter constitutam.

ARTICVLVS II.

Vtrùm bene diuidatur substantia in primam, & secundam.

VT celebris est hæc diuisio, ita pluribus difficilis, & in varia placita diuisit Authores. Quod totum prouenit ex varijs acceptionibus huius nominis *substantia*, quæ aliquando sumitur pro supremo gradu huius prædicamenti: aliquando pro natura seu quidditate eorum, quæ in toto hoc prædicamento continentur, siue in gradibus, superioribus, siue inferioribus: aliquando pro supposito, seu indiuiduo exercente officium subsistendi in se, & substandi, seu sustentandi alia; & hoc dupliciter, vel primò intentionaliter, vel secundò intentionaliter: primò intentionaliter, vt subiectum informationis, & actuationis realis: Secundò intentionaliter, vt est subiectum prædicationis. Hæc omnia propter sui varietatem confusionem pepererunt in assignando diuisum huius diuisionis, & qualis diuisio, & qualia sint membra diuidentia.

Vt autem resolutionem nostram tradamus, *illud oportet aduertere*, speciale esse in hoc prædicamento, quod sit aliorum sustentatiuum, hoc enim est esse substantiam, & consequenter debet aliis subiici, & sub illis stare, seu substare, in quantum enim alia sunt sustentata ab ipsa, substat illis; in quantum vero actuant illam, & prædicantur de ea est subiectum eorum; & quia illud dicitur primum, quo non est aliud prius, ideo licet aliqua, quæ non sunt substantia, habeant esse sub aliis, & substare, non tamen primo substent; sed supponunt aliud prius sustentans, in quo vltimatè sistitur; & ideo illud dicitur primum, seu prima substantia, & primum subiicibile aliorum. Et aliud est habitudo conuenientiæ, aliud habitudo receptionis, vel sustentationis accidentium; habitudo enim conuenientiæ accipitur secundum connexionem, quæ potest inter naturam, vt natura est, & accidens proprium talis naturæ interuenire, at verò habitudo receptionis, & sustentationis consideratur secundum rationem subiecti, & prius conuenit illi, quod magis subiectum est, seu magis sub aliis, quod est indiuiduum.

Aliqui ergo sumunt istam diuisionem primo intentionaliter tantum, id est, tam ex parte diuisi, quam ex parte diuidentium, ita quod diuisum sit substantia realiter substans, id est, vt induit proprietatem realem substandi, & diuiditur in eam, quæ primo substat tanquam singularis substantia, vel quæ secundo tanquam vniuer

vniuersalis. *Alij*, per aliud extremum sumunt vtrumque, tam diuisum, quam diuidentia secundo intentionaliter, id est, quod diuisum sit substantia, vt induta secunda intentione subiicibilitatis, & subiecti ad prædicatum, quæ diuiditur in intentionem primi subiecti, seu eius, quod vltimum est inter omnia subiicibilia, & quod non est vltimum in subiiciendo, sicut vniuersale, quod potius est prædicatum. *Alij* denique sumunt diuisum primo intentionaliter, scilicet naturā substantiæ, & diuidentia secundo intentionaliter, scilicet in modos substandi singulariter, & vniuersaliter, vel res ipsas, quæ sunt substantia, prout denominatur istis secundis intentionibus substandi vniuersaliter, vel indiuidualiter, de quibus, & aliis sententiis vide Conimb. hic quæstione 2. Curs. Carm. disput. 12. quæstione 2. Arauxo 5. Metaphys. quæst. 2. art. 1. Suarez disp. 33. Metaphys. sect. 2.

Nihilominus Respondeo, & dico primò *Diuisum huius diuisionis non est substantia, vt abstrahit à completa, & incompleta, neque substantia pro gradu, scilicet quæ dicit supremum genus. Ratio est*, quia illud est diuisum, quod participatur ab vtroque membro diuidenti, sed supremum genus solum inuenitur in vno membro diuidenti; scilicet in secunda substantia, quia est genus supremum, & secundæ substantiæ sunt genera, vel species: ergo non est commune diuisum in primam, & secundam substantiam, diuiditur quidem genus iu suas species, & descendit vsque ad indiuidua, sed non diuiditur in substantiam indiuiduam, & genericam, qualis est prima, & secunda substantia. *Similiter* substantia imcompleta, neque est prima neque secunda substantia, quia est incompleta, & pars, & nō totum: pars autem, vt pars non est per se, sed in alio, scilicet in toto, non inhærendo, sed componendo, vnde neque est primum substans, quia datur aliud prius, quod substat, scilicet totum, neque secundo substat, quia non est totum, quod prædicatur de primo substante, & mediante illo dicatur substare. Vnde pars non accipit denominationem substandi, sed constituendi; licet posset esse medium recipiendi aliquid in toto; sicut visio recipitur mediante oculo; sed oculus non substat, sed homo, eo quod licet recipiat non sub aliis stat, totum enim substat illi tanquam parti, & alias ipsa pars non identicè substat sicut vniuersalia mediante indiuiduo, quia pars non identificatur toti sicut vniuersale inferiori.

Dico secundò. *Non conuenienter sumitur diuisum huius diuisionis secundo intentionaliter tantum pro intentione subiicibilitatis. Ratio est*, quia intentio secunda subiecti ad prædicatum, siue essentiale, siue accidentale est quid commune accidenti, & substantiæ; nam etiam accidens subiicitur suis prædicatis, & ea recipit, siue sint essentialia, vt albedinem esse qualitatem; siue accidentalia, vt albedinem esse intensam.

Dices, ratio subiecti inuenitur in accidentibus participatiuè, & deriuatiuè à substantia. Vnde per se primo esse subiectum inuenitur in substantia, *Sed hoc nihil est*, quia licet ea, quæ entitatis, & realitatis sunt principalius inueniantur in substantia, & participatiuè in accidenti, tamen intentiones, quæ conueniunt rebus, vt cognitis æquè dicuntur de vtroque sicut esse vniuersale, & particulare, genus, vel species, & idem est de intentione subiecti, & prædicati, &c. Denique substantia non solum est subiectum prædicationis, sed etiam informationis realiter sustentantis accidentia, ergo non debet explicari ratio substandi per solam secundam intentionem, quæ est subiecti ad prædicatum, sed etiam per realem proprietatem substandi ei, quod realiter informat.

Dico tertiò. *Potest probabiliter dici, quod diuisum huius diuisionis est ipsa proprietas substandi, seu substantia, vt exercens tale officium substandi, sed longe probabilius est, quod diuisum est ipsa natura substantiæ prædicamentalis in diuersos modos; quorum vnus est substare, vt indiuiduum subsistens, & recipiens realiter; alius est substare solum per denominationem ab istis primis substantibus, & recipientibus.* Hæc conclusio quoad primam partem potest desumi ex D. Thom. opusc. 48. tract. de prædicamentis cap. 3. vbi inquit: *Quod substare dicitur dupliciter scilicet pro substare accidentibus, & pro substare vniuersalibus, sicut minus vniuersale est sub magis vniuersali.* Et subdit, *quod proprium primæ substantiæ est substare accidentibus, ex quo sequitur, quod substare accidentibus insit principaliter, & primò primæ substantiæ*: Ita D. Thom. Vbi totam diuisionem sumit penes proprietatem substandi, & sustentandi accidentia: non quod ista proprietas sustentandi diuidatur in diuersas proprietates; neque enim alia proprietas substandi est in vniuersalib. alia in indiuiduis, sed vna, & eadem; sicut eadem natura est, & non diuersa, sed quia ista proprietas habet substare per se primò, id est, non per aliud, & substare secundariò quatenus natura superiori identificatur cum indiuiduo, & quod indiuidno conuenit denominatiuè tangit vniuersale; & quod in actu signato conuenit vniuersali exercetur per indiuiduum; non ergo est necesse sumere aliud diuisum, quàm ipsam proprietatem substandi, quæ in indiuiduis primo substat, id est, cùm exercitio, in vniuersalibus secundariò, & denominatiuè ab indiuiduis.

Et sic dicas. Nam hoc modo etiam aliqua accidentia dicentur secundo substare; scilicet mediante prima substantia, quia etiam ipsa sustentant alia accidentia; vt quantitas colorem; potentia habitum, vel actum. *Respondet.* quod ista accidentia recipiunt quidem alia tanquam medium recipiendi; non tanquam ratio sustentandi, quia cum ipsamet accidentia inhæreant non possunt dare esse sustentatiuum aliorum accidentium; possunt tamen mediare inter receptionem vnius accidentis & alterius, quod est quasi disponere, & habilitare subiectum, vt illa recipiat. At verò vniuersales substantiæ sunt identificatæ cum indiuiduis. Vnde recipiunt accidentia, sicut indiuidua, scil. denominationem sustentantis, sed tamen exercitium sustentationis indiuiduis relinquendo.

Secunda verò pars conclusionis sumitur ex D. Thom. quæst. 9. de potentia artic. 2. ad 6. vbi inquit: *Quod cum diuiditur substantia in primam, & secundam non est diuisio generis in species, cum nihil contineatur sub secunda substantia, quod non sit in prima, sed est diuisio generis secundum diuersos modos essendi; nam secunda substantia significat naturam generis secundùm se absolutam. Prima verò substantia significat eam indiuidualiter subsistentem. Vnde magis est diuisio analogi, quàm generis.* Sic D. Thomas, vbi communiter eius discipuli notant non sensisse D. Thomam, esse diuisionem analogam, sed magis analogi, quàm generis, licet neutrius sit, sed subiecti, seu naturæ in modos essendi, quod assimilatur diuisioni analogi, quæ fit per modos, & non per differentias, sicut genus. Denique 1. part. qu. 30. à 1. ad 2. dicit D. Tho. *Quod in definitione personæ cum dicitur quod est indiuidua Substantia, ly substantia non significat determinatè primam substantiam, sed quod communiter diuiditur in primam, & secundam, & per hoc quod additur indiuidua trahitur ad standum pro prima*: Ergo secundum D. Thomam illud est diuisum in primam, & secundam substantiam, quod nomine substantiæ ponitur in definitione personæ, sed cum dicitur persona indiuidua substantia, non est idem, quod indiuidua proprietas substandi, sed res ipsa substantialis: ergo hæc est diuisum huius diuisionis.

Quia ergo ipsa prima substantia non est solum determinata proprietas substandi, sed determinata res habens proprietatem substandi per se primo, conuenientius dicitur, quod hæc diuisio non est proprietatis in proprietates, sed rei ipsius habentis proprietates in ipsos modos talium proprietatum.

Vnde constat. Quod prima, & secunda substantia non dicunt diuersas naturas, cum se habeant tanquam singulare, & vniuersale in eodem prædicamento, & ita susceptiuum huius denominationis, quod est primo substare, vel secundo substare est vnum, & idem, quia est eadem materia: isti autem modi, seu proprietates non possunt esse realitates distinctæ. Cum nulla realis proprietas conueniat secundæ substantiæ vniuersali, quæ non conueniat singulari, sed ipsamet ratio substandi realis, quæ inuenitur in singulari, conuenit etiam naturæ vniuersali, sed exercitium substandi, seu sustentandi, seu sustentandi accidentia realiter conuenit primæ substantiæ & denominatiuè secundæ: Ipsum autem substare pro secunda intentione subiiciendi se prædicatis superioribus ita conuenit primæ substantiæ, quod nullo modo secundæ, neque etiam denominatiue, non enim genera, & species subiiciuntur omnibus prædicatis, quibus prima substantia, neque per denominationem ab illa desumptam.

Ex quo tandem manet declaratum qualis sit ista diuisio, nam si accipiamus pro diuiso naturam substantiæ, quæ istis duobus modis afficitur, sic est diuisio rei in suos modos, seu subiecti in accidentia, vt vidimus ex D.Thom.q. de Potent. *Nec obstat.* Quod dixit S.Doctor, diuisionem magis esse analogi in sua analogata, quàm generis; hoc enim, non fuit absolutè dicere, quod diuisio est analoga, sed quod comparatiuè ad diuisionem generis, quæ est in diuersas species, & naturas ista magis accedit ad diuisionem analogi, quam generis, quia fit per diuersos modos, quorum vnus scilicet primò substare realiter inuenitur in primis substantiis; secundò verò substare solum denominatiuè, & per rationem, sicut si natura diuidatur in vniuersalem & singularem. Si verò accipiamus pro diuiso rationem ipsius proprietatis, seu modi substandi, sic diuisio est analoga, inquantum vnus modus, scil. primò substare inuenitur realiter; alter solum denominatiuè, & per rationem, scilicet substare secundò.

Solvvntvr Argvmenta.

Primò arguitur. Hæc diuisio potius debet tradi penes rationem subsistendi; quam penes proprietatem substandi; sed ratio subsistendi æquè conuenit primæ, & secundæ substantiæ, ergo ipsa diuisio non est analoga, neque in modos analogos.

Mai. probat. Quia ista diuisio debet tradi per id, in quo conueniunt membra diuidentia: magis autem conueniunt in subsistere, quam in substare, cum in hoc simpliciter non conueniant: ergo per illud debet tradi diuisio. *Minor verò probatur*, quia subsistere, seu esse per se pertinet ad naturam substantiæ etiam in communi, & ab illa descendit ad indiuidua, vt docet S.Th. in 1.sent. ad Ann. disp. 23. qu. 1. art. 4. ergo ratio subsistendi non minus intrinseca est secundæ substantiæ, quàm primæ.

Respondet. Quod ille terminus subsistere *æquiuocè* sumitur, potest enim significare rē, quæ postulat subsistentiam quæ est ens per se, vel potest significare modum ipsum subsistendi, qui conuenit naturæ postulanti illum: Similiter substare potest sumi, vel pro natura postulante ipsam rationem substandi, seu radicaliter substante, vel pro ipso modo, & proprietate substandi. Si primo modo sumantur, pertinet ad naturam, & sic sumitur à D.Thom. in 4.dist. 12. supr. citat. vbi definit substantiam, quod *est ens per se*, id est, res cui debetur esse per se, & sic per prius inuenitur in generibus, & speciebus, quàm in indiuiduis, vt in d. 23. cit. dicit D.Th. secundo modo prius conuenit subsistere, & substare pro exercitio indiuiduis, & licèt radicaliter, vtrumque pertineat ad naturam, tamen exercitium prius conuenit primis substantiis à quo maximè substare dicuntur. Et tamen diuisio ista non fit penes naturam, quia eadem natura est in prima & secunda substantia, nec penes ipsum subsistere, quod solum sumitur in ordine ad se, sed penes substare, quod dicit ordinem ad alia in sustentando, & sub illis stando, & sic inuenitur duplex modus recipiendi denominationem ab his, quibus substatur, scilicet vel quia immediatè, & in exercitio recipiuntur, vel quia solum denominantur, propter identificationem cum tali recipiente; sicut natura vniuersalis identificatur cum singulari.

Secundò arguitur. Nam in hac diuisione diuisum coincidit cum aliquo ex membris diuidentibus, vel vnum membrum diuidens cum alio; etenim id quod diuiditur est substantia in communi accepta: ergo est secunda substantia, quæ est substantia vniuersalis. Similiter prima substantia potest accipi in communi; conuenit enim omnibus singularibus substantiis non solùm esse substantias, sed etiam esse primas: ergo per hoc quod prima substantia, etiam vt prima prædicatur de omnibus prima substantia erit secunda substantia; & per hoc quod ipsa secunda substantia prædicatur de prima, sicut genus, & species de indiuiduo, vnū membrum diuidens conuenit alteri. Et denique id, quod in substantia principalius inuenitur, est eius quidditas, & natura: ergo inconuenienter dicitur, quod prima substantia est maximè substantia, quia maximè ei conuenit proprietas substandi, principalior est autem natura, quam proprietas: ergo principalius denominabitur aliquid substantia à natura, quam à proprietate; natura autē per prius conuenit generibus, & speciebus, quā indiuiduis, & ab illis descēdit ad ista, ergo secundæ substantiæ erunt maximè substantiæ.

Respondet. ad Primum. Diuisum huius diuisionis esse naturam secundum se, non vt est indiuidua, vel vniuersalis, sed naturæ habentis proprietatem substandi, & sic non est necesse, quòd diuisum sit vniuersale, sed quòd sit capax vtriusque modi. Vel si diuisum non sit naturæ in modos, sed proprietas ipsa substandi, tunc hoc diuisum est superius, & commune; non tamen secunda substantia, quia non est vniuersalis, vt natura, sicut genus, & species, sed vt proprietas, seu modus substandi, qui non est genus, nec species, sicut dicitur de indiuiduo in communi.

Ex quo patet secundum. Quia prima substantia, licet accipiatur in communi ad omnes primas substantias, non tamen accipitur vt secunda substantia, quia non est communis, vt genus, & species, quod solum pertinet ad secundas substantias, sed vt indiuiduum vagum, vt aliquis homo. Nec verum est, quod aliqui dicunt primam substantiam, non posse sumi in communi, sicut aliquis homo, sed tantum pro supposito determinato, constat enim quòd Aristoteles pro exemplo primæ substantiæ posuit aliquem hominem, & sic prima substantia significat singulare, & determinatum suppositum, vt quo, id est, id quo aliquod suppositum singularizatur; potest tamen ista forma, seu modus concipi in communi vt quædam res, sicut hoc nomen *persona*, alias non posset definiri. Quod verò secunda substantia prædicetur, & conueniat primæ, solum conuincit, quod natura primæ, & secundæ substantiæ est eadem, & sic diuisio non fit secundum diuersas naturas, sed secundum officium, & munus

sub

ſubſtandi, quo pacto ſecunda ſubſtantia non dicitur de prima, ſicut nec vniuerſalitas de ſingularitate.

Ad tertium Reſpondet. Quòd natura, & quidditas eſt principale in ſubſtantia radicaliter, quia eſt radix ipſius proprietatis, ſeu modi ſubſtandi, & hæc principaliter inuenitur in ſecunda ſubſtantia ipſum tamen officium ſubſtandi, quoad exercitium principalius, & maximè exercetur in prima ſubſtantia; & quoad intentionem ſecundam ſubſtandi per ſubiicibilitatem prædicatis ſuperioribus ſolum conuenit primæ. Proprietas autem ſubſtandi realiter, conuenit radicaliter naturæ, non tamen, vt exercenda pro omni ſtatu, ſed pro indiuiduatione. Fuit autem neceſſarium penes proprietatem, & non penes quidditatem, ſic diſcernere ſubſtantias, quia magis innoteſcunt nobis per proprietates, quàm per intrinſecas quidditates.

Dices Ergo etiam dabitur diuiſio accidentis in primum, & ſecundum, quia etiam accidens in indiuiduo inhæret realiter, accidens autem in vniuerſali non inhæret, niſi mediante indiuiduo. Et idem de qualibet proprietate poteſt dici cuius exercitium conuenit in indiuiduo; denominatio autem etiam in vniuerſali. *Reſp.* Accidens non poſſe diuidi in primum, & ſecundum ſimpliciter, ſicut ſubſtantia, quia hoc ipſo quod accidens inhæret, etiam indiuidualiter ſupponit aliud prius à quo ſuſtentatur. Vnde eſſe primum in inhærendo, non eſt eſſe primum abſolutè, & in eſſendo ſed in informando, quod enim inhæret, informat. Et ſic ſupponit aliud prius à quo ſuſtentetur iſta informatio. At verò ſubſtantia cum ſe habeat vt ſubiectum ſuſtentãs oportet deuenire in illa ad aliquod primum, quo non ſit aliud prius in ſuſtentando, & ſic eſt primum ſimpliciter in eſſendo. Similiter proprietates habent quidem prius ſuum exercitium in indiuiduo, quàm in vniuerſali, ſed ex hoc non habent ſpecialem modum eſſendi, & ſuſtentandi, vt primum, & ſecundum, ſicut ſubſtantia.

ARTICVLVS III.

Quomodò explicandæ ſunt definitiones primæ, & ſecundæ ſubſtantiæ?

DVplex difficultas eſt in hoc articulo. *Prima*, an definiatur hîc id, quod ſe habet tanquam prima ſubſtantia, vt *quod*, vel vt *quo*. Ad quam *Reſpondetur formaliter hîc definiri id, quo aliqua ſubſtantia eſt prima, ſcilicet ille modus, quo ſubſiſtit, & ſubſtat, ſiue quo ſubiicitur ſuis prædicatis*; definitur enim id, quod eſt formale conſtitutiuum, & proprium primæ ſubſtantiæ; proprium autem conſtitutiuum, eſt ille modus, ſeu proprietas; ſicut formale conſtitutiuum perſonæ eſt perſonalitas. Neque enim conſtitutiuum primæ ſubſtantiæ inquantum prima eſt quidditas ipſa, ſeu ratio naturæ, ſed modus naturæ, vt dictum eſt in præcedenti artic. ergo illud eſt formale definitum in hac definitione, quia tamen definitur in concreto iudicandum eſt de illo, ſicut de aliis definitis concretis, in quibus diſtinguitur definitum *quod*, & *quo*, & id quod eſt prima ſubſtantia tanquam *quod* non eſt formale definitum, ſed ſolum ille modus, *quo* conſtituitur, quia ſolum illi conuenit formaliter, & eſſentialiter ratio primæ ſubſtantiæ.

Secunda difficultas eſt. Quid ſit iſta forma ſeu modus, qui hîc definitur? *Aliqui exiſtimant*, hic definiri primam ſubſtantiam per duas negationes, quarum vna tangit primam intentionem, ſcilicet non eſſe in ſubiecto, ſecunda tangit ſecundam intentionem,

ſcilicet non prædicari de ſubiecto. *Primum patet*, quia non eſſe in ſubiecto, pertinet ad modum eſſendi ſubſiſtenter; iſte autem modus aliquid reale eſt, licet per negationem circumloquamur illum; illa enim negatio non eſt res definita, ſed ratio definiens, vel potius deſcribens, quia negatio non definit rem poſitiuam. *Secundum probant.* Quia illa negatio explicat oppoſitum formæ, quam negat; ſed oppoſitum illius formæ eſt aliquid rationis, ſc. illa intentio qua conſtituitur ſecunda ſubſtantia, ergo. Huic autem intentioni non poteſt opponi aliquid reale, ſed aliquid rationis, ſc. ſecunda intentio ſingularitatis, quia oppoſita debent eſſe eiuſdem generis.

Et confirm. Quia definitum *quo* ſecundæ ſubſtantiæ eſt ſecunda intentio, dicit enim Ariſtot. quòd ſecundæ ſubſtantiæ ſunt genera, & ſpecies, ſub quibus inſunt primæ: ergo etiam definitum *quo* primæ ſubſtantiæ erit aliquid rationis; vt ſub eadem proportione definiantur. Ita P. Merinero hîc qu. 3.

Nihilominus reſpondetur, formalitatem primæ ſubſtantiæ hîc definitam eſſe primam intentionem ſcilicet modum realiter ſubſiſtendi, & ſubſtandi, ex conſequenti verò definitur ſecunda intentio ſubiiciendi ſe prædicationi, quia ex eo, quòd realiter informatur ab accidentibus, & conſtituitur per gradus ſuperiores ſequitur, quod etiam prædicationi ſubijciatur. Ratio eſt, quia formale conſtitutiuum primæ ſubſtantiæ debet explicari per id, quod reddit illam vltimò ſubſtantem, ſeu aliis omnibus ſubſtratam: hoc autem non eſt intentio ſubiicibilitatis, ſed modus ſuſtentationis, illa enim intentio ſubiicibilitatis ad prædicata, intantum eſt intentio primæ ſubſtantiæ, inquantum fundatur, ſuper ipſam rationem ſuſtentandi alia: ergo iſta ratio, ſeu modus ſubſtandi eſt maximè ſubſtans, & ſub omnibus aliis, vtpote etiam ipſam ſubiicibilitatem fundans, ergo. Et quantum ad primam negationem, ſcil. *non eſſe in alio*, conſtat ex probatione oppoſitæ ſententiæ pertinere ad primam intentionem. Quantum ad ſecundam *patet, euertendo oppoſitum fundamentum*, nam licet forma negata ſit ſecunda intentio, & ens rationis, tamen eius negatio verè inuenitur in prima intentione, & ente reali, ens enim reale negat ens rationis. Imò non melius explicatur prima intentio, quam per negationem ſecundæ, & ſic falſum eſt ſecundæ intentioni, ſeu formæ rationis non opponi aliquid reale, opponitur enim non per aliquam contrarietatem formalem, quia non ſunt ſub eodem genere, ſed per negationẽ incluſam: prima enim intentio negat ſecũdam, ſcilicet prædicationem de aliquo ſibi ſubiecto. nec oportuit proportionari primam ſubſtantiam ſecundæ in hoc quod definiatur vtraque per ſimilem intentionem, ſed potius per oppoſitam, cum prima ſuſtentet, & fundet ſecundam, & ex oppoſito ad illam ſe habeat. *Et ſic patet ad fundamenta oppoſita.*

Sed adhuc obiicies. Nam vtraque illa negatio conuenit naturæ ſecundùm ſe, quæ nec eſt in ſubiecto, nec prædicatur de ſubiecto, cum ſolum includat prædicata quidditatiua, & tamen non eſt prima ſubſtãtia: ergo definitio non eſt bona. *Item*, falſum eſt, quòd prima ſubſtantia non prædicetur, nam indiuiduum prædicatur de vno tantum, vt dicitur *in c. de Specie*, & indiuiduum vagum *vt aliquis homo*, de pluribus; pro exẽplo autem primæ ſubſtantiæ poſuit Philoſophus indiuiduum vagum, *vt aliquis homo*. Denique negatio non eſt explicatiua, nec definitiua alicuius: ergo iſta definitio tradita per duas negationes vitioſa eſt.

Ad primum reſpond. Quod illæ negationes poſſunt dupliciter ſumi. *primò*, vt purè, & præciſè negant, & ſic etiam conueniunt naturæ ſecundùm ſe; imò & enti rationis, & ipſi *nihil* conuenire poſſunt iſtæ negationes, vt purè negant eſſe, & prædicari. *Secundo* modo ſumi

ſumi poſſunt, vt fundantur in aliquo poſitiuo modo eſſendi,& deſeruiunt ad circunſcribendum ipſum,& ſic non conueniunt naturæ ſecundum ſe, ſed vt habenti illum modum ſubſiſtendi,& ſubſtandi.

Ad ſecundum dicitur, prædicari primam ſubſtantiam de ſe ipſa, & non de aliquo ſubiecto, id eſt, inferiori ſibi;definitio autem non dicit, quòd non prædicatur, ſed quòd non prædicatur de ſubiecto: at verò aliquis homo, vel prima ſubſtantia in communi prædicatur de pluribus, vt *quod*, & denominatiuè, non vt *quo*, id eſt, habet ſe vt modus, quo conſtituitur aliquid non prædicabile de pluribus, ſed tamen iſte modus accipitur in actu ſignato, vt res quædam in communi cum intentione prædicandi de pluribus, ſicut intentio generis denominatiuè eſt ſpecies. Nec tamen indiuiduum vagum, vel prima ſubſtantia in communi accepta eſt vniuerſalis directè, & per ſe, quia non eſt vnum in multis, non defectu multorum, ſed defectu vnius, quia non eſt ſola natura, & vnum quid, ſed natura cum modo indiuiduationis.

Ad tertium dicitur, Iſtam definitionem per duas negationes non definitiuè, ſed deſcriptiuè dari,& circumloquendo non propriè declarando rationem primæ ſubſtantiæ.

ARTICVLVS IV.

Quænam reiiciantur, & ponantur in hoc Prædicamento?

AGimus de his, quæ in recta linea collocantur in hoc Prædicamento participando rationem generis ſupremi contrahendo illud. Et breuiter dicimus, duas conditiones requiri, vt aliqua ſubſtantia in recta linea collocetur,& ſit ſubſtantia prædicamentalis.

Prima. *Quòd ſit ſubſtantia finita*. Secunda. *Quod ſit ſubſtantia completa*, id eſt, cui per ſe debeatur proprietas ſubſiſtendi,& ſubſtandi, per ſe autem debetur ei, quod ſignificatur, vt totum; parti enim non debetur per ſe, ſed per aliud,& dependenter ab alio, id eſt, à toto. Et ex iſtarum conditionum incluſione, vel excluſione intelligemus, quænam ſubſtantiæ ponantur, vel excludantur à ratione huius prædicamenti.

Colligitur autem vtraque conditio ex vnico principio, ſcilic. quia ſubſtantia prædicamentalis non ſufficit, quòd ſit ens ſubſiſtens, ſed requiritur etiam, quòd ſit compoſita, ita quòd ex compoſitione aliqua ſubſiſtat. *Ratio eſt*. Quia ſubſtantia infinita, ſi ponitur in prædicamento, non poteſt poni, vt genus ſupremum; ſed vt aliquid contentum ſub tali genere; ſi enim eſſet genus ſupremum omnes ſubſtantiæ prædicamentales, tale genus participantes, eſſent infinitæ: debet ergo eſſe ſpecies, & conſequenter conſtare ex genere, & differentia; id enim vocatur ſpecies, ſed genus dicit aliquid potentiale, quod comparatur ad differentias, vt contrahibile,& determinabile per eas: ergo Deus conſtaret ex vna ratione dicente potentialitatem, & alia dicente actualitatem, & ſic non eſſet actus purus, quia aliquid potentialitatis haberet, ſcil. rationem genericam. Vnde etiam actus differentialis non eſſet actus purus, quia adiungeretur actui potentiali, ſcil. generi. Quòd verò tale genus deberet dicere potentialitatem præter dicta *in quæſtione de genere*, ex eo conſtat, quia genus non poteſt eſſe actus purus: ſic enim non eſſet determinabilis,& contrahibilis per differentias, quæ actuant,& qualificant genus, quod contrahunt; at verò actus purus eſt in vltima actualitate. Et præterea cum illud genus eſſet commune ad Deum,& creaturas, & in creaturis non inueniatur actus purus, conſequenter in ſe actus purus non eſt: requiritur ergo compoſitio ex actu, & potentia, vt aliquid ſit ſubſtantia prædicamentalis, quæ infinitæ ſubſtantiæ, id eſt actui puro repugnat.

Ex eodem principio excluduntur entia incompleta. v. g. differentia, non quia actum purum dicunt, ſed, quia compoſitionem excludunt ex genere, & differentia. Nam ſi componerentur, rurſus illa differentia ex genere, & differentia componeretur, eſt enim eadem ratio. Et rurſus illa ex alia, & ſic eſſet proceſſus in infinitum, requirerentúrque ad compoſitionem in vnius quidditatis, infinitæ compoſitiones. Item ſi idem genus, quod reſpectu ſpeciei eſt genus, eſſet etiam reſpectu differentiæ, bis poneretur genus in definitione, ſemel ratione ſpeciei, iterum ratione differentiæ. Nec poſſet eſſe vniuocum, cùm eſſet de conceptu differentiarum,& ratio ipſius diuerſitatis, vt ſuprà in analogis probauimus: ergo repugnat differentias eſſe directè in genere, ſed reducuntur ad illud, & quaſi ad latus ponuntur.

An verò materia, & forma, & partes integrantes, vt tales ſub genere ſubſtantiæ directè contineantur? diximus in qu. de Genere, art. 3. Nunc ſufficit addere, quòd inquantum partes non ſubſtant, neque ſubſiſtunt directè, ſed dependenter à toto: ergo non ſunt per ſe & directè ſubſtantia, quia illud directè eſt ſubſtantia, quod directè petit ſubſiſtere,& ſubſtare, quod ſolum conuenit toti, ſiue in ſingulari accepto, ſiue in communi, ſicut ſubſtantia vniuerſalis per ſe petit ſubſiſtere: ſed id exercet, vt eſt in ſingulari; partes autem non per ſe, ſed per totum, & in toto petunt ſubſiſtere,& ſubſtare, vt nunc ſuppono ex Metaphyſica. Et ſimiliter cum partes ſubſtantiæ per ſe,& intrinſecè ordinentur ad componendum totum, quod directè in prædicamento ponitur, ſi ipſæ etiam directè ponuntur in prædicamento idem bis poneretur in prædicamento idem bis poneretur in prædicamento, & in definitione, ſemel ratione ſui, iterum ratione partium, vt diximus de Differentia, quod inconueniens non admittit Philoſoph. 3. Metaph. tex. 10. & D. Thom. ibi. & in 1. contra Gent. c. 25.

Sed obijcies, non repugnat Deo compoſitio aliqua per rationem, & conſequenter aliquid per modum potentiæ, & actus ſecundum noſtram conſiderationem, vt Aliqui Authores ſentiunt diſtinguit enim intellectus noſter diuinas perfectiones, etiamſi ſit res vna ſimpliciſſima: ergo poteſt noſtro modo concipiendi iſtas perfectiones, & attributa per modum actus & potentiæ concipere. *Vnde confirmatur hoc*. Quia ſi actui puro non repugnat diuiſio noſtro modo concipiendi, etiam non repugnabit compoſitio, quia oppoſitorum eadem eſt ratio.

Sed hæc inſtantia ſupponit, quod eſt impoſſibile, ſcilic. poſſe concipi in Deo diſtinctionem per excluſionem, & ſeparationem vnius ab alio; hoc enim ſtare non poteſt. Quia cum ſit actus purus, hoc ipſo quòd concipitur aliquid illius cum potentialitate & additione vnius ad aliud deſtruitur conceptus actus puri. Vnde tunc non ſit præciſio, ſed deſtructio vnius attributi ab alio. Nam quando concipitur aliquod attributum in Deo, vel concipitur vt ens diuinum, vel vt creatum, vel vt abrahens ab vtroque. Si vt creatum vel vt abſtrahens, non concipitur, vt pertinens ad Deum,& vt aliquid Dei, quod eſt deſtrui. Si vt increatum: ergo vt actus purus,& infinitus: ergo vt excludens omnem potentialitatem, etiam vt ſubeſt tali conceptui. Quare iſta diſtinctio in diuinis non ſit per excluſionem vnius perfectionis ab alia, ſed per conceptum implicitum, vel explicitum. Noſter enim imperfectus modus concipiendi ſic explicat vnã perfectionem in Deo, quòd non aliam, & hæc explicatio vnius,& non explicatio alterius eſt diſtinctio rationis, quæ

qualis in Deo potest fieri, sed non est conceptus vnius perfectionis, vt excludentis formaliter aliam, & in potentia se habentis ad illam; quia rationi actus puri omnis conceptus potentialitatis repugnat. Vnde talis diuisio nō opponitur compositioni, sed perfectæ explicationi eiusdem simplicissimæ rei. Non ergo conuenit Deo compositio rationis, quæ fundatur in potentialitate vnius extremi, & additione alterius ad illud, sed in maiori, & minori explicatione eiusdem, sicut de transcendentibus dictum est quæstione præcedenti.

De Christo Domino aliqui dubitant, an ponatur in prædicamento ratione humanæ naturæ, seu inquantùm homo. *Sed omnino asserendum est poni.* Quia vniuocè est homo, vt fides docet, ex anima rationali, & humana carne subsistens: ergo ponitur sub specie hominis, siquidem ponitur vniuocè sub homine, & consequenter sub animali viuente, &c. Quod est poni sub genere, & specie, atque adeò in gradibus prædicamenti.

Nec obstat, Quod solum ens creatum est in prædicamento, Christus autem absolutè non est creatura, vt docet S. Thom. 3. part. qu. 16. art. 8. ergo absolutè non ponitur in prædicamento. *respondet.* Esse disparem rationem, quia hoc nomen, *creatura*, est indifferens ad designandum naturam, vel suppositum propter sui transcẽdentiam. Esse autem in prædicamento solum conuenit ratione naturæ, quæ in Christo creata est in quantùm homo, sicut ambulare & mori conuenit ei ratione naturæ.

Ex quibus constat in isto genere contineri omnem substantiam creatam, etiamsi sit incorruptibilis, & spiritualis. *Patet*, quia est finita, & composita, saltem ex aliqua potentia & actu, cùm non sit actus purus: ergo potest concipi aliqua ratio determinabilis, & contrahibilis, & aliqua determinans, & contrahens, & consequenter pertinere debet ad aliquod genus, & prædicamentum; nec est aliud, quàm hoc, & cum sint substantiæ totales, & completæ, non autem solùm incompleta entia, vt constat in Angelis, consequenter pertinent directè, & non reductiuè.

Quando verò dicit Philosophus 10. Metaph. cap. vlt. lect. 13. apud D. Thomam. *Quòd corruptibile, & incorruptibile differunt genere.* Loquitur de genere physico, quòd est materia. Et sensus est, quòd non conueniunt in materia. Cœli enim in probabiliori sententia habent materiam specie diuersam à sublunari. Et Angeli nullam.

ARTICVLVS V.

Vtrùm suscipere contraria sit proprium quarto modo substantiæ?

SEx *proprietates attribuit Aristoteles substantiæ*, quas retulimus supra in c. de Substantia. Nec est, quod de rigore istarum passionum disputemus. Neque enim omnia sunt aliquid positiuum, sed aliquæ sunt negationes, vt non esse in subiecto. Aliæ intentiones, vt prædicari vniuocè. Aliæ non solis substantiis conueniunt, vt non suscipere magis, ac minus, quod etiam conuenit quantitati. Et sic de aliis facile potest iudicari.

Solum de vltima proprietate, scilicet quòd substantia eadem manens, sit susceptiua contrariorum, videndum est, an sit proprium quarto modo. Et ad hoc oportet examinare duas conditiones requisitas ad hoc proprium. Prima, *an conueniat omni substantiæ.* Secunda *an illi soli, & semper*, id est, ex vi necessariæ connexionis conueniat. *Quod non conueniat omni substantiæ videtur instari.* nam non conuenit substantiis vniuersalibus, sed solum primis, cum illæ non recipiant realiter accidentia, nec illis substent; si autem esset proprietas quarto modo, deberet prius conuenire vniuersali; sicut omnis alia propria passio, quæ habet connexionem intrinsecam cum essentia, & ab ea dimanari & singularibus conuenit ratione naturæ communis. De cœlis etiam, & Angelis, quæ sunt substantiæ incorruptibiles dubitari potest, quòd non suscipiunt contraria, sicut neque corruptiua: ergo non conuenit omni substantiæ.

Quod soli substantiæ non conueniat videtur conuinci pluribus exemplis. Quantitas enim suscipit contraria, vt calorem & frigus, & in mysterio Eucharistiæ suscipit ea immediatè & per se, non mediante alio sustentante. Qualitas etiam suscipit contraria, sicut potentia intellectiua oppositos habitus, & actus. Et qualitates intensibiles remissionem, & intensionem, quæ sunt motus contrarij. Oratio etiam eadem manens suscipit veritatem, & falsitatem: ergo non soli substantiæ conuenit hæc proprietas.

Denique, suscipere contraria nihil est aliud quàm substare contrariis, quia recipere non substādo etiam conuenire potest accidentibus, sed hoc quod est substare constituit ratione primæ substantiæ, vt supra dictum est: ergo non est proprietas illius.

Nihilominùs tenenda est communis sententia, & explicatur sic ista proprietas, quæ quarto modo conuenit substantiæ, quòd sit susceptiua contrariorum; non tanquam medium recipiendi, quod etiam accidentibus potest conuenire, vt *statim dicemus*, sed vt prima ratio sustentandi; ita quod non ab alio priori, sed ab ipsa substantia habeant esse. *Secundò* vt sit proprietas realis non debet intelligi de receptione pro intentione subiicibilitatis secundum quod respicit prædicata illi conuenientia per modum prædicationis, sed restringenda est ad receptionem accidentium per modum realis sustentatiui, & subiecti, quod in sola prima, substantia exercetur, licet secundæ etiam substantiæ conueniat. *Tertiò addo*, vt propriè suscipere contraria intelligatur respectu accidentium communium: nam licet substantia recipiat accidentia propria tamen ista non sunt contraria; omnes enim propriæ passiones conueniunt eidem subiecto sine aliqua contrarietate; nec enim vna propria passio expellit aliam. Et sic ea, quæ habent contrarietatem, & recipiuntur in subiecto sunt accidentia communia, quæ recipiuntur eadem remanente substantia, seu non destructa. Quare esse per se primo sustentatiuum eorum, quæ inter se dicunt contrarietatem, substantia ipsa non destructa ex tali receptione, proprietas est quarto modo substantiæ, & restrictius se habet, quàm substare in tota sua latitudine, vt etiam se extendit ad prædicata superiora, & ad proprias passiones, quæ contrarietatem non habent.

Ad primam ergo instantiam respondetur: Quòd substantiis vniuersalibus etiam conuenit recipere contraria, identicè, & mediatè, immediate autem, & exercitè beneficio primæ substantiæ, cum qua identificantur. Et hoc modo nulli accidenti conuenit recipere, etiam beneficio primæ substantiæ; quia non identificantur cum illa: nec habent rationem sustentandi, etiam identicè, licet sint medium, vel dispositio ad fundandum, vel recipiendum alia accidentia.

Et quando instatur. Quòd proprietas prius conuenit essentiæ in vniuersali, quàm in singulari. *Resp.* Quod conuenit vniuersali quantum ad connexionem cum tali proprietate, & aptitudinem ad recipiendum; non quantum ad exercitium; hoc enim solum conuenit pro statu singulari, & hoc ipsum, quòd est habere aptitudinem in statu singulari, vt

exercitè sustententur accidentia, substantiæ vniuersali conuenit, & connexionem habet cum illa, & quando exercitè sustentantur accidentia ab indiuiduis, denominatiuè etiam conuenit secundis substantiis, quòd est substare secundo, seu mediatè. Proprietas autem substantiæ est absolutè substare, & simpliciter.

Ad secundam partem argumenti de Cœlis, & Angelis, dicitur; quod etiam cœli suscipiunt contraria, non quidem corruptiua sui, sed contrarios motus locales, & contraria loca; Angeli etiam contrarios actus, & diuersas sententias, & spirituales affectus suscipiunt, licet non contraria physica, id est, deseruientia ad generationem, & corruptionem substantiæ.

Ad secundam instantiam respondetur. Vnum accidens recipere aliud tanquàm medium, seu dispositio, qua recipitur aliud, non tanquàm sustentans, seu ratio sustentandi alia. Ratio autem medij recipiendi aliquod accidens non consistit in eo, quòd vnum accidens sit medium dandi esse alteri accidenti, sed quia est medium coordinandi accidentia in eodem subiecto, eò quòd non omnia æque primo conueniunt subiecto, sed vnum mediante alio, & supponendo aliud; sicut actus intelligendi media potentia: & color quantitate; quod expressit S. Doctor 1. 2. quæst. 7. artic. 1. ad 3. dum inquit: *Duo accidenda aliquando comparantur ad subiectum sine ordine, vt album, & musicum, aliquando cum aliquo ordine, puta quia subiectum recipit vnum accidens mediante alio; sicut corpus recipit colorem mediante superficie, & sic vnum accidens dicitur alteri inesse*, & qu. 2. de Virtut. art. 3. ad 2. *Nihil prohibet*, inquit, *plures formas in eodem subiecto esse secundum quendam ordinem; scilicet vt vna sit formalis respectu alterius, sicut color est formalis respectu superficiei.* Videri etiam potest 1. p. quæst. 77. artic. 7. ad 2. & 1. 2. quæst. 56. artic. 1. ad 3.

Quod autem dicitur de quantitate in Eucharistia. *Respondetur*; Non conuenire ei per se, & ab intrinseco, quòd sit sustentatiuum accidentium, sicut substantiæ, sed per aliud scilicet, quia sustentatur immediatè à causa efficiente, quæ est Deus, sine causa materiali subiectiua, quæ est substantia. Vnde qualitates, quæ antea erant vnitæ ipsi quantitati, vt sustentatæ in esse à substantia, remota substantia eodem modo illi vniuntur, vt sustentatæ in eodem esse à primo efficiente. Vnde non mutant vnionem, sed denominationem sustentationis.

Ad aliam partem argumenti de qualitatibus, & de oratione *Respondetur.* Quod attinet ad qualitates recipere modos oppositos intensionis, & remissionis, non vt subiectū sustentans, sed vt medium suscipiendi, quia sunt modi illarum qualitatum. Vnde non nisi mediantibus qualitatibus recipi possunt. Oratio autem recipit verum & falsum, non per mutationem sui tanquam subiecti recipientis, sed per mutationem obiecti, eius significatione inuariata manente, quia veritas & falsitas non in significatione consistunt, sed in conformitate, & difformitate ad esse rei. Substantia autem suscipit contraria per mutationem intrinsecam subiecti, non extrinsecam obiecti; quòd si veritas, vel falsitas aliquam perfectionem, vel modum ponunt intrinsecè in ipsa cognitione, vt *Aliqui existimant*, tunc dicendum est, sicut ad argumentum præcedens, quòd oratio suscipit contraria non vt subiectum *quod* sustentans, quod pertinet ad substantiam, sed vt medium recipiendi, sicut qualitas intensionem.

Ad vltimum respondetur. Quòd ista proprietas recipiendi contraria differt ab intrinseca quidditate substantiæ quia quidditas non est ipsa ratio substandi formaliter; sed radicaliter, & consistit in ratione postulante talem proprietatem. Et rursus proprietas suscipiendi contraria non dicit rationem substandi in tota latitudine, quia substare non solùm dicitur respectu contrariorum; sed etiam respectu propriarum passionum, & prædicatorum superiorum, quibus omnibus substat prima substantia; proprietas autem hæc solum dicitur respectu contrariorum quorum est susceptiua.

COORDINATIO PRÆDICAMENTI SVBSTANTIÆ.

SVPREMVM genus est Substantia. *Diuiditur in spiritualem, & corporalem. Spiritualis in varias species Angelorum. Corpus in corruptibile, & incorruptibile. Incorruptibile in varias species Cœlorum & Planetarum. Corruptibile in viuens, & non viuens. Non viuens in elementale, & mixtum, quorum quodlibet varias species habet. Viuens in animatum, seu sensibile, & inanimatum, vt planta. Planta in varias species arborum, & herbarum. Animal, in rationale, & irrationale. Irrationale in varias species brutorum. Rationale in indiuidua, vt Petrus, & Paulus.*

QVÆSTIO XVI.

De Quantitate.

ARTICVLVS I.

Quæ sit propria & formalis ratio quantitatis?

DEfinitionem Quantitatis non tradit Aristoteles in hoc tractatu Prædicamentorum, sed absolutè inchoauit à diuisione Quantitatis in continuam, & discretam. Definiuit autem Quantitatem in 5. Metaphys. text. 18. *Quantum est, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, aut singulum, vnum aliquid, & hoc aliquid natum est esse.* Cuius definitionis explicationem tradit ibi D. Thom. lect. 15. & tota explicatio reducitur ad hoc, quòd definit Aristot. quantum per diuisibile non in partes physicas, id est, materiam, & formam, nec in partes potentiales, sicut anima diuiditur in intellectiuum, & sensitiuum, nec in subiectiuas, sicut vniuersale diuiditur in inferiora; sed in partes integrales, & quantitati

titatiuas, quæ ita sunt compositæ, vt facta diuisione maneat vnaquæque aliquid vnum; sicut patet, cum aqua diuiditur in varias partes. In has partes integrales diuisibilis est res quanta.

Et quia non potest explicari quidditas alicuius rei, nisi prius intelligatur segregatio illius à reliquis generalibus, oportet supponere quantitatem esse accidens reale distinctum à substantia, & reliquis accidentibus, vt solum differentialem eius rationem, & propriam inquiramus. *Negauerunt hoc aliqui Nominales,* qui cum ex vna parte sentirent sine quantitate nullas dari partes, nec diuisibilitatem; ex alia verò parte cuiuscumque rei entitatem nihil aliud, quàm partes suas existimarent, dixerunt quantitatem non distingui realiter à re habente partes sine substantia sit, siue accidens.

Cæterum oppositum huius manifestauit nobis Sacrosanctum Eucharistiæ mysterium; in quo manet quantitas, quæ antea erat panis, vt oculis videmus, & non manet substantia panis, vt fides docet: distinguitur ergo, & separatur quantitas à re quanta. *Respondent* Nominales; quantitatem substantiæ non manere? cum ipsa enim euanuit, sed manere quantitatem qualitatum, cæterorumque accidentium extensorum. *Sed contra est,* quia ibi sunt plura accidentia, vel ergo vnumquodque habet suam quantitatem distinctam, vel datur aliqua communis omnibus; si datur aliqua communis omnibus, illa distinguitur ab vnoquoque accidente, cum sit communis pluribus, & distinguitur etiam à substantia, quæ ibi non est: ergo distinguitur quantitas à re quanta. Si dicatur primum: ergo illæ quantitates penetrantur, cum omnia illa accidentia sint in eodem loco, & sic vel penetrantur supernaturaliter, & per miraculum, vel naturaliter, & secundùm se. Primum dici non potest, quia eandem habent quantitatem illa accidentia post consecrationem, atque antea, quia habent eandem entitatem, & ab entitate non distinguitur quantitas; ante consecrationem autem erant etiam in eodem loco: ergo non indigent supernaturali miraculo, vt sint penetratæ. Si secundum: ergo quantitas talium accidentium naturaliter non resistit penetrationi, sed eam admittit: & sic erit quantitas alterius rationis ab illa, de qua loquimur in præsenti, & quam ipsâ experientiâ videmus penetrationi resistere. Et hanc dicimus esse distinctam à re quanta.

Ex quo etiam manet impugnata recentior quædam opinio, quòd quantitas est modus, & non accidens reale rei quantæ: modus enim non est separabilis à re cuius est modus. Quantitas autem in Eucharistia separatur à substantia. Vnde concedit hæc opinio, quòd quantitas substantiæ, cum ipsa euanescit; sed dicit manere aliam quantitatem dimensiuam; quæ quantitas si est modus alicuius accidentis ibi permanentis, tot erunt quantitates modales, quot accidentia, & sic inciditur in sententiam impugnatam. Si autem non est modus, sed realitas, habemus intentum, quòd quantitas est res, & non modus, & tunc debet explicare ista sententia, cuius sit illa quantitas dimensiua.

Ad fundamentum verò oppositum respondimus explicando sententiam D. Thom. quòd quantitas dicitur præbere partes integrales substantiæ, non constituendo illas, sed ordinando inter se. Et hæc ordinatio accidentalis est.

His suppositis varia, & multiplex est sententia Authorum in assignanda ratione formali constiautiua quantitatis, quam plerique venantur ex affectibus, qui à quantitate inducuntur, & aliqui sunt separabiles ab ipsa, alij non; eum enim communiter omnes intelligant effectum proprium quantitatis esse extensionem partium, ex qua extensione dimanant plures affectiones; sicut ratio mensuræ, ratio diuisibilitatis, ratio impenetrabilitatis, & repletionis loci. *Quidam assignauerunt extensionem quantitatiuam distinguendo illam ab extensione partium substantiali in ratione mensuræ,* quia hæc communis est quãtitati continuæ & discretæ, & secundum hanc rationem mensuræ quantitatem in prædicamentis explicasse Aristot. docet S. Thom. 5. Met. lect. 15. *Alij constituunt essentiam quantitatis in ipsa diuisibilitate, quidam* indiuisibilitate radicali, *alij* in formali & proxima. *Alij constituerunt essentiam quantitatis in extensione repletiua spatij,* non quidem quantum ad actualem repletionem, vt Nominales quidam senserunt, sed in aptitudinali, seu radicali; est enim quantitas forma postulans istam repletionem, vt autem ista ratio comprehendat omnem quantitatem, tàm continuam, quàm discretam, & successiuam distinguunt triplex spatium, loci, durationis, & discretionis, & secundùm spatium loci fit extensio quantitatis continuæ; quæ commensuratur diuersis partibus loci, secundùm spatium durationis fit extensio quantitatis successiuæ correspondens diuersis partibus temporis, vel motus; secundum spatium discretionis fit extensio quantitatis discretæ correspondens diuersis partibus numeri. *Alij assignant essentiam quantitatis in extensione partium, quatenus apta est ad resistendum penetrationi, & ad replendum locum, quantum est ex natura sua.* licet actualis repletio, & commensuratio separari possit à quantitate; de quibus sententiis. Curs. Carm. hîc disp. 13. quæst. 2. & 3. Merin. disp. de Quantit. q. & 2. M. Caber. hîc disp. 2. dub. 2. Suar. disp. 40. Metaph. sect. 4. *Denique alij constituunt essentiam quantitatis in extensione partium, non in ordine ad locum extra se, sed in ordine ad ipsum totum,* ita quod sine quantitate substantia, seu subiectum non habeat partes ordinatas, seu partem extra partem, quod est esse extensas. Quam sententiam communiter sequuntur discipuli D. Thomæ, vt videri potest apud Auth. cit. & Vazq. 1. p. disp. 196. cap. 3. Tolet. 1. Physic. quæst. 7. & alij.

In tanta sententiarum varietate, tria tanquam certa, & inter Authores magis conuenientia suppono, & in vno solum inuenio aliquam dubietatem. *Primum est;* Quod formalis ratio quantitatis non potest consistere primariò, & per se in mensura formali, vel diuisibilitate formali, vel actuali repletione loci, vel actuali impenetratione, aut quacunque actuali extensione in ordine ad locum; constat enim ex mysteriis fidei, sine istis affectionibus quantitatem inueniri; est enim corpus Christi in Eucharistia cum sua quantitate, sicut & cum reliquis accidentibus, vt probat S. Thom. 3. par. q. 76. art. 4. & tamen ibi non est modo diuisibili, nec modo mensurabili in ordine ad locũ diuisibiliter, nec impenetrabili modo. Constat etiam penetratum fuisse cum sepulchro, & quando exiit ex vtero Virginis, & clausis ianuis intrauit. Nec in Eucharistia replet actu locum cum totum sit in toto, & totum in qualibet parte. In his ergo non consistit ratio quantitatis. Quod si D. Thom. aliquando dicit consistere quantitatem in mensura, vt opusc. 52. vel in diuisibilitate, vt in 1. dist. 19. qu. 1. art. 1. ad 1. & 5. Met. lect. 15. loquitur de mensura, & diuisibilitate radicali.

Secundum est, Ad ipsam rationem quantitatis intrinsecam pertinere intensionem quantitatiuam, quæ sit radix, & aptitudo fundamentalis ad istas formalitates, & affectiones extensionis in ordine ad locum; petit enim quantitas quantum est ex se replere locum, non esse penetratiuè, esse formaliter diuisibilem, & similia; sunt enim isti modi connaturales quãtitati. Vnde sententia, quæ affirmat consistere quantitatem in extensione habente aptitudinem ad re-

plendum

plendum locum, & non ſe penetrandum veriſſima eſt, ſicut etiam conſiſtit in aptitudine ad menſuram, & diuiſibilitatem, ſed diminuta, quia explicat naturam rei, non per id, quod dicit formaliter, ſed per id, quod petit radicaliter. Difficultas autem eſt, in quo conſiſtat formaliter iſta radix.

Tertium eſt. Quod extenſio, quæ eſt in ordine ad totum præſuppoſitiuè importat entitatem partium; & deinde vnionem earum, & ordinationem; & quidem entitatem manifeſtum eſt non dari à quantitate, ſunt enim partes entitatiue ſubſtantiales. Vnio autem, & conſideratur ſubſtantialiter, ſeu entitatiuè, in quantum partes vnitæ componunt totum ſubſtantiale, & ſic etiam eſt certum non dari à quantitate, quia talis compoſitio non eſt accidentalis, ſed ſubſtantialis, quia & ipſum totum reſultans ſubſtantiale eſt. Et poteſt ſumi accidentaliter talis vnio, prout dicit vnionem non quomodocumque, ſed vt ordinatam quatenus tollit confuſionem vniendo vnam partem alteri non ſecundum ſe totam, ſed ſecundum aliquid illius, nempe ſecundum extremitatem, ratione cuius dicitur ponere vnam partem poſt aliam, quia exit aliquid partis extra aliam partem, & non ſecundum ſe totam illi vnitur, & hoc vocatur formalitas partis extenſæ non quatenus entitas partis eſt, ſed quatenus diſtincta, & ordinata, ſeu non confuſa eſt, dependetque hoc ab extremitatibus, & indiuiſibilibus, ſine quibus partes non vniuntur ordinatè, & inconfuſè. *Et de hoc eſt dubium,* an ſit effectus formalis quantitatis.

RESOLVTIO.

Sit vnica concluſio. *In ſententia S. Thomæ propria, & formalis ratio quantitatis eſt extenſio partium in ordine ad totum, quod eſt reddere partes formaliter integrantes. Vnde remota quantitate, ſubſtantia non habet partes integrales formaliter in ratione partis ordinatas & diſtinctas.* Antequam probetur concluſio, *Aduerto* illum terminum *partes diſtinctæ*, ſeu diſtinctio partium, dupliciter poſſe conſiderari; vno modo ſecundum, quod ly *diſtinctio* opponitur vnitati omnino ſimplici: alio modo, vt opponitur confuſioni; per diſtinctionem enim, & poteſt tolli vnitas, quando fit multiplicitas, & poteſt tolli confuſio, quando fit ordo, nam ea dicuntur confuſa, quæ ſunt ſine ordine; diſtincta autem, quæ ordinate, & debite collocata. Quod ergo aſſerimus eſt, quod quantitas formaliter, vt quantitas eſt non conſtituit partes ſubſtantiæ, quantum ad earum entitatem, & intrinſecam rationem, ſed quantum ad ordinationem, quæ confuſionem tollit; & hæc ratio ordinationis eſt formalitas accidentalis partium, quæ conſtituuntur à quantitate in ratione ordinati, & diſtincti.

Quod ergo ſit expreſſa ſententia D. Thomæ, *probatur:* in primis opuſc. 42. cap. 16. inquit: *Quod pars & pars in aliquo eſt per quantitatem, quæ eſt accidens primum corporis cum ſit eius menſura.* Item in opuſc. 48. tract. de quantitate cap. 4. inquit: *Quod poſitio vno modo dicitur ordo partium in loco, & ſic & vnum de prædicamentis; quod dicitur Situs: alio modo poſitio eſt ordo partium in toto, & ſic poſitio eſt differentia quantitatis.* Et idem docet ibidem agendo de prædicamento Situs cap. 1. & in 4. Phyſic. lect. 7. Sentit ergo D. Thomas, quod ordo, ſeu extenſio partium in toto eſt propria, & differentialis ratio quantitatis. Et eodem modo loquitur in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. ad 2. vbi inquit: *Quamuis non ſit accipere ordinem partium corporis Chriſti ſecundum comparationem ad partes Hoſtiæ; tamen eſt accipere ordinem ipſarum partium ad inuicem in corpore Chriſti ſecundum propriam quantitatem.* Sentit ergo Diuus Thomas, quod ordo partium in toto ad ipſam quantitatem pertinet.

Quod autem remota quantitate ſubſtantia maneat indiuiſibilis, & ſic quantitas primo, & per ſe ordinat partes in illas, *Probatur* ex ipſo Diuo Thoma. Nam in opuſc. [illegible] 70. quæſt. 5. art. 3. ad 3. inquit: *Materia diuidi non poteſt, niſi ex præſuppoſita quantitate, qua remota, ſubſtantia omnis indiuiſibilis remanet, & ſic prima ratio diuerſificandi ea, quæ ſunt vnius ſpeciei eſt penes quantitatem, quæ quidem quantitati competit in quantum in ſua ratione ſitum quaſi differentiam conſtitutiuam habet, quod nihil eſt aliud, quàm ordo partium.* Vbi Diu. Thom. non ſumit ſitum formaliter, ſed pro radice, alioquin quomodo poterat ignorare, quod eſt prædicamentum diſtinctum à quantitate, & non eius differentia conſtitutiua? Item in quodlib. 9. art. 6. inquit: *Quod diuerſitas partium non poteſt intelligi in materia non intellecta diuiſione, nec diuiſio non intellecta dimenſione, quia ſubſtracta quantitate, ſubſtantia remanet indiuiſibilis, vt dicitur* in 1. Phyſicor. tex. 18. & idem dicit 1. part. quæſt. 50. art. 2. in corp. & 4. contra Gent. cap. 65. ſcilicet, *quod remota quantitate hominis ſubſtantia eſt indiuiſibilis.* Et addit, *quod hoc habet proprium quantitas inter reliqua accidentia, quod ipſa ſecundum ſe indiuiduatur, quod ideo eſt, quia poſitio, quæ eſt ordo partium in toto in eius ratione includitur; eſt enim quantitas poſitionem habens.* Ecce quàm manifeſtè, & quàm conſtanter Diuus Thomas, vtrumque docet, & quod quantitas præbet ordinem, & rationem partium in toto, & quod ipſâ remotâ, ſubſtantia remanet indiuiſibilis. Imò etiam remota comparatione quantitatis in ordine ad locum, vt in corpore Chriſti, adhuc remanet diuiſibilis, & extenſa in ordine ad totum ratione quantitatis: ergo ſentit quod remota quantitate, neque quoad locum, neque quoad totum ſubſtantia remanet diuiſibilis, quod eſt, non habere partes formaliter in ratione partium.

Fundamentum autem huius ſententiæ, licet pluribus rationibus ſtabiliri ſoleat, quibus intenditur deſtrui illa extenſio entitatiua partium integralium ante quantitatem; *maior tamen efficacia rationum ad duo principia principaliter reducitur. Primum,* non poſſumus explicare in præſenti, ſed ſupponendum eſt, & *in libris de generatione* late tractãdum; ſcilicet quod indiuiduatio rerum corporearum ſumitur à materia ſignata quantitate; à materia quidem, vt à principio ſubſtantiali, quæ non formaliter, ſed radicaliter indiuiduat. Vnde non eſt ipſa indiuiduatio, ſed principium indiuiduationis; à quantitate autem, vt à conditione requiſita, non vt à principio per ſe ſubſtantialis indiuiduationis. Quæ doctrina inuenitur expreſſe in Diuo Thoma opuſc. 70. quæſt. 4. art. 2. & pluribus aliis locis. Ex hoc autem principio neceſſario deducitur, quod ſi quantitas eſt deſignatiua materiæ, quantum ad indiuiduationem, ſeu diſtinctionem indiuiduorum, etiam erit quantum ad diſtinctionem partium, quia ſola diuiſione actuali partes ſignatæ, & extenſæ, fiunt plura indiuidua. Et ita ad idem principium pertinet ſignatio diſtincta partium, & indiuiduorum. Vnde & quantum dicitur à Philoſoph. *diuiſibile in ea quorum vnumquodque vnum aliquid, & hoc aliquid natum eſt eſſe,* id eſt, quod ita eſt deſignatum, quod ſola actuali diuiſione fit hoc, vel illud indiuiduum.

Secundum principium in præſenti explicandum ſumitur ex propria ratione partium integralium, quæ vt ſint extenſæ, ſine confuſione, & ordinatæ, non ſufficit ſola ſubſtantia, ſed requiritur aliquod accidens. *Et probatur.* Quia extenſio partium in toto non eſt quæcumque vnio earum inter ſe, ſed vnio penes extremitates tantum, ita quod non vniatur vna pars

alteri se tota; ita vt in illa penetretur,& imbibatur, sicut vnio formæ cum materia, quæ pure substantialis est. Nam si vna pars vnitur cum alia in ipso toto penetratiuè, & secundum omnem sui partem non vnitur extensiuè, hoc est, vna extra aliam. Requiritur ergo ad vnionem extensiuam in toto quod partes vniantur secundum extremitatem, & non se totis, quia hoc ipso penetratiuè vnientur, sicut materia, & forma est autem distinctus modus vnionis in partibus integralibus, atque in materia,& forma. Inquiro ergo vnde prouenit, quod substantia vnius partis, v. g. manus impediatur secundum omnem partem sui vniri brachio, & solum penes extremitates vniri illi, & continuari? Hoc enim ex vi ipsius substantiæ prouenire non potest cum substantia ex se non habeat partes cum extremitatibus, quia extremitates non habentur nisi per indiuisibilia. Substantia autem indiuisibilia non habet ex se, v. gr. lineam, superficiem,& puncta, quia hæc sunt species propriæ quantitatis.

Si autem dicatur, Substantiam etiam habere sua indiuisibilia substantialia, correspondentia indiuisibilibus quantitatis. *Contra hoc vrgeo sic argumentum.* Ad hoc ponuntur ista indiuisibilia substantiæ, vt partes substantialiter vniantur secundum extremitates; scilicet extensiuè, & non penetratiuè, nam si penes extremitates non vniuntur, hoc ipso se totis vnientur, & penetratiuè, quod est manere confusas, & non ordinatas inter se, seu vna post aliam. Si ergo istis indiuisibilibus & extremitatibus partes substantiales vniuntur ante quantitatem; manent ergo in ipso toto impenetratæ, seu extēsæ antecedenter ad quantitatem: ergo substantia secundum se habet sufficiens principium, vt resistat penetrationi, quoad locum,& repleat ipsum. Et consequenter frustra ponitur ratio formalis quantitatis in hoc quod sit principiū impenetrationis quoad locum; cum id habeat extensio entitatiua substantiæ secundum se. *Consequentia probatur.* Quia illa extensio entitatiua substantiæ ita fit secundum extremitates, & indiuisibilia ante quantitatem, quod illa vnio impedit, ne vna pars in toto penetretur cum alia, quantum ad continuationem: ergo etiam impediet, ne penetretur cum partibus contiguis alterius corporis adiacentis; non est enim intelligibile, quod principium quod sufficit impedire vnionem, & penetrationem partis continuæ, non impediat vnionem, seu penetrationem partis contiguæ. Sed principium impediens penetrationem contigui ab Authoribus oppositis vocatur extensio quantitatiua distincta ab entitatiua: ergo ante quantitatem ponunt in substantia formalem rationem quantitatis, hoc ipso quod ponunt partes substantiales vniri ordinatè,& sine confusione per extremitates, & indiuisibilia substantialia. Tenendum est ergo, quod vnio ista extensiua in toto, accidentalis est,& à quantitate prouenit.

Et si dicas. Nam in corpore Christi sacramentato datur extensio quantitatiua in ordine ad totum, ita quod vna pars non penetratur cum alia in vnione totius, & tamen in ordine ad locum non habet extensionem, sed modum indiuisibilem: ergo ab alio principio prouenit extensio ista in ordine ad locum, quam vnio partium in ordine ad totum. *Respond.* Quantitatem corporis Christi, quæ est in ipso toto esse principium sufficiens ad impenetrationem, & extensionem in ordine ad locum, nisi diuinitus impediretur iste effectus, qui secundarius est in quantitate, & propriè pertinet ad vbi circumscriptiuum, & ideo in hoc, facimus totam vim argumenti, quod in substantia, secundum se, & ante quantitatem datur principium repugnans penetrationi corporis contigui, hoc ipso quod datur principium repugnans penetrationi partium in continuo; quod si non datur principium repugnans penetrationi in loco, neque datur repugnans penetrationi in toto, & ita vterque effectus prouenit non à substantia, sed à quantitate, licet possit vnus effectus separari ab alio per potentiam absolutam Dei, quia vnus est primarius, alter secundarius.

Solvvntvr Argvmenta.

Ferè tota difficultas, *& argumenta, quæ fiunt contra hanc resolutionem dependent ex illo principio*, quod partes substantiæ in sua entitate vel distinctione non dependent à quantitate, & ita consideratur substantia sine quantitate, & tamen cum partibus. Nam verbi gratia, si Deus auferat quantitatem à substantia conseruando illam, tunc, vel substantia manet cum partibus distinctis & extensis, vel sine illis, & indiuisibilis. *Si primum* est intentum, *si secundum* sequitur quod omnes partes substantiæ confluant ad punctum,& hoc, vel fit in instanti, vel tempore. In instanti non potest, quia fluxus seu motus non potest fieri in instanti. Si in tempore: ergo quamdiu durat tempus illud, durant partes; & tamen non est quantitas. Nec est maior ratio cur ad vnam partem confluat illa substantia, quàm ad aliam, ergo manebit sicut antea.

Confirm. Quia si duæ partiales substantiæ vniantur, & de nouo acquirantur vt fit in nutritione, & Deus auferat ab illis quantitatem, vel illæ partes manebunt vnum, vel distinctæ, id est, vna pars non erit alia. *Si hoc vltimum* habetur intentum. *Si primum,* ergo amittent principia indiuiduantia,& differentias indiuiduales eisdem permanentibus, quod implicat. *Et idem argumentum est* de duplici igne, quorum vnus produxit alium si vniantur inter se, & Deus auferat quantitatem. Vel manebunt diuersæ partes, vel non: si manent habetur intentum: si non manent, ergo ablata quantitate est idem, & vnum producens,& productum. Similiter si in ligno trium palmorum auferat Deus quantitatem à duobus palmis extremis relicta quantitate in medio, tunc illæ duæ extremitates sunt diuersæ partes ligni, & sine quantitate. Ergo.

Hæc omnia eandem inculcant difficultatem, & ex vnico principio dissoluuntur nempè quod substantia ante quantitatem non habet partes formaliter extensas, id est, ordinatas, & inconfusas; habet tamen partes radicaliter, id est capacitatem ad recipiendum illam ordinationem, & distinctionem partium, quæ sine quantitate manent penetratæ; & se totis vnitæ quod est non habere partes extra partes. Neque hoc mirum videri debet, quia sublata quantitate tolluntur omnia indiuisibilia, & extremitates, sine quibus partes non vniuntur extensiuè, id est, penes extremitatem vnius, & alterius, sed penetratiuè, & se totis: manet ergo tota entitas partium sublata quantitate, sed confusa,& per modum vnius, non autem est ibi alia, & alia pars integralis formaliter, sed solum radicaliter.

Igitur ad primum casum dicimus, quod sublata quantitate substantia non conflueret ad punctum sed careret omnibus punctis, & consequenter omni vnitiuo partium per modum extensionis, quia vt bene aduertit D.Th. in 2.dist.30.q.1.a.1. substantia sine quantitate non est indiuisibilis per reductionem partium ad punctum, quod est principium quantitatis, sed per carentiam omnis diuisibilitatis. Vnde non esset in illa substantia aliquis motus, sicut neque locus physicus, sed solum esset in vniuerso, tanquam quædam pars illius, non vt locatum in loco, omnes enim istæ imaginationes tollendæ sunt, quia sequuntur

tur quantitatem, vt locatam, vt bene docuit Caietanus 1.part. quæst. 52.art.1.circa medium. Quare illa substantia, neque est distans, nec alicubi positiuè, sed solum haberet existentiam suam sine loco, sicut res extra mundum, & Angelus non operans.

Ad confirm. Respond. Quod ablata quantitate à partibus, non manent actu distinctæ, sed confusæ, & vna entitas cum capacitate radicali distinctionis partialis. *Et quando dicitur*, quod vna pars non est alia, & quod non stat amittere differentias indiuiduales manentibus eisdem. *Resp. negando suppositum*, quia remota quantitate nulla pars manet actu, sed solum radicaliter, & in potentia, vnde omnis differentia indiuidualis in genere partis cessat, quia in actu non datur pars. Nec remanent eædem partes semotis differentiis: quia vt diximus partes non manent in actu, sed substantia quædam confusa capax partium non actu ex partibus composita, sicut si daretur materia sine forma, nullum esse formale actu haberet, sed solum in capacitate, & potentia vt in 1. Physic. dicetur.

Instabis, duo indiuidua, v. g. duo lapides semota quantitate, adhuc remanent distincta secundum differentias indiuiduales, licet à quantitate dependeat eorum indiuiduatio, ergo & partes substantiales distinctæ manebunt actu secundum distinctionem substantialem, licet illa à quantitate dependeat. *Respond. Negando consequent.* Et disparitas est, quia distinctio indiuiduorum dependet à quantitate, vt diuidente, & separante, diuisione autem semel facta si remoueatur quantitas, cum ipsæ substantiæ iterum non vniantur inter se separatæ manent, & non vnum, idque habent per ordinem ad quantitatem, licet illa non informentur, sicut anima quæ indiuiduatur per ordinem ad corpus, etiam separata à corpore per ordinem ad illud indiuiduatur, & accidens separatum per ordinem ad subiectum. At verò partes in eodem toto non distinguuntur per quantitatem vt diuidentem, & separantem eas, sic enim partes non manerent, sed tota, sed per quantitatē, vt ordinarē eas vnientem scilicet non se totis, & confusè, sed per extremitates, vnam ponendo extra aliam, sed non diuidendo ab alia. Remota autem quantitate soluitur ista vnio sic ordinata, & extensa, & succedit alia, qua partes illæ se totis, & confusè vniuntur, seu potius fiunt vnum in substantia, & ita impeditur earum distinctio in ratione partis & hoc est amittere differentias indiuiduales partium, partes enim in ipso toto non habent differentias indiuiduales simpliciter, quæ solum fiunt per diuisionem, sed secundum quid, quia reuera vnum componunt, & simpliciter indiuidua distincta non sunt. Vnde actualis earum distinctio in genere partis non manet actu remota quantitate, sed in potentia quia vnio illa ordinata qua distinguebantur, mutatur in aliam confusam, quæ distinctionem actualem impedit.

Ad illud de producentē, & producto quod erunt idē in illo casu. *Respond.* Quod nunquam producens, & productum sunt idē quando exercetur productio, sed ea cessante, res quæ producit bene potest transire in substantiam producti, illique vniri, vt si filius comedat partem, & tunc remota quantitate, solum virtualiter, & radicaliter distinguentur illæ partes. Et de potentia absoluta per transubstantiationem res producens potest absolute conuerti totaliter in rem productam.

Ad vltimum casum dicitur, quod remota quantitate ab extremis, & inter media quantitate manente, consequenter diuiditur ipsa quantitas & extrema illa manent separata à toto, & fiunt indiuidua per ordinem ad diuisam quantitatem, non verò amplius partes sunt. Quod si Deus illas retinet vnitas cum substantia intermedia, non manebunt formaliter partes, sed radicaliter vtpote confusæ, & se totis vnitæ cum substantia intermedia.

Et si quæras, quid est substantiam radicaliter habere partes, & quomodo differt à substantia indiuisibili, vt est Angelus? *Respondetur*; Differre à substantia spirituali, quia spiritus caret partibus negatiuè, & secundum incapacitatem: corpus autem spoliatum quantitate caret partibus priuatiuè, & cum capacitate ad illas. Sed non dicitur actu illas habere, quia non habet illas distinctas, & plurificatas extensione, scilicet vnam extra aliam, sed ad modum vnius per confusionem redactas intra se, & non solum in ordine ad locum, atque ita manet entitas ordinata ad extensionem partium, non ipsa partium extensione ordinata.

Secundò arguitur. Quando substantia est sub quantitate habet partes distinctas, non solum accidentaliter, sed etiam substantialiter: ergo etiam remota quantitate substantialis illa distinctio manere potest. *Antecedens prob.* Quia modo distinctio manus à brachio non fit per solam quantitatem; si enim per solam quantitatem differrent non essent duæ partes substantiæ; sicut corpus Christi positum sub Sacramento, & in cœlo non sunt duo corpora licet accidentibus loci varientur: ergo similiter si illæ partes differunt substantialiter non distinguuntur per solam quantitatem. *Et confirm.* Quia vnitas, vel diuisio sequitur esse rei, sed quælibet pars substantialis habet esse substantia non à quantitate, sed à se. ergo neque vnitatem, & distinctionem substantialem habebit à quantitate, sed à se. *Ma. constat.* Quia vnitas est passio entis, & plures vnitates plurium entium: ergo vnitas, vel distinctio substantialis est passio substantiæ, & sic non pendet à quantitate. Vnde S. Th. 5. Metaph. lect. 15. dicit quod sola quantitas habet diuisionem in partes proprias post substantiam: ergo supponit D. Thomas substantiam habere proprias partes.

Confirm. secundò. Quia quantitas manus non est in pede, vel è contra: ergo quantitas vnius partis non recipitur in alia: ergo supponitur alia, & alia ratio partis ante quantitatem, siquidem quantitas, quæ recipitur in vna non recipitur in alia. Et rursus sublata quantitate manet in illa substantia entitas manus, & entitas pedis, & reliquarum partium; sed entitas manus non est tota entitas illius substantiæ: ergo est pars. *Nec potest dici*, quod reducitur ad indiuisibilem entitatem sicut substantia spiritualis, quia in entitate spirituali non est entitas manus, & pedis; sicut est in substantia corporea remota quantitate.

Respond. ad principale argumentum. Quod substantia sub quantitate habet partes duplici modo distinctas; scilicet substantialiter, & accidentaliter, sed substantialis distinctio non est in actum reducibilis, nisi dependenter à quantitate, vt à conditione, sine qua illa distinctio substantiæ non exibit in actum; sicut substantia non exit in actum influendi, & operandi nisi posita qualitate tanquam instrumento quo operetur, & remota qualitate solum manet radicaliter operans: ita sine quantitate remanet confusio, & indistinctio quā positā, substantia non potest prodire in actum distinctionis substantialis secundum extensionem partium, quæ tollat istam confusionem, sed totum radicaliter manet distinguibile mediante quantitate; itaque à substantia venit ratio constituendi partes, à quantitate ratio ordinandi, & tollendi confusionem per extensionem, & ipsa distinctio substantialis ab ista ordinatione, vt à conditione requisita dependet.

Ad primam confirm. Resp. Quod vnitas, vel diuisio sequitur entitatem, sed non semper absolute, sed dependenter ab aliquo extrinseco sine quo distinctio non sequitur in actu, sed manet in potentia. Itaque vnitas sequitur ens non præscindendo à statu, quia aliquando vnitas statum inuoluit, v. g. vnitas indiuiduationis, vnitas vniuersalitatis, vnitas ordinis, &c. Status autem isti dependere possunt ab accidentibus, saltem vt à conditionibus, sine quibus status ille non est; sicut status indiuiduationis dependet à collectione proprietatum quæ conueniunt vni indiuiduo potius, quàm alteri, & à designatione materiæ, quæ fit per quantitatem. Et similiter distinctio partium integralium, quia non fit, sine ordine tollente confusionem illarum, ideo dependet à quantitate, ratione cuius vocantur illæ partes materiales, accidentales à D. Thom. opusc. 70. citato. Et ad locum ex 5. Met. *Resp.* Quod substantia habet proprias partes radicaliter ex se, formaliter, & ordinate ex quantitate. Et iterum habet proprias partes Physicas materiam scilicet, & formam, non verò extensas, & integrales.

Ad secundam confirm. Respond. Quod licet quantitas manus non recipiatur in pede, non tamen sequitur quod ante quantitatem sit alia pars manus, & pes formaliter, sed solum sit aliquid capax, & receptiuum quantitatis manus, & quantitatis pedis, quod est radicaliter, & in capacitate antecedere illas partes, & vt ordinabiles non vt ordinatas. Et sic recipitur diuersa quantitas in diuersis partibus non quas supponit diuersas, sed quas facit. Sicut in opinione distinguente existentiam ab essentia, & materiam ponente inseparabitem ab omni forma, existentia recipitur in subiecto existente, & forma in materia existente, non per existentiam, quam supponat, sed quam præbeat, sed solum capacitatem ad existendum supponit. Similiter ad id quod additur, quod entitas manus non est tota substantia semota quantitate. Dicimus, quod non est tota adæquatè, non tamen sequitur quod sit pars formaliter, sed solum radicaliter, quia non est capax eiusdem quantitatis, & ordinationis, quæ est in toto, ex se tamen non habet aliam ordinationem, & distinctionem partis in actu. Nec tamen sequitur, quod illa entitas redditur spiritualis, quia manet cum capacitate quantitatis, quam non habet spiritus; habet tamen modum quendam spiritualitatis, sicut corpus Christi in Sacramento.

Vltimò arguitur. Substantia acquirit partes, non simul, sed successiuè, ita vt producendo vnam, non eadem quæ antea erat producatur, sed distincta neque producitur solum noua quantitas, sed noua substantia, quia producitur per nutritionem, quæ est actio distincta ab augmentatione; augmentatio autem formaliter versatur circa maiorem quantitatem: ergo si ab illa distinguitur nutritio, seu aggeneratio, quia versatur circa substantiam, oportet quod habeat distinctum terminum formalem in ratione substantiæ, sed non terminatur ad totam substantiam, quia hoc pertinet ad ipsam generationem ergo ad partem, & sic ante quantitatem datur pars in substantia. *Confirmatur.* Quia partes substantiæ vniuntur substantialiter, ergo secundum substantiam datur diuersitas, & non solum secundum quantitatem; vnio enim inter extrema diuersa est. Et similiter ablata quantitate si partes confunduntur oportet, quod diuerso modo vniantur quàm ante sub quantitate. Cur ergo non poterit Deus impedire illam nouam vnionem; & sic manebunt non confusæ sine quantitate? Denique non repugnat in Eucharistia consecrata medietate hostiæ, aliam medietatem manere non consecratam, & tunc non distinguitur à medietate consumpta penes quantitatem, quia quantitas illius medietatis ibi manet: ergo sine quantitate distinguitur, & consequenter posset sic conseruari à Deo vna, & altera medietas sine quantitate.

Respond. Nutritionem, & quamcunque acquisitionem successiuam partium terminari formaliter ad substantiam; sed tamen secundum quod habet pro conditione quantitatem, ratione cuius est formaliter pars distincta. Augmentatio verò è contra formaliter terminatur ad quantitatem, sed tamen vt inhærentem in substantia, & hoc sese habet vt conditio respectu augmentationis. Vnde nutritio, & aggeneratio distinguuntur ab augmentatione ex parte termini formalis; quia terminus nutritionis est substantia, non quidem totalis, sed partialis, non tamen ex formalitate termini nutritionis habet formalitatem partis, sed ex conditione adiuncta quantitatis. Vnde si terminaretur ad substantiam nudatam omni quantitate non terminaretur ad partem formaliter, sed ad partem radicaliter.

Ad confirm. Respond. Quod illa vnio substantialis partium non potest fieri independenter à quantitate tanquam à conditione requisita ad ordinationem, & designationem partium, quia designatione supposita, etiam ipsa substantia partium vnitur, sicut etiam in sententia Diu. Thom. materia signata quantitate, tanquam conditione requisita est principium indiuiduationis substantialis; sine designatione enim materia potius est principium confundendi, quàm diuidendi, & indiuiduandi. Sic etiam substantia sine quantitate cum non supponat ordinationem partium non potest inter illas vt ordinatas exercere substantialem vnionem; sed dicitur remanere confusa, & consequenter sine vnione substantiali inter extrema distincta formaliter, sed solum radicaliter.

Ad id quod additur, Quod confusio partium remota quantitate fit per nouam vnionem. *Respondetur.* Non esse necessariam, sed solum omnis vnionis ablationem; neque enim remota quantitate partes replicantur, vel penetrantur, vel reducuntur ad punctum, quod totum postularet vnionem positiuam, sed solum relinquuntur in negatione omnis diuisibilitatis, vt dicit Sanctus Thomas in 2. distinct. 30. quæst. 1. articul. 1. ad quam negationem non est necessaria vnio positiua; neque enim manent partes, quæ vniantur per confusionem positiuam, sed solum entitas capax partis, & partibilitatis, quæ est confusio negatiua.

Ad casum autem, qui ponitur de consecratione medietatis hostiæ. *Respondetur.* Quod illa medietas, quæ consumitur, distinguitur ab ista medietate, non tanquam pars illi coordinata, & distincta, sed tanquam quoddam totum, quia conuersa est in corpus Christi, quod suam habet quantitatem distinctam. Si autem illa medietas separaretur à Deo, non conuertendo illam in aliquam substantiam, & remanente eius quantitate cum alia medietate hostiæ, tunc distingueretur ab alia medietate per separationem tanquam totum, non per vnionem ordinatam vt pars, diceretque ordinem ad diuisam, & diuersam quantitatem, quam petit ex vi huius separationis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm quantitas discreta sit vera species quantitatis?

NOn minor est difficultas in intelligenda ratione formali quantitatis, quæ sua extensione vnit partes, & est quantitas continua; quàm illa quæ sua extensione separat, & est quantitas discreta, seu numerus. Et supponenda est vulgaris distinctio *numeri numerantis, & numeri numerati*. Numerans dicitur ille qui est ratio numerandi in intellectu, vt duo, tria, quatuor, &c. quæ sunt rationes, quibus omnem materiam numeramus. Numerus vero numeratus sunt res ipsæ, seu materia, quæ numerationi isti subijcitur, & potest iste numerus numeratus sumi, & generaliter pro omni multitudine, quomodocumque numerabili ab intellectu etiam, quæ in rebus spiritualibus inuenitur, & specialiter pro multitudine quantitatiua, quæ ratione quantitatis specialem rationem mensuræ habet in numerando, ratione cuius aliquando ipsa discretio quantitatis, respectiuè ad substantiam, quæ illi subiicitur dicitur numerus numerans, id est, præbens rationem, qua numerabilis est quantitatiuè, vt sumitur ex Diuo Thoma opusculo 48. tractatu de quantitate cap. 6.

Est ergo difficultas in duobus explicandis. Primus: An ista ratio numeri in quantitate discreta sit aliquid vnum per se, ita vt sufficiat ad constituendam veram speciem quantitatis. *Secundum*, à qua forma sumat numerus vnitatem, supposito quod habet partes separatas, & diuisas realiter.

Est ergo multorum sententia, qui attendentes ad multitudinem ex qua constat numerus, dixerunt illum non esse ens per se, sed per accidens, & consequenter excludendum esse à speciebus per se quantitatis. Ita videri potest apud Fons. 5. Metaph. cap. 7. quæst. 5. sect. 2. Suarez disp. 41. Metaph. sect. 1. Vazq. 1. p. disput. 26. cap. 3. Conimb. hîc quæst. 2. art. 1. *Alij verò ex opposito affirmant*, numerum esse per se vnum vnitate quantitatis discretæ, licet non sit vnum in genere quantitatis continuæ. Hanc communiter sequitur vtraque schola D. Thom. & Scoti, sed in eius vnitate explicanda non omnes conueniunt. Nam quidam dicunt numerum esse vnum vnitate ordinis, quod habet fundamentum in D. Thom. 7. Metaph. lect. vltim. super text. 60. vbi dicit syllabam, & numerum sortiri speciem ab ordine. Sed hæc vnitas si præcisè accipiatur magis videtur relatiua, quàm quantitatiua. *Alij dicunt*, quod vltima vnitas dat formam, & vnitatem numero, quod expressè dicit D. Thom. 3. 8. Metaph. lect. 3. & intelligi debet de vltima vnitate cum ordine ad alias. *Habet tamen difficultatem*. quia vltima vnitas in multitudine non est determinata pro ista vnitate potius quàm pro alia, & sic nunquam manebit determinatè vnum a parte rei. *Alij dicunt*, ipsam discretionem esse formalem rationem numeri: vnitates verò, quæ multitudinem componũt esse subiectum, & materiam huius discretionis. Ita communiter discipuli Scot. vt videri potest apud P. Merin. hîc super cap. de quantitat. quibus fauere videtur D. Thom. opusc. 48. tract. de prædicamento quantit. cap. 1. Sed tamen non apparet, quomodo discretio sit vna forma simpliciter de genere quantitatis & non relationis, & habeat pro subiecto, cui realiter insit, res ita diuersas, & realiter separatas; imo non videtur aliud discretio, quàm diuisio, quæ non est forma constituens numerum in ratione vnius speciei, sed solum in ratione multitudinis, & separationis quantitatis continuæ; multitudo autem, vt multitudo non est species quantitatis. *Alij denique* omnem numerum dicunt esse pluralitatem, seu multitudinem non ordinatam ad componendum aliquod vnum principium operationum; esse tamen numerum speciem quantitatis in quantum habet rationem mensuræ; cæterum non habere vnitatem nisi ab intellectu nostro, realiter autem solum habere mensurabilitatem, quæ est numerositas partium, ita Torreion hîc disp. 3. quæst. 5. Sed hoc est simpliciter excludere numerum à prædicamento quantitatis, quia nec vnitas eius est realis, nec ratio mensuræ communis omni multitudini spirituali, & corporali quantitatiua est; vnitas autem numeri non sumitur ex ordine ad aliquam operationem sicut nec quantitas continua, quia operatiua non est.

Vt ergo, quod in hac parte probabilius est, & conformius menti S. Doctoris explicemus duplici conclusione respondeo.

Prima conclusio. *Numerus, qui componitur ex vnitatibus quantitatiuis est vera, & propria in species quantitatis*. Hæc conclusio non potest negari in doctrina Aristotelis, quia non solùm hîc in prædicamentis, sed etiam in 5. Metaph. vbi solum numerauit species quantitatis per se, & exclusit species quantitatis per accidens, numerum posuit inter quantitates per se. *Nec potest explicari Aristoteles*, vt aliqui dicunt, quod posuit numerum inter species quantitatis, non quia habet veram vnitatem, sed quia habet suum modum extensionis, seu multiplicationis, & communiter concipitur per modum vnius habentis suam definitionem, & proprietates, quod satis est, vt in prædicamento collocetur, neque enim omnia, quæ in prædicamento ponuntur habent propriam, & per se vnitatem. *Sed hac solutio deuorat totum inconueniens*, destruítque rationem ordinis prædicamentalis, si enim non habet veram vnitatem, sed est ens per accidens, ergo à prædicamento excluditur, quia non habet definitionem per se, siquidem non habet quidditatem per se vnam, & consequenter, neque habet vnum genus, & vnam differentiam tantum, atque adeo neque ponitur in vno prædicamento, quia prædicamentum est ordinatio generum & specierum per suas differentias. Si ergo Aristoteles exclusit ens per accidens à definitione, vt patet in 7. Metaph. quomodo numerum, qui est ens per accidens, per se poneret in prædicamento tanquam constans genere & differentia, quod est definitio? Quare de mente Philos. nullatenus dubitari potest.

De mente S. Thom. multò minus potest esse difficultas. Nam quod numerus quantitatiuus sit ens per se, & ponatur in prædicamento quantitatis manifestè affirmat pluribus in locis; vt patet in 5. Metaph. lect. 15. & 4. Metaph. lect. 2. & in 1. dist. 24. quæst. 1. art. 3. & quæst. 9. de potent. art. 7. & 1. p. q. 11. art. 1. ad 1. & quodlib. 10. art. 1. Nec oportet verba eius sigillatim referre, cum vbique dicat numerum esse speciem quantitatis, & esse vnum per se. Vnde qui voluit explicare D. Thom. quando dicit vltimam vnitatem constituere speciem numeri, quod loquitur metaphoricè, vel non legerunt, vel explicare noluerunt D. Thomam in aliis multis locis, vbi absolutè docet numerum esse aliquid vnum per se, & in prædicamento quantitatis poni. Inde enim intelligimus, quod quando dicit vltimam vnitatem dare speciem numero, loquitur de specie per se vna & vera, non metaphorica. Vnde in 7. Metaph. lect. 13. circa fin. inquit: *Quod dualitas non est duæ vnitates, sed aliquid ex duabus vnitatibus compositum; aliter numerus non esset ens per se, & verè, sed per accidens; sicut*

quæ coacervantur. Vbi manifestè D. Thom. excludit Metaphoricam compositionem, & vnitatem per accidens, quæ est tota ratio excludendi numerum à prædicamento quantitatis. Et idē videri potest 8. Metaph. lect. 3. & 7. Metaph. lect. vltima super text. 60.

Fundamentum huius conclusionis duplex traditur a. D. Thom. Quodlib. 10. citat. alterum à priori, alterum à posteriori. *A priori quidem*, quia numerus dicit veram extensionem, & rationem mensuræ ortam ex diuisione continui, quam non dicit sola multitudo confusè accepta per modum acerui, vel cumuli. *Quæ ratio sic explicanda est.* Quia numerus fundatus in quantitate diuisa habet veram, & propriam mensurationem per modum extensionis, & multiplicationis, qua exhaurire, & adæquare potest ipsas partes, & extensionem continui. Et hanc rationem mensurationis, & extensionis non habet tanquam quantitas per accidens, sicut tempus & motus, quæ ratione continui extenduntur, numerus autem suam propriam mensurationem discretam, non habet ratione quantitatis continuæ cum potius diuidat, & soluat continuitatem eius: ergo illa ratio mensuræ, & extensionis, quam habet, non est quantitas per accidens, id est, per aliud, sed distincta à modo mensurandi continui. Quod verò mensura numeri sit mensura in genere quantitatis, & extensionis, ex eo constat, quia numerus habet mensurare secundùm proprietates quantitatis; sicut per rationem æqualis, & inæqualis, paris, & imparis, secundùm accretionem, & augmentum: ergo illa mensura est quantitatiua. Vnde D. Thomas in 1. ad Anibaldum. dist. 24. quæst. 1. art. 1. ad 3. inquit: *Quod numerus simpliciter est, cuius numerata faciunt aliquam aggregationem.* Et hoc constat, quia numerando, & adijciendo vnitates facimus aggregationem & incrementum modo ordinato, id est, cum mensura prioris, & posterioris: ergo datur extensio, id est, multiplicatio aggregata cum ordine partium, & solum est differentia à continua quantitate, quod in ea partes sunt vnitæ, hic separatæ. Et ad hoc pertinet communis doctrina Sancti Thomæ, quod vnitas quæ est principium numeri addit supra rationem vnitatis, quæ est passio entis rationem mensurationis, vt patet in 4. Metaph. lect. 2. & 5. Metaph. lect. 8. & 1. p. quæst. 11. art. 1. cum autem numerus ex vnitatibus constituatur si constat ex illis, vt dicunt, principium mensurationis, numerus specialem mensurationem, & extensionem inducit.

Dices, totum hoc reperitur in multitudine spiritualis; nam ibi vna vnitas addita alteri facit plus, quod est facere aggregationem, & similiter datur ibi par, & impar, nam tres Angeli sunt impares, & quatuor pares: ergo idem habet ille numerus, quod quantitatiuus. *Respond.* Deesse ibi extensionem, & aggregationem ortam ex diuisione continui, sed solum ex affirmatione, & negatione entis, vt benè notat Sanctus Thomas in 1. dist. 24. quæst. 1. art. 3. Vnde non datur ibi aggregatio, & diuisio commensurabilis quantitati continuæ, & consequenter eiusdem generis cum illa; hoc enim habet ratio numeri quantitatiua, quod cum causetur ex diuisione continui habet per ipsam rationem numeri partes quantitatis continuæ mensurare, & exhaurire. Et fortasse propter hoc dixit Commentator 10. Metaph. text. 2. Quod ratio quantitatis, seu mensuræ per prius inest quantitati discretæ, quia scil. ipsum continuum per numerationem partium mensuramus, nec aliqua est notior mensura quam per numerationem. Quod ipsum expresse docet D. Thomas opusc. 36. cap. 1. dicens: *Quod ratio mensuræ prius inuenitur in quantitate discreta.* Quare numerus, qui est de genere quantitatis hoc addit supra multitudinem communiter dictam, quod exhaurit mensurationem quantitatis continuæ, & facit aggregationem, & additionem vnius ad aliud, & hoc non facit multitudo in spiritualibus, licet ex parte numeri numerantis numeremus Angelos, sicut & quantitates.

Secunda ratio D. Thomæ est, Quia numerus quantitatiuus est obiectum proprium arithmeticæ: ergo est ens per se. *Antecedens patet.* Quia Arithmetica non habet aliud obiectum, quàm numerum, seu quantitatem discretam. *Consequentia patet.* Quia obiectum per se scibile, debet esse ens per se, vtpote habens definitionem propriam, quæ est principium scientiæ: ergo numerus est ens per se, & sic non repugnabit poni inter species quantitatis.

Sed respondetur primò, quod numerus est ens per accidens in ratione rei; sed per se in ratione scibilis, & sic numerus, quia habet vnitatem numerabilem est obiectum Arithmeticæ. *Secundò*, quòd numerus formaliter est vnus vnitate rationis, quæ sic apprehendit numerum, ac si esset aliquid vnum: & hæc vnitas sufficit, vt sit obiectum scientiæ. *Tertiò*, quod Arithmetica agit de numero pro materiali, id est, pro quantitatibus continuis, non pro formali, quod pluralitas vnitatum est.

Sed prima solutio omnino deficit. Quia si numerus in genere rei est per accidens, & in genere scibilis vnum per se: ergo iam poterit dari scientia de ente per accidens, quia ens per accidens potest esse per se scibile, quod est omnino impossibile. Quia ens per accidens non est per se definibile, quia non habet quidditatem per se, vt sæpè ex Philosopho probatum est. Quod autem non est capax definitionis, non potest esse obiectum scientiæ, cum definitio sit principium demonstrationis, & processus scientifici, vt ex 1. Posterior. constat.

Secunda solutio nihil etiam valet. Quia vel illa vnitas rationis, est formalis, & per se in numero, vel solum accidentalis; sicut omnis natura considerata in vniuersali, habet vnitatem rationis in quantum vniuersalis. Hoc secundum non est ad rem, quia sicut vniuersalitas est conditio obiecti scibilis non ipsa ratio, quæ est obiectum scibile, illa vnitas rationis tantum se habebit vt conditio. Si primum dicatur: ergo numerus est ens rationis formaliter, siquidem formaliter est vnum per rationem, & sic Arithmetica aget de ente rationis, quod mirabile erit ab istis Authoribus concedi, cum negent Logicam agere de ente rationis, & tunc non distinguetur numerus numeratus, de quo agit Arithmetica à numero numerante, quia illa vnitas rationis non prouenit in numero, nisi ex ratione numerante. Si ergo non habet aliam vnitatem nisi rationis, neque aliam habet, quàm numeri numerantis. Arithmeticus autem per se non considerat denominationem illam rationis.

Tertia denique solutio multominus valet. Quia quando dicitur agere de ipso numero materialiter pro quantitatibus continuis, vel sumitur pro quantitate continua formaliter, quatenus continua, vel materialiter sub ratione tamen diuisæ, & discretæ, nam pro rebus ipsis, quæ quantitati subiiciuntur, constat non agere Arithmeticam. Si sumitur pro quantitate continua formaliter, hoc non pertinet ad Arithmeticam, sed ad Geometriam. Si quatenus diuisa, & discreta, sic per se agit de numero, non de quantitate continua; est enim per accidens ad Arithmeticam considerare proportiones numerorum, prout sunt in lineis, vel superficiebus, vel aliqua alia quantitate continua.

Dico secundò. *Id quo numerus redditur vnus per se,*

se, non est ipsa multitudo vnitatum, vel earum aggregatio, aut discretio; totum enim hoc materialiter se habet in numero, & est ens per accidens, sed vltima vnitas est id, à quo sumitur ratio vnitatis per se in numero, quatenus sub illa ordinantur plures vnitates. Quare forma quantitatis discretæ non informant omnes partes, sicut quantitas continua, sed ordinat, nec aliter possunt extendi istæ partes discretæ, quam secundum ordinationem sub vltima vnitate. Et habet se vnitas numeri, sicut vnitas loci; sicut enim plures superficies transeunt in vna distantia, & cum superficiebus plures relationes ad polos mundi; manet tamen idem locus, formaliter respectu huius termini fixi quem respicit, licet materialiter sint plura, vt in 4. Phys. dicetur sic in numero datur ratio vltimæ vnitatis cæteras terminantis, quòd verò ista, vel illa vnitas designatè exerceat officium vltimæ, materialiter, & per accidens se habeti

Hæc conclusio deducitur ex D. Thom. nam in primis 7. Metaph. lect. 13. circ. fin. sic inquit; *Dualitas non sunt duæ vnitates; sed aliquid ex vnitatibus compositum, aliter numerus non esset vnum per se, & verè, sed per accidens, sicut ea quæ coaceruantur.* Vbi manifestè distinguit multitudinem vnitatum, quæ vtique ad coaceruationem pertinet, à ratione numeri, quæ est per se vna. Et ad hoc etiam pertinet illa satis trita authoritas ex Philos. 5. Metaph. text. 19. lect. 17. apud D. Thom. *Quod sex non sunt bis tria, sed semel sex*; non ergo numerus in sola diuisione continui consistit, sed aliquam vnitatem per se requirit ex tali diuisione & multitudine resultantem. *Præterea Notanda est S. Thom resolutio* 8. Metaph. lect. 3. vbi de forma constituente specificam vnitatem numeri sic loquitur: *Est vnum per se numerus in quantum vltima vnitas dat numero speciem & vnitatem, sicut etiam in rebus compositis ex materia & forma, per formam est aliquid vnum, & vnitatem, & speciem sortitur. Et sic loquentes de vnitate numeri, ac si numerus non esset vnum per se ipsum, non possunt dicere quo est vnus, si est vnus. Cum enim componatur ex multis vnitatibus, aut non est vnus simpliciter, sed vnitates aggregantur in eo per modum coaceruationis, quæ non facit simpliciter vnum, & per consequens neque in aliqua specie constituunt, & sic numerus non est aliqua species entis, aut si numerus est vnus simpliciter, & non per seipsum, dicendum est quid faciat eum vnum ex multis vnitatibus, quod non est assignare.* Ecce quomodo D. Thomas manifestè docet vltimam vnitatem dare per se speciem numero, quòd si illa non dat, non inueniri aliquid ex multis vnitatibus formatum vel resultans, quod det speciem numero, Igitur ex parte multitudinis, seu discretionis, aut diuisionis quantitatis non est dare aliquid quod speciem per se constituat determinati numeri, nisi vltima vnitas, quatenus reliquas supponit, & subordinat sibi.

Quod autem hoc sufficiat, vt numerus sit vnum simpliciter, & non ens per accidens, sumitur ex doctrina S. Thom. 7. Met. lect. vlt. super textum 60. vbi reddit rationem distinguendi inter compositionem ex multis, quæ facit vnum simpliciter, & quæ facit vnum secundùm quid: *Huius* (inquit) *diuersitatis ratio est, quia compositum quandoque sortitur speciem ab aliquo vno, quod est vel forma, vt patet in corpore mixto, vel compositio, vt patet in domo, vel ordo, vt patet in syllaba & numero, & tunc oportet, quod totum compositum sit vnum simpliciter. Quandoque vero compositum speciem sortitur ab ipsa multitudine partium collectarum, vt patet in aceruo, & populo & alijs huiusmodi. Et in talibus totum compositum non est vnum simpliciter, sed solum secundum quid.* Quæ doctrina valde obseruanda est ad discernendum varios modos vnitatis simpliciter & per accidens, nec enim omnia ista dicuntur vno modo vnum, sed sunt diuersi gradus, perfectiori enim modo est vnum Angelus & Cœlum, qui nullam varietatem recipiunt, quam animalia seu viuentia, quæ continuo incremento, & decremento transeunt, & quam fluuius, qui nec in materia, nec in forma est idem, qui modo fluit ab illo, qui fluebat à viginti annis: sed solum ratione loci per quem fluit, & similiter artefacta sunt vnum solum ex parte formæ artificialis; & tamen hæc omnia includuntur sub ratione vnitatis simpliciter ex illa regula S. Thom. quod ea sunt vnum simpliciter, quæ sumunt speciem ab vno siue illud vnum sit forma, siue compositio, siue ordo; solum autem sunt vnum secundum quid, quæ non ab vno sumunt speciem, sed à multitudine. Sic ergo dicimus numerum quantum ad id quod dicit de multitudine esse ens per accidens, sed tam multitudinem, quam discretionem, quæ discontinuat, seu diuidit quantitatem, materialiter se habere, nec posse dare vnitatem per se, quia si ab his sumeretur, & sic esset vnum secundum quid. Sumit ergo numerus vnitatem per se, & extensionem discretam ex eo, quod omnes istæ vnitates ordinantur sub vna vltima vnitate, quæ terminat illas quatenus vnitates quantitatiuæ sunt, addentes vnam ad aliam diuisibilem vnitatem, quæ alicui continuo adæquari possunt, & vltima vnitate terminantur.

Et quod ipsa discretio vel quælibet alia forma toti numero intrinseca numerum constituere non possit, *inde deducitur*, quia vel illa est realiter in omnibus vnitatibus, vel solum in vna. Si in pluribus, vel est diuisa in illis, vel indiuisa. Si diuisa, ergo plurificata, & consequenter non magis constituit vnitatem per se, quam ipsa multitudo. Si indiuisa, ergo non potest identificari cum tot vnitatibus separatis & diuisis. Si autem illa forma est solum in vna ex vnitatibus, ergo habemus intentum, quod aliquid vnum, seu vltima vnitas dat speciem numero. Quare ista vnitas non potest dare speciem numero tanquam forma intrinseca, ideóque Diu. Thom. non reducit vnitatem numeri ad vnitatem ex forma, sed ad vnitatem ex ordine, vt constat ex verbis citatis 7. Met. lectione 13. quatenus aliæ vnitates ordinantur ad ipsam, vt ad vltimo terminantem & claudentem. Atque ita forma quantitatis continuæ informando extendit partes & ordinat, discreta verò quantitas non potest extendere & ordinare informando, sed vnam vnitatem alteri coordinando, vt ex vltima sumatur determinata quantitas numeri, nam v.g. quod sit tantum ternarius, vel quinarius, aut alius quilibet numerus determinatus pendet ex vltima vnitate, qua terminatur, & sic determinatur.

Sed insurgit hîc difficultas, quæ communiter huius opinionis cruciat assertores scilicet, quomodo illa vltima vnitas sit certa & designata: siquidem in numero, verbi gratia, in quaternario, quælibet vnitas potest esse vltima: idque solum dependet ex designatione intellectus numerantis, quod est esse aliquid rationis.

Respondetur. Quod in numero datur in re vltima vnitas secundùm determinationem, & designationem formalem, non materialem, id est, quoad effectum terminandi, & claudendi vnitates, nec enim quaternarius transit vltra quatuor vnitates, aliàs quaternarius non esset, & iste effectus in re datur; quod verò proueniat determinatè ab ista vnitate, vel ab illa, materialiter, & accidentaliter se habet, quælibet enim habilis est, & capax, vt ab illa proueniat. Itaque aliud est esse vltimam quoad designationem aliud quoad effectum terminationis hoc

secun

secundum datur in re; primum verò potest dependere ab actu designationis intellectus, sed ad constitutionem ipsam numeri per accidens & materialiter se habet. Et multa sunt in rebus, quæ hoc genere difficultatis laborant, vt formalitas aliqua inueniatur in re, & eius effectus, & tamen materialis designatio subiecti seu partis, in qua est illa formalitas, dependeat ab intellectu, verbi gratia, in circulo, qui est finitæ & determinatæ quantitatis necessario dotur principium, medium, & finis, aliàs quantitas non esset finita, & tamen in qualibet parte designari potest ratio principij, aut medij, aut finis, quod ex natura rei designatum non est. Et similiter punctum in medio lineæ est finis vnius partis, & initium alterius, & tamen quod respectu huius partis determinatè, vel alterius sit principium, vel sit finis dependet à designatione intellectus, & materialiter se habet. Idem est de vnitate loci, vel fluuij, in quibus istæ partes, vel superficies designatæ materialiter se habent ad vnitatem loci, vel fluuij, dummodo maneant semper sub aliqua habitudine ad eundem terminum.

Et horum ratio est, Quia forma dans vnitatem istis rebus non habet designationem omnino absolutam, sed respectiuam, quòd enim ista pars sit principium, vel finis vltima, vel prima, respectiuè dicuntur, cum tamen constet dari in re vltimum & primum finem, & initium, hoc ipso, quòd quantitas finita est, licet eorum designatio respectiua sit, & ideò materialiter variabilis est, formaliter autem semper est fixum, quia semper, formalis ratio vltimi habet rationem formæ, non materiæ, & reliqua, quæ vltima non sunt, semper habent rationem materiæ, & determinabilis. Quòd verò denominatiuè, & materialiter dicitur vltimum; variabile est in recipienda ista denominatione. Et ita falsum est, quòd in numero aliqua ad inuicem sint materia, & forma, formaliter loquendo, solum enim ratio vltimi est forma, sed id quod denominatiuè est vltimum, potest exuere illam denominationem formæ, & sic res, quæ modo est denominatiuè forma, poterit esse denominatiuè materia, vel è conuerso non ipsa formalitas vltimi potest esse materia.

Sed inquires. An ista formalitas vltimæ vnitatis, sit forma numeri physica, vel metaphysica & si ipsa intrinsecè non componit numerum, quæ sit forma numeri intrinseca? *Resp.* Aliquos sentire, quod vltima vnitas est differentia numeri, & forma metaphysica; *Sed omnino falluntur* cum differentia prædicetur de toto, vltima autem vnitas, non prædicatur de toto numero, nam quinarius non est vltima vnitas. *Vnde dicendum est*, quòd vltima vnitas est forma partialis, & extrinseca respectu aliarum vnitatum, licet cum aliis componat numerum, non quod accidens componatur ex materia & forma, sed eo modo, quo in partibus vnius extensionis vna pars determinat aliam, sicut linea superficiem, superficies corpus, vel vnus gradus intensionis alium, & tamen omnes simul pertinent ad integram qualitatem, & integram quantitatem.

Quando autem inquiritur. Quæ sit forma intrinseca numeri? *Resp.* Non dari formam intrinsecam ex parte vnitatum. Quia vnitas numeri, non est vnitas formæ, sed ordinis, vt ex D.Th.7.Met.lect.vlt. diximus. Qui ordo non est pura relatio prædicamentalis, sic enim esset vnitas relationis; sed est ordo extensionis discretæ, qui formaliter, & principaliter est in vltima vnitate, participatiuè autem, & præsuppositiuè in aliis, quæ illi subordinantur, vt infra magis explicabitur solut. ad 2. sicut in vltima dispositione est tota virtus agendi, & præsuppositiuè in alijs antecedentibus, & habitus virtutis est principaliter in vnà potentia, & per modum diffusionis, aut dispositionis, quasi præsuppositiuè in alia, vt S.Thom. docet 1.2.q. 56. art.2. Quare numerus quantum ad rationem sui formalem principaliter, & inhæsiuè non est in pluribus subiectis, sed in vno, scilicet in vltima vnitate; ordinatiuè verò, & participatiuè in aliis, quæ illi subordinantur, & vltima vnitas non est materialiter determinata, sed formaliter.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

EX *duplici capite solent fieri obiectiones. Primò* ad probandum, quòd numerus non est ens per se, sed per accidens. *Secundò* ad probandum, quòd non specificatur ab vltima vnitate. *Quoad primum arguitur communi illo argumento.* Quia numerus non est vnum per se, sed per accidens: ergo non est species quantitatis. Anteced. probat. primò. Quia sola diuisione quantitatis, omni alia forma remota, constituitur multitudo quantitatiua, quæ nihil aliud est, quàm numerus; ratio autem desumpta à multitudine non dicit vnitatem per se, vt ex Diu. Thom. *supr.* ostendimus. *Secundò prob. anteced.* Quia ex pluribus entibus in actu non fit vnum per se, vt est commune axioma; ideò enim album dicitur ens per accidens, quia constat ex pluribus entibus in actu, etiamsi vniãtur vt subiectum, & forma, multo magis, quam vnitates in numero: ergo à fortiori numerus est ens per accidens, quia constat ex vnitatibus diuisis, & in actu. *Nec dici potest*, quod est vnum per se in genere discreto, non in genere continuo. Nam si genus discretum constat ex pluribus entibus in actu, non potest esse genus vnitatis per se, sed per accidens. *Tertiò.* Quia non possunt plura in vnum coalescere nisi, vel vnitate, vel vnione, inter vnitates numeri non est vnio, cum sint separatæ, & discontinuæ, multo minus vnitas: ergo non est vnum per se. *Quartò*, vnitas opponitur multitudini, eaque destruitur; numerus autem est quædam multitudo, quomodo ergo est vnum per se; *Denique*; Vel numerus est vnum per se, quatenus multitudo, vel quatenus discreta. Non quatenus multitudo, sic enim non pertinet ad genus quantitatis, nec dicit vnitatem Non quatenus discreta, sic enim solum consistit in priuatione continuationis, & nexus partium. Vnde Philosophus 3.Physicor.text.68. dicit numerum esse plures vnitates, & 8. Metaphys. cap.3. numerum non esse vnum, sed sicut cumulum.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur, quod numerus diuisione actiua non constituitur formaliter, vt de se constat, sed efficienter. Neque diuisione passiua tantum, quia quantitatem esse diuisam, seu multiplicatam materialiter se habet ad rationem numeri, diuisio enim præcisè solum facit solutionem continui, non verò partes ordinat sub determinata mensura numeri. Diuisio enim de se potest in infinitum fieri, vel sine termino, quod verò determinate fiat, & sub certa mensura, pertinet ad rationem numeri, & sic diuisio solum opponitur vnitati, seu vnioni partium continui, sicut autem ad continuum non sufficit vnio quomodocumque, sed ordinatiua, & terminatiua partium, sic è contrario ad quantitatem discretam non sufficit sola separatio vnionis partium, & diuisio, sed ordinata ad vnam vltimam vnitatem, & sic determinata, & finita, sic enim induit rationem specialis mensuræ quantitatiuæ. Et sic dixit Sanct. Thomas, quod dualitas non est duæ vnitates, sed aliquid compositum, id est resultans ex illis 7.Metaphysic.lectione 13. & quod bis tria non sunt sex, sed semel sex

formaliter loquendo, & quod numerus non habet vnitatem formæ, vel compositionis, sed ordinis.

Ad secundam probat. Respond. Quod ex pluribus entibus in actu non fit vnum per se vnitate formæ, bene tamen vnitate ordinis & mensuræ, sicut fit ex pluribus entibus in actu vnum artefactum, & vnum sacramentum & vnum conuiuium, habent enim ista vnitatem per se, quatenus opponitur vnitati per accidens, quæ sumitur à multitudine, & non ab aliquo vno, siue forma, siue compositione, siue ordine, vt vidimus ex S.Thom.7.Met.lect.vltim. Et *ad instantiam de albo Respond.* Quod album formaliter sumptum est vnum per se, & definibile vnitate desumpta à forma, licèt de connotato, & denominatiuè dicat subiectum vt reddens suppositum ipsi albo. Sed si sumatur non formaliter, sed pro tertio constituto ex albedine & subiecto, hoc dicimus esse ens per accidens; quia non coalescunt illa in aliquam tertiam vnitatem & similiter numerus formaliter dicit vnitatem vltimam sub vno ordine, si verò sumatur pro aggregato ex vnitatibus, & ordine est ens per accidens, sicut & alia concreta pro constituto, seu aggregato.

Ad tertiam prob. Respond. Esse varios modos vnitatis & vnionis, scilicet vnitas formæ, vel compositionis vel ordinis, vt D. Thom. enumerat, numerus autem non habet vnionem neque vnitatem formæ, vel continuationis, aut compositionis, sed ordinis quantitatiui sub vna vltima vnitate. Qualis autem sit ista vnitas ordinis, sequenti argumento explicabitur.

Ad quartam probat. dicitur, quod vnitas continuationis & formæ opponitur multitudini & diuisioni, non vnitas ordinis & discretionis, qualis inuenitur in numero sub vna vltima vnitate terminante ordinem.

Ad vltimum Resp. Quod numerus est per se vnus quatenus discretus, sumpta discretione nō priuatiuè, prout opponitur continuitati, sic enim non est aliud, quàm diuisio, sed ordinatiuè, & formaliter, quatenus dicit extensionem discretam sub vna vltima vnitate. Et Philosophus 3. Physic. non dicit, quod numerus est plures vnitates, sed dixit, quod numerus est *vno plura & quanta quædam*, quia vt ibi explicat S.D.lect.12. *Quilibet numerus denominatur ab vno, vnde dicitur* in 5. Met. *quod substantia senarij est in hoc, quod sit sexies vnum, non autem in hoc quod sit bis tria vel ter duo, quia sequeretur, quod vnius rei essent plures definitiones & plures substantiæ.* Vbi satis apertè Aristoteles, & D. Thom. nostram resolutionem docent. In 8. autem *Metaph.* non dicit Arist. quod numerus est, sicut cumulus, sed quod numerus si est vnus, vel est sicut cumulus, vel explicandum est quo sit vnus, quod ibi explicat, quia vna pars est, sicut materia, alia sicut forma, scilicet vltima vnitas, vt ibidem S. Thom. docet lect.3. Cum vero dicit D. Thom.1.p.q.30.art.1. ad 4. quod numerus abstractus & absolutus, non est, nisi in intellectu, loquitur de numero numerante, qui extra omne subiectum accipitur.

Secundò arguitur ex alia parte ad probandum, quod vltima vnitas non potest dare speciem numero, nec aliquis ordo vnitatum ad illam. Etenim ordo iste non potest esse in pluribus subiectis nisi secundum relationem, qua ad inuicem se respiciunt, & ordinantur: ergo ista vnitas erit vnitas relationis non quantitatis, pertinebitque ad prædicamentum relationis. *Quod si dicatur* non esse ordinem prædicamentalem, sed secundum dici, & ita posse pertinere ad quantitatem. *Contra est.* Quia vel ille ordo quantitatiuus, est ipsa pluralitas quantitatum diuisarum; vel aliqua diuersa quantitas illi superueniens. *Si primum,* numerus non erit aliud, quam multitudo, seu cumulus, & non vnum per se. *Si secundum,* redit difficultas, quomodo illa quantitas sit in diuersis subiectis, vel si est in vno, quo modo afficit omnes?

Deinde specialiter probatur vltimam vnitatem non posse esse formam numeri. Quia vel illa vltima vnitas dat speciem numero, quia vnitas, vel quia vltima. Non quia vnitas, sic enim etiam prima vnitas daret speciem numero. Non quia vltima, quia esse vltimam habet beneficio intellectus designantis illam; Nam ex natura rei non magis determinata est hæc vnitas, quàm illa, sine forma autem determinata, non datur determinata species; *Secundò,* Quia non apparet quomodo vltima vnitas reliquis vnitatibus vniatur, vt faciat vnum per se cum illis. Nec enim est intrinseca forma, vt diximus, sed extrinseca reliquis vnitatibus. Quis autem credat, vnitatem, quæ est in India vniri per se cum vnitate, quæ est in Hispania, vt constituat binarium vel aliquem alium numerum; *Tertiò.* Vel vnitas, quæ fit vltima per se ipsam est forma numeri, vel per aliquid superadditum. Si per se ipsam ergo numerus nihil addit supra vnitatem, quia quælibet vnitas se ipsa sufficit constituere numerum, dummodo extrinsece aliæ vnitates supponantur. Si per aliquid superadditum, oportet assignare quid nam illud sit, an modus, vel res, an in omnibus vnitatibus secundum se inueniatur, an solum in aliqua quando fit vltima? Et tamen cum ex intellectu designationem hanc habeat non potest aliquid reale inde resultare in illa.

Denique si sumatur ista vnitas remota ab aliis vnitatibus, vel tunc habet illum modum numeri seu id, quo est forma numeri, vel non habet, saluabitur; ergo numerus in vna tantum vnitate, quod est absurdum; si non habet: ergo quod sit vltima, & quod sit forma numeri tantum habet ab intellectu, & sic non est aliquid reale.

Resp. ad primam partem argumenti. Quod forma numeri, quæ est vltima vnitas, non est forma inhærens omnibus vnitatibus; est tamen in illis ordo ad talē vnitatem. Nec est solum vnitas ordinis relatiua, sed etiam quantitatiua, non quia sit aliqua quantitas inhærens omnibus vnitatibus; sic enim esset quantitas continua, & numerus haberet vnitatem formæ non ordinis, quod negat D.Th. Sed quia resultat noua ratio mensurationis, & extensionis discretæ; & ille dicitur ordo quantitatiuus in numero, qui materialiter quidem dependet à quantitate continua, sicut corpus à superficie, & à linea; licet formaliter aliam mensurationem extensionis, & aggregationis dicat, & ideò numerus, vt induit specialem rationem mensuræ, quæ modo discreto exhaurit quantitatem continuam, solum inuenitur in genere quantitatis. Vnde dicit D. Th.5. Met.lect.8. quod ratio vnius, quod conuertitur cum ente in sola indiuisione consistit, vnius verò quod est principium numeri in mensuratione. Et sic distinguitur vnitas ordinis in numero, ab vnitate exercitus, vel ciuitatis, quæ sunt entia per accidens, eo quòd in istis solum inuenitur ordo relationis, qui non sufficit ad vnitatem per se, nam relatio formaliter versatur inter plura extrema, & ideò vnitas ordinis sumitur potius à puralitate, quando tantum est relatiua. At verò vnitas ordinis quantitatiui, seu extensionis in numero, non est solum vnitas relationis, sed distinctio quantitatum diuisarum sub vna vltima vnitate, sub qua cæteræ ordinantur & clauduntur, vt induentes nouum mensurandi modum in ipsa extensione, & quantitate discreta.

Ad

Ad 2.part.argument. Quantum ad primam probationem Resp. Quod illa vltima vnitas dat speciem numero, non solum, sed quia vnitas vltima rationem autem vltimi, quantum ad materialem designationem habet ab intellectu, & sic non constituit formaliter numerum. Quantum verò ad effectum, & formalitatem vltimationis, scilicet, quod omnes vnitates claudantur sub termino determinato, ita quod non maneat numerus indeterminatus, & indecisus, hoc in re datur. *Et quando instatur,* quod sine forma determinata non redditur species determinata. Resp. ex sup. dictis. Quod sine forma determinata saltem formaliter non sit effectus determinatus. Si autem formalitas determinata sit, sed materialis designatio sit indeterminata simpliciter datur species determinata in re; sicut datur vnitas fluuij in re; licet materialiter aqua non sit eadem, sed modo ista, modo illa, quia tamen fluit sub eadem habitudine, & successione ad alueum, manet idem fluuius, & similiter est de vnitate loci succedentibus diuersis superficiebus in eadem distantia. Sic diuersæ vnitates possunt succedere per designationem intellectus in eadem ratione vltimæ, & sic habent vnitatem in re formaliter, licet non materialiter.

Ad secund. prob. dicitur. Quod vnitates inter se distantes ad rationem numeri eodem modo vniuntur, atque indistantes, quia cum supponantur diuisæ, & separatæ perinde est quòd multum, vel parum distent. Neque enim vniuntur vnione continuationis, vel copulationis, sed vnione ordinis, & discretionis, in qua vnum se habet ex additione quantitatiua ad alterum. Nec oportet hîc inquirere aliam formam intrinsecam, vt sæpè dictum est, nec enim numerus habet vnitatem formæ, vt ex D.Thom. diximus, sed vnitatem ordinis quantitatiui quantitate discreta, quatenus inducit nouam rationem mensuræ existentem formaliter in vltima vnitate, & præsuppositiuè in aliis.

Ad tertiam Resp. Quòd vnitas secundùm se est materia numeri inadæquata, & partialis, vt autem vltima, est forma, & rursum quòd sit vltima, quantum ad effectum, & formalitatem terminandi, & claudendi omnes vnitates sub termino determinati numeri, habet in re, licet designationem materialem habeat ab intellectu. Et ista terminatio, seu ratio vltimi verè est aliquid in quolibet numero determinato, quia verè in re inuenitur hoc officium claudendi. & vltimandi vnitates sub ratione numeri, v.g. in ratione quinarij vel senarij. Et videtur ista ratio termini esse modus, quo reliquæ vnitates terminantur, vt ipsi coordinatæ, & coëxtensæ in ratione extensionis discretæ, quæ est noua terminatio. Nec potest talis ratio seu modus separari ab vnitatibus diuisis hoc ipso, quod determinate in actu diuisæ sunt, quia non est determinata diuisio, nisi ponendo terminum, & ita vnitas vltima sub formalitate vltimæ non est separabilis ab aliis, respectu quorum vltima est nisi numerus destruatur & transeat à quinario, v. g. in quaternarium.

Ad vlt. prob. dicitur. Quod vnitas separata ab aliis vnitatibus non habet rationem vltimi non ex defectu sui, sed defectu aliorum, quæ necessario præsupponuntur & requiruntur, vt vltima sit. *Et quando infertur,* quod esse vltimam non est aliquid, nisi ab intellectu, *distinguo,* quantum ad designationem illius materialis, quæ accipitur vt vltima, *concedo,* quantum ad effectus, & formalitatem terminandi, & claudendi vnitates sub ratione certæ mensuræ, & extensionis discretæ, *nego. Et quando dicitur* non requiri, nisi quod ponantur plures vnitates vt sit numerus, *dico,* quod materialiter in numero seu ex parte materiæ non requiritur, nisi pluralitas vnitatum, formaliter autem scilicet, vt numerus induat nouam rationem extensionis, & mensurationis discretæ aliquid requiritur amplius scilicet ordo vnitatum sub vna vltima vnitate terminante, qui sit ordo quantitatiuus, vt explicatum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum tempus & motus, locus & oratio reijciantur à speciebus quantitatis?

HÆc omnia præter motum expresè numerauit Philosophus inter species quantitatis in prædicamentis, reiecit verò in 5. Metaphysic. lection. 15. apud S. Thom. Motum autem neque in metaphysica, neque hîc in prædicamenti huius explicatione collocat inter species quantitatis. Rationem autem huius varietatis ex verbis D. Th. infra referendis plene accipiemus.

Quid autem sit locus, tempus & motus, nonnulli in præsenti definiunt, sed quæstio est extra hunc locum, cum propriè de illis tractandum sit in physicis. Breuiter sufficit eorum definitiones inde huc transferre vt saltem summis labiis, quid sint, degustemus. Locus ergo definitur in 4. Physicor. sic *Locus est superficies corporis continentis immobilis prima:* id est, superficies ambiens cum immobilitate distantiæ. Motus dicitur *Actus entis in potentia, prout in potentia est,* id est, actus successiuè transiens, vbi aliquid est in potentia, aliquid in actu. Tempus *est numerus motus secundum prius & posterius,* id est, mensura durationis motus secundum partes priores & posteriores.

Non est ergo vna Authorum, etiam Thomistarum sententia circa istarum specierum exclusionem à quātitate. De loco enim & motu fere omnes consentiunt reiici debere à quantitate, licet non in ratione propter quam reiiciantur, conueniant. Sed circa tempus & orationem *quidam* admittunt tempus ad quantitatem continuam successiuam, orationem verò ad discretam, *Quidam* verò excludunt.

Dico ergo primò. In sententia S. Thom. *Et vera, motus, tempus & locus non sunt species quantitatis per se, sed sunt quanta per accidens, & eodem modo vnum, atque aliud S. D. excludit.* Hæc plurium Thomistarum est, & videri possunt Sanchez libr. 5. quæst. 14. Arauxo 5. Metaphysic. quæst. 3. art. 5. sed luce clarius constat testimonium D. Thom. hac parte, vt mirum sit de hoc aliquos eius discipulos dubitasse. Ita enim habet 5. Metaph. lect. 1. §. *Distinguit modos, &c. Prout duos modos quantitatis per accidens quorum vnus est secundum quod aliqua dicantur quanta per accidens ex hoc solo, quod sunt accidentia alicuius quanti, sicut album & musicum per hoc quod sunt accidentia alicuius subiecti, quod est quantum. Alio modo dicuntur aliqua quanta per accidens non ratione subiecti in quo sunt, sed ex eo, quod diuiduntur secundum quantitatem ad diuisionem alicuius quantitatis, sicut motus, quæ dicuntur quadam quanta, & continua propterea, quod ea quorum sunt, sunt diuisibilia, & ipsa dicuntur ad diuisionem eorum. Tempus enim est diuisibile & continuum propter motum; motus autem propter magnitudinem, non quidem propter multitudinem eius, quod mouetur, sed propter magnitudinem eius, in quo mouetur, ex eo enim, quod illa magnitudo est quanta, & motus est quantus, & propter hoc, quod motus est quantus sequitur tempus esse quantum. Vnde hæc non solùm per accidens quantitates dici possunt, sed magis posterius inquantum quantitatis diuisionem ab aliquo priori sortiuntur.* Hucusque Sanct. Thom. Et tandem concludit

dit ibi non poni, vt species quantitatis, quia considerantur species quantitatis quantum ad ipsum esse quantitatis,& ideò illa,quæ non habent esse quantitatis nisi ex alio, non ponit ibi species quantitatis,sed dicit esse quantitates per accidens,vt motum & tempus.

Ex quo manifestè deducitur non bene glossare D. Thom. qui dicunt ipsum non negare,quod tempus,& motus sint quanta per se, sed quod imperfectissimo modo id habeant, quia ad diuisionem alterius diuiduntur, non quia ratione subiecti quanta sint vt album, quod requiritur ad rationem quanti per accidens. Sed Diuus Thom. apertè vocat vtrumque modum, quantitatem per accidens,non vnum per accidens,& aliud per se imperfectè;& quidquid sit de modo quantitatis per accidens, certè, ita censet D. Thom. motum & tempus esse quanta per accidens, quod excluduntur à prædicamento quantitatis, & à speciebus eius, ergo sunt quanta per accidens,vt requiritur ad nostrum intentum.

Et quidem quod attinet ad locum reiicitur facilè ab omnibus, quia locus non habet de quantitate nisi vel superficiem,vel rationem ambientis & circundantis locatum. Et primum non est quantitas distincta à specie quantitatis, quæ est superficies,in ratione autem ambientis non addit nouum esse,vel rationem quantitatis, sed continentiæ, vel applicationis. Et ideò compendiose D.Thom. *loc.cit.* reiecit locum ab hoc prædicamento dicens, quod locus non ponitur inter species quantitatis, quia habet aliam rationem mensuræ, sed non aliud esse quantitatis.

Circa motum autem & tempus cum successiua sint,omnis autem successio, vel est continua, vel discreta, præcipuè nunc loquimur de successione continua, nam illa successio discreta, quæ omnem continuitatem in suis partibus excludit, solum constat ex indiuisibilibus,seu instantibus, & sic in spiritualibus reperitur. Continua autem successio, quæ habet partes fluentes, & non permanentes ex triplici capite potest obtinere quantitatem seu extensionem. *Primò*, ratione termini, seu formæ, quæ per partes fit, & quod per partes, & non simul fiat, potest dependere ab imperfectione agentis, non valentis simul totum terminum introducere, vel ex resistentia contrarij in passo, propter quam vincendam res paulatim fit. *Secundò*, ratione ipsius fluxus, seu moræ, qua successiuè partes decurruut. *Tertiò*, ratione spatij, cuius magnitudo & distantia non nisi extensione vincitur.

Et licet aliqui in motu quantitatem per accidens agnoscant solum ex primo capite, præsertim propter debilitatem agentis, vel resistentiam contrarij,alij solum ex secundo,tamen D.Th.his omissis solum ratione spatij, in quo fit motus eius magnitudinem,& quantitatem desumpsit:*Cuius ratio est*,quia motus consideratus in ordine ad terminam est quid incompletum, quasi via,& fieri ipsius termini, reducitur que ad genus, seu prædicamentum sui termini, terminus autem motus solum est vbi, qualitas, & quantitas,vt probatur in 5.Physic.Vnde ratione termini non potest quantitatem habere, quæ species quantitatis sit,quia nec omnis motus habet pro termino quantitatem ,& ille qui habet ratione termini non constituetur in ratione distinctæ speciei quantitatis à suo termino,sed ab ipso dicetur quantus. At verò successio motus, quæ sumitur secundum fluxum, & moram, qua durat ipse motus constituit tempus, quod non præbet quantitatem motui, sed potius à motu accipit quantitatem, imò si motus ratione temporis esset quantus,non essent duæ species quantitatis distinctæ tempus & motus, quia non essent duæ quantitates, sed motus esset quantus per tempus. Repugnat autem quod duratio alicuius rei sit primo & per se quantitas illius, quia duratio non est aliud, quàm esse rei continuatum, quod verò ista continuatio sit diuisibilis, & quanta vt in nobis, vel indiuisibilis, vt in Angelis non habet ex sola ratione durationis, quæ vtrobique est esse continuatum, sed ratione rei durantis, ergo duratio ex se non est quantitas, sed ratione subiecti. Constat etiam à signo, quia potest dari multus motus paruo tempore, & è contra,ergo quantitas temporis non quantificat motum per se primò.

Quare optimè Diu. Thom. quantitatem motus ex quantitate eius, in quo fit motus desumpsit scilicet ex spatio, seu distantia inter terminos inter quos est motus, in motu enim locali est spatium constans ex pluribus locis, in qualitate ex pluribus terminationibus seu gradibus in eadem qualitate, vel ex transitu vnius qualitatis ad aliam in diuersis, in augmentatione ex pluribus partibus quantitatis, & secundum istam distantiam vincendam motus diuisibilitatem habet & quantitatem. Etenim motus de se non dicit, nisi transitum illum, quo ens aliquod est in fieri, & partim in potentia, partim in actu, ergo in tantum iste transitus habebit quantitatem,inquantum fuerit diuisibilitas & distantia inter terminos, in quibus fit transitus; si enim nulla distantia est, vt inter priuationem, seu negationem & formam, in instanti fit mutatio de non esse ad esse; si verò est mutatio inter terminos positiuos hoc ipso est motus diuisibilis, quia est distantia inter eos: A distantia ergo seu spatio sumit motus quantitatem, de se vero illam non præbet, solum enim reddit subiectum motum non quantum.

Et ex hoc etiam ostenditur, tempus non esse quantitatem per se, sed quantificatum ab alio. Est enim quantitas temporis, quantitas durationis motus,& secundum prius & posterius in motu,est prius & posterius in tempore, vt dicitur in 4. *Physic.* & consequenter diuisibilitas,& extensio temporis,quæ non est aliud,quam prius & posterius in illo, ex isto prius & posterius in motu desumitur, non ergo diuisibilitatem,& extensionem habet per se, sed ratione motus, & ideò est quantum per accidens, id est, per aliud, quod est non esse speciem per se quantitatis.

Nec valet respondere, vt respondent aliqui, quod tempus habet quantitatem ex alio quasi efficienter, & originatiuè, non formaliter, quia habet secundùm se indiuisibilia diuersa à motu, scilicet instantia, consequenter etiam partes diuersas; partes autem motus solum præsupponuntur ad tempus; sicut linea ad superficiem, superficies ad corpus, & tamen quodlibet illorum per se est species quantitatis.

Sed contra est. Quia motus,& tempus comparantur,sicut duratio, & res durans, nulla autem res efficit suam durationem, sicut nec suum esse; vnde neque quantitas motus efficere potest quantitatem temporis. Et præterea, vt tempus haberet quantitatem per se distinctam à motu, deberet addere nouum extensionem,seu partes ad partes motus;sicut superficies ad lineam, & corpus ad superficiem; & sicut numerus diuidendo continuum addit nouum modum extendendi, & mensurandi discretè; at verò tempus non habet aliam diuisibilitatem,& extensionem, quam motus, quia est prius, & posterius in motu;alioquin si adderet distinctas partes, non esset solum duratio eius, neque numerus motus secundum

dum prius & posterius, numeraret enim aliquid aliud, quàm partes motus, scilicet illas partes, quas adderet supra motum. Quomodò autem indiuisibilia temporis, quæ sunt instantia, non distinguantur ab indiuisibilibus motus? dicemus in solutione ad secundum argumentum.

Dico secundò. Oratio non est species quantitatis essentialiter, & per se, sed modo quodam metaphorico. Et quidem Philos. in 5. Met. inter species quantitatis non ponit orationem. Et ita etiam sentit Caietanus in cap. de Quantitate.

Et ratio est. Quia oratio in tantum dicitur quantitas, inquantum constat syllabis longis, & breuibus, quod totum pertinet ad pronuntiationem vocis velociori, vel tardiori modo, sed vox ipsa qualitas est non quantitas, id est, sonus ab animali prolatus; pronuntiatio autem motus est; velocitas, vel traditas sunt modi consequentes motum, qui si constituerent quantitatem in oratione quam constituerent in motu. Quare neque ex parte vocis, quæ est qualitas, neque ex motu, & eius velocitate & tarditate, quæ sunt quanta per accidens oratio, vel eius syllabæ sunt species quantitatis per se.

Alij recurrunt ad morulas, seu durationes prolationis syllabarum, quæ videntur quandam extensionem importare. Sed morulæ istæ in re non sunt aliud, quàm tempus, quod est duratio motus; tempus autem posuimus cum D. Thoma inter quantitates per accidens. Vnde D. Thom. in opusculo 48. tract. de Quando. cap. vlt. etiam orationem reducit ad mensuram temporis discreti, seu prolationis illius soni.

Alij quantitatem orationis constituunt in quadam harmonica consonantia orationis ex suis partibus. Sed iste concentus siue harmonia non est quantitas, sed proportio, quæ pertinet ad relationem vel ad summum ad qualitatem, & quidem, si sit proportio metrica, vt inuenitur in carminibus, præterquam quòd hoc totum pendet ex impositione, non est commune omni orationi, sed tantum poëticæ. Si autem sit harmonia, & proportio orationis in ipsa expressione, & viuacitate significationis congruæ, totum hoc est, ex impsitione humana in voce, non verò ad quantitatem realem pertinet: proportio autem, & harmonia in ipsa prolatione vocis non magis facit speciem quantitatis, quam proportio partium in quolibet motu.

Denique alij dicunt orationem esse quantitatem discretam, sed innominatæ, & ignotæ speciei. Sed hi ignorantia se defendunt, quæ impugnari non potest. *Denique*, oratio si non sit vox significatiua secundum proportionem breuitatis, vel longitudinis in syllabis prolata, non habet rationem numeri specialis; hoc autem totum non est aliquid naturale, sed ab impositione humana dependens, & ideò solum metaphoricè est species quantitatis.

Sed inquires. Cur ergo Philosophus in prædicamentis, & Diuus Thomas in opuscul. 48. numerant inter species quantitatis locum, tempus, & orationem. Respondet Diu. Thom. 5. Metaphysic. lectione 15. citata: *Quod Philosophus in prædicamentis posuit tempus quantitatem per se, cum in metaphysica ponat ipsum quantitatem per accidens, quia ibi distinxit species quantitatis secundum diuersas rationes mensuræ? aliam enim rationem mensuræ habet tempus, quod est mensura extrinseca, & aliam magnitudo, quæ est mensura intrinseca; hic autem considerat species quantitatis quantum ad ipsum esse quantitatis, & ideò illa, quæ non habent esse quantitatis, nisi ex alio, non ponit hic species quantitatis, sed quantitates per accidens.* Sic Diuus Thomas.

Et si dicas. Si tempus est quantitas per accidens, quomodo habet rationem mensuræ per se, cum mensura sit passio quantitatis.

Respond. Quod ex eadem quantitate potest nasci diuersa mensura secundum diuersam modificationem, & applicationem eius: sicut aliter mensurat quantitas intrinsecè informans, vel extrinsecè applicata, & ita quia est eadem quantitas in tempore, & in magnitudine, vel motu, non dicunt diuersas species quantitatis per se, dicunt tamen diuersas mensurationes propter diuersum modum applicandi. Aliud est in numero, qui non solum habet diuersum modum mensurandi, sed etiam diuersum modum extendendi à quantitate continua; diuidit enim, & soluit continuitatem.

Solvvntvr Argvmenta.

PRimò arguitur. Nam locus, licet materialiter sit idem quod superficies, formaliter tamen habet aliam rationem mensurandi, quia superficies extendit informando, locus ambiendo; constat autem, quòd etiam superficies materialiter est ex lineis, & numerus ex quantitatibus continuis, & tamen constituunt diuersam speciem quantitatis: ergo & locus.

Respond. Esse disparem rationem, quia superficies addit ad lineam nouas partes, & nouam rationem extensionis, licet præsupponat extensionem lineæ. Numerus etiam soluit modum extensionis continuæ, & transfert in discretam, quæ diuersa est à continua in ratione extensionis. At verò locus non addit supra superficiem, nisi tantum applicationem ad aliquid extrinsecum, quod ambit.

Secundò arguitur. Nam motus, & tempus, habent partes nouo modo extensas, scilicet penes diuersas moras, & successiones, quibus partes fluunt. Habent etiam diuersa indiuisibilia, quibus partes successiuè copulantur, scilicet in motu mutata esse, & in tempore instantia: ergo nihil deest illis ad rationem quantitatis per se. Neque enim requiritur essentialiter ad quantitatem extensio per spatium locale, sed sufficit quod sit per spatium durationis; in hoc autem spatio vera extensio partium successiuarum datur, quarum vna non penetratur cum alia, sed succedit ipsi. Quod verò dependeat à quantitate continua quantitas ista successiua non tollit, quod sint veræ quantitates motus, & tempus; sicut corpus dependet à superficie & tamen vera quantitas est.

Respond. Quod partes istæ successiuæ motus non addunt ad partes magnitudinis, seu spatij nouam extensionem, sed nouum modum oppositum permanentiæ, quatenus partes motus, id est termini, qui acquiruntur in spatio, seu distantia, non simul existunt, sed transeunt, qui modus transeundi non dicit formaliter modum nouæ extensionis, sed carentiam permanentiæ, vt de se patet; ex eo autem quod motus non dicat rationem extensionis distinctam à magnitudine consequitur quod tempus, quod est eius duratio non habeat distinctam quantitatem à motu, quia tempus duratio motus est, nec alias partes habet quàm motus, cuius numerus est secundum prius, & posterius; licet non quilibet motus sit tempus, sed solum regularior, & vniformior, & in hoc est magnum discrimen inter motum, & tempus comparatiuè ad magnitudinem, ac inter corpus, & superficiem, quia corpus licet supponat superficiem addit nouas partes ad illum, tempus autem non addit nouas partes ad motum, neque motus ad magnitudinem spatij, seu distantiæ, in qua exercetur.

Et ad id quod additur de indiuisibilibus motus & temporis. *Respond.* Instantia temporis non distingui ab

ab indiuisibilibus motus quæ sunt mutata esse in eo motu, in quo tempus est subiectiue, sicut neque partes temporis à partibus motus differunt. Similiter indiuisibilia motus non sunt alia ab indiuisibilibus spatij, vel termini acquisiti per motum in spatio, seu distantia, connotando tantum successionem, & negationem permanentiæ in his indiuisibilibus. Sed de hoc latius *in Physicis.*

Tertiò arguitur. In oratione metrica, seu harmonica est inuenire diuersas partes secundum longitudinem,& breuitatem prolationis, quæ sunt distinctæ durationis, & diuersus ordo prioris & posterioris secundum numerum prolationum, quæ mensurantur syllabis,sicut numerus vnitatibus. Cur ergo non erit distincta species numeri?

Respond. Totum hoc non dicere aliquid distinctum quantitatiue à motu discreto,vel continuo, aut eius duratione,quæ est tempus, vnde oratio quantificatur discrete à motu discreto prolationis vocis, non ipsa nouo modo quantificat. Quod verò addatur harmonia,& acutum vel graue,velox, vel tardum in prolatione vocis potius sunt qualitates, quam quantitates orationis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm linea, superficies, & corpus sint vera species quantitatis.

Differentia inter istas tres quantitates sumitur ex Philosopho 5. Met.cap.13.lect.15.apud D.Th. quod magnitudò continua ad vnum est longitudo, seu linea; quæ verò est continua ad duo est latitudo, quæ ad tria profundum. Hinc sumitur definitio lineæ *quod est dimensio versus longitudinem.* Superficiei, *quod est extensio versus latitudinem*; Corporis, *quod est extensio versus profunditatem.* Corpus continuatur superficiebus, superficies lineis,linea punctis. Punctum est *indiuisibile ex omni parte*, Et imaginamur lineam fieri motu puncti, superficiem motu lineæ versus latitudinem, corpus motu superficiei versus profunditatem. Omnibus istis quantitatibus est communis quantitas continua, quæ definitur illa, *cuius partes communi termino copulantur*, hoc est habet partes quæ vnico indiuisibili vniuntur,& se tangunt, si verò duplici indiuisibili se tangunt, erunt contiguæ partes non continuæ.

In his tribus dimensionibus, corpus sine controuersia recipitur pro vera specie quantitatis, cum vndique diuisibile sit. Et corpus de genere quantitatis significat profunditatem,corpus verò quod est de genere substantiæ, & condiuiditur contra spiritum est illa substantia, quæ petit hanc profunditatem. Circa alias duas species, scilicet superficiem & lineam, non desunt Authores qui eas à prædicamento quantitatis excludant, vt M. Cab. hîc disp.2.dub. 5. Hurt. disp. 13. Met. lect. 6. licet reductiuè admittant in quantitate vt quid incompletum, & habens indiuisibilitatem, sicut punctum solum reductiuè est quantum vt terminans, vel initians aut continuans extensionem.

Et hinc sumitur primum fundamentum pro hac sententia, quia linea & superficies intrinsece sunt quid incompletum sicut punctum, ergo non possunt constituere speciem per se,& directè in hoc prædicamento,sicut neque alia entia incompleta in aliis prædicamentis. *Ant. prob.* quia essentialiter sunt partes componentes corpus, ergo essentialiter sunt quid incompletum; & sicut punctum quia per se ordinatur ad componendam lineam non est de prædicamento quantitatis, ita cum linea, & superficies per se ordinentur vt partes ad componendum corpus,non sunt species saltem per se & directe in hoc prædicamento.

Secundò fundatur hæc sententia quia differentiæ istarum specierum sunt negatiuæ, nam linea differt à superficie solum per carentiam latitudinis, nam longitudinem ipsa habet & superficies à corpore per carentiam profunditatis: non ergo habent differentiam positiuam, qua constituantur in ratione positiuæ speciei. *Vnde roboratur argumentum*, quia in linea solum est longitudo,& carentia latitudinis. Per carentiam non constituitur in specie quantitatis, per longitudinem est aliquid incompletum componens superficiem, & vniens partes eius, ergo non habet vnde fit ens completum in genere quantitatis.

Tertiò quia ista indiuisibilia penetrantur cum aliis partibus, ergo per se loquendo non sunt species quantitatis, quia quantitas est impenetrabilis. *Antec. manifestum est*, quia illud est continuum, cuius partes vnico termino indiuisibili copulantur, ergo terminus copulans debet esse intra vtramque partem,aliàs vtramque non copularet,& ita cum linea partes superficiei copulet, & superficies partes corporis intra vtriusque partes debet penetrari, & sic non resistunt penetrationi, vt exigit ratio quantitatis. *Et confirmatur*, quia si duo corpora æquæ plana se mutuo tangant, vna superficies alteri penetratur, tum quia in omni parte superficiei se tangunt quod est penetrari, tum quia sub eodem indiuisibili loci continentur, nam si duplici indiuisibili aëris ambientis continerentur, cum vnum corpus sit alteri immediatum, duo quoque indiuisibilia in aëre immediata essent, quod est impossibile, cum in continuo post quodlibet indiuisibile sequatur pars.

Nihilominus opposita sententia est Aristotelis 5.Met. cap.17. & ibi S. Thom. lect.15. vbi inquit: *Quod sunt tres species magnitudinis, quas ibi Philosophus enumerat,scilicet longitudo,latitudo,& profunditas.* Et idem habet in opuscul. 48. tractat. de Quantitate, & in 4. dist.40.quæst.1.art.2.ad 3. dicit: *Quod linea aliquando accipitur propriè pro ipsa dimensione, quæ est prima species quantitatis continuæ.* Et hæc est communis sententia inter Auctores, & sectatores Aristotelis. Videatur. Curs. Carmel. hîc disp.13. quæst.4. *Et fundamentum* est, quia tam linea, quàm superficies independenter à corpore, & secundum proprias rationes sunt extensæ, & diuisibiles in partes, linea enim constat partibus longitudinis, & hanc extensionem non participat à corpore, sed potius corpus habet ab ipsa linea longitudinem, ergo secundum se essentialiter participant rationem quantitatis, scilicet ex tensionem, & diuisibilitatem in partes,nec enim de ratione quantitatis in communi est quod sit diuisibilis ex omnibus partibus, & omni modo, ergo nihil vetat, quod per se, & essentialiter quantitates sint. Rursus specie distinguuntur, tum quia ipsæ positiones extensionis diuersæ sunt, scilicet secundum longitudinem, latitudiuem, & profunditatem, tum quia diuersæ proprietates ad illas sequuntur, vt constat quia linea est breuis,aut longa, superficies lata, vel stricta, corpus altum & profundum, ergo sunt distinctæ species dimensionis habent etiam distinctæ species dimensionis habent etiam distincta continuatiua,linea enim punctis continuatur,superficies lineis, corpus superficiebus, quæ omnia distinctionis specificæ signa sunt.

Nec mirum esse debet. quod vna istarum specierum componat aliam id enim pronenit tum ex speciali ratione

ratione quantitatis, quia cum ratio eius sit extensio partium, quæcumque species quantitatis quæ affert positionem partium potest alteri deseruire, vt coniunctis partibus resultet integrum continuum, tum quia species minus perfectæ possunt concurrere, aut materialiter supponi ad compositionem perfectioris, sicut elementum componit virtualiter mixtum; sicut paries domum, sicut ternarius senarium. Et sicut in numero, seu multitudine, vnitates componunt, illam non ratione negationis, quam vnitas importat, sed ratione positiui quod habet, etiamsi seorsum secundum se sit species distincta à numero, sic linea, & superficies componunt corpus ratione diuisibilitatis dando partes, ratione vero non indiuisibilitatis non dat partes, sed continuationem.

Ad Primum ergo pro opposita sent. Respond. ex dictis. Lineam, & superficiem esse veras & completas species quantitatis licet materialiter componant corpus; neque enim earum formalitates consistunt in hoc præcisè, quod ordinentur ad componendum, sicut materia, & forma in substantia, sed etiam seorsum, & separatæ à corpore habent veram, & propriam extensionem, sicut partes ipsæ separatæ à corpore veram rationem quantitatis retinent. Quare in hac parte non magis probat argumentum de linea, & superficie, quam de partibus corporis; non minus enim ex lineis componitur, quam ex aliis partibus, vnde sicut partes per se sumptæ sunt veræ quantitates, licet materialiter possint componere aliud totum, ita linea, & superficies. Nec *est simile de puncto* quia omnino caret partibus, & sic nullam quantitatem habet. Quomodo vero vna species possit aliam sibi oppositam componere. *Respondetur.* Quod vna species, vt opposita est formaliter non componit aliam, sed materialiter; quia entitas vnius supponitur ad entitatem alterius, sicut qualitas mixta, vt albedo & sapor, &c. supponit primas qualitates, ex quibus resultat v. g. frigus, aut calorem, & vnitas componit numerum, & vnus numerus alium materialiter.

Ad secundum Respond. Lineam distingui à superficie formaliter, non per carentiam latitudinis, sed per ipsam positiuam longitudinem, quia hanc non includit superficies formaliter, vt superficies est, sed ratione lineæ, quæ materialiter ad illam præsupponitur. Vnde longitudo, quæ materialiter se habet in superficie, formaliter se habet in linea, sicut ternarius se habet materialiter in senario. *Et inde patet ad conf.* Quod longitudo non est aliquid incompletum in suo genere cum seorsum à corpore veram quantitatem habeat; potest tamen materialiter concurrere ad aliam speciem quantitatis, non solum, vt indiuisibile sed etiam dando partes quas habet; sicut vna propositio componit aliam, & paries domum, & vnus numerus alium.

Ad tertium respondetur. Quod indiuisibile vniens partes, pro ea parte qua indiuisibile est non penetratur, quia partes non habet, imò facit quod partes quas vnit non penetrantur, eo quod penes extremitates vniuntur; linea autem & superficies pro ea parte qua habent partes non penetrantur, sed illas habent extensas, quatenus verò indiuisibilia non habent partes, quas penetrant.

Ad confirmat. Respond. Quod duo plana tangunt se penes superficies, siue vnum ambiat aliud siue non, sine vlla penetratione, quia superficies in quibus se tangunt non habent partes versus profundum. Vnde per hoc quod immediate se tangant non se penetrant, quia quâ parte superficies se tangunt caret partibus, quæ possint penetrari. Quod autem duæ superficies contiguæ correspondeant eidem indiuisibili aëris locantis non est, quia vna superficies ingreditur aliam, & penetratur cum illa, sed quia plura indiuisibilia possunt eidem loco correspondere, quia non plus loci occupat vnum indiuisibile, quam mille, vel infinita: imò indiuisibile non est in loco per se, vt docet D. Th. op. 48. c. 2. *de vbi.*

Denique in præsenti aduertendum est, Quod linea, superficies, & corpus sunt species infinitæ, quod de linea affirmat S. Thomas 10. Et hic lect. 5. circa finem, quæcumque autem diuersitas in his fiat, est penes diuersas figuras, & situationis curui, vel recti, quadrati, vel rotundi, &c. figura autem accidens est quantitatis ad qualitatem spectans.

COORDINATIO ET ARBOR PRÆDICAMENTI QVANTITATIS.

SVPREMVM genus est Quantitatis. Diuiditur in duas species, scilicet continuam, & discretam. Discreta iuxta modum Aristotelis in Logica diuiditur in numerum, & orationem vocalem. Oratio in varias species, & combinationes metri & harmoniæ secundum longitudinem, & breuitatem prolationis diuiditur, quæ magis sunt artificiosæ quantitates, quàm naturales. Numerus diuiditur per omnes species numerorum, qualibet enim vnitas addita facit diuersam speciem numeri, vt binarius, ternarius, &c. In sententia verò supra probata oratio reijcitur ab hac diuisione.

Quantitas continua secundum modum Aristotelis in Logica, diuiditur in continuam mensurantem intrinsecè, & mensurantem extrinsecè. Intrinsecè mensurans est illa, quæ positionem habet in continuo, & diuiditur in tres species, scilicet lineam, corpus & superficiem, quarum qualibet est species infima. Extrinsecè mensurans diuiditur in permanentem, vt locus, & successiuam, vt tempus. Locus diuidi potest in diuersas distantias, & modos mensurandi, vt leuca, stadium, milliare; in mensuras etiam, quæ continendo, & quasi locando mensurant, vt modius, amphora, dolium, &c. Tempus diuiditur in dies, menses, annos, &c. Secundùm Metaphysicos verò solùm tres illæ species quantitatis continuæ numerantur, scilicet, linea, superficies & corpus.

QVÆ

QVÆSTIO XVII.

De Prædicamento Relationis.

ARTICVLVS I.

Vtrum à parte rei dentur Relationes, quæ sint formæ intrinsecæ?

LOquendo de relatione in tota sua latitudine, vt comprehendit transcendentalem,& prædicamentalem,secundum dici,& secundum esse,non inuenio, qui absolutè negauerit omnem relationem. Nam etiam antiqui Philosophi non negabant relationes, secundum dici,vt ex textu capitis *ad aliquid* constat, licet prædicamentalem relationem, quæ omnino ab absoluto ente differat. Aristoteles contra illos ibidem statuerit.

Loquendo ergo de relationibus in hac sententia prout distinguuntur ab omni entitate absoluta, quod solum conuenit relationibus secundum esse, *aliqui existimauerunt,* nihil aliud esse, quàm, vel denominationes extrinsecas, vel aliquid rationis, quod Nominalibus attribui solet, & illis qui relationes reales à fundamento non distinguunt. Sed isti vltimi in sensu longe diuerso loquuntur, vt infra videbimus tractando hanc difficultatem. *Denique Alij existimant,* relationes non conuenire rebus, nisi secundum esse obiectiuum, & solum esse intentionales affectiones, quibus rem vnam alteri comparamus. Vnde non in respectu, sed in comparatione relationes constituunt; in re autem omnes relationes esse secundum dici, quia nihil aliud est relatum, quàm res absoluta cognita per comparationem ad aliud. Et volunt hanc esse Aristotelis sententiam in isto capite ad aliquid & 5. Metaphysic. capit. 15. Et alij citant Diuum Thomam 1. 2. quæstione 7. artic. 2. vbi docet relatum denominari aliquid non solum ab eo,quod inest, sed etiam ab eo, quod extrinsecus adiacet.

Cæterum, vt ab hoc vltimo incipiamus, nullatenus potest hæc sententia Philosopho adscribi, cum manifestè in capite *ad aliquid* reiiciat definitionem antiquorum, qui solum definierunt relatiua secundum dici, eo quod ex eorum definitione sequebatur etiam substantiam esse relatam, & quodcumque ens, quod cum dependentia, & comparatione ad alterum dicitur. Aristoteles vero definiens relata dicit: *Quod sunt illa,quorum totum suum esse se habet ad aliud.* Sed in sententia eorum, qui solum ponunt relationes secundum dici, non totum esse relatorum se habet ad aliud; siquidem esse,quod habent in re est absolutum, solum verò habent respectum, quia cognoscuntur comparatiuè ad aliud: ergo talibus relatis non conuenit definitio Aristotelis, quorum totum esse se habet ad aliud. Vnde frustra Aristoteles emendaret definitionem antiquorum, si solum poneret relationes secundum dici, eas enim non negabant antiqui, neque quod comparatiuè ad aliud cognoscerentur, & ideò benè notauit Caietanus in *comment. huius capitis ad Aliquid,* quod in hac definitione Philosophus definiuit relationem secundum naturam quam habet, non secundum, quod cognoscitur, vel dicitur,& ideò dixit: *Ad aliquid sunt,* non verò *ad aliquid dicuntur*: in definitione vero antiquorum dicebatur *ad aliquid dicuntur.* Ergo Philosophus relationes reales posuit distinctas à relationibus secundum dici.

De mente S. Thom nullatenus dubitari potest, cum ex professo impugnet eos qui dicebant relationem non esse rem naturæ, sed aliquid rationis. Videatur 1.par. quæst.13.artic 7.& quæst.28. artic.2.& quæst. 39.artic.1. & 2.contra Gentiles cap.12. & quæst.7. de potentia artic.8.& 9.& quæst.8.de potentia artic. 2.& mille aliis locis, sed præcipuè in istis clarè affirmat relationem esse aliquid reale, & accidens inhærens.

Fundamentum est, quia relationes secundum dici habent esse absolutum, & non totum sunt ad aliud, relationes rationis non sunt nisi intellectu apprehendente, à quo habent esse obiectiuum, sed in re nullo intellectu considerante inueniuntur aliqua non habentia aliud esse, quàm ad aliud, ergo inueniuntur relationes reales quæ non sunt secundum dici, & sic prædicamentum seorsum à rebus absolutis possunt constituere. *Ant. prob.* quia nullo intellectu considerante inueniuntur in re aliqua, quibus nullum esse absolutum assignari potest; inuenitur enim ordo, vt exercitus ordinatus, vniuersum ordinatum, inuenitur similitudo, dependentia, paternitas, & alia similia, quæ nullo esse absoluto explicari possunt,& totum esse in eis se habet ad alterum, cuius signum est, quia non existente termino deficit similitudo aut paternitas, si autem esse illorum esset quid absolutum, non deficeret ex solo defectu termini. Negare vero quod ista in re dentur nullo intellectu formante, & fingente illa, est negare id quod vel rusticissimi homines in re dari cognoscunt.

Hac ratione vtitur sæpè Diu. Thom. aliámque indicat in primo ad Anibal. dist.26.quæst.2.artic.1. petitam ex relationibus diuinis, quæ in quantum distinguuntur inter se realiter à parte rei dantur, alioquin non distinguerentur realiter personæ relatiuæ, quod esset hæreticum. Non distinguuntur autem,nisi vt puræ relationes sunt secundum esse, si enim in alio quàm in pura relatione distinguerentur non solum relatiua,sed etiam absoluta diuiderentur in Deo, ergo dantur in Deo reales relationes, licet propter summam simplicitatem diuinam identificatæ cum substantia. Cur ergo in creatis repugnabit dari tales relationes, quæ nec substantia sint,nec infinitæ? Denique quomodo intellectus puros respectus format, si non habet nisi res absolutas, seu relationes secundum dici ad quarum instar eas formet; Erunt ergo mera figmenta relationes ab intellectu formatæ, cum non habeant in re puras, & veras relationes ad quarum instar formentur. Nec dici potest dari quidem in re istas relationes, sed per modum denominationis extrinsecæ, non intrinsecæ formæ. *Sed contra est*; quia omnis extrinseca denominatio prouenit ex forma aliqua reali existente in alio subiecto, sicut esse visum, aut cognitum ex cognitione existente in cognoscente. Ergo si relatio est denominatio extrinseca prouenit ex aliqua forma existente in alio subiecto. Ergo vel illa forma in se est realis, vel absoluta entitas. Si est relatio iam datur forma relatiua intrinseca, & sic sicut datur in illo subiecto, ita poterit dari in alio. Si autem est forma absoluta extrinsecè tamen informans, quomodo potest ab illa prouenire denominatio relatiua? à forma enim absoluta non emanat effectus formalis relatiuus, neque intrinsecè, nec extrinsecè; esse visum in pariete non est denominatio relationis, sed terminationis, quamuis à nobis per modum relationis concipiatur, *sed in re* relatio non est. Denique durissimè explicabit hæc sententia,quomodo sunt tres personæ relatiuæ in diui-

diuinis realiter constitutæ, & distinctæ si sunt denominationes extrinsecæ, & à qua forma absoluta tales denominationes proueniunt. Si autem in Deo extrinsecæ denominationes non sunt, sed formæ intrinsecæ licet substantiales, & identificatæ cum diuina substantia, cur dicemus repugnare in creaturis tale genus entis relatiui, licet non identificatum cum substantia, cum potius res creatæ magis habeant fundamentum talis relationis, quia magis sunt dependentes, & ordinatæ, vel subordinatæ ad aliud.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

OBijcies primò. Relatio nihil reale ponit in subiecto præter extrinsecam denominationem extremorum coëxistentium. Nam iste modus, qui dicitur relatio condistinctus à reliquis formis absolutis non apparet quomodo adueniat rei sine intrinseca eius mutatione, si intrinsecus eius modus est, nec quomodo de nouo causetur ex sola positione termini in quacumque distantia, vt si aliquod album producitur in India me existente in Hispania, resultat illa relatio ab illo termino ita distanti, neque producitur nunc ab agente, qui produxit albedinem hic, quia tale agens sæpe iam desiit, quando relatio resultat: ergo tunc non potest agere.

Secundò. Quia videtur in infinitum crescere multitudo relationum in eodem subiecto ad omnia quæ sunt sibi similia, æqualia agentia, patientia, &c. Et præsertim, quia etiam vna relatio potest alias fundare, cum non minus sint similes duæ relationes, quam duo absoluta, & sic in infinitum crescet numerus relationum.

Denique. Quia nulla videtur necessitas multiplicandi istas entitates relatiuas distinguendo illas ab absolutis, nam hoc ipso, quod ponantur duo alba sine alia entitate, vel modo erunt similia; & hoc ipso, quod quis genuit, sine alia additione entitatis erit pater. Cum ergo nulla detur experientia istarum relationum, & alias discursus quo probantur dari sufficienter saluantur sola positione duorum extremorum, non videtur solido fundamento probari, quod istæ relationes sint formæ intrinsecæ. Vnde Diuus Thomas opuscul. 48. tractatu de ad Aliquid capit. 3. dicit relationem non differre à fundamento, nisi ratione termini extrinseci: Et loco suprà citato ex 1.2. quæstione 7. art. 2. docet relatum denominari non solum ab eo, quod inest, sed etiam ab eo quod extrinsecus adiacet.

Ad primum Respondetur. Quod relatio aduenit subiecto sine aliqua mutatione, quæ directè, & immediatè terminetur ad relationem, non tamen sine mutatione, quæ mediatè, & indirectè terminetur ad illam; sicut eadem actione, qua producitur homo dimanat risibilitas, sic ad productionem albi producitur similitudo ad aliud album, quod existit. Si autem non existit, manet ex vi generationis albi quasi in virtute illa similitudo, & quæcumque alia relatio, vt resultet posito suo termino. Vnde ad hoc nihil conducit, vel obstat distantia, quia relationes istæ non dependent à locali situatione, eodem enim modo est filius sui patris, filius distans, & indistans; neque enim ab ipso termino quando ponitur per aliquam emissionem virtutis producitur relatio in alio extremo, sed positio termini est conditio, vt ex fundamento antea posito resultet relatio ex vi primæ generationis, qua positum est in rerum natura, vt petens respicere quemcumque terminum talis fundamenti. Vnde licet generans iam desierit, remanet tamen in sua virtute, quatenus relinquit sufficiens fundamentum, vt resultet relatio, sicut remanet virtute in graui, vt moueatur deorsum à generante remoto obstaculo.

Et quando fit instantia. Quod Aristoteles sæpe docet relationem non esse terminum mutationis. *Respondetur.* Non esse terminum mutationis physicæ per se, & directè; non tamen negat Philosophus esse terminum mutationis per accidens, id est per aliud, & secundariò. Vnde Diuus Thomas in quinto Physicor. lectione tertia expresè docet: *Mutationem realem fieri in relationibus realibus, scilicet aliquam nouam determinationem secundum quam explicatur in actu, quod erat in fundamento.* Et 11. Metaphysicorum lectione 12. dicit: *Quod in ad aliquid non est motus, nisi per accidens.*

Ad secundum Respond. Nullum esse inconueniens, quod multiplicentur istæ relationes, quoties multiplicantur fundamenta, & termini. Præsertim verò in sententia Diui Thomæ, multo minor est numerus relationum; quia ponit vnam relationem numero posse ad diuersos terminos numero referri tertia parte quæstione 35. artic. 5. Vnam verò relationem fundari in alia, omnino negat Diu. Thom. quod infra latius ostendemus. Et videri potest qu. 7. de potentia articul. 9. ad secundum, & prima parte, quæst. 42. art. 1. ad 4.

Ad tertium dicitur, quod non est minor necessitas ponendi hoc genus entitatis relatiuæ, quam genus quantitatis, vel qualitatis, quia enim videmus effectus quantitatis, & qualitatis, inde tales formas dari colligimus; sic etiam quia videmus dari hunc effectum in rerum natura, scilicet ordinari aliqua, & habitudinem habere ad alia, sicut similitudo, paternitas, ordo, &c. & in istis non est iste effectus respiciendi mixtus, cum ratione absoluta, sed totum esse eorum consistit in respectu, inde optimè colligimus dari hoc genus entitatis relatiuæ; sicut ex effectibus absolutis entitates absolutas. Nec est necessaria ad hoc maior experientia, quàm in aliis formis accidentalibus, in quibus experimur quidem effectus, sed non earum distinctionem à substantia. Quod si Deus relinqueret duo alba sine resultantia relationis, manerent similia fundamentaliter, non formaliter.

Ad loca D. Thom. Ad primum ex opusculo 48. *Respondetur*, sensum esse quod relatio differt ratione termini extrinseci, id est, sumit distinctionem à termino, non verò negat, quod in se sit forma intrinseca, quod toties affirmat D. Thom. & specialiter quod sit accidens inhærens, docet quæstione 7. de potentia artic. 9. ad 7. In secundo autem loco ex 1.2. solum docet D. Thom. quod relatio denominationem sumit, non solum ex eo, quod inest, id est, in quantum inhærens; sed eo quod extrinsecus adiacet, id est, ex termino, seu ex ordine ad illum, quod non tollit, sed supponit quod sit inhærens, quæ est expositio ipsius in citato loco de potentia, p. 1. & quæst. 28. artic. 2.

ARTICVLVS II.

Quid requiratur, vt aliqua relatio sit prædicamentalis?

AD cognoscendam relationem prædicamentalem oportet discernere illam, & à relatione rationis, & à relatione transcendentali, quæ etiam appellari solet relatio secundum dici. Vt autem hoc possit melius percipi; *supponenda est communis doctrina*, quod in hoc genere entis, quæ vocatur relatio,

relatio, tria debent concurrere; ſcilicet *Subiectum, fundamentum, & terminus*, Subiectum, quod eſt commune omni accidenti eſt illud, quod formatur, & denominatur à relatione. Fundamentum requiritur tanquam ratio, & cauſa, vnde relationes iſtæ ſortiuntur entitatem & eſſe. Terminus tanquam id, ad quod tendit, & in quo ſiſtit iſte reſpectus; & licet ad omnem entitatem, & formam requiratur cauſa, ſpecialiter tamen ad relationem dicitur requiri fundamentum, quia aliæ formæ ſolum requirunt cauſam, vt producantur in eſſe, & exiſtant, relatio autem propter ſuam minimam entitatem, & quia ex proprio conceptu eſt ad aliud requirit fundamentum, non ſolum vt exiſtat, ſed etiam vt ſit capax exiſtendi, id eſt, vt ſit entitas realis. Et ita dixit D. Thom. in 1. ad Anibald. diſtinction. 30. quæſtion. vnica articul. 1. *Quod relatio non eſt aliud, quàm habitudo vnius ad alterum, vnde ſecundum propriam rationem non habet, quod ſit aliquid in eo de quo dicitur; ſed hoc aliquando habet ex habitudinis cauſa.* Et idem ferè habet in primo, diſtinctione 26. quæſtione 2. articul. 1. & 1. part. quæſtione 28. articul. 1. vbi inquit: *Quod ea, quæ dicuntur ad Aliquid, ſignificant ſecundum propriam rationem ſolum reſpectum ad aliud, qui quidem reſpectus aliquando eſt in rerum natura, vtpotè quando aliquæ res ſecundum naturam ſuam ad inuicem ordinatæ ſunt.* Et hoc ideò eſt, quia relatio propter ſuam minimam entitatem non præcisè dependet à ſubiecto, ſicut aliæ formæ abſolutæ, ſed ſe habet, vt entitas tertia ex coordinatione duorum extremorum conſiſtens, & reſultans, ideoque vt ſit in rerum natura debet dependere à fundamento coordinante illam ad terminum, & non ſolum à ſubiecto, & cauſa productiua.

Ex his non erit difficile diſcernere inter relationes ſecundum dici, & ſecundum eſſe reales, & rationis. Relatiua enim ſecundum eſſe, & ſecundum dici diſcriminantur ex ipſo exercitio, quia in relatiuis ſecundum eſſe tota ratio ſeu exercitium eſt reſpicere: & ideo dicuntur reſpicere terminum in ratione puri termini. Exercitium vero ſeu ratio relationis ſecundum dici non eſt purè reſpicere terminum, ſed aliquid aliud exercere, vnde ſequatur relatio, ideoque dixit bene S. Thom. in 2. diſt. 1. qu. 1. articul. 5. ad 8. primo loco poſitum, *quod iſta relatiua important fundamentum, & relationem, relatiua vero ſecundum eſſe tantum relationem dicunt.* Quia videlicet relatiua ſecundum dici potius erga terminum ſe habent fundando relationem, quam actu reſpiciendo, & ideo non in ratione puri termini ipſum reſpiciunt, ſed ſecundum aliam rationem, puta cauſæ vel effectus, aut obiecti, aut quid ſimile. Quapropter relatio ſecundum dici in hoc perpetuo diſtinguitur à relatione ſecundum eſſe ex D. Thom. quod principale ſignificatum relationis ſecundum dici non eſt relatio, ſed aliquid aliud, ad quod ſequitur relatio, quando autem principale ſignificatum alicuius eſt relatio ipſa, & non aliquid abſolutum, tunc eſt relatio ſecundum eſſe, vt conſtat ex 1. p. q. 13. artic. 7. & in 1. diſt. 30. q. 1. art. 2. & opuſc. 48. tract. de prædicamento ad aliquid cap. 1. vbi manifeſtè hoc docet.

Ex quo etiam conſtat, quod relatio tranſcendentalis, quæ non eſt alia, à relatione ſecundum dici, non importat ex principali ſignificato relationem, ſed aliquid abſolutum ad quod ſequitur, vel ſequi poteſt aliqua relatio, nam ſi abſolutum non importat, tranſcendentalis non erit, id eſt, vagans per diuerſa genera, ſed ad vnum prædicamentum tantum ſpectabit; vnde relatio tranſcendentalis non eſt forma adueniens ſubiecto, ſeu rei abſolutè, ſed illi imbibita, connotans tamen aliquid extrinſecum à quo pendet, vel circa quod verſatur, vt materia ad formam, caput ad capitatum, creatura ad Deum: ſicque relatio tranſcendentalis coincidit cum relatione ſecundum dici, & male ab aliquibus relatio ſecundum eſſe diuiditur in tranſcendentalem, & prædicamentalem, cum tranſcendentalis ſit in ipſa entitate abſoluta nec ab eius eſſe differat, & ſic non ſit totum ſuum eſſe ad aliud, quod requiritur ad relationem ſecundum eſſe. An vero tranſcendentalis relatio imperfectionem aliquam, & dependentiam importet, ideoque à Deo releganda ſit, ad Metaphyſicos, & Theologos ſpectat.

Relationes autem reales, & rationis (quæ diuiſio ſolum in relatione ſecundùm eſſe inuenitur) diſcriminantur penes carentiam alicuius ex conditionibus requiſitis ad relationes reales. *Requiruntur autem quinque conditiones* à D. Thom. opuſcul. 48. tractat. de relatiuis cap. 1. duæ ex parte ſubiecti, duæ ex parte termini, duæ ex parte relatorum. *Ex parte ſubiecti*, quod ſubiectum ſit ens reale, & fundamentum ſui rationem fundandi realem habeat. *Ex parte termini*, quod terminus ſit res aliqua realis, & realiter exiſtens, & ſecundo quod ſit diſtincta realiter ab alio extremo. *Ex parte vero relatiuorum*, quod ſint eiuſdem ordinis, defectu cuius Dei ad creaturam non eſt relatio realis, nec menſuræ ad menſuratum ſi ſit diuerſi ordinis. Quæ doctrina concordat his quæ docet in 1. diſt. 26. quæſtion. 2. articul. 1. & 1. p. quæſtion. 28. articul. 1. Formaliter tamen, & principaliter reducitur tota differentia inter relationem realem & rationis, quod relatio realis habet fundamentum reale cum coëxiſtentia termini, relatio rationis caret fundamento, vt ex Diuo Thom. ſumitur 1. ad Anibal. diſtinct. 30. quæſtion. vnica art. 1.

His ſuppoſitis reſolutoriè dico: Ad hoc vt relatio aliqua ſit prædicamentalis requiritur quod habeat illas conditiones quibus diſtinguatur à relatione rationis, & tranſcendentali ſiue ſecundum dici, ideoque definitur relatio prædicamentalis, quod ſit forma realis cuius totum eſſe eſt ad aliud. Per primam particulam diſtinguitur à relatione rationis, quæ realis forma non eſt, per ſecundam à relatione tranſcendentali, & quolibet abſoluto, cuius totum eſſe non eſt ad aliud, quid, cum in ſe etiam abſolutum aliquid ſit. Colliguntur vero tres conditiones relationis prædicamentalis. *Prima*, quod ſit relatio ſecundum eſſe. *Secunda*, quod ſit realis, vbi includimus omnes conditiones requiſitas ad relationem realem. *Tertia*, quod ſit finita. Scotus *quartam addit conditionem*, ſcilicet quod ſit relatio intrinſecus adueniens; id eſt, quæ ſine vlla mutatione poſito fundamento, & termino ſtatim conſurgit, relationes verò extrinſecus aduenientes reiicit ad ſex vltima prædicamenta, quæ poſito fundamento, & termino non immediate, & quaſi ab intrinſeco reſultant, ſed extrinſeca aliqua mutatione indigent vt reſultent. Sed quæſtion. 19. agendo de ſex vltimis prædicamentis oſtendemus non eſſe relationes, iſtas extrinſecus aduenientes. Ex prima ergo conditione relationis prædicamentalis, excluduntur omnes relationes ſecundum dici ſiue tranſcendentales. Ex ſecunda eiiciuntur omnes relationes rationis. Ex tertia omnes relationes diuinæ, quæ è prædicamento exulant cum ſint actus puri.

Sed inquires circa illam conditionem relationis realis, & prædicamentalis, ſcilicet quod extrema ſint diſtincta realiter, an requiratur, quod ſint diſtincta ſolum ex parte rerum, ſeu extremorum materialiter, an etiam ex parte rationis fundandi, ita vt fundamentum proximum ſit etiam realiter diſtinctum? *Reſpond.* in hoc eſſe differentiam inter

ſcholam

ſcholam D.Th.& Scoti, Scotus enim in 1. diſt.3. requirit ſolum diſtinctionem inter res, quæ ſunt extrema, non inter rationes fundandi. D. Thom. vtrumque requirit vt patet 1.p.q.42. art. 1. vbi ex eo negat inter diuinas perſonas dari relationem realem ſimilitudinis & æqualitatis, quia fundamentum eſt idem in omnibus perſonis, ſcilicet diuina eſſentia, ratione cuius aſſimilantur, & idem eſſet ſi poneretur vna albedo in duobus lapidibus. *Cuius ratio ſumitur*, ex Caiet.ibi, & aliis interpretibus, quia in his relatiuis ex eo referuntur extrema materialia, quia ipſæ rationes fundandi referuntur, quia enim albedines ſunt ſimiles, res albæ ſunt ſimiles. Vnde è contra ſi albedines ſimiles non ſunt, quia eſt vnica albedo, ipſa alba ſimilia eſſe non poſſunt in albedine, ſed ſunt idem vtpotè cum ſit vnica tantum, & eadem albedo. Si verò ſunt ſimilia erit in aliquo alio, non in ipſa ratione formali albi. Sed de hac difficultate hoc inſinuaſſe ſufficiat, magis enim ſpectat ad Theologos, & Metaphyſicos.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimo argu tur loco illo D. Thom. ſatis noto, ſed difficili 1.p.q.28.art.1. vbi dicit: *Quod ſolum in his quæ ſunt ad aliquid inueniuntur aliqua ſecundum rem & aliqua ſecundum rationem*, quæ verba multis difficilia viſa ſunt; nam vel loquitur D. Thomas de relatione prædicamentali, vel de relatione, prout abſtrahit à reali & rationis. Si primo modo falſum eſt in relatione prædicamentali inueniri relationes rationis, vel falſo diximus ad relationem prædicamentalem requiri, quod ſit realis. Si ſecundo modo verum eſt in relatione ſic abſtracta vtramque reperiri, ſcilicet realem, & rationis, ſed falſum eſt hoc ſolum reperiri in relatione. Nam etiam in ſubſtantia poteſt aliquid ficte concipi, quod dicetur ſubſtantia rationis, ſicut chymæra, hircoceruus, & ſimilia, & in quantitate ſpatium imaginarium, & ſimilia in aliis generibus: ergo non in ſola relatione inuenitur aliquid rationis. *Et auget difficultatem* reſponſio Caietani ibidem, quod relatio peculiariter hoc habet, quod eſſe in ratione non eſt conditio diminuens, ſed eſt vera relatio illa, quæ eſt rationis; conſtat enim, quod ſi eſſet vera relatio, verè faceret referre ſubiectum, & non ficte; atque adeo, neque per apprehenſionem, ſed realiter.

Hec difficultas occaſionem præbuit multis, ſiniſtrè intelligendi D. Thom. aut minus benè Philoſophandi de relatione. *Quidam enim exiſtimant*, relationem realem partiri in duos conceptus; ſcilicet in conceptum accidentis, quem vocant *In*, & reſpectum, quem vocant *Ad*. Et primum eſſe realem, ſecundùm rationis, vel abſtrahere à reali, & rationis. *Alij exiſtimant* ſolum voluiſſe D. Thomam ſignificare, quod poteſt aliquid excogitari per rationem ad inſtar relationis prædicamentalis. *Alij denique*, quod loquitur de relatione, vt abſtrahit à reali, & rationis. Sed primi excludunt veram realitatem in prædicamento relationis, ſi id quod eſt proprium talis prædicamenti, ſcilicet reſpectus, & ratio. *Ad* non realizatur. Secundi verò non dicunt aliquid peculiare relationis, vt S. Thom. ponit, quia etiam poſſunt aliqua entia rationis formari ad ſimilitudinem aliorum generum v.g. ad inſtar ſubſtantiæ, & quantitatis, &c.

Quare tertia expoſitio quantum ad vnum veriſſima eſt, ſcilicet, quod D. Thomas loquitur de relatione in tota ſua latitudine, vt abſtrahit à reali, & rationis; neque enim dixit S. Doctor, quod in prædicamento *ad Aliquid*, inueniuntur aliqua ſecundùm rationem, ſed abſolutè dixit, *in his quæ ſunt ad Aliquid*, vt ſignificaret, ſe non loqui de relatione, vt determinatè eſt genus, ſed abſolutè ſecundùm ſe; quod deberent aliqui attendere, qui minus ſolicitè legunt S. Doctorem. Itaque loquitur D. Thom. de relatione, ſub formaliſſimo conceptu *Ad*; & ſignificat, quod ex illa parte, qua conſideratur ad terminum, & poſitiuè ſe habet, & non eſt determinatè realis forma, ſed permittit, quòd ſit ens reale, vel rationis; licet. *Ad* prædicamentale, & fundatum reale ſit; & ita non voluit D. Thomas ſignificare, quæ relatio ſit realis, vel quæ rationis, ſed ex qua parte habet relatio, quòd poſſit eſſe realis, vel rationis, ſcilicet ex parte qua eſt ad terminum, licet enim ibi realitatem habere poſſit, non tamen inde, quod expreſſit S. Doctor in 1. ad Annibal. diſtinct. 26. quæſt. 2. art. 1. dicens: *Quòd relatio poteſt dupliciter conſiderari, vno modo quantum ad id, ad quod dicitur, ex quo rationem relationis habet, & quantum ad hoc non habet quod ponat aliquid, quamuis etiam ex hoc non habeat, quod nihil ſit; ſunt enim quidam reſpectus, qui ſunt aliquid ſecundum rem, quidam vero, qui nihil. Alio modo quantum ad id in quo eſt, & ſic quando habet eam in ſubiecto, realiter ineſt.* Sic. D. Thom.

Quomodo autem hoc ſit peculiare in relatione, & in aliis generibus non inueniatur, dicimus ex eo eſſe, quia in aliis generibus ratio propria, & formaliſſima eorum non poteſt poſitiuè intelligi niſi entitatiuè etiam intelligatur, quia poſitiua eorum ratio eſt ad ſe tantum, & abſoluta, & ideo non intelligitur poſitiuè, niſi etiam entitatiuè, quod enim eſt ad ſe, entitas eſt. Sola relatio habet eſſe ens, & ad ens, & pro ea parte qua ſe habet ad ens poſitiuè ſe habet, nec tamen inde habet entitatem realem, ſed aliunde relationi prouenit realitas ſcilicet à fundamento, aliunde poſitiua ratio *Ad*, ſcilicet ex termino ex quo non habet eſſe ens, ſed ad ens, licet illud *Ad* verè reale ſit, quando fundatum eſt. Quod ergo aliquid poſſit conſiderari poſitiuè, etiamſi non entitatiuè realiter, proprium relationis eſt. Et hoc ſolum voluit dicere Caiet. *cit. loco* cum dixit relationem rationis eſſe veram relationem non veritate entitatis, & formæ informantis, ſed veritate obiectiuæ, & poſitiuæ tendentiæ ad terminum. Neque Caietanus dixit, quod in relatione prædicamentali ipſum *Ad* eſt aliquid rationis, expreſſè enim dicit, quod verè realizatur.

Quando verò inſtatur, quòd etiam alia genera poſſunt hoc modo dici aliquid rationis, ſicut ſubſtantia rationis erit chymæra, quantitas rationis ſpatium imaginarium, & ſic de aliis. *Reſpondetur.* Quod vt ſupra dictum eſt, quæſt.12. art. 1. non dicitur ens rationis illud, ad cuius inſtar formatur, formatur enim ens rationis ad inſtar entis realis, ſed dicitur ens rationis illud non reale, quod ad inſtar realis entis concipitur. Non datur ergo ſubſtantia rationis, nec quantitas rationis, quia licet aliquod non ens concipiatur ad inſtar ſubſtantiæ, v. g. chymæra, & aliquid ad inſtar quantitatis, v. g. ſpatium imaginarium; non tamen ipſa ſubſtantia, vel aliqua ſubſtantiæ ratio concipitur per rationem & formatur in eſſe ad inſtar alterius entis realis, & ideò illa negatio, ſeu non ens chymæræ, & illud non ens ſpatij imaginarij dicetur ens rationis, ſed hoc eſt ens rationis, quod vocatur negatio, non autem erit ſubſtantia rationis, cum non ipſa ſubſtantia vt ens rationis ad inſtar alicuius realis concipiatur, ſed negationes, ſeu non entia ad inſtar ſubſtantiæ, & quantitatis. At verò in relatiuis, non ſolum aliquod non ens concipitur ad inſtar relationis,

ſed etiam ipſa relatio ex parte reſpectus, *Ad*, cum non exiſtit in re concipitur, ſeu formatur ad inſtar relationis realis, & ſic eſt id quod formatur in eſſe, & non ſolum id ad cuius inſtar formatur, & ratione huius datur relatio rationis non ſubſtantia rationis.

Secundò arguitur. Supremum genus huius prædicamenti eſt vera relatio realis, & tamen non habet terminum diſtinctum à ſe, quem reſpiciat; ergo falſo diximus hoc requiri ad relationem realem prædicamentalem. *Minor probatur*, quia vel ille terminus eſt aliquid relatiuum, vel abſolutum, non abſolutum, quia *vt infra* dicemus, formalis terminus relationis non eſt aliquid abſolutum, ſed relatiuum; præterquam quod illud abſolutum non poteſt eſſe aliquid reale exiſtens in ſingulari, nec enim relatio in communi poteſt reſpicere pro termino aliquid ſingulare determinatè, ſic enim omnes relationes illum reſpicerent; ſi autem eſt aliquid abſtractum à ſingularibus illud non poteſt terminare relationem realem, cum non detur à parte rei. Si autem eſt aliquid relatiuum, vel eſt illi æquale, vel inferius. Si æquale, dabuntur duo genera relationum. Si inferius reſpicietur à relatione in communi, vt id de quo prædicatur, non vt id ad quod terminatur per ſe, vt relatio, ſed vt vniuerſale.

Reſpondetur. Quod relatio in communi reſpicit terminum in actu, & in exercitio, ſed ſolum concipitur vt ratio, & quidditas ipſius relationis & vt gradus ſuperior, quo relationes inferiores conſtituuntur ad reſpiciendum, non id, quod exercitè reſpicit, id enim habet per ſua inferiora; ſicut ſubſtantia prima vage, & in communi accepta, eſt id, quo ſubſtatur accidentibus, non id, quod exercitè illis ſubſtat. *Et huius ratio eſt*, quia relatio genericè ſumpta non eſt conceptus relationis, vt oppoſitæ, ſed vt vnientis in ratione communi naturam relationis. Vnde in illo conueniunt tam relatiua, quàm correlatiua, non in illo oppoſitionem habent; relatio autem non exercetur ad terminum, niſi ſub oppoſitione relatiua. Et ita relatio concepta ſub conceptu generico exuit ſtatum oppoſitionis, & tantum explicat conceptum in quo conueniunt omnes relationes, non autem exercitium reſpiciendi terminum, licet ſit ratio reſpiciendi illum in ſuis inferioribus, & etiam in ſententia, quod terminus relationis ſit aliquid abſolutum, non tamen poteſt accipi terminus in communi tanquam aliquid vnum, quia ſecundùm hanc ſententiam in quocumque genere inuenitur terminus relationis, nec poteſt ex omnibus generibus vnus terminus fieri, qui reſpiciatur a relatione vt ſic: determinatum autem terminum non reſpicit, cum ſit generica relatio.

Tertiò arguitur. Relationes tranſcendentales etiam habent totum ſuum eſſe ad aliud, ſicut tota eſſentia materiæ eſt ad formam; tota eſſentia habitus, & actus ab obiectum, inde enim habent totam ſpeciem: è contra verò relatio prædicamentalis, non totum ſuum eſſe habet ad aliud, cum etiam ſit accidens inhærens, & ſic habet eſſe in ſubiecto, non ad ſubiectum.

Confirmatur. Quia relatio prædicamentalis etiam dependet à ſuo termino ſicut relatio ſecundum eſſe: ergo non eſt ratio cur tranſcendentalis poſſit terminari ad non exiſtens, non verò prædicamentalis.

Reſpondetur. Quod relatio tranſcendentalis non eſt primo, & per ſe ad aliud ſicut prædicamentalis, quia licet tota earum ſpecies, & eſſentia ſumatur ab alio, vel dependeat ab alio, non tamen ad aliud, ſicut materia dependet à forma, & actus ab obiecto, ſicut à cauſis, à quibus habent eſſe, & ſpecificationem. Et ex hoc conſequitur, quòd reſpiciunt illum, vt terminum; ſed quod primò, & per ſe ſit ad aliud, vt ad terminum eſt proprium relationis prædicamentalis, & ideo dicitur, quod reſpicit terminum, vt purè terminum, id eſt, tantum vt ad aliud, non vt ab alio, vel circa aliud, vel quocumque alio cauſalitatis modo, ſicut tranſcendentalis. Quòd verò relatio prædicamentalis dicitur eſſe in ſubiecto non tollit, quin totum ſuum eſſe ſit ad aliud, totum inquam, id eſt, proprium, & peculiare ipſius eſſe, in quo differt ab aliis generibus abſolutis; ſupponendo tamen rationem communem accidentis, ſcil. eſſe in aliquo, ratione cuius non habet eſſe ad aliud, ſed nec id excludit.

Ad confirmationem reſpondetur. Quod tranſcendentalis relatio non eſt primo, & per ſe ad aliud, vt dictum eſt, ſed ab alio, vel circa aliud, vt dependentia, vel cauſalitas, aut aliquid ſimile, quod aliquando ſaluari poteſt non per id quod de facto eſt, ſed per id, quod conuenire poteſt, vel poſtulat vt conueniat. Relatio autem prædicamentalis, quia totum ſuum eſſe habet ad aliud non conſurgit, niſi ex poſitione extremorum. Vnde altero illorum deficiente, deficit.

ARTICVLVS III.

Quæ ſint diuiſiones relationis prædicamentalis, & eius ſpecies?

IN diuiſionibus relationis prædicamentalis poſſumus conſiderare duplicem lineam diuidendi. Prima penes conditiones accidentales relationis. Secunda penes ſpecies, & eſſentiales differentias. Primò modo diuiditur relatio dupliciter. *Primò*, in relationes mutuas, & non mutuas. *Et ſecundò* relatio mutua diuiditur, in relationem æquiparantiæ, & diſquiparantiæ. Relatio mutua eſt, *quando ex parte vtriuſque extremi datur ad inuicem relatio eiuſdem ordinis, ſeu entitatis*, id eſt, ſi ſit relatio realis, quòd ex parte vtriuſque extremi realis ſit, ſi ſit rationis, quòd vtraque ſit rationis, v. g. pater & filius mutuo referuntur; nec ſufficit, quod mutuo conuertantur, quia etiam non mutua conuertuntur, id eſt, vnum reſpicit, & aliud reſpicitur. Relatio non mutua eſt è conuerſo, *quando tantum in vno extremo eſt relatio vera, & propria*, ſicut in creatura ad Deum, in ſcientia ad ſcibile. Relatio æquiparantiæ eſt *relatio mutua eiuſdem rationis, ſeu denominationis*, ſicut relatio, ſimilitudinis, & relatio æqualitatis vtrumque extremum denominat ſimile, vel æquale. Relatio diſquiparantiæ eſt *diuerſæ denominationis* in vtroque extremo, ſicut pater dicitur ad filium non ad patrem, & Dominus ad ſeruum non ad alium Dominum. Et iſtæ diuiſiones dicuntur accidentales, quia ratio mutui, & non mutui, æquiparantiæ, vel diſquiparantiæ, non ſumuntur directè penes fundamenta, & terminos, ſed conſequuntur relationem ſecundùm modum tangendi talem terminum, & fundamentum, à quibus ſpecies relationis ſumitur.

Secundo modo ſumitur diuiſio relationis in ſpecies eſſentiales penes fundamenta relationum, quibus etiam debent correſpondere diuerſi termini formales. Propoſuit autem Philoſoph. 5. Metaph. lect. 17. apud D. Thom. tria fundamenta, quibus generaliter diuiditur relatio. *Primum fundamentum eſt*,

est, penes vnitatem, & numerum, in quibus fundantur relationes similitudinis, & dissimilitudinis, conuenientiæ, & disconuenientiæ, &c. *Secundum fundamentum est, penes actionem & passionem*, sicut omnes effectus & causæ. *Tertium, penes mensuram & mensurabile*, sicut potentiæ mensurantur à suis obiectis à quibus specificantur.

Sufficientiam huius diuisionis colligit S. Thomas loco citato. Quæ vt intelligitur, est *Aduertendum*, quod licet omne prædicamentum absolutum possit esse subiectum relationis, quasi materialiter recipiens illam, & denominatum ab illa; non tamen potest habere rationem fundamenti, nisi id quod habet rationem ordinandi vnum ad aliud. Ex quo fit, quod vt dicit S.Thom. 7. de Potentia, art.3. per substantiam & qualitatem secundùm suos proprios conceptus non ordinantur aliquid, nisi ad seipsum non ad alterum, nisi per accidens secundùm quòd qualitas vel forma substantialis, aut materia habet rationem virtutis actiuæ vel passiuæ, aut in eis consideratur aliqua ratio quantitatis, id est, vnitas, seu identitas, aut numerus. Quare solum erunt fundamenta relationum illa, quæ inducunt rationem ordinandi vnum ad aliud. Omne autem quod ordinatur ad aliud, vel ordinatur secundùm esse, vel secundùm operationem, seu virtutem, vel secundum proportionem, seu numerum, & conuenientiam. Si secundùm esse est fundamentum mensuræ, & mensurabilis, quia ea mensurantur, quæ accipiunt esse, & specificationem ab alio. Si secundùm operationem & virtutem est fundamentum secundum actionem, & passionem. Si secundùm proportionem & conuenientiam, quod Philosoph. vocat secundum quantitatem, id est, vnitatem, vel numerum est fundamentum vnitatis, & diuersitatis, conuenientiæ, & disconuenientiæ. Nulla autem alia ratio datur habilitans, & ordinans vnum ad alterum, quæ ad istas non reducatur.

Plura autem solent circa ista fundamenta controuerti, quæ ad Metaphysicam spectant. Sed quia sine aliqua saltem eorum notitia non potest relationis prædicamentalis ratio perfectè dignosci, ideo saltem aliqua delibanda sunt. Et reducuntur ad tres difficultates. *Prima.* An ipsæmet relationes reales possint fundare alias. *Secunda.* An reuera omnia ista tria fundamenta, fundent relationes prædicamentales, an solum secundum dici. *Tertia*, An relationes secundi generis habeant pro fundamento immediato ipsam actionem & passionem, an potentiam actiuam & passiuam. In quibus difficultatibus explicandis obiter explicabitur propria ratio, & natura talium fundamentorum.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Circa primam difficultatem est dissensio inter scholam D.Thomæ & Scoti. Nam Scotus putat super relationem posse etiam fundari aliam relationem prædicamentalem. *Cuius præcipua ratio est.* Quia non est, vnde dicamus, quòd omnes aliæ naturæ, siue substantiales, siue accidentales, quæ conueniunt, & differunt inter se fundent relationem identitatis, & conuenientiæ; duæ autem relationes, v.g. Duæ paternitates, vel duæ filiationes id non possint fundare, cum verè habeant conuenientiam inter se, & disconuenientiam ab aliis. Quòd verò relationes sint formæ relatiuæ seipsis, ideoque non videantur indigere alijs relationibus, vt sint similes, vel dissimiles futile est. Quia paternitas, v.g. est forma referendi in ratione patris, non in ratione similis, vel dissimilis: ergo indigebit aliis formis relatiuis, vt sint similes, vel dissimiles.

Et confirmatur. Quia proportionalitas secundùm Euclidem, definitur similitudo duarum proportionum; ergo super proportiones, quæ sunt relationes fundatur alia relatio, quæ est similitudinis.

Nihilominus oppositum tenet expressè sanctus Thomas 1. part. quæst. 42. art. 1. ad 4. Et communiter multi Authores sequuntur. *Fundamentum est*, quia sequeretur processus in infinitum in relationibus. Nam si paternitas, v.g. fundat relationem similitudinis ad aliam paternitatem, etiam fundabit relationem dissimilitudinis ad filiationem, vel ad aliam relationem. Et rursus illa relatio dissimilitudinis fundabit aliam similitudinis ad similem speciem relationis, & relatio similitudinis fundabit dissimilitudinem ad aliam speciem. Et sic alternando in infinitum similitudo fundabit dissimilitudinem ad aliud, & dissimilitudo ad simile Dari autem infinitas relationes est inconueniens, tum propter generalem rationem ponendi infinitum in actu, de quo dicemus 3. *Physicor.* tum propter specialem rationem. quia in causis respectu effectuum non potest dari processus in infinitum, quia infinitum non est pertransibile neque per motum, neque per causalitatem: non enim erit assignabilis vltimus effectus si infinitæ causalitates, & effectus præcedunt; fundamenta autem relationum sunt causæ, seu principia, ex quibus resultant: ergo in illis non datur processus in infinitum.

Duplex solutio assignari solet huic argumento. Prima admittit processum in infinitum in relationibus, sicut diuisio continui in partes indesignabiles infinita est. *Alij* sistunt processum in relationibus, quæ referuntur secundùm eandem rationem; sicut duæ paternitates fundant relationem identitatis, tamen relatio identitatis sic fundata non fundat aliam relationem similitudinis & identitatis, sed seipsa respicit omnem identitatem.

Sed prima solutio admittit processum infinitum in causis, qui à Philosoph. reprobatur in 2. Metaphysic. & ex se patet. Quia si ad vnum effectum requiruntur infiniti concursus, seu causalitates, nunquam potest signari vltimus effectus quia non est designabilis vltimus concursus. Et præterea licet de potentia absoluta vertatur in dubium, an possit dari infinitum in actu, tamen naturaliter nullus dubitat dari non posse, vt 3. *Physicor.* probatur: non ergo datur processus in infinitum in causatione relationum. Exemplum autem de diuisione continui non est ad rem, quia illa infinitas non est partium actu diuisarum, sed est quantitas diuisibilis in potentia, & syncathegorematicè; relationes autem in nostro casu sunt infinitæ actu.

Secunda verò solutio ex ratione supra posita exclusa est; non enim dicimus in vna relatione solum fundari relationem similitudinis, quæ vtique seipsa, & non per relationem superadditam, similitudinem habebit ad alias; sed etiam dicimus vnam relationem fundare relationem dissimilitudinis; sicut fundat similitudinis, & tunc alternando sequitur processus in infinitum, cum super relationem similitudinis fundamus dissimilitudinem, & super relationem dissimilitudinis fundamus similitudinem. Et iterum commutando inuenimus semper nouam relationem, & processum in infinitum. Quòd solutio ista non enacuat, quæ solum loquitur de relatione vnius rationis.

Ad oppositum vero fundamentum respondetur. Quòd relationes eiusdem speciei habent quidem similitudinem & conuenientiam, quasi transcendentalem, non relatiuam prædicamentalem, ne sequatur processus in infinitum, vt dictum est. A priori autem

autem possumus inuestigare rationem huius ex debilitate relationis, quæ tam minimæ entitatis est, vt non sufficiat ad fundandam relationem realem, omne quippe fundamentum debet esse perfectius, eò quod fundatur, sicut vnum accidens non potest substare alteri, sustentando illud, vt diximus quæst. 15. quia non habet perfectiorem modum essendi. Sic cum omnes relationes sint æquales in modo essendi relatiuo, vna non potest esse fundamentum alterius.

Ad confirmationem respondetur. Admittendo definitionem Euclidis de proportionalitate, sed restat probandum Scoto, quod ista similitudo, seu æqualitas proportionum sit relatio distincta, & fundata super relationibus proportionum, sufficit enim quòd sit transcendentalis illa æqualitas.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Circa secundum, *Aliqui dixerunt.* Relationes primi & tertij generis non esse prædicamentales, sed *Quidam existimant*, esse rationis, quia fundamentum relationum primi generis supponit aliquid rationis, id est, vnitatem formalem, vel essentialem communem multis, aliàs non poterit fundari super vnitatem. *Alij existimant*, esse transcendentales, quia vnitas & numerus super quod fundantur istæ relationes, sunt aliquid transcendentale, & in omni genere inuentum; nec enim est aliqua ratio cur dicamus relationem vnitatis, & numeri solùm restringi ad numerum quantitatiuum. Cum etiam in Angelis inueniatur relatio similitudinis & differentiæ.

Denique Alij excludunt relationes primi generis à prædicamento relationis, quia putant esse denominationes extrinsecas, tum quia alias multiplicabitur in immensum multitudo entitatum relatiuarum, cum sint ferè infinitæ combinationes conuenientiæ, & disconuenientiæ, tum quia paternitas, & filiatio in diuinis non fundant relationes reales similitudinis, & diuersitatis; ergo ex se istæ relationes reales non sunt, tum quia coëxistentia, vel distantia dicunt extrinsecam denominationem; sicut ratio dextri in columna: ergo similiter diuersitas, & similitudo erunt denominationes extrinsecæ.

Relationes autem tertij generis, quidam excludunt à prædicamento relationis, quia reijciunt illas ad transcendentales. Videtur enim superfluum, quòd in scientia ad scibile detur relatio prædicamentalis, & transcendentalis, qualis est, quæ remanet in scientia destructo scibili. *Alij existimant* esse denominationes extrinsecas, quia licet scientia fundet relationem prædicamentalem ad scibile, tamen illa non est relatio huius tertij generis, sed primi, vel secundi, in hoc autem tertio genere Aristoteles non numerat relationem scientiæ ad scibile, vel mensurati ad mensuram, sed è conuerso scibili ad scientiam, & mensuræ ad mensuratum, vt patet in 5. Metaph. cap. 15. mensuræ autem non est relatio realis.

Nihilominus. Cum communi sententia asserendum est *vtrumque genus relationum, primum, & tertium esse prædicamentale,* vt cum Aristot. & D. Thom. & Scoto tenetur communiter, & *ratio vnica est,* quia concurrunt in istis relationibus omnia, quæ ad relationem prædicamentalem requiruntur, non minus, quàm in relationibus secundi generis. Nam in istis inueniuntur correlatiua realia realiter distincta, scilicet illa inter quæ est similitudo, aut diuersitas, mensuratio & mensura, inuenitur etiam terminus existens, vt nunc suppono, nam si existentia termini deficiat, peribit relatio, sicut etiam in relationibus secundi generis. Similiter datur fundamentum reale; in relationibus quidem tertij generis, dependentiæ in specificatione ab obiecto, sicut in relationibus secundi generis dependentia effectus à causa, & distinctum est fundamentum ab ipsa relatione secundi generis, quia vt bene notat D. Thom. 5. Metaph. lect. 17. fundamentum tertij generis est commensuratio ad obiectum specificans, non proportio, seu vnitas, vt in primo, vel actio & efficientia, vt in secundo. Similiter in relationibus primi generis fundamentum est aliquid reale, non quidem vnitas aliqua communis existens in multis, sed conuenientia, vel conformitas qualis est in distinctis subiectis, sicut à parte rei Petrus & Paulus conueniunt, Petrus & equus disconueniunt. Nihil ergo minus inuenitur ratio prædicamentalis relationis in istis quàm in secundo genere.

Dices, Non inuenitur in relationibus primi generis ratio fundandi distincta à subiecto scilicet vnitas, seu conuenientia, sicut in relationibus secundi generis actio distinguitur à potentia. Sed imprimis hoc est falsum in relatione similitudinis accidentalis. Deinde in similitudine essentiali cur requiritur, quod ratio fundandi distinguatur à subiecto; solum enim requiritur distinctio realis inter extrema relationum, inter subiectum autem & rationem fundandi, cur est necessaria? Et si à diuinis ad creata fas est argumentari, ibi inuenitur ratio fundandi, v.g. potentia generatiua indistincta à Patre, & tamen fundat relationem realem.

Nec iterum obstat, quòd in his aliquando inueniuntur relationes transcendentales, vt inter scientiam & scibile, & aliquando inter extrema similia. Nam in primis si hoc obstaret, etiam relationes secundi generis essent ablegandæ, quia inter effectum & causam datur transcendentalis relatio vt creaturæ ad Deum, quia non solum sub ratione puri termini, sed sub ratione causæ respicit effectus. Deinde in relationibus similitudinis & diuersitatis videmus, quòd destructo termino deficit relatio similitudinis, ergo non solum erat transcendentalis relatio, quia hæc non perit pereunte termino, sed est prædicamentalis. Et multo melius id apparet in relatione similitudinis accidentalis, quæ fundatur in aliquo superaddito, non autem transcendit.

Ad fundamenta opposita. Ad 1. contra relationes primi generis. *Respond.* quòd istæ relationes non dicuntur fundari in vnitate, prout vnitas dicit indiuisionem, cum potius relatio diuisa & distincta extrema requirat, sed in vnitate prout dicit conuenientiam, & conformitatem, quæ in pluribus subiectis est. Non est ergo expectanda vnitas formalis facta per rationem & positiuè indiuisa.

Ad 2. *dicitur.* Quod fundamentum huius relationis materialiter diuagatur per omnia genera, sed formaliter semper est vnum, scil. conuenientia, seu vnitas in quocunque genere, seu prædicamento inueniatur, & eodem modo procedit hoc argumentum contra relationes secundi generis, nam etiam actio & passio, causa & effectus in diuersis prædicamentis reperitur, omnia enim effectus sunt Dei, plura etiam sunt causæ saltem materiales aut formales.

Ad 3. *Respond.* Quòd illa multitudo relationum nullo modo nos terret, vt negemus dari tales relationes, quantumcumque enim grandis, finita est, præterquam quòd in sententia D. Thom. ponentis vnam relationem ad plures terminos numero distinctos terminari satis moderata est relationum multitudo. De relationibus dicimus esse aliam rationē, quia vt

supra

ſupra dictum eſt, relationes reales non fundantur in alijs relationibus; inde tamen non fit argumentum, quod in rebus creatis abſolutis non poſſit dari relatio realis ſimilitudinis, vel diuerſitatis. De coexiſtentia & diſtantia, dico nihil prohibere, quod ſint relationes reales, ſicut ſimilitudo, & differentia, nec eſt ſimile de dextro & ſiniſtro, quod ſolum inuenitur realiter in animali, in quo eſt cor, vel alia organa à quibus dextera pars trahit robur, & vires, quod in columna non inuenitur, ſed dicitur dextera denominatiuè à iuxtapoſitione animalis.

Ad ea, quæ obiciuntur contra relationes tertij generis. *Ad 1. partem reſpondetur*; Non eſſe ſuperfluam relationem prædicamentalem, etiamſi detur tranſcendentalis, imò plerumque prædicamentalis in tranſcendentali fundatur, vt in effectu relatio ad cauſam. Et deſeruit etiam tranſcendentalis, quia quia adhuc remoto, & deſtructo termino manet tranſcendentalis ordo, non prædicamentalis.

Ad ſecundam partem reſpondetur; Senſum Philoſoph. ex litera deſumi, vbi prius poſuit relationem ex parte menſurabilis ad menſuram dicens, alia relatiua ſe habent, vt menſurabile ad menſuram: deinde ſubdit exemplum, vt ſcibile ad ſcientiam, ſenſibile ad ſenſum, vt oſtenderet has relationes mutuas non eſſe, quod expreſſius fiebat explicando illa extrema ex parte quorum relatio non datur, ſed ab altero extremo denominantur, in quo relationes veræ ſunt, non denominationes extrinſecæ.

Cur autem relationes iſtius tertij generis mutuæ non ſint? Rationem reddit D. Thom. 1. p. quæſt. 13. art. 7. & quæſt. 7. de Potentia, art. 10. quia extrema non ſunt eiuſdem ordinis, ſed vnum dependet, & ſubordinatur alteri non è conuerſo, quia videlicet vnum eſt menſura, alterum menſurabile, vnum perficiens, alterum menſurabile, vnum perficiens, alterum perfectibile; perficiens autem vt perficiens non pendet à perfectibili, ſed è conuerſo. Vnde non mutuo ordinantur, ſed vnum tantum ordinatur ad aliud. Et ſic Deus eſt extra ordinem creaturæ, ſenſibile extra ſenſum, intelligibile extra intellectum, quia hæc omnia ſine mutatione ſui agunt aut ſpecificant, & ita ſunt extra ordinem, id eſt, extra mutationem ſuorum correlatiuorum, vt non mutuo pendeant nec referantur.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Circa tertium punctum decertant Authores, & aliqui ſatis anxiè. *Mihi vero videtur res non tanti momenti. Conueniunt omnes*, requiri actionem ſaltem vt conditionem, requiri etiam principium actionis proximum & radicale. Sed Scotus in 4. diſt. 6. quæſt. 10. & 5. Metaph. cap. 15. inquit, quod cum actio tranſeat, & relatio duret, non poteſt actio eſſe fundamentum relationis, quia ſublato fundamento concidit relatio, quæ ei adhæret vel identificatur. Requiritur ergo actio ad fundandam relationem quaſi in fieri vt conditio, non ad conſeruandum in eſſe tanquam fundamentum. Alij vt P. Suar. diſp. 47. Metaph. ſect. 12. n. 5. vt melius prouideant conſeruationi relationis, dicunt, eam neque in potentia proxima fundari, ſed in radicali, id eſt, in ipſa ſubſtantia, quia pater relationem paternitatis in actu habet non ſolùm poſtquam tranſit actio, ſed etiamſi potentia generandi amittatur, ergo non poteſt relatio iſta fundari in potentia proxima, ſi enim ipſa eſſet fundamentum, hoc ipſo quòd deſtrueretur, deſineret eſſe relatio, fundamento enim ſublato, relatio non manet. *Quod argumentum vrget* in ſententia diſtinguentium potentias proximas à radicalibus; tenentur enim dicere, quòd ſi relatio fundatur in potentia, & tranſeunte fundamento non manet relatio; quod deſtructâ proximâ relatio actionis non manet, ſi in illa fundatur, vnde ſi manet fundari debet in radicali potentia. Sed Scotus, qui non diſtinguit potentias proximas à radicalibus conſequenter non admittit, quod tollatur potentia proxima niſi deſtructâ ſubſtantia; licet poſſit impediri ne agat, ſi deſtruatur organum à quo potentia dependet.

Nihilominus ſententia D. Thom. *tenet*, relationes iſtas ſecundi generis fundari ſupra actionem, & paſſionem tanquam ſupra fundamentum proprium, & non ſolùm tanquam conditionem requiſitam; hoc enim generaliter requiritur ad omnem relationem, quia vt dicit D. Thom. in 1. diſt. 9. in expoſit. literæ. non poteſt relatio noua naſci realiter in aliquo, niſi per motum, ſcil. mediatè terminatum ad ipſam relationem, immediatè ad fundamentum, vel terminum. Et non dubitamus aliquas relationes fundari immediatè ſuper ipſam potentiam actiuam, ſicut calefactiuum reſpicit calefactibile; hoc enim antecedenter habet ad actionem, ſiquidem iſta relatio; non eſt ad effectum, ſed ad obiectum factibile, inquantum obiectum eſt illius potentiæ, ideoque potius reducitur ad relationem tertij generis, quia eſt per modum commenſurationis, vt ex D. Th. colligitur 5. Met. lect. 17.

Loquendo autem de relatione ſecundi generis, quia non eſt ad factibile, ſed ad factum ſeu effectum; ſemper docet D. Thom. fundari ſupra actionem vel paſſionem; vt patet 1. p. quæſt. 28. art. 4. & opuſcul. 48. tract. de relatio. cap. 4. & 4. contra Gent. cap. 24. Sed expreſſius, & melius in 3. diſt. 8. quæſtion. 1. artic. 5. vbi poſtquam dixit fundari relationes iſtas in actione & paſſione ſubdit. *Item conſiderandum eſt, quòd quædam relationes non innaſcuntur ex actibus ſecundùm quòd ſunt in actu, ſed magis ſecundùm quòd fuerunt, ſicut aliquis dicitur pater poſtquam ex actione eſt effectus conſecutus, & tales relationes fundantur ſuper id quod in agente ex actione relinquitur, ſiue ſit diſpoſitio, ſiue habitus, ſiue aliquod ius, & poteſtas, vel quidquid aliud eſt huiuſmodi.* Ex quibus verbis conſtat, quòd actiones non dicuntur fundare relationes, ſecundùm quòd ſunt in fieri, ſed ſecundùm quòd in facto eſſe, atque adeò relinquunt ex parte quidem effectus productionem illius, ex parte verò cauſæ determinationem aliquam ad effectum præteritum, ſiue per habitum, ſiue per diſpoſitionem, aut ius, vel aliquid ſimile; quòd enim talis determinatio, ſeu mutatio detur in cauſa, etiam tranſacta actione, manifeſtum relinquitur, quia cauſa creata tranſacta actione, & effectu producto aliter reſpicit hunc effectum, quam antea reſpiciebat; antea enim reſpiciebat illum vt factibilem à ſe, poſtquam autem produxit, non amplius reſpicit illum vt factibilem à ſe, ſiue hoc fit ab extrinſeco, ſiue ab intrinſeco, quia cauſa creata non poteſt reproducere eundem numero effectum; variatur ergo relatio illa ſeu ordo tranſcendens ad effectum antea ſibi poſſibilem, iam ſibi non poſſibilem, quòd ideò eſt, quia reſpicit illum vt factum, & ſic relinquitur determinatio aliqua, ſeu immutatio, aut ordinatio in cauſa ad effectum productum ratione cuius ordinatur ad illum, vt ad factum, & non amplius vt poſſibilem, quod non eſt in Deo, qui etiam poſtquam produxit effectum, poteſt reproducere. Habemus ergo tranſacta actione quomodo fundetur relatio ſcilicet non ſuper nuda potentia; ſed determinata ab actione, etiam actione ipſa tranſacta, & ſic vere ſuper actione fundatur, non vt in fieri, ſed vt in ſua determinatione manet in cauſa.

Vnde ad oppositum fundamentum. Respond. Quod remoto fundamento remouetur relatio, sed fundamentum in hac relatione non est radicale, vel proximum principium nudè sumptum, sic enim solum dicit relationem potentis agere, non agentis; neque enim dicitur pater, qui potest generare, sed qui generauit. Vnde relationes istæ secundi generis debent habere pro fundamento specificante, & non solum pro conditione requisita ipsam actionem, & non solùm potentiam, species enim harum relationum non est secundum posse agere, sed secundum agere: illud autem à quo sumitur specificatio, vt fundamentum se habet, & non vt quatenus breui durat in actu, sed quatenus determinationem sui derelinquit in potentia, non solum proxima, sed etiam radicali, quæ determinatio non tollitur quamdiu radicale principium durat, etiamsi actio transeat vel potentia proxima destruatur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm relatio distinguatur à parte rei à suo fundamento?

DVo oportet explicare ad exactam huius difficultatis resolutionem. *Primum*, an detur distinctio relationis à fundamento à parte rei. *Secundum*, qualis sit, an realis, vt res à re, vel vt res à modo. Et loquimur solum de prædicamentali relatione, quia transcendentales non sunt aliquid distinctum à re absoluta, sed verè sunt absolutæ entitates; neque enim habent speciale prædicamentum, sed per omnia vagantur, & sic ex sua transcendentia habent imbibi in ipsa re absoluta, non distingui.

Circa hanc ergo difficultatem, diuisi sunt Authores. Quidam in vno extremo existimant relationes non distingui à parte rei à suis fundamentis, sed solum ratione, quod nominalibus tribui solet, contra quos egimus *art. primo. Aliqui tamen*, qui contra illos admittunt relationes prædicamentales sententiam istam sequuntur de distinctione rationis à fundamento. Ita P. Suar. dist. 47. Met. sec. 2. & *Alij* in alio extremo omnes relationes prædicamentales realiter distinguunt à suo fundamento, quod communiter Thomistæ sequuntur licet aliqui distinguant relationem à fundamento, vt rem à re, alij solum vt modum. Est etiam tertia sententia media, quæ aliquas relationes distinguit à fundamentis, & alias non; sunt enim relationes sine quibus fundamenta inueniri possunt, vt paternitas, similitudo & similia. Et tales distinguuntur à parte rei à suo fundamento? aliæ verò sunt sine quibus fundamenta inueniri non possunt; sicut creatura non potest inueniri sine relatione ad Deum, & tales relationes dicunt non distingui à suis fundamentis. Ita cum Scoto communiter eius discipuli, de quibus videri potest P. Merinero hic. Cæterum istæ relationes sine quibus fundamenta inueniri non possunt à transcendentalibus non distinguuntur, si quæ verò relationes prædicamentales super tales transcendentales fundantur, hoc ipso, vt distinctæ à transcendentalibus concipiuntur.

Quare pro resolutione, *Dico primò. Quæcumque relatio prædicamentalis distinguitur à parte rei à suo fundamento remoto, quod est subiectum.* Sumitur hæc conclusio ex mlutis locis D. Thomæ 1. part. quæst. 28. art. 2. ad 2. dicit: *Quod id quod inuenitur in creatura præter id, quod continetur in significatione nominis relatiui est alia res, in Deo autem non est alia res.* Constat autem quòd relationes fundantur in aliquo absoluto: ergo si id quod continetur præter significationem nominis relatiui est alia res à relatione, consequenter fundamentum est alia res à relatione. Item in 4. cont. Gent. c. 14. respons. ad 9. dicit: *Quod in nobis relationes habent esse dependens, quia earum esse est aliud ab esse substantia, vnde habent proprium modum essendi secundum propriam rationem, sicut in alijs accidentibus contingit.* Et similia docet 12. Metaphysic. text. 19. lectione 4. Et similiter, quòd relatio sit accidens inhærens docet qu. 7. de Pot. art. 9. ad 7. & quæst. 8. art. 2.

Et fundamentum est supposito, quod relationes non sunt denominationes extrinsecæ. vt art. 1. ostensum est, sed intrinsecum effectum formalem dant, nam videmus hunc effectum formalem tolli, subiecto non destructo; ergo etiam forma ipsa tollitur, quæ talem effectum præbet; subiectum autem non tollitur: ergo distinguuntur à parte rei aliqua distinctione reali. Quotiescunque enim aliquid à parte rei remouetur ab alio, à parte rei distinguitur ab illo, quia ipsa separatio manifestissima est distinctionis probatio. *Antecedens autem per se constat.* quia album, quod in re est simile alteri albo, si illud alterum fiat nigrum amittit similitudinem, & similiter homo antequam generet non est pater & post generationem est pater: ergo ista relatio aliquando inuenitur in subiecto, aliquando non, non destructo subiecto.

Dices, non destrui realitatem relationis, etiamsi cesset eius effectus formalis, quia realitas manet stante fundamento, sicut sine aliqua reali mutatione consurgit in fundamento ad positionem termini. *Sed contra est*, quia illa formalitas, quæ destruitur, aut ponitur, quando destruitur relatio, vel est aliquid à parte rei vel nihil. Si non est aliquid à parte rei: ergo nihil reale relationis destruitur destructo termino, & consequenter eo destructo, non solum manet realitas relationis, sed etiam formalitas realis, quæ antea erat, & consequenter manebit effectus formalis primarius. Neque enim potest intelligi, quod aliqua forma ponatur in subiecto sine effectu formali proprio, & primario: ergo si remanet tota realitas, & formalitas in re totus effectus formalis manet: Si verò illa formalitas, quæ destruitur est aliquid reale, vel extrinsecum tantum, & sic inciditur in sententiam Nominalium, articulo 1. impugnatam, vel intrinsecum & informans, & sic distinguitur realiter à suo fundamento seu subiecto.

Dices iterum, quod directè destructo termino impeditur effectus formalis illius entitatis vt relatiua est; non tamen ipsa destruitur, sicut posita vnione hypostatica in anima, redditur incapax ad recipiendum formalem effectum gratiæ in ratione adoptionis manente tota realitate gratiæ, quoad alios effectus, sic tota realitas relationis manet, sed ob defectum conditionis requisitæ, scilicet coëxistentiæ termini, redditur incapax subiectum talis effectus formalis.

Sed contra, quia conditio, quæ est sufficiens reddere subiectum incapax effectus formalis primarij, est sufficiens expellere totaliter formam à subiecto, quia vbi non datur primarius effectus non est communicatio primaria, & immediata formæ ad subiectum, & sic forma non est in subiecto saltem modo connaturali, vt non disputem modo, an possit gratia, vel intellectio esse in lapide in ratione qualitatis sustentatæ non dando proprium & specificum effectum formalem. Sed si hoc fieret connaturali modo non esset, nec naturaliter id fieri posset,

ſicut naturaliter manet ſubiectum ſine effectu formali relationis. In exemplo autem adducto filiatio adoptiua eſt effectus ſecundarius gratiæ conſecutus ad primarium, qui eſt participatio diuini eſſe, in quo filiatio fundatur. Si autem quis dicat, quod forma illa, quæ eſt relatio entitatiuè eſt quid abſolutum, ſed ſecundario relatiuum, & hunc effectum impediri in illa entitate deſtructo termino, hoc vel incidit in ſententiam Nominalium negantium relationes, quia omnes entitates ſunt quid abſolutum, & nil datur purè relatiuum, vel confundit relationes prædicamentales cum tranſcendentalibus, & negare debet definitionem Ariſtotelis ſcilicet, quod totum eſſe relationis eſt ad aliud, cum potius totum eſſe ſit primario abſolutum, & ſecundario ad aliud ſeu relatiuum, quod Diuus Thomas dixit de tranſcendentalibus relationibus, vt ſupr. art. 2. vidimus.

Quare cum relatio prædicamentalis ſit vnum ex decem prædicamentis, ſi realem diſtinctionem nullatenus ab aliis habet, diſtinctum prædicamentum non eſt, cum prædicamentum ſolum conſtat naturis realibus, & conſequenter diſtinctum prædicamentum diſtinctis realiter naturis, non ſola ratione diuerſis.

Quòd ſi ſemel relatio prædicamentalis eſt quid diſtinctum à parte rei à ſubiecto, etiamſi talis relatio inſeparabilis ab illo ſit, quia terminus eius deſinere non poteſt, à ſubiecto diſtinguetur, quia inſeparabilitas illa non tollit, quin ſit relatio prædicamentalis, atque adeò eiuſdem naturæ cum aliis prædicamentalibus, natura autem talium relationum petit diſtingui à ſuo ſubiecto à parte rei, ergo id inuenitur in omnibus.

Dico ſecundò. *Reſpectu fundamenti proximi probabilius videtur in ſententia S. Thom. quod relatio non diſtinguitur ab illo tanquam res à re, ſed vt modus, mediante tamen hoc fundamento, cum quo identificatur, non repugnat realiter diſtingui à ſubiecto, ſi tale fundamentum realiter à tali ſubiecto diſtinguatur.*

Quod relatio motus tantum ſit, probari non ineſficaciter poteſt ex illo communi dicto S. Thom. quod relatio inter omnia genera habet eſſe minimum & debiliſſimum, vt dicit 4. contra Gentiles, cap. 14. ad rationem 9. & 12. Metaphyſ. textu 19. lectione 4. ſed conſtat aliqua genera eſſe modos tantum, & non realitates, vt vbi & ſitus, & alia ſimilia, ergo ſi inter omnia genera relatio eſt debiliſſimi eſſe, vtique minus erit, quam illa, quæ ſunt modi, ergo ipſa relatio non erit realitas, ſic enim perfectior eſſet illis generibus.

Et vrgetur, quia in vbi & ſitu, aliiſque modis poteſt fundari aliqua relatio, v.g. ſimilitudinis, aut diſſimilitudinis, effectus vel cauſæ, &c. ergo tunc relatio non erit realitas, ſed modus, ſiquidem fundamentum eſt modus, nec poteſt perfectior eſſe entitas fundata, quam fundans. Si autem ſemel vna relatio eſt tantum modus, reliquæ relationes erunt etiam modi, cum ſint eiuſdem quidditatis & generis, & conſequenter entitatis, nec enim ea, quæ directè, & per ſe ſunt eiuſdem generis poſſunt ita ſe habere, vt vnum ſit res, aliud modus.

Cæterum quia in hoc inueniuntur diuerſa loca S. Th. & diuerſa placita Thomiſtarum. Nam 1. p. q. 28. art. 2. ad 2. dicit quod id quod inuenitur in creatura, præter id quod continetur ſub ſignificatione nominis relatiui eſt alia res in opuſc. autem 48. tract. de relatione dicit quod relatio ſimilitudinis non eſt alia res ab albedine. Item in 1. d. 33. q. 1. art. 1. dicit quod relatio ſecundum quod accidens facit compoſitionem cum ſubiecto, in q. autem 7. de Pot. a. 8. dicit, quod id quod attribuitur alteri, vt ab eo in aliud procedens non facit compoſitionem cum eo, vt actio cum agente. Et 1. cont. Gent. cap. 12. ratione vltima dicit, quòd ſi relationes reales aduenirent Deo realiter in eo exiſtentes, mutaretur Deus per ſe, vel per accidens; in 5. autem Phyſicor. lect. 3. ait, quod aliquid incipit eſſe æquale alteri nihil de nouo aduenit, & quod ſum æqualis alteri ſolum per mutationem termini. Quia ergo iſta varietas locorum inuenitur, vt conciliemus ea, vtimur ſupra dicta diſtinctione, quod relatio, vel comparatur ad ſuum fundamentum, vel ad ſuum ſubiectum, quod etiam dici ſolet fundamentum remotum. Et comparata ad fundamentum, ſolum modaliter ab eo diſtinguitur, comparata verò ad ſubiectum diſtinguitur ab illo eo modo quo fundamentum, cum quo identificatur, ſicut gradus intenſionis, & ratio extenſionis in habitibus non niſi modaliter à qualitate diſtinguuntur; à ſubſtantia autem ſeu ſubiecto qualitatis diſtinguuntur, ſicut ipſa qualitas cum qua identificantur.

Ex hoc autem explicatur, quomodo relatio poſſit fundari etiam in quibuſcumque modis, quod non eſſet, ſi ſecundum ſe eſſet realitas diſtincta à fundamento. *Sequitur etiam*, quomodo relatio ſine mutatione phyſica dicatur reſultare ad poſitionem termini, quod ſæpè affirmat ex mente Ariſtotelis Sanct. Tho. præſertim 5. Phyſicor. lectione 3. & in 1. diſtinct. 26. quæſtione 2. artic. 1. ad tertium vbi dicit relationem ceſſare nulla facta mutatione in re ipſa, quæ refertur, hoc enim intelligitur fieri ſine mutatione phyſica, & entitatiua ſolum per noui modi reſultantiam; quam Diuus Thomas non negat, ſed manifeſtè ponit *loco citato* ex 5. Phyſic. dicens quod de nouo determinatur radix relationis, quæ eſt in aliquo, quando ponitur relatio ad iſtum vel illum, licet nihil de nouo adueniat.

Loci D. Thom. quæ loquuntur de diſtinctione reali per modum rei à re, non procedunt de relatione reſpectu fundamenti, ſed de relatione fundata reſpectu ſubiecti, & ſic vel expreſsè loquitur de ſubiecto, cùm dicit quod relatio habet aliud eſſe à ſubiecto, vt in 1. diſtinct. 20. quæſt. 1. artic. 1. & diſt. 21. quæſt. 1. art. 3. Vel loquitur de eo quod relatiuè dicitur, quod vtique eſt ſubiectum, vt 1. part. quæſt. 28. artic. 2. in initio ſolut. ad 2. *Sicut* inquit, *in rebus creatis in eo quod relatiuè dicitur non ſolum eſt inuenire reſpectum, &c.* Minus autem obſtat, quod docet in 1. diſt. 2. q. 1. art. 5. ad 2. quod res eſt de tranſcendentalibus, & ideò ſe habet communiter ab abſoluta, & relatiua. Ibi enim ſumit rem tranſcendentaliter prout eſt communis ad entitatem, & modum. Et cum dicit quod facit compoſitionem cum ſubiecto relatio, intelligitur mediante fundamento, quod à ſubiecto diſtinguitur, per hoc enim facit compoſitionem realem cum ſubiecto, modalem cum fundamento. Et hæc dicimus ad ſaluandum expreſſum locum D. Thom. opuſcul. 48. c. 2. de Relatione, ibi expreſsè ponit non eſſe diſtinctam rem relationem à fundamento. Nec debemus negare hoc opuſculum eſſe D. Thom. à quo toties authoritatem eius petimus.

Cæterum adhuc contra primam concluſionem obycies. Quia ſi relatio diſtinguitur à parte rei à fundamento poſſet impediri à Deo, ne reſultaret poſito fundamento, & termino, quia quæ diſtinguuntur à parte rei poſſunt ſeparari, vel impediri; eſt autem inintelligibile quod dentur duo alba, & non ſint ſimilia, hoc ipſo, quod ſunt eiuſdem rationis. *Secundò* ſi diſtinguitur relatio à fundamento, non eſt ratio cur ad illam non detur per ſe motus, cùm omnis entitas etiam modalis ſit capax motus, vt vbi, & ſitus, &c. negat

negat autem Philosoph. 5. Physic. cap. 2. ad relationem dari per se motum. *Tertiò*, quia relatio dupli in quaternario respectu binarij toti quaternario debet conuenire, si autem est aliquid distinctum à fundamentis vnum accidens reale, vel modus erit in pluribus subiectis. *Denique*, dabuntur infinitæ relationes, quia in quolibet continuo sunt infinitæ partes proportionales, quarum, quælibet suam relationem habet ad aliam est autem inconueniens tot entitates distinctas multiplicare.

Ad primum Respond. Quod dato, quod impediretur relatio manerent illa duo alba fundamentaliter similia, non formaliter; relatio enim ad hoc seruit vt formaliter res dicantur relatæ non fundamentaliter. *Vel secundò dicitur* quod non omne, quod realiter distinguitur ab alio, est semper separabile ab illo si sit res, vel impedibile ne resultat si sit modus; sicut materia non potest separari ab omni forma in sententia D. Thom. neque quantitas terminata, ab omni figura.

Ad secundum Respond. Quod non ad omnem entitatem realem potest dari per se motus, sed sufficit aliqua resultantia, sicut propriæ passiones, quæ non producuntur per se, sed ad productionem substantiæ resultant, relatio autem est entitas, vt quid consecutum ex fundamento, & termino, illi autem modi qui in argumento afferuntur non sunt aliquid ex alio consecutum; sed per se producibile, & ideo terminant mutationem per se non solam resultantiam nouam, sicut relatio. De quo videatur D. Thom. 5. Physic. lect. 3.

Ad tertium dicitur. Quod relatio dupli, vel proportionis, quæ est in quaternario, subiectiuè erit tantum in vnitate vltima, licet præsuppositiuè requirat alias vnitates, sicut de numero diximus quæst. præcedenti: ista enim relatio omnino vadit cum ipsa ratione numeri. Quod si numerus non sit ens per se, sed solum multitudo, tunc relatio numeri maioris ad minorem, vel è contra, non est vna relatio simplex, sed in quolibet subiecto sua relatio quatenus est pars componens illam multitudinem, & comparatiuè se habens in excessu ad partes alterius numeri; sicut in pluribus trahentibus nauem in quolibet est relatio non simpliciter trahentis, sed conducentis ad trahendum, & sic constituentis tractionem.

Ad vltimum. Dicitur, quod in sententia D. Thom. quod vna relatio potest respicere plures terminos, solum numero distinctos, argumentum non habet difficultatem, quia vna pars potest vnica relatione respicere infinitas alias. Sed veritas est, quod illæ partes indesignabiles non sunt actu infinitæ, sed in potentia, quia possunt in infinitum diuidi sincathegorematicè. Vnde non oportet, quod actu habeat infinitas relationes, sed in potentia, de quo plenius in 3. Phys.

ARTICVLVS V.

Vtrùm relatio formaliter terminetur ad absolutum, vel ad relatiuum?

VT *punctus difficultatis explicetur*, certum est quod terminus relationis denominatiuè acceptus est aliquid absolutum, v.g. Pater non respicit pro termino denominato filiationem, neque enim est pater filiationis, sed substantiæ à se genitæ, & Petrus non est similis relationi, quæ est in Paulo, potius enim illi dissimilis est cum sit alterius generis, sed est similis ipsi indiuiduo hominis, qui est Paulus. *Dubitatio ergo est* de ratione formali, à qua res aliqua denominatur esse terminus relationis, quid sit formaliter esse terminum relationis.

Ad tres sententias omnes reducuntur. Prima per vnum extremum dicit: omnes relationes, siue mutuas, siue non mutuas terminari ad aliquid absolutum, & ferè sumunt rationem terminandi pro re denominata, seu fundante terminationem, sicut filius ideo terminat, quia est genitus, non quia respiciens Patrem. Sic ex Scoto in 2. distinct. 30. quæst. 1. docent eius discipuli, P. Suarez disput. 47. Metaph. sect. 16. Vasq. 1. part. disput. 159. cap. 6. & alij. *Secunda sententia* per aliud extremum dicit omnes relationes, siue mutuas, siue non mutuas terminari ad aliquid relatiuum, & sumit rationem terminandi pro ipsa formalitate terminationis, non pro fundamento illius, non enim terminat filius, quia est ad se, sed quia est ad Patrem, vel aliquid Patris. Est communior apud Thomistas, & videri potest Caietan. 1. p. quæst. 13. art. 7. *ibi* Bannez Cumel. & Nazar. & Araux. 5. Metaph. quæst. 5. art. 7. & alij.

Denique. Alij distinguunt inter relationes mutuas, & non mutuas, & mutuas dicunt terminari ad aliquid relatiuum, non mutuas autem ad aliquid absolutum, quia ex altera parte non datur relatio. Nec sufficit denominatio extrinseca à relatione, quæ est in altero extremo, quia hæc est posterior ipsa terminatione; siquidem ex actuali terminatione relationis resultat quod talis res dicatur terminus illius. Ita Ferrar. 2. cont. Gent. c. 11. quem alij sequuntur.

Nihilominus pro resolutione: dico primò. *Ratio formalis termini relatiui vt terminus est, non potest esse aliquid omnino absolutum, & ad se. Ratio est duplex:* prima, quia terminus in quantum terminus formaliter alicuius est terminus, nihil enim terminat nisi alterum: ergo terminus relationis est aliquid relationis, ergo si est relatio prædicamentalis, terminus illius est purè terminus, id est, non habet aliud, quàm terminare, seu opponi relationi, & esse aliquid ipsius vt respicientis, in quo differt à fundamento, quia fundamentum oportet, quod det esse relationi secundum inhærentiam, in quo esse conuenit cum accidente absoluto: terminus autem non dat esse relationi, sed oppositionem terminationis, ergo formalitas termini non est aliquid absolutum.

Secunda ratio est, quia vt constat ex D. Thom. 1. ad Anibaldum dist. 30. quæst. vnica artic. 1. ad 3. *Terminus non potest intelligi nisi sub opposita habitudine*, & 2. contra Gent. cap. 11. dicit: *Quod non potest intelligi aliquid relatiuè dici ad alterum, nisi è conuerso illud relatiuè dicatur ad ipsum. Et ratio est*, quia relatio vt relatio oppositionem habet non minus, quam contrarietas, vel priuatio, non habet autem oppositionem nisi ad suum terminum: ergo terminus, vt terminus est oppositus ei relatiuè: sicut ergo non potest intelligi relatio nisi vt habens oppositionem ad terminum, ita neque terminus formaliter intelligitur nisi vt oppositus, sed illa oppositio est relatiua, ergo in quantum terminus est aliquid relatiuum.

Sed dicunt Authores oppositi esse duplicem oppositionem in relatiuis: alteram terminatiuam, alteram relatiuam. Terminatiuam, quæ solum consistit in hoc quod extrema sint distincta, & vnum respiciat, alterum respiciatur, & sic habent oppositionem, quia non compatiuntur in eodem, eiusdem enim ad se ipsum non est relatio. Relatiua autem oppositio consistit in hoc quod vna relatio respiciat aliam, non vt terminum, sed ex ipso termino ad se fundatam, & oppositam.

Cæterum oppositio illa terminatiua, si solum consistit in hoc, quod extrema sint distincta, & non compatiantur in eodem, generalis est omni oppositioni, siue

siue contrariæ, siue priuatiuæ, siue relatiuæ; restat ergo explicare, quænam species oppositionis sit ista terminatiua, solum enim sunt quatuor species oppositionis, vt constat ex capite de oppositis; contradictoria, priuatiua, contraria, & relatiua; ista non est contradictoria, neque priuatiua, cum vtrumque extremum sit positiuum, non contraria, quia non sunt extrema sub eodem genere, siquidem terminus dicitur esse quid absolutum, quod non est in eodem genere, seu prædicamento cum relatione, non relatiua, vt ipsi dicunt cum distinguunt relatiuam à terminatiua: ergo nulla. Item non potest relatiua oppositio consistere in eo, quod duæ relationes concomitanter se habeant ab vno extremo ad aliud, & è contra, sed oppositiuè, quia scilicet ipsa extrema inter se mutuo terminantur, & referuntur. Vel ergo est quia vna relatio terminatur ad alteram formaliter, vel ad materiale illius. Si primum habetur intentum, quod relatio terminatur ad relatiuum. Si secundum coincidit illa oppositio relatiua cum terminatiua quia fertur in ipsum terminum absolutum: ergo frustra distinguitur oppositio terminatiua, & relatiua, sed solum datur relatiua.

Dico secundò. *Probabilius videtur quod in relatiuis tertij ordinis non datur terminus formalis correlatiuus, sed solum fundamentaliter proximè.* Ita tertia sententia supra relata; & deduci videtur ex Diu. Thom. qui sæpè docet: quod cointelligitur oppositio in terminus istarum relationum per intellectum, & non in re, vt patet in 1. part. quæstion. 13. articul. 7. præsertim ad 2. & in 1. ad Anibal. distinction. 30. articul. 1. ad 3. dicit: *Quod cuilibet relationi opponitur alia relatio, quæ quandoque est in re ad quam relatio terminatur, quandoque est in intellectu tantum, non sicut in relato sed sicut in intelligente aliquid sub relatione:* Constat ergo ex D. Th. quod terminus oppositionem dicit relatiuam, & tamen non semper est ista relatio in re terminante, sed in intellectu, atque adeo non datur terminus formaliter in re. Et manifestè deducitur *ex præcedenti conclusione,* quia formalis ratio termini consistit in oppositione ad suum correlatiuum; hæc autem oppositio non inuenitur formaliter ex parte alterius extremi, quia non habet relationem realem, & consequenter neque oppositionem relatiuam: ergo non est formaliter terminus in re.

Quod verò fundamentaliter proximè sit terminus, probatur, quia denominatur extrinsece talis à relatione existente in altero extremo, sicut Deus dicitur Dominus ex relatione seruitutis existente in creatura, & Christus secundum D. Thom. 3. p. q. 35. artic. 5. & in 3. dist. 8. dicitur filius Virginis ob relationem maternitatis existentem in Virgine. Et videri potest in 1. dist. 40. quæst. 1. art. 1. ad 2. vbi inquit: *In relatiuis quandoque denominatur aliquid per id quod in ipso est, sicut pater paternitate, quæ est in ipso; quandoque autem denominatur eo, quod solum in altero est, sicut in illis, in quorum alio est ratio secundum rem, & in alio secundum rationem tantum.* Quæ omnia fundantur in dicto Aristotelis 5. Metaph. text. 20. quod sæpe repetit S. Thom. quod mensurabile, & scibile dicitur aliquid, eo quod aliquid dicitur ad ipsum, sicut dicitur aliquid scibile, quia de eo datur scientia. Facta autem hac denominatione, potest proximè in illa fundari conceptus relationis oppositæ, quæ importat formalitatem termini.

Dico tertiò, *In relationibus mutuis formalis terminus non est ipsa relatio mutua, vt mutua, id est, vt eiusdem rationis cum alia, sed vt opposita.* oppositio enim constituit formaliter terminum, *sed quia in relationibus oppositio non est alia relatio superaddita,* vt docet S. Thom. 1. p. quæst. 42. artic. 1. ad 4. & probauimus art. præcedenti, *ideo absolutè dicitur vnam relationem terminari ad aliam, vt correlatiua sibi est. Ratio sumitur ex dictis,* quia formalis ratio termini debet intelligi sub opposita habitudine, & vt oppositus relationi, ergo non est ipsa relatio termini vt mutua, sed vt opposita nec vt præcisè cum alia concomitans, & eiusdem rationis, sed vt correlatio, & vt vna contra aliam, sic enim illam terminat, & sic ei opponitur. Igitur in relatiuis mutuis vtraque relatio; vt similis, & vt mutua seu eiusdem rationis non est terminus formaliter, sed vt opposita, & vt correlationem fundans, non vt relationem, quamuis eadem relatio correlatio sit.

Solvvntvr Argvmenta.

PRimò obijcies; in relationibus non mutuis datur formalis terminus in re, & non datur relatio, ergo non terminatur formaliter ad relatiuum. *Maior patet;* quia relatio illa non manet à parte rei interminata, sic enim non maneret relatio, quomodo enim formaliter respiceret, nisi sisteret ille respectus in aliquo, & terminaretur? Sicut si datur actio in re oportet, quod ad aliquid in re terminetur. *Minor constat* cum sit relatio non mutua. Et si dicatur relationem, quæ est in vno termino intrinsece, denominare alterum extrinsecè. *Contra hoc* diximus supra quod denominatio illa resultat ex relatione terminata, ergo non constituit terminum, sed supponit.

Respond. Negando minorem. Ad probat. dicitur, quod relatio non manet interminata, quia respicit terminum, qui fundamentaliter proximè est terminus, & in ratione vltimi sistit ibi respectus, sed non in ratione oppositi. Aliud est autem in termino relatiuo ratio vltimi, aliud ratio oppositi. Ratio vltimi est communis omni termino siue in genere substantiæ vt subsistentia, siue in genere quantitatis vt punctum: sed ratio termini, vt terminus relationis formaliter est, quod sit ei oppositus oppositione relatiua. Et ideo in relationibus non mutuis deficit formalitas termini in ratione oppositi, & relatiui, non in ratione vltimi, quia ibi sistit relatio, nec ad aliud correlatiuum transit. Nec est simile de actione, quia formalitas termini eius est esse productum, non esse oppositum, formalitas autem termini relatiui non solum est esse vltimum, sed esse tali modo vltimum, scilicet vt oppositum relatiuè. *Et ad vltimam replicam Respond.* Quod illa denominatio resultat ex relatione terminata ad ipsum extremum, sed non formaliter terminata in ratione extremi oppositi, sed in ratione vltimi, extrinsecè autem in ratione oppositi.

Secundò arguitur. Relatio resultat ex positione fundamenti, & termini: ergo non potest pro termino habere relationem oppositam. *Anteced.* est commune axioma & *consequentia probatur.* Quia relatiua sunt simul natura: ergo vnum non præsupponit aliud; præsupponit autem terminum; ergo terminus non est relatio opposita. *Confirm.* Quia vel relatio terminatur ad relatiuum, quia relatio est vt sic, vel quia mutua. Non quia relatio vt sic, quia tunc etiam in non mutuis id daretur, non quia mutua, quia etiamsi in altero extremo non esset relatio, posset esse terminus relationis, verbi gr. si esset paternitas, & non resultaret relatio, sicut sentit D. Thom. 3. parte quæst. 35. quod datur in B. Virgine relatio realis maternitatis ad filium, & tamen non datur filiatio realis ad ipsam in filio; tum etiam quia album non terminat relationem similitudinis, quia relationem habet, sed quia album est; in albedine enim conuenit cum alio albo, ergo ad albedinem termi-

terminatur relatio, non ad similitudinem; concomitanter ergo se habet talis relatio in relationibus mutuis, non formaliter in ratione termini.

Respondet. Quod relatio resultat ex positione fundamenti, & termini, non termini formaliter in ratione oppositi, sed in ratione rei fundantis illam oppositionem, & habentis rationem vltimi. Nam terminus in ratione oppositi, & correlatiui est simul natura cum sua relatione, nec dependet relatio à termino, vt à quo, sed vt ad quem, quia non habet ab illo esse, sicut habet à fundamento, sed ad illum, & ita ab illo oppositionem habet. Et ita sufficit quod præcedat terminus non in ratione oppositi, sed in ratione vltimi.

Ad confirm. Respond. Quod relatio non terminatur ad relatiuum, quia relatio præcise, nec quia mutua præcisè, sed quia opposita. Vnde non sequitur, quod in non mutuis terminetur ad relatiuum formaliter, quia ibi non est terminus formaliter in ratione termini, vt diximus, & idem dicendum est de relatione maternitatis in B. Virgine secundum D. Thom. Similiter album terminat relationem similitudinis fundamētaliter, quia album est; formaliter autē, quia oppositū relatiuè. Et ideo nec ipsa relatio vt mutua, sicut diximus, terminat relationem, sed vt opposita, & vt sic est simul natura terminatiuè, & oppositè.

Tertiò arguitur. Quia vnum relatiuum definitur per suum terminum, vt constat, & non potest definiri per correlatiuum formaliter: ergo terminus non constituitur per relationem formaliter. *Min. pr.* Tum quia relatiua sunt simul cognitione, ergo non potest relatio definiri per correlatiuum, quia omne definitum definitur per aliquid notius, & consequenter prius cognitione, & non simul. Tum etiam quia sequeretur dari circulum in definitione relatiui, quia relatiuum definitur per suum terminum, v. g. pater per filium, & rursus filius, qui est formalis, terminus definitur, per patrem, qui est formalis terminus eius: ergo datur circulus in definitione relatiuorum. Et cum loco definiti possimus ponere definitionem, si dicimus quod pater est ille, qui est ad filium, & rursus filius ille qui est ad patrem, poterit dici, quod pater est ille, qui est ad eum, qui est ad patrem, quod est patrem vt definitum ingredi sui definitionem, circulus autem in definitionibus semper vitiosus est quia cum definitio debeat tradi per notiora, illa autem dicuntur notiora definito, quæ non dependent in sui cognitione à definito, si admittitur circulus, non est definiens notius definito; pendet enim in sui cognitione ab illo.

Respondet. Negando minorem. Et ad primam prob. Respond. Quod correlatiua sunt simul cognitione formaliter in quantum opposita, sic autem non intrant definitionem relatiui, tanquam notiora, sed vt æquæ nota, quia non se habent vt id, à quo pendet relatio, vt à principio, hoc enim est fundamentum, sed vt ad quod se habet, vt ad purum terminum. Sunt enim relatiua simul natura, vnde non habet causalitatem vnum respectu alterius formaliter sumptum, licet essentialiter sit ad illud, vt cui opponitur, non vt à quo desumitur, vt sequent. artic. amplius dicemus, nec est necesse, quod omne illud quod intrat definitionem sit notius definito prioritate cognitionis, sed sufficit quod sit requisitum ad explicationem ipsius definiti, licet sit simul cognitione, & natura cum illo. Et ad definitionem sufficit quod omnia definientia simul sint notiora definito, non tamen quod quodlibet seorsum, vt diximus in summulis q. 4. art. 2. præsertim quia relatio non definitur per terminum vt per causam sui, sed ad terminum, vt seq. art. dicemus.

Ad secundum probat. de circulo definitionis. *Resp.* Nullo modo committi circulum formaliter loquendo, quia se habent in diuerso genere causæ relatio ad terminum, & terminus ad relationem, non est autem inconueniens, quod quando duo adinuicem sunt opposita, adinuicem vnum ponatur in definitione alterius, quia non ponuntur sub eadem ratione, & formalitate sicut quia causæ adinuicem sunt causæ, oportet, quod definitio causarum adinuicem se includat, sed quia id fit sub diuerso respectu non reputatur circulus formaliter, quia non sub eadem linea, & genere vnum includit alterum. Solum autem circulus formalis est vitiosus, non materialis vt in libris Poster. ostendemus.

Ad id verò, quod dicitur definitum poni indefinitione. *Respond.* Quod in illa definitione pater est quod est ad id, quod est ad patrem inuoluitur duplex definitio, scilicet patris, & filij: patris vt terminatur ad filium, & filij, vt terminatur ad patrem, & sic pater non ponitur in definitione sui, sed in definitione filij ibi inuoluta.

ARTICVLVS VI.

Vnde sumatur distinctio specifica & numerica relationis?

PEndet ista difficultas ex aliis duabus difficultatibus generalibus de specificatione à principiis extrinsecis, v.g. ab obiectis. Et de indiuiduatione accidentium à subiectis, quæ alibi tractandæ sunt.

Et quoad primum, supponimus nunc communiorē sententiam, quod ab obiectis specificari possunt potentiæ, & actus, vt S. Th probat 1. p qu. 77. art. 3. specificantur autem ab obiectis non materialiter, sed formaliter sumptis, id est, quatenus pertinent ad formalitatem, & ordinem talis rei specificandæ. De quo latius dicemus *in lib. de anima.* Sic ergo cum relatio dependeat à fundamento, & termino vt à principio & fine, quæ sunt rationes propter quas obiecta dicuntur specificare, vt S. Thom docet 1. 2. q. 1. art. 3. consequenter videndum est quomodo ab illis speciem sumat. Et non sumimus hic terminum materialiter, neque fundamentum remotè, nam ad eundem terminum materialiter constat terminari plures relationes, vt in homine terminatur relatio patris, relatio similis, causæ vel effectus, & sexcenta alia, & similiter in eodem subiecto, seu fundamento remoto plures relationes possunt fundari.

Inquirimus ergo circa vnitatem & diuersitatem specificam duo. *Vnum* an sumatur à solo fundamento, an etiam à termino? *Secundum*, dato quod ab vtroque quomodo vtrumque concurrat ad specificanda? Circa vnitatem autem numericam solam quæritur an sumatur ex vnitate, vel pluralitate terminorum, vel ex vnitate subiecti, etiamsi termini numericè sint plures?

Circa primum ex vna parte videtur à termino non posse relationem specificari. *Primò* quia correlatiua sunt simul natura, ergo vnum non se habet vt prius altero, ergo neque vt specificatiuum, quia specificatiuum est prius specificato vtpotè causa illius. *Secundò*, terminus est oppositus relationi, ab opposito autem non sumitur species, sumeretur enim species opposita. *Tertiò*, terminus est purus terminus respectu relationis, ergo non specificatiuum illius, ille enim est purus terminus, qui causalitatem nullā exercet, sed pure respicitur, specificatè autem quoddam causare est. Denique in filio est vna tantum relatio

ad

ad patrem, & matrem, vt S. Thom. docet 3. p. qu. 35. art. 5. est enim in illo vna tantum natiuitas, atque adeò vna filiatio quæ natiuitatem sequitur. Et tamen terminatur ad terminos specie diuersos, scilicet paternitatem, & maternitatem quæ diuersæ relationes sunt sicut & fundamenta ad generandum omnino diuersa, ergo vnitas relationis specifica stat cum terminis specie diuersis, & sic non sumitur ex illis.

E contra verò, quod solus terminus specificet probatur. *Tum* in generali ratione, quia omnia, quæ sunt ad aliud specificantur ab illo ad quod sunt, sicut habitus, & actus: ergo multo magis relatio, cuius totum esse est ad aliud, & consequenter tota quidditas, & species. *Secundò*, quia idem fundamentum potest seruire ad diuersas relationes, nam eadem albedo est fundamentum similitudinis ad niuem, & dissimilitudinis ad coruum; eadem causalitas causæ inferioris est fundamentum relationis ad effectum, & ad causam superiorem, & idem signum præbet fundamentum relationi ad potentiam, & ad signatum: ergo relationes distinguuntur ex terminis, non ex fundamentis.

Nihilominus dicendum est. Vtrumque concurrere ad specificationem relationis, nec vnum excludere alterum, sed à fundamento habet relatio specificationem tanquam à causa, & principio specificante, à termino autem, non vt à causa specificationis, sed vt à complente, & terminante rationem specificandi. Vnde benè dixit Albertus vt refert Mag. Soto quæstion. 1. de relation. ad 8. quod vnum relatiuum non definitur per alterum, sed ad alterum, nam ly *per* dicit causam, ly *Ad*, dicit ordinem. Et communiter S. Thom. sumit specificationem relationis ex fundamentis: Quia à fundamento dicit habere relationem, quod sit realis, vt patet in 1. distinction. 26. quæstion. 2. ad 4. dicens: *Quod quia relatio non habet esse naturale, nisi ex hoc quod habet fundamentum in re, & ex hoc collocatur in genere; inde est quod differentiæ relationum essentiales sumuntur secundum differentias aliorum entium, vt patet ex* Philosoph. 5. Metaphysic. *vbi dicit quod quædam fundantur super quantitatem, quædam super actionem, & sic de alijs: Inde est quod secundum ordinem eorum, in quibus fundantur relationes est etiam ordo relationum.* Hæc ergo est ratio cur plerisque locis. Sanct. Thomas sumat specificam rationem relationum ex fundamentis, vt in 3. par. quæstion. 35. artic. 5. & quodlib. 1. artic. 2. & quodlib. 9. art. 4. & opuscul. 2. cap. 212. & in 3. dist. 8 qu. 1. artic. 5. vbi etiam ad 4. ponit differentiam inter motum, & relationem, *quod omnis motus est aliquid secundum rem, non autem omnis relatio: Et ideò quamuis ex terminis multiplicentur respectus relationis, non tamen oportet, quod multiplicentur relationes secundum rem, sicut motus multiplicantur secundum rem ex diuersitate terminorum.* Vbi Sanct. Doctor realitatem relationum semper reducit ad fundamenta, & fundamento supposito ad terminos, non tamen ex solis terminis, sicut motus. Et sic potest sumi ex generali regula Sancti Thomæ 1. 2. quæst. 54. art. 2. vbi inquit: *Quod omnia quæ dicuntur ad aliquid distinguuntur, secundum distinctionem eorum, ad quæ dicuntur* ergò etiam relationes ex terminis desumunt suam specificationem, quod etiam expressit in 1. par. quæst. 32. artic. 2. vbi dicit: *Quod duæ relationes non sunt diuersæ secundum speciem, si ex opposito vna relatio eis correspondeat*, quem locum infra ponderabimus.

Ratio autem istorum ex dictis sumitur, quia tota realitas relationis est ex fundamento secundum ordinem ad terminum, si quidem totum esse relationis est ad aliud, vt dicit eius definitio. Vnde cum essentialiter vtrumque petat, scilicet fundamentum & terminum, non ita debet sumi præcisè ab vno, quod non sumatur etiam ab alio.

Secunda verò pars conclusionis de modo quo ista duo concurrunt ad specificandum, *non est existimandum*, quod ita partialiter concurrant, quod partem specificationis det fundamentum, partem terminus, sed vnumquodque dat totam specificationem in diuerso genere causæ. Quod *aliqui explicant* dicendo, quod fundamentum concurrit initiatiuè, & terminus completiuè. *Alij* quod fundamentum in genere causæ efficientis, & terminus in genere causæ formalis extrinsecæ. *Alij* quod fundamentum specificat vt virtualiter præhabens in se terminum cui proportionatur, & sic diuersitas fundamentorum refunditur in diuersam formalitatem terminorum.

Sed tamen destinguendum est. Quod terminus, vel sumitur formalissime in ratione termini oppositi, vel fundamentaliter ex parte absoluti fundantis istam rationem terminandi. *Primo modò* terminus concurrit purè terminatiuè ad specificationem, non autem causando illam, quia sic est purus terminus, & est simul natura, & cognitione cum relatione: ergo vt sic non est causa specificans, quia causa non est simul natura, sed prior effectu. *Si primo modo consideretur*, habet se, vt causa formalis extrinseca, & specificat ad modum obiecti, & sic ex fundamento, & termino consurgit vnica ratio specificandi relationem, quatenus fundamentum continet in se terminum in proportione, & virtute, non enim est ad talem terminum nisi sit tale fundamentum, & è conuerso, & sic quatenus inter se proportionantur conficiunt vnam rationem specificandi relationem, quæ & tale fundamentum postulat, & talem terminum ei correspondentem.

Ex quibus etiam colliges, quid sit formalis terminus in ratione specificantis, licet enim ad eundem materialem terminum diuersæ relationes specificæ terminari possint, non tamen ad eundem formaliter. Sumitur autem formalis ratio specificans in termino secundum correspondentiam, & proportionem adæquatam suo fundamento, v.g. album constituit formalem terminum relationis similitudinis vt correspondet conuenientiæ, & identitati; dissimilitudinis vt correspondet disconuenientiæ; paternitatis aut filiationis, vt correspondet generationi, & sic de aliis. Quare sicut fundamentum ad specificandum consideratur sub ratione vltima fundandi, sic terminus sub proportione, & correspondentia terminandi.

Diximus autem, *quæ completè correspondeat, seu adæquatè*, quia diuersis specie relationibus potest correspondere vnus terminus totalis, sicut filiationi correspondet relatio paternitatis, & maternitatis, causatur enim duplici illo modo generationis paternæ, & maternæ, sed vnica natiuitate egreditur, & ita docet S. Thom. 3. p. q. 35. art. 5. ad 3. Contrarium autem videtur dicere 1. p. q. 32. art. 2. vbi inquit: *Quod duæ relationes non sunt specie diuersæ, si ex opposito vna relatio eis correspondeat.* Nec ab hac difficultate se liberant qui putant, tàm patrem, quàm matrem concurrere actiuè, nam etsi concurrant actiuè, diuerso tamen modo sufficiente ad fundandam diuersam relationem paternitatis, & maternitatis, sicut etiam sol, & homo concurrunt ad generationem actiuè, sed diuerso modo, qui diuersas fundat relationes causæ. Quare *Respond.* quod duplici relationi partiali potest correspondere vnus terminus, seu correlatiuum totale, non duplici relationi totali, pater autem, & mater, & plures causæ eiusdem ordinis ad eundem effectum concurrentes, sunt diuersæ quasi

quasi partialiter, & omnes integram causam constituunt, & vnicum terminum totalem, licet partialiter sint plures. Et D.Th.in 1. loco ex 3.p. loquitur de pluribus relationibus partialibus ex parte vnius extremi, quibus potest correspondere ex parte alterius extremi vnica tantum relatio adæquata. In 2. autem loco ex 1. part. loquitur de diuersis relationibus adæquatè, & completè.

Ad fundamenta pro sententiis oppositis. Ad primum Resp. Quod terminus licet sit simul natura formaliter cum suo correlatiuo, tamen ab illo dependet specificatio, non vt à principio causante illa, sed vt à terminante, & complente. Et sic tota prioritas causæ specificantis tenet se ex parte fundamenti. Per terminum verò non specificatur, sed ad terminum.

Ad secundum Respondet. Quod à termino opposito oppositione respectiua potest sumi specificatio, vt à terminante, & complente, non vt causante illam, quia oppositio relatiua est minima inter omnes oppositiones; neque enim tollit alterum extremum, sed ponit, vel supponit, & ita ad illud specificatio eius ordinari potest.

Ad tertium Respond. Quod purus terminus sub formalitate termini specificare potest terminando, & complendo, non causando, & tanquam id *ad quod*, specificatur, non *per quod*.

Ad vltimum constat ex dictis.

Ad fundamenta pro secunda sententia.

Ad primum iam responsum est. Quod termini specificant purè terminando, fundamenta autem causando. Et sic totum esse relationis est ad terminum, vt ad purè terminantem.

Ad secundum dicitur. Quod idem fundamentum proximè, & formaliter non potest seruire ad relationes specie diuersas, sicut album sub formalitate conuenientiæ funda similitudinem, sub formalitate disconuenientiæ dissimilitudinem. Et similiter in alijs exemplis allatis, si sunt diuersæ relationes (de quo non disputo) etiam dantur diuersa fundamenta proxima, & formalia.

Circa secundam difficultatem, quæ in hoc articulo inuoluitur, de distinctione, & vnitate numerica relationis: pendet quidem ab illa celebri difficultate. *Vtrum accidentia indiuiduentur à subiecto*, ita quod non possint duo accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto; cæterum de hoc in præsenti agendum non est. Sed solum explicandum an possit vnica relatio extendi, & versari circa plures terminos, quorum quilibet sufficienter illam terminat, sicut vnus pater plures filios, videtur enim hoc esse impossibile. *Tum* quia non potest idem effectus pendere à pluribus causis totalibus eiusdem ordinis, & rationis, quilibet autem filius est sufficiens, & totalis terminus paternitatis, quia sufficienter, & totaliter ad illam specificatur relatio: ergo non potest à sequenti filio eadem relatio pendere. *Tum etiam* quia respectu noui filij datur noua generatio: ergo & noua relatio, quæ cum generatione identificatur. Nec potest de nouo extendi, quia extensio ista est nouum augmentum, & additio relationis & non pars illius, quia relatio caret partibus: ergo noua relatio. *Tum denique*, quia relatio est indiuisibilis, & simplex modus: ergo si mortuo vno filio, & alio permanente respectus ad vnum permanet, & ad alterum perit, eadem entitas permanet, & non permanet, quia simplex est.

Oppositam sententiam tenet Diu. Thom. 3. part. quæstion. 35. artic. 5. quodlib. 1. articul. 2. & quodlib. 9. articul. 4. & probat S. Doctor non solum propter generalem rationem accidentium, quæ non possunt multiplicari numero in eodem subiecto; sed etiam propter specialem in relationibus. Quia causa, seu fundamentum est idem numero, verbi gratia, in relatione quantitatis, eadem quantitas respectu omnium quantitatum eiusdem extensionis, vnus enim cubitus, eadem quantitate omnibus cubitis æqualis est; eadem potentia generatiua respectu omnium filiorum, licet diuersis actionibus modificata. *Tum etiam* ne sequatur infinita multiplicatio relationum, sicut in vno subiecto sunt infinitæ proportiones partium; & in vno Magistro docente plures non sunt plura magisteria, sed vnum, & in vno domino, & Rege non sunt tot dominia, & relationes, quot serui, cum eadem actione possint doceri, ac regi plures. *Denique* relatio filij tangit patrem, ac matrem vnica relatione, & plures trahentes nauem respiciuntur vnica relatione à naui: ergo similiter potest vna relatio attingere omnes terminos suæ speciei, tanquam inadæquatos suæ extensioni, licet quilibet sufficiat ad suam existentiam, & sic licet hæc relatio numero respiciat determinate húc terminum, non tamen adæquatè, sed omnes illos in quibus est formalitas talis termini.

Ad fundamenta opposita respondetur. Ad primum dicimus, quòd vnus effectus non potest pendere à pluribus causis totalibus, & adæquatis formaliter, si tamen sint plures solum materialiter, bene potest ab illis pendere effectus, quatenus in vno modo causandi, vel terminandi conueniunt: Sicut si tractio lapidis sufficienter fit à decem hominibus, potest nihilominus fieri à viginti, qui materialiter solum sunt plures, sed formaliter conueniunt in vna ratione causandi. Si relatio patris sufficienter terminatur ad vnum filium, si tamen sint plures, etiam terminabitur ad illos, tanquam conuenientes in eadem ratione terminandi vnicam potentiam generatiuam diuersis actionibus modificatam, in ea enim sic modificata fundatur ista relatio, vt art. 3. ex D. Thom. diximus.

Denique explicatur hoc diuersis exemplis, quibus videmus vnum effectum quando est productus ab vna causa sufficiente, si alia causa sufficiens superueniat non de nouo producit illum, sed nouo modo versatur circa illum. Sicut alteratio producit qualitatem, intensio vero, quæ de nouo aduenit non producit illam, sed nouo modo applicat, & attingit, licet sufficiens esset producere qualitatem. Et transubstantiatio in Eucharistia, licet sit sufficiens producere substantiam corporis Christi, tamen, quia inuenit productam, non de nouo producit, sed nouo modo applicat. Sic vnus filius, licet sufficienter terminet relationem patris, tamen si nouus filius relationi productæ superueniat, non terminat nouam relationem, sed eandem, vt ad se pertinentem extendit. In sententia D. Thom. quod in toto composito est tantum vna existentia est accommodatius exemplum 3. part. quæstion. 17. articul. 2. quod si existente toto illi desit vna pars, verbi gratia, manus, vel pes, si postea adueniat non producitur in illo noua existentia, sed existentia totius illi applicatur, tanquam rei ad se pertinenti, & idem dicimus de simplici habitu scientiæ se extendente ad plures conclusiones sine additione noui habitus, & radicatur qualitas intensa sine additione nouæ qualitatis.

Ad secundum dicitur Quod licet ponatur noua generatio respectu noui filij, eò quòd diuerso tempore, & ex diuersa materia fit (aliàs enim benè possent eadem generatione plures filij nasci) tamen relatio non identificatur cum actione, nec fundatur in illa, nisi quatenus determinat potentiam generatiuam, vt supra diximus, & hæc vnica est. Vnde sicut quando plures filij nascuntur ex eodem partu

partu relatio patris non potest esse nisi vnica, quia in eadem actione fundatur, ita etiam quando per plures actiones producuntur, per accidens enim se habet, quod plures actiones, vel vnica actio eiusdem potentiæ eam modificent ad relationem eiusdem rationis. Nec extensio ista relationis ad diuersos terminos fit per additionem relationis nouæ, sed per explicationem præexistentis, quatenus ipsa de se respicit omnes terminos procedentes ex eodem fundamento, explicatur verò in actu quando actio, vel fundat, vel saltem ponit de facto nouum terminum, sicut D. Thom. 5. Physic. lect. 3. declarat de resultantia relationis ad positionem termini ex radice fundamenti vbi præhabebatur. Et quod è fundamento emittatur de nouo relatio, vel iam emissa explicetur, aut applicetur ad illum nouum terminum vt ad se pertinentem ipsi relationi intrinsecum est, scilicet tendere, & determinari in actu ad id, ad quod de se tendebat virtualiter, & solum defectu existentiæ termini non dabatur. Seruit hoc ad explicandum quomodo species Angeli sine mutatione repræsentationis nouum obiectum repræsentent, quod ante non existebat, & nunc incipit existere.

Ad Tertium Respondetur. Quòd relatio entitatiuè est simplex, sed terminatiuè multiplex, quod est respectiuè esse diuisibilem, entitatiuè indiuisibilem; & ita pereunte vno ex terminis materialiter ibi repertis perit relatio quoad applicationem, & extensionem ad illum, non simpliciter, & in se. Simile quid inuenitur in habitu simplici scientiæ, qui extenditur ad nouas conclusiones, & potest deficere vna conclusio, non deficiendo quoad alias, nec entitatiuè in se, & in existentia totius communicata ad diuersas partes, & in vna specie Angelica attingente aliqua obiecta existentia, non verò non existentia; quæ omnia suis locis examinabuntur.

ARTICVLVS VII.

Quomodo explicandæ sunt proprietates Relatiuorum, quod sint simul natura, & cognitione?

Istæ proprietates in eo difficultatem habent, quia in relatiuis datur dependentia relationis à termino; & similiter vnum per aliud definitur, ergo potius datur prioritas quàm simultas, siquidem vbi est dependentia, ibi datur prioritas naturæ.

Vt soluatur ista difficultas, supponendum est id quod aduertit M. Soto *in cap. ad aliquid, circa textum* 5. *& in cap. de modis simul*, duo requiri ad hoc quod aliquid sit simul. Primum est quòd vnum non sit causa alterius. Secundum, quòd mutuo se inferant. Nam si vnum sit causa alterius hoc ipso non sunt simul, sed vnum est prius altero. Et hoc ipso quod sunt simul, vnum non stat sine alio, & sic mutuo se inferunt. Similiter etiam esse simul cognitione iuxta Philosoph. in cap. de Ad aliquid, & D. Thom. opusc. 48. tract. de relat. cap. 5. in hoc consistit, quòd qui cognoscit vnum, necessario debet cognoscere & aliud, quia esse vnius relatiui totum est ad aliud, vbi non requiritur, quòd vnum definiatur per aliud, tanquam per causam, sed ad alterum, vt ad terminum, & sic terminus non specificat causatiuè, sed purè terminatiuè, vt supra diximus.

Dico ergo primò: Quòd prima proprietas intelligitur de relatiuis formaliter, in quantum relatiua sunt, & vt sunt in exercitio respiciendi, vt aduertit Caietanus super hoc *cap. de relat.* & significat D. Thom. 1. p. q. 13. art. 7. ad 6. vbi inquit: *Quod ad cognoscendum vtrum relatiua sint simul natura, vel non, non oportet considerare ordinem rerum de quibus dicuntur, sed significationes ipsorum relatiuorum, si enim vnum claudat in suo intellectu aliud, & è conuerso, tunc sunt simul natura, sicut duplum, & dimidium, pater, & filius.* Itaque in ipsis rebus fundantibus relationem non est necesse, quòd detur simultas; imò sæpe fundatur relatio in causa, & effectu, & sic pater est prior filio in causando, in respiciendo autem est simul. *Et ratio est*, quia in ipsa ratione respiciendi, & formalitate relatiui non habent causalitatem, quia vna relatio non causat aliam, sed quælibet à suo fundamento causatur, & habent connexionem, quia vnum non potest esse sine altero: ergo sunt simul naturâ.

Sed dices. Vnum relatiuum specificat aliud, cum sit terminus eius, sed specificans est prius specificato, cum sit causa illius; ergo non est simul. *Secundò*, in relatiuis tertij generis alterum extremum solum est relatiuum rationis, cum non sint ralatiua mutua, relatio autem rationis non est simul cum suo correlatiuo, cum dependeat à cognitione, non autem à solo fundamento & termino: ergo ista proprietas non est quarto modo respectu omnis relationis prædicamentalis. *Denique* etiam relatiua rationis sunt simul, vt genus, & species: ergo conuenit aliis, quàm relatiuis prædicamentalibus ista proprietas.

Ad primum respondetur. Quòd terminus, vt formaliter oppositus, & correlatiuus, non specificat primò & per se relationem, sed potius specificatur ad illum, quàm ex illo, vt supra diximus, concurrit enim fundamentum, vt specificans per modum principij, & causæ, cum ordine tamen ad terminum, in quo completur, & terminatur specificatio.

Ad secundum respondetur. Quòd in relationibus non mutuis, non inuenitur ista proprietas, nisi fundamentaliter proximè, quia non inuenitur ibi formaliter terminus, vt supra diximus in quantum oppositus, & correlatiuus, sed quia alterum extremum accipit denominationem extrinsecam à relatione alterius ad se, & dicitur fundamentaliter; proximè terminare, non formaliter; & sic terminus est simul naturâ cum relatione, quæ est ad illum. Quare scibile non est simul cum scientia, neque ratione transcendentalis relationis, quia vt sic est obiectum specificans, & causa, neque ratione relationis rationis, quæ est posterior, sed ratione fundamenti proximi terminantis, ratione cuius accipitur, vt terminans relationem prædicamentalem, eo modo, quo terminare potest. Et sic verissima est regula D. Thom. supra posita, quod vt relatiua sint simul natura debet attendi ad significationes eorum. Si ergo consideretur scibile vt obiectum scientiæ, sic non claudit in suo intellectu relationem scientiæ, nec est simul natura cum illa, quia sic significatur secundùm transcendentalem respectum scientiæ; si autem consideretur non vt obiectum, sed vt terminans relationem prædicamentalem scientiæ, saltem fundamentaliter proximè, sic significatur, vt correlatiuum saltem extrinsecè, & consequenter vt simul natura.

Ad vltimum dicitur, relatiua rationis non esse simul natura, quia non habent esse, sed solum cognosci, & & ideò non magis sunt simul natura, quàm ipsæ cognitiones, vnde resultant.

Dico secundò, Altera proprietas scilicet, quod relatiua sunt simul cognitione, intelligitur de relatiuis formaliter secundùm exercitium respiciendi, non secundùm res, quæ materialiter sunt relatiuæ, nec secundùm

relatio consideratur, vt informans, sed vt respiciens. Ratio huius conclusionis est, quia materiale & fundamentale in relatione potest cognosci, vt prius suo termino cum possit esse causa illius, aut specificatiuum vel obiectum eius, & sic licet definiri non possit sine illo, tamen non simul cognitione est, quia potius est causa cognoscendi & explicandi illud, cum sit definiens. Sola autem relatiua in quantum correlatiuè se habent, & oppositionem exercent habent simultatem, quia connexionem habent respectus & puri termini, & non causalitatem. Quòd si ipsa relatio consideretur in vi formæ & in actu signato, id est, vt exercet munus informandi in subiecto non secundum minus respiciendi ad terminum, sic non est necesse, quòd sit simul cognitione cum suo correlatiuo, quia sic induit modum inhærentis, qui est communis relatiuo, & absoluto, vnde prout sic non est necesse cognosci simul cum termino, seu correlatiuo, sed tunc cum cognoscitur secundùm id quod relatiui proprium est scilicet, vt exercet munus respiciendi. Et sic in diuinis quando concipimus relationem paternitatis vt subsistentem & constituentem personam, non est necesse, quod concipiamus ad filium terminari, sed vt principium filij subsistere.

Ex quo sequitur primò, relatiua esse simul cognitione, & quoad quidditatem, & quoad existentiam. Quoad quidditatem, quia propria & quidditatiua ratio relatiui est ad aliud, & consequenter ex essentialibus principiis petit connexionem cum alio, & non causalitatem, sed terminationem, quod est simul se habere. Quoad existentiam, quia non potest in re dari relatiuum sine termino & correlatiuo, petit enim realis relatio terminum realiter existentem, vt sæpe dictum est.

Sequitur secundò, quòd licet aliquando in definitione relatiuorum ponatur fundamentum, vt cum dicitur Pater est qui genuit simile in natura, tamen simultas cognitionis non ratione fundamentorum illis prouenit, in quibus potius aliquando est prioritas & dependentia, sed ratione oppositionis correlatiuæ, licet hæc non semper expressè ponatur, nec in omnibus intrinsecè & formaliter, sicut in non mutuis.

COORDINATIO PRÆDICAMENTI RELATIONIS.

Genus supremum est relatio realis secundum esse. Diuiditur in tria genera immediata. Primum quod fundatur in quantitate seu proportione. Secundum in actione & passione. Tertium in mensura. Primum genus diuiditur in relationes æqualitatis & inæqualitatis, similitudinis & dissimilitudinis, conuenientiæ & diuersitatis, proportionis, vt duplum, subduplum, &c. quæ omnes sunt species athomæ.

Secundum genus diuiditur in relationes causæ & effectus, actionis, & motus, seu mutationis, propinquitatis & recessus, secundum quod ista ex metu pendent. Et vnaquæque potest diuidi in varias species, secundum varias rationes causæ & effectus, sicut alia est relatio causæ efficientis, vel materialis, vel formalis &c. Et alia est relatio fundata in motu generationis, vel alterationis, vel actione creationis, &c.

Tertium genus diuiditur in relationem ad mensuram, quæ est obiectum, vel quæ est exemplar seu prototypus. Relatio ad obiectum in relationem potentiæ vel habitus aut actus. Et vnaquæque in varias species secundùm quòd est potentia actiua vel passiua, cognoscitiua, vel appetitiua, & illa in varias species cognoscitiui, vt ad visibile, audibile, intelligibile, &c. Et similiter exemplaria diuersas relationes specie fundare possunt prout diuerso modo exemplare, & ideare dicuntur.

QVÆSTIO XVIII.

De Qualitate.

ARTICVLVS I.

Explicatur ratio formalis Qualitatis, & eius definitio.

Qualitatem definit Arist. *in c.8. Quod qualitas est, qua dicimur quales.* Quam definitionem aliqui simpliciter reprehendunt. Tum quia videtur nugatoria, sicut si albedo diceretur, id quo dicimur albi, hoc enim est, quod explicandum proponitur. Tum quia videtur circularis, quia sicut definitur qualitas per hoc, quòd simus quales, etiam quale definitur è conuerso, quod est id quod habet qualitatem, quod est circulum committere. Tum denique quia definitio non est notior definito; æquè enim ignota sunt, qualitas in abstracto, & quale in concreto.

Nihilominus reijcienda non est definitio hæc, vt potè ab Arist. tradita, & ab vniuersa eius schola recepta. Et in primis cum suprema genera careant genere, & differentia, ista non est definitio, sed descriptio & traditur per effectus notiores. Possumus autem duplici modo considerare effectus qualitatis. *Vno modo* ex parte status quatenus sumitur in abstracto, vel in concreto, quia status concretionis nobis est notior, & sensibilior, & hoc modo explicat hanc definitionem D. Thom. opusc. 48. tract. de Qualitate. Quia tamen modus definiendi non ita congrue aliis definitionibus aptaretur, in quibus non definiuntur suprema genera.

Secundo modo potest considerari effectus qualitatis

ratio

ratione ipsius formæ; inter omnia enim accidentia proprium est qualitatis reddere subiectum formatum, & qualificatum, vt ex Philos. notat D. Thom. 5. Met. lect. 16. eo quod qualitas inter omnia accidentia propriè nobilitat, & qualificat subiectum. Quantitas enim quantificat, & potius materializat subiectum extendendo, & ordinando partes eius materiales. Reliqua prædicamenta, vel ordinant subiectum ad aliud vt relatio, vel ab aliquo extrinseco ordinante dependent, vt sex vltima prædicamenta, vt dicemus *quæst. sequenti*: sola qualitas in ordine ad subiectum nobilitandum, vel qualificandum datur, vel ad contrarium nobilitationis, & qualificationis. Qualificare autem aliquid dicitur per id quod est actuale, & per modum formæ determinans, ideò enim differentia essentialis dicitur prædicari in quale, quia contrahit & determinat genus, quod est potentiale, & determinando illud format & qualificat: quod ergo differentia essentialis facit essentialiter, id facit accidentaliter qualitas, scilicet formare, & qualificare, id quod potentiale, & informe est, idque primo & per se. Nam licet alia accidentia etiam perficiant, & actuent subiectum, non tamen id habent primo, & per se, sed vel quantificant materiam, vel ad extrinsecum ordinant, aut ab extrinseco in sua denominatione dependent: rectè ergo dicitur qualitas, qua dicimur quales, id est, formati, & qualificati, & nobilitati.

Ad primum in oppositum Resp. Non esse nugatoriam hanc definitionem, nec tradere idem per idem, vel quia explicat statum concretionis, vt notiorem, vel quia explicat specialem effectum huius accidentis, quod est qualificare, & nobilitare, & sic per illam dicimur quales.

Ad secundam Respond. Non committi circulum in istis definitionibus, quia definitiones non sunt, sed descriptiones. Et similiter abstractum, & concretum in diuerso genere causæ se habent vnum explicando formam, alterum connotando subiectum. Ac denique definitio qualitatis in abstracto, non explicatur solum per concretionem, sed per effectum nobilitandi, & reddendi qualificatum: quando verò definitur quale solum definitur quoad statum concreti per hoc quod est habere formam, vnde nullus circulus committitur.

Ad vltimum dicitur. Quod definitio non traditur per æquè ignotum, quia traditur per effectus qualificandi, & per statum concretionis in subiecto, quæ nobis notiora sunt, quam ipsa forma qualificans, vel status abstractionis eius; minus autem sequitur poni definitum in definitione, quia qualitas in abstracto definitur per effectus non per ipsammet qualitatem.

Ex quibus colliges melius D. Thom. inter diuersas sententias rationem qualitatis expressisse 1.p. q. 28. art. 2. *Quod qualitas dicitur dispositio substantiæ.* Et iterum 1.2. quæst. 49. art. 2. *Quod qualitas importat modum quendam substantiæ, modus autem est, quem mensura præfigit.* Vnde importat quandam determinationem secundum aliquam mensuram. Quare ratio propria qualitatis in tantum dicitur consistere in modo, seu determinatione, in quantum modus sumitur pro eo quod est formatio, & recta rei dispositio; dispositio autem non sumitur hic pro prima specie qualitatis, sed generaliter prout dicitur 5. Metaph. lect. 20. apud D. Thom. quod dispositio est ordo habentis partes. Vnde colligitur; quod ad quantitatem, & qualitatem pertinet ordinare partes, sed non easdem neque eodem modo. Nam quantitas ordinat partes materiales per modum extensionis, vt vna ponatur extra aliam primo in ordine ad se, deinde in ordine ad locum. Per qualitatem autem ordinantur partes non materiales & modis, sed virtuales seu perfectionis secundum rationem debitæ, vel indebitæ commensurationis, siue in ordine ad ipsam naturam, aut terminationem quantitatis eius, siue in ordine ad actionem vel ad terminum actionis, vt deinceps circa singulas species explicabimus, siue etiam circa intensionem qualitatis, vel extensionem habituum. Itaque vno verbo quidquid debitæ commensurationis & proportionis est, siue in corporalibus, siue spiritualibus, siue penes partes virtuales, siue formales, eam dispositionem, qualitatem voca. Quantitas verò solum vnit partes materiales extra partes, quod est extendere, non rectè ac debite disponere, nam & formatio eius quoad terminationem, per figuram fit, quæ est qualitas. Hæc videtur probabilior explicatio in re tam occulta, & varia sicut qualitas est.

ARTICVLVS II.

Explicatur diuisio qualitatis in quatuor species.

QVatuor paria specierum posuit Aristot. in diuisione huius prædicamenti. *Primum* est habitus & dispositio. *Secundum* potentia & impotentia. *Tertium* passio & passibilis qualitas. *Quartum* forma & figura.

Circa quæ difficultas est de bonitate & ad æquatione huius diuisionis. Et communis sententia est hanc diuisionem esse adæquatam, *est tamen dissensio* in colligendis istis speciebus, & ratione earum reddenda. Scotus super cap. de Qualit. q. 1. sic illas colligit Qualitas secundùm se est quædam dispositio substantiæ, vel ergo est interior, vel exterior. Si exterior aut per se primo sensibilis, aut non. Si per se primo sensibilis, est in tertia specie, quæ dicitur passio aut passibilis qualitas. Si autem est dispositio interior, vel disponit tanquam principium innatum operandi, & sic est potentia, vel impotentia, aut est principium operandi non innatum, sed ab extrinseco adueniens, & sic est prima species habitus, vel dispositio.

Alij recentiores sic colligunt, qualitas ordinatur ad ornandum substantiam vel ad agendum. Si ad agendum, vel aduenit, vt principium operationis, vel vt terminus, Si vt principium, vel est principium insitum, & intrinsecum, vel ab extrinseco adueniens. Si est intrinsecum est potentia, vel impotentia. Si ab extrinseco adueniens est habitus, vel etiamsi est terminus operationis pertinebit ad dispositionem, sicut termini cognitionis qui sunt conceptus. Si autem ordinatur ad perficiendum, vel ornandum substantiam, vel est ad conseruandum, & fouendum ipsam substantiam, & sic est tertia species, vel ad perficiendum terminum extensionis; & sic est quarta.

Istæ tamen collectiones in multis deficiunt. Primo, quia procedunt per rationes valde extrinsecas, & in se satis incertas, vt quod qualitas inhæreat soli superficiei, vel etiam intra, quòd sit primo, & per se sensibilis, quòd omnis habitus, vel dispositio dicatur qualitas operatiua, vel etiam omnis potentia, nam potentia passiua operatiua non est, gratia etiam, sanitas, & pulchritudo, quæ sunt in prima specie operatiuæ non sunt. Nec etiam dispositio solum est terminus operationis immanentis, sicut conceptus, cum etiam dentur quali-

tates facile mobiles ex natura sua, quæ non sunt termini actus immanentis vt talis, sicut opinio, vel vitium, ægritudo transiens, &c. Denique hoc, quod ex exornare substantiam generaliter loquendo non est cur non conueniat ipsi quantitati, quæ etiam extendendo exornat, quia ordinat. E contra verò exornare fouendo & cōseruando substantiā, cur non conueniet primæ speciei, quæ est dispositio, quæ si benè disponit subiectum fouet, & conseruat, præsertim cum sanitas, quæ maximè conseruat animal ponatur in prima specie à Philos. in 7. Physic. tex. 17. & à D. Thom. 1. 2. q. 50. art. 1.

Aliter ergo colligit istas species D. Th. 1. 2. q. 49. art. 2. Quia qualitas importat accidens, cuius proprium est imponere subiecto determinationem, & modum accidentalem, omnis autem modus, & determinatio potest accipi, vel in ordine ad ipsam naturam, vel secundùm actionem, & passionem, quæ consequuntur principia naturæ, vel in ordine ad quantitatem: modus secundum quantitatem pertinet ad quartam speciem, quæ est forma, & figura; resultat enim figura ex terminatione quantitatis. Modus subiecti secundum actionem, & passionem attenditur in secunda vel tertia specie qualitatis. Nam potentia per se ordinatur ad actionem vel passionem. Passio vero, vel passibilis qualitas, ex aliqua passione, vel motu resultat: modus autem, & determinatio conformiter ad naturam rei pertinet ad habitum, & dispositionem, quia primo, & per se ordinantur ad conuenientiam vel disconuenientiam naturæ, & quia natura est terminus generationis, & motus, motum autem consequitur facile, vel difficile fieri, etiam istæ rationes considerantur in habitu, & dispositione.

Contra hanc tamen collectionem obijcies, quia iuxta illam non repugnabit eandem qualitatem poni in duplici specie, verbi gratia calor, vt causatus ex motu alterationis est passio, vel passibilis qualitas, & tamen secundum conuenientiam ad naturam sicut est in igne erit prima species qualitatis. *Item* in discernenda secunda & tertia specie qualitatis confusè processit D. Thom. nam dicit quod modus secundum actionem & passionem pertinet ad secundam & tertiam speciem qualitatis, quomodo verò pertineat ad vnam & ad aliam, & distinguat secundam à tertia non explicat. Nec sufficit assignare facile & difficile, transiens & diuturnum; hæc enim non sunt differentiæ per se, & ex æquo secundæ & tertiæ speciei, nec distinguunt ipsas potentias & impotentias inter se. *Item* habitus, & dispositio etiam se habent vt determinatio, seu modus erga actionem, quia habitus operatiui sunt principia eliciendi operationem, non ergo per conuenientiam ad subiectum omnis habitus explicandus est. *Denique* constituere tertiam speciem qualitatis per hoc, quod sit terminus operationis seu motus, videtur conditio valde accidentalis qualitati, imò non sufficiens, quia si dicatur, quod in tertia specie solum sunt qualitates terminantes motum alterationis, sequitur quod lux in aëre producta, quæ sine alteratione fit, non sit in tertia specie qualitatis, quod communiter negatur. Si verò sunt in ea qualitates terminantes quemcumque motum etiam instantaneum sequitur, quod actus immanentes, & conceptus, qui illis producuntur, & species intentionales erunt in tertia specie qualitatis, cum tamen communiter ponantur in prima.

Ad 1. Resp. nullam qualitatem esse, nisi in vna tantum specie essentiali, licet quoad statum, & modum accidentalem possit induere modum, & statum alterius, non tamen essentialiter. Hoc enim frequenter in his qualitatibus accidit, vt vna induat modum alterius quantum ad statum, & modum accidentalem, sicut dispositio potest ab extrinseco reddi difficile mobilis non ex principiis intrinsecis, & habitus potest propter imperfectum statum esse facile mobilis, quia nondum est perfectè acquisitus. Et sic etiam calor per se primo habet esse terminus alterationis, sed per accidens, & ab extrinseco habet modum conuenientis, vel disconuenientis naturæ, quatenus est propria passio alicuius, non quia ad id ex formali ratione sua ordinatur: vel quia consurgit ex illo debitum temperamentum vt sanitas, quæ conuenientiam dicit ad naturam. Potest etiam è conuerso dicere primo, & per se conuenientiam ad naturam, sed per accidens aut consecutiuè esse terminus actionis. Et sic non ponitur essentialiter in duplici specie, sed essentialiter in vna, & modum vel statum habet alterius. Et sic est intelligendus S. Thom. 1. 2. q. 49. artic. 2. ad primum, & elicitur ex quæst. 50. art. 1. ad 3. in fine. Quid sit autem in particulari in vnaquaque qualitate primum & per se, quid accidentale & secundarium, iudicandum est, vel ex effectibus qualitatis, puta si videamus semper vnam formalitatem inueniri in vna qualitate, vt in calore esse terminum alterationis, aliam non semper, hæc secunda accidentalis status est; vel ex principiis, à quibus causatur qualitas, si videlicet ex illis ordinatur ad actionem vel passionem, conuenientiam vel disconuenientiam naturæ, &c. tunc id erit illi essentiale.

Ad secundum dicitur. Quod distinctio inter secundam, & tertiam speciem non ponitur ibi à D. Th. expresse, sed elicitur ex his, quæ docet in 5. Metaph. lect. 15. quod ad tertiam speciem qualitatis pertinent passiones subiectorum mobilium secundum quas corpora per alterationem mutantur. Igitur tertia species qualitatis est illa, quæ conuenit subiecto media alteratione, seu subiecto, vt moto, sumendo alterationem latè pro omni mutatione physica qualitatis. Potentia autem & impotentia, quæ est secunda species conuenit subiecto, vt principium actionis, vel passionis per se primo non verò subiecto vt alterato; neque enim potentiæ supponunt alterationem, vt subiecto conueniant. Facile autem & difficile mobile non sumuntur in secunda specie, sicut in prima, sed prout explicant vim resistendi, vel non resistendi, agendi vel cedendi actiuo; sic enim potentiam actiuam vel passiuam constituunt, quia passiua facile cedit, actiua difficile; diuturnum autem, & cito transiens non ad secundam, sed ad tertiam speciem pertinent.

Ad tertium dicitur. Quod habitus, & dispositio per se primo habent disponere naturam secundum conuenientiam, & disconuenientiam. Si autem natura actiua sit, disponent ad actionem, non quia habitus sint primo, & per se actiui, sed quia natura quam disponunt actiua est, & non disponitur conuenienter, nisi ad actionem, vt dicemus art. seq. ex D. Thom. 1. 2. q. 49. art. 3.

Ad vltimum dicitur in primis non esse extraneum à qualitate, quod sit terminus alterationis, cum enim detur per se motus ad qualitatem, scilicet alteratio, vt dicitur in 5. Physic. oportet quod aliquæ qualitates per se sint qualitates subiecti, vt moti, & alterati. *Deinde dicimus*, quod in hac tertia specie ponuntur qualitates, quæ per se primo terminant motum, seu sunt qualitates subiecti, vt alterati, etiam alteratione instantanea, seu mutatione, qualis est illuminatio in aëre. Nec tamen propterea actus immanentes, vel conceptus erunt in tertia specie, sicut lux, quia non habent immutare subiectum, seu esse

esse termini alterationis, quæ solum propriè inueniuntur in corporalibus, sed habent aliam priorem, & principaliorem considerationem, scilicet conuenienter disponere naturam inquantum cognoscens est, & sic pertinent ad primam speciem qualitatis, & hæc ratio est in illis principalior, quia propria & per se, per accidens vero actus immanentes alterationem habent, vt in sensibus ex parte organorum.

Ex dictis constat, hanc diuisionem esse adæquatam, & sufficientem. Ad primam enim speciem præter habitus, & dispositiones, quæ manifestè sunt tales reducuntur omnes actus immanentes, & conceptus, imò, & species impressæ, quæ à D.Th. 1.2.q.50. art. 6. inter habitus videntur numerari; datur enim in illis ratio bonæ, vel malæ dispositionis potentiæ, secundum quod datur bene, vel malè repræsentare obiectum. Pertinet etiam ad hanc speciem gratia, vt docet D.Th. 1.2.q.110.art.3.ad 3.& habitus supernaturales, quia dantur ad eleuandum potentiam, & sic supponunt ipsam, licet in genere eleuationis totam virtutem illi præbeant ad actum, qui non habet entitatem nisi eleuatam.

Ad secundam speciem, reducuntur omnes instrumentales virtutes, quia dantur ad simpliciter agendum, vel adiuuandum potentiam, non ad disponendam naturam bene, vel male, ideóque S.Thom. 3.p.q. 64.art. 2. reducit characterem ad hanc speciem, quia non datur ad bene, vel malè agendum, sed ad validè, & verè recipiendum, vel agendum sacramenta. Denique asperum, & lene, rarum, & densum, aliqui reducunt ad solam positionem diuersam partium, quia asperum habet partes inæqualiter dispositas, lene autem æqualiter; rarum partes magis distractas, densum magis contractas, & in minori loco, quod totum pertinet ad situm; quod quidem verum est secundùm se; cæterum quia aspero aliquando coniungitur durities, & lenitati aliqua mollitudo, quæ ab Aristot. in hoc cap. numeratur inter qualitates, ideò ratione huius adiuncti, qualitates etiam solent nominari. An verò diuisio ista essentialis sit?

Affirmatiuè Respond. Qualitas enim est genus supremum, & debet habere sub se species essentialiter distinctas, nec aliæ sunt assignabiles. Et certè inter aliquas qualitates intercedere specificam distinctionem vt inter habitum, & potentiam, & figuram dubium non est, imò inter aliquas eiusdem binarij, vt inter duos habitus, vel duas potentias. Solum posset quis dubitare, quia aliquando videtur eadem qualitas pertinere ad duas species, vt calor ad tertiam, quia est terminus alterationis, & ad primam, quia est conueniens alicui naturæ. Sed iam supra diximus per se solum pertinere ad vnam iuxta formalitatem, quæ per se, & semper alicui competit, vel iuxta principia à quibus per se oritur, vt calori semper competit, esse terminum alterationis, non semper disponere naturam. Et ideò si hoc secundum aliquando habet, accidentale sibi est, non essentiale, nec per se primo conueniens, ideóque nec speciem constituens.

ARTICVLVS III.

Quomodò singulæ species explicandæ sint?

PRima *species est habitus & dispositio.* Solet autem multiplex acceptio habitus deriuari, sed ad duo capita omnes acceptiones reducuntur, dicitur enim habitus seu habere prædicamentaliter, & postprædicamentaliter. Postprædicamentaliter est idem, quod modus possessionis, & numerantur ab Aristot. octo modi in vlt. cap. Prædicamentaliter vno modo significat vltimum prædicamentum quod est vestitum esse, & habitum induere. Alio modo pro specie quadam qualitatis, secundùm quam aliquis bene vel malè se habet. Similiter dispositio potest generaliter sumi, & sic est ordo habentis partes, vt Philosoph. dicit 5. Metaphysic. text. 24. & sic etiam inueniri potest in quantitate, & in situ. Secundò specialiter sumitur pro eo quod est bene, vel male disponi, ex modo enim habendi partes contingere solet, quòd aliquid bene, vel malè se habeat. Sed tamen est differentia inter habitum, & dispositionem, quod habitus dicitur, quando aliquid firmiter tenetur, & possidetur, alioquin simpliciter illud non habemus: dispositio autem cum ex genere suo sit tendentia ad formam ad quam disponit, & ordinat, nondum firmiter, & perfectè habet formam, & inde est, quod habitus dicitur qualitas difficilè mobilis, dispositio verò facilè mobilis.

Duplex autem se offert difficultas in præsenti. *Prima*, circa rationem genericam, an ista prima species sit qualitas operatiua. *Secunda*, circa rationes differentiales, vtrum differant essentialiter habitus, & dispositio.

Circa primum, plures censent habitum consistere in ratione principij operatiui, sed superadditi, non innati, in quo distinguunt illum à secunda specie, quæ est innatum principium operandi. *Nihilominus* S. Thom. oppositum docet 1.2. q. 49. art. 2. *& generaliter ratio esse potest*, quia aliquæ qualitates huius speciei non sunt operatiuæ, sicut sanitas, & pulchritudo, quas Phisos. expressè ponit in prima specie 7. Physic. text. 17. citatus à D. Thom. 1.2. quæstion. 50. articul. 1. & similiter gratia in supernaturalibus. *Specialiter autem probatur*, quòd etiam habitus, quando est operatiuus primò, & per se, non est principium operandi, sed bene vel malè disponendi naturam, quæ tamen, quia est potentia operatiua debet bene disponi in operando. *Et ratio est*, quia vt dicit Philosoph. *loco citato*, habitus tam an mæ, quàm corporis sunt dispositiones perfecti ad optim m: dicitur autem *perfecti*, quod est dispositum secundum naturam. Vnde quia natura, & forma sunt finis, cuius gratia aliquid fit, ideò in prima specie consideratur bonum & malum, quia bonum sumitur secundum rationem finis, & ita secundum habitum, & dispositionem dicitur aliquid bene, vel malè haberi, id est, conuenienter ad formam, & finem. Et hinc est, quod habitus, & dispositio possunt habere rationem operatiui, eò quòd finis naturæ est operatio vel operatum, aut quia natura, quam disponit habitus est potentia actiua, quæ conuenienter ordinatur ad suam operationem, & sic habitus dicitur dari non ad agendum simpliciter, sed tali modo scilicet conuenienter, vel disconuenienter, quia licet influat in substantiam actus non tamen, sicut principium primum operandi, quod est potentia, sed vt præsupponens potentiam, & illam conuenienter disponens.

Circa secundum. Scot. quæstion. 9. huius prædicam. & alij multi *existimant*, habitum, & dispositionem solum accidentaliter differre, & fauet huic sententiæ D. Thom. quæstion. 7. de Malo, articul. 2. ad 4. *Fundamentum est*, quia eadem entitas numero, quando firmiter habetur in subiecto dicitur habitus, quando non firmiter dispositio, sicut de scientia tradit Philos. in hoc cap. de Qualit. quòd cum parum retinetur in subiecto non est habitus, sed dispositio, cum verò diuturnior redditur est habitus.

Confirm. Quia facile, & difficile mobile à subiecto sunt differentiæ, quæ in aliis etiam generibus, & differentiis inueniuntur, sicut passio, & passibilis qualitas, motus tardus, vel velox, quæ dicuntur diu perseuerare, vel cito transire: ergo non possunt esse differentiæ essentiales huius primæ speciei, neque enim differentia essentialis extra suam essentiam inuenitur.

Nihilominus oppositum sentit ipse D. Thom. & communiter Thomistæ 1.2.quæstion.49.articul.2.ad 3. vbi inquit: *Quod dispositio potest intelligi diuidi contra habitum dupliciter, vno modo, sicut perfectum, & imperfectum in eadem specie, vt scilicet dispositio dicatur retinens nomen commune, quando imperfecte inest, habitus autem quando perfectè, vt non de facili amittatur & sic dispositio fit habitus, sicut puer fit vir: Alio modo possunt distingui, sicut diuersæ species vnius generis subalternæ, vt dicantur dispositiones illæ qualitates primæ speciei, quibus conuenit secundùm propriam rationem, vt de facili amittantur, quia habent causas transmutabiles, vt ægritudo, & sanitas. Habitus verò dicuntur illæ qualitates; quæ secundum suam rationem habent, quod non de facili transmutantur, quia habent causas immobiles, sicut scientia & virtutes, & secundùm hoc dispositio non fit habitus, & hoc videtur magis consonum intentioni Aristot.* Ita D. Thom. Qui idem docet in quæstion. de malo supr. cit. licèt etiam oppositam opinionem admittat, sed non resolutiuè vt hic.

Ex quo colligitur, in quo consistat esse facile vel difficile mobile ex natura rei, quod tam anxiè Authores oppositi inquirunt, & vrgent: dicimus enim quod esse difficile mobile ex natura rei, est ex propriis & intrinsecis principiis habere causas sui non facile transmutabiles. Et Caietan. in cap. de Qualitate hoc explicans dixit, quod aliquando qualitas ex specie sua requirit causas difficilis transmutationis, aliquando habet difficilem transmutationem ex aliqua conditione indiuiduali, quia in hoc subiecto habetur dispositio aliqua, seu causa perseuerandi, non verò ex natura qualitatis postulatur. Vnde facile & difficile mobile non est idem, quod multum vel parum durare, hoc enim per accidens est, potest enim aliquid, quod est dispositio longo tempore durare, & habitus paruo, quia cum duratio sit continuatio in esse, & hoc dependeat à causis extrinsecis conseruantibus, plerumque aliquid, quod de se non petit causas immobiles & perseuerantes, inuenit in aliquo subiecto causam & dispositionem conseruantem diu, sicut lux in aëre si luminosum diu perseueret, & actus videndi, si voluntas diu applicet ad videndum, & ægritudo ordinaria, si aliquis non vtitur medicamento, sed cibo saluti contrario. Ergo non consistit ratio habitus in hoc quod difficile remoueatur, sed quod difficile mobilis sit, nec quod dispositio facile mutetur, sed quod facile sit mobilis ex ordine scilicet ad causas suas intrinsecas, non ex aliquo extrinseco per accidens faciente, quod actu duret vel non duret. Et sic videmus scientiam esse ab intrinseco habitum, quia procedit ex causis euidentibus, quæ sunt firmæ, & similiter virtutes, quia procedunt ex principiis practicis per synderesim notis, & directis, opinio verò & vitium de se habent causas facilis transmutationis, in quantum illud est contra rationem, hoc cum rationis formidine.

Scio aliquos alias quærere rationes huius distinctionis essentialis, vt quod illud sit facile mobile, quod dependet in fieri, & conseruari à suo agente, difficile verò mobile, quod in conseruari non pendet: Alij ex eo quod habitus caret contrario, dispositio non. Sed hæc inania sunt, videmus enim multas dispositiones etiam in absentia agentis durare, & tamen specie ab habitu distingui, vt ægritudo, & vitium; & opinio, quæ durant in absentia agentis. E contra verò virtutes infusæ, verbi gratia, & charitas pendent à suo proprio agente in fieri & conseruari, sicut lux à Sole, vt S. Thom. docet 2.2.quæst. 24.artic.12. & tamen sunt habitus. Similiter aliqui habitus habent contrarium, vt scientia errorem, virtus vitium, &c.

Sed obiicies. Nam ex sententia D. Thom. sequitur, quod actus demonstrationis sit habitus, quia generatur ex principiis immobilibus per se scilicet euidentibus & certis. *Sequitur etiam* nullum dari habitum opinionis & vitij, nec species impressæ erunt habitus contra D. Th.1.2.q.50. art.6. quia omnia ista non habent causas immutabiles.

Respond. Actum demonstrationis, & quemcunque alium actum non habere causas immobiles, quia actualis operatio est in ipsa egressione consistens, non in aliqua re producta; operatio autem de se mutabilis est quia est in via, & in fieri non factum esse, licet circa aliquod obiectum immobile versetur. Habitus verò non se habet vt exercitium & & operatio, sed vt forma producta, quæ immobiliter determinatam relinquit potentiam. Cæterum, quod attinet ad opinionem, & vitium dicimus probabilius videri, quòd non sunt habitus, quia ex natura sua non habent firmam adhæsionem, sed cum formidine, licet ex multiplicatione actuum possint acquirere firmitatem, quantum ad modum, & statum accidentalem: Et ita aliquando D. Thom. docet ex actibus multiplicatis generari habitum opinatiuum, vt 1.2.q. 51.art.3.& 53.artic.1. sed loquitur de habitu secundum modum, non secundum essentiam, quia cum opinio non habeat principia immobilia ex vi suæ speciei, licet ratione alicuius extrinsecæ causæ possit indiuidualiter firmari in aliquo subiecto, ideò simpliciter non est habitus, & idem dicendum de vitio, quatenus moralitatem habet contrariam rationi, & sic non habet firma principia, licet ex parte boni sensibilis possit in sensualitate firmari, quod est secundum quid esse firmum. Vnde aliud est, quod opinio possit habere modum habitus, id est, diuturnitatem, & scientia non, aliud quod habeat naturam habitus id est, ex intrinseca natura, & principiis habeat firmitatem.

Ad argumenta verò à principio, negatur eandem entitatem posse esse habitum, & dispositionem, ex natura sua, & intrinsecis principiis, sed solum quoad statum. Et Philos. communiter attulit exempla secundùm firmitatem, vel facilitatem ex parte status, quia notior est, vt inde manuduceret ad occultiorem, quæ est ex vi naturæ. Et sic D. Thom. 1.2. qu. 50.articul.1.ad 2. dicit quod Philos. non appellauit sanitatem habitum, sed vt habitum, vt in Græco habetur; & eodem modo scientias non perfectè habitas non vocauit habitus quoad statum, licet non neget esse habitus quoad naturam, vt etiam soluit Caiet. super hoc cap. de Qualit.

Ad confirm. Resp. Quòd facilè, & difficilè mobile per se primo inueniuntur in motu, vt dicit D. Th. 1.2.quæst.49.art.2.ad 3. per eas tamen circumloquimur differentias proprias qualitatis, applicando illis nomina motus, non rem. Inuenitur autem similiter in aliis speciebus qualitatis facilè, & difficile mobile, quantum ad modum diuturnitatis, vel facilitatis; non tamen quoad intrinsecam rationem disponendi benè vel malè subiectum, quod est essentiale primæ speciei.

SECVNDA SPECIES.

D*Icitur potentia & impotentia.* Et nomine potentiæ intelligimus illud principium proximum operandi, quo constituitur subiectum non ad benè vel malè operandum, sed simpliciter ad verè operandum ipsam substantiam operationis. Quomodo autem substantia per se non possit operari, sed indigeat qualitate superaddita, vt exeat in actum tanquam principio eliciente, ad libros de Anima pertinet, & ad Metaphysicam viderique potest S. Thom. 1.p.q.54.& q.77. Nomine potentiæ comprehenditur tam potentia actiua, quàm passiua, dari enim passiuam potentiam in genere qualitatis nobis ostendunt potentiæ operatiuæ immanentes, id est, receptiuæ eius, quod eliciunt. An verò detur aliqua qualitas, præsertim ordinis naturalis, quæ purè sit potentia passiua, & nullo modo actiua, non est præsentis loci discurrere, sed in 5. Metaph. sicut neque de potentia neutra agere ad præsens spectat, quæ ideò neutra dicitur, quia caret inclinatione ad actum, sed est purè indifferens, non quæ neque sit actiua, neque passiua, sicut Scotus posuit, contra quem agit Caietam.tom.3.opusc.tract.3.q.1.

Nomine autem impotentiæ non intelligimus putam carentiam potentiæ, sed potentiam imbecillem, & imperfectam, sicut hebetudo ingenij, potentia generandi debilis & similia. Vnde constat inter potentiam, & impotentiam sic acceptam non intercedere specificam distinctionem ex vi potentiæ, & impotentiæ præcisè, eadem enim potentia imperfecta, & imbecillis, sublata imbecillitate redditur potentia. Non est autem locus in potentia ad distinguendum, sicut in habitu, immobilitatem, & firmitatem ex statu accidentali, vel ex visceribus, & intrinsecis principiis naturæ: nam cum omnis potentia sit quasi propria passio orta, & innata ex principiis naturæ, si potentia naturalis sit, omnis potentia habet firmitatem intrinsecam, & cum nō paulatim acquiratur, sicut habitus, non habet ratione status, & imperfectæ acquisitionis imperfectam firmitatem, licet possit impediri ex aliquo extrinseco, & debilitari, & tunc erit impotentia, quæ solum ab extrinseco differt à potentia. Verum quidem est ex natura imperfectiori oriri potentiam minus perfectam quæ comparatiuè ad alterius naturæ potentiam videatur impotentia: sed hæc propriè impotentia non est, siquidem in suo genere habet vires, seu potestatem debitam, licet minorem alterius generis potentia, vt si dicamus, formicā minus posse, quàm leonem, non dicitur simpliciter impotentia illa, quæ est in formica, cum in suo genere potentia sit, aliàs solùm summa potentia, esset potentia.

Ex quo patet, quomodo differat prima species à secunda, prima enim simpliciter non est principium operandi, sed conuenienter disponendi naturam, siue actiua sit, siue non actiua, potentia autem est simpliciter principium operandi, vel patiendi. De virtutibus autem infusis quomodo potentiæ non sint, sed habitus, & de charectere quomodo ad potentiam reducatur, iam supra diximus, neque hoc Logici negotij est, sed Theologici. Quomodo verò Philosophus 5. Metaph. numerans species qualitatis, potentiam prætermiserit, respondet S. Thomas ibi lect.16. quia paulò ante egerat latius de potentia, illámque explicauerat.

TERTIA SPECIES.

E*St passio & passibilis qualitas*: Et relictis variis acceptionibus passionis, quæ Philos. numerat 5. Metaphys, text. 26. & ibi D. Thom. lect. 20. in præsenti, passio sumitur pro qualitate secundùm quam fit alteratio. Licet enim passio communiter accipi possit pro omni receptione formæ, vt est ab aliquo agente, & sic est prædicamentum passionis, specialiter tamen accipitur pro ea passione, quæ fit cum transmutatione aliqua alterationis, hoc enim communiter pati dicimus, quòd à sua dispositione alteratur, & remouetur: & ex hoc actus appetitus sensitiui specialiter vocantur passiones, quia fiunt cum aliqua transmutatione corporali, vt S. Thomas 1.2. quæst.22. artic. 2. dicitur etiam proprietas rei propria passio, quia illam recipit subiectum, vt propriam.

Duo ergo explicanda sunt. Primum; in quo propriè consistant istæ species. *Secundum*; quomodo inter se differant passio, & passibilis qualitas. *Quidam enim dicunt*, tertiam hanc speciem esse qualitatem ordinatam ad perficiendum, & ornandum subiectum, quæ neque est potentia, neque habitus, nec figura. *Sed hi non explicant*, quid sit ista qualitas, sed quid non sit. *Alij dicunt*, consistere in hoc, quòd sit qualitas causata ex alteratione, vel causans illam. Et fauet S. Thom. opusc.48. de qualitate, cap.5.& 5.Metaph. lect.16.& 1.2.q. 50. art. 1. ad 3. *Alij* sumunt hanc qualitatem non ratione alterationis, sed prout causat passionem in sensu, & ita solum comprehendit qualitates sensibiles, à quibus sensus nati sunt immutari. Ita in schola Scoti. Et fauet etiam S. Thom. 3.p.quæst.63. art. 1. ad 2. vbi docet, quòd in hac specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passiones, vel sensibiles qualitates. *Tandem alij*, vt Caietanus super hoc capit. de qualitate sumunt sic passionem pro actu appetitus sensitiui, & passibilem qualitatem pro ea, quæ nata est causari vel causare passionem appetitus. Et quatenus obiectiuè excitat, vel incitat has passiones dicitur passio vel passibilis qualitas. *Aliqui recentiores hoc sequuntur* suppresso nomine Caietani.

Omnes istæ expositiones probabiles sunt, nec multum discordant. Cæterum cum actus appetitus sensitiui habeat duo; scil. actum immanentem, quod est formalius, & immutationem corporalem, quod materialiter se habet, & ab illa nomen accipiunt passionis, vt S. Thom. docet q.22. cit. ex 1.2. oportet quòd qualitates non denominentur passibiles ab actu immanenti præcisè, sed ab alteratione & immutatione corporali, cum qua iungitur actus ille appetitus. Vnde præcipuè, & magis originaliter dicetur ista qualitas esse passibilis ab alteratione, cum etiam ex alteratione adiuncta, actus appetitus denominentur passiones. Quare melius explicatur ratio huius tertiæ passionis ex D. Thom. 5. Metaph. lect.16. & opusc.48. cit. quòd qualitas subiecti vt moti, & alterati, est qualitas hanc speciem constituens, & quia omnes alterationes corporales sunt sensu perceptibiles saltem secundum gustum & tactum, aliæ etiam solum secundùm visum, vt illuminatio, coloratio, &c. inde est, quod in hac tertia specie solum dicuntur poni qualitates sensibiles, vt in cit. loco 3.p. dixit S. Thom. Et cum alteratio secundùm qualitatem præcedat passionem secundùm sensum, vtporè eius obiectum & posita passione alterationis sufficienter intelligatur, vnde denominetur passibilis qualitas & passio, ab illa primordialius sumitur ratio istius qualitatis scilicet, quia causat vel causatur ab alteratione, inde verò sequitur, quod causet passionem in sensu.

Circa distinctionem inter ipsam passionem, & passibilem qualitatem, communis sententia est, solum differre accidētaliter, & penes causas extrinsecas durationis, nam

nam ſpecificè eiuſdem rationis ſunt rubor cauſatus ex verecundia, qui citò tranſit, & cauſatus ex bono temperamento, qui diu durat. Sed quia paſſio citò tranſit, dixit Ariſtotel. ab ea nos non denominari quales, quia à tranſeunte non fit denominatio ſimpliciter, quæ ſtatum requirit.

QVARTA SPECIES.

Dicitur *forma, & figura.* Sumitur autem forma ſimpliciter. *Primò*, pro forma ſubſtantiali, quæ ſimpliciter dat eſſe. *Secundò* pro quocumque actu informante. *Tertiò* pro illa conuenienti diſpoſitione quantitatis, qua aliqui dicuntur benè formati, vel formoſi. Figura ſumitur dupliciter. *Vno modo* pro ſigno, ſicut dicitur 1. Corint. 10. *Omnia in figura contingebant illis. Secundò*, pro modo reſultante ex terminatione quantitatis, & hæc vel poteſt eſſe intrinſeca ſicut figura manus in ſe, & ſic eſt qualitas, vel extrinſeca, & ſitualis, ſicut eadem manus complicata, vel dilatata, diuerſam figuram ſitualem exhibet. Et hæc ſecunda poteſt variari inuariata prima, vel etiam totaliter tolli vt à corpore Chriſti in Euchariſtia.

In præſenti figura ſumitur ſecundo modo, & forma tertio. Et differunt iuxta communem ſententiam ſolum accidentaliter. Dicit enim figura terminationem quantitatis, ſeu modum illius præcisè, & quaſi mathematicè ſumptum. Forma addit quod ſit dicta terminatio cum debita proportione, quaſi formoſitate, vnde non abſtrahit à ſenſibilibus qualitatibus, ſed illis modificatur, & ſic figura formata, ſeu cum proportione facta dicitur forma, & propriè inuenitur in artificialibus, vt figura domus, vel turris dicitur forma, de quo D.Th. 7. Phyſic. lect. 5.

COORDINATIO PRÆDICAMENTI QVALITATIS.

Genvs generaliſſimum eſt Qualitas. Diuiditur in quatuor genera immediatè, quæ ſunt habitus, & diſpoſitio, potentia, & impotentia, paſſio, & paſſibilis qualitas, forma, & figura; & vnumquodque iſtorum generum diuiditur in varias ſpecies, quas in ſingulis generibus non poſſumus proſequi. Sed ſolum aduertendum eſt, quòd in duobus vltimis generibus tantum ponuntur corporales qualitates, quia tertia ſpecies ex alteratione cauſatur, vel cauſat primo, & per ſe. Forma autem, & figura ex terminatione quantitatis reſultat. In duobus verò primis generibus; & corporalis, & ſpiritualis qualitas poteſt inueniri.

Habitus ergo poteſt diuidi in operatiuum, & non operatiuum. Non operatiuus in corporalem, vt pulchritudo, ſanitas, & in ſpiritualem vt gratia. Operatiuus ſimiliter in ſenſibilem, & ſpiritualem. Senſibiles in varios habitus appetitus ſenſitiui, vt temperantia, fortitudo, &c. ſpiritualis in intellectualem, & moralem; intellectualis, in quinque ſpecies, ſcilic. ſapientiam, ſcientiam, intellectum, prudentiam, & artem. Moralis diuiditur in bonum, & malum. Malus (ſi verè eſt habitus) per omnia genera vitiorum, bonus per omnia genera virtutum moralium, vt iuſtitia, religio, pietas, &c. & his annumerantur virtutes ſupernaturales eis correſpondentes.

Potentia diuiditur in actiuam, & paſſiuam, actiua in incorpoream, & corpoream, ſub corporea vitales, & non vitales: ſub vitalibus ſenſitiua, vegetatiua, &c. Vegetatiua, vt nutritiua generatiua, &c. ſub ſenſitiuis ſenſus interiores, & exteriores, & appetitus ſenſitiuus. Sub incorporea voluntas, & intellectus, & reductiuè ſupernaturalis potentia, quæ eſt character. Aliqui etiam reducunt ad hoc genus ſpecies impreſſas, quia complent potentiam cognoſcitiuam, ſed verius eſt quod non dant illi principium operandi, ſed diſponunt ex parte obiecti, ideoque quando dantur permanenter pertinent ad habitus, vt S. Thom. ponit 1.2. quæſt. 50. artic. 5. & 6.

QVÆSTIO XIX.

De ſex vltimis Prædicamentis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm hæc prædicamenta ſint formæ abſolutæ vel relatiua, vel denominationes extrinſecæ?

Qvatvor *eſſe ſententias* circa quidditatiuam rationem horum prædicamentorum aduertit Caietanus ſuper hoc caput de 9. vltimis Prædicamentis. *Quidam dixerunt*, hæc prædicamenta ſignificare aliquid abſolutum cum reſpectu, v.g. Vbi ſignificat locum cum reſpectu ad locatum. *Alij dicunt*, conſiſtere tantum in denominatione extrinſeca, ſicut à loco denominatur locatum, & fauet D.Th. in 3. Phyſic. lect. 5. *Alij dicunt*, conſiſtere tantum in reſpectu, ſed quia relatio eſt aliud prædicamentum ab iſtis diuiduntur in explicando, quo modo iſta prædicamenta ab illo relationis diſtinguantur. *Et quidam dicunt*, prædicamentum relationis fundari ſuper res abſolutas, tam ſpirituales, quàm corporales iſta verò prædicamenta ſuper modos reſpectiuos, & tantum corporales fundari. *Alij diſtinguunt* relationes in aduenientes intrinſecus vel extrinſecus, & primas vocant quæ poſitis extremis in actu neceſſariò conſurgunt, & iſtæ pertinent ad prædicamentum relationis. Secundas dicunt, quæ poſitis extremis in actu non ſtatim reſultant, & in iſtis ponunt ſex vltima prædicamenta, v.g. poſito generante, & geni-

to,

to, necessario resultat relatio patris, & filij: posito tamen agente & patiente, etiam approximatis non resultat necessario actio, vt in agentibus contingentibus, vel liberis.

Pro resolutione distinguendum est duplex denominans extrinsecum. Vnum quod seipso immediatè denominat, sine aliqua mutatione, sicut ex visione denominatur res visa. Aliud quod denominat mediante aliqua explicatione, & modo sui ad alterum, ex qua mutatione, vel applicatione necessariò aliquid quasi mutatum relinquitur in eo, cui adiacet, vel à quo dependet, quod aliqui explicant per respectum; alij per modum, reuera enim modus ille, seu mutatio non est aliquid absolutum omnino ab extrinseco, sed dependens ab illo, licèt non sit ad illud, vt ad terminum, hoc enim est proprium relationis secundùm esse, & sic præcipuum denominans est ipsa forma extrinseca quasi originatiuè, sed applicatiuè est ille modus, quo applicatur ad informandum. Vnde prouenit, quòd aliquando Authores attribuunt hanc denominationem formæ extrinsecæ, aliquando ipsi modo ex eius adiacentia relicto, sicut aliquando habitus dicitur ipsa vestis extrinseca, aliquando aliquid medium inter vestem & vestitum, vt infra videbimus.

Sit ergo conclusio. Sex vltima prædicamenta non consistunt in extrinseca denominatione, neque in relatione secundùm esse, etiamsi dicatur extrinsecus aduenire, sed in modo relicto applicationis extrinsecæ à quo dependet in denominando. Hæc conclusio est plurium Authorum, & sumitur ex D. Thoma, tum in opusc. 48. tract. de sex principiis. vbi negat hæc prædicamenta consistere in respectu, alioquin essent de prædicamento relationis, tum quia in 5. Met. lect. 15. dicit hæc vltima prædicamenta esse determinata ad aliquod genus rerum naturalium, & lect. 17. addit esse aliquid consecutum ex relatione potius, quàm relationem causans, vnde infertur quod nec in relatione ea constituat, nec in denominatione pure extrinseca, quia hæc non est genus rerum naturalium. Specialiter autem de habitu docet quod est medium inter vestem, & vestitum 1. 2. quæst. 49. artic. 1. & 5. Met. lect. 20. ex Phil. ergo si est medium; & non relatio, nec pure extrinseca denominatio, restat, quod sit aliquis modus relictus. Idem insinuat de *vbi* & *quando* in 4. dist. 16. quæst. 3. artic. 1. quæstiunc. 1. agens de circumstantiis, de actione vero & passione quomodo dicat aliquid in agente, & passo, dicemus latius in 3. Phys. Deo dante.

Ratio huius quantum ad primam partē, quod non sint extrinseca denominatio pura, *ex eo sumitur*, quia talis denominatio extrinseca prout extrinsecè tangit res denominatas non dicit aliquam naturam realem cum in illis nihil ponat prout vero tenet se ex parte formæ denominantis, quæ in alio subiecto intrinseca est, iā supponitur esse in suo prædicamento, sicut visio prout est actus oculi suum habet prædicamentum v. g. qualitatis. Ergo non potest iterum poni in alio prædicamento ratione denominationis extrinsecæ, tum quia illa denominatio prout extrinseca non addit nouam naturam realem, ergo nec nouam rationem ponendi in alio prædicamento, tum denique quia ipsa forma ratione informationis, & denominationis intrinsecæ non ponitur in alio prædicamento distincto à forma, quia forma & informatio non dicunt duo prædicamenta, ergo multo minus ratione formationis, seu denominationis extrinsecæ quæ multo minor est cum nullam realitatem addat supra formam.

Quoad secundam partem de relatione secundum esse etiam extrinsecus aduenientem *Probatur Primò*. quia quod relatio extrinsecus, vel intrinsecus adueniat, & necessario resultet positis extremis, vel non resultet, non variat essentialem rationem relationis, quia nihil mutat de eius definitione, quæ in hoc solum consistit, quod totum eius esse sit ad aliud, hoc autem saluatur in vtraque relatione, ergo non est cur hæc secunda si vera relatio est, & conuenit ei hæc definitio excludatur à relationis prædicamento. Si autem non saluatur hæc definitio in illa non erit relatio secundum esse, sed secundum dici. *Secundò*, quia falsum est quod positis fundamento, & termino in his relationibus extrinsecis, si fundamentum proximum sit non statim resultet relatio. Ratio enim fundandi actionem, & passionem non est sola positio rei quæ est agens, & rei quæ est patiens & vtriusque applicatio, sed vltra hoc requiritur positio effectus, ab illo enim denominatur agens; & à corpore non quomodocumque sed circumscribente denominatur vbi, & à veste, vt circundante denominatur vestitum; posita autem circunscriptione necessario sequitur vbi, & posito effectu sequitur vbi, & posito effectu necessario sequitur denominatio actionis, non minus quam posito duplici albo sequitur relatio similitudinis, quia non solum ponuntur extrema, sed etiam fundamentum proximum, quod est conuenientia, remoto autem fundamento proximo quantumcumque ponantur extrema, etiam non resultat relatio. *Et ideo non valet responsio Authorum oppositæ sententiæ*, quod posito vtroque extremo referibili in relationibus intrinsecis, v. g. duplici albo non potest relatio impediri, posito autem vtroque extremo in relationibus extrinsecis, v. g. agente & patiente non statim sequitur relatio. In hoc enim non est æqua comparatio, quia cum ponitur duplex album ponuntur extrema remota, & proxima relationis, nam ponitur etiam identitas, seu conuenientia, quæ est proximum fundamentum. At vero agens, & patiens etiam applicata solum sunt extrema remota, proxima enim ratio denominandi agens est positio effectus (sine isto enim non datur terminus, & consequenter, nec actio) non sola applicatio passi; posito autem effectu non est impedibilis denominatio illa.

Quod verò non sint formaliter relationes, ista prædicamenta, sed modi illi relicti ex aliqua adiacentia rei extrinseca, pat. Quia nullum eorum formaliter consistit in *Ad* vt *Ad*. Nam *actio* est ab alio; vt emanatio. *Passio* in aliquo vt immutatio. *Vbi* in loco absolute. *Situs* in loco cum dispositione partium. *Quando* in tempore, *habitus* in vestitu, ex adiacentia vestis: nullus ergo formaliter respicit purum terminum in ratione *Ad*, quod essentialiter petit relatio, siuè intrinsecus, siue extrinsecus adueniat, sed sed solum ab aliquo extrinseco dependeat in denominando, ratione cuius non sunt omnino absoluti modi, licet à termino absoluti sint.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur authoritate D. Thom. 3. Phys. lect. 5. Vbi affirmat quod hæc vltima lex prædicamenta sumuntur ex modo prædicandi extrinseco, & sic prosequitur isti ostendendo quod sunt extrinsecæ denominationes. Et eodem modo loquitur 5. Metaph. lect. 9. in collectione prædicamentorum. Similiter docet modum localem terminari ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum, vt 1. part. qu. 110. art. 3. ergo contra D. Thom. negatur quod sint denominationes extrinsecæ. *Confirmat.* Quia id quod formaliter denominat in his prædicamentis est aliquid extrinsecum, licet applicatio eius ponat aliquem modum extrinsecum, non qui sit forma, sed

qui ſit applicatio formæ: aliàs non ſaluatur D. Th. quando dicit hæc non denominare intrinſecè, nec acquiri aliquid intrinſecum, quando illa acquiruntur. Et conſtat quod locus in vbi,& tempus in quando concurrunt ad iſtas denominationes, non effectiuè, nec in alio genere cauſæ, quam formalis, ergo ſimpliciter eſt, extrinſeca denominatio, quia quod extrinſeca ſit, non ex applicatione, ſed ex forma ſumendum eſt.

Reſpond. D. Thom. loqui iuxta diſtinctionem ſupra poſitam, de eo quod extrinſecè denominat mediante modo aliquo, ſeu immutatione intrinſeca, non purè extrinſecè, vt diximus hæc prædicamenta denominare. Et ſimiliter docet motum localem acquirere aliquid extrinſecum, ad differentiam motus alterationis, & augmentationis, qui producunt aliquam formam purè intrinſecè denominantem, motus autem localis acquirit locum, qui ſine extrinſeco non intelligitur, nec denominat, licet vbi intrinſecum relinquat.

Et ad confirm. Reſpond. Quod forma denominans non eſt ſolum forma extrinſeca, vt extrinſecè manet, ſed vt relinquit ex ſua adiacentia exteriori aliquam mutationem in re, quæ non eſt ſola applicatio, & conditio, ſed ratio denominandi cum ordine, & dependentia eſſentiali ab extrinſeco concurrente ad ipſam denominationem. Itaque ſi forma mediante inhærentia informat, reſultat forma intrinſeca in ratione informandi. Si mediante aliquo modo, qui non ſit inhærentia, ſed mutatio ex adiacentia relicta, eſt forma non purè intrinſecè denominans, nec purè etiam extrinſecè ſed res extrinſeca mediante immutatione intrinſeca, quæ eſt ratio denominans. Si vero denominat omni inhærentia,& modo immutandi ſublato, eſt purè extrinſeca denominatio, ſicut viſio denominat rem viſam.

Secundò arguitur. Iſta ſex vltima prædicamenta, quantum, ad intrinſecam ſui rationem dicunt reſpectum ad aliquid extrinſecum vt exiſtens, ita quod ablata eius exiſtentia tollitur denominatio, ſicut ablato effectu tollitur actio, & ablato loco, & veſte tollitur vbi,& habitus: ergo non ſunt relationes tranſcendentales, quia dependent ab exiſtentia termini, nec res omnino abſolutæ, quia dependent ab aliquo extrinſeco.

Confirm. Nam ſi ſunt entitates abſolutæ, neceſſario habent eſſe per actionem, quando de nouo fiunt, & ſic ad actionem daretur actio; imò non eſſet aſſignabile ſubiectum actionis, & paſſionis, quia ſi eſſet actio in agente, mutaretur agens ſecundum formam abſolutam ad agendum, & paſſum non poſſet immediatè pati à forma, verbi gratia, qualitate, vel quantitate, ſed immediate pateretur ab illa forma abſoluta, quæ eſt paſſio.

Reſpond. Iſta prædicamenta dependere ab aliquo extrinſeco exiſtente, non vt à termino ſicut relatio ſecundum eſſe, ſed vt à principio & forma à qua originatur, vel circa quam verſatur denominatio; & iſte reſpectus eſt ſecundum dici, vel tranſcendentalis, quia licet dependeat ab exiſtentia illius extrinſeci, vt actu, exiſtenter denominet, tamen quia eſſentialiter,& per ſe à tali extrinſeco dependet, ſicut vbi à loco, actio ab effectu, &c. ideò dicitur illa relatio tranſcendentalis, & ſecundum dici. Relatio autem ſecundum eſſe non conſiſtit in hoc ſolum quod pendeat ab exiſtentia termini, vt actu exiſtat, quod aliis eſt commune, ſed quod ſit ad illum ſolum vt ad purum terminum.

Ad confirm. Reſpond. quod non eſt neceſſe ad omnem entitatem abſolutam dari per ſe actionem, quando vel eſt ipſa actio, vel aliquis modus, ſeu ratio eſſentialiter connexa, vel conſecuta ad aliquid prius, ſicut ſubſiſtentia, vnio,& alij modi; imò & propriæ paſſiones. Et tamen ad vbi datur per ſe motus localis in his prædicamentis. In opinione autem Scoti qui ponit ad relationes extrinſecas, quæ ſunt iſta prædicamenta, dari per ſe actionem manifeſtè ſequitur, quod vel ad actionem datur per ſe actio, vel actio non eſt relatio extrinſecùs adueniens, aut talis relatio non requirit actionem, præter poſitionem fundamenti,& termini.

Ad vltimam partem argumenti de ſubiecto actionis remittimus ad 3. Phyſicor. tractandam illam difficultatem, *an ſit in paſſo, vel in agente*, & ad præſens ſolum dicimus, quod cum denominatio huius prædicamenti actionis ſumatur ab effectu producto tanquam ab aliquo extrinſeco, vt D. Thom. docet in 3. Phyſicor. lect. 5. & opuſcul. 48. tractatu de actione, & ſequent. artic. videbitur, non eſt difficile intelligere, quod effectus denominat agens mediante ipſa egreſſione, quæ relinquit ipſum agens determinatum, & quaſi applicatum non ad agendum per modum virtutis, ſed in actu ſecundo agens, ſicut locus mediante vbi relinquit locatum ſibi ſubiectum, & ſimiliter paſſio eſt modus quo ipſa forma inhærens, vt procedens ab agente, immutat paſſum non mediante alia forma, ſed mediante alio modo formæ. Et ſic quantitas, vel qualitas in ratione formæ immediatè recipiuntur, licet conſequatur aliquid in ratione modi.

ARTICVLVS II.

Quid ſit actio & paſſio prædicamentalis?

FErè omnia quæ de quidditate actionis, & paſſionis diſputari poſſunt in 3. Phyſ. tractanda ſunt de ſubiecto actionis, de diſtinctione tranſeuntis, & immanentis, & de ſpecificatione actionis à termino, vel à principio. In præſenti autem ſolum oportet videre quomodo conſtituatur hoc prædicamentum in quantum ab aliquo extrinſeco dependet in ſui denominatione?

Eſt ergo ſupponendum, quod præter ſuppoſitum operans, & principium, ſeu potentiam operatiuam; in ipſo exitu, ſeu proceſſu effectus à cauſa,& inuenitur effectus procedens, & motus, ſeu mutatio quæ procedit, & relatio quam effectus fundat ad cauſam & cauſa ad effectum, ſed neque effectus neque relatio ſufficiunt conſtituere cauſam in actu agentem, ſed vlterius requiritur, quædam formalitas, quæ dicitur actus ſecundus, qui & cauſam ipſam reſpicit vt ab illa, & terminum, ſeu effectum, vt ad illum, non reſpiciendo tantum, ſed immutando, vel producendo vnde non abſoluitur ab aliquo extrinſeco. Et hæc dicitur cauſalitas efficientis. Non enim ſufficit effectus, quia hic eſt ipſe cauſatus in facto eſſe, non ratio cauſandi. Non motus, quia hic eſt ipſe effectus in fieri, & ſicut effectus in facto eſſe non eſt ratio cauſandi; ita neque inferiori. Vnde motus ſub conceptu motus eſt poſt prædicamentum, & denominat rem motam, non agentem, quod fit ab hoc prædicamento. Nec denique eſt relatio, quia hæc fundatur in actione,& effectu producto,& ſic ſupponit actionem. Reſtat ergo quod ſit actus ille ſecundus, quo cauſa eſt actu cauſans.

Vt autem aduertit S. Thom. op. 48. c. 1. de actione, actus ſecundus poteſt comparari ad primum vel ſecundum habitudinem habendi formam, vel ſecundum

dum habitudinem transeundi, seu emittendi ex se formam quod fit per actionem transeuntem, v.g. calere est idem, quod habere calorem in actu, existere idem quod habere existentiam calefacere verò est idem quod producere calorem. Actus autem secundus vt emittens prout emittens, seu producens, est quod pertinet specialiter ad hoc prædicamentum, vt ibi S.Thom. dicit. nam actus secundus habendi pertinet ad quamcumque formam quæ dat esse formaliter. Et dico *producens*, siue de nouo res fiat in esse siue de nouo vniatur, aut quouis modo immutetur, licet de nouo non fiat.

Ex quo sequuntur duo circa actionem, & alia duo circa passionem. *Sequitur* 1. circa actionem quod licet actio egrediatur ab agente, & dicat rationem *Ad*, tamen non denominatur agens in vi egressionis actionis, sed in vi egressionis effectus, qui mediante actione egreditur, quamdiu enim effectus non egreditur, actio sola non denominat agens, id est, producens, debet enim aliquid producere, ita quod sine extrinseco à quo denominatio agentis deriuetur, actus secundus non denominat in genere actionis, & sic in Deo actio non egreditur à potentia, sed effectus, vt docet S. Thom. 1. p.q. 25. art. 1. actus autem secundus idem est cum potentia, & tamen non denominatur Deus agens nisi quando effectus producitur. Et quia effectus ipse vt procedens, siue in se subsistat siue in passo inhæreat extrinsecum quid est agenti, ideo dicitur fieri ista denominatio agendi ab aliquo extrinseco vt dicit D. Thom. opusc. 48. cit. & 3 Physic. lect. 5. & Author sex principiorum definit actionem *Quod sit forma, seu actus secundum quem in id quod subijcitur* (id est in passum) *denominatur agere*. Ipsa autem egressio effectus ab agente, relinquit in agente sufficientem determinationem, & modum, seu applicationem, qua fit talis denominatio ex effectu producto. *Sequitur* 2. quod actio immanens, vt immanens non est actio formaliter huius prædicamenti, sed virtualiter, quatenus virtualiter importat productionem, quod tamen non conuenit omni actioni immanenti, saluatur enim intelligere sine productione, vt intelligere diuinum non prout in Patre; & in nobis contemplatio post formatum verbum: & visus, vel tactus alijque exteriores sensus intra se non producunt terminum, idemque probabiliter dicitur de visione beata. Sed de his dicemus *in libris de anima*, & videri potest D. Thom. opusc. 48. cit. c. 1. de act. vbi hoc apertè dicit, & 1 p. quæst. 34. artic. 1. & 3. inquit: *Quod intelligere, vt distinguitur à dicere, quod est producere Verbum, solum importat habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ*: Ergo si importat actum secum per modum informantis, & habentis in actu, non per modum originantis aliquid, & emittentis, consequenter ex vi conceptus proprij formalissimè non est actio huius prædicamenti, sed actus secundus, quo redditur potentia in actu secundo cognoscens; ideóque assimilatur à D. Thom. intelligere ipsi existentiæ, seu esse, 1. p.q. 54. art. 4. & sic directe isti actus sunt qualitates per modum dispositionis. Quia tamen etiam actui immanenti conuenit producere aliquando, dicitur virtualiter actio sicut cum per intelligere producitur Verbum, in quantum est quoddam dicere.

De actionibus autem, quæ dicuntur simplices emanationes diximus in quæst. 11. de proprio, & inf. statim dicemus quod actiones non sunt, sed connexiones inter essentiam, & proprias passiones, vel dependentia aliqua per modum connexionis, actio enim, quæ est ipsa egressio effectus dependens ab agente dicitur emanare non fieri, proprietates etiam fiunt per actionem generatiuam substantiæ, inquantum vero connectuntur cum substantia, dicuntur ab illa emanare.

Circa passionem. Sequitur primò, quod passio opposito modo se habet ad actionem; denominat enim passum non vt præcisè est receptio formæ, sic enim purè intrinsecè denominaret, sed vt est in passo ex illatione agentis, vt producentis ex præsupposito subiecto; à receptione enim formæ, quasi innata (sicut cum recipitur in natura propria passio) non dicitur pati subiectum, sed à receptione illata ab agente, & ideo definitur passio à D. Thom. opusc. 48. citato quod *est effectus, illatioque actionis*. Vel vt alij definiunt *est forma, qua media passum recipit aliquid ab agente*.

Sequitur secundò qua ratione dicantur actio, & passio identificari cum motu entitatiuè. Quod negant aliqui ex discipulis Scoti; sed apertè asseritur à D. Thom. opusc. 47. cit. cap. 1. de actione, & c. 1. de passione, & dicetur plenius in 4. Physicor. Motus enim dicitur actus entis in potentia, id est forma, seu effectus prout in fluxu, seu mutari, & fieri de vno ad aliud. Vnde necessario constat duplici formalitate, scilicet ab aliquo, & in aliquo, est enim omnis motus ab agente, & est in patiente, seu recipiente, Vnde non potest intelligi motus sine ista duplici formalitate actionis vt ab aliquo, & passionis vt in aliquo.

Quomodo autem si sunt vna, & eadem res dicatur passio effectus actionis? Resp. S. Th. c. 1. de passione cit. *Quod effectus potest dupliciter dici, vno modo propriè, quando aliquid causatur, vel causatum est ab aliquo, & isto modo passio non est effectus actionis: alio modo quia quando vtrumque fit, ita fiunt simul quod vnum necessaria connexione intelligitur esse post aliud, & sic vnum quodam modo dicitur esse causa efficiens respectu secundi, vt in tract. de proprio dictum est.* Quæ doctrina optimè confirmat, quæ diximus de emanatione, quæ propriè non est actio respectu essentiæ, sed connexio non solum vnius cum alio, sicut prædicata quidditatiua, sed vnius post aliud, sic enim est connexio sequelæ seu emanationis. Et hoc modo passio est effectus actionis.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

OBijcies. Actio & passio conueniunt in aliquo communi vniuoco, scilicet in ratione motus, seu viæ: ergo non sunt prædicamenta diuersa, hæc enim in nullo vniuoco conueniunt. *Nec potest dici* quod conueniunt identicè, & physicè, non in aliquo superiori prædicabili. *Contra enim est*, quia ea, quæ sunt idem realiter non possunt diuersa prædicamenta constituere, quia prædicamenta sunt primo diuersa: ergo in nullo conueniunt. Et multo minus tanta conuenientia, quod identificentur entitatiuè.

Respond. Quod multi hærent in conuenientia istorum duorum prædicamentorum, in illa superiori ratione viæ, & tendentiæ. *Aliqui enim volunt* conuenire in illa tanquam in quodam transcendentali. *Alij* quod est ratio communis; vniuoca, quia non reputant inconueniens, quod aliquid superius possit esse vniuocum duplici prædicamento. *Sed melius Respondet. solutione data*, quod motus non est prædicatum commune per modum gradus superioris, sed per modum postprædicamenti. Numeratur enim in illis, & ita motus est communis per identitatem, & in re, non per vniuersalitatem,

& rationem Et *ad replicam dicitur*, quod bene potest aliqua formalitas identificari cum aliquo, à quo distinguitur prædicamento, sicut modus cum suo subiecto, vt sessio, cum sedente, vbi cum re locata, & tamen modus est in vno prædicamento, & res in alio; sufficit enim ad diuersa prædicamenta, quod formaliter, & quidditatiue sint primo diuersa, licet materialiter, & entitatiue sint idem.

Secundò arguitur contra definitionem actionis traditam, quod sit *forma qua in subiectam rem agere dicimur*, tum quia creatio est vera actio, & non ex præsupposito subiecto, tum quia id secundum quod vel quo agere dicimur est principium agendi, causalitas autem, seu actio non est principium agendi *Confirm.* Actio est quid incompletum in quantum actio; ergo non constituit prædicamentum. *Antec. prob.* quia vt actio est, & à passione distinguitur non inhærent, inhærentia autem complet accidens sicut subsistentia substantiam, ergo.

Respond. ad 1. prob. quod creatio actiua non est actio huius prædicamenti, cum sit ipsa substantia & potentia Dei cum respectu rationis ad creaturas, & reali dependentia creaturarum à Deo, nec enim actio procedit à Deo, vt diximus sed effectus, est enim de se ipsa potentia actus purus, & vltimus. Creatio autem passiua, id est processio creaturæ non est actio, sed effectus actionis, id est dependentia termini à Deo cum nouitate essendi. *Ad 2. prob. dicitur*, quod actio non dicitur secundum quam dicimur agere tanquam principium, sed tanquam causalitas, & ratio procedendi, nec enim à solo principio, sed etiam ab ipso actu secundo, & causalitate, imò ab hoc solo denominamur agentes in actu.

Ad confirm. Respond. Quod actio etiam inhæret, licet vt actio non significetur inhærens sicut expresse docet D. Th. 7. de potent. artic 9. ad 7. & in 1. dist. 32. quæst. 1. artic. 1. Vnde aliud est quod actio non inhæreat absolutè; hoc enim esset excludere ab illa rationem accidentis: aliud quod in quantum actio non explicet inhæsionem quia consideratur vt ab alio, licet ibi includat esse in alio; sicut relatio sub conceptu *Ad* non explicat *In* licet includat. *Sed dices* Relatio licet in ratione *Ad* non explicet inhærentiam; tamen nec etiam constituit prædicamentum distinctum secundum rationem *Ad* ab ipsa ratione *In*. At verò actio sub ipsa ratione *Ab* constituit distinctum prædicamentnm ab ipsa passione, quæ dicit ipsam rationem *In*: ergo remanet eadem difficultas, quomodo actio sit accidens completum vt constituit distinctum prædicamentum si non dicit rationem *In*.

Resp. Quod passio non consistit in inhærentia ipsius actionis, sed in receptione effectus, quæ est forma à qua fit passio secundum quod est ab agente, ipse autem modus, qui est actio se ipso est inhærens, quia se ipso identificatur cum motu, & non rations passionis, licet non significetur vt inhærens.

Restabat agere de termino actionis quantum ad formalitatem eius: in quo vel considerantur conditiones actionis generales, v.g. quod sit terminus productus, eductus, inductus, transmutatus, de quibus aliqui disputant quænam ex illis conditionibus constituat terminum in ratione termini. Aliæ vero sunt rationes speciales specificantes actiones, vt quod sit ad qualitatem, vel ad locum, vel consideretur aliqua formalitas in modo acquirendi, vt quod idem locus acquiratur per ascensum, vel descensum: de quibus, quia inuoluunt difficultatem de specificatione in 3. Phys. & in libr. de anima agendum est.

COORDINATIO PRÆDICAMENTI
ACTIONIS ET PASSIONIS.

ACTIO genus generalißimum primò diuiditur in transeuntem & immanentem iuxta opinionem, quod immanens propriè sit actio. Immanens in cognoscitiuam, & volitiuam. Et vtraque in corporalem, & spiritualem, Corporalis cognoscitiua in actiones sensuum internorum & externorum. Spiritualis cognoscitiua in intellectualem, qualis est in Angelo, discursiuam qualis est in nobis, supernaturalem, vt visio beata. Et quælibet istarum varias species iuxta diuersa obiecta. Appetitiua corporea in varias paßiones. Appetitiua spiritualis in varias species actuum naturalium, & supernaturalium, & quilibet illorum iuxta diuersa obiecta in varias species.

Actio *transiens videtur primo diuidenda in artificialem, & naturalem. Artificialis per infinitas species artis, vt ædificare, pingere, &c. Naturalis in substantialem, & accidentalem: substantialis est generatiua, quæ per diuersos terminos suæ productionis variatur. Accidentalis in augmentationem, alterationem, & motum localem, & vnaquæque in varias species athomas, vt motus localis in circularem, & directum &c. Alteratio in intensionem, remißionem &c.*

In prædicamento paßionis eædem species ponendæ sunt, quæ in actione productiua ex subiecto pertinet. In præsenti ergo solum duo explicanda sunt, *Primum* An Vbi sit modus intrinsecus, vel extrinsecus rei locatæ. *Alterum*, circa species Vbi, quæ pertinent ad hoc prædicamentum.

ARTICVLVS II.

Quid sit prædicamentum Vbi, & Situs?

ETiam difficultates quæ pertinent ad locum, non sunt præsentis tractatus, sed ad *quartum Physic.*

Circa primum Aliqui distinguunt duplex Vbi, alterum intrinsecum, quod est ipsa præsentia rei independens ab omni ambiente extrinseco; quam acquirit motus localis, alterum extrinsecum, quod est ipse

locus

locus ambiens, & acquiritur etiam per motum localem, sed secundario, & mediate, potest enim saluari sine ipso, de quo vide Conimb. supr. cap. 9. prædicam. quæst. 2. artic. 1. & Suarez disput. 51. Met. sect. 1. *Præcipuum fundamentum* deducitur ex ipso motu locali facto in vacuo, vel extra cœlum, suppono enim posse moueri corpus in vacuo, nam de corpore Christi docet Sanct. Thom. 3. part. quæstione 51. articul. 4. & quodlibet. 6. articul. 3. quod est supra totam continentiam cœlestium corporum, ita quod non continetur à loco. Ad hoc autem necesse fuit quod ascensione & motu suo, saltem aliquæ partes corporis Christi extra vltimam superficiem cœli mouerentur, ita vt solum pedibus tangat illam superficiem, reliquum verò corpus sit extra locum, & sic caput & brachia per motum extra omnia loca mundi posita sunt, sed ille motus capitis, & aliorum membrorum acquisiuit aliquem terminum, quia est actio, & non ab extrinseco ambiente dependentem: ergo intrinsecum & hoc est Vbi: quia omnis terminus motus localis est Vbi. Idem prorsus argumentum fit de vltimo corpore mundi, quod est in loco, & habet Vbi, siquidem est alicubi, & tamen nullo extrinseco circunscribitur: ergo datur Vbi non proueniens ab extrinseco circundante.

Et ex hoc pendet secunda difficultas. nam si Vbi est præsentia intrinseca, à nullo extrinseco proueniens non est cur Angelo negetur huiusmodi intrinseca præsentia, & sic pertinebit ad hoc prædicamentum, quod tamen non esset, vbi huius prædicamenti solum esset illud, quod pendet à circunscribente, quia Angelus non est circumscriptiuè in loco, sed continet locum, sicut anima nostra corpus suum.

Ad istas difficultates non possumus plene respondere in præsenti, quia multa tangunt ex libris Physicorum, & ex materia de Angelis. *Sufficit aduertere nunc* quod præsentia loci duo includit. Vnum quod pertinet ad distantiam, vel indistantiam, aliud quod pertinet ad continentiam passiuam vel actiuam, nam si duo homines sint propinqui, habent rationem indistantiæ vnius ad alterum, & habent contineri à superficie ambiente. Quod si aër ambiens remoueatur alio corpore non succedente, illi homines manebunt indistantes sicut ante, quia nec appropinquauerunt magis nec recesserunt, nec tamen contenti loco manebunt. Si autem moueantur poterunt acquirere maiorem distantiam, vel propinquitatem, quam ante habebant, licet non acquirant circunscriptionem, & continentiam. Et hæc distantia, vel propinquitas formaliter est relatio, sed fundamentaliter est aliquis modus vel positio, aut determinatio istius corporis erga aliud ratione cuius aliter, atque aliter se habet erga illud, fundatque diuersam relationem distantiæ. Quod à posteriori colligitur, quia inter duo corpora in vacuo potest esse distantia, vel propinquitas: hæc autem relatio non potest fundari in sola substantia corporis, ergo in aliqua noua determinatione ergo aliud corpus, seu modo, & positione. Et hunc modum seu determinationem acquirit motus localis, Vnde dicit S. Thom. opuscul. 52. circa finem: *Quod motus localis non solum est in loco, sed circa locum.* In loco autem acquirit circunscriptionem, sed circa locum non potest acquirere circumscriptionem sed distantiam, vel propinquitatem diuersam. Ergo remoto loco adhuc circa locum, vel circa aliud corpus moueri potest.

Quod si dicas, si ablata tota machina vniuersi, sicut ante primam creationem lapis crearetur, & moueretur, quid acquireret, si aliquid omnino intrinsecum non acquireret; *Respond. probabilius videri*, quod illud corpus nullatenus moueretur, quia nec in loco, nec circa locum, nec penes distantiam, aut propinquitatem erga aliud, quia non est aliud, circa quod ista exerceantur positiuè, negatiua autem distantia, vel indistantia, quæ purè negatiua est, non potest positiuum motum terminare. Et sic defectu materiæ, & per accidens corpus illud esset immobile, sicut si ignis ibi poneretur, non calefaceret, quia materia deesset. Neque tunc haberet, vel acquireret Vbi definitiuum, quia licet non esset vbique, sicque negatiuè esset definitum, non tamen esset in aliqua parte determinatè, quia nulla tunc daretur pars in qua esset, Vbi autem definitiuum si positiuum est determinatam partem debet occupare cum negatione vbiquitatis. *Et declaratur hoc* ex alio principio, quia motus solum inuenitur per se inter terminos contrarios, vt dicitur 11. Metaphysic. lect. 12. apud D. Thom. qui addit contrarietatem secundum locum esse plurimam distantiam secundum rectam lineam, tunc autem nulla esset contrarietas inter terminos motus, quia omnia essent nihil, ergo non esset motus.

Ex dictis colligitur non posse dari aliquam præsentiam, quæ sit omnino intrinsecus modus absolutus ab omni extrinseco, siue ambiente siue distanti, vel propinquo. *Patet* quia talis modus solum est ad se, siquidem non est aliud extra se, vt autem aliquid sibi ipsi sit præsens, sufficit existentia, qua est in rerum natura, nec enim effectum alium addere potest præsentia ad se præter existentiam: hæc autem per productionem habetur, non per motum.

Sequitur 2. quod vbi consideratum completè & adæquatè non dicit solum modum distantiæ, vel propinquitatis, sed etiam circunscriptionis, & continentiæ in loco. Sumitur ex D. Thom. opuscul. 48. cap. 1. *de Vbi & 11.* Metaph. lect. 12. vbi inquit: *Vbi nihil aliud significare quàm esse in loco, & moueri secundum locum nihil aliud est, quàm moueri secundum Vbi.* Vnde & vltima sphæra dicitur non esse in loco secundum se totam, quia caret continenti exteriori, vt dicit in 4. Physic. lect. 7. & opusc. 52. *Ratio autem* huius potest aliqualiter sumi ex eo, quod connaturali modo nulla distantia, vel propinquitas quæritur propter se, sed vt res contineatur in aliquo, in quo conseruetur, vel fugiat contrarium, aut aliquid conueniens acquirat, quod totum intendit motus localis, videmus enim motum localem à natura dari grauibus, vt conseruatiuum locum quærant, animalibus vt conuenientia appetitus acquirant, vel nociua fugiant, ordinatur ergo in motu locali acquisitio distantiæ, vel præsentiæ ad continentiam loci, sicut etiam motus violentus ad oppositum ordinatur. Cum ergo totum quod acquirit motus localis sit Vbi, non autem præcisè distantiam, liquet quod vbi principaliter, & completè dicit continentiam, & circumscriptionem in loco, supponendo tamen distantiam, vel indistantiam, quæ ad circumscriptionem præcipuè ordinatur, & ideo vbi prædicamentale per circumscriptionem definitum est ab Authore sex principiorum, scilicet *Circumscriptio passiua locati ab actiua circumscriptionem loci proueniens.* Et sicut non potest dici quis vestitus nisi à veste, sic nec vbicatus nisi à loco circundante. Si verò motus localis detur in vacuo, erit imperfectus, & secundum quid, acquiretque non Vbi simpliciter, sed modum distantiæ, vel præsentiæ quæ requiritur ad Vbi, vel si nullum corpus sit cui præsens sit vel distans, nihil acquiret.

Sequitur 3. quid dicendum sit de Vbi definitiuo spirituali, quid de sacramentali, & de præsentia substantiæ denudata quantitate. Dicitur enim Vbi definitiuum

tiuum iuxta. S. Thom. opuscul. 48. cap. 1. *de Vbi* quod non est vbique, sed determinatam partem habet suæ præsentiæ, quasi ad certum terminum finiatur. Et in hac generalitate etiam conuenit corporibus definitiuum Vbi, id est, certæ ac determinatæ partis, sed applicatur spiritualibus rebus, quia caremus nomine proprio præsentiæ spiritualis. Non tamen conuenit Vbi definitiuum corpori Christi in Sacramento, vt malè aliqui putant, quia licet non sit vbique corpus Christi, non tamen ex vi illius definitur ad certam partem, non enim ita est in his speciebus panis, quòd non possit esse in aliis, licet secundum quid definitum dici possit, quia non in alio quàm in speciebus panis esse potest. Vnde non vocatur definitiuum Vbi, sed sacramentale. Denique substantia spoliata quātitate, caret Vbi, quia caret positiua præsentia loci, quia nec continet locum, nec à loco continetur, nisi radicaliter, & virtualiter de quo plura diximus quæst. 16.

Est tamen difficultas, Vbi Angelicum, quod est continentia actiua loci, & Vbi sacramentale, quod est præsentia corporis indiuisibili modo, conueniant cum Vbi circumscriptiuo in hoc prædicamento Vbi; Certè D. Thom. reiicit vbi Angelorum ab hoc prædicamento opuscul. 48. cap. 1. & 1. part. quæstion. 52. articul. 1. & 2. docet Angelum æquiuocè esse in loco cum corpore. Et quidem rectè, nam vbi non est sola præsentia vt sic, quia hæc formaliter est relatio atque ad alterum prædicamentum pertinet, fundamentum autem præsentiæ non semper facit Vbi, est enim multiplex præsentia, sicut, & multiplex vnio, est enim præsentia obiectiua sicut obiectum est præsens Angelo hoc ipso quod existit, licet sit distans, est etiam præsentia informatiua, sicut anima in corpore, quæ in ratione informandi non fundat Vbi, & vestis est præsens corpori quod vestit, & prout sic non fundat Vbi, sed habitum quod est aliud prædicamentum. Angelus autem non fundat præsentiam localem, nisi in ratione agentis, & operantis, ideoque nec loco continetur, sed locum continet, ita quod sicut anima est corpori præsens informando, ita Angelus agendo, & per applicationem virtutis dicitur esse applicatus loco. Ergo sicut informatio, & applicatio animæ ad corpus non fundat præsentiam quæ sit Vbi, & huius prædicamenti, ita nec Angeli virtus applicata, fundat præsentiam quæ sit Vbi, sed quæ sit præsentia actionis. Nec etiam Angelus est propriè distans, cum non sit quantus, nec magnitudine spatij sit mensurabilis, ita vt ab illo ad corpus possit sumi aliqua mensura distantiæ, ergo nullo modo eius præsentia pertinet ad Vbi huius prædicamenti. Sed hæc ad Theologos remittimus, non enim huius loci sunt. Similiter præsentia illa sacramentalis corporis Christi, alterius rationis est ab Vbi, quia non potest acquiri per motum localem immediatè, & per se, sed solum mediantibus speciebus, quibus alligatum est, per accidens mouetur, motu totaliter subiectato in speciebus, sicut in homine motus corporis non subiectatur in anima per se, sed in toto ratione corporis, & per accidens in anima. Vnde remotis speciebus non magis habet Vbi corpus Christi, quam substantia denudata quantitate, ideo illa præsentia est alterius rationis, de quo in materia de Eucharistia.

Si quæras. An quodlibet accidens habeat suum Vbi distinctum à substantia? *Respond*. Quod sicut omnia quantificantur eadem quantitate, ita eodem Vbi vbicantur; continentur enim sub eodem spatio, & loco, & sic, sicut extenduntur in ordine ad locum eadem quantitate, ita eodem Vbi totius, commensurantur loco. Nec obstat, quod facta consecratione panis, quantitas manet in loco, & non substantia: *Respondetur enim*, Quod sicut quantitas manet commensurata loco eadem extensione, qua antea; licet non afficiendo substantiam, sicut antea, sed per se sustentata à Deo, ita manet Vbi dimensiuum, quod media quantitate inhærebat substantiæ, solam afficiens quantitatem, & etiam alia accidentia, quæ sunt in quantitate.

Ad rationes dubitandi à principio constat ex dictis, quid acquiratur per motum in vacuo, & quomodo vltimum corpus sit in loco.

Circa Prædicamentum Situs, *Aduertenda est eius definitio* ex Authore sex principiorum apud Diu. Thom. opuscul. 48. capit. 1. de Situ; & 1. 2. quæstion. 49. art. 1. ad 3. *Quod est positio seu ordinatio partium in loco*; sicut sedere, stare, cubare, &c. ordinantur enim partes comparatiuè ad locum per situm formaliter, sicut per quantitatem ordinantur in toto. Quomodò autē distinguatur ab Vbi, variant Authores. Quidam sola ratione distinguunt forte, quia situs est ordo partium in loco, qui non videtur addere supra esse in loco, nisi solam existentiam in loco ordinatam, quod substantialiter est ipsum Vbi.

Sed oppositum efficacius probatur. Tum ex generali ratione, quia diuersa prædicamenta non possunt sola ratione distingui: alioquin non essent primo diuersæ ordinationes, & quidditates rerum. *Tum specialiter*, quia potest situs manere inuariatus variato Vbi, sicut in eo qui sedens, vel stans portatur sine variatione sessionis mutando diuersa loca, & similiter toto loco inuariato potest secundum partes variari Situs, sicut in eodem loco potest quis sedere, aut stare, aut cubare; ex hoc enim sumit D. Thom. diuersitatem huius prædicamenti, à prædicamento Vbi: in opuscul. 48. capit. 1. de Situ. Videatur etiam 4. Physic. lect. 7. vbi ostendit, quod ad situm non est per se motus, quia eius species indiuisibiles sunt, quodlibet enim addito, vel substracto variatur species, sicut etiam fit in figuris. Vnde ferè eodem modo se habent species in situ, atque in figura, cum situs se habeat, vt figura externa corporis, sed quia sumitur per comparationem ad locum, qui aliquid extrinsecum est, ideò denominatio huius prædicamenti non est purè intrinseca, sicut figura.

COORDINATIO PRÆDICAMENTI VBI.

Genvs supremum, quod est Vbi, diuiditur ab aliquibus in tres species, scilicet circumscriptiuum, definitiuum, & supernaturale, seu sacramentale. Sacramentalis Vbi solum cognoscimus vnam speciem, scilicet præsentiam corporis Christi in Sacramento. Definitiuum, Vbi est præsentia spirituum creatorum in loco, quæ secundum diuersos modos operandi in loco poterit variari. Sed iam diximus Vbi Angelicum non pertinere ad hoc prædicamentum: est enim præsentia virtutis, non præsentia locati, & vbicati. Si quæ tamen diuisio illi conuenit, potest esse in vbi actiuum, quo est in loco operando, & passiuum, quo est in loco per alligationem.

Vbi circumscriptiuum probabile est esse infimam speciem, quia esse Romæ, aut Compluti non variat formalitatem loci, sed materialem distantiam. Vnde nec motus locales, quemcunque locum variando, distinguuntur specie. Si quis autem ponat esse speciem subalternam tot species loci debet ponere, quot sunt distantiæ.

IN PRÆDICAMENTO SITVS.

Ponit Albertus sub genere supremo duas species subalternas; scilicet poni rectè, vel inflexè Sub positione inflexa continentur infinitæ species, vt sessionis, cubationis, genuflexionis, &c. ponitur etiam asperum & lene, secundum quòd dicunt æqualitatem partium.

ARTICVLVS IV.

Quid sit prædicamentum Quando & Habitus?

QVIDAM sumunt prædicamentum *Quando* pro quacunque duratione intrinseca; eadem ratione, qua ponunt vbi esse præsentiam intrinsecam: & præterea, quia duratio est aliquid reale, & realiter denominans: ergo pertinere debet ad aliquod prædicamentum, & non ad aliud, quam ad istud; denominat autem intrinsece, sicut & existentia, quia duratio est continuatio existentiæ. Ita P. Suarez disp. 50. Met. sect. 12.

Hæc sententia nullo modo est admittenda ex ipsismet eius principiis, nam duratio intrinseca rei non est aliud, quàm continuatio existentiæ: ergo non est aliud distinctum ab existentia, aliàs non esset continuatio, & perseuerantia eiusdem, sed successio. Existentia autem non constituit prædicamentum per se distinctum à re, quæ existit in opinione quidem Authorum oppositorum, quia dicunt existentiam non distingui realiter à re producta, & reali quidditate, in nostra autem sententia, licet existentia distinguatur à re existente, tamen reducitur ad prædicamentum rei existentis, sicut subsistentia ad substantiam, eo quod existentia per se non constituit quidditatem, sed tantum quidditates constitutas ponit extra causas, & sic distinguitur vna existentia ab alia per speciem rei, cuius est existentia: nam habet in omnibus eundem effectum formalem, scilicet ponere extra causas. *Nec valet dicere*, quod duratio non est accidens metaphysicè distinctum à re durante, sed accidentaliter de ea prædicari, & hoc sufficit vt sit distinctum prædicamentum. Sed certe si hoc ita esset, etiam existentia esset distinctum prædicamentum, quia accidentaliter prædicabiliter dicitur de creaturis. Et præterea confunditur omnis ordo prædicamentorum; alius enim est ordo accidentis prædicabilis, alius prædicamentalis, potest enim substantia prædicari accidentaliter prædicabiliter, vt vas est ligneum, est aureum, animal est equus, non tamen est accidens prædicamentale.

Quare dicendum est, quod hoc prædicamentum non sumitur pro duratione intrinseca rei quæ durat, sed pro durationis mensuratione, & sic solum constituitur respectu durationis mensurantis non informantis, illa enim mensuratio, qua aliquid dicitur esse in tempore denominationem huius prædicamenti ponit, ideóque definitur, Quando, *Quod est id quod ex adiacentia temporis relinquitur*, id est, ex mensuratione, vt S. Thom. explicat opusc. 48. c. de Quando. Vnde nec ipsum tempus, vt est intrinseca duratio motus ponitur in hoc prædicamento, sed vt ponit adiacentiam suam in rebus tempori subiectis. Et ita perpetuo explicat rationem huius prædicamenti S. Thom. *loco cit. & in 3. Physic. lect.* 5. vbi inquit, *Quod Quando est, secundùm quod aliquid denominatur à tempore*, & idem habet in 5. Met. lect. 9. *Et ratio est*, quia licet tempus sit extrinseca mensura, tamen ea quæ subiiciuntur tempori non minus afficiuntur ab illo, quàm ea quæ subiiciuntur loco, & vesti, vt illud dicatur locatum, hoc vestitum, sed hoc sufficit constituere in eis modum, & denominationem sufficientem ad duo prædicamenta. ergo etiam illud sufficiet ad prædicamentum *Quando*. *Nec valet dicere*, quod tempus est solum coëxistens & concomitans rem, quæ est in tempore, quod magis pertinet ad relationem coexistentiæ. *Nam contra est*, quia tempus non purè concomitatur res sibi subiectas, tum quia mensura illarum est, tum quia est causa cum à cœli motu, qui in re est tempus, inferiora ista mutentur.

Sed inquires. An omnes mensuræ durationis etiam spiritualis, & supernaturalis in hoc prædicamento ponantur, an verò sola mensuratio temporis? *Respondet* Sanct. Thom. opusc. 48. cap. vltimo de Quando negatiuè, nec enim duratio inuisibilis, per se

se habet quandare, ipsasque durationes distinguere ac diuidere mensurando, ita quod secernatur distinctio vnius durationis, & moræ ab alia, quibus distinguimus quando aliquid fuit, vel est. Si autem aliquid indiuisibiliter, est præsens. non possumus ibi interrogare, quando fuit, vel erit, quia semper & eodem modo est. Seruit ergo quando pro durationibus mutabilibus. Et sicut non vbicatur loco Angelus, quia continet locum non continetur, sic non quandatur (vt sic dicam) duratione, quia est super omnem durationem per *Quando* distinguibilem.

Sed insurgit duplex difficultas. Prima ad quod prædicamentum pertineant mensurationes illæ indiuisibilium durationum. Cur enim non dicemus, quod pertinet ad hoc prædicamentum omnis mensuratio durationis, licet magis denominetur *Quando* à mensura temporis, quæ nobis est notior; *Secunda*, quomodo constituatur prædicamentum reale in mensuratione temporis, cum differentiæ temporis & diuersæ eius mensuræ non nisi per intellectum fiant, tempus enim in re est quid continuum, sicut ipse motus cœli, cum quo identificatur; mensurat autem secundum numerum & diuisionem, quæ solo intellectu fit.

Ad primum Respon. Quod mensuræ aliarum durationum indiuisibilium non relinquunt aliquid ex adiacentia sua, in inferioribus durationibus, sicut tempus in his, quæ tempore mensurantur; nam ea, quæ sunt in tempore dependent à tempore, vt à causa, quia omnia inferiora dependent à motu cœli, Et sic diuiduntur, & notantur inferiores durationes mobiles ex adiacentia temporis, quod est motus cœli, à quo deriuantur, & cui subiiciuntur; sicut etiam locus inquantum subiicit sibi locatum constituit locum, & resultat vbi. Reliquæ autem mensuræ indiuisibiles, licet vna sit vniformior altera, verbi gratia, duratio supremi Angeli, & tempus eius discretum sit vniformius durationibus inferiorum; non tamen durationes inferiores causantur à superiori, nec subiiciuntur, & continentur ab illo, sicut motus inferiores subiiciuntur motui cœli, & tempori; quia Angeli non habent motus naturales à superiorum motu causatos, sed tantum intentionales, & liberos magis, vel minus vniformes, quorum vnus potest mensurari per alium, sicut pannus per vlnam, sed non necessario ei subiicitur, & ab eo immutatur. Sola æternitas Dei, quæ non est in prædicamento, continet & causat omnes alias mensuras, sed quia indiuisibilis est, non quandat illas diuisibiliter, sed continet vniformiter sine successione, quod duratio Angelica non potest respectu inferiorum.

Ad secundum Respond. Quod licet diuisio, & numeratio temporis actualiter fiat per intellectum, fundamentaliter tamen datur in re numerabilitas, seu prius, & posterius motus. Et ita illa adiacentia temporis, quę dicitur *Quando*, relinquitur ex ipso tempore numerabili, & diuisibili fundamentaliter, licet actualis diuisio solum ab intellectu fiat.

Species huius prædicamenti statim numerabimus in eius coordinatione.

Circa prædicamentum Habitus. Definitio eius est, *quod est corporum, & ea, quæ circa corpus sunt, adiacentia.* Sicut enim ex loco adiacenti, & ambiente redditur res locata, & ex subiectione ad tempus quandata, sic ex veste circundante dicitur induta. *Vnde falsum est, quod quidam dicunt* habitum esse modum aliquem, qui est in corpore humano, quo redditur aptum, vt vestiatur, quod non conuenit aliis corporibus. Cæterum hoc non reddit hominem vestitum, sed capacem, vt vestiatur, simpliciter verò nudum. Constat autem, quod prædicamentum habitus tollit nuditatem, siquidem reddit vestitum: ergo non consistit in illo modo, qui compatitur cum nuditate actuali. Quapropter habitus ex adiacentia vestis relinquitur, sicut vbi ex loco. *Nec obstat*, quod vestis sit substantia in se; quia cum eius applicatio sit accidentalis, facit accidentalem denominationem, & accidentale prædicamentum: sicut vas dicitur aureum, vel ligneum denominatiuè; nec tamen est pura denominatio extrinseca, sed aliquid relinquit ex tali adiacentia in homine, sicut ex loco relinquitur vbi, & ita dicitur à D. Thom. habitus medium inter indumentum, & habentem indumentum. 5. Met. lect. 20. & 1. 2. quæst. 49. articul. 1. Vnde fit quòd animalia, & si tegantur pilis, vel armentur vnguibus, non denominantur ab illis vestita, quia sunt partes corporis. Si autem veste aliqua circundentur, vt equus phaleratus, vel armatus, denominantur ad hoc prædicamento, sicut Homo à veste.

Proprietates horum prædicamentorum facile videri possunt in D. Thom. opusc. 48. tractando de singulis. Ferè omnes sunt, non suscipere magis, ac minus, & non habere contrarium, præter actionem, & passionem, quæ vtrumque habet. Habitus etiam dicitur suscipere magis, ac minus non secundum intensionem, aut remissionem, sed secundum plura, vel pauciora indumenta, vt S. Thom. citato opuscul. tractat. de Habitu, capitulo 3. non tamen habet contrarium, quia non habet intensionem, & remissionem.

COORDINATIO PRÆDICAMENTI QVANDO.

QVI existimant, hoc prædicamentum esse durationem creatam, diuidunt illam in tempus, æuum, modum æui, & modum æternitatis. Tempus diuiditur in continuum, & discretum, secundum motum continuum, vel secundum operationes diuersas. Æuum conuenit rebus incorruptibilibus. Modus æui rebus instantaneis. Modus æternitatis visioni beatæ, quæ immutabilis est ex natura sua. Qui verò existimant quando solum esse adiacentiam temporis, diuidunt illud ex Aristotel. in cap. 4. de Prædicamentis iuxta differentias temporum in præsens, præteritum & futurum, & vnumquodque in varias species mensium, annorum, dierum, &c. Sicut enim quælibet vnitas variat speciem numeri, ita quælibet differentia temporis variat species Quando, quod est numerus successiuus. Quæ diuisiones solum dantur in re fundamentaliter.

COORDINATIO PRÆDICAMENTI HABITVS.

HABITVS, qui est supremum genus diuiditur à D. Thom. opusc. 48. in arma, & vestimenta. Arma in offensiua, & defensiua, quorum vnumquodque varias habet species. Vestimenta in vestimenta hominum & bestiarum. Sicut equi ornantur epiphio, fræno, armis &c. Vestimenta in varios modos induendi secundum diuersam adiacentiam, vt tunica, calceamentum, pileus, &c. Quæ species non sumuntur penes materiam, vel artem, qua fiunt vestes, sed ex diuerso modo, quo vestiunt & amictant. Reducuntur etiam ad hoc prædicamentum parietum, quæ propriè non sunt vestes.

TEXTVS POSTPRÆDICAMENTORVM.

SVMMA CAPITIS X. DE OPPOSITIS.

IN hoc cap. tria facit Aristot. Primò explicat genera oppositionum. Secundò confert illa inter se. Tertiò explicat specialiter contraria. Circa primum ponit quatuor genera oppositionum, scilicet oppositio relatiua, contraria, priuatiua, & contradictoria. Relatiua desinit, quæ id quod sunt oppositorum esse, aut aliquo alio modo ad illa dicuntur. Contraria non definit, sed explicat exemplo, vt album, & nigrum, diuiditque illa in immediata, quorum alterum necesse est inesse subiecto, vt sanitas, & ægritudo. Et mediata, quorum neutrum necesse est inesse subiecto, vt album, & nigrum. Priuatiua dicuntur habitus & priuatio. Contradictoria affirmatio, & negatio. In secunda parte probat ista opposita distingui inter se. In tertia ponit proprietates contrariorum. 1. Quod bono malum est contrarium; malo autem & bonum & malum. 2. Si datur vnum contrariorum etiam & aliud. 3. Impossibile est vtrumque contrarium eidem inesse 4. Contraria sunt circa idem subiectum. 5. Omnia contraria aut sunt in eodem genere, aut in contrariis generibus.

SVMMA CAP. XI. DE PRIORI.

REcitat quinque modos prioritatis. Primò est esse prius tempore. Secundò prius secundum subsistendi consequentiam, sicut non valet est animal, ergo est equus, sed è contra, & ita animal est prius equo. Tertiò, est prius ordine, sicut præmissæ sunt priores ordine, quàm conclusio. Quartò, prius auctoritate, vt Princeps plebeio. Quintò, prius naturâ, quod cum aliquo in consequentia reciprocatur, & tamen eius est causa, sicut contingit in sole & luce, est enim Sol prior naturâ luce, licet simul cum illa.

SVMMA CAPIT. XII. DE SIMVL.

POnit tres modos simultatis, sc. simul tempore, i. e. quorum generatio est in eodem tempore. II. simul ad conuertentiam, seu simul natura vt correlatiua, quæ conuertuntur quidem, sed vnum non est causa alterius. Tertiò, simul ordine, seu diuisione generis, vt duæ species sub eodem genere sunt simul.

CAPVT XIII. DE MOTV.

ENumerat sex species motus. Duæ primæ sunt mutationes substantiales scilicet, Generatio & corruptio. Duæ sequentes sunt motus quantitatis scilicet augmentatio & diminutio. Quarta est secundum qualitatem scilicet alteratio. Sexta locum scilicet motus localis.

CAPVT XIV. DE HABERE.

ENumerat octo modos habendi magis consuetos. 1. Habere qualitates, vt virtutes vel vitia. 2. Habere quantitatem, vt tricubitam vel bicubitam. 3 Habere circundantia nos, vt vestes. 4. Habere aliquid in membro, vt annulum in digito. 5. Habere membrum ipsum, vt manum, aut pedem. 6. Habere aliquid in vase, vt vinum, vel triticum. 7. Habere possidendo, vt agrum, domum 8. Cohabitando, vt habere vxorem.

QVÆSTIO XX.

De Postprædicamentis.

ARTICVLVS I.

Explicantur Oppositiones.

OMISSA oppositione contradictoria, de qua plura egimus in q.7. Summularum,& relatiua, de qua satis dictum est, supra qu.17. circa reliquas, breues aliquas quæstiunculas resoluemus.

Primo ergo inquires, an sit adæquata, & sufficiens ista diuisio oppositionis in illa quatuor membra posita in capit de Oppositis? *Respond. Affirmatiuè* & sufficientiam eius colligit S. Thom. 5. Met. lect. 12. Quia quod opponitur alteri, vel opponitur ratione dependentiæ, aut remotionis, quia scilicet tollit illud. Si ratione dependentiæ (id est, quia non potest esse sine illo, non quia causatur ab illo) sic sunt opposita relatiuè. Si ratione remotionis, vel vnum remouet alterum totaliter tollendo, & est oppositio contradictoria quæ est summa. Si aliquid relinquendo, vel relinquit subiectum, in quo conueniunt, sed non entitatem & genus, in quo non conueniunt, & sic est priuatio & habitus, quia eidem subiecto possunt conuenire,sed inter se vnum est carentia, alterum positio: vel conueniunt in eodem genere, & eidem subiecto,& sic sunt contraria. *Alij sic colligunt*, oppositio,vel est inter ens, & ens, vel inter ens, & non ens. Secundo modo dupliciter, vel inter ens & non ens absolutè & sic est contradictio,vel in subiecto determinato,& capaci vtriusque, & sic est priuatio. Primo modo etiam dupliciter vel inter ens & ens, quæ se mutuò expellunt, & sic sunt contraria, vel quæ se mutuò respiciunt,& sic est relatiua oppositio.

Secundò inquires, An hæc diuisio sit vniuoca, vel analoga? Resp.S.Thom. opuscul. 37. facere eam analogiam, quia contradictoria est oppositio simpliciter, cùm simpliciter tollat, quod alterum ponit, reliquæ verò oppositiones in tantum habent de oppositione in quantum participant aliquid de contradictione, scilicet de negatione alterius,licèt non ita simpliciter, sicut contradictoria; si enim non negarent,& tollerent aliquid non opponerentur. Vnde relatiua minimam oppositionem dicunt, quia ad inuicem non se tollunt, sed se respiciunt, licet diuersitatem exigant extremorum. *Alij probant*, quia oppositio conuenit rebus diuersorum prædicamentorum, & quædam opposita sunt realia, quædam rationis. Sed hoc materialiter se habet ad oppositionem. Et sæpè contingit ea, quæ in ratione entis materialiter non sunt vniuoca, esse formaliter vniuoca in ratione oppositi,vel scibilis, vel intelligibilis; aut alterius proprietatis secutæ ad ens. Quare prima probatio solidior est, & vera

Tertio inquires. Quomodo sit intelligendum in istis oppositis quædam habere medium, quædam carere medio? *Respond.* Ex D.Thom.citato opusc. 37. quod carere medio est nullo modo cõuenire, & quantò magis aliqua carent medio tantò minus conueniunt. *Medium*, inquit D. Thom. *ostendit distantiam conuenientiæ,& ideò minuit rationem oppositionis. Cum igitur in omnibus aliis oppositionibus sit inuenire medium, ideo omnes diminuunt de ratione oppositionis contradictoriæ.* Vnde sequitur, quòd quando dicimus non dari medium,est, quia hoc ita perfectè tollit illud, quod nihil relinquit de illo, nec formaliter, nec virtualiter. Et ideò posito vno extremo necesse est tolli aliud, & è contra; & sic dicuntur aliqua esse immediatè opposita. Et similiter contraria immediata sunt quorum alterum necesse est esse in subiecto, licet in ratione oppositi medium habeat contrarietas, inquantum conuenientiam aliquam habent in eodem genere, & etiam esse possunt in eodem subiecto.

Quartò inquires. In quo consistat discrimen inter oppositionem priuatiuam, & contradictoriam, cùm in vtriusque alterum extremum sit negatio, quæ totaliter tollit oppositum? *Respond.* Quod priuatio dicit ex parte vnius extremi negationem, sed aliter modificatam, quàm in contradictoria, & ideò aliam oppositionem constituit. Modificatio autem est ex parte subiecti, quòd connotat, scilic. quòd sit in subiecto apto ad formam, quâ priuat. Vnde licet formam totaliter tollat non minus, quàm contradictio, tamen, quia non tollit aptitudinem ad istam formam, sed relinquit capacitatem ad illam, ideò licet tollat formaliter totam formam, virtualiter tamen aliquid illius relinquit. Sicut etiam priuatio in fieri, id est, quæ tollit formam disponentem, & quæ se habet quasi in fieri ad vlteriorem formam, licet totaliter tollat dispositionem sibi oppositam, nunquam tamen peruenit ad tollendam formam in facto esse, scilicet ad quam tendit dispositio, sicut priuatio sanitatis,licet tollat sanitatem non tamen vitam,& peccatum, licet tollat virtutem non tamen ordinem ad bonum.

Quintò inquires. Quomodò intelligatur dictum Philosoph, quod non datur regressus à priuatione ad habitum, cum hoc inscetur in multis priuationibus, sicut à tenebris ad lucem, à quiete ad motum, ab ignorantia ad scientiam datur regressus? *Respond.* D. Thom.in 8. Metaphysic.lect.4.& opuscul. 37.cap.1. distinguere inter priuationes; quod aliquando subiectum æque immediatè est capax vtriusque, scilic. priuationis, & formæ: aliquando verò est aliquis ordo necessario seruandus in receptione formæ, & priuationis, v.g. non potest mors esse in subiecto, quod prius non vixerit, nec cæcitas in aliquo, quod prius non viderit, vel fuerit constitutum in tempore, quo sibi debebatur visus; qua ratione catulus ante nonum diem non dicitur cæcus, sed non videns,postea vero si caret visu, cæcus dicitur. At verò vt in subiecto sit priuatio lucis,vel motus vel scientiæ, non requiritur, quod prius fuerint istæ formæ in subiecto, sed potest indifferenter incipere à forma, vel priuatione. In his ergo secundis datur regressus à priuatione ad habitum, & è contra: in primis verò non,quia priuatio habetur ordine quodam post formam. Vnde ablata formâ non remanet potentia ad illam,quia non remanet ordo: eò quod ordo est vt post formam habeatur priuatio non post priuationem forma. *Vel secundo*, vt dicit D.Thom. quæst.2.de Malo artic.12. ad 5. Quædam priuationes tollunt habilitatem, seu potentiam (id est formam ordinantem, seu habilitantem per se primo ad aliud) sicut cæcitas visum, surditas auditum. Quædam priuatio solum tollit actum (id est formam, quæ præcisè dat actum, seu habitum conuenientem, non potentiam primam, & per se ad actum) sicut est priuatio gratiæ, priuatio lucis, priuatio motus,& similes. Et primi generis priuationes non admittunt regressum ad habitum. Secundi vero generis possunt admittere.

ARTICVLVS II.

Quid notandum circa reliqua postpradicamenta?

RElictis aliis, quæ difficultate vacant, circa modos prioritatis, & simultatis hæc tria aduerte. *Primum* præcipuos modos prioritatis reduci ad duos, scilicet ad prioritatem temporis, & naturæ. Et prioritas durationis dicitur prioritas *in quo*, prioritas naturæ dicitur *à quo*, quia illa prima dicitur antecedentia in essendo, hæc in causando. Et licet Philosophus dixerit quod prius naturâ dicitur, quod conuertitur cum alio, est tamen causa illius, & sic videri posset hanc prioritatem solum inueniri in causis adæquatis ad effectum, causæ enim quæ non sunt adæquatæ, vel propriè non conuertuntur, sicut calor non conuertitur cum motu, licet causetur ab illo, quia non ab illo solum causatur: extenditur tamen hæc prioritas ad omnem causalitatem, seu ad omne genus dependentiæ, & antecedentiæ siue causa conuertatur secundum adæquationem cum effectu, siue non, ad minus enim potest conuerti cum effectu in simultate durationis, & productionis. Et sensus Philosophi videtur esse, quod ista prioritas est prioritas causalitatis, etiamsi alias conuertantur, vel habeat simultatem causa, & effectus siue in duratione siue in adæquatione. Quodsi prioritas naturæ est antecedentia causæ, cum causæ ad inuicem sint causæ in diuerso genere causandi, ad inuicem sunt priores, & posteriores in hac prioritate naturæ, nec tamen sequitur quod hi aliquid prius se ipso, vel causet se ipsum, quia est hæc concausatio in diuerso genere, quæ non potest redire ad se ipsum, vt in 2. Phys. latius expendetur.

Secundum est, dari aliam prioritatem quæ vocatur rationis, sed hæc non est aliud, quàm distinctio rationis, quia vnum sine alio concipitur seu prius alio, & alij vocant signa rationis, id est, conceptus, & significationes rationis, quæ maximè in distinctione diuinorum per rationem sunt in vsu: Denique solet poni prioritas originis in processione personarum diuinarum, in qua sine antecedentia durationis, vel causalitatis datur processio. Sed quia in diuinis, vt fides docet nihil est prius, aut posterius, conuenientius vocatur ordo originis, quàm prioritas. Et ita absolutè dixit S. Thom. 1. p. quæst. 42. artic. 3. *Quod in diuinis oportet esse ordinem originis, absque prioritate.*

Tertium est, quod simultas non opponitur præcisè prioritati, nam priori formaliter opponitur posterius; simultas verò directè opponitur successioni inter prius & posterius, ideò modi simul sunt tres tantum, vt diximus in textu, & tamen primus modus simul qui est tempore, opponitur primo modo prioritatis: secundus opponitur secundo, & quinto, qui sunt prioritates naturæ. Tertius scilicet simultas ordinis opponitur tertio modo prioritatis. Sed quarto modo prioritatis, scilicet dignitati non opponitur simultas, quia ibi non est successio, & tamen par dignitas potest in hoc modo dici simultas in dignitate.

SVPER LIBROS
PERIHERMENIAS.

L*IBRI Perihermenias sic vocantur, quasi dicas* de Interpretatione. *In his agit Aristot. de Oratione & Propositione principaliter. Ad quod necesse fuit prius agere de earum partibus quæ sunt nomen & verbum. Deinde de earum proprietatibus quales sunt oppositio, æquipollentia, contingentia, possibilitas & alia similia. De his egimus in libris Summularum; hæc enim omnia ordinantur, & pertinent ad prioristicam resolutionem. Sed tamen, quia hæc omnia tractantur in his libris per modum interpretationis & significationis, commune siquidem Logicæ instrumentum est signum, quo omnia eius instrumenta constant, idcircò visum est in præsenti pro doctrina horum librorum ea tradere, quæ ad explicandam naturam, & diuisiones signorum in Summulis insinuata, huc verò reseruata sunt. Nec enim tyronum captui, quæstiones istæ de signis proportionatæ sunt. Nunc autem in hoc loco genuinè introducuntur post notitiam habitam de ente rationis, & prædicamento relationis, à quibus principaliter dependet inquisitio ista de natura & quidditate signorum. Vt autem clarius & vberius tractaretur, visum est seorsum de hoc edere tractatum, nec solum ad prædicamentum relationis illud reducere, tum ne illius prædicamenti disputatio extraneo hoc tractatu prolixior redderetur & tædiosior, tum ne istius consideratio confusior esset, & breuior.*

Igitur circa ipsam rationem signorum duo principalia occurrunt disputanda. Primum, de Natura, & definitione signi in communi. Secundum, de Diuisione eius, & de quolibet in particulari. Et primum expediemus in hac quæstione, secundum in sequenti.

QVÆ

QVÆSTIO XXI.

De Signo secundum se.

ARTICVLVS I.

Vtrùm signum sit in genere relationis?

SVPPONENDA est definitio signi, quæ libr. 1. Summular. c.4. tradita est scilicet, quod Signum est *id quod repræsentat aliud à se potentiæ cognoscenti.* Quam definitionem ita communiter tradidimus, vt complecteremur omnia signorum genera, & formale, & instrumentale, nam vulgaris definitio, quæ circunferri solet apud Theologos in initio quarti sententiarum ex August. *Signum est, quod præter species, quas ingerit sensui, aliquid facit in cognitionem venire*, instrumentali signo solum conuenit.

In nostra ergo definitione ad rationem signi in communi duo concurrunt Primum est, *ratio manifestatiui*, seu repræsentatiui. Secundum *ordo ad alterum*, scil. ad *Rem*, quæ repræsẽtatur, quæ debet esse diuersa à signo, nihil enim est signum sui, nec significat se, & ad *Potentiam* cui manifestat, & repræsentat rem à se distinctam. Et quidem manifestatiuum vt sic constat non dicere relationem, tum quia potest saluari in ordine ad se, & sine respectu ad alterum, vt quando lux manifestat se ipsam, quando obiectum repræsentat se, vt videatur, &c. tum quia potest aliquid manifestare alterum sine dependentia ab ipso, sed potius per dependentiam alterius à se; sicut principia manifestant conclusiones, lux colores, Deus visus, creaturas, vt peritiores Theologi docent 1. p. qu. 12. & 14. in quibus illustratio, & manifestatio alterius sine relatione dependentiæ à re manifestata fit. At verò manifestatiuum signi inuenitur, & cum ordine ad alterum, quia nihil se ipsum significat licet se repræsentare possit, & cum dependentia, quia signum semper est minus significato & ab ipso, vt à mensura dependens.

Quærimus ergo; an formalis ista ratio signi consistat in relatione secundùm esse primo & per se, an in relatione secundùm dici, seu in aliquo absoluto, quod fundet talem relationem. Quid sit autem relatio secundum dici, & secundum esse, relatio transcendentalis & prædicamentalis, dictum est in quæstion. 17. de Relat. Et loquimur hîc de relatione secundum esse, non de relatione prædicamentali, quia loquimur de signo in communi, prout includit tam signum naturale, quàm ad placitum, in quo inuoluitur etiam signum, quod est aliquid rationis, scil. signum ad placitum, & ideò prædicamentale ens esse non potest, nec relatio prædicamentalis, licet possit esse relatio secundum esse iuxta doctrinam D. Thom. 1. p. quæstion. 28 artic. 1. explicatam eadem quæst. 17. quod solum in his, quæ sunt ad aliquid inuenitur aliqua relatio realis, & aliqua rationis quæ relatio, manifestum est, quod non sit prædicamentalis, sed vocatur relatio secundum esse, quia purè relatio est, & non aliquid absolutum.

Igitur aliqui Authores existimant, rationem signi in communi non consistere in respectu secundum esse ad rem significatam & ad potentiam, sed in respectu secundum dici seu in aliquo absoluto fundante illam relationem. Et assignant pro ratione signi hoc, quod est *esse ductiuum cognitionis ad aliud*, hoc enim esse fundamentum signi videtur deduci ex D. Thom. in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1. dicente, *Quod ratio signi in charactere fundatur in aliquo, quia signum præter species, quas ingerit sensibus aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Non ergo signum formaliter in relatione consistit, sed in fundamento relationis. Et hoc ductiuum ad alterum cognoscendum nihil aliud est, quàm ipsa ratio repræsentatiui seu manifestatiui, non quidem in tota sua latitudine, vt etiam comprehendit repræsentare se, sed prout restringitur ad manifestatiuum alterius, quod quidem respicit potentiam, sicut obiectum, quod constat non in relatione prædicamentali ad potentiam consistere.

Sit ergo vnica conclusio, Ratio signi formaliter loquendo non consistit relatione secundum dici, sed secundum esse. Dixi *formaliter* loquendo, quia *materialiter* & præsuppositiuè dicit rationem manifestatiui seu repræsentatiui alterius, quod sine dubio non importat solam relationem secundum esse, vt statim ostendemus. *Formaliter* autem ratio signi non dicit solam rationem repræsentatiui alterius, cum constet multa repræsentare aliud seu manifestare, & non per modum signi sicut Deus repræsentat creaturas, & omnis causa effectus, & principia manifestant conclusiones, & lux colores, nec tamen habent rationem signi. Igitur repræsentare aliud, requiritur quidem ad signum, sed non in hoc solo consistit; addit autem supra repræsentare, & formaliter dicit repræsentare aliud deficienter, vel dependenter ab ipsa re significata, & quasi vice illius & substituendo, & ita respicit significatum non vt purè manifestatum, & illuminatum à se, sed vt principale cognoscibile, & mensuram sui, cuius loco subrogatur, & cuius vices gerit deducendo ad potentiam.

Addimus in conclusione *consistere in relatione secundum esse*, abstrahendo nunc, an sit relationis, de hoc enim art. seq. agemus, & ita vtimur vocabulo communi vtrique relationi, & non solum agimus de relatione reali, vel rationis determinatè.

Sic explicata conclusio *deducitur primò* ex doctrina D. Thom. Nam D. Thom. expresse ponit, quod signum est in genere relationis fundatæ in aliquo alio, sed relatio fundata in aliquo alio est relatio secundum esse, & de prædicamento ad aliquid, si realis sit, ergo signum consistit in relatione secundum esse. Conseq. est legitima. Et *minor* sumitur ex doctrina D. Thom. in 4. ad Annibaldum distin. 4. art. 2. dicente. *Quod natura relationis est, vt semper fundetur in aliquo alio genere entis*, ergo relatio fundata in aliquo alio condistinguitur ab aliis generibus entis, in quibus potest fundari, & consequenter distinguitur à relatione transcendentali, & secundum dici, quia istæ relationes non distinguuntur ab aliis generibus entis, vt cap. de relat. ostensum est, nec enim sunt puri respectus, sed entitates absolutæ circa aliud ordinatæ vel dependentes, vt latius probauimus in quæst. 17. de relat. ergo relatio fundata in aliquo genere entis semper est relatio secundum esse, & si sit realis, erit prædicamentalis.

Maior verò probatur apertè ex ipso D. Thom. tum *in loco nuper citato*; tum in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1. & 3. part. quæst. 63. art. 3. vbi cum posuisset argumentum, quod signum est in genere relationis, ergo character est in genere relationis, cum sit signum: respondet, *Quod signum importat relationem fundatam in aliquo, & cum non possit relatio signi characteris fundari immediatè in essentia animæ, debet fundari in aliqua qualitate superaddita, & in hac qualitate consistit character antecedenter ad relationem signi.* Sentit ergo D. Thom. quod relatio signi est relatio fundata in aliquo alio, & si solum esset relatio secundum dici, seu transcendentalis, non negaret D. Thom. characterem in tali relatione consistere, quia qualitas benè potest

esse relatio secundum dici, vt scientia se habet ad obiectum, & omnis actus seu habitus ad id à quo specificatur. Cum ergo ponit characterem in qualitate & reiicit à relatione, vtrique à relatione prædicamentali & secundum esse reiicit, id est, à prædicamento relationis, nam à relatione secundum dici non sufficienter reiiciebat ponens illum in prædicamento qualitatis, cum in hoc etiam inueniatur relatio secundum dici: Sed in illa relatione ponit D. Thom. rationem signi, à qua reiicit characterem, ergo manifestum est, quod in relatione secundum esse, seu prædicamentali constituit rationem signi.

Et sumitur fundamentum huius conclusionis ex ipsa natura & quidditate signi, quia ratio signi non consistit tantum in hoc, quod est repræsentare seu manifestare aliud à se, sed in tali modo manifestandi, quod est repræsentare aliud, tanquam inferiori modo ad illud, vt minus principale ad magis principale, vt mensuratum ad suam mensuram, vt substitutum, & vices gerens ad id pro quo substituitur, & cuius gerit vices: sed relatio mensurati ad mensuram & substituentis ad suum principale, est relatio prædicamentalis, ergo relatio signi ad signatum prædicamentalis est. *Minor constat* cum relatio mensurati ad mensuram sit relatio tertij generis in prædicamento relationis, vt supr. q. 17. probatum est. *Maior autem est manifesta*; quia relatio signi inquantum signum directè respicit signatum tanquam principale cognoscendum, ad quod ducit potentiam, ad hoc enim deseruit signum, vt sit medium, & substituens loco signati, quod intendit manifestare potentiæ, eo quod res per seipsam non innotescit, sed per tale medium: vnde si res se ipsa manifestatur, cessat ratio & officium signi: est ergo signum respiciens signatum vt subrogatum vice ipsius, & aliquid deseruiens, & ministrans ipsi, & mensuratum per ipsum, tanto enim melius signum significat, quanto propinquius se habet ad signatum in se. Neque hoc sufficienter explicatur relatione transcendentali, quatenus signum connexionem aliquam dicit cum signato, & ratione ipsius manifestat illud; hoc enim requiritur, sed non sufficit, sicut enim filius, licet sit effectus patris, & sub ratione effectus transcendentaliter ipsum respiciat tamen in ratione filij, vt dicit simile alteri in ratione processionis, non dicit relationem transcendentalem, sed prædicamentalem & secundum esse; ita signum licet in ratione manifestatiui, & repræsentatiui respiciat signatum transcendentaliter, tamen vt dicit rationem mensurati & substituti respectu signati, & quasi ministrans ipsi vt principali, respicit ipsum relatione secundum esse.

Et hinc discernitur differentia inter rationem manifestatiui, & significatiui, quod manifestatiuum principaliter respicit potentiam vt terminum ad quem tendit, vel quod mouet, & similiter repræsentare aliquid potentiæ solum perficitur per hoc quod reddat aliquid præsens potentiæ cognoscibiliter, quod secundum D. Th. qu. 7. de Veri. art. 5. ad 2. non est aliud quam similitudinem alterius continere. Ista autem continentia similitudinis sine aliqua relatione dari potest, quæ sit relatio secundum esse, tum quia talis continentia potest esse perfectio simpliciter, & sine vlla dependentia à re repræsentata, sicut Deus repræsentat creaturas in ideis, tum quia conseruatur ista continentia, & exercetur etiam non existente termino, & consequenter etiam sine relatione prædicamentali, vt constat in repræsentatione rei futuræ vel præteritæ; tum denique; quia repræsentatio ista pertinet ad rationem mouendi potentiam, cui redditur præsens obiectum per repræsentationem, vnde ipsi obiecto per se, & directè conuenit repræsentari, obiectum autem non consistit in relatione secundum esse ad potentiam, imò per se loquendo non respicit potentiam aut ab ea depender, sed potentia ab ipso, ab eo enim specificationem sumit. Non ergo repræsentare, & manifestare in relatione secundum esse consistunt.

At verò significare seu significatiuum esse directè sumitur per ordinem ad signatum pro quo substituit, & cuius vices gerit tanquam medium, quo signatum ducitur ad potentiam, in hoc enim ministrat, & deseruit signum ipsi signato, quod defert illud, & præsentat potentiæ tanquam deficiens repræsentabile, sicut etiam in ministro, & substituto alterius, duo consideramus, sc. subiectionem ad alterum, cuius gerit vices, vt ad principale, & effectum pro quo ministrat, & vices eius gerit. Sic ergo signum, licet in repræsentando respiciat potentiam, vt ei manifestet signatum, quia ad hunc effectum destinatur, & assumitur, & in hac præcisa consideratione ad potentiam, non petat consistere in relatione secundum esse, tamen in subordinatione ad signatum quatenus respicit ipsum, vt principale, & vt mensuram sui, necessario debet in relatione ad ipsum consistere, sicut seruus dicit relationem ad dominum; & minister seu instrumentum ad suum principale.

Dices: Signum non respicit significabile, vt purum terminum, sed vt obiectum suæ significationis, ergo non consistit in puro respectu, sed in ordine transcendentali, sicut potentia & scientia respiciunt obiectum, & tamen obiectum mensurat scientiam & potentiam. *Sed contra* est, quia signum non respicit signatum vt obiectum, seu materiam circa quam versetur præcisè, sicut potentia & scientia sua obiecta respiciunt, sed tanquam substitutum, & vices signati gerens, & loco eius subrogatum in repræsentando potentiæ. Et quia directè signum importat hanc substitutionem & subrogationem ad alterum, ideò formaliter est quid relatiuum ad id pro quo substituit, potentia autem & scientia non importane hanc relationem ab obiectum, sed important rationem principij & virtutis circa aliquid operantis, quod non est relationis formaliter loquendo; operari enim relationi non conuenit, sicut esse subiectum relationis est. Et ita scientia & potentia, actus & habitus respiciunt obiectum, vt mensuram sui fundamentaliter non relatiuè formaliter, sicut signum quod formaliter est quid subordinatum, & inferius signato seu vices eius gerens. Et pro hoc seruit doctrina S. Thom. 1. p. quæstion. 13. articul. 7. ad 1. vbi inquit: *Quod relatiua quædam sunt imposita ad significandum ipsam habitudinem relatiuam, vt dominus, seruus, pater, & filius, & huiusmodi, & hæc dicuntur relatiua secundum esse; quædam verò sunt imposita ad significandum res, quas consequuntur quædam habitudines, sicut mouens & motum, caput & capitatum, quæ dicuntur relatiua secundum dici.* Quare scientia & potentia significant rem ipsam, & principium ad quod sequitur habitudo ad talia obiecta: signum autem directè significat respectum ad signatum cui subordinatur; vt vicarium suo principali.

Et hinc disces fundamentum, ad discernendum inter potentiam, seu lumen quod est virtus potentiæ, & speciem; quod vtraque quidem versantur circa obiectum; sed species vt vices gerens obiecti, & ipsum continens, quasi eius substitutum; virtus autem potentiæ, vt tendens ad obiectum apprehendendum. Vnde inter potentiam, & obiectum sufficit proportio acquirentis aliquid & tendentis, ad terminum, qui acquiritur, quæ est proportio principij motus ad terminum. At verò species debet habere

bere proportionem ad obiectum tanquam substituentis, & vices eius gerentis, & ita si perfectè & adæquatè vices eius gerat requiritur omnimoda proportio in esse repræsentabili, ratione cuius nec corporea repræsentatio deseruit spirituali obiecto, nec creata repræsentatio obiecto increato: quod si ponitur increata repræsentatio etiam & entitas increata.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRæcipuum fundamentum sententiæ oppositæ est; quia signum rem non existentem formaliter significat, vt vestigium bouis, bouem non existentem, imago Imperatoris mortuum Imperatorem, ergo formaliter est signum, ab actu enim ad potentiam bene valet, *significat, ergo est signum*, & tamen formaliter non est relatio, quia ad terminum non existentem non datur relatio prædicamentalis, ergo signum formaliter in relatione non consistit.

Confirm. quia formalis ratio signi saluatur per hoc quod sit verè, & formaliter ductiuum potentiæ ad suum signatum, sed ducere potentiam ad signatum non fit media relatione, sed media proportione & connexione, quæ est inter signum & signatum, quæ est fundamentum relationis, ergo signum formaliter non consistit in relatione, sed in fundamento relationis. *Maior constat* ex definitione signi, *Quod repræsentat aliquid potentiæ cognoscenti*, ergo est ductiuum potentiæ ad signatum. Minor. prob. quia vt signum mihi repræsentet non est necesse, quod cognoscam relationem eius, sicut rusticus ex vestigio cognoscit animal non cogitando de relatione & bruta vtuntur signis, vt *infr.* dicetur, nec relationem cognoscunt sed solum signatum, pro vt cognoscitur in signo, ergo si relatio non cognoscitur, relatio non ducit, & sic non pertinet ad formalem rationem signi.

Resp. in primis illud argumentum carere vi in opinione eorum, qui existimant relationem signi semper esse rationis etiam in signis naturalibus, quia existimant fundari in eorum apprehensibilitate. Sed dato quod relatio signi naturalis realis sit. *Resp.* quod mortuo Imperatore non manet signum formaliter, sed virtualiter, & fundamentaliter; signum autem ratione sui fundamenti, mouet potentiam non ratione suæ relationis, sicut pater non ratione relationis generat, sed ratione potentiæ generatiuæ; & tamen formaliter consistit in relatione. Et *ad probationem* formaliter, id est, actu significat, ergo formaliter est signum, *negatur liquidè conseq.* quia sufficit virtualiter esse signum, vt actu significet, & instatur manifestè in hac B. actu causat & producit effectum, ergo actu in re est causa, nam ipsa causa non existente in se per virtutem à se relictam causat, & formaliter causat, quia effectus tunc formaliter producitur: sic existente signo, & significatione virtuali, formaliter ducit potentiam ad signatum, & tamen formaliter non est signum, sed virtualiter & fundamentaliter, cum enim maneat ratio mouendi potentiam, quod fit per signum inquantum repræsentatiuum est, etiamsi non maneat relatio substitutionis ad signatum, potest exercere functiones substituentis sine relatione, sicut seruus, vel minister potest exercere operationes sui ministerij etiam mortuo domino ad quem dicit relationem, & in qua formaliter consistit ratio serui & ministri.

Ad confirm. Resp. Quod in ratione ductiui est duo considerare scilicet vim, seu rationem exercendi ipsam repræsentationem ducendi & relatio subiectionis, seu substitutionis ad id, pro quo eam exercet, sicut in dominio, & consideratur potestas gubernandi seu coërcendi subditos & relatio ad illos, & in seruo potestas obediendi, & relatio subiectionis. Quantum ad vim ducendi repræsentatiuè, fatemur non esse relationem, sed fundamentum relationis, scilicet illa proportio, & connexio cum signato, sed quantum ad formalitatem signi, quæ non est quælibet proportio & repræsentatio, sed subseruiens & substituta signato, consistit formaliter in relatione, sicut esse seruum, vel esse dominum formaliter relationes sunt, & tamen ius coërcendi, & obediendi relationes non sunt.

Secundò arguitur, signum formaliter consistit in hoc quod est posse ducere potentiam ad signatum, per hoc enim habet significationem, quæ est forma signi, & per hoc conuenit illi definitio signi, scilicet repræsentatiuum alterius à se potentiæ cognoscenti, sed hoc quod est posse ducere ad signatum, etiam tanquam medium, & instrumentum habet per rationem transcendentalem, ergo in illa consistit signum formaliter. *Minor probatur*, nam per id habet signum ducere potentiam ad signatum, vt medium per quod habet manifestare potentiæ signatum, hoc autem habet non ratione relationis prædicamentalis, sed transcendentalis, quia cognita relatione transcendentali causæ, vel effectus, vel imaginis, vel quacumque connexione duorum, attingitur statim terminus, ergo non requiritur aliqua relatio prædicamentalis, vt signum ducat ad signatum, vel possit ducere, cum transcendentalis id sufficienter exerceat. *Nec valet dicere*, quod illa transcendentalis relatio est fundamentum relationis signi, quia quod solum est tale fundamentaliter non potest dare effectum formalem, sicut potentia generatiua non potest formaliter constituere patrem, nec qualitas simile, licet sint fundamenta istarum relationum, ergo si relatio transcendentalis solum fundat relationem signi formaliter non præbet effectum formalem signi, aut eius exercitium.

Et confirmatur, quia inconueniens est in signis ad placitum, quod non maneant signa formaliter, quando actu non respiciunt suum signatum, vt in libro clauso, quia tunc non cognoscitur signum illud, seu literæ ibi scriptæ, & sic actu non habent relationem, quæ cum sit rationis ab actuali cognitione dependet, ergo non potest consistere signum formaliter in relatione secundum esse. *Antecedens autem probatur*, quia signū in libro clauso retinet suam impositionem, ergo & suam significationem, quæ potest reduci ad actum aperiendo librum, & ideo non consistit in pura relatione, quia hæc non reducitur ad actum, sed semper respicit actu suum terminum, si est vera relatio.

Respondetur, illo argumento nihil magis probari, quàm præcedenti, & ideo dicimus quod formalis ratio signi consistit in hoc, quod est posse ducere aliquem in cognitionem signati, non potentia quomodocumque, sed subiecta, & substituente pro signato, & illi inferiori in ratione signi, & ideo consideratur in signo, & vis mouens potentiam, & ordo substituentis ad id, pro quo mouet. Et primum est relatio transcendentalis, secundum prædicamentalis. Et in secunda consistit signum non in prima, quia prima scilicet manifestare alterum etiam illis conuenit, quæ signa non sunt, sicut diximus de luce manifestante colores, obiecto se repræsentante Deo repræsentante creaturas. Quod ergo viso effectu cognoscatur causa, vel visa imagine archetypus, non constituit formaliter rationem signi, nisi addamus peculiarem relationem repræsentatiui substituentis, &c. quod relationem secundum esse dicit. *Et ad impugnationem. Respond.* quod fundamentum signi

signi non constituit formaliter rationem signi, quantum ad id, quod formaliter est subiectionis, & substitutionis, sed quantum ad id, quod est virtutis mouendi, sicut potentia generatiua constituit virtutem generandi in Patre, non formalem relationem patris, quæ consistit in ratione principij assimilantis, & authoritatem habentis in ordine ad filium.

Ad Confirm. Respond. variè aliquos sentire in hac parte de signis ad placitum, eo quod in illis relatio signi (si datur) secundum omnium consensum realis non est, sed rationis. *Et sunt qui putant*, relationem rationis non solum denominare absolutè, sed etiam existere existentiam sui fundamenti saltem imperfectè, & inchoatè, & sic denominare etiam antequam actu apprehendatur. *Sed restant huic responsioni duo difficilia explicanda. Primum*, quod etiam talis existentia non denominabit perfectè, & simpliciter tale, sed solum inchoatè, & imperfectè, & sic signum in libro clauso, vel in voce prolatum, sed non actu apprehensa relatione, non erit, signum perfectè, sed inchoatè; & imperfectè, acquiret verò perfectam rationem signi quando actu apprehenditur. Restat ergo eadem difficultas quæ in hanc cogit solutionem, scilicet quomodo signum in libro clauso, vel in voce prolatum, sed non apprehensum relatiuè, possit perfectè significare, & ducere in signatum, nec enim minus perfectè repræsentet ly *homo* suum significatum, si apprehendatur relatio eius, quam si non apprehendatur, retinet enim eodem modo impositionem, aut saltem dignosceremus illam imperfectam significationem ex defectu apprehensionis relationis prouenientem, aut posita relatione crescentem, quod nullus experitur: si autem æque perfecte ducit ante illam relationem; æque perfecte significat, & æque perfecte est signum, ergo non solum imperfectè, & inchoatè existet. Secunda difficultas est, quia illa imperfecta existentia, & inchoata, vel est solum fundamentalis, & virtualis respectu signi, vel etiam actualis. Si fundamentalis tantum, hoc est dicere, quod solum existit fundamentum signi, non formaliter ipsum signum. Si actualis, difficile valde est quod existentia realis qualis est fundamenti ante actualem apprehensionem reddat actualiter existens id quod est ens rationis, & solum habens esse obiectiuum, sic enim non erit purè ens rationis, cum sit capax etiam realis existentiæ, licet imperfectæ, & inchoatæ.

Alij existimant, formaliter esse signum etiam ante formalem existentiam relationis signi. *Alij* solum morali modo censeri signum, quia morali modo dicitur manere impositio. Sed an hoc sit actu esse signum, vel non, est difficultas, nam actu moraliter, est particula diminuens perinde ac si dicatur, actu fundamentaliter, vel actu virtualiter, moralitas enim illa impositionis durantis est fundamentum relationis.

Quare simpliciter dicendum est, quod impositio, seu destinatio alicuius vt sit signum talis, vel talis rei solum est fundamentum relationis signi, quia dat illi connexionem cum tali re, & subrogationem pro illa ad significandum non naturaliter, sed secundum placitum imponentis, sicut abstractio naturæ est fundamentum vniuersalitatis. Vnde sicut signum naturale ratione sui fundamenti exercet significationem, etiam si non habeat relationem actu ad signatum, quia tale signatum non existit, vt imago Imperatoris ipso mortuo, ita vox vel scriptura, etiamsi actu non concipiatur relatio, significat, & repræsentat ratione impositionis semel factæ, quæ non reddit formaliter signum sed fundamentaliter proximè, vt dicemus quæst. seq. art. 5. Et non est vllum inconueniens in his relatiuis rationis, quod cessante cognitione actuali alicuius formæ cesset formalis existentia illius, & formalis denominatio à tali existentia proueniens, & rursus posita cognitione consurgat, manente semper fundamentali denominatione, qualis manet in vniuersali remota comparatione, & relatione, positaque sola abstractione, manet enim vniuersale metaphysicè, non logicè sic signum ad placitum sine relatione cognita manet signum moraliter fundamentaliter, & quasi metaphysicè, id est, in ordine ad effectum sensibilem repræsentandi, non formaliter, & quasi Logicè, seu quoad intentionem relationis.

Tertio arguitur. Genus signi est ratio repræsentatiui, & ratio obiecti cognoscibilis non vltimi vt signatum, sed medij, sed ratio repræsentatiui, & obiecti non dicunt rationem relationis secundum esse, sed transcendentalis, imò & formalitas cognoscibilis vt sic non est ens formaliter, sed præsuppositiuè cum sit passio entis, & consequenter, nec determinatum ens quod est relatio, ergo neque signum. *Consequentia patet*, quia si genus non est in ratione relatiui, quomodo species ad relationem potest pertinere?

Minor à nobis admittitur. *Maior* ex definitione signi constat quod potentiæ cognoscitiuæ repræsentatiuum est, ergo repræsentatiuum & ratio obiecti, seu cognoscibilis signo essentialiter conuenit, non enim aliter ducere potest in cognitionem signati nisi obiiciendo, & repræsentando se potentiæ, repræsentatiuum autem non potest essentialiter dici de signo, vt species, vel differentia, cum etiam alij conueniat, ergo vt genus.

Confirmatur. Signum in communi non potest consistere in relatione, ergo absolutè signum non est relatio. *Antecedens, probatur, tum*, quia signum est commune ad signum formale, & instrumentale, formale autem non est relatio, sed qualitas cum sit notitia, vel conceptus, vt *infra* dicetur, *tum* quia est commune ad signum ad placitum, & naturale, nulla autem relatio vtrique communis est nisi relatio abstrahens à reali, & rationis in sententia affirmante, quod relatio signi naturalis est realis, relatio autem signi est magis determinata, & contracta, quàm illa, quæ abstrahit à reali, & rationis, ergo signum in communi non dicit relationem secundum esse, deberet enim poni in aliquo membro determinatè, vel reali, vel rationis.

Respondetur. Quod repræsentatiuum non sit genus signi, sed fundamentum, sicut generatiuum non est genus paternitatis, sed fundamentum, nec repræsentatiuum tantum, sic enim solum remotè se habet ad signum fundandum, sed repræsentatiuum tale, id est, substituens pro signato, eique subordinatum in repræsentando, & ducendo ad potentiam. Et ponitur in definitione signi, sicut fundamentum essentialiter pertinet ad relationem, dependet enim essentialiter à fundamento, & si relatio sit alicuius causæ, vel effectus, vel exercitij, totum ipsum exercitium fit per fundamentum, relatio enim aliud exercitium non habet, quam respicere, si sit relatio secundum esse, sicut Pater ratione fundamenti generat, dominus ratione fundamenti imperat, minister ratione fundamenti substituit, & operatur, signum ratione fundamenti repræsentat. *Et constat hoc*, quia ratio obiecti, seu repræsentabilis in signo primum est respectu sui, se enim obiicit potentiæ, & in quantum obiectum directè respicit potentiam vt terminus eius, quod totum non est genus signi, signum enim principalius respicit signatum cui subordinat rationem ipsam repræsentandi. Vnde in relatione ad ipsum incipit consistere, repræsentatiuum autem vt connectens se substitutiuè cum signato fundat illam

illam relationem, & illa connexio est substitutio fundamentaliter.

Ad Confirm. Respond. Quod notitia, & conceptus habent rationem qualitatis vt sunt actus, vel imago obiecti, super quod fundatur relatio signi formalis, in qua essentialiter signum consistit, quatenus sic substituunt pro obiecto, sicut character dicitur à D. Thom. locis supra citatis signum fundamentaliter cum in se qualitas sit, fundans tamen relationem signi, sic conceptus, & notitia qualitates sunt, informatiuè, non obiectiuè significantes fundant autem relationem signi formalis, id est, cuius repræsentatio, & exercitium significandi informando fit.

Et ad alteram partem argumenti. Respond. Quod signum in communi dicit relationem magis determinatam, quàm relatio in communi, siue transcendentalis sit, siue relatio secundum esse, nam illud argumentum in omni opinione currit, quomodo signum in communi sit ens determinatum, & inferius ad ens vt sic, & tamen diuidatur in reale, & rationis, siquidem si relatio transcendentalis est, in signo naturali realis erit; non ergo specialem difficultatem affert contra nostram assertionem de relatione signi secundum esse. Quare dicendum est nullum esse inconueniens, quod res inferiores induant conceptum analogum, & diuidantur modo analogico sicut superiora, licet magis restricto. Et prout subsunt conceptui analogo, non ponuntur sub determinato, & vniuoco membro diuisionis superioris, sed ad vtrumque analogicè pertinent. Exemplum vulgare est in hoc nomine *Sapientia*, est enim conceptus magis determinatus quàm ens, & tamen, nec est determinatè creata, vel increata, sed potest diuidi in vtramque, quia potest sumi analogicè, si verò sumatur vniuoca sapientia, sic erit determinatè creata, vel determinate increata. Eodem modo homo si sumatur etiam vt abstrahit à vero, & picto, viuo, & mortuo aliquid inferius est ad ens, sed non indeterminato membro, quia analogice sumitur, & consequenter, non vt determinatè vnum, nec determinatè in vno membro. Sic signum vt commune ad naturale, & ad placitum est analogum veluti ad signum verum, & pictum, reale & rationis, & prout sic non est in determinato membro entis, vel relationis, sed quolibet suorum inferiorum est in determinato genere.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in signo naturali relatio sit realis, vel rationis?

VT discernatur punctus difficultatis, oportet discernere plures relationes, quæ in signo concurrere possunt, & de aliquibus non est dubium, quod in signo naturali, possint esse reales, non tamen illæ sunt formalis, & quidditatiua relatio signi. Cum enim signum iuxta suam definitionem dicatur, *Id, quod repræsentat aliquid potentiæ cognoscenti*, oportet quod in signo vt repræsentet aliud, si sit signum extra potentiam habeat rationem obiecti cognoscibilis secundum se prius, vt eo cognito, ad aliud potentia deueniat, si verò sit signum formale, & intra potentiam sit realis, & intentionalis repræsentatio, quæ in re aliqua qualitas est, cum relatione tamen similitudinis ad id cuius est repræsentatio, & ordo ad potentiam. Similiter habet inueniri in signo aliqua conuenientia, seu proportio, & connexio cum tali significato, vt dicatur repræsentare hoc potius quàm illud. Quæ proportio seu conuenientia varia est, aliquando enim est effectus ad causam, vel causæ ad effectum, sicut fumus significat ignem, vt effectus; nubes, vel ventus significat pluuiam vt causa; aliquando est similitudinis, vel imaginis, vel cuiuscumque alterius proportionis; in signis autem ad placitum est impositio, & destinatio à Republica. Et vnico verbo cum signum se habeat ad signatum, & ad potentiam, possunt præcedere ad constituendam rationem signi, vel respectus, seu rationes, quæ habilitent ipsum ad potentiam, vel ad signatum, in quibus non consistit formalis, & quidditatiua ratio signi, siquidem possunt separari, & inueniri sine ratione signi, nam ratio obiecti sine ratione signi inuenitur, ratio etiam effectus vel causæ, vel similitudinis, aut imaginis sine ratione signi possunt reperiri. Quærimus ergo an illa formalis, & propriissima relatio signi, quæ præter istas omnes reperitur, aut ex illis consurgit, realis relatio sit in signis realibus, vel naturalibus.

Et quidem fatemur quod ratio obiecti ad potentiam, quæ præcedit in signo instrumentali, siue per modum mouentis, siue terminantis, realis relatio non est, quia obiectum non respicit potentiam relatione reali secundum esse, sed potius potentia respicit obiectum, & ab eo dependet, & specificatur. Et dato, quod relatio obiecti ad potentiam realis esset, & mutuo respiceret obiectum potentiam, sicut potentia obiectum (quod constat esse falsum cum obiectum, sit mensura, & potentia mensuratum) tamen non est species eius, relatio, & ratio signi, quia ratio obiecti formaliter, & directe respicit, vel respicitur à potentia, ita quod immediatus respectus est inter ipsa: ratio autem signi directè respicit signatum, & in obliquo potentiam, quia respicit signatum vt manifestandum potentiæ: vnde distinctio, & varietas signorum non sumitur ex ordine ad potentiam, vel ex diuerso modo immutandi illam sicut obiectum, sed ex diuersitate rei significatæ, licet enim eodem modo immutet potentiam vestigium bouis, & fumus, tamen differunt in ratione signi propter diuersum respectum ad signatum, non ad potentiam: diuersa ergo linea, & ordo respiciendi est in obiecto quatenus obiectum, & in signo, quatenus signum, licet vt signum sit, obiectum supponi debeat.

Similiter relationes illæ quibus signum proportionari potest ad signatum diuersæ sunt formaliter, à relatione ipsa signi, verbi gratiâ relatio effectus, vel causæ, similitudinis, vel imaginis, &c. licet aliqui recentiores confundant relationem signi cum istis relationibus, sed immeritò, tum quia diuersum exercitium est in signo significare, quàm causare, vel causari, aut similem esse, in significando enim exercetur substitutio principalis signati, vt manifestetur potentiæ, in ratione verò causæ, aut effectus, nihil de ordine ad potentiam includitur; quare distincta fundamenta sunt, & sic distinctas relationes postulant. Et præterea separari possunt relationes istæ à relatione signi, sicut filius est similis patri, & effectus eius, & imago, non tamen signum, addit ergo relatio signi super illas relationes, quas supponit, aut prærequirit, vt habilitetur, & proportionetur huic signato potius, quam illi.

Respondeo ergo, & dico. *Relatio signi naturalis ad suum signatum, qua constituitur in esse signi, realis est, & non rationis, quantum est ex se, & ex vi sui fundamenti, & supponendo existentiam termini, caterásque conditiones relationis realis.* Hæc videtur conformior menti S. Thom. *Primò*, quia docet relationem signi characteris fundari in qualitate superaddita animæ, quæ reale fundamentum est, vt patet 3. p. quæst. 63. artic. 2. ad 3. & in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. Et loquimur de fun

fundamento proximo, quia impugnat eos, qui dicebant fundari hanc relationem immediate super animam, & docet debere mediare aliud, super quod fundetur relatio characteristici signi, scil. qualitatem characteris, loquitur ergo de fundamento proximo. Et 1.p.q. 16.art. 6. dicit: *Quòd licet in vrina, & medicina non sit sanitas est tamen aliquid in vtroque, per quod hoc quidem facit, illud vero significat sanitatem,* ergo in aliquo reali fundatur relatio signi naturalis, qualis est vrinæ ad sanitatem, nempe in aliquo, quod habet in se vt significet, sicut medicina habet vt efficiat.

Et fundamentum conclusionis deducitur ex ipsa natura, & quidditate signi, quæ in eo consistit, quod sit aliquid magis notum, quo repræsentetur, & manifestetur ignotius, vt bene notat S. Thom q.9. de verit. art.3. ad 4. & in.4. distinct.1.q.1.art.1. Ad hoc autem quod aliquid sit notius altero, illudque reddat cognoscibile, & repræsentabile requiritur quòd cognoscibilitas istius sit habilior altera ad mouendum potentiam & determinata, seu affecta ad tale signatum, vt ad aliud potius moueat, quàm ad aliud, siue ista motio, & repræsentatio fiat formaliter, siue obiectiuè. Sed quod aliquid in seipso sit cognoscibile, non potest esse aliquid rationis, quòd verò relatè ad alterum sit cognoscibilius, & reddens ipsum repræsentatum, aliquid etiam reale est in signis naturalibus, ergo relatio signi naturalis, realis est. *Minor* habet duas partes, scil. quòd res in seipsa sit cognoscibilis realiter, & quòd etiam relatè ad alterum reddat realiter aliud repræsentatum & cognoscibile. *Et quoad primam partem probatur*, quia ante omnem operationem intellectus, res est cognoscibilis, si enim per operationem intellectus cognoscibilis redderetur, esset cognoscibilis per esse cognitum, & sic non esset cognoscibilis ante cognitionem, quod repugnat, quia cognitio sumitur in nobis à cognoscibili, si autem per rationem, seu cognitionem redditur cognoscibile, prior est cognitio quàm cognoscibilitas, & consequenter ab illa, vt ab obiecto non sumitur.

Neque obstat. quòd cognoscibile, seu obiectum non reali relatione respicit potentiam, sed relatione rationis, quia potius ex hoc realitas ipsa cognoscibilitatis probatur, ideo enim respicit potentiam relatione rationis, quia potentia pendet ab obiecto, non obiectum à potentia, & se habet obiectum vt mensura, potentia autem vt mensuratum, quod pertinet ad relationes tertij ordinis, in quibus mensuratum est dependens, ideoque realiter respicit, mensura verò non pendet à mensurato, & sic solum per rationem respicit illud, sed tamen hoc ipsum arguit maiorem realitatem in ipsa ratione mensuræ, quanto minor realitas est in relatione, sicut Deum esse dominum relatiuè est aliquid rationis, sed potestatiuè est aliquid reale, & similiter actus liber, realiter est liber in Deo, & multò maiori realitate, quia solum per rationem refertur ad obiectum liberum, realiter autem ab eo non pendet. Sic ergo cognoscibile in obiectis realibus absolutè, & in se aliquid reale est, sed relatiuè ad potentiam aliquid rationis.

Secunda verò pars illius minoris ostenditur; quia licet cognoscibile per ordinem ad potentiam sit aliquid rationis, tamen in se realiter cognoscibile est, ergo vt non solum sit cognoscibile in se, & respectu sui; sed etiam respectu alterius, cuius vices gerit, & pro quo substituit in cognoscibilitate, & repræsentatione, realis relatio intercedet. *Patet consequentia,* quia fundatur in cognoscibilitate reali, & connexione reali ipsius cum hoc significato, vt illud repræsentet, ergo reali relatione erit substitutum illius, & respiciet illud vt signatum, licet potentiam talis cognoscibilitas non respiciat realiter. Nam quòd fumus repræsentet potius ignem, quàm aquam, & vestigium bouis potius bouem, quam hominem, & conceptus equi potius equum, quàm lapidem, in aliqua reali proportione, & intrinseca istorum signorum cum illis signatis fundatur, ex reali autem proportione, & connexione cum aliquo, realis relatio innascitur. Vnde contingit hic maximè hallucinari aliquos, quod sine discussione, cum videant cognoscibilitatem, seu apprehensibilitatem signi fundare relationem signi, & hæc apprehensibilitas est relatio rationis ad potentiam, simpliciter ipsam rationem signi relationem esse rationis putant. Cæterum in hoc valde falluntur, quia relatio cognoscibilitatis ad potentiam præcedit, & præsupponitur ad rationem signi, pertinetque ad communem rationem obiecti, seu cognoscibilis: sed quod ista cognoscibilitas sic connectatur, & coordinetur alteri cognoscibili, vt substituat pro eo, & subordinetur, ac seruiat ei in deferendo ipsum ad potentiam, cur erit relatio rationis, cum non sit relatio ad potentiam, sed proportio & connexio istius cognoscibilis cum illo, ratione cuius huic significando potius proportionatur, quàm illi, & ista connexio, & proportio ante omnem operationem intellectus detur? Vnde D.Thom. 3. de Veritate art.1. ad 2. inquit: *Quod ad speciem quæ est medium, requiruntur duo, scilicet repræsentatio rei cognitæ, quæ competit ei secundùm propinquitatem ad cognoscibile, & esse spirituale, quod competit ei secundum esse, quod habet in cognoscente.* Vbi pondero illa verba, repræsentatio quæ competit ei secundum propinquitatem, &c. Ergo repræsentatio in signo naturali fundatur in propinquitate ipsius ad cognoscibile, pro quo substituit, & respectu cuius est medium; hæc autem propinquitas in his quæ realiter proportionantur, & coniunguntur, realis relatio erit, cum reale fundamentum habeat.

Ex dictis colliges, in signis ad placitum rationem signi etiam per relationem ad signatum explicandam esse, sed relatio ista rationis est, & non solum consistet signum in extrinseca denominatione, qua redditur impositum, seu destinatum à Republica ad significandum, *vt Aliqui Recentiores putant*, eò quòd sine illa fictione intellectus per solam ipsam impositionem denominatur signum. Cæterum hæc impositio requiritur quidem tanquam fundamentum relationis, & rationis signi, quia per illam habilitatur, & destinatur aliquid vt sit signum, sicut per hoc quod proportionatur, & connectitur aliquod signum naturale cum tali signato, fundat relationem signi ad ipsum. Itaque ex denominatione illa extrinseca destinationis & impositionis, consurgit duplex relatio rationis. Prima communis omni extrinsecæ denominationi, quatenus concipitur per intellectum ad modum formæ & relationis denominantis, vt esse visum ad videntem, esse amatum ad amantem. Alia est relatio particularis, qua vna denominatio distinguitur ab alia; destinatio enim, & impositio Reip. ad varia munera esse potest, quæ non nisi relatione distinguuntur ad ea, ad quæ exercenda destinantur, sicut destinatur aliquis, & instituitur vt sit Iudex, Præses, Doctor, & aliqua, vt sint signa, vel insignia horum munerum, & similiter voces destinantur, vt humanæ conuersationi deseruiant. Hæc munera ex destinatione Reipub. oriuntur, quæ denominatio extrinseca est. Cæterùm distinguuntur, quia Iudex ordinatur ad tales subditos iudicandum, Præses ad regendum, Doctor ad docendum, &c. quæ distinctiones, per relationes explicantur, &

& non aliter, ergo relationibus ad sua munera, & obiecta distinguuntur: idem ergo dicendum de signis ad placitum, licet in denominatione extrinseca impositionis fundentur. Et cessante relatione dicuntur manere ista fundamentaliter, quatenus illa destinatio Reip. moraliter dicitur manere, aut virtualiter.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

EX duplici capite possunt fieri argumenta ad probandum, quod signum naturale sit relatiuum rationis, vel qua parte signum respicit potentiam, vel qua parte respicit signatum. *Ex parte qua respicit potentiam argumentum est commune, sed difficile.* Nam signum respicit potentiam relatione rationis, sed hæc relatio est illi intrinseca, & essentialis; imò magis principalis, ergo signum naturale non consistit præcisè in relatione reali. *Maior est certa*, quia inter signum, & potentiam reperitur ordo eiusdem lineæ; & rationis quæ est inter obiectum, & potentiam, signum enim quoddam obiectum est, seu substitutum obiecti, & ita mouet obiectiuè non effectiuè potentiam, atque adeo in eodem ordine cum obiecto respicit potentiam, constat autem obiectum respicere potentiam relatione rationis, quia non est relatio mutua inter potentiam, & obiectum, ergo ex parte alterius extremi non est relatio realis, non ex parte potentiæ, quia hæc realiter respicit obiectum, ergo erit rationis ex parte obiecti: specialiter autem signum instrumentale non potest manifestare aliquid potentiæ, nisi prout cognitum, esse autem cognitum, est aliquid rationis, ergo signum instrumentale mediante aliquo rationis, id est, mediante esse cognito ducit in signatum.

Minor verò probatur, *Tum* quia signum est instrumentum quo potentia vtitur ad deueniendum in signatum, *Tum*, quia finis ad quem ordinatur signum, est manifestatio signati ad potentiam, ergo ipsa potentia, seu cognitio eius, ad quam signum ducit, est finis principaliter intentus à signo, atque adeo intrinsecus, & essentialis est illi ordo ad potentiam. *Et confirm.* quia signum formale & instrumentale differunt in ratione signi, vt dicemus *seq. quæstion.* & non differunt ex ordine ad signatum, sed ad potentiam, idem enim signatum respicit fumus vt signum instrumentale, scilicet ignem, & conceptus ignis, sed fumus instrumentaliter, conceptus formaliter; ergo differunt ex diuerso ordine ad potentiam, & ita hic ordo essentialis est signo, quatenus signum formale respicit potentiam vt forma cognitionis, instrumentale, vt mouens extrinsecum.

Respondetur; quòd siue ordo ad signatum, & ad potentiam in signo sit vnus tantum, siue duplex, de quo *articul. seq.* tamen vt signum est, & stando sub hac formalitate, non respicit potentiam directè & principaliter, neque vt mensura eius, sed vt via, & ductiuum potentiæ ad id, quod est obiectum eius & manifestabile ipsi, scil. ad signatum. Vnde tam potentia, quàm signum respiciunt signatum vt obiectum manifestabile à quo specificantur & mensurantur, potentia quidem, vt virtus ad illud tendens, signum vt via, & medium per quod ad illud renditur: quod verò signum sit etiam obiectum, & prius cognitum, vt per illud tendat potentia ad signatum, per accidens est signo in quantum signum, nam in signo formali, sine hoc, quòd sit obiectum cognitum à potentia, sed forma reddens cognoscentem potentiam, manifestat ei. Quod ergo pertinet per se ad rationem signi est, quod sit substituens pro obiecto in repræsentando ipsum potentiæ, quæ substitutio realem subordinationem, & relationem dicit ad signatum, vt ad principale obiectum, & hic est respectus essentialis, & formaliter constitutiuus signi, licet in obliquo etiam potentiam attingit, quatenus respicit signatum, vt manifestabile potentiæ.

Quare ad argumentum in forma dicitur: signum respicit potentiam relatione rationis, distinguo, *formaliter*, inquantum signum relatione directa & mensuræ ad mensuratum, *Nego*, *præsuppositiuè*, & vt obiectum quoddam est, *transeat. Et ad probationem dicitur*, quòd signum est in linea, & ordine obiecti principaliter, & per se, & vt mensura est *nego*, vt substituens, & vices gerens obiecti, *concedo*, vnde non eodem modo quo obiectum respicit potentiam, sed directè obiectum manifestabile respicit, in obliquo potentiam, sicut etiam habitus, qui est in potentiis respicit obiectum à quo specificatur directè, licet in ordine ad adiuuandum potentiam respectu illius. Nec signum instrumentale fundatur in esse cognito, quantum ad rationem signi, sed esse cognitum requiritur ad ipsum exercitium significandi, non vt constituatur in esse signi respicientis obiectum, vt substitutum eius, hoc enim habet ante esse cognitum, quia signum non consistit in actuali repræsentatione, sed in potestate repræsentandi.

Ad primam probationem minoris respondetur, signum dici instrumentum potentiæ, eo modo, quo est instrumentum signati, & substitutum eius ad manifestandum se potentiæ, nec enim signum est instrumentum potentiæ ex parte elicientiæ actus quasi medio signo eliciat, sed ex parte repræsentationis obiecti, quatenus medio signo manifestatur obiectum, & sic principalius subordinatur obiecto, tanquam ei pro quo substituitur in repræsentando potentiæ.

Ad secundam probationem respondetur. Finem signi esse manifestare potentiæ signatum ex subordinatione tamen ad ipsum signatum, vt ad principale, pro quo subrogatur, & substituitur in repræsentando. Id autem quod ex subordinatione ad aliud respicit aliquem finem, & ex substitutione pro ipso, principalius respicit id, pro quo substituit, & subrogatur, quàm id ad quod mouet, seu finem ad quem tendit, quia hunc respicit vt finem effectum, id autem pro quo substituitur vt finem, cuius gratiâ, ex subordinatione enim ad illud respicit talem effectum.

Ad confirmationem respondetur, diuisionem signi in formale, & instrumentale si est essentialis (de quo seq. quæstion.) non sumi ex ordine ad potentiam præcisè, sed ex diuerso ordine ad signatum, diuersus enim modus afficiendi potentiam, vt obiectum prius cognitum, vel vt conceptus intrinsecè informans refunditur in diuersam rationem manifestandi, & repræsentandi signatum, quia manifestatio ipsa, & repræsentatio, quædam motio est, & sic modus afficiendi potentiam, qui variat motionem refunditur in varietatem repræsentationis, diuersa autem repræsentatio respicit signatum sub diuersa formalitate seu ratione formali repræsentabilis, quia repræsentatio, & repræsentabile proportionari debent, & vno variato, variatur, & aliud, & ita redditur diuersificatum ipsum signum formaliter ratione signati, & repræsentabilis, licet materialiter sit idem.

Secundò arguitur. Probando, quod etiam ex parte signati, & in ordine ad illud, non sit realis relatio. Primò, quando signatum non existit, & tamen non minus formaliter est signum respectu illius, quia repræsentat illud actu ipsi potentiæ, & tunc relatio ad signatum non existens, non est realis. *Secundò*, quando signum repræsentat aliquod ens rationis, vt conceptus chymeræ,

chymeræ, vel effigies, & imago exterior illius. *Tertio*, quia relatio signi differt à relatione imaginis, & solum per hoc, quòd signum tangit signatum, vt repræsentandum potentiæ, imago autem respicit exemplar, vt imitandum à se, sed in signo, hoc quod est esse repræsentabile potentiæ non est aliquid reale, sed rationis, quia ad potentiam cognoscentem non ordinatur signatum reali ordinatione, & relatione, sed vt manifestabile, & vt cætera obiecta, quæ non mutua relatione respiciunt potentiam, ergo signum attingitur à signato sub formalitate quadam rationis, atque adeo non per relationem realem. *Denique*, quia ipsum exercitium significandi, seu repræsentandi nihil reale ponit in signato, nec enim mutatio aliqua fit in signato per hoc, quod repræsentatur à signo, fit autem mutatio realis in potentia per hoc quod moueatur de nouo à signo, ergo respectu signati, relatio signi realis non est, quia non potest esse magis realis potestas significandi, quàm actus, & exercitium.

Respondetur ad primam probationem, quod signum non existente signato, non manet formaliter signum, sed fundamentaliter, quia deficit formalis, & actualis ratio substitutionis, non existente eo pro quo substituit, sed manet virtus manifestandi se, & signatum sic absens, quia manet proportio, seu connexio ad ipsum, quæ fundare potest talem relationem, & virtute huius fit repræsentatio non virtute relationis quia formaliter constituitur in ratione substituti.

Ad secundam probationem dicitur, quòd conceptus entis rationis, vel illius imago exterior eodem modo se habet, atque conceptus rei absentis, repræsentat enim illam coniunctionem realitatum, quarum coniunctio est impossibilis, & chymærica, & de illis realitatibus datur realis conceptus, vel etiam sensibilis imago, si realitates sensibiles sint. Ad illud verò quod in tali obiecto purè chymæricum est, & ens rationis non datur relatio realis signi naturalis, sed datur reale manifestatiuum, & repræsentatiuum, quod realem relationem non requirit, nec dicit formalitatem signi, sed transcendentalem rationem repræsentatiui.

Ad tertiam probationem respond. Quòd signatum vt obiectum manifestabile potentiæ aliquid reale est in se, licet non mutua relatione referatur, neque ad potentiam cui est repræsentabile, neque ad signum per quod repræsentabile est, imò quia minus dependens est in suo ordine à potentia, quàm potentia ab ipso, non habet vt obiectum relationem mutuam ad potentiam. Et sicut ipsa scientia, & potentia reali relatione tertij generis respiciunt obiectum, licet obiectum non reali relatione se habeat ad potentiam, quia sufficit ad hoc realitas termini in esse rei, & non in formalitate termini, vt quæst. 17. artic. 5. dictum est, ita & relatio signi ad idem obiectum, vt significabile potentiæ realis est, quia in esse rei signatum est reale, licet relatio signati ad potentiam vel ad ipsum signum realis non sit.

Ad vltimam probat. respondetur. Quod exercitium signi non ponit aliquid in signato, cum potius signum à signato recipiat, & pendeat, vt pote pro ipso substituens, si autem realiter mutaret signatum, realiter respiceret signum à quo immutaretur. Vnde ex eo quod non realiter immutat, non sequitur quod signum realiter non respiciat signatum, sed quod signatum realiter non respiciat signum, quod libenter concedimus, sed oporteret probare, quòd signum non realiter immutatur, vel pendet à signato pro quo substituit. Respectu verò potentiæ mouet quidem signum realiter obiectiuè, non effectiuè agendo, vt *infra* dicetur. Sed talis motio est signi non vt signum formaliter, sed vt obiectum, mouere autem substituendo pro alio est actus signi, seu significare, sed importando relationem substituti, ideo quatenus signum non respicit directè potentiam, sed signatum per quod substituit ad mouendum potentiam.

Tertiò arguitur: signum naturale, & ad placitum conueniunt vniuocè in ratione signi, ergo non potest alterum esse reale, alterum rationis, quia ad relationem realem, & rationis nihil est vniuocum, nec vtrumque aliquid est reale, cum signum ad placitum constet esse aliquid rationis, ergo vtrumque aliquid rationis est. *Antecedens probatur*. Ratio obiecti, seu cognoscibilis est vniuoca in ente reali, & rationis, quia ad vniuocas scientias, & potentiam eandem pertinet, Logica enim quæ agit de ente rationis, & metaphysica, quæ de ente reali vniuocè sunt scientiæ, ergo & obiecta earum vniuocæ sunt obiecta, & scibilia. Ergo similiter vniuocè sunt signa; siquidem ratio signi, & significabilis est de genere obiecti, & cognoscibilis pro quo substituit.

Confirmatur illo vulgari argumento, quia signum in communi est determinata species entis, seu relationis, ergo debet poni in determinato genere, non verò abstrahere à reali, & rationis, imò in ipsa relatione non apparet in quo genere determinatè ponatur, nam in genere mensuræ, & mensurabilis non semper ponitur, cum aliquando signum non perficiatur à signato, sed è contra, sicut quando causa est signum causati, vt nubes est signum pluuiæ, nec facile etiam apparet inter signa, quæ sunt effectus, quomodo fumus mensuretur ab igne, quomodo etiam in imagine distinguatur duplex relatio mensuræ; altera in ratione imaginis, altera in ratione signi, siquidem diuersæ sunt.

Respondetur; verum esse quòd ratio cognoscibilis, & obiecti in ente, & rationis potest esse vniuoca, aliæ enim sunt diuisiones entis in esse rei, aliæ in genere scibilis, vt bene Caiet. docet 1. p. quæstion. 1. articul. 3. & sic cum ratio cognoscibilis, non sit ratio entis formaliter, sed præsuppositiuè solum sit ens, & consecutum ad ens, verum enim est passio entis, quæ conuenit illi dependenter ab existentia, & esse, bene stat quod aliquod ens incapax existentiæ sit capax veritatis non vt subiectum, sed vt obiectum? cæterum ipsa cognoscibilitas, & veritas si considerentur entitatiue, & vt respiciunt sua inferiora transcendentaliter dicuntur, & analogicè sicut ens vt autem præcisè dicunt rationem obiectiuam non entitatiuè in se, sed comparatiuè ad potentiam possunt in ratione vniuoca obiecti conuenire etiam quæ entitatiuè vniuoca non sunt, vt Deus, & creatura, substantia, & accidens in ratione scibilis metaphysici intelligibilis ab intellectu. Cæterum ratio signi cum non consistat in ratione obiecti, sed substitutionis ad alterum, quod supponitur esse obiectum, vt repræsentetur potentiæ, non pertinet ad genus cognoscibilis absolutè, sed relatiuè, & ministerialiter, & pro hac parte aliquid entitatiui ordinis induit, scilicet vt relatio est, & vt trahit genus cognoscibilis ad genus relatiui, & pro hac parte non conuenit vniuocè relatio signi naturalis, quæ realis est, cum relatione signi ad placitum quæ est rationis.

Ad confirmationem responsum est art. præcedenti circa præcedenti circa finem. Quod verò additur de specie in qua ponitur signum in genere relationis. *Resp.* pertinere ad genus mensuræ & mensurati, semper enim signatum se habet, vt principale repræsentandū, & signum, vt deseruiens & ministrans in hoc genere, sicque respicit

respicit suum principale vt mensuram extrinsecam, per accessum ad quam magis signum perficitur, quanto melius repræsentat. Et ita fumus respicit ignem vt mensuram in ratione repræsentabilis, non in genere entis. Et imago respicit exemplar vt mensuram in imitatione, & deductione ex ipso, in ratione vero signi tanquam mensuram in genere repræsentabilis, & manifestabilis potentiæ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sit eadem relatio signi ad signatum & potentiam?

CErtum est in signis externis, & quæ prius cognoscuntur, quam ducant ad signatum, inueniri ordinem ad potentiam sicut in reliquis obiectis cognitis, & terminantibus cognitionem, cum clarè appareat talia signa cognosci, vt obiecta, sicut fumus prius videtur vt obiectum, deinde ex cognitione sui ducit in signatũ. Vnde respectus, seu ordo signi ad potentiã in ratione obiecti, distinctus debet esse ab ordine, seu respectu in ratione signi, cũ in hoc respectu obiecti conueniat cum aliis obiectis quæ signa non sunt, & eodẽ modo, atq; illa potentiã respicit obiectiuè. Vt ergo non solum purè obiectiuè, sed etiam significatiuè respiciat potentiam inquirendum restat, an illamet relatio qua significatum respicit, & in ordine ad quod rationem signi induit, illamet etiam respiciat potentiam, cui signatum hoc manifestandum est à signo, an verò relationem habeat ad signatum purificatam, & absolutam à respectu ad potentiam, alia verò relatione respiciat potentiam in ratione obiecti, & vtraque concurrat ad rationem signi constituendam, vel etiam in ipsa ratione signi præter rationem obiecti reperiatur duplex relatio, altera ad potentiam, altera ad signatum.

Et consurgit difficultatis ratio; quia ex vna parte signum non respicit solum signatum in se, sed in ordine ad potentiam, cum in definitione signi ordo ad potentiam includatur, scilicet quod sit manifestatiuum potentiæ, &c. Si ergo ratio signi respectum istum dicit ad potentiam vel vnica, & eadem relatione respicit vtrumque & currunt difficultates infra attingendæ, quia sunt termini omnino diuersi, cum respectu potentiæ sit solùm relatio rationis; respectu signati, realis; respectu signati sit ordo mensurati ad mensuram, respectu potentiæ è contra, potentia sit mensurabilis ab ipso signo, vt ab obiecto cognito. Vel est diuersa relatio signi ad potentiam, & signatum, & sic non erit signum in prædicamento relationis, quia in ratione signi non est vnica relatio, sed pluralitas relationum.

Sit nihilominus conclusio. Si potentia, & signatum considerentur, vt termini directè attacti per relationem, necessario exigunt duplicem relationem in signo. Si verò consideretur potentia, vt terminus in obliquo attactus, sic vnica relatione signi attingitur signatum, & potentia, & hæc est propria, & formalis ratio signi. Itaque potest aliqua relatio vna & eadem existens terminari ad duos terminos, alterum in recto, alterum in obliquo, quod est simpliciter habere vnum tantum terminum, in ratione verò termini directè attacti, duo termini, duas exigunt relationes. Non conueniunt in hac conclusione plures ex Recentioribus, *Aliqui enim existimant*, signum consistere in duplici relatione ex æquo concurrente, altera ad signatum, altera ad potentiam. *Alij* verò etiam in signo, vt distinguitur ab obiecto duplicem relationem solam agnoscunt signati, & potentiæ, licet non ex æquo constituentem rationem signi, intrinsecè tamen, & essentialiter requisitam: quomodo autem vna relatio comparetur ad aliam, an vt genus, vel vt differentia, vel vt passio, vel vt modus difficillimè explicant. *Alij* ex potentia & signato constant vnum integrum terminum formalem, quasi ex materialibus partibus. *Alij* extrema oppositione inter se negant signum, vt signum respicere potentiam. *Quidam verò*, non respicere signatum, sed totam essentiam signi consistere in quadam apprehensibilitate à potentia vt medium ad cognoscendum aliud. Quæ opiniones extremæ, licet communiter reiiciantur, quia definitio signi vtrumque postulat & signatum, quod manifestetur, & potentiam cui repræsentetur, tamen aliqui concedunt de intrinseca ratione signi solum esse, terminare posse potentiam, vt medium per quod, vel in quo cognoscitur signatum; non verò esse de intrinseca ratione eius, quod referatur ad potentiam, neque reali aut transcendentali ordine, neque relatione rationis, licet ex parte nostri modi concipiendi sine tali ordine non apprehendatur.

Nihilominus conclusio posita probatur. Et *quoad primam partem*, quod potentia & signatum vt termini directè attacti postulent duplicem relationem *ex eo constat*; quia sic considerati distinguuntur, & in esse rei, & in ratione formali terminandi; in esse rei, quia signatum est aliquid extra potentiam, & ab illa distinctum, sicut ignis cognitus ex fumo, bos ex vestigio. In ratione formali terminandi, quia potentia tantum est terminus, qui directè respicitur, inquantum mouetur ab aliquo, vel aliquid terminatur ab ipsa, nec enim potentia, vt potentia cognoscitiua est, ab aliquo extrinseco directè pendet, nisi vel vt mouente, vel terminante, id est, principio, vel termino sui actus, quidquid præter hoc est, non se habet potentia ad illud directè. Sub ratione autem mouentis, vel terminantis non terminat signatum relationem signi; constat enim quod signatum neque mouetur à signo, neque terminatur ad signum, cum non versetur circa signum. In summa, relatio ad potentiam & relatio ad signatum opposito modo procedunt, cum potentia sit mobilis à signo, mouetur enim vt à repræsentante signatum; ipsum verò signatum non est mobile à signo, sed manifestabile, seu id pro quo vices gerit signum in repræsentatione, ergo si istæ relationes sumantur in recto respiciunt distinctos terminos etiam formaliter in ratione termini.

Et non potest dici, quòd signum terminatiuum sit ad potentiam, non vero relatiuum ad illam; repugnat enim intelligere, quod signum non dicat relationem ad signatum, vt ex ipsa definitione, & D. Thom. *supra* ostendimus; implicat autem referri ad signatum, si absoluatur à potentia, & sine ordine aliquo ad ipsam concipiatur, quia in tantum respicit signatum, in quantum illud defert, & præsentat potentiæ, ergo ista relatio ad signatum, vt potentiæ manifestandum repugnat, quod absoluatur à potentia, si autem respectu potentiæ non absolutè se habet, sed dependenter, & ordinatè ad illam, consequenter relationem habet ad illam.

Et confirmatur; quia licet obiectum respectu potentiæ non constituatur per se in relatione ad illam, sed ipsa potentia ab illo dependeat; tamen signum quod gerit vices obiecti in repræsentando & exhibendo se potentiæ, necessario includit hanc relationem; omnis enim repræsentatio est, sicut vnio siue præsentia vnius ad aliud. Omnis autem vnio, omnis præsentia & coniunctio inuoluit intrinsecè respectum

respectum ad id cui præsens, & coniunctū redditur? omnis enim præsentia, & coniunctio respicit extremum cui coniungitur, nec aliter potest concipi. Ergo licet obiectum in ipsa intrinseca ratione obiecti, quod est specificare, vel terminare, non includat respectum ad potentiam, tamen repræsentatio obiecti, quæ est sicut applicatio, & coniunctio eius ad potentiam intrinsecè dicit ordinem ad potentiam cui sit coniunctio & applicatio. Signum autem subseruit obiecto, & substituit pro eo in ipsa ratione repræsentandi, non in ratione constitutiua obiecti principalis, ergo signum intrinsecè inuoluit ordinem ad potentiam, & non solum terminationem, vt medium, quia non stat esse medium in vi repræsentationis, & applicationis, nisi per ordinem ad terminum, cui fit repræsentatio; fit autem potentiæ.

Secunda verò pars conclusionis probatur. Relatio signi ad signatum, est relatio per modum repræsentationis, seu applicationis eius ad potentiam, ergo ita debet respicere signatum, vt terminum directum, & *quod* sui respectus, quod etiam attingat potentiam in obliquo, & vt terminum *cui*; repugnat enim in istis relationibus, & quæ per modum substituentis, & repræsentantis se habent, quod respiciant id, cuius gerunt vices & non id propter quod, vel in ordine ad quod substituunt, quia substituens seu gerens vices alicuius secundùm aliquam determinatam rationem, & in ordine ad aliquem determinatum finem, gerit vices illius alioquin substitutio illa determinata non esset, cum ex fine propter quem fit, determinetur, ergo si relatio repræsentantis & substituentis vicem alicuius personæ est determinata, oportet quod ita respiciat illam personam, quod etiam attingat id propter quod & in ordine ad quod substituit, inde enim determinata substitutio est, & ita cum signum sit vices gerens, & repræsentans signatum, substituensque pro illo determinatè vt potentiæ reddat præsens obiectum, necessario in ipsis visceribus & intima ratione talis substitutionis, & repræsentationis signati, vt determinata est, inuoluitur respectus aliquis ad potentiam, quia ad hoc substituit, vt potentiæ repræsentet.

Quomodo autem eadem relatio dicatur attingere in recto signatum, & potentiam in obliquo; *Omissis multis & variis explicationibus, illa adæquatior videtur,* quod signum respicit potentiam in obliquo, quatenus in ipso signato includitur esse manifestabile potentiæ, & ita cum signatum non respiciatur, vt est aliquid absolutè in se, vel secundùm alium ordinem, sed vt manifestabile, potentiæ, necessario ipsa potentia tangitur in obliquo ab illa relatione, quæ attingit signatum, non sub alia consideratione, quàm vt manifestabile potentiæ, sicut religio respicit pro obiecto formali cultum, vt exhibendum Deo, non quòd Deum respiciat in recto; sic enim esset virtus Theologica, sed cultum in recto, Deum verò in obliquo, quatenus Deus continetur in cultu vt terminus cui exhibetur, & religio respicit cultum vt subest illi termino, & non absolutè, vel sub alia consideratione. Et idem est in amicitia ordo ad bonum quod volo amico; nec enim terminatur ordo ille ad bonum volitum absolutè, sed vt est referibile amico, & amicus vt terminus illius boni in aliquo eandem relationem terminat, licet non vt obiectum directum, sed vt inclusum in obiecto directo, eo quod respicitur illud vt ad istud, & non absolutè. Verum quidem est, quod vt signum respiciat signatum hoc modo, id est, vt manifestabile potentiæ præsupponitur essentialiter, quod ipsum signum alia relatione respiciat potentiam, vel tanquam obiectum apprehensibile, vel tanquam forma constituens apprehensionem, si sit signum formale, & sic deseruiat ad deueniendum in notitiam alterius, vt signum instrumentale vel formale. Cæterum ista relatio signi ad potentiam, vt diximus in initio art. non est signi, vt signum formaliter, sed vt obiecti vel formæ, præsuppositiuè autem ad signum requiritur, quia etiam est obiectum mouens potentiam, & nisi moueat vt obiectum non manifestabit vt signum, formaliter autem vna relatio distinguitur ab alia. Et licet ex vi solius respectus ad signatum, in quo obliquè includitur potentia, cui manifestabile est, non exerceat repræsentationem nisi adiungatur motio potentiæ, vt obiectum motiuum est, tamen ex respectu illo ad signatum habet, quod illa motio significatiua sit, id est, vicaria, & substituens pro alio, quod significat, non principalis pro se.

Ex quo deducitur, apprehensibilitatem signi non esse ipsam rationem fundantem, cum esse apprehensibile seu cognoscibile sit ratio obiecti vt obiectum, quæ solum præsuppositiuè ad rationem signi requiritur, sed fundamentum esse ipsam rationem medij, quam habet ad significatum vt manifestabile potentiæ substituendo pro ipso in ratione mouendi & repræsentandi. Multo minus esse cognitum seu apprehensum in signo, quod aliqui vocant apprehensibilitatem proximam fundat, aut complet rationem signi, quia esse cognitum non pertinet ad rationem signi, sed ad exercitium eius, quando enim actu repræsentat actu est cognitum, non vt repræsentatiuum sit.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, Relatio signi ad signatum in signis naturalibus est realis, ad potentiam verò in eisdem est rationis, ergo non potest esse vnica relatio. *Antecedens pro prima parte constat ex præced. art. Pro secunda probatur*, quia relatio ad potentiam, est relatio signi inquantum apprehensibile est à potentia, sed relatio apprehensibilis, seu cognoscibilis ad potentiam cognoscentem est relatio rationis, etiamsi sit apprehensibile vt signum, quia esse apprehensibile, vel apprehensum siue in signo, siue in obiecto nihil reale ponit in ipso: cognitio enim seu apprehensio solum est realiter in potentia, in re vero apprehensa, quæcumque illa sit, non ponit realitatem. *Idem argumentum fit* ex diuerso modo, & specie relationis ad potentiam, & ad signatum, nam relatio signi ad signatum est mensurati ad mensuram, quia signatum est principale, pro quo substituit, & vices gerit signum, vt sæpè dictum est: signi verò relatio ad potentiam est è conuerso mensuræ ad mensuratum; signum enim respicit potentiam relatione non mutua, cum signum teneat se ex parte obiecti repræsentantis, & non se habet, vt mensuratum à potentia, ergo vt mensurans illam; potentia enim rem apprehensam non mensurat, sed ab ea mensuratur, quia ab ea perficitur.

Resp. Hæc argumenta & similia, quæ eodē modo multiplicantur, *probare* id quod à principio diximus, scil. quod relatio ad potentiā, & ad signatū, vt ad terminos directos nō est vna relatio, sed multiplex, neutra tamē est relatio signi formaliter, sed relatio directè respiciēs potentiā est relatio obiecti sub ratione, & formalitate obiecti, respiciens verò rem signatam directè est in ratione causæ vel effectus, aut alterius similis rationis, vnde res, quæ est signum determinatur, vt sit aliquid signati, & sic illud potius quam aliud repræsentet. Cæterum relatio ipsa signi formalissimè loquendo, vt signum est, respicit potentiam in obliquo,

quatenus non respicit signatum absolutè, sed vt manifestabile potentiæ, vnde non relatione rationis tangit hoc modo potentiam, licet enim signatum respiciat potentiam relatione rationis, vtpotè per modum obiecti, tamen esse manifestabile potentiæ in ipso signato aliquid reale est; est enim id, à quo vt ab obiecto perficitur potentia vt à cognoscibili, licet hoc reale, quod in signato datur, & à signo respicitur ad potentiam se habeat respectu quodam rationis; & quia signum attingit illud, vt potentiæ manifestandum, dicitur potentiam attingere in obliquo, quatenus virtualiter includitur in signato, quod est alicuius potentiæ obiectum. Et hoc modo non repugnat relationem realem, quæ terminatur ad signatum, terminari ad potentiam in obliquo & virtualiter, quia non ad ipsam potentiam directè terminatur, sed ad obiectum potentiæ, quatenus obiectum manifestabile, seu cognoscibile est ab ipsa, vbi totum quod attingitur actu & formaliter reale est, & solum potentia cuius est obiectum intrat ibi de connotato, & in obliquo, sicut scientia quæ agit de coloribus, vt sunt obiectum visus, & de aliis obiectis potentiarum realiter respiciunt talia obiecta, licet ipsa includant virtualiter ordinem ad potentias, quarum sunt obiecta, qui ordo est rationis in ipsis obiectis, non ordo scientiæ ad ipsa obiecta, rationis est. Ille verò respectus, quo signum respicit directè potentiam mouendo eam, tam ad cognoscendum se, quàm signatum, cuius gerit vices, respectus rationis est, sed distinctus à relatione, qua respicit signatum, quia est respectus obiecti, non formaliter signi, vt signum. *Et hinc patet ad secundum argumentum*, quod procedit de relatione, qua signum directè, & formaliter respicit potentiam, quæ est relatio mensuræ, seu obiecti mensurantis, non de relatione qua respicit signatum quatenus obiectum manifestabile potentiæ, vbi potentia solum in obliquo, & virtualiter attingitur, non per respectum rationis. Et sic signum non est mensura potentiæ, sed instrumentum signati ad illam.

Secundò arguitur. Termini isti scilicet *signatum* & *potentia* sunt distincti etiam in formalitate termini, cum vnus sit terminus, vt *quod*, & directè attactus, alius sit terminus, vt *cui*, distinguuntur ergo plus quam materialiter, quando enim signum habet plura signata inadæquata tunc se habet ad illa, vt ad plures terminos materialiter diuersos, ergo plus quàm materialiter distinguuntur in ratione terminorum *Potentia*, *& signatum*.

Confirm. Quia ex ordine ad potentiam distinguuntur specificè signa, vt patet in signo formali, & instrumentali, quæ sunt diuersa specie in genere signi, & non distinguuntur ex parte significati; possunt enim idem repræsentare conceptus, v.g. ignis & fumus, qui est signum ignis, sed distinguuntur ex modo se habendi erga potentiam informando, vel obiiciendo, ergo ordo ad potentiam habet se in recto, & non in obliquo in signo, siquidem illud specificat & distinguit. *Potest etiam è conuerso fieri hoc argumentum*, quia potest signum diuidi per diuersas species secundum ordinem ad signatum manente inuariato ordine ad potentiam, ergo signum est, quod sunt relationes distinctæ, alioquin variatâ vnâ variaretur & alia. *Antecedens verò constat*, nam diuersi conceptus variantur ex diuersis obiectis repræsentatis manente relatione ad potentiam eiusdem rationis in omnibus. *Confirm.* 2. Ratio signi & ratio imaginis in hoc differunt, quod imago non respicit potentiam cui repræsentet, sed exemplar seu ideam, cuius sit imitatio, si quid verò repræsentat potentiæ, per accidens est ad imaginem, signum vero per se respicit potentiam, vt cui repræsentet, ergo relatio ad potentiam signo est intrinseca, & de constitutiuo eius, cum essentialiter distinguat signum ab imagine. *Denique tertio confirmatur*, quia manet relatio ad potentiam in signo, destructa relatione ad signatum, vt patet quando signatum non existit, & tamen signum ducit potentiam ad notitiam illius, sicut antea, ergo respicit potentiam in ratione ductiui & significatiui, sicut antea, & sic manet relatio ad potentiam.

Resp. ad principale argumentum, quod signatum quod repræsentatur, & potentia, cui fit repræsentatio non sunt duo termini adæquati, & distincti in ratione termini, sed vnum terminum integrant, qui constat ex directo & ex obliquo, sicut in religione cultus, qui exhibetur, & Deus, cui exhibetur, non sunt duo termini adæquati, sed vnus terminus integer religionis, & credere Deo, & Deum, non sunt duo termini, sed vnus fidei, quatenus sic attingitur vnus terminus, quod non absolutè, & secundum se terminat, sed vt modificatur & respectiuè, seu connotatiuè se habet ad aliquid aliud, sicut signatum attingitur, vt repræsentabile potentiæ.

Ad 1. *Confirm. Resp.* Quod diuisio signi in formale & instrumentale est diuisio per diuersas species, quæ directè non sumuntur ex solo diuerso respectu ad potentiam, sed ex diuersa relatione ad signatum vt diuerso modo repræsentabile potentiæ, est enim repræsentabile aliquod obiectum duplici medio repræsentatiuo, scilicet medio *in quo*, & medio *per quod*, & primum fundat repræsentationem formalem intra potentiam informantem, secundum repræsentationem instrumentalem extra potentiam mouentem. Vnde in ipso signato repræsentabili inuenitur diuersa ratio seu fundamentum ad terminandum istas diuersas repræsentationes, seu modos repræsentandi in signis, licet res repræsentata materialiter sit eadem; & similiter præsupponit in ipsis signis diuersum modum mouendi, & repræsentandi potentiæ, scilicet vt obiectum extra, vel vt forma ad intra, hoc tamen præsuppositiuè se habet ad rationem signi, formalissima verò ratio se habet ad signatum, vt tali modo vel tali repræsentabile. *Et ex hoc patet ad alteram partem argumenti*, quod ordo ad potentiam, licet sit eiusdem rationis in diuersis signatis; non tamen requiritur quod distincta relatione attingatur, quia bene stat, quod relationes signi specie varientur ex diuersitate obiecti repræsentabilis, licet conueniant, seu non differant ex parte connotationis in obliquo inclusæ, sicut fides & opinio conueniunt in obscuritate, non in ratione specificante.

Ad 2. *Confirm. Resp.* Quod quia signum respicit signatum præcisè vt repræsentabile ad potentiam, vt vices eius gerens, & consequenter inferius ipso, imago autem respicit suum exemplar vt imitabile, & vt principium à quo originatur & exprimitur, & sic potest illi non inæqualis esse, ideò ex parte ipsius termini quem directè respiciunt, habent distinctas formalitates seu rationes formales terminandi, licet ad vnam sequatur ordo ad potentiam in obliquo, aut etiam præsupponatur, in alia non; & ita formalis ratio distinguens in vtroque est ratio signati vt sic, ratio exemplaris vt sic, non ipsa potentia directè attacta.

Ad 3. *Confirm. Resp.* Quod destructo ordine ad signatum, destruitur ordo ad potentiam, qui in ipso signato in obliquo, & connotato includebatur; quia tamen remanet fundamentaliter & virtualiter ordo iste in signo ad signatum non existens, remanet etiam fundamentaliter ille ordo ad potentiam, qui

qui cum signato vadit; formaliter tamen retinere potest signum rationem obiecti mouentis vel formæ repræsentantis, quæ est alia relatio à signo.

ARTICVLVS IV.

Qualiter diuidatur obiectum in motiuum & terminatiuum?

SVpponendæ sunt definitiones istorum obiectorum, quas 1. lib. Sum. tradidimus. Et illis suppositis,

Sit prima conclusio. *Obiectum in communi, vt abstrahit à motiuo, & terminatiuo consistit in hoc quod sit aliquid extrinsecum à quo sumitur & dependet intrinseca ratio, & species alicuius potentiæ vel actus, & hoc reducitur ad genus causæ formalis extrinsecæ non causantis existentiam, sed specificationem.* Vt conclusio intelligatur *aduerte*, ex Caiet. 1. p. q. 77. art. 3. quod aliquæ res sunt prorsus absolutæ in sui specificatione, & constitutione, à nullo extrinseco dependentes, vt substantia, quantitas, &c. Aliæ sunt prorsus relatiuæ, quæ totum suum esse habent ad aliud, & ab illo pendent vt à puro termino. Aliæ sunt mediæ inter istas, quæ in se quidem habent quidditatem & essentiam absolutam ita quod aliquid aliud habent, quàm respicere, & referri, tamen in sui constitutione, & specificatione dependent ab aliquo extrinseco, non ad respiciendum, sed ad agendum vel causandum, aut aliquid negotiandum. Et sic se habent potentiæ & actus, & habitus circa ea, quæ attingunt, dicunturque habere ordinem transcendentalem ad ea.

Et bene nota, quod aliud est rem aliquam esse omnino absolutam ab aliquo extrinseco in specificatione sua, aliud in existentia sua. In existendo enim nulla res est absoluta ab aliquo extrinseco, nisi solus Deus, qui est à se, reliqua sunt à Deo. At verò in præsenti loquimur de dependentia rei ab aliquo extrinseco in specificatione sua, & sic obiectum se habet ad potentiam, nec enim ad potentiam vel actum se habet, vt efficiens seu influens existentiam, id enim non ad obiectum pertinet, sed ad producens, ab obiecto autem pendet specificatio actus vel potentiæ secundum se, etiam existentia semota.

Denique differt obiectum ab idea, seu causa exemplari, etiamsi causa formalis extrinseca sit, tum quia idea est ad cuius similitudinem fit ideatum; obiectum autem non est id ad cuius similitudinem se habet potentia vel actus eius, tum quia idea dicit causam exemplarem per modum originis, obiectum autem non est principium originis respectu potentiæ, vel actus, tum denique quia idea est causa exemplaris efficax, & pro hac parte etiam causat existentiam, influit enim ad formandum rem in actu, & in singulari, sicque est in intellectu practico, qui se extendit ad opus, & ad existentiam effectus; obiectum autem non mouet quoad exercitium seu efficientiam, sed solum quoad formale, & quoad specificationem.

Sic ergo conclusio posita, sumitur ex D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 1. dicente, *Quod secundum rationem obiecti specificatur actus, & quod obiectum mouet determinando ad modum principij formalis à quo in rebus naturalibus specificatur actio.* Et 1. p. q. 77. artic. 3. dicit, *Quod obiectum ad potentiam passiuam comparatur vt principium, & causa mouens, ad actum vero potentiæ actiuæ comparatur, vt terminus, & finis ex his autem duobus*, inquit, *actio speciem recipit scilicet ex principio, vel fine, seu termino*, ergo sentit D. Thom. obiectum passiuæ & actiuæ potentiæ conuenire in hoc quod est specificare actum. Ac denique 2. de Anima lect. 6. circa finem. *Manifestum est*, inquit, *quod omne obiectum comparatur ad operationem animæ, vel vt actiuum vel vt finis; ex vtroque autem significatur operatio.* Vbi ly *omne* vniuersalem rationem obiecti explicat.

Et huius ratio est, quia licet potentia actiua & passiua fundentur in rationibus ita diuersis, sicut sunt actus & potentia, quia vna est ad agendum, alia ad recipiendum, vt optimè docet S. Thom. 1. p. quæstion. 25. articul. 1. tamen vtriusque obiectum conuenit in hoc quod est determinare, vel perficere extrinsecè potentiam vel eius actum, nam respectu potentiæ passiuæ constat, quod obiectum se habet, vt perficiens extrinsecè, cum reducat illam de potentia ad actum, comparatur enim ad illam vt principium actus eius, quod pertinet ad actualitatem & perfectionem. Ad potentiam autem actiuam comparatur vt terminus & finis, licèt autem quod est purè terminus non perficiat, sicut in relatiuis, eò quod relatio non tendit agendo, sed purè respiciendo, & similiter quod est purè effectus non perficiat, sed purè perficiatur, sicut creaturæ respectu Dei, quæ ita efficiuntur à Deo, quod ab earum terminatione non pendet, tamen in actibus creatis terminatio dat perfectionem actibus, quia si terminati non sint, perfecti non sunt, nec completi, sed quasi in via, & tendentia, perficiuntur ergo determinatione ipsa ad quam tendunt. Et ita dicit S. Thom. 7. de Potent. artic. 1. *Quod in ipso effectu, seu passione attenditur quoddam bonum & perfectio mouentis, sicut in vniuocis agentibus, quæ per suos effectus perpetuant esse speciei, & in alijs, quæ mota mouent, vel agunt vel causant, nam ex ipso suo motu ordinantur ad effectus producendos, & similiter in omnibus, in quibus quodcumque bonum causæ prouenit ex effectu.* Ita D. Thom. ex qua doctrina constat, quomodò obiectum terminatiuum possit esse perfectiuum potentiæ, vel actionis?

Secunda conclusio. *In obiecto motiuo etiam vt à terminatiuo distinguitur; saluatur vera ratio obiecti. Est contra aliquos*, qui existimant rationem obiecti in solo terminatiuo saluari, excludunt autem motiuum à ratione obiecti, quia dicit efficientiam; obiecto autem vt obiecto, non conuenit efficere, sed specificare.

Cæterum magna æquiuocatio committitur in illo termino *motiuum*, applicando illud solum causæ efficienti; cùm etiam aliis causis applicetur, sicut finis dicitur mouere, & obiectum propositum per voluntatem mouet illam, & exemplar mouet ad sui imitationem. Sic ergo distinguimus motiuum per modum exercitij, & per modum specificationis, & illud primum pertinet ad causam efficientem, hoc secundum ad obiectum formale. Et constat hoc ex D. Thom. locis cit. præc. conclus. ibi enim perspicuè docet S. Thom. obiectum motiuum specificare potentiam passiuam, & comparari ad ipsam vt principium mouens, & sic est prius suo specificato in via definiendi: ergo in ratione motiui habet veram rationem obiecti, & non efficientiæ; efficiens enim inquantum efficiens respicit esse rei, quod producit, non specificationem, nec definitionis principia, cum tamen Diu. Th. specialiter in 2. de Anima lect. 6. cit. dicat, *Quod obiecta sunt priora operationibus animæ in via diffiniendi*, & locutus fuerat tam de obiectis terminatiuis, quàm actiuis seu motiuis. Ratio ergo motiui non efficientiam dicit in obiecto, sed intra limites obiectiuæ formæ, id est, specificatiuæ continetur. *Ac denique confirmatur*, quia potentia passiua inquantum talis ab aliquo extrinseco specificabilis est, siquidem ex specie sua ordinatur ad illud, atque

adeo

adeo species eius non est omnino absoluta in se & independens ab omni extrinseco, quidquid autem non est omnino absolutum in se, sed ex sua specie ordinabile ad aliud, specificabile est ab illo, sed potentia passiua vt talis non comparatur ad extrinsecum specificatiuum vt ad terminum, sed vt ad motiuum, quia est in potentia, vt actuetur, non vt actualitas eius terminetur; est enim potentia passiua non actiua, ergo id quod est motiuum eius, est verè obiectum specificatiuum.

Dices, Saltem obiectum motiuum debet efficienter concurrere cum potentia ad actum, ergo ratio motiui in obiecto pertinet ad genus efficientiæ. *Resp.* hoc in primis non currere respectu omnis potentiæ, sed tantùm in potentia cognoscitiua, in qua est probabilius, quod species in genere efficientis concurrat ad actum cum potentia. Cæterùm hæc efficientia non est formalis & per se ratio speciei, quæ per se solum dicit, quod sit repræsentatiua & vicaria obiecti, à quo dependet actus in specificatione. Quod verò etiam dependeat effectiuè, quoad esse, non pertinet ad obiectum, quatenus obiectum, sed quia intrinsecè determinat, & actuat potentiam, quæ sic actuata & determinata influit effectiuè in actum, ideò sicut virtus potentiæ effectiua influit, etiam eius actualitas intrinseca, & determinatio obiecti influit.

Si autem inquiras. Quomodo intelligatur ratio motiui in causa obiectiua, supposito, quod non est mouens per modum efficientis? *Resp.* ex dictis quod est mouens quoad specificationem non quoad exercitium. Quod explicatur ex D. Thom. 1.2. quæst. 9. artic. 1. dicente, *Quod potentia seu vis animæ potest dupliciter esse in potentia, vno modo quantum ad agere vel non agere; alio modo quantum ad agere hoc vel illud, sicut visus quandoque videt quandoque non videt, & quandoque videt hoc puta album, quandoque aliud puta nigrum: indiget ergo mouente & determinante quantum ad ista duo. Et determinans seu mouens ad agere, vel non agere, dicitur mouere ex parte subiecti, seu exercitij; mouens autem ad agendum, hoc vel illud, dicitur mouere, & determinare ex parte obiecti.* Et ita subdit S.Th. *Quod obiectum mouet determinando actum ad modum principij form.* Distinguitur ergo mouere per modum agentis seu ex parte subiecti, & exercitij, quod pertinet ad genus causæ efficientis, à motione per modum obiecti motiui, quod reducitur ad genus causæ formalis extrinsecæ, quæ non consistit in alio, quam quod aliqua potentia vt eliciat actum talis, vel talis species indigeat actuari seu ordinari ad obiectum extrinsecum, non solum in terminatione actus, sed etiam in elicientia & principio illius, quia etiam vt eliciat potentia non est sufficienter determinata ad speciem actus, seu determinatur seu mouetur, & completur ab obiecto.

Ex quo sequitur, quod licet aliquando in obiecto motiuo, vt de facto moueat, interuenire debeat alicuius rei productio, quæ ad genus causæ efficientis pertinet; non tamen in hoc per se consistit formalis ratio obiecti mouentis, sed per accidens aut concomitanter se habet. Quod maximè contingit in potentiis cognoscitiuis, quæ non possunt moueri ab obiectis nisi imprimantur in eis & producantur effectiuè species: sed tamen productio effectiua specierum, non est causalitas obiectiua in ratione formali obiecti motiui, nam producere effectiuè species non pertinet ad rationem obiecti, vt patet in nostro intellectu, & in angelico, nam in nobis intellectus agens est, qui effectiuè producit species, non obiectum, & in Angelis Deus infundit species, quod est effectiuè eas producere, obiecta verò non agunt effectiuè in intellectum Angeli secundum sententiam S. Th. Et in omnium sententia constat Deum in scientia infusa producere seu infundere species effectiuè, non ab obiectis ipsis produci. Saluatur ergo ratio efficiendi species sine ratione obiecti specificantis, & è contra, ac proinde formalis ratio obiecti motiui specificantis non consistit in efficientia specierum.

Sequitur 2. Obiectum motiuum tantùm, non esse formaliter idem, quod signum instrumentale, neque obiectum terminatiuum, tantum, idem quod obiectum secundum, licet sæpè ista materialiter coïncidant. *Primum constat.* quia ratio obiecti motiui tantum, licet moueat ad aliud præter se, tamen non directè respicit signatum, quod repræsentet & cuius vices gerat, sed directè respicit potentiam, vt à se mouendam. Vnde habet se in linea obiecti coordinati potentiæ, non in linea repræsentationis vices gerentis pro alio, & coordinatæ rei repræsentatæ. Sunt ergo formalitates diuersæ, quia in recto diuersos terminos respiciunt, vt signum dicit rationem medij ductiui ad aliud obiectum motiuum, rationem principij mouentis potentiam. Vnde obiectum motiuum non dicit, quod sit aliquid inferius eo ad quod mouet, vt cum per ens reale mouetur quis ad cognoscendum ens rationis, & per Deum mouetur ad cognoscendum creaturas, & per essentiam Angeli ad cognoscendum eius accidentia; signum autem, vt signum semper est quid imperfectius re signata vtpote vices eius gerens & loco eius substituens in genere cognoscibili. Et inde est quod genus signi est relatio prædicamentalis, vt sup. diximus; ratio verò obiecti motiui non est relatio prædicamentalis cum obiectum non respiciat potentiam, sed ab ea respicatur, vtpotè secundum relationem mensuræ & mensurati, quæ non est mutua.

Secundum vero constat, cum per imaginem cognosco prototypum aut per vestigium bouem, sunt enim obiecta terminatiua tantum prototypus & bos, vtpotè per alterius obiecti species cognita, & tamen non sunt obiecta secundaria, sed principalia, vtpote primo, & per se intenta imago autem & vestigium, vt deducentia ad illa.

Vltima conclusio. Obiectum terminatiuum respectu potentiæ cognoscitiuæ, & appetitiuæ etiam habet rationem causæ formalis extrinsecæ. Est contra aliquos Recentiores, qui existimant, obiectum terminatiuum habere rationem puri termini, sicut terminus respectu relationis prædicamentalis. Sed conclusio posita sumitur ex D.Thom. 1.2. quæstion. 18. artic. 2. ad 2. vbi dicit, *Quod obiectum non est materia ex qua, sed circa quam, & habet quodammodo rationem formæ inquantum dat speciem.* Vbi clarè loquitur S.D. de obiecto terminatiuo, tam materia circa quam non est principium actus mouens potentiam ad eliciendum actum, sed terminans actum, quia circa illam versatur actus: ergo obiectum terminatiuum extrinsecè specificat, nam à termino sumit motus speciem suam, vt dicitur in 5. Physic. Sumitur etiam ex D. Thom. in 1. dist. 1. quæst. 2. art. 1. ad 2. vbi inquit, *Quod obiectum operationis terminat & perficit ipsam, & est finis eius:* Omne autem perficiens habet se formaliter respectu perfectibilis saltem extrinsece, & cum non sit perficiens deficiendo, sed terminando, dicimus quod se habet formaliter extrinsecè.

Deinde probatur. Quia obiectum terminatiuum non se habet vt purus terminus, sicut respectu relationis prædicamentalis; obiectum enim terminatiuum specificat potentiam actiuam, quæ non est relatio prædicamentalis, sed transcendentali ordine respicit obiectum, ergo obiectum non est purus terminus,

minus, aliàs solum terminaret relationem prædicamentalem, non transcendentalem. Quod vero non in alio genere causæ terminet & specificet, nisi in genere causæ formalis, ex eo deducitur, quia non se habet vt causa efficiens, cum non sit principium actionis, sed terminus, nec causa materialis, cum non sit subiectum recipiens, aut causa disponens. Nec finis, quia finis, vel est finis effectus, vel finis causa, seu id cuius gratia. Finis effectus vt effectus non specificat, quia vt effectus non perficit actum, vel potentiam actiuam, sed perficitur, seu fit ab ea, nec causat ipsam, vt effectus, sed ab ea causatur. Finis autem vt causa non specificat actum terminatiuè, sed mouet efficientem metaphoricè, & sic non respicit specificationem actionis, seu essentiale prædicatum eius, sed existentiã, ad illam enim mouet, ideóque vt finis inter circunstantias numeratur, vt obiectum verò specificare potest, vt constat 1.2. quæst.1. attic.4. vbi specificatio actus moralis sumitur à fine, vt est bonum & obiectum voluntatis. Et in quæstione 18. artic.6. & quæst. 19. artic.2. finis dicitur specificare inquantum obiectum actus interioris seu imperantis; est autem circunstantia actus imperati, qui est gratia finis. Si ergo vt finis specificet induit rationem obiecti, alia est ratio obiecti specificantis, alia finis mouentis, & sic specificatio pertinet ad genus causæ formalis extrinsecæ, motio finis ad finalizationem mouentem ad producendum res in esse, mouere autem ad esse & existentiam, est extra specificationem.

Ex his distingues, alias diuisiones obiecti, vt in *primarium* & *secundarium, formale* & *materiale*. Id enim quod per se, vel primò, aut formaliter specificat, seu est forma & ratio specificandi, dicitur per se obiectum, seu ratio obiecti; reliquum verò dicitur secundariò, seu per aliud & materialiter obiectum. Et ipsa ratio specificandi secundum se sumpta solet etiam dici *Ratio sub qua*, seu obiectum *quo*, vt autem consideratur in aliqua re afficiendo ipsam, dicitur res sic effecta *Ratio quæ* obiectum verò materiale obiectum *quod*. Exemplum facile est in pariete colorato & lucido respectu visus.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, *contra primam conclusionem*. Nam intellectus Diuinus, & eius potentia verè & propriè habent obiecta; versantur enim circa aliquid primò & per se, intellectus circa Diuinam essentiam; omnipotentia verò circa creaturas, & tamen non specificentur ab ipsis obiectis, nam Diuina potentia non specificatur à creaturis, alioquin ab illis haberet actualitatem, & perfectionem, sicut & speciem. Similiter neque essentia diuina specificat intellectum diuinum, nec enim ibi potest distingui specificatiuum & specificatum extrinsecum, sicut nec perficiens & perfectibile, actuans & actuabile; ergo non consistit in hoc, quod est specificare extrinsecè, ratio obiecti.

Resp. In Diuinis inueniri rationem obiecti seclusis imperfectionibus, id est, dependentia ab aliquo vt ab extrinseco specificante, & formaliter causante; nec enim datur ibi aliqua species seu specificatum, quòd sit causatum, & consequenter, neque datur ratio obiecti, quòd sit causa formalis extrinseca: sed ad actus ad intra scilicet ad intelligere, & velle datur ratio obiecti inquantum datur ratio intellecti & intellectiui in actu puro, quæ non sunt distincta, sed vnum & idem propter summam eminentiam, vt ex D.Thom. habetur 1.p. quæstion. 14. articul.2. & 4. Respectu verò potentiæ executiuæ ad extra, seu omnipotentiæ datur ratio obiecti, inquantum creaturæ sunt id, circa quod versatur potentia illa executiua Dei, vt purus effectus eius non vt perfectiuum & specificatiuum potentiæ, quæ à se habet omnem perfectionem.

Secundò arguitur contra rationem obiecti motiui, quam explicauimus. Nam loquendo de obiecto motiuo formaliter, vt motiuum est, vel ly *motiuum* dicit rationem motionis effectiuæ, vel formalis. *Si primum*, non est propriè & simpliciter obiectum, vt supra ostendimus, quia efficiens motio non dat specificationem, sed existentiam. *Si secundum*, non distinguitur ratio motiui à terminatiuo, quia vtrumque habet eundem modum causalitatis scilicet formalis, & sic eodem modo specificabit obiectum motiuum, & terminatiuum; nec enim ratio principij variat rationem causæ formalis extrinsecæ, atque adeò rationem obiecti non habet motiuum inquantum motiuum, sed in quantum conuenit cum terminatiuo in ratione specificandi extrinsecè, non inquantum rationem habet principij mouentis.

Confirm. Quia si obiectum motiuum inquantum motiuum dicit propriam rationem obiecti, sequitur non dari aliquam rationem obiecti in communi, in quo conueniant terminatiuum & motiuum; nec enim motiuo & terminatiuo potest dari alia ratio communis, nisi respicere potentiam tanquam aliquid extra illam; hoc autem etiam conuenit ipsi actui, qui est distinctum quid à potentia, & respicit ipsam specificando, & tamen non est obiectum eius, ergo ratio obiecti, vt sic, non consistit in hoc quod est respicere potentiam vt aliquid extrinsecum specificans.

Respond. Quod in obiecto motiuo, ly *motiuum* intelligitur de motione formali per modum principij respectu potentiæ passiuæ, vt supra dictum est, ita quod specificatio actus, & non solum exercitium, seu esse illius pendent à tali obiecto non ex parte terminationis, sed ex parte elicientiæ & principij. *Respond.* conuenire in genere causandi specificationem, sed non in modo neque in specie actus causata, sicut etiam diuersi habitus, & actus specificantur eodem modo specificationis in genere, sed non in specie; cum diuersæ speciei sint. Diuersus autem modus specificandi & diuersa specificatio sumitur, vt dictum est ex eo quod obiectum se habeat per modum principij vel termini, id est, à quo dependeat specificatio actus vel in sui elicientia, vel in sui terminatione, quia vt sæpè dicit S. Thom. 1.2.q.1.& q.18. *& alibi* à principio, & fine sumitur ratio actus. Vnde obiectum etiam inquantum motiuum specificatiuum est motione formali.

Ad confirm. Respond. Quod sicut potentia in communi abstrahit à potentia actiua & passiua, & conuenit in ratione principij actus, ita obiectum in communi abstrahit à motiuo & terminatiuo, & dicit extrinsecum specificatiuum potentiæ ex parte principij, vel termini. Actus autem vel non est omnino extrinsecus potentiæ cum procedat ab illa. Vel potius dicendum est quod in actu respectu potentiæ considerantur duo, scilicet, & ratio producti seu effectus, & sic non respicit potentiam specificando, sed ab ipsa recipiendo, esse, & speciem, & naturam vel consideratur ratio perficientis potentiam in agendo, & sic non specificat, nisi inquantum tenet se ex parte termini, in quo consummatur actualitas potentiæ, & hac ratione induit rationem obiecti terminatiuis, sicut alij effectus respectu suorum agentium inquantum perficiunt, & consummant illa in actu.

Tertiò arguitur. Obiectum eo modo est motiuum, quo potentia illud respiciens est passiua, nam obiectum vt motiuum correspondet potentiæ, vt passiua, sed potentia cognoscitiua in tantum est passiua inquantum recipit species, in qua receptione obiectum non influit vt obiectum, sed vt efficiens & imprimens, ergo ratio motiui non pertinet ad obiectum vt obiectum, sed ad rationem efficientis seu imprimentis species, siquidem in tantum se habet potentia passiua vt passiua, in quantum antecedenter ad actum patitur, & recipit species. In illo autem priori, quo potentia recipit species & mouetur, non obiicitur obiectum, quia non attingitur tunc vt obiectum, quando imprimuntur species.

Confirm. Quia obiectum vt motiuum, neque potest specificare actum, neque potentiam, ergo nihil specificat. *Antecedens probatur*; non specificat actum, quia illud solum est specificabile ab obiecto, quod est mobile ab ipso; actus autem non est mobilis ab obiecto cum sit effectus eius causatus à potentia, & ab obiecto, ergo non est specificabilis ab obiecto motiuo, quia motiuum, vt motiuum solum specificat mobile vt mobile. Neque potentiam specificare potest, quia obiectum non specificat potentiam, nisi mediante actu, vt docet D. Th. 1. p. q. 77. art. 3. ergo si non specificat actum, neque potentiam.

Respond. Quod potentia est passiua, & respectu agentis, seu imprimentis species, & respectu formæ impressæ. Forma autem impressa habet duo scilic. informare entitatiuè seu physicè, & hoc materialiter se habet in specie, & commune est cum cæteris accidentibus, & informare intentionaliter, id est, vt repræsentatiuè est idem cum obiecto, & sic obiectum informat in eo ordine, quo species scilicet formaliter, licèt obiectum extra, species intra potentiam; ipsa verò impressio effectiua specierum non est ab obiecto vt obiectiuè mouente, sed à producente species, quæ virtus productiua non semper conuenit ipsi rei, quæ est obiectum, sed alteri agenti, vt in nobis intellectus agens, in Angelis Deus infundens species. Quare ratio motiui in obiecto non est ratio imprimendi, vel efficiendi species, sed obiectiuè actuandi & determinandi potentiam mediante specie, vt intentionaliter, non vt entitatiuè tantum infoemante. Et hac ratione saluatur respectu intellectus Angeli obiectum motiuum, non quia mouet obiectum imprimendo species, sed quia determinat & actuat ipsam potentiam formaliter, vt repræsentatum in specie, Deus autem effectiuè illam infundit.

Ad Confirm. Respond. Obiectum motiuum specificare actum determinando seu actuando potentiam passiuam, quæ est mobilis ab ipso, & principiando, seu causando actum quoad specificationem, nam obiectum motiuum, quod specificat actum, non respicit actum, vt mobile à se, sed vt principiatum; potentiam verò, quam determinat respicit vt mobile. Vnde negamus quod obiectum motiuum specificet mobile, quod est quasi subiectum, sed specificat actum cuius est principium, quasi principiatum à se; actio enim vt dicit D. Th. specificatur à principio & fine, sed quia principiat actum mouendo ac determinando potentiam, vt eliciat talem speciem actus, dicitur obiectum motiuum.

Quartò arguitur contra rationem obiecti terminatiui, nam obiectum à nobis constituitur in ratione extrinseci specificatiui, sed terminus, vt terminus non specificat actum vel potentiam, ergo terminatiuum, vt terminatiuum non est obiectum. *Min. prob. primò*, quia aliàs terminus relationis prædicamentalis esset obiectum eius, quia specificat terminando. *Secundò*, quia specificatiuum actus, & potentiæ realis debet esse aliquid reale, cum species ab eo data realis sit; constat autem obiectum terminatiuum non semper esse aliquid reale, inuenitur enim ratio obiecti etiam in ente rationis, sicut de obiecto Logicæ diximus quæst. 1. Proœmiali. *Tertiò*, quia omne specificatiuum est causa formalis saltem extrinseca; omnis autem causa formalis est principium dans esse; forma enim est, quæ dat esse rei, ergo omne obiectum est principium inquantum obiectum & non terminus, quia est causa formalis specificans, & sic erit obiectum motiuum, quod per modum principij specificat.

Confirm. Quia obiectum motiuum, & terminatiuum analogicè participant rationem obiecti, ergo alterum simpliciter alterum secundum quid, & non vtrique conuenit simpliciter ratio obiecti. *Antecedens probatur*, tum quia vtrumque tam obiecto reali, quam rationis, tum quia potentia actiua, & passiua analogicè se habent in genere potentiæ, vt dicitur 9. Met. lect. 1. apud D. Thom. ergo & obiectum motiuum, & terminatiuum illis correspondens analoga sunt; vnde motiuum est quod simpliciter actuat, & informat, & sic analogicè dicitur vtrumque specificare, seu habere rationem formæ specificantis.

Respondetur ad principale argumentum negando minorem. Ad 1. prob. Resp. quod terminus relationis non specificat vt præcisè terminus est, sed vt subest fundamento, sine quo species relationum non sumitur, vt diximus quæst. 17. & constat ex D. Thom. in 1. distinct. 26. quæst. 2. artic. 3. obiectum autem per se in quantum obiectum specificat. *Ad 2. prob. Respond.* quod specificatiuum intrinsecum dans speciem realem actui necessario debet esse aliquid reale, specificatiuum autem extrinsecum non, quia non informando, & inhærendo specificat, sed tendentiam alterius terminando, vel ad elicientiam actus determinando extrinsecè, & ita sufficit quod media specie reali, quæ intrinsecè informat realiter, ipsam potentiam determinet ad actum, etiamsi obiectum ipsum in se reale non sit, vel realiter non existat. *Ad 3. probat. Respond.* Quod terminus secundum diuersam considerationem habet rationem causæ, vel effectus sicut causæ ad inuicem sunt causæ, & quatenus præcisè terminat per modum executionis, & effectus non specificat, sed speciem recipit, & existentiam, quatenus verò consideratur iste terminus, vt perficiens, & consummans in facto esse actum potentiæ, dat speciem terminando, & perficiendo, & sic consideratur, vt principium, & causa extrinseca dans esse consummatiuè, & finaliter non motiuè, & initialiter, est enim ratio perfectionis in actu, vt consummatæ, non vt initiatæ, & ita dicit S. Thom. 1. 2. quæstion. 33. artic. 4. ad 2. *Quod operatio causat delectationem vt causa efficiens, delectatio autem perficit operationem vt finis.* Vnde non coïncidit cum obiecto motiuo; præcedit etiam in intentione, licet in executione vt effectus sequatur, seu recipiat, non det specificationem.

Ad confirm. Negatur antecedens. Ad 1. prob. Respond. Quod obiectum esse reale, vel rationis solum facit differentiam in ratione entis, non in ratione obiecti, & cognoscibilis, & stat benè quod aliquid sit simpliciter obiectum, & simpliciter non sit ens, aliæ enim sunt differentiæ rerum in esse rei, & entis, aliæ in ratione obiecti, & cognoscibilis, vt bene aduertit Caiet. 1. p. q. 1. art. 3. & sic vniuocè conueniunt plura in ratione scibilis, & non in ratione entis, vel è contra, & similiter possunt cōuenire specificè

cificè in ratione scibilis, & non in ratione entis, vel è conuerso, vt plenius dicitur quæst. vltim. in libros Poster. nunc sufficit exemplum ponere in Logic. quæ vniuocè est scientia cum aliis, quæ agunt de ente reali, cum ipsa agat de ente rationis: & vniuocè conuenit Deus, & creatura in ratione scibilis Metaphysici, non in ratione entis, & quantitas, & substantia vniuocè sunt scibiles à Mathetica, & Physica, sicut ipsæ scientiæ vniuocè sunt scientiæ, non in ratione entis. Ratio enim scibilis solùm dicit connexionem necessariam veritatis, quæ vniuocè in ratione veri conuenit cum quacumque alia necessaria connexione, etiamsi in ratione entis non conueniant. *Et si dicas*, nã ista ratio cognoscibilis transcendens est ad istam, vel illam rationem cognoscibilis, ergo non vniuoca, *Resp.* quod cognoscibile in communi sicut verum, & bonum, & passiones entis est analogum ad hoc, vel illud cognoscibile per modum cuiusdam quidditatis prædicabilis. Cæterùm hoc, vel illud cognoscibile determinatum dicimus, quod vniuocũ esse potest respectu subiectorum, seu entium, quibus conuenit, licet illa entia vniuoca non sint entitatiuè, eo quod non consequitur ad ens, vt in se absolutè sumitur, sed comparatiuè ad potentiam cognoscentem, & potest esse idem modus comparandi in rebus non vniuocè conuenientibus secundum se.

Ad 2. probat. dicitur. quod Diu. Thom. apertè loquitur de potentia in ratione principij ad agendum, sic enim non conueniunt vniuocè potentia passiua, & actiua, quia passiua non principiat actum, nisi dependenter ab actiua, cum de se non sit in actu. Cæterũ in ratione specificabilis ab extrinseco principio vniuocè se habent passiua, & actiua potẽtia, cum vtraq; significationem sic dependentem habeat. Quod verò additur obiectum motiuum simpliciter actuare non terminatiuum. *Respond.* quod in specificando extrinsecè vtrumque simpliciter actuat, quatenus ab vtroque dependet in sui actione & perfectione potentia, vel actus, licet illud à quo potentia passiua mouetur, vt actus eliciatur magis in modo mouendi accedat ad actuationem formæ intrinsecæ, simpliciter tamen ab vtroque dependet specificatio.

ARTICVLVS V.

Vtrùm significare sit formaliter causare aliquid in genere efficiendi?

VT *punctus difficultatis clarè intelligatur, supponimus nos non* loqui in præsenti de signo, & significatione pro ipsa relatione, in qua formaliter signum consistit, vt supra ostendimus, nam relatio nullo modo est effectiua, sed purè respectiua ad terminum, respicere autem non est efficere. Loquimur ergo de fundamento signi, & significationis, quatenus repræsentat potentiæ cognoscitiuæ aliquid pro quo substituit, & vices gerit in repræsentando ipsum potentiæ. *Et inquirimus*, an ista deductio, & exhibitio, seu repræsentatio sui significati ad potentiam sit aliqua effectio, vel in quo genere causæ collocari debeat.

Possumus autem in ipso significare seu repræsentare distinguere tria, quæ videntur pertinere ad faciendam præsentiam obiecti in potentia: repræsentare enim, non est aliud, quàm facere obiectum præsens, seu vnitiũ potentiæ. *Primum* est emissio, seu productio specierum, quæ ab obiecto, & signo extrinseco fit in potentiam. *Secundũ* est excitatio potentiæ vt attendat, quæ distinguitur ab ipsa impressione specierum, nam etiam post receptas species indiget aliquis excitatione ad attendẽdum. *Tertium* est concursus cum potentia ad eliciendam notitiam rei significatæ, ad eliciendam notitia ad eliciendam notitiam rei significatæ, ad quem actum eliciendum concurrit signum extrinsecum mediante specie intrinsecè recepta, quatenus non solum concurrit, vt formetur notitia sui, sed etiam signati ad quod deducit. Cæterùm iste concursus cum potentia, non est significare, id est, mouere potentiam, & repræsentare quod facit signum, sed effectus eius, ex motione quippe signi sequitur cognitio in potentia concurrente obiecto, ad hoc enim mouet. Nec dubitamus quin ista repræsentatio signati, & deductio potentiæ ad ipsum attingendum cum sit aliquid de nouo in rerum natura, aliquam causam efficientem habere debeat, sed inquirimus, an prout pendet à signo pendeat in genere causæ effectiuæ: ita quod signum efficiat significationem, & significare in actu secundo sit efficere, an verò ab alia causa sit effectiuè, licet non denominet ipsam significantem, sicut florere dicit productionem florum non à quacumque causa effectiua concurrente ab arbore.

Sit vnica conclusio. *Significare, seu repræsentare nullo modo est à signo effectiuè, nec significare loquendo formaliter est efficere.* Itaque hæc propositio *signum efficit* nunquam est in 4. modo per se. Hæc conclusio quæ valde communis est inter recentiores Thomistas, qui illam quotidianis disputationibus agitare solent. In primis colligi potest ex D. Th. q. 11. de verit. a. 1. ad 4. Vbi inquit: *Quod proximum effectiuum scientiæ non sunt signa, sed ratio discurrens à principijs ad conclusionem.* Præcipuè tamen habet suum fundamentum in duobus principiis. *Primum est*, quod obiectum in quantum exercet causalitatem obiectiuam respectu potentiæ, & repræsentat se non effectiuè id facit, sed solum se habet, vt forma extrinseca, quæ ab alio efficiente applicatur & præsens redditur per species ipsi potentiæ; quod si ipsum obiectum etiam habet vim effectiuam se applicandi, id materialiter, & per accidens se habet, sicut in naturalibus forma præsentiam sui exhibet in materia, sed prout à forma non est illa præsentia effectiuè, sed formaliter, effectiuè autem fit ab applicante, & vnienre formam. *Secund. princip. est*, quod signum succedit, & substituitur loco obiecti in hac ipsa linea & ordine obiectiuæ causæ, non autem in ratione applicantis effectiuè, nec deducentis potentiam ad signatum modo effectiuo sed obiectiuo, non principali sed substitutiuo, ratione cuius signum dicitur instrumentale, non quidem quasi instrumentum efficientis, sed quasi substitutum obiecti, non informans sicut species, sed ab extrinseco repræsentans.

Prim. Princip. explicatur sic, quia ratio obiecti, vt vidimus *art. praced.* non consistit in hoc, quòd emittat & producat species sui in potentia cognoscitiua, &c. constat enim species aliquando infundi effectiuè à Deo, vt in Angelis, & sciẽtia infusa obiecto non imprimente effectiuè. Et radicalis huius ratio est, quia ratio obiecto saluatur in hoc, quòd aliquid sit repræsentabile & cognoscibile passiuè à potentia, esse autem repræsentabile passiuè de se, & vt sic non dicit virtutem applicantem & vnientem obiectum potentiæ, sed id quod vnitur & præsens fit, sicut enim repræsentare est præsens facere: ita repræsentari, & repræsentabile est præsẽs fieri. Si ergo ratio obiecti saluatur per hoc, quod sit repręsentabile, consequẽter hoc quod est facere repræsentationẽ actiuè extra rationẽ obiecti est, nec requisitũ ad rationẽ obiecti, sicut si forma consistit in hoc quod sit aliquid vnibile materiæ, vt informãs,

& sui præsentia intimans materiam, non potest consistere ratio formæ in hoc quod effectiuè applicet, & vniat se materiæ. Vnde obiectum à D.Th. comparatur formæ, seu actualitati, quâ potentia redditur actuata, & formata, intelligibile enim est actus intellectus, sicut docet 1.p.q.14.art.2.& q.79.art.2. & multis al.loc. Igitur repræsentare, seu facere præsens, non pertinet ad obiectum ipsum vt formaliter obiectum est, tanquam ad causam efficientem hanc præsentationem sed, vt ad formam, & actum qui potentiæ præsentatur & vnitur.

Ex eadem autem ratione, constat quod ad rationem obiecti non pertinet excitare effectiuè, tum quia hæc excitatio effectiuè fit ab alia causa, vel interius à Deo, vel exterius ab homine, aut alio proponente, & applicante obiectum sensui, tum quia in excitatione, obiectum est id, quod applicatur potentiæ, non verò requiritur quod sit ipsum applicans effectiuè. Denique ad productionem notitiæ obiectum intra potentiam positum per speciem potest effectiuè concurrere, non in vi obiecti, vt specificans est, sed in vi potentiæ determinatæ, & actuatæ per obiectum, ex quo & potentia vnicum principium constituitur in actu, non ipsum obiectum virtutem addit potentiæ effectiuam. Et iste concursus, seu productio cognitionis non est significare, sed significationis terminus & finis, mouet enim ad cognoscendum.

Secundum principium ex ipsa ratione propria signi vt signum est, *declaratur*, quia signum substituitur loco obiecti, vt ducat ipsum ad potentiam eo modo quo obiectum faceret per se in ratione obiecti. Etenim signum si sit instrumentale, & extrinsecum non aliter repræsentat signatum, quam repræsentando se vt obiectum magis notum, & signatum vt aliquid in se virtualiter contentum, seu vt ignotius ad quod dicit habitudinem, & connexionem aliquam. Ergo concursus eius ad repræsentandum signatum potentiæ est idem, atque ad repræsentandum se, quia repræsentando se repræsentat etiam signatum, vt pertinens ad se. Vnde emissio specierum, & excitatio potentiæ, eo modo pertinet ad signum sicut ab obiectum quando se repræsentat, scil. obiectiuè id causando, non effectiuè, quia non aliter signatum repræsentat, quàm prius se vt obiectum repræsentando, & ex se repræsentando ad aliud obiectum ducendo, & ideo vt signum non repræsentat obiectiuè absolutè, sed obiectiuè instrumentaliter, & vt deseruiens ad aliud. Si autem sit signum formale, constat quod non effectiuè, sed se ipso formaliter repræsentat, vt ex eius definitione constat, & patet in notitia, & conceptu, de quo seq. quæst.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò argui potest ex variis authoritatibus S. Thom. Nam in 3.p. quæst. 64. art. 4. ad 1. dicit: *Quod in voce est virtus quædam ad excitandum animum alterius proueniens in voce, in quantum procedit ex conceptione loquentis.* Hæc autem virtus de qua loquitur D. Thom. est virtus effectiua physicè, dicit enim ibi S. Thom. quod eo modo se habet vis spiritualis in Sacramentis, sicut illa vis excitatiua in voce, illa autem quæ est in Sacramentis vis effectiua est, est ergo & ista quæ est in voce ad excitandum, & consequenter ad significandum, significatione enim excitatio fit. Similiter in quæst. 11. de Verit. art. 1. ad 11. inquit D. Thom. *Quod verba Doctoris propinquius se habent ad causandum scientiam, quàm sensibilia extra animam, in quantum sunt signa intelligibilium intentionum*, ergo in quantum signa causant scientiam, non obiectiuè repræsentando, sed deducendo ad rem significatam. Item in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. ad 5. inquit: *Quod demonstratio quia est, quæ dicitur esse per signum à communi*, demonstratio autem effectiuè producit scientiam ratione materiæ, ex qua constat, non ratione secundæ intentionis, ergo signum ex quo constat demonstratio effectiuè influit in scientiam. Ac denique; in opusc. 16. §. Ostenso igitur, &c dicit: *Quod actio speculi quæ est repræsentare, non potest attribui homini*: Datur ergo repræsentare, seu significare, quod est actio.

Respond. ad 1. locum. D. Th. quod illa virtus excitatiua in voce non est ipsa significatio actualis, seu significare vocis, cùm potiùs ad hoc aliquis excitetur, vt ad vocis significationem attendat, sed est vsus ipse intellectus loquentis & manifestantis per vocem suum conceptum, vt Caiet. aduertit super dictum locum, qui vsus est aliquid præter significationem, cùm vocem ipsam significantem applicet vt alter attendat, & sic à proferente vocem, & vtente illa, procedit effectiuè talis excitatio, & excitatiua vis quasi energia quædam latens, à voce autem significante repræsentatiuè, & obiectiuè mouente. Et hanc vim excitatiuam. i. e. vsum vocis ab intellectu loquentis deriuatum comparat D. Thom. virtuoso illi motui, quo Deus mouet, & vtitur Sacramentis ad producendam gratiam, eò quod Sacramenta sunt sicut quædam signa, & voces Dei excitantis nos ad gratiam, ipsamque producentis: quæ vis longe distincta est à significatione ipsa Sacramentorũ superadditur enim illi sicut vsus vocis, & vis excitatiaa superadditur significationi vocis, & significatio seu repræsentatio ista prout à voce significante non est effectiuè, sed obiectiuè, vt autem vox mouetur à loquente, & excitante, vim habet effectiuam excitandi, non à repræsentatione ortam, sed à proponente, & mouente vocem significantem deriuatam, atque ita loquens se habet vt applicans vocem significantem ipsa applicatione effectiua, vox significans vt applicata, & significans repræsentatiuè. Nec debemus modo disputare, an illa vis & vsus vocis sit aliquid physicæ virtutis superadditum voci, vel quid morale, sufficit enim ad propositum, quod illa excitatio, vt effectiuè se habet siue moraliter, siue physicè non est ipsum significare, nec à signo, vt signum est procedit effectiuè, nisi fortè significatio ipsa, moraliter, seu metaphoricè, aut potiùs grammaticaliter dicatur actio, & efficientia.

Ad 2. locum ex q. 11. de veritat. Respond. S. Thom. dicere quòd proximius se habent verba Doctoris ad causandum scientiam, sed non ducit quod effectiuè se habet, sed sufficit quo repræsẽtatiuè, seu obiectiuè.

Ad 3. locum Resp. quod demonstratio procedens à signo supponit signum cognitum, & à fortiori repræsentatum, & ita ipsum repræsentare & significare signi non est efficere demonstrationem, aut producere scientiam, sed illa procedit effectiuè ab intellectu moto ab obiecto, & signo obiectiuè non effectiuè repræsentante, & sic dicit ipse D.Thom. q. 11. de verit. art. 1. sup. cit. ad 4. *Quod proximum effectiuum scientiæ non sunt signa, sed ipse intellectus. Ad vltimum locum Respondet.* Quod repræsentare dicitur actio speculi quasi præsuppositiuè non formaliter, quia speculum per refractionem luminis generat effectiuè imaginem, quæ repræsentat.

Secundò arguitur. In ipsa definitione signi instrumentalis includitur aliqua ratio efficiendi, ergo signum formaliter in quantum signum efficit. *Anteced probat.* ex illa communi definitione August. *Signum est quod præter species quas ingerit sensibus aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Vbi tam ingerere species, quàm facere aliud in cognitionem venire importat efficien

efficientiam, eodem enim motu, & causalitate qua ingerit species ad repræsentandum se, ducit ad cognitionem alterius, ingerere autem species est efficere, & producere illas, ergo, & ducere ad cognitionem alterius est effectiuè se habere, hoc autem ponitur in definitione signi, ergo essentiale est signo efficere in quantum signum, quod est significare, nihil enim aliud est effectiuè repræsentare, quàm efficere repræsentationem, efficit autem species quæ sunt repræsentationes, ergo repræsentat effectiuè.

Confirm. quia signo in quantum significat conuenit multiplex efficientia, sacramenta enim quæ sunt signa efficiunt in quantum significant, ergo formaliter in illis significare, est efficere, alioquin formaliter non essent signa practica, si in quantum significant non efficerent. Similiter conuenit signo in quantum significant excitare potentiam, species immittere, ad inferendam conclusionem influere, quod totum effectiuæ causalitatis est.

Respondet. quod illa duo in definitione signi posita, scilicet *Ingerere species*, & *Facere in cognitionem venire*, non dicunt significationem per modum efficientiæ, nam ingerere species, est commune signo, & non signo, nam etiam obiectum quod se repræsentat, & non se significat ingerit species, & hoc non facit obiectum effectiuè in quantum obiectum est, vt probauimus, vnde in hoc quod est, ingerere species, non potest consistere efficientia significationis. Quod si obiecta externa effectiuè imprimunt species, illa efficientia non constituit obiectum in ratione obiecti, sed prouenit à virtute aliqua, vel occulta, vt aliqui putant, vel manifesta, vt à luce in coloribus, ab aëre refracto in sonis, &c. In secundò autem, quod est facere in cognitionem venire, ly *facere* non dicit efficientiam ex parte signi, sed repræsentationem quasi obiectiuam, seu vice obiectiuam, quæ non dicit concursum efficientem, sed causæ formalis extrinsecæ, mouentis quidem repræsentatiuè ad sui cognitionem, sed præter hoc etiam ad alterius notitiam.

Ad confirm. Respond. omnem illam efficientiam, quæ in argumento numeratur esse extrinsecam & superadditam signo vt significanti, nec ad significationem per se requiri esto illi adiungatur, vnde nunquam in 4. modo per se *signum efficit.* Nam quod sacramenta efficiant in quantum significant, non est quia significatio formaliter sit effectio, sed quia significationi adiungitur, & alligatur efficientia, vel modo morali, quatenus practica sunt, & ab imperio Dei, & voluntate practica ministri procedunt non præcisè enuntiando, sed ad opus dirigendo, vel etiam modo physico, ex Dei imperio accipiendo virtutem ad producendam gratiam. Quod verò additur de excitatione potentiæ, & immissione specierum, iam dictum est, quod talis excitatio non conuenit signo vt signum est effectiuè, sed obiectiuè, seu vice obiectiuè, obiectiua autem causalitas ad formalem extrinsecam pertinet non ad efficientem.

Tertiò arguitur. Potest dari signum formale, quod denominatur tale, non ab ipsa relatione, quod formalissimum est in signo aliàs omne signum esset formale, quia dicit relationem, sed ab eius fundamento, quia scil. fundatur relatio signi in aliquo, quod informando potentiam repræsentat, vt conceptus, & notitia, ergo similiter, quia fundamentum signi instrumentalis efficit, scilicet immittit species, & excitat, vnitque potentiæ rem repræsentatam, poterit dici effectiuè significare, sicut formale signum dicitur significare formaliter. *Confirm.* quia signum verè dicitur instrumentale, ergo & effectiuum, quia causa instrumentalis ad effectiuam, reducitur, non ad formalem. *Nec valet dicere,* quod est instrumentalis Logica, non Physica. Nam instrumentum logicum est, quod mediante aliqua intentione rationis causat, signum autem præsertim naturale non causat media intentione rationis, sed realitate repræsentationis.

Respondet. verissimum esse, quod signum esse formale, vel instrumentale ratione fundamenti ipsius rationis signi desumitur, non verò ex parte relationis, Cæterum hoc fundamentum cum sit ratio ipsa manifestandi aliud ex parte obiecti, non repugnat quod in genere causæ formalis fiat ex parte obiecti, repugnat autem quod in genere causæ efficientis. Etenim ipsa ratio obiecti de se est actus, & forma potentiæ, & per accidens, quia entitatiuè intra potentiam esse non potest intentionaliter est per sua signa, quæ vices gerunt illius, vt sunt conceptus, & notitiæ. Vnde causalitas formalis extrinseca per se conuenit obiecto, quod verò aliquando fit intrinseca per se, vel per sua signa potentiæ coniuncta, & vnita non repugnat. At verò quod effectiuè potentiam moueat applicando, & præsentando obiectum extra lineam causæ obiectiuæ est, & ad aliam lineam causandi pertinet, non ad obiectum, vt obiectum vt sæpè diximus. Quod si obiectum etiam habeat vim effectiuam applicandi, & præsentandi obiectum, id erit per accidens, & materialiter, seu concomitanter non per se formaliter, & in 4. modo.

Quod si instes. Quid est ergo significare, & manifestare, si neque est excitare, neque emittere species, neque producere cognitionem effectiuè? *Respon.* quod est vice obiecti, seu signati reddere obiectum præsens potentiæ. Præsentia autem obiecti in actu primo, vel secundo in potentia pendet à multis causis à producente species, vel applicante obiectum effectiuè: à potentia generante notitiam, etiam effectiue, ab obiecto se præsentante formaliter extrinsece, seu specificatiue, à signo vt substituente vice illius in eodem genere causæ, non effectiuè.

Ad confirm. Respond. Quod signum dicitur instrumentale obiectiuè non effectiuè, id est vice obiecti vt dictum est. Et bene dicitur instrumentum logicum non physicum, non quia mediante intentione rationis operetur, sed quia non repræsentat, nec ducit potentiam ad significatum, nisi prius cognoscatur, & ita significat vt cognitum, id autem quod conuenit rei vt cognitæ dicitur logicè conuenire, quia Logica agit de rebus vt cognitis. Veritas autem est quod influxus iste signi non est effectiuus, sed obiectiuus, seu vice, & loco obiecti significati in eodem ordine, & linea, non in genere causæ effectiuæ, vt probatum est, & ita non reducitur hoc instrumentum propriè, sed metaphoricè, aut logicè.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in Brutis, & sensibus externis sit vera ratio signi?

CErtum est bruta, & sensus externos non vti signis per comparationem, & collationem, quæ discursum exigit. Sed *difficultas est*; an sine discursu detur propriè vsus signorum ad cognoscendum res significatas, quod vtique conducit ad intelligendum modum quo signum repræsentat, & significat potentiæ.

Prima concl. *Bruta propriè vtuntur signis, tam naturalibus, quam ex consuetudine.* Sumitur ex D. Th. q. 24 de

de verit. art. 2. ad 7. vbi dicit: *Quod ex memoria prateritorum flagellorum, vel beneficiorum contingit, vt bruta apprehendant aliquid quaſi amicum, & proſequendum, vel quaſi inimicum, & fugiendum.* Et videri etiam poteſt 1.2.q.40. art. 3. Et de ſignis naturalibus dicit qu.9. de verit. art. 4. ad 10. *Quod bruta exprimunt ſuos conceptus ſignis naturalibus.* Et de conſuetudine loquitur in 1. Met. lect. 1. oſtendens, quod aliqua animalia ſunt diſciplinabilia, vt ſcilicet per alterius inſtructionem poſſint aſſueſcere ad aliquid faciendum, vel vitandum, poſſunt ergo bruta vti ſignis ex conſuetudine. *Ratio huius,* præter quotidianam experientiam, qua vidimus bruta moueri ſignis, tum naturalibus vt gemitu, balatu, cantu &c. tum ex conſuetudine, vt canis vocatus nomine conſuetudo mouetur, qui tamen impoſitionem non intelligit, ſed conſuetudine ducitur, præter hoc inquam videmus bruta vno viſo in aliud diſtinctum tendere ſicut percepto odore inſequitur aliquam viam, vel fugit, viſo ramo, vel ligno tranſuerſo in via diuertit, audito rugitu leonis, tremit, aut fugit, & ſexcenta alia, in quibus non ſiſtit brutum in eo quod ſenſu exteriori percipit, ſed per illud in aliud ducitur, quod planè eſt vti ſigno, ſcil. repræſentatione vnius non ſolum pro ſe, ſed pro altero diſtincto à ſe. Et quod hoc etiam extendatur ad ſigna ex conſuetudine, ex ſupra dictis conſtat, quia cum aliqua bruta ſint diſciplinæ capacia, non ſtatim à principio aliqua percipiunt, quæ poſtea conſuetudine procedente cognoſcunt, vt canis non ſtatim à principio mouetur cum vocatur tali, vel tali nomine, & poſtea mouetur habita conſuetudine, ergo vtuntur aliqua bruta ſignis ex conſuetudine, nam ex impoſitione ipſa nominis non mouentur, quia non innoteſcit illis impoſitio ipſa, quæ ex voluntate imponentis dependet.

Dico ſecundò. *Non ſolum ſenſus interni, ſed etiam externi in nobis, & in brutis percipiunt ſignificationem, & vtuntur ſignis.* Et loquimur de ſigno inſtrumentali, nam de ſigno formali pendet ex dicendis ſequ. diſput. an ſpecies, vel actus cognoſcendi ſint ſigna formalia, & vtrum ſenſus externi forment aliquam imaginem, vel idolum loco conceptus. *Prob.* ergo concluſio, *primò* ex D. Tho. qui rem ſignificatam per ſignum docet videri in ipſo ſigno, vt patet quæſt. 8. de verit. art. 5. Cognoſcimus inquit, *Socratem per viſum dupliciter, & in quantum viſus aſſimilatur Socrati, & inquantum aſſimilatur imagini Socratis, & vtraque iſtarum aſſimilationum ſufficit ad cognoſcendum Socratem.* Et infrà, *Cùm viſus exterior videt Herculem in ſtatua ſua, non fit cognitio per aliquam aliam ſimilitudinem ſtatuæ.* Videatur etiam in 3. contra Gentil. c. 49. Cùm ergo imago & ſtatua repræſentent potentiæ ſua ſignificata per modum ſigni, ſi viſus exterior in ſtatua, & imagine non ſolum ſtatuam attingit, ſed etiam id, quod repræſentat imago, cognoſcit vnum minus notum per aliud notius, quod eſt vti ſignis.

Secund. prob. concluſio. Nam non eſt vlla ratio, cur negetur ſenſui exteriori, quod deducatur de vno ad aliud ſine diſcurſu, & collatione, ad vtendum autem ſigno, & ſignificatione non requiritur aliquid amplius, nec neceſſarius eſt diſcurſus, ergo vſus ſigni exterioribus ſenſibus attribui poteſt. *Maior prob.* quia ſenſus externus poteſt diſcernere inter vnum obiectum, & aliud ſuæ cognoſcibilitatis, v.g. viſus inter colorem album, & viridem, inter imaginem vnam, & aliam, v.g. quæ repræſentat Chriſtum, vel B. Virginem, poteſt etiam per proprium ſenſibile, v.g. colorem attingere, ſenſibile commune v.g. motum, aut figuram, & diſcernere inter vnum, & aliud, ergo poteſt in vno cognoſcere aliud, ſeu deduci ad aliud, quia ad hoc ſufficit vt ſciat diſcernere inter vnum & aliud, & cognoſcere vnum, vt continetur in alio, vel vt pertinet ad illud hoc autem ſufficit vt deducatur de vno ad aliud, quia ſi diſcernit inter vnum, & aliud & cognoſcit vnum vt continetur in alio, ſicut figuram vt afficit, vel afficitur colore, imaginem, vt in ſpeculo, Herculem in ſtatua: viride diſcernitur ab albo, nihil amplius requiritur, vt per vnum cognoſcat aliud, & deducatur de vno ad aliud. *Minor verò conſtat,* quia ſignum nihil aliud petit in ſua definitione, niſi vt repræſentet aliud à ſe, & ſit medium ducens ad aliud, quod verò fiat per diſcurſum, aut comparando, & cognoſcendo habitudinem vnius ad aliud non petit, alias neque in ſenſibus internis in brutis poſſet inueniri, & ſi requireretur diſcurſus formalis, neque Angelus ſignis vteretur, quod eſt falſum.

Eſt tamen obſeruandum. Quod ſenſus exterior non poteſt cognoſcre ſignatum ſeorſum à ſigno, & ſecundum ſe, ſic enim plerumque eſt abſens, & ſi præſens ſit, & cognoſcatur per ſignum vt ab ipſo diſtinctum requiret comparationem vnius ad aliud, alias quomodo ei conſtabit quod hoc diſtinctè, & ſeorſum ſumptum ab illo eſt ſignatum illius? Cognoſcit ergo ſignatum vt contentum in ſigno, & ad ipſum pertinens, & vt dicit D. Thom. Herculem cognoſcit in ſtatua, nec amplius requiritur ad ſignum, nec enim repræſentat ſignum de ſuo ſignato amplius, quàm quod in illo continetur, & ſic non eſt neceſſe illud cognoſcere ampliori, & perfectiori cognitione conferendo, & comparando ſignatum cum ſigno, vt diſtincta inter ſe, & ratione habitudinis vnius ad aliud, cognoſcitur tamen ipſum ſignatum ſic in ſigno contentum, ſicut cognoſcitur quod hæc eſt imago hominis, & non equi, illa Petri & non Pauli, quod eſſe non poſſet ſi ſignatum omnino ignoraretur.

Sed obiicies Signatum debet cognoſci, vt diſtinctum à ſigno, ſi enim cognoſcitur, vt idem cum ſigno, non deuenitur in cognitionem alterius à ſigno, quod requiritur ad rationem ſignificationis, ſed per viſum non videtur ſignatum diſtinctum à ſigno, verbi gratiâ, quando videtur imago D. Petri, non attingitur per viſum D. Petri, qui eſt abſens, & ille vt abſens eſt ſignatum, quidquid enim eſt præſens viſui non eſt niſi ſignum, & imago, ergo non attingitur ſignatum, vt diſtinctum à ſigno, & ſic non deuenitur à ſigno in ſignatum, ſed tota cognitio externa conſumitur in ſigno.

Hoc argumento aliqui conuincuntur ad aſſerendum, quod tunc ſolum ſenſus externus vtitur ſigno cum ſignatum eſt etiam ei præſens, non quando eſt abſens. *Sed obſtant huic ſolutioni duo. Primum,* quia D. Thom. fatetur quod qui videt ſtatuam Herculis, videt Herculem in ſtatua, & 5. cont. Gent. cap. 49. dicit, quod homo videtur in ſpeculo per ſuam ſimilitudinidem, conſtat autem quod homo, cuius ſimilitudo eſt in ſpeculo, poteſt eſſe retro videntem, & non ei præſens. *Secundum eſt,* quia ſi vtrumque ſcil. ſignum, & ſignatum præſentatur ſenſui, non manuducitur ex ſigno ad ſignatum, quod eſt ſeorſum, ſed ſignatum videt per ſpecies proprias, vt ſibi præſens eſt, & vt ſe præſentat viſui, ergo tunc non videtur ſignatum per ſignum, nec manuducitur oculus ex ſigno ad ſignatum, ſed vtrumque ſe ipſo manifeſtatur, niſi forte comparando ſignum ad ſignatum videatur, hoc eſſe ſignum illius. Sed hoc exigit actum comparantem, & cognoſcentem relationem ſub conceptu & formalitate reſpiciendi, & comparatiuè ad terminum, quod vtique ſenſui exteriori non conuenit.

Quare ſimpliciter reſpondemus, quod ſenſus cognoſcit ſignatum in ſigno, eo modo quo in ſigno præſens eſt, ſed non eo ſolum modo quo cum ſigno idem eſt, ſicut

sicut cùm videtur sensibile proprium v.gr. color, & sensibile commune, vt figura, & motus, non videtur figura vt idem cum colore, sed vt coniuncta colori, & per illum visibilis reddita, nec videtur seorsum color, & seorsum figura; sic cum videtur signum, & in eo præsens redditur signatum, ibi signatum attingitur vt coniunctum signo, & contentum in eo; non vt seorsum se habens, & vt absens: *Etsi instetur*, quid est illud in signato coniunctum signo, & præsens in signo præter ipsum signum, & entitatē eius? *Resp.* esse ipsummet signatum in alio esse, sicut res repræsentata per speciem est ipsummet obiectum in esse intentionali non reali: & sic sicut qui videret conceptum, videret id quod in conceptu continetur, vt repræsentatum in eo, & non solum id quod se habet vt repræsentans, sic qui videt imaginem externam, videt non solum munus, seu rationem repræsentantis, sed etiam repræsentatum prout in ea. Sed hoc ipso quod videt repræsentatum etiam prout in imagine, videt aliquid distinctum ab imagine, quia imago vt imago, repræsentans est, non verò repræsentatum, illud tamen videt vt contentum, & præsens in imagine non seorsum, & vt absens, & vnico verbo videt, vt distinctum ab imagine, non vt seperatum, & seorsum.

Ex dictis autem colligitur, in brutis, & in nobis reperiri rationem signi vniuocam, quia ratio signi non pendet ex modo, quo potentia vtitur illo discurrendo, vel comparando, aut simplici modo attingendo, sed ex modo quo signum repræsentat, id est, reddit præsens aliud à se obiectiuè, quod eodem modo facit, siue potentia simplici modo cognoscat, siue discursiuo.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimo *arguitur* ex Authoribus. Nam D.Th. 2.2. q. 110. art. 1. inquit: *Quod omnis repræsentatio consistit in quadam collatione, quæ propriè pertinet ad rationem, vnde & si bruta aliquid manifestant, sed non intendunt manefestationem*, non ergo bruta propriè vtuntur signis, & repræsentatione, nisi valde materialiter, & remotè, quatenus aliquid faciunt, vnde manifestatio sequitur, quod etiam facere possunt res inanimatæ. Item in qu.9. de verit. dicit, quod propriè loquendo signum non potest dici, nisi aliquid ex quo deueniatur in cognitionem alterius, quasi discurrendo, & ob id negat huiusmodi signa Angelis, ergo pari ratione negari debent brutis, quia discursu non vtuntur.

Resp. Quod in primo loco solum loquitur D.Th. de manifestatione & repræsentatione modo rationali, non modo naturali facta, de quo vide ibid. Caiet. Vnde subdit D. Th. *Quod bruta non intendunt manifestationem, licet aliquid manifestent*, ergo sentit quod aliquid significent, licet significationem non intendant, & sic talis significatio, vt intenta, collationem petit, & discursum, non significatio absolutè. Nec solum dicuntur significare, quia aliquid faciunt vnde significatio sequitur, sed quia significationem exercent, & signatum percipiunt, quod non faciunt res inanimatæ. Ad 2. locum Respond. Quòd dicitur signum propriè reperiri in cognitione discursiua, loquendo de proprietate perfectionis significandi, non de proprietate, quæ saluet essentiam signi absolutè, expressius quippe, & distinctius, cernitur ratio signi in discursiua cognitione, quàm in simplici, licet in hac etiam inueniatur, vt aliis locis S. Th. docet. Et Angeli etiam vtuntur signis, quia eminentialiter habent discursum, licet in nobis clarius id appareat.

Secundò arguitur, Ad vsum signi requiritur cognitio signi, & significationis eius, itemque requiritur cognitio signi, & signati ordinata, ita quod vna cognitio coordinetur alteri, & deducatur ex illa, alias non saluatur definitio, quod ex præexistenti cognotione sui aliquid aliud repræsentat; sed ista duo non saluantur sine aliqua cognitione collatiua, & discursiua, nam significatio alicuius percipi non potest, nisi percipiatur ordo, seu conuenientia ad alterum, cognoscere autem ordinem est cognoscere relationem, & comparationem, quod vtique sensus bruti cognoscere non potest, & multò minus sensus externus. Similiter si vna cognitio coordinatur alteri, & ex illa desumitur, ita quod deueniat ex vno ad aliud, hoc est discurrere, & collatiuè cognoscere, quod nullo modo sensibus brutorum conuenit.

Confirm. quia quando repræsentatur, vel apprehenditur aliquod obiectum in quo aliud continetur, simplex apprehensio solum sistit in obiecto immediato, & simplici modo proposito, alioquin simplex cognitio non esset, si de vno obiecto ad aliud transiret, & se moueret, ergo requirit potentiam cognoscentem collatiuè, & comparatiuè & plusquam simplici tendentia, omnes autem sensus in brutis simplici modo cognoscunt, & non collatiuè. Et suffragatur ipsa experientia in nobis, quod quando percipimus signum, & non vim significatiuam eius, necessaria est collatio signi ad signatum, vt ex signo eliciamus cognitionem signati, ergo cum in brutis collatiua vis non sit, nōn poterunt percipere vim signi naturaliter sibi ignoti, & sic non procedent ex consuetudine ad intelligendum signatum.

Respondet. Ad vsum signi non requiri duplicem cognitionem, nec quod ex vna cognitione deueniatur in aliam, sed sufficit quod ex vno cognito ad aliud cognitum deueniatur. Aliud autem est per vnum cognitum attingere alterum, aliud ex vna cognitione causare alteram. Ad rationem significationis sufficit, quod de vno cognito deueniatur ad aliud, sed non est necesse, quod de vna cognitione ad aliam. Vnde dicit Philosoph. *in li. de memoria, & reminisc.* quod idem est motus in imaginem, & in rem cuius est imago, quod D.Thom. ibi lect. 3. & 3. p. q. 25. art. 3. explicat de motu in imaginem non vt res quædam est, sed vt imago. i.e. vt exercet officium repræsentandi, & ducendi ad aliud, *sic enim est vnus, & idem motus in imaginem cum illo, qui est in rem*, inquit S. Th. quod optimè Cai. ibi intelligit de imagine considerata in exercitio imaginis, seu officio repræsentationis, non vt res quædam est in se quasi in actu signato. Et quod idem sit motus in imaginem, & in rem cuius est imago ex parte motus apprehensiui, seu cognitionis, vt Caiet. ibi aduertit, *communis est omnium consensus*, cum in cognitione vnius relatiui cadat correlatiuum, & sic non est necessarius discursus, sed simplex cognitio sufficit, vt visa imagine, seu signo res ipsa, quæ in signo continetur, & significatur, attingatur.

Et ad id quod dicitur de cognitione significationis, quod est cognoscere relationem aliquam, & ordinem. *Resp.* quod non est necesse in brutis ponere cognitionem relationis formaliter, & comparatiuè, sed exercitium eius quod fundat relationem sine comparatione, & collatione cognoscunt, sicut brutum cognoscit rem distantem ad quam se mouet, & recordatur rei præteritæ, & habet spem prædæ futuræ, vt docet S.Thom. 1. 2. q. 40. art. 3. sine hoc quod relationem futuri, aut præteriti, vel distantiæ cognoscat, sed cognoscit in exercitio id quod est distans, aut futurum, aut repræsentans, vbi fundatur relatio, quam formaliter, & comparatiuè non cognoscit.

Ad confirm. Respond. Quod in cognitione simplici sine hoc, quod transeat ad discursum, vel collationem, potest attingi non solum obiectum, quod immediatè proponitur, seu apponitur sensui, sed quod in eo continetur, sicut videt visus externus Herculem in statua, & species repræsentans coloratum etiam repræsentat figuram, & motum, aliaque sensibilia communia ibi contenta, & adiuncta, nec tamen ob hoc desinit esse simplex cognitio, licet cognitum non sit simplex, sed plura, alioquin non possemus simplici visione plura obiecta videre. Quod si possumus, cur non etiam ordinata, & vnum per aliud; Et consequenter signatum per signum, & vt contentum in signo. *Et ad experientiam illam dicitur* quod in signis, quorum significationem à principio non cognoscimus, tam nos, quàm bruta opus habemus consuetudine, sed nos assuescimus cum ratione, & discursu, illa verò in quantum eorum memoria roboratur aliquo pluries audito, aut cognito, v.g. tali nomine, præsertim si inde afficiuntur aliquo beneficio, vel nocumento, vnde recordentur ad fugiendum, vel prosequendum. Et sic memoria sufficit ad assuetudinem, & bruta, quæ non habent memoriam non assuescunt. Vide D. Thom. 1. Metaph. lect. 1. & 24. de veritat. art. 2. ad 7.

Vltimò arguitur; nam ouis, verbi gratia, audito rugitu non apprehendit leonem, nisi vt nociuum, non verò vt repræsentatur ex vi rugitus, ergo non vtitur rugitu vt signo. *Consequentia patet*, quia non potest vti aliquo signo nisi ad id quod ex vi talis signi repræsentatur, ergo si id quod apprehendit non ex vi talis signi repræsentatur, sed aliunde, non vtitur illo vt signo formaliter loquendo. *Antecedens verò probat.* quia ouis naturali instinctu apprehendit leonem, vt nociuum, ergo non ex præexistente cognitione, quod enim naturali instinctu cognoscitur, non ex præexistente cognitione attingitur, & sic leonem vt nociuum non per signum attingit, alio autem modo non attingit, quàm in quantum nociuum. *Confirm.* quia signum essentialiter est medium ductiuum ad cognitionem signati, sed media differunt ex diuerso ordine ad finem, ergo & signa, sed in hominibus, & in brutis signa non vniuoco modo ordinantur ad signatum, cum bruta non ferantur ad signatum cognoscendo ordinem, & relationem signi ad illud, sicut homines, ergo significare in illis, & in brutis, non dicitur vniuocè, sicut nec scire, aut disciplinari.

Respondet. Quod ouis audito rugitu apprehendit leonem, vt nociuum, & vt tale nociuum, magis enim fugit, & timet rugitum, quia leonis est, quàm clamorem lupi, vnde facit discretionem inter vnum, & aliud, quod non esset, nisi per illa signa duceretur in leonem, & in lupum, vt distinguuntur inter se, & diuerso modo nociua. Quod autem naturali instinctu formet iudicium de leone, & lupo fugiendo, non tollit quin id fiat ex præexistente cognitione, necessario enim in sensu externo debet præcedere aliqua cognitio, vel quæ videat leonem, vel audiat eius rugitum, vt æstimatiua ipsum vt inimicum apprehendat, & iudicet habent enim bruta iudicium, sed sine indifferentia, ideóque determinatum ad vnum, & ex instinctu naturali, qui instinctus cognitionem iudiciumque non excludit, sed indifferentiam de quo videri potest S. Thom. 1. p. quæstion. 83. art. 1. & 24. de verit. artic. 1. ad 7.

Ad confirm. Resp. Quod signum, & significare desumitur vniuocè per ordinem ad signatum, vt manifestabile potentiæ, quod verò id fiat tali vel tali modo, quo potentia vtitur signo, non reddit analogiam, aut æquiuocam rationem signi ex genere manifestandi, sed diuersum modum potentiæ in cognitione, & vsu signi. Nec est simile de scire, & repræsentare, quia scire formaliter dicit cognitionem secundùm rationem, & consequentiam, quod bruto non conuenit, repræsentare autem significando præcisè dicit manifestationem vnius per aliquod medium, non determinando quòd sit per consequentiam, seu rationem.

CONSEPTARIVM APPENDIX est tota quæstione.

COlligendo quæ de signi natura, & ratione in *hac quæstione* diximus, constat qualis sit definitio signi, & quæ sint conditiones ad ipsam requisitæ, quomodo item ab imagine, & aliis manifestatiuis aliorum differat ratio signi.

Et quidem definitio signi in communi essentialis est. Definiuimus autem signum in communi abstrahendo à signo formali, & instrumentali, scilicet quod *Repræsentat aliquid aliud à se*, nam illa definitio, quæ ex August. circumfertur, *signum est quod præter species quas ingerit sensibus aliquid aliud facit in cognitionem venire*, solum traditur de signo instrumentali. Definitio autem posita traditur à D. Thom. in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. ad 5. & q. 2. vbi inquit: *Quod signum importat aliquid manifestum quoad nos, quo manuducimur in alterius cognitionem.* Et quæst. 9. de Verit. art. 4 ad 4. inquit: *Quod signum communiter loquendo est quodcunque notum in quo aliud cognoscitur*, vbi ly *communiter* est idem, quod in communi.

Hæc definitio est essentialis, eo modo, quo relatiua dicuntur essentialiter definiri per sua fundamenta, & in ordine ad terminum, à fundamento enim, & termino specificatur actio. Ratio autem repræsentatiui non consistit in formali relatione prædicamentali, quia datur repræsentatiuum etiam non existente termino, vt patet cum mortuo Imperatore repræsentatur ab imagine ratio; ergo repræsentatiui manet, relatione non existente, & sic formaliter relatio non est, sed in signo est fundamentum relationis, quatenus se habet ad alterum, & fundat alterius repræsentationem, & non sistit in se. Et sic traditur fundamentum signi per genus, & differentiam, nam *Repræsentatiuum* est genus, siquidem est commune ad id quod repræsentat se, vt obiectum mouens ad sui cognitionem, & id quod repræsentat aliud à se vt signum, & est inferius ad esse manifestatiuum, quia plura manifestant, & non repræsentant, vt lux quæ manifestat illustrando non repræsentando, & habitus, qui etiam dicitur lumen, ac cætera, quæ effectiuè manifestant, sed non repræsentatiuè & obiectiuè.

Ex quo colliges, quòd in definitione signi ly *repræsentat* sumitur strictè, & formalissimè scilicet pro eo quod repræsentat, ita quod non alio modo manifestat, nisi repræsentando, id est, ita ex parte obiecti repræsentantis se tenet, quod solum in repræsentando ei deseruit, nec alio modo manifestat, quàm repræsentando. Vnde excludes plura, quæ repræsentant aliud à se, & non sunt signa, & concludes signum debere esse ita notius, & manifestius signato in repræsentando, quod in essendo, & in ratione cognoscibili sit illi dissimile & inferius. *Primum patet*, quia multa manifestant alia à se continendo illa, aut illuminando, aut causando, aut inferendo, & sic non solùm repræsentant, sed illuminant, & in vi connexionis alicuius ostendunt, non vi puræ repræsentationis, id est, in officio præsentandi & obiiciendi potentiæ vice alterius. Sic præmissæ vt inferentes non significant conclusionem (licet ali

aliquando ex ſigno deducatur demonſtratio, ſed ibi ſignificare materialiter ſe tenet) ſic lux non ſignificat colores, ſed manifeſtat, ſic Deus non ſignificat creaturas, licet repræſentet, qui non purè repræſentando, & vices earum gerendo, ſed etiam vt cauſa continet, & lumine ſuo manifeſtat. Quare impoſſibile eſt, quod detur aliquid manifeſtans alterum purè in repræſentando, niſi ſit eo inferius & minus illo, quod repræſentatur. Diſſimile verò eſſe debet, quia notius & manifeſtius, aliàs ſi æquè manifeſtum eſt, non eſt maior ratio quòd hoc ſit ſignum iſtius, quàm hoc alterius; inferius autem & minus, quia æquale, vt vidimus eſſe non poteſt; ſi autem ſit ſuperius continebit aut cauſabit illud, non autem purè repræſentabit, & vices eius geret, id enim quod ſuperius eſt, non repræſentat aliud, niſi cauſet illud, alioquin homo repræſentaret omnia ſibi inferiora, & ſupremus Angelus omnes res mundi. Si autem repræſentat alterum, quia continet ſuperiori modo, & cauſat illud, non purè & præcisè repræſentat vice alterius, & ſic non eſt ſignum.

Ex quo colliges, quæ conditiones requirantur ad hoc, vt aliquid ſit ſignum; eſſentialiter enim conſiſtit in ordine ad ſignatum, vt ad rem diſtinctam, manifeſtabilem potentiæ, & ſic ſignatum & potentia non ſunt ex conditionibus requiſitis, ſed ex eſſentiali ratione. Similiter requiritur ratio repræſentatiui, ſed ex parte fundamenti, ideóque repræſentatiuum vt ſic non eſt relatio prædicamentalis, etiamſi alterius repræſentatiuum ſit, ſed transcendentalis, & in ſigno fundat relationem menſurati ad ſignatum, quæ prædicamentalis eſt. Requiruntur ergo præter iſta, ſeu conſequuntur tres conditiones iam dictæ. *Prima*, quòd ſit notius ſignato, non ſecundùm naturam, ſed quoad nos. *Secunda*, quòd ſit inferius, ſeu imperfectius ſignato. *Tertia*, quòd ſit diſſimile ipſi. Vnde ſequitur, quòd vna imago non dicitur ſignum alterius imaginis, nec vnum ouum alterius oui, & quæcumque eiuſdem ſpeciei, in quantum talia non ſe habet vnum vt ſignum alterius, quia vtrumque eſt æque principale. *Nec obſtat*, quòd vna imago tranſcribatur ex altera, id enim per accidens eſt ad rationem ſigni, ſicut etiam vnus homo ſit ex altero, nec eſt ſignum illius, licet ſit imago; vtraque enim imago in ratione ſignificandi, habet idem prototypum, licet vna imago poſſit haberi, vt excellentior alterâ, quia antiquior vel melius fabricata, quod per accidens eſt. Vnus autem conceptus poteſt repræſentare alium, vt reflexus directum, ſed differunt ſpecie, cum diuerſa obiecta ſpecie repræſentent, ſcil. vnus obiectum extra, alius ipſum conceptum ad intra.

Si autem quæras. Quomodo ergo vnum ſimile repræſentat, ſeu manifeſtat aliud ſimile. *Reſpondetur*. Quod repræſentat aliud, vt correlatiuum, non vt repræſentatiuum, id eſt, ea generali ratione, qua vnum relatiuum dicit ordinem ad correlatiuum, illudque includit, quia ſunt ſimul cognitione correlatiua, non ea ſpeciali ratione, qua vnum repræſentatiuè ſe habet ad aliud, & munus exercet præſentandi alia obiecta potentiæ.

Denique innoteſcit ex dictis, quomodo differant ſignum & imago. Nam imprimis, nec omnis imago eſt ſignum, nec omne ſignum imago; poteſt enim imago eſſe eiuſdē naturæ cum eo cuius eſt imago, vt Filius cum Patre etiam in Diuinis; & tamen non eſt illius ſignum; multa etiam ſigna non ſunt imagines, vt fumus, ignis, gemitus doloris. Ratio ergo imaginis conſiſtit in hoc quod procedat ab alio vt à principio, & in ſimilitudinem eius, vt docet Sanctus Thomas 1. parte quæſtione 35. & quæſtione 93. & ita ſit ad imitationem illius, poteſtque eſſe ita perfectè ſimilis ſuo principio, vt ſit eiuſdem naturæ cum ipſo. De ratione verò ſigni non eſt, quod procedat ab alio in ſimilitudinem, ſed quòd ſit medium ductiuum illius ad potentiam, & ſubſtituat pro illo in repræſentando, vt aliquid eo imperfectius & diſſimilius.

QVÆSTIO XXII.

De Diuiſionibus Signi.

POST explicatam rationem, & naturam ſigni, ſequitur conſideratio de diuiſione eius, quæ duplex eſt, altera in formale, & inſtrumentale, altera in naturale, & ad placitum, & ex conſuetudine, & de vtraque in hac quæſtione agendum eſt.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ſit vniuoca & bona diuiſio ſigni in formale & inſtrumentale?

DE ſigno inſtrumentali quod verò & propriè ſit ſignum, nullus dubitat; nihil enim manifeſtius, quàm inſtrumentalia & exteriora ſigna, verè eſſe ſigna. Sed *tota difficultas eſt* circa ſigna formalia, quibus formatur & informatur potentia cognoſcitiua ad manifeſtationem obiecti, eiuſque cognitionem. Et tota difficultas deuoluitur ad hoc, quomodo ſigno formali conueniat ratio medij ductiui potentiæ ad ſignatum, & quomodo conueniant ei conditiones ſigni, præſertim illa, quod ſit imperfectior ſuo ſignificato, & dicatur res imperfectius cognoſci per ſignum, quàm ſi in ſeipſa & immediatè cognoſcatur & repræſentetur. *Et ratio eſt*, quia ſignum formale cum ſit ipſa notitia vel conceptus rei, non ponit in numero cum ipſamet cognitione, ad quam ducitur potentia: vnde non poteſt habere rationem medij ad hoc vt potentia reddatur cognoſcens, & vt obiectum ex non manifeſto, fiat manifeſtum, ſiquidem eſt ipſa ratio & forma cognoſcendi, & ſic ſignum ad hoc ducit vt conceptus, notitiáque ponatur in potentia, fiatque cognoſcens; non verò ipſe conceptus medium eſt ad cognoſcendum; imò æquè immediatè dicitur aliquid cognoſci quando cognoſcitur in ſeipſo, & quando cognoſcitur mediante conceptu, vel notitia; conceptus enim non facit cognitionem mediatam.

Vt breuius, & clarius res iſta percipiatur, aduerte ex D. Thom. in 4. diſt. 49. art. 2. ad 1. & quolib. 7. art. 1. quod medium in cognitione eſt triplex: *Medium ſub quo*,

vt lumen sub cuius illustratione res aliqua videtur; *Medium quo*, scilicet species qua res videtur; *Medium in quo*, scilicet id in quo alia res videtur, vt in speculo video hominem. Et hoc medium *in quo* potest adhuc esse duplex, *quoddam materiale*, & extra potentiam, scilicet illud in quo est similitudo seu imago alterius, vt in speculo imago hominis, *aliud formale & intrinsecum*, sicut species expressa, seu verbum mentis, in quo res intellecta cognoscitur. Et primum medium *in quo*, facit cognitionem mediatam, id est, ex alio cognito, vel cognitione deductam, quæ pertinetque ad signum instrumentale, secundùm verò medium cognitionem mediatam non constituit, quia non duplicat obiectum cognitum, neque cognitionem. Cæterum verè & propriè est medium repræsentans obiectum non vt medium extrinsecum, sed vt intrinsecum & formans potentiam. Etenim repræsentare non est aliud, quam reddere præsens & coniunctum obiectum potentiæ in esse cognoscibili, siue per modum principij in specie impressa, quæ ex parte principij se tenet, quia ex ipsa & potentia procedere debet cognitio, siue èx parte termini in specie expressa, quæ ex parte termini se tenet, quia in ipsa obiectum proponitur & præsentatur vt cognitum, & cognitionem terminans intra potentiam, intra quam induit rationem obiecti. Redditur autem obiectum præsens seu repræsentatur potentiæ non seipso immediatè, sed mediante conceptu, vel specie, est ergo medium in repræsentando, id quo sic redditur obiectum repræsentatum, & coniunctum potentiæ.

Dico ergo primò, in sententia S. Thom. probabilius est signum formale esse verè & propriè signum, atque adeo vniuocè cum instrumentali, licet in modo significandi valde differant. Et pro mente S. Doctoris declaranda, expendendum est, quod aliquando loquitur de signo, vt præcisè exercet officium repræsentandi aliud à se, & sic tribuit formali rationem signi simpliciter: aliquando loquitur S. Thomas de signis, quæ tanquam res obiectæ, & prius cognitæ ducunt nos ad aliquod signatum, & in tali acceptione docet signum principaliter inueniri in sensibilibus, non in spiritualibus, quæ minus manifesta nobis sunt, vt loquitur in 4. distinct. 1. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. & 3. par. q. 60. art. 4. ad 1.

Quod ergo signum formale simpliciter, & absolutè sit signum, *deducitur primò* ex quodlib. 4. art. 17. vbi inquit: *Quod vox est signum, & non signatum; conceptus autem est signum & signatum, sicut & res*; sed secundùm D. Thom. non potuit conceptus esse signum instrumentale, vt de se patet, cum non sit obiectum extrinsecum mouens, ergo attribuit ei rationem signi in quantum signum formale. Item in q. 4. de Verit. art. 1. ad 7. sic inquit: *Ratio signi per prius conuenit effectui, quàm causæ, quando causa est effectui causa essendi, non autem significandi, sed quando effectus habet à causa non solùm quod sit, sed etiam quod significet, tunc sicut causa est prior, quàm effectus in essendo, ita in significando, & ideo verbum interius per prius habet rationem significationis, quàm verbum exterius.* Ita D. Thomas, vbi loquitur absolutè de quocumque verbo mentis, & rationem signi illi attribuit, quæ instrumentalis esse non potest, cum extra potentiam non sit, nec moueat vt dictum est. Ac denique in *quæst. 9. de Verit. art. 4. ad 4.* inquit: *Quod signa in nobis sunt sensibilia, quia nostra cognitio, vt discursiua est, à sensibus oritur. Sed communiter possumus signum dicere, quodcumque notum, in quo aliud cognoscatur. Et secundùm hoc forma intelligibilis potest dici signum rei, quæ per ipsam cognoscitur; & sic Angeli cognoscunt res per signa, & vnus Angelus per signum alteri loquitur.* Ita Diuus Thomas, vbi quando dicit signum communiter possumus dicere, &c. ly *communiter* non est idem, quod impropriè, & non verè, sed secundùm communem rationem signi, veram tamen, & non sub ea appropriatione, qua nos vtimur signis secundum nostrum modum cognoscendi deueniendo de vno ad aliud, & formando cognitionem imperfectam, aut discursiuam ex signo ad signatum, & ita quoad modum cognoscendi cum quadam maiori proprietate inuenitur ratio signi in signo externo, & instrumentali, quatenus ibi manifestius exercetur ducere de vno ad aliud duplici existente cognitione, alterâ signi, alterâ signati, quàm vnica solùm, sicut in signo formali inuenitur. Vnde tandem D. Thomas hoc vltimo loco citato solut. ad 5. dicit: *Quod de ratione signi propriè accepta, non est quod sit prius, vel posterius naturâ, sed solummodo quod sit nobis præcognitum.* Ex quo sit, quod ad saluandam proprietatem signi, sufficit saluare, quòd sit præcognitum quod in signo formali reperitur, non quia sit præcognitum vt obiectum, sed vt ratio & forma, qua obiectum redditur cognitum intra potentiam, & sic est præcognitum formaliter non denominatiuè.

Et ex hoc sumitur fundamentum conclusionis, quia signo formali conuenit propriè & verè esse repræsentatiuum alterius à se, & ex natura sua ordinatur ad hanc repræsentationem tanquam substituens loco rei seu obiecti, quod reddit præsens intellectui, ergo saluat essentialem rationem signi. Conseq. patet, quia saluat genus & differentiam signi, nam genus est esse repræsentatiuum, & differentia, quòd sit alterius à se, per modum alicuius magis noti, & substituentis pro alio, atque adeò illi non æquale, sed imperfectius & deficiens. Hoc autem totum inuenitur in signo formali, nam conceptus, v.g. hominis repræsentat aliud à se, scilicet hominem & est notior non obiectiuè, sed formaliter, siquidem hominem reddit notum & cognitum, qui sine conceptu latens est, & non præsentatus intellectui, & eadem ratione est prius cognitum, formaliter, id est, habet se, vt ratio, qua obiectum redditur cognitum; id autem quod est ratio, vt aliquid sit tale, inquantum ratio & forma, est prius eo, eo modo quo forma est prior effectu formali, si ergo conceptus est ratio, vt res sit cognita, prius est prioritate formæ ad subiectum, & rationis denominantis ad rem denominatam. Similiter non est æquale ipsi obiecto repræsentatio, sed inferius, & imperfectius illo, vt in conceptibus creatis patet, quia conceptus creati sunt intentiones ex natura sua ordinatæ, & subordinatæ obiectis, vt loco illorum substituant & vices eorum gerant ex parte termini repræsentati, & cognoscendi à potentia, ergo sunt inferiores obiecto vt obiectum illorum est, quia semper obiectum se habet, vt principale, & conceptus verè præsentans, & eius gerens vices, & sic inesse intentionali semper est inferius, licet aliunde in ratione spiritualis entitatis possit aliquando conceptus superare obiectum. Et quando dicimus obiectum esse principalius, & perfectius loquimur de obiecto primario, & formali conceptus, nam obiectum materiale & secundarium habet se accessoriè, nec est necesse quod sit perfectius, cum pro illo non directè, & perfectius substituat conceptus.

Denique non obstat, quod conceptus non videtur ponere in numero cum obiecto repræsentato, siquidem res in conceptu videtur, & non extra, nam licet modo repræsentatiuo videatur fieri vnum ex conceptu repræsentante, & obiecto repræsentato; tamen hæc vnitas non destruit verum & proprium esse præ-

sent-

præsentatiuum & significatiuum, imò quanto magis repræsentatio est vnum cum re repræsentata, tanto melior & efficacior est repræsentatio; nec tamen peruenit in nobis conceptus quantumcumque perfectus ad identitatẽ cum repræsentato, quia nunquam peruenit ad hoc, quod repræsentet se, sed aliud à se, quia semper se habet vt vicarium quid respectu obiecti, semper ergo retinet distinctionem inter rem significatam, & ipsum significans. Aliud est in Diuinis; verbum enim quia est summa repræsentatio in actu puro ex vi tantæ repræsentationis peruenit ad identitatem cum essentia diuina repræsentata, & ita amittit rationem signi, de quo D. Thom. 1. part. quæst. 27. art. 1. Et ex hac eadem ratione, conceptus seu species expressa retinet rationem medij quantum sufficit ad rationem signi; habet enim rationem medij *in quo*, quia nunquam se, sed aliud à se repræsentat, vt tenet se ex parte termini cognitionis, non ex parte principij, sicut species impressa. Sed quia non est terminus vltimus, seu cognitum tanquam res, sed vt deseruiens potentiæ, vt in eo rem apprehendat tanquam vltimo cognitam, ideò sufficienter habet rationem medij, hoc ipso quod non est terminus vltimus in cognoscendo. Nec dicitur deficienter se habere ad signatum, quasi deficienter & imperfectè repræsentet; deficiens enim repræsentatio, & imperfecta non est de ratione signi, sed accidit illi; sufficit autem quod ex se sit subseruiens signato, & vices gerens obiecti repræsentati, & loco illius substituens, siquidem inquantum tale est inferius eo, pro quo substituit.

Dico secundò. *Diuisio in signum formale, & instrumentale est essentialis vniuoca & adæquata.* Quod sit vniuoca & essentialis *ex præced. conclusione deducitur*, quia signum formale verè, & essentialiter est signum vt ostendimus de instrumentali autem nullus dubitat, quod sit signum ergo essentialis, & vniuoca est. Quod verò sit adæquata, *constat*, quia diuisionis membra reducuntur ad contradictoria, & sic exhauriunt totum diuisum, nam cum omne signum sit medium ductiuum ad aliud, vel hoc medium est prius cognitum, ad hoc vt aliud cognoscatur, vel non; Si est prius cognitum denominatiuè seu obiectiuè, est signum instrumentale; Si non est prius cognitum obiectiuè, & tamen repræsentat aliud, id facit formaliter, quia est ratio qua aliud redditur cognitum intra potentiam, non extra vt obiectum cognitum, ergo est signum formale. Denique quod diuisio essentialis sit, non accidentalis, inde constat, quia essentialis ratio signi consistit in repræsentatione signati, quatenus obiectum redditur præsens potentiæ, & illi coniungitur. Diuersus autem modus repræsentationis est essentialiter in hoc quod est se ipso formaliter reddere alterum præsens potentiæ, & in hoc quod est reddere præsens vt prius cognitum & obiectum potentiæ, ergo fit diuersa præsentia per formam repræsentantem immediatè, vel per obiectum prius cognitum, & consequenter diuersa repræsentatio essentialiter est, & diuersi notificatio, atque adeò diuersum signum essentialiter.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Contra primam conclusionem, *formari possunt argumenta*, vel ex quibusdam authoritatibus D. Thom. vel intendo probare, quod non conueniunt signo formali conditiones ad essentiam signi requisitæ. Ex D. Th. ergo *obijci potest primo*, quia 3. par. q. 60. art. 4. ad 1. inquit, *Quod primo & principaliter dicuntur signa, quæ sensibus offeruntur; effectus autem intelligibiles non habent rationem signi, nisi secundùm quòd sunt manifestati per aliqua signa.* Sed signa formalia sunt effectus quidam intelligibiles, sicut conceptus & species expressæ, ergo non sunt signa nisi vt manifestantur aliquo sensibili. Similiter 4. dist. 1. q. 1. art. 1. quæst. 2. inquit, *Quod signum quantum ad primam sui institutionem signat aliquam rem sensibilem, prout per eam manuducimur in cognitionem alicuius occulti*; ergo cum signa formalia non designent aliquid sensibile ducens in occultum, non sunt primo & per se signa. Et ad idem seruit id quod supra retulimus ex quæstion. 9. de Verit. articul. 4. ad 4. vbi signum propriè dicit reperiri, quando discurritur de vno ad aliud; potest tamen communiter dici signum quodcumque notum, in quo aliud cognoscitur, non ergo signum formale propriè est signum.

Respond. D. Thom. *in his locis* loqui de signo non secundum communem rationem signi, sed prout deseruit nostræ cognitioni, quatenus nostra cognitio indiget manuductione externa obiecti, deinde formatione per conceptus, & formas intelligibiles; & in hoc conuenit cum Angelis, sed differt in primo, & ita est proprium nostræ cognitionis deduci ex obiecto externè proposito. Respectu ergo nostri, propria ratio signi inuenitur in sensibili signo ducente nos ad signatum, propria inquam ratio non signi secundum se, sed propria vt deseruit nobis, & venit in vsum nostræ cognitionis; vnde ea quæ spiritualia sunt, nisi manifestentur per aliquid sensibile nobis, nostræ cognitioni per modum signi non deseruiunt, & sic loquitur S. Thom. in 3. p. & in 4. sentent. Explicat autem propriam mentem in q. 9. de Verit. cit. vbi dicit propriè reperiri signum quando discurritur de vno ad aliud, propriè inquam quoad nos, & vt deseruit acquisitioni cognitionis, addit autem quod communiter signum dici potest quodcumque notum, in quo aliud cognoscitur; non intelligendo per ly *communiter* signum improprium, sed communem rationem signi, propriam quidem secundùm se, sed non ita propriam pro nostro modo acquirendi cognitionem.

Secundò arguitur. Quia desunt signo formali conditiones requisitæ ad signum, nam signum formale non habet rationem medij, sed potest habere rationem termini cognitionis, & consequenter ipsa cognitione esse posterius, & ab illa procedere, vt patet in conceptu seu verbo mentis, quod est terminus intellectionis, & procedit ab ipsa, ergo non est medium ad ipsam intellectionem. Item, non facit cognitionem mediatam, sed immediatam, rem enim obiectam immediatè intelligimus in se, etiamsi medíante conceptu, & notitia intelligamus, est autem contra rationem signi, quod faciat cognitionem rei in se immediatè, quando enim cognoscimus rem per signum, minus perfectè cognoscimus, quam si cognosceremus rem in se ipsa immediatè, ergo cum signum formale non tollat, sed magis conducat ad cognoscendum rem in se, non induit propriam rationem signi.

Confirm. Quia videmus rationem formalem *sub qua*, non dici signum respectu rationis obiectiuæ *quæ*, nec speciem impressam, quia est principium intrinsecum cognoscendi, vt *infr.* dicemus, ergo neque signum formale erit signum, quia est ipsa forma cognoscendi, nec ponit in numero cum obiecto, vt reddatur cognitum, & tenet se ex parte termini intrinseci cognitionis, sicut species impressa ex parte principij, ergo vel vtrumque erit signum, quia intrinseca forma notitiæ, & cognitionis est.

Resp. Ad 1. part. *argumenti*, quod signum formale, quod

quod est conceptus, habet rationem termini cognitionis, sed non vltimi, ordinari autem ad vlteriorem terminum, scilicet ad rem, quæ cognoscitur, & in illo termino repræsentatur, non est autem inconueniens, quod aliquid sit terminus & medimm, quando non est terminus vltimus, sed respiciens, & ordinatus ad aliquid extra. *Nec potest instari*, quia obiectum prout extra non attingitur, sed prout intra concretum continetur & redditur intelligibile, ergo conceptus non est medium deducens ad aliquid extra se, sed sistens in se. *Respond. Distinguendo antecedens.* Prout extra non attingitur obiectum, si ly *prout* dicat rationem attingendi, *verum est*; si dicat rem attactam, *est falsum*, est enim res verè attacta, & cognita illa, quæ est extra, licet media intrinseca cognitione & conceptu, & hoc sufficit, vt sit signum seu medium.

Ad aliam partem argumenti. Resp. Quod signum formale non est necesse, quod faciat cognitionem mediatam mediatione obiecti cogniti, sed mediatione formæ informantis, & præsens reddentis obiectum & eodem modo verificamus, quod signum formale est manuductiuum ad suum signatum formaliter, id est, vt forma repræsentans & vniens obiectum potentiæ, non instrumentaliter, seu vt res prius cognita, & etiam est notius formaliter non obiectiuè aut denominatiuè. Quod verò additur esse de ratione signi, quod faciat cognitionem imperfectam, & non rei vt est in se. *Resp.* id solum pertinere ad signum instrumentale, quod per aliquid extraneum repræsentat signatum, non verò ad signum communiter dictum, quod solum dicit aliquid notius, in quo manifestatur minus notum, vt ex D.Th. sæpè diximus q. illa 9. de Ver. & hoc saluatur in signo formali, quod est notius re significata, quia formaliter illam reddit notam, & est medium ad illam etiam formaliter & repræsentatiuè, licèt non sit imperfecta & extranea repræsentatio, sed solum repræsentatio alterius à se, pro quo substituit, & ad quod ordinatur.

Et si instes, nam ideò solum excluditur à ratione signi Verbum Diuinum, quia repræsentat perfectissimè Diuinam Essentiam, & similiter filius Petri, licèt sit eius imago, sed non signum, quia perfectè adæquat eius similitudinem, & Deus non est signum creaturarum, licet illas repræsentet, quia perfectissimè repræsentat, ergo est de ratione signi imperfectè repræsentare. *Respond.* Verbum Diuinum non esse signum Dei, non solùm quia perfectissimè repræsentat, sed quia est consubstantiale & æquale ipsi, & sic non est notius nec substituens pro eo aut deseruiens, multo minus respectu creaturarum, ad quas non ordinatur, sed creaturæ ad ipsum, & ideò creaturæ sunt signa Dei, quæ nobis ipsum, vt notiora nobis repræsentant; non tamen est de ratione signi imperfectio cognitionis, quam generat, sed substitutio, pro signato quod repræsentat. Homo autem qui est filius Patris sui non est eo notior, sed vniuocè æqualis, & ideò non induit rationem signi.

Ad confirm. Resp. Quod ratio formalis *sub qua* non est signum, quia non facit præsens obiectum potentiæ, sed constituit obiectum ipsum inesse talis vel talis obiecti determinatè & specificè, in ratione autem præsentis & coniuncti potentiæ, id fit per signum formale vel instrumentale, aut aliquo supplente vices obiecti. Quod verò additur signum formale non ponere in numero cum ipsa re signata, vt reddatur cognita. *Resp.* Non ponere in numero quasi vnum repræsentans & alterum repræsentatum, *negatur*, & sic sufficit, vt sit signum & signatum, licet in esse intentionali, seu repræsentatiuo dicatur facere vnum cum obiecto, ea ratione, qua duo similia dicuntur conuenire in vna ratione; non verò quia distincta non sint repræsentans & repræsentatum, ita vt nunquam idem se ipsum repræsentet; hæc enim identitas euacuat rationem signi.

Denique ad id quod dicitur de specie impressa, quod erit signum sicut expressa, *infra* tractabitur, art. 3. sufficit nunc dicere, quod impressa, si remouetur à ratione signi, ideò est, quia non repræsentat cognitioni, sed potentiæ, vt producatur cognitio; species autem expressa, & potentiæ, & cognitioni repræsentat, quia terminus cognitionis est, & forma repræsentans etiam cognitioni ipsi. Sed de hoc infra.

Contra secundam conclusionem arguitur, quia hæc diuisio, neque videtur vniuoca, neque adæquata, neque essentialis, ergo. *Antecedens, quoad 1. p. probatur*, quia hæc diuisio comprehendit instrumentale signum in tota sua latitudine, & sic comprehendit instrumentale naturale, & ad placitum, quod vniuocè non conuenit in ratione signi, cum vnum sit reale, aliud rationis. Similiter ratio medij, non inuenitur vniuocè in signo formali & instrumentali, sed per prius in vno, quàm in altero, & dependenter in signo exteriori à signo formali interiori, vnde dicit D.Th. 4. de Veritat. artic. 1. ad 7. quod significatio per prius inuenitur in verbo interiori, ergo non vniuocè. *Secunda pars prob.* quia videntur dari aliqua signa, quæ non sunt formalia, neque instrumentalia, aliqua etiam quæ simul vtrumque esse possunt. Exemplum primi, nam phantasma est id, in quo intellectus cognoscit singulare, & tamen neque est signum formale cum non inhæreat, nec informet intellectum, nec est instrumentale, cum non ex præexistente cognitione ducat in signatum, sed immediatè repræsentat illud, nec enim intellectus indiget ad cognitionem singularium prius cognoscere phantasma tanquam rem cognitam. Similiter phantasma fumi respectu intellectus non est formale signum ignis, cum non informet intellectum, nec instrumentale cum non sit effectus ipsius ignis, sicut fumus à parte rei. *Item* conceptus non vltimatus est signum formale respectu vocis, & instrumentale respectu rei significatæ per vocem, & conceptus hominis vel Angeli in ordine ad se est signum formale, & in ordine ad illum cui loquitur est instrumentale, ergo idem potest esse signum instrumentale, & formale.

Tertia denique pars, quòd non sit essentialis diuisio *probatur*, quia diuisio instrumentalis & formalis sumitur per ordinem ad potentiam, siquidem formale signum est, quod inhæret potentiæ, instrumentali, quod cognoscitur, ordo autem ad potentiam non pertinet ad constitutionem signi directè, sed in obliquo, vt diximus q. præced. ergo non est diuisio essentialis primò & per se.

Et confirm. Quia non potest idem diuidi duplici diuisione essentiali non subalternatim posita, sed diuisio signi in naturale, & ad placitum est essentialis, vt infra dicetur, & non subordinatur isti diuisioni in formale, & instrumentale cum signum naturale etiam sit superius ad formale & instrumentale; & rursus instrumentale in naturale, & ad placitum, ergo istæ diuisiones non sunt essentiales.

Ad primam partem argumenti dupliciter dici potest, primò, quod in hac diuisione non diuiditur signum in tota sua latitudine, sed solum signum naturale eo quod solum signum naturale est capax vtriusque membri, & licet signum ad placitum sit etiam instrumentale, non tamen est instrumentale secundùm quòd est membrum oppositum formali; non

enim

enim formale contraponitur in hac diuisione, nisi instrumentali naturali; signum autem ad placitum est signum, quasi ab extrinseco, & non per se, in omni autem diuisione semper debet accipi diuisum id, quod est capax vtriusque membri diuidentis. Sicut verbi gratiâ, quando habitus intellectiuus diuiditur in sapientiam, & scientiam diuisio est vniuoca, non tamen ly *sapientia* debet intelligi in tota sua latitudine, vt comprehendit etiam sapientiam increatam, sic enim non diuidit habitum; & similiter relatio diuiditur vniuocè in relationem Paternitatis, & similitudinis, non tamen debet intelligi Paternitas in tota sua latitudine, vt includit etiam Diuinam. Sic diuiditur signum in instrumentale, & formale vniuocè, non pro instrumentali in tota latitudine, sed vt restringitur ad signum naturale.

Secundò Resp. Quod etiam potest esse diuisio vniuoca sumendo signum instrumentale in tota sua latitudine, vt etiam comprehendit signum ad placitum, quia licèt in ratione entis non conueniant vniuocè id quod est reale, & rationis, tamen in ordine, & formalitate signi vniuocè conuenire possunt, quatenùs signum pertinet ad ordinem cognoscibilem, & obiectiuum. Benè autem stat, quod in ratione obiecti, & cognoscibilis vniuocè, conueniant obiectum reale & rationis, quando pertinent ad eandem specificam potentiam, vel ad scientias vniuocè conuenientes, verbi gratiâ, ad Logicam, quę agit de ente rationis, & Metaphysicam, quæ agit de ente reali, licet in ratione entis ista obiecta analogentur. Ita signum ad placitum, & naturale licèt dicant relationes analogicè conuenientes ratione entis, in ratione tamen signi, vt ad genus cognoscibilis pertinentis, vt medium repræsentatiuum obiecti, vniuocè conueniunt. Et sic intelligitur ista diuisio.

Et per hoc explicatur, quomodò conueniant signum formale & instrumentale vniuocè in ratione medij repræsentatiui, quatenus vtrumque verè & propriè deseruit ad repræsentandum; dependentia autem quæ est in signo instrumentali respectu formalis, & in voce respectu conceptus est dependentia physica non logica, id est, vt physicè ponatur in exercitio vna species, vel aliqua eius operatio potest dependere ab alia, sicut dependet superficies à linea, sicut ternarius à binario, mixtum ab elemento, &c. non tamen est dependentia logica, id est, in participando rationem communem, sicut dependet accidens à substantia in ipsa ratione entis, & hæc dependentia facit analogiam, non prima. Doctrina hæc est communis, & traditur expressè à D. Thom. 1. Periher. lect. 8.

Ad 2. part. argum. Respond. Primum exemplum non esse ad propositum, quia phantasma singularium non deseruit ad cognitionem intellectus tanquam signum, sed tanquam id à quo intellectus agens accipit species, & ideò repræsentat vniuersale cum aliqua connotatione ad singularia, ratione cuius habitudinis & connotationis reflectens intellectus ipsa singularia attingit non per phantasma tanquam per signum, sed per speciem abstractam vt originatam à phantasmate, & ideò connotante singulare, vt terminum à quo relictum non directè ipsum repræsentante, vt latius in Physica dicetur. Si tamen intellectus respiciat phantasma, vt rem cognoscibilem, & mediante ipso attingat singulare, vtetur phantasmate, vt obiecto cognito manifestante aliud & consequenter vt signo instrumentali. Et similiter dicitur ad alia exempla adducta in argumento, vt de phantasmate fumi respectu ignis, conceptus non vltimati ad rem significatam &c. hæc enim probant, quod idem potest esse signum formale & instrumentale respectu diuersorum & diuersi modi repræsentandi non respectu eiusdem, sicut phantasma fumi est signum formale respectu phantasiæ, & per illam repræsentationem formaliter cognoscit fumum immediatè, & ignem mediatè, vt contentum in fumo repræsentato; fumus autem externus, vt cognitus est signum instrumentale. Si verò intellectus reflectat supra phantasma fumi tanquam super rem cognitam, intelliget in phantasmate tanquam in signo instrumentali fumum externum & ignem quem significat. Conceptus etiam non vltimatus repræsentat vocem significatiuam; rem autem significatam, & in voce contentam mediatè repræsentabit, sed formaliter, respectu autem cognitionis, qua reflexè cognoscitur conceptus non vltimatus instrumentaliter repræsentabit & vocem, & significatum vocis; si tamen conceptus vocis aliquo modo rem significatam attingit, quod non est ita certum. Denique conceptus loquentis Angeli formaliter ipsi loquenti repræsentat, audienti autem, qui percipit conceptum vt rem cognitam, & in ea rem repræsentatam instrumentaliter, sed hoc est respectu diuersorum.

Ad 3. part. argum. Respond. Quòd licet ordo ad potentiam sit in signo consequens ordinem ad signatum, quatenùs repræsentat illud, vt significatum potentiæ, tamen diuersus modus deducendi signatum ad potentiam redundat in diuersitatem formalem signati, vt signatum est, quatenùs diuersum modum repræsentabilitatis in signato respicit, vt diuerso modo illud potentiæ repræsentet. Diuisio autem penes modos intrinsecos redundat, vel supponit diuersitatem essentialem rerum super quas fundantur, sicut diuersitas penes obscuritatem & claritatem diuersificat reuelationes, & lumina, licèt in fide obscuritas sit modus, non formalis ratio.

Ad confirmat. Respond. Quod vt ostendimus in Summulis quæstione 5. artic. 4. ad 2. argument. non est inconueniens, quod idem diuidatur pluribus essentialibus diuisionibus non subalternatim, sed immediatè, quando quælibet illarum fit penes aliquam formalitatem essentialem inadæquatè sumptam, non penes totum adæquatè consideratum, vbi id ex D. Th. & ex variis exemplis probauimus. Videatur *ibi*.

ARTICVLVS II.

Vtrùm conceptus sit signum formale?

PRocedit quæstio tam de conceptu intellectus, qui vocatur species expressa & verbum, quàm de specie expressa phantasiæ seu imaginatiuæ, quæ dicitur idolum, vel phantasma, quomodo illis conueniat definitio signi formalis, quod sit formalis notitia, & quod se ipso, & immediatè aliquid repræsentet.

Vt autem rudi saltem mineruâ intelligi possit, quid sit *conceptus, verbum, species expressa*, seu *terminus collectionis* (quæ omnia idem sunt) & propter quid ponatur, *Aduertendum est*, quod terminus iste cognitionis, qui ponitur intra potentiam cognoscentem ob duplicem causam ponitur, vel propter necessitatem ex parte obiecti, vel propter fœcunditatem ex parte potentiæ. Propter fœcunditatem quidem, quia ex abundantia cordis os loquitur, & sic verbum dicitur conceptus, quatenus exprimitur, & formatur à potentia ad manifestandum ea quæ cognoscuntur, naturaliter enim intellectus manifestationem quærit, & in eam prorumpit, & talis

mani

manifestatio expressiua, vocatur dictio, seu locutio interior, & ipsum verbum est species, seu similitudo aliqua expressa, & dicta. Propter necessitatem autem obiecti ponitur, vt obiectum reddatur vnitum potentiæ in ratione termini cogniti, & ei præsens sit. Vt autem docet Sanctus Thomas primo contra Gentil. cap. 53. duplex etiam necessitas est ponendi hunc terminum, seu obiectum intra potentiam cognoscentem. Vel quia obiectum est absens, & non potest terminari cognitio ad ipsum, nisi in ratione termini reddatur præsens, & sic oportet formari aliquam similitudinem, seu speciem in qua præsens, seu repræsentatum reddatur; sicut enim vt obiectum esset præsens & vnitum potentiæ in ratione principij concurrentis ad formandam cognitionem oportuit ponere speciem impressam, ita vt præsens sit in ratione termini ad quem tendit cognitio; oportet aliam similitudinem, seu speciem ponere, si res sit absens. Vel secundò oportet ponere conceptum intra potentiam, vt res cognita, seu obiecta reddatur proportionata, & conformis ipsi potentiæ, sicut enim obiectum non potest terminare visionem externam nisi luce visibili perfundatur, ita nec obiectum potest ab intellectu attingi, nisi à sensibilitate sit denudatum, & luce spirituali, quæ est immaterialitas seu abstractio, affectum & formatum; immaterialis autem lux non inuenitur extra potentiam intellectiuam: ergo oportet quod intra ipsam illuminetur obiectum, & formetur illa spiritualitate, vt attingatur, & hoc formatum inesse obiecti est verbum seu conceptus, quod non est ipsa cognitio, vt articul. 4. dicetur, quia tenet se ex parte obiecti, seu termini cogniti, eiusque officium non est reddere formaliter cognoscentem, vt cognitio est tendentia ad obiectum, sed reddere obiectum præsens per modum termini cogniti, nec antecedit cognitionem, sicut species impressa, quia formatur per cognitionem, nec datur vt principium cognitionis, sed vt terminus. De quo plura vide apud D. Thom. loco cit. & 4. contra Gentil. capit. 11. & opuscul. 13. & 14. & multis aliis locis vbi agit de verbo mentis.

Si autem quæras. Per quem actum fiat expressio, seu conceptus; (*Breuiter dicimus*) nam res ista ad libros de Anima spectat) in intellectu fieri per actum, qui substantialiter est cognitio, sed aliquid amplius habet, scilicet, quòd sit cognitio fœcunda, id est, manifestatiua, & dicens, seu expressiua, nec enim intellectus sibi soli cognoscit, sed facit etiam impetũ ad manifestandum, & illud prorumpere ad manifestandum est expressio quædam & conceptio, ac partus intellectus. In potentiis autem sensitiuis concedit D. Thom. duplicem modum faciendi istas species expressas, quæ in ipsis vocantur idolum. *Primo*, quia ipsæ formant eas actiuè, sicut dicit 2. p. quæstion. 12. artic. 1. ad 2. quod *imaginatio ex præconceptis speciebus montis, & auri format speciem montis aurei. Secundò*, quia ab aliis causis, seu potentiis formatas recipiunt, & sic docet ipse D. Thom. 4. cont. Gentil. capit. 11. & opuscul. 14. quod à sensu exprimitur forma seu repræsentatio & terminatur in phantasia, & sic aliud principium à quo emanat ista similitudo, & aliud in quo terminatur. Similiter etiam in quæstion. 16. de Malo, articul. 11. docet D. Thom. quod dæmones transmutando, & agitando spiritus animales, in quibus sunt impressiones relictæ à sensibus, faciunt diuersa obiecta apparere imaginatiuæ, quæ etiam apparitiones fiunt in dormientibus descendente sanguine ad principium sensitiuum, quia istæ species cõseruantur in spiritibus, vt docet Philosophus in lib. de Somno, & vigil. c. 3. Quare repræsentationes, seu apparitiones, quæ fiunt per species expressas in phantasia ab aliis causis, quam ab ipsamet potentia sensitiua formari possunt, & ipsi potentiæ apparere. Verbum autem quod formatur in intellectu non ab alia causa, quàm ab ipso intellectu exprimi, & formari potest, quia solum formatur dicendo, aliàs non esset verbum, dicere autem est actio vitalis loquentis.

Prima conclusio. *Conceptus, seu species expressa ab intellectu propriissimè est signum formale.* Hæc conclusio sumitur ex D. Thom. qui sæpè docet verbum esse signum, & similitudinem rei, vt in quodli. 4. art. 17. & 4. de Verit. art. 1. ad 7. & 4. cont. Gent. c. 11. non est autem signum instrumentale, quia non est obiectum prius cognitum, quod ex præexistenti sui cognitione ducat ad rem repræsentatam, sed est terminus intellectionis, quo tanquam termino intrinseco res redditur cognita, & præsens intellectui, vt eisdem locis docet D. Thom. & opusc. 13. & 14. ergo est signum formale.

Et ex hoc sumitur fundamentum conclusionis, quia conceptus intelligibilis directè repræsentat aliud à se potentiæ, v. g. hominem, vel lapidem, quia est naturalis illorum similitudo, & per sui informationem reddit intellectum cognoscentem in actu, cognitione terminata, & non ex præexistente cognitione sui, ergo est formalis notitia reddens intelligentem, non per modum actus, sed per modum termini, seu notitiæ terminatæ.

Secunda conclusio. Etiam idolum, seu species expressa sensibilis in potentiis interioribus est signum formale respectu talium potentiarum. Hæc conclusio non habet difficultatem, si consideremus id quod repræsentationis est in istis, speciebus, quia sunt similitudines naturales obiecti; sed *difficultas est*: quomodo saluetur, quod sint formales notitiæ saltem terminatiuè, siquidem possunt istæ expressiones formari etiam à principio extrinseco, vt diximus, vt quando formantur ab Angelo, vel dæmone per commotionem spirituum, vel etiam per descensum sanguinis in dormientibus.

Sed nihilominus dicitur, quod tales imagines, seu idola sunt signa formalia, quia non ducunt potentiam, nec repræsentant illi obiectum ex priori cognitione sui, sed immediatè ducunt ad ipsa obiecta repræsentata, vt constat tum ex ipsa experientia, tum quia potentiæ istæ sensitiuæ non possunt reflectere supra se ipsas, & supra species expressas quas habent, ergo ab illis immediatè res repræsentatæ redduntur potentiis, ergo ista repræsentatio fit formaliter, & non instrumentaliter, nec ex aliqua priori cognitione ipsius imaginis, seu idoli. Quare vt sit formale signum, sufficit quod terminet actum cognitionis, siuè formetur per ipsam, siuè ab alia causa formetur, & illi vniatur, ita vt ad illud actus terminetur; sicut si Deus se solo vniret conceptum intellectui, & ad illum terminaretur actus, verè, & propriè diceretur formalis notitia terminatiuè, etiamsi ab ipso non emanaret.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, quia conceptus repræsentat potentiæ, vt signum instrumentale, ergo non vt formale. *Antecedens probatur primo* ex D. Thom. quodlib. 5. artic. 9. ad 1. vbi inquit: *Quod intelligit aliquid dupliciter, vno modo formaliter, & sic intelligit specie intelligibili qua fit in actu, alio modo sicut instrumento quo vtitur ad aliud intelligendum, & hoc modo intellectus verbo intelligit, quia format verbum ad hoc quod intelligat rem*, ergo secundum D. Thom. intellectus non intelligit verbo tanquam formâ, sed tanquam

tanquam instrumento, atque ideò non est signum formale, sed instrumentale.

Deinde probatur ratione, quia conceptus repræsentat, vt cognitus, ergo vt signum instrumentale, hoc enim est quod cognitum ducit ad cognitionem alterius. *Anteced.probatur*, quia dicit D. Thom. in 4. de veritat.art.2. ad 3. *Quod conceptio intellectus non solùm est id, quod intellectum est, sed etiam id quo res intelligitur, vt sic id quod intelligitur, possit dici, & res ipsa, & conceptio intellectus*, ergo secundum D. Thom. verbum est cognitum, vt *quod*, & sic tanquam cognitum repræsentat. *Item etiam*, quia intelligere comparatur ad verbum sicut esse ad ens actu, vt dicit D. Thom. 1. p.quæst. 34.art.1. ad 2. Ergo verbum non repræsentat,nisi vt formatum per cognitionem, & vt cognitum, atque adeo vt signum instrumentale, quod tanquam cognitum repræsentat.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem ex author. D. Thom. *Respond.* Quod D.Thom. vocat verbum instrumentum, quo intellectus aliquid cognoscit, id est medium internum, in quo intellectus intelligit, & hoc est esse signum formale. Species autem impressa dicitur id, quo formaliter intelligit intellectus, quia tenet se ex parte principij intellectionis, quod autem tenet se ex parte principij, vocatur forma, & tamen non dixit D. Thom. quod species impressa formaliter significat, seu repræsentat, sed quod est id, quo formaliter intellectus intelligit; aliud est autem esse signum formale, aliud principium quo intelligendi.

Ad secundam probationem ex ratione respondetur, quòd conceptus non dicitur repræsentare tanquam prius cognitum per modum obiecti extrinseci, ita quod ly *cognitum*, sit denominatio extrinseca, sed tanquam cognitum intrinsecum, id est, vt terminus cognitionis intra potentiam, sed quia non est terminus, in quo vltimatè sistit cognitio, sed quo mediante fertur ad cognoscendum obiectum extra, ideò habet esse signum formale, quia est cognitum intrinsecum, id est, ratio intrinseca cognoscendi. Vnde signum instrumentale est cognitum, vt *quod* extrinsecè, & tanquam res cognita, ex cuius cognitione deuenitur in signatum, conceptus autem est cognitum, vt *quod* non tanquam res cognita extrinseca, sed tanquam id, in quo continetur res cognita intra intellectum, & sic eadem cognitione per se attingitur conceptus, & res concepta non ex cognitione eius deuenitur in cognitionem rei conceptæ, & quia est id in quo res seu obiectum redditur proportionatum, & immaterializatum per modum termini, ideò dicitur ipse conceptus cognosci,vt quod, non tanquam res seorsum cognita, sed tanquam constituens obiectum in ratione termini cogniti. Licèt autem signum instrumentale possit attingi vnicâ cognitione cum signato, tamen etiam tunc ex signo cognito deuenitur in signatum, non ipsum signum formaliter constituit rem, vt cognitam.

Ad tertiam probationem respondetur. Quòd intelligere, vt est dictio, seu expressio, habet pro complemento ipsum verbum tanquam terminum, & sic D. Thom. in quæst. 8.de Potentia, art.1.dicit: *Quòd intelligere completur per verbum*, rursus verò ipsum verbum in alio genere actuatur, & completur per intelligere, quatenùs actus intelligendi est vltima actualitas in genere intelligibili, & sicut esse, & vltima perfectio in eo genere, vt dicit D. Thom. 1. p. q.14. art. 4. Quod autem ratione huius actuationis verbum redditur cognitum, non sufficit ad rationem signi instrumentalis; quia non est cognitum quasi obiectum, & res extrinseca, sed vt terminus intrinsecus ipsius intellectionis, hoc enim est repræsentare intra potentiam informando ipsam, & reddendo cognoscentem, ideóque dicitur signum formale.

Secundò arguitur. Verbum non est formalis notitia, ergo non est signum formale. *Consequentia patet*, ex diffinitione signi formalis. *Anteced. prob.1.* quia formalis notitia est illa, quæ reddit potentiam formaliter cognoscentem, redditur autem formaliter cognoscens per actum cognitionis, quæ est immediata forma cognoscentis, & præsertim, quia cognoscere consistit in actione, cum sit operatio vitalis, verbum autem non est ipsa operatio, seu actio cognoscendi, sed aliquid formatum per cognitionem & effectus illius, ergo non est forma, quæ constituit cognoscentem, sed quæ procedit, & efficitur à cognoscente, ergo non est ipsa formalis notitia potentiæ. Vnde verbum non constituitur per intelligere actiuè, sed per intelligi passiuè,ergo nec constituit formaliter intelligentem, sed formaliter constituit rem intellectam. *Secundò probatur idem antecedens*, quia in Diuinis verbum non facit formaliter intelligentem, quia *Pater non intelligit sapientiâ genitâ*, vt ex Aug. docet D.Thom. in 1.dist.30.quæst.2. art.1. ergo ex genere suo Verbum non reddit formaliter intelligentem.

Confirmatur, quia si verbum esset formalis notitia, sineverbo non posset intellectus formaliter esse cognoscens saltem perfectè, sed sine formatione verbi intellectus formaliter cognoscit, vt probabiliter admittitur in Beatis, & in intellectione quâ Verbum, & Spiritus sanctus intelligunt manifestè constat, ergo.

Respond. ad principale argumentum distinguendo antecedens; verbum non est formalis notitia per modum operationis, concedo, per modum termini, nego, & sic reddit intellectum formaliter intelligentem formaliter terminatiuè, non formaliter operatiuè: quando autem dicitur signum formale, quod est formalis notitia intelligitur de formali notitia terminata, non de operatione ipsa notitiæ sine termino, quia de ratione signi est, quod sit repræsentatiuum, operatio autem vt operatio non repræsentat, sed id quod repræsentat debet esse expressum, & simile ei, quod repræsentat, quod pertinet ad rationem imaginis, esse autem simile, & expressum propriè conuenit termino procedenti, quod assimilatur suo principio non operationi, quæ magis est assimilatio, quam simile. Quod verò dicitur quod intelligere consistit in actione, seu operatione, verum est de ipso actu formali intelligendi, cæterùm quando signum formale dicitur notitia formalis, non intelligitur de notitia formali, prout est operatio, sed de notitia formali, quæ est repræsentatio, & expressio, quod solum conuenit notitiæ formali terminatæ, seu termino notitiæ, non operationi, vt operatio est. Et quando dicitur, quòd verbum est effectus cognitionis, intelligitur quod est effectus cognitionis, vt operatio, & via, seu tendentia non cognitionis vt terminatæ, cognitionis enim vt terminatæ verbum est forma, quia est ipse terminus eius, cognitionis autem vt operatio seu dictio verbum est effectus, & ita supponit actum intelligendi non terminatum, & completum, sed vt operantem, & dicentem, ideóque relinquitur locus, vt sit formalis notitia, formaliter terminatiuè, non formaliter operatiuè. Et hac ratione constituitur verbum per intelligi, & non per intelligere actiuè, quia non pertinet ad ipsum in quantum est signum formale esse formalem notitiam operatiuè, & actiuè, sed terminatiuè, & secundùm intelligi intrinsecum, quo res ipsa redditur intellecta, & repræsentata intrinsecè, pertinet

autem ad rationem signi repræsentatio non operatio, & esse formalem notitiam repræsentatiuam, non operatiuam.

Ad secundam probationem respondetur, esse disparem rationem de Verbo Diuino, quia Verbum in Diuinis supponit intellectionem essentialem omnino terminatam, & completam cum sit actus purus in genere intelligibili, nec procedit Verbum, vt compleatur intellectio essentialiter, sed vt dicatur & exprimatur notionaliter, & ita non reddit formaliter intelligentem Deum etiam terminatiuè, nec obiectum intellectum in actu, quia Diuina essentia secundùm se est in actu vltimo intelligens, & intellecta, cum sit actus purus in genere intelligibili, & non id habet per processionem Verbi, sed supponit; in nobis autem, quia obiectum non est in actu vltimo intellectum per se, oportet quòd formetur intra intellectum in ratione obiecti terminantis, & hoc fit per expressionem Verbi in esse repræsentatio, atque adeo per illud redditur intellectus formaliter intelligens terminatiuè.

Ad confirmationem respondetur: quod non potest dari aliqua cognitio, sine Verbo, vel formato ab ipso intelligente, vel illi vnito, non tamen requiritur semper quod Verbum procedat, & formetur ab ipso intelligente, & sic in Beatis Diuina essentia vnitur in ratione speciei expressæ, sicut etiam diximus de idolo formato in imaginatiua ab alia causa, & ab alia potentia.

ARTICVLVS III.

Vtrùm species impressa sit signum formale?

S*Vpponimus dari species impressas*, quæ vice obiecti vniantur potentiæ ad eliciendam cognitionem, seu notitiam, eò quod ista pariturâ potentia, obiecto, vnde oportet, quòd obiectum reddatur vnitum, seu præsens potentiæ, illámque determinet ad eliciendam cognitionem, & cum obiectum non possit per seipsum ingredi potentiam, illique vniri, oportet hoc fieri mediâ aliquâ formâ, quæ vocatur species, quæ ita ipsum obiectum continet modo intentionali, & cognoscibili, quod potest illud reddere præsens & vnitum potentiæ. Et quia ad hoc munus illa forma, seu species instituta est à natura, dicitur ræpræsentare obiectum potentiæ, quia præsentat, seu præsens reddit illlud potentiæ: & dicitur etiam similitudo obiecti naturalis, quia ex ipsa natura sua gerit vices obiecti, seu est ipsummet obiectum in esse intentionali, quæ vnitas, seu conuenientia, similitudo dicitur, & similiter, quia datur ad similitudinem expressam formandum. Vocatur autem impressa, quia imprimitur potentiæ, & illi superadditur ab extrinseco principio non verò ab ipsa procedit, & exprimitur sicut species expressa, datur enim ipsi potentiæ ad eliciendam cognitionem, & sic per modum principij se habet, & cum ipsa potentia concurrit ad eliciendam cognitionem, non per modum termini procedentis ab ipsa potentia, & cognitione illius, quod latiùs dicetur in 3. de Anima, & videri potest D. Thom. quæst. 8. de Potentia, art 1. & opuscul. 13. & 14 & 53 & quodlib. 7. art. 1. & pluribus aliis locis, vbi explicat naturam speciei impressæ.

Inquirimus ergo? an species ista sic repræsentans obiectum per modum principij cognitionis habeat rationem signi formalis, sicut habet rationem repræsentatiui?

Sit vnica conclusio. Species impressa non est signum formale. Hæc conclusio sumitur in primis ex D. Th. qui loquens de signo communiter dicto, quale est illud, quod conuenit signo formali dicit quæst. 9. de Verit. art. 4. ad 4. *Quod est quodcumque notum, in quo aliquid cognoscitur, & sic forma intelligibilis potest dici signum rei, quæ per ipsam cognoscitur.* Sed species impressa non est forma intelligibilis, quæ sit aliquid notum, in quo aliquid cognoscatur, quia vt esset aliquid notum deberet esse, vel res cognita, vel terminus cognitionis; species autem impressa solùm est id, quo potentia cognoscit vt principio, vt constat ex D. Th. quod. 7. art. 1. & 1. q. 35. art. 2. & 7. in 4. d. 49. quæst. 2. art. 1. Ergo non habet rationem signi communiter dicti, & per modum formæ intelligibilis, vt est signum formale.

Fundamentum est, quia species impressa non repræsentat obiectum potentiæ cognoscenti, seu cognitioni potentiæ, sed vnit obiectum potentiæ vt cognoscat, ergo non est signum formale. *Consequentia probatur* extrinseca ipsa ratione signi, quia proprium & essentiale munus signi est manifestare alterum, seu ducere potentiam mediante manifestatione ad aliquid; potentiæ autem antecedenter ad cognitionem species manifestare non potest aliquid, cum omnis manifestatio cognitionem supponat, vel in ipsa cognitione fiat, species autem impressa cognitionem non supponit cui manifestet, quia est cognitionis principium, elicita autem, seu posita cognitione, iam non ipsa species impressa manifestat, sed expressa, quæ est terminus, in quo completur cognitio, nec enim cognitio, aut tendit ad speciem impressam, aut cognoscit in ipsa, ergo ipsa non est quæ manifestat cognitioni obiectum formaliter, sed quæ cognitionem producit, in cuius cognitionis termino, scilicet in specie expressa redditur obiectum manifestatum. Itaque in specie impressa obiectum concurrit, vt cognitionis principium determinans potentiam ad eliciendum, non vt obiectum cognitum, atque adeo nec manifestum, nec enim redditur aliquid manifestatum potentiæ, nisi in quantum cognitum, quod ergo non manifestat cognitioni, non reddit obiectum manifestatum, & consequenter, neque significatum.

Et confirmatur, quia species impressa nullo modo potest verificari, quod sit formalis notitia, quæ seipsâ immediatè repræsentet, ergo non est signum formale, hoc enim ad eius definitionem requiritur. *Antecedens probatur*; species impressa, est principium notitiæ formalis, constituit enim intellectum in actu primo ad eliciendam notitiam formalem, est autem de ratione formalis notitiæ, quod ab intellectu procedat, tam ipsa, quàm terminus eius, scilicet Verbum, licet Verbum absolutè non sit necesse, quod procedat ab omni intellectu intelligente per illud, sed sufficit quòd, vel ab eo formetur, vel ab alio formatum ei vniatur, sicut in probabili opinione, quod Diuina essentia loco Verbi vnitur Beatis, sed tamen licet non procedat ab intellectu Beati, vnitur tamen, vel saltem comparatur, vt ratio intellecta intrinsecè, & vt medium *in quo* ipsius cognitionis, & intelligentiæ. Formalis ergo notitia si accipiatur pro ipso cognitionis actu, manifestum est, quòd non conuenit speciei impressæ, cum ipsa non sit actus procedens, sed principium actus, & cognitionis. Si autem sumatur pro aliquo procedente ab intellectu, non quidem per modum actus, sed per modum termini procedentis vitaliter, sic est species expressa, non impressa; ergo nihil procedens ab intellectu est species impressa, & consequenter, non est aliquo modo formalis notitia, quia hæc

hæc procedere debet, vel vt actus, vel vt terminus cum sit aliquid vitale, siquidem pro effectu formali habet reddere vitaliter, & formaliter cognoscentem. Non ergo species impressa est formalis notitia, atque adeo neque signum formale.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur. Nam species impressa est verè, & propriè repræsentatiua obiecti, & similitudo illius, vt vice illius substituens, & non est repræsentatiua obiectiuè, neque effectiuè, aut instrumentaliter, ergo formaliter, & vt signum formale. *Consequentia patet*; quia vt sit repræsentatiua per modum signi, sufficit quòd sit repræsentatiua alterius à se, & per modum substituentis pro eo quod repræsentat. *Maior* est D. Thom. pluribus in locis, vbi speciem impressam vocat similitudinem, & repræsentationem, vt in quæst. 8. de Verit. art. 1. in corp. vbi inquit, quod id quo videns videt, vel est similitudo visi, vel essentia visi. Et addit, quòd modus cognitionis est secundùm conuenientiam similitudinis, quæ est conuenientia secundùm repræsentationem. Constat autem, quod id quo videns videt est species impressa. Et in lib. de memoria, & reminiscentia, lect. 3. dicit, quòd in phantasia imprimitur quasi quædam figura sensibilis, quæ manet sensibili abeunte sicut in cera imprimitur figura annuli. Certum est autem quod sensibile non imprimit in potentia nisi speciem impressam. Denique 1. contra Gent. cap. 54. dicit, quòd vtrumque, id est, intentio intellecta, & species intelligibilis sunt similitudo obiecti & quia species intelligibilis, quæ intelligendi est principium, est similitudo rei exterioris; sequitur quòd format intellectus intentionem illius rei similem. Vbi clarissimè loquitur de specie impressa, vt distinguitur ab expressa.

Minor verò probatur. Nam in primis species impressa constituitur in genere repræsentatiuo, quia est in genere intentionali; Et non repræsentat obiectum, sed vt vices gerens obiecti, ergo vt medium inter potentiam, & obiectum, neque repræsentat instrumentaliter, quia non ex præexistenti cognitione sui mouet, nec enim cognoscitur species, vt repræsentet; neque effectiuè, quia non datur repræsentatio, seu significatio effectiua, vt q. præced. ostendimus, ergo repræsentat formaliter, quatenùs se ipsa, & per vnionem ad potentiam reddit ipsam potentiam similem obiecto similitudine intentionali, quæ est repræsentatiua. *Confirm.* quia si ideò species impressa non est signum formale, quia non repræsentat cognitioni, sed ex parte potentiæ se tenet vt principium cognitionis, & tamen verè est in genere repræsentatiuo, ergo est repræsentatiua, vt principium cognitionis, ergo effectiuè repræsentat ipsi cognitioni, & sic datur repræsentatio, seu significatio effectiuè.

Respondet. primò ad maiorem argumenti verum esse quod species impressa sit repræsentatiua similitudo obiecti, sed per modum principij cognitionis, non per modum formalis notitiæ aut supponentis notitiam cui repræsentet, & ideò vocatur similitudo virtualis, quia est principium vnde oritur formalis similitudo, & formalis notitia. Ex hoc autem deficit in ea ratio signi, quia licèt sit similitudo obiecti, & repræsentatio vniens, & ponens obiectum præsens potentiæ, sed non cognitioni est autem principium cognitionis. Repræsentans enim potentiæ, & non cognitioni non repræsentat actu manifestando, quia actualis manifestatio non fit sine actuali cognitione, sed repræsentat, seu vnit & præsens facit obiectum, vt eliciatur ipsa manifestatio, & cognitio; & de isto genere similitudinis virtuali, & per modum principij loquitur D. Thom.

Et si instes, quia in definitione signi non dicitur, quòd signum repræsentet potentiæ, vt cognoscenti, seu ipsi cognitioni, nec vt sit medium, vel principium repræsentandi, ergo voluntariè addimus ista omnia definitioni signi.

Resp. Non addi ista, sed contineri, eò quòd signum essentialiter debet habere repræsentationem manifestatiuam & ductiuam ad signatum, repræsentatio autem manifestatiua non potest manifestare nisi cognitioni. Vnde repræsentatio, quæ vnit obiectum potentiæ, vt constituatur determinata ad eliciendam cognitionem non est repræsentatio manifestatiua, quia repræsentatio, seu vnio, & præsentia obiecti potentiæ nondum cognoscenti, & sic quando species impressa informat potentiam non informat illam reddendo cognoscentem, sicut signum formale, quod est formalis notitia, sed potentem cognoscere, & consequenter, nec reddit obiectum manifestatum actu, sed actuans potentiam, & determinans, vt eliciat cognitionem, in quâ manifestatur obiectum.

Ad probationem minoris principalis argumenti, Respondet. quod species impressa non est repræsentatiua aliquo ex illis modis, quia non est repræsentatiua manifestando actu obiectum, sed actuando, & determinando potentiam per modum principij ad eliciendum cognitionem, & hoc formaliter facit species impressa, sed hoc non est formaliter esse signum, quia non est repræsentare manifestando actualiter, sicut requiritur ad rationem signi, cuius repræsentatio debet esse manifestatiua, & non solum actuatiua potentia ad cognitionem eliciendam.

Ad confirmationem, Respondetur non sequi quod detur repræsentare, vel significare effectiuè, præsertim loquendo de repræsentatione manifestatiua, quia hæc non conuenit actualiter speciei impressæ, sed virtualiter. Imò nec alio modo repræsentandi, quæ repræsentationem per modum actuationis potentiæ facit species impressas in formãdo non efficiendo in potentia. Productio autem repræsentationis expressæ fit quidem effectiuè à specie, sed talis effectio non est repræsentatio, sed productio rei repræsentantis scilicet speciei expressæ.

Secundò arguitur. Species impressa habet quidquid requiritur ad rationem imaginis formaliter multò magis, quàm imago exterior, ergo habet quidquid requiritur ad rationem signi actu repræsentatis, *Ant. probatur*, quia habet illas duas conditiones, quæ requiruntur ad rationem imaginis secundum D. Th. 1. p. q. 93. art. 1. & 2. scilicet, quod habet similitudinem cum aliquo, & originem ab illo, species autem impressa est similis obiecto, quia habet conuenientiam intentionalem cum illo, & similiter est deducta, & originata ab obiecto. *Conseq. verò prob.* quia illa imago speciei habet adiunctam repræsentationem, cum sit similitudo intentionalis, & hoc sufficit, vt conceptus dicatur habere rationem signi formalis, etiamsi sit terminus cognitionis, & non medium, quia non est terminus vltimus, sed ordinatus ad obiectum exterius, ergo similiter species impressa, licèt habeat rationem principij repræsentantis, quia tamen non est primum principium, hoc enim est ipsa potentia, sed mediat inter potentiam, & obiectum, habebit rationem signi. Et ita D. Thom. in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. ad 15. & quodl. 7. art. 1. absolutè speciem impressam vocat medium cognitionis.

Respond. In primis speciem impressam non imaginem, nisi virtualiter non formaliter, deest enim illi secunda conditio, scilicet quòd sit expressa, non enim est expressa ab obiecto, sed impressa, sicut semen

decisum ab animali non est imago, quia licèt ab illo sit originatum, non tamen tanquam terminus expressus, sed tanquam virtus impressa ad generandum, & ideò non quælibet origo ab alio constituit imaginem, sed origo per modum termini vltimò intenti.

Secundò negatur consequentia; quia repræsentatio speciei impressæ non est repræsentatio per modum medij manifestatiui, quia non repræsentat ipsi cognitioni, sed per modum formæ determinantis, & actuantis potentiam, vt possit cognoscere. In quo longè differt à conceptu, qui licèt teneat se ex parte termini repræsentantis obiectum, tamen repræsentat hoc ipsi cognitioni, & per illam redditur cognitio terminata, & sic formaliter terminatiuè repræsentat potentiæ cognoscenti per modum actualis manifestationis. At verò species impressa, licèt non sit primum principium, tamen actuat potentiam ante cognitionem, & consequenter ante manifestationem actualem, quod est non esse medium, repræsentatiuum manifestatiuè, sed virtualiter per modum principij ad eliciendam manifestationem, & cognitionem. Vnde nec ipsum signum instrumentale, quod est obiectum extrinsecum significare, & manifestare dicitur, nisi prout cognitum, non ante cognitionem. Et enim conditio in signo instrumentali, quod priùs sit cognitum, vt significet, & quando D.Thom. vocat speciem impressam medium cognitionis, dicit esse medium *quo* non *in quo*, medium autem *quo* est principium cognoscendi, non actu manifestatiuum obiecti, seu rei cognitæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm actus cognoscendi sit signum formale?

SVpponimus distingui in intellectu actū cognoscendi ab ipso obiecto cognito, & à specie impressa, & expressa, nam vt dicit D.Thom. quæst.8. de potent. artic.1 quatuor sunt, quæ in intellectu concurrunt ad cognitionem, scilicet res quæ intelligitur, conceptio intellectus, species qua intelligitur & ipsum intelligere. Et *ratio est*, quia necessariò fatendum est in nostro intellectu dari aliquam operationem vitalem, quæ procedit ab intellectu formato specie, siquidem operatio intellectus, & cognitio eius patitur ab obiecto, & potentia, obiectum autem mediâ specie actuat potentiam. Rursus hæc operatio formaliter non potest esse ipsa species expressa, seu verbum formatum ab intellectu, quia si est formatum ab illa aliqua operatione formatum est, & consequenter operatio distinguitur à tali specie expressa, & operationem vocamus actum intelligendi, speciem autem expressam terminum, seu verbum dictum, & expressum ab illa, in quantum dictio est.

Vnde etiam hoc amplius confirmatur, quia intelligere, vel consideratur, vt est dictio exprimens, vel vt purum contemplari, & cognoscere, si vt dictio, est essentialiter productio verbi, atque adeo petit quod illud sit terminus distinctus à tali productione; si vt purum cognoscere, requirit quod obiectum sit illi applicatum, & vnitum in esse immateriali, non solum per modum principij quo elicitur cognitio, sed etiam per modum termini, in quo attingitur obiectum, terminus autem cognitionis non est ipsa cognitio, sed cognitio est tendentia ad obiectum, quod cognoscitur, & quia non cognoscitur obiectum, neç terminat cognitionem secundum esse reale, & materiale ad extra, sed vt redditur spirituale, & immateriale ad intra, requiritur aliqua forma intelligibilis, in qua reddatur obiectum sic immateriale, & spirituale ex parte termini.

Quia ergo determinatum est de ipsa specie impressa, & expressa an sint signa restat id videre de actu ipso intellectus, qui est cognitio, & tendentia ad obiectum.

Sit ergo vnica concl. *Actus intelligendi sic distinctus à specie impressa, & expressa non est signum formale in quacunque operatione intellectus sumatur.* Hæc conclusio est contra aliquos recentiores etiam ex Thomistis sed tamen pro illa videri potest Capreolus in 4. dist. 49. q.1. Ferr.2. Cont. Gent. c.49. §. Ex hoc enim in fin. Ratio est, quia signum essentialiter est repræsentatiuum, actus autem intelligendi formaliter, non est repræsentatio, sed operatio, & tendentia ad obiectum. Vnde cum per tales actus multiplicatos generatur habitus, genitus non est repræsentatiuus, sed dispositio potentiæ ad eliciendum actus sibi similes, & ita Diu. Thom 1. part. quæst.12. articul.2. negans dari speciem repræsentatiuam Dei, vt est in se, concedit dari lumen gloriæ, quod est similitudo confortans intellectum ex parte potentiæ, & sic negat lumini, seu habitui rationem repræsentationis, ergo similiter actus intelligendi non est repræsentatio, quia actus sunt similes habitibus, & si esset repræsentatio multò magis id conueniret habitui, quia est res quædam permanens, quàm actui, qui est quædam operatio.

Et confirmatur quia si actus esset repræsentatio, vel esset distincta repræsentatio à specie impressa, vel eadem, eadem esse non potest cum sit res distincta actus intelligendi à specie expressa, si autem est distincta, vel idem repræsentat quod verbum, & sic altera illarum superfluit, vel aliquid distinctum, & sic non cognosceretur idem per actum cognitionis, & per eius terminum qui est verbum.

Denique, vel illa repræsentatio actus intelligendi esset similitudo impressa, vel expressa, quia non videtur posse dari aliquod medium in genere repræsentationis inter expressum, & impressum. Si est impressa habet se per modum principij quod imprimitur, seu infunditur ab extrinseco ipsi intellectui, actus autem intelligendi non potest ab extrinseco imprimi, sed ab intrinseco intellectus oritur, cum sit actus vitalis. Si est expressa, ergo est verbum, & per modum termini expressi, & producti se habet; nos autem hìc loquimur de actu intelligendi prout distincto à verbo.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, signum formale est esse potentiæ formalem notitiam alicuius per modum repræsentationis, sed hoc totum conuenit actui cognoscendi, ergo est signum formale. Min. prob. nam quod sit formalis notitia constat, cum sit ipsamet cognitio, quæ est idem quod notitia, quod autem per modum repræsentationis prob. quia vnit obiectum potentiæ, intelligere enim, vt dicit D. Th.1. part.q.27. art.1. consistit in hoc, quod facit vnum cum ipso intelligibili, sed hoc vnire est præsens facere potentiæ obiectum, quod vnit, ergo est repræsentatio.

Et Confirm. quia actio immanens non est formalis productio, sed solum virtualis; formaliter autem est actus de genere qualitatis, qui versatur circa obiectum tendendo in illud non operando illud, ista autem tendentia, & si non producit obiectum, vnit obiectum potentiæ, & consequenter repræsentat, quia repræsentare est præsens facere, seu vnire.

Respondetur actum intelligendi non esse signum formale, quia deficit ei ratio repræsentandi, vt diximus. Et *ad impugnationem in oppositum. Respond.* quod actus intelligendi vnit obiectum per modum operationis tendentis in illud, non per modum formæ quæ substituat, & vices gerat pro illa, & ideo non habet rationem repræsentantis, quia repræsentatio fit continendo alterum tanquam vices eius gerens, non operando. Vnde actio vnitiua non dicitur repræsentare, licet vniat, & sic non omnis modus vniendi est modus repræsentandi, sicut etiam species impressa, quia vnit per modum principij cognitionis non vnit per modum repræsentantis formaliter.

Ad confirm. Respondetur. Quod actus intelligendi, licet sit qualitas, non tamen reddit præsens obiectum, vt forma ex parte obiecti se tenens quasi vices eius gerens, & ex parte potentiæ tendens, & operans circa obiectum, & ideo non est vnio repræsentatiua, sed operatiua, seu per modum actus secundi non vt continens, sed vt tendens ad obiectum.

Secundò arguitur; notitia sensus exterioris est signum formale, & tamen ibi non est verbum aut imago expressa, vt docet D. Th. q. 8. de verit. art. 5. & opusc. 14. ergo non requiritur ad rationem signi formalis similitudo expressa, sed sufficit actus cognoscendi. *Maior probatur*; quia alias in sensibus externis non daretur notitia formalis, & consequenter, neque cognitio formalis, quia notitia formalis est signum formale, imò vt dicit M. Sot. lib. 1. Sum. c. 3. notitia sensuum exteriorum est terminus quantum est ex modo significandi, de ratione autem termini est, quod sit signum, ergo actus sensus externi signum est, & non instrumentale, ergo formale.

Et confirmatur. quia actus sensus externi est verè actus immanens, ergo est vltimum complementum, & perfectio potentiæ, ergo in ipso fit vltima, & perfecta vnio cum obiecto, ergo & repræsentatio, cum non sit alia vnio inter sensum externum, & obiectum quàm mediante actu.

Resp. verum esse quod sensus externus non habet verbum seu imaginem expressam in qua cognoscat, quia propter suam materialitatem non petit tantam vnionem cum obiecto, vt sit intra potentiam sed debet ferri in rem extra positam, quæ vltimate redditur sensibilis vt est extra sensum, & licet cognitio sensus externi sit actio immanens, non tamen de necessitate est productio, nec respicit terminum vt immutatum à se, sed vt intentionaliter, & obiectiuè vnitum virtualiter tamen potest habere vim productionis, sicut cognitio inquantum dictio producit verbum, & amor in quantum spiratio impulsum, & sensatio externa producit idolum, seu speciem non intra se, sed in sensibus internis, vt docet S. Thom. 4. cont. Gent. c. 11. & opusc. 14. ex se tamen actio immanens non est actio per modum motus, & viæ tendentis ad vlteriorem terminum, sed per modum vltimæ actualitatis, in quo completur tota cognitio, & ideo comparatur intelligere à D. Th. ipsi existere 1. p. qu. 14. art. 4. & alibi sæpè.

Quare ad probationem argumenti dicitur, quod in sensu externo datur notitia formalis per modum cognitionis, quæ est tendentia potentiæ ad obiectum, non per modum repræsentationis, quæ est forma loco obiecti substituens in potentia, & sic licet signum formale dicatur notitia formalis terminatiuè, quia est terminus cognitionis, tamen omnis notitia formalis est signum formale, scilicet ipse actus cognoscendi. Nec dicitur terminus cognitio sensus externi absolute, sed secundum quid, quatenus est simplex quædam cognitio.

Ad conf. Resp. quod actus sensus externi est vltimum complementum per modum actus secundi ad differentiam actionis transeuntis, quia vt dicit D. Th. q. 14. de verit. art. 3. in c. actus operationis transeuntis habet complementum in termino, quod fit extra agentem; complementum autem actionum immanentium, non sumitur penes id quod fit, sed penes modum agendi, quia ipse actus est perfectio, & actualitas potentiæ. Vnde virtus in his potentiis non attenditur penes optimum, quod facit, sed penes hoc quod operatio sit bona. Ita D. Th. Cæterùm licet operatio sensus externi sit perfectio vltima vniens obiectum potentiæ, non tamen repræsentatiuè id facit, quia vt sæpè diximus est vnio per modum tendentiæ ex parte potentiæ ad obiectum non per modum formæ substituentis pro obiecto, repræsentatio autem formaliter est substitutio eius, quod repræsentatur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm sit bona diuisio in signum naturale, & ad placitum & ex consuetudines?

BOnitas huius diuisionis non habet difficultatem quantum ad adæquationem, exhauritur enim per ista membra totum diuisum, sed quantum ad qualitatem quomodo, scilicet signum ad placitum sit verè signum, & consequenter an diuisio vniuoca sit?

Sit vnica conclusio. *Si hæc diuisio signi in naturale & ad placitum entitatiuè, & meterialiter consideretur, analoga est, si in genere repræsentatiui, seu cognoscibilis vniuoca est, & signum ad placitum est verè signum in officio, & vice obiecti quam exercet. Prima pars conclusionis manifesta est*, quia vt *præceden. quæst.* tractatum est, signum constituitur in genere relationis formaliter loquendo, sed relationi reali, & rationis nihil vniuocum est entitatiuè loquendo, cum non possint esse in eodem prædicamento, relatio autem signi naturalis est realis, vt vidimus ibi, relatio verò relationis ad placitum realis esse non potest, ergo nihil illis vniuocum est entitatiue loquendo.

Dices, non est certum relationem signi naturalis esse realem, nec signum ad placitum consistere in relatione rationis, sed sufficit illi denominatio extrinseca, qua dicitur impositum à voluntate, ergo non subsistit fundamentum positum. Cæterùm hoc secundum non eneruat illud, quia si solum habet esse signum ex denominatione extrinseca, hoc ipso est secundum quid tale, & non simpliciter, quia denominatio extrinseca non est formaliter esse reale existens in eo, quod denominatur, sed præsuppositiuè in denominante. Primum verò q. præc. expunctum est, vbi ostendimus signum naturale dicere aliquid reale per modum relationis, licet aliqui dicant illam esse transcendentem non prædicamentalem. Qui tamen dicerent signum pro formali consistere in relatione rationis, consequenter vniuocam constituere habent rationem signi entitatiuè in hac diuisione signi ad placitum, & naturalis,

Secunda pars conclusionis pendet ex illa celebri doctrina apud Caiet. 1. p. q. 1. art. 3. quod aliæ sunt differentiæ rerum vt res, aliæ vt obiectum, & in esse obiecti, & quæ specie, vel plusquam specie differunt in vna linea possunt in alia non differre, vel non ita differre. Et sic cum ratio signi pertineat ad rationem cognoscibilis, cum sit vice obiectum, stabit benè quod in ratione obiecti signum naturale reale, & ad placitum rationis, sint signa vniuoca sicut ens reale,

& rationis in eſſe obiecti induunt vnam rationem, ſiquidem terminant eandem potentiam, ſcilicet intellectum, & ab eodem habitu poſſunt attingi, ſcilicet à Metaphyſica, vel ſaltem duas ſcientias vniuocè conuenientes ſpecificare, verbi gr. Logicam, & Phyſicam, ergo in eſſe obiecti ſpecificantis vniuocè, conueniunt: Sic etiam per ſignum ad placitum, & per ſignum naturale verè, & vniuocè mouetur, & ducitur potentia ad ſignatum, quod enim moueamur à ſignis ad placitum ad percipienda ſignata, ipſa experientia manifeſtat, & quod hoc vniuocè fiat, conſtat cum ſignum ad placitum non ſignificet ſecundum quid, & dependenter in ipſa ratione ſignificandi à ſigno naturali, nam per ſe ſolum vox ſignificatiua prolata deducit ad ſignatum, ſicut alia ſigna naturalia inſtrumentalia. Nec obſtat quod vox, ſeu nomen non ſignificat niſi mediante conceptu, qui eſt ſignum naturale, hoc enim etiam ſigno inſtrumentali naturali conuenit, quod non niſi mediante conceptu, & notitia ſui repræſentat, & tamen non ob hoc eſt ſignum analogicè, ſed verè, & vniuocè. Quod enim ſigna in repræſentando dependeant à conceptu, non tollit vniuocam rationem ſigni, ſiquidem conceptus, & cognitio eſt cui repræſentant, non mediante quo repræſentant, ſeu à quo eſſentialiter habent rationem repræſentandi. Non omnis autem dependentia vnius ab alio conſtituit analogiam, ſed ſolum illa quæ eſt in ordine ad participandam rationem communem, niſi enim illa inæqualis ſit, & partim eadem partim diuerſa non deſtruit vniuocationem, vt optimè tradit S. Thom. 1. Perih. lect. 8. in princ.

Denique hæc ſecunda pars noſtræ concluſionis apertè deducitur ex D. Thom. nam 3. part. q. 60. art. 6. ad 2. inquit: *Quod quamuis verba, & aliæ res ſenſibiles ſint in diuerſo genere quantum pertinet ad naturam rei, conueniunt tamen in ratione ſignificandi, quæ perfectius eſt in verbis, quam in aliis rebus, & ideo ex verbis, & rebus fit quodammodo vnum in Sacramentis in quantum ſcilicet per verba perficitur ſignificatio rerum.* Et in 4. diſt. 1. q. 1. art. 1. q. 5. ad 4. dicit: *Quòd etſi repræſentatio quæ eſt ex ſimilitudine naturalis proprietatis, importet aptitudinem quandam ad ſignificandum, tamen determinatio, & complementum ſignificationis ex inſtitutione eſt.* Sentit ergo D. Thom. in ſignis ad placitum non eſſe analogicè ſignificationem, ſiquidem actuare, & perficere poteſt ſignificationem naturalem, & cum ea vnum ſignum artificiale conſtituere, quod eſt Sacramentum.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur:* remota ratione generica non poteſt manere ſpecifica, ſed in ſigno ad placitum non inuenitur ratio generica ſigni, ſcilicet relatio niſi analogicè, ergo nec ſpecifica ratio ſigni inuenietur niſi analogicè. *Minor conſtat ex dictis*, quia relatio ſigni in ſignis ad placitum eſt rationis, quæ in ratione relationis non conuenit vniuocè cum relatione reali.

Reſp. argumentum conuincere, quod ſignum ad placitum in genere entis, & prædicamentaliter acceptum non ſit vniuocè ſignum cum ſigno naturali, non tamen quod in eſſe cognoſcibilis, & repræſentatiui non ſit vniuocè ſignum, ſicut enim ſtat benè, quod aliqua non conueniant vniuocè in eſſe rei, vt quantitas, & qualitas, & ſubſtantia, & tamen in eſſe obiecti, & ſcibilis, conueniant vniuocè, quia pertinent ad eandem ſcientiam, vel potentiam, ita ſtat benè, quod aliqua ſigna in eſſe rei, & in ratione entis prædicamentaliter differant genere, & non conueniant vniuocè, in ratione tamen obiectiua, ſeu vice obiectiua, quæ eſt ratio repræſentatiui, & ſignificatiui vniuocè conueniant. *Et ſi inſtes*, nam hoc ipſum genus repræſentatiuum relatio eſt, alioquin male diximus q. præced. ſignum in ratione ſigni poni in genere relationis, ergo ſi in quantum relatio non conuenit vniuoce, nec in ratione repræſentatiui conuenit vniuocè.

Reſpondetur. Quod ipſum genus ſignificatiuum conſideratur dupliciter, & in eſſe rei, & in eſſe obiecti, ſeu cognoſcibilis, nec poteſt ab his rationibus totaliter præſcindere, quia tranſcendentales ſunt, & in ratione cognoſcibilis ſolum eſt paſſio entis, & præſuppoſitiuè ens, non formaliter, in ratione autem entis relatio eſt, vel tranſcendentalis, vel prædicamentalis: & quando ſupra diximus ſignum conſtitui in genere relationis, locuti ſumus de ſigno formaliter, & prædicamentaliter, non fundamentaliter, i. e. repræſentatiuè in genere obiectiuo.

Secundò arguit. quia ſignum ad placitum conſtituitur per ipſam impoſitionem, quæ in eo nihil reale ponit, ſed ſolum extrinſecam denominationem, ergo non conſiſtit in relatione, ſicut ſignum naturale, nec aliquid habet in ſe ratione cuius ſit repræſentatiuum, ſed ſolum mouet per alterum nempe ratione notitiæ, quam intellectus habet de ipſa impoſitione vocis. *Conſeq. prob.* quia extrinſeca denominatio eſt effectus proueniens à forma denominante, forma autem denominans extrinſecè non eſt relatio, ſed actus voluntatis imponens. *Antecedens verò probat.* quia ſi ſignum ad placitum non conſiſtit in denominatione extrinſeca, ſed in relatione rationis, non exiſtet actu ſignum, niſi quando actualiter cognoſcitur, & ſic ſcriptura in libro clauſo, vel quando actualiter non conſideratur non erit ſignum.

Reſp. Aliquos ita ſentire agentes de Sacramentis, quod ratio ſigni ad placitum in illis conſiſtit in extrinſeca deputatione non in relatione rationis, vt P. Suar. 3. to. p. 3. diſp. 1. ſec. 3. Cæterùm cum impoſitio voluntatis ſolum deſeruiat ad determinandum munus, & officium ſigni non tanquam aliquid abſolutum, ſed reſpectiuè ad ſignatum, ad quod ex natura rei vox non eſt determinata, conſtat quod ipſa deputatio voluntatis ſolum facit id quod in ſignis naturalibus ipſa rei natura facit, quæ quidem ordinat ex natura rei ad ſignatum, & ſic fundat relationem, in qua conſiſtit ipſa ratio, ſimiliter ergo impoſitio deſtinans voces ad ſignificandum, fundat reſpectum ſigni, quia deſtinatio ipſa eſt in ſigno per reſpectum ad alterum, ſed quia iſte reſpectus fundatur in aliqua deſtinatione, quæ nil reale ponit in re deſtinata, ideò reſpectus rationis eſt.

Et *ad replicam dicitur*, quod ſcriptura in libro clauſo, ſeu non conſiderata ab intellectu eſt ſignum actualiter fundamentaliter non actualiter formaliter, quia relatio rationis non habet eſſe formaliter niſi per intellectum. Denominatur tamen abſolutè, & ſimpliciter ſignum, quia in iſtis relationibus rationis ſufficit fundamentum proximum ad denominandum abſolutè, quia ex parte rei denominabilis eſt poſitum, quidquid requiritur ad talem denominationem ex parte ſui, ſed quia relatio illa non reſultat ex fundamento, ſicut relationes reales, ſed pendet ab actu cognitionis, ideò non expectat ipſam relationem, vt denominetur abſolutè tale, benè tamen, vt denominetur actu eſſe relatum: ſicut Deus abſolutè denominatur Dominus & creator, licèt actu non cognoſcatur relatio dominij & creationis, non tamen actu denominatur relatus ad creaturas, niſi ſic actu cognoſcatur.

Ad id verò quòd additur ſignum ad placitum non ſignifi

significare & mouere per aliquid, quod in se habeat, sed per alterum, *Resp.* quod significat per impositionem, quæ propria eius est, licèt sit denominatio extrinseca, & per illam habet significare, licet requiratur notitia talis impositionis tanquam conditio & applicatio ad exercitium significationis, non ad constituendam formam signi.

Tertiò arguitur, quia sunt aliqua signa, nec ad placitum, nec naturalia, ergo diuisio non est adæquata. *Ant. prob.* nam imago facta à pictore, verbi gratia Cæsaris, quem non nouit est signum naturale, quia non significat ex natura rei, sed ex libera accommodatione pictoris, sicut etiam solent multæ imagines deputari pro tali vel tali Sancto, quem ex proprietate non significant, neque sunt signa ad placitum, quia non ex impositione significant, sed per modum imaginis. *Item*, signa sunt data, à Deo, vt arcus in nubibus ad significandum diluuiū non futurum, vt Genes. 9. & signum, quod posuit in Cain, vt non interficeretur, non erant impositione, siquidem erant omnibus nota, signa autem ad placitum non sunt eadem apud omnes, vt dicit Arist. 1. Perih. c. 1. nec erant naturalia, aliàs frustra imponerentur à Deo.

Respond. neg. ant. Ad I. exempl. Resp. Quod imago depicta, licet sit signum factum ab arte naturaliter tamen repræsentat scilicet rationis similitudinis, quam realiter habet, & non ratione impositionis, dicitur autem imago artificialis ratione causæ efficientis, à qua facta est, non ex parte rationis formalis, qua significat, quæ realis & intrinseca est. Cæterùm istæ imagines non significant directè obiectum vt in se ipso est, sed vt est in idea pictoris, quam directè imago repræsentat, & quia idea pictoris aliquando est propria respectu sui obiecti, aliquādo impropria, vel minus propria, ideo etiam imago non semper repræsentat obiectum propriè, vt est in se; quando autem vna imago accommodatur isti vel illi sancto ex hominum vsu, talis repræsentatio constituit signum ex consuetudine, vt dicemus seq. art. *Ad II. exemplum Resp.* Quòd multa signa sunt ad placitum ex institutione Diuina, sicut patet in Sacramentis, & talia signa non repræsentant omnibus; sed solùm impositionem ipsam scientibus, & hoc modo Iris significat diluuium non futurū. Signum autem positum in Cain fortasse fuit aliquod naturale; sc. quidam tremor corporis, vt S. Hier. ep. 119. qui tremor mouebat omnes ad misericordiam ne eum interficerent. Si tamen fuit aliquod signum ad placitum, ex Diuina institutione dicendum est, quod notitiam eius Deus indidit omnibus videntibus Cain, ne illum interficerent.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm signum ex consuetudine sit verè signum?

SPecialis difficult. est circa quædam signa, quæ non publica aliqua institutione, i. e. ab authoritate publica dimanante, sed ex sola voluntate particularium frequenter illis vtentium ad aliquid significandum accommodatur. Vnde quia tota vis significandi ex ipso vsu & frequentia dependet, dubium restat, an iste vsus & frequentia modo naturali significet, an verò significatione ad placitum.

Sit ergo vnica Conclus. *Si consuetudo respiciat aliquod signum destinando illud, & proponendo pro signo, tale signum fundatum in consuetudine erit ad placitum; si verò consuetudo non proponat aliquid, vel instituat pro signo, sed dicat simpliciter vsum alicuius rei, & ratione illius assumatur aliquid in signum, tale signum reducitur ad naturale.* Itaque consuetudo, vel potest esse causa signi, sicut si populus consuetudine sua introducat, & proponat aliquam vocem ad significandum, vel potest se habere, vt effectus, qui nos manuducit ad cognoscendam suam causam, sicut canis frequenter visus comitari aliquem, manifestat, quod sit dominus eius, & consuetudo comedendi in mappis manifestat nobis prandiū, quando mappas videmus appositas, & in vniuersum ferè omnis inductio fundatur in frequentia, & consuetudine, qua videmus aliquid sæpè fieri.

Prima ergo pars conclus. prob. ex D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3. vbi docet consuetudinem habere vim legis, ergo consuetudo introducens aliquid ad significandum eadem authoritate introducit rem illam in signum, qua ipsa lex introduceret, si autem ex lege publica aliqua vox proponatur in signum est verè signum ad placitum, quia authoritate publica instituitur, ergo consuetudo, quæ vice legis subrogatur, & authoritatem legis habet, eodem modo constituit signum ad placitum, & hoc modo videmus multas voces introductas in republica ad significandū, quæ ante non significabant, quia non erant in vsu, & multa verba modo non significant, quæ olim significabant, quia iam abierunt in dissuetudinem. Quare de tali signo ex consuetudine ly *ex* dicente causam efficientem secundum vsum, & consēsum populi eodem modo loquēdum est, sicut de signo ad placitum.

Secunda verò pars conclus. prob. quia consuetudo, vt est quidam effectus, ducit nos in cognitionem suæ causæ eo modo, quo alij effectus suas causas ostendunt, & multò magis consuetudo quam alij effectus, quia frequentia efficiendi aliquid firmat, quod illud sit effectus talis causæ, sed omnis effectus repræsentat suam causam in quantum procedit ab illa, & ita habet aliquam conuenientiam, & proportionem, ergo talis significatio fundatur in aliquo naturali, scilicet in processu effectus à sua causa & conuenientia cum illa, ergo consuetudo vt effectus fundans significationem reducitur ad causam naturalem & ita dicit Philos. quod delectatio est signum generati habitus, quia in his quæ frequenter consuescimus, delectamur propter conuenientiam ad illud, in quo habemus consuetudinem.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguit. quia consuetudo non est effectus naturalis, sed moralis, & liber, ergo non potest fundare rationem signi naturalis. *Conseq. constat*, quia non potest dici signum naturale magis, quàm eius causa à qua habet esse, signum ergo, si non est à causa naturali, consequenter nec signum naturale dicetur. *Ant. verò probatur*, quia consuetudo est idem, quod mos, à quo actus dicuntur morales seu humani, vt docet D. Th. 1. 2. q. 1. art. 3. ergo consuetudo in hominibus non est effectus naturalis, sed moralis, & ita signum quod fundatur in consuetudine fundatur in aliquo morali, & libero, quod in rebus exterioribus nihil reale ponit, sed extrinsecam denominationem, signum autem fundatum in denominatione extrinseca non potest esse signum naturale.

Respond. Quod in primis generaliter loquendo consuetudo non solum inuenitur in hominibus, sed etiam in brutis naturali instinctu operantibus. Vnde D. Thom. 1. Metaph. lect. 1. ostendit, quod bruta possunt esse disciplinabilia & assuescere ad aliquid faciendum vel vitandum per alterius instructionem, & ita non omnis consuetudo est actus humanus & suus

fundare potest signũ naturale, sicut consuetudo can's sequentis aliquem est signum, quod sit dominus eius.

Secundò Respond. Loquendo de consuetudine humana, quod licèt à sua causa libera procedat, & sic denominetur effectus, liber tamen ratio formalis significandi non est aliqua libera deputatio, sed ipsa frequentia, & repetitio actuum, & hæc naturaliter significat, quia non moralis: id est, extrinseca deputatio, quæ solum moraliter denominat, sed intrinseca processio actuum, eorumque frequentatio, & multiplicatio constituit signum ex consuetudine, ergo naturaliter conuenit illi significatio, sicut etiam actus liberi multiplicati generant habitum tanquam naturalem effectum, & non liberũ, quia multiplicatio ipsa actuum nõ se habet liberè ad generandum habitum.

Secundò arguitur. Si signum ex consuetudine repræsentat naturaliter ex eo quod est actus sæpius repetitus: ergo quælibet consuetudo erit signum alicuius rei, quia quælibet consuetudo est effectus procedens ab actibus repetitis, hoc autem est falsum, quia multæ sunt consuetudines, quæ nihil significant, sicut consuetudo dormiendi in nocte, & prandendi in meridie, accedendi ad ignem in hyeme, &c. & infinitæ aliæ consuetudines nihil significant, non ergo cõsuetudo ex eo præcisè significat, quia effectus alicuius causæ est, & sic non erit signum naturale.

Et confirm. Quia sine aliqua mutatione intrinseca potest aliquod signum ex consuetudine desinere esse signum, scilicet per solam dissuetudinem, seu omissionem vtendi illo, ergo non est signum naturale. *Consequentia patet*, quia signum naturale debet constitui per aliquid intrinsecum, & naturale, ergo non potest amitti per solam suspensionem vsus voluntarij, sed per aliquid reale oppositum.

Respond. Quod vt aliquid sit signum ex consuetudine requiritur, quod etiam habeat ea quæ concurrunt ad rationem signi, scilicet esse ordinatum ad aliquid, quod ipsa consuetudine reddatur notius, non quia præcisè effectus est, sed quia frequentatus. Si autem vel non assumatur vt medium ad aliquid aliud, vt mappa ad prandium, vel ipsa frequentatione non reddatur notius, vt quod aliquis sit dominus canis frequentatione sequendi ipsum, non erit signum ex consuetudine licèt consuetudo sit.

Ad confirmationem Respondetur. Quod signum ex consuetudine non desinit ex sola suspensione tollente institutionem, sed ex suspensione tollente multiplicationem actuum, & frequentiam vsus, vnde cum repræsentatio signi ex consuetudine fundetur in ipsa multiplicatione actuum, quæ consuetudinẽ constituit, sublata tali multiplicatione tollitur fundamẽtum signi, & sic destruitur determinatio relicta ex multiplicatione per priuationem oppositam, sicut habitus scientiæ perditur per obliuionem, præsertim quia semper aliquid positiuum interuenit ad perdendum memoriam seu consuetudinem, quatenus alia, atque alia obiecta succedunt, quibus alia paulatim decidunt à memoria disponendo ad oppositum actum, vel impediendo, ne memoria ipsa & consuetudo radicetur.

Vltimò arguitur, ex sola voluntate sine aliqua multiplicatione actuum potest resultare signum ex consuetudine, ergo saltem tunc non repræsentat tanquã signum naturale. *Anteced. prob.* quia ex sola accommodatione, & designatione hominum vna statua, vel imago ponitur ad repræsentãdum aliquem Sanctum, vel etiam tragædus repræsentat Regẽ, vel Cæsarem, non ex placito Reipublicæ, nec ex consuetudine hominem, sed ex solo particulari facto talis hominis.

Et confirm. Quia si doctrina data est vera, sequitur, quod voces naturaliter significet id ad quod sunt impositæ, quia etiamsi tollatur impositio ab hac voce *homo* adhuc propter consuetudinem, quam habemus repræsentabit nobis hominem, ergo ex consuetudine naturaliter repræsentat.

Denique quia signum naturale est, quod significat apud omnes, sed signum ex consuetudine non significat idem apud omnes, sed solum apud scientes consuetudinẽ, sicut signũ ad placitũ significat apud sciẽtes impositionem, ergo non repræsentat naturaliter.

Respond. Quod quæcumque imago inquantum imago est solum repræsentat id ad cuius similitudinem est expressa, nempe ideam suam quæcumque illa sit. Si autem ex vsu hominum accommodetur ad repræsentandum aliud obiectum, quam suæ ideæ, illa accommodatio vel destinatio respectu illius obiecti constituet illam imaginem in ratione signi ad placitum, si ex publica authoritate illa destinatio fiat, vel ex consuetudine, si ex hominum vsu id fiat, quòd si aliquis per vnum tantum actum sine consuetudine ponat aliquid ad repræsentandum alium talis destinatio erit inchoata quædam consuetudo, & sic repræsentabit illi ad modum signi ex consuetudine, vel vt excitatiuum memoriæ, & hac ratione etiam tragædus dicitur repræsentare Regem vel significatione ex consuetudine, vel sicut excitatiuum memoriæ, quia ita conuenit inter homines, vt viso illo qui talem personam repræsentat, in memoriam rei repræsentatæ reducatur, sicut etiam ex pacto, vel conueniẽtia aliquorum potest aliquid designari in signũ, vel in excitatiuum memoriæ, quod totum reductiuè pertinet ad signum ad placitum, vel ex consuetudine.

Ad confirmationem Respondetur. Quod voces per se solum significant ad placitum, per accidens autem ex consuetudine, quod est significare naturaliter non ex se, sed solum respectu illorum, apud quos est nota consuetudo. Nec est inconueniens quod eidem rei conueniant duo modi significandi secundum distinctas formalitates. Vnde vna sublata altera manet, & sic nunquam est idem signum naturale, & ad placitum formaliter, licet materialiter sint idem, id est, conueniunt eidem subiecto. Quod autem dicitur illud esse signum naturale, quod significat idem apud omnes, intelligitur de eo, quod est signum naturale simpliciter, quia natura est eadem apud omnes, consuetudo autem est, quasi altera natura, sed non natura ipsa, & ita significat omnibus apud quos est consuetudo, non omnibus simpliciter, & sic est aliquid imperfectius in genere signi naturalis, sicut ipsa consuetudo est aliquid imperfectum in genere naturæ.

QVÆSTIO XXIII.

De Notitiis, & Conceptibus.

QVIA terminorum diuisio fit per mentales, & vocales; & mentales pertinent ad conceptus, & notitias, rursusque exacta signorum explicatio ex conceptibus, & notitiis maximè pendet, ad exactam eorum explicationem visum est aliqua disputare de conceptibus, & notitiis, præsertim quantum ad ea, quæ ad simplices terminos mentales pertinent. Vt autem diximus in 1. lib. Sum. c. 6. *notitia quæ est simplex apprehensio, seu terminus mentalis ex parte cognitionis diuiditur in intuitiuam, & abstractiuã; ex parte autem conceptus in conceptum vltimatum & non vltimatum, directum, & reflexum, ideò de istis solum hîc agemus.*

ARTICVLVS I.

Vtrùm notitia intuitiua, & abstractiua differant essentialiter in ratione cognitionis?

SVpponenda est definitio notitiæ intuitiuæ & abstractiuæ, quam tradidimus lib. 1. Sum. c. 6. quod notitia intuitiua *est notitia rei præsentis*; notitia verò abstractiua *est notitia rei absentis.* Vbi præsentia, & absentia non sumuntur intentionaliter pro ipsa præsentia, seu vnione obiecti cum potentia. Constat enim nulli notitiæ posse deesse hanc præsentiam. Siquidem sine obiecto vnito, & præsenti potentiæ nulla potest oriri notitia in potentia. Igitur dicitur notitia rei præsentis, & absentis, sumpta præsentia, & absentia pro ea, quæ conuenit rei in se. Vnde dicit D. Thom. in q. 3. de Verit. art. 5. ad 8. *Quod scientia visionis* (quæ est idem quod notitia intuitiua) *addit supra simplicem notitiam, aliquid, quod est extra genus notitiæ scilicet existentiam rerum:* ergo addit existentiam realem, nam intentionalis, & obiectiua non est extra genus notitiæ. Et in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. dicit, *Quod illud propriè videtur, quod habet esse extra videntem:* ergo existentia quam requirit notitia intuitiua realis, & physica esse debet.

Circa propositam ergo difficultatem varia placita Authorum circumferuntur. *Quidam enim* considerauerunt distinctionem istarum notitiarum ex parte principij, scilicet speciei impressæ. Et sic dixerunt aliquid apud Ferrar. 2. contra Gent. cap. 66. illam esse notitiam intuitiuam, quæ fit sine specie intelligibili: illam verò abstractiuam, quæ fit mediante aliqua specie. Quæ tamen sententia omnino reiicienda est, cum nulla notitia sine specie elici possit, pendet enim omnis cognitio ab obiecto, & potentia, & hoc obiectum non potest intentionaliter informare potentiam, quantumcunque in se sit præsens, nisi mediante specie, vel nisi ipsum obiectum in se habeat esse intentionale, & spirituale, quod potentiæ sit coniunctum. *Alij dicunt* intuitiuam cognitionem esse illam, quæ rem cognoscit per proprias species, abstractiuam verò, quæ per alienas. Ex parte etiam euidentiæ videtur distingui posse notitia intuitiua, & abstractiua, quia intuitiua semper est euidens, vtpote rei in se, abstractiua vero abstrahit ab obscuritate, & euidentia, & si quando euidentiam habet, non est rei in se ipsa immediatè, sed vt continetur in aliquo alio, v. g. in suis causis, & principiis, vel aliquo simili.

Alij distinguunt notitiam intuitiuam ex parte termini, seu obiecti, vt terminantis iuxta definitiones traditas, quia vna est de re absente, altera de re præsenti. *Quæ sententia est communior apud Thomistas,* nam distinctio illa ex parte speciei, quod sit per propriam speciem, vel per alienam, in se, vel in alio, obscura vel clara, non sunt formalitas, quæ propriè pertinent ad rationem intuitiui, vel abstractiui. Potest enim saluari intuitiuum per speciem alienam, & per cognitionem mediatam, seu in alio, potest etiam saluari abstractiuum per cognitionem tantæ euidentiæ, & claritatis, sicut intuitiuum. Et similiter potest fieri per cognitionem, & speciem immediatam. *Prima pars constat manifestè*, quia creaturæ futuræ videntur in Diuina essentia tanquam in specie aliena, & tamen videt illas intuitiuè. Et similiter est cognitio illa mediata, & in alio. Similiter Angelus per propriam essentiam tanquam per speciem potest videre intuitiuè accidentia, quæ in se sunt & similiter per speciem repræsentantem aliam substantiam potest videre accidentia, quæ in ea præsentia sunt: & in sententia D. Thom. intellectus non habet speciem directam singularium, & tamen potest res singulares corporeas intuitiuè videre, quando sunt præsentes per sensum: ergo neque requiritur species propria, neque cognitio immediata & directa. Exemplum secundi est in ipso Deo, qui abstractiuè cognoscit creaturas possibiles tantâ euidentiâ, & claritate ex parte cognoscentis, sicut præsentes. Similiter potest alicui infundere cognitionem quidditatis possibilis extra Verbum & tunc cognoscet rem illam per propriam eius speciem, & tamen abstractiuè cognoscet. Et Angelus habet propriam speciem eclipsis futuræ, & eius futuritionis, & existentiæ per propriam speciem, & tamen est cognitio abstractiua, sicut & nos etiam rei absentis, quam vidimus per propriam speciem possumus recordari, imò & in eius existentiam per modum obiecti ferri, vt quando ex effectibus cognosco Deum esse præsentem; & tamen illa cognitio abstractiua est: non ergo ex istis capitibus distinguuntur intuitiua, & abstractiua notitia, sed oportet ad terminum cognitum recurrere, nempe quod vna attingat rem sub ipsa præsentia propria terminantem, alia sub absentia.

Quare solum duplex modus restat distinguendi istas notitias, qui etiam apud Thomistas frequentes sunt. *Quidam* enim distinguunt illas essentialiter penes præsentiam, & absentiam tanquam penes rationes diuersas, quæ repræsentantur, & consequenter ipsæ repræsentationes differunt intrinsecè, & essentialiter propter diuersa obiecta repræsentata. *Alij* verò dicunt differre accidentaliter, quia non requirunt diuersas repræsentationes formaliter, sed potest idem repræsentari in notitia intuitiua, & abstractiua, nempe res cum sua existentia, & præsentia in actu signato cognita, & repræsentata; solùm verò differre accidentaliter propter diuersum exercitium terminandi. Si enim obiectum ipsum reddatur præsens in se, & ipsa præsentia repræsentetur in cognitione, hoc ipso redditur intuitiua cognitio. Si verò tollatur præsentia physica rei, per quam obiectum terminat cognitionem, reliquis omnibus inuariatis ex parte cognitionis, & repræsentationis, redditur notitia abstractiua. Vnde etiam quidam dicunt intuitiuum, & abstractiuum solum esse denominationes extrinsecas, prouenientes in cognitione ex ipsa existentia, vel absentia rei in se. *Alij* verò dicunt esse modus intrinsecos in ipsa notitia (licet non variantes ipsam repræsentationem essentialiter) quia reuera pertinent ad ipsam tendentiam notitiæ ad obiectum, vt tali, vel tali modo terminans.

Sit ergo vnica conclusio. *Formalis, & propria ratio intuitiui, & abstractiui non sunt rationes essentialiter, & intrinsecè variantes cognitionem, sed accidentaliter, licet per accidens, id est, per aliud, & ratione eius, cui coniunguntur, possint diuersas specie notitias importare.* *Prima pars* sumitur ex locis D. Thomæ supra citatis in quæstione 3. de Verit. & in 3. distinctione 14. quia scilicet scientia visionis, seu notitia intuitiua addit supra notitiam simplicem, seu abstractiuam aliquid, quod est extra genus notitiæ scilic. existentiam rei: ergo sentit, quod non dicunt differentias essentiales, & intrinsecas, quia istæ non sunt extra genus notitiæ, sed pertinent ad ipsum ordinem cognoscibilis. Addere autem aliquid, quod est extra ipsum videntem, & extra genus ipsius cognitionis est addere aliquid accidentale, & extrinsecum.

Fundamentum non est, quia intuitiuum, & abstractiuum, non important diuersitatem in ipso formali principio

principio cognoſcibilitatis, quia intuitiuum & abſtractiuum in notitiis non oriuntur ex ipſis mediis, ſed motiuis, aut principiis ſpecificantibus, neque ex diuerſa immaterialitate, quæ eſt radix cognitionis, neque ex diuerſa ratione formali repræſentandi. *Quæ*, nec *ſub qua*, ergo non important rationes ſpecifice diſtinguentes ex ſe, & ex vi ſuæ formalitatis. *Antecedens probatur.* Quia vt ſequent. articul. oſtendemus, præſentia & abſentia non pertinent ſpecialiter ad intuitiuum & abſtractiuum, prout vt quædam res repræſentatæ, quaſi quædam quidditates, ſed ſolùm prout afficiunt, & modificant obiectum in ſe, atque adeo prout reddunt illud coëxiſtens cognitioni, vel non coëxiſtens. Quod manifeſtè patet, quia ſpecies repræſentans præſentiam ipſam obiectiuè, vt rem repræſentatam inueniri poteſt in notitia abſtractiua, vt cum modo cognoſco Deum eſſe præſentem mihi, aut animam ſeu intellectum præſentem eſſe corpori, vel de eorum præſentia diſſerimus, & tamen nec animam, nec Deum videmus intuitiuè. Et ſimile eſt de ſpeciebus Angelicis, quæ repræſentant res, & exiſtentiam, ac præſentiam antequam ſint, & tamen non vident res intuitiuè, niſi quando actu ſunt in ſe. Ergo præſentia ſeu abſentia, vt res repræſentatæ per ſe, & directè, non diſtinguunt intuitiuum & abſtractiuum, ſed inueniri poteſt præſentia vt repræſentata, in cognitione abſtractiua. Sed præſentia vel abſentia ſolum variant intrinſecè genus cognoſcibile, vt repræſentatæ, & per ſe cognoſcibiles, ſeu vt obiectum per ſe, non vt alterius modificatio, & acceſſorium, vt ſtatim oſtendemus; ergo ratio ipſa formalis intuitionis non eſt differentia eſſentialis in genere cognoſcibili.

Et confirmatur. Quæ præſentia & abſentia in tantum conſtituunt intuitiuum & abſtractiuum, in quantum ſe habent vt modi rei cognoſcibilis, ſeu repræſentatæ, ita quod ipſa præſentia non habet rationem obiecti primò repræſentati, ſed modificat obiectum repræſentatum, ita quod facit terminari cognitionem ad obiectum, quatenùs præſens, & vt redditur coëxiſtens potentiæ cognoſcenti, non quatenùs præſentia, ipſa res repræſentata eſt, ſic enim vt diximus etiam per abſtractiuam cognitionem attingi poteſt, quia per modum quidditatis repræſentatur, quod proprium eſt cognitionis abſtractiuæ. Ergo præſentia ſolum pertinet ad intuitiuum, quatenùs modificatiua eſt obiecti, non quatenùs conſtituritiua obiecti, ergo per ſe non eſt differentia eſſentialis, quia non ex parte principij ſpecificantis ſe tenet, quod eſt obiectum, ſeu ratio repræſentabilis, vt ratio *quæ*, vel *ſub qua*, ſed ſupponit obiectum principale repræſentatum, cuius ipſa eſt modus; modificat ergo terminationem ipſius, non rationem motiuam conſtituit, quæ reddit rem directè repræſentatam, ſed terminat notitiam, quatenùs illi coëxiſtit terminatiuè, quod totum accidentaliter variat cognitionem, ſicut in viſione, modificatio ſenſibilis communis ad ſenſibile proprium, vt quod album videamus cum motu, vel ſine motu, in tali vel tali ſitu non variat eſſentialiter viſionem, quia non ex parte obiecti per ſe, & formalis, ſed ex parte obiecti accidentalis ſe tenet; ſic reſpectu notitiæ ſe habet modificatio terminationis per præſentiam vel abſentiam.

Ex quo ſequitur, quòd ſi differunt notitiæ, quia vna reſpicit præſentiam, vt directè repræſentatam & cognitam, alia non, tale notitiæ poterunt differre eſſentialiter propter diuerſum obiectum in eſſe obiecti repræſentabilis, ſed non different in rationẽ intuitiui & abſtractiui tantum, ſed in ratione diuerſi obiecti per modum quidditatis, & rei repræſentatæ.

Secunda verò pars concluſionis manifeſtè conſtat, quia poteſt aliquãdo intuitiuum, & abſtractiuum inueniri in cognitionibus aliàs ſpecie diſtinctis. Quia vel repræſentant diuerſa obiecta, vel ſub diuerſo medio, & lumine ſpecificante, ſicut patet in viſione intuitiua Dei in ſe, vel abſtractiua illius per fidem, in cognitione intuitiua Petri, vel abſtractiua equi. Cæterùm iſta diuerſitas eſſentialis non ſumitur formaliter, & præciſè ex ipſa ratione intuitiui, & abſtractiui, ſed ex aliis rationibus formalibus, quæ in genere cognoſcibili ſpecificant iſtas cognitiones; quibus tamen adiungitur intuitiuum, & abſtractiuum tanquam rationes accidentales conſecutæ, non conſtitutiuæ.

Sed inquires. An iſta ratio intuitiui, & abſtractiui, eſto per ſe non ſint eſſentiale differentiæ notitiæ; ſint tamen modi aliqui intrinſeci, in ipſa cognitione, ita quòd realiter illam immutent? An ſolum ſint extrinſecæ denominationes, ex phyſica coëxiſtentia ortæ? Vel quid tandem ſint?

Reſpondetur. Aliquos exiſtimare, quòd intuitiuum, & abſtractiuum ſolùm conſiſtunt in extrinſeca denominatione, quatenùs obiectum dicitur eſſe præſens, ſeu coëxiſtens ipſi cognitioni, vel non coëxiſtens. *Et iuuari poteſt hæc ſententia* exemplo veritatis, & falſitatis, eadem enim cognitio dicitur modo vera, modo falſa ex ſola extrinſeca denominatione, quod obiectum ſit, vel non ſit in ſe. Similiter ergo cum intuitiuum dicat coëxiſtentiam phyſicam obiecti, & abſtractiuum neget, per ſolam extrinſecam denominationem à tali coëxiſtentia, vel non coëxiſtentia, dicetur notitia intuitiua, vel abſtractiua. Et in Deo videtur ſine dubio hoc aſſerendum, quia eadem numero cognitio, quæ eſt ſimplicis intelligentiæ reſpectu poſſibilium, per ſolam extrinſecam denominationem redditur intuitiua, quia ſcilic. res ipſa tranſit de poſſibili in futuram, ſeu exiſtentem, quod nihil ponit in ipſa ſcientia Diuina, niſi extrinſecam denominationem, ſicut etiam, quod Diuina ſcientia ſit approbationis non eſt, niſi denominatio extrinſeca in ſcientia Diuina, æquiparat autem D. Thomas ſcientiam viſionis ſcientiæ approbationis quantum ad hoc quod eſt addere aliquid extra genus notitiæ in 3. de Verit. art. 3. ad 8.

Hæc ſententia eſt probabilis. Nihilominùs probabilius videtur, quod intuitiuum, & abſtractiuum ſint aliquid intrinſecum in ipſis notitiis ex ſuo genere. Et ita quando notitia creata tranſit de intuitiua in abſtractiuam, & è contra, realiter mutatur. *Ratio eſt:* quia intuitio importat coëxiſtentiam præſentiæ phyſicæ obiecti cum notitia, non quomodocunque, ſed cum attentione, & tendentia ipſius cognitionis terminatæ ad talem rem, vt coëxiſtentem, & modificantem obiectum. Diuerſa autem terminatio cognitionis mediante attentione ad rem coëxiſtentem, aliquam intrinſecam mutationem ponit in ipſa cognitione; nec enim talem attentionem, & terminationem ad coëxiſtentiam præſentiæ habet abſtractiua notitia. In quo eſt latum diſcrimen inter veritatem, ſeu falſitatem cognitionis, & rationem intuitiui, & abſtractiui, quia veritas ita conſiſtit in conformitate ad eſſe, vel non eſſe rei, quod etiam ſi quis non attendat ad eſſe, vel non eſſe rei, ſi tamen ſemel proferat iudicium, re non exiſtente eo modo, vt iudicat, hoc ipſo amittit veritatem, & re ita exiſtente acquirit illam nullâ aliâ mutatione interueniente intrinſecè in cognitione. At verò vt aliquis intuitiuè videat non ſufficit, quòd ipſo cognoſcente aliquid, illud ponatur præſens in ſe, ſed oportet, quòd ad eius præſentiam attendat cognoſcens, vt ad coëxiſtentem ſibi, & non vt præciſè

repræſentatam,quæ attentio talis ſi deſit, deſtruitur intuitio, licèt res ſit præſens in ſe, quia non eſt præſens in terminando attentionem, & notitiam, ſicut Deus eſt præſens in ſe cognitioni, quam habeo de ipſo, & anima, & ea quæ ſunt in anima, ſunt in ſe præſentia,nec tamen intuitiuè ea video. Diuerſa ergo attentio cum tali terminatione obiecti vt præſentis & coëxiſtentis, eſt intrinſeca ratio in cognitione, & tamen non eſſentialiter variat ipſam,quia eſt modificatio accidentalis ipſius obiecti, ſicut modificatio ſenſibilis communis reſpectu ſenſibilis proprij,quod non variat eſſentialiter cognitiones, licet diuerſam exigat attentionem,& terminationem. Sic præſentia vt coëxiſtens modificat obiectum per ſe, non eſſentialiter diſtingui, propter diuerſam tamen attentionem intrinſecè conuenit actui.

Ad id verò, quod obiicitur de cognitione intuitiua Dei. *Reſpondetur*, quod ſicut idem actus voluntatis Dei propter eminentiam ſuam eſt neceſſarius & liber, per ſuam intrinſecam perfectionem, licet connotet reſpectum aliquem rationis, vel denominationem extrinſecam reſpectu obiecti: ita eadem ſcientia ob eminentiam ſuam eſt intrinſecè abſtractiua, & intuitiua,& approbationis,& ſimul etiam practica & ſpeculatiua, efficax, & inefficax, licet connotet reſpectum aliquem rationis, vel extrinſecam denominationem reſpectu obiecti; in quo tamen formaliter non conſiſtit, ſed non ſine illo denominatur intuitiua, vel libera illa ſcientia, ſeu actus. Quod verò eminenter in Deo habet vnus actus, in nobis habent plures ob ſui limitationem.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur. Ex doctrina D. Thomæ. 1.2. quæſt.67. art. 5. vbi inquit. *Quòd eadem numero cognitio fidei non poteſt manere in patria, quia remotâ alicuius ſpeciei, non remanet ſubſtantia generis eadem numero, & ita non poteſt eſſe, quod eadem numero notitia, quæ prius ænigmatica erat, poſtea fiat viſio aperta.* Ex quo formatur argumentum, quia ideò negat D.Thom. quòd eadem numero notitia, quæ erat ænigmatica non poteſt eſſe viſio aperta, quia remotâ differentiâ alicuius ſpeciei non remanet ſubſtantia generis eadem numero; ergo ſupponit D. Thom. quòd viſio aperta eſt differentia ſpecifica notitiæ, aliàs nihil concluderet illo diſcurſu, quia ſi ratio intuitionis, ſeu viſionis ſolum addit differentiam accidentalem, poteſt remotâ illâ manere tota ſubſtantia illius cognitionis.

Et confirmatur. Quia notitia intuitiua, & abſtractiua opponuntur formaliter, & expellunt ſe formaliter à ſubiecto, opponuntur enim penes clarum, & obſcurum circa præſentiam rei, quia intuitiuum intrinſecè importat euidentiam, & certitudinem de præſentia rei, quod non importat abſtractiuum:& rationem huius euidentiæ, & certitudinis intuitiua notitia expellit abſtractiuam; non enim ſolum opponuntur in ſubiecto, ſicut duo accidentia eiuſdem ſpeciei aliàs non magis opponerentur notitia intuitiua, & abſtractiua, quam duæ intuitiuæ, & duæ abſtractiuæ inter ſe. Vnde & fides non aliter opponitur viſioni gloriæ, niſi quia illa eſt abſtractiua, & iſta intuitiua.

Reſpondetur. Quòd D. Thom. loquitur de viſione aperta, & cognitione ænigmatica, quæ innituntur diuerſis mediis & non ſolum includunt modum intuitiui, vel abſtractiui, iam autem ſupra diximus quòd intuitiuum & abſtractiuum, licet non ſint eſſentiales differentiæ cognitionis; poſſunt tamen conſequi, & præſupponere cognitiones ſpecie diſtinctas, quibus coniunguntur, quando ſcil. inueniuntur in cognitionibus, quæ per diuerſa media ſeu lumina, aut diuerſas repræſentationes conſtituuntur. Quod autem cognitio ænigmattca, & viſio aperta differant penes diuerſa media, optimè explicat D. Thom. ſup. 1. ad Corint. c. 13. lect. 4.

Ad confirmationem reſpondetur. Quòd intuitiuum & abſtractiuum non ſemper differunt penes euidentiam, & ineuidentiam eſſentialem ipſi cognitioni, quæ ſcilicet deſumitur ex ipſa ratione formali medij, qua conſtituitur ſpecifica ratio cognitionis, poteſt enim dari abſtractiua notitia etiam euidens circa omnia illa, quæ repræſentat notitia intuitiua, licet non habeat euidentiam de ipſa præſentia, vt coëxiſtenti ſibi, ſed hæc euidentia non diſtinguit eſſentialiter vnam notitiam ab alia, quia non tenet ſe ex parte rationis formalis ſpecificantis, ſed ex parte coëxiſtentiæ, & applicationis obiecti. Vnde dicit D.Thom. 3. diſtinct. 14. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 3. *Quòd claritas viſionis contingit ex tribus, vel ex efficacia virtutis cognoſcitiuæ, ſicut qui eſt fortioris viſus clarius cognoſcit, quàm qui eſt debilis: aut ex efficacia luminis, ſicut clarius videt quis in lumine ſolis, quàm in lumine lunæ: aut denique ex coniunctione, ſeu applicatione obiecti, ſicut clarius videntur ea, quæ ſunt propinqua, quàm quæ ſunt remota.* Igitur euidentia notitiæ ex vi præciſâ, & formali intuitionis ſolum hoc vltimo modo ab illa prouenit. Conſtat autem quod talis claritas, ſeu euidentia eſt accidentalis, & extrinſeca, quia ſolum pendet ex applicatione, & coëxiſtentia præſentiæ magis, vel minus propinquæ.

Quod verò dicitur de oppoſitione intuitiui & abſtractiui in eodem ſubiecto *Reſpondetur*, opponi quidem inter ſe formaliter formalitate accidentali ipſi notitiæ, eſſentiali verò ipſi rationi intuitionis; ſicut lineam eſſe terminatam, vel non terminatam per punctum, non eſt eſſentiale lineæ, & tamen non poteſt ſimul vtrumque habere; & eadem cognitio non poteſt eſſe ſimul vera & falſa propter oppoſitam terminationem ad obiecta, & tamen veritas, & falſitas accidentaliter conueniunt cognitioni. Fides autem & viſio Patriæ non ſolum differunt penes intuitiuum, & abſtractiuum præciſè, ſed etiam penes diuerſa media, quia fides innititur teſtimonio dicentis, viſio repræſentationi rei in ſe. Et eodé modo viſio Diuinæ eſſentiæ in D.Paulo,& recordatio, qua recordabatur ipſam vidiſſe, non ſolùm differebant penes abſtractiuum, & intuitiuum, ſed penes diuerſa media repræſentationis; quia vidit Deum per repræſentationem eius immediatè in ſe, recordabatur autem ſe vidiſſe per ſpeciem creatam repræſentantem immediatè aliquem effectum creatum, ſcil. ipſam viſionem, quoad an eſt.

Secundò arguitur intuitiuum, & abſtractiuum differunt penes diuerſa obiecta formalia, & penes diuerſas res repræſentatas, ergo important differentias eſſentiales in genere cognitionis. *Conſeq. patet.* quia non eſt aliud principium diſtinguendi eſſentialiter cognitiones, niſi penes obiecta formalia, & repræſentationes diſtinguuntur penes diuerſas res repræſentatas. *Antecedens probatur.* quia intuitiuum, vt intuitiuum reſpicit obiectum, vt præſens ſibi formaliter,& penes hanc formalitatem differt ab abſtractiuo, & in notitia intuitiua repræſentatur ipſa præſentia rei, ſiquidem cognoſcitur, & attingitur vt res cognita, nec ſufficit, quòd præſentia ſit in ipſo obiecto, niſi ſit etiam repræſentata in cognitione, vt patet in eo, qui non aduertit ad rem, quæ tranſit coram ſe, & in aliis exemplis ſuprà allatis, ergo intuitiuum non importat præſentiam rei, vt purè entitatiuè, & phyſicè extra genus notitiæ, ſed vt repræſentatam, & attactam cognoſcibiliter.

Si

Si dicatur, quòd illa præsentia repræsentatur exercitè, & non tanquam res directè repræsentata.

Contra hoc est duplex instantia. Prima in casibus nominis, & verbi, qui vt diximus in Summ. quæst. 2. art. 3. habent distinctos conceptus à suis rectis physicè, licet non cathegorematicè: & tamen non differunt penes diuersas res repræsentatas, sed penes diuersam connotationem exercitam eiusdem rei repræsentatæ. *Secunda instantia* est in ratione formali *sub qua*, per quam distinguitur essentialiter vna cognitio ab alia, & tamen non repræsentatur, nec attingitur directa cognitione, sic enim esset ratio quæ, & non *sub qua*.

Confirmatur, quia præsens, & absens distinguunt essentialiter actus appetitus, ergo etiam actus cognitionis. *Consequentia patet*, ex paritate rationis in bono, & vero ad præsens, & absens. *Antecedens* verò *probatur*; quia timor & tristitia differunt solùm ratione mali absentis vel præsentis, sicut spes, & gaudium ratione præsentis & absentis, ergo sola præsentia, & absentia diuersificat specie istos actus.

Respondetur ad principale argumentum, quòd intuitiuum & abstractiuum non differunt penes diuersa obiecta formalia in esse, & formalitate cognoscibilis, sed in esse, & formalitate alicuius conditionis, & modi accidentalis, & aliud est, quòd sit formale, & essentiale ipsi intuitiuo, aliud quòd sit formale, & essentiale ipsi cognitioni, sicut esse disgregatiuum visus est essentiale albo, vt distinguitur essentialiter à nigro; non tamen est essentiale homini, & similiter obiectum, vt præsens, vel vt absens quantum ad coëxistentiam cum ipsa cognitione, & applicationem obiecti, essetialia sunt ipsi intuitiuo & abstractiuo, non tamen ipsi cognitioni; & ita intuitiuum & abstractiuum essentialiter differunt, & definitione inter se, sicut album & nigrum, sed istæ differentiæ sunt accidentales ipsi cognitioni, quia vt dictum est, non respiciunt præsens & absens, vt fundant cognoscibilitatem, & immaterialitatem diuersam, sed vt fundant applicationem ad coëxistentiam obiecti physicam in terminando cognitionem.

Quod verò dicitur de diuersa repræsentatione *Respondetur* intuitiuum & abstractiuum formaliter & ex vi sua non differre penes diuersas res repræsentatas, potest enim etiam abstractiua notitia repræsentare præsentiam ex parte rei repræsentatæ, sicut ego modo cogito Deum mihi præsentem, & animam cognosco mihi esse præsentem euidenter per effectus: & tamen nec Deum, nec animam intuitiuè video, quare non differunt istæ repræsentationes penes diuersas res repræsentatas, nec penes connotationem, seu habitudinem ad distinctum repræsentatum, vel penes distinctas rationes *sub quibus* essentialiter conducentibus ad repræsentationem, sed solum penes diuersam terminationem ad præsentiam, vt coëxistentem ipsi cognitioni, vt declaratum est. Vnde non omnis variatio in repræsentatione est variatio essentialis nisi reducatur ad diuersam rationem *quæ*, vel *sub qua* ipsius repræsentationis, sicut etiam in visione exteriori non quæcunque mutatio variat essentialiter visionem, v. gr. si solum fiat variatio penes diuersum sensibile commune, vt si album videatur cum motu, vel sine motu, cum hoc, vel illo situ, vel figura, quæ non variat essentialiter ipsam visionem, sed accidentaliter, vt diximus, de quo videatur Magistr. Bannez 1. parte, qu 78. art. 3. dubio 8. sic etiam præsentia vel absentia non variant essentialiter cognitionem in quantum important diuersam terminationem cognitionis ad præsentiam, vt coëxistentem sibi; si autem etiam se habeant, vt res repræsentatæ, sic variare possunt notitias tanquam diuersa obiecta earum, non autem quando solum gerunt vicem conditionis pertinentis ad coëxistentiam præsentiæ obiecti cum notitia.

Ex quo etiam patet ad instantias adductas, nam diuersi casus nominum, si distinguunt conceptus essentialiter, ideo est, quia important in obiecto diuersam aliquam habitudinem, & connotationem ad rem repræsentatam, verbi gratia, ad rem per modum agentis, vel possessæ, quod est per modum quid, vel cuius, vel cui, quæ habitudine intelliguntur afficere ipsam rem repræsentatam & in ea fundari, & à fortiori diuersa ratio *sub qua*; at verò intuitiuum, & abstractiuum secundùm suam præcisam formalitatem non dicunt ipsam præsentiam, vel absentiam, vt sunt res repræsentabiles, sic enim, vt iam diximus, potest præsentia rei esse res repræsentata per cognitionem abstractiuam, vt cum cognosco Deum esse præsentem abstractiuè, quòd si aliqua cognitio abstractiua, non repræsentat præsentiam, vt rem repræsentatam, intuitiua verò sic, tunc illæ repræsentationes different essentialiter non ex vi intuitiui, & abstractiui præcisè, quæ sine hoc saluatur, sed propter generalem rationem repræsentandi diuersa obiecta. Stando ergo in præcisa formalitate intuitiui, & abstractiui, quæ non postulant diuersas res repræsentatas, nec diuersam habitudinem, vel connotationem in ipsa re repræsentata fundatam, sed diuersam terminationem, & applicationem obiecti secundùm coëxistentiam ad notitiam, ideo non variant essentialiter conceptus, sicut nec album quando videtur cum motu, vel sine motu, vel cognitio quando redditur vera, vel falsa ex coëxistentia ad esse rei.

Ad confirmationem respondetur. Esse diuersam rationem in actibus appetitus, & in actibus cognitionis, quia appetitus fertur in bonum, vel malum, variatur autem essentialiter ratio boni, vel mali secundùm diuersam conuenientiam, vel disconueniétiam, maximè autem pendet conuenientia, vel disconuenientia ex præsentia, vel absentia rei, quia obiectum præsens facit quiescere appetitum, absens autem facit moueri, eò quòd appetitus se habet per modum inclinationis, & ponderis, pondus autem aliter se habet in centro, aliter extra centrum, & ideo præsentia, vel absentia obiecti, in eo quod se habet per modum inclinationis multum concludit ad variandam formalem rationem obiecti, at verò cognitio cum perficiatur intra ipsam potentiam trahendo res ad se semper perficitur per præsentiam illatum in esse cognoscibili & intentionali. Vnde nisi ipsa præsentia varietur, non fit variatio in ratione essentiali cognitionis, & ita id quod restat de præsentia physica obiecti, quod sit coëxistens, vel non coëxistens notitiæ, extra genus talis notitiæ se tenet, & per accidens consideratur, quia iam pertinet ad præsentiam intentionalem.

Vltimò arguitur; quia intuitiuum & abstractiuum, si non variant essentialiter notitiam, sed accidentaliter, vel sunt denominationes extrinsecæ, vel intrinsecæ, non extrinsecæ, sic enim eadem numero notitia modò posset esse intuitiua modò abstractiua, sicut potest esse vera, vel falsa eadem cognitio. Et si comparatur præsentia, & absentia respectu notitiæ intuitiuæ, & abstractiuæ, sicut sensibile commune respectu visionis, clarum est quod non potest se habere, vt denominatio extrinseca, tendentia enim ad sensibile commune non est denominatio extrinseca in visione. Si autem intuitiuum, & abstractiuum, sunt modi intrinseci non possunt esse aliud, quàm

ten

tendentia, & ordo ad obiectum, quod essentialiter variat cognitionem nec intelligi potest, quomodo isti modi intrinseci varient conceptum accidentaliter, & non varient ipsam repræsentationem in ordine ad rem repræsentatam: Imò neque datur diuisio cognitionis penes modos intrinsecos, nisi etiam sit diuisio essentialis, sicut distinctio penes clarum, & obscurum essentialiter variant cognitionem, licet obscuritas non sit ratio formalis; sed modus intrinsecus cognitionis. Denique afferre possunt aliqua exempla, quæ distinctionem istam essentialem probare videntur, sicut practicum, & speculatiuum sunt differentiæ essentiales, & tamen practicum dicit ordinem ad opus quod est extra rationem. Et bonum, & malum sunt differentiæ essentiales actus humani, & tamen malum potest sumi ex aliqua intrinseca circumstantia.

Respond. Quòd intuitiuum & abstractiuum sunt modi accidentales, qui reductiuè pertinent ad genus cognitionis, tanquam modi, non tanquam species essentiales; & vt diximus probabilius est, quòd sint modi intrinseci. Et quando dicitur, quòd sunt ipse ordo, seu tendentia ad obiectum: dicimus, quòd formaliter, & directè non sunt ipse ordo ad obiectum in ratione obiecti repræsentati, sed modificationes istius ordinis, quatenùs faciunt tendere ad obiectum non solum vt repræsentatum, sed vt coëxistens notitiæ: ita quòd ratio ad obiectum, vt repræsentatum, & cognitum formaliter constituit; ad obiectum verò sic repræsentatum, vt coëxistens notitiæ est respectus modificans. Quando autem comparamus rationem intuitiui ordini, & respectui ad sensibile commune exemplum tenet in hoc, quod sensibile commune, non est primariò repræsentatum, sed repræsentatur vt modificans colorem modificatione accidentaliter se habente ad visibilitatem; ita præsentia in intuitiuo, non se habet vt res directè repræsentata, sic enim etiam in abstractiua notitia repræsentari potest, sed vt modificans obiectum repræsentatum modificatione accidentaliter vt dictum est.

Et quando dicitur, quòd diuisio penes modos intrinsecos est etiam essentialis. *Respondetur.* Quòd modi possunt dici intrinseci, vel quia modificant ipsam formalem rationem constitutiuam, & sic intrinseci sunt ipsi constitutioni; vel possunt dici intrinseci, quia non extrinsecè denominant, licet nunc intrinsecè constitutionem modificent. Et diuisio per modos primi generis est etiam essentialis, per modos verò secundi generis est accidentalis.

Ad exempla Respondetur. Quòd practicum, & speculatiuum differunt essentialiter, quia ordo ille ad opus externum oritur ex diuersis principiis, & mediis cognoscendi non autem importat solùm diuersam applicationem, & coëxistentiam obiecti, sicut intuitiuum, abstractiuum, sed diuersa principia formalia cognoscẽdi obiectum modo compositiuo, & resolutiuo. *Quòd verò dicitur* de differentia mali moralis. *Respondetur.* Esse quidem differentiam essentialem respectu actus considerari intra genus moris, sed tamen non desumi à circumstantia speciem essentialem actus moralis mali, nisi ipsa circumstantia transeat in principalem obiecti conditionem, vt dicitur 1. 2. qu. 18. art. 1. Intuitiuum autem, & abstractiuum, semper sunt circumstantiæ cognitionis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm possit dari cognitio intuitiua de re physicè absenti, siue in intellectu, siue in sensu exteriori?

AD exactè explicandum rationem intuitiui, & abstractiui oportet videre differentias, quæ illis formaliter conueniunt inter se. Solent autem quatuor differentiæ numerari. *Prima* ex parte causæ; quia intuitiua producitur ab ipso obiecto; abstractiua verò à speciebus ex obiecto relictis. *Secunda* ex parte effectus, quia intuitiua est clarior, & certior, quàm abstractiua. *Tertia*, ex parte ordinis, quia intuitiua est prior, quàm abstractiua, omnis enim cognitio nostra, ortum habet ab aliquo sensu exteriori mediante intuitiua cognitione. *Quarta*, est ex parte subiecti, quia intuitiua potest inueniri in omnibus potentiis, siue sensitiuis siue intellectiuis, abstractiua verò non potest inueniri in sensibus externis. Istæ autem quatuor differentiæ supponunt principalem differentiam, quæ ex obiecto desumitur, & in definitionibus istarum notitiarum explicatur, nempe quòd intuitiua sit de re præsenti, abstractiua verò de re absenti. Et quidem tres primæ differentiæ non sunt ita intrinsecæ, quin possint aliquando deficere in istis notitiis, licet plerumque in nobis inueniantur, potest enim infundi à Deo species repræsentans rem aliquam, seu quidditatem abstractiuè, & imò & præsentiam rei per modum quidditatis, antequam repræsentetur res aliqua intuitiuè, nec minorem claritatem & certitudinem tribuere notitiæ abstractiuæ, quàm intuitiuæ, sicut & ipse Deus non minùs clarè cognoscit res possibiles, quàm futuras. Quare præcipuæ differentiæ reducuntur ad illas duas, nempè quòd intuitiua versetur circa præsentiam rei; & secundò circa subiectum, in quo possunt tales notitiæ reperiri, præsertim circa sensus externos, an possit in illis reperiri notitia abstractiua?

Circa primum plerique existimant, ad notitiam intuitiuam solum sufficere præsentiam rei obiectiuam, non verò requiri præsentiam rei physicam, id est, sufficere quòd præsentia sit cognita, non verò requiri, quòd sit coëxistens ipsi notitiæ. Ex quo sequitur posse essentialiter dari notitiam intuitiuam de re physicè absenti. Et *circa secundum aliqui existimant*, posse per potentiam Dei rem physicè absentem attingi à sensu externo, dummodo repræsentetur vt præsens. Videantur Conimb. 2. de Anima, cap. 3. quæst. 3. art. 1. & 2. Breuiter tamen (quia res ista magis pertinet ad libros de Anima) duplici conclusione respondetur.

Prima est: *Cognitio intuitiua non solùm petit præsentiam obiectiuum sui obiecti, sed etiam physicam, atque ita de præterito, & futuro nulla datur intuitio, nisi reducatur ad aliquam mensuram, in qua sit præsens.* Hæc conclusio communiter deducitur ex doctrina D. Thomæ 1. part. quæstion. 14. articul. 13. & ibi communiter eius discipuli, qui ad ponendam in Deo visionem rerum futurarum, dicunt eas debere esse physicè præsentes in æternitate; de futuro enim, vt futuro, non potest dari aliqua visio. Et certè discursus D. Thom. in illo articulo id necessariò exigit; probat enim D. Thomas, quòd Deus cognoscit omnia futura, vt præsentia, quia non cognoscit ea in suis causis, sed in seipsis, prout vnumquodque eorum est in actu in seipso, & quia sua cognitio mensuratur æternitate; æternitas autem ambit totum

totum tempus, omnia autem, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia. Qui discursus, si solum procedit de præsentia obiectiua penitus est inefficax, quia probaret idem per idem, siquidem cum intendat probare, quòd Deus videt futura vt in se ipsis præsentia, quod est habere earum præsentiam in cognitione, & obiectiuè, id probaret, quia sunt in æternitate obiectiuè præsentia, id est, cognitioni præsentia, & sic probaret esse præsentia obiectiuè, quia sunt præsentia obiectiuè.

Et sumitur fundamentum conclusionis ex hoc: quod apud omnes conuenit, notitiam intuitiuam debere respicere obiectum præsens, visio enim debet attingere res in se ipsis, & secundum quod extra videntem sunt, habet se enim intuitiua visio sicut experimentalis cognitio, imò est ipsamet experientia, non est autem intelligibile quòd detur experientia nisi de rei præsentia, absens enim vt absens, quo modo sub experientia cadere potest? Ex hoc autem quod apud omnes notum est de ipsa visione, deducitur manifestè requiri physicam obiecti præsentiam, nec posse intelligi, quòd sufficiat obiectiua. Etenim præsentia rei solùm dupliciter cognosci potest vel in actu signato, vt quidditas quædam, vel prout exercetur, afficit ipsam rem, illámque in se reddit præsens. Et primum deseruit abstractiuæ notitiæ, quia proprium est abstractiuæ cognitionis considerare res per modum quidditatis, & naturæ, sicque etiam ipsam præsentiam, vt rem, & quidditatem quandam considerat, & saluatur abstractiua cognitio, etiam respectu præsentiæ consideratæ vt res quædam est, & vt obiectum de quo agatur, vt patet cum modo per discursum, vel per fidem intelligo Deum esse præsentem, & animam meam esse præsentem in me, & tamen nec Deum, nec animam video intuitiuè. Requiritur ergo ad rationem intuitiui secundum, scilicet vt res aliqua attingatur sub ipsa præsentia, vt scil. ab ipsa præsentia afficitur, & in ipsa re physicè exercetur. Si autem sic attingatur præsentia, non potest attingi, vt adhuc est intra causas, & per modum futuri, nec vt transiuit, & habet modum præteriti, quia neutrum est videre rem in se ipsa, nec ab ea moueri, aut attingi nisi prout in alio, nam futurum sub ratione futuri non potest intelligi nisi in causis, in quibus continetur, essentialiter enim futurum dicitur illud, quod nondum est extra causas, sed adhuc est intra illas, quæ tamen ordinantur ad producendum rem ipsam, igitur implicat cognoscere aliquid vt futurum, nisi prout intra causas, nam hoc ipso quòd concipitur in se, & seorsum à causis desinit concipi, vt futurum. Similiter præteritum, vt præteritum, non potest concipi nisi secundum rationem existentiæ amissæ, ergo iam non concipitur vt in se, quia in se entitatem, & existentiam non habet, ergo concipitur præteritum vt denudatum à præsentia, & existentia. Vnde non potest repræsentari, nisi vel mediante aliquo effectu à se relicto, vel mediante determinatione speciei ad existentiam quam habuit, quod totum est non videre rem in se ipsa secundùm esse, quod habet in se extra videntem, sed secundum quod continetur in alio, & habitudinem, & connotationem dicit ad aliud, cum ergo intuitiua visio feratur in rem præsentem, secundùm quod præsentia afficit rem illam in se, & non prout in alio continetur, vel prout cognoscitur præsentia ipsa vt res quædam, & quidditas est, manifestum relinquitur, quod intuitio fertur in præsentiam physicam, vt physicè se tenet ex parte obiecti, & non solùm vt obiectiuè est præsens potentiæ, hoc enim quod est obiectiuè esse præsens, saluatur etiam in notitia abstractiua, quæ cognoscere potest præsentiam non vt præsentialiter terminantem notitiam, sed vt contentam, vel deductam ex aliquo principio, siue repræsentatam, vt quidditas quædam est, vt quando modo cognoscimus abstractiuè Deum esse præsentem nobis.

Ex quo colligitur optimè, Caietanum 1. p. quæst. 14. art. 9. posuisse duas conditiones, vt aliquid dicatur visum. *Prima*, quòd præsentialiter obiiciatur videnti, id est, per præsentiam non vt contentam in alio, sed vt afficientem rem ipsam in se. *Secunda*, quod res visa habeat esse extra videntem, quod etiam D. Th. posuit in 3. dist. 14. supra cit. hoc est non sufficit, quòd habeat esse intra videntem per intentionalem repræsentationem sui, sed etiam habeat esse extra videntem, quod est esse physicum, ad quod terminetur notitia.

Quòd si petas? quænam est implicatio, quod Deus infundat alicui repræsentationem rei futuræ, verbi gratia, Antichristi, vt in se futurus est, & secundum esse distinctum à causis, cum ordine tamen, & habitudine ad causas, sicut ipsæ res existentes etiam ad causas suas dicunt habitudinem? *Ad hoc Respondebimus* in solut. primi argumenti infrà.

Secunda conclusio. *Implicat, quòd in sensu exteriori inueniatur notitia abstractiua, siue notitia de re absenti.* In hac conclusione conueniunt Conimb. supra relati, licet valdè differant in ratione reddenda, & absolutè existimant Diuinitùs posse sentire rem physicè absentem, dummodo repræsentetur, vt præsens. Sed nostra conclusio communior est inter Authores præsertim Thomistas, & videri potest D. Thom. 3. p. q. 76. art. 7. & in 4. dist. 10. q. 1. artic. 4. quæstiunc. 1. Et quidem de facto constat non posse videri rem absentem, quia sensus externi debent accipere species ab obiectis: si autem obiecta præsentia non sint ipsis sensibus, non possunt illos mouere, & species immittere, ergo saltem ad hoc requiritur præsentia obiecti physica. Deindè in sensibus requirentibus physicum contactum ad sensationem, vt tactus, & gustus, manifestum est essentialiter requiri physicam præsentiam obiecti, quia requiritur contactus per quem intrinsecè fit ipsa sensatio. Contactus autem essentialiter requirit præsentiam contactorum, quia non potest fieri inter res distantes: ergo multò minùs inter absentes, quia omne absens in re, est distans. Quod si aliquis tangat non rem ipsam, sed aliquid loco illius, tunc non dicitur rem illam tangere, sed id, quod loco illius subrogatur, sicut qui habet linguam infectam humore amaro, humorem illum gustat potiùs, quàm saporem alterius rei, quæ sibi amara videtur, vnde amaritudo quam sentit præsens est.

De reliquis verò sensibus id etiam probatur. Tum à posteriori, quia omnis cognitio sensus est experimentalis, & inductiua, cum in illam vltimò resoluatur certitudo intellectus; repugnat autem, quòd experientia fiat circa rem absentem, quia quamdiu absens est indiget alio medio, quo accipiatur eius cognitio: ergo adhuc deest aliquid ad experientiam, quia experientia sistit in ipsa re, secundùm quod est in se ipsa, sic enim experientiæ subiicitur, quando in se ipsa attingitur. Tum etiam in priori, quia exterior cognitio sensus necessariò debet terminari ad aliquod obiectum, non vt intra se repræsentatum: ergo vt extra se positum, quod autem ponitur extra videntem physicam existentiam habet, vel si non existit, hoc ipso sensus carebit obiecto terminante, atque adeò non habebit obiectum circa quod versetur, quod implicat. *Min. verò prob.* quia sensus externi non formant idolum, vt in ipso perficiatur cognitio tanquam in termino intrinseco, vt latiùs probandum est in libris de

de Anima. Quod ideò est, quia res quæ sentiuntur extra ipsum sensum sunt in actu vltimo sensibiles, sicut color per lucem fit vltimatè visibilis, vnde non indiget aliqua specie expressa, vt in illa reddatur obiectum in actu vltimo sensibili formatum. Nec rursus pertinet ad sensus externos memoria, vt recordentur rerum absentium, sicut sensus interiores. ergo nulla est in illis ratio formandi speciem expressam, seu verbum. In hoc ergo principio tanquam in radice fundatur impossibilitas cognoscendi rem absentem per sensum externum, ne careat obiecto terminante, supposito, quod intùs non format speciem, in qua cognitio terminetur.

Solvvntvr Argvmenta.

Primò arguitur. Potest saluari notitia intuitiua sine præsentia physica obiecti, sed solùm cum obiectiua: ergo non requiritur præsentia physica. *Antecedens probat. multis exemplis. Primò*, quia potest Deus producere speciem repræsentantem futurum, verbi gratia, Antichristum sicut est in se, & cum tanta euidentia, & certitudine, sicut si esset præsens: imò probabile est Christum Dominum per scientiam infusam intuitiuè vidisse futura: ergo poterit dari intuitiua cognitio, quæ repræsentet aliquid absens. *Antecedens probatur*, quia nulla est implicatio, quod repræsentetur tale futurum in seipso magis, quam quod repræsentetur præteritum, cuius tamen datur species propriè repræsentatiua præteriti. *Deinde*, quia illa species, quam Antichristus emittet ex se, quando erit præsens potest à Deo produci independenter ab Antichristo: ergo tunc repræsentabitur Antichristus intuitiuè, antequam sit in se. Et idem est de speciebus Angelicis, quæ infunduntur illis antequam res sint productæ, & sine vlla variatione sui repræsentant res, siue existant, siue non existant: ergo semper repræsentant intuitiuè. Nam intuitiua, vel est eadem cognitio cum abstractiua, vel diuersa. Si eadem, iam dabitur intuitiua de re absenti, quia continuatur eâdem notitiâ, quando est præsens, & quando absens. Si diuersa: ergo variatur repræsentatio in Angelo, quando videt rem intuitiuè, & abstractiuè, cum tamen sit omnino eadem species.

Secundum exemplum est in Deo, qui videt res futuras intuitiuè antequam sint in seipsis, alias dependeret notitia eius, vt esset intuitiua à præsentia physica rei. Nec *dici potest*, quòd res sunt præsentes in æternitate. *Tum*, quia hoc non est certum, sed oppositum est probabile. *Tum*, quia etiamsi non essent res in æternitate adhuc viderentur intuitiuè. *Tum*, quia res in æternitate sunt tanquam in causa, à qua dependet duratio earum in tempore; sunt enim in alieno esse, & in aliena mensura: ergo non requiritur physica existentia rei in se, sed sufficit in alio esse, vt sit intuitiua. *Tum denique* quia res conditionatè tantum existentes, videntur intuitiuè, cum non attingantur per simplicem intelligentiam, & tamen actu non habent præsentiam, nec in se, nec in æternitate, sed haberent illam, si poneretur conditio. Ergo notitia intuitiua non requirit actualem præsentiam rei in se.

Vltimum exemplum est in intellectu nostro, qui cognoscit res intuitiuè, & tamen non habet speciem repræsentatiuam rei singularis, & consequenter, neque præsentiæ, vt coëxistentis, quæ solùm conuenit rei singulari: ergo non requirit intuitiua cognitio attingentiam præsentiæ physicæ

Respondetur. In his exemplis multa tangit, quæ pertinent ad materias Theologicas, & ideò in illis non possumus ad longum immorari. *Breuiter tamen respondetur ad primum exemplum*, quòd de re futura non potest dari species, quæ repræsentet illam, vt est in se, si ly *in se* dicat coëxistentiam præsentiæ ipsius, & terminationem cognitionis per seipsam immediatè, benè tamen si ly *in se* dicat propriam quidditatem rei futuræ, vt pertinet ad motiuum, & specificatiuum cognitionis. Itaque potest repræsentari ipsa quidditas rei futuræ, quo ad substantiam, & accidentia eius per modum quidditatis, & hoc cum maiori certitudine, & euidentia, quàm si videretur intuitiuè; quia euidentia, & certitudo sumitur ex parte luminis, & medij, quo fit cognitio, non ex parte terminationis. Vnde fidelis certior est de mysterio Incarnationis, quàm ego de ista papyro, quam video. Cæterum ex parte modi terminandi, nunquam potest futurum, vel præteritum cognosci secundùm præsentiam, vt est in se, sed in alio, vel quia repræsentatur in aliquo simili, siue imagine formata de illa re futura, vel in aliqua causa, in qua continetur tale futurum, vel in aliqua reuelatione, & testimonio dicentis, aut in aliquo alio simili; itaque iste modus cognitionis, qui est terminare illam per propriam præsentiam rei nunquam inuenitur, nisi in cognitione intuitiua, quantumcunque abstractiua sit clarior ex parte medij, & luminis quo fit cognitio.

Vnde patet ad probationes allatas pro isto exemplo dicimus enim, quòd de re præterita potest dari propria repræsentatio rei in se, quia iam extitit, & terminare potest repræsentationem sui, sed non potest per se ipsam terminare, sicut requiritur ad notitiam intuitiuam, sed in aliquo sui, sicut supra dictum est. *Et ad secundam probationem dicitur*, quòd species illa potest produci à Deo, sicut produceretur ab Antichristo, quantùm ad entitatem speciei, sed non poterit habere idem exercitium repræsentandi Antichristum, ac si esset præsens, sicut requiritur ad intuitionem, præsertim ex parte terminationis per sui præsentiam, sed solùm poterit terminari ad rem futuram, vt in alio. Et ideò impossibile est, quòd cognitio habita per talem speciem de re, vt futura, si reddatur præsens, & fiat intuitiua non varietur intrinsecè, propter diuersam terminationem ad rem in se, vel in alio, & diuersam attentionem, quam exigit.

Et *similiter ad probationem de speciebus Angelicis dicitur*, quòd non possunt repræsentare futura per terminationem ad illa in seipsis, sed vt continentur in causis. Sed tunc primò incipiunt repræsentari futura in seipsis, quando in seipsis existunt, & desinunt esse futura, quod non requirit distinctam repræsentationem ex parte speciei, quantum ad rationem repræsentandi, & rem repræsentatam, sed quantùm ad modum terminandi istius obiecti, in qua terminatione completur extrinsecè similitudo speciei, vt loquitur Diuus Thomas 1. part. quæstion. 57. artic. 3. & quæstione 64. articulo primo ad quintum. Et ideò si futura contingenter continentur in causis, non potest Angelus quantumcumque comprehendat suam speciem cognoscere illa, vt determinatè existentia, sed solum indeterminatè, quia non aliter continentur in illa specie, licet quidditatem eorum propriè cognoscat, per hoc autem quod varietur cognitio Angeli, quando redditur intuitiua, non sequitur, quòd varietur eius species impressa essentialiter, sed solùm rei repræsentatæ terminatio, species enim quæ repræsentat rem, & præsentiam, etiam præsenti coëxistit.

Ad secundum exemplum Respondetur, non posse sustineri istam sententiam de præsentia physica requisita ad intuitionem, nisi ponantur res coëxistere phy-

ficè in æternitate, in qua solum mensura possunt coëxistere physicè cognitioni diuinæ, antequam sint in propria mensura, & ideò hanc sententiam nunc supponimus, vt certiorem, cuius explicatio videri potest apud interpretes Diui Thomæ 1. part. quæstione 14. articul. 13. & Caietatanum ibi, & primo contra Gentil. cap. 66. Vnde neque Christus Dominus per scientiam infusam potuit videre futura intuitiuè, nisi illa cognitio mensurata furata fuerit æternitate, quod tamen non videntur admittendum, sicut in visione beata, quæ manifestat clare ipsum Deum, & consequenter eius æternitatem, in qua futura continentur. Et ad *probationem huius exempli dicitur*, quòd res non continentur in æternitate solum tanquam in causa efficiente, sed vt mensurante mensurâ superiori durationem rerum nondum in propria mensura existentium, aliàs non esset immetabilis & indiuisibilis in mensurando, si solum mensuraret actu res, quando mutabiliter existunt in se ipsis, & si sic non existunt, non mensuraret, quod est contra rationem mensuræ æternitatis, quæ etiam in mensurando immutabilis, & indiuisibilis est. Quare res omnes ita sunt in æternitate, vt in aliena mensura, quod tamen non sunt in ipsa, sicut intra causas, sed vt in se ipsis, non tamen vt productæ in propria mensura, & secundum illationem passionis, & mutationis, sed vt attactæ duratione immutabili, & æternâ, quatenùs scilicet attinguntur ab actione Dei æterna sub respectu actionis, non sub respectu passionis, nec enim actio Dei semper est coniuncta passioni, & consecutioni effectus in propria mutatione, vt dicit Sanctus Thomas 1. part. quæstione 46. articul. 1. ad 10. Et tamen in se semper est actio æterna, & sub respectu æterno terminum respicit, & eleuat ad suam mensuram in ratione actionis, & non solùm eum respicit prout intra causas. Sed de his latius Theologi.

Ad aliam verò probat. de futuris conditionatis Respondetur, illa non attingi à Deo intuitiuè, quia verè non sunt, sed essent. Attinguntur autem per simplicem intelligentiam, non quatenùs excludit decretum voluntatis, sed vt excludit visionem. Simplex enim intelligentia dicitur, aut quia non miscet aliquid de præsentia physica, quod pertinet ad visionem, aut quia non miscet aliquid de ordine ad voluntatem, quod pertinet ad decretum, vt docet Diuus Thomas 3. de veritat. articul. 3. ad 8. Et respectu conditionati determinatæ veritatis datur decretum determinans illam, ideóque non attingitur simplici intelligentia, quatenus ly *simplex* opponitur ordini ad voluntatem, sed est simplex intelligentia, vt opponitur physicæ præsentiæ actu.

Ad vlt. exemplum. Respond. Imprimis quòd licèt intellectus noster non habeat speciem impressam directè repræsentantem singulare, habet tamen ex adiuncto ordine, & reflexione ad phantasma, conceptum directè repræsentantem illud, vt latiùs dicemus in Physic. & hoc sufficit, vt dicatur habere notitiam intuitiuam rei præsentis, videlicet mediante tali conceptu. *Vel secundò dicitur*, quòd hoc ipso quòd intellectus cognoscit cum continuatione, & dependentia à phantasmatibus, phantasmata autem coordinantur sensibus, quia *phantasma est motus factus à sensu in actu*, vt dicitur in 3. de Anima, ideò cognitio intellectus licet fiat à specie non repræsentante directè singulare, potest tamen saltem indirectè cognoscere illud mediante ista coordinatione, & continuatione ad sensus, & hoc sufficit, vt eodem modo habeat notitiam intuitiuam.

Secundò arguitur; quia gentilis, vel hæreticus non credens in Eucharistia esse Christum factâ consecratione eodem modo continuat visionem, & iudicium, de pane, atque antea, & eodem modo certificatus de præsentia panis, sicut anteà, scilic. mediantibus illis accidentibus sed anteà erat notitia intuitiua non solum accidentium, sed etiam panis per accidentia, ergo manet illa notitia intuitiua circa tale obiectum sicut anteà, nam si esset abstractiua esset alia notitia seu iudicium, & tamen panis est absens, ergo datur intuitio de re absenti.

Confirm. quia in speculo datur notitia intuitiua de ipsa re ibi repræsentata, siquidem fit per species emissas ab obiecto, & reflexas à speculo ad oculum, quod autem fit per species ab obiecto ipso conseruatas, & immissas, intuitiua cognitio est, & tamen in speculo non datur præsentia physica hominis, verbi gratia, qui potest esse retro videntem, & non ante quando videtur in speculo, ideóque panis visus in speculo non est consecrabilis, quia non est præsens. *Si dicatur*, non videri in speculo rem ipsam repræsentatam, sed tantùm eius imaginem, obstat difficilis locus D. Thom. q. 2. de verit. art. 6. vbi dicit quod per *Similitudinem, quæ est in visu à speculo accepta directè fertur visus in cognitionem rei speculatæ, sed per quandam reuersionem fertur per eandem in ipsam similitudinem, quæ est in speculo.* Ergo secundum D. Thom. visus non solùm videt similitudinem in speculo, sed etiam rem ipsam repræsentatam.

Respondet. quòd in nobis respectu panis consecrati datur duplex cognitio altera ipsius oculi exterioris respectu obiecti, quod videt; altera est iudicium, quod formatur in intellectu de substantia rei visæ. Prima cognitio manet intuitiua sicut anteà, tam in credente, quam non credente mysterium Eucharistiæ, quia manet inuariata circa obiectum primarium, & per se quod est coloratum, respectu verò sensibilis per accidens quod est substantia, illa visio manet, quia sensus non patitur à sensibili per accidens, vt dicit Philos. in 2. de Anima text. 65. & videri potest D. Thom. lect. 13. & ideò ad sensum externum in quantem externus est solùm pertinet intuitiuè attingere coloratum secundum externam superficiem, quod verò intus est vel ipsa substantia rei, cum per accidens etiam attingitur intuitiuè à sensu. Vnde illo remoto non manet amplius visum per accidens, sed non ex hoc variatur intrinsecè ipsa visio exterior, quia ea quæ sunt per accidens non variant intrinsecè cognitionem. Iudicium verò intellectus quo Hæreticus iudicat esse panis substantiam, numquam fuit intuitiuum in se, & immediatè etiam ante consecrationem, quia substantia rei in se non videtur; nec iudicium propriè est intuitiuum, vel abstractiuum nisi ratione extremorum, ex quibus constat, intuitiuum enim dicitur de simplici notitia non de iudicatiua, quæ formaliter non respicit rem, vt præsentem, sed vt alteri conuenientem. Potest ergo continuari idem iudicium de substantia panis, ante, & post consecrationem, licèt discontinuetur vera intuitio panis, cuius substantia per accidens erat visa, & non in se, quia quod solùm per accidens est visum, & intuitiuum, non conuenit intrinsecè cognitioni, sed extrinsecè, sicut veritas, vel falsitas. Et sicut sublatis accidentibus, si substantia nuda maneret, cognitio eius continuata non esset intuitiua, ita è contra manentibus accidentibus, sed non substantia, eius cognitio intuitiua non est, & tamen est eadem.

Ad confirm. Resp. Quod in speculo non videtur intuitiuè res ipsa, sed imago eius, quæ per refractionem specierum, & luminis formatur in speculo, quam imaginem generari docet D. Th. in 4. diff. 10. q. 1. art. 3. quæst. 33. & 3. p. q. 76. art. 2. & 3. Meteor. lect.

lect. 6. in digressione quadam de coloribus Iridis circa 4. quæstion. ad 2. Itaque in speculo per lumen refractum, simul cum speciebus, quæ cum lumine ipso deferuntur generatur ibi, & resultat illa imago, sicut, etiam in nube opposita Soli resultant colores iridis. Et id quod videt oculus in speculo est imago illa ibi formata, quam vtique intuitiuè videt; rem autem speculatam solum videt prout continetur in ipsa imagine speculi. Dicitur autem videre per species ab obiecto immissas, & refractas, non quia formaliter, & immediatè videat per species, vt immissas ab obiecto, sed per species ipsius imaginis formatæ in speculo à speciebus, quæ originatæ sunt ab obiecto, & per refractionem aliæ resultarunt. Quando verò dicit Diuus Thomas, quòd visus directè fertur in cognitionem rei speculatæ per similitudinem, quæ est in visu accepta à speculo, non loquitur de visu, pro sola cognitione sensitiua exteriori, sed pro tota cognitione, tam interiori, quàm exteriori quæ accipitur ex speculo, & non sistit in ipsa imagine speculi, sed in re speculata, ad quam ducit illa imago, & totum hoc visus nominatur.

Tertiò arguit. Potest in sensu externo poni à Deo, vel Angelo species aliqua repræsentans rem absentem: ergo tunc videbitur ab oculo. *Consequen. patet*, quia oculus formatus specie præsertim remanente luce exteriori potest exire in actum, non enim ad aliud requirit obiectum præsens, nisi vt ipsi species subministret: ergo istis positis sine obiecto, visus eliciet actum. *Anteced. verò probatur. Primò*, quia non repugnat, vt Deus conseruet species sine obiecto, cum solum pendeant ab illo in genere causæ efficientis, quam Deus potest supplere. *Secundò*, quia sæpè videntur aliquæ apparentiæ circa corpora, nulla facta mutatione in corporibus, sed in sensu videntis, vt patet cum apparet forma pueri, vel carnis in Eucharistia, vt docet D.Thom. 3.p.quæst.76.art.8. Et quando Christus fuit visus in alia effigie à Discipulis, vt docet ibidem quæst.54.art.2.& quæst.55.art.4. quod fit per productionem similitudinis in oculo, perinde acsi naturaliter produceretur, vt docet in 4. dist.10.q.1.art.4. quæst.2. Imò eodem modo per Dæmonum operationem fiunt aliqua præstigia, quando species contingunt organa sensus exterioris, & videntur res ac si essent præsentes extra, vt docet D.Th. in 2.dist.8.q.1.art.5.ad 4.

Et confirmat. Quia Deus potest eleuare rem sensibilem, vt operetur circa aliquid distans, & etiam instrumentaliter circa aliquid spirituale: ergo etiam non repugnabit eleuare sensum, vt operetur actu immanenti circa non præsens, cum ratio præsentis, vel absentis non sit extra adæquatum eius obiectum.

Respondetur ad principale argumentum. Quod Deus benè potest conseruare speciem in oculo quantum ad suam entitatem supplendo efficientiam obiecti, sicut potest lucem conseruare in aëre sine sole. Cæterùm non potest oculus tali specie actuatus tendere in obiectum non præsens, sicut non potest sine luce exteriori videre, quia sine luce exteriori, vel obiecto præsenti caret termino sensationis experimentalis, & externæ; siquidem non formatur idolum intra sensum externum, vt in eo perficiatur cognitio independenter ab exteriori sensibili terminante, vt supra vidimus. Quare implicat, quod res cognoscatur sentiendo, & experiendo sensatione externa, quæ differt ab imaginatiua, nisi attingendo aliquid externum in se ipso, & non vt formatum intra se.

Ad secundum prob. dicitur. Quod istæ apparentiæ externæ solùm possunt fieri dupliciter, aut per elicientiam visionis externæ, aut per elicientiam imaginatiuæ, quæ putat seu indicat se videre externè, quatenùs species intus existentes descendunt circa organa sensuum, siue sensus communis, siue sensuum exteriorum, & ab illis mota phantasia putat se videre visu externo, quia ab ipso visu mouetur, id est, à speciebus descendentibus circa visum. Si primo modo fiat semper datur aliqua immutatio in medio, seu in aliquo corpore extrinseco ingrossato ibi aëre, & apparente colore, sicut etiam per aliquem fumum trabes videntur serpentes, vel vites, aut quid simile. Et hoc modo non repugnat fieri aliquas apparitiones in Eucharistia, vel circa corpus Christi, non quia fiat mutatio circa ipsum corpus, sed circa medium circunstans, non tamen, quia oculus sine exteriori visibili, vel apparenti, vel vero aliquid videat, & idem contingit quoties per refractionem specierum videntur multiplicari visibilia. Secundo modo non formatur visio ab ipso oculo, sed imaginatio deluditur, vel mouetur existimando se videre ea, quæ non videt, sicut etiam in temulentis ex nimia commotione spirituum duplicantur species ad imaginatiuam, & hoc modo sæpè vtuntur Dæmones deludendo, & decipiendo phantasiam, sed quia hoc fit per descensum specierum seu idolorum, quæ sunt in spiritibus imaginatiuæ, vsque ad organa exteriora, vt inde videatur imaginatiua moueri, ideo dicit D.Thom. quod illæ species contingunt organa exterioris sensus, & sic apparet aliquid videri.

Ad confirm. Respondet. Esse disparem rationem inter agentia actione transeunte, vel quamcumque causam efficientem, & cognitionem sensus externi, quod in efficientibus præsentia passi circa agẽs solum est conditio ad agendum pertinens ad coniunctionem passi, non ad formalem specificationem agendi, & ideo salua essentiali ratione agendi, potest suppleri illa conditio. At verò præsentia obiecti in sensibus non pertinet ad coniunctionem passi, sed ad coniunctionem termini specificantis actionem, à quo termino essentialiter dependet cognitio, sicut actio trãsiens ab effectu producto, sic immanens à recognita, sicut etiam intellectio non potest dari sine verbo, vel vnito, vel producto, loco autem verbi in sensibus externis est sensibile extra præsens: quod si visus confortetur ad videndum aliquid longe distans, quod alias illi erat absens, hoc non est eleuari ad videndam rem absentem, sed quod virtuti eius reddatur præsens, quod virtuti debiliori præsens non erat.

ARTICVLVS III.

Quomodo differat conceptus reflexus à directo?

TRia in hoc art. difficul. faciunt. Primum, an reuera conceptus reflexus distinguatur realiter à directo, & quæ sit huius causa. *Secundum* quid cognoscatur per conceptum reflexum, & quodnam sit eius obiectum. *Tertium*, an essentialiter differant conceptus directus, & reflexus.

Ad primum aliqui existimant, quod ad cognoscendum proprium conceptum non oportet formare alium conceptum de illo, vt videri potest in Ferr. 1. contra Gent. cap. 53. §. cum autem obiicitur. Sed expresse D.Th. 1.p.q.87.art.3.ad 2. dicit: *Quòd alius est actus, quo quis intelligit lapidem, alius quo intelligit se intelligere*, ergo & distinctus conceptus est reflexus à directo, quia actus distinctus distinctum conceptum producit. Quod clarius expressit

D. Th. q. 9. de poten. art. 5. vbi ait: *Quantum ad hoc non differt vtrum intellectus se ipsum intelligat, vel aliud à se; sicut enim cum intelligit aliud a se format conceptum illius rei, quod voce significatur, ita cum intelligit se ipsum format verbum sui, quod voce etiam potest exprimere.*

Laborant autem aliqui Authores in reddenda ratione, & necessitate huius conceptus reflexi ad intelligendum proprium conceptum. Sed clare videtur deduci posse ex doctrina D. Th. cit. loc. 1. p. q. 87. Et supponimus solum potentiam intellectiuam posse reflectere supra se, non sensitiuam; tum quia illa respicit vniuersaliter omne ens, atque adeò etiam seipsam, sensitiua verò in suo actu est expers eius quod cognoscit, v.g. visio non habet in se colorem, & sic non se attingit, tum quia vnum corpus non potest agere in se ipsum, sed semper vna pars agit in aliam, vna autem pars organi non sufficit ad eliciendam cognitionem, de quo videndus est D. Th. in 2. dist. 19. q. 1. ar. 1. & in 3. disp. 23. q. 1. a. 1. ad 3. In potentiis ergo intellectiuis tota ratio reflexionis oritur ex eo, quod noster intellectus, & eius actus non est obiectiue intelligibilis pro hac vita, nisi dependenter à sensibilibus, & ita conceptus noster licet formaliter sit præsens non tamen obiectiue, quam diu non formatur adinstar quidditatis sensibilis, quod solum potest fieri per reflexionem ab obiecto sensibili desumptam. In Angelis autem, & substantiis separatis non est necessarius talis conceptus reflexus, quia directè suam substantiam, & intellectum, & quæ sunt in se ipsis cognoscunt.

Ratio autem huius sic deducitur à D. Tho. prædicto loco 1. p. quia vnumquodque cognoscitur, secundum quod est in actu, vltima autem perfectio intellectus est eius operatio, quia per operationem non ordinatur ad perficiendum aliud, sicut actio transiens, igitur hoc est primum quod intellectu intelligitur scilicet ipsum eius intelligere, quia hoc est actualissimum in eo, & consequenter se primo, & maximè intelligibile. Sed tamen circa hoc diuersi intellectus diuersimode se habent, est enim aliquis intellectus, scilicet Diuinus qui est ipsum suum intelligere, & sic in Deo idem est, quod intelligat se intelligere, & quod intelligat suam essentiam, quia sua essentia est suum intelligere. Est etiam alius intellectus scilicet Angelicus qui non est suum intelligere, sed tamen primum obiectum sui intelligere est eius essentia. Vnde & si aliud sit in Angelo secundum rationem, quod intelligat se intelligere, & quod intelligat suam essentiam, tamen simul, & eodem actu vtrumque intelligit; quia hoc quod est intelligere suam essentiam est propria perfectio suæ essentiæ, simul autem, & vno actu intelligitur res cum sua perfectione; est autem alius intellectus, scilicet humanus, qui nec est suum intelligere, nec sui intelligere est obiectum primum ipsa eius essentia, sed aliquid extrinsecum, scilicet natura materialis rei, & ideo id quod primo cognoscitur ab intellectu humano est huiusmodi obiectum, & secundario cognoscitur ipse actus quo cognoscitur obiectum, & per actum cognoscitur ipse intellectus, cuius est perfectio ipsum intelligere. Hucvsque discursus D. Thom.

Exquo manifestè deducitur, quod tota radix reflexionis conceptus supra ipsum actum, & potentiam intelligēdi desumitur ex ipsa ratione obiectiua intellectus, quia licet conceptus, & cognitio sint formaliter præsentes potentiæ, non tamen obiectiuè, nec sufficit formalis præsentia, vt aliquid sit directè cognoscibile, vt optimè ibidem notauit Caie. sed requiritur obiectiua; non potest autem aliquid obiectiuè esse præsens nisi induat cōditiones obiecti talis potentiæ. Cum autem obiectum proprium nostri intellectus sit quidditas rei materialis secundum se, illud non est directè præsens obiectiuè, quod non est quidditas rei materialis, & vt eam induat indiget reflexione; & ita conceptus nostri licet secundum se sint intelligibiles, non tamen secundum se sunt intelligibiles ad modum quidditatis materialis, & ideo primario, & directè non sunt præsentes obiectiuè, nisi prout accipiuntur ad modum quidditatis sensibilis, quod vtique ab obiecto sensibili accipere debent, & quia hoc accipiunt intra potentiā ab obiecto, exteriori directè cognito, dicuntur reflexè cognosci, & reddi intelligibiles intelligibilitate entis materialis, quod totum non currit in Angelis, nec in Deo, qui directè, & primario intelligūt propriā essentiā, & quidquid in ea est.

Quod si petas; quænam species impressa deseruiat ad cognitionem reflexam conceptus. *Resp.* ex D. Th. q. 10. de ver. a. 9. ad 4. & ad 10. quod ea quæ cognoscuntur per cognitionem reflexam non cognoscūtur per suam essentiam, nec per specien propriam, sed cognoscendo obiectum, seu per speciem eorum circa quæ versatur actus, & cōceptus, eo quod conceptus, & actus in tantum indigent reflexione inquantum indigent formari ad instar obiecti sensibilis, circa quod conceptus directus versatur, & ideò indiget specie talis obiecti, vt formetur ad instar illius, & cognoscatur.

Vnde dicit D. Th. in 3. dist. 32. q. 1. a. 2. ad 3. *Quòd intellectus cognoscit se ipsum, sicut alia, quia scilicet per speciem non quidem sui, sed obiecti, quæ est forma eius, ex qua cognoscit actus sui naturam, & ex natura actus naturam potentiæ, & ex natura potentiæ naturam essentiæ, & per consequens aliarum potentiarum, nō quod habeat de omnibus his diuersas similitudines, sed quia in obiecto suo non solùm cognoscit rationem veri, sed omnem cognitionem, quæ est in eo, &c.* Vbi clarè D. Th. docet quomodò species obiecti deseruiat ad cognitionē actus, prout scilicet repræsentat in obiecto suo rationem cogniti; manet enim in memoria species non solùm repræsentans obiectum, sed etiam repræsentans, quod fuerit cognitum, & ex hac habitudine cogniti regreditur intellectus ad ipsam cognitionem, & ad eius principia. Vnde etiam per talem speciem, ipsamet species reflexe potest attingi non immediatè in se, sed vt est aliquid obiecti cogniti: postea tamen non repugnat, quod intellectus formet seorsum species conceptus, & potentiæ; & aliorum similium eo modo quo ex præconceptis speciebus format alias, v.g. per speciem montis & auri, speciem montis aurei, vt docet Diu. Th. 1. part. quæst. 12. art. 9. ad 2.

Circa secundam difficultatem duo explicari oportet. Primum quoad obiectum materiale cognitionis reflexè scilicet circa quæ versetur cognitio reflexa? *Et ad hoc breuiter respōdemus* quod sunt omnia illa, quæ inueniuntur in anima, & ex cognitione obiecti induunt repræsentationem, & modum quidditatis sensibilis, & sic regreditur intellectus ad cognoscendum non solum conceptum, & actum, sed etiam habitus, & species, & potentiam, & ipsam naturam animæ, vt loco nuper cit. ex 3. sent. dicit D. Th. Et quando dicitur in definitione conceptus reflexi, quod est conceptus alterius conceptus intelligitur, quod sit etiam omnium, quæ intra animam ad conceptum concurrunt, vt diximus 1. l. Sumum. cap. 6.

Secundum, quod explicandum est, pertinet ad formalem rationem, quam respicit conceptus reflexus. *Et sic etiam breuiter dicimus* ex eadem authoritate D. Tho. quòd formaliter respicit conceptus

ptus reflexus cognoscere naturam eius, supra quod reflectit eo modo quo cognosci potest per effectus, vel connotatiue ad modum quidditatis sensibilis. Et licèt sint ibi præsentes physicè, quia tamen non redduntur per se ipsos præsentes obiectiuè, sed mediante similitudine, & connotatione quidditatis sensibilis, quod est attingere præsentiam illam, quasi in alio, & non in se ipsa, non dicimur intuitiuè videre conceptus nostros.

Ex quo deducitur, quod per conceptum reflexum quatenus regreditur supra conceptum directum repræsentatur quidem ipse conceptus, vt est qualitas quædam, & imago in actu signato per modum quidditatis imaginis, & per consequens non repræsentatur ibi res significata per conceptũ directum nisi valde remotè, & in obliquo. *Et ratio est*, quia in conceptu reflexo ipsa res significata habet se, vt terminus, à quo reflexio illa incipit, ergo non repræsentat illam tanquam obiectum suum, & vt terminum in quem fertur repræsentatio, sed solum connotando illam vt terminum, à quo incepit reflexio. Et licet conceptus reflexus attingat directum, vt est imago quædam, & motus in imaginem sit etiam in rem imaginatam, tamen hoc intelligitur, quando non consideratur imago seorsum, & secundùm se, sed vt exercet officium ducendi ad suum prototypum, vt docet Philosoph. in lib. de memor. & remin. & D. Th. ibi lect. 3. in conceptu autem reflexo fit motus contrario modo, id est, ab obiecto ad imaginem, cognoscendo enim obiectum directè, reflectimus ad cognoscendum conceptum, qui est eius imago, & ideò per talem reflexionem fertur intellectus ad imaginem per modum quidditatis, & in actu signato illam attingendo, & consequenter non oportet per illam tendere ad rem signatam, licèt in obliquo, vt diximus, etiam illam attingat.

Circa vltimam difficultatem respondetur breuiter, Quod licèt directum, & reflexum secundùm quòd significant quosdam motus intellectus non videantur importare essentiales differentias cognitionis, sicut scientia vt formata per discursum, & sine discursu, si fit circa idem obiectum, non variat essentialem rationem scientiæ, tamẽ quatenus conceptus reflexus, & directus important diuersas repræsentationes, & diuersa obiecta repræsentata, quia directus est similitudo obiecti, reflexus autem est similitudo ipsius conceptus, vel actus, vel potentiæ; ideò simpliciter habent specie differre; sicut etiam aliæ cognitiones, & repræsentationes, quæ versantur circa diuersa obiecta.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Contra id quod resoluimus circa primam difficultatem arguitur. *Primò*, quia intellectus eodem actu intelligit conceptum, seu verbum & obiectum repræsentatum in illa. Et similiter eodem actu fertur in obiectum & in actum, vt docet D. Tho. in 1. dist. 10. q. 1. art. 5. ad 2. ergo ad agnoscendum conceptũ & actum non indiget actu reflexo.

Et Confirmatur. Quia conceptus, & actus sunt intimè præsentes, & vniti intellectui multo magis, quam ipsum obiectum, quod mediante tali conceptu vnitur potentiæ, & similiter sunt immateriales, & intelligibiles in actu vltimo, ideóque comparatur conceptus luci, qua obiectum ipsum redditur illustratum, vt dicit D. Tho. opusc. 14. quod autem est in actu vltimo intelligibile, non indiget alio conceptu, seu forma intelligibili, vt cognoscatur. Vnde & lux per suam essentiam, & non per similitudinem cognoscitur ab oculo, quod expresse dicit S. Th. in 2. dist. 23. q. 2. art. 1. vbi distinguit inter modum, quo videtur lux, & quo videtur lapis dicens, quod lux non videtur ab oculo per aliquam similitudinem sui in ipso relictam, sed per suam essentiam oculum informans; lapis autem videtur per similitudinem relictam in oculo, & idem significat 1. p. q. 56. a. 3. Idem etiam dici solet de specie impressa, quod se ipsa iã est cognoscibilis: ergo à fortiori conceptus, qui est magis in actu, quam species impressa.

Resp. ad principale arg. Quod eodem actu fertur potentia in obiectum, & in actum, secundum quod actus est ratio cognoscendi, non verò secundùm quod est res cognita; sic enim indiget conceptu reflexo, & sic intelligitur D. Th. in loco citato ab argumento, quod loquitur de actu intelligendi, secũdum quod attingitur, vt ratio cognoscendi obiectum directum; sic enim attingitur eodem actu, cum suo obiecto. Et idem est de conceptu, seu verbo, intelligitur enim conceptus & res repræsentata eodem actu, secundum quod sumitur verbum, vt ratio exprimens obiectum ex parte termini. Qua ratione etiam aliquando dicitur ipsum verbum cognosci, vt *quod*, quando cognoscitur obiectũ, id est, quia cognoscitur vt tenens se ex parte termini, & non vt tenens se ex parte principij, seu vt id *quo* res cognoscitur. *Ad confirm. Respon*. ex D. Th. q. 10. de verit. a. 8. ad 4. secundo loco positum: & ex Caietan. 1. p. q. 87. a. 3. quod verbum, seu conceptus est præsens nostro intellectui formaliter, sed non obiectiuè, est enim forma inhærẽs, qua obiectum cognoscitur, non tamen in se est obiectum, ea intelligibilitate præditum, quæ requiritur ad intellectum nostrum, scilicet per modum quidditatis sensibilis, & ideo nec est intelligibile nec intellectum in actu per se ipsum respectu nostri intellectus. In substantiis autem separatis per se ipsum conceptus est intelligibilis formaliter, & obiectiuè, quia non intelligunt solum quidditatem sensibilem, sed quodcumque purè spirituale.

Et ad id quod additur de luce, Respond. ex D. Th. q. 10. de verit. art. 8. ad 10. secundo loco positum. *Quòd lux non videtur per essentiam suam nisi quatenus est ratio visibilitatis, & forma quædam dans esse actu visibile; lux autem prout est in ipso sole non videtur, nisi per similitudinem eius in oculo, sicut videtur lapis*. quando ergo D. Th. dicit in 2. sentent. videri lucem per essentiam suam sensus est, quod est forma visibilitatis, per essentiam suam, & prout talis forma dans esse actu visibile colori, non videtur per similitudinem distinctam ab ea, quam emittit ipse color factus visibilis. De specie autem impressa dicimus, quod est cognoscibilis per se ipsam, vt *quo*, non autem vt *quod*, & vt res cognita, sic enim indiget conceptu reflexo.

Secundò arguitur. Quia res spiritualis Deus & Angeli, & quidquid non est quidditas materialis non potest attingi ab intellectu, nisi induendo modum obiecti sensibilis; & tamen non cognoscuntur cognitione reflexa: ergo neque conceptus, neque actus nostri intelliguntur reflexè ex eo, quod cognoscuntur ad modum obiecti sensibilis. Si enim cognoscerentur, vt sunt in se, cognoscerentur directè eo modo, quo Angeli illos cognoscunt.

Et confirm. Quia conceptus reflexus, & directus formantur per distinctas species, siquidem alia species est repræsentans conceptum, alia obiectum, sicut & ipsæ res diuersæ sunt: ergo non se habent, sicut motus reflexus, & directus; motus enim reflexus necessariò debet continuari cum directo, & prouenire ab eodem principio. Si enim à distinctis principiis procedant distinct.

motus, non est vnus reflexus respectu alterius.

Respon. Quod ad rationem conceptus reflexi non sufficit cognoscere aliquid ad instar alterius, sed oportet, quod illud quod cognoscitur se tenet ex parte principij cognoscentis: Sic enim fit ab obiecto regressio ad cognitionem, vel principium cognitionis, quando autem aliquod obiectum ad extra, induit modum alterius obiecti, erit ibi ordo, vel comparatio vnius ad alterum, sed non reflexio.

Ad confirm. Respond. Quod siue conceptus cognoscatur per species distinctas à speciebus obiectis, siue non, tamen dicitur cognosci reflexè, quia talis motus cognitionis originē habet ab obiecto, & ab eius cognitione mouetur aliquis ad formandā cognitionem conceptus, & specierum, quibus cognoscitur. Vnde ista distinctio principiorum non tollit reflexionem cognitionis, sed magis conducit, cum ipsamet principia cognoscendi seu species formentur motu illo reflexo continuato, & deducto ex cognitione obiecti.

ARTICVLVS IV.

Qualis sit distinctio inter conceptum vltimatum, & non vltimatum?

VLtimatum, & non vltimatum dicuntur respectiuè, sicut finis, & medium, & ita generaliter potest dici vltimatus conceptus, quicumque est terminus, & finis alterius, ita quòd vnus ordinatur ad alium, & sic vna operatio intellectus ordinatur ad aliam & principia ordinantur ad conclusiones, & discursus ad iudicium perfectum, & in omnibus istis inuenitur aliquid, in quo sistit cognitio, & hoc vocatur vltimum, & aliud, per quod tenditur ad talem terminum, & hoc vocatur medium, seu non vltimum. Cæterùm quoad Dialecticos, qui agunt de nominibus, & vocibus significatiuis, distinguitur conceptus vltimatus, & non vltimatus, per hoc, quod vltimatus versatur circa res significatas; non vltimatus autem circa ipsas voces significantes, hoc enim conducit ad discernendum obiectum Logicæ, quia non agit de rebus ipsis, vt res sunt, sicut agit Physicus, sed agit de instrumentis quibus res cognoscuntur, qualia plerumque sunt voces significatiuæ, vt rectè dispositæ & ordinatæ.

Ex quo deducitur, quod vltimatum, & non vltimatum per se, & formaliter non sunt differentiæ essentiales conceptuum, quia non tenēt se ex parte ipsius obiecti, vt dicit rationem cognoscibilem, sed tenet se ex parte ordinis vnius conceptus, seu cognitionis ad aliam, & sic in conceptu solum addunt relationes, seu habitudines ad obiecta, non quatenus cognoscibilia, & specificantia, sed vt ordinata tanquam medium, & terminus, Essentialis autem differentia cognitionis sumitur ex obiecto, vt motiuo, & specificatiuo, & cognoscibili, reliqua omnia sunt habitudines, vel connotationes consecutæ. Et tamen præsuppositiuè aliquando istæ habitudines supponunt distinctionem obiectorum, licet formaliter non constituant illam, & sic vltimatum, & non vltimatum de quo in præsenti, exercentur inter distinctos conceptus, quorum vnus versatur circa rem significatam, alius circa vocem significantem, & ex hac parte, quia habent diuersa obiecta circa quæ versantur, sunt distincti conceptus præsuppositiuè, non formaliter ex vi vltimati, & non vltimati. Et non potest dici, quod conceptus vocis significatiuę significat ad placitum obiectum conceptus vltimati, *vt aliqui Authores docent*, non quia ipse conceptus sit impositus ad significandum, sed quia obiectum eius, scilicet vox ex impositione rem significat. Sed hoc ex impossibile: quia conceptus ita est naturalis similitudo obiecti, quod nullo modo ex obiecto haurit significationem ad placitum sed illam ipsam significationem vocis, quæ ad placitum est, ipse conceptus naturaliter significat, scilicet vt imago illius, & ita significatio vocis ad placitum non est exercitium significandi conceptus, sed obiectum à conceptu significatum.

Restat ergo in presenti dubium, an conceptus non vltimatus vocis solum repræsentet ipsam vocem, non verò significationem eius; an verò vtrumque?

Et ferè omnes conueniunt requiri aliquem ordinem ad significationem, vt conceptus si non vltimatus, nam si vox nudè consideretur, vt quidam sonus est ab animali factus constat pertinere ad conceptum vltimatum, quia sic consideratur, vt quædam res est, sicut de illo agit Philosophia. *Sed aliqui dicunt* non esse necesse, quod significatio vocis repræsentetur in conceptu non vltimato, sed sufficere quod exerceatur, vel quod habitualiter cognita supponatur. Cæterùm verius est, quod etiam ipsa significatio repræsentari debeat in ipso conceptu non vltimato, quia in tantum dicitur non vltimatus, inquantum concipitur aliquid, in quo vltimo non sistitur, sed sumitur, vt medium ad vlteriorem terminum. Solum autem significatio vocis constituit illam in ratione medij respectu rei significatæ, ergo si significatio non concipitur, neque concipitur id per quod constituitur in ratione medij, seu non vltimati. *Nec sufficit dicere*, quod exerceatur significatio, quia potius vox prout ibi repræsentata non exercet suam significationem ad placitum, sed cognoscitur de illa quod significatiua sit ad placitum, totum verò quod exercetur in illo conceptu naturalis significationis est, ergo significatio ad placitum, vocis conceptæ non exercetur, sed repræsentatur, licet non sit necesse attingere ipsam essentiam significationis ad placitum, & relationem impositionis, sed sufficit cognoscere significationem quoad an est. Multò minus sufficit habitualis notitia significationis, siue impositionis, quia habitualis notitia solum est notitia in actu primo, ergo nisi illa exeat in actum secundum, non potest dici conceptus actu non vltimatus, quia conceptus actualis repræsentatio est, ergo ex habituali notitia significationis non potest denominari actualis conceptus non vltimatus.

Sed obijcies, nam rusticus audiens hanc vocem latinam *animal*, cuius significationem ignorat, format conceptum illius vocis non vlimatum, quia non transit ad rem significatam, & tamen ignorat significationem, ergo non requiritur ad conceptum non vltimatum præsentatio significationis.

Et conf. Quia conceptus significant idem apud omnes, vt dicit Philos. 1. Per. c.1. sed significationes vocum non sunt eædem apud omnes, ergo conceptus non vltimati non repræsentant significationes vocum, alias non significarent idem apud omnes.

Resp. Quod rusticus audiens illam vocem, vel cognoscit esse significatiuam saltem, quoad an est, quia videt homines loqui illa voce, licèt ignoret eius significatum; vel nullomodo cognoscit esse significatiuam. Si 2. modo format conceptum non vltimatum, quia verè cognoscit vocem vt significatiuam. Si 2. modo, erit conceptus vltimatus, quia solum repræsentat vocem, vt quidam sonus est, non vt signum, & medium ducens ad aliud, quando autem percipit significationem quoad an est, nondum tum cognoscit ad quid sit imposita illa significatio, talis conceptus dicitur non vltimatus, quia licet de

facto

facto non deducat ad rem significatam tanquam ad vltimum id tamen est ex defectu subiecti ignorantis significationem, non ex defectu conceptus repræsentantis rem, vt de se ductiuam ad aliud. *Ad conf. dicitur,* quòd conceptus significant idem apud omnes, quando sunt circa idem obiectum, & eodem modo formari, sunt enim naturales similitudines, & ita omnes conceptus non vltimati repræsentantes voces, quatenus significatiuas, idem repræsentant apud omnes, apud quos sic formantur. Si autem non sic formantur apud omnes, quia non omnes cognoscunt significationem vocis, sic non erunt iidem conceptus, & sic non significabunt idem apud omnes.

Secundò arguitur. Si conceptus non vltimatus repræsentat ipsam significationem vocis, ergo quando repræsentat terminum æquiuocum, vel formantur plures conceptus de illa voce, vel tantum vnus? Si tantum vnus, dabitur æquiuocatio in mente, quia significat vocem cum pluribus significationibus non subordinatis. Si sunt plures conceptus sequitur, quod non datur in mente conceptus nominis æquiuoci, quia nunquam repræsentatur vna vox cum pluribus significationibus, atque adeò neque poterit ore proferri, quia non profertur ore, nisi quod concipitur mente; tunc autem non concipitur aliquis terminus æquiuocus, quia formantur plures conceptus illius vocis, quorum quilibet habet tantum vnam significationem, & ita quilibet erit vniuocus.

Respondetur, conceptum termini æquiuoci, verbi gratia, canis, esse tantum vnum conceptum non vltimatum, quia repræsentat vnam vocem habentem plures significationes, sicut qui repræsentat hominem habentem plura accidentia, nec ex hoc sequitur æquiuocatio in illo conceptu, quia illæ plures significationes non sunt formaliter in conceptu, sed obiectiuè; repræsentat enim obiectum, quod habet plures significationes, scilicet vocem illam, sed vnica naturali similitudine repræsentante vnicam vocem pluribus impositionibus effectam: æquiuocatio autem in mente tunc solum sequeretur, quando vnus conceptus haberet plures significationes formales, quæ sunt naturales similitudines, has enim repugnat multiplicari in vno conceptu. Quod verò vnus conceptus repræsentet plures significationes vnius vocis seu signi tanquam rem repræsentatam, nullum inconueniens est, quia vnica repræsentatione formali id fit.

Instabis ille conceptus non vltimatus termini æquiuoci ordinatur ad plures vltimatos, quia ordinatur ad plura significata, & non vnica ordinatione, sed pluribus, quæ pertinent ad repræsentationem conceptus; ergo sicut in voce datur æquiuocatio propter, habitudinem plurium significationum ad plura significata, ita ille conceptus dicetur æquiuocus propter plures habitudines ad plures conceptus vltimatos.

Resp. Conceptum illum non vltimatum ordinari ad plures vltimatos vnica ordinatione ex parte repræsentationis formalis; pluribus autem ex parte obiecti repræsentati; repræsentat enim vnica significatione, & repræsentatione naturali vocem ordinatam ad plures res significatas per plures impositiones, & ita ex parte sui obiecti plures habitudines repræsentat, voci vni conuenientes ad plures res, & plures conceptus vltimatos, sicque dicit plures habitudines ille conceptus, vt repræsentatas; formaliter autem vnicam habet repræsentationem illius vocis sic effectæ.

Vltimò arguitur. Quia idem conceptus vocis, qui est non vltimatus, per hoc solum, quod vox deponatur à sua significatione, manebit vltimatus, quia significabit illam vocem vt rem, in qua vltimò sistitur: ergo non distinguitur essentialiter à conceptum vltimato, siquidem sine vlla mutatione intrinseca potest reddi vltimatus. *Nec potest dici*, quod illa vox habebit vicem termini respectu sui, quia repræsentat se; sic enim quæcumque res se repræsentans haberet conceptum non vltimatum, quatenus se ipsam repræsentat.

Resp. Quod illi conceptus non differunt essentialiter, ex eo præcisè, quod vnus est vltimatus, alter non vltimatus, vt ostensum est, sed ex eo, quod præsupponuntur esse de diuersis obiectis, & quibus essentialis diuersitas sumitur. Vnde in casu, quo vox deponeretur à sua significatione si intellectus id cognoscit? & format conceptum vocis, vt non significantis, iam ille conceptus est distinctus à non vltimato, quem antea formabat de illa voce, vt significatiua, quia sic erit conceptus vltimatus vocis, vt rei, vt signi. Si autem nescit esse depositam à sua significatione, & continuat conceptum antea formatum de ipsa tanquam de significatiua, conceptus ille manet non vltimatus, sicut antea, licèt falsus, & sic mutabitur quoad falsitatem, non quoad essentialem repræsentationem.

Et aduerte. Quod relationes vltimati, & non vltimati, licet specie distinguantur tanquam diuersi modi conceptum; non tamen se habent tanquam specificantes ipsos conceptus formaliter. Et sic faciunt distingui specifice ipsos modos, non autem ipsam rationem intrinsecam conceptuum nisi quia alias habent obiecta specie distincta.

IN LIBROS POSTERIORVM.

SAEPIVS à nobis dictum est cur libri isti, Posteriorum analiticorum ab Aristot. intitulentur. Vocantur enim analytici, id est, resolutorij quia docent resoluere demonstrationem & scientificum processum in sua principia; hoc enim est propriè scire, id est, resoluere rem in causas & principia. Vocantur autem posterioristicæ resolutionis, quia agunt de resolutione scientifica ex parte materiæ, ad differentiam resolutionis seu analypsis prioristicæ, quæ agit de resolutione ex parte formæ syllogisticæ, de qua agit Aristot. in lib. Priorum, & nos in Summulis. Vnde constat materiam horum librorum esse demonstrationem, quæ est syllogismus scientificus quatenus in ea considerantur conditiones materiæ, ex qua debet constare demonstratio, scilicet ex propositionibus necessariis & per se, quibus euidenter infertur, aut probatur conclusio, quatenus intellectus conuincitur clarè ad assentiendum conclusioni ex vitalis probationis & medij.

SVMMA TEXTVS VTRIVSQVE LIBRI.

Diuidit ergo Aristoteles tractatum Prioristicum in duos libros. In 1. *agit de demonstratione secundum se. In* 2. *de eius causis, seu principijs, id est, vel primis & supremis principijs, vel medijs, sicut est definitio in quæst. Quid est. Primus liber per* 27. *capita distribuitur. Secundus per* 18. *licet apud alios per* 13. *In* 1 *lib. agit de demonstratione, qui est syllogismus efficiens scientiam vsque ad c.*23. *deinde à cap.*23 *vsque ad* 27. *agit de ipso eius effectu qui est scientia tam secundum se, quam comparatiuè ad opinionem & solertiam, quæ est promptitudo quædam ad inueniendum medium seu probationem.*

Igitur in 1. *capite agit de his, quæ prærequiruntur & præcognosci debent ante demonstrationem, ostendens quod* omnis doctrina & disciplina, *id est cognitio per discursum comparabilis,* ex aliqua præexistente cognitione fit, *& statuit duas debere præcedere præcognitiones, scilicet,* An sit aliquid, & quid sit, *tria verò esse præcognita, scilicet, de subiecto,* quid sit, *de propria passione* an sit, *de principiis per quæ demonstratur* quod vera sint.

In 2. *c. definit scientiam & demonstrationem, & principium, licet plenius de principiis agatur in c.*8. *Scientia definitur sic: scire est,* cognoscere causam ob quam res est, & quoniam illius causa est, & fieri non potest, vt aliter se res habeat; *vbi definitur actus sciendi non habitus. Demonstratio definitur dupliciter.* 1. *sic Demonstratio est* syllogismus efficiens scire. 2. *sic Demonstratio est* syllogismus constans ex veris, primis, immediatis prioribus, notioribus, causisque conclusionis. *Principium definitur sic: est* propositio immediata, *id est, quæ non est altera prior, seu quæ caret medio, vt probetur. Diuiditur propositio immediata, seu principium in positionem, & dignitatem. Positio dicitur illa, quæ demonstrari non potest per aliquod medium seu idem est, quod propositio immediata. Dignitas verò est propositio immediata maximæ certitudinis, & in quolibet intellectu inuenitur, vt* quodlibet est vel non est. *Adhuc positio diuiditur in suppositionem & definitionem. Suppositio est ipsa propositio per se nota significans esse, vel non esse. Definitio verò est id quod explicat quidditatem, & se habet vt medium probans, ideóque inter principia numeratur non vt propositio, sed vt medium.*

*In c.*3. *excludit duos errores extremos circa scientiam. Primus dicebat, nullius rei est scientia, quia aut est processus in infinitum in principiis sciendi, aut statur in aliquo. Primum esse non potest quia infinita non est pertransire. Secundum tollit scientiam, quia illud principium, in quo sistitur, non scitur cum careat medio, quo sciatur, & sic ignoratur. Secundus error dicebat, omnium est scientia, quia illud vltimum principium, in quo sistitur rursus demonstratur per conclusionem, quia fit circulus in demonstrationibus. Soluit vtrumque Philosophus, dicens contra primos, principia non demonstrari, sed per se, & ex terminis nota esse. Contra secundos, non esse circulum in demonstrando, quia sic innotesceret principium per conclusionem, quæ de se est ignotior, sicque conclusio respectu principij esset notior & ignotior, prior, & non prior.*

*In c.*4. *primo ponit demonstrationem debere constare ex necessariis: explicat autem quid requiratur, vt aliquod prædicatum sit necessarium, scilicet quod sit* de omni, *id est, vniuersaliter conueniens, &* per se, *Vnde definit quid sit prædicatum* de omni, *& distinguit modos dicendi per se, & prædicatum vniuersale siue secundum quod ipsum. Prædicatum* de omni *dicitur,* quod non cuidam inest, & cuidam non inest, nec aliquando competit, aliquando non, sed semper, atque omni competit. *Prædicatum* per se *dicitur, vel per se in prædicando, vel per se in existendo, vel per se in causando. Per se in prædicando duobus modis. Primo modo est, quando prædicatum est de quidditate, & essentia subiecti, vt animal respectu hominis. Secundo modo est, quando subiectum est de ratione prædicati, seu quando propria passio dicitur de subiecto, vt homo est risibilis. Tertio modo dicitur per se, quod per se existit, vt prima substantia. Quarto modo per se dicitur, quod propter ipsum inest, id est, quod propriam rationem causandi significat, vt medicus sanat, ædificator ædificat, per accidens autem quod non propter ipsum, vt album ædificat. Denique prædicatum vniuersale, siue secundùm quod ipsum est, quod omni & per se inest, & conuertibiliter cum subiecto, vt homo est rationalis, vel homo est risibilis.*

*In c.*5. *proponit modos, quibus contingit errare, seu decipi circa prædicatum vniuersale siue secundum quòd ipsum: tradit verò documentum ad cognoscendum prædicatum vniuersale, scilicet, si prædicatum conueniat subiecto sublatis omnibus, quæ ad essentiam subiecti non pertinent, sublato verò subiecto si primò prædicatum auferatur, illud conuenit secundùm quod ipsum.*

*In c.*6. *probat pluribus rationibus demonstrationem constare ex necessariis & per se. Additque ex contingentibus posse sequi necessarium, sicut ex falso verum, sed non probari, ex necessariis autem solum sequi necessarium.*

*In c.*7. *probat demonstrationem constare debere ex proprijs, non ex alienis, quia constat ex his, quæ sunt per se, & non sufficit quod ex communibus procedatur.*

*In c.*8. *idem prosequitur quod in* 7. *& addit Metaphysicam esse scientiam generalem, quia communissimè tractat, traditque principia. Aduerte tamen quod apud aliquos, vt in textu*

Caie

Caietani caput octauum per plura capita diuiditur vsque ad vndecimum, cum tamen apud Conimbricenses & alios, caput 7. comprehendat totum textum, qui in Caietan. est vsque ad caput 11.

In c. 9. apud alios 8. apud alios 11. agit de principiis cōmunibus & propriis. Principia enim sunt ea, quæ demonstrari non possunt, & quædam simpliciter, id est, in nulla scientia, & tales sunt dignitates, alia in aliqua particulari scientia, in qua carent medio probante, vt sunt positiones, seu definitiones, & quædam sunt principia communia, id est pluribus scientijs deseruientia, alia propria, id est, alicui determinatæ scientiæ deseruientia. Principia communissima sunt, sicut illud, de nullo verum est idem affirmare vel negare, de quolibet idem affirmare vel negare contingit.

In c. 10. explicat quomodo in qualibet scientia sint propriæ interrogationes quomodo item differant Demonstrator & Dialecticus, quod Dialecticus cumulat varia media, non Demonstrator.

In c. 11. distinguit scientiam seu demonstrationem quia & propter quid, scientiam item subalternantem & subalternatam. Scientia propter quid, est quæ scit per causam proximam, scientia quia, per causam remotam vel per effectum.

A c. 12. vsque ad 23. exclusiuè tractat aliqua ad demonstrationem pertinentia, vt quod prima figura sit aptior demonstrationi, quomodo demonstrationi contrarietur syllogismus erroneus, quod non sit processus in infinitum in demonstrationibus, quomodo propositiones mediatæ ad immediatas poßint reduci, denique quomodo inter se comparentur demonstratio vniuersalis & particularis, affirmatiua & negatiua.

In c. 23. incipit agere de effectu demonstrationis, qui est scientia. Et primò affirmat vnam scientiam esse certiorem aliâ. Secundò dicit illam scientiam esse vnam, quæ circa vnum genus, seu subiectum versatur, esse verò scientias diuersas, quæ diuersis principijs vtuntur.

In c. 26. (alijs duobus omißis, quæ difficultatem non habent) comparat Aristot. scientiam cum opinione: & dicit conuenire in hoc quod possunt esse de obiecto aliquo modo eodem. Differre verò, quia scientia est de immutabilibus, opinio de mutabilibus, deinde verò, quia de eodem obiecto non possunt esse in eodem homine.

In vltimo c. confert scientiam cum solertia, dicitque solertiam esse promptam coniectationem medij, seu facilitatem inueniendi medium ad probandum, vnde ad ipsam pertinet respicere media, ad scientiam verò conclusiones.

CIRCA LIBRVM SECVNDVM.

In hoc libro agitur de causis seu principiis demonstrationis tam ex parte medij seu definitionis, quàm ex parte primorum principiorum indemonstrabilium. De his vltimis scilicet de principiis primis agit in vltimo c. de medio verò demonstrationis in reliquis antecedentibus. Qui autem accuratam textus Aristotelici explanationem desiderat, extat lucidißima apud D. Thom. circa vtrumque librum, & latior apud Caietan.

ORDO DISPVTANDI.

Totam ergo materiam posterioristicæ resolutionis, quæ præcipuè agit de demonstratione ad quatuor præcipua capita, seu quæstiones reducimus. In 1. agimus de prærequisitis, ad demonstrationem, scilicet de præcognitis & præmissis. In 2. de ipsa quidditate demonstrationis. In 3. de eius effectu, scilicet scientia tam secundum se, quàm comparatiuè ad opinionem & fidem. In 4. de vnitate & distinctione scientiarum.

QVÆSTIO XXIV.

De Præcognitis & Præmissis.

ARTICVLVS I.

Explicatur quid sint præcognita & prænotiones.

Circa præcognita quatuor tradit Philos. *Primum* tanquam fundamentum & radicem aliorum est, quòd omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiua ex præexistenti cognitione fit. Et dicitur intellectiua ad distinctionem sensitiuæ, neque enim omnis sensitiua ex præexistenti cognitione oritur; sic enim procederetur in infinitum, sed sistitur in cognitione sensus externi, quæ non oritur ex alia priori cognitione. *Secundum est*, quod præcognita, quæ præsupponi debent ad omnem disciplinam, & doctrinam sunt tria, scilicet Subiectum, Passio, & Præmissæ, seu Principia, ex his enim fabricatur demonstratio; demonstramus enim passionem de subiecto per aliqua principia magis nota: præcognitio autem, id est, id quod de talibus præcognitis præcognoscendum supponitur, est duplex, scilicet, *an sit aliquid, & quid sit*? Sed quia principia sunt aliquid complexum, & non simplex, non præcognoscitur de illis *an sint, & quid sint*, sed quòd verâ sint? Principia enim demonstrationis, cum non solùm inferant, sed etiam probent eius veritatem, oportet quòd verâ sint. *Tertium est*, dari ordinem inter præcognitiones; non quidem ex parte subiecti, & passionis, sed ex parte principiorum, seu præmissarum, quia maior potest cognosci priùs tempore, quàm

quàm conclusio; minor autem simul cum illa. *Quartum* denique est, quòd conclusio non potest præcognosci formaliter, siquidem demonstratur, sed solùm virtualiter, quia præcognoscuntur præmissæ, in quibus virtualiter est conclusio.

Circa ista duo vltima dicta non est in præsenti disputandum, nam hoc quartum dictum caret difficultate: de tertio verò agemus in 3. artic. Et ideò solum duo priora dicta restant explicanda.

Circa primum, aduertenda sunt duo: Primum est, quòd nomine doctrinæ, & disciplinæ intellectiuæ est dissensio inter Authores, quid intelligatur; an de omni cognitione absolutè? an solùm de discursiua, vel scientifica? & licet posset intelligi, quòd omnis cognitio intellectiua oritur ex alia, quatenùs secunda operatio oritur ex prima, & prima apprehensio ex sensitiua; tamen hoc non conducit ad intentum Philos. sed solùm loquitur de cognitione probatiua modo rationali, & discursiuo, siue scientificè, siue probabiliter, vt sumitur ex D. Thom. 1. Post. le. 1. Et dicitur doctrina ipsa cognitio, prout docens, & faciens non scire, disciplina verò receptio cognitionis ab alio. *Ratio autem est*, quia intentum Aristotelis solùm est ostendere, quomodò possit aliquid de nouo sciri, seu cognitio acquiri, sine hoc quod procedatur in infinitum in probationibus, neque fiat circulus probando vnum per aliud, & è contra? Ad hoc autem solum conducebat loqui de cognitione, quæ per probationem, & illationem acquiritur, scilicet de cognitione probata, & probante, illata & inferente, ita quod cognitio probans, non est necesse, quòd fiat ex alia priori probante, quia potest aliqua cognitio probans esse per se nota & non ex alia probatione antecedente; omnis autem cognitio probata, seu demonstrata præsupponit aliam priorem, ex qua probatur, seu demonstratur, quòd si cognitio ipsa non ex eo quòd sit probans, vel probata; sed ex eo quòd intellectiua in nobis, indigeat oriri ex alia cognitione, scilicet ex sensitiua ad præsens non spectat. Neque enim in præsenti tractatur illa difficultas, an intellectus dependeat à sensu, sed an disciplina, & doctrina dependeat ex alia priori cognitione?

Secundò aduerte, quòd Aristot. in assignanda generatione, & acquisitione nostræ scientiæ eodem modo procedit ac in Physicis circa generationem rerum naturalium; sicut enim probat ibi contra aliquos Philosophos, quod formæ non præexistunt actu in materia latitantes, sed ex potentia illius educuntur, & sic de facto generantur; ita in nobis scientia acquiritur circa conclusiones, non quia præsupponuntur actu cognitæ, & solùm per reminiscentiam dicimur de nouo eas sciri, vt Plato posuit, sed quòd virtute, & in potentia cognoscuntur in principiis, ex ipsis autem principiis actu redduntur cognitæ, sicut & probatæ.

Ex quibus constat fundamentum propositionis Aristot. *Quòd omnis doctrina, & disciplina ex præexistenti cognitione fit*, id est, omnis conclusio ignota ex aliquo principio notiori deducitur, in quo talis conclusio sit quidem ignota in actu; cognita autem in virtute, & in potentia; sicut res generantur in actu non ex nihilo, sed ex aliquo, in quo continentur in potentia nempe ex materia: loquitur ergo Philos. de cognitione acquirenda modo humano per principia, & illationem, quod pertinet ad discursum.

Circa secundum dictum discerne diligenter fundamenta, vnde oritur, quòd aliquid sit præcognoscendum ad acquisitionem nostræ scientiæ & quod præcognita solum debeant esse tria, & præcognitiones duæ; quòd enim aliquid necessariò præcognoscendum, seu præsupponendum sit oritur ex illo principio, quòd non potest dari processus in infinitum, neque circulus in demonstrationibus. Inde enim necessariò sequitur, quòd sistendum sit in aliqua cognitione, quæ per aliam non probatur: & consequenter illa ad probandum, seu demonstrandum alia præsupponitur seu præcognoscitur, non verò probatur, nec cognoscitur, per aliam.

Quod verò præcognita debeant esse tria sumitur ex ipso obiecto demonstrabili, quod est aliqua conclusio, in qua propria passio prædicatur; & demonstratur conuenire subiecto, vnde præcognita solùm assignantur ab Aristot. pro demonstratione, licet accommodari facilè possint proportionali modo pro syllogismis non demonstratiuis. Sic ergo colligit D. ista præcognita 1. Post. lectione secunda. *Est (inquit) sciendum, quòd ad cuius scientia per demonstrationem quæritur est aliqua conclusio, in qua propria passio de aliquo subiecto prædicatur, quæ quidem conclusio infertur ex aliquibus principijs, & quia cognitio simplicium præcedit cognitionem compositorum, necesse est quòd antequàm habeatur cognitio conclusionis, cognoscatur aliquo modo subiectum, & passio. Et similiter oportet, quòd cognoscatur principium, ex quo conclusio infertur cum ex cognitione principij conclusis innotescat; horum autem trium, scilicet Passionis, Subiecti, & Principij, est duplex modus præcognitionis, scilicet, quia est, & quid est;* Ostensum est autem in 7. Metaph. *Quòd complexa non definiuntur; hominis enim albi non est aliqua definitio, & multò minus enuntiationis alicuius. Vnde cum principium sit enuntiatio quædam, non potest præcognosci de ipso, quia est, sed quia verum est. De passione potest quidem sciri quid est, sed cum eius quidditas pendeat ex subiecto in quo est, scitur quidem de passione, per demonstrationem tanquam conclusio illata, sed præcognoscitur de ea quid est, quantum ad significationem nominis; non enim potest sciri, an aliquid sit? nisi sciamus quid nomen eius significet? De subiecto autem non ostenditur in conclusione quid sit, & multo minus an sit? Vnde oportet præcognoscere de eo quid sit & an sit? cum ex definitione eius sumatur principium ad demonstrandum passionem ei conuenire.* Hucusque D. Thom.

Ex quâ doctrinâ manifestè colligitur numerus præcognitorum, & quid de vnoquoque præcognoscendum sit? Sumiturque hoc ex vnico principio scilicet, quia ad inferendum aliquam conclusionem ex principiis, oportet talia principia præsupponere ante demonstrationem, quod est præcognoscere; principia autem sunt propositiones, quæ constant aliquibus terminis, vnde à fortiori ipsi termini debent præcognosci: omnes autem termini in demonstratione concurrentes sunt tres, scilicet in conclusione subiectum, & passio, quæ vniuntur inter se; in præmissis autem subiectum, & passio, prout vniuntur in medio, cuius virtute inferuntur, vt connexa inter se, quod medium est ipsa quidditas subiecti, quia omnis connexio necessaria passionum inter se oritur ex connexione necessaria quidditatiuorum prædicatorum.

Quare solum oportet præcognoscere subiectum, & passionem, quatenùs in præmissis præsupponuntur, vt postea in conclusione vniantur & similiter ipsa, principia, quæ continent quidditatem, seu definitionem alicuius rei, & consequenter in ea præcognoscitur medium, scilicet ipsum prædicatum essentiale definitionis, ratione cuius conuenit propria passio. Vnde relinquitur, quòd de ipsis principiis præcognoscitur, quòd sint vera, eo quod propositiones sunt. De ipso verò subiecto præcognosci debet quid sit, eò quòd quidditas subiecti non demonstratur, sed ex ipsa fit demonstratio, & ita præsupponitur. Et à fortiori præcognoscitur de ipso subiecto

an

an sit, quia quæstio *an est*, præsupponitur ad quæstionem *quid est*, neque enim potest cognosci quid aliquid sit nisi præsupponatur, quod sit. Et nomine *an est*, intelligimus, non præcisè ipsam existentiam in actu, quæ quidditati contingenter aduenit, sed etiam possibilitatem illius, id est, an aliquid sit dabile in suo genere siue in re, siue per rationem, & vno verbo quæstio, *an est*, inquirit rem, & non causam, id est, rem esse vel dari, sed non propter quid detur. Rem autem esse inquirit non secundum esse contingens & accidentale, quod non parat viam ad quod quid sed secundum proprium rei conceptum, vt benè notat Caiet. 2. Post. c. 7.

Denique de passione non possumus præcognoscere quid sit, vel an sit talis passio? quia vtrumque per demonstrationem concluditur, in qua ostenditur passionem conuenire subiecto, & consequenter in illo dari, & haberi, quod pertinet ad esse, & ab illo dependere in sua ratione intrinseca, quod pertinet ad quidditatem. Restat ergo quòd solum de illa præcognoscamus, quid nominis, id est, quid significetur nomine, quia hoc demonstrabile non est.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Contra primum argui potest. Quia vel illa propositio Arist. *Omnis doctrina & disciplina, &c.* procedit vniuersaliter de omni cognitione, vel solùm de discursiua, & probatiua; *Si primum*, instatur in cognitione Angelorum, in quibus est perfectissima scientia, non ex præëxistenti cognitione orta, sed vnico intuitu attingens principia, & conclusiones; instatur etiam in nobis, quia cùm non sit processus in infinitum, oportet deuenire ad aliquam cognitionem, quæ ex alia præëxistenti non fiat. Si secundum, non verificatur propositio Philosophi, quia discursus non solùm includit conclusionem, sed etiam præmissas, & ita talis cognitio discursiua non fit ex præëxistenti cognitione, sed ex se ipsa, quatenùs ex præmissis, quas includit, deducitur conclusio.

Confirmatur. Quia hæc propositio non soluit argumentum Platonis, quo probabat nos nihil de nouo addiscere, scil. quia, vel cognoscimus id quod inquirimus, vel illud ignoramus, si cognoscimus, ergo iam scimus, si ignoramus, etiamsi obuium fuerit non inueniemus, sicut si quis quærat hominem sibi ignotum; quæ ratio etiam currit si omnis doctrina fiat ex præëxistenti cognitione, quia quantumcunque habeam præëxistentem cognitionem, si illa non ostendit mihi id, quod inquiro, nunquam inueniam. Si autem ostendit, non est, quòd vlteriùs quæram.

Respondetur ex dictis. Propositionem Philosophi intelligi de cognitione, quæ per aliquam probationem habetur, hæc enim propriè est doctrina, & disciplina, siquidem hoc intendimus addiscere, quod per probationem acquirimus, id autem quod non probatur per aliud, sed immediatè attingitur per se, non addiscitur, neque est disciplina. Et sic non instatur in Angelo, qui sine probatione videt rem probatam, & sine illatione discursu rem illatam, neque datur processus in infinitum, sistitur enim in cognitione probante, quæ ex alia priori non probatur, vt sunt prima principia, licèt hoc tandem in cognitionem sensuum resoluatur.

Ad id verò, quod additur de discursu, respondetur, quòd si discursus sumatur adæquatè pro præmissis, & conclusione, sic verificatur, quod ex præëxistenti cognitione fit, scil. quia ex cognitione principiorum secundùm se, vt præcisè tangitur per habitum Principiorum, & proceditur ad cognitionem ipsorum, vt inferentium, & consequenter ad conclusionem. Sed tamen non sumendo discursum, ita adæquatè, sed pro ea cognitione, quæ est probata per discursum, quæ est conclusio, cui soli competit esse doctrinam, & disciplinam, sic fit ex præëxistente cognitione, scilicet ex cognitione præmissarum, quæ est probatiua, quasi dicamus, quòd omnis doctrina, id est, cognitio probata per discursum, seu discursiua vt probata, fit ex præëxistente cognitione probante.

Ad confirmationem respondetur. Solui argumentum Platonis ex propositione allatâ à Philosoph. quia si omnis disciplina ex præëxistenti cognitione fit, in illa præëxistenti cognitione conclusio ex nota virtualiter, & in generali, prout continetur in præmissis, ignota verò formaliter, & in particulari, & sic ex cognitione eius in potentia, fit cognitio in actu non autem præsupponitur in actu scientia eius, sicut Plato ponebat.

Secundò arguitur contra secundum dictum. Tum contra numerum præcognitorum, *Tum* contra distributionem prænotionum. *Contra numerum*, quia etiam debet præcognosci bonitas consequentiæ ad conclusionem inferendam, & tamen illam hîc non numerat Philosoph. *Tum*, quia medium præcognoscitur ante conclusionem, cum virtute medij conclusio inferatur; ergo non solùm debet præcognosci subiectum, & passio.

Contra distributionem verò prænotionum arguitur, quia aliquando de ipso subiecto inquirimus *an sit*, & *quid sit?* in aliqua scientia, sicut inquiritur in Theologia, *an Deus sit?* in Physica, *an sit motus*, *an sit generatio, &c.* Et quando aliquid definitur, solet esse controuersia, an benè, vel malè definiatur, quod totum explicatur per scientiam, & discursum: ergo non ita prænoscimus de subiecto, sicut asserit Aristot. Item illud *an est?* quod præsupponitur de subiecto, & de passione, vel dicitur an est existentiæ, vel veritatis, hoc secundum dici non potest, quia sic præcognosceretur de subiecto idem quod de principiis, scilicet, quod sit verum, primum verò non potest stare, quia existentia non requiritur ad hoc, vt subiectum sit scibile, cum potiùs obiectum scientiæ abstrahat ab existentia. Si autem dicatur supponi existentiam de possibili; contra est; tum quia de ente rationis datur scientia, scil. Logica, & tamen non præsupponitur possibilitas eius, cum non sit ens possibile. Tum quia esse possibile est idem, quod non esse fictum, sed verùm, & sic præsupponeretur an est veritatis, non existentiæ. *Denique* de passione malè dicitur, quòd solum præsupponitur, quid nominis; nam de passione etiam præsupponitur *an sit?* *Tum*, quia non est supponi quid nomen significet nisi supponatur, an sit talis passio significata per nomen? *tum*, quia ex eo quod passio conuenit alicui rationi infertur, quod conueniat subiecto, vt cùm dicitur omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis; vbi risibile in præmissis ponitur conuenire rationali, & inde infertur conuenire homini: ergo supponitur in præmissis risibile, quoad an est, imò & quoad quid est, scil. quod conueniat illi, à cuius ratione dimanat, & cui per se conuenit; non ergo de passione solum supponitur quid nominis, imò per significationem nominis non probamus passionem, sed ex coaptatione eius cum subiecto, id autem præsupponitur de passione, per quod probatur.

Respondetur ad primam partem argumenti, non tradi ab Arist. inter præcognita bonitatem consequentiæ, quia non est præcognitum posterioristicum, sed prioristicum, de quo egerat in libris Priorum. Quod verò attinet ad medium, illud quidem præcognoscitur, sed non seorsum à principiis, quia ex medio

formari debent principia, vt inferant conclusionem. De subiecto autem, & passione præcognoscitur seorsum à principiis, quia pertinent ad conclusionem, tanquam materia ex qua constat conclusio, non autem præcisè dantur in principiis sicut medium.

Ad secundam partem argumenti respondetur. Quòd de subiecto semper supponitur *an est* in illa scientia, à qua tractatur tanquam de subiecto proprio, & adæquato, ita quod per medium intrinsecum non probetur; potest tamen aliquando probari, *an sit* & *quid sit* alicuius subiecti in aliqua scientia, non per medium intrinsecum, & à priori, sed vel à posteriori, vel ex mutuatis ab alia scientia, & non ex propriis, vel quia scientia est subalternata alteri, & per illam probat sua principia, & ita Theologia probat Deum esse mutuando rationes à Metaphysica. Et Logica similiter ex illa probat dari ens rationis. Physicus autem non probat dari motum in communi siue ens mobile, quod est adæquatum subiectum, bene tamen dari generationem, quæ est subiectum inadæquatum, & partiale.

Ad tertiam partem argumenti respondetur. Quæstionem *an est*, non dicere existentiam, sed possibilitatem, & sic ens rationis, etiam suam possibilitatem habet, non vt sit, sed vt cognoscatur. Rei autem possibilitas non est præsuppositio de veritate formaliter, & complexè, & per modum enuntiabilis, sicut præsupponitur de principiis, sed pertinet ad veritatem transcendentalem, & subiectiuam. Dicitur autem pertinere ad quæstionem an est possibilitas, considerata non in actu signato, vt quidditatiuum prædicatum essentiæ, prout distinguit ab ente impossibili, & ficto, & vt dicit causas talis possibilitatis, sed vt præcisè exercet ordinem adesse, quod extrinsecum est quidditati, non attendendo ad causas talis possibilitatis.

Ad vltimum respondetur. Aliquos ita sentire, quod de passione præcognoscitur an sit, quia esse passionis sequitur adesse subiecti. Cæterùm cum sequatur per aliquod medium, ratione cuius conuenit subiecto, non præsupponitur, sed demonstratur; quando ergo cognoscitur quid nomen significet, non cognoscitur res significata quoad *an est* in essendo, sed in significando, seu potius in esse significati. Similiter, cum passio sit accidens, cuius esse sumitur per ordinem ad subiectum, licèt in præmissis intelligatur conuenire alicui medio, propter quod conuenit subiecto, nondum intelligitur formaliter, & expressè in ordine ad subiectum, sed solùm virtualiter, prout continetur in illo medio. Et ideò non præsupponitur quoad an est, sed probatur, quia hoc esse passionis sumitur per ordinem ad subiectum, & ex conuenientia ad ipsum. Si autem quoad an est non præsupponitur, multò minùs quoad quid est. Non autem infertur passio conuenire subiecto ex sola significatione nominis, licèt hæc præcognoscatur, sed ex connexione cum medio, quæ etiam præcognoscitur in principiis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm præmissæ efficienter influant in conclusionem, vel in alio genere causæ?

PRæmissæ sumi possunt, vel formaliter, vel obiectiuè, formaliter sunt assensus, seu actus ipsi intellectus, quibus propositiones ipsas iudicamus, obiectiuè sunt res ipsæ, quæ assensu, & propositione attinguntur. Et quidem obiecta ipsa quantum ad connexionem, quam habent, vel in ratione prædicati, & subiecti, vel in ratione inferentis, & illati, disponit Logica & intellectui proponit, quia negotiatur circa res cognitas, in quibus disponendis, & attingendis est tota difficultas, non in cognitionibus ipsis producendis realiter, & ordinandis, & in hoc genere loquendo dixit Philosoph. in 2. Physic. lect. 5. apud. D.Thom. quòd præmissæ materialiter concurrunt ad conclusionem, id est, præbent illi materiam, ex qua conficiatur, quia termini, ex quibus constat conclusio, præhaberi debent in præmissis.

Nunc ergo tota difficultas est de ipsis præmissis formalibus, id est, de assensibus præmissarum, an concurrant in aliquo genere causæ ad assensum, & illationem conclusionis, sicut etiam solet esse difficultas, quomodò vnus actus voluntatis sit causa alterius, sicut intentio electionis, de quo in 1.2. quæst. 9. & quæst. 12. Constat autem apud omnes aliquam dependentiam, & connexionem esse inter assensum præmissarum, & conclusionis, cùm dicat Philosophus omnem doctrinam, & disciplinam, ex præexistenti cognitione fieri, id est, conclusionem probatam ex cognitione probante, mouetur enim intellectus ab assensu præmissarum ad assensum conclusionis, sicut ex volitione finis ad volitionem mediorum. Constat etiam non habere locum causam finalem, & materialem in istis assensibus, quia esto obiectum, seu veritas, circa quam versatur assensus præmissarum esset finis, aut præberet materiam obiecto conclusionis, tamen actus qui versatur circa obiectum præmissarum, neque est finis, neque materia actus, seu assensus formalis, qui versatur circa conclusionem, sicut actus intentionis non est finis actus electionis.

Ex causa verò formali, & efficienti aliqui censent præmissas concurrere in genere causæ formalis extrincesæ, quasi specificando conclusionem, quia tota specificatio assensus conclusionis sumitur ex medio demonstrationis, & intellectus propriè solùm agit specificando, & determinando, *& hinc sumitur fundamentum huius sententiæ*; Quia non apparet quomodò vnus actus intellectus possit alium causare, nisi relinquendo aliquam determinationem, vt potentia in alium actum prodeat, quod est ipsum actum non concurrere effectiuè, sed potentiam determinatam, & applicatam per actum.

Cæterùm communis sententia efficientiam assignat actibus præmissarum, respectu actus conclusionis. Quod sumitur ex Diuo Thom. tum in 1. Poster. lect. 3. vbi dicit: *Præmissas habere rationem causæ efficientis, & actiuæ respectu conclusionis.* Tum in 2. Physic. lect. 5. & 5. Metaph. lect. 3. vbi inquit: *Quòd quantum ad virtutem illatiuam, præmissæ habent rationem causæ efficientis.* Ac denique 1. part. quæst. 14. art. 7. docet: *Quod discursus, quo per principia deuenimus in conclusiones, est discursus secundùm causalitatem.* Et *hinc sumitur fundamentum huius sententiæ.* Quia si principia recipiciunt conclusionem per discursum secundùm causalitatem, oportet quòd influant in assensum conclusionis, quatenùs lumen præmissarum ita afficit, & determinat intellectum, quod conclusionem ipsi manifestat, & illuminando, assentiri facit, lumen autem causat illuminationem alicuius obiecti, & determinat ad cognitionem illius effectiuè: ergo præmissæ, quæ per discursum causant conclusionem illuminando ipsam, effectiuè influunt in assensum conclusionis.

Nec potest dici, quòd discursus assimilatur motui, in quo ex vno transimus ad aliud, nec tamen vna pars motus efficit aliam, ita ex præmissis transimus

ſimus ad concluſiones, vt ab vna parte motus ad aliam; non vt à cauſa efficiente ad effectum; & ſic aliqui dixerunt aſſenſum præmiſſarum ſe habere: vt terminum à quo reſpectu concluſionum; Cæterùm hoc eſt non diſtinguere inter diſcurſum ſecundùm ſucceſſionem, & diſcurſum ſecundùm cauſalitatem; diſcurſus enim ſecundùm cauſalitatem non ſolùm importat ſucceſſionem cognitionum vnius poſt aliam, ſicut ſe habent partes in motu, ſed etiam rationem illuminantis, quatenus ex magis noto proceditur ad minùs notum, & conſequenter præmiſſæ determinant intellectum illuminando ipſi manifeſtationem concluſionis illatæ. Vnde non poſſunt ſe habere ſicut pars motus, quæ relinquitur, vt altera pars acquiratur, quæ ſe habet vt terminus à quo, ſed ponit virtutem illatiuam, & manifeſtatiuam concluſionis, & ita præmiſſæ, in quantum inferentes non relinquuntur ab intellectu, vt acquiratur concluſio, ſicut relinquitur terminus à quo, vt acquiratur alius, ſed ipſæ præmiſſæ dant vim intellectui, id eſt, lumen ad acquirendum concluſionem, locus autem, qui relinquitur, non dat virtutem motiuam ad acquirendum alium.

Nec poteſt iterum dici, quòd aſſenſus præmiſſarum influunt per modum cauſæ formalis in concluſiones non quidem, vt forma intrinſeca illarum, ſed vt forma extrinſeca determinans intellectum ad concluſiones. *Sed contra eſt*, quia forma extrinſeca, vel eſt obiectum, vel idea exemplans; aſſenſus autem præmiſſarum non eſt idea concluſionis, cùm non ad inſtar illarum formetur concluſio, licèt ex illis ſit deducta per connexionem intrinſecam. Vnde aſſenſus vnius ducit intellectum ad aſſenſum alterius manifeſtando illum, non per imitationem illius. Deinde idea indiget ad executionem formationis ſuæ efficaciâ voluntatis mouentis, quia modo practico cauſat; præmiſſæ autem influunt in concluſionem modo purè ſpeculatiuo, & ſine influentia voluntatis, dicitúrque intellectus ex vi præmiſſarum moueri in concluſiones non ex voluntate, mouet autem ſe intellectus effectiuè de vno in aliud: ergo & illa vis mouens effectiua eſt. Multò minùs aſſenſus præmiſſarum eſt cauſa obiectiua concluſionum, ſiquidem concluſio habet obiectum ſuum, à quo ſpecificatur diſtinctum à præmiſſis, & ab eorum aſſenſu, ſcil. veritatem illatam.

An verò præmiſſæ debeant ſimul exiſtere actu, quando infertur concluſio dicemus articulo ſequenti, vbi ex D. Thom. 1. Poſterior. lect. 2. oſtendemus in demonſtratione minorem exiſtere in eodem inſtanti cum concluſione, aſſenſum verò maioris poſſe præcedere tempore.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur. Quia tota virtus effectiua cuiuſcumque cognitionis ſolùm eſt potentia, vel habitus illi ſuperadditus, vel ſpecies, vnus autem actus non eſt operatiuus alterius actus, licèt poſſit determinare potentiam ad alium actum: ſed aſſenſus præmiſſarum neque eſt potentia, neque habitus, nec ſpecies, ſed actus intellectus: ergo non dat illi virtutem effectiuam ad influendum in concluſionem.

Confirmat. Quia principia habent rationem cauſæ formalis extrinſecæ, à qua ſumitur ſpecificatio ſcientiæ; ex diuerſo enim medio probante, ſeu demonſtrante ſumitur diuerſa ratio formalis ſcientiæ, vt D. Thom. affirmat 2.2. quæſtione 1. artic. 1. ergo præmiſſæ, quæ determinant intellectum ratione medij probatiui, & illuminatiui concluſionum, habent ſe vt ratio formalis extrinſeca illarum.

Reſpondetur. Quòd licèt intellectus ſit cauſa principalis efficiens aſſenſus concluſionis; tamen, quia intellectus procedit illatiuè ex vno in alud, habet hanc vim illatiuam ab aſſenſu præmiſſarum, in quibus virtualiter continetur concluſio, vt manifeſtabile in manifeſtante. Et quando dicitur, quòd vnus actus non eſt operatiuus alterius, *diſtinguendum eſt*. Nam ſi vnus actus virtute continet alium, efficere poteſt illum determinando potentiam, & dando illi virtutem, vt ſe moueat de vno in aliud, non verò ſi virtute non contineat alium actum; ſic videmus, quod in voluntate actus intentionis, eſt cauſa actus electionis, & actus imperans habet pro effectu actum imperatum. Et inter effectus charitatis ponitur à D. Thom. pax, & gaudium 2. quæſt. 28. & 29. & lætitia eſt effectus deuotionis 2.2. q. 82. art. 2. Et hac ratione diſtinguitur actus alicuius virtutis ab effectu, quòd actus immediatè elicitur, effectus autem mediante alio actu imperatur, & dicitur vnus actus determinare, & mouere ad alium, quatenus prior actus reſpicit obiectum, ſub quo virtute continetur obiectum alterius actus. Vnde hoc ipſo, quod per talem actum ordinatur potentia ad obiectum, habet in ſe virtutem, vt determinetur ad obiectum contentum ſub illo, & ſic ex iſta ordinatione, ſeu determinatione relicta ex tali actu, ſiue relinquatur per aliquem modum impreſſum, ſiue per aliquam ſpeciem repræſentantem actum præteritum, mouetur, & determinatur potentia ad prodeundum in alium actum.

Ad confirm. Reſpondetur. Quòd præmiſſæ dant medium ſpecificatiuum ex parte obiecti cogniti, obiectum enim ſpecificat actum, & formalizat: Cæterùm ex parte aſſenſus, quo tale obiectum cognoſcitur, non repugnat, quod effectiuè influat ordinando potentiam ad elicientiam alterius actus, & per modum luminis interioris illuſtrando formaliter, id eſt, intra inhærendo, & non obiectiuè.

Secundò arguitur. Quia ſi præmiſſæ efficienter influunt in concluſionem, ſequitur quòd aſſenſus præmiſſarum debeat ſimul exiſtere, quando elicitur aſſenſus concluſionis, quia cauſa effectiua non influit niſi exiſtendo; hoc autem eſt falſum, quia cognitio præmiſſarum tranſit adueniente concluſione, cum per diſcurſum, & motum de vno ad aliud tranſeatur, nec intellectus poſſit ſimul multa intelligere, vt D. Thom. docet 1. p. q. 85, art. 4. Ex quo vlteriùs ſequitur, quòd non poſſit minor ſimul cognoſci cum concluſione contra id, quod docet Philoſoph. in 1. cap. 1. Poſt. & ibi D. Thom. lect. 2. quia non contingit ſimul eſſe duplicem cognitionem, cùm non poſſimus multa, vt multa intelligere. Si autem non eſt duplex cognitio, neque eſt efficientia vnius in aliam: ergo ſaltem vna præmiſſarum non influit effectiuè, ſcilicet minor, ſola autem maior ſine minori non poteſt effectiuè influere in concluſionem, quia in ſola maiori non eſt diſpoſitio præmiſſarum.

Secundum inconueniens eſt, quia ſi principia ſunt cauſa effectiua concluſionis, non poſſunt eſſe cauſa vniuoca, cum aſſenſus principiorum, ſit alterius ſpeciei ab aſſenſu concluſionum, vtpotè ab habitibus diuerſæ ſpeciei orti: ergo erunt cauſa æquiuoca reſpectu concluſionis; quod ſtare non poteſt, quia cauſa æquiuoca non eſt proxima, & immediata, ſed vniuerſalis; inter præmiſſas autem, & concluſiones nihil mediat. Denique ſi præmiſſæ ſunt cauſæ effectiuæ, poteſt Deus illarum efficientiam ſupplere in concluſionem, & ſic inferetur concluſio ſine præmiſſis quod repugnat.

Reſpondetur ad primum inconueniens, quòd quando infertur concluſio, exiſtit cauſa inferens, quia minor

minor,& conclusio simul tempore cognoscuntur, licet priùs naturâ, vt ex Philosoph. docet D. Thom. 1. Post. lect. 3. quod intelligitur de minori, vt continet in se virtute maiorem, quam determinat, de quo sequent. art. dicetur. Neque ad discursum requiritur, quòd vnus actus transeat post alium secundum successionem temporis, sed secundum successionem, vel causalitatem cognitionum, & obiectorum, licèt vtraque cognitio simul duret. Si tamen cognitio inferens non maneat actu, manebit in virtute, & determinatione, qua intellectum determinat ad inferendam conclusionem. Nec D. Thom. negat plura posse simul cognosci simultate temporis, sed simultate cognitionis,& repræsentationis,& hoc quando non sunt ordinata, vel vnita in aliqua ratione, sed inter se disiuncta,& separata. Vnde licèt simul tempore cognoscatur minor, & conclusio, tamen potest esse causa effectiua illius, quia est prior natura, licet simul tempore.

Ad secundum conueniens dicitur, quòd præmissæ sunt causa efficiens conclusionis per modum virtutis,& instrumenti, virtus autem æquiuoca potest esse immediata,& proxima respectu sui effectus, sicut calor in animali generat carnem,& lux calorem immediatè, & proximè. Quomodo autem isti assensus, seu actus attingant actione aliqua conclusionem, de quo aliqui dubitant; *Respondetur*, non attingi actione aliqua transeunti, sed ipsamet actione immanenti, quâ conclusio procedit ab intellectu, procedit etiam ab habitu effectiuè, vt adiuuante, & ab actuali assensu præmissarum, vt à lumine actu illustrante, & præbente vim effectiuam potentiæ.

Ad vltimum inconueniens dicitur. Quòd non omnis efficientia potest sub omni modo suppleri à Deo, scilicet, quando efficientia importat, seu connotat specialem aliquem modum, seu dependentiam, sub qua Deus non potest efficere, sicut potest Deus producere hominem, sed non generare corporaliter vt pater,& potest concurrere ad discursum; sed non discurrere. Et similiter non potest conclusionem vt illatam, sine præmissis producere.

ARTICVLVS III.

Vtrùm præmissæ necessitent ad assensum conclusionis, ita quod minor simul cum conclusione cognoscatur?

LOquimur in præsenti de præmissis in syllogismo demonstratiuo conuincente intellectum, & ex concessione præmissarum necessitare. An verò in syllogismo probabili concessis præmissis, & stante bonitate consequentiæ intellectus necessitetur ad assensum conclusionis; *Breuiter Respondeo.* Necessitari intellectum in vi consequentiæ, non in vi veritatis inferentis, & ideò simpliciter non necessitatur, quia licet concessis præmissis rectè dispositis, si procedatur ad conclusionem non possit dissentiri, tamen in materia probabili, potest non procedere ad conclusionem, sed retrocedere ad examinandas præmissas, & cum sint probabiles, illis dissentire, quod in demonstratione non currit, in qua non solùm debet procedere ad conclusionem, sed etiam non potest retrocedere intellectus, & sic D. Thom. 1. p. quæstion. 82. articul. 2. docet, quòd propositionibus contingentibus, ad quorum remotionem non sequitur remotio principiorum, non ex necessitate assentit intellectus, ergo cum etiam positis præmissis videat intellectus non sequi remotionem primorum principiorum, potest à præmissis retrocedere, & sic non simpliciter necessitari; tenetur tamen assentiri ipsi probabilitati, si euidens sit; non tamen veritati.

Vt ergo punctus difficultatis præsentis innotescat, supponenda illa vulgaris distinctio necessitatis, *quoad specificationem, & quoad exercitium.* Prima respicit speciem actus. Secunda elicientiam, & ita prima explicatur conditionatè, id est, si potentia eliciat non potest nisi talis speciei actum elicere; potest tamen non elicere absolutè. Secunda verò explicatur absolutè, quia de facto tenetur elicere. Et huic duplici necessitati correspondet duplex libertas, altera, quoad specificationem, quæ etiam dicitur contrarietatis, eò quòd versari potest circa actus specie contrarios, verbi gratia, odium, & amorem; altera quoad exercitium, quæ dicitur contradictionis, quæ solùm versatur circa elicientiam, vel non elicientiam actus. Et quando in præsenti inquirimus, an intellectus necessitetur ad assensum conclusionis, loquimur de assensu formali, non virtuali, quia virtualis habetur in præmissis, in quibus virtualiter continetur conclusio, & ita idem est virtualiter assentiri conclusioni,& formaliter assentiri principiis, vt ad eam disponentibus.

In præsenti ergo extra controuersiam est, quòd stantibus præmissis euidentibus intellectus necessitatur, quoad specificationem ad assensum conclusionis.

Et ratio est, quia circa verum vt verum non potest dari dissensus, nec circa falsum assensus; alioquin posset aliquis assentiri duabus contradictoriis, si æquè potest veritati assentiri, ac dissentiri, & similiter falsitati, sed positis præmissis veris, & euidentibus conclusio non potest non esse vera; aliàs posset dari antecedens verum, & consequens falsum: ergo talis conclusio non est capax dissensus, sicut nec falsitatis, ergo necessitat, quoad assensum, & sic remanet difficultas circa necessitatem quoad exercitium.

In quo aliqui existimant, intellectum non necessitari quoad exercitium, circa talem conclusionem positis præmissis, sed posse à voluntate impediri. Quod dupliciter explicari potest: vno modo quia voluntas directè possit suspendere intellectum, ne procedat ad assensum conclusionis, sicut suspendit manum ne moueatur; alio modo indirectè diuertendo intellectum circa aliam cognitionem, vel impediendo ne attendat ad præmissas. *Alij* simpliciter, & sine limitatione docent intellectum necessitari quoad exercitium stante assensu præmissarum.

Sit nihilominus vnica conclusio, *Intellectus stantibus præmissis euidentibus directè necessitatur quoad exercitium ad assensum conclusionis, indirectè tamen potest impediri à voluntate, quia non necessitatur ad attendendum, & cogitandum de præmissis*, Ita tenet communis sententia, & sumitur ex Diuo Thoma 1. part. quæstione 82. articul. 2. vbi dicit: *Quòd naturaliter ex necessitate inhæret intellectus principiis, & conclusionibus habentibus necessariam connexionem cum illis.* Sed luculentiùs id tradit 1. 2. quæstione 17. articul. 6. vbi inquit: *Quòd actus rationis potest considerari dupliciter, vno modo quoad exercitium actus, vt cum indicitur alicui, quod attendat, & ratione vtatur, & sic potest imperari actus rationis: alio modo quantum ad obiectum, respectu cuius duo actus rationis attenduntur, primo quidem vt veritatem circa aliquid apprehendat, & hoc non est in potestate nostra; hoc enim contingit per virtutem alicuius luminis, vel naturalis, vel supernaturalis, & ideò quantum ad hoc actus rationis, non est in potestate nostra:*

alius

alius autem actus rationis est, dum his quæ apprehendit assentit; si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia, assensus talium, vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordine naturæ: sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeo conuincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire, vel saltem assensum, & dissensum suspendere propter aliquam causam, & in talibus assensus ipse, vel dissensus in potestate nostra est. Ita Diuus Thomas; vbi duplex exercitium distinguit, aliud quoad applicationem attendendi ad hoc vel illud obiectum, aliud quoad applicationem assentiendi, & prima applicatio est in manu voluntatis, vt attendat, vel cogitet de præmissis, secunda verò applicatio quoad ipsum assensum, non est in potestate voluntatis nisi respectu obiectorum, quæ non conuincunt intellectum: respectu ergo obiectorum conuincentium, & necessitantium id fieri non poterit, non solùm vt dissentiat, vel assentiat quòd est libertas contrarietatis, sed etiam vt suspendat, vel non suspendat assensum, quæ est necessitas exercitij.

Ex quo sequitur, quòd directè non potest voluntas impedire assensum conclusionis euidentis, quoad exercitium, posito assensu præmissarum, quia non potest voluntas impedire visionem obiecti posito lumine illustrante illud, & oculis apertis, vt ipsâ experientiâ manifestum est, & ratio apertè conuincit, quia tunc omnes causæ sunt agentia naturalia inimpedibilia à voluntate; nam lumen ipsum naturaliter manifestat, & illuminat obiectum: potentia autem cognoscitiua in cognoscendo naturaliter operatur respectu obiecti sufficienter propositi; constat autem quòd præmissæ euidentes rectè dispositæ illuminant, & manifestant conclusionem sicut lux colores; ipse etiam intellectus est potentia non libera, sed naturaliter operans circa obiectum sufficienter propositum id est, illuminatum: ergo stante tali illuminatione, & potentia ipsa vigilante, & attendente necessitatur, quoad exercitium, & non potest impediri à voluntate. Potest tamen indirectè auertere voluntas ab assensu conclusionis, quia potest diuertere intellectum, ne cogitet de præmissis, sicut manifestato visibili potest oculos auertere, vel claudere, remisso autem, vel omisso assensu circa præmissas, vel non cogitando earum dispositionem ad inferendum, non sequitur illuminatio circa conclusionem.

Ex dictis colliges, quomodò intelligendum sit dictum Philosophi in præsenti, *maiorem cognoscit prius tempore quàm conclusionem, minorem verò simul conclusione*; loquitur enim de maiori secundum se & seorsum, cùm enim sit vniuersalior propositio, & non subsumpta sub alia, sed assumpta, potest seorsum, & per se cognosci, atque adeo priùs tempore minor verò si formaliter consideretur, vt minor, id est, vt inferior, & subsumpta sub maiori, & determinans illam ad influendum determinatè in conclusionem, sic non potest intelligi, nisi simul intelligatur conclusio, dummodò subsumpta, & disposita sub maiori. Quod intelligitur non solùm negatiuè, id est, quia nihil mediat inter cognitionem minoris & conclusionis, id enim manifestum est; Minor enim est vltima pars in præmissis, vnde necesse est, quòd immediata pars, quæ illi coniungitur sit conclusio illata, quæ est aliquid extra præmissas: non ergo solùm negatiuè hoc intelligitur, sed etiam positiuè, quia in eodem instanti quo minor cognoscitur, vt minor deducitur assensus conclusionis, vt asseritur à D. Thom. 1. Poster. lect. 2. quia posita cognitione minoris formaliter vt coordinatâ & subordinatâ maiori, atque adeò supponendo cognitam bonitate consequentiæ, hoc ipso ponitur lumen sufficiens, & necessitans ad manifestandam conclusionem; nec enim alio lumine manifestatur conclusio, quàm lumine illatiuo, quod in præmissis continetur, sed illuminatio fit in instanti, multò magis in spirituali lumine, quàm in corporali, quia illud est efficacius, & perfectius, ergo in eodem instanti quo ponitur lumen præmissarum, quo determinatur maior vltimatè per minorem, ponitur assensus conclusionis, tanquam à causa non impeditâ, & operante instantaneè, sicut de illuminatione dictum est.

Dices, intellectus est potentia limitata, & non potest plures actus simul elicere, aut saltem in numero determinato, & limitato, ergo fieri potest vt in assensu minoris sit vltimus actus, quem potest intellectus elicere naturali virtute, atque adeò tunc non poterit elicere assensum conclusionis.

Sed Respondetur, quòd in eo casu si intellectus non possit remittere aliquam ex notitiis præcedentibus, quia vel necessitant intellectum, vel voluntas non vult, vt recedatur ab illis, intellectus non producet assensum formalem conclusionis ob impedimentum, & limitationem virtutis, in præsenti autem loquimur de causa non impedita, cum quo stat, quòd simpliciter necessitatur intellectus ab illo lumine præmissarum, sicut ignis necessitatur ad calefaciendum, & oculus ad videndum, si tamen non sit impedimentum, vel non excedat sphæram virtutis ad agendum.

Quod verò aliqui adhuc strictiori modo existimant posse minorem, & conclusionem cognosci eodem indiuisibili actu, si id intelligatur de formali cognitione principij, & conclusionis, id solum est proprium luminis Angelici, qui vnico actu implet totum quod noster discursus pluribus, per lumen autem discursiuũ id fieri non potest, sed necesse est Diuinitùs eleuari hominem supra modum connaturalem cognitionis humanæ, sicut in scientia infusa Christi solet admitti. Si autem loquamur de virtuali cognitione conclusionis constat ipsam sic cognosci in præmissis.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

P*Rimò arguitur* voluntas non necessitatur ab aliquo bono particulari, quod non pertineat ad proprium esse, sed assensus conclusionis, etiam post assensum præmissarum est quoddam bonum particulare iuxta regulam S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 1. ad 3. quòd ipsum verum, quod est perfectio intellectus continetur sub vniuersali bono, vt quoddam bonum particulare; ergo non necessitatur voluntas ab illo quoad exercitium.

Confirm. Quia si voluntas necessitatur ad assentiendum conclusioni speculatiuæ euidenti: ergo & practicæ euidenti, sicut est hæc. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, sed tibi non vis furari: ergo alteri non debes furari*; & tamen voluntas non necessitatur ad assensum practicum huius conclusionis, cum oppositum quandoque faciat, ergo, &c.

Respondetur iuxta doctrinam traditam suprà ex D. Th. de duplici exercitio ad apprehendendum principia, vel ad assentiendum illis, vel conclusionibus indè necessariò deductis, quòd circa primum voluntas est libera, & potest intellectum retrahere, ne cogitet de principiis, & sic ab assensu conclusionis cessare indirectè, & non continuare illum opponendo impedimentum. Secundum verò exercitium, non potest voluntas impedire supposito assensu præmissarum in his propositionibus, quæ conuincunt intellectum, vt ex D. Thom. supra ostendimus.

Ad confirm. Resp. Syllogismum practicum, vt practicus est, & effectiuè mouens voluntatem quoad exercitium non necessitare voluntatem. *Tum*, quia potest diuertere cognitionem intellectus à propositione recta principiorum, sicut potest in speculatiuis, iuxta illud Psal. 9. *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Quòd si non diuertat à propositione recta principiorum necessitabitur ad conclusionem practicam ex suppositione, secundum quid. *Tum etiam*, quia ex principiis practicis rectè dispositis solùm de necessitate concluditur, hoc esse debitum, vt fiat, seu conueniens secundùm legem, non semper secundum appetibilitatem, quia hæc in exercitio proponitur cum indifferentia, nisi sit Deus clarè visus, & ideò quoad hoc syllogismus practicus non concludit conuincendo, sed indifferenter proponendo, & voluntas sequitur conuenientiam appetibilitatis hic, & nunc propositam, non solùm conuenientiam secundum legem.

Secundò arguitur. Quia etiam positis assensibus præmissarum indiget intellectus habitu ad essentiendum conclusioni scientificæ; circa illam enim versatur scientia: ergo aliquam indifferentiam habet intellectus ad talem assensum, etiam positis præmissis, nam si nullam haberet, nullum habitum generaret, vbi enim est totalis determinatio potentiæ, non datur habitus, qui eius indifferentiam tollit; vbi autem est aliqua indifferentia non est omnimoda necessitas.

Confirm. Quia si ex præmissis necessariis inferatur duplex conclusio, vna directa, altera indirecta; sicut ex præmissis in *Barbara* infertur *Baralipton* necessitaretur intellectus ad vtramque conclusionem, quod est falsum, quia vna demonstratio solùm vnam conclusionem elicit, & postulat, & sic à voluntate determinabitur ad quam voluerit. Ac denique si necessitatur intellectus ad exercitium assensus conclusionis positis præmissis, eadem ratione necessitabitur ad continuationem assensus stantibus eisdem præmissis, vnde semel factâ demonstratione non poterit cessare ab illa.

Respondetur, Quòd habitus scientificus, non solùm attingit conclusionem illatam supposito assensu præmissarum, & bonitate consequentiæ, sed etiam attingit præmissas, vt inferentes, & earum dispositionem, & totum hoc indiget habitu, vt possit demonstratio elici non solùm, quando primò facta est, sed etiam post; quamuis verum sit, quòd si solùm attendamus ad illationem conclusionis post assensum præmissarum, & rectam earum dispositionem, hoc præcisè non indigeret habitu vincente difficultatem aliquam.

Ad Confirm. Respondetur. Quòd quando duæ conclusiones inferuntur ex præmissis, non æquè immediatè vtrumque infertur, sicut conclusio indirecta infertur mediante transmutatione, vel conuersione aliqua alicuius propositionis. Vnde sicut ad assensum primæ conclusionis necessitatur intellectus non quomodocunque, sed suppositâ rectâ dispositione præmissarum, ita non necessitabitur ad indirectam æquè immediatè, sed postquam posita fuerit dicta transmutatio, vel conuersio. De continuatione assensus dicitur, quòd quando continuantur assensus præmissarum, continuabitur & assensus conclusionis, sed potest diuertere intellectus à cogitatione præmissarum, & sic cessare ab assensu conclusionis.

ARTICVLVS IV.

Explicatur quid sit propositio per se nota, & immediata, prædicatum de omni, & per se secundum quod ipsum?

VT plenè explicentur ea, quæ pertinent ad notitiam præmissarum, oportet earum conditiones explicare, ex quibus constare debent præmissæ ad demonstrationem deseruientes.

Igitur primo loco occurrit *propositio per se nota*, siue immediata, licèt enim non omnis demonstratio formetur ex propositionibus per se notis; omnis tamen demonstratio dependet ex illis, & resoluitur in illas. Et quia omnis propositio per se nota est, immediata explicatur negatiuè, quatenùs est immediata & positiuè, quatenùs est per se nota. Et propositio immediata definitur à Philos. & D. Thom. 1. Post. lect. 5. Quòd est *propositio carens medio*, vel *propositio, qua non est aliâ prior.* Et intelligitur carere medio probatiuo, probatione intrinsecâ, & à priori, vt sequenti disp. ampliùs manifestabitur; licet possit admittere probationem à posteriori, & per causas extrinsecas. Vnde dicit D. Thom. q. 10. de verit. art. 10. *Quòd tunc est aliquid per se notum, quando prædicatum est de ratione subiecti. Vbi oportet aduertere*, quòd illa definitio est intelligenda formaliter; id est, quando aliquod prædicatum est de ratione subiecti immediatè, & per se; alioquin si prædicatum conuenit alicui mediante alio, quantumcumque sit essentiale, non repugnat, quòd per aliquod medium probetur, & manifestetur; sicut potest probari hominem esse sensitiuum, quia est animal, & lineam non esse substantiam, quia quantitas non est substantia. Cuius rei meminit Philos. 1. Poster. cap. 11. & videri potest D. Thom. ibi lect. 26. & sic est intelligendus D. Tho. 1. p. q. 14. art. 1. cùm probat Deum esse intelligentem, quia est immaterialis, quia intellectualitas includitur in immaterialitate, & cum illa conuertitur, sicut probatur Petrum esse rationalem, quia est homo, quæ sunt probationes de includente, & incluso.

Si autem positiuè consideretur propositio per se nota definitur illa, *quæ ex ipsis terminis, seu explicatione terminorum innotescit.* Vnde constat, quòd non est idem propositio per se nota quòd intuitiua siue per experientiam sensuum nota, quia quod sensu cognoscitur non cognoscitur, vt propositio, sed vt simplex obiectum apprehensum, neque ex sola explicatione terminorum innotescit, sed quia experientiâ externâ attingitur, & sic niuem esse albam, licèt in sensu sit experientiâ notum, in intellectu tamen est propositio nota ex terminis per se connexis, sed potiùs in materia contingenti. Ac denique, non est idem propositio per se nota, ac sine discursu nota; per fidem enim cognoscimus sine discursu ob authoritatem dicentis, & tamen non est per se notum: & Angelus cognoscit in principiis sine discursu ea, quæ per probationem, & causas innotescunt. Quomodò autem propositio per se nota seu primum principium diuidatur in dignitates, & propositiones, id est, in principia communissima, & minùs communia diximus in textu capite secundo, & sequenti disputatione ampliùs dicetur.

Est autem celebris diuisio propositionis per se notæ, in per se notam *secundum se, & quoad nos*, quam tradit Diu. Thom. 1. par. quæst. 2. art. 1. & quæst. 10. de verit. artic. 12. illam tamen non admittit Scotus in 1. dist. 2. q. 2. & eius schola cõmuniter, & aliqui recentiores di

dicunt S. Thomam impropriè fuisse loquutum, diuidendo propositionem per se notam hoc modo, quia id quod est per se notum secundum se, & non quoad nos propriè, & formaliter non est propositio, sed res significata per propositionem: hæc autem non dicitur per se nota, vel cognoscibilis, nisi quatenus subiicitur terminis, siue sint formales conceptus, siue voces, quibus notificatur; si ergo termini notificantes non sint per se noti, sed per aliud probentur, nec ipsa propositio erit per se nota vt propositio est, res autem ipsa significata, si aliis terminis per se notis subiiciatur, erit propositio per se nota, non tamen vt subest illis terminis confusis, & per aliud probandis. Et *ad hoc fere reducitur totum fundamentum oppositum*, negans dari propositionem per se notam secundum se.

Nihilominus D. Thom. altiùs considerans propositionem per se notam, non solùm loquutus est de ipsa secundum formalem rationem propositionis ex parte conceptus vel vocis significantis, sed etiam ex parte fundamenti, quod habetur in ipsa re significata, quod enim aliqua propositio sit demonstrabilis per aliquod medium, vel careat medio quo demonstratur, & ita sit immediata, & per se nota, non oritur ex ipsa significatione terminorum, sed ex ipsa connexione rerum significatarum, vbi enim prædicatum aliquod conuenit subiecto immediatè, caret medio, quo probetur hoc prædicatũ de illo subiecto, & consequenter quantum est ex se fundat propositionem per se notam, licèt respectu nostri non semper possit formari propositio per se nota, eò quòd ipsa extrema, seu termini, quibus constat illa propositio nobis immediatè non sunt, ita vt de eorum connexione inter se per solam terminorum explicationem, nobis constet, sed supposito discursu manifestante terminos, & consequenter connexionem eorum, innotescit, & ideò non est per se nota nobis absolutè, sed supposito discursu, quod est esse per se notam sapientibus. Nulla autem est improprietas, quod loquendo de propositione sumamus ipsam obiectiuè, & non formaliter, sed ex parte rei significatæ, quæ est fundamentum veritatis, quæ formaliter significatur per conceptus, & terminos, & hoc tantò meliùs fecit D. Thom. quandò magis pertinet ad præsens explicare veritatem propositionis, potiùs quàm propositionem ipsam, agitur enim de veritate demonstrabili, vel non demonstrabili, seu per se nota, & hanc oportebat explicare etiam ex parte sui fundamenti, & rei significatæ.

Vnde patet ad fundamentum oppositum; dicimus enim quòd D. Thom. sumit propositionem per se notam non solùm pro propositione formali, sed etiam pro obiectiua, & pro fundamento veritatis eius tunc erit secundùm se nota, quando ex parte obiecti habet immediatam connexionem: tunc autem erit per se nota nobis, quando ista connexio talibus terminis constat, & explicatur, quod sine aliquo discursu, sed solâ terminorum explicatione ipsa connexio extremorum innotescit.

Circa prædicatum de omni, vt intelligatur quid sit, & quomodò requiratur ad præmissas demonstrationis; *Aduertendum est* ex D. Th. 1. Post. lect. 9. aliter sumi dici de omni in libris Priorum, aliter hîc: ibi enim solùm attenditur ad formam prædicationis vniuersalis de omni, hîc ad materiam, seu necessitatem, & ideò ibi dicitur prædicatum de omni, quod inest cuilibet eorum, quæ continentur sub subiecto, siue necessariò, siue contingenter. Et vnico verbo dici de omni secundùm formam prioristicam est, quodcumque prædicatum, quod afficitur nota vniuersalitatis, & distributionis, siue probabiliter, siue necessario, hoc enim non attendit forma syllogistica, quæ tam seruit demonstratiuo, quàm opinatiuo. De omni verò posterioristicum includit duas conditiones, vt loco citato dicit Sanct. Thom. scilicet, quod nihil sit subsumere sub subiecto, cui non insit prædicatum, in quo conuenit cum de omni prioristico. Secundò, vt non sit accipere aliquod tempus, in quo prædicatum ei non insit, & sic designat Philos. certam & necessariam veritatem: totamque definitionem complexus est illis verbis, *De omni dico, quod non cuidam inest, & cuidam non inest, aliquando competit, aliquando non competit, sed omni, & semper.*

Quare hic intelligitur duplex vniuersalitas scilicet temporis, & suppositorum, vniuersalitas suppositorum alia est positiua, alia negatiua, positiua est, quæ de facto habet plura inferiora; negatiua, quæ de se non repugnat, aut non concipitur repugnare, vt sub ea sumantur plura, siue in re illa habeat, siue repugnet habere, dummodò ex vi sui conceptus formalis non concipiatur, vt repugnans, & hic secundus modus vniuersalitatis sufficit ac demonstrationem, sicut plura demonstrari possunt de Deo, & Angelis, licèt in re non habeant plura inferiora, quia possunt concipi ad instar rei communis, vt supra quæstione 8. dictum est. Non autem conuenit termino singulari, vt Petro, vel Socrati, quia ex ipso modo concipiendi dicunt singularitatem repugnantem vniuersalitati. Similiter vniuersalitas temporis dicitur dupliciter: Vno modo simpliciter, & absolutè: alio modo strictè, & determinatè. Absolutè pro omni differentia temporis, seu perpetuitate: restrictè pro eo quod conuenit alicui suppositâ existentiâ, vel continuè, vt coruo nigredo, vel certis temporibus, vt arbori florere.

Circa prædicatum per se, aduertendum est, quod in communi loquendo est illud quod opponitur prædicato *per accidens*; & per accidens aliquando est idem, quod *per aliud*, aliquando est idem quod *non essentialiter*, sed accidentaliter, & contingenter. Et similiter *per se* aliquando dicitur idem, quod *immediatè*, seu non per aliud; aliquando idem, quòd *necessariò*, & essentialiter. Et diuiditur à Philosoph. prædicatum per se in quatuor modos perseitatis, quos D. Thom. colligit. 1. Post. lect. 10. quia illa particula *per*, significat duo, vel habitudinem causæ, vel habitudinem situs. Dicitur enim aliquando per se esse, quod est sine alio, vel solitariè. Quando significat habitudinem causæ, vel potest significare causam intrinsecam, qualis est formalis, vel materialis, vt cum dicitur corpus viuere per animam tanquam per formam, & corpus esse coloratum per superficiem tanquam per causam materialem. Vel designat causam extrinsecam, præsertim efficientem, vt cum dicitur aqua calefieri per ignem. *Primus ergo modus per se est*, quando aliquid attribuitur alicui per formam, & quia definitio est maximè formalis in qualibet re, quando definitio, vel aliquod prædicatum quidditatiuum ad definitionem pertinens prædicatur de aliquo, dicitur prædicari in primo modo per se.

Secundus modus per se, inquit D. Thom. quòd sumitur, quando hæc propositio *per*, designat causam materialem, id est, proprium subiectum alicuius formæ, quod ad eius definitionem pertinet. Quod est idem ac dicere, quòd quando prædicatur propria passio de subiecto est secundus modus per se. Quia licet prædicatum non sit de essentia subiecti; subiectum tamen pertinet ad essentiam prædicati, quatenus subiectum proprium ponitur in definitione passionis.

Tertius modus per se, non est modus prædicandi, sed existendi, quando dicitur aliquid per se esse, id est, solitariè, sicut prima substantia dicitur esse per se, concreta autem accidentium, vt album, musicum, &c. non intelliguntur esse solitariè, sed cum forma denominante. *Denique quartus modus dicendi per se*, non est modus prædicandi, vel essendi, sed causandi, & definitur ab Aristotel. *Quando aliquid inest propter ipsum*, id est, significatur ratio propria, à qua causatur; sicut in ista, ædificator ædificat, non autem hæc, ædificator ambulat, quia ad ambulandum non conducit ars ædificandi. Et sic in hoc quarto modo dicendi per se interuenit quasi appellatio propriæ formæ, & rationis causandi aliquid, quia scilicet significatur id, quod conducit ad causandum, non quod non conducit, etiamsi identicè, & materialiter ibi inueniatur. Vnde stat bene, quod aliquid conueniat primo modo per se; non autem quarto, quia scilicet, vt conueniat primo modo sufficit identitas essentialis, vt quarto modo requiritur habitudo formalis, sub qua aliquid conuenit, vel causatur, sicut identificantur animal, & rationale, conueniuntque homini primo modo per se; non tamen est per se quarto modo animal ratiocinatur, quia in ly *animal* non significatur formalis ratio ratiocinandi.

Ex quibus colliges, prædicatum per se primo, vel secundo modo debere esse prędicatum de omni, quia conuenit necessariò, atque adeò semper & omnibus. Tertius modus per se solum conuenit singulari. Quartus modus per se tam singulari, quàm vniuersali, vbicunque formalis ratio causandi significatur.

Sed obiicies, nam hæc propositio, risibile est homo, non est in primo modo, & tamen prædicatum est pars definitionis subiecti: ergo malè reducit Aristoteles ad primum modum per se id, quod ponitur in definitione, & postea in secundo modo, quando subiectum pertinet ad definitionem prædicati. *Idem argumentum fieri potest* de prædicationibus indirectis, quæ non sunt de omni, & consequenter neque per se, & tamen contingit vnum poni in definitione alterius, vt cum dico animal est homo, vel rationale, ly *animal* ponitur in definitione prædicati, & similiter cum vnum correlatiuum definitur per aliud: ergo non benè dicitur primus modus per se, quando definitio, vel pars definitionis prædicatur de aliquo. *Tertiò*, omnia prædicata contingentia erunt per se secundo modo, quia in definitione cuiuscumque accidentis, etiam quinti prædicabilis ponitur subiectum, vt ex D. Thom. de Ente & Essentia colligitur: ergo non est bona definitio secundi modi per se. *Denique* in quarto modo ponuntur prædicata contingentia, vt cùm dicitur, ignis calefacit, ædificator ædificat, prædicantur enim actiones, quæ contingenter conueniunt causis agentibus, & possunt impediri: ergo non sunt prædicata per se, quæ enim contingenter conueniunt, sunt per accidens.

Ad primum respondetur; Quòd circa illam propositionem, in qua subiectum accidentis prædicatur de ipso accidenti, *Authores diuisi sunt. Quidam enim existimant*; absolutè non esse per se, in primo modo, quia subiectum non est pars intrinseca accidentis, & propositio ipsa est indirecta, & consequenter non est de omni, & per se, vt album est corpus, risibile est homo: Et ita Caietanus 1. Post. cap. 18. absolutè censet, esse propositiones per accidens, licet impropriè dicantur per se. Et sic exponit seipsum quando in tertio capite dixerat, quòd ista propositio erat per se, quia subiectum est pars definitionis accidentis, siue in recto, siue in obliquo. *Alij dicunt*, subiectum prædicari per se primo modo de accidenti non absolutè, sed per additamentum & extrinsecè, eò quòd à subiecto pendet quidditas talis accidentis, vt ab extrinseco, & sic eo modo, quo pertinet ad definitionem prædicabitur per se primo modo. Vnde Aristoteles inter exempla primi modi per se ponit triangulum, qui constat ex lineis, & lineam, quæ constat ex punctis: punctum autem non prædicatur de linea, nisi in obliquo, sicut terminus de relatione, & obiectum de potentia. Et quando Aristoteles dicit subiectum prædicari per accidens de forma accidentali, intelligitur *per accidens*, id est, *per aliud*, non per accidens, id est, accidentaliter, vt cùm simum dicitur nasus, conuenit ei nasus per aliud, id est, per hominem, quia est subiectum illius. *Vel melius dicitur*, quòd Aristoteles non loquitur de subiecto proprio, sed alieno & communi, quod respectu accidentis facit propositionem accidentalem. Et hoc in litera Philosophi certum est, vt patet in hoc primo lib. cap. 18 lect. 33. apud D. Thom. vbi Aristoteles ponit exemplum, vt quando dicitur album est lignum; non est autem simile, quando proprium subiectum dicitur de passione propter connexionem necessariam inter illa. *Et hæc vltima solutio satis probabilis apparet, licet prima non careat probabilitate*. Et ita *dicitur ad argumentum*, quòd Aristoteles in secundo modo per se, posuit illas propositiones, in quibus prædicatum est propria passio de proprio subiecto, quia tale subiectum est de ratione prædicati. Si tamen subiectum cui conuenit propria passio prædicetur de ipsamet passione, non dixit Philosophus pertinere ad secundum modum.

Ad secundum dicitur, prædicationes indirectas non ex eo præcisè, quia indirectæ sunt excludi à secundo modo per se, vt aliqui putant, eò quòd propositio indirecta non est de omni, quod requiritur vt aliqua propositio sit per se. Cæterùm hoc instatur in illis directis, in quibus subiectum conuertitur cum prædicato, & sic omni subiecto prædicatum conuenit, vt cùm dicitur risibile est homo, rationale est homo.

Et ideò dicendum est; quòd in istis indirectis aliquando fit propositio identicè essentialis, vt cùm dicitur rationale est homo, & tunc identicè etiam pertinet ad primum modum, quia vnum extremum pertinet ad essentiam alterius identicè: aliquando verò faciunt propositionem contingentem, vt cùm dico animal est homo, & tunc non est in aliquo modo per se, nec de omni, quia est contingens: aliquando verò prædicatur subiectum de passione propria, vt risibile est homo, & tunc est in primo modo per se, quia prædicatum *homo* pertinet ad definitionem, & quidditatem risibilis saltem per additamentum, sicut subiectum ponitur in definitione accidentis, vt dicitur 7. Met. & eodem modo quando correlatiuum prædicatur de correlatiuo in obliquo, vt cùm dicitur Pater est filij Pater, etiam ad primum modum per se in obliquo, & per additamentum, quia sic pertinet ad eius definitionem. Hæc verò propositio, animal est rationale, vel irrationale, ratione disiunctiui est necessaria, & de omni, reducitúrque ad secundum modum per se, quia licet rationale & irrationale sint differentiæ contrahentes, tamen illud disiunctum habet se, vt propria passio, quia proprium est animalis, & per se, quod aliquo illius disiuncti contrahatur.

Ad tertium respondetur. Quòd accidentia communia, si possunt reduci ad subiectum proprium, vt calor ad ignem, frigus ad aquam, tunc definiuntur,

vt

vt propriæ passiones per talia subiecta in primo modo per se per additamentum, vt explicatum est. Si verò non sint reducibilia ad aliquod subiectum proprium, tunc non definientur per tale subiectum, quantùm est ex ratione suæ speciei, quia ab illo subiecto speciem non habent; inhærentia tamen talis accidentis, seu accidens, vt capax inhærendi per subiectum definietur, quia aptitudo ad inhærendum essentialis est accidenti, sed genericè, non specificè.

Ad quartum Respondetur, prædicatum per se quarto modo posse esse accidentale in prædicando, sed est per se in causando, & ita calidum calefacit dicit prædicationem quinti prædicabilis, sed causalitatem per se.

Circa prædicatum, quod vocatur *secundum quod ipsum*, vel prædicatum vniuersale; *Notandum est* ex D. Thom. 1. Post. lect. 11. quòd non dicitur prædicatum vniuersale eo modo, quo quinque prædicabilia dicuntur vniuersalia prædicando, sed secundùm quandam totalitatem, & adæquationem, quatenùs nec subiectum sine ipso, nec ipsum sine subiecto inuenitur, quod est dici ad conuertentiam: potest enim aliquid vniuersaliter prædicari, non tamen secundùm quod ipsum, vt cum dicitur omnis lapis est coloratus, prædicatio est vniuersalis, sed non est secundum quod ipsum, quia non in quantum lapis coloratus est, sed in quantum mixtum, quare ad prædicatum vniuersale, vel secundùm quod ipsum requiruntur tres conditiones. *Prima*, vt sit de omni, id est, vniuersaliter dicatur. *Secunda*, vt sit per se, primo vel secundo modo; id est, necessariò conueniens. *Tertia*, vt dicatur ad conuertentiam, seu in quantum tale. Qua ratione vltima differentia, & propria eius passio conueniunt per se primò, & secundùm quod ipsum vt homo est rationalis, vel risibilis, per se primò, & ratione ipsius hominis conuenit: si verò dicatur homo est animal, vel sensibilis, non conuenit per se primò, licèt essentialiter conueniat, quia etiam conuenit aliis, & consequenter ratione naturæ communis, non ad conuertentiam, sed secundùm quod ipsum. Et sic definitur hoc prædicatum, quod *dicitur de omni, & per se, & hoc quo ipsum est*: per se inquam in primo vel secundo modo perseitatis, qui solùm sunt modi prædicationis. Itaque de omni, & per se, & secundùm quod ipsum se habent, vt superius, & inferius, nam omne prædicatum secundùm quod ipsum est per se, sed non è contra; omne per se est de omni, sed non è conuerso.

QVÆSTIO XXV.

De Demonstratione.

EX præmissis per formam syllogisticam dispositis in materia necessaria fit demonstratio, de qua præcipuè agitur in isto opere, & ideò explicatis præmissis, sequitur agere de demonstratione, in qua tria possumus considerare. Primum *est definitio, seu essentia illius*, Secundum, *materia ex qua constat, & circam quam versatur.* Tertium, *diuisio eius in demonstrationem*, quia, & propter quid. *Nam de illius effectu, qui est scientia, agemus.* Quæstione sequenti.

ARTICVLVS I.

Vtrùm rectè sit definita Demonstratio ab Aristotele?

D*Vpliciter definitur ab Aristotele Demonstratio. Primò* ex ordine ad effectum, quem causat, qui etiam est finis eius. *Secundò*, ex ordine ad materiam, ex qua constat. Et ita prima definitio est secundùm ordinem causandi. Secunda in quantum est causata ex suis principiis. Prima definitio est, Demonstratio est *syllogismus efficiens scire*; scire autem est, *Cognoscere causam, ob quam res est illius causam esse, & fieri non posse, vt aliter res se habeat.* Secunda, *Demonstratio est syllogismus constans ex veris primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis.*

Circa primam definitionem aduerte tres particulas. Prima est ly *Syllogismus*. Secunda ly *Efficiens*. Tertia ly *Scire*. Dicitur *Syllogismus* ad declarandum, quam formam argumentationis exigat demonstratio, scilic. syllogisticam; enthymema enim nisi subintelligatur propositio, quæ illi deest, & reducatur ad formam syllogismi non habet sufficientem dispositionem, vt generet scientiam, quia in vna tantum præmissa medium non applicatur, vel explicatur, vt actualiter conueniat extremis, sine qua applicatione non fit euidens illatio, quia vniuntur inter se extrema; & ita si concludit enthymema est in virtute syllogismi ad quem reducitur. Quia verò non sufficit explicare rationem syllogismi ex parte formæ, nisi etiam explicetur ex parte materiæ, quæ debet importare necessariam connexionem, vt demonstrationi deseruiat, ideò talis materia explicatur in hac definitione, per effectum, quem habet, scil. generare scientiam; sicut in sequenti definitione, per intrinsecas conditiones quibus constat.

Secunda verò particula est ly *Efficere*? vbi difficultas est, quo genere causæ demonstratio dicatur efficere scientiam; *Sed breuiter respondetur.* Quod vel loquimur de scientia actuali, seu de assensu scientifico, qui est ipsum scire; vel de habituali, id est, habitu scientifico, qui producitur ex actuali scientia. Si primo modo loquamur, non tota demonstratio, sed præmissæ conuenienter dispositæ & admissæ sunt causa scientiæ, nam demonstratio integra, prout includit præmissas, & conclusionem, includit assensum scientificum ex parte conclusionis, & causam talis assensus ex parte præmissarum. Præmissæ autem influunt in conclusionem, sicut dictum est præcedenti quæst. art. 3. effectiuè, & formaliter; effectiuè quidem ipsi assensus præmissarum, qui sunt formales notitiæ, seu conceptus, quibus actuatur intellectus ad inferendum conclusionem; formaliter autem ipsa obiecta, seu res cognitæ, quæ istis notitiis repræsentantur, ipsasque præmissas formales specificant, & quia veritas, & obiecta principiorum virtualiter continent veritates illatas, virtualiter etiam, & mediatè specificant assensum conclusionis, qui explicitè, & formaliter tendit in ipsam veritatem conclusionis. Si verò loquamur secundo modo de efficientia habitualis

tualis scientiæ, dicendum est generari ab ipsa demonstratione, non solùm ratione præmissarum, sed etiam ab assensu conclusionis, constat enim habitus generari, & acquiri per actus similes ad quos inclinant; inclinat autem habitus scientiæ ad assensum circa conclusionem, ex præmissis: ergo per similem actum effectiuè generatur; sed de generatione habituum latiùs in Metaph. & in lib. de Anima, & videri etiam potest 12. quæst. 51.

Tertia denique particula est ly *scire* cum dicitur demonstratio est syllogismus faciens scire, & communiter intelligitur de scientia *propter quid* & hoc conformiter ad mentem Arist. qui definiendo demonstrationem, subiicit definitionem ipsius scire propter quid, dum inquit; *scire autem est cognoscere causam ob quam res est, &c.* absolutè tamē verum est etiam, quod demonstratio *quia* efficit scire scientiâ *quia*, & ita facilè vtrique demonstrationi accommodari potest definitio. Quid sit autem scientia propter quid, & quia infr. dicemus art. 4.

Circa secundam definitionem demonstrationis aduertendum est, illam tradi penes propositiones, ex quibus formatur, vel formari debet syllogismus demonstratiuus explicando conditiones, quæ requiruntur in præmissis, vt formetur vera demonstratio ex illis. Dicitur ergo demonstratio, *Quæ est ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis.* Aliqui loco illius particulæ *est* ponunt *procedit*. Et inueniunt mysterium in ly *procedit*, quod denotat discursum. Sed Philos. non posuit verbum *procedit*, sed verbum *est*, siue *constat*, & vtrumque verum est, & quod procedit quantum ad conclusionem illatam, & quod constat ex præmissis, & conclusione, quia totus integer syllogismus habet illas, vt partes sui. Igitur tres priores particulæ definitionis manifestant conditiones præmissarum, quasi absolutas; tres reliquę quasi comparatiuas tam in ordine ad conclusionem, quàm ad alias propositiones.

Prima ergo particula est *ex veris*, quia licet possit verum concludi ex falso ratione formæ, & supposita concessione præmissarum, tamen scientificè probari non potest ex falso verum, quia probatio dat certitudinem & euidentiam, quam falsitas præbere non potest veritati. Dicitur *ex primis, & immediatis*, id est, ex per se notis, quæ non per aliud medium demonstrantur, vt explicat D. Thom. 1. Post. lectione 4. Et dicuntur primæ respectu earum, quæ per illas probantur; immediatæ verò, quia carent medio demonstrante illas, vt dicit Sanct. Doctor. Itaque non sunt superfluæ illæ duæ particulæ, sed explicant diuersas formalitates, scil. propositionem non esse demonstratam ab alio, quod est carere medio, & esse aptam demonstrare alia, seu primatum inter alia tenere, quod est esse primam. Quid sit autem propositio per se nota, & immediata diximus præced. quæstion. articul. 4.

Adduntur in definitione tres vltimæ particulæ *ex prioribus, notioribus, causisque conclusionis*; in quibus particulis explicat Philosoph. præmissas comparatiuè, seu applicatiuè ad conclusionem; comparando autem præmissas ad conclusionem oportet quòd medium, quo præmissæ connectuntur, & manifestant illam, sit causa conclusionis saltem in cognoscendo, & consequenter præmissæ habeant prioritatem respectu conclusionis eo modo, quo habent causalitatem ad illam. Denique debent esse notiora, quia cum causent manifestationem, & notitiam conclusionis per hoc quod ipsa principia nota sint, necessariò consequitur quod debeant esse notiora, quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Circa istas tamen conditiones demonstrationis, quæ hac definitione explicantur, *occurrunt aliqua breuiter resoluenda. Primum*, an ita sit quod omnis demonstratio debeat constare ex præmissis per se notis, & medio probatiuo vacantibus, an sufficiat, quòd demonstratio resoluatur in præmissas euidentes quidem, sed ex aliis probatas, & non per se immediatè notas.

Respondet. hoc secundum sufficere, & ita omnis demonstratio constabit ex primis, & immediatis, vel formaliter in se, vel virtualiter, quia ex talibus per se, & formaliter deducitur, & sic mediatè, & virtualiter fit ex primis, & immediatis, quia vltimatè in illa resoluitur, sufficit autem, quod demonstratio constet ex propositionibus, quæ resolui possunt in propositiones per se notas. Quod etiam docet D. Thom. 1. Post. lect. 4. §. Ostendit, &c. & manifestum id fit, quando post demonstratam primam vel secundam conclusionem in aliqua scientia procedimus ad tertiam, vel quartam, vel decimam, quæ ita probantur per suas præmissas, quod tales præmissæ dependent à prioribus conclusionibus, vel à primis principiis.

Secundò inquires. Quomodò intelligendum sit, quòd demonstratio procedit ex causis conclusionis; nam demonstratio *quia* procedit ex effectibus, vel causis remotis; demonstratio autem propter quid non semper procedit ex causis, quæ veræ causæ sint, vt quando vnum attributum in Deo probatur ex alio, & passiones entis de ente, vbi non interuenit vera causalitas. E contrà autem prima passio causatur ab essentia, & tamen non demonstratur per illam, quia non datur aliquod medium inter essentiam, & primam passionem.

Respondet. in hac definitione principaliter definiri demonstrationem *propter quid*, licèt adaptari possit demonstrationi *quia*, vt diximus accipiendo causas conclusionis non pro causis in essendo, sed in cognoscendo, & quoad nos. Quod verò additur de demonstrationibus propter quid, *respondetur*, non requiri, quod semper procedant ex causa, quæ formaliter sit causa, & physicè, sed sufficit, quod virtualiter, vel metaphysicè, ita quod vnum se habeat, vt ratio alterius, etsi non sit causans alterum, sicut immutabilitas est ratio æternitatis, & perfectio bonitatis, &c. Quod verò dicitur de prima passione respectu essentiæ, *Respondet.* illam quidem causari, & dimanare ab essentia, sed quia essentia est subiectum, de quo debet demonstrari; non potest demonstrari de ipsa essentia, nisi per ipsammet essentiam. Vnde in re caret medio per quod demonstratur, quia est idem cum subiecto, accipitur tamen à nobis definitio essentiæ, quasi medium demonstrationis non re, sed ratione distinctum.

Tertiò dubitatur, cur dicitur in definitione, quod præmissæ sint notiores, quàm conclusio; videtur enim hoc non benè dici, nam inprimis non sunt notiores, quia veriores, cum veritas consistat in diuisibili. *Secundò*, non dicuntur notiores, quia certiores, nam præmissæ sunt causæ naturales modo naturali influentes in conclusionem, ergo totam suam certitudinem ei præstare possunt, præsertim quando conclusio non differt in re à præmissis, sed ratione. Imò si intellectus magis se applicet ad attendendum notitiæ conclusionis, quàm præmissarum, maiorem ei communicabit certitudinem. *Tertiò*, in conclusione Theologica ex vna præmissa de fide altera naturali, conclusio illata est certior præmissa naturali, & sic potest conclusio aliquam præmissam vincere incertitudine, poterit ergo aliquando vincere vtramque.

Quartò, quia fundamentum ad asserendum, quod principium est notius non est firmum, *est enim duplex*

fun

fundamentum; *alterum* illud Axioma Arist. *Propter quod vnumquodque tale*, *&c.* quod tamen patitur multas instantias: non enim valet, si dicas, lapis est albus propter albedinem, ergo albedo est magis alba; sanguis funditur propter sanitatem, ergo sanitas magis funditur; homo intelligit propter species & habitus, ergo species magis intelligunt. *Secundum fundamentum est*, quia præmissæ sunt causæ æquiuocæ conclusionis, causa autem æquiuoca est nobilior suo effectu; hoc autem instatur in causis æquiuocis instrumentalibus, quæ non sunt perfectiores suo effectu, sicut semen non est perfectius viuente producto, neque calor igne, præmissæ autem sunt instrumenta intellectus, qui est principale agens producens conclusionem.

Respondet. necessariò præmissas debere esse notiores, quia si essent æquè notæ, vel minus, quàm conclusio nullo modo per illas conclusio probaretur. Et *ratio est manifesta*, quia præmissæ, aut sunt indemonstrabiles, & ex terminis per se notæ, aut ex aliis prioribus demonstrabiles. Si hoc secundo modo se habent prius sunt demonstrabiles, quàm conclusiones ex ipsis deductæ, & consequenter prius notæ, & à paucioribus consequentiis dependentes, & paucioribus mediis indigentes, & consequenter notiores, vtpotè independentiores in ipsa veritate. Si primo modo manifestum est, quod sunt notiores (vtpotè ex terminis notæ) quam conclusiones ex illis deductæ, & ab illis participantes euidentiam.

Ad primum ergo in oppositum dicitur, veritas sumitur dupliciter. Vno modo vt tenet se ex parte termini, quem tangit, scil. esse, vel non esse, ad quem habet adæquationem, alio modo ex parte fundamenti, & modi fundandi talem adæquationem, quæ in aliquibus est immutabilior, vel mutabilior, quàm in aliis, & sic fundat certitudinem, & firmitatem veritatis, potius quàm veritatem ipsam. Primo ergo modo veritas consistit in indiuisibili, licet falsitas, quia sumitur per recessum à termino veritatis latitudinem admittat, & vna sit maior altera, vt docet D. Thom. 3. cont. Gent. c.139. ipsa autem veritas tangit terminum indiuisibilem, scil. esse, vel non esse, non in fieri, sed vt in termino, & in facto esse, quia tãgit esse vel non esse vt in re, falsitas verò recedendo ab esse, & tendendo ad oppositum, in qua tendentia potest esse magis vel minus, sicut in peccato. Et non est simile de bonitate morali, cuius adæquatio non est ad regulam indiuisibilem, & in facto esse, sed ad conuenientiam rationis, quæ est medium prudentiæ, & admittit latitudinem, vtpotè non determinatis regulis alligata, sicut ars, sed iuxta circunstantias arbitrariè. Vnde veritas speculatiua regulatur penes esse, vel non esse rei in se, practica verò, penes conuenientiam, vel disconuenientiam ad rationem, & prudentiam. Quando autem dicit Diu. Thom. 1. part. quæstion. 17. articul. 4. quòd veritas, & falsitas dicunt contrarietatem inter se, loquitur de veritate, & falsitate ex parte iudiciorum, seu actuum intellectus, non ex parte termini, ad quem est adæquatio veritatis. Et Philosoph. in 4. Metaphysic. text. 8. lectione 6. apud Diuum Thomam, non dixit prima principia esse verissima, sed certissima, seu firmissima. Et hoc modo ex parte fundamenti, seu firmitatis, & modi fundandi, veritas suscipit magis, & minus, quia firmior, & immutabilior est connexio extremorum in hac propositione *Deus est*, quàm in hac *homo sedet*, vel *nix est alba*, *&c.* Et sic etiam præmissæ sunt veriores, id est certiores conclusione, quia ab illis veritatem participat.

Ad secundum Respondetur. Causam naturalem omninò vniuocam, & eiusdem rationis, totam suam perfectionem communicare posse effectui, nõ verò æquiuocam, vt sunt præmissæ ad conclusionem, & licèt conclusio identificetur aliquando cum præmissis ex parte rei cognitæ, quantum ad entitatem, & sic sit eiusdem certitudinis identicè, tamen in ratione veritatis est diuersa, & quia vna se habet, vt illata, & illuminata, alia vt illuminans, hæc saltem quoad nos debet esse notior. Neque hoc consistit in maiori intensione intellectus, id enim deseruire poterit ad maiorem adhæsionem actualem ex parte cognoscentis, non ad firmitatem ex parte rei cognitæ, id est immutabilitatem maiorem desumptam ab obiecto.

Ad tertium Respondet. In discursu Theologico conclusionem non esse notiorem præmissa naturali quoad euidentiam, sed quoad certitudinem, si præmissa naturalis seorsim consideretur, si tamen consideretur, vt eleuata, & coniuncta præmissæ de fide, sic illa coniunctio præmissarum est certior conclusione illata, comparatio autem inter conclusionem, & præmissam non debet fieri respectu vnius præmissæ tantũ solitariè sumptæ, sed vt præmissa est formaliter, id est, coniuncta alteri præmissæ, vnde desumitur tota, & integra ratio inferendi, & sic est certior conclusione Theologica præmissa naturalis, vt coniuncta præmissæ de fide, secundùm se tantum.

Ad quartum Respondet. Vtrumque fundamentum esse solidum. Et *quoad primum* illud axioma Aristot. verissimum est, cum debitis conditionibus intellectum, quas diuersis locis tractat D. Thom. vt in 1. p. quæst. 87. artic. 2. ad 3. & in 1. dist. 12. quæst. 1. artic. 2. ad 2. & 2. Met. lect. 2. & 1. Post. lect. 6. In summa, reducitur veritas eius ad tres conditiones. *Prima*, quòd distinguantur causa, & effectus, nec sit eadem forma vtriusque. *Secunda*, quod effectus, & causæ communicent in eadem denominatione, & dicatur vnum esse tale propter aliud, non quomodocumque, sed quia aliud etiam est tale, ita quod ex denominatione vnius nascatur denominatio alterius. *Tertia*, vt illa ratio, in qua communicant causa, & effectus suscipiat magis, ac minus. Et sic defectu secundæ conditionis deficiunt instantiæ adductæ, & aliæ similes, quia non communicant in eadem ratione, & denominatione; nec enim albedo est alba, neque sanitas funditur, nec species intelligunt; defectu verò primæ conditionis non valet, filius spirat Spiritum sanctum propter Patrem, à quo id accipit: ergo Pater magis spirat: quia per eandem formam spiratiuam vterque spirat. Et similiter ista non valet, animal est risibile propter hominem: ergo homo est magis risibilis, quia est idem risibile vtriusque hæc tamen valebit, Luna est lucida, quia Sol est lucidus: ergo Sol est magis lucidus; quia non tantum propter Solem, sed etiam propter lucem Solis Luna lucet; ita quod ipsa ratio, seu denominatio, in qua communicant causa, & effectus est causa, quod aliquid sit tale, vt benè Caiet. notat in exposit. huius cap. 2.

Quoad aliud verò principium, quòd præmissæ sunt causæ æquiuocæ. *Respond.* verè esse æquiuocas causas, neque esse purè instrumentales, sed in suo genere principales scilicet in ordine ad illuminandum conclusionem, licèt vt motæ à potentia intellectiua respectu cuius se habent, vt instrumentum, sicut cœlum respectu Angeli instrumentum dicitur, & tamen absolutè cœlum motum est causa principalis respectu inferiorum, & similiter omnis potentia, & virtus rei dicitur instrumentum eius; non tamen est propriè instrumentum, sed forma agendi alioquin omnis habitus superueniens intellectui dicendus esset instrumentum, quod tamen propriè non dicitur, quia propriè se habet, vt forma agendi ipsi agenti

agenti principali; causa autem purè instrumentalis supponit causam principalem esse perfectam in actu, nec ipsam actuat, & perficit, sed illi deseruit, & ministrat. Si verò causam ipsam perficit, & actuat vt agat, licèt determinando, & complendo, ad causam principalem pertinet. Sed habet quandam similitudinem instrumenti, quatenus est virtus adueniens causæ principali, eique subordinata; & hoc modo præmissæ se habent ad intellectum tanquam ratio, & lux determinans indifferentiam eius ad illuminandam, & inferendam conclusionem.

ARTICVLVS II.

Quid requiratur, vt aliqua propositio sit demonstrabilis?

PRopositio demonstrabilis duas habet conditiones. *Prima*, quod versetur circa materiam necessariam. *Secunda*, quod per aliquod medium probetur, & illuminetur; & ratione necessitatis opponitur opinioni; ratione medij opponitur propositioni per se notæ, id est, carenti medio, & sic ad discernendum propositiones demonstrabiles à non demonstrabilibus ista duo oportet explicare scil. quomodo exigat materiam necessariam, & quæ sint propositiones per se notæ.

Circa primum, Certum est apud Aristotel. in hoc 1. lib. cap. 6. & 7. demonstrationem debere esse & necessariis, & per se. Sunt tamen quidam recentiores, *qui existimant*, quod potest esse vera demonstratio etiam circa materiam contingentem, vt indicat Vazq. 1. part. disput. 4. cap. 7. Et Cabero hîc disput. 2. dub. 3. sed solum requirunt, quòd actus sint certi, & euidentes. Vnde in demonstratione imperfecta qualis est à posteriori poterit dari scientia de contingentibus, nam hic syllogismus, omne animal dum currit calefit, Petrus currit, & est animal, ergo calefit, non est probabilis, neque erroneus: ergo demonstratiuus. Et *hoc confirmari potest* in Physica, quæ est vera scientia, & tamen agit de multis contingentibus, vt quod in æstate fit calor, in hyeme frigus, &c. quæ aliter accidere possunt.

Denique confirmatur in Theologia, quæ habet pro conclusionibus multa contingentia, quæ deducuntur ex duabus propositionibus de fide, vel altera saltem naturali, & tamen est simpliciter certa, & infallibilis scientia. Et similiter ipsa fides Diuina ex parte materialis obiecti multa contingentia attingit, & credit, & tamen est infallibilis.

Quòd si dicatur id habere fidem ratione testimonij Diuini, cui formaliter innititur, non ratione obiecti materialis, hoc ipsum dicemus de scientia, quod ratione suæ formalis rationis, & actus erit certa, & infallibilis, sed non habebit pro obiecto materiali aliquid necessarium.

Sed hæc nihil obstant assertioni nostræ, licèt ex secundo argumento moti fuerint aliqui antiqui Philosophi ad negandum dari veram scientiam inter quos fuerunt Academici, & idem senserunt Heraclitus, & Cratillus, quibus ex parte adhæsit Plato sentiens de rebus corruptibilibus non dari scientiam, vt tamen illam non negaret omnino posuit ideas separatas, de quibus esset scientia, vt ex D. Thom. supra retulimus, quæst. 3. art. 2. Quod ergo scientia debeat versare circa obiectum necessarium *inde constat*, quia assensus scientificus debet esse certus & firmus circa conclusiones illatas, alioquin non esset scientia sed opinio, neque esset virtus intellectualis, vtpote imperfecta, & infirma; virtus autem debet esse dispositio perfecti; non potest autem haberi certus, & firmus assensus, si connexio non sit necessaria, sed contingens, siquidem assensus debet esse firmus in veritate, quæ est conformitas ad esse vel non esse; si ergo certo, & firmiter dicit hoc esse, vel non esse, & in re contingenter est, potest ergo in re mutari, & tunc vel mutatur assensus, vel non mutari, si mutatur iam non manet talis scientia, sed opposita, si non mutatur, falsificatur, quia aliter est in re, quàm in assensu, ergo repugnat quod assensus firmus & certus scientiæ, versetur circa obiectum contingens.

Ad primum ergo Respond. quod nec in scientia à priori, nec à posteriori potest dari actus certus & euidens circa materiam contingentem, & in illo syllogismo allato manifestum est, quod non est demonstratiuus, sed probabilis, quia illa minor *Petrus est animal, & currit*, pro illa parte, *& currit*, non est certa, sed contingens, & ita infert conclusionem probabilem. In Philosophia autem sunt demonstrationes de rebus, quæ aliter possunt contingere, non tamen secundùm connexionem contingentem, sed necessariam. Verbi gratiâ, quod in hyeme sint pluuiæ, contingens est quantum ad euentum, est tamen infallibilis, & necessaria connexio, quod in illo tempore sint connaturales, & debitæ, vt in plurimum, & hoc omnino necessarium est.

Ad confirm. Respondet. Theologiam non inniti ipsis connexionibus, seu veritatibus rerum secundùm se, sed vt subsunt virtuali reuelationi, & lumini superiori; licèt autem res secundum se habeant connexionem contingentem, respectu tamen Dei, & vt subsunt eius scientiæ addunt connexionem infallibilem, Theologia autem nostra subalternatur scientiæ Diuinæ, & supponit sua principia ibi euidenter esse cognita, atque adeo ibi considerari secundum connexiones infallibiles, & immutabiles; vnde Theologia formaliter loquendo non versatur circa connexiones contingentes, sed circa infallibiles præsuppositiuè, id est, quatenus in scientia Diuina præsupponit illas euidentes probatas, & infallibiliter participatas, licèt respectiuè ad causas proximas, contingenter se habeant, vt docet D. Thom. 1. p. qu. 14. art. 13. & ibi latius explicari solet. De subalternatione autem Theologiæ ad scientiam Diuinam aliqua attingemus *seq. qu.*

Ad id quod additur de fide respondetur eodem modo, quod fides non habet infallibilitatem ab ipsis rebus, sed à testimonio Diuino, vt doceri solet 22. quæstione prima. Ad *replicam verò dicitur*, esse disparem rationem inter fidem, & scientiam, quia scientia accipitur ab ipsis rebus, & ex vna veritate illuminat aliam, & ideò si veritas firma, & immutabilis non sit, nec illuminatio erit firma, & certa; & ideò benè deducitur ex contingentia obiecti, & connexione non necessaria, formalis ratio contingens, & fallibilis; at verò fides non sumit suam rationem formalem ex connexione rerum; sed ex testimonio Diuino, quod extrinsecum quidem est rebus ipsis, sed in se certissimum, & infallibile, & ideò potest circa res contingenter versari.

Ex his sequitur, quomodò demonstrationi competant aliæ conditiones ex parte obiecti demonstrati, scil. quòd sit de vniuersalibus, & perpetuis, & ex propriis principiis. *Debet quidem esse de perpetuis* non positiuè in existendo, sed obiectiuè fundando veritatem non dependentem à connexione mutabili. *Debet etiam esse de vniuersalibus*, quia scientia est de necessariis: connexio autem necessaria solum inuenitur inter prædicata essentialia, & inter subiectū,

&

& passiones. Et prædicata quidem essentialia pertinent ad definitionem rei; definitio autem non datur de singularibus, vt singularia sunt, sed de ipsa essentia rei, quæ est communis, & pertinet ad speciem; propria autem passio dimanat à principiis essentiæ, non à principiis indiuiduationis, & sic connexio propriarum passionum non est cum singularibus vt singularia sunt.

Denique debet demonstratio procedere ex propriis, & non extraneis, quia debet procedere ex his quæ necessariò, & per se sunt connexa; repugnat autem quod aliquid sit per se connexum cum alio, & sit extraneum illi, quia nil est magis proprium, quàm id à quo aliquid per se dependet, & cum quo per se connexionem habet, id est intrinsecam. Quòd si in mathematicis aliquando fiunt demonstrationes secundum extrinseca, tamen ibi supponitur proportio, vel adaptatio vnius ad aliud omnino intrinseca, & sic ratione habitudinis inclusæ non proceditur omnino ab extraneis, licèt illa habitudo non sit effectus, vel causæ, sed proportionis. Quæ verò supernaturali lumine demonstrantur, licèt extrinsecum sit, tamen quia deriuatur à Deo, in quo dantur immutabiles, & infallibiles connexiones cum rebus quantumcunque contingentibus, ideò tandem resoluitur illa manifestatio in aliquid intrinsecum saltem ex parte habitudinis, quam omnes creaturæ dicunt ad primam causam, & ordinationem eius.

Circa secundum, quod in hoc articulo explicandum est, scil. quæ propositiones careant medio, & dicantur per se notæ, *duo videntur explicatione indigere. Primum*, an propositiones per se notæ debeant carere omni medio à priori, & intrinseco, an etiam medio extrinseco, & à posteriori. Et similiter, an licet careant medio in vna scientia, possint tamen probari per aliam, v. gr. per Metaphys. aut aliam scientiam superiorem. *Secundum* specialiter circa propositiones, in quibus prima passio prædicatur de subiecto, an sint indemonstrabiles simpliciter.

Ad primam difficultatem Respond. Ad propositionem per se notam absolutè loquendo sufficere, quod careat medio intrinseco; non autem quod etiam medio extrinseco careat, siuè per effectus siuè per causam extrinsecam efficientem, vel exemplarem, siuè per deductionem ad impossibile. *Et ratio est*, quia hoc ipso, quod aliquid vnitur alteri se ipso immediate, habet in se principium sufficiens vt cognitis, & penetratis terminis immediatè cognoscatur connexio extremorum, siquidem immediate vniuntur, & connectuntur; quidquid autem ex sola explicatione terminorum cognoscitur connecti cum altero, est obiectum propositionis per se notæ, scil. quæ ex explicatione terminorum cognoscibilis est: ergo nihil obstat mediũ extrinsecum, vt propositio sit per se nota, siquidem ex propriis, & ab intrinseco solum cognitis terminis cognoscibilis est, & ita secundum se dicetur per se nota, solum verò per accidens & quoad nos poterit dici nõ per se nota, si termini ipsi non communiter nobis innotescant. Et per ly *terminos* non intelligimus voces, & conceptus, sed res significatas vt significantur per illos, inquantum ex simplici explicatione earum sine probatione innotescit connexio extremorum. Et dico *simplici explicatione* propter cognitionem Angelicam, quæ quidem simplici intuitu penetrat, tam principia, quàm conclusiones; sed hoc ideo est, quia ille modus simplex propter sui eminentiam, est æquiualens nostro modo cognoscendi scientifico, & per discursum, vt autem propositio sit per se nota requiritur, quod sine aliquo modo probatiuo, & illatiuo, nec formaliter, nec virtualiter, sed ex simplici explicatione terminorum innotescat.

Ex quo colligitur, esse indemonstrabiles omnes propositiones, quæ continent aliquam definitionem, vel prædicatum essentiale, etiamsi non sint prima principia, quæ continent communissima prædicata, nam hoc ipso, quod aliquid connectitur immediate cum aliquo, & est de conceptu illius, solis terminis explicatis sine alio circuitu, vel medio probante, ipsa connexio extremorum cognoscibilis est de se loquendo.

Colligitur secundò, non repugnare quod propositiones per se notæ possint probari per medium extrinsecum, vel deductionem ad impossibile, hoc enim non opponitur immediatæ, & intrinsecæ connexioni prædicatorum, & hac ratione Metaph. explicat, & defendit omnia alia principia, non quidem ostensiuè, sed deducendo ad impossibile, & ad illud supremum principium. *Quodlibet est, vel non est.*

Dices, deductio ad impossibile æquiualet ostensioni veritatis, quia deductio ad impossibile ostendit falsitatem propositionis oppositæ, ergo & veritatem proprij principij. quod enim adstruit falsitatem seu impossibilitatem vnius, adstruit veritatem oppositi, cum non possit idem affirmari, & negari.

Respond. deductionem ad impossibile solum procedere, ex suppositione, quod negetur aliqua conclusio, & concedatur aliqua præmissa, & sic ex opposito conclusionis negatæ infertur oppositum concessæ; hoc autem non est ostendere veritatem ipsius conclusionis determinatè, & in se, sed ostendere, quod si negetur veritas propositionis illatæ tenetur aliquis concedere duo cõtradictoria in concessione præmissarum. Quomodo autem, & vnde habeat veritatem propositio illa, hoc non demonstrat.

Colligitur tertio, quod quando assumimus pro præmissis, seu principiis aliquid quod per aliam scientiam probatum est probatione intrinseca, sicut contingit in subalternata scientia respectu subalternantis: tunc illa non sunt principia simpliciter, sed conclusiones demonstratæ per aliam scientiam, quod non est simpliciter carere medio intrinseco, & à priori, sed illud ab ista scientia inferiori non attingi, sicut etiam in eadem scientia vna conclusio demonstrata potest assumi vt principium ad aliam conclusionem demonstrandam. Quomodo autem scientia subalternata vtatur principiis à subalternante probatis dicemus quæstione sequenti. Et sic intelligitur Philosoph. quando docet aliqua principia esse indemonstrabilia simpliciter, alia verò secundum quid, sunt enim simpliciter, quæ carent medio intrinseco, sunt verò secundùm quid quæ ab inferiori scientia non demonstrantur, sed à superiori, licèt etiam non repugnet propositiones simpliciter indemonstrabiles probari per aliquod medium extrinsecum. Et hinc est, quod aliquando in scientiis, à posteriori, vel per causas extrinsecas, demonstrantur earum subiecta, vel ex alia scientia cui subalternantur. Vnde ad scientiam solum pertinet præsupponere de suo subiecto *quid est*, quod est carere medio intrinseco pertinente ad quidditatem, non verò medio extrinseco, quod non pertinet ad *quid est*.

Dices. Quid si simul occurrat medium à posteriori demonstrans aliquam propositionem per se notam, & simul notitia eius ex terminis, quomodo se habebit intellectus? *Resp.* has duas notitias non repugnare simul in intellectu, quia sunt per diuersa media; sicut si per diuersas scientias aliquod obiectum cognosceretur; repugnare tamen, vt in eodem actu conueniant, quia vnus actus tantũ est vnus speciei, &

consequenter vnius medij,& vnius specificatiui;non est autem vnius specificatiui innotescere aliquid ex sola explicatione terminorum,& à posteriori per effectum; nam etiam notitia *propter quid, & quia* specie distinguatur,vt dicemus artic. 4. Nec potest aliqua species continere in se differentias specificas inferiores, nisi sit ordinis superioris, quod hîc non apparet interuenire.

Circa tertiam difficultatem solùm aduerte,quod prima passio dimanans ab aliquo subiecto, vel potest comparari ad ipsum subiectum realiter, & secundum se,vel ad definitionem eius, media qua nobis explicatur. Si comparetur ad subiectum secundum se, caret medio reali,quia inter ipsam, & subiectum non datur medium, sed non caret medio rationis, scil.definitione,quæ ratione distinguitur à subiecto, & mediante ipsa de illo probatur, sicut de homine, quod sit disciplinabilis,quia est animal rationale;si tamen comparetur cum ipsa definitione,cui immediatè connectitur reddit propositionem indemonstrabilem,id est medio vacantem.Nec obstat, quod dimanat ab essentia, & ita per ipsam essentiam innotescere potest, hoc enim habet immediatè,id est sine medio reali superaddito, sed per medium definitionis;definitio autem non distinguitur in re à definito,quod est non distingui medium à subiecto.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omnis demonstratio circularis sit vitiosa?

ARistot.refutans duos errores antiquorum,quorum vnus existimabat nullius rei dari scientiam,alter omnium dari scientiam,vt vtrumque excluderet,posuit dari propositiones per se notas,quæ non essent demonstrab les, nec scitæ, essent tamen principium sciendi,& illuminandi conclusiones demonstrabiles,& quod deueniendum sit ad tales propositiones resoluendo illas per processum directum *manifestè constat*, quia cum vnum demonstretur per aliud,& non possit dari pocessus in infinitum, oportet deuenire ad aliquod principium, quod careat alio priori,quo demonstretur, & tamen sit ratio,& principium demonstrandi alia, cum quibus habet necessariam connexionem,& tale principium vocatur per se notum,id est, ex sola explicatione terminorum,& propriè non est scitum tale principium,sed est principium sciendi. Et sic contradicit primo errori ostendendo,quod aliquorum datur scientia,deueniendo ad aliquid, quod non sit scitum,sed per se notum, quod plus est quam scitum,& consequenter etiam destruitur alius error contrarius,scilicet quod omnium datur scientia, cum deueniendum sit ad aliquod principium per se notum,de quo non datur scientia, sed ab ipso oritur scientia.

Sed tamen, quia respondebant Antiqui prima principia esse quidem indemonstrabilia secundum processum directum per aliam priorem causam,esse tamen demonstrabilia per circulum, id est, per ipsammet conclusionem, quam inferunt, ideò reiicit demonstrationem circularem tanquam vitiosam.Est autem circulus in demonstratione progressus quidam à principiis ad conclusiones,& regressus ab ipsis conclusionibus ad principia, & potest fieri talis processus dupliciter: vno modo regrediendo, ab eadem conclusione ad eadem principia, eadem, inquam, materialiter, sed non formaliter, id est, vt cognita per aliud formale medium, quam per ipsamet principia,vel secundò potest fieri iste processus ab eadem conclusione etiam formaliter sumpta, id est, vt cognita formaliter per eadem principia ad quæ fit regressus,& primus circulus vocatur difformis, quia diuerso medio proceditur à principiis ad conclusiones,& à conclusionibus ad principia: Secundus verò vocatur vniformis, quia sub vno, & eodem medio proceditur à principiis ad conclusiones, & à conclusionibus ad principia.

Dicendum est ergo,quòd Arist.solùm intendit reprobare circulum formalem, & vniformem, non autem difformem, & materialem, qui simpliciter non est circulus, nec vitiosus. *Et primum probatur*, quia si admittitur circulus formalis, & vniformis demonstrabitur idem per idem, & dicetur idem notius, & ignotius se ipso respectu eiusdem. Si enim probo hominem esse risibilem,quia est rationalis,& rursus si negatur esse rationalem, id probo,quia est risibilis:ergo in prima probatione rationale est notius risibili,& in secunda probatione risibile est notius rationali,siquidem id per quod aliquid probamus, debet esset notius eo, quod probatur. Quare idem erit notius & ignotius formaliter,& secundum idem medium respectu eiusdem, scilicet rationale respectu risibilis,& risibile respectu rationalis.

Quod secundum verò probatur.Quia circulus materialiter sumptus, tunc contingit quando regreditur à conclusione ad antecedens cognita conclusione per aliud medium, & tunc non probatur per idem, sed per aliud à quo notificata est illa cõclusio, & in illo genere, seu medio diuerso quo probatur, potest esse conclusio notior,quàm illud primum antecedens, à quo illata fuit & tunc conclusio licèt materialiter sit vna proposito,tamen cùm sit cognita duplici medio, consequenter pendet ex duplici antecedenti; & sic cum ex ipsa regredimur ad vnum antecedens, à quo probata est ex vi alterius probationis, non ab ipsa formaliter regredimur, sed ab illo alio antecedente,quo manifestata est.Et sic formaliter, & simpliciter nullus est circulus.

Ex his autem soluuntur aliquæ instantiæ, quæ in contrarium solent adduci,nam in causis datur perfectus circulus, quia causæ ad inuicem sunt causæ, vt dicitur 2.Physic.text.30.& 5.Metap.c.2. ergo etiam in demonstrationibus,siquidem per causas formantur. *Item* Philos. sæpè vtitur circulo, nam lib.2.Poster.c.13.docet posse demonstrari pluuiam,ex abundantia vaporum, & rursum abundantiam vaporum ex pluuia. Et in lib.2. de Cœlo ostendit cœlum habere partes anteriores, & posteriores, quia motus cœli incipit ab vna parte, & non ab alia, quod autem incipiat ab vna parte, & non ab alia ostendit, quia habet partes anteriores, & posteriores. *Et similiter* stellas esse immobiles per se, quia sunt sphæricæ figuræ,& rursus esse sphæricæ figuræ,quia sunt immobiles. *Et* in vniuersum Philosophi ex effectibus cæperunt causas cognoscere,postea ex causis eosdem effectus. *Denique* in probationibus dialecticis, potest admitti circulus, quia ibi probatio non fit per aliquid notius,& quod sit causa alterius. vnde idem est incipere à conclusione ad præmissas, vel à præmissis ad conclusionem. Idque videtur admittere Philos. 2. Poster. capit. 7. vbi concedit vnam definitionem demonstrari per aliam, à qua rursum demonstratur, quia inquit eas probationes esse dialecticas, non demonstratiuas.

Ad primum Respond.causas non habere circulum formaliter, sed materialiter, & in diuerso genere causandi.Neque enim est circulus,vbi est diuersa ratio dependentiæ,& consequenter diuersa ratio notificandi, aliter enim notificatur causa materialis,

per

per formalem, aliter formalis per materialem, & efficientem; & cum sint plures causæ, quàm duæ, potest notificari materialis per efficientem, & sic notificata manifestare formalem. Et rursus ipsa formalis, vt notificata per materialem notificare efficientem, & finalem; & sic è conuerso de quo in 2. Physic. latius dicetur.

Ad secundũ dicitur, illas demonstrationes non esse circulares formaliter, pluuia enim vt cognita per experientiam manifestat vapores, qui sunt causæ pluuiæ, & isti tanquam causa efficiens, demonstrant pluuiam. Ad litteram tamen Philos. non loquitur de eisdem vaporibus, & pluuia, sed respectu diuersorum; pluuia enim est causa vaporum, & vapores sunt causa non eiusdem, sed alterius pluuiæ.

Ad ea quæ adducuntur ex 2. de Cœlo *respondet* S. Thom. ibi lect. 7. & rursum lect. 16. quod Philos. non vtitur circulo formali sed materiali, & ab eadem re aliter cognita, & in diuerso genere causæ; sicut si probemus cor moueri per motum venæ pulsatilis, hoc pertinet ad quæstionem *an est*. Si autem quæratur, quæ sit causa motus venæ pulsatilis, quod pertinet ad quæst. *quid est*, debet hoc probari per ipsum cor tanquam per causam, sed hoc in diuerso genere causæ procedit, & supponendo aliam notitiam, verbi gratiâ, experimentalem, vel aliam similem in eo quod probatur quoad *an est*. Et sic Philos. quando probat stellas esse sphæricæ figuræ, quia non mouentur se ipsis, & rursus non moueri se ipsis, quia sunt figuræ sphæricæ: ideo est, quia supponit illam primam propositionem probatam per aliud medium, vt ibi inquit S. Thom. & idem est in aliis propositionibus. Et similiter Philos. ab effectibus cœperunt cognoscere causas quoad *an est*, deinde verò ex causis processerunt ad effectus, quoad propter quid.

Ad vltimum inconueniens Respond. Quod etiam in probabilibus non potest committi circulus formalis, quia licet non procedatur per causam intrinsecam; proceditur tamen à notiori probabiliter, ad ignotius etiam probabiliter. Vnde si hoc ignotum assumatur in eodem genere probationis, ad ostendendum, antecedens sumetur tanquam notius illo, & sic erit notius, & ignotius in eodem genere respectu eiusdem, quod eodem modo repugnat in probabilibus ac in aliis. Si verò conclusio probabilis ex alio capite videatur, quàm antecedens, iam non erit circulus formaliter & vniformiter, sicut de aliis probationibus dictum est. Et ad locum Philosoph. ex 2. Posterior. cap. 7. *Respon.* non probare circulum formalem in probationibus dialecticis, sed solum comparare probationem vnius definitionis per aliam modo probationis dialecticæ, quantum ad hoc, quod Dialecticus multiplicat media, quia probabiliter procedit, non autem vno tantum medio vtitur, sicut Demonstrator. Et ita se habet, qui definitionem aliàs ex terminis notam per aliam definitionem probat, & è conuerso.

ARTICVLVS IV.

Quid sit demonstratio. Quia, & propter quid, & an sit bona diuisio?

IN quæst. præcedenti art. 1. diximus quæstionem *an est*, solum respicere existentiam, vel possibilitatem, seu rem aliquam dari, non tamen causam, vel radicem propter quam detur; eodem modo in assignanda differentia demonstrationis *propter quid*, & *quia* procedendum est, nam præcipuè differunt in hoc, quod demonstratio *quia* solum intendit ostendere euidenter, quod aliquid sit verum, id est quod vere datur, non tractando, quomodo sit verum, seu causam propter quam detur, sed hanc inuestigat demonstratio *propter quid*.

Distinguit autem Philosophus has demonstrationes cap. 11. (aliàs 10.) tum respectu diuersarum scientiarum, tum respectu eiusdem, possunt enim vtrobique inueniri; in diuersis quidem scientiis, quia multæ scientiæ de aliqua re non cognoscunt causam, & radicem eius, sed tantum cognoscunt euidenter, quod talis res sit, siue sint scientiæ inter se disparatæ, siue vna subalternetur alteri, eo quod ad subalternantem spectat scire *propter quid*, ad subalternatam *quia*, quod commodius sequenti quæstione explicabimus tractando, quomodo differant scientia subalternans, & subalternata. In eadem autem scientia distinguit Philosoph. has demonstrationes ex diuerso modo procedendi, quia vt aduertit Diu. Tho. 1. Posterior. lection. 23. oportet quod demonstratio sit ex causis veris, & immediatis. Vnde contingit deficere à demonstratione *propter quid*, vel *quia* non proceditur ex causis, sed ex effectibus, vel quia non ex causis immediatis, & proximis, sed remotis, quæ non sunt determinata radix huius veritatis, vt si quis probaret lapidem non respirare, quia non est animal reddit causam remotam, quia aliqua sunt animalia, quæ non respirant: vnde præcipuè seruit ad demõstrationes negatiuas.

Ex quo obiter colligitur, aliquos minus aduertenter confundere demonstrationem *propter quid*, cum demonstratione à priori, & demonstrationem *quia*, cum demonstratione à posteriori. Quod non ita est, quia licet omnis demonstratio *propter quid* sit à priori, sed non è contra, & omnis demonstratio à posteriori est *quia*, sed non è contra. Nam demonstratio *quia* solum consistit in hoc quod ostendatur veritas, sed non radix illius propria, & immediata quod autem detur aliqua veritas, potest aliquando ostendi per aliquid posterius, scilicet per effectum; aliquando per aliquid prius, scilicet per causam remotam, aliquando per aliquid concomitans. Vnde non omnis demonstratio *quia* est solum à posteriori, id est, ex effectu, sed aliquando per aliquid prius, scilicet per causam remotam. At verò omnis demonstratio *propter quid* semper est à priori, quia semper est per causam, eámque proximam, & immediatam.

Duo ergo restant in præsenti explicanda. Primum an sit adæquata ista diuisio. *Secundum* qualis sit, an generis in species, vel analogi in analogata. *Circa primum*, dicendum est, *quod hæc diuisio est adæquata*, quæ est *sententia communis* licet Commentatori initio Phys. communiter tribuatur, quod alterum demonstrationis membrum addiderit, quod vocauit demonstrationem simpliciter, videlicet, quæ non solum demonstrat *propter quid*, sed etiam demonstrat rem esse. *Alij dicunt* demonstrationem à signo, nec esse *propter quid*, nec *quid*.

Nihilominus Assertio nostra probatur, quia ista diuisio traditur per membra immediatè opposita, quorum vnum infert contradictoriam negationẽ ad alterum; nam demonstratio *quia* est illa quæ tradit veritatem aliquam non ostendendo propriam, & peculiarem eius radicem, siue id fiat per causam remotam, siue per effectum, siue per aliquid aliud cum quo illa veritas habeat connexionem per se, licet ab illa non oriatur, demonstratio autem *propter quid* est illa, quæ ostendit veritatem aliquam secundum suam propriam causam, & radicem cognitam vt talem, ergo differunt istæ demonstrationes per

per immediatam oppoſitionem, & ſic adæquatè exhauriunt diuiſum, quod non contingit in demonſtratione à priori, & poſteriori, quia poteſt fieri demõſtratio per aliquid quod non ſit prius, nec poſterius, ſed concomitans, & quod eſt ſimul cum alio ſicut correlatiua ſunt ſimul, & per vnum demõſtratur aliud, vt ſi eſt Pater, ergo datur Filius, & tamen non ſe habent vt prius, & poſterius, & ſimiliter in Mathematicis frequẽter contingũt demonſtrationes fundatæ in aliqua proportione, vel correſpondentia inter lineas, vel alias figuras, ſine hoc quod interueniat ibi ratio cauſæ, vel effectus, & ad hoc etiam pertinent demonſtrationes, quæ deducuntur ex actibus cognitionis, vel viſionis, vt ſi dicas, *lapis videtur à me, ergo lapis eſt* & tamen lapidem eſſe viſum, nec eſt cauſa, nec effectus exiſtentiæ lapidis: an verò demonſtratio *propter quid*, & *quia*, poſſint in alia membra diuidi, vt videtur ſentire Commentator loco citato dicemus *in ſolutione vltimi argumenti.*

Sed petes, quid intelligamus nomine cauſæ remotæ, & cauſæ proximæ? *Reſpondetur* quod cauſa remota, vt ſumitur ex Mag. Soto in 1. Poſt. q. 5. & Caietano ſuper cap. 12. 1. Poſt. eſt illa quæ non conuertitur cum ſuo effectu, cauſa enim remota non niſi remotè influit in effectum, & ſic excedit illum, quando autem conuertitur cum effectu formaliter loquendo & per ſe, dicitur cauſa proxima, quod vero non conuertatur aliqua cauſa cum effectu formaliter, & proximè poteſt triplici modo conſiderari. *Primò*, quia licet cum effectu conuertatur, non tamen immediatè, ſed aliquid inter cauſam, & effectum debet mediare ſicut eſſentia conſiderata reſpectu tertiæ, & quartæ paſſionis quas cauſat mediante prima, vel ſecunda. *Secundò* per aliud extremum dicitur cauſa remota, quæ non conuertitur cum effectu, nec illum infert, aut infertur ex illo, licet quandoque talem effectum operetur, ſicut ſi dicas, quod aliquis habet febrem quia habet concitatum pulſum, aliquando enim, ſine febre datur pulſus concitatus, vt in currente. Aliquando è contra febris ſine concitatione pulſus, vt in moriente. *Tertiò denique* dicitur cauſa remota, quæ non adæquatè conuertitur cum effectu, eſt tamen cauſa ſufficiens ad inferendum negationem effectus, non autem ad poſitiuè ponendum illum, ſicut bene valet *non eſt animal, ergo non reſpirat* è contra tamen non valet, *eſt animal, ergo reſpirat*, & ita ly *animal* dicitur cauſa remota reſpirationis; & ad hoc pertinet illud exemplum, quod affert Philoſ. hic, de illo qui interrogatus an eſſent tibicines in Schytia, Reſpondit, ne quidem eſſe vires, quod fuit verè cauſa valde remota.

Circa qualitatem huius diuiſionis an ſit vniuoca, vel analoga? *Tota difficultas reducitur ad hoc* an vtraque demonſtratio cauſet ſcientiam ſimpliciter, an ſola demonſtratio *propter quid*. Videtur enim illi ſoli conuenire definitio ſupra tradita, quod ſcire eſt cognoſcere cauſam, ob quam res eſt illius cauſam eſſe, ergo illa demonſtratio, quæ non cognoſcit cauſam, ob quam res eſt ſimpliciter non facit ſcire, & ſic in ratione demonſtrationis ſcientificæ analogicè conuenit cum demonſtratione *propter quid*. Ex alia vero parte vniuocè videtur conuenire demonſtratio *quia*, *& propter quid*, ſiquidem demonſtratio *quia*, habet certitudinem, & euidentiam circa ſuum obiectum, ergo eodem modo opponitur opinioni ſicut ſcientia *propter quid*; opinio enim eſt incerta, & ineuidens, ergo habet ſubſtantiam, & eſſentiam ſcientiæ ſiquidem habet ſubſtantiam, & eſſentiam euidentiæ, & certitudinis, qua opponitur, & deſtruit opinionem, & ſic pertinet ad ſcientiam.

Nihilominùs dicendum eſt; *Demonſtrationem, vel ſcientiam* quia *intrinſecè, & ſubſtantialiter habere rationem demonſtrationis, quatenus habet certitudinem, & euidentiam, & ſic abſolutè eſſe vniuocè demonſtrationem ſecundùm modum formalem procedendi: ſed imperfectè participare rationem ſcientiæ*, quia non verſatur circa obiectum ſcientificum, quod eſt quidditas, & ea quæ ad quidditatem ſequuntur; ſed verſatur circa ipſum *an eſt* non attingendo radicem, & cauſam veritatis propter quam eſt. Quod ergo veram, & propriam demonſtrationem faciat ex parte certitudinis, & euidentiæ deducitur ex D. Th. 1. p. q. 2. a. 2. vbi probat dari demonſtrationẽ de hoc quod Deus ſit, licet procedamus per effectus, qui ſunt notiores quoad nos. *Et ratio eſt clara*, nam demonſtratio *quia* innititur connexioni neceſſariæ inter effectum, & cauſam, vel inter cauſam remotam, & effectum, ſicut per neceſſariam connexionem probatur omne, quod fit ab alio fieri, & non dari proceſſum in infinitum. Et ſimiliter in demonſtrationibus negatiuis ex negatione cauſæ remotæ benè infertur negatio effectus, licet non ex ſola poſitione, poſitio, ſicut benè valet non eſt animal, ergo non reſpirat, ſed non poſitiuè, eſt animal, ergo reſpirat. Eſt ergo demonſtratio *quia*, certa & euidens.

Quod verò ex parte obiecti, quod attingit, non ſit ſcientia perfecta *probatur*, quia non attingit *quod quid*, ſed *an eſt*, ſed quæſtio *an eſt*, præſupponitur ad ſcientiam, vnde nulla ſcientia poteſt miniſtrare principia ad probandum *an eſt* de ſuo ſubiecto, ſed debet ea præſupponere aliunde: ergo in demonſtratione *quia* neceſſario proceditur ex extraneis ab obiecto, licet non extraneis à connexione cum concluſione demonſtrata, & tamen ſcientia, quæ propriè, & perfectè eſt ſcientia, non procedit ex extraneis, vt probat Philoſ. 1. Poſter. c. 7. igitur demonſtratio *quia* ſolum verſatur circa præambula ad ſcientiam, non circa proprium obiectum ſcientiæ, quod eſt *quid*. Et hinc eſt, quòd ſcientia *quia* poteſt pertinere, & reduci ad eandem ſcientiam *propter quid*, & quamuis procedat ex principiis extraneis, & quantum ad hoc videatur eſſe diuerſæ ſpeciei; ſed tamen eſt diuerſæ ſpeciei imperfectè, & ſicut embrio quidam ſcientiæ, deſeruiens ſcientiæ principali miniſterialiter; verſatur enim circa præambula, & præſuppoſita ad ſcientiam, ſcil. circa quæſt. *an eſt*, quod melius explicabitur ſolut. ad vltimum. Quomodo autem conueniat ſcientiæ ſubalternatæ ſcire *quia*, & ſubalternanti ſcientiæ *propter quid*, ſeq. quæſt. explicabitur. *Et ex hoc manent ſolutæ rationes dubitandi à principio huius dubioli.*

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Contra *primam concluſionem arguitur*. Quia ex vna parte videntur dari plures demonſtrationes quam *propter quid*, & *quia*, & ex alia parte pauciores. Videntur quidem dari plures, nam in primis poteſt dari illa quam Commentat. primo Phyſicor. vocat demonſtrationem ſimpliciter, ſcil. quæ demonſtrat rem eſſe, & propter quid ſit, quæ ſimul eſt demonſtratio *propter quid*, & *quia*. *Item* demõſtratio per ſignum, neque demõſtrat per cauſam, neque per effectum ipſi rei adæquatum: ergo eſt alia tertia demonſtratio. *Item* demonſtratio deducens ad impoſſibile, & ſimiliter demonſtratio negatiua, in qua ſumitur pro medio aliqua negatio, neq; procedunt per cauſam, neque per effectum, cum negatio, & impoſſibile, neque ſint cauſa, neque effectus rei demonſtratæ. *Denique* demonſtratio in qua ex aliquo prædicato ſuperiori colligitur aliquid cõuenire inferiori nõ eſt

eſt *quia*, nec *propter quid*, vt in hoc ſyllogiſmo *omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia* vbi ly *animal*, neque eſt cauſa, neque effectus reſpectu ſubſtantiæ.

Ad primum exemplum reſpondet Caietan 1. Poſter. c. 13. quòd illa demonſtratio Commentatoris non eſt media inter demonſtrationẽ, *quia*, & *propter quid*, ſed ſubdiuidit demonſtrationem propter quid, quaſi dicatur, alia eſt demonſtratio *propter quid* tantum; alia, quæ demonſtrat *propter quid*, & ſimul quod res ſit. *Verius tamen videtur*, demonſtrationem *propter quid* ſemper includere demonſtrationem *quia* virtualiter, & eminenter. Qui enim demonſtrat cauſam veritatis à fortiori demonſtrat quòd detur talis veritas, è contra verò non; qui enim demonſtrat veritatem dari non continuo demonſtrat cauſam propter quam datur.

Ad ſecundum exemplum dicitur, quòd demonſtratio per ſignum de ſe ſolum probat rem eſſe, non autem oſtendit cauſam, & radicem eius, ſiue ſignum ſit effectus, ſiue cauſa remota, vel aliquid concomitans, & ita pertinet ad demonſtrationem *quia*.

Ad tertium reſpondetur. Quòd in primis demonſtratio de qua Philoſ. hîc agit poteſt dici, quòd ſolum eſt demonſtratio oſtenſiua, ſed tamẽ adhuc illa, quæ eſt ad impoſſibile reducitur ad demonſtrationem *propter quid*, vel *quia*. Nam ſi deducat ad impoſſibile per cauſas talis impoſſibilitatis, eſt *propter quid*, quæ verò deducit ad impoſſibile ex effectibus, eſt demonſtratio *quia*; vt ſi dicas, *ſi equus diſcurrit, ſequitur quòd ſit rationalis*: proceditur per effectus. Si autem dicas, *ſi lapis eſt viuens, ſequitur quòd ſe moueat*, eſt *propter quid*. De demonſtratione verò negatiua dicimus, quod etiam vna negatio poteſt eſſe cauſa negationis ſuo modo, ſicut bene valet, *non eſt animal, ergo non eſt rationale*. Et ſic quando affertur propria, & immediata cauſa negandi eſt, demonſtratio *propter quid*.

Ad quartum dicitur. Quòd illa demonſtratio, eſt demonſtratio *quia*, ſolum enim probat dari talem veritatem, non afferendo cauſam eius proximam & adæquatam, ſed identicam & remotam, non enim propria & vnica cauſa, quòd aliquid ſit ſubſtantia, eſt animal. Cæterùm quando proceditur ab vniuerſali ad ſingulare, vt ſi dicatur: omnis homo eſt riſibilis, ergo Petrus, vel illa non eſt demonſtratio propria, ſed explicatio partium contentarum in vniuerſali, vel ſi eſt demonſtratio eſt *propter quid*, tradit enim cauſam propter quam Petrus eſt riſibilis.

Secundo arguitur. Nam demonſtratio *quia*, quantumcunque certò, & euidenter procedat, non tamen quietat intellectum, ſed adhuc relinquit ſuſpenſum quouſque cauſam, & radicem veritatis ſciat, proprium autem ſcientiæ eſt quietare intellectum, & ita D.Th.1.Poſter.lect.18.dicit. *Quòd ſcire ex propriis principiis ſolum eſt verè ſcire*. Et lect. 23. inquit *Demonſtrationem propter quid eſſe demonſtrationem ſimpliciter: ergo demonſtratio quia* non eſt ſimpliciter, & vniuocè demonſtratio.

Confirmatur. Quia demonſtratio *quia*, non conſtat ex præmiſſis neceſſariis ſimpliciter, ergo non eſt ſimpliciter demonſtratio. *Antecedens probatur*, præmiſſæ vel ſunt cauſa remota, vel effectus, cauſa remota non habet neceſſariam connexionem cum effectu, ſicut eſſe animal ad eſſe reſpiratiuum, effectus etiam, vel ſupponuntur cogniti per cauſam, vel per experientiam, ſi per cauſam, illa demonſtratio erit *propter quid*, ſi per experientiam eius cognitio eſt fallibilis, & conſequenter non fundat neceſſariam demonſtrationem.

Reſpondetur. Scientiam *quia*, eſſe imperfectam ſcientiam, & non ſimpliciter ex parte obiecti, quia in illo non attingit quid, ſed an eſt, in eo vero quod attingit, perfectè quietat intellectum, ſcil. quoad an eſt, licet relinquat intellectum non conuictum, neque quietum, quoad quid eſt, quia hoc ad ſe non pertinet, & pro tanto eſt imperfecta illa demonſtratio, quia hanc rationem quidditatis non attingit, nec amplius D.Th. vult in illis locis, in quibus ſoli demonſtrationi propter quid attribuit rationem demonſtrationis ſimpliciter, id eſt, ſi cõſideretur ex parte obiecti ſciẽtifici, quod eſt quidditas, hoc enim ſimpliciter non attingit. Si autẽ conſideretur modus ſcientificè attingendi, id eſt, certo & euidenter, ſic etiam demõſtratio quia ſimpliciter eſt demõſtratio.

Ad confirmationem reſpondetur. Quod cauſa remota præcipuè deſeruit ad demonſtrationem negatiuam, quando non eſt cauſa conuertibilis cum effectu, ſicut bene valet, *non eſt animal, ergo non reſpirat* non tamen poſitiuè, *eſt animal, ergo reſpirat*. Si tamen cauſa remota ſit conuertibilis cum effectu, vt cum ex aliqua eſſentia infertur propria paſſio mediata, tunc etiam poſitiuè bene valet à cauſa mediata, ſeu remota. Nec dici poteſt, quòd in demonſtratione negatiua negatio cauſæ remotæ facit demonſtrationem *propter quid*, ſicut demonſtratur *propter quid*, quòd lapis non reſpirat, quia non eſt animal, nec inquam dici non poteſt, quia licet illa negatio ſufficienter conuincat negationem reſpirationis, quia tamen non negat propriam & immediatam cauſam reſpirandi, non traditur per propriam & immediatam cauſam negationis, propria enim ratio negationis per oppoſitam formam cognoſcitur.

Et ad id quo additur de effectibus. *Reſpondetur* tunc eſſe per ſe notos, quando cognoſcuntur per experientiam certam & indubitatam, vel ſaltem inductiuè manifeſtatam, quia omnis ſcientia ortum habet ab inductione, vt cum oſtendimus ex effectibus dari primam cauſam, effectus aliquos dari indubitatũ eſt.

Vltimò arguitur, nam demonſtratio *quia*, & *propter quid*, procedunt ex diuerſis principiis, & ſub diuerſo lumine, vna ex effectibus, alia ex cauſis; ergo debent generare habitus ſpecie diuerſos, quia ex diuerſitate principiorum, & luminis, ſumitur diuerſus habitus ſcientificus; non ergo demõſtratio *quia*, reducitur ad ſcientiam *propter quid*, quia non reducitur ad eius principia.

Reſpondetur, quòd ſi demonſtratio, *quia*, & *propter quid*, procedunt in diuerſis ſcientiis, ſiue ſubalternatim poſitis, ſiue diſparatè ſe habentibus, conſtat tunc etiam ad adiuerſos habitus pertinere. Si autẽ in eadem ſcientia procedat vtraque demonſtratio, quatenùs demonſtratio *quia*, in eodem obiecto tangit rationem an eſt, & demõſtratio *propter quid*, rationem quid eſt, ſicut in Theologia probatur, Deum eſſe per demonſtrationem *quia*: tunc *dicunt aliqui*, quòd licet demonſtratio *quia* & *propter quid* procedant ex diuerſis principiis, & ſic ſint diuerſæ ſpeciei, generant tamen eundem aſſenſum ſpecie, & conſequenter eũdem habitum, ſicut calor productus ab igne, & à ſole eſt eiuſdẽ ſpeciei. Ita M.Sot.1.Poſt.q.5. *Alij dicunt* quòd illi aſſenſus ſunt ſpecie diſtincti, vt M.Cabero.

Sed mihi videtur explicatius hoc reſoſui ex ſententia Caie.1.p.q.2.a.3.vb dicit, quòd cũ nulla ſciẽtia ex propriis probet ſuum ſubiectum eſſe, ſed ex extraneis ſibi appropriatis, quando illa extranea nobis notiora ſunt, inde eſt quòd Theologia probat Deum eſſe, non ex propriis ſimpliciter, ſed ex propriis miniſterialiter, ſcil. ex notis lumine naturali, quæ Theologiæ miniſtrant. Vnde dicimus, quòd licet demonſtratio *quia*, quando fit in eadem

ſcientia in qua proceditur *propter quid*, procedat ex principiis extrinſecis, & conſequenter diſtinctis à *propter quid*, tamen quia appropriantur obiecto talis ſcientiæ, & diſponunt ad illud, eò quòd verſantur circa *an eſt*, & præparant ad intelligendam quidditatem, & demonſtrandam paſſiones de ipſa, ideo dicitur reduci demonſtratio *quia*, ad demonſtrationem *propter quid*, quia & ſi procedat ex diuerſis principiis, apropriantur tamen ad obiectum *propter quid* diſponendo, & præparando ad ipſum per demonſtrationem rei quoad an eſt. Et licet ſint aſſenſus ſpecie diuerſi, ſi ſecundum ſe, & ſeorſum conſiderentur iſtæ demonſtrationes, vt tamen coordinantur, & vna appropriatè ſe habet ad aliam præparando ad illam; ideo pertinet ad eandem ſpeciem ſcientiæ propter quid non abſolutè, ſed appropriatè, & reductiuè, ſeu diſpoſitiuè, ſicut diſpoſitiones ad formam.

QVÆSTIO XXVI.

De Scientia, tam ſecundùm ſe, quàm in ordine ad opinionem, & fidem.

EX Demonſtratione tanquam effectus ſequitur Scientia, & ideo poſt conſiderationem naturæ demonſtrationis, & principiorum eius, recto ordine doctrinæ de ipſa ſcientia agimus.

ARTICVLVS I.

Quid ſit ſcientia, & quomodo diſtinguatur à reliquis habitibus euidentibus?

SCientia poteſt ſumi, vel pro actuali ſcientia, vel pro habituali. Primo modo definita eſt ſupra cum dicit Philoſoph. quòd *Scire eſt cognoſcere cauſam, ob quam res eſt illius cauſam eſſe, &c.* Habitualis autem definiri ſolet, quod eſt *habitus per demonſtrationem acquiſitus*, ſicut è contra definita eſt demonſtratio, quod eſt *ſyllogiſmus efficiens ſcire*, nec tamen in hoc committitur circulus definiendo demonſtrationem per ſcientiam, & ſcientiam per demonſtrationem: tum quia demonſtratio non dicitur quod eſt ſyllogiſmus efficiens habitum ſcientiæ immediatè, ſed quòd eſt ſyllogiſmus efficiens ſcire actuale, id eſt, aſſenſum ſcientificum, à quo generatur habitus, qui inclinat ad ſimilem aſſenſum: tum etiam, quia demonſtratio non illa ſola definitione definita eſt, ſed etiam aliâ, & ideo tanquam aliter notificata potuit rurſum ſcientia definiri per ipſam ſine circulo.

Secundò etiam poteſt definiri habitus ſcientiæ, quod eſt *habitus, qui verſatur circa concluſionem notam ex propoſitionibus vniuerſalibus, neceſſariis, & immediatis.*

Vt autem melius cognoſci poſſit ipſa ratio ſcientiæ, oportet diſtinctionem, ſeu differentiam inter ipſam, & alios habitus intellectuales diſcernere, & in præſenti agemus de habitibus euidentibus, poſtea verò de ineuidentibus. Quos omnes breuiter numerat S.Thom. 1. Poſt. lect. vlt. *Sciendum*, inquit, *eſt, quod Ariſtot.* in 6. Ethic. *ponit quinque, quæ ſe habent ſemper ad verã, ſcilicet artem, ſcientiam, ſapientiam, prudentiam, & intellectum, ſubiungens duo, quæ ſe habent ad verum, & falſum, ſcilicet ſuſpicionem, & opinionem.* (ad quos etiam reducitur fides humana) *Prima autem quinque ſe habent ſolum ad verum, quia important rectitudinem rationis, ſed tria eorum ſcil. Sapientia, Scientia, & Intellectus, important rectitudinem cognitionis circa neceſſaria; ſcientia quidem circa concluſiones, intellectus circa principia, ſapientia circa altiſſimas cauſas: alia vero important rectitudinem rationis circa contingentia.* Ita D. Thom. qui vberius materiam iſtam tractat 1.2.q.57.& in ſexto Ethicor.

Igitur quinque illi habitus conueniunt in hoc, quod ſunt virtutes intellectuales, quia diſponunt intellectum diſpoſitione recta ad verum, tunc autem eſt recta diſpoſitio, quando intellectus firmiter, & certo procedit, quia ſi adhuc non firmatur in vero, ſed deficere poteſt ad falſum, nondum eſt perfectus circa verum, ſed imperfectus & defectuoſus; virtus autem eſt diſpoſitio perfecta. Vnde non poteſt eſſe virtus intellectualis, niſi ſit habitus certus circa veritatem. Incipiunt autem differre iſti habitus inter ſe, quia quidam ordinant intellectum, circa verum practicum, alij circa ſpeculatiuum. *Circa practicum* verſatur prudentia, & ars mechanica, quæ dirigunt res contingentes, id eſt, ars, factibilia, prudentia, agibilia, & de his in præſenti non eſt agendum.

Circa tres reliquos habitus, qui verſantur circa ſpeculationem veritatis neceſſariæ, primò occurrit *Intellectus*, qui cæterorum eſt principium, & ita vocatur *habitus principiorum*, Circa quem non defuerunt qui exiſtimarent nihil aliud eſſe, quàm ipſam potentiam intellectiuam, quæ per ſe ipſam determinatur ſine habitu ſuperaddito ad aſſentiendum principiis; ſicut voluntas, quæ eſt potentia ſine habitu ſuperaddito inclinatur ad amandum ſe, & bonum in communi, de quibus vide Curſum Carmelitanum diſp. 20.q.1. *Oppoſitum autem tanquam certum ſupponendum eſt*, ſicut ſupponit D.Thom. 1.2.q.57.a.3.& 6. Ethic. lect. 5. vbi inquit: *Quòd accipitur Intellectus, non pro ipſa intellectiua potentia, ſed pro habitu quodam, quo homo ex virtute luminis intellectus agentis, naturaliter cognoſcit principia indemonſtrabilia. Et ſatis congruit nomen; huiuſmodi enim principia ſtatim cognoſcuntur cognitis terminis, cognito enim quid eſt totum, & quid eſt pars, ſtatim ſcitur quòd omne totum eſt maius ſua parte, dicitur autem intellectus ex eo, quod intus legit intuendo eſſentiam rei, & ſic conuenienter cognitio principiorum, quæ ſtatim innoteſcunt, cognito quod quid eſt, intellectus nominatur.* Ita D. Thom.

Ex cuius verbis manifeſtè deducitur ratio diſtinguendi habitum principiorum à potentia intellectiua, quia ſcil. potentia ex ſe non eſt lumen determinatum, ſed indifferens ad omne verum, & tanquam tabula raſa in ſui principio; dependet autem in determinatione ſua, à lumine intellectus agentis, quo perficitur potentia intellectiua per determinatas ſpecies ad determinatam veritatem. Vnde cum habitus principiorum non poſſit manifeſtare intelle-

ctui

ctui sua obiecta, seu principia, nisi dependenter ab istis speciebus determinatis, necessario tale lumen manifestatiuum principiorum superaddi debet ad potentiam intellectiuam, quæ ex se non est lumen manifestatiuum determinati obiecti, sed capax, seu receptiua luminis determinati ab intellectu agente mediantibus speciebus, & ita consurgit habitus principiorum, supposita specierum manifestatione, quia est circa obiecta determinata.

Ex quo soluitur exemplum allatum de voluntate, quia voluntas non accipit inclinationem ad bonum in communi, vel ad bonum proprium per aliquas species sibi superadditas, sed per seipsam est inclinata, seu est ipsa inclinatio ad bonum conueniens; de ratione autem inclinationis est, quod consequatur aliquam formam, non quod per formam superadditam eius inclinatio perficiatur, sicut intellectus qui per formam superadditam, quæ est species obiecti perficitur: & sic si forma ad quam sequitur inclinatio, est proprium bonum naturaliter conueniens, naturaliter consequitur, & nullo habitu indigebit ad respiciendum tale bonum; si verò sit bonum indifferens, & non adæquatè conueniens indigebit habitu, ad determinationem talis indifferentiæ conuenienter constituendam. Quod totum non currit in habitu principiorum, qui conuenit intellectui, ex suppositione explicationis terminorum.

Ex quo colligitur, quòd habitus principiorum non concreatur cum ipsa potentia, vt aliqui dixerunt, nec inditus est à natura, sed acquisitus ex lumine intellectus agentis, & supposita impressione specierum à sensibus abstractarum, vt expressè docet D.Th.1.2. q.53.art.1. & 2. contra Gent. c.78. de quo tamen in præsenti non oportet latius disputare, quia logici negotij non est.

Quod si inquiras; an sit vnus habitus respectu omnium principiorum? *Respondetur*, quòd principia, id est, propositiones carentes medio inueniri possunt, vel in materia necessaria, vel in materia probabili, nam etiam in probabilibus dari aliqua prima principia, & propositiones immediatas, ex Aristot. 1. Post.c.26. & D.Th.ibid.lect.44.inf.ostendemus. Et similiter alia sunt principia speculatiua, alia practica, & speculatiua quædam sunt communissima, & vocantur dignitates, quædam sunt particularia, quæ dicuntur suppositiones, & alia sunt, quæcunque definitiones quidditatiuæ in subiectis scientiarum.

Dico ergo. *Quòd habitus principiorum probabilium distinguuntur, ab habitu principiorum euidentium; & similiter habitus principiorum practicorum à speculatiuis*, & sic de ipsis loquitur D. Thom. tanquam de diuersis habitibus citat. quæst. 53. & habitus principiorum practicorum vocatur *synderesis*; speculatiuorum verò *intellectus. Cæterùm omnia principia speculatiua, siue sint dignitates siue suppositiones ad eundem habitum pertinent.*

Ratio primæ partis est, quia lumen probabile, & euidens semper differunt essentialiter; sunt enim inter se opposita euidens, & non euidens, necessarium, & contingens; ergo non possunt eodem lumine attingi; & eadem ratione principia practica non possunt pertinere ad eundem habitum cum speculatiuis; quia certitudo practica perficitur certitudine morali, secundùm conuenientiam moralem, & prudentialem, quæ tendit & applicat ad actiones contingentes ad quas inclinat, quales sunt actiones voluntatis, & opera factibilia per artem, licet enim principia practica tandem resoluantur in aliquas veritates necessarias, & in vniuersali tamen vt practica sunt in particulari contingentiam includunt, sicut hoc principium: *Bonum est faciendum, Deus est colendus*, in vniuersali, & quasi speculatiuè resoluitur sic: Ratio boni postulat de se, seu conuenientiam habet, vt fiat, Deo debitus est cultus: Practicè autem in particulari applicatur per modum imperij, vel consilij, tibi conuenit hoc bonum facere, Deum colere, &c. & primo modo habent certitudinem necessariam; secundo verò modo inferunt actum certitudine morali, non metaphysica, quæ simpliciter est contingens.

Ratio secundæ partis est. Quia in omnibus primis principiis, siue sint communissima, siue minus communia inuenitur eadem ratio formalis assentiendi, scilicet siue medio probante, sed sola explicatione terminorum posita. Quòd autem termini sint nobis magis vel minus noti, & communes; ideoque constituant principia communissima, vel minus communia, hoc solum pertinet ad faciliorem & communiorem explicationem terminorum, non ad diuersum modum assentiendi posita eorum explicatione.

De differentia verò inter habitum sapientiæ, & scientiæ *solum aduerte*, quod vt inquit S. Th. opusc. 70.q.2.a.2. ad 1. *Sapientia non diuiditur contra scientiam, sicut oppositum contra oppositum, sed quia se habet ex additione ad scientiam. Est enim sapientia*, vt dicit Philos. in 6. Ethic. *caput omnium scientiarum, regulans omnes alias in quantum de altissimis principiis est.* Quare ad sapientiam pertinet ferre iudicium, & resoluere per vltimam causam seu principia prima, vt etiam tradit D.Th.1.2.q.57.art.2.& 1. p.q.1.ar.6. Et propter vniuersalitatem principiorum, ex quibus procedit, reflectit etiam supra principia tam sua, quàm aliarum scientiarum, non quidem ad probandum ea, sed ad explicandum, & defendendum illa, & hac ratione dicitur sapientia includere intellectum, & scientiam, quia etiam ad defendenda principia, quorum habitus dicitur intellectus, se extendit, verè tamen sapientia est habitus illatiuus, & probatione illatiua vtens, & ex principiis procedens, ideoque ad lineam scientiarum pertinet.

ARTICVLVS II.

Quid sint scientia subalternans, & subalternata, & quomodo differant inter se?

AD explicandam subalternationem scientiarum tria præcipuè explicanda sunt: *Primum*, in quo consistat ratio subalternationis. *Secundum* quomodo subalternans dicatur scire *propter quid*, subalternata, *quia. Tertium*, quomodo possit subalternata habere rationem scientiæ in subiecto, in quo non est subalternans, sed tantum credit eius principia. De hoc tertio in seq. art. agemus.

Circa primum. Communiter distinguunt Authores triplicem modum subalternationis, vt videri potest apud Conimb. 1. Poster. cap.10.q. 2.& Fonsecam 4. Metaph.c.3.q. 2. Quædam enim subalternantur ratione finis, quædam ratione principiorum, quædam ratione subiecti. Ex parte finis, sicut quando vna scientia respicit finem superiorem, & alia inferiorem, illique subiectum; sicut architectonicæ subiiciũt sibi ministeriales, vt frenofactiua subiicitur equestri; equestris militati, illa politicæ. Ex parte principiorum, quando vna scientia accipit ab alia sua principia, quod potest esse, vel quia accipit aliqua principia, quæ aliis sunt communia, sicut à Metaphysica & Logica possunt aliæ scientiæ accipere; vel quia accipit sua propria principia, quia de se non resoluit aliqua scientia in principia per se nota, sed

ab alia superiori scientia probata, & tradita; sicut Musica accipit ab Arithmetica, & Perspectiua à Geometria. Denique ex parte subiecti dicitur subalternari scientiæ, quando subiectum vnius continetur sub subiecto alterius; & hoc contingit dupliciter, vt aduertit S. Thom. 1. Poster. lect. 25. Vel quia subiectum vnius essentialiter tanquam species continetur sub alterius subiecto, sicut scientia de homine, est de subiecto contento sub animali, scientia de cœlo est de subiecto contento sub ente mobili; vel quia subiectum accidentaliter est sub alio, sicut Musica agit de numero sonoro, & Perspectiua de linea visuali, vbi visuale, & sonorum addunt differentias accidentales ad numerum, & lineam.

Ex his tribus modis subalternationis, primus est improprius, quia non semper ibi subalternatio præbet manifestationem veritatis, sed solum ministerium, & imperium. Quod etiam contingit in virtutibus, quæ sunt in voluntate, sicut temperantia imperatur à charitate, & religione, aliud autem est subiici secundum imperium, aliud secundum subalternationem, quia subalternatio dicit dependentiam in manifestatione veritatis.

Secundus modus subalternationis proprius est, sed tunc inuenitur simpliciter, quando simpliciter vna scientia non habet principia, nisi manifestata ab alia scientia, ita quod ex se non resoluat in principia per se nota; qua ratione Theologia nostra subalternatur scientiæ beatæ; vt *statim* dicemus. Si autem aliqua scientia resoluat in principia per se nota, tamen aliquando accipiat aliquod principium ab aliqua scientia, vel ad probandum simpliciter, vel ad defendendum, erit subalternatio secundùm quid.

Tertius modus, tunc inducit propriissimam subalternationem, quando subiectum inferioris scientiæ addit accidentalem differentiam ad subiectum superioris, non essentialem, vel propriam passionem. *Cuius ratio est*, quia subiectum subalternatæ debet esse extraneum, seu distinctum à subiecto subalternantis, sicut & ipsæ scientiæ distinctæ sunt, cum dependentia tamen vnius ab alio; species autem essentialis non reddit subiectum extraneum à subiecto generico, nam eadem scientia, quæ agit de aliquo genere, agit de speciebus illius; explicat enim subiectum suum per diuisionem, sicut per diffinitionem, & sic Philosophia, quæ agit de motu, agit etiam de speciebus motus, & Metaphysica, quæ agit de ente, agit de substantia, & de determinatis entibus. Si verò addit propriam passionem, illa non efficit distinctam scientiam, quasi alia scientia agat de subiecto, alia de passionibus, nam potius omnis demõstratio passionem aliquam demonstrat de subiecto. Vnde si ad eandem scientiam pertinet agere de obiecto communi, & speciebus illius, consequenter pertinebit agere de passionibus communibus & specificis. Oportet ergo ad propriam subalternationem ex parte subiecti addere vnum subiectum differentiam accidentalem ad aliud; sicut sonorum ad numerum, visuale ad lineam.

Ex quibus colliguntur conditiones, quæ requiruntur ad subalternationem scientiarum, quæ reduci possunt ad tres. *Prima*, quod subiectum subalternatæ contrahat, & superaddat ad subiectum subalternantis. *Secunda*, quòd superaddat differentiam accidentalem, & quod reddat extraneam materiam subalternatæ à materia subalternantis. *Tertia*, quod addat differentiam accidentalem, quæ in tali materia sit principium specialium passionum, & veritatum scibilium, sicut aliquæ passiones inueniuntur in linea visuali, quæ non inueniuntur in linea calida, vel frigida; & ideò illa constituit distinctam subalternatam, non ista.

Sed vt rem hanc melius explicemus, obijcies. Nam inprimis Theologia est subalternata scientiæ beatæ, vt tradit S. Th. 1. part. q. 1. art. 2. & tamen de eodem subiecto agit vtraque scil. de Deo, ergo subalternatio scientiarum non postulat distinctionem subiectorum per accidentalem differentiam superadditam.

Secundò. Quia si scientia subalternata habet pro subiecto aliquid contractum differentia accidentali: sequitur quod habeat pro obiecto ens per accidens; sicut linea visualis, numerus sonorus sunt entia per accidens; de ente autem per accidens non datur scientia per se.

Tertiò. Vel illa accidentalis differentia est accidentalis obiecto in esse rei, vel in esse scibilis. In esse rei hoc nihil conducit ad subalternationem; nam multæ scientiæ agunt de aliquo subiecto determinato differentia accidentali, nec tamen subalternantur superiori scientiæ, sicut Philosophia agit de ente mobili; non tamen subalternatur scientiæ de ente; & Medicina de corpore sanabili, & tamen non subalternatur Philosophiæ, quæ agit de corpore. Et similiter non esset aliqua ratio, cur linea visualis, v. g. vel numerus sonorus constituerent subiectum subalternationis; non autem linea, vel numerus cum alio accidenti, v. g. linea colorata, vel calida; numerus visibilis, vel aliquid simile. Si secundum, sequitur, quòd solum accidentaliter differant scientia subalternans, & subalternata, quia differunt per accidentalem differentiam in esse scibilis; cum tamen Musica, & Arithmetica differant essentialiter.

Vltimò. Metaphysica probat omnium scientiarum principia, eaque defendit. Nec aliæ scientiæ perfectè resoluunt conclusiones, nisi vsque ad principia Metaphysicæ: ergo est subalternans aliarum, & tamen aliæ non addunt subiecto eius differentiam accidentalem; quia ad ens nihil addit accidentalem differentiam cum sit transcendens, ergo, &c.

Ad primum respondetur; Theologiam nostram, non subalternari scientiæ beatæ ex parte subiecti, quasi extraneum, & distinctum subiectum subalternetur subiecto scientiæ superioris, sed ex parte principiorum, & euidentiæ; quia ex scientia beata, vel diuina, habet Theologia euidentiam, eorum principiorum, quæ nunc fide credit. Et hoc sufficit ad subalternationem verè, & propriè dictam; quatenus euidentia principiorum vnius scientiæ pendet ab alia; non tamen habet nostra Theologia omnes conditiones requisitas ad subalternationem ex parte subiecti, qui reuera non habet aliud subiectum à scientia beata, & sic ex parte subiecti non est subalternatio, sed identitas, & consequenter non addit differentiam accidentalem ad subiectum subalternantis, sed respicit idem subiectum sub diuersa ratione formali, id est, virtualiter reuelatum: scientia verò beata, vt clarè visum. Videatur Caietan. 1. par. q. 1. art. 2.

Ad secundum. Variè Authores sentiunt de subiecto subalternatæ. Nam *quidam existimant*, de ente per accidens posse dari scientiam: dummodo non sit ens per accidens casuale, seu fortuitum. De quo videantur Conimb. lib. 1. Poster. c. 10. q. 2. art. 1. & ad idem reducitur, quod *alij dicunt*, quod obiectũ subalternatæ est vnum per accidens in esse rei, sed per se in esse scibili, quod est clarè fateri de ente per accidens posse dari scientiam. *Sed hoc est contra ipsam rationem entis per accidens*, quia tale ens non constat vnico genere, & differentia, & consequenter nec vnica definitione: definitio autem cum sit principium scientiæ, ex vnitate illius dependet vnitas

tas scientiæ, vt dicemus quæstione sequenti, de quo plura dicimus supra q.5. & 7.

Respondemus ergo, scientiam subalternatam non habere pro subiecto illud aggregatum, vt est ens per accidens constitutum ex accidentali differentia, & subiecto superioris scientiæ, sed respicit vnum illorum per se non tamen absolutè, sed vt modificatum, & connotatum per alium, v.g. Perspectiua agit de visuali, quatenus modificatur, & connotat lineam. Et sic non est incóueniens, quod aliquod, subiectum sit scibile per se, & fundet veritates necessarias, licèt ad fundandum illas requirat tanquam de connotato, & in obliquo aliquid accidentale. Plures enim sunt proprietates, vel proportiones, quæ non conueniunt alicui rei absolutè; sed supposito aliquo statu, vel conditione, sibi quidem accidentali, sed per se requisita, vt talis proprietas dimanet; sicut ad lapidem non sequitur quies absolutè, sed prout in centro. Sic aliquæ proprietates, vel proportiones sequuntur ad visuale, vel sonorum non absolutè, sed ad visuale, vt est in linea, & sonorum, vt est in numero. Et ita non conueniunt constituto, & aggregato per accidens, sed vni per se, cum connotatione alterius.

Ad tertium Respond. Subalternatam scientiam ex parte subiecti addere differentiam accidentalem in esse rei, ita tamen quod sit conditio requisita, vt resultat aliqua veritas per se, quæ sit verè scibilis per dependentiam à subiecto superioris scientiæ. Itaque debent concurrere dictæ conditiones ad subalternationem, taliter, quod differentia accidentalis conducat ad constituendum diuersas proportiones, seu cónexiones veritatis, & deinde, quòd istæ veritates, seu connexiones necessariæ, in sui manifestatione dependeant à principiis subiecti superioris scientiæ, sicut proportiones lineæ visualis per se dependent à principiis lineæ, & numeri sonori à principiis numeri. Non autē veritates entis mobilis dependent à principiis entis vt sic, sed per se resoluit scientia de ente mobili in principia sui generis per se nota, non per resolutionem in principia alterius scientiæ probatur; sicut requiritur ad subalternationem. Si autem lineæ, vel numero addatur aliqua differentia, quæ specialem veritatem per se demonstrabilem non constituat; sicut lineam esse calidam, vel frigidam, &c. aut à subiecto superioris scientiæ manifestatio illarum veritatum non dependeat, subalternationem constituere non potest.

Ad 4. Resp. Metaphysicam esse supremam scientiam, quia obiectum eius est supremum, & vniuersalius cæteris, & per prima principia procedit. Non tamen cæteræ scientiæ manifestationem accipiunt, & probationem suorum principiorum ex illa, quia aliæ habent principia ex terminis nota, in quæ per se resoluunt. Quæcumque autem scientia resoluit per se in principia per se notat, non est subalternata, sed vt sit debet habere principia ab alia scientia manifestata, & probata, Metaph. autem explicat quidem, & defendit principia aliarum scientiarum deducendo ad impossibile, non tamen à priori probando & ostendendo illa, & si quando ex principiis Metaph. aliæ scientiæ procedunt in suis demonstrationibus, sicut etiam aliquando ex principiis Logicæ aliæ scientiæ procedunt, vt dixim. quæst. 1. a.5. non tamen hoc est subalternari illis scientiis simpliciter, quia hoc non est dependere totaliter in suorum principiorum euidentia ab alia scientia, ita quod non habeat principia per se nota, in quæ resoluat, licet in aliqua probatione iuuetur à principiis alterius scientiæ, quæ est subalternatio secundum quid.

Circa 2. punctum; scilicet, quomodò intelligatur dictum Philos. quod ad subalternātem pertinet scire *propter quid*: ad subalternatam verò *quia*: Omissis variis modis dicendi, qui videri possunt apud M. Soto super hunc 1.l.q.5.ad.6. & Conimb. super c.10. huius l.q.2.art. 3. *In præsenti dicimus in primis* quòd Philos. non absolutè dicit, quod subalternata scit *quia* quasi omnis scientia subalternata sciat *quia*, aut quod peius est, vt aliqui intelligunt quod subalternans, attingat conclusiones subalternatæ in propria, & determinata materia illius; subalternata verò attingat eas ex effectibus, & demonstratione *quia*. Sed dixit Philos. quod sensibilium scientiarum, id est, earum; quæ vsque ad sensibilem materiam descendunt proprium est scire *quia*, Ad Mathematicos verò pertinet scire *propter quid*, id est, in illis scientiis subalternatis ipsi Mathematicæ, quæ vsque ad sensibilia excurrunt pertinet scire scientiâ *quia*, eo quòd res sensibiles per inductionem attingunt, & vsque ad experientiam descendunt. Si autē illa eadem, quæ per experientiam cognoscunt velint scire *propter quid*, necessario debent vti principiis traditis à Mathematica, seu à scientia subalternante, sicut Chirurgus dicit vulnera circularia tardius sanari, primò quidem ex ipsa diuturnâ experiētiâ, sed si velit causam huius, & radicem reddere debet recurrere ad Geometram, qui circularem figurā difficilius suas partes coniungere dicit, eo quod figura circularis caret angulis. Itaque non cogimur hanc propositionem Arist. in omni subalternata scientia verificare, sed solum in illa, quæ vsque ad sensibilia descendit, tali enim scientiæ nó repugnat sensibilia in ipsis singularibus attingere, & eorum inductione vti, quod est scire scientiâ *quia*, vt autem sciat *propter quid*, debet principia mendicare à superiori scientia, eáque applicare materiæ sensibili, de qua agit. Vnde non est intelligendum, quod scientia subalternata dicatur scire, *quia* principia subalternantis, quibus vtitur, sed conclusiones, quas ex illis principiis applicatis ad suam materiam scire potest, etiam experientia ipsa attingit, & per scientiam *quia*, non quatenus subalternata præcisè, sed quatenus sensibilis, & vsque ad sensibiles effectus descendens.

Ex quo colliges duo. Primum est, quod quando dicitur subalternantem scire *propter quid*, non est intelligendum, quod subalternans, sciat conclusiones ipsas subalternatæ, & ad eas demonstrandas descendat: hoc enim stare non potest, nisi scientia ipsa subalternans mutaret abstractionem, & ad materiam alterius scientiæ descenderet, quod esset mutare speciem talis scientiæ, quæ ex abstractione, & diuersa immaterialitate desumitur. Et ita vt benè notat Caietan. 1. Poster. c.12. scientia subalternans dicitur scire *propter quid* solitariè, & in cōmuni, nó applicatè ad hanc materiam, id est, tradit principia solū in generali, quæ deinceps huic determinatæ materiæ à subalternata applicatur. Geometria enim non demonstrat vulnera circularia tardius sanari, nihil enim Geometra tractat de vulneribus, sed solum docet in communi circularem figuram, cum careat angulis difficilius copulari, quod sic abstractè demonstrat. Inde verò sumit Chirurgus, & applicat suæ materiæ, & ostendit vulnera circularia tardius coniungi.

Secundum est. Quod quando dicitur subalternata scire *quia* non est intelligendum priuatiuè, & ita quòd tantum demonstret *quia*, & nullo modo *propter quid.* Sumendo enim principia à subalternante verè demonstrat propter quid, imò in hoc consistit præcipuè subalternatio, quod assumptis principiis à superiori scientia demonstrat suas conclusiones. Sed quia ex se non habet illa principia, nec ex se

in

in principia per se nota resoluit, sed ab alia scientia superiori notificata accipit, ideò attribuitur superiori scientiæ scire propter quid, quia scilicet ab illa sumuntur principia, & applicantur materiæ scientiæ inferioris, vt demonstrentur propter quid conclusiones ipsæ talis scientiæ inferioris, quas etiam vlterius experientia ipsa cognoscit, & sic dicitur scire illas scientiâ *quia* ex meritis propriis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm scientia subalternata sit verè & propriè scientia, etiamsi non continuetur cum subalternante?

Ratio dubitandi ex eo desumitur, quia scientia non resoluens vsque ad principia per se nota, vel non potens illa probare per aliam scientiam, tantum credit illa principia: ergo nō participat euidentiam, & certitudinem de facto, & sic de facto nòn est scientia. *Conf. patet.* Quia euidentia habetur per demonstrationem, vel resolutionem in principia per se nota: ergo si scientia inferior sistit in vna propositione, quam vlterius probare non potest, quia non continuatur cum scientia superiori, nec per se resoluit in principia per se nota, deficit ei euidentia, & consequenter in reliquas conclusiones non potest euidentiam deriuare, cum careat euidentia principiorum.

Confirm. Quia in quacunque scientia, si quis obliuiscitur medij, quo probatur conclusio, scientia in eo destruitur, quia non habet euidentiam, nec probationem. Et si per impossibile aliquis amitteret habitum principiorum, impossibile esset manere scientiam, quia non remanerent principia: ergo similiter, qui non habet subaltenantem, à qua principia præstantur subalternatæ, non potest veram rationem scientiæ subalternatæ habere, quia caret euidentia principiorum, & medij. Ad hoc etiam facit authoritas S. Th. 14. de Verit. art. 9. vbi inquit: *Quod quacumque sciuntur propriè acceptâ scientiâ, cognoscuntur per relationem in prima principia, quæ per se præsto sunt intellectui:* ergo qui non cognoscit per relationem in prima principia, sicut subalternata scientia, quando non continuatur cum subalternante, proprie non erit scientia. Similiter etiam in 3. dist. 33. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4. inquit, *Quòd si esset aliqua scientia, quæ non posset reducere ad prima principia naturaliter cognita non esset eiusdem speciei cum alia scientia*, sed subalternata sine continuatione ad subalternantem non potest reducere ad principia per se nota: ergo quando sic non continuatur, non habet rationem scientiæ.

Nihilominus dicendum est eundem habitum specificum esse scientiam subalternatam, quando continuatur cum subalternante, & quando non continuatur; habet tamen statum imperfectum scientiæ ex parte subiecti, quamdiu de facto non potest resoluere in principia per se nota mediante scientia subalternante. Hæc conclusio est communis inter Thomistas, & videri possunt Caie. 1. p. q. 1. ar. 2. M. Soto l. 1. Post. q. 5. Sanch. l. 7. q. 2. Araux. 1. Met. q. 4. a. 1. Curs. Carmelit. hîc disp. 19. q. 3. Sumitur ex D. Th. 1. q. 1. art. 2. vbi absolutè vocat scientiam eam, quæ subalternata est. Et q. 14. de Verit. art. 9. ad 3. concedit quod qui habet scientiam subalternatam, non perfectè attingit ad rationem sciendi, nisi in quantum eius cognitio continuatur quodammodo cum cognitione eius, qui habet scientiam subalternantem; nihilominus tamen inferior sciens non dicitur de his, quæ supponit habere scientiam, sed de conclusionibus, quæ ex principiis suppositis de necessitate concluduntur. Et latius videri potest opusc. 70. q. 2. art. 2. ad 5. & 6. & 7. Et in 1. ad Annib. dist. 1. q. 1. art. 1. vbi docet quod primarum scientiarum proximum principium est intellectus, earum verò scientiarum, quæ sua principia ab aliis supponunt, proximum principium est credulitas principiorum ab aliis suppositorum; primum verò earum principium est intellectus, perficitur tamen certitudo istarum scientiarum, cum per viam resolutionis in ipsum intellectum primorum principiorum perueniunt.

Ratio conclusionis est, quia habitus scientiæ subalternatæ; etiam quando non continuatur cum subalternante de se postulat, & inclinatur, vt continuetur cum illa: ergo secundum se est habitus scientificus, inquantum habet inclinationem ad habendum plenam euidentiam, per continuationem cum superiori scientia. *Conseq. patet*, quia si ipse habitus postulat de se continuari cum subalternante: ergo quando continuatur de facto non destruitur, sed perficitur, nec alius habitus generatur, sed ipsemet continuatur cum superiori; aliàs frustra peteret ipsam continuationem; si non ipsemet posset continuari cum subalternante scientia, sed quando poneretur continuatio, nouus habitus generaretur, & distinctæ speciei, scilicet scientificus, cum ante scientificus non esset; & sic nunquam esset dabilis habitus subalternatæ, qui postularet continuari cum subalternãte. Si autem idemmet habitus est, qui continuatur & discontinuatur ab illa: ergo etiam quando de facto non continuatur, secundum inclinationem, & radicem scientia est. *Antecedens verò prob.* Nam qui acquirit habitum subalternatæ seorsum à subalternante, procedit ex principiis manifestatis in subalternante: & sic præsuppositiuè euidentibus: ergo de se inclinat, & petit continuari cum manifestatione subalternantis; aliàs non per se procederet ex principiis ab ipsa manifestatis, si per se non inclinaret ad principia illa, quatenus à superiori scientia manifestata sunt. Vnde si de facto illi manifestentur, est maximè conforme ad suam naturam, & ita habet inclinationem ad euidentiam, licèt ex parte subiecti non explicet illam ob defectum continuationis cum superiori scientia. Non posset autem inclinare in talia principia euidentia, si talis habitus non esset scientia, quia habitus ab intrinseco ineuidens nòn potest ad euidentiam inclinare illamque petere.

Vnde vt rectè monet Caiet. 1. *p. citata*, scientia subalternata potest dici, quòd non est scientia, eò quod non habet perfectam rationem scientiæ, id est statum, neque est virtus intellectualis, etiam quoad statum; est tamen quoad inclinationem, & substantiam, ita quod sicut virtus acquisita manet quoad substantiam virtutis in peccatore; licèt de se petat continuari cum fine vltimo bono, & tunc non habet istam continuationem; ita cum scientia aliqua, seu habitus habeat inclinationem ad euidentiam, possitque per illam perfici; quoad substantiam habet rationem scientiæ, quia secundum inclinationem, & radicem petit euidentiam principiorum, licèt impediatur habere illam ex parte subiecti. Cuius signum est, quia fides, qua creduntur ista principia esse euidentia in superiori scientia, non est ratio inferendi conclusiones in scientia inferiori ratione credulitatis, & authoritatis fallibilis, sed vt præsuppositiua euidentiæ in superiori scientia. Et in hoc excellit Theologia, quæ innititur fidei infallibili, & ita in ipsa fide inuenit principia certa actualiter, & non solùm præsuppositiuè, & radicaliter, licèt non euidentia:

dentia: hoc enim præſupponit in ſuperiori ſcientia.

Et ſi dicas. Quomodò ſtat quòd ſcientia ſubalternata ſit quoad ſubſtantiam certa & euidens, & tamen non tribuat ſubiecto hanc denominationem? *Reſpond.* tribuere denominationem ſcientiæ radicalis, & quoad ſubſtantiam non quoad ſtatum propter impedimentum ſubiecti carentis continuatione ad ſcientiam ſuperiorem, ſicut è conuerſo fides, ſeu opinio poteſt amittere formidinem extrinſecam, id eſt actualem, & denominatiuam, quæ eſt hæſitatio intellectus, vt ſeq. art. dicetur, cum tamen in ſe intrinſecè ſit fallibilis.

Ad fundamentum oppoſitum Reſpondet. Quod ſcientia non reſoluens in prima principia, nec radicaliter, & ex parte inclinationis, nec actualiter, & ſecundùm ſtatum, non habet veram rationem ſciẽtiæ, ſed innititur fidei propter authoritatem eius, ſi tamen radicaliter, & ſecundùm inclinationẽ habeat reſoluere in prima principia, quamuis defectu continuationis cum ſubalternãte de facto non reſoluat ſcientia tamen eſt, nec innititur fidei per ſe, ſed vt facienti præſuppoſitionem euidentium principiorum, & ſupplenti vices ſuperioris ſcientiæ.

Et ad probationem dicitur, quod euidentia habetur per probationes, & reſolutionem in principia iuxta modum cuiuſque: ſi ſit euidentia radicalis, & ſecundùm inclinationem, ſimiliter per probationes radicaliter, & ſecundùm inclinationem euidentes. Si autem ſit euidentia actualis, & perfecta per probationes actu euidentes & ideò deficientia in probando, ſi ſolum ſit deficientia ex parte ſubiecti, non ex parte ipſius ſcientiæ, & inclinationis eius, non tollit rationem ſcientiæ eſſentialiter, & intrinſecè, ſed ſecundùm ſtatum.

Ad confirmationem reſpondetur. Quòd ſi quis obliuiſcitur ipſum medium taliter, quod nec maneat in ſe, nec in alio, ad quod per ſe continuari poſtulat, & inclinat, abſolutè perdit ſcientiam, quia non retinet præmiſſas, nec probationem illarum. Si autem retinet præmiſſas, ſeu medium probatiuum concluſionis, ſed probationem ipſam ſupponit, vt euidentem in alio ſuperiori, & ad illam habendam per ſe inclinatur, tunc ſolum deficit ſcientia quoad ſtatum ſcientiæ, ſed non quoad intrinſecam rationem, & inclinationem habitus ſcientifici petentis talem euidentiam. Et eodem modo, ſi quis amitteret habitum primorum principiorum; retineret tamen propoſitiones cognoſcibiles ipſo habitu principiorum & tamen non ſciret explicationem terminorum, ideoque illi non eſſent per ſe notæ, talis reuera haberet ſcientiam, quia procederet ex propoſitionibus per ſe notis ſimpliciter, & ſecundùm ſe, licet per accidens carendo explicatione illa terminorum careret actu notitia euidenti ex terminis, ſed hoc non ita facilè contingit, quia ipſæ propoſitiones primorum principiorum, ſtatim per ſe innoteſcunt.

Ad loca S. Thomæ reſpondetur. Solum negare, quòd ſubalternata ſit perfecta ſcientia, non tamen quod abſolutè ex parte inclinationis intrinſecæ non ſit ſcientia; ſicut abſolutè illam vocat ſcientiam in locis ſupra citatis, & ſecundùm quod intrinſecè diſtinguitur ab habitu ineuidenti, in quo nulla inclinatio ad euidentiam principiorum remanet, & in hoc ſenſu loquitur in 3. ſent. cum dicit, quod non eſt ſcientia illa, quæ non poteſt reducere in prima principia, vbi ly *non poteſt* dicit tam non poſſe ſecundùm inclinationem, & radicem, quàm ſecundùm actualem euidentiam; quæ enim nullo modo poteſt euidentiam habere ſolum eſt habitus ineuidens, vt fides, & opinio; atque adeò non eſt vniuocè ſcientia. Dicitur autem ſcientia ſubalternata perfici in viſione rei, quia non habet perfectum ſtatum ſcientiæ ſine viſione rei, quia tamen poteſt perfici ab illa, ſignum eſt, quod intrinſecè & ſubſtantialiter eſt ſcientia, quia habitus ineuidens non poteſt perfici in viſione rei.

Ex quibus colligitur, rectè defendi à Thomiſtis, Theologiam, quæ eſt in hac vita, manere in patria redditque euidentem, quia ex ſua inclinatione, & intrinſeca radice petit euidentiam, & continuationem cum ſcientia ſubalternante, quæ eſt ſcientia beata, per accidens autem in via vtitur fide, vt ſupplente, & ſupponente principia euidenter nota in ſcientia ſuperiori.

ARTICVLVS IV.

Qui ſint habitus ineuidentes, & quomodo inter ſe differant?

Habitus ineuidentes reducuntur ad tres, ſcil. *Opinionem, Fidem, & Suſpicionem*, Definitur opinio, Quòd ſit *aſſenſus alicuius rei ob rationem, & motiuum probabile, cum formidine partis oppoſitæ*: fides autem creata (de hac enim ſolum agimus) eſt *cogitatio cum aſſenſu, ſiue aſſenſus cogitantis ob authoritatem dicentis.* Suſpicio eſt, *aſſenſus inclinans in aliquam partem ex aliquo leui ſigno.* Denique dubitatio eſt, *cognitio abſque firmo aſſenſu*, id eſt abſque determinata inclinatione in aliquam partem. ita tradit D. Thomas 2.2. quæſt. 2. art. 1. & quæſt. 14. de Verit. ar. 1. Ex quibus facilè cognoſcitur quid ſint habitus iſtarum cognitionum ineuidentium loco illius termini *aſſenſus* ponendo habitus inclinans ad aſſenſum. Dubitatio autem non videtur generare habitum, quia dubitans nullum habet aſſenſum, ſed ſuſpendit iudicium; atque adeò non generat habitum determinatè inclinantem, ſed ab inclinatione ſe ſuſpendentem, ad ſuſpendendum autem præciſè cum ſit negatio non videtur neceſſarius habitus, niſi aliquid poſitiuum ei adiungatur, ſcil. vt fiat propter aliquem finem, v.g. propter euitandum laborem, vel propter bonum virtutis, &c. Quod potius tangit aliquid morale pertinens ad voluntatem, quàm ad intellectum.

Circa hæc autem tria explicatione indigent. Primum, in quo conſiſtat incertitudo, & ineuidentia, quod ex oppoſito eorum, ſcil. ex euidentia, & certitudine declarandum eſt. *Secundum*, an iſtis habitibus, ita intrinſeca ſit incertitudo, & ineuidentia, vt nullo modo ſeparari poſſint ab illis. *Tertium*, an differant inter ſe eſſentialiter iſti habitus.

Circa primum, certitudo, vt colligitur ex D. Th. in 3. diſtinct. 23. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. non eſt aliud, quam *determinatio, ſeu adhæſio intellectus ad vnum*, & ideò tanto eſt maior certitudo, quanto eſt fortius, quod cauſat determinationem. Et inſinuatur duplex certitudo, alia cauſata, ſeu formalis ex parte actus; alia cauſans, quæ eſt ex parte obiecti, ſeu ſubiecti, quia aliquando certitudo cauſatur ex obiecto cognito, quod ſufficit determinare intellectum, aliquando ex voluntate, quæ tenet ſe ex parte ſubiecti, quia obiectum per ſe non ſufficit determinare. Et ita ſubdit ibi S. Thomas, quòd in intellectu principiorum cauſatur certitudo ex eo, quod aliquid ſufficienter poteſt inſpici per ipſum, in ſcientia verò, quia reſoluitur in principia per ſe viſa, in fide verò, ex hoc quod voluntas imperat intellectui. Et ſic eſt triplex certitudo, ſcil. formalis in actu, obiectiua ex parte obiecti conuincentis, ſubie-

ctiua

ctiua ex parte voluntatis adhærentis, & facientis adhærere intellectum. Et inde est, quòd quando Deus mouet ad fidem, prius tangit voluntatem, & mediante ipsa intellectum; vt per electionem voluntatis determinetur, sicut explicat Diuus Thomas super epistol. ad Hebræos capite 11. lect. 1. & hæc certitudo subiectiua est sine euidentia; supplet enim voluntas, id quod deest obiecto ex parte euidentiæ: obiectiua autem certitudo necessariò est coniuncta euidentiæ, quia oritur ex obiecto sufficiente per se mouere, quod sine euidentia non fit.

Euidentia autem, vt sumitur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 1. artic. 4. dicitur illa, *quæ seipsa mouet potentiam*; illa enim videri dicuntur, quæ per seipsam mouent intellectum, vel sensum. Ponit autem triplicem modum visionis, seu euidentiæ in 3. distinct. 24. q. 1. art. 1. inuenitur enim primo ratio visionis in cognitione simplici, eò quòd primordialiter visio inuenitur in sensu, in quantum species visibilis in actu formatur in visu, & transferendo nomen visionis ad intellectum propriè intelligendo videmus, quando per lumen intellectuale ipsa intellectualis forma fit in intellectu nostro, siue per lumen naturale, vt quando intelligimus quidditatem hominis, siue per lumen supernaturale. Et vlterius videri per intellectum dicuntur illa complexa, quorum cognitio ex prædicta visione consurgit, sicut per lumen naturale videmus principia prima, quæ cognoscimus statim, vt termini explicantur. Et vlterius etiam ea, quæ in ista principia resoluere possumus per rationem dicuntur videri; sicut ea, quæ scimus demonstratiuè probata. Ecce omnes gradus, & modos visionis, quos tradit D. Thomas, vbi non solum visionem tribuit his, quæ immediatè, & intuitiuè videntur in se, sed etiam his, quæ per scientiam, & demonstrationem resoluuntur in ea, quæ sunt per se nota, nam hoc ipso, quod per necessariam connexionem rebus per se visis connectuntur, manent ab ipsis principiis illuminata, & perinde ac si essent visa. Ex effectu autem sumitur signum euidentiæ, quando aliquid ita proponitur intellectui, quod ipsum plenè conuincit, ita quod quietatur intellectus, nec indiget ab aliquo intrinseco, scil. à voluntate moueri supplente insufficientiam obiecti. Nam si intellectus plenè mouetur ab obiecto obiectum attingitur secundùm se, aliàs ex vi obiecti præcisè non diceretur moueri, si non omnino actuaret potentiã, sed solum imperfectè attingeretur, quod est non superare resistentiam obiecti, neque conuincere.

Ex quo manet explicatum, quid sit ineuidentia, & incertitudo, per priuationem scilicet euidentiæ, & certitudinis. Vnde obiectum cum tali priuatione propositum, non est sufficiens ad conuincendam potentiam, & totaliter mouendam, ideoque cum non plenè determinet illam, indiget affectione voluntatis inclinante intellectum, sicut apparet in fide. Neque hoc facit voluntas superaddendo lumen intellectui, vt suppleatur motio obiecti obscuri; sic enim vel redderet obiectum euidens per istam additionem luminis, vel relinqueret obscurum. Si redderet euidens, tolleretur fides per voluntatem; si remanet obscurum manet sicut antea; & sic non suppletur lumen obscurum per additionem luminis. Sed intelligitur voluntas inclinare intellectum, quatenus illi repræsentatur affectus ipse, & adhæsio voluntatis ad obiectum, tanquam ad conueniens, & ideò intellectus non propter maiorem manifestationem veritatis, sed propter conuenientiam voluntatis non renuit quoque obiecto ipsi adhærere, dummodo de falsitate illius ei non constet. Vnde remota illa dispositione, & affectu voluntatis remanet in ratione probabilis, vel dubij. Et hæc est ratio quare ad fidem requiritur imperium voluntatis non solum quoad executionem actus in exercitio, sed etiam quoad specificationem, id est, quoad determinationem ex parte obiecti supplentem per propositionem conuenientiæ, id quod non potest determinare obiectum, per euidentiam veritatis.

Circa secundum, an opinio essentialiter habeat annexam incertitudinem, & formidinem; *difficultas est*, propter aliquas propositiones, quæ sine vlla dubitatione, credimus, v. g. Romam esse, quam non videmus. Et similiter in genere opinabili sunt aliquæ propositiones immediatæ & tãquam principia, quia per alias propositiones probabiles non probantur, ver. gratia; hæc, *Omnis mater diligit filium suum*, quod expressit Aristot. 1. Poster. c. 26. & D. Thomas ibi lectione 44. *Et ratio est manifesta*, quia etiam in probationibus opinatiuis non datur processus in infinitum: ergo sistendum est in aliqua propositione, quæ careat medio probatiuo. Et hæc non potest esse necessaria, sed probabilis, quia ex necessario non sequitur contingens in bona consequentia: ergo illæ primæ propositiones, & sunt immediatæ, & non necessariæ, sed probabiles. Quare in his, & similibus, *difficultas est*, quomodo ab illis separetur incertitudo & formido.

Aliqui ergo distinguunt duplicem incertitudinem, seu formidinem: alteram ex parte medij seu rationis formalis cognoscendi: alteram ex parte effectus, quem reliquit in subiecto, scil. actuali adhæsione ipsius ad rem. Et primam dicunt non posse separari, sed secundam, vt experientia ipsa testatur, quando sine vlla hæsitatione credimus multa, quæ non vidimus

Sed restat difficile argumentũ soluere, scil. quomodo possit aliquis formare iudicium intrinsecè ineuidẽs, & incertum, & tamen quòd subiectum non participet talem incertitudinem, cum non nisi per actum illum incertum tendat in obiectum. *Respondent Authores illius solutionis*, quod intellectus participat ipsam formidinem intrinsecam, quæ ex parte obiecti se tenet, sed caret solum formidine prouueniente ex voluntate, eò quod voluntas ita adhæret vni parti, quod non admittit de opposita formidari, & dubitari. In istis enim assensibus obscuris semper habet locum motio voluntatis. Vnde si totaliter formatur voluntas, tollitur omnis dubitatio.

Cæterùm, quia aliquando contingit voluntatem plenè firmari in aliquo obiecto, vt patet in fide Diuina, & tamen intellectum pati dubitationem, & fluctuationem speculatiuam, vt patet in his, qui tentantur circa fidem sine pertinacia, quam tamen dubitationem non patitur intellectus circa aliquas propositiones fidei humanæ, verbi gratiã, Romam esse. *Ideò vlteriùs dicendum est*, quòd in fide, & opinione potest dari euidentia moralis, & certitudo non circa veritatem, quam attingit; hæc enim semper manet obscura, & incerta, & vocatur hæc incertitudo intrinseca, seu Metaphysica, quia circa veritatem ipsam versatur, sed euidentia ista, & certitudo versatur circa credibilitatem, vel probabilitatem, & quando tot accumulantur motiua, quod reddunt euidentem credibilitatem, ita quod non remanet locus ad discredendum, tunc tollitur omnis formido extrinseca, quia rationes motiuæ, & inductiuæ ad fidem dicuntur extrinsecæ ipsi assensui credendi.

Cæterum circa ipsam veritatem creditam, vel opinatam, quandiu in se ipsa non videtur, semper manet intellectus ab intrinseco incertus, & non satiatus, & sic licet possit carere omni formidine morali, aut motu dubitationis; non tamen potest carere formidine

midine manifestationis, & euidentiæ circa veritatem, & sic formido obscuritatis nunquam potest tolli à fide, opinione, & consequenter, neque formido incertitudinis obiectiuæ in his, quæ fide humana, vel opinione attinguntur. In fide autem Diuina incertitudo obiectiua non datur propter infallibilitatem testimonij; datur tamen imperfectio intrinseca obscuritatis. Quidquid autem vacillationis, aut dubitationis esse potest in credendo, vel opinando, tantum tollitur vel minuitur, quantum crescunt motiua, & rationes inductiuæ ad credibilitatem, vel probabilitatem, & tantum possunt crescere in euidentia, quod omnem istam formidinem excludant. Et signum huius est, quod etiam in fide Diuina tentationes circa fidem ex accumulatione motiuorum inducentium ad fidem solent minui: & qui plenè sunt conuicti à signis ad credendum: sine motu dubitationis speculatiuæ credunt.

Quòd si dicas. Scientia nunquam potest exuere certitudinem; ergo neque opinio, vel fides formidinem, quia pari modo se habent scientia ad certitudinem, & opinio ad formidinem. *Negatur consequentia.* Quia in scientia solum est vna certitudo, scilicet, quatenus rem attingit in se, in opinione autem est duplex formido, alia intrinseca respectu veritatis, alia intrinseca respectu motiuorum inducentium ad probabilitatem, vel credibilitatem, & ita potest tolli vna, manente alia.

Circa tertiam difficultatem de distinctione formali istorum habituum ineuidentium, *Breuiter dico fidem humanam, & opinionem essentialiter differre*; eò quòd media sunt totaliter diuersa, & ipsa formalis ratio cognoscendi in vtroque valde differt. Nam opinio vtitur rationibus facientibus probabilitatem, & habentibus connexionem, licet non necessariam, saltem probabilem, & verisimilem, ratione cuius intellectus inclinari potest licet non totaliter moueri, & conuinci: at verò fides solum innititur authoritate dicentis, & sic non vtitur probatione, vel discursu, sed cognita authoritate, & quòd sit de fide digna, & quod ipsa propositio non appareat impossibilis, aut falsa, hoc solum sufficit ad assentiendum credendo, ergo differunt essentialiter in modo, & ratione formali tendendi in sua obiecta

Et de hac conclusione videri potest D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 1. & latius in 3. dist. 23. q. 2. art. 2. vbi ponit differentiam, qua intellectus se habet per habitum principiorum, & per scientiam, & per fidem, & per opinionem ostendendo, quod hoc, quod est cogitare cum assensu, distinguit credentem ab omnibus aliis intelligendo nomine cogitationis non actum potentiæ imaginatiuæ, sed actum, seu motum rationis discurrentis, per assensum autem, determinatum iudicium. Etenim qui intelligit per intellectum principiorum habet assensum sine cogitatione, id est, sine motu discursus, sed tantum ex explicatione terminorum: sciens autem habet cognitionem & assensum, quia cogitando, seu discurrendo peruenit ad assensum visionis principiorum, vbi terminatur motus intellectus, & ideo, visionem includit, quatenùs coordinatur principiis, quæ per se videntur. Credens autem habet assensum cum cogitatione, quia non per cogitationem, & discursum peruenit ad assensum, neque enim perducitur ad principia per se nota, sed determinatur ad assensum ex aliquo principio extrinseco, scilicet ab electione voluntatis, quia ei bonum videtur, & in hoc habet firmitatem, & assensum; patitur tamen motum, seu cogitationem etiam circa oppositum. Opinans autem habet cogitationem sine assensu perfecto, sed tamen habet aliquid assensus, inquantum adhæret vni parti magis, quàm alteri, sed quia accipit vnam partem cum formidine alterius, ille assensus non est plene determinatus. Dubitans autem nihil habet de assensu, sed tantum de cogitatione suspendendo iudicium. Nesciens autem, neque habet assensum, neque cogitationem. Sic Diu. Thom. Vnde manifestum est opinionem distingui à fide specie, tum ratione medij, quo mouetur, scilicet fides propter authoritatem dicentis, opinio ex probabilitate rationum, tum ex modo quo mouetur, scilicet cum assensu ex electione voluntatis, vel cum formidine ex parte rationum.

Quod si quæras de suspicione an differat essentialiter ab opinione, & fide? *Respondetur*, pertinere ad opinionem tanquam quid imperfectum in illo genere. Vnde D. Thom. in 3. senten. citato non connumerauit eam seorsum, explicauit autem in loco citato ex 2. 2. dicens: quòd suspicio, & opinio differunt, quia suspicans inclinat in vnam partem ex aliquo leui signo, opinans autem adhæret vni parti, licet cum formidine alterius, & sic solum differunt penes magis, & minus in adhærendo, *Vel potest dici*, quòd suspicio est aliquid communiter pertinens ad fidem, & opinionem tanquam imperfectum in vtroque genere, si enim leue iudicium, quo aliquis mouetur sit aliquod dictum non multæ authoritatis, reducetur ad fidem leuem, quâ aliquis citò credit. Si autem leue indicium sit aliqua ratio non multum habens ponderis, pertinebit ad opinionem imperfectam.

Sed obiicies. Nam videntur essentialiter conuenire fides, & opinio, vtrumque enim requirit rationes probabiles; neque enim mouetur quis ad credendum prudenter, nisi proponatur sibi aliquid probabiliter, seu verosimiliter, vtrumque etiam requirit piam affectionem, quia nec etiam opinio mouetur ad assensum ex vi obiecti conuincentis, & consequenter oportet, quod determinetur ab aliquo extrinseco, id est à voluntate supplente determinationem obiecti: ergo conueniunt opinio, & fides in formali motiuo, solum verò differunt ex parte diuersæ materiæ, sicut duæ opiniones differre possunt.

Secundo, quia opinio non minùs est incerta, & ineuidens, quàm fides: ergo vtriusque motiuum essentialiter conuenit in ratione formali mouendi. Vnde Philosophus 1. Topicor. cap. 7. dicit fidem esse opinionem habitam per inductionem, vel syllogismum probabilem.

Ad primum Resp. Fidem non formaliter petere rationes probabiles sed præsuppositiuè, & antecedenter: opinionem verò per se, & formaliter, per accidens autem habere adiunctum motum voluntatis. Nam probabilitas rationum in fide ad duo requiritur. *Primò*, ne res appareat impossibilis. *Secundò*, vt appareat conueniens ipsa, vel authoritas dicentis & sic afficiatur illis voluntas, quo affectu posito mouetur intellectus ad credendum ex propositione boni, & conuenientis. In quo fundat D. Thom. quod pia affectio, quæ antecedit fidem Diuinam oritur ex propositione intellectus, quo proponit conuenientiam boni repromissi in q. 14. de verit. art. 2. ad 10. & inde est quòd cùm propositio illa conuenientiæ boni per intellectum facta, solum ordinetur ad alliciendum voluntatem, licèt requirat propositionem supernaturalem, si bonum, quod proponitur supernaturale sit, non tamen requirit euidentiam in veritate proposita, sed in boni conuenientia, quod est esse euidentem practicè, non speculatiuè. In opinione verò, probabilitas rationum non requiritur ad proponendum bonum, sed ad manifestandam veritatem, licèt non plenè, & perfectè. Et ita adhæsio opinionis quæ non est plena, nec firma non pendet à voluntate per

per se, sed sine ipsa inueniri potest solum sistens in pondere, & momentis rationum. Si verò motus voluntatis illi adiungatur, non erit tanquam primo, & per se requisitum, sed per accidens, quia voluntas vtitur opinione aliquando, tanquam fide, vt cum fertur iudicium potius ex passione, quam ex sola opinione, & pondere rationum.

Ad secundum Respondetur; Quòd fides, & opinio conueniunt in ratione incerti, & ineuidentis tanquam in ratione generica; differunt vero specie propter diuersa media, & diuersum modum mouendi, vt dictum est. Philos. autem accipit fidem lato modo, prout vulgari locutione quidquid non videtur, dicitur fides, vel opinio.

ARTICVLVS V.

Vtrùm opinio, & fides cum scientia intrinsecè repugnent?

TRiplex combinatio potest fieri inter opinionē, & scientiam. *Prima* comparando actum cum actu, scilicet assensum certum, & euidentem, qui est scientia, cum incerto, & ineuidenti, qui est opinionis, vel fidei. *Secunda* comparando habitum cum habitu; est enim habitus scientiæ inclinatio ad assensum euidentem, quæ est inclinatio contraria illi, quæ inclinat ad ineuidentem. *Tertia* est inter habitum, & actum vt si quis habeat habitum opinionis, & eliciat actum scientiæ, vel è contra.

Circa primam comparationem aliqui absolutè censent non repugnare circa idem obiectum in eodem intellectu actum scientiæ, & opinionis quia existimant solum disparatè se habere, non autem priuatiuè clarum, & obscurum, quatenus procedunt ex diuersis motiuis. Ita Magister. Cabero hîc tract. 7. disput. 4. dub. 6. *Alij existimant* opinionem, quæ simul habet adiunctam hæsitationem, & formidinem actualem compati non posse cum actu scientiæ, benè tamen si exuat formidinem modo explicato præcedēti artic. Ita apud Conimbric. 1. Post. cap. 26. q. 2. articul. 2. Qui etiam sentiunt fidem Diuinam, quæ certitudinem habet non pugnare cum scientia in art. 3. ad 4. & sic in sola euidentia, & ineuidentia, remota incertitudine non videntur ponere oppositionem. Denique aliqui recentiores ad 2. 2. D. Thom. q. 1. art. 4. & 5. distinguunt de euidentia abstractiua, & intuitiua, quæ est visio, & dicunt visionem omnino repugnare cum fide, seu opinione, non tamen euidentiam abstractiuam, quia nondum est plena visio, nec ipsam rem in se attingit.

Nihilominùs dico primò. *Actus obscurus & euidens, siue opinionis, siue fidei, siue euidentiæ intuitiua, siue abstractiua pugnant inter se in eodem intellectu secundum priuationem ex parte subiecti, & eodem modo se habet actus certus, & incertus.* In hac conclusione plures Authores conueniunt, quos videre poteris in Cursu Carmelit. disp. 20. Logicæ qu. 4. Est autem expressa sententia D. Thomæ, nam in quæst. 14. de verit. art. 9. ad 6. dicit: *Quòd non videtur possibile, quòd aliquis de eodem habeat scientiam, & opinionem, quia opinio est cum formidine alterius partis, quam formidinem scientia excludit.* Et 1. Poster. lect. 44. inquit: *Manifestum esse, quòd contingit omnino simul idem sciri, & opinari, quia simul homo haberet existimationem, quod posset aliter se habere, & quod non posset aliter se habere.* Cui concordat, quod resoluit 2. 2. quæst. 1. art. 5. ad 4. vbi docet: *Quòd de eodem secundum idem non potest in vno homine esse simul scientia, neque cum opinione, neque cum fide; alia tamen, & alia ratione: scientia enim cum opinione simul esse non potest simpliciter de eodem, quia de ratione scientiæ est, quod id quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere, de ratione verò opinionis est, quod id quod est opinatum existimetur possibile aliter se habere.* De fide vero, & scientia subdit *quòd solum ex parte visi, & non visi repugnant.*

Nec obstat, quod D. Thom. 1. 2. quæst. 67. art. 3. absolutè docet, quòd nihil prohibet, quòd conueniant in vno obiecto, & in vno subiecto cognitio perfecta, & imperfecta ex parte medij: potest enim vnus homo cognoscere eandem conclusionem per medium probabile, & demonstratiuum: ergo apertè censet posse esse simul opinionis actum, & scientiæ in eodem subiecto, quia sunt per diuersa media; nam medium probabile, & opinatiuum idem sunt. Et simile docet in 3. dist. 31. quæst. 2. art. 1. & 3. p. quæst. 9. artic. 3. & 2. *Hæc* inquam *non obstant*, licet in specie difficilia videantur loca allata, ita vt P. Suarez in comment. illius quæst. 9. ex 3. p. voluerit S. Thom. tenuisse, quòd opinio, & scientia possunt esse simul. *Sed tamen ex hoc ipso loco deducitur solutio*, vbi S. Thom. dicit: *Quòd opinio ex syllogismo dialectico causata est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur, quæ tamen acquisita potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum acquisita, quasi consequens scientiam demonstratiuam, quæ est per causam.* Vbi acutè ponderat Caietanus, discernenda esse verba S. Doctoris quæ ex industria mutata sunt, dum primo loco ponit dialecticum syllogismum sub nomine opinionis; & secundo loco non sub nomine opinionis, sed cognitionis, vt ostenderetur, quod opinio non est præcisè idem quod cognitio per medium probabile quomodocumque acceptum, sed vt exercitè est ratio, & motiuum assentiendi cum formidine alterius partis. Vt autem dicit præcisè cognitionem medij probabilis quantum ad vim probabilitatis circa talem veritatem, quod fieri potest per cognitionem reflexam, & consecutam ad scientiam demonstratiuam, sic non est opinio. Et cum eàdem cautelâ, & aduertentiâ locutus videtur D. Thom. illo loco ex 1. 2. nam dicit quod ex parte medij differunt secundum perfectum, & imperfectum cognitio, quæ est de aliqua conclusione per medium probabile, & per medium demonstratiuum, ex parte verò subiecti differunt secundum perfectum, & imperfectum, opinio, fides & scientia: nam de ratione opinionis est quod accipiatur vnum cum formidine alterius oppositi: Et sic primo loco non nominat opinionem, sed secundo.

Ex quo apparet, quòd secundum D. Thom. opinio secundum formalitatem opinionis non potest manere cum scientia, quia repugnant ex parte subiecti, potest tamen manere medium probabile cum medio demonstratiuo, non quidem secundum quod constituit cognitionem opinatiuam, illamque exercet in intellectu, sed quia manet cognitio quasi reflexa medij probabilis, quatenus ille qui habet scientiam melius cognoscit vim probatiuam signorum probabilium circa aliquam conclusionem non verò ab illis in ipso exercitio ducitur ad assentiendum; hoc enim est, quod Diu. Thom. exprimit loco illo citato ex 3. p. dicens: *Quòd manet cognitio dialectica consequens scientiam demonstratiuam, quia ille qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere, signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus.* Igitur secundum D. Thom. in tantum manet medium probabile cum demonstratiuo, in quantum magis cognoscuntur signa probabilia ex cognitione

gnitione ſcientifica; quod vtique non fit, niſi quia magis penetratur probabilitas talium ſignorum, quod eſt cognitio quaſi reflexa ipſius medij probabilis, & ſic non conſtituit aſſenſum opinatiuum in exercitio, neque contra ponitur ſcientifico, ſed in actu ſignato probabilitas ſignorum demonſtratur.

Nec obſtat, quòd etiam hac ratione dici poſſet, quod fides, & ſcientia ſimul eſſe poſſent in eodem ſubiecto, quod negat D.Thom. Siquidem per ſcientiam poteſt aliquis melius cognoſcere in actu ſignato authoritatem dicentis eſſe rationem credendi: ergo illa expoſitio non eſt ſufficiens. *Reſpondetur, neg. antecед.* nam ex eo, quod ſcientia per medium probatiuum demonſtret, non ſequitur, quòd eodem motiuo melius cognoſcat authoritatem dicentis, quoniam authoritas non manifeſtatur per aliquod medium probatiuum, cum probatione careat, & diſcurſu, ſed ex affectu voluntatis creſcere poteſt motiuum authoritatis. Opinio autem, ſeu medium probabile, etiam modo probatiuo procedit, & ideò tunc melius innoteſcit eius probabilitas, quando altiori lumine probatiuo, ſcilicet ſcientiæ adiuuatur.

Fundamentum huius concluſionis ſumitur ex ipſa repugnantia inter euidentiam, & ineuidentiam, certitudinem, & incertitudinem circa eandem veritatem. Vt autem poſſimus diſcernere, & cognoſcere iſtam oppoſitionem *conſiderandum eſt*, quòd non eſt difficultas talem euidentiam, & ineuidentiam inducere effectus repugnantes in ipſo intellectu, ſi abſolutè ipſum afficiant, quia euidentia, & ineuidentia ſecundum ſe oppoſitionem ſonant.

Sed difficultas eſt, quomodo inueniatur iſta repugnantia, quando fit per diuerſa media, non enim repugnat, quod intellectus per vnum medium videat, per aliud non videat, & ſic vtendo diuerſis mediis, non eſt contradictio videre, & non videre, ſicut non eſt contradictio, magis, & minus perfectè cognoſcere per diuerſas ſcientias, magis, vel minus perfectas. *Cæterùm in hoc eſt grandis æquiuocatio*, quia diuerſitas mediorum tunc ſolum compatitur in eodem ſubiecto reſpectu eiuſdem veritatis, quando ipſa media inter ſe oppoſitionem non habent, nec effectus oppoſitos inducunt, vel etiam quando refunduntur in ipſa obiecta, ita quod diuerſum medium conſtituit diuerſam veritatem, ſeu obiectum. Si autem diuerſa media ſolum ſe habent vt cauſæ diuerſorum aſſenſuum, quorum vnus eſt clarus, & alter obſcurus, etiamſi procedant ex diuerſis mediis ſunt incompatibiles, ſicut etiam tenebræ, & lux, licèt cauſentur à diuerſis cauſis, ſi tamen in eodem ſubiecto ponantur, opponuntur priuatiuè. Igitur quando concurrunt medium euidens, & ineuidens, certum, & incertum, quæ vtique in ſe ipſis ita ſe habent, quod vnum caret perfectione quam alterum importat, vt videamus, an ex parte ſubiecti oppoſitionem exerceant, attendendum eſt ad effectus quos in ſubiecto relinquunt. Nam dupliciter ſolum poſſunt comparari ad ſubiectum. Vno modo abſolutè efficiendo intellectum, & in exercitio relinquendo illum videntem vnam veritatem, & non videntem, ſeu non peruenientem ad videndum illam, quietatum, & conuictum in veritate, non quietatum, nec plene conuictum in eadem, licet iſti diuerſi motus, & effectiones à diuerſis principiis, ſeu motiuis fiant. Alio modo non abſolutè, & in exercitio ſic afficiendo, ſed cum quadam reflexione, & connotatione, verbi gratiâ, iudicando hoc eſſe ineuidens & incertum, vt ſubeſt talibus præmiſſis ineuidentibus, & incertis, eſſe verò certum, & euidens vt ſubeſt aliis præmiſſis, ita quod ipſum ſubeſſe talibus præmiſſis, non ſolùm ſit motiuum, exercitè, & effectiuè dicens intellectum, vt videat, vel non videat, ſed etiam ſe habeat vt obiectum, de quo iudicatur inferre viſionem, vel non inferre viſionem. Primo modo non poteſt non dari repugnantia, & oppoſitio inter iſtos aſſenſus & inter ipſa media, & ſic D.Thom. 1. Poſter. lect. 44. docet ex Ariſt. quod eodem modo pugnant ſcientia, & opinio, ſicut opinio vera, & falſa, quæ vtique circa idem obiectum repugnant inter ſe. *Et ratio eſt*, quia effectus omnino oppoſitos inducunt, & motus contrarios in eodem intellectu, per vnum enim motum peruenit ad hoc, vt reddatur videns, per alium non peruenit ad videndum vnam, & eandem veritatem, per vnum plene quieſcit, & terminatur aſſenſus intellectus, per alium non conuincitur, nec quieſcit, nec eius indifferentia vincitur. Ergo ſic afficere potentiam, eſt ponere in illa effectus repugnantes, ſicut ſi idem oculus deducatur ad videndum clarè vnam rem, & non videndum clarè eandem, licèt fiat hoc per diuerſas cauſas, & media, tamen quia effectus ipſi ſunt repugnantes, non poſſunt in eodem ſubiecto ſimul poni. Et generaliter loquendo omnes effectus repugnantes ex diuerſis cauſis oriri ſolent, & tamen inter ſe vniri non poſſunt in eodem ſubiecto, quia efficientia diuerſarum cauſarum non tollit formalem effectuum repugnantiam: ſic in præſenti ſi motiua, & media diuerſa ſolum ſe habent vt cauſæ inducentes effectiuè effectus repugnantes, vt videre rem & à viſione abſtrahere, non tollitur earum repugnantia, ex eo quod à diuerſis mediis, ſeu cauſis inducantur.

Si verò ſecundo modo fiat, tunc manifeſtum eſt non repugnare opinionem, & ſcientiam, quia tunc non eſt opinio, ſed certitudo, nec verſatur circa eandem veritatem, ſed circa diuerſam, nam quod concluſio aliqua, vt illata ex præmiſſis probabilibus ſit ineuidens, & incerta, eſt iudicium certiſſimum, quia non fertur circa ipſam veritatem illatam, ſed circa eius illationem, & dependentiam à præmiſſis, & hanc, certum eſt, eſſe incertam. Et hoc modo vt ſuprà diximus ex D.Thom. medium probabile vt conſequens ad ſcientiam poteſt compati cum ipſa, quia ex cauſa demonſtrante, perfectius ſigna probabilia cognoſcere poteſt. Sed non loquimur in præſenti in hoc ſenſu, ſed de opinione, & ſcientia, quatenus exercitè afficiunt intellectum circa veritatem concluſionis, non quatenus vna in actu ſignato iudicatur incerta, & alia certa.

Quod autem eadem ſit repugnantia inter opinionem, ſeu fidem cum euidentia viſionis, & cum euidentia ſcientiæ etiam abſtractiua, vt docet S. Thom. 2.2.q.1. art.5. inde conſtat, quia omnis euidentia ſcientifica etiam abſtractiua originatur ex aliqua viſione intuitiua ſicut præced. art. vidimus ex D.Thom. numerante omnes modos euidentiæ. Cum ergo ſcientifica euidentia per ſe connectatur, & oriatur ex viſione principiorum, obſcuritas, quæ opponitur immediatè ſcientiæ mediatè & per neceſſariam connexionem opponitur viſioni, vnde illa originatur, ergo eſt illi incompoſſibilis.

Circa ſecundam comparationem ſcilicet inter habitum opinatiuum, & ſcienficum, *multi cenſent* non opponi inter ſe habitus iſtos, ſed poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto, nec enim dicunt actualem obſcuritatem, & ineuidentiam, ſed ſolum inclinationem ad actus formaliter obſcuros, vel euidentes.

Nihilominus dicendum eſt, ſecundò *Habitus iſtos opponi inter ſe contrariè tanquam oppoſitas inclinationes ad oppoſitos actus, ſicut in naturalibus opponitur grauitas, & leuitas, quæ inclinant ad oppoſitos motus & in moralibus virtutes, & vitia.* Vnde D. Thom. *loco ſu-*

pra cit. ex 1. Post.lect.44. cùm dixisset ex Aristot. quod opinio, & scientia opponuntur sicut opinio vera, & falsa, eodem tenore loquitur de opinione pro habitu, & de aliis habitibus, quæ semper se habent ad verum, cum quibus comparat scientiam, vt patet ibidem §. *Comparat scientiam ad aliquos habitus, &c.* Ergo non loquitur de opinione solùm pro actu, sed etiam pro habitu, quando contrarietatem ponit inter illos. Et eodem modo loquitur de habitu opinionis, & scientiæ 2. Posterior.lect.20. in fine. Ratio autem sumitur ex dictis, quia impossibile est actus aliquos opponi inter se, & ipsos habitus ad tales actus inclinantes non opponi, siquidem inclinationes aliquæ in tantum dicuntur oppositæ, in quantum ad motus oppositos inclinant: ergo vbi ipsi motus, seu actus oppositi sunt, inclinationes ipsæ oppositæ esse debent; inclinationes autem oppositæ contrarietatem habent inter se, vt in exemplis adductis manifestum est: ergo non poterunt compati in eodem subiecto, eo modo quo formæ contrariæ non compatiuntur.

Sed est notandum, quòd quia formæ contrariæ tunc se expellũt à subiecto, quãdo sunt perfectæ, non quãdo sunt in statu imperfecto, & remisso, eò quòd forma cõtraria, si est in statu perfecto subiicit sibi perfectè indifferentiam subiecti, & ad vniformitatem suam reducit, & sic non permittit relinqui indifferentiam ad oppositum contrarium, ideò oportet, quòd habitus euidens expellens obscurum, perfectè subiectum informet. Et inde est quod lumen gloriæ, nisi detur in statu perfecto non expellit habitum fidei, quia non datur modo habituali, sed per modum transeuntis, & ita docet D. Thom. 2. 2. q. 175. art. 3. ad 5. quòd illud lumen gloriæ, quod fuit datum Paulo, quando vidit in raptu Diuinam essentiam, non euacuauit habitum fidei, quia non fuit datum per modum habitus. Et similiter si daretur aliqua demonstratio, ita imperfecto modo quod non generaret habitum, sicut visio gloriæ, vel non daretur permanenter, sed per modum transeuntis, non euacuaret habitum opinionis; tamen si demonstratio sit vera, & perfecta, ita quod clarè, & manifestè connectatur cum propositione per se nota vnico actu generat habitum perfectum, id est, totaliter conuincentem intellectum, & firmantem illum circa veritatem illatam, vt dicit D. Thom. 1. 2. q. 51. art. 3. & ideò habitus scientificus, ex natura sua semper expellit habitum opinionis, quia semper est habitus perfectus, & ita habet se sicut forma contraria intensa, quæ semper expellit oppositam.

Circa tertiam comparationem, scilicet inter habitum, & actum euidentem, & ineuidentem. Dico vltimò; *Ex natura rei non opponuntur formaliter, sed compatiuntur in eodem subiecto, per accidens tamen mutuo se expellunt, quatenus vnus actus generat perfectum habitum, qui hoc ipso, quod perfectus est in subiecto expellit oppositum. Prima pars conclusionis probatur*, quia inter habitum, & actum non est formalis oppositio, sed effectiua, vel dispositiua, quatenùs actus disponit ad habitum oppositum, vel quatenùs habitus producit actum, qui alteri actui opponitur formaliter, inter se tamen actus, & habitus non opponuntur, habitus enim solùm dicit inclinationem ad aliquid, actus verò actualem tendentiam, stat autem benè cum inclinatione ad vnum, tendentia ad oppositum sicut lapis stante grauitate, quæ inclinat ad centrum, potest tendere sursum per impulsum violentum, & habens habitum virtutis potest actu peccare, & habens habitum fidei actu videre Deum per modum transeuntis, vt expressè docet D. Thom. 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad. 3. ergo similiter habens habitum scientiæ poterit elicere actum opinionis, nec tamen ex hoc amittit scientiam. At verò è contra qui habet habitum opinionis, si eliciat actum demonstratiuum, hoc ipso illo vnico actu generat habitum scientiæ perfectum, quia est perfectè conuincens intellectum, & vincens totam eius resistentiam, & talis habitus non compatitur cum habitu opinionis propter sui perfectionem, sicut vna forma contraria perfecta expellit aliam, sed hoc est per accidens, id est, per aliud, quatenùs ille actus generat habitum perfectum, non ex sola formali ratione actus respectu habitus oppositi.

Quod si habitus infusi, vt gratia, & charitas vnico actu opposito peccati expelluntur, vt docet D. Thom. in 2. 2. quæst. 24. art. 12. hoc non est ex eo, quod actus formaliter destruat oppositum habitum, sed quia impedit influxum causæ conseruantis, quatenùs homo per peccatum auertitur à Deo, & sic ponit obstaculum vt recipiat à Deo lumen gratiæ, quo redditur conuersus ad Deum vt ad finem, sicut qui claudit fenestram, ponit impedimentum luci solis, ne illuminet aërem. Vnde non destruuntur illi habitus, per formalem oppositionem actus, sed per oppositionem impedimenti, quod non habet locum in præsenti, vbi habitus scientiæ & opinionis, non pendent in fieri, & conseruari ab aliqua causa extrinseca, cuius influxus per actum oppositum impediatur.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur. Quia tota ratio oppositionis inter actum scientiæ, & opinionis, vel est ex pluralitate actuum, vel est ex contrarietate: non ex pluralitate tantùm, aliàs non magis repugnarent, quàm duo actus scientiæ, vel opinionis, aut quicumque alij actus disparatè se habentes. Non ex contrarietate, quia ista contrarietas tota est ratione claritatis, & obscuritatis, & ratione certitudinis, & incertitudinis, sed ista non repugnat contrariè secundum quod habentur per diuersa media, nec enim repugnat, eandem rem habere diuersas causas, quasdam necessarias, quasdam contingentes, secundum causas necessarias iudicamus non posse aliter se habere, & secundum causas contingentes posse aliter se habere, & istam propositionem *mortui resurgunt*, sine vlla contradictione affirmamus secundum causas supernaturales: & negamus secundum causas naturales: ergo similiter ex diuersis causis, & motiuis iudicabimus de eadem conclusione certò, & incertò, euidenter, & ineuidenter. Vnde D. Thom. prima secundæ quæstione 67. articul. 3. inter opinionem, & scientiam, seu medium probabile, & demonstratiuum solum posuit oppositionem respectu eiusdem actus, seu medij, non respectu eiusdem subiecti per diuersa media.

Confirmatur; Quia actus contrarij circa idem obiectum possunt esse simul in voluntate: ergo etiam actus opinionis, & scientiæ in intellectu. *Consequens patet*, quia isti actus non opponuntur inter se priuatiuè, & contradictoriè, cum vterque sit actus positiuus, nec ex parte obiecti contradictoriè se habent, cum vterque sit affirmatio eiusdem veritatis. *Antecedens verò probat.* Nam voluntas Christi simul afficiebatur lætitia, & tristitia circa idem obiectum scilicet passionem suam, de qua tristabatur, vt malum naturæ, & gaudebat, vt redemptiua hominum.

Respondetur, oppositionem, inter actum opinionis, & scientiæ esse ratione contrarietatis, non quomodocumque, sed inferentis effectus priuatiuè oppositos, scilicet videre, & non videre clarè idem obiectum & certificari de ipso iudicando, quod impossibi

ibile est aliter se habere, vel non certificari iudicando oppositum, quod Sanctus Thomas vbi suprà æquiparat oppositioni inter verum, & falsum. Ad id autem, quod dicitur de diuersis mediis. *Respondetur*, quod illi assensus dati per diuersas causas, & media necessaria, & contingentia, vt sunt formales rationes oppositorum iudiciorum absolutè, opponuntur inter se, non verò si ipsæ causæ, & media, quasi reflexe, & in actu signato considerentur, vt obiecta de quibus fit iudicium probabilitatis opinatiuæ, vel necessitatis, sic enim non est circa idem obiectum. Similiter in illa propositione *mortui resurgunt, mortui non resurgunt*, si vtraque sumatur absolutè, contradicunt & pugnant in intellectu, si verò non sumantur absolutè, sed aliquid explicet vna, quod non alia, id est *mortui secundum Dei potentiam resurgunt, secundum causas naturales non resurgunt*, sic non versantur circa idem, & consequenter non contradicunt. Similiter ergo opinio, & scientia se habent, quod absolutè exercita effectus oppositos inducunt; si autem in actu signato considerentur, & formetur iudicium, non de ipsis rebus tantùm, sed de certitudine, vel incertitudine, quam habent, vt dependent à talibus causis, & mediis, sic non contradicunt, nec opinatiuè tunc proceditur in aliquo iudicio, sed certò. Et in summa, opinio, & scientia opponuntur sicut opinio vera, & falsa, vt Arist. dicit c. 26. in 1. Post. & D. Thom. lect. 44. atque adeo sicut de iudiciis oppositis in veritate, & falsitate loquendum est de iudicio opinatiuo, & scientifico. Et D. Th. in 1. 2. q. 67. non solum posuit oppositionem inter scientiam, & opinionem ex parte medij, vel actus, sed etiam ex parte subiecti, vt expresè ibi dicit, & art. præced. declarauimus.

Ad confirm. Respondetur. Quòd contrarij motus gaudij, & tristitiæ in voluntate non versantur circa idem obiectum secundum eandem rationem boni, & mali, sed secundum diuersam; lætabatur enim Christus D. de sua passione, quatenùs erat in salutem generis humani; tristabatur verò de ea, quatenùs erat malum naturæ, quæ sunt obiecta diuersa formaliter, licèt sit idem materialiter.

Quod si instes, cur similieer non poterit opinio, & scientia versari circa idem obiectum materiale, siquidem sub diuersis considerationibus versatur. *Respondetur*, quòd si illæ formalitates opinionis, & scientiæ efficerent diuersas veritates constituendo scilicet diuersa obiecta, eadem esset ratio ac de motibus voluntatis. Cæterùm in intellectu, ex eo, quod vna veritas per respectum ad medium euidens deducatur, vel per respectum ad ineuidens, non mutatur in ratione veritatis obiectiuè, manente autem eadem veritate, si illuminatio illius stat à diuersis mediis, quorum vnum illuminat plene illam veritatem, aliud obscurè, hoc ipso inducunt effectus oppositos in intellectu circa eandem veritatem, tanquam circa materiam illuminatam illo duplici lumine opposito, licèt sint lumina diuersorum habituum, semper enim oppositos effectus faciunt. At verò obiectum voluntatis, quod est bonum in ipsamet ratione boni variatur ex solo diuerso respectu, & habitudine quia eadem res comparata ad vnum est bonum, & conueniens, & comparata ad aliud, disconueniens, quia bonum, & malum sumuntur relatè, & sic fit diuersum obiectum. Vnde diuersi motus redduntur non oppositi, hoc ipso quod mutant obiecta; & tamen in appetitu sensitiuo, etiam circa diuersa obiecta non possunt dari diuersi motus gaudij, & tristitiæ propter motum corporalem, quo exercentur dilatationis, & constrictionis circa cor, qui absolutè repugnant simul, quia ponunt diuersos situs.

Secundò arguitur. Fides Diuina est obscura, & non pugnat cum scientia naturali, quæ est euidens: ergo non omnis obscuritas repugnat euidentiæ. *Antecedens probatur primò*, quia fides, & visio in tantum pugnant, in quantum visio, se habet, vt quies intellectus, credere autem, sicut motus, sed fides Diuina solùm est motus tendens ad visionem gloriæ, non ad scientiam naturalem; ergo non pugnat cum scientia naturali, sed cum visione gloriæ. *Secundò*, quia in Philosopho Christiano manet fides, circa illam propositionem Deus, & alioquin inferiori certitudine teneret illam, quam fidelis rusticus, qui illam credit, & sic esset deterioris conditionis. *Tertiò*, quia Paulus in raptu habuit fidem, simul cum visione gloriæ, vt dicit Sanctus Thomas 2. 2. quæstione 175. articul. 3. ad tertium: ergo non repugnat fides cum actu visionis, vel scientiæ.

Denique in opinione, quæ dicit posse vnum corpus poni in duobus locis, tunc si homo ponatur Romæ, & Compluti, Romæ videbit Papam, & Compluti credet, quæ dicuntur de illo: ergo non repugnabit visio clara, & obscura, in eodem subiecto circa idem.

Respondetur negando anteced. vt est expressa sententia D. Th. 2. 2. q. 1. art. 5. & eadem est oppositio inter obscuritatem, & euidentiam visionis, & euidentiam scientiæ, quæ per se connectitur, & originatur ex visione principiorum.

Ad primam probationem respondetur. Quòd fides Diuina comparatur ad visionem, vt motus ad quietem dupliciter, vno modo in ratione premij, & fruitionis perfectæ, & hoc modo terminus illius, & quies solum est visio gloriæ. Secundò ex parte modi procedendi, licet non quoad plenitudinem fruendi, & sic etiam modus procedendi euidenter in scientia naturali terminat modum procedendi fidei, quia per fidem ratione obscuritatis captiuatur intellectus, & quasi ponitur sub alienis terminis, ratione verò scientiæ à proprio obiecto conuincitur euidenter.

Ad secundam probationem. Longa disputatio est apud Theolog. quomodo maneat fides in Philosopho Christiano, quam hic resoluere non possumus. *Sed breuiter dicimus*, in primis posse manere fidem circa illam propositionem Deus est in Philosopho Christiano, quantum ad promptitudinem animi. Vnde non est deterioris conditionis quantum ad meritum, & habitualem certitudinem, esto sit quantum ad actualem. *Secundò*, quòd manet fides, quantum ad illam propositionem Deus est credendo Deum esse, vt auctorem supernaturalem, quo pacto debet cognosci ab eo, qui iustificatur, siquidem in illo articulo, *Deus est, & remunerator est*, continentur implicitè omnes alij articuli supernaturales, vt docet S. Thom. 2. 2. quæstion. 1. artic. 5. non possunt autem supernaturales veritates contineri in illa veritate, Deus est, quatenus naturalis veritas præcisè est. Vnde D. Thom. q. 14. de Verit. art. 9. ad 8. dicit: *Quod Deum esse, prout demonstratum, non est articulus fidei sed vnitas Diuinæ essentiæ, qualis ponitur à fidelibus cum omnipotentia, & omnium prouidentia, & aliis huiusmodi, quæ probari non possunt*, & idem docet 2. 2. q. 1. art. 8. ad 1. licet etiam ea, quæ naturali ratione de Deo demonstrantur, credi possint, quatenus inclusa in his, quæ supernaturalia sunt.

Vel denique tertiò dicimus, quòd circa illam propositionem, *Deus est*, etiam vt est Author naturalis, habet maiorem certitudinem actualem Philosophus Christianus, quam rusticus fidelis participatam à fide ex coniunctione ad illam, in quantum ex fide relinquitur quoddam iudicium, quòd ea, quæ sunt fidei, sunt certiora omni naturali cognitione, in quo

iudicio intellectus apprehendit certitudinem, & non obscuritatem fidei: ex hoc autem iudicio formatur intellectus demonstrantis, vt certificetur suæ demonstrationi, quam habet de illa veritate Deus est non subesse falsum, neque esse fallacem demonstrationem, cum tamen in aliis demonstrationibus naturalibus propter debilitatem nostræ rationis multi soleant immisceri errores, ad quos corrigendos deseruit fides, vt tradit D. Thom. 1. cont. Gent. c. 4. & 2. 2. quæst. 2. artic. 4. Vnde ex hoc roboratur ipsa demonstratio, participatque à fide certitudinem, & non obscuritatem; & ponit exemplum D. Th. 2. 2. quæstion. 4. articul. 8. ad 1. in eo qui formaret demonstrationem, & ab aliquo magnæ scientiæ viro videret eam approbari, sine dubio roboraretur in sua demonstratione, intelligens eam à deceptione esse immunem. Ita cum videat Philosophus veritatem suæ demonstrationis à Diuina fide probari maximè in ea roboratur, & hoc non facit fides influendo per actum credendi in illam demonstrationem, sed mediante illo iudicio, quod formatur de eius certitudine, & non de eius obscuritate, & sic certitudo eius apprehensa roborat, sicut Angelus superior confortat inferiorem proponendo ei veritatem illuminatam, vt ex D. Thom. quæst. 9. de Verit. articul. 1. docet Caietan. 1. p. quæstion. 106. articul. 1.

Ad tertiam probationem respondetur, actum visionis in Paulo non exclusisse habitum fidei, quia ille actus visionis fuit sine habitu, eò quòd non habuit statum permanentiæ, sed elicita fuit ab auxilio, id est, qualitate transeunte supplente vicem habitus, & sic non est exclusus habitus fidei.

Ad confirmationem dicitur, quòd admisso illo casu de positione corporis in duobus locis (quod tamen in 4. Physicor. reiiciemus) *dicendum est*, vel quòd illa visio, & non visio non pugnant, quia sunt respectu diuersorum locorum, in quibus fungitur homo quasi vice duplicis personæ, & subiecti. *Vel dicendum*, quòd omnia, quæ videre in vno loco, videret in alio propter identitatem oculi videntis, & perinde se haberet, ac si in vno loco existens tam perspicaciter videret, vt attingeret ea, quæ sunt in loco illo remoto, siquidem vtrumque locum attingit in vtroque loco existens.

Vltimò arguitur, nam qui habet habitum scientiæ, potest vti medio probabili ad probandam conclusionem iam demonstratam, sæpè enim contingit accumulare media, & argumenta ad idem probandum, quorum aliqua sunt probabilia, alia demonstratiua, tunc per talia argumenta probabilia generatur aliquis habitus, multiplicati enim actus generant habitum, & non scientificus, vt de se patet, ergo opinatiuus; ergo simul compatiuntur isti habitus.

Respondetur, quòd ille, qui habet habitum scientiæ, si eliciat actum opinionis exercendo ipsam formidinem opinatiuam, & assensum illius, & non solum cognoscendo perfectius vim signorum probabilium (vt D. Thom. dicit, posse fieri in eo qui post demonstrationem vtitur medio probabili) tunc talis assensus opinationis non generabit habitum propter impedimentum subiecti, in quo est habitus scientiæ, qui firmiter, & perfectè actuat subiectum, nec compatitur oppositum habitum. In quo differt ab habitu virtutis, & vitij quia sicut virtus non generatur vnico actu, quia non vincitur tota indifferentia rationis ad bonum per vnicum actum propter contingentiam, & libertatem ad bonum, & plures circumstantias, quæ ad illud requiruntur, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 51. art. 3. ita nec expellitur vnico actu, sed possunt fieri plures actus vitio, quibus assuescit animus ad oppositum virtutis, & hoc ipso minus firmiter adhæret virtuti, vnde relinquitur locus, vt oppositus habitus paulatim generetur, quod non currit in habitu scientiæ respectu opinionis, quia vnico actu perfectè generatur.

QVÆSTIO XXVII.

De vnitate, & distinctione Scientiarum.

POST explicatam rationem Scientiæ, quæ est effectus demonstrationis, & oppositionem eius ad habitus ineuidentes, restat videre vnde Scientia habeat vnitatem, & distinctionem. Et hæc est duplex, altera in ipsa ratione formali Scientiæ; altera in ratione qualitatis, quomodo videlicet Scientia, vna vel multiplex qualitas sit. Et de primo modo vnitatis, & distinctionis agemus in primo artic. *de secundo verò* in sequenti.

ARTICVLVS I.

Vnde sumatur vnitas, vel diuersitas specifica scientiarum in ratione scibilis?

QVæstio illa difficillima semper habita est, & diuersorum Authorum placitis, & explicationibus facta est implicatior.

Vt autem certa ab incertis separemus, in primis non tractamus in præsenti de scientiis practicis, sed de speculatiuis, practicæ enim ex diuerso fine ad quem ordinantur sumunt speciem suam, vt D. Thom. aduertit opusc. 70. quæst. 5. articul. 1. speculatiuæ autem scientiæ habent pro fine veritatem, vt præcisè cognoscibilis est. Vnde difficultas est in assignanda specie diuersæ cognoscibilitatis, vnumquodque enim est cognoscibile in quantum immateriale, & ex diuerso modo immaterialitatis resultat diuersa ratio cognoscibilitatis. Vlteriùs verò ad rationem scibilis pertinet, quòd obiectum sit necessarium, & immobile, & ex principiis necessariis procedat ad illuminandas conclusiones. Vnde hæc omnia disponere, vt ex illis plenè hauriamus speciem scientiarum, difficultas præsens est,

Secundò est certum, quòd scientiæ, sicut omnes alij habitus ex obiecto sumunt suam speciem, vt constat ex secundo de Anima textu 33. & determinat D. Thom. 1. p. quæst. 77. art. 3. & sic semper debent adæquari, & conformari vnitas, & distinctio potentiæ, vel habitus cum vnitate, vel distinctione obiecti in ratione obiecti.

Denique certum est specificationem hanc scientiarũ non sumi ex vnitate, vel distinctione obiecti in esse rei

rei,sed inesse obiecti, id est,non ab obiecto considerato materialiter,& entitatiuè in se, sed vt conducit, vel proportionatur tali habitui, vel potentiæ; ideoque optimè monuit Caiet. 1.p quæst.1.artic.3. aliam esse rationem obiecti in ratione, seu formalitate obiecti, aliã in esse rei, & alias esse species rerum in esse rei,alias esse obiecti,vt ipsa exẽpla clarè demõstrant, nam color in esse qualitatis est quoddam genus, quod diuiditur in varias species, & tamen in ratione visibilis habet eandem speciem obiecti visus, omnia corpora habent eandem speciem in ratione obiecti philosophici; omnia entia in ratione Metaphysicæ, licet in ratione entitatiua corporis, & entis in tam varias species diuidantur,è contra verò idem color diuerso modo attingitur à visu, & ab intellectu,eadem res,vt bona à voluntate, vt vera ab intellectu, eadem terra vt rotunda ab Astrologo, vt mobilis à Physico, & sic de multis aliis. Vnde constat aliam esse rationem specificam rei, aliam obiecti in esse,& ratione formali obiecti.

Quare in præsenti ad hoc deuoluitur ferò tota difficultas, vt inuestigemus quæ sit illa ratio formalis, quæ specificè constituit obiectum in ratione obiecti scientiæ, & facit ab alio differre in ipsa ratione specifica. Vt autem diximus in quæstione prima proœmiali articul.3. distingui solet in ratione formali obiecti ratio *quæ*, & ratio *sub qua*, quæ distinctio reiicienda non est,vt facit Vazquez 1. part. disputat.7. cap.3. Nam in ipso obiecto, quod attingitur à diuersis habitibus, vel potentiis designanda est aliqua ratio,quæ specialiter attingitur ab vno, & quæ specialiter ab alio,& ista ratio,quæ specialiter est attacta dicitur formalis ratio *quæ*, id est, quæ attingitur ad differentiam materialis obiecti, quod per talem rationem specialem determinatur, vt attingatur. Ratio autem *sub qua*, dicitur formalis illa ratio, quæ cæteras actuat, & sub se continet, vt attingatur à potentia. Quia enim contingit id quod est formale respectu vnius,esse materiale respectu alterius, ideo vltima formalitas,sub qua cæteræ continentur, dicitur formalis ratio *sub qua* simpliciter. Et sicut ex parte obiecti cognoscibilis consideratur formalitas, quæ attingitur, & ratio vltima formalis; sub qua cæteræ redduntur attingibires, quæ coïncidere solet cum ipsa ratione *quæ* vltima; ita ex parte potentiæ correspondet ratio formalis *sub qua* attingendi obiectum quod est ipsum lumen, seu actualitas, quâ potentia redditur ordinata, & actuata ad tale obiectum. Exemplum manifestum est in visu, nam corpus, verbi gratiâ, paries, vel lapis est materiale, quod videtur, formale autem quo determinatur ad visum,potius quam ad auditum est color, & est ratio formalis, *quæ* videtur. Rursus verò color actuatur, & formatur à luce, & illa est vltima formalitas, qua redditur obiectum visibile,& *sub qua* cæteræ rationes ordinantur ad visum, ex parte verò oculi datur lumen,*sub quo* actuata potentia procedit ad videndum.

Similiter ergo applicando hæc obiecto scibili, & scientiæ, obiectum scibile est aliquid complexum constans ex subiecto, de quo proprietas aliqua, seu passio demonstratur, & hoc obiectum, quod est veritas conclusionis illata, illuminari debet per aliquod medium, quod in præmissis accipitur tanquam principium, à quo infertur illa veritas, & inferendo illuminatur, & ita definitiones, quæ se habent, vt principia,seu media demonstrandi passiones, debent habere rationem determinandi scibilitatem talis obiecti illati illuminando illud. Vnde si quælibet quidditas adæquatè, & secundùm quod est in se cognosceretur, vnaquæque fundaret distinctam scientiam ab alia respectu suarum passionum, sicut probabile est distingui scientiam infusam in Christo secundùm distinctionem specierum repræsentãtium quidditates, vt significat D. Thom. 3.part.quæst.11. articul.6. Nunc autem cùm intellectus sit vnitiuus, & præcisiuus, nec quamlibet naturam intelligat, vt est adæquatè in se, sed coordinat, & coniungit cum alia, & è contra vnam, & eandem rem diuersis modis intelligit, contingit diuersas naturas pertinere ad eandem scientiam, & eandem naturam in diuersis scientiis considerari, & sic oportet assignare aliquam rationem, qua plures naturæ vniantur in eadem scientia, vel qua diuersimodè considerentur à diuersis.

In hoc ergo,licet multa sint placita Doctorum *ad tres præcipuas sententias omnes reuocantur. Prima est*, quòd hæc vnitas in vnaquaque conclusione, quæ distincta definitione demonstratur, seu distincto principio partiali, est distincta vnitas partialis, vt ampliùs sequent.artic. tractabitur,sed tamen vniuntur omnes illæ partes in vna scientia propter vnitatem principalis subiecti, ad quod cætera referuntur, vel à quo dependent, vt à principaliori; sicut in Logica syllogismus, vel modus sciendi dat vnitatem toti scientiæ. Ita tandem videtur sentire P. Suarez in Metaph.disput.44.sect.11. & videri possunt Conim.1.Poster.cap.23. quæst. vnic.art.1. contra hanc sententiam. Eandem tamen tenet Scotus, & eius schola,quam sequitur & explicat P.Merinero disp.1. Proœmial. Logicæ quæst.5. qui desumunt vnitatem scientiæ ex vnitate subiecti, in quo continentur omnes veritates talis scientiæ, ita quòd si ex vi illius subiecti & definitione illius omnes proprietates ad talem scientiam pertinentes demonstrantur, erit vna scientia in specie infima. Si autem ex vi illius subiecti,& definitione ilius non possint attingi omnes veritates,nisi aliæ definitiones medient,vt si subiectum est aliquid genericum,& mediantibus aliis definitionibus species sub eo contentæ definiuntur,tunc talis scientia erit vna genericè,& continebit sub se plures specie distinctas. Vnde simpliciter vnitas specifica scientiæ, apud istos Authores desumetur ex vnitate definitionis,& quidditatis illius rei,de qua agitur.

Secunda sententia sumit vnitatem,vel diuersitatem scientiarum ex vnitate, vel diuersitate medij, in quantum diuerso modo reddit scibiles conclusiones. Quid autem sit diuersitas scibilitatis? aliqui intelligunt denominationem extrinsecam in obiecto prouenientem à scientia, alij diuersitatem luminis, quod in idem reddit, si lumen sumatur pro habitu scientiæ.

Tertia sententia, quæ est valde communis inter Authores,præsertim in schola D.Thom. sumit vnitatem, vel diuersitatem scientiarum ex diuerso modo abstrahendi à materia, sumendo abstractionem, non pro ipso actu intellectus abstrahentis vnum ab alio, sed pro abstrahibilitate obiecti, seu immaterialitate illius: Est autem triplex materia,à qua potest fieri abstractio,scil.*singularis*,quæ reddit rem indiuiduam,& singularem: *sensibilis*, quæ reddit illam accidentibus sensibilibus subiectam: *intelligibilis*, quæ est ipsa quantitas etiam sine aliis accidentibus, & ex abstractione triplici seu carentia huius materiæ sumitur triplex genus scientiarum, Physica, quæ abstrahit solum à materia singulari: Mathematiea, quæ etiam à materia sensibili: Metaphysica, quæ etiam ab intelligibili. Quia verò sub istis generibus diuersæ scientiarum species continentur, quomodo istæ species ex abstractione sumantur, non facile explicat ista sententia.

Dico primò: *Vnitas vel distinctio scientiæ, non sumitur*

ex sola vnitate subiecti principalis, quatenus continet vel causat veritates illius scientiæ, siue quatenus omnes illæ veritates ordinantur ad tale subiectum, vt dicit prima sententia.

Ratio sumitur ex eo, quia de vno, & eodem subiecto possunt agere diuersæ scientiæ, vt de Deo in ntia beata, & infusa, & in Theologia, & in Metaphysica. Et de cœlo in Astrologia, & in Philosophia & sic de multis: ergo oportet assignare rationem formalem, quare plures scientiæ distinguantur etiam circa idem subiectum.

Dicunt esse diuersam definitionem talis subiecti; definitio enim est medium in demonstratione, & quia diuerso modo definitur subiectum in vna scientia, & in alia, inde assignatur diuersa ratio pertinendi ad vnam scientiam, vel ad aliam. *Cæterùm hoc insufficienter dicitur*, nam restat explicare, in quo consistat: ille diuersus modus definiendi in vna scientia, & in alia, sicut aliter definit Physicus quantitatem, aliter Mathematicus, non potest autem assignari diuersa ratio, & modus definiendi, nisi ex diuerso modo immaterialitatis, & abstractionis, secundùm quam apprehenditur aliquid diuerso modo, & definitur, vt ex D. Thom. infr. ostendimus.

Rursus, cùm in vna scientia inueniantur contineri diuersæ definitiones, sicut & diuersæ res, seu quidditates, vt patet in Physica, & in Mathematica, & multo magis in Metaphysica, quæ circa res tam varia discurrunt, & vnamquamque diuersa definitione definiunt; non potest sufficienter reddi ratio, cur omnes istæ definitiones, & ea quæ mediantibus ipsis demonstrantur reducantur in vnam scientiam. Nam si est propter coordinationem, & dependentiam ab vno subiecto principaliori, restat explicare, vnde sumatur ista coordinatio, quæ vnitatem istam constituat; nec enim sunt diuersæ passiones, quæ coordinantur vni naturæ, sed diuersæ naturæ, & definitiones ordinatæ in eadem scientia. Nec sola definitio subiecti principalis ad hoc sufficit, siquidem contingit idem subiectum diuerso modo definiri, vt diximus, & sic tandem reducetur ista vnitas, vel diuersitas ad diuersum modum definiendi, qui diuersus modus solùm reducitur ad diuersam immaterialitatem, vt ostendemus, nec enim aliter diuersus modus definiendi eandam quidditatem assignari potest.

Si autem dicatur vt aliqui dicunt, illam scientiam, quæ ita definit principale subiectum, quod etiam continet sub se plures definitiones ad demonstrandum diuersas veritates sub tali subiecto contentas, esse vnam solùm genericè; & continere sub se plures specificas scientias. *Contra est*, quia vel illæ definitiones & veritates, demonstratæ coordinantur & connectuntur cum principali subiecto vel non. Si non connectuntur nec coordinantur, sic non respiciunt illud, vt subiectum principale, atque adeò erunt plures scientiæ totales inter se disparatè se habentes, & sic non oportebit quærere vnitatem earum, sed diuersitatem, & non habebunt aliquod subiectum determinatum, quòd sit illis commune, sed solum subiectum aliquod determinatè, & in vniuersali consideratum, sicut Mathematicæ, & Philosophiæ cum Medicina, quod est dari aliquod subiectum commune communitate rationis genericæ; non tamen quòd sit principale subiectum respectu vtriusque. Si autem coordinantur omnes illæ veritates, & subordinantur illi subiecto principali, & ex tali coordinatione, & subordinatione habent vnitatem, vel distinctionem specificam, vel genericam, restat explicare quid sit ista subordinatio, & quomodò veritati vno modo definitæ subordinantur quædam veritates, alio verò modo definitæ non subordinantur tales veritates, nisi hoc reducatur ad diuersum modum definiendi penes diuersam immaterialitatem.

Quare absolutè negandum est subiectum aliquod principale alicuius scientiæ posse continere immediatè omnes veritates talis scientiæ sufficienter ad demonstrandum illas, sed necessario interuenire debere definitiones particulares diuersarum quidditatum, quæ in tali scientia tractantur. Vnitas autem in subordinatione talium veritatum ad illud principale subiectum non potest sumi ex sola vnitate subiecti in esse rei, sed in formalitate, & modo diuersæ cognoscibilitatis subiecti, quæ tandem ad diuersum modum immaterialitatis reducitur, vt iam dicemus.

Dico secundò *generaliter loquendo vnitas, & distinctio scientiarum in esse scibili sumitur ex diuersa immaterialitate, & abstractione, prout primo inuenitur in principiis seu mediis demonstrandi, & inde deriuatur ad illuminandas diuerso modo conclusiones.* In hac conclusione conueniunt communiter Thomistæ & de illa videndus est Caietan. 1. par. qu. 1. articul. 3. Ferrariens. 2. contra Gent. cap. 4. Curs. Carmelit. disp. 19. quæst. 4. & Conimb. 1. Poster. cap. 23. q. vnica art. 1. Et *Notandum est*, quod non sumimus hîc abstractionem pro actu intellectus abstrahente, neque pro denominatione extrinseca ex illo consecuta; sic enim esset circulus, quia diuersa scientia abstrahens sumeretur ex diuerso obiecto scibili, seu abstrahibili, & diuersum scibile ex diuersa scientia abstrahente; sed sumitur abstractio pro abstrahibilitate obiectiua, quatenus obiectum fundat diuersam immaterialitatem. Et in hac non loquimur de abstractione totali, quæ abstrahit aliquid, vt prædicabile ab inferioribus; sic enim ista abstractio est communis conditio scientiarum, quæ non agunt de singularibus, sed de vniuersalibus. Sed loquimur de abstractione formali, quæ abstrahit rationes formales à materialibus, & sic constituit, seu fundat intelligibilitatem. Et secundùm quod magis vel minus recedit à materia, redditur aliquid diuerso modo intelligibile.

Sic ergo explicata conclusio apertè deducitur ex Diu. Thom. & varia eius loca conciliantur, quæ videntur diuersimodè loqui de vnitate, & diuersitate scientiarum; nec tamen diuersum sensum habent, sed eandem rem explicant, quæ vno solum modo explicari non potest: aliquando enim sumit distinctionem scientiarum absolutè ex diuersa abstractione à materia, vt in prologo super lib. de Sensu, & sensato, & optimè in opuscul. 70. quæst. 5. artic. 1. Aliquando sumit ex diuersitate medij, vnde sumitur ratio formalis demonstrandi, vt 2. 2. quæst. 1. artic. 1. & 1. 2. quæst. 54. art. 2. ad 2. Aliquando ex diuersa definitione, & diuerso modo definiendi, quia ex definitione tanquam ex principio proceditur ad conclusiones demonstrandas, vt in 6. Metaph. lect. 1. & in 1. Poster. lect. 41. vbi ex diuersitate principiorum sumitur diuersitas scientiarum. Et hæc omnia perfectè nobis explicant id, vnde debet sumi vnitas, & diuersitas scientiarum. Supponit enim D. Thom. pro fundamentali principio, quod vnaquæque res in tantum est intelligibilis, inquantum est à materia separabilis, eò quod intelligibile idem est, quod spirituale, & immateriale, principium autem spiritualitatis, est denudatio à materia. Et sic cum materia obumbret, & impediat intelligibilitatem, illuminatur, & apparet obiectum, secundum quod à materia secernitur diuersimodè. Cui fundamento addendum est, quod esse scibile addit supra esse intelligibile talem modũ cognoscendi, scil. quod aliquid intelligatur non

non simplici modo, sed modo illatiuo, ex causis seu præmissis procedendo ad conclusiones, scire enim est cognoscere causam ob quam res est, &c.

Ex quo manifestè deducitur, quòd si radix intelligibilitatis est immaterialitas, & consequenter diuersæ intelligibilitatis diuersa immaterialitas; ita similiter radix & principium diuersæ scibilitatis erit diuersa immaterialitas seu abstractio, non absolutè, & simplici modo considerata, sed prout ex præmissis descendit ad conclusiones, præmissæ autem, seu media probatiua in scientiis sunt ipsa prima principia, seu definitiones, per quas propriæ passiones de subiecto demonstrantur, quæ definitiones, & principia tunc erunt diuersa, quando diuerso modo, seu diuersa immaterialitate definiunt seu explicant quidditatem; siquidem radix intelligendi rem aliquam est immaterialitas, & diuersimodè intelligendi diuersa immaterialitas: ergo etiam diuersimodè intelligendi quidditatem, quod est definire, & sic diuersus modus definiendi seu intelligendi quidditatem est diuersa immaterialitas, vbi autem seruatur diuersus modus definiendi, consequitur etiam diuersus modus demonstrandi, eo quòd per definitiones tanquam per principia fit demonstratio in scientiis. Censentur autem omnia principia esse eiusdem speciei, quæ procedunt sub eodem modo intelligendi, seu eadem abstractione, & sic diuersæ definitiones, quæ in vna scientia inueniuntur, licèt definiant quidditates specie distinctas in esse rei; si tamen eodem modo definiendi procedant, dicuntur esse eiusdem speciei in modo intelligendi, & definiendi. Et sic quia Physicus eodem modo definit omnia, quæ in Philosophia tractantur, scilicet sub eadem abstractione, includendo materiam sensibilem, & subiectam motui, ideò omnes illæ definitiones sunt similes, & eiusdem speciei in modo definiendi, licèt diuersæ ex parte rei definitæ, & hæc est ratio D. Thom. 6. Met. lect. 1. vbi dicit, *Quòd cum definitio sit medium demonstrationis, & per consequens principium sciendi, oportet quod ad diuersum modum definiendi sequatur diuersitas in scientiis speculatiuis*, quod ibi latè prosequitur, ostendens quod diuersus modus definiendi est secundum diuersum modum includendi materiam in his, quæ definiuntur.

Ex quo apparet, verissimum esse, quod vnitas & distinctio scientiarum sumitur ex diuersitate mediorum, seu principiorum, per quæ fit illuminatio scientifica, Rursus verò diuersitas mediorum, seu principiorum, ex diuerso modo definiendi, seu intelligendi desumi debet, quæ diuersitas intelligendi, siue sit in definitionibus, & causis, siue in effectibus ad diuersam immaterialitatem debet reduci secundùm quam res intelligitur, quæ immaterialitas, primò debet inueniri in principiis, vt inde deducatur ad conclusiones, quia scientifica est. Et quia hæc principia sic intellecta illuminare dicuntur conclusiones, sic etiam potest dici, quod diuersitas scientiarum sumitur ex diuerso lumine, non quidem tenente se ex parte potentiæ, quod est habitus ipse, seu scientia specifica, sed ex parte principiorum, quæ sunt lumen determinans.

Dico vltimò. *Species athoma scientiarum non sumitur ex diuersitate materiali obiectorum in esse rei, sed ex diuerso gradu immaterialitatis, quæ per abstractionem acquiritur, & in scientiis supernaturalis ordinis, ex diuerso accessu, vel participatione ipsius scientiæ Diuinæ.*

Prima pars conclusionis, quæ est negatiua, *sumitur* expressè ex D. Thom 1. Post. lect. 41. vbi non solùm genera scientiarum, sed etiam species ex diuerso modo cognoscibilitatis, desumit non ex diuersis rebus cognitis materialiter consideratis, vt quidam putant: dicit enim D. Thom. sic: *Genera scibilium distinguuntur secundum diuersum modum cognoscendi, sicut alio modo cognoscuntur, quæ definiuntur cum materia, & ea, quæ sine materia. Vnde aliud genus scibilium est corpus naturale, & corpus mathematicum, & vtrunque horum generum distinguuntur in diuersas species scibilium secundum diuersos modos, & ratione cognoscibilitatis.* Ita D. Thom. cuius verba satis manifestè partem istam probant. *& declaratur sic.* Quia contingit in vna scientia eiusdem speciei athomæ tractari diuersas res materiali specie distinctas, & in esse rei, sicut patet in Metaphysica, vel Logica, aut Physica, aut quacumque alia scientia quantumcumque specifica in specie athoma. Nec enim de qualibet specie rerum datur distincta scientia, sicut nec de qualibet specie colorum distincta virtus visiua, non ergo possunt distingui scientiæ distinctione specifica secundum distinctionem quidditatum, vel rerum in esse rei, & hoc totum ex eo tandem prouenit, quia nostræ scientiæ imperfectæ sunt, & non omnino adæquantur ipsis rebus, neque eas adæquatè comprehendunt, nam si quælibet res perfectè comprehenderetur quælibet res fundaret scientiam sibi propriam, & specie distinctam ab alia, neque scientia requireret coordinationem specierum, sed quælibet res per suam speciem adæquatam perfectè repræsentantem suas passiones demonstraret. Qua ratione efficaciter colligit D. Tho. 3. par. quæst. 11. articulo 6. fuisse in Christo Domino scientiam infusam distinctam per diuersos habitus, quia habuit diuersas species quibus naturas rerum intelligebat, quia videlicet non constabat illa scientia infusa ex coordinatione specierum, sed quælibet species, quia perfectè, & adæquatè quâlibet rem tantum repræsentabat distinctam scientiam fundabat ab alia. At verò quando aliqua scientia non se habet adæquate, ad quamlibet rem cognitam, quia non perfectè, vel non tantum rem vnam comprehendit, sed plures res sub aliqua ratione communi attingit, ideòque coordinat plures species sub eadem ratione sciendi, & intelligendi, talis scientia non diuiditur ad diuisionem entitatiuam rerum, sed plures quidditates sub eadem ratione specifica comprehendit. Formalis ergo ratio specifica scientiæ complectitur plures species in esse rei, & sic ex adæquatione ad singulas species non sumitur.

Secunda pars conclusionis declaranda est, ex his, quæ docet Magist. Bannez in Proœmio librorũ de Generat. circa quartum principale, in quo videtur mentem D. Thomæ. attigisse, & *declaratur sic.* Quia in rebus materialibus; quæ redduntur intelligibiles, & immateriales per segregationem à materia, & conditionibus materialibus, ipsa abstractio est quasi motus quidam, in quo consideratur terminus à quo, & terminus ad quem, formaliter quidem in ipso actu abstractionis, fundamentaliter verò, & obiectiuè in ipso obiecto abstrahibili; ex parte termini à quo habet derelictionem materiæ, quæ triplex est, vt supra diximus; & sic constituitur triplex genus abstractionis, ex parte autem termini ad quem est diuersus gradus immaterialitatis, seu diuersus modus spiritualitatis, quem acquirere potest res sic abstracta, & hoc vocat D. Thom. 1. Post. lect. 41. in vnoquoque genere scibilitatis distingui diuersas species secundum diuersos modos cognoscibilitatis. Quare non solùm sumitur ratio formalis, & specifica scientiarum ex recessu à materia, sed ex accessu ad determinatum gradum immaterialitatis, quo obiectum aliquod determinatè deputatur & redditur intelligibile, sicut etiam in Angelis diuersa species non solùm sumitur ex recessu à corporeitate, sed

ex accessu ad determinatum modum habendi spiritualitatem & immaterialitatem, & ad actum purum, vt S. Thom. aduertit 6.c. de Ente & Essentia circa finem. Vnde in Mathematicis inuenimus, quod licet in communi abstrahant à materia sensibili, tamen quia diuersus modus immaterialitatis attingitur in quantitate continua, quàm in discreta, discreta enim minus concernit materialitatem, quia minus dependet à loco, & tempore, quam continua, quæ copulat partes suas in loco; ideò duplex scientia constituitur Geometria, & Arithmetica. Et similiter Philosophia, & Medicina duplex scientia est, quia licèt vtraque abstrahat à materia singulari, tamen magis concernit materiam corpus, vt sanandum, quàm corpus mobile vt sic. Et in Logica & Metaphysica, & Theologia inuenitur derelictio materiæ sensibilis, & intelligibilis ex parte termini à quo, sed diuersus modus immaterialitatis, quem vnaquæque attingit: Nam Theologia respicit ipsum Deum, vt lumine Diuino virtualis reuelationis cognitum, Metaphysica secundùm primam, & supremam rationem entis, vt abstrahit à creato, & increato. Logica verò respicit intentiones, vt fundatas in obiectis intellectis, quæ de se non habent immaterialitatem, nisi negatiuam.

Quare cum specificatio athoma scientiarum sit vltima ratio scibilitatis, quæ non est amplius diuisibilis, oportet, quod si ratio formalis scibilitatis sumitur ex immaterialitate, vltima, & specifica, sumatur determinate ex termino ad quem talis abstractionis, in quo vltimo sistit, & determinatur abstractio; ergo non ex sola segregatione à materia, prout consideratur terminus à quo abstractionis, sed in vltima determinatione immaterialitatis, specifica ratio scibilitatis consistet.

At verò in scientiis supernaturalis ordinis, quia non desumuntur per abstractionem à rebus, sed per participationem, & deriuationem ab ipso lumine Diuinæ scientiæ, specifica, & determinata earum ratio ex diuerso modo participationis desumenda est; vel sicut aliter participatur reuelatio fidei obscura, aliter prophetia quæ potest esse obscura, clara, aliter scientia infusa, quæ quidditates supernaturales quidditatiuè cognoscit: aliter beata, quæ Deum clarè in se attingit. Et in vnoquoque istorum cognoscit Deus, quàm diuersi modi participationis multiplicari possint.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur. Ex ratione abstractionis non habet obiectum primarium tribuere vnitatem, vel diuersitatem scientiæ: ergo. *Antecedens probatur multis exemplis*, quibus sub eadem immaterialitate plures scientiæ inueniuntur, & è contra vnica scientia sub diuersa immaterialitate attingit sua obiecta: nam in primis scientia moralis, & logica non sumunt suam specificationem ab abstractione, nec enim assignabilis est talis abstractio. Item Philosophia habet vnicam abstractionem scilicet à materia singulari, & tamen sunt in ea diuersæ scientiæ specie, sicut libri de Cœlo, & Anima, &c. & idem est in Mathematicis, quæ abstrahunt à materia sensibili, & tamen habent sub se diuersas species, vt Geometriam, Arithmeticam, &c. imò Musica, & aliæ scientiæ subalternæ sunt vnius speciei, & non habent vnicam abstractionem. Nam Musica respicit numerum sonorum & pro parte numeri habet abstractionem mathematicam, pro parte sonori abstractionem physicam. Denique si diuersa immaterialitas distinguit scientias, etiam distinguet habitus primorum principiorum, & habitus opinatiuos. Neque enim est maior ratio de vno quàm de alio. Constat autem quod idem habitus primorum principiorum attingit omnia principia quantumcunque diuersæ abstractionis sicut sunt principia Metaphysicæ, vel Physicæ, vel Mathematicæ. E contra verò eadem immaterialitas, quæ inuenitur in principiis Philosophiæ, & in ipsa Philosophia non constituit eundem habitum, cum principia pertineant ad habitum principiorum, philosophia verò ad habitum scientiæ: ergo non semper eadem immaterialitas constituit eundem habitum, neque diuersa, diuersum.

Respondet. negando antecedens, Et pro explicatione exemplorum, quæ adducuntur *est aduertendum*, quòd immaterialitas obiecti constituit intelligibilitatem eius, & eandem, vel diuersam rationem obiecti scientis secundùm quod talis immaterialitas applicatur ipsi intellectui. Si enim aliquid in se quidem immateriale sit, sed non sub illa immaterialitate quam habet, applicetur intellectui, sed sub alia, illa quidem, quam in se habet per accidens comparatur ad constituendam scientiam, quia non sub illa applicatur intellectui, sed sub alia, licèt, si illa secundùm se applicaretur, constitueret diuersam scientiam.

Ad primum ergo exemplum dicitur, Quòd rationalis scientia, quæ est Logica, sumit suam vnitatem ab abstractione, quam habet similem Metaphysicæ, sed diuersa ab ea, quia est solùm abstractio negatiua: versatur enim circa intentiones rationis, quatenus instrumenta sunt speculandi, quæ abstractio est entis rationis, non prout præcisè opponitur enti reali in communi, sic enim secundariò pertinet ad Metaphysicum, sed prout fundatur in rebus cognitis, & à tali esse cognito rerum accipit abstractionem. Rhetorica autem, & Grammatica, vel non sunt scientiæ, quia non procedunt demonstratiuè, vel non sunt rationales, sed sermocinales. Scientia autem moralis, si sumatur practicè est idem, quod prudentia, & sic non pertinet ad habitus speculatiuos, sed practicos, de quibus non agimus in præsenti: si verò sumatur speculatiuè, pro scientia ethica, quæ tractat de natura virtutum, sic pertinet ad Philosophiam, & est pars illius, quia agit de anima, vt est actus corporis, & consequenter de moralibus eius.

Ad secundum exemplum dicitur. Quòd de partibus Philosophiæ est duplex opinio, vt in initio Physicorum dicetur. *Quidam enim distinguunt* illas specie infima, & tunc ponuntur diuersæ abstraictones specificæ, quia licèt omnes abstrahant à materia singulari, vt à termino à quo, induunt tamen diuersam abstractionem determinatam, quasi ex parte termini ad quem, quatenus magis, vel minus concernitur de materia in ipsis principiis, quæ circa istas distinctas partes Philosophiæ procedunt. *Alij verò dicunt* esse eandem abstractionem specificam in omnibus partibus Philosophiæ, & sic libri de Cœlo, & de Anima, imò & pars Ethica, quæ agit de virtutibus reducentur ad eandem abstraictonem, scilicet ad rationem entis mobilis, quatenus inuoluunt, vel dependent ab aliquo motu rei corporalis, licèt hæc penes diuersas partes diuidantur intra eandem scientiam, sicut alius tractatus est, in Theologia de Deo, alius de Angelis, alius de Homine. Quæ autem ex his opinionibus verior sit dicetur in Physica. De Mathematicis autem constans est, quod dantur diuersæ scientiæ secundum speciem intra eandem abstractionem à materia sensibili, quia illa abstractio solùm est generica; & admittit diuersam latitudinem, & graduationem, in principiis quantitatis continuæ, vel discretæ, vt supra dictum est.

Quòd verò additur de Musica, & aliis scientiis subalternis. *Respondet.* in illis non esse duplicem abstractio

ctionem, ſed vnicam, quatenus principia ſuperioris ſcientiæ ex applicatione ad talem materiam redduntur minus abſtracta, & conſequenter pertinentia ad diuerſam ſpeciem in genere ſcibilis,& illa abſtractio,quam induunt in tali materia vnica eſt; & ideò tales ſcientiæ,nec ſunt purè Mathematicæ, nec purè Philoſophicæ, ſed aliquid participant de vtriſque, vnica tamen abſtractione, ſicut medium vnicum,dicitur participare ab extremis.

Ad vltimum, Quod dicitur de habitu principiorum. *Reſpondetur*, illius vnitatem non ſumi ex diuerſa immaterialitate rerum in ſe, ſed ſecundum modum, quo applicatur intellectui,ſicut enim in ſcientiis immaterialitas non conducit ad earum vnitatem, vel diuerſitatem, niſi prout tenet ſe ex parte medij, ſeu principij illuminantis, ita neque in ipſis primis principiis, diuerſa immaterialitas rerum non conducit ad diuerſitatem ſpecificam, niſi prout fit veritatis notificatio ex terminis; hic autem modus illuminandi res ex terminis ſine vlla probatione, eſt idem in omnibus primis principiis neceſſariis; quia fundatur in eadem ratione, ſcilicet in immediata connexione prædicati ad ſubiectum. Vt autem manifeſtent, & illuminent alia probando, attenditur diuerſa abſtractio, & immaterialitas, quia hæc diuerſimodè rem contentam illuminat, & diuerſimodè eam continet, & explicat,aut ei connectitur. Denique habitus opinatiui non eſt inconueniens, quod ſicut diſtinguuntur penes diuerſa media probatiua,ita penes diuerſum modum immaterialitatis, non neceſſariæ, ſed contingentis.

Secundò arguitur. Quia abſtractio iſta, vel ſumitur in obiecto pro denominatione extrinſeca prouenien te ab actu ſcientiæ, vel ſumitur fundamentaliter pro ipſa abſtrahibilitate obiecti. Primo modo non eſt id à quo ſumitur ſpecificatio ſcientiæ, cum potius ſupponat ſpecificatam ſcientiam, & ab actu ſcientiæ deſumatur talis denominatio. Si ſecundo modo non poteſt eſſe formalis ratio *ſub qua* ſpecificatiua ſcientiarum, ſiquidem Deus eodem modo ſemper eſt immaterialis, & tamen dantur de illo diuerſæ ſcientiæ ſpecie, vt Theologia, & Metaphyſica. Et ſimiliter de diuerſa immaterialitate, vt de Angelis,& corporibus datur vna ſcientia ſpecie,vt Met.

Et confirm. Quia ſcientia à priori, & à poſteriori diſtinguuntur ſpecie,& tamen poſſunt procedere ſub eadem immaterialitate, ſicut demonſtrare hominem eſſe riſibilem, quia eſt rationalis, vel ab effectu, quia ridet,eiuſdem immaterialitatis eſt, & tamen ſcientiæ ſunt diuerſæ.

Reſpondetur. Quòd ſi res cognoſcerentur adæquatè prout ſunt in ſe, eadem eſſet immaterialitas rei in ſe, & vt ſubeſt medio cognitionis; ſed quia contingit rem eiuſdem immaterialitatis cognoſci per diuerſa media, vel ſecundum diuerſas connotationes, & effectus, qui non eodem modo illuminant, & apparere faciunt obiectum, ideò contingit de eadem re immateriali, non eodem modo, & medio immateriali cognita,dari diuerſas ſcientias, quia ſubſunt diuerſæ immaterialitati formali, id eſt, diuerſis principiis, ſeu mediis,ſub diuerſa immaterialitate cõcluſionem illuminantibus,& deducentibus. Sumitur ergo ſpecies ſcientiarum ex diuerſa immaterialitate obiectiua, ſeu fundamentali, non prout entitatiuè eſt in ipſa re, ſed prout relucet in medio, ſeu principio,quo apparet,& demonſtratur intellectui. Similiter ea,quæ in ſe ſunt diuerſæ abſtractionis,vt Angeli,& corpora poſſunt vniri in aliqua ratione,ſeu medio ſuperiori vtriſque, ſicut in ratione entis, quam conſiderat Metaphyſicus per vnicam abſtractionem à materia ſenſibili,& intelligibili.

Ad confirmat. Reſpondetur. Quòd etiam in iſtis ſcientiis inuenitur diuerſa abſtractio ſpecifica, quia demonſtrare per cauſam, & per effectus, non eſt eiuſdem immaterialitatis in eſſe intelligibili, quia dato quod in eſſe entis ſint eiuſdem ſpiritualitatis, & perfectionis tamen non procedunt iſtæ ſcientiæ à poſteriori, & quoad an eſt,niſi quatenus cadunt effectus ſub experientia, experimentalis autem cognitio non dicit abſtractionem, qua cognoſcitur res per ſuam quidditatem, præſertim quia apud nos experientia ſemper dependet ab aliquibus ſenſibilibus; & ſic eſt diuerſa abſtractio à ſcientia, quæ procedit à priori,quantum eſt ex ſe.

Tertiò arguitur ad probandum, Quòd non ſumatur vnitas, vel diuerſitas ſcientiarum ex parte mediorum, ſeu principiorum; ſequeretur enim,quod quæcumque deriuantur ex principiis communibus alicuius rei continerentur ſub eadem ſcientia, ſicut quia principia hominis, & equi continentur ſub principiis communibus animalis pertinent ad eandem ſcientiam homo, & equus: ergo ſimiliter continebuntur ſub eadem ſcientia res ſpirituales, & corporales, quia deriuantur ab iiſdem principiis ſubſtantiæ: & quantitas diſcreta, & continua, ex principiis communibus quantitatis ſub eadem abſtractione Mathematica: ergo omnia iſta conuenient in eadem ſcientia, propter eandem abſtractionem.

Et confirm. Quia cum in vna ſcientia inueniantur diuerſæ definitiones,& media demonſtrandi oportet, quod reducantur ad aliquam vnitatem, vt ſcientia dicatur vna, ſed non reducuntur ad aliquam communem definitionem, vt de ſe patet: ergo ad aliquid commune, quod non eſt definitio, & conſequenter neque medium, ergo formalis ratio vnitatis, vel diuerſitatis ſcientiarum non ſumitur ex mediis, ſeu ex principiis,ſed ex alio capite.

Reſpondet. Negando ſequelam, & ad probat. dicitur, quòd vt aliqua pertineant ad vnam ſcientiam, non ſufficit deriuari ex communibus principiis, quæ ſint quomodocumque communia ſcilicet ineſſe rei, vel ſecundum abſtractionem vniuerſalitatis totalem, ſeu in prædicando,ſed quæ ſint communia ineſſe obiecti, & intra eandem abſtractionem formalem, ex abſtractione enim formali ſumitur ratio ſcibilitatis non ex abſtractione totali, & ita homo, & equus conueniunt in principiis communibus animalis, non ſolùm quantum ad abſtractionem genericam totalem; ſed etiam quantum ad eandem abſtractionem formalem, qualis inuenitur in Phyſica: At verò Angeli, & res corporales conueniunt quidem in ratione communi ſubſtantiæ: non tamen in eadem abſtractione formali entis mobilis, benè tamen in eadem abſtractione Metaphyſica, & ſub illa vniuntur in eadem ſcientia. Similiter quantitas diſcreta, & continua conueniunt quidem in eadem quantitate, ſecundum eandem rationem eſſentialem, ſeu prædicamentalem,non tamen,ſecundum eandem rationem abſtractionis formalis Mathematicæ, in qua reſpicitur maior, vel minor abſtractio à materia ſenſibili in modo menſurandi, quia non cum tanta concretione menſurat numerus, ſicut quantitas continua,vt ſupra dictum eſt. Et ſimiliter Theologia, & Metaphyſica agunt de Deo ſub diuerſa abſtractione,Theologia ex participatione Diuinæ ſciẽtiæ,& luminis ſupernaturalis, Metaphyſica, vt ex effectibus naturalibus cognoſcitur, licèt vtraque conueniat in generica ratione abſtrahendi à materia ſenſibili,& intelligibili ex parte termini à quo.

Ad confirmationem Reſpondetur, plures definitiones vnius ſcientiæ,non conuenire in vna definitione communi,ſicut nec in vna re definita, ſed in vno modo de-

definiendi, vt dicit D. Thomas sexto Metaphysic. lectione prima, quod est conuenire in eodem medio formaliter, quatenus res tali modo definita, & secundùm talem, vel talem abstractionem tali etiam modo illuminat veritates illatas. Et inde est, quòd licèt in vna scientia tractentur diuersæ res, seu quidditates, quæ in se possunt habere diuersam perfectionem, & diuersam abstractionem, sicut Metaphysica quando tractat de Deo, & de prædicamentis, Physica quando tractat de elemento, vel de anima; tamen semper est idem modus definiendi, quia sicut elementum definitur, vt mobile, ita anima, vt actus rei mobilis; & sicut prædicamenta tractantur, vt participant rationem entis, ita Deus vt prima causa totius entis, quod est sub eodem ordine omnia tractare, sicut in eodem corpore sunt diuersæ partes habentes diuersas perfectiones; omnes tamen vniuntur in ratione informati ab eadem anima.

Quòd si dicas, nam medium, seu definitio non dicit ipsam rationem *sub qua*, sed rationem *qua* cognoscitur, est enim quædam res cognita: ergo non est ipsa ratio vltimatè distinguens scientias, & similiter non est aliquid intrinsecum ipsi veritati demonstratæ: cum definitio sit extra conclusionem: ergo non est ratio formalis illius.

Respondetur. Quod definitio, vt tali modo abstractionis facta, est ratio formalis *sub qua* respectu conclusionis, quæ per illam illuminatur, licèt alias in se sit ratio formalis *quæ*, vt attingitur habitu principiorum, vel etiam per modum præmissarum à scientia, sicut lux respectu colorum habet rationem formalem *sub qua* illuminantur, licet in se etiam sit visibilis, vt ratio formalis *quæ*: est autem definitio ipsa medium intrinsecum, ipsi conclusioni, & veritati illatæ, non tanquam prædicatum constituens; sed tanquam necessario connexum, & necessario inferens, sicut essentia infert passiones à se distinctas.

ARTICVLVS II.

Vtrùm scientia sit vna simplex qualitas, & habitus?

VT punctus difficultatis clare constare possit, *supponendam est*, quod licèt apud aliquos Antiquos scientia non ponebatur habitus distinctus à speciebus coordinatis inter se & consequenter apud ipsos scientia non erat vna simplex qualitas sed plures ordinatæ, tamen nunc supponimus tanquam communiter receptum, habitum scientiæ esse qualitatem aliquam præter species, quæ importat rationem principij, seu virtutem, ex parte potentiæ se tenentem, species autem tenent se ex parte obiecti: & multiplicari possunt species, sicut multiplicantur ipsa obiecta repræsentata per illas; ad cognitionem autem non solùm concurrit obiectum, seu illius repræsentatio, sed etiam potentia, & virtus proportionans indifferentiam potentiæ obiecto, & ideò de isto habitu, qui est virtus potentiæ, procedit difficultas, an sit vna simplex qualitas.

Et quia constat non repugnare vnicam simplicem qualitatem, siuè sit potentia, siuè habitus posse extendi ad plura obiecta, quando sub vnico motiuo, & modo tendendi attingit omnia, sicut constat, quòd vnica potentia visiua extenditur ad omnia visibilia, & similiter habitus fidei ad omnia credibilia se extendit, & charitas ad omnia diligibilia, & vnica prudentia ad omnia agibilia, procedit tota difficultas specialiter in scientiis, quia non vnico motiuo, sed medio attingunt omnia sua obiecta, quia principium, seu definitio probans vnam conclusionem non probat aliam, sed distincto modo, & probatione demonstratur. *Et ideò specialis difficultas est*, an sufficiat vnicus habitus, seu qualitas ad tendendum in omnes illas conclusiones, & diuersa motiua: an verò mutato motiuo, seu probatione mutari debeat noua virtus partialis ex parte potentiæ; & sic omnes partiales qualitates simul iunctæ totalem scientiam constituant, ordinatione vna, non entitate.

In qua controuersia, duplex est sententia opposita, quæ pari authoritate, tam Antiquorum, quàm Recentiorum inter se repugnat. *Prima docet* esse qualitatem simplicem, quamlibet scientiam totalem; quæ est Diui Thomæ prima secundæ quæstion. 54. articul. 4. & Caietan. & Conrad. ibidem. Et Magister Soto in Logica, quæstione 3. Proœmiali. & Ferratiens. primo contra Gent. capit. 56. & multorum aliorum, quos citat Merinero disp. Proœmiali, quæst. 5.

Alia sententia docet, scientiam non esse simplicem qualitatem secundùm extensionem ad sua obiecta, & diuersas conclusiones; quæ attribuitur Scoto quæst. tertia, prolog. & quæstione secunda laterali, §. Contra istud argumentum, & in tertio distinctione 25. quæstione secunda, & sequitur eius schola, cuius Authores citat Pat. Merinero vbi supra. Sequitur etiam Pat. Suarez disputatione 44. Metaphysic. sectione vndecima, & Fonseca libro quinto Metaph. q. quinta, sectione secunda, & plures.

Nihilominùs sit vnica conclusio. *Scientia totalis est vnus habitus simplex in ordine ad omnia, ad quæ extendit.* Hæc conclusio clarè deducitur ex Diuo Thoma loco citato ex prima secundæ. Nam in corpor. art. dicit, *Quòd si consideremus habitum secundùm ea, ad quæ se extendit, sic inueniemus in eo quandam multiplicitatem, sed quia ea multiplicitas est ordinata ad aliquid vnum, ad quod principaliter respicit: Inde est quod habitus est qualitas simplex, non constituta ex pluribus habitibus, licèt ad plura se extendat, non enim vnus habitus se extendit ad multa, nisi in ordine ad vnum, ex quo habet vnitatem.* Addit verò solutione ad tertium loquendo de habitu scientiæ in particulari, *Quòd ille, qui in aliqua scientia acquirit per demonstrationem scientiam vnius conclusionis, habet quidem habitum, sed imperfectè; cum verò acquirit per aliquam demonstrationem scientiam alterius demonstrationis, non aggeneratur in eo alius habitus, sed habitus, qui prius inerat fit perfectior, vtpotè ad plura se extendens; eo quod conclusiones, & demonstrationes vnius scientiæ ordinatæ sunt, & vna deriuatur ex alia.* Ita D. Thomas. *Nec potest dici*, quod D. Thom. non negat superaddi nouam perfectionem realem præexistenti habitui per acquisitionem secundæ demonstrationis, vt aliqui contendunt; Nam vel illa noua perfectio est noua qualitas superaddita, seu habitus, vel non? Si non est qualitas: ergo facta illa noua demonstratione manet scientia, ita simplex qualitas, sicut antea. Si verò est qualitas de nouo superaddita: ergo aggeneratur nouus habitus, seu noua qualitas, ad præexistentem. Siquidem aggeneratio per additionem nouæ partis ad præcedentem fit; sed Diuus Thomas negat aggenerari nouum habitum ad præcedentem, quando fit noua demonstratio: ergo non stat hæc responsio cum eius litera.

Ex quo etiam reijcitur alia responsio, quod ex illa solutione ad tertium solum colligitur habitum, qui versatur circa vnam demonstrationem perfici, & extendi in ordine ad aliam, sed non negat perfici aliquo superaddito, quod vtique qualitas esse debet. *Cæterùm* Diuus Thomas non solùm affirmat,

quod

quod habitus præcedens fit perfectior per secundam demonstrationem, sed etiam addit negationem, scilicet quod non aggeneratur nouus habitus; per quod excludit omnem partialis qualitatis productionem, quæ nomine aggenerationis continetur: ergo omnem nouam generationem habitus, seu qualitatis excludit.

Præcipuum huius sententiæ fundamentum reducitur ad duo. Primum procedit à simili. *Secundum* à priori. *Primum formatur ex eo*, quod supra iam insinuauimus, quia potentia est vna simplex qualitas, vt patet in potentia visiua, & intellectiua, licet se extendat ad actus specie diuersos eliciendos, & similiter habitus infusus est simplex qualitas, vt fides, & charitas, licet habeant distinctas difficultates vincendas in diuersis materiis, vel actibus, sicut fides distinctam difficultatem habet in credendo vnum articulū quam alium, vt dicitur secunda secundæ, quæstione prima, articulo sexto, & charitas distinctam difficultatem habet in diligendo inimicum, quam amicum, quæ difficultates vinci non possunt ex eodem motiuo nisi aliter, & aliter applicato ad diuersas materias, & tamen sint vnus habitus, & vna qualitas simplex. Ac denique in virtutibus moralibus id manifestius apparet. Nam vnaquæque est vna simplex qualitas, & habitus, v.g. Prudentia, Religio, Iustitia, &c. & tamen habent diuersas materias, in quibus sunt diuersæ difficultates vincendæ, & per diuersa exercitia facilitas ad illa acquiritur, sicut diuerso exercitio aliquis fit prudens in materia vnius virtutis, & alterius, & diuerso modo inclinatur in religione ad actum orationis, vel ad reddendum votum, & consequenter diuerso dictamine, & motiuo proximo vtitur ad vnum actum, vel ad alium, & tamen propter vnitatem rationis formalis in esse moris sufficit vna qualitas ad omnia ista, ergo similiter sufficiet vna qualitas in scientiis propter vnitatem rationis formalis in esse scibilis, licet requirantur diuersæ præmissæ, seu media ad proximè inferendum diuersas conclusiones.

Ad hæc variè Respondent oppositi Authores, nam *ad primum exemplum* de potentiis, & habitibus infusis ponunt discrimen in hoc, quod potentia non acquiritur actibus nostris, sicut scientia, & ideo non acquiritur partialis potentia, sicut acquiritur partialis scientia: alioquin si argumentum aliquid probaret, etiam probaretur sufficere vnum habitum ad omnes actus scientiarum, sicut sufficit vna potentia ad omnes illos. *Ad secundum verò exemplum* de virtutibus moralibus, quidam simpliciter concedunt etiam virtutes morales non esse vnam simplicem qualitatem, sed plures, prout fuerint difficultates vincendæ. Ita P. Merin. vbi supra *Alij* vt P. Suarez citatus admittunt virtutes morales esse qualitates simplices, quia tendunt sub eadem ratione formali, & motiuo ad sua obiecta, scientias verò tendere sub diuersis motiuis, seu mediis ad diuersas veritates, & conclusiones demonstrandas, ideoque non esse simplices qualitates.

Sed contra primam responsionem roboratur ratio facta. Nam quod attinet ad potentias non ponimus exemplum quantum ad vniuersalitatem, & extensionem, ita quod tantam extensionem habeat habitus, sicut potentia, sed exemplum stat in hoc, quod si potentia cum sit causa vniuersalior, quam quilibet habitus, & ad plura se extendens, tamen sufficit, quod sit simplex qualitas, similiter sufficiet in habitu, quod existente vna simplici qualitate extendat se ad omnes actus, qui cadunt sub specificatiuo talis habitus. Quod autem dicitur potentiam non acquiri nostris actibus, habitum verò acquiri, non est sufficiens differentia, nam hoc solùm pertinet ad modum, quo producitur effectiuè potentia, vel habitus, non autem ad formalem, vel intrinsecam rationem, vnde sumitur talis vnitas specifica, & distinctio, nam restat videndum an illi plures actus, quibus habitus acquiritur, sint plures etiam ad producendam entitatem habitus, an solum entitas vno actu perfectè conuincente possit acquiri, reliqui verò non generent entitatem nouam, sed præcedentem modificent, aut perficiant, sicut etiam ipsa potentia, verbi gratiâ, visiua, potest vno actu generari entitatiuè, sed debilis, & imperfecta, postea pluribus actionibus acutior reddi, & perfici, non productis pluribus qualitatibus potentiæ. Ergo quod habitus in tota sua perfectione, & extensione vno, vel pluribus actibus generetur per accidens est, nam etiam vnico actu potest habitus perfectus à Deo produci.

Similiter in habitibus per se infusis non assignatur sufficiens discrimen, quia licet habitus infusus habeat quendam modum potentiæ, quia dat totam virtutem ad supernaturalitatem operis, tamen reuera est habitus, & intra latitudinem suæ operationis habet distinctas difficultates in distinctis materiis, vel actibus, sicut religio infusa in actu adorationis, vel orationis, vel voti, fides in credendo vnum articulum, potius quàm alium, charitas in diligendo vnum obiectum, verbi gratia, inimicum potius quàm aliud. Et licet istæ difficultates vincantur diuersis motiuis, saltem diuersè applicatis, tamen virtus vnicæ qualitatis sufficit ad omnes illas propter vnitatem rationis formalis in motiuo morali: ergo similiter sufficiet in scientiis propter vnicam rationem formalem in esse scibilis.

Vnde tandem patet ad responsionem circa virtutes morales, nam qui admittunt esse vnicam qualitatem in esse rei nullam prorsus differentiam possunt ponere inter ipsam, & scientiam, nam virtus moralis etiam pluribus actibus acquiritur, & diuersas difficultates habet circa diuersas materias particulares, sicut diuersa difficultas est in religione, circa iuramentum, vel circa adorationem; Et alia difficultas est in materia iustitiæ ad non lædendam famam, vel pecuniam non accipiendam, & consequenter distinctis motiuis particularibus indigent istæ virtutes ad vincendas istas difficultates. Si ergo vnica simplici qualitate vincuntur, cur non etiam in scientia; Si verò virtutes morales ponantur non esse simplices qualitates, non redditur sufficiens differentia inter virtutes morales infusas, & acquisitas, cur infusæ sint simplices qualitates, non verò acquisitæ, cum tamen patiantur similes difficultates in diuersis materiis, & quod vna habeatur per infusionem, alia non, non est sufficiens discrimen, si ex ipsa ratione intrinseca diuersæ difficultatis petitur diuersa qualitatis; sic enim etiam deberet infundi diuersa qualitas partialis, vt vinceretur diuersa difficultas. Vnde enim nobis constat, quod non infundantur plures qualitates partiales cōponentes vnam virtutem infusam, si diuersa difficultas vincenda in diuersis materiis per diuersa motiua partialia, vel diuersimodè applicata id petit? Quod si infusis non petit, cur acquisitis?

Fundamentum autem à priori sumitur ex eo, quod significat Diuus Thomas in loco supra citato in 1.2. *Quod vnus habitus non se extendit ad plura, nisi in ordine ad vnum, ex quo habet vnitatem.* Ergo in vna scientia totali, verbi gratiâ, in Physica, vel Metaphysica, vbi diuersæ conclusiones, & veritates ostenduntur per diuersa media, & principia, vel ita constituunt diuersas qualitates, quod vna non coordinatur, & con-

inclinationis requiritur, siue primo generata, siue deinceps applicata, ideo simpliciter benè probatur, quòd præter species ordinatas requiritur aliqua qualitas, quæ dicitur habitus.

Quod verò dicitur, secundam vel tertiam demonstrationem esse nouum actum, & postulare nouum effectum. *Respondetur*, habere quidem nouum effectum, non quia nouum habitum entitatiuè producat, sed quia præexistentem reddit perfectiorem, vt dicit D.Thomas loco citato 1.2. quæst.54. art.4. ad 3. *Fieri autem perfectiorem*, inquit D.Thomas, *est ad plura se extendere.* Iste ergo est nouus effectus in rerum natura scilicet eandem formam attingere non absolutè, sed vt de nouo applicatam, sicut quando fides extenditur ad noua credibilia, vel anima ad diuersas partes materiæ informandas. Nec est necesse, quòd omnis actio sit productiua nouæ formæ, sed sufficit quòd sit applicatiua, vel vnitiua, vt in exemplis adductis patet, & idem dicemus de intensione, quâ qualitas magis radicatur in subiecto in lib. de Generatione, & de actione substantialiter attingente corpus Christi in Eucharistia dicunt plures Theologi, nec enim corpus ipsum de nouo producitur, quod iam existit.

Vltimò arguitur. Quia non potest qualitas indiuisibilis quantum ad aliquid amitti, vel generari, & quantum ad aliquid manere, sed constat quòd habitus scientiæ quantum ad secundam, vel tertiam conclusionem, remanente demonstratione primæ, potest amitti, vel etiam non repugnat generari antequam fiat demonstratio circa primam conclusionem: ergo non potest esse idem habitus, qui inclinat ad primam, vel ad secundam demonstrationem. *Nec potest dici*, quòd per errorem circa secundam, vel tertiam conclusionem non destruitur aliquis habitus, sed modus illius. *Tum*, quia destruitur principium assentiendi tali conclusioni, quod principium non potest esse modus. *Tum*, quia generatur habitus erroneus, qui entitatiuè opponitur habitui scientifico, id est, secundùm realem oppositionem, quæ petit extrema realia: ergo destruit realitatem, non modum, & non circa primam conclusionem, sed circa secundam: ergo circa secundam datur distinctus habitus.

Respondetur. Quòd qualitas indiuisibilis, & simplex, quando virtualiter est multiplex in extensione, vel intensione, potest amitti quantum ad nouam perfectionem, seu applicationem erga illa, ad quæ se extendit, nulla amissione facta circa entitatem, sicut anima desinit informare aliquas partes materiæ sine amissione alicuius entitatis formæ. Quare qui generat habitum erroneum circa secundam, vel tertiam conclusionem destruit habitum scientiæ, non absolutè, & entitatiuè, sed respectiuè, quatenus proximè, & in actu inclinabat ad illas conclusiones, quæ inclinatio proxima non dicit solam qualitatem, & habitum, sed qualitatem debitè applicatam cum tali coordinatione specierum, quam destruit error oppositus. Et ideò destruendo, seu impediendo talem applicationem, seu extensionem, dicitur destruere potentiam proximam ad demonstrationem oppositam, quia hæc consistit in forma sic applicata, & habitus erroneus sic generatus realiter opponitur habitui scientifico, sed non absolutè, & ex omni parte, quia non absolutè tollit illum, sed vt determinatur, & applicatur ad talem materiam, circa quam versatur ille error, & constituit illum habitum in eo statu, in quo erat antequam generaretur secunda demonstratio, sicut qui abscindit brachium non destruit formam absolutè, sed vt informantem, & applicatam ad talem materiam. Quod verò additur posse generari scientiam circa tertiam, vel vltimam demonstrationem, non generata circa primam. *Respondetur.* id non esse certum propter dependentiam & connexionem quam habet demonstratio sequens cum antecedente, tanquam cum principio, sed si id conceditur, tamen quia de se est coordinabilis cum prima demonstratione, vt contenta sub eadem ratione formali scientifica, ad eundem habitum pertinet, esto possit inueniri vltima demonstratio sine extensione ad primam, sicut prima sine vltima.

In fine huius Articuli nota, quòd cùm in scientiis, vt modò apud nos sunt, non solùm inueniantur demonstrationes, sed etiam multæ opiniones, quoad ea quæ sub opinione cadunt, non deseruit habitus scientificus, quia reuera tales opiniones ad scientiam non pertinent ad quantum ad assensum scientificum, licèt quia versantur circa eandem materiam scientiæ tractentur in eadem scientia, sed distinctum habitum generant.

R^MI P. IOANNIS A S.^TO THOMA ORD. PRÆDICATORVM CVRSVS PHILOSOPHICI, SECVNDÆ PARTIS PARS PRIMA,

Quæ de natura in communi, eiúsque affectibus disserit.

PRIMA PARS PHILOSOPHIÆ NATVRALIS.

PROOEMIVM.

PHILOSOPHIA, si in tota latitudine suæ significationis sumatur, omnem complectitur scientiam, dicitur enim Philosophia, quasi *amor seu amicitia scientiæ*: qua ratione Sapientia humana vocatur Philosophia à D. Thoma *in Proœmio Politicor.* Et sic Philosophia est scientia generica complectens sub se omnẽ scientiam naturaliter acquisibilem, præsertim speculatiuam, cuius amor propriè est amor scientiæ, quia tantùm scire amatur. Huius autem triplex genus numeratur à Philosopho, & Diuo Thoma 11. *Metaphys. lect.7.& opusc.* 70. *q.* scilicet, *Scientia Naturalis, Mathematica, & Metaphysica*: reductiuè verò ponitur etiam sub illa *Logica*, quæ non de rebus speculandis, sed instrumentis speculationis agit. Quæ scientiæ differunt secundum diuersum scibilitatis gradum, vt diximus *in libris Post. q.27. Naturalis* enim tractat de rebus motui, sensibilique mutationi subiectis, ideóque solùm abstrahit à materia singulari. *Mathematica* agit de quantitate, vt abstrahit à motu, & materia sensibilibus accidentibus vestita. *Metaphysica* agit de ente vt sic, vt abstrahit ab omni materia, tam sensibili, quàm intelligibili; id est etiam à materia prima secundum se, quæ solo intellectu percipitur.

Variè autem definitur Philosophia, in hac latitudine sumpta ab Authoribus. Quidam enim ex ethymologia nominis definiunt Philosophiam, quod est *amor sapientiæ*; alij ex modo procedendi, quod est *cognitio rerum, vt sunt*, id est, per suas causas: alij ex materia, quam comprehendit, dicunt, quod est *humanarum, diuinarúmque rerum cognitio*: alij denique effectu, ad quem nos ducit, dixerunt, quod Philosophia est *mortis contemplatio*, id est hominem à temporalibus & corporalibus passionibus segregans.

In præsenti autem, non agimus de Philosophia in tota sua latitudine, sed relicta Mathematica, & Metaphysica, solum agimus de scientia naturali, cuius obiectum comprehendit omne ens naturale, id est, omne ens mobile secundum aliquem motum corporeum, seu extensum, motus enim purè spirituales non pertinent ad hoc genus scientiæ. In hoc autem obiecto considerando, summo ordine processit Aristoteles diuidens quatuor partes huius scientiæ. Prima agit de ente mobili in communi; scientificè enim à communioribus ad minus communia proceditur: & hæc pars clauditur octo libris, quos vocant *Physicorum*, vel *de Physica auscultatione*. Reliquæ tres partes agunt de ente mobili in Particulari; & iuxta tres species motus distinguuntur in tria genera mobilium, vt aduertit S. Thom.

in proœmio librorum de generatione. Primus est modus localis. *Secundus* alterationis, qui ordinatur ad generationem, *Tertius* augmentationis, qui est proprius rei viuentis, vel animatæ: & secundum primum motum considerantur corpora simplicia, ex quibus construitur hoc vniuersum. Et sic post libros Physicorum tractat Philosophus de cœlo & mundo, id est, de omnibus corporibus simplicibus, quatenus per votum localem coordinantur & situantur in hoc vniuerso: ex his enim præcipuè vniuersum constat, nam mixta habent locum iuxta modum elementi prædominantis in eis. Secundum motum autem alterationis, qui ad generationem ordinatur, agit de corporibus corruptibilibus, non quatenus coordinantur per situm in vniuerso, sed quatenus subiacent generationi, & corruptioni, tam substantiali, quam accidentali, & sic tertia pars Philosophiæ agit de generatione. Denique secundùm tertium genus motus, scilicet augmentationis, & nutritionis, qui est proprius viuentis, agitur de omni gradu vitæ, seu de anima, quæ præbet illam, & ascenditur vsque ad gradum vitæ intellectiuæ, quæ inuenitur in anima nostra, & de hoc agit in libris de anima. Et sic per istas quatuor partes diuiditur tota scientia naturalis.

ORDO PRIMÆ PARTIS PHILOSOPHIÆ.

PRIMA *Pars Philosophiæ, vt diximus, agit de ente mobili in communi, cuius considerationem cum scientificè tradiderit Aristoteles, eius ordinem, qui maximè in scientia attenditur, oportet præ oculis habere.*

LIBER I.

IGitur *ad considerandum ens mobile in communi primò præmittit quasi præludia quædam, & principia, vnde dignoscere possimus, quid sit ens naturale, & quale sit: id enim maximè constabit ex principiis, quasi elementalibus talis entis. Circa quæ principia variè antiqui senserunt, rerum naturalium diuersas origines, & principia ponentes. Vocat autem hic principia non causas per quas fit ens naturale: sed illa ex quibus est, & in quæ resoluitur, siue considerando ens naturale in fieri, prout generatur, siue in facto esse prout componitur ex illis, & sic pro compositione assignat duo principia, scilicet* materiam & formam*: pro generatione autem addit tertium principium, scilicet* priuationem, *quatenus in generatione proceditur, à non esse formæ, seu priuatione illius, vt à termino à quo, ad esse formæ, vt ad terminum ad quem in aliquo subiecto, seu materia, & hoc explicat in primo libro.*

LIBER II.

SEcundò *tradit Philosophus ea quæ in hac scientia præsupponi debent circa subiectum, & principia, seu media, quibus hæc scientia demonstrat. Subiectum autem est id, quod naturâ constat, quod consurgit ex principiis in primo libro explicatis, scilicet ex* materia *&* forma; *& sic agit de natura. Principia autem, seu media, quibus de hoc ente naturali, seu de natura demonstrandum est, sunt quatuor causæ, scilicet*, materialis, formalis, efficiens, & finalis: *inde enim pendent omnia, quæ de hoc subiecto demonstrantur, & hoc facit in secundo libro.*

LIBER III.

TErtio *procedit ad explicandam propriam passionem huius entis naturalis, quæ est motus, à quo maximè dicitur ens mobile, & in eius consideratione consumuntur reliqui Libri Physicorum; & est duplex eius consideratio; altera secundum se absolutè, altera comparatiuè, seu respectiuè ad extrinseca, à quibus pendet, scilicet ad mouētia, & ad mobilia. Circa primam considerationem primò agit de motu in communi, & de illius affectionibus, deinde in particulari de eius speciebus, & partibus per quas diuiditur, vel continuatur. Et quidem de motu in communi, & de his quæ intrinsecè illum comitantur, & consequuntur agit in tertio libro, prius explicando definitionem motus, deinde actionem*

nem, & passionem, quæ illum concomitantur, & sine quibus non est motus, & tertiò rationem finiti, & infiniti, quæ necessariò & intrinsecè consequitur motum ratione continuitatis, & successionis partium.

LIBER IV.

DE extrinsecis *autem affectionibus motus agit in quarto Libro. Sunt autem duo, quibus motus extrinsecè afficitur, & mensuratur, scilicet* locus & tempus, *vt etiam notat Diuus Thomas* in initio quarti Physicorum; *mensuratur enim motus ex parte mobilis, loco, & ex parte suæ durationis tempore; agendo autem de loco, etiam agit de vacuo, quod est priuatio eius.*

LIBER V. & VI.

COnsiderato *autem motu & affectionibus eius, tam intrinsecis, quàm extrinsecis, agit deinceps in lib.5. & 6. de eius diuisionibus.* Primò *quidem de diuisione essentiali & intrinseca per species.* Secundò *de diuisione penes partes quantitatis continui, in quo exercetur. Et primam diuisionem prosequitur* libro 5. *ostendens dari tres species motus, scilicet* localem, alterationem, & augmentationem, *& similiter agit de vnitate motus tam specifica, quàm indiuiduali, & de contrarietate motuum, quia inter diuersas species datur contrarietas. Secundam verò diuisionem motus, scilicet penes partes continuas tractat in* lib.6. *Vbi agitur de diuisibilitate motus, tam ratione medij, per quod mouetur, quàm ratione temporis in quo mouetur, & quomodo continuum non componatur ex solis indiuisibilibus, & consequenter nec motus. Hæc omnia pertinent ad considerationem motus, secundum ea, quæ sibi absolutè conueniunt, tam in se, quàm in suis affectionibus & diuisionibus* à lib.3. vsque ad sextum.

LIBER VII. & VIII.

REstat *in reliquis libris explicare, ea quæ conueniunt motui comparatiuè ad mouentia, & ad mobilia,* & lib.7. *considerat ordinem mobilium ad mouentia deueniendo vsque ad primum motum, & primum motorem, quia non datur processus in infinitum: & similiter considerat conditionem requisitam inter mouens & mobile, scilicet quod sint simul, & approximata, & consequenter comparat motus inter se, quoad velocitatem, & tarditatem. Secundò considerat* in lib.8. *qualitatem primi motus, & primi motoris, vbi sistit consideratio entis mobilis, ostendendo, quòd primus motor est sempiternus, vbi etiam agitur de æternitate primi motus, & æternitate vniuersi ab eo producti, & similiter ostendit primum motum esse, motum localem, & circularem, ac denique primum motorem esse infinitæ virtutis, & carere magnitudine atque adeò esse incorporeum, & indiuisibilem.*

De his omnibus tractandm nobis est in præsenti iuxta hunc ipsum ordinem librorum Aristotelis. Sed antè præmittenda est Quæstio de scientia ipsa Philosophiæ, tanquam proœmialis quæstio, & de ordine, qui seruari debet in processu cognitionis, & scientiæ.

QVÆSTIO I.

De scientia Philosophiæ, & ordine cognoscendi.

M*VLTA quæ de scientia Philosophiæ disputari solent, omittimus in præsenti, quia ex resolutione tradita in* quæstione proœmiali Logicæ, & in quæstione vltima Posteriorum *facilè possunt innotescere. Eiusmodi sunt*, an Philosophia sit nobis necessaria, an sit scientia, an practica, vel speculatiua? *& similes aliæ quæstiones, quæ ex similium resolutione deciduntur. Constat enim Philosophiam nobis esse necessariam, ad rectam, & scientificam rerum naturalium perscrutationem: quòd verò sit scientia, constat ex multis demonstrationibus, quæ in progressu huius scientiæ fient, ac denique quod sit speculatiua constat, tum ex fine huius scientiæ, qui est indagatio, & cognitio veritatum naturalium, non earum effectio: tum ex principiis, quibus procedit, quæ resolutiuo modo ostendunt veritatem, non compositiuo modo fabricare docent.*

Quare tria tantum restant explicanda, *quæ propria sunt huius scientiæ:* Primum *est de illius obiecto formali, & materiali quodnam sit?* Secundò *de eius vnitate an sit vna secundum speciem athomam, an verò penes diuersa obiecta diuidatur in diuersas species: v.g. ea quæ tractat de cœlo, an sit diuersa specie ab illa quæ tractat de generatione, vel de anima, an verò totum hoc sit vnius speciei?* Tertium *circa ordinem cognoscendi, quid sit primò cognitum à nostro intellectu, quod Aristoteles loco proœmij in primo isto libro tractauit.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm ens mobile sit obiectum formale Philosophiæ?

VT punctus difficultatis innotescat, *nota* duos terminos tituli. Primus est, Ly *ens mobile*. Secundus est, Ly *obiectum formale*. Ens mobile non sumitur complexè pro aggregato ex ente, & mobilitate, vt duobus, sed incomplexè pro quidditate, cui conuenit mobilitas. Differunt autem quidditas mobilis, seu naturalis, aut ens naturale, & natura, quia vt dicit Philos. 2. lib. Physic. c. 1. *Natura dicitur principium motus, & quietis ens naturale, id quod habet in se tale principium motus.* Vndè non dicitur natura obiectum Philosophiæ, sed ens naturale, vel mobile, quia agit de rebus, seu quidditatibus mobilibus, quæ naturâ ipsâ constant. Et sicut sumitur natura in Physicis, non pro sola essentia rei, quæ cuilibet enti competit, sed pro ea quæ est principium motus, non cuiuslibet, sed imperfecti, & cum successione, & processu de potentia ad actum; ita ens naturale, vel mobile sumitur pro eo, quod habet in se principium talis motus Physici, & imperfecti, de quo plura dicemus in q. 9. agendo de definitione naturæ.

Secundus terminus est ly *obiectum formale*, licèt enim identificentur ens mobile, corpus mobile, substantia mobilis, naturalis, vel sensibilis, ratione cuius identificationis, aliqui reducunt istam difficultatem ferè ad modum loquendi; de quo videri possunt Conimbricẽses hîc q. 4. procœmiali, & Carmelitani, q. 1. & alij; tamen quantum ad rationem formalem, quæ à materiali distinguitur in scientiis, difficultas ista non est de modo loquendi, sed de re, licèt enim mobile, seu mutabile Physicum debeat esse corpus, & substantia, tamen formalitas corporis, aliud explicat, quàm formalitas entis mobilis, dicit enim corpus formaliter radicem quantitatis, & sic definitur per ordinem ad diuisibilitatem: mobile autem radicaliter sumptum dicit radicem mutationis, seu transitus de potentia ad actum, quod quidem si fiat cum successione, & continuitate, vt fit in motu Physico, diuisibilitatem requiret vt conditionem, non vt rationem formalem, & ita videmus, quòd neque natura, neque motus definiuntur per corpus, neque illud explicant, sed natura dicitur principium motus, & quietis; motus autem dicitur actus entis in potentia; vbi solum explicatur ordo entis imperfecti, non corporis. Denique idem videmus obseruari in aliis rationibus formalibus explicandis, licèt enim omne coloratum sit corpus, non tamen dicimus, quòd obiectum formale, visus est corpus coloratum, sed coloratum explicat formale obiectum; corpus autem materiale, seu præsuppositum, & omne intelligibile est ens, non tamen ratio entis formaliter explicat obiectum intellectus, sed præsuppositiuè, & materialiter. Idem ergo potest intelligi in corpore mobili, & ente mobili.

Quapropter difficultas præsens in duobus consistit. Primum in discernendo rationem formalem obiecti Physicæ, & materialem, an scilicet ratio mobilitatis pertineat ad obiectum formale, ratio verò corporis ad materiale. *Secundum* est de extensione huius obiecti, an scilicet complectatur per se, & formaliter omne mobile tam substantialiter, quàm accidentaliter: an verò solùm complectatur per se mobile sustantialiter, & penes principia substantialia, mobile autem accidentaliter solùm reductiuè tractetur à Physico, & vt deductum ex primo.

Et licèt plures sententiæ versentur circa obiectum Philosophiæ assignandum, de quibus videri possunt Conimbricens. hîc q. 4. procœmiali, art. 1. & Carmelitani, q. 1. tamen *præcipuæ sententiæ reducuntur ad tres. Quidam asserunt*, obiectum esse ens mobile; quidam corpus mobile; quidam corpus naturale, vel sensibile, licèt hæc omnia dicant alij in idem coïncidere, & solum differre penes modum loquendi. Similiter etiam inter Thomistas aliqui existimant obiectum formale, & per se Philosophiæ solum esse ens mobile substantialiter, & penes principia substantialia, alij quod per se, & adæquatè includit, tam mobile substantialiter, quàm accidentaliter, & sunt diuersa principia mobilitatis accidentalis, & substantialis, de quo videri potest Caiet. opusc. de sub. Phil.

Dico primò *Subiectum materiale, seu obiectum,* quod *Philosophiæ est corpus naturale, seu mobile; formale verò explicatur per ens mobile, seu mobile vt sic, & ita ens mobile, & corpus mobile se habet, sicut in visu coloratum, & corpus, quod* ly *coloratum est formalis ratio,* ly *corpus materialis, neque enim tangitur corpus à visu sub omni ratione, sed quatenus afficitur colore.*

Prima pars conclusionis est extra controuersiam, cùm constet limites Philosophiæ intra res corporales contineri, nec per se agere de substantiis separatis ab omni materia, sic enim haberet abstractionem æqualem Metaphysicæ, quia abstraheret à materia sensibili, & intelligibili. Et similiter non agit de sola quantitate abstracta ab omni materia, sic enim coïncideret cum Mathematica, & non ageret de corpore, vt subiicitur motui, quod vtique est corpus sensibile. Quòd si aliquando Physica agit de Deo. & Angelis, non agit de illis vt mobilibus, sed vt mouentibus, quatenus in illos reducuntur motus corporales, & ab eis dependent, de ipsis autem substantiis separatis propter se, non agit Physica.

Secunda verò pars, est expressa Diui Thomæ, præsertim in locis, vbi de hoc ex professo agit, vt patet in procœmio Physicorum, vbi inquit: *Quod subiectum Philosophiæ est ens mobile simpliciter: non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus probatur in isto libro, nulla autem scientia probat suum obiectum.* Idem expresè docet opusculo 42. cap. 14. videri potest 6. Metaph. lect. 1. Vbi docet obiectum Physicæ esse ens mobile, vel etiam substantiam mobilem, id est quidditatem mobilem, vt ibi explicat & 11. Metaphy. lect. 4. docet ex Philosopho, quòd Physica speculatur entia vt mota. Quòd si aliquibus locis videtur dicere Diuus Thomas, quòd subiectum Physicæ est corpus mobile, vt p. q. 8. art. 1. in argumento sed contra, & q. 14. de veritate, art. 8. ad 16. tamen ibi non loquitur de obiecto Philosophiæ pro formali, sed pro materiali, seu præsuppositiuè.

Fundamentum huius conclusionis sumitur ex his, quæ paulo ante sunt insinuata, quia videlicet propria, & adæquata passio quam Physicus demonstrat de suo subiecto est motus, motus autem non definitur explicando ordinem ad corpus vel substantiam, sed ad ens mobile, definitur enim, *Quòd est actus entis in potentia,* vt patet in hoc tertio libro: ergo formalis ratio subiecti Physici non explicat rationem corporis nam quod formaliter est subiectum scientiæ, explicatur etiam in formali definitione propriæ passionis, tanquam id, ad quod passio dicit habitudinem: ergo cùm non explicetur in definitione motus ratio corporis, sed ratio entis in potentia, non pertinet ad

ad formalem rationem subiecti corpus, licèt in re verum sit, quòd non sit mobile motu Physicò, nisi id quod est corpus, sed tamen sub formalitate, quâ pertinet ad Physicam, ita se habet, quòd si per impossibile daretur aliquod mobile, quod non esset corpus, adhuc tractaretur à Physica, sicut si per impossibile daretur aliquod coloratum extensum, quod non esset corpus, adhuc videretur ab oculo.

Secundò sumitur fundamentum ex illa ratione, quã significat Diuus Thomas 1. Phys. citato. quia in Physica probatur, quòd mobile sit corpus, nulla autem scientia probat suum obiectum formale: ergo obiectum formale non est corpus sub formalitate, & explicatione corporis, sed sub ratione entis mobilis. Quâ probatione vtrumque insinuatur, & quòd ratio corporis pertinet ad obiectum materiale, siquidem probatur conuenire omni mobili, & quòd non sit ratio formalis, quia nulla scientia potest illud probare, siquidem omnis probatio procedit sub aliqua ratione formali, & consequenter talis ratio non probatur, sed probat, & sic supponitur, ea verò supposita benè potest probari, quòd tale obiectum materiale sibi competat, quia iam habet rationem formalem, sub qua procedat ad inuestigandum, & ostendendum quod nam obiectum materiale sibi sit proportionatum, & sic Philosophus ostendit, quod omne mobile debet esse corpus, quia debet esse diuisibile vt patet in lib. 6. Physicorum, & ita postquam tractauit de ente mobili in communi in istis octo libris, incipiendo descendere ad explicandum in particulari diuersa entia mobilia, quod pertinet ad obiecta contenta sub materiali subiecto, incipit in libris de cœlo à notificatione corporis: ergo supponitur quòd corpus ex parte materiali subiecti se teneat.

Dices, non repugnat quòd aliqua scientia probet suum obiectum formale à posteriori, sicut Theologia probat Deum esse, nec enim requiritur ad rationem principij indemonstrabilis, quod sit indemonstrabile etiam à posteriori, sed solum à priori, vt diximus in Logica, quæst. 24. Et sic per diuisibilitatem quasi à posteriori probatur in Physica ratio corporis, vnde Philosophus formaliter nõ probauit mobile esse corpus, sed omne mobile esse diuisibile & habere partes, diuisibilitas autem non est ipsa ratio corporis, solum enim illi competit ratione quantitatis, imò diuisibilitas proxima etiam à quantitate separari potest, vt diximus in Logica, q. 16. & patet in corpore Christi sacramentaliter posito: ergo non probat Physica rationem corporis, sed aliquod accidens eius.

Respondetur, nullam scientiam posse probare suum obiectum formale, etiam quoad an est ex ipsa propria ratione formali, sic enim probaret idem per idem, sed vel id probat ex mutuatis ab alia scientia, sicut Theologia ex rationibus Metaphysicis probat Deum esse, vel id probat aliqua ratione à posteriori solum reductiuè pertinente ad talem scientiam, non formaliter, & per se, vt latiùs ostendimus in Logi. in libris posteriorum. Physica autem ostendit mobile esse corpus seu diuisibile, ex ipsa intrinseca & formali ratione motus, quia omnis motus debet habere partes, siquidem partim est in actu, partim in potentia.

Et ad id, quod dicitur, Philosophum non probare quòd mobile est corpus, sed quòd est diuisibile, atque adeò à posteriori probare, quod sit corpus, *Respondetur*, quòd quando probatur alicui rei conuenire aliquam propriam passionem, & non probatur ex ipsa quidditate à qua talis passio dimanat manifestissimum signum est, quòd talis quidditas, à qua dimanat illa passio non pertinet ad rationem formalem talis scientiæ, siquidem non per illam probatur, sicque perinde est probare talem propriam passionem, ac probare ipsam essentiam. Cùm ergo ex ratione corporis & oriatur diuisibilitas, & mobilitas, si probatur ex mobilitate diuisibilitas eò quòd ad illam requiritur, non attenditur formaliter ipsa ratio corporis, sub ea ratione, qua corpus est, id est, vt fundat diuisibilitatem, sed sub ea ratione, qua quidditas mobilis est. Vnde idem est probare rationem diuisibilis, & rationem corporis, quia corpus radix diuisibilitatis est: procedendo enim ex ipsa quidditate mobilitatis, non proceditur ex ipsa ratione corporis, quatenùs radix diuisibilitatis est, sed quatenùs fundamentum mobilitatis est, & hoc est esse ens mobile. Vnde motus secundũ suã naram, & per se non pertinet ad genus quantitatis, seu diuisibilitatis: vt dicit Sanctus Thomas opusc. 70. q. 5. art. 3. ad 5. & 5. Metaphys. lectio. 15. Est simile, si aliqua scientia ageret de intelligibili, vt sic; & probaret quòd intelligibile in actu debet esse spirituale, & non corporale, quia est abstractum à materia, talis scientia non haberet pro obiecto formali entitatem spiritualem, licèt illam necessariò supponeret, quia non respiceret illam formaliter, vt opponitur corpori entitatiuè, sed vt fundat ordinem ad intellectum. Sic Physica, qua agit de mobili, non respicit formaliter corpus, sic enim radix diuisibilitatis est, sed vt procedit de potentia ad actum de non esse ad esse, hoc enim pertinet ad mutationem, quòd formaliter non est respicere corpus, sed ipsum fieri & esse secundùm mutationem, quod totum ens mobile est.

Dico secundò, *Quando dicitur ens mobile subiectum formale Physicæ, ly* mobile *non sumitur pro mobilitate formali; sed aptitudinali, seu radicali, ita quod ens mobile est idem quod quidditas mobilis, seu fundamentum mobilitatis proximæ*. Ita notat Caietanus in opusculo de subiecto Physicæ. *Ratio est manifesta*, quia aliàs Physicus ageret de accidente, mobilitas enim proxima, seu formalis, accidens est, & sic non ageret de substantia, neque de generatione substantiali; imò non ageret per se de natura, contra id quod dicemus in secundo libro: natura enim est *principium motus, & quietis primo, & per se*. Vnde non consistit in mobilitate formali, sed radicali, quia mobilitas formalis, quæ est accidens non est primum principium motus, sed proximum, & formale.

Dices. Ergo formale obiectum Physicæ, non solum est ens mobile, sed substantia naturalis, siue substantia mobilis, seu corpus mobile. *Respondet*. Formale obiectum esse substantiam mobilem sumendo substantiam pro quidditate, seu radice prima mobilitatis, vt dicit Sanctus Thomas 6. Metaphys. lect. 1. & sic est idem quod ens mobile formaliter. Cæterùm si sumatur ly *substantia*, provt explicat hanc quidditatem per modum primi prædicamenti, id est vt naturam subsistentem, sic non explicat rationem formalem, sed materialem, seu concomitantem subiecti physici, sicut etiam visus respicit coloratum in concreto, quod non potest esse nisi substantia, vel habens modum substantiæ, non pertinet substantia ad formalem rationem obiecti in visu, sed ad materialem, tanquam sensibile per accidens, sic Physica per se & formaliter respicit ens mobile, quatenùs explicat quidditatem primi principij motus, quod non potest esse primum principium, nisi sit substantia, non tamen sub formalitate substantiæ definitur, vel formaliter attingitur, ideóque non omnino excludit substan-

tiam, sed tanquam subiectum materiale includit, sicut etiam Mathematica agit de quantitate secundùm se, quatenus fundat proportiones, & mensuras, nec tamen formaliter considerat rationem accidentis, secundùm quod inhærens est, licèt sine ratione accidentis quantitas non detur.

Dico vltimo. *Ens mobile, de quo per se agit Physica, non solum est ens mobile substantialiter, sed etiam accidentaliter, ita quod terminatiue ly* mobile *abstrahit à substantia, & accidente, & respicit non solum principia mobilitatis substantialis, sed etiam accidentalis licèt subiectiuè ly* mobile *sit substantia.*

Hæc conclusio ab omnibus acceptatur, nam *aliqui dicunt* Physicam adæquatè solum agere de ente mobili substantialiter, quod vt saluent in cœlo, quod est omnino incorruptibile, & ingenerabile, & tamen per se pertinet ad Physicam, dicunt cœlum esse mobile substantialiter, non proximè, sed remotè, & radicaliter, scilicet ratione materiæ, & ita ponere debent materiam cœli eiusdem speciei cum sublunari, & hoc ideò est, vt saluent eadem principia naturalia in obiecto huius scientiæ: aliàs si considerantur diuersa principia, alia pro substantia, alia pro accidente, non apparet, quomodo vniantur in vnica scientia. *Nec potest dici*, quòd principia accidentis reducuntur ad principia substantiæ, hoc enim saluari non potest in vno ex principiis, scilicet in priuatione; nam priuatio formæ substantialis non est in omnibus radix priuationis accidentalis, vt patet in cœlo, in quo est priuatio formæ accidentalis, id est vbi, & non fundatur in priuatione formæ substantialis, quia cœlum illius capax non est.

Cæterùm, Conclusio est posita Caiet. opusc. de subiecto Philosophiæ, & Ferrariens. 1. Physic. quæst. 2. & aliorum Thomistarum, & in sententia D. Thom. 1. part. q. 66. art. 1. quòd materia cœli specie distinguitur à sublunari, non potest opposita sententia defendi, quia tunc nec etiam remotè, id est ratione materiæ cœlum est substantialiter mobile. Sed tamen etiam abstrahendo ab hac sententia *vrgetur fundamentum positum*, tum quia Physica per se agit de forma cœli, & non solùm de materia, quæ tamen non est principium substantialis mutationis; tum quia agit de ipso cœlo, quod est compositum ex materia & forma, quatenus incorruptibile est, & à corruptibili corpore distinguitur: ergo impertinens est, quod habeat materiam substantialiter mobilem, tractatus ille, qui agit de cœlo, & per se pertinet ad Physicum, agit de cœlo, quatenus incorruptibile est, & sic non consideratur ratione mobilitatis materiæ ad formam substantialem, quin talis priuatio substantialis, ibi omnino excluditur, cum incorruptibilitas cœli per se consideretur: ergo radicalis & remota mobilitas ad substantiam ratione materiæ, non est ratio considerata in tractatu de cœlo, sed exclusa (quod valdè ponderandum est in hac sententia) & tamen consideratur cœlum vt ens mobile, mobilitate accidentali, quatenus mutatur de loco in locum.

Quomodo autem principia accidentalis mobilitatis, & substantialis vniantur in obiecto formali huius scientiæ, quòd opposita sententia percipere non potest, *Respondetur*, vtrumque verum esse, & quod principia non sunt eadem entitatiuè, nisi tantum proportionaliter, & anagolicè, vt expresè docet Diuus Thomas 1. Metaphys. lect. vltima §. hîc ponit sextum & 12. Metaphys. textu 19. lect. 4. Vbi ostendit ex Philosopho, quòd non sunt eadem principia omnium generum, nisi proportionaliter, sicut patet, quòd ad genus substantiæ pro mutatione substantiali concurrit materia, quæ est pura potentia, & priuatio formæ substantialis, & forma ipsa substantialis, quæ generari potest; in accidentibus autem materia, quæ mutari potest, non est pura potentia, sed subiectum habens formam substantialem, & priuatio formæ accidentalis, & ipsa accidentalis, quæ principia non sunt eadem, nisi proportionaliter, sicut substantia, & accidens proportionaliter sunt idem. Cæterum vniuocari possunt, & conuenire in vna scientia, quia induunt eandem rationem formalem scibilitatis, sicut etiam Metaphysica agit de substantia, & accidenti modo vniuniuoco, non quia conueniunt in ratione entis, vt sic, sed quia sub eadem abstractione formali ab omni materia, similiter ergo physica agit de substantia, & physicis accidentibus, & vtriusque principiis, vt conueniunt eadem formalitate abstractionis à materia singulari tantùm, licet talia accidentia, & substantia, non couueniant, in aliqua superiori ratione vniuersali, & prædicabili, nisi analogicè.

Nec tamen propter hoc subiectum mobile, de quo agit Physica tanquam de subiecto mobilitatis abstrahit à substantia, & accidente, quia licèt motus, seu mobilitas, de qua agit Physica, terminari possit ad substantiam, vel accidens, tamen subiectum quod recipit, & fundat hanc mobilitatem, tanquam principium primum, & per se motus, non est accidens, sed natura, quæ necessariò est substantia, licèt formalis ratio, qua attingitur, solum explicet quidditatem mobilem, non substantiam.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur*, ens mobile non potest sumi in tota latitudine, vt comprehendit tam accidens, quàm substantiam mobilem, sed restringitur tantùm ad substantiam, vel corpus mobile ergo non est ponendum ens mobile pro formali subiecto, sed corpus mobile. *Consequentia patet*, quia si subiectum non extenditur ad omne mobile, tam substantiale, quàm accidentale, sed tantùm ad substantiale, frustra dicitur ens mobile subiectum formale, & non substantia vel corpus mobile. *Ant. vero probatur*. quia si obiectum Philosophiæ sumitur in tota latitudine, vt comprehendit accidens, & substantiam: ergo nulla datur proprietas, quam demonstret, quia proprietas est accidens: verbi gratia, motus, seu mobilitas: ergo si agit de accidente, tanquam de subiecto, & non de sola substantia coïncidet proprietas cum subiecto; imò nulla dabitur proprietas physica demonstrata, quia omnis proprietas physica accidens est: ergo accidens mobile non est subiectum, sed sola substantia.

Si dicatur, substantiam & corpus mobile esse quidem subiectum Physicæ materialiter, & in supponendo, non formaliter, & in exprimendo, & ita per ens mobile non significari aliquid commune substantiæ, & accidenti mobili, sed tantùm quidditatem mobilem radicalem, quæ habet pro genere substantiam, seu corpus, de quo formaliter non agit Physica. *Contra hoc est*, quia scientia quæ agit de aliqua specie, per se agit de genere, vt constitutiuum est talis speciei, licèt non in tota sua latitudine, sicut scientia, quæ agit de homine, per se agit de animali, vt constituente hominem, & formalius exprimitur obiectum talis scientiæ dicendo, quòd est animal rationale, quàm dicendo quòd est ens rationale; similiter ergo formalius exprimitur quidditas formalis obiecti Physici dicendo

corpus

corpus vel substantia mobilis, quàm dicendo ens mobile; quod si ideo non exprimitur substantia, vel corpus, quia genus rei mobilis est, multò minus debet exprimi ly *ens*, quia magis superius est quàm corpus.

Respondetur. Quòd, vt dictum est ens mobile non sumitur pro abstracto à substantia, & accidente, loquendo de mobili subiectiuè, sed prout explicat tantùm quidditatem rei mobilis, quæ quidem in supponendo, & materialiter est idem quod corpus mobile, siquidem probatur in Physica omne mobile esse corpus, sed in exprimendo formalem rationem talis obiecti dicitur ens mobile, potiùs quàm corpus mobile, quia formaliter solum respicit Physica quidditatem mobilem, quæ nomine entis mobilis explicatur.

Et ad replicam Respondetur, quòd ly *ens* mobile potest sumi dupliciter, vno modo, vt dicit complexum, seu constitutum ex gradu superiori analogo, & inferiori differentia omisso genere intermedio, sicut quando sumimus indiuidua generica, vt hæc substantia, hoc corpus omissis gradibus intermediis, alio modo potest sumi ens mobile, non in vi alicuius complexi constituti ex superiori gradu entis, & inferiori mobilitatis, sed vt est idem ens mobile, quod mobile tantum quasi dicatur res, seu quidditas mobilis, quæ in re quidem est substantia, & corpus, non tamen explicatur sub conceptu substantiæ, vel corporis, sed sub ratione quidditatis mobilis. Primo modo non dicimus esse subiectum Physicæ ens mobile, sed secundo, & sic ens mobile non est aliquid magis amplum & abstractum quàm substantia, vel corpus mobile, nec comprehendit in se tanquam subiectum substantiam, & accidens, sed est aliquid contractius substantia, determinans illam, & explicans, non secundùm omnem rationem substantiæ, vel corporis, sed præcisè quà mobilis est, quasi exprimendo, quòd omne quod tractatur in Physica de substantia, & corpore est, vt subest mobilitati, seu vt fundat illam, vbi substantia solum materialiter se habet.

Quod vero subditur de scientia tractante de aliqua specie, quod etiam tractat de genere, vt constituente ipsam *Respondetur*, quòd tractat quidem, sed non æquè formaliter, sed de illo genere vt subest illi speciei tanquam rationi formali, & sic tractat Physica de corpore, & substantia mobili, sed non æquè formaliter, sed vt trahuntur ad rationem entis mobilis, id est quidditatis mobilis, quòd verò explicetur ly *ens* in obiecto formali, & non corpus, vel substantia iam diximus id esse, non quia ens sumitur per modum gradus superioris, sed per modum explicantis quidditatem mobilitatis & non ponentis in numero cum illa. Et præterea, non est certum, quòd mobile dicat differentiam essentialem respectu corporis, vel substantiæ, sed solum proprietatem fundatã in corpore, & sic exprimeretur, quod Physica agit non de ipsa mobilitate, quæ est passio, nec de ipso corpore absolutè, sed vt fundat illam passionem mobilitatis formaliùs explicatur, & potiùs ipsa formalis ratio obiecti, dicendo mobile, seu ens mobile quod idem est, quasi dicatur fundamentum mobilitatis, quam dicendo corpus mobile, vbi denotaretur, quòd ipsa ratio corporis, etiam intrat formalitatem obiecti Physicæ quà corpus, non solum quà mobile. Ac denique, quia notius nobis est, quod aliquid sit mobile, quàm quòd sit corpus, etiamsi corpus esset genus illius, quia per motum probatur diuisibilitas, & ratio corporis: & ideò formalis ratio non debet explicari per corpus, sed solum per mobile, siue per ens mobile, quia formalis ratio debet esse notissima in aliqua scientia.

Quod si instes: nam mobile radicaliter, & sumptum pro substantia, non est magis notum, quàm ipsa mobilitas, seu motus accidentalis, imò indigemus circumlocutione ad exprimendum hoc subiectum, dicendo ens mobile, quod est signum ipsam quidditatem nobis non esse notam. *Respondetur*, hoc ipsum stare pro nobis, quia si in ratione substantiæ, vt exprimitur hoc nomine, non est ita per se notum, sicut vt exprimitur nomine quidditatis mobilis, consequenter non dicemus, quòd obiectum formale sit substantia, vel corpus mobile, vt exprimitur nomine corporis; vel substantiæ, sed vt exprimitur nomine quidditatis, seu entitatis mobilis, licèt in re sit substantia vel corpus, dari enim quidditatem mobilem notissimum est.

Secundò arguitur: illud est subiectum formale scientiæ, in quod omnes passiones, & accidentia formaliter resoluuntur; sed Physicus resoluit accidentia mobilia in substantiam mobilem, tanquam in radicem per se, quia principium accidentis substantia est in quantum substantia, nec Physicus respicit per se formaliter aliquod accidens, sicut visus coloratum, & auditus sonum, sed per se respicit substantiam, & radicalem mobilitatem; ergo formale subiectum Physicæ formalius exprimitur per substantiam, seu corpus mobile, quàm per ens mobile. Si dicatur, ideò significari nomine entis mobilis hoc obiectum, quia non restringitur ad principia mutationis substantialis, sed etiam attingit principia mutationis accidentalis, ideóque abstrahit à mobilitate accidentali, & substantiali. *Contrà est*, quia si propter illam rationem dicitur ens mobile subiectum potiùs quàm substantia, vel corpus mobile: ergo eadem ratione, non dicetur formale obiectum mobilitas radicalis, quæ determinatè exprimit substantiam, & distinguitur à mobilitate formali, quæ est accidens, sed dicetur aliquid abstrahens à mobilitate accidentali, & substantiali, sicut principia ipsa abstrahunt à principijs substantialibus, & accidentalibus; tale autem abstrahens non est radicalis mobilitas determinata, nec est aliquid vniuocum, sed aliquid analogum abstrahens à substantia, & accidente, quod non posset vniuocari in ratione scibilis, nisi redderetur tãtę abstractionis, sicut Metaphysica, denique sub illa abstractione non est assignabilis aliqua passio Physica, quæ correspondeat illi abstracto, motus enim, seu mobilitas accidentalis, cùm sit accidens, solum consequitur ad substantiam, non ad aliquod abstractum à substantia, & accidenti.

Respondetur ad principale argumentum, quòd accidentia physica resoluuntur formaliter in substantiam mobilem, quatenus substantia dicit quidditatem radicalis mobilitatis: non quatenus substantia exprimit gradum prædicamentalem genericum rei subsistentis, hoc enim solum materialiter pertinet ad Physicam, quæ vt radicaliter mobilis sit, supponitur quod sit substantia, non formaliter exprimitur; vnde non se habet sicut visus ad coloratum, vel auditus ad sonum, quia hæc respiciunt aliquid contentum sub accidente, Physica autem aliquid contentum sub substantia; licèt neque obiectum sensuum formaliter exprimat accidens, neque ista formaliter exprimat substantiam, licèt illam supponat.

Ad replicas autem, quæ fiunt in oppositum, *Respondetur* probare, quòd res ad quas est motus, & quę sunt termini mobilitatis Physicæ, non sunt sola substantia, sed accidens & substantia, atque adeò aliquid analogum, vt etiam concedit Caiet. in opusc.

cit.

cit.solutione ad 1. licèt vniuocetur in ratione scibilis, vt supra diximus. Et hoc tamen non sequitur, quòd mobile pro subiecto, & radice mobilitatis pro termino, ad quem est motus abstrahat à substantia,& accidente, sed solùm contineatur sub substantia, licèt illam formaliter non explicet, quia tam principia mobilitatis accidentalis, quàm substantialis in substantia radicantur, illíque conueniunt, licet non sint eadem principia, quia respiciunt formas,& priuationes diuersorum generum. Vnde passiones, quæ demonstrantur in Physica, non consequuntur ad aliquod abstractum à substantia & accidente, sed ad aliquid determinatè contentum sub substantia, vel corpore, licèt non exprimatur in formalitate obiecti, ipsa generica ratio substantiæ vel corporis, sed tantum id, quod pertinet ad rationem motus, vel principij motus, in cuius definitione non explicatur formalitas substantiæ, sed actus & potentiæ.

Vltimò arguitur, quia ly *mobile* ex vna parte comprehendit plura, quàm quæ in Physica tractantur, ex alia parte Physica agit de pluribus, quæ sub mobili non comprehenduntur; & denique ex alia plures aliæ scientiæ quàm Physica agunt de mobili: ergo per ly *mobile* non explicatur adæquatum obiectum Physicæ. *Antecedens quoad primam partem probatur*. quia mobile etiam comprehendit Angelos, qui mutabiles sunt, tam in substantia per creationem,& annihilationem, quàm in operationibus, vt per motum localem, cognitionem.&c. *Quoad secundam partem probatur*, quia Physica non solùm agit de mobili, sed etiam de quiescibili: est enim natura principium motus,& quietis:& sic etiã agere de quiete pertinet ad Physicam, præsertim cùm motus ad quietem ordinetur. Similiter attingit Deum vt primum motorem, & animam intellectiuam non solum, vt coniunctam corpori, sed etiam vt separatam: ergo agit de rebus immobilibus. *Quoad tertiam partem probatur*, quia Astrologia etiam agit de ente mobili, scilicet de cœlo, & motibus planetarum, & Medecina agit de corpore sanabili, quod includit motum alterationis: ergo mobile est commune aliis scientiis & consequenter non est proprium Physicæ,

Respondetur, quòd vt supra diximus, ly *mobile* potest sumi dupliciter, vno modo in tota latitudine, vt dicit motum tam Physicum, quàm Metaphysicum, id est motum qui est actus, seu operatio perfecta,& motum qui est actus imperfectus, qui fit cum aliqua diuisibilitate, quatenùs est partim in potentia, & partim in actu; & mobile solùm hoc secundò modo pertinet ad Physicum, nec tali motu Angeli dicuntur mobiles; nam creatio non habet subiectum, ex quo aliquid fiat, & sic non est motus Physicus, annihilatio verò motus non est, sed suspensio concursus, operationes autem Angeli ex parte subiecti, à quo fiunt, spirituales sunt, & indiuisibiles, vel non distinguuntur ab actibus immanentibus, vel ex illis omnino oriuntur, sicque non pertinent ad motum diuisibilem, & imperfectum, qualis est Physicus.

Ad secundam partem, *Respondetur* quòd quies, cum sit priuatio motus, cognosci debet per formam oppositam, ad illámque reduci, id est ad motum, nec omnis qui est finis motus, vt patet in motu cœli, & in motibus vitæ, qui sunt perfectiores quiete, si enim quies est conseruatiua quiescentis, tunc motus per se ordinatur ad quietem, non quia priuatio, sed quia conseruatiua. De Deo autem,& intelligentiis Physicus non agit per se, sed solùm attingit illas, quatenùs motores,& principia motuum Physicorum, non autem illarum quidditatem & essentiam perscrutatur, sed terminus Philosophiæ est anima rationalis, quæ etiam est forma corporis physici, vt dicitur 2.Phy.textu 26.esse autẽ formam etiam conuenit ei in statu separationis, licèt non exerceat informationem.

Ad tertiam partem Respondetur, quòd Astrologus non agit de cœlo, & planetis, vt sunt entia mobilia, sed vt mensurabiles sunt eorum motus,& secundum varios aspectus diuersam proportionem induunt, quod magis pertinet ad Mathematicum, quàm ad Physicum. Medicus autem agit de corpore sanando, quod quidem supponit motum,& fit per motum,& sic supponit Physicam, eique subordinatur, formaliter tamen, non per se considerat motũ, quà motus, sed quia ordinatus ad sanitatẽ, sicut artifex non potest facere statuam, nisi aliquo motu, non tamen formaliter considerat rationem motus, sed commensurationem figuræ, sic Medicus proportionem humorum, licèt id fiat per motum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Philosophia sit vnius speciei athomæ in ratione scientiæ?

RESolutio est affirmatiua, quam plures Thomistæ sequuntur, vt Magist. Soto 1. Phy.q.1.& Bannez in prologo librorum de generatione ad quartũ principale, licèt Caietanus oppositũ sentiat, 2. q. 164. in introductione quæstion. Sumitur autem hæc conclusio ex Diuo Thoma, qui in procemio Physicorũ & librorũ de cœlo,& de generatione distinguit omnes istos tractatus tanquam partes vnius scientiæ naturalis, in quarum vna agitur de toto obiecto in communi, quod in aliis applicatur ad obiecta particularia sub tali communi, hoc autem non variat speciem scientiarum; aliàs partes Theologiæ diuersas species Theologiæ constituerent, imò non esset dabilis vna scientia in specie athoma, si diuersi tractatus, & partes variant eius speciem: nulla enim scientia quantumcunque speciei infimæ datur, quæ non procedat ordine quodam à communioribus ad minus communia, & inter ipsa minus communia prius traduntur ea, quæ simpliciora, vel vniuersaliora sunt: sola ergo diuersitas partium & tractatuum in aliqua scientia non variat eius speciem, in scientia autem naturali solum est diuersitas penes ordinem partium, seu tractatuum de diuersis obiectis, vt Diu. Thom. locis citatis significat. Quòd si hoc sufficeret speciem scientiæ diuersificare, etiam in ipsis octo libris Physicor. deberemus distinguere diuersas species, quia agit de rebus valde diuersis, vt de infinito, de continuo, de loco & tempore, & variis speciebus motus: quæ omnia licèt connexionem habeant cum ente mobili vt sic, tamen hoc ipsum inuenitur respectu aliorum librorum, qui agunt de istis mobilibus, & motibus in particulari,& ita connexionem habẽt cum ente mobili, vt sic, nam scientia, quæ agit de aliquo genere, etiam agit de speciebus contentis sub illo, sicut Metaphysica, quæ agit de ente, etiam agit de prædicamentis,& causis contentis sub ente,& tamen est vnius speciei athomæ.

Fundamentum autem à priori est, quia diuersa species scientiarum non sumitur ex sola diuersitate rerum in se, sed ex diuersa abstractione, seu modo cognoscendi,& illuminandi obiecta; nam si sola diuersitas rerum materialiter, & entitatiuè consideraretur, speciei differret in Metaphysica pars, quæ

tractat de Deo, ab ea quæ tractat de substantia creata, vel accidente; & similiter in Physica, pars, quæ tractat de materia & forma, ab ea quæ tractat de primo motore; & pars quæ tractat de infinito, ab ea, quæ tractat de loco, & vacuo, & similia multa possent multiplicari. Tunc autem diuersa abstractio fundat diuersam speciem, & modum illuminandi, quando oritur ex diuersis principiis: ex principiis enim sumitur illuminatio conclusionum, vt latè tractauimus in libris Posteriorum, q. 27. Cùm autem principia, quibus passiones probantur de subiecto, sunt definitiones, ideò ad diuersum modum definiendi, reducitur diuersa species sciendi, & manifestandi res scitas; non enim sufficit alias, & alias res definire, & tractare, sed aliter atque aliter: nam plures res definire, & de pluribus quidditatibus agere etiam in vna scientia contingit, quatenus omnia illa sub vno modo definiuntur, vt citato loco Logicæ ex Diuo Thoma 6. Metaphys. lect. 1. & pluribus aliis locis ostendimus. Omnes autem definitiones, quę traduntur tam in octo libris Physicorum, quàm in libris de generatione, & aliis, sub eadem abstractione, & formalitate procedunt. Definiuntur enim secundùm rationem, vel habitudinem ad motum, & solùm differunt, quòd in libris Physicorum definiuntur ea, quæ pertinent ad motum in communi, in aliis autem libris ea, quæ pertinent ad particulares rationes, & species motus, cuius signum est, quia principia, quæ traduntur in Physicis, seruiunt pro libris de cœlo, & de generatione; nec tamen isti libri important aliquam scientiam subalternatam ad scientiam Physicorum, nec enim addunt differentiam accidentalem, & extraneam ad motum in communi, sed intrinsecam, & essentialem: ergo si vtuntur principiis Physicæ in communi, pertinent ad eãdem scientiam, eadem enim scientia, quæ agit de aliquo genere in cõmuni, agit de speciebus essentialibus eius; aliàs semper essent diuersæ scientiæ, quæ agunt de aliquo in communi, & speciebus eius essentialibus; cuius oppositum videmus in Metaphysica, & Theologia, aliisque scientiis; quæ non solum agunt de vna specie, sed de pluribus, vt conueniunt in aliqua ratione communi, secundum quam induunt eundem modum definiendi, & consequenter illuminandi conclusiones.

Sed contra hoc obiicies duo. Primum ex auctoritate Sancti Thomæ. 1. Post lect. 41. vbi inquit, *Quòd aliud genus scibilium est corpus naturale, & mathematicum, & vtrum horum generum distinguitur in diuersas species scibilium secundum diuersos modos, & rationes cognoscibilitatis;* sed corpus naturale est obiectum Philosophiæ: ergo secundum Diuum Thomam sub isto obiecto generico continentur plures species, & modi cognoscibilitatis, atque adeò diuersæ species scientiarum.

Secundum est. Nam intra corpus mathematicum dantur diuersæ species scientiarum, verbi gratia, Geometria, & Arithmetica, propter diuersam abstractionem specificam à materia sensibili: ergo etiam diuersa abstractio intra corpus naturale constituet diuersas scientias. Constat autem, quod aliter abstrahit in genere Physico cœlum, quod mouetur solum motu locali, & res generabiles, & corruptibiles: motus enim generationis magis concernit de materia, & de conditionibus materialibus, quàm motus localis, & similiter anima habet maiorem separationem à conditionibus materiæ, in tantum quod attingit animam rationalem, quæ in sua entitate spiritualis est & à materia independens essendo.

Ad primum respond. D. Tho. signanter non dixisse, quòd ens mobile, quod est obiectum Philosophię, est genus scibilium, & diuiditur in diuersas species, sed dicit, quòd corpus naturale: licèt autẽ ęquiualeant in supponẽdo corpus naturale & ens mobile, quia omne ens mobile est corpus, tamen formalis ratio entis mobilis adunat omnia, quæ tractat sub vnica ratione mobilitatis, quia eodem modo concernit, vel abstrahit à materia. Corpus autem naturale materialiter se habet, & est capax diuersarum rationum formalium ad diuersas scientias spectantium, sicut est Medicina, & Philosophia: nam Medicina licèt formaliter non agat de corpore naturali, quatenus ens mobile est in communi, vel in speciali, agit tamẽ de corpore naturali, vt sanabili, quę sanitas licèt per aliquem motum acquiratur, non tamen formaliter ratio motus, sed ordo ad sanitatem attenditur, vt præcedenti articulo explicatum est.

Ad secundum Respondetur, esse disparem rationem inter Mathematicam, & Philosophiam, eò quòd Mathematica non agit de quantitate quantum ad quidditatem suam, in qua conuenire poterant quantitas continua & discreta secundum aliquod principium & modum scibilem, prout de facto tractantur in Metaphysica considerante quidditatem quantitatis, & specierum eius, sed Mathematica considerat proportiones & mensuras: quæ in quantitate discreta, & continua ita variantur, quod ad diuersa principia reducuntur, & ad diuersam abstractionem & modum definiendi, quia mensuratio per magnitudinem nullo modo conuenit cum modo mensurandi penes numerationem; hæc enim abstractiori modo procedit, quia magnitudo mensurat per modum continentis, vt locus, numerus per intellectum numerando. At verò in Philosophia omnia reducuntur, & tractantur prout conueniunt in ratione motus, & mobilis, & solum potest esse differentia penes rationem communem mobilis vt sic, & specialem sub eo contentam: illa autem diuersa abstractio motus localis, & generationis non constituit diuersam scientiam, quia motus localis corporeus, de quo solo agit Physica æquè sensibilis est, & ad eadem principia mobilitatis reducitur; atque motus generationis, vel viuentium; omnia enim ista tractantur sub ratione quidditatis mobilis. Medicina autem licèt solum procedat sub abstractione à materia singulari, non tamen sub eodem modo abstractionis; imò nec sub ratione mobilis formaliter, sed sanabilis, quod magis concretiuè procedit, magisque ad singularia & praxim accedit, quia sanitatem respicit vt curandam.

ARTICVLVS III.

Vtrùm magis vniuersale, atque adeò ipsum ens vt sic, sit primo cognitum ab intellectu nostro?

IN *Ipso initio primi libri Physicorum* ordinem nostræ cognitionis à communioribus ad minus communia proposuit Philosophus tanquam procœmialem tractatum horum librorum. Et in summa, doctrina Aristotelis reducitur ad tres distinctiones, & tres propositiones. *Prima distinctio est*, cognitio nostra aut est in sensu, aut intellectu; & illa quæ est in sensu, prior est ordine acquisitionis, quàm quæ est in intellectu. quam distinctionem non tradit Philosophus expresè hic, sed præsupponitur ex primo Posteriorum c. 2. & à Diuo Thom. notatur ibi lect. 4. & hic lect. 2.

Secunda distinctio est: cognitio siue in sensu, siue in

in intellectu, alia est confusa, alia distincta. Cognitio confusa est, quâ attingitur aliquid non resoluendo, nec discernendo eius partes, seu prædicata, aut attributa. Distincta est è conuerso, quâ cognoscitur aliquid resoluendo, seu discernẽdo partes eius, aut prædicata. Et omnis confusio dicit ordinem ad plura, vel actualiter in se inclusa, quia ex illis actu constat, vel potentialiter subiecta, quia sub se continentur: vnde oritur quòd alia sit cognitio confusa actualis, scilicet respectu eorum; quæ actu conueniunt rei, alia confusa potentialis, scilicet respectu eorum, quæ sub obiecto, & quasi in eius potentia continentur, & similiter distingui potest è conuerso cognitio distincta.

Tertia distinctio est. Res aliæ sunt notiores simpliciter, & secundum se, quæ dicuntur notiores naturâ, aliæ sunt notiores nobis. Ea quæ sunt notiora simpliciter, & secundum naturam, sunt perfectiora & nobiliora; cognoscibilitas enim fundatur in ente, vnde quantò ens est perfectius & actualius, tantò est cognoscibilius, & consequenter nobilius; nobile enim dicitur quasi noscibile. Sunt autem notiora nobis, quæ magis proportionata sunt nostro modo, & virtuti cognoscendi; quæ cùm sit imperfecta, & procedat de potentia ad actum, non habet pro obiecto proportionato ea, quæ sunt perfectiora, & nobiliora secundum se.

Propositiones autem Philosophi sunt tres. Prima, connaturalis modus procedendi est à notioribus, & certioribus quoad nos, ad ea, quæ sunt notiora secundum se. *Secunda*, magis confusa, nobis sunt prius nota. Postea autem elementa, seu principia, id est partes quibus constat, quod pertinet ad notitiam distinctam. *Tertia propositio*: ab vniuersalibus ad singularia oportet procedere.

Has propositiones tribus exemplis siue signis Philosophus manifestat. *Primum* est deductum à sensibus, prius enim sensus attingit totum integrale, quàm partes suas distinctè: ergo & intellectus prius attingit vniuersale, quod se habet vt totum, confusè ipsum attingendo, respectu eorum quæ continet vt partes. *Secundum exemplum* est à definito ad definientia, prius enim cognoscimus definitum absolutè, & communiter, v. g. hominem, deinde partes quibus definitur: v. g. quod animal, & rationale eius definientia sint. *Tertium exemplum* est in pueris, qui à principio omnes viros vocant patres, & omnes fœminas matres, posteà autem discernunt vnumquodque; quod signum est, ipsos processisse à cognitione confusa ad distinctam.

Circa hanc doctrinam duplex insurgit difficultas. Prima, contra aliquos, qui absolutè hanc Philosophi doctrinam reiiciunt: eámque contradictionis coarguunt. *Secunda*, & grauior apud eos, qui hanc doctrinam admittunt, sed valdè concertant in designãda mente Philosophi circa ordinem procedendi in cognitione, & determinando quodnam sit obiectum prius à nostro intellectu cognitum, an illud quod est facilioris abstrationis, quia à paucioribus abstrahit: an quod est confusioris, & plura sub se continet, an denique quod est fortioris impressionis ex parte sensuum, quatenus ab illis intellectus pendet in cognoscendo.

Circa primum, inueniunt aliqui contradictionem in hac doctrina Philosophi, cum his quæ tradit 1. Post. cap. 2. vbi inquit, *Quòd nobis notiora sunt, quæ sunt propinquiora sensui, simpliciter vero notiora, quæ à sensu remotiora sunt, ea verò esse remotiora, quæ vniuersaliora sunt*: Hic autem è contra dicit, quòd ab vniuersalioribus prius procedendum est, quia sunt confusiora, & notiora nobis. *Secundò* contradicit sibi ipsi in hoc loco. Nam in 1. text. dicit, quòd cum scire contingat per prima principia causas, & elementa, de his oportet determinare, At verò in text. 3. & 4. dicit, quòd cõfusiora sunt prius nota nobis; deinde principia, & elementa, ideoque ab vniuersalibus ad singularia oportet procedere.

Ad primum Respond. Diuus Thomas tam in 1. Post. lect. 4. quàm in 1. Physicorum, lect. 1. quòd in 1. Post. loquitur Philosophus de cognitione nostra nõ solum in intellectu, sed in sensu, respectu cuius constat singularia esse prius, imò solùm cognita, in præsenti autem loquitur solùm de cognitione intellectus, qui cùm à singularibus abstrahat, procedit ab vniuersalibus ad singularia, id est ad minus communia. Et sumitur hoc ex verbis Philosophi. 1. Phys. tex. 49. dicens, quòd *Vniuersale notius est ratione, singulare verò sensu.* Quando verò dicit vniuersaliora esse notiora secundùm naturam, quia sunt remotiora à sensu, loquitur de his quæ sunt vniuersaliora in virtute, & causalitate, siue in abstractione formali, sic enim quæ formalius abstrahunt, id est magis excludunt materiam, & quæ sunt magis vniuersalia in virtute, & causatione sunt notiora secundùm se, quia magis perfecta, sicut Deus, & Angeli.

Ad secundum dicitur, quòd loquendo de cognitione scientifica certum est; quòd oportet procedere à principiis ad conclusiones: est enim cognitio scientifica illuminatiua conclusionum, & distincta. Vnde oportet, quòd à principiis seu elementis procedat, resoluendo scilicet in ipsa principia; & de ista cognitione loquitur Philosophus in 1. textu, quando dicit, quòd oportet de principiis, & causis prius determinare. Cæterùm loquendo de cognitione confusa quam distincta in nobis procedimus de imperfecto ad perfectum, & de hac loquitur in secũdo loco, vt ex hoc constet, quòd inter materias, quæ in ariqua scientia tractantur, & inter principia à quibus proceditur, ea prius tractanda sunt, & attingenda, quæ sunt communiora, & confusiora, nobisque magis nota.

Nec oportet hîc distinguere ordinem naturæ, & ordinem doctrinæ in procedendo, vtriusque enim processus via acquisitionis est ab imperfectioribus ad magis perfecta: doctrina enim imitatur naturam & accommodat se modo procedendi ipsius naturæ in qua est. Solùm cauendum est, ne ordo doctrinæ, & naturæ confundatur, cum his, quæ dicuntur notiora naturæ, & notiora nobis, cùm tamen longè differant, quia ordo naturæ, & doctrinæ, dicit processum, & modum acquirendi, qui tam in doctrina, quàm in natura est ab imperfectioribus ad perfectiora, esse autem notiora naturæ, & notiora nobis, solùm importat cognoscibilitatem rei, vel secundum se, vel vt proportionatam, & applicatam nobis. Vnde benè stat, quòd alia sint notiora natura, alia notoria nobis, non tamen sit alius ordo seu modus procedendi doctrinæ, & naturæ in via generationis, & acquisitionis.

Circa secundum celebris est difficultas in scholis circa primum cognitum nostri intellectus, vnde desumendum sit. *Et principaliores sententiæ in hac parte diuiduntur in tria capita*; nam *quidam* desumunt primum cognitum nostri intellectus non penes potentialitatem, & imperfectionem ipsius intellectus procedentis, sed penes fortius motiuum ex parte obiecti mouentis per sensus, ipsum intellectum, & hoc est singulare. Ita Durandus in 2. dist. 3. Conimbr. hîc super cap. 1. quæst. 4. art. 2. Pereira lib. 3. Physicorum, cap. 16. Martinez hîc super cap. 1. disp. vnica quæst. 3. *alij* conueniunt in hoc, quòd intellectus noster non incipit à singularibus, sicut sensus, sed abstrahit

ab

ab illis Cæterum *quidam* desumunt primum cognitum ab eo, quod facilius abstrahit intellectus, Facilius autem abstrahit, vt dicunt, naturam in specie athoma, cuius singulare efficacius mouet sensum nisi intellectus impedimentum aliquod habeat. Ita Scot. in 1. disp. 3. q. 2. quem sequitur eius scola, & alij etiam extra eam, vt notant Conimbricenses loco citato, quæst. 3. art. 2. & sic naturam specificam putat Scotus esse totū actuale confusius cognitum. Denique *alij* sumunt primum cognitum in natura abstracta à singularibus ex confusiori prædicato reperto in ipsa natura, hoc autem est ipsum ens sub conceptu magis confuso, & hoc sequitur D. Thom. & eius schola, vt statim videbimus. Ne autem necessarium sit hoc amplius repetere, *aduertimus*, nos non loqui de primo cognito quantum ad sensum, hoc enim est singulare, quod prius occurrit, sed loquimur de primo cognito intellectus, vt abstrahentis à singularibus.

Dico ergo primò, *Impossibile est, quòd primum cognitum nostri intellectus in hac vita sit aliquod singulare per modum singularis*. Dicitur *per modum singularis*, quando ipsa singularitas non cognoscitur, vt quædam quidditas, sed vt quidditatem, seu naturam aliquam afficiens, & singularizans, qua ratione singulare attingitur à sensu. Hæc conclusio necessario tenenda est in sententia Diui Thomæ tenentis, quòd singulare sensibile solum potest cognosci à nostro intellectu reflexè, eò quod species quibus intellectus informatur, sunt abstractæ ab intellectu agente, non solum, quia entitatiuè redduntur spirituales, sed quia earum obiectum abstractius est; quàm obiectum sensus, ac proinde à conditionibus singularitatis abstrahit. Sed tamen hoc fundamentum, in præsenti examinandum non est, sed tertio de Anima, vbi latius tractabitur, nec enim solum probat, quòd singulare non possit esse primum cognitum nostri intellectus, sed quòd nullo modo possit esse directè cognitum.

Sumimus ergo fundamentum in præsenti ex ipso formali obiecto nostri intellectus, quod non potest esse singulare sub modo, & exercitio singularitatis, sed obiectum eius est quidditas seu quod quid, vt ex Philosopho optimè docet Diuus Thomas 3. de Anima, lect. 8. & 6. Ethic. lect. 1. & opuscul. 29. & 1. part. q. 86. articul. 1. & alibi sæpe Philosophus enim de Anima textu 10. dicit, quòd *sensitiuo iudicat calidum & frigidum, seu carnem, alio autem* (id est alia potentia, vt explicat ibi D. Thom. lect. 8.) *discernit esse carnis*, id est quidditatem. Et 1. Phys. textu. 49. dicit, quòd *vniuersale notius est ratione, singulare verò sensu*. Itaque in hoc segregatur cognitio intellectus à cognitione sensus, quòd sensus solum attingit res sub sensibili apparentia accidentium, formale enim obiectum cuiuscumque sensus est aliquod accidens in concreto; verbi gratia coloratum, sonorum, calidum, &c. Intellectus autem penetrat ad intima rei, quæ est quidditas, nec limitatur ad sola accidentia, quæ per se mouent sensibiliter; & in hoc eleuatur supra sensum: propriè ergo id, quod est per se primo intelligibile, est quidditas, & ita ipsam singularitatem, & ipsa accidentia respicit intellectus per modum quidditatis cuiusdam, sic enim intelligibiliter respicit, & supra modum sensibilem, intelligere enim est quasi intus legere, & ad interiora rei penetrare, non exteriora tantùm attingere, quod facit sensus, vt sæpius admonet Diu. Thom. propriam intellectus rationem explicans, vt videri potest 2. 2. q. 8. art. 1. vbi hoc optimè explicat Cum ergo intellectus vnumquodque debeat attingere sub formalitate sui obiecti, id est sub ratione quidditatis, in quo per se primo segregatur à sensu; oportet quòd etiam id, quòd primo cognoscit sub ratione alicuius quidditatis attingat: ergo si primò cognoscit singulare, primo attinget quidditatem singularitatis non autem singulare, sub modo singularitatis, sicut cognoscit sensus, sed quidditas singularitatis non potest esse primo cognoscibilis; manifestior enim est quidditas naturæ, quam singularitatis, cùm quidditas singularitatis sit modus naturæ, ipsā terminans, & modificans, quidditas autem modorū vix est perceptibilis quia valdè minuta est & dependens ab eo cuius est modus: ergo de se prius est cognoscibilis quidditas naturæ, quam quidditas singularitatis, quæ est modus naturæ.

Dices, potest attingi ab intellectu quidditas singularitatis quoad an est, & non quoad quid est, & sic facilius cognoscetur ipsum an est singularitatis, quā naturæ. Sed esto ita sit, quòd intellectus incipiat cognoscere quidditatem sui obiecti non quidditatiuè, sed quoad an est, ita quòd neque de ipsa natura, neq; de ipsa singularitate attingat aliud prædicatum, quā ipsum an est: tamen hoc ipso non cognoscitur singulare vt singulare est, sed sub confusione, & ratione quadam communissima ipsius esse, ita quòd de ipsa singularitate nō cognoscit nisi quod sit ens, hoc autem est cognoscere aliquid commune ipsi singulari, & ipsi naturæ: de vtroque enim datur cognitio quoad an est, & sic ipsum esse seu an est, vt concretum, seu applicatum alicui singulari sensibili erit primum cognitum intellectus, Quare (*quod valdè aduertendum est*) quando intellectus cognoscit aliquid quoad an est, nō præscindit à quod quid seu à quidditate, hoc enim est impossibile cùm sit formale eius obiectum, & primo, & per se intelligibile: sed solum non cognoscit quidditatiuè, id est penetrando constitutionem propriam quidditatis & causas essendi, sed in ipsa quidditate solum attingit prædicatum quoddam valdè commune & confusum, quod est ipsum esse & hoc est, quod tunc cognoscit *vt quod quid*.

Et licèt sensus immediatè moueat intellectum, tamen quia non mouet ad cognoscendum singulare eo modo quo sensus, nec sub eadem ratione formali obiecti, sed per modum intelligibilem, id est per modum quidditatis, ideò intellectus non respicit, vt primo cognitum ipsum singulare sub modo & exercitio singularitatis, cum tamen in sensu singularitas sit conditio obiecti sensibiliter mouentis, ita quòd obiectum non per quidditatem, nec per abstractionem, sed vt hîc & nunc mouet ad sui cognitionem.

Dico secundò, *Prima ratio cognoscibilis à nostro intellectu naturaliter & imperfecto modo procedente, est quidditas materialis sub aliquo prædicato maxime confuso, quod prædicatum est ens non gradus aliquis specificus vel genericus, & hoc est cognoscere totum cognitione actuali confusa*, id est cognoscendo aliquid confusum quod ipsi actu conuenit non potentialiter & in ordine ad interiora, vt statim explicabimus. Hæc conclusio est D. Th. 1. p. q. 85. art. 3. & quæst. 28. art. 3. & in prologo de ente & essentia. vbi latè tractatur à Caietano, & videri potest Magister Soto 1. Phys. q. 2. art. 2. & communiter apud alios Thomistas.

Vt autem eius fundamentum tradatur aduertendum est ex Caietan. in illa prima quæst. de ente & essentia circa primam conclusionem, quòd quando dicimus ens esse primum cognitum, ly *Ens* non sumitur pro abstracto in statu vniuersalitatis, & separationis ab omni inferiori, sed sumitur ens, vt concretū & imbibitum in aliqua re determinata, quæ tunc occurrit cognitioni, quasi prædicatum quoddam ipsius, ita quòd in ipso obiecto sic occurrēte, nō discernuntur

nuntur determinatæ rationes, ſed ſolùm accipitur, ſeu concipitur ſecundum quandam indeterminationem, in qua quidquid ad tale obiectum pertinet confunditur, & ferè eſt idem quòd cognoſcere rem quoad an eſt, atque ita idem eſt dicere, quòd in aliquo obiecto, vt totum actuale eſt incipimus à cognitione entis, ideſt à cognitione prædicati ita confuſi, quòd non diſcernantur prædicata in eo inuenta, & determinatæ rationes, ſed præciſe cognoſcatur, id quo nulla eſt diſcretio, nec ſegregatio, ſcilicet ipſum eſſe; hoc enim eſt maximè confuſum, quia maximè indiſtinctum.

Vnde nec D.Thom. nec Caiet. negant rem ipſam quæ primo occurrit intellectui, tanquàm id quod cognoſcitur, vt obiectum *quod*, eſſe aliquam quidditatem ſenſibilem, & ſpeciem ſpecialiſſimam, ſed dicunt quod in hoc concreto, & in hoc toto & in hac ſpecie, quæ occurrit primum, quod offertur intellectui tanquam ratio, *qua*, eſt illa confuſio entis, & quaſi cognitio quoad an eſt, nõ quia attingatur actu ſuprema illa vniuerſalitas entis, ſecundùm ſtatũ vniuerſalitatis, ſed quia de ipſo obiecto: ſeu natura primum quod attingitur, eſt ratio, maximè indiſcreta, & confuſa, & quia tanto aliquid eſt confuſius, quanto pauciores rationes diſcernuntur, ita quòd earũ propriæ differentiæ, ſeu prædicata non diſtinguantur, illud erit maximè confuſum, in quo nec ipſi ſupremi gradus; & communiora prædicata, verbi gratia, ſubſtantia, & accidens diſcernuntur, & hoc vocamus ens concretum, ſeu applicatum quidditati ſenſibile, id eſt in natura aliqua ſenſibili inuentum, non vt ſubeſt ſtatui abſtractionis, & vniuerſalitatis ſecundum habitudinem, & reſpectum ad inferiora, ad quæ potentialiter ſe habet, ſed vt actualiter intrat ipſam compoſitionem rei, & vt cognoſcitur ſecundum ſe, dicitur tamen incipere intellectus ab vniuerſaliori, quia incipit ab eo prædicato, quod maiori vniuerſalitati ubſterni, aptum eſt.

Fundamentum ergo concluſionis poſitæ ferè reducitur ad hunc ſyllogiſmum. Intellectus noſter connaturali modo procedens procedit de potentia ad actum, & de imperfecto ad perfectum: ergo proportionatum eius obiectum in tali proceſſu, debet etiam eſſe aliquid imperfectius, & cõfuſius: ſemper enim id quod diſtinctius eſt, eſt perfectius confuſo, ſed conceptus entis quatenus in vnoquoque obiecto applicatè inuenitur, eſt ratio confuſior, & omnia quæ in obiecto actu inueniuntur magis confundens, & indeterminans: ergo illa eſt prima ratio cognoſcibilis, ſeu primum cognitum formale reſpectu noſtri intellectus.

Maior manifeſta eſt, cum intellectus noſter ſit pura potentia, & maximè imperfecta in genere intelligibili: ergo connaturali modo procedens, magis proportionatur imperfectiori obiecto, & cognitioni, quàm perfectiori. Et dico *naturali ordine procedens* quia ſi intellectus extrahatur ab iſto connaturali ordine, & accipiat lumen aliquod ſuperioris rationis, & perfectionis, iuxta illud poterit procedere ad perfectiorem cognitionem, antequam ad imperfectam.

Totum hoc etiam concedit Scot in 2. diſt.2.q.2. eò quòd cognitio confuſa eſt medium inter ignorantiam, & cognitionem diſtinctam ſeu perfectam; natura autem procedens de imperfecto ad perfectũ, prius progreditur ad medium, quam ad extremum perueniat, & idẽ ex Auguſtino admittũt Conimbr. ſupra citati, q.2.art.1. Cæterum cum Scotus ponat confuſam cognitionem actualem circa ſpeciem infimam, eius tamen probationes nõ procedunt ex maiori confuſione, & imperfectione cognoſcendi, ſed ex efficaciori motione rei ſingularis, & ex perfectiſſimo effectu, quem cauſæ naturales non impeditæ producunt, & ex eo quòd ſpecies inferior eſt facilioris abſtractionis, &c. At verò totum hoc vlterius regulandum eſt iuxta capacitatem potentiæ cognoſcentis, quæ cum procedat de potentia ad actũ, vt præfati Auctores non negant, quantumcumque ſingulare aliquod vehementius moueat, tamen ipſa potentia non poterit magis moueri, nec prodire in effectum perfectiorẽ niſi quantum fuerit capax pro illo ſtatu qui cùm ſit ſtatus maximè potentialis, quia tunc primò procedit intellectus de potentia ad actũ, conſequenter prius attinget imperfectius, & potentialius obiectum; quàm perfectum, & diſtinctum, ſicut materia prima, quæ in genere naturali eſt pura potentia ad formas, quantumcumque immutetur ab efficaciori agente; impoſſibile tamen eſt, quòd eius actuatio non incipiat à gradu corporeitatis, qui imperfectior eſt & potentialior, quàm à gradu vitæ vel ſenſus. Perſpicacius Diu.Th. reſoluit hanc difficultatem attendendo ad capacitatem, & ſtatum imperfectum potentiæ cognoſcentis, vt exinde perpẽdat quænam ſit prima ratio cognoſcibilis, ſeu primum cognitum formale in quocumque obiecto primo occurrente.

Reſtat ergo probare, quòd conceptus entis modo ſuperius explicato ſit imperfectior, & confuſior, & conſequenter magis proportionatus intellectui ſic procedenti de potẽtia ad actum, & hoc conſtat, quia in aliquo toto actuali, illa eſt ratio confuſior, per quam minus diſcernuntur, & diſtinguuntur ea, quæ ipſi tota conueniunt, ſicut v.g. occurrente Petro, tunc maximè cognoſcitur diſtinctè, quando diſcernitur in eo non ſolum ratio generica, vel ſpecifica, ſed etiam indiuidualis, in qua à cæteris indiuiduis diſtinguuntur, & magis in ſe deſignatur: quando autem non apparet in quo diſcernatur ab alio indiuiduo, tunc dicitur confusè cognoſci in ratione hominis; quæ eſt ratio confundens illa indiuidua; quòd ſi vlterius non appareat, in quo diſtinguatur ab alio animali, adhuc confuſius cognoſcetur, quòd ſi denique nec diſcerni poſſit in quo diſtinguatur ſubſtantia & accidens erit confuſiſſima omnium cognitio, quia nihil habet diſcretionis, & diſtinctionis reſpectu omnium, quæ ſibi conueniunt, illa autem ratio ſic indeterminata, & cõfuſa non poteſt eſſe niſi ens, quia ſolũ in illo cõfunditur ſubſtantia cum accidenti; ergo eius conceptus eſt maximè imperfectus, & conſequenter maximè proportionatus potentiæ imperfectæ.

Sed dices ex Scoto, quòd ens non eſt cognoſcibile cognitione confuſa actuali, quia eius conceptus eſt ſimpliciſſimus, vnde non eſt ibi ſumere aliquid confusè, & aliquid diſtinctè, quia eſt omnino indiuiſibile, nec habet partes quas inuoluat confusè, vel reſoluat diſtinctè. *Reſp.* quod illa ratio entis dicitur ſimpliciſſima, *vt quod*, quia in ſe non eſt aliquid compoſitum ex aliquo gradu ſuperiori, & inferiori, ſicut alia prædicata generica, vel ſpecifica: eſt tamen confuſiſſimum *vt quo*, quia eſt prędicatum adeò cõmune, vt in illo, & ratione illius, omnia alia confundantur, ſeu minus diſcernantur.

Quod ſi inquiras, an ſicut cognoſcitur ens tanquã primum cognitum ab intellectu, ita neceſſariò debeat intellectus procedendo de potentia ad actum, prius attingere prædicata vniuerſaliora, quæ ſequuntur poſt ens eò quòd quod confuſiora ſunt, quam prædicata minus communia. *Reſp.* (quod & aduertit Caietan. quæſtione illa prima de ente, & eſſentia, concluſ.2.) non eſſe ordinem eſſentialem inter ens, quod eſt primò cognitum, & reliqua prædicata inferiora in cognoſcendo quantum ad applicationem,

cationem,& exercitium cognoſcendi, licèt ex parte rei cognitæ maior proportio ſit in prædicatis communioribus ad intellectum imperfectè cognoſcentem. *Ratio eſt*, quia in prima omnium cognitione, neque intellectus ſe poteſt applicare,neque voluntas intellectum, cum non præceſſerit alia cognitio,virtute cuius ſe applicet, & ideò tantum operatur ibi proportio immediata obiecti cum potentia; & cum potentia ſit tunc in ſtatu puræ potentialitatis, non proportionatur illi obiectum, ſecundum rationem magis actualem, & diſtinctam,ſed ſecundum potentialem, & confuſam, & ab illa mouetur tunc intellectus. Cæterùm poſt illam primam cognitionem poteſt intellectus ſe mouere, vel per voluntatem applicari ad id quod voluerit, ſicque relictis intermediis generibus ad prædicatum infimæ ſpeciei ſe applicare, vnde contingit cognoſcere aliquando prædicatum ſpecificum ignorato genere intermedio, imperfectè tamen propter ignorantiam prædicati intermedij, quod ex parte rei cognitæ præcisè magis proportionatum eſt potentiæ procedenti de imperfecto ad perfectum.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur contra ordinem,quem poſuit Philoſophus, quòd magis confuſa, ſeu vniuerſalia ſunt prius cognita;nam vel Philoſophus loquitur de ordine & modo cognoſcendi artificioſo,& ſcientifico, vel naturali. Hoc ſecundum impertinens eſt, quia Philoſophus non intendit hîc docere modum quo procedit natura in cognoſcendo,cùm ſolùm intendat oſtendere, quomodo in Phyſica procedendum ſit,quæ ſolum ſcientifico modo procedit, alioquin ſi ſolum de naturali ordine procedendi loqueretur,non ſolum deberet loqui de cognitione intellectiua, ſed etiam de ſenſitiua;quia hæc etiam procedit de imperfecto ad perfectum,& tamen, vt diximus, in præſenti non loquitur Philoſophus de cognitione ſenſitiua,ſed ſolum de intellectiua.Si primum, falſum eſt ſcientificum proceſſum eſſe à confuſioribus & cõfuſiora eſſe notiora;in proceſſu enim ſcientifico notiora ſunt principia, per quæ alia demonſtrantur & proceſſus ſcientificus non eſt cognitio confuſa, ſed diſtincta: ergo non benè dicitur, quòd confuſiora ſunt notiora nobis ſcientificè.

Reſpondetur, Phil. in præſenti agere de proceſſu naturali, quia naturalis cognitio in nobis procedit de imperfecto ad perfectum,& eius probationes, & exempla id manifeſtant: ex hoc autem manuducit Philoſophus ad oſtendendum, quòd etiam in ſcientifico proceſſu oportet procedere ab vniuerſalioribus,& confuſioribus,nõ quidem comparando principia ad concluſiones; ſic enim proceditur cognitione diſtincta,ſed comparando vnam materiam tractandam in ſcientia cum alia materia: ſic enim vt ordinatè procedatur,illud obiectũ,ſeu materia prius tractanda eſt, quæ eſt vniuerſalior, & confuſior, vtpote nobis facilior, & inter ipſa principia ſemper vniuerſaliora, prius attingenda ſunt. Et ita dicit Diuus Thomas 1.Phyſic. lect.1. *Quòd Philoſophus oſtendit inter principia oportere prædeterminare de vniuerſalioribus.* Et ſubdit *Quod quia iſte eſt naturalis modus, ſiue ordo addiſcendi, vt veniatur à nobis notis, ad ignota nobis,inde eſt quod oportet nos deuenire à notioribus nobis ad notiora naturæ.* Sic ergo in modo procedendi à principiis ad concluſiones proceditur cognitione diſtincta,à partibus ad totum;inter ipſa autem principia, & materias pertractandas, proceditur ab eo quod eſt confuſius & vniuerſalius, & facilius.

Ad id autem, quod additur de cognitione ſenſus: *Reſp.* quòd in illo loco notanter dicit S. Thomas, quòd prius ſecundum ſenſum diiudicamus, id eſt diſcernimus magis commune, cuius exemplum ponit,tum in his,quæ videntur à remotis,tum in infantibus, qui à principio non diſcernunt, ſed omnes viros vocant Patres. Hoc autem iudicium, non pertinet ad ſenſum exteriorem, qui tantum ſimplici apprehenſione ſentit, ſed pertinet ad interiorem æſtimatiuam, & ſenſum communem, licèt hoc originetur ex ſenſu exteriori, qui aliquando accipit ſpecies rei perfectas, aliquando imperfectas, & ſic ſenſus externus quantum ad ſimplicem apprehenſionem non ſemper procedit de potentia ad actum; ſed quando videt aliquid in diſtantia proportionata determinatè & diſtinctè apprehendit, quia ſic repræſentatur ſenſui: v. g. quando album ſibi proponitur prope oculos, ſtatim à principio album videt ſine confuſione. Cæterùm diſcretio ipſa ſeu iudicium inter vnum & aliud procedit à confuſiori & communiori ad minus commune; paulatim enim in pueris tollitur confuſio,quia prius non diſcernebant vnum particulare ab alio.

Secundò arguitur. Potentia naturalis non impedita, & obiecto debitè applicato, producit cognitionem perfectiſſimam quam poteſt, ſed intellectus eſt potentia non impedita (neque hic loquimur in caſu impedimenti, ſed de intellectu ſecundum ſe) & eſt agens naturale, & obiectum mediantibus ſenſibus debitè applicatum, vt cùm ſpecies repræſentat quidditatem materialem determinatam: ergo producet cognitionem perfectiorem, quàm poteſt circa tale obiectum. *Confirmatur*, quia cognitio intuitiua ſemper præcedit abſtractiuam, non ſolum quia ſenſus præcedit intellectum,ſed etiam in ipſo intellectu, eò quòd neceſſe eſt prius moueri intellectum ab aliquo obiecto præſenti, quàm ab abſenti, cùm abſens cognoſcatur ad inſtar alicuius præſentis;intuitiuum autem non eſt magis confuſum,ſed magis clarum,quam abſtractiuum, cum ſit ipſa clara viſio: ergo confuſiora non ſunt nobis notiora.

Reſp. Quòd cauſa non impedita producit effectum perfectiſſimum, quem poteſt pro illo ſtatu in quo reperitur,& iuxta capacitatem ſuam. Cùm autem in prima cognitione, intellectus connaturali modo procedens, habeat lumen debiliſſimum, cum procedat à pura potentia intelligibili, conſequenter perfectiſſimus effectus, quem tunc poteſt, eſt confuſiſſima cognitio. Et non dicimus intellectum tunc eſſe potentiam impeditam impedimento extrinſeco,ſeu contrariæ diſpoſitionis, ſed eſſe intrinſecè inhabilem ob ſtatum puræ potentialitatis, ne procedat ad perfectiorem cognitionem. Vnde intellectus non habens illum ſtatum puræ potentialitatis, ſed lumen perfectum,vt Angeli, ſtatim etiam perfectè cognoſcet. *Nec obſtat*,quòd aliquando natura producit in ipſa generatione perfectiorem effectum à principio, ſicut in generatione animalis prius generatur cor,quod eſt nobilius reliquis membris. *Reſpondetur enim*, quòd ipſum cor prius eſt informis quædam ſubſtantia, & ſub imperfectis diſpoſitionibus, & ita in ipſo proceditur de imperfecto ad perfectum, formatur tamen prius, quàm alia membra propter neceſſitatem, quia eſt principium vitæ, & motus in reliquis membris, ſicut fundamentum in domo prius inchoatur, quàm reliquæ partes. Et tamen in ratione totius ſtructuræ imperfectionem ſtatum habet animal,quando ſolum eſt formatum cor,& domus quando ſolum eſt iactum fundamentum, quàm cùm reliquæ partes conſtruuntur.

Ad confirm. reſpondetur, verum eſſe, quòd aliqua intuitiua cognitio debet præcedere, tam in ſenſu, quàm in intellectu, ſed tamen debet eſſe imperfectiſſima in diſcernendo vnum ab alio, nam in ipſa intuitiua cognitione etiam dantur gradus, & quædã eſt imperfectior alia; vt patet cùm videmus è longe aliud, quod nullo modo diſcernimus in particulari quid ſit, vbi ſolùm datur intuitiua cognitio quoad an eſt. Sic intellectus in ſua prima cognitione, id quod ipſi proponitur, videt quaſi à longe in genere intelligibili, licèt præſens ſit obiectum, & ſit illa notitia intuitiua ſolum de obiecto attingit ipſum eſſe, ſeu, quoad an eſt, quod eſt eſſe intuitiuam imperfectè, & cum omnimoda confuſione reſpectu quidditatis.

Tertiò arguit. totum actuale ſecundùm cognitionem confuſam prius eſt cognoſcibile quàm partes, ſiquidem cognitio per partes eſt cognitio diſtincta, non confuſa: ergo illud quod eſt magis totum actuale, eſt prius cognoſcibile, ſed ſpecies infima eſt magis totum actuale, quàm ens in communi, vel alia prædicata vniuerſaliora, ſiquidem ſpecies infima habet ens, & alia prædicata vniuerſalia, tanquam partes, quibus actu componitur: ergo eſt magis totum actuale reſpectu illorum, quam quodlibet prædicatum vniuerſale, & habet ſe ad illa ſicut definitum ad ſua definientia, genera enim, & prædicata ſuperiora intrant definitionem ſpeciei vt partes, ipſum autem ens, & prædicata ſuperiora ſunt quidem totum, ſed potentiale reſpectu eorum, quæ ſub ſe continent, ſunt autem confuſiora reſpectu eorum, ex quibus actu conſtant, & ſic ſunt minus totum actuale: totum autem actuale eſt prius cognitum ſuis partibus, & definitum ſuis definientibus, vt dicit Philoſophus 1. Phyſic. c. 1 in quo etiam videtur claudicaſſe eius proceſſus dum dicit, quòd totum eſt magis notum ſenſui, vniuerſale autem eſt quoddam totum continens ſub ſe plures partes, vbi manifeſtè æquiuocat de toto actuali in maiori, & de toto potentiali in minori, vniuerſale enim eſt quoddam totum potentiale.

Confirmatur, quia quando cognoſcitur ens in prima cognitione, vel cognoſcitur vt contractum & cõcretum cum aliis prædicatis inferioribus, vel vt abſtractum & ſeparatum ab illis; ſi primo modo, non cognoſcitur ens ſub conceptu confuſo, ſed magis ſub contracto, quod non eſt cognoſcere ens ſub conceptu entis, ſed ſub conceptu alterius prædicati. Si ſecundum, nõ poteſt primo cognoſci ens, quia abſtractio illa eſt omnium ſuprema, & difficillima, abſtractio autem ſpeciei infimæ eſt facilior, quia abſtrahit à ſimilioribus, ſcilicet ab indiuiduis vnius ſpeciei, & magis accidit ad ſenſibilem cognitionem, quæ verſatur circa ipſa indiuidua. Vndè & illa ſcientia, quæ agit de ente, in abſtracto, & in communi, eſt omnium poſtrema ſcilic. Metaphyſica.

Reſpondet, quòd ſpecies infima eſt quoddam totum actuale per modum rei, & per modum cuiuſdã compoſiti, & ſic eſt magis cognoſcibilis cognitione confuſa actuali, tanquam cognitum, *vt quod*, & vt quidditas ipſa materialis, quæ occurrit intellectui. Cæterùm in iſta ſpecie, & quidditate ſit occurrente intellectui in prima ſui potentialitate, ratio formalis *quæ*, ſeu obiectum prius cognitum *vt quo*, & vt ratio confundi totum illud conſtitutum, quod eſt ſpecies, eſt ipſa ratio entis, ſeu prædicati vniuerſalioris, quatenus in illo ſecundum ſe minus diſcernuntur, ſeu magis confunduntur reliqua prædicata: ideò enim totum actuale confusè concipitur, quia ſolum ſub ea ratione cognoſcitur, in qua omnes illæ partes minus diſcernuntur, & minus ea quæ ſunt propria totius attinguntur: conſtat enim quòd quando totum actuale cognoſcitur confuſe, ſub aliqua ratione formali confunditur, & illa debet eſſe, in qua propriæ rationes illius totius non diſcernantur, ſed cum his, quæ ipſi & aliis communia ſunt, cõfundantur, hæc autem eſt ratio, ſeu prædicatum commune ſecundùm ſe.

Quod verò dicitur, prædicata communia eſſe partes componentes, & definientes ipſam ſpeciem infimam, *dicimus*, quod illa prædicata ſecundùm diuerſos reſpectus pertinent ad cognitionem confuſam, vel diſtinctam, actualem, vel potentialem; ſi enim conſiderentur vt partes huius quidditatis, quam componunt, & vt contractæ ad illud, proceſſus cognitionis ab ipſis ad totum, eſt proceſſus cognitionis diſtinctæ, ſi verò conſiderentur ſecundùm ſe præciſe, non ſub relatione & comparatione ad inferiora, ſed abſolute ſecundùm ſe ſic, ſunt ratio confundendi cognitionem totius. Vnde dicit S. Th. 1. p. q. 85. art. 3. ad 3. *Quòd pars poteſt cognoſci, vel abſolutè, & ſic prius cognoſcitur quàm totum, vel ſecundum quod eſt pars huius, & ſic prius cognoſcitur totum, & ſic etiam definientia abſolutè conſiderata ſunt priora definito, quia notificant illud, ſed vt partes definitionis, ſunt poſterius nota.* Sic ergo partes non ſemper ſunt ratio cognitionis diſtinctæ actualis, niſi in quantum ſunt propriæ huius, non ſi ſolum conſideretur abſolutè, & ſecundum ſe; ſic enim potius ſunt ratio confundendi, quia ſolum in eis attingitur id, quod eſt commune, non quod proprium huius. Si verò iſta prædicata communia comparatiuè ad inferiora attingantur, ſic fundãt cognitionem totius potentialis, nec pertinent ad primum cognitum.

Quod vero additur de proceſſu Philoſophi à toto actuali ad totum potentiale. *Reſp.* ex D. Th. 1. Phiſ. lect. 1. quòd Philoſophus ſubſumit de vniuerſali, quod eſt quoddam totum, non quatenus exercet rationem totius potentialis ſeu ſecundum habitudinẽ ſuperioris ad inferiora, ſed quatenus eſt ratio quædam confuſa, & concipitur ſecundum ſe, in qua non diſcernuntur, ſed confunduntur reliqua prædicata, & differentiæ propriæ, & quatenus vtrumque totum, actuale, & potentiale conueniunt in ratione confuſi, ſic procedit de vno ad aliud, nam ratio totius potentialis ſumpta ſecundum ſe, & vt pars communis, & non propria huius totius, eſt ratio formalis confundendi cognitionem eius, vt dictum eſt.

Ad Confirm. Reſp. quòd cum dicitur ens eſſe primo cognitum, & prædicata vniuerſaliora eſſe notiora, non ſumitur ens, vt ſubeſt abſtractioni poſitiuæ, ſiue formali, ſiue totali ſicut de illo tractat Metaphyſica, ſed vt concipitur ſecundum ſe, & ſub abſtractione negatiua, qualis etiam poteſt contingere in ſenſu, qui accipit vnum omiſſo alio, v. g. colorem in pomo omiſſo ſapore, & in ipſo colore poſſumus videre à longe rationem colorati ſingularis, non diſcernendo propriam differentiam talis coloris: ſic in prima cognitione intellectus accipit ens, vt concretum quidditati ſenſibili, non quia abſtractionem poſitiuam eius formet, nec quia propriam, & determinatam rationem prædicata inferioris accipiat, ſed quia in ipſa quidditate ſenſibili ſolum accipit rationem confuſionem, vel communionem ſecundum ſe, quæ eſt magis imperfecta, & potentialis, & hæc eſt facilioris abſtractionis negatiuæ, licèt poſitiua eius abſtractio quæ eſt cum habitudine ſuperioris ad inferiora ſit difficilior, & in ſpecie infima facilior.

Vltimò arguitur ad probandum, quòd ſingulare prius ab intellectu attingitur quã vniuerſale, nã intellectus mouetur à phãtaſmate, ſicut viſus à colore,

vt

vt ſæpè aſſerit Ariſtoteles, & experientia ipſa teſtatur, quia cùm primum aliquid ſingulare offertur ſenſui, illud ipſum mouet intuitiuè intellectum, de ratione autem intuitiuæ cognitionis eſt, quòd ſit circa rem præſentem, & exiſtentem, ergo circa ſingulare cùm ergo à phātaſmate moueatur intellectus, ab ipſo etiam determinatur ad cognoſcendum hoc ſingulare quod in phantaſmate repræſentatur, alioquin non moueret intellectum; ſi non moueret ad id quod repræſentat, quod totum eſt ſingulare.

Confirm. quia intellectus poſſibilis abſtrahit vniuerſale à ſingularibus, faciendo comparationem, & collationem ſingularium in eo, in quo conueniunt, & in quo differunt: ergo neceſſe eſt quòd prius cognoſcat ipſa ſingularia; alioquin nūquam abſtraheret vniuerſalia, ſi non cognoſceret à quibus abſtrahit.

Confir.2. nam intellectus poteſt formare conceptum directè repręſentantem ſingularia: ergo & ſpeciem impreſſam habere poteſt, repræſentantem illud directè, atque adeò poteſt intellectus immediatè cognoſcere illud. *Conſeq. conſtat*, quia tota ratio, quare non poteſt primò, & per ſe repræſentari ſingulare, ſenſibile eſt, quia non eſt primo & per ſe intelligibile, quo vſque denudetur à conditionibus ſingularibus, ſed ſpecies expreſſa, ſeu conceptus eſt magis in actu intelligibilis, quàm ſpecies impreſſa: ergo ſi poteſt repræſentare directè ſingulare, à fortiori ſpecies impreſſa id poterit, & conſequenter intellectus directè, & immediatè informabitur ad repræſentationem talis ſingularis. *Antecedens autem conſtat*, quia intellectus format immediatè propoſitionem ſingularem, vt *Petrus eſt albus*, & intuitiuè attingit obiectum propoſitum, quod non poteſt eſſe niſi in ſingulari attingat, in quantum exiſtens eſt, ac deníque practicè dirigit operationes voluntatis, quæ circa indiuiduum ſæpè verſantur, ſicut quando electio aliquid in ſingulare eligit præ alio. *Neque dici poteſt*, quod cognoſcatur per reflexionem ſupra ipſum phantaſma, quia hæc reflexio indiget comparatione obiecti intellecti, ad ipſum phantaſma, & tunc vel tale phantaſma ſingulare eſt ſibi ignotum vel notum; ſi ignotum, non faciet comparationem, ſi notum, ergo per aliquam notitiam, quæ directè repræſentet ipſum, & ſic habetur intentum; præter quam, quod iſtæ reflexiones vix fieri poſſunt ab hominibus valdè exercitatis, & doctis; ſingulare autem à quocumque intelligitur.

Reſp. ad principale argumentum, quòd vt plenius dicetur in libris de anima, phantaſma dicitur mouere intellectum, quatenus proponit obiecta, à quibus intellectus agens accipit, format & ſpeciem ſpiritualem repræſentantem obiectum, non eo modo quo in phantaſmate continetur, ſed eo modo quo intellectus exigit iuxta rationem ſui obiecti formalis, formale autem obiectum intellectus in eo, in quo diſtinguitur à ſenſu, eſt ipſa quidditas rei ſecundùm ſe, non autem ſecundum accidentia exterius apparentia, intellectus enim dicitur quaſi intus legens, eo quòd penetrat ad interiora rei, id eſt ad quidditatem, quod non facit ſenſus. Quare phantaſma dicitur mouere intellectum ad quidditatem ſui obiecti repræſentati, modo quo intellectus exigit non eo modo, phantaſma continet, ſicut etiam colores mouent viſum ad cognoſcendum præciſè ipſum colorem, non autem coniunctionem eius ad ſaporem, vel calorem, quam tamen habet in re. Quod verò dicitur intellectus intuitiuè videre obiectum, dicimus quòd id habet dependenter à ſenſu, & in quantum continuatur cum illo; clauſis autem ſenſibus quantumcumque res ſint præſentes, intellectus non poteſt intuitiuè cognoſcere, quia non poſſunt illæ ſpecies de tali præſentia certificare, niſi mediantibus ſenſibus: ſi tamē Deus infunderet aliquod lumen ſuperiùs, & ſpecies exemplatas à Deo, ſicut infunduntur Angelis, poſſet illis intuitiuè videre independenter à ſenſu, ſed in præſenti non loquimur niſi de ſpeciebus per ſenſum acquiſitis, & ab illo dependentibus.

Ad primam Confirm. Reſp. vniuerſale Metaphyſicum poſſe fieri ante comparationem, & collationem cum ſingularibus, ſed per abſtractionem negatiuam, ſic enim intellectus agens dicitur abſtrahere ſpeciē à phantaſmate, quatenus repræſentat naturam, & omittit indiuidua, id eſt rem per modum quidditatis, & non per modum conditionum ſingularizantium, eò quòd ratio ipſa quidditatis à ſingularibus conditionibus nō dependet. Quando verò intellectus comparat hanc naturam vniuerſalem ad ſingularia, ſiue ad conditiones indiuiduales, cognoſcit quidem ipſa ſingularia, ſed indirectè, & vt ſunt aliquid connotatum, vel præſuppoſitum in phantaſmate ad ipſam quidditatem.

Ad ſecundam confirmat. Reſpondetur quòd intellectus non cognoſcit ſingulare eo modo quo vniuerſale, licèt vtrumque cognoſcat, & ſic negamus dari conceptum, ſeu cognitionem directè repræſentantem ſingulare, ſicut negat ſemper D.Thom. aliud eſt enim quòd poſſit dari conceptus proprius rei ſingularis, aliud quòd directus proprius quidem dari poteſt ex parte rei cognitæ, diſcernendo hoc indiuiduum ab illo, & qui diſtinctè cognoſcit, propriè cognoſcit, non autem directus, quia formalis ratio cognoſcendi intellectus, in quo à ſenſu diſtinguitur, non eſt ipſa ſingularitas, ſed ipſa quidditas, cuius ſingularitas eſt modus; ſed tamen, quia intellectus non attingit ipſam quidditatem, niſi dependenter à phantaſmatibus conuertendo, & coordinando ſe illis, vt dicitur tertio de anima tex.2. ideo attingit ſingularia, vt ſunt quædam connotationes quidditatis abſtractæ à phantaſmatibus, ad quæ dicit ordinem, & ita ſenſus & intellectus contrario modo procedunt; quia ſenſus primo, & per ſe reſpicit accidentia, à quibus pendet indiuiduatio quidditatis; intellectus autem primo, & per ſe reſpicit quidditatem, quæ talibus accidentibus, & indiuiduatione connotatur, & deſignatur, & ideò poteſt propriè diſtinctè attingere illa, non tamen immediatè, & directè: intelligitur enim res materialis modo immateriali, & conſequenter ſegregatur à modo materiali, qui maximè inuenitur in conditionibus ſingulariter indiuiduantibus, & ideò obiectum quod fit immateriale à nobis per ſegregationem à modo materialitatis, implicat quòd directè repræſentet ſub modo ſingularitatis, quæ eſt maximè materialis. Secus eſt de ſpeciebus infuſis à Deo, quæ repræſentant ſua obiecta immaterialiter, quatenus deſcendunt à Deo, à quo & quidditas, & ſingularitas deriuatur, & conſequenter repræſentatur, vt ſic deriuata.

Quare ad argumentum negatur, antecedens. Ad probationem dicitur, quòd intellectus format propoſitionem rei ſingularis, & ſingularitatem cognoſcit, practicéque proponit voluntati, formando quidem proprium, & diſtinctum conceptum illius, ſed indirectum quatenus connotatur ſingularitas in ipſa quidditate, vt extracta eſt à phantaſmatibus; & ſic non cognoſcit ſingularia confuſè, vt continentur ſolum ſub natura communi, ſed vt repræſentantur diſtinctè in phantaſmatibus, non quòd intellectus concipiat per phantaſma formaliter, ſed quæ ſunt propria phantaſmatum, inueſtigat intellectus per

per conceptum quidditatis, vt habentis ordinem & dependentiam à phantaſmate, vt à termino à quo eſt extracta; & hæc eſt cognitio reflexa ſeu indirecta, qua cognoſcitur ſingulare: quia ſcilicet cognoſcitur quidditas attendendo etiam ad connotationem, & ordinem, quem habet ad phantaſmeta, à quibus extracta eſt, & propterea dicitur reflecti ſuper illa; ab illis enim incepit cognitio, & hac ratione explicat hanc reflexionem S. Thom. 1. p. q. 86. art. 1. & opuſcul. 2. & aliis locis: neque hoc requirit maius exercitium, vel comparationem, quàm ipſa conuerſio ad phantaſmata, quæ cuilibet homini conuenit, licèt exercitatiores comparationem ipſam, & reflexionem in actu ſignato poſſint aduertere. Et ſic etiam practica cognitio, vt in ſingulari moueat eſt rem ſenſibilem, vel modo ſenſibili indutam, indiget formare aliquam ſenſitiuam cognitionem, mediante qua moueatur in ſingulari appetitus ad exequendũ, vt loco citato primæ partis ad ſecũdum, dicit Diuus Thomas, & tertio de amina, ex Philoſopho, lect. 12. Voluntas autem ex cognitione ſingularis indirecta mouetur.

CIRCA LIBRVM PRIMVM PHYSICORVM.

QVÆSTIO II.

De principiis rerum naturalium in communi.

PRINCIPIA *rerum naturalium vocant Philoſophi illa, ex quibus res naturales conſtant, & fiunt. Principium autem extra totam naturam, & quod mouet naturam, eſt Deus; licèt antiqui cæcutientes non ſolum errauerint circa principia naturalia, non agnoſcentes generationes ſubſtantiales, ſed etiam primis principiis rerum naturalium, ex quibus natura ipſa conſtat, Diuinitatem tribuerunt, cum tamen Diuinitas ſoli illi principio, quod eſt extra & ſupra totam naturam, nec mouetur in ſe, ſed mouet illam, tribuatur. Et ad inueſtiganda principia ipſa rerum naturalium duplex patet via Philoſophiæ Prima, ſupponendo dari generationem ſubſtantialem, qua res de nouo fiunt ſimpliciter; ex huius enim ignorantia antiqui illi Philoſophi in tam abſurdas ſententias declinarunt. Secunda, ex illo principio notiſſimo, quod ex nihilo nihil fit per naturam: inde enim deducitur debere dari aliquod ſubiectum, ex quo aliquid fiat, non ſolum ſecundum mutationem accidentalem, ſed etiam ſecundum mutationem ſubſtantialem, & ita in ſe non debet eſſe ens actu ſubſtantialiter, ſed ens in potentia.*

Ad inueſtigandum *autem principium, quod eſt extra totam naturam vtitur Philoſophia motu, non vt pendet à ſubiecto, & forma, ex quibus res mobilis conſtat, ſed vt pendet à mouente, & efficiente, quod requiritur vltra ſubiectum, & formam cùm nihil ſe moueat, nec efficiat, vt* in 7. libro *probabitur, & non ſit procedere in infinitum: ergo datur primum mouens, non motum ab alio, & hoc non eſt natura, quæ eſt mobilis, ſed ſupra naturam.*

Sic ergo *in præſenti ſolum inueſtigamus principia rerum naturalium, ex quibus componuntur, & conſtant res ipſæ naturales. Principium autem extrinſecum, & ſuperius toti naturæ* in 8. libro *inueſtigabitur.* Primò *autem inquiremus de principiis in communi.* Secundò *de quolibet eorum in particulari.* Tertiò *de compoſito quod ex illis reſultat, tam ſubſtantiali, quàm quantitatiuo.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſit principium rei naturalis, & quomodo definiatur?

PRincipium loquendo in tota ſua generalitate diſtinguitur à Diuo Thoma, 5. *Met. lect.* 1. à cauſa hoc modo: quòd *Principium ordinem quendam importat ad principiatum, at verò cauſa importat influxum quendam ad eſſe cauſati.* Diuiditur verò principium ibidem in illud quod eſt primum, vel in eſſe rei, ſicut prima pars dicitur principium, vel in fieri rei, vel in cognitione rei, ſicque definitur principium à Phil. ibi: *Quòd eſt primum vnde aliquid eſt, vel fit, vel cognoſcitur.* Addit verò D. Th. ibi, quòd principia quędam ſunt intrinſeca, quædam extrinſeca & inde diſcernetur, quomodo ſe habent iſta tria *principium, cauſa, & elementum*: omnia enim dicunt aliquam rationem primi, ſed diſtinguuntur, quòd principium eſt communius quàm cauſa, & cauſa quàm elementum; ſaluatur enim ratio principij, vbicunque ſaluatur ordo primi ad principiatum, & ſic in Diuinis proceſſionibus inuenitur ratio principij, quia inuenitur ordo vnius ab alio, & à quo alius, nec tamen inuenitur ratio cauſæ, quia non inuenitur influxus in eſſe, & conſecutio ipſius eſſe, licèt inueniatur communicatio eſſe, de quo videndus eſt D. Thomas 1. p. q. 33. art. 1. ad 1. Similiter terminus à quo incipit

incipit motus & punctum respectu lineæ dicuntur principia, sed non causa. Deinde etiam causa in plus est quàm elementum, comprehendit enim causa tam intrinsecam, quàm extrinsecam: vnde cœlum dicitur causa istorum inferiorum, sed non elementum, & similiter etiam finis est causa, & non elementum, sola autem causa intrinseca potest dici elementum, & sic minus latè patet quam causa.

Principium sic generaliter sumptum includit tam principia Metaphysica, quàm Physica, tam intrinseca, quàm extrinseca, tam in facto esse, quàm in fieri, & dicimus principia Physica sumendo ly *Physicum* non pro eo solum quod est reale, sed quod est subiectum motui imperfecto, & corporeo, Metaphysica ergo principia sunt communia omni generi entis; scil. *actus & potentia* vt dicitur 12. Metaphys. tex. 26. lect. 4. apud D. Th. Principia verò Physica important actum, & potentiam non absolutè, in omni latitudine, sed in genere mobili, seu transmutabili, & ita actus dicitur forma potentia vero vel sumitur pro subiecto, & sic est materia, vel pro potentialitate, seu statu carentiæ formæ, & sic est priuatio.

His positis, principia naturalia in communi loquendo definiuntur à Philosopho in hoc primo lib. tex. 42. lect. 10. apud Diuum Thomam penes tres conditiones, quæ ad illa requiruntur: *Principia sunt, quæ non sunt ex aliis, nec ex alterutris, sed omnia ex ipsis*; vbi solùm definit prima principia naturalia, scilicet quæ simpliciter habent rationem principij, ita quòd nullo modo sunt principiata. Secunda, autem principia, quæ sunt ex his primis, ita sunt principia, quòd etiam sunt principiata, & constantia ex aliis prioribus, & sic dicuntur non esse ex aliis, sed omnia ex ipsis, quia non habent alia priora, ex quibus principientur, quæcumque verò res principiantur, ex ipsis sunt, & sic excluduntur ab hac definitione quatuor elementa, & ipsum cœlum, quæ licèt sint principia, non tamen sunt prima, sed ex aliis prioribus constant, scilicet materia & forma.

Dubitant tamen aliqui in præsenti; an Philosophus definiat hîc principia naturalia quoad fieri, & generari, an solum quoad esse. *Aliqui enim recentiores existimant*, rationem principiorum non consistere in eo, quòd non fiant ex aliis, nec alterutris, sed quòd non sint ex aliis, nec ex alterutris. Vnde videntur ab hac definitione excludere priuationem, Sed oppositum expresse tenet D.Th. vt videri potest in hoc primo Physicorum. lect. 13. exponens illa verba, cap. 7. tex. 15. *Sunt causæ, & principia eorum, quæ natura sunt, &c.* Vbi sic inquit: *Et notandum est, quòd hic intendit inquirere Aristoteles principia non solum fiendi, sed etiam essendi; vnde signanter dicit, ex quibus primis sunt, & fiunt*: ergo hic definiuntur non solum principia rerum in esse, sed etiam in fieri. *Et ratio est*, quia non traditur alia definitio pro principiis generationis, quam pro principiis compositionis, sed vna dari potest pro omnibus principiis in communi, nec alia quàm ista; & ita conuenit ista definitio, non solum duobus principiis, quæ sunt principia in cōponendo, scilicet materiæ, & formæ, sed etiam priuationi, quæ est principium in fieri, & generari. Et idem sumitur ex verbis Philosophi in hoc primo libro, tex. 65. in finis. Vbi inquit: *Ex his scilicet materia & forma fieri, ea quæ fieret*. Et similiter in text. 43. lect. 10. apud D.Th. dicit. *Quòd prima contraria sunt, quæ non ex se mutuo fiunt*; vt habet noua translatio, vbi antiqua dicebat, quòd contraria non sunt ex alterutris. Denique in 5. Metaphys. text. 5. dicit Philosophus. *Naturam dici vno modo, id ex quo aliquid est & fit*. & loquitur de materia, quæ est principium quantum ad esse, & quantum ad fieri, vt ibi explicat D. Th. Sic ergo definitio dāta non solum intelligitur de principiis in esse, quæ componunt, & non contrariantur sicut materia & forma, sed etiam quæ contrariantur, & non componunt, & pertinent ad ipsum fieri, sicut priuatio & forma. Negare autem quòd prima principia sint contraria, est apertè negare Philosophum, qui ad affirmat in hoc libro textu 52 & 54. & in hoc maximè cōmendat Philosophos antiquos, quòd posuerunt principia esse contraria; quam veritatem inquit D.Th. in hoc 1. lib. lect. 12. *Naturali inclinatione ipsos fuisse consecutos*. Et denique frustra probaret Philosophus principia naturalia esse plura, quia sunt contraria, si in se contraria non sunt, sed solum exemplo contrariorum explicantur.

Ex his constat, quomodo explicandæ sunt illæ duæ particulæ in definitione principiorum, scilicet: *Quod non sunt ex aliis, nec ex alterutris*. Dicūtur enim non fieri ex aliis, quia prima sunt, & dicuntur, non fieri ex alterutris,, quia prima contraria sunt intelligitur autem vnum non fieri ex alio secundùm se sumptum, & quasi in abstracto, sicut calor & frigus, verè tamen vnum contrarium fit ex alio ratione subiecti in quo est, sicut ex calido fit frigidum, non quidem formaliter, id est ratione formæ, nec enim vna forma est ex alia, sed subiectiuè, & ratione materiæ, quatenus ex materia calidi educitur frigus, de quo videatur Philosophus 10. Metaphy. tex. 14. lect. 6. apud Diuum Thomam. Et similiter vnum contrarium fit ex alio, vt à termino à quo, vt statim dicemus.

Ex quo etiam colligitur; qua ratione dicatur, quòd causæ sunt ad inuicem causæ, non tamen principia ad inuicem sunt principia. *Ratio est*, quia causæ in quantum causæ non habent contrarietatem inter se, sed potiùs dependentiam mutuam, ita quòd vna causa conducit ad esse alterius, & in ipsis principiis materia, & forma quia non se habent vt contraria, sed vt causa formalis, & materialis componentes totum, vna ad inuicem dependet ab alia, & causat aliā in esse, licèt vna non componat aliam quia prima principia sunt simplicia, eò quòd omnia resoluuntur in ipsa. Cæterum in quantum sunt principia cōtraria, non possunt esse ex alterutris, quia contraria inter se repugnant, & se repellunt, non verò vnum principiat alterum, neque intrinsecè vt pars illius, neque extrinsecè causando illud, sed solum potest vnum extrinsecè initiare aliud tanquam terminus à quo, sed hoc est per accidens, quatenus conueniunt in eodem subiecto, & vnum succedit alteri, dum expellit illud, & sic initiat successionem eius, vt terminus à quo, quod vtique conuenit illi ratione materię, in qua fit ista transmutatio, & successio.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, contra illam particulam *ex aliis*, quia vel sumitur in tota sua amplitudine, vt etiam includit principia extrinseca, & sic etiam includetur efficiēs, seu mouens, & omnis causa extrinseca: vel sumitur prout solum dicit causas intrinsecas, seu partes componentes, & sic solum includetur materia & forma, non verò priuatio, vel tandem includitur terminus à quo extrinsecus, licèt non causæ extrinsecæ; & sic non sola priuatio erit principium, sed etiam forma corrupta, quia etiam habet rationem termini à quo, nec se habet per accidens, cùm non possit agens naturale, ex quolibet subiecto educere formam sicut non potest equus generari ex lapide. Deinde, quia sumitur æquiuocè ly *ex quo* in definitione principiorum, tam pro eo ex quo aliquid fit, vt à termino à quo, quam pro eo ex

quo constituitur, vt ex parte componente. Denique non omnia entia naturalia priuationem habent pro principio, sicut corpora cœlestia, quæ sola creatione, & ex nihilo fiunt. Vnde hæc definitio solum complectitur principia rerum corruptibilium.

Respondetur, quod illa particula *ex aliis*, solùm importat ea, à quibus res essentialiter pendet, siue in facto esse, siue in fieri, vt à componentibus, vel inchoantibus, eò quod principium, & principiatum ita se habent, quod principiatum resoluitur in principium: principium autem in quantum tale non resoluitur in aliud, nisi etiam sit principiatum, & ita in quantum principium non est ex alio. Causa autem efficiens, & quæcumque alia extrinseca, non includitur in definitione ista principiorum naturalium, vt dicemus artic. 3. nec enim causæ extrinsecæ sunt principia, ex quibus natura ipsa rerum constat, siue in fieri siue in facto esse, sed efficiens dicitur *id, à quo incipit motus*, finis propter quem incipit, exemplar ad cuius imitationem fit, nulla verò causa extrinseca dicitur, ex quo aliquid fit.

Ad id verò, quod opponitur contra priuationem: *Ad primam replicam dicitur*, quòd sola priuatio sumitur ex parte termini à quo formaliter loquendo, & communiter ad omnem mutationem, formaliter quidem, quia ex aliis entibus non potest dici, quòd aliquid fiat per se, & formaliter, sed solum materialiter, & per accidens, vt Diuus Thomas dicit in hoc libro, lect. 10. sicut ignis, verbi gratia, potest generari materialiter ex pluribus rebus, vt ex ligno, ex papyro, ex aqua, &c. Formaliter autem fit ex illis omnibus, quatenus conueniunt in priuatione ignis. Quòd verò aliqua non possunt fieri ex quolibet, non ideo est, quia formaliter non fiat ex priuatione, sed quia non semper materia est proximè disposita, vt ex illa forma educatur, vel vniatur, sicut ex lapide non potest immediatè fieri equus. Communiter autem se habet priuatio ad omnem mutationem, quia in omni mutatione & motu, etiam quando fit ex contrario in contrarium, inuenitur ex parte termini, à quo priuatio; nam contrarietas non exercetur sine priuatione. At verò fieri ex contrario positiuo non inuenitur in omni mutatione, vt patet in generatione substantiali, & aliis instantaneis mutationibus, in quibus non proceditur à contrario in contrarium, substantiæ enim nihil est contrarium.

Ad secundam replicam dicitur, non sumi æquiuocè illum terminum *ex aliis*, eò quòd traduntur hîc principia rei mobilis, non solùm in esse rei, seu in facto esse, sed etiam in motu, & in fieri, & ideo explicari debet, tam de eo ex quo aliquid componitur, quam de eo ex quo aliquid fit.

Ad tertiam replicam dicitur, principia rerum naturalium dicuntur tria, non quòd in omni re naturali tria requirantur, sed quia non plura sint necessaria in omni re naturali, ita tamen quòd in aliquibus omnia tria requiruntur, in aliis duo sufficiunt.

Secundò arguitur contra secundam particulam, *ex alterutris*; videtur enim superfluè poni, & falsò. Superfluè quidem, quia hoc ipso, quòd principia non fiunt ex aliis prioribus, constat, quod non fiunt ex alterutris; esset enim vnum prius altero, hoc ipso quòd fieret ex illo. Falsò autem, tum quia expresè Aristoteles in hoc libro textu 43. & 44. docet, vnum contrarium fieri ex alio, verbi gratia, album fieri ex non albo, sed non ex omni, sed ex nigro, & ignem ex ligno: ergo falsum est, quòd contraria non fiant ex alterutris; tùm etiam, quia in ipsis principiis, quæ sunt materia & forma, educitur forma ex materia: ergo materia est principium formæ, & forma est principiata, & sic vnum principiũ est ex alio: tùm deniq; quia hæc definitio non verificatur de aliquo principio singulari: nullum enim in singulari datur, ex quo omnia alia fiant: ergo falsò ponitur illa vltima particula, *sed ex ipsis fiunt omnia*.

Respondetur, illam particulam, *ex alterutris*, nec esse superfluam, neque falsam. *Ad primam probationem dicitur*, quòd particula ex aliis prioribus, ostendit quidem quòd principia ista sint prima, quia non sunt principiata ex aliis prioribus: non tamen ostendit, quòd sint prima cõtraria, nisi ponatur, quòd non sint ex alterutris, & hoc ad differentiam causarum, quæ licèt sint primæ in suo genere, tamen ad inuicem sunt causæ, quia contrarietatem non habent, sed mutuò se iuuant: principia autem quia contraria sunt, non sunt sibi ad inuicem principia, & ita non fiunt ex alterutris.

Ad secundam probationem dicitur, quòd vt ipse Aristoteles docuit in hoc libro, capite 7. & ibi Diuus Thomas lect. 13. contraria dicuntur non fieri ex alterutris, sumendo illa in abstracto, & formaliter, sicut albedo non fit ex nigredine vel è contra; potest tamen vnum contrarium fieri ex alio ratione subiecti & materiæ, in qua est, sicut ex albo fit nigrum, vel è contra ratione subiecti albedinis, sed hoc formaliter non est fieri vnum contrarium ex alio, sed ex materia vnius contrarij, quæ alteri contraria non est, sed in potentia ad ipsum; potest tamen vnum contrarium habere aliud pro principio tanquam terminum à quo, sed hoc non conuenit ipsi contrario, sed motui illius, seu fieri eius, neque formaliter fit ex ipso, sed ex priuatione, & sic vtrumque dixit Philos. in text. 43. scil. *Quòd album fit ex non albo, & hoc non ex omni, sed ex nigro*; quasi dicat formaliter ex non albo, materialiter non ex omnibus, sed ex his quæ sui generis sunt, scilicet ex nigro, vel ex alio colore.

Ad tertiam probationem dicitur, quòd forma educitur ex materia, & fit ex illa, eo modo, quo fieri conuenit formæ, non tamen forma est contraria materiæ; principia autem dicuntur non fieri ex alterutris, quatenus contraria sunt, si verò non sint contraria, id non repugnat, & sic Diuus Thomas lect. 11. & lect. 13. docet ex Philosopho, quòd contraria fiunt ex inuicem, si sumatur subiectum contrariis, fiunt enim ex ipsa materia.

Ad vltimum respondetur, quòd illa particula, *ex ipsis sunt omnia*, intelligitur in sensu distributionis accommodæ, scilicet quòd omnia quæ fiunt, ex illis fiunt, licet non ex quolibet singulari omnia, sed ex quolibet id quod sibi conueniens est, sicut cùm dicimus, quòd omnia accidentia inhærent, substantiæ, non intelligitur in qualibet substantia singulari omnia, sed in tota collectione substantiæ, seu in toto genere. Et tamen materia rerum corruptibilium talis est quòd ex qualibet materia potest fieri quæcumque forma, dummodo ad illam debitè disponatur, quia est in pura potentia ad omnes formas.

ARTICVLVS II.

Vtrùm prima principia sint contraria?

COmmuniter principiis naturalibus attribuitur quod sint contraria, & prima contraria. Et ideò tria nobis explicanda sunt. *Primum*, an omnibus principiis

principiis conueniat esse contraria. *Secundum*, quid sit ista contrarietas principiorum. *Tertium* quid sit esse prima contraria.

Circa primum. Aristot. vt certum supponit etiam ex antiquorum Philosophorum placitis, principia esse contraria, vt patet in hoc primo libro text. 48. vbi Diuus Thomas lect. 10. inquit. *Quod Philosophi hoc dixerunt ab ipsa veritate coacti*, & hoc manifestè constat, quia in præsenti agimus de principiis rerum mutabilium, quatenus mutabiles sunt, in omni autem mutatione oportet dari acquisitionem vnius, & amissionem alterius: ergo necesse est quòd interueniat contrarietas inter formam corruptam, & acquisitam: ita quòd vna forma habeat adiunctam priuationem alterius, & consequenter oppositionem; nam vbi est priuatio & forma priuata, oppositio est, quæ largo modo dicitur contrarietas; est enim illa priuatio adiuncta alicui formæ positiuæ.

Vt autem videamus, quibus principiis conueniat ista contrarietas, oportet distinguere principia rei in facto esse, & in fieri, seu principia generationis, & compositionis; licet enim eadem res sit in fieri, & in facto esse, tamen propter diuersum statum aliquid est de conceptu illius, vt est in ipsa mutatione, & fieri quod non est de conceptu ipsius in ipsa compositione, & in facto esse; de conceptu enim mutationis, seu generationis est, quòd transeat de non esse ad esse, quod in re facta iam non inuenitur, eò quòd iam non transit, sed permanet in esse; vndè aliud principium amplius assignandum est generationi seu mutationi, quod non assignatur rei genitæ, scil. id, ratione cuius est transitus de non esse ad esse, & hoc est priuatio; in generatione enim forma consideratur, non vt dans esse, sicut in composito, sed vt transiens de non esse ad esse.

Ex his respondetur primæ difficultati: *Principia rerum in facto esse, & vt componentia non sunt contraria, principia verò in fieri, & in generari contraria sunt, non ratione materiæ, sed ratione priuationis, & formæ in materia.* Vtraque pars est communis Authorum; & *prima manifestè patet*, quia materia, & forma in ipso composito non se expellunt, sed mutuo iunguntur; ergo non sunt contraria. Constat autem materiam & formam, esse partes componentes ipsum totum & materiam appetere formam, & è contra, ergo non habet inter se contrarietatem, sed appetitum.

Secunda verò pars probatur, quia vbicunque est fieri, & motus, datur positio vnius, & ablatio alterius, generatio enim vnius, est corruptio alterius: ergo datur contrarietas, seu oppositio inter id quod corrumpitur, & generatur, seu inter formam, quæ est terminus ad quem, & id quod est terminus à quo. Et quia omnis contrarietas exercetur in aliquo subiecto, necesse est quòd forma & priuatio solum sint contraria, prout in materia, & materia prout priuata, etiam incompossibilitatem habet cum ipsa forma, qua priuata est.

Ex quo constat contra Aristotelem, & veritatem loqui, qui contrarietatem negant primis principiis, & dicunt, quòd Aristoteles solùm vsus est exemplo contrariorum ad declaranda ipsa principia, putant enim Aristotelem solum definire hîc principia in esse, & non principia in fieri, quorum fundamentis respondebimus circa tertiam difficultatem.

Circa secundam difficultatem, scil. quæ contrarietas inueniatur in istis principiis, *dubium oritur ex eo*, quòd ista principia sunt in genere substantiæ, nihil autem substantiæ est contrarium, vt dicitur in capite de Substantia, non solùm substantiæ completæ, & totali, quæ subiectum non habet, in quo contrarietatem exerceat, sed neque substantiæ incompletæ, vt formæ vel parti, quia in istis partibus non est dare magis, vel minus, cùm non sint formæ intensibiles, & consequenter neque potest dari maxima distantia inter tales formas, quia vbi non est distare magis & minus, non est maximè distare, contraria autem sunt, quæ sub eodem genere maximè distant. Imò si ad perfectam contrarietatem hoc reducatur, quæ est inter extrema positiua, priuatio non erit dicenda principium rei naturalis, sed forma corrupta & forma genita.

Respondetur, in principiis rei naturalis non posse dari contrarietatem propriè, & strictè dictam, sicut in accidentibus, sed largo modo pro priuatiuè oppositis, vel si inter ipsas formas substantiales attendatur oppositio potius est incompossibilitas quædam, quàm contrarietas, imò in hoc deficiebant antiqui Philosophi, quia ponebant principia esse contraria more accidentium; quia ipsi formas substantiales non agnoscebant, sed pro principiis contrariis assignabant calidum & frigidum, vacuum & plenum, litem & amicitiam, & aliqua similia, vt notauit Philosophus in hoc primo lib. capite 5. textu 49. ipse autem in text. 52. docet, substantiam nullius rei esse contrariam. Quare non potest poni in principiis rerum naturalium contrarietas propriè dicta, nisi cum antiquis ponamus, non dari formas substantiales, sed solum accidentales, secundùm quas fit generatio.

Cur autem in substantia non inueniatur contrarium, cùm videamus formas substantiales esse positiuas, & mutuo se expellere, & repugnare? *Respondet* optimè sanctus Thomas 11. Metaphys. lect. 12. explicans dictum Philosophi ibidem, quòd secundum substantiam non est motus, quia substantiæ nihil est contrarium. *Formæ*, inquit, *substantiales non possunt esse contrariæ, quia contraria sunt extrema quædam cuiusdam determinatæ distantiæ, & quodammodo continuæ: cum sit motus de vno contrario in aliud contrarium. Vnde in illis generibus, in quibus talis distantia continua & determinata non inuenitur, non potest contrarium inueniri. Vnde numerus, numero non est contrarius, neque figura figuræ, eodem autem modo est in substantiis, quia ratio cuiuslibet speciei constituitur in quodam determinatio indiuisibili.* Ita Diuus Thomas: quare attendendum est ad ipsam formam constituentem aliquam speciem, quæ si non admittat in se latitudinem secundum aliquam determinatam distantiam, sed solum habet indiuisibilem modum constituendi speciem, non fundat contrarietatem, quæ est maxima distantia, seu vltima, atque adeò determinata respectu alterius formæ. Quomodo autem formæ substantiales habeant oppositionem, & se expellant? *Respondet* Diuus Thomas ibidem, quòd hoc est secundùm quod vna forma habet sibi annexam priuationem alterius formæ; nam priuatio quodammodo contrarium est. Itaque principia rerum naturalium dicuntur contraria propter priuatiuam oppositionem, quæ est principium contrarietatis, & sic forma & priuatio sunt opposita, non autem materia & forma, nec materia & priuatio, quia materia vtriusque est capax.

Vnde soluitur ratio dubitandi: dicimus enim, quòd formæ substantiales non habent contrarietatem strictè dictam, sed largo modo pro oppositio-

ne priuatiua, quæ est principium contrarietatis. Nec sequitur quòd forma corrupta potius erit principium, quia positiuè contrariatur formæ genitæ. *Respondetur enim*, quòd forma corrupta non opponitur formæ genitæ, nisi ratione priuationis adiunctæ, non ratione specialis contrarietatis, quia vtraque in indiuisibili consistit, neque fundat oppositionem maximæ distantiæ, cùm nullam habeat latitudinem secundùm magis & minus. Aliúde etiam non potest forma corrupta esse principium per se, & formaliter rei naturalis, etiam quoad generationem, quia non per se pertinet ad generationem vnius formæ, quòd fiat ex altera, sed ex non esse, eò quòd contingit aliquam formam fieri ex diuersis, sicut ignis potest fieri ex ligno, vel ex stuppa, vel ex aqua, &c. quæ omnia materialiter se habent ad generationem ignis, formaliter autem solum attenditur id, in quo omnia illa conueniunt, scilicet in non esse, seu priuatione ignis. Aliquæ tamen formæ postulant determinare generari ex materia habente talem formam, verbi gratia, animal ex embrione, non propter principium generationis, sed quia non aliter disponitur materia, nisi transeundo per illam formam.

Circa tertiam difficultatem scilicet quomodo prima principia dicantur prima contraria, *difficultas est* circa rem ipsam, scilicet in quo consistat ratio primæ contrarietatis, & circa rationem Aristotelis, qua probauit prima principia esse prima contraria, Ad hoc ergo intelligendum dicimus, quòd triplici modo potest intelligi prima contrarietas. *Primò*, secundùm generalem rationem, quia in vnoquoque genere dantur prima contraria, id est, primæ differentiæ diuidentes aliquod genus, ex quibus deriuantur aliæ differentiæ, quæ constituunt species intermedias, & illæ primæ differentiæ constituunt prima contraria in illo genere, sicut in qualitatibus dulce, & amarum dicuntur secunda contraria, quia deriuantur ex aliis contrariis prioribus, scilicet ex calido, & frigido, sicco, & humido. Et rursus in genere magis determinato, verbi gratia, in genere coloris primæ differentiæ, quæ sunt album, & nigrum, constituunt prima contraria illius generis; colores verò intermedij, qui ex istis constant, seu deriuantur, dicuntur secunda contraria, & ita docet Philosophus in hoc 1. lib. Physic. cap. 6. textu 56 & ibi Diuus Thomas lect. 11. & 10. Metaphys. textu 23. lect. 9. apud D. Thom.

Secundò specialiori modo dicitur prima contrarietas illa, quæ inuenitur in genere substantiæ qualiscumque illa sit, eò quòd substantia est primum genus inter omnia prædicamenta, ideoque oppositio, quæ in illa inuenitur, dicitur prima contrarietas, & hac ratione dixit Aristoteles in hoc libro, text. 56. principia esse prima contraria, quia est in eis contrarietas primi generis, id est, substantia.

Tertio mòdo adhuc specialius dicuntur prima contraria, quæ priuatiuè opponuntur, eò quòd priuatio est principium contrarietatis, vt probatur in 1. Metaph. text. 14. & sequentibus. & à D. Thom, ibi lect. 6. omnis enim contrarietas includit priuationem, non tamen omnis priuatio contrarietas est; vnde dicit sanctus Thomas opuscul. 37. cap. 2. *Quòd priuatio & habitus faciunt contrarietatem*, vt dicitur 1. Physic. *& ideo contrarietates reducuntur in habitum, & priuationem tanquam in primam oppositionem, quæ est in genere.* Cùm ergo in substantia non detur propriè contrarietas, sed priuatiua oppositio, quatenus vna forma importat priuationem alteriùs; manifestum est dari primam contrarietatem, id est, principium contrarietatis, quæ est priuatiua oppositio. Cur autem vna forma dicat priuationem alterius, iam supra tetigimus, & latius infra quæstione. 10.

Ex his explicatur ratio Aristotelis, qua probat prima principia esse prima contraria, quia conueniunt illis conditiones primorum contrariorum, quæ conditiones sunt tres. *Prima*, quòd non fiunt ex aliis prioribus *Secunda*, quòd non fiant ex alterutris. *Tertia*, quòd omnia fiant ex ipsis. Prima conditio verificatur, quia ista principia sunt prima, & sic non supponunt aliqua priora. Secunda conditio verificatur, quia vnum principium neque componitur ex alio, vt de se patet, neque fit ex alio, vt ex termino à quo formaliter, & in abstracto, vt albedo non fit ex nigredine, licet per accidens, & ratione subiecti album fiat ex nigro, quatenus vna forma succedit alteri, & ex vna transit, & mutatur subiectum in aliam. Tertia denique conbitio verificatur, quia reliqua omnia sunt principiata; & deriuata ex istis principiis in suo genere: ipsa verò sunt simpliciora aliis, & consequenter se habent vt principia, ex quibus alia fiunt, & sic habent conditiones ad prima contraria requisitas.

Sed obiicies, nam si principia, quæ hîc definiuntur, sunt prima contraria, sequitur quòd non definiuntur omnia principia rerum naturalium, & consequenter neque omnia sunt ex ipsis. *Sequela probatur*, quia non omnia entia naturalia fiunt ex priuatione, vt patet in cœlo, quod fit solum per creationem, non autem ex subiecto habente priuationem, & tamen constat cœlum esse ens naturale: ergo non omnia principia entis naturalis habent contrarietatem. Item etiam accidentia non semper fiunt ex priuatione, sicut quando eadem accidentia in specie, quæ erant in corrupto, remanent in genito; vt idem color, vel eadem figura in homine viuo, & mortuo; tunc enim illa figura, quæ est in cadauere, non potest generari ex priuatione talis figuræ. Denique potest diuinitus generari aliquid sine priuatione præcedente; vt si Deus crearet ignem, & iuxta illum materiam primam vltimo dispositam, tunc ignis ille suam formam produceret in illa materia, nulla priuatione præcedente, quia nulla forma opposita præcessit, cui priuatio sit adiuncta: ergo non requiritur quòd principia sint prima contraria, id est, priuatiuè opposita: nam de materia & forma constat ex dictis, quòd non sunt contraria, licet sint prima principia.

Ad primam partem argumenti respondetur, illo aliquos conuinci ad asserendum, quod Aristoteles non definit hîc principia naturalia quoad fieri, & generationem, sed quoad esse, & componi. Quod si verum esset, non attribueret Aristoteles primis principiis esse contraria, vt toties attribuit, nec diceret esse tria, sed solum duo: principia enim componentia rerum naturalium tantum sunt duo, scilicet materia, & forma. *Dicimus ergo*, quòd definitio Aristotelis complectitur omnia principia naturalia tam in fieri, quàm in esse, sed non eodem modo applicanda sunt pro omni statu, & pro omni natura; nam quædam sunt ex principiis naturalibus in esse, & componi, quædam etiam in fieri, & pro primo non requiritur priuatio, neque contrarietas, & sic omnes res naturales sunt ex illis principiis, non tamen omnes sunt ex illis vt

ex contrariis, ficut res incorruptibiles, fed accommodando fingula fingulis, omnia funt ex iftis principiis, quædam ex tribus, materia, forma, & priuatione, quædam tantum ex duobus, fcilicet materia & forma.

Ad fecundam partem argumenti refpondetur, quòd ea quæ fiunt confecutiuè ad aliquam formam, vt color, & figura, & reliqua accidentia, quæ fimilia funt accidentibus corrupti, talia fiunt ex illa priuatione, ex qua fit forma de nouo genita, eò quod illa accidentia non fiunt primo, & per fe, fed vt confecuta ad formam fubftantialem in quantum aliquid illius funt, & ideò non requiritur alia priuatio talium accidentium in fubiecto, ex quo fiunt, nifi illa quæ directè eft priuatio formæ fubftantialis, & ex confequenti illius accidentis, quod comitatur illam. Supponit enim hæc folutio, quod non remanet idem accidens numero in genito, & in corrupto, vt in libris de Generatione dicetur.

Ad tertiam partem argumenti refpondetur feq. art. ad vlt.

Secundò arguitur probando, quòd prima principia non poffint dici prima contraria ex eo, quòd funt fubftantialia, & fubftantialia primum genus; *contra enim eft*, *Tum* quia fubftantiæ nihil eft contrarium, *Tum* etiam quia eodem modo poffet dici, quòd præter principia fubftantialia funt alia priora contraria, nempe forma communis, abftrahens à fubftantiali, & accidentali, & eius priuatio oppofita: *Tum denique*, quia contrarietas fubftantialis non eft prima abfolutè loquendo, cùm ex ipfa non fint omnes aliæ contrarietates, vt patet in cœlis, in quibus datur contrarietas motuum, & tamen non oritur ex contrarietate fubftantiali, quæ ibi non datur. *Confirmatur*, quia prima contraria fiunt ex alterutris, omne enim quod fit ex aliquo contrario fit, vt docet Philof. in hoc 1. lib. textu 44. & aliis locis; prima autem principia non fiunt ex alterutris, vt dicitur in eorum definitione: ergo non funt prima contraria.

Refp. quòd fubftantiæ nihil eft contrarium contrarietate ftricta, & propriè dicta, benè tamen oppofitione priuatiua, quæ eft principium contrarietatis, vt dictum eft. *Et ad fecundam replicam dicitur*, quòd forma & priuatio in communi abftrahens à fubftantiali, & accidentali, non dicit aliquam primam contrarietatem in exiftendo, & caufando aliàs, fed in prædicando, & ita non conftituit primam contrarietatem in re, fed per abftractionem intellectus cognofcitur. Nos autem loquimur in præfenti de prima contrarietate, quæ in re exiftit, & exercetur.

Ad tertiam replicam refpond. non requiri ad primam contrarietatem quæ eft prima ratio fubftantiæ, quòd in eius contrarietate omnis alia contrarietas fundetur, fed fufficit quòd in fubftantia fufcipiatur, & ab ipfa fubftantia caufetur, non à contrarietate fubftantiæ; nec enim contrarietas fubftantiæ ex eo dicitur prima, quia ex ipfa deriuentur alia fecunda contraria, ficut in contrariis accidentalibus fit, fed dicitur prima quia genus ipfum fubftantiæ eft primum in entibus; eft autem primum quia fuftentat, & radix aliorum, & fuftentando caufat, non autem folum contrariando, & fic in cœlo inuenitur contrarietas accidentalis, fundata in receptione, & caufatione fubftantiæ, non in contrarietate.

Ad confirmationem refpond. vtrumque effe verum, & quod contraria non fiunt ex inuicem, ficut neque principia, fiue per modum compofitionis, quia vnum contrarium non componit aliud, fed excludit, fiue per modum termini à quo, fi contraria fumantur fecundum fe, & in abftracto, & fic pari paffu currunt cum primis principiis. Et fimiliter eft verum, quod vnum contrarium fit ex alio, vt à termino à quo per accidens, ficut album ex nigro ratione fubiecti, feu materiæ, in qua vnum fuccedit alteri, & fit ex alio: videatur D. Th. 1. Phyf. lect. 13. fuper text. 67. & 10. Metaph. lect. 6 & lect. 9. circa finem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm principia naturalia fint tantùm tria?

ARiftoteles in hoc 1. lib. textu 67. non abfolutè refoluit effe tria principia naturalia; fed effe quodammodo duo, quodammodo tria, fcilicet effe duo principia per fe, tria autem fi etiã fumatur principium per accidens, quod eft priuatio.

Hinc ergo nafcitur difficultas ex vna parte, ad probandum effe plura principia, quam tria, *ex alia* ad probandum effe pauciora. Ad probandum quòd fint plura, *fit duplex argumentum. Primum*, quia etiam per fe pendet generatio in quantum mutatio à mouente, & efficiente, vt à principio extrinfeco: ergo non eft, cur excludatur à ratione principij naturalis. Vnde & numeratur à Philofopho inter illa in 12. Metaphy. text. 23. ibi: *Quare elementa analogicè tria, caufæ verò, & principia quatuor*, inter quæ numerat ipfum mouens, & videri poteft ibi D. Th. lect. 4. Quòd autem efficiens fit extra conceptum rei effectæ, nihil obftat, cum etiam priuatio fit extra conceptum illius, tam in facto effe, quam in fieri, cùm femper fe habeat vt terminus à quo relinquendus.

Secundum argumentum eft, quia fi priuatio admittitur effe principium, vt terminus à quo etiam forma corrupta debet poni pro principio, quia etiam habet rationem termini à quo in ipfa generatione fubftantiæ. *Nec dici poteft*, quòd priuatio eft conditio per fe requifita, vt forma producatur de nouo; produci enim non poteft, nifi in fubiecto vbi non eft; forma autem, quæ corrumpitur, non requiritur per fe. *Contra enim eft*, tum quia aliquando requiritur, quòd præcedat determinata forma, vt fiat determinata generatio, ficut forma cadaueris non fit nifi ex viuente, neque animal nifi ex embrione; tum quia non poteft quodlibet fieri ex quolibet, fed ex materia habili, & difpofita. Vndè talis habilitas, feu difpofitio non minus erit principium, quàm priuatio, quia per fe requiritur, licèt vtrumque fit extrinfecum.

Ex alia parte videtur principia effe pauciora, quàm tria fimiliter *ex duplici argumento. Primum*, quia forma non poteft numerari inter principia naturalia in ipfo fieri, feu generari; eft enim terminus generationis: ergo non principium, & fic non bene numeratur forma inter principia naturalia in fieri.

Secundum argumentum eft ex parte priuationis, quia priuatio formæ genitæ non eft in inftanti generationis: aliàs in eodem inftanti effet materia fub forma, & fub eius priuatione, ante inftans autem generationis quidquid præcedit in materia, fiue difpofitio fiue forma corrumpenda, fiue priuatio formæ generandæ, non conducit ad ipfam generationem intrinfecè, & per fe, fed per accidens fe ha-

bet;

bet, quia ſine illo poſſet ſaluari tota ratio generationis; vt ſi Deus in inſtanti generationis ſubrogaret nouam materiam, in qua ſecundùm antecedentiam temporis non præceſſit aliqua priuatio, ſeu diſpoſitio, vt de facto contingit, quando ex Hoſtia conſecrata aliquid generatur: tunc enim in inſtanti generationis ſubrogatur materia aliqua ex vi prioris miraculi de nouo creata, vel per conuerſionem facta: ergo quidquid ante iſtas generationes præcedit, ſiue diſpoſitio, ſiue priuatio, ſiue altera forma per accidens ſe habent ad ipſam quidditatem generationis. Nec ſufficit quod priuatio præcedat in inſtanti naturę, licèt non in inſtanti temporis; ſic enim priuatio, & forma eſſent in eodem inſtanti temporis ſimul, cùm antea non præceſſerit priuatio, nec poſtea dari poſſit: Denique priuatio eſt non ens, ſeu ens rationis, ergo non poteſt eſſe principium rei naturalis, qualis eſt generatio.

Nihilominus, cum Ariſt. in hoc 1. lib. textu 67. ex D. Thom. ibi & communi Schola Peripatetica, aſſerendum eſt, *dari duo principia rei naturalis in facto eſſe, & quoad compoſitionem, ſcilicet materia & forma; tria autem in ipſo fieri, & quoad generationem ſcilicet materia, & forma, & priuatio.* Et pro eius intelligentia *duo aduertenda ſunt. Primum eſt*, duo genera principiorum poſſe conſiderari in rebus mobilibus. Primo enim conſiderari poſſunt principia communia, & præſuppoſita ſicut eſt efficiens, & finis; hæc enim etiam extra mobilia inueniuntur, & ideò ſe habent vt principia communia, & præſuppoſita ad mobilia, & immobilia. Secundò conſiderentur principia propria mobilium inquantum mobilia ſunt, & ſecundùm id quod ad motum requiritur, inquit Philoſophus in præſenti ex ipſa contrarietate, quæ ad motum ſeu mutationem requiritur; nam omnis mutatio neceſſariò eſt tranſitus inter duos terminos à quo, & ad quem in aliquo ſubiecto, ſine ſubiecto enim nulla fit mutatio, cùm ſine illo non detur receptio vnius formæ, & abiectio alterius. Et ſubiectum vocamus materiam, & terminum ad quem formam, terminum à quo priuationem, quæ eſt in materia coniuncta formæ oppoſitæ. Et quia forma, quæ generatur, coniungitur materiæ, & manet in illa, oportet aſſignare principia compoſitionis, & in facto eſſe, ſcilicet materiam & formam quæ coniunguntur, ſicut principia generationis aſſignantur ea, quæ ad mutationem concurrunt, ſcilicet terminus, qui relinquitur, qui eſt priuatio, & qui requiritur, qui eſt forma, & id in quo recipitur, quod eſt materia.

Secundò eſt aduertendum, quod licèt antiqui Philoſophi mutationem, & mobilitatem in rebus agnouerint, & ſimiliter contrarietatem, quæ tum ad ipſos motus, tùm ad ſegregationem, & diſtinctionem rerum omnino requiritur; & ſic dixerint requiri principia contraria, quaſi ab ipſa veritate coacti, vt dicit Philoſophus in hoc 1. lib. textu 48. Sed tamen non ſtatim aſſurrexerunt ad ponendam mutationem, ſeu generationem ſubſtantialem, & hoc proceſſit ex ignorantia materiæ primæ non valentes intelligere aliquid medium inter ens in actu, & nihil, quod eſſet ens in potentia, & ita conuincebantur illo argumento, quia ſi aliquid fit, vel fit ex ente, vel ex non ente; ex ente fieri non poteſt, quia quod iam eſt non fit, ex non ente multo magis eſt impoſſibile, quia ex nihilo nihil fit: ergo non apparet, quomodo aliquid fiat per generationem ſubſtantialem. Cæterum quia generationes ipſæ ſatis experientiâ manifeſtantur, & quod aliquid oriatur, & intereat quantum ad ipſam ſubſtantiam & non ſolùm ſecundùm accidentia, alias communia eſſent incorruptibilia & perpetuo durarent ſecundum ſubſtantiam, oportuit neceſſario ponere materiam primam, quæ eſſet ens in potentia, & non in actu, eò quòd eſt primum principium generationis ſubſtantialis, & conſequenter debet carere omni eſſe proueniente à forma ſubſtantiali, & conſequenter omni eſſe accidentali, quia hoc neceſſario fundatur in eſſe ſubſtantiali, & præſupponit illud. Cæterùm Plato, qui etiam materiam primam agnouit, per aliud extremum videbatur tollere generationem ſubſtantialem, quia dicebat materiam non diſtingui à priuatione, quia non erat ens in actu, & ſic erat non ens, ſeu nihil, non intelligens ens in potentia, medium inter nihil & ens actu, vnde coactus eſt negare illud principium apud Philoſophos firmiſſimum, ex nihilo nihil fieri, de quo videri poteſt D.Th.1.Phyſ.lect.15.

Ex his ergo manifeſtè deducitur, veriſſimam eſſe ſententiam Ariſtotelis, quòd dantur duo principia naturalia quoad compoſitionem, & in facto eſſe, & tria quoad mutationem, & in fieri. *Primum patet*, quia ea ſunt principia compoſitionis, in quæ reſoluitur quidditas, & ratio rei naturalis, vnumquodque enim reſoluitur in ſua componentia, quidditas autem rei naturalis compoſita eſt, non entitas ſimplex ſicut Angelus, homo enim ex corpore & anima conſtat, & in illa reſoluitur, & ſic reliqua entia naturalia reſoluuntur in materiam & formam: ergo partes, ſeu principia compoſitionis ſunt materia & forma, & ſunt partes per ſe, quia quidditas ipſa rei naturalis in illa reſoluitur tanquam in partes componentes quidditatem, nec aliæ partes aſſignabiles ſunt, ex quibus quidditatiuè res naturalis componatur. Quòd verò diſtinguantur forma & materia inter ſe, q.3.& 4.ſeq.oſtendetur.

Quod vero dentur tria principia pro generatione, ſeu fieri rei naturalis, ſcil. materia, forma, & priuatio *probatur* ex ipſa natura mutationis. Et quidem ſupponimus, non dici principia intrinſeca iſta tria generationis, quia generationem intrinſece componant, ſed quia generatio ab illis eſſentialiter dependet. Etenim omnis mutatio poſitiua eſſentialiter eſt tranſitus de aliquo non eſſe ad aliquod eſſe, facit enim aliquid de nouo, alioquin non mutaret, ſi nihil noui faceret, ſed id quod antea erat, permaneret, ſi autem aliquid de nouo ponitur, oportet quòd antea non fuerit, & nunc ſit, ergo neceſſariò debet fieri ex priuatione, ſeu ex non eſſe, & ſic priuatio principium mutationis eſt. Quòd verò requiratur materia, *conſtat manifeſtè* quia mutatio non fit, niſi trāſmutetur aliquid de vno ad aliud, ita quòd ipſi termini mutationis ſuccedant in aliquo ſubiecto, ſucceſſio enim vnius ad aliud extra omne ſubiectum nihil tranſmutat de vno ad aliud: ſubiectum autem mutationis materiam dicimus. Denique quod requiratur forma, manifeſtum eſt, cum ſit terminus intentus, ad quem tendit mutatio; & ſic dicitur principium mutationis, quia eſt primo, & per ſe intentum, & ſic eſt primum in intentione, licèt in executione ſit vltimum, vbi conſumatur totus motus.

Dices, quomodo ergo Philoſophus priuationem dicit eſſe principium per accidens in hoc libro, textu 66. ſi per ſe requiritur ad generationem? *Nec ſufficit dicere*, quòd quia accidit materiæ appellatur principium per accidens, nam hoc modo etiam forma ſic diceretur, quia accidit materiæ quod talis forma illi aduenjat. *Reſp.* ex D. Thom. ſuper illum textum, lect.13. quòd priuatio vocatur principium per accidens reſpectu materiæ, vt ad componendum ipſum totum aſſumitur, materia enim, quæ

aſſumitur

assumitur ad componendum, non assumuntur ratione priuationis, sed ratione entitatis, licèt illa entitas habeat priuationem adiunctam, quando trahitur ad constituendum totum, in hoc autem ordine constituendi forma non per accidens se habet, licèt materiæ secundùm se consideratæ dicatur accidere. Cæterum respectu ipsius mutationis, vt est transitus de non esse ad esse, priuatio non se habet per accidens, quia sine ipsa non potest intelligi, quòd aliquid de nouo fiat, & sic nouitas mutationis necessario constat priuatione, vt termino à quo.

Ad rationes dubitandi à principio; *Ad primum respondetur*, priuationem esse principium extrinsecum ipsi rei naturali in facto esse, non tamen in fieri, vt explicatum est. Et *ad replicam* de causa mouente, seu efficiente. *Respondetur dupliciter. Primò* quod causa efficiens, seu mouens est quidem principium extrinsecum rei faciendæ, non tamen est peculiare, & proprium principium rei mobilis, in quantum mobilis est; nam etiam extra mobilia inuenitur causa efficiens, & finalis, sicut Angeli habent causam efficientem. Vndè cùm sit principium commune rei mobili, & immobili motibus Physicis, & non Physicis, seu spiritualibus, ideò non numeratur inter propria, & formalia principia entis mobilis, sed præsupponitur vt commune principali rebus mobilibus & immobilibus. *Secundò respond.* quòd aliud est considerare mutationem, vt præcisè mutatio est, aliud vt est actio, vel effectus. Et quidem secundum formalitatem actionis essentialiter respicit agens à quo emanat, & similiter in quantum effectus pendet essentialiter ab efficienti. Cæterùm formalitas mutationis non explicat istum respectum ad efficiens, licèt supponat illum, sed præcisè explicat transitum de non esse ad esse, sicut etiam forma, in quantum forma non respicit efficiens, sed in quantum effectus, in quantum autem forma præcisè respicit materiam, quam informat, vel totum quod constituit, Nec Philosophus in illo loco ex 12. Metaph. asseruit esse quatuor principia, sed dixit esse quatuor causas, & principia includendo in ratione principij tria principia mobilitatis, in ratione verò causæ etiam causam mouentem, vel id dixit, quia causæ sunt etiam principia, licèt non è conuerso.

Ad secundam rationem, *Respondetur*, quòd forma corrupta non habet rationem termini à quo formaliter, nisi ratione priuationis formæ generandæ, vt enim forma de nouo fiat per se, & formaliter solum respicit quod antea non fuerit, & sic fiat ex non esse sui, quòd verò forma aliqua præcedat per accidens est. Addo quòd ad essentialem conceptum generationis, solum requiritur priuatio, quæ inuenitur in materia, quòd verò ista priuatio sit adiuncta alteri formæ, non propter ipsam generationem requiritur, sed propter ipsam materiam, quia non potest præcedere, nisi sub aliqua forma.

Ad instantiam de dispositionibus, *Respondetur*, quod dispositiones non sunt ipsa prima principia substantialia, sed media seu instrumenta, quibus determinatur, & applicatur materia ad istam formam, ista autem determinatio materiæ non se habet vt principium, sed vt applicatio; & determinatio principij, sicut in efficientibus applicatio non est causa, sed conditio.

Ad id, quod additur, de quibusdam formis, quæ nõ possunt immediatè generari ex quacũque materia, sed ex materia sub tali forma. *Respondetur*, hoc non pertinere ad principia communia entis naturalis, sed ad aliquam specialem formam, siue generationem, quæ fieri non potest, nisi ordine quodam præsupponat alias priores, eo quod aliquæ generationes ordine quodam fiunt, nec enim aliter supponunt materiam habilitatam, sicut v. g. vinum non potest fieri immediatè ex vite, sed ex illa prodit gemma, inde vua, quæ cùm matura sit confluit in vinum, & idem videre est in generationibus animalium. Cæterùm totum hoc non constituit principia prima rerum naturalium, quæ debent esse simplicia, & communia omnibus, hæc autem non sunt omnibus communia, sed solùm illis formis, quæ alias priores præsupponunt in materia, vt habilitetur ad illas: materia autem sub tali forma habilitata non est simplex principium, sed compositum quoddam constans ex forma & materia; in præsenti autem solum loquimur de principijs simplicibus, & simpliciter primis. Et prætерea ipsa habilitatio materiæ, ad aliquam formam non dicit rationem principij, sed applicationis, vt diximus, ratione cuius potiùs ipsa priuatio est principium quàm habilitatio, quia priuatio se habet, vt extremum ipsius mutationis per modum termini à quo, non per modum applicationis ad mutationem.

Adhuc tamen instabis, nam licèt generatio sit mutatio de non esse ad esse, ideòque pro principio talis mutationis habeat priuationem, tamen motus, qui non est generatio, sed versatur inter terminos positiuos, non potest habere priuationem pro termino à quo; aliàs esset generatio instantanea: ergo non assignantur principia communia pro omni mutatione. *Respondetur* ex D. Thom. 1. Physic. lect. 13. §. Ostendit, quòd etiam in motu qui est de positiuo in positiuum, saluatur mutatio de non esse ad esse, eò quòd contrarietas positiua priuatiuam includit; in generatione autem, quæ non est motus, sed sola mutatio de non esse ad esse, datur priuatiua contrarietas, & non positiua, & sic in omni mutatione est verum, quòd requiritur priuatio, licèt in aliquibus inclusa sit in contrarietate positiua. Et prætereà in præsenti solùm tractatur de principiis primis simpliciter, id est in genere substantiæ, in qua non inuenitur positiua contrarietas, sed priuatiua; & ideò solùm assignatur priuatio pro principio: in motu autem accidentali non erat necesse tradere alia principia, quia illa non sunt prima simpliciter, & in genere substantiæ, sed ad substantialia reducuntur.

Ad ea quæ pro secunda parte obiiciuntur: ad primum de forma, *Respondetur*, quòd forma est principium rei naturalis in facto esse, quatenùs est pars compositiua illius; est autem principium mutationis, & ipsius fieri, secundùm quod præcedit in intentione mouentis, & in quantum est aliquid simplex, in quo consumatur motus, non verò principiatum ex principiis motus, hoc enim est compositum.

Ad secundam partem argumenti de priuatione. Resp. quòd priuatio, non solùm est annexa formæ corrumpendæ, sed etiam ipsi materiæ, quatenùs secundum se priuata dicitur omni forma, licèt de facto semper sit sub aliqua. Vndè materia nuda, siue præcedat in instanti temporis siue in instanti naturæ, ipsam introductionem formæ cum priuatione illius præcedit, id est cum aptitudine ad formam, & carentia illius.

Ad secundam probationem dicitur, quòd priuatio, quæ tenet se ex parte materiæ, præcisè sufficit quæ præcedat prioritate naturæ ipsam formæ introductionem, vt dicatur principium illius, tanquam terminus à quo. Dispositiones autem, siue præcedant tempore, siue non, nunquam possunt habere rationem principij, vt dictum est, cum dispositiones solum se habeant vt medium determinans materiã ad formam,

formam, non vt principium ſubſtantiale,& primum rei naturalis,vel mutationis eius.

Et quando vrgetur argumentum , quòd in eodem inſtanti non poteſt eſſe priuatio cum forma & ſic in inſtanti,in quo eſt generatio non eſt priuatio. *Reſp.* quòd in inſtanti generationis priuatio non eſt,vt afficiens ſubiectum,ſed vt excluſa ab illo per formam, quæ introducitur, ſicut terminus à quo non eſt,cum ipſo termino ad quem in eodem inſtanti , quaſi afficiendo ſubiectum , ſed vt excluſus per terminum ad quem,licèt præcedat vel exiſtat immediatè ante in materia. Cæterum ſi in ipſo inſtanti generationis producatur à Deo materia de nouo,vt in caſibus argumenti ; tunc ante illud inſtans præcedit priuatio in eo ſubiecto , in quo præcedit diſpoſitio,quantitas enim quæ in Euchariſtia ſeparatur, à ſubiecto gerit in omnibus vices ipſius materiæ , & ſubiecti corrũpendi. Vndè eodem modo præcedunt diſpoſitiones, & priuatio formæ generandæ , ſicut ſi ibi adeſſet ſubſtantia panis. Et ſic nullo modo interrumpitur curſus,& ordo naturæ in generatione rei ſeruandus.In ipſo autem inſtanti generationis,in quo ſubrogatur materia , non vt diſpoſitionibus ipſis diſponatur ; ſed vt ipſum totum componat in facto eſſe, cum ex vi prioris miraculi ibi ponatur,conſequenter apponitur vt determinata & diſpoſita , non quidem diſpoſitionibus ſe receptis , ſed in quantitate immediatè antecedente , quæ geſſit vicem ſubiecti , cui continuatur & ſuccedit , cum eadem determinatione materię,quæ de nouo ponitur ; præſertim in ſententia probabili , quòd ipſamet quantitas ex vi prioris miraculi , conuertitur in materiam & conſequenter in materiam diſpoſitam & determinatam , & ideo eodem modo iudicandum eſt de iſta materia, ac ſi talis materia præceſſiſſet , ſicut fit in aliis generationibus, præceſſit enim toto tempore antecedente non in ſe, ſed in quantitate gerente vices ſubſtantiæ,& ita recipiente diſpoſitiones,& priuationem ad formam generandam,in inſtanti autem ipſo generationis priuatio ipſa in materia non ponitur vt exiſtens, ſed vt expulſa , & vt terminus à quo ſolum prioritate naturæ antecedens formam , non exiſtendo in eadem duratione , ſed deſinendo in ſubiecto; hæc eſt enim prioritas termini à quo in illo inſtanti, non prioritas exiſtendi,ſed abiiciendi, & ſic non ſequitur , quòd in eodem inſtanti *in quo* duret, & exiſtat priuatio cum forma,ſed quod abiiciatur, nec enim illa prioritas naturæ,eſt prioritas cauſæ petentis exiſtentiam, ſed terminum à quo, qui abiicitur.

QVÆSTIO III.

De principiis in particulari,& primò de materia prima.

ARTICVLVS PRIMVS.

An ſit,& quid ſit materia prima ?

ANTEQVAM definitonem materiæ primæ, quam Philoſophus tradidit , explicemus, ſupponimus duo. *Primum eſt*, dari materiam primam.*Secundum eſt*,eſſe aliquid in re diſtinctum à forma.*Quantùm ad primum*, nomine materiæ primæ intelligimus illam entitatem , quæ eſt capax recipiendi formas ſubſtantiales,in ſe verò nullam habet formam. Eam autem explicat Phil. *in hoc primo libro Phyſicorum* ex analogia, & ſimilitudine materiæ artificialium,ſicut enim ex ligno, vel ex ære fit ſtatua, & lignum illud,vel æs ſecundum ſe,nullum eſſe ſtatuæ habet,ſed ſolùm capacitatem ad ſtatuam,licèt in alio genere , id eſt in ratione entis naturalis habeat aliquod eſſe, v.g. ligni,vel æris : ita illud quod etiam reſpectu rerum naturalium materia eſt,& ſubiectum, intelligitur nullum habere eſſe naturale,ſed ſolum capacitatem ad illud , & hoc dicitur ens in potentia : vnde dicit Philoſophus 7. Metaphyſ. textu 8. lect.2. apud Diuum Thomam : *Illud dico materiam, quæ ſecundùm ſe, neque eſt quid* (id eſt ſubſtantia in actu) *nec quantum , nec aliquid aliud quidquam, quibus ens determinetur.* Et Diuus Auguſtinus 12. confeſſ. cap.6. *Mutabilitas*,inquit, *rerum mutabilium capax ipſa eſt formarum omnium , in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid eſt ? Numquid animus ? Numquid corpus ? Numquid ſpecies animi, vel corporis ? Si dici poſſet nihil aliquid , eſt & non eſt, hoc etiam dicerem,& tamen iam vtcumque erat , vt ſpecies caperet iſtas viſibiles , & inuiſibiles.* Ita Auguſt. Denique D.Thom. in hoc 1. Phyſ. lect.13. *Cùm videamus* , inquit , *hoc , quod eſt aër quandoque fieri aquam oportet dicere , quòd aliquid exiſtens ſub forma aëris , quandoque ſit ſub forma aquæ , & ſic illud quod eſt aliquid præter formam aquæ , & præter formam aëris ſe habet ad ipſas ſubſtantias materiales , ſicut ſe habet æs ad ſtatuam , & lignum ad lectum , & quodlibet materiale , & informe ad formam , & hoc dicimus eſſe materiam primam.* Sic Diuus Thomas.

Dari autem iſtam entitatem , ſic potentialem , & informem ex duobus principiis,Ariſtoteles deduxit. Primò ex ipſa generatione ſubſtantiali. Secundò ex eo , quòd naturaliter ex nihilo nihil fiat , & hoc ſecundum ex primo deducitur , quia ſi ex nihilo aliquid fieret, ita vt tota ipſa rei ſubſtantia ex nihilo fieret, hoc ipſo non eſſet generatio , ſed creatio, & corruptio eſſet annihilatio. Vndè non requirerentur determinatæ diſpoſitiones ad determinatas generationes, ſed eodem modo poſſet fieri lapis, vel equus, vel quæcumque alia res, quia ſi ex nihilo fit, ad nihil deſeruiunt diſpoſitiones , vt determinetur magis ad vnum, quàm ad aliud. Si autem fit ex aliquo, & id quod fit ex ſubſtantia , eo quod generatio ſubſtantialis eſt , neceſſariò ſupponit aliquod ſubiectum capax illius ſubſtantialis eſſe,quod de nouo fit,& amittens eſſe,quod antea habebat,quia corrumpitur : ergo de ſe neutrum illorum habet,& cõſequenter ſolùm eſt potentia ad vtrumque.

Secundum quod ſupponimus , eſt,hoc ſubiectum,ſeu entitatem ſubſtantialem eſſe diſtinctam realiter ab ipſa forma ſubſtantiali , quæ corrumpitur , & quæ generatur , quod tamen aliqui negauerunt , & ex antiquis apud Scotum in 2. diſt.12. q.1.ex quo id referunt Conimb.ſuper c.7.huius 1.lib. q.3.ar.3. & ex recentioribus aliqui id ſuſcitauerũt,exiſtimantes nõ dari duas entitates, quæ ſint materia & forma componentes vnum tertium,ſed materiam & formã eſſe vnum & idem ens , quod inquantum potentiale dicitur materia , & inquantum actuale dicitur forma, & ſic agens , quando generat aliquid, conuertit totum hoc ens in aliud ens , & hoc inquantum mutabile in aliud , dicitur materia , & potentialitas ad illud,ſicut eſſentia obiectiuè conſiderata eſt in potentia ad exiſtentiam , & ſic Ariſtoteles conſiderat tranſitum materiæ de vno ad aliud , ſicut tranſitum

eſſentiæ

essentiæ de possibilitate ad existentiam, non sicut transitum subiecti de frigore ad calorem. Et hoc modo dicunt intelligendum esse D. Thom. quando docet implicare, quod materia existat sine forma, non magis quàm ens actu sine actu, vt 1.p.q.66.ar.1. Quòd esset intelligibile si materia est entitas distincta à forma, non enim posset reddi existens, & ens in actu per entitatem illam distinctam.

Cæterùm hæc sententia omnino reiicienda est, nec in D.Thom. vllum habet fundamentum. Nam D.Tho. perpetuò docet, materiam & formam esse partes componentes totum, materiámque distinguit à formis, nam in q.3. de veritate, art.5. ad vltimum dicit: *Materiam propriè non habere essentiam, sed esse partem essentiæ*, & cap.7. de ente & essentia dicit: *Formam esse partem compositi, & ex ipsa & materia componi totum*, & 7.Metaphys.lect.2. *Oportet*, inquit, *quòd materia secundum sui essentiam sit alia ab omnibus formis substantialibus, & earum priuationibus, quæ sunt termini generationis, & corruptionis*, & similiter in 1. Phys. lect.13. supra citata apertè dicit, quòd illud quod est aliquid præter formam aquæ, & præter formam aëris, dicitur materia prima: apertè ergo sentit, quòd materia distinguitur à forma, sicut etiam Philos. id sentit, dum docet, tria esse principia rerum naturalium, materiam, formam, & priuationem. Neque fugit Philosophum hæc eadem sententia, quam impugnamus, quæ ponit ipsum totum quod corrumpitur esse materiam, quatenùs est in potentia, vt conuertatur in id, quod de nouo fit. Proponit enim in 8. Metaphys.lect.4.apud D.Tho. in fine hanc eandem dubitationem, *Quòd cùm ex vino fiat acetum, & ex vino mortuum dubitatur, quare vinum non sit materia aceti, & vinum materia mortui, cùm ordinentur ad ea, sicut potentia ad actum?* Respondit autem Philosoph. ibi, & Diuus Thom. *Quòd acetum est corruptio vini, & mortuum corruptio viui; non ergo acetum fit ex vino, sicut ex materia, neque mortuum ex vino, sed secundum accidens dicitur ex eo fieri, inquantum fit ex materia eius.* Vbi apertissimè excludit Philosophus istam imaginationem, quòd ipsum totum, quod corrumpitur, sit materia.

Et fundamentum huius clarissimè constat in ipsa corruptione hominis. Constat enim quod anima rationalis est vera hominis forma vt definitum est in Concilio Lateranensi sub Leone X. & in Concilio Viennensi sub Clemente V. Constat enim de fide animam hominis post mortem non corrumpi, sed permanere, & consequenter non conuertitur in cadauer; nam cadauer non est anima; ergo materia quæ erat in homine, siue corpus illud, à quo separatur anima, vel relinquitur in cadauere, vel non; si relinquitur, ergo forma hominis distinguitur realiter à sua materia, cùm dentur in te illæ duæ partes separatæ; si non remanet in cadauere, vel illud corpus annihilatur, vel remanet sicut antea cum eâdem formâ, si annihilatur, tollitur tota ratio corruptionis naturalis, quæ non fit per annihilationem; neque prædicti Authores saluant, quòd conuertatur res, quæ corrumpitur, in rem quæ generatur, quia anima non conuertitur, sed permanet in se, corpus autem annihilatur, & tunc corpus illud, quod manet in cadauere, non esset resuscitandum in die iudicij, sed illud quod annihilatum est, quia illud quod solùm pertinet ad hominem, non istud. Si autem manet sicut antea coniunctum animæ: ergo anima non est separata ab illo, & sic homo non esset mortuus. *Quòd si dicas*, corpus hominis separatâ animâ conuerti in totam entitatem cadaueris; ergo iam conceditur, quod in homine dabatur aliquid præter animam ab illa distinctum, siquidem modò ab illa separatur, & conuertitur in cadauer, & sic quando homo erat vnus, componebatur ex anima, & ex illo corpore, quod transit in cadauer, tanquam ex duobus distinctis, & sic habetur intentum. Et cùm illud corpus, seu materia, quæ est in homine, non creetur de nouo, quando homo generatur, sed præsupponitur in semine, & in materia, ex qua fit homo (alioquin crearetur totus homo, & non generaretur, si tam anima, quàm corpus de nouo crearetur) ergo in semine aliqua entitas dabatur subiicienda animæ vt formæ, & separanda à forma seminis, & hæc dicitur materia. Si autem in homine, & in semine datur materia distincta à forma, idem erit in aliis entibus naturalibus, siquidem vniuocè conueniunt cum homine. Omitto quòd ista conuersio, quam ponunt isti Authores, totius entitatis, quæ corrumpitur in totam, quæ generatur; est idem quod conuersio transsubstantialis, sicut in Eucharistia tota substantia panis conuertitur in corpus Christi, sicque ista conuersio non esset ita admirabilis, cùm in qualibet generatione similis ab istis Authoribus ponatur.

Nec doctrina S. Thom. in qua oppositi Authores fundantur, *quidquam illos iuuat*, cùm in doctrina D. Thom. constet existentiam distingui à re quæ existit, vt latè ostendemus infra quæst.7. & ita non repugnat alicui entitati, v.g. materiæ aduenire existentiam per aliquid distinctum, scil. per formam; quod cum pluribus infra probaturi simus, sufficit nunc audire ipsum sanctũ Doctoré in princip.opusc. 31.vbi inquit, *Quòd differt materia à subiecto, quia subiectum est, quod non habet esse ex eo, quòd alquid ei aduenit, sed quod est per se & habet esse completum, vt homò non habet esse per albedinem, sed materia dicitur, quod habet esse ex eo quod sibi aduenit, quia de se esse incompletum, imò nullũ esse habet*, vt dicit Cõment. in 2.de Anima: *vnde simpliciter loquẽdo forma dat esse materiæ, accidens autem non dat esse subiecto* ita D.Thom.

Ex his deducitur explicatio definitionis materiæ primæ. Definitur autem dupliciter à Philosopho, vno modo positiuè in hoc primo libro text.82. *Materia est primum subiectum, ex quo aliquid fit, & non secundum accidens.* Dicitur *subiectum* ad excludendum formam, quæ non est subiectum, sed adueniens subiecto. Dicitur *primum* ad excludendum subiectum accidentarium, & artificialium formarum, quod non est subiectum primum, sed est ipsa substantia composita, & sustentatiua accidentium, quæ fit ex alio priori subiecto, & sic non est materia prima, sed secunda. Dicitur *ex quo aliquid fit*, ad excludendas alias causas, nam efficiens est à quo aliquid fit, finis propter quem fit, exemplar ad instar cuius fit, forma per quam habet esse: sola materia est, ex qua aliquid fit. Dicitur *non secundum accidens*, ad excludendam priuationem, seu terminum à quo, quia ex illo non fit aliquid, vt ex constituente, sicut ex materia, sed tanquã ex aliquo quod relinquitur, & ita per accidens se habet ad rem in facto esse.

Secundo modo definitur materia prima negatiuè 7. Metaphys. text.8. *Quòd materia per seipsam neque est quid, neque quantum, nec aliquid aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur.* Cuius sensus est, quòd materia non habet ex se aliquid determinatiuùm essentiæ, seu naturæ, siue in genere substantiæ, siue in genere quantitatis, siue alterius generis, id est, caret omni forma determinante esse, & vt ibi explicat D.Thomas lect.2. *Materia, inquit, non potest per se existere sine forma per quam est ens actu, cùm de se potentia tantum*, vt amplius explicabimus art.3.

ARTICVLVS II.

Vtrùm materia prima ex se ita sit pura potentia, quòd careat omni actu formali, & entitatiuo?

FOrmalem actum vocamus formam constituentem cum materia aliquod tertium; actum verò entitatiuum, existentiam, per quam aliquid formaliter constituitur extra causas, & extra nihil. Et quidem apud Antiquos, qui non agnouerunt materiam esse ens in potentia, sed quidquid erat ens, dicebant esse ens actu, & quidquid non erat ens actu, quòd erat nihil, non separabatur existentia à forma, sed pro eodem reputabant esse ens actu, & esse ens formatum, seu determinatæ naturæ. Nunc autem qui cum Aristotele sentiunt materiam esse ens in potentia, & aliunde nnn possunt percipere quòd illud quod non est ens actu, sit aliquid reale, sed solum nihil; intelligunt materiam non dici ens in potentia quasi careat existentia, & sit in potentia ad ipsam, sed solùm quia caret forma informante, quæ vocatur actus formalis, non quia caret existentiâ, quæ est actus entitatiuus. Et hæc sententia sumit suum principium ex eo, quòd existimat existentiam non distingui à quacumque entitate reali, hoc ipso quòd realis est, vel si distinguitur, non distingui realiter, sed ad summum formaliter inseparabiliter, tamen illam comitari, & immediatè afficere. Et hoc ideo, quia remotâ existentiâ, omnis realitas remouetur, & remanet nihil, & solum in potentia obiectiua, seu in statu possibilitatis, quod est purum nihil sicut res omnes erant antequam producerentur à Deo, & sic solùm distinguitur essentia ab existentia, sicut entitas in potentia obiectiua, & in statu possibilitatis à seipsa, in statu realitatis extra causas.

De hac distinctione, vel indistinctione essentiæ ab existentia agemus infra quæst.7. Nunc autem supponimus fuisse semper communem sententiam vsq; ad hæc nostra tempora, distinctionem aliquā à parte rei dari inter essentiam realem & existentiam, licet enim Durandus tenuerit, non distingui, nisi tantùm ratione in 1. dist.8. q.2. quem sequuntur P. Suarez in Metaph. disp.31. sect.4. & seq. Vazquez 3.p. disp.72.c. vlt. & plures alij ex recentioribus, tamen oppositum manifestè ostendemus ibi, esse sententiam D.Thom. quem communiter sequuntur Thomistæ, & alij extra eius scholam.

Et quidem si teneatur, existentiam identificari, & non distingui à quacumque entitate reali, hoc ipso quòd realis est, quæstio ista facile soluitur, dicendo quòd materia cum sit realis entitas, etiam est actus entitatiuus, solum autem est in potentia reali, & materiali ad actus formales, seu ad formas substantiales, ad existentiam enim non datur materialis, & intrinseca potentia susceptiua illius, sed solum obiectiua, quatenus continetur in potentia agentis, & transit de non esse ad esse. Cæterùm in sententia opposita, quam nunc supponimus de distinctione essentiæ ab existentia, procedit difficultas præsens, an materia, sicut est in potentia ad formam, ita sit in potentia, susceptiua existentiæ, non solum quia recipit existentiam formæ, ad quam est in potentia, sicut ad ipsam formam, sed etiam, quia non habet aliam existentiam, quàm quæ sibi communicatur per formam, ita quòd ex se solum sit entitas capax formæ, & capax existentiæ per formam.

Sit vnica conclusio; *Materia secundum se est in potentia ad actum formalem, & ad actum entitatiuum, ita quòd non habet immediatum ordinem ad existentiam, sed mediante forma, cuius est prius susceptiua, quàm existentiæ.* De hac conclusione plenius agetur articulo sequenti, vbi disputabimus, an de potentia absoluta possit esse materia sine forma? Nunc solum loquimur secundùm ordinem connaturalem materiæ, an de se solum participet existentiam mediante forma, quidquid sit an de potentia absoluta possit inuerti iste ordo, & immediatè existentiam participare sine forma. Sic ergo ista sententia est D.Th. & plurium Authorum, qui illum sequuntur, Caiet. de ente & essent. cap.5. q.8. Ferrar. 1. cont. Gent. cap.4. & 1. Phys. q.1. Socin.7. Metaph. quæst.17. & lib.8. q.1. Capr. in 2. dist.13. quæst.1. Colleg. Carmel.1. Phys. disp.3. quæst.5. Et licet plura fundamenta afferantur ad illam stabiliendam, possunt tamen reduci ad duo. Primū est cōmune formę, & materię scil. quia in quocunque composito datur vnicum esse existentiæ, quò existit tam forma, quàm materia, eò quòd datur vnicum fieri totius compositi, & resultat vnica entitas: existentia autem sequitur ipsum fieri rei, cùm sit terminus eius, & ipsam vnitatem essentiæ, seu entitatis, cui conuenit. Sed de hoc principio agemus infra quæst.7. ostendendo quòd existentia est propria compositi, *vt quod*, & solum conuenit formæ, vt principio *quo* determinandi existentiam, & materiæ, vt principio *quo* suscipiendi illam.

Alterum ergo principium, nunc expendendum specialiter pertinet ad materiam, in qua considerat Diuus Thomas, quòd non datur immediatus ordo materiæ ad existentiam, sed immediatè respicit, & recipit formam, & mediante illâ existentiam, & ita sicut est in pura potentia ad omnem formam, ita ad omnem existentiam. Et in primis videri potest D. Thomas quæst 4 de Potentia, art.1. in corpore, vbi inquit, *Quòd materia prima non potest in rerum natura existere, quin aliqua forma formetur, quidquid enim in rerum natura inuenitur, actu existit, quod quidem non habet materia nisi per formam, quæ est actus eius, vnde non habet sine forma in rerum natura inueniri.* Item, in opusculo 15. capite 3. sic inquit: *In substantia composita ex materia & forma est duplex ordo, vnus quidem ipsius materiæ ad formam, alius autem ipsius rei iam compositæ ad esse participatum, non enim est esse rei, neque forma eius, neque materia ipsius, sed aliquid adueniens rei per formam. Sic igitur in rebus ex materia & forma compositis, materia quidem secundùm se considerata, secundùm modum suæ essentiæ habet esse in potentia, & hoc ipsum est ei ex aliqua participatione primi entis, caret verò secundùm se formâ, per quam participat esse in actu secundùm proprium modum.* Ergò secundum Diu. Thom. immediatus ordo materiæ est ad formam, & mediante ea ad existentiam, & sic de se tam est in pura potentia ad formas, sicut ad existentiam. Alter locus est opusc.31. in princip. vbi inquit, *Quòd materia non se habet, vt subiectum in quo, sed ex quo; & est differentia inter ista subiecta, quia subiectūm est habens esse, & in illo sustentans formas, sicut substantia sustentat accidentia, & ita non habet esse ex eo, quod sibi aduenit: at verò materia dicitur subiectum, ex quo aliquid componitur, & habet esse ex eo, quod sibi aduenit, quia habet esse incompletum, imò nullum esse*, vt dicit Comment in 2. de Anima: *vnde simpliciter loquendo formæ dat esse materiæ.* Ita Diuus Thomas, qui locus valdè notandus est, quia in eo apertè docet, quomodo potest aliquid esse subiectum, non præsuppo-

nens

nens esse ad componendum cum forma, & recipiendum illam, sed potiùs ad hoc recipere, vt habeat esse simpliciter per talem formam. Nec significat D.Thom. solam dependentiam materiæ à forma, vt existat, *vt Aliqui dicunt*, sic enim etiam forma dependere potest à materia, imò substantia ab accidente, vt à dispositione, sine qua non est, sed intelligit D.Thom. ordinem participandi esse, qui est actus vltimus, non conuenire materiæ nisi per formam. Denique videri potest S. Th. 1.p.q.7.art.2. ad 3.& q.66.art.1.& q.115.art.1.ad 2 & 2.cont.Gent. c.43. vbi materiam puram potentiam vocat sine omni existentia.

Et quidem ex hoc fundari potest ratio pro ista sententia. quia Philosoph. in hoc libro, præsertim tex.69. & 70. inuestigauit naturam materiæ primæ ad similitudinem materiæ artificialium, dicens, quòd materia se habet ad formas naturales, sicut lignum, vel æs ad formas artificiales, & nos addere possumus, quòd se habet sicut intellectus noster ad species, & obiecta, ad quæ in principio est in potentia. Videmus autem quòd lignum vel æs in genere artificiali nullam prorsus habent existentiam artificialem ante formam, & similiter intellectus noster nullum esse intentionale ante species: ergo si materia prima ita se habet in genere naturali, sicut materia secunda, v.g lignum, vel æs in genere artificiali, manifestum est quòd ita caret materia prima omni esse naturali, sicut materia secunda omni esse artificiali.

Nec dici potest, quòd materia caret quidem esse naturali proueniente à forma, sed non caret omni esse, habet enim actum metaphysicum, scilicet actũ entitatiuum, quo existit extra causas, saltem incompletè, & imperfectè, sicut postulat ex suo genere quod incompletum, & imperfectum est perficitur autem per formam.

Sed contrà est, quia iste actus entitatiuus debet esse in aliquo genere, & certum est, quod debet esse in genere substantiali, non accidentali vel artificiali, cum ipsa materia substantia sit, saltem partialis, existentia autem secundùm hos Authores nõ differt re ab essentia, & in isto genere substantiæ certum est, quòd nõ habeat existentiam generis spiritualis, cum ipsa longissimè distet à genere spirituali, ergo si quam habet, est in genere naturali, ad quod ipsa pertinet, vt pars entis naturalis. *Et tunc vrget ratio Philosophi.* Materia prima in genere naturali est ens ita in potentia, sicut materia secunda est in potentia in genere artificiali, sed materia secunda v.g. lignum, nullum habet esse artificiale, nec partiale, nec totale ante formam artificialem, sed solum capacitatem ad illud, ergo materia prima nullum esse naturale habet ante formam, & consequenter nullum, absolutè in actu, quia in re nullum esse datur, etiam partiale, quod non sit naturale, vel artificiale, sed solum est capax existendi mediatè per formam.

Et amplius hoc declaratur ex doctrina Aristotelis, qui affirmat apud antiquos Philosophos existimatum esse, quòd si materia esset ens in potentia, esset nihil in actu, & incideretur in inconueniens, quòd ipsi ita refugiebant, quòd ex nihilo res generarentur, pro eodem existimantes, nihil & ens non in actu, imò hoc erat præcipuum, quod contra Aristotelis sententiam opponebatur, quia si materia est ens in potentia, ergo est nihil seu non ens, quia solum quod est actu, est ens. Sic enim sensisse Veteres constat, tum ex hoc 1.lib.tex.34 & tex.70 & ibi D.Th. lect.9.& 14. tum etiam ex 1. de Gen.tex.12.& ibi D. Th.lect.6. vbi dicit: *Quòd si materia est nihil actu, sed potentiâ, sequitur id quod maximè timebant priores Philosophi, quòd aliquid generatur ex nullo præexistente; quod enim est ens actu, est nihil.* Ecce quomodo vtebantur Antiqui eodem fundamento, quo nunc receptiores ad probandum, quòd materia non est pura potentia entitatiuè, seu ens in potentia, quia esset nihil, quidquid enim non existit actu, nõ est reale, quia non est extra causas. Cum ergo faciebant illã consequentiam, quòd si materia non est ens actu, sed in potentia, est nõ ens seu nihil, planè procedebant cõtra ipsum esse entitatiuum materiæ, & non solũ contra formale, quia procedebant contra ipsam materiã secundùm se, & nudam omni formâ, sic enim dicitur esse in potentia omnia, ergo si de hac materia sic in potentia inferebant, quòd esset nihil, si erat in potẽtia ens, planè intelligebãt carere esse entitatiuo, quod est existentia; sola enim carentia huius esse facit nihil, & præsertim, quia si loquimur de materia secundùm se, & sine forma, iam non inferebatur carere esse formali, quia supponebatur, sed carere entitatiuo quod est esse nihil.

Sic autem proponens Arist. difficultatem istam, non respondet materiam esse actu partialiter, & secundùm actum entitatiuum, per quod quidem videbatur directè solui illa consequentia, quòd si materia est ens in potentia, ergo est nihil; dicerent enim recentiores quòd materia est in potentia ad omnes formas, & ad omne esse formale, non autem est nihil; quia habet esse entitatiuum Sed Aristoteles respondet, tum in 1.Physic tex.66.& 78. tum in 1. de Gen. tex.17. & ibi sanctus Thomas lect.7. in fine, quòd quia nunquam est corruptio sine generatione, ideo nunquam materia manet ita in potentia, quòd non sit ens actu, quia semper est subiecta alicui formæ, & ideo licet generatio fiat per se ex ente in potentia, tamen per accidens fit ex ente in actu, eò quòd materia ex qua generatur est sub alia forma, & priuatione sui, ratione cuius formæ materia dicitur in actu, quamuis sola eius potentia per se ad generationem concurrat, non actualitas, quam sub illa forma corrumpenda habebat. Si ergo Arist. vt soluat obiectionem quæ infert materiam esse nihil, & carere actu entitatiuo, quod est existentia, recurrit ad successionem formarum, sub quibus semper est materia, & propter hoc debere corruptionẽ vnius esse generationem alterius, vt non sequatur materiã esse nihil, & non ens seu non existens, planè sentiebat materiam non habere esse entitatiuum ex se, sed per formam, aliàs si id sentiret, cur non diceret argumento, materia est ens in potentia, ergo est nihil; nego consequentiam, quia secundum se est existens, & habet esse entitatiuum, licet sit in potentia ad formale.

Et vlterius hoc declaratur; quia si ponitur materia habere actum entitatiuum, seu existentia ex se, funditus euertitur ratio probandi contra antiquos formam substantialem, quia antiqui non agnoscebant formam distinctam à materia, sed totam quidditatem esse materiam, nec generari aliquid de nouo substantialiter sed alterari tantum, eò quod non poterat fieri ens simpliciter nisi ex non ente, vt constat ex 1.Phys tex.71.& 78.& ibi D.Th. lect.14. vbi ponit rationem antiquorum, ex qua mouebantur ad negandam generationem substantialem, quia ex non ente non fit ens, sic enim ex nihilo fieret, nec ex ente, quia iam esset, & sic non fieret esse simpliciter, sed vt tale. Et idem habet Arist. 1. de generat. tex.11. & Diu. Thom. ibi lect.6. soluit autem hoc Aristot. quia ens simpliciter, id est substantia, fit per se ex ente in potentia, quod est materia, quæ per accidens est in actu, quatenus erat sub alia forma; quæ ipsa generatione corrũpitur. Si autẽ ponatur materiæ ex se

ſe eſſe ens actu per exiſtentiam, licèt in potentia ad formas, eneruatur doctrina Ariſtotelis & ſumit robur ratio antiquorum, quia ſi ſit generatio per ſe ex ente exiſtente, dicerent antiqui, quòd forma adueniens tali rei exiſtenti non eſt ſubſtantialis, quia non dat primum, & integrum eſſe. Ex quo ergo principio probat contra veteres, quòd forma eſt ſubſtantialis, & dat eſſe ſimpliciter, & conſequenter datur generatio ſubſtantialis, etiamſi forma ſupponat aliquod eſſe ſubſtantiale in materia; Hoc enim nullo principio naturali probari poterat contra illos, niſi petendo principium. Vnde bene dixit S.Thom. opuſc.15.cap.7. *Quòd vbi ponitur materia ens actu nihil differt dicere materiam, & ſubſtantiam rei, ſic enim antiqui naturales qui probant materiam primam ens actu, dicebant materiam eſſe omnium rerum ſubſtantiam.*

Alia ratio poterat addi qua ſæpè vtitur D. Thom. nempè 1. part.q.66 art.1. & quodlib.3. art.1. & q.4. de potentia, art.1. quia ſi materia exiſteret actu per ſe & non per formam, ſequeretur habere actum ſine actu, eò quòd illa exiſtentia materiæ eſt actus participatus in materia, omnis autem actus participatus eſt forma vel habetur per formam. Sed de hac ratione ſequenti articulo latiùs dicendum eſt Denique ſuperfluè ponuntur tot exiſtentiæ, quot entitates, ſicut enim ſufficit vna anima ad omnes partes, cur non vna exiſtentia?

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Argumenta omnia, quæ hîc fieri poſſunt, vel tangunt generaliter diſtinctionem exiſtentiæ ab eſſentia, de quo in quæſt.6. redibit ſermo, aut probant de potentia abſoluta poſſe materiam eſſe ſine forma, de quo ſeq. art. Breuiter in præſenti ea ſolum tangemus, quæ ad puram potentiam in materia pertinent.

Primò ergo arguitur, quia vel illa entitas materiæ ante formam, & ſecundùm ſe conſiderata eſt aliquid reale extra ſtatum poſſibilitatis, & extra cauſam creantem, vel non: ſi non eſt extra cauſam creantem, & extra ſtatum poſſibilitatis: ergo non eſt entitas realis, nec realitas ſuſceptiua formæ, ſed tantum eſt entitas poſſibilis, & in potentia obiectiua, & ſic non loquimur de materia in præſenti, ſed de materia reali, & quæ inuenitur in rerum natura, nam quæ eſt in ſtatu poſſibilitatis, non ſuſcipit formam neque componit cum illa; ſi autem eſt extra ſtatum poſſibilitatis, & extra cauſam creantem, antequam adueniat forma, ſiue exiſtentia, quæ ſit entitas diſtincta; ergo per ſe ipſam eſt actu extra cauſas ſine forma, quod eſt exiſtere. Quòd ſi ita eſt pura potentia, quod non eſt exiſtens, neque ens, incidemus in opinionem Platonis, qui materiam ita fecit puram potentiam, quòd non diſtinxit illam à priuatione, & non ente, contra quem diſputat Ariſtoteles 1.Phyſic.c.9.

Reſpondetur, hoc argumentum tangere totum fundamentum ſententiæ oppoſitæ, quod procedit eadem æquiuocatione, quâ antiqui Philoſophi, qui non agnoſcebant medium inter ens actu, & nihil, quorum etiam ratione conuictus Plato conceſſit quidem materiam primam, ſed illam dixit eſſe non ens, ſeu priuationem: antiqui verò Philoſophi per aliud extremum dixerunt, materiam eſſe aliquid, ſed non diſtinctum à forma, ſicque dicebant eſſe ens actu. Inter has autem extremas ſententias procedunt duæ mediæ opiniones, altera Ariſtotelis, Diui Auguſt. & D.Thom. qui ad antiquos dicebant benè poſſe dari ens, quod non ſit in actu, nec tamen ſit nihil, ſed ens in potentia, & ſic datur medium inter ens actu ſe ipſo & nihil, ſcilicet ens per aliud, & recipiendo aliud, per quod habet exiſtentiam, & hoc Auguſtinus vocat propè nihil, eo quòd nihil contradictoriè opponitur enti, & ideo nihil nec eſt ens actu, neque capax actus; capacitas ergo ad actum ſeu ad eſſe, licèt non ſit ipſe actus, quia tamen ex capax illius, iam recedit à nihilo, eſt tamen prope nihil, quia non eſt perfectè; & in actu ſe ſolo extra nihil. Alia verò opinio recentiorum ad fundamentum antiquorum dicit, quòd inter ens in actu, & nihil, non datur medium, quod ſit ens purè in potentia, ſed datur ens, quod partialiter eſt in actu, & hoc eſt materia, quæ eſt pars quædam compoſiti, quæ partialiter, & incompletè exiſtit in actu. Cuius tamen partialis exiſtentiæ in materia Ariſtotel. non meminit, neque ex ſuis principiis contra antiquos potuit deducere, imò Comment. in 2. de anima, vt refert D.Tho. opuſc.31. dixit, quòd materia nullum eſſe habet.

Ad argumentum ergo dicimus, quòd materia ante formam, & eſſentia ante exiſtentiam intelliguntur extra ſtatum poſſibilitatis, & extra cauſam creantem, *diſtinguo*, dependenter ab actu dante illis eſſe, formaliter, *concedo*, independenter ab omni actu, & forma *nego*. Et antecedenter ad iſtum actum vel formam, id quod relinquitur in materia, vel eſſentia, eſt entitas procedens à Deo, & creata à Deo vt recipiens & tendens ad exiſtentiam ſuſcipiendam, ſeu vt exiſtens per aliud, non vt exiſtens ſe ipſo, nam non ſolum id quod eſt actus, ſed etiam id quod eſt potentia ad actum creatur à Deo, ſed vt ſubiecta actui, & non ſine illo: vnde dicit D. Tho.1. p. q 44. art.2.ad 3. *Quòd materia non eſt creata ſine forma, licèt enim omne creatum ſit in actu, non tamen eſt actus purus vnde oportet, quòd etiam illud quod ſe habet ex parte potentiæ ſit creatum.* Condiſtinguit ergo potentiam ab actu, & ſic ſumptam potentiam non ſolum dicit eſſe creabilem, vel poſſibilem, ſed creatam, ſeu concreatam, quia creatur, vt coniuncta, & ſubiecta actui, non vt in ſe actus. Quare omne quod eſt extra ſtatum poſſibilitatis debet eſſe ens in actu, ſed non omnia eodem modo, aliquid enim eſt in actu, vt ſuſcipiens actũ, ſcilicet ipſa materia, aliquid vt dans actũ, ſcilicet forma, aliquid vt conſtitutum ex actu, ſcilicet compoſitum, & illud quod ſuſcipit actum tanquam potentia, etiam vt potentia, extra cauſas eſt, & à Deo eſt, ſed non vt habens ex ſe actum, ſed vt recipiens actum.

Et quando vrgetur, quòd ſi materia eſt ita pura potentia, quod non eſt actu exiſtens erit nihil, & nõ ens. *Reſp.* quòd neque eſt nihil, neque entitas de ſe, & per id entitatem intrinſecam exiſtens actu, ſed capacitas actus, & coniuncta ipſi actui, & ita eſt pura potentia in actu, non actualitate antecedenti, ſed actualitate concomitante & conſequente, quatenùs nunquam eſt ſine ipſa exiſtentia, & forma cuius eſt capax, & ad quam eſt in potentia, ſed tanquam ſibi coniuncta, & vnita non vt ſibi identificata, ſed à ſe indiſtincta, & in hoc poſuit Ariſtot. contra Platonem differentiam inter priuationem, & materiam, quòd priuatio, neque in potentia, neque in actu, neque per participationem, neque per identificationem eſt capax exiſtentiæ, materia autem eſt capax per participationem, & coniunctionem ad formam non per identificationem. Et D.Thom. opuſc.15.c.8. vocat *Materiam remotâ formâ non ens, ſuſceptiuum tamen formæ, quæ eſt participatiua vltimi actus, qui eſt exiſtentia.*

Secundò arguitur; non datur medium inter eſſe extra

extra causas, & intra illas, cùm contradictoriè opponantur: ergo in illo priori, in quo intelligitur materia ante formam, & essentia ante existentiam, vel intelligitur intra causas vel extra; si intra causas est in statu possibili, & in potentia obiectiua, & sic non est capax componendi cum forma, si autem est extra causas, ergo hoc ipso est existens, & sic ante existentiam esset existens quod implicat. *Et confirmat.* quia si materia suscipit formam, & existentiam eius, antequam in se habeat propriam existentiam, oportet quòd in aliquo priori intelligatur causare materialiter talem formam suscipiendo illam: ergo pro illo priori intelligitur talis causalitas realis materialis exire ab ipsa materia: ergo necessario est existens, quia causalitas realis non potest exire, nisi à causa reali realiter existente.

Respondet. quòd in illo priori, quo materia intelligitur recipere tam formam, quàm existentiam, intelligitur materia extra causas in suo genere, scilicet per modum potentiæ susceptiuæ actus; non autem intelligitur vt perfectè, & completè existens in actu, quia enim actio agentis ponit extra nihil, tam potentiam, quàm actum, vt ex D.Thom.vidimus,& ordine quodam tangit illa, quia potentiam tangit, illa, quia potentiam tangit, vt subiectam actui, & actum vt informantem potentiam, in illo priori, seu præcisione, qua intelligitur potentia subiici, & illum recipere, nondùm tamen actum informantem illam, intelligitur materia, seu existentia extra causas inadæquato, & incompleto modo, scilicèt sub formalitate potentiæ suscipientis existentiam, non sub formalitate existentiæ actuantis, in re tamen semper inuenitur extra causas perfectè, & completè, & ita in re non datur medium inter esse vel non esse intra causas, sed secundum formalitates, & præcisiones, quæ sunt prioritates naturæ, bene potest dari medium inter esse completè extra causas secundum omnem considerationem, & esse completè intra illas, & hoc medium est esse in fieri, & tendentia, seu potentia susceptiua formæ, & existentiæ, & nondum formæ informantis illam, quæ prioritates, & præcisiones existendi secundùm vnam rationem, & non secundùm aliam passim occurrunt in productionibus rerum,& dependentiis à causis.

Ad confirmationem Respondetur, quòd ad causam materialem, ex qua componitur ipsum totum,sufficit existentia concomitanter; & in eodem instanti temporis, vt dicatur realiter componere, & causare, non autem requiritur, quòd existentia antecedant pro illa prioritate naturæ, qua intelligitur causare materialiter: ad causam verò materialem, quæ per modum subiecti recipit formam accidentalem sustentando, requiritur quòd antecedenter habeat existentiam,etiam pro prioritate naturæ, quâ causat. Ratio diuersitatis sumitur ex Diuo Thoma opusculo.31. in principio, quia causa materialis sustentans recipit formam dando illi esse simpliciter, à forma autem solum recipit esse accidentale, quod est esse secundùm quid: vnde cum illa receptio non sit purè potentialis,sed sustentatiua in esse, supponit in causa materiali esse.At verò causa materialis purè receptiua, & constitutiua naturæ non recipit dando esse formæ, sed accipiendo à forma esse, & sic non supponit esse in se, sed solum capacitatem ad illud, quod mediante forma recipit. Nec requiritur,quòd causa materialis pro omni prioritate suæ causalitatis intelligatur ens in actu, sed sufficit vt sit causa realis, quòd in re sit pro omni instanti durationis, non pro omni instanti causalitatis, & dependentiæ. Et hoc ideò est, quia huiusmodi causalitas materialis est ita imperfecta, quòd non solùm ponit formam extra causas,sed ad hoc causat forma, vt ponatur materia ipsa extra causas, siquidem causare formam recipiendo, est recipere actualitatem ad esse, & quando actualitas dat esse simpliciter, etiam potentia recipit esse simpliciter, & ideò causalitas ita imperfecta non supponit esse perfectum pro prioritate causandi, sed capacitatem ad esse, nec enim causat mediante esse,sicut causa efficiens,vel subiectum sustentans, sed mediante capacitate, & potentialitate ad esse.

Si instes, nam materia recipiendo formam dat esse formæ, siquidem forma non habet esse in se,sed in materia, exceptâ animâ rationali, ergo mediante esse debet causare materia. *Respondetur*, formam substantialem non dependere à materia, quia ab illa recipiat esse, aut sustentetur in esse, sicut formæ accidentales, quæ non possunt dare primum esse, sed esse secundùm quid, & ideò supponunt subiectum constitutum, & subsistens in esse; ideóque ab esse subiecti dependent, & ab illo sustentantur. At verò forma substantialis dat primum & substantiale esse, & ideò non recipit aliquod esse à materia, sed quia illud esse, vt est à forma (præter rationalem) non est subsistens, & per se independens, accipit à materia, vt à subiecto vltimo principium vnde terminetur, & reddatur subsistens in ipso toto.

Tertiò arguitur in materia secundum se & seorsim à forma est entitas in tempore producta, & non aliquid æternum, & sic significatur per ly *est* non absolutum à tempore, vt quando dicitur *materia est*, est etiam entitas subiecta productioni, & causalitati agentis creantis, ergo habet omnes effectus formales existentiæ ante ipsam formam. Est etiam participatio quædam Dei in actu, quia habet ideam in Deo, vt docet S. Thomas 1.part.quæst.15.artic.3. Est etiam bona, vt docet.3.contra Gent.cap.20.aliàs incideremus in hæresim Manichæorum, quòd materia est mala; ergo habet in se seorsum à forma aliquod esse.

Respondetur, omnes illas conditiones existentiæ, quæ tribuuntur materiæ consideratæ sine forma,vel essentiæ,quæ antecedenter se habent ad existentiam conuenire illi,non per identificationem cum existentia, sed per receptionem, & subiectionem ad ipsam: in illa enim antecedentia ad formam,vel ad existentiam, entitas essentiæ, vel materiæ, intelligitur vt suscipiens existentiam, vel formam, quæ est antecedentia causæ receptiuæ, licèt nondum intelligatur ipsa forma, vel existentia, vt actuans, in qua præcisione illa entitas, neque consideratur vt purè possibilis, & intra causas, neque vt perfectè & completè extra illas (licèt in re sit extra) sed in statu recipiendi ipsum esse,& in potentia nó obiectiua respectu agentis, sed recipiente respectu existentiæ. Entitas autem vt recipiens ipsam existentiam, & vt subiiciens se illi, habet omnes conditiones existentiæ per modum potentiæ receptiuæ,quas habet existentia per modum formæ actuantis: est enim aliquid temporale, & subiectum agenti, &c. non per modum actus existentiæ, sed per modum potentiæ recipientis illam, eò quòd agens vtrumque producit & potentia & actum, vt diximus ex Diuo Thoma.

Ex quo vlterius dicimus, quòd materia secundum se est quædam participatio Dei, quatenùs participat capacitatem ad essendum, per quam recedit à nihilo, quod non est capax existendi, & hoc immediatè à Deo participat, sed actualem existentiam huius capacitatis participat à Deo mediatè idest, mediante forma constituente compositum,vt ex opusc.15.supra retulimus.Et ita dicit D.Th.1.p. q.15.art.3. ad 3.

Quòd materia prima habet ideam in Deo, sed non aliam ab idea compositi, cùm materia secundum se neque esse habeat, neque cognoscibilis sit, id est non separatam ab idea compositi, sed in illa inclusam, nam eo modo habet ideam, quo in tempore productionem. Est autem terminus productionis inadæquatus, quia non creatur. sed concreatur, vt dicit Diu. Thom. 1. part. quæst. 7. art. 2. ad 3. ergo & coëxemplatur in idea.

Quòd verò materia dicitur esse bona. *Respondetur*, quòd non dicitur bona formaliter, & in actu, sed secundùm capacitatem, & ordinationem ad bonum. Vndè dicit Diuus Thomas 1. part. qu. 5. artic. ad 3. *Quòd materia participat aliquid de bono, scilicet ipsum ordinem, vel aptitudinem ad bonum, & ideo non conuenit sibi, quòd sit appetibile, sed quòd appetat*: & sic intelligitur in 3. contra Gentiles citato, quòd materia est bona ratione ordinis ad bonum, non ratione bonitatis actualis in se. Et ita materia non est priuatio, vt dicebat Plato, quia priuatio non ordinatur ad bonum, sed opponitur illi, & similiter non est mala, quia malum opponitur bono, materia autem non opponitur formæ, & hac ratione dicitur vtilis formę, & composito, quia ad rationem vtilis sufficit bonum bonitate ordinis ad alterum, non bonitate actualitatis in se.

ARTICVLVS III.

Vtrùm materia poßit existere sine omni forma, saltem de potentia absoluta?

Licet materia participet existentiam per formam, vel in suo esse partiali (si daretur) dependeret ab illa: adhuc restat difficultas, an solum pendeat naturaliter, an essentialiter, ita vt nec per Dei potentiam suppleri possit, sicut accidentia videmus naturaliter dependere à subiecto, & per Dei potentiam sine illo esse posse? *Sententia ergo affirmatiua* communissima est inter recentiores huius temporis, & habet patronum Scotum in 2. dist. 12, q. 2. & totam eius scholam.

Nihilominùs sit vnica conclusio. *In sententia Diui Thomæ implicat materiam existere denudatam ab omni forma*, atque ita est essentialis ordo inter receptionem formæ, & existentiæ, quod per formam redditur capax habendi existentiam, qui ordo essentialis non inuenitur inter accidens, & subiectum, licèt ratione imperfectionis suæ accidens dependeat inhærendo à subiecto, non materia. Itaque materia se habet ad formam, & ad existentiam ordine quodam essentiali, sicut intellectus non est capax visionis, nisi mediante specie, & lumine, & sicut corpus non est capax gradus sensitiui, nisi mediante vegetatiuo. Hæc conclusio sumitur ex D. Thom. 1. p q. 66. art. 1. vbi inquit: *Si materia informis præcessit duratione, hæc iam erat in actu, hoc enim duratio importat; creationis autem terminus est ens actu, ipsum autem, quòd est actus est forma, dicere igitur materiam præcedere sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem*; ita Diuus Thom. Et idem probat quodlib 3. art. 1. his verbis: *Quòd aliquid simul sit, & non sit, à Deo fieri non potest, neque aliquid contradictionem inuoluens, & huiusmodi est materiam, esse in actu sine forma, omne enim quod est actu, vel est ipse actus, vel est potentia participans actum: esse autem actum repugnat rationi materiæ, quæ secundum propriam rationem est ens in potentia; relinquitur ergo quod non potest esse in actu, nisi inquantum participat actum, actus autem participatus à materia, nihil aliud est quam forma. Vnde idem est dictu materiam esse in actu, & materiam habere formam; dicere ergo quòd materia sit in actu sine forma, est dicere contradictoria esse simul*, ita Diuus Thomas, & videri etiam potest, in qu. 4. de potentia. art. 1. & 3. contra Gentiles, cap. 4. vbi inquit: *Quòd materia non tendit ad impossibile, est autem impossibile materiam tantùm sub priuatione esse*. Diu. Thom. loquuntur communiter omnes eius discipuli ad illum locum 1. p. Ibi videri potest Caiet. & c. 5. de ente & ess. q. 8. M. Bannez illam q. Ferrar. 1. Physic. q. 11. & cit. loco contra Capr. Socin. & alij, apud Curs. Carmel. hîc disp. 3. q. 5. pro eadem Conimb. lib. 1. Phys. c. 1. q. 6. art. 1. citant Mag. in 2. dist. 12. cap. 5. Hugonem de S. Victore. Durandum Ægidium, & alios,

Vt explicetur implicatio, quam Diu. Thom. in tot locis affirmat, *aduertendum est*, Authores oppositos non dubitare quòd existentia seu esse prouenie̅s à forma, non possit inueniri in materia sine ipsa forma, cuius est tale esse, sicut v. g. esse album, & existentia vbi manifestè apparet, quòd non potest conuenire materiæ sine albedine, & generaliter quodcumque esse, seu existentia vt specificata ab aliqua forma, nullo modo potest conuenire materiæ, nisi mediante formâ, à qua habet specificationem, & determinationem & ita si velimus dicere, quòd materia non participat istas existentias sic specificatas, nisi seruato ordine essentiali, vt mediantibus suis formis participentur, verissimum est, neque Authores oppositi negabunt; sed *punctus difficultatis est*, an possit dari in materia aliqua existentia non proueniens à forma, sed ipsi materiæ conueniens, in quantum est entitas distincta à forma, & propterea vocatur actus entitatiuus, & sic existere possit materia separata ab omni forma, & ab omni existentia formæ? In hoc ergo videtur deficere implicatio assignata à Diuo Thoma, quia concludit, materiam non posse esse existentem sine aliquo actu, & inde infert, non posse esse sine forma pro eodem reputans actum participatum in materia, & formam, cùm tamen in hoc faciat difficultatem opposita sententia, quia distinguit actum existentiæ à forma & hunc actum existentiæ dicit conuenire materiæ antecedenter ad formam, vel quia non distinguitur entitas realis materiæ ab existentia sua, vel quia talis entitas materiæ immediatè capax est illius.

Igitur implicatio D. Thom. fundatur in hoc, quòd existentia ex essentiali conceptu suo est actus distinctus ab essentiâ creatâ, vt probabitur quæst. 7. Hic autem actus non constituit rem intrinsecè, & essentialiter, sed essentiam constitutam extra causas constituit, non in sua quidditate, aliàs esset essentialis, & necessariò conueniens rei quam constituit. Ergo ex natura sua non est actus primus, id est constituens quidditatem, sed secundus, seu adueniens constitutæ. Cùm ergo materia prima de se nullum actum primum habeat, quia ipsa non est forma, seu actus primus, caret verò omni formâ ei vnibili, vt supponimus, ergo non est capax alicuius actus secundi, qui est existentia, sicut non est capax actus secundi, qui est operatio nisi mediante radice operandi, quæ est potentia. Itaque sicut bene valet, si aliquid est capax operationis tanquam actus secundi distincti à se, ergo in se est actus primus potens operari, quia nihil est aliud actus primus, quàm id quod est capax immediatè actus secundi; ita bene valet in existentia, quòd si aliquid est immediatè capax existentiæ, etiam partialis tanquam actus secundi in essendo distinctæ ab essentia: ergo in se partialiter est actus primus, vel habet actum primum, idem autem est actus primus

mus, quod forma. Ergo ſi materia eſt ſine omni forma, & exiſtit, habet formam ſine forma, quia habet actum primum, vel ipſa eſt actus primus, hoc ipſo quòd eſt capax actus ſecundi, quod eſt exiſtentia.

Solùm poteſt reſponderi, vel quòd exiſtentia non eſt actus ſecundus, nec ſupponit primum, ſed eſt indiſtinctus à quacumque entitate reali. Vel quòd materia prima generali ratione poteſt dici actus primus, & non pura potentia, quatenùs eſt capax exiſtentiæ ob realitatem ſuam.

Sed primam ſolutionem excludemus, q.7. nec implicatio D. Thom. currit, niſi ſupponendo, quòd exiſtentia diſtinguitur ab eſſentia creata, nam ſi eſt idem cum illa, quomodo poteſt controuerti, quòd eſt capax illius, vel quòd non poſſit à Deo realis entitas, & ſubſtantialis per ſuam exiſtentiam, quam habet ſeparatim conſeruari, ſicut accidens ſine ſubiecto; tunc enim non magis dependebit à forma, quàm accidens à ſubiecto; imò multò minùs, ſi vtrumque ſecundum ſe exiſtens eſt.

Secunda verò ſolutio deſtruit rationem propriam materiæ, quia in re eſt facere illam formam, nam quid aliud eſt forma ſubſtantialis, quàm actus primus in genere entitatiuo; Et quomodo poteſt probari cõtra Antiquos, qui negabant formam ſubſtantialem diſtingui à materia, quòd non ſit idem materia, quod forma ſubſtantialis, ſi eſt actus primus. Quòd enim non informet, ſed recipiat, in primis hoc ipſi negabant, quòd reciperè formas, quia ſecundum ſe erat ens actu, & ſic non indigebat formis ſubſtantialibus, quæ dant eſſe primum & ſubſtantiale. Deinde, quia ſi eſt actus primus, & non informans, nec receptus in alio; ergo erit in ſe actus ſubſiſtens, nec indigebit formâ naturaliter ad exiſtendum: forma enim ſeu actus non receptus, hoc ipſo eſt terminatus, & incommunicabilis vlteriori ſubiecto, ergo ſubſiſtens in eo eſſe, quod habet, & licèt recipiat formas, recipiet illas tanquam accidentia, ſicut ſuppoſitum hominis vel lapidis recipit accidentia. Quare ex his principiis magis aperitur via ad negandum materiam primam eſſe ens partiale, & quòd non dantur formæ ſubſtantiales, ſed ſolum accidentales, vt ponebant Antiqui, quàm ad oppoſitum, ſtando in principiis Ariſtotelis, & veræ Philoſophiæ.

Denique poteſt implicatio iſta aliter explicari, quia illa exiſtentia materiæ ſeorſum à forma, vel eſſet corporea, vel ſpiritualis, vel non corporea, nec ſpiritualis, Hoc tertium dici non poteſt, quia ſpirituale, & corporeum videntur exhaurire omne quod actu eſt ſubſtantia, adæquatè enim illam diuidunt, ſiue ſit pars vt forma corporea, ſiue totum, neceſſariò enim eſt aliquid pertinens ad genus corporeum, vel ſpirituale per ſe, vel reductiuè; ergo neque datur exiſtentia abſtrahens ab vtroque; ſpiritualis eſſe non poteſt, quia materia maximè ſpiritualitati opponitur, cùm ſpirituale conſiſtat in abſtractione materiæ: ergo propria exiſtentia materiæ non poteſt eſſe ſpiritualis. Si eſt corporea, vtique actu debet eſſe corporea, & non in potentia, eſt enim actualis exiſtentia, & ſic actu eſt id, quod eſt: ergo eſſentialiter dependet à forma, ſeu gradu corporeitatis, per quem materia eſt actu corpus, nam materia de ſe non eſt actu corpus, ſed per formam, quæ dat gradum corporeitatis, ſi enim eſſet actu corpus incideretur in opinionem antiquorum, qui vt dicit S. Thom. materiam primam dicebant eſſe actu corpus, & ſic formæ elementales, & aliæ, non conſtituerent formaliter corpus, quod eſt apertè falſum; forma enim quæ non conſtituit corpus, neque poteſt tale corpus in ſpecie conſtituere, quia implicat aliquam formam dare gradum ſpecificum, genericum autem ab alia realitate diſtincta prouenire, ſic enim illa entitas, à qua gradus genericus proueniret, eſſet in genere, & non in aliqua ſpecie, & hæc eſt vis rationis Diu. Thomæ q.4. de potentiâ art.1. vbi dicit: *Non poſſe materiam eſſe ſine forma, quia non poteſt aliquid eſſe in genere, quod non ſit in aliqua ſpecie.* Cùm ergo à formâ ſubſtantiali proueniat gradus corporis, vt ſic, & ſpecificus talis corporis: conſequenter materia ſine forma non eſt actu corporea, ſed potentia, id eſt, entitas ſuſceptiua gradus corporei: vnde ſi habet propriam exiſtentiam, illa non poteſt eſſe actu corporea, quia entitas, cuius eſt hæc exiſtentia, non eſt actu corporea, ſicut autem non poteſt intelligi exiſtentia hominis ſine forma hominis, nec exiſtentia equi ſine formâ equi, ita nec exiſtentia corporea ſine forma corporis. Hanc rationem etiam attingemus ſequenti art. tit. vltimo.

Aduerto, quòd aliqui, vt Magiſter Bannez vbi ſupra, exiſtimant eſſe probabile, quòd materia prima poteſt exiſtere ſine omni forma, per exiſtentiam Diuinam ſibi vnitam, cui ſententiæ etiam ſubſcriberem, ſi ſupponeretur materia capax exiſtentiæ ſine forma, cum enim exiſtentia & ſubſiſtentia Diuina ſolùm vniantur ſupplendo vicem creatæ, ſolùm illis naturis vniri poſſunt, quæ ſunt capaces ſubſiſtendi, vel exiſtendi, ſicut patet, quòd accidenti non poteſt vniri Diuina ſubſiſtentia, quia propriæ ſubſiſtentiæ non eſt capax: ergo idem dicendum eſt de materiâ reſpectu exiſtentiæ.

Vnde etiam euacuantur inſtantiæ à quodam Recentiore adductæ contra noſtram ſententiam. *Prima*, quia ſubſiſtentia eſt actus naturæ proueniens ab aliqua forma, & tamen diuinitùs ſuppletur per ſubſiſtentiam Verbi. *Secunda*, quia humanitas Chriſti exiſtit exiſtentia Verbi, & tamen illa non conuenit mediante formâ; ergo poteſt exiſtentia prouenire ab alio, quàm à forma. *Sed vtraque inſtantia infirma eſt.* Aliud eſt enim, quòd ſubſiſtentia & exiſtentia creatæ ſint ſupplebiles per Diuinam; aliud quòd ſint ſupplebiles in materia nuda, ſed in humanitate vel alia natura, cuius exiſtentia & ſubſiſtentia ſunt non effectus formales, ſed modi conſecuti, ſeu formalitates, quæ dant illos effectus formales, ſubſiſtendi & exiſtendi.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, quia Deus poteſt conſeruare accidens ſine omni ſubiecto, & formam ſubſtantialem ſine omni materia, & quamcunque entitatem realem ſine eo, à quo diſtinguitur realiter: ergo etiam materiam ſine omni forma. *Conſequentia patet*, quia materia prima eſt entitas realiter diſtincta à forma, & minoris dependentiæ à forma, quàm accidens à ſubiecto, cùm materia ſit ſubſtantia, accidens verò inhæreat: ergo poteſt ſeparari ab omni forma; in hoc enim diſtinguitur realis diſtinctio à modali, quòd vbi eſt diſtinctio realis, extrema poſſunt ſeparari ſaltem de potentia abſoluta; modus autem nunquam poteſt ſeparari ab eo, cuius eſt modus. Conſtat autem, quòd materia prima eſt entitas realiter diſtincta à forma. *Confirmatur*, quia materia vel dependet à forma intrinſecè, & eſſentialiter, vel non; ſi dependet, ergo propria materiæ quidditas conſtituetur per formam, quod eſt omnino falſum, cùm propria materiæ quidditas ſit eſſe ens in potentia, quod non habet à forma. Si verò non dependet eſſentialiter, ſed ſolum quoad exiſtentiam,

talis effectus formæ est secundarius, & sic poterit suppleri à Deo, sicut suppletur in humanitate Christi existentia, & subsistentia propria per Verbum, & sicut in Eucharistia ponitur quantitas corporis Christi, sine repletione loci, quæ est effectus secundarius eius.

Resp. illud argumentum de accidente solui à D. Thom. quolib.3. citato, art.1. ad primum, & 1.p. quæst 66. art.1. ad 3. & idem est de forma substantiali. Dicit ergo, quod accidens dependet à subiecto vt à causa sustentante in esse; materia verò à forma vt ab actu suo. Quòd autem aliquid sustentetur ab aliqua causa secunda, benè potest à Deo suppleri per aliam causam, quia sustentatio solum pertinet ad exercitium ponendi rem in esse, non ad determinationem, & specificationem ipsius; exercitium autem existendi multò meliùs potest fieri per causam efficientem, quæ solùm dat esse quoad exercitium. At verò materia dependet à forma, non per modum causæ efficientis, sed formalis, cuius proprium munus est dare esse rei specificando, & determinando illud, vnde remotâ omni formâ caret materia omni principio determinante, & specificante eius esse, & sic solum manebit existentia potentialis, & indeterminata, quæ non potest habere effectum formalem existendi actu, & determinatè extra causas.

Ad id verò, quod dicitur de distinctione inter extrema realiter distincta. *Respondetur* esse certum, & infallibile signum distinctionis realis, si de facto duo separantur inter se, è contra tamen si non separantur, non est infallibile signum, quòd non distinguantur realiter, potest enim interuenire aliqua essentialis dependentia vnius realitatis ab alia in existendo, sicut relatio realis ad sui existentiam petit existentiam termini à quo realiter distinguitur: est enim relatio omnino extra suum terminum, & de actu vitali multi existimant, non posse conseruari à Deo extra potentiam vitalem, quia essentialiter dicit processionem ab illa. Et similiter visio exterior realiter distinguitur ab obiecto, sine quo tamen conseruari non potest, alioquin videret rem absentem. Similiter ergo cùm materia dependeat à forma, vt à medio participandi existentiam determinatam, non poterit sine illa determinatè existere. Addo, quòd ad distinctionem realem inter materiam, & formam sufficit, quòd materia possit esse in re, sine qualibet forma diuisiuè, sicut videmus ab illa separari, sed non à tota collectione formarum, hoc enim ad distinctionem realem non est necesse, cum distinctio realis exerceatur inter quamlibet determinatè, & sic sufficit separari à qualibet determinatè.

Ad confirmationem Respondetur, quòd materia dependet à forma, quantum ad esse, non quantum ad quidditatem, quæ est entitas potentialis, vt S. Thom. docet 5. Metaphys. lect.2. *Et ad replicam respondetur*, quòd stante effectu primario formæ, in subiecto potest suppleri, vel tolli effectus secundarius, nisi interueniat aliquod essentiale impedimentum. Cæterùm è conuerso dari effectum secundarium sublato primario impossibile est, propter coordinationem essentialem inter primarium, & secundarium effectum; secundarius autem effectus formæ est existere, primarius autem est informare, & constituere. Et quando Deus supplet existentiam, & subsistentiam humanitatis, supponit ipsam humanitatem constitutam per formam suam, supplet autem id quod secundarium est, scilicet existere, & subsistere in nostro autem casu proceditur è conuerso, scilicet quòd materia habeat effectum secundarium formæ, qui est existere sine forma, id est actum secundum sine actu primo.

Secundò arguitur, dato quòd existentia distinguatur in re ab essentia non tamen distinguitur, nisi tanquam modus, siquidem existentia non constituit quidditatem aliquam sed constitutam supponit, & extra causas ponit, quod est modificare, modus autem identificatur cum re cuius est modus, nec potest aliquid modificari per modum alicuius rei distinctæ: ergo cùm materia existat in rerum natura, aliqua existentia identificatur cum illa: ergo non existit per formam, sed per modum proprium, quem Deus sine forma conseruare poterit in materia.

Quòd si dicas, modum istum essentialiter resultare ex forma, & ideo sine illa non posse conseruari, sicut vbi, vel situs sine loco, figura sine quantitate. *Contrà est*; quia existentia non sequitur formam, sed productionem, cùm sit terminus ipsius fieri, seu productionis relictus immediatè ex causa efficienti, sed materia habet distinctum fieri, & productionem à forma, quia materia fit per creationem, forma autem per generationem, ergo habet distinctam existentiam à forma. *Item*, si materia haberet existentiam mediante formâ, toties interiret, & produceretur, quoties noua forma aduenit, & alia recedit, quia tunc desinit esse vnius formæ, & incipit aliud cum ipsa forma; nihil autem aliud est corrumpi, quàm amittere esse, neque aliud est produci, quàm adquirere nouum esse.

Adduntur alia minoris ponderis, vt si materia annihilaretur, non annihilata forma, maneret existentia materiæ, quæ est à forma & tamen esset annihilata, ergo daretur esse materiæ, & tamen esset materia annihilata. *Item* materia causat formam in esse, & forma causat materiam; ergo materia causat suum esse, quod est à forma. *Similiter* materia est causa realis ipsius formæ sustentando, & recipiendo illam: ergo in illo priori, in quo causat, existit, alias non realiter causaret, & tamen pro illo priori non habet existentiam à forma, quia nondum forma est causata. *Denique* est specialis difficultas in anima rationali, cuius existentia spiritualis est, siquidem per eandem existentiam existit separata, sed spiritualis existentia non potest communicari materiæ: ergo quando est sub anima rationali, non habet existentiam ab illa.

Respondetur ad principale argumentum responsione datâ, inter arguendum, admisso, non concesso, quòd existentia solùm sit modus, non realitas distincta ab essentia, hoc enim est probabile & fortè probabilius. *Et ad primam instantiam Respondetur*, quòd existentia sequitur productionem rei perfectam & completam, cùm sit terminus vltimus actionis, non autem productionem quasi incompletam, & dependentem ab alterius positione, sine qua in rerum natura non existit, *cuius ratio est*, quia existentia est actus, quo aliquid ponitur, non solum extra vnam causam, sed extra omnes; vnde non sufficit considerare aliquid, vt est extra causam efficientem, si nondum est extra formalem, vt materialem, vt dicatur in re existere, & sic materia, vt præcisè subest actioni creantis, & non actuationi formæ informantis, nondum intelligitur habere existentiam, quæ extra omnes causas ponit, sed tendere ad existentiam quasi in fieri, & in via.

Ad secundam instantiam de creatione materiæ, & generatione formæ *Respondetur*, quòd vt dicit D. Thom.3. de potentia art.1. ad 2. materia propriè non creatur, sed concreatur; creatur enim sub forma, & ita creatio completa, & absoluta terminatur ad totum

totum compositum, vt dicitur 1.par.quæst.45.art.4. Et sic materia per creationem accipit existentiam, non vt præcisè exit à causa efficiente, sed in quantum per creationem, & causam efficientem ponitur sub actuatione formæ, & causatur etiam à forma, & vt vno verbo dicam, materia per creationem non tam recipit esse, quàm subesse, sicut etiam quando Deus creat aliquam substantiam, secundariò etiam attingit accidentia tali substantiæ annexa, & tamen non dicuntur creari, quasi seorsum accipiant esse, sed accipiunt illud dependenter à subiecto, & ita si subiectum tollatur, & Deus non suppleat eius concursum separando accidentia, necessariò desinunt, non obstante prima attingentia creationis: & similiter, si materia semel creatur sub forma, si illa forma desinit esse & altera nō succederet, destrueretur materia, quia non fuit creata simpliciter, & absolutè vt esset, sed vt subesset formæ, & per ipsam esset, nec tamen potest Deus sine forma illa separatim ponere, sicut formam sine subiecto propter rationem dictam in solutione ad primum. Et sic materia propriè, nec habet esse eductum, nec creatum, sed communicatum per formam eductam, aut concreatam, ubiici autem existentiæ eductæ, non sufficit denominare rem ipsam eductam; requiritur enim ad denominationem educti ordo ad aliquod principium, ex quo educatur, sine isto autem ordine (quo vtique caret materia) dicetur quidem compleri eius productio per communicationem existentiæ eductæ, sed non denominabitur educta.

Quare hæc omnia argumenta æquiuocant valdè in acceptione de ly *creatio*, quòd illam accipiunt solum vno modo, scilicet vt dat esse absolutè, cùm tamen creatio toti composito, seu supposito dat esse absolutè, partes autem compositi non absolutè ponit in esse, vnicuique attribuendo esse partiale, sed vnam subiicit alteri, & sub alterius esse, vel sub totius esse coordinat, & sic dat illis esse, eo modo quo partibus potest conuenire, scilicet vt subordinantur toti, & dependenter ab illo, non proprium esse cuique tribuendo: idem est autem, quòd vna existentia dependeat ab altera, vt reddat rem existentem, & quòd entitas ipsa non habeat existentiam propriam, sed ab alterius existentia sibi communicata dependeat.

Ad tertiam instantiam, quòd materia corrumperetur, & generaretur quoties mutaret formas. *Respondetur*, materiam non corrumpi, nec generari per se, in quantum entitas potentialis est, sed per accidens, quantum ad priuationem, & esse communicatum quod habet, de quo 1.Physic.cap vltimo, & ibi Diuus Thomas lect. vltima, & 8. Metaphysic. lect. 1. dicit: *Quòd nec materia, nec forma generatur, aut corrumpitur, nisi per accidens.* Simpliciter autem non dicitur corrumpi aliquid per hoc, quod amittit vnū esse, si illi succedit aliud, æquè benè illud conseruans, & supplens, sed solùm quando destruitur esse, quod habet, & aliud non succedit sicut si aliqua natura subsistens assumatur à Deo destruendo eius subsistentiam, & consequenter existentiam, quæ subsistentiæ est annexa, non dicetur natura illa simpliciter corrumpi, sed solùm secundùm quid, & quantum ad modum proprium existendi, sicut nec corrumpitur accidens per hoc, quòd separatum sustentetur, licèt modum inhærentiæ amittat. Corruptio autem secundùm quid, & per accidens non est inconueniens, quòd attribuatur materiæ.

Ad reliquas instantias, in argumento insinuatas, breuiter respondetur. Ad primam, quòd si annihilaretur materia manente formâ, diceretur in forma manente esse materiæ: non tamen applicatum, & communicatum materiæ, sicut in anima separata, & ex defectu istius communicationis, non dicitur materia existere. *Ad secundam dicitur*, quòd materia causando formam materialiter, causat consequenter suum esse materialiter, & recipiendo illud, quod nullum est inconueniens s sic enim recipiendo esse non tam causat, quàm causatur, solùm autem actiuè non potest aliquid causare suum esse. Non enim est inconueniens, quòd causæ ad inuicem sint causæ, vt dicimus quæst.9. & ita forma causat materiam, & materia formam. *Ad tertiam* iam dictum est supra, quòd causa materialis, licèt existendo causet, non tamen ratione existentiæ, & sic semper existit concomitanter, non tamen pro omni prioritate, & antecedentia causalitatis suæ sicut causa efficiens, quæ causat existendo, sed est prioritas tendendi ad esse, & recipiendi esse, & sic est causa realis, realitate potentiæ recipientis esse, non realitate proprij, & peculiaris esse, seu existentiæ. *Ad vltimam respon.* quòd sicut ipsa substantia animæ rationalis spiritualis est in se, & tamen informat materiam corporalem, quia formaliter eminenter habet gradus corporales, & sicut subsistentia Diuina, cùm spiritualis sit, terminare potest naturam corpoream, & supplere vices subsistentiæ corporeæ, ita non repugnat quòd anima communicet materiæ mediante informatione sui, existentiam quam habet, non omni modo quo habet, sed vt virtualiter est corporea, sicut dicit D.Th. in quæst. de anima, art. 1. ad 17. & 1.3. *Quòd materia participat esse animæ rationalis, sed non omni modo, quo est in animo.*

Restabat inquirere, an possit materia prima habebere simul plures formas? sed de hoc in secundo libro dicemus tractando, an possit vnus effectus à duplici causa totali pendere?

ARTICVLVS IV.

Explicantur propriæ conditiones materiæ primæ.

AD quinque conditiones possunt reuocari omnes conditiones materiæ, scilicet, *Potentia, Appetitus, Ingenerabilitas, Vnitas, Differentia vnius materiæ ab aliâ.* Nam vnio, quæ videtur esse conditio materiæ, non est propria ipsius, sed communis etiam formæ, nec tam pertinet ad ipsam materiam, quàm ad eius applicationem ad componendum totum. De illa igitur agemus q.6. agendo de Composito.

Potentia materiæ.

PLura egimus de potentia materiæ art. 2. ostendendo; quomodo sit pura potentia, non solum per exclusionem actus formalis, sed etiam actus entitatiui? Ex quo sequitur, quòd potentia materiæ sit purè passiua, & nullo modo actiua: tùm quia caret omni actu primo, qui est forma, & consequenter omni actiuitate, actiuitas enim est actus primus, id est virtus ad agendum; tum quia caret actu secundo ex se, qui est existentia, sine qua tanquam sine conditione nulla virtus actiua operatur actiuè, seu effectiuè. Vndè malè aliqui attribuunt materiæ actum effectiuum, & contra Aristotelem, prim. de generatione, textu 55. & secundo libro text. 53.

Addimus in præsenti, materiam primam non constitui in ratione potentiæ per aliquid sibi superad-

ditum

ditum, ſed per ipſam ſuam entitatem, vt expreſsè docet Diu. Tho. 1. Phyſ. lect. 15.

Et ratio eſt, quia potentia materiæ eſt ad eſſe, non ad operari, ſiue illud eſſe quod recipit ſit tantum eſſe formale, ſiue ſit etiam eſſe entitatiuum, vt diximus. Imò ſi ipſa entitas ſubſtantiæ, vel materiæ non eſſet immediatè receptiua alicuius, ſed ſemper mediante aliquo reciperet, ita quòd etiam ipſum medium non immediatè reciperetur, daretur proceſſus in infinitum. Nec iſta potentia amittitur adueniente actu, ſed perficitur, licèt potentialitas amittatur, id eſt deficientia actus, hoc enim potentialitas ſonat.

Sed obiicies, nam ex materia dimanat quantitas, & ſimiliter aliquæ relationes ei conuenire poſſunt, & ab ea tanquam à fundamento dimanare, ſicut eſt relatio ad formam, quæ reddit illam in ſuo genere bonam: ergo habet aliquam vim effectiuam, ſcilicet ad dimanationem quantitatis, neque materia eſt omnino pura potentia, ſiquidem habet aliquam relationem in actu.

Reſpondetur, quòd dato, quòd aliqua ex iſtis accidentibus dimanarent à materia, adhuc non ſupponeretur in ea aliqua actiuitas & vis effectiua, quia dimanatio non eſt actio propriè loquendo, & formaliter, ſed ſolum identicè quatenùs actio quæ producit immediatè ſubſtantiam, mediatè attingit paſſiones, vt coordinatas, & dependentes à ſubſtantia. Vnde in actione productiua paſſionum ipſe ordo ad ſubſtantiam, vt immediatè productam, ſeu connexio ipſa paſſionis productæ cum ſubſtantia, dimanatio dicitur, & ita nudæ ſubſtantiæ conuenire poteſt, cùm tamen nuda ſubſtantia effectiuè operari non poſſit, vt latius dicemus infra q. 12. Veritas tamē eſt, quòd quantitas non dimanat à ſola materia, ſed etiam à forma, cùm ex diuerſa forma diuerſa quantitas conueniat ſubiecto, ſed dicitur ſequi materiam, quia quantitas eſt accidens maximè materiale, & conſecutum ad ſubſtantiam ratione infimi gradus, qui eſt gradus corporeitatis, qui maximè accedit ad materiam, & quia nullo modo eſt accidens actiuum, ſed paſſiuum. Quod verò dicitur de relatione; *Reſpondetur*, relationem iſtam tranſcendentaliter ſumptam, non eſſe aliud, quàm ipſam potentiam entitatiuam materiæ: ſumpta autem prædicamentaliter ſolùm conuenit materiæ, vt ſubeſt formæ, ſolùm enim poteſt reſpicere formam exiſtentem: forma autem non exiſtit niſi in materia, aut ſi exiſtit per ſe, non informat, niſi in materia, & ſic non fundatur relatio prædicamentalis in materia ſeorſim à forma, ſeo vt exiſtente ſub forma; materia autem vt informata bene poteſt fundare, & habere relationem in actu, quia ſic iam non eſt pura potentia, ſed potentia informata; dicitur autem materia eſſe bona bonitate ordinis ad formam, non formalitate actus, quem habeat in ſe, vt ſuprà diximus.

Appetitus Materiæ.

DVo poſſumus conſiderare in appetitu materiæ. *Primum*, quid ſit? *Secundum*, ad quid ſit, & ad quæ ſe extendat? *Quantum ad primum* ſupponenda eſt illa vulgaris diſtinctio *appetitus innati, & eliciti*; primus eſt appetitus ab ipſa natura ortus, ſine media cognitione, vt in lapide pondus ad centrum; elicitus eſt, qui procedit ab aliquo mediante cognitione, ſicut cùm animal appetit cibum, vel potum: quòd ſi appetitus iſte oriatur ex cognitione intellectiua, dicitur appetitus rationalis, ſeu voluntas, & ſi vlterius ſequatur ad cognitionem proponentem obiectum cum indifferentia non adſtringente, neque coarctante tantùm ad vnum erit appetitus liber. Vnde aliud eſt appetitus innatus, qui eſt ſine cognitione, & opponitur elicito, aliud naturalis, ſeu neceſſarius, qui opponitur libero & poteſt eſſe elicitus. Pertinet autem ad appetitum tendere ad rem, quando caret illâ, & quieſcere in re, quando habet illam, vt S. Thom. dicit 1. p q. 19. art. 1. ſed tamen propriè ſit denominatio appetitus ab illo primo actu, quando tenditur in rem non habitam; rem enim quam habemus, non dicimur tantum appetere, ſed frui, quod eſt aliquid pluſquàm nude appetere.

Dicimus ergo, quòd appetitus materiæ eſt appetitus innatus, qui non diſtinguitur ab eius entitate. Conſtat hoc ex Philoſopho primo Phyſicorum, text. 18. quem ibi declarat Diu. Thom contra Auicenn. lectione 15. *Nihil*, inquit, *eſt aliud materiam appetere formam, quàm eam ordinari ad formam, ideò ineſt ei ſemper appetitus formæ, non propter faſtidium formæ quam habet, nec propter hoc quòd quærat contraria eſſe ſimul, ſed quia eſt in potentia ad alias formas, dum vnam habet actu.* Videri etiam poteſt prima p. quæſt. 59. articulo ſecundo, vbi inquit, *Quòd inclinatio quæ eſt ad eſſe rei non eſt per aliquid ſuperadditum eſſentiæ, ſed per matricem, quæ appetit eſſe antequam habeat, & per formam, quæ tenet rem in eſſe, poſtquam fuerit. Ratio autem eſt*, quia appetitus naturalis non eſt neceſſe quòd ſit aliquis actus, vel impetus actiuus ad aliquid, ſed ſolum habitudo, & ordo ad ſibi conueniens: maximè autem materiæ eſt conueniens forma, per quam perficitur, & actuatur: ergo ordo & habitudo ad formam, maximè eſt inclinatio connaturalis materiæ. *Quod autem dici ſolet*, quòd inclinatio ſequitur formam, vt inquit Diuus Thomas prima pate quæſtione 80. articulo primo, non tollit, quòd materia habeat inclinationem ad formam, quia non dicit quòd ad ſolam formam ſequitur inclinatio, & ita inquit, primo Phyſicorum. lect. 15. *Quòd non ſolum aliquod ens actu per virtutem actiuam, ſed etiam materia ſecundum quod in potentia, ordinatur in ſuum finem.*

Quoad ſecundum, ſcilicet ad quid ſe extendat appetitus materiæ, dicimus duo, *Primum eſt*, quòd reſpectu formarum corruptibilium, materia prima ſimpliciter appetit omnes, ſed non eodem modo; quædam enim formæ ſunt, quas nondum habuit, neque habet, ſed ſolum habere poteſt, & circa iſtas habet appetitum, quia habet capacitatem, & potentiam ad illas cum priuatione. Reſpectu verò formarum, quas de facto habet, etiam retinet appetitum, ſed non quidem per modum tendentiæ & deſiderij, ſed per modum poſſeſſionis, & quietis, quæ tamen non omnino ſatiata eſt, ſed adhuc retinet priuationem ad alias formas. Reſpectu verò formarum, quas habuit, & iam tranſierunt, remanet quidem in materia appetitus naturalis, quantùm ad proportionem inter ipſam materiam, & tales formas ſecundùm ſe, non tamen quoad executionem & reſpectiuè ad agens, à quo educenda eſt forma, & ita habet appetitum ad formam; non ad eductionem illius, quia ad præteritum non eſt potentia: omnis enim appetitus cum ſit ad aliquem finem, & bonum quod intendit, fundat ordinem intentionis, & executionis, & intentio quidem ſolum pendet ex proportione inter ipſum appetitum, ſeu inclinationem, & entitatem formæ, at verò aſſecutio non ſolum dependet à proportione appetitus, ſed etiam ab efficacia, & actiuitate agentis. Ad formam ergo amiſſam, & ſemel habitam remanet quidem eadem naturalis proportio inter materiam & formam, quæ antea erat cuius ſignum eſt,

est, quòd si per aliquam potentiam talis forma rursum ponatur in materia verè, & naturali modo componet cum illa. At verò secundo modo non remanet appetitus naturalis in materia ex defectu agentis potentis educere, vel applicare formam semel amissam, & sic intelligitur Diuus Thomas cùm docet prima parte quæstione 76. articulo primo ad 6. quòd in anima separata remanet inclinatio naturalis ad suum corpus, licèt talis inclinatio naturaliter consequi non possit.

Dicimus secundò, quòd materia appetit omnes formas sub vnica ratione formali, & hæc ratio in materia sublunari est, id in quo conueniunt omnes formæ corruptibiles, scilicet esse substantiale, corruptibile, & generabile. Et ita sumitur ex Diuo Thoma opusculo 15. capite 6. in fine, & prima parte quæstione 66. articulo secundo. Nec est putandum, quòd materia versatur circa vnam formam, quam primò, & per se appetat, & quæ in omni materia inuenitur, verbi gratia, formam corporeitatis, hoc enim improbat Sanctus Thomas citatis locis, quia materia solum appetit formas propter perfectionem, quam ab illis habet, & licèt à diuersis formis diuersæ perfectiones proueniant, tamen cùm materia sit capax omnium illarum, omnes illas dicitur appetere, & ab illis perfici, & ita appetit omnes, quatenùs conueniunt in modo perficiendi, & actuandi materiam, sicut visus recipit omnes colores, quatenùs conueniunt in vna ratione visibilis, & in vno modo immutandi potentiam, sic materia appetit omnes formas, in quantum conueniunt omnes in tali modo, & ratione informandi materiam, scilicet modo corruptibili.

Ex quo colligitur, quòd materia quantumcumque informetur ab aliqua forma perfecta, semper appetit alias, quia hic appetitus non est aliud, quàm ipsa naturalis capacitas materiæ ad formas, quæ tali modo, scilicet corruptibili, informare possunt, & licet vna forma sit perfectior alterâ, non tamen vna informat perfectiori modo, quàm alia, sed omnes eodem modo, scilicet corruptibili, & ideo finis, & perfectio materiæ non sistit in perfectione alicuius determinatæ formæ, sed in adæquatione, & collectione omnium. Vndè habitâ formâ perfectissimâ, melius est ipsi materiæ ad aliam transire quantumcumque viliorem, vt suam adæquationem impleat, quàm sub illa forma perfectissima manere, non implendo talem adæquationem, sicut visus, quantumcumque videat perfectissimum colorem, adhuc est in potentia ad videndum alios, quia ab omnibus eodem modo immutatur, & perficitur.

Nec tamen ex hoc inferas, dari in materia appetitum ad plures formas simul habendas, quia licèt ex parte subiecti simul detur appetitus omnium, non tamen ex parte obiecti ad habendas omnes simul, propter incompossibilitatem vnius formæ cum altera, & priuationem, quam vna habet adiunctam, alterius, sicuti in me est simul potentia ad standum, & sedendum, non tamen ad sedendum, & standum simul.

Ingenerabilitas, & incorruptibilitas materiæ.

De hac agit Philosophus primo Physicorum. textu 82. & ibi Diuus Thomas lectione 15. & prima part. quæstione 46. artic. 1. ad 3. Et potest explicari negatiuè, & positiuè. Negatiuè quidem, quatenus caret principiis generationis. Positiuè verò, quia actu habet aliquod esse ingenerabile, & incorruptibile.

Ex dictis autem artic. præced. constat, materiam solum dici ingenitam, & incorruptam negatiuè, quia caret subiecto, ex quò fiat, non positiuè propter aliquod esse perpetuum, quod habeat, cum non producatur in esse proprio, sed sub esse formæ, & dependenter ab illa. Ita sumitur ex D. Thom. citato loco, lect. 5. vbi ex Philosopho dicit: *Quòd materia quodammodo corrumpitur, & quodammodo non, quia secundum quod in ea est priuatio, sic corrumpitur, cum esset in ea priuatio; sicut si diceretur æs infiguratum corrumpi, quando desinit esse infiguratum; sed secundùm se in quantum est quoddam ens in potentia est ingenita, & incorruptibilis.* *Ratio est*, quia si fieret per generationem, fieret ex subiecto, subiectum autem generationis est materia: ergo si fieret per generationem: esset materia antequam fieret, vel fieret ex alia materia, & sic non esset prima, & de illa alia materia idem fieret argumentum, & sic, vel sistendum est in aliqua materia, quæ non generatur, vel est admittendus processus in infinitum in generationibus, quod perinde est ac tollere illas, imò si haberet aliquod esse incorruptibile, esset perfectior forma corruptibili amittente esse, & per corruptionem substantialem non fieret corruptio simpliciter, sed solum ex parte, maneret enim aliquod esse in materia totaliter incorruptibile.

Nec obstat, quòd materia creatur, creatio autem dat esse; materia enim potiùs concreatur, vt sæpè diximus, quia subiicitur communicationi formæ, & esse ipsius, tam illi sub qua creatur, quam reliquis, quæ illi succedunt, nec tamen propter hoc generatur materia, aut corrumpitur, quia mutat, & adquirit vnum esse post aliud, quia materia acquirit, & amittit esse tanquam subiectum, non tanquam terminus: generatio autem & corruptio solùm denominant terminum à quo, & ad quem, genitum & corruptum, non subiectum, quod sub tali successione diuersi esse, perseuerat idem, quia ipsa successio in diuerso esse, facit quod non amittatur totaliter esse, sed mutetur.

Ex quo deduces, quare compositum simpliciter denominetur corruptibile, licet materia sit incorruptibilis, & aliquando etiam forma vt in homine, & tamen simpliciter denominetur materiale à materia; hoc enim ideò est, quia compositum non denominatur à partibus seorsim sumptis, sed à coniunctione earum, & ab esse quod ex illis resultat, & quia ipsa coniunctio fit modo corruptibili, & dependenti à materia, simpliciter denominatur compositum materiale, propter istam dependentiam & corruptibile propter illam coniunctionem.

Vnitas, & differentia materiæ.

De vnitate, & diuersitate numerica materiæ non agimus in præsenti. Constat enim diuidi materiam, sicut diuiduntur ipsæ res compositæ; quomodo autem diuisio ista numerica originetur à materia signata quantitate, in libris de generatione disquiretur.

De specifica autem vnitate, & diuersitate materiæ duo sunt, quæ indigent discussione. *Primum*, an re vera differant specie materia cœlestis, & sublunaris? *Secundum*, vtrùm materia prima sit positiua, vel negatiua? *De primo* agemus in Libris de cœlo, & pro nunc suppono tanquam probabilius,

lius, quòd materia cœlestis, & sublunaris specie differunt, ita quòd materia cœli non est in potentia ad formas istas inferiores nec è conuerso, quod tenet Diuus Thomas prima parte, quæstione sexagesima sexta, artic. secundo & opusc. decimo quinto, cap.7. & opusc. quadragesimo quarto & decimo quinto. Et hoc ideò, probabilius est cœlum, ex intrinsecâ suâ naturâ esse incorruptibile, & non ex aliquo extrinseco supernaturali, vt corpora gloriosa; si autem materia ipsius esset eiusdem speciei cum nostra, necessariò esset in potentia ad formas istas inferiores, & quandiu est sub forma cœli, esset priuata istis inferioribus, & sub forma vnius cœli priuatâ formâ alterius cœli; hæc autem est dispositio corporis corruptibilis; ex hoc enim quòd materia est priuata forma substantiali, quam potest habere, de se tendit ad illam, nec est connaturaliter, si impediatur perpetuò habere illam: ergo compositum constans ex materia capaci aliarum formarum, habet in se principium corruptionis, scilicet materiam priuatâ formâ. Nec per formam quantumcumque perfectam tollitur ista priuatio, quia nec tollitur capacitas materiæ ad formam priuatam, neque forma ipsa, quâ priuata est, habetur; manet ergo illius. Et dato quòd forma cœlestis propter suam eminentiam supra formas corruptibiles satiaret totam potentiam materiæ, adhuc non tollebat principium corruptionis, quia non tollebat potentiam ad formas aliorum cœlorum, quæ distinguuntur specie, nec vnam eminenter continet aliam, sicut istas inferiores, & consequenter posset transmutari vnum cœlum in aliud. Vt ergo cœlum sit ab extrinseco, & connaturaliter incorruptibile, exigit materiam incapacem aliarum formarum.

Circa secundum, an illa vnitas, vel diuersitas specifica sit positiua, vel negatiua; qui sentiunt materiam primam de se includere aliquem actum saltem entitatiuum; consequenter vnitatem, & diuersitatem positiuam ponunt in materia. Cæterùm D. Thom. qui omnem actum negat materiæ antecedenter ad omnem formam, solum ponit materiam esse vnam negatiuè, id est per hoc quod caret omni actu distinguente, vt constat ex opusculo 31. §. primo, post medium, & prima parte, quæstione decima sexta, artic. septimo ad 2. Distinctio autem seu diuersitas conuenit materiæ ex ipso ordine ad diuersam formam, seu actum; nec enim alio modo ponitur aliquis actus in materia, nisi in potentia, & secundum ordinem ad talem actum, non quòd ipsa actu sit diuisa, vel vna, aut habens in se actum, vt prox. articulis ostensum est; vndè dixit Diuus Thomas opusculo 45. circa finem: Infirmari rationem, quâ ostendit Philosophus in 5. Phys. *Generationem non esse motum, quia non est in subiecto in actu, si materia sit ens in actu saltem incompletè.*

Sed inquires. Si materia ex se non habet speciem aliquam determinatam, sed reducitur ad speciem illius formæ à qua informatur, quomodo potest vna, & eadem entitas tot species mutare quot formas, vt modò reducatur ad vnam, modò ad aliam? *Respondetur.* Materiam semper habere eadem speciem intrinsecam, scilicet esse potentiam susceptiuam, huius vel illius formæ, quæ est talis, vel talis speciei; & ita in quocumque; composito inuenitur, reducitur ad eius speciem, sicut pars potentialis illius, & constituens eam ex parte potentiæ. Rationem verò illius speciei in actu solum participat denominatiuè denominatione formæ informantis, non participatione intrinsecâ; sic enim mutaretur materia entitatiuè, & non solum informatiuè, & sic etiam mediante tali informatione participat determinatam existentiam formæ, seu potius existentiam illam; quæ per formam conuenit composito, sicut & participat actuationem formalem ex vnione ad formam, & sic D.Th.7. Metaphys. lect.2. explicans dictum Philosophi, quòd materia neque est quid, id est substantia, neque quale, neque quantum, inquit, *Quod non est intelligendum, quòd substantia actu existens prædicetur de materia prædicatione vniuocâ, sine quæ est per essentiam*; tam enim supra dixerat, *Quòd materia non est quid, neque aliquid aliorum, sed intelligendum est de prædicatione denominatiuâ, per quem modum accidentia de substantia prædicantur: sicut enim hæc est vera: Homo est albus non autem hæc: Homo est albedo, vel humanitas est albedo, ita hæc est vera: Hoc materiatum est homo: non autem hæc: Materia est homo, vel materia est humanitas*; ita D.Thom.

Quare tota vnitas, vel diuersitas materiæ conuenit ei secundum ordinem ad formam, cuius est potentia susceptiua, qui ordo non est aliquid actu susceptiua, qui ordo non est aliquid actu superueniens materiæ, eique conueniens præter ipsam potentiam materiæ, & ita conuenit illi sicut potentia ipsa, quod est ex se solum habere speciem potentialem. Quòd si diuerso modo materiæ respiciant formas, quia vna respicit modo amissibili & corruptibili, alia incorruptibili, quia solùm vnius formæ est capax distinguentur specie illæ materiæ, sicut cœlestis, & sublunaris ratione diuersi ordinis ad formas, non ratione diuersæ actualitatis quam habeant. Et sic etiam verificatur in istis materiis; quod actus est qui distinguit, scilicet terminatiuè, & extrinsecè propter diuersos ordines ad diuersos actus. Remotâ autem omni formâ, remanet solùm in materia vnitas negatiua per hoc, quod caret omni formâ distinguente.

QVÆSTIO IV.

De formâ, quæ est principium entis naturalis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit forma, & quomodò contineatur in potentia materiæ, & educatur ex illa?

FORMA in tota sua latitudine, prout comprehendit essentialem, & accidentalem, intrinsecam, & extrinsecā definiri solet, quòd est *actus dans esse rei.* In 5. autem Metaphys. text.2. definitur causa formalis, *quod est species, & exemplar,* vbi definitur forma intrinseca, & extrinseca, vt ibi notat D.Th.lect.2. Dicitur enim forma intrinseca species rei; extrinseca autem ad cuius similitudinem aliquid fit, dicitur exemplar. In 2. autem de Anima, text.2. definit Philosophus formam, per hoc, quòd sit actus, dicens: *Quòd materia quidem est potentia, species autem endelechia,* idest *forma.* Et actum diuidit ibi in primum & secundum. Primus actus, sicut qui habet

bet habitum, ſcientiæ. Secundus, ſicut ipſe vſus & actus talis habitus. Diſtinguit autem Diu. Thom. ibi, lect. 2. formam ſubſtantialem ab accidentali penes effectus, quia forma ſubſtantialis eſt quæ facit eſſe in actu ſimpliciter, forma autem accidentalis, quæ aduenit ſubiecto exiſtenti in actu. Poteſt etiam breuius definiri forma ſubſtantialis, quòd eſt *actus primus materiæ primæ*, vel quod eſt *actus primus, ex quo fit vnum per ſe, & non ſecundum accidens.* In hoc enim quod dicitur actus primus materiæ, excluditur omnis actus accidentalis, quia nullum accidens poteſt eſſe primus actus materiæ, nec conſtituere vnum per ſe. At verò actus ſecundus dicitur actus vltimus, ad quem forma ordinatur; & eſt duplex, alter in eſſendo, alter in operando: forma enim per actualitatem ſuam eſt principium eſſendi, & operandi, & in eſſendo correſpondet ei exiſtentia, tanquam actus vltimus; & dicitur vltimus, tum quia omnis actio, & motus in eâ ſiſtit & terminatur, acquiſito enim eſſe ceſſat motus, tum quia exiſtentia non eſt actus conſtituens rem, ſed conſtitutam ſupponens, eámque extra cauſas ponens. In operando autem dicitur actus ſecundus ipſa operatio, eò quòd reducit in actum ipſam virtutem, quæ eſt actus primus tanquam executio eius.

Vt autem videamus, quomodo forma ſubſtantialis (de quâ ſolum agimus in præſenti, quia ſola eſt principium entis naturalis) contineatur in materia, & ex illa educatur per generationem? Oportet ſupponere ex Philoſopho, quòd detur talis forma diſtincta à materia, quod contra antiquos Philoſophos deduxit Ariſtoteles, ex ipſa generatione ſubſtantiali, quæ diſtinguitur ab alteratione, vt probatur in 1. de generatione. Videmus enim res aliquas ſubſtantialiter incipere, & alias ſubſtantialiter deſinere, quando enim comburitur lignum tota ſpecies, & natura ligni ſoluitur, & ſubſtantialiter natura ignis generatur. Hæc autem tranſmutatio non poteſt eſſe totalis conuerſio vnius entitatis in aliam, ſic enim agens naturale non ſolùm mutaret formam in aliquo ſubiecto, ſed etiam ipſum ſubiectum talis formæ mutaret in aliud, vel potius vnicam entitatem totaliter corrumperet, & aliam totaliter produceret: hanc ergo totalem entitatem, vel produceret ex aliquo ſubiecto, vel non; ex nullo ſubiecto non poteſt producere, quia ex nihilo nihil fit, niſi per creationem, quod non pertinet ad agentia creata; ſi autem ex aliquo ſubiecto producit, illud debet eſſe commune genito, & corrupto, quia ſi non eſt commune, nihil de corrupto manebit in genito & ſic ex nullo ſubiecto fiet, quia ſubiectum totaliter deſinit. Nec *dici poteſt*, quòd res ipſa, quæ deſinit, ſit ſubiectum, quatenùs præcedit, & tranſmutatur in genitum, res enim quæ corrumpitur, & deſinit, ſolùm eſt terminus à quo; eſt enim id, quod relinquitur & amittitur: ſubiectum autem eſt id, quod recipit, non quod amittitur: ergo vt ſaluemus, quòd aliquid fiat de nouo ſubſtantialiter, & non fiat ex nihilo, ſeu ex ſolo termino à quo, ſed ex aliquo, oportet diſtinguere formam ſubſtantialem, quâ aliquid tranſmutatur de nõ eſſe ad eſſe ſubſtantiale, à materia, ſeu ſubiecto, quod tranſmutatur per illam.

Quòd ſi recurratur ad opinionem antiquorum, qui dicebant, formas latitare in materia exiſtendo ibi in actu, ſed tamen per generationem apparere, non produci; vel ſecundò, quòd forma non eſt aliquid diſtinctum à materia, ſed extenſio quædam, & explicatio maior ipſius. *Contra primum inſtatur*, quia re verâ tollit veram generationem ſubſtantialem, quia tunc generatio non conſtitueret ipſum eſſe, neque producendo formam, neque coniungendo materiæ, vt compoſitum fiat ſi ſic formæ latitant in materia. Nam vel latitant vt vnitæ materiæ, vel independenter à materia. Hoc ſecundum dici non poteſt, ſic enim illæ formæ potiùs eſſent ſeparatæ à materia cùm exiſterent actu ſine vnione & dependentiâ à materia: ſi autem ſunt vnitæ materiæ, ergo iam eſt conſtitutum compoſitum, & ſic generatio neque producit formam in eſſe, neque conſtituit compoſitum, & ſic nihil ſubſtantiale facit, quod eſt tollere generationem ſubſtantialem, & ponere infinitas formas in actu in ipſa materia, omnes ſcilicet quarum eſt capax. *Contra ſecundum verò inſtatur*, quia illa extenſio, vel eſt per additionem nouæ entitatis actualis, quæ antea non erat in materia, niſi in potentia, vel eſt ſolum explicatio potentialis, vel eſt apparentia eius, quod anteà latitabat, ita quod de nouo non fit aliqua forma, ſed quæ latebat, apparet & explicatur. Hoc tertium incidit in ſententiam impugnatam, ſecundum vero nihil dicit, quia non ponit illa extenſio aliquid in actu, quod antea non eſſet, ſed relinquit totum in potentia: dicitur enim illa extenſio materiæ non actualis, ſed potentialis, atque adeo non magis extendit ipſam potentiam materiæ, quàm ipſa ſe extendat potentialiter. Primum vero ponit formam diſtinctam à materia, & ſic ſiue vocet explicationem, ſiue extenſionem, idem eſt quod forma ipſa actualis, quæ educitur è materia, cum illa explicatio, ſeu extenſio materiæ fiat per diſtinctam entitatem actualem. Quare generatio ſubſtantialis ſtare non poteſt ſine eo, quòd forma ſubſtantialis diſtinguatur à materia.

Ex his explicare poſſumus, quid ſit formam contineri in materia, & quid ex illa educi. *Ad primum enim dicimus* ex Diuo Thoma 1. part. quæſt. 90. art. 2. ad 2. & quæſt. 45. art. 8. & quæſt. de ſpiritualibus creaturis artic. 2. ad 8. & 2. contra Gentiles, cap. 86. quod contineri in potentia materiæ, ſicut & in potentia cauſæ efficientis, non dicit aliquid actuale ex parte rei contentæ, ſicut aqua continetur in vaſe, aut panis in arca: quod enim continetur in aliquo, tanquam exiſtens actu in illo, non poteſt in illo, vel ab illo produci, ſed ſupponitur exiſtens, & vnitum illi, in quo continetur, & ſic neque ipſum producitur, neque compoſitum, quod ex tali vnione reſultat: ſolùm ergo poteſt contineri obiectiuè, non ſubiectiuè in tali potentiâ, à qua poteſt educi, ſi ſit materia, vel produci, ſi ſit efficiens, & quando ponitur in rerum natura, ponitur vt dependens ab illo in cuius potentia continetur. Vel ſecundò ſpecialiter continetur forma in materia ratione inclinationis, & proportionis materiæ ad formam; nam vt materia, ſeu cauſa aliqua continere dicatur aliquẽ effectum, ille debet eſſe intra ſphæram talis cauſæ, & intra extenſionem talis virtutis. Virtus autem alicuius ſolũ extenditur ad illud, ad quod habet naturalem proportionem, quod enim eſt alicui improportionatum, extra ſphæram illius eſt, nec in eius potentia & virtute continetur.

Ad ſecundum, ſcilicet ad eductionem formæ à materia, tres conditiones requiruntur. *Prima*, quòd forma pendeat in ſuo eſſe, & fieri à ſubiecto, à quo educitur. *Secunda*, quòd talis potentia, ſeu ſubiectum ſit connaturale, & proportionatum tali formæ, & forma illi, alioquin non continebitur in eius potentia, & ſic in ea non continetur, nec ab illa educitur. *Tertia*, quòd forma non veniat ab extrinſeco, ſed naſcatur ex ipſa materia, id eſt per eius tranſmutationem fiat, quâ reducitur ma-

teria de potentia in actum. De his conditionibus plenius agetur sequenti articulo. Et interim sufficit videre Diuum Thomam citato loco de spiritualibus creaturis, art. 2. ad 8. vbi inquit, *Quòd fieri formarum non subsistentium est secundum quod materia, vel subiectum reducitur de potentia in actum, & hoc est formam educi de potentia materiæ absque additione alicuius extrinseci.* Vbi sensus est, quod eductio non fit per hoc, quod aliqua forma ab extra superaddatur materiæ, sed per eius transmutationem innascatur in ipsa materia, & 1. part. quæstione 90. articulo secundo ad 2. dicit: *Quòd actum extrahi de potentia materiæ, nihil aliud est quàm aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia.* Et sic eductio est productio quædam transmutatiua, quæ dicit ordinem ad duplicem causam, scilicet ad efficientem, à qua est, & ad materialem, ex qua est, & quâ innascitur, & habet esse, & sic supponit proportionem in ipso subiecto, à quo dependet & causatur. Productio verò creatiua solùm dicit ordinem ad causam efficientem, non ad materialem.

Sed inquires. An eductio sicut formaliter est productiua ex aliquo, ita sit formaliter vnitiua, & sicut postulat formam recipi in materia, hoc est dependere, ita & vniri? *Respondetur*, aliquos tenere, quod in forma aliud est educi, aliud vniri; educitur enim, quia recipitur in maeeria vtique eadem actione quâ fit, quia producitur dependenter à materia, non tamen eadem actione vnitur vt patet in anima rationali, cuius productio distinguitur ab actione vnitiua; si enim propterea forma educitur, quia vnitur materiæ; anima rationalis educeretur, quia vnitur. *Cæterùm hæc responsio mouetur ex leuissimo fundamento*: stat enim benè, quòd omnis eductio sit vnitio, quia sine illa non potest intelligi eductio, non tamen quod è contra omnis vnitio sit eductio, quia latiùs patet vnire: quàm educere, sicut vnitur anima rationalis, & non educitur, & Verbum vnitur humanitati, & non educitur. At verò omnis eductio necessariò vnitio est quia eductio est productio rei dependentis à materia, & ipsum educi formam, est fieri dependentem, non dependet autem duplici dependentia, altera per vnionem, altera per receptionem, quia non est duplex causalitas in materia respectu formæ: ergo vnica dependentia sufficit, sed per vnionem quam habet, forma materialis dependet à materia: vnitur enim forma materialis vt dependens, quia vnitur materiæ, vt indigens illa ad essendum, & anima rationalis, vt indigens illa ad componendum totum, & informandum materiam: ergo per talem vnionem dependentiæ coniungitur vtraque forma, licèt non æquè dependeat, & sic neque æquè respiciatur. Et præterea eductio formæ non est actio faciens solam formam, sed ipsum totum, qui est terminus adæquatus, & vt *quod* talis actionis, calefactio enim est eductio caloris, & generatio equi eductio formæ equi, & tamen calefactio non facit calorem, sed calidum, & generatio equi facit æquum, vt *quod*, sed non fit calidum, vel equus, nisi vniendo partes, ex quibus constat illud totum, ergo non stat, quod detur eductio formæ, & quòd ipsa eductio non sit vnitio, sicut est productio totius; plura de his dicemus infra q. 6. & q. 10.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, quia si formam educi est extrahi è potentia materiæ, non autem præexistere in actu, simpliciter ex nihilo fiet, & quando corrumpitur, annihilabatur. *Patet consequentia*, quia præesse in potentia materiæ, non est præesse in actu, quod autem non est in actu simpliciter, est nihil: ergo idem est fieri ex potentia materiæ, quòd fieri ex nihilo *Confirm.* quia si Deus modo annihilaret formam per suspensionem concursus, non annihilatũ materiã, tam nihil manet illa forma quàm modò quando corrumpitur, quia in vtroque casu nihil realitatis in actu manet in forma, sed omnino desinit esse, & in vtroque casu manet in potentia materiæ, quia tam forma corrupta, quàm annihilata non potest ab agente naturali educi iterum, potest tamen ab agente supernaturali. *Et confirm.* 2. quia forma nõ aliter continetur in materia, quàm in agente, quia in vtroque continetur obiectiuè, vt nihil in se, sex ex eo, quod aliquid contineatur obiectiuè in efficiente, non tollitur quod fiat ex nihilo: ergo etiam ex eo quòd contineatur obiectiuè in materia, non tollitur quòd fiat ex nihilo, quia vtrobique, id est in efficiente & materia forma nihil est.

Respondetur, illo argumento fuisse conuictos antiquos Philosophos ad ponendum, quòd formæ latebant actu in materia. & non fiebant, quia ex nihilo nihil fit, & forma in potẽtia materiæ nihil est, & ex eadem radice processit opinio Auicennæ & aliorum, quòd formæ fiunt ex nihilo; sed non ab agente naturali, quod tantùm disponit materiam, sed ab agẽte extrinseco, sicut anima rationalis, vt S. Thom. refert. 1. p. q. 45. art. 8. & q. 3. de potentia, artic. 8. Sed tamen *respondet Diu. Thom.* quòd formæ in materia non sunt purum nihil, sed sunt in potentia, ens autem in potentia non est purum nihil, & consequenter formæ in potentia materiæ, licèt in se nihil sint, dicuntur tamen manere in potentia, & non purè annihilari, quia manent in aliquo sui, id est, in materia capaci sui. *Et quando instatur*, ergo formæ fiunt ex nihilo quia nihil sunt in materia, *distinguo*; ex nihilo sui, *concedo*; ex nihilo materiæ, *nego*: quando autem dicitur res fieri ex nihilo, ly *ex nihilo*, designat carentiam materiæ, vt dicit S. Thom. 3. de Potent. art. 8. ad 4. quòd vero terminus, qui fit, in se sit nihil, omnino necessarium est, aliàs de nouo non fieret. Et eodem modo, quando corrumpitur, redit in nihil ex parte termini à quo, sed manet in aliquo sui, id est, in materia, in quâ est in potentia, & similiter ex parte termini, ad quem non terminatur in nihil, sed in aliquid, id est, in formam productam, in quam fit mutatio: requiritur autem ad annihilationem, vt terminetur in nihil, ratione cuius nec ipsa desitio panis in Eucharistia est annihilatio, quia eius terminus ad quem non est nihil, sed corpus Christi, vt aduertit S. Thom. quodlib. 5. art. 11.

Ad primam confirmationem respondetur; quòd annihilatio propriè opponitur creationi, & sicut creatio propriè solum est rerum subsistentium, vt S. Thom. docet 1. p. q. 45. art. 4. ita & annihilatio propriè solum est subsistentium, sed tamen sicut aliquando res non subsistentes fiunt creatione, non vt creatæ, sed vt concreatæ, & tunc idem fit per creationem, quam per eductionem, licet ex parte modi diuerso modo fiat, ita contingit, quòd forma vel aliqua res non subsistens annihilatione desinat, si suspendatur concursus, qui præcisè tangebat rem non subsistentem, & tamen non erit annihilatio simpliciter, sed secundùm quid, quia licèt dicatur annihilatio ex parte modi, quia fit per suspensionem concursus, non tamen est annihilatio ex parte entis corrupti, quia non decidit in purum nihil, sed manet in potentia materiæ, si forma cuius concursus suspenditur, sit materialis.

Ad secundam confirmationem respondetur, formam contineri in causa efficienti, & materiali obiectiuè; sed

sed in agente, tanquam in aliquo actiuo, in materia, tanquam in aliquo passiuo, & si solum continentur in agente, & non in materia, dicuntur purè obiectiuè, & tanquam purum nihil contineri, quia continentur vt nihil in se, & ex nihilo producendæ: si tamen contineantur etiam in materia, non dicuntur contineri in purum nihil, quia licet in se nihil sint, non tamen sunt ex nihilo producendæ, sed ex aliquo subiecto, & ratione hujus dicuntur contineri in potentia, scil. subiecti.

Secundò arguitur: nam materia est magis substantia, quàm forma, vtpotè, quæ simpliciter substat, & sustentat formam; forma autem materialis non habet sustentare se nec alia, ergo non est substantialis, nec aliquo modo differt ab accidentali. *Confirmatur*, quia forma substantialis est dependens in suo esse à materia sustentante, ergo talis dependentia non differt à dependentia accidentis per inhærentiam, hæc enim non est aliud, quàm dependentia formæ in suo esse à subiecto sustentante illam in tali esse, forma autem quam dicimus substantialem, etiam dependet à materia existēte, & sustentante illam in esse; ergo in nullo differt ista dependentia ab inhærentia formæ.

Respondetur, materiam non esse magis substantiam, quam formā ex parte actualitatis, & perfectionis in esse, sed ex parte receptionis, & potentialitatis, ratione cuius reddit formam & substantiam incōmunicabilem: hoc autem non est magis substare simpliciter, & in actu, sicut substat compositum seu indiuiduum substantiæ, sed esse magis principium substādi ex parte potentialitatis, & incōmunicabilitatis. Qui autē & dicunt materiam sine forma esse ens in actu substans & subsistens, difficilè possunt saluare, quòd forma sit magis substantia quàm materia. *Ad confir. respond.* dependentiam formæ substantialis à materia non esse inhærentiam, quia non supponit esse simpliciter in subiecto recipiente, & sustētante, sed forma substantialis coniungitur materiæ ad constituendum esse simpliciter. Quare inhærentia est dependētia formæ à subiecto sustentante simpliciter in esse, forma autem substantialis recipitur in materia, non tamen inhæret, quia vnitur illi ad constituendum esse simpliciter seu substantiale, non vt sustentetur in esse secundùm quid, quod est inhærere.

ARTICVLVS II.

Quæ formæ educantur de potentia materiæ?

FOrmæ educibiles è materia aliæ sunt substantiales, aliæ accidentales: illæ respiciunt materiam primam, istæ subiectum completum & constitutum in actu. Formæ accidentales sunt in triplici ordine, scil. naturales, artificiales, & supernaturales. Formæ substantiales sunt etiam in triplici ordine, scil. forma subsistens, vt anima rationalis, forma rerum incorruptibilium, vt cœlestis, & forma corruptibilis.

De his omnibus inquirimus, quomodo educantur de potentia materiæ, id est, quomodo seruentur in illis, tres illæ conditiones supra positæ, quæ requiruntur ad eductionem.

De forma rationali.

TAm certum est, animam rationalem non educi de potentia materiæ, sicut est certum, animam non esse corruptibilem, sed sine corpore posse subsistere, quod vtique est de fide, & constat ratione naturali, quia aliqua eius operatio est spiritualis, & independens à corpore, scil. intelligere, attingit enim res spirituales aliquo modo, & res corporales spirituali modo, id est abstrahendo à singularibus, & cognoscendo modò vniuersali, & consequenter eius esse necessariò est spirituale, & independens à corpore, nam operatio sequitur esse. Ex quo fit deesse illi conditionem requisitam ad eductionem, scil. dependentia in esse à materia, vt intra illam dicatur contineri, & per illius transmutationem educi.

Sed obiicies, anima rationalis in quantum vegetatiua, & sensitiua habet operationes dependentes à materia, vt nutritio, generatio, &c. ergo in quantum vegetatiua, & sensitiua non potest creari, sed à materia educi, quia ab illa dependet in operari, & consequenter in esse. *Confirmatur*, quia creari est simpliciter fieri ex nihilo, anima autem rationalis fit ex aliquo præsupposito, quia non creatur in esse, sed infunditur materiæ dispositæ, & ex vi dispositionum eius, quod sufficit, vt non dicatur creari; sicut è contra, vt aliquid non dicatur annihilari, sufficit quòd transeat in aliud, licet totaliter desinat in se, sicut contingit in pane, qui conuertitur in corpus Christ.

Respondetur, quòd operationes animæ vegetatiuæ & sensitiuæ dependent à corpore, non tamen earum principium, eò quòd non est principium illarum operationum tantùm, sed etiam alterius id est, intellectualis, quæ non dependet à corpore, vt autem sufficienter probetur, quòd forma non dependet in esse à materia, sufficit probare, quòd aliqua eius operatio non dependeat à corpore, sic enim esse eius absolutè non potest dependere; vt probetur, quòd aliqua forma dependet à materia, oportet ostendere, quòd omnis eius operatio dependeat à materia.

Ad confirmationem respondetur, formam rationalem creari in corpore, & præsupponere corpus, non tanquam id à quo dependet in esse, sed cui tribuit esse: vt autem non crearetur, requirebatur, quòd fieret dependenter in suo esse à corpore, cui infunditur, quantumcunque aliàs præsupponatur aliquid, non vt ex quo fiat, sed cui esse tribuat. Quod verò dicitur, panem non annihilare, quando conuertitur in corpus Christi, nō est ad rem, quia ibi licet totaliter desinat panis, non tamen desinit in nihil, sed in aliquid, id quod transit, at verò anima rationalis fit simpliciter ex nihilo, non ex aliquo; & sic nec ex parte termini à quo, nec ex parte subiecti, supponit aliquid à quo dependeat, quidquid sit, an supponat aliquid, cui communicet suum esse; conuersio autem panis dicit aliquid ex parte termini ad quem, in quod terminatur, & sic eius terminus non est nihil.

Secundò obiicies, nam anima rationalis in materia non subsistit *vt quod* sed *vt quo*, quia non est in corpore vt suppositum, sed vt forma informans, & constituens, ergo anima provt in corpore accipit esse dependens à corpore, quod est educi ex illo. *Confirmatur*, quia cuilibet potentiæ passiuæ naturali correspondet aliqua potentia actiua naturalis; sed materia habet potentiam passiuam naturalem, vt recipiat animam, ergo datur aliqua potentia actiua naturalis, quæ efficiat animam; agens autem naturale, non agit creando, sed educendo è materia, ergo anima est educibilis ex illa. *Nec obstat*, quòd anima sit spiritualis, quia potest dici, quod fit virtute spirituali proueniente ab anima generantis, & impressa semini: nec enim repugnat, quòd virtus spiritualis mediante instrumento corporeo

cauſet effectum ſpiritualem, ſicut Baptiſmus gratiam.

Reſpondetur, quòd vt dicetur inf. quæſt.7. anima rationalis in corpore habet quidem ſubſiſtentiam, qua poteſt exiſtere ſine corpore,& vt *quod*, ſed tamen pro illo ſtatu informationis intelligitur ſubſiſtere vt *quo*,quatenus ſubſiſtit in ipſo toto,& non ſeparata ab illo, ſed hoc ipſum eſſe totius compoſiti, eſt eſſe ipſius animæ,vt docet D. Thomas 1.2. qu.5. art.5.ad 2.& ideò quia non eſt ſeparata,ſed communicata,non ſubſiſtit vt *quod*, ſed quia illud eſſe communicatum eſt independens,potéſtque manere ſeparatum non dicitur educi;id eſt, dependenter fieri & eſſe à materia.

Ad confirmationem reſpondetur,quòd potentiæ materiæ,quæ paſſiuè recipit animam, correſpondet naturale actiuum, non quidem producens ipſam ſubſtantiam animæ, ſed vniens materiæ, ſcil. generans; hoc enim ſufficit, vt detur actiuum naturale correſpondens paſſiuo, nec enim materia eſt in potentia vt producatur forma, ſed vt vniatur ſibi, de quo vide Caietan.1.par. quæſt.118. art.2.§.in reſponſione ad 4. Productio autem animæ,quia eſt ſpiritualis ſubſtantia, à ſolo Deo fit per creationem, & ideo, vt dicemus infrà quæſt.26.nulla virtus inſtrumentalis ei cooperari poteſt,idque docet S. Thomas 1.p.q. 45.art.5.ſecus eſt de gratia quæ eſt accidens, & ideo actione eductiua ab inſtrumento attingi poteſt, de quo infrà.

De formis cœleſtibus, & elementalibus in prima productione.

SVpponimus in præſenti non ſolum cœlum Empyreum,ſed etiam omnes alios cœlos per creationem eſſe factos à Deo,quia ab intrinſeco ſunt ingenerabiles,& incorruptibiles, vt docet D. Thomas 1. p.quæſt.66.art.2.& in lib. de cœlo latiùs oſtendetur, & dato quòd cœli eſſent generabiles ex aqua, vel ex alio corpore, tamen in prima ſui creatione, non minus creati ſunt quam terra, & alia elementa, quæ non ſunt facta ex aliis corporibus, ſed immediate à Deo creata, iuxta illud Geneſis: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Procedit ergo propoſita difficultas ſuppoſito, quòd iſta corpora creata ſunt, vel de ipſo cœlo Empyreo, ſi ſolum creatum eſt, an formæ fuerint in tali creatione eductæ de potentia materiæ,an non?Quæ difficultas dependet ex ipſa ratione eductionis. *Quidam* enim intelligunt ad eductionem formæ ſufficere, quòd fiat dependenter à materia, & ſic cum formæ illorum corporum in illa prima creatione factæ ſint dependentes à materia, conſequenter è materia eductæ ſunt. *Alij* verò dicunt vlteriùs requiri ad rationem eductionis tranſmutationem materiæ, ad hoc vt dicatur formam educi ex illa, & quia in prima creatione materia non eſt tranſmutata, ſed totum compoſitũ ſimul productum, partes verò ad productionem totius comproducuntur,ideò in creatione iſtorum corporum,forma & materia ſunt concreatæ,nó verò forma educta de potentia materiæ.

Hæc vltima ſententia ſine dubio eſt D. Thomæ; dicit enim 1.par.q.65.art.4. *Quòd in prima corporalis creaturæ productione non conſideratur aliqua tranſmutatio de potentia in actu, & ideò formæ corporales, quas in prima productione corpora habuerunt, ſunt immediatè à Deo productæ.* Ergo ſentit D.Thomas formas in prima creatione rerum non educi de potentia materiæ,quia non oriuntur per eius tranſmutationem;vnde ibidem ex eo negat formas non cauſari per influxum alicuius ſubſtantiæ immaterialis, quia cauſantur reductâ materiâ de potentia ad actũ ab aliquo agente compoſito,ergo eductio formæ de potentia materiæ ſine eius tranſmutationè non fit. *Et ratio eſt*,quia ſi formæ fierent à Deo,vel ab intelligentiis per influxum, ſicut quidam Antiqui dicebant, aut ſi modò Deus produceret formam, vel accidens ſeparatum,& poſtea illud ſubiecto vniret,talis forma non diceretur educi de materia, quia non dependeret ab ipſa in fieri, ſed aliunde facta illi adueniret, & ſic non extraheretur, ex ipſis viſceribus materiæ, & eius potentia; requiritur ergo ad eductionem formæ, quòd per materiæ tranſmutationem fiat, ita quòd dependeat à materia in ipſo fieri. Corpora autem illa cœleſtia, & elementalia fuerunt facta ſine tranſmutatione materiæ,ſed immediatè per creationem; ergo formæ eorum non fuerunt eductæ, ſed concreatæ ad creationem totius.

Et aduerte,non repugnare Diuinæ potentię, producere aliquod corpus tali modo, quòd ſolum creetur materia,& in eodem inſtanti creationis educatur forma ex illa, ſicut modò fit, quando ex ſpeciebus Euchariſtiæ generatur aliqua alia ſubſtantia; tunc enim ſubrogatur materia in vltimo inſtanti generationis, ex qua educitur forma genita in vi diſpoſitionum, quæ in quantitate præceſſerunt; & eodem modo poſſet Deus in quacunque alia generatione in ipſo inſtanti generationis creare materiam: & educere ex illa formam. Sed tunc creatio illa vt tangit materiam, non eſt abſolutè completa, ſed completur per eductionem formæ,quia attingitur à Deo per illam creationem, non vt abſolutè ſit, ſed vt ſub forma educta ſit. Cæterùm dicimus, quòd ſi creatio eſt abſoluta, & completa, tunc attingit totum compoſitum, & non ſolam materiam, & conſequenter etiam attingit formam, non verò illam educit, aliàs ipſa creatio non produceret ipſum totum, quod conſtat ex materia & forma,ſi materiam ſolam attingit creatio, formam verò eductio. Fuit autem conueniens, quòd in prima rerum creatione ſola materia non produceretur per creationem, ſed ipſum totum, vt inciperet prima rerum productio à creatione perfecta & abſoluta; ſi autem interueniret ibi eductio formæ,illa vel fuiſſet ab aliquo agente creato educente formam, & tale agens non dabatur tunc, vel illa eductio fuiſſet à Deo exercente officium educentis formam, & creantis materiam, & ſic ſine fundamento multiplicamus iſtas actiones,cum ſufficiat vna creatura totius compoſiti. Vndè ſcriptura abſolutè dicit, quòd *Deus in principio creauit cœlum & terram*; quod non verificatur, ſi ſolam materiam creauit, forma verò eſt educta,alioquin poſſet dici, quòd alimentum generatum ex Euchariſtia, creatur à Deo,quia materia eius creatur.

Sed obiicies,nam formæ illorum corporum in prima productione factæ ſunt, vt dependentes à materia, cum in ſe non ſint ſubſiſtentes, ergo in ipſo fieri pendent à materia in eſſe, ergo educuntur. *Confirmatur*, quia formæ illæ non creantur ad creationem totius, ſiquidem non ſunt ex nihilo etiam partialiter & concreatiuè, ſed ex materia, vtpotè nó minus dependentes ab ipſa in illa prima productione, quam modo quando generatur aliquod corpus elementale,nec etiam fuerunt creatæ vt formæ ſubſiſtentes, ſicut anima rationalis,vt de ſe patet; ergo fuerunt eductæ,& præceſſit priuatio earum in materia prioritate naturæ, ſicut materia præcedit receptionem talis formæ.

Reſpondetur, eductionem formæ non conſiſtere ſolum in hoc,quòd forma fiat dependens à materia,

ſed

sed quod tali modo fiat dependens, scilicet per transmutationem ipsius materiæ, & quasi emergendo ab illa, alioquin non posset Deus creare vnum integrum compositum habens formam materialem, quia illa semper fit dependens à materia, nec posset per transsubstantiationem conuertere totum panem in lapidem, quin forma lapidis fieret per eductionem; eductio autem opponitur transsubstantiationi, quæ totam materiam, & formam conuertit in aliud; eductio autem supponit materiam, ex qua formam educat, non quæ materiam conuertat. Non ergo ad eductionem formæ sufficit, quòd ipsa fiat dependens à materia, quia hoc multis aliis actionibus fieri potest, scilicet omni actione, quâ vnitur materiæ vt habens esse in illâ, sicut si accidens separatum iterum vniatur subiecto, hæc vnitio non est eductio, & tamen facit dependere accidens à materia.

Ad confirmationem respondetur, quòd quando creatur totum; materia, & forma, & quæcumque partes solum concreantur, & sic ex nihilo dicuntur esse concreatiuè, & tamen benè stat, quòd fiat forma dependens à materia ex parte termini producti, quia videlicet forma producta est terminus productus cum dependentia, non tamen fit per transmutationem materiæ, nec per actionem dependentem à materia vt à subiecto, sed ex nihilo producente totum, & in eo formam dependentem à materia.

De reliquis formis sublunaribus.

CErtum est, *omnes præter animam rationalem educi è materia, quoties per generationam producuntur*; nec de hoc est vlla difficultas, supposito contra Philosophos antiquos, quòd datur generatio substantialis, ita quòd formæ non sint actu latentes in materia, nec ab aliquo exteriori agente per influentiam, aut creationem adueniant: in cuius signum affert D. Thom. 1. p. q. 65. art. 4. quòd oportet generans producere formam aut vnire, quia naturale est vnumquodque facere sibi simile, assimilatur autem effectus suo generanti in forma: ergo illam debet attingere generans.

Solum potest esse difficultas ex resolutione præcedenti, in qua diximus, quòd elementa in prima sui productione totaliter fuerunt creata quantum ad materiam, & formam, quæ actio creatiua cessauit, corrupto ipso corpore, quod tunc fuit creatum; ergo si modò per eductionem formę producuntur, non apparet, quâ actione conseruetur materia, quia creatiua cessauit, quæ terminata est ad totum, hoc ipso quòd totum corruptum est: eductiua autem non potest conseruare materiam, cùm conseruatio sit continuatio primæ productionis, prima autem productio materiæ non fuit eductio, ergo nec per eductionem conseruatur.

Respondetur, materiam primam conseruari modò ex vi primæ productionis, quæ tamen prima productio sicut non produxit materiam in esse, nisi dependenter à forma, vt quæstione præcedenti dictũ est, ita nec modò conseruatur materia sine aliqua forma, & consequenter nec sine eductione talis formæ, quæ eductio supplet id quod partialiter attingebat formam in ipsa creatione, & sic materia concreata est à principio tanquam entitas potentialis, capax non solum eius formæ, sub qua primò creata est, sed etiam omnium aliarum formarum, & consequenter ex vi prioris productionis, sub quibuscumque formis conseruatur, sine hoc quòd addatur noua creatio formæ, cùm in eo, in quo dependet materia à forma, æquè benè conseruetur sub forma concreata, quàm sub educta: & quando dicitur, quòd cessauit actio prima creatiua totius, ipso toto corrupto, respondetur quòd illa actio cessauit, quantùm ad aliquid ipsius effectus, non tamen quò ad omnem partem inclusam in ipso toto, sed mansit vt attingens materiam, non sub aliquo esse ipsi materiæ proprio, sed subiiciendò illam ipsi esse formæ, vel formarum succedentium per eductionem. Nec est inconueniens, quod vna actio si attingit plures effectus, possit manere quantum ad vnum destructo alio, quia est virtualiter multiplex, sicut actio Solis producens lucem & calorem, potest manere quoad lucem, & non quoad calorem; & actio, quâ Deus creauit Angelum, & eius subsistentiam, si modò assumeretur à Verbo illa natura, relictâ subsistentiâ, maneret creatio vt tangens naturam, & non tangens subsistentiam; quoad hanc enim suppletur per assumptionẽ: sic similiter actio creatiua, qua producta est materia sub forma aquæ, corruptâ aquâ, manet vt tangens formam aquæ, sed quoad hoc suppletur per eductionem nouæ formæ, cui materia subiicitur, & sub ea ab illa creatione continuata conseruatur.

De formis accidentalibus.

POtest ex duplici capite oriri difficultas. *Primò*, circa accidentia, quæ excedunt naturalem ordinem subiecti. *Secundò*, circa ea quæ non fiunt per propriam transmutationem, sed per quandam resultantiam ex subiecto. In prima linea numerantur accidentia supernaturalia & intentionalia. In secunda, propriæ passiones ab essentia, relationes à suo fundamento, actio ab agente, & alij similes modi resultantes. De reliquis verò accidentibus, quæ subiectum transmutant, & naturalis sunt ordinis, nulla est difficultas, quòd educantur de subiecto, sicut ab ipso dependent in fieri, & in esse.

Dico ergo primò. *Accidentia supernaturalia simpliciter fiunt per actionem eductiuam, vt opponitur creatiua, & dicuntur educi de potentia obedientiali subiecti, non de naturali. Artificialia autem & intentionalia simpliciter educuntur de potentia naturali subiecti.* De hac conclusione videndus est Diuus Thomas quæstione 3. de Potentia, art. 8. ad 3. vbi loquitur de gratia, & ad 5. vbi de formis artificialibus, de quibus addit, *Non excedit ordinem naturæ sicut gratia, imò infra subsistere, quia omne naturale est nobilius artificiali.* Et luculentiùs hoc ipsum tractat in quæstione de Virtutibus in communi, art. 10. ad 13. vbi docet: *Quòd quia potentia passiua correpondet actiuæ secundum differentiam & ordinem potentiarum actiuarum; est etiam ordo & differentia passiuarum, & sic aqua vel terra secundùm aliquam potentiam nata est moueri ab igne, & secundùm aliam à corpore cœlesti, potest enim aliquid fieri virtute corporis cœlestis, quod non virtute ignis, & aliquid vlterius, secundùm virtutem Dei, quod non potest fieri secundùm virtutem cœli, & secundùm hoc dicimus, quòd in tota creatura est quædam potentia obedientialis, prout tota creatura obedit Deo ad suscipiendum in se quidquid voluerit.* Ita D. Thom. Cùm ergo aliquid dicitur fieri ex nihilo, negatur causa materialis, vt D. Thomas inquit, quæst. citata de Potentia, art. 8. ad 4. Sic ergo componimus diuersas aliquorum sententias; qui enim dixerunt formas supernaturales non educi de potentia subiecti, loquebantur de potentia naturali, qua penitus caret subiectum respectu talium formarum, & sic dicuntur fieri de nihilo potentiæ naturalis, & quodammodo creari, tum quia fiunt sola virtute Diuina, quæ creatiua est, tùm etiam, quia quodammodo de ni-

hilo fiunt, id est, de non potentia naturali. Sed tamen absolutè educuntur de subiecto, & non fiunt ex nihilo, quia educuntur de potentia subiecti, non quidem naturali, sed obedientiali, quatenus illud subiectum subest Diuinæ virtuti agenti.

Quod si inquiras, quæ sit ista potentia obedientialis, & quomodo in illa formæ contineantur? *Respondetur*, de hoc apud Theologos longa concertatione disputari, præsertim 3. p. quæst. 13. & q. 62. *Breuiter dicimus* ex D. Thom. in d quæst. de Virtutib. potentiam obedientialem esse ipsam entitatem subiecti, vt respicit aliquod agens superius quàm naturale, cui subiicitur & obedit. Itaque potentia passiua dicitur relatè ad actiuam, & secundùm diuersum respectum eademmet entitas potentiæ passiuæ dicitur naturalis, vel obedientialis, scilicet in quantum est nata moueri à virtute naturali, dicitur naturalis: vt autem nata est moueri à supernaturali agente; dicitur obedientialis. Quòd verò Aliqui dicunt potentiam obedientialem esse supernaturalem inchoatiuè, si intelligatur quòd intrinsecè & positiuè sit supernaturalis falsum est, sic enim naturaliter & ab intrinseco entitas aliqua esset ordinis supernaturalis: si verò intelligatur negatiuè, vel denominatiuè ab agente supernaturali extrinseco, verum est; sed hoc est idem quòd obedientiale per non repugnantiam respectu superioris virtutis: licèt enim vt aliquid sit natum moueri ab agente naturali debeat habere intrinsecam & positiuam proportionem cum illo, vtpotè eiusdem ordinis; tamen vt moueri possit ab agente supernaturali, non debet habere positiuam proportionem cum illo, sed potiùs ab eo cadere, & deficere, vtpotè alterius ordinis, & sic non potest illi coordinari positiuè, sed solùm negatiuè, seu non repugnanter, & hoc est potentiam obedientialiter se habere.

Ex quo colliges, repugnare quòd detur potentia obedientialis actiua formaliter etiam inchoata, quia potentia nō dicitur actiua relatè ad agens superius, cui subiicitur (hoc enim passiuum est) sed relatè ad operationem, quam elicere potest: ergo si ista operatio est omnino improportionata & excedens respectu potentiæ non est actiua ex se, sed influxiua ad operationem; si autem est proportionata, iam non est potentia obedientialis respectu talis operationis, sed connaturalis. Itaque repugnat, quòd in quantum actiua sit obedientialis, obedire enim dicitur aliquid in quantum subiicitur, & mouetur, non in quantum agit & mouet. Sed de hoc ampliùs dicemus quæst. 26.

De formis artificialibus constat, quòd educuntur de potentia subiecti, quia in re sunt formæ naturalis ordinis, licet modus, quo fiunt, non sit à natura, sed à directione artis, sicut verbi gratia, quando fit artificialiter aliquod figuratum, vel aliquis motus artificialis, aut quid simile, hoc enim totum formam naturalis ordinis importat, licet modo artificiali factam.

Dico secūdò, *Omnes formæ, siue modi, qui actione aliqua trāsmutatiua attinguntur, siue primariò, siue secūdariò, dicūtur educi de potētia subiecti. Ratio est manifesta*, quia tales formæ dependent in fieri, & in esse à subiecto cui inhærent, vel quod modificant, & attinguntur saltem mediatè ab actione transmutante subiectum; ergo verè, & propriè educuntur, siquidem omnes conditiones eductionis in illis concurrunt. Et hinc discernitur, quænam emanationes dicantur etiam eductiones, nam propriæ passiones fiunt eadem actione, quâ natura ipsa fit; & sic, si est actio eductiua respectu naturæ, etiam est eductiua respectu propriæ passionis, licèt vt est dimanatio à subiecto non dicatur eductio, quia subiectum non agit in se, vt ex se educat propriam passionem. Tunc ergo solum passio dimanans per eductionem producitur, quando ipsamet forma seu natura à qua dimanat, per eductionem fit, si verò fiat per creationem, passiones, quæ in substantia creata inhærent, non fiunt eductiuè, sed consequuntur ad creatiuam actionem. Similiter relatio, vt dimanat à fundamento, non dicitur fieri ab ipso fundamento per eductionem, quia ad relationem non est per se motus, educitur tamen mediatè ab ipso agente, à quo productum est illud fundamentum, quia producendo illud virtualiter producit omnes relationes, quæ ex tali fundamento possunt consurgere, positis terminis, de qua videri potest D. Thom. 5. Physs. lect. 3. & 11. Metaphys. lect. 12. Denique actio non dicitur educi ex subiecto, vt terminus, quia ad actionem non datur actio, sed ipsa formaliter est eductio & actio, non terminus eius.

Sed obiicies: formæ supernaturales nullo modo continentur in subiecto, siquidem in subiecto nulla datur inclinatio & appetitus ad illas, ergo nullo modo ex illis educuntur, vnde gratia dicitur infundi in anima, vt determinat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. & similiter dicitur creari, vt Psalm. 50. *Cor mundum crea in me, Deus*: quod autem creatur, & infunditur, non educitur. *Idem argumentum potest fieri* de formis intentionalibus, sicut sunt species repræsentatiuæ; & de motibus violentis, qui ex subiecto non educuntur, cùm subiectum illis resistat.

Secundò obiicies, quia propriæ passiones resultant in eodem instanti, in quo fit essentia, ergo nulla datur priuatio in tali essentia, ex qua fiat illa propria passio; & consequenter, nec eductio, quia eductio debet esse ex aliqua priuatione; tunc autem in re non datur priuatio in subiecto, quia semper datur forma opposita priuationi, quæ est propria passio pro omni instanti.

Ad primum respondetur, formas supernaturales non contineri in subiecto positiuè, id est, secundùm ordinem positiuum subiecti ad ipsas, cùm non sint eiusdem ordinis, & consequenter non datur inclinatio seu appetitus ad ipsas, quia appetitus significatur per modum cuiusdam ponderis, quod non est sine positiuo ordine, sed solum continentur istæ formæ in subiecto obedientialiter, siue non repugnanter. Dicitur autem gratia infundi, seu creari, non quia simpliciter fiat ex nihilo, sed quia fit extra totam inclinationem naturalem, & sic respectu naturalis ordinis quasi de nihilo illius fit. Formæ autem intentionales & artificiales cùm sint naturalis ordinis, simpliciter in subiecto continentur, & in illo educuntur: & idem est de motu & forma violenter inducta; licèt enim subiectum resistat, tamen in potentia continet talem formam, vel quia ex parte materiæ non est repugnantia ad illam, licèt sit ex parte formæ; vel quia agens violentum, subiicit sibi materiam, & vincit eius resistentiam, quâ victâ, educitur forma, quia iam non resistit.

Ad secundum respondetur, quod vt propria passio dicatur educi, non requiritur, quòd in ipsa essentia, cuius est propria passio, præcedat priuatio, quia non educitur ex illa, sed præcedit priuatio in materia, seu subiecto, ex quo fit, & educitur illa forma, seu natura, ad quam sequitur propria passio; hæc enim sicut non est producibilis alia actione, quâ illa quæ est productiua naturæ, ita priuatio eius est

est adiuncta priuationi ipsius naturæ, seu formæ, à qua resultat.

Restabat disputare in præsenti quæstionem illam celebrem, an plures formæ possint esse simul in eadẽ materia. Sed de ista quæstione agemus infrà tractando, an plures causæ totales possint causare eundem effectum.

QVÆSTIO V.

De Priuatione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Priuatio, vt est principium entis naturalis?

SVpponendum est, priuationem in communi loquendo importare carentiam alicuius formæ in subiecto apto, seu capacitatis formæ, per quod distinguitur à simplici negatione, quæ dicit carentiam formæ absolutè sine capacitate subiecti ad ipsam, sicut lapis habet negationem visus, non priuationem, animal autem cæcum, dicitur habere priuationem visus. Et priuatio rigorosè loquendo, dicitur, quando subiectum est capax formæ priuatæ secundùm speciem infimam: dicitur verò lato modo, quando est capax illius solum ratione generis, & non ratione speciei, sicut talpa dicitur cæca, licèt sua species non sit capax visus, sed solùm genus illius, quod est animal, de quo videri potest D.Th.1.part.quæst.33.art.4.ad 2.& 5.Metaph. lect.20.

Consultò autem non dixi, priuationem esse carentiam in subiecto cui debetur forma, sed quòd est capax formæ, ne implicaremur multis difficultatibus, quæ de hoc debito versantur, an videlicet requiratur debitum proximum, vel remotum, physicum vel morale iuxta connexionem naturæ vel moralis ordinationis. Modò autem solùm loquimur de priuatione physica, ad quam sufficit debitum capacitatis, seu aptitudinis subiecti ad aliquam formam, non debitum connexionis necessariæ, vel dimanationis. Nec requiritur ad priuationem quòd aliqua forma sit debita alicui, vel aliquid sit capax illius sub omni consideratione & statu, sed ratione alicuius principij sibi connaturalis, sicut aqua habet priuationem caloris, vel formæ ignis ex parte materiæ, non ratione suæ speciei, & actus peccati habet priuationem bonæ regulationis, non ex parte suæ speciei, vt sumitur ab obiecto, sed ratione libertatis, & vt procedit à principio libero; sic enim debetur ei rectitudo, id est, subiectio ad regulas moris.

His suppositis, restat circa priuationem in particulari, vt est principium entis naturalis; inquirere in hoc articulo aliquas difficultates, quæ tangunt eius quidditatem, & in sequenti ea quæ tangunt eius multiplicitatem in materia. *Primò ergo inquiri potest*, quomodò priuatio intelligatur esse principium entis naturalis in fieri, & per modum termini à quo, cùm talis priuatio ante instans generationis non inueniatur, nisi remotè, & cum impedimento ad formam oppositam habendam propter formam, quam tunc habet, & sic non est immediatè capax formæ generandæ; in instanti autem generationis; in quo est verum dicere, nunc est forma genita, iam est falsum dicere, nunc est priuatio; & sic nec ante instans generationis, nec in ipso instanti, vel post, datur rigorosa & determinata priuatio.

Confirmatur, quia materia potest esse magis vel minus expedita, vel impedita ad aliquam formam suscipiendam, sicut materia sub forma lapidis magis impedita est à forma equi, quam sub forma sanguinis, quæ magis ad formam equi appropinquat. Ex quo sequitur, quòd materia vt est sub vna forma, non est debita alia, nec appetit illam, quia est impedita. Si autem aliam appeteret, conaretur ad aliam, & recederet ab ea quam habet, & sic quamdiu in illa maneret violentaretur, quia frustraretur suo conatu & appetitu ad aliam; vnumquodque enim violenter est, quamdiu est in priuatione eius, quod naturaliter appetit, & impeditur à consecutione eius. Et deinde sequitur, quòd priuatio materiæ suscipiat magis & minus, secundùm quod est magis vel minus elongata, & impedita respectu alicuius formæ hoc autem est contra rationem priuationis, quæ est in materia; priuatur enim in facto esse aliis formis, vt quando homo est mortuus, priuatur animâ in facto esse: vt docet D.Th.1.2 q.73.art.2. Denique si materia habet priuationem formarum, quas non habet quia potentialiter & remotè se habet ad illas: ergo etiam habebit priuationem formarum, quas habuit & perdidit, cùm tamen respectu illarum non habeat capacitatem, quia non est potentia in natura ad ponendum illas in materia.

Respondetur, non esse dubium, quòd in materia habente vnam formam, detur priuatio aliarum, quarum est capax, & ad quas habet appetitum, quia est in potentia ad alias formas, dum vnã habet in actu; non propter fastidium eius quam habet, nec propterea quòd plura simul habere velit, sed propter illam potentialitatẽ ad plura; vt dicit D.Th.1.Phys.lect.15. Igitur ante instans generationis, & ante vltimam dispositionem datur ista priuatio formarum in materia, quia illarum est capax, nec à dispositionibus habet istam capacitatem, & priuationem, sed per dispositiones applicatur, & determinatur ad recipiẽdam istam formam potius quàm aliam. In instanti autem generationis priuatio ipsa formæ, quæ tunc generatur in materia, intelligitur non quantum ad durationem, & instans reale, in quo potius soluitur à forma opposita, sed quantùm ad prioritatem naturæ, quatenus præcedit terminus à quo terminum ad quem, non in esse, sed in expelli, sicut ipsa forma corrupta in illomet instanti generationis expellitur, & licèt sit prior forma genita in genere causæ formalis, corruptio & expulsio formæ præcedẽtis est prior in genere causæ materialis, quæ non est prioritas in existere, sed in expelli. Eodem modo se habet priuatio in illo instanti, quia se tenet ex parte termini à quo.

Ad confirmationem respondetur, quòd materia de se habet priuationem determinatam omnium formarum, quibus determinatè & de facto caret, quòd verò sit magis vel minus impedita ad istam formam, vel ad illam, nec auget, nec minuit appetitum, nec priuationem magis vel minus determinat, sed diuersimodè ponit applicationem circa consecutionẽ talis vel talis formæ, sicut lapis quantumcumque sit impeditus, non remittit aliquid de appetitu ad centrum, nec de priuatione illius.

Nec ex hoc sequitur, quòd materia prima appetat recessum à forma quàm habet, ita quòd patiatur violentiam;

lentiam, si ista non expellatur, quia etiam ad istam, sub qua est, habet connaturalem appetitum, licèt non adæquatè ad istam, sed etiam ad alias, & ideo non violenter deriuetur in ista, quia connaturalis illi est, & habet appetitum ad alias, quia adæquata illi non est, sed quia simul vtramque habere non appetit expulsionem illius ex suppositione quòd alia introducatur. *Similiter ad secundum inconueniens dicimus* quòd priuatio formæ in materia est priuatio in facto esse, quia est priuatio formæ substantialis, quæ est vltima respectu omnium dispositionum, & sicut forma constituit rem in facto esse, ita priuatio illius, est priuatio in facto esse, sola autem priuatio dispositionum seu formarum tendentium ad aliquã vlteriorem formam dicitur priuatio in fieri, & non in facto esse iuxta regulam D.Th. 1. 2. q. 73. art. 2. & hæc sola priuatio in fieri suscipit magis & minus, non autem in facto esse, qualis est priuatio formæ substantialis. Quòd verò materia sit magis vel minus impedita ad receptionem alicuius formæ, non variat priuationem illius secundum magis vel minus, sed reddit magis vel minus dispositam, seu applicatam materiam ad istam formam, vel illam, & priuatio huius dispositionis, seu applicationis suscipit magis vel minus.

Ad vltimum respondetur, quòd materia quantùm est ex propria habitudine, & secundum se eandem capacitatem habet ad formas, quas semel perdidit, & ad formas, quas nunquam habuit, sed tamen quantũ ad introductionem & applicationem, quæ fit mediãte agente, non eodẽ modo se habet ad formas semel perditas, & ad illas quas non habuit, quia non potest agens creatum reproducere formam amissam; & tamen si de facto reproducatur à Deo, naturaliter materia ab illa informabitur.

Secundò inquires, quomodò explicanda sunt duo dicta Aristotelis circa priuationem; *alterum est*, quòd priuatio sola ratione distinguitur à materia, vt affirmat Phil tex. 60. & 69. sic enim entitatiuè erit idem cum materia, atque adeò entitatiuè erit ens reale. *Alterum est*, quòd priuatio est principium per accidens, vt affirmat tex. 66. sic enim non dependebit ab illa per se ens naturale, nec priuatio erit vniuocè principium, quæ autem sunt per accidens, omittuntur ab arte.

Ad primum respondetur, quòd priuatio dicitur distingui ratione à materia, quia in se non est ens reale, sed rationis, & sic non est extremum realis distinctionis, & tamen quia non est omnino idem cum materia, vt dicebat Plato, dicitur ratione distingui. *Nec sequitur*, quòd entitatiuè sit idem cum materia, si sola ratione distinguitur, hoc enim non est verum, nisi quando vtrumque extremum est positiuum, & tamen non distinguitur ab altero, si autem extremum sit negatiuum, non distinguitur realiter ab alio, nec tamen identificatur cum illo entitatiuè, quia entitas non est.

Ad secundum iam suprà respondimus q. 2. quòd priuatio non est principium per accidens respectu generationis & fieri, sed respectu compositionis, vel potiùs respectu extremi componentis, quod est materia, cum enim in ipsa subiectetur priuatio, per accidens est in materia vt cõponente, quod habeat adiunctam priuationem, vel habuerit; nec enim priuatio ad componendum conducit, sicut statua fit per se ex ære, per accidens autem ex carentia figuræ, seu ex ære vt in figurato. Sicut autem non est inconueniens, quòd principium dicatur analogicè de corde, & de fonte, & de fundamento, quia ly *principium* non significat aliquam naturam communem omnibus principiis, sed modum originandi; ita non est inconueniens, quòd principium dicatur analogicè de priuatione, & materia propter diuersum modum principiandi extrinsecè, vel intrinsecè, vt ens, & vt negatio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in materia sit tantùm vna priuatio, vel plures?

DE pluralitate, vel vnitate istarum priuationum non solum est difficultas, an sint plures priuationes, secundum speciem, vel vna tantum, sed etiam secundum numerum, an scilicet, sint tot priuationes numero, quot formæ sunt priuatæ, an vero sufficiat vnica priuatio ad priuandum omnibus formis in vna materia?

Res ista non est magni momenti, nec enim multiplicatio priuationum aliquod habet inconueniens, cùm nihil ponat in subiecto, sed tollat, vnde sicut non est inconueniens, quòd plures formæ absint à subiecto, ita etiam quod sint plures numero priuationes, quia nihil aliud est priuatio quàm absentia, seu carentia formæ, & sic priuationes potius indiuiduantur, vel multiplicantur ex formis priuatis, quàm ex subiecto. Et concordat Diuus Thomas, qui loquens de macula peccati 1. 2. quæst. 86. artic. 1. ad 3. dicit, quòd diuersa peccata diuersas maculas inducunt, cùm tamen priuationes sint, & constat quòd possunt dari plures maculæ ortæ ex peccatis numero distinctis, & sic dari plures maculas in eodem subiecto, ex iteratis peccatis numero distinctis; non ergo ex vnitate subiecti sumitur vnitas priuationum.

Ex quibus respondetur ad difficultatem propositam, tot esse priuationes in qualibet materia quot sunt formæ, quibus caret. *Patet ex dictis*, quia tot sunt absentiæ formarum, quot sunt formæ absentes; nihil autem aliud est priuatio seu carentia, quàm absentia formæ in subiecto capaci. Et deinde, quia eo modo possunt multiplicari priuationes, quo potentiæ materiæ ad suscipiendas formas, cùm priuatio in ipsa capacitate & potentia fundetur, sed in materia multiplicatur ista capacitas, seu potentia respectu formarum, vt docet S.Tho. 1. Physic. lectione 15. vbi inquit: *Quòd potentia materiæ subiecto est vna respectu multarum formarum, sed ratione sunt multa potentiæ secundum habitudinem ad diuersas formas, vndè in tertio huius dicetur, quod posse sanari, & posse infirmari, differt secundum rationem*; ergo si ad multiplicationem formarum multiplicatur inclinatio, seu potentia ad ipsas secundum respectum & habitudinem, multò magis carentiæ & absentiæ talium formarum multiplicabuntur ad multiplicationem earum. Nec tamen sicut potentia materiæ dicitur vna subiecto, seu entitatiuè, licèt respectiuè sit multiplex, ita priuatio dici poterit vna subiecto, seu entitatiuè, quia priuatio nihil positiuum importat, aut entitatiuum, sicut potentia materiæ, ratione cuius identificetur, & reddatur vna ratione subiecti, sed dicit solam carentiam formæ, & sic multiplicatur ad multiplicationem formarum, potentia verò, quia identificatur, positiuè & entitatiuè cum materia, vt suprà diximus, ideò redditur vna ratione subiecti.

Dices, priuatio in materia negat omnem rationem actualitatis, siue entitatiuæ, siue formalis, vt suprà diximus, quæst. 3. ergo vnica priuatio sufficit ad omnes formas, quia ratio formalis negata vnica est,

est, ficut etiam specifica, & formalis ratio potentiæ, seu appetitus materiæ vnica est respectu omnium formarum, quatenus in illis appetit esse substantiale corruptibile. *Confirmatur*, quia vna relatio, verbi gratia paternitatis, sufficit ad plures filios poteftque tolli extensiuè, seu terminatiuè ad vnum, licèt non quoad aliam; ergo similiter vna priuatio sufficiet ad plures formas, quando sub eadem ratione priuantur. Et idem exemplum potest fieri in vnico habitu extendenre se ad plures conclusiones, licèt in se vnica entitas sit.

Respondetur, esse diuersam rationem, de priuatione, & de potentia, seu appetitu, vel aliis positiuis tendentiis ad obiecta, nam priuatio comparatur ad formam, vt absentia, seu carentia illius, absentia autem non correspondet formæ, secundum tendentiam ad ea circa quæ versatur, sed ipsi præsentiæ, seu inhærentiæ, quam habet in subiecto; hæc autem multiplicatur ad multiplicationem formarum, sicut carentia seu absentia, & ideò tot sunt præsentiæ quot formæ præsentes, & similiter tot carentiæ, seu absentiæ, & priuationes quot formæ absentes. Cæterùm ex alia parte formæ, siue potentiæ, aut virtutes tendunt positiuè ad terminos, seu obiecta circa quæ versantur, quod non habet priuatio, & ex hac parte potest potentia, seu virtus vnica existens ad plura se extendere, quia ipsa ratio tendendi, seu operandi simili modo inuenitur in multis terminis, seu obiectis solum materialiter diuersis, & ideò vna virtus sufficit pro pluribus operationibus seu terminis, vbi similis ratio attingendi inuenitur; nec enim pro quolibet termino, seu operatione ponenda est distincta virtus; tamen pro pluribus formis absentibus non est ponenda vna solùm absentia seu priuatio. *Et sic patet ad exempla in confirmatione allata.*

Secundò dices, nam in qualibet materia non est priuatio cuiuscumque formæ, quia non quælibet materia est capax cuiuscumque formæ, v.g. materia vnius grani non est capax formæ elephantis; ergo non omnis materia est priuata quâcumqne formâ. *Respond.* omnem materiam esse capacem cuiuscumque formæ, mediatè, vel immediatè, totaliter vel partialiter, sicut materia formicæ, vel lapidis sub illis dispositionibns non est capax formæ hominis, vel elephantis, sed sub aliis dispositionibus, quarum dispositionum capax est. Quòd si tam parua quantitas vt granum non est capax totius formæ elephantis, est tamen capax vt fit pars illius, & sic informari potest ab eius forma.

QVÆSTIO VI.

De toto composito substantiali.

POST *considerationem principiorum componentium ens naturale, sequitur agere de ipso composito, in quo tria considerari possunt. Primò ipsæ partes secundùm se, aut simul coniunctæ. Secundò ipsa vnio, quâ partes connectuntur, & fit totum. Tertiò ipsi modi qui propriè conueniunt ipsi toti, sicut subsistere & existere, & fieri, quod proprium est suppositorum seu entis completi. Et de primis duobus, quæ pertinent ad ipsam compositi constitutionem agemus* in hac Disputat. de tertio in sequenti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ sint partes substantiales componentes totum?

VArias acceptiones totius tradidimus lib. 2. sum. cap. de diuisione. In præsenti solùm agimus de toto Physico omisso Metaphysico, & potentiali, & vniuersali. Ipsum autem totum Physicum aliud est substantiale, aliud quantitatiuum, seu aliis verbis totum essentiale, & totum integrale; dicitur enim totum relatiuè ad partes, & sic respectu partium substantialium, quæ sunt materia, & forma, dicitur totum Physicum substantiale, seu essentiale; respectu autem partium quantitatiuarum, dicitur totum quantitatiuum, seu integrale. Dicuntur autem partes quantitatiuæ illæ, quæ ita sunt partes, quòd possunt esse totum, si separentur, & ideò Aristotel. in 5. Metaphys. cap. de quanto diffinit quantum, *Quòd est diuisibile in ea, quorum vnumquodque hoc aliquid natum est esse.* Partes autē substantiales, seu essentiales Physicæ ita sunt partes, quòd non possunt esse totum, sed semper sunt entia incompleta; sicut materia & forma. *In præsenti* solùm agimus de toto Physico substantiali, in sequ. qu. de quantitatiuo.

Illud ergo breuiter explicandum est, an vtrumque scilicet materia & forma, sit pars essentialis, & per se compositi substantialis: nam *aliqui* de materia dubitauerunt, an esset pars essentialis compositi totam rationem quidditatis soli formæ tribuentes. *Alij* verò dubitauerunt de forma, non propter imperfectionem eius, sed quia tantum habet perfectionis, quod adæquat, vel superat perfectionem totius, eò quòd forma est ens actu, & præbet esse toti composito tanquam causa illius: causa autem est perfectior effectu, & propter quod vnumquodque tale, & illud magis, propter formam autem totum est in actu; ergo forma magis est in actu.

Nihilominus dicendum est, totum physicum constare ex materia & forma tanquam ex partibus substantialibus, & per se. Est communis Philosophorum, deducitúrque ex Aristotel. 7. Metaphys. text. 33. & 8. Metaphys. text. 13. vbi videri potest D. Thom. & 1. par. quæst. 75. art. 4. *Et ratio est manifesta*, quia ens naturale, de quo agimus, in præsenti, est corporeum & materiale; ergo non potest esse simplex, sed compositum. *Consequentia patet*, tam in rebus corruptibilibus quàm incorruptibilibus: corruptibile enim debet esse compositum, quia corrumpitur, & non annihilatur; ergo non tota substantia desinit, sed aliquid illius manet, alioquin si totaliter desineret, non desineret ex vi alicuius generationis, & sic

ſic tolleretur omnis generatio, & corruptio; ſi autem aliquid illius manet, & aliquid amittitur, ergo iam habet partes, ex quibus componitur, & iſtas vocamus materiam & formam; forma enim eſt quæ deſinit, & materia ſub alia forma permanet. In corporibus autem incorruptibilibus non poteſt ſola forma conſtituere totam eſſentiam ſine materia, quia ſi ſine materia conſtitueret, eſſet tota eſſentia cœli ſola forma: ergo eſſet immaterialis, quia ſine materia eſſet tota conſtituta in ſola actualitate formæ, eſſentia autem immaterialis hoc ipſo eſt ſpiritualis & intellectiua; ſpiritualitas enim idem eſt quod immaterialitas, & ſic ſecundum totam eſſentiam cœlum non eſſet corporeum, cuius oppoſitum videmus, cùm ſit quantitatiuum. Et quia iſtæ partes, ſcilicet materia & forma, non ſunt in ſe quædam tota ſubſiſtentia, ſic enim non componerent ens per ſe, ſed quoddam aggregatum per accidens, nec ſunt tales partes, quod per ſeparationem poſſunt fieri quædam tota, ſic enim eſſent partes integrales, ſequitur manifeſtè quod per ſe & eſſentialiter ſint partes tanquam entia incompleta.

Ad fundamentum ſupra inſinuatum. Quod cauſa potior eſt ſuo effectu. *Reſpondetur*, id non eſſe verum de omnibus cauſis entitatiuè conſideratis, vt infr. qu. 10. dicemus; cauſa enim materialis non eſt perfectior formâ abſolutè & entitatiuè, cum actuetur & perficiatur ſimpliciter ab ipſa, vt ibi dicemus. Et quando dicitur, quòd totum habet eſſe & actualitatem propter formam. *Reſpondetur*, quòd habet actualitatem propter formam tanquam propter principium *quo*, non *quod*, & ideò non ſequitur, quòd forma ſit magis perfecta in actu denominatiuè, & vt *quod*, quia illud principium *propter quod vnumquodque tale*, &c. intelligitur in his, in quibus eſt denominatio ſimilis, & vt *quod* eſt tale, vt expendimus in Logica qu. 25. in libris Poſter.

Dices, Materia non poteſt eſſentialiter pertinere ad ipſum compoſitum in rebus generabilibus, quæ ſunt in perpetuo fluxu, & motu partium, ſicut in homine non inuenitur eadem materia, quæ fuit in illo ante triginta annos, cùm per actionem caloris ſit conſumpta, & alia ſubrogata; ergo materia determinata non poteſt eſſe de eſſentia intrinſecè determinati compoſiti, v.g. huius indiuidui, vel ſi ſemel pertinet materia determinata ad eſſentiam determinati compoſiti, quoties contingit variari illam materiam, quomodocunque fiat variatio variabitur ipſum totum, cuius determinatio dependet ex determinatione partium. *Confirmatur*, quia poteſt materia pertinere ad conſtituendas diuerſas ſpecies, vt quando materia tranſit in ſpeciem cadaueris, vel cadauer in ſpeciem terræ, vel ignis, eſt autem inconueniens, quòd eadem pars eſſentialis vnius ſpeciei pertineat ad aliam; imò materia vnius indiuidui poteſt ad aliud pertinere, vt ſi vnus homo comedat de carnibus alterius. Si ergo materia pertinet ad conſtitutionem hominis, quomodò in vtroque homine reſurget illa materia.

Reſpondetur, quòd vnitas determinata materiæ pertinet ad conſtitutionem & vnitatem totius, ſed aliter in rebus corruptibilibus, aliter in incorruptibilibus; in rebus enim incorruptibilibus requiritur, quòd ſit eadem materia formaliter, & materialiter; in rebus autem corruptibilibus, ſufficit, quòd ſit eadem formaliter tantum, de qua diſtinctione videri poteſt D.Thom.4. contra Gentiles, c.81. ad 4. dicitur materia formaliter eadem, quando manet ſub eadem habitudine & ordine partis, puta ſub eadem figura & diſpoſitione, & continuatione ad formam; materialiter autem eſt eadem materia quando entitatiuè non mutatur, & non ſolùm continuatione eſt eadem, id eſt ſuccedendo ſub eadem diſpoſitione & habitudine. Sufficit ergo ad vnitatem determinatæ materiæ conſtituentis totum, quòd maneat determinatè eadem formaliter, & ſub eadem continuatione & ſucceſſione ad præëxiſtentem materiam, licèt materialiter non maneat eadem; ſi autem non continuetur, ſed ſimul tollantur omnes partes materiæ, & alia in integrum ſubrogetur, non dicetur manere idem compoſitum. *Ratio* ſumitur ex Diu. Thom.1. part. quæſt.119. art.1. ad vltimum, quia quando materia conſumitur per fluxum & continuationem cum alia, id quod additur tranſit in præëxiſtens. Vnde ratione continuationis cum præëxiſtente taliter deperditur præëxiſtens, quòd ſemper remanet aliquid illius, ſcilicet id, quod ſuperadditur, quatenùs ipſa continuatione factum eſt aliquid illius, id eſt, pars illi continuata, hoc enim eſt tranſire in præëxiſtens. Quando autem totaliter vna materia tollitur, & alia totaliter ſubrogatur, iſta quæ de nouo ponitur, nec continuatione, nec identitate eſt aliquid præcedentis, & ſic nihil remanet alterius materiæ præcedentis, ſed tota deſtruitur, & ſic fit aliud compoſitum numero.

Ad confirmationem reſpondet. Non eſſe inconueniens, quòd eadem materia poſſit ſucceſſiuè pertinere ad diuerſas ſpecies tanquam pars, quia in potentia eſt ad omnes illas, vt diximus quæſt. 3. artic. 4. licèt retineat eandem entitatem potentialem, quatenùs eſt in potentia ab omnes formas, cum quibus diuerſas ſpecies naturales poteſt componere. Quòd verò additur de duobus indiuiduis habentibus eandem materiam, *reſpondetur*, non poſſe eandem totalem materiam pertinere ad duo indiuidua, nec tranſire totaliter de vno indiuiduo ad aliud, verbi gratia, quòd ex vno homine tota materia tranſeat ad generandum alium hominem, & ei totam materiam præbeat, bene tamen poteſt partialiter pertinere, quatenùs ex carne vnus hominis poteſt aliter nutriri: & in hoc caſu dicit Diu.Thom. in addit. quæſt.80. artic.4. ad 3. quòd ſuppoſito, quòd alimenta tranſeunt in veritatem humanæ naturæ, *Vnumquodque in illo reſurget, in quo magis acceſſit ad perfectam participationem, & conſtitutionem ſpeciei. Et ſi æqualiter in vtroque pertinuit, reſurget in illo, in quo primo fuit: & ideò ſi in carnibus comeſtis fuit aliqua ſuperfluitas, quæ non pertineret ad veritatem humanæ naturæ in primo, reſurgere poterit in ſecundo, aliàs illud quod pertinuit, & habuit ordinem ad reſurrectionem in primo, reſurget in eo, & non in ſecundo, ſed in ſecundo loco eius ſupplebitur, vel aliquid de eo quod ex aliis cibis in carnem conuerſum eſt, vel ſi nullo alio cibo vnquam paſtus fuiſſet, niſi carnibus humanis, Diuina virtute aliunde ſupplebitur, quantum indigebit ad perfectionem quantitatis, ſicut etiam ſuppletur in illis, qui ante perfectam ætatem decedunt, nec per hoc præiudicatur identitati in numero, ſicut nec præiudicatur per hoc, quòd partes ſecundum materiam fluant, & refluant.* Ita D.Thom.

Denique obiicies, quia forma eſt totum diſtinctiuum rei, cuius eſt forma, ergo totum conſtitutiuum, ſimiliter eſt tota ratio eſſendi & operandi; ergo eſt tota ratio conſtituendi. Vnde Ariſtotel. 2. Phyſicor. text.20. appellat formam, *Quòd quid erat rei*, id eſt, quidditas illius; vt omittam artificialia; quorum totum eſſe conſiſtit in forma, & tota ſubſtantia in materia, vt ſæpe docet Ariſtot. & D. Thom.

Reſpondetur, quòd forma eſt totum diſtinctiuum, & ratio eſſendi, & operandi *vt quo*, non *vt quod*; vnde

vnde non est totale, & adæquatum constitutiuum ipsius compositi: nam hoc ipso, quòd compositum est, non sufficit sola forma, licèt sola sit principium *quo* ipsius quidditatis, sed requiritur etiam aliud extremum cum quo componat. Arist. autem appellat formam, quod quid erat esse seu quidditatem rei vt *quo*, non vt *quod*. Artificialia autem sunt quædam composita accidentalia, in quibus quidditas accidentalis non est quidditas per se, & ideò non habet subiecta tanquam partem essentialem sui, sed vt præsuppositum, cui forma accidentaliter aduenit, non cum quo per se componit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm totum distinguatur à partibus simul sumptis?

SEnsus quæstionis est. An partes non solum diuisæ & separatæ, nec solùm vna vt connotat alteram, sed omnes vt simul vnitæ distinguantur ab ipso toto, quod componunt? Itaque nomine partium simul sumptarum intelligimus, non solùm partes quoad entitatem earum, sed etiam quoad vnionem: nomine autem totius non intelligimus suppositum, quod ratione subsistentiæ constat distingui ab ipsa natura composita ex partibus, sed intelligimus compositum, id est naturam ipsam totalem, quæ constat ex partium vnione, & inquirimus, an istud totum sit aliqua tertia realitas resultans ex partibus simul vnitis, an verò non sit alia entitas quàm ipsæ partes simul sumptæ?

Duplex est sententia, altera affirmatiua, cuius totum fundamentum ad duo fere capita reducitur. *Primo*, ad causalitatem realem, quia partes tam secundum se, quàm vnitæ realiter causant ipsum totum, ergo totum est aliqua entitas ab illis realiter distincta. *Consequentia patet*, quia vbi est realis causalitas, est realis distinctio, nihil enim causat se ipsum. *Antecedens vero constat*, quia totum essentialiter componitur ex partibus, & ab illis dependet in sui compositione & esse, ergo causatur ab illis tanquam à causis intrinsecè componentibus, & non causatur à partibus, nisi prout simul vnitis & applicatis, ergo ab illis vt vnitis distinguitur. *Confirmatur*, quia vnitas totius per se causatur ex vnione, & ita partes vt causantes non habent vnitatem, sed vnionem: totum autem habet vnitatem; ergo sic distinguitur totum à partibus sicut vnitas ab vnione; vnitas autem opponitur multiplicitati: vnio autem pluralitatem supponit; ergo vnitas distinguitur ab vnione, seu partibus vnitis.

Secundum fundamentum est, Quia multa conueniunt toti, quæ non partibus simul sumptis, vt patet manifestè in homine, in quo subiectantur accidentia corporea, & non in sola materia, quia ipsa non est subiectum accidentium in sententia S. Thom. vt in lib. de generat. dicetur, ergo subiectantur in toto, si ergo totum distinguitur à partibus simul sumptis, necesse est quòd illa accidentia etiam subiectentur in anima, quia non in sola materia, & sic in aliquo spirituali subiectabuntur. *Deinde*, quia propriæ passiones non à partibus dimanant, sed à toto, nec partes dicuntur operari, sed totum, nec fieri aut generari, sed totum, quia ipsum totum est terminus generationis, non partes, præsertim in homine in quo vtraque entitas, scil. tam anima, quàm materia, sunt per creationem. *Nec dici potest*, quod vnio est terminus generationis, quia terminus specificans generationem non est aliquis modus, sed entitas ipsa substantialis; ergo si tota entitas partium in homine est per creationem, non potest dari terminus generationis, nisi entitas aliqua distincta à partibus.

Denique confirmatur, quia totum per aggregationem, ideò est ens per accidens, quia non habet aliam vnitatem, quam suarum partium vnionem, ex qua non resultat tertia vnitas, seu entitas, ergo totum quod est per se, oportet quòd distinguatur à partibus vt vnitis. Fauet etiam Arist. 1. Met. tex. 15. vbi inquit: *Quòd totum non est aliquid præter partes*: & 5. Met. tex. 17. *Quòd sex non sunt tria*, & 12. Metaph. tex. 14. *Quòd materia, forma, & compositum sunt tres substantiæ*.

Nihilominus opposita sententia communis est inter Recentiores, & sine dubio videtur esse D. Thom. in addit. ad 3. par. q. 79 art. 2. ad 2. vbi inquit: *Quòd verior opinio videtur, quòd forma totius non est forma partis tantum, nec est forma aliqua alia præter formam partis, sed est totum resultans ex compositione formæ & materiæ comprehendens in se vtrumque*: & idem docet cont. Gent. c. 81. vbi inquit: *De humanitate non est intelligendũ, quòd sit quædam forma cõsurgens ex coniunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab vtraque, quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu*, vt dicitur secundo de Anima tex. 9. *illa tertia forma consequens non esset substantialis sed accidentalis*. Vbi S. Th. supponit, quòd verissimum est, quòd illa tertia forma resultans ex partibus, quæ dicitur totum, actuat & perficit ipsas partes: nec enim disparatè se habet ad illas nec per accidens, sed cum connexione, & perseitate, alioquin non diceretur vnum per se illud totum sic resultans ex illis partibus, si connexionem cum illis non habet. Si autem cum illis connectitur, non comparatur ad illas, vt aliquid minus perfectum, & perfectibile per partes, sed vt perficiens & actuans illas, cùm sit illis perfectius. Cùm autẽ non actuet dando primam actualitatem, hanc enim dat ipsa forma partialis, quæ informat materiam, consequenter nec primò, & per se cõstituit, nec dat primũ & substantiale esse, quia supponit primũ esse datum per formam, ergo dat esse accidentale.

Quòd si dicas, nam in partibus integrantibus, quælibet illarum est ens actu, & tamen non aduenniunt accidentaliter, sed componunt vnum esse substantiale; & similiter subsistentia aduenit naturæ in actu, & tamen non efficit ens per accidens, sed vnum per se; ergo doctrina D. Th. non subsistit, *Resp.* partes integrantes esse ens actu per vnam formam totius, quæ est omnium partiũ, nec enim quælibet pars habet suam formam, & ita trahuntur ad idem esse totius, non formam distinctam addunt: & similiter dicimus de subsistentia, quòd illa non constituit naturam, sed terminat, ideóque non mirum, quòd naturam supponat constitutam in actu, & sic illi aduenniens aliquid accidentale non constituat, quia non affert nouum esse super naturam constitutam, sed terminat & modificat ipsam naturam sub eodem esse, quod vtique substantiale est. Itaque quæcumque ita se habent, quòd licèt adueniant enti in actu, tamen sunt sub eodem esse, quia vel modificant, vel integrant illud, cui adueniunt, non constituunt ens per accidens, quia ita supponunt ens actu, quòd non superaddunt illi principium noui esse, sed modificationem vel integritatem eiusdem, & sic communicant in eodem esse per se. Si verò aliquid se habeat per modum formæ constituentis, vel partialis, vel totalis, quia forma est principium noui esse, si supponit aliã formam priorem, non aduenit substantialiter, sed accidentaliter.

Vltimò confirmatur ista sententia, quia si daretur illa tertia entitas resultans ex partibus vnitis, vel illa identificatur realiter cum partibus, vel illis vnitur, licèt non identificetur, vel nec vnitur, nec identificatut sed seorsum se habet ad illas. *Si primum* ergo non distinguitur à partibus, siquidem identificatur cum illis. *Si secundum*, ergo vel ex illa vnione entitatis tertiæ cum partibus resultat aliud tertium compositum, vel non. Si non resultat, cur ergo resultabit ex partibus prius vnitis? nec enim est ratio cur ex ista vnione resultet aliquod tertium, & non ex alia, cùm vtraque vnio ordinetur ad componendũ totum. Si verò resultat aliquod tertium, dabitur processus in infinitum, nam etiam illud tertium debet iterum vniri cum ipsis, à quibus resultat, & sic resultabit aliud, de quo idem dicemus, & sic in infinitum. *Si dicatur tertium*, ergo illæ partes vnitæ, & illa tertia entitas resultans non pertinent ad idem compositum, & ad idem totum, siquidem ea quę nec vniuntur, nec identificantur, non pertinent ad idem compositum, quia non communicant inter se, nec constituunt vnum, nam etiam accidens vnionem requirit vt componat cum subiecto.

An verò totum, & partes sic vnitæ distinguantur saltem ratione? *Respondetur*, totum distingui respectu cuiuslibet partis seorsum tanquam includens, & inclusum, respectu verò partium simul vnitarum distinguitur ratione sicut implicitum, & explicitum, ad eum modum, quo se habent definitio, & definitum, quia definitio explicat partes, quas definitum implicat, sic etiam totum significat modo implicito, partes autem simul iunctæ significant modo explicito, id quod est totum Et propter istum diuersum modum significandi aliqua dicuntur attribui toti, quæ non partibus vel è contra.

Ad primum fundamentum in oppositum respondetur, quòd partes dicuntur causare totum causalitate intrinseca, & constituente ipsum totum non extrinsecè se habente, sicut etiam prædicata essentialia dicuntur constituere quidditatem. Causæ autem intrinsecæ non distinguuntur à causato entitatiuè, quia non causant per emissionem alterius entitatis à se, sed per commmunicationem sui in entitate quam constituunt, sicut forma materiam informat communicando se illi, & iste est effectus formalis formæ, communicatio sui passiua, quæ entitatiuè non distinguitur à forma se communicante, & sic est effectus realis, quatenus est realis communicatio sui. *Vel etiam dicitur*, quòd in ista causatione totius etiam intercedit realis, & propria causatio ipsarum partium inter se; materia enim, & forma adinuicem sunt causæ, vt quæst. 11. dicetur, & distinguuntur inter se, & ex ista causatione reali resultat totum indistinctum realiter ab ipsis partibus, non tanquam immediatè causatum, sed vt ex illa priori causatione partium inter se resultans, & hoc sufficit ad saluandam causationem realem scilic. mediatè.

Ad secundam probationem respondetur, quòd vnitas resultat ex vnione partium tanquam vnitas composita, & consequenter includens ipsas partes vnitas, & sic idem dicendum est de vnitate, quod diximus de entitate totius. Quòd verò dicitur, vnitatem opponi distinctioni, *respondet.* non opponi entitatiuè, cùm ex earum entitate constet vnitas composita, & ex entitate rerum ipsa multitudo, sed opponitur quantum ad diuisionem, & indiuisionem, vt dicit S. Th. 1. p. q. 11. art. 2. ad 2.

Quòd si instes, nam D. Thom. sæpè negat partes prædicari de toto, & ita totum non esse suas partes, sed ex partibus, vt in tertio distinction. 2. qu. 2. artic. 3. ad vltimum, & in 4. distinction. 16. quæst. 1. articulo 1. quæstiuncula 3. ad 2. ergo sentit, quòd totum distinguitur realiter à suis partibus, aliàs posset prædicari de illis, & è conuerso. *Respondetur*, non prædicari partes etiam simul iunctas de ipso toto, vel è contra, quia ad prædicationem non sufficit idẽtitas vnius cum alio, sed etiam requiritur modus significandi, vt ex D. Thom. 1. part. quæst. 39. probauimus in Logica, qu. 5. & quia partes physicè consideratæ non significantur per modum totius, sicut gradus metaphysicè concepti, ideò prædicari non possunt de ipso toto, nisi fortè materialiter & identicè, dicendo, quòd totum est res, quæ est suæ partes simul iunctæ, & homo est res quæ est corpus & anima, & sic solùm probatur, quòd totum distinguitur à partibus formaliter per rationem propter diuersum modum significandi, non verò realiter & entitatiuè.

Ad secundum fundamentum respondetur, multa attribui toti, & non partibus propter diuersum modum significandi, non propter diuersas res significatas, & in particulari dicitur, quòd in homine subiectantur accidentia in toto, vt in subiecto *quod* ratione materiæ tanquam subiecti *quo*, sicut visio conuenit toti homini mediante oculo, quo visionem elicit, & recipit. Similiter passiones sicut resultant à toto, ita dicuntur resultare à partibus simul iunctis identicè & entitatiuè, quatenùs idem sunt cùm toto, & similiter partes vnitæ entitatiuè sunt terminus generationis, non quia tota illa entitas mediantibus suis partibus generetur, cùm nec materia generetur, nec forma in homine, sed quia vt vnitæ & adinuicem communicatæ generantur; ideò dicitur quòd generatur totum, non verò partes; & non est inconueniens, quòd aliquid quod entitatiuè identificatur cum alia, quantùm ad vnum generetur, vel resultet, non quoad aliud, sicut albedo entitatiuè non distinguitur à similitudine quæ est relatio, & tamen potest generari, vel corrumpi similitudo, non generata vel corrupta albedine.

Ad confirmationem respondetur, quòd totum per aggregationem ita dicit plura, quòd excludit vnionem facientem illa vnum per se, eò quòd nõ constat actu & potentia; totum autem per se non dicitur tale ratione tertiæ entitatis distinctæ à partibus vnitis, sed quia ipsæ partes ita inter se vniuntur, vt actus & potẽtia, quòd simpliciter fit vnum per se. *Ad locũ Philosophi dicitur*, quòd loquendo de toto substantiali, dicitur aliquid præter partes, seu quod est tertiũ subiectum distinctum à partibus non simul vnitis, sed seorsum sumptis. Quando autem dicit, *quod bis tria non sunt sex*, sensus est, quòd numerus senarius ita differt specie à ternario, quòd non solùm est duo indiuidua ternarij formaliter, sed species distincta ab omnibus ternariis, licèt materialiter duo ternaria includat.

ARTICVLVS III.

Quid sit vnio partium in toto?

NIhil certius quàm dari vnionem, cùm tam multa vniri videamus, quæ inter se diuidi & separari solent: & Verbum Diuinum vniuisse sibi naturam humanam partésque humanitatis fuisse in mortem separatas, & in resurrectione iterum vnitas, absoluta fides est. Quid sit autem ista vnio valdè difficilè explicatur, & cùm constet de vnione, quatenùs est relatio vnitorum, de fundamento talis vnionis inquirimus.

inquirimus: constat enim non fundari in ipsa entitate partium secundum se, cùm constet ipsam entitatem partium sine vnione saluari, vt cum anima Christi, & eius corpus, & quælibet anima hominis post mortem entitatiuè maneat sine vnione. Quærimus ergo, quid sit illud quod in partibus accrescit per modum nexus & coniunctionis, quo mediante partes ita se habẽt adinuicem, quod resultet talis relatio vnionis? Quòd si materia & forma se ipsis etiã immediatè vniuntur, seipsis etiam immediatè causabunt, cùm non videatur causalitas formæ & materiæ aliquid ab vnione illarum distinctum, vt seq. libro quæst. 11. dicetur. Et loquimur de vnione, qua extrema adunantur in vnum per se, non de vnione per aggregationem, seu per accidens; plerumque enim talis vnio fit per aliquam propinquitatem in loco, & per hoc quòd res fiant contiguæ, non continuæ & vnitæ.

Est ergo sententia satis celebris, vnionẽ esse aliquid superadditum formæ & materiæ, tanquam modum quendã seu formalitatẽ, quã mediante fit nexus materiæ & formæ. In quo tamen Scot. in 3. dist. 1. q. 1. §. de primo dico, & aliis locis, sequens sententiam suã de relationibus extrinsecùs aduenientibus, sentit vnionem esse quid relatiuum de genere istarum relationum extrinsecùs aduenientium: & videri potest de hac sententia P. Fuente 1. Phys. q. 5. diffic. 2. art. 1. Alij verò vt Suar. 1. tom. 3. par. disp. 8. sect. 2. & Vazq. 1. tom. 3. par. disp. 16. c. 1. & plures ex recentioribus etiam Thomistis existimant vnionem in substantiis esse modum quendam substantialem, & absolutum medio quo forma vnitur materiæ, licèt aliquid dicãt ita esse modum absolutum, quod dicit ordinem transcendentalem ad extremum vnibile: & idem sequitur D. Tr. in 3. dist. 5. q. 2. dicens, quòd terminus Incarnationis est modus quidam realis, sicut inhærentia in accidente.

Et hinc sumitur primum fundamentum pro hac parte, quia inhærentia in accidente est modus quidam, quo redditur accidens vnitum & inhærens ipsi subiecto; ergo accidens non vnitur seipso immediatè: & idem erit de aliis formis, quæ licèt non sint dependentes sicut accidentia, tamen vniuntur subiecto seu materiæ, & pendent ab illa, & sic mediante aliquo modo superaddito vniuntur, non minus quàm accidentia. *Et confirmatur*, quia materia & forma causant mediã aliquã causalitate, siquidem per suam entitatem solùm sunt in actu primo, causare autem in actu secundo, accidentaliter illis conuenit; ergo causalitas in actu secundo est aliquid superadditum entitati earum, & consequenter ad minus debet esse aliquis modus, sed causalitas ista fit media vnione, per quam recipitur forma, & recipit materia: ergo vnio aliquid superadditum est materiæ & formæ.

Secundum fundamentum est, quia vnio sumpta pro relatione est accidens materiæ & formæ, nec enim semper in actu ista materia & ista forma sunt vnitæ, oportet ergo quòd istud accidens seu relatio superueniat materiæ & formæ, & distinguatur ab illis. Similiter fundamentũ talis relationis non potest esse nuda entitas materię & formę, aliàs posita vtriusque entitate in rerum natura, statim resultaret relatio vnionis, quod patet esse falsum existente anima, & corpore separatis: Ergo oportet, quod fundamentũ proximum huius relationis sit aliquid superadditum ipsi entitati materiæ & formæ, & hoc vocamus modum vnionis. Et huius signum etiam est, quòd sub eadem forma v. g. anima rationali diuersæ partes materiæ fluunt, & consequenter mutant vnionem ad hanc formam, ipsa autem vnio non potest separari à rebus vnitis, quod est signum distinctionis modalis in re.

Nec sufficit pro fundamento vnionis extrinseca denominatio, vel connotatio aliqua formæ ergà materiam: tùm quia materia & forma non causant per extrinsecas denominationes & connotationes, causant autem per vnionem: tùm denique, quia in mysterio Incarnationis non potest verificari, quòd sola extrinseca denominatione natura humana vniatur Verbo, cùm realiter & intrinsecè illi vniatur, vt dicitur in Concilio Ephesino, in tertio anathematismo Cyrilli, siquidem realiter humanitas pendet à Verbo.

Tertium fundamentum est, quia omnis actio, & mutatio de nouo facta petit aliquem terminum de nouo productum, sed aliquando ipsa entitas extremorum non producitur de nouo, & tamen de nouo vniuntur; ergo illa vnio est aliquid de nouo productum, & non solùm relatio, quia ad istam non datur immediatè motus, ergo ad aliquid præter relationẽ. Exempla sunt in Resurrectione, in qua fit noua vnio animæ ad materiam non producta entitate animæ, nec materiæ. Secundò, in Incarnatione quæ est vera & realis actio non factiua humanitatis, sed vnitiua, & tamen mutat intrinsecè ipsam humanitatem, siquidem excludit & consumit in illa propria subsistentiam; ergo importat modum aliquem positiuum destruentem proprium modum subsistentiæ, & terminantem naturam in Verbo, quæ mutatio non cõsistit in sola negatione, seu ablatione propriæ personalitatis, quia sola ista negatio non inducit connexionem cum persona Diuina, nec magis cum persona Verbi, quàm cum persona Patris, vel Spiritus sancti. Vnio autem Incarnationis est nexus ad personã Diuinam, & ad personam Verbi determinatè, cui facta est; ergo non est sola mutatio negatiua, sed positiua connexio.

Nihilominus sententia D. Thom. non agnoscit modum aliquem vnionis, qui sit medium seu forma constituens extrema vnita, præter actionem vnientem, & passionem immutantem, seu reddentem extremum dependens ab alio, & relationem inde resultantem, quæ tamen non est medium causans vnionem, sed consequens ipsam coniunctionem extremorum. De hac sententia vide Caiet. 3. par. quæst. 2. art. 7. § In hoc art. cautissimẽ & art. 10. In responsione ad primum & ibi Thomistas Interpretes D. Th. Nobis sufficit duo loca S. Th. ponderare. *Primus est*. in tertio ad Anibaldum, distinct. 5. quæst. vnica, articul. 3. vbi inquit: *Quòd vnio tripliciter accipi potest. Vno modo prout vnio est idem quod vnitio. Alio modo prout vnio est passio, & sic est quædam naturæ assumptæ dependentia ad assumentem. Tertio modo, & propriè vnio est relatio consequens huiusmodi actionem, & passionem, & sic est quadã comparatio, vel habitudo vnitorum.* Vbi nihil istorum est modus aliquis absolutus, quo formaliter fiat coniunctio, tanquam medio vniente, & causante ipsam coniunctionem.

Secundus locus est in tertio distinct. 2. quæst. 2. art. 2. quæst. 3. vbi inquit: *Quòd inter humanam naturam & Diuinam, est necesse cadere vnionem mediã non sicut causam; sed sicut effectum consequentem.* Et subdit: *Vnde vnio est medium non sicut assumptionem causans, sed sicut eam consequens.* Vbi D. Thom. non solum excludit medium, quod sit realitas, & habeat vim extremi, sed etiam qui sit modus & formalis ratio vniens; tùm quia absolutè omne medium excludit, tùm quia dicit vnionem non esse vt causã, sed vt effectum consequentem. Ergo cui concedit esse effectum negat esse causam, sed esse effectum consequẽtem non conceditur realitati alicui consecutæ: talis

talis enim realitas conſecuta, quæ ſit vnio non datur, ergo quando negat eſſe cauſam non ſolum id negat realitati, ſed modo. Et denique videri poteſt S.D.1.p.q 76. art.4. & quæſt.de ſpiritu creat.art.3. & quæſt.de Anima, art.9. in corp.& 1. Metaph. lect. vlt.in fine. vt infra citabitur.

Nec obſtat, quòd D.Thom.1.p. quæſt.76. art.1. ad ſextum, dicit animam ſeparatam inclinari ad vnionem cum materia, ſicut leue inclinatur ad locum ſurſum, locus autem ſurſum habetur per modum, qui eſt vbi, ergo & vnio per aliquem modum ſuperadditum habetur. *Non*, inquam, *obſtat*, quia in ipſomet argumento ſupponit D.Thom. & admittit formam ſecundùm ſe, & non per aliquod accidens vniri materiæ, vnde non comparat vnionem, & locum in eo, quòd ſint modi ſuperadditi vel non, ſed in eo quod ſunt terminus & ſtatus, qui à corpore leui appetitur, & ab anima.

Fundamentum autem huius ſententiæ eſt, quia iſte modus vnionis, vel eſt ipſa ratio formalis, quâ extrema ſunt vnibilia, vel quâ redduntur formaliter vnum in actu ex vi ſuæ communicationis, vel eſt ipſa applicatio extremorum coordinans vnum extremum alteri, vel denique eſt aliquid reſultans ex tali applicatione & coordinatione. *Hoc vltimum* incidit in noſtram ſententiam, quia ſic ille modus eſt conſequens ipſam coniunctionem, ſeu applicationem extremorum non cauſans illam vt medium. *Primum* autem dici non poteſt, quia vnio ſupponit extremum eſſe vnibile, non vnibile conſtituit. Et conſtat, quòd forma per ſeipſam intrinſecè & eſſentialiter eſt actus reſpiciens materiam, & materia reſpiciens formam, ergo ſe ipſis, & non per modum ſuperadditum habent totum fundamentum & capacitatem communicabilitatis, quæ eſt actus & potentia, nec enim per modum ſuperadditum forma conſtituitur magis actus, vel materia magis potentia, ergo ſe ipſis habent rationem vnibilis, ſeu coaptationis ad vniendum, non per modum ſuperadditum. *Si dicatur ſecundum*, conſtat manifeſtè, quòd extrema non redduntur vnum mediante modo ſuperaddito tanquam ratione formali huius vnitatis, quia materia & forma non conſtituunt vnum vnitate modali, ſed vnitate realitatis ſubſtantiæ, ita quòd vnitas ipſa, in qua conueniunt, eſt illud, in quo communicant, & vnum fiunt; communicant autem in eſſe formali ſubſtantiali, & in vnitate realitatis ſubſtantiæ, quæ ex illis partibus reſultat; ergo ratio formalis huius vnitatis extremorũ nõ eſt modus ſuperadditus, ſed ſubſtantialis ratio. *Et magis hoc conſtat*, quia vnitas ſequitur ens, non modum entis, ergo ratio formalis vnitatis, in qua conueniunt extrema, non eſt modus ſuperadditus ſubſtantiæ ſed ſubſtantia ipſa, quæ ab entitate partium non diſtinguitur, & ſicut partes ſeipſis ſunt partes, ita ſe ipſis vnum in ſubſtantia entitatiuè fiunt. *Reſtat ergo tertium*, ſcil. quòd ille modus ſit applicatio extremorum ad vnum, in quo communicant, vel conueniunt vnibilia. Hæc autem applicatio neceſſariò dicit ordinem ad cauſam applicantem, & ſic vel ſumitur actiuè ex parte cauſæ applicantis, vel paſſiuè ex parte extremorum, quæ paſſiuè applicantur, & immutantur ad communicandum ſe. Et ſic fatemur, quòd datur vnio non tanquam medium formaliter interiectum inter extrema, formaliter cauſans rationem vniti, ſed tanquam actio vel paſſio ex agente proueniens, quæ in ipſo fieri eſt motus tendens ad iſtam mutationem vnionis, & in facto eſſe eſt terminus reſultans ex extremis vnitis, in quo communicant & fiunt vnum ipſa extrema.

Quòd ſi dicas, quòd in ipſo extremo, vel extremis quæ vniuntur, debet aliquid permanenter manere præter ipſum fieri actionis & paſſionis, in quo fundetur relatio illa vnionis, quæ permanet, & hoc erit aliquis modus ſuperadditus. *Reſpondetur*, id quod relinquitur ex tali actione applicante vnibilia, non eſſe modum vnionis, qui formaliter reddat vnum; id enim dicitur formaliter vnio, quod formaliter extrema conſtituit vnum; ſeu trahit ad vnum ex multis, ſed eſt modus paſſionis, quo ab agente aliquid in facto eſſe immutatur & patitur à forma, & diſtinguitur à modo vnionis, quia vnio tantum reſpicit extrema, vt formaliter illa ad vnitatem, & communicationem redigens; paſſio verò reſpicit agens à quo immutatur aliquid, ſicut etiam agens & paſſum indigent applicatione ſeu approximatione, vt ſequatur operatio, quæ diſtincta immutatio eſt ab operatione ipſa. Ipſa ergo communicatio conſtituens vnitatem extremorum, ſiue hoc fiat per mutuam dependentiam eorum, ſiue per alterius tantum, non fit per modum ſuperadditum, ſed forma communicat per ſeipſam, & materia recipit per ſeipſam immediatè, & in tali vnitate vel communicatione formaliter fundatur relatio vnionis, quia tamen eſt facta de nouo iſta communicatio, requirit actionem, ex qua ſequatur paſſio ſeu immutatio ad vnionem, de quo latiùs quæſt.10. agendo de cauſa formali.

Quare D.Th.8. Metaphyſ. lect. vlt. in fin. docet ex Philoſoph. *Quòd aliqui antiqui errabant inquirendo, quid faciat vnum potentiam & actum, quaſi oporteret eas colligari per aliquod vnum medium, ſicut ea quæ ſunt diuerſa ſecundùm actum.* Et ſubdit, *quòd non oportet ea vniri per aliquod vinculum, ſicut ea quæ ſunt penitus diuerſa: vnde nulla eſt cauſa faciens vnum ea, quæ ſunt compoſita ex materia & forma, niſi quod mouet potentiam in actum.* Sic D.Thom. *Nec poteſt dici*, quòd ſolum negat vinculum, quod ſit medium vniens vt *quod*, & vt res, non vniens, vt *quo*, & vt modus. *Nam contra hoc eſt*, quia vel hoc medium vniens vt *quo*, & vt modum agnouit D.Thom.& Philoſophus, vel non. Si non agnouit, neque affirmauit aut admiſit; ſi agnouit, ergo fuit diminutus ſolum negando vinculum vniens vt *quod*, & vt res, & non explicando vinculum quod eſt modus, cùm etiam immutationẽ ad vniendum requiſitam explicaſſet, & cauſam efficientem quæ mouet ad vniendum. Et præterea, quia vinculum vniens vt res, & vt *quod* eſt extremũ proximè vnibile, non ſolum forma, ſeu ratio vniens ſicut patet in his, quæ ſunt diuerſa ſecundum actum, quæ D.Th. concedit vniri per medium, id eſt per aliquam realitatem, quæ etiam vnitur, vt filum quo vnum aſſuitur alteri. Si ergo D.Th. inquirens, quid faciat vnum tanquam medium, ſolum negat illud vinculum, quod eſt extremum, ſeu immediatè vnibile, reſtabat explicare præcipuum punctum, ſcil. quid ſit vniens tanquam medium formale, quod ſi non fecit, fuit diminutus.

Ad primum fundamentum in contrarium reſpondet. inhærentiam accidentis, non eſſe ſolam eius vnionẽ, ſed vnionem cum tali modo, ſcil. reddens eius eſſe ſuſtentatum, & dependens à ſubſtantia, quod opponitur modo ſubſiſtendi, qui conuenit ſubſtantiæ totali, vt habenti illum, partibus autem vt principiis ſubſiſtendi. Itaque vnio ex ſuo conceptu ſolùm importat communicationem in vnitate, ſubſiſtentia autem, & inhærentia vltra hoc important modos habendi hanc vnitatem & eſſe, ſcil. vt adiacens & ſuſtentatũ in altero, vel vt ſubſiſtens & ſubſtãs in ſe.

Ad confirmationem, dicetur amplius infr. quæſt. 11. agendo de cauſalitatibus materiæ & formæ. Interim

ſufficit

sufficit aduertere, quòd sola vnio secundùm conceptum vnionis non potest esse causalitas materiæ & formæ, quia vnio dicit relationem æquiparantiæ in vtroque extremo, vtrumque enim denominatur vnitum & præcisè importat communicationem in vnitate. Causalitas autem materiæ & formæ non est æquiparantiæ, aliter enim causat materia, aliter forma, aliquid ergo addunt supra rationem vnionis & vniti. Vnde vnio fundatur in aliqua immutatione & dependentia, saltem vnius extremi ab altero, in cuius vnitatem asciscitur. Causalitas autem formæ, vel materiæ, vt causalitas, non est dependentia, sed potius ratio vt causatum dependeat à tali causa, non ergo est sola vnio, licet illam requirat ad causandum; causatur enim compositū, quod est vnum, & requirat partium vnionem. Quid sint autem illæ causalitates materiæ & formæ, dicemus loc. cit.

Quòd si dicas, nam benè stat formam vniri & non recipi seu dependere, vt patet in anima rationali, quæ vnitur corpori, & non pendet ab illo, & Verbum Diuinum vnitur humanitati, à qua non pendet, ergo vnio non fundatur in dependentia, nec illam ex suo formali conceptu includit. Alioquin cum immutatio illa seu passio & dependentia aliquid accidentale sit, vnio fundata super illam accidentalis erit, non substantialis. De hoc argumento dicemus latius inf. q. 11. *Sed interim dicimus*, quòd vnio non petit depēdentiam & immutationem in vtroque extremo, sed sufficit in altero tantum, quòd est subiectum vnionis realiter, & immutatur ad vnionem. Et sic Verbum vnitur humanitati, non vt subiectum vnionis, sed vt terminus, humanitas autem vt subiectum immutatum ad vnionem cum Verbo. Anima etiam rationalis non vnitur vt dependens in esse, & per immutationem sui ad esse, sed vt dependens informare; & in habendo statum proprium, qui est status formæ, & quoad hoc perficitur per vnionem; & potest dici, quòd immutatur & dependet à materia non in esse, sed in statu essendi. Omnis autem vnio quæ realiter in aliquo est, & tendit ad vnitatem per dependentiam seu immutationem extremi, vel extremorum, dicit receptionem ex parte materiæ, & dependentiā aliquam. Quòd verò fundetur in passione, seu mutatione noua, non tollit, quòd vnio substantialis sit, eò quòd licèt actio ipsa in se accidens sit, & de prædicamento actionis, sicut vnio de prędicamēto relationis, sed substantiales dicuntur ratione termini ad quem tendunt, scil. ad vnitatem substantialem faciendam, & communicationem substantialem in extremis.

Ad secundum fundamentum respondetur ex dictis, quòd vnio in materia & forma est aliquid accidentale quasi prædicabiliter, non quasi prædicamentaliter, est enim contingens & extra conceptum materiæ, & formæ, quòd de facto vniantur, licèt se ipsis, & non medio accidente prędicamentali superaddito vniantur, sed tamen dicitur vnio hæc accidere materiæ, & formæ, & contingenter se habere, tum ratione præsuppositi, quod est actio & passio applicans & immutans ad communicationem vnitatis ipsa extrema, quæ applicatio intelligitur ipsis extremis superuenire, seu accidere, tum ratione consecuti scil. relationis, quæ etiam accidit ipsis extremis, cùm non sit prædicatum essentiale, sed accidentale, ipsa tamen ratio formalis, quā vniuntur extrema, est ipsa eorum entitas, vt ad communicationem vnitatis applicata. Et ipsa vnio dicitur educi ex subiecto, eo modo, quo relatio, vel immutatio ipsa passiua dicitur educi, non quia ipsa ratio formalis, in qua fit vnitas tanquam quid distinctum à forma, vel materia, educatur.

Ad alteram partem argumenti, quòd vnio non sit extrinseca denominatio, *Respondetur*, verissimū esse, quòd vnio realis & intrinseca, denominatio est saltem in illo extremo, quod redditur immutatum, nā si alterum extremum non dependet, in illo non erit relatio realis, vt in Verbo Diuino, quod dicitur vnitum humanitati non per relationem realem, sed rationis. Vnde ex parte Verbi non est fundamentum ad realem relationem, quia licèt Verbum se ipso immediatè terminet, & reddat subsistentem humanitatem, tamen quia tota immutatio est ex parte humanitatis, & ratio formalis vniendi & communicandi non est fundamentum relationis, nisi adiuncta immutatione, vt dictum est, ideò ex parte Verbi non datur fundamentum realis vnionis.

Ad tertium fundamentum respondetur, omnem actionem habere terminum de nouo, sed non simpliciter productum, sufficit enim quòd sit de nouo immutatum, vel vnitum, vel communicatum; sic enim etiam verificatur, quòd per actionem vnitiuam ponitur aliquid in esse, quod ante non erat; ponitur enim ipsa noua communicatio extremorum, quæ antea non erat, licèt ipsa extrema essent, & similiter ponitur noua relatio, & noua immutatio extremi, vel extremorum ad se communicandum, non tamen requiritur, quòd producatur nouus modus, qui sit medium inter ipsa extrema, vt formaliter vniens.

Nec exempla allata in argumento aliquid amplius probant, quia in resurrectione nec anima, nec corpus producuntur, nec modus aliquis medians inter animam & corpus, & causans vnionem, sed fit de nouo ipsa cōmunicatio animæ & corporis, quæ quantùm ad rationem formalem constat ipsâ entitate extremorum vnitatem faciente, & quantùm ad conditionem constat applicatione & immutatione passiua extremi vel extremorum, & quantùm ad consecutionem constat relatione vnionis, quæ de nouo fit, non quia ad relationem detur per se actio, sed datur ad fundamentum relationis, quod est ipsum extremum non vt productum, sed vt tractum, & immutatum ad communicationem cum altero. In Incarnatione similiter fit aliquid de nouo, scil. ista vnio extremorum non per productionem noui modi, qui sit forma vniens, sed per immutationem humanitatis ad personam Verbi, quæ immutatio cùm fiat ad determinatam personam Diuinam, importat ordinem ad ipsam potius, quàm ad aliam personam. Quid sit autem ista immutatio ante solutionem argumentorum explicatum est. Nec subsistentia creata expellitur, vel consumitur per ipsam vnionem formaliter, sed per id quod subrogatur loco subsistentiæ creatæ, & reddit subsistentem humanitatem in aliena persona, & hæc est subsistentia Diuina vnita, non ipsa vnio.

Corollaria ex dictis.

EX *dictis solutum manet argumentum*, quod proponi solet, quia materia & forma sine vnione non constituunt compositum; ergo vnio est aliquid præter materiam & formam, hoc enim est, quod de nouo fit & producitur per generationem. *Resp. enim concedendo antecedens, & distinguendo consequens*; est aliquid vnio præter materiam & formam tanquam ratio formalis communicans extrema, & reducens illa ad vnitatem, *nego*; tanquam applicatio & mutatio extremorum, vt fiat ista communicatio & consequatur relatio, *concedo*. Id autem quod fit per generationem tanquam terminus totalis est ipsum compositum, tanquam formalis terminus est ipsa forma, vel vt educta, vel vt communicata ma-

teriæ, & tanquam conditio ad iſtam communicationem requiſita, eſt ipſa applicatio & immutatio extremi ex actione vnitiua relicta, quæ in facto eſſe & permanenter non eſt inconueniens, quod ſit modus paſſionis, vt ſuprà diximus, non formaliter vniens, ſeu formaliter applicatum relinquens extremum, vt recipiat, vel actuet alterum, cùm dependenter informat.

Secundò colligitur, quòd abſolutè ſufficit vnica vnio, vt dicantur duo extrema vnica, vnum tanquam ſubiectum, alterum tanquam terminus, eò quòd ſufficit vnica immutatio in altero extremo facta, imò vnica relatio inde conſecuta, vt dicantur duo extrema vnita, vt in vnione hypoſtatica, quæ in relatione conſiſtit conſecuta ad immutationem humanitatis, qua trahitur ad perſonam Diuinam, & ſubiectata in ipſa: in hoc enim ponitur vnio à D.Thom.3. part. q.2. art.7. & 8. & in 3. diſt.5.q.1. art.1. & ibidem ad Anibal. quæſt. vnica art.3. Cæterùm quia contingit communicationem, ſeu vnionem extremorum fieri per immutationem vtriuſque extremi, & relationem mutuam: relatio enim vnionis in creaturis mutua eſt, & æquiparantiæ, vt S. Thom. docet citatis locis ex 3. Sentent. ideò vt talia extrema vniantur non abſolutè, ſed vnione mutuæ relationis, requiritur duplex relatio vnionis fundata in duplici illa immutatione. Similiter ex parte formalis rationis vnionis, quæ eſt communicatio extremorũ facta nõ per modum ſuperadditum, ſed ſe ipſis immediatè, manifeſtum eſt ſufficere communicationem realem ex parte vnius extremi immutans ipſum extremum, & de nouo illi conueniens, ad hoc vt abſolutè detur vnio, vt patet in vnione hypoſtatica; vt autem vnio ſit mutua, & per communicationem mutuam facta, duplex requiritur communicatio, quia vtrumque extremum realiter ſe communicat immutatione reali ſubiectata in ſe, vt patet cum materia & forma vniuntur diuerſa communicatione, quæ in materia eſt receptio, in forma actuatio.

Et ſi inſtes, quòd Verbum per illam vnionem redditur realiter vnitum. *Reſp.* quòd ibi non eſt relatio mutua realis, neque immutatio, vel communicatio de nouo immutans, niſi tantum ex parte humanitatis, & tamen dicitur Verbum realiter vnitum humanitati, non realiter ſubiectiuè, ſed realiter terminatiuè, quia relatio humanitatis ad illum terminatur, ſicut eadem ratione dicitur Chriſtus realiter filius Virginis, quia terminat relationem realem matris ad ſe, vt S.Thom. docet 3. p. q.35. art.5. *Si verò inſtetur* de puncto vniente partes in continuo realiter, & tamen vnicum ſufficit ad duas partes vniendas; *Reſpondetur* quòd indiuiſibile illud non eſt ipſa vnio formaliter, ſed conſtituens partem vnibilem, ſecundum extremitatem tantum, & non ſe tota; vnde magis pertinet ad modum vnibilitatis vtriuſque extremi modo quantitatiuo, quam ad actualem vnionem, & ſic tale indiuiſibile eſt vnicum inter duo extrema, non quia vtrique inhæreat, ſed quia inhærendo vni parti, altera pars, quæ ſibi copulatur, ſolum in illa extremitate copulatur, & non totam partem intrat, & ſic conſurgit continuum; ſi verò in vtraque parte ſit indiuiſibile terminans, non copulatur pars extremitati, ſed extremitas vnius extremitati alterius, quod eſt eſſe contiguum; de quo plura, q.22.

Et ſi quæratur de ſubiecto iſtius vnionis, ſiue ſit mutua, ſiue non quodnam ſit aſſignandum abſolutè & ſimpliciter? *Reſpond.* iſtam relationem, & immutationem eſſe ſubiectiuè in ipſis partibus, ſeu extremis, quæ vniuntur, ſicut immutatio ipſa conuenit extremis vnibilibus; relatio autem quæ in tali mutatione fundatur, fundamẽtũ ipſum modificat, & mediante fundamento ſubiectum. Et quidem in opinione, quæ ponit accidentia ſubiectari in ſola materia vel forma, nulla eſt difficultas, quòd in ipſis ſubiectiuè ſit vnio. In opinione autem, quæ ponit accidentia ſubiectari ſolum in compoſito tanquam in ſubiecto *quod*, à quo habent eſſe & ſuſtentationem, eſſe autem ſolum conuenit toti; dicendum eſt, quòd illæ relationes, & immutationes ſunt in illis partibus, vt in ſubiecto *quo*, dependenter autem ab eſſe totius, vt à ſubiecto *quod*, ſicut viſio eſt in oculo, & mediante ipſo in toto, nec tamen ipſum totum denominatur vnitum etiam vt *quod*, ſed ſuſtentans & habens vnionem partium, quia iſta denominatio vniti non eſt denominatio ſubiecti ſuſtentantis, ſed extremi vnibilis, & ipſa vnione ſe communicantis; totum autem quod reſultat, dicitur conſtitutum ex vnione, non autem vnitum. Sed de hoc latiùs agemus in libris de gener. In accidentibus autem vnio, & inhærentia eſt modus ipſam eorum realitatem modificans, ſed ſicut realitas eorum habet eſſe à ſubiecto, ita & relatio vnionis eorum.

Quòd ſi quæras, quomodò anima rationalis immutetur per vnionem in ſe receptam, cum ipſa ſpiritualis ſit, & independens à materia? *Reſpondetur*, animam eſſe independentem in ſuo eſſe à materia, & ſic non vnitur propter exiſtentiam, ſed tamen vnitur propter connaturalem modum eſſendi & operandi, quem habet in materia, cum naturaliter ſit forma corporis, & ſic acquirit modum ſeu ſtatum peculiarem ex eo, quod eſt in materia, quatenùs informat illam, & actuat, & in ſe perficitur ad operandum, non ſeparatim à corpore, ſed cum ipſo & in ipſo; iſte autem modus ſeu immutatio ipſius animæ ad corpus, eſt aliquid ſpirituale in anima ſubiectiuè in ipſa, produciturque effectiuè à Deo infundente animam corpori, vel reunienté per reſurrectionem, nec enim ſine habitudine ad corpus, & infuſione in illo, ipſam creat, quæ habitudo in ea ſubiectatur; à generante verò diſpoſitiuè tantum, quatenùs diſponit materiam, vt Deus infundat formam, & in reſurrectione diſponentur corpora à Deo per miniſterium Angelorum vt docet Sanctus Thomas in addit. quæſt.76. articulo 3.

QVÆST.

QVÆSTIO VII.

De Subſiſtentia & Exiſtentia.

ISTI modi non pertinent ad conſtitutionem naturæ, ſed conſtitutæ adueniunt, pertinent autem ad ipſum totum, & ideò de illis agimus poſt ipſum totum, & conſtitutionem eius.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſit ſubſiſtentia conueniens ipſi compoſito?

INter proprietates; ſeu proprios modos, qui conueniunt naturæ ſubſtantiali, vnus eſt ſubſiſtentia, proprium enim totius compoſiti eſt *ſubſiſtere, fieri, & exiſtere*, vt colligitur ex Diu. Thom. 1. part. q. 45. articul. 4. De ſubſiſtentia ergo propriè pertinet agere ad Metaphyſicum. Breuiter tamen in pręſenti; vt explicetur pleniùs quidquid pertinet ad rationem compoſiti naturalis, de ſubſiſtentia ſolùm duo attingemus, ſcilicet quid ſit ſubſiſtentia, & vtrùm conueniat indiuiſibiliter ſubſtantiæ totali, an etiam partialiter conueniat partibus, ex quibus totalis ſubſiſtentia reſultat?

Circa explicationem primæ difficultatis ſupponendum eſt, quòd præter ſingularitatem naturæ ſubſtantialis datur in illa aliquid, quod vocamus ſubſiſtentiam, vt aduertit D. Thom. in 3. diſt. 2. q. 2. artic. 1. quæſtiuncula 3. ad 2. & conſtat in myſterio Incarnationis, in quo aſſumpta eſt humanitas ſingularis, & tamen aſſumpta eſt ſine ſubſiſtentia; vnde pertinet ſubſiſtentia ad complementum, quo natura ſingularis redditur incommunicabilis vlteriori termino, & ſubiecta vel ſuſtentans alia prædicata, ſiue accidentalia, ſiue ſubſtantialia: vnde dicitur ſubſiſtens quaſi ſiſtens eſſe ſub alio; in eo enim quod eſt ſiſtens quaſi incommunicabilitas importatur, quod enim non tranſit ad alterum, nec communicatur alteri, dicitur ſiſtere in ſe: ex eo autem quod ſub aliis ſiſtit, importatur ratio ſubſtantiæ primæ, ſeu ſuppoſiti, aut ſubiecti, quia ſubiicitur prædicatis ſuperioribus, & accidentibus, quæ ſuſtentat, & ſub quibus eſt tanquam ſuſtentatiuum illorum, quod proprium eſt primæ ſubſtantiæ, & hoc ipſum quod dicitur *ſubſiſtens*, ſeu *ſuppoſitum*, Græci vocant *hypoſtaſim*, id eſt ſub aliis ſtans, & Latini *ſubſtans, vel ſubſiſtens.* Quòd ſi hoc fiat in natura rationali, dicitur *perſona*, de quo plura diximus in 2. p. Logicæ, q. 15. art. 1.

Quòd ſi quæras, ex quo principio deducitur debere poni hanc ſubſiſtentiam tanquam aliquid diſtinctum à natura ſubſtantiali, & ſingularitate eius? *Reſpondetur* aliquos exiſtimare ſolum id poſſe deduci ex myſterio Incarnationis, in quo fatetur fides integram naturam humanam eſſe aſſumptam ſine perſonalitate. Cæterùm D. Thom. etiam ex naturalibus principiis aliqualiter inueſtigari poſſe docet diſtinctionem hanc inter ſubſiſtentiam, & naturam, vt conſtat ex 3. p. q. 2. ar. 2. & 1. p. q. 3. ar. 3. & opuſc. 48. tractat. de ſubſtantia, cap. 2. & quodl. 2. art. 4. & aliis locis, quia videlicet inuenimus ſubſtantias creatas etiam immateriales eſſe capaces accidentium realium, quæ ita illis inhærent, vt non miſceantur earum naturæ, ſed inconfuſæ permaneant, vnumquodque in ſua quidditate, ergo neceſſe eſt, quòd vniantur naturæ non ſub conceptu naturæ, ſic enim pertinerent ad rationē naturæ, vel conſtituendo ipſā, vel conſtituendo cū ipſa aliquod tertiū, illi autē entitati, quę tantū importat rationē naturæ, ſecundū cōceptum naturæ, ſeu id quo aliquid eſt tale, v. g. id quo homo eſt homo (hoc enim eſt natura) non poteſt ipſi entitati ſic acceptæ vt *quo* aliquid vniri, niſi vt mixtum cum ipſa natura, & ad rationem naturæ pertinens, quia ſi conceptus naturæ eſt præciſè, id quo aliquid eſt tale, v. g. homo, quidquid ergo in illo conceptu vnitur, aut ad ipſam naturam pertinet, aut ille conceptus habet aliquid amplius quam ſolam naturam. Exigit ergo aliquid præter purum conceptum & rationem naturæ, quo reddat illam vt ſubiectum *quod*, reſpectu eorum quæ ſunt extrinſeca naturæ, & tamen impermixtæ cum ipſa vniuntur, & non vt pertinentia ad rationem naturæ. Et inde eſt, quòd non poteſt ſubſiſtentia pertinere ad gradum naturæ, quia gradus non vniuntur extra conſtitutiuum naturæ, ſed ad conſtituendum ipſam, & ideò quòd ſe habet vt gradus, non eſt extra conſtitutiuum naturæ. Et præterea, ipſum ſuppoſitum ſupponit naturam cum omni gradu etiam ſingularitatis, ſiquidem omnes iſti gradus ſine ſubſiſtentia inueniuntur in humanitate Chriſti.

Sed dices, Perſona Diuina ſuſcipit externam naturam, ſcilicet humanam, & tamen non diſtinguitur à natura ipſa Dei; ergo fundamentum poſitum non ſubſiſtit. *Reſpondetur*, quòd nihil in Deo ſuſcipitur, quod non ſit eius natura, nec enim eſt capax accidentis, quod recipitur per potentialitatem recipientis, & ideò in eo non eſt diſtinguere perſonam à natura reſpectu eorum quæ in ſe habet. Reſpectu verò naturæ creatæ, quam terminat ſine permixtione Diuinæ naturæ, non requiritur quòd perſona diſtincta ſit à natura Diuina, quia per hoc nihil immutatur perſona, nec recipit aliquid, ſed ſufficit diſtingui à natura creata, quę ſola immutatur in hac terminatione, non Diuina.

Sed inſtabis, quomodò ergo natura ſuſcipit propriam ſubſiſtentiam tanquam diſtinctam à ſe, ſi ad ſuſcipiendum ea, quæ ſunt extra conſtitutiuum naturæ, dicimus indigere ſubſiſtentia tanquam diſtincta? *Reſp.* quòd natura non ſuſcipit ſubſiſtentiam, ſed potiùs terminatur, & ſuſcipitur in illa, ipſum enim ſuppoſitum, ſeu prima ſubſtantia ſubſtat ſeu ſubiicitur, tam ſecundis ſubſtantiis, quæ ſunt prædicata conſtitutiua naturæ, quàm accidentibus, quæ extrinſeca ſunt naturæ, & vtraque ſuſcipit ſine permixtione inter ſe.

His ſuppoſitis, dubium eſt, An iſta ſubſiſtentia addat aliquid poſitiuum ſupra naturam, quam reddit

subsistentem? In hoc non omnino conuenit inter Authores, nam *aliqui existimant* non addere super naturam aliquid positiuum, sed negationem quandam, quàm aliqui explicant per negationem diuisionis, eò quòd suppositum dicit quoddam totum integrum & vnum. *Alij* per negationem dependentiæ actualis ab aliquo in quo sit. *Alij* per duas negationes, scilicet dependentiæ actualis, & aptitudinalis, eò quòd natura sic subsistens nec dependet ab aliquo, nec dependere potest, habet enim negationem vnionis hypostaticæ Quę sententia est Scoti in 3. dist. 1. q. 1. §. Ideo propter istum; & præcipuè in §. Non asserendo, vbi ponit negationem actualis dependentiæ non sufficere, vt aliqua substantia dicatur persona, aliàs anima separata esset persona, sed requiritur aptitudinalis negatio, quatenùs natura aliqua secundùm ordinem naturalem non potest dependere ab alio, licèt supernaturaliter possit, & sic quamdiu natura singularis non assumitur à persona Diuina, solâ illâ negatione, & non aliquo positiuo superaddito personatur, quæ sunt verba Scoti; licèt quia dicit tenere ista non asserendo, non videtur omnino fuisse huius sententiæ, vt etiam aliqui eius Expositores videntur sentire. *Et ferè totum fundamentum est*, quia nihil est positiuum in natura humana, quod non possit à Verbo assumi, personalitas autem non potest assumi, ergo illa non est entitas positiua. *Et confirmatur*, quia aliàs non esset in Christo omnis entitas, quæ pertinet ad naturam humanam, nec quidquid Deus in ea plantauit, assumpsisset, quod negant Damascenus, & alij Patres.

Nihilominùs omnino dicendum est, *Subsistentiam addere supra naturam aliquid positiuum*, quæ est communior sententia Theologorum in materia de Incarnatione ad quæst. 2. 3. partis, & sine dubio sumitur ex Diuo Thoma, qui 1. part. quæst. 3. articul..... inquit: *Quòd hoc nomen, Persona, non est nomen negationis, nec intentionis, sed nomen rei*, constat autem, quòd persona directè non significat naturam, sed id quod naturæ additur. Et similiter quæst. 9 articul. 2. ad 3. inquit: *Quòd hypostasis, & persona, addunt supra rationem essentiæ principia indiuidualia, neque sunt idem cum essentia in compositis ex materia, & forma.* Et denique quæst. 3. art. 3. inquit: *Quòd id quod est homo, habet in se aliquid, quod non habet humanitas*: quod certè verificari non potest, si non habet nisi negationem superadditam, hæc enim non est aliquid supra humanitatem.

Et fundamentum huius est, quia subsistentia neque est negatio diuisionis, quod pertinet ad vnitatem, vnitas enim in natura sine subsistentia saluatur, vt in humanitate Christi, quam assumpsit, vt vnam in singulari, & non vt subsistentem, neque similiter est negatio dependentiæ, impossibile est enim, quòd independens non sit perfectius dependẽte; dependẽtia autem est aliquid positiuum, ergo independentia in illo genere non potest esse sola negatio, licèt per negationem explicetur, sicut infinitas in substantia, vel quantitate, licet explicetur per negationem, aliquid tamen positiuum est, & Deum esse independentem in essendo; maxima perfectio illius est. *Vnde fit argumentum.* Omne non subsistens inquantum tale est imperfectius subsistente, vel perfectibile per subsistentiam, vt patet in anima separata, & quacumque alia parte, quæ imperfectior est, quàm res subsistens, vtpotè incompleta & perfectibilis, subsistens autem est perfectum & integrum, & completum, à quo minus aliquid habet pars non subsistens, ergo potiùs non subsistens dicet negationem illius perfectionis, quàm res subsistens solùm addat negationem sine aliqua positiua perfectione super naturam non subsistentem.

Quòd si dicas, negationem dependentiæ, quam importat suppositum, dicere negationem alicuius maioris perfectionis, scilicet negationem vnionis hypostaticæ, solùm enim per istam vnionem potest excludi propria subsistentia, ergo solùm dicit negationem huius vnionis, quæ vtique aliquid perfectius est; nam perfectiori modo natura est in persona Diuina, quàm in se. *Contra* est, *primò*, quia subsistentia naturalis, & propria non solùm opponitur vnioni hypostaticæ, sed etiam opponitur modo existendi accidentis, qui est inhærentia, & modo existendi tanquam pars incompleta; vtrumque enim repugnat supposito, & consequenter ab illo excluditur, frustrà ergo restringitur ad negationem vnionis hypostaticæ. *Deinde*, quia subsistentia propria est aliquid naturale primò & per se, quia constituit aliquid ordinis naturalis, ergo non potest primò & per se consistere in negatione vnionis hypostaticæ, quæ supernaturalis est, licèt illam etiam includat, sicut in quacumque re naturali inuenitur negatio rationis supernaturalis, non tamen istâ negatione res naturales constituuntur primò & per se. *Et vrgetur amplius*, quia vel ista negatio vnionis hypostaticæ sumitur priuatiuè vel purè negatiuè: si purè negatiuè, non potest constituere personam, nam etiam accidentibus, imò & entibus rationis conuenit negatio vnionis hypostaticæ. Si priuatiuè solum conuenit naturæ, vt capaci vnionis hypostaticæ, solum autem est capax per potentiam obedientialem, ergo priuatio etiam illi conuenit secundum hanc capacitatem, ergo si per illam constituitur subsistentia naturalis, conueniet subsistentia naturalis secundùm capacitatem obedientialem, quo nihil absurdius dici potest.

Denique in Diuinis dantur propriissimè tres subsistentiæ & personalitates relatiuæ, quæ in quantum subsistentiæ, positiuas realitates important, non tres negationes; & subsistentia Verbi vniuit sibi humanitatem loco propriæ subsistentiæ, non autem vniuit illam in aliquo negatiuo, sed in aliquo positiuo, quod cum loco subsistentiæ creatæ positum sit, & suppleat id quod faceret subsistentia creata, si hoc facit positiuè terminando, etiam id faciet subsistentia creata.

Et hinc soluitur fundamentum Scoti; dicimus enim assumptam esse à Verbo omnem entitatem naturæ humanæ, & quidquid ad eam pertinet in ratione naturæ, non tamen quidquid pertinet ad modum naturæ terminantem illam non constituentem.

Quòd si inquiras, quidnam sit hoc positiuum, quod subsistentia addit supra naturam? *Respondetur*, neque esse solam indiuiduationem, seu indiuiduales proprietates, nec solam existentiam, cùm vtrumque inueniatur in accidente, & singularitas etiam in humanitate Christi sine subsistentia, neque esse solam existentiam per se, vt opponitur inhærentiæ, quia sic inuenitur in partibus siue incommunicabilitate; sed addit supra naturam terminum quendam, seu, seu formalitatem substantialem excludentem modum inhærentiæ, & modum partis communicabilis, sicque reddit naturam terminatam, & incommunicabilem vlteriori termino, sicut etiam punctum terminat lineam positiuâ additione, & terminatione.

Est tamen dubium inter aliquos, an sit terminus existentiæ, vel naturæ. Quidam enim existimant terminare existentiam, & supponere illam, eíque aduenire, vt P. Vazquez tom. 1. 3. part. disp. 31. cap. 6. quod etiam debent affirmare, qui existimant existentiam

ſtentiam non diſtingui ab eſſentia ſeu natura, ſic enim aduenıendo naturæ aduenit exiſtentiæ, *in oppoſita autem ſententia*, quam legitimam eſſe D. Tho. oſtendemus art.4. *oppoſitum dicendum eſt*, ſcilicet quòd priùs terminat ſubſiſtentia naturam & vltimò aduenit exiſtentia tanquam primò, & per ſe conueniens ſuppoſito, & mediante ſuppoſito ipſi naturæ; hoc enim perpetuò docet D. Thom. vt 3. part. quæſt.17. articulo 2. præſertim ad 2. vbi inquit: *Quòd eſſe ſequitur naturam non ſicut habentem eſſe, ſed ſicut qua aliquid eſt, hypoſtaſim autem ſeu perſonam tanquam habentem eſſe, & ita magis ſumi vnitatem ex vnitate hypoſtaſis, quàm dualitatem ex duplicitate naturæ.* Nec poteſt Diu. Thom. explicari, quòd nomine ipſius eſſe intelligit ipſum ſubſiſtere, vt aliqui dicunt; cùm enim affirmat, quod eſſe ſequitur ad hypoſtaſim, eſſet ſenſus, quòd ſubſiſtere ſequitur ad hypoſtaſim, hypoſtaſis autem & ſubſiſtentia idem ſunt, ſequeretur ergo ad ſe ipſum. *Et ratio huius* ſumitur ex doctrina Diu. Thom. 3. part. qu.2. art.5. ad 1. quia ſubſiſtentia ſeu ſuppoſitum innaſcitur ſeu conuenit naturæ ex ipſa coniunctione partium, ex qua præcisè reſultat totum vt completum, & terminatum; nam hoc ipſo quod totum eſt, terminatum debet eſſe, nec vlteriori termino communicabile, exiſtentia autem conuenit ipſi toti, in quantum ſubiicitur actioni agentis, & cauſæ producenti, priùs ergo ipſi naturæ conuenit modus totalitatis, ſeu ſuppoſitalitatis, quàm modus ſeu terminus exiſtentiæ, quia ipſum totum exiſtentiâ ipſâ afficitur, & ei ſubiicitur, fieri enim proprium eſt ſuppoſiti, vt oſtendit D. Thom.1.part.quæſt.45. articulo 4. quia terminus generationis & creationis vt *quod*, eſt ipſum totum quod fit, forma autem eſt terminus vt *quo*, ſeu formalis, eius autem eſt eſſe cuius eſt fieri, exiſtentia autem non eſt aliud quàm factum eſſe, & ſic correſpondet ipſi fieri: ſi ergo fieri non conuenit naturæ vt ſubiecto *quòd*, ſed ſuppoſito, conſequenter vt exiſtentia ſit in aliquo tanquam in ſubiecto *quod*, præſupponit ſubſiſtentiam & ſuppoſitum.

Nec hinc ſequitur (quod Vazquez vbi ſupra deducit contra Caietanum) prius natura eſſe conſtitutum & productum ſuppoſitum quam habeat exiſtētiam, ſiquidem ſuppoſitum completur entitate illa reali, quæ eſt prior, quam ipſa exiſtentia, id autem, quod eſt prius, poteſt eſſe ſine poſteriori. *Sed reſpondetur facilè*, inſtando hoc in ipſa natura, quæ eſt prior quam ſubſiſtentia, & tamen non poteſt produci natura, & exiſtere ſine illa. *Quod ſi dicatur*, non poſſe produci naturam ſine ſubſiſtentia propria vel aliena, hoc idem dicam de natura ſubſiſtente, quòd non poteſt produci ſine exiſtentia propria vel aliena, cum in ſententia Diu. Thom. natura exiſtat exiſtentiâ ſui ſuppoſiti. Et vniuerſaliter inſtatur hoc in cauſis, quarum vna eſt prior altera in cauſando, & tamen ſine alia non poteſt exiſtere, quia cauſæ ad inuicem ſunt cauſæ. Et denique in omni prioritate naturæ, quæ ſolùm eſt prioritas in dependendo non in exiſtendo, non valet illa conſequentia: Hoc eſt prius altero, ergo poteſt exiſtere ſine poſteriori; arguitur enim à prioritate naturæ, & *à quo*, ad prioritatem eſſendi, & *in quo*.

Multò minùs vrget, quod addit P. Vaſquez, non poſſe explicari quid ſit illa entitas, quæ complet ſuppoſitum, & qua de cauſa neceſſariò ſit ponenda? *Reſpondetur enim*, quod eſt terminus reddens naturam incommunicabilem & terminatam, ſicut punctum reddit lineam terminatam; & tamen non ſuperfluit in linea, nec eſt entitas inexplicabilis. Neceſſariò autem eſt ponenda, quia neceſſariò eſt ponendum totum ipſa ſubſtantia completum, & incommunicabile; iſte enim effectus formalis incommunicabilitatis in natura per ſe exiſtente, ab aliquo debet prouenire, non à ſola natura, vel exiſtentia, ergo à termino.

ARTICVLVS II.

Quomodo actiones conueniant ſuppoſitis?

EX *Dictis colliges* veritatem illius axiomatis apud Philoſophos cōmunis, *Actiones ſunt ſuppoſitorū*, quod negat P. Vaſq.1.tō.3.p.d.21.c.3. eò quòd Philoſophus 1. Met. cap.1. ſolùm dixit, quòd actiones ſunt ſingularium, id eſt non verſantur circa vniuerſalia, ſed circa ſingularia. Cæterùm Authores non collegerunt hoc axioma ſolum ex illo loco, ſed ex illo, adiuncto eo quod docet 1. de Anima, text.64. *Quòd anima non iraſcitur, neque ædificat, vel texit, ſed homo*, vbi licèt loquatur de anima, quæ eſt forma partialis, non de humanitate, quæ eſt forma totalis: hoc nihil obſtat, neque eſt ſufficiens reſponſio, licèt tradatur à P. Vazquez, eadem enim ratio currit de anima, quæ ſolum eſt principium *quo* fiunt illæ actiones, & de humanitate ſeu forma totali, quia etiam ex modo ſignificandi ſolum ſe habet vt *quo*, & conſequenter provt concipitur ſub ratione formæ, non magis poteſt illi attribui principium operandi quam ipſi animæ, neque enim ex eo, quòd ſit forma totalis, mutat modum eſſendi in ratione formæ, & per modum principij *quo*, ergo neque modum operandi. Et in hoc concordat Philoſ.7. Met.text.27. vbi probat formam non fieri, ſed compoſitum, quia generatio ſolum eſt circa hoc aliquid, & indiuiduum, vbi ſi loqueretur de indiuiduo, provt ſingulare tantum, etiamſi non ſit ſuppoſitum, nihil probaret, quia etiam forma ſiue totalis, ſiue partialis, aliquid ſingulare eſt, ergo per ly *hoc aliquid*, aliquid ampliùs intelligit Philoſ. quam formam, & videri poteſt D.Thom.in 1. diſt.4.q.1.art.7. ad 1.& 3.p.q.19.art.1.ad 3.& q.20.art.1.ad 1.& q.3.de potentia, art.8.in fin.

Ratio autem eſt, quia operari ſequitur eſſe, ergo illud quod ſolùm ſignificatur, vt forma & habens eſſe *vt quo*, non poteſt operari *vt quod*, ſed hoc pertinebit ad ſuppoſitum, quod eſt habens eſſe & naturam.

Nec dici poteſt, quòd hoc ſolùm probant, quòd ſubſiſtentia & ſuppoſitum ſolum concomitanter ſe habet reſpectu operationis, nec enim influit ſubſiſtentia, vt principium reſpectu operationis, aliàs ex mutatione ſubſiſtentiæ mutaretur operatio ſecundum ſubſtantiam, quia mutato principio non poteſt eadem permanere. Conſtat autem eandem manere operationem mutato ſuppoſito, ſicut in anima ſeparata eadem intellectio & volitio, & in accidente ſeparato eadem infrigidatio & calefactio, quæ in coniuncto, & ſi natura aliqua operans aſſumeretur à Deo, eadem operatio continuari poſſet, ergo talis modus ſubſiſtendi vel inhærendi purè concomitanter ſe habet ad operandum, ita quod licèt per ſe requiratur ad conſtitutionem ſuppoſiti in primo modo per ſe, non tamen in quarto modo ad operationem.

Sed contra eſt, quia ſuppoſitum & natura vel ita comparantur inter ſe, quod vtrumque eſt operans vt *quod*, vel vtrumque vt *quo*, vel ſuppoſitum nullo modo operatur, ſed ſola natura, vel ſuppoſitum operatur

operatur vt *quod*, & natura vt *quo*. Si hoc vltimum dicatur, est nostra sententia. Si dicatur tertium, sequitur quòd ad operationem omnino per accidens se habebit ratio suppositi vel subsistentiæ, & ita erit per accidens ista; Petrus ratiocinatur, vel ista, Ignis calefacit, sicut si diceretur, Album ædificat, vel Medicus currit; quod inconueniens videtur deuorare Vazquez, dum dicit, quòd ita comparatur operatio ad rem existentem per se, vel in alio, sicut ambulare ad habentem caput nudum, aut coopertum: quod stare non potest, quia suppositum est per se habens naturam, & per se ens, ergo per se operans, quia vnumquodque est propter suam operationem, ergo sicut subsistens est non per accidens, ita est operans non per accidens. Si dicatur primum, vel secundum, omnino est impossibile, quia in vno supposito non dantur duo operantia vt *quod*, aliàs darentur duo existentia vt *quod*, & sic non posset ex illis vnum simpliciter & per se resultare, quia non subordinarentur inter se, vnum vt *quo*, alterum vt *quod*, sed vtrumque esset vt *quod*, vndè alterum non constitueret tanquam principium *quo*, atque adeò neque alterum esset *quod*; vbi enim non est principium *quo*, neque resultat *quod*. Et similiter non potest se habere vt principium *quo*, tùm quia suppositum est operans incommunicabiliter, & vt totum, non vt *quo*, tùm quia omne principium quo, dicitur comparatiuè ad principium *quod*, & sic non potest vtrumque se habere vt principium *quo*.

Ad oppositam autem instantiam respondetur, quòd subsistentia non influit vt principium operandi, sed vt terminans seu modificans ipsum principium, reddensque illud operatiuum vt *quod*. *Et quando instatur*, quòd mutaretur operatio mutatâ subsistentiâ. *Respondetur*, quòd non mutatur operatio quantùm ad quidditatem & speciem, neque enim pendet à principio formali. Cæterùm quantùm ad indiuiduationem, si loco vnius subsistentiæ ponatur alia totaliter distincta, aut si daretur natura sine omni subsistentia propria vel aliena, sine dubio operatio esset alia numericè, quia esset aliud suppositum eliciens, vel subiectum, quod non contingit in accidente separato, quia non mutat indiuiduationem, nec enim indiuiduatur ab actuali inhærentia, sed ab ordine ad subiectum cui inhæret; substantia verò indiuiduatur in se terminando hanc indiuiduationem per subsistentiam, quæ per se requiritur ad constituendum subiectum seu operatiuum vt *quod*: anima autem separata similiter posset eandem numero operationem immanentem spiritualem continuare separata & coniuncta, quia ex se habet esse principium *quod* operandi, sicut & essendi si separetur; aliunde tamen discontinuari solent istæ operationes propter dependentiam vel independentiam à phantasmatibus in intelligendo, & consequenter in volendo. Itaque actiones esse suppositorum, nihil aliud est quàm subsistentiam per se conducere, ad hoc vt detur principium operatiuum vt *quod*.

ARTICVLVS III.

An subsistentia in rebus compositis sit vnicus simplex terminus, vel compositis ex pluribus subsistentiis?

P*Artem affirmatiuam tenent plures Recentiores* existimantes, quòd in omnibus compositis, etiamsi formæ materiales sint, dantur partiales subsistentiæ correspondentes diuersis partibus compositi. Quam sententiam tenet P. Suarez in Metaphys. disp. 34. sect. 5. & plures alij ipsum sequuntur. Hæc autem sententia tribuit subsistentiæ partes duplicis generis, alias quasi integrantes, quatenùs res corporea, quæ subsistit, diuisibilis & extensa est, & consequenter etiam subsistentia talium partium extensa est, & diuisibilis: alias partes habet quasi essentiales, quatenùs plures modi perseitatis vel subsistentiæ coniunguntur inter se scil. modus subsistẽtiæ materiæ, & modus subsistentiæ formæ, & faciunt vnam subsistentiam compositam mediante vnione. Sed tamen non omnes vocant istos modos subsistẽtias, sed solum modum materiæ, eò quòd est incommunicabilis alteri subiecto; & modum animæ rationalis, quæ per se separata esse potest: modum autem formæ materialis non dicunt esse subsistentiam, eò quòd neque separata esse potest, neque incommunicabilis est subiecto, scil. materiæ.

Et fundamentum pro prima parte, scilicet, quòd subsistentia rei corporeæ habeat partes integrales, *ex eo deducitur*; quia ipsa substantia eas habet, & tales partes substantiæ habent aliquem modum essendi, non per modum inhærentiæ & communicationis accidentalis, ergo per modum subsistentiæ partialis, siquidem habent negationem inhærentiæ, ratione cuius dicuntur habere subsistentiam, & habent communicationem substantialem, ratione cuius partialis est. Et ex eodem fundamento ostenditur materiam habere subsistentiam, quia habet incommunicabilitatem ad alterum subiectum, ergo perseitatem in existendo, est enim extra causas cum incommunicabilitate, quod pertinet ad rationem subsistendi.

Denique hoc vrgetur duplici exemplo; *Alterum est* animæ rationalis, quam habere subsistentiam perspicuè docet D. Thom. 1. p. q. 75 art. 2. & de se constat, quia per se potest esse separata, & tamen non subsistit completè, aliàs esset persona & suppositum, non forma. Vnde ibidem ad primum distinguit D. Thomas de subsistente completo vel incompleto, & primum negat animæ, secundùm ei attribuit, ergo datur subsistentia non completa, & sic non repugnabit idem concedi in materia, & aliis partibus. *Probatur consequentia*, quia etiam materia habet suam incommunicabilitatem & independentiam à subiecto, ergo habet conditiones subsistentiæ saltem incompletæ; & præsertim constat, quod anima non habet subsistentiam integram hominis, sed dimidiam seu incompletam, homo autem ex anima constitutus habet completam, & integram; ergo alteram medietatem sumere debet ex alia parte, scilicet ex materia, & sic materia debet subsistere incompletè componendo integram subsistentiam. *Secundum exemplum est* in vnione Verbi Incarnati, siquidem assumpsit humanitatem mediantibus partibus, ita quòd partes prius fuerunt assumptæ viâ executionis quàm tota natura, vt S. Thom. docet 3. part. quæst. 6. art. 5. ad 1. ergo partes humanæ naturæ aliquam habent subsistentiam. *Patet consequentia*, quia quidquid est assumptibile ab vnione hypostatica, est capax subsistentiæ; subrogatur enim subsistentia Diuina, loco propriæ, ergo si partes sunt assumptibiles, sunt vnibiles subsistentiæ loco propriæ, remotâ ergo assumptione propriam habent id est, partialem.

Nihilominus opposita sententia vt communior, ita verior est. Eam communiter defendunt Thomistæ, & videri potest Cabrera, Aluarez, Nazarius, aliique interpretes Diu. Thom. ad 3. p. quæst. 2. & P. Vazquez

quez 3. p disp.32.cap.2. & sequent. Sumiturque ex D.Thom. qui perpetuò negat subsistentiam seu hypostasim conuenire partibus, sed toti, vt in 3. p. quæst.2.art.2.ad 3.& art.3.ad 2.& 1.p.quæst.39.art.1. Videri etiam potest in 3. distinct. 6.quæst 1. artic.1. ad 1.& ibidem ad Anibal.distinct. 6. quæst.vnica,art. 1.ad 1.vbi inquit: *Ad illud quod obiicitur, quod omnis substantia particularis potest dici hypostasis, dicendum est, quòd hoc intelligitur de substantia particulari, quæ est in genere substantiæ per prædicationem; non per reductionem, id est, de eo quod perfectè participat naturam generis sicut ens completum in illo genere, quale non est pars substantiæ, non enim genus substantiæ prædicatur de manu, quamuis substantia secundùm quod diuiditur contra accidens de ipsa prædicetur, & secundùm hoc duæ substantiæ particulares in Christo non sunt.* Item in opusc.48.tract. de Substantia, cap.2. *Sciendum*, inquit, *est, quòd substantia diuiditur in formam, materiam, & compositum; materia enim non dicitur propriè esse per se, cum non habeat esse nisi per formam, similiter etiam forma non dicitur esse per se, cum solum habeat esse in materia. Compositum autem propriè dicitur esse per se; & dico compositum scilicet integratum ex suis partibus, licet enim partes integrales sint compositæ, non tamen dicuntur propriè esse per se; compositum enim directè est in prædicamento, vt* Boëtius in comment. prædicam. *dicit. licèt etiam posset dici, quòd forma & materia & partes integrales sunt per se, quia non sunt in alio sicut accidens in subiecto.* Ita D. Thomas. Vbi tota difficultas resoluitur, solum distinguendo substantiam positiuam, à præcisa negatione existendi in alio vt accidens. Et hoc secundum attribuitur partibus, non primum, sed solum toti.

Et hoc est fundamentum huius sententiæ ex ipsa natura subsistentiæ, quæ non dicit solum modum per se negatiuum, id est, carere inhærentia seu modo accidentis, hoc enim etiam humanitati Christi conuenit non à Verbo, & tamen subsistentiam non habet nisi à Verbo. Neque ista negatio sola est subsistentia partialis; tum quia est negatio imbibita in ipsa natura substantiæ, vt opponitur accidenti, non modus superadditus; tum quia est communis toti & partibus & etiam formæ materiali, cui tamen oppositi Authores negant subsistentiam; tum denique, quia subsistentia partialis componit totalem, istæ autem negationes inhęrentię non componunt negationem totalem, nec subsistentiam totalem; totalis enim positiuus modus est. Subsistentia ergo partialis debet esse positiua. Et sic vltra modum per se vt opponitur accidenti, debet importare rationem termini, & incommunicabilis, qui est modus proprius totius, vt distinguitur à parte; nec subsistentia aliunde nobis innotescit, quàm ex ipsa ratione vltimi termini naturæ, constat enim totam humanitatem fuisse vnitam Verbo, non vt parti vel constitutiuo naturæ, sed vt termino naturæ iam plenè constitutæ, ergo nulla restat nobis ratio ponendi hunc modum subsistentiæ in partibus, siquidem partes nondum supponunt naturam plenè constitutam, & consequenter nondùm induunt rationem termini & incõmunicabilis, qui est proprius totius & extra constitutiua naturæ. Dicere autem quòd habeat quælibet pars suum modum existendi per modum termini, sed non vltimi; in primis hoc est contra rationem termini, qui de se vltimationem dicit: deinde contra rationem subsistentiæ, quia si totum principium indagandi illam est ex ratione terminationis, quæ superuenit naturæ iam constitutæ, nulla nobis restat ratio attribuendi illam partibus per modum termini partialis & non vltimi, in quibus nondum inuenitur tota natura constituta, & abutimur nominibus, vocando terminum id quod rationem & officium termini non exercet, scilicet vltra non communicari nec transire, pars enim vt pars communicatur, non vltimò terminatur.

Denique si semel partes ponuntur habere partiales subsistentias, etiam partes integrantes illas habebunt, neque enim est maior ratio de illis, quæ sunt compositę ex materia & forma, quam de materia vel forma seorsum, sed in vno continuo sunt infinitæ partes diuisibiles, ergo erunt infinitæ subsistentiæ. Et si dicatur habere infinitas subsistentias in potentia & vnam finitam in actu. Ergo iam illa subsistentia vnica actuat totam illam entitatem diuisibilem partium non designatarum, ergo iam plures partes subsistunt vnica actuali subsistentia, quæ conuenit parti aliquotæ seu designatæ; ergo si talis pars aliquota separetur à toto manebit cum vnica subsistentia. Cur ergo similiter totum habens plures partes aliquotas, & designatas non poterit vnica subsistentia simplici per modum vltimi termini eas comprehendere? Quod si plures partes integrales non habent plures subsistentias, cum tamen sint capaces diuisionis, qua fiant integralia tota, cur materiæ & formæ non sufficiet vnica subsistentia? Omitto non benè intelligi, quomodo illæ partiales subsistentiæ componunt subsistentiam totalem, cùm non se habeant per modum potentiæ & actus, sed omnes sint termini homogenei, & eiusdem rationis, & sic non apparet quomodo componant modum subsistentiæ totalis, tanquam per se vnum.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

AD *fundamenta opposita. Ad primum* de partibus integralibus *respondetur*, quòd habent per modum essendi dependentis à toto, & ab eius esse & ab eius esse & subsistentia, & sic non habent in se subsistentiam partialem, sed partem componentem totum quod subsistit; negatio autem inhærentiæ, quã habent illæ partes, facit quidem quòd sint partes vel formæ substantiales, sed non subsistentes; non enim sufficit ad subsistentiam quodcumque substantiale, vel sola negatio inhærentiæ, vt dictum est.

Ad secundum respondetur, quòd materia prima habet incommunicabilitatem ad vlterius subiectum, nõ per modum totius completi, sed per modùm principij potentialis: est tamen materia communicabilis formæ ad constituendum totum, vnde non habet omnem incommunicabilitatem, quæ requiritur ad subsistentiam, quæ est per modum termini supponentis totam naturam constitutam, & sic vlterius non se communicantis ad constituendum, quod non conuenit materiæ. Denique subsistentia est terminus incommunicabilitatis in ipsa existentia seu esse, materia autem non habet existentiam seorsum à toto, vt supra ostendimus; ergo caret subsistentia.

Ad primum exemplum adductum de anima rationali *dicitur*, quòd anima rationalis non habet subsistentiam, de qua loquimur in præsenti, qui est terminus vltimus & hypostaticus, sed solum habet subsistentiam, quantùm ad rationem existentiæ per se sine dependentia à toto; & sic ex duobus officiis, quæ habet subsistentia, scilicet terminare naturam, & reddere existentiam independentem, vt distinguit S. Thom. in quæst. de Anima, art.1. non conuenit animæ subsistentia quantum ad primum officium, sed quantum ad secundum, quod sine subsistentia haberi potest, vt apparet in accidente separato, quod sine subsistentia existit extra subiectum. Quare anima humana non habet subsistentiam, quæ compleat & constituat

constituat suppositum, etiam quando est separata, quia adhuc est communicabilis & vnibilis, vt dicit S.Th.1.p. q.29. art.1. ad 5. Ex hoc ergo quòd anima habeat capacitatem ad existendum per se sine corpore, non sequitur quòd in materia & aliis partibus, quæ nec habent esse per se, nec naturam completam, detur talis subsistentia partialis; id enim quod in anima habet officium subsistendi quantum ad existentiam per se, non est subsistentia partialis, sed ipsa existentia animæ, quæ in ipsa est per se, & communicatur materiæ, & toti composito, vt docet S. Thom.1.p.q.76.art.1.ad 1. & 1.2.q.4.art.4.ad 2. Et sic saluatur vnica existentia in toto homine, non solum deriuata à forma, vt à principio quo existendi, sed in se prius existente independenter à toto. Benè verum est quod Caiet.1.p.quæst.76. art.1. circa solutionem ad 5. & quæst.90. art.2. tenet, quòd anima in corpore etiam subsistit, vt *quod*, sed oppositum ex Ferrar.docet Bannez super illam quæstionem 76. articulo 1.& significatur à Diuo Thoma in 4.ad Anibal. distinct.12. quæst. vnic. art.1.ad 3. *Quòd anima quamdiu est in corpore, subsistere conuenit ei aptitudine, non actu.* Reuera enim hoc quod habet anima, vt *quod*, non est subsistentia terminatiua & hypostatica etiam partialiter, sed solùm est existentia independens à corpore, sicut esse accidentis separati à toto, non tamen est subsistentia vt *quod*, per modum complementi naturæ. Et hac ratione D. Thom. q. 90.citata, artic.2.ad 2.dicit, quòd anima habet esse subsistens, id est, esse independens, non tamen subsistens quantum ad complementum naturæ, & sic non subsistit vt *quod*; sed vt *quo*, subsistentiâ propriè & adæquatè dictâ, quæ est modus non solum existendi per se, sed terminatiuè & incommunicabiliter, qua ratione etiam hìc Deus remotis relationibus non subsistit, licèt per se existat, & non sit pars, & hac ratione vocatur subsistentia absoluta.

Ad id verò, quod additur in argumento, quòd si anima non habet completam subsistentiam, ergo id quod deest, sumitur ex materia. *Respondetur*, quòd anima non habet completam, nec incompletam subsistentiam, quæ per additionem alterius compleatur, subsistentia enim totius vt est modus incommunicabilitatis naturæ, non ex pluribus subsistentiis componitur, sed ex vnione animæ & corporis resultat, quæ solùm se habent vt principia subsistendi totaliter, non vt res subsistentes etiam partialiter, sumendo subsistentiam pro termino complementi naturæ, non pro esse existentiæ independentis tantum.

Et si dicas, si anima humana habet esse totius, & ipsius materiæ, cui communicat, ergo pereunte homine non perit esse hominis & per coniunctionem animæ & corporis non fit esse hominis. *Respondetur*, quòd perit esse hominis, vt hominis, non vt animæ, sicut si Verbum dimitteret humanitatem, non amitteret esse Verbum, sed amitteret esse hominem, & communicationem ipsius esse, & sic esse hominis est esse animæ non absolutè, sed vt communicatæ corpori. Et quando fit homo, non fit aliud esse ab anima, sed illud esse quod est animæ, fit esse totius coniuncti, vt dicit S. Thom. in 1.dist. 8. q.5. articul.2. ad 2.

Ad secundum exemplum, de vnione Verbi. *Respondetur*, varias esse Theologorum sententias in explicando quomodo Verbum prius fuerit vnitum partibus, quàm toti. In sententia autem S. Thomæ est certum, quòd immediatè fuit vnitum toti humanitati viâ intentionis, vt constat ex 3. p. quæst. 6. art. 5. Quando autem dicit, quòd Verbum prius assumpsit partes in via operationis, non est sensus, quod prius assumpsit ipsas partes de facto terminando illas, & deinde totum, sed quia pro aliquo priori partes ordinantur ad totum, non quidem in facto esse præëxistendo aut subsistendo, sed componendo totum, cui subsistentia conuenit, ideo dicitur assumptio partium esse prior viâ operationis, quatenus pro illo priori ordinantur vt *quo* ad subsistendum in toto, in quo manent assumptæ. Vnde dicit D. Thomas in 3.distinct. 2.q.2. art.1.quæst. 3. *Quòd partes sunt priores toto originaliter constituentes ipsum, & sic mediantibus partibus assumpsit totum, in quantum partes originaliter humanam naturam constituunt.* Quare vnico verbo dicimus, quòd partes prius sunt assumptæ vt *quo*; non vt *quod*, sicut nec ipsæ partes subsistunt, nisi vt *quo*, id est, vt id *quod* componitur totum quod est subsistens, personalitas autem Verbi subrogatur loco subsistentiæ eo modo vnicuique conueniens, sicut propria subsistentia conueniret, si ibi adesset; quia tamen anima ita est principium constituens, vt *quo*, ipsum totum, quòd etiam in se potest existere separata à toto, licèt semper se habeat vt pars vnibilis, ita ex vi illius assumptionis datur ei, quòd etiam separata à corpore maneat vnita Verbo, quantùm ad modum essendi independentem à toto, non quia existat per modum personæ.

Quòd si instes, anima separata mansit vnita Verbo; ergo illa vnio præbet ei aliquam subsistentiam; ergo signũ est, quòd anima de se habet illam, siquidem subrogatur loco propriæ, ea quæ est Verbi, licèt partialiter. *Resp.* manere animã vnitam Verbo; non per modum termini vltimo incommunicabilis; sic enim esset persona completè subsistens, defectu cuius etiam facta separatione Verbum non dicitur anima per vnionem ad ipsam, sicut per vnionem ad humanitatem dicitur homo, eò quòd Verbum non vnitur nisi per modum personæ & suppositi: & sic non dicimus quod Verbum est anima, bene tamen quòd Verbum est homo. Vnio ergo illa non est ad Verbum, vt importat subsistentiam, prout exercet officium termini incommunicabilis, sed vt exercet officium habendi esse independenter, licèt communicabiliter ad materiam; hoc enim etiam largo modo dicitur subsistentia, licèt non ita propriè, vt S. Tho. docet 1. par. quæst. 75.art.3. sup.citato, & aliis locis; vnde tale esse independens suppleri potest per immediatam vnionem Verbi, quod tamen non potest fieri in accidente separato, quia ex se non habet esse independens, sed sustentatur à Deo extra subiectum efficienter vice subiecti non terminatiuè, & ideò ad terminum subsistentem assumi non potest.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm existentia distinguatur à parte rei ab essentia, seu composito?

CElebris *est ista controuersia ab antiquis temporibus*, in qua valde Authores dissentiunt. Nam Duran.in 1.dist.8.q.2. sentit existentiam ratione tantum distingui ab essentia, quem ex Recentioribus sequuntur P. Suarez disp. 31. Met. sect. 4. & seqq. Vazquez 3.p.q.17.art.2. disp.72.cap. vltimo, Arrubal 1.p.q.3.disp.10.cap.1.& alij.

At verò Scotus in 3. dist.6.q.1.existimat distingui quidem

quidem existentiam actualem ab essentia ex natura rei, distinctione tamen formali, non reali. Quid sit autem distinctio formalis ex natura rei apud Scot. explicauimus in Logica, q. 3.

Communis autem Thomistarum sententia, aliorumque plurium sentit, existentiam actualem distingui ab essentia à parte rei. De qua sententia videri potest Caietan. de ente & essentia, q. 11. Ferrar. 2 contra Gentiles cap. 52. Capreolus in 2. dist. 13. q. 1. art. 3. & communiter omnes interpretes Diu. Tho. ad 1. partem, quæst. 3. & 3. part. quæst. 17. articulo 2. Et prætereà sequuntur hanc sententiam Conimbr. 2. Physicorum, cap. 3. q 3. artic. 1. Rubio 1. Physicorum, tract. de materia, q. 2. Molina 1. p. q. 3. art. 4. disp. 2. aliique plures.

Videtur autem tota dissensionis origo in hac parte ex eo prouenire, quia diuersimodè considerantur ea, quæ ad existentiam pertinent. Nam ex vna parte existentia habet pro effectu formali ponere rem extra causas, & extra nihil, quod est transferre de statu possibili ad statum actualem. Vndè si condistinguatur existentia ab essentia, essentia remanet nihil, & consequenter non datur extremum reale sine existentia à quo realiter distinguatur. Ex alia verò parte existentia, quando conuenit essentiæ, accidentaliter illi conuenit, ita quòd est prædicatum extra conceptum omnium prædicatorum essentialium, qua ratione fundat Scot. quòd distingui debet existentia ab essentia formali distinctione, quatenus vnum in re non est de conceptu alterius. Et vlteriùs alij fundant distinctionem à parte rei, quia taliter existentia est extra conceptum naturæ, quod nec est prædicatum illius essentiale, nec in aliquo tertio cōstituendo essentialiter conuenit: sed constituit statum quendam, qui omni naturæ creatæ, etiam postquam producta est accidentaliter, & contingenter conuenit: hæc enim est accidentalis propositio, *Petrus existit*, ergo talis existentia aliquid distinctum est à parte rei ab ipsa re, quæ existit, ita quòd quando res producitur, necessariò exit ipsa entitas cum modo vel realitate superadditâ, quæ existentia, sicut substantia exit cum modo vel realitate superaddita, quæ est subsistentia, & tamen sine subsistentia substantia ipsa nihil est, sed intra statum possibilitatis manet. Et ferè omnia quæ contra distinctionem existentiæ adducuntur, instantur in distinctione subsistentiæ & naturæ, quas tamen à parte rei distingui ex Fide colligimus, & similiter in materia & forma, quas constat distingui à parte rei, & tamen vna sine altera non potest dari in rerum natura.

Sit ergo vnica conclusio. *In sententia D. Tho. & vera existentia in rebus creatis distinguitur à parte rei ab essentia.* De mente S. Th. non videtur posse dubitari, nam in primis sub his terminis distinctionis realis affirmatur ab ipso in opusc. 48. tract. de substātia c. 2. vbi inquit: *Esse essentiæ, & esse actualis existentiæ differunt realiter vt duæ diuersæ res.* Et in opusc. 15. c. 8. inquit: *Quòd in quocumque præter primum est potentia receptiua huius actus, quod est esse.* Et postea subdit. *In substantia composita ex materia & forma inuenitur duplex ordo, vnus quidem ipsius materiæ ad formam, alius autem ipsius rei iam compositæ ad esse participatum; non enim est esse rei, nec forma eius, nec materia, sed aliquid adueniens rei per formam.* Prætereà vbicumque tractat D. Thom. de esse Dei creaturarum ostendit, quòd in Deo non differt esse & essentia, in Angelis autem & quacumque creatura differt esse & essentia, vt 1. part. q. 3. artic. 4. & 2. contra Gentil. cap. 25. & quæst. 7. de poten. artic. 2. & aliis locis & similiter, quod sit compositio ex ipso esse & essentia, tanquam ex potentia & actu. Constat autem manifestè; quòd potentia recipiens & componens cum aliquo non potest esse potentia obiectiua, seu possibilitas rei in statu possibilitatis; quia hæc nec recipit, nec componit cum actu, sed tollitur per actū. Sic autem affirmat D. Tho. loquendo de Angelis & aliis creaturis 1. part. quæst. 50. artic 2. ad 3. & 4. & quæst. 54. art. 3. in corpore, & in 2. distinct. 3. q. 1. artic. 1 & ibidem ad Anibaldum quæst. 1. artic. 1. in fine corporis, vbi concludit: *Quòd natura seu substantia Angeli est aliud quam eius esse*; & similiter in lib. de ente & essentia, cap. 5. & 6. & 2. contra Gentiles c. 52. & 53. & quodl. 2. art. 3. & 4.

Sed ad hæc duo respondent Authores oppositi, Primò, quòd Sanct. Thom. sumit existentiam pro subsistentia, quando distinguit illam à natura. *Secundò*, quòd loquitur de compositione rationis, non reali, quam compositionem dicunt versari inter ens possibile, & existentiam, per quam reducitur possibilitas ad actum.

Vtraque tamen solutio aliena est à sensu Diu. Thom. Nam prima satis indignè sentit de proprietate & formalitate loquendi Diu. Thom quomodò enim intelligi potest, quòd in tam multis locis perpetuò agens D. Th. de existentia & essentia, sumat semper existentiam pro subsistentia, & ita nihil nobis declaret de ipsa difficultate, quam inquirebat, scilicet de existentia, diuertendo ad id quod non inquirit, scilicet de subsistentia; præterquam quod generaliter loquitur Diu. Thom de quacumque creaturā præter Deum, siue sit subsistens, siue non: in natura autem quæ non subsistit; hæc solutio stare non potest. Deinde tanquam distinctas difficultates proponit & resoluit D. Tho. distinctionem subsistentiæ à natura, & distinctionem existentiæ ab eadem, vt agendo de Deo 1. p. in q. 3. in art. 3 & in art. 4. de Angelis 2. cont. Gent. c. 52. & 53 & 55. quodl. 2. art. 3. & 4. & in 2. dist. 3. q. 1. art. 1. & 2. ergo non sumit D. Thom. pro eodem subsistentiam & existentiam, cum proponat tanquam distinctas difficultates distinctionem existentiæ in vno art. & subsistentiæ à natura in alio. Prætereà quia Diu. Tho. sæpissimè dicit, quod forma subsistens recipit esse, & est potentia ad existentiam, ergo nomine existentiæ non intelligit subsistentiam, aliàs esset sensus, quòd forma subsistens esset in potentia ad subsistentiam, & reciperet illam, quod est battologia, & antecedens constat, nam 1. p. q. 10. art. 2. ad 3. inquit: *Subtracta materia, & posito, quod ipsa forma subsistat in natura, adhuc remanet comparatio formæ ad ipsum esse, vt potentiæ ad actum, & talis compositio intelligenda est in Angelis* & opusc. 15. c. 8. inquit: *Quod forma subsistens non est non ens, sed actus, qui est forma participatiua vltimi actus, qui est esse.* Ac denique 3. p q. 17. art. 2. & quodl. 9. art. 2. dicit: *Quòd esse pertinet ad naturam, & ad hypostasim seu subsistentiam, & quod naturæ conuenit vt quo supposito autem vt quod*; ergo nomine existentiæ seu esse, non intelligit ipsam subsistentiam alioquin esset sensus, quòd subsistentia conuenit subsistentiæ, seu hypostasi vt *quod*, quo nihil absurdius.

Contra 2. autem solutionem primò instatur, quia hæc compositio inter rem possibilem & existentiam non est compositio in facto esse, sed solùm in fieri, quatenùs fit transitus ab esse possibili ad esse actuale, nam in facto esse satis constat, quòd non manet ens in statu possibilitatis, sed extra illum; vndè si in facto componeret, iam non esset compositio ex ente possibili, sed ex ente posito extra talem statum, status enim ille tollitur, quando res est sub existentia. At D. Tho. ponit in Angelis compositionem ex natura seu forma subsistente, & existentia seu esse,

vt patet in 1. part. quæst.50. articulo 2.ad 3. contra Gentiles cap.55. quæ compositio in Angelis datur in facto esse, cùm in facto esse natura Angeli non sit suum esse, nec sua existentia; ergo non est compositio tantum ex ente possibili & existentia. Præterea in 2. contra Gent. cap.56. dicit: *Quòd in Angelo modò non est potentia ad non esse, quia substantia completa est proprium susceptiuum ipsius esse, proprium autem susceptiuum alicuius actus ita comparatur in potentia ad actum illum, quod nullo modo est in potentia ad oppositum, sicut ignis non est in potentia ad frigus, sed ad calorem, & in ipsis compositis non est potentia ad non esse, nisi ratione materiæ. Ex quo fit euidens argumentum*, nam substantia Angeli considerata in statu possibilitatis non potest dici, quòd sit solùm in potentia ad esse, vt proprium susceptiuum illius, non autem in potentia ad non esse, cùm in illo statu sit indifferens ad esse, & non esse, & de facto quandiu durat ille status, datur sub non esse, modò autem dicit Diu. Thom. quòd non est in eius substantia potentia ad non esse, ergo illud quod modò componit cùm existentia apud D.Tho. non est ipsa natura sub statu possibilitatis, quia hoc est indifferens ad esse & non esse, & in potentia ad non esse.

Supposito ergo hanc esse mentem Diu. Thom. fundamentum eius ad duo tantum capita reducitur. *Primum est* à priori explicando radicem seu causam, vndè aliqua dicantur distingui à parte rei. *Secundum* sumitur ex solutione oppositæ difficultatis, ostendendo quomodo existentia, etiamsi distincta sit ab essentia, possit effectum suum formalem præbere & extra causas seu extra nihil constituere.

Et quantum ad primum, radix & fundamentum distinctionis à parte rei, quando nobis apertè non innotescit ex ipsa separatione extremorum, quæ est manifestissimum signum distinctionis rerum, solum restat indagandum & probandum ex ipsa exclusione conceptus vnius à conceptu alterius, ita quòd aliquid totaliter sit extra conceptum & quidditatem alicuius, & tamen realiter illi conueniat & adiungatur. Et explicatur in hunc modum. Quotiescumque aliquod prædicatum reale & positiuum ita conuenit alicui, quod nec est illi essentiale, nec cum eo intrat constitutionem, & essentiam alicuius tertij, nec eadem forma prouenit, sed à principio totaliter extrinseco, impossibile est quòd non fundet aliquam distinctionem à parte rei respectu eius cui sic conuenit, sed existentia hoc modo se habet respectu essentiæ, ergo distinguitur ab illa à parte rei. *Maior probatur*, quia ea quæ sic se habent carent omni principio identificationis realis, nec poterit instari in aliquo prædicato reali & positiuo, quod identificetur cum altero, & non sit de conceptu illius, vel de conceptu & quidditate alicuius tertij, vel ab eadem forma proueniat & non à principio extrinseco, nisi fortè identificetur cum alio vt modus cum re, qui tamen modaliter distinguitur, & à parte rei, modò autem solum intendimus existentiam plusquam ratione distingui ab essentia, siue sit modus siue res. Etenim quod solet adduci de prædicato generico & differentiali, v.g. animal & rationale, quod rationale accidit animali & est extra conceptum illius, & tamen à parte rei identificantur, nihil obstat, nam rationale & animal, licèt vnum non sit de conceptu alterius, vtrumque tamen est de conceptu alicuius tertij quod constituunt, scilicet hominis & ab eadem forma proueniunt, id est ab eadé anima; & vt optimè notauit Sanct. Thom. quodlib.2. art.4. ad 1. dupliciter aliquid accidit alicui, vno modo vt determinatiuum alicuius principij essentialis, licèt in eius definitione non cadat, sicut rationale accidit animali; alio modo, quia nec est de eius definitione, nec determinatiuum alicuius principij essentialis sicut albedo accidit homini, & hoc modo dicit, quòd esse accidit rei, quia est extra rationem speciei cum omnibus prædicatis quidditatiuis, Vnde etiam non valet instantia de actione & passione, quæ identificantur cum motu, & tamen vnum non est de conceptu alterius; hæc enim identificantur, quia ab eadem forma proueniunt, scilicet à motu, seu à re, quæ est in fieri & tendentia; præterquam quod actio & passio licèt identificentur in eadem realitate, tamen distinguuntur à parte rei tanquam duo modi, ergo ex hac instantia non infertur, quòd existentia non distinguatur à parte rei ab essentia, saltem vt modus.

Restat ergo probare minorem, scilicet quòd existentia respectu essentiæ sit prædicatum reale; carens omni principio identificante illam cum essentia. Quòd enim sit prædicatum reale, & conueniens physicè ipsi rei, *manifestum est*, quia eius effectus formalis est rem esse extra nihil & extra causas, hoc autem est maximè aliquid reale & physicè conueniens, quia physicè res ponuntur extra causas, & producuntur ab illis. Quòd verò careat omni principio identificante ipsam existentiam cum essentia, *inde constat*, quia semper est accidentale prædicatum physicè, & in re, nec potest conuenire alicui rei tanquam prædicatum essentiale, nec vt dimanans necessario ab ipsa essentia, nec vt constituens essentialiter aliquod tertium, cui conueniat quia aliàs alicui rei creatæ & productæ conueniret existentia necessario, & tanquam prædicatum æternæ veritatis, cùm tamen hæc prædicatio, *Petrus existit*, nunquam possit verificari ab æterno. Solùm ergo conuenit existentia alicui rei mediante participatione ipsius agentis, & sic non habet principium identificationis, quia non conuenit rei ex aliquo principio intrinseco, sed ex aliquo extrinseco, nempe ex ipsa productione agentis; existentia enim est ipsa productio in facto esse, seu ipsum poni extra causas; ergo oportet quòd in ipsa re producta, & inueniatur entitas, cui conuenit existentia, & ipsa formalitas existentiæ tanquam accidentale prædicatum, & ipsi essentiali constitutiuo extrinsecum.

Sed dices, hoc prædicatum accidentale non identificari cum entitate, vt possibili, & sub statu possibilitatis, sed distingui ab ea tanquam ens & non ens. Cæterum rei productæ, & extra causas positæ non potest conuenire existentia tanquam prædicatum extrinsecum, implicat enim intelligere rem productam, & non actu extra causas; quidquid ergo superaddi ponatur, iam inuenit rem existentem. *Et instatur* aliquis? *illa consequentia*, conuenit aliquid accidentaliter alicui, ergo distinguitur ab illo à parte rei; tùm in prædicato differentiæ respectu generis, nam animali accidentaliter, conuenit rationale, & tamen non distinguitur à parte rei ab illo; tùm in ista prædicatione, Vas est ligneum, vel aureum, quod est prædicatum accidentale, seu quinti prædicabilis, & tamen non distinguitur realiter ab ipso subiecto, nam substantia vasis non distinguitur ab ipso auro, vel ligno; ergo similiter nec essentia & existentia *tùm* etiam quia sine additione nouæ realitatis, per hoc solum, quòd res est subiecta agenti & eius productioni, dicitur existens; *tùm demque*; quia si nostra ratio aliquid probat, etiam probat quòd existentia est accidens prædicamentale respectu substantiæ, cùm superueniat illi tanquam forma distincta, hoc auté est impossibile.

impossibile, quia accidens supponit subiectum, cui conuenit esse existens.

Sed contra primam instantiam roboratur argumentum, quia res quæ transit de statu possibili ad statum existentiæ, seu de non esse ad esse, non solùm accidentale prædicatum & extrinsecum accipit respectu status possibilitatis, seu ipsius entis, vt transeuntis de non esse ad esse, sed etiam respectu ipsius rei iam productæ, ita quòd de ipsa verificatur existentia in facto esse tanquam prædicatum non essentiale, nec per se connexum. *Et ratio est manifesta*, quia hoc, quod est existere in facto esse, de aliquo subiecto verificatur accidentaliter, seu nō essentialiter, & non de ipsa re sub statu possibilitatis, sic enim existentia in facto esse est prædicatum illi oppositum; de re enim intra causas & in statu possibili non verificatur, quòd sit extra causas seu existens; ergo verificatur hoc prædicatum existere solum de re extra possibilitatem considerata & posita, & tamen de tali re verificatur accidentaliter, & tanquam prædicatum non per se connexum cum illa; ergo perperam dicitur, quòd existentia in facto esse accidentale prædicatum, & distinctum, seu extrinsecum respectu rei producibilis, seu possibilis, non respectu rei productæ. Nec instari potest in hoc prædicato mortuum, quod etiam accidentaliter alicui subiecto conuenit, & non viuenti, quia illi repugnat; ergo cadaueri, & tamen cum illo identificatur. *Nam contra est*, quia mortuum pro morte in facto esse non est prædicatum accidentale sicut existere in facto esse, eò quòd mortuum opponitur vitæ essentiali, & illam tollit, & sic essentiale est cadaueri, existere autem naturam non constituit, nec tollit, sed extra causas præcisè ponit.

Contra secundam verò instantiam manifestè vrgetur illa consequentia; nam quod attinet ad animal & rationale, iam dictum est quòd licèt rationale accidat animali, quia potest dari animal sine illo, tamen tunc solùm identificantur, quando inueniuntur in aliquo tertio, quod essentialiter constituunt, ita quòd ab eadem forma proueniunt; at verò existentia non potest essentialiter conuenire, neq; ipsi entitati essentiæ, nec alicui tertio, quod essentialiter constituat, cùm nulli rei creatæ essentialiter conueniat existentia, nec ab eadem forma potest prouenire, cùm forma non sufficiat dare existentiam se sola, sed mediante productione agentis, quod ita producit formam, quod etiam superaddit existentiam tanquam quid distinctum. Illud autem exemplum illius prædicationis, Vas est ligneum, magis stat, pro nobis, quia vas non dicit solùm lignum; de ligno enim male prædicaretur, quod est ligneum, sed dicit lignum cum forma artificiali, quæ est realiter distincta, & sic ratione illius, seu respectu illius prædicatio redditur accidentalis, similiter ergo si esse existens est accidentale prædicatum aliquam formam distinctam supponit, ratione cuius accidentale sit.

Tertium etiam exemplum non est ad rem, quia rem subiici agenti, & esse productam in facto esse non est denominatio extrinseca sed intrinseca in ipsa re producta, nihil enim dicitur existens, seu productum in facto esse id quod non est in se, vt intrinsecè denominans, sicut esse visum in se enim existit quidquid existit, nec sufficit sola relatio dependentiæ ab agente, quia rem esse existentem non est effectus formalis relatiuus, sed absolutus, nec ipsi met relationi conuenit vt *Ad*, sed vt *In*; ergo esse productum, seu existens non est sola extrinseca subiectio ad agens, sed aliquid intrinsecè denominans, quo dicitur res producta in se actu esse.

Denique ad vltimum dicitur, quòd existentia non est accidens prædicamentale, vt sensit Molina suprà citatus, existimans, quòd est duratio de prædicamento *quando*. Sed quòd non sit accidens inhærens satis probat argumentum contrarium. Et ideo dicimus, quod existentia est terminus, seu formalitas reductiuè pertinens ad entitatem, quæ existit, sicut subsistentia non est accidens, sed terminus seu modus substantialis distinctus à substantia, & similiter vnio in multorum sententia.

Secundum fundamentum consistit in explicatione huius distinctionis existentiæ ab essentia, quia videlicet necesse est, quando aliqua res producitur cum aliquo superaddito produci, quod est existentia; sed hoc melius explicabitur in solutione argumentorum.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur*, quia impossibile est existentiam recipi realiter in ipsa essentia; ergo impossibile est quòd existentia distinguatur realiter ab essentia. *Consequentia probatur*, quia si realiter distinguitur, & tamen reddit essentiam existentem, oportet quòd recipiatur in essentia, sicut forma in subiecto; ergo si non potest recipi; non potest distingui. *Antecedens vero constat*, quia essentia vt condistincta ab existentia est nihil, & non extra causas, cum per ipsam existentiam extra causas ponatur; ergo non potest realiter recipere aliquid à se distinctum. *Nec valet dicere*, quòd ad recipiendum non prærequiritur existentia in recipiente, sed sufficit quòd in re nunquam detur sine illa: & sic est in præsenti, quia essentia in re semper habet adiunctam existentiam, licèt distinctam à se, sicut materia recipit formam tanquam distinctam à se, & tamen sine forma non existit. *Nam contra est*, quia pro illo priori, quo essentia recipit existentiam, & materia formam, essentia & materia se habent vt causæ reales, & realiter causantes, quia ab illis realiter pendet, id quod recipiunt; ergo pro illo priori & antecedentia causalitatis realis, realiter esse debent, & consequenter extra causas. *Et confirmatur*, quia licèt essentia accidentaliter existat, non sequitur quòd realiter distinguatur ab existentia; nam ipsa existentia si distinguitur ab essentia, etiam debet existere accidentaliter, cùm sit aliquid creatum; ergo indigebit aliqua existentia superaddita, & sic erit processus in infinitum.

Resp. apud D.Thom. esse indubitatum, quòd recipiens non est necesse quòd præsupponatur existens; sed sufficit quòd in re nunquam inueniatur sine existentia, & ita non inconuenit, quòd reddatur existens per aliquid quod recipit; imò in hoc distinguit D.Thom. materiam & subiectum, quòd subiectum non habet esse ex forma sibi aduenienti, sed præsupponitur in se existens, sed materia dicitur id quod habet esse, per id quod sibi aduenit, sicut materia redditur existens per formam. Ita affirmat D.Tho.opusc.31. in principio, & 8. Met.lect.4. Certè relatio dependentiæ à Deo est aliquid realiter receptum in creatura, cum illa relatio distinguatur à parte rei à subiecto, saltem vt modus, & tamen subiectum ante illam dependentiam actualem à Deo nihil est, ergo benè stat recipere aliquid, sine quo subiectum ipsum non est aliquid reale. Et simile est de materia respectu formæ substantialis, imò multæ substantiæ, sine accidentibus esse non possunt; nec conseruari, sicut substantia corporea, sine quantitate & dispositionibus, & tamen substantia recipit illa non tanquam aliquid existens absolutè ante illa, sed vt existens dependenter ab illis.

Similiter ergo poterit essentia recipere existentiam, & materia formam non existendo ante illa, sed dependenter ab illis seu per illa. Itaque ad recipiendũ non se habet formaliter ens actu, sed sufficit ens in potentia, quia actualitas, non est ratio recipiendi, sed vnumquodque recipit in quantum est in potentia, licèt in re & concomitanter debeat recipiens esse in actu, vnde sufficit quòd reddatur existens per id, quod recipit, non antequam recipiat.

Et ad replicam de realitate causæ, & dependentiæ pro illo priori, quo aliquid causat materialiter. *Respondetur*, quòd illa prioritas, cùm sit tantum prioritas à *quo*, non *in quo*, non est necesse quòd pro illa prioritate explicetur existentia causæ, sed sufficit quòd explicetur potentialitas eius, quia præcisè explicatur ratio conducens ad causam materialem, seu ad receptionem, ad receptionem autem, formaliter loquendo, non conducit actualitas, sed potentialitas; vndè pro illa prioritate non explicatur existentia causæ materialis, licèt in re existens sit, sed hoc est per existentiam receptam, quia hæc in eodem instanti recipitur. Et hoc argumentum etiam soluendum est in causis, quæ adinuicem sunt sibi causæ, vt dicemus quæst. 10. nam pro illo priori quo aliqua causa causat, nondum intelligitur causata ab alia causa, & consequenter nec completè existens, quia vt causæ ad inuicem causent, sufficit quòd in re semper existant; non verò quò pro omni prioritate, & explicatione causandi; & præsertim ad causandum materialiter sufficit, quòd aliquid sit ens reale per modum entis in potentia, non per modum entis in actu, ens autem in potentia etiam vt tale ens reale est, & non purum nihil, alioquin opponeretur contradictoriè ipsi actui, non autem reciperet illum.

Ad confirmationem Resp. quòd existentia existit essentialiter vt *quo*, id est eius essentia consistit in hoc, quòd sit ratio existendi; existit autem accidentaliter vt *quòd*, quatenus existente toto etiam ipsa existentia cum eo existit, totum autem accidentaliter habet esse.

Secundò obiicies, quidquid ab aliquo distinguitur, & illi aduenit, potest à Deo corrumpi vel separari illo priori stante, nec enim aliter potest cognosci realis distinctio, nisi quia vnum sine alio realiter stare potest, nec potest intelligi, quòd aliquid alteri adueniat, nisi supponat existens & completum in esse id cui aduenit, sed non potest existentia corrumpi, vel separari permanente essentia, remota enim existentia, essentia non est extra causas, sed omnino nihil, ergo non distinguitur realiter ab essentia. Quod argumentum aliqui dicunt formari à M. Scoto 2. Physicorum, q. 2. ad probandum quòd existentia non distinguitur ab essentia in re. Cæterùm M. Soto non facit hoc argumentum ad probandum, quòd non distinguatur existentia à parte rei, sed quòd non distinguatur tãquam res à re; subdit enim ibidem: *Quod dicitur esse distingui ab essentia, sicut sedere ab homine, quia non est de essentia hominis, vt sit existens.* Si ergo distinguitur, vt sessio à sedente, manifestum est ponere distinctionem à parte rei, non realem, sed modalem.

Respondetur ergo ad argumentum, quòd separatio mutua vnius ab alio saltem non requiritur ad distinctionem modalem, modus enim non separatur à re, res autem licèt separetur à modo, tamen aliqui modi sunt, à quibus res non potest omnino separari, quia necessariam connexionem habent cum aliquo, licèt non cum isto, vel illo determinatè, sicut non potest aliqua substantia stare sine omni subsistentia propria, vel aliena, nec quantitas in suo statu naturali sine omni figura, nec qualitas intensibilis sine omni modo intensionis, vel remissionis, & similiter, nec essentia aliqua, sine existentia propria, vel aliena si est modus. Deinde negatur absolutè, quòd omnis realitas possit separari ab omni eo, à quo realiter non distinguitur, nisi quando non intercedit mutua dependentia. Et instatur, tum in relatiuis, quia relatio non potest existere sine termino, à quo realiter distinguitur, tum in absolutis, quia materia non potest esse sine omni forma in opinione supra approbata, & totum non potest esse sine partibus, etiam dato quòd totum distinguatur realiter à partibus simul sumptis, & idem est de essentia & existentia, quia cùm existentia sit terminus productionis, quo agens relinquit rem extra causas, implicat; quòd essentia intelligatur extra illas sine tali termino, quo formaliter extra causas ponitur. Tertiò dico, quòd potest consumi existentia creata, & subrogari Diuina, sicut in sententia Diu Thom. humanitas in Christo existit existentia Verbi, de quo 3. part. qu. 17. artic. 2. quod est signum distinctionis à parte rei, quia sic separantur.

Tertiò obiicies, nullo superaddito modo, vel entitate, essentia est extra causas, hoc ipso quòd procedit ab agente; ergo existentia nullo fundamento distinguitur ab essentia. *Consequentia constat*, quia ad nihil aliud ponitur existentia, nisi vt res sit extra causas. *Antecedens verò probatur*, quia potest concipi lapis productus omni alio modo remoto, vel non cogitato, tunc ergo vel concipitur lapis in actu, vel in potentia; non in potentia, quia est productus; ergo in actu, ergo existens, quia quod extra causas & potentiam est, existens dicitur. *Confirmatur*, quia si existentia est modus, debet dimanare à re, cuius est modus, sed non potest emanare ab essentia, vt intra causas, quia ibi nihil est, & sic essentia se ipsam poneret extra causas, si à se ipsa pullularet ille modus, quo formaliter redditur extra illas; ergo emanat ille modus ab essentia in actu, & extra causas, ergo existenti, & sic existentia emanaret ab existẽtia, & cùm pro illo priori, quo causat talem modum, nondum intelligatur habere illum, consequenter esset existens, antequam habet existentiam.

Resp. non posse concipi lapidem, vt productum, nisi cum existentia, quia existẽtia est ratio formalis, quâ dicitur res extra causas posita, & extra nihil; & sic si concipitur res aliqua vt producta in facto esse, hoc ipso concipitur extra causas, atque adeò cum existentia, sed tamen tunc non concipitur sola essentia quidditatiuè, sed etiam cum aliquo accidentali, scilic. cum illa existentia, seu productione passiua, qua de facto est extra causas; & hoc accidentaliter sibi conuenit. Quòd si inquiras de ipsa quidditate, quæ dicitur susceptiua existentiæ, quæ concipi potest vt subiecta agenti, licèt nondum subiecta passiuè ipsi existentiæ; ergo tunc concipietur extra statum possibilitatis, vtpote subiecta agenti, & tamen sine existentia superaddita *Resp.* quòd entitas sic concepta non concipitur, vt formaliter existens, nec solum vt obiectiuè possibilis, sed vt subiectum existentiæ, secundum quod explicat receptionem ex parte subiecti, non verò informationem ex parte existentiæ, quæ est forma constituens extra causas, Itaque in ipsa re præscindi potest id quod est subiecti in recipiendo sine consideratione eius, quod est existentiæ in informando, & tunc sine existentia non intelligitur vt existens formaliter, sed vt recipiens existentiam, sicut corpus vt recipiens albedinem non considerată informatione albedinis, non consideratur album, sed vt materialiter tendens, vt album sit.

Ad confir. resp. quòd modus ille existentiæ (si modus est) non dimanat ab essentia ratione intrinsecæ connexionis prædicatorum, sed ab agente ei communicatur. Et quando dicit D. Thom. 1. p. q. 50. art. 5. quòd esse secundum se competit formæ, sicut rotunditas circulo intelligitur, quod formæ physicè consideratæ. id est, vt subiicitur motui & actioni per se conuenit existentia, id est non per aliud, sed immediatè, ad differentiam materiæ, cui non nisi mediante forma. Sic ergo modi contingenter conuenientes, & non intrantes constitutionem rei, non est necesse, quòd dimanent ab essentia per necessariam connexionem, sicut propriæ passiones, sed quòd relinquantur ab ipso agente in essentia, quia media actione agentis conueniunt, sicut etiam alij modi conueniunt, subiecto non dimanando ab essentia, vt sessio, & alij similes.

Vltimò obiicies, quia remota existentia nihil veræ & realis entitatis manet, sed tantum veritas obiectiua, quæ non est aliud, quam non implicatio contradictionis, vt aliquid sit, si enim remota existentia aliquid reale maneret, daretur ab æterno aliqua entitas realis pręter Deum, scilicet omnis entitas creata non existens, & tamen realitatem habens, ergo non datur in quacumque reexistentiâ remotâ, aliquid reale informabile ab ipsa, ergo per existentiam & non ante incipit aliquid esse reale, sed inter esse reale & non reale, non potest dari distinctio realis, quia debet esse inter extrema realia & positiua, ergo non distinguitur existentia realiter ab essentia, vt ab extremo reali.

Respondetur, quòd existentia potest remoueri ab entitate reali dupliciter; vno modo remotione separationis, ita vt essentia sine existentia maneat. Secundò remotione distinctionis, ita quòd sit duplex entitas vel modus entitatis, licèt vna nunquam sit sine alia, sed vel vtraque pereat vel vtraque detur. Primo modo, essentiæ remota existentia purè manent intra causas, & in se nihil: nec dicitur remanere connexio illa & veritas æterna realiter, & subiectiuè, sed obiectiuè, nec est aliquid efficienter & libere principatum à Deo; efficientia enim terminatur ad existentiam & sine illa non datur, sed est veritas obiectiua non fundata in aliqua mutatione, ratione cuius tale prædicatum conueniat, sed independenter ab omni mutatione, & hoc ipso quòd in mente Diuina datur conceptio, siue idea alicuius creaturæ resultat veritas illa obiectiua in re cognita, seu cognoscibili, existentia verò solum resultat in tempore, quia mediante immutatione agentis prouenit. Cęterum 2. modo datur in quacumque productione rei duplex entitas, scilicet res ipsa quæ subiicitur agenti, vt terminus actionis eius, & ipsamet existentia, cui subiicitur, eò quòd producitur essentia, non cum solis prædicatis quidditatiuis, sed cum aliquo prędicato superaddito ad essentiam & distincto, quia cõtingenter ei conuenit, scilicet existentia, & res sic subiecta existentiæ secundum se, & vt distinguitur ab existentia non est nihil, aut in statu purè obiectiuo, sed est ens, non actu ex se, sed susceptiuum actus vt D. Tho. loquitur opusc. 15. c. 8. nec enim ad realem compositionem requiritur, quod vtrumque extremum sit in actu existens de se per distinctam existentiam, sed sufficit quòd vtrique existentia conueniat, vni vt suscipienti, alteri vt danti seu informãti; suscipiens autem existentiam non est nihil, nam nihil non est capax existentię, nec susceptiuum eius sed contradictoriè illi opponitur. Quod ergo se habet vt entitas susceptiua existentiæ, hoc ipso quod susceptiuum est, non est nihil, sed tamen se solum habet subiectiuè seu per modum capacitatis esse ex extra nihil formaliter autem per existentiam. Et hoc est quod dicunt aliqui graues Authores, quòd pro illo priori, quo essentia intelligitur recipere existentiam quodammodo intelligitur nihil, & quodammodo aliquid, quod aliqui dicunt humanam fugere intelligentiam cum inter nihil & aliquid non cadat medium. Et verè dicunt, intelligendo hoc de instanti reali, *in quo*; in re enim non stat aliquid partim esse nihil, partim aliquid, & formaliter non esse extra nihil, in re enim semper habet existentiam per quam formaliter est extra nihil. Sed secundum præcisiones intellectus, & prioritates causalitatis, inuenitur aliquid esse subiectum existentiæ nondum intellectâ informatio existentiæ, & sub illa prioritate seu intelligentia subiecti, seu receptiui existentiæ non intelligitur nihil, quod est oppositum & incapax existentiæ, nec intelligitur formaliter existens: sed intelligitur vt capax existentiæ, & tendens ad existentiam, id est subiectiuè existens, non formaliter. Licèt autem non sit medium inter nihil & aliquid, tamen inter aliquid vt formaliter existens, & nihil illi oppositum datur aliquid medium, scilicet capacitas & entitas subiiciens se illi formalitati existendi, licèt in re nunquam sine illa formalitate extra causas reperiatur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm vnica existentia sufficiat toti composito?

QVi tenent existentiam non distingui à realitate essentiæ, tot multiplicant existentias, quot realitates, siue partiales sint, siue totales. *Cæterum Diuus Thomas apertissimè tenet*, existentiam vnam, & eandem conuenire rei, eo modo quo illi conuenit fieri, existentia enim est terminus, quo aliquid ponitur in facto esse extra causas. Vndè eo modo conuenire debet alicui existentia seu factum esse quo conuenit ipsum fieri. Conuenit autem secundum D. Tho. fieri & factum esse ipsi toti tanquam *quod*, partibus autem componentibus tanquam *quo*. Vndè simpliciter vna existentia afficiens totum, reddit existentes omnes partes illius, quæ secundùm se non existunt, sed provt in toto, sed solum inexistunt vel coëxistunt.

Hanc ergo esse D. Thom. sententiam ex pluribus locis apertè colligitur, nam in secundo contra Gentiles, c. 54. dicit: *Quòd in compositis ex materia & forma, nec materia, nec forma potest dici ipsum quod est, nec etiam ipsum esse, forma tamen potest dici quo est secundùm quod est essendi principium, ipsa autem tota substantia est ipsum quod est, & ipsum esse, est quo substantia denominatur ens.* Et in eodem libro cap. 43. inquit: *Quòd sicut vnicuique creato conuenit fieri, sic sibi conuenit esse, esse autem non conuenit formæ tantum, nec materiæ tantum, sed composito; materia enim non est nisi in potentia; forma vero est qua aliquid est, est enim actus, vnde restat, quod compositum propriè sit.* Denique communiter docet Diu. Thom. quòd esse pertinet ad naturam, & ad suppositum seu hypostasim ad naturam vt *quo* aliquid est, ad suppositum verò vt an id *quod* est. & ita vnitas ipsius esse sumitur ab vnitate suppositi, cui per se primò conuenit esse. Quæ doctrina traditur à D. Thom. 1. part. q. 17. artic. 2. & in 3. dist. 6. q. 2. art. 2. & ibidem ad Annibald. q. vnica, art. 2. præsertim ad 2. & quodl. 9. art. 3.

Nec potest dici, quòd D. Tho. nomine existentiæ intelligit subsistentiam, vt aliqui dicunt. Qui tamen

ſaltem fateri debent vnicam ſubſiſtentiam ſufficere toti compoſito & eius partibus, ſi D.Thom. intelligunt de ſubſiſtentia, non de exiſtentia. Quod verò idem ſit dicendum de exiſtentia, ſenſus ipſe D.Tho. declarat, nam ſi dicit, quòd eſſe pertinet ad naturam vt *quo*, ad ſuppoſitum verò ſeu ſubſiſtens vt *quod*, ſi ſumit ipſum eſſe pro ſubſiſtentia, ſenſus eſſet ſubſiſtentiam pertinere ad ſubſiſtens, quod eſſet inutilis repetitio, & malè diceret D.Thom. per hoc eſſe denominari ens, ſed denominari ſubſiſtens, ſi eſſe ſumit pro ſubſiſtentia non pro exiſtentia. Et præterea in loco.3. partis, q 17. art.2. 3. dicit: *Quòd in Deo tres perſonæ non habent niſi vnum eſſe, haberent autem triplex eſſe, ſi in eis eſſet aliud eſſe perſonæ, & aliud eſſe naturæ*, ſi autem ſumeret D.Th. eſſe pro ſubſiſtentia, quomodo diceret tres perſonas non habere niſi vnũ eſſe cùm ſint tres perſonalitates, ſeu ſubſiſtentiæ: ergo quando dicuntur habere vnum eſſe, non poteſt ſumi ly *eſſe*, pro ſubſiſtentia.

Fundamentum autem huius ſententiæ, deſumitur ex triplici capite. *Primò* ex ipſa ratione exiſtentiæ, quæ eſt actus vltimus. *Secundò* ex ipſa ratione partium, quæ non poſſunt exiſtere vt *quod*, ſed vt *quo*. *Tertiò* denique ex ipſa ratione productionis, ſeu fieri, quod ſolum conuenit toti, eſſe autem ſequitur ipſum fieri, cùm conſtituat rem in facto eſſe.

Et primum explicatur ſic, quia exiſtentia, ſeu eſſe, non eſt prædicatum conſtitutiuum quidditatis, ſed extra totam quidditatem illius rei conuenit, partes autem intrant ipſam quidditatem & conſtituunt illam ergo prius eſt, quidditatem conſtitui per ſuas partes & prædicata, quam illi aduenire exiſtentiam, Si autem dicatur, partes ipſas prius habere propriũ eſſe partiale, deinde componere totum, vt exiſtat. *Contra hoc eſt*, quia illud eſſe totale, quod ipſi toti conuenit tanquam adueniens poſt prædicata eſſentialia, & partes intrinſecè conſtituentes, ſupponit ipſam entitatem totius, indigere iſta exiſtentia totali, & per eam actu reddi exiſtentem, entitas autem totius nihil eſt aliud, quam ſuæ partes; ergo ſi illi conuenit exiſtentia totalis, vt per illam exiſtat totum, neceſſariò ſupponit partes non eſſe exiſtentes, nec vnionem earum, cui etiam ſua propria exiſtentia tribuitur in hac ſententia. Item vel illud eſſe ſeu exiſtentia totius afficit, redditque exiſtentes ipſas entitates partium, quæ componunt totum, vel non. Si afficit, ergo ſupponit non exiſtentes ſecundùm ſe, aliàs ſi ſupponeret, fruſtrà redderet exiſtentes. Si non afficit, ergo cùm non ſit alia entitas in toto quàm entitates partium, nullam entitatem afficit exiſtentia totius, quod eſt idem ac non dari talem exiſtentiam, cum tamen ipſum totum ſit vera entitas producta ab agente; & vlterius generatio ſubſtantialis, quæ producit ipſum totum non faceret exiſtentiam ſimpliciter, quæ ſit vnum eſſe, ſed plures exiſtentias partium ſine aliqua vnitate earum inter ſe coniungeret.

Et hinc ſumitur ſecundum fundamentum, quia ſi quælibet entitas partialis habet exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia alterius partis, quælibet exiſtentia dabit ſuum effectum formalem, ſed exiſtentia eſt actualitas, qua aliquid formaliter, & vltimatè conſtituitur extra cauſas; ergo vnaquæque pars ſe ipſa habens exiſtentiam partialem, ſe ipſa habet eſſe extra omnes cauſas, alioquin exiſtentia non erit, nec etiam partialis ſi extra omnes cauſas; ergo ad exiſtendum in rerum natura non indiget aliis partibus, nec exiſtentia vnius partis componeret cum exiſtentia alterius vnam exiſtentiam totalem, quæ ſit per ſe vna, ſed erunt plures exiſtentiæ, per accidens coniunctæ, in vno toto. *Sequela probatur quoad vtramque partem Quoad primam conſtat*, quia exiſtentia eſt formalitas conſtituens aliquid extra omnes cauſas, & extra nihil, & conſequenter ſupponit omnem conditionem requiſitam, vt aliquid ſit extra nihil, quia ſi aliqua conditio non eſt poſita, nondum eſt extra nihil; formalitas ergo exiſtentiæ hoc ipſo quòd ponit extra nihil, ponit extra omnem cauſam & conditionem, ſine qua non eſt extra nihil: ergo ſi ſe ipſa quælibet entitas ſubſtantialis eſt exiſtentia, ſeipſa eſt extra alias partes ſubſtantiales, nec indiget vna pars altera parte vt exiſtat, ſicut nec indiget altera parte, vt entitas partialis ſit. In noſtra autem ſententia, forma & pars non habent exiſtentiam, niſi vt *quo*, ſeu principium exiſtendi, non vt exiſtente vt *quod*. De quo S.Thom. 1.p.q.90.art.2. & quodl.9.art.3.

Quoad ſecundam vero partem probatur ſequela, quia exiſtentia de ſuo conceptu eſt id quo aliquid ponitur extra omnes cauſas & extra omne illud à quo dependet, vt ſic extra nihil: ergo non poteſt eſſe in potentia ad aliam exiſtentiam, à qua perficiatur, & actuetur, quia in ratione exiſtentiæ nihil illi deeſt, vt ſit extra nihil, & in actu, ſi enim deeſſet, exiſtentia vera non eſſet, ſed adhuc nihil & intra aliquã cauſam. Quòd ſi vna exiſtentia non poteſt comparari ad alteram vt potentia ad actum, vel è contra; ergo non poteſt componere cum altera exiſtentia etiã partiali vnam tertiam, quia quælibet illarum eſt in actu vltimo, & ſic non poteſt comparari cum altera, niſi tanquam actus cum actu, quod nullam facit compoſitionem per ſe, quia vna non perficit aliam, nec dependet ab alia, vt ſit extra cauſas, & ſic vnicuique illarum eſt per accidens, quòd ſit coniuncta cum altera. Sic ergo ex ipſis viſceribus exiſtentiæ repugnat dari partiales exiſtentias, quæ hoc ipſo quod partiales ſunt, ordinari debent ad vnam totalem, aliàs vt quid partiales ſunt,

Ex hoc autem ſumitur vltimum fundamentum. quo, ſæpè vtitur D. Thom. quia fieri & generari ſolùm competit par ipſi compoſito, & rei ſubſiſtenti, ergo & exiſtentia, quia hæc non eſt aliud, quam terminatio ipſius fieri, & hoc principio vtitur D.Tho. 1.p.q.45.artic.4 & 8. & q.65.art.4. & q.75.artic.1. & q.90. art.2. quibus locis & aliis multis remittit ſe D.Thom. ad dictum Philoſophi, 7. Met.text.26. vbi oſtendit, nec materiam, nec formam fieri per ſe, ſed compoſitum; forma autem ſolum fit tanquam id, quo aliquid habet eſſe, vbi poteſt videri D.Tho. lect.7. In ſumma omnis generatio ad hoc aliquid ſeu ad ſingulare terminatur, forma autem, v. g. rotunditas non indiuiduatur niſi in materia, quia per ſe ipſam non ſubſiſtit; compoſitum autem ſeu totum in ſeipſo indiuiduatur, & ſubſiſtit; ergo per ſe primo generatur & fit, quia per ſe primo eſt hoc aliquid, ſi autem forma per ſe primo fieret, debet eſſe hoc aliquid, & ſic conſtaret ex alia materia & forma, vel ſaltem eſſet in ſe ſubſiſtens. Reſtat ergo, quòd cum ipſi compoſito ſeu ſubſiſtenti immediatè & per ſe conueniat fieri & generari, ergo & factum eſſe, ſeu terminus fieri, qui eſt exiſtentia, & mediante illo partibus, quia entitas totius non eſt alia ab entitate partium.

Nec dici poteſt, quòd ad ſingulas partes terminatur actio partialis, & ad totum totalis; & ſic etiam ipſis partibus correſpondet eſſe partiale. *Nam contra eſt*, quia iſtæ actiones partiales vel faciunt ipſas partes tanquam id quod habet eſſe, & hoc aliquid vt loquitur Philoſ. vel tanquam id *quo* aliquid habet eſſe, & redditur exiſtens. Si hoc ſecundum, non eſt contra nos, qui dicimus formam eſſe id *quo* aliquid eſt,

est, & fit, vt locis citat. affirmat D. Thom. Si primum, obstat Philosophus, & eius ratio, quia illi solùm conuenit fieri tanquam *quod*, siue dicatur pars, siue totum, quod per se indiuiduum & hoc aliquid, forma autem non est per se indiuiduum, quia non per se primo est incommunicabilis; illi autem conuenit indiuiduatio completè & terminatiuè, quod incommunicabile est; ergo & illi conueniet per se primo fieri, partes autem non dicuntur hoc aliquid, id est indiuidualiter subsistentes, nisi velimus admittere subsistentias partiales, quas supra impugnauimus. Stando ergo in sensu Philosophi, sicut non potest verificari quòd quælibet pars sit hoc aliquid, sed id quo constituitur hoc aliquid, consequenter nec datur actio & fieri per se primo ad partem, vt pars est, & consequenter nec esse. Et sic concludit Philosophus loco citato. *Quòd palam est, quòd illud quidem quod vt forma aut substantia dicitur, non fit, copulatio verò* (id est compositum) *quæ secundum hanc dicitur, fit. Nec obstat* quòd aggeneratio, & nutritio terminantur ad partes, & non ad totum. *Respondetur enim,* quòd hîc non loquimur de actione supponente generationem, addente seu vniente ad illam sed de ipsa prima generatione, qua aliquid per se primò fit.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Primò *arguitur*, nam vel illa existentia, quæ conuenit supposito, seu toti, est vnica tanquam indiuisibilis & simplex existentia pro toto & partibus vel tanquam composita ex pluribus existentiis partialibus. Si hoc secundum dicatur, habetur intentum. Primum verò dici non potest, quia entitas composita, verbi gratiâ, homo, vel lapis, non possunt informari simplici existentia, debet enim existentia proportionari entitati, quæ redditur existens, ergo pro entitate composita non seruiet simplex existentia, aliàs similem existentiam haberet lapis & Angelus, & illa quæ seruit pro vno, seruiret pro alio, quod est absurdum.

Respondetur concedendo, quòd existentia rei compositæ formaliter non est composita, sicut nec subsistentia; imò & ipsa forma informans, verbi gratia anima, potest esse indiuisibilis, licèt actuet & communicetur pluribus partibus, & subsistentia Diuina omnes partes humanitatis terminat; cùm sit simplicissima, & indiuisibilis, & in sententia D. Thom indiuisibilis entitas habitus potest ad plures conclusiones se extendere, & vnica indiuisibilis qualitas multis gradibus intendi. Sic ergo sicut omnes partes componentes totum, terminantur vnica hypostasi, seu subsistentia, quia hæc non consequitur ipsam multitudinem partium, sed adunationem earum in vno, & sic terminatur per modum vnius, sicut omnes partes lineæ terminantur vnico puncto, vltimus enim terminus repugnat, quòd compositus & diuisibilis sit, ita existentia, quæ est vltimus terminus in ratione actualitatis, quatenùs reddit rem vltimatè extra omnes causas, & in facto esse, ita quòd non restat aliud vt sit in actu, ideò est vltima & indiuisibilis actualitas totius, virtualiter tamen seu extensiuè, & præsuppositiuè multiplex, quatenus communicabilis omnibus partibus, quas supponit, sicut anima communicatur diuersis partibus, etiamsi indiuisibilis sit in animali perfecto. Vnde ad existentiam totius trahi partes, docet D. Th. 3. p. q. 17. art. 2. & quodl. 9. art. 3. Et ex hoc apparet differentia inter existentiam Angeli, & lapidis, quia existentia Angeli sicut & subsistentia, nec formaliter nec extensiuè, nec præsuppositiuè diuisibilis est, quia caret partibus, quibus communicetur, existentia autem lapidis formaliter, vt terminus, est indiuisibilis, sed præsuppositiuè & virtualiter, & extensiuè pluribus partibus potest communicari ex quibus componitur ipsum totum, & resultat existentia vt terminus.

Secundò arguitur, quia existentia est modus essentiæ, quam afficit, & ad illam limitatur, nec enim existentia habet aliam specificationem, quam ex ipsa natura, cuius est existentia; ergo non potest afficere modificando plures partes, quia modus existens in vna parte non potest modificare aliam.

Respondetur, quòd etiamsi existentia sit modus (quod non est certum) posse afficere & identificari cùm omnibus, quæ ad entitatem, seu realitatem suæ essentiæ integrandam & componendam concurrunt, quia est modus totius, vt totum est, non partis vt pars præcisè, sicut figura est modus quantitatis, & situs exterior, qui non afficit vnam partem tantum, sed plures in quibus quantitas figurata resultat; vna enim pars sine alia non efficit figuram; nec terminationem; & punctum omnes partes terminat, sic existentia, quæ sequitur vnitatem rei vt factæ, & extra causas positæ, vt terminus productionis, actuat omnes partes constituentes talem entitatem, & quando rei habenti existentiam adueniunt nouæ partes, illæ non afferunt nouum esse, sed communicant in esse totius, quod de se communicabile est omnibus illis partibus, & per accidens, quia non dabantur in toto, non communicabantur illis, sicut anima communicatur partibus de nouo aduenientibus, quibus ante non communicabatur sine aduentu nouæ partis animæ; & ita S. Thom. in 3. distinct. 6. q. 2. art. 2. inquit: *Quòd esse vnius subsistentis est per respectum ad plura, sicut esse Petri est vnum, habens tamen respectum ad diuersa principia constituentia ipsum, & similiter suo modo vnum esse Christi habet duos respectus, vnum ad naturam humanam, alterum ad naturam Diuinam* Et similia habet 3. p. q. 17. art. 2. addens: *Quòd si post constitutionem personæ Socratis aduenirent ei manus vel pedes aut oculi (sicut contingat in cæco nato) ex his non accresceret Socrati aliud esse, sed solum relatio quædam ad huiusmodi, quia scilicet diceretur esse, non solum secundum ea quæ prius habebat, sed etiam secundum ea, quæ sibi postmodùm adueniunt.* Ita D. Thom. Nec sumit S. Th. esse provt communiter dicitur de esse essentiæ & existentiæ, vt putat Lorca 3. p. dist. 68. circa finem, quia persona Christi non potest dici, quòd habeat vnum esse essentiæ, cùm sit duplex essentia, seu natura in Christo. Verificatur ergo vnum esse solum rationem esse existentiæ, non ratione essentiæ, vel abstrahentis ab vtroque.

Tertiò arguitur, Esse multiplicatur secundum naturas, & non secundum supposita, vt patet in Christo, in quo est duplex viuere, alterum creatum & mortale alterum immortale & æternum, viuere autem viuentibus est esse, vt docet Philosoph. 2. de Anima tex. 37. & loquitur de esse existentiæ, quia tamdiu existit animal, quandiu viuit. *Nec dici potest* quòd loquitur de viuere pro operatione vitæ, non pro existentia, vt videtur explicare Sanct. Thomas 1. par. quæst. 54. articul. 1. ad 2. Sed tamen ibi non explicat Sanctus Thomas, hunc locum sed alium ex 12. Metaphys. vbi dicit: *Quòd actio intellectus est vitæ, & quia viuere non comparatur ad vitam, sicut esse ad essentiam, sed sicut currere ad cursum, ideò non sequitur, quòd si viuere est esse, vita sit essentia.*

Quibus verbis nullo modo dicit quod viuere viuentibus est esse sumendo viuere pro operatione.

Respondetur, hoc argumentum, quòd est P. Vazquez disput.71. in 1. tomo 3. par. poni à D. Thom. quodl.9. articul 3. in primo argument. Et respondet S.D. *Quòd viuere dicit esse quoddam specificatum per speciale essendi principium, & ideò diuersitas vitæ consequitur diuersitatem principiorum viuendi, sed esse magis respicit ad suppositum subsistens.* Ita D. Thom. vbi rursus neque sumit ipsum esse seu existentiam pro subsistentia, cùm dicat pertinere ad suppositum subsistens, aliàs esset dicere, quòd subsistentia pertinet ad subsistentiam; neque sumit esse pro essentia vel pro abstrahente ab essentia & existentia, sic enim non negauit tale esse essentiæ consequi principia speciei. Quia ergo viuere, vel non dicit solum esse existentiæ vtcumque, sed specificatum & determinatum ad principium vitæ, vel dicit ipsum esse essentiæ viuentis, ideò multiplicatur viuere, sicut & vita in Christo, non tamen esse pro existentia sumptum multiplicatur ex multiplicatione naturarum, cùm potiùs ex vnitate suppositi sumatur vnitas existentiæ, vt dicit D.Thomas.

Et ex eadem ratione soluens, quòd dici solet de anima, quæ in Christo dat esse corpori, & non increatum, cùm hoc ab anima prouenire non possit, ergo creatum. *Respondetur enim* ex Diu.Thom.3. par. quæst.17. articul.2. ad 3. quòd anima dat esse specificum & essentiale creatum immediatè & formaliter, esse autem existentiæ mediate & radicaliter, quatenùs ex esse formali sequitur existentia, vt specificata à tali forma. Sed hæc præuenitur à Verbo Diuino supplente subsistentiam:& consequenter existentiam.& ideò non prouenit in Christo ab anima, sed suppletur à Verbo. Vndè vt dicit S.Thom. quodl.9. cit. art.3. generatio temporalis in Christo terminatur ad esse suppositi æterni, non vt simpliciter incipiat, sed vt incipiat esse suppositum humanum. Et sic generatio humanitatis,& creatio animæ de se tendebat ad dandam subsistentiam, & existentiam creatam.sed assumptione impeditę sunt, ne propriam darent, sed ad alienā natura humana est enecta ita, *vt ipsa assumptione crearetur*, sicut dicit Sanct. Leo Papa epist.11.

Adhuc tamen instabis, quia esse est, effectus formalis existentiæ non minus intrinsecus, quam album ab albedine, repugnat autem quòd aliquid sit album sine albedine, intrinsecè inhærente, nec Deus se ipso potest supplere vim causæ formalis, nec habere rationem formæ, ergo non potest se ipso existentiam supplere, quia hæc se habet per modum formæ informantis, aut saltem prouenit à forma vt effectus eius, ratione cuius soli materiæ conueniri non potest,& certè Angelus intuitiuè videbat naturam humanam Christi existentem, ergo causam formalem illius existentiæ videbat, implicat enim videre effectum formalem non visa causa formali, sicut videre album non visa albedine. *Confirmatur*, quia cum in sententia D.Th. non dentur existentiæ relatiuæ in Deo, si humanitas existit existentia Verbi, vniretur in aliquo essentiali & communi tribus personis, scilicet in existentia, quod non potest admitti.

Resp. argumentum illud instari manifestè in subsistentia, nam etiam subsistentia est effectus formalis intrinsecus, non quidem informans, sed terminans substantialiter sicut punctum quantitatiuè,& tamen non minus est terminata natura in Verbo sustantialiter, quàm in se. Similiter etiam existentia dat effectum formalem terminando per modum actus vltimi, non informando per modum, accidentis, & ita suppletur per existentiam Diuinam terminantem, non informantem. Et hanc causalitatem terminandi formaliter Deus supplere potest se ipso, sicut patet in subsistentia, & in specie impressa in intellectu beatorum. Nec enim causalitas ista imperfectionem vllam importat, quia vt rectè dixit S. Th.3.cont.Gen. c.51. *Deus non potest esse forma alicuius rei secundum esse naturale, sequeretur enim quod constitueret cum aliquo vnam naturam, quod esse non potest, cum natura Diuina sit in se perfecta, species autem intelligibilis vnita intellectui non constituit aliquam naturam, sed perficit ad intelligendum, quod perfectioni Diuinæ essentiæ non repugnat.* Ita D.Thom. *Ex quo colligitur* quòd illa ratio formæ repugnat Deo, quæ informando perficitur & non purè perficit: si autem aliqua informatio purè perficit, & non perficitur, Deo non repugnat, & talis est omnis; quæ naturam non constituit sicut est subsistentia, & existentia, & species intelligibilis, existentia enim actuat quidditatem nō constituendo ipsam, sed supponendo constitutam, & extra causas ponendo. Vnde quantum est de se, perficit, & non perficitur, non sicut partes constituentes, quæ perficiuntur toto. Sed quia limitatur ad determinatam speciem ex natura cui adiungitur, sicut relatio ex fundamento, ideo conuenit mediante forma, quia mediante illa specificatur, non quia sit immediatus effectus formalis eius.

Ad id quod dicitur de Angelo vidente humanitatem existere, *idem argumentum fieri potest*, quia videbat subsistere,& non videbat subsistentiam in Christo, nec in hoc Vazq. assignat discrimen loquendo de subsistere pro eo quod est habere suppositum seu hypostasim. *Dicimus ergo*, quòd de subsistere, & existere in Christo videt Angelus extrinsecos effectus, & eodem modo se habere illam humanitatem ac si propriam haberet subsistentiam, quomodo verò subsistat,& ipsam communicationem Diuinę subsistentiæ & formalem terminationem seu vnionem,& similiter existentiam non videt, id enim esset videre vnionem hypostaticam, sicut ego video effectus formales animæ, non animam in se.

Ad confirmationem respondet D.Th. in 3.dist.6.q.2. art.2 ad 2.& 3. vbi ponit idem argumentum in terminis, & dicit. *Quod licèt sit vnum esse in Deo* (quòd obiter est aduertendum contra eos, qui ponunt tres existentias relatiuas) *potest considerari, vel prout est essentiæ, & sic non vnitur, humanitas in esse Diuino, vnde non vnitur Patri, vel potest considerari prout est persona & sic vnitur in esse Diuino.* Quare ab ipsum esse vt absolutum immediatè non vnitur humanitas, sed ad esse vt modificatum relatione Verbi, sic enim non est inconueniens vniri etiam ipsi Diuinitati mediatè, & provt modificatur ad personam Verbi.

QVÆSTIO VIII.

De terminis Magnitudinis & Paruitatis.

EXPLICATO toto Composito, quoad substantiam & compositionem eius ex partibus, restat inquirere de termino quantitatis eius quoad magnum & paruum. Cuius occasio sumitur ex his, quæ docet Philosoph. in hoc libro, cap. 4. *disputando contra Anaxagoram, qui dicebat, quodlibet fieri ex quolibet, non quia esset in potentia tale vt fieret, sed quia erat in actu permixtum cum alio secundùm partes minimas & insensibiles, easque infinitas, per quarum congregationem, vel segregationem dicebat res naturales fieri, non per generationem substantialem, quâ res fierent simpliciter. Occasione horum disputat. Philosoph. quomodò res sint determinatæ magnitudinis vel paruitatis, ita vt in quacumque quantitate conseruari, aut generari non possint.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Explicantur principia, & præsupposita huius Quæstionis.

DVo genera terminorum in hac quæstione explicari solent *Primum est*, qui sint termini paruitatis; & magnitudinis in quantitate? *Secundum est*, qui sint termini incœptionis, & desitionis in rebus?

Circa primum aduerte, quòd terminus quantitatis in communi loquendo dicitur, *Aliquid diuisibile, quo res aliqua finitur.* Et debet esse indiuisibilis, quia si aliquid in eo restat diuidendũ, nondũ ibi terminatur & finitur, siquidem aliquid vlterius restat accipiendum, vt ergo amplius nihil restet, debet esse indiuisibile. Potest autẽ terminus iste esse intrinsecus, vel extrinsecus. Intrinsecus est ille, *in quo adhuc res inuenitur, sed vltra non inuenitur.* Extrinsecus, *in quo res aliqua non inuenitur, sed infra vel extra illum inuenitur*, quod est idem ac dicere, quòd sit terminus inclusiuè vel exclusiuè. Et vnusquisque istorum terminorum assignari potest penes magnitudinem, vel paruitatẽ qui etiam sua propria nomina sortiuntur. Terminus intrinsecus penes magnitudinem dicitur *maximum quòd sic*, & ex ille, *in quo res esse potest, & in maiori non potest.* Terminus extrinsecus magnitudinis dicitur *minimũ quod non*, & ex ille, *in quo res esse non potest, & in minori potest.* Terminus intrinsecus paruitatis vocatur *minimũ quod sic*, & ex ille *in quo res esse potest, & in minori non potest.* Terminus extrinsecus paruitatis vocatur *maximum quod non*, & est ille, *in quo res esse non potest, & in maiori potest.* Exẽpla facilè adhiberi possunt in quacumque designata quantitate, verbi gratia, vnius vel medij palmi; si in illa designata quantitate potest esse ignis, ver.gr. & in maiori non dicetur terminus intrinsecus magnitudinis, si in illo esse non possit, sed in minori infra illum, dicetur extrinsecus terminus magnitudinis. Et idem versus paruitatem designando aliquam quantitatem minimam.

Sed obiicies contra id, quod diximus terminum debere esse indiuisibilem, quia hoc non saluatur in termino extrinseco; nam si ille est indiuisibilis, non excedit rem illam quam terminat; indiuisibile enim additum diuisibili, non facit maius, siquidèm non superaddit ei aliquid magnitudinis. Si ergo aliquid infra illud indiuisibile conseruatur etiam isto superaddito conseruabitur, atque adeò erit terminus intrinsecus. *Propter hoc aliquid dicunt*, terminum extrinsecum non esse indiuisibilem, sed partem aliquam indeterminatam, in qua res esse non potest & in minori potest.

Cæterùm hoc stare non potest, nam dato termino extrinseco magnitudinis, in illo res esse non potest, & in minori potest. Si ergo illud, vbi esse non potest, sit diuisibile licèt indeterminatum in nulla parte illius poterit verificari, quòd in minori esse potest: nam infra quamcunque restat adhuc aliquid diuisibile; ergo si diuidatur adhuc in minori illa res esse non potest, quia datur aliquid minus, scilicet illa medietas partis termini diuisibilis, in quo adhuc esse non potest.

Respondetur ergo, quòd illud indiuisibile extrinsecũ, non ideò est terminus, quia seipso superaddito faciat maius, sed quia est principium & initium, vt fiat maius, quia si res terminata illo termino extrinseco augesceret, per illud indiuisibile extrinsecum inciperet illud maius augmentum. Itaq; illud indiuisibile superadditum diuisibili nõ facit maius formaliter, sed inchoatiuè, & quia iam nõ potest incipere maius augmentum, dicitur terminus extrinsecus, illud verò indiuisibile, vbi sistere potest augmentum, & includi in illo, dicitur terminus intrinsecus.

Secundum quod oportet explicare & præsupponere in præsenti, sunt termini inceptionis & desitionis, de quo latiùs in 6. Physic. Sicut ergo in quantitate inuenitur terminus magnitudinis & paruitatis, ita in duratione terminus inceptionis, & desitionis, qui potest esse intrinsecus vel extrinsecus. Terminus intrinsecus inceptionis est ille, *in quo verificatur de re aliqua, quod nunc est, & immediatè ante non erat.* Extrinsecus, *in quo verificatur quod nunc non est, & immediatè post erit.* Et primus vocatur inceptio *per primum esse rei.* Secundus, *per vltimum non esse.* Intrinsecus terminus desinendi est *illud indiuisibile, in quo verificatur quod nunc est, & immediatè post non erit*, & vocatur desitio *per vltimum esse* Extrinsecus terminus est, *in quo verificatur quod nunc non est, & immediatè antea erat.* Et vocatur desitio *per primum non esse rei.* Quare intrinsecus vel extrinsecus dicitur terminus in inceptione comparatiuè ad esse rei, vel ad non esse, si enim vltimum instans alicuius est illud, in quo adhuc durat esse, dicitur intrinsecus terminus.

si in quo iam non durat, dicitur extrinsecus, & similiter respectu desitionis, instans in quo est, immediatè post non erat, dicitur intrinsecum, extrinsecum autem in quo primò non est.

Vt autem nunc suppono ex 6. Phys. Res permanentes, quæ incipiunt in instanti, & non ad modum motus, incipiunt per primum esse. Res successiuæ ad modum motus incipientes, incipiunt per vltimum non esse, in motu enim non est dare primum esse dicendo. Nunc primò est motus, & antè non erat, siquidem in instanti non est motus, cùm sit diuisibilis & successiuus, sed mutatum esse, incipit ergo motus extrinsecè, quia diuisibiliter, dicendo: Nunc non est & immediatè post erit. Eodem modo in desitione, ea quę desinunt ad modum motus, desinunt per primum non esse dicendo; Nunc non est motus, immediatè ante erat, non verò per vltimum esse, dicendo nunc est, immediatè post non erit, in nullo enim instanti potest verificari, quòd est motus. Quæ verò desinunt corruptione instantanea, si desinant ad generationem alterius, quæ instantanea est, desinent per primum non esse, dicendo; nunc non est immediatè, antea erat, eò quòd tales res non desinunt nisi in instanti generationis, & non ante, si enim ante generationem desinerent, daretur materia sine forma. Si autē in instanti generationis alterius primo desinit, ergo in illo instanti non est, atq; adeò illud instās nō est intrinsecum desitioni, sed extrinsecum quia tunc primo nō est, non verò tunc adhuc est, & immediatè post nō erit, sic enim essent duæ formæ substantiales simul scil. quæ tūc generatur, & quæ immediatè post corrūpetur. Quare solum instans, & ea quæ desinunt ad modum instantis, vt operationes Angelorum, & similia desinunt per vltimum sui esse.

Est autem certum, quòd quantitas secundùm se, & quasi mathematicè considerata est diuisibilis in infinitum, vt in 6. lib. probabitur, sed loquimur de quantitate naturali, id est vt pertinet ad corpus naturale, vtrùm ex vi talis corporis determinata esse debeat penes magnum & paruum? Et non loquimur secundùm absolutam potentiam Dei, sed secundùm principia naturalia, nec attendendo ad extrinseca, sed solùm ad intrinseca principia rerum, nam certum est, quòd seruato ordine vniuersi, vltra cœlum elementalia corpora crescere non possunt, nec supra vniuersum protendi. Similiter possunt considerari ista principia naturalia quid possint viâ generationis seu conseruationis, & secundum connaturalem statum, vel quem terminum habeant viâ corruptionis, & vt extracta à connaturali statu & principiis propriis.

ARTICVLVS II.

Quo pacto terminentur corpora naturalia penes magnitudinem?

SIt prima cōclusio; *Viuentia habent terminū extrinsecum suæ magnitudinis viâ generationis & cōseruationis qui est status naturalis, non tamē viâ corruptionis, seu status præternaturalis.* Prima pars est cōmunis Philos. de qua videri possunt Conimbr. 1. Physic. cap. 4. qu. 1. art. 2. & Carmelit. lib. 6. disp. 27. q. 2. & communiter interpretes. Sumitur ex D. Thom. 2. de Anima, lect. 8. in fine, vbi dicit: *Quòd est aliqua quantitas ita magna vltra quam species humana non porrigitur, & aliqua tam parua, vltra quam homo non inuenitur.* Videatur etiam in 2. distinct. 30. quæst. 2. art. 2. vbi id affirmat generaliter de omni corpore naturali, & 1. part. quæst. 7. artic. 3. *Et ratio est*, quia viuentia constant partibus organicis, quæ determinatum temperamentum, & quantitatem habere debent, quā si excedunt, inepta redduntur; & terminus in quem partes istæ, & ipsa viuentia crescunt, debet esse intrinsecus, quia debet esse per augmentationem & nutritionem, quæ ab intrinseca virtute promanat, virtus autem actiua intrinseca terminatur termino intrinseco, vt dicitur 1. de cœlo tex. 116. quia terminari debet termino aliquo à se producto, si enim à se productus non est, non est terminus talis virtutis, sed disparatè se habet, nec ad ipsum pertinet siue intrinsecè, siue extrinsecè, vnde nec mensuramus vires alicuius hominis per id quod ferre non potest, sed per id quod potest ferre; terminus autem qui producitur ab aliqua virtute, intrinsecus terminus dicitur, quia in illum potest; ergo si viuentia crescunt virtute intrinseca augmentatiua, termino intrinseco terminantur in hac magnitudine. *Potest etiam hoc probari* ex eò quòd viuens habet formam determinatam, & sic postulat determinatam quantitatem. Sed de hac ratione, quia communis est etiam corpori non viuenti seq. concl. agemus.

Sed obicies, quia potentia actiua terminatur in sphæra suę actiuitatis per terminum extrinsecum, vt dici solet circa illum textum cit. in 1. de cœlo, & videri possunt ibi Conimbr. quæst. 3. art. 1. & M. Bannez de Gener. tract. de alterat. quæst. 6. in fine *Et ratio est*, quia actiuitas, verbi gratia, caloris aut lucis diffunditur vniformiter difformiter, id est, in prima parte plus, in alia minus, non æqualiter in vtraque; vel ergo vltimum, quod funditur, est diuisibile, vel indiuisibile. Si indiuisibile, daretur minimum in gradibus qualitatis quod repugnat, cùm incipiat ab illo intensio ad modum motus, atque adeò non per indiuisibile. Si est diuisibile, non est vltimum, quia partibile est, & altera medietas non erit vltima. *Confirm.* nam viuentia augescunt motu augmentationis, sed in motu non datur vltimum esse, sed desinit per primum non esse, ergo neque datur terminus vltimus intrinsecus, nam si daretur, de illo esset verū dicere, in hoc vltimo termino est augmentatio, & immediatè post non erit, siquidem est terminus intrinsecus, hoc autem est desinere motum per vltimum esse, quod est impossibile.

Resp. Sphæram potentiæ actiuæ, quando proceditur vniformiter difformiter à maiori gradu ad minimum, seu vsque ad non esse gradus, terminari extrinsecè ob rationem factam, quia proceditur seu diffunditur qualitas diminuendo vsque ad non esse, & non gradum qualitatis, & versus minimum non habet vltimum indiuisibile, seu terminum intrinsecum, cùm nec incipiat ab illo motus intensionis per primum esse, sed per vltimum non esse. At verò actiua potentia procedendo versus magnitudinem habet terminum intrinsecum, quia si intenditur qualitas vsque ad determinatum gradum intendi potest, & vltra non potest, v.g. calor vsque ad calorem vt octo, qui est terminus intrinsecus, non extrinsecus calefactionis, octauus enim gradus calor est intrinsecè

Ad confir. Resp. Quòd motus desinit extrinsecè in ratione motus, quia desinit producto aliquo termino, seu mutato esse, vbi cessat motus, & ita non desinit per vltimum esse, sed per primū nō esse. Cæterùm ille terminus productus per motum seu actionem, v.g quantitas per augmentationē, qualitas per alterationē potest esse intrinsecus terminus ipsi rei, quæ acquiritur, puta qualitati, vel quantitati. Et hoc sensu dicimus viuentia habere terminum intrinsecum, qui intrinsecus sit ipsi quantitati viuentis ad

ad eam enim pertinet, non qui sit intrinsecus terminus ipsi motui, quo acquiritur.

Vrgebis, cur ergo non dicemus similiter in diffusione qualitatis per spatium habere terminum intrinsecum ipsi qualitati, licèt non motui diffundenti? *Resp.* quia ibi, cum diffundatur vniformiter difformiter, fit diminutio qualitatis vsque ad non gradum, & sic non terminatur motus per productionem alicuius, in quo vltimo sistat, aliàs daretur minimum ex parte qualitatis, & prima pars gradus, sed terminatur motus ex diminutione & deficientia virtutis, quia virtus cessat, & sic vlteriùs non producit, vbi autem non producit virtus, est terminus negatiuus & extrinsecus, scilicet hic non est motus.

Secunda pars conclus. prob. Nam si viâ corruptionis daretur terminus intrinsecus, posset viuens desinere per vltimum sui esse, nam si motu aliquo vel actione perueniat viuens ad illum terminum intrinsecum viâ corruptionis & continuetur motus seu actio, quâ ad illum peruenit, v.g.tumefactio, certum est quòd immediatè post morietur, cùm immediatè post sit vltra terminum intrinsecum, in quo viâ corruptionis esse potest: ergo immediatè post desinet, & sic cùm fuerit in vltimo termino, verum erit dicere, nunc est & immediatè post non erit, quod est desinere per vltimum sui esse, quod est contra modum desitionis substantiæ, quando desinit per generationem alterius, vt præced.art.supposuimus.

Dices, hoc argumentum non probare, quòd non habeat viuens terminum intrinsecum magnitudinis etiam viâ corruptionis, quia viuens non acquirit magnitudinem, neque fit maius nisi per augmentationem, per tumefactionem autem non fit maius, neque acquirit quantitatem de nouo, vt in libris de generat. dicetur. Ergo quoad magnitudinem, seu quantitatem nunquam habet viuens terminum extrinsecum via corruptionis, quia non nisi per augmentationem eam habet;augmentatio autem terminum extrinsecum non habet.

Resp. ita aliquos recentiores sentire defendentes, quòd etiam via coruptionis non datur terminus extrinsecus. *Cæterùm dicimus*, quòd loquendo de termino magnitudinis in viuentibus via corruptionis, non possumus loqui de magnitudine quantitatis, quia,hæc solùm prouenit per augmentationem, quæ à virtute naturali & intrinseca est, sed loquimur de extensione quoad locum, quæ est effectus quantitatis secundarius, & in illa etiam debet assignari terminus aliquis viuenti, cum non possit in quamcumque extensionem localem viuens diffundi, & sic intelligitur extensio via corruptionis, & sic assignamus illi terminum extrinsecum, non intrinsecum, accessio autem quantitatis, quæ fit per augmentationem, non potest esse viâ corruptionis, cùm semper naturalis fit, nisi virtus augmentatiua, & nutritiua essent in statu sibi non connaturali.

Sit secunda conclusio. *Non viuentia ex vi suæ generationis & formæ determinatam quantitatem, & intrinsecam habent: in aggeneratione autem seu incremento, quod fit per extrinsecam appositionem per se terminum non habent & ex intrinsecis.* Dico *per se*, quia spectato ordine vniuersi, & situatione corporum, terminum habent, cùm vltra cœlum nullum corpus possit augescere, imò nec integrum elementum corrumpere naturali vi. Hæc conclusio clarè videtur deduci ex Philos. 2. de Anima text. 41. & D. Thoma ibi lect. 8. & 1. par. qu. 7. art. 3. dicit enim Philos. *Quòd ignis augmentum in infinitum est, natura autem constantium omnium terminus est, & ratio magnitudinis & augmenti.* Quæ verba explicans D.Thom. inquit: *Manifestum esse, quòd in omnibus, quæ sunt secundum naturam, est certus terminus & determinata ratio magnitudinis & augmenti, sicut enim cuilibet speciei debentur aliqua accidentia propria, ita & quantitas, licet cum aliqua latitudine propter diuersitatem materiæ.* Nomine ergo naturâ constantium quamlibet speciem naturalem intelligit D. Thom. Quod & statim magis explicat, dicens: *Quòd determinatio quantitatis in rebus naturalibus est ex forma, quæ est principiũ speciei magis, quàm ex materia.* Similia docet 1. par. qu. 7. art. 3. vbi sic proponit rationem. Omne corpus naturale habet aliquam formam substantialem determinatam, sed ad formam substantialem sequuntur accidentia; ergo ad determinatam formam determinata accidentia: vnum autem ex accidentibus est quantitas; ergo omne corpus naturale habet determinatam quantitatem, & in maius & in minus. *In qua ratione illud animaduertendum est*, quòd cùm quantitas possit duplici modo conuenire corpori, aut vt consecuta ex ipsa productione prima corporis, aut vt acquisita & superueniens; non probat ratio D. Thom. de termino quantitatis, qui conuenire potest corpori seu formæ naturali per acquisitionem, & incrementum extrinsecum, sed per consecutiooem ex vi generationis corporis aut formæ, quia hoc tantum ad suum institutum pertinebat, vt statim dicemus. Et in hoc pari passu currunt viuentia & non viuentia, quia quantitas in eis primùm ad formam consecuta ex vi suæ generationis certa ac determinata esse debet, & si partes de nouo aggenerentur, seu producantur, quælibet illarum cum determinata quantitate debet produci, licèt si simul vniantur, ex vi talis vnionis non semper determinatam quantitatem postulent. Vndè aliud est quòd ex vi formæ & productionis, siue totius corporis, siue partis cuiuslibet determinata quantitas proueniat, aliud quod vnio multarum partium & quantitatum sine vllo termino fieri possit.

Obiici ergo potest contra hanc rationem S. Thomæ ex vna parte, quod diminutè probet, ex alia quod nimis. *Quòd diminuta sit, probatur*; *tùm*, quia non probat quòd determinata forma postulet determinatam quantitatem, determinatio enim formæ est quantum ad esse; determinatio verò secundum quantitatem est diuersi generis: quomodo ergo ex determinatione vnius infertur determinatio alterius? *tùm*, quia dato quòd sequatur ad determinatum esse determinata quantitas, vnde sequitur quòd debeat esse determinata secundum maius & minus, & non secundum alias rationes, puta secundum species determinatas lineæ & superficiei, &c. & secundum determinatàs figuras rotundi aut quadrati, &c. ergo formaliter ex vi determinatæ formæ, non sequitur determinata quantitas in maius & minus; *tùm denique*, quia ad determinatam formam solum requiruntur determinatæ dispositiones intensiuè, non extensiuè; extensio enim post formam introductam & generatam crescere potest vsque ad suum terminum, non ergo necesse est, quòd sequatur ad formam.

Quòd verò nimis probet hæc ratio D. Thom. *potest aliunde argui*, quia sequitur ex illa, quod etiam non viuentia habeant terminum intrinsecum quantitatis in suo incremento. *Patet sequela*, quia etiam in non viuentibus forma est determinata; ergo & accidentia quæ ad illam sequuntur, quorum vnum est quantitas, & sic quomodocumque fiat augmentum, tamen cùm radix illius sit forma quæ determinata est,

solum

ſolum determinatæ quantitatis erit capax. *Et confirm.* quia vt ſequatur determinata quantitas, non requiritur niſi determinata forma in eſſendo, non determinata in quantitate; aliàs ſenſus eſſet, quod forma determinata in quantitate, habet determinatam quantitatem, quod eſt ridiculum, ſemper autem forma inanimata eſt determinata in eſſendo, quia ſemper conſtat limitatis terminis eſſentia, quæ ſunt genus & differentia, actualitas & potentialitas, ergo ſemper ſequitur determinata quantitas in non viuentibus.

Ad obiectiones pro prima parte. Ad 1. *reſpondet.* quòd ex determinatione formæ in eſſendo rectè ſequitur determinatio quantitatis, quia licèt ſit alterius generis à ſubſtantia in entitate, tamen in ratione effectus ad eam conſecuti, & diſpoſitionis ei ſeruientis proportionem habet cum illa, ſicut etiam qualitas, & reliqua accidentia & propriæ conſequuntur ſubſtantiam diuerſi generis ſunt ab illa in entitate, & tamen in proportione illi adæquantur, & ab illa menſurantur: eſt enim accidens ex ſuo genere entis ens, & ſic licet diuerſum in entitate, in modo tamen & officio accommodatur ſubſtantiæ, & iuxta illam menſuratur.

Ad ſecundum reſpond. determinationem quantitatis rectè ſumi penes magnitudinem & paruitatem, tùm, quia iſti met termini à ſubſtantia originari debent, ad eamque reduci; tum, quia determinatio quantitatis non poteſt eſſe, niſi vel penes ſpecies, vel penes terminos magnitudinis. Species omni corpori naturali conueniunt, in omni enim corpore debet dari linea, ſuperficies & profunditas; ergo determinatio quantitatis in vno corpore præ alio, non poteſt eſſe in iſtis ſpeciebus, ſed in terminis magnitudinis. Nam determinatio penes figuras ſupponit iſtam terminationem penes magnum & paruum, ex diuerſa enim terminatione quantitatis diuerſa reſultat figura; omnis autem terminatio fit ſecundum plus, vel minus, erga aliquam poſitionem corporis.

Ad vltimum reſpond. quòd quantitas numeratur inter diſpoſitiones ſaltem paſſiuas, quia mediante extenſione reliquæ qualitates operari poſſunt modo corporali, & ſibi connaturali, & per terminationem quantitatis diuerſam, aut denſitatem, vel raritem partium diuerſimodè qualitas modificatur ad agendum, & in viuentibus ad determinata organa requiritur determinata quantitas, & omnibus ad ſignationem materiæ quantitas concurrit, vnde maximè pendet indiuiduatio, ſine qua non eſt diſpoſitio.

Ad obiectiones factas pro ſecunda parte, vt reſpondeamus, *eſt aduertendum*, aliquos illo argumento conuinci ad aſſerendum, quòd non viuentia habent terminum intrinſecum, licèt nobis ignotus ſit, nunquam enim vidimus ignem maximum, aut aquam, & ita de termino magnitudinis eorum certo ſcire non poſſumus, de quo videri poteſt Curſ. Carmel. 6. Phyſ. diſp. 27. num. 14. & 17. Et quando vrgetur quòd dato illo igne maximo, & in ſuo termino intrinſeco, ſi illi apponatur ſtuppa, ſine dubio comburet illam, & augebitur ignis. *Reſpondent*, quòd tunc comburet ſtuppam, ſed non vniet ſibi illum ignem, ſed fiet alius diſtinctus ignis, vel ſi vniet, non manebit in ſtatu naturali, ſed viâ corruptionis, ſicut viuens cùm eſt in termino magnitudinis, & intumeſcit, vel denique tantum deperdet ille ignis ex altera parte, quantum vniet de igne ex ſtuppa.

Nihilominùs oppoſita ſententia tenenda nobis eſt, cùm ſit expreſſa Philoſoph. in 2. de Anima textu 41. & ibi Diu. Thom. dicentium, quòd ignis poteſt creſcere in infinitum. *Nec ſufficienter explicatur* de incremento via corruptionis; Implicat enim quòd via corruptionis creſcat in infinitum & ſine termino; aliud eſt enim quod terminus eius via corruptionis debeat eſſe extrinſecus, aliud quod infinitus: hoc ſecundum repugnat, quia via corruptionis eſt illa, quæ tandem conſumit, & corrumpit, aliàs via corruptionis non eſt, ſi nunquam corrumpit, ſed in infinitum poteſt extendi; ergo infinitum augmentum via corruptionis eſt implicatio. Deinde quod fatetur iſta ſententia, quòd ignis maximus comburet ſtuppam, ſed non vniet, incidit in illud magnum inconueniens, quòd non poterit maximus ignis & aqua operari id quod minima, ſcilicet alterare & conuertere aquam, vel ignire ſtuppam aggenerando ſibi, cùm virtus ignis non ſolum ſit ad generandum alium, ſed etiam ad aggenerandum ſibi.

Quare dicimus, quòd ratio S. Thom. ſupra facta, non procedit de augmento extrinſecus adueniente, ſed de quantitate conſecuta ex forma, & idem eſt de augmento per intrinſecam virtutem augmentatiuam acquiſito, quia ex virtute actiua limitata & determinata conſequitur. Augmentum autem extrinſecus appoſitum non conſequitur ad formam præexiſtentem, aut virtutem eius actiuam, ſed nouam formam materiamque ſecum affert, ideòque nouam quantitatem. *Et quando vrgetur illa ratio*, quòd etiam appoſita illa noua forma & materia, adhunc manet determinata & finita forma in eſſendo; ergo & quantitas in conſequendo. *Reſp.* in re de facto & categorematice ſemper dari determinatam quantitatem ex determinata forma, ſed ſincategorematicè non habet terminum, quia non peruenitur ad aliquem terminum, vltra quem non poſſint aliæ partes addi, nec tot quin plures; hoc enim eſt ſincategorematice non habere terminum. Et quia D. Thom. ſolum intendebat probare, quòd in re non datur infinitum categorematice, optimè id probauit ex determinatione & finitate formæ; nunquam enim in re dabitur infinita quantitas ſtante finita forma, ad quam ſequitur, & cui conuenit, quantumcunque partes accreſcant, quia etiamſi poſſint creſcere in infinitum ſincategorematice; hoc tamen infinitum eſt impertranſibile in re, & ita benè ſtat vtrumque, & quod in additione & incremento partium nunquam ſit infinita quantitas categorematice; & quòd collectio, & additio partium ſincategorematice terminum non habeat. Habet tamen illum etiam ſincategorematice in viuentibus, quia incrementa non ſuperueniunt ab extrinſeco paſſiuè ſolum ſe habente ſubiecto quod augetur, & cui ſit acceſſio, ſed actiua virtute & per intus ſuſceptionem immutante alimentum & creſcente, quæ virtus cùm limitata ſit, non minus habere debet determinatum terminum, quantitas, vt aucta, quàm vt generata.

Quòd ſi dicas nam etiam in igne, v.g. acceſſio & incrementum fit per virtutem actiuam ignis aggenerantis, & conuertentis in ſe combuſtibile, quæ virtus cùm non minus ſit limitata in igne, quàm in animali, non minus habebit terminum intrinſecum in illo, quàm in iſto. *Reſpondetur*, requiri quidem virtutem actiuam in igne ad tranſmutandum combuſtibilia, ſed non eodem modo eſt limitata in igne, & in viuentibus: in igne enim in omni parte & virtus igniendi & augmentandi ignem, & ita creſcente igne creſcit virtus augmentandi, & cùm in omnibus partibus ſit virtus augmentatiua ſufficit extrinſeca poſitio combuſtibilis vt conuertatur, creſcatques ignis, & cum igne noua virtus augmentandi. Cæterùm in viuentibus virtus augmentatiua non eſt

est in omnibus partibus, nec crescit aut aduenit noua virtus crescente viuente, sed virtus augmentatiua pertinet ad determinatam partem, seu Organum, putà ad stomachum, in quem mittitur alimentum, & indè distribuitur ad omnes partes corporis, & cùm per argumentum partium non adueniat noua virtus stomachi nutrientis, sed idem debet omnibus præstare alimentum, talis virtus limitata & in parte determinata residens non potest in quemcumque terminum se extendere, ignis verò & reliqua non viuentia in quacumque parte habent sufficientem virtutem aggeneratiuam.

Adhuc tamen obiicies contra id, quod dicimus, viuentia non habere terminum intrinsecum viâ corruptionis ex Martinez in hac quæst. de maximo & minimo 1. Physic Quia termini extrinseci tunc solum assignandi sunt, quando extrinseci commodè non possunt: at in viuentibus possunt assignare termini extrinseci viâ corruptionis, quia si etiam viâ corruptionis viuens intumescat, non propterea acquirit maiorem quantitatem, qui tumor, sicut & raritas pertinent ad positionem diuersam partium sub eisdem terminis quantitatis; ergo ex eo, quòd viâ corruptionis intumescat viuens, non habebit terminum extrinsecum in quantitate, sed intrinsecum. *Hoc argum. iam suprà solutum est*, & non habet vim, quia non assignamus terminos quantitatis, in istis rebus solum ratione intrinsecarum partium, & primarij effectus quantitatis, sed etiam ratione extensionis in loco; quia enim quantitas non potest extendi pro omni loco, neque nouas partes addendo viâ augmẽtationis, neque easdem extendendo per situationem in omni loco viâ corruptionis, & illis assignamus terminum intrinsecum propter limitationem virtutis augmentatiuæ, & istis extrinsecum, ne desinat viuens per vltimum esse.

Fortius aliunde instari potest, quia posito termino intrinseco magnitudinis in homine, v.g. & incipiente viâ corruptionis, vel in ipsa natura est virtus certa & determinata, vt vlterius possit via corruptionis permanere, vel non. Si non, ergo statim peribit, quia caret virtute determinata, atque adeò nullam habet, vt vlterius permaneat vsque ad aliquem terminum extrinsecum; vnde enim designabilis est ille terminus, si non est virtus in viuente, vt ad illum extrinsecè perueniat? Si habet, ergo habebit terminum intrinsecum, etiam via corruptionis, quia currit eadem ratio, atque via generationis, siquidem ex intrinseca virtute naturali habet peruenire ad talem terminum, & hæc intrinsecè determinata est.

Confirmat. Quia sicuti ignis maximus appositam sibi stuppam comburet & aggenerabit sibi ideóque negamus habere terminum intrinsecum, ita & animal in termino maximo suæ magnitudinis adhibitum sibi alimentum, præsertim facilis decoctionis conuertet, & crescet, ergo non habet terminum intrinsecum. Quòd si tantum dependet de propria substantia, quantum adquirit de alimento; idem dicemus de igne illo maximo; sicque pari passu current.

Respond. In non viuentibus via corruptionis designari terminum ex virtute naturali ipsius, non in statu naturali, sed infirma & deficiente, vtpote via corruptionis tendente. Virtus autem deficiens cùm minuatur, & à statu naturali remoueatur, terminatur in non esse, sicut virtus effectiua & perfectiua terminatur in esse, & ideo via corruptionis, illa virtus habet terminum extrinsecum, idest non esse, via autem conseruationis & generationis terminatur in esse, qui est terminus intrinsecus, præsertim quia illa deficientia virtutis venit ex dispositionibus contrariis, quæ ad generationem oppositæ formæ tendunt, & ideò virtus deficiens in extrinsecum terminatur, scilicet in generationem formæ oppositæ. In non viuentibus autem non datur terminus extrinsecus in augmento, sed nullus terminus siue non determinatus syncategorematicè, vt dictum est; vnde nõ est simile, nec enim in eis signari potest terminus, in quem non perueniant, & infra illum perueniant, sed quouis dato aliud potest adiungi

Ad confirmationem respondetur, quòd quando animal peruenit ad summum augmentum, ideò habet terminum, quia virtus eius sic continua reactione disposita est, vt tantum vel plus perdat quam conuertit, aliàs si plus conuerteret, adhuc cresceret. Ignis autem quantò plus augetur, minus virtus eius diminuitur, sed fortificatur, & ideò non est fundamentum vt dicamus, quòd tantum deperdet, quantum augebitur.

ARTICVLVS III.

Vtrum detur terminus paruitatis intrinsecus, tam in animatis, quàm in inanimatis?

Sensus quæstionis est, an corpus non mathematicum, sed naturale constans tali vel tali forma naturali, & non in sola abstractione quantitatis, consideratũ, possit in quacumq; parte minori ac minori sine termino generari vel conseruari; an verò exigat determinatam aliquam quantitatem versus paruitatem circa quam generari, aut conseruari non possit, & hoc vocamus minimum illius corporis siue intrinsecum assignetur, siue extrinsecum, hoc enim etiam resolueudum est.

Prima conclus. *In viuentibus terminus paruitatis intrinsecus assignandus est via generationis, & conseruationis, nõ corruptionis.* Est cõmunis inter Author & videri possunt Conimb. 1. Phys c. 4. q. 1. ar. 2. & Carmel. disp. 27. q. 3 & alij. *Ratio est*, tùm illa generalis posita præced. art. quia ex forma determinata, sequitur determinata quantitas, tã ex parte magnitudinis, quàm ex parte paruitatis; tum specialis, quia viuentia exigunt plura organa ad sui compositionem, quæ non possunt disponi in quacumq; minima parte, nisi vel omnino comprimantur, seu condensentur, & ita inhabilia reddantur ad sua munera, vel penetrentur, quod naturaliter esse non potest.

Altera verò pars, quòd terminus ille sit intrinsecus viâ generationis, sed non viâ corruptionis, cõstat ex eisdem rationibus, quibus probatus est terminus magnitudinis in art. præcedenti. Est terminus intrinsecus via generationis, quia aliàs non inciperet per primum esse, sicut est proprium substantiæ, sed per vltimum non esse, quòd est proprium motus, & rei successiuè, vt in 6. lib. dicemus. *Et sequela patet*, quia si esset terminus extrinsecus versus paruitatem, esset verũ dicere: Nunc in hac quantitate non est viuens, & immediatè post erit, crescente immediatè post quantitate, quia id quod immediatè post sequitur in quantitate est pars indeterminata, quæ motu seu indeterminatũ actione adquiri debet; sed de quo verificatur, quod nunc non est, & immediatè post erit, incipit per vltimum non esse, & non per primum esse; ergo &c. Similiter via conseruationis cùm fiat ille motus ad paruitatem virtute naturali, oportet quod habeat determinatum terminum, sicut habet versus magnitudinem, quia à simili virtute naturali procedit augmentum. At verò via corruptionis terminus ille paruitatis extrinsecus esse debet

ne alias viuens desinere possit per vltimum sui esse, sicut in termino magnitudinis dictum est. Nam assignato termino intrinseco, verbi gratia, in condensatione viuentis versus paruitatem, & motu se continuante, vel immediatè post desinet viuens vel non. Si non, ergo nondum erat in termino intrinseco corruptionis, siquidem adhuc eo transgresso non corrumpitur. Si desinit, ergo per vltimum esse, quia est verum dicere nunc est, sc. in termino intrinseco via corruptionis, & immediatè post non erit, quæ est desitio per vltimum esse inconueniens autem est talis desitio in his quæ per generationem alterius desinunt, in art. 1. ostensum est.

Secunda conclus. *Non viuentia habent terminum intrinsecum paruitatis via generationis & conseruationis.* In hac conclusione non concordant D. Th. & Scotus, sentit enim Scot. in 2. dist. 2. q. 9. non viuentia carere termino paruitatis intrinseco ex natura sua, sed in quacumque minori parte posse generari aut conseruari. Quem sequuntur aliqui Recentiores, vt Rub. 1. Physic. cap. 4. qu. 2. & Pereir. lib. 10. cap. 23. propos. 7. & alij. Cæterùm D. Th. apertè tenet contrarium, tum in 1. par. q. 7. art. 3. vbi docet, corpus naturale habere determinatam quantitatem in maius & in minus, & eadem ratione id probat, scilicet quia quantitas sequitur ad determinatam formam, quod probat terminum intrinsecum non minus in magnitudine, quam in paruitate, tum etiam in 2. dist. 14. q. 1. art. 1. ad 4. & dist. 30. quæst. 2. art. 2. in corp. expresè docet, quòd corpus naturale habet determinatam quantitatem; & ideò est inuenire minimam carnem, & minimam aquam, vt dicitur 1. Phys. tex. 36. super quem locum etiam videri potest S. Thom. lect. 9. vbi ostendit, quòd corpus mathematicum potest diuidi in infinitum, quia solùm in eo consideratur quantitas, non tamen corpus naturale, quia in eo est forma, quæ sub quacumque quantitate nequit conseruari. *Nec potest exponi S. Thom.* quòd solùm intendit non dari infinitum categorematicè & in actu, quòd verò detur syncategorematicè versus magnitudinem non intendit, & idem est versus paruitatem. *Nam contra hoc est*, quia esset ridiculum velle probare, quòd versus paruitatem non datur infinitum categorematicè, cùm ipsa ratione paruitatis infinitas tollatur, loquendo de infinitate continui. Solum ergo intendit probare, quòd versus paruitatem res naturalis habeat terminum etiam syncategorematicè, ita quòd in minori ac minori parte non possit conseruari ac diuidi.

Præter illud commune supra positum *fundamentum* de forma determinata, ad quam sequuntur accidentia determinata, & consequenter quantitas tam in maius, quam in minus, *specialiter addi potest aliud.* Quia si ad generationem non viuentium non requiritur determinata quantitas versus minimum; sequitur quòd possit aliqua substantia incipere per vltimum non esse, non autem per primum esse, cuius oppositum art. 1. supposuimus, & ostendemus plenius in 6. lib. *Sequela probatur.* Applicetur ignis in aliquo instanti, vel creetur propè combustibile, ita quòd in illo instanti non tangat nisi superficiem combustibilis, sicut communiter ignis applicatus passo solam superficiem tangit, & indè incipit diffundere suam virtutem vniformiter difformiter, & sic in illa superficie ponat calorem vt octo, & infra superficiem aliquid minus & minus successiuè, *Tunc formo argumentum.* In illa superficie non generatur ignis in illo primo instanti, quia ignis est corpus, & in superficie non potest generari, corpus enim non est sine trina dimensione, debet ergo expectare, vt pars aliqua sit disposita calore vt octo, quod erit immediatè post, cum motus ille vniformis difformis cœperit in parte sequenti post superficiem intendi, & communicare calorem vt octo, ergo cum immediatè post instans attingatur à calore superficiei pars immediata communicando illi calorem vt octo, & in quacumque minori parte generetur ignis, immediatè post generabitur, sed immediatè post instans sequitur tempus, ergo in tempore incipiet generatio, & sic erit verum dicere in illo instanti, nunc non est ignis, immediatè post erit, quod est incipere per vltimum non esse.

Confirm. quia ignis non potest generari in puncto vel indiuisibili, vt probatum est, quia est corpus, ergo in aliquo diuisibili: si ergo non requirit quantitatem determinatam, sed quacumque data in minori incepit, ergo non est assignare primum esse sed quocumque dato ante incepit, ergo ad modum motus incipit.

Omitto aliam rationem. quia res minimæ quantitatis non potest habere operationem, ergo nec esse quod est propter operari. *Sed responderi potest*, quod habet insensibilem operationem, nec enim solùm sunt in esse, quæ sub sensum cadunt ex defectu solius quantitatis. Quod tamen incertum est, & qua facilitate dicitur, negatur.

Quòd verò iste terminus versus paruitatem sit intrinsecus, constat ex dictis, tùm quia operatio vt procedat, exigit quantitatem determinatam in ipsomet operante, & non extra illud, ergo est terminus ei intrinsecus; tum quia aliàs si sufficeret extrinsecus, posset incipere ignis, verbi gratia, per vltimum non esse ab ea parte, quæ immediatè sequitur post terminum extrinsecum, vt ostensum est. Et denique cùm sequatur ad formam intrinsecam tanquam accidens eius, intrinsecus quoque terminus erit, id est in ipso existens. Et similiter ostenditur, quòd via corruptionis non habent terminum intrinsecum paruitatis, sed extrinsecum, qui aliàs posset desinere non viuens per vltimum sui esse, superueniret ad terminum illum sibi intrinsecum in paruitate, & immediatè post continuando motum condensationis, aut diuisionis minoraretur; tunc enim immediatè post illum terminum desineret, ergo per vltimum esse, quia quando esset in termino, possemus dicere, nunc est & immediatè post non erit, quod in desitione corruptiua substantiæ nequit concedi, vt supra ostendimus.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur *vulgari illo, sed difficili argumento.* Quia ignis, verbi gratia, approximatur materiæ dispositæ prius agit in partem propinquam, quã remotam, cùm agat vniformiter difformiter, ergo prius introducit calorem, vt octo in partem propinquam, quàm in remotam. Et quacumque parte minimâ designatâ, cùm sit diuisibilis, actio vniformis difformis prius introducit calorem vt octo in medietatem, & in medietatem medietatis, & sic in minus successiuè quàm alias partes. In quacumque autem minori ac minori parte introducatur calor vt octo, non compatitur forma apposita, cùm sit dispositio vltima; ergo generatur ignis, aliàs sine vlla forma maneret materia, ergo non habet determinatum terminum versus paruitatem. Dicere autem, quòd producto illo calore vt octo in illa immediata parte, cessat ibi agere, quousque alia pars sit æquè disposita in quantitate ad ignem requisita, & tantum conseruat calorem partis immediatæ est

est dicere quod in parte illa immediata cessat motus, cùm solùm sit conseruatio & quies præcedentis, & si ibi cessat motus, cessabit, etiam in sequentibus, quæ à motu primæ partis pendent.

Confirmatur simili argumento in nutritione ex alimento, vel aggeneratione continua ignis in papyro; quando enim motus ille continuus nutritionis, vel aggenerationis peruenit ad vltimam partem minimã papyri, vel alimenti vt conuertatur in ignem vel carnem, vel immediatè post illa minima pars papyri tota conuertitur in ignem, vel non. Si non, ergo adhuc infra terminum paruitatis propriæ manet papyrus, vel alimentum saltem viâ corruptionis, & sic non habet terminum intrinsecum. Si non remanet, ergo cum omnes illæ partes infra minimum nondum sint æquè vltimò dispositæ, quia vniformiter difformiter dispositio introducitur, relinquitur, quod est forma ignis introducetur in aliquas ex illis partibus sine sufficienti dispositione, scilicet calore vt octo, manebit materia sine forma.

Respond. Admisso casu disputationis gratiâ (nam vix contingere potest, vt ignis vel agens naturale applicetur quantitati ita minori) quòd producto calore infra octo in parte minori, quàm requiratur ad quantitatem ignis cessat intendere calorem, in ea parte, quousque debita quantitas vlteriùs sit disposita eodem modo, ita quòd subito in tota illa quantitate introduci possit calor vt octo, qui est vltima dispositio & sine forma ignis non inuenitur; vltima enim dispositio nunquam introducitur, nisi cum forma, & concomitantia reliquorum accidentium, quorum vnum est quantitas debita, vndè hæc vltima dispositio, licèt in ratione accidẽtis præcisè debebat lege alterationis produci vniformiter difformiter, tamen vt vltima est & necessariò, annexa ipsi formæ substantiali, introducitur ipsa lege generationis substantialis, scilicet modo formæ substantialis & expectando reliqua accidentia, & dispositiones talis formæ. Et quòd productâ qualitate aliquâ infra vltimam dispositionem in quantitate indebita, cessat actio vlterioris qualitatis productiua, quousque debita quantitas sit disposita, patet ex duobus; tùm in generatione viuentium, quæ exigunt determinata organa, vndè licèt vna pars minor, vel indesignata habeat qualitatem requisitam ad carnis vel ossis materiam, verbi gratia, talem duritiam non tamen introducetur ibi forma viuentis, quousque organa sint in quantitate debita disposita, ita suo modo non viuens quousque habeat quantitatem, non quidem organizatam, sed sibi debitam dispositam non generabitur. Et secundò id apparet in flamma, quæ vicinam superficiem aut partes aëris non inflammat, sed in eis conseruat calorem, & si ponatur materia nimis sicca, vt papyrus vel sulphur alquantulum distans inflammat eam; ergo signum est, quòd non mouendo vicinas partes, sed conseruando calorem potest in aliquid agere. Et sic quando dicitur, quòd cessante motu in parte immediata, cessabit in vlterioribus, *distinguo*, cessante motu conseruatione primi caloris simul, *concedo*; cessante motu, sed non conseruatione caloris *nego*, per illum enim conseruatum reliquæ partes mouẽtur vsquequo sint æquo pondere omnes dispositæ, vt in omnibus simul cum quantitate requisita calor vt octo, simul per generationem formæ introducatur; posteà verò in aggeneratione, continuatione quadam producetur, quia iam supponitur debita quantitas generata. Quomodò autem vltima dispositio non introducatur sola alteratione, sed simul concurrente generatione? in lib. de gener. explicabimus, sed sufficit aduertere, quod si vltima dispositio est necessario annexa formæ substantiali; quid mirum quòd sit annexa generationi, & sine ipsa non introducatur? licet cum habitudine ad qualitatem præcedentem per alterationem introductam, cui continuatur vel coordinatur, & ratione filius habitudinis fungitur causalitate seu prioritate dispositionis, & causæ materialis, vt ibi latiùs explicabitur.

Ad confirm. resp. Quòd quando peruenitur ad illas angustias, quod alimentum vel combustibile peruenit ad suam minimam quantitatem, non solùm in qua esse potest via generationis (inde enim adhuc vlterius progredi potest motus via corruptionis non eiecta forma combustibilis, aliàs desineret per vltimum esse illa forma, vt sup. dict. est) sed etiam in qua esse non potest via corruptionis, quæ est terminus extrinsecus paruitatis, tunc considerandum est, quòd licet tota illa pars non receperit vniformiter dispositiones vsque ad vltimam; tamen dicendum est, quòd vel illæ dispositiones minores vltima per accidens sunt sufficientes, vt introducatur vltima, quia sublata quantitate debita, reliquæ omnes dispositiones formæ præcedẽtis cessant, & sic soluitur forma, substantialis à materia, sublatis autem omnibus dispositionibus subiecti, siue per se à contraria dispositione, siue per accideus destructâ quantitate requisitâ, & consequenter dispositionibus, quæ mediante illa in subiecto sunt tollitur forma, & datur locus vt generans introducat formam substantialem & dispositionem vltimam, vtendo generatione, & non ampliùs alteratione. *Vel dicendum*, quòd cùm peruenitur ad minimam illam quantitatem, infra quam potest sustentari forma, sed in alia non potest, cessabit motus conseruando dispositiones immissas, quousque in reliquis partibus dispositio sufficiens æquè introducatur, vt super omnes vltima dispositio cum forma substantiali introduci possit, sicut de igne primo applicatur passum, & generante ignem dictum est.

Secundò arguit. Si non viuentia habent terminum intrinsecum paruitatis, accipiamus corpus quod in toto vniuerso minimam inter omnia quantitatem exigit, & ponatur in sua minima quantitate, tunc diuidatur à Deo, vel Angelo, nullâ aliâ alteratione vel dispositione factâ, quam diuisione, vel factâ diuisione, adhuc manebit illud minimum vel non. Si manebit, ergo vltra terminum intrinsecum paruitatis inuenitur, & sic ille non erat terminus. Si nõ manet, ergo cõuertitur in aliud corpus, sed supponimus, quòd in nullũ aliud corpus potest esse minus in toto vniuerso, ergo in nullum aliud corpus potest conuerti. Et præsertim quia ex vi diuisionis non apparet quæ forma possit ibi introduci. *Et si dicatur*, quòd conuertetur in corpus proximius circunstans. *Contra est*, tum, quia potest contingere, quòd sit minus dispositum & proportionatum illi corpori circunstanti vt in illud conuertatur: tum quia potest Angelus vel Deus diuideri illud corpus in vacuo, & tunc non habet circunstans corpus in quod conuertatur. Item sit minimum panis vel vini, in quo eius species saluari possit, & Sacerdos intendat cõsecrare medietatem tantum, tunc medietas erit consecrata, & altera medietas sub forma panis vel vini, dabitur ergo tunc aliquid vini vel panis sub minori minimo, quod est non habere terminum intrinsecum paruitatis. *Confirm.* in ipsa aggeneratione, quâ ignis serpit per papyrum, vel viuens conuertit nutrimentum, forma tunc introducitur ad modum motus ipsius aggenerationis continuæ, ergo in minores ac minores sine termino determinato paruitatis; ergo similiter quando primo generatur, nec enim

enim magis determinata accidentia exigit in generatione quàm in aggeneratione.

Resp. in illo primo casu, illud minimum aggenerandum & addendum esse corpori viciniori actiuioris virtutis, vel si vndique circundetur corpore æqualis actiuitatis, Deus determinabit in quod conuertetur sicut alias causas determinat. Et dum incipit diuisio, incipit, esse in minori parte infra minimum via corruptionis, quod non est inconueniens. In vacuo autem non poterit illud minimum diuidi ab Angelo, resistente totâ naturâ, quia non potest aliud corpus generari, & consequenter neque istud corrumpi, aut sine debita quantitate, & dispositionibus permanere. Si verò Deus velit in vacuo diuidere, tenebitur conseruare substantiam infra minimam quantitatem, quòd benè potest facere, sine dispositionibus enim potest conseruare formam in materia.

Quoad 2. casum resp. quòd illa pars media non cōsecrata cum maneat continuata, & sub eadem quantitate cum alia medietate consecrata, eodem modo conseruabitur atque ante consecrationem, eò quòd quantitas medietatis consecratæ ex sustentatione Diuina habet vim substantiæ, & ita facit omnia, quæ ibi faceret substantia, si adesset, si autem ibi ad esset substantia in illa medietate, conseruaretur alia illi adiuncta, ergo similiter facta consecratione.

Ad conf. resp. aggenerationem fieri per modum motus in minores ac minores partes, quia non seorsum ponuntur, sed vt aggregatæ & coniunctæ ei cui aggenerantur: vnde in aggeneratione nunquā datur quantitas minor minima separata & seorsum, hoc enim est inconueniens, coniuncta verò alteri maiori non solùm est inconueniens, sed necessarium in omnibus corporibus. In prima autē generatione fit corpus aliquod per se vt totum, non vt pars aggregata, & ita si fieret in minori ac minori quantitate, fieret sine quantitate sibi debita & propria, quæ debet esse certa ac determinata, sicut alia accidentia.

Vltimò arguit. Posse diuidi in infinitum sine termino est passio quantitatis, & non impeditur per formam substantialem, cui inhæret, cùm hæc ipsa forma sit ratio, & radix ipsius quantitatis, & consequenter diuisibilitatis in infinitum, ergo potest dato quocumque minimo adhuc diuidi, præsertim in homogeneis, quæ eiusdem rationis sunt in toto & in partibus. Nec est assignabile à quo proueniat illud impedimentum diuisionis vltra minimum, non enim prouenit à natura quantitatis secundùm se, quia hæc potius petit diuidi sine termino nec à forma substātiali, quia hæc est radix talis quantitatis, nec à qualitatibus, quia istæ in puncto conseruari possunt & intendi ac remitti, ergo à nullo.

Respondetur, quòd posse diuidi in infinitum sine termino, non est passio quantitatis in statu naturali, & vt sequitur ad corpus naturale, sed quantitatis mathematicè consideratæ, & secundùm abstractionem ab omni corpore & motu. Forma autem non est radix quantitatis sub statu mathematico, sed sub statu naturali, id est vt deseruit operationi & motui, alijsque dispositionibus ad generationem requisitis. In statu autem mathematico ponitur solum per considerationem intellectus, quo præcisè consideratur id, quod extensionis est, ex vi enim huius præcisè considerati non repugnat diuidi, sed tamen ex aliis adiunctis, prout in statu naturali, scil. prout deseruit dispositioni ad generationem & operationi, & vt dimanat à certa, ac limitata forma, sic non potest diuidi in quascumque minimas partes seruata illa forma. *Vnde dicitur ad argumentum*, quòd impedimentum diuisionis prouenit ex determinata forma, quæ est radix quantitatis, non absolutè & sub statu mathematico, sed vt deseruit sibi & sub statu naturali, & consequenter determinata est: Quòd si diuidatur, forma tollitur, quæ exigit illam dispositionem, & consequenter ipsa quantitas, quæ pereunte subiecto non potest conseruari.

CIRCA SECVNDVM LIBRVM, DE NATVRA ET CAVSIS.

QVÆSTIO IX.

De Natura, Arte, & Violento.

IN ipsa definitione Naturæ eas particulas posuit Philosophus, quibus Natura ab Artificioso, & Violento distinguitur. Vtrique enim opponitur illa particula, principium motus eius, in quo est; *non enim ex intrinseco principio mouetur, siue quod mouetur arte siue quod vi. Et ideò, quia oppositorum eadem est ratio, agendo de Natura, quæ principium motus intra se habet, simul agemus de Artificioso, & Violento, quæ solùm habent principium extrinsecum motus. Licet autem Natura etiam opponatur supernaturali, & libero, tamen ad Physicum non spectat illas differentias per se considerare, quia vtrumque tam supernaturale, quàm liberum à motu sensibili non dependent: Violentum autem, & Artificiosum in sensibilibus inueniuntur.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Explicatur definitio Naturæ.

VArias Naturæ acceptiones plerique deriuant, sed euidenter S.Th. ex Philos. 5. Metaph. tex. 5. eius acceptiones declarat 1. p. quæst. 29. art. 1. ad 4. & hoc modo analogiam huius nominis explicat: *Nomen*, inquit, *Naturæ primò impositum est ad significandum generationem viuentium, quæ dicitur natiuitas. Et quia huiusmodi generatio est à principio intrinseco extensum est hoc nomen ad significandum principium*

principium intrinsecum cuiuscumque motus. Et sic definitur Natura in secundo Physicorum. *Et quia huiusmodi principium est formale, vel materiale communiter tam materia, quàm forma dicitur natura. Et quia per formam completur essentia cuiuscumque rei, communiter essentia cuiuslibet quam significat ipsa definitio vocatur natura* Vnde Boëtius dicit *Quòd natura est vnũquodque informans specificâ differentiâ; specifica enim differentia est, quæ complet definitionem, & sumitur à propria rei forma.* Ita D.Th.

Igitur natura absolutè sumpta, & sine addito istis quatuor modis, sumitur, scilicet pro natiuitate, seu nascentia, pro principio motus, seu generationis, pro materia, vel forma pro essentia, & quidditate, quę explicatur in definitione. Aliquando verò natura sumitur cum aliquo addito pro tota vniuersitate rerum, vt quando dicimus, *aliquid est in rerum natura*, & D.Th. sæpè docet totam naturam esse instrumentum Dei, vt 1.2. q.1. att.2. & q 6. art.1. ad 6. Aliquando sumitur pro ipso Authore naturæ, qui non tam est natura, quàm origo ipsa, principiumque totius naturæ, & ab aliquibus appellari solet asperiori vocabulo, *natura naturans*, id est, ordinans naturam.

In præsenti ergo naturam considerat Philosophus in secunda acceptione pro principio motus intrinseco, vt D. Th. aduertit loc.cit. & 2. Physic. lect. 2. Quod autem ex principiis istis componitur potius est principiatum, quàm principium: *Quòd si dicas*, cur ergo Philosophus egit de principiis rei naturalis in primo libro, & rerum in hoc secundo agit de natura pro principiis rei naturalis? *Respondet*. quòd cùm natura definiatur hîc respectiuè, vt S.Th. aduertit in hoc secundo Physicorum, lect.1. id est sub habitudine ad totum, non inconuenit de principiis rei naturalis tractasse in primo libro, quatenus ex illis constat ens naturale siue in fieri, siue in facto esse. Hic autem de principiis rei naturalis, seu de natura agit sub habitudine, & respectu ad motũ; sic enim induit rationem naturæ, inquantum est principium motus, siue actiuè, siue passiuè; atque ita in primo libro considerantur principia, vt constituentia ens naturale, siue in fieri, siue in facto esse, ibíque non tam consideratur principium vt actiuum, & passiuum, quàm vt materiale & formale. In præsenti verò considerantur principia non vt constituentia ens naturale, sed vt principiantia motum, & ita consideratur principium vt actiuum, vel passiuum.

Est igitur definitio naturæ: *Natura est principium & causa motus, & quietis eius, in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens.* Primo loco ponitur in definitione naturæ *principium, & causa.* Cur vtrumque posuerit Philosophi multi quærunt, & multa respondent. *Aliqui* solum maioris explicationis gratiâ: *Alij*, quod addidit causam ad componendam priuationem, quæ est principium motus, & non est natura, quia non est causa D.Thom.2. Physic. lect 1. dicit poni principium, & causam ad designandum, quòd in aliquibus natura, est principium passiuum, in aliis actiuum, & hoc designatur per ly *causa*. Addere etiam possumus, quòd quia intendebat Philos. definire naturam substantialem, vt ex quarta particula constabit, oportuit significare, quòd esset principium motus non quomodocumque, sed primum, seu radicale, & positiuè ordinatum ad motum, ideò nec posuit solum principium, quia hoc etiam conuenit priuationi, nec solum causam, quia hoc etiam conuenit virtuti, seu potentiæ motiuæ, quæ est accidens, sed vtrumque coniunxit, vt intelligeretur, quòd debet esse principium positiuum causans motum, non tanquam medium operandi, quod est virtus, sed tanquam principium, quod est radix.

Secunda particula est, *motus, & quietis* Nomine *motus* non intelligitur solum localis, sed quicumque motus physicus, & componens, siue localis, siue alterationis, &c. Illa autem copula, *&*, non intelligitur copulatim, ita quòd vt aliquid sit natura, oporteat vtriusque esse principium, sed intelligitur distributiuè distributione accommoda: in aliquibus enim natura est principium motus, in aliis quietis, in aliis vtriusque: solius motus, vt in viuentibus, in quibus si omnis motus cessat, cessat vita solius quietis, vt in cœlo Empyreo, & in toto terræ globo qui perpetuò quiescit vtriusque, vt grauia, & leuia, quæ aliquando quiescunt, aliquando mouentur, eò quòd in eis vnum ordinatur ad aliud, scil. motus ad quietem. Quare tota natura in communi est principium motus, & quietis distributiuè. Non autem ponitur disiunctiuè, motus, vel quietis, ne daretur intelligi, quòd ad naturam in communi, seu ad totam collectionem naturæ sufficeret alterum, scilicet sola quies, vel solus motus; dum autem vtrumque distributiuè intelligitur, omnia in tota collectione naturæ reperiri significatur. Neque est inconsuetum sic tradere definitiones, sicut quando anima definitur à Philosop. quòd anima est, quâ viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus: non quòd omni animæ in singulari id competat, sed aliquid illorum omni animæ, alicui etiam animæ omnia illa, sicut animæ rationali. Nomine verò *Quietis*, non intelligitur pura carentia motus, sed carentia illius cum possessione termini; huius enim quietis possessiuæ, principium reale est natura, carentiæ verò quatenus est nihil, non datur principium reale.

Tertia particula, *eius in quo est*, ponitur ad excludendum principia extrinseca motus. Hæc enim non constituunt naturam, & sic excludentur artificialia, quæ non habent motum ortum ex aliqua forma, seu principio intrinseco, sed ab arte, quæ extrinseca est naturæ, & similiter violentum, quod est ab aliqua vi extrinsecâ, & denique efficientia alicuius motus in aliquid extrinsecum constituit aliquid, nec determinat naturam, sed solùm quatenùs in se mouetur aliquo principio intrinseco; vnde ignis non dicitur natura, quia actiuè calefacit aliud extra se, nec animal ex eo quòd generat aliud, sed quia habet principium motus in se; vt ignis, quia potest descendere sursum, & aqua, quia potest descendere deorsum, & similiter, quia potest calefieri & corrumpi; ad hoc enim habet principium intrinsecum passiuum, & sic omne principium motus conuenientis ipsi mobili dicitur natura.

Sed dices. Calefactio ignis, etiam vt actio est, est naturalis neque enim libera, vel artificialis, vel violenta est; ergo procedit à natura, vt natura est; & idẽ dici potest de generatione, quæ est actio procedens à natura, vt natura est.

Respondetur. Actiones illas dici naturales, non quia natura constituatur ratione illarum, vel per ordinem ad illas, sed quia consequuntur ad naturam, & ex inclinatiore illius sunt, vel ad naturam propagandam ordinantur. Hoc enim quod est efficere, vel mouere alteram à se etiam potest conpetere agenti non naturali, sed artificioso, & violento, imò & principio immobili alia mouenti, scilicet Deo. Ex hoc ergo quòd aliquid moueat aliud præcisè, non dicitur natura, nec pertinens ad rationẽ mobilis; sed tamen potest dici actio erga alterũ naturalis, vel quia naturam generat, vel quia à naturæ

inclinatione procedit; quod totum supponit naturam constitutam, non autem formaliter constituitur per hoc, quod sit principium talis motus mouentis aliud à se.

Quarta particula est, *Primò & per se, & non secundùm accidens.* Vbi particula *Primum*, denotat secundùm communem explicationem, quòd natura non debet esse principium motus secundarium, & instrumentale, quale est accidens, sed radicale primum quale est substantia: accidens enim est aliquid adiunctum naturæ, non constituens naturam, sed illi constitutæ inhærens. Denique additur illa particula, *Per se, & non secundùm accidens*, iuxta aliquos solùm ob maiorem explicationem, iuxta alios, præsertim D.Th. & secundùm textum literæ, ad excludendum ea, quæ ab aliquo interiori mouentur, sed per accidens adiuncto, sicut v.g. cùm Medicus curat seipsum, talis sanitas prouenit à principio ipsi Medico intrinseco; sed tamen quia contingit hunc, qui sanatur, esse Medicum: per se enim est quòd infirmus sanetur, per accidens verò, quod qui est infirmus sit Medicus; ideò non dicitur sanari à natura, sed ab arte, sicut alij infirmi, qui curantur à Medico.

Sed instabis contra vtramque particulam, nam potest dari ars ad facienda opera, non alterius, sed sui tantum, sicut ars cantandi, saltandi, & ratiocinandi. &c. quæ non per accidens, sed per se, id est, ex suo obiecto solum possunt fieri à principio intus existenti, & in eo, in quo est; ergo per hoc non differunt naturalia ab arte. Item superfluè ponitur duplex illa particula, *Primò per se*; nam si est primum principium, hoc ipso non est accidentaliter coniunctum, & consequenter est per se.

Respondetur, quòd illa opera artificiosa quantùm ad substantiam non fiunt ab arte, sed solùm quantum ad modum, quo diriguntur, & sic licet ex parte substantiæ operis sint actiones propriæ ipsius subiecti, & à principio intrinseco fiant, tamen quantum ad modum, quo fiunt secundùm talem directionem artificiosam, non fiunt à principio intrinseco ipsi naturæ corporeæ, quæ sola est natura mobilis, de qua in præsenti agimus, sed fiunt à principio adquisito per cognitionem, & non habente radicem in ipsa natura, sed accidentaliter conueniente, & sic dicitur principium intrinsecum, quia inhæret in ipso homine, non quia à natura dimanat. Specialiter autem ars ratiocinandi non dirigit opera naturalia, sed operationes intellectus artificiosè disponendo obiecta, non introducendo in ipsos actus rationis artificialem & realem formam.

Ad secundum dicitur, quòd illa particula, *Primum*, denotat, quòd principium debet esse intrinsecum radicale, sed quia non satis explicatur, quid sit esse radicale principium, adhibetur illa particula, *per se*; sic enim intelligimus, quòd non solum est primum respectu operationis, & motus, sed quod in ipsa essentia rei est primum tanquam per se illi conueniens.

Sic explicata naturæ definitio plures habet difficultates. Sed quia omnes illæ non tam difficultatem faciunt circa ipsam definitionem naturæ, quàm circa ea, in quibus ratio naturæ inuenitur seq. art. declarabuntur.

ARTICVLVS II.

In quibus ratio naturæ inueniatur?

CIrca ea, quibus conuenit ratio naturæ *aliquæ se offerunt difficultates. Prima*: An ratio naturæ conueniat composito; an solum partibus componentibus, scil. materiæ, & formæ? *Secunda*; An conueniat cœlo? *Tertia*, An conueniat elementis sc. grauibus & leuibus? *Quarta*, An conueniat animæ rationali, vt rationalis est? *Denique* an conueniat Angelis, & Deo?

De Composito.

SI totum compositum sumatur pro supposito subsistente in concreto, manifestè excluditur à Philosopho à definitione naturæ in hoc secundo libro, tex. 12. dicens: *Quòd compositum natura quidem non est, sed est, & constat naturâ, vt homo* Itaque compositum est principiatum, non principium: natura autem principium est motus, & quietis; similiter Theologia distinguit naturam à supposito, & in Christo fatetur duas naturas, & vnam personam; & in Deo tres personas, & vnam naturam, non ergo suppositum, seu persona natura dicitur.

Si verò loquamur de toto, non pro ipso supposito, sed pro forma totali, sicut verbi gratia humanitas, in qua materia & forma inueniuntur, controuertitur ab aliquibus, an conueniat illi ratio naturæ, nam ex vna parte non videtur id posse negari, cùm fides fateatur, quòd Verbum assumpsit humanam naturam, id est humanitatem ipsam, non assumpta persona; ergo humanitas natura est. Deinde quia humanitas est principium, & ratio operationis per modum principij *quo*, non per modum principiati, & *quod*, vt euidenter patet in Christo respectu operationum, & motuum, qui media humanitate illi conueniunt, horum enim motuum humanitas est principium *quo*; ergo conuenit illi definitio naturæ ab Arist. designata. Quod enim aliqui dicunt humanitatem in Christo Domino esse operatiuam vt *quod*, & non solum vt *quo*, neque actiones esse suppositorum, sed singularium supra q.7. art.2. impugnatum est. Quod si conuenit formæ totali esse principium operandi *quod*, de partiali forma substantiali etiam id poterit dici, & sic talis modus operandi *vt quod*, in forma totali non magis excludet illam à ratione naturæ, quàm formam partialem.

Ex alia verò parte excludi videtur forma totalis à ratione naturæ, quia licèt humanitas sit principium *quo*, motus, & quietis, non tamen est primum principium simpliciter & tanquam elementum primum, vnde generatio fit, quia ita est principium, quod etiam est principiatum; ex aliis prioribus, scilicet materia & forma, vnde non includitur in definitione data, quæ dicit, quod natura est principium motus, & quietis primo & per se, humanitas autem non est principium primum, sed ex primis principiis constans. Et adstipulatur Phil. 5. Metaph. text. 1. dicens: *Quòd natura principium est, & elementum*, sumit ergo naturam non pro quolibet principio, sed pro principio quod est elementum, humanitas autem non est elementum, sed ex elementis. Item ibidem cap. 4. text. 5. dicit Aristot. *Quòd natura est id, ex quo primo inexistente generatur, quod gignitur*, primum autem inexistens, ex quo aliquid generatur; non est integra natura, seu humanitas, sed pars aliqua, ex qua fit humanitas. Nec tamen negat ista sententia humanitatem, seu formam totalem esse naturam sumpta natura pro quidditate, seu essentia, vt opponitur supposito, non tamen esse naturam prout explicatur in definitione Arist. quæ solum includit prima principia motus, & quietis, non quæ sunt ex his.

Hac

Hæc difficultas non tanti momenti est, quanti fit ab aliquibus, qui nimis in hanc vltimam sententiam inclinant, sed tamen prima sententia videtur magis conformis menti D.Thom.qui in 5. Metaph. lect.4. explicans illa verba Philosoph. text.5. vbi dicit: *Quod est natura ipsa forma vt substantia*, intelligit illa de forma totali; inquiens; *Quòd non solum forma partis dicitur natura, sed species ipsa, quæ est forma totius, vt si dicamus, quòd hominis natura non solum est anima, sed humanitas, & substantia, quam significat definitio.* Ita D. Thom. Cùm autem in illo loco Philos. agat de natura eo modo, quo illam definiuit in hoc secundo lib Physicorum, siquidem ex illo loco oppositi Authores suam confirmant sententiam, efficitur planum, quòd D.Th.etiam loquitur de natura, prout hîc definita est ab Arist. quando illam tribuit formæ totali.

Ad fundamentum oppositum respondetur, quòd in definitione naturæ, quando dicitur, quòd est primum principium, ly *Primum*, idem est quòd substantiale, seu radicale, vt opponitur accidentali, & instrumentali, non autem oportet, quòd sit primum partiale, & per modum primi elementi. Humanitas autem principium substantiale est, & hac ratione primum. Quod verò dicitur humanitatem esse genitam, non verò principium generationis. *Respondetur*, humanitatem esse genitam vt *quo*, non vt *quod*; & sic manet intra lineam principij substantialis; id enim quod se habet vt *quo*, est principium eius, quod se habet vt *quod*. Non autem requiritur quòn natura sit principium generationis, sed sufficit quòd alterius motus, nam in cœlo datur natura, & non principium generationis.

Ad primam authoritatem Philosophi *dicitur*, quòd in illis verbis: *Natura quoque principium est, & elementum*, non attribuitur naturæ vtrumque copulatim, sed naturæ, & elemento attribuitur, quòd sit principium, quasi dicat, natura est principium, & etiam elementum est principium, non verò natura est elementum, & principium. Quæ constructio litteræ significatur ibi à Diu. Thom. lect.1. dicens: *Quòd natura est principium, sicut illud à quo incipit motus, elementum autem sicut pars prima in generatione rei.*

Ad secundum verò locum dicitur, quòd ibi Philosophus plures acceptiones naturæ referens ponit secundam, quando dicitur natura, ex qua primò inexistente generatur, quod gignitur: tertium autem modum dicit esse, quando natura dicitur, vnde primus motus in vnoquoque est eorum, quæ natura sunt in eo secundùm quod ipsum est. Qui tertius modus continet definitionem naturæ traditam hîc in 2.Physicor. Ergo perperam ex denegatione illius secundi modi intenditur probari, quòd humanitati non conueniat iste tertius.

De Materia & Forma.

De forma nulla est difficultas, quòd sit natura, imò magis esse naturam, quàm materiam, apertè docet Philosoph.2.Phys.cap.1. *De materia multi dubitant*, & *Quidam* extremè sentiunt in hac parte, sentiunt enim aliqui, solam materiam, vel generalius loquendo solum principium passiuum non actiuum esse naturam, quod attribuitur Scoto in 2. dist.18.quæst.vnica, vt referunt Conimbr. in 2.Physic.c.1.q.3.art.1.& P.Fuente lib.2.Physic.q 1.diffic.2. *Alij* per aliud extremum solum principium actiuum sentiunt esse naturam, & ita excludunt materiam à definitione naturæ, qod attribuitur Valesio quæst. 11.ad Tyrones, & eam videtur sequi P.Vazquez 1. 2.disp.25.cap.3. Nec possunt hanc sententiam negare, qui existimant rationem naturæ solum analogicè conuenire materiæ respectu formæ, vt Cabero hîc tractatu secundo disp.1.dub.4. *Et fundamentum huius sententiæ* dependet principaliter ex his, quæ articulo 4. dicenda sant; præcipuè enim fundatur in eo, quia naturale opponitur violento; ad rationem autem violenti requiritur, quòd inueniat resistentiam in passo, quæ fit per actiuitatem illius, non per receptionem passiuam, alioquin omnis motus erit naturalis, quia omnis motus habet principium passiuum: ergo ad rationem naturæ, vt opponitur violento, requiritur principium actiuum, & non sufficit passiuum; quod fundamentum ibidem expendetur.

Fundamentum autem primæ sententiæ ad id reducitur, quia inde primò denominatur natura, vnde mobilis esse dicitur, & in tantum est natura, in quantum mutabilis, sed esse mobile, & mutabile, importat principium passiuum, ergo ratione illius aliquid denominatur natura.

Confirmatur. Quia natura est principium motus intrinsecum, hoc autem non habet ratione principij actiui, sed passiui, imò per accidens se habet ad motum, quod habeat principium actiuum ad illud, sicut si ægrotus habeat principium curationis, scilicet artem medicam, per accidens se habet ad sanationem. Vnde etiam actiuum principium si purificetur ab omni passiuo, exuit rationem naturæ, & solùm est motor naturæ; vt ergo sit natura, necessariò debet supponere principium passiuum motus, & ab illo solo denominabitur natura, quia si ab actiuo denominaretur, etiam remoto passiuo fieret denominatio; imò quando datur vtrumque principium tam passiuum, quàm actiuum, ab actiuo nullo modo fit denominatio, vt patet in igne, qui non denominatur natura, ex eo quòd calefacit actiuè, sed ex eo, quòd est mobilis passiuè. Neque negat hæc sententia, quòd viuentia habeant naturam; sed dicit, quòd viuentibus conuenit natura ratione passiui principij ad motum, non ratione actiui. Vnde fit, quòd ille motus sit in viuentibus naturalis, qui est à principio extra ad quod viuens passiuè se habet, vt motus cordis, primus actus intellectus, & similia; quæcumque enim determinantur ab alio, dicuntur naturaliter ferri; & recedit à naturali, quod se determinat, de quo D.Th.1.p.q.18.art.3.

Nihilominùs dicendum est, *Ratione naturæ, vt explicatur definitione data propriè conuenire materiæ, & formæ, principio actiuo & passiuo, dummodò sit principium actiuum motus in seipso, sicut se mouent viuentia.* Hæc conclusio sumitur ex Diuo Thom. 2.Physicor. lect.1. vbi inquit: *Quòd in rebus naturalibus eo modo est principium motus, quo eis conuenit motus, quibus ergo conuenit mouere, est principium motus actiuum; quibus autem competit moueri, est in eis principium passiuum, quod est materia, quod quidem principium in quantum habet potentiam naturalem ad talem formam, & motum, facit esse motum naturalem.* Ita Diuus Th. Et videri etiam potest in locis articulo 4. citandis, vbi apertè tenet, etiam principium passiuum esse capax violentiæ, & consequenter esse in se naturam, Et videri possunt pro hac sententia Conimbricens. vbi supra, & M.Soto in 2.Physicor. quęstione prima, conclus.3.

Fundamentum est; tùm quia motus naturales sunt diuersi in diuersis naturis, cuius diuersitatis ratio debet reduci ad diuersitatem formæ, & principij actiui, ergo forma est principium naturale; tum, quia in viuentibus propriè inuenitur ratio naturæ, alias sola inanimata, non autem viuentia constabunt

bunt naturâ; cùm tamen viuens, in quantum viuens habeat processionem naturalem, scilicet generationem, quæ est opus naturæ, & alios etiam motus naturales: constat autem, quòd vnicus in hoc distinguitur à non viuenti, quia habet principium actiuum se mouendi, quod inanimato non conuenit, ergo principium actiuum propriè habet rationem naturæ. *Nec dici potest* motum proprium animalium, verbi gratia, motum progressiuum non merè naturalem, sex mixtum ex violento, & naturali, quia fit per eleuationem, & depressionem vnius partis, & pro ea parte, qua eleuatur, est violentus, & contra grauitatem. *Contra hoc enim est*; tùm quia multi alij motus naturales inueniuntur in animali, qui nihil habent de violento, vt motus augmentationis, & nutritionis, motus cordis, pulsationis, &c. Tùm etiam quia licet motus progressiuus aliquid habeat violentiæ respectu grauitatis, non tamen respectu naturæ animalis, cui motus ille naturalis est, vtpotè à propria virtute se mouendi, quę ex ipsa natura animalis, vt animal est, originatur.

Quòd vero materia, & principium, passiuum habeant rationem naturæ, *constat*, tùm quia ipsa materia prima per sui transmutationem verè est causa motus, & susceptionis formarum; ergo verè est principium motus & quietis; tum etiam, quia aliquis motus datur naturalis, qui non habet principium actiuum, neque ex parte formæ, neque ex parte materiæ, sicut motus cœli, supposito quòd cœlum non est viuens, & tamen motus circularis est ei naturalis, vt contra Vazquez, & alios probauimus infra; & dispositiones quæ in aliquo subiecto recipiuntur, in illo sunt motus naturales; & non violenti aliàs generatio non fieret naturaliter, & tamen in illo subiecto non habent principium actiuum, neque ex parte formæ, quia illam expellunt, neque ex parte materiæ, quia in illa recipiuntur.

Ad primum à principio, respondetur, Conimbricens. hîc quæst.3. art.2. sentire, quòd omnis motus est naturalis respectu materiæ, violentus autem respectu compositi, si est contra inclinationem formæ: Cæterùm non potest omnis motus dici naturalis materiæ, cùm non omnis disponat illam ad generationem formæ, quòd solùm est ei naturale, vt patet in motu, quo proiicitur lapis sursum. *Quare respondetur*, quòd licèt naturale opponatur violento, & omnis motus habeat principium passiuum suæ receptionis, non tamen principium passiuum inclinationis, vt autem notauit D.Thom.2. Physic. lect.1. principium passiuum facit esse motum naturalem, in quantum habet potentiam naturalem ad talem formam & motum, & propter hoc factiones rerum artificialium non sunt naturales, quia licèt subiectum naturale sit in eo quod fit, non tamen habet potentiam naturalem ad talem formam, nec est mobile à naturali agente, sed ab artificioso. Si autem quomodocumque recipi, sufficeret ad naturalem motum, proiectio lapidis sursum, cùm in eo recipiatur, esset naturalis motus, & gratiæ infusio in anima, quia in eius naturali entitate recipitur.

Ad argumenta facta in fauorem Scoti, respondetur, dici aliquid naturam in quantum mobilis, sed non vt præcisè ad recipiendum, sed etiam si mobilis sit ad agendum, mouent enim quædam vt mota. Itaque principium actiuum sine vlla mutatione mouens, est supra naturam, scil. Deus. Si autem mouet, vt indigens mutatione ad mouendum, non excluditur à natura, quia mobilitate inducitur ad mouendum.

Ad confirmationem respondetur, probare, quòd non omne principium actiuum est natura, vt si sit principium intrinsecum per accidens, sicut quòd infirmus habeat artem curandi; hoc enim principium est acquisitum, non innatum, & sic non est natura. Sunt tamen alia principia actiua, quæ sunt innata & intrinseca per se, & ad motum sui ordinata, vt in viuentibus, & talia non excluduntur à ratione naturæ. Et in hoc peccant pleraque argumenta, quæ pro sententia Scoti multiplicantur, probant enim principium passiuum esse naturale, & opponi violento, & illud sufficere ad denominationem naturæ, non tamen probant excludi omne principium actiuum à natura, quando non est purè actiuum vt Deus, nec est principium solum ad mouendum alia, sed etiam se.

Vnde respondetur ad vltimum, quòd denominatio naturæ non fit à solo principio passiuo, sed etiam actiuo, dummodò habeat illas duas conditiones, quòd non sit purè actiuum sicut Deus, sed mouens motum, nec sit ad mouendum alia, sed ad proprios motus sui, ratione cuius ignis, vt præcisè calefacit aliud, non dicitur natura; quia non est principium motus in se.

Sed adhuc inquires. An materia & forma analogicè dicantur participare rationem naturæ? *Respondetur*, plures Authores analogiam agnoscere, vt Cabero hîc tractat.2. disp.1. dub.4. Cursus Carm. disp.7. quæst.8. & alij. Fundantur, quia Philosophus dicit 5. Metaph. c.4. propter formam metaphoricè omnem substantiam naturam dici, ergo & analogicè. Et 2. Phys. c.1. dicit quòd forma magis est natura, quàm materia, non ergo materia simpliciter. Adde quòd materia non habet secundùm se oppositionem cum violento, nisi mediante formâ, si enim solùm sufficeret principium passiuum ad rationem violenti, nec requireretur actiua resistentia, quandocumque excluditur forma à materia, pateretur violentiam, quia passiuè erat ei coniuncta, & aër quando priuatur luce, & cœlum cessante motu paterentur violentiam. Denique materia nullius motus est causa nisi mediante formâ, de se enim indifferens est, & in potentia ad diuersos motus, ergo sicut causa in potentia, est causa secundum quid, ita materia est principium motus, & consequenter natura, secundum quid, quia in potentia.

Opposita tamen sententia pluribus placet Authoribus, nec nobis displicet. Tenet eam Soto 2. Physic. q.1. Tolet. Placa, & alij; & *ratio sumitur ex dictis*, quia principium passiuum verè & propriè habet rationem naturæ, & non habet esse principium omnis motus dependenter, aut participatiuè à forma, nam per se est principiũ generationis in suo ordine, scilic. vt causa materialis, sicut est principiũ corruptionis, & ad illam habet naturalẽ inclinationem; ergo non est cur à propria & vniuoca ratione naturæ excludatur. *Nec obstat*, quod exerceri non potest talis motus sine forma, & dependenter ab ipsa, nam hoc modo etiam forma non potest exercere motum, nisi dependenter à materia. Et ratio naturę non consistit in exercitio motus, sed in ratione principij; ratio autem principiandi, nec materiæ conuenit per formam, nec formæ per materiam, sed vtrique in suo genere per se essentialiter conuenit, licèt coniungi debeant, vt motus exerceatur.

Ad primum fundamentum oppositum ex authoritate Phil. *resp.* quòd in illo primo loco, cùm dicit, quòd propter formam omnis substantia natura dicitur metaphoricè, non sumit ibi naturam physicè, & vt in præsenti consideratur pro principio motus, sed pro quacunque quidditate, quæ est terminus generationis,

rationis, & dicitur natura quasi nata, seu generata. Sumptâ ergo naturâ in hac acceptione pro termino motus, non pro principio, omnis substantia dicitur natura, id est quidditas specifica à forma quasi à termino formali. Expositio est S. Th. in 5. Met. lect. 5. §. ponit duos modos, vbi inquit: *Sicut forma vel materia dicebatur natura, quia est principium generationis, quæ secundum primam nominis impositionem natura dicitur, ita species & substantia dicitur natura, quia est terminus generationis: nam generatio terminatur ad speciem generati, quæ resultat ex vnione formæ & materiæ. Et ex hoc secundum quandam metaphoram & nominis extensionem, omnis substantia dicitur natura, quia natura, quam diximus, quæ est generationis terminus, substantia quædam est, & ita cum eo quod natura dicitur, substantia similitudinem quandam habet.* Ita Diu. Thom. Et similiter quando subdit Arist. quòd materia dicitur natura, quia formæ susceptiua est, ad literam Philos. loquitur de natura, non in nostra acceptione pro principio motus, sed pro quidditate rei, quæ est terminus generationis; in hac enim acceptione propriè dicitur natura ipsa forma, seu id quo aliquid actu habet naturam, id est quidditatem; materia autem dicitur natura seu quidditas, quia huius susceptiua est, non quia per se actu est talis. Sumendo autem naturam pro principio motus, materia dicitur vniuocè natura, etsi susceptiua sit formæ, quia esse susceptiuam formæ intrinsecè, & per se illi conuenit, & per se est principium rei sicut ipsa forma suscepta.

Ad secundum locum ex Phys. dicitur, quòd materia est magis natura, non quod ly *magis* dicat analogiam, sed principalitatem, & comparationem. Benè autem stat, quòd inter vniuoca vnum sit principalius & perfectius altero, sicut homo leone in genere animalis. Et ita est magis natura specificè, non genericè, inæqualitate se tenente ex parte speciei, non ex parte generis participati, sed hoc analogiam non facit.

Ad fundamentum ex ratione dicemus latiùs art. 4. quomodo materia seu principium passiuum pati possit violentiam, etiam vt passiuum est.

Ad secundum respondetur, quòd materia est indifferens ad plures motus, ad quos non inclinatur nisi per formam, verbi gratia, vt moueatur sursum vel deorsum, augmentatione, vel diminutione; &c. Et tamen per se habet & independenter à forma esse principium recipiendi illos in toto. Alij verò motus sunt, ad quos materia habet immediatam inclinationem & per se, non mediante formâ, sicut ad generationem substantialem, & receptionem formarum, licèt determinatio ad istam formam potius, quàm ad illam ab aliquo agente disponenre dependeat.

Et quando dicimus, materiam & formam vniuocari in ratione naturæ, non intendimus quòd per se sint vniuocè in aliquo genere, vel specie, sed supposito quòd solùm reductiuè pertinent, dicimus tamen rationem principij & partis componentis, non inæqualiter & analogicè, sed per se vtrique conuenire.

De Anima rationali.

DIfficultas est, an secundum gradum rationalem sit natura, non solum secundum alios gradus, scilicèt vegetatiuũ, & sensitiuũ; nam natura videtur esse principium motus corporalis ad Physicã pertinentis; motus autem partis rationalis independentes sunt à materia & mobilitate physica, potiúsque ad Metaphysicum pertinere videntur, vt intelligere & velle, quæ etiam aliunde naturæ metas excedunt, quia non sunt determinatæ ad vnum, sed vniuersalem habent indifferentiam; & de se permanere possunt, & conuenire statui separationis.

Nihilominus asserendum est, *Animam rationalem, etiam secundum gradum rationalem naturam esse. pro statu tamen quo est in corpore*, status enim separationis ad considerationem de substantiis separatis spectat ad Metaphysicum per se & directè. Et ita Philos. in hoc secundo libro text. 26. docet, quod terminus considerationis naturalis est forma, quæ aliquo modo potest esse separata, scilicet anima rationalis, *Vnde* inquit Diu. Thom. ibi lect. 4. *Vsque ad animam rationalem se extendit consideratio naturalis, quæ est de formis; sed quomodo se habeant formæ totaliter à materia separatæ, & quid sint, vel etiam quomodò se habeat hæc forma, id est anima rationalis secundum quod est à corpore separabilis, & sine corpore existere potens, pertinet ad Philosophum primum, id est ad Metaphysicum.* Igitur anima rationalis pro hoc statu ad physicam considerationem pertinet, & consequenter rationem naturæ induit, solùm enim pro statu separationis ad Metaphysicum spectat.

Ratio huius est, quia anima rationalis etiam secundum vltimum gradum rationalitatis verè constituit hominem, & est forma eius, homo autem est ens naturale, etiam secundum vltimam speciem & gradum, ergo anima, quæ est forma constitutiua eius, est natura etiam secundum istum gradum, id est principium talis entis naturalis. *Maior negari non potest*; nam anima rationalis, vt rationalis, est forma hominis, vt definitur in Concilio Viennensi, & in Lateranensi sub Leone X. & *ratione constat*, quia homo secundum propriam hominis rationem constituitur per aliquam formam, seu gradum formæ, & inquantum homo rationalis est: hæc enim est vltima differentia eius, ergo forma, quæ dat esse rationale in quantum talis, constituit essentialiter hominem Est etiam principium motuum rationalium, vt ridendi, flendi, loquendi, quæ licèt mediante corpore exerceantur, sunt tamen propria gradus rationalis, non vegetatiui, aut sensitiui tantum.

Ad fundamentum oppositum respondetur, quòd operationes animæ rationalis, licèt secundum se, & propriam rationem spiritualem, sint independentes à corpore, dependent tamen ministerialiter, & dispositiuè, quia pro hac vita exercentur dependenter à sensibus & phantasmatibus, & ratione huius dependentiæ ad naturam spectant, sicut etiam generatio hominis naturalis est, licèt anima non dependeat à corpore quantum ad esse, sed quantùm ad informationem. *Et cum instatur*, quòd non sunt operationes determinatæ ad vnam, sed indifferentes, aut voluntariæ. *Respond.* quòd ex hoc probatur non esse naturales illas operationes secundum se, & ratione principij à quo egrediuntur, benè tamen ministerialiter & dispositiuè, propter dependentiam quam habent à sensibus, à quibus etiam dispositiuè pendet libertatis exercitium; læsis enim vel turbatis sensibus non exercetur libertas. Et hoc non est dici naturales solum ratione modi, sed tota ipsa substantia actus, eo modo dicitur naturalis, quo pendet à principio naturali, scilicèt dispositiuè, ab illa enim dispositione & ministerio sensuum, non solum dependet modus, sed totum ipsum exercitium actuum intelligendi, & volendi. Quòd verò in statu separationis à materia, possint huiusmodi actus permanere non obstat, quia ille status non est connaturalis animæ, sed semper inclinatur ad istum, quem

quem habet in corpore, & ideò anima simpliciter est natura etiam separata, non propter statum separationis, sed propter connaturalitatem ad operandum in corpore, & secundum dispositiones sensuum.

De Cœlo.

Specialis difficultas est, an in illo saluetur propria ratio naturæ propter duo? *Primò* quia motus ille non est ei naturalis, secundum quod naturale opponitur violento, quia non est ab aliquo principio actiuo intrinseco, vt autem sit naturale oppositum violento, debet habere principium intrinsecum actiuum, quo resistat vi extrinsecus illatæ, passiuum autem principium nullo modo resistit, ergo non patitur violentiam, & consequenter nec constituit naturam, quia illud est natura, seu naturalis motur, quòd violento opponitur, & per violentiam tolli potest. *Secundò*, quia quies non est cœlo naturalis, neque violenta, ergo neque motus naturalis est, neque ipsum cœlum natura, siquidem natura principium motus & quietis, non motus tantum. *Consequentia patet*, quia omnis motus naturalis tendit ad quietem, si ergo quies non est naturalis, neque motus. *Antecedens verò probatur.* Quies non est violenta, quia nullum violentum perpetuum, cœlum autem perpetuo quiescet post diem iudicij; Non est naturalis, quia non est acquisibilis motu naturali cœli, alias quamdiu illam non acquireret, non esset in actu perfecto, sicut graue extra centrum non est perfectum, & ideò motus eius naturalis est, quia tendit ad quietem, nihil enim mouetur propter moueri, cùm moueri imperfectio sit. Quòd si dicatur, vtrumque cœlo esse naturale, & motum, & quietem, ergo duo contraria sunt ei naturalia, quod repugnat.

Denique accumulatur difficultas, quia pars cœli, si auulsa ab ipso poneretur in hoc mundo inferiori, neque moueretur, quia non esset assignate, quo motu moueretur, & ad quem terminum, neque quiesceret, quia est extra locum proprium, qui est super elementa, aliàs enim si quiesceret, naturaliter quiesceret, hoc ipso quòd relinqueretur in quocumque loco, & sic quies esset ei naturalis, ac per consequens motus naturalis non esset.

Vltimò, cœlum Empyreum habet naturam, cùm sit verum corpus, & tamen non potest moueri nec ad id habet principium: ergo natura non consistit in hoc, quod sit principium motus, & quietis.

In hoc puncto aliqui Authores negant, motum cœli esse naturalem, fundati in illo principio, P. Vazq. 1.2. disput.25. de quo agemus art.4.seq. Quod principium passiuum non potest pati violentiam, & consequenter, neque habet naturam vt opponitur violento. Vnde aliqui simpliciter fatentur motum cœli esse violentum, propendere autem in quietem naturaliter, omnis enim motus aut est violentus, aut naturalis, vt docet Philos.4. Physic. tex.67. si ergo motus non est cœlo naturalis, quia solùm habet principium passiuum, erit violentus, & sic tenet Martinez super cap.1. huius lib. disp.1. q.2. *Alij* verò dixerunt, neque esse violentum illum motum cœli, neque naturalem, sed præternaturalem pro quo citatur Auicenna à M.Soto.2.phy. q.1.& Scot.in 2.dist.2.in fin q 6.& videri potest in 4. dist.48. q.2. ponens potentiam neutram, mediam inter naturalem & violentam.

Cæterum S.Thom. expresè pluribus in locis, motum cœli esse naturalem, vt videri potest 1.p.q.70. art.3. ad 4. & 1.de cœlo, lect.3.& 4.& 3.cont. Gent. c.23. & quæst.5. de potentia, art.5. reducens perpetuò rationem naturæ in cœlo ad principium passiuum, quo naturaliter est susceptiuum motus. *Et probatur*, quia cœlum habet in se principium passiuum inclinans ad motum sui circularem, & hic motus est ei naturalis, non propter terminum in se acquirendum, sed quia naturale est ei influere in hæc inferiora, vt primum alterans, ergo principium inclinans ad hunc motum circularem, natura est, eique conueniunt conditiones naturæ. Et hanc rationem ponit Diu.Thom. in 4. distinct.48. quæst.2. articulo 2. ad 4. vbi dicit: quod motus cœli non est de perfectione corporis cœlestis, nisi in quantum per hoc est causa generationis in istis inferioribus; & sic est aliquid naturale ille motus. Est autem cœlum principium passiuum; non solùm ratione materiæ, sicut omnes aliæ res, sed etiam ratione formæ, quia ex ipsa forma non consequitur motus actiuè sicut in aliquibns, sed ab intelligentia recipitur.

Ad primum fundamentum resp. in primis, quòd etiam principium passiuum potest pati violentiam, quando habet inclinationem in formam, quâ priuatur, & priuatur illa sine alterius æquè naturalis subrogatione, vt dicemus art.3. *Vel secundo dicitur*, quod cœlum vt habet adiunctam intelligentiam, mouentem, etiam resisteret actiuè mediante impulsu intelligentiæ, si sibi inferretur vis ad sistendum motum. Remotâ autem intelligentiâ mouente, non erit violenta cessatio motus, & sic non resistet.

Ad secundum resp. quòd quies non erit violenta cœlo, eo modo quo fiet post diem iudicij, vt docet D.Thom. q.5. de potentia art.5. ad 12. non quod illa quies fit ex aliquo agente naturali; sic enim acquireretur per motum, & motus cœli esset propter quietem, & sic esset motus imperfectus, quamdiu non acquireretur quies. Sed dicitur illa quies naturalis negatiuè, quia prouenit ex absentia mouentis, cessabit enim tunc Angelus mouere cœlum, quia cessabit status generationis, qui ordinatus est à Deo ad complendum numerum electorum, non est autem illa quies positiuè naturalis & intenta, neque enim motus cœli est propter quietem, sed propter generationem inferiorum Et *ad instantiam*, quòd tũc motus non erit naturalis. *Resp.* quòd ille motus non dicitur naturalis ratione termini, quasi acquirat aliquid ipsi cœlo, in quo quiescat, sed ratione principij, quia passiuè inclinatur ad motum sui, quo perficitur & constituitur in ratione primi alterantis.

Ex quo etiam soluitur obiectio quorundam, quia tunc motus est naturalis, quando est acquisitio loci conuenientis ipsi mobili, & tunc quies est naturalis, quando est conseruatiua præsentia conuenientis, neutrum autem conuenit cœlo, quia non acquiritur ei locus conuenientior, ex eo quòd moueatur inter eundem circulum. *Sed hoc argumentum*, quod fuit Auicennæ, procedit ex imaginatione, quòd motus cœli est naturalis, sicut motus corporum imperfectorum, quæ mouentur propter aliquid acquirendum, cœlum autem, cum sit corpus perfectum & instrumentum intelligentiæ, mouetur ad dandum, non ad acquirendum: & ita Diu. Thom. in 4. Sent. cit. dicit, quòd in corpore cœlesti non est aliqua potentia, quæ perficiatur per locum, vel quæ facta sit propter hunc finem, qui est esse in tali loco. Motus ergo cœli solum est naturalis, quia reddit cœlum motum, vt causet in hæc inferiora, non vt sibi acquirat.

Ad

Ad aliam replicam, quòd duo contraria erunt naturalia cœlo, *respondetur*, id non esse inconueniens pro diuersis statibus, sicut graui naturale est quiescere in centro, & moueri extra centrum.

Ad tertium respondetur, quòd in illo casu *aliqui dicunt*, quòd pars cœli tenderet sursum. Sed non assignant à quo principio caret enim leuitate: & licèt sit eminenter leue, tamen etiam eminenter est graue; & ita ex hac parte, non est maior ratio ascendendi quam descendendi. *Alij dicunt*, quòd expelletur ab elementis in locum superiorem, sicut oleum ab aqua vt sursum tendat. Cæterùm oleum non ascendit per expulsionem aquæ, aut impulsum illi impressum ab aqua; sed quia leuior est aqua, & habet partes magis aëreas. Nec apparet quomodo elementa possent imprimere aliquem impulsum illi corpori cœlesti, vt sursum ascenderet, & præsertim si in medio daretur vacuum, non apparet à quo impelleretur illud corpus cœleste. *Dicendum ergo est* ex D.Thom.1. de Cœlo lect.5. in fine, quòd pars cœli ab illo abstracta neque moueretur sursum, nec deorsum, cùm sit eadem ratio totius & partis; totum autem cœlum caret leuitate, & grauitate. Et hoc magis apparet considerando, quòd corpora quæ mouentur ratione grauitatis, & leuitatis, mouentur propter conseruationem sui in proprio centro: propter hanc autem rationem cœlum non ascenderet, quia cùm sit incorruptibile, non indiget loco conseruante. Sed tamen quia propter suam dignitatem debetur ei locus supra corpora corruptibilia, probabile est, quòd illa pars cœli ascenderet ad suum locum, quatenùs ex vi suæ creationis est sibi debitum esse in illo loco, non propter conseruationem, sed propter dignitatem. Et licèt cœlum solum sit mobile à motore extrinseco, hoc intelligitur quantum ad motum circularem in loco proprio, non tamen si extra proprium locum ponatur. Vel certè ab ipso creatore mouebitur ad proprium locum, quia ex ipsa creatione illi est debitus propter dignitatem supra alia corpora.

Ad vltimum de Cœlo Empyreo dicitur, quòd licèt illud cœlum naturaliter sit ignorum, potest tamen reduci ad definitionem naturæ, quia est principium quietis, sed non motus; neque enim est necesse, quod quælibet natura in particulari sit principium motus & quietis copulatiuè, sed sufficit quòd alterius, licèt natura in communi considerata vtrumque complectatur diuisiuè.

De Grauibus & Leuibus.

Difficultas celebris est, an moueantur à principio intrinseco actiuo, vel passiuo, & sic est actiuum, an sit actiuum per modum dimanationis, sicut passio oritur à subiecto, vel per modum productionis, sicut mobile mouetur à motore; & eadem difficultas est de motu, quo reducitur aqua ad frigiditatẽ, vel aliud corpus ad qualitatem propriam, sed de his agendum est infr.lib.8.

De Angelis.

Dicimus, *nullo modo conuenire illis definitionem naturæ traditam*; licèt enim habeant naturam, sumpta natura pro quidditate constituti ex suis prædicatis, non tamen habent naturam, quæ sit in ipsis principium motus imperfecti & diuisibilis, sicut est motus physicus: habent autem operationes perfectissimas intelligendi & volendi, quæ propter suam vniuersalitatem sunt capaces attingendi omnem naturam, & ideò non possunt ab aliqua natura sufficienter moueri, & satiari, vt Sanct. Thom. docet 1. p.q.105. art.4. & 1.2.q.9.art.6. Si ergo sunt capaces omnis naturæ propter suam amplitudinem & abstractionem, consequenter non includuntur in natura physicè definita, sed pertinent ad naturam metaphysicam, licèt in illa etiam sint capaces superioris perfectionis Diuinæ, quæ supernaturalis dicitur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sit legitima differentia constituta inter naturalia, & artificialia?

Circa *artificiale*, duo breuiter explicanda sunt. *Primum*, quantùm ad principium motus, an videlicet formæ artificiales possint esse principium per se motus eius, in quo est? *Secundum*, an possit per artem produci forma aliqua naturalis.

Circa primum vulgaris difficultas est de illis artefactis, quæ ordinantur ad motum. Videmus enim corpus rotundum velociùs moueri, quàm planum vel quadratum, videmus rotis moueri plaustrum, non sine illis, & machinas artificiosè dispositas impulsu velociori ferri, quàm sine artificio. *Denique* nonnullæ artes solùm ordinantur ad motum eius, in quo sunt, sicut ars saltandi, citharizandi, & similes solum ordinantur ad motum ipsiusmet saltantis, & citharizantis, &c.

Circa secundum, videtur ars facere aliquando opera naturæ; sicut sanitas quæ est aliquid naturale, fit à Medico; doctrina à Magistro; figura rotunda vel recta, aut collocatio diuersa corporum ab artifice, & posse à Dœmone, vel Angelo fieri veros serpẽtes, & sic fuisse factos à Magis Pharaonis Augustinus putat 3. de Trin. cap.8. & aurum posse fieri per artem chymicam S.Th. insinuat.2.2. q.77. art.2. ad 1 & saltem per Angelum posse fieri, nemo negabit, pluráque alia admiranda fieri per artem plures referunt Authores.

Ad primum respondetur, formam artis nullo modo posse esse principium per se motus eius, in quo est; in hoc enim maximè differunt ars & natura, vt tradit Arist. in hoc 2. Physicorum, & Diu. Thom. ibi lect.1. & lect.14. in fine, dicit, in nullo alio differre naturam ab arte, nisi quia natura est principium intrinsecum, & ars extrinsecum, idémque affirmat in 12. Metaph lect.3. *Ratio est*, quia tam principium artis, quàm forma per illam producta sunt extrinsecum principium motus, ars enim est in intellectu, intellectus autem non mouet naturaliter & intrinsecè, sed dirigendo & imperando, qui est motus extrinsecus ipsi rei imperatæ & directæ, ex parte autem formæ productæ per artem constat, quòd illa est principium motus extrinsecum, quia cùm sit impressa à directione intellectus per artem, non potest ex vi talis principij habere intrinsecam rationem naturæ & principij motus, eò quòd intellectus non est factiuus naturæ per ideam & artem, nisi intellectus Diuinus. Quòd si applicando per artem res naturales, resultat aliqua forma naturalis, id non est ex vi artis applicantis, sed ex vi naturæ applicatæ, vt statim dicemus.

Ad oppositam autem rationem respondetur, figuram rotundam, vel quodcumque aliud artificiale non influere tanquam principium intrinsecum in substantiam motus, sed in aliquem modum vel applicationem ad motum, figura enim rotunda tollit aliqua

qua impedimenta, quæ in figura quadrata sunt, ad velocitatem motus; rotundum enim habet partes magis vnitas & consequenter melius dispositas ad scindendum aërem, quàm quadratum, non tamen dat principium intrinsecum talis motus, quod est grauitas, sed conditionem aliquam seu modum requisitum in partibus mobilis, vt faciliùs moueatur. Et similiter per machinas artificiosè dispositas fortior, seu velocior motus fit, non quia addatur per artem maius principium intrinsecum illius motus, sed quia sic comprimuntur, vel vniuntur, aut disponuntur partes, vt velociori modo motus fiat, posito tali modo, vel applicatione partium. *Ad illud quod dicitur de arte saltandi respondetur*, quòd ars illa non præbet principium motus, quantum ad substantiam illius, motus enim ille vitalis est, & sic fit à principio vitæ, sed quantùm ad modum, vt quòd tali numero aut ordine fiat, aut tali modo applicentur actiua, vt Medicus qui applicat aliqua ad sanationem modo artificioso.

Ad secundam difficultatem respondetur sententiam D.Thom. consistere in duobus *Primum*, quòd ars non potest facere virtute propria formam naturalem substantialem, sed solùm formam accidentalem, virtute tamen agentium naturalium applicatorum ab arte, potest forma substantialis fieri. *Secundum est*, quòd formæ, quas propriè inducit ars in materia exteriori, solùm sunt figura, vel compositio seu ordo corporum. *Primum patet* in 3. p. q.66. articul.4. & q.75. artic.6.ad 1. vbi docet, quòd formæ artificiales sunt accidentia, potest tamen ars applicando virtutes corporum naturalium substantiales formas producere, non virtute propria, sed virtute naturali à se applicata: vnde ars solum ibi facit applicationem, non effectum naturalem, sicut quando per artem fiunt ranæ aut serpentes, vel etiam decoctione artis fit panis & alij cibi. *Et ratio est*, quia ars non habet in se principium formale ad efficiendum tales formas; ars enim nititur virtute & directione intellectus, intellectus autem non potest formali immutatione immutare corporalem materiam, formæ enim substantiales non effluunt à substantiis immaterialibus, vt quidam Antiqui posuerunt, sed ab agentibus naturalibus formæ educuntur de potentia materiæ, causatur enim vnumquodque à suo simili, sicut latè probat D. Th.1.p.q.110. art.2. cùm ergo ab arte solùm fiat applicatio talium agentium naturalium directa per rationē; & constat quòd applicatio non est principiū efficiendi formam, sed conditio consequenter, si aliqua forma naturalis fit ab arte, solùm fit in vi naturalium agentium, quæ antea non operabantur illos effectus naturaliter, quia non erant naturaliter sic applicata.

Secundum dictum ponit D. Thom.2.2. q.96. art.2. ad 2. & opusculo 34. in fine, vbi inquit: *Quòd formæ artificialium, cùm nihil aliud sint, quàm compositio, ordo & figura*, vt dicitur in 1. Physicorum, *non possunt habere naturalem virtutem ad agendum. Et ratio est*, quia circa materiam exteriorem ars nihil operatur, nisi motu locali, vel præcisè applicando actiua passiuis. Motus autem localis, vel facit diuisionem in quantitate, vel copulationem. Si diuisionem resultat diuersa figura ex diuersa diuisione, vel terminatione quantitatis: si copulationem resultat ordo siue compositio, aut situatio corporum. Si verò ars non solum facit diuisionem, vel copulationem in quantitate, sed etiam applicat actiua passiuis, resultat quidem alteratio per qualitates actiuas facta, & quandoque etiam generatio substantialis, non virtute artis quæ solùm applicationem dirigit, sed virtute actiuorum, quæ applicantur.

Quòd si inquiras, in illa figura vel situatione facta per artem, quidnam est artificiale, cùm figura ipsa, & situs aliquid naturale sint. *Respondetur*, tales figuras dici artificiales denominatione sumptâ à modo quo producuntur, scilicet ex ordinatione artis, eadem enim figura si produceretur à virtute naturali, sine artificiosa directione, diceretur forma naturalis: illa ergo figura entitatiuè est aliquid naturale, sed ordinatiuè est aliquid artificiale, quatenùs à directione artis fit. Vtrùm verò ars applicans actiua passiuis, & virtute aliorum operans, possit producere quascumque veras formas naturales, verbi gratia, verum aurum, veros serpentes, & similia, superuacuum est quærere; constat enim quòd si illas producunt, non virtute propria artis producunt; vt dictum est. Sed tamen potest aduerti differentia posita à D.Thom. in 2. dist.7. q.3. art.1. ad 5. vbi inquit: *Quòd ars non potest formam substantialem conferre, quod tamen potest virtute naturalis agentis, sicut patet in hoc quod per artem inducitur forma ignis in lignis: sed quædam formæ substantiales sunt, quas nullo modo potest ars inducere, quia propria actiua & passiua inueniri non possunt, sed in his potest aliquid simile facere, sicut Alchimistæ faciunt aliquid simile auro quantum ad accidentia exteriora, sed tamen non faciunt verum aurum, quia forma substantialis auri non est per calorem ignis, quo vtuntur Alchimistæ.* Idem docet quæst.6. de potentia artic.1. ad 18. nec oppositum dixit 2.2. quæst.77. supra cit. solùm enim sub conditione dicit, quòd si per Alchimiam fieret verum aurum, non esset illicitum ipsum vendere pro vero, quia nihil prohibet artem aliquibus naturalibus causis vti ad producendum veros & naturales effectus. Quòd verò ita de facto fiat per artem, ibi non dicit. Quare tota ratio propter quam non potest ars aliquos effectus naturales facere est, quia non potest inuenire propria actiua & passiua, & conuenienter applicare, quæ tamen Angelus vel Dœmon, qui naturalia omnia perfectissimè cognoscit., multo melius inuenire & applicare potest, ideoque mirabiles effectus quandoque facit.

ARTICVLVS III.

Quomodo violentum distinguatur à naturali?

VIolentum generaliter sumptum definiri solet, quod est, *à principio extrinseco, passo non conferente vim*, vt tradit Diuus Thom.8. *Physic. lect.7.* & desumitur ex Phil.3. Ethicor. cap.1. vbi inquit: *Id esse violentum, cuius principium est extra tale existens, in quo nihil confert operans vel patiens.* vbi S. Thom. explicat illam particulam, *in quo nihil confert*, scilicet per proprium appetitum, atque ita nihil aliud significat illa particula, *Passo nō conferente vim*, quam non præbente seu habente inclinationem: potest autem non præbere inclinationem, vel positiuè, vel negatiuè: negatiuè, quia nec resistit nec inclinatur; sed merè negatiuè se habet; positiuè, quia contrariam habet inclinationem, & sic positiuè resistit.

Vt autem prædicta definitio rectè explicari possit, tres difficultates se offerunt explicandæ. *Prima*, circa primam particulam, *à principio extrinseco*, an à quocumque principio extrinseco etiam vniuer

vniuersalissima causa, qualis est Deus, possit inferri violentia? *Secunda*, circa illam particulam, *Passo non conferente vim*, an intelligatur de resistentia positiua contraria, an sufficiat negatiua. Et si requiratur positiua, an requiratur quòd sit actiua, vel sufficiat passiua, & quod sit contra quamlibet inclinationem passi? *Tertia*, an diuisio ista in violentum motum & naturalem, ita sit immediata, quòd non possit dari motus medius, qui dicitur præternaturalis.

Prima Difficultas.

Circa primam difficultatem, *duæ sunt sententiæ* extremè contrariæ. *Prima*, quod à quocũque agente etiam vniuersalissimo potest inferri violentia in res subiectas, de qua videri potest Magister Lorca 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 4. *disp.* 4. *memb.* 2. Medina *super illum locum* 1. 2. *Alij per aliud extremum dicunt*, quòd nullo modo potest inferri violentia ab vniuersali agente, scilicet Deo, etiamsi ad modum particularis agentis velit agere.

Cæterùm sententia media nobis eligenda est, scilicet quod *Deus in quantum motor vniuersalis*, à quo omnis creatura mouetur, non potest inferre violentiam, siquidem operatur vt proprium principium, & radix cuiuscumque motus; Si tamen velit Deus operari vt particularis motor, non repugnat, quòd inferat violentiam, præsertim cum in aliquibus actionibus Deus intendit illam *inferre*. Prima pars traditur expressè à D.Th. 1. *part. qu.* 105. *art.* 6. *ad primum & 3. contra Gentiles, cap.* 100. *& q.* 6. *de potentia art.* 1. *ad* 19. & sequuntur communiter eius discipuli, vt Ferrar. *loco citato contra Gentiles*, Conradus 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 4. *& alij.*

Ratio sumitur tùm à posteriori, tùm à priori *A posteriori*, quia videmus plures motus, qui sunt à principio extrinseco vniuersali non esse violentos, quia à principio vniuersali sunt, sicut in mari fluxus & refluxus non est violentus, licèt non sit à principio intrinseco, sed à motu Lunæ; & illuminatio Solis in aëre non est violenta, licèt nõ sit à principio intrinseco; ergo similiter quicumque motus à Deo in creaturam subiectam non potest illi esse violentus, licèt principium sit extrinsecum, & passum non habeat inclinationem, sicut in exemplis positis non habet. *A priori* autem fundatur amplius hæc ratio, quia inter causam superiorem & inferiorem coordinatio ipsa naturalis est, & multò magis inclinatur natura subiecta in motum prouenientem à superiori agente, quàm in proprium motum suum, eò quòd magis inclinatur ad conseruationem totius, quam sui: conseruatio enim sui maximè pendet à conseruatione totius, & ita si inclinatio ad propriam conseruationem est naturalis, & non violenta, multò magis erit naturalis inclinatio ad conseruationem totius: conseruatio autem totius pendet ex connexione partium inter se; ita quòd inferior subiiciatur & obediat superiori in quantum superior est, alioquin si exit ab eius ordine dissoluitur coordinatio inter partes inferiores & superiores. Motus autem qui est à Deo, vt ab agẽte vniuersali, respicitur à creatura secundum habitudinem partis ad totum, quia Deus vt motor vniuersalis, totum comprehendit; ergo repugnat, quod talis motus in creatura sit violentus sed maximè naturalis, cùm fundetur in illa naturali coordinatione, & subordinatione partis ad totum.

Secunda verò pars nostræ sententiæ probatur, quia nulla est repugnantia, quòd sicut homo proiicit lapidem sursum non sublata eius grauitate, neque grauitatione, & consequenter motu existente violento, ita Deus similem motum faciat in lapide, ipso actu grauitãte, & tunc talis motus erit violentus. *Et confir.* quia Deus potest intendere ipsam violentiam in motu, vt patet quando torquet Dœmones mediante instrumento ignis, aut si immediatè per seipsum torqueret Dœmones, ille autem motus violẽtus est, quia infert tristitiam & pœnã, ergo supponit aliquam repugnantiam ex parte naturæ: si enim non repugnaret, non sentiret tristitiam.

Respondent Aliqui, quòd si Deus moueret lapidem sursum, ille motus nõ esset violentus, licèt esset contrarius motui naturali, quia mobile non resistit Deo mouenti, sicut si in voluntate essent per impossibile duo actus cõtrarij, neuter esset violentus, sed vterq; à principio naturali intrinseco, sic in lapide tunc darentur duo motus contrarij, non tamen daretur violentia: *Sed contra est*, quia Deus sic mouens lapidem sursum non remotâ grauitatione, vult vt suo motui resistatur, sicut si proiiceretur lapis ab homine, quod patet manifestè, quia illa grauitatio non sublata, tandem vincet motum proiectionis factæ à Deo, supponimus enim quòd non maiori vi proiicit quam homo, ergo signum est, quod ille motus naturalis grauitandi resistit motui proiectionis sursum, ergo falsum est dicere, quòd non inuenit resistentiam quando sic proiicitur, & consequenter violentus est ille motus.

Similiter non sufficit dicere, quòd pœna Dœmonibus impressa solùm habet resistentiam moralem in illis respectu Dei torquentis, respectu verò ignis, qui est instrumentum Dei, habet physicam violentiam, quia spiritus subiicitur corpori, quod est contra naturalem inclinationem eius. *Sed contra est*, tùm, quia moralis violentia est tristitia, quæ fundatur in aliqua physica contrarietate; tùm, quia Deus non solum potest inferre dolorem spiritui, sed etiam corpori sensibili hominis vel bruti, respectu autem corporis, dolor habet violentiam physicam, aliàs si naturalis esset ille motus, in quantum sensibilis, non causaret dolorem. *Nec obstat dicere*, quòd illa violentia est in Angelo respectu ignis torquentis, non verò respectu Dei, si seipso torqueret. *Non* inquam *obstat*: tùm quia ille ignis non agit virtute propria, sed virtute Dei, ergo ipsi virtuti & motui Dei resistit spiritus; tùm etiam, quia potest vnus Angelus superior violenter detinere inferiorem, sicut dicitur Tobiæ 8. quòd Angelus apprehendit Dœmonium, & religauit illud, ergo potest actio superioris esse violenta respectu inferioris; ergo similiter actio Dei, si ita religaret Dœmonium per seipsum, sicut ille Angelus. Neque est inconueniens quòd Deus concurrat ad motum naturalem lapidis, verbi gratia, & efficiat motum contrarium illius, sicut enim de facto concurrit Deus ad motum hominis proiicientis lapidem, & ad motum lapidis renitentis, neque in hoc est contrarietas, quia est respectu diuersorum principiorum, ita non est contrarietas, quòd per seipsum moueat lapidem sursum sicut homo, & concurrat cum lapide ad renitentiam deorsum, sicut cum eadem voluntate concurrit, vt determinatè velit vnum, & ex vi dictaminis indifferentis & motionis mouentis, vt possit oppositum.

Sed contra primam partem conclusionis obiicies, nam omnis violentia fit ab aliqua causa superiori; & efficaciori vincente renitentiam alterius, ergo si propter superioritatem causæ vniuersalis ad inferiora non datur violentia, vbicunque fuerit superioritas ad alterum, violentia cessabit, & sic frustra diceret Philosophus tertio Ethicorum, cap. 1. quòd violen

violentum est, cùm homines ab habentibus potestatem ad aliquid compelluntur. Et certè si aqua patitur violentiam, quando calefit, vel quando proiicitur sursum, quia talis motus inclinationi eius contrariatur, cur non dicetur eandem pati violentiam à tali motu, etiamsi fiat ab agente vniuersali? diuersitas enim agentis non variat contrarietatem inter motus. *Confirmatur*, quia aqua quando mouetur sursum ad replendum vacuum, violenter mouetur, siquidem resistit & grauitat aqua quando sic eleuatur, & tamen ille motus est ab inclinatione superiori, scilicet vt succurratur bono totius vniuersi, ergo potest à superiori mouente violentari inferior, etiamsi sit propter bonum vniuersale totius.

Respondetur, violentiam fieri à superiori, quando est superius in vincendo resistentiam alterius, non autem si sit superius in causando, ita quòd inferius dependeat totaliter in agendo à superiori; tunc enim impressio illa à superiori in inferius, nunquam potest habere resistentiam in inferiore, si enim dependent in omni sua actione & modo à superiori, clarè constat, quòd nullam actionem habere potest resistentem illi, cum hanc etiam ab illo superiori habere debet, sine quo nullam habet. Et sic cōstat differentia inter motū proiectionis sursum in lapide factum ab homine, & factum à Deo, quia respectu hominis habet lapis principium resistendi independenter operando ab illo, non verò respectu Dei, si operetur vt motor vniuersalis, nisi se habet præcisè ad modum particularis agentis. *Quòd si petas* quomodo intelligemus, quando mouet Deus lapidem sursum vt particularis motor, vel vt vniuersalis? *Respondetur*, id constare præcipuè ab effectu, vt si fieret conseruando renitentiam lapidis in oppositum; tunc enim vt particularis motor se haberet, & hæc est præcipua regula ad dignoscendum, quando motus Dei est violentus, scilicet si mouet conseruando renitentiam oppositam, & consequenter non secundum potentiam obedientialem, quâ omnia ad nutum obediunt Deo, sed secundùm potentiam, quæ resistendo vincitur, & obedit agenti ex victoria supra ipsam, non ex suprema causalitate in ipsam.

Ad confirmationem Aliqui putant, quòd aqua quando ascendit ad supplendum vacuum, violenter ascendit, & ad motum aëris, qui sursum attractus secum defert aquam, non enim apparet à quo alio agente moueatur. Sed hoc est contra doctrinam D. Thom. 1. p. quæst. 60. art. 5. vbi inquit: *Quòd pars magis naturaliter inclinatur ad conseruationem totius, quàm ad suam*; & ita cum aqua ascendat ad replendum vacuum propter conseruationem totius, quòd posito vacuo deordinaretur, ideò naturaliter ascendit sursum, non quatenùs corpus graue est, sed quatenùs est pars vniuersi, sicut manus naturaliter se opponit ictui capitis, quatenus pars hominis est. Et sicut ab ipso generante mouetur per grauitatem ad centrum, vt ibi conseruetur secundùm particularem conuenientiam, ita ab eodem generante mouetur sursum mediante inclinatione, quam habet ad conseruationem totius, in quantum pars vniuersi est, quæ inclinatio imbibitur in ipsa grauitate secundùm habitudinem, quam habet ad conseruationem totius, non secundùm quod respicit modum proprium conseruandi se in centro per grauitationem, de quo amplius quæst. 17. art. 1. *Et si dicas*, quòd aqua ascēdēs per fistulam grauitat, quia experientia apparet fistulam, aqua ascendente plenam, magis ponderare quàm vacuam.

Respondetur, datâ illâ experientiâ, de qua tamen nobis non multum constat, non grauitare totam aquam, quæ intra fistulam ponitur, quia illa quæ ascendit, non grauitat actu, sed illa quæ adhæret lateribus fistulæ madidando ipsam, vel per poros intrando, talis aqua, quia non ascendit, grauitat & reddit fistulam magis ponderantem aliqualiter.

Secunda difficultas.

Circa secundam difficultatam vnum est certum, & aliud dubium. Certum est, & communiter receptum ad violentum requiri, quòd passum non se habeat merè negatiuè, sed positiuè, seu contrariè ad talem motum. Vnde D. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 4. ad 2. dicit: *Quòd non semper est motus violentus, quando passiuum immutatur à suo actiuo, sed quando hoc fit contra interiorem inclinationem passiui.* Requiritur ergo contraria & positiua repugnantia saltem ex parte inclinationis interioris. Et sic videmus, quòd illuminatio aëris non est violenta, nec receptio gratiæ in anima, licet subiectum negatiuè se habeat ad istas formas. *Et ratio est*, quia quando subiectum solum negatiuè se habet, adueniente forma positiua negatio tollitur, sublatâ autem illâ nihil remanet quod repugnet positioni formæ, vbi autem non est repugnantia, neque est violentia.

Dubium autem est, an ista repugnantia debeat esse ex inclinatione actiua vel passiua. Nam Pater Vazquez 1. 2. disp. 25. cap. 3. quem plures alij sequuntur tenet, quod violentum tantum est contra principium actiuum, non passiuum, eò quòd in passiuo solum inuenitur ordo receptionis ad formam, non resistentiæ & contrarietatis, sine qua non saluatur violentia. *Ex quo infert*, principium purè passiuum sicut materia prima, non esse propriè naturam, secundum quod naturale opponitur violento; neque enim violentiam pati potest materia, quia omnis violentia fit per impressionem alicuius formæ in passo. Vel ergo talem formam, recipit materia, vel non; si non recipit, nulla est violentia; si verò recipit, naturaliter recipit, quia habet naturalem potentiam ad omnes formas. Quòd si materia per impossibile conseruaretur à Deo; sine omni forma, adhuc non fieret illi violentia, quia solum negatiuè se haberet, & in potentia ad omnes formas, sine quibus conseruatur, non per aliquem positiuum impetum, quo tendat ad illas formas, & sic non patitur violentiam, licet extra cursum ordinarium conseruetur.

Secundò infert, motum cœli esse violentum; nam quies eius non erit contra naturam, perpetuò enim durabit, ergo motus eius nunc violentus est, quia opponitur illi quieti. Et cùm non fiat à natura cœli efficienter, fiet violenter, omnis enim motus aut fit natura, aut vi, vt docet Aristoteles 4. Physic. text. 67. Si ergo non fit à natura cœli, vi fit.

Deniqae instatur pro ista sententia, quia si ad violentum sufficit principium passiuum, idem sufficiet ad naturale, scilicet oppositum eius quod violenter fit per operationem, & sic cùm naturalis sit aëri potentia ad recipiendam lucem, violenter recipiet tenebras, & cœlum violenter recipiet quietem post diem iudicij, quia nunc naturaliter recipit motum, & materia prima violenter carebit forma, quam modo habet, quia habet potentiam naturalem ad habendam illam, & humanitas Christi esset violenter, quia habet naturalem inclinationem ad propriam subsistentiam, & idem est de accidente separato ad suam inhærentiam.

Nihilominus dicendum est, *Quod etiam in principio passiuo saluari potest ratio naturæ propter inclinationem ad suum naturalem actum, vel ad suam formam &*

& quod potest pati violentiam, non per hoc quòd remoueatur ab illo ista forma, & succedat alia, vel eius opposita, cum vtriusque sit capax; sed per hoc, quòd remoueatur principium passiuum à statu sibi connaturali, scilicet à tota collectione formarum, vel à tota subiectione ad suum actiuum? Prima pars constat ex dictis artic.2. vbi ostendimus ex D.Thom. ad motum naturalem sufficere principium passiuum, & ita vocat S. Doctor motum cœli naturalem, quia habet principium passiuum ad ipsum inclinans, vt patet in 1. part. quæst.70. artic.3. ad quartum, & aliis locis ibi citatis.

Secunda verò pars explicatur sic, quia principium passiuum dicit potentiam seu capacitatem recipiendi aliquam formam, & eius oppositam vel etiã plures formas intra sphæram suæ inclinationis. Vnde violentia in eo nõ potest sumi, ex eo quòd remoueatur ab vna forma, & succedat illi alia cuius est capax; siquidem sub vtraque naturaliter manet; sed si inducatur illi aliqua forma extra totam suam sphæram, vel impediatur subiici suo connaturali actiuo, quando ab illo mouetur, tunc violentabitur; sic enim principium passiuum impeditur à suo naturali statu, qui est recipere aliquam formam, vel obedire alicui agenti connaturali; verbi gratia, materiæ primæ nõ solum est connaturalis ista forma vel illa, sed tota collectio formarum, vnde si poneretur materia absque omni forma, vel materia sublunaris indueret formam cœli, diceretur violentari, quia impediretur eius naturalis status recipiendi formas, vel saltem formas corruptibiles, quæ sibi sunt connaturales. Similiter in cœlo, datur naturalis receptio motus ab intelligentia, & si Angelus cesset mouere, quies succedet sine vlla violentia, sed tamen si stante motione Angeli, impediretur cœlum illi obedire, hæc esset violentia in cœlo: & si materia vltimò disposita ad formam impediretur recipere illam, & obedire agẽti disponenti, stãte eius actione, pateretur materia violentiam. Itaque violentia vel potest esse formalis vel actiua: formalis est quando remouetur passiuum à suo connaturali statu passiuæ inclinationis, siue respectu formarum propriarum, siue respectu proprij actiui. At verò actiua violentia fit per motum impedientem actiuam inclinationem, seu motum naturalem, & sic requirit actiuum principium in patiente violentiam. Et de hac violentia actiua loquitur D. Th. quando dicit in q.5. de Potent.art.5.ad 12. quòd cum in corpore cœlesti non sit principium actiuum ad motum sicut in elementis, non sequitur quòd eius quies sit violentia; & sic vt quies violenta sit, videtur requirere D.Th. principium actiuum resistens illi. Et in 3. cont. Gent. cap.23. facit similem consequentiam, quòd in motu cœlesti nihil est violentum; ergo impossibile est, quòd principium eius actiuum sit natura; Istæ enim consequentiæ procedunt de violentia actiua. Cæterùm si alio modo principium passiuum remoueatur à suo statu naturali per impedimentum recipiendi formas proprias, vel obediendi suo connaturali actiuo, sic violentiam formalem patietur.

Ad argumenta opposita resp. non requiri renitentiam actiuam ad violentiam formalem, sed sufficere impedimentum inclinationis passiuæ ad proprias formas, vel ad connaturale actiuum. *Ad id quod dicitur de materia prima*, quòd non potest pati violentiam per impressionem alicuius formæ, *iam dictum est* quomodò potest pati violentiam, si ponatur extra statum naturalem? vel in opinione eorum, qui admittunt, materiam posse conseruari absque omni forma, vel si forma incorruptibilis materiæ sublunari imprimeretur, aut si materia vltimo disposita ad formam impediretur recipere illam. Et quòd dicitur, materiam sine omni forma solum se habere negatiuè. *Resp.* quòd negatiuè se haberet in ratione agendi, sed non negatiuè in ratione inclinationis, & appetitus positiui, quo frustratetur in illis casibus materia. *Ad id quod dicitur* de motu cœli & quiete, iam art.2. ostendimus quomodo ibi violentia non inueniatur.

Ad exempla vltimo loco allata respond. quòd non fit violentia materiæ, si expellitur vna forma, & introducitur alia, quia ad vtramque habet connaturalem habitudinem, & similiter se habet aër in admissione lucis, & amissione illius, vtriusque enim eadem connaturalitate est receptiuus, & sic expulsio vnius non est violenta, cùm recipiat aliud, quod est etiam connaturale. De humanitate Christi dicimus, quòd licet careat subsistentia propria, subrogatur tamen diuina, quæ eminenter continet totam vim propriæ, & perfectionem eius; & sic non violentatur, quia eminentius subsistit in subsistentia illa; quando autem totum, quod est in aliqua forma, suppletur per aliam, nulla fit violentia si caret propria.

De accidente separato, à quo tollitur modus connaturalis existendi per inhærentiam, & de modo Sacramentali Corporis Christi, tollente modum connaturalem quantitatis, *dicimus*, quantùm est de se pro ea parte, quia impediunt connaturales modos talium rerum esse similes formis violentiam inducentibus, sed tamen quia hoc fit à Deo Auctore supernaturali, cui naturaliter subiicitur omnis creatura, ex parte agentis, & ex modo agendi non est contra naturam, neque est violentum, vt tradit D.Th.1.p. q.105. art.6. ad 1.

Adhuc tamen inquires; quando in aliquo subiecto inuenitur aliquis motus, qui respectu vnius principij est naturalis, & respectu alterius violentus; vnde adiudicandum est, an simpliciter sit violentus vel naturalis? Verbi gratia, generatio & corruptio sunt mutationes naturales ratione materiæ, sed tamen corruptio est contra naturam formæ & dispositiones, quas ignis inducit in aqua, sunt naturales ratione materiæ, & violentæ ratione formæ aquæ, & similiter quando animal mouetur motu progressiuo, eleuatio pedis, v.g. est violenta respectu ipsius corporis in quantum corpus graue est, respectu verò naturæ animalis vt animal est, est naturalis, & similiter voluntas in actibus imperatis potest pati violentiam, vt in intellectu & appetitu sensitiuo, quatenus sunt moti à voluntate, licet sint naturales, vt eliciuntur à suis potentiis.

Respondetur, quòd licèt respectu eiusdem principij repugnet eundem motum esse violentum & naturalem, quia repugnat idem principium esse intrinsecum, & extrinsecum, tamen non repugnat eundem motum respectu diuersorum principiorum dici violentum, & naturalem, aut mixtum ex voluntario & inuoluntario. Quando autem quæritur, vnde fiat denominatio. *Respondetur*, quòd in voluntariis seu moralibus, violentum denominatur ab eo quod est contra voluntatem, licèt connaturale sit respectu principij, seu potentiæ particularis, eò quòd voluntas est inclinatio totius suppositi, & rapit secum cæteras potentias, quæ connaturaliter natæ sunt illi obedire, sicut sphæræ inferiores natæ sunt moueri à primo mobili. Et ita voluntas non potest pati violentiam in propriis actibus, neque physicè, quia ab extrinseco principio sunt, neque moraliter, quia voluntarij sunt, hoc ipso quòd ab ipsa procedunt; in actibus autem imperatis, & ab alia potentia elicitis pati potest violentiam, vt docet D.Thomas

mas 1. 2. quæst.6. art.4. quia licèt isti actus pro ea parte, qua eliciuntur à propriis potentiis, quæ sunt principia intrinseca, violenti non sint, comparatiuè tamen ad voluntatem, à qua illa principia nata sunt moueri, simpliciter dicuntur violenti, quia sunt contra inclinationem totius suppositi, quæ est voluntas, à qua simpliciter denominatur suppositum moueri; & sic intellectus potest pati violentiam comparatiuè ad voluntatem, non physicè in se, voluntas autem neutro modo.

Cæterùm in naturalibus, quando concurrit principium motus violenti & naturalis, denominatio sumitur ex principio naturæ prædominantis, v.g. motus progressiuus animalis simpliciter est naturalis, quia est à forma intrinseca animalis, quæ prædominatur naturæ elementali, siquidem perficit, & mouet illam, & sic eleuatio pedis, licèt sit violenta corpori elementali, est tamen naturalis animali. Et similiter, quando aqua ascendit ad replendum vacuum, simpliciter est motus naturalis, quia oritur ex inclinatione naturali, scilicet ex conseruatione totius vniuersi, quæ prædominatur inclinationi particulari. Et eadem ratione dispositiones ad generationem, & corruptionem simpliciter sunt naturales, quia licet contrarientur ipsi composito quòd corrumpitur, & formæ illius, tamen pertinent ad conseruationem vniuersalem status corporum inferiorum, in quibus si materia permaneret sub vna forma, tolleretur ordo mutationum generabilium, & corruptibilium, & ideò mutationes, quæ deseruiunt ordini & conseruationi huius status, simpliciter dicuntur naturales ratione materiæ; licèt contrarientur formæ particulari, quam corrumpunt.

Tertia difficultas.

CIrca tertiam difficultatem *Aliqui tenent*, non dari motum medium inter naturalem, & violentum, loquendo de motu locali, qui sit præternaturalis, fundaturq; in auctoritate Phil.4.Phys.tex.67. dicentis: *Quòd omnis motus aut fit natura, aut vi*; ergo omnis motus qui non est naturalis, eò quòd nó est à principio intrinseco, erit violentus. *Et ratio est*, quia omnia corpora habent internam propensionem in aliquem definitum & determinatum locum vniuersi, siue grauia sint, siue leuia, à quo si recedunt, patiũtur cõtra impetum propriæ inclinationis; ergo violentantur. Et hinc inferunt motum cœli esse violentum, quia cœlum inclinatur naturaliter ad quiescendum, si Angelus cesset mouere, ergo cõtra illam inclinationem fit, si moueatur; dicunt tamen, quòd si cœlum non esset graue & leue, vt putauit Aristoteles (quod tamen ipsi non admittunt) motum fore præternaturalem. Ita Martinez.2. *Phys. cap.1. quæst.2.*

Oppositum sentit D.Thom.1. de cœlo, lect.4. vbi inquit: *Quòd circulatio ignis vel aëris quam ex motu firmamenti*, dicit Aristoteles, *prouenire*, primo Meteor. *non est ei naturalis, quia non causatur ex principio intrinseco, neque iterum est per violentiam, siue contra naturam, sed est quodammodo supra naturam, quia talis motus inest eis ex impressione superioris corporis, cuius motum ignis & aër sequuntur secundùm perfectam circulationem; aqua verò secundùm circulationem incompletam, scilicet secundùm fluxum & refluxum maris.* Ita D.Thom. qui motus locales sunt, & constat non esse violentos, quia non mouent elementa extra proprium locum, sed in suo proprio loco conueniunt: quòd si à loco suo amouerent, contrariaretur ista circulatio ignis vel aëris motui sursum, quo naturaliter mouentur ista elementa, & fluxus maris contrariaretur motui deorsum, quo mouetur aqua, quod stare non potest, quia motui sursum solũ contrariatur motus deorsum, & è contra quia vnum vni est contrarium, vt patet per Philosophum 1. de cœlo, tex.11. Non ergo circularis motus istis elemẽtis in proprio loco conueniens, contrarius est, & consequenter neque violentus: naturalis autem non est, quia non est à principio intrinseco, & sic est præternaturalis.

Dices, ergo quando aliquod corpus, verbi gratia, rota per impulsum impressum circulariter mouetur, etiam ille motus non erit violentus, & sic non habebit contrarium in illa rota; ergo neque à quo corrumpatur, & sic semel impressus circularis motus, nunquam desinet, nisi ab extrinseco detineatur. *Resp.* quòd ille motus rotæ necessariò fit per aliquem impulsum, qui est qualitas distincta à grauitate, & leuitate, vt in 8. libro amplius dicetur. Hæc autem qualitas nisi continuè imprimatur à motore, euanescit, quia est in subiecto extraneo, & solùm per modum transeuntis imprimitur, sicut species in aëre, & motio in instrumento, est enim impulsus instrumentalis quædam motio, quia de se ordinatur ad mouenda instrumenta exteriora; vnde de se non est permanens, sed desinit, nisi continuo instauretur. Vnde ex defectu ipsius, etiam si non detur aliud contrarium, desinet ille motus rotæ, sicut desinet motus circularis cœli, & ignis, & aëris, cessante Angelo mouere, vt libro 8. dicetur.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ: ad locum Aristotelis resp. ibi sumere violentum non strictè, sed lato modo, vt etiam includit præternaturale; cum enim violentum duo includat vnum ex parte principij actiui, quod sit extra, alterum ex parte passi, quod sit contra eius naturam, tunc est violentum strictè dictum, quando vtrumque includit, tunc autem latè sumitur, quando alterum tantum videlicet quando accipitur pro motu solum, vt à principio extrinseco, siue passum resistat, siue non, & hoc modo includit motum contra & præter naturam; & sic verum est quòd omnis motus aut fit vi, aut natura, id est, à principio intrinseco, vel extrinseco; sed non omnis fit contra naturam aut à natura. Et hunc esse legitimum sensum Philosophi constat, quia postquam dixit omnem motum fieri aut naturâ, aut vi, subdit; *quippe cùm violentus sit præter naturam*, intelligit ergo nomine violenti aliquid præternaturale.

Ad rationem respondetur, omnia corpora propendere in locum determinatum, à quo si extrahantur, violentiam patiuntur; sed tamen dari potest motus, quo neque extrahantur à suo naturali loco, neque ad illum tendant, sed quo in loco proprio moueantur à superiori agente, vt de circulatione ignis & fluxu maris dictum est. Quòd verò dicitur cœlum violenter moueri, iam supra reiecimus, & est expressè contra Aristot.1. de cœlo, à tex.9. eò quòd cœlum neque est graue, neque leue, cùm naturalis eius locus & motus non sit in centro, nec à centro, sed circa centrum. Videatur ibi Diu. Thom. lectione 5.

QVÆSTIO X.

De causa in communi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ sit definitio causæ in communi, & quæ conditiones causæ?

QVID sit causa in actu primo, & per modum principij, ex ipso actu secundo, quod est causare, inuestigandum est. De hoc verò magna varietas inter Authores orta est, eò quòd difficile est assignare aliquid commune omnibus causis in ratione causandi, quod non dicat solum rationem principij vel termini, à quibus etiam res pendent, & non vt à causis, & in Diuinis inuenitur vnum esse ab alio sine aliquo causalitatis genere. Constat autem apud omnes nomine causæ intelligi aliquid, quod sit principium, sed quia non omne principium est causæ, sed latiùs patet principium, quàm causa, & causa quam elementum, vt S. Th. notauit 5. Metaphys. in principio, oportet assignare differentiam, quam addit causa supra rationem principij, quæ sit contractior principio, & latior elemento.

Aliqui ergo diffidentes inuenire aliquam definitionem communem omnibus causis, *dixerunt* nullam dari definitionem causæ in communi, quia est quid analogum ad omnes modos causandi, & ita prius est diuidenda, quàm definienda, sicut fecit Aristot. in 2. Physic. & in 5. Metaph. Sed certè mirabile est, quod possimus definire principium in communi, & illud definit Aristot. in initio 5. Metaph. dicens: *Quòd omnibus principiis commune esse primum, vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur*; & solet etiam definiri principium, *id à quo aliquid sequitur*; & tamen quòd causa in communi non sit definibilis, cum multo magis analogum deberet esse principium, quàm causa, cum sit aliquid communius, omnis enim causa est principium, sed non è contra. Et præterea analoga sunt definibilia, quia de illis potest dari scientia, sicut patet in ente; ergo etiã si causa sit analoga ad omnes quatuor causas, poterit tamen definiri, & dato quòd essentialiter non definiretur, saltem descriptiuè posset definiri penes aliquas conditiones cõmunes omnibus causis, sicut est dependere ex parte effectus, influere ex parte causæ, & similia; ergo non est omnino neganda definitio causæ: vt omittam non esse ita certum causam communi esse analogam ad omnes quatuor causas, vt sequenti articulo dicemus.

Variè ergo diuisi sunt Authores in explicanda ratione causæ in communi, fortassis ex eo quòd inadæquatè considerauerunt conditiones ad causam requisitas. *Aliqui* enim considerauerunt ipsum causare ex parte causæ, *Alij* ex parte causati. Ex parte causæ consideratur influentia, seu deriuatio principians causatum: ex parte verò causati consideratur dependentia, & consecutio in esse, & consequenter distinctio à suo causante. *Aliqui* ergo definiunt causam sic: Causa est *id, quod per se influit esse in aliud.* Ita P. Suarez: quam definitionem *Aliqui* paululum mutant dicendo, quod causa est: *id ad quod sequitur effectus*, vt P. Rubió, quia tamen videtur petere principium, supponit enim in definitione id, de quo quæritur; quærimus enim in quo consistat aliquid esse effectum, & recipere influxum per modum effectus, cùm multa deriuentur ab aliis, & nõ sint effectus, vt duæ personæ in Diuinis? *Alij* definiunt: Quòd causa est *id, à quo aliquid per se pendet*, vt Conimb. hîc & Fonseca. *Alij dicunt*, quod causa est *id à quo aliquid sequitur*, quam definitionẽ multis locis tradit D. Th. vt videri potest 2. Physic. lect. 10. & q. 10. de potentia art. 1. ad 3. opusc. 31. *Alij*, vt Auicenna, dicunt, quod causa est, *quæ tribuit esse rei*, in quo non differt à prima definitione: idem enim est dicere, tribuit esse, & influit esse, & easdem patitur difficultates, vt infra dicemus.

Veritas tamen est, quòd perfecta definitio causæ omnes istas exigit conditiones, & per alteram tantùm non perfectè explicatur; exigit enim rationem principij tanquam aliquid communius, exigit rationem influentiæ, seu deriuationis ex parte causæ, exigit dependentiam, & consecutionem in esse ex parte causati; vnde sequitur, quòd intercedere debet diuersitas inter causam & causatum. Et ita D. Th. in diuersis locis tradit ista conditiones, significans ex omnibus coagmentandam esse definitionem causæ. Nam in 1. Physic. lect. 1. dicit, quòd causæ dicuntur, ex quibus res dependent secundum esse suum vel fieri, vbi per dependentiam in esse, causam definit. Item 1. p. q. 33. art. 1. ad 2. dicit: *Quòd hoc nomen causa videtur importare diuersitatem substantiæ, & dependentiam alicuius ab altero. quam non importat nomen, principium.* At verò in 5. Metaphys. lect. 1. inquit. *Quòd principium ordinem quendam importat; hoc vero nomen causa influxum quendam ad esse causati*; vbi causam per influxum definit. Denique locis supra cit. definit causam per consecutionem causati dicens: quòd causa est *id, ad quod sequitur*, scilicet sequelâ physicâ & quoad esse, Ex hoc autem colligimus, has definitiones non esse sibi contrarias, sed vnam adiuuare aliam, & explicare quod in altera deest. Et sic possimus ex illis omnibus colligere plenam causæ definitionem dicendo: *Causa est principium alicuius per modum influxus, seu deriuationis, ex qua natum est aliquid consequi secundum dependentiam in esse. Principium* ponitur loco generis, & excludit ea à quibus aliquid pendet, non vt à principio sui, sed vt à termino, vel medio, sicut relatio pendet à termino, quantitas ab indiuisibili terminante, vel continuante. *Per modum influxus* ponitur ad assignandam rationem causalitatis, & differentiam à principiis, quæ sine influxu aliquid initiant, vt priuatio, & terminus à quo, quæ important principium motus non secundum influxum, sed tantum ordinem in id, quod ab eis principiatur. Et similiter excluditur conditio sine qua non, vt applicatio, quia non importat influxum, neque rationem principij, sed aliquid concomitans, & requisitum: *Et quæ natum est aliquid sequi*, ponitur ad assignandum alteram conditionem causæ, quia non sufficit quælibet deriuatio influxus vt sit causalitas, sed talis influxus esse debet, vt ab illo dependeat in esse id, quod causatum est, & sic excluditur generatio & spiratio in Diuinis, quæ licèt communicent naturam diuinam & esse, tamen illud esse non est dependens; sed est illudmet, quod est in producente communicatum. Neque oportet, explicare in hac definitione, quomodo sequatur vnum ex alio, an in actu primo, vel secundo: definitio enim data procedit de causa in actu primo dicendo, quod est *principium alicuius*, principium autem est actus primus.

Sed obiicies, nam inprimis istæ definitiones non explicant, quid sit ipsum causare, sine quo non potest intelligi quid sit causa: nam si dicatur, quòd sit influere, æquè obscurum est atque ipsum causare, & in diuinis datur influxus & productio, & non datur causa. *Nec obstat*, quòd ibi datur influxus in alium, id est in personam, non in aliud, id est in esse; nam si sufficit ad rationem principij, quòd non sit in aliud, cur non sufficiet ad rationem causæ, vel saltem cur non sufficiet, vt ipsa persona, in quam fit influxus, & productio, sit causata, licèt non ipsa natura. *Si verò dicatur*, quòd causare est sequi, instatur, quia ex die sequitur nox sequelâ physicâ, & ex vita mors, ex effectu illatiuè sequitur causa, & ex priuatione motus, & in Diuinis ex parte sequitur filius; in quibus tamen non inuenitur ratio causæ. Si verò explicetur causare per hoc, quod est causatum dependere ab alio, restat videre, quid addat dependentia super ipsum procedere, vt non sufficiat processio ad rationem causæ. Et prætereà multa dependent ad aliquo, à quo non causantur, vt relatio à termino, motus à priuatione, linea à puncto, essentia à suis prædicatis, humanitas à persona Verbi, quæ tamen omnia causalitatem non dicunt. Denique istæ definitiones magis videntur attendisse ad explicandam causam efficientem, quæ cæteris videtur manifestior, quia influere solum conuenit causæ efficienti, finalis enim non influit vero influxu, nisi mediante actione agentis; materia etiam non influit, sed recipit, & forma actuat, & similiter exemplar non influit, sed imitationem sui per cogitationem præbet; solus ergo influxus causæ, non explicat nisi causam efficientem.

Resp. instantias allatas non esse efficaces, nam ratio causæ non explicatur per solum influxum quomodocumque, sed per influxum in ipsum esse, ita quod oriatur nouum esse, vel saltem nouus modus essendi, & consequenter cum dependentia, & limitatione, & diuersitate vnius ab alio, sicut dicit D. Thom 5. Metaphys. citato, quòd causa est quæ habet influxum non quomodocumque, sed in esse causati; & 1.part.q.33. citata addit, quòd causa & causatum important diuersitatem in substantia. Influxus ergo cum istis conditionibus explicat rationem causæ, non sine illis, neque ita obscurè se habet sicut ipsum causare. Nec conuenit personæ Diuinæ etiam in quantum persona, quia licèt sit procedens, non tamen cum illis conditionibus explicatis, scilicet cum diuersitate & dependentia in esse.

Ad id quod opponitur ontra explicationem causæ, per hoc quod sequatur aliquid ex illa. *Resp.* quòd intelligitur sequela cum eisdem conditionibus, quibus ipse influxus, scilicet quòd sit sequela physica, quæ dat esse non logica, quæ solum præbet illationem, & sequatur esse nouum & distinctum, quod non contingit in diuinis processionibus; & similiter si ista sequela rei causatæ debet esse per influxum, consequenter excluditur terminus à quo, vt quando ex nocte fit dies, vel ex vita mors, &c. quia ab illis sequitur aliquid, vt à terminis, qui relinquuntur, non vt à principiis, quæ influunt & tribuunt esse.

Ad id quod dicitur, quòd multa dependent ab aliquo, à quo non causantur. *Resp.* Quòd si dependent ab aliquo tanquam à tribuente & influente esse, dependent ab illo, vt à principio causante. Si verò dependent ab aliquo, vt à termino qui purè terminat, siue ex parte termini à quo, siue ex parte termini ad quem, vel si dependent ab aliquo, vt à conditione applicante, sic istæ dependentiæ non constituunt causam, quia non sunt principia influxus. Et eadem ratione subsistentia Diuina non causat humanitatem in Christo, quia non se habet vt influens in illam esse, sed purè, vt terminans in ratione suppositi incommunicabilis, sicut linea terminatur puncto.

Ad vltimum resp. Quòd influxus accipitur in definitione largo modo pro omni eo, quod est tribuere aliquod esse, & facere illud dependens à se. Tribuere autem & influere explicatur per ordinem processus ab aliquo, vt à continente & radice, vnde originatur in suo genere, non applicante, vel terminante tantum. Et hoc modo materia originat esse recipiendo illud, & sustentando, & reddendo incommunicabile; forma etiam dat esse determinatum, & cum tali vel tali specificatione, & actualitate, finis etiam attrahit & mouet ad sui consecutionem in esse, & exemplar tanquam forma extrinseca dat esse, non informando, sed imitando, quæ licèt fiant interuentu actionis efficientis, non tamen sub ratione efficientis; sed sub formalitate finalizandi, & exemplandi, vt suis locis dicetur.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit causa?

SIt vnica conclusio, *Quatuor tantum sunt genera causarum*: Ita Arist. in 2. Physicorum textu 68. & ibi D. Thom. lect. 10. & 5. Metaphysicæ tex. 2. lect. 3. & colligit Philosophus hunc numerum, ex numero quæstionum propter quid, nam propter quid quærit de causa, sed ad quæstionem propter quid non possumus respondere, nisi aliqua dictarum causarum, scilicet vel propter formalem, vt cùm quærimus propter quid homo est albus, & dicimus, quia habet albedinem, vel per causam materialem vt cùm inquirimus, quare homo est corruptibilis, & respondemus, quia componitur ex contrariis, vel per causam finalem, vt cum inquirimus quare aliqui pugnant, & respondemus, vt dominentur, vel tandem per causam efficientem, vt cùm inquirimus cur mare fluit & refluit, & respondemus, quia mouetur à Luna.

Eundem numerum causarum colligit D. Thom. supra, quia causa est id ad quod sequitur esse alterius, vel ergo consideratur esse causatum absolutè & in se, vel vt accipitur, & fit ab alio: Si absolutè, causatur per formam, quę absolutè constituit in esse: Si vt accipitur, & fit ab alio, oportet quòd de ente in potentia fiat ens in actu, sic enim sequitur esse de nouo, quatenus id quod est in potentia, reducitur in actum ab eo quod est in actu, & sic oportet assignare duas causas, scilicet illam, quæ est in potentia vt susceptiua actus, & illam quæ causat reducendo in actum seu agendo, & prima est materia, quæ causat recipiendo, & secunda est efficiens. Rursus verò actio agentis debet tendere in aliquid determinatum ex vi alicuius in quo tendit, seu intendit tanquam conueniens, & hoc dicitur causa finalis, & ita sunt quatuor causæ & non plures, quia istæ sufficiunt ad cuiuscumque rei constitutionem in esse, & ad istas omnes reducibiles sunt, ergo non sunt ponendæ plures.

Sed inquires, an ista diuisio causarum sit analoga vel vniuoca? *Aliqui* vt Pater Suarez disp. 27. Metaphysicæ sect. 1. num. 9. quem sequitur Cabero hîc tract. 2. disp. 2. dubio vlt. tenent esse analogam, quia propriè

propriè conuenit ratio causæ ipsi efficienti, aliis verò causis impropriè, dicitur enim causa, quia influit esse, influxus verò nõ inuenitur propriè in forma vel materia. Et præterea nomẽ causa est cõmune Deo & creaturis, substãtię & accidẽtia, quibus nihil est vniuocum, sed analogum. *Cæterùm hoc solùm probat*, quòd causa entitatiuè considerata non est vniuoca, sed analoga, & hoc non solum currit respectu causarum diuersi generis quod solùm inquirimus in præsenti, sed etiam in vno & eodem genere causæ, v.g. causa efficiens est analoga ad causam efficientem creatam & increatam, & similiter se habet finis. Quare ex hoc non habetur resolutio difficultatis propositæ, an scilicet ista quatuor genera causarum sint vniuoca in ratione causandi, sed quòd sint vniuoca in ratione entis creati vel increati. Illa autem ratio influxus non multum vrget, quia vt supra dictum est, nomen influxus non sumitur strictè pro sola ratione actionis, sed provt dicit quodcumque tribuere, seu dare positiuè, quo sensu etiam ipsum recipere materiæ est quoddam dare, dat enim id in quo sustentatur & continetur forma, & à quo dependet saltem in informando. Quòd si aliqui sumunt influxum in stricta illa acceptione pro sola actione efficientis, non mirum quod sola causa efficiens dicatur causa propriè, & reliquæ impropriè, sic enim non tam est dicere quod causa in communi est analoga ad omnia genera causarum, quam quod denominatio causæ efficientis analogicè conuenit aliis causis.

Quare loquendo de causa secundum proprium cõceptum causæ, non est cur dicamus esse analogam ad ista quatuor genera causarum, quicquid sit, an in ratione entis analoga sit respectu causæ creatæ & increatæ, substantialis & accidentalis. *Ratio est*, quia in generibus istis causarum inuenitur propria ratio causæ non participatiuè, nec dependenter ab alia in participando rationem causæ, licèt in exercendo causalitatem, vna ab altera dependere possit, quia causæ adinuicem sunt causæ. At verò quòd materia verb. gr. habeat vim recipiendi, quod est esse causam materialem, non participat à forma, vel ab efficiente, licèt ab vtroque dependeat exercitium existendi vel recipiendi. Si tamen aliqua causa non solum in exercitio, sed etiam quantum ad ipsam rationem causandi participatiuè & dependenter se habeat ad aliam, sicut causa principalis ad instrumentalem, tunc analogicè de illis dicitur causa, quia instrumentalis reductiuè pertinet ad efficientem seu ministerialiter, quod est secundum quid.

Sed obiicies contra numerum causarum, quia videntur plures causæ quam enumeratæ, nam inprimis obiectum est causa specificatiua potentiarum & actuum, & non efficiens, quia non elicit illos, neque formalis, quia non informat, sed extra illos est, neque materialis, quia non recipit illos, neque finalis, quia hæc non specificat in quantum finis, sed vt obiectum, ergo. *Et idem argumentum potest fieri de idea*, quæ est vera causa ideati, nec tamen pertinet ad aliquam ex assignatis ob eandem rationem. *Item* fundamentum est causa relationis, essentia est causa passionum, nec tamen efficienter, quia nec essentia nuda efficit, nec relationes efficiuntur, aliud autem genus causæ non potest illis competere: ac denique instrumentum non potest reduci ad genus causæ efficientis, & multo minus ab alia, quia efficiens est, vnde incipit motus; ab instrumento autem non incipit, cùm supponat aliud prius, à quo incipit moueri instrumentum, ergo est causa distincta ab omnibus.

Contra vniuocationem causarum arguitur, materia & forma non sunt simpliciter causæ, ergo neque vniuocè. *Antecedens probatur*, nam inprimis non constituunt nec causant aliquid à se omnino distinctum, quia totum non distinguitur à partibus. *Item* materia est imperfectior forma, & composito, ergo non potest esse causa respectu illorum, quia ab imperfectiori nõ causatur perfectius, & similiter forma potius est effectus generationis quam causa generati. *Denique* accidens analogicè est causa respectu substantiæ, tum in genere causæ formalis, quia est actus & forma secundùm quid, tum in genere causæ efficientis, quia operatur in virtute substantiæ & vt instrumentum eius; tùm in genere causæ materialis, quia accidens non est subiectum per se, sed sola substantia.

Ad primum resp. quòd obiectum specificatiuum reducitur ad causam formalem extrinsecam, quia specificat, & determinat ipsum actum tanquam mensura; & ratio specificationis eius, & distinguit vnum actum ab alio; proprium autem est formæ & actus specificare & distinguere. *Ad secundum exemplum de idea dicemus* sequenti quæst. quod pertinet ad causam formalem extrinsecam, quia Phil. in 2. Phys. & 5. Met. definit causam formalem, *quod est species & exemplar*: species propter formam intrinsecam, exemplar propter ideam. *Ad tertium exemplum dicitur*, quòd fundamentum ex quo resultat relatio, & essentia, ex qua dimanant passiones non se habent propriè vt causa efficiens, sed reductiuè; proprium enim effectiuum relationis est efficiens fundamenti, qui enim facit album v.g. facit consequenter relationem similitudinis ad alterum album, & dissimilitudinis ad nigrum, sed quia istæ relationes fiunt mediante fundamento, cum quo connectuntur, & à quo dependent, dicuntur resultare à fundamento in virtute efficientis: & similiter essentia se habet respectu passionum, non enim propriè producuntur ab essentia, sed à generante essentiam, quia qui facit formam, facit consequentia ad formam, & ista connexio seu consequentia inter essentiam & passiones est ratio emanationis, & reducitur ad causam efficientem, quia in virtute generantis essentiam dicuntur resultare ab essentia propter connexionem, vt q. 12. amplius dicetur. *Ad id quod dicitur de instrumento. Resp.* quòd reducitur ad causam efficientem, quia licèt ab illo non incipiat motus principaliter, & simpliciter, incipit tamen ministerialiter, & participatiuè.

Ad secundum contra vniuocationem causarum. Resp. negando antecedens, ad primam probationem dicitur, quòd totum est simpliciter distinctum à qualibet suarum partium, & hoc sufficit, vt quælibet illarum sit vera causa, & non requiritur quòd ab omni suo causato distinguatur omni modo, sed sufficit, quod ab eo, quod causat immediatè distinguatur, non ab omni eo quod inde resultat, & sic forma distinguitur ab eo, quod causat in materia, & materia ab eo quod causat in forma, licèt id quod resultat ex vtriusque vnione non distinguatur realiter ab vtrisque simul, de quo amplius dicemus sequenti articulo solutione ad primum.

Ad secundam probationem dicemus sequenti articulo, quomodò non requiritur, quòd causa sit simpliciter nobilior suo causato in essendo, sed sufficit quòd secundum quid, & hoc modo se habet materia respectu formæ, & totius, vt ibi explicabitur.

Ad id verò quod dicitur de causa dispositiua. *Respondet.* non esse ignobiliorem suo effectu formali, quem præbet immediatè, scilicet reddere materiam dispositam; est tamen imperfectior respectu formæ, ad quam disponit, eò quòd tenet se ex parte

causæ materialis, quam determinat, & hæc potest esse imperfectior forma. *Ad id* quod dicitur, formam esse effectum generationis, *Resp.* esse effectum illius in genere causæ efficientis, sed tamen formã esse causam generationis in genere finis, quia est terminus, quem intendit.

Ad vltimam probationem respond. quòd illa differentia causarum in accidente & substantia, si sit tanta quòd constituat accidens causam secundum quid, tollet vniuocationem, sed hoc non est ex vi istius diuisionis causæ in quatuor genera causarum, sed ex vi alterius diuisionis quæ etiam fieri potest intra idem genus causæ; verbi gratia, efficientis secundum quid, vel simpliciter, vt instrumentum, vel causa principalis Nec tamen semper constituit rationem causæ secundum quid, hoc quod est esse accidens, quia in modo causandi potest esse vniuocatio, licèt res causantes non sint entia vniuocè, sicut calor efficienter producit alterum calorem ita principaliter & simpliciter, sicut homo hominem, & formaliter constituit calidum, ita formaliter, sicut forma ignis ignem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omnis causa debeat esse prior, perfectior, & distincta à suo causato?

HÆ sunt principales conditiones requisitæ communiter ad causandum, & ideò de illis in hoc articulo simul agimus.

Respondeo ergo, & Dico primò. *In omni causa necessario debet interuenire distinctio & prioritas aliqua naturæ, quæ nihil aliud est quam prioritas dependentiæ.* Sumitur ex D. Thom q.28 de verit.art.7. dicente. *Quòd in quolibet genere causæ causa naturaliter est prior causato*, & in quolibet. 5. artic. 19. inquit, *Quòd in ordine naturæ dicitur aliquid esse prius per comparationem ad principia naturæ quæ quidem sunt quatuor causæ, vnde secundum vnumquodque genus causæ prius in ordine naturæ est, quod propinquius est causæ. Ratio est manifesta*, quia de essentiali ratione causæ est, quòd sit principium à quo aliquid sequitur, & dependet in esse tanquam principiatum ab illo, sed vbi est principium, & principiatum, est ordo prioris & posterioris, quia principium exigit ordinem primi, & si est cum habitudine ad principiatum, se habet vt antecedens, & principiatum vt consequens, aliàs esset æquale, & eodem modo se habens cum ipso principio, & sic non esset dependens ab illo, quod est non esse causatum; vt ergo detur causatum, oportet quòd principium sit antecedens, & principiatum consequens, quia sequitur ad illud, sicque habet ordinem prioris & posterioris, atque adeò distinguitur.

Est autem realis prioritas ista prioritas causalitatis, quia est realis dependentia & emanatio effectus à causa: licèt verum sit, quòd relatio prioritatis nõ semper realis sit, quia causa sæpè non existit in se, quando actu fit effectus, sed in sua virtute. Sed hoc etiam in ipsa durationis prioritate inuenitur; prioritas enim vnius partis non existit simul cum altera parte succedente, sed iam transiit, nec habet relationem realem.

Dico secundò, *Prioritate dignitatis, & perfectionis non omnis causa est simpliciter nobilior & perfectior suo effectu, est tamen nobilior saltem secundum quid.* Vocamus nobiliorem simpliciter in præsenti, quæ est nobilior secundum suam naturam, & esse absolutè consideratum; nobiliorem verò secundum quid, id quod est nobilius non absolutè, & in esse, sed in præciso respectu causandi. Et in hoc sensu hæc secunda pars est certa, quia omnis causa debet habere habitudinem causandi, hoc est influendi, seu tribuendi aliquod esse causato, in quo causatum dependeat ab ipsa; semper autem est aliqualis perfectio dare, vel tribuere aliquid, & quòd aliud dependeat à se. *Beatius est enim dare, quàm accipere.*

Prima verò pars, quòd non omnis causa sit nobilior suo effectu absolutè & simpliciter, constat in primis ex Diu. Thom. 1.2.q.66.art.6.ad 3. vbi inquit, *Quòd causa perficiens est potior suo effectu, non autem causa disponens*: & in quæst.7. de veritate art.7.ad 1. dicit: *Quòd quædam causæ sunt nobiliores his, quorum sunt causæ, scilicet efficiens, formalis, & finalis, sed materia est imperfectior eo, cuius est causa.* Et idem docet de dispositione, quæ reducitur ad causam materialam. Intellige tamen quòd si forma sumatur respectu totius quod constituit, licèt componat tanquam forma, tamen ipsa forma & materia comparantur ad totum materialiter, & tanquam quid incompletum, & totum complet, & actuat illas in esse, & sic est perfectius illis, quia omne totum est maius seu perfectius sua parte: & ita dixit Diu. Thom. in 3. distin.2. quæst.1.artc.3. quæstiunc.3. ad vltimum. *Quòd nomine humanitatis intelligitur corpus & anima materialiter, sicut nomine totius intelliguntur suæ partes.*

Et hinc sumitur ratio huius primæ partis, quia non omnis causa se habet vt perficiens & actuans, sed aliquæ se habent vt constituentes totum, vel disponentes ad illud, & tales causæ non possunt esse nobiliores suo effectu, cum sint partes constituentes, & omnis pars est minor suo toto, seu imperfectior, & similiter omnis dispositio ordinatur ad formam ad quam disponit, vt imperfectius ad perfectum, & vt via ad terminum, terminus autem cum in eo quiescatur, est perfectior viâ, in qua est motus ad illum.

Dico tertiò, *Causa efficiens principalis, & per se aut est perfectior aut æquè perfecta cum suo effectu.* Conclusio est receptissima, *& constat*, quia causa principalis aut est vniuoca, aut æquiuoca; si vniuoca est eiusdem rationis, & consequenter æquè perfecta cum suo effectu, vt homo generat hominem. Si æquiuoca, est excellentior effectu, sicut Sol respectu caloris, vel auri. At verò causa instrumentalis, licèt sit alterius rationis ab effectu, tamen quia non est principalis, sed solum ministerialis non est necesse, quòd sit perfectior suo effectu, neque enim effectus assimilatur instrumento, sed agenti principali, de quo D. Thom. in 4. dist.1.q.1.art.4.q.1.ad 3. Nec tamen repugnat aliquando instrumentum esse æque perfectum suo effectu, vel melius, sicut vno martello potest fieri alius, vel aliquid minus illo, puta clauus.

Dico quartò; *Finis cuius gratia si ex natura sua sit finis, semper est nobilior suo finalizato; secus vero si ex natura sua finis non sit, sed ex libito operantis, & similter finis effectus non est semper nobilior suo finalizato.* Conclusio hæc est Diu. Thom. de qua specialiter potest videri in 2. distinct.15. artic.1. ad 6. vbi inquit: *Quòd aliquid potest esse propter aliud dupliciter; vno modo, quia ordinatur ad ipsum sicut ad finem proprium & principalem, & sic inconueniens est dicere, quod aliquid sit propter vilius se, vt Luna, & Stellæ, propter Vespertiliones, & noctuas, cùm finis potior sit his quæ sunt ad finem. Alio modo potest dici aliquid esse propter aliud, cui ex ipso prouenit aliqua vtilitas, sicut posset Rex dici propter rusticum, ex cuius regimine prouenit ei pars.* Vbi signanter Diu. Thomas dicit,

dicit, quia ordinatur ad ipsum vt ad finem proprium & principalem, vt excludat id quod est finis non per se, nec principaliter, sed per accidens ex sola voluntate operantis, vt si quis philosophetur propter diuitias, vel audiat sacrum propter furtum, talis finis non est operis, sed operantis. Loquimur ergo de fine proprio & ex natura sua, de quo verum est quod Aristoteles 2. Phys. tex. 33. refert ex quodam Poëta dicente, quòd finis non solùm debet esse, quod est vltimum, sed id quod est vltimum & optimum; finis ergo in quo vtrumque coniungitur, scilicet, optimum & vltimum, est finis cuius gratiâ, & talis finis debet esse nobilior, vtpotè aliquid optimum, & consequenter vt per se primò appetibile, & cuius gratia cætera appetuntur, appetibile autē respectu appetitus habet rationem perfecti, & appetitus rationē perfectibilis, quia appetitus fundatur in potētialitate, qua tēditur ad perfectibile, vt ad terminū, in quo appetitus terminatur & perficitur. Comparatur ergo talis finis, qui ex natura sua finis est, vt ex natura sua perfectior ad ea quę sunt ad finē. Finis autem qui solùm habet rationē vltimi, sed non optimi, dicitur finis effectus, quia scilicet respectu efficientis comparatur, vt terminus in quo sistit actio, & sic cum effectus non sit nobilior suo efficiente, non requiritur quòd talis finis sit perfectior suo finalizato, scilicet suo efficiente.

Soluuntur argumenta.

Contra primam conclusionem arguitur, quia materia & forma vnitæ causant totum, & tamen non sunt priores toto neque ab illo distinguuntur in re, sicut supra probatum est quæst. 6. ergo non requiritur in omnibus causis prioritas respectu causati. *Et confirmatur.* quia quod est prius potest separari ab eo, quod est posterius, eò quòd est independens ab illo, materia autem & forma, vt vnitæ non possunt separari à toto, nec totum ab illis, ergo non habent rationem prioris respectu totius quod est causatum. *Confirmatur secundò*, quia causa & effectus relatiuè se habent, ergo sunt simul natura, quæ est proprietas relatiuorum, ergo vnum non est prius naturâ altero.

Respondetur, huic argumento supra quæst. 6. art. 2. fuisse satisfactum. Et in summa dicimus, quòd materia & forma vnitæ causant totum per resultantiam causalitatis partium ad inuicem, quia enim forma causat communicationem sui effectus formalis in materia, & materia sustentationem & terminationem communicabilitatis in forma, dicuntur causare totum, non autem intelligitur, quòd postquam materia & forma sunt vnitæ, iterum alia causalitate causent totum, sed ipsæ vnitæ sunt totum.

Ad primam confirmationem resp. quòd illud quòd est prius altero omnibus modis, & simpliciter in esse respectu alterius, separari potest ab illo, sed id quod est prius non simpliciter, neque omnibus modis respectu alterius, non sequitur quòd possit separari ab illo, quia secundum aliam considerationem potest ab illo dependere, sicut causæ ad inuicem sunt causæ, & non potest vna se expedire à dependentia aliarum, præsertim materia & forma, quæ causant constituendo ipsum totum, à quo dependent, & non ita purè & perfectè causant, quòd etiam quando causant, non indigeant simul causari, quia ad hoc causant vt recipiant esse mediante toto, quod constituunt, non verò præcisè dant esse sicut causa efficiens; qui ideò debet simpliciter existere, vt efficienter causet.

Ad secundam confirmationem resp. quòd causa & effectus si sumantur relatiuè formaliter, sunt simul naturâ; si fundamentaliter vel transcendentaliter, sunt prius, ipsa enim relatio in tali prioritate causandi, & antecedentia fundatur, licèt vt relatio realis sit, debeat vtrumque existere. An verò omnis causa trāscendentaliter respiciat effectū etiā Diuina? tractari solet à Theologis 1. part. quæst. 25. Sufficit aduertere, quòd omnis causa creata transcendentalem ordinem dicit ad effectum, quia non purè respicit vt effectum, sed etiam vt obiectum, à quo dependet specificatio suæ operationis, & per quod perficitur in operando in actu. At verò causa increata nullo modo perficitur ex effectu, sed purè perficit illum & sic non habet transcendentaliter habitudinem ad ipsum, vt ad obiectum specificans; sed purè vt ad effectum, & nihilominus tanto est maior connexio inter Deum & creaturam, quantò magis creatura ab eo dependet, & non è contra; ad connexionē enim sufficit dependentia ex parte vnius extremi tantum, non ex vtroq; nam si ex vno tantum est, fortius dependet, & sic magis connectitur cum altero, quia dependet vt à superiori causa; & ibi magis intima & necessaria.

Secundò arguitur contra reliquas conclusiones: causa materialis non semper est imperfectior suo toto; vt patet in composito accidentali; perfectior est enim ipsa substantia substentans, quæ est ens per se, quàm album, vel quòd est ens per accidens, & in substantia virtualiter continetur ipsum accidens. Similiter è contra totum non est perfectius ipsa forma; solum enim excedit formam ratione materiæ; materia autem potiùs est causa imperfectionis, cùm sit principium potentialitatis & limitationis in forma. *Confir.* nam multæ causæ efficientes etiam principales, sunt imperfectiores suo causato; vt cœlum est imperfectius viuente, quod causatur ex putrefactione, & animal generans aliquando est imperfectior generato, sicut ex cæco, aut manco nascitur videns & sanum, & ex intellectu & specie intelligibili nascitur conceptus, qui perfectius repræsentat, & magis in actu quam species impressa.

Resp. totum etiam per accidens esse perfectius ipsa causa materiali, quia includit illam, & aliquid amplius, scilicet ipsum accidens, & sic ex parte rerum inclusarum, perfectius est, licèt ex parte modi componendi sit imperfectius ipsa substantiâ, quæ habet vnitatem per se. Si autem ipsa substantia, ex qua componitur ens per accidens eminentiori modo cōtineat illud accidens, quod ei adiungitur, erit perfectior simpliciter ipso toto, non in quantum causa materialis præcisè, sed quia talis substantia est, & tantæ eminentiæ, sed hoc ad causalitatem materialem non requiritur. *Ad id verò quod dicitur de forma. Resp.* falsum esse quod totum solum excedat formam ratione materiæ; sed etiam excedit ratione modi essendi, quia habet esse completum, & subsistens, *vt quod*, cùm forma non habeat esse, nisi *vt quo*, & vt pars incompleta.

Ad confir. resp. quòd cœlum non est causa principalis viuentium, nisi vt motum ab intelligentia, à qua participat virtutem producendi vitam, vel sine aliis causis in viuentibus imperfectis, vel cum aliis causis in viuentibus perfectis, quæ propter perfectiores potentias, & organa, tam varia & perfectius disposita, requirunt causas magis determinatas & particulares, quam solum generalem virtutem cœli; & ita docet D. Thom. 1. p. quæst. 70. artic. 3. ad 3. *Quòd corpus cœleste, cùm sit mouens motum habet rationem instrumenti, quod agit in virtute principalis agentis;*

agentis, & ideò ex virtute sui motoris, qui est substantia viuens potest causare vitam. Et idem habet in q.3. de poten. art. 11. ad 13.

Ad id quod dicitur de animalibus imperfectis producentibus perfectiora. *Resp.* quòd si loquamur de perfectione indiuiduali, vt quod animal cæcum producat videns & deforme pulchrum hoc non est mirum, quia licèt personaliter sit imperfectum, potest tamen virtutem seminalem perfectam habere, & hanc sequitur perfectio in prole, & sic in quantum generans perfectius est. Si verò loquamur de perfectione specifica, vt quando mulus procreatur ex asino & equa, *in primis dici potest*, quòd mulus licèt sit perfectior asino, nō tamen vtroque parente simul, qui est asinus & equa. *Nec obstat*, quòd secundum Aristotelem tota actiuitas generantis est ex parte masculi; tùm quia hoc est incertum, & forte falsum; tùm quia licèt secundum se ita sit, tamen virtus illa actiua in tali materia qualem ministrat equa, & cum talibus accidentibus efficitur virtuosior & potentior, quàm vt progreditur à solo illo masculo. Fortè etiam mulus non est perfectior asino, quia licèt aliquid participet de specie perfectiori, scilicet æque in quantitate, & viribus, aliisque accidentibus, simpliciter tamen in substantia est monstrum, & speciei imperfectioris, quàm asinus.

Ad vltimum de specie intelligibili resp. quòd conceptus est perfectior specie impressa, quia non procedit à sola ipsa, sed ab ipsa vt subordinata intellectui, qui est vitalis potentia & perfectior conceptu. Et idem dicitur de actu respectu habitus, à quo procedit vt subordinato potentiæ, & auxilio Diuino, quo potentia actui adæquatur; imò in supernaturalibus, licèt tota virtus producendi actum sit ab habitu, tamen ex intellectu & habitu fit vnum coniunctum perfectius ipso actu præsertim addita specie impressa, quæ tenet se ex parte intellectus, & totum hoc simul excedit actum etiam visionis Diuinę, sufficit enim quòd omnes causæ simul sint perfectiores effectu, non altera tantum.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm causæ ad inuicem sint causæ?

PEruulgatum axioma Philosophorum est, causas ad inuicem esse causas, idque expresſè ponit. Arist. in 2. Phys. tex. 30. & 5. Met. tex. 2. Sed vrget vulgaris difficultas, quia sequitur idem esse causam sui, præsertim supponendo quòd quælibet causa causat ratione sui esse realis, quod non habetur secundum præcisionem intellectus, sed secundum id quod est in re. *Et tunc fit argumentum* ex alio axiomate non minus certo, quia causa causæ est causa causati, ergo si materia est causa formæ in re, & rursus forma est causa materiæ, ergo materia est causa sui mediatè. *Nec potest dici*, quòd hoc axioma intelligitur de causis in eodem genere causantibus non in diuerso. *Contra enim est*; *tùm* quia non affertur ratio aliqua huius restrictionis; *tùm* quia oppositum constat exemplis, nam applicans ligna igni, dicitur esse causa combustionis, licèt concurrat in genere applicantis, & lignum in genere causæ materialis, & ignis in genere causæ efficientis. Similiter pater generans filiam est causa nepotis geniti à filia, licèt filia passiuè tantum concurrat in sententia Aristotel. & Diu. Thomæ, pater autem fuit causa actiua filiæ. *Et denique*, Deus dans vocationem dicitur causa boni operis in voluntate, licèt vocatio concurrat obiectiuè, & Deus effectiuè illam faciat.

Denique, sequitur vitiosus circulus in causis: Si enim materia causatur à forma, & rursus forma, à materia, ergo verè dicimus ideò formam esse, quia materia sustentat illam, & rursus ideo sustentare materiam, quia à forma informatur. Hoc autem vitium circuli affert implicationem contradictionis, quia quando dico formam causare materiam, supponitur formam esse, cùm causalitas illa formæ sit realis, & existens, & consequenter eius principium, quod est forma, existere: Si autem illa eadem forma causatur à materia, supponitur, quod non habet esse ipsa forma, siquidem causat ipsam, & materiam habere esse, quia causat realiter, ergo idem supponitur habere esse, & non habere esse respectu eiusdem.

Nihilominus hoc axioma expresſè ponitur ab Aristotele, vt diximus, & exemplis ab ipso confirmatur, sicut constat, quòd labor est causa bonæ valetudinis, quia efficit ipsam, & bona valetudo est causa laboris, tanquam finis eius, & albedo est causa quòd paries sit albus, & paries est causa quòd albedo sustentetur in esse. Pro eius autem explicatione *supponendum est*, causas intra idem genus causandi non posse ad inuicem esse causas, sed solùm procedit difficultas respectu causarum diuersi generis. Expressit hoc Diuus Thomas in quinto Metaphysicorum lectione secunda dicens: *Secundum idem genus causæ aliquid esse causam & causatum esse impossibile.* Cuius tamen rationem reddere aliqui satis difficilè putant, præsertim cùm aliqua exempla oppositum suadeant, sicut in genere causæ efficientis possunt duo efficientia ad inuicem aliquid causare, vt cum agens repatitur à passo, vt duæ manus se calefaciunt ad inuicem, vt stomachus effectiuè calefacit vinum, & rursus vinum effectiuè calefacit stomachum, & similia alia passim reperiuntur. *Nihilominus* quando negamus causas eiusdem generis non posse esse ad inuicem causas, intelligimus in eodem sensu, in quo affirmamus, causas diuersi generis esse ad inuicem causas, scilicet concurrendo simul, & circa idem causatum: sicut materia & forma simul concurrunt, & efficiens & finis, quia etiam quando efficiens producit, vel assequitur finem, ab ipso finalizatur. Circa diuersa autem, vel diuerso tempore non repugnat, quòd etiam in eodem genere causæ vnum producat aliquid, & rursus illud productum seu passum, aliquem effectum distinctum producat in suo agente, vt in exemplis allatis constat.

Ratio ergo, quare causæ eiusdem generis non possunt simul, & circa idem esse ad inuicem causæ, ea est, quia causæ eiusdem generis requirunt easdem conditiones ad causandum, verbi gratia, in efficienti existentiam, in materia potentialitatem carentem forma, in forma actualitatem vt receptibilem. Si ergo ad inuicem sint causæ, vnaquæque haberet suas conditiones vt causaret, & non haberet easdem vt causaretur, & è conuerso, quod repugnat.

Dubium verò est, vtrum inter omnes causas diuersi generis possit dari mutua ista causalitas & quomodo? Nam aliqui Authores existimant, causas non esse ad inuicem causas, vtraque causet realiter & existendo, sed vbi vna intentionaliter, seu mediante cognitione causat, alia verò realiter, sicut finis respectu efficientis, exemplar respectu exemplati, materia & forma respectu compositi, nam compositum est finis materiæ & formæ. Et ita Philos. in exemplis, quæ adduxit pro isto axiomate solum posuit

posuit finem & efficiens. *Cæterùm* inter materiam & formam non agnoscunt mutuam causalitatem, neque inter dispositionem vltimam & formam, eò quòd istæ causæ requirunt existentiam ad causandū, cùm causent realiter; & sic idem sequitur inconueniens, ac si vtraque esset causa efficiens, in qua apud omnes constat, quòd efficiens, & effectus ad inuicem non sunt causæ. Ita plures recentiores, & Cabero hîc tract. 2. disput. 7. dub. 1. At verò P. Suarez disput. 27. Met. sectione 2. numero 4. & 5. sentit, materiam non dependere à forma in suo esse, sed vt informata sit, & quia esse informatam requiritur, vt existat saltem secundum naturam, ideò dependet à forma tanquam à conditione, sine cuius actualitate naturaliter non potest esse, & hoc solummodo causatur à forma.

Nihilominus in sententia Diu. Thom. simpliciter *asserendum est*, quòd etiam inter causas realiter causantes, vt inter materiam & formam verificatur illud axioma, licèt non secundum combinationem omnium causarum verificetur, nam materia & efficiens, forma & finis non sunt ad inuicem causæ. De quo videri potest Diu. Thom. quæst. 28. de verit. artic. 7. & opusc. 31. §. 2 sed luculentiùs in 5. Met. lect. 2. vbi sic inquit: *Sciendum est, quòd cùm sint quatuor causæ, earum duæ sibi inuicem correspondent, quia efficiens est principium motus finis autem terminus, & similiter materia & forma, nam forma, dat esse, materia autem recipit. Est igitur efficiens causa finis; finis autem causa efficientis: efficiens est causa finis quantum ad esse quidem, quia mouendo perducit efficiens ad hoc vt sit finis, finis autem est causa efficientis, non quantum ad esse, sed quantum ad rationem causalitatis; nam efficiens est causa in quantum agit, non autem agit nisi causà finis. Vnde ex fine habet suam causalitatem efficiens. Forma autem & materia sibi inuicem sunt causæ quantum ad esse; forma quidem materiæ, in quantum dat ei esse actu; materia verò formæ in quantum sustentat ipsam.* Ita D. Th. ex cuius verbis colligitur, quòd causæ sunt adinuicem causæ, vel quantū ad esse, vel quantum ad causalitatem, & quòd materia & forma sunt adinuicem causæ quantum ad esse. Et 2. colligitur, quòd non oportet causas esse ad inuicem causas secundum omnem combinationem causarum, sed efficiens & finis sunt adinuicem causæ, finis quidem mouendo in intentione, efficiens autem exequendo in exercitio. Similiter materia & forma inter se sunt causæ, quia componunt totum, materia recipiendo formam, & forma actuando materiam. Secundum alias verò combinationes non oportet, quòd causæ ad inuicem sint causæ.

Hinc ergo sumitur fundamentum huius sententiæ, quia etiam materia & forma sunt causæ, quæ mutuo dependent realiter inter se, ergo mutuo se causant etiam realiter. *Consequentia patet*, quia hæc dependentia est vnius ab alio, vt à principio, à quo habet esse talis causa, ergo est vera causalitas. *Antecedens constat*, quia materia dependet à forma vt sit, & forma à materia vt existat, vel saltem vt informet, neque enim materia & forma separatæ, excepta anima rationali, possunt manere in esse saltem naturaliter, ergo saltem naturaliter dependent in esse. Neque ad realitatem talium causarum requiritur, quòd præcedat existentia in vnaquaque earum, sed sufficit concomitanter habere esse, quia in re nunquam datur instans, in quo sit materia sine forma, quod sufficit vt in re ipsa causalitas sit realis, licèt non pro omni habitudine, & consideratione præcedat esse, vt supra quæst. 3. & 7. sæpius diximus, & iterum quæstione 11. dicemus. Vndè non sequitur illud inconueniens sicut in causa efficienti respectu sui effectus, quia efficiens requirit existentiam in ipso efficienti *vt quod*; vndè si hæc rursum causaretur ab effectu, præsupponeretur ante effectum; & non præsupponeretur. At verò materia, & forma non causant ad inuicem præsupponendo suas existentias, nisi tantum, *vt quo*, & in hoc non causantur ad inuicem, quia nec materia habet à forma rationē potentialitatis receptiuæ, nec forma à materia rationem actualitatis informantis, quæ sunt principia *quo* existendi, & per coniunctionem causant esse totius, in cuius communicatione ipsa materia & forma habent esse, & sic ad inuicem se causant in esse, causando in se communicationem, vnde resultat illud esse. In materia autem susceptiua accidentis, quia supponitur subiectum existens *vt quod*, quia est subsistens & substans ipsi accidenti, tale esse non causatur à forma accidentali, sed causatur aliud esse secundum quid, & accidentale, v.g. esse album vel calidum, & secundum illud dependet subiectū à forma accidētaliter secundū quid. In sententia autē P. Suar. quod forma solum causat conditionem, vt materia existat, & tamen admittendo, quòd materia & forma vt causent, requirunt existentiam, non effugitur difficultas, quia si forma causat conditionem, vt existat materia, ergo ante talem conditionem materia non causat, quia non existit, & sic non poterit causare formam, neque forma materiam, quia idem est inconueniens in præsupponendo conditionem, atque in causando & præsupponendo ipsammet existentiam, siquidem sine illa conditione non existit.

Ad rationes dubitandi à principio positas. *Resp. ad primam negatur sequela. Et ad probationem. Resp.* illud axioma causa causæ est causa causati, intelligi de causato formaliter secundum id quod causatum est, non secundum id quod causatum non est ab alio, sicut intelligitur à Diu. Thom. pluribus locis, præsertim 1. 2. q. 79. art. 1. ad 1. & q. 3. de malo, art. 1. ad 4. Itaque requiritur quòd inter causas sit continuatio, & series eadem causalitatum, ita quòd in eo quod posterior causa causat, dependeat à priori, & & continuetur cum illa; si verò discontinuet ordinem causalitatis cum priori causa, ita quod in quantum causat, non causetur ab altera, vel non subordinetur illi non, verificatur illud axioma sicut patet, quòd Deus est causa hominis, & homo est causa peccati, non tamen Deus est causa peccati, quia homo causatus à Deo subtrahit se ab ordine causalitatis Diuinæ in peccando. Atque ita quādo dicitur causa causæ est causa causati, *Distinguo*; quando est causa causæ præcisè in essendo sine continuatione, aut coordinatione ad causalitatem eius, *Nego*; si habeat coordinationem aliquam, vel impressionem, aut influxum in causalitatem eius, siue in rationem causandi, *transeat*; sed hoc modo non se habent materia & forma, quia forma licèt det esse materiæ, non tamen illi dat ipsam potentialitatem, vel rationem recipiendi, aut modum causandi proprium materiæ, nec è contra.

Sed instabis, ergo non repugnabit in eodem genere causæ effectum esse causam efficientis, si producat in sua causa efficiente aliquid distinctum ab esse ipsius causæ. *Secundò*, ergo pater producens filium non erit causa nepotis, quia non influit in causalitatem filij erga nepotem. *Tertiò*, finis causabit se ipsum, quoad executionem, quia mouet efficiens quoad causalitatem vt assequatur se. *Respondet. ad primum* non esse inconueniens quod infertur, vt suprà diximus, dummodo non in eodem tempore, nec secundum idem efficiens & effectus causent in se mutuo; quid enim repugnat, quòd filius produ-

ctus à patre aliquid producat in patre, puta sanitatem aut calorem aut quid simile? tunc enim primum efficiens respectu sui effectus se habet vt subiectum, sicut etiam in omni reactione agens repatitur à passo. *Ad secundam instantiam dicitur*, quòd pater licèt non moueat filium ad generandum, dat tamen ei virtutem, qua generet, vel dare debet, & sic continuatur causalitati eius. *Ad tertiam instantiam dicitur*, quòd finis in intentione est causa sui in executione, quia supponitur habere diuersum esse, & diuersum statum in intentione & executione, & sic non est inconueniens, quòd secundum vnum esse causet aliud.

Ad id quod in argumento à principio afferebatur de causa applicante, & de parte producente filiam, & per illam nepotem, & de Deo mouente per propositionem obiectiuam. *Respondetur*, omnia hæc causare mouendo ad causalitatem causæ, aut dando virtutem, qua causet in suo genere & ordine, non verò præcisè dando esse, sicut materia & forma; & ideò licèt ibi sit diuersus ordo causæ, tamen causa causæ, quia mouet illam ad causandum, est causa causati.

Ad secundum fundamentum, *Respondetur* ex his quæ diximus in libris Post. qu.25. Quòd non omnis circulus est vitiosus, sed tantum formalis, scilicet, quando sub eadem ratione proceditur ab effectu ad causam, & à causa ad effectus: *Cæterum* si illud quod est effectus, siue causatum, secundum aliã rationem possit influere in suam causam, & non secundum id quod accepit ab illa, sic non committitur circulus formalis, sed materialis, qui vitiosus non est, & illo Philosophus sæpè est vsus, vt ibi ostendimus.

ARTICVLVS V.

Vtrum à duplici causa totali possit dependere idem effectus, vel duæ formæ eandem materiam informare?

SEnsus difficultatis procedit de dependentia eiusdem effectus à pluribus causis totalibus, adæquatis, eiusdem generis, & non subordinatis inter se. Dicuntur *causæ totales*, quando habent totam & sufficientem virtutem, quasi in actu primo. Dicuntur *adæquatè* quando in actu secundo, & non solum in actu primo ad totum effectum producendum se adæquant, nam si plures causæ de se quidem sint sufficientes ad totum effectum producendum, sed de facto vniantur quasi partialiter ad aliquem effectum producendum; erunt quidem causæ totales in actu primo, sed non adæquantes se effectui in actu secundo. Dicuntur causæ *eiusdem generis*, quia de causis diuersi generis nulla est difficultas, constat enim omnes quatuor causas inueniri in aliquo effectu; sed difficultas est de pluribus eiusdem generis, verbi gratia, de duplici causa efficienti, vel formali, respectu eiusdem effectus. Dicuntur causæ *non subordinatæ* ad excludendum causas subordinatas, quas certum est ad eundem effectum posse concurrere, sicut causa prima & secunda, cœlum, & elementum.

Potest autem in duplici sensu hæc difficultas controuerti. Primò, an possit idem effectus numero dependere à duplici causa totali simul & in actu secundo concurrente ad ipsum, qui est præcipuus sensus huius difficultatis. *Secundò*, vtrum possit idem numero effectus dependere à duplici causa totali diuisiuè, quod est idem atque contineri eundem effectum in indiuiduo intra sphæram duplicis causæ totalis; ita quòd sicut producitur de facto ab ista, ita posset altera produci sub eadem indiuiduatione. Et procedit quæstio de potentia absoluta Dei, quia naturaliter communis sensus philosophorum est, non posse eundem effectum à duplici causa totali pendere, licèt aliqui id affirmauerint, sed immeritò, quia ad minus superfluũ est duas causas totales ponere ad eundem effectum, cùm altera sufficiat; natura autem horret superfluitatem; præterquam quòd rationes, quæ afferentur ad probandum, quòd nec diuinitus sit possibile, etiam probant, quòd nec naturaliter.

Duæ ergo sunt principales sententiæ in hac part. Prima negat posse eundem effectum etiam de potentia absoluta dependere à duplici causa totali, pro qua communiter citantur Thomistæ, Capreolus, Ferrar. Caiet. ad 3. p. q.67. ar.6. vbi tamen loqui videtur secundum ordinem naturæ, de potentia verò absoluta non id negat 1. p. q.52. art.3. Videatur etiam Carmel. hîc disp.15. quæst.3. & disp.4.q.6. Sequitur etiam P. Vazquez tom.1. in tertiam partem, disp.29. cap.4. Cabero. hîc tract.2. disp.7. dub.2. quamuis non æquè censeat de causis materialibus & formalibus. Altera sententia opposita affirmat, quam sequitur Pater Suarez disp.26. Metaphys. sect.4. Fonseca 5. Metaphys. cap.2. quæst.15. sect.1. Rubius & alij, idemque tenent de formis substantialibus ad informandam duplicem materiam idem Pater Suarez disp.15. Metaph. sect.10. n.60. & Fonsec.5. Met. cap.4. qu.4. sect.2. & alij.

Vtraque sententia principaliter nititur eidem fundamento opposito modo; prima assignando implicationem; secunda destruendo. Assignatur autem implicatio, tum ex parte causæ, quia stante totalitate causæ in actu secundo ad eundem effectum, si ab alia produceretur, vtraque esset causa totalis in actu, & non esset, contineret, & non contineret effectum, quia producendo totaliter, esset causa totalis, & relinquendo locum causalitati alterius causæ non esset totalis: tùm ex parte operationis, quia esset duplex operatio, & non duplex; duplex quia à duplici principio totali emanaret; non duplex, quia terminaretur ad eundem effectum: tùm denique est implicatio ex parte effectus, quia idem effectus per se dependeret, & non dependeret ab aliqua causa. Per se dependeret, quia vtraque causa est æqualis in virtute producendi, & eandem habitudinem habet ad effectum, vt supponimus; & ita si vna est causa per se, etiam & alia; non dependeret per se, quia non habet per se connexionem cum altera, siquidem etiam illa remota æque bene producetur ab alia, quia totalis est. Specialiter autem vna materia non potest pendere è duplici forma substantiali, quia quælibet forma substantialis essentialiter habet annexam priuationem alterius, quia cum sit substantialis, debet esse prima & sola in materia vt det esse substantiale, quod est esse simpliciter, non supponens aliud prius. Opposita autem sententia nititur in solutione istarum implicationum, quod etiam aliquibus exemplis illustrat, sicut verbi gratia, quòd idem corpus Christi existat vt generatum in cœlo, & transubstantiatum in Sacramento, idem corpus potest esse in diuersis locis, eadem humanitas assumi à duabus personis Diuinis; idem lumen produci à duobus luminosis penetratis in eodem loco & vtroque habente eandem lucem vt octo: & alia similia multiplicantur, de quibus infra.

De

De mente S. Thomæ non facile iudicari potest, cùm raro D.S huiusmodi quæstiones de potentia absoluta Dei disputet, & loca, quæ circa hoc afferuntur, procedunt secundum ordinem naturæ, sicut vbi negat plures Angelos posse esse in eodem loco, quia eiusdem rei non possunt esse plures causæ completæ, vt 1. p. q. 52. art. 3. & q. 3. de poten. art. 7. ad 11. & in 1. dist. 37. qu. 3. art. 3. nam præterquam quod magis loquitur in istis locis de vnitate operationis, quòd non possit esse à pluribus causis totalibus, quàm de vnitate effectus, vt loquimur in præsenti, adhuc tamen in rei veritate non loquimur ibi de impossibilitate in ordine ad diuinam omnipotentiam, sed solum id esse impossibile probat per inductionem in omni genere causarum, quæ inductio non respicit potentiam absolutam, sed id quod ex nostra experientia potest deduci.

Pro resolutione ergo dico primò. *Idem effectus numero diuisiuè continetur sub duplici causa effectiua totali, altera creata, altera increata, sub duplici autem creata effectiua non potest contineri. Prima pars huius conclusionis* à nullo potest negari, cōstat enim per diuinam potentiam posse reproduci idem numero, quod desierat, vt patet in resurrectione hominum, ergo idem effectus numero, qui fit à causa creata, continetur adæquatè & totaliter in increata. *Et ratio huius est*, quia tam diuina virtus, quàm diuina actio sunt infinitæ in Deo, & possunt eandem rem diuersis viis attingere, sicut potest hominem producere creatione, transubstantiatione, formatione sicut formauit Adam, & hoc totum non diuersa actione limitata ad diuersum terminum sed vnica, quæ sua virtute infinita continet omnem effectum causæ creatæ, tam quoad speciem, quam quoad indiuiduationem, quia etiam secundum indiuiduationem dependet à Deo, qui potest sine causa creata producere totum, quod cum illa, nam quidquid producit causa creata totum participat à Deo; ergo idem effectus numero, qui continetur in causa creata, totaliter etiam continetur in Deo, & potest sine causa creata illum producere.

Secunda pars conclusionis est contra Scotum in 2. dist. 20. q. 2. & contra Patrem Suarez, *disp. 26. Met. sect. 5.* & alios. Sed sumitur ex D. Th. quodlib. 5. ar. 8. & quodlib. 3. art. 25. dicente: *Quod cùm in generatione hominis sicut aliorum animalium semen patris sic agens, materia vero à matre ministrata sit sicut patiens, ex quo corpus humanum formatur, impossibile est eiusdem filium nasci, sine sit alius pater siue sit alia mater, sicut etiam non est idem numero sigillum, siue sit alia cera, siue aliud corpus sigilli, ex cuius impressione cera sigillatur.* Vbi pondero D. Thom. non solum affirmare quòd variatur effectus numericè variato principio materiali, vt in sigillo variata cera, & in generatione hominis variato principio, quòd mater ministrat, sed etiam solo agente variato, vt patet in illis verbis: *Siue sit alius pater, siue alia mater, siue alia cera, siue aliud corpus sigilli.* Ex quacumque ergo parte varietur actio, non potest idem effectus numero prodire. *Ratio ac fundamentum huius* est ex limitatione, & pluralitate actionis creatæ, vnaquæque enim actio limitatur ad suum terminum, & ad suum principiū, à quo emanat, ita quòd actio, quæ semel emanat ab vno agente eadem non potest emanare ab alio, & actio quæ semel terminatur ad vnum terminum numero non potest terminari ad aliū numero, eò quòd actio illa egrediens ab agente identificatur cum suo termino, & non potest identificari cum alio adæquato, propter sui limitatiouem, ergo implicat quòd idem numero effectus contineatur sub duplici causa totali.

Consequentia patet, quia vt idem effectus contineretur sub duplici causa deberet cōtingeri actio vnius, & effectus eius sub actione alterius, quia ratio numerica effectus dependet ab indiuiduali actione, à qua procedit. Si autem alia distincta actione limitata procedit, hoc ipso fit diuersus effectus numero, quia vnaquæque actio limitata transit cum suo effectu, & identificatur cum illo, & in hoc stat eius limitatio; ergo hoc ipso quòd vna causa creata diuersa actione producit, quæ ob sui limitationem non continet totum, quod est in alia, non potest eundem numero effectum producere.

Sed instabis dupliciter. Primò in actione diuina, potest enim idem numero effectus diuersa actione attingi, v. g. creatione, transubstantiatione, generatione &c. potest etiam attingi actione agentis creati, & increati, ergo non valet illa consequentia, quòd si actio non est eadem numero, neque effectu. *Secundò instatur*, quia benè potest virtus inferior contineri eminentiori modo in causa vniuersali; ergo etiam actio inferior poterit contineri in actione eminentiori causæ superioris; ergo poterit efficere eundem effectum numero, quem actio causæ inferioris, siquidem ex identitate actionis dependet identitas effectus, & propterea Deus potest efficere eundem effectum numero, quem causa creata, quia continet eminenter eandem actionem numero, quam causa creata.

Ad primam instantiam resp. actionem diuinam esse illimitatam, & infinitam, & vnam numero ex parte ipsius agentis ad omnes effectus. Vnde cùm eius vnitas numerica non dependeat ex vnitate effectus, potest & diuersos effectus producere, & eundem diuersis modis, vt generatione, creatione, reproductione &c. Et similiter poterit se solo producere eundem numero effectum, quem causa creata, quia tota ratio actionis creatæ, tam specifica, quam indiuidualis participatur ab actione Dei, & consequenter potest in eundem effectum, tam specificè, quam indiuidualiter.

Ad secundam vero instant. dicitur, quòd aliæ causæ vniuersales creatæ cùm limitatæ sint, non possunt continere in sua eminentia totam virtutem, & actionem causæ inferioris, tam specificè, quam indiuidualiter, eò quòd non participatur à causa creata quantumcumque superiore tota ratio, tam specifica, quàm indiuidualis causæ inferioris, siue quoad virtutem, siue quoad operationem, ratio enim indiuidualis sumitur à materia cum ordine ad circunstantias, & accidentia, & hanc non causat causa creata, & ideò si causa vniuersalis creata operetur se sola, eius operatio non poterit attingere eundem numero effectum, quem causa inferior, quia est limitata, & identificata cum effectu; vndè vbi est alia operatio indiuidua, cuius indiuiduatio ita est limitata, quòd ab ipsa non deriuatur indiuiduatio inferioris actionis, alium etiam effectum numero distinctum postulat, non minus quàm actio alterius causæ particularis. Hoc tamen non tollit; quòd idem effectus numero possit diuersis instrumentis produci, verbi gratia, si hoc animal occidatur à Petro, vel Ioanne, idem cadauer fiet, quia occidens non est causa principalis cadaueris, cùm tantum faciat motum localem ferri, vel laquei vt occidat, cœlum verò formam cadaueris in hac materia producit.

Dico secundò; *Non potest eadem materia numero informari duplici forma substantiali, nec naturaliter, nec de potētia absoluta.* Quòd naturaliter repugnet, satis indicatur ex ipsa generatione & corruptione; videmus enim generationē vnius esse corruptionem alterius,

nec aliter generari, seu educi vnam formam, nisi aliã corrumpendo, quod euidentissimum iudicium est, habere inter se incompatibilitatem, præterquã quod ex diuersis formis, etiam eiusdem speciei solent sequi accidentia incompatibilia, vt diuersæ figuræ inclinationes oppositæ, & accidentia omnino diuersa, quæ non possunt compati in eadem materia, ergo neque formæ substantiales, quæ talium oppositorum accidentium sunt principia.

Ex his autem assurgimus ad considerandum rationem à priori, & causam huius incompatibilitatis, quia in ipsis formis substantialibus sumitur tùm ex eo quod substantiales sunt, tum ex eo quòd tales, puta diuersę speciei, vel indiuiduationis. Ex eo enim quòd substantiales formæ sunt, habent de suo intrinseco conceptu, quòd præbeant primum esse, non supponendo aliud prius in subiecto, alioquin non esset substantiale, id est esse simpliciter, & sub aliis existens: quæcumque ergo forma vnitur materiæ supponendo aliam, vel simul cum alia, quæ dat esse materiæ, non vnitur substantialiter, id est dãdo primum esse, & simpliciter esse, & sic vt substantialiter vniatur, debet expellere aliam formam: & cum hoc sit de intrinseco & essentiali conceptu formæ substantialis, quatenus substantialis est, necessariò debet expellere aliam formam, & fundare priuationem illius, hoc ipso quod constituat esse substantiale. Ex eo verò quòd tales formæ sunt, v. g. specificè, vel indiuidualiter distinctæ, sunt etiam incompatibiles in eadem materia, quia ordinantur ad constituendum diuersas essentias diuersitate specifica, vel indiuiduali, in quorum essentiali conceptu intrat tam materia, quàm forma. Si ergo ponuntur duæ formæ substantiales in eadem materia vel resultant distinctæ naturæ, seu composita, vel non. Si non resultant, erit tantum vnum compositum, ergo & vna natura, quod tamen est impossibile, cùm habeat plures formas, quæ sunt principia diuersarum naturarum, & distinctæ speciei. Si verò resultent duæ naturæ seu composita sustantialia, obstat vnitas materiæ, quia materia est intrinseca & essentialis pars compositi substantialis, ergo si est eadem materia in vtroque composito, non sunt simpliciter diuersa, quia non ex omni parte, vna enim pars est illis communis.

Dices non repugnat, quòd materia recipiat duas formas, ita impermixtè & distinctè, sicut in diuersis materiis nam essentia formæ in eo sita est, vt constituat totum à cæteris distinctum quod non repugnat, etiamsi materia sit informata alia forma quia expulsio non est idem quòd informatio, sed effectus eius secundarius stante ergo informatione vnius, potest impediri expulsio alterius, sicut videmus fieri in formis contrariis, quæ possunt simul poni à Deo in eodem subiecto, etiam in gradibus intensis & sic non sequitur ex duplici forma esse, & non esse alterius, sed duo esse in eadem materia.

Sed hæc instantia non attingit vim implicationis positæ quæ non consistit in eo, quòd quomodolibet constituatur totum, vel resultent duo esse, sed quia componitur totum substantiale, & resultant duo esse substantialia; de intrinseco autem conceptu esse substãtialis est, quòd sit primum esse, & simpliciter esse, & sic necessario inuoluit negationem, seu expulsionem alterius prioris esse, aliàs non esset primum, nec simpliciter esse. Vnde licèt expulsio sit effectus secundarius respectu informationis positiuæ, est tamẽ necessario requisitus, vt illa informatio constituat primum esse, quod est substantiale, & multo magis vt constituat diuersã naturã ab ea, quã constituit altera forma, quia illæ duæ naturæ, seu duo constituta, quæ ex illis formis resultant, essentialiter in suo cõceptu includunt non solum formam, sed etiam materiam, & sic cum vnitate materię non stat diuersitas substantialis totius, quæ est diuersitas simpliciter, & ex omni parte.

Dico Tertiò, *Etiam implicat vnam formam substantialem actuare plures materias totales & adæquatas. Ratio est*, quia illa forma non potest extendi ad informandum plures materias sine additione alicuius maioris virtutis, seu actualitatis, siquidem extẽditur ad maiorem effectum, & talis actualitas superaddita non potest esse diuersæ speciei, sic enim tolleretur essentia formæ, & non esset eadem, quæ anteà Si verò superadditur illi actualitas intra eandem speciem, quam tamen ex sua natura non habebat, iam supposita illa actualitate comparatur tota materia, ad quam se potest extendere per modum vnius, quia intra sphæram talis formæ sic extensè continetur, sicut videmus modò, quòd vna forma potest informare plus materiæ quàm altera, & tamen totum illud comparatur per modum vnius ad talem formam, & tanquam plures partes materiæ ab vna forma informabiles. Et sic nunquam verificabitur quòd vna forma informet plures materias totales, quælibet enim materia in tantum est vna & totalis (licet crescat in partibus) in quantum informabilis ab vna forma, ita quòd contineatur intra sphæram actualitatis vnius formæ, ergo repugnat informare duas totales, id est extra sphæram suæ virtutis contentas. Nisi fortè dicatur, quòd duæ materiæ totales ponentur, hoc ipso quòd sint inter se separatæ, & diuisæ, & vna forma informet illas, quod diuinitus fieri potest, sicut si vna albedo poneretur in duobus lapidibus, licèt ab vno tantum indiuiduaretur. Cæterùm hoc non constituit diuersas materias totales, nam etiam respectu eiusdem materiæ totalis potest idem contingere, si diuersas partes eius separatas & diuisas eadem forma informaret diuinitus, sicut vnus Angelus duabus rebus inter se separatis inter suam sphæram, potest esse præsens non existendo in medio, & tunc non diceretur esse in pluribus locis adæquatis & totalibus, licèt essent res inter se separatæ. Quare totalitas materiæ non sumitur ex separatione & diuisione eius, sed ex coordinatione & continentia sub sphæra actualitatis eiusdem formæ. An verò possit ita fieri, quòd eadem forma informet plures partes, vel materias diuisas inter se dependet ex his quæ tractanda sũt de principio indiuiduationis in libris de generatione. Eadem autem albedo si in diuersis lapidibus poni potest, erit tanquam in subiectis inadæquatis, non totalibus.

Dico quartò; *Repugnat dari duas causas finales adæquatas, & vltimas respectu eiusdem effectus finalizati.* Dicitur vltimus finis simpliciter, qui subiicit sibi tam operationem, quàm operantem. Si verò operationem quidem sibi subiicit, sed non operantem, quia manet de se & habitualiter ordinatur ad alterum finem, vt in peccante venialiter, non est tunc simpliciter vltimus finis, sed solum est finis operis, operantis verò secundum quid, vt latiùs dici solet 1.2. q.1. & q 88. Loquendo ergo de fine vltimo simpliciter, repugnat duos vltimos fines eandem operationem finalizare, quia ipsa ratio vltimi simpliciter, & adæquatè id impedit, est enim finis vltimus, cui omnia subiiciuntur, ergo non relinquitur aliquid, quod subiiciatur alteri, sed hoc ipso quod proponitur alius finis vltimus, proponitur vt non subordinatus, nec subiectus alteri, ergo vt subtractus ab illo, & sic non omnia subiiciuntur illi, quod est rationem finis vltimi ei denegare.

Quòd si dicas, nam peccans mortaliter constituit se vltimum finem simpliciter, & tamen non subiicit sibi omnes alios fines; neque enim Deum sibi subiicit, sed à se abiicit, ergo stat benè quòd aliquis habeat vltimũ finẽ, & tamen non subiiciantur illi omnes alij fines. *Resp.* hoc esse per accidens, quòd Deus non subiiciatur physicè, quia incapax est talis subiectionis, subiicitur tamẽ moraliter & negatiuè quia hoc quod est abiicere Deum, ne sit finis vltimus operantis, est negatiuè subiicere sibi, id est infra se ponere, & contemnere Deum.

Dico vltimò; *In causis efficientibus totalibus, & adæquatis probabilius est eundem effectum posse dependere à duplici causa totali, si altera sit increata, si verò vtraque sit creata, probabilius est id implicare.* Hæc conclusio conciliat vtramque sententiam supra relatam; & prior pars videtur manifestari exemplis supra allatis, referendo ipsas sententias, & maximè hoc seruit ad declarandum, quomodo in mysterio Eucharistiæ illa conuersio habeat terminum substantialem, scilicet Corpus Christi, secundum substantiam suam, non vt reproductum, vel de nouo productum, denominatio enim producti supponit non esse, de quo fit transitus ad esse, denominatio verò reproducti supponit illud esse prius amissum, & deinde restauratum, sed tamen ipsa substantia, vt pendens de nouo ab alia actione, quæ de se totaliter erat productiua, & de facto conuertit totum panem in corpus Christi, habet pro termino ipsum corpus non absolutè, ex non esse, sed ex pane factum. Et præter solutionem implicationis oppositæ, quæ est præcipua ratio, quam pro ista sententia soluendo argumenta ponemus; à priori potest reddi ratio, quia idem numero effectus continetur in virtute plurium actionum totalium, scilicet Dei se solo operantis, & creaturæ cum Deo; ergo non est ratio cur ab illis simul dependere non possit, præsertim quia actio, qua Deus concurrit cum creatura, & qua se solo concurreret, eadem est ex parte Dei *Consequentia patet*, quia istæ actiones totales non se impediunt ad inuicem propter eminentiam & infinitatem actionis increatæ, quæ totalitatem actionis creatæ continet in se, & consequenter eundem effectum numero, quem causa creata producit. Et similiter non indiget Deus alia actione ex parte sui ad attingendum sub alio modo totali illum effectum, ab illa, qua concurrit cum causa creata, ergo non se impediunt istæ actione ex parte agentis, vt simul attingat eundem effectum numero, neque ex parte effectus se impediunt quia est idem effectus vtriusque actionis, & quòd totaliter fit ab vna, non obstat, quia est totalitas subordinata & participata à Diuina, ergo &c.

Sed dices, Persona Diuina continet omnem totalitatem, quæ in persona creata ad terminandum naturam, & tamen non potest eadem natura simul terminari à persona creata, & increata, ergo similiter non poterit idem effectus totaliter esse à causa creata & increata. *Negatur consequentia*, & est notanda disparitas, quia per se primò ratio actionis effectiuæ non est ad excludendam formaliter aliam causam effectiuam, sed ad dandum totum esse effectui; vnde cum eius propria habitudo & institutio non sit ad excludendum aliam causam, sed ad ponendum effectum, solum reducitur exclusio ad limitationem actionis, quæ non potest continere eundem numero effectum, quem alia actio limitata. *Cæterùm* personalitas per se primò & formaliter instituta est ad reddendum naturam incommunicabilem vlteriori termino, non ad producendum effectiuè; vndè si in subiecto inuenitur talis terminus incommunicabilitatis, non compatitur simul alium terminum & personalitatem, & sicut duæ formæ substantiales repugnant, quia vtraque dat primum esse, ita duæ personalitates, quia vtraque dat vltimum terminum, licèt quia persona Diuina continet eminenter totam perfectionem personæ creatæ possit loco illius subrogari, sed non simul coniungi: duæ tamen personæ Diuinæ, quia talis conditionis sunt, quòd vna earum non excludit aliã à communione eiusdem naturæ, sed à communione eiusdem personæ, vt dicit S.Th.3. p. qu.3. art.6. eò quòd tantum relatiuè opponuntur, & sic solum in relatione ipsa incommunicabiles sunt, non in esse & natura, ideò simul in eadem natura assumpta esse possunt. Ex eo ergo, quòd vna causa eminenter continet aliam, potest facere idem quod altera, & quia continet eadem numero actionem eminentiali modo potest etiam eundem numero effectum attingere; ex eo verò quòd eius formalitas non est ad exclusionẽ, & incommunicabilitatem, sed præcise ad efficiendum, non repugnat quòd simul cum altera causa eundem effectum faciat.

Et hinc manet probata secunda pars conclusionis; quia actiones creatæ sunt limitatæ, & finitæ, & sic vna non potest continere totam rationem & indiuiduationem alterius, & sic semper habet diuersum effectum & diuersam actionem & fieri, quarum vna non est altera eminentior. Et hic etiam currunt omnes implicationes supra allatæ pro ista parte, licèt in quantum militare videntur etiam contra primam partem conclusionis, soluendæ à nobis sunt.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Triplex implicatio supra posita fuit referendo primam sententiam. *Prima* ex parte causæ. *Secunda* ex parte actionis. *Tertia* ex parte effectus. *Ad primam Resp.* non sequi, quòd sint duæ causæ totales, & non totales in casu posito, sed vtraque erit totalis ex parte causæ, & effectus producti, licèt non totalitate modi producendi, quia non omni modo, quo vna producit, producit altera, vt sit autem causa totalis non requiritur quòd omni modo, quo altera, producat, sed totum quod altera, producat, quæ est solutio Caiet. 1. p. q.52. supr. cit. hæc sequitur quòd altera causa nullum actum agit, sed idem nouo modo, vel simul producendo si à principio vtraq; causa applicetur: vel ad conseruandum, si post productionem ei applicetur, & tunc non agit actum, sed conseruat actum vel ad conuertendum aliquid de nouo in illud sicut in transubstantiatione, ibi enim formalis terminus est idem Corpus Christi, non absolutè, sed sub respectu conuersionis explicatum id est Corpus Christi, vt ex pane, vt docet S.Th. 3.p.q.78. ar 5. vbi substantia est terminus, & non solum respectus, sed sub illo respectu.

Ad secundam implicationem constat ex dictis dandam esse duplicem actionem in casu quo duæ causæ totales agant, non quomodocumque, sed vna eminenter continendo aliam sub omni eius modo etiã indiuiduali, & ideò potest extendi totaliter ad idem, ad quod alia: secus vero quando sunt duæ actiones limitatæ & finitæ, vt dictum est, vnde non sequitur confusio actionum, sed continentia vnius in alia totaliter propter eminentiam suam, & sic attingit eundẽ effectum, sed diuerso modo eminẽtiori.

Ad tertiam implicationem, Resp. quòd ille terminus *per se* est æquiuocus, aliquando enim significat *per se*, id est, non per aliud, aliquando *per se*, id est non contingenter, sed per necessariam connexio-

nem. Dicimus ergo, quòd effectus potest procedere à duplici actione totali, primo modo *per se*, quia immediatè continetur in virtute vtriusque, non tamen illo secundo modo *per se*, quia non est per se requisita altera causa, vt detur effectus, sicut vterq; oculus videre potest vnam & eandem rem, & per se videt, quia vterque continet in sua virtute obiectum, non tamen necessario vterq; oculus requiritur ad videndum; quia altero clauso, vel ablato potest idem obiectum integrè videri.

Quòd si instes quia causa continet in sua virtute istum effectum ab alia productum; ergo habet per se connexionem cum illo, quia cum tota collectione sui obiecti habet connexionem, sicut totum obiectum cum ipsa potentia, & sic necessario requiretur talis causa. *Respondetur.* Hoc argumentum etiam procedere contra continentiam eiusdem effectus specie in duplici causa, & non solum eiusdem effectus numero, cùm tamen constet posse à diuersis causis procedere effectus eiusdem speciei, vt calor procedit à cœlo, & ab igne; & tamen currit idem argumentum, quia si per se continet vtraque causa calorem, vtraque causa necessario requiretur ad caloré. *Resp.* ergo, quòd causam per se continere effectum stat dupliciter, vno modo perseitate ipsius causæ, quia hoc per se requiritur ad eius virtutem & perfectionem, alio modo perseitate effectus, propter necessitatem ipsius independendo à tali causa. Primo modo dicitur vtraq; causa totalis per se continere effectum alterius, & sic potest effectus multis modis cótineri in aliqua causa, imò quanto perfectior causa est, tanto pluribus modis continet effectum, nec tamen omnes modi necessarij sunt ad effectum. Secundo verò modo effectus non continetur in duplici causa totali, neque hoc requiritur, vt ab vtraque causa possit dependere.

Ad exempla, quæ pro opposita sententia astruenda adducta sunt, *ad duo prima constat ex dictis*, quia procedunt in duplici causa totali, altera increata, altera creata. *Ad vltimum verò exemplum*, quòd procedit de duabus causis creatis. *Respondetur.* Quòd in illo casu, supposito quòd illa luminosa sint æqualis perfectionis omni modo, ita quòd neutrum possit alterum perficere, vel modificare; dico, quod vel suam virtutem vnient sicut duo portantes lapidem, quorum quilibet erat sufficiens portare; licèt enim agentia naturalia, non possint sic pro libito suam virtutem modificare, & continere; tamen quando duo agentia naturalia concurrunt simul, ne mutuo se impediant in agendo, possunt ratione ipsius concursus mutuo se modificare, & in vnam virtutem conspirare in agendo. *Vel secundò dico*, quòd in illo casu propter tam æquale impedimentum vtriusque causæ æquè perfectè concurrentis, circa idem subiectum mutuo se impedient, ita quòd vtrumque cessabit ab agendo, quia non est capax materia recipiendi effectum vtriusque, quia vt ponit casus vtrumque est luminosum vt octo; duæ autem luces in summo gradu non possunt in eadem parte subiecti recipi, saltem naturaliter.

Ex quo sequitur, quòd si Sol producat lucem in aëre, poterit Deus eandem numero conseruare remoto Sole, quia continet eminenter in sua virtute & actione illum effectum numero totaliter, non tamen poterit eadem numero lux conseruari ab altero Sole, tanquam à causa principali, quia producit diuersa actione limitata, non continente totum effectum numero, & totaliter alterius Solis.

Contra secundam conclusionem instari potest, quia non repugnat duas formas recipi simul in eadem materia, neque ex parte materiæ, neque ex parte formarum, neque ex parte vnionis; ergo ex nulla parte. Non ex parte materiæ, quia ipsa simul habet capacitatem omnium formarum, quæ non destruitur per receptionem vnius; ergo benè poterit à Deo introduci alia forma conseruata priori. Non ex parte formarum, quia non sunt immediatè, & positiuè cótrariæ sicut formæ accidentales. Quòd auté ex vna forma sequatur priuatio alterius, nó obstat, quia est effectus secúdarius, qui potest impediri à Deo remanéte primario, vt patet in quantitate, à qua tollit extensionem ad locum, quæ est effectus secundarius. Nec ex parte vnionis, quia hæc non repugnat, si extrema non pugnant.

Resp. repugnantiam plurium formarum in eadé materia simul sumi ex eo quod dictum est, quia essentialiter formæ substantiales ordinantur ad constituendum esse substantiale, quod in tantum est substantiale, in quantum est primum & substans aliis; repugnat autem in aliqua materia inueniri duo esse æquè prima, & consequenter æquè substantialia. Et quia potentialitas materiæ substantialis est, & ad substantiale esse ordinata, ideò non habet potentialitatem ad recipiendum plures formas substantiales simul, sed successiuè. Effectus autem secundarij non semper possunt impediri à Deo stante primario, præsertim quando sunt negatiui, & intrinsecè modificantes primarium, sicut non potest impedire in homine negationem leonis, in fide vel opinione obscuritatem, & similiter in forma substantiali, quòd non det primum esse & substans aliis, atque adeò; quòd non supponat aliam formam priorem.

QVÆSTIO XI.

De causa materiali, formali, & exemplari.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit causa, & causalitas materialis?

CVIVSLIBET causæ consideratio consistit in quatuor, scilicet, quid sit actus primus, seu constitutiuum talis causæ, & quibus conueniat. Secundò, quid sit actus secundus, seu causalitas. Tertiò, quæ sit conditio requisita ad causandum. Quartò, quid sit eius effectus, & causatum.

Circa primum, supponenda est definitio causæ materialis, tradita à Philosopho in hoc lib. cap. 2. quòd *causa materialis est, ex qua fit aliquid, cum insit.* Quam definitionem explicamus sic, quòd per illam distinguitur causa materialis à priuatione, ex qua etiam fit aliquid, sed non tanquam ex eo, quod inest & permanet, sed quod non manet, neque est; transit enim priuatio, & succedit forma. Cur autem definiat Philosophus materiam per id *ex quo aliquid fit*, non per id *in quo aliquid recipitur? Ratio videtur esse*, vt complecteretur omnia ad quæ se extédit causalitas materiæ, ex materia enim fit cópositum, & fit forma, sed compositum non recipitur; forma verò recipitur. Vnde per ly *fieri* complectabatur formam &

& compositum, per ly *recipi*, solam formam, quæ tamen ex eo quod sit *vt quo*, & non *vt quod*, recipitur. Quòd si aliqua forma non fit ex materia, vt anima rationalis, tamen adhuc pertinet ad istam definitionem, quia licèt non fiat, nec dependeat in esse à materia, dependet quoad statum tamen informandi & communicandi se materiæ.

Hoc supposito dicimus; quòd actus primus causandi materialiter potest inueniri, *Primò*, in materia prima respectu formæ, *Secundò* in materia & forma vnitis respectu totius. *Tertiò*, in ipso toto respectu accidentiũ. *Quartò*, in vno accidẽti respectu alterius, sicut quãtitas respectu coloris, potentia cognoscitiua respectu cognitionis. *Quintò*, in dispositionibus respectu formarũ ad quas disponũt. De materia respectu formæ constat ex supra dictis, *q.3.* Quòd verò partes materialiter se habeant ad totum, quatenus trahuntur ad eius esse ab eoque actuantur, docet pluribus locis Sanctus Thomas vt in 3. part. qu.90. artic.1. par.1. q.7. art.3. ad 3. & quæst.65. art.2. idque etiam explicat ex Philosoph. 2. Physicorum lectione.5. circa tex.31. vbi inquit: *Quòd licèt partes speciei, quæ ponuntur in definitione, comparentur ad suppositum per modum causæ formalis tamen ad ipsam naturam, cuius sunt partes, comparantur vt materia, nam omnes partes comparantur ad totum vt imperfectum ad perfectum, quæ quidẽ est comparatio materiæ ad formam.* Vbi apparet, quòd partes non dicuntur simpliciter causa materialis totius, sed modum materiæ habere quatenus considerantur vt imperfectæ respectu totius, in quo perficitur compositio. De causa verò materiali accidentium non pertinet ad præsens disputare, an immediatè subiectentur in toto vel in materia, de hoc enim in libris de generatione Deo dante agemus. *Sed in præsenti sufficit aduertere*, quòd siue subiectentur in toto, siue in materia subiectum *quod*, & ratio sustentandi accidentia debet esse ipsa substantia, quia sola ipsa debet esse per se, & hoc est sustentatiuum accidentium. *Cæterùm* non omnia accidentia æquè immediatè recipiuntur in substantia, sed aliqua sunt, quæ immediatè recipiuntur, vt quantitas in corpore, potentiæ operatiuæ in anima, alia verò sunt quæ mediantibus istis recipiuntur, sicut actus vitales & habitus operatiui mediantibus potentiis, & figura vel color mediante quantitate. Quod ex eo contingit, quia vnum accidens habet connexionem cum alio, taliter quòd nisi supponat illud non potest conuenire subiecto, sicut actus vitalis, cùm sit actus secundus non potest conuenire subiecto, nisi supponendo potentiam, quæ est actus primus. Quam doctrinam ex D.Thom.1. 2. q.7. artic.1. ad tertium, & qu.2. de virtutib. art.3. ad secundum retulimus in Logica qu.15. art.5.

Statim verò se offerebat difficultas ex illo vulgari axiomate, *Quia actus & potentia sunt in eodem genere*, quod ex Aristotel. communiter admittit D.Th. præsertim 1. part. quæst.54. artic.3. & quæst.77. articul.1. vt inde ostendat potentias operatiuas non esse substantias, quia actus, ad quos ordinantur, accidentia sunt. Videtur autem in præsenti instari illud axioma, cùm dicamus substantiam immediatè esse potentiam receptiuam accidentium. De hoc autem axiomate variæ explicationes à diuersis traduntur, de quo videri potest Pater Suarez disp.13. Metaphys. sect.2. & nos aliquid attingemus sequenti quæstione. *Breuiter dicimus*, illud axioma intelligi de potentia & actu per se, & essentialiter ordinatis, vt quando actus specificat potentiam, & ab illo pendet in proprio esse sicut materia per se ordinatur ad formam, & potentia operatiua ad operationem, seu actum, à quo specificatur. In his enim benè valet, quòd actus & potentia sunt in eodem genere, quia si actus specificat potentiam, & trahit ad suam speciem, consequenter vtrumque debet manere sub eodem genere. At verò substantia non specificatur neque essentialiter pendet ab accidẽte, sed è conuerso. Vndè non oportet, quòd talis potentia & actus sint in eodem genere, quia vnum non est specificatiuum alterius.

Denique loquendo de causa dispositiua, etiam reducitur ad causã materialem respectu formæ, ad quã disponit. Vnde dicit D.Th.2.2. q.27. art.3. *Quòd ad materialem causam reducitur dispositio*, & in 4. dist.17. q.2. art.5. docet: *Quòd dispositio reducitur ad causam materialem si accipiatur dispositio, quæ disponit materiã ad recipiendum, secus autem de dispositione agentis ad agendum, quia illa reducitur ad genus causæ efficientis.* Imò etiam ad rationem causæ formalis reducitur à D.Th. in 4. dist.2. q 2. art.1. quæstiuncul. 1. ad secundùm vbi dicit: *Quod dispositio reducitur ad genus formæ, ad quam disponit.* Et non mirum, quod omnes istas reductiones dispositio habeat, quia est medium deseruiens efficienti vt agat, materiæ vt determinetur & præparetur ad formam, formæ vt termino ad quem tendit & à quo specificatur, & sic secundum varias considerationes ad diuersas causas reducitur sicut medium quod participat de extremis, & ad extrema reducitur. De quo etiam videri potest D.Th. q.28. de verit. art.8.

Vndè constat, inefficaciter aliquos probare, quòd dispositio non pertinet ad causam materialem, quia non recipit formam, sed sola materia patitur illam; quod verò præparet materiam, non pertinet ad causam materialem, quia hoc vel fit expellendo oppositam dispositionem, & hoc facit formaliter, non materialiter, vel iuuando actionem efficientis, & hoc facit efficienter, non materialiter. Nihilominus hæc probatio, solum est contra hoc, quod dispositio sit causa materialis principaliter, & per modum subiecti; sic enim constat, quòd dispositio non recipit formam, non tamen probat, quòd reductiuè non pertineat ad genus causæ materialis, quatenus præparatio materiæ non solum fit tollendo oppositam dispositionem, qui est effectus secundarius & negatiuus, sed etiam indifferentiam & potentialitatem materiæ positiuè determinando ad hanc formam potius, quam ad aliam; materia autem sic determinata materialiter recipit formam, & ita illa determinatio materiæ ad eandem causam materialem reducitur.

Causalitas materiæ.

MVltiplex *& varia circa hoc Authorum sententia*, Cùm enim materia causet dupliciter, scilicet in fieri, quando primò res generatur, & materia per immutationem sui recipit formam, & in facto esse, quando per modum compositionis cum forma constituit totum, quia vtrobique est dependentia à materia, vt à principio causante, diuiduntur valdè Authores in assignando causalitatem materiæ, quæ pro vtroque deseruiat. Vnde *aliqui* vt Conimbr.2. Physic. quæst.6. & 8. assignant duplicem causalitatem materiæ, aliam circa formam, aliam circa compositum, quæ solum ordine sunt vna causalitas, non formaliter: & dicunt hanc causalitatem esse modum superadditum materiæ. Alij vt Pater Suar. disp.13. Metaphys. sect.9. tenent quòd causalitas materiæ respectu formæ, si sumatur in fieri est ipsa generatio seu vnitio, vt pendens à materia, causalitas verò in facto esse dicit, quòd est ipsa

vnio: & istas causalitates dicit esse distinctas ex natura rei, sicut generatio distinguitur à forma, & vnitio ab vnione. *Alij* solam actionem agentis quatenus ex receptione educitur forma, dicunt esse causalitatem materiæ nec aliam requirendam esse. Ita Cabero hîc tract. 2. disp. 3. dub. 2. qui addit, causas istas formæ & materiæ constitui in actu secundo per connotationem effectus existentis. *Alij* explicant causalitatem materiæ per receptionem formæ. Sed quia hoc ipsam inquirimus, scilicet quid sit receptio formæ dicunt aliqui consistere hoc in influxu in formam per modum passionis, qui in re non distinguitur ab actione efficientis, in compositum verò per modum vnionis. Ita Martin. 2. Physic. q. 3. notab. 3. *Alij denique existimant* hanc receptionem seu causalitatem materiæ non esse aliud, quam exhibitionem sui ad formam, & sic non distingui causalitatem materiæ ab ipsa materia. A qua sententia nō discedunt Scotistæ, qui iuxta sententiam Doctoris subtilis dicunt causalitatem materialem fundamentaliter esse aliquid absolutum non distinctum ab ipsa entitate materiæ, quia per suam entitatem causat compositum, formaliter verò in actu secundo dicere respectum ad causatum quia formaliter constituitur causa per respectum, de quo videri potest Fuente 2. Phys. q. 3. diffic. 2. art. 1.

Nihilominùs dicendum est, *Quòd causalitas materiæ est concursus passiuus, à quo forma dependet, siue in essendo, siue in informando, quo nihil est aliud realiter, quam ipsa passio illata ab agente, non prout ab agente, sed prout in materia & ex materia: & ista causalitas seruit tam ad formam, quam ad compositum.* Deducitur ex Philosoph. 3. Phys. tex. 19. & ibi D. Th. lect. 5. vbi dicitur: *Quòd actio est actus actiui, & passio actus passiui*; ergo passio constituit passum in actu secundo. Et in 1. cont. Gent. c. 16. dicit. *Quòd materia non fit causa in actu, nisi secundùm quod alteratur, & mouetur*, actualis ergo causalitas materiæ, est immutatio eius recipiens formā. Et 8. Met. lect. vlt. inquit: *Quòd nulla est causa faciens vnum ea, quæ sunt composita ex materia, & forma nisi quod mouet potentiam in actu.*

Et applicatur hæc sententia, quia materia dicitur causa in actu primo, in quantum est potētia receptiua formæ, vt actuata per formā cōstituat compositū quòd resultat ex tali cōiunctione materiæ, & formę, sed potentia receptiua non potest aliter concurrere quā ipsa potētialitate vt passiuè se habente, quia potentialitas formaliter opponitur actualitati, quæ vel actuādo vel agēdo causat in actu secundo; ergo potētialitas causare debet passiuè se habendo; passio ergo, à qua dependet forma vt sit in materia, est concursus seu causalitas eius in actu secundo sed cōstat, quòd passio est immutatio ipsius subiecti pendens quidem ab agente, vt illata ex actione, sed orta ex materia, & in materia, vt ex patiente & recipiente, ergo ipsa causalitas materiæ. *Deinde probatur eadem pars*, quia passio ista seu mutatio, & passiuus concursus habet materiam pro principio passiuo, & formam pro termino, & est ratio, per quam dependet forma à materia, & non conuenit alteri, quam materiæ causare per illam; ergo habet omnia requisita vt sit causalitas materiæ. *Primum patet*, quia passio non innascitur ex solo agente, sed etiam ex potentia subiecti; agens enim quod nullum habet subiectum, nullam infert passionem, ergo passio habet pro principio ipsum subiectum seu materiam. *Secundum patet*, quia ista passio seu concursus passiuus facit aliquid de nouo esse in materia, ergo terminatur ad aliquid receptum, & positum in materia, quod non est aliud quam forma, ergo terminatur ad formam. *Tertium verò constat*, quia in tantum dependet forma à materia, siue in essendo siue in informando, in quantum forma, quæ est in potentia materiæ, reducitur in actum vt recepta in materia, & non extra ipsam; ergo hæc dependentia formæ à materia fit mediante mutatione materiæ de potentia in actu, sic enim actu pendet forma à materia subiectiuè, in cuius potentia antea erat obiectiuè, ergo mediante mutatione materiæ passiua & reducta de potentia ad actum pendet forma à materia, & consequenter causatur ad illa. *Quartum denique constat*, quia agentis propria datur causalitas, quæ est actio formæ, causalitas, quæ est actuatio: neutri ergo propria est passio, sicut materiæ, licèt vnio communis sit materiæ & formæ secundum denominationem vniti, & coniuncti.

Quòd verò iste concursus passiuus materiæ deseruiat etiam ad causandum in facto esse, tam formam, quàm compositum, *constat*; nam quod attinet ad formam, ipsamet passio seu mutatio, qua primum facta est, & coniuncta materiæ manet in facto esse per continuationem eiusdem formæ in materia, sicut actio manet in facto esse in effectu, quamdiu in eo manet existentia, qua est productus, Vndè in Logica q. 17. art. 3. circa tertiam difficultatem diximus ex D. Th. fundari relationes causæ & effectus in ipsa actione & passione, non prout considerantur in fieri tantùm, sed in facto esse, hoc est prout relinquitur aliqua determinatio ex ipso fieri actionis & passionis in rebus, ergo manet ipsa passio in facto esse virtualiter, & sic continuatur causalitas erga formam. Et hoc ex ipsa natura motus deducitur, quia vt D. Th. aduertit 1. Phys. lect. 2. res quæ mouetur, est in potentia ad duos actus, scil. ad actum imperfectum, qui est motus, & ad actum perfectum, qui est terminus motus. Sic ergo materia eadē causalitate respicit formam per passionem in fieri, & cùm est in termino motus in facto esse, quia licèt cesset motus, manet tamen terminatiuè in suo termino. Eadem autem causalitas, quæ respicit formam in fieri & in facto esse, necessario attingere debet compositum, quia ex ipsa communicatione & coniunctione materiæ & formæ necessario compositum resultat, ergo causalitas quæ attingit formam coniungendo illam passiuè, consequenter debet attingerè compositum, neque est necesse multiplicare causalitates.

Quòd si obiicias, nam materia & forma causant mediante vnione ipsum compositum, ergo etiam mediante eadem, materia causabit formam & è contra; siquidem eadem est causalitas materiæ erga compositum, & erga formam. *Item* materia causat per modum causæ intrinsecæ, est enim pars constitutiua compositi, ergo est assignanda illi causalitas intrinseca, hæc autem non est passio sed vnio; nam passio est mutatio ab agente in materia: vnio verò intrat ipsam vnitatem compositam ex extremis, & eadem ratione non potest causalitas materiæ primo, & per se sumi respectu formæ, sed respectu compositi, quia respectu formæ causalitas eius non potest esse intrinseca. *Item* quia passio in fieri est idem cum motu & actione, & in facto esse est idem cum forma, seu effectu, vel eius vnione, ergo causalitas materiæ in facto esse ab vnione & receptione formæ non distinguitur. *Patet consequentia*, quia id quod remanet ex passione in facto esse, non est aliud quam effectus productus vt subiecto vnitus seu receptus, & hæc receptio non nisi vnione fit, etiam præciso quocumque alio, & ipsa vnio non est effectus per modum termini causatus à materia, sed tanquam modus, & medium

vniendi

vniendi se ipso educitur à materia, ergo habet omnia requisita, vt sit causalitas materiæ in facto esse.

Ad primum resp. vnionem non esse causalitatem materiæ respectu compositi, tùm quia est communis materiæ & formæ,& sic oportet aliquid vlterius assignare,quo distinguatur causalitas materiæ à causalitate formæ; tum,quia vnio non est ipsa causalitas materiæ formaliter, sed consecutiuè si sumatur pro relatione vnitorum,vel si sumatur pro ipsa actione, passione ad vnionem requisita,sic passio vt importat passiuum concursum,est causalitas materiæ,vt autem tendit ad coadunandum extrema in aliquam vnitatem, sic fundat vnionem, quæ est relatio, non causalitas.

Ad secundum respondetur, materiam esse causam intrinsecam, id est inclusam in composito non tamen respectu formæ; quam recipit: ad hoc autem non exigitur distincta causalitas respectu formæ, & respectu compositi, quia respectu compositi solum est resultantia quædam, non ex sola causalitate materiæ, sed ex concursu vtriusque causalitatis, scilicet materiæ & formæ resultans: qua ratione materia & forma simul propriè non causant totum, tanquam à se distinctum, sed ex earum causalitatibus consequitur, vt vtrumque includatur in toto.

Ad tertium negatur conseq. & dicitur, quòd sola vnio formæ in facto esse non potest esse causalitas materiæ, quia vt dictum est vnio secundum se est relatio communis, & eiusdem rationis seu æquiparantiæ in materia & forma, & sic oportet aliquid addere præter vnionem,vt distinguatur à causalitate formæ, scilicet passiuum concursum, qui in facto esse dicit continuationem seu determinationem ex priori passione in fieri relictam, seu continuatam. Vndè sola & præcisa vnio, etiamsi esset medium inter materiam & formam, & non causaretur ab illa vt effectus,sed vt tale medium adhuc non habet omnia requisita, vt sit causalitas materiæ in eo in quo distinguitur à causalitate formæ.

Sed inquires, an receptio materiæ distinguatur ab vnione, & possit vna separari ab alia saltem diuinitus? *Aliqui affirmant*, & ducuntur quia dicit Philosophus 3. Physic. cap. 3. formam in materia recipi, esse quod accidentale, vndè & receptio seu causalitas materię est passio quæ est prædicamentum accidentale, vnio autem materiæ & formæ aliquid substantiale est, præsertim si partes se ipsis vniuntur. Deinde quia videmus hæc duo separari, quia anima vnitur materiæ,nec tamen recipitur in illa,cùm non dependeat ab illa,ergo non repugnabit per Diuinam potentiam vnum sine alio stare etiam ab aliis formis. Et sic concedunt, quòd formaliter ex receptione formæ in materia non resultat totum quousque adueniat vnio.

Cæterùm si hæc sententia solum vult, quòd passio & vnio sint distinctæ formalitates,quia sunt distincta prædicamenta, est enim vnio relatio resultans ex passione,sic illam admittimus. Si autem vult posse istam resultantiam vnionis impediri ita quod posita passione,non sequatur vnio formæ, est implicatoria, quia implicat ponere passionem & actionem sine termino,& terminum sine vnione formæ,neque enim terminus actionis & passionis est forma secundum se tantum, aut vt dependens tantum à materia, & non vt vnita seu faciens vnum cum subiecto, sicut calefactio non solum habet pro termino calorem, sed etiam calidum, & generatio equi non solum habet pro termino formam equi vt receptam, sed etiam ipsum equum, qui est vnum resultans ex vnione formæ & materiæ equi, ergo illa actio non potest sistere in receptione formæ, & non transire ad ipsam vnionem,& resultantiam totius, ita quod vnio separetur à receptione formæ,alioquin daretur generatio equi sine equo, & calefactio sine calido, si autem non potest actio separari ab ipso toto, quod producitur, & consequenter ab vnione partium,ergo neque passio seu receptio, quæ est idem cum actione,poterit ab vnione formę separari.

Ad oppositum fundamentum respond. quòd formam recipi accidentarium est materiæ prædicabiliter,sed non prædicamentaliter; accidit enim materiæ talis forma substantialis, quia sine ipsa in particulari conseruari potest sub alia, quod tamen non tollet ipsam formam & vnionem substantialem esse,sicut hominem habere duas manus,vel duos oculos accidentale est homini, non tamen manus accidens sunt,neque enim omne quod accidit, accidens est prędicamẽtale, sed sufficit quòd essentiale nõ sit.

Ad secundum resp. quod quando forma non educitur è materia, vnitur illi sine receptione, quia creatur illa forma independenter à materia, & vt independens vnitur & sic probat argumentũ, quòd non omnis vnio est receptio, non tamen quòd receptio potest inueniri sine vnione,præterquam quòd licèt anima rationalis sumatur sine dependẽtia sui à materia, non tamen sine dependentia materiæ à se, quæ per aliquam immutationem, seu passionem sui vnitur formæ, & causat in forma non esse,sed informantem esse, & sic semper vnio est cum aliqua dependentia,etiam formæ.

Conditiones materiæ ad causandum.

AD *tres possunt reduci*, secundum triplicem respectum materiæ; primò enim consideratur conditio requisita ex parte sui, secundò per respectum ad alias causas,cum quibus duo causat,vel quibus subordinatur;tertiò respectu effectus seu causati, cui coniungitur.

Quantum ad primum Conditio requisita ex parte sui est existentia, de qua dicimus, in materia prima respectu formæ substantialis requiri existentiam ad causandum passiuè, sed non prærequiri, in causa verò materiali accidentium, quæ est subiectum sustentans, etiam existentia prærequiritur. Sumitur hæc doctrina ex Diu.Thom.8. Metaphysicorum lectione 4. vbi inquit: *Quod accidentia non habent materiam, ex qua sint, sed substantia est eius subiectum: subiectum autem habet aliquid simile materiæ, in quantum est receptibile accidentis? differt autem à materia, in quantum materia, non habet actu esse nisi per formam, subiectum autem non constituitur in esse per accidens.* Et opusc. 31. in princip. dicit: *Quòd materia est illa,quæ recipit esse per formam, subiectum autem non recipit esse à forma accidentali,sed sustentat eam in esse.* Vndè constat, quòd quia materia prima recipit formam dantem esse, non oportet, quòd habeat existentiam antecedenter ad causationem, sed sufficit quòd habeat illam concomitanter, & in termino suæ causationis, quia recipit illam per formam; at verò subiectum sustentans, quia non recipit esse simpliciter ab accidentibus, sed supponit, consequenter præhabet esse ante talem causationem materialẽ.

Et si obiicies, quia omnis causa realis debet existere ad causandum, causalitas autem in actu supponit causam in actu, alioquin esset causa tantum in potentia,imò & pro illo priori quo causat, necessariò supponitur causa esse realis & in actu, alioquin causalitas realiter non exiret ab illa, ergo non solum concomitanter, sed etiam pro illa prioritate

antecedenti prærequiritur existentia. *Respond.* quòd causa realiter causans in re, & quantum ad instans in quo, necessariò debet existere, sed ad hoc sufficit existentia concomitans; seu illa quam habet materia in ipso toto, siue quod corrumpitur; siue quod generatur: in illa autem prioritate naturæ, seu causalitatis materiæ non requiritur existentia, sed sufficit ad realitatem causæ realitas potentiæ suscipientis esse, non habentis esse, nam hoc quod est recipere & habere capacitatem ad esse, aliquid reale est, sed est realitas entis in potentia, quale est materia, non entis in actu; ens autem potentiale hoc ipso, quòd habet capacitatem ad esse, licèt nondum intelligatur habere esse, aliquid reale est, quia si esset nihil, non esset capax habendi esse. *Et ratio huius est*; tùm, quia illa prioritas causandi non explicat, quòd res sit, vel quomodo sit, sed qua ratione, & sub qua formalitate causet, causare autem materiæ non est causare actualitatis, sed potentialitatis, quia recipere in quantum tale ad actualitatem non pertinet, & sic pro illa prioritate non explicatur actualitas, quam in re habet materia, sed potentialitas: tùm etiam, quia forma, licèt pro illo priori intelligatur dependere à materia, non tamen totam realitatem explicat pro tunc causalitas materiæ, sed solum realitatem, quæ potentialitatis est, quod verò habet de actualitate, participat ab ipsa forma, ad quam tendit talis concursus materiæ, vt ab illa habeat esse. Quare realis causalitas sufficit, quòd in re sit realiter à materia, non tamen oportet, quòd in omni signo & consideratione omnis realitas eius explicetur, sicut homo sub conceptu hominis præcisè non explicat realitatem entis, licèt in se ens reale sit.

Secunda conditio requisita in materia ad causandum materialiter, est ordo seu determinatio, quam habet ab aliis causis, ex quarum concursu dependet in causando, sicut patet, quòd à causa efficiente mediantibus dispositionibus determinatur, & applicatur materia ad hanc formam, vel ad illam, & similiter determinatur à concursu Diuino, non materiali, sed effectiuo vt *lib.* 8. dicemus; & sic istæ determinationes, seu dispositiones sunt conditiones necessario requisitæ ad causandum materialiter. An verò materia prima, quia in genere causæ materialis est prima, aliquid causalitatis habeat in reliquas causas materiales. *Resp.* Habere causalitatem in omnes, ad quas eius receptio extenditur, quia enim omnes materiæ secundæ sunt substantiæ compositæ ex materia & forma; consequenter resoluuntur in materiam primam, & dependent ab illa, vt à primo recipiente, non vt à primo determinante; primum enim determinans est primum agens, non potentia materiæ.

Tertia conditio sumitur in materia per ordinem ad effectum, & præter proportionem, quæ requiritur inter materiam & formam, quæ prouenit ex dispositionibus, requiritur etiam vt conditio indistantia, seu approximato inter materiam & formam, vt vniantur & resultet compositum, quæ indistantia non est idem, quod vnio, nam separata anima à corpore potest illi fieri præsens, sicut alteri corpori, sine hoc quod informet illud.

Effectus materiæ.

TRes possunt numerari effectus, circa quos versatur materia, & quinque rationes, quæ sunt causatæ in illis. Versatur enim materia circa formam recipiendo, compositum constituendo, generationem patiendo ab agente. Rationes autem causatæ sunt. Primò esse formæ si sit dependens à materia, vel modus essendi informatiuè, si non sit dependens. Secundo causat limitationem, forma enim limitatur per ordinem ad materiam. Tertiò causat incommunicabilitatem, quia est vltimum subiectum, vltra quod non transit forma. Quartò, causat indiuiduationem. Quintò causat vnitatem, & constitutionem compositi, simul concurrendo cum forma.

Quòd materia versetur circa illa tria, constat, quia omnia illa dependent à materia vt à principio, compositum quidem, quia resoluitur in materiam, & sic dependet ab illa; forma autem quia sine materia esse non potest, si sit forma educta, vel saltem sine illa informatiuè esse non potest, quod pertinet ad modum essendi formæ. Denique generatio dependet à materia, quia est transmutatio, quæ sine materia stare non potest, quæ est subiectum mutationis. Sunt tamen qui putant solum compositum esse effectum causæ materialis, eò quòd materia causat, vt causa intrinseca; solum autem est intrinseca respectu compositi. *Sed Respondetur*, quòd materia causat formam, non componendo, sed recipiendo, & respectu eius non est causa intrinseca, & tamen forma dependet ab illa; est tamen intrinseca respectu compositi, quatenus resultat ex coniunctione materiæ & formæ.

Quòd verò omnes illas rationes causet materia, constat, nam quòd limitet formam, tradit Diuus Thomas prima parte quæstione 7. articulo primo, eò quod forma de se est communicabilis huic, vel illi materiæ, & non limitatur ad vnam, nisi quatenus recipitur, seu ordinatur ad determinatam materiam; sic enim ex hac receptione vel ordine, non potest vltra communicari alteri materiæ totali, nec transire de materia in materiam, quia indiuiduatur ab vna, & vt indiuiduata limitatur ad illam; materia autem transit ad plures formas saltem diuisiuè licèt sit ratio, vt nec forma, nec natura transeat ad plura, sed in se sistat; similiter quòd sit principium incommunicabilitatis, & indiuiduationis, docet tertia parte quæst. septuagesima septima, art. 2. & opusc. 29. & pluribus aliis locis, ex quibus ostendemus in libris de generatione, materiam esse principium indiuiduationis, quia est vltimum subiectum, vltra quod non fit communicatio, & multiplicatio, formæ, nec naturæ.

Solùm potest esse difficultas circa compositum & formam, quia non apparet, quomodo forma causetur in suo esse à materia, nisi in quantum redditur sustentata, & recepta, quod non est aliud, quam formæ communicari materiam, & sic non tam ipsa forma causatur, quàm ipsa communicatio materiæ. Ex parte autem compositi *constat*, quòd non causatur à materia, nisi simul concurrente formâ, sic autem compositum non est quid distinctum ab ipsa materia & forma, & sic propriè non est quid causatum; si autem sumatur materia respectu formæ, sic non causat compositum, sed alteram partem eius, scilicet formam.

Respondetur. Quòd materia causat formam eo modo, quo dependet ab illa, scil. vel quantum ad esse, si forma sit educta, & in sui productione & conseruatione dependens à transmutatione & receptione materiæ, vel quantum ad officium informandi, quia forma non potest esse modo informatiuo, nisi dependenter à concursu passiuo materiæ recipientis formam; vnde S. Thomas opusc. 31. §. Viso quòd sunt, dicit, *Quòd materia dicitur causa formæ, in quantum forma non est, nisi in materia.* Et quando instatur, quòd iste effectus non est aliud quàm communicatio materiæ. *Respondetur.* Quòd ex parte rei communicatæ

municatæ non distinguitur effectus causæ formalis, vel materialis, à sua causa, ex parte tamen ipsius cōmunicationis dicit vnionem, quæ saltem præsuppositiuè importat aliquam immutationem nouam, aut illam relinquit. Et præterea ex tali communicatione resultant alij effectus, non in ipsa re communicata, sed in eo cui communicatur, verb. gr. quòd forma sit limitata indiuiduata, educta, existens, &c. qui effectus sunt in ipsa forma. Quòd verò dicitur de composito. *Respondetur*, causari ab vtraque parte, scil. materia & forma vnitis, nō tamen propriè, sed dicitur resultare, & consequi ex vi prioris causalitatis, qua materia communicatur formæ, & forma materiæ, de quo plura diximus sup. q. 6. art. 3.

ARTICVLVS II.

Quid sit causalitas formæ, & eius effectus?

SIcut articulo præcedenti ad quatuor capita reduximus ea, quæ pertinent ad causam materialem, scilicet, ad actum primum, seu rationem causandi, ad actum secundum, seu causalitatem eius, ad conditiones requisitas ad causandum, & ad effectus ab illa causatos; ita similiter in præsenti eadem de causa formali explicanda sunt.

Igitur quantum ad primum, forma ex opposito se habet ad materiam, quòd sicut materia est potentia receptiua formæ, quæ potentia non est superaddita entitati materiæ; ita forma est actus, qui dat esse rei, siue substantialis, siue accidentalis, quæ actualitas non est aliquid superadditum entitati formæ, sicut nec potentialitas materiæ. Quare ratio seu principium causandi est ipsa actualitas formæ per seipsam; ita quòd secundùm se est actus primus, seu principiū actuans, & dans esse iuxta quod dicit D. Thom. 1. p. quæst. 76. art. 6. & 7. *Quòd forma per seipsam facit rem esse in actu, cum per essentiam suam sit actus, nec dat esse per aliquod medium*; & in 5. Metaph. lect. 2 inquit: *Quòd hæc est ratio, quare forma est causa, quia perfectiua rationem quidditatis rei.* Igitur ratio causandi in forma est ipsa actualitas, quatenus perfectiua est quidditatis.

Causalitas formæ.

NOn minus difficultatis habet explicatio causalitatis formæ, quàm materiæ, nec minus in ea est concertatio opinionum. *Certum est autem*, quòd sicut materia causat per passiuum concursum, seu receptionem formæ, quæ etiam ordinatur ad constituendum compositum, ita forma causat per actuationem & informationem materiæ, quæ ordinatur ad constituendum compositum. *Plerique ergo existimant*, causalitatem formæ non addere aliquid supra entitatem formę, quia seipsam exhibet ad componēdum totum, & solum addit relationem ad effectum; quem effectum ponunt esse ipsum compositū, vnionem verò solum se habere vt conditionem, qua approximant inter se materia & forma. Ita ex Schola Scoti docet Fuente 1. Physicorum quæst. 5. difficul. 1. artic. 3. & 2. Physic. quæst. 3. difficul. 2. art. 1. *Alij negant* causalitatem mediam inter causam formalem & materialem præter connotationem effectus formalis, vt Cabero hîc tract. 2. disp. 3. dub. 2. Plerique qui ponunt vnionem esse aliquid medium inter materiam & formam, in ipsa constituunt causalitatem formæ, licet difficulter explicetur, quomodo distinguatur à causalitate materiæ in ea sententia, quæ ponit vnā tātum vnionem inter materiā & formā; nā si dicatur esse causalitatem formæ, vt actuatio, & materiæ vt receptio, hoc est quod inquirimus, quid addat receptio & actuatio supra vnionem. Tenet tamen eam sententiam Pater Suarez disp. 15. Metaphys. sect. 6. Araujo 8. Metaphys. qu. 5. art. 2. Carmel. hîc disp. 9. quæst. 3. Caietanus autem 1. part. quæst. 76. art. 1. §. In responsione ad sextum, dicit causalitatem formæ, esse actum secundum, quo redditur actus subiecti, & hoc nō est ipsa forma, neq; ipsum subiectum, nec aliquod ens mediū, sed subiectum & formam in tali esse indiuisa. Quod est explicare causalitatem formæ per ipsam vnionem, quæ non est medium inter formam & materiam, sed ipsa forma, vt in aliquo vno concurrens cum materia.

Complicatius videtur explicasse istam causalitatem Martinez 2. Physicorum quæst. 3. per tres conclusiones, quarum prima est, quòd causæ formalis, & materialis est idem influxus, scilicet vnio, quod intelligis de influxu in totum; in secunda verò air, quòd influxus materiæ est diuersus ab actu formæ, quia materia patiendo, & sustinendo influit, actus autem formæ est vnio. Et tandem docet, quòd influxus materiæ est idem cum influxu efficientis. Vnde tenetur fateri, quòd influxus formæ, si est idem cum influxu materiæ, sit etiam idem cum influxu efficientis, & influxus efficientis sit idem cum vnione: cùm tamen in hoc sit diuersa ratio inter formam, & materiam, quia materia supponitur efficienti, & ab illo patitur, vnde cum passiuo identificetur cum actione, non mirum, quòd causalitas materiæ, vt passiuo seu passiuus concursus, identificetur, cum causalitate agentis. At verò forma non patitur ab agente, sed producitur, & est terminus eius quo posito, cessat actio; ergo informatio seu causalitas formæ, non potest esse idem quòd actio, neque vt producens est, sic enim cessat actio positâ formâ, neque vt passio est, quia forma non patitur ab agente, sed subiectum.

Nihilominùs dicendum est. *Quòd in forma intrinsecè denominante, causalitas formalis, seu actus secundus non distinguitur ab actu primo, superaddendo aliquid intrinsecum, sed solum penes extrinsecas conditiones, quas connotat & requirit.* Cuius fundamentum *est*, quia effectus formalis non distinguitur intrinsecè ab ipsamet forma vt communicata, non ergo requirit aliquā causalitatem mediā tanquā rationem formalem actuandi, & communicandi se, si enim effectus non distinguitur ab ipsa causa, neque indiget medio causante ipsum. Nec per aliquam causalitatem secundam est magis in actu forma, quàm per seipsam, sed per seipsam immediatè actuat & communicatur, requirit tamen aliquid extrinsecum tanquā applicationem, quòd immutat ipsam formā, vt communicetur materiæ, sicut vnio formaliter fit per ipsā entitatem extremorum immediatè, licet requirat immutationem actiuā, vel passiuā, vt ipsa extrema coniungātur. Et defectu huius conditionis, seu applicationis non semper vnio est in actu, nec sēper informatio seu causalitas formalis est in actu, quia scilic. remota applicatione, seu conditione requisita, ipsa actualitas formæ non manet passiuè cōmunicata, licet habeat in se totam formalitatē causalitatis & actus secundi. Et hoc magis explicatur ex differentia inter materiam & formam, quia cùm materia causet mediante potentia receptiua: potentia autem ista est indifferens, & per aliquam mutationem sui debet determinari ad talem vel talem formam, vel saltem reduci in actum, vt actu sit recipiēs, inde est quòd actualis causalitas materiæ non fiat per ipsam

ipsam solam potentialitatem, sed per aliquid superadditum, quo actualiter materia immutetur ad recipiendum. In forma autem totum est oppositò modo; causat enim per actualitatem, quæ secundùm se est determinata ad actuandum, & seipsa immediatè actuat, quando recipitur & coniungitur materiæ, neque indiget nouâ actualitate superadditâ vt materiam reddat actuatam, & compositum constituat, & sic non oportet, quòd in actu secundo constituatur per aliquid superadditum entitatiuè ipsi formæ, tanquam per rationem formalem causalitatis. Itaque ipsa causalitas formalis est actualis communicatio formæ, quæ non est aliud quam vnio, iuxta quod dicit S. Thomas quæst. 3. de verit. art. 3. *Quòd formatio in formis intrinsecis fit per modum inhærentiæ.* id est, vnionis. Sed tamen in hac vnione formalis ratio vniendi, non est aliquod medium, vel aliquid superadditum formæ, sed seipsa est actus secundus vniendi, licet non semper sequatur effectus formalis, quia desunt conditiones extrinsecæ, vel agentis applicantis, vel materiæ applicatæ, quæ sunt conditiones extrinsecæ, quia non magis reducunt in actum potentialitatem aliquam formæ, vt dicatur in actu secundo informans, sed solum applicant actualitatẽ, quam habet forma; & sic communicatio formalis quasi actiuè semper in actu secundo est ex parte formæ, sicut & ipsa forma, non tamen semper habet adiunctam passiuam communicationem, quia deest materia, vel applicatio ad eam.

Dices, forma per vnionem pendet à materia, ergo per ipsam magis est formaliter causata, quam causans, siquidem in quantum causans non dependet, & in quantum vnita dependet, implicat autẽ quòd idem formaliter sit ratio, qua fit causans & causatum. *Item*, compositum est effectus formæ, & similiter ipsa materia habet esse à forma; ergo respectu illorum indiget aliqua causalitate media superadditâ quia effectus distincti sunt. *Tertiò*, ipsa forma secundum se solum est actualitas communicabilis, non autem ipsa actualis communicatio, vt patet in accidẽte separato, quod solum aptitudine est inhęrens, non actu, & anima separata aptitudine est informans, non actu; ergo per actualem informationem & communicationem ipsa forma reducitur de actu primo ad secundum, & de potentia ad actum *Denique* ipsa vnio educitur de potentia materiæ, neque enim fit per se, ergo non est causalitas formæ sed effectus eius.

Ad primum respondetur, formam dependere à materia per vnionem, quatenùs tenet se ex parte formæ, & est vnio perfectiua, *Nego*; quatenus tenet se ex parte materiæ, & est vnio receptiua, *Concedo*; sed hæc vnio pertinet ad materiam, & per illam dependet forma. Et quidem P. Suarez disp. illa 15. sect. 6. n. 10. non reputat inconueniens, quòd eadem vnio sit causalitas materiæ vt receptiua, & vt est à materia, sit verò causalitas formæ, vt est à forma, & sic sub diuersis rationibus est causalitas & causata. Sed tamen nos non ponimus vnionem mediam per modum vinculi, quæ sit à forma & à materia, sed ponimus diuersas communicationes in forma & in materia, sicut diuersas entitates, & per communicationem formæ, vt est ab ipsa forma, non causatur ipsa, sed causat aliquod esse in materia, communicatio autem materiæ fit per ipsam potentiam materiæ non absolutè, sed vt immutatur actu ad recipiendum. Quare vnio ex parte rei communicatæ, & vnitæ præcisè, non est dependentia, sed ex parte eius cui fit communicatio in eo, in quo à tali communicatione dependet, vel perficitur, vt patet in Verbo vnito humanitati, quod non dependet ab humanitate, sed humanitas ab ipso.

Ad secundum dicitur, quòd effectus proprius & immediatus formæ est ipsa forma communicata, quæ est effectus formalis, & quia hîc reddit actuatam materiam, & simul cum ipsa compositum constitutum, dicitur materia & compositum effectus formæ, qui tamen non requirunt distinctam causalitatem, quia sub eodem effectu formali attinguntur, qui effectus formalis à forma non distinguitur, nec distinctam causalitatem requirit.

Ad tertium respondetur, quòd forma secundum se est communicabilis in actu primo; & ipsa etiam ratio communicandi in actu secundo, quantum ad actualitatem intrinsecam, non tamen quantum ad denominationem causandi in actu secundo, quia hoc dependet ab aliquo extrinseco, scil. à receptione huius communicationis in materia, defectu cuius neque accidens separatum dicitur inhærere, neque anima separata informare, sicut actio vt præcisè egrediens ab agente, tanquã actualitas secunda, nõ denominat agentem sed ratione effectus producti, imò ipse Deus, qui est actualitas pura, & actus secũdus agẽdi, non denominatur agens quousque effectus ad extra sit productus. Sic ergo non mirum, quòd ipsa forma secundùm se sit actualitas secunda informandi, non tamen denominat quousque ei materia applicetur, & recipiat.

Ad vltimum respondetur, quòd vnio si est aliquid medium inter formam & materiam, educitur à materia, sed nos illam sic non ponimus. Et tamen adhuc in illa sententia potest dici, quòd educitur tanquam modus causandi simul cum ipsa forma, non vt res, & sic non est aliquid purè causatum, sed ratio causandi.

Conditiones formæ ad causandum.

CONditiones requisitæ ad causandum formaliter possunt considerari sicut in materia, vel in ordine ad se, & hæc est existentia, vel in ordine ad alias causas, vt cõcursus agentis, approximatio materię, & dispositio eius, vel denique in ordine ad effectũ, sicut quòd materia sit illi proportionata ad recipiendum effectum formalem, & similia.

Et quantum ad primum, existẽtia requiritur in forma ad causandũ in suo genere, & ordine, sc. vt sit existẽs per modũ principij *quo*, non vt *quod*, sufficit enim quòd forma ad informandum concomitanter, & in re habeat existentiam, non autem quòd antecedẽter, licet sit forma subsistens, quæ in se existentiã habet; reliquæ formæ solum habent illam in ipso composito, & secundùm se solum habent existentiã, vt *quo*, & tanquã principium dandi esse, & hoc solum prærequiritur in prioritate causalitatis suæ, scil. vt præcedat in causando formaliter, tanquam principium existendi, non vt existens, sed hoc habet in termino suæ causationis; de quo plura diximus supra qu. 7. artic. 3. & 5.

Quoad secundum, requiritur in primis approximatio, seu indistantia materiæ erga formam informantem, quia cùm debeat esse intima illi, non potest informare rem distantem: & quòd distinguatur distãtia ab informatione, vel receptione materiæ, art. pręced. probauimus. Requiritur etiam concursus agentis, quatenus vel materiam subiicit formæ, vel formã educit de materia, aut mouet ad vnionẽ, & consequẽter requiritur concursus primi agentis, scil. Dei, qui non concursu formali, sed effectiuo mouet formam sicut reliqua agentia.

Quoad tertium, requiritur proportio materiæ ad infor

informandum, quia materia improportionata, vel non determinata non recipit effectum formalem formæ. Ad hoc tamen sufficit dispositio, quæ ex parte materiæ se tenet, quâ positâ ipsa forma, se ipsâ dat effectum materiæ sic proportionatæ, & determinatæ, proportio autem intrinseca, vt quòd materia & forma sint eiusdem ordinis, vt materia cœlestis ad formas cœlestes, & sublunaris ad inferiores, non pertinet ad conditionem, sed ad intrinsecam rationem istarum causarum.

Effectus formæ.

DE *effectu primario formæ non est difficultas*, quòd sit formalis effectu, qui nō est aliud quàm ipsamet forma, vt communicata; sed difficultas est tum circa ea, quibus forma communicat hunc effectum; tum circa effectum secundarium formæ, qui est expulsio alterius, nam effectus positiui secundarij eodem modo & ordine communicantur à forma, sicut primarius, illum enim sequuntur.

Et quantum ad primum, inuenimus formam & causare aliquid in materia actuando illam, & causare aliquid in composito constituendo illud; circa generationem autem nihil causat sicut materia, quia forma consequitur generationem, vt terminus eius non causat ipsam. Et multi existimant formam non habere causalitatem ergo materiam, sed erga compositũ, quod sine dubio tenere debent illi, qui affirmant materiam de se naturaliter posse esse sine forma licèt propter successionem generationum non possit esse sine illa; hoc enin multos sentire refert Pater Suarez disp. 15. Met. sect. 8. n. 13. & in specie formam non habere causalitatem erga materiam, affirmat Cabero hîc tract. 2. disp. 3. dub. 2. & Fuente 2. Phys. q. 3. diffic. 2. *& fundantur, tum* in eo quod materia non habet existentiam à forma, sed secundum se, ergo non causatur à forma, sed solum ab agente producente entitatem eius, *tum* quia forma solum causat vt causa intrinseca, solum autem est intrinseca composito, non autem materię: ergo propriè solum causat compositum; *tum denique*, quia esse formæ est dare aliquod esse formale, & specificum hoc autem directè solum conuenit composito, ergo solum compositum propriè causatur à forma.

Cæterum expressa D. Thom. sententia est, *Formam exercere causalitatem aliquam in materiam actuando illam, & communicando esse, licèt non causando eius entitatem, vt potentialis est; sed vt determinata & actuata, & dependens in esse ab ipsa forma in ipso composito:* & ita in opusc. 31 §. Viso autem, quod sunt, inquit D. Thom. *Quòd materia est causa formæ, in quantum forma non est, nisi in materia, & forma est causa materiæ, in quantum materia non habet esse in actu, nisi per formam, materia enim & forma dicuntur relatiuè ad inuicem, vt dicitur in* 2. Physic. *dicuntur etiam relatiuè ad compositum, sicut pars ad totum.* Vbi manifestè distinguit D. Thom causalitatem formę in materiam & in compositum, quia materia non habet esse, nisi per formam; quod etiam asserit in 8. Met. lect. 4. & opusc. 15. cap. 8. dum inquit: *Quòd materia secundum se considerata caret forma, per quam participat esse in actu secundum proprium modum.* Et similiter docet D. Tho. quòd materia per formam determinatur, & perficitur, eiusque indifferentia tollitur, & ad speciem aliquam reducitur, vt patet in 1. p. q. 7. art. 1. & 1. Met. lect. 12. in fine, vbi inquit: *Quòd materia cùm sit infinitarum formarum, determinatur per formam, & per eam consequitur aliquam speciem.*

Ex quibus constat, quòd entitas materiæ, & considerari potest vt potentialis est, & priuata formis, indifferensque ad illas, & sic nullo modo causari potest à forma; quæ solum dat determinationem ad esse, & tollit priuationem, non autem entitatem causat sub indifferentia, & potentialitate, & priuatione sui: & potest considerari vt existens, determinata, & actuata in rerum natura, & sublata potentialitate, & indifferentia tùm ad essendum, tum ad causandum determinatum compositum: & quãtum ad hoc materia physicè dependet à forma, quia non potest tolli eius indifferentia, nisi per formam, ea autem non sublata, materia non potest causare aliquod compositum determinatum, dependet ergo à forma in causando cõpositum. Dependet etiam in existendo, quatenus non existit materia sub indifferentia & priuatione, sed vt reducta ad aliquem actum substantialem, per quem participat esse substantiale, & consequenter esse simpliciter, quod non supponit aliud prius, alias accidẽtale esse; dependet ergo à forma materia in existendo simpliciter & substantialiter quantum ad esse determinatum, sicut subiectum dependet à forma accidentali in essendo secundum quid, verbi gratiâ, vt sit album, vel calidum, &c.

Vnde patet ad apposita fundamenta; negamus enim materiam secundum se habere existentiam independenter à forma, vt sup. q. 3. & 7. latè tractatum est. Et dato quod haberet aliquam existentiam illa tamen est imperfecta, & insufficiens ad existendum simpliciter sine forma, sicut accidens sine subiecto. Similiter licèt forma sit causa intrinseca composito, & illi præbeat speciem & existentiam, tamen hoc non potest facere in composito, nisi tollendo indifferẽtiam materiæ tanquam causa extrinseca potentiæ & identitati illius, sed intrinseca effectui formali, qui est communicatio sui, per se enim actuat, & tollit indifferentiam, qua sublata, resultat totum, in quo intrinsecè includuntur materia & forma, in eoque existunt.

Circa effectum secundarium formæ, sunt qui existimãt, formam introductã in subiecto expellere aliam effectiuè vt instrumentum agẽtis, sicut vnum corpus expellit alterum à loco. *Alij verò* contra, non posse expellere effectiuè, quia deberent se mutuo tangere, vt expellerent, Si autem se tangunt, simul sunt in eodem subiecto. Quòd si non ita fit expulsio, oportet explicare, quomodo vnio vnius formæ causet expulsionẽ fieri defectu causæ conseruantis, quia statuit Deus ad positionem vnius formæ, non concurrere ad conseruandum aliam.

Cæterum, hoc vltimum effugium non explicat naturas rerum, illa enim non conseruatio, vel est debita naturæ talis formæ sic introductæ, vel non: si non, ergo pro libito Deus tollet illã à subiecto, & sic potius desinit annihilatione, id est suspensione concursus, quam corruptione. Si primum, restat ostendere, quid sit illud, ratione cuius vna forma auersetur cõsortium alterius, & postulet non conseruationem illius. Ille autem modus expellendi effectiuè nullo modo debet admitti, in quo contingit multos falli illa similitudine corporis expellentis aliud à loco, quod non potest dici de forma; tum quia forma non agit effectiuè in materiam, quia ipsa est terminus efficientis & mouentis materiam, non verò agens in materiam, sed actuans, & sicut non actuat effectiuè, ita neque expellit oppositam effectiuè, quia actuando expellit: si autem affectiuè expelleret, deberet producere aliquid per talem efficientiam, & de illo sic producto esset eadem difficultas, an expelleret effectiuè, vel formaliter; nam si formaliter, idem diceretur de prima forma; si effectiuè, ergo producendo aliud, & reddit processum in infinitum; præterquam quod vnum corpus expellens aliud à loco, imprimit illi impulsum seu motum, quo remouet ab vno loco, &

ponit

ponit in alio forma autem producta non potest aliquid imprimere in forma, quæ expellitur, quia illa definit esse; ergo non expellit effectiuè.

Quare expulsio vnius formæ ab alia reducitur ad oppositionem, quam habet vna forma ad aliam, quæ oppositio fit per priuationem adiunctam, quam vna forma habet respectu alterius, non per efficientiam. Quod colligitur ex D.Th.11. Metaphys.lect.12. vbi inquit: *Forma secundum quod in se consideratur, constituit speciem in genere substantiæ, secundum autem quod vna forma habet sibi intellectam priuationem alterius formæ, diuersæ formæ sunt contrariarũ differentiarũ principia, nam priuatio quodammodo contrarium est. Et per hunc modum opponuntur animatum, & inanimatum, rationale & irrationale, & alia huiusmodi.* Ita D.Thom. Quare est necesse, quòd vna forma respectu alterius habeat expulsionem effectiuam, sed priuatiuam, quæ priuatio fundatur in vna forma respectu alterius, hoc ipso quod limitata & determinata est, non solum in se, sed etiam in ordine ad alteram, quod tamen non eodem modo contingit in omnibus formis; nam aliquæ consistunt in indiuisibili, ita quòd aliquo addito vel substracto, soluitur eius species, sicut numerus, figura, formæ substantiales, quia cum substantiales sint, dant primum, & essentiale esse, vnde habent negationem alterius primi esse; & tales formæ habent essentialiter sibi annexam priuationem alterius, neque est separabilis ab illa, licèt sit effectus secundarius, quia fundatur in ipsa indiuisibili ratione specifica. Aliæ verò formæ sunt non consistentes in indiuisibili, sed habẽtes aliquam latitudinem, quia possunt crescere magis & minus, & tales nõ fundant immediatè priuationem, sed cõtrarietatem, & quando forma perfectè sibi subiicit subiectum, tunc expellit aliam propter contrarietatem perfectam, alia vero potest priuatio separari à forma. Posita verò priuatione, non est necesse quod vna forma tangat aliam, vt expellat illam, & simul sint, sed potius quod priuet illam, & simul non sint, atque ita instans vnius sit desitio alterius.

Ex dictis colliges, Deum non posse concursu materiali, aut formali aliquid causare. Et de materiali constat, quia fit mediante receptione, seu mutatione, quę potentialitatem supponit, Deus autem est actus purus. Concursus autem formalis, vel est formæ constituentis seu actuantis materiam, vt resultet totum, vel solum terminãtis, non vt aliquod totum resultet, sed vt purè aliquid perficiatur, vel trahatur ad esse alterius. Primo modo repugnat Deo causalitas formalis, quia est primum ens, vndè non potest dari aliquid ipso tanquam parte constitutum, quia omne totum est maius sua parte, & specialiter forma informans, est forma participata ab aliquo agente, quòd Deo repugnat, vt tradit Sanctus Thomas prima parte, q.3. artic.8. Secundo verò modo non repugnat Deum se ipso terminare formaliter, sicut personalitate terminat humanitatem, & essentia sua supplet vicem speciei in beatis, quia species de se non constituit aliquam tertiam naturam cum intellectu, sed purè perficit ipsum in esse intelligibili. Et sic dicit Diuus Thomas 3.contra Gentil cap.51. *Quòd species intelligibilis vnita intellectui, non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsum ad intelligendum, quod perfectioni diuinæ essentiæ non repugnat.* Ex quo datur intelligi, quòd illa solùm informatio repugnat diuinæ essentiæ, quæ non purè perficit, sed etiam perficitur, sicut quæ constituit aliquam tertiam naturam.

ARTICVLVS III.

Ad quod genus causæ reducatur idea, seu exemplar?

PHilosophus diffiniens causam formalem in hoc secundo libro, dixit; *Quod forma est species, & exẽplar*; per speciem intelligendo formam inhærentem, quæ constituit aliquam speciem; per exemplar autẽ formam imitabilem: seu vnico verbo, species est forma informans, exemplar est formans, quia non est in ipso formato sed extra, & ideò ad tractatum de causa formali pertinet tractare de exemplari. Definitur autem idea, vt tradit D.Th.q.3.de verit.a.1.ex D.August.12 de Ciuita. cap.25. quod idea est *forma, quam aliquis imitatur ex intentione agentis determinante, sibi finem*: vel vt alij definiunt, Idea est *id, ad quod respiciẽs Artifex operatur*; vbi forma ponitur loco generis. Sed quia forma potest habere plura munera, est enim id quo aliquid constituitur, & id quo aliquid efficit, & id vnde aliquid sumit participationem, determinatur per sequentes particulas, in qua acceptione sumatur forma Nam per illam particulam, *quam aliquid imitatur*, exprimitur differentia formæ intrinsecæ, quæ est forma participata à forma ideali, quæ est forma extrinseca participabilis. Et denique per vltimã particulam *ab agente ex intentione finis*, excluditur forma naturaliter operans, vel fortuito, vt cùm ignis generat ignem, forma ignis non est idea.

Difficultas ergo est, an idea sit subiectiuè in intellectu, an obiectiuè, id est, an sit ipse conceptus, an obiectum: & quam habeat causalitatem. *Et quidam dicũt*, ideam esse ipsum obiectum cognitum, quod quis respicit imitandum. *Aly*, quòd est conceptus ipse formalis. Hoc secundum sequũtur Pater Suar.disp.25.Met. sect.1.& Vaz.1.p.disp.72.cap.2.loquens de idea Dei, nam de idea artificis creati dicit esse obiectiuum cõceptum. Primum verò sequuntur plures ex Schola D. Th.& Scoti, sed diuersis viis; nam Scotus sensit ipsum obiectum ad extra faciendum vt cognitum esse ideã, & sic creaturam, vt cognitam à Deo esse ideam sui, vt in se existens, & hoc est esse diminutum, quod Scotus assignat creaturis antequam sint in se. *Alij verò* non ipsi rei faciendæ, vt cognitæ assignant rationem exemplaris, sed alteri rei, à qua ista res facta participatur, & deducitur, quatenus cognita est, v g in Deo non ipsi rei creatæ, sed essentiæ diuinæ, vt imitabili à creaturis assignant rationem ideæ. Et in hac parte difficultas maximè oritur ex eo, quòd ideæ vtrumque debet attribui, scilicet, esse id quod imitãdum est ab artifice, quod vtique non conuenit conceptui formali, sed obiectiuo, qui cognoscitur vt imitandus, & similiter conuenire illi debet, quod influat & dirigat vitaliter, seu formet ipsum artificem ad producendum ideatum, quod non conuenit obiecto, sed conceptui, obiectum enim secundum se sumptum non influit vitaliter in opus, sed vt formatum ab intellectu.

Sit tamen vnica conclusio. *Ratio ideæ, neque est ipsũ obiectum ad extra, vt cognitum denominatione extrinseca, neque ipse conceptus formalis, vt præcisè est id, quo intellectus redditur cognoscens, & secundum habitudinem ad intellectum, quem informat, sed secundum habitudinem rei repræsentatæ ad rem extra quam format.* Hæc conclusio sumitur ex D.Tho.1.part.q.15.art.2.ad 2.vbi inquit. *Quòd sapientia, & ars significantur vt quo Deus intelligit, sed idea vt quod intelligit, Deus autem vno intellectu intelligit multa, & non solum secundum quod in se ipsis sunt, sed etiam secundum quod intellecta sunt, quod est intelligere*

telligere plures rationes rerum, sicut artifex dum intelligit formam domus in materia, dicitur intelligere domum, dum autem intelligit formam domus, vt à se speculatam (ex eo quod intelligit se intelligere eam) intelligit ideam vel rationem domus. Et in corp. artic. idem expresserat dicens: *Ideam operati esse in mente operantis, sicut quod intelligitur, non autem sicut species qua intelligitur, quæ est forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cuius similitudinem domum in materia format.* Et similia videri possunt in primo, d. 27. quæst. 2. art. 3. ad 4. Vbi distinguitur in ipso conceptu seu forma artificis varias habitudines, & in quantum est res quædam in se, & in quantum est medium præcisè cognoscendi obiectum, & in quantum est medium comparandi id quod cognoscitur, ad id, quod ab ipso fit, & secundùm hanc vltimam considerationem attribuit ipsi rationem ideæ. Cùm ergo Diuus Thomas attribuat ideæ, quòd debet esse in mente operantis, & non tanquam id *quo* intelligit, sed tanquam id *quod* intelligit, non possumus in eius sententia attribuere rationem ideæ obiecto, prout cognito ad extra; sic enim non est in mente operantis, neque ipsi conceptui formali per habitudinem ad intellectum, quem informat; sic enim est id *quo* intelligit, non id *quod* imitatur; sed obiectum ipsum, prout beneficio conceptus intra ipsum redditur immateriale, & denudatum à conditionibus materiæ, & vt habet habitudinem imitabilitatis ad id, quod in materia est, sic est idea, sicut Plato ponebat ideas separatas à materia, sed quod ipse tribuebat eis realiter & subsistenter, nos tribuimus illis beneficio intellectus. Quia tamen contingit intellectum formare ideam accipiendo ab obiecto aliquo extra se aliquid, vt ex illo aliud fiat, ideò aliquando ratio exemplaris; & ideæ attribuitur etiam ipsi rei ad extra, & sic Diuus Thomas vtrique attribuit rationem exemplaris tam formæ, quæ est in mente artificis, quam obiecto extrinseco, à quo illam desumit, vt patet 1. part. quæst. 44. artic. 3. & in quæst. 3. de verit. articulo 1. vbi dicit: *Esse proprium Dei, quod eius ideæ sunt tantum in mente Diuina, & non extra.*

Et ratio est, quia ad ideam requiritur quòd non solùm cognoscatur res in se absolutè, sed accipiatur sub comparatione formæ imitabilis ab alio, in quo eius similitudo exprimatur, non per propagationem naturalem, sed per imitationem dirigibilem ab intellectu, ergo ista ratio formæ, vt imitabilis non propagatione, sed directione, licèt sumatur à re extra obiectiuè, non tamen formaliter inuenitur, nisi in ipso intellectu dirigente & exprimente. Specialiter autem ipsa res facienda & exemplanda, non potest habere rationem ideæ (sicut aliqui dicunt, quòd quando exemplar est omnino perfectum & distinctum, tunc est conceptus ipsius rei faciendæ) Etenim res facienda quantumcumque perfectè exprimatur, si concipitur vt est in se, & in suis conditionibus materialibus ad extra, semper concipitur, vt ideata & exemplata, quia sub illis conditionibus in re ideata est, ergo exemplar, & idea illius non potest esse ipsa res facienda, prout perfectè cognoscitur in se, sed vt proponitur imitandum, & participandum ab illa, idem autem non potest participare se ipsum; ergo distingui debet obiectum, quod formatur tanquam idea ab obiecto, quod cognoscitur vt faciendum ad extra, & ideandum.

Quòd verò ipse conceptus formalis secundum se, & in ordine ad intellectum, vt ad subiectum, non sit idea, *inde probatur*, quia conceptus secundum habitudinem ad ipsum intellectum est forma, quâ artifex intelligit, non id quod imitandum proponit, nec ad cuius instar aliquid facit, nec enim ad instar conceptus, vt est qualitas afficiens intellectum fit res ideata ad extra, sed idea est aliquid intellectum quod tanquam imitandum accipitur; est enim id, ad quod artifex intendens operatur: conceptus autem vt informat ipsum intellectum non est res cognita, quam attendit artifex vt imitandam, sed id *quo* cognoscitur illud, quod imitandum est. Et hinc oritur, quòd conceptus possit esse vnus, etiamsi multa attingat, dummodò attingat sub eadem ratione, quia sub illa egreditur vnico modo ab intellectu, & sic habet vnitatem; idea autem sumitur secundum comparationem formæ imitabilis ad ideatum, & sic multiplicatur secundum diuersam comparationem talis imitabilitatis ad rem imitantem. Verum est, quòd aliquando laxiori significatione solet conceptus quilibet dici exemplar, non secundùm propriam rationem exemplaris, sed secundùm quod præcisè dicit rationem cognoscendi, & similitudinem expressam, vt Sanctus Thomas docet q. 3. de verit. art. 3. & 1. part. quæst. 15. art. 3.

Quare restat, quòd exemplar formaliter sit ipsum obiectum imitabile, non prout cognitum tantum denominatiuè extrinsecè, sic enim vel est id, à quo intellectus accipit speciem, quâ formet ideam, non autem ipsa idea formata, vel est id quod ideandum est ab illa. Est ergo idea ipsum obiectum intrinsecè cognitum, hoc est in ipso conceptu redditum immateriale, & intelligibile per modum expressionis, sic enim comparatur ad res ideatas, vt forma immaterialis ad formam in materia; quod in re non inuenitur, nisi in ipso conceptu, non sub habitudine formæ informantis, quâ intellectus intelligit, sed sub habitudine obiecti expressi in conceptu, & formantis aliud extra conceptum. De quo videri possunt plures Authores ex Thomistis apud M. Gonzales 1. p. disp. 47. sect. 2.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur*, Res repræsentata in verbo, si sumatur realiter; non est aliud quam ipse cõceptus, in quo obiectum relucet tanquam in speculo, præter ipsum autem conceptum non inuenitur nisi obiectum extra, & denominatio cogniti; ergo si idea non est obiectum extra, sed forma in mente artificis, oportet quòd sit ipse conceptus formalis, qui tamen non est imitabilis à re extra. *Confirmatur*, res intra conceptum repræsentata non potest esse causa realis, verè & propriè respectu rei ad extra, ergo in ipsa formaliter non consistit ratio ideæ. *Antecedens probatur*, quia rem esse cognitam intrinsecè, nihil reale addit supra ipsum cõceptum formalé, neque enim obiectum ex eo, quod sit cognitum intra intellectum, acquirit aliquid reale, sed aliquid rationis, ex eo enim Logica agit de ente rationis, quia agit de rebus, vt cognitis ab intellectu.

Respond. Probare argumentum, quòd idea realiter & identicè non distinguitur à conceptu formali, vt dictum est, sed tamen conceptus habet duplex officium, seu formalitatem; alteram respectu intellectus, & sic reddit ipsum cognoscentem, tanquam terminus cognitionis, alteram respectu obiecti, & sic reddit illud immaterializatum, & intellectum in actu; eò quòd intellectui non redditur proportionatum obiectum, nisi intra ipsum sit, vbi redditur illuminatum luce intelligibile, sicut color redditur visibilis per lucem visibilem. Primo modo conceptus formalis non est idea, quia non est forma, vt imitabilis, sed vt constituens cognoscentem. Secundo verò

verò modo est ipsa idea, seu exemplar, quæ est forma intra intellectum tanquam res intellecta & imitabilis, & ita S.Th. non negat ideam esse idem quod conceptus, dum inquit 1.p.q.15.art.1. *Quòd similitudo domus præexistit in mente ædificatoris, & hæc potest dici idea domus.* Non tamẽ vt reddit cognoscentẽ tanquã *quo*, sed vt reddit obiectũ cognitũ, id est illuminatum, *vt quod*, ad cuius similitudinem aliquid format, vt dicit ibidem art.2.

Ad confir. resp. Ideam esse causam realẽ realitate conceptus, à quo non distinguitur, nón realitate superaddita obiecto extra conceptum. Logicus autem non considerat ipsam rationẽ obiecti, vt in conceptu redditur immaterializatum, & intellectum in actu, illustratum, & manifestum, hoc enim pertinet ad libros de anima, sed id quod resultat in obiectis cognitis secundum intentiones, v.g. ordinem prædicabilitatis, non rationem imitabilitatis realiter, & ad extra.

Secundò arguitur. Conceptus non est cognitum vt *quod*, sed vt *quo*, nisi quando reflexè cognoscitur, ergo non potest in idea, nisi per cognitionem reflexam, quod est falsum, alioquin ipsa entitas conceptus esset idea, quia hæc est, quæ cognoscitur reflexè. *Consequẽtia patet*, quia idea non est id *quo* aliquid intelligitur, sed *quod* est intellectũ & cognitum; vt ex D.Th. diximus, ergo si conceptus non est id, quod est cognitũ vt *quod*, non est idea. *Ant. verò prob.* quia respectu cognitionis directæ conceptus solum se habet, vt medium in quo repræsentatur obiectum, ergo nõ se habet vt obiectũ cognitum, vt *quod*, nisi quando reflexè cognoscitur. *Conf.* quia finis apprehensus mouet finaliter, sicut idea imitabiliter, sed in fine apprehensio solùm est cõditio, ratio verò formalis est in ipso obiecto secundum se; ergo similiter in idea conceptus se habebit vt conditio, seu applicatio, non vt constitutiuum; vnde quando aliquis vult operari per ideã, ipsa cognitio, seu conceptus applicat illam ad opus, ergo cognitio deseruit, vt applicatio, non vt constitutiuum ideæ.

Resp. distinguendo antecedens, conceptus non est cognitum vt *quod*, nisi reflexè, quando cognoscitur ipsa entitas conceptus, *concedo*, si solum cognoscatur obiectum, vt constitutum in esse obiecti illuminati, & intellecti vt *quod*, *nego*; sic enim verbum non ponit in numero cum ipso obiecto ad intra, cum ad hoc maximè ponatur verbum in nobis, vt obiectum reddatur spiritualizatum, seu illuminatum, & formatum in esse obiecti per modum termini intellecti intrinsecè, vt constat ex D. Thom. 2. contra Gent c.53. & opusc. 13. & 14. Ad hoc ergo vt obiectum in cõceptu reddatur cognitum, vt *quod*, & ipsum verbum constituat obiectum cognitum intrinsecè, non indiget reflexione, & in hoc cõsistit idea, benè tamen indiget reflexione, vt cognoscatur entitas conceptus. Quare D.Th. etiam ipsi conceptui attribuit quod sit cognitum vt *quod*, cum dixit in qu.4. de verit. art.2. ad 3. *Quòd conceptio intellectus non solum est id quod intellectum est, sed etiam id, quo res intelligitur, vt sic id quod intelligitur, possit dici, & res ipsa & conceptio intellectus.* Et 1. part. quæst. 15. articul. 2. *Forma domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cuius similitudinem domum format.*

Ad confirmationem resp. esse disparem rationem de fine & de idea, quod finis mouet ad sui assecutionẽ, idea verò ad sui imitationem. Obiectum autem assequibile non est res ipsa, vt denudata à conditionibus materialibus, & reddita immaterialis in mente, sed vt existit indiuidualiter in re extra intellectum. At verò obiectum imitabile ex directione intellectus, debet esse formatum per ipsum intellectum, vt in re ad extra ponatur res exẽplata & deriuata à tali forma, & ita idea non habet esse intra intellectum tanquam conditionem si, vt finis, sed per se ei conuenit vt ratio. Quando verò dicitur applicari per ipsam cognitionem ad opus. *Resp.* applicari per cognitionem non vt formantem ipsam ideam, sed vt imperantem efficaciter eius executionem, postquam est formata,

Tertiò arguitur, idea sic explicata à nobis non potest habere veram causalitatem, ergo non est vera causa. Nam quod non sit causa materialis, constat, cum non recipiat formam, sed originet ipsam. Neque est finalis, quia vt nuper dictum est, non mouet ratione bonitatis realis, & habendo apprehensionem tanquam conditionem, sicut requiritur ad rationem finis. Neque est causalitas formalis, quia non informat intrinsecè per vnionem, quæ est causalitas formæ. Si autem dicatur, causare formaliter extrinsecè, in primis non apparet in quo consistat ista causalitas, nec est alia quam obiectiua, qua mouetur artifex ad formandum ideam, in quo tamen non consistit causalitas causæ exemplaris: tum quia non requiritur per se ad exemplar quod accipiatur, & formetur ab aliquo obiecto ad extra, sed tantum quod in intellectu detur species, & repræsentatio rei faciendæ, vndecumque accipiatur, tum quia ista obiectiua motio non est ipsa causalitas exemplaris, sed antecedit formationem eius, mouendo intellectum ad formandum conceptum & ideam, quæ postquam est formata, causat exemplatum, & hæc causalitas iam non est obiectiua, id est, ab obiecto ad intellectum. Nec deniq; est causalitas efficiens, quia non potest efficienter causare, nisi modo metaphorico, eò quòd idea tantùm operatur per imitationem, quæ non est influxus physicus, sed cognitus, & media excitatione factus, quod pertinet ad causam moralem, non physicam.

Resp. hoc argumentum petere difficultatem de causalitate ideæ In quo *aliqui existimant*, non habere causalitatem nisi metaphoricam, id est, in ratione esse cogniti, non in ratione esse physici. Ita Martinez in hoc lib. c.3 q.1. & Fuente 2. Phys. q.8. diff.3. art.1. Et ad causam efficientem esse reducendam, censet P. Suar. disp.25. Met. sect.2.

Nihilominùs dicendum est. *Causalitatem ideæ reduci posse ad efficientem & finalem, sed specialiter & propriè ad formalem, quatenus est forma intrinseca formans, sed non informans.* Est communis inter Thomistas, & quòd habeat rationem causæ finalis sumitur ex D.Th. qu.3. de verit. art.1. in fine corporis, & 3. cont. Gent. cap.19. vbi id expressè dicit. Ratio verò efficientiæ attribuitur à D.Thom. quodl 7. artic.3. vbi inquit: *Quod artifex cognoscit artificiatum per eam formam, per quam ipsum facit. Et ratio est*, quia idea se & ars simul concurrunt ad artificiatum, & idea se habet vt forma practica; ergo vt operatiua & efficiens per artem. Ratio enim practici efficientiam importat, siue ex propriis, siue ex voluntate participatam: nam ideam operari adiuncto amore voluntatis, docet D. Th. 1. p. quæst 45. artic. 6. Quare sicut agens naturale operatur per formam suam, cui assimilat effectum, & illa forma est ratio operandi, quia est ratio assimilandi, ita agens artificiale ratione formæ idealis assimilat sibi effectum, consequenter ratione illius operatur efficienter directiuè, seu intentionaliter, non efficienter executiuè.

Quòd verò propriè pertineat ad ideam ratio causæ formalis extrinsecæ sumitur ex Arist. 5. Metaphys. tex.

text.2.vbi inquit: *Quòd forma est species & exemplar.* Quem textum explicans Sanctus Thomas ibidem lect.2.ait: *Alio modo dicitur causa, species, & exemplar, & hæc est causa formalis, quæ comparatur dupliciter ad rem, vno modo sicut forma intrinseca rei, & hæc dicitur species; alio modo sicut extrinseca à re, ad cuius tamen similitudinem res fieri dicitur, & secundum hoc exemplar rei dicitur forma. Ratio autem est*, quia forma intrinseca non est aliud, quàm quædam forma participata ab idea, ad cuius similitudinem fit, & per ordinem ad quam regulatur eius veritas, & perfectio, sicut in artificialibus forma artefacti deriuatur à forma artificis, & per illam regulatur eius propria ratio, in naturalibus autem formæ naturales regulantur, & participantur ab ideis Diuinis, ergo idea habet rationem formæ extrinsecè specificantis, & originantis formam anticipatam, quæ informat subiectum intrinsecè, ergo in eadem linea causandi, qua forma intrinseca causat, debet etiam idea extrinsecè causare, inquantum forma intrinseca est quædam expressio ideæ, & per eam regulatur, & specificatur propria ratio talis formæ. Specificatiuum autem causam formalem importat. Et ex eadem ratione constat, ideam habere rationem causæ finalis, quia forma exemplata respicit exemplar vt perfectiuum sui, & per conuenientiam ad ipsum perficitur, ergo vt finem, quia perfectio alicuius, finis eius est. *Neque obstat*, quòd actio producens exemplatum, non intendit pro fine ipsam conformitatem ad exemplar, sed formam ipsam in se, conformitas verò solùm se habet, vt commensuratio & regulatio quædam formæ inducendæ: hoc inquam non obstat, quia non repugnat quòd ipsa regula etiam sit finis, quando ex ipsa regulatione resultat aliquod bonum, & perfectio in regulato, vt constat in morali actu.

Quòd si petas: in quo consista sta causalitas formalis extrinseca? *Respondetur*, quòd cùm forma extrinseca non communicet se ipsam immediatè per coniunctionem sui; oportet quòd exemplar identificet suam causalitatem cum actione efficientis, eò quòd non operatur sine arte efficiente & dirigente, sed tamen in illa directione, & operatione artis & datur processus efficientiæ, quatenus res extrahitur de non esse ad esse à principio artis, & datur imitatio passiua, & specificabilis à forma exemplati, per quam regulatur, & sub hac ratione dicit causalitatem formalem extrinsecam, quatenùs per imitationem dat speciem; specificatiuum autem causa formalis est. Neque hoc est addere nouum genus causæ præter quatuor; tùm, quia illud Aristoteles posuit numerando exemplar inter causas; tùm quia ad formalem reduxit.

Vndè ad appositas instantias respondetur. Ad primam, de causalitate finali dicitur, quòd idea non est finis, vt assequibilis, sed vt imitabilis, & ideò non oportet, quòd habeat apprehensionem tanquam conditionem tantum sicut finis, qui in re est assequibilis, & sic reductiuè tantum pertinet ad causam finalem.

Ad secundam instantiam, quòd attinet ad explicationem ipsius causalitatis formalis, in quo consistat, iam dictum est. Quod verò dicitur istam causalitatem esse obiectiuam. *Respondetur*, Non consistere in causalitatem obiecti ad potentiam, hæc enim non requiritur per se ad rationem exemplaris, sed tantum antecedenter in nobis, quia acquirimus cognitionem ad obiectis, sed causalitas ista formalis est per conformitatem formæ imitabilis ad rem extra, vt deductam ab illa per imitationem; vt enim sæpè docet D. Thom. agendo de Veritate, vt 1. part. quæst.16. & quæst.1. de Veritate; aliquando cognitio quæ est veritas formalis, sumitur ab obiectiua, quæ transcendentalis est aliquando è conuerso veritas in rebus sumitur ab intellect, vt in artefactis; & ideò omnis veritas creata sumitur per conformitatem ad ideas Diuinas, à quibus exemplatur, tanquam artificiatum; sicut ergo in nostra cognitione veritas sumitur à rebus per conformitatem ad eas vt ad obiecta, ita quando exemplatur aliquid ab idea, sumit veritatem ab illa per conformitatem imitationis, quæ etiam est sp cificatio quædam veritatis.

Ad vltimam instantiam, de causalitate efficientiæ. *Respondetur*, hanc habere ideam, non vt obiectum cognitum præcisè, sed vt cognitum practicè, quòd per artem & imperium mouet efficienter, cuius efficaciæ ratio oritur à voluntate, quæ est primum mouẽs quoad exercitium & imperium, vt doceri solet 1.2. quæst.9. & quæst.17. Vnde hæc efficientia non ma is metaphorica est, quàm quæcumque efficientia voluntatis, & mediante motione voluntatis efficientia artis practicæ in intellectu.

De essentia verò Diuina quomodò sit idea, vt cognita imitabiliter & comparatiuè ad creaturas, cui creaturę assimilantur, tanquam eminentissimo exemplari similitudine quidem æquiuoca, sed perfectissimè exprimente, & attingente, quidquid participatur in creatura, ad Theologos remittimus, qui de hoc agunt, 1.p.q.15.

QVÆSTIO XII.

De Causa Efficienti.

DARI causas efficientes tàm per se notum est, quàm dari effectus, & ideò non inquirimus, an detur vera efficientia, etiam in causis creatis, cùm constet tam multos effectus earum dari. Sicut autem in causa materiali, & formali ad quatuor capita reduximus, quæ tractanda sunt; ita in causa efficienti: potest enim considerari primò ipsa causa operans, tam vt principium quod, *quàm vt principium* quo. *Secundò, eius causalitas. Tertiò, conditiones causandi. Quartò, res causata. Et quidem terminus seu effectus causæ efficientis non habet aliquam difficultatem, cùm omne illud quod est dependens in esse, sit efficienter causabile, & quod est transmutabile modo corporeo, est etiam effectibile motu physico. Similiter de conditionibus causandi, quæ sunt duæ, scilicet, ex parte efficientis existentia, & ex parte passi approximatio non dispu-*

tabimus in præsenti, quia de existentia egimus supra quæst.7. *& obiter in hac disputatione attingẽmus, quomodo requiratur ad efficiendum. De approximatione autem* infra libro 7.*tractandum est, vbi agemus de contactu agentis, & mobilis. Quare in præsenti solum duo restant explicanda, scilicet, de ipso efficienti quid sit, eiúsque principio formali operante vt* quo, *& secundò, de eius causalitate.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit causa efficiens, & quotuplex?

CAusa efficiens breuissimè definita est à Philosopho in hoc 2. lib. cap. 3. text. 9. & 1. de Generat. tex. 55. Efficiẽs est *id, vnde primum principium est mutationis, & quietis*, quod aliis verbis dici solet; *Est id vnde incipit motus.* Et alij extensius; *Est principium extrinsecum per se, à quo primò profluit motus.* Per ly *principium* conuenit cum reliquis causis, & cum priuatione; per ly *extrinsecum* differt à materia & forma, & conuenit cum priuatione & fine; per ly *per se* differt à priuatione, quæ solum est principium per accidens; per ly *profluit* differt à fine, qui solum intentione & metaphora agit, non profluxu, & executione.

Vt autẽ videamus hæc omnia includi in definitione Aristotelis tradita, solum oportet eius particulas formaliter, & cum præcisione intelligere. Etenim causa materialis & formalis, non possunt esse primum principium mutationis, eò quòd causant requirendo vnionem, seu media vnione, quæ autem vnita causant, supponunt causam priorem vnientem, atque adeo immutantem, quia omnis vnio in aliqua mutatione fundatur, & sic materia & forma non possunt esse primum principium mutationis, siquidem debent esse mutatæ, vt causent tanquam coniunctæ. Per hoc autem quod dicitur principium, si præcisè intelligatur, distinguitur à fine, quia finis non est purè principium, sed etiam terminus, nec similiter est principium mutationis, sub formalitate mutationis, sed intentionis eius, & sic non est principium mutationis, vt executæ, quæ propriè mutatio est; ante executionem enim intenditur mutatio, non est mutatio. Denique priuatio excluditur per illam particulam, *primum*, & per illam particulam, *vnde*; licèt enim priuatio sit principium, non tamen est primum, quia negatio supponit affirmationem, & subiectum, in quo est; vnde materia est prior priuatione, efficiens autem etiam est prius materia in suo genere in causando. Similiter ly *vnde*, dicit originem à quo; priuatio autem non dicit originem, sed derelictionem termini à quo, neque est aliquid, & sic ab illa non incipit mutatio.

Ex qua explicatione soluuntur plura, quæ contra hanc definitionem adduci solent. *Primò enim obiicitur*, quia hæc definitio coincidit cum definitione naturæ; dicitur enim natura primum principium motus & quietis, &c. Vbi ly *primum principium*, applicatur non solum efficienti, sed etiam materiæ & formæ, aliisque principiis entis naturalis, in hac autem definitione idem applicatur causæ efficienti, cùm dicitur primum principium, vnde est mutatio, & quies; ergo incõuenienter hîc vel ibi, ponitur ly *primũ principium. Secundò*, quando dicitur primum principium, vel sumitur primum absolutè, & simpliciter, vel in determinato genere. Si primum, non conuenit definitio efficienti, sed fini; quæ est prima inter omnes causas, vel saltem non omni efficienti, sed tantum primæ causæ, quia illa est primum principium simpliciter, vnde incipit motus, à causa autem secunda non incipit, nisi ex subordinatione ad primam. Et dato quòd conueniat etiam causæ secundæ, non conuenit, nisi causæ principali, quia instrumentum non habet in se principium, vnde incipit motus, quia non habet in se virtutem ad effectum principalem, sed accipit à causa superiori. *Et tertiò*, quia ista definitio non conuenit omni causæ efficiẽti, nam causæ creanti non conuenit, quæ maximè est efficiens, & tamen non est principium mutationis, quia creatio non est mutatio, cùm careat subiecto, vt docet S.Th. 1. p. q. 45. art. 2.

Ad primum respondetur, naturam dici primum principium motus, non absolutè, sed eius in quo est; & sic est primum principium intrinsecum. At verò causa efficiens est primum principium etiam extrinsecum mutationis. Vnde non coincidit ejus definitio cum definitione naturæ.

Ad secundum respondetur, quòd sumitur ly *primum* respectiuè ad alia genera causarum, & respectiuè ad mutationem, vt mutatio est executa, non vt intenta, & sic primum genus causæ in executione est efficiens, quæ tamen supponit causam finalem, quæ est causa in intentione. Ad id quod additur de causa prima & secunda *respondetur*, quòd etiam causa secunda est primum principium motus in genere efficientis, sed non in omni ordine efficientis, id est, si comparetur genus efficiẽtis ad alia genera causarum, primum genus est efficiens, sed tamen intra ipsum efficiens dantur diuersi ordines; & causa secunda non est primi ordinis, licet sit primi generis. Similiter dicimus de instrumẽto, quod est primũ principiũ motus ministerialiter, non principaliter, quod est esse primum secundũ quid; & reductiuè, quia sic est causa.

Ad tertium respondetur, quòd Philosophus posuit nomen mutationis, quia tantum loquebatur de efficiente supponente materiam; erat enim apud Veteres creatio ex nihilo omnino ignota, propter illud axioma; *Ex nihilo fit.* Si tamen extendatur diffinitio ad causam creantem, oportet etiam extendere nomen mutationis ad mutationem metaphysicam, seu ex modo significandi, quæ saluatur in hoc præcisè, quòd fiat transitus de non esse ad esse; physica autem mutatio est de non esse ad esse in aliquo subiecto, & hæc mutatio negatur creationi, prima verò non negatur, sed asseritur à D.Th. cit. loco, 1. p.

Circa diuisionem causæ efficientis; Primò diuiditur causa efficiens *in causam per se, & per accidens*, de qua diuisione agemus in q. de subord. causar. causa per se diuiditur *in principalem & instrumentalẽ*, de qua agemus ibidem. *Principalis* causa plures habet diuisiones; diuiditur enim in causam primã, & secundã, vniuersalẽ & particularem, essentialiter subordinatam, & accidẽtaliter subordinatam, æquiuocam & vniuocam, totalem & partialem, liberam & necessariam, physicã & moralem; de quibus diuisionibus aliqua attingemus in disputationibus de subordinatione causarum vniuersalis & particularis, primæ & secundæ: de partiali & totali, satis egimus supra tractãdo an possit duplex causa totalis simul concurrere ad eundem effectum. De æquiuoca & vniuoca aliquid attingemus in seq. art. vbi etiã agemus de efficiente vt *quod*, & vt *quo*: & non tradimus in præsenti definitiones omnium istarũ causarum, quia non possumus illas explicare, nisi tractentur difficultates, quæ circa illas versantur.

Aduertendum tamen est, plures ex istis diuisionibus non conuenire specialiter causæ efficienti; nam causa per se & per accidens, vniuersalis, & particularis, æquiuocæ, & vniuocæ, totalis & partialis, etiam in

in fine, & aliis causis possunt inueniri. Propriè autem ad causam efficientem videtur pertinere ratio principalis, & instrumentalis, eò quòd ad solam efficientem pertinet agere, per communicationem virtutis, & ideo potest mouere instrumentum. Similiter causa moralis ad efficientem pertinet, & ad illam reducit Aristoteles in cap. 3. huius libri, agens de causa efficiente, licet motio metaphorica finis, etiam aliquibus moralis videatur, de quo infra quæst. 13. Quare D. Thomas in hoc 2. Physic. lect. 5. omnes diuisiones causæ efficientis reducit ad quatuor: *Quadruplex (inquit) est causa efficiens, scil. perficiens, præparans, adiuuans, & consilians. Perficiens est, quæ dat complementum motui seu mutationi, sicut quæ introducit formam substantialem in generatione. Præparans seu disponens est, quæ aptat materiam ad vltimum complementum. Adiuuans, quæ non operatur ad proprium finem, sed ad finem alterius. Consilians autem in his, quæ agunt à proposito est, quod dat agenti formam per quã agit: nam agens à proposito agit per scientiam, quam consilians sibi tradit.* Hæc D. Thomas, vbi obiter explicat causam moralem in consiliante, principalem autem, & instrumentalem in reliquis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in causis creatis principium efficiendi vt quo sit accidens?

SVpponimus formam substantialem requiri ad operandum tanquam radicale principium, ita vt accidens non sit totale principium efficiendi præsertim alias substantias, licet aliqui oppositum senserint. Est tamen communis sensus Aristotelis, quòd forma substantialis sit principium *quo* generationis substantialis, vt patet 1. d. Generat. textu 54. & 55. & ibi Diu. Thom. lect. 20. in fin. Expressius tamen id habet Philosoph. in 2. de Anima, textu 24. vbi inquit: *Quòd id, quo viuimus & sentimus, bifariam dicitur, & perinde atque id quo sumus, & id etiam quo sani sumus, atque videmus, quoddam enim scientiam, quiddam animam dicimus, quippe cum vtroque scire dicamur.* Et subdit: *Quòd scientia & sanitas forma quædam, & species est, & ratio & tanquam actus suscipientis scientiam, anima autem id, quo viuimus, & sentimus, & intelligimus primò.* Ergo secundùm Philosophum anima, quæ est forma substantialis, primum principium est, seu radicale agendi. Et idem docet Diuus Thom. 1. part. q. 77. art. 1. ad 4. & aliis locis. *Et ratio manifesta*; quia forma accidentalis non potest esse primum principium operandi, quia non est prima ratio & principium essendi; ita enim se habet aliquod in operando sicut in essendo, operari enim sequitur esse, sed principium essendi vt *quo* principale est forma substãtialis, ergo etiam est principale principium vt *quo* operandi.

Nec valet dicere, quòd accidens in ratione productiui est nobilius, non in ratione entis. *Nam contra est*, quia si accidens in ratione productiui principalis, & totalis est nobilius substantiâ, etiam in ratione entis erit, quia principalis ratio producendi est actiuitas, & hæc constat actualitate, actualitas autem est perfectio entis, ergo si in ratione actualitatis & actiuitatis est perfectius, in ratione entitatis perfectius est: aliàs enim quomodo totam entitatem rei producendæ continere posset & dare, si in entitate est inferior?

Quare tota difficultas reducitur ad hoc, an ipsa forma substantialis, sicut est principium radicale & primum operandi, ita sit proximum & immediatum, an verò requiratur aliquod accidens superadditum tanquam principium proximum operandi respectu cuiuscumque operationis etiam substantialis; de qua est præcipuè difficultas, quomodò possit accidens attingere substantiam tanquam virtus operatiua. In quo est celebris controuersia inter D. Th. & Scotum. Nam Scot. in 2. distin. 16. quæst. 1. & in 4. distin. 12. q. 3. & 9. Metaph. q. 7. & communiter eius schola, & Durand. in 4. dist. 12. q. 2. & Valles controuersia 3. ad Tyrones, *& alij* existimant substantiam se ipsa esse immediatum principium agendi. At verò D. Th. oppositum tenet 1. p. q. 54. art. 3. & qu. 59. art. 2. & qu. 77. art. 1. & quæstiuncul. 115 art. 1. ad 5. & pluribus aliis locis, & sequũtur communiter Thomistæ, vt Caiet. locis citatis, & Ferrar. 4. cont. Gent. c. 66. & alij qui possunt videri in cursu Carm. hîc in disp. 10. q. 4. & Suarez disp. 18. Met. sect. 2. n. 9.

Sit ergo vnica conclusio. *De facto substantia operatur medio accidenti tanquam principio proximo & immediato, & de possibili substantia creata non est capax, vt sit immediatè principium operandi. Prima pars deducitur ex experientia*, quia videmus multa generari distantibus vel absentibus suis agentibus substantialibus, relicta aliqua virtute, seu dispositione accidentali, vt patet, cùm Sol generat aurum in visceribus terræ, à qua tam longè distat substantia Solis, & cùm ignis reddit ferrum candens calore suo, à quo exuritur stuppa etiam extincto igne, à quo processit calor, & ex semine deciso ab animali generatur aliud animal, etiam mortuo, vel absente illo, à quo decisum est, In his igitur casibus non datur substantia, quæ immediatè operetur illum effectum. Non substantia distans, vel absens, quia hæc non est ibi, vbi est actio & effectus: Non substantia illi propinquior, verbi gratia, cùm generatur aurum à Sole, terra, vel lapis, quæ illi magis appropinquant, quia est omnino dissimilis ipsi auro, & per accidens est, quòd ibi sit terra, vel lapis, posset enim esse quodlibet aliud corpus, quòd ęquè benè produceret illud aurum, si per substantiam ipsam, quæ omnino dissimilis est: & non per virtutem accidentalem superadditam, à cœlo, debet illud producere. Nec denique ipsa Dei substantia producit istos effectus absente vel distante causa, quia sic tollimus actiones à causis secundis, & ad solum Deum reducimus generationes rerum absentium, vel distantium, cum tamen videamus quòd aliquis dicitur verè, & propriè filius alicuius, licèt sit absens, vel distans, quando generatur, & nascitur; imò rarissimè animal est indistans quando filius gignitur perfectè.

Nec valet dicere, quòd est dispositiuè ab illa causa distanti, vel absenti; licèt non effectiuè. *Contra hoc enim est*, quia si solùm procedit dispositio à tali causa, & ipsa dispositio effectiuè non attingit substantiam, quia accidens est, & ab ipsa substantia causæ non producitur, quia absens vel non existens est; ergo quantumcumque disponat, tamen iste effectus, qui est substantia, nunquam verificari potest, quòd sit effectus illius, quia esse effectum est idem quod procedere, & sic tollimus effectus à causis secundis, licèt ponamus dispositiones. Ridiculum autem est recurrere ad naturam vniuersalem, cum in vnaquaque natura sit particulare principium motus, seu effectus, vt dicit S. Th. opusc. 35.

Secunda pars conclusionis difficilioris est probationis, duplici tamen discursu probatur à Diu. Thoma. *Prima ratio est* prima parte, quæstione 54. artic. tertio, & quæst. 79. articulo primo, quia operatio est actus secundus operantis, sicut esse seu existentia est actus secundus essentię, ergo vt operatio distinguitur ab

ab esse principium quoque operandi debet distingui à principio essendi; constat autem quòd in rebus creatis operatis operatio distinguitur ab esse, siquidē operatio distinguitur ab esse, siquidem operatio debet procedere à substantia existente: similiter cōtingit operationes multiplicari, & variari, non variato esse, ergo in omni re creata principium proximum operandi distinguitur à substantia, quæ est principiū essendi. *Primū antecedens constat*, quia operatio cōparatur ad operantem, sicut actus secundus, & vltimus ad primum, ergo habet se sicut esse respectu essentię. *Prima verò consequentia probatur*, quia omnis potentia distinguitur penes ordinem ad actum proprium, & per se specificatiuum illius, quia actus est qui distinguit, ergo cùm propriùs, & per se actus operans sit operatio, & actus essentiæ sit existentia, proprium principium operandi erit distinctum à principio per se ipsius esse. *Nec obstat*, quòd etiam accidens habet esse, & sic etiam probaretur de illo, quòd primariò respicit esse, & indiget alio principio proximo ad operandum. *Contra enim est*; quia accidens non habet per se esse, sed in alio, & sic non est principium per se essendi, nec immediatum. Principium autem per se ipsius esse est substantia, vndè hæc sola dicitur ens per se existens.

Sed obiicies contra hanc rationem, quia instatur in multis, nam in primis dici potest, quòd esse, & operari se habent tanquam actus primarius & secundarius, vel tāquam duo actus inadæquati, operari enim consecutiuè se habet ad esse, ergo possunt pertinere ad idem principium specificabile. *Secundò* instatur in ipsa substantia, quæ saltem remotè est principium operandi, & ordinatur ad operationem, si autem ratio facta aliquid probat, etiam probat quòd non sit principium remotum, vel non ostendit, quòd non sit proximum. *Tertiò* instatur in ipsa substantia, quatenus est principium passiuum recipiens accidentia, nam etiam principium passiuum specificatur ab actu recepto, sicut actiuum ab actu elicito, & tamen potest substātia immediatè recipere aliquod accidens, licèt potentia recipiens, & actus receptus non sint in eodem genere; ergo similiter poterit esse immediata potentia operationis, licèt potentia & actus non sint in eodem genere. *Vltimò instatur*, quia ipsæ potentiæ dimanant immediatè à substantia, ergo substantia immediatè influit in illas, dimanatio enim causalitas, & influxus est.

Ad primam instantiam, Respondetur, quòd operatio licèt sit actus secundarius entitatiuè, quia sequitur ad esse, est tamen primarius in specificando aliquod principium, & non substantiam, quia hæc non specificatur ab alio extra, cùm sit absolutè in se, & ad se, & sic tota eius specificatio est ante operationem; ergo præter substantiam aliud est principium specificabile per se ab operatione, & hoc est accidens. Nisi dicatur, quòd operationes nullo modo specificant, sed tantum secundario consequuntur ad specificatiuum; quod est destruere alterum principium in Philosophia notissimum, & à nobis in libris de Anima tractandum, scilicet, quòd operatiua in quantum talia distinguuntur penes operationes, quia essentialiter ordinantur, & determinantur diuersa operatiua per ordinem ad diuersas operationes, ad quas per se tendunt. Ergo si substantia se ipsâ est operatiua, se ipsâ est specificabilis ab operatione, vel si non est specificabilis, non est se ipsâ operatiua.

Ad secundam instantiā dicitur, quòd hoc ipso quod substantia est remotum principium operationis, non potest specificari ab illo; tùm quia esse remotum principium est esse principium radicale, & virtuale; specificatiuum autem non specificat nisi formaliter, quia determinat suum specificatum, & species rei nō conuenit illi radicaliter, sed formaliter; tùm etiam quia principium remotum, & radicale stat benè, quòd sit indifferens ad plures operationes, quæ in illo radicantur, & sic ab illis non specificatur, nec determinatur, sed supponit aliud à quo determinetur, & ad quod per se ordinetur scilicet esse; & sic benè stat, quòd remotè, id est radicaliter, & indifferenter ordinetur ad operationes, & tamen non specificetur ab illis, & sic dari debet aliud principium ab operatione specificandum.

Ad tertiam instantiam dicitur, quòd accidentia, licèt recipiantur in substantia, non tamen primò, & per se specificant eam, quia supponunt ipsam in esse cōstitutam, vt sustentet accidentia, nō perficitur autem ab accidentibus nisi secundum quid, vnde non currit in illis dictum axioma, quòd potentia & actus sunt in eodem genere, non enim intelligitur, nisi de actu ad quem per se ordinatur, vel à quo specificatur potentia. Imò nec verificatur in omni specificatiuo extrinseco, nam potentia, quæ est qualitas, specificatur ab operatione, quæ est actio, & generatio, quæ est accidens à termino, qui est substantia. Vnde D. Thom. in 1. dist. 7. quæst. 1. articul. 2. ad 2. docet: *Quòd non oportet quòd in eodem genere ponantur potentia, & actus, præcipuè de potentiis actiuis.* Intelligitur ergo quod actus & potentia sunt in eodem genere, id est inuenitur actus & potentia in eodem genere, sicut dicit Aristoteles 9. Metaphys. quòd in omni genere inuenitur actus & potentia, vt homo in potentia seu in fieri, & in actu, album in potentia & in actu pertinent ad idem genus, & sic exponit S. Thom. q. de Anima, art. 13. *Vel secundò* actus & potentia dicuntur esse in eodem genere reductiuè solum, & secundum proportionem, quia potentia proportionatur actui. *Vel tertiò* sunt in eodem genere, quando ordinantur actus & potentia, ad componendum vnum per se, vt materia & forma in genere entitatiuo, species & potentia in genere cognoscibili. Nec nostra probatio in hoc axiomate fundatur, sed in eo potentia specificatur ab operatione, quæ est distincta à substantia, & substantia non specificatur ab operatione, sed ordinatur ad esse, ergo aliquid est potentia, quod non est substantia.

Ad vltimam instantiam dicitur, quòd dimanatio est actio, sed eadem cum productione substantiæ: agens enim immediatè producit substantiam, & mediatè passiones eius, quia qui dat formam, dat consequentiam ad formam, & ita dimanatio est ipsa actio agentis tangens immediatè substantiam, & mediatè passiones, vt dicemus art. vlt.

Secunda ratio D. Tho. sumitur ex 1. p. q. 77. art. 1. Si forma substantialis est immediatum principium operationum, habens formam, semper haberet operationem in actu, sicut habens animam semper est viuens in actu, sed habens formam non semper est actu operans aliquando enim quiescit; ergo ipsa forma substantialis non est potentia operatiua, *Prima sequela probatur*, quia forma in quantum forma est actus non ordinatus ad alium actum, quia est actus vltimus generationis, sed in quantum actus, non est principium operans, alias esset operans actu & non potentia; ergo ratione alicuius superadditi est operās. *Quòd si dicas*, benè posse eundem actum esse formam actu informantem, & in potentia operantem, vt patet in calore, qui secundum se est actus informans, & potentia calefaciens. *Contra est*, quia calor est potentia calefaciens, quia supponit aliud primum, & radicale, cuius ipse est instrumentum operandi, vnde si substantia, cuius est instrumentum, non est semper actu operans, neque ipse calor semper actu operabitur.

tur. At verò si substantia se ipsa esset actus operans, cum non esset operans vt instrumentum alterius prioris operantis, sed se ipsa immediatè operaretur, cum se ipsa sit actus, se ipsa semper esset actu operans, sicut semper est actu informans; in eadem enim indiuisibili entitate fundaretur, tunc operari, & informare.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Primò arguitur authoritate D.Th. qui in 3. contra Gent, cap.69. ait: *Quòd si formæ accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multo magis forma substantialis habebit propriam actionem, per quam similis forma introducatur in generatione*: ergo concedit formæ substantiali aliquem influxum & actionem, vt distinguitur ab accidentali. Et in 3. p. q.77. art.3. inquit: *Quòd actio formæ accidentalis ita dependet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantiæ*. Et subdit: *Quòd quando accidens separatum operatur. actio, & efficientia formæ substantialis suppletur à Deo, tãquam a primo agente, à quo dependet omnis actiò formæ substantialis, & accidentalis*. Vbi etiam apertè distinguit actionem formæ substantialis ab accidentali, quod non verificatur, nisi substantia habeat actionem aliquam propriè & immediate.

Resp. In vtroque loco attribuere D.Th. actionem actionem substantiæ non immediatè,& proximè,sed radicaliter,& mediatè,vt sequenti art. explicabimus Vnde nõ negat agere substantiã, mediante accidẽte, tanquam virtute, vt in illo loco contra Gentiles citato, inquit dicens: *Quòd formæ accidentales agunt in virtute formæ substantialis, & sic producunt effectum similem non sibi tantum, sed ei in cuius virtute agunt*; ergo intelligit D. Th. agere substantiam mediante accidentali virtute.

Secundò arguitur, ratione fundamentali Scoti, quia substantia est nobilior ipso accidente,& est id,in quo assimilatur genitum generanti, ergo oportet, quòd substantia aliquẽ influxum habeat immediatè in ipsã substantiam genitam. *Patet consequentia*,quia virtus accidentalis semper manet inferior ad attingendum substantiã & assimilandũ in illa ipsi generanti; ergo non potest esse tota ratio proximè,& immediatè generandi illam. *Si dicatur* substantiam esse principium radicale,& remotum, accidens autem instrumentale, & propinquum quod potest esse imperfectius formâ genitâ.

Contra hoc est primò, quia non obstante influxu instrumenti, semper ipsi causæ principali attribuitur influxus,& motus; tùm in ipsum instrumentum; tùm in ipsum effectum, ergo per hoc quod dicitur accidens instrumentum substantiæ,non tollitur, sed astruitur, quòd substantia proximè agat. Nam vel influit verè in tale instrumentum, vel non; si non influit, nec instrumentum redditur maioris virtutis, quàm habeat ex se, & sic cùm ex se sit inferius ad substantiam, nunquam poterit illam attingere. Si verò influit ipsa substantia in ipsum accidens, vtique ille influxus actio quædam est, & sic à substantia immediatè dimanat aliqua actio. *Secundò*, quia non repugnet aliquam substantiam ita perfectã esse, sicut illud coniunctum ex substantia & accidenti, nec enim hoc infinitam perfectionem postulat; ergo non est, cur substantiæ creatæ non attribuatur operari immediatè per se ipsam: nec est aliqua ratio, cur substantiis, quæ de facto sunt, id non attribuatur. *Tertiò*, quãdo passum est distans ab agenti, vel virtus, qua operatur, est illud accidens, quòd est in passo, vel quod est in agente. Non quod est in passo; tùm quia hoc solum dispositiuè se habet ad formam, non effectiuè; tùm quia cum non possit accidens operari in abstracto vt calor, sed in concreto vt calidum; si calor existens in ligno, verbi gratia, produceret ignem in eo, lignum in quantum calidum in se produceret ignem,& se corrumperet. Si autem accidens, quod est in agente, producit substantiam, ruit totum fundamentũ ad ponendum, quòd accidens attingat substantia, scilicet, quia quando agens est distans, oportet quòd media aliqua virtute à se diffusa operetur; siquidem ipsa virtus non diffusa, sed in agente existens operatur. *Quartò*, quia calor de se est virtus sufficiens ad producendum similem calorem, vt causa principalis, ergo etiam forma substantialis ad producendum similem formam, quia non minus est illi proportionata, nec minus actiua. & in actu, quã forma accidentalis, respectu similis formę. *Denique* quia potentia radicalis, quæ est in substantia, non minus specificari debet & ordinari ad operationẽ, cuius est radix, quàm potentia immediata,& proxima; radix enim ad fructum se habet, vt ad specificatiuum, ergo si hoc non obstante, substantia potest esse radicale principium, etiam & proximum.

Ad principalem rationem respondetur solutione ibi datâ. Ad primam replicam dicemus sequenti articulo; sufficit tunc aduertere, quòd accidens existens in ipso agente non est instrumentum motum, sed coniunctum ipsi agenti, quòd non est propriè instrumentum, sed virtus ipsius operantis, consequens formam substantialem, vt radicem à qua habet totam rationem agendi, vt deducitur ex D.Th. 1 p. qu.77. art.1. ad 3. & 4. & quæst.115. artic.1. ad 5. Virtus tamen ab agente diffusa, & decisa, ipsa diffusione, qua emittitur sufficienter, dicitur mota ab operante; erit enim ab illo vt virtus eius, & sic non indiget influxu seorsum proueniente ab ipsa substantia.

Ad secundam instantiam respond. Illam in multis deficere, verbi gratia, oculos cũ specie potest videre colorem, intellectus cum lumine gloriæ videre Deũ; substantia cum subsistẽtia superaddita suppositatur; & coniunctum ex istis non est infinitæ perfectionis; ergo poterit dari aliquis oculus ita perfectus, qui sine specie videat; intellectus, qui sine lumine gloriæ sit beatus; substantia, quæ sine subsistentia superaddita propria, vel aliena subsistat. Similiter ergo non poterit substantia sine accidenti operari, licet coniunctum ex substantia & accidente non sit infinitæ perfectionis. *Et ratio istorum est*, quia hoc petit limitatio rei creatæ, vt indigeat accidente ad operandum, eò quòd ipsa operatio in omni creatura est aliquid ei accidentale, sicut existentia, vt ponatur extra causas, si enim operatio esset ipsa substantia creaturæ, operari in actu esset de intrinseca eius ratione, & sic non operaretur præsupponendo totam constitutionem sui,& existentiam, sed ipsa operatione constitueretur, siquidem pertineret ad ipsam substantiam rei. Quare ipsa limitatio creaturæ exigit hoc, quod eius operatio accidentalis illi sit, & consequenter, quòd etiam potentia proxima elicitiua illius sit accidentalis, vt ostensum est, quia debet specificari ab operatione. Videatur Diu. Thom. opusculo 69. vbi latè ostendit, quomodo nulla creatura potest esse bona, & perfecta, nisi accidentibus superadditis.

Ad tertiam instantiam respondetur, aliquos ita existimare, quòd quando ignis, verbi gratia, generat ignem per virtutem à se diffusam, non producit effectiuè ignem à calore existente in passo, sed in igne generante, quia calor in passo solum dispositiuè se habet respectu ignis geniti. *Sed obstat difficultas proposita.*

posita, nam si ignis, à quo calor est diffusus, sit distás, vel non existens; & animal, à quo decisum est semen, iam sit mortuum, quomodo potest effectiuè procedere ille effectus, ab igne illo distante, vel non existente, nisi quatenus manet aliqua virtus illius? Hæc autem est in aliquo passo, ergo non potest negari, quòd ab illa virtute disponente, effectiuè procedat effectus.

Quare dicendum est, quòd virtus diffusa ab agente quæ actuat & determinat materiam passi ad aliquam formam est dispositio eius. Sed quia virtus diffusa est etiam virtus agentis, vt docet S. Thom. 1. 2. quæst. 112. art. 5. ad 3. ideò etiam à tali virtute non repugnat procedere effectiuè effectum sicut ab agente. *Et cùm instatur*, quòd ab ipso ligno recipiente calorem, non potest effectiuè produci ignis, & se destruere. *Respond.* quòd vt dicemus in libris de generat. dispositio existens in vno subiecto non agit effectiuè in ipsum, sed solum materiam eius disponit formaliter; sed dispositio existens in vna parte agit in sibi immediatam, vel in corpore contiguo agit effectiuè in immediatũ, quod tangit, hoc enim modo multiplicatur calor per medium, v. g. per aërem vel lignum agente vna parte in aliam, & non idem in se ipsum; & similiter in generatione animalis prius formatur vna pars ab immediato agente, & per illam formantur aliæ. Et pars quæ immediatè agit in aliam, agit in virtute primi agentis, v. g. ignis à quo mouetur, & à quo diffunditur virtus, & aliquando pars illa sic calefacta, peruenit ad summum calorem & conuertitur in ignem, & sic effectiuè agit ignem in partem immediatam aliquando non ignitur in se propter aliquod impedimentum, & tamen effectiuè operatur vsque ad vltimam dispositionem in aliud, vt cum aërem immediatũ non accendit, & comburit papyrum vel sulphur distans. Quòd si ignis sufficientem calorem non relinquit, & tamen producitur ignis, id erit quia suppletur quod deest ab alia causa, vel ab agente vniuersali, & ille dicetur producere igné. Et sic saluatur, quod in instanti generationis & si compositum corrumpatur in quo sunt accidentia, datur virtus à qua effectiuè procedat generatio scil. ab ea quæ est in parte proxima vel contigua, quæ non desinit esse. Quomodò verò desinentibus dispositionibus antecedentibus ad desitioné compositi corrupti, maneat materia eius determinata dispositiuè ad formam, quę generatur, dicemus lib. 1. de Gen.

Ad 4. instant. resp. ex D. Thom. in 1. dist. 5. q. 2. art. 1. ad 3. caloré esse proportionatá virtuté, vt immediatè agat alium calorem virtute propria, nó propter perfectioné in essendo, aut causando, sed quia est ex natura sua immediata ratio agendi, & immediatè specificabilis ab operatione accidentali, & eius effectu, quod non conuenit substantiæ nisi radicaliter & mediate vt dictũ est. Et sic in ente limitato maior dignitas est non immediatè exequi, & operari, sed tanquam primum, & mediatum seu radicale principium. *Et ex hoc patet solutio ad vltimam instantiam.* Radix enim, quæ non immediatè operatur, non specificatur formaliter ab operato.

Vltimò arguitur, quia si substantia indiget accidéte ad operandum, sequitur quòd sit operans per accidens, & non per se, quia ex accidenti est operatiua, & consequenter per accidens, quòd opponitur ei, quod per se est operatiuum, vnde magis erit operatiuum accidens, quàm substantia, quia per se & nó per aliud operatiuum est, & sic neque substantia erit effectus per se substantia generantis.

Resp. probare argumentum, quòd substantia est per accidens operatiua formaliter, & proximè; radicaliter autem, & primo id habet per se, & constituitur in ratione radicalis operatiui per modum suppositi per formam intrinsecam; in ratione autem operatiui proximi, vel etiam operantis actu per formam accidentalem: quanquam & hoc ipsum quod est per accidens, dicitur dupliciter, vel per accidens id est per aliud, vel per accidens, id est contingenter, & secundum quid, & substantia dicitur operatiua per accidens, id est per aliud, non tamen contingenter, & secundum quid; quia potentiæ operatiuæ illi conueniunt per necessariam connexionem, sicut propriæ passiones.

ARTICVLVS III.

Vtrùm accidens indigeat peculiari influxu substantiæ ad operandum?

QVia dictum est accidens esse virtutem, & instrumentum substantiæ, quod in virtute substantiæ operatur, explicare oportet, quam virtutem accipiat hoc accidens à substantia, vel quem influxum, vt in virtute illius dicatur agere.

In hac difficultate P. Suarez disp. 18. Metap. sect. 2. num. 21. tenet, formam substantialem influere per se ipsam, & simul cum calore, v. g. in effectum suum, qui est substantia, vndè videtur partialem aliquem influxum attribuere ipsi formæ substantiali, qui coniunctus cum calore tanquam cum instrumento, fortificet virtutem accidentis, vt vltra propriam virtutem producat substantiam, quia sola virtus accidentalis non sufficit. Et Conimb. 2. Phys. c. 7. q. 13. art. 3. eandem opinionem tribuunt Thomistis, quatenus dicunt deriuari à substantia ad accidentia virtutem quandam quasi intentionalem, quæ re ipsa accidens est; efficacitate verò substantia. Et in hanc sententiá citant D. Th. 3. p. q. 13. q. 2. & in 4. dist. 1. q. 1. ar. 4. & 3. de potentia, art. 7.

Cæterum oppositum apertè sentit Diu. Thom. qui nullam operationem tribuit formæ substantiali, nisi mediante qualitate, quam dicit esse virtutem agendi, vt videri potest in 1. dist. 3. q. 4. art. 2. vbi inquit; *Quòd forma substantialis ignis nullam operationem habet, nisi mediantibus qualitatibus actiuis & passiuis, quæ sunt quasi virtutes & potentiæ ipsius*; & ad secundum, inquit: *Quod essentia ipsius animæ est principium operandi, sed mediante virtute, principium autem essendi est immediatè, quia non est accidens.* At verò illam virtutem per modum intentionis transeuntis non ponit S. Thomas nisi respectu instrumenti separati, quòd ipsa motione principalis agentis applicatur ad agendum, non in ipsa manens, & completa, vt constat in 3. p. quæst. 62. art. 4. & qu. 78. art. 4. Vndè communiter discipuli D. Thom. negant hunc influxum à forma substantiali in accidentalem, sed ipsa virtus accidentalis est id, quo forma substantialis influit, vt docet Caiet. 1. part. qu. 54. art. 3. in solut. secundæ rationis Scoti, & Magister Soto 2. Phys. qu. 4. art. 2.

Ratio huius sententiæ est, quia ille influxus emanans à forma substantiali in accidentalem, non potest esse nisi per modum transeuntis, scilicet quamdiu actu operatur, quando enim non operatur per illam virtuté, non influit actu substãtia, quia non operatur actu: quòd si permanenter substantia influit in ipsum accidens, ergo quando actu operatur, non indiget alio nouo influxu, vt per talem virtutem operetur, & hoc est nostrum intentum, quod sufficit illa perpetua coniunctio accidentis ad substantiam, vt sine nouo influxu operetur. Si autem est motio

actualis,

actualis,& transiens,nõ potest esse aliqua substantia, quia sic oporteret quòd procederet per aliquam actionem ; & non posset illa substantia, qua dicitur motio, actuare ipsam virtutem accidentalem, aliàs enim ab ipsa substantia agente immediate posset etiam actuari sine medio illo influxu. Si autem est accidentalis ille influxus & motio, non soluuntur difficultates, sed instaurantur, quia istud accidens per modum actualis influxus eandem improportionem habebit ad producendam substantiam, quam ipsa virtus permanens accidentalis, & influxus eius, & iterum iste influxus, seu actio non potest esse immediatè à substantia, nisi per virtutem superadditam, sicut alia quæcumque operatio, vt supra probatum manet. Denique superfluit iste influxus, quia virtus permanenter existens in substantia ex ipsa coniunctione permanenti illi subordinatur,& tãquam aliquid substantiæ agit, ergo non indiget nouo influxu, vt subordinetur ipsi substantiæ,& participet ab ea rationem virtutis, sicut indiget instrumentum separatum, quod non operatur, nisi vt motũ à principali agente, quia per hanc motionem illi subordinatur, & coniungitur, vt dicemus in quæst. de instrumentis.

Sed obiicies primò, auctoritatem S.Th. 3.p.q.77. ar. 3. ad 2. vbi inquit: *Quòd actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis. ab esse substantiæ*; ergo sentit dari ibi duplicem actionem, sicut datur duplex esse alioquin si esset tãtum vna actio, quomodo verificatur, quòd dependet ab actione substantiæ. *Et confirmatur*, ex Philos. 2. de gen. tex. 55. vbi reprehendit aliquos, qui dicebãt formam substantialem non agere,& dicit ipsos omisisse principalem causam quę est forma,& quidditas, cùm tamen attribuerent corporibus potentias atq; vires, quibus instrumentaliter generarent, ergo idem inconueniens sequitur, si formæ substantiali non attribuimus alium influxum, quàm ipsarum virtutum, quæ sunt instrumenta.

Resp. S.Th. intelligi de dependentia actionis formæ accidentalis ab actione formæ substantialis tanquam ab actione radicali, seu suppositali, quatenus substantia est principium agendi primum & mediatum, accidens autem proximum & immediatum. Et hanc radicalem actionem supplet Deus in accidente separato, quia supplet eius dependentiam à subiecto. *Ad confirmationem respondetur*, quòd vt notat S.Th. super illum locum, Philosophus improbat opinionẽ eorum, qui dicebant materiam primam informatam primis qualitatibus esse principium transmutandi, & omittebant formam substantialem tanquam alterum principium transmutationis. Ex quo non sequitur, quòd forma substantialis habeat actualem influxum in ipsa accidentia, sed sufficit quòd radicalem.

Secundò arguitur, quia virtus accidentalis, sola remoto omni influxu substantiæ, non continet in se totum effectũ producendum, qui est substantia alioquin solum accidens esset totale, & integrum principium producendi substantiam, ergo si substantia non habet alium influxum præter ipsum influxum virtutis accidentalis, totum quod fit in substantia, fit in sola virtute accidentis. *Nec sufficit dicere*, quòd ipsa virtus, vt coniuncta vel subordinata substantiæ, operatur vltra propriam virtutem, quia illa coniunctio, & subordinatio non est aliqua virtus absoluta superaddita, sed aliqua noua relatio, vel denominatio inter substantiam, & accidens coniunctio enim relatio est, quod totum nihil actiuitatis aut virtutis superaddit.

Confirmatur, quia vel accidens se habet vt instrumentum verè,& propriè motum à substantia, vel solum similitudinariè, quatenus substantia est radix illius. Si primum, requiritur vera & propria motio, seu influxus à substantia in accidens, aliàs non esset verè, & propriè instrumentum. Si secundum, talis radicatio potius est radicatio in esse, quàm communicatio operandi, non est enim aliud quàm continentia ipsarum passionum seu virtutum in subiecto, à quo emanant, & sustentantur, & sic cum omnes virtutes æque dimanent à subiecto, & æqualiter habeant illud pro radice, sequitur quòd ex attentione ad vnam operationem non impediatur alia, siquidem ad hoc non requiritur aliquis influxus substantiæ, sed sola radicatio virtutum, hæc autem non remittitur ex attentione ad vnam, magis quàm ad aliam.

Resp. virtutem accidentalem esse totam virtutem producendi tanquam virtus proxima,& immediata, dependens tamen à radicali,& mediata quæ non habet influxum actualem in ipsam virtutem, sed solùm radicalem, alioquin respectu talis influxus, non esset radicale principiũ, sed etiã proximũ. Et quando quęritur, quid sit iste radicalis influxus? *Resp.* entitatiuè & in re non esse distinctum ah ipso influxu actuali, qui procedit mediante virtute accidentali, sed distingui secundum dependentiam, & modum, quatenùs procedit ab accidente, vt dependente, & radicato in ipsa substantia, vt in principio, primario, & consequenter etiam operatio ab vtroque pendet, sicut etiã concursus simultaneus primæ causæ, entitatiuè non est aliud, quàm ipsa actio causæ secundæ, vt dependens à prima, vt etiam Authores oppositi fatentur, & dicemus q.25. Similiter ergo influxus substantiæ, & accidentis est idem entitatiuè, radicaliter à substantia,& formaliter ab accidente, vt dependente,& subordinato illi. *Et quando instatur*, quòd ista subordinatio non addit, nisi quandam relationem supra ipsum accidens.

Resp. Non addere relationem tantum prædicamẽtalem, sed etiam secundum dici, quæ est fundamentum relationis prædicamentalis, quæ nihil aliud est, quàm aliquis modus, seu perfectio, quam habet accidens, ex eo quod dimanat, à substantia v.g. calor aliquam perfectionem participat, ex eo quòd est calor animalis, quàm ex eo quod est calor ignis, & D. Thom. 1.p.q.78. art.4. ad 5. inquit: *Quòd cogitatiua habet quandam eminentiam in homine non per id quod est proprium sensitiuæ partis, sed per aliquam affinitatem, & propinquitatem ad rationem vniuersalem, secundùm quandã refluentiam, & ideo non sunt aliæ virtutes; sed eædem perfectiores, quàm in aliis animalibus.* Ecce fatetur D.Th. vnum accidens esse perfectius in vno subiecto quàm in alio, ex coniunctione ad tale subiectum, quod vtique non dicit solam relationem, sed aliquam modificationem, seu perfectionem, vel modum perfectionis superadditum, ratione cuius dicitur operari in virtute substantiæ vltra propriam virtutem.

Ad confirmationem respondetur, virtutem substantiæ accidentalem propriè non esse instrumentum, sed ipsam virtutem principalis, agentis, quæ propter radicationem in ipsa substantia, & dependentiam ab illa, vt à principio *quod* operatiuo, dicitur habere modum instrumenti. *Et ad id quod dicitur* de attentione ad quam operationem, quòd impedit illam, *Respondetur*, hoc non prouenire ex influxu actuali substantiæ animæ in potentias, sed ex limitatione potentiarum, quæ in eodem subiecto non possunt simul operari, vel plura operari & attẽdere, æquè intẽsè & præsertim quãdo indigent tali temperamento vel dispositione organi,

quæ

quę facilius immutatur & conſumitur, ſi vna potentia nimis attendat, & laboret, & ſic non relinquit alteri diſpoſitiones, ad operandum in eadem perfectione.

Ex quibus colliges, quâ ratione explicetur, quòd forma accidentalis, ſiue in naturalibus, ſiue in ſupernaturalibus ſit tota ratio agendi, quia præter ipſam virtutem accidentalē, qua aliquid conſtituitur potēs, operari talem ſpeciem actus, reliquum quod manet, ſolùm eſt principium radicale operandi, & principiū *quod*, tota ergo ratio operandi vt *quo*, & vt ratio formalis ſpecifica, eſt ipſa virtus, ſiue innata in naturalibus, ſiue aduenieus in ſupernaturalibus, quia tota ſpecies actu ſupernaturalis eſt, ergo & tota virtus ſpecifica.

Vltimò arguitur, quia generatio eſt actio diſtincta ab alteratione, ſiquidem habet diſtinctum terminum, verb. gr. calor eſt terminus alterationis, & ignis generationis, ergo non procedit ignis à ſolo calore, qui producebatur toto tempore antecedente inſtans generationis, ſed alia actio elicitur in illo inſtanti, quæ generatio eſt, ergo ab alio principio, ſcilicet à ſubſtantia; accidens enim, & quidquid accidenti prouenit à ſubſtantia, eſt inferius ad producendam ſubſtantiam *Confir.* nam ſi actio ſolùm procedit formali concurſu ab accidente, ſolùm formaliter & actu pendebit ab illo, & non à ſubſtantia, & ſic ſubſtantia actualiter erit in otio, quia actu non pendet ab illa operatio. Et hoc ſpecialem difficultatem habet in actibus vitalibus, qui debent eſſe à principio intrinſeco vitæ, quod eſt ſubſtantia ipſa animæ, quæ ſi actu non influeret in operationes, nulla eſſet differentia inter actiones vitales, & non vitales, nam etiam principium non vitalium, v.g. calor radicatur in ſubſtantia.

Reſp. generationem eſſe diſtinctam actionem ab alteratione, vt probabitur in 1. lib. de generat. licèt aliqui putent non eſſe actionem realiter diſtinctam ab alteratione, quia terminus eius, ſcilicet ſubſtantia per neceſſariam ſequelam reſultat poſita vltima diſpoſitione, & ita non indiget diſtincta actione. Quod tamen valdè difficile eſt loquendo de propria reſultantia, eo modo quo paſſiones reſultant à natura, nam vel illa vltima diſpoſitio eſt in genito vel in corrupto; ſi in corrupto implicat ab illa reſultare ſubſtantiam genitam, quia tota illa diſpoſitio periit cum corrupto, & ſic non magis ex illa reſultat ſubſtantia genita, quàm ex ipſo corrupto. Si verò eſt in ipſo genito, non reſultat ſubſtantia ex tali diſpoſitione, licèt ſit illi annexa, ſed potius diſpoſitio reſultat ex illa, quia eſt propria paſſio, ſeu accidens illius. Sed de his in lib. de gener. Nunc dicimus admiſſo quòd generatio ſit actio diſtincta ab alteratione, non procedere à diſtinctis principiis, ſed à ſubſtantia medijs accidentibus, quia iſtæ actiones ordinatè ſe habent, & ita ex eiſdem principijs procedunt, ſed alteratio procedit à calore, v.g. vt à principio ſibi adæquato, generatio verò vt à principio ſibi deſeruienti ex ſubordinatione ad ſubſtantiam, ex qua habet eſſe virtus propria ſubſtantiæ in agendo, licèt inferior in eſſendo, vt S.Th. dicit 1.p.q.15. art.1. ad 5.

Ad Confirmationem reſp. operationem actu depēdere à ſubſtantia mediatè, id eſt mediante virtute accidentali, quâ agit in ipſum terminum, non autem oportet, quòd dependeat immediatè actualiter, ſed radicabiliter; nec eſt vlla ratio cur ipſe terminus, ſeu effectus productus non immediatè producatur à ſubſtantia, & dependeat ab illa, ſi habet actualem concurſum ſeorſum in ipſam virtutem operantem. Neque hoc eſt ſubſtantiam eſſe in otio, ſed vere operari vt principium *quod*, non vt *quo*; operatur enim per ſuas potentias & virtutes, non ſine illis, neque influendo actuante concurſum illarum. *Et ad id quod dicitur* de actibus vitalibus. *Reſpondetur*, differentiam inter actus vitales, & non vitales, non eſſe, quia in illis actu influat ſubſtantia, non in iſtis, ſed quia in illis viuentia ſe mouent, & non purè mouentur, vndè oportet, quòd à principio intrinſeco procedit actio, non ſolum vt operante, ſed etiam vt ſe mouente, quod non procedit in non viuentibus, in vtriſque tamen ſubſtantia operatur, vel mouet vt principium radicala, & vt *quod*, non proximè & vt *quo*.

ARTICVLVS IV.

Quæ ſit cauſalitas efficientis?

P*Eruulgatum apud omnes eſt* actionem eſſe cauſalitatem agentis, tanquam medium quoddā influendi in effectum, nam quòd efficiens ſolâ ſuâ entitate non cauſet, nec effectus ſolâ ſuâ entitate procedat, colligitur ex differentia inter cauſam efficientem, & formalem, quia in cauſa formali effectus nō eſt aliud quàm ipſa cauſa, vt communicata, ſeu vnita alteri, vnde poſitâ applicatione, ſeu vnione, nō indiget medio cauſante ſuum effectum. At verò efficiens habet effectum diſtinctum à ſe, quem tangit ſeu immutat tanquam terminum, qui tranſit de non eſſe ad eſſe, Vnde indiget pręter applicationem ad agendum aliquo ſuperaddito vltra ſuam entitatem, quo dicatur iſta entitas actu immutari, vel emanare à ſe, ſola enim entitas cauſæ, nec eſt ipſa entitas effectus immutata, quia habet diſtinctum effectum à ſe, nec eſt ipſa actualis immutatio, quia hæc tranſit, & entitas permanet.

Caterùm, quia in actione multa latent, & ab ea connotantur, inuenitur enim ex parte agentis emanatio, ex parte paſſi immutatio, ex parte effectus ipſum fieri ſeu motus, inuenitur relatio, ſeu ordo, & agentis ad terminum, & termini ad agens, reſtat videre ſecundum quam rationem, ſeu formalitatem dicatur actio cauſalitas agentis, qua denominetur cauſans. Nam apud Scotum, & eius diſcipulos diſtinguitur de actione, vt eſt ſpeciale prædicamentum, & vt eſt ratio cauſandi ipſi agenti comparatiuè ad effectum, & de prima dicunt, quòd conſiſtit in reſpectu extrinſecùs adueniente, de quo diximus in Logic. quæſt.19. & hic reſpectus conſiſtit non in ordine ad effectum productum, ſed ad paſſum, ſeu ſubiectum, actio enim vt prædicamentum ex illa, quæ opponitur paſſioni, & paſſio pertinet ad ſubiectum. De ſecunda verò dicunt, quòd formaliter conſiſtit in relatione intrinſeca, ſeu prædicamentali reſultāte ex poſitione termini, & ſubiectata in agente, fundamentaliter autem conſiſtit in ipſo fieri effectus, vt tendit ad factum eſſe. Ita videri poteſt P.Fuente 2. Phyſic. q.4. art.2. num.43. & 44. *Fundamentum eſt*, quia in cauſa efficiente inuenitur ordo ad effectum fundamentaliter, quòd eſt ipſa virtus abſoluta, ex qua ſequitur fieri, & tendentia ad effectum, & ſic ipſa cauſalitas efficientis eſt aliquid abſolutum, ſed talis fluxus, ſeu fieri non facit, quòd cauſa formaliter reſpiciat effectum, quia fieri non eſt in cauſa ad effectum, ſed à cauſa & habet ipſam cauſam, vt terminum à quo, id eſt principium à quo manat, reſpicientia autem cauſæ ad effectum non comparatur ad cauſam, vt ad principium à quo, ſed vt ad ſubiectum quod reſpicit effectum: ergo non conſiſtit

consistit actio formaliter in ipso fluxu & tendentia, sed in ordine & relatione.

Confirm. quia actio remoto motu non est nisi relatio causæ ad effectum, sed per motum, vel per actionem quatenus inuoluit motum, non potest cõstitui causalitas efficientis, ergo constituitur per relationem. *Maior* est D. Thom. 3. part. qu. 41. art. 1. ad 2. vbi inquit: *Quòd remoto motu actio nihil aliud importat, quàm ordinem originis secundum quod à causa aliqua procedit*, & idem docet q. 45. art. 2. & 3. *Min. probatur*, tùm quia saluatur actio sine motu, vt creatio; tum quia motus solum facit, quòd actio respiciat passum, hoc enim transmutatur per motum, non verò quòd respiciat effectum, formaliter autem actio debet esse ad effectum.

Alij Authores amissa ista causalitate relatiua *docent*, causalitatem efficientis consistere in ipsa actione, vt importat dependentiam, seu emanationem à causa, quod est fieri effectus. Ita P. Suar. disp. 18. Metaph. sect. 10. n. 8. Conimbr. 2. Phys. cap. 7. quæst. 6. art. 2. *& alij.* Et *fundantur in hoc*, quia hoc fluere seu fieri est medium inter producens, & productũ, agens & effectum, est etiam id quo causa intrinsecè attingit effectum, quasi via ad illum, ergo habet totum quod requiritur ad causalitatem causæ efficientis, causalitas enim est id, quo constituitur agens in actu secundo, & ita debet mediare inter virtutem, quæ est actus primus, & effectum.

Alij denique constituunt causalitatem efficientis non in ipsa actione secundum se, sed potius in ipso agere, seu exercitio talis actionis, quod nihil est aliud quam ipsum subesse actioni ex parte causæ. Ita plures Authores, qui citantur in Cursu Carmelitano 2. Physic. disp. 10. sect. vltima, & Fonseca 5. Metaph. q. 13. sect. 3. *Ratio est*, quia causalitas causæ est id, quo vltimatè dicitur causa operari in actu secundo, ergo non consistit in sola actione considerata, vt est exercitè agens, seu in ipso exercere actionem, ibi enim est vltima ratio agendi, vndè si actio separaretur ab omni subiecto, non diceretur aliquid efficere per illam; ergo sola actio nisi sumatur exercitè, non dicit ipsam causalitatem agentis.

Prima conclus. *Actio vt causalitas formalitate causandi non est relatio, sed aliquid absolutum, & de prædicamento actionis.* Duas partes habet conclusio. *Prima* est negatiua, quòd non est relatio. *Secunda* positiua, quòd sit de prædicamento actionis. *Et notanter dico*, esse causalitatem sub formalitate causandi, vt distinguamus à formalitate respiciendi, hæc enim in causa, relatio est. *Probatur ergo prima pars*, quia si formalitas actionis est relatio, vel est relatio secundum esse, & de prædicamento relationis, vel de alio prædicamento, tanquam relatio secundum dici. Si hoc secundum, oportet assignare quodnam sit hoc prædicamentum, & non inuenitur aliud, quã prædicamentum actionis, vt in secunda parte conclusionis ostẽdemus Si primũ, vel illa relatio fundatur in ipsa virtute causæ, vt est in actu primo, vel vt est in actu secundo, Prima relatio non constituit causam actu causantem, sed causatiuam, seu potentem causare, vnde semper conuenit ipsi causæ, etiamsi actu non operetur, vnde respicit effectum non existentem, sed futurum, vel possibilem, quod non stat cum relatione prædicamentali. Secunda vero relatio supponit ipsam operationem, seu actum secundum, quia super illam fundatur per ipsam autem relationem non accrescit noua ratio actualitatis, siue actiuitatis ad effectum, sed pura respicientia ad illum; pura autem respicientia non producit, nec reddit effectum productum, sed respectum; ergo tota formalitas causandi erat ante relationẽ in ipso actu secundo, licet non tota formalitas respiciendi, quia erat tota ratio, qua redditur effectus productus.

Nec obstat, quòd aliqui concedunt causalitatem formalem supponere effectum productum, non tamen fundamentalẽ, quia ratione fundamentalis causa est prior effectu, ratione autem relationis est simul cum illo. *Sed contra est*, quia id quod supponit effectum productum, & non est prius, sed simul cum ipso, non est actiuè producens, id est faciens transire de non esse ad esse, & ponens extra causas, sed positum extra causas supponit, & sic purè respicit, non efficit, formalissima autem ratio causalitatis efficientis est ponere extra causas; ergo quidquid est præter ponere extra causas, non pertinet formaliter ad efficientiam, sed ad respicientiam, & sic esse simul cum effectu non est proprium, & formale causæ, vt causa est, sed vt relatiua.

Secunda verò pars conclusionis probatur, quia illa causalitas, vt ostensum est, non est de prædicamento relationis, neque potest esse de prædicamento quantitatis & qualitatis loquendo de formali actione, quia quantitas & qualitas sunt termini actionis, & motus, vt dicetur in 5. lib. Ergo erit de prædicamento actionis, nam de aliis prædicamẽtis non est dubium, nam substãtia est actio, sed agens, passio infertur ex actione, & supponit illam, nec denominat agens, sed patiens, locus verò & situs, & alia prædicamenta nihil habent pertinens ad constituendam efficientiã. Sed tamẽ hoc intelligitur de actione creatâ, nam increata est extra prædicamentum, & est ipsa substantia Dei; similiter non intelligitur de actibus immanentibus, vt purè immanentes, non vt includunt virtualiter actionem transeuntem, nam vt purè immanentes non sunt de prædicamento actionis, eò quòd non important motum, sine quo non datur ordo ad passum, & actio sine ordine ad passum non est prædicamentum actionis, vt statim ex D. Th. dicemus & amplius q. 14.

Secunda conclusio, *Actio non est formaliter causalitas agentis, secundum quod connotat motum, seu ordinem ad passum, neque vt dicit fieri ex parte effectus passiuè acceptum, sed vt dicit actum secundum ipsius agentis, qui est ipsa emanatio seu fieri actiuè, & secundum denominationem Ab.* Pro huius intelligentiæ *est aduertendum*, quòd actio dicit ordinem, seu connotationem ad effectum, ad passum, & ad agens. In effectu importat fieri seu produci, in passo motum seu passionem, in agente actum secundum, id est transitum de otio ad operationem, quam D. Th. dicit esse mutationem ipsius agentis in 2. dist. 1. q. 1. art. 5. ad 4. Et quidem vt denominetur agens omnes istæ connotationes requirũtur, nihil enim denominatur agens ante terminum, seu effectum, si enim agit, aliquid debet agere, nec denominatur inferens passionem ante ipsam mutationem seu motum, nec denique agit, nisi sit in actu secundo agendi. Sed tamen per se, & formaliter actio non constituit causalitatem, nisi vt tenet se ex parte agentis per ordinem ad effectum, vt ad terminum, quia oportet, quòd denominet agens causare, & operari. Quòd si effectus requirat mutationem passi, etiam habebit motum adiunctum. Et hoc præcipuè petit actio de prædicamento actionis, quia cùm sit illatiua passionis oportet, quod dicat ipsum *Ab*, per modum motus. Et ita dicit S. Thomas in 1. distin. 61. q. 4. artic. 3. ad 3. *Quòd actio secundum quod est prædicamentum, dicit aliquid fluens ab agente, & cum motu, & ideo non est in Deo actio, quæ est prædicamentũ.* Itaque actio prædicamentum, non solum dicit respectum ad effectum, sed etiam ad passum; contraponitur enim talis actio passioni. Vt autem est causalitas efficientis præcisè solũ respicit effectũ, quia solũ hoc est

est causatum;motum verò solum respicit provt effectus mutat passum,& sic in quantum causalitas solū respicit effectum terminatiuè,vt causatum, & agens denominatiuè vt causans. An verò etiam inhæsiuè sit in ipso agente in lib.3.dicemus.

Ex quo colligitur,quòd causalitas agentis formaliter non potest explicari per ipsum fieri effectus,quia ta fieri explicatur passiuè, & supponit facere actiuè, ergo habet se vt causæ,& causare; causalitas autem agentis formaliter non est causari, nec tenet se ex parte effectus, sed ex parte causæ, eò quòd non est ipsa dependētia,à quâ effectus dependet,sed actus secundus causandi à quo dependet,ergo causalitas non debet explicari formaliter per ipsum fieri ex parte effectus,sed actiuè ex parte causæ. *Colligitur secundò* parum referre, quòd actio explicetur per modum formę vel per modū exercitij,ipsa enim forma actionis est forma exercitij agendi, sed significatæ in abstracto dicitur actio,in concreto verò dicitur agere, seu operari; idem est autem loqui de forma in concreto, & in abstracto quantum ad substantiam, licèt significantius,significetur hoc exercitium causalitatis per ipsum agere,& ita dicit D. Th.in 3.Phys. lect.4.circa finē *Quòd motiuum dicitur secundū potentiam,mouens autem in ipso agere,in quantum agit actu.*

Ad fundamentum Scoti. Respondetur,quòd fieri seu fluxus,vt tenet se ex parte effectus passiuè,non constituit formaliter causam,sed vt tenet se ex parte ipsius causæ, vt explicatum est. Sic enim est formalis ratio causandi, licet non sit formalis respiciendi, & sic causalitas debet formaliter reperiri inter causam, & effectum formalitate causandi: quod fit per ipsam actionem,non formalitate respiciendi, quod fit per ipsam relationem. *Et quando dicitur* quòd fluxus respicit causam vt terminum à quo, non verò, per ipsum causa respicit effectum. *Negatur*, quòd per ipsum non respiciat effectum, non quidem respicientia puræ relationis, sed respicientiā causationis. Ita enim est à causa emanatiuè; quod est ad effectum, vt ad terminum causatum per talem emanationē; & sic causare formaliter pertinet ad actionem, respicere formaliter ad relationem, licèt id quod est causare formaliter; sit respicere fundamētaliter. Et quando dicitur, quòd fieri non est in causa,sed à causa,& sic non denominat illam intrinsecè. *Respond.* quòd fieri, vt est ex parte effectus, non est in causa,sed in effectu, fieri autē per modū actionis ex parte causæ, denominatiuè est in agente, quatenus ab eo emanat,sed entitatiuè,& inhæsiuè est in passo,vel in effectu iuxta opinionem ponentiū actionē in passo,sufficit enim quòd entitas actionis inhęreat in aliquo, non verò quòd secundum omnem denominationem inhæreat. Si verò ponatur actio in agente,nulla est difficultas.

Ad confirmationem respondetur, dictum S. Thomæ intelligi de causa, quæ est in actu vltimo & secundo ad operandum, in tali enim causa remoto motu nō datur fluxus aliquis, seu actio per modum vltimæ actualitatis,quia iam ista supponitur in causa,sed solum remanet ordo originis; sed si causa non sit secundùm se in actu vltimo,nō solùm indiget relatione,sed etiam actualitate, quæ est fundamentum huius relationis, vt dicatur formaliter causare. *Cuius ratio est*,quia quando dicitur aliquid addere relationem,semper intelligitur de relatione fundata, fundamentum autem istius relationis est actus secundus, non primus; vnde posito actu secundo, actio non addit,nisi relationem. Quòd si iste actus secundus non possit haberi in causa, nisi mediante aliqua mutatione causæ, requiretur motus ad illam actionem, non vt causalitas formaliter, sed vt id, sine quo talis causalitas non habetur in tali causa, quæ indiget mutatione, vt transeat de actu primo ad secundum.

Ad fundamentum secundæ sententiæ resp. quòd ille fluxus seu fieri,vt tenet se ex parte effectus, non est formaliter causalitas, sed præsupponit illā,quia non se habet vt actualitas secunda sumpta actiuè, sed vt effectus consequutus passiuè.

Ad fundamentum vltimæ sententiæ resp. quòd ratio actus vltimi operandi conuenit tā ipsi agere in exercitio,quàm ipsi actioni,quia ipsa actio exercitium est agentis,& solum differentia est in modo significandi actionis, vt forma in abstracto, ipsius agere vt exercitij in concreto.

APPENDIX.

De Dimanatione.

QVædam sunt,quæ dimanare dicuntur à sua causa per modum resultantiæ, & non per modum actionis,sicut propriæ passiones ab essentia, relatio à fundamento, actio ab agente. Et *aliqui existimant* passiones dimanare ab essentia per veram actionem, & aliquando separatim à productione illius rei, à qua resultat,vt quando aqua calida reducitur in frigiditatem;quam sententiam tenet Pater Suarez disput.18. Metaphysic. lect.3. n.4. & 5. *Alij verò* præsertim ex Thomistis dicunt non interuenire actionem aliquam ortam ab essentia in ipsas passiones, sed ipsa actione generantis immediatè terminata ad naturā mediatè attingit passiones:ipsa verò actio se ipsa egreditur, quia est ipsa egressio effectus *vt quo.* Ita de passionibus docet Caietanus 1. par.q.77.art.6. in solut. ad 3. Ferrar.4. contra Gen. cap.65.§. ad difficul.tactam, Conrad.1.2.q.110. art.3. §. Sed dicitur Soto in Logica,cap.de proprio. Alijque plures apud Cursum Carmelitanū hîc disp.10 q.7. *Alij* ex Schola Scoti *existimant*, passiones, quæ identificantur cum substantia vt potentiæ actiuæ,& similes,nō emanare à substantia, sed fieri ipsa actione generantis. Quæ verò distinguuntur à substantia,vt quantitas,relationes extrinsecus aduenientes per veram actionem à substantia emanare. Videri potest apud. P.Fuente 2. Phys.q.4. diffic.4.art.4.

Respondetur ergo. *Dimanationem entitatiuè esse actionem generantis,vel formaliter vel virtualiter,respectu tamen essentiæ,à qua passio dicitur emanare, non est actio,sed connexio passionum cum essentia, quæ postulat vt posita actione generantis, ab ipsa etiam attingantur passiones.* Quòd ergo emanatio respectu essentię nō sit propriè actio,sumitur ex D.Th.1. par.q.77. art.6. ad 3. vbi inquit: *Quod emanatio proprij accidentis à subiecto non est per aliquam transmutationem, sed per aliquam naturalem resultantiam*, & idem repetit ar.7. seq. ad primum;distinguit ergo S.Th.emanationē ab actione,quæ est prædicamentum, quia apud D.Th. actio quæ est prædicamentum, sine transmutatione, & motu non est.Vndè idē est negare quod resultantia illa sit transmutatio,& negare quòd sit actio:quia si esset actio, deberet esse eductiua, & vnitiua illius accidentis ad subiectum, quod sine transmutatione non fit.

Ratio & fundamentum est,quia ponere nouā actionem distinctam à generatione pro emanatione passionum,& superfluum est,& impossibile. Superfluum quidem quia eadem actio,quæ dat formam,dat consequentia ad formam,actio ergo generantis non sistit in nuda substantia, sed eam producit ornatam acci

accidentibus à quibus dependet substantia, vt existat & operetur; pertinet enim ad generantem ponere suum terminum totaliter, & absolutè in esse, & in eâ dispositione quâ operari possit, siquidem ad hoc est, vt operetur, ergo debet illi tribuere illa, sine quibus neque existit, neque operatur, qualia sunt accidentia propria.

Et ex hoc ostenditur, quòd sit impossibile emanationem esse actionem distinctam à generatione ortã ex ipsa essentia rei genitæ. *Primò*, quia ad elicientiam actionis, quæ vera operatio & actio est, requiritur virtus operatiua, & non potest immediatè à substantia elici, vt artic. 2. probatum est ergo non potest substantia nuda producere aliquid per veram actionem, aliàs ruit totum fundamentum ad distinguendum potentias operatiuas à substantia. *Secundò*, quia propria passio solet esse principium agendi, vt calor calefaciendi, visus videndi. Si ergo per actionem propriam produceretur à substantia, haberet duplicem actionem cùm calefacit, aliam producentem calorem, aliam per calorem calefacientem. Deinde vt S.Th. probat opusc. 48. cap. de proprio, si essentia per veram efficientiam produceret passiones, id faceret per actionem eductiuam, creatiua enim hic non habet locum cum producatur accidens dependenter à subiecto, propria autem passio recipitur in toto subiecto, verbi gratia, calor in igne, intellectus in anima, ergo si ipsa essentia actiuè producit passionem, quam recipit, secundum idem erit actiuum, & passiuum, in actu, & potentia respectu eiusdem, quod implicat, vt ostendemus in lib. 7. nisi fortè dicatur esse actionem immanentem, qua producitur propria passio. Sed hæc neque conuenit omni substantiæ, sed tantum viuenti, neque est productiua termini, qui vlterius sit principium agendi, sicut solent esse propriæ passiones. Et quando dicit D.Thom. 1. par. quæst. 77. art. 6. quod subiectum in quantum est in actu, est productiuum accidentis proprij, & in quantum in potentia, receptiuum, loquitur de productiuo non per propriam actionem elicitam à se, sed à generante, quod mediante ipsa substantia reddita in actu attingit passiones.

Sed obiicies, nam sequitur ex hoc, quòd passiones non pendeant ab essentia secundum causalitatem physicam, sed secundum illationem logicam, scilicet secundum connexionem; consequens est falsum, alias non fluerent physicè, nec dependerent passiones ab essentia sed ipsa essentia esset in otio & quiete, vtpotè nihil realiter causans: præterquam quòd non est assignabile, quid desit illi emanationi, vt sit vera efficientia, cùm sit verus effluxus, & originatio vnius ab alio, cum vera dependentia. *Sequela vero probatur*, quia si dependet physicè, & causatur passio ab essentia, in quantum emanat ab illa in aliquo genere causæ dependet, nec est aliud quam in genere causæ effectiuæ, licèt enim etiam recipiatur passio in substantia, tamen receptio non est emanatio.

Resp. emanationem esse veram & physicam causalitatem, non tamen distinctam ab ipsa generatione, quæ vt attingit substantiam, dicitur generatio, vt autem mediante ipsa substantia progreditur ad passiones ratione debiti, & connexionis cum illa, dicitur emanatio. Et sic substantia est principium passionum, non vt primo eliciens productionem illarũ, sed vt medium, & ratio progrediendi actionem ad illas, ita quòd generatio non sistat in ipsa, sed mediãte ipsâ vlteriùs transeat ad passiones, & quantũ ad hoc est principium ipsius vlterioris transitus, & ratione suæ connexionis cum passione iuuat, & conducit ad illum progressum actionis, & sic non est in otio & quiete, sed verè agit actione generationis, non elicita à se, sed terminata ad se & ratione sui vlterius progrediente. Hoc enim contingit, quando aliquod agẽs ordinatè producit multa, priùs attingens vnum, & mediante illo aliud; illud enim quod immediatè attingitur, quatenus est ratio transfundendi actionem ad terminum secundum, dicitur actiuè se habere, vt dicit D.Th. opusc. cit. sicut clauus infixus trabi, si mediante clauo mouetur, quamuis totus motus effectiuè sit ab homine mouente clauum, & trabem, tamen clauus etiam se habet actiuè ad motum trabis; sic subiectum mouetur à generatione, & est ratio vt ipsa generatio transeat ad passiones attingendas. *Nec potest dici*, quòd terminus secundarius non attingitur ab actione, aliàs esset primarius *Contra enim est*, quia si nullo modo attingitur, nullo modo pertinebit ad ipsam actionem, & sic nec secundarius erit. Et quando dicitur, quænam conditio deficiat, vt emanatio sit vera actio; *Resp.* quòd respectu generantis nulla deficit, quia vera actio est, respectu verò essentiæ deficit, quòd sit primum principium, vnde incipit motus, cum non ab ipsa incipiat, sed à generante.

Secundò obiicies specialiter de illis passionibus, quæ aliquando impediuntur, & iterum fluunt, vt cùm aqua calida reducitur ad frigiditatem, lapis remoto obstaculo, descendit, tunc enim illa frigiditas est de nouo producta, & distincta numero ab ea, quæ antea corrupta fuit, & ad eam Deus de nouo concurrit, cùm de nouo sit in rerum natura, & in aqua fit nouus motus, cum per transmutationem eius à calore in frigus reducatur aqua, quæ transmutatio non fuit in prima generatione, ergo fit illa frigiditas noua actione, sicut & nouo motu, & non actione generantis: quæ iam præteriit, & generans amplius non influit, ergo per actionem productam ab ipsa substantia. *Confir.* quia si passiones se ipsis emanant ab essentia, & non media actione, se ipsis sunt ipse effluxus ab essentia, ergo inseparabiles erunt ab essentia, sicut ipse effluxus & actio inseparabilis est, cùm tamen constet quantitatem separari à substantia, cuius est proprietas.

Ad hoc argumentum respondebimus infr. q. 23. agendo de motu grauium & leuium, vbi ex mente D.Th. ostendemus in forma producta per generationem, virtualiter manere generationem, sublatoque impedimento iterum explicari in passionem, & emanationem, virtualiter posse esse motum, si remoueat contrarium impediens se.

Ad confirmationem resp. proprias passiones, quæ non sunt modi, separari per se ab essentia, impedita actione generantis & effluxu emanationis, ne ipsas tangat; vel supplente Deo ipsam sustentationem earum in subiecto, nec enim sunt essentialiter ipsa actio, sed terminus eius.

Nota.

De subordinatione causarum tam principalis, quàm instrumentalis hîc agendum erat, sed tractatus iste prouectioribus conuenientior est quam tyronibus, ad vltimum octaui libri reseruatur, vbi agitur de comparatione mobilium ad mouentia vsque ad primum motorem.

QVÆSTIO XIII.

De Fine.

EVNDEM *ordinem seruabimus in explicanda causa finali, quem in reliquis causis, vt primò agamus de ratione formali causandi, & conditione requisita.* Secundò, *de causalitate.* Tertiò, *de effectibus.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm apprehensio finis sit ratio causandi, vel solum conditio?

DVo *supponenda sunt. Primum est*, finem debere habere rationem boni, & appetibilis vt sit finis, nec sub ratione mali posse aliquid finalizare. Quod licèt aliqui Authores negent, nunc tamen id supponimus, vt tradi solet 1.2.q.8. art.1. & 1.p.q.5. artic.4. *Cuius ratio manifestè sumitur* ex ipsa essentia finis: est enim id cuius gratia aliquid fit, si autem sit malum sub ratione mali, hoc ipso habet rationem disconuenientis, & inappetibilis, ergo illius gratia, seu amore nihil potest appeti, quod enim est disconueniens, quomodo potest esse gratum aut illius gratiâ cætera appeti? Constat autem quod si aliquid appetitur sub ratione mali appeti debet vt disconueniens sibi; nam si est conueniens sibi, licet alteri disconueniens, & malum, hoc ipso appetitur sub ratione boni, non sub ratione mali; vnde quæcumque mala etiam ipsum non esse rationem boni induere debent, vt appetantur, vel comparatiuè ad aliquid peius, vel ex deceptione existimante bonum, sicut non esse sub ratione carendi à præsenti miseria appetitur. Et inimicus odio habetur in se ipso vel per actum fugæ, quia oritur illud odium ex abominatione, & fuga disconuenientiæ, quæ est in inimico, vel actu prosecutionis, quo fertur voluntas in inimicum vt nociuum mihi, & sic odio dignum in se quia mihi bonum est reputare dignum odio, quod mihi est disconueniens.

Secundò suppono, varias esse diuisiones finis, quas in præsenti non possumus exactè discutere, pertinet enim potius ad Philosophũ moralé, vel Theologum: *breuiter dicimus*, quòd cùm finis, & terminus videãtur esse idem, sicut contingit diuidi rationem termini, ita & finis. Sunt autem quatuor, quæ termini, vel finis rationem habere possunt. *Primò* id, quod est terminus cuiuscumque agentis. *Secundò* dicitur terminus, seu finis id, quod appetitur quasi terminus inclinationis, & appetitus. *Tertiò* id cui appetitur, terminat enim appetitum tanquam subiectum, cui aliquid attribuitur. *Quartò* id, quo consequimur finem, illo enim terminatur actio, & sic datur finis cuius gratia, qui est id, quod appetitur vt ratio cæterorum. Secũdò datur finis cui, Tertiò finis quo. Id verò quod est terminus agentis quomodocumque dicitur finis effectus, & non finis causa, qui etiam aliquando vocatur finis propter quem, sicut prouidentia. Regis est propter securitatem, rustici quia scilicet est effectus eius. Et finis causa semper est nobilior suo finalizato, finis autem effectus non est nobilior sed inferior causa sua.

Finis causa, siue finis, cuius gratia diuiditur in finem vltimum, & non vltimum. Finis vltimus est ad quem omnia ordinantur sine subordinatione ad alterum. Non vltimus ad quem ordinantur aliqua cum subordinatione, & dependentia ad alterum. Et habet veram rationem finis etiam non vltimus, sed participatam, in quo rationẽ medij aliquo modo induit; simpliciter tamen habet rationem finis, quia simpliciter est appetibile, licèt participatiuè, sicut substantia creata est ẽns per se, participatiuè tamen ab increata; ex quo intelligitur alia diuisio finis vltimi, quòd alius est finis vltimus simpliciter, id est in omni genere, cui omnia in quocumque genere subordinantur, vel vltimus in aliquo genere, & respectu huius appetentis. Solet etiam distingui finis in finem operis, & finem operantis. Primus est ipsi operi debitus secundum se. Secundus ex intentione operantis præfixus; & denique alius est finis primarius, qui primò & directè intenditur, alius secundarius, qui ex consequenti, & alio præsupposito.

In præsenti disputatione solum agimus de fine *cuius gratia*, quia solum iste est finis causa, & condistinguitur à reliquis causis. Et in hoc articulo intendimus discernere rationem formalem causæ finalis à conditione requisita; constat enim concurrere ad appetitum finis, & propriam eius bonitatem ex parte rei appetibilis & apprehensionem, seu propositionem eius, vt manifestetur appetitui, & inquirimus an vtraque ista ratio concurrat vt ratio formalis, vel altera vt conditio, & altera vt ratio formalis.

Sunt autem duæ principales sententiæ in hac parte. Prima, & communior sententia est, quòd cognitio solũ est conditio finalizandi, ratio verò formalis est ipsa bonitas, quæ conuenit rei secundùm se, & nõ ratione apprehensionis, siue secundum esse possibile, siue secundum esse existens. Ita communiter discipuli D. Th. Caiet.1.2.q.1.ar.1.Ferr.1.cont.Gen.c.44.§.Sciendum secundo, Soto 2.Phys.q.3.§. Causa finalis, Suar. dis.23.Met.sect.8.Fonseca, Pereira, & alij, quos citat Ægidius lib.1. de fine, q.6.ar.4.

Secunda sententia principalis tenet, apprehensionem finis non esse conditionem sed rationem formalem causandi. Ita Medina 1.2. quæstion.1. art.1. idémque attribuitur Soncinati, & Capreolo, & aliis, qui Authores non sentiunt realem bonitatem non pertinere ad rationem formalem finis, apprehensionem, & habere se bonitatem apprehensam sicut color lucidus; lux enim non est conditio cõstituendi calorem in esse visibilis, sed formalis ratio; sic bonitas finis non solum vt subest suo esse, siue possibili siue existenti, sed etiam vt subest esse apprehenso formaliter redditur finalizans.

Inter has duas sententias principales, duæ mediæ interiacent, quæ illas quodãmodo modificant. *Prima est,*

est P. Vazq 12. disp.2. cap.2.& 3. qui distinguit de cognitione,seu conceptu formali, & obiectiuo, & dicit quòd finis,vt dicit conceptũ obiectiuum,& esse intentionale in intellectu, sic induit rationem formalem finalizandi. *Cæterùm* ipse conceptus formalis,à quo denominatur res cognita, & in quo res ipsa repræsentatur,dicit quòd solùm vnum est cõditio requisita ad finalizandum. *Altera sententia est* Magistri Bannez 1.p.q.80. ar.2.ad argumenta primæ sententiæ,qui affirmat,cognitionem non esse formalem rationem finis sed radicalem, quatenus cognitio est radix appetitus tẽdentis in finem;& hac ratione potest pertinere apprehensio ad rationem obiectiuam specificantem.

Nihilominus sit vnica conclusio *Apprehensio non est ratio formalis finalizandi, sed conditio requisita ad finem pro ea parte,qua finis etiam est obiectum,neque est conditio solum per modum applicationis, sed etiam per modum existentia.* Itaque sicut in efficiente datur duplex conditio,altera existentiæ in se, altera applicationis ad passum, ita in appetibili, quod habet rationem finis,& obiecti,apprehensio vtramque præstat conditionem, & applicationis ad appetitum, & existentiæ in esse obiectiuo, vt intentionaliter, & metaphoricè moueat. *Fundamentum est*,quia esse apprehensum est conditio omnis obiecti propositi voluntati,siue sit finis, siue medium,*nihil enim est volitum, quin præcognitum.* Quod ergo est commune fini, & non fini, non potest esse ratio formalis finalizandi, sed pertinet ad communem rationem finis, & medij seu cuiuscumque appetibilis, & hæc ratio communis est esse obiectum voluntatis, vndè in fine distinguitur ratio obiecti à ratione finalizandi, vt sumitur ex Diu. Thom. 1.2. quæst.18. articul.4. & 5. & aduertit etiam Caietan. ibidem, quæst.1. artic.3. vt statim explicabimus. Quod non solum conuincit cognitionem, & conceptum formalem esse conditionem, & non rationem formalem sed neque ipsam rationem conceptus obiectiui vt apprehensi,& vt habentis esse intentionale, quia hoc ipsum est commune omni appetibili,& obiecto volito,siue sit finis,siue non;ergo non est propria ratio finis,neque vt ratio *quæ*,neque vt ratio *sub qua*,ratio enim *sub qua* est formaliter & magis determinata, quam ratio,*quæ* vt patet in ipsa luce, & colore: lux enim formalizat, & perficit colores in ratione visibilis. Si ergo esse cognitum est communius,quàm finis,cùm etiam requiratur,vt sit volitum id, quod non est finis, non potest esse ratio formalis *sub qua* ipsius finis,

Et vrgetur hoc amplius; quia apprehensio non potest esse formalis ratio determinatiua boni,& appetibilis in ipsa linea appetibilitatis,quia apprehensio pertinet ad rationem manifestatiui, & cognoscibilis;appetibile verò ad rationem boni realis,& cõuenientis appetenti;vnde illa apprehensio non addit aliquid in genere,& linea appetibilis, sed supponit illam,& solum manifestat, vndè nullus intendit apprehensionem tanquam aliquid consequendum, vel fruendum. Si autem apprehensio seshaberet vt ratio formalis simul cum ipsa bonitate reali, vtraque deberet esse in eadem linea,& genere appetibili, sicut lux,& color sunt in genere visibili,ergo si apprehensio appetibile sunt in diuerso genere, quia vnum in genere cognoscibili,& manifestabili,alterum in genere volibili,non potest vtraque ratio formaliter se habere,sed vna vt ratio formalis, altera vt conditio, sine qua tamen bonum non mouebit,sicut ignis non existens vel non applicatus non comburit. Et ideò est conditio insupplebilis à Deo apprehensio, quia non solum est conditio per modum applicationis

sed etiam per modum existentiæ ad finalizandum requisitæ.

Sed inquires duo. Primum,quomodo distinguatur formalis ratio obiecti & finis in ipso bono. *Secundũ* an bonitas ipsa realis sit formalis ratio finis, quatenus bonum transcendentale est, & passio entis, an quatenus est bonum relatè & secundum conuenientiam; hoc enim est, quod diuiditur in honestum, vtile,& delectabile.

Ad primum resp. distingui sine dubio rationem obiecti,& finis vt supra diximus, & differunt penes diuersa officia, & respectus: est enim munus obiecti specificare actum,tanquam principium extrinsecum,à quo pendet actus in sua specificatione, vndè obiectum inuenitur tam in eo quod est finis, quàm quod non est finis, tam respectu potentiæ appetẽtis, quàm cognoscentis,in omnibus enim actibus specificatio est ab obiectis. At verò munus finis non est specificare,seu determinare id, quod ad speciem, & constitutionẽ rei pertinet,sed terminare,& vltimare, ea, quod pertinet ad exercitium,& executionem rei fiendæ:nullus enim mouetur ad aliquid faciendum, vel exequendum, nisi sibi ponatur finis operationis, & motus,aliàs maneret infinitus, & impertrãsibilis, si non poneretur sibi aliquid vbi sisteret & quiesceret,& ideo finis importat bonitatem,seu perfectionẽ sistentem motum, & sic mouentem vt in se sistatur, & sic diffundit suam bonitatem non propugnando illam efficienter, sed præbendo id,ad quod efficientiæ motus terminetur.

Ad secundum respondetur,quòd bonum,vt sit finis, sine dubio non debet habere solam bonitatẽ transcendentalem sub conceptu absoluto, sed sub conceptu conuenientis,& ordinatè ad alterum, cui est bonum;quia finis est id cuius gratia aliquid fit,ergo debet esse conueniens respectu eius, quod fit propter illud,alioquin gratia illius non erit,si non habet ordinem conuenientis ad se. *Vrgent verò aliqui* in amore amicitiæ, in quo amicus appetitur & non vt conueniens mihi, sic enim esset amor concupiscentiæ. *Item* quia ipsa conuenientia non est ratio formalis appetendi, est enim relatio, quæ non appetitur, neque intenditur ratione sui. *Sed hæc parum vrgent. Ad primum enim dicitur*, quod amor amicitiæ non respicit amicum propter bonitatem transcendentalem, qualis inuenitur etiam in rebus inanimatis, sed propter bonitatem, quam in se habet, non vt conuenientem mihi conuenientia solius vtilitatis, aut quatenus mihi seruit, benè tamen conuenientia communicationis, & familiaritatis,quæ est conuenientia honesti, amicitia enim fundatur super aliquam communicationem bonorum, vt dicit D. Thom.2.2. q.23. art.1. *Ad secundum dicitur*: quòd qui appetit bonum vt conueniens, non appetit ipsam relationem conuenientiæ, sed id quod fundat talem relationem.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur. Quia diuersa ratio apprehensi facit diuersitatem in appetitu non verò diuersum appetibile, sicut appetitus innatus, & elicitus, differunt penes apprehensum, vel non apprehensum, & appetitus sensitiuus, & intellectiuus penes diuersum modum apprehensi. Quod etiam testatur S.Th.1.p.qu.80 art.2.ad 1. vbi inquit: *Quòd differentiæ apprehensi sunt differentiæ appetibilis, vndè potentiæ appetitiuæ differunt secundum differentiam apprehensorum, sicut secundum propria obiecta.* ergo ratio apprehensi ad formalitatem pertinet appetibilis. Et apertius 1.2. q.31.art.1. ad 1. vbi inquit:*Quòd*

cum appetitus animalis sit bonum apprehensum, diuersitas apprehensionis pertinet quodammodo ad diuersitatem obiecti, Et idem ferè habet ibi quæst.30. artic.2. ad 2.

Resp. quòd apprehensio, quæ facit differre specificatiuè potentias appetitiuas, nõ est apprehensio formalis, & ex parte subiecti se tenens, sed radicalis, seu obiectiua, vt deducitur ex D.Th.1.p. q.50. ar.2. ad 2. id est res ipsa appetibilis, sic cõsiderata, quòd fundat diuersum modum appetibilitatis, quæ requirit diuersum modum mouendi, & inclinandi potentias; vbi apprehensio ipsa non est ratio formalis, sed cõditio, sicut eadem res vt futura, vel vt præsens fundat in appetitu diuersos actus, scilicet spei, vel gaudij, timoris, vel tristitiæ, cum tamẽ variatio præsentis, vel futuri, non variet ipsam intrinsecam naturam appetibilis, sed quandam conditionem eius, scil. existentiã, quæ intrinsecè requiritur, & ideò res ipsa vt fundat istum diuersum modum existendi, redditur diuerso modo appetibilis: sic vt fundat diuersum modum existentiæ obiectiuæ, quæ requiritur ad mouendum metaphoricè, & intentionaliter, constituit diuersum appetibile, & specificat diuersos appetitus. Vndè dicit D.Th.q.22. de ver. ar.4. ad 1. *Quòd voluntas ab appetitu sensibilis non distinguitur directè per hoc quod est sequi apprehensionem hanc, vel illam, sed ex hoc quod est determinare sibi inclinationem, vel habere determinatam ab alio, quæ duo exigunt potentiam non vnius modi, sed talis diuersitas requirit diuersitatem apprehensionum; vndè quasi ex consequenti accipitur distinctio appetitiuarum virium penes distinctionem apprehensiuarum, & non principaliter.* Ita D.Th. vbi satis clarè traditur doctrina posita per apprehensionem radicalem, vel formalem quatenus in aliquo appetibili radicatur diuersus modus mouendi, quod vtique per diuersam apprehensionem fit, non tamen apprehensio ipsa formalis est ratio distinguendi. Et similiter quæst.25. de verit. art.1. ad 6. dicit: *Sumi distinctionem virium appetentium ex diuersitate apprehensionis per accidens, per se autem ex diuersitate apprehensorum.*

Secundò arguitur. Quia multa sunt, quæ mouent non per bonitatem, realem, sed per apprehensam, vt patet in omnibus, qui ex deceptione mouentur circa impossibile, vel quodcumque bonum apparens, ergo est maior connexio inter apprehensionem & appetitum, quam inter bonitatem realem & appetitum ipsum, nam sine apprehensione finis mouere non potest, sine bonitate autem reali potest dummodo sit apprehensa, ergo formalius, & intimius concurrit apprehensio, quam bonitas realis. Vnde videmus, quòd variata apprehensione, vel dictamine variatur species actu, verb. gr. de bono in malum, & è contra de timore in tristitiam, & aliis similibus.

Resp. Bonitatem apprehensam mouere ratione bonitatis realis, vt supplere per ipsam repræsentationem, & vt dans eminentiam obiectiuam, & intentionalem ipsi appetibili, vt intẽtionaliter, & metaphoricè moueat; vndè non sequitur quòd apprehensio sit ratio formalis, sed quòd suppleat, & deferat secũ id quod est ratio formalis, scilicet ipsam bonitatem realem appetibilis. Quòd verò non possit suppleri ipsa apprehensio, sicut suppletur bonitas realis ideo est, quia apprehensio non est conditio extrinseca importans solam applicationem ipsi passo, vel alicui extrinseco, talis enim cõditio suppleri potest à Deo, quia extrinseca est, sed apprehensio dicitur conditio intrinseca, quia non est conditio cõiungens alicui extrinseco, sed vt præbens ipsi appetibili esse intentionale, & obiectiuum, vt metaphoricè moueat; vnde sic requiritur apprehensio in fine quæ dat existẽtiam intentionalem, sicut existentia realis in efficiente, quæ est conditio insupplebilis à Deo, neque enim potest operari res non existens sicut nec finalizare res non apprehensa. Quod verò bonitas realis possit suppleri, non est quia sola apprehensio sit ratio formalis, sed quia est medium, seu conditio repræsentans id, quod est appetibile, applicatio autem repræsentatiua non est necesse quòd supponat existentiam rei applicatæ, siquidem gerit vices illius & in se habet eam; applicatio autem physica supponit semper existentiam rei applicatæ, inexistens enim applicari requit, quia non gerit vices eius. Quod verò dicitur sola apprehẽsione variata variari in specie actus appetitus, iam diximus id fieri ratione diuersæ apprehensionis radicalis, & ex parte obiecti, non formalis, quæ est solum conditio.

Vltimò arguitur, quia motio metaphorica est propria causalitas finis; ergo ratio formalis causandi debet esse id cui formaliter correspondet ista motio, sed non correspondet bonitati reali, quia bonitas realis solum est principium causalitatis veræ & realis; ergo vt induit rationem cogniti, & intentionalis esse. Similiter per rationem apprehensionis induit modum prioritatis in causando, quam non habet in ratione bonitatis realis; sic enim potius est posterior, vtpote pertinens ad executionem; ergo status apprehensionis pertinet ad rationem formalem finalizandi.

Resp. Quòd motio metaphorica licet metaphoricè sit motio, verè tamen est aliqua causalitas in re, licèt explicetur modo metaphorico per motionẽ, vt art. seq. dicetur. Vnde correspondet ista causalitas ipsi bonitati reali non absolutè, sed vt vestitæ intentionali, & obiectiua existentia, quæ non se habet vt ratio formalis, sed vt conditio, sicut realis existentia nõ est formalis ratio operantis effectiuè, sed conditio: & licèt finalizet verè, mouet tamen metaphoricè; ad hoc enim sufficit realis bonitas sub existentia intentionali, vt statim explicabitur. *Quod verò dicitur,* habere prioritatem ratione apprehensionis. *Resp.* quòd ex se sicut radicaliter obiectiua, ita est radicaliter prior, vt autem formaliter apprehensa, formaliter prior in intentione, vt verò induit existentiam realem, sed vltima in executione quia est effectus, non causa.

ARTICVLVS II.

Quæ sit causalitas finis?

EX hac difficultate dependet alia, quæ simul cum ipsa declarata manebit scil. an finis sit vera, & physica causa: habent enim se correlatiuè causa, & causalitas, & in tantum est vera & physica causa, in quantum veram & physicam causalitatem habet.

Duo autem supponimus in præsenti. Primum est, omnes ferè intelligere aliquid metaphoricum, & improprié dictum interuenire in causalitate finis, tùm quia id expressè docet Aristot.1. de generat. tex. 5. inquiens. *Quod id, cuius gratia, non est actiuum, nam sanitas non factiuum est, nisi secundum metaphorã.* Tùm quia finis non mouet, nisi provt in cognitione, atque adeò modo intentionali, qui distinguitur à naturali, & mobili. Tùm etiam, quia finis mouet vt terminus, in quem ponderat actio, vt ibi terminatur, non vt principium actionis, vnde vt reddatur principium, oportet extrahi, à realitate existentiæ ad obiectiuam apprehensionem, tum denique

quia

quia finis mouet alliciendo & attrahendo, attractio autem non est propria motio, quia motio est transitus aliquis, illa autem attractio solum est conuenientia,& simpathia vnius ad alterum,vt trahatur ab illo quod non nisi translatiuè dicitur motio.

Secundò suppono, quod (vt latiùs dicemus sequenti articulo) causalitas finis se extendit tam ad operantem,quàm ad eius effectus,licèt diuersimodè,nam effectus, & actiones agentis respicit finis, vt causata à se,agens autem,seu operans vt mobile à se:& ità dicit D.Thomas quæst.5.de potent. art.1. *Quòd finis non est causa, nisi secundum quod mouet efficientem ad agendum.* Vnde & finis dicitur causa causarum, quia mouet alias causas ad agendum.

Et ratio est, quia agens non operatur, nisi vt determinatum ad aliquid quod operetur, aliàs à casu, & per accidens operabitur; determinatur autem à fine, qui est terminus in quem tendit agens; ergo motio finis ita debet respicere actiones, & effectus, vt rem causandam, quod etiam ipsum agens respiciet tanquam mobile, quod determinat vt operetur. In ipsis autem agentibus, quia alia sunt exequentia, alia imperantia & dirigentia, finis non potest immediatè mouere illud agens, quod est purè executiuum,& cognitione carens,sed illud quod se dirigit, & mouet in finem, à cuius directione executiua agentia mouentur. Non enim bonitas finis potest mouere, nisi aliquem appetitum; appetitus autem vel est innatus, vel elicitus, innatus debet esse directus ab aliquo dirigente ipsum in finem, quia ipse non se dirigit,elicitus autem supponit cognitionem, in hoc enim consistit quod sit elicitus, & sic prima motio finis debet esse in appetitum se dirigentem in finem, deinde in agentia, quæ sunt directa ab alio, quia omne quod est directum non à se,supponit aliud à quo dirigatur, & cum non sit processus in infinitum,oportet venire ad aliquod, quod se dirigat in finem,& hoc est appetitus rationalis.

Difficultas ergo præsens ad hoc solum reducitur, vt explicemus, quid sit verè & propriè illud, quod metaphoricè, & impropriè vocamus motionem in causalitate finis; oportet enim quòd sit vera causalitas,& propria,licèt sit metaphoricè actio seu motio, sicut Christus dicitur Leo metaphoricè propter fortitudinem, non quia sit in eo metaphoricè fortitudo, sed est metaphoricè leonina, verè autem diuina, similiter finalizatio metaphoricè dicitur motio, verè autem causalitas finis,& inquirimus quid sit illud verè.

Variè circa hoc sentiunt Authores. Principales autem sententiæ reducuntur ad quinque. *Prima* asserit consistere in qualitate, nempè in aliquo actu intellectus, vel voluntatis, scilicet cognitione excitante, vel volitione, aut intentione ipsius finis. Ita Cabero hîc tract.2. disput.6. dubit.3. *Secunda* asserit esse ipsam actionem agentis præsertim voluntatis operantis,quæ actio sub respectu egressionis, & dependentiæ ab agente dicitur actio, sub dependentia à fine, est finalizatio. Quid sit autem ista dependentia à fine restat explicandum. Ita Suarez disput. 23. Met. sect.4. Rub. tract. de causa finali, quæst. 3. Carmel. hîc disput.14.quæstion.5.& plures Thomistæ ad 1.2. quæst.1. artic.1. Et ad idem reducitur sententia Scotistarum, quòd causalitas finis fundamentaliter sumpta est idem cum actione voluntatis,qua eligit, vel imperat media, formaliter verò est relatio distincta à relatione causæ efficientis, sicut ipse finis distinguitur, & hæc relatio subiectatur in ipsa causa, & terminatur ad effectum. Ita Fuent.2. Physicor. quæstion.7. diffic.3. art. 2. Sed mirum est, quòd fundamentum huius relationis dicitur esse ipsa actio efficientis,& tamen subiectari dicitur in ipso fine,Quomodo ista cohærent? cum relatio nunquam separetur à fundamento.

Tertia sententia dicit, causalitatem finis esse aliquid medium inter finem & finalizatum resultans à fine, sicut actio est medium inter efficiens, & effectum. Quam sententiam placuisse quibusdam recentioribus referunt Fons. & Conimbric. Sed neque ipsi videntur ab ea abhorrere, nam Fonseca 5. Metaphys. cap.2.q.13.sect.3. Conimbr.2 Physic.cap.7. q.6.art.2.dicunt causalitatem finis esse modum ipsius finis, licèt ab eo realiter indistinctum: & q.21.art.3. ad 2. inquiunt actionem ipsius intellectus proponentis voluntati finem, præcedere causalitatem finis, & sic non ponunt in actione veritatem huius metaphoræ. *Quarta sententia* non distinguit causalitatem finis à bonitate ipsius finis, nisi secundum quandam moralitatem, quatenus bonitas finis attrahit, & intentionaliter efficit, vt effectus agentis intuitu eius fiat, & sic ab eo pendeat. Ita Ægid. lib.1. de fine in communi quæst.6. articul.6. §.3. Quod totum non videtur differre ab excitatione, & propositione obiecti per intellectum vt docet prima sententia. *Vltima sententia* constituit causalitatem finis in quodam conflato ex causalitate physica, & morali: physica quatenus dependentia finalizati à fine realis est: moralis autem quatenus dependet saltem tanquam à condiione ab existētia obiectiua,& intentionali. Ita Arautjo 8. Met.q.9. art.2.

Sit vnica conclusio. *Metaphorica motio, quâ finis dicitur causare secundum veritatem, est primus amor finis,vt passiuè pendens ab appetibili, non vt actiuè elicitus à volumtate.* Hæc conclusio vnum supponit,& alterum declarat.Supponit quòd causalitas finis,licèt metaphoricè sit motio,verè tamen esse causalitatem realem,quia aliàs si totum,quod datur in causalitate finis,esset metaphoricum,& nihil reale,finis non esset vera causa physica,cùm tamen sit præcipua,& prima causarum,imò per excellentiam est id,cuius causa seu cuius gratia cætera fiunt; ergo si nullam veram causalitatem habet,vera causa non est.

Quod verò explicanda sit causalitas finis per ipsum appeti, & amari passiuè, quod in re est ipse amor à voluntate elicitus, non vt à voluntate elicitiuè, sed vt ab ipso pondere appetibilis passiuè, sumitur ex Diu.Tho. q.22. de verit. artic.2. vbi inquit: *Quòd sicut influere causæ efficientis est agere, ita influere causæ finalis est appeti, & desiderari.* Et primo cont. Gen. cap.75. ratione 5. inquit: *Quòd causalitas finis in hoc consistit, quod propter ipsum alia desiderantur, & ita quantò finis est perfectior, & magis volitus, tantò voluntas volentis finem ad plura extenditur.* Et 1. 2. quæst.28. artic.6. inquit: *Quòd omne agens agit propter finem aliquem, finis autem est bonum desideratum, & amatum vnicuique, ergo manifestum est quod omne agens agit quamcumque actionem ex amore aliquo.* Sentit ergo Diu. Thomas, quod influxus, & causalitas finis mediante amore diffunditur: neque enim bonitas finalizans diffunditur realiter,id est non per sui propagationem, & alterius boni productionem, sed per sui affectum, & ordinationem in ipsum bonum. Idem expressit Scot. q.4.prologi.§. Aliter dicitur,vbi inquit. *Quòd finis non est causa,nisi in quantum amatus, & desideratus mouet efficiens ad efficiendum.*

Ratio conclusionis est, quia finis finalizat in quantum appetibile & bonum;bonum autem est id,quod omnia appetunt, vt definit Philosop. ergo si ratione appetibilitatis est causa, reductio eius in actum erit formalis causalitas, appetibile autem formaliter reducitur in actum per actualiter appeti, propria enim actualitas appetibilis est appeti actu. Item

quia finis non finalizat nisi provt in intentione, ergo eius causalitas intra ipsam voluntatem esse debet, non in aliquo extra voluntatem; neque apparet aliud quam actus ipse voluntaris, quo redditur finis amatus; nam quidquid aliud est, siue habitus aliquis, siue potentia voluntatis, minor actualitas est, quam ad actualem influxum requiratur. Alij verò actus posteriores illo amore causati sunt à fine potius, quàm causalitas eius. Imò ipsemet amor finis, vt elicitus à voluntate est causatus à fine, vt autem passiuè pendens ab ipso pondere appetibilis causalitas finis est, vt statim magis explicabitur.

Vt autem hoc radicitus percipiatur, aduertendum est, amorem seu appetitum actualem pendere à duplici principio, scilicet ab appetibili vt attrahente, & efficiente appetitum, quod explicatur per modum cuiusdam ponderis, seu spirationis inclinantis iuxta illud Aug. *Pondus meum amor meus, eo feror quocumque feror*; & sic voluntas fit ponderosa ex ipsa coniunctione, & immutatione appetibilis. Secundò pendet amor ab appetente, seu voluntate eliciente, quando est appetitus elicitus sicut quando est innatus pendet ab instituente naturam, & dirigente in finem. Et quidem ille actus seu amor vt est actus, seu operatio causæ respicit ipsam vt efficientia, seu actio. Vt verò pendet ab obiecto, adhuc fundat duplicem habitudinem, aliam specificationis, quæ propriè respicit ipsum vt obiectum per modum specificatiui, & pertinet ad genus causæ formalis extrinsecæ. Alia est habitudo finalizationis, quatenus actus ille etiam postquam est specificatus respicit alterum, cuius intuitu & gratia fiat vel si intuitu sui fit, in se habet rationem finis distinctam à ratione obiecti. Itaque dependentia actus ab obiecto est communis tam obiecto, qui est finis, quam qui non est finis, & solum consistit in dependentia ab ipso, vt determinante speciem actus; at verò finis non constituit speciem, sed mouet agens ad exercitium actionis, & quia non potest exercere actionem, nisi per aliquam inclinationem, quæ generaliter dicitur appetitus, neque inclinatio potest tendere nisi ad aliquid certum, prius necesse est, quòd reddatur inclinatio proportionata respectu illius termini, in quem tendit, & illa proportio, seu immutatio reddit inclinationem quasi coniunctam ipsi appetibili, & sic inclinatio ponderosa facta tendit in finem, & quanto plus facit aliquod donum ponderare in plures actiones, tanto vniuersalior, & perfectior finis est, & si facit ponderare in omnes, tunc est vltimus finis, & dicitur appeti, & diligi toto corde, imo & amari charitate quia charitas addit super amorem communiter dictum æstimationem rei volitæ quasi magni, & cari pretij, vt dicit S.Thom. 1.2. quæst.26. art.3. Quare hæc immutatio, seu pondus appetibilis in voluntate in re per actum amoris fit, sed quatenus est elicita perfectè à voluntate, dicitur actio voluntatis, & effectus finis, quatenus verò est ab appetibili, & subordinatur ei ad amandum, est causalitas finis, & secundum hanc rationem est ab obiecto proposito, & præcedit rationem eius vt est à voluntate elicitiuè, sicut spiratio amorem perfectum, dictio intellectionem.

Et hoc ipsum agnouit D.Th. in loco nuper cit. art.2. vbi inquit: *Quòd appetibile dat appetitui primò quidem quandam coaptationem ad ipsum, quæ est quædam complacentia appetibilis, ex qua sequitur motus ad appetibile, & ex ista immutatione appetitus ab appetibili, amor nominatur passio.* Et sol. ad 3 cum obiecisset, quòd amor non importat ipsum motum appetitus, sed principium motus, & sic non est passio, est motus. *Resp. Quòd amor etsi non nominat motum appetitus tendentem in appetibile, nominat tamen motum appetitus, quo immutatur ab appetibili, vt ei appetibile complaceat.* Præcedit ergo immutatio complacentiam, quia immutatur vt complaceat, & sic est causalitas finis, quia redditur appetibile actu amatum, seu appetitum non denominatione extrinseca sumpta ab actione amādi, sic enim consequitur illam, & non est aliquid reale; sed ab immutatione, qua redditur appetibile coniunctum ipsi appetitui, & appetitus ille coaptatus ipsi appetibili, & sic ipsum appetibile se habet, vt grauitas, & pondus voluntatis, tam respectu sui, quàm aliorum. Et cóuenienter sic ponitur causalitas finis, quia finis est causa mouens modo immobili, non se mouens, sed alia immutans, vt patet 12. Meth. text. 37. lect.7. apud D.Thomam, & ita causalitas eius non debet quæri in ipsomet fine, neq; in aliquo motu ab eo egrediente, sed in ipso effectu eius, scilicet in ipso amore, qui est effectus, & causalitas finis secundum diuersas habitudines, & considerationes, sicut etiam quia Deus immobiliter operatur se ipso est actus vltimus operādi, actio autem operata ad extra est effectus Dei, & non aliquid medium inter effectum, & causam.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò obiicies. Nullus effectus potest coïncidere cum sua causalitate, siquidem causalitas est ratio influens in effectum, & ipse exitus rei causatæ, sed amor est effectus finis, etiamsi sit primus, quo finis amatur, quia ab ipso fine allicitur, & determinatur voluntas ad amandum finem, ergo ipse amor non est causalitas finis, sed causatum.

Secundò. Finis per cognitionem propositus excitat appetitum ad amorem, ergo ante ipsum amorem habet causare, & habet causalitatem, scilicet excitationem ipsam. *Antec. constat*, quia voluntas in amore finis dependet essentialiter à propositione, & ostensione obiecti, ergo aliquid influit obiectum, seu finis in illum amorem, & sic ante actum voluntatis finis habet causalitatem, ergo non consistit in solo amore.

Tertiò. Quia ratio finis vt causet, est realis eius appetibilitas, & non intentionale esse apprehensionis, ergo causalitas debet esse aliquid reale correspondens isti rationi formali, alias si causalitas realis non est, ipsa causa finalis realis non erit, sed esse actu amatum, seu appetitum non est aliquid reale, sed extrinseca denominatio, ergo non potest esse causalitas vera finis, sicut neque ipsum esse cognitum.

Quartò. Quia causalitas finis est moralis, & motio quædam metaphorica, sed moralis causalitas non est aliquid positiuum emanans à causa, alias esset aliquid physicum, & non morale, & realis motio non metaphorica, ergo non est ipse actus voluntatis, seu amor etiam provt pendet à fine. Nam illa dependentia à fine vel est realis, & physica, vel non; si non, ergo provt sic non dependet realiter à fine, nec causalitas finis aliquid reale est; si verò est dependentia physica, cur non dicetur realis motio, sed metaphorica etiam provt pendet à fine?

Quintò. Ista actio voluntatis est etiam causalitas efficientis, & sub ea ratione, qua efficientis est, non est causalitas finalis, sed potius effectus ipsius finis, alioquin confunderentur istæ causalitates, si sub ea ratione, qua est causalitas efficientis, esset causalitas finis, ergo aliquid debet dari præter rationem actionis, vt reddatur causalitas finis, quia si nihil amplius additur, vna formaliter erit altera. Illud autem quod additur, debet esse aliquid reale saltem vt modus, & sic oportet explicare quid sit, & frustra confugiemus ad motionem metaphoricam, si datur realis

realis modus præter modum actionis, & causalitatis efficientis, qui tamen non potest procedere à fine, cùm finis quandoque realiter non existat, apprehensio autem solum se habet vt conditio, non vt ratio causandi.

Vltimò. Finis operatur alliciendo, & attrahendo voluntatem, vt velit, ergo causalitas non potest esse volitio, quia per volitionem non allicit ad volendum, sed iam est allecta, ergo non est causalitas alliciendi.

Ad primum respondetur. Quòd amor secundum diuersas considerationes est causalitas, & effectus finis, nam vt actiuè elicitur ab appetitu, est effectus finis gratiâ enim finis operatur voluntas, aliàs non amaret finem propter finem, quod esset non habere illum pro fine. At verò iste amor finis vt passiuè se habet ad obiectum appetibile, quatenus connaturalizatur illi, & accipitur à voluntate, vt pondus suæ inclinationis immutans ad complacendum, sic est causalitas finis, & ratio appetendi, & exequendi alia, de quo amplius dicemus solutione ad vltimum.

Ad secundum respondetur. Quòd ipsa cognitio, seu obiectum vt cognitum causat amorem, & amor pendet ab illo secundum duplicem considerationem, & vt effectus quatenus actio elicita est à voluntate, & vt causalitas quatenus passiua quædam immutatio, & connaturalitas est ipsius appetibilis in appetitu, & prout causalitas dependet, & causatur à fine excitâre per cognitionem immediatè per se ipsam, sicut actio, & omnis alia causalitas à sua causa est immediatè per se ipsam. Vt autem ille amor est actio elicita causatur à fine, tanquam effectus, mediante ipsa immutaeione appetitus passiua vt causalitate. Quomodo autem ista passiua immutatio appetibilis ergo appetitum præcedat amorem, vt actio est, statim explicabimus.

Ad tertium respondetur. Causalitatem finis esse realem, prout ly *reale* distinguitur contra ens rationis, non prout distinguitur contra ly *intentionale*: oportet enim quòd finis causet mediâte cognitione, vt proponente, & mouente voluntatem, quæ motio intentionalis est, verè tamen in re existens, & verum effectum habens in voluntate, scilicet amorem, non solum vt elicita actio voluntatis, sed etiam vt passio est ab appetibili. Et quando dicitur, quòd esse amatum est extrinseca denominatio: *disting*. in obiecta ad extra, esse amatum est denominatio, *concedo*: in ipso verò affectu interiori esse amatum, quod est idem atque ipsum appetibile esse coniunctum voluntati, & spirare, seu ponderare in illa ad amorem sui, & aliorum *sic nego*. Verè enim effectus ab appetibili ipso pendet, & determinatur, & hoc vocatur amor passiuè.

Quod si instes nam passio est posterior actione, ergo non potest causalitas finis esse amor vt passio, & effectus eius vt actio, cùm causalitas sit prior effectu, non ad ipsum consecuta. *Respon*. Quòd passio consecuta ad actionem non potest esse causalitas finis, sed effectus, multo magis quam ipsa actio, ad quam talis passio consequitur, & sic amor vt est actus immanens receptus passiuè in voluntate, postquam elicitur ab ipsa, non est causalitas finis, sed effectus. At verò id quod dicimus esse causalitatem finis, est passio seu spiratio appetibilis in appetitu, quæ influit in elicientiam amoris perfecti, quatenus redditur appetitus immutatus ab appetibili seu determinatus, & quasi ponderosus factus ab appetibili, vt tendat in ipsum, & in alia propter ipsum: & sic dicit Diu. Thom. 1.2.quæst.26.artic.2. quòd prima immutatio appetitus ab appetibili vocatur amor. Vnde talis passio non est illata ex actione sed actus vt spirans, id est ex vi obiecti ponderans & dans principium actionis, seu inclinationis, quæ est amor perfectus, vt docet ibidem Sanct. Thom. solut.ad 1. & inde infert ibidem articul. 3. ad 4. quòd magis homo in Deum potest tendere per amorem passiuè quodammodo ab ipso Deo attractus, quam ad hoc eum propria ratio possit ducere. Quare ista immutatio potentiæ ab obiecto sine elicientia actus non est, sed vt à potentia elicitur perfectè & consummatè est elicientia amoris, vt ab obiecto coniungente se voluntati per actum, vt spiratio est, & pondus obiecti, & à propositione obiecti pendens, sic dicitur passio, non quidem secuta ex actione, sed spirata ab obiecto & voluntate, vt amoris actus perfectè eliciatur.

Ad quartum respondetur. Quod causalitas finis est metaphoricè actio, vt dicit Pihlos. 1.de generat.text 55. sed non metaphoricè est causalitas, sicut iam supra dictum est; quatenus ergo vera causalitas est, veram quoque & realem mutationem importat, & identicè est idem cum actu amoris; formaliter autem est vera dependentia ab ipso appetibili vt spirante; ratione cuius dicitur moralis motio, sed vera dependentia.

Ad quintum respondetur. Quòd causalitas finis non est ipsa causalitas efficientis formaliter, sed identicè Id autem quod formaliter addit, est vera & realis dependentia ab obiecto, non quatenus specificante, sed quatenus spirante, & appetitui se coniungente, vt pondere, & inclinetur in alia. Et sicut actus intellectus pendet à virtute intellectiua efficienter, & à præsentia obiecti formaliter, & tamen verè dependet ab obiecto in suo genere, ita quòd assimilatur illi terminus cognitionis, sic amor ille, & pendet à potentia eliciente, & ab obiecto ponderante, seu spirante inclinationem ad obiectum, & hoc non facit obiectum nisi coniunctum, & coaptatum nisi appetitui, & talis coniunctio, seu dependentia, & ordo ad appetibile, aliquid reale est in ipso effectu, vt dependente ab appetibili, & sic est causalitas finis, quia communicat voluntati pondus, & inclinationem vt ratione sui cætera appetantur.

Ad vltimum respondetur. Verum esse, quòd finis attrahit, & allicit voluntatem, & hæc attractio est ad hoc vt voluntas velit: sed in illa volitione sunt duo, alterum quod est causatum à fine, alterum quod est ratio causandi; neque est mirum, quòd causalitas identificetur cum causato: quia etiam actio identificatur cum effectu. Id ergo, quod elicientiæ seu actionis est in illa volitione, est causatum à fine, quod verò coaptationis & coniunctionis est cum appetibili, seu ordinis ad ipsum, quo redditur ponderans in appetitu, vt inclinetur ad se, & ad alia, hoc dicitur attractio per modum causalitatis ad actum, vt explicatum est.

ARTICVLVS III.

Ad quæ obiecta se extendat causalitas finis, an solum ad media, vel etiam ad ipsum amorem finis?

ACtus, qui à fine causari possunt, id est gratiâ illius fieri, quidam pertinent ad ordinem intentionis, quidam ad ordinem executionis. Nomine autem ordinis intentionis intelligimus illos actus, qui respiciunt finem vt obiectum volitionis? nomine verò ordinis executionis eos actus, qui respiciunt media vsque ad realé finis attingentiam in suo esse. Ad primum ordinem pertinet primò simplex volitio

finis, desiderium illius, fruitio, seu delectatio in mente, intentio. Ad secundum ordinem pertinet electio quam antecedit consilium & consensus, deinde imperium, vsus, executio mediorum, assecutio finis, delectatio de ipso assecuto, seu possessio: de quibus latè Sanct. Thom. 1.2. à quæst. 8. vsque ad 17. Itaque ordo intentionis incipit à fine volito, & terminatur in volitione mediorum. Ordo verò executionis incipit à mediis volitis, & terminatur in fine secundum esse reale assecuto.

In hac autem difficultate non loquimur de actibus diuinis, licèt enim Deus agat propter finem, tamen neque ipse, neque actus voluntatis eius sunt res finalizatæ à fine, quia actiones internæ Dei cùm sint ipsa substantia Dei, non possunt esse causatæ ab aliqua causa, solum ergo effectus ad extra finalizantur à Deo.

Igitur circa assignanda obiecta, ad quæ se extendit finis, varia est Auctorum sententia. *Quidã* enim solùm media, & actus, qui versantur circa media, dicunt finalizari à fine, non ea quæ pertinent ad intentionem, & amorem finis. Ita P. Vazquez 1.2. quæst. 1. disp. 3. cap. 2. Lor. ibidem disp. 3. Caber. hic disp. 6. dub. 4. & alij. *Fundamentum est*, quia finis mouet metaphoricè prout in intentione, ergo esse in intentione est conditio requisita, vt moueat, & causet, ergo intentio ipsa non est causata à fine, sed solum actus, qui post intentionem sequuntur, quales sunt, qui versantur circa media. Et fortius vrget hoc, si nomine intentionis intelligamus ipsum amorem finis, quem præcedenti articulo diximus esse causalitatem finis; ergo non est effectus illius, aliàs esset causa sui, sed solum amor aliorum à fine.

Alij è contra sentiunt non solùm actus, qui versantur circa media, sed etiam qui versantur circa finem esse effectus finis, non solum ipsam intentionem, sed etiam simplicem amorem finis: de qua sententia videri possunt Pat. Suar. disp. 23. Meth. sect. 3. n. 7. Curiel. 1.2. quæst. 1. art. 1. dub. 2. §. 4. Conimb. 2. Physic. cap. 7. quæst. 22. articul. 1. qui tamen dicunt, perfectissimam causalitatem finis versari circa media, imperfectam verò circa amorem ipsius finis. Et aliqui etiã licèt concedant intentionem finis esse finalizatam ab illo non tamen simplicem amorem finis, sed hunc requiri tanquam causalitatem, vel conditionem finalizandi: ita Fons. 5. Metaphys. capit. 2. quæstion. 10. sect. 2.

Et fundamentum pro hac parte generaliter est, quia finis causat appetitum sui, non solum respectu mediorum, sed etiam ad appetendum se, quia non appetitur gratia aliorum, sed gratia sui; ergo etiam amorem sui finalizat, quia nihil aliud est finalizare, quàm gratiâ sui appeti. Verum est magis istam causalitatem finis relucere respectu intentionis, quàm respectu amoris simplicis ipsius finis, eò quòd intentio licèt directè sit de fine, de connotato tamen dicit ordinem ad media, quatenùs dicit ordinem ad finem vt assequendũ per media: simplex autem amor finis nihil de mediis connotat.

Dico ergo primò. *Agens propter finem finalizatur ab ipso, non vt effectus, sed vt subiectum motum à fine.* Hæc est contra Ægid. lib. 1. de fine in communi, quæst. 6. art. 5. §. 2. & 7. & alios quos ibi citat, qui totaliter excludit agens à causalitate finis. *Ratio tamen nostræ conclusionis sumitur* ex dictis præcedenti articulo, quia finis non potest causare actionem agentis nisi mouendo, & excitãdo agens vt velit, & agat propter finem, ergo actio ita debet esse effectus finis, quod agens sit excitatum, & motum.

Dico secundò. *Ea, quæ pertinent ad ordinem executionis tam media ipsa volita, quàm volitiones circa talia media, & actiones externæ circa ipsa, sunt effectus finalizati à fine.* De hac conclusione non est controuersia inter Authores, quia omne illud est effectus finis; quod fit gratiâ finis, præsertim si supponitur finis volitus, & amatus, sed omnia ista media, & actiones fiunt, vel appetuntur gratia finis, & supponunt finem volitum, & amatum, ergo sunt effectus finalizati à fine.

Solùm dubitabis, quomodò causalitas finis, quæ est motio metaphorica, & in re ipsum amari, seu appeti finis, deriuetur ad actiones externas? siquidem finis vt volitus nihil reale illis potest imprimere, ratione cuius dicatur finis realiter causare illa, sed solum ponit denominationem extrinsecam in mediis, vel actibus externis, non ergo, sunt effectus propriè, & realiter ipsius finis.

Propter hoc aliqui valdè laborant in explicanda continuatione huius causalitatis finalis cum rebus, & operationibus externis. Et *quidam* solùm ponunt extrinsecam dependentiam, & influxum in actiones externas, quatenùs modo quodam morali subduntur internis. In ipsis autem internis actibus influxum, seu dependentiam immediatam à fine ponunt. Ita P. Suarez disp. 23. Metaphysic. sect. 4. num. 17. & 18. *Alij* verò etiam intrinsecam, & propriam dependentiam, & causalitatem finis ponunt in operationibus & effectibus externis, quatenùs gratia eius fiunt: quòd certè nisi ponatur in actionibus diuinis, non poterit causalitas finalis in Deo saluari, siquidem actus interni Dei non causantur à causalitate finis, si quid ergo finaliter à Deo causatur, solùm potest esse effectus, vel actio externa.

Respondetur ergo. Causalitatem finis eo modo continuari cum actibus, & effectibus externis, quo continuatur inclinatio appetitus, seu voluntatis cum ipsis actibus, & effectibus externis à tali inclinatione emanantibus. Quia enim actiones externæ, & consequenter effectus earum fiunt ab agente, vt inclinato ad agendum & sine inclinatione agens non operatur, omnis autem inclinatio oritur, & dependet ab aliquo primo amore, quo volitus est finis, & ille amor vt pendens ab appetibili, à quo accipit inclinationem & pondus, est causalitas finis, vt præcedenti articulo explicauimus, ita omnis actus, & effectus qui ex tali amore deriuatur, secundùm inclinationem eius, & connexionem cum illo, virtualiter participat ipsam causalitatem finis, quatenus ex primo amore reliqua deriuantur. Et sicut prima causalitas finis realis est ratione actus amoris cum quo identificatur, ita virtualis causalitas realis est ratione inclinationis, quæ ex isto primo amore deriuatur in reliquos actus. Quando ergo dicitur, quòd actiones externæ & effectus earũ, quæ sunt ipsa media executa solum extrinsecè participant rationem finis amati. *Respondetur*, quòd si ly *amatum* sumatur pro denominatione orta in obiecto ex ipso actu amoris, sic extrinsecè tangit actus, & effectus ex amore secutos. Si autem ly *esse amatum*, sumatur pro coniunctione passiua appetibilis ad appetitum, cuius gratiâ cætera appetuntur, & in quo continetur, sic virtualiter manet in actibus & effectibus, qui sicut ex ipsa inclinatione amoris realiter deriuantur, ita virtualiter participant ipsam causalitatem finis, quæ in tali amore spiratiuo, identificato cum ipso actu amoris, consistit.

Dico tertiò, *Finis habet pro effectu finalizato etiam ipsum actum intentionis erga finem, imo etiam ipsum simplicem amorem finis in quantum est actus elicitus à voluntate.* In prima parte conclusionis conueniunt ferè omnes Authores, præter P. Vazquez supra citat. in 1. sent. *Ratio est*, tùm, quia intentio non præcisè versatur circa finem, sed etiam attingit media in

obliquo,

obliquo, & sic pro hac parte causari debet à fine: tùm etiam, quia intentio supponit simplicem amorem finis, à quo deriuari potest, nam supponit finem amatum; ergo potest elici intentio ex amore, & gratia finis voliti, nihil autem amplius requiritur, vt aliquid sit causatum à fine, quàm quòd sit gratia, & amore finis, hoc enim est esse finalizatum.

Vnde patet ad rationes dubitandi pro prima sententia allatas. *Ad primum dicitur*, quòd finis prout in intentione finalizat, non prout in intentione formali, sed radicali: amor autem ille simplex finis est initium, seu radix intentionis, & sic finis prout formaliter volitus, & radicaliter intentus est causa finalizans etiam ipsam intentionem formalē.

Ad secundum respondetur, quòd finis non est causa sui secundùm idem, sed secundùm diuersa; finis enim vt amatus est causa sui, vt sit intentus, alliciendo ad sui intentionem, & mediorum volitionem.

Secunda pars conclusionis maiorem habet difficultatem, & alij sunt qui affirmant, alij qui negant, & vtraque pars testimoniis vtitur D. Thom. & ratione: Sed nos vtrumque conciliamus ex distinctione data de amore passiuè, seu spiratiuè, & elicitiuè, seu perfectè sumpto; nam amor vt præcisè est ab appetibili, non est effectus finalizatus à fine, sed causalitas eius, vt art. præcedenti ostendimus; vt autem actiuè elicitur à voluntate, sic est effectus finalizatus à fine siquidem in agendo, & eliciendo propter aliquem finem agit, aliàs à casu, vel fortuito eliceret illum actum, & ex alia parte supponit finem sufficienter coniunctum voluntati per ipsummet amorem, vt præcisè est ab appetibili, ergo habet quidquid requiritur, vt amor ille elici dicatur propter finem, seu gratiâ finis amati, id est, coniuncti ipsi appetibili. Et in hoc sensu intelligimus quod dicit D. Thom. 2.2. de Verit. art. 2. *Quòd influere causæ finalis est appeti, & desiderari*: adiuncto eo, quod dicit 1.2. q. 26. art. 2. ad 3. *Quòd amor non nominat motum tendentem in appetibile, sed nominat motum appetitus, quo immutatur ab appetibili, vt ei appetibili complaceat.* Sic ergo amor vt ab appetibili, seu appetibile vt coniunctum appetitui est causa finalizans, & causans vt elicitiuè ametur gratia talis appetibilis immutantis appetitum vt complaceat. Et sic etiam saluatur, quod docet D. Thom. 1.2. quæst. 1. art. 1. *Quòd omnis actio humana est propter finem, etiamsi agat actionem, quæ est vltimus finis*: Ergo etiam actio, quæ est amor vltimi finis, vt actio, propter finem est: & 1. part. quæstion. 82. inquit: *Quòd intellectus mouet voluntatem per modum finis, quia bonum intellectum est obiectum voluntatis, & mouet ipsam vt finis*: sed respectu primi amoris datur bonum propositum per intellectum: ergo mouet voluntatem, & hoc alliciendo, & per modum motionis finis; ergo ille amor sic elicitus est finalizatus à fine. *Nec obstat*, quòd obiectum concurrit ad amorem sui efficienter, vt Aliqui existimant, & sic non concurrit motu metaphorico, sicut requiritur ad finem. *Respondetur* enim, quòd etiam data hac sententia, quæ tamen non est certa, nullum est inconueniens quòd vtramque causalitatem habeat obiectum secundùm diuersas considerationes. Et D. Thom. in authoritate allata per modum finis dicit concurrere, quod nobis sufficit. Præterquam quod in hac sententia obiectum ipsum non concurrit efficienter, sed actus intellectus mouens voluntatem.

Quod si dicas. Nostram rationem nimium probare, probat enim quòd etiam amor, vt passiuè est ab appetibili, est propter finem, & causatus à fine, quia supponit bonum propositum per intellectum, quod mouet vt finis. *Respondetur*, quòd amor sic consideratus non est à fine vt causatus, sed vt causalitas, & sic dicetur esse à fine eo modo, quo causalitas est à causa; & actio ab agente. Et hoc ideò quia influere causæ finalis est appeti, & desiderari, vt dicit D. Thom. supra citatus, aliàs non verificatur quòd finis gratia & amore sui moueat, nisi aliquis amor supponatur saltem in quantum est appetitus immutatus ab appetibili, seu coordinatus illi, vt finaliter moueat, nam vt est ab appetitu elicitus ille amor, iam debet supponere finem, quia omne agens elicit actiuè, & agit propter finem, & vt dicit Diu. Th. 3. contra Gent. c. 2. *Finis est id, quo tendit impetus agentis.*

Ex quibus etiam soluuntur fundamenta sententiæ contrariæ. Primò enim arguunt. Quia causalitas finis est amor, vt iam sæpè dictum est, quia finis non dicitur causare, nisi in quantum aliquid fit gratia, & amore illius, ergo supponitur amor finis, vt aliquid fiat propter finem, & sic ipse amor non est effectus eius. *Item*, quia si ille amor simplex sit effectus finis, non apparet quare bruta non moueant se in finem, cum ipsum apprehendant, & simplici amore in illum ferantur. Nec requiritur quòd apprehendatur conuenientia finis in ordine ad alterum, id est, ad media; sed sufficit quòd in ordine ad se vt ametur; hoc autem apprehendit brutum, fertur enim in aquam, verbi gratia, vt conuenientem ad extinguendam sitim. *Denique* primus amor non potest esse ex fine, nisi in quantum aliquis se mouet ex fine ad illum amorem, si enim non se mouet, non agit ex fine, sed agitur sicut bruta, sed in primo amore nullus seipsum mouet, sed tantum à Deo, vt probat Diuus Thomas 1.2. quæst. 9. art. 4. ex Arist. 7. Ethicor. cap. 18. ergo ille primus amor non est effectus causatus à fine, quia non est à se mouente, & dirigente in finem. Et ad hoc etiam facit quod toties dicit S. Tho. quòd bonum est finis vt amatum, vt videri potest 1.2. q. 28. art. 6. & in 3. distinct. 27. q. 1. art. 1. & quæst. 21. de Verit. art. 2. in corp. ergo finis supponit amorem sui, non causat.

Ad primum respondetur, quòd amor est causalitas finis vt passiuè deriuatur ab appetibili, est autem causatus à fine, vt elicitiuè à voluntate, eò quòd voluntas in eliciendo amorem finis, propter finem sibi coniunctam agit, & à fine allicitur.

Ad secundum respondetur, bruta non agere propter finem, quia etsi alliciantur à bonitate finis absoluta, deficit tamen illis electio, & intentio tam formalis, ad quam se moueat, quàm radicalis, ex qua se moueant, quia carent voluntate initiante intentionem, & hoc ideò quia non mouentur à bonitate, vt importat ordinem finis, siue ad media, siue ad ipsum appetentem, & hoc est quod dicit Diu. Thomas 1.2. quæst. 1. art. 2. *Quòd bruta non cognoscunt rationem finis, id est, ipsam conuenientiam finis, vt ordinatè, & comparatiuè se habet.* Ex hoc autem non sequitur quòd finis solum finalizat media, sed etiam potest finalizare simplicem amorem sui, quia etiam in illo amari potest finis cognoscendo ipsam rationem finis, id est, ipsum ordinem conuenientiæ, quem habet ad appetentem, quod non cognoscunt bruta.

Ad tertium respondetur, quòd primus amor finis est à Deo vt mouente efficienter, quia non supponit priorem actum ex parte hominis, quo se efficienter moueat, non tamen sequitur, quòd in illo actu non agat propter finem, cùm ad hoc ipsum Deus moueat vt gratia finis cogniti, & ipsi voluntati coniuncti, & coaptati, velit in ipsum finem. Vnde habet sufficientem rationem, & applicationem, vt amet finem propter ipsum & gratia eius, non tamen vt efficienter

ter

ter moueat se, qui ad hoc requiritur vt ex vno actu se moueat ad alium actum; vt autem propter finem velit, sufficit idem actus sub diuersa formalitate, scilicet ex coniunctione & coaptatione finis, vt spirante in ordine ad elicientiam ipsius vt perfectè est à voluntate amante, & sic quod sufficit ad motionem finis, quæ est metaphorica & minor, non sufficit ad efficientem, quæ est physica & maior.

Et ad authoritates S. Thom. respondetur, quòd finis nõ causat nisi vt amatus & desideratus, nõ quidẽ secundùm quòd ly *amatus* est denominatio extrinseca ab amoris actione proueniens in obiectum, sic enim præsupponit ipsam actionem amoris ex fine factam, & non est aliud quàm denominatio extrinseca, non causalitas vera; sed prout ly *amatus* dicit ipsum appetibile coniunctum appetitui & immutans illud, quod sit ipsum amorem non vt formaliter est elicentia, sed vt passiuè est ab appetibili.

CIRCA LIBRVM TERTIVM, DE MOTV ET INFINITO.

QVÆSTIO XIV.

De Motu & Actione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Explicatur definitio motus, & eius essentialia constitutiua.

MOTVS etsi pluribus modis ab Aristotele declaratus sit, vnica tamen definitione definitur, scilicet: *Actus entis in potentia, prout in potentia*; licèt enim dixerit Philosophus, quòd motus est actus mobilis vt mobile, & iterùm quòd est actus actiui & passiui, prout talia sunt, tamen per hæc non introducit nouam definitionem, sed explicat difficultates ex illa definitione ortas; scilicet quomodò motus pertineat ad mobile, & ad mouentem? Tota autem definitio ab Aristotele tradita ad hoc tendit, vt ostendat motum esse actum imperfectum, idest, cui aliquid restat acquirendum ad differẽtiam earum diffinitionum, quas tradiderunt Antiqui, & Philosophus reprobat, qui collocabant motum sub non ente, vel sub inæqualitate aut similibus; prout ex text. cap. 1. colligitur.

Pro explicatione autem definitionis traditæ, *Notanda sunt* verba D.Thom. 3. Physic. lect. 1. vbi de natura motus loquens inquit: *Quod antequam aliquid moueatur, est in potentia ad actum perfectum, qui est terminus motus, & ad imperfectum qui est motus, sicut aqua antequam incipiat calefieri, est in potentia ad calefieri; & ad calidum esse; cùm autem calefit, reducitur in actum imperfectum, qui est motus, sed respectu sui adhuc remanet in potentia.* Quam doctrinam etiam tradit S.Doctor 11. Metaphys. lect. 9. Ex quo colligitur, quòd res potest considerari in triplici statu. *Primò*, in potentia tantum sine aliqua reductione ad actum. *Secundò*, in actu vltimo. *Tertiò*, medio modo, quando est partim in actu, partim in potentia. Et quando est in potentia tantum, nondum mouetur, quando est in actu perfecto, seu vltimo, cessat motus: quando medio modo se habet, tunc est in moueri, & in transitu de vno ad aliud.

Ex his ergo explicatur definitio motus per suas partes. Primò enim dicitur *actus*, quasi loco generis, & sumitur actus pro eo, quod distinguitur à potẽtia, abstrahendo ab actu perfecto; vel imperfecto. Et licèt includat motus aliquid potentiæ, ponitur tamen in genere actus & non potentiæ, quia præcipuum officium motus est reducere mobile in actum, licèt quia id facit tanquam actus imperfectus aliquid potentialitatis includat. Inuenitur autem in motu duplex habitudo potentialitatis, altera respectu mobilis, seu subiecti recipientis motum, in quo conuenit motus cum aliis formis, quæ etiam reducunt subiectum de potentia ad actum informando illud. Et ad hoc explicandum ponitur sequens particula *entis in potentia*, id est subiecti existentis in potentia. Non autem dicitur corporis in potentia, ne supponatur id, quod probandum erit de subiecto motus, scilicet quòd sit corpus quia est diuisibile. Altera autem habitudo potentialitatis in motu est ad vlteriorem terminum, in quo distinguitur à reliquis formis, quæ solum actuant subiectum in quantum est potentia ad se, motus autem actuat subiectum, non solum vt est in potentia ad se, sed vt est in potentia ad vlteriorem terminum, & propterea dicitur, quòd est *entis in potentia, prout in potentia*, sicut æs quando mouetur ad formam statuæ, non actuatur à motu in quantum æs, sed in quantum in potentia ab statuam, ita D.Thom. 3. Physic. lect. 2. §. Manifestat, &c.

Ex qua explicatione soluuntur plures instantiæ, quæ contra istam definitionem obiici possunt. *Non potest argui*, quòd est redundans, quia conuenit aliis, & quod est diminuta, quia non explicat omnia, quæ sunt de essentia motus. Et quòd conueniat aliis, *probatur*, nam conuenit omnibus formis imperfectis, quæ relinquunt subiectum in potentia ad alias formas, ad quas ordinantur, & tamen non sunt motus, sicut forma embrionis relinquit materiam in potentia ad formam perfectam equi, & similiter calor vt quatuor ad calorem perfectum vt octo, & tamen neque forma embrionis, neque calor vt quatuor sunt motus; ergo, &c. Quod verò sit diminuta, *probatur*, quia non explicat aliqua, quæ sunt de conceptu motus, v. g. quod sit ab agente, & in passo & ad terminum ad quem, quæ habitudines sunt essentiales motui, cùm motus essentialiter sit via & tendentia ab vno ad aliud, ergo definitio data vndique deficit.

Ad primum respondetur. Formam imperfectam dupliciter sumi posse. Vno modo, quia est imperfecta in ratione formæ comparatiuè ad aliam perfectiorem. Alio modo, quia non solum est imperfecta comparatiuè ad aliam formam, sed etiam habet statum potentiç & imperfectionis, qui est tendere ad formam, tanquam ad terminum: hoc enim requiritur

equiritur vt actus ille ita sit imperfectus, quòd non sit terminus motus; quantumcunque enim forma sit imperfecta in ratione informandi, si tamen non habet illum statum imperfectionis, qui est tendere, non est motus, sed terminus motus, nam hoc ipso quòd forma aliqua informat, & cessat tendere ad vlteriorem terminum, cessat motus. Vnde calor vt quatuor licet sit imperfectus in informando respectu caloris vt octo, tamen si cessat tendere ad calorem vt octo, nó informat vt motus, sed vt forma imperfecta, & sic intelligitur definitio motus, quòd sit actus entis in potentia, provt in potentia, id est, provt habens statum potentiæ, qui est tendere ad actum.

Ad secundum respondetur, quòd illæ habitudines etsi non ponantur expressè, ponuntur tamen virtualiter. Per hoc enim quod dicitur *entis in potentia provt in potentia*, denotatur subiectum, quod patitur, seu transmutatur; sic enim est in potentia dum mutatur de vno ad aliud. Vbi autem est passio, virtualiter insinuatur actio, quia passio non est nisi transmutatio ab aliquo agente. Similiter habitudo termini à quo ad terminum ad quem insinuatur in eadem particula, *provt in potentia*, intelligitur enim quòd sit in habitudine, & potentia ad vlteriorem terminum, qui est terminus ad quem, vbi consequenter insinuatur terminus à quo, quia non est transitus ad terminum ad quem, nisi ex aliquo termino à quo.

Explicatâ definitione motus restat explicare, an conueniat omni motui, tam successiuo, quàm instantaneo, tam continuo, quàm discreto, quod est inquirere, an successio, & continuitas sint de essentia motus hîc definiti. *Aliquorum enim sententia est*, solum motum successiuum in hac definitione includi non mutationem instantaneam, vt generatio substantialis. Quam sententiam videntur tenuisse aliqui Antiqui, qui vt refert D.Thom 11. Metaph. lect.9. dicebant, quòd motus est exitus de potentia in actum non subito: ex recentioribus tenent illam M. Soto 3. Physic. quæst.1.concl.3. quem sequuntur Conimb. 3. Physic. quæst.1.art.2.ad 3. licet fateantur esse contra D.Thom. *fundamentum est*, quia tales actiones instantaneæ non sunt actus entis in potentia, siquidem in vno, & eodem instanti completur tota mutatio, & sic tota est simul in actu, non partim in actu, partim in potentia, sicut requiritur ad rationem motus. Item quia aliàs creatio esset mutatio, quod negat Diuus Thomas 1.part.quæst.45.art.2.ad 2.& 4. nam est productio instantanea faciens transire de non esse ad esse, & non minus habet de potentia & actu secundum diuersas prioritates naturæ, quàm generatio, vel illuminatio. Denique, quia alias actus immanentes intellectus, & voluntatis essent motus hîc definiti, siquidem sufficit, quòd sint mutationes instantaneę, & habeant actum, & potentiam secundùm diuersa instantia naturæ, non temporis.

Nihilominus difficultatem hanc ita resoluit Diu. Thom. 5. Physic. lect.2. in princip. vbi inquit, Aristot. supra in 3. *Vbi motum definiuit, accepit nomen motus secundùm quod est commune omnibus speciebus mutationis, hoc modo accipit hìc nomen mutationis, motus autem accipitur magis strictè pro quadam mutationis specie.* Ita D.Thom. Ex qua doctrina colligitur in hac definitione definiri mutationem generaliter sumptam, provt comprehendit instantaneam, & successiuam, & hæc ipsa est sententia M. Soto vbi supra. *Ratio autem est*, quia etiam mutatio instantanea est actus entis in potentia, provt in potentia, quia in generatione substantiali materia, quæ habet rationem subiecti, est in potentia mutationis, & transitus de vna forma ad aliam, ergo ipsa mutatio habet quidquid requiritur ad rationem motus sic definiti; siquidem est actus existentis in potentia, supponens ipsum subiectum, vt in potentia existens, scilicet materiam primam: & de potentia transire ad actum, quatenus in eodem instanti datur fieri, & factum esse, & relinquendo vnum terminum à quo, & transeundo ad terminum ad quem; ergo mutatio instantanea etiam in definitione motus comprehenditur. Quare Philosophus in hac definitione motus posuit exempla in omnibus mutationibus, alteratione, augmento motu locali, & generatione, vt patet in hoc tertio, libro, lectione 2. apud Diuum Thomam. Vnde non accepit generationem lato modo provt etiam alterationem antecedentem comprehendit; nam cum posuisset exemplum in alteratione, & augmento, non poterat iterum nomine generationis intelligere altercationem.

Cæterum loquendo de mutatione instantanea actus immanentis intentionalis, illa excluditur à motu physico hic definito, vt patet per Aristotelem 3. de Anima, textu 28. vbi loquens de sentire, & intelligere, inquit; *Quòd alia est species motus; motus enim imperfecti actus, simpliciter autem actus alter est qui perfecti*, vbi S. Thomas explicans hunc textum, inquit, *Quòd motus physicus est actus existentis in potentia, quia videlicet recedens ab vno contrario, quandiu mouetur non attingit alterum contrarium, quod est terminus motus, sed est in potētia ad ipsum, & quia omne quod est in potentia, in quantum huiusmodi est imperfectum, ideò ille motus est actus imperfecti. Sed iste alius motus est actus perfecti, est enim operatio sensus iam facti in actu per speciem.* Ita Diuus Thomas. & similiter videri potest 1.part.quæst.18.articulo 1. Vbi satis profundè naturam motus explicat, quia in tantum dicitur esse in potentia, in quantum subiectum motus ita recedit ab vno contrario, quod nondum attingit aliud, sed aliquo modo est in potentia ad illud & hoc est esse actum imperfecti, id est, esse actum subiecti in tali dispositione positi, quod nondum habet formam, nec attingit illam; quando verò aliquid operatur attingendo actu ipsam formam formam quam habet illa operatio non est motus de potentia ad actum, sed habens actum attingit actum, & ideo non continetur in ista definitione motus, qui est actus existentis in potentia, provt in potentia. Actus autem immanentes versantur circa obiectum, etiam quando actu habent illud, imò tunc perfectè operantur circa obiectum, quando magis actuantur ab illo, & possident illud, ergo talis operatio non consistit in motu physico definito procedente de potentia ad actum, & ideo dicitur motus perfecti, id est, existentis in potentia. Vnde patet operationem de se non requirere potentialitatem in eo, à quo procedit, sed saluari posse cum summa actualitate, inuenitur enim operatio remoto motu, quando operans non respicit obiectum vt non habitum, sed etiam habendo illud, operatur circa illud cognoscendo, vel amando.

Ad argumenta supra posita respondetur. Ad primum, quòd licèt in eodem instanti generationis simul sit fieri, & factum esse, tamen verè inuenitur transitus, & mutatio de potentia in actum, secundum diuersa instantia, & prioritates naturæ, mutatur enim aliquid de non esse ad esse. In actu autem immanente, ex eo præcisè quod immanens est, non sit transitus de potentia ad actum circa obiectum cognitum, nisi per accidens, si obiectum non sit sufficienter vnitum aut habitum in ipsa potentia, per se enim loquendo quantò magis in actu habetur ipsum obiectum, tantò perfectior est operatio circa ipsum. Et licèt producatur species expressa, ad quam est in potentiæ

tentia per ſpeciem impreſſam, tamen non conſiſtit ratio actus immanentis in huiuſmodi productione; nam etiamſi non producatur talis ſpecies expreſſa, ſicut nõ producitur in ſenſu externo, vel etiam poſtquam producta eſt in intellectu, datur vera operatio cognitionis circa obiectum; de quo amplius dicetur in tertio de Anima.

Ad ſecundum de creatione reſpondetur. Non eſſe mutationem, quia deeſt illi ſubiectum, ſine quo non datur actus exiſtentis in potentia, atque adeò deficit illi vna pars definitionis motus; dicitur tamen mutatio non ex parte ſubiecti, ſed ex parte termini tranſeuntis de non eſſe ad eſſe, quod eſt ſignificari per modum motus, vt dicit S. Thomas 1.p.q.45.art.2.ad tertium.

Quod verò attinet ad continuitatem motus, an ſit de eſſentia motus, quòd ſit continuus, vel includatur etiam in hac definitione motus diſcretus? *Reſpondetur*, motum diſcretum alium inueniri in naturalibus, alium in ſpiritualibus. In ſpiritualibus non eſt aliud, quàm pluralitas operationum indiuiſibilium, & ſic eſt extra latitudinẽ motus phyſici, qui diuiſibilis eſſe debet. In naturalibus autem motus diſcretus non eſt aliud, quàm plures motus continui interrupti, ſicut quantitas continua, diuiſione facta redditur diſcreta. Eſt tamen differentia in hoc, quòd quãtitas diſcreta licet ex vi diuiſionis, & multitudinis tantum nõ conſtituat particularem ſpeciem quantitatis, quia tamen induit diuerſam ordinationem partium diuiſarum, & menſurationem, ideo numerus conſtituit diuerſam ſpeciem quantitatis. At verò motus diſcretus non induit rationem exeuntis de potentia ad actum, niſi tantum eam, quam habet continuus, per cuius interruptionem redditur diſcretus, & ſic non conſtituit diſtinctam ſpeciem, ſed reducitur ad ſpeciem continui.

Quòd ſi vltimò inquiras; an motus localis Angeli includatur in motu phyſico hic definito? *Reſpondetur*, in ſententia D. Thomæ motum Angeli fieri per ipſam actionem intellectus ſecũdùm quod habet efficaciam aliquid trãſmutandi, & ſic ipſa actio mouẽdi Angeli eſt conceptio intellectus, vt expreſsè affirmat Sanctus Doctor opuſcul.11. art 3. Vnde conſequenter remoueri debet motus localis Angeli à ratione motus phyſici, ſicut ipſe actus intellectus. Adhuc tamen abſtrahendo ab hoc, etiamſi motus localis ſit aliquid præter conceptionem intellectus, excluditur tamen à motu phyſico, etiam quando eſt motus continuus in Angelo, quia non eſt ſimpliciter diuiſibilis, ſed ſolùm ex parte ſubiecti, in quo eſt motus, quia vt dicit D.Thom.1.part.quæſt.53.art.1. Angelus dum mouetur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem, vt tamen partialitas non referatur ad ſubſtantiam Angeli, ſed ad locum, quia in principio motus continui Angelus eſt in toto loco diuiſibili, à quo incipit moueri, ſed dum eſt in ipſo moueri; eſt in parte primi loci quem deſerit, & in parte ſecundi loci, quem occupat. Itaque motus Angeli eſt indiuiſibilis ſubiectiuè, diuiſibilis autem terminatiuè. Sed de hoc latius pertinet ad Theologos.

ARTICVLVS II.

Vtrùm motus diſtinguatur ab actione & paſſione, à termino à quo, & ad quem?

OMnes habitudines, quæ in motu reperiuntur, reducuntur ad iſta quatuor, eò quòd in omni motu ſeu mutatione, vt inquit D.Thom.quæſt.3. de Potent.art.3.eſt duplex proceſſus, ſcil inter terminos à quo & ad quẽ, & inter mouens & mobile. Inquirimus ergo, quomodo diſtinguatur motus ab actione, & quomodo etiam diſtinguatur à termino.

Et quantum ad terminum ad triplicem ſententiam reducuntur varia placita Authorum. *Prima* affirmat actionem & paſſionem inter ſe & à motu diſtingui realiter. Ita ſentiunt, qui exiſtimant actionem eſſe in agente, & paſſionem in paſſo, de quo ſequenti artic. agemus. Eandem ſententiam communiter præſequitur ſchola Scoti, in qua diſtinguitur actio prædicamentalis, & actio phyſica, & actionem prædicamentalem conſtituunt in reſpectu agentis ad paſſum, quia per talem actionem formaliter conſtituitur agens in ordine ad paſſum, & ſic apud ipſos actio prædicamentalis non eſt productio termini, ſed formalis relatio agentis ad paſſum, vnde diſtinguunt realiter actionem, & paſſionem inter ſe, & à motu. Actio autem phyſica ſumitur ab ipſis pro ipſa forma fluente, quæ vt reſpicit paſſum, dicitur paſſio phyſicè, & vt eſt ab agente, actio, & ſic tales reſpectus non conſtituunt ipſum agens ad paſſum, ſed ipſum motum, ſeu formam fluentem: cum qua aliqui putant identificari iſtos reſpectus, alij verò etiam differre putant, ſolumque identificari cum motu tanquam cum ſubiecto. De qua ſententia. Scotiſtarum videri poteſt Fuente lib.3.Phyſic.q.2.ferè per totam.

Secunda ſententia non agnoſcit, niſi diſtinctionem rationis inter actionem, & paſſionem, & motum: ſed adhuc diuiduntur. Nam *quidam exiſtimant* non diſtingui niſi ratione, quia motus ſe habet vt gradus ſuperior reſpectu actionis, & paſſionis. Quod attribuitur M. Soto 3.Phyſ.quæſt.2.concl.3.§. Quæritur, & tenet Cabero 3 Phyſic.diſp 1.dub.2 *Alij verò exiſtimant* motum ſe habere ad actionem, & paſſionem non vt genus, cum ſint prædicamenta primo diuerſa, & motus eſt poſtprædicamentum; ſed tanquam quid præſuppoſitum ad actionem, & paſſionem, cum quo tamen identificantur, taliter, quòd ſola ratione ratiocinata ab eo diſtinguuntur. Ita Rub.3. Phyſicor.tractat.1. quæſt 7. & P.Suarez diſp. 49.Metaph.ſect.2.qui etiam addit num.13.quod licet actio, & paſſio differant ratione ratiocinata, motus tamen, & paſſio, nec ratione ratiocinata differunt, ſed ſola nominis appellatione, eò quòd eandem definitionem habet Philoſoph. motus, & paſſio, & D. Thomas 1.2. quæſtione 1. articulo 3. dicit: *Quòd calefactio paſſio nihil aliud eſt, quàm motus ad calorem.*

Tertia ſententia eſt, quòd actio, paſſio, & motus diſtinguuntur à parte rei, non tamen diſtinctione reali, vt res à re, ſed diſtinctione modali. Eſt communis Thomiſtarum, vt videri poteſt apud Nazar.1. part. quæſt.24.art.1. Araujo 5.Metaphyſ.quæſt.1.articulo 4.Collegium Carm.3.Phyſic.diſp.17.quæſt.2. vbi plures citantur.

Circa ſecundum reſpectum, id eſt, habitudinem inter terminum à quo, & ad quem in motu, etiam variant Authores. Nam *quidam* diſtinguunt motum à termino, ad quem ſola ratione ratiocinata, ſumunt enim motum pro ipſa entitate, ſeu forma fluẽte, quæ ſolum differt à termino ratione ſtatus, quia ſcilicet vel eſt in via, vel eſt in termino, in mutatione, vel mutato eſſe. *Alij* ex oppoſito diſtinguunt motum à termino realiter, quia reuera motus non eſt forma fluens, nam forma non fluit, ſed fit totaliter de nouo, motus autem ſe habet vt via, ſeu tendentia ad iſtam formam, vnde videmus ſeparari motum à termino, & è contra, nam incipiente motu eſt motus ſine termino,

mino, & cessante motu est terminus sine motu, ergo distinguuntur, quia separantur. *Aly* denique existimant distingui motum à termino modaliter, seu formaliter, realiter verò motum non esse aliquid præter res, ad quas est motus.

Dico primò. *Actio, & passio non respiciunt motum tanquam genus, & gradum sibi essentialem, sed sunt conditiones intrinsecæ ipsius motus, eique quasi subiecto conuenientes.* Sumitur ex Aristotel. 3. Physicor, text. 22. vbi inquit: *Quòd omnino neque doctio est idem cum disciplina, neque actio idem quod passio, sed motus cui hæc insunt.* Et Diu. Thom. 3. Physicor. lect. 4. dicit: *Quòd cùm motus abstrahat à ratione actionis & passionis, non continetur in prædicamento actionis, neque passionis, vt aliqui dixerunt.*

Et præter rationem insinuatam, quod actio, & passio sunt prædicamenta primò diuersa, & sic non habent genus supra se, *deducitur fundamentum conclusionis ex eo*; quia actio & passio identificantur cum motu à parte rei; ergo non possunt respicere illud pro genere, nisi multiplicetur in eis motus; quod est falsum, vt probat Philos. ibi, quia aliàs si essent duo motus actio redderet motum subiectum in quo est, & sic si subiectum est agens, moueretur in quantum agens, quod est falsum, quia agens vt agens solum mouet; si autem est in passo, moueretur passum duplici motu respectu vnius, & eiusdem termini, quod est falsum, non ergo multiplicatur motus in actione, & passione, & consequenter motus non est genus ad illa; repugnat enim quòd aliquid sit genus ad duas species, & non multiplicetur in illis, siquidem contrahitur & diuiditur per differentias talium specierum, vnde si non diuiditur, sed identificatur cum vtraque specie, non est genus illatum, sed aliquid præsuppositum. Et hoc est quod dixit Philos. quòd actio & passio sunt idem cum motu, cui hæc insunt; inesse autem illi denotat, quod habet rationem subiecti, seu præsuppositi, non subiecti *vt quod*, sed *vt quo*, tanquam conditiones necessariæ motus, siquidem motus essentialiter est fluxus, & tendentia quædam, quæ necessariò requirit fluere ab aliquo, & tendere ad aliquid in aliquo subiecto, quod est includere actionem, & passionem. Et sicut in ipso termino in facto esse actio, quæ identificatur cum termino, habet ipsam entitatem termini ad modum subiecti, & rei, cum qua identificatur, ita & ipse motus, qui est terminus in fieri, habet actionem quasi formalitatem sibi identificatam.

Quod si dicas, non repugnare, quod gradus genericus corrupta specie maneat in alia specie, quæ est sub eodem genere: vt cum circulus transit in semicirculum non corrupta ratione figuræ, quæ est gradus genericus, ergo non repugnabit etiam eundem motum identificari cum actione & passione saltem entitatiuè, licet multiplicetur formaliter motus actionis, & passionis. *Sed contra est*, quia implicat, quòd corrupto gradu specifico remaneat idem gradus genericus, quia ab eadem forma prouenit gradus genericus & specificus; corruptâ ergo formâ, neque specificus gradus manet, neque genericus, licet posset manere similis gradus, quia vtraque species est sub eodem genere, sed non idem. Si verò dicitur multiplicari motum formaliter, sed non entitatiuè, ergo multiplicabitur effectus eius formalis, & sic duplici motu mouebitur etiam respectu eiusdem termini, quod tanquam inconueniens infert Aristotel. in hoc lib. text. 19.

Dico secundò. *Actio & passio non distinguuntur sola distinctione rationis, sed distinctione modali, seu formali reali, tam inter se, quàm à motu.* Quæ distinctio formalis non est illa, quam ponit Scotus, qua dixit distingui ea à parte rei, quorum vnum non est de conceptu alterius, sed distinctio formalis, de qua loquimur est idem quòd distinctio modalis, quæ ab omnibus admittitur. Conclusio ergo posita est Diu. Tho. qui affirmat actionem & passionem importare diuersas habitudines motus, & remoto motu nihil remanere, nisi habitudinem originis, & receptionis, vt patet 1. par. q. 28. artic. 3. ad 1. & quæst. 41. artic. 1. ad 2. & quæst. 45 art. 2. ad 1. vbi inquit, *Quòd actio, & passio conueniunt in substantia motus, & differunt solum secundum diuersas habitudines*, vt dicitur 3. Physic. *& ita oportet, quòd subtracto motu, non remaneant nisi diuersæ habitudines*, & idem repetit articulo sequenti.

Ex quo sumitur fundamentum huius sententiæ, quia in actione, & passione importantur diuersæ habitudines ad mouens, & ad mobile secundum rationem originis, & receptionis, vel ergo istæ habitudines sunt relationes prædicamentales, & secundum esse, vel secundum dici. Si primum, manifestum est aliquid addere ad motum, quia relatio aliquid est præter suum fundamentum. Si secundum, ergo sunt aliquid absolutum fundans illam relationem, & sic cum fundent relationes diuersas, vtpotè ad diuersos terminos se habentes, non poterunt omnino esse idem fundamentum, sed oportet quòd distinguantur non minus, quam ipsæ relationes fundatæ. Item potest dari actio sine motu, vt patet in creatione, vt S. Tho. affirmat 1. p. q. 45. art. 2. & 3. Ergo actio ex suo conceptu differt à motu tanquam aliquid à parte rei distinctum; motus enim non se habet vt genus, sed ad modum subiecti respectu actionis, vt dictum est, si ergo ex natura sua aliquando separari potest à motu, signum est à parte rei distingui. Vt omittam, quòd actio, & passio sunt distincta prædicamenta, ergo postulant distinctioné plusquá rationis, quia cùm prædicamenta sint coordinationes entium realium, vbi sunt distincta prædicamenta, debent esse distinctæ series realitatum, & cósequenter diuersa realitas saltem modalis.

Ex eodem principio constat decere distingui passionem, & motum, quia importatur in illis diuersa habitudo; nam passio respicit subiectum, vt recipiens ab agente, & sic habitudo eius est inter subiectum, & agens; dicitur enim aliquid pati ex eo quod trahitur ad agentem, vt dicit Sanct. Thom. 1. 2. q. 22. art. 1. At verò motus respicit terminum per modum transitus & tendentiæ ad illum de imperfecto ad perfectum, & sic respicit terminum per modum transitus inter terminum à quo & ad quem, non formam per modum receptionis ab agente, ergo diuersas important habitudines.

Quod vero distinctio istorum trium non sit nisi modalis, *ex eo probatur*, quia vt realitas illa motus dicatur actio non requiritur realitas superaddita, sed quòd eadem se habeat ad agens secundum rationem originis ab eo, solum ergo est modus aliquis non realitas distincta, sed eiusdem realitatis noua respicientia, & modificatio. Et constat etiam ex eo, quia eodem actu, quo impello vel percutio alterum, ille dicitur percussus, vel impulsus, non ergo requiritur distinctus actus, seu realitas, vt motus sit actus actiui, & actus passiui, sed sufficit distincta modalitas.

Dico tertiò. *Considerando motum respectu termini ad quem, motus entitatiuè non distinguitur ab eo realiter, sed modaliter ratione diuersi status imperfecti, & perfecti, fieri & in facto esse, potest tamen secundum aliam considerationem reduci ad prædicamentum actionis, & passionis, & similiter est postprædicaméti.* Sumitur hæc

hæc conclusio ex Diu.Thom.3.Physic.lect.4. §. Respondet ad tertium inconueniens,in fine,vbi inquit: *Quantum ad id,quod est in rerum natura de motu*(id est quantum ad entitatem) *motus ponitur per reductionem in illo genere , quod terminat motum, sicut imperfectum reducitur ad perfectum , sed quantum ad id, quod ratio comprehendit circa motum;scilicet esse medium quoddam inter duos terminos , sic iam implicatur ratio causæ , & effectus, nam reduci aliquid de potentia in actum non est nisi ab aliqua causa agente. Et secundum hæc motus pertinet ad prædicamentum actionis,& passionis.*Idem repetit in 5.Physic.lect.3 §.1.

Itaque quòd motus reducatur ad prædicamentum sui termini , & non distinguatur realiter ab illo , *ex eo constat,* quia motus , & terminus eius solum differunt sicut fieri,& factum esse, sicut res in tendentia, & in termino , in potentia & in actu , si autem esset diuersa res in fieri , & in facto esse,nunquam verificaretur quòd ista res,quæ modo est consummata,aliquando fuit inchoata, & in fieri,vnde si illa res,quæ est in facto esse, distinguitur ab ea , quæ est in fieri, illa quæ est in facto esse,solo illo instanti fieret,non verò motu, quia quidquid motu, & fieri antecedenter se haberet , pertineret ad aliam realitatem. Et non sufficit sola distinctio rationis , sicut est inter genus , & differentiam , quia ibi solum interuenit potentia logica, & secundum compositionem intellectus , quia vterque gradus radicatur in eadem forma , motus autem dicit potentiam physicam ad terminum secundùm realem transitum , & successionem de vno in aliud , quod sine aliqua distinctione saltem diuersi status nequit intelligi ; quia verò iste transitus & mutatio non stat sine origine ab aliquo, & receptione in aliquo in quo fit mutatio , necessariò reducitur ad actionem & passionem, vt identificatur cum illis.

Quod denique motus etiam sit post prædicamentum , *ex eo constat* , quia motus potest sumi dupliciter. Vno modo pro eo cum quo identificatur , siue sit forma ipsa, ad quam tendit, siue actio , & passio, sine quibus non tendit. Secundò pro ipso statu , seu conditio , in qua constituit formam , vel actionem, est enim motus status quidam oppositus quieti ; terminus enim motus non solum est ipsa res, ad quam tenditur ; sed etiam quies in illa , vt notat Sanctus Thomas 1.p.q.5.art.6. Sic ergo motus , vt nominat statum quendam oppositum quieti , cùm sit status, seu conditio consequens ad plura genera , dicitur postprædicamentum , quia postprædicamentum est conditio aliqua , seu ratio consecuta ad plura prædicamenta , vt in Logica diximus. Motus autem pro re, cum qua identificatur vt imperfectum cum perfecto , vel vt medium inter agens , & patiens reducitur ad ea peædicamenta , cum quibus identificatur.

Dico vltimò , *Motus strictè sumptus vt condistinctus à mutatione generaliter dicta addit supra mutationem hæc tria. Primò , quòd sit inter terminos positiuè contrarios , & non solum inter priuationem & formam. Secundò , quod habeat pro subiecto aliquod ens in actu completum , licèt mutatio saluetur in sola materia prima. Tertiò , quòd se habeat vt fluxus inter duos terminos , seu mutationes* ; in vno enim motu includuntur duæ mutationes , scilicet ex parte termini à quo corruptio , & ex parte termini ad quem generatio. De hac conclusione agemus infra libro 5. quæst.19. interim videri potest Sanctus Thomas 28. de verit.artic.1. vbi sic inquit: *Differentia est inter motum & mutationem, nam motus vnus est,quo aliquid affirmatiuè significatum abiicitur , & aliud affirmatiuè significatum adquiritur : est enim motus de subiecto in subiectum,* vt dicitur in 5. Physicor. *Vnde vnus motus alterationis est, quo album abiicitur, & nigrum adquiritur : sed in mutationibus, quæ sunt generatio & corruptio , aliter se habet, nam generatio est mutatio de non subiecto in subiectum,vt de non albo in album: corruptio verò est mutatio de subiecto in non subiectum, vt de albo in non album. Et ideo in abiectione vnius, & adeptione alterius oportet duas mutationes intelligi, quarum vna sit generatio , alia corruptio vel simpliciter, vel secundum quid. Sic ergo idem motus figuratur per per ablationem vnius , & inductionem alterius , non autem significatur eadem mutatio , sed diuersa.* Similia habet 5. Physic. lect.2. Et benè *Nota* , quòd vt detur duplex mutatio,scilicet corruptio , & generatio, oportet quod terminus à quo sit aliquid positiuum, quod corruptione tollatur. Si autem terminus à quo sit priuatio , eius corruptio non est distincta mutatio à generatione formæ , quia priuatio non corrumpitur transeundo de esse ad non esse , cum non habeat esse , sed ipsa productione formæ introductæ in subiecto priuatio soluitur. Tunc ergo intercedit corruptio vt realis mutatio,quando ex parte termini à quo est aliquid positiuum incompatibile cum termino ad quem, quod debet mutari de esse ad non esse ; & ideo quia motus est inter duos terminos positiuos , includit duplicem illam mutationem corruptionis vnius, & generationis alterius. Et quia est inter terminos contrariè siue positiuè oppositos quæ sunt accidentia , ideò requiritur , quòd subiectum motus sit ens in actu, seu substantia completa,& non solum materia prima, sicut sufficit pro generatione substantiali.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRo *prima sententia arguitur.* Quia actio & passio sunt distincta prædicamenta , ergo debent realiter distingui , siquidem solum entitates reales constituunt prædicamentum. *Confirmat.* quia forma fluens, & manans ab aliquo agente posset ab alio emanare, & in alio subiecto recipi, ergo illæ dependentiæ actionis , & passionis variari possent in ipsa entitate formæ , ergo non identificantur cum illa, sed realiter distinguuntur.

*Respondetur.*Quòd ad distinctionem prædicamentorum sufficit distinctio modalis , sicut vbi , & situs respectu substantiæ, aut quantitatis, & in multorum sententia relatio respectu fundamenti. *Ad confirmationem respondetur.* Quòd dato quòd eadem numero forma posset procedere ab alio agente, solum sequitur quòd ille modus actionis , & passionis posset esse alius ; non tamen quod sit realitas , & non modus; hæc enim est natura modorum , vt licèt identificentur cum re, tamen possint amitti, vel desinere esse,ipsa re permanente,licèt non possint separatim existere sine re, vt patet in vbi, & situ,& relationibus , quæ amittuntur , vel ponuntur , subiecto non pereunte,& tamen identificantur vt modi.

Pro secunda sententia arguitur ad probandum quòd motus sit genus ad actionem , & passionem. *Primò* , quia non possunt aliter connecti actio , & passio cum motu nisi secundum prædicationem essentialem , alias accidentaliter motui conuenirent. *Secundò* , quia ipsa actio essentialiter est quædam mutatio,quia per illam agens mutatur de non agente in agens , & similiter per passionem mutatur patiens ,& habent se per modum viæ, & fluxus , quia non durant nisi quamdiu effectus producitur, & est in fieri , ergo habent totam rationem motus. *Denique* motus non potest esse subiectum actionis, vel passionis,quia non denominatur ab illis, neq; enim motus

dicitur

dicitur agens, vel patiens, ergo non tribuunt ei effectum formalem, & sic non habent illum pro subiecto, sed pro genere.

Respondetur, connexionem inter actionem, & passionem cum motu non esse connexionem generis cum differentia, vel specie, sed modi cum re modificata, ad quam requiritur intrinsecè, sicut figura requirit quantitatem, subsistentia substantiam, tempus requirit motum tanquam aliquid præsuppositum essentialiter, & fides requirit obscuritatem intrinsecè, non vt constitutiuum, sed vt modificatiuum sui.

Ad secundam probationem dicitur, quòd actio etiamsi subiectiuè sit in agente, non mutat ipsum agens tanquam motus, sed actualitas, seu forma, quæ constituit agens non motum, sed mouentem sicut etiam forma substantialis, vel accidentalis constituit aliquid tanquam forma, non tanquam motus. Si tamen causa creata mouetur ad hoc vt agat illa motio non est formaliter per actionem illius, sed per concursum, seu auxilium causæ superioris mouentis.

Ad tertiam probationem dicitur, quòd motus non est subiectum actionis denominatiuè, & vt *quod*, sed identificatiuè, & vt subiectum *quo*, sicut etiam relatio identificatur cum fundamento, & habet illud vt subiectum identificationis, subiectum autem inhæsionis est ipsum suppositum, in quo est tale fundamentum, & similiter figura identificatur cum quantitate, sed denominat tanquam subiectum substantiam.

Tertio arguitur ad probandum, quòd motus, & actio solum distinguantur rationes quia motus est actus actiui vt ab hoc, & passiui vt in hoc; ergo vt sit actio non indiget noua entitate, vel modo, sed tantum seipso vt dependente, vel respiciente id à quo est, sicut etiam existentia non distinguitur ab essentia, nisi ratione, quia est entitas essentiæ, vt producta, & dependens ab agente. *Deinde*, quia si essent tres formalitates actio, passio, & motus, moueretur mobile tribus mutationibus, quotiescumque mouetur ad vnum terminum, quia recipit omnes illas. *Denique* ad hoc faciunt authoritates supra allatæ, ex Philos. & D. Thom. referendo hanc sententiam ex P. Suar.

Respondetur. Non indigere motum nouâ realitate, vt dicatur actio, sed distincta formalitate, quia in actione importatur origo ipsius motus, & causalitas agentis, quæ aliquid superaddit effectui, existentia autem si non distinguitur ab essentia in sententia illorum Authorum, non est, quia importat respectum ad producens, sed quia sine existentia entitas essentiæ manet in statu possibilitatis, & non vt ens reale. In quo tamen consequenter deberent dicere hi Authores, quòd actio si identificatur cum re producta, non distinguitur ab ipsa nisi ratione, quia sine actione res producta est nihil, si tamen intelligitur causalitas, seu actio distingui à re quam producit cur non etiam existentia, quæ est terminus actionis?

Ad secundam probationem dicitur. Non moueri mobile tribus motibus, quia actio & passio non sunt motus distincti, sed conditiones, seu modi vnici motus, quo mouetur mobile ad vnum terminum.

Ad authoritates Philosoph. & Diu. Thom. Respondetur, quòd definitio motus, quando definitur quòd est actus entis in potentia, &c. non est eadem cum definitione passionis: quando verò dicitur, quòd motus est actus mobilis, non definitur ibi motus, sed explicatur ordo eius ad subiectum, in quo conuenit cum passione. Et quando dicit D. Tho. quòd passio non est aliud quàm motus, intelligitur entitatiuè, & secundum comparationem ad subiectum, non secundum omnem formalitatem.

ARTICVLVS III.

Quid sit actio, & quotuplex, & quid sit formalis terminus eius?

CVm notissimum sit apud omnes, actionem esse actum secundum ipsius agentis, vt docet Philos. in hoc tertio lib. textu 19. actus autem duo habet officia, scilicet informare respectu subiecti, & originare, seu emittere ex se effectum, quod pertinet ad terminum, vtrumque in actione explicandum est; in hoc quidem articulo id, quod proprium est actionis, scilicet respectu termini, seu effectus quem ex se emittit; In sequenti verò id, quod est commune actioni in quantum accidens est, scilicet in quo subiecto sit, an in principio à quo emittitur, quod est agens, an in subiecto, in quo terminus eius recipitur, quod est passum.

In præsenti ergo propriam rationem actionis per aliquot dubiola explicabimus. *Primò*, quæ sit definitio actionis. *Secundò*, an sit de ratione eius, quòd producat terminum, vel solum quod vniat, aut aliquo modo attingat. *Tertiò*, quid sit terminus formalis, à quo specificatur. *Quartò*, de diuisione eius in creatiuam, & eductiuam. *Quintò*, de diuisione eius in transeuntem, & immanentem.

Primò ergo inquires, quæ sit definitio actionis tam Physicè, quàm Logicè, seu Metaphysicè? Respondetur, quòd actio potest definiri, vel quantum ad ipsam formam, quæ est actio quasi in actu signato, vel quantum ad exercitium ipsius formæ, quod est agere. Et quidem agere, vt dicit S. Thom. quæst. 2 de potent. articulo primo, nihil est aliud, quàm *communicare illud, per quod agens est in actu secundum quod possibile est*. Qua definitione complectitur omne agere tam creatum, quàm increatum, tam intra Deum, quàm ad extra, licet diuersimodè: nam res creatæ, & actio Dei ad creaturam communicat id, quod est in agente cum aliqua multiplicatione, & diuisione, nec potest communicare totum quod est in agente, & totaliter, quia fit cum aliqua limitatione saltem ex parte rei communicatæ, hoc ipso quod creata est. Communicatio verò Dei ad intra, quia perfectissima est, & sine vlla limitatione ex parte communicantis, & rei communicatæ, ideò agens communicat se totum.

Actio autem sumpta pro forma variè definiri solet. Primò, quòd actio est *actus actiui, vt actiuum est*, vt dicitur tertio Physicor. textu 9. Secundò, quòd Actio est *id, quo denominamur agere*, vel vt dicit Author sex principiorum, & Diu. Thom. opusculo 48. tract. de act. *Actio est forma, qua in id, quod subiicitur, denominatur agere*; vbi definitur actio relatiuè ad passum, quod subiicitur, quæ est definitio actionis prædicamentaliter, seu Logicè consideratæ. Tertiò dici potest actio *causalitas agentis, seu id, quo effectum causat*, vel vt definit Sanct. Thom. 3. Physicor. lect. 5. *est actus ab agenti in aliud*, & 1. part. quæst. 54. artic. 2. *Actio est effluxus in actum ab agente*. Denique definiri potest actio, *quod est actualitas virtutis*, vt dicit Diu. Tho. eadem q. art. 1.

Secundò dubitabis. In quo consistat formalitas actionis, an in ratione productionis effectus, vel vnionis eius ad passum, seu eductionis, aut in quo tandem consistat. *Respondetur*, quòd vt supra diximus, quæst. 12. art. 4. & docet D. Th. opusc. 48. cap. de actione,

actione, de conceptu actionis est actualis emanatio, seu emissio alicuius ab agente; distinguit autem D. Th. duplex genus actionis, alterum quod est cum innouatione & motu, alterum sine illo per simplicem effluxum alicuius à suo principio, vt patet in quodlib. 4. artic. 9. & opusc. 15. cap. 9. In causis autem creatis actio, seu effluxus est medium inter agens, & effectum quasi accidentaliter, & non substantialiter illi conueniens non tanquam res producta, sed tanquam modus, seu ratio ipsa producendi, de quo videri potest D. Tho. 2. contra Gent. cap. 35. & in 2. dist. 1. q. 1. art. 5. ad 11. & 1. p q. 25. art. 1. ad 3.

Ex quo constat, quid sit de conceptu formali actionis præcisè, vt actio est, quid verò pertineat ad specialem modum, vel connotationem eius, in quantum talis actio est. De ratione enim actionis vt causalitas est agentis, præcisè est, quòd sit actualitas per modum emanationis, seu originis ipsius effectus ab agente cum dependentia effectus ab ipso, & ista habitudo agentis ad effectum, mediante qua effectus dependet ab ipso, est de intrinseca ratione actionis, quæ est causalitas, & ita semper requirit aliquam nouitatem saltem quoad modum, & dependentiam in ipso termino, respectu agentis. Superadduntur autem actioni alij respectus, siue connotationes, vel respectu passi, vel respectu termini à quo, in quibus formaliter non consistit actio, licet illos admittat, & per illos diuidi possit, v. g. quòd actio sit productio, vel reproductio, eductio, vel inductio, siue vnitio, siue immutatio; omnia ista important diuersas connotationes actionis & diuersos respectus verb. gr. quòd sit productio, importat actionem cum nouitate ipsius esse in termino, ita quod in rebus creatis transeat de non esse ad esse quando producitur. Reproductio dicit actionem connotando rem fuisse. Et saluatur actio sine productione nouæ entitatis in termino, vt patet in transsubstantiatione, quæ conuertit aliquid in præexistens; & intensio saluatur sine productione nouæ qualitatis, solum per nouam vnionem ipsius ad subiectum in opinione Thomistarũ, de qua in libris de generatione. Item quòd actio sit eductio formæ, vel inductio, siue vnitio ipsius, vel etiam mutatio vel motus conuenit actioni secundum respectum ad passum, siue subiectum, de quo forma educitur, vel cui vnitur: vnde sine tali connotatione saluatur ratio actionis solum per ordinem agentis ad effectum: vnde solum conueniunt ista actioni, vt talis est, nempe, vt dependenter operans à materia.

Tertiò dubitabis, quis dicendus sit terminus formalis, à quo sumitur specificatio, vel diuersitas actionis? *Respondetur*, in sententia Diu. Thom. certum esse actionem specificari, tùm à principio, tùm à termino, vt patet in prima parte, quæst. 77. art. 3. & licet frequenter etiam dicat Diu. Thom. specificationem actionis, vt actio est, sumi à principio, vt autem passio, seu motus est sumi à termino, vt in 1. 2. qu. 1. art. 3. tamen per hoc non negat specificari etiam actionem à termino, cùm ipsa natura actionis instituta sit & ordinata essentialiter ad terminum, cùm sit causalitas, quæ causa tum essentialiter respicit, sed explicare vult Diu. Thom. specialem rationem actionis, vt actio est, quia respicere terminum commune est actioni & passioni, sed respicere illum sub ratione originis ab aliquo principio, hoc est proprium actionis, & ideò etiam quando actio specificatur à termino, specificatur etiam ab illo, vt aliquo modo habet rationem principij, quatenus terminus præcedit in ipso principio operandi, vt in intentione, seu proportione, vt principietur actio, quia non potest principiari ab aliqua forma, nisi vt proportionata & ordinata ad talem terminum, quod explicauit S. Th. 1. p. q. 105. art. 5. vbi inquit: *Quod finis agens, & forma, se habent vt actionis principium, sed ordine quodam; nam primum principium actionis est finis, qui mouet agentem; secundo vero agens: tertiò verò forma eius, quod ab agente applicatur ad agendum.* Quare cum D. Th. dicit specificari actionem à principio, ibi includit etiam, quòd specificetur à termino, scilicet vt continetur in principio.

Inquirimus ergo, quæ sit formalitas termini seu principij, à qua specificetur actio, nam circa eundem terminum materialiter posse versari diuersas actiones certum est, sicut ad eundem locum materialem potest terminari motus ascensus, vel descensus, &c. Circa hoc ergo solum dicit Diu. Thom. q 77. citata, quòd non quæcumque diuersitas obiectorum diuersificat potentias, sed differentia eius, ad quod per se potentia respicit. Et eidem proportionaliter dicendum est de actionibus non potentiæ non nisi mediis actibus specificantur. Id ergo formalem terminũ vocamus, quod per se ab actione vel potentia respicitur. Nam formalis terminus dicitur non secundum entitatem suam tantum, sed sub ea formalitate & ratione, qua conducit ad specificandum istam actionẽ, & vt attingatur ab ista potius quàm ab alia, sicut dicimus obiectum formale visus esse corpus quatenus coloratum aut lucidum, tactus autem quatenus calidum vel frigidum.

An verò semper requiratur in termino, vt sit terminus formaliter distinctus ab alio aliqua ratio *quæ*, tanquam noua entitas vel modus, qui producatur, an verò sufficiat distincta ratio *sub qua*, vel nouus respectus ad terminum à quo, vel noua dependentia ad agens? *Ad hoc respondebimus* infra quæst. 19. art. 1.

Quartò dubitabis, quæ sit diuisio actionis in creatiuam, & eductiuam, & quomodo differant? *Respond.* Differentiam istarum actionum ex earum definitionibus cognosci, est enim actio creatiua, quæ operatur effectum nullo subiecto præsupposito, sed ex nihilo. Actio verè eductiua est, quæ producit effectum ex aliquo subiecto præsupposito, immutando, & reducendo potentialitatem eius in actum: ex quo colligitur non posse aliquid eadem actione simul educi, & creari, esset enim procedere ex nihilo, & ex aliquo: quod verò aliqui dicunt, quod licèt quælibet actio non possit simul procedere ex nihilo, & ex aliquo tamen quia in productione alicuius substantiæ multæ actiones concurrunt, verbi gratia creatio materiæ, æductio formæ, vnitio illius, &c. tota collectio actionum, dicitur ex nullo alio præsupposito, licèt quælibet actio diuisim non possit simul esse eductiua, & creatiua, hoc nihil est, tùm, quia hoc idem inuenietur in quolibet effectu accidentali, nam etiam quando album producitur, tota collectio actionum, quæ ad illum prærequiruntur, vt productio subiecti, formæ albedinis, & vnio eius, non præsupponit aliud subiectum, ex quo tota illa collectio fiat: tùm etiam, quia productio substantiæ non consistit in collectione plurium actionum, sed in illa, quâ vltimò attingitur, sicut actio producens equum, non consistit in actione, qua ab initio producta fuit materia, sed qua modo generatur equus; illa enim præsupposita fuit non solum ad equum, sed ad omnia, quæ ex illa materia possent generari. Certum tamen est, quòd in collectione omnium actionum, quæ ad aliquid requiruntur etiam materię primæ, aliquid creationis inuoluitur.

An vero actio creandi sit prædicamentalis, licèt non dicat ordinem ad passum, sed ad effectum, dependet

dependet ex his quæ articulo sequent. tractanda sũt, an ista actio sit in agente, vel in effectu, quatenus creata est, & an prædicamentum actionis solo ordine ad effectum constituatur, an etiam requirat ardinem ad passum, & ad passionem de quo ibi dicemus.

Vltimo dubitabis quæ sit diuisio actionis in immanentem, & transeuntem, & an immanens, vera actio sit? *Resp.* quòd si loquamur de actione physica, quę cum motu & passione coniuncta est, certum est non conuenire actioni immanenti, quia de se non requirit motum in ipso agente, sed tanto perfectior est, quanto magis supponit ipsum agens in actu; vnde inuenitur operatio immanens, vt cognitio sine aliqua transmutatione passiua subiecti, sed præcisè per ordinem ad obiectum, quia passio non ponitur in aliquo subiecto nisi quando producitur aliquis terminus seu forma, quæ in eo recipiatur; cognitio autem immanens, vt immanens est, per se non requirit productionem termini, vt patet in sensu externo, qui non producit in se aliquem terminũ seu imaginem, in qua perficiat sensationem, sed immediatè sentit terminum externum, vt in lib. de Anima dicetur. Quòd si aliquando actio immanens producit terminum, non est præcisè, quia immanens, sed quia virtualiter transiens, vel quia est dicens, seu expressiua.

Ex quo vlterius fit discursus ad negandum, quòd actio immanens formaliter & purè non sit actio de prædicamento actionis, licèt virtualiter actio esse possit. *Ratio est*, quia actio quæ est de prædicamento actionis tantum debet esse causalitas agentis, & connotare ordinem ad passum; causalitas autem agentis nunquam est vltimum, quòd intendit agens, & vbi cessat eius finis, sed est medium quo tendit ad terminum productum, aut de nouo positum, propter quem est ipsa actio; at verò operatio immanens est vltimus actus, qui intenditur ab operante, tunc enim est in actu simpliciter cognoscens, quando actu operatur &, intelligit, vndè felicitas seu beatitudo, quæ est vltima hominis perfectio, in ipso actu intelligendi consistit, & perfectio viuentis in operatione vitæ est, non in aliqua quiete, sed ipsa operatio propter se ipsam quæritur, non propter aliquem terminum, nam etiamsi producatur aliquis terminus, v.g. verbum adhuc perfectio intelligendi non est in productione talis termini, sed in contemplatione in verbo iam producto, ergo operatio immanens non se habet per modum medij & viæ, qua aliquis terminus acquiritur, sed potius ipsa est vltima actualitas, quam intendit operans, & sic non est de genere actionis prædicamentalis, siue quæ infert passionem, siue quæ se habet per modum causalitatis tantum, quia non quæritur propter terminum causandum, sed propter suam actualitatem. Et hæc doctrina est D. Th. vt videri potest primo cont. Gent. cap. 100. vbi inquit: *Dico autem operationem in ipso manentem, per quam non fit aliud præter ipsam operationem, sicut videre, & audire, huiusmodi enim perfectiones sunt eorum, quorum sunt operationes, & possunt esse vltimi, quia non ordinantur ad aliquod factum, quod sit finis operatio verò, vel actio, ex qua sequitur aliquid præter ipsam est perfectio operati, non operantis, & comparatur ad ipsum sicut ad finem.* Vbi apertè tradit nostram doctrinam, quare actio ista non fit de prædicamento actionis, quia non est purè causalitas agentis, eò quòd non se habet vt medium & via, sed vt vltimum & finis. Actio autem prædicamentum, vt dicit Sanctus Thomas in 1. distinct. 8. quæstione 4. artic. 3. ad 3. dicit aliquid fluens ab agente cum motu: quod ergo non se habet vt fluens & via, & cum imperfectione & motu seu vt præsè fluens, & ad vlteriorem perfectionem tendens, sed potius ipsa est vltimum, talis non est actio prædicamentum: Vnde expressè eam reiicit à prædicamento actionis Diu. Thom. *opusculo 48. tract. de actione*,

Quòd si inquiras. Quomodò ergo producitur ista entitas, quam dicimus immanentem actionem? Si enim est effectus, ergo supponit causalitatem, qua procedat ab efficiente. Si verò non est effectus, ergo vel est causalitas ipsa & actio, vel entitas increata, vel nihil. *Respondetur*, tales actus immanẽtes esse virtualiter actiones, licèt formaliter sint qualitates. Et pro ea parte qua actiones sunt, se ipsis emanant sicut actiones; & sicut passiones propriæ à substantia emanant, & relationes à fundamento, eo modo se habent illæ qualitates, quæ sunt actus immanentes respectu potentiæ, quia etiam habent munus & vim actionis licèt eminenter seu virtualiter. Et huius signum est, quia intellectio se ipsa est etiam dictio & productio verbi, vt tractari solet prima parte, quæstione 27. & dicemus in libro de Anima, ita quod dicere non distinguitur realiter ab intelligere; dictio autem & productio verbi causalitas eius est, quia habet ipsam imaginem verbi pro termino & similitudine expressa. Ergo se ipsa potest emanare sine alia distincta actione, sed ipsa priuilegium habet actionis. Similiter conceptio practica intellectus, habet vim mouendi etiam extra se, quod non fit nisi actione transeunte, sicut dicit D. Thom. quòd Angeli suo imperio quod est conceptio intellectus, mouent cœlum, opusc. 11. ar. 3. non ergo extraneum est ab actione immanente, quod habeat vim transeuntis, & pro illa parte emanant scipsa à potentia.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm actio transiens subiectiuè sit in agente?

PRocedit quæstio de actione transeunte, quia de immanente non est dubiũ subbiectari in agente, ex eo enim immanens est, quia non perficit nisi ipsũ agens. At verò transiens perficit non solum agens emanando ab ipso, sed etiam perficit effectum causando ipsum, & si effectus recipiatur in passo, etiam perficit passum mediante effectu recepto. Vndè quia denominat & perficit agens, & similiter effectum & passum, quærimus in quo ex illis sit inhæsiuè, licet constet, quòd ab agente sit emanatiuè. Quòd si actio non habeat passum sicut creatio, quia ipsum passum seu materiam efficit, non supponit, inquirimus, an identificetur talis actio cum effectu, vel sit in ipso agente, non verò an sit in passo, quia caret illo.

In hac ergo difficultate concertatio est inter scholam Scoti, & Diuum Thom. & inter ipsos Thomistas iuter se, licèt ex diuersis fundamentis. Censet enim Scotus actionem transeuntem subiectari in agente, vt patet in 4. distinct. 13. quæst. 1. §. Ex dictis, & distinct. 43. quæst. 5. De tertio, & aliis locis, quem sequitur eius schola. Et *fundantur in eo*, quia existimant actionem prædicamentalem esse respectum agentis ad passum, & relationem extrinsecus aduenientem, & cum passio, & actio sint respectus mutuo oppositi, non possunt esse in eodem extremo, ita quòd vterque sit in passo, vel in agente, sed alter in agente; alter in passo. *Et potest hoc amplius vrgeri*, nam quidquid sit de actione identificata cum motu, tamen certum est relationem agentis esse in

agente,& relationem effectus,vel paſſi in paſſo,cum conſtet, quod agens realiter reſpicit terminum, & paſſum, & è contra, ergo non minus, quam in aliis relatiuis relatio debet eſſe in ipſis extremis relatis: ergo etiam fundamentum talium relationum, quod eſt ipſa actio & paſſio, debet diſtinctè poni in ipſo agente,& paſſo,eò quòd fundamentum identificatur cum relatione.

Inter Thomiſtas autem ſequitur eandem ſententiam Caietanus 2. parte, quæſt.25. artic.1. & Nazarius ibi. controuerſ.vnica, & alij; ſed fundamentum ex eo ſumunt, quia actio trãſiens eſt actus ſecundus perficiens,& mutans intrinſecè ipſum agens,ergo debet eſſe ſubiectiuè in illo. *Conſequentia patet*, quia perfectio intrinſeca debet ſubiectari in eo, quod denominat, hoc enim eſt eſſe intrinſecam. *Anteced. vero probatur*; tùm quia actio eſt actus & complementum potentiæ agentis; vt dicit Diu. Thom.1. contra Gentil. cap 9. quia comparatur ad potentiam ſicut actus ſecundus ad primum; vndè concludit ibi, quòd actio,quæ non eſt ſubſtantia agentis, ineſt ei, ſicut accidens ſubiecto: tum, quia maior & proprior perfectio agentis eſt actus ſecundus, quàm primus, cùm actus primus ſit in potentia ad ſecundum;& per ipſum reducatur de potentia ad actũ,ſublata eius intrinſeca potentialitate,& conſequenter appoſita intrinſeca actualitate: ſicut ergo actus primus eſt ſubiectiuè in agente, ita & actus ſecundus, qui eſt ipſa actio. Plures authoritates S.Th.ſtatim referemus.

Secunda ſententia, quæ frequens etiam eſt inter Thomiſtas, docet actionem ſubiectiuè eſſe in paſſo, ſiue in effectu. Quam tenet Ferr. Capreol. Heruæus, Soto, Soncin. & alij, quos citat, & ſequitur Curſus Carmelit. hìc diſputatio. 17. quæſtione quarta & quinta. Idem tenet Pater Suarez diſputat. 48. Metaphyſicor.ſectione quarta. Qui addit, actioni tranſeunti ſub conceptu actionis, quo diſtinguitur à paſſione,non conuenire ſubiectum inhæſionis, ſed ſolum denominationis, & emanationis ab agente. Si tamen aliquod ſubiectum inhæſionis habet, illud eſt ratione ſui termini ſeu effectus, cum quo actio identificatur tanquam modus eius,& emanatio ſeu proceſſio ipſius.

Et hinc ſumitur fundamentum huius ſententiæ. Nam actio identificatur cum motu, & cum termino motus,& non datur alia actio,nec eſt magis neceſſaria, quàm illa; quæ cum motu identificatur; motus autem & terminus productus non ſunt in agente, ſed extra illud, ergo neque actio eſt in agente: actio enim eſt vbi eſt illud, cum quo identificatur. Diſcurſus totus conſtat ex ſupra dictis, vbi probatum manet, quòd actio identificatur cum motu, & quòd motus ſit in mobili ſeu paſſo tanquam in ſubiecto, quod etiam affirmat Philoſoph. hoc lib. cap. quarto. Quòd verò non ſit alia actio, quam illa quæ identificatur cum motu, *conſtat*, tum quia Philoſoph. non meminit alterius actionis, ſi autem alia actio daretur ex parte agentis, & alia ex parte motus ſeu paſſi, quomodo diceret Ariſtoteles, quod actio etiamſi ſit actus agentis, & denominet ipſum, tamen eſt in paſſo, quia actus vnius poteſt eſſe in alio ſecundum diuerſam rationem? *Tum etiam idem conſtat*, quoniam ponere duas actiones, alteram in paſſo, alteram in agente omnino ſuperfluum videtur; ſi enim actio quæ eſt in effectu vel in paſſo; egreditur ab actione quæ eſt in agente, cur non poterit immediatè egredi ab ipſo actu primo, ſiquidem immediatè ab ipſo egreditur actio illa, quæ eſt in agente? Et tamen illa actio,quæ eſt in agente,non eſt vltima ratio, qua egreditur effectus,hæc enim eſt ipſamet proceſſio, & egreſſio effectus, quæ non eſt in agente, ſed in effectu procedente; ergo ſine fundamento ponitur actio in agente, ſiquidem non eſt ipſa vltima ratio cauſandi, & procedendi in ipſo effectu, & ſic non eſt actio, de qua loquimur in præſenti. *Denique* illa actio, quæ eſt in agente, emanare debet ab ipſo,ergo idem agit in ſeipſum,& ſic ſimul eſt in actu, & in potentia reſpectu eiuſdem, in actu ad agendum,& in potentia ad recipiendum.

Denique vrgent pro hac parte aliqua loca Ariſtotel. & Diui Thomæ; nam Ariſtoteles in hoc tertio libro text.20, docet non eſſe inconueniens, quòd actus vnius ſit in altero, vt doctio in addiſcente Et 9. Metaphyſ. text.16. dicit: quòd ædificatio eſt in ædificato. Et tertio de Anima,text.138. *Agentis,inquit, mouentiſque operatio in ipſo patiente ſuſcipitur, atque ineſt, atque adeò actio, & paſſio non in agente eſt, ſed in eo quod patitur, &c.* Super quæ loca idem affirmat expreſsè Diu Thom. & in quæſtione 14. de veritate, articulo 3. & 10. de poten. articulo 1. & 2. contra Gentil. cap.1. Denique hanc differentiam ponit Diuus Thomas inter actionem immanentem, & tranſeuntem, quòd actio immanens primò,& per ſe perficit ipſum agens, tranſiens autem primò, & per ſe perficit ipſum paſſum: nec eſt perfectio agentis, ſed moti, vt expreſsè docet 1.part.quæſt.18. articul.3. ad 1. & quæſt.54. artic.2.& 1.2.q.3. articulo 2. ad 3.& primo contra Gentiles, cap.100. Ergo repugnat, quòd actio tranſiens ſit in agente,alioquin ex ſe eſſet perfectio agentis, quia id primo, & per ſe perficit, in quo primo & per ſe eſt, quòd eſt tollere differentiam inter actionem immanentem, & tranſeuntem, quæ adæquatè diuidunt actionem, vt ſic.

Nihilominus reſolutio noſtra ſit. *Secundum mentem Diu. Thomæ actio ſecundum propriam rationem actionis non petit ſubiectum inhæſionis, ſed emanationis, ita quòd ad denominandum aliquid agens per accidens ſe habet, quod inhæreat: verè tamen, & in re actio emanans duplicem formalitatem debet importare, quarum vna actuet, & inhæreat in agente, altera in termino, & mediante termino in paſſo, ſi terminus ſit aliquid dependens à ſubiecto.* Itaque actio in agentibus creatis, in quibus per modum emanationis ſe habet, & accidentaliter conuenit agenti, inchoatiuè eſt in agente & conſummatiuè in termino, ſeu effectu, non ſecundum eandem entitatem modalem, ſeu formalitatem; hoc enim eſt impoſſibile, cum ſit diuerſum ſubiectum, ſed ſecundum diuerſam, quæ ordine quodam vnum ſunt: ad eum modum, quo Diu. Th. & Theologi 1.2. quæſt.50.artic.2. dicunt, quòd virtus moralis, quæ moderatur paſſiones eſt in duplici potentia, ſcilicet in voluntate imperante inchoatiuè, & in appetitu eliciente paſſiones moderatas conſummatiuè; & quia denominatio virtutis ſit ſimpliciter ab eo, vbi conſummatiuè eſt virtus, ideo ſimpliciter dicitur eſſe virtus in appetitu ſenſitiuo. Eodem modo actio, quæ eſt cauſalitas emanans ab agente, quatenùs reddit agens actuatum in actu ſecundo, & tranſmutatum de otio in actum reliquit formalitatem actionis in agente inchoantem ipſum effectum: vt autem reddit effectum in actu ſecundo cauſatum, & procedentem à cauſa, ponit formalitatem in effectu, qua redditur actio conſummata, & inde ſit denominatio agendi, neque enim aliquid dicitur agere ante effectum: & ratione huius ſimpliciter actio eſt in termino.

Et quod iſta ſit mens D.Tho. *conſtat* ex collatione locorum ipſius, in quibus agit de hac re. Nam in primis, quòd actio ex proprio conceptu actionis non poſtulet ſubiectum inhæſionis,ſed emanationis,

conſtat

constat ex 1. S. d.32. qu.1. art.1. vbi inquit: *Quòd si per impossibile poneretur esse aliquam actionem, quæ non esset accidens, non esset inhærens, & tamen denominaret agentem, & tunc agens denominaretur per id, quod ab eo est, & in eo non est, vt inhærens.* Ergo ex proprio conceptu actionis, vt præcisè denominat agens, non dicit subiectum inhæsionis, sed emanationis, licèt quia accidens est in rei veritate inhæreat, quod etiam apertè dicit in quæstione septima, de potent. articulo 9 ad 7.& quæst.8. art.2. Item etiam, quòd debeat poni actio agente in quantum importat actũ secundum immutantem ipsum actum primum constat, quia 1. parte quæst.54. art.1. dicit: *Quòd actio est actualitas virtutis.* Et 2.contra Gentil. cap.9. *quòd actio est complementum potentiæ*: Et tamen, quia non est actualitas completa, & consummata in ipso agente, sed in effectu, ad quem deriuatur, dicit in dicta quæst.54.artic.2. quòd actio transiens non potest esse ipsum esse agentis, quia esse significatur intra rem; actio verò est effluxus in actum ab agente. Deinde in 2.contra Gent.cap.35. & in 2.d.1.artic.5. ad 11.dicit: *Quòd agens agit actione media, quæ non est essentia ipsius operantis, & in talibus non potest sequi effectus nouus sine noua actione, & nouitas actionis facit aliquam mutationem in agente prout est exiens de otio in actum.* Ergo sentit Diu. Thom.quòd actio aliquid ponit intrinsecum in agente, & non solum extrinsecè denominat ipsum, alioquin non diceret, quòd ponit mutationem in illo. Et conformiter ad hoc distinguit Sanct.Thom.creationem, vt est actio, & vt est passio, seu actio, vt effecta, & vt efficiens in 1. dist.40.quæst.prima, articulo primo, vt intelligamus actionem ad vtrumque pertinere, & importare non vnam, sed duplicem formalitatem, vnam in agente, vt est actio agens: & aliam in effectu, seu passo, vt est actio effecta. Quod tandem expressis verbis affirmat in 2. dist.40. quæst.1.art.4. ad 1. vbi dicit: *Actionem, & passionem non posse esse idem numero accidens, quia actio est in agente, & passio in patiente.* Et cùm alias ponat cum Philosoph.3. Physic. lect.5. & aliis locis supra citatis, quòd actio & passio identificantur cum motu, & quòd actio transiens est propria perfectio operati, consequenter oportet fateri, actionem apud D. Thom. importare duplicem formalitatem, alteram in agente, alteram in passo, seu termino, vbi consummatur actio, & ratione cuius dicitur agens denominari ab aliquo extrinseco, scilicet ab affectu, vt dicit in opusculo 48. tract. de actione, & in tertio Physicorum, lectione 5.

Nec potest responderi, quòd quando dicit D.Thom. quòd actio & passio non sunt idem numero accidens, loquitur de actione vt morali, & libera; & sic est actio immanens. Quando verò dicit actionem esse in agente intelligitur ratione alicuius commodi extrinseci, quod agenti prouenit ex actione, quia saltem propagatur eius species. *Sed contra primam solutionem est*, quia Diu. Thom. prius loquitur in communi de actione & passione, & motu. Deinde ad litteram loquitur de actione inferente passionem, scilic. crucifigentium Christum, & quæ est accidens numero distinctum à passione: actio autem immanens neque infert passionem, neque ponit in alio subiecto distinctum accidens numero. Si autem loqueretur de actione in esse morali, & non in esse physico, potius dicerentur vnum numero accidẽs in esse morali actio, & passio, quam plura. *Contra secũdam autem solutionem instatur*, quia actio in quantum accidens inhæret in agente, vt dicit S.Tho. ergo frustra explicatur id de emolumento extrinseco, hoc enim non inhæret in agẽte, & sic ratione talis emolumenti non assignaret S.Th. subiectum quòd actioni conuenit in quantum accidens.

Ex quo manet explicatum fundamentum huius sententiæ, sumitur enim ex fundamentis vtriusque sententiæ allatæ, quæ probant requiri actionem, & dari tam in agente quàm in passo, nec enim saluatur actio, quin sit actualitas secunda agentis, & actum primum reducat de potentia ad actum, & de otio ad operationem, hoc autem perfectio aliqua est ipsius agentis, & mutatio, & non sola denominatio extrinseca, sicut enim intrinsecè agens est in potentia, & in actu primo ad operandum, ita oportet quòd reducatur intrinsecè ad actum secundum, & mutetur in actum, dum in actu operatur; debet ergo ista actualitas actionis in agente esse. *Cæterùm* ibi non consummatur actio & causalitas agentis, nisi effectus ipse procedat & emanet actu ab ipso, & sic origo ipsa motus & termini producti, cum ipso motu & termino identificari debet, illa autem origo ab alio, actio effecta est, causalitas, & sic formalitas actionis, vt processio & origo motus, cum termino & motu debet identificari, ibique consummatur actio, quia ibi terminatur.

Solum restat respondere ad argumenta secundæ sententiæ pro ea parte, quia intendunt ostendere, quòd superfluit ista duplex actio. Nam argumenta pro prima sententia solum ostendunt oportere aliquam actualitatem, & formalitatem actionis esse in agente, non tamen omnem, nec ibi consummari, vt dictum est.

Ad primum ergo secundæ sententiæ respondetur, actionem effectam identificari cum motu & termino producto, sed non actionem efficientem, quæ est actus secundus agentis. *Et ad instantias* quæ afferuntur ad probandum non esse duplicem actionem. *Respondetur ad primum*, quòd Aristot. non fuit sollicitus explicare, quomodò actio sit in agente, sed in passo eò quòd in passo actio est consummatiuè, & inde accipitur denominatio agendi completa, & perfecta, & ideò solùm explicauit, quomodo actio sit in passo; hoc enim solum difficultatem habebat, & eius instituto deseruiebat, cùm principaliter ageret de motu, & de actione, vt est conditio identificata cum motu; & sic solum est in passo.

Ad secundam instantiam dicitur, non superfluere istas duas actiones, quia quælibet earum non est completa, & perfecta, sed vtraque requiritur ad consummatam rationem agendi ob rationem dictam. Et tam ipsa actio effecta, quàm ipsa actio agentis, seu vtraque formalitas egreditur ab agente, non per aliam actionem, quia vtraque complet eandem actionem, & vtraque pertinet ad rationem causalitatis; sed vna per modum actualitatis agentis, altera per modum actualitatis passi: non verò vna vt effectus, altera vt tota causalitas, sed vtraque vt conditio, & ratio pertinens ad eandem causalitatem, non tamen vtraque immediatè egreditur, sed ordine quodam, quia inchoatur in actione agentis ratio, & causalitas agendi, consummatur tamen in actione ex parte effectus. Et sic non probatur, quòd actio agentis non pertineat ad rationem causalitatis, & ratio operandi; sed quòd non pertineat tanquam vltima & consummatiua ratio ipsius. Et sic actio ex parte agentis est formalis egressio, & formalis causalitas inchoatiuè, & actiuè, non consummatiuè & formaliter.

Ad tertiam instantiam respondetur, per ipsam egressionem effectus sufficienter constitui agens in ratione agendi consummatiuè, & denominatiuè, non autem inchoatiuè, & actiuè, seu per modum actus secundi agentis; hoc enim necessariò supponitur ad

actionem effectã, sicut fides necessario supponit piã affectionem, & virtus in appetitu sensitiuo, dispositionem imperandi in voluntate; idcóque actio transiens non dicitur perficere ipsum agens, sed passum, seu effectum, quia ibi consummatur actio, licet in agente inchoetur, & ad terminum ordinetur.

Ad quartã instantiam respondetur, quòd illa actualitas in agente emanat ab ipso, non vt terminus, seu effectus, sed vt modus, seu causalitas inchoata. Et talis modus non emanat ab ipso agente, vt est in potentia purè; sed vt est in potentia mota à Deo, & aliis causis superioribus, quibus inferiores determinantur, & actuantur, vt emanet ab illis actualitas actionis, quæ rursus in ipsa potentialitate actus primi recipitur, actuando illam per modum actus secundi: & sic non est in potentia, & actu secundùm idem.

Ad loca D. Thom. respondetur loqui ipsum sicut & Aristotel. de actione affecta, prout est consummata, & completa ratio agendi, à qua fit denominatio. Et quando ponit differentiam inter actionem immanentem, & transeuntem, quòd illa est perfectio agentis, non ista loquitur de perfectione & completa agendi, hæc enim consummatur in agente, quando est immanens, in effectu verò, & passo, quando est transiens, inchoatiua autem est ipso agente, vt dictum est, & quia vtraque hæc actio pertinet ad constituendum ipsam causalitatem agentis, vna inchoatiuè, altera consummatiuè, ad idem prædicamentum actionis reducitur etiam illa actio, quæ est in agente, sicut pia affectio ad fidem, & dispositio voluntatis ad virtutem, quæ est in appetitu.

QVÆSTIO XIV.

De Infinito.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit infinitum, & in quo sit punctus difficultatis?

VT sine æquiuocatione in hac parte procedatur, oportet præmittere definitionem, & varias diuisiones seu acceptiones infiniti. Licet autem plures acceptiones eius Aristoteles insinuauerit in hoc libro cap.4. tamen in præsenti possumus distinguere infinitum, quòd aliud accipitur positiuè, aliud priuatiuè, aliud negatiuè. Cùm enim infinitum communissimè acceptum nihil aliud sit, quàm illud, quod caret termino, & fine, potest accipi ista carentia priuatiuè, quando est in aliquo subiecto, quod natum est habere terminum, sed tamen caret illo, sicut quantitas est capax, vt finiatur, si tamen non habeat terminum, dicitur infinita priuatiuè, quod etiam dici potest positiuè respectu quantitatis. Et hoc modo definit Philosoph. cap.7. infinitum: *Id cuius partem accipientibus, semper aliquid manet extra.* Negatiuè verò infinitum dicitur illud cuius subiectum non est capax alicuius termini. Hoc autem dupliciter potest contingere, vno modo propter perfectionem positiuam subiecti, quando talis est, quòd nullo termino affici potest. Et hoc modo Deus est positiuè infinitus, id est, actualitate, & perfectione, non quantitate. Alio modo potest hoc contingere ex imperfectione subiecti, quando tanta est, vt nihil habeat in se, quod terminari possit, sicut punctum, & vnitas, quæ propter indiuisibilitatem non habent terminum, sed ipsa sunt terminus.

In præsenti non agimus de infinito negatiuè, nec de infinito positiuè, quod est Deus; sed de infinito priuatiuè, quod definiuit Aristoteles in præsenti definitione tradita. Licet autem hoc infinitũ manifestius inueniatur in quantitate, tamen reperiri etiam potest in aliis prædicamentis, vt in substantia, qualitate, & relatione. Infinitum substantia est quod caret terminus essendi, seu existendi, quibus substantia ipsa in ratione substantiæ constituitur. Et hoc infinitum, vt postea videbimus, est idem ac infinitum in genere entis. Infinitum in qualitate est, quod caret termino intensionis secundùm gradus qualitatis. Infinitum in relatione est, quod dicit respectum aliquid infinitum, vnde sumit connotationem, seu denominationem aliquam extrinsecam infinitatis; sicut actiones Christi dicuntur infiniti valoris per respectum ad personam dignificantem. *Denique.* Infinitum in quantitate iuxta duplex genus quantitatis, discertæ, & continuæ, aliud est infinitum magnitudinis, aliud multitudinis. Illud est, quod caret termino partium in continuo: istud est, quod caret termino multitudinis, & diuisionis. Quare infinitum, de quo in præsenti tractari solet, est triplex, secundùm magnitudinem, secundum multitudinem & secundùm intensionem.

Potest autem hoc infinitum sumi vel in actu, vel in potentia. Infinitum in actu, quod etiam infinitum positione, seu positiuè appellari potest, & communiter dicitur infinitum cathegorematecè, id est, affirmatiuè aut prædicatiuè, est illud cui non solum non potest signari terminus, vltra quem non transeat, sed etiam de facto omnes terminos transit, & ideo requiritur ad tale infinitum, quòd habeat partes infinitas æquales vni certæ non communicantes inter se, & simul existentes. Quod est dicere, quòd infinitum actu requirit partes determinatas, seu aliquotas, quarum vna superaddat alteri nouam partem, quæ non communicet, nec reassumatur cum altera, sicut Philosophus dicit in 7. huius libri, quòd circuli dicuntur infiniti reassumendo easdem partes: sed tunc dicitur infinitum ait Philosophus, quando quacumque parte accepta, noua alia sumi potest. Infinitum autem in potentia dicitur illud, quod secundùm id, quod actu habet, est finitum, sed secundùm id, quod est in potentia, non habet terminum, id est, non potest illi signari certus, aut determinatus terminus, vltra quem transire non possit, siue per additionem, siue per subtractionem, siue per successionem. Quomodo autem distinguantur partes aliquotæ, seu designatę à partibus indeterminatis, & proportionalibus dicemus commodius art.3. solutione ad 1. & latiùs libro 6.q.20.

Ex his autem colligitur duplex principium, quo in hac quæstione de infinito regulari debemus. *Primum est*, quòd omne illud quod terminis clauditur non interminabiliter distantibus, infinitum esse non potest in actu, sed si aliqua infinitas ibi datur, solum est in potentia, & sincathegorematicè, quia scilicet non potest aliquis terminus signari, vltra quem diuisio, vel additio eius non possit transire. Actu verò quidquid inter terminos comprehendi potest, terminatum est ac finitum. *Secundum est*, quod infinitum actu non potest fieri per additionem partium, & omne illud, quod est capax augmenti, finitum est. *Ratio est*, quia additio fit per aliquid finitum, vel infinitum; si per infinitum, iam

tam supponitur ipsa infinitas eo, quod additur, & ita non sit infinitum per ipsam additionem: si per aliquid finitum, vel tale finitum superadditur alteri finito, & sic totum remanet finitum, quia vtrumque terminum habet: vel superadditur alteri infinito, sic iam supponitur, infinitum nō per additionem fit. Quidquid ergo per additionem fit maius, vel subtractionem minus, actu infinitum non est.

His suppositis, tria sunt certa in hac quæstione. *Primum* est infinitum relatiuè actu non repugnare. *Ratio est*, quia istas infinitas consistit solum in relatione quadam ad Deum, qui est infinitus. Tripliciter autem aliquid respicit Deum. Vno modo generali ratione, sicut effectus causam efficientem non quidem participando ab ipso aliquod donum infinitum, sed præcisè, quia causa eius efficiens in se infinita est. Secundò speciali modo, quatenus ab ipso Deo, participatur aliquod donum eleuans creaturam ad bonum infinitum, sicut gratia eleuat hominem ad consortium, & fruitionē diuinæ naturæ. Tertio modo specialissimè, vt quando ipse Deus vnitur in persona naturæ creatæ. Tunc enim accipit valorem, & dignitatem ex persona cui coniungitur, qui valor consistit in relatione ad ipsam personam, vt ad principium operationum proximum, & vt *quod*.

Secundò certum est, non posse dari aliquam creaturam, quæ sit infinita in omni genere entis, creatura enim est ens limitatum. Et similiter repugnat, dari aliquam creaturam, quæ sit infinita in genere substantiæ infinitate in actu, benè tamen in potentia, & secundum quid, sicut materia prima habet infinitatem in potentia respectu formarum, quarum est capax. *Ratio* sumitur ex D.Th. 1. cont. Gen. cap. 43. & 1. par. quæst. 7. ar. 1. Quia infinitas in genere substantiæ non est infinitas extensionis, vel extensionis: id enim pertinet ad genus qualitatis, vel quantitatis: solum ergo restat infinitas per carentiam terminorum substantiæ. Termini autem substantiæ, vel sunt physici, vel metaphysici: metaphysici sunt genus, & differentia, quibus contrahitur, & limitatur essentia rei: physici sunt materia & forma in compositis, vel potentialitas, & actualitas, etiam in simplicibus; substantia ergo creata non potest carere genere, & differentia, cùm sit in prædicamento, quod est coordinatio generum, & specierum. Similiter non potest carere aliquo termino physico, quia non potest esse purus actus, sed debet habere admixtam aliquam potentialitatem, atque adeo solum potest esse infinitum in actu per carentiam omnis termini limitantis actualitatem, quæ est potentialitas. Si autem esset pura potentia, licet esset infinita non tamen esset infinitum in actu, sed in potentia.

Nec valet dicere cum P. Vasquez 1. par. disp. 22. & disp. 25. cap. 3. quòd non obstat infinitas ad hoc, quod aliquid habeat genus & differentiam, & ponatur in prædicamento. Deus enim componitur ex genere, & differentia, quia est compositio rationis, quæ illi non repugnat & tamen est infinitus. *Sed contra est*; tùm quia oppositum ostendimus in Logica q. 14. tum quia in præsenti illa doctrina non est ad rem: quidquid enim sit, an repugnet Deo compositio ex genere & differentia, quæ est cōpositio rationis, tamen in substantia creata talis compositio rectè tollit infirmitatem; quia vel illud genu s, & differentia quibus componitur substantia creata, aliquid potentialitatis important, vel sunt actus purus. Si hoc secundum, non remanet creatura, sed Deus. Si primū, ergo includunt genus, & differentiam per modum termini, & limitationis. Includunt enim actum, & potentiam, quæ sunt termini limitantes in genere substantiæ. Quomodo autem cū hoc stet, quòd Deus possit facere infinitas species substantiales, & tamen non possit peruenire ad aliquam, quæ sit infinite perfectionis, dicemus art.

Vltimo certum est, infinitum in actu, siue in extensione, siue in intensione, vel multitudine naturaliter, & secundùm legem ordinariam fieri non posse. In hoc conuenit communis consensus Philosoph. cum Arist. hîc cap 5. & 6. & Theologor. cum D.Th. 1. p. qu. 7. Constat enim, quòd de facto, *Omnia facta sunt in numero, pondere & mensura*, vt dicitur Sapien. 12. Si autem daretur infinitum in actu, vel careret numero si esset infinitum multitudine, vel mensura si esset infinitum magnitudine, vel pondere, si esset infinitum qualitate.

Ratio autem, cur naturaliter dari non possit, intra vniuersum quidem constat ex ipsa vniuersi vnitate & limitatione, in quo infinita quantitas esse non potest, quia occuparet omnia. Absolutè autem & independenter ab vniuerso, constabit ex finita virtute & receptione cuiuslibet creaturæ, vnde effectus infiniti prodire non possunt vt seq. art. latiùs ostendetur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm implicet dari infinitum actu secundùm quantitatem vel intensionem?

DVæ sunt principales in hac parte sententiæ. *Prima tenet*, non implicare, quòd detur actu infinitum absolutè loquendo, vt ex Antiquis tenet Gregor. in 1. dist. 43. q. 4. Ocham. Gabriel. & alij quos cit. & sequitur Vazq. 1. p. disp. 26. c. 1. & probabile reputant Conimb. hîc qu. 2. art. 1. qui loquuntur de infinito magnitudinis vel multitudinis. Expressè etiam docetur in schola Scoti, quòd infinitum in magnitudine & multitudine non repugnat, benè tamen infinitum in intensione, eò quòd apud ipsum gradus intensionis sunt inæquales, ita quòd vnus continet alium, & sic si daretur infinitas, qualitas contineret infinitam perfectionem; quod non currit in partibus quantitatis continuæ, vel discretæ, quarum vna non continet aliam in perfectione. Aliqui tamen simpliciter fatentur, infinitum esse possibile in actu, siue in quantitate, siue in qualitate; vt Caber. hîc disp. 2.

Secunda sententia negat esse possibile aliquod infinitum, tam in magnitudine, quam multitudine, & eadem ratio est de intensione. Ita D.Thom. 1. p. q. 7. ar. 3. & 4. & quodl. 9. ar. 1. & quodl. 12. ar. 2. & communiter Thomistæ ad prædictum locum 1. p. Et tamen ipse D.Thom. in fine opusc. 27. fatetur adhuc non esse demonstratum, non posse dari infinita in actu. Ista sententia principaliter nititur in explicando implicationes, prima verò in soluendo. Et ideò in hoc articulo conabimur explicare rationes D. Thom. & contra aduersariorum responsiones roborare. In sequenti verò quasdam difficultates & rationes, quæ contra nostram sententiam militant dissoluere.

Sit ergo vnica conclusio. *Repugnat etiam de potentia absoluta dari infinitum in actu siue in magnitudine, siue in multitudine, siue in intensione.* Pro hac conclusione plures solent afferri implicationes. Et quidem Martinez in præsenti, cui non placent rationes D. Thom. illam affert, quia si daretur corpus infinitum, ex quocunque puncto tanquam ex centro produci possent duæ lineæ versus circumferentiam, & iste

iſtę quanto magis protrahuntur, magis diſtant inter ſe,vnde cùm longitudo earum ſit infinita, etiam diſtantia earum infinita erit, & ex alia parte diſtantia infinita eſſe non poſſet, quia eſt clauſa inter duas lineas ſeu terminos; ergo,&c. Hac ratione etiam plures alij vtuntur.

Videtur tamen ratio iſta non conuincere, quia dato corpore infinito,lineæ illæ eſſent quidem lineæ, ſed non eſſent termini ex parte circumferentiæ illius corporis,quia lineæ illæ interminabiles ſunt,nec habent circumferentiam vbi terminentur, ſi ergo interminabiles ſunt & infinitæ, deſinunt eſſe termini, & conſequenter inter illas lineas poteſt eſſe aliquid infinitum,quia ipſæ etiam infinitæ ſunt. Illud autem axioma *inter duos terminos non poteſt claudi infinitum*, intelligitur inter duos terminos finitè diſtantes, aliàs non ſunt termini.

Quare defendendo rationes D.Th. ex duplici principio deſumitur implicatio. *Primum eſt*,conſiderando quantitatem vti accidens naturale conſecutum ad corpus naturale. *Secundum eſt*, conſiderando ipsã mathematicè & ſecundùm ſe vt, abſtrahit à corpore naturali. Et prima ratio formata eſt nobis ſupra q.8. ar.2.Quia quantitas eſt accidens conſecutum ad ſubſtantiam, quæ eſt radix continens quidquid in tali quantitate inuenitur,ſed ſubſtantia eſt finita & limitata, non ſolum in eſſe abſoluto, ſed etiam vt radix eſt accidentium, quia ratio radicis non habet maiorem amplitudinem, quàm ipſa ratio eſſentiæ ſubſtantialis,quæ radix eſt, & principium accidentalis; ergo ſi radix eſt limitata,etiam & quantitas limitata eſt & finita & præcipuè hoc habet vim in quantitate,quia non poteſt creſcere quantitas,niſi etiam addatur noua entitas ſubſtantiæ, nec enim in eadẽ parte ſubſtantiæ poteſt eſſe duplex quantitas penetrata; ergo ſi quantitas eſt infinita, etiam ſupponitur ſubſtantia infinita,quia ad quantitatis additionem, ſubſtantia etiam additur, & ſic prius debet ſubſtantia eſſe infinita, quàm quantitas. Repugnat autem dari ſubſtantiam infinitam, vt ar. præced. oſtenſum eſt ergo & quantitatem.

Reſp. Martinez, non probare S.Thomam ex eo, quòd ſubſtantia ſit finita in eſſe,quantitatem debere eſſe finitam in extenſione, quia hæc ſunt diuerſa genera, ſed ſolum finitam in eſſe quod verum eſt,quia infinita quantitas,finitam eſſentiam habet. *Sed contra*, quia ſubſtantia non ſolum eſt finita ſecundùm eſſe in ordine ad ſe, ſed etiam vt ex radix quantitatis in extenſione, quia etiam ipſa extenſio quantitatis, vt extenſio radicem habet, & conſequitur formam ſubſtantialem,ſed ſubſtantia, vt radix talis accidentis,finita eſt, nec enim ſtat quòd in eſſe ſubſtantiali ſit finita, & in ratione radicis accidentium finita non ſit; ergo non poteſt radix finita deriuare ex ſe quantitatem infinitam; ſicut benè valet, virtus aliqua eſt finita; ergo & operatio & effectus, licet effectus & operatio non ſint eiuſdem ſpeciei, vel generis cum virtute.

Aliter conatur P. Vazquez vbi ſupra infringere conſequentiam S.Th.quia ſi determinata ſubſtantia determinatã poſtulat quantitatem, ſequeretur quòd omne corpus naturale determinatam haberet quantitatem, quod patet eſſe falſum in igne,qui ſine termino poteſt creſcere,vt dicitur 2. de Anima, tex.41. *Cæterùm* hæc inſtantia non loquitur de quantitate, vt conſecuta ad formam ſubſtantialem,de qua ſolum procedit ratio S.Th. ſed de quantitate vt ſuperaddita,quæ ſcilicet in infinitum ſuperaddi poteſt. Hoc autem non pertinet ad rationem D.Th quia D.Th. intendit probare, non dari infinitum actu & cathegorematice,non autem intendit probare, non poſſe aliquid ſuperaddi ad alterum in infinitum, quia additio in infinitum nunquam facit infinitum in actu, vt ſupra diximus,ſed ſolum ſincathegorematicè,& in potentia, quia ſolum conſiſtit infinitum additione in hoc,quòd non ſit aſſignabilis terminus vltra quem non tranſeat,non verò quòd ita ſit infinitum, quòd omni termino actu careat, & omnes terminos tranſierit; per additionem enim finitarum partium infinitum non eſt pertranſibile; non ergo Diuus Thomas excludit infinitum additionis, & ſincathegorematicũ,ſed infinitum actu, quod ſolum poteſt prima productione conſequi,non additione fieri.

Quòd verò addit S. Thomas repugnare infinitam magnitudinem in corpore naturali, quia non poſſet moueri,non eſt ratio probãs implicationem abſolutè non enim repugnat dari corpus immobile, ſicut plerique exiſtimant de cœlo Empyreo, vel ſi eſſet mobile, ratione tamen infinitatis eſſet impeditum moueri; ſed tamen D.Th. attulit hanc rationem, ex Philoſopho in ordine ad ea corpora, quæ ſenſibus experimur eſſe mobilia, tale enim corpus infinitum eſſe non poteſt.

Secundum principium, ſeu rationem ſumit S.Th. loquendo de quantitate mathematicè,& ſine ordine ad corpus naturale quia omnis quantitas debet eſſe ſub aliqua forma,forma autem quanti eſt aliqua figura; ergo oportebit quòd habeat aliquam figuram, & conſequẽter aliquem terminum,quia figura reſultat ex termino quantitatis. *Reſpondent aliqui* figuram non eſſe formam eſſentialem quantitatis,ſed quantitatem ſe ipſa eſſe formã. *Secundò*, figuram ſolũ conuenire quantitati finitæ non infinitæ. *Tertiò*, quòd abſolutè inuenitur quantitas ſine figura,vt quantitas Corporis Chriſti in Sacramento.

Cæterùm iſtæ inſtantiæ vnico verbo ſoluuntur, quod D.Thomas loquitur de figura radicali, non formali: eſt enim figura modus ex terminatione quantitatis reſultans, & ita figura formaliter eſt id quod reſultat, & radicaliter id ex quo reſultat. Eſt ergo ſenſus D.Th. quòd quantitas non poteſt carere eo, quo ſpecificatur,vel indiuiduatur, quia nihil poteſt eſſe in rerum natuea,quod non ſit ſpecificatum, vel indiuiduatum quantitas autem ſpecificatur vel indiuiduatur per variam terminationem ſui,ſicut ſpecies multitudinis ſunt duo,vel tria &c.& magnitudinis bicubitum,vel tribicutum, aut ſecundum aliam menſuram menſurabile, neque enim alias differentias diuiſiuas quantitatis nouimus, quàm quæ ſiunt penes diuerſas menſurabilitates, quia quantitas talis eſt naturæ, quòd quolibet addito, vel ſubtracto ſit maior, vel minor, & ſic variatur eius ſpecies, vel ſaltem indiuiduatio, ſecundum additionem, vel ſubtractionem; vnde nata eſt ſequi aliqua figura. Quantitas autem infinita caret omni tali diſtinctiuo quantitatis, & ſi ei aliquid addatur, vel ſubtrahatur, non ſit maior, vel minor, ergo omnino repugnat in ſingulari; ſicut ſi diceretur dari animal infinitum, quod nulla ſpecie animalis determinaretur, vel hominem infinitum, qua nulla indiuiduatione contraheretur. Ita ſumitur explicatio huius rationis ex D.Thoma quodlib.9. art.1. deduciturque ex Ariſtotele in hoc libro cap.6. & in 1. de cœlo,tex.2. vbi oſtẽdit,quòd impoſſibile eſt plura corpora eſſe infinita, quia corpus eſt dimenſionatum ad omnem partem; & ideò implicatio iſta directè procedit de corpore quanto, cui propriè conuenit figura, non tamen de linea, aut ſuperficie, quæ non ſunt diuiſibiles ex omni parte, & ideò ſi illæ eſſent infinitæ, non repugnaret vnum infinitum eſſe maius altero, & ſic poſſent dari plures lineæ infinitæ: corpus autem quia trina dimenſione gaudet ſi eſſet infinitum non

non posset esse nisi vnum, nec per plures species, vel indiuidua esset variabile nec vnum maius altero, vt etiam aduertit S.Th.3.p.q.10. ar.3. ad tertium. Aliunde tamen repugnaret dat infinitam lineam, vel superficiem, quia in re dari non potest, nisi in aliquo corpore, & consequenter debet infinitas partes ambire, atque adeo supponere infinitum corpus, cui insit.

Ex eodem principio proportionaliter applicato ostenditur repugnare infinitam intensionem in qualitate, sicut enim quantitas sequitur determinatam formam, ita & qualitas ergo sicut non potest dari infinita quantitas, ita nec qualitas, sed neque potest superaddi ab extrinseco infinitas intensionis in qualitate, quia vel ista infinitas adueniret per additionem gradus ad gradum vel per vnicam productionẽ totius infinitatis: per additionem fieri non potest, quia infinitum per additionẽ finitarum partium est impertransibile. Si verò id quod additur est infinitum iam non per additionem fiet infinitum, sed supponitur esse. Si verò vnica productione fiat infinita qualitas illa, consequitur aut recipitur in aliqua forma, quæ cum finita & determinata sit, non potest esse capax infinitæ qualitatis, præsertim quia qualitas actualitatem sequitur formæ, & hæc limitata est per potentialitatem admixtam.

Implicationes circa infinitum multitudinis.

PRima *implicatio* D.Th. qu.7.1.par. art.4. est circa multitudinem quantitatiuam, quia si daretur infinita multitudo, nõ esset in aliqua specie determinata numeri, quia omnis species numeri determinatur per aliquã vltimam vnitatẽ, cùm sit multitudo mensurata per vnum, infinita autem multitudo nullam speciem haberet mensuratam per vnum, ergo talis numerus non est dabilis.

Respondet P.Vazquez disp. illa 26.cap.3.quòd non constat omnem multitudinem esse in specie numeri. Deinde quòd multitudo à parte rei non habet formalem rationem numeri, id enim ab intellectu numerante habetur, ante intellectum enim non est, cur ista vnitas pertineat ad hunc numerum potius quam ad illum, sed vna tantum est omnium rerum multitudo.

Cæterùm ad primam instantiam respondetur, constare quòd omnis multitudo si est quantitatiua, est in aliqua specie numeri, quia omnis multitudo quantitatiua est quantitas discreta, ergo pertinet ad genus numeri, ergo ad aliquam speciem, quia nihil est in genere, quod non sit in aliqua specie talis generis.

Ad secundam instantiam resp. quòd vt ostendimus in Logica quæst.16. numerus est vera, & realis species quantitatis, licet designatio actualis huius vltimæ vnitatis, vel illius dependeat ab intellectu, sed hoc non est de essentia numeri: tota autem coordinatio, & mensurabilitas vnitatum in re datur secundum quod numerus sit maior aut minor quantitatiuè in re, & sic est mensurabilis per vnum, & hoc pertinet ad formalem rationem quantitatis discretæ. Et quando dicitur omnem rerum multitudinem esse vnam *Resp. multitudines* rerum dupliciter distingui, vel penes subiecta vt multitudo lapidum, lignorum, equorum, &c. Et hoc modo constat non omnẽ multitudinem esse vnam. Secundò distinguitur penes diuersam mensurabilitatem diuersarum vnitatum, & coordinationem ad vnum, sicut aliter mensuratur numerus mille, vel centum, vel viginti, & hoc etiam modo non est vna multitudo omnium quantitatum, sed alia est multitudo millium vel centum, &c. Et hoc in re, quia in re dantur mille lapides, vel centum lapides, & à parte rei prius fuerunt octo homines quàm viginti, vel centum homines.

Et roboratur ista ratio, quia numerus, vel sit infinitus per additionem vnitatum, vel per vnicam productionem infiniti numeri. Primum esse nõ potest, quia infinitum additione finiti est impertransibile. Secundum tollit omnem speciem numeri, qui per determinatas vnitates variatur, & fit maior vel minor. Infinita autem multitudo neque additione vnitatis fieret maior, nec subtractione minor, quia infinitũ subtracto, vel addito aliquo finito æquè manet infinitum, aliàs illo finito terminaretur: infinitum ergo non est species determinata numeri.

Ex quo intelliguntur explicationes, quæ est inconuenientibus adduci solent, quia si daretur infinita multitudo in actu, tot erunt binarij in illa multitudine, quot quaternarij, vel denarij & si producerentur infiniti homines, tot essent homines quot capilli eorum; quod implicat, quia binarius est pars quaternarij, & omne totum est maius sua parte, cùm pars componat totum cum additione alterius. *Sequela verò probatur*, quia posito infinito, si segregentur binarij alternatim relinquendo vnum binarium, & segregando alium, tunc vel omnes binarij segregati constituent infinitam multitudinem, vel non; si non, ergo etiam alij binarij erunt finiti, & sic omnes simul non facient infinitum, quia vtrumque finitum est: si primum, ergo dabitur duplex infinitũ in vtroque cumulo & sic sine aliqua diuisione, vel additione ex vno infinito consurget aliud, & consequenter tot sunt binarij quam quaternarij, quia si sunt infiniti binarij, etiam possunt numerare illos per quaternarios, vel denarios, & tunc vel exhauriretur illa multitudo numerando per quaternarios, & sic redderetur finita, vel non exhauriretur, & sic erunt infiniti quaternarij in binariis etiam materialiter.

Omitto, quod infinitum non est quid certum, & determinatum in eo genere quo infinitum est, quia caret terminis, ergo prout tale non clauditur sub determinata, & certa intentione, & actione creantis. *Nec soluit P. Vazq. dicendo*, quod in multitudine infinita quælibet singularis cadit sub certa intentione, licèt non tota multitudo. *Contra enim est* quòd infinita multitudo non potest fieri per additionem & multiplicationem singularium, quia quodlibet finitum est, & additio finitorum non pertransit infinitum. Si autem vnica productione totum infinitum sit, ergo & vnica intentione, & hæc certa, & determinata esse non potest ex parte effectus, qui indeterminatus est.

ARTICVLVS III.

Expediuntur difficultates, & argumenta contra nostram sententiam.

PRimò *arguitur* ad probandum non repugnare dari infinitum in actu. Quia in quolibet continuo omnes partes proportionales vniuntur in diuisibilibus, alioquin penetrarentur, si se totis, & non per extremitates seu indiuisibilia vnirentur, ergo cum partes istæ infinitæ sint, & actu copulentur per indiuisibilia, sunt actu infinita indiuisibilia, quia partes sic copulatæ, & non penetratæ sunt in infinitum diuisibiles.

Secundò, Deus potest facere species in infinitum

perfectio

perfectiores,& de facto cognoſcit omnes illas, ergo cognoſcit aliquam infinitè reliquas excedentem,nam ſi omnes cognoſcit,& illæ ſunt infinitæ,& vna excedit in perfectione alia, inter illas oportet quod aliqua infinitè excedat alias. *Idem argumentum fit* de infinita magnitudine,aut multitudine,aut intenſione; cognoſcit enim Deus omnem quantitatē,vel multitudinem poſſibilem,& illa eſt infinita & ſine termino, ergo aliquam magnitudinem, vel multitudinem,infinitam cognoſcit eſſe poſſibilem,& ſic ſi fiat nullum eſt inconueniens.

Tertiò,in quolibet inſtanti vnius horæ poteſt Deus creare vnum Angelum,vel vnum lapidem & conſeruare illum,ergo in fine horæ erunt infiniti Angeli, quia inſtantia infinita ſunt,cùm infinitas partes proportionales vniant: *quod ſi dicatur* non poſſe fieri Angelum,niſi in inſtanti deſignato,non in proportionali,& indeterminato.*Contra eſt*,quia poſſet Deus ab ęterno creare mundū,& in quolibet die deſignato vnum Angelum, & ſic eſſent creati infiniti Angeli, quia ſunt tranſacti infiniti dies.

Quartò,Deus cognoſcit infinitas cogitationes hominum & Angelorum per totam æternitatem futuras, ergo videt infinitam multitudinem poſſibilem, imò & coëxiſtentem ſimul in æternitate,ergo nō eſt inconueniens,quòd ſimul ponantur in tempore,nam ſi ideò non poſſunt poni in tempore,quia debent cadere ſub certa intentione creantis: ſimiliter ob eandem rationem non poſſent ſimul eſſe in æternitate, quidquid enim in æternitate eſt, iam ſubeſt actioni diuinæ,& intentioni eius.

Vltimò,non repugnat Deum facere infinitum,neque ex parte potentiæ, quia infinita eſt, neque ex parte facti;tum, quia infinita magnitudo non eſt infinitas ſimpliciter,ſed in genere determinato, & eſſentiam habet finitam,& poſitam in prædicamento quantitatis, tum quia vna linea, etiamſi ſit infinita non exhaurit omnes lineas; poſſunt enim eſſe plures lineæ infinitæ,quarum vna ſit maior altera,ergo tale infinitum non tollit diſtinctionem ab aliis;tum denique,quia omne creabile collectiuè eſt infinitum, & omne illud eſt poſſibile,ſiquidem eſt creabile, ergo poſſibile eſt infinitum in actu.Neque hoc eſt exhaurire potentiam diuinam, ſed habere actum adæquatum circa omnia poſſibilia. *Et confirmat.* quia ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ operaretur infinita, quia ageret ſecundum vltimum potentiæ,quæ infinita eſt, ergo etiam modò poteſt id facere, ſiquidem ex parte omnipotentiæ eadem eſt virtus, iudicium autem & libertas id non tollit, imò de facto Deus habet ſcientiam practicam, & ideam de omni illo quod ageret, ſi ex neceſſitate naturæ operaretur, ergo ſicut cognoſcit infinitum in actu, ita poteſt facere illud, quia cognoſcendo, & dicendo facit.

Ad primum reſp. negando,quod dentur infinita indiuiſibilia in actu continuo, licèt entitatem ſuam habeant in actu,ſed non infinitatem, ſunt enim partes proportionales communicantes partibus aliquotis. Vndè dicit D.Th.in 4. diſt.10. q.1. ar.3.q.3.ad 1. *Quòd actu non eſt accipere numerum partium in continuo ante diuiſionem, ſed potentia tantum*; quare partes proportionales non ſunt diſtinctæ, vel ſuperadditæ ipſis aliquotis & diſtinctis indiuiſibilibus vnitæ, ſic enim quantumcunque eſſent minimæ quantitatis, ſi in infinitum multiplicantur facerent magnitudinem infinitam actu. Sunt ergo partes proportionales in re idem quod partes aliquotæ ſecundum aliā conſiderationem: eadem enim quantitas vt componitur ex partibus, quæ ſunt plures per additionem vnius ad aliam,dicitur habere partes aliquotas id eſt quæ ratione additionis,vel ſubtractionis faciunt maius,vel minus in quantitate, atque adeo talis pars nō debet quantitatem ſuam habere ſolum ratione partium adiunctarum,cum quibus communicat,ſed debet habere partes, quas ſuperaddat partibus adiunctis. Partes autem proportionales ſunt partes contentæ in aliquotis, & communicantes non quia penetrentur, ſed quia vna pars quæ ſeruit vni quantitati, ſeu parti diuiſibili, poteſt etiam ſeruire alteri ſibi immediatæ, iuxta diuerſam comparationem aut deſignationem partium in quibus fiat diuiſio. Et ita vocantur proportionales,quia in eadem finita quantitate quæcumque deſignatio partis fiat, ſecundum quamcumque combinationem & proportionem diuiſibilis eſt; fieri autem poſſunt infinitæ deſignationes per repetitionem, & communicationem partiū, quod eſt eſſe in infinitum diuiſibile, non collectiuè, & ſecundum additionem nouæ quantitatis ſed diuiſiuè, & ſecundum diuerſam deſignationem, quæ in qualibet parte continui fieri poteſt in partes ſibi immediatas,& rurſus ſi deſignetur pars immediata,poteſt diuidi in partem ſibi etiam immediatam, quæ antea diuidebatur in illam,& hoc eſt eſſe ſe communicantes,quod in infinitum fieri poteſt,ſed non infinitas addere partes,aut indiuiſibilia,de quo vide infra q.22. latius.

Ad ſecund. reſp. quod in infinitis creaturis, quas Deus cognoſcit, non datur aliqua infinitè perfecta, qualibet enim ſignata, ſemper reſtat alia maior & perfectior,& ſic ex parte rei cognitæ ſolū ſūt infinita ſincathegorematicè,licèt ex parte cognoſcentis ſimul,& cathegorematicè omnia illa cognoſcantur. Et argumenta iſta plerūque peccant à modo cognoſcentis ad modum ex parte rei cognitæ. Vnde Deus non videt infinita ſimul in actu,id eſt ex parte rei viſæ,licèt ſimul illa videat ex parte cognoſcentis; ſed videt quòd ex parte rei cognitæ quolibet dato,aliud melius fieri poteſt in infinitum.*Secundò dicitur*,quod quolibet producto, poteſt Deus facere perfectius perfectione contenta intra limites alicuius generis, non excedente illos: perfectio autem intra terminos clauſa ſolū eſt maior in infinitum ſincategorematicè & modo proportionali, non in actu, & categorematicè, hoc enim extra omnes terminos eſt: omnes autem res poſſibiles intra terminos alicuius generis ſunt, & omnis magnitudo aut numerus, ſpecies quædam eſt.

Quòd ſi petas quæ eſt cauſa,cur dicatur Deus videre multitudinem infinitam,hoc ipſo quod videt omnia poſſibilia,vel aliquam multitudinem ſine termino, quia videt omnia illa ſimul, ex eo autem quod videat magnitudinem omnē, vel ſpecies quas poteſt facere in infinitum, non dicitur videri aliquam ſpeciem,vel magnitudinem actu infinitam. *Reſp.* Quòd ad multitudinem ſincategorematicè infinitam, & in potentia nihil de eſt niſi quòd ſimul in actu ponatur, vt reddatur infinitum actu, hoc autem conſequitur beneficio intellectus ſimul in actu videntis ea quæ non ſunt ſimul,ſed ſincategorematicè & in potentia infinita. Vt autem detur magnitudo infinita, non ſufficit ſimul apprehendere plures, vel omnes magnitudines,quæ cognoſcuntur fieri poſſe,ſed requiritur quòd cognoſcatur vna magnitudo extra omnem terminum extenſa & actu infinita, hæc autem non eſt poſſibilis ex parte rei cognitæ.

Ad tertiam ibi reſponſum eſt,nec enim poteſt produci Angelus niſi in aliquo determinato inſtanti, & cùm poſt illud inſtās non ſequitur aliud immediatè ſed aliqua pars,in qua inuoluuntur infinita inſtantia indeterminata, quando in alio inſtanti producitur alius Angelus, iam ſunt tranſacta infinita inſtantia

in

in illâ parte immediata, in qua non fuit productus Angelus. *Ad replicam respondebitur* in lib.8.q.24.ar. 2. vbi ostendemus non potuisse dari motum ab æterno. Vndè si producerentur ab æterno Angeli non per dies successiuos, sed extra omne tempus deberent creari, & sic perinde est atque creare infinitos vnica productione, quod repugnat.

Ad quartum respondetur, non repugnare, quòd Deus cognoscat infinita simul in actu ex parte cognoscentis, imò & Christus cognitione creata. *Ratio est*, quia infinitum non repugnat si sit contentum in alio antecedenter existente, siue finito, siue infinito. Et sic Christus cognitione creata cognoscit infinita, vt contenta in aliquo finito, scilicet in specie sub qua continentur indiuidua, & ad quam tendit directè repræsentatio speciei. Et similiter Deus cognoscit infinita vt contenta in sua essentia, & deriuata ab ideis, & in æternitate cõtinentur infinita non in actu proprio, sed alieno, scilicet in mensura ipsius æternitatis, quæ infinita & increata est: infinitũ autẽ sub tali esse in infinito, & increato contineri non repugnat, sed in esse proprio, & creato quod limitatũ est & terminatum, neque est necesse, quòd omne, quod Deus cognoscit, possit facere eo modo quo cognoscit ex parte cognoscẽtis, sed eo modo, quo cognoscit ex parte rei cognitæ & factibilis: imò potius modus ex parte cognoscentis solet opposito modo se habere ad modum ex parte rei cognitæ existendo in se entitatiuè & materialiter, in cognoscente immaterialiter.

Ad vltimum resp. repugnare infinitum ex parte rei factæ. *Ad primam instantiam dicitur*, quòd hoc ipsum quòd quantitas est finitæ essentiæ, debet habere in re finitam terminationem, præsertim cum in quantitate ex diuersa terminatione sumatur determinata species, vel indiuiduatio quantitatis, & infinitas in actu non est passio quantitatis, sed sincategorematica. *Ad secundam instantiam iam supra diximus*, quòd si esset corpus infinitum, tantum esset vnum, plures autem lineæ infinitæ non ita repugnant, si in abstracto, & quasi mathematicè considerentur, in re autem non potest poni linea infinita, nisi subiectetur in corpore infinito. *Ad tertiam respondetur*, quod Deus potest omne possibile eo modo quod possibile est: potest autem infinitum diuisiuè, & modo determinato, non collectiuè, & modo infinito, & indeterminato, sicut potest fieri album, quod sit nigrum & sedens stans non coniunctim, sed diuisim. *Ad confirmationem respondetur*, quòd dato illo impossibili, adhuc non sequeretur infinitum in actu, quia operaretur secundum vltimum potentiæ non absolutè, sed secundum applicationem ad capacitatem finitam subiecti creati, vel obiecti producendi, sicut persona Diuina non potest infinito modo personare naturam creatam.

CIRCA LIBRVM QVARTVM, DE LOCO, VACVO, ET TEMPORE.

QVÆSTIO XVI.

De Loco, & Vbi.

Qvatuor in hac Quæstione tractabimus. Primum, *de quidditate Loci intrinseci, & extrinseci.* Secundum, *de subiecto seu re locata, cui conuenit esse in loco.* Tertium, *de repugnantia duorum corporum in eodem loco.* Quartum, *de repugnantia vnius corporis in duplici loco.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit locus extrinsecus, & immobilitas eius?

Locvs physicè, & propriè acceptus significat id quod motu locali acquiritur. Et solet distingui duplex locus, alter extrinsecus, alter intrinsecus. *Extrinsecus* est corpus illud, siue superficies, qua circunscribitur, & continetur ipsũ locatũ. *Intrinsecus* est ipsa præsentia passiua rei locatę, quę dicitur *Vbi*: est enim vbi forma, seu modus intrinsecus proueniens à loco extrinsecus circumscribente, vt à quo prouenit principaliter denominatio locati. *Et sunt aliqui*, qui existimant hoc vbi, seu præsentiam intrinsecã ignotã fuisse Arist. & antiquis, inuentã autẽ à recẽtioribus, eò quòd Arist. 8. Phys. tex. 59. & D.Th. ibi, & 1. p.q. 110. ar. 3. & 2. cont. G. c. 13. docet motum localem terminari ad aliquid extrinsecum. Cæterum hi phrasin, & modum loquendi D.Th. nõ attenderũt. qui in 6. vltimis prædicamentis non negat modos intrinsecè afficientes subiectum vt probauimus in Logica, q. 19. sed quia isti modi non sunt omnino absoluti, sed ab aliquo extrinseco prouenientes, & ab eo, vt à principali denominante dependentes, cum vbi sit passiua subiectio ad id quod circumscribit quasi actiuè, ideo solet D.Th. dicere, quod sunt aliquid extrinsecum, non tamẽ sunt extrinseca denominatio pura, aliàs enim sępè fatetur D.Th. dari vbi, & subiectari in ipso mobili. Nam motum ad vbi expresse ponit Philos. in hoc lib. 5. c. 1. & 5. Metaph. text. 14. & 11. Metaphy. lect. 12. apud D.Tho. Quod vero subiectatur in ipso mobili, apertè dicit opuscul. 48. tract. de vbi c. 1. dicens: *Quod motus localis subiectiuè est in eo, quod mouetur: Nihil autem acquiritur in re mobili, nisi vbi, quod est respectus loci ad locatum, vt circumscribit illud.* Et in q. 4. de virtut. art. 11. ad 3. *Alio modo*, inquit, *potest intelligi motus secundum essentiam, si sit motus secundum quodcumque adhærens essentiæ, sicut dicimus corpus essentialiter moueri, quando mouetur secundum locum, quia de loco ad locum, eius subiectum transfertur.* Non ergo negat Sanct. Thom. præsentiam, seu vbi inhærens, ipsi rei mobili, sed negat esse modum ita absolutum, quod sit independens ab extrinseco circunscribente,

ſcribente,& locante, præſertim ſi ſumatur vbi adæquatè,& completè, vt magis explicabitur art.2. & qu. ſequenti.

Igitur in hoc 1. art. explicabimus primò locum extrinſecum,quem Ariſt. definiuit in hoc 4. lib. c.4. Quod locus eſt *vltimum corporis ambientis immobile primum*, id eſt,ſuperficies corporis, quæ immediatè, ſeu primò continet,& locat aliquod locatum.In qua Ariſt. definitione tres difficultates explicandæ ſunt. *Prima eſt* circa genus loci; an ſit ſuperficies continens,vel ſpatium & diſtantia extenſa. *Secunda* circa differentiam loci,quomodo ſcil. ſit immobilis, & primus. *Tertia*,an iſtæ particulæ ſe habeant per modum generis,& differentiæ, an per modum ſubiecti, & accidentis.

Circa primam difficultatem, amiſſis Antiquorum opinionibus,quas refert,& impugnat Ariſt.hoc lib.4. c.1.& 2. conſtat,quòd locus non poteſt eſſe aliquid pertinens ad ipſum locatum, ſiue tanquam materia, ſiue tanquam forma, ſiue tanquam accidens aliquod intrinſecum, & à nullo extrinſeco dependens; cùm videamus mutari locatum de loco ad locum, nullo ſui intrinſeco deperdito. Vnde reſtat,quòd locus vel debet collocari in ratione ſpatij, quod occupatur à corpore, vel in genere ſuperficiei, quæ circumſcribit,& continet locatum. Qui ergo exiſtimant locum eſſe ipſum ſpatium, bifariam partiri ſunt. *Quidam* enim ex Antiquis dixerunt, illud ſpatium eſſe aliquid reale per modum cuiuſdam dimenſionis interminatæ, quæ haberet longitudinem, latitudinem, & profunditatem; & ita cùm occupetur à corpore, quòd locatur in tali ſpatio, penetratur talis dimenſio cum corpore locato. *Alij* verò dicunt hoc ſpatium,quòd occupatur à corpore locato, non eſſe aliquid reale, ſed eſt capacitas replebilis corpore, ſicut diſtantia imaginaria, quam replet totum hoc vniuerſum. Quæ opinio valuit apud plurimos Antiquos, & recentiores, vt teſtantur Conimbr. hîc, nec longè abſunt ab ea, qui dicunt, Vbi conſtitui per ordine ad ſpatium imaginarium, quod præſertim verificant in motu, qui fit per vacuum poſitiuè.

Cæterùm,quòd locus non conſiſtat in ſolo ſpatio iſto imaginario,colligimus, tùm ex ipſo motu locali,qui cùm ſit realis, debet tendere ad aliquid reale, & non ſolum ab vbi,qua vbi non eſt aliquis modus abſolutus, vel independens ab extrinſeco circumſcribente, ſed ab eo reſultat,& in eo rem locat,vt dicemus art.ſeq. tùm etiam id colligimus ex motu naturali; conſtat enim res naturales ipſo impetu naturæ ad certa, ac determinata loca tendere,vt ibi conſeruentur, aut à contrariis defendantur: ſi autem locus eſſet ſolum illud ſpatium imaginarium, quod eſt nihil, non haberet magis conſeruare rem locatam in hoc ſpatio, quam in alio, nec magis ad id conduceret, cum ſit nihil. Neceſſariò ergo requiritur aliquid reale ad locum naturalem, & non corpus, quod penetretur cum alio, quia hoc eſt impoſſibile;ergo, quòd contineat, & circumſcribat aliud. Et cùm non poſſit circumſcribere, niſi ratione ſuperficiei ambientis;ſiquidem locus adæquari debet locato, nec dicimus hominem exiſtere in toto aëre, ſed ſolum in ea parte, in qua circumſcribitur, conſequenter locus debet conſtitui in ſuperficie ambiente, quæ corpori contigua eſt.

Quòd ſi dicas, cur non dicemus locum eſſe illud corpus non à quo aliquid circumdatur, ſed in quo ſuſtinetur; verbi gratia, ſedes in qua ſedet, terra in qua ſtat? *Reſpondetur*, quòd etiam tunc corpus ſuſtentans non tangeret locatum,niſi per ſuperficiem corporis ſuſtentantis. Non tamen dicitur locus ſolum corpus ſuſtentans, quia non adæquatur locato, ſolum enim ſecundum vnam partem tangit,non autem circumſcribit locatum. Requiritur ergo,corpus infra ſuſtentans & tangens,ſed non ſufficit ad rationem loci: vnde ſi aliquod corpus ponatur in vltima ſuperficie mundi,non eſſet in loco niſi ſecundũ quid, & ex parte.

Secunda difficultas eſt circa immobilitatem loci, quæ ſe habet,vt eius differentia. Et eſt vnum certum apud Authores,aliud eſt dubium. *Eſt certum*, locum abſolutè debere eſſe immobilem; tùm, quia in hoc diſtinguitur locus à vaſe, quòd vas continet mobiliter,mouetur enim cum re contenta, locus verò non mouetur; tùm,quia locus habet rationem termini à quo,qui deſeritur,& termini ad quem,qui acquiritur per motum: implicat autem, quòd terminus à quo moueatur; ſic enim portaretur à motu ipſius mobilis,non deſereretur. Similiter locus,qui eſt terminus ad quem,non mouetur,quia in eo ſiſtitur motus tanquam in termino;locus ergo,vt terminus motus non mouetur: alioquin ſi locus moueretur, ad aliquem locum deberet moueri, & ſic daretur locus loci, & iterum ille alius locus deberet moueri ad alium locum,& ſic eſſet proceſſus in infinitum. In hoc ergo omnes conueniunt.

Difficultas autem eſt, ratione cuius conueniat loco iſta immobilitas. *In quo triplex occurrit ſententia* 1. Martinij in illuſt. præſentis cap. Qui dicit Ariſt. pugnantia docuiſſe,cùm ex vna parte tribuit loco immobilitatem,& ex alia conſtituit in ſuperficie,ſuperficies autem mobilis eſt. *Nec valet dicere*, quòd eſt immobilis non per ſe,ſed ratione fixionis in polo,& centro mundi,reſpectu quorum locus eſt immobilis: ſic enim locus nõ eſſet immobilis per ſe,ſed per accidens,id eſt,per aliud; & conſequenter non eſſet per ſe terminus motus,quia terminus motus per ſe debet eſſe immobilis. Item, quia vel debet negari, quòd motus localis ſit actio,vel debet concedi actio ſine termino: nam ſi actio eſt, neceſſario debet terminari ad aliquid in ipſo mobili,quòd immutat,cùm tamen motus localis ſecundum Ariſt. ſolum ad extrinſecum terminetur quod eſt nihil facere,cum extrinſecum illud non fiat,ſed comparetur. Quare ipſe immobilitatem loci in immobilitate vbi conſtituit, vt ſeq.art. videbimus.

Sed hæc puerilia ſunt, vt tanto Philoſopho poſſint opponi. Et illud primum fundamentum adducitur, & ſoluitur à D. Thoma in 4. Phyſ. lect.6. ſuper tex. 41. & opuſc.52. vt ſtatim afferemus in ſolutione ſeq. difficultatis.*Secundum verò fundamentum nihil probat*, quia illa actio non facit de nouo ſuperficiem ambientem,ſed facit in ipſo locato ſubiectionem, ſeu paſſiuam circumſcriptionem ad talem ſuperficiem,& hoc eſt vbi,quod nec Ariſt. nec D.Th. negarunt, vt ſupra vidimus, ſed quia eſt modus ordinatus, & dependens ab extrinſeco circumſcribente,dicitur locus extrinſecus eſſe terminus motus,ſubintellecto tamen modo illo intrinſeco, quo illi paſſiuè ſubiicitur corpus.

Secundò Scotus in quodlib. 11. & alijs locis locum conſtituit formaliter in ipſa continentia actiua loci ad rem locatam, quæ continentia apud ipſum relatio eſt. Hæc autem continentia, & relatio licet phyſicè mutetur, alia, & alia ſuperficie adueniente: tamen ſecundùm æquiualentiam non mutatur, quia in ordine ad motum localem perinde ſe habet, ac ſi eſſet vna tantum relatio: ſicut hæc vox *homo* dicitur idem ſignificare, licet ſæpius repetatur.

Tertia ſententia ſumit immobilitatem loci per ordinem,& connotationem,ſpatium imaginariũ,quod negatiuè

negatiuè est immobile ita Conimbr. hîc quæst. 1. artic. 2. Caber. tract. 4. disp. 1. dub. 1. Ad quam sententiam accedunt, qui dicunt definitiuam præsentiam in loco esse immobilem, quia sumitur per ordinem ad polos mundi veros, vel imaginarios; circumscriptiuam verò non esse immobilem; de quo videatur Fuente 4. Physic. quæst. 1. difficul. 1. artic. 2. ad 1.

Cæterùm quia D.Th. 1. Phys. lect. 6. & opus. 52. aliisq; locis secutus Arist. etiam saluat immobilitatē loci positiuo modo in ipso loco, & corpore ambiente, oportet immobilitatem loci non solum negatiuè, sed etiam positiuè explicare.

Pro quo notandum est quòd locus non est sola superficies, vt inhærens corpori locanti, sic enim non est magis immobilis, quàm superficies locati, & mouetur moto ipso corpore, cui inhæret. Nec est ipsa superficies, vt præcisè continens aliud; sic enim etiam inuenitur in vase, quod continet liquorem, & mouetur cum illo; locus autem, vt dixit Philos. est vas immobile. Quare locus debet esse superficies continēs secundùm ordinem situs, & distantiæ, & positionis in vniuerso: hoc enim præcisè nomine loci significamus, & distinguimus diuersa loca secundùm diuersas positiones, in quibus ordinantur: qua etiam ratione metaphoricè sumitur locus ad designandam diuersam dignitatem, qua homines ordinantur, & constituuntur in Republica.

Ex his ergo dicimus triplici modo posse explicari immobilitatem loci. *Primò* ratione distantiæ negatiuæ, quam locus præsupponit, licet non in ea consistat. *Secundò*, ratione coordinationis, quam habet superficies vltimò, & immeditè, ambiens cum superficie primi locantis, quod est cœlum. *Tertiò*, ratione formalitatis termini motus, licet enim superficies, & corpus ambiens moueri possit in quantum corpus mobile est, sicut alia corpora locata; tamen vt exercet formalitatem termini à quo, qui deseritur, vel termini ad quem, qui acquiritur, sub ista inquam formalitate mobilis esse non potest; esto secundùm se, vt superficies, corporis mobilis, vt non exercet officium loci, non repugnet moueri. Quæ vltima explicatio sumitur ex Philosoph. 5. Phys. tex. 4. lect. 1. apud D.Th. vbi eodem modo docet de loco, & de termino alterationis, & augmentationis, quòd non mouentur neque mouent, vt termini motus sunt. Et hac ratione tam ipse locus extrinsecus, quàm modus intrinsecus, seu vbi, in quantum termini motus immobiles sunt.

Secunda verò explicatio immobilitatis loci docetur à D.Th. opus. 52. & præsertim 4 Phys. lect. 6. vbi inquit: *Quòd cùm locus proprius sit pars loci communis, oportet accipere proprium locum nauis in aqua fluminis, in quantum habet ordinem ad totum fluuium, vt est immobilis.* Et subdit: *Sic igitur licet hæc pars aëris, quæ continebat, vel hæc pars aqua effluat, & moueatur in quātum est hæc aqua: tamen secundùm quod habet hæc aqua rationem loci, scilicet situs, & ordinis ad totum sphæricum cœli semper manet; sicut etiam dicitur idem ignis manere quantum ad formam, licèt secundùm materiam varietur, consumptis & additis quibusdam lignis.* Itaque superficies vltima, quæ adæquatur locato, continet ambit illud, vt subordinata primo locanti, & ambienti, quod est cœlum. Et sic licet succedant diuersæ superficies ambientes locatum, quia tamen succedunt in eadem subordinatione ad primum locans, quod est cœlum, dicitur manere idem locus non secundùm rationem superficiei absolutè, sed vt locantis ex subordinatione ad primum locans, sicut dicitur manere idem ignis, licet paulatim consumatur vna materia, & succedat alia, quia semper succedit sub eodem ordine ad formam, & licet ipse ordo, vt est relatio quędam entitatiuè considerata, varietur in ipsa materia, vel superficie, in qua fundatur, tamen hoc non tollit absolutè loquendo vnitatem ignis, & vnitatem loci seu immobilitatem (idem est enim immobilitas, & vnitas in præsenti) quia solum variatur ordo entitatiuè, & materialiter ex parte subiecti, non ex parte termini formalis, & continuationis sub eadem forma, & sub eodem primo locante, sicut est idem fluuius, & idem animal, licet partes succedant.

Denique prima explicatio immobilitatis loci ex eo constat, quia locus necessario supponit aliquam distantiam negatiuā, quàm repleat. Quando enim productum ex hoc vniuersum repleuit positiuè, quod solum negatiuè erat distans, & spatium capax corporis. Vnde cùm succedunt diuersæ superficies in illo eodem spatio habent immobilitatem pręsuppositam ratione illius spatij negatiui, quod occupant, & replent; hoc enim semper est immobile.

Ex quibus soluuntur aliqua obiectiones, quæ fieri solent contra immobilitatem loci. *Primò*, quia nihil est est in loco, quod nō sit mobile, superficies enim mouetur, & distantia, quæ est relatio subiectata in illa. Quod si terminus ipse ad quem est ista relatio distātiæ non mouetur, hoc est dicere, quod locus solū terminatiuè est immobilis, non subiectiuè, & tamen Phil. dicit, quòd locus est superficies immobilis prima. Ergo in ipsa superficie vltimo continente ponēda est immobilitas, & non solum in termino, vel in primo locante. Imò ipsum primum locans, quod est cœlum cum perpetuo moueatur non potest dici, quod est immobile, vt circundans, & ambiens.

Secundò, quia si locus est immobilis positiuè in ratione superficiei sequeretur, quod posset aliquid moueri non mutato loco; posset etiam aliquid mutare distantiam non variato loco. Deniq; posset immotum manens mutare locum, quæ omnia absurda sunt cum idem sit moueri, & mutare loca vel à conuerso. *Primum patet*, si aliquis deferatur in naui, & æqua velocitate moueatur in partem contrariā, non mutat locum respectu distantiæ polorum, & centri, & tamen mouetur. Ergo potest aliquid moueri non mutato loco. *Secundum patet*, si Deus totum vniuersum moueret per spatiū imaginarium, corpora intra vniuersum mutarent respectum & distantiam versus illam partem, licèt in se immota manerent. *Tertium patet*; si Deus auferret vnum superficiem ambientem turrim relicto vacuo, & postea aliam distinctam subrogaret, turris esset immota, & tamen mutaret locis, quia diuersa superficies non continuata ambiret illam, ergo diuersus esset locus.

Ad primam obiectionem resp. In primis nō militare contra tertiā explicationem immobilitatis loci, quia licèt corpus illud, & res quæ locationi deseruit, mutari possit, tamen formalitas & officium loci, quatenus est terminus qui deseritur, vel acquiritur non moueatur, vt autē procedit cōtra secundam explicationem, dicimus ex Diu. Thom. 4. Physic. lect. 6. vbi hoc argumentum soluit, quod superficies, & quidquid in superficie est, variatur vt superficies est, sed non vt locus, id est, non secundùm ordinem, vel situm in toto immobili; quod est totum vniuersum. Quare locus non est immobilis & vnus, nisi vnitate ordinis, non vnitate simpliciter & omnibus modis, quatenus omnes superficies sub eadem coordinatione & termino ad primum locans succedunt. *Et quando dicitur*, quod hoc non est, locum esse immobilem subiectiuè, sed terminatiuè. *Respondetur*, quod locus non dicitur subiectiuè immobilis absolutè, sed secundum vnitatem ordinis in ipso subiecto, vt dicit habitudinem ad illum terminum,

num,& vt subest illi, sicut ignis dicitur idem numero, propter continuationem materiæ sub eadē forma, & fluuius idem numero propter continuationē aquæ in eodem decursu. Ita locus dicitur idem, & immobilis, quatenus coordinatur sub eodem termino & situatione. Quando autem Phil. dicit, quòd locus est superficies immobilis prima, ly *prima*, designat superficiem vltimam, & immediatam ipsi locato (corruptè enim aliqui legunt immobilis primò, cùm tex. dicat immobilis prima) insinuans per hoc, quòd superficies vltima non induit rationem loci, nisi prout induit modum immobilitatis; hoc est, non secundùm se, sed vt subest termino fixo & immobili, & vt exercet officium loci, qui per motum acquiritur, vel relinquitur. Et licet cœlum ipsum, quod est primum locans moueatur, tamen quia non secundùm se totum mouetur, sed semper in eodem situ, manentibus etiam immotis punctis polaribus, ideò semper datur aliquid, respectu cuius locus sit immobilis immobilitate ordinis, licet non absolutè.

Ad secundum negatur sequela; & ad primam probationem resp. quòd in illo casu ille non mouetur motu progressiuo, & recto, sed solum eleuat pedes, & deprimit subintrāte nauigio, sicut qui saltat sursum, eò quòd impetus nauis deferentis, & velocitas æqualis in contrarium tendentis mutuò se impediunt, ne progrediatur vltra, sed solum, vt sub eodem distantia pedes eleuet. *Nec obstat*, quòd defatigatur, quia etiam motus ille quasi saltationis sursum, & deorsum in eodem loco defatigare potest. *Ad secundam dicitur*, quod si totum vniuersum moueretur à Deo, omnia quæ intra illud sunt, etiam mouerentur motu per accidens, sicut qui deferuntur in curru, licèt non moueantur motu proprio. *Ad tertiam resp.* quòd in illo casu mutatur locus, de reali in imaginarium, & è contra, non secundum diuersum situm, & distantiam; & ideò res locata manet immota, & solum corpus ambiens mutatur alio corpore non succedente. Quando autem succedunt diuersæ superficies in eadem distantia, tunc mutantur res exercentes officium loci, non ipsa formalis ratio loci, & officium eius vt dictum est, sicut artifex quando in eodem opere faciendo mutat diuersa instrumenta.

Quod si inquiras; An locus naturalis addat aliquid supra locum communiter dictum? *Resp.* ex D.Thom. opusc. 52. & 4. Phys. lect. 8. addere virtutem conseruatiuam, seu formatiuam locati, quæ virtus deriuatur à cœlo, tanquam à primo locante, quatenus secundùm maiorem, vel minorem distantiam à cœlo, & ab aspectibus planetarum corpora inferiora recipiunt conuenientes, & proportionatas influentias: quædam enim sunt, quæ requirunt maiorem calorem, aliæ minorem, aut similiter humiditatem, aut siccitatem, vel alias similes, qualitates, quæ secundum diuersam situationem, & distantiam à cœlo, diuersimodè distribuuntur, & temperantur, & ideo locus tali temperamento præditus à tali locato appetitur, vt conueniens, præsertim secundum naturam elementi prædominantis; conseruatio enim elementorum maximè intenditur à natura in vniuerso.

Ex his manet soluta tertia difficultas, scilicet, an ista definitio loci sit per genus, differentiam, an per subiectum, & accidens *Resp. enim*, quòd superficies non potest esse genus loci, cum superficies sit species quantitatis continuæ habens positionem in illa; locus autem est extrinsecè mensurans, & quantum per accidens, vt ex D.Th. 5. Met. lect. 15. diximus in Logica, q. 16. Quare locus non ponitur subalternatim sub superficie, sed superficies est subiectum eius, per se tamen & necessario requisita materialiter, & ex parte subiecti, sicut album per se ex parte subiecti requirit corpus: qua ratione intelligitur D.Th. in 2. dist. 12. qu. 1. art. 5. ad 2. vbi dicit: *Quod locus per essentiam est superficies corporis locantis.* Potest tamen reduci ad definitionem metaphysicam, dicendo: *Quod locus est immediatum continens, seu ambiens immobiles.*

Si petas, quænam sunt proprietates loci? *Resp.* Quatuor poni à Phil. in hoc l. 1. continere locatum (scilic. actualiter) 2. esse æquale locato (scil. æqualitate contigui 3. quòd locus tanquam deficiat locato 4. quòd in omni loco inueniatur sursum, & deorsum. Addunt alij, quòd locus sit extrinsecus terminus motus, & quòd locus & locatum possint separari, & tandem quòd locus sit conseruatiuus locati, quod pertinet ad locum naturalem.

ARTICVLVS II.

Quid sit Vbi, seu locus intrinsecus?

NOmine Vbi intelligimus id, quod acquiritur seu ponitur in locato, ex eo, quòd subiicitur loco extrinseco: de quo aliqua attigimus in Log. q. 19. & alia ad hunc locum reseruauimus. Præcipuè verò tractanda sunt tria. *Primò*, quid sit hoc Vbi, *Secundò*, in quibus sit *Tertiò*, quotuplex sit?

Circa 1. est aduertendū, quòd præcipuè colligimus dari hoc vbi ex ipso motu locali, per ipsū enim motū acquiritur aliqua distantia, seu præsentia in qua constituitur mobile; & cum subiectetur in mobili, oportet quòd in eodem subiectetur aliquis terminus motus. Est enim motus, fieri, seu via ad aliquem terminum: ergo si est ipsum fieri, oportet ponere aliquod factum esse, cùm motus non sit præter res, ad quas est motus. Similiter non potest intelligi, quòd aliquis moueatur ad locum, nisi in se immutetur; & subiiciatur, seu applicetur ipsi loco: quæ subiectio & applicatio ad minus importat nouam aliquam relationem ad locum cui de nouo subiicitur, quæ antea non erat in corpore quando non erat applicatum tali loco: Noua autem relatio nouum exigit fundamentum proximum, & hoc est ipsum corpus secundùm se; quia hoc est indifferens, vt sit in hoc loco, vel absit illo. Ergo est aliquid superadditum corpori, & hoc vocamus vbi, quo aliquod corpus afficitur modo applicationis, & subiectionis ad extrinsecum circumscribens, quod est locus. Itaque ex his duobus principiis, scilicet ex motu, & relatione coniunctionis, seu applicationis ad locum colligimus dari vbi.

Ex quo colligitur, quòd vbi circumscriptiuum non potest esse modus aliquis absolutus omnino independens ab omni extrinseco. Quod aliqui ita explicant, quòd vbi nec dependeat à spatio imaginario, nec à spatio vero, seu à corpore extrinsecùs circūscribente, nec à punctis finis vniuersi; sed definiunt vbi. *Quòd sit modus immobilis corporis mobilis.* Alij verò explicant vbi saltem per ordinē ad distantiā aliquā, seu spatium imaginarium, seu ad puncta fixa vniuersi; non tamen per ordinem ad corpus circumscribens, cùm sine illo possit reperiri vbi; sicut & motus vt patet, quando aliquid mouetur in vacuo. Quam tamen dependentiam negat prima sententia, quia nō potest vbi depēdere, & habere connexionem cum spatio imaginario, quia est nihil & aliquid fictum.

Cæterum prima sententia omnino est inintelligibilis quia

quia vel existimat vbi esse modum immobilem, quia non mouetur etiam terminatiuè; id est tanquam terminus, qui acquiritur, vel deseritur per motum: vel quia non mouetur subiectiuè, quia licèt amittatur, vel acquiratur; non tamen tunc mouetur, quia non fertur cum ipsa re, quæ mouetur. Primo modo constat vbi non esse modum immobilem, cùm acquiratur de nouo, quando aliquid mouetur ad locum, & amittatur, cùm recedit à loco. Secundo modo certum est, quòd ibi non mouetur, sed corpus est, quod mouetur acquirendo, vel relinquendo vbi: oportet tamen reddere causam huius immobilitatis, quæ non est alia, nisi quia vbi constituit corpus in tali spatio, seu distantia, neque indifferenter se habet tale vbi ad diuersa spacia. Et sic cùm spatium sit immobile, etiam vbi. quod ad tale spatium determinatur, immobile dicetur. Ergo non potest vt poni omnino independens ab omni extrinseco, siue sit spatium negatiuum, siue positiuum.

Secunda vero sententia in eo deficit, quòd non distingui in vbi circumscriptiuo id, quod circumscriptionis est, & id quod est definitiuæ, & determinatæ præsentiæ. Vt enim circumscriptiuum sit; necessariò dependet ab aliquo circumscribente, vt autem præcisè definitiuum, & determinatū sit, non requiritur corpus circumscribens, sed sufficit limitatio in se, qua ita sit hîc, quod non alibi. Vt autem positiuè alteri coordinetur, requiritur respectus aliquis ad locum, vel corpus separatum, seu remotum, respectu cuius motus localis possit acquirere propinquitatem aliquam, vel distantiam positiuam, licèt non circumscriptionem: qua ratione saluabimus motum localem in vacuo q. seq. ratione positiuæ distantiæ, vel propinquitatis. Quòd si nec ista possit acquiri, quia non datur aliquod aliud corpus respectu cuius detur positiua distantia, vel propinquitas, neque circumscriptio, cessabit omnis motus positiuus.

Vndè patet ad fundamenta opposita. Dicitur enim *ad fundamentum primæ sententiæ*, quòd vbi non depẽdet à spatio illo negatiuo vt à causa, vel constitutiuo, sed vt à negatione necessariò prærequisita, eo quod non potest inueniri distantia aliqua positiua extensa, nisi replendo distantiam negatiuam, & sic supponendo illam; vbi autem necessariò importat ordinem ad distantiam, sicut etiam homo necessariò requirit negationem equi, & fides negationem euidentiæ, quæ est obscuritas, & materia prima negationem vlterioris subiecti.

Ad fundamentũ secundæ sententiæ dicemus amplius q. seq. tractando quomodò fiat motus in vacuo. Sufficit nunc dicere, quòd remoto corpore circumscribente, non remanet vbi circumscriptiuum adæquatè, & formaliter, vt circumscriptiuum est: potest tamen manere inadæquate & secundũ quid, secundũ quod importat ordinem propinquitatis, vel distantiæ ad corpus non circumscribens, eò quod motus non solũ est ad locum, sed etiam circa vel prope locum, vt ex D.Th. opusc. 52. dicemus.

Circa secundam difficultatẽ, scilicet, in quibus repetiatur vbi, potest esse difficultas tam respectu diuersorum subiectorum, quænam sunt capacia habendi vbi, quàm respectu vnius, & eiusdem rei; an omnia quæ sint in aliqua re, siue accidentia, siue partes habeant diuersa vbi, an sufficiat vnũ, vt sint in loco? Et quantum ad primum, dependet ex dicendis *seq. art.* vbi inquiremus; quænam res sint in loco, illa enim habebunt vbi.

Circa secundum, quidam affirmant, tot dari vbi in corpore, quot entia, vt ex P. Suarez disp. 51. Met. sect. 5. & Valẽtia 3. par. disp. 6. q. 4. punct. 1. & ex aliis asserit Cabero hîc disp. 2. dub. 3. idque deducunt ex motu, quia omnia illa mouẽtur, siue per se, siue per accidẽs; ergo omnia acquirũt vbi, quod est terminus talis motus: & deinde quia si omnes qualitates separentur à quantitate, quælibet haberet suum vbi, ergo etiam modo quando sunt illi coniunctæ.

Nihilominus, cùm omnia, quæ in aliquo corpore continentur sint in loco mediante quantitate, vt docet S.Thom. in 4. dist. 10. qu. 1. art. 1 ad 3. & dist. 44. qu. 2. art. 2. quæst. 5. & quodl. 7. art. 8. *dicendum est*, quod sicut sufficit vna quantitas extendere omnes partes, & accidentia, quæ sunt in subiecto, ita sufficit vnico vbi commensurare eã loco, quia vbi est modus resultans ex circumscriptione loci in re locata; ergo vbi est tantum vna circumscriptio, & extensio ad locum, quia est tantum vna quantitas in re circumscripta, tantum resultabit vnum vbi. *Quod si dicas*; esse diuersam rationem de quantitate, & de vbi, quia quantitas non potest multiplicari in eodem subiecto, alias essent plures quantitates penetratiuè: & similiter quantitas est accidens reale, quod potest afficere omnes partes materiæ. At verò plura vbi non important penetrationem aliquam, & cum sit modus, non potest identificari cum pluribus rebus distinctis. *Contra est*, quia vbi non identificatur immediatè nisi cum quantitate, eò quòd vbi circumscriptiuum non conuenit alicui, nisi vt quantificatum est, quantitas autem est vna pro omnibus, quæ extendi possunt in subiecto ergo & idem vbi; sicut quia figura est modus quantitatis, eadem sufficit pro omnibus partibus figurati, cùm quibus non identificatur ille modus nisi mediatè, & per quantitatem. *Et magis vrgetur*, quia res sunt in loco mediante vltima superficie, qua contiguantur & tangunt locum ambientem, hæc autem superficies vltimo tangens vna est, & denominat omnia quæ in corpore sunt, vt dicantur locata seu attacta per illam, ergo & vnicum vbi huius superficiei sufficit, vt denominentur omnia vbicata. Et præsertim hoc apparet in anima nostra, quæ spiritualis substantiæ est, & in accidentibus supernaturalibus, quæ in ea sunt: ex motu enim corporeo quo mouetur homo, non potest produci vbi spirituale, vel supernaturale, cùm motu corporeo solum producatur vbi corporeum, quod cum substantia spirituali, & entitate supernaturali identificari nõ potest: & tamen ista mouentur per accidens nobis motis: ergo ad motum per accidens non requiritur distinctum vbi.

An vero etiam in corpore Christi sacramentato detur motus per accidens, & vbi per accidens, quãdo mouetur hostia? *Resp.* ex D.Th. 3. par. qu. 76. art. 6. & in 4. dist. 10. qu. 1. art. 3. quæstiunc. 4. quod duo sunt modi essendi in loco, & acquirendi locum per accidens. Vno modo, quia licèt aliquid sit in loco per se, sed tamen mouetur ad motum alterius, vt quando fertur in curru, vel in naui, & hoc modo Christus non mouetur per accidens ad motũ hostię, quia Christus non est ibi tanquam in loco, neque ille motus potest producere vbi indiuisibile, & sacramentale, sed corporeum, & diuisibile in hostia, cui coniungitur Corpus Christi, sicut Angelus lapidi, qui mouetur. Alio modo mouetur aliquid per accidens, quia nec mouetur per se, nec est in loco per se, sicut dicuntur moueri formæ etiamsi spirituales sint coniunctæ corporibus, & hoc modo mouetur Christus per accidens in Sacramento. Hæc enim supponuntur non esse circumscriptiuè per proprium vbi, sed per alienum, & per coniunctionem ad alterum.

Ad fundamenta opposita patet ex dictis. Dicitur enim *ad primum* omnia illa, quæ per accidens sunt in loco moueri

moueri per accidens, & ad motum alterius; & sic si habent eandem quantitatem, etiam eodem vbi commensurantur loco illoque afficiuntur mediatè, sicut quantitate. *Ad secundum Resp.* quòd qualitates, & aliæ formæ, separata quantitate non afficiuntur vbi circumscriptiuo, nec per se, quia carent quantitate, nec per accidens, quia non coniungitur alicui habenti quantitatem. Quare, vel non erunt in loco, vel erunt modo indiuisibili, sicut res spirituales, vel alio modo præsentiæ nobis incognito, ad istum tamen reducibili.

Circa tertiam difficultatem, scilicet, quotuplex sit vbi, *supponendum est*, quòd cum vbi dicat modum existendi in loco, eo modo diuidendum est vbi, quo ipsa ratio existendi in loco. Constat autem non omnẽ præsentiam constituere vbi, sicut patet de præsentia solius vnionis, sicut anima est præsens corpori, & Diuinitas Christo neque enim dicuntur præsentia ratione vbi, sed ratione vnionis. Quia ergo præsentia vbicabilis dicitur per ordinem ad locum, & secundum D.Th. 1. p.q.52. art.1. esse in loco dicitur æquiuocè de corporibus, & spiritibus, quia spiritus, sunt in loco non vt commensurati, & subiecti loco, sed vt subiicientes sibi locum: ideo vbi æquiuocè dicitur de vbi spirituali, & de vbi corporeo. Itaque si sumatur vbi in communi pro quacumque præsentia ad locum, sic diuidi solet in circumscriptiuum, & diffinitiuum: & supernaturale, seu Sacramentale. Omittimus autem præsentiam Dei ad loca; tum quia non est creata, neque prædicamentalis, sed substantia Dei, tùm quia non est vbi, sed vbique. Vbi circumscriptiuum definitur quod est *circumscriptio passiua corporis à circumscriptione actiua loci proueniens.* Vbi definitiuum est illud, *quod ita ponit determinatè in vna parte mundi, quod non in alia*; vt explicat Sanct. Thom. opusc. 48. tract. de vbi c.1. non tamen tale vbi ab aliqua commensuratione, vel subiectione ad locum prouenit. Vbi Sacramentale, *est modus ille indiuisibilis qui conuenit corpore Christi secundum præsentiam ad species sacramentales*, qui supernaturalis est quantitati Christi, eò quòd supra corporis naturam est esse præsentem non localiter, sed indiuisibiliter, nec ab aliquo principio fieri potest, non tamen est illa præsentia definitiua, vt San. Thom. docet in 4. dist. 10. q.1. art.3. qu.2. quia non ita determinatur ad istas species, quod non sit in aliis, sed vbicumque est panis ibi potest esse; vel vbicumque Deus velit conuertere aliquid in ipsum, & sic non dat præsentiam definitam, sed quia caremus alio nomine, vocamus sacramentalem. Et quia supernaturalis est, ad illam reducimus omnem aliam præsentiam, seu alia vbi, quæ supernaturaliter à Deo possunt tribui rebus creatis.

Propter hæc solet vbi circumscriptiuum dici à D. Th. *opusc. cit* propriè esse vbi; & similiter in 1. dist. 37. qu.3. art.1. ad 1. dicit: *Quod rei incorporeæ propriè non conuenit esse in loco.* Alia ergo quæ dicuntur vbi, solum propriè dicunt præsentiam rei ad locum, sed non propriè dicuntur vbicare, quia vbicatio importat præsentiam, vt mensuratam loco, & ponentem distantiam, vel propinquitatem in re locata respectu aliorum, qui modus vbicationis in vbi spirituali non inuenitur. Et sic, sicut actio prædicamentalis propriè dicitur illa, quæ infert passionem, licèt in quantum causalitas agentis etiam conueniat actioni non inferenti passionem, sed præcisè producenti effectum, & sicut *quando*, propriè non dicitur de quacumque duratione, sed de duratione temporali, qua aliquid secundum diuersam successionem mensuratur, & quandatur. Ita non dicitur propriè vbicari aliquid per quamcumque præsentiam ad locum, sed per illam, qua commensuratur loco, & qua secundum mensurationem distantiæ, vel propinquitatis positiuæ distinguitur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omnibus corporibus conueniat esse in loco, & habere vbi?

SVpponimus, nullum corpus comparari ad locum commensuratiuè, nisi mediante quantitate, & modò proprio qaantitatis; remota autem quantitate, vel modo extensiuo illius, res non commensuratur loco; vnde dicit D.Th. in 4. dist. 10. q.1. art.2. ad 5. *Quod nullum corpus comparatur ad locum, nisi mediantibus dimensionibus quantitatis.* Quare si remota quātitate aliqua substantia conseruaretur à Deo, sicut modo corpus Christi sine modo quantitatis ponitur in Sacramento; tale corpus non erit in loco, sed manebit vt pars vniuersi sine loco; sicut corpus Christi non est in loco per proprias dimensiones, sed per quantitatem hostię. Et sic dicit Aug. epist. 57. *Quod si tollantur spatia à corporibus nullibi erunt, & quia nullibi erunt, neque erunt*; intelligitur enim, quòd non erunt quantum est ex natura sua, nisi à Deo conseruentur.

Ex quo colligitur. Primò, quòd corpus positum in vacuo aut extra totum, vniuersum non est in loco; non quidem defectu extensionis propriæ, sed defectu extensionis circumscribentis, sine circumscriptione enim non datur locus positiuus. Quid autem acquiratur per motum localem in vacuo, dicemus quæst. sequen. *Secundò colligitur*, punctum separatum non esse per se, in loco, caret enim quantitate, & illud dicitur per se esse in loco, quod potest per se loco moueri; punctum autem non potest per se moueri loco, vt dicemus inf. quæst. 20. art. vlt. quia correspondet tantum indiuisibili loci: si autem moueretur per se, immediatè post corresponderet alteri indiuisibili; non dantur autem duo indiuisibilia immediatè. Solum ergo punctum est per accidens in loco ratione partium, quæ ponuntur in loco.

Tertiò colligitur, solùm id esse per se in loco, quod per se afficitur quantitate; & sic formæ, siue substantiales, siue accidentales non sunt in loco per se, sed per accidens ratione totius, in quo sunt, & quantitatis, qua afficiuntur in ipso toto. Et sic Diu Th. 4. Physic. lect. 7. circa tex. 45. inquit; *Quòd quædam sunt in loco per accidens, sicut animæ, & omnes formæ*; & idem habet in 4. distinct. 10. quæst. 1. art. 3. quæst. 4. & sic diximus præced. art. quòd ea quæ afficiuntur vnica quantitate vnicum habent vbi afficiens immediatè ipsum totum, cui, primò, & per se conuenit quantitas, mediatè autem, & per accidens illa, quæ tali toti conueniunt, & quantitate afficiuntur. Sicut etiam conuenit eadem figura, & situs toti, & partibus, quia figura, situs, & vbi, seu circumscriptio sunt modi ipsius quantitatis, & sic afficiunt, & variantur vti non variantur eo modo, quo quantitas. Si quid verò existit vnicum corpori, quod quantitate non afficitur, nec mediatè, nec immediatè; sicut quilibet spiritus vnitus corpori, vel tanquam forma, vel tanquam agens, vel sicut corpus Christi est in Sacramento, non moto illo corpore dicitur moueri per accidens, non quia ex vi talis motus acquirat, vel amittat aliquod vbi spirituale, cum hoc fieri non possit ex vi motus.

motus corporei, sed solum ratione concomitantiæ dicuntur moueri, eò quod ex vi suæ vnionis dicuntur esse, vbi est corpus cui vniuntur; non autem per participationem effectus formalis circumscriptionis, seu existentiæ in loco. Et sic in se non mutant præsentiam vbicalem, sed continuant vnionem ad corpus, quod mutat locum, & distantiam, ex se autem nihil distantiæ, aut extensionis, vel vbicationis habent, de quo videatur D.Th.cit.loc.dist.10. q.1.art.3.

Inter corpora ergo per se habentia quantitatem modo diuisibili extenso, *solum est difficultas*; Quomodo vltimum corpus totius vniuersi existat in loco? quod Antiqui existimarunt esse primũ mobile: nos autem intelligimus esse cœlum Empyreum. Nam ex vna parte videtur esse in loco, quia mouetur loco, vel saltem moueri potest à Deo. Ergo debet esse in loco, per motum enim localem locus acquiritur. Ex alia vero parte non circumscribitur, neque continetur loco, quia est vltimum continens omnia; ergo nõ est in loco circumscriptiuè. *Nec potest dici*, quòd est in loco ratione centri circa quod mouetur, vel superficiei corporis inferioris, quod immediatè tangit. Hoc enim no n est esse in loco circumscriptiuè, sed circa locum, quod etiam potest habere corpus positum in vacuo; corpus enim inferius positum circumscribitur, non circumscribit. Nos autem inquirimus, quomodo cœlum illud sit in loco circumscriptiuè.

In hac difficultate aliqui sentiunt vltimum corpus non esse in loco, neque per se, neque per accidens, sed solùm replere spatium imaginarium; quod etiam aliqui recentiores sequuntur. *Alij* locum tribuerunt cœlo, sed quia locus est immobilis, quidam assignauerunt centrum pro loco cœli, quia immobile est. *Alij* attendentes ad superficiem, quæ etiam pertinet ad locum, dixerunt superficiem inferiorem cœli esse locum eius. Cui tamen non conuenit circumscribere, sed circumscribi.

Igitur sententia Arist. in hoc lib. cap.5. sentit, vltimam sphæram esse in loco per accidens ratione suarum partium, quæ tamen non sunt actu in loco, sed potentia, quod est dicere cœlum simpliciter non esse actu in loco, sed potentia, quod sufficit, vt possit moueri motu circulari. Dicuntur autem partes cœli esse in loco in potentia, quatenus omnes existunt in continuo vna post aliam, & vna vnitur alteri in circulo; & ratione huius continuationis, seu concatenationis vna continet aliam continuatione, non circumscriptione, quia diuisa & contigua non est: & ideo solum in potentia dicuntur illæ partes esse in loco, quia vt sint actu circumscriptæ vna ab alia, solùm deest illis diuisio, qua reddantur contiguæ illæ, quæ sunt continuæ. Ita docet Philos. cit. loco vbi inquit: *Quod cum id, quod est similium partium, continuum est, tum partes potentiâ sunt in loco; sed cum sunt separatæ, atque vt in cumulo sit, se tangunt, tùm in loco sunt actu.* Et subdit: *Cœlum autem non est alicubi totum; neque est vllo in loco, si nullum ipsum continet corpus, sed quo mouetur, hoc & locus est partibus; Alia namque partium, alij hæret. Alia vero per accidens, vt anima, atque cœlum. Omnes namque partes quodammodo sunt in loco, circumquaque enim alia aliam continet*; vbi apertè docet partes cœli non absolutè esse in loco, sed quodammodo, quatenus vna continet, seu cohæret alteri: & tamen quia istæ partes sunt in continuo, & non separatæ, ideò non sunt actu in loco, vt circumscripta, sed sunt in potentia in loco, quia possunt diuidi, actu autem continuæ sunt, non contiguæ. Idem docet Diu. Thomas in hoc lib. lection.7. & opuscul.52. Itaque in cœlo non possumus considerare, nisi vel quod est supra ipsum, seu extra ipsum, vel quod est infra ipsum; & ab eo contentum, vel quod est in ipso, vt partes eius. Non potest dici, quòd vltimum cœlum sit in loco, quia supra, vel extra ipsum detur aliquod corpus continens, cùm ipsum sit vltimum; neque quòd sit in loco, quia intra ipsum detur aliquid contentum: hoc enim potius est locatum ab eo, quàm locus eius; & idem est de centro, quod etiam non est continens ipsum cœlum, neque actu, neque potentia: est autem contentum non potentia, sed actu. Relinquitur ergo quòd dicitur esse per accidens in loco, & in potentia solum ratione partium, quatenus vna continuatur alteri, sed non circumdatur ab illa, quia separata non est ab ea.

Sed obiicies primò, quia hac ratione non solum partes cœli, sed etiam totum cœlum est in loco in potentia, quia etiam est in potentia, vt sibi aliud corpus superponatur, & ab eo circumscribatur in loco. Et licèt hoc non possit naturaliter fieri, sed à solo Deo, etiam partes ipsæ cœli non possunt diuidi, nisi à solo Deo. *Secundò* quia de facto cœlum mouetur, & non solum in potentia: ergo debet acquirere locum in actu, & non in potentia, nam motus in actu debet habere terminum in actu, & nullum alium, quàm esse in loco, quia est motus localis; Ergo partes cœli habent locum in actu; imò totum cœlum, quia motus subiectatur in toto cœlo, & ipsum totum mouetur, & non solum pars. *Tertiò*, quia motus cœli est primus motus: ergo est magis in actu, & per se, quam alij motus: ergo non debet habere terminum per accidens, & in potentia; Id enim quod est in actu & per se, est potius eo, quod est per accidens, & in potentia. Et sic, cùm primum cœlum sit nobilissimum corpus, debetur ei nobilissimus modus essendi in loco; ergo non per accidens, & in potentia. *Vltimò* cœlum actu habet vbi in suis partibus, & in ipso toto, alioquin non possemus designare vbi modo est Sol, quando oritur, & vbi posteri quando occidit. Et idem est de partibus vltimæ sphæræ; sed illud vbi designatum, & in actu est circumscriptiuum, vtpotè acquisitum motu locali in actu: ergo partes sunt actu in loco, siquidem actu habent vbi.

Ad primum respondetur; verum esse quòd etiam tota sphæra est in potentia, vt sit in loco, sed hoc respectu corporis, quod nondum est in rerum natura, licèt possit à Deo creari. At verò partes dantur in re, licèt earum diuisio non possit nisi de potentia diuina dari, ideò magis dicitur existens in loco respectu partium, quæ iam sunt in re, licèt non sint diuisæ, quàm respectu alterius corporis superponibilis, quod nondum datur in re.

Ad secundum respondetur, Cœlum moueri ratione suarum partium, sicut etiam corpus dicitur videre quia videt oculus. Talis autem motus in cœlo, licèt de se sit productiuus vbi circumscriptiui, tamen per accidens, quia est corpus vltimum, non habens aliud circumscribens se, non producit de facto vbi circumscriptiuum, ratione cuius dicatur esse in loco: producit tamen aliquid in actu, & de facto, scilicet modum aliquem propinquitatis, vel distantiæ respectu alicuius corporis circa quod mouentur illæ partes, & ipsum totum, & hoc etiam pertinet ad ipsũ vbi saltem inadæquatè, eò quòd vbi non solum dicit circunscriptionem in loco, sed etiam distantiam aliquam, vel propinquitatem, siue modum applicationis, qui sit fundamentum relationis distantiæ, vel propinquitatis. Et sic dicit D.Th. opuscul. 52. *Quod motus localis non solum est in loco, sed circa locum*, de quo explicatius dicemus sequent. quæst.

Ad tertium respondetur, quòd, vt notat Sanct. Th. 4. Phys. lect. 7. primo motui conuenit minus de potentia; & de variatione locorum in ipso mobili, & minus difformitatis, & ita, quantò minus in actu variantur loca in mobili, magis accedit ad vniformitatem, & immobilitatem. Vnde non sequitur, quòd motus actualior, & perfectior magis dicatur ponere aliquid in loco, quia esse actu in loco est esse subiectum circumscriptum & limitatum à locante. Et ideò, quia primus motus est nobilior; & primi continentes non contenti ab alio; ideò non conuenit illi ponere tale corpus actu in loco, id est actu subiicere loco, sed solum in potentia; minus enim perfectionis est actu esse dependens, quàm potentia, licèt modum distantiæ, vel propinquitatis actu ponat.

Ad vltimum respondetur, quòd partibus cœli conuenit habere vbi determinatum, & designatum, quantũ ad id, quod definitionis est in vbi, non quantum ad id, quod circumscriptionis. Hoc enim est vbi inadæquatè sumptum in corporibus ad differentiam vbi definitiui in Angelis, qui ita sunt in vno loco, quod non in alio, sine aliqua tamen distantia, vel propinquitate positiua in ordine ad aliud, quia distantia mensurationem dicit extensionis, quæ non potest desumi ab vno Angelo ad vnum corpus vel è contra. In corporibus autem, etiamsi non sit circumscripta, potest sumi ista distantia, & mensura extensionis ad alia corpora, idque per motum localem potest in vacuo variari, vt dicemus qu. seq.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm duo corpora poßint penetrari in eodem loco Diuina virtute?

TRiplex est sententia in hac parte. Duæ extremæ, & vna media. *Prima extrema* putat etiam naturaliter posse duo corpora penetrari. *Ratio est*; tùm, quia non est de essentia quantitatis, vt alterum corpus semper expellat; tum quia plures experientiæ id videntur comprobare; videmus enim vas plenum cinere tantum aquæ recipere, quantum sine cinere. Ferrum candens ignem recipit intra se, & panis madefactus recipit aquam, & vas aqua plenum recipit nummos, nec effunditur, quæ omnia sine aliqua penetratione corporum non possunt contingere.

Secunda sententia extrema est Durand. in 4. dist. 44. q. 6. qui dicit esse probabile, quod neque per Diuinam potentiam duo corpora possunt penetrari. *Fundamentum similiter est*; tum ex ratione, tum ab exemplis. *Ratione quidem*, quia effectus formalis non potest impediri stante forma; est autem effectus formalis quantitatis occupare locum, & stante occupatione loci sequitur tanquam effectus priuatiuus expulsio alterius corporis; ergo hic secundus effectus non potest impediri stante primo. Constat autem, quòd in præsenti loquimur de penetratione corporum occupantium locum, nam remota occupatione loci, vt in corpore Christi sacramento, non est dubium, quòd possit simul esse cum altera quantitate. *Consequentia verò patet*, quia ideo non possunt duæ formæ substantiales esse simul in eadem materia, quia effectus formalis vnius habet adiunctam priuationem alterius; sed similiter occupatio loci habet adiunctam priuationem, & expulsionem alterius corporis à loco. Ergo non potest impediri stante primo effectu. *Ab exemplis autem probatur*, tùm, quia duæ quantitates successiuè non possunt simul penetrari, verbi gratia, quòd duo dies sint in vno, sic enim tolleretur eorum successio; ergo duæ quantitates permanentes in eodem loco; tùm quia si potest vnum corpus penetrari cum alio, etiam posset vna pars corporis cum alia, & sic tolleretur essentia quantitatis, quæ est habere partem post partem. Imò posset pars esse æqualis toti, vt si quantitatem manus intra digitum Deus penetraret.

Tertia sententia vera, & tenenda, quæ communi calculo Theologorum probatur, *dicit*, quantitatem etiam extensam in loco posse diuinitus cum alia penetrari, non tamen naturaliter. De hoc videri potest Sanctus Thomas in 4. distinct. 44. quæst. 2. art. 2. & super Boët. de Trinitat. quæst. de pluralitate causarum art. 3. Scot. in 4. distin. 49. quæst. 16. Capreol. & Argentinas, Sot. Suarez, & alij, quos citant Cursus Carmelitanus hîc, disputat. 19. quæstion. 7. & Conimbricens. quæst. 4. articul. 2. Et supponimus nihil aliud esse duo corpora penetrari, quàm sub eadem superficie ambientis corporis, & in eadem distantia contineri. Hoc ergo dicimus repugnare naturaliter, non diuinitus. Et repugnantia naturalis manebit probata ex ipsa explicatione non repugnantiæ diuinitus.

Quòd ergo diuinitus non repugnet, sumitur, tùm à posteriori, quia sic factum est; tùm à priori ex ipsa repugnantia naturali, quæ potentiæ Diuinæ non obstat. *A posteriori ergo probatur*, quia inprimis corpus Domini in natiuitate exiit clauso vtero sacratissimo B. V. & in resurrectione exiit de sepulchro inuiolato, & immutato lapide: ad Discipulos intrauit clausis ianuis; & cœlos penetrauit nulla facta diuisione in eis.

Respondet Durandus, in egressione ex vtero potuisse partes dilatari, & si non reserari, ad eum modum, quo in statu innocentiæ parerent fœminæ. *Vel secundò* exiisse non transeundo per medium. Similiter egressum è sepulchro, quia corpus gloriosum ita potest constringi, vt per minimum foramen, vel porum exeat. Ad Discipulos verò potuisse intrare ianuis subita quadam velocitate apertis, & iterum clausis. *Cæterùm* primæ duæ solutiones non solum falsæ, sed etiam iniuriosæ videntur illi mysterio. *Prima quidem*, quia multum derogat summæ Virginis integritati. *Secunda*, quia derogat Natiuitatis veritati. Primum patet, quia tanta partium dilatatio, vt corpusculum exeat sine penetratione, nihil aliud est, quàm apertio, & reseratio. Sicut etiam in statu innocentiæ parientes fœminæ integritatem virginalem non conseruarent, licèt sine dolore parerent. Miraculum autem Natiuitatis Christi non solum celebratur, quia partus fuit sine dolore, sed quia fuit salua omnimoda integritate: & in hoc præcipuè assignatur miraculum, quia clauso vtero exiit. Nullum autem esset miraculum, quòd facta dilatatione partium exiret. *Secundum verò patet*; quia si transiret de vtero ad terram, & non per medium, vere non nasceretur, quia non pareretur, parere enim est emittere fœtum motu physico, & corporali, sic enim procedit à matre. Motus autem corporalis non potest esse de extremo ad extremum, nisi per medium, si verus motus est; Ergo sine motu corporali non datur partus, & sine partu non datùr vera natiuitas. Quod verò dicitur de corpore glorioso, omnino ridiculum est, quia tanta constrictio corporis sine magna alteratione per modum addensationis, vel compressionis contingere non potest, quod vtique eius impassibilitati non congruit. Denique dicere, quòd fores fuerunt apertæ, quando ingressus est ad Discipulos, vim facit Scripturæ, quæ dicit, *Cum fores essent clausæ*, Durand. autẽ dicit esse apertas.

A priori autem probatur hæc veritas considerando

rationem,

rationem, ob quam vna quantitas naturaliter resistit penetrationi. Putant enim aliqui, quantitatem resistere per aliquam efficientiam, quatenus vnum corpus pellit aliud à loco, quando intrat in illum: sic enim pellit, sicut trahit, trahit autem virtutem efficientem, ergo, & pellit: & quia Deus potest denegare hunc concursum ad efficiendum, potest consequenter vnum corpus non pellere alterum è loco. Quam sententiam sequitur Martinius in illustrationes istorum capit. notabil. 7. Cæterum falsa est ista sententia; tùm quia quantitas non est actiua, neque in quantum quantitas est diuidens, sed diuisibilis; diuisio enim fit ab aliqua virtute motiua, verbi gratia, à grauitate, vel impulsu, vel aliquo simili; quantitas autem non est virtus motiua; tùm etiam, quia si quantitas expelleret effectiuè id faceret producendo aliquid, quod esset incompossibile penetrationi, omnis enim efficientia aliquem terminum producit, quo formaliter fiat id, quod ab efficiente fit actiuè, iste autem terminus, seu forma, quam quantitas producit, quando expellit, & resistit penetrationi, eandem patitur difficultatem atque ipsa quantitas, præsertim, quia illa efficientia expellens non potest esse nisi per motum, motus autem solum producit vbi, quòd non est forma resistens penetrationi, aut saltem de hoc inquirimus rationem, cur repugnent duo vbi in diuersis corporibus sub eadem distantia.

Quare ratio impenetrationis reducitur à D.Tho. dist. 44. cit. ad ipsam quantitatem ratione effectus secundarij, qui est situaliter collocare partes in ordine ad locum; pertinet enim ad quantitatem ponere vnam partem post aliam, primò quidem in ordine ad se ordinando partes in toto, secundò verò ordinando eas in loco, & extendendo in diuersis spatiis & terminus, sicut videmus in corporibus extensis, siquidem essentia quantitatis in extensione consistit coordinante vnam partem post aliam in ratione partis: vndè sequitur tanquam proprietas, quòd diuersas spatiis faciat diuersas partes respondere, sic enim coordinantur. Hæc autem extensio localis obstat generationi; tùm partium inter se in eodem cõtinuo, alias omnes partes essent confusæ, & ad locum indiuisibilem redactæ, vel potius ad nullum. Tùm etiam vnius corporis erga aliud à se diuisum, quia cùm non sit continuum multò magis pertinet ad quantitatem extra se illud ponere, quàm vnam partem extra aliam, quæ est connexa in eodem continuo; si autem ponit vnum extra aliud, non relinquit intra proprios terminos loci & hoc est non penetrari. Ex ipsa ergo extensione quantitatis nascitur, quòd corpora & partes se tangant penes extremitates seu indiuisibilia & terminos, ita quod vna non intret in aliam, nec penetretur sub eodem loco. Hæc autem extensio actualis ad locum non est effectus primarius quantitatis, quia salua quantitate, potest totaliter tolli, vt patet in corpore Christi sacramentato, vbi est quantitas eius, sicut & reliqua accidentia sine extensione ad locum; ergo à fortiori poterit saluâ naturâ quantitatis iste effectus impediri, ne de facto aliud corpus expellat, sed intret in terminos eius sine diuisione ipsius quantitatis, sicut sine eius diuisione totaliter tolli potest in Sacramento, *Neque sequitur*, quòd idem effectus pendeat à duplici causa totali, verbi gratia, à duobus corporibus idem locus. *Respondetur enim*, quòd in illis corporibus penetratis ponitur duplex vbi passiuum, quamuis vnicus locus circumscribens; non repugnat autem ab eadem causa multiplicari effectus in diuersis subiectis, tunc enim comparantur quasi inadæquata respectu illius, sicut ab eodem igne multiplicatur calor in diuersis subiectis.

Ad primum pro prima sententia resp. Quòd licet non sit contra essentiam quantitatis penetrari cum alia, est tamen contra eius proprietatem, seu effectũ secundarium, qui illi connaturaliter debetur, & ideò naturaliter repugnat, non essentialiter

Ad secundum resp. quòd in vase pleno cinere tantum recipitur de aqua, quantum sine cinere, quia propter nimiam cineris siccitatem plurimum aquæ euaporatur, & reliqua imbibitur, & multa loca cineribus plena aëre, replentur, & constipantur aquâ. Similiter, quando iniiciuntur nummi in vas plenum aqua, faciunt aquam crescere in cumulum quandiu labra vasis sunt sicca, illis autem madefactis effunditur aqua. In ferro candenti ignis intrat poros ferri, qui nimio calore plus aperiuntur, & admittunt plus ignis. Et similiter infuso pane, quidquid aëris est intra panem, repletur aqua, & constipantur partes siccæ madefactæ ab aqua, & sic dant ipsi locum.

Ad primum pro secunda sententia respondetur, quòd actualis expulsio non fundatur in sola quantitate, aut formali eius effectu quomodocumque, sed in quantum habet contactum actualem in ordine ad alterum: cùm autem contactus fiat penes ipsas superficies, quia, vt dicit Philosophus 5. Physic. cap. 3. ea se tangunt, quorum extrema sunt simul, tunc facit Deus, quod penetrentur duo corpora, quando impedit contactum vnius corporis ad alterum, nam hoc ipso non sunt simul penes superficiem, seu extremitatem partium, sed se totis, quod est penetrari. Potest autem fieri ista penetratio stante effectu formali quantitatis, etiam secundario, qui est occupatio loci, quia potest Deus impedire istum contactum respectu vnius corporis, & non respectu alterius; & sic impedire expulsionem vnius corporis, & non alterius, atque adeò poterit habere contactum ad corpus circunscribens, & locans, quod est occupare locum, & tamen impediri contactum ad aliud corpus sibi appropinquans, sicque admitti, vt sit simul in eodem loco.

At verò in formis substantialibus expulsio vnius formæ ab eadem materia non fundatur in aliquo contactu actuali respectu vnius, & non respectu alterius, sed in ipsa ratione informationis substantialis in materia, quæ est informatio primæ actualitatis, & sic non potest supponere aliam priorem vnde forma secundò adueniens, & informans repugnat, quod sit substantialis, id est, quod det primum esse, vt supra diximus q. 11.

Ad secundum fundamentum, ab exemplis respond. Ad primum, est maxima disparitas, eò quòd ipsa ratio successionis essentialiter petit vnam partem esse post aliam; vnde quomodocumque ponuntur, partes esse simul, seu penetrari, tollitur successio. At verò ratio quantitatis permanentis non consistit in contactu ad alia corpora, & potest stante quantitate contactum amittere absolutè, vt corpus Christi in Sacramento, vel stante contactu ad vnum impediri ad habendum contactum erga alterum, & sic esse simul cum eo in eodem loco, non tangendo illum secundum superficiem, sed etiam secundum partes diuisibiles, per quod non tollitur extensio in ordine ad totum, quod est effectus primarius quantitatis, neque in ordine ad locum, quia potest manere contactus ad locum, & impediri respectu alterius corporis vt dictum est.

Ad secundum exemplum dicitur, quòd si Deus reduceret totam quantitatem vnius brachij ad locum digiti, illa quantitas extrinsecè, & in ordine ad locum

cum esse æqualis suæ parti, sed radicaliter, & intrinsecè in ordine ad totum esset maior, quia plures habet partes, & de se petit maiorem extensionem in loco, quàm sua pars, licèt de facto non occupet illum.

ARTICVLVS V.

Vtrùm implicet vnum corpus esse in pluribus locis circumscriptiuè?

LOquimur de præsentia circumscriptiua, quia esse in loco vnum corpus circumscriptiuè, & non in alio, constat ex Fide; nam corpus Christi extensiuè est in cœlo, & sacramentaliter in Eucharistia. Sed quia circumscriptio ita adæquat rem locatam, quòd supponit in illa vltimam superficiem, vltra quam non continuatur, neque extenditur, ideò specialem difficultatem habet; an res semel locata, & circumscripta possit in alio loco similiter circumscribi: & altera superficie terminari manente adæquatione loci; & vnitate locati. Et hoc dupliciter potest fieri, vno modo stante eadem substantia & quantitate corporis, eademque superficie: alio modo posita duplici quantitate in eadem substantia corporis, ita quòd secundum vnam terminetur in vno loco, & secundum aliam in alio, nulla facta diuisione in eadem quantitate, sed alia superaddita.

Est igitur in hac difficultate duplex sententia inter Scholam D.Thom. & Scoti; Nam Scotus in 4. dist. 10.q.2. per totam tenet non implicare contradictionem vnum corpus circumscriptiuè esse in duplici loco, quem præter eius Scholam sequuntur communiter recentiores, vt Conimbric. Suarez Bellarm. Valent. Rubio, & alij qui citantur in cursu Carmelitano hîc disputat.19. quæst.8. Imò multi addunt hanc sententiam esse conformiorem veritati, & principiis fidei, quibus realis præsentia corporis Christi in Eucharistia stabilitur.

Fundamentum huius sent. reducitur ad tria capita. Primum; ex effectibus, quia de facto ita aliquando contigit. *Secundum*, ratione. *Tertium*, ab exemplis. *Primum probatur*, quia inprimis, quando Christus apparuit Paulo, visus est ab eo in proprio corpore, vt argumentatur Sanctus Thomas 3.part. quæst.57. art.6. quia alias non posset esse testis Resurrectionis eius; & tamen Christus tunc non recessit à cœlo, quia vsque ad diem iudicij non descendit inde, iuxta illud Actor. *Quem oportet cœlũ suscipere vsque ad tempus restitutionis omnium.* Et August. dicit: *Quòd donec sæculum finiatur sursum est Dominus.* Ergo oportuit, quòd tunc Christus Dominus non recedens à cœlo videretur in aëre à Paulo, & sic extitit in duplici loco. Omitto alias visiones, quibus Christus Dominus visus est in terris, vel apparuit in Eucharistia. Hæc enim referri possunt, non ad visionem in proprio corpore, sed in aliquo apparente; atque adeò non ita probant, sicut visio illa Pauli.

Secundum fundamentum est ex ratione, quæ desumitur ex responsione, vel improbatione implicationis contrariæ; videntur enim valde infirmæ rationes, quibus ista implicatio probatur, & si aliquid probant, etiam probarent corpus Christi non posse indiuisibiliter esse in pluribus hostiis, nam quod dicitur locum circumscriptiuum ita adæquatè terminare, & comprehendere corpus, quod extra ipsum non permittit esse circumscriptiuè; eodem modo probat, quòd non permittit esse sacramentaliter, nam si potest excedere illos terminos circumscriptiuos existendo alibi indiuisibiliter, quid refert, quòd excedat illos existendo alibi diuisibiliter attendendo præcisè ad adæquationem primæ circumscriptionis? Quòd verò additur sequi, quòd idem corpus esset diuisum, si poneretur in duplici loco, vel quòd etiam posset idem corpus esse in infinitis locis si semel potest esse in duobus, quia est eadem ratio de infinitis: vtrumque sequitur eodem modo in corpore Christi Sacramẽtato, & ibi soluenda sunt hæc inconuenientia. Nam etiam sequitur, quod possit esse in infinitis hostiis sine termino. Nec tamen sequitur, quòd si vnum corpus sit in infinitis locis: quòd sit vbique sicut Deus, quia neque à seipso, nec primò, & per se esset vbique; Deus enim ita est totus in omni loco, quòd est totus in omni parte loci, & sic totus est vbique, illud autem corpus est in quolibet loco per suas partes Similiter non sequitur corpus Christi esse diuisum, & indiuisum, ex eo quod est in cœlo, & extra cœlum sub quantitate aliena, scilicet sub speciebus panis. Quare ergo erit diuisus, si sit alibi sub quantitate propria, præsertim, si duplicem quantitatem haberet? præterpuam quòd solum sequitur diuisio ista quoad locum, & circumscriptionem; non quoad entitatem, & substantiam, quia hæc non sumitur ex multiplicatione locorum, quæ accidentalis est.

Tertium fundamentum sumitur ab exemplis. Nam inprimis potest idem corpus esse in duplici loco, altero diuisibili, altero indiuisibili, vt patet in corpore Christi; ergo potest dependere à duplici præsentia, altera naturali, altera supernaturali, & indiuisibili, quarum quælibet adæquatè, & totaliter in suo genere reddit illud corpus præsens. Ergo similiter poterit dependere à duplici præsentia circumscriptiua, licet vtraque sit adæquata. Neque enim ex eo quòd sit circumscriptiua aliquid amplius addit supra alteram circumscriptionem, quàm multiplicare ipsa loca, quæ solum accidentaliter se habent ad multiplicationem substantiæ. Item non repugnat idem corpus affici duplici quantitate, vel duplici albedine, aut calore, neque repugnat eandem naturam duplici subsistentia diuina terminari. Ergo neque repugnabit duplici vbi circumscribi, licèt vtrũque sit adæquatum, & sufficiens. *Confirmatur*, quia vnitas loci stat cum duplicitate corporis, vt patet cùm duo corpora penetrantur; Ergo etiam duplicitas loci stabit cum vnitate corporis. *Consequentia patet*, quia si diuersas corporum dependet ex diuersitate loci, etiam vnitas dependebit ex vnitate: & è conuerso si vnitas non dependet, vt manifestum est, etiam non dependebit diuersitas, sed accidentale sibi erit.

Opposita sententia perpetuò defenditur à Diu. Tho. in multis locis, vt in 4.distinct.10. quæst.1.art.3.q.2. & apertiùs distinct.44.quæst.2.art.2.quæst.3.ad 4.vbi dicit: *Quòd vnum corpus esse simul localiter in duobus locis non potest fieri per miraculum*; & quodlibet.3. art.2. vbi dicit: *Quòd corpus esse in duplici loco circumscriptiuè est ponere duo contradictoria simul.* Idem insinuat 3. part. quæst.75. art 1. in argumento 3. ad iuncta eius solutione. Et opusc.70. quæst.4. articulo 5. Sequuntur D. Thom. communiter omnes eius Discipuli, & præterea S. Bonau. in 4.dist.44. art. de dote subtilitatis, Durand. in dist.10. q.4. numero 8. Herbæus, Palud. Ægidius, Abulen. & alij quos sequitur P.Vazquez tom.3.in 3.p.disp.184.c.4 & Mag. Lorca in manuscriptis de Eucharistia, vt citat Cabero hic disp.1.dub.5.

Ex pluribus autem implicationibus; quæ afferuntur, ad illam tanquam ad præcipuam cætera reuocantur, quia

quia ita vnum corpus sub vnica quantitate existens adæquatur ad vna circumscriptione, quòd si ponatur in duplici loco circumscriptiuè diuidetur eius quantitas, & consequenter ipsum corpus: sicque erit simul idem, & diuersum. Quòd quantitas diuidatur hoc ipso, quòd ponitur eo modo in duplici loco, *ex eo probatur*, quia illud corpus sic positum in duplici loco, haberet duplicem superficiem terminantem, ita vt simul accederent, tangerentur vero contactu, sicut & tangunt illa loca, in quibus ponuntur, alias non locarentur in duplici loco, si in vtroque non haberent contactum ad dicta loca; illa autem se tangunt, quorum extrema, seu superficies sunt simul, vt dicitur 5. Physicor. cap. 3. Ergo si illud corpus ponitur in duplici loco, duplicem debet habere superficiem, siquidem si poneretur in loco sibi immediato, vere esset sibi contiguum, & verum contactum haberet ad se; sicut habent duæ manus, & sicut habet verum contactum ad corpus circumscribens se in duplici loco; si enim penetrarentur, hoc ipso non esset in duplici loco, quod est destruere casum, potest autē poni in loco sibi immediato, si semel potest poni in duplici remoto, sed ea dicuntur habere contactum, & esse contigua, quorum extrema sunt simul; ea verò continua, quæ communi termino copulantur; ergo illud corpus positum duplici loco sibi immediato, verum contactum habebit: atque adeò duplicem superficiem. Non ergo stante eadem quantitate, seu superficie potest poni in duplici loco modo circumscriptiuo. Et amplius hoc patet, quia si ponatur corpus in duplici loco à se remoto, verbi gratia, Romæ, & Compluti, hoc ipso quantitas illius corporis manet diuisa: ergo non potest manere eadem. *Consequentia est manifesta*; & *antecedens probatur*; quia illa quantitas discontinuatur, ergo diuiditur, tunc enim discontinuatur quantitas, quando inter hanc, & hanc quantitatem interponitur aliquod corpus medium, quod non continuatur cum tali quantitate; sed posito corpore Romæ & Compluti inter corpus, quod est Romæ, & Compluti interiacet aër, vel multa alia corpora, quorum nullum continuatur cum illo; aër enim, qui ambit corpus Romæ est contiguum illi tanquam locus eius, non continuum, & similiter aër, qui est Compluti. Ergo discontinuatur quantitas istius corporis hoc ipso, quòd ponitur in duplici loco, & sic est quantitas, diuisa, non eadem; & sic est contradictio, quòd idem corpus, seu eadem quantitas ponitur in duplici loco, & non maneat diuisa.

Huic rationi tripliciter potest responderi. Primò, instādo illam, nam etiam quantitas corporis Christi est in cœlo, & in Sacramento, nec tamen est diuisa, nec alia. Ergo similiter non erit diuisa ex eo, quod ponatur circumscriptiuè, in duplici loco. *Secundò* dicendo, quod ex ista positione in duplici loco non sequitur diuisio intrinseca in quantitate, vel corpore, sed solum extrinseca secundū duplicem vbicationē, seu locum, quod verissimum est. *Tertiò*, quòd saltem non repugnabit esse corpus in duplici loco, si ei duplex quantitas tribuatur à Deo quod nullam repugnantiam inuoluit.

Ad primam instantiam respondetur, quòd corpus Christi in Sacramento habeat eandem quantitatem, & superficiem, quam in cœlo, quia modo indiuisibili, & incircumscripto illam habet in Sacramento, & sic benè stat, quòd sit eadem superficies, quia ex ipso modo existendi non diuiditur, neque discontinuatur, sed existit ad modum substantiæ in Sacramento sine vllo contactu ad alia corpora: & sic non currit argumentum contra modum existendi Sacramentalem, sicut contra modum circumscriptiuum in duplici loco, quia non diuidit superficiem hoc ipso, quod non ponit illam modo diuisibili in alio loco. Nec oportet reducere explicationem huius mysterij ad eas angustias, quas patitur existentia in duplici loco circumscriptiuo; fit enim illud mysterium minus intelligibile præcipuè Philosophis, si intelligatur corpus Christi ad modum corporis diuisi in duplici loco, aut si dependeat intelligentia huius mysterij à positione corporis in duplici loco circumscriptiuè, licet enim hoc videatur reddere magis intelligibilem existentiam duplicem corporis in Cœlo, & in Sacramento, minus tamen intelligibilem reddit identitatem eiusdem corporis, quoniam duplicata circunscriptione discontinuatur.

Ad secundam instantiam respondetur, quòd non est intelligibilis illa duplex vbicatio, & circumscriptio, sine discontinuatione, & diuisione quantitatis, quia nihil aliud est quantitatiem diuidi, quam ita poni in loco, quòd interponatur aliud corpus mediū non continuatum cum illis extremis; sicut necessariò sequitur posito corpore in illo duplici loco per modum contactus, & circumscriptionis.

Ad tertiam instantiam dicitur, implicatione allatam non currere, si vnum corpus habeat duplicem quantitatem; idque videtur sentire D. Tho. quodl. 3. art. 2. vbi ponit argumentum: *Quòd dimensio panis poterat conuerti in quantitatem corporis Christi, sicut substantia panis in substantiam corporis Christi.* Et respondet: *Quòd si dimensio huius corporis conuerteretur in illam dimensionem alterius corporis, iam non erunt duæ dimensiones, sed vna tantum; & sic non commensuraretur diuersis locis, sed vno tantum.* Ergo à contrario sensu, si daretur duplex dimensio, non repugnaret commensurari duplici loco. Et sicut modo corpus Christi mediante dimensione panis, cui alligatur, est in duplici loco, vno per se, id est per propriam dimensionem in cœlo, altero per accidens, id est per alienam quantitatem in terra: ita si talis dimensio, vel alia similis, & eiusdem figuræ cum dimensione propria corporis Christi, ei non alligaretur extrinsecè sed per inhærentiam intrinsecam vniretur; non minus posset esse in duplici loco, altero per se, altero per accidens ratione illius duplicis quantitatis sibi inhærentis. An verò hoc sit possibile de potentia absoluta, vt duplex quantitas eidem corpori tribuatur per inhærentiam intrinsecam non disputo in præsenti, neque in eo inuenio apertam repugnantiam, vt sicut alligatur a iena quantitas panis corpori Christi, ita ei inhærere possit alia similis figuræ, & extēsionis cū sua propria; sed quod dicimus est, quòd stante eadem qaantitate, repugnat poni circumscriptiuè in diuerso loco, quia hoc est idem ac diuidi; si tamen daretur duplex quantitas, nulla currit implicatio.

Omitto plures alias rationes ab inconuenienti deductas, in quibus soluendis valde laborant Authores oppositi; verbi gratia, quòd si ponatur vnum corpus in duplici loco, poterit moueri idem corpus motibus contrariis, & hic habere summum frigus si ponatur inter niues, ibi summum calorem, si inter ignes: hic occidere, vel occidi alibi non; hic fame perire, ibi saturari, & multa similia, quæ facilè considerari possunt: Quæ absurda oppositi Authores ea distinctione soluunt, quòd illa accidentia quæ dependent à loco; vt moueri sursum, & deorsum flagellari, & percuti, & similia, ita conueniunt in vno loco, quod non in alio. Quæ verò à locali distantia non pendent vt esse mortuum & viuum, calidum & frigidum, si conueniunt in vno loco, conueniunt etiam in alio, quod tamen in singulari explicare satis difficile est præsertim cum plura ex

his

his quæ à loco non pendent, priuatiuè opponantur. Sed in hoc non facimus vim.

Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ Respondetur, quando Christus Dominus apparuit Paulo, corporaliter quidem apparuisse, vt conuincit ratio S.Thom. alias non posset Paulus testis Resurrectionis esse, sicut alij Apostoli, si ipsum verum Christi corpus non vidisset sed si hæc apparitio facta est in aëre (ex Scriptura enim non constat in aëre vidisse Christum, vel in ipso cœlo, sed solum lumen de cœlo circumfulsisse eum) reuera descendit corpus Christi de cœlo. Nec oppositum ex illis authoritatibus vllo modo deducitur, solum enim probant Christum esse in cœlo vsque ad diem iudicij tanquam in loco sibi debito ad gloriam & honorem, sicut Regi debetur thronus, non tamen, quia necesse sit semper ibi sedere, & nunquam moueri. Vnde notanter Scriptura dicit; *Quem oportet cœlum suscipere*, non tamen addit, quem oportet semper retinere. Et August. dicit: quòd *sursum est Dominus, donec sæculum finiatur* quantum ad habitationem sibi debitam, non quantum ad alligationem localem, neque enim habet cœlum pro carcere, sed pro gloria, quæ nullo modo minuitur Beatis ex descensu Christi, quia æquè benè videbunt corpus eius; etiamsi descenderet ad hunc mundum inferiorem. De aliis apparitionibus Christi non ita constat in proprio corpore descendisse, sed secundum aliquam apparitionem, aut per Angelum aliquem in assumpto corpore. Si tamen vere aliquibus apparuit in proprio corpore, reuera ad illos descendit. Præcipuè autem in Eucharistia non videtur apparere Christus in proprio corpore, sed formari ex aëre circumstante corpus aliquod in specie carnis, vel pueri aut quid simile, in quo apparet, vt constat D. Tho. 3. p.q.78.art.8. Quòd si vellet Christus Dominus in Eucharistia demonstrare corpus proprium in specie propria, id deberet fieri descendendo de cœlo.

Ad secundum constat, in quo consistat implicatio existendi in duplici loco circumscriptiuè, quæ tamen non sequitur ex eo quòd sit sacramentaliter Christus in Eucharistia, & modo quantitatiuo in cœlo; inde enim non sequitur, quòd sit sub duplici terminatione sibi adæquata in eodem genere circumscriptionis, sed sub diuerso genere, & secundum diuersum modum, alterum diuisibilem, alterum indiuisibilem, nec resultat aliqua diuisio, & multiplicatio superficiei, vel quantitatis in corpore Christi, cùm in Sacramento non sit in loco per contactum ad alia corpora neque diuisibili modo, & consequenter neque talis separatio locorum facit diuisionem, seu discontinuationem. *Quando verò instatur*, quòd etiam non manebit diuisum illud corpus, si ibi maneret sub propria specie, *negatur Conseq.* Et disparitas constat ex dictis, quia illa quantitas aliena non discontinuat, neque diuidit propriam, qua Christus est in cœlo, cùm sit quantitas distincta. Si autem propria quantitas ibi ponetur modo circumscriptiuo, hoc ipso etiam ponitur modo diuisiuo, quia ponitur modo diuisibili secundum diuersam terminationem, & locationem, quod non potest stare sine discontinuatione quantitatis. Si verò modo indiuisibili in alio loco ponatur, non addit nouam terminationem, qua nouum contactum habeat, & consequenter neque discontinuationem, sed eandem superficiem, & quantitatem, sub modo indiuisibili ponit. Et licèt discontinuatio illa sit quoad locum, essentialiter tamen illi annexa est discontinuatio quantitatis, quæ cōsistit in duplici terminatione; diuisa autem quantitate diuiditur corpus, cuius indiuiduatio dependet ex designatione quantitatis, & indiuisione eius, tanquam ex conditione per se requisita, vt in libris de generat. dicetur. Sed tamen implicatio posita currit, præsupposito quòd sit eadem quantisas in corpore existente in duplici loco, & non aliter.

Ad tertium respondetur, quod attinet ad primum exemplum, iam satis dictum est, quòd illa præsentia sacramentalis non est præsentia propria corporis, sed diuersi generis, & ideo respectu illius non currit implicatio allata; neque enim diuidit quantitatem, vt dictum est.

Ad secundum exemplum dicimus non esse contra nos, quia si eidem corpori attribuatur duplex quantitas, non repugnabit esse in duplici loco sine diuisione eiusdem quantitatis, in quo consistit implicatio allata.

Ad tertium exemplum dicimus, quod personalitates Diuinę non habent oppositionem relatiuam nisi inter se, non respectu naturæ, quam terminant, vel assumunt; cum ex eadem perfectione, & eminentia proueniat in ipsis personis terminare alienam naturam, eodem enim modo persona Patris potest terminare humanitatem assumptam, sicut persona Filij. At verò diuersitas loci circumscriptiui discontinuat quantitatem, quia non potest aliter intelligi existentia in loco distanti, nisi cum discontinuatione quantitatis, seu diuisione, cum qua non stat identitas eiusdem quantitatis, quæ est implicatio allata.

Ad confirmationem respondet. ex Diu. Thom. in 4. dist.44. supra citata, vbi ponit idem argumentum, quòd cum vnitate loci extrinseci stat diuersitas quātitatis; cum diuersitate verò loci non stat vnitas, eò quòd sufficit ad discontinuandum, & diuidendum quantitatem discontinuatio loci, vt probatum est. At verò vnitas loci non sufficit constituere vnitatem quantitatis, si alias subiectum, in quo est quantitas, non est vnum; accidentia enim maximè habent vnitatem suam ex vnitate subiecti, licèt quantitas etiam dependeat ex vnitate loci, sine qua discontinuatur, & diuiditur: quare vnitas quantitatis dependet ex duobus, scilicet vnitate subiecti, & loci, & quocumque sublato, soluitur vnitas, quia malum ex quocumque defectu, Et ideò stat benè cum diuersitate quantitatis penetratio, & existentia in eodem loco, quia ob diuersum subiectum illa quantitas supponitur diuersa, non autem stat cum diuersitate loci circumscriptiua vnitas quantitatis, quia diuersa circumscriptio discontinuat.

QVÆSTIO XVII.

De Vacuo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Vacuum naturaliter sit dabile?

SVPPONIMVS definitionem Vacui traditam ab Arist. in hoc lib.cap.7. *Quòd sit locus non repletus corpore.* Quòd autem aliqui addunt, *Aptus tamen repleri*, Superfluit vt benè notat Magist. Soto in præsenti quæst.3. Nam hoc ipso, quòd dicitur locus, aptitudo ad repletionem designatur. Et ideò in hac definitione non includitur vacuum

cuum negatiuum, quale est extra cœlum, quia ibi non datur locus, id est, superficies aliqua non continens intra se aliud corpus. Potest tamen definiri quòd est spatium carés omni corpore, de quo D.Th. 1.p.q.46.ar.1.ad 8. vbi inquit: *Quòd supra cœlum est, & ly supra designat locum imaginarium.*

Suppono secundò, vacuum negatiuum de facto dari, cum supra cœlum nullum sit corpus, cùm ibi finiatur hoc vniuersum. Vacuum autem priuatiuum intra vniuersum non datur ex ipsa inclinatione naturæ, eò quòd tale vacuum impediret ordinem, & dispositionem corporum in vniuerso; quod constat corporibus ordinatè dispositis. Vacuum autem cum priuet corpore, ad nihil deseruit, nisi vt tollat istum ordinem, & ideò singula corpora toto impetu feruntur ad replendum vacuum etiam cum detrimento proprij loci, vt cum aqua ascendit per fistulam aëre attracto. De potentia tamen absoluta Dei nulla est implicatio, quod detur vacuum, quia potest annihilare, vel separare quodcumque corpus, & impedire, seu denegare concursum, ne aliud moueatur ad locum eius.

Difficultas ergo tota consistit. An detur aliqua virtus in rebus creatis, siue in corporibus, siue in spiritibus, ad faciendum vacuum contra inclinationem naturæ. Nam licèt ex parte corporum plures afferantur experientiæ, quibus natura obsistit vacuo: non tamen ex hoc probatur, nullam dari virtutem ad ponendum vacuum, licèt prouidentia Diuina id non permittat propter conseruationem vniuersi, sicut ex causis naturalibus potest generari tanta pluuia, vel ignis, quòd destruat totam terram, si id prouidentia diuina permittat. *Ad hac*, necessitas illa, & dependentia mundi sublunaris à cœlesti, non ostendit in rerum natura non esse vim aliquam ad inducendum vacuum; tùm quia hæc ratio non procedit in ipsis corporibus cœlestibus, in quibus non est dependentia pro sui conseruatione ab influxu cœli; cur ergo saltem ibi non poterit dari vacuum? *Tum secundò*, quia non est certum, quòd deficiente influxu cœli, etiam ad momentum statim peribit corpus inferius, & dato hoc, solum probatur non posse naturaliter fieri tale vacuum, quo totus mundus inferior priuetur cœlesti influxu. Quòd verò pars aliqua mundi tali influxu careat, non est maius inconueniens, quam quòd illa pars destruatur; quotidie autem videmus partes vniuersi immutari, & corrumpi. *Denique*, licèt videamus ista corpora inferiora tanto pondere inclinari ad impediendum vacuum, hoc tamen solùm probat, non posse induci vacuum ab inferiori corpore, quod solùm potest operari circa aliud corpus inferius, non tamen probat, quòd à corpore cœlesti, vel ab aliqua occultiore vi non possit vacuum induci.

De spirituali virtute maior est difficultas, eò quòd quantum, & quid possit virtus Angelica, valde nobis occultum est. Potest tamen aliqualiter fieri argumentum; *tùm* quia Angeli mouent totum cœlum, ergo à fortiori poterunt mouere totum elementum & impedire, ne vnum corpus alteri succedat; *tùm* etiam, quia virtus totius naturæ corporeæ ad replendum vacuum est finita; ergo poterit aliqua maiori, etiam finita vinci: maior autem est spiritualis virtus, quàm corporea; ergo non repugnat, quòd totius naturæ spiritualis, verbi gratia, omnium Angelorum virtus superet totam vim naturæ corporeæ ad replendum vacuum. *Denique* licèt influentia cœli feratur per lineam rectam, & ideò non possit transire posito vacuo, tamen poterit ab Angelo deferri illa influentia per lineam obliquam ad conseruandum corpus infra vacuum positum, & sic poterit continuari cum lationibus superioribus.

Propter hæc multi affirmant posse virtute naturali saltem Angelica fieri vacuum, licèt attento ordine vniuersi à Deo stabilito contra illum ordinem non possint, non ex defectu potestatis, sed ex denegatione permissionis; sicut Angelus, qui cœlum vertit ab Oriente & Occidentem, vim habet ad mouendum contrario modo ab Occidente in Orientem, quo casu totum mundum turbaret; & tamen supposito ordine à Deo constituto non potest Angelus id facere. Et sic intelligitur, quod Scriptura dicit ad Hebræos 2. *Quòd Angelis non subiecit Deus orbem terræ*: & Iob. 34. *Quem constituit alium super terram aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Id enim intelligitur ratione ordinis à Deo constituti, non ex defectu potestatis in Angelo. Ita tenent quidam suppresso nomine apud Conimbricenses, quæst.3. de vacuo, art.1. & in specie tenet Pater Suarez disp.35. Metaphysic. Martinez hîc, & Cabero disp.3. dub.2.

Nihilominus oppositum, & probabilius, & communius est. Et communiter hoc deduci solet ex ipsa dependentia, quam habent inferiora corpora ab influxu, & motu superiorum, qui communicari non poterit posito vacuo; quia deerit corpus in quo subiectentur influentiæ cœlestes. Cæterùm hæc ratio, licèt deducatur ex Aristot.2. Metheor. c.2. non tamen est sufficiens; tùm, quia solum probat in hoc mundo inferiori non posse dari vacuum, in quo est dependentia ab influentiis cœlestibus, non absolutè in toto vniuerso; tum, quia saltem post diem iudicij, quando cessabunt influentiæ, & motus cœli, non repugnabit fieri vacuum etiam in hoc mundo inferiori. Aliunde ergo sumi potest ratio vniuersalior huius repugnantiæ propter præcipuum bonum vniuersi, quod consistit in ordine, & colligatione omnium partium eius, multò magis quàm bonum animalis in colligatione suarum partium; licèt enim possit vnum corpus mutari de vno loco ad alium, semper tamen subrogatur aliud corpus, quo manent illæ partes coordinatæ, & colligatæ: si verò nullum corpus succederet, sed relinqueretur vacuum, hoc ipso totus ille ordo deficeret partibus ipsis non colligatis, & si aliquod corpus illuc moueretur, & non repleret totum vacuum, maneret illud corpus separatum ab vniuerso, vtpotè disiunctum ab omnibus eius partibus. Sic ergo vacuum dissoluit præcipuum ordinem & bonum vniuersi, quod ex partium colligatione dependet: & sic, sicut materia nunquam potest manere sine forma, ita neque locus sine corpore.

Ex quibus deduco in natura corporea non esse vim ad faciendum vacuum. *Patet*, quia omnia corpora habent inclinationem ad conseruandum colligationem, & ordinem partium vniuersi, si etiam contra peculiares ipsorũ inclinationes ad propria loca. Ergo nullum corpus potest vacuum inducere. *Patet conseq.* quia vel induceret illud ex virtute peculiari, & sibi propria, vel ex communi, qua inclinatur in bonum vniuersi. Non primum, quia omnis inclinatio particularis, & propria non potest vincere inclinationem communem, cum potius contra propriam inclinationem moueantur corpora ad tollendum vacuum. Non secundum, quia inclinatio communis non respicit destructionem, sed conseruationem illius; idem est autem facere vacuum, & facere contra bonum commune.

Deduco secundò. Neque vim Angelicam posse vacuum inducere. Sumitur ex Diu. Thom. à simili in quæst.

quæſt.16. de malo, artic.10. ad 8. vbi inquit: *Licèt dæmones poſſint mouere aliquam partem terræ, non tamen totam terram, quia hoc non eſt proportionatum naturæ ipſorum, vt mutent ordinem elementorum mundi.* Cùm ergo in inductione vacui, maximè ordo vniuerſi, & elementorum mundi mutetur, non eſt id concedendum naturæ Angelicæ. Quæ ratio, vt penitus explicetur, duo ſunt aduertenda. *Primum*, quòd Angeli directè non poſſunt aliquid facere niſi motu locali, ſcilicet applicando actiua paſſiuis, vt probat Sanctus Thomas eadem quæſt.16. de malo articulo 9. & 1.part.quæſt.110.articulo 5. Vndè tantum poterunt immutare de ordine vniuerſi, quantum ordo iſte pendet ex motu locali, ſicut ſi mouerent cœlum motu oppoſito ad eum, qui nunc eſt, mutarent omnia, quæ ex iſto motu dependent. *Secundum eſt*, quòd natura non ſolum reſiſtit vacuo motu locali, ſed etiam ſi opus ſit rarefactione, aut condenſatione, vel vt aliqui exiſtimant vi attractiua, vel aliis modis ſibi poſſibilibus. Ex hoc ergo deducitur, non poſſe Angelum facere vacuum, quia deberet impedire motus omnium corporum, quæ ad illud impediendum concurrerent; ita quòd ſi corpus proximum non poſſet impedire vacuum, diſtans ad id moueretur, & ſi non poſſet motu locali, conaretur motu rarefactionis, vel condenſationis, aut alio quocumque. Omnes autem iſtos motus Angelus non poteſt impedire, quia vel impediret propria virtute, & directè, vel applicando actiua paſſiuis. Non primo modo, cum ſolum poſſit motu locali operari circa corpora non aliis motibus alterationis, quibus etiam natura vtitur ad reſiſtendum vacuo. Non ſecundo modo, quia actiua & paſſiua, quæ poteſt applicare Angelus, ſunt corpora, quæ neque virtute propria, neque communi poſſunt ad vacuum operari. Si autem Angelus remoueret omnia corpora, quæ poſſunt vacuum impedire, deberet totum vniuerſum remouere, quia omnia corpora ad impediendum vacuum concurrerent.

Ex quibus rationes dubitandi ſoluuntur. Dicimus enim ad primas, quod non poſſunt corpora etiam cœleſtia præcipuum vniuerſi ordinem immutare: neque diluuium vniuerſale ex ſola ſtellarum diſpoſitione prouenit, ſed etiam diuina virtute operante, qua *rupti ſunt omnes fontes Abyſſi*, vt dicitur Geneſ.6. Et de vltima conflagratione mundi dicit Diuus Thomas quæſt.5. de potent. articulo 6. ad vltimum; *Quòd non proueniet ex aliqua naturali cauſa, ſed proueniet ex imperio diuinæ voluntatis*; & videri etiam poteſt in 4 diſtinct.46. quæſtione ſecunda articulo primo quæſtio.3. Et tamen maior reſiſtentia eſt ad vacuum, quam ad diluuium, vel conflagrationem, quia in vacuo diſſoluitur ſubſtantialis colligatio partium vniuerſi, ad quam omnia corpora concurrunt etiam contra proprias inclinationes, in diluuio verò, vel conflagatione vnum corpus ſuccedit alteri in loco.

Ad alias rationes ex parte virtutis Angelicæ reſpon. probare, quòd Angeli poterunt vincere motus peculiares, quorumcumque corporum erga locum: ſed non probant, quòd poſſint vincere omnes motus etiam alterationis, & rarefactionis, & omnes alios, quibus tota natura reſiſtit vacuo. Et licèt non ſit virtus infinita illa, qua reſiſtitur vacuo, tamen virtus, quæ nunc eſt in vniuerſo, non poteſt illam finitam virtutem vincere, quia non poteſt immutare ſubſtantialem colligationem, & ordinem vniuerſi ſiue motu locali, ſiue aliis motibus, vt explicatum eſt.

Argumenta, quæ ſolent fieri ad probandum vacuum naturaliter eſſe poſſibile intra hoc vniuerſum, facilia ſunt. *Primum*, quia duo corpora perfectè plana ſine vllo medio ſe tangunt; ergo ſi ſimul totaliter ſeparentur, non poterit in illo primo inſtanti totus aër occupare illud ſpatium intermedium, cum per motum intret. Ergo ſaltem breui aliqua mora dabitur vacuum.

Secundum, ſi vas plenum aqua calida, & vndique occluſum exponatur frigori, congelabitur aqua, cum totum vas penetretur frigore: ergo contrahitur illa aqua congelata, ergo cum vas ſit occluſum manebit aliquod vacuum.

Denique natura non mouetur ad replendum vacuum violenter, ſic enim non ferretur in illud tanto impetu nullo extrinſecus mouente; neque naturaliter, quia fertur contra propriam inclinationem & bonum, quod eſt maximè appetibile; quia vt dicit Philoſoph.8.Ethicorum capit.2. Amabile quidem eſt bonum, maximè autem proprium; contra proprium, ergo bonum non poteſt aliquid; niſi violenter ferri.

Ad primum reſpondetur, illa duo corpora non poſſe inſtantaneè diſiungi, aut copulari, ſed oportet dare locum corpori ingredienti, aut recedenti, quod fit per motum, ſicut nec latera follium poſſunt auelli, ſi formam eſt occluſum, niſi vel aperiatur, vel rumpantur latera follium. Neque obſtat, quod corpus planum cadens ſuper aliud planum nimis ponderoſum ſit, verbi gratia moles ferrea, detinebitur enim vi totius naturæ, ne in inſtanti coniungatur alteri plano quouſque intercluſus aër exire poſſit, quod fiet in breuiſſimo tempore.

Ad ſecundum reſpond. in eo caſu, vel aquam non congelandam, vel vas rumpendum, ſi aër nullo modo ingredi poſſit, vel aquæ euaporatione generari. Et illa fractio vaſis incipiet per partem debiliorem, vel vbi maius frigus incumbit. Quòd ſi ex omni parte vas ſit æquale, & frigus circumſtans etiam æquale, vel non congelabitur aqua reſiſtente natura, ne detur vacuum, vel ad primam cauſam pertinebit determinare, qua parte vas rumpendum ſit.

Ad vltimum dicimus ſupra, quæſt.9. artic.4. motum illum ad ſupplendum vacuum eſſe naturalem, & ex ipſamet grauitate poſſe procedere, quatenus eſt pars vniuerſi, quod eſt non eſſe naturalem abſolutè, ſed reſpectu totius vniuerſi, & ſuppoſita eius exigentiâ, ſicut enim ad conſeruationem terræ grauitas inclinat deorſum; ſic propter conſeruationem totius, & conſequenter ipſius terræ, vt pars totius inclinabitur terra, & eius grauitas ad aſcendendum ſurſum vehementiori impetu. Et ſicut in animali videmus eleuationem pedis eſſe naturalem, ſecundum formam animæ, non ſecundum rationem corporis, vt docet Ariſt.8. Phyſ. text.27. & ibi Diu. Thom. lect.7. ita motus ad ſupplendum vacuum eſt ſimpliciter naturalis reſpectu boni communis. Quando autem dicit Ariſt. bonum proprium maximè eſſe amabile, comparauit bonum cum bono priuato alterius, non cum bono communi, quia hoc etiam pertinet ad ipſam rem; neque eſt bonum extraneum, ſeu alienum, cùm maximè ab ipſo pendeat conſeruatio proprij.

ARTICVLVS II.

Vtrùm corpus in vacuo poſſit moueri?

Difficultas poteſt ſumi, vel ex extrinſeca ratione ipſius motus, qui non poteſt in vacuo acquirere terminum, vel ex aliquo extrinſeco, quia poſito vacuo

vacuo deficiet influentia cœli, à qua dependet omnis motus corporis inferioris. In præsenti loquimur de motu in vacuo absolutè, & quantum est ex natura motus, non attenta dependentia ab extrinseco, quæ vel potest suppleri à Deo, vel non currit, nisi in corporibus inferioribus, vel non nisi durante hoc statu rerum, non cessante motu cœli.

Resolutio ergo nostra est. *Non repugnare motum in vacuo, absolutè loquendo, licet extra vniuersum non fiat motus naturalis à grauitate, vel leuitate.* Hæc sine dubio est sententia D.Thom.nam 3.p qu.57.artic.4.ad 2. docet, *Corpus Christi Domini esse extra totam continentiam cœlestium corporum, & non esse in loco continente.* Et quodlib.6. art.3. docet: *Quod nihil prohibet Angelum, & corpus gloriosum esse in conuexo cœli Empyrei, quia non dependent ista corpora à primo continente, quod est cœlum,* Vbi pondero Sanct. Tho. non restrinxisse modum existendi corporis Christi in cœlo ad hoc, quòd tangat superficiem vltimam cœli aliqua parte corporis, sed absolutè dicit, quòd est extra totam continentiam cœli. Et saltem aliquæ partes corporis Christi, vt caput,& brachia, extra continentiam cœli sunt, etiam dato, quòd pedibus tangat vltimam superficiem; ab illa enim tunc non circumscribitur, & sic erit locus; sed illuc peruenit Christus per motum localem, quo scilicet ascendit super omnes cœlos. Ergo aliquas partes corporis sui mouit per illud spatium, quod est extra cœlum, quod est vacuum negatiuum. Denique in 4. Physico.lect.11.circa finem, dicit Diu.Thom. *Quòd in vacuo non moueretur aliquid motu proiicientis, nisi quamdiu veheretur à manu proiicientis, sed statim emissum à manu caderet.* Ergo sentit, quod daretur aliquis motus in vacuo absolutè loquendo.

Deinde constat vltimum corpus in sentent. Philosoph. & absolutè loquendo posse moueri, constat autem, quòd superficies vltimi corporis non est in loco, cum vltra illud non sit aliud corpus ambiens; ergo motus in vacuo dari potest. *Denique*, nulla est repugnantia ad motum in vacuo, nam ex parte corporum datur potentia motiua, præsertim si sit viuens: similiter datur aliquis terminus, quem acquirat, potest enim approximare, vel recedere ab aliquo alio corpore posito etiam in vacuo: & sine dubio, si Deus annihilaret corpora sublunaria, & relinqueret ignem in terra, illa ascenderat; tùm ad conseruandum se in loco proprio iuxta cœlum; tùm ad replendum vacuum; ergo moueretur per illud. Quòd verò Aristot.in 8.cap. huius lib. probauerit, non dari vacuum, quia in eo non potest dari motus, non absolutè id Philosophus docet, sed ad hominem arguit eos, qui dicebant impediri motum, si spatium esset plenum; contra quos probat, quòd vacuum potius impedit motum, saltem naturalem,& proiectionis, quia tunc non dabitur locus determinatus ad quem feratur, vt quiescat, sed in infinitum mouebitur, sed non probat de omni motu in vacuo, ver. gr. qui fieret, si poneretur vacuum intra hoc vniuersum ad replendum illud, vel qui posset fieri etiam extra cœlũ per motum progressiuum, aut motum vltimi corporis An verò sequeretur fieri motum in instanti, si daretur vacuum, statim dicemus.

Contra hanc tamen resolutionem obiicies primò. Nam motus localis solum terminatur ad vbi, quod est modus intrinsecus prouenniens ab extrinseco circumscribente, sed in vacuo nullum datur circumscribens; ergo neque aliquod vbi circumscriptiuum, & consequenter neque motus corporeus qui solum vbi circumscriptiuum, & corporeum potest producere. Et præsertim hoc vrgetur in senten ii D. Thom.1. part.quæst.110.artic.3. vbi dicit: *Quòd mobile secundum locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum in quantum huiusmodi, sed ad aliquid extrinsecum, scilicet locum.* Ergo cum in vacuo nullus sit locus extrinsecus, non dabitur motus in illo. *Si dicas*, motum in vacuo non esse ad locum, sed circa locum, quatenus potest acquirere distantiam, vel approximationem ad aliud corpus. *Contra hoc est*; quia talis approximatio, vel distantia non est vbi positiuum, cùm careat omni circumscriptione, & consequenter non est terminus positiuus motus: neque enim remoto vbi apparet, quid acquiratur per motum proprium. Et deinde, si omnia corpora essent annihilata à Deo præter vnum tantum, illud non posset acquirere distantiam, vel approximationẽ positiuam, quæ est respectu alterius corporis: ergo saltem tunc nihil positiuum erit acquirendum per motum,& sic non mouebitur illud corpus.

Secundò, si daretur motus in vacuo, sequeretur quòd esset in instanti, atque adeo destrueretur ipsa ratio successiui, quo argumento vtitur Arist. in hoc lib. contra veteres. *Sequela probatur*, quia mobile ideo consumit tempus, quia medium illi resistit, quanto enim medium est subtilius, tanto motus est velocior: ergo remoto omni medio, nulla erit resistentia,& sic nullum tempus consumetur, sicut lux in instanti illuminat, quia nihil ei resistit; & generatio substantialis fit in instanti, quia omnis resistentia cõtrarij per dispositiones ablata est. Tum quia aliàs duo corpora inæqualis grauitatis, vt moles ferrea,& granum millij mouerẽtur eodem tempore per vacuum, ideo enim aliquid velocius mouetur, quia facilius scindit ipsum medium: ergo vbi nullum est medium, æquè facilè vtrumque mouebitur.

Tertiò est difficultas, quia in vacuo neque sit motus naturaliter, neque violenter, neque per impulsum, neque progressiuè; ergo nullo modo. Non esset naturalis, quia motus naturalis tendit sursum vel deorsum propter sui conseruationem, in vacuo autem non est positio aliqua sursum, vel deorsum, neque virtus conseruandi in vna parte magis, quàm in alia. Non violentus, quia motus violentus opponitur naturali, & declinat ab illo: ergo vbi non potest dari motus naturalis, neque violentus. Non per impulsum; quia res proiecta ideo fertur per impulsum, quia aër concitatus impulsu defert & sustentat proiectum ne cadat: sed in vacuo non est aër, neque aliud corpus: ergo proiectum non potest deferri per vacuum. Denique non datur motus progressiuus ea generali ratione, quia si corpus occupat spatium in vacuo, hoc ipso quòd recedit ab illo spatio, relinquit illud vacuum, & sic naturaliter facere vacuum per motum.

Vltimò, magis liber est à loco spiritus, quàm corpus, sed spiritus non moueretur in vacuo, ergo neque corpus. *Minor probatur*, quia spiritus mouetur acquirendo vbi spirituale, quod resultat non ex passiua circumscriptione, sed ex operatione suæ virtutis, vel applicatione ad operandum, vt docet D.Thom.1.p.q.52.& communiter Thomistæ; sed in vacuo non potest operari circa aliquid; ergo nullum vbi potest acquirere, neque aliquem terminum motus.

Ad primum respondetur, motum in vacuo posse acquirere vbi, & si non actualiter, & formaliter circumscriptiuum, virtualiter tamen, vel inadæquatè, seu reductiuè. Dupliciter enim potest intelligi vacuum,& motus in illo. Vno modo, ita quod vacuum fiat intrà hoc vniuersum, & licet tollatur superficies immediatè ambiens, non tamen tollatur ipsa superficies

ficies primi locantis, scil. cœli sub quo moueri potest corpus, licet non immediatè circumscribatur, sed sit in vacuo. Et sic motus in tali vacuo factus acquirit vbi circumscriptiuum circumscriptione mediata, & superiori, quia licet non acquirat locum formalem, id est, adæquatum, & immediatè circumscribentem se, acquirit tamen locum mediatè circumscribentem; & hoc vocamus vbi virtualiter circumscriptiuum. Alio modo potest moueri aliquid in vacuo, quod est extra totum vniuersum, & tunc nō potest acquirere vbi, prout dicit circumscriptionem locantis mediatam, vel immediatam, sed solum potest acquirere rationē aliquam distantiæ, vel propinquitatis respectu alterius corporis à quo recedit, vel cui appropinquat. Neque enim motus localis est solum ad locum, vt dicit D.Th. opusc. 52. sed etiam circa locum.

Hinc autem colligimus, quòd ad motum localem non solum pertinet acquirere vbi, quod simpliciter & perfectè circumscriptiuum sit, sed etiam quòd imperfectè vel inadæquatè, & solum reductiuè sit vbi circumscriptiuum. Illud dicitur vbi adæquatè, & perfectè, in quo inueniuntur omnes conditiones ad vbi circumscriptiuum requisitæ: illud verò inadæquatè, & imperfectè, in quo non reperiuntur omnes, sed aliqua tantum. Requirit autem vbi circumscriptiuum duas conditiones. Altera est, quòd detur aliquod corpus extrinsecum circumscribens: Altera, quòd detur aliqua distantia, vel propinquitas respectu alicuius termini fixi, & immobilis. Neque enim sola circundatio corporis extrinseci sufficit ad locum; hoc enim etiam inuenitur in vase respectu eius quod continet, & in veste respectu eius, quod circumdat, & neutrum est locus, quia cum ipso mobili defertur, non acquiritur, vel relinquitur. Ratione verò distantiæ habet locus id, quod proprium est loci, scilicet diuersam situationem, vel distantiam acquirere, & aliam relinquere; & hæc non defertur cum ipso mobili, quando mouetur, & ideo vocatur immobilis. Remoto ergo corpore circumscribente in vacuo, potest manere ordo propinquitatis, vel distantiæ ad aliud corpus circa quod, vel penes quod moueatur aliquod corpus. Et hoc est acquirere vbi inadæquatè, seu quantum ad aliquid, & non quantum ad omnia, id est, non quantum ad circumscriptionem, sed quantum ad distantiam; & dicimus acquiri etiam aliquem modum, qui sit reductiuè, & imperfectè vbi, quando sic mouetur aliquid in vacuo, quia relatio distantiæ, vel propinquitatis non potest immediatè fundari in ipso corpore mobili, quia indifferens est ad hanc, vel illam distantiam, vel propinquitatem, & sic requirit aliquem modum, seu determinationem de nouo aduenientem, in quo ista diuersa relatio fundetur, vel mutetur. Quod ex eo etiam dari colligimus, quia cœlum est in potentia ad vbi, & non ad esse, vt ex Philosoph. sæpè docet S.Thom. & videri potest in 2. distinct. 1. quæst. 1. art. 5. ad 8. secundo loco, & tamen vbi vltimi cœli non est circumscriptiuum adæquatè. Et licet in ipso spatio vacuo distantia positiua non sit, potest tamen in ipso corpore, quod mouetur in vacuo positiua distantia fundari respectu alterius corporis, à quo recedit, vel appropinquat, & sic positiuè moueri. Quòd si nullum aliud corpus sit creatum à Deo, nisi tantum vnum in spatio imaginario, tale corpus non poterit moueri motu locali positiuo; quia tollitur omnis differentia locorum, sicut etiam sentiunt Conimbricenses hîc q. 4. art. 2. §. Ad rationes. Sed hoc est per accidens, quia deest materia circa quam producatur vbi, siue perfectum, siue imperfectum, sicut ignis defectu materiæ non alterabit, neque generabit. Et sic etiam saluamus dictum D. Thom. quòd motus localis semper est ad extrinsecum, id est, vel ad extrinsecum circumscribens, vel ad extrinsecum distans, aut propinquum; semper tamen supponendo; quòd producatur aliquis modus intrinsecus ipsi mobili, erga tale extrinsecum, & hoc vocatur vbi; & sic patet ad omnes replicas primæ obiectionis.

Ad secundum, negatur seq. ex D. Thom. in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 3. quæst. 3. ad secundum, vbi docet, quòd resistentia non sumitur solum ex parte medij ad motum, sed etiam ex parte mobilis ad mouens, & ex parte locorum inter se, quia cum distantiam aliquam habeant, quæ est sicut contrarietas positiua, illa non potest vinci in instanti, sed in tempore. Rationes autem Philosophi in cap. 8. huius libri, solum procedunt contra aliquos, qui totam resistentiam motus ponebant ex parte medij, sic enim sublato omni medio tollebatur omnis ratio resistentiæ. Constat tamen non inde solum oriri resistentiam, vel distantiam tempore vincendam, vt patet tùm in ipso cœlo, in quo non est resistentia ad motū ex parte medij, & tamen consumit tempus; tùm etiam, quia si à cœlo vsque ad terram esset vacuum, & moueretur lapis vnius palmi, si vnico instanti moueretur à cœlo ad terram, in eodem instanti esset præsens simul cœlo, & terræ, & intermediæ distantiæ, cùm tamen solum sit vnius palmi; si autem in diuerso instanti est in cœlo & in terra, iam mouetur in tempore, quia inter duo instantia est tempus medium. Et sic patet ad rationes in contrarium: neque enim tota ratio resistentiæ, aut maior facilitas se mouendi, est ratione medij, quo resistit, licet inde sumatur aliqua pars resistentiæ; sed sumitur etiam ipsa ex existentia locorum & maior, vel minor facilitas motus ex maiori pondere, vel virtute mouentis.

Ad tertium respondetur, quòd extra cœlum non esset motus naturalis ratione grauitatis, vel leuitatis, quia ibi non datur centrum, seu locus naturalis conseruatiuus, ad quem inclinant istæ virtutes, & consequēter neque dabitur motus violentus illi oppositus. Poterit tamen dari motus progressiuus, sicut in corpore Christi ascendente vltra cœlum, vel etiam per impulsum impressum ipsi corpori, non aëri deferenti. Quòd verò tunc ex motu corporis relinquatur vacuum, non obstat, quia hoc non est facere vacuum remouendo corpora ne illud repleant, sed superuacuum iam præsuppositum mutare distantiam propriam.

Ad vltimum respondetur, quòd D. Thomas in illo quodlib. 6. supra cit. docet, Angelum, posse esse in cōuexo cœli Empyrei, sicut corpus gloriosum, quod vltra cœlum moueri potest. Quid autem Angelus acquirat in illo vacuo dependet ex diuersis sententiis, quomodo Angelus sit in loco, & quid sit vbi spirituale, quod non pertinet ad Physicum, sed ad Theologum. In sententia D.Tho. quòd Angelus est in loco per vbi in se receptum, mediante tamen contactu non formali, qui est per quantitatem, sed virtuali qui est per operationem, quatenus potest extra se agere erga corpus, sicut anima informare materiam; *dicendum est*; quòd Angelus in vacuo poterit moueri ad aliquod corpus, quod sit distans à se motu discreto, non transeundo per medium, quia non datur aliquod corpus cui assistat, & quod operatione sua continuata tangat. Si autem nullum sit corpus in rerum natura, moueri non poterit, sicut nec esse in loco operatiuè, quod tamen est per accidens ex defectu materiæ circa quam operetur, sicut anima re-

moto

moto corpore non potest informare. Nec tamen potest Angelus in vacuo acquirere distantiam, vel propinquitatem, sicut corpus, quod mouetur per vacuum, eò quòd Angelus non potest fundare distantiam positiuam immediatè in se, cum careat omni occupatione loci, & diuisibilitate, sed solum potest fundare illam mediatè; id est, mediante corpore cui assistit.

QVÆSTIO XVIII.

De Tempore.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm tempus sit aliquid reale in genere mensuræ durationis?

CERTVM est nomine temporis communiter intelligi aliquid pertinens ad durationem earum rerum, quæ mutatione, & successione durant. Vnde aliquando sumitur tempus largiori significatione pro duratione intrinseca cuiuscumque motus, vt docet D.Tho. in 2. dist. 12. quæst. 1. art. 5. ad 3. & 1. p. q. 85. art. 4. ad 1. & alibi sæpè. Strictius autem, & propriùs sumitur tempus pro duratione motus magis vniformis, & regularis, sub quo cæteri continentur, & quo regulantur, & hoc est tempus extrinsecum respectu motuum inferiorum, licet intrinsecum respectu primi motus.

De tali ergo tempore agimus in præsenti, de quo supponimus, quòd est continuum in se, sicut & ipse motus in quo inuenitur continuus est, & successiuus. Ad mensurandum autem per illud aliquem motum, vtimur illo per modum numerationis discretæ, quæ numeratio solum intellectu fit, eò quòd non potest res successiua accommodari ad mensurandum per numerationem, nisi coniungantur partes illæ successiuæ, quarum vna transit, & iam non est, & alia est transitura, & nondum est: & sic indiget intellectu comparante, & assumente illas per modum vnius. Et rursus, quia continuum est, & successiuum, constat partibus copulatis per indiuisilia etiam successiua, & transeuntia, quæ vocantur instantia, & correspondent indiuisibilibus motus, quæ dicuntur mutata esse. Datur tamen tempus discretum, quod est duplex; aliud corporale, quod non est aliud, quam duratio motus interrupta; aliud spirituale, quod non est aliud, quàm pluralitas operationum, quarum quælibet indiuisibiliter durat in se, quia successiua non est, & hoc modo datur tempus in operationibus Angelorum, de quo nihil ad præsens.

Vt ergo quidditas temporis clarius explicetur, tria disputanda sunt. *Primum*, quid sit duratio, quod pertinet quasi ad genus ipsius temporis, & applicata ad motum constabit de specifica eius ratione; duratio enim iuxta naturam rei durantis variatur. *Secundum*, an tempus dependeat ab aliquo rationis, vt constituatur in suo esse mensuræ. *Tertium* tandem, id quod pertinet ad eius differentiam, quomodo distinguatur ab aliis durationibus, v.g. æternitate, æuo, & aliis similibus, quæ sunt durationes permanentes.

Prima ergo difficultas inquirit de ipsa ratione durationis in communi. Et suppono ex Logica, quæst. 19. quòd duratio in communi non est idem, quod prædicamentum *quando*, vt aliqui existimarunt, ita quod complectatur etiam durationes permanentes, & indiuisibiles. Sed tamen *quando* solum est modus relictus ex adiacentia temporis, sicut vbi ex circumscriptione corporis. Vnde differentiæ ipsius *quando* desumuntur penes differentias successiuas, vt heri, hodie, cras, &c. Vbi autem duratio est permanens & immutabilis, non est *quando*, sed *semper*. Aliud ergo est durare, aliud est in ipsa duratione quandari, seu diuersis mensuris successiuæ durationis distingui.

Igitur duratio in communi accepta nihil est aliud, quàm *persistentia in existendo*. Sumitur ex D. Thom. qui in 1. dist. 19. qu. 1. artic. 1. inquit: *Quòd omnis duratio attenditur secundum quòd aliquid est in actu, tamdiu enim res durare dicitur, quamdiu in actu est, & nondum est in potentia.* Et aliqui existimant, in primo instanti nondum dari durationem, quia nondum est continuatio, & perseuerantia in esse. Alij vero è contra etiam in primo instanti dicunt dari durationem: sunt enim aliqua, quæ dicuntur durare tantum per instans, & sic mensuratur instanti eorum duratio. *Veritas tamen est*, quòd in primo instanti res dicitur durare inchoatiuè, incipit enim tunc duratio, consummatur autem in ipsa continuatione existentiæ, quæ sequitur post instans.

Hinc autem maior nascitur dubitatio, an duratio aliquid addat super existentiam, tanquam modus, & formalitas eius? Multi enim durationem non distinguunt realiter ab existentia, sicut neque existentiam ab essentia. Ita Suarez disp. 50. Metaphysic. sect. 1. & 2. Vazquez 1. part. disp. 33. cap. 3. num. 18. Cabero hîc disp. 4. dub. 3. Martinius in præsenti in 2. notabil. qui existimat rem se ipsa esse durationem, sed non per se, & ex se, sicut etiam dicitur de existentia, & sic consequenter duratio non distinguitur à re durante. *Fundamentum est*, *tùm* quia duratio, & existentia non possunt separari, implicat enim rem existere actu, & non durare; ergo sunt idem realiter: *tùm*, quia duratio vel superaddit existentiæ aliquid extrinsecum, vel intrinsecum. Non extrinsecum, quia duratio debet intrinsecè denominare, sicut existentia, quod enim extrinsecè tantum durat, intrinsecè desinit, vel si non desinit intrinsecè durat. Si addit aliquid intrinsecum, oportet quòd illud de nouo producatur; ergo durare, seu continuare esse est idem, quòd de nouo produci; & sic non dicetur res durare per continuationem primæ productionis, sed per nouam productionem, qua recipit aliquid intrinsecum de nouo. Et illud intrinsecum, quod recipit, vel seruit pro toto tempore, quo res durabit, vel solum pro quolibet instanti, seu tempore de præsenti. Si primum, sequitur quòd qui modo recipit durationem iam in se habet durationem cras futuram, quia accipit durationem pro toto tempore, quod durabit. Si secundum, tot erunt durationes nouæ, quot instantia, & sic duratio fiet per distinctas productiones, non per continuationem eiusdem.

Opposita sententia defenditur ab aliis Authoribus, vt Magistro Bannez 1. part. quæst. 8. art. 4. & ab aliis, qui videri possunt apud Carmelitanos hîc disp. 21. qu. 3. *Fundamentum est*, quia duratio accidit existentiæ, contingenter enim aliquid durat, cùm possit quolibet instanti desinere, imò & separatur existentia à duratione, nam in primo instanti aliquid existit, sed nondum durat, quia nondum continuatur, sine continuatione autem existentiæ duratio non est. Ergo non minus debet distingui duratio ab existentia,

existentia, quàm existentia ab essentia. Item motus, & tempus se habent vt duratio, & res durans, distinguuntur autem realiter, siquidem potest dari paruo tempore multum de motu, vel è contra; ergo duratio aliquia addit supra rem, quæ durat.

Nihilominus dicendum est; *quòd in rebus permanentibus duratio non addit super existentiam, aliquid intrinsecum, sed est idem cum existentia, & solum addit extrinsecam connotationem, & dependentiam ab actione continuante, & influente ipsum esse; In rebus autem successiuis, quia duratio fit per nouarum partium effluxum, consequenter duratio fit per superadditionem existentiæ, ad existentiam.* Prima pars constat ex probatione adducta, quia aliàs non sufficeret ad durationem continuatio eiusdem actionis, sed requireretur semper noua productio, & tamen dicitur duratio accidentalis ipsi existentiæ accidentalitate extrinseca, quatenus dependet à continuatione talis actionis, quæ suspendi potest. Et quanto magis dependet conseruatio alicuius rei à pluribus causis, quæ possunt deficere, tanto defectibilior est duratio, & mutabilior; ideoque Angeli, & cœli dicuntur corruptibiles, quia in ordine ad causas creatas, non est à quo dependeant in sui conseruatione. Sic ergo, cùm duratio attendatur in aliqua re secundùm quod est in actu, & tamdiu aliquid durat quamdiu existit, vt dicit D.Thomas distinct.19. citata, consequenter duratio ad existentiã pertinet, & posita continuatione existentiæ sine alia noua productione sufficienter dicitur res durare, sicut continuata luce à Sole dicitur eadem illuminatio permanere. Ergo duratio non requirit aliquid de nouo productum, sed sufficit quòd idem continuetur. Et ipsa continuatio, quia dependens est, & contingens, cùm suspendi possit, reddit durationem contingentem.

Secunda verò pars constat, quia res successiuæ dicuntur durare ratione continui fluxus, quatenus vna pars desinit, & alia incipit; ergo duratio ibi importat additionem de nouo ad priorem existentiam, seu inceptionem rei successiuæ. Sed tamen, sicut partes successiuæ, addunt nouam durationem, ita & nouam existentiam, ad existentiam præcedentium, sicque tota existentia successiua non distinguitur à tota duratione, sed pars à parte, quod non contingit in duratione indiuisibili rei permanentis.

Ex quibus colligitur, quomodo tempus distinguatur à motu. Nam si loquamur de tempore cœli respectu motuum inferiorum, quos extrinsecè mensurat, clarè cõstat, quòd distinguatur ab illis realiter. Si verò loquamur de tempore respectu motus, in quo est intrinsecè, sic distinguitur, sicut duratio à re durante, quæ in motu, cum successiuus sit, non fit per continuationem eiusdem indiuisibilis existentiæ, sed per continuatam additionem vnius partis ad aliam, vt dictum est. Et hac ratione motus dicitur durare pauco tempore, vel multo, non quidem respectu temporis, ipsi motui intrinseco, hîc enim motus in duratione adæquatur tempore sibi intrinseco, sed comparatiuè ad tempus extrinsecum mensurans, dicitur enim velox motus, quam multum spatij consumit pauco tempore, & tardus è conuerso qui coëstit paruo tempori in decurrendo multum spatij. ipsa autem duratio intrinseca motus non est maior, nec minor, quàm motus ipse.

Ad rationes dubitandi allatas à principio patet ex dictis. Fundamenta enim primæ sent. probant, durationem non distingui intrinsecè ab existentia, sed esse eius continuationem, dependentem tamen ab actione extrinseca continuante, & ratione huius, qui recipit existentiam hodie, nondum recipit durationem cras futuram, quia duratio crastina importat existentiam non absolutè, sed cum illa continuatione, quæ erit cras, quæ hodie nondum habetur. Fundamenta verò secundæ sententiæ probant durationem distingui ab existentia eique accidere non ratione alicuius intrinsecè superadditi existentiæ permanenti, sed ratione continuationis dependentis ab actione extrinseca, ratione cuius contingenter conuenit duratio existentiæ, & separari ab illa potest, quatenus desinere potest, non quia seorsim existentia, & duratio consistere possint.

Secunda difficultas.

PEtit; an tempus simpliciter & absolutè sit aliquid reale, vel aliquid rationis? Huius difficultatis resolutio plenius constabit ex his, quæ sequenti art. circa existentiam temporis tractanda sunt. *Interim dico*, tempus esse reale secundùm entitatem suam, eo modo, quo motus cuius duratio intrinseca est, requirit tamen aliquam formalitatem rationis in ordine ad mensurandum, quia non potest mensurare, nisi coniungantur aliquæ partes, & designentur, ac distinguantur per numeros, quod fieri non potest designatione aliqua reali, sed rationis comparante, & assumente partem præteritam cum futura. Hæc est contra aliquos ex Antiquis, qui dixerunt, tempus esse ens rationis absolutè, quos refutat D.Thom. opuscul.44. cap.1. quibus aliqui recentiores videntur adhærere, vt Peret. lib.12. Physic. cap.13. & ex parte Vazq.1.par.disp.34.cap.2. vbi dicit, quòd tempus aut est ens rationis, aut eò completur, scilic. relatione mensuræ in motu. Nos autem dicimus, tempus neque entitatiuè esse aliquid rationis, neque formaliter consistere in relatione mensuræ; dicit enim Arist. in hoc lib. text.99. *Quòd tempus est idem cum motu in re, licet consequatur ipsum secundùm prius & posterius*, & text.131. inquirens, an tempus sit aliquid extra animam dicit; *Quod est ipsum prius, & posterius motus, licet sit hoc, vt numerabilia.* Quod exponens D.Thomas ibi, lect.23. inquit: *Quod tempus est vtcumque ens sine anima, sicut contingit motum esse sine anima; sicut enim ponitur motus, ita necesse est poni tempus. Dependet tamen in numeratione ab anima, quia motus non habet esse fixum in rebus, neque aliquid actu assumi potest de ipso, nisi aliquod indiuisibile præsens, & sic totalitas motus non accipitur, nisi per considerationem nostram comparantem partem priorem posteriori.* Et in primo distinct.19. quæst.5. artic.1. inquit: *Quod tempus habet fundamentum in motu, scilicet prius, & posterius ipsius motus, sed quantum ad id, quod est formale in tempore, scilicet numeratio, completur per operationem intellectus numerantis.* Ergo in se tempus non est aliquid rationis, sicut neque partes ipsæ, secundum prius & posterius. Relatio autem mensuræ non est ipsum tempus, sed fundamentum huius relationis. Est enim tempus id, quo mensuramus, sicut pannum mensuramus vlna, & triticum modio, & tamen vlna, & modium non sunt relationes, sed fundant relationes mensuræ. Videri etiam potest D.Thom.1.p.quæst.10.art.5. & opusc.44. cap.1. Constatque explicatio huius ex dictis, quia tempus dicit aliquid successiuum, vt mensurans. Ens autem successiuum à parte rei datur, & à parte rei durat successiuè, aliàs non duraret motus in re; sed tamen hoc ipso quod successiuum est, non possunt colligi eius partes, & applicari, nisi per actum rationis; sicut partes vlnæ essent dispersæ, & oporteret eas colligere, vt componeretur vlna ad mensurãdum. Sic ergo per actum animæ

tempus

tempus habet duo, quæ ad rationem mensuræ requiruntur, scilicet simultatem, seu collectionem partium, quæ in re fluunt, & solum per operationem animæ colliguntur, in re enim simul non existunt. Secundum est applicatio talis mensuræ ad id, quod mensuratur. Et sic dicit S. Thom. lect. 23. citat. *Quod ipsa totalitas motus accipitur per considerationem animæ comparantis prius, & posterius*, id est, ipsa simultas, & collectio partium in motu, & eius duratione, quæ applicanda est alicui ad mensurandum.

Quod si obiicias, D. Thom. in 2. distinct. 12. qu. 1. art. 5. ad 2. dicentem: *Quòd locus est idem per essentiam, quòd superficies corporis locantis, tempus autem non est idem numero, cum aliquo accidente in substantia fundato.* Ergo entitatiuè tempus non est aliquid reale, sicut locus. Philosophus etiam in hoc lib. cap. vltimo dicit, quòd tempus ista pendet ab anima, quòd si non esset anima, non esset tempus; ergo sentit, quòd tempus quantum ad suum esse, & non solum quantum ad suam formalitatem numerationis dependet ab anima. *Respondetur*, quod quando D. Thom. dicit tempus non esse idem numero cum aliquo accidente fundato in substantia, intelligitur de accidente permanente, & fixo. Id enim significat ly *fundatum*, locus autem est idem cum superficie, quæ est aliquid permanens, non tamen negat tempus esse idem cum aliquo successiuo, & transeunte. *Ad Philos. resp.* quòd dubitatiuè dicit tempus non posse esse sine anima, quia numerus non est sine numerāte: resolutiuè autem dicit, quòd tempus vtcumque est ens sine anima, id est imperfectè, vt explicat D. Th. & per modum successionis fluentis. Reliqua, quæ circa hanc difficultatem possunt adduci, seq. art. dicemus.

Tertia difficultas.

INquirit, quomodo distinguatur ratio, temporis, à reliquis durationibus permanentibus. De quo videri potest Sanctus Thom. 1. par. quæst. 10. art. 5. & in 1. distinct. 19. quæst. 2. art. 1. & opusc. 44. c 4. Et supponimus mensuras permanentis, & indiuisibilis durationis esse duas, scilicet æternitatem, & æuum, inter quas est quædam mensura media, quæ vocatur modus æternitatis. Æternitas definitur à Theologis ex Boëtio, quòd est *interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*, vel vt aliis verbis dicamus, *est duratio mensurans esse omnibus immutabile, tam in esse, quam in operatione.* Vtrumque enim designatur nomine vitæ, dicitur autem possessio, quia in æternitate nihil expectatur, vt futurum, sed totum est in possessione. Æuum est duratio mensurans rem immutabilem secundum esse, & mutabilem secundum operationem, & talis est, quæ mensurat esse Angeli, & cœli, & cuiuscumque rei incorruptibilis. Modus æternitatis est mensura rei supernaturalis, præcipuè visionis beatificæ, & amoris, quia illa visio eleuat intellectum ad operandum modo immutabili, quia variationem non recipit, in quo excedit æuum, quod recipit mutabilitatem in operatione. Videndus est Diu. Thom. loco cit. ex 1. senten. distinct. 19. vbi distinguit istas mensuras secundum quod aliquid plus, vel minus habet de potentialitate, & mutabilitate, quia aliquis actus inuenitur purificatus ab omni potentialitate, & talis est Deus, mensuraturque æternitate, quæ omni caret mutatione. Alius autem est actus admixtus potentiæ, scilicet creatura: & hoc dupliciter, quædam enim potentia est totaliter completa per suum actū, quia statim habet totum suum esse, licèt non totam operationem, & talia mensurantur æuo. Quædam verò non habent completè totam actualitatem suam, sed successiuè acquirunt, & talia mensurantur tempore.

Ex dictis patet, quòd æuum non solum excludit successionem prioris, & posterioris, sed etiam rationem innouationis: quod aliqui malè distinxerunt vt refert Sanctus Thomas in 2. distinct. 2. quæst. 1. artic. 1. & 1. par. quæst. 10. art. 5. & quodlib. 10. artic. 4. quia vbicumque est prius & posterius, oportet intelligere, quòd partes priores, & posteriores non sint simul, alioquin vna non esset, prior, & alia posterior; ergo oportet, quod posterius adueniat, de nouo & id quod est prius transeat, quod est habere innouationem vnius; & veterationem alterius; & sic non inuenitur successio sine innouatione, neque cum vnica & indiuisibili existentia, sicut res permanens, sed cum tot quot sunt instantia transeuntia; vt seq. art. dicemus. Neque est simile de radio, qui continuò exit à Sole sine innouatione aliqua; nam etiam exit sine successione: quia illuminatio non est motus. Quare æuum omni successione caret formaliter, & omni etiam innouatione in sua substantia. Potest tamen concedi in æuo aliqua successio virtualis, & extrinseca. Tum quia habet durationem ita dependentem, quod potest modo desinere, & potuit etiam non incœpisse quando incœpit, sicut si Deus vellet modo creare vnum Angelum, sicut creat animas, aut si vellet annihilare illum, Angelus, qui modo crearetur, minus durasset, quàm Angelus ab initio mundi creatus; & qui modo annihilaretur minus etiam duraret, quàm qui non annihilaretur, sed hoc plus, vel minus durationis non est ratione alicuius successionis intrinsecæ sed ratione extrinsecæ dependentiæ, à causa liberè conseruante, ratione cuius etiam Angelus hodie durans nondum durauit cras, quia potest cras annihilari: Tùm etiam habet extrinsecè successionem quatenus non simul coëxistit omnibus partibus temporis succedentis, sed secundum earum mutationem; licèt in se sit aliquid fixum, & non transiens, sed tamen propter limitationem suam non omnibus simul coëxistit, sed expectat res quæ succedunt, sicut arbor fixa in fluuio non coëxistit simul omnibus partibus aquæ fluentis, sed coëxistit illis secundum successionem, non suam, quæ fixa est, sed aquæ, quæ illi aduenit: & sic expectat illas, vt illis possit coëxistere. At verò æternitas propter suam infinitatem, & immutabilitatem non solum in essendo, sed etiam in mensurando etiam caret ista successione extrinseca & non expectat res successiuas, vt fluant, & tunc illi coëxistant, sed immutabiliter eas continet antequam mutabiliter in se existant per modum superioris mensuræ, à qua deriuantur; sicut si esset arbor tantæ magnitudinis, quæ occuparet totam aquā fluuij, simul omnibus partibus coëxisteret, licet illæ succederent inter se. Sed hæc ad Theologos remittimus qui speculantur æterna.

Ex dictis deducitur integra definitio temporis tradita à Philosopho, scilicet, *tempus est numerus motus secundum prius, & posterius.* Dicitur numerus, & non duratio, quia definitur tempus, provt est mensura cæterorum. Intelligitur autem de numero numerato, id est existente in ipso motu secundum partes successiuas, quæ sunt priores, & posteriores. Sed tamen si tempus sit discretum, habet istas partes actualiter diuisas, & interruptas in re, si autem sit continuum non habet istas diuisas in re, sed solum per intellectum cum diuisione, à simultate acceptas. Et ita licèt tempus definiatur per numerum, tamen ex parte rei numeratæ communitatem habet

in re ratione motus, vt aduertit Sanctus Thomas in hoc lib. lect. 19. & in 1. dist. 37. quæst. 3. artic. 3. & ita solum habet numerum fundamentaliter, & virtualiter, sicut dicimus, quòd hoc lignum habet decem vlnas, non quia habet illas diuisas actu, sed quia potest in illas diuidi, vnde malè aliqui explicant rationem numeri in tempore per modum aggregationis, & multitudinis, quia aggregatio, & multitudo importat actualem diuisionem, sine qua partes non aggregantur, sed continuantur. Tempus ergo est numerus non aggregatione partium, sed continuatione.

ARTICVLVS II.

Vtrùm realis existentia temporis solum inueniatur in instanti, vel etiam in aliis partibus?

VNa ex rationibus, quam Philosophus obiecit in hoc lib. tex. 88. ad probandum non dari tempus, est, quia componitur ex partibus, quæ non sunt; nam cum sint fluentes, & successiuæ, quæcumque pars componitur ex parte, quæ transit, & parte, quæ transitura est. Ergo nulla pars, vt pars realiter existit, sed solum instans. Ex alia verò parte difficillimè intelligitur, quòd partes vt partes sint præteritæ, nisi aliquando extiterint. Et hoc non inuenitur in instanti, quia partes non proportionantur durationi indiuisibili, alias partes eius essent simul, id est in instanti. Nec minus difficilè intelligitur, quomodo instans reddat existentem partem futuram, cum potius supponat illam non existentem, id est non præsentem. Ergo existentia instantis non afficit illam intrinsecè, sed extrinsecè, extrinsecè autem existere, est non existere realiter.

Propter hoc diuisi sunt Authores in hac parte, quidam enim existimant, partes temporis non solum existere ratione instantis, sed ratione propriæ existentiæ diuisibilis, & fluentis, sicut partes ipsæ fluentes sunt. De quo videri possunt Conimb. hic q. 1. ar. 4. P. Suar. disp. 50. Met. sect. 9. n. 12. Rubio, Martinez & alij plures secuti Durand. in 2. dist. 2. q. 4. & explicant hoc dicendo, quod licet ens successiuum includat negationem simultatis partium, quia non possunt omnes esse præsentes sed quædam præteritæ, & quędam futuræ dantur tamen partes prætereuntes, & quatenus realiter fiunt & transeunt, componitur ex illis ens successiuum.

Alij verò tenent tempus in facto esse, & præsentialiter solum existere ratione instantis, illas verò partes prætereuntes non esse aliud, quam ipsam successionem, seu fieri secundum partem præteritam, & futuram, vt copulantur instanti, quod reddit vtramque præsentem suo modo, id est successiuè. Tenent hanc sententiam plures ex antiquis, & videri potest Magister Soto 4. Physicor. quæst. 4. Tolet. quæst. 11. Carmelitan. disp 1. quæst. 8. & alij. Et videtur esse Diu. Thomæ qui opusc. 44. cap. 1. sic inquit: *Intelligendum, est quod esse successiuorum consistit in hoc, quod existant secundum aliquid indiuisibile sui, quod manifestari potest, quia quælibet pars cuiuslibet successiui diuisibilis est in diuersas partes. Si ergo aliquid successiuum existeret, non solum secundum aliquid indiuisibile sui, sed secundum aliquam partem, sequeretur, quòd multæ partes alicuius successiui simul essent, quod est contra rationem successiuorum.* Idem docet in hoc lib. 4. lect. 23. dum inquit: *Quod non inuenitur aliquid actu in rebus de motu, nisi quoddam indiuisibile motus, quod est motus diuisio; sed totalitas motus accipitur per considerationem animæ comparantis priorem dispositionem mobilis ad posteriorem. Sic igitur tempus non habet esse extra animam, nisi secundum suum indiuisibile,* Quid clarius? & 1. parte quæst. 66. articul 4. ad 3. *nihil* (inquit) *est accipere in actu de tempore, nisi nunc.* Idémque habet quæst. 46. art. 3. ad 3.

Denique sumitur fundamentum huius sententiæ ex ipsa natura successiui, & ex modo mensurandi temporis. Natura enim successiui postulat vt nulla pars simul existat cum alia. Ergo postulat taliter existere, quòd vna pars non sit, sed transierit, altera verò futura sit, ergo postulat quòd non existant ratione sui, & vt transeuntes sunt, sed solum ratione instantis; & hoc est existere fluenter & non permanenter. Existere enim fluenter est taliter existere, quòd vna pars non coëxistat alteri, sed quòd vna pars fluxerit, & alia fluxura sit, si autem partes non coëxistunt inter se, ergo totum diuisibile, quod non est aliud quam illæ partes quibus componitur, non habet existentiam diuisibilem, cùm non coëxistant ea in quæ diuiditur. Si autem dicatur, quòd coëxistunt successiuè non permanenter. Contra est, quia ly *successiuè* destruit veram & realem coëxistentiam, quia pars quæ transit verè non est; ergo verè non coëxistit parti futuræ, ergo ex illis non coalescit vera existentia diuisibilis totius, quia non habet veram coëxistentiam partium, hoc ipso quòd successiua est; solum ergo existit ratione indiuisibilis ipsa etiam ratio temporis id manifestat. Est enim numerus motus secundum prius, & posterius, in autem est prius, quod transiuit, & id posterius, quod sequens, seu venturum est; nam si esset præsens, iam non esset post, sed de facto nunc. Ergo mensurabile à tempore solum est duratio præterita & futura, nulla verò præsens, quia præsens non est diuisibile in prius, & posterius, nam hoc ipso quod est prius, non est præsens, sed præteritum, & posterius est futurum, non præsens.

Vt autem intelligatur solutio argumentorum, quorum tota difficultas in eo consistit, quomodo possint partes esse reales, & realiter transire, si nunquam realiter existunt, nisi per aliquid à se distinctum, quod est instans: quomodo etiam possit instans copulare realiter partes præteritas, & futuras, aduertendum est, quòd natura motus cùm sit actus entis in potentia, est idem quod fieri, vt tendit ad factum esse, & sic partes diuisibiles successiuæ, se habent sicut fieri, & instans, seu mutatum esse sicut ipsũ factũ esse talium partium, & sic ista indiuisibilia sunt aliquid ipsarũ partiũ, sicut terminus, & factum esse illarũ: Cùm ergo existentia cõstituat rem in facto esse, nõ in fieri, si partes motus se habent in fieri & solũ indiuisibile in facto esse, cõsequenter omnes illæ partes dicentur existere ratione indiuisibilis, quo terminatur earum fieri; & redditur factum esse transeunter: & sic partes fluentes secundum se, non existunt simpliciter, sed per modum fieri, quod tendit ad existentiam in facto esse, quæ existentia in facto esse tantum datur in instanti. Vnde ita implicat partes existere ratione sui, & non solum ratione instantis, sicut repugnat aliquid dum est in fieri, habere existentiam, quæ est in facto esse. Et dicuntur partes ipsæ transire realiter; tum quia transit earum fieri adueniente instanti; tùm quia etiam ipsum instans, quod est terminus earum, transit.

Quòd verò dicantur illæ partes reales, & realiter copulari per instans, ideò est, quia partes sunt in fieri,

fieri,& tendentia ad factum esse, & ratione sui sunt reales in fieri, quod est existere in tendentia; ratione verò termini in facto esse, quod est simpliciter existere quod autem, neque ratione sui, neque ratione termini, neque in fieri, neque in facto esse exsistit, nihil reale est. Non repugnat autem vnum existere per aliud, quando vtrumque ordinatur ad idem esse, sicut materia per formam, & partes per totum, & motus per terminum, vt supra diximus quæst.7. Et similiter partes copulantur per instans, non sicut partes permanentes, quæ vniuntur, vt coëxistant, sed sicut successiuæ, quæ vniuntur, vt transeant, inchoando vnam partem, & terminando aliam, & ita vnio successiuorum non requirit existentiam extremorum in facto esse, sicut vnio permanentium, neque vnam tantum existentiam habent, sed quodlibet instans suam eo, quod vnum est, & aliud desinit esse.

Ex quibus patet responsio ad rationes dubitandi à principio: Dicimus enim partes posse esse præteritas in facto esse ratione instantis præteriti; in fieri verò, & fluxu ratione sui. Et quando instatur, quòd prætereunt ratione sui, ergo extiterunt ratione sui. Negatur consequentia loquendo de existentia propria, quæ est in facto esse: prætereunt enim ratione ipsius fieri, seu fluxus, quòd adueniente facto esse transit, & sic extiterunt in fieri ratione sui, & in facto esse ratione sui termini.

Ad secundam instantiam resp. quòd instans reddit existentem partem futuram initiatiuè, quia ab illo instanti incipit, sed consummatiuè redditur existens alio instanti terminatiuo, & hoc instans est extrinsecum parti fluenti entitatiuè, sed non terminatiuè: sine instanti verò pars fluens existit solum in fieri, non in facto esse, nisi cum terminatur. Vnde cum vrgetur, quòd existentia extrinseca non potest reddere aliquid existens. Distinguo, quòd est omnino extrinsecum, ita quod nec sit vnum, nec vnitum illi, saltem vt terminus, transeat, quod non est omnino extrinsecum, sed vnitum, vel terminans, & aliquid eius saltem per modum termini, nego, Sic enim potest aliquid existere per aliquid sibi non identificatum, sed communicatum realiter, sibique coniunctum, sicut materia per formam, humana natura per Verbum, vt supra latius diximus & tamen intrinsecè denominantur existere, quia forma realiter communicata etiam intrinsecè denominat.

Adhuc tamen instabis, existentia cuiuscumque rei non distinguitur ab illa nisi ad summum vt modus, ergo existentia instantis non potest modificare partes, cum differat ab illis realiter. Item existentia instantis est indiuisibilis, existentia verò partium est diuisibilis, sicut & ipsa entitas earum. Ergo existentia instantis non seruit pro partibus, neque illis est proportionata, sicut neque existentia Angeli, quæ est indiuisibilis lapidi, qui est quantus. Item vel pars futura, & præterita habent aliam existentiam, quam instantis vel non. Si non, ergo posito instanti est actu pars præterita & futura atque adeo iam non est futura, neque præterita, sed præsens, quia tota etiam existentia præsens est, vbi autem est existentia, dat effectum suum formalem, quod est reddere existens, & sic si est existentia præteriti, & futuri, reddit existens præteritum, & futurum. Ergo non transit præteritum. nec deest futurum, quia vtriusque existentia præsens est. Si verò habet aliam existentiam, ratione cuius dicitur futura, vel præterita aliqua pars, ergo illa existentia nondum est in instanti, sed immediatè post erit, vel immediatè ante fuit, quòd est esse existentiam diuisibilem.

Ad primum resp. existentiam vnius, vt *quo* posse conuenire omnibus quæ illi communicant, & mediante quo participant existentiam, quæ si est modus, non est modus afficiens tantum vnam partem, sed ipsum totum, quod est subiectum adæquatum illius, licèt conueniat mediante aliquo tanquam principio *quo*, sicut figura est modus totius quantitatis & non vnius partis tantum, licèt mediantibus partibus conueniat. Sic ergo ratione instantis partes successiuæ participant existentiam, quia instans est aliquid illarum tanquam terminus, quo successiuè terminantur in facto esse, sicut materia, & ipsum totum existunt mediante forma.

Ad secundum dicimus, existentiam instantis esse formaliter indiuisibilem, virtualiter autem & terminatiuè diuisibilem, sicut & ipsum instans, licèt sit indiuisibile terminat partes, & sicut anima indiuisibilis informat corpus: imò omnis existentia, & subsistentia, quia terminus est, simplex & indiuisibilis est, licèt virtualiter diuisibilis & vt *quo*, vt supra quæst.7. diximus. Existentia autem Angeli, nec virtualiter diuisibilis est, & sic non seruit pro lapide.

Ad vltimum dicitur, quòd pars præterita & futura non habent aliam existentiam in facto esse, nisi instantis in quo successiuè terminantur, & sic terminatiuè sunt præsentes: habent tamen secundum se existentiam in fieri, quæ non est existentia simpliciter, & secundum hanc transit præteritas, & nondum est futura; ratione verò instantis initiatiuè est futura, & consummatiuè est præterita, & sic transeuni de instanti ad instans sicut existentia initiatiua ad consummatiuam: nunquam autem simul existunt completè, & adæquatè, sed inchoatiuè vna, & terminatiuè altera, Et hic est modus proprius existens rei successiuæ, cuius existentia in facto esse non debet afficere omnes partes adæquate, & omni modo, sed ratione sui termini, in quo transeunter consummantur, & ratione cuius sunt in facto esse, licèt pereant in ratione fieri, nam vt diximus supra in qu.4. entitas motus non est alia quam entitas termini, quodlibet autem instans, seu mutatum esse se habet vt terminus saltem medius, & inadæquatus partis immediatè præteritæ; & sic est ibi pars entitatiuè, sicut in suo termino. Nunquam ergo existunt simul pars præterita, & futura in facto esse, & consummatiuè, sed futura initiatiuè, & præterita, consummatiuè, quod non est inconueniens, hoc enim potius est non simul esse.

ARTICVLVS III.

Quod sit subiectum intrinsecum, & extrinsecum temporis?

VOcamus subiectum intrinsecum illud, cui tempus inhæret tanquam duratio motus, extrinsecum autem illud, quod subiicitur tempori, & ab eo mensuratur extrinsecè. Et de primo inquirimus duo. Primò. An subiectum temporis sit primum mobile, seu primus motus? Secundò. An sit vnicum tantum tempus? Et circa subiectum in extrinsecum an non solum ipse motus, seu etiam ipsa substantia mutabilis mensuretur tempore?

Dico ergo primò tempus sumptum strictè pro mensura regulari motus, subiectiuè est in primo

motu,

motu,& id habet ratiōnē mensuræ intrinsecæ respectu sui,& extrinsecæ respectu aliorum motuum.Prima pars cōstat ex D.Th. & Arist.hoc lib.lect.23.& 1. p.q.10 art.6.& in 2.dist.12. quæst.1.art.5. ad 5.Constat enim , quod inter omnes motus vniformior , & regularior est primus motus cœli , & est minus deficiens,& simpliciter notior, quia quotidie voluitur: ergo duratio in illo existens est mensura cæterorum. Verumtamen est, quod ad distinguendum,& memoriæ commendandum ipsum tempus,& motum cœli, vtimur quibusdam signis,vt horologiis,scripturis vel aliis similibus,quibus designamus annos, & menses, non quod ista sint tempus, sed instrumenta , quibus tempus designamus.

Secunda vero pars ab aliquibus negatur , eò quòd mensura debet esse notior mensurato,motus autem, & tempus sunt idem : ergo terminus non potest esse mensura motus in quo est. Item , quia motus non habet aliam quantitatem à tempore. Ergo non est mensura illius quia mensura est id , quo cognoscitur quantitas rei ; vbi est ergo eadem quantitas,non potest esse id , quo cognoscitur tanquam notiori. Eandem sententiam generaliter docet *P. Vazquez* 1. par. disp.31. cap.5. de omni mensura intrinseca,quia nulla mensura intrinseca,vt quantitas respectu substantiæ est causa,vt res illa nobis notior fiat , neque Arist. aliud docuit,nisi quod mensura debet esse homogenea cum re , quam mensurat , quia intelligit vnam magnitudinem esse mensuram alterius : & sic substantia non subiicitur propriæ durationi vt mensuræ,sed ratione propriæ durationis subiicitur alteri durationi vt mensuranti. In summa , mensura debet esse eiusdem generis cum mensurato , accidens autem respectu proprij subiecti non est eiusdem generis.

Res ista fortasse solum in verbis pugnat. Certum tamen est multa , quæ notificant alia , etiam notificare se ipsa , & mensurare , & similiter subiectum in quo sunt , quia mediante illo redditur notius , & manifestius , quod aliàs sine tali forma , vel perfectione ignotum maneret , sicut videmus , quòd lux non solùm manifestat colorem , sed etiam se ipsam, & subiectum in quo est. Similiter quantitas se ipsam ordinat , & situat in loco , & partes substantiæ, quæ sine ipsa manerent confusæ , & non solum manifestat & mensurat id , cui extrinsecus adiungitur per contactum. Et idem est de duratione , quando est vniformior , & indefectibilior , ergo nihil prohibet , id appellare mensuram intrinsecam , seu formalem, denotando in ly *intrinsecam*,quòd non mensurat per applicationem sui ad alterum , sed per informationem , qua rem ipsam reddit formaliter ordinatam , aut notificatam. Et sic loquitur in pluribus locis S.Th. Nam in 2. dist.27. q.1.ar.2.ad 1. inquit: *Quòd mensura est duplex , quædam intrinseca,quæ est in mensurato,sicut accidens in subiecto,quædam extrinseca, & hanc non est necesse multiplicari ad multiplicationem mensuratorum.* Et q.1. de ver. art.5. *Mensuratur* , inquit , *corpus mensura intrinseca , sicut linea, vel superficie,vel profunditate : & mensura extrinseca,sicut locatum loco , & motus tempore , & pannus vlna:* Ratio autem istorum est , quia hoc ipso , quòd subiectum subiiciatur accidenti , redditur illi proportionatum, & commensuratum secundum intrinsecam informationem. Ergo inuenitur ibi quidquid requiritur ad rationem mensuræ , & mensurati , quia tale accidens ordinat & manifestat rem ipsam vt *quo* , subiectum autem proportionatur . & notificatur illo , non vt mensurante & notificante *quod* , sed *quo*.

Ad fundamenta opposita resp. Ad primum , quod tempus & motus sunt idem entitatiuè,& materialiter , non formaliter , seu modaliter , & ideò tempus habet mensurare vt *quo* , motus autem redditur mensuratum, vt *quod* , recipit enim illam vniformitatem à tempore. Sufficit autem ad mensuram, quòd sit vniformior , & notior vt *quo*. Ad secundum dicitur , quòd licèt mensura sit id , quo cognoscitur quantum , non tamen est necesse , quòd præsupponatur , quantum per aliam formam , sed quòd ipsa mensura quantum reddatur,& sic notificetur,& sic licèt tempus non addat nouam quantitatem ad motum,reddit tamen illam vniformem,& mensuratam intrinsecè,id est recipientem vniformitatem mensuræ,& per illam se notificantem,tanquam per rationem & principium *quo*,quod in aliis fit per applicationem extrinsecam.

Ad fundamentum Patris Vazquez respondetur,quòd mensura debet esse notior mensurato , sed sufficit quòd sit notior vt *quo* , etiam si non vt *quod* ; & sic mensura intrinseca respectu eius in quo recipitur,est notior vt *quo* , respectu verò eius cui applicatur vt extrinseco , est vniformior , & notior vt *quod*. Neque Arist. oppositum huius docuit , quia esse mensuram homogeneam mensurato potest intelligi vel vt *quo* , vel vt *quod*, & respectu subiecti recipientis est homogenea vt *quo* , scilicet id , quo tale subiectum redditur homogeneum , & vniforme alteri extrinseco, respectu cuius est homogeneum vt *quod*, Denique quod dicitur debere mensuram esse eiusdem generis cum mensurato, intelligitur vel secundum proportionem , vel secundum similitudinem, quæ enim participant idem genus , & continentur sub illo dicuntur eiusdem generis per similitudinem , & conuenientiam. Quod autem recipit , & informatur ad aliquo , dicitur illius generis per proportionem , quia est capax , & proportionatum illi quod recipit , & ab eo , vt à principio *quo* , reducitur ad tale genus participatiuè, non formaliter.

Dico secundò , tempus largè sumptum pro cuiuscumque motus duratione est subiectiuè in quocumque motu , & multiplicatur ad multiplicationem motus , subordinatur tamen primo tempori , quod est mensura cæterorum. Constat hoc ex pluribus locis Sanct. Thom. vbi distinguit tempus propriè dictum , quod est in motu cœli à tempore largè accepto quod est in quocumque motu, vt articul. primo retulimus.Hoc enim tempus non est aliud quàm duratio cuiuscumque motus habentis prius , & posterius in successione partium , duratio autem est in re durante sicut existentia , ergo subiectiuè est in tali motu. Quod autem subordinetur talis duratio, seu tempus primo motui , & tempori patet ; tùm quia omnis motus inferior dependet à primo motu cœli ; tum , quia respicit illum , vt maximè regularem, & consequenter per illum mensurari potest. Et hoc modo intelligitur Aug. 11. confessio. capit.32. cum dicit : *Motum cœli non esse tempus , quia cum tempore Iosuë cessauit ille motus , Sol stabat , sed tempus ibat*; loquitur enim de tempore communiter dicto pro cuiuscumque motus duratione , non pro illo , quod est maximè regulare , quod solum est in motu cœli.

Dico tertiò , tempus sumptum pro duratione regularissima mensurante cæteros motus est tantum vnũ numero , sicut & motus regularissimus vnus tantum est. Constat hoc ex dictis ; deducitúrque ex Phil. in hoc lib. cap.14. vbi expresse ponit vnitatem temporis propter vnitatem primi motus. Et asseritur à D. Thom.

Thom. 1. par. quæst. 10. art. 6. & in 2. senten. dist. 12. quæst. 1. art. 5. ad 3. & alibi sæpè; constat enim, quòd primus motus cæteris vniformior, & à quo cætera dependent est tantum vnus. Quòd autem sæpius recurrant eadem tempora, vt ver, æstas, &c. quæ non sunt eadem numero, sed specie, non obstat quia effectus veris, & æstatis sunt diuersi in hoc anno, & in præcedenti, sed circulationes sunt continuæ, & motus non interruptus; & propter talem vnitatem, dicitur etiam tempus vnum, & motus vnus, licèt ex multis circulationibus componatur. Addit autem Diu. Thom. etiam in rebus incorruptibilibus dari vnum æuum propter vnitatem primi Angeli, qui cæteris est simplicior, & vniformior, vt affirmat quodlib. 5. articul. 7. & 1. part. quæst. 10. articul. 6. & in 2. distinct. 2. quæst. 1. artic. 2. Quod tamen intelligitur non solum de ratione mensuræ secundum maiorem dignitatem, sed secundum vniformiorem mensurationem quantum, est ex parte sua, & respectu perfectè cognoscentis, non respectu nostri, qui imperfectè cognoscimus; sic enim nihil nobis notificat æuum superioris Angeli de mensuris inferioribus, quia æquè nobis ignotum est, atque ipsæ durationis inferiores, sed tamen ad rationem mensuræ secundum se, non requiritur quòd sit notior quoad nos, & secundum imperfectionem nostræ cognitionis; hoc enim solum requiretur, vt sit mensura nobis deseruiens, sed sufficit, quòd ex parte sua & respectu modi perfectè cognoscendi sit vniformius altero, & notificatiuum illius. Sic autem est mensura æuum supremi Angeli, quia est duratio simplicior tam in se, quàm vt est radix suarum operationum præsertim primæ, verbi gratia, qua Angelus se intelligit, quæ etiam mensuratur æuo quia nunquam cessat. Quòd si in hac patitur aliquam difformitatem, Angelus, non subiiciendo illam Deo qui est summa simplicitas, vt fecit Lucifer, amittit esse primam regulam æuiternorum propter obliquitatem operationis æuiternæ vt non subiectæ, vt docet S. Th. quodl. 5. art. 7. Mensurat autem æuum cæteras durationes rerum incorruptibilium, etiamsi sint corpora cœlestia, quia licet differant in genere naturæ, conueniunt tamen in ratione durationis incorruptibilis, vt ait S. Th. 1. p. q. 10. art. 6. ad 2.

Circa subiectum extrinsecum, quòd est mensurabile à tempore, constat certò apud omnes ipsum motum esse mensurabilem à tempore, & mediante motu etiam ipsum subiectum motus, quod est substantia mobilis. Dubium verò est an ipsa substantia corruptibilis immediatè in se, & non solum ratione motus sit mensurabilis tempore? Nam ex vna parte eius substantia non est successiua, sed permanens; & sic non proportionatur illi tempus, quod est successiuum. Ex alia vero parte non apparet, quæ mensura sit illi assignanda: nam æuum est mensura rei incorruptibilis, quod non conuenit substantiæ corruptibili: tempus autem est mensura successiua, quod etiam rei permanenti non conuenit. Vndè Authores, qui sentiunt non mensurari tempore substantiam corruptibilem, *vt* Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 2. & Conimbricen. hîc quæst. 3. artic. 3. & Suarez disp. 10. Metaph. sect. 7. & alij tamen disconueniunt in assignanda mensura illi conuenienti, nam quidam affirmant esse ipsum æuum sumendo illud lato modo pro mensura non solum rei incorruptibilis, sed etiam rei permanentis. Alij assignant instans temporis discreti; alij modum æui; alij denique etiam mensuram innominatam; nihilominus circa hoc.

Dico vltimò, substantia rei corruptibilis secundum conceptum substantiæ non est mensurabilis tempore, neque alia mensura, sed in quantum habet quantitatem durationis: & non solum vt actu est mora, sed etiam vt mobilis, seu corruptibilis; actu tamen quiescens, & permanens mensuratur ipso tempore. Hæc est mens Arist. & Diu. Thom. vt videri potest 4. Phys. tex. 118. & 119. & ibi D. Tho. lect. 21. cuius verba sunt: *Tempus mensurat id, quod mouetur, & quiescit, non in quantum est lapis, vel homo, sed in quantum est motum, & quiescens: mensuratio enim propriè debetur quantitati. Cuius ergo quantitas tempore mensuratur, illud proprie tempore mensuratur. Ex mensuratione autem temporis, cognoscitur quantus sit motus, & quanta sit quies; non autem quantum sit illud quod mouetur. Vnde quod mouetur simpliciter, non mensuratur tempore secundum propriam quantitatem, sed secundum quantitatem sui motus. Ex quo patet, quòd propriè tempus sit mensura motus, & quietis, sed per se motus quietis autem per accidens.* Sic D. Th. nec vnquam oppositum docuit nam 1. parte quæst. 10. artic. 4. aperte tribuit mensurám temporis non solum motui, sed etiam subiecto mutabili. In opusc. autem 44. cap. 3. solùm dicit: *Quòd mobilia quantum ad id, quod sunt, sicut homo aut lapis non mensurantur tempore, quia essentia eorum non habet prius, & posterius.* Quod etiam verissimum est; nec aliud dicit, quàm in 4. Physicorum citato, quia videlicet res mobiles secundum conceptum substantiæ non mensurantur tempore, benè tamen secundum durationem mutabilem, licèt non actu motam.

Et ratio est, quia idem est quies quòd permanentia, cum illud dicatur quiescere, quod se habent nunc sicut anteà, Eadem ergo est mensura rei permanentis, vt permanens est, & rei quiescentis. Quies autem rei mutabilis mensuratur tempore; ergo & ipsa substantia corruptibilis, non vt substantia, sed in quantum durans, & permanens in quiete, mutabili tamen, & corruptibili subiicietur tempori. Et præsertim hoc apparet in substantiis, quæ etiam in ipsa substantia mutantur per augmentum, vel decrementum aut aggenerationem, tales enim etiam in ipsa substantiæ duratione subiiciuntur tempori. Quæ verò non sic mutantur, tamen quia mutari possunt, & dependent in sua duratione à causis transmutabilibus, dicuntur mensurari tempore, etiamsi actu non mutentur, sed quiescant.

Ex quo patet, ad rationem dubitandi à principio dicimus enim, quod res permanens, licet actu & formaliter non sit successiua, est tamen radicaliter, & extrinsecè, eò quòd ex sua radice petit posse mutari, & corrumpi; & pendet à causis mutabilibus. Et sic quando dicitur, quod in sua duratione est permanens, & idem, distinguo, permanens ratione immutabilitatis, seu ex oppositione ad motum, nego ex causa conseruante in illa permanentiam, & quietem, cum potentia tamen vt mutetur, concedo; sed hoc est mensurari tempore, sicut quies, quam constat mensurari tempore, tanquam quid oppositum motui, sicut dicit Philosoph. in capite 12. huius libri, & ipsa experientia constat.

Quòd si dicas, quomodo ergo Aristotel. & Diu. Thom. dicunt manere idem nunc in toto tempore, quia manet idem mobile, si secundum hanc resolutionem etiam mobile mensuratur tempore, & non mensuratur nunc? *Respondetur.* Manere idem nunc, non quia sit verum instans, aut res ipsa solum instanti mensuretur, sed quia est mobile permanens, sed permanentia est duplex, alia quietis

priuatinæ,

priuatiuæ, quæ scil. est capax mutari, alia quietis negatiuæ, quæ omni modo opponitur mutationi; & prima mensuratur tempore, secunda æuo, quia est incorruptibilis.

CIRCA LIBRVM QVINTVM, DE DISTINCTIONE, VNITATE ET CONTRARIETATE MOTVS.

QVÆSTIO XIX.

De vnitate, & contrarietate motus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum genera motus sumantur penes diuersa prædicamenta, ad quæ est motus?

Breuiter supponenda est ex Arist. in 1. c. huius libri, & Diu. Thom. ibi lect. 2. & 28. de verit. artic. 1. differentia inter mutationem & motum. Mutatio enim communior est, quàm motus, nam mutatio in communi solum dicit transitum de quodam in quiddam, quia vt dicit D. Tho. hîc lect. 2. ex ipso mutationis nomine manifestatur, quod importat aliquid esse post aliud & vnum esse prius, aliud posterius. Hanc mutationem sic in cōmuni consideratam diuidit Arist. quatuor modis, quibus contingit aliquid mutari penes terminos ad quos. Aut enim mutatio est de vno termino positiuo ad aliud, verbi gratia, ex calido in frigidum, vel de termino negato in terminum negatum, vt de non albo in non nigrum, quòd propriè non est mutatio, cùm totum sit negatio: aut terminus è quo est negatio, & terminus ad quem positiuus; seu de non esse ad esse, vt cum ex non albo fit album; aut denique è contra terminus à quo est positiuus, & terminus ad quem est negatiuus, vt de esse ad non esse. Et non possunt dari plures species, seu modi mutationum, quia nec plures combinationes possunt fieri inter terminos. Ex quibus solum illa mutatio, quæ est à positiuo in positiuum habet rationem motus strictè dicti, reliqua duo se habent vt generatio, & corruptio; generatio vt transitus de non esse ad esse; corruptio verò è contra. Excludit autem Philos. generationem & corruptionem à ratione motus propriè dicti, quia generatio procedit à non esse simpliciter ad esse simpliciter: ergo supponit subiectum, quod non sit ens simpliciter, sed ens in potentia, qualis est materia prima secundùm se, sed non ens, impossibile est quòd moueatur, aut quiescat, ergo generatio non est motus ex eo, quòd non habet pro subiecto ens in actu; vbi Arist. solum excludit generationem substantialem, à ratione motus. Exinde verò colligit, quòd corruptio non est motus, quia opponitur generationi, quæ motus non est.

In hoc discursu Philos. duo aduerte id est quàm sit constans Arist. in ea sententia, quòd materia prima secundum se, & remota forma non sit existens, nec etiam partialiter, aliàs eneruatur totus discursus Philos. in tex. 8. huius lib. quòd materia non est hoc aliquid simpliciter, & ideò non posse moueri, quia impossibile est, quòd id, quod non est moueatur, quæ conseq. nihil probat, si materia existit secundum se, saltem partialiter. Ideò enim probat Arist. materiam quæ non est, hoc aliquid non moueri, quia quod non est non mouetur. Vel ergo hæc probatio loquitur de eo, quod non est, nec totaliter, nec partialiter, & sic habemus intentum, quòd materia nec partialiter existit; vel loquitur de eo, quod non est totaliter benè tamen partialiter, & sic probat idem per idem esset enim sensus Phil. Id, quod non est, hoc aliquid, seu existens totaliter non potest moueri, quia quod non existit totaliter, licèt existat partialiter non potest moueri, quod est incidere in battologiam; & inefficaciter probaret non moueri materiam primam, quia non ens non potest moueri, si re vera materia prima est ens actu, restabat enim probandum quòd ens actu partiale non moueatur.

Secundum quod aduerto est, Philos. in illo discursu plus concludere de motu, quam exprimit in probatione, concludit enim in fin. cap. quòd tempus propriè dictus non inuenitur, nisi vbi mutatio est inter terminos positiuos, non verò inter terminos contradictorios, sicut inter esse & non esse; quod iterum repetit tex. 49. & in hoc ponit totam differentiam motu à mutatione, quòd motus est à contrario in contrarium, mutatio verò non. Probatio verò, qua exclusit generationem à motu solum expressè loquitur de generatione substantiali. Fortassè autem non meminit generationis accidentalis, vt cum aliquid mutatur de non albo in album: frequenter enim coniungitur cum motu, quia in motu datur corruptio, & non esse termini à quo, & generatio termini ad quem non tamen motus fit ea ratione, qua est de non esse ad esse, sed quatenus est de positiuo in positiuum, seu de contrario in contrarium. Si quando verò accidens generetur per transitū de non esse ad esse, & non de positiuo in positiuum, talis erit generatio secundum quid, vt docet D. Thom. in hoc lib. lect. 2. & hæc reducitur ad generationem simpliciter, idcóque seorsum illius non meminit. Quod verò Martinius super hoc c. 5. Physic. notab. 1. notat eos, qui dicunt generationem, & corruptionem non esse motus propriè dictos, eò quòd non sunt inter terminos positiuos, quia id inquit non somniauit Aristot. sanè videtur ad pauca respexisse in Arist. cuius verba sunt in hoc cap. *Cùm omnis motus sit quædam mutatio, tres verò sint mutationes, quas diximus, quarum duæ, quæ in contradictione consistunt, generatio scilicet, atque corruptio motus non sint, vt ostendimus, motum eam esse solum mutationem necesse est, quæ ex subiecto ad subiectum acceditur.* Idem habet tex. 49. Et denique in tex. 10. probat, in substantia non esse motum, quia in ea nihil est contrarium, cum in tex. 8. probasset, quòd in ea non est motus, quia subiectum

ſubiectum eius eſt ens in potentia. Ergo non ſomniauit Ariſtot. ſed vigilanter dixit generationem non eſſe motum, quia non eſt inter terminos poſitiuos, & non ſolum quia eius ſubiectum eſt ens in potentia, ſed de hoc 1. lib. de generat.

An verò mutatio, & motus diſtinguantur eſſentialiter ex eo præcisè quòd illa ſit inſtantanea, iſte ſucceſſiuus, illa inter terminos contradictorios, iſte inter poſitiuos, & contrarios? *Reſp.* ex hoc præcisè non differre ſpecie, niſi termini ad quo, ſint ſpecie diuerſi; mutationes enim, & motus ſpecie non differunt, niſi ex diuerſitate termini ad quem. Reliqua verò, quæ pertinent ad diuerſitatem termini à quo, vel ad latitudinem & diſtantiam ab vno in aliud & ad diuerſam durationem totum accidentale eſt in motu, & mutatione. Diuerſitas enim termini à quo non variat ſpeciem, quia terminus à quo relinquitur: quod autem ſpecificat, non relinquitur ſed in illud tenditur, & illud accipitur, & ita Diuus Thomas 1. part. quæſt. 23. articulo 1. ad 3. docet: *Quòd motus non accipit, ſpeciem à termino à quo ſed à termino ad quem, ſicut ad rationem dealbationis parum refert, quòd qui dealbatur, fuerit niger vel pallidus.* Quòd verò ſit diſtantia, vel latitudo in motu, & non in mutatione, ex eo contingit, quòd terminus à quo mutationis eſt priuatio, inter quam & eſſe nulla eſt latitudo: terminus verò à quo in motu eſt aliquid poſitiuum, quòd fundat latitudinem ad alterum terminum poſitiuum, & ſic habere, vel non habere latitudinem reducitur ad diuerſitatem termini à quo, qui eſſentialem rationem mutationis non diuerſificat. Nec obſtat, quòd in aſcenſu & deſcenſu diuerſitas ſtare poſſit etiam reſpectu eiuſdem termini ad quem, ſolum propter diuerſitatem termini à quo. Hoc inquam non obſtat, quia iſti motus ſunt diuerſi, non ex diuerſitate termini à quo præcisè, ſed quia terminus ad quem formaliter diuerſus eſt; nam in loco non ſolùm attenditur illud materiale ſpatium in quo res collocatur, ſed ipſe ordo ſituationis, ſecundum quod aliquid eſt inferius, vel ſuperius in vniuerſo, & ſic, quia reſpectu deſcenſus ille locus eſt inferior, & reſpectu aſcenſus ſuperior, dicitur formaliter eſſe diuerſus locus.

His ſuppoſitis reſtat explicare, ex quo principio ſumatur diuerſitas generica motuum? Ad quod reſpondetur, diuerſitatem genericam motus ſumi ex diuerſitate prædicamentorum, ad quæ eſt motus, & dari motum ad prædicamentum, nihil aliud eſt, quàm terminum motus pertinere ad tale prædicamentum. *Concluſio* hæc eſt Ariſtotel. in hoc libro textu 31. vbi inquit: *Quòd genere vnus eſt motus ſecundum prædicamenti figuras*; ſuper quem locum Sanct. Thom. lect. 6. inquit: *Quòd dicitur motus vnus genere ſecundum figuras prædicamenti; omnes enim, qui ſunt in vna coordinatione prædicamenti, poſſunt eſſe vnus motus genere; ſicut omnis loci mutatio eſt genere vnus motus, quæ eſt in vno prædicamento vbi: differt autem genere ab alteratione, quæ eſt in prædicamento qualitatis.* Ratio ſumitur ex dictis ſupra quæſt. 14. Quia motus eſſentialiter reſpicit terminum ad quem, cum ſit tendentia ad illum, in tantum quòd motus non eſt aliquid præter res, ad quas eſt motus, ſed ſe habet vt fieri earum, & ipſæ vt terminus, ergo vbi res ipſæ, quæ ſunt terminus motus, differunt genere, etiam motus ipſi genere diuerſi ſunt. Et hæc ratio etiam probat de generibus intermediis, & ſpeciebus infimis, quæ in motibus variantur ſecundum ſpeciem terminorum, ad quos eſt motus, vt dicit ibidem Philoſophus & D. Thom. & eadem ratio eſt vtrobique, quia motus reducitur ad ſpeciem ſui termini, ſicut ad genus.

Sed inquires duo. Primò, quid ſit terminum eſſe formaliter diuerſum, vel vnum formaliter vt intelligatur dare ſpecificam vnitatem, & diuerſitatem? *Reſpondetur*, duas conditiones inter alias ad hoc requiri. Prima, quòd motus ſit per ſe ad tale prædicamentum, ſeu ſpeciem, & non per accidens, & per quandam reſultantiam. Secunda, quòd accipiatur in entitate terminante, illa formalitas, ſeu ratio ſecundum quam attingibilis eſt à motu, ita quòd in termino non attendatur ſola entitas, ſeu ſpecies termini in ſe abſolutè, ſed ratio nouæ, vel diſtinctæ attingibilitatis à tali mutatione, quidquid ſit de aliis conditionibus, ſeu connotationibus requiſitis. Et prima conditio manifeſta eſt, quia id, quod ſpecificat debet attingi per ſe, quia nihil tam per ſe pertinet ad aliquam rem, quàm id, quod ſpecificat. Id autem, quod per accidens ſe habet, cùm per aliud attingatur, vel reſultet, iam ſupponit ſpecificationem factam ab illo à quo prius attingitur. Ergo non pertinet formaliter ad rationem ſpecificantis, ſed conſecutiuè, & per accidens, & ſic vt ſit terminus formaliter ſpecificans debet per ſe, & directè attingi à motu.

Secunda verò conditio conſtat, quia illa dicitur formalitas termini in ſpecificando, ratione cuius terminat, & ſpecificat. Ergo ſpecificatio debet in termino ſumi ab illa ratione, quæ in iſto termino eſt ratio terminandi, & determinandi ſpecificationem, ad hoc enim per ſe tendit motus, & ad reliqua omnia, quæ inueniuntur in termino tendit ratione huius; & ſic ſe habet, vt terminus formalis. Denique inductione conſtat, quòd quando circà eundem terminum materialem verſantur actiones ſpecie diuerſæ, vna ab alia diſtinguitur, non ratione alicuius modi operandi, ſed ratione alicuius formalitatis ex parte termini ad quem ſe tenentis, verbi gratia generatio, & creatio hominis ex parte termini ad quem differunt, quia aliquid amplius attingit creatio, quàm generatio, ſcilicet materia, & omnem rationem entis, quod generatio non attingit. Et ſimiliter tranſſubſtantiatio attingit ex parte termini ad quem totam ſubſtantiam, quod non facit generatio, & non primò, & per ſe faciendo ipſam exiſtentiam rei ſicut creatio, quia poteſt illam ſupponere, & in rem præſuppoſitam, aliquid aliud conuertere, ſicut fit in conuerſione panis in Corpus Chriſti, quod eſt non facere ex nihilo. Et ſimiliter in aſcenſu, & deſcenſu reſpectu eiuſdem loci inuenitur diuerſitas formalis in termino ad quem, ratione diuerſæ ſuperioritatis, vel inferioritatis in ſituatione, quod per ſe reſpicitur in loco: licèt enim aliqui velint omnes motus locales eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ, ſicut omnes calefactiones reſpectu caloris, tamen eſt longè diuerſa ratio, quia vbi non eſt vna ſpecies infima ſicut calor, ſed vnum genere, & ſic fundare poteſt diuerſas ſpecies motus. Denique alteratio ſimplex, & intenſio circa eandem qualitatem differunt ex parte termini ad quem, non addendo nouam qualitatem, ſed nouam actuationem, & explicationem eiuſdem in ſubiecto, quod aliquid de nouo eſt, vt dicemus in libris de generatione.

Secundò inquires, quid dicatur terminus per accidens in motu, & quid ad illud requiratur? *Reſpondetur* ex doctrina Philoſoph. in hoc libro capit. 1. diſtinguentis ex parte termini ad quem motum per accidens, & motum in partem & motum per ſe primò ſimpliciter: motus per accidens, vt ſi dicas album cognoſcitur, album augetur, vel nutritur; accidit enim albo cognoſci, vel augeri in quantum album eſt. Motus in partem, vt cùm dicitur aliquid tranſmutari in colorem, quia mutatur in albedinem,

cuius color est pars, & cùm dicitur aliquis sanari, quia curatur pede. Motus primo & per se cùm neque per accidens, neque in partem, vt cum dicitur album dealbari, sanabile sanari, quod est in quarto modo per se. Denique si volumus percipere istam distinctionem motus per accidens in partem, & per se primo, discernere per omnia quinque prædicabilia, & vide, quòd genus, & differentia sunt partes intrinsecæ speciei, ipsa verò species est totum. Deinde accidit speciei proprium, & accidens, proprium quidem necessariò, accidens autem contingenter. Sic ergo motus ad aliquam speciem attingens ipsam directè, & per se, est motus per se primo, & simpliciter. Si autem attingat differentiam, & genus immediatè, aut etiam aliquam aliam partem, & ipsa mediante totum, dicitur motus in partem, & ipsa mediante totum, dicitur motus in partem, licet sit per se, vt opponitur ei, quod est per accidens. Si verò attingendo speciem, seu totum, attingitur mediatè proprium, vel accidens, dicitur attingi per accidens, id est, per aliud prius attactum. Quòd si connexio inter terminum immediatum, & medietatum fuerit contingens, tanto magis dicetur per accidens, quia magis contingenter.

Et si dicas: hac ratione non posse alterationem primo, & per se terminari ad qualitates mixtas, seu medias, quæ ex aliis prioribus resultant, vt ad calorem viridem, qui resultat ex albo, & nigro, & ad alias qualitates, quæ ex calore, & frigore, & aliis primis resultant. *Respondetur*, quòd istæ secundæ qualitates dicuntur mediate fieri, & resultare, non quia vnito motu fiat prius vnus terminus, & resultat alius, sed quia est duplex motus, vnus ad vnum terminū, & alius ad alium, licet secundus præsupponat primum, sicut generatio supponit alterationem, & ideo vterque motus per se respicit suum terminum, licet ordine quodam se habeant. Tunc autem dicitur per accidens aliquid attingi à motu, quando vterque terminus ad eundem motum pertinet, vnus directè, & per se, alter per accidens, seu per aliud.

ARTICVLVS II.

Ad quæ prædicamenta non detur motus per se?

VT diximus supra quæstione 14. ad motum strictè dictum requiruntur duæ conditiones, secundùm Philos. in hoc lib. cap. 2. & 3. Prima ex parte terminorum, quòd sit inter terminos positiuos, non verò inter esse, & non esse. Secunda ex parte subiecti, quòd subiectum motus non sit ens in potentia, vt materia prima, sed ens in actu. Hunc ergo motum exclusit Philos. à septem prædicamentis. Non enim datur motus ad substantiam, neque ad relationem, neque ad actionem & passionem, situm, quando, & habere; an verò ad ista prædicamenta detur motus per accidens? Non potest æquè probari de omnibus, sed iuxta quod ad motum consequuntur, vel connectuntur accidentaliter cum termino primario, dicuntur per accidens terminare motum.

Et licet fundamentum vnde debemus dignoscere, quòd ad aliquod prædicamentum non detur per se motus, debeat sumi ex applicatione dictarum conditionum, quæ ad motum per se requiruntur; tamen non æqualiter applicat Aristot. hoc fundamentum omnibus prædicamentis: aliter enim ostenditur ad substantiam non dari per se motum, aliter ad relationem, aliter ad actionem, & passionem, & aliter ad situm, quando & habere.

Et quidem quod attinet ad substantiam, non dubitamus dare per se ad illam, mutationem quæ est generatio, cum per se substantia sit generabilis, & corruptibilis: similiter etiam si sumatur generatio cum alteratione præuia, manifestum est includere in se motum, qui est alteratio, qui tamen ad substantiam per se & directè non terminatur. Sumendo ergo motum strictè dictum, provt est inter terminos positiuos, & contrarios, constat non dari per se ad substantiam talem motum ex duplici fundamento. Primò, quia subiectum generationis est ens in potentia, scilicet materia prima, quæ secundùm se non est capax procedēdi ab vno termino positiuo ad aliud positiuum, sed à priuatione ad formam, eò quòd ens in potentia est materia prima, vt denudata ab omni forma. Vnde si provt est in potentia tantùm est subiectum generationis, formaliter talis mutatio procedit à priuatione ad formam, quia idem est ens in potentia & ens priuatum omni forma; ergo idem est esse subiectum generationis sub formalitate entis in potentia, ac sub formalitate procedendi à priuatione ad formam, non à forma ad formam.

Secundum autem fundamentum ponitur à Philos. in hoc lib. text. 10. quia substantiæ nihil est contrarium: licèt enim corrumpatur vna forma, & generetur alia, tamen hoc non fit secundùm contrarietatem illarum, sed procedendo à priuatione vnius, ad positionem alterius. Cuius duo signa affert D. Tho. in hoc libro lect. 3. *Primum*, quia inter formas substantiales non est aliqua maxima, & determinata distantia, quia non sunt aliqua determinata media, per quæ de vna forma substantiali fiat transitus ad aliam, non est enim inter formas substantiales ordo per se, sed materia, quæ exuitur vna forma, potest indifferenter suscipere aliam, nisi obstet aliqua indispositio, ratione cuius immediatè non fiat transitus de qualibet forma ad quamlibet. *Secundum signum est*, quia formæ substantiales dant esse, quod consistit in aliquo indiuisibili, & se habet sicut numeri, in quibus quælibet additio variat numerum. Ergo tales formæ non habent distantiam contrarietatis, quæ est maxima distantia, quia carent latitudine secundùm magis, & minus. Nec obstat, quòd habent proprias passiones contrarias, sicut ignis calorem, & aqua frigus: neque enim contrarietas passionem fundare debet in contrarietate formali substantiarum; sed sufficit, quòd in virtuali, qualis est priuatiua oppositio, in qua fundatur contraria, de quo supra diximus q. 2.

Quòd si dicas nam aliquæ formæ substantiales dantur, ad quas non potest perueniri, nisi ordine quodam per alias, sicut equus non potest generari, nisi præcesserit forma embrionis, neque vinum, nisi præcesserit forma vuæ, ergo in his datur aliqua determinata distantia, & contrarietas, quia ordine quodam transitus ad formas extremas per medias. *Respondetur*, Formas istas non propriè & per se dici formas extremas, & medias. Tunc enim formæ sunt extremæ, & mediæ per se & ab extrinseco, quando formant aliquam latitudinem, & tunc per se illam formant, quando de vna potest perueniri ad aliam per modum cuiusdam ditionis, vel minorationis, vt contingit in qualitatibus mediis, quæ ex mixtione extremarum fiunt, siue secundùm rationem magis, & minus. Formæ autem substantiales æquè sunt incompatibiles, neque transitus de vna ad aliam fit, nisi resoluendo subiectum vsque ad priuationem omnis formæ, & excludendo omnem formam, & de tali priuatione ac materia sic nuda ab omni forma substantiali proceditur ad formam, quæ generatur, non verò per mixtionem, vel additionem ad

ad formam præcedentem , vel minorationem secundùm magis & minus , in quo fundatur latitudo , & contrarietas. Quare tota ratio quare requiruntur illæ formæ mediæ , neque potest immediatè ex quolibet generari quodlibet,est propter ipsas dispositiones : si enim in materia lapidis possit immediatè poni dispositio ad formam vltimam equi posset immediatè generari equus. Nec obstat, quòd aggeneratio est motus quidam continuus ad substantiam. Nam præter quàm quòd non est certum,quòd sit continnus , vt in libro de Gener. disquiretur ; tamen si id habet , est per accidens propter continuam oppositionem materiæ partialis sufficienter dispositæ , non propter ipsarum formarum latitudinem ; quæ exigat & fundet continuitatem illius motus.

Quòd attinet ad relationem , non est ad illam motus per se , quia vt innascatur relatio , non requiritur mutari subiectum in se de nouo , sed sufficit mutari terminum. Verba Philosoph. in præsenti sunt: *Neque est motus in his , quæ sunt ad aliquid , altero enim subeunte mutationem , alterum mutationem non subiens , verè dici potest.* Cuius perspicuus sensus est, quòd in relatiuis potest vnum relatiuè dici , & esse, non mutato directè subiecto in se,sed mutato termino ; & cum relatio non sit in termino,sed in subiecto manifestum est , quòd sic contingit consurgere relationem nulla mutatione facta in ipso subiecto, consequenter ad ipsam relationem,quæ est in subiecto,non datur per se motus,quia per se mutari debet,sed solum per accidens , id est, per aliud quia ex sola termini mutatione resultat.

Cæterùm circa hoc difficultatem inuenit D.Th. in hoc lib. lect.3. propter relationes mutuas , quæ in vtroque extremo reales sunt. Non enim saluari potest,quòd per relationem existentem , in vno extremo,dicatur alterum referri, sed vnumquodq; per relationem existenté in se subiectiuè. Ergo non potest dici relatiuè,nisi sibi adueniat de nouo relatio aliqua realis,& consequenter fiet in eo aliqua mutatio, habendo quid reale , quod ante non habebat. Neque potest benè intelligi quòd mutatio termino longè distante,v.g. albo resultet hic aliqua realis forma,seu entitas ex vi illius mutationis.

Respondet D.Th. Quod si aliquis per suam mutationem efficiatur mihi æqualis me non mutato, ista æqualitas primò erat in me quodammodo , sicut in sua radice , ex qua habet esse reale : Ex hoc enim quòd habeo talem quantitatem competit mihi,quòd sim æqualis omnibus , qui eandem quantitatem habent. Cùm ergo aliquis de nouo accipit illam quantitatem , ista communis radix æqualitatis determinatur ad istum , & ideo nihil aduenit mihi de nouo per hoc , quòd incipio esse alteri æqualis per eius mutationem. Ita D.Th. vbi ponderandum est, quòd ad relationem non datur per se motus , vt relatio distincta est à suo fundamento , seu radice : sic enim posito fundamento , ponitur tota virtus,vt resultet relatio,si ponatur terminus,neque amplius alia mutatio requiritur ex parte ipsius fundamenti , sed sola positio termini. Non tamen negat D. Th. dari aliquam mutationem , quasi metaphysicam , quæ non est aliud , quàm determinatio illa fundamenti iam antea habiti in ordine ad talem terminum , qui de nouo ponitur , verbi gratia quantitas,quando producitur in vi suæ productionis accipit omnem relationem æqualitatis , vel inæqualitatis ad quemcumque terminum , qui ponatur , sed accipitur ista relatio , quasi in fundamento & radice , sicut accipitur propria passio in essentia , & sic posita essentia sine noua mutatione physica resultat passio , si impedia-tur,quotiescumq; de nouo tollitur impedimentum: ad hunc modum se habet relatio respectu fundamenti,ipsa enim naturali actione,qua fit fundamentum, etiam fit quantum est ex vi actionis relatio, si terminus ponatur , absolutè enim fieri non potest , cùm non sit entitas absoluta,sed respectiua, & à termino dependens. Quare non requiritur noua actio physica seu motus ex parte fundamenti,cùm ab illo per resultantiam dimanet ex vi prioris actionis,qua fundamentum est positum sed sufficit poni terminum. Et quia non effectiuè procedit à termino,sed solum positio termini est conditio requisita, vt ex fundamento resultet ; ideo nihil obest distantia termini , vt relatio resultet.

Quantum ad actionem, & passionem , seu motum probat Philosoph. ad illas non dari per se motum, sex rationibus à tex.11. Sufficit nobis illa,quia aliàs daretur processus in infinitum in quacunque actione & motu , quia si ad actionem datur actio , & ad motum motus , rursus ad illum motum,& actionem dabitur alius motus,& actio , cùm eadem ratio sit. Non potest autem dari processus in infinitum per se in actionibus , quia si aliqua actio dependet ex infinitis actionibus antecedentibus , ista in singulari non producet aliquid, quousque omnes illæ ponantur, à quibus dependet : quælibet autem ex antecedentibus similiter non ponetur , neque exibit ab agente,nisi reliquæ antecedentes etiam ponatur. Ergo cùm non sit deuenire ad vnam primam , quæ determinatè exeat ab agente & moueat sequentem, vt etiam exeat nulla actio de facto exibit , cùm nunquam sit assignare aliam determinatè exeuntem, sed dependentem ab alia,& alia priori in infinitum ; & sic nullus vnquam dabitur effectus determinatè , si actiones sunt infinitæ.

De reliquis prædicamentis, scilicet *situ* , *quando & habere* , Phil. nunquam reddidit rationem, quare ad illa non detur per se motus,sed id supposuit ; diuersa tamen ratione,vt inquit D.Th 5.Phys.lect 3.&11. Met. lect.12. quia prædicamenti quando non meminit,quia significat esse in tempore, quod est mensura motus,& tempus in se motus est.Vnde probando, quòd non datur motus ad motum,manet probatum, quòd per se non datur ad quando. Situm autem , & habitum non numerauit , quia non explicant , nisi quendam ordinem partium in loco vel habitudinem indumenti ad indutum,quod pertinet ad relationem; & sic probando , quod ad relationem non datur per se motus, manebat probatum,quòd neque ad ista prædicamenta. Sed tamen cùm ista prædicamenta non dicant solum relationem prædicamentalem, & secundum esse,vt probauimus in Logica,dis.19. aliàs non essent distincta prædicamenta , à prædicamento relationis:si autem important relationem secundùm dici , & ideò non datur per se motus ad illa , etiam propter eandem rationem deberet Phil. prætermittere actionem,& passionem, imò & vbi,quia omnia illa dicunt relationem secundùm dici. Et ideo dicendum est , quòd habuit specialem rationem prætermittendi ista tria prædicamenta, quia non potest ad illa dari aliquis motus,nisi localis,qui primò , & per se est ad vbi , inde verò sequitur applicatio ordinata partium corporis , quod locatur,quod est situs, vel adiacentia indumenti , quod est habitus ; & si quid addunt situs , & habitus super hoc, est aliquis ordo secundum dici consecutus ad locum. Vnde se habet quoad hoc ad instar relationis prædicamentalis,ad quam ideo non datur per se motus, quia semper se habet vt aliquid consecutum : & similiter est de quando.

ARTICVLVS III.

Ad quæ prædicamenta detur per se motus.

RESTANT ex numeratione præcedentis articuli tria prædicamenta, ad quæ terminetur motus per se, scilicet, *qualitas, quantitas, & vbi.* Nam ad qualitatem terminatur alteratio, ad quantitatem augmentatio, & ad vbi motus localis.

Et quidem de vbi nulla est difficultas, cùm nihil euidentius sit motu locali, & latitudine, seu distantia, quæ est inter terminos locorum, quæ vtique per motum propriè dictum vincenda est. Et quando sic mouetur aliquid, dicitur esse partim in termino à quo, partim in termino ad quem, quia immediatus locus, qui acquiritur est accessus ad vnum, & recessus ab alio saltem inchoatiuè, & ita quando mouetur sursum etiam immediatus locus, qui attingitur aliquo modo superior est respectu inferioris à quo ascenditur. Acquisito autem vbi, quod immediatè respicitur à motu, secundario & mediatè acquiritur aliquis situs, vt stare vel sedere, & similia, quæ pertinent ad modificationem existendi in loco, & ideo idem motus sufficit attingere vbi, & situm.

Circa motū alterationis etiam est certū ad qualitatem dari per se, motum licèt nō ad omnem, quia licèt in omni qualitate inueniatur vna ex conditionibus requisitis ad motum, scilicet habere subiectum in actu, non tamen concurrit alia conditio, scilicet contrarietas, & sic ad secundam speciem qualitatis, & ad quartam non datur per se alteratio, quia in illis non datur latitudo contrarietatis, neque in illis, quæ consistunt in indiuisibili, aut modo indiuisibili fiunt.

Sed tamen circa hoc insurgit difficultas, quia latitudo, & distantia, quæ datur in qualitatibus requisita ad alterationem, vel sumitur ratione ipsarū qualitatum secundum se, vel ratione intensionis, & remissionis tantum. Si primo modo, non apparet, quæ sit latitudo vincenda inter aliquas qualitates diuersæ speciei, vt inter calorem & frigus, quia non datur aliquod medium pertranseundum ratione cuius latitudo, & contrarietas inueniatur, neque erit ratio, cur etiam ad potentiam, & impotentiam, ad figuram curuam & rectam, & similia non detur per se motus. Si verò secundo modo sumatur; ergo solum dabitur motus in qualitate penes intensionem, & remissionē, non secundum alterationem tantum. Deinde sequitur, quòd lux & similiter actus amoris, odij, & aliorum similium immanentium terminare possint per se motum alterationis, quia habent intensionem, & remissionem. Denique non repugnat calorē produci in instanti, vt calor ignis, qui est propria eius passio; ergo qualitas perfecta caret motu, imperfecta verò si continuè fiat, acquiritur quidem per motum, sed cùm dentur infinita instantia & partes proportionales, quibus acquiritur, reddetur infinita in termino, suæ acquisitionis.

Resp. latitudinem, & contrarietatem in qualitatibus, ad quas datur motus, sumi non solum ratione maioris, & minoris intensionis, sed ratione etiam ipsarum qualitatum inter se. Ad hoc autem non est opus, quòd inter illas qualitates contrarias fiat transitus per aliquas medias, sed benè potest immediatè ab vno contrario ad aliud contrarium fieri motus, sicut cum color albus immediatè destruitur per nigrum, sine transitu per viride. Sufficit ergo ad motum alterationis, quòd istæ qualitates tales sint, quòd ex illis possint fieri aliquæ qualitates mixtæ, quæ sunt mediæ, licèt non semper de facto fiat transitus per illas, & sic à calore ad frigus datur motus, & distantia vincenda, licèt non semper fiat transitus per qualitatem temperatam, vel mixtam ex illis primis puta odorem, vel colorem, ariditatem, vel tepiditatem, &c. *Ad id*, quod dicitur de potentia, & impotentia. *Resp.* quòd illæ qualitates neque sunt intensibiles, & remissibiles, si præcisè sunt potentiæ, neque habent latitudinem, & contrarietatem, ita vt ex earum temperamento, & mixtura aliquæ potentiæ mediæ resultent; & sic non terminant motum per se immediatè, sed plerumque tanquam propriæ passiones resultant ad productionem essentiæ. Figuræ autem resultant ex terminatione quantitatis. Vnde ad motum ipsius sine alio distincto motu consequuntur, & resultant tanquam modus terminationis eius, non sicut qualitates secundæ, quæ resultant aut miscentur per distinctum motum ab eo, quo producuntur qualitates primæ.

Ad id, quod dicitur de contrarietate penes intensionem, & remissionem. *Respondetur*, esse distinctam speciem motus à simplici alteratione, & contrarietatem seu latitudinem habere in magis & minus. Vnde inuenitur in luce, quæ intensionis motum per se terminat, licèt non alterationis simplicis, quia non fit ex contrario, sed ex priuatiuo. Actus autem amoris, vel odij, & alij similes immanentes habent contrarietatem intentionalem, non physicam, quæ solum pertinet ad motum alterationis propriæ dictæ, licèt in potentiis sensitiuis prærequiratur aliqua alteratio circa qualitates sensibiles, sine quibus tales actus non fiunt; sed hoc est præsuppositiuè, & antecedenter. Ad id verò, quod dicitur de calore producto in instanti. *Respond.* hoc esse per accidens, quia producitur ad generationem ignis, per se tamen non repugnat seorsum fieri per motum ad se terminatum. Non requiritur autem, quod id quod terminat motum in omni statu, & modo illum terminet, sed solum in aliquo, sicut etiam vbi per se terminat motum, & tamen non repugnat produci sine motu ad generationem, vel creationem rei existentis in loco.

De motu ad quantitatem.

CIrca quantitatem maior est difficultas. An per se detur motus ad illam? Multi enim contra Arist. tenent non dari per se motum ad quantitatem, vt Martin. in præsenti lib. notab. 3. & Cabero hîc disp. 4. dub. 4. n. 4. & alij. Sed mouentur diuersis vijs, *Martinius*, quia putat augmentationi deesse conditionem requisitam ex parte mobilis, scilicet, quòd sit ens actu id, quod mouetur. *Cabero*, quia deest diuisibilitas successionis ipsi augmentationi, licèt illam habeat per accidens ratione alterationis adiunctæ. Et tandem, quia non sufficienter redditur disparitas, cur aggeneratio, & nutritio motus non sint, augmentatio autem motus sit.

Fundamentum ergo *Martinij* in eo stat, quia si est aliquod subiectum mobile augmentationis, maximè ipsum viuens, quod augescit hoc autem non mutatur, nec patitur per motum augmentationis, nam quantitas, quæ in augmentatione crescit, vel producitur de nouo, vel iam producta vnitur. Si primum, illa quantitas non in viuente, quod præcedit, sed in materia, quæ de nouo aduenit, producitur, ergo sola illa materia mutatur; sed mutatio materiæ non est motus, vt Philosoph. statuit, ergo neq; augmentatio. Si verò quantitas non producitur, sed vnitur, ergo idem est nutritio, & augmentatio, siquidem in tantum augmentatio fit, in quantum

acquiritur

acquiritur illa ſubſtantia in qua eſt quantitas, quod vtique fit per nutritionem, non per motum diſtinctum ad quantitatem: nutritio autem non eſt motus, quia in ea ſolum mutatur materia alimenti, mutatio autem materiæ non eſt motus.

Fundamentum autem Cabero in eo conſiſtit, quia quantitas nunquam producitur per ſe, ſed ſemper conſequitur ipſam materiam, in qua exiſtit, & cui eſt coæua in ſententia huius Authoris. Vndè nunquam producitur noua quantitas producendo partes quantitatis, niſi producendo partes materiæ. Supereſt ergo, quòd in augmentatione creſcat quantitas, quia vniuntur nouæ partes materiæ, & quantitatis: vnio autem partium fit per indiuiſibiiia. Ergo conſiſtet augmentatio in hoc ſolum, quòd noua indiuiſibilia producantur. Vndè ſequitur, quod augmentatio erit indiuiſibilis, quia ſolum terminatur ad indiuiſibilia, & non erit continua, quia indiuiſibilia non continuantur: nec ſaluatur hoc dicendo, quòd per augmentationem producitur ſuperficies vniens partes profunditatis: in ſuperficie autem poteſt inueniri motus continuus, quia latitudinem, & extenſionem habet. Sed tunc inciditur in aliud inconueniens: tùm quia verſus profunditatem non dabitur augmentatio continua, quia ipſæ ſuperficies non ſunt ſibi immediatæ, & continuæ: tùm, quia alias ſola profunditas erit coæua materiæ, non verò ſuperficies, & alia indiuiſibilia, quia hæc producuntur de nouo in augmentatione. Quod tamen non eſt multum inconueniens, cùm videamus mutari in quantitate indiuiſibilia terminatiua, quoties mutatur per diuiſionem terminatio quantitatis: vnde tandem iſte Auctor tenet per augmentationem produci ſuperficiem vnitiuam partium quantitatis, per accidens autem quantitatem moueri ratione alterationis adiunctæ.

Denique vrgetur vtraque ſententia illo communi argumento. Quia non poteſt dari augmentatio, niſi adiuncta nutritione, eò quòd noua quantitas petit nouam partem materiæ, alias penetraretur cum antiqua, ſi vtraque eſſet in eadem parte materiæ. Sed hoc ipſo, quòd producitur noua pars ſubſtantiæ, conſequitur noua quantitas partialis tanquam paſſio illius. Ergo non eſt neceſſe ponere nouum motum ad quantitatem præter illam actionem, quæ terminatur ad ſubſtantiam immediatè, & mediatè ad quantitatem.

Nihilominus ſent. Ariſt. deferenda non eſt, quam communiter Peripatetici ſequuntur, & vtraq; Schola D.Th. & Scoti, ſcilicet dari ad quantitatem per ſe motum augmentationis.

Fundamentum eſt, quia in quantitate inuenitur vtraque conditio ad motum requiſita, ſcilicet, quòd ſubiectum eius ſit ens in actu, & in ipſa detur contrarietas. Quòd quantitas habeat pro ſubiecto ens in actu, conſtat, quia eius ſubiectum eſt corpus, corpus autem non eſt ſola materia, ſed conſtituitur in eſſe corporis per formam, quia ſi materia de ſe eſſet corpus in actu, generatio ſubſtantialis non terminaretur per ſe ad corpus, ſed ad corpus vt tale, quod eſt non fieri ſimpliciter, ſed ſecundum quid, vt argumentatur Ariſtot. 2. Phyſic. tex. 71. & 76. & Diu. Thom. ibi lect. 14. & 1. de gener. tex. 11. lect. 6. Imò non poteſt intelligi, quomodo forma ſubſtantialis poſſit præbere gradum ſpecificum talis corporis, verbi gratia, lapidis vel ligni, & non gradum genericum corporis ſecundum ſe, cùm ab eadem forma, ſeu entitate proueniat gradus ſpecificus, & genericus, alias diſtinguerentur realiter. Et ſi Deus ſepararet formam lapidis à materia, eſſet in illa forma gradus ſpecificus ſine generico, quod repugnat. Sic

ergo materia habet rationem corporis per formam, atque adeò corpus eſt ens in actu & non pura potentia, vtpote compoſitum ex mataria & forma ergo ſubiectum quantitatis, quod eſt corpus, eſt ens in actu, & non ſolum pura potentia; ſimiliter quantitas habet contrarietatem, quia habet diſtantiam, & latitudinem terminorum, ſecundum incrementum & decrementum, non minus quam inter loca diſtantia datur contrarietas.

Nec obſtat, quod Philoſ. in cap. de quantitate docet, quantitati nihil eſſe contrarium. Et deinde, quia magnum, & paruum relatiuè opponuntur non contrariè. *Reſpondetur* enim, quòd contrarietas poteſt ſumi dupliciter. Vno modo propriè non contrarietate ſpecifica, id eſt inter duas ſpecies, quæ ſub eodem genere maximè diſtant. Alio modo minus propriè pro contrarietate quaſi terminatiua, ſeu modali, ſcilicet quando inter aliquos terminos datur diſtantia, ſeu latitudo percurrenda, in qua acquiruntur ſaltem diuerſi termini, ſeu modi, ſicut in eodem ſpatio datur hoc modo contrarietas locorum, & in eadem qualitate datur contrarietas graduum ſecundum intenſionem, & remiſſionem. Prima contrarietas negatur in quantitate à Philoſoph. non ſecunda; ſpecies enim quantitatis, vt linea & ſuperficies, non ſe expellunt à ſubiecto, neque contrariantur. Quod verò dicitur relatiuè opponi magnum, & paruum. *Reſpondetur*, verum eſſe ſi ſumantur comparatiuè, non verò ſi ſumantur abſolutè ſecundum quod important diſtinctos terminos ſecundum latitudinem, & diſtantiam in eadem quantitate; ſicut etiam de intenſione, & remiſſione penes magis & minus in qualitate dicendum eſt.

Sed dices, quantitatem quidem de ſe habere conditiones ſufficientes ad motum, ſed tamen ab extrinſeco impediri, quia ſequitur ad ſubſtantiam immediatè, vt propria paſſio, & ſic non per ſe, & immediatè terminat motum, ſed mediatè. *Reſpondetur*, quantitatem in prima generatione ſubſtantiæ, conſequi ad modum propriæ paſſionis: in aggeneratione autem, ſeu incremento non ſe habet, vt propria paſſio, ſed eſt accidens contingens, quod poteſt adeſſe, & abeſſe: neque habet neceſſariam connexionem cum re, quæ augmentatur: accidentale enim eſt viuenti, quòd habeat tantum vel tantam latitudinem augmenti, vel decrementi, cùm ſine illa poſſit conſeruari in minori, vel in maiori, & ſic poteſt diſtinctum motum terminare, non ſolum ab ipſa generatione, qua primo producitur ſubſtantia, ſed etiam ab aggeneratione, qua producitur pars ſubſtantiæ, eò quòd benè poteſt dari nutritio, ſeu aggeneratio ſine eo, quod detur augmentatio, vt cum viuens peruenit ad terminum ſui incrementi, & deinceps conſeruatur, & nutritur, & non creſcit, nec decreſcit, quia quantum aduenit de ſubſtantia, tantum deperdit. Ergo requiritur diſtincta actio præter nutritionem, qua ita ſuperaddatur noua quantitas, quod de præcedenti non tantum conſumatur, quantum ſuperadditur: hoc enim ſpeciale eſt in augmentatione, neque inuenitur in ſola nutritione, & ita eſt actio diſtincta, quæ reſpicit nouam quantitatem non abſolutè, vt poterat conſequi ad ſubſtantiam; ſed vt creſcentem, id eſt ita ſuperaddentem ad quantitatem antiquam, quod non æque, vel plus deperdatur, quàm acquiratur, ad quod requiritur noua terminatio quantitatis ſecundum latitudinem maioris, vel minoris extenſionis, quod ſufficit ad diſtinctum motum, licèt præſupponat aliam priorem actionem ad ſubſtantiam, ſicut in qualitate motus intenſionis, & remiſſionis reſpicit

diuersam terminationem qualitatis, & tamen est distinctus motus ab alteratione simplici.

Ad fundamentum primæ sent. Respond. negando antecedens; Ad probationem dicitur, quod siue quantitas partialis producatur de nouo, siue tantum vniatur præexistenti, nunquam habet pro subiecto nudam materiam, sed ipsum corpus viuens, quod est subiectum quantitatis, neque ad augmentandam quantitatem sufficit solum nutritio, vel aggeneratio, vt præcisè tangit substantiam, quia saluari possunt tales actiones sine augmentatione, vt quando viuens nutritur, nec tamen crescit, & tamen sequitur quantitas ad illam partem. Quare requiritur diuersa actio, quæ respiciat quantitatem vt superaddentem ad præcedentem quantitatem, & producentem ipsas partes quantitatis, vel saltem terminationem earum nouam, quæ faciat crescere præcedentem, & hæc habet pro subiecto substantiam ipsam viuentis, tam præcedentem, quam de nouo aggeneratam, quia vtramque immutat, licèt diuerso modo; præcedentem enim immutat tanquam id, cui accessionem quantitatis adiungit, & terminationem eius, quæ minor erat, in maiorem immutat; substantiam verò de nouo nutritam, & aggeneratam respicit, vt subiectum illius partialis quantitatis, non absolutè, sed vt coniungendæ præcedenti, & distinctam terminationem maioris extensionis constituentis.

Ad secundum fundamentum respondetur, quantitatem non recipi in sola materia, sed in ipso composito, quod est corpus, vt iam diximus, & amplius in libris de generatione ostendetur. Dicitur autē quantitas coæua materiæ, sicut forma corporeitatis, ad quam sequitur, non quòd eadem numero forma semper sit in materia, neque eadem numero quantitas quæ formam sequitur; sed quia nunquam deest aliqua forma corporeitatis materiæ, neque aliqua quantitas. *Et quando* dicitur, quòd adueniente noua quantitate, non producitur ipsa noua quantitas, sed indiuisibile aliquod vniens partes eius. *Resp.* Ipsā etiam quantitatem partialem produci quia quantitas illa quæ erat in alimento v.g. in pane corrumpitur, sicut ipsa forma panis, & ad introductionem formæ viuentis, consequitur etiam noua quantitas propria viuentis, quæ tamen in quantum facit crescere præcedentem, & constituit maiorem, vel minorem quantitatem, secundum distinctam terminationem, accidentalis est ipsi viuenti, & potest produci distincta actione, quæ est augmentatio, & non vt propria passio resultabit. Quòd si quantitas fit de nouo in illa parte, quæ aggeneratur inconueniens est, quòd solùm ipsum indiuisibile producatur de nouo per augmentationem, & quantitas ipsa dimanet, quantum ad partes indiuisibiles tum, quia non est maior ratio, quòd consequatur quantitas ad substantiam, quantum ad partes diuisibiles, quam quoad indiuisibilia, v.g. lineam vel superficiem, cum sine istis non constet quantitas, neque coalescat: tum quia quando fit continua aggeneratio ignis per papyrum, vel viuentis per alimentum, cùm illa indiuisibilia non sint immediata, discontinuabitur ille motus: & cùm non sit maior ratio, quòd attingat vnum indiuisibile, quàm aliud, attinget omnia distinctis actionibus, non continuando per partes si illas non producit; & consequenter requirentur infinitæ actiones, sicut sunt infinita indiuisibilia, si quodlibet seorsum percurritur, & attingitur,

Ad vltimum patet ex dictis, quòd nutritio formaliter solùm attingit substantiam partialem, quæ secundum se non producitur, vt habens contrarium nec realiter, nec modaliter, siue secundum diuersam terminationem, imò etiam vt habet quantitatem adiunctam, adhuc non producitur per motum, & actionem distinctam ipsa quantitas partialis absolutè considerata, sed secundum quod induit diuersam terminationem secundum latitudinem, & distantiam maioris, & minoris; sic enim habet sufficientem contrarietatem ad motum augmentationis, & sic illa quantitas in quantum maior non est propria passio viuentis, quia non est illi necessariò connexa, siquidem sine ipsa potest dari tale viuens, est ergo illa terminatio solum accidens, & sic potest terminare distinctum motum ab actione producente substantiam, ex qua resultat propria passio, sed non quantitas, vt maior, vel minor.

ARTICVLVS IV.

Vnde sumatur vnitas numerica motus?

SPecialis difficultas est de principio vnitatis numericæ in motu, quia non sufficit ad illam vnitas numerica termini; tùm quia de illo erit eadem difficultas, vnde sumatur vnitas numerica termini, si enim sumitur ex eo, quod producitur ab ista numero actione erit circulus, sumendo vnitatem numericam termini à motu, & motus à termino, tum quia circa eundem terminum, non repugnat dari plures motus, vt cùm idem locus numero sæpius reperitur. Hoc tamen non multum vrget, quia circa eundem locum extrinsecum per diuersos motus, diuersa vbi producuntur.

Dicendum ergo est, quòd vnitas numerica motus præsupponit quidem vnitatem specificam termini à quo sumitur eius species, & superaddit duplicem continuitatem, scilicet temporis, & mobilis; vt videlicet neque motus interrumpatur quiete ex parte temporis, neque diuersitate subiecti ex parte mobilis. Ita sumitur ex Diu. Thom. in hoc libro lect. 7. vbi inquit: *Ad hoc quòd motus sit continuus, requiritur, quòd sit vnus secundum speciem, quæ quidem vnitas speciei est in motu ex re, in quam est motus. Secundò requiritur, quòd sit vnius, subiecti, quia diuersorum subiectorum motus possunt esse habiti (id est consequenter se habentes) sed non continui. Tertiò requiritur ad continuitatem motus, & vnitatem, quòd sit vnus tempore ad hoc, quòd non interueniat aliqua immobilitas, vel quies, quia si deficeret aliquod tempus motui, in quo, scilicet non moueretur, sequeretur, quòd quiesceret in illo, si autem quies interponitur, erunt multi motus, & non vnus.* Hæc D.Th. Cùm ergo stantibus istis conditionibus non interrumpatur motus, sequitur quòd maneat vnus, quia eius vnitas numerica consistit in continuitate successionis, non in aliqua indiuisibilitate; & ideò requiritur ad eius vnitatem id, quod est commune omnibus accidentibus, scilicet vnitas subiecti, quia in duobus subiectis non est vnum accidens, & requiritur id, quod speciale est motui, scilicet vnitas successionis ex parte temporis.

Si verò inquiras, cur etiam non requiratur vnitas motoris, seu causæ efficientis, & vnitas loci, quia diuersis motoribus, & in diuersis locis non progreditur vnus motus? *Respondetur*, Quòd vnitas motoris entitatiuè, & absolutè non requiritur ad vnitatem motus, quia potest vnicus motus procedere à pluribus causis partialibus in eodem subiecto, vt cùm nauis trahitur à pluribus: solum ergo requiritur vnitas causæ, non quidem numerica, sed vnitatio

ratio causæ totalis; sed hæc non ex ratione motus, vt motus est, sed vt actio, & causalitas, quæ non potest exire à duplici causa totali, quòd etiam est commune omni effectui, vt effectus est, & non solum ratione matus. Vnitas autem loci inuoluitur in ipsa vnitate mobilis, quod in pluribus locis esse non potest: & in vnitate termini, si sit motus localis, quia in diuersis locis non datur vnus terminus.

Sunt tamen quædam vulgares obiectiones, contra has conditiones. Prima, contra vnitatem ex parte termini; quia in motu locali continuo variantur plura vbi, vt cum lapis decidit, vel aliquis ambulat per leucam, variantur diuersa vbi, quia acquiruntur diuersa loca, seu distantiæ, & aliæ amittuntur; & tamen ille motus est vnus numero, quia est continuus tempore, & subiecto. Idem argumentum fit de motu intensionis, qui eadem continuatione acquirit plures gradus, quorum quilibet potest terminare motum.

Secundò, contra vnitatem mobilis est vulgare exemplum in cane decidente de turri, si in medio moriatur, vel si deambulante prægnata, animetur fœtus, illi motus sunt in diuersis subiectis, scilicet cadauere, & cane, & tamen motus est vnus, quia continuus, & nulla quiete interruptus. Ergo non requiritur vnitas subiecti.

Tertiò, contra vnitatemtemporis, quia tempus sumit vnitatem numericam à motu, cùm sit eius duratio. Ergo si motus est vnus ratione temporis, datur circulus in istis vnitatibus desumendis. *Et confir.* quia tempus vel sumitur propriè pro tempore cœli, & hic est vnus pro omnibus motibus mundi; & sic ab illo non potest sumi vnitas numerica cuiuscumque motus; vel sumitur communiter pro duratione cuiuslibet motus. Et tunc dicendo, quòd motus est vnus, quia tempus est vnum, est dicere quod est vnus, quia eius duratio est vna; & hoc est petere principium. Inquirimus enim, quando motus est vnus in duratione & continuitate,

Ad primum relictis variis solutionibus, Resp. quòd in illo motu locali sunt plura, vbi partialia & inadæquata: vnum verò adæquatè, & simpliciter, scilicet illud in quo vltimo sistit motus; reliqua enim, quia in illis non sistitur, potius habent rationem continuantis partes motus, & transitum de vno ad aliud, quam rationem termini: & ita semper saluatur, quòd terminus est vnus, scilicet vbi datur ratio vltimi. Quòd si motus sistat in medio, illud vbi habet rationem termini, hoc ipso, quòd in eo sistitur; & tunc ab eius vnitate pendet motus, sicut de vnitate numeri diximus in Logica, q.16.

Ad secundum resp. quòd in illis casibus discontinuantur motus propter discontinuationem subiecti, supposito quod non manent eadem accidentia in genito, & corrupto, vt ostendemus in libris de generatione, licèt maneat accidens simile. Et ita fallitur sensus videns continuari eundem motum, cùm tamen non sit idem numero, sicut quando iudicat esse eandem virgam, quæ partim est viridis, partim sicca, cum tamen non sit continua, sed contigua; & si proiiciatur, videtur ferri vnico motu, cùm tamen duplici feratur propter duplex subiectum, sicut etiam plura ligna ligata videntur ferri vnico impetu, & tamen pluribus motibus mouentur, sic in illo instanti, quo generatur cadauer descendente cane, incipit alius motus inceptione extrinseca, quia in illo instanti motus non est, sed finis motus præcedentis, & inchoatio extrinseca sequentis, sufficitque illa quies negatiua, vt in diuersis subiectis discontinuentur motus. Et si dicas, quòd illi motus copulantur vnico instanti indiuisibili, ergo sunt partes continuæ, & non contiguæ. *Resp.* hoc intelligi de copulatione partium motus, vel quantitatis in eodem subiecto, in diuersis autem subiectis vnico instanti finiuntur, & incipiunt extrinsecè diuersi motus, qui erat in cane in instanti corruptionis non habet mutatum esse à se productum, sed à generatione cadaueris præuentum, à qua generatur in eo loco, in quo debebat poni à motu, si non desineret motus corrupto subiecto, & ideo non est continuatiuum cum motu cadaueris, sed extrinsecè ab illo incipit sequens pars motus cadaueris. Quomodo vero possit continuari idem motus in ascensu, & descensu, si per impulsum res proiiciatur deorsum, & eodem impetu transeat vltra centrum, aut etiam resiliendo à pariete faciat motum reflexum, ita quòd quies aliqua interrumpat illum motum, dicemus in lib.8. qu.23.

Ad tertium resp. motum, & tempus ad inuicem indiuiduari in diuerso genere causæ tempus à motu in genere causæ materialis, motus à tempore, seu potius à non interruptione temporis in genere conditionis, seu formalitatis requisitæ ad vnitatem motus, negatio enim vt conditio solum se habet, sicut materia indiuiduatur à quantitate, vt à conditione, quantitas à materia, vt à subiecto. Neque in diuerso genere causæ circulus vitiosus est, vt in libris posteriorum ostendimus. *Ad confirm. resp.* quòd vnitas motus pendet ab vnitate temporis, non vt est tempus primi mobilis, quod omnia comprehendit, neq; vt est tempus proprium huius motus in singulari positiuè, sed solum negatiuè, id est quatenus illa duratio particularis quiete non interrumpitur: & sic pendet vnitas numerica motus à negatione interruptionis, vt à cōditione, quidquid sit de positiuo tempore, quo mensuratur motus.

ARTICVLVS V.

Quæ sit contrarietas in motibus, & vnde sumatur?

CONtrarietas in motibus potest intercedere, vel inter motum, & motum sicut frigefactio, & calefactio, sicut moueri in album, vel quiescere in albo, vel inter corruptionem, & generationem respectu eiusdem rei.

Dico ergo primò, contrarietas duorum motuum inter se sumitur ex contrarietate obiectorum, seu terminorum ad quos, non ex contrarietate terminorum à quibus formaliter, & per se loquendo, licèt quando est contrarietas perfecta motuum, etiam inueniatur contrarietas in terminis à quibus. Est D.Thom. in hoc lib.5. lect.8. & Philos. ibidem à text. 47. vsque ad 50. *Et ratio* primæ partis est, tum quia termini ad quos dant speciem motui, ergo & contrarietatem, hæc enim conuenit ratione speciei; tum quia termini à quibus relinquuntur termini ad quos assumuntur à motu, ex eo ergo quod termini à quibus sint contrarij solum sequitur, quòd recedat à contrariis, ex eo verò quòd accedat ad terminos ad quos, accipit contrarietatem, si illi contrarij sint. Imo ex contrariis terminis à quibus, contingit peruenire ad eundem terminum, vt ex albo & nigro in viride Ergo contrarietas terminorum à quibus non constituit contrarietatem motuum per se. Secunda vero etiam ad contrarietatem conducunt quia motus petit contrarietatem inter terminum à quo, & ad quem, cùm versetur inter termi-

nos positiuos & contrarios. Ergo sicut datur contrarietas inter terminos ad quos: ita supponetur contrarietas ex parte terminorum à quibus, si perfecta sit.

Dico secundò, in mutationibus, quæ non versantur inter terminos contrarios; sicut sunt mutationes substantiales, contrarietas earum non sumitur ex contrarietate terminorum, sed ex accessu, & recessu respectu eiusdem termini. Ita Diu. Thom. & Philos. citat. loco. *Ratio* est, quia in his mutationibus termini propriè non habent contrarietatem, licèt habeant impossibilitatem, sicut vt forma substantialis non compatitur cum alia, licèt non habeat contrarietatem, sicut generatio equi, & generatio ignis contrarietatem non habent ex parte terminorum ad quos. Ergo contrarietas istarum mutationum, qualis est inter corruptionem, & generationem, debet sumi respectu eiusdem termini, quia generatio ignis, & corruptio eius sunt opposita passiua, & non relatiuè, ergo contrariè. Sumitur ergo in eis contrarietas per hoc, quòd recedatur, vel accedatur circa eundem terminum: recessus enim & accessus motus contrarij sunt, si respiciant eundem terminum: sicut etiam in passionibus animæ datur aliquando contrarietas non penes obiecta, seu terminos contrarios, sed penes accessum, & recessum erga idem obiectum, vt spes & desperatio, timor & gaudium respectu eiusdem obiecti, vt docet Diu. Thom. 1.2. q.23. art.1. vbi etiam tradit totam hanc doctrinam.

Dico tertiò, contrarietas inter motum, & quietem sumitur ex terminis oppositis, in quibus aliquid quiescit, vel mouetur; respectu verò eiusdem termini quies & motus non contrariantur entitatiuè; licet quies habeat priuationem motus. Sumitur ex Aristotel. & D. Thom. in hoc lib. à text. 53. lect. 9. *Ratio* est, quia cùm aliquid mouetur à contrario in contrarium, verbi gratia, ab ęgritudine ad sanitatem, non contrariatur quies in sanitate, motui in sanitate: motus enim ad sanitatem, tendit ad quietem in illa; terminus autem ad quem non contrariantur motui, sed perficit, & consummat illum. Ergo neque quies in tali termino: sed quies in opposito, verbi gratia, in ægritudine contrariatur motui ad sanitatem. Sed tamen, quia quies in termino ad quem, facit cessare motum, & priuat illo, dicimus opponi motui non quantum ad entitatem, quia hæc identificatur cum termino ad quem, sed quies opponitur ipsi moueri seu tendentiæ de vno ad aliud, quod est imperfectionis in motu. In mutationibus autem in quibus non est contrarietas, vt in substantia non datur propriè quia contraria mutationi, sed solum quædam negatio mutationis in esse. Hæc enim opponitur corruptioni; eò quòd corruptio recedit à quiete, seu mansione in esse. Quieti verò, seu immutationi in non esse, non assignatur motus oppositus, quia quiescere in non esse solum dicit negationem ipsius esse, non autem importat aliquod subiectum, circa quod versetur motus.

Quæri solet, an possit aliquid secundum eandem partem moueri duplici motu contrario alterationis, vel locali? Secundò, an possit aliquid moueri transeundo de extremo ad extremum, & non per medium? *Ad primum respondetur*. Quòd duplici motu locali non potest aliquid moueri, quia locus est adæquatus locato, vndè si datur duplex vbi, seu locus respondens duplici motui, quantumcumque minimè distent, non erit locus adæquatus locato. Et eadem ratione non potest aliquid moueri duplici motu augmentationis, quia non fit sine aliqua distantia loci, quem occupat noua quantitas. At verò duplici motu alterationis in gradibus remissis non repugnat aliquid moueri, sed in gradibus intensis, quia termini alterationis sunt compatibiles in gradibus remissis, vt calor & frigus; ergo & motus, quia vterque agens non impeditur agere, nisi ratione materiæ in qua non compatitur eius effectus. Ergo si compatitur, non repugnat ab vtroque agente procedere motus contrarius, & recipi in eodem subiecto, sicut & terminus eorum. In gradibus autem intensis, termini repugnant & se expellunt, ergo & actiones.

Ad secundum respondetur, non posse in motu continuo locali fieri transitum de extremo ad extremum, nisi per medium, licèt non semper per lineam rectam, eo quod continuitas motus dependet ex continuitate spatij. Si autem non transitur per medium, discontinuatur. Et quia motus localis totam suam quantitatem habet ex parte spatij, in quo acquirit loca; & sine quantitate non habet successionem, quæ ad eius essentiam pertinet; ideò si fit transitus sine medio ad extremum in eo ille transitus carebit spatio, & consequenter quantitate, & successione, atque adeo essentia motus Physici. Angelus autem, quia non pendet à spatio in suo motu, potest per motum discretum transire ad extremum sine medio; & Deus potest transferre corpus ad alium locum sine medio, sed non per motum talis corporis, quia hic semper dependet à spatio in sua diuisibilitate, & successione; est autem de ratione motus physici, quòd sit successiuus, & diuisibilis & quantitatem habeat. Angelus autem, quia non potest corpora mouere, nisi motu locali, non poterit sic transferre corpus. Quomodo verò globus perfectus moueatur de puncto in punctum per planum non tangendo partes, dicemus qu. seq. art. 2.

CIRCA

CIRCA LIBRUM SEXTUM, DE DIVISIONE MOTUS, ET CONTINUI PER PARTES.

QUÆSTIO XX.

De Partibus, & Indiuisibilibus continui.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sint partes proportionales, & indiuisibilia?

NIHIL vulgatiùs apus omnes est, quàm quòd continuum componatur ex partibus & indiuisibilibus, tam in quantitate permanente, quàm in successiua.

Partes tam in successiuo, quàm in permanenti solum sunt duplicis generis, quædam vocantur aliquotæ, seu designatæ, quarum quælibet addit aliquid diuisibile ad aliam, sine communicatione cum illa: aliæ vocantur proportionales, seu indesignatæ quæ entitatiuè non distinguuntur ab aliquotis, sed intra eandem partem aliter atque aliter secundùm diuersas proportiones, & comparationes diuisibilitatem eius explicant, ita quòd nunquam potest diuisibilitas partis exhauriri, sed quacunque signata illa potest diuidi, & partes in quas diuiditur etiã possunt seruire alteri immediatæ, vt per illas diuidatur, & hoc est istas partes proportionales esse communicantes inter se, non quia penetrantur, sed quia quæ deseruiunt vni, si designetur, etiam possunt seruire sequenti, si designetur, & sumatur vt diuisibilis.

Indiuisibilia habentia positionem in continuo permanenti sunt tria, scilicet punctum, quod caret omni parte: linea, quæ caret partibus latitudinis: & profunditatis: superficies, quæ caret partibus profunditatis, de quibus egimus in Logica, quæstione 16. Indiuisibilia successiua sunt duplicis generis, quædam pertinent ad motum, & vocantur mutata esse, terminatur enim motus in fieri per mutatum in facto, & similiter per illud continuatur, si ibi non sistat motus. Alia pertinent ad tempus, & vocantur instantia, quæ non distinguuntur à mutatis esse, nisi sicut duratio à re durante, & sicut tempus à motu.

His suppositis circa indiuisibilia, & partes continui, quinque se offerunt explicanda. Primum, vnde constet in Philosophia dari ista indiuisibilia, & istas partes proportionales. Secundum, an indiuisibilia sint aliquid positiuum & reale. Tertium, an indiuisibilia, & partes proportionales sint actu in ipso toto, vel solum in potentia. Quartum, an sint actu infinita. Quintum, an inueniantur indiuisibilia etiam in substantia, & aliis accidentibus præter quantitatem. Tria prima in hoc articulo tractabimus, reliqua in seq.

Prima difficultas.

PRimò ergo quæritur vnde deducatur dari partes proportionales, & indiuisibilia in continuo? *Respondetur*, quòd supposito quòd sensu constat dari partes diuisibiles, certas, & designatas, in quas quotidie videmus diuidi quantitatem, easque competere quantitati, etiam separatæ, vt in Eucharistia; discursu ducimur ad intelligendum dari partes proportionales ad inuicem communicantes, supponendo id quod articulo sequenti ostendetur, quòd nullum diuisibile potest solui in indiuisibilia, ita quòd partes eius diuisibiles non sunt, ex hoc enim constat, quòd cum omnis pars in continuo hoc ipso quod sumitur vt pars, sit diuisibilis, necessario illi assignandæ sunt partes, quæ etiam diuisibiles sint, quarum quamlibet si velimus assumere, etiam diuisibilis erit, sed in partes quæ conueniebant ipsi parti prius diuisæ, quia est sibi immediata, & sic sunt partes communicantes ad inuicem, quarum vna seruit diuisioni alterius, & cum quælibet diuisibilis debeat includere partes, nunquam potest exhauriri diuisibiliias istarum partium, ita quòd remaneat aliqua indiuisibilis.

Dari autem indiuisibilia in continuo, deducitur partim aliquibus experientiis, partim ex ipsa ratione secundùm officium, quod exercent ista indiuisibilia terminandi partes, & continuandi. Experientiæ sunt, in primis, quia lux in corpore perfectè opaco tantum recipitur in superficie, quia si vltra illam transiret, hoc ipso non esset opacum, sed aliquo modo diaphanum. Similiter locus ambit locatum secundùm vltimam superficiem, quia si tangeret secundùm profunditatem, locus non adæquaretur locato, sed secundùm aliquid diuisibile excederet. Item si daretur globus perfectè sphæricus, & tangeret perfectè planum, tangeret illud in puncto, quia si in aliquo diuisibili tangeret, in illo globus adæquaretur plano, & sic non esset perfectè sphæricus. Quomodo autem sic tangens in puncto moueri possit per planum sequenti articulo dicemus.

Ratione verò deducitur dari ista indiuisibilia, tùm ob terminationem partium in continuo, tùm propter continuationem. Et quidem terminari quantitatem clarè videmus, cùm sit finita, implicat autem terminari aliquo diuisibili, quia si hoc diuidatur, prius sumetur vna medietas quàm alia, & sic prius terminabitur illa, & rursus in prima illius medietate terminari non potest, quia etiam diuisibilis est in alias medietates, & sic currit idem argumentum, quousq; deueniamus ad aliquod, quod vltra diuisibile non est, & hoc est indiuisibile. Similiter constat vnã quantitatem tangere aliã sine penetratione, ergo per indiuisibile, quia si tangeret in aliquo diuisibili,

totam

totum illud esset simul & non extra ad quod tangitur, & sic penetraretur.

Quantum verò ad officium continuandi partes, licèt sensui minus manifestum sit, tamen ex ipsa ratione continui deducitur; quia sicut ea dicuntur se tangere, seu contigua esse, quorum extrema sunt simul, id est, quando duæ superficies iunguntur, ita ea dicuntur continua, quorum partes termino, seu indiuisibili communi copulantur. Quod ideo necessarium est, quia si vna pars diuisibilis copularetur alteri diuisibili se ipsa, & non per extremitatem seu indiuisibile, penetraretur, siquidem se tota vniretur cum illa, & non tantum per extremitatem, sed taliter, quòd in quantum diuisibilis vniretur, & sic pars vnita esset intra aliam, quia quòd vniretur alteri parti, vniretur per aliquid, quod posset diuidi, & sic non sola medietas illius esset vnita, sed etiam altera medietas, atque adeo non esset tota extra aliã, sed intra, quod est penetrari cum illa, & cõfundi. Ratio ergo cur pars est extra partem in loco, & nihil vnius est intra aliam, est, quia vnitur per indiuisibile, quo copulatur alteri, & non intrat in aliud.

Secunda difficultas.

SEcundò *quæritur*, an ista indiuisibilia sint entia positiua distincta realiter à partibus? *Respondetur*, indiuisibilia ista, neque dicere solam negationem vlterioris extensionis, neque partem ipsam cum connotatione talis negationis: neque ipsam formalem vnionem partium, sed realitates esse per se vel reductiuè pertinentes ad quantitatem. Explicantur singula; non sufficit negatio prædicta, quia ista indiuisibilia requiruntur ad contactum positiuum, nec solum deseruiunt, vt quantitas dicatur finita, & limitata; hoc enim posset etiam intelligi negatiuè per hoc, quòd vlteriores partes non haberet; sicut dici solet communiter, quòd si Deus impediret, ne resultaret indiuisibile terminans, quando aliquid diuiditur, maneret quantitas terminata negatiuè non positiuè. Sed tamen requiritur positiuus terminus, seu indiuisibile, quia quantitas habet positiuum contactum cum alia quantitate, qui contactus non fit in aliquo diuisibili, sic enim intraret pars tangens cum parte contacta, non totaliter maneret extra: nec fit in aliqua negatione, quæ sic tangeret in nihilo, sine resistentia penetrationis sicut si tangeret vacuum, quod est negatio corporis. Et eadem ratione non sufficit entitas partium diuisibilis, & positiua, cum connotatione negationis aliarum partium, quia id quo formaliter fit ipse contactus, neque est illa negatio connotata, quia sic tangerentur in nihilo, neque ipsæ partes connotantes, quia diuisibiles sunt, & diuisibile si tota diuisibilitate iungitur alteri, non tangit extra manendo, sed penetrando, seu intra alteram manendo.

Quòd verò indiuisibile non dicat ipsam formalem vnionem, constat manifestè in ipso indiuisibili terminante, quod est verum indiuisibile, & non vnit, sed terminat partes; imò indiuisibile continuans potius reddit partem vnibilem, quam formaliter vniat, eò quòd reddit partem non se tota communicabilem alteri, & penes diuisibilitatem, sed penes extremitatem, quæ est vnibilis alteri sine penetratione: sed manendo extra partem. Potius ergo indiuisibile reddit partem sic communicabilem impenetratiuè, quàm sit ipsa formalis communicatio, seu vnio.

Denique, quòd sit realitas pertinens ad prædicamentum quantitatis per se, vel reductiuè constat, quia linea, & superficies sunt veræ species quantitatis continuæ, habentes suam specialem dimensionem, qua parte diuisibiles sunt, ergo sunt realitates per se pertinentes ad quantitatem. Punctum autem quia caret omni parte & extensione, solum pertinet reductiuè ad quantitatem, tanquam positiuus terminus eius. Et D.Thom. opusc. 36. cap. 2. sentit, quòd est aliqua realitas, dicit enim; *Quòd punctus nihil est de ipsius lineæ essentia, quia nihil vnum & idem realiter omnibus modis indiuisibile potest simul in diuersis partibus eiusdem continui permanentis esse. Nec potest esse terminus eius, vel continuatio aliqua, cùm ille punctus sit aliquid vnum realiter, vnde non possunt esse plures puncti realiter. In linea tamen sunt plures puncti, & realiter ad inuicem diuisi, vt duo eius termini, & similiter in eius continuatione.* Ita D.Thom. Qui etiam videri potest q. 3. de poten. art. 17. ad 5. vbi dicit: *Quòd instans est aliquid temporis, non vt pars, sed terminus.* Est ergo indiuisibile aliquid positiuum, cum effectus habeat positiuos, pertinetque ad quantitatem, eo modo quo dictum est.

Quòd si dicas, videri superflua ista indiuisibilia, tùm quia sola negatione vlterioris extensionis potest quantitas finiri, præsertim si Deus impediat, ne facta diuisione resultet aliquod distinctum indiuisibile; tùm etiam, quia qualitas, & alia accidentia habentia latitudinem, non requirunt indiuisibilia ad vnionem suarum partium, ergo nec extensio quantitatis, & similiter partes substãtię vniuntur sine indiuisibilibus, aliàs essent impenetratæ, etiam sine quantitate; tùm denique, quia quantitas corporis Christi in Sacramento vnit suas partes in diuisibilibus, neque enim caret illis, sicut neque in cœlo, & tamen penetratur illa quantitas, ergo indiuisibilia non requiruntur propter impenetrationem partium.

Respondetur ad primam probationem, quòd quantitas sola negatione posset finiri negatiuè, non tamen positiuè, id est, secundùm situm & ordinem resistentem penetrationi, & sic facientem contactum positiuum. Quòd si Deus impediret resultantiam indiuisibilis, maneret illa quantitas penetrabilis, & continuabilis cum alio indiuisibili, si ei applicaretur non contiguabilis.

Ad secundam probationem dicitur, plures etiam concedere indiuisibilia in intensione qualitatis, de quo dicemus in libris de Generatione. Quidquid tamen sit, dicimus cum Conimbric. hîc q. 1. ad 3. Ad primũ esse disparem rationem, quia in partibus qualitatis, vt qualitas est, non requiritur situatio, & impenetratio, imò in eadam parte & in eodem puncto fieri potest intensio, in partibus autem quantitatis requiritur impenetratio, ita quòd partes se totis non vniantur; sed situatione extremitatum, & indiuisibilium, vt vna pars sit extra aliam. De Substantia verò dicemus dub. 5. non habere indiuisibilia sine quantitate, vt etiam diximus in Logica q. 16.

Ad tertiam probationem dicitur, quòd partes corporis Christi in Eucharistia etiam vniuntur indiuisibilibus in ordine ad totum, quia partes illæ non sunt confusæ, & se totis vnitæ, & sic quantum est ex se petunt non penetrari cum alia quantitate, etiam quoad locum, sed hic effectus secundarius impeditur in illis partibus, quia non situantur in loco modo quantitatiuo, sed modo indiuisibili substantiæ. Quomodo autem recipiantur indiuisibilia in substantia, si illa indiuisibilibus caret, dicemus dub. 5. eadem enim ratio est, ac de partibus, nec enim est necesse, quòd in substantia sint partes, & indiuisibilia actu, & formaliter, sed solum virtualiter, & secundùm capacitatem.

Tertia difficultas.

TErtiò *inquiritur.* Vtrum ista indiuisibilia sint actu in continuo vel in potentia? Tres sunt sententiæ. *Quidam* omnino negant, tàm continua quàm terminatiua esse in actu. Contra quos egimus dubio primo. *Alij* terminatiua ponunt in potentia, continuatiua verò in actu. *Alij* è contra terminatiua ponunt in actu, & continuatiua in potentia, de quo Fonf.5.Metaphys.cap.16.q.6. qui solum concedit superficiem externam, physicè & actu dari, lineas verò & puncta solum mathematicè intra ipsum corpus, & de partibus proportionalibus, eadē est difficultas, an dentur actu in cōtinuo, nō enim desunt qui id negant.

Nihilominus resolutio est, dari actu in continuo indiuisibilia, tàm terminatiua, quàm continuatiua, hæc enim solum differunt penes munus, & officium, continuatiua enim sunt finis vnius partis, & principium alterius, terminatiua autem solum sunt finis, vel solum principium. Similiter etiam partes proportionales dantur actu quantum ad suam realitatem, secundùm quam non distinguuntur physicè ab aliquotis.

Prima pars conclusionis sumitur ex D. Thom. opusc.36.c.2.vt supra retulimus, vbi dicit quòd in linea sunt plures puncti, & realiter ad inuicem diuisi, & similiter in eius continuatione, & in hoc lib.lect. 5.in fin. generaliter docet, *quòd omnis linea est media inter duo puncta*, sicut ergo datur linea in actu, ita & puncta. Videri etiam potest 28.de veritat.art.2.ad 10. *Ratio* sumitur ex supra dictis, quia continuum, & contiguum datur in re, actu, & physicè, sed continuum est cuius partes vnico termino, seu indiuisibili copulantur, contigua autem, quorum extrema seu indiuisibilia sunt simul, ita quòd duo indiuisibililia se tangunt, ergo sicut datur actualis copulatio partium continui, & actualis contactus continui, ita etiam dantur actualiter indiuisibilia. Similiter partes manent actu impenetratæ, quòd habent beneficio indiuisibilium, quibus vniuntur; ergo talia indiuisibilia sunt in actu.

Secunda verò pars de partibus proportionalibus constat, quia partes proportionales sunt inclusæ in aliquotis, nec ad illas faciunt additionem, sed solum explicant modum indiuisibilitatis earum, quia diuisibilitas exhauriri non potest per diuisionem, & solui in indiuisibilia, vt sequenti articul. dicemus. Itaque illa est pars aliquota, & designata, in qua est dare primum & vltimum, partes autem proportionales in quibus non est inuenire primum, & vltimum, quòd amplius non sit diuisibile. Constat autem, quòd in eadem parte in qua assignamus primum, & vltimum secundum terminationem, non est assignare primum, & vltimum secundum diuisionem, & sic ad eandem entitatem partis pertinet esse aliquotam & includere in se partes proportionales ratione diuisionis, & sic sunt ipsæmet partes aliquotæ in quantum inexhauribiles per diuisionem, taliter quòd soluantur in partes non amplius diuisibiles, licèt per diuisionem designatam, & aliquotam, id est in alias partes etiam diuisibiles finiatur quodcumque diuisibile.

Sed obiicies, quia Diu. Thom. sæpius assignat istas partes, & indiuisibilia in potentia, non in actu; vt patet in 1.Physf.lect.9.vbi inquit: *Quòd quantitas totius consurgit ex partibus, sed hoc intelligendum est de partibus existentibus actu in toto, sicut caro, neruus, & os existunt in animali, & per hoc excluduntur partes totius continui, quæ sunt in potentia ipsa.* Et in 4.dist.10.q.1. art.2.q.3.ad 1.dicit: *Quòd partes alicuius homogenei cōtinui ante diuisionem non habent esse actu, sed potentia tantum.* Et hac ratione in partibus hostiæ, non dicitur poni Christus infinities, quia non sunt infinitæ partes in actu, sed in potentia, vt videri potest 3. part. q.76.art.3.ad 1.& in 4.dist.12.q.1.art.2.quæstiunc.3. *Respond.* D.Thom. non loqui de partibus quantum ad entitatem, sed quantum ad numerum, sic enim sunt in potentia plures, quia non sunt actu diuisæ; vt clarè deducitur ex ipsis verbis S.Thom. loco illo allegato ex 4.Sent. concludit enim: *Vnde in actu non est accipere ipsarum partium numerum, sed potentia tantum.* Et eodem modo loquitur in 7. Methaphysf. lect. 3. quando dicit: *Quòd duo dimidia in vna linea sunt in potentia tantum*; quia scilicet non sunt diuisa, & consequenter neque plura in actu, & quando 1.par.q.85. art.8.ad 2.dicit: *Quòd in linea infinita, & circulari non est punctum, nisi in potentia*, loquitur de puncto vt terminante.

Dices secundò. Quando diuiditur quantitas resultat noua superficies, & in linea nouum punctum, ergo illud antea erat in potentia, aliàs non resultaret de nouo. Item illa puncta, & partes proportionales non habent propriam vnitatem, sed vnitatem, totius, aliàs essent diuisa; ergo neque realitatem, hæc enim vnitatem sequitur. Item omnes partes, in quas diuidi potest continuum actu ibi sunt, nec enim per diuisionem crescunt; & continuum diuidi potest in infinitum, ergo actu sunt infinita: & cùm successiuè percurrantur à motu omnes illæ, in quas potest diuidi, motus erit infinitus, & sic impertransibilis.

Ad primam instantiam respondetur, quòd in diuisione quantitatis aliquando resultat noua superficies simpliciter in termino diuisionis, aliquando non simpliciter resultat, sed illud quod erat continuatiuum, redditur terminatiuum per hoc solùm, quòd partes quæ immediatè post illud indiuisibile sequebantur, ab illo separentur, sed quia immediatè post indiuisibile non sequitur aliud in continuo, sed pars, ideò si diuisio fiat in parte; & non in ipso indiuisibili, necesse est quòd resultet nouum indiuisibile in actu, quod anteà non poterat esse nisi in potentia. Ad secundam dicitur, quòd illæ partes, & illa indiuisibilia habent vnitatem partialiter, & communicantem in vnitate continui, non absolutè distinctam, & eo modo etiam habent vnitatem partialem. Ad tertiam respondebitur artc.sequenti.

ARTICVLVS II.

Vtrùm indiuisibilia & partes proportionales sint actu infinitæ in continuo?

MVlti affirmant, sed tamen quia istæ partes sunt se communicantes, non afficiunt actu & categorematicè infinitum. *Ita* ex Patre Suarez disp.40. Metaphy. sect.5. Rubio & aliis docet Cabero hìc disp.1.dub.2.alij, & est communior sententia solum agnoscunt infinitas partes, & indiuisibilia in potentia.

Procedit autem ista quæstio inter duas difficultates: nam ex vna parte videtur concedendum esse infinitum in actu. Si verò hoc effugimus, inciditur in aliud inconueniens, quia diuisibile vltimatè per diuisionem finietur, & terminabitur. Vtrumque probatur, nam partes omnes in quas potest diuidi continuum actu sunt in illo, & simpliciter omnia indiuisibilia quæ actu vniunt istas partes, vel ergo quælibet pars diuidi potest in aliam atque aliam distinctam vel non potest, ita quòd sit deuenire ad aliquam, quæ vlterius diuisibilis non est. Si hoc secundum dicatur, erunt quidem partes finitæ, sed tamen diuisibile exhaurietur per diuisionem, *Si* verò dicatur primum, necessariò debent esse partes actu infinitæ, & non solùm in potentia, quia cum in infinitum diuisibilis

sit illa quantitas, vt contentæ in continuo, infinitæ actu esse debent, quia quantùm est diuisibile in ea quæ insunt, ergo omnes illæ in quas potest diuidi quantùm in infinitum, actu insunt in illo. Nec potest dici, quòd sunt partes se communicantes, quæ non faciunt infinitum simpliciter. Nam contra est, quia etiam sine vlla communicatione partium, & separando quancumque medietatem ab alia, & non repetendo easdem partes, quælibet est diuisibilis in alias distincta, alioquin si per repetitionem, & communicationem partium diceretur diuidi in infinitum, non est in infinitum diuisibile, sed repetibile.

Item si solum dantur partes infinitæ in potentia, finitæ autem in actu; ergo etiam erunt indiuisibilia finita in actu, & sic solum partes finitæ afficientur indiuisibilibus, & actu manebunt impenetratæ; reliquæ verò quæ in infinitum diuidi possunt, penetratæ manebunt, & non potest assignari, quibus competat habere indiuisibilia & quibus non, imò oportet assignare quomodo punctum afficiat partem, quia cùm quælibet pars sit diuisibilis, non potest designari, quòd aliquid illius afficiatur puncto, quin prius medietas illius afficiatur, & quælibet alia medietas in infinitum prius, & antecedenter afficiebatur.

Nihilominus in sentent. Diu. Thom. partes in continuo non sunt actu infinitæ quoad numerum, neque etiam indiuisibilia, vt ex locis allegatis in præcedenti difficultate constat. *Et ratio est*, quia si intelliguntur partes actu infinitæ, ita quòd quælibet seorsum ab alia faciat additionem, vel diminutionem; sine dubio erit infinita quantitas in actu, quia quodcumque diuisibile quantumuis minimum, quòd talis est naturæ, quòd potest superaddi ad alterum, & extensionem facere cum illo, si multiplicetur actu in infinitum in ipso continuo, faciet continuum infinitum; si verò pars superaddita alteri non extendit, nec facit maius, hoc ipso solum est pars in potentia, & communicans cum altera, non distinctam extensionem ponens in actu.

Quare diuisio in infinitum, in quocumque continuo non intelligenda est collectiuè, sed diuisiuè ita quòd nulla pars in particulari signari, & determinari potest, quæ diuisibilis non sit in alias partes. Et quantum ad hoc optimè dicitur, quòd nulla diuisione potest exhauriri diuisibile, quia condiuisione ipsa designetur pars quæ diuiditur, hoc ipso non potest aliqua pars diuidi, nisi in partes diuisibiles. At verò collectiuè non potest diuidi in partes infinitas, ita quòd vnam post aliam diuidendo actu fiat diuisio infinita, sed si plures diuisiones fiant, exhaurietur quidem diuisum, sed penes partes aliquotas diuisionibus finitis; partes verò proportionales solùm habent posse in infinitum diuidi, & nulla diuisione exhauriri, si quælibet sumatur diuisiuè; & in particulari quantumcumque minima sit, & hoc loquendo quantum est ex natura quantitatis, & modo mathematico, nam ratione subiecti non valentis infra quamcumque diuisionem quantitatis saluari, non poterit fieri talis diuisio, nisi destructo subiecto, vt etiam notat S. Tho. hoc lib. lect. 3.

Et hinc intelligitur quomodò partes illæ proportionales dicantur communicantes inter se, non quia penetrentur, cùm hoc sit impossibile, penetratis enim partibus proportionalibus, quam extensionem haberent aliquotæ, quæ non distinguuntur ab illis; Nec ex eo quòd communicant ipsi toti? hoc enim non sufficit, quia etiam partes aliquotæ communicant toti, imò etiam partes physicæ vt materia & forma, nec tamen inter se sunt communicantes, sed vna extra aliam. Dicuntur ergo communicantes quantum ad ipsum modum, designationem diuisionis, quia in toto continuo quælibet pars diuiditur in sibi immediatas, & si hæc immediata diuideretur etiam in partes sibi immediatas, tunc erit pars illius ea, quæ ante diuidebatur in illam, & sic sunt communicantes non in extensione & in additione materiæ, sed in modo exercendi diuisionem & designandi, partes verò secundum extensionem in actu semper sunt finitæ, siquidem secundum eam crescunt, vel decrescunt; sed sub ista finita extensione cõtinetur infinita diuisibilitas sincategorematicè, & ex parte modi faciendi diuisionem. Et hoc oportet benè discernere, quia in eo cum magna confusione Authores loquuntur, & vix inuenitur qui ad plenum satisfaciat; optimè autem intelligitur dicendo, quòd partes porportionales non important distinctam extensionem, & additionem materialem ad aliquotas, sed diuersum modum designandi diuisibilitatem partium, & pars quæ seruit vni, seruit alij, ideóque communicantes dicuntur vt infinitæ in potentia designationis, non in actu extẽsionis. Ex quibus patet ad rationes dubitãdi.

Ad primum resp. quòd partes proportionales non possunt diuidi in partes distinctas, & non se communicantes in infinitum, sed solùm in partes se communicantes vt explicatum est, quod est diuisiuè esse in infinitum diuisibiles, non collectiuè, licèt vnaquæque seorsum & diuisiuè sumpta diuisibilis sit in partes distinctas, & in ea quæ insunt, & de facto sunt in ipso continuo, vt in partes aliquotas. Hæc tamen quæ de facto sunt in ipso continuo, non sunt actu infinita, nisi secundum repetitionem, & communicationem earumdem partium, quod est esse infinita in potentia, & sincategorematicè. Quòd si solueretur continuum in omnem sui partem, ita quòd neutra alteri communicaret, sequerentur duo contradictoria, & quod essent infinitæ & indiuisibiles, quia vlterius diuidi non possunt, & quod essent finitæ, & diuisibiles, quia partes sunt continui finiti. Vndè, quando dicitur accipienti vnam partem, semper restat alia ergo sunt infinitæ in actu, distinguo antec. Restat alia quæ sit aliquota & nouam extensionem addat ad præcedẽtem nego, acceptio enim partium aliquotarum tandem finitur. Restat alia proportionalis, & communicans ad inuicem cum præcedente, ita quòd in ipsa designatione quomodocumque accipiatur, semper in infinitum diuisiuè possit alia sumi, transeat, sed hæc acceptio non est partis actu separatæ ab alia, & addens distinctam extensionem in infinitum, sed est pars communicans cum alia, vt explicatum est.

Ad secundum respondetur, non dari infinita indiuisibilia actu, sed potentia in continuo quæ est expresse sententia Aristotel. qui cum hoc lib. 6. text. 77. soluens rationem Zenonis, quòd infinita media, quæ sunt in continuo, non possunt pertransiri tempore finito, respondit, etiam tempus eandem infinitatem habere quam continuum: postea verò in l. 8. text. 68. hanc solutionem reuocat, quæ solum erat ad hominẽ; & dicit, quòd si quæratur de ipso tempore quomodo sit infinitum, dicendum est; quòd solum habet infinitatem in potentia, finitatem verò in actu. Et idem docet Sanct. Thom. 6. Physic. lect. 11. *Quòd mobile non vtitur infinitis, quæ sunt in magnitudine quasi actu existentibus, sed quasi in potentia.* Quomodo autem intelligi possit quòd solum sint indiuisibilia finita in partibus continui diuisibilibus in infinitum? *Respondetur*, quòd vnum indiuisibile afficiens vnam partem formaliter, afficit plures inadæquatè & virtualiter quod de indiuisibili terminatiuo satis constat, quia omnes partes vnius lineæ vno puncto terminatæ redduntur, de continuatiuo etiam patet, quia post vnum punctum immediatè sequitur pars, quæ vtique non potest tota formaliter tangi à puncto adæquatè sed

inadæ

inadæquatè, cùm indiuisibile non possit adæquari, diuisibili, virtualiter autem adæquat totam, quia reddit illam impenetratam & coordinatam alteri penes extremitates. Quantum autem vnius partis possit afficere vnum punctum nescimus, sufficit enim dicere, quod vnum punctum non sequitur immediatè post aliud, sed pars, & illud quod immediatè post sequitur, afficitur ab indiuisibili, ne penetretur cum alia parte, & sufficit illi parti vnum indiuisibile. Vndè si pars illa diuidatur inter punctum & punctum, resultabit nouum indiuisibile terminans actu, quod signum est ibi fuisse in potentia tantum.

Ex quo respond. ad id, quod vltimo in argumento insinuatur, scilicet quomodo possit indiuisibile afficere partem, quia quacumque parte data, alia medietas est prior, qua afficiatur indiuisibile. Sed respondetur, quòd indiuisibile non potest afficere adæquatè, & totaliter partem, licèt inadæquatè afficiat, & virtualiter totam. Et hoc ideo, quia punctum est initium partis, aut terminus, principium autem rei non afficit totam adæquatè, & totaliter, aliàs esset totum, sed afficit totam inchoando illam, & hoc est afficere inadæquatè, & non totaliter.

Quid de indiuisibilibus substantiæ?

MVlti recentiores communiter tribuunt substantiæ, & partes ordinatas, & indiuisibilia à quātitate distincta. Et *fundamentum* præcipuum est, quia in substantia dantur partes ante quantitatem coordinatæ, substantia enim corporea secundùm se partes habet, ergo & indiuisibilia, quibus partes coordinētur. Et sicut in substantia dantur partes, quia correspondere debent partibus quantitatis, ita & indiuisibilia, quibus correspondeant indiuisibilia quantitatis. Ex quo sumitur secundum fundamentum, quia indiuisibile quantitatis non subsistit sed inhæret, & non in partibus, quia diuisibiles sunt & improportionatæ indiuisibilibus; ergo in indiuisibili substantiæ, ergo substantia habet indiuisibilia, vt correspondeant indiuisibilibus quantitatis, quæ recipit.

Nihilominus oppositum omnino certum solidúmque existimo, nam destruitur tota ratio, & essentia quantitatis si ponuntur in substantia partes formaliter ordinatæ per indiuisibilia, vt in Logica tractauimus, quæst. 16. Et sicut in substantia solùm admittimus partes radicaliter, & secundùm capacitatem, ita & indiuisibilia. *Ratio* huius est, quia si substantia habet indiuisibilia, quibus formaliter vniantur partes, & ordinet eas, necessario debemus fateri in substantia ante quantitatem dari sufficiens principium impenetrationis, tam quoad se, quam quoad locum; & sic extensio quantitatiua nihil omnino addit super extensionem substantiæ entitatiuam, nec ab ea differt siquidem si substantia habet partes extra partes extensas in ordine ad totum, quia ordinatæ vniuntur in ipso, & in ordine ad locum, quia habet sufficiens principium impenetrationis, ratione cuius extenditur in ordine ad locum, non habet quantitas aliquid amplius tribuere, quia omnis extensio etiam quantitatiua exhauritur extensione quoad totum, & quoad locum, nec amplius potest præbere quantitas, quàm principium impenetrationis, remota enim quantitate, substantia penetrationi non resistit, imò quantitas modo subdantiæ posita, vt in corpore Christi in Eucharistia penetratur cum quantitate panis.

Quòd ergo hoc sequatur, si substantia habet indiuisibilia, quibus eius partes vniantur & coordinentur, indè constat, quia illæ partes vniuntur indiuisibilibus, quæ non se totis vniuntur, sed solum penes extremitates, si enim se totis vnirentur, non indiuisibilibus vnirentur, sed vna pars diuisibilis alteri diuisibili coniungeretur, non penes extremitatem aliquam, sed penes ipsam diuisibilitatem, atque adeò vna pars intraret aliam, quod nihil aliud est quàm penetrari, id est intra diuisibilitatem alterius constitui. Ergo quæ vniuntur non se totis, sed penes extremitates & indiuisibilia, hoc ipso habent principium resistendi penetrationi, quia principium resistendi penetrationi est principium vniendi vnam partem alteri penes extremitatem seu indiuisibile, ratione cuius vna pars non intrat in aliam, sed sola extremitate vnitur illi. Ergo si substantia habet indiuisibilia vnitiua partium, habet principium resistendi penetrationi, qua vna pars intrat in aliam; & vnitur illi non per solam extremitatem.

Dices, substantiam solùm ordinare partes, & extendere erga totum, non erga locum; neque erga alia corpora, sicut facit quantitas, sed penetrari posse ab alijs eo modo quo ipsum corpus Christi in Eucharistia non habet modum impenetrationis erga locum, licèt habeat erga totum: id ergo quod miraculosè habet quantitas corporis Christi, habet connaturaliter substantia remota quantitate; scilicèt quòd resistat penetrationi in ordine ad alia corpora; non in ordine ad proprias partes. *Sed contra est.* Primò quia essentia quantitatis non consistit in hoc, quod est actu resistere penetrationi, potest enim vna quantitas etiam localiter circumscripta actu penetrari cum alia quantitate, vt supra lib. 4. ostendimus, sed consistit in eo, quòd habeat principium, & potentiam, quæ petat resistere penetrationi quantū est ex se, licèt actualis penetratio tanquam secundarius effectus quantitatis possit impediri à Deo: si ergo substantia partes vnire impenetratiuè in ordine ad se, ex vi talis modi petit, & habet sufficiens principium, quo reddatur impenetrata loco seu corpori contiguo, quia non stat, quòd illud indiuisibile quod sufficit reddere vnam partem impenetratam alteri parti continuæ, non sufficiat reddere impenetratam alteri corpori contiguo, si ibi apponeretur, ergo habet principium sufficiens, & petens impenetrationem cum altero, quod est habere totum effectum quantitatis. *Deindè*, quia si substantia habet indiuisibilia continuatiua, vt recipiat indiuisibilia quantitatis, etiam habebit indiuisibilia terminatiua, vt recipiat indiuisibilia terminatiua quantitatis, ergo ratione illius indiuisibilis terminantis tanget alterum corpus seu substantiam mediante illo indiuisibili tanquam aliquid contiguum, & non continuum, ea enim se tangunt contiguè, quorum extrema seu indiuisibilia sunt simul, ergo non minus habet principium resistendi penetrationi aliorum corporum penes indiuisibile terminans, quam resistendi penetrationi partium continuarum penes indiuisibile continuans.

Ad primum fundamentum oppositum respondetur non præhaberi in substantia in partes, & indiuisibilia formaliter, formalitate coordinationis, & extensionis sed capacitate substātiæ, quæ solùm radicaliter habet partes, & indiuisibilia, non formaliter, id est habet capacitatem recipiendi indiuisibilia, & ordinationem formalem partium per quantitatem, quod non habet Angelus, vt in q. 16. Log. diximus.

Ad secundum respondetur, indiuisibilia non subsistere, sed recipi in substantia, non tamen in indiuisibili substantiæ formali, sed in radicali, id est in entitate capaci indiuisibilium. Imò vt benè aduertunt Conimbr, quæst. 1. art. 3. ad sextum, indiuisibilia nō sunt in subiecto adęquatè quasi eis correspondeāt indiuisibilia distincta in subiecto, sed inadæquatè, hoc

hoc eſt , ſunt in ſubſtantia ratione quantitatis , quæ ſine ſuperficie , & linea & punctis non coaleſcit , & mediante tali quantitate ſubſtantia recipit indiuiſibilia;qui autem ponunt indiuiſibilia in ſubſtantia, non facilè ſe expediunt, quomodo ſint iſta indiuiſibilia in forma,& in materia,& ſi ſunt diſtincta indiuiſibilia, quomodo ſe coniungant ? Quòd ſi ſunt in ſola materia , quomodo ergo per indiuiſibilia materiæ partes formæ extenduntur ?

Si dicas , quomodò ergo Corpus Chriſti totum eſt in puncto , ſi ſubſtantia panis puncta non habet ? *Reſpondetur*, Corpus Chriſti correſpondere puncto ſpecierum panis,quod eſt punctum formale,& quantitatiuum : conuerti autem ſubſtantiam panis , etiam quantum ad punctum in Corpus Chriſti non quantum ad punctum formale ſubſtantiæ, ſed radicale , id eſt illa entitas panis , quæ de ſe eſt capax recipiendi quantitatem cum puncto.

ARTICVLVS III.

Vtrùm continuũ cõponatur ex ſolis indiuiſibilibus?

SEnſus quæſtionis eſt , an continuum ita conſtat ex partibus , quòd ſi illæ diuidantur , poſſint peruenire ad aliquam quæ vlterius diuiſibilis non ſit, & ita ſi diuidantur omnes indiuiſibiles maneant ? Vndè ſi conſtat ſolum ex illis , ſolum conſtabit ex indiuiſibilibus.

Sententia Ariſt. in hoc 6.lib. cap.1. eſt contra Zenonem , & alios Antiquos , continuum non conſtare ex ſolis indiuiſibilibus , quòd etiam tradit D. Auguſt.11.de Trin. cap.10. & lib. de quantitate animæ, cap.51.in fine D.Thom.expreſsè in præſenti lib.lect.1. & in tantum in Philoſophia inualuit hæc ſententia quòd Concilium Conſtantienſe ſeſſion.15.inter errores Ioannis Hus poſuit tanquam errorem in Philoſophia,quòd dixerit lineam componi ex punctis immediatis,aut ſimpliciter finitis.Et tamen non deſunt aliqui recentiores,qui Zenonis opinionem ſuſcitauerint, ſentiendo contra Ariſtot. continuum ſolis indiuiſibilibus componi.

Rationes quibus Philoſophus probat ſuam ſententiam phyſicæ ſunt , quibus alij addunt rationes ex Mathematica petitas ; præcipuæ ergo rationes Philoſophicæ ex duobus principiis pendent. Primum eſt, quòd indiuiſibile additum alteri indiuiſibile, licèt multiplicet numerum , quod eſt facere quantitatem diſcretam , non tamen facit maius & extenſius , quod eſt conſtituere quantitatem continuam. Secundum eſt , quòd vnum indiuiſibile vnitum alteri ſe toto illi coniungitur , & eundem locum occupare poteſt , vnde ſi tota quantitas conſtaret ex indiuiſilibus , tota eſſet in eodem loco, & non extenſa in illo,imò nullæ darentur partes in quantitate , quia indiuiſibilia ſolùm ſunt extremitates partium , non partes ipſæ.

Primum principium ex eo conſtat, quia indiuiſibile caret omni extenſione , & omni principio conſtituente diuiſibilitatem, cùm in ſe nullam habeat , ſed ſolum rationem termini , quo partes terminantur, vel continuantur ; ergo coniunctio plurium indiuiſibilium non poteſt conſtituere totum , quod conſtat partibus diuiſibilibus;neque enim indiuiſibilia ex eo, quòd coniungantur, aliquam poſitionem partium inducunt,cum ipſa in ſe nihil partis habeant,ſed carentiam partium ; ergo plura indiuiſibilia ſunt plures carentiæ partium.

Dices eſſe formaliter indiuiſibilia, & vt quod tamẽ virtualiter, & vt quo dant diuiſibilltatem , quatenus vnum coniungitur alteri,ſicut vnitas,licèt ſit indiuiſibilis in genere numeri , tamen coniuncta alteri facit numerum, ſeu extenſionem diſcretam, & inſtans adiunctum parti præteritæ facit durationem maiorem.

Sed contra eſt , quia vnum punctum reſpectu alterius non ſe habet vt forma diuiſibilitatis , ſed vt materia , quia in illa indiuiſibilia diuiditur totum, ergo non ſe habet vt principium quo diuiſibilitatis ; neque enim eſt forma , qua redditur diuiſibilis , ſed id in quod diuiditur ipſum totum. Et ſicut vna ſubſtantia ſpiritualis poſita iuxta aliam non facit extenſionem , quia neutra in ſe extenſionem habet, ita nec punctum ex eo quod ponatur iuxta aliud , faciet extenſum,quia vtrumque caret extenſione. Denique punctum, quod immediatè ſequitur poſt aliud, non extrahit illud à negatione diuiſibilitatis , ergo quòd conſequenter ſe habeat,nihil ad diuiſibilitatem confert , ſiquidem ipſa conſecutio non poteſt facere extenſionem , niſi iuxta materiam in qua eſt,vt in rebus ſpiritualibus conſequenter ſe habentibus extenſio non datur ; conſecutio enim non eſt aliud quàm relatio , ſeu ordo vnius poſt aliud ; relatio autem formaliter non poteſt facere extenſum , ergo ſi ipſa materia extenſionis ſunt ſola indiuiſibilia , quæ in ſe carentiam habent extenſionis , ex eo præcisè, quòd vnum conſequenter ſe habet poſt aliud , non conſtituet extenſionem, ſed ſolum ordinem conſecutionis.Et in hoc eſt lata differentia inter vnitatem reſpectu numeri, & punctum reſpectu extenſionis, quia vnitas facit numerum ſegregando , & diuidendo ab alio,quæ eſt extenſio diſcreta,punctum autem,ſeu indiuiſibile componendo , & coniungendo. Eſt autem contra rationem indiuiſibilis extendere diuiſibiliter, non autem ſegregare,& diuidere,vel ſegregari ab alio & conſequenter numerum vel multitudinem facere. Similiter inſtans vel indiuiſibile additum parti , non facit maiorẽ durationem, ſed addit terminationem illius,& ſic inſtans non importat maiorem durationem ſupra durationem præteritam , ſed complementum terminans ipſam durationem.

Secundum principium ex eo deducitur,quia punctum caret partibus ergo non poteſt tangere alterum punctum ſecundum aliquid ſui , & non ſecundum aliud, ſecundùm extremitatem , & non ſecundùm medietatem , quia totum quod eſt in puncto , eſt extremitas, & ſic vel tangit totum, vel nihil, ſi ergo indiuiſibile tangit aliud ſe toto, penetratur cum illo , & manet intra eundem locum , ergo quantumcumque ſuperaddantur indiuiſibilia,non extendunt quantitatem quia occupant eundem locum , & ſic vnum non ponitur extrà aliud , neque ex ſua natura id petit, atque adeò non extenditur.

Dices , indiuiſibile poſitum iuxta alterum , non tangit illud ſe toto , nec penetratur cum illo ; potius indiuiſibile reſiſtit penetrationi , & facit vt duo corpora ſecundum extrema ſe tangant , & non penetrentur . ergo non totis ſe tangunt , nec ponuntur in eodem loco,& hoc conſtat;tùm in puncto terminatiuo, quia contiguatur cum alio terminatiuo alterius lineæ , & ſic non eſt in eodem loco , alioquin penetrarentur duæ extremitates lineæ, vel duæ ſuperficies corporum;ergo ſunt in diuerſis locis etiamſi ſint indiuiſibilia,conſequenter ſe habentia; tùm etiam in indiuiſibili continuatiuo,quia punctum inhæret alicui parti , & tamen non penetratur cum illa , ſed alteri vnit,ergo à fortiori non penetrabitur cum altero puncto,ſi immediatum illi eſſet.

Sed contra eſt , quia indiuiſibile reſiſtit penetrationi partium , quia eſt earum extremitas , & ſic facit, quòd partes penes extremitatem ſe tangant , & non

ſecundum

ſecundum ſe totas. At verò punctum ſine partibus ſumptum non tangit vt extremitas alterius, cuius aliæ partes non tangunt; ſed totum quod in puncto eſt,extremitas eſt. Si autem punctum inhæret parti,& pars mediante illa tangit, vel vnitur alteri,hoc ipſo non ſe tota vnitur illi,ſed per aliquid ſui non diuiſibile,ſed indiuiſibile, & ſic non penetratur. *Vnde ad primam inſtantiam dicitur*, quòd duæ ſuperficies quando ſe tangunt,ſub eodem indiuiſibili loco continentur; vt expreſsè docet S.Thom.quæſt.28.de verit.art.2.ad 10. Itaque plura indiuiſibilia non requirunt diſtinctum locum, ſed tanguntur ſe totis; quia idem eſt in illis tangi, & tangi ſe totis,cùm careant partibus; faciunt tamen ne partes penetrentur, quia faciunt ne partes ſe totis tangantur,ſed ſolum penes extremitates. *Ad ſecundam inſtantiam dicitur*, quòd punctum continuatiuuum inhæret parti inadæquatè, ſcilicet toti parti, ſed non totaliter, nec eam comprehendendo, & vndique penetrando, cum ſit illi improportionatum, vtpote indiuiſibile cum diuiſibili,ſed inhæret parti tanquam ſubiecto,vt principium eius vel finis. Si verò punctum immediatè vniatur alteri puncto,ſe toto vnitur illi,cùm ſit adæquatum, nec ſit in eo aliud tangere extremitate, & tangere ſe toto.

Plures rationes, quæ eſt Mathematica deducuntur,omittimus in præſenti. Videri poſſunt apud Conimb.hic qu.2.art.2. & alios quos ipſi citat. Plures etiam dicemus in textu Ariſt.huius libri.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur; quia ſi continuum non componitur ex indiuiſibilibus, ſed ex partibus, vel illæ ſunt ſemper diuiſibiles in alias, vel deuenitur ad aliquam, quæ vlterius diuiſibilis non ſit. Si hoc ſecundum, habemus intentum, ſi primum, ſequitur in quolibet continuo dari infinitas partes,& infinitum in actu,quia quamlibet partem accipiendo,ſemper alia reſtat accipienda, nec ſufficit dicere, quòd illæ partes ſunt proportionales, & ſe communicantes;[nam quæcumque pars diuiſibilis habet actu partes illas, in quas diuidi poteſt, & cùm illæ ſint diuiſibiles, aliquid addunt ad præcedentes, & conſtituunt maius, ſeu extenſius, alioquin ſi non conſtitueret maius, eſſet indiuiſibile, ergo cùm in quolibet continuo ſemper reſtet accipienda pars, quæ per additionem ſui faciat maius, vtique eſt pars non communicans. Item cùm mobile ſucceſſiuè tranſeat partes ſpatij, ſi illæ partes ſunt infinitæ, quacumque ſignata prius aliam attigit,& prius aliam, ergo nunquam incepit motus, quia nunquam eſt ſignare vnde incepit: nec ſimiliter poterit pertranſiri aliquod ſpatium finito tempore, quia ſunt infinitæ partes pertranſeundæ,& quacumque tranſacta reſtant aliæ pertranſeundæ. Ac denique poſitis partibus infinitis, etiam indiuiſibilia erunt infinita,& ſingulis indiuiſibilibus poteſt creari vnus Angelus,ergo in fine eorum dabitur infinitum actu.

Confirmatur, quia Deus poteſt diuidere omnes partes continui actu, quia omnes diuiſibiles ſunt, ergo ab aliqua potentia diuidi poſſunt, ſiue diuiſiuè, ſiue collectiuè: facta autem hac totali diuiſione, non poſſunt amplius diuidi,ergo remanent indiuiſibiles,ergo continuum componitur ex indiuiſibilibus.

Reſpondetur, ſolutione data, quòd quælibet pars eſt diuiſibilis, hoc ipſo quòd eſt pars, ſed dicuntur omnes partes continui eſſe diuiſibiles in partes communicantes, quia pars quæ ſeruit diuiſioni vnius, poteſt etiam ſeruire diuiſioni ſuæ partis immediatæ,vt artic.præced.explicauimus. *Vnde ad replicam dicitur*;quòd quælibet pars ſeorſum ſumpta,& ſecundum ſe facit additionem,& extenſionem ad aliā precedentem,etiam deſignatè ſumptam,& quæcumque reſtat diuidenda,hoc ipſo quòd accipiatur,& deſignetur cum partibus ſumitur,in quas diuidi poteſt, ſed tamen iſtæ partes incluſæ in ipſo toto quod diuiditur, non faciunt maius reſpectu talis totius, quia in illo ſunt incluſæ, ſicut quòd vnus aureus valeat decem argenteos, non addit valorem diſtinctum ſuper ipſum aureum,ſed in eo includuntur,eique communicant. Similiter partes quæ in hoc continuo ſeruiunt ad diuiſionem vnius partis, & includuntur in ipſo toto, & poſſunt ſeruire pro diuiſione partis immediatæ, & hoc eſt ad inuicem eſſe communicantes,atque ita omnes partes ſeruant ſemper diuiſibilitatem, nec tamen addunt infinitatem, quia vt eſſent infinitæ per additionem,requirebatur quòd adderent diuiſibilitatem ex nulla parte ſe communicantem diuiſibilitati aliarum partium, vt autem ſint infinitæ diuiſione, ſufficit quòd quæcumque ſecundum ſe, & diuiſiuè ſumpta ſit diuiſibilis in partes,& actu habeat illas,in quas diuiditur, ſed cum communicatione, & coniunctione ad alias partes, in quas etiam diuiditur pars immediata,& ſeruit vna pars (ſi verè exiſtit) pro diuerſis, ideoque hæc infinitas non eſt actu,ſed potentia.

Ad ſecundam replicam dicitur, quòd mobile pertranſit infinitas partes ſe communicantes,& ſincategorematicè infinitas,quas Philoſoph. in 8.Phyſicor. dicit eſſe infinitas in potentia quæ infinitas,vt ſupra explicauimus,conſiſtit in hoc, quod quæcumque ſignatur ſemper diuiſibilis eſt, & nunquam ſignari poteſt aliqua,quæ non ſit diuiſibilis,quantumcumq; in infinitum ſignetur, vt diuidatur. Et verum eſt, quòd non poteſt ſignari prima pars, vndè incipit motus intrinſecè,ſed poteſt ſignari vnde incipiat extrinſecè,quia immediatè poſt aliquod inſtans incipit, vt dicemus ſeq.quæſt.

Ad tertiam replicam dicitur, quòd in quolibet inſtanti deſignato poteſt creari Angelus,quia hoc ipſo quòd creatur,deſignatur inſtans,ſicut deſignatur res producta,dicendo,nunc eſt Angelus. Inſtantia autem deſignata non ſunt infinita, nec in vna hora,nec in toto tempore, cum includantur ſub terminis finitis, ſed deſignatio eorum dicitur infinita ſincategorematicè,quia non poteſt ſignari aliquod inſtans in aliqua parte temporis, quia in aliqua alia minori ſignari etiam poſſet. Ex hoc tamen in fine horæ non dantur actu infinita inſtantia actu,ſed deſignabilitas eorum eſt infinita ſincategorematicè.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd implicat per viam diuiſionis omnes partes continui actu ſolui, quia per diuiſionem ita diuiditur pars, quòd ſemper diuiditur in partes, & conſequenter quælibet manet ſemper diuiſibilis, & hoc modo dicuntur omnes eſſe diuiſibiles, non quia omnes ſimul diuidi poſſint,ſed omnes diuiſiuè, & ſeorſum, ſicut omnes creaturæ dicuntur poſſibiles, non quia omnes collectiuè, & ſimul creari poſſint (in probabiliori ſententia) ſed quia omnes diuiſiuè: vndè non cognoſcit Deus vltimam, quæ amplius diuidi non poſſit, quia hoc non eſt dabile: poſſet tamen Deus ſoluere omnem partem continui, non per viam diuiſionis, ſed deſtruendo omnia indiuiſibilia, quibus partes vniuntur: ſed tunc partes illæ manebunt penetratæ,& non extenſæ,ſicque deſtruetur quantitas, non manebunt partes.

Secundò arguitur,Globus perfectus in plano perfecto tangit planum in puncto, vt demonſtrat Euclides 3.lib.propoſ.16.aſſeriturque ab Ariſtot.1.de Anima,cap.1. text.13. & 3.de cœlo, text.69. & conſtat, quia

quia si in parte diuisibili tangeret planum adæquaretur illi parti, & sic pro illa parte non esset perfectè sphæricum, sed talis globus in plano potest moueri motu continuo, vt si velocissimè impellatur; ergo immediatè post vnum punctum tangit alterum; ergo in illo plano sunt plura puncta immediata, quæ tanguntur à globo. *Confirm.* quia secundùm Mathematicos, si punctum moueretur, faceret lineam, si linea superficiem; sed punctum motum non potest relinquere vestigium, nisi constans ex punctis, neque enim potest tangere nisi puncta; ergo linea componetur ex solis punctis.

Respondetur, Illo argumento conuinci Scotum ad asserendum, quod indiuisibile separatum potest moueri successiuè, vt videri potest in 2.dist.2.qu 9.§. Ad argument. Neç tamen concedit continuum componi ex indiuisibilibus, si immediatè post vnum punctum mouetur ad aliud; dicunt enim Scotistæ (licèt in hoc satis varient) non esse inconueniens quod punctum globi tangat partem inadæquatè per modum motus, & fluxus, non verò permanenter in eo quiescendo, quia sic non potest quiescere, nisi in loco sibi adæquato, quod est indiuisibile.

Cæterum hæc sententia manifestè eneruat probationem Philosoph. vt patet in hoc libro, capit. 10. vbi id expressè improbat, & similiter capit. 3. & 8. Physicorum text. 40. vbi probat omne mobile esse corpus, quia est diuisibile, nec enim Philos. diuisibilitatem posuit in motu, solum ratione spatij, sed etiam ratione mobilis; ergo quod non est corpus, nec diuisibile, mobile non est; & videri potest Sanct. Thom. in hoc lib. lect. 5. in fine, vbi ostendit Philosoph. loqui de diuisibilitate mobilis in partes quantitatiuas, alias non rectè probaret Philosoph. quòd mobile debet esse continuum, nisi esset diuisibile, ergo indiuisibile separatum non potest moueri motu continuo physico. Et præter hoc vrget satis fundamentum adductum, quia si mouetur continuè, immediatè post tangit aliud indiuisibile, & sic erunt plura indiuisibilia immediata in continuo. Dicere autem, quòd potest tangere partem in fluxu, & motu, sed non quiescendo in illa, nihil est, quia etiam quãdo mouetur, mouetur in loco sibi adęquato, quia deserit vnum locum, & acquirit alium, & omnis locus adæquatus debet esse locato, si verè locus est. Quòd si potest moueri in loco sibi inadæquato, qualis est locus diuisibilis, multo melius in eo quiescet, quia quantò amplior est locus, tantò melius in eo quiescitur, si cesset impulsus, sicut in eo moueri potest. Adde quòd indiuisibile nihil expellit à loco, cùm sit in extensum, vt ipsi Scotistæ concedunt, ergo non mouetur loco, nisi penetretur cum eo, quod non expellit à loco.

Ad argumentum autem de globo super planum, quod est fundamentum Scoti, relictis variis solutionibus, *mihi nullius videtur difficultatis. Dico enim* quòd globus ille non tangit planum continuè, sed discretè, & tamen mouetur continuè. In quo magna contingit hallucinatio, quia existimatur, quòd spatium, per quod mouetur globus ex parte inferiori, est solum ipsum planum, quod tangit, cum tamen sic etiam ipsi aër, non solum qui à parte superiori circumdat globum, tanquam locus eius, quem constat non esse planum, nec in puncto attingi à globo, sed per suas partes circumdari, verum etiam aër inferior, qui est inter punctum, quo tangitur planum à globo, & partes eleuatiores ipsius globi, & per hunc aërem inferiorem mouetur globus continuè, licèt ipsum planum tangat in puncto discretè, sicut quando animal eleuando pedes, & deprimendo ambulat per terram, certum est quòd pedes animâlis non tangunt continuè omnes partes terræ, sed discrete secundum eleuationem pedum, & tamen mouetur motu continuo per aërem, in quo pedes eleuantur; ita ille globus non tangit partes plani, sed puncta contactu discreto, sed tangit aërem, qui est inter planum, & globum tactu, & motu continuo, & sic respectu plani se habet, vt motus modo progressiuo, aut per saltum, quod tamen respectu aëris continuè mouetur. Vndè etiam Angelus si se collocet in puncto, non se poterit mouere motu continuo ad motum ipsius puncti, sed solum ratione suæ virtualis extensionis, qua diuisibili spatio potest assistere.

Ad confirmationem respondetur, quòd punctum secundum Mathematicos, solum mouetur motu imaginario, non reali, vt per hoc explicetur longitudo lineæ sine latitudine, & sic motus puncti si daretur in re, faceret lineam quantùm ad negationem, scilicèt carentiam longitudinis, & profunditatis, non quoad positionem partium.

Vltimò arguitur, quia post primum punctum lineæ nullo alio puncto considerato, vel immediatè post sequitur indiuisibile, & sic habemus intentum, vel sequitur pars diuisibilis, & sic illud quod immediatè sequitur, sine punctis est diuisibile, & continuum, quia vt suppono solùm sumimus primum indiuisibile, & illud quod sequitur immediatè post; ergo eadem ratione reliquum omne, quod sequitur in continuo sine indiuisibilibus continuari poterit. *Confirmatur*, quia secundùm Philos. 1. Topic. c. 14. sic se habet indiuisibile ad cõtinuum, sicut vnitas ad numerum, sed numerus componitur ex solis vnitatibus, ergo continuum ex solis indiuisibilibus.

Respondetur, quòd si post primum punctum sumitur aliqua pars lineæ designata, & aliquota, non est dubium, quod in illa includantur plura puncta, sicut & plures partes continuatæ. Si verò consideretur pars non designata, sed id quod immediatè sequitur post punctum, antequam aliud punctum sumi possit, dicimus quod illa entitas partis nondum est pars actu continuata, sed aliquid continuabile per modum partis mediante puncto sequenti, sine quo non datur actu continuatio, & sic non est simile de relicto continuo.

Ad confirmationem respondetur, indiuisibile comparari vnitati non in omnibus, sed in eo quod vnitas non est diuisibilis discretè, sicut punctum non est diuisibile continuè, & secundo, quia indiuisibile est initium continui, sicut vnitas numeri. Sed quia indiuisibile pertinet ad continuum terminando, & continuando, non autem partes diuisibiles præbendo, non potest continuum quod habet partes solis indiuisibilibus constare, sicut numerus solis vnitatibus, quia separatione & diuisione non compositione constituitur numerus.

QVÆST.

QVÆSTIO XXI.

De inceptione, & desitione rerum.

RES quæ incipiunt & desinunt, solum reducuntur, vel ad permanentia, vel ad successiua, sub quibus continentur instantanea, & quæ tempore durant. De permanentibus agemus in hoc articulo, *de successiuis* in sequenti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Explicantur regulæ inceptionis, & desitionis in permanentibus.

CVm inceptio significet initium durationis & desitio finem, nihil aliud sunt termini inceptionis, & desitionis quam instantia, sicut termini lineæ sunt puncta, & sic tota difficultas in inceptione, & desitione rerum consistit in designandis instantibus, quibus res initiatur, aut finitur. Vt audtem diximus in quæst.8. duo sunt modi incipiendi, & totidem desinendi, scilicet *intrinsecè & extrinsecè; intrinsecè dicitur aliquid incipere*, quando in aliquo instanti habet existentiam, & immediatè antea non habebat, & hoc vocatur *incipere per primum esse. Extrinsecè dicitur incipere*, quando in aliquo instanti nondum habet esse, sed immediatè post habebit, eò quòd talis res incipit modo temporis diuisibili, non modo instantis, & ita non potest signari vbi primo incipiat, & hoc vocatur *incipere per vltimum non esse*, id est per instans vbi vltimò non est, & immediatè pòst incipit esse. *Ex parte desitionis terminus intrinsecus est*, quando in aliquo instanti est verum dicere, nunc est, & immediatè post non erit, & hoc est *desinere per vltimum esse. Extrinsecus modus desinendi est*, quando est verum dicere, nunc non est, & immediatè antea erat, & vocatur *desinere per primum non esse*, eò quòd non designatur vbi res vltimò fuit, sed vbi primò non est. Res autem spirituales licèt nostro tempore & instantibus non mensurentur, quia tamen virtualiter illis coëxistunt, & nostro modo intelliguntur, etiam ad mensuram nostrorum instantium eas regulamus.

Circa res ergo permanentes, sit prima regula. *Substantiæ permanentes siue generatione, siue creatione instantanea fiant, incipiunt per primum esse, non obstante quòd generationem præcedat alteratio, quæ est motus.* Hæc conclusio intelligitur per se, & connaturaliter loquendo. *Ratio est*, quia istæ substantiæ fiunt actione indiuisibili, ergo in instanti. *Antecedens patet*, quia non suscipiunt magis, & minus, in quantum substantiæ sunt, neque creatio est productio per partes, & per motum, cùm sit totius entis productio ex nihilo, ergo instantaneè producit. Quòd si produceret, per motum, ita quod esset verum dicere, nunc non est, immediatè post hoc erit, vel immediatè pòst incipiet totum vel pars: non totum, quia illa mensura est partibilis, & habet prius, & posterius, ergo prius est attingibilis pars quam totum, aliàs mensura attingendi non esset partibilis, ergo è contra, si non assignatur pars prior, & posterior, sed totum simul non incipit modo diuisibili, sed indiuisibili. Si autem immediatè post non incipit totum sed pars, ergo illa actio non est factiua totius, nisi mediantibus partibus sicut motus, atque adeò non est per se primo productiua totius entis. De substantia verò quæ producitur per generationem, constat etiam produci in instanti; tùm quia substantia non habet contrarium, cùm non suscipiat magis & minus; tùm quia terminus per se primò generationis est aliquod totum subsistens, non vt producitur per partes, sed vt totum est, ergo non respicit productionem modo diuisibili, sed indiuisibili, scil. vt totum, & integrum, nec potest in quacumque parte minori, & minori produci, cùm exigat determinatam quantitatem, vt producatur, vt diximus supra qu.8. Videatur D.Tho.quodlib.7.art 9.& in hoc lib.lect.7.

Statim verò se offerebat argumentum de dispositione vltima, quæ fit per motum alterationis, & in illo instanti terminante motum est verum dicere, nunc est vltima dispositio, & in illo instanti adhuc non est verum dicere, nunc est forma genita, aliàs in illo instanti iam non esset forma corrupta, & consequenter vltima dispositio nunquam esset in subiecto corrumpendo, sed in generando, atque adeò non desineret forma corrupta ex vi dispositionis vltimæ, quidquid autem infra vltimam dispositionem est, compatibile est cum illa. Si ergo in illo instanti est dispositio vltima, & in illo nondum est forma genita, immediatè post erit, atque adeò non incipiet in instanti intrinseco.

Hoc argumentum multa tangit quæ tractanda sunt in libris de Generat. *Nunc sufficit dicere*, quòd vltima dispositio nunquam est nisi in subiecto generando, quia semper est coniuncta ipsi formæ genitæ, nec producitur à sola alteratione, sed ab ipsa generatione producente formam substantialem, quia vt coniuncta illi, & non seorsum producitur. Definit autem forma corrupta ex vi vltimæ dispositionis, non quia in ipsa recipiatur, sed quia cum ipsa non compatitur, sicut etiam expellitur à forma substantiali, non simul existente cum forma corrupta sed simul non compatiente, quidquid autem infra vltimam dispositionem est, compatitur cum forma corrupta, & in illa recipitur, sed cùm aduenit vltima dispositio, aduenit etiam forma substantialis, vt illi coniuncta, & expellitur in genere dispositionis ab vltima dispositione, & à forma substantiali in genere causæ formalis: de hoc autem puncto in dicto loco plenius tractabitur.

Quòd si inquiras, vtrùm possit per creationem produci aliquid non in instanti, sed in tempore de potentia absoluta? *Respondetur*, plures id negare, vt Vazq.2.tomo primæ partis, disp.229. cap.10. *Alij contra sentiunt*, posse creare in tempore, de quo videri potest Cursus Carmel.hîc disp.26.quæst.4. Fuente 6.Phys.quæst.2.diffic.3.art.3.& alij *Veritas tamen est* vtramque sententiam quoad aliquid veram esse. Nã si intelligamus posse aliquod creari in tempore quantum ad mensuram intrinsecam creationis, vel rei productæ, hoc repugnat, quia illa entitas, & actio ab

ab intrinseco habent incipere modo indiuisibili. Si verò loquamur de successione extrinseca, id est, de mensura coëxistente extrinsecè tempore diuisibili sic non repugnat creari aliquid à Deo in instanti correspondente tempori nostro diuisibili, sicut substantia indiuisibilis Angeli coëxistit spatio, & tempore diuisibili, modo tamen indiuisibili ex parte sui. Sic ergo non repugnat immediatè post instans nostri temporis aliquid creari à Deo, non quidem in instanti eiusdem temporis, quod non immediatè sequitur, sed in instanti alterius mensuræ, quod æquiualet nostro tempori, v. g. in mensura æui. An verò possit similiter annihilari, vel desinere substantia in mensura temporis, statim dicemus.

Secunda regula, seu conclusio. *Res permanentes desinunt per primum non esse connaturaliter loquendo, et si desinant per annihilationem, supernaturaliter autem, seu præternaturaliter, non repugnat aliquid desinere per vltimum esse. Prima pars* quantùm ad annihilationem *probatur*, quia annihilatio est suspensio totius concursus, quo res fuit creata, & conseruatur in esse. Hic autem, cùm modo indiuisibili detur, eius suspensio connaturaliter fit in instanti, sicut creatio in instanti fit: si autem suspenditur concursus in instanti, in eodem instanti intrinseco desinit creatura. Neque enim potest suspenso concursu in eo instanti durare, & immediatè potest desinere, atque adeo erit verum dicere in illo instanti: nunc non est creatura, & immediatè ante erat: hoc autem est desinere per primum non esse, quia tunc primò non est, si autem desineret per vltimum esse, esset verum dicere, nunc est & immediatè post non erit; atque adeo esset verum dicere, sine concursu Deo in hoc instanti creatura est, & immediatè post ablatum concursum non erit. Cæterũ, quia potest Deus suspendere suum concursum, non instanti nostro, sed immediatè post illud, quia immediatè post liberè continuat & potest non continuare, ideo si immediatè potest instans tollat concursum, desinet per vltimum esse dicendo, nunc est immediatè post non erit. Quæ regula nullo modo potest negari, licèt aliqui Authores oppositum dicant fortasse mutatis terminis.

Secunda pars conclusionis intelligitur de re quæ desinit ad generationem alterius incipientis per primum esse; nam si aliqua forma incipiat per vltimum non esse; tunc illa quæ desinit ad eius inceptionem necessario desinit per vltimum esse, eò quòd desinit immediatè post instans: sic enim aliud incipit. *Ex hoc probatur conclusio posita*, quia tales res permanentes desinunt ad generationem alterius, ita quòd idem est instans generationis vnius, & desitionis alterius, & ita si res generatur per primum esse, necessariò desinit res corrupta per primum non esse, aliàs esset verum dicere, nunc est res illa: immediatè post non erit, si desineret per vltimum esse; sed in illo nunc res est generata. Ergo esset simul in eodem instanti forma genita, & corrupta, vel si in illo nunc non est forma genita, sed immediatè post erit, non generabitur in instanti per primum esse, sed in tempore per vltimum non esse, cuius oppositum ostendimus.

Ex quo sequitur, quòd quando incipit motus per vltimum non esse, dicendo, nunc non est motus, immediatè post erit, talis motus non excludit necessariò formam, quæ toto tempore antecedenti quieuit, sed incipit excludere, compatitur enim motus ad vnam formam cum retentione oppositæ, licèt via corruptionis, sicut ægritudo cum vita & frigus cum calefactione mouente ad calorem.

Dices primò. Repugnat quòd substantia desinat per primum non esse, si desinit per annihilationem, quia totum illud esse est indiuisibile, & suspensio cõcursus est indiuisibilis; ergo desinit ad modum instãtium; sed instantia desinunt per vltimum esse, ergo talis substantia, quę desinit per annihilationẽ, desinit per vltimum esse. *Secundò*, nulla res permanens, nec per se, neque per accidens, nec etiã supernaturaliter potest desinere per vltimum esse; nam quod desinit per vltimum esse, habet totum non esse in tempore, quia est verum dicere, nunc est, immediatè post non erit; immediatè autem post est tempus: sed hoc non potest conuenire rei permanenti, quia conuenit ei totum suum esse indiuisibiliter, ergo non esse, quòd est eius oppositum, etiam indiuisibiliter debet poni, quia id, quod tollit, indiuisibile est, ergo non in tempore. *Tertiò*, res successiua, nec de potentia absoluta potest incipere, aut desinere in instanti per vltimum esse, si enim esset in instanti, non haberet partem post partem, quod est contra quidditatem successiui; ergo nõ potest verificari, quod sit in instanti. Ergo etiam res indiuisibilis non potest verificari, quod sit in tempore.

Ad primum negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quòd indiuisibile formale vt instans, solùm desinit per vltimum esse: indiuisibile autem subiectiuè & materialiter, scilicet, id quod est subiectum indiuisibilis durationis, benè potest desinere per primum non esse, si desinit annihilatione. Instans autem non desinit annihilatione, sed successione temporis, quia in instanti quo est, non potest annihilari, desinit ergo immediatè post, quod est per vltimum esse. Res ergo, quæ annihilatur, desinit ipsa annihilatione in instanti; in quo suspenditur concursus non immediatè post, atque adeo per primum non esse. Neque est necesse, quòd primum non esse, sit priuatiuum, id est, adiunctum generationi alicuius rei; sufficit quòd sit pura negatio essendi.

Ad secundum negatur antecedens. Ad probationem respondetur, quòd benè potest non esse rei indiuisibilis dari in tempore, & non instanti intrinsecè; imò quod desinit per vltimum esse, non habet ipsum non esse in instanti, sed immediatè post, quia non esse non mensuratur duratione, sicut ipsum esse, nisi per accidens, quando sequitur ad inceptionem alicuius esse, per cuius inceptionem aliquid corrumpitur: tunc enim desinit res in instanti, in quo primo opposita forma generatur & est. Secus est, Si Deus suspendat concursum in tempore, & non in instanti, tunc enim desinit per vltimum esse, vt dictum est.

Ad tertium respondetur, quòd motus non potest intrinsecè mensurari duratione indiuisibili, quia sic destrueretur ratio motus, quæ petit partem post partem; instans autem habet negationem partium. Nec potest coëxistere instantaneæ durationi, nisi sit instans æquiualens multo tempori, sicut est instans æui, quod tamen non correspondet motui, vt propria, & adæquata mensura, sed inadæquata: multa enim successiua coëxistunt instanti Angelico. Et similiter res indiuisibiles, licet intrinsecè non possint mensurari mensura diuisibili, & successiua tẽporis, benè tamen extrinsecè coëxistẽdo in mẽsura, quæ æquiualet, & coëxistit multo tẽpori, vt explicatũ est.

ARTICVLVS II.

Regulæ inceptionis, & desitionis in successiuis, & instantaneis, & quiete.

PRima regula. *Motus incipit per vltimum non esse, & desinit per primum non esse. Ratio primæ partis est manifesta,*

manifesta, quia motus successiuus non habet esse in instanti, cùm non habeat esse indiuisibile. Ergo in tempore, ergo non incipit per primum esse, aliàs esset verum dicere: nunc est, & immediatè ante non erat. Non potest autem verificari de motu, quod nunc est hoc enim pertinet ad mutatum esse, quod est terminus motus: & sic ad tale mutatum esse, præcedit moueri, vt probat Philos. in hoc libro sexto. Ergo motus vt distinguitur à mutato esse, quod est indiuisibile motus, non incipit in instanti indiuisibili, sed diuisibiliter, quod est incipere per vltimum non esse, & non per primum esse.

Nec potest dici, quòd motus incipit per aliquid indiuisibile, licèt non sit mutatum esse, quia hoc est terminus motus, non initium. *Nam contra est*, quia illud indiuisibile, quòd dicitur initium motus, modo est, & ante non erat, cum in illo instanti incipiat. Ergo est aliqua mutatio, seu mutatum esse, & cùm ante illud non præcesserit aliquod moueri, erit actio instantanea sine aliquo motu præcedenti, sed quiescente subiecto, toto tempore ante in opposita forma; de qua actione non loquimur, sed de successiua: imò inde probat D. Th. 1. par. q. 53. art. 3. non posse Angelum moueri in instanti, quia non potest aliquid toto tempore præcedenti quiescere, & in vltimo instanti illius temporis moueri, seu aliter se habere. Quæ doctrina est eadem cum ea, quæ traditur à Philos. in hoc libro, tex. 56. & ibi à Diu. Thom. lect. 8. quòd cùm motus strictè dictus sit de vno positiuo ad aliud positiuũ, non potest stare quòd subiectum toto tempore quiescat sub vna forma positiua, & in vltimo nunc illius temporis inueniatur mutatum ad aliam, eò quòd in illa forma est tanquã in termino à quo, quiescẽdo tanquam in forma positiua, & sine motu & tendentia ad terminum ad quem, vt supponimus, quia toto tempore quiescit, ergo si in vltimo nunc illius temporis, est in termino ad quem, sine transitu & tendentia mutatur de termino à quo ad terminum ad quem, cùm nunquam ante illud vltimum nunc moueatur, sed quiescat, quod naturaliter esse non potest, nam etiam in generatione substantiali datur motus & alteratio præcedens, & ante illuminationem de nouo motus luminosi, supernaturaliter autem potest oppositum contingere, vt si Deus subito producat terminum ad quem, & destruat terminum à quo, sine transitu medio de vno ad aliud.

Quòd verò omnis motus desinat per primum non esse *constat*, quia si desineret per vltimum esse, esset verum dicere, nunc est motus, immediatè post non erit, nunquam autem verificatur de motu, quod est in instanti, & in nunc, cùm essentialiter sit diuisibilis secundùm partes priores, & posteriores, quæ non possunt esse in instanti.

Secunda regula. *Res permanentes, quæ incipiunt & desinunt modo successiuo, vt calor, quantitas & similia, incipiunt & desinunt ad modum motus quantùm ad suam entitatem absolutam. Si vero considerentur quantùm ad gradus, vel ratione maioris, & minoris quantitatis, si gradus sit certus, & determinatus, & in parte certa, & determinata, incipiunt per primum esse, aliàs per vltimum non esse. Prima pars probatur*, quia motus non est præter res ad quas est motus, sed est ipsa res in fieri, & tendentia, & sic incipiente motu, incipit res ipsa, verbi gratia, qualitas ad quam est motus, ergo sicut motus incipit per vltimum non esse, ita & res illa ad quam est motus, & simile est de eius corruptione, supposito quod corrumpitur per motũ.

Secunda vero pars probatur, supponendo, quod in qualitatibus, v. g. non solum datur latitudo ab vna qualitate ad aliam, sed etiam datur latitudo gradualis à minori ad maiorem gradum, & è contra; inter gradum autem & gradum datur latitudo diuisibilis secundùm magis, & minus ad modum partium proportionalium. Et qualitatem secundum istas partes proportionales vocamus formam indeterminatam, sed secundùm partes aliquotas, seu gradum certum vocamus formam determinatam. *Dicimus ergo*, quòd vt graduatio qualitatis, qua redditur tanta, incipiat per primum esse, debet concurrere duplex conditio prima, quod gradus ipse, seu pars qualitatis sit certa. Secunda, quòd subiectum, seu pars subiecti in qua incipit, sit certa, & determinata, si verò altera conditio deficiat, incipiet per vltimum non esse.

Ratio est, quia stante vtraque conditione, si inciperet gradus caloris, verbi gratia, vt quatuor per vltimum non esse, esset verum dicere, nunc non est talis gradus caloris, & immediatè post erit. Vel ergo in illo instanti deest aliquid ad illum gradum determinatum, vel non; si non deest, ergo iam datur, & sic non incipiet immediatè post in illa parte. Si deest aliquid, vel diuisibile, vel indiuisibile; si diuisibile nõ incipiet immediatè post in tota illa parte, quia de illo diuisibili prius attingetur vna medietas quã alia, & sic immediatè post adhuc non incipiet tota. Si indiuisibile non potest acquiri immediatè post in tempore, sed in instanti quo est mensura indiuisibilis, ergo non incipit immediatè post instans, ergo neque per vltimum non esse. Cæterum pars, in qua incipit gradus qualitatis, non sit determinata, vel ipse non sit certus, & determinatus gradus, benè potest incipere per vltimum non esse, vt patet, quando intensio est motus vniformiter difformiter diffusus, sic enim calidum, verbi gratia, vt quatuor, si in aliquo instãti applicetur subiecto, ita diffuudit calorẽ, quòd in superficie immediata ponit calorem, vt quatuor, & in eo, quod immediatè sequitur post superficiem, quidquid est infra calorem vt quatuor, & sic consequenter minus ac minus, vsque ad non gradum. Si ergo incipiat motus intensionis, cùm debeat incipere per instans extrinsecum, seu vltimum non esse, oportet, quòd immediatè post instãs, illa pars, quæ immediatè sequitur post superficiem maiorem intensionẽ acquirat, ergo cùm talis calor sit illud, quod immediatè est infra gradum vt quatuor, si immediatè post crescit, immediate post accipiet gradum vt quatuor, & sic incipiet ille gradus vt quatuor, immediatè post instans in illa parte incerta, quod est incipere per vltimum non esse. Et eodem modo incerta pars formę poterit incipere immediatè post instans ratione motus vniformiter difformis.

Quòd si dicas, currere hic argumentum supra factum, quia in parte immediata post superficiem, vel deest aliquid diuisibile, vel indiuisibile ad gradum vt quatuor, & quidquid dicatur, non potest incipere immediate post ille gradus certus. *Resp.* deesse aliquid diuisibile per modum partis proportionalis, & designatæ, sed illa vincitur per motum, qui etiam immediatè pòst modo diuisibili incipit, & sic etiam ponit modo diuisibili, quidquid restat ad gradum, vt quatuor. *Et si vrgeas*, cur non idem dicemus quando in parte certa incipit gradus certus? *Resp.* Quòd illa pars cum sit certa, non potest vinci per illam partem motus, quæ incipit immediatè post instans, quia illud quod immediatè post instans sequitur, est aliquid diuisibile indesignatũ, & proportionale, & sic non potest afficere qualitate totam partem certam. At vero verò si tota pars certa moueatur vsque ad vltimum instans, quo incipit certos gradus in ea, tunc immediatè ante instans non deest nisi aliquid indiuisibile, vt producatur ille gradus, quia nihil deest quoad fieri, & diuisibilitatem eius, sed quo-

ad terminari, & vt sit in facto esse, quod est indiuisibile.

Quòd si petas, quomodo desinant istæ formæ, quæ fiunt per motum, siue secundùm se, siue secundum graduationem? *Resp.* quòd desinunt ad inceptionem formæ oppositæ, v.g. calor incipit remitti ad motũ frigoris, frigus autem incipit per vltimum non esse; quia incipit per motum, in quo est verum dicere, nũc non est frigus, immediatè post erit, & sic necesse est, quòd desinat ille gradus caloris, seu remittatur per vltimum esse, in quo est verum dicere, nunc est talis gradus, immediatè, & post non erit, quia nunc nõ est frigus, & immediatè post erit, & cum frigore introducto non stat ille gradus caloris. Si autem calor desinat, non solum quantum ad gradum, sed etiam quoad totam entitatem, desinit per primum non esse, quia non desinit, nisi ad totalem introductionem formæ oppositæ quæ introducitur in instanti terminante motum, in quo est verum dicere, nunc est frigus, immediatè autem antea non erat, & consequenter nunc non est calor, & sic verificatur, quòd nulla forma perfectè, & totaliter desinit per vltimum esse, nisi sit instantanea.

Tertia regula. *Quæcumque indiuisibilia successiua incipiunt per primum esse, & desinunt per vltimum esse. Constat hoc*, quia tantũ durant per instans. De instanti autem est verum dicere, nunc est, & immediatè antea non erat, & similiter nunc est, & immediatè post non erit, ergo incipit per primum esse, & desinit per vltimum esse. Si autem inciperet per vltimum non esse, dicendo, nunc non est, & immediatè post erit, darẽtur duo nunc, seu instantia immediata. Indiuisibilia autem permanentia, vt punctum in quantitate, actus indiuisibilis in intellectu, & similia, incipiunt lege rerum permanentium.

Vltima regula. *Quies negatiua motus incipit, & desinit sicut instans*, quia solum datur in instanti, in quo est incapacitas ad motum. *Quies autem priuatiua incipit per vltimum non esse, & desinit per vltimum esse. Et probatur*, quia non potest incipere illa quies in instãti intrinseco, quia in illo non est capacitas ad motum, & consequenter non est quies per modum priuationis, ergo incipit immediatè post instans, quia immediatè post potest esse motus, & consequenter si nunc non mouetur, incipit quiescere priuatiuè. Desinit autem quiescere, quando incipit moueri ab vna forma ad oppositam, licèt enim adhuc in illa sit (quia non corrumpitur illa forma, quousque altera introducatur, quæ est terminus motus, tamen non est in illa quiescendo, sed tendendo ad oppositam, tollitur ergo quies, quando incipit motus, sed incipit motus per vltimum non esse, ergo desinit quies per vltimum esse, quando est verum dicere, nunc est quies immediatè post non erit, quia immediatè post est motus.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, ad probandum motum incipere per primum esse, seu dari primum mutatum esse, nam aliquis terminus motus, v.g. aliquis locus primò acquiritur, aliàs non relinqueretur aliquis terminus à quo, si aliquis non acquiritur. Ergo sicut est dare primum terminum à quo, qui relinquitur, ita primus terminus ad quem, qui acquiritur. Si autem nullus assignatur; ergo versus principium omnis motus est infinitus, cum careat principio. *Confirmatur*, in illo casu supra posito de cane cadente è turri, qui moritur in medio, tunc enim ille motus distinctus, qui incipit in cadauere, incipit in instanti, quia cum generatione continuatur; ergo potest motus incipere in instanti. *Denique* in motu datur vltimum mutatum esse, in quo desinit motus; ergo eadem ratione poterit dari primum mutatum esse, licet in instanti non sit motus.

Resp. non dari primum terminum acquisitũ per motum, nisi talem terminũ præcedat aliquis motus, quo acquiratur, atque adeò motus non initiatur in ipso termino. Et licèt detur terminus à quo designatus, tamen quando primo incipit motus, non relinquitur in facto esse, sed quando terminatur motus: & sic quando motus incipit adhuc mobile potest esse sub termino à quo, licet non in esse quieto, sed in moueri, & via corruptionis, sicut dum quis mouetur ad mortem per ægritudinem adhuc est in vita. Neque hoc est carere principio, & esse infinitum versus initium, quia non caret principio extrinseco motus, sed intrinseco, neque habet infinitatem, nisi sincategorematicè, quia non est dare primam partem motus, cùm incipiat modo diuisibili, & pars illa sit diuisibilis in infinitum, licèt sub parte finita contineatur.

Ad confirmationem iam supra respondimus in illo instanti, quo generatur cadauer, non dari motum, sed incipere extrinsecè, & discontinuari à motu præcedenti propter generationem distincti subiecti, à qua generatione, & non à motu procedit illa acquisitio loci, in qua cadauer inuenitur, quando primo generatur.

Ad vltimum dicitur, dari in motu vltimum mutatum esse quia datur finis motus, qui finitur in aliquo termino producto, & tale mutatum esse præceditur à toto moueri. At verò si daretur primum mutatum esse, non præcederet aliquod moueri, aliàs non esset primum principium motus illud mutatum esse, sine moueri autem non potest dari mutatum esse. Nec intelligimus, quòd vltimum mutatum esse, terminat motũ, quasi intrinsecè includendo in se partes priores, & posteriores, sed quasi ab illis relictum, & extrinsecè terminans motum.

Quòd si instes, quia in vltimo mutato esse existit motus; ergo adhuc tunc non desinit extrinsecè, & per primum non esse, sed per vltimum esse. *Antecedens constat*, quia motus est diuisibilis; ergo non possunt omnes partes simul desinere, sed vna prius, quã alia; ergo quando aduenit vltimum instans non omnes simul desinũt, sed aliquid desinit, & aliquid permanet: ergo adhuc aliquid motus tunc datur; *& deinde*, quia motus existit per suum indiuisibile, sicut tẽpus per instans, ergo in illo indiuisibili adhuc existit motus. Imò non nisi per illud, sicut patet, quando incipit aliquis gradus caloris per primum sui esse, vt diximus, tunc enim vel adhuc existit motus, vel incipiet ille gradus caloris, sine actione, si tunc non datur motus. *Deniq;* in quantitate permanente quãtumcumque dentur partes in infinitum diuisibiles, tamen datur aliquis primus terminus, & vltimus, inter quos illæ partes includuntur, & redduntur finitæ. Ergo similiter partes motus priores, & posteriores aliquo primo termino includuntur, quia vbi datur priùs, datur primum, nisi sit processus in infinitum.

Resp. quòd in vltimo mutato esse nulla pars motus inuenitur intrinsecè, & ita in illo non desinunt simul omnes partes, neque aliqua illius permanet, sed immediatè ante omnes partes successiuè transierunt; in vltimò autem instanti iam non transeunt, sed terminatiuè transactæ sunt. Dicuntur autem desinere in illo instanti, nõ quia in illo adhuc sit motus, sed quia in facto esse iam non est, cùm immediatè ante successiuè desinerent transeundo. Partibus autem transeuntibus succedit instans.

At

Ad secundam probationem dicitur, quòd tempus, & motus existunt per indiuisibilia continuatiua, non per terminatiua, durat enim per illa, per quæ continuatur eius esse in ratione succedendi: terminatiuum autem instans est desitio non existentiæ motus. Ille autem terminus, seu gradus, qui producitur in illo instanti terminatiuo, habet in illo instanti actionē terminatiuè existentem, & virtualiter, non successiuè, & formaliter. Hæc est enim natura motus, quòd vna pars resultat, & sequitur ex alia: & sic licet illa transeat successiuè, altera producitur ex illa terminatiuè, & sic producitur vna ex alia succedendo illi. Nec requiritur, quòd tunc existat formaliter pars antecedens, quando existit, & producitur sequens, sed sufficit, quòd immediatè præcesserit, & illi altera continuetur, ratione enim continuationis virtualiter dicitur manere, seu terminatiuè, de quo amplius dicemus in lib. de Gener.

Ad vltimam probationem dicitur, quòd tam in quantitate permanente, quam in successiua partes clauduntur terminis seu indiuisibilibus, sed cum hac differentia, quòd in quantitate successiua termini sunt extrinseci ipsis partibus, nec positionem habent in illis, quia se habent, vt terminus à quo, & ad quem: & à primo incipit motus relinquendo illum: in secundo terminatur cessando. In quantitate autem permanente termini, seu indiuisibilia habent positionem in ipso continuo, & coniuncta sunt permanenter partibus, nec se habent tanquam terminus à quo, & ad quem, & ideo sunt intrinseci, & permanentes in ipsa quantitate, non extrinseci, vt in motu.

CIRCA LIBRVM SEPTIMVM, DE COMPARATIONE MOVENTIVM ET MOBILIVM.

QVÆSTIO XXII.

De Conditionibus requisitis ad mouendum.

CONDITIONES *istæ sunt tres, scilicet ex parte agentis existentia, ex parte rei motæ, & effectus, distinctio à mouente, neque enim potest aliquid mouere, & facere se ipsum, & ex parte passi & agentis, requiritur applicatio. De existentia egimus* supra quæst. 7. *Quomodo autem saluetur in instanti vltimo, quando iam desinunt dispositiones ad corruptionem subiecti* in lib. de Generat. *dicetur. De reliquis duobus agemus* in præsenti quæst.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm omne, quod mouetur, ab alio moueatur?

PRopositio ista Phil. à multis reiicitur, qui existimant non requiri realem distinctionem, inter id quod mouet & mouetur, quòd attribui solet Soto 2. Met. q. 14. & videri potest Plaça in 2. Phys. disp. 1. q. 7. qui plures refert, & sequitur etiam Cabero hîc disp. vnica, dub. 2.

Fundamentum huius sententiæ sumitur, tùm ex variis actionibus, in quibus mouens & motum non distinguuntur realiter; tùm ex destructione fundamēti Philosophi. Primò ergo est difficultas in motu cordis, & in motu grauium & leuium. Totum enim cor mouetur, & totum mouet, quia cùm sit motus vitalis, est à seipso. Similiter totus lapis mouetur deorsum, & totus se mouet, quia non impellitur ab aliquo extrinseco. Et similiter aqua calida se mouet ad frigus, non per emanationem, sed per motum successiuum, vt videmus, atque adeo idem est, quod mouetur, & quod mouet. *Nec dici potest*, quod in istis motibus materia mouetur, & forma mouet, quia vt supra qu. 19. probauimus. ex Phil. mutatio materiæ primæ non est motus strictè dictus; sed motus requirit pro subiecto ens in actu. Et ita D. Th 25. de Verit. art. 2. docet, quòd formæ non possunt esse mouentes, sed solum principium, quo aliquid mouetur. Quare, cum prædicti motus sint motus propriè, non potest sola materia esse mota, quia motus non habet pro subiecto solam materiam, vt in 5. Physic. dicit Arist.

Secundò est difficultas in actibus immanētibus, qui in eodem à quo egrediuntur, recipiuntur, aliàs non essent immanentes; ergo in illis idem est agens, & patiens, mouens, & motum.

Tertiò, est difficultas in emanatione propriæ passionis, recipitur enim passio in eodem subiecto, à quo emanat. Ergo idem se habet actiuè, & passiuè respectu passionis emanantis, & receptæ.

Quartò, viuentia mouent se ipsa: in hoc enim præcisè distinguuntur à non viuentibus, vt docet S. Thom. 1. p. q. 18. art. 1. Ergo in eis idem debet esse mouens & motum. *Nec sufficit dicere*, quod in viuentibus sint diuersæ partes, quarum vna est mouens, & alia mota: *contra enim est*, quia vt Philosoph. ostendit lib. 8. tex. 30. lect. 7. apud D. Thom. in fine, nullum continuum mouet se ipsum, partes autem viuētis sunt continuæ, ergo ratione partium non mouet se ipsum, *& deinde*, quia si vna pars mouet aliam, illa quæ tantum est mota, non viuet, quia non mouetur à se, pars autem quæ tantum mouet, & non mouetur, erit actus purus, si autem mouetur ab alio extra se, hoc ipso non est viuens, quia mouetur tantum ab alio.

Vltimò, fundatur hæc sententia, destruendo fundamentum Aristotel. scilicet, quòd non potest idem simul esse in actu, & potentia respectu eiusdem, & cōsequenter nō potest idem simul esse mouens, & motum,

tu n,quia in tantum eſt mouens , in quantum eſt in
actu,& in tantum mouetur,in quantum eſt in poten-
tia. *Sed hoc facile ſoluitur* , dicendo quod non poteſt
eſſe ſimul in actu,& in potentia formaliter, benè ta-
men virtualiter , ſicut aqua calida formaliter caret
frigore,& eſt in potentia ad illud, virtualiter tamen
in actu habet frigus ratione formæ ſubſtantialis,cu-
ius virtute exit : & voluntas eſt in potentia ad actum
amoris , & in actu habet virtutem ad producendum
illum.

Hæ ſunt rationes , quibus aliqui infirmum ponant
hoc axioma. Vnde P.Suarez diſp.29. Metaph.ſect.1.
non multum illi fidit , vt ex illo deducatur demon-
ſtratio ad probandum dari vnum primum motorē,
qui eſt Deus magis autem id cōfirmari ex alio prin-
cipio , ſcilicet , quia omne quod fit , ab alio fit , &
diſput. 18. Metaphyſ. ſect.7. conatur Ariſtot. expli-
care , & defendere , maiori forſitan labore , quam
profectu.

Cæterum D.Tho. perpetuus eſt in hac doctrina.
Ariſt. defendenda in toto rigore , non ſolum in hoc
ſenſu, quòd omne quod mouetur debet habere vir-
tutem,qua moueatur ab alio productam , & receptā
ſed etiam , quia præter virtutem requiritur , quòd
motio , qua aliquid mouetur , ſit ab alio. Et certè ſi
hoc principium deſtruitur,conſequenter oportet af-
firmare ex principiis philoſophicis , quæ fundantur
in motu non poſſe nos ſufficienter demonſtrare Deū
eſſe, ſiquidem Philoſophi qui ex natura motus pro-
ceſſerunt ad oſtendendum dari vnum primum mo-
torem, qui ſit immutabilis & æternus, in his ſolum
duobus principiis fundati ſunt , quia omne quod
mouetur,ab alio mouetur,& non eſt dare proceſſum
in infinitum in cauſis mouentibus. Si autem id quod
mouetur,non eſt neceſſe quòd ab alio moueatur,nec
etiam eſt neceſſe ſiſtere in aliquo, quod ſit mouens
non motum,cùm idem poſſit moueri, & mouere ſe
ipſum. Conſtat autem Ariſt. tam hîc lib.8 c.4.quam
in 12. Metaph. tex.35. ſolum per viam motus pro-
ceſſiſſe, & per prædicta principia ad oſtendendum
Deum eſſe,vt ibi lect.6. in fine, & 1. cont.Gent c.13.
aduertit D.Thom. qui etiam latè explicat hoc prin-
cipium loco citato contra Gen. & 1. par. quæſt.2.
art.3. Nec per illam vnam Philoſophi antiqui pro-
ceſſerunt,Plato enim qui poſuit aliquod mouens eſ-
ſe,quod ſe moueret loquebatur de motu , qui eſt in-
telligere,ſicut inuenitur in Deo, vbi tamen propriè
non eſt motus,ſed metaphoricè, de quo D. Thom.7.
Phyſic. lect.1. & loco citato contra Gen. Conſtat
autem Philoſophos ſufficienter demonſtraſſe dari
diuinitatem,& æternitatem in Deo,vt apertè eos re-
uincit Apoſtolus ad Rom 1. dum inquit : *Indiuiſibi-
lia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur,
ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas,ita vt ſint in-
excuſabiles,quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deū
glorificauerunt.* Sentit ergo Apoſtol. non ſolū ratio-
ne naturali Deum cognoſci poſſe,ſed etiam de facto
Philoſophis eſſe cognitum ergo conſequenter tene-
mur admittere , quod principia quibus Philoſophi
proceſſerunt , ſunt certa , & ſufficientia ad talem
demonſtrationem.

Et quia Ariſt. hoc principium inductione oſten-
dit in hoc lib.7. cap.1. & 8. Phyſicor. cap.4. & 5.
nos in præſenti illud admittimus,& explicamus,iux-
ta vniuerſalius fundamentum , quod comprehendit
omnem operationem creatam,quæ per modum mo-
tus agitur vbi enim operatio rei differt à ſubſtantia.
& aliquid potentialitatis ſupponit in ſubiecto , ali-
quem modum motus habet , vt dicit Sanct. Thom.
in 1. diſtinct.8. qu.3. art.1 ad quartum ; hoc autem
fundamentum eſt illud ſupra inſinuatum & poſitū
à Philoſoph. hîc cap.5.tex.40. quod non poteſt idem
ſimul eſſe in actu , & in potentia reſpectu eiuſdem,
neque idem poteſt eſſe dependens à ſe ipſo ; vnum-
quodque autem in tantum eſt mouens in quantum
eſt in actu,& motum in quantum eſt in potentia, &
ſimiliter in quantum motum dependet à mouente;
vnde non poteſt eſſe idem ſimul mouens,& motum
reſpectu eiuſdem.

Quòd verò non ſufficiat dicere , quod idem eſt ſi-
mul in actu virtualiter,& formaliter in potentia,ita
quòd ſufficit habere virtutem motiuam , & ſubiectū
recipiens motum,cōſtabit manifeſtè ex ſolutione ad
vltimū,vbi oſtendemus,quòd nihil ſufficit actu mo-
uere,ex eo præcisè quòd in eo eſt virtus,ſed requiri-
tur , quod habeat aliquid de motu in actu,ratione
cuius moueat id quod eſt in potentia , quia omnis
motus eſt de quodam in quiddam,& tanquam actus
entis in potentia habens ſcilicet aliquid de actu , &
tranſiens ad id quod eſt in potentia.

*Sic ergo iſtud axioma intelligitur cum duplici condi-
tione. Prima* per modum negationis , quòd nihil à ſe
ipſo mouetur,vt à primo & per ſe mouente , & pri-
mo & per ſe moto,vt intelligit Sanct.Thom.7.Phy-
ſic.lect.1.Quod enim mouet ſupponendo illud prius
cuius virtute mouet , vel mouet ratione partis mo-
uentis,& partis motæ,iam ſupponit aliud eſſe mouēs
& aliud motum ; non verò idem ſe mouere forma-
liter loquendo. *Secunda conditio eſt*,quod intelligitur
de motu procedente de potentia ad actum, ita quod
per id quod eſt de actu reducit id,quod eſt in poten-
tia. Et ad hoc non ſufficit habere actum qui eſt vir-
tus ipſa,ſed habere virtutem actu motam,vt tranſeat
per actum ad id quod eſt de potentia;ſola enim vir-
tus eſt indifferens & indeterminata de ſe ad mouen-
dum,per hoc autem quod habet aliquid de motu in
actu , mouetur ad id in quo eſt in potentia ; habere
autem aliquid de motu in actu , non poteſt à ſe pri-
mò,quia id etiam debet habere per motum,& redu-
cendo ſe de potentia ad actum,ſi enim ſine motu ha-
bet per ſe primo mouere,illud mouere non eſt motus
phyſicus,quia non eſt exiens de potentia ad actū,ſed
erit mouere independens ab alio reducente de potē-
tia ad actū,quod eſt eſſe primum mouens Quòd ſi in
mouendo eſt independens etiam in eſſendo , quia
operari ſequitur eſſe , & eſſe eſt propter operari : &
ſic,ſi aliquid eſt per ſe mobile,quia eſt natura,& per
ſe primo mouens ſe ſine motu ab alio , aperitur via,
vt dicatur naturam eſſe primum mouens,& eſſe Deū
ſine alio principio primo mouente,quod his tempo-
ribus introducere conatus eſt impius , & damnatæ
memoriæ Iulius Cæſar Vaninius in lib.de admiran-
dis naturæ arcanis.

Quare rectè dixit D.Thom.7. Phyſic.lect.1.in fin.
idem eſſe , *Quod omne quod mouetur ab aliquo moue-
tur , ac dicere , quòd omnis motus debet eſſe diuiſibilis,
& non poteſt aliquid ſe toto eſſe motum , & eſſe mobile,
ſed ex parte motus in actu debet procedere ad partem
motus in potentia.* Quod etiam verificatur in intel-
lectu & voluntate , & in omni motu , ſeu operatio-
ne procedente de potentia ad actum,nam intellectus
ex cognitione principiorum mouetur ad concluſio-
& voluntas,ex fine ad media , & in actu finis ab in-
tellectu,& à Deo,& intellectus in primo actu à Deo,
Et ſicut non ſufficit habere virtutem motiuam , vt
aliquid dicatur ſe mouere,ſed requiritur , quòd hæc
virtus vt mota moueat, & ab vna parte motus tran-
ſeat ad aliam,& conſequenter non moueat actu, niſi
habeat motum in actu : ita non ſufficit habere for-
mam,vt dicatur per illam mouere ſe ipſum ex parte
materiæ,quæ eſt in potentia,quia tam forma, quam
virtus ſe habent vt principium *quò* mouendi , non
vt

vt ipse motor, vt dicit Diu. Thom. 22. de verit. art. 3. præter quàm quòd id quod mouetur motu strictè dicto, non est sola materia, vt probat Phil. 5. Physic. sed corpus, vt etiam docet Sanct. Thom. 3. cont. Gent. cap. 23. Nec denique materia est mobilis, sed informabilis à forma in genere causæ formalis non efficientis, quæ est mouens.

Ad primum à princip. respond. quòd de motu grauium, & leuium, & reliquis ibi numeratis sequenti quæstione latiùs agemus. Interim dicimus, omnes illos per emanationem oriri à natura, cui conueniunt, quod etiam de aqua reducta ad pristinam frigiditatem, notat Caiet. 1. par. quæst. 54. artic. 3. Emanatio autem respectu naturæ, à qua dicitur emanare, non est motus, & consequenter, non procedit in ea prædictũ axioma, nec enim dicitur per emanationem res se mouere. Respectu autem generantis naturam, & consequenter passiones eadem actione & motu, iam in tali emanatione verificatur, quod mouetur ab alio natura recipiens passiones, aut in illas se de nouo reducens, scilicet à generante saltem mediatè, vt sequẽti quæstione latius dicetur. Motus autem cordis, quia vitalis est, non ita facilè percipitur, quòd à generante fit. Sed tamen quia etiam vita in robus creatis est accepta, & deriuata ab alio, non ita viuens mouet se, quod non etiam moueatur ab alio in primo motu, quo incipit vita, vt D. Thom. docet 1. p. quæst. 18. art. 3. & quæst. 105. art. 4. ad 2. & ita ille motus est vitalis tanquam initium vitæ receptæ ab alio, non tanquam consummatio, & perfectio vitæ; hæc enim operatio viuentis, & à se mouente, quatenus per vnam partem iam motam, & factam in actu mouet alias, & ita ille motus cordis non ordinatur ad quiescendum in aliqua forma, sed vt constituatur in actu ad mouendum reliquas partes, quæ constitutio à generante debet procedere, cùm sit primus motus: in quo etiam assimilatur motus cordis motui cœli, vt docet D. Thomas opusc. 35. quia cœlum non mouetur ad quiescendum in aliqua forma, sed vt constituatur mouens, & primum alterans respectu aliorum.

Ad secundum, de actibus immanentibus, *Respondetur*, quòd inprimis in eis agens, & recipiens non sunt idem; nam agit potentia cognoscens simul cum specie, recipit vero sola potentia non species, & appetitus agit vt motus à cognitione & à Deo; recipit vero sola potentia; qua ratione istæ potentiæ solent dici passiuæ.

Secundò dicitur, quòd licèt agens & recipiẽs actionem sint idem, non ita repugnare; tum, quia actio ipsa egreditur vt accidens; & consequenter vt inhærens; vnde si sit actio perficiens ipsum agens tanquã actus vltimus illius, non autem transmutans alia, non repugnat, quod egrediatur, vt inhærens, & recepta in ipso agente: tùm, quia actio non requiritur, quod sit diuisibilis, & de quodam in quiddam, sed potest esse in diuisibilis. At verò motus necessariò est diuisibilis, & secundum partes priores, & posteriores procedit, & ita omne quod mouetur secundum partem posteriorem, & motam, necessario supponit partem priorem, vt mouentem, vt fiat transitus de vno ad aliud, & illa pars prior si etiam est mota, etiam est ab alia priori mouente, quousque deueniatur ad aliquam, quæ vel sit sine motu, vel sit ab alio extrinseco mouente; & sic si verè aliquid mouetur, semper ab alio priori mouetur, non verò si aliquid agit, debet in alio distincto ponere actionem receptam: vnde aliud est actio, aliud motio aliud agens & recipiens, aliud mouens & motum; quod mouet, reducit de potentia ad actum, & procedit de quodam in quiddam, quod agit præcisè di cit elicientiam actionis.

Ad tertium, constat ex dictis, quod emanatio vt emanatio potest recipi in eo, à quo emanat, vt autẽ est idem cum motu, semper est ab alio, scilicet à generante, & vide quæ diximus de emanatione, q. 12. artic. vlt.

Ad quartum respond. quòd viuentia non se totis, nec per se primò se mouent, sed mediantibus partibus, quatenus vna pars organica mouet aliam, vt Philos. explicat. 8. Physicor. cap. 4. Nihil ergo, quod per se primò mouetur, à se potest mouerit, sed ab alio. Et *ad replicam dicitur*, quod Aristotel. cum dixit nullum continuum se ipsum mouere, loquitur de continuo homogeneo, quod habet partes omnino similes; sic enim est perfectè continuum, quia perfecte simile. Viuens autem habet partes organicas & etherogeneas, quæ licet sint continuæ quantum ad quantitatem, sunt tamen dissimiles quantum ad dispositionem, & qualitatem, secundum quam mouent, & mouentur. Neque in his partibus mouentibus, & motis proceditur in infinitum. sed prima pars mouens mouetur ab alio motu vitalitio, elicitur quidem hic motus ab ipso viuente, sed moto à mouente extrinseco seu generante, quòd potest dare motum vitalem, nõ quidem consummatum & perfectum, sed inchoantem reliquos, eo quòd vita in nobis est participata, & ita non repugnat inchoationem eius esse ab alio. Pars autẽ vltimo motu non mouet se ipsam per se primò, sed ab alia parte eiusdem viuentis, & sic respectu totius, motus eius vitalis est.

Ad vltimum respondetur non sufficere virtutem, qua aliquid constituitur virtualiter in actu, vt dicatur aliquid mouere se ipsum, quatenus est in potentia ad actum producendum à tali virtute, quia talis virtus vel producit illum actum vt mota, seu mediante motu, vel per simplicem emanationem sine motu. Si operatur vt mota, clarum est, quod non sufficit virtus illa, qua dicitur esse in actu virtualiter, quia licet sit principium mouendi vt *quo*, non tamen est ipsum mouens, neque constituit aliquid in actu mouens, nisi supposito motu, quo tanquam ex priori parte motus transeat ad aliam. Ad hoc autem, vt virtus constituatur mota, oportet, quòd vel ille motus habeatur per alium priorem motum, & sic semper quod mouetur, mouetur ab alio, vel deueniatur ad vnum priorem motum, qui sit ab alio quod moueat, & non per motum. Si verò illa virtus operetur per simplicem emanationem, vel per non motum, hoc ipso non comprehenditur sub isto axiomate, quod mouetur, ab alio mouetur, nisi quatenus simplex emanatio est motus generantis, & tunc ab alio mouetur, scilicet à generante; quomodo autem generans dicatur mouere genitum, etiam si non sit illi præsens, vel generatio sit discontinuata, dicemus quæstione sequenti.

ARTICVLVS II.

Vtrùm requiratur approximatio mouentis à mobili, vt operetur?

DVplex approximatio inter mouens & mobile potest intelligi, altera *formalis*, quæ vocatur immediatio suppositi, vt cum ipsa substantia agentis proxima est passo. Altera *virtualis*, quæ vocatur immediatio virtutis, vt cum virtus agentis diffunditur in aliquid distans, vbi ipsa virtus est præsens, & non substantia ipsa: & de vtraque procedit difficultas, an videlicet requiratur immediatio suppositi respectu eius, vnde incipit motus, & secundò an per virtutem diffusam partus debeat agere in propinquum, quam in distans.

Sunt

Sunt ergo aliqui Authores, quia absolutè existimant non requiri approximationem, quia putant posse aliquid agere in distans, quin agat in propinquum, qui citatur à Conimbr. hîc super c. 2. q. 1. ar. 2. At verò Scot. in 1. dist. 37. qu. vnica, non absolutè sentit, quòd potest aliquid agere in distans, quin agat in propinquum, sed quòd qualitates diffusæ ab agente distante non producunt substantiam, etiam tanquam instrumenta, sed positis illis dispositionibus producitur substantia in parte distanti, sine eo quòd producatur in medio.

Nihilominus opposita sententia omnimo tenenda est, quæ est expressa Aristot. in hoc lib. 7. cap. 2. & ibi eam latè probat D. Thom. lect. 2. & 3. & 1. p. q. 8. art. 1. & 3. contra Gent. capit. 68. quæ sententia continet duo. *Primum* est, quòd in omni agente requiritur approximatio, seu immediatio suppositi, respectu sui primi effectus, & consequenter respectu passi, si effectus ex passo educitur: quòd si non educitur ex passo, vt in creatione, agens erit immediatum ipsi effectui. *Secundum est*, quòd in agentibus quæ diffundunt suam virtutem in remotum, oportet quòd prius agant in propinquum, & sic respectu omnis effectus, debet dari aliquis contactus, seu propinquitas agentis saltem virtualis; & communiter sequuntur Philosophum omnes eius interpretes. Et præter probationē à Philosopho allatam per inductionē in omni genere motus; videmus enim in omni motu alterationis, & augmentationis, & in motu locali, qui fit per impulsum, vel tractionem semper reperiri aliquem contactum inter mouens, & passum, quod immediatè mouetur; *Vlterius etiam probatur necessitas huius contactus*, quia aliàs non esset vnde limitaremus sphæram actiuitatis in agentibus, posset enim quodcumque agens agere in omnem distantiam: si enim sine transmissione virtutis per medium potest agere in aliquid, quod distet duobus palmis, cur non poterit similiter agere in id quod distat duobus millibus, vel in quodcumq; aliud sine termino, siquidem non dependet à medio, vt operetur virtus.

Quòd si dicas, non minus id sequi in nostra sententia, quia diffusio virtutis non fit per hoc quòd transeat de subiecto in subiectum, sed per hoc quòd multiplicetur de vna parte subiecti in aliam, & sic quælibet pars poterit æqualiter agere in aliam, & totam virtutem suam imprimere: quæ est ergo ratio cur non possit ista multiplicatio fieri in quamcumque distantiam sine termino? *Respondet*. Quòd omne agens, quod diffundit suam virtutem, diffundit illam vniformiter, difformiter per medium, & quanto magis elongatur virtus diffusa à suo agente, magis debilitatur vsque ad non gradum, cuius ratio explicabitur amplius in libris de generatione. Sufficit nunc aduertere, quòd actio procedit vniformiter, difformiter, & magis, ac magis debilitatur, tum propter resistentiam passi, tum propter ipsum modum recipiendi, quia virtus in extraneo subiecto imperfectiori modo suscipitur, & consequenter debilius operatur, nisi à proprio agente instauretur, & consequenter si multiplicatur in subiectum magis distans, quælibet pars debilius operatur, & debilius recipit talem virtutem vsque ad non gradum.

Ratio autem à priori cur requiritur approximatio agentis ad passum, vt effectus progrediatur ab agente, *ea est*, quia agens educens formam ex passo, educit illam vt vnitam, aut inhærentem illi; & sic effectus exit ex concursu passi, & agentis; oportet ergo, quòd virtus sit coniuncta passo, vt effectum illi coniunctum producat. Vnde si diffundit suam virtutem in remotum, virtus illa, quæ ibi ponitur, etiam debet exire ex agente & passo, cùm diffundatur vt vnitæ passo; ergo debet supponere talem passum vnitum agenti; denique non potest agens agere circa materiam sibi non subiectam, & determinatam erga se; non est autem alius modus determinandi, & subiiciendi materiam agenti, nisi penes contactum, & propinquitatem, quòd enim remotum est, & distans, non habet vnde determinetur ad hoc agens potius quam ad illud, cùm respectu eius nullam habeat coniunctionem neque vnionis, neque propinquitatis, per quam ad illud determinetur.

Quòd si dicas, quomodò sufficit virtutem agentis esse contiguam passo, siquidem ex vna superficie ad aliam non transit actio, eò quòd est accidens & non potest de vno subiecto transire ad aliud; ergo requiretur, quòd virtus sit inhærens ipsi passo, vt ex illo eliciat actionem, & non solum illi contigua. Quòd si dicatur communicari ab agente in passum virtutem, quæ ipsi passo inhæreat, in hoc ipso est difficultas, quomodo illa virtus communicatur passo, siquidem non transit illa virtus de subiecto in subiectum, neque actio illam communicans; ergo vt producatur in passo, & ei communicetur, manet idem argumentum in sua vi. *Respondet*. ad producendam actionem, & effectum in passo non requiri, nisi quod virtus producens sit contigua & coniuncta passo, & non ei inhærens, imò passum debet esset distinctum ab agente, vt sit motum ab eo, non quia actio transeat de subiecto in subiectum, neque virtus diffusa, sed quia in alio subiecto non procedit ab agente, nisi in passo coniuncto, à quo educitur, & sic vnum tantum subiectum habet, non transitum de vno ad aliud; sed tamen non potest produci virtus, vt recepta in materia distanti, sed in propinqua, quia distans cùm non sit coniuncta ipsi agentis, non determinatur esga illud, nec subiicitur illi, & consequenter non concurrit cum illo ad recipiendum actionem, & virtutem.

Ex quo sequitur, quare respectu Dei nihil possit esse distans; quia omnia respicit Deus vt effectum, nihil vt præsuppositum subiectum, quod effectus nō sit, & quia quilibet effectus ita dependet in esse à Deo, quòd per suspensionē concursus potest annihilari, ideò omne quod habet esse, est immediatè à concursu Dei, & non mediante concursu diffuso extra se per creaturam, quia nullus concursus creaturæ est talis, quòd per eius suspensionem potest res annihilari. Est ergo omne ens immediatè proximum Deo, & intra quamcumque rem Deus est, propter summam dependentiam à Deo, tam ex parte formæ, quàm ex parte subiecti, & tius esse, quod nulla habet creatura. Quòd si aliquid operetur in distans prius, quàm in propinquum, non est quia operetur in aliquid distans à se, sed distans respectu alicuius creaturæ, non autem respectu sui, qui vbique est.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimum *argumentum* deducitur ex pluribus experientiis, quibus videtur prius aliquid agere in distans, quàm in propinquum, sicut in lebete ad ignem adhibito partes superiores aquæ calidiores sunt, fundus autem lebetis, qui propinquior est igni, frigescit: Ignis corripit sulfur, vel picem longè distantem, non aërem intermedium, Sol generat multa in terra, quæ non in medio, neque per qualitatem diffusam, quia id quod generatur, substantia est: torpedo facit tremere manum piscatoris, non chordam; & oculi fascinantes imprimunt malam qualitatem pueris, & non aëri intermedio, & magnes attrahit ferrum distans, & non corpus propinquum; denique phantasia

phantasia residens in capite mouet appetitum, qui est in corde, & alias partes corporis distantes, & non alias intermedias. *Confirmat.* quia calidum vt quatuor applicatum medio habenti similem qualitatem vt quatuor, non agit in illud, quia non potest illud amplius intendere, quia non potest agere vltra quatuor & tamen agit in passum vltra distans, quod non habet calorem vt quatuor, vt etiam supra admisimus qu.8. Ergo potest agere in distans prius, quam in propinquum.

Respondetur, omnes illas experientias solui vnica solutione, quam tradit D. Tho. 7. Physic. lect. 4. & in 2. distinct. 15. quæst. 1. articul. 2. ad 6. vbi inquit: *Quòd actio cuiuslibet agentis habentis situm prius recipitur in medio, quàm in termino, non tamen oportet, quod recipiatur in vtroque eodem modo, sed secundum quod exigit dispositio vtriusque*, sicut ponit exemplum Commentator 8. Physico. de pisce, *qui retentus reti stupefacit manum, præter hoc quod stupefaciat rete, quod stupefactionis capax non est: & tamen secundum aliquem modum rete alteratur ex virtute piscis. Ita etiam oportet, quòd virtutes superiorum stellarum prius recipiantur in mediis orbibus, quam in inferiora corpora, quamuis non eosdem effectus vtrobique habeant.* Ita Diu. Thom. Quare in his omnibus effectus quidem, qui manifestè apparent fiunt in distanti, sed tamen virtus, quæ diffunditur, transit prius per medium, licèt non habeat in illo similem effectum, quem in remotis propter dissimilem dispositionem, sicut ignis non inflammat proximum aërem, quia est humidior, inflammat autem sulphur distans, quia magis siccum, calore tamen transeunte per aërem; & lux Solis maiorem calorem efficit in terra, quàm in medio, quia magis addensantur radij in terra, quàm in medio, & diuersas res generat in terra propter diuersam dispositionem, quam in medio per quod transit virtus: sicut etiam magnes, torpedo, oculi fascinantes emittunt suas qualitates per media, licèt effectus faciant solum vbi inueniunt proportionem & capacitatem. Et similiter phantasia imprimit in appetitum, & alias partes corporis distantes, quia non in omnibus est eadem dispositio, & temperamentum, vt eodem modo moueantur, licèt virtus mouens, & spiritus qui excitantur, descendant per partes propinquiores. *Alij tamen volunt*, quòd illa motio fit per simpathiam, seu radicationem potentiarum in eadem anima, de quo agemus in lib. de Anima. Similiter in lebete apposito ad ignem, certum est, quod calor, qui est in partibus superioribus aquæ transit per fundum lebetis, sed tamen rarefacta aqua per calorem, dat locum frigidiori aquæ, quæ est in parte superiori, quæ dēsior & grauior est, vt descendat ad fundum, & infrigidet illud manentibus calidis partibus superioribus. Si tamen diuisit ad ignem, totum redditur calidum.

Ad confirmationem respondetur, quòd in illo casu agens vel conseruat calorem vt quatuor, quem inuenit in medio, & sic agit in illum conseruando, & in reliquas partes alterando, vel coniungitur cum illo calore, qui est in medio, & vterque calor per modum vnius operatur in partes non habentes tantum caloris, & sic nunquam agit in remotum, quin prius agat in propinquum.

Secundò arguitur, quia diuina virtute potest aliquid agere in distans prius, quàm in propinquum; ergo illa conditio non requiritur essentialiter, sed solum ratione ordinis naturalis, non est autem ratio cur non possit talis ordo vinci, & suppleri ab aliqua causa naturali. Eadem enim inconuenientia sequuntur, si supernaturaliter vincatur, vel si naturaliter. *Cōfir.* quia videmus aliqua moueri in absentia, vel distantia suorum agentium sine virtute diffusa per medium, sicut sagitta impulsa mouetur in parte distanti, non impulso medio, & similiter graue mouetur deorsum sine vlla motione actuali generantis. Ac denique, si quis ad ostium fornacis manum apponat, calefit ab igne fornacis, si autem concludatur ostium, statim cessat calor in manu. Ergo signum est, quòd aër non calefaciebat immediatè, sed ignis.

Respond. conditionem istam approximationis suppleri posse à Deo, neque essentialiter esse requisitam, sed naturaliter propter limitationem virtutis agentium naturalium, eò quod virtus limitata non solum limitatos effectus producit, sed etiam in ipso modo producendi limitata est, & ideò non potest in quamcumque distantiam sine limite operari, sed in materiam determinatam, alioquin non magis determinabitur ad vnam quam aliam, sicut non potest forma quamcumque materiam informare, sed eam quæ mediantibus dispositionibus sibi appropinquat, & sibi subiicitur. Deus autem potest hanc determinationem supplere, quia virtus eius vbique tangit, & sic potest suo concursu causæ creatæ subiicere non solum materiam coniunctam & applicatam, sed etiam distantem, quia respectu concursus Dei nihil est distans, & sic non sequuntur eadem inconuenientia, si Deus velit concurrere cum causa creata sine alligatione ad talem modum eius connaturalem, respectu materiæ sibi proximæ & coniunctæ.

Ad confirmationem resp. quòd in impulsu sagittæ virtus impellentis non solum est in aëre proximo, sed in ipsa etiam sagitta, & in aëre eam deferente, qui tamen aër à sagitante primò fuit impulsus, & illa impulit partes sequentes, & illæ alias, & sic semper transiuit virtus per medium, sed quia est virtus de se transiens, cùm est in partibus sequentibus desinit esse in anterioribus, aër enim primo diuisus à sagitta rursus in se reclusus est, & quiescit, impulsu vltra transeunte. In grauibus autem non fit motus à virtute emissa de nouo à generante, sed ipsi naturæ à principio impressæ, ex qua per dimanationem oritur motus, non per nouam actionem. *Et ad vltimum de igne fornacis dicimus*, quòd recluso ostio, continuo debilitatur calor, qui est in aëre vt in subiecto extraneo, & manus sentit debilitationem caloris, quousque totaliter à contrariis corrumpitur vel temperatur; vndè non sequitur quòd non calefaciebat per medium.

CIRCA LIBRVM OCTAVVM, DE MOTVS ÆTERNITATE, & reductione in primum motorem.

QVÆSTIO XXIII.

De motu rerum naturalium, & proiectorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm grauia, & leuia moueantur à se, vel à principio extrinseco?

HÆC *difficultas admodum celebris est*, & eius resolutio pendet ex principiis, quæ valdè conducunt ad alias materias, in quibus agitur de motibus dependentibus à principiis extrinsecis, vt in prima intellectione, & prima volitione, in motu cordis, & similibus. Et supponimus hîc duo tanquam certa, & in vno est tota difficultas.

Primò, est certum grauia & leuia habere in se formam, & principium siue actiuum, siue passiuum, vt etiam in absentia sui generantis omni alio extrinseco mouente remoto moueantur, cum id constet ipsamet experientiâ: hoc autem principium est duplex, scilicet principale, quod est forma substantialis, quæ est radix illius motus, & minus principale, quod est grauitas, vel leuitas, vt enim dicit Diu.Thom. in 2.dist.14.quæst.1.artic.5.ad secundum: *Sicut substantia non est principium alterationis, nisi mediante calore, vel frigore, ita neque est principium motus, vel quietis localis, nisi mediante grauitate & leuitate.* Vndè malè aliqui recentiores negant, grauitatem & leuitatem esse qualitates, sed substantiam ipsam grauis & leuis; nam grauitas suscipit magis & minus, vndè illud dicitur grauissimum, quod petit esse in infimo loco, vt patet in 1.de Cœlo, text.18. lect.5. apud D. Thom. substantia autem non suscipit magis & minus. Sola autem compressio partium non facit grauitatem, sed hoc pertinet ad densitatem, quæ etiam qualitas est, non substantia; potest autem dari corpus densum, nec tamen graue, nec leue, vt corpus Solis & astrorum, potest etiam aliquid esse minus densum, & magis graue, sicut lignum, quod natat super aquam, & corium aquâ plenum fertur in profundum, aqua autem non est densior ligno, neque corium, licèt verum sit quòd densitas iuuet ad maiorem grauitationem.

Secundò est certum, quòd generanti saltem remotè tribuitur motus grauis in hoc sensu, quia dat formā, & principium ipsi graui, quo mouetur. Sed hac ratione etiam generans dat viuenti formam, & principium quo mouetur vitaliter, & tamen verè mouet se.

Quare difficultas in hoc consistit, an res inanimatæ accipiant à generante non solum virtutem mouendi, sed etiam motum ipsum, ita vt licèt habeant in se principium motus vt *quo*, siue passiuum, siue actiuum, tamen principium mouens *vt quod* non sit ipsum graue, quod mouetur, sed ipsum generans, à quo accipit formam & motum.

Duplex est sententia, prima docet grauia & leuia moueri ab intrinseco, nec habere motum à generante, sed solum ab eo habere virtutem vt moueantur, & hac ratione attribui motum eorum generanti, tanquam principio remoto, non vt proximo ipsius motus. Quæ sententia attribuitur Scoto in 2. dist.2.qu. 10.Greg.dist.6.q.1.art.3. & sequuntur plures ex recentioribus, vt Placa 2.Physic.disp.5.qu.7.Pererius lib.6. c.16. Martinez 2. Phys. in illustratione capitis primi, notabili 6.Cabero 7.Physic.disp.vnica, dub.3.

Opposita sententia tanquam Aristotelica docetur à D.Tho.pluribus in locis 1.p.q.18.art.1. ad 3.q.105. art.2.& 2.contra G.cap.46.& 3.contr.G.cap.23.& 8. Physic.lect.8.& 2.de Cœlo, lect.2. & in 2.dist.14.q.1. art.3.& alibi sæpè. Et D.Tho. sequuntur communiter eius discipuli, & alij, qui citantur à Conimb.lib.8.c.4. q.1.art.2.& Cursu Carmel.disq.28.q.2.

Continet autem hæc sententia quatuor dicta, ex quibus tria tanquam certa affirmantur ab his Authoribus, & in alio est dubium inter ipsos. *Primum dictum*, principium motus grauium, & leuium per accidens, est remouens prohibens, sicut qui remouet columnam est causa quòd descendat lapis, sed per accidens, non per se. *Secundum dictum.* Principium talis motus per se *vt quod* est generans ipsum graue, mediante tamen principio intrinseco, quod est forma grauis, & grauitas eius, tanquam principia *vt quo*, eò quòd iste motus dimanat à tali forma. *Tertium dictum.* Nullo modo ipsum graue mouet se ipsum tanquam motor, & *vt quod*. *Quartum dictum.* Principium *quo*, scil.forma, & grauitas alij dicunt esse principium passiuum talis motus, alij actiuum. *Sed verius est* in sententia D.Thom. quòd est principium actiuum formale, vt distinguitur contra materiale & merè passiuum, non autem est principium actiuum per modum motoris & agentis.

De primo dicto non est difficultas aliqua. *De quarto*, explicabimus mentem D.Th.infra. *De secundo & tertio*, probandum nobis est, quòd sit sententia Aristot.& vera, tùm quantum ad id quod negatur, scil.graue non moueri à se; tùm quoad id.quod affirmatur, scilicet moueri à generante, vt à principio *quod*, & à forma intrinseca, & grauitate, vt à principio *quo*, quia mediante illo dimanat motus.

Quòd ergo sit sententia Philosophi, *constat manifestè* ex hoc lib.8. cap.4. art. text.29. supponit enim Philosoph. grauia & leuia suapte natura moueri, id est naturali motu, & non violento, inquirit autem à quo principio moueantur, & inquit: *Est autem impossibile, & quòd moueantur à se ipsis, est enim hoc officium vitæ, & animatorum proprium, quæ consistere in se ipsis possunt.* Subiungit autem in tex.33. *Eorum quæ natura mouentur, iterum quæcunque à se ipsis mouentur, ab aliquo mouentur, & quæ non à se ipsis, vt grauia & leuia (aut enim à generante, & faciente leue & graue, aut ab eo quod impedientia, & prohibentia soluit) omnia ergo quæ mouentur, ab*

ab aliquo mouentur. Videri etiam potest Aristot. lib. 3. & 4. de cœlo, in locis quæ infra citabimus adducendo authoritates D. Thom.

Et licèt verba citata clarissima sint. *Respondent tamen oppositi Anthores dupliciter. Primò*, quòd Aristot. solum voluit docere, quòd grauia & leuia non mouentur à se ipsis eo modo, quo animalia, scilicet motu spontaneo & progressiuo, non tamen voluit negare, quòd omnino moueãtur ab alio, cùm dicat suapte natura moueri. *Secundò respond.* quòd dixit Philos. grauia & leuia moueri à generante per quandam attributionem, non sicut à proximo, & per se mouente; nam eodem modo dixit, quòd mouentur à remouente prohibens, cui tamen non attribuitur iste motus, nisi per quandam attributionem, & sic Aristot. non assignat hîc principium proximum motus grauium, sed remotum.

Sed prima solutio omnino aberrat ab intento Arist. cùm enim ipse intendat probare, quòd omne quod mouetur ab alio mouetur, quando dicit grauia & leuia non à se moueri, sed ab alio; si solum intelligitur non moueri à se motu spontaneo, benè tamen alio motu, qui fit ab intrinseco, ergo ex hoc solum poterat inferre, quòd omne quod mouetur, non mouetur ab alio motu spontaneo, non tamen quòd absolutè mouetur ab alio & non à se ipso, cùm tamen absolutè Philos. dicat omne quod mouetur ab alio moueri, & grauia & leuia à se ipsis non moueri. *Deinde*, quia viuentia non solum mouentur à se ipsis in motu spontaneo, quem possunt sistere quando volunt, sed etiam in motu omnino naturali, quem non possunt detinere, vt in motu nutritionis, & augmentationis, & aliis similibus, ergo non sufficienter probauit Arist. grauia & leuia non moueri tanquam viuentia, & à se ipsis, si solum intelligit quòd non mouentur à seipsis motu spontaneo, sed vtrumque exclusit, scil. quòd non mouentur motu spontaneo, neque alio motu à se ipsis, vt motu augmentationis, &c. Quod autem dicit Philos. moueri suapte natura & leuia, non intelligit, quòd à seipsis mouentur, sed naturaliter & non violenter.

Secunda vero solutio leuissima est; tùm quia moueri à generante, vt à principio remoto, & per quandam attributionem etiam conuenit viuentibus, quia accipiunt à generante virtutem se mouendi, ergo si solum hac ratione tribuitur generanti motus grauium & leuium, quia grauia & leuia accipiunt virtutem à generante vt moueant se, nullam differentiam poneret Aristot. inter grauia & leuia, & inter viuentia, cùm tamen dicat à se ipsis non moueri, quia hoc est proprium animatorum; tùm etiam, quia intentum Arist. non erat probare, quòd omnia quæ mouentur, mouentur ab alio per quandam attributionem, & vt à principio remoto, siquidem id probat per inductionem in his, quæ mouentur ab alio, vt à principio proximo, sicut in his, quæ mouentur violenter, & in viuentibus. Ergo insufficienter relinqueret probatum Arist. illud principiũ, si in grauibus & leuibus non probaret, quòd mouentur ab alio nisi tantum remote, & per quandam attributionem, nec deberet dicere, quòd omne quod mouetur, mouetur ab alio, sed quòd habet virtutẽ ab alio, vt moueatur; hoc enim est moueri ab alio, vt à principio remoto, quod tamen non dixit Arist.

Et fundamentum huius sententiæ stat in duobus. *Primò* quantum ad partem negatiuam, quòd non moueantur à se. *Secundò* quantũ ad positiuam, quòd moueantur à generante. Quòd à se non moueantur, ratio Philos. satis ostendit. *Primò*, quia moueri à se est proprium viuentium; in hoc enim præcisè distinguũtur viuentia à non viuentibus, quia mouent se & non solum ab alio: & tunc dicitur aliquid carere vita, quando non amplius se mouet, vt optimè S. Thom. ostendit 1. p. q. 18. ar. 1. *Et constat*, quòd viuentia non solum motu progressiuo se mouent, quod solum cõuenit animalibus perfectioribus, sed etiam motu vegetationis, & nutritionis, sicut conuenit plãtis; & ita quilibet motus à se sufficit ad rationem vitæ. Deinde etiã, quia in lapide, v. g. omnes partes sunt eiusdẽ rationis & virtutis, nec est alia mouens, & alia mota, sicut est necessarium in his, quæ se mouent, vt probat Philos. in hoc lib. c. 5. Alioquin eadem pars esset simul mouens & mota in actu, & potentia respectu eiusdẽ contra id, quod probatum est q. præced. Nec sufficit distinguere materiam & formam, ita vt materia sit pars mota, & forma pars mouens, quia materia sola non est capax motus strictè dicti, vt ex Philos. in 5. Phys. probat D. Tho. in 2. dist. 14. q. 1. ar. 3. & q. 22. de ver. ar. 3. & 3. cont. G. c. 22. respectu autem mutationis substantialis mouetur à generante. Forma autem est principium *quo* mouendi, non autem motor, nisi habeat adiunctas partes organicas; qua ratio dicit Phil. hoc lib. c. 4. quòd anima est pars mouens, scil. mediantibus partibus organicis.

Quoad partem verò positiuam, scil. quòd motor grauium & leuium sit generans, *ex eo deducitur*, quia id, quod acquiritur per motum in grauibus, & leuibus est esse in loco, & situ determinato in vniuerso, quod vnicuique debetur iuxta propriam naturam perfectiori enim debetur locus superior, & inferiori inferior. Quare hoc ipsum debet dari à generante naturã cùm ei debeatur ex vi & proprietate naturæ, & in ipso instãti generationis; res enim generatur cum suis proprietatibus & accidentibus inseparabilibus, sicut res generatur cum colore & figura, & cœteris dispositionibus, ergo etiã sibi debetur situatio & ordinatio aliqua in vniuerso iuxta propriam naturam.

Est autem hæc differentia inter viuentia & non viuentia, quòd propria & naturalis dispositio viuentium est esse in motu, ita quòd idem est viuẽti mors, quòd carentia omnis motus à se. Naturalis autem dispositio non viuentium est quiescere, & remoueri à quiete est remoueri à dispositione naturali. Vndè proprius actus grauis & leuis; est esse deorsum aut sursum, vt dicit Philos. in hoc c. 4. tex. 32. & ibi Diu. Th. lect. 8. atq; adeò grauitas & leuitas primo, & per se dantur ad quiescendum in loco, non ad mouendum; sed quia ipsum quiescere est quædam proprietas & passio naturæ, vel ad modum proprietatis, ideò pertinet ad complementum generationis obtinere quietem, sicut obtinere alias partes & proprietates naturæ, nisi obstet aliquod impedimentum, & cum nihil generet se, ideò talem quietem obtinere non pertinet ad ipsum graue, sed ad illud à quo generatur, ita quod ipsa tendentia ad quietem seu motus ad illam quoties à tali naturali dispositione remouetur graue, est pars quædam generationis & complementũ eius, quod, vt rectè dixit Caiet. 1. p. q. 18. art. 1. *valde notandum est* pro materia grauium & leuiũ, inde enim pendet tota intelligentia illius. Igitur quoties impeditur propria passio manente forma in subiecto toties sublato impedimento resultat in vi illius generationis, qua primo producta est, quia ex vi illius debetur, sicut ablato vno puncto in linea resultat aliud, & ablata subsistentia Verbi, resultaret propria in humanitate Christi. Quòd si ex ablatione propriæ passionis vel motus eius, forma non maneat in subiecto eò quòd remouentur dispositiones requisitæ; nõ mirum, quòd non amplius resultet illa passio, sicut impedito motu cordis, iterum non resultat, quia moritur animal, nec manet in eo forma à qua resultet.

Itaque motus in graui & leui est emanatio quietis seu

ſeu tendentia ad quietem in loco ſibi debito, quæ emanatio virtualiter eſt ipſa prima generatio & cõplementum eius. Sed tamen illa quies quando in loco proprio, in ipſo primo inſtanti generationis datur, reſultat ſine motu per ſimplicem emanationem, ſi autẽ res ſit extra proprium locum, datur per remotionem contrarij, & tollendo terminum à quo, atque adeo per motum, generatio enim illa in attingentia paſſionum poteſt vim habere motus, quatenus non ſolum dare poteſt ipſam proprietatem, ſed remouere ab oppoſito à quo impeditur, vel in quo inuenitur. Et idem prorſus eſt in reductione aquæ ad connaturalem frigiditatem, ſi ablata ſit.

Soluuntur argumenta.

SEd dices primò, inſtari hanc noſtram rationem in multis aliis actionibus, quæ etiam pertinent ad naturalem diſpoſitionem & perfectionem rei, nec tamen attribuuntur generanti; nam in viuentibus motus augmentationis & nutritionis, & reſpirationis, & in non viuentibus calefactio ignis & generatio alterius, attractio ferri à magnete, & ſimiles pertinent ad perfectionem eorum. *Secundò*, quia motus cordis prima intellectio & volitio non ſunt à generante; *tum* quia ſunt actus vitales, & conſequenter à principio intrinſeco, non ab extra; *tum*, quia non ſunt per emanationem ſicut propriæ paſſiones, aliàs ad actionem daretur actio, & ad motum motus, & ipſi primi actus intellectus & voluntatis clarum eſt quòd per emanationem ab eſſentia eſſe non poſſunt, ſed per veram elicientiam; *tùm denique*, quia motus cordis non datur in primo inſtanti, cùm in inſtanti motus non ſit; ergo non eſt à generante, ſolum enim tribuit generans id quod in primo inſtanti conuenit. *Tertiò*, quia datur principium elicitiuum huius motus in graui, ſcil. ipſa grauitas, mediante qua mouetur; ergo non dimanat motus, vt propria paſſio, quia ad dimanationem non exigit ſubſtantia qualitatem mediam, qua tanquam principio operetur.

Ad primum reſpondetur, quod augmentatio & reliqui motus naturales ſunt quidẽ perfectiones, ſed non propriæ paſſiones ipſarum rerum, nec propriarum paſſionum acquiſitiones; vnde in ipſis non conſummatur generatio, nec natura genita, & ſic non tribuuntur à generante, ſed acquiruntur à genito.

Ad ſecundam inſtantiam reſpondetur, omnes illos motus eſſe à generante, vt à mouente ſicut de motu cordis docet D. Tho. 1. 2. q. 17. art. 4. ad 2. & opuſc. 35. & de primo motu intellectus, & voluntatis, quo mouetur à Deo, 1. par. quæſt. 18. artic. 3. & qu. 63. artic. 5. & 1. 2. quæſt. 9. art. 4. Primus enim motus intellectus, & voluntatis, quia eſt circa finem, ſe habet ſicut motus cordis, quia reſpectu finis in communi nũquam deficit, ſeu peccat; reſpectu verò finis in particulari, ſi deficiat, eſt mortale peccatum, quaſi carentia vitæ. Sed tamen illi actus vel motus, licèt ſint ab extrinſeco mouente, ſunt tamen ab intrinſeco principio eliciente, quia actus vitales ſunt, vnde non ſe habent vt propriæ paſſiones, quæ ita dimanant, quòd ſola actione generantis fiunt, ita vt ipſum ſubiectum, cui conueniunt merè paſſiuè ſe habeat, ideóque motus cordis ſolum vocatur à D. Tho. accidens per ſe conſequens vitam, in 1. 2. qu. 17. citata. Pertinet tamen ad generans dare tale accidens, ſeu motum ipſi genito, quia primus ille motus per ſe requiritur ad conſtituendum viuens in proprio ſtatu viuentis, quod eſt eſſe in motu, & non in pura quiete. Sed quia eſt in motu, non quomodocumque mouente, ſed mouente vt ſe moueat, & vt agat, conſequenter non eſt ab ipſo viuente merè paſſiuè, ita vt recipiens motum illum nihil omnino agat, ſed eliciitiuè à principio actiuo, quia actus vitalis eſt; ſed quia eſt actus vitalis talis viuentis, quòd habet vitam participatam ab alio, & dependentem ab alio, ſeu motum ab alio, ideò in illo actu & primo motu ab extrinſeco principio mouetur, ſed mouetur vt moueat, & vt agat, de quo D. Th. prim. p. q. 105. art. 4. ad ſecundum, & q. 83. art. 1. ad tertium, & q. 18. art. 3. *Quod ſi dicas*, quia eadem ratione primus motus ignis ad calefaciendum deberet eſſe à generante, quia ipſo impetu naturæ emittit calorem, & pertinet ad generans, non ſolum dare proprias paſſiones, ſed etiam accidentia concomitantia. *Negatur conſequentia*, quia motus ignis ad calefaciendum non pertinet ad conſtituendam naturam, nec perficiendum in ipſo primo ſtatu naturæ, quia ignis per calefactionem non mouet ſe, ſed alterum diſtinctum à ſe, natura autem eſt principium motus non alterius à ſe, ſed eius in quo eſt.

Primus autem motus viuentis eſt motus ad mouendum ſe, & ſic pertinet ad ipſum ſtatum naturæ, quia debet conſtitui natura in ratione principij motus in ſe ipſo; principium autem motus non eſt ſolum forma, & virtus agendi, vt in potentia, ſed vt mota ad agendum; & ſic pertinet ad ipſum generans conſtituere genitum in ratione principij moti, vt moueat, eò quòd primus motus non ſupponit alium priorem in ipſo, per quem ad eum aliquis ſe moueat, ſicque debet eſſe à principio extrinſeco. Reliqui verò motus inde ſecuti non attribuuntur generanti, quia non pertinent ad ipſum primum ſtatum, generationemque naturæ, nec ſe habent vt accidens conſequens naturam, ſed pertinent ad perfectionem, vel acquiſitionem alicuius ſuperadditi naturæ iam perfectæ. Et ad omnes iſtos motus mouetur animal ex primo motu cordis, ſiue ſint alteratio, ſiue augmentatio, quia omnes ſpiritibus vitalibus à corde emanantibus aguntur.

Quod verò dicitur, ad actionem & motum non dari actionem & emanationem. *Reſpond.* motum & actionẽ verè emanare, quia ſe ipſa & non alia actione fit, & ita ſi ſit actio pertinens ad primum ſtatum naturæ: conſequitur naturam productam ex vi ipſius generationis; in grauibus quidem & leuibus, quia ipſe motus eſt emanatio collocationis & ſituationis in loco proprio, & ſi fiat cum expulſione loci oppoſiti, erit propriè motus ex contrario; in viuentibus autem motus ipſe non eſt emanatio alicuius propriæ paſſionis, ſed eſt actio elicita ab ipſo viuente dependenter ab ipſo generante & generatione, quatenus producit viuens ſic actuatum, vt eliciat illum motum primum, quo conſtituatur in ratione principij moti ſe mouentis, & ideo ſi generans non eſt deficiens, ille primus motus cordis, vel voluntatis deficiens eſſe non poteſt. Quid autem illa actio producat? *Reſpond.* quod in corde producit vbi, ſeu mutationem loci ſimilem motui locali cœli, vt dicit S. Tho. opuſc. 35. eò quòd eſt continuus, & per modum conuerſionis, ſeu trepidationis: in intellectu autem producit conceptum, in voluntate terminum ſpirationis, ſeu amoris.

Quod verò dicitur, non dari motum cordis in primo inſtanti generationis. *Reſp.* Non dari tunc formaliter & intrinſecè, ſed initiatiuè extrinſecè, quia motus incipit per vltimum non eſſe.

Ad tertiam inſtantiam reſpond. quod petit illud quartum dictum ſupra poſitũ, quomodo grauitas ſit principium motus? Nam principium intrinſecum quod eſt forma ſubſtantialis & grauitas, aliquando vocatur à Sanct. Thoma principium paſſiuum, vt 3. part. q. 32. art. 3. & in 1. de cœlo, lect. 3. imò in hoc lib. 8.

lib. 8. lect. 8. non solum id affirmat, sed addit, *Esse contra intentionem Phil. quod in materia sit principium actiuum, quod quidam dicunt esse necessarium, ad hoc quod sit motus naturalis, sufficit enim quod sit passiuum, quod est potentia naturalis ad actum.* Videri etiam potest 1.2. q. 6. ar. 5. ad 2. & 3. con. G. c. 22 *Quod obiter aduertendum est* contra Vazquez, & alios, qui principio passiuo negant rationem naturę, vt supra, q. 9. vidimus. Quòd verò in grauibus, & leuibus sit principium actiuum motus, expresse affirmat quæst. 5. de potent. artic. 5. & 4. contra Gent. cap. 96 & 1.2. quæst. 56. artic. 2. & in 2. dist. 18. q. 1. art. 2. in fine corporis, & alibi sæpè. *Veritas tamen est*, quòd ly *actiuum* aliquando sumitur pro principio formali, siue sit principium emanationis, siue actionis. Aliquando sumitur pro principio effectiuo & mouente, & hoc ideò, quia passiuum, & opponitur formæ, & opponitur agenti, & ideò actiuum vtroque modo sumitur. In grauibus ergo datur principium actiuum formale, & per modum emanationis; non verò actiuum per modum mouentis, seu vno verbo datur principium actiuum, vt *quo*, non vt *quod*. Quæ resolutio sumitur ex D. Th. in 2. dist. 14. q. 1. art. 3. vbi inquit: *Quod in motu corporum simplicium, quamuis forma naturalis sit principium motus, non tamen est motor, sed essentialis motor est generans, qui dedit formam, & accidentalis, est remouẽs prohibens, vt dicitur* 8. *Physicor.* Vnde in illis locis, quibus affirmat esse principium passiuum, negat Diu. Thom. dari principium actiuum, quo constituatur mouens eo modo, quo in viuentibus datur, principium actiuum ad motum; & sic sumit, ly *actiuum*, pro motore, vt præcipuè videri potest 1. de cœlo. lect. 3. & 2. de cœlo, lect 2. & aliis locis. Quando verò dicit esse in eis principium actiuum sui motus, loquitur de principio intrinseco emanationis, & cõparatiuè ad cœlũ, in quo nõ inuenitur principium actiuũ motus, nec per modum motoris, nec per modũ principij à quo emanat motus, sed purè recipit illum à mouẽte, & impellente extrinseco, grauia autem & leuia sine impellente extrinseco per formam quam habent à generante, mouentur per modum, emanationis, qua tendunt ad propriam situationem in vniuerso.

Quod si dicas, quare ergo requiritur grauitas, & leuitas ad huiusmodi emanationem? siquidem substantia per se ipsam est sufficiens principium emanationis, non verò requirit qualitates superadditas ad emanationem, sed ad actionem propriam? *Respond.* etiam in ipsa emanatione passionum, emanare vnam mediante alia, sicut voluntas medio intellectu, risibile mediante admiratiuo, de quo S. Thom. 1. par. qu. 77. art. 4. & 7. Motus autem, & quies in loco, oritur in grauibus, & leuibus mediante qualitate, quæ est grauitas, & leuitas, quia locus non conuenit immediatè ipsi substantiæ, sed vel mediante quantitate quantum ad extensionem, & situationem, vel mediante qualitate quantum ad rationem loci naturalis, & conseruatiui, hoc enim maximè à qualitatibus pendet; esse autem sursum, vel deorsum secundum naturalem inclinationem conuenit alicui secundum quod in tali situ conuenienter se habet ad sui conseruationem; vnde grauitas & leuitas non est virtus primo & per se motiua; neque enim datur graui, & leui ad operandum primò & per se, sed ad quiescendum & existendum in loco, quia perfectio talium corporum non est in operando, sed in quiescendo, viuentium autem perfectio est in operando; & ita dixit Philos. in hoc libro text. 32. quòd actus grauis est esse deorsum.

Tandem obiicies pro prima sententia, quia licet intelligi possit, quòd in primo instanti generationis mouetur graue à generante, tamen quando postea posito impedimento interrumpitur generatio, & rursũ mouetur graue, oportet quòd sit alia actio distincta à generatione; & tunc iã non est generans. Ergo non potest ab illo talis actio elici. *Nec sufficit* ponere virtutẽ generantis, vt mediante illa dicatur generans mouere, quia restat difficultas, quomodo ista virtus, & à quo moueatur, vt de nouo incipiat operari, quia omnis virtus operatur mota. Et licèt sit eadẽ difficultas in quacumque propria passione, quando post impedimentum iterum dimanat à subiecto siquidem emanatio non distinguitur ab actione generantis, tamen specialem difficultatem habet in motu grauium, & leuium, & reductione aquæ ad frigus, quia hic interuenit verus & proprius motus à contrario in cõtrarium. Omnis autem motus in actu, requirit, quòd mouens de nouo excitetur ad operandum, & non solum virtualiter moueatur. Dicere autẽ, quòd grauitas est principium passiuum motus, maior est complicatio, quia restat tunc inquirere, à qua virtute actiua hoc principium passiuum moueatur, si enim à generante mouetur, ab ipso debet actiuè hoc principium passiuum moueri, & cum generans non est per se ipsum præsens ipsi graui quod mouetur, debet aliquam virtutem actiuam in eo relinquere; vnde tollere omne principium actiuum etiam emanationis in graui, est tollere quòd à generante in absentia moueatur.

Respond. D. Thom. 4. de Cœlo, lect. 2. vbi luculenter rem istam tractat, in eam partem inclinare, quod quando graue generatur extra locum suum, & mouetur ad locum proprium, tunc ille motus immediatè est à generante in quantum dat formam, cui competit esse deorsum, mediatum autem principium actiuum talis motus est grauitas, quod etiam affirmat 1.2. q. 23. art. 4. Si verò graue post ipsam generationem, & acquisitam formam suam sublato impedimento mouetur, tunc generans non est proximum mouens, sed ipsum graue est quod proximè se mouet; nec est inconueniens, quòd idem sit mouens, & motum per accidens, quamuis sit impossibile, idem moueri à se ipso primò, & per se.

Cæterum authoritas ista non est D. Th. qui quartũ librũ de cœlo nõ est interpretatus, sed in tertio de cœlo, lect. 8. finiũtur cõmentaria D. Th. reliqua verò adiecta sunt à Petro de Aluernia; quare D. Tho. in 3. de cœlo, lect. 7. circa fin docet contra Auerroëm: *Quòd forma grauis, & leuis nõ est principium actiuum per modum mouentis, & sicut agens motum: sed sicut quo mouens mouet, sed motus grauium, & leuium procedit à generante immediatè.* Et expresse impugnat Auerroẽm, qui dicebat, quòd corpus graue, & leue mouet se ipsum per accidens, sicut nauta, qui mouet nauem, à cuius motu ipsi mouetur.

Dicendum est ergo, quòd motus grauium, & leuium semper est à generante, siue fiat in principio generationis, siue posteà quando sublato impedimẽto iterum graue mouetur, quia semper est emanatio propriæ passionis, nempè collocationis & quietis in loco proprio. Et licèt generatio prima cesset, & interrumpatur formaliter, tamen manet virtualiter, quia manet ipsa virtus generationis qua generans generabat, quatenus manet forma genita impedita suo complemento, & propria passione; generans autem non attingit proprias passiones immediatè, sed mediante forma, cui conueniunt & connectuntur Vt autem dicit Diu. Thom. quæstiuncul. 3. de potentia articulo 11. ad 5. *Generatum tandiu mouetur à generante in grauibus & leuibus, quandiu retinet formam sibi traditam à generante, sicut instrumentum intelligitur moueri*

ri à principali agente, quandiu retinet virtutem à principali agente impressam. Oportet autem mouens, & motum esse simul, quantum ad principium motus, non tamen quantum ad totum motum, vt apparet in proiectis. Ita Diu. Thom. Quare cùm virtus relicta à generante non sit aliud, quam forma geniti, vt perficiatur generatio in his, quæ habent connexionem cum ipsa forma, quotiescumque impeditur ista virtus, ne explicet se in talem emanationem propriæ passionis, sublato impedimento, iterum se explicat noua quidem emanatione, sed eadem virtute petente illam nouam instaurationem, & explicationem emanationis, quoties de nouo impeditur, & impedimentum tollitur. Nec ad hoc indiget noua excitatione, & motu, quia iam de se determinata est, vt sublato impedimento emanet iterum propria passio propter necessariam connexionem, & debitum propriæ passionis cum natura genita, iam mota à generante, quando prima attacta est, facta est enim vt determinata ad hanc passionem; neque enim est aliud virtus generantis remanens in genito, quàm ipsa forma generata, vt dicit D.Th. quatenus connexionem habet cum sua propria passione, & ad talem emanationem de nouo non requiritur noua motio, aut determinatio sed impedimenti ablatio. Videatur etiam ad hoc D.Tho.5. Phy.lect.3. vbi docet, nouam relationem consurgere ex vi actionis ponentis fundamentum, in quo relatio continebatur virtualiter, sed explicatur posito termino, siue noua actione, & mutatione.

Sed dices, si ille motus est emanatio propriæ passionis, cur est velocior in fine, quèm in principio, & non semper æqualis? *Respondet* Diu.Thom. 1. de cœlo, lect. 17. circa finem, ex eo esse, quòd graue quanto magis descendit, tanto magis confortatur grauitas eius propter propinquitatem ad proprium locum. Itaque emanatio propriæ passionis, vel est instantanea, si id, quod dimanat, intra ipsum subiectum est; vel si respicit aliquid extra, in quo sit, tantò est vehementior, quantò illi propinquior, quia tunc habet maiorem conuenientiam, & coniunctionem cum illa; vndè inclinatio, & appetitus ad illam, quæ fundatur in tali conuenientia confortatur, & maior fit. *Nec tamen valet*, si dicas, quòd hoc modo si lapis incipit mouere prope centrum, habebit motum velociorem, quàm si incipiat moueri à longe, cùm tamen in principio motus ille non sit ita velox. *Respondetur* enim, quòd vehementia velocitatis non sumitur ex propinquitate loci ad locum, sed ex propinquitate emanationis ad quietem. Quando enim incipit emanatio ad quiescendum, & prolongatur, quanto magis appropinquat, tanto est velocior. Quòd verò incipiat à loco maius, vel minus distante à centro, per accidens est, ad hoc vt habeat maiorem velocitatem ex eo, quòd à tali loco, incipit.

ARTICVLVS II.

Qua vi moueantur proiecta?

TRes sunt difficultates breuiter tractandæ. *Prima*, an detur impulsus mouens proiectum, & quid sit? *Secunda*. Quomodo corrumpatur talis impulsus? *Tertia*, Quomodo fiat motus reflexus, quando resilit proiectum?

Circa primum multi ex Antiquis dixerunt, motum proiectorum esse aërem à tergo impellentem rem proiectam, qui eandem difficultatem patiuntur in assignando, qua vi aër moueatur, vt Arist. aduertit in hoc lib.cap.10. Negauit autem dari qualitatem impulsiuam Pereira lib.14. Phys. cap.5. propter difficultates, quæ in ea asserenda inueniuntur, & authoritates quasdam Aristotelis, quæ videntur aëri attribuere motum proiectorum. *Difficultates sunt* quia non apparet, quæ sit ista quantitas, & cuius speciei, cùm modò habeat vim leuitatis tendendo sursum, modò grauitatis deorsum, modò nullius tendendo ad partes circumstantes; quomodo autem potest vna qualitas tot motuum diuersitates causare? *Secundò, est difficultas*, quomodo corrumpatur ista qualitas, cùm non assignetur ei contrarium, à quo destruatur.

Authoritates autem Philos. sunt in 4. Phys. textu 68. vbi dicit, proiecta non posse moueri per vacuum, quia non est aër à quo deferantur. Item in hoc lib.3. text.82. dicit moueri proiecta, quatenus pars aëris mouet vicinam, & illa aliam, quovsque perueniat ad proiectum, illudque deferat. Et in 3. de cœlo tex.23. dicit quòd motus violentus vtitur aëre vt instrumento: quòd si aër non esset, motus violentus non esset. Et deniq; aliis multis vtitur locis, attribuit aëri motum proiectorum, non impulsui impresso rei proiectæ, vt lib. de insomniis c.2. & in problem. sect. 11. probl.6. & aliis locis. Deniq; S.Th.3. de cœlo lect. 7. dicit: *Non esse intelligendum, quod virtus motoris imprimat lapidi in motu violento aliquam virtutem per quam moueatur, sicut virtus generantis imprimit genito formam, quam consequitur motus naturalis.*

Nihilominus qualitas seu vis ista impulsiua negari non potest absolutè loquendo, siue recipiatur in aëre mouente, siue in ipso proiecto, aër enim concitatus & impulsus aliqua vi impressa indiget, vt concitetur; ergo eadem difficultas est in hac sententia circa qualitatem istam impressam aëri, vel impressam proiecto. Et Arist. apertè talem vim fatetur in ipso loco citat. huius lib.8. text.82. dum dicit, tunc cessare motum proiectorum, cum vis mouendi minor imprimitur. Et in sententia D.Thom. negari non potest virtus ista impulsiua non per modum permanentis impressa, sed per modum transeuntis, vt loquitur in q. de anima art.11. ad 2. *Virtus*, inquit, *quæ est in semine à patre, est virtus permanens ab intrinseco, non fluens ab extrinseco, sicut virtus mouentis, quæ est in proiecto.* Et qu.3. de potent. ar.11. ad 5. dicit: *Quòd instrumentum intelligitur moueri à principali agente, quandiu retinet virtutem à principali agente impressam, vnde sagitta tamdiu mouetur à proiiciente, quandiu manet vis impulsus proiicientis.* Itaque à proiiciente procedere vim aliquam efficientem istum motum in rebus proiectis, siue illis immediatè imprimatur, siue mediante aëre, nec in sententia Arist. nec D.Th. negari potest, cum Arist. loc. cit. dixerit: *Id quod primo mouet efficere vt aër aut aqua, aut eiusmodi aliquid, quod moueri mouereque aptum sit, possit mouere. Et ratio est manifesta*, cùm effectus ille, scilicet motus localis rei proiectæ ab aliqua vi prouenire debet, non à sola virtute, quæ inhæret proiicienti, quia hæc distat à proiecto, nec potest operari in distans nulla virtute communicata illi, in quo effectum operatur; aliàs illas virtus, si posset agere in distans sine communicatione virtutis, posset in quacumque distantiam mouere: requiritur ergo virtus aliqua extra proiicientem emissa, vt operetur, sicut etiam securi communicatur aliqua vis, vt scindat tali vel tali modo, quam ex se non habet, & ab artificis motu participat.

An verò ista virtus seu impulsus recipiatur in ipsa re proiecta; an in aëre deferente non tanti momenti quæstio

quæstio est. *Videtur autem in vtroq; recipi.* Nam verba citata D. Th. in ipsa figura impulsum recipi significant. Et in 3. de cœlo lect.8. dicit: *Quòd aër susceptibilior est huius impressionis, quam lapis,* quod est vtrique eam attribuere. Et quidem multum iuuari ab aëre concitato, tum vt feratur res proiecta, tum ne cadat, ipse Arist. docet 4. Physic.tex.68. licèt ex aliorum sententia videatur loqui, refert enim quod alij id dicunt loco cit. ex 3. de cœlo, docet ipse & D.Th. *Quòd aër instrumentum motus violenti,* videtur etiam illa experientia iuuari, vt aduertit S.Thom.2. de cœlo lect.8. quia res impulsa non tanto impetu fertur in principio, nec ita ferit rem propinquam, sicut aliquantulum distantem, quia aër non ita concitat plures partes in initio impulsus sicut paulò post. Cæterum non soli aëri imprimitur iste impulsus, quasi requiratur ad motum violentum proiecti, quod ab extrinseco impellente, qualis est aër, moueatur. Restat enim eadem difficultas de aëre distante, qui est deferens proiectum distans, & etiam violenter mouetur, à quo alio extrinseco moueatur, cum longè distet à proiiciente. Nec apparet quomodo solus aër possit esse causa motus vehementissimi, vt globi emissi à bombarda, aut cùm rota vehementissimè concitatur, cur etiam res dura & solida vt lapis vehementius feratur ab impulsu, langidius verò pluma aut res alia mollis? Cùm tamen si à solo vento fertur, è conuerso sit signum ergo est impulsum non in solo aëre recipi quasi ventum, vt ferat rem proiectam.

Ad primum fundamentum oppositum resp. multas alias qualitates esse motiuas, præter leuitatem, & grauitatem vt magnes mouet ad se ferrum, electrum paleas, & alia similia, cur ergo negemus dari impulsum, qui sit virtus ab animali impressa quasi instrumentum eius? & ideo potest habere tam diuersos motus, sicut ipsa virtus animalis, cuius vices gerit, vt participatio eius: quamuis etiam facta aliqua compressione vel dispositione corporum, possit ex motu naturali aliquis impulsus seu motus resultare contra propriam inclinationem quòd communiter accipit propter aliquod impedimentum obliquans motũ naturalẽ, vel propter vacuum ne detur.

Ad quam verò speciem pertineat impulsus? *Aliqui* vt M. Soto hîc qu.3. reducunt illum ad primam speciem, quia suscipit magis & minus, & habere potest contrarium. *Alij* reducunt illum ad secundã speciem, quia est virtus instrumentalis participata à potentia motiua; reducit autem D.Th. instrumentalem vim ad speciem potentiæ, cui deseruit.3.p.q.63.art.2. In his autem quæ reductiuè solum spectant ad aliquam speciem non repugnat deficere ab aliqua eius perfectione vel conditione, ideò enim reductiuè solum pertinet, quia non perfectè; & ita potest suscipere magis & minus talis virtus instrumentalis, licèt non ipsa potentia cui ministrat. Et ita hoc est probabile.

Quòd si dicas. Ergo in impulsu datur motus alterationis, quia productiuus est qualitatis. *Resp.* propriè non esse alterationem, quia alteratio non est ad qualitatem instrumentalem, & per modum motionis deseruientem, sed ad qualitatem disponentem materiam, vel terminantem motum per modum passionis, vel passibilis qualitatis, vt Philosoph. probat lib.7. cap.3.

Ad secundam difficultatem statim respondebimus, quomodo corrumpatur impulsus.

Ad authoritates Philos. resp. ipsum non negare impulsum, quem aperrè fatetur, sed docet imprimi aëri & mediante eo rei proiectæ, quia vt dicit S.Th.3. de cœlo lect.7. facilius recipit impulsum, quam res proiecta, non enim negari potest saltem aërem ab impulsu concitari. *Ad authoritatem D.Th. resp.* solum negare proiectis virtutem per modum permanentis, non per modum transeuntis, quæ à D.Th. magis vocatur motus quam qualitas, quæ stabilem virtutem nominat, vt 1.2.q.110.art.2.

Secunda difficultas.

MVlti existimant, impulsum corrumpi solum à contrario, non quidem ab ipsa grauitate substantiali, seu habituali, sed ab accidentali, quæ non est aliud quam grauitatio, seu conatus grauis ad tollendum impedimentum descensus. Ita P. Vazq.1.2. disp.81.c.3. Montesinos 1.2. disp.34.q.1. Sed vrgentur isti Authores illo vulgari argumento, quia impulsus non semper contrariatur grauitati aut leuitati, vt patet, cum per impulsum lapis proiicitur deorsum, vel aër traditur sursum, quo casu non est duplex motus, quia non acquiritur duplex vbi, est tamen duplex principium mótus in vnum conueniens, scilicet, impulsus & grauitas, & tamen impulsus euanescit: quod patet, quia si impellatur lapis deorsum à loco distanti, non facit tantũ impetũ in fine motus quantum in medio, v.g. globus emissus deorsum à tormento bellico languescente impetu emissionis, & durante motu grauitatis non tam vehementer ferit; signum ergo est desinere impulsum, quo fertur deorsum, & non à grauitate cùm non contrarietur motui, quo impellitur deorsum.

Resp. P. Vazq. in tali casu impulsum à terra, quam tangit corrumpi, quia impulsus ille terræ impressus aliquo modo mouet eam, cùm sit librata suo pondere quasi in bilance, & mota terra sua grauitatione contrariatur impulsui, cúmque destruit. *Alij respondent* corrumpi à resistentia terræ impediente motum impulsus, sicut impeditur à tecto sursum posito, ne vltra transeat impulsus: quod vtique non est per contrarium motum, & ita non explicant, à quo contrario corrumpatur.

Cæterum illa prima solutio non potest sustineri, quia terra non est librata suo pondere quasi in bilance, sed tanquam in centro, vbi perfectè quiescit, & *fundatur super stabilitatem suam.* Vnde nisi impulsus aliquis totam permeet, & violenter eleuet, non mouetur: hoc autem fieri non potest à lapillo vel grano cadente in terram, vel quolibet alio pondere; imò cùm ex omni parte crebro aliqua cadant in terram, vel ambulent super eam ex omni parte, & contrariis motibus moueretur terra sursum & deorsum. Addo, quòd cùm his temporibus opinio quædam Copernici, & aliorum de motu naturali terræ per modum gyrationis, edicto Sedis Apostolicæ à Paulo V. condemnata sit, iterum, vt à fide dignis audiui à Gregorio XV. opinio de motu terræ, qualicumque etiã librationis damnata est, vtpote eisdem Scripturæ locis contraria. *Deinde contra vtramque solutionem instatur,* quandò leue ascendit impulsu aliquo motu, vel graue descendit, & impulsus ille cessat, antequam terram vel corpus attingat; tunc enim nullum datur contrarium, nec aliquod impediens, quo impulsus ille corrumpatur; ergo non semper à contrario corrumpitur.

Quare dicendum est, quòd impulsus desinit sicut lux, & sonus, & aliæ qualitates transeuntes, quæ aliquando corrumpuntur à contrariis, aliquando desinunt ex defectu causæ conseruantis, quia dantur per modum transeuntis, sicut & ipse motus. Sed tamen lux dependet à causa conseruante, scilicet luminoso, taliter quòd in absentia eius, nec in instanti durat, quia illuminatio fit in instanti, & non per motum,

vnde cessante luminoso, in instanti desinit. Impulsus autem datur per modum motus, quia per modum virtutis instrumentalis ad mouendum aliquod corpus, & ideò aliquandiu durat in absentia motoris; & vt inquit D.Thom. quæst. de Anima, art. 11. ad 2. & quæst. 3. de potentia, articul. 11. ad 5. quia illa virtus finita est, mouet vsque ad determinatam distantiam, & tandiu mouetur aliquid à proiiciente, quandiu manet vis impulsus proiicientis. Quare istæ qualitates datæ per modum transeuntis ex natura sua habent dependere à principali agente, vt à conseruante vel instantaneè, vel secundum motum. Si verò occurrat motus oppositus, vel à grauitate, vel à leuitate, vel ab alia causa ab illo corrumpetur, sicut etiam lux potest impediri ab opaco interposito, & non solum ex absentia luminosi deficere.

Quod si dicas, impulsum non dependere à proiiciente, vt à causa conseruante, quia separatus ab ipso durat. *Respond.* quòd impulsus separatus à proiiciente, & non instauratus ab ipso, durat per modum transeuntis: & via corruptionis, quia dependet ab ipso non instantaneè, sicut illuminatio, sed successiuo modo sicut motus, & sic etiam separatus sit, & non continuetur cum proiiciente, aliquamdiu durat, sed non diu conseruatur, quia ex ipsa sua natura transeunter datur, & solum ad determinatam distantiam.

Et hinc colliges, quomodò desinat impulsus, nam si desinit per contrarium, desinit in instanti extrinseco per primum non esse, quando est verum dicere, nunc est positum contrarium, & consequenter non est impulsus, immediatè antea erat. Si autem desinit defectu causæ conseruantis, quia peruenit vsque ad vltimam debilitationem, desinit similiter per primũ non esse; quia qualitas versus diminutionem, & non gradum desinit per extrinsecum terminum paruitatis, ad quem non peruenit, & infra illum inuenitur, vt diximus sup. qu. 8.

Tertia difficultas.

Circa motum reflexum dubium est, à quo causetur reflexus motus, an à corpore, v.g. à pariete, vnde resilit, an à proiiciente, vnde incipit? Nec enim videtur posse causari à pariete: tum quia paries manet immotus, & caret vi impulsiua, & sic non potest mouere, & de nouo motum producere, si motus proiicientis ibi deficit: tùm quia quando pila v.g. decidit in terram, & resistit ascendendo, ille ascensus non potest causari à terra, cùm sit illi contrarius; tùm quia non omnia corpora resiliunt, vt ferrum vel lapis, si tangant corpus durum; ergo non est à pariete illa reflexio, sed ab alia dispositione corporis impulsi: tùm deniq; quia pila tanto vehementius resilit quanto fortius proiecta fuit; ergo non potest à solo pariete causari: hoc enim eodẽ modo semper se habet. A proiiciente autem ille motus reflexus fieri non potest. tùm quia est motus cõtrarius & discontinuus priori, cùm in pariete frangatur prior impetus; tùm, quia in pila cadente sine impulsu in terrã, & resiliente datur idem motus reflexus, & non à proiiciente, ergo à corpore vnde resilit.

Respondetur, in motu reflexo duo inueniri, scilicet, id quod per se mouet, & causat motum secundum se, & id quod refrangit motum, & causat reflexionem, quod per accidens se habet, & causat motum reflexum, ad modum, quo per antiperistasim causatur maior intensio in qualitate opposita, vel ex reuerberatione lucis in alio corpore causatur intensior lux, & calor; sicut enim quando frigus circumdat calidum, calor ille à frigore repercussus reuertitur ad calidum, & intendit illud: ita etiam motus directus, siue fiat per impulsum proiicientis, siue per motum naturalem grauitatis, si tangit corpus durum refrangitur, & fit duplex motus: & illud corpus durum est causa illius motus quantum ad discontinuationem, & refractionem, sed impellens est causa illius quantum ad substantiam motus, sicut motus tibiæ curuæ quantum ad obliquitatem est à curuitate, quantum ad substantiam motus vitalis est ab anima informante tibiam, & ibi modificante motum; sic motus reflexus, in quantum est obliquatus, & deficiens à directo est à duritie corporis impedientis motum directum, quantum autem ad substantiam motus est à proiicientis impulsu, vel vt à causa mouente directè & suo impulsu tangente corpus durum, vbi obliquatur & modificatur impulsus in contrarium motum. Vnde Aristoteles in hoc libro octauo textu 32. cùm simpliciter dicit, quòd motus pilæ non est à pariete, sed à proiiciente, intelligitur quod est à proiiciente remotè, & quantum ad substantiam motus, non quantum ad obliquitatem, & refractionem illius.

Ad primum fundamentum oppositum, Resp. quòd paries vbi fit reflexio, est immotus, & caret vi impulsiua, quantum ad impellendum, & mouendum per se, non quantum ad resistendum, & impediendum motum directum, & causandum reflexum per accidens; ad hoc enim non requiritur vis impellens, sed impediens, nec requiritur quòd paries sit motus, sed ipso motu directo attactus, sicut frigus circunstans causat calorem per accidens & corpus opacum refractionem lucis per multiplicationem & diuisionem eius.

Ad secundum dicitur, quòd quando pila cadit in terram, & flectitur ascendendo, ille ascensus per accidens est à terra, quia non est ab illa in quantum ascensus, sed in quantum motus obliquus, & refractus à directo, sicut quando aqua calefacta circundatur frigore, fit calidior per antiperistasim, non quia calor fiat à frigore, sed quia refrangitur ab illo, & consequenter multiplicatur, redeundo ad calorem aquæ. Per accidens enim non repugnat fieri oppositum effectum alicuius qualitatis refrangendo, aut obliquando motum eius.

Ad tertium resp. ad refractionem requiri aliquam dispositionem in corpore resiliente, vtpotè, quòd sit talis densitatis, vel leuigationis, & similia, quæ si desint, non fit motus reflexus, non ex defectu mouentis, vel refrangentis, sed ex defectu dispositionis requisitæ, sicut lux non in omni corpore refrangitur, nec frigus circunstans semper facit antiperistasim.

Ad vltimum resp. vehementiorem motũ reflexum causari præsuppositiuè à vehementiori motu directo stante eodẽ corpore duro, quia tunc fit maior refractio motus; & consequenter in reflexione etiam inuenitur maior impetus, quia eadem fortitudine, qua exiuit à proiiciente, refrangitur à repercusso.

QVÆST.

QVÆSTIO XXIV.

De æternitate motus, & primo eius motore.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum res permanentes potuerint eße ab æterno?

S*Vpponimus duo in fide certa. Primum* eſt, mundum incepiſſe in tempore, & ſimiliter motum eius. *Secundum,* Deum non de neceſſitate produxiſſe mundum, ſed potuiſſe non producere, & poſſe nunc deſtruere. Hæc omnia de fide ſunt, & in Philoſoph. ſupponenda, vel potius ſuſpicienda. Nam de 1. conſtat Geneſ.1. *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Et Pſal.89. *Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis.* Ioan.37. *Priuſquam mundus fieret apud te*: idque etiam definitum eſt in Concilio Lateranenſi ſecundo. Nec verò per rationem poteſt demonſtrari mundū incepiſſe in tēpore, cum id præcisè pendeat ex voluntate libera Dei, ſicut etiam rationes, quæ à Philoſophis afferuntur ad probandum, quòd mundus ſit ab æterno, nullo modo cogunt, vt luculenter oſtendit S.Th. 1. p. q.46. art.1. & 2. vbi etiam oſtendit Ariſt. in hoc lib. opinatiuè locutum fuiſſe, Nam in 1. Topicor. cap.9. inter problemata dialectica, ponit vtrum mundus ſit ab æterno. Videri etiam poteſt D.Th. hac de re 2. cont.Gen. à c.32. vſque ad 38. & in 2. diſt.1. q.2. ar.5. & diſt.2. q.1. art.3.

Secundum etiam conſtat apertè ex Scriptura tribuentem voluntati Dei creationē omnium ad Eph.1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ,* & Apocalyp.4. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* De quo videri poſſunt Theologi 1. part. quæſt.19. An verò mundus potuerit habere initium temporis ante inſtans, quo nunc creatus eſt. *Reſpondetur*, Potuiſſe licèt nos lateat ratio, quare in tali puncto creatus ſit, de quo D. Thomas quæſtione tertia de potentia, articulo 14. ad ſextum.

His ſuppoſitis, de poſſibili ſolum eſt difficultas, an potuerit mundus creari ab æterno, ſiue quoad res permanentes, de quibus in præſ. art. agemus, ſiue quoad ſucceſſiuas, & generationes, & corruptiones, de quibus eſt ſpecialis difficultas, de quibus agemus in ſeq. artic.

Quoad primum, videtur repugnare creatio rerum ab æterno. *Primò,* quia tunc non eſſet ſignabile initium, quando talis creatura incepit, quia quolibet deſignato antea fuit. *Secundò,* quia tunc non procederet de non eſſe, quia nunquam fuit verum dicere, quòd non erat. *Tertiò*, quia creatura non eſſet annihilabilis per æternitatem. Nam vel duraret finita duratione, vel infinita; ſi infinita, in tota illa non annihilaretur: ſi finita, ergo ab æterno, quando incipit vſque ad illam annihilationem, ſolum eſſet duratio finita, & ſic tota duratio ab æterno infinita non eſſet, quia finitis terminis comprehenderetur. *Quartò*, non eſſet Deus liber in creando, ſi ab æterno crearet, quia nec antequam crearet; ſupponimus enim non dari antè; neque cum crearet, quia non poterat ſimul creare & non creare, nec poſt, quia ad præteritum non eſt potentia. *Quintò*, poſſet creatura habere infinitam virtutem, & ſi tota æternitate intenderetur calor, aut gratia, vel ſcientia, creſceret in infinitum, quia duratio eſſet infinita. *Denique* creatura tunc eſſet infinita in duratione; ergo & in eſſe, ſeu eſſentia. Adſtipulantur etiam dicta Sanctorum, nam Auguſt.12. de Ciuitate, cap.15. ait: *Angelos non potuiſſe eſſe coæternos Creatori*, & Hugo lib.1. de ſacramentis cap.10. *Fugit*, inquit, *diuinam virtutem, vt aliquid ſibi coæternum faciat.* Et communiter Sancti negant creaturam poſſe eſſe coæternā Creatori: vt Ambr. Damaſc. & alij. Hanc partem nonnulli Doctores defendunt, præſertim ex Antiquis qui videri poſſunt apud Conimbr. hîc, q.6. art.1. & Carmel. diſp.29. q.3.

Oppoſitum tamen omnino tenendum eſt, & expreſsè aſſeritur à S.Th. 1. p. q.46. art.1. ad primum & q.3. de potentia art.14. vbi rationes in contrarium ſoluit. & 2. cont.Gent. c.38. & opuſc.27. Eſt etiam communior ſententia Authorum huius temporis, vt videri poteſt apud Conimbr. & Carmel. citat. *Fundamentū eſt*, quia non implicat neque ex parte Dei creantis, neque ex parte effectus faciendi, neque ex parte ipſius actionis, ſeu creationis; ergo &c. Non repugnat ex parte Dei creantis, quia eandem habet potentiam ab æterno quam nunc, & eandem virtutē agendo liberè, quā ſi ageret ex neceſſitate naturæ; ſed nūc poteſt creare mūdū, & ſi ageret ex neceſſitate naturæ ab ęterno crearet, ſicut Sol ſi ab ęterno eſſet, ab æterno illuminaret, vt docet Aug.6. de Trinit. c.1. ergo ex parte Dei nec deeſt potentia, nec vlla eſt repugnātia. Non repugnat ex parte creaturæ, quia non eſt minus poſſibilis ab æterno quam nunc, nec enim incepit in tempore eſſe poſſibilis, nec aliqua incompoſſibilitas eſt ipſi cum æternitate, *vt in ſolutionibus argumentorum* oſtendetur, tùm, quia de facto dantur creaturæ æternæ à parte poſt, vt creaturæ incorruptibiles, ergo poſſunt dari à parte ante; tùm, quia licèt creaturæ eſſent ab æterno, non tamen eſſent æternæ æternitate per eſſentiam, ſed in propria duratione creata coëxiſterent ipſi æternitati à parte ante, ſicut modo coëxiſtunt aliquæ à parte poſt. Non repugnat ex parte ipſius actionis, quia actio Dei non eſt per motum & ſucceſſionem, ſed in inſtanti, & ita non requirit tempus, ſed poteſt eſſe ante omne tempus. Nec minus per illam actionem dependeret creatura à Deo liberè, quia per voluntatem Dei operantem ad extra reciperet eſſe limitatum & dependens, & fieret ex nihilo, & ex non eſſe, non quia duratione antecederet non eſſe, ſed prioritate naturæ, quatenus illa creatura non eſſet à ſe, ſed ab alio, & ex Deo cauſante, ergo ſaluaretur tota ratio creationis.

Ad primum ergo à principio, Reſpondetur, quòd non eſſet aſſignare principium inceptionis in duratione, ſed principium originis, & cauſalitatis, hoc enim ſolum eſt, de ratione creationis, vt docet San. Thom. qu.3. de potentia art.14. ad octau. in ſecundo loco. Quare ſi res fieret ab æterno, procederet ſine initio durationis, ſicut res incorruptibiles accipiunt durationem ſine fine, & ita acciperent tunc durationem oppoſito modo ad tempus, id eſt ſine inceptione, ſed ſemper exiſtendo, cum dependentia tamen ab alio, in quo differret à proceſſione Diuinarum perſonarum, quæ ſine dependentia procedunt in ipſa æternitate eſſentiali, non in participata. Creatura autem ab æterno haberet infinitatem durationis participatæ, & ita careret initio, quia initium infinitati opponitur, ſicut infinita quantitas initio & fine caret. Quare non diſtingueretur ibi productio, & conſeruatio, quia hoc ipſo quòd ſine initiò procederet, conſeruata procederet, & ſimul eſſet

eſſet producta & conſeruata, quia ſine durationis initio procederet ſolo cauſalitatis principio & originis.

Ad ſecundum reſpondetur ex Sanct.Tho. loco citato, de potentia ad 7. quòd tunc non eſſe præcederet eſſe non duratione, ſed natura, quia ſi ſibi relinqueretur, nihil eſſet, & quia non producitur ex aliquo præëxiſtente, eſſe verò non niſi ab alio habet, ſed per dependentiam ab eo; quam ſolutionem latè proſequitur opuſc.27.cit. Et ita differt illa duratio ab æternitate Dei, quia hæc non ſolum caret initio durationis, ſed etiam cauſalitatis & originis ab alio, & eſt tota ſimul.

Ad tertium reſpondetur, quòd ex ſuppoſitione creationis ab æterno non poteſt res illa annihilari niſi in tempore; ſicut enim ex ſuppoſitione, quod res creatur in eodem inſtanti, annihilari non poteſt, ita ex eo quod creatur ſine initio durationis, oportet quòd ſine initio duret, atque adeò infinita aliqua duratione, de quo vide Magiſt. Soto hîc quæſtione ſecunda Suarez diſput.20. Metaphyſicorum ſectione ſexta, quia idem eſt creari ſine initio durationis, atque creati cum infinita duratione, ſeu cum conſeruatione non habente principium durationis, ſiquidem tunc conſeruatio & productio idem ſunt, ex ſuppoſitione autem quod conſeruat Deus, quandiu conſeruat, annihilare non poteſt. An verò cum hoc ſtare poſſit motus ab æterno, ſequenti articulo dicemus. Quando verò dicit Diuus Thomas quæſtione citata de potentia ad 3. quòd variabilitas excludit æternitatem ſed non infinitam durationem, intelligitur quòd habet variabilitatem; tùm ad deſinendum, ſed in tempore, non ab æterno & in infinita duratione; tùm ad exiſtendum, quia producitur de non eſſe ad eſſe, quod non habet æternitas.

Ad quartum reſpondetur, quòd Deus libere crearet ab æterno etiam dum actu crearet, quia poteſt non creare abſolutè, licèt ex ſuppoſitione quòd creat, non ſtet non creare, non ſolum ſi crearet ab æterno, ſed etiam nunc; & ex ſuppoſitione quòd creat ſine initio durationis non poſſit non conſeruare. Et quando dicitur, quòd antecedenter ad creationem non poteſt non creare, *diſtinguo*: antecedentia durationis, *tranſeat*; antecedentia naturæ & originis, *nego*; alias ſi non eſſet liber pro illa antecedentia, neceſſariò crearet, & non poſſet differre, ſicut de facto diſtulit vſque ad tempus.

Ad quintum reſpondetur, inprimis non concludere quòd res non poſſit creari ab æterno, ſed quòd non poſſit operari ab æterno, nec de quacumque; operatione, ſed de illa quæ eſt cum motu & augmentatione, ſeu intenſione, de quo agemus ſeq. art. *Interim dicimus*, nullam qualitatem poſſe actu intendi in infinitum, etiamſi eſſet ab æterno, quia infinitum actu nullo modo eſt pertranſibile, & vt dicit Diu.Thom.2.contra Gent. cap.28.ad 3. Si mundus ſemper fuiſſet, in omnibus circulationibus non eſſet accipere primam, & ſic neque tranſitum qui ſemper exigit duo extrema. Quæ authoritas, vt ſequenti articulo videbimus, probat, non poſſe dari motum ab æterno, quia motus exigit tranſitum, & inceptionem, & finem inter aliqua extrema, quod totum ab æterno eſſe non poteſt, & conſequenter neque per motum, ſeu operationem qualitas aliqua in infinitum augeri poſſet. Et ſicut ſi darentur infinitæ generationes, excipitur generatio hominum, non dentur infinitæ animæ, ſeparatæ, ita ſi daretur motus intenſionis infinitus per totam æternitatem, non daretur permanentia qualitatis intenſæ, ne detur infinitum actu, ſed qualitas illa tranſiret, & corrumpetur in ſuis partibus.

Ad ſextum reſpondetur, quòd infinitas in duratione non arguit infinitatem in eſſe, aut in virtute rei durantis, ſed in actione & virtute conſeruante illam in eſſe; quia duratio, cùm ſit continuatio exiſtentiæ, eſt áliquid conueniens rei non ex propriis ſed ex participatione agentis. Vndè, quòd aliquæ creaturæ durent in infinitum à parte poſt, non arguit infinitatem in eſſentia.

Ad authoritates Patrum dicitur ex Diu. Thom.3. de potent. artic.14. ad 1. & opuſcul.27. intelligi, quòd creaturæ non ſit coæternæ Creatori æternitate propria, & eſſentiali, ſicut eſt attributum æternitatis in Deo; qua rationem dicit Boëtius lib.5. de conſolation. proſa vltima, quòd etiam ſi mundus ſemper fuiſſet, non eſſet Deo coæternus. Et ſic rectè inferunt P.P. Filium Dei non eſſe creaturam, quia æternus eſt æternitate propria, quod nulli conuenit creaturæ. Plerumque etiam Sancti loquuntur de creaturis provt de facto inceperunt, & creatæ ſunt, non de poſſibili.

ARTICVLVS II.

Vtrùm repugnet res ſucceſſiuas fuiſſe ab æterno?

RES ſucceſſiuæ ſunt motus, & generationes rerum, & per motus intelligimus tam locales, quam alterationis; & in localibus maiorem difficultatem habent motus rectus, quàm circularis; continuus, quam diſcretus, Eſt autem ſpecialis difficultas in rebus ſucceſſiuis, quòd fuerint ab æterno, quia deberent carere omni principio. Si enim aſſignaretur illis aliquod initium, hoc ipſo non eſſent ab æterno, quia inter illud initium, & hoc inſtans eſſent duo termini, inter quos non poſſet includi infinita duratio, qualis eſt ab æterno. Si autem motus caret initio, neceſſario eſt deneganda aliqua ſucceſſio infinita ab æterno: de ratione enim ſucceſſionis eſt, quòd vna pars deſinat, & alia incipiat, illa autem, quæ deſinit, quando motus fuit productus ab æterno, vel durauit infinito tempore, vel finito. Si infinito, toto illo permanſit, & non tranſiuit: & ſic non fuit ſucceſſio ab æterno. Si finito tempore, ergo æternitas finita duratione conſumi poteſt, quia ab illa deſitione computando víque nunc omnis motus comprehenditur duobus terminis, ſcilicet illo nunc, quo deſiit motus, & iſto nunc, in quo modo finitur; atque adeò finita duratio eſt. Ergo ſi illa quoque duratio ſucceſſiua ab æterno finita fuit totum tempus ab æterno finitum manebit.

Duæ ſunt ſententiæ in hac parte. Prima negat omnem motum fuiſſe poſſibilem ab æterno, & conſequenter etiam generationes ſubſtantiales, quæ ſine motu præcedente non fiunt. Ita Magiſter Soto octauo Phyſicorum, quæſtione.2. concluſione 3. Conimbricenſes, Rubio, Placa, & alij in hoc lib 8. & Pater Suares diſput.20. Metaphyſicorum ſectione ſexta, numero decimo ſexto. licèt aliqui vt Soto, Conimbricenſes aliquantulum hæreant in motu circulari, qui continuus eſt, & videtur poſſe carere principio. Alij è contra admittunt omnem motum, & generationes potuiſſe eſſe ab æterno, & duraſſe per infinitum tempus. Ita Capreolus, Ferrarien. Scot. Soncina, Vazquez, Nazarius, & alij, quos citant, & ſequuntur Carmelitan. hîc diſputat.29. quæſtione.4. Cabero tractat. vltimo,

mo, dub. 3. & 4. Quorum fundamenta statim afferemus.

Prima sententia mihi non solum probabilior, sed etiam certior apparet. supponendo, quòd corruptio sit impossibilis ab æterno, vt statim dicemus. Successio autem sine corruptione non est. Et D.Th. opusc. 27. paulò antè medium dicit: *Non repugnare, si ponatur causa producens, effectum suum subitò, quod non præcedat duratione suum causatum; repugnare autem, in causis producentibus effectum suum per motũ, quia oportet quòd principium motus præcedat finem eius.* Ergo si repugnat aliquem terminum produci per motum ab æterno, etiam repugnabit aliquod mutatum esse dari ab æterno, quia hic est terminus quidam motus, & consequenter etiam repugnabit motus ipse.

Fundamentum huius sententiæ sumitur ex duplici ratione, quam D. Thom. semper difficillimam reputauit, & insolutam reliquit. *Prima ratio est* supra posita ex natura motus, qui successiuus est, & constat partibus transeuntibus, quarum vna desinit, & altera incipit. Si ergo datur aliqua, quæ nunquam incepit, quia ab æterno datur motus, illa non potuit, nec infinito tempore, nec finito durare. Non infinito, quia sic toto illo tempore non esset successio, nec transitus illius partis, sed permanentia; & consequenter neque motus ab æterno. Non finito, quia sic illa pars motus, sub qua mobile creatum est, solum finito tempore duraret, & illa, quæ immediatè secuta est, tunc verè incepit, quia iam non fuit ab æterno: & sic ab illa computando vsque ad istam partem motus, quæ modo datur, dabitur inter illam & hanc inceptio & desitio, atque adeò finita duratio, quia illa est finita, quæ incipit, & desinit, sed vltra totam istam durationem finitam à parte ante solum restat alia pars motus etiã infinita. Ergo totus ille motus ab æterno finitus esset, quia finitum addito finito, non facit infinitum. Repugnat autem, quòd duratio aliqua ab æterno sit finita. Neque est idem de motu à parte post, posset enim durare in æternum per hoc, quòd nunquam desineret, sed hoc non est habere partem aliquam motus, quæ infinitè duraret, sed transire partes finitas, sine vllo termino finiente, quod est infinitum sincategorematicè. Res autem permanens, si durat in æternum à parte post; vnica duratione infinita durat, quia permanenter, & non successiuè: & ideò rectè fit inde argumentum, quòd etiam potuit ab æterno talis res permanens creari.

Hanc rationem tetigit S. Thom. 2. contra Gent. capite 38. ratione 3. & 1. p. q. 46. art. 2. ad sext. quia scilicet, si mundus esset ab æterno essent transacti infiniti dies. Et respondet: *Quòd qualibet circulatio præcedentium transire potuit, quia finita fuit: in omnibus autem simul si mundus semper fuisset, non esset accipere primam, & ita nec transitum, qui semper exigit duo extrema.* Ecce quomodò S.Thom. fatetur, non posse esse transactas infinitas circulationes collectiuè, quod est non dari motum ab æterno quia cùm non sit accipere primam, illa sub qua mundus creatus est, caruit principio, atque adeò fuit infinita in duratione, & permanentia, quod est non esse motum. Et licèt in q. 3. de potentia, art. 17. ad 17. soluens idem argumentum, dicat Sanctus Thomas. *Quòd illa ratio non probat, quòd motus semper fuerit, sed quòd motus circularis possit semper esse*: Tamen non loquitur ibi D.Th. assertiuè, nec dicit quod illud argumentum id efficaciter probat, subdit enim: *Quòd ex Mathematicis non potest aliquid efficaciter concludi de motu.* Nec Aristot. ex circulatione motus ostendit eius æternitatem absolutè, sed supposita æternitate, ostendit quòd nullus alius motus potuit esse æternus, nisi circularis; quod totum non procedit absolutè, sed ex suppositione.

Alia ratio pro ista sententia, quæ nunquam solui potest, est, quia si motus & generationes essent ab æterno, non repugnaret dari infinitum in actu; quod in sententia Aristotelis & D.Thom. admitti non potest. *Sequela patet*, quia possent esse infinitæ generationes hominum, & manerent infinitæ animæ separatæ, quia immortales sunt, & vna non transit in corpus alterius; aut similiter cùm essent infiniti dies, posset quolibet die creari vnus Angelus, aut vna stella, & nunc essent infinita actu. Hoc argumentum affert sæpius D.Tho. & insolutum relinquit afferens aliorum. Philosophorum solutiones, & improbans, vt in 2. cont. Gent. cap. 38. & opusc. 27. & tandem prima p. q. 46. art. 2. ad octauum. concludit. *Quod hæc ratio est particularis, & sic potest aliquis dicere, quod mundus fuit æternus, vel saltem aliqua creatura vt Angelus sed non homo; nos autem intendimus vniuersaliter, an aliqua creatura fuerit ad æterno.* Ita D.Th. vnde intentio eius est probare, quòd aliquam creaturam esse ab æterno non repugnat, quidquid sit, an repugnent generationes hominum, & consequenter reliqui alij motus & generationes, nam eadem ratio est de aliis, siquidem sicut formæ humanæ separatæ naturaliter durant, ita reliquæ aliæ formæ possunt per Dei potentiam separatæ conseruari, & sic esse modo infinitæ in actu. Et ita qui concedunt reliquos motus posse esse ab æterno, excipiunt autem generationes hominum, inconsequenter loquuntur, & solum ad effugiendum concedere infinitum actu, quod tamen in aliis generationibus coguntur concedere, si Deus velit omnes formas corruptibiles separatas conseruare, vt potest. Et saltem in productione infinitorum Angelorum non datur hoc effugium. *Dicere autem*, quòd potest diuisiuè producere quolibet die Angelum, non autem collectiuè in omnibus diebus, est intelligibile, nam si quolibet die producit Angelum, & dies sunt infiniti, & Angeli perseuerant, infiniti erunt collectiuè; numerationem enim dierum sequitur illa infinitas collectiuè. Et multo minus dici potest, quòd si Deus quolibet die producat Angelũ, tenebitur alium annihilare. Vnde enim constat, teneri Deum ad annihilandum, aut quid conducit annihilatio Angeli ad productionem alterius? Solum videtur hoc confingi ad effugiendum inconueniens, quod ex illa sententia sequitur de infinito. Et ideò rectè dixit Magister Soto vbi supra, hoc esse vnum ex fortissimis argumentis contra Philosophos, ponentes generationes rerum ab æterno.

Sed pro contraria sententia obiicies. Nam poterat ab æterno produci ignis applicatus stupa, qui vtique combureret illam, ergo poterit dari generatio ab æterno, sicut & illuminatio, si Sol produceretur ab æterno, alioquin non posset res ab æterno produci, nisi maneret omnino immobilis, & nihil operans per totam æternitatem *Secundò.* cœlum potest creari ab æterno cum motu circulari, quia hic motus caret principio: eò quòd circularis est, ergo saltem ille non repugnat esse ab æterno. *Denique* Diu. Thomas afferens rationes eorum qui contra Aristotelem volunt demonstrare, mundum non esse ab æterno, soluit eas, & ostendit non repugnare, quod mundus ab æterno sit, vt patet in locis supra allegatis, ergo in eo sensu admittit esse possibilem mundum ab æterno, quo illum posuit Aristoteles, posuit autem cum motu; ergo sentit Diu. Thom. motum posse esse ab æterno.

Ad primum respond. quòd ille ignis sic applicatus generaret ignem, quàm primum posset motus incipere, & stupa corrumpi, non posset autem corrumpi, nisi

post

post infinitam durationem, quia cùm producatur sine initio durationis producitur vt permanens & cõseruatus infinita duratione, & post illam in tempore poterit generare, quia videlicet inter corruptionem stupæ, & eius productionem ab æterno non mediat duratio finita tantum, quod esse non potest, sed infinita, vt ostendimus illuminatio autem Solis, cùm non fiat per motum, & quæcumque alia instantanea operatio ab æterno dari potest, sed non mutari, & desinere esse per durationem finitam, vt diximus; operatio autem cum motu esse non potest ab æterno, & ideò immobilis debet esse res per durationem infinitam.

Ad secundum respond. quòd motus circularis caret principio ex parte mobilis, seu magnitudinis in qua fit, sed non ex parte durationis, quia oportet partem motus transire, & partem succedere, sicque debet quęlibet pars finitè durare, si enim duraret infinitè, pro tunc motus non esset nec successio, finita autem duratio repugnat rei æternæ, quæ producitur sine durationis initio.

Ad Diu. Thom. resp. se ipsum explicare 1. p. q. 46. art. 2. ad octau. vt supra ponderauimus; solum enim intendit potuisse mundum esse ab æterno secundum substantiam, vel aliquas creaturas permanentes, non secundum generationes & motus, præsertim propter generationem hominum. Et sicut durabit mundus in æternum secundum substantiam, sed non secundum statum, quem nunc habet ita ab æterno potuit fieri secundùm se, sed non secundum statum motus, in quo ab Aristotele recedit, qui id solum opinatiuè sensit.

Quod verò dicit S. Thom. 3. de poten. art. 14. ad 9. in secundo loco positum, tempus & æuum non differre ab æternitate, solum quia carent principio durationis, sed quia admittunt aliquam successionem, qua caret æternitas, & sic admittit posse dari successionem in illis durationibus, si fierent ab æterno, in hac enim præsuppositione loquitur. Hoc inquam parum vrget, admittunt enim tempus, & æuum successionem formalem vel virtualem, sed non pro omni statu, scilicet non pro illo signo, quo carent initio durationis, vt si fierent ab æterno. Vndè non dicit ibi D. Thom. quòd successiua sunt ab æterno, *sed etiam si essent, adhuc haberent per quid differrent ab æternitate essentiali, quæ in nullo statu successionem admittis.*

ARTICVLVS III.

Quid Philosophus demonstret de Deo ex vi motus?

RESpondeo, ex vi motus immediatè, & directè demonstrari, quod primum mouens sit omnino immobile indè verò consecutiuè demonstrari propria quædam attributa, quæ conueniunt ipsi diuinitati, & actui puro, de quibus statim dicemus.

Quòd ergo debeat dari vnum primum principium immobile Aristoteles ostendit ex ipsa subordinatione causarum mouentium, vt latè declarat Sanct. Tho. 1. contra Gent. cap. 13. & 1. p. q. 2. art. 3. Et nititur tota demonstratio duobus principiis, scil. quòd omne quod mouetur ab alio, & quòd nõ est dare processum in infinitum in causis per se mouentibus, & *formatur sic demonstratio.* Nam videmus dari multos motus de nouo in rerum natura, qui de nouo incipiunt exeundo de potentia ad actum; id autem quod sic mouetur, istum motum debet habere ab alio, vel saltem virtutem, se mouendi ab alio accipere, quia si mouetur, est in potentia ad talem motum, & consequenter debet reduci in actum ab alio, quod sit in actu, vel si habet virtutem, qua se reducat, debet habere illum acceptam & motum ab alio, & non à se, quia id quod est in potentia, non potest habere virtutem mouendi à se ipso, sicut nec naturam & esse, quia id quod habet à se virtutem, nec agit per illam vt motam, nullo modo, est in potentia, sed est actus purus, quia habet virtutem non acceptam aut participatam ab alio, & consequenter neque esse, & sic est independens ab alio. Oporæt ergo, id quod est in potentia, & de nouo mouetur, quòd supponat aliud, à quo habeat vel motum vel virtutem mouendi. Quòd verò non sit procedete in infinitum in istis causis, manifestum est; quia impossibile est infinitas causas pertransiri, vt detur aliquis effectus de nouo, id enim dicitur infinitum, quod non habet terminum, neque finem, ergo si requiritur infinitas causarum ad causandum aliquid de nouo, illa causatio nunquam habebit finem, quod est non habere effectum. Ergo sistendum est in aliquo, quod ita moueat, quod non habet motum ab alio, neque virtutem mouendi, & consequenter erit immobile, & à se, & hoc vocamus Deum.

Sed potest aliquis subterfugere. Primò dicendo, quod in qualibet specie motus deuenitur ad vnum primum immobile in illo genere, non tamen ad vnum primũ immobile simpliciter, & in omni genere, & consequẽter non peruenitur ad vnũ mouens quod sit Deus. *Secundò*, dicendo, quod datur circulus in causis mouentibus, ita quòd primus motor in isto genere rursus est mobilis ab aliquo sibi subordinato in alio genere motus, sicut causæ sunt ad inuicem causæ in diuerso genere. *Denique dici potest*, quòd idem sit mouens, & motum, secundum diuersas formalitates, sicut agens immanens se ipsum mouet, & à sua actione patitur, vel saltem per accidens potest simul moueri, & mouere.

Sed contra primam responsionem instatur, quia licet ex motu physico perueniatur ad primum mouens expers motus physici, tamen idem argumentum instauratur respectu alterius motus in alio genere, nam id, quod est immobile, in vno genere motus, vel potest moueri in alio genere vel non. Si non, ergo est immobile in omni genere, si verò est mobile, redit argumentum factum in illo genere, in quo est mobile, quia vel mouetur ab alio, & cum non sit dari processum in infinitũ, oportet deuenire ad aliquid, quod etiam in illo genere sit immobile, nisi fortè detur circulatio in causis mouentibus, de quo statim dicemus. Si autem non mouetur ab alio in illo genere, sed à se, vel habet virtutem mouendi, & motum ab alio vel non; si ab alio, redit argumentum de processu in infinitum; si à se, ergo sicut habet virtutem, ita & essentiam & esse habet à se, quod est esse improductum & increatum.

Contra secundam autem responsionem instatur, quia sufficit demonstrare, quòd in vno genere causæ, nempè in mouentibus efficienter, non datur circulatio, quia in eodem genere causæ non potest admitti circulus, vt quæst. 10. monstratum est, sic enim eadem causa careret, & non careret conditionibus requisitis ad efficiendum, vnde si primum mouens ad efficiendum causas sibi subordinatas requiritur, quòd sit in actu, illud esse in actu non potest per circulum haberi à causa sibi subordinata, quia sic deberet supponere illam esse, vt sibi efficienter daret esse, & consequenter illud primum mouens non efficeret causam sibi subordinatam, quia iam supponeret illam habere esse. Quare in habendo esse efficienter, non potest dari

dari circulus, & sic esse primi mouentis non potest efficienter procedere à causa sibi subordinata, sed vel habet illud ab alio, cui subordinatur, & à quo dependet, & sic non est primum mouens, nec adhuc sistitur processus in mouentibus. Si autem habet esse à se, & non ab alio efficiente, est improductum, & increatum. Et ita sufficit tollere circulum in vno genere causæ, scil. efficientis, vt deueniamus, ad vnum esse increatum, quod est Deus. Posito autem ente increato, & non effecto ab alio, consequenter erit actus purus, quia si haberet potentiam, esset actuabilis, & mobilis ab aliqua forma, & ab aliquo efficiente, & consequenter si est actus purus, in nullo genere causæ mobilis est, quia actus purus est summa perfectio & à nullo alio perfectibilis.

Contra vltimam autem responsionem supra latè tractauimus quæst. 21. ostendendo, quòd nihil mouet se ipsum primò, & per se, nisi ratione partium, quarum vna sit mouens, & alia mota, quod in primo efficiente nō habet locum, quia est purus actus, & consequenter non diuiditur in partes, quarum vna sit mouens, & alia mota, quia pars mota est in potentia respectu partis mouentis, & consequenter repugnat puro actui, & multo magis repugnat, quòd sit per se primo mouens, & per se primo mota secundùm idem, quia sic esset secundùm idem in actu, & potentia, quod repugnat actui puro. Illud verò, quod dicitur de actione immanenti, quæ recipitur in eo, à quo elicitur, non est ad rem. Tùm, quia in Deo non potest dari actio recepta, quia primum efficiens est totum in actu, nec habet aliquid de potentia vt recipiat; tùm, quia in nobis licet potentia immanens recipiat actum quem elicit, tamen potentia eliciens debet esse mota ab alio, vt eliciat, sicut voluntas est mota ab intellectu, & intellectus specie, & obiecto, & à Deo determinante & mouente & sic semper distinguitur mouens, & motum, licet sit idem recipiens, & eliciens secundum diuersa; imò elicit actum potentia cum obiecto, seu specie & lumine, recipit autem illum potentia sola, & non species, & sic non est idem simpliciter recipiens, & eliciens.

Ostenso, quòd debet dari vnum primum mouens, quod in genere causæ efficientis sit immobile, & consecutiuè deducuntur plura attributa propria diuinitatis. *Nam in primis demonstratur*, quòd primum efficiens caret omni potentialitate, tam materiali, quàm obiectiua, quia vtraque supponit aliud efficiens, à quo possit moueri; materialis quidem tanquam subiectum immutandum ab aliquo efficiente; obiectiua verò tanquam obiectum possibile effici, & transiens de non esse ad esse. Et ita ratio actus puri pertinet ad ipsam entitatem entis increati.

Secundò demonstratur attributum infinitatis, tam in essentia, quàm in virtute; quia habet actum purum sine potentia: ergo perfectionem sine imperfectione; perfectio enim fundatur in actu, imperfectio autem in opposito actus, quod est potentialitas, ergo nullam habet limitationem in ipsa actualitate, & perfectione, ergo neque in virtute, quia virtus est actiuitas, quæ fundatur in actualitate. Item cùm sit primò efficiens, habet virtutem superiorem ad omne aliud efficiens inferius, & ad omnē effectum; ergo ad omne ens, & hoc est habere virtutem infinitam.

Tertiò demonstratur, quod caret magnitudine, seu quantitate, & materia; caret enim materia, quia materia est in potentia ad formam; actus autem purus nullo modo habet potentiam. Similiter caret corpore; tùm, quia corpus constat materia, cum sit aliquid materiale; tùm, quia est imperfectius spiritui, & sic non est perfectissimum ens; tùm, quia est diuisibile in partes, & sic est in potentia ad diuisionem, & similiter est compositum ex illis partibus, quod repugnat actui puro, & primo enti; quia omne compositum est dependens à partibus, & partes à toto, & totum est maius suis partibus, in eo autem quod est actus purus, non est aliquid maius, aut perfectius, vel dependens, quia illud quod est minus, hoc ipso non est actus purus, cùm non habeat summam perfectionem, sed est in potentia ad totum, quod est maius, & perfectius illo, vbi autem est aliquid potentialitatis, deficit ratio actus puri. Vnde similiter caret quantitate, quia hæc sine partibus, & diuisibilitate non datur.

Quartò demonstratur, quòd sit intelligens, quia ratio intelligibilitatis prouenit ex immaterialitate. Et præterea nobilior motus operandi est per intellectum qui dirigit, quàm cum ignorantia, vel ex directione alterius. Primum autem efficiens cùm sit immobile, à nullo alio dirigitur & mouetur, & cùm sit purus actus, habet perfectissimum modum operandi.

Quintò ostenditur, primum motorem esse vbique, quia eius virtus est infinita, & attingit omnia entia, & omnia mouentur, & dependent ab illo, non quacunque dependentia, sed in omni ratione essendi, & tali influxu, quòd per eius suspensionem quodcunq; ens annihilaretur, qui influxus non potest esse mediante aliqua creatura, sed immediatè à Deo, ergo est immediatè præsens omnibus.

Sextò, ostenditur esse sempiternum, quia est immutabile & à se habens esse, ergo semper habuit esse sine vlla mutatione, quod est esse æternum.

Vltimò, sequitur esse vnum: *Tum*, quia si essent duo primi motores, vel quilibet faceret idem quod alter æqualiter cum ipso, & sic alter superflueret, nihil autem absurdius, quàm ponere Deum superfluum; vel non faceret idem, neque æqualiter cum illo, & sic non esset æqualis perfectionis, vnde vnus esset perfectior alio; & perfectio, quæ esset in vno, deesset alteri, atque adeo neuter esset summæ, & infinitæ perfectionis, quod est non esse actum purum, neque ens increatum.

Plura de his tractare pertinet ad Metaphysicos, lib. 12. & ad Theologos 1. p. vsq; ad q. 27. Nobis sufficit hæc breuiter attigisse; quia raptim à Philosophia ex ipso motu deducuntur, ea quæ tract. Arist. tùm in hoc lib. 8. tùm in 12. Metaph. Vt tamen perfectius reductio, & subordinatio causarum inferiorum ad primam causam intelligatur, sequentibus duabus quæstionibus de subordinatione causarum principalium, & instrumentalium agemus, quod à 2. lib. ad hunc locum transtulimus.

QVÆSTIO XXV.

De Subordinatione causæ secundæ ad primam.

IN Subordinatione causarum à Deo possumus tria considerare, scilicet dependentiam effectus causæ inferioris à superiori. Secundò dependentiam ipsius causæ inferioris à superiori in causando, nam in essendo dependet vt effectus. Tertiò dependentiam ordinis in ipsis causalitatibus, ita quòd omnia subiiciantur ordini, & directioni diuinæ causalitatis, & nihil per accidens fiat respectu Dei. De his tribus agemus in præsenti. In primo articulo de concursu simultaneo, qui influit in effectum simul cum causa secunda. In secundo & tertio de præuio mouente causam secundam ad causandum. In quarto de causa per accidens, & de fato.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit concursus simultaneus, & quomodo distinguatur à concursu causæ primæ?

NEgauit Duran. in 2. distinct. 1. quæst. 5. & dist. 37. quæst. 1. Deum concursu simultaneo operari concomitanter cum causis secundis earum effectus. *Et fundamentum* est id, quod in hoc articulo præcipuam ingerit difficultatem. *Primum*, quia non potest Deus concurrere ad effectum causæ secundæ, neque eadem actione creaturæ, neque diuersa Non eadem: quia vna & eadem actio non potest procedere à duobus agentibus perfectis, & totalibus, ita quòd ab vtroque tota dimanet, imò si est eadem actio creaturæ, & Dei, ergo illa actio in quantum creaturæ, non est effectus Dei, nec causata à Deo, quia idem non potest causare seipsum. Nec potest esse diuersa actio, quia sic haberet diuersum terminum ab actione creaturæ, vel si eundem haberet, produceret rem productam, & sic superflueret.

Secundum fundamentum est: quia non est aperta implicatio, quòd aliqua creatura agat sine concursu Dei, sicut enim communicauit causis secundis virtutes operatiuas in actu primo, vt non solum essent instrumenta, sed causæ principales, cur non potuit communicare tam perfectam virtutem, quòd non indigerent concursu Dei? Si autem hoc potuit, vnde constat non fecisse? Nec propter hoc tollitur, quòd Deus vsque modo operetur, operatur enim tum res illas, quas se solo producit, vt animas, quas creat, gratiam, quam largitur; tùm etiam ea, quæ fecit, conseruando.

Vltimum fundamentum sumitur ex aliquibus actionibus, quæ non possunt immediatè esse à Deo, sicut v. g. actiones peccaminosæ, quatenus tales à Deo non sunt, similiter actiones vitales, & liberæ sub illa formalitate vitæ, & libertatis non sunt à Deo, quia non denominantur vitales, nisi prout sint à principio intrinseco, & proximo; imò generationes, & mutationes sub illo modo, quo sunt à creatura, non sunt à Deo, ergo saltem quantum ad illum modum aliquid non eget concursu Dei. Denique causalitates causæ formalis, & materialis non sunt à Deo, aliàs diceretur Deus formaliter, aut materialiter causare, quod illi repugnat: ergo non omnis causalitas est à Deo, cur ergo omnis actio?

Nihilominus certa, & concors est Theologorum & Philosophorum sententia, *causas secundas indigere concursu simultaneo causæ primæ in ordine ad omnes suos effectus, præter ipsam dependentiam talis causæ in essendo a causa superiori.* Et hoc constat, tum authoritate, tum ratione. *Authoritate* quidem, nam id apertè testatur Scriptura, vt cum dicitur Isai. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Et Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et Act. 12. *In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.* Et ad Ephes. 2. *Deus est enim, qui operatur in nobis velle, & perficere, &c. Ratione quoque id constat*; quia omne ens quocunque modo sit, à Deo participatum est, & deriuatum, sed effectus ipse, & actio sunt entia quædam creata, ergo à Deo sunt participata, ergo actio nostra, & effectus illius etiam à Deo debet procedere, indiget ergo causa creata in quocunque effectu concursu Dei simultaneo, qui magis requiritur propter effectum, qui est ens participatum à Deo, quàm propter ipsam causalitatem causæ secundæ. Et huius signum etiam est; quia si Deus suspendat concursum, effectus non erit, siquidem non potest aliquid habere esse, si Deus non cómunicet illud, aliàs non posset Deus annihilare effectum aliquem causæ creatæ; annihilatio autem non fit nisi per suspensionem concursus, ergo si effectus non indigent concursu Dei, non sunt annihilabiles per suspensionem eius. Et inde est quòd ille concursus Diuinus debet identificari cum concursu causæ creatæ, quia tendunt ad eundem terminum, siquidem ipsemet effectus, qui est à concursu causæ creatæ, dependet etiam à concursu Dei, quia per suspensionem eius potest desinere, ergo oportet quòd in eodem termino conueniant vterque concursus, & hoc est identificari rationem eiusdem termini, quem producunt.

Ad primum fundamentum Duran. *dicimus* cum D. Thom. 1. part. quæst. 105 art. 5. ad 2. quòd vna actio non procedit à duobus agentibus vnius ordinis, sed nihil prohibet quòd vna, & eadem actio procedat à primo, & secundo agente. Hoc tamen est quod difficilè percipitur, quomodo illa actio electiuè possit procedere ab illo duplici principio, cùm non possit esse à Deo, nisi tanquam effectus habens esse ab ipso Deo, non tanquam ipsa ratio agendi; si autem est effectus, ergo efficitur ab aliqua actione, & sic non identificatur cum illa, & vlterius ad actionem dabitur actio, siquidem actio creaturæ est effectus actionis Dei. Si verò dicatur quòd actio illa creaturæ non est effectus Dei, sed actio, seu ratio operandi, non apparet quomodo illa actio dimanet immediatè à Deo vt actio, & non vt effectus nihil

nihil enim dimanat à Deo, nisi vt effectus, & non vt actio, vt determinat D.Th. 1.p.q.25.art.5. cùm actio Dei vt distinguitur ab effectu ad extra, sit substantia Dei.

Quartum dicendum est, quòd illa actio creaturæ dicitur etiam concursus Dei respectu effectus, in quem influit, sed iste influxus cùm sit temporalis, & non ab æterno in Deo, non constituit formaliter intrinsecè Deum agentem, quia non se habet vt actualitas eius, sed vt effectus. Et non est inconueniens, quòd actio temporalis sit effectus actionis æternæ, licet ad actionem temporalem, & creatam non detur alia actio temporalis etiam & creata, eò quòd immediatè dimanat ab agente; benè tamen ista actio temporalis supponit actionem æternam, quæ est radix omnium actionum & effectuum, & cuiuscunque entitatis, & sic actio creaturæ vt actio, est participatio quædam, & effectus actionis Diuinæ, sicque non repugnat actionem illam esse effectum respectu actionis Diuinæ, esse autem actionem, & non effectum respectu potentiæ creatæ. Quando ergo dicitur quòd actio illa iam non diceretur eadem cum concursu Dei, *Respondemus*, quòd est eadem cum concursu Dei ad extra, qui est effectus, & participatio Diuina, licet distinguatur ab actione increata, & æterna Dei, cuius est participatio, & effectus ad extra; & ad talem actionem, seu concursum datur actio vt dictum est, non quidem actio temporalis, sed actio increata, & æterna, sicut sup. q.14.art.4. diximus de actione ex parte agentis, & ex parte effectus. Et sicut forma substantialis operatur effectum non per distinctum concursum à cõcursu suæ virtutis, dicitur tamen concursus formæ, seu animæ magis generalis, quia ad plures effectus, & virtutes se extendit, sic Deus se habet cum toto vniuerso, & collectione creaturarum, cum quibus concurrit eodem concursu, quo ipse creaturæ, & tamen quia Deus ad omnes se extendit, & non ad istam solam restringitur, sicut ipsa virtus determinata creaturæ, concursus Dei dicitur generalis, vnde dicit D.Th.3.cont.G.c.70. *Quod sicut non est inconueniens, quod vna actio procedat ex agente, & eius virtute, ita non est inconueniens quod producatur idem effectus ab agente inferiori, & à Deo, ab vtroque immediatè, licet alio, & alio modo.*

Sed inquires. An iste concursus Dei simultaneus sit partialis simul cum concursu causæ creatæ, ita quòd aliquid correspondeat concursui Dei, aliud actioni creaturæ, & similiter an isti concursus omnino adæquentur inter se, ita quòd vnus non magis se extendat, quam alter, videmus enim quod actio creata cessare potest ipso effectu producto, actio tamen Diuina non cessat, quia conseruat effectum sine causa creata. Quod si ita est, ergo non est vnica, & indiuisa actio, siquidem cessante vna, non cessat alia. Si verò totaliter imbibitur, & adæquatur concursus simultaneus actioni causę secundæ, ergo ille concursus, & actio Diuina se sola non poterat producere totum effectum, sed partialiter tantum, & dependenter à causa creata, quod est partialiter Deum concurrere, nec vt causam totalem. Nec potest explicari, quid correspondeat tali actioni vt est à concursu Dei, & vt est à creatura.

Resp. P.Suarez disp.22. Met. duo dicere: alterum sect.1.n.23. quòd concursus Dei, & creaturæ potest partialis dici non ex parte effectus, quasi vna pars effectus, fiat ab vno, & pars ab alio, sed partialiter ex parte causæ, quatenus neutra causalitas habet totum concursum, sed ex vtraque integratur. Secundum est sect.4. n.8. & 9. quòd Deus in hoc concursu taliter se accommodat, quod non posse illo concursus se solo producere effectum, sed cum causa creata. Apertius docet Molin. Deum, & creaturam se habere vt causas partiales sicut duo trahentes nauim, vel lapidem, de quo videri potest 1.p.q.23.art.4.& 5. disp.1. membr.6. & in concordia, pag.60.& 61. & 171. & aliis, quod videtur sequi Martinez 2.Phys.q.4.in consectariis, vbi inquit, quod concursus causæ secundæ nullatenus pendet à concursu primæ, quia sunt idem, dici tamen rectè posse Deum & creatura quodammodo in operando dependere, non quidem dependentiâ rigorosâ, sed quatenus limitat suum concursum ad creaturam, & concursus Dei à concursu creaturæ dependet.

Nihilominus nulla partialitas in concursu Diuino ponenda est, neque ex parte effectus, neque ex parte causæ, vel actionis. Non ex parte effectus, quia si vna pars effectus fieret à Deo, & alia pars à creatura, ita quod ista secunda pars non esset à Deo, non omnis ratio entis creati esset à Deo, quod repugnat. Non ex parte causæ, quia sic in ipsa actione, & modo operandi Dei daretur aliqua limitatio, & dependentia quatenus illa actio Dei non potest de facto operari, nisi dependenter à concursu alterius causæ. Et explicatur implicatio in hoc, quia causalitas Diuina est causalitas causæ vniuersalissimæ, quæ attingit omnia, quæ sunt in effectu, cum omnia ex participatione illius sint, ergo repugnat, quod ex parte causæ ille concursus sit partialis, & multo minus dependens ab altero concursu causæ secundæ, siquidem propter suam vniuersalitatem omne illud attinhere debet, quod attingit ipsa causa secunda, ergo ex parte causæ, & modi causandi vniuersalissimi repugnat, quòd partialiter attingat effectum & dependenter; quia propter suam vniuersalitatem causa secunda dependet ab ipsa, & subiicitur illi, non è contra; & licèt non sine illa producat, tamen quia hoc ipsum non est ex indigentia causæ primæ, sed ex abundantia, & participatione ipsius, ideò hoc non est dependenter operari à causa secunda, sed causam secundam à Deo; vnde per suspensionem talis concursus, quo Deus continuat esse effectus, annihilabitur, non ergo est partialis etiam vt procedit à causa, sed modo totali procedit.

Quare dicendum est, quòd concursus simultaneus identificatur cum actione creata, sed non adæquatur illi, sicut ens identificatur cum vero, sed non adæquatur illi, identificatur enim etiam cum bono, & corpus identificatur cum vno modo, verbi gratia, sessione, sed non illi adæquatur; identificatur enim etiam cum aliis modis, & potest illum amittere. Sic licèt ex parte rei faciendæ concursus Dei determinetur per concursum causæ creatæ ad operandum talem effectum, cum possit etiam alios; tamen ex parte modi operandi ita vniuersalis, & illimitati, non adæquatur ipsi causalitati creatæ: tùm quia sine concursu creato potest rem producere; tum quia cessante actione creata permanet concursus Diuinus conseruando rem productam, quod euidentius apparet in concursu cum instrumento, cessat enim agere instrumentum producente gratiam, & non cessat actio Dei illam conseruans. Dicitur autem, quando Deus producit se solo effectum, specialiori modo producere; non quia maiori concursu producat, sed quia modo magis extraordinario scilicet impediendo causam creatam, aut non concurrendo cum illa.

Ad secundum fundamentum respondetur, implicare, quòd aliqua creatura operetur sine concursu causæ primæ, sicut enim est contra rationem entis creati, quod in essendo non sit participatum, & dependens à Deo: ita repugnat quòd causa creata in causando non sit dependens à Deo, & ita hoc non potest communi

communicari causæ creatæ propter limitationem illius; & ita implicat non dependere à concursu Diuino, quando producitur, sicut repugnat non esse creaturam cum sit effectus creatus, vt ostensum est.

Ad vltimum respond, imprimis, quòd omnes illæ actiones, quæ non sunt deficientes, seu peccaminosæ, totum positiuum quod habent participant à Deo, alio tamen modo, quam à creaturis, non quod ipse modus procedendi à creaturis non sit etiam à Deo, cùm aliquid entitatis sit, sed quia ille modus est à Deo, vt effectus participatus ab ipso, non vt ratio, sub qua participatur, & ita est à Deo vt *quod*, seu vt quid participatum non vt *quo*, seu vt ratio sub qua participatur à Deo, quia à Deo sub modo vniuersalissimo causæ primæ descendit, non sub illo particulari, & limitato, quo est à creatura. Et ita vitalitas, libertas, & reliqua, quæ ibi numerantur, à Deo sunt tanquam aliquid factum, & participatum ab ipso, non illo inferiori modo, & particulari, quo à causa proxima, vnde accipiunt denominationem vitalis, & liberi, sed vniuersalissimo modo, & illimitato, quo à Deo fiunt omnia etiam ille modus particularis, & limitatus, sicut etiam dicuntur res contingenter accidere, quæ contingentia est à Deo, non tamen contingenter. Actus autem peccaminosus etiam vltra hoc, licèt in eo quod habet positiuum, & entitatiuum dependeat, & participetur à Deo, tamen quantum ad id, quod habet de deficientia, & priuatione, & in quantum illam fundat, non est à Deo.

Ad id verò, quod dicitur de causalitate materiali, & formali. *Respond.* Etiam Deum concurrere ad istas causalitates, quia aliquid reale sunt, & ab eo participatum, de quo D. Tho in lib. de causis, lect.1. *Cæterùm* impossibile est, quòd Deus concurrat tanquam causa prima materialis, vel prima formalis, non solum, quia non concurrit ad componendum aliquod totum; hoc enim est clara & manifesta imperfectio, sed etiā quia non cócurrit illo modo causæ materialis, & formalis, vt inter se mutuo causalitates exercent recipiendo, aut informando, vt videtur intendere Fonseca 5. Met. q.12 quem benè impugnat Suar. disp.22. Meth. sect.1. num 29. Etenim licet Deus concursu effectiuo causet ipsas causalitates materiæ & formæ quatenus aliquid reale, & entitatiuum sunt, tamen per modum causæ materialis, vel formalis, id est exercendo tales causalitates, impossibile est, siquidem causalitas materiæ est receptiua, & fundatur in potentialitate recipientis; causalitas autem formæ est eius actuatio, quæ fundatur in actualitate appetente potentiam, eique communicabili, quod totum repugnat actui puro, qui ex ipsa ratione actus puri ita abstrahit ab omni potentialitate, quod neque in se illam habet, sicut materia, nec illi commisceetur sicut forma. Quando verò Deus sine subiecto sustentat accidentia in Eucharistia, non sustentat illa concursu materiali recipiendo illa, sed concursu effectiuo, quo dependebant à Deo, & conseruabantur in esse, etiam sine subiecto conseruantur à Deo, eò quòd illud magis dependet à Deo quam à subiecto. Nec Deus supplet causam formalem se ipso, sed solum rationem formæ terminantis, vt subsistentiam, & existentiam, aut specialem intelligibilem, vt in beatis.

Ex dictis colliges; quomodò actio causæ secundæ sit causata à prima, vel posterior illâ, in quo subiecto concursus Diuinus subiectetur. Dicimus enim, quod actio causæ secundæ non est causata ab actione externa Dei, quia est vna & eadem actio creaturæ, & Dei licèt prout correspondet Deo non adæquate identificetur actio Dei cum actione creaturæ, sed solum inadæquatè, quia magis se extendit, & durat actio Dei ad extra, quam actio creaturæ, scilicet, quamdiu durat effectus. At vero respectu actionis Dei immanentis, & æternæ, quæ in ipso est, sic omnis actio creaturæ causata est ab ipso, sicut omnis concursus Dei ad extra, & consequenter datur prius, & posterius inter actum Dei immanentem, seu ad intra, & inter concursum, & actionem Dei ad extra, sicut inter causam, & effectum. De subiecto verò concursus Diuini simultanei si loquamur de ipso pro actione immanente Dei, est in ipso Deo tanquam volitio eius, & substantia eius, si verò loquamur de concursu ad extra, qui est effectus Dei, qui identificatur cum ipsa actione creata, in eodem subiecto est, in quo est actio creata; scilicet in subiecto, in quo est effectus eius.

ARTICVLVS II.

Vtrùm detur realis, & physicus concursus præuius in causa determinans illam ad causandum?

NOmine concursus physici non intelligimus concursum solum pertinentem ad ens naturale, & mobile, neque vt putauit Suarez lib.3. de auxiliis, c.7. concursum coarctantem ad vnum, ita vt sub illo causa creata amittat potentiam ad aliud, sed nomine concursus physici intelligimus duo. Primò motionem non metaphoricam, neque fictam, neque solum moralem, qualis fit persuasione, vel propositione obiecti, sed illam, quæ fit secundum realem actiuitatem, quo sensu accipitur hæc vox physica, seu naturalis apud Sanctos PP. vt patet in D. Cyrillo in defensione tertij anatematismi contra Nestorium, & habetur in Concilio Ephesino in 4. appendice quinti tomi, cap.1. Secundò intelligimus nomine talis concursus illum, qui nullo modo immutat modum operandi causæ inferioris, siue sit modus operandi indifferenter, siue necessario, sed conseruat illum, solum autem tollit indeterminationem, & suspensionem ad agendum.

Et inaduertenter P. Suarez lib.1. de auxiliis, cap.11. num.3. in fine, dixit neutiquam reperiri apud Diu. Thom. causam primam determinare secundas ad omnes actiones earum; multoque minus reperiri apud D. Thom. mentionem physicæ prædeterminationis. Oppositum tamen euidenter constat, dicit enim D. Thom. 2. Physic. lect.8. super text.48. *Quòd sicut potentia motiua quæ est ad vtrumlibet, non exit in actum, nisi per potentiam appetitiuam determinetur ad vnum, ita nihil quod est ad vtrumlibet exit in actum, nisi per aliquid determinetur ad vnum, quia id quod est ad vtrumlibet, est sicut ens in potentia, potentia autem non est principium agendi, sed solum actus, vnde ex eo, quod est ad vtrumlibet, nihil sequitur, nisi per aliquid aliud, quod determinat ad vnum.* Qui locus manifestissimus est pro isto præuio concursu determinante causam vt agat. Idemque confirmat S. D. 1. par. q.19. art.3. ad 5. vbi inquit, *Quòd causa, quæ de se est contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*; vbi loquitur de determinatione causæ ante ipsum effectum, quæ vno nomine vocatur prædeterminatio, & sic illam vocat S. Dionys. 5. c. de Diuinis nominibus, & ibi Sanct. Thom. lect. 3. vbi dicit: *Voluntatem Diuinam esse existentiam prædeterminatiuam, & effectiuam.* Ac denique videri potest S. Thom. in q.3. de potent. art.7. ad 7. vbi præter formam, & virtutem collatam rebus naturalibus dicit: *Aliquid per modū incompletæ motionis, & ad modū esse*

esse intentionalis superaddi à Deo ipsi causæ vt agat. Qui locus adeò est expressus, vt P.Suarez citato loco, n.6. non inuenerit quid respondeat ad illum, nisi quod D. Th. tacitè retractauit sententiam, quia prætermisit in aliis locis hanc motionem, quam in isto loco posuit; quasi vero hoc sit tractare sententiam, non in omnibus locis eam explicare; præterquam quod in 1. 2.q.110.art.2. dicit D.Th. *à Deo mouente aliquid fieri in anima per modum motus, licèt non per modum qualitatis ad volendum, vel agendum.*

Cùm ergo constet apud Diu. Thom. & Authores probatos, quid nomine prædeterminationis, & concursus præuij intelligatur, restat videre an ita sit quòd detur, & requiratur ad omnem actionem causæ creatæ. Et quidem generaliter loquendo communissimè receptum est apud Philos. quòd causa secunda non operatur nisi vt mota, & applicata à prima ad agendum; de quo videri potest D.Thom.2.p.q.105. art.5. & 1.2.q.67.art.1.ad 3.& q.109.art.1.3.contr. Gent. cap.67.& alibi sæpè. Et quòd iste motus, quo causa secunda mouetur, debeat in ipsa causa antecedere actionem effectus, siquidem mouetur vt agat, etiam apertissimè tradit Scot.in 1.dist.2.q.2. §. Ostenso, & dist.8.q.5.§.Ad argumenta.

Tota difficultas consistit in explicando istàm motionem præuiam, vt causa ipsa dicatur mota à Deo, & applicata ad agendum. Circa quod est maxima varietas, & concertatio Authorum, quorum tamen sententiæ ad tria præcipua capita reduci possunt. *Prima existimat* non dari alium concursum, seu motionem distinctam à concursu simultaneo, qui dicitur esse motio causæ inferioris secundum quandam prioritatem virtualem, quatenus ille concursus est superior, & dignior, & à quo dependet concursus causæ inferioris, & ratione huius dependètiæ, & prioritatis dicitur causa secunda determinari, & applicari, seu præmoueri à prima, non tamen requiritur distinctus concursus imprimens aliquid ipsi causæ, quo actuetur, & compleatur ad agendum, nisi fortè indigeat aliqua virtute, quæ à Deo, vel ab alia causa sibi conferenda sit, quia de se non habet sufficientem virtutem. Ita videri potest apud Patrem Suarez disp.22.Met.sect.2.præsertim à num.48. Fonseca 5.Metaph.cap.2.q.9. sect.2. Molina in concord. q.14.art.13.disp.96.Bellarmin.lib.1.de gratia, & libero arbitrio cap.15.& 16. & Lorca 1.2.sect.4.disp.35. & sect.6.disput.20. Cabero in præsenti, Martinez, & alios.

Secunda sententia est scholæ Scoti, qui simpliciter admittit præmotionem in causa creata antecedenter ad concursum simultaneum, non tamen constituit aliquid physicè impressum ex tali motione in causa creata, sed Deum per solam efficaciam sui decreti quasi per quãdam simpathiam, & morale imperium mouere causas secundas, sicut anima mouet manum; hac solà differentia seruata, quòd causam liberam mouet mediante cognitione, cæteras verò causas motione immediata. Ita videri potest apud Fuente 2.Physic. q.5.diffic.3.art.3.

Tertia sententia simpliciter fatetur dari præmotionem distinctam à concursu simultaneo, quæ physicè, & realiter ponit, & imprimit aliquid in ipsa causa inferiori, estque complementum, & applicatio ad agendum, non per modum virtutis in actu primo, sicut dantur habitus, sed per modum vltimæ determinationis, & applicationis actus primi ad secundum. Ita communiter Schola D.Thom. & eius discipuli, tam recentiores, quam antiqui; licèt enim pro opposita sententia citetur ab aliquibus Caietan. 1.p.q.19.art.8.& Conr.1.2.q.79.art.1. dum inquiunt primam causam non operari præuia motione, aut non præcedere motionem Dei voluntatem, cum aliquis vult; cæterum in his locis solum dicunt contrà Scotum, quod non priùs attingit Deus in aliquo instanti ipsum actum causæ secundæ, quàm ipsa causa secunda. Quòd verò causa secunda applicetur à Deo, & coniungatur actui vt operetur, quod pertinet ad prædeterminationem, eisdem locis affirmant præfati Authores paulò pòst illa verba, & Caiet. etiam 1.2. q.109.art.2.

Dico ergo primò. *Causæ secundæ antecedenter ad influxum, & actionem, qua producunt effectus, indigent aliqua præuia motione causæ primæ, qua applicentur ad agendum.* Hæc conclusio sumitur ex locis D. Thom. supra citatis. *Ratio autem, & fundamentum sumitur ex duobus. Primò*, ex indeterminatione causæ secundæ. *Secundò*, ex potentialitate eius ad operandum. *Et primum constat ex eo*, quòd causæ secundæ possunt producere diuersos effectus, aliquando quidem diuersos specie, sicut potentiæ cognoscitiuæ & volitiuæ, vel saltem diuersos in indiuiduo; vt quæcumque virtutes actiuæ, neque enim virtus aliqua creata permanens datur solum ad vnam actionem, & effectum; alioquin illo producto euanesceret virtus, vtpotè iam ociosa, & ita solum se haberet per modum transeuntis, sicut virtus instrumenti, & quæcumque motio ad vnum tantum actum. Imò in hoc præcipuè differt concursus iste præuius, seu auxilium efficaciter mouens ab eo, quod solum dat sufficientiam, & virtutem, quòd sufficiens non solum respicit vnum actum in indiuiduo, sed speciem actus, ad quem dat virtutem, efficax autem respicit determinationem in indiuiduo. Omnis ergo causa creata de se indeterminata est ad diuersas actiones, & effectus in indiuiduo. *Secundum verò constat*, quia causa secunda ita est in potentia ad operandum, quòd indiget mutari in se, vt de facto operetur, siquidem non semper operatur in actu; ergo necesse est quòd vt operetur, aliter se habeat; si enim eodem modo se habet, sicut antea, manebit in potentia operans, quia antea in potentia erat operans. Nec potest mutari per ipsam operationem, quia mutatur vt operetur, & operatio, non mutat agens actiuè, sed passiuè, vt probatur in 3.Physic. & est manifestum, quia operatio non exit ab aliquo, nisi provt est in actu, vnumquodque enim operatur provt in actu, & patitur provt in potentia; ergo in quantum operatur agens non mutatur à sua operatione effectiuè, sic enim pateretur in quantum operans, ergo si mutatur, est antecedenter ad actionem.

Ex quibus principiis deducitur necessariam esse aliquam motionem præuiam in omni causa creata antecedenter ad eius actionem, & concursum simultaneum Dei, quia omnis causa creata indiget aliqua mutatione ad hoc, vt operetur, quia est indeterminata ad hanc, vel illam actionem in singulari, & est in potentia ad operandum, cùm non semper actu sit operans, ergo indiget ab aliqua causa reduci in actum, & determinari; siquidem à causa existente in potentia, & indeterminata non exit effectus in actu, & determinatur, sed non potest à se ipsa determinari, & immutari, neque ab alia causa creata, neque à concursu simultaneo Dei, ergo ab aliqua motione præuia. Non à se ipsa, quia est in potentia ad agendum, & indeterminata, ergo non potest se reducere de potentia in actum, quia sic deberet supponi in actu determinante, vnumquodque enim reducitur de potentia in actum per aliquem actum; & si supponitur esse in actu vt se moueat, rursus iste actus non est primo se moueus, sed motus ab alio, aliàs esset mouens non motum, quod est;

Deus. Neque per ipſam operationem, ad quam mouetur poteſt reduci de potentia in actum, quia iſta operatio eſt id, ad quod ipſa cauſa indiget determinari, & applicari; ergo implicat quòd per ipſam applicet, & moueat ad ſe ipſam; nec poteſt iſta applicatio, & motio fieri ab alia cauſa creata; quia licet requirantur plures conditiones procedentes à cauſis creatis, vt determinetur aliqua cauſa, tamen omnes illæ cauſæ cum ſint creatæ, ſunt etiam in potentia ad operandum, & indigent ſimili applicatione & motione; & cum non ſit proceſſus in infinitum, oportet, quòd tandem à Deo fiat iſta motio & applicatio, & ſicut fit in illis cauſis, ita & in reliquis aliis, quia omnes æquè ſubiiciuntur Deo; præterquam quòd etiam poſitis omnibus illis conditionibus, aliquæ cauſæ adhuc manent indeterminatæ ad agendum, vt cauſæ liberæ, aliæ non ſufficienter, determinatæ ad hanc numero actionem, vel effectum: ergo oportet quòd hæc determinatio tandem reducatur in Deum, ad quem pertinet dare vltimam actualitatem ad operandum. Nec ſufficit concurſus Dei ſimultaneus, quatenus dignitate, & perfectione prior eſt, quia iſta maior dignitas & perfectio, vel reddit cauſam creatam reductam de potentia ad actum, & determinatam ad operandum, vel non; ſi non reddit, manet cauſa tam in diſpoſita ad operandum ſicut antea, vtpotè non ſublata potentialitate, & indeterminatione: ſi vero reddit determinatam, ergo iam non eſt ſolum concurſus ſimultaneus, ſed etiam præuius, quia habet effectum præuium, ſcilicet in ipſa cauſa mouendo illam ante actionem & effectum. Quare ſimultaneus concurſus quatenus ſimultaneus cum non influat, niſi in effectum & identificetur cum actione cauſæ creatæ, non magis poteſt ipſam cauſam creatam actuare, & mouere, quam ipſamet actio cauſæ creatæ.

Dico ſecundò, *Hæc applicatio, & præuius concurſus aliquid phyſicum relinquit in cauſa quam mouet, & non ſolum eſt aſſiſtentia extrinſeca, vel moralis motio, aut ſimpathia.* Deducitur ex locis D. Th. ſupra citatis, præſertim q.3. de potent. artic.7. ad 7. & 1.2. qu.110. artic.2. vbi inquit: *Ex motione Diuina relinqui motum in anima, quia actus mouentis in moto, eſt motus.* Et 1.2. qu.79. articul 2. inquit: *Quòd omnis actio cauſatur ab aliquo, quod eſt in actu, quia nihil agit niſi ſecundum quod eſt in actu, omne autem ens actu reducitur in primum actum, ſcilicet in Deum, ſicut in cauſam, qui eſt per ſuam eſſentiam actus, vnde relinquitur quòd Deus ſit cauſa omnis actionis, in quantum actio eſt*; vbi non loquitur S.Thom. de concurſu ſimultaneo, quia iſte non eſt cauſa actionis, ſed idem cum ipſa actione, & ſolum eſt cauſa effectus, loquitur ergo de concurſu præuio, qui eſt cauſa actionis creatæ, ſed dependentia actionis ab eo, quod eſt in actu, non eſt dependentia moralis, vel metaphorica, ſed phyſica, & fundatur in reductione entis in actu ad primum actum, qui eſt Deus, quæ reductio eſt phyſica ſecundum veram, & realem cauſalitatem, & dependentiam omnis entis à primo ente, quæ dependentia moralis non eſt, ergo S.Th. non poteſt intelligi de cauſalitate morali, & metaphorica, ſed de phyſica.

Et fundamentum ſpeciale huius concluſionis eſt; quia ex vi illius ſimpathiæ, aut voluntatis efficacis Dei ad intra, vel reſultat aliqua mutatio ad extra in creatura, vel non; ſi reſultat; ergo non eſt mera aſſiſtentia extrinſeca, & moralis ſimpathia, ſed realis, & vera mutatio tanquam effectus impreſſus à Deo ad extra; ſi non reſultat aliqua mutatio, ergo totum intrinſecum huius cauſæ creatæ manet ita immutatum ſicut antea, & cum antea eſſet intrinſecè in potentia, & indeterminata, etiam poſt illam extrinſecam aſſiſtentiam, in eadem potentialitate, & indeterminatione intrinſeca manebit, ergo à principiis intrinſecis talis cauſæ createę non poterit dimanare actio, quantumcũque ponatur illa extrinſeca aſſiſtentia; ſed non dicitur cauſa creata agere niſi ab eius intrinſeca virtute, & potentia dimanet actio, quia ipſa virtus intrinſeca eſt quæ dicitur agere, ergo ſi per illam ſimpathiam & aſſiſtentiam extrinſecam nihil de intrinſeca potentialitate tollitur, non remanet cauſa illa intrinſecè diſpoſita ad agendum.

Nec obſtat exemplum de ſimpathia, & motione, qua manus mouetur ab anima, tum quia adhuc eſt incertum, an iſta motio fiat per aliquam impreſſionem phyſicam, tùm etiam quia eſt longè diſpar ratio, quia potentia manus motiua, & voluntatis imperatiua radicantur in eadem anima, & ſic non requiritur quòd vna influat in aliam, ſen ſufficit quòd anima in vtramque, Deus autem eſt principium mouens extrinſecum, in quo non inhæret virtus creata, vndè oportet quòd ipſe influat hanc motionem in cauſa creata, præſertim quia hoc quod eſt cauſam creatam eſſe motam, & applicatam ad agendum, eſt aliquid nouum in rerum natura, & non per aliquid nouum ex parte Dei, quia eſt immutabilis, ergo per aliquid nouum extra Deum, & non niſi in cauſa creata, ergo oportet, quod illa realiter, & phyſicè ſit mota à Deo.

Nec ſufficit concurſus ſimultaneus Dei, vt dictum eſt, tum quia iſte concurſus ſimultaneus non mouet cauſam, ſed ſolum eſt ad effectum, tum quia eſt idem cum actione creaturæ, & ſic non magis mouet creaturam quàm ipſamet actio eius, quæ non poteſt mouere cauſam, à qua egreditur vt agens eſt, ſed paſſum, in quo recipitur, tum deniq; quia ſimultaneus concurſus non ſubordinat cauſam creatam Deo, ſed effectum, & propter dependentiam effectus à cauſa prima, datur concurſus ſimultaneus ergo ex vi illius non poteſt Deus efficere quòd cauſa ſecunda agat, ſed ſolum poterit impedire effectum, ſi non velit dare concurſum, non verò inclinare cauſam, & facere vt operetur.

Et ex hoc profundius aperitur neceſſitas ponendi iſtum concurſum præuium, etiam pro aliis materiis Theologicis. Nam ſi ſolum cauſa ſecunda eſt dependens à Deo ratione concurſus ſimultanei, quatenus non poteſt effectus fieri, niſi dependenter à Deo, non tamen quia in ipſam cauſam Deus imprimat, & moueat vt operetur, ſequitur quòd in producendo iſto effectu cauſæ ſecundæ debeat Deus expectare operationem cauſæ ſecundæ, vt efficaciter velit eius effectum, nec poſſit ex ſua propria virtute facere, quòd cauſa ſecunda efficiat niſi mediantibus aliis cauſis, per quas talem cauſam moueat, & inclinet, v.g. ſolum media perſuaſione, aut propoſitione obiecti, quod totum morale eſt & contingens non ſimpliciter, & infallibiliter efficax, licèt poſſit impedire effectum, ſi velit, ſuſpendendo concurſum ſuum. Quod exemplo poteſt fieri manifeſtum. Sit enim caſus, quòd Deus velit Petrum elicere actum amoris, vel aſſenſum fidei, qui actus non poteſt à ſolo Deo fieri, ſed ſimul à cauſa ſecunda, ſi illa cauſa ſecunda non ſubordinatur Deo niſi ratione effectus exequendi, non verò ex parte ipſius cauſæ, quia debet moueri à Deo vt actum eliciat, ergo non poterit Deus vel illum effectum, niſi expectando, quòd ipſa cauſa ſecunda velit, & cooperetur, ſi dederit Deus ſimultaneum influxum, quia talis influxus non eſt in cauſam vt velit, ſed in effectum, in quem influit ſimul cum influxu ipſius cauſæ ſecundæ, non ergo habet poteſtatem in cauſam ſecundam, vt efficiat, ſed in effectum ſi cauſa ſecunda etiam efficiat;

ciat; vnde niſi ipſa cauſa ſecunda velit, fruſtra ille concurſus ſimultaneus operatur, imò non operatur cùm ſit idem cum influxu ipſius cauſæ ſecundæ, & ſic fruſtra Deus miſerebitur, niſi nos velimus, quod expreſsè negat Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum, q. 2. Et non minus dicetur, quòd eſt Dei miſerentis, quàm hominis violentis, & currentis, quod tanquam magnum abſurdum infert Aug. in Enchiridio cap. 32. *Si rectè*, inquit, *dictum eſt, non volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei; quia id voluntas homini ſola non implet, cur non & è contrario rectè dicitur, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola non implet?* Quod tamen, vt ibi ſubdit, *nullus Chriſtianus dicere audebit.* Qui autem ſolum ponunt concurſum ſimultaneum, & non præuium in ipſam cauſam, quæ præparatur, ſeu applicatur à Deo, non poſſunt dicere, quod eſt ſolius Dei miſerentis, ſed etiam hominis volentis, quia ſcilicet ex vtroque fit, id eſt, ex voluntate hominis, & miſericordia Dei, & quouſque velit homo, non ſufficit inclinare illum concurſus ſimultaneus, qui cum ipſo actu identificatur, non ad illum inclinat.

Dices, ſufficere ſolum miſericordiam Dei, non ratione præuij concurſus phyſici, ſed moralis; id eſt mediante aliqua cogitatione moraliter inclinante. *Sed contra*, tùm quia in aliis cauſis, quæ non operantur cognitione, hæc moralis inclinatio locum non habet, & *habet locum argumentum factum*, quòd Deus ſua virtute non poterit inclinare cauſam contingentem, verbi gratia, aut neceſſariam ad operandum niſi mediis cauſis, aut virtute creata; tùm quia illa moralis motio de ſe fallibilis eſt, & contingens, nec niſi extrinſecè allicit, ergo vt certò moueat, expectat volitionem noſtram, nec niſi dependenter ab ea certam habet motionem, & inclinationem; ergo perinde eſt recurrere ad hanc motionem, ac dicere, quod expectat Deus voluntatem noſtram, & fruſtra miſeretur, niſi nos velimus, quantum ad certitudinem mouendi.

Scio non deeſſe, qui concedat in hoc concurſu, quo Deus cum cauſa ſecunda operatur; dependere Deum quodammodo à creatura in operando, in hoc ſenſu quia actio Dei, qua cooperatur creaturæ ab ea ſanè dependet, ergo etiam Deus, vt ea operans, quod expreſſis verbis concedit Martinez Phyſic. q 4. in tertio conſectario, & oppoſitum ſentientes ſtolidos vocat. Sed ſtoliditatem hanc parcamus, ſcriptum eſt enim: *Qui contumeliam profert inſipiens eſt*, Prouer. 10. Exceſſit autem ille Author attribuens actioni Dei, qua cooperatur, dependentiam à creatura, licèt enim identificetur concurſus Dei cooperatiuus cum actione creaturæ, non tamen vt dependens à creatura, quia non cauſatur à creatura, ſed à ſolo Deo, non poteſt autem dependere à creatura, niſi ab ea aliquo modo cauſetur, vel deriuetur aut eſſe ab ea accipiat, cùm è contra ſit, quia creatura & eius operatio, à Dei actione pendent illique ſubiiciuntur. Cùm autem non ponat præuium concurſum in creaturam, ſed ſolum ſimultaneum, ſi in hoc dependet Deus à cauſa creata in operando, omnino deſtruitur ſubordinatio cauſarum à Deo, & inciditur in illa inconuenientia toties à B. Auguſt. exploſa, fruſtra Deum miſereri, ſi homo non velit; ſiquidem Deus non habet alium concurſum, quam ſimultaneum apud hunc Authorem, & in hoc non ſolum expectat, ſed dependet à creatura vt habeat effectum volendi. Nec apparet, quomodo ſaluetur illa doctrina catechiſmi Pij V. Par. 1. de primo Symboli art. n. 22. vbi dicitur: *Non ſolum Dominus vniuerſa, quæ ſunt prouidentia ſua tuetur, atque adminiſtrat, verum etiam quæ mouentur, & agunt aliquid intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, vt quamuis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præueniat tamen cùm eius occultiſſima vis ad ſingula pertineat.* Cùm quibus verbis neſcio quomodo ſtant verba huius Authoris in primo conſectario, ſcilicet cauſam primam, & ſecundam vſque adeo ſimul cócurrere in effectum, vt neutra alteram præcedat? Cui ergo credemus, huic Authori dicenti, *Neutra præcedat*, an Pio V. dicenti, *Ita impellit, vt præueniat.*

Dico tertiò. *Præuius iſte concurſus realiter mouens cauſam ſecundã non eſt qualitas aliqua per modũ virtutis in actu primo*, nec aliquis, actus ſeu effectus ab ipſa cauſa ſecunda procedens, quo ſe moueat ad alium actum; ſed eſt quædam motio Dei, non dans actiuitatem, ſed actiuitatis applicationem ad effectum, & ſi eſt qualitas, eſt per modum motionis, & tranſeuntis. *Pro iſtius concluſionis intelligentia eſt aduertendum*, varias eſſe ſententias etiam inter Thomiſtas, de iſto præuio concurſu, ſeu motione, quid ſit, & præcipuè ad tres reducuntur. *Quidam ponunt* non eſſe aliquid creatum, & de nouo productum in creatura, ſed ſolum decretum ſeu voluntatem Dei efficacem extrinſecus aſſiſtentem, quo ſtatim mouetur creatura, quaſi quadam ſimpathia, & naturali ſubiectione ad Deum. *Alij diſtinguunt* de cauſa libera, & non libera & hanc ſecundam dicunt præmoueri motione aliqua, ſeu qualitate recepta in ipſa creatura: liberam verò in his, in quibus ſe ipſam mouet, priorem actum, quo excitatur voluntas dicunt eſſe motionem præuiam ad ſecundum, ad quem excitatur; primus verò actus, quo excitatur eſt ex motione Diuina, ipſe autem actus excitãs, elicitus eſt à potentia. *Tertij dicunt*, iſtam motionem abſolutè in omnibus cauſis eſſe aliquam motionem à Deo deriuatam, ſeu qualitatem per modum motionis, qua virtus creata applicatur ad ſuam operationem tollendo indeterminationem, & potentialitatem eius ad operandum.

Inter has ſententias hæc vltima eſt certior in ſenſu D. Th. Prima enim iam ſupra impugnata eſt, & poteſt applicari illi ratio, qua probat D. Th. 2. 2. qu. 23. art. 2. contra Magiſtrum, charitatẽ non eſſe ipſum Spiritũ ſanctum, ſed aliquem effectum eius in anima; quia charitas ſecundùm Aug. eſt motus animi ad fruendum Deo propter ipſum, ſed motus animi eſt aliquid creatum in anima; ergo & charitas; quæ probatio omnino deficit, ſi Deus ſolo ſuo decreto efficaci ſine aliquo de nouo producto ſufficienter poteſt aliquam cauſam mouere. Quare ſicut Deus ad conſtituendam aliquam cauſam in actu primo operatiuam, non poteſt id facere ſolo ſuo decreto non ponendo aliquam virtutem in cauſa, ita ad applicandum, & mouendum cauſam iſtam, & virtutem ad actum ſecundum, non ſufficit decretum Dei prout æternum, ſed aliqua mutatio eius in tempore.

Secunda verò ſententia deficit; tùm, quia in cauſis naturalibus, de quibus in præſenti agimus, coincidit cum tertia ſententia; tùm etiam, quia in cauſis liberis etiam reſpectu actuum deliberatorum, non ſufficienter procedit, quia ille primus actus voluntatis non poteſt eſſe ipſa operatio, & cauſalitas Dei, procedit enim & elicitur à creatura, & conſequenter non poteſt procedere ſub illa vniuerſalitate, & illimitatione, qua procedit à Deo, ſed eſt id, quo cauſa creata in ſuo genere ſe mouet, ſcilicet, per modum mouentis creati quæ motio non eſt confundenda cum motione qua mouetur à Deo. Et præterea vel ille actus, vt elicitur à creatura, habet omnimodam infallibilitatem ad actum ſequentem, vel non. Si non habet, ergo non eſt motio, & auxilium Diuinum, quia

quia hoc infallibiliter mouet, cùm sit operatio causæ infallibilis, alioquin ad cognoscendum infallibiliter actum sequentem non sufficeret Deo inspicere, virtutem, & concursum suum sed ipsam creaturam, vt à qua dependeat illa infallibilitas, quod negant isti Authores. Si verò habet infallibilitatem, ergo redditur infallibilitas Diuini cõcursus ex causa creata, siquidem est infallibilis ille actus, prout elicitur à voluntate creata, & non ratione alicuius superadditi à Deo, quod est impossibile cùm illud principium sit mutabile, & contingens, non infallibile, & certum, imò ad cognoscendum aliquid infallibiliter non inciperet Deus ex decreto suo, & auxilio, sed ex ipsa operatione causæ creatæ, siquidem ab ipsa infallibilitate habet, quod est præscire effectum antecedenter ad decretum.

Quare relinquitur tertia sententia, quæ sine dubio est D.Thom. qu.3. de poten. art.7. ad 7. vbi inquit: *Quòd virtus naturalis, quæ est rebus in sua constitutione collata, inest eis vt quædam forma habens esse ratum & firmum in natura, sed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agit, est vt intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis.* Et 1. 2. quæst.110. art.2. dicit: *Quòd istud auxilium non est qualitas, sed motus quidam animæ, quia motus mouentis est in moto.* Vbi nomine motus non intelligitur esse actus elicitus, sed aliqua inspiratio recepta vt eliciatur, quia motus in mobili recipitur, non elicitur, vt motus est. Similiter nomine qualitatis intelligit qualitatem permanentem, & quasi habitualem, non autem negat esse qualitatem per modum motionis transeuntis, sicut virtus instrumenti, & colores in aëre, qui non sunt motus, nec potest esse motus ad qualitatem quasi via, & tendentia ad ipsam, quia sic illa motio Dei haberet terminum ad quem tendit, qui esset qualitas per modum permanentis, & sic permanenter causa secunda esset applicata ad operandum, neque apparet, quænam esset illa qualitas sic producta: si ergo non est motus ad qualitatem, restat quòd sit qualitas per modum motus.

Quòd si inquiras, quem effectum formalem habeat ista qualitas, seu motio? *Resp.* istam motionem neque posse esse actum secundum, scil. operationem ipsam causæ creatæ, siquidem ista motio est præuia ad talem operationem, & mouet ad illam, non ergo est ipsa actio causæ creatæ, hæc enim non potest mouere causam vt agentem, sed passum. Similiter non potest esse virtus per modum actus primi, hæc enim datur per modum permanentis in ipsa causa, vel saltem per modum sufficientiæ, ita quòd sine ipsa, causa non est sufficienter constituta in ratione principij operatiui, nos autem loquimur in præsenti de concursu præuio supponente causam sufficienter potentem, & virtuosam ad agendum, & sic iste concursus non dat virtutem in actu primo. Vnde in hoc præcipuè distinguitur auxilium dans sufficientiam, & dans efficaciam, quòd sufficientia dat virtutem in actu primo, quæ respicit non aliquem actum in indiuiduo tantùm, sed ipsam speciem actionis & ita deseruit pro aliis actibus in singulari. At verò præuius iste concursus determinatus ad actum indiuiduum in singulari, & sic non dat virtutem in actu primo, quæ deseruiat ad varia indiuidua. Vnde restat, quòd sit applicatio quædam actus primi ad secundum, sicut applicatur, & coniungitur instrumentum ad operandum effectum principalis agentis; quo nomine etiam ipsam declarat S. August. lib.1. ad Simplic. quæst.2. inquiens: *Non defuisse Deo modum, quo mentem Esau ad credendum applicaret, voluntatemque coniungeret.* Sed est duplex applicatio, altera causæ efficientis cum subiecto, seu materia, sicut ignis applicatur ligno, altera vnus efficientis cum alia efficiente sicut duæ partiales causæ, vel causa inferior, & superior, vt Sol cum homine ad generationem hominis, & similiter Deus cum causa secunda, qui magis intimè coniungitur, quàm quælibet alia causa, eò quòd magis ab illo dependent omnes causæ. Ex coniunctione autem causæ inferioris ad superiorem inferior semper confortatur, & perficitur, & ita cùm Deus sit causa summæ actualitatis, & perfectionis nullam habens potentialitatem, cõsequenter relinquit causam creatam maximè actuatã & reductam in actum sublata omni potentialitate, & indeterminatione ad agendum, quod ex propria virtute non habebat. quia virtus creata quantumcumque sufficiens in actu primo semper est indeterminata, & in potentia ad hoc, vel illud singulare, & licet possit in quodcunque singulare vt contentum sub specie illius rei ad quam habet virtutem, tamen propter indifferentiam talis virtutis, deest illi non aliqua virtus ad agendum hoc singulare, sed aliqua determinatio virtutis.

Et hinc nascitur effectus formalis, quem præbet talis motio Diuina, reddit enim causam applicatam & determinatam ad operandum nihil immutando de modo, quo causa secunda nata est operari; ita quòd si causa secunda operatur necessario dat illi determinationem ad operandum actionem singularem, & simul dat illi, vt per modum necessitatis operetur, si autem operatur contingenter, vel liberè, dat illi determinationem ad actum indiuiduum, & similiter modum operandi mutabiliter, & indifferenter conseruat, neque enim vlla est repugnantia, quòd sicut ex Diuina participatione descendit in causam creatam, quòd operetur talem substantiam actus, & quòd operetur tali modo, scil. cum indifferentia vel mutabilitate ad oppositum, ita aliqua motio, vel qualitas Diuini cõcursus descendat à Deo, quæ vtrũque faciat, & tollere indifferentiam potentialitatis, qua ipsa causa erat suspensa, & indeterminatã, & conseruare indifferentiam virtutis, seu modi agendi sine coactione ad vnum. Et sic facit operari non solum talem actum, sed operari liberè, & contingenter, hoc enim totum infallibile est; vtriusque enim est causa, & radix Diuina operatio multò magis, quàm ipsa nostra anima, & voluntas, iuxta illud Aug. lib. de correct. & grat. cap 14 *Magis habet Deus in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas*, quod est præmotionem illam esse infallibilem vt *quod*, & vt effectus Dei, mutabilem autem & contingentem vt *quo*, id est, vt ratio operandi ipsi creaturæ. Et ita antecedentia huius motionis, licet sit suppositio antecedens, non tamen est suppositio necessitans, sed antecedens influendo, & causando ipsum modum libertatis in actu, & determinatam substantiam actus, & ideo non tollit libertatem ista antecedentia determinans, sed causat illam in actu, & perficit, & conseruat in potentia, quæ est doctrina tradita à D. Thom. vt hoc modo concilier efficaciam Diuinæ actionis cum indifferentia nostræ voluntatis, vt videri potest 1. p. q.19. art.8. & quæst.83. art.1. ad 3. & 1. 2. quæst.10. ar.4. & 3. cont.Gen. cap.94. & 1. Periherm. lect.14. & in 1. ad Anib. dist.47. art.4. & aliis locis.

ARTICVLVS III.

Expediuntur difficultates circa præmissa.

EX quatuor capitibus conflantur præcipua argumenta contra hanc præmotionem physicam. *Primò*, in actibus naturalibus *Secundò*, in liberis. *Tertiò*, in peccaminosis. *Quartò*, in supernaturalibus.

Circa primum arguitur contra istam præmotionem quia superfluit,& quidquid ipsa facere potest, sufficienter fit per concursum simultaneum,& quatenus in perfectione, & vniuersalitate est prior nostra actione,& ab ipsa voluntate Dei definitur, & determinatur,supponitque alia conditiones causarũ creatarum,quæ in suo genere determinant ad agendum, ergo non est necessarius iste concursus præuius imò videtur solum proprius causarum instrumentalium quæ indigent motione, quia non habent virtutem completam ad agendum. Ac denique si ille concursus est qualitas, indigebit alia motione vt operetur, quia est virtus creata, & sic indigens præmotione, supponitque agentia creata non habere sufficientem virtutem; si autem est motus,& non qualitas, ergo debet habere aliquem terminum,qui debet esse qualitas,de qua idem inquiretur. Nec verò potest talis motus habere pro termino ipsam actionem agentis creati,quia ad actionẽ non datur actio,& hæc motio recipitur in ipsa causa, actio verò sæpe recipitur in passo. Nec habet pro termino aliquam vnionẽ cum causa prima,quia talis vnio non est intelligibilis,nec ponitur intimior præsentia cum Deo ex parte creaturæ quando causat, quam antequam causaret. Nec est determinatio aliqua ad singularem effectum, qui virtus causæ creatæ,sicut est,ad speciem actus, ita est ad singularia talis speciei,aliàs indigeret causa creata tot præmotionibus, quot singularia per aliquem actum producit. Nec denique ponit aliquam excitationem ad agendum,quia excitatio si fit ab obiectis, solum est respectu potentiarum cognoscentium, vel appetentium;si autem fit per aliquam alterationem, inprimis id non requiritur in omnibus causis,in quibus autem datur,non est aliud quã additio, vel complementum alicuius virtutis, vel dispositio ad agendum,quòd totum non facit prædeterminatio illa,ergo non apparet,ad quid ponatur.

Resp. non superfluere prædictam motionem, quæ ita necessaria est,vt causa inferior sit subordinata,& dependens à Deo, non solum ex parte effectus, sed etiam ex parte ipsius causæ, ita quòd habeat Deus potestatem, & dominium in ipsam causam vt possit facere,vt illa faciat per suam propriam virtutem, nõ autem expectare debeat concursum ipsius, vt iam supra ponderatum est. Neque hoc est proprium causarum instrumentalium, quia instrumenta agunt ex præmotione non quomodocumque sed dante ipsam virtutem agendi, ita quòd tota ratio agendi sit motio. In causis autem principalibus sed subordinatis, & inferioribus requiritur motio non vt ratio agendi,& virtus,sed vt applicatio,& determinatio virtutis,vt hîc,& nunc operetur in singulari, & à Deo ad operandum moueatur.

Et quando dicitur, quòd determinatur à conditionibus,& circumstantiis aliarum causarum in suo genere: dicimus verum esse,sed non sufficere, quia si requiruntur circumstantiæ, & conditiones causarũ creatarum,cur excluderur conditio, & determinatio causæ primæ? Præsertim cùm causæ creatæ non possint determinare nisi in virtute causæ primæ, quia ipsæ circumstantiæ, & conditiones, quas operantur hic,& nunc ad determinandum alias causas procedunt à virtute creata,quæ de se respicit speciem actus quæ indifferens est,& indeterminata ad operandum hanc circumstantiam, & conditionem in indiuiduo potius quàm illam,ergo quòd talem circumstantiam in indiuiduo operetur, oportet reducere ad aliquam causam quæ determinet & tollat illam indifferentiam, & cùm hoc non possit fieri sufficienter ab aliqua causa creata, quia est eadem ratio ac de reliquis quoad indeterminationem in indiuiduo, oportet tandem hoc reducere ad causam primam, quæ est extra omnem potentialitatem & indeterminationem. Quare non est dubium requiri motionem causæ primæ, vt causa creata determinetur, sicut requiruntur motiones, & conditiones aliarum causarum.

Et ad vltimam instantiam, qua inquiritur quid sit illa motio diuina, & quem terminum habeat, iam art. præced. *respondimus*,quòd illè motus non est per modum viæ, & tendentiæ ad aliquem terminum adquirendum, sed est aliqua qualitas producit à Deo per modum motionis, quia non datur per modum actus primi, & virtutis, sed per modum applicationis, & determinationis ad vnum tantum actum in singulari, quo cessante, illa quoque qualitas ociosa est,& ideo dicitur dari per modum transeuntis. Nec dantur tot præmotiones, quòt effectus, sed quot operationes, ad quas determinatur causa creata.Et per suam actionem non determinatur causa agens ad operandum applicatiuè & effectiuè sed formaliter in actu secundo constituitur operans; per illam autem motionem effectiuè,seu applicatiuè. Et ita hæc applicatio,seu motio reducitur aliquo modo ad genus illius potentiæ seu virtutis,quæ determinatur à Deo.

Et quando instatur, quòd virtus ipsa, sicut est ad speciem actus, ita ad singularitatem, *Resp.* virtutem operatiuam respicere singularia, provt contenta in specie sua,& cum indifferentia ad illa, hæc verò præmotio vt tollens indifferentiam,seu indeterminationem,& applicans tantum ad vnum indiuiduum,ideo non datur per modum virtutis ad multa indiuidua, sed per modum applicationis ad vnum. Denique per hanc determinationem dicitur vnita causa secunda,& prima eo modo, quo aliquæ causæ vniuntur in ratione causandi, quod enim in aliis causis creatis non est mirum,quòd coniungãtur ad operandum,sicut cœlum coordinatur cum causis inferioribus, cur difficilè apparebit in causa prima respectu secundæ, cum magis ad illas necessaria sit? idque pertinet ad immensitatẽ Diuinam, ratione cuius est præsens omnibus rebus non solum vt in illo sint, sed etiam vt moueantur,& viuant, vt dicitur lect. 17. Et ita illa motio Dei etiam pertinet ad eius præsentiam,& non est alia vnio quam immensitatis,qua est præsens omnibus dando vitam & inspirationem, & omnia opera operando; præsertim,quia Deus est in rebus per mutationem ipsarum creaturarum, in quibus operatur quacunque mutatione,vt docet S.Th.1. p.q.8. art. 1.

Secundò arguitur, ex secundo capite contra hanc præmotionem in actibus liberis,quia hæc præmotio tollit libertatem; ergo non est ponenda. *Antecedens probatur*, quia illa præmotio ita est determinata ad vnum indiuiduum, quod tantum ad illud applicat,& illâ positâ non stat retrahere, vt non sequatur actus, cùm sit infallibilis connexio eius cum actu, aliàs ex vi illius non infallibiliter moueret Deus causam, vt certificaretur de actu eius, sed deberet expectare determinationem causæ; ergo cùm sit

vltima

vltima determinatio aliam vlterius non expectans, ex natura sua infallibilis est; ergo tollit omnem contingentiam, & indifferentiam libertatis. *Patet consequentia*, quia est suppositio antecedens, siquidē causat ipsum actum, & est determinata ad vnum infallibiliter, & non est in manu voluntatis illam ponere aut positam auertere, cùm veniat à principio extrinseco; ergo non relinquit libertatem ad faciendum, vel non faciendum. Nec habet hîc locum vulgaris distinctio in sensu composito, & diuiso, quòd potest oppositum in sensu diuiso, id est, quantum est ex vi voluntatis sic motæ, licet non quantum est ex vi auxilij, quod est in sensu composito. Nam contra hoc est, quia posita illam præmotione, vel potest illi resistere, vel non; si non potest, tollitur libertas, & contradicitur Concil. Trident. sess. 6. c. 5. dicenti: *Agere liberum arbitrium motionem illam recipiens, quippe qui illam abiicere potest.* Si verò potest resistere, & illa stante oppositum facere, ergo non est vltimo determinata ad hunc actum, sed adhuc indiget alia determinatione, siquidem adhuc habet indifferentiam, vt possit oppositum; & vnde constat, quòd talis potentia nunquam reducetur ad actum, si retinet potentiam ad illam? nisi fortè manet impedita per appositionem auxilij, quod est non manere libertatem expeditam ad vnum, & ad aliud.

Respondetur negando antecedens: & ad probationem dicitur, non pugnare illam præmotionem determinatam cum indifferentia libertatis, quæ est indifferentia actiua, seu vniuersalitatis, & potestatis, sed pugnare cum indifferentia suspensionis, & indeterminationis, quæ est indifferentia passiua, & potentialitatis, quam tollit illa determinatio ad vnum actum, quasi verò non debeat dari libertas actualis in singulari, quæ vtique determinata est quoad suspensionem, non quoad coactionem & necessitatem. Et à præmotione causæ primæ dimanat non solum substantia, & determinatio actus, sed etiam modus eius, & singularitas; puta quòd sit liber vel necessarius hîc, & nunc, nec minus causat ista præmotio quam ipsamet voluntas, & anima, quæ est radix actus, & causat actum liberum determinatum in singulari, & tamen talis determinatio non opponitur illi modo indifferentiæ libertatis, sed exigit illum quia conducit ad constituendum talem actum in singulari. Cur ergo causa prima, quæ est prima radix huius determinationis & singularitatis, & actus, non poterit similiter præuia illa motione vtrumque influere, & determinare tam substantiam actus, & modum indifferentiæ eius? Et sic non est mirum id quod miratur P. Suar. *lib. 1. de auxiliis, c. 13. n. 2.* quòd voluntas participet libertatem per illam motionē, quia illa motio est participatio, & influxus quidam primæ radicis totius libertatis nostræ, vnde antecedentia illius motionis non destruit rationem libertatis, quia antecedit vt causans, & fundans illam, tollens autem indifferentiam suspensionis & indeterminationis, vt fiat actus in indiuiduo, cum modo tamen libertatis, quo possit oppositum, sed de facto non faciat.

Et hinc patet ad id, quod opponitur contra sensum compositum, & diuisum, quod est idem ac dicere, quòd non potest fieri oppositum potentia consequente, id est, taliter quòd consequatur effectus in in re oppositus auxilio, benè tamen potentia antecedenti, quæ solum respicit modum operandi causæ liberæ, quem conseruat auxilium; sicut etiam stante concursu simultaneo, & ipso actu dum fit, non stat oppositum, non fieri in sensu composito, id est, vtrumque actum coniungendo, benè tamen potest oppositum in sensu diuiso, hoc est potestatem ipsam respiciendo, quam conseruat auxilium & actus. Et ita sensus compositus & diuisus, non est idem quod posito, vel ablato auxilio, sed ipso stante fit compositio, & diuisio secundùm diuersas habitudines, & respectus talis auxilij, nam cùm causet vtrumque, scilicet determinatum actum, & modum indifferentiæ in ipso actu, sensus compositus coniungit vtrumque simul, & ponit in re, & sic non stat oppositum actum etiam ponere, quia repugnat iste actus cum opposito simul: sensus autem diuisus fit considerando auxilium sub vna tantum ratione, scilicet, quatenus dat, vel conseruat modum libertatis in operando, sic enim diuidimus considerationem, & officia auxilij, & sub ista consideratione sic diuisa potest oppositum, quia conseruat modum indifferentiæ, qua oppositum potest, sed cum hoc posse, stat non facere.

Et quando dicitur, quòd habere illam motionem præuiam nō est in manu nostra. *Respondeo*, quòd licèt non sit in manu nostra ex parte principij dantis, est tamen in manu nostra ex parte termini, ad quem datur, quia datur ad operandum modo libero, & consequenter non tollendo aliquid à manu nostra, sed perficiendo.

Ex quo etiam patet ad replicam, quomodo possimus resistere illi promotioni infallibili, vel non resistere. Vtrumque enim verificatur secundùm diuersas considerationes; nam vtrumque dicitur de ipso auxilio, vt in Scriptura; *Voluntati eius quis resistet?* Roman. 9. & Esth. 13. *Non est qui possit resistere tui voluntati:* & Augustinus, lib. de Correct. & Grat. cap. 14. *Deo volenti saluum facere, nullum humanum resistit arbitrium*, & Diuus Thomas. 1. 2. qu. 10. art. 4. ad 3. *Si Deus mouet voluntatem ad aliquid, impossibile est quòd voluntas non moueatur.* Quòd verò possit ei resisti, dicitur à Concilio Trid. sessione 6. cap. 5. *Quippè qui illam abiicere potest:* & in Concilio Senocensi, in decreto 15. Fidei: *Auxilium non est tale, cui resisti non possit.* Verificatur ergo quòd non possumus resistere auxilio potentia consequenti, & in sensu composito, & coniungendo actum cum actu, possumus autem resistere in sensu diuiso, & potentia antecedenti, scil. quantum est ex parte modi, quo per tale auxilium operamur. Nec tamen inferri potest, quòd si potest resisti auxilio, & fieri oppositum ipso stante, quod non erit inconueniens de facto ita poni. *Respondetur enim* quod possibile poni in actu, non est inconueniens, quando est possibile potentia consequenti, & absolutè, non autem si solùm sit possibile potentia antecedente, & in sensu diuiso, quia si ponitur in re hoc ipso fit sensus compositus, quia absolutè ponitur, si in re ponitur, & sic mutatur sensus diuisus in compositum, sicut me sedente possum surgere, & tamen non potest de facto poni, quod surgam stante sessione, licet stante illa possim.

Ex quo etiam soluitur instantia, quæ solet adduci; quia si de facto aliquis faciat oppositum actum, de facto frustraretur auxilium; ergo si absolutè potest facere oppositum, absolutè potest frustrari.

Respondetur enim; mutari appellationem in illa consequentia, & ideo distinguenda est, si potest facere oppositum, potest frustrari, *distinguitur*, si potest solum potestate antecedente, *nego*; si potest potestate etiam consequente, & in sensu composito, *concedo*: nam frustrari auxilium, dicit non quomodocumque posse facere oppositum, sed tali modo, quod contra ipsum auxilium etiam prout descendit à Deo, possit oppositum, & sic non potest, sed solùm in sensu diuiso, & potestate antecedante,

tecedente,id eſt,quantum eſt ex motus ipſius indifferentiæ & libertatis,quam conſeruat auxilium.Itaque in iſtis conſequentiis à poſſe ratione libertatis, & modi operandi ad poſſe cum abſoluta poſitione effectus paralogizatur defectu appellationis.

Tertiò arguitur,ex tertio capite, ſcilicet ex actibus peccaminoſis. Nam ſi requiritur præmotio phyſica ad actus cauſæ creatæ, ſequitur quod etiam requiratur ad actum peccati ex parte entitatis materialis, ſiquidem in illa producẽdo in quantum entitas actus eſt,non minus dependet voluntas noſtra à Deo, quã in entitate cæterorum actuum. Hoc autem eſt magnum inconueniens, ſic enim determinaret Deus voluntatem ad hunc actum in ſingulari, qui non poteſt à voluntate procedere niſi peccando, quod eſt multò magis iuuare, & impellere ad peccatum, quèm qui perſuadet, vel impetat illud; tùm quia cauſa phyſica fortius impellit, & mouet ad actum, quàm moralis, præſertim cum in iſta præmotione Deus incipiat determinare, & reddere voluntatem ex nolente volentem reſpectu actus, quem voluntas non poteſt exercere, niſi peccando? tùm etiam, quia qui perſuadet aliquod malum, non perſuadet quatenus malum, ſed quatenus vtile, vel delectabile, & tamen, quia illi annexa eſt malitia, nec poteſt exerceri ab altero, niſi peccando, attribuitur malitia ipſi perſuadenti, vel mouenti moraliter, ergò multò magis attribuetur Deo præmouenti, & determinanti phyſicè ad talem actum.

Reſpondetur, hoc argumentum latè tractari à P. Suarez lib.1. de auxiliis cap.2. & Vaſquez 1. part. diſp.99. cap.4. qui hoc vrgent contra noſtram ſententiam. Supponendo autem quòd Deus nullo modo concurrtit ad peccatum includendo deformitatẽ; & de hoc loquuntur omnes authoritates,quæ nimis in hac parte exaggerantur: quod attinet ad entitatem peccati, non minus debet ſolui argumentum propoſitum ab oppoſitis Authoribus, qui negare non poſſunt Deum concurrere concurſu ſimultaneo ad entitatem peccati; conſtat autem quòd non minus attribui poteſt, quòd ſit cauſa peccati cooperator, quàm præoperator. Dicimus ergo, quòd ſicut ille actus ex eo quòd habet entitatem, debet deriuari & deſcendere à Deo, ita ipſa cauſa ſecunda ex eo quòd operatur eandem entitatem pro ea parte, qua entitas eſt, diuinæ motioni ſubordinari debet, & ab ea principari id, quod entitatis, & bonitatis eſt in tali actu, nihil enim eſt aliud Deum principiare illum actum quoad entitatem, quam quod deriuetur & participetur à Deo vt à prima radice entitas illius actus,licet nullo modo influat in illũ actum vt defectuoſus eſt,nec moueat cauſam vt defectiuè ſe habet in operando,ſed vt effectiue.

Et quandò inſtatur,quod illi operationi intrinſecè eſt annexa malitia, nec poteſt ſine illa fieri à cauſa creata *Reſpondetur*, quod ex annexa illa malitia illi actui non abſolutè vt entitas eſt, ſed vt a tali principio originatur,ſc. deficiente ad id enim quod eſt poſitiuum,entitatiuum in tali motione quatenus entitas eſt,& non ſequitur defectus, ſed ad entitatem vt diminutam,& minus habentem de plenitudine eſſendi, & ſic præmotio,vel concuruſs ad entitatem, & non ad diminutionem vel modum deficiendi entitatis, nullo modo nec per accidens eſt cauſa defectus,cùm potius tendat ad oppoſitum, & ſic cauſa,ne malitia illa totum bonum corrumpat,ſed aliquid bonitatis, & entitatis relinquatur in actu.

Et ad inſtantiam de cauſa morali, Reſp. quòd licet cauſa phyſica vehementius,& intimius influat,quàm cauſa moralis,quæ extrinſeca eſt,tamen modus operandi cauſæ phyſicæ, magis præciſiuus eſt ad effectum, quàm cauſa moralis; quia cauſa phyſica agit actione fundata in actiuitate agentis,& quanto ſuperior eſt agens tanto actiuitas eſt maior, & purior à potentialitate,& defectu, & ſic eius actio non attingit niſi id quod in effectu de actualitate participat,& à defectu recedit, quia eius ratio formalis operandi ſub qua præciſè operari poteſt, ſolum eſt actiuitas, & non defectus. At verò cauſa moralis non influit actiuitate ſua,ſed proponendo obiectum, & ita non magis præſcindere poteſt à defectu ſecuto in operatione,quam præſcindat ipſum obiectum, quod cùm deformitatem includat, nec ab ea præſcindat, mouens mediante obiecto, à deformitate etiam non præſcindit. *Et hinc patet*, quomodo Deus incipiat mouere ad illum actum, non enim præmouet excitando & proponendo obiectum, licet ad entitatem excitationis concurrat;& ſimiliter incipit mouere ad id quod entitatis eſt ſub ratione effectus, nullo verò modo ſub ratione defectus,licet ille ſequatur ex modo agendi ipſius creaturæ. Nec Deus tenetur illum concurſum euitare, ſed potius tanquam vniuerſalis prouiſor debet cauſas relinquere iuxta ſuas naturas, & illi entitati talis actus dare locum, qui debetur in vniuerſo actioni defectibili. Nec voluntas in eo peccat,quòd ſequatur iſtam præmotionem Dei,ſed quia non eo modo ſequitur,quo Deus mouet,ſcilicet præcisè id quod entitatis eſt agendo,ſed modo defectuoſo,& ſubtrahendo ſe ab eo quod poſitiuum, & bonum eſt in illa entitate actus ſicut claudicatio tibiæ nullo modo eſt ex virtute animæ mouentis, ſed ex curuitate tibiæ non obedientis motioni illius virtutis.

Vltimò poteſt argui ex ſupernaturalibus, quomodo ſcilicet diſtinguatur gratia efficax à ſufficienti penes iſtam præmotionem. Sed hoc Theologis relinquimus,ne naturalis Philoſophus ſupernaturalia ſpeculetur,ſed credat.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm cauſa per accidens,vt caſus,& fortuna inueniatur in ſubordinatione cauſarum?

MVlta Philoſophus de cauſa per accidens diſputauit in lib.2. agendo de caſu,& fortuna. Breuiter tamen quid ſit,& in quo conſiſtat per ſequentes propoſitiones explicabimus.

Dico ergo primò. *In communi loquendo, cauſa per accidens, vt opponitur cauſæ per ſe, dicitur dupliciter, vel quia deeſt illa propria forma, aut quia deeſt illi proprius finis, quia ſcilicet non ex propoſito operatur.* Sumitur hoc ex Ariſt. in cap.5. ſecundi libri. Et *Notandum*,quod illa particula *per accidens*,dupliciter ſumitur vno modo per accidens,id eſt, per aliud, ſiue illud aliud per ſe,& neceſſario requiratur, ſiue nõ qua ratione omnes cauſæ creatæ per accidens operantur, id eſt,per virtutem accidentalem,quæ tamen propriè eſt virtus. Alio modo per accidens dicitur illud, quod conuenit non ſimpliciter, & per ſe. Et hoc ideò eſt, quia accidens aliud eſt proprium, & aliud commune, accidens proprium licèt ſit diſtinctum à ſubiecto,habet tamen connexionem per ſe cum illo, accidens autem commune non habet, & ideò conuenientia primi accidentis non opponitur ei, quod per ſe, benè tamen conuenientia ſecundi. Loquimur ergo in præſenti de eo, quod eſt per accidens hoc ſecundo modo, & ſic dicimus, quod contingit eſſe cauſam per accidens illo duplici modo,vel

quia

quia deest habitudo ad propriam formam, vt cùm dicitur Album ædificat; albedo enim non est forma ad quam sequitur ædificatio, licèt sit in subiecto ædificante, & talis causa per accidens opponitur quarto modo per se, in quo explicatur id secundum quod causa. Vel potest sumi ex defectu habitudinis ad proprium finem, vt si fodiens sepulchrum inuenit thesaurum dicitur per accidens euenire, quia non intendebat illam inuentionem, ex defectu ergo finis, vel formæ, quæ sunt principia agendi dicitur causa per accidens.

Et primus modus causæ per accidens dupliciter dicitur. Vno modo quia coniungitur formæ agenti per se, vt cum dicitur musicus ædificat, musica coniungitur arti ædificandi. Alio modo, quia coniungitur cum effectu per se, quia scilicet attingit aliquid, cui alius effectus est annexus, vt in remouente prohibés, sicut qui remouet columnam, est causa descensus lapidis, qui non oritur ab ipso remouente, sed à grauitate, & similiter persecutio tyrannorum est causa per accidens patientiæ martyrum per modum occisionis.

Dico secundò: *Casus & fortuna pertinent ad causas per accidens, quæ dicuntur agere præter intentionem.* Constat hoc ex Arist. in secundo libro cap. 5. differunt autem casus, & fortuna, quia casus magis communiter se habet, fortuna verò solum inuenitur in rationalibus; neque enim dicitur lapis, vel brutum benè fortunatum, & hoc ideò quia bona fortuna est valdè affinis felicitati; dicimus enim benè fortunatos esse felices, felicitas autem solum conuenit rationali naturæ. Dicitur ergo fortuna *causa efficiens per accidens in his, quæ rarò contingunt, & secundum propositum fiunt propter finem.* Quæ definitio conuenit casui, exceptâ vltimâ particulâ, eò quòd casus etiam in irrationalibus inuenitur, sicut casu accenditur ignis in sylua, vel lapis cadit, & percutit. Dicitur autem fortuna causa per accidens reductiuè sicut id, quod est per accidens tale, reducitur ad id, quod est per se. Dicitur autem causa, & non effectus, quia id, quod est effectus, est fortuitum, seu ex fortuna prouéniens, non fortuna ipsa: si enim fortuna esset effectus, & non causa, restabat inquirendum à qua causa prouenirer, & cum non sit à causa per se, debet esse per accidens.

Dico tertiò, *Omnes causæ creatæ, quæ coordinantur inter se, sunt capaces casus, & fortunæ. Respectu verò causæ primæ nihil fortuitum, vel casuale datur.* Hæc conclusio sumitur ex Diu. Thom. 1. part. quæst. 115. artic. 6. & 3. contra Gen. cap. 86. in fine, vbi etiam causis cœlestibus attribuit rationem casus, seu causæ per accidens. In quæst. verò 116. artic. 1. remouet rationem fortuiti à Deo, omnia enim subduntur Diuinæ prouidentiæ, quæ ex proposito operatur. *Ratio huius* fundatur in duplici propositione. *Prima est*, quod nulli creaturæ conuenit omnium cognitio saltem respectu eorum, quæ sunt supra se. *Secunda*, quod nulli creaturæ subduntur omnes causæ, præsertim liberæ, quæ in multis actionibus solum pendent à Deo. Ex his enim deducitur, quod multi effectus possunt consequi casualiter, quia quod ignoratum est ab aliquo, potest fieri præter eius intentionem, vt si Angelus iubeatur à Deo facere aliquid, ex quo sequitur, quod quidam conuertantur, & hoc sibi ignotum est. Et similiter, si alicui non subduntur omnes causæ, potest concursus, & combinatio aliqua causarum fieri, in quam non influat, & respectu eius erit casualis effectus secutus, sicut quòd aliquid sit album, habet causam, & similiter quòd sit musicum, sed hæc coniunctio Album, musicum, non habet causam. Oppositum verò accidit respectu Dei, quia ipse nihil potest ignorare, & sic non potest aliquid præterire eius prouidentiam; & similiter nihil præterit eius causalitatem, quomodocumque enim combinentur causa, hæc ipsa combinatio, & coniunctio est ex participatione Dei, quia hoc ipsum potest intelligere, & consequenter ordinare, ac disponere, vel impedire.

Dico quartò *Rectè dicitur omnem causam per accidens reduci ad aliquam causam per se.* Et hoc axioma est valde commune, sed potest habere falsum, & verum sensum. *Primò enim potest esse sensus*, quòd omnis causa per accidens reducitur ad aliquam causam per se proximam & particularem, tanquam deriuata & originata ab illa. Et *hoc sensus est falsus*, quia multi sunt effectus per accidens qui non originantur ab aliqua causa per se, sicut quod album sit musicum, non habet causam, cùm sit ens per accidens, quod non est vnum ens, neque verè ens, & sic docet D. Th. 1. p. q. 115. art. 6.

Secundus sensus est, quòd omnis effectus, seu causa per accidens reducitur ad aliquam causam per se præsuppositiuè, quia, scilicet supponit aliquam causam, vel effectum per se cui accidit, vel quia reducitur ad causam primam, cui nihil est fortuitum & per accidens, vt dictum est. Hoc modo reducitur omne per accidens ad aliquod per se, cui coniungitur, v.g. inuentio thesauri coniungitur fossioni terræ, quæ per se est intenta, & album musicum coniungitur homini, qui est per se capax albedinis, & etiam musicæ.

Dico vltimò. *Fatum est ipsa ordinatio, & dispositio causarum creatarum deriuata à Diuina prouidentia ad executionem effectuum, quos per ipsas ordinat, & disponit exequi.* Sumitur hæc conclusio ex Diuo Thom. 1. par. quæst. 116. præsertim artic. 1. & 4. fuerunt autem de fato diuersæ sententiæ, vel errores apud Antiquos, quos ad duo principalia capita reducit Sanct. Thom. Cùm enim inter effectus alij sint necessario, & immutabiliter prouenientes, vt motus cœlorum, alij verò mutabiles, & casui subiecti, de primis non erat aliqua difficultas, cùm claré constet illa esse naturaliter disposita, & ordinata. Circa casualia verò, & contingentia erat tota difficultas, & in hoc quidam ad nullam causam superiorem reducebant res istas casuales, & sic omnino tollebant fatum. Alij verò reducebant omnia fortuita ad causam superiorem, quam dicebant esse cœlum, & ita ponebant fatum non à Deo, sed à cœlo deriuari, quo sensu sancti PP. sæpius à nomine fati abhorrent, quatenus attribuitur syderibus subiicientibus sibi humanas actiones. Et ideò primi errauerunt subtrahendo à Diuina prouidentia res mutabiles, & casuales. Secundi verò subiiciendo omnia casualia cœlo, quod constat esse falsum; tum in his quæ fiunt à libera voluntate quæ nullo modo subiicitur cœlo: tùm in his, quæ fiunt per accidens, quorum non potest esse principium causa naturalis, quia hæc operatur vt determinatæ ad vnum, res autem per accidens nec determinatæ sunt, nec vnum. Quare si casualia, & fortuita in aliquam causam reducuntur illa debet esse intellectiua, quia intellectus reducit ad vnum etiam ea quæ sunt per accidens, & ita potest de illis ordinare. Ordinatio ergo istorum effectuum casualium primo & principaliter reducitur in Diuinam prouidentiam, proximè verò in causas intermedias non absolutè, sed quatenus dispositæ, & ordinatæ à Deo ad tales effectus. Sic ergo illa dispositio causarum dicitur fatum; quasi aliquid à Deo prælocutum, & præfatum; ipsa

ipsa verò Dei prouidentia actiuè sumpta potius est disponens, seu loquens, aut fans, quam fatum & dispositum. Et sic ista dispositio fati designat ordinem habitudinis in causis, non dispositionem illam, quæ est qualitas, Subduntur autem fato omnes illi effectus, qui pendent à causis secundis mutabiliter, & quanto à pluribus causis pendent, plus fati nexibus implicantur, vt dicit Boët.4. de consolat.prosa 4.Quæ verò immediatè à Deo fiunt, non subduntur fato, sicut creatio cœli, glorificatio spirituum, collatio gratiæ, &c.

Sed obiicies, nam absolutè non datur aliquis effectus casualis; tùm quia licèt in genere loquendo inuenire thesaurum sit effectus per accidens respectu fodientis sepulchrum ignoranter, tamen hæc fossio in singulari in quantum fit hic, & nunc in hac parte terræ non stat,quod non inueniat thesaurum.Tum etiam respectu cœli, quia nullus effectus corporeus est, qui non dependeat à cœlo; ergo licèt respectu huius, vel illius constellationis aliquid videatur fortuitum, tamen respectu omnium simul, seu respectu totius cœli nihil est fortuitum, tùm denique respectu dispositionis diuinæ in causis nihil est fortuitum, quia est fatum & dispositum, ergo nihil casuale datur,quod respectu alicuius causę nō sit per se.

*Confirm.*quia ideò datur casus, & fortuna in creatis, quia id quod est per accidens non habet causam, cum non sit verè ens quod non est verè vnum, sed hæc ratio etiam currit respectu Dei, quia non causat nisi id quod est verè ens, & verè vnum, ergo etiam Deus non est causa effectuum per accidens, vel si est causa eorum in quantum intelligens, etiam intellectus creatus poterit esse causa per se eorum, quæ per accidens fiunt.

Respondetur, negando antecedens principalis argumenti. *Ad primam probationem respondetur*, quòd illa actio prout fit in illa determinata parte terræ, per se non respicit inuentionem thesauri, sed apertionem terræ, in qua, quia fuerat positus thesaurus omnino præter intentionem aperientis terram; ideo respectu huius actionis, & agentis dicitur illa inuentio per accidens, & sola apertio terræ per se, etiamsi in singulari consideretur respectu fodientis. *Ad secundam probationem dicitur* quòd in primis nihil probat de actibus liberis, respectu quorum cœlum non est causa, respectu autem aliarum rerum naturalium etiam nihil probat, quia licèt diuersæ constellationes diuersos producant effectus, & quandoque vnum alterius contrarium, tamen illa combinatio, & concursus effectum non est per se intentus ab illis constellationibus, quia vnaquæque respicit suum effectum, quòd verò vterque effectus simul occurrat, est illis per accidens, verbi gratia, planeta vel constellatio, quæ generat fulmen, solum respicit illius productionem, similiter alia constellatio, quæ siccauit messem, solum intendit illam siccare, quod verò super messem siccam cadat fulmen & comburatur,non est per se intentum ab illis constellationibus, quia non agunt intendendo coniunctionem illorum effectuum, sed quælibet suum, solum autem causa intelligens, quæ comparat vnum alteri, potest intendere tanquam vnum ea quæ plura sunt, & per accidens, vt docet S. Thom. statim cit. Præter quam quod illæ constellationes in producendis suis effectibus dependent à dispositione, vel distantia materiæ, quæ si deficiat, frustratur actio cœli, & consequenter fit effectus per accidens. *Ad vltimam probationem dicitur*, probare quod ratio casualis, & contingētis sumitur penes ordinē ad causas particulares, seu creatas,non respectu Dei,cui nihil est fortuitum.

Ad confirmationem dicitur,quòd entis per accidens, in quantum tale,nulla datur causa,sed dicitur causari à Deo,quia id,quod est per accidens in se,potest reduci ad aliquam vnitatem, & sub illa causatur,quia potest per apprehensionem intellectus sumi vt vnum,& sic ab intellectu potest ordinari per modum vnius,& intendi,vt dicit S.Tho.1.p.q.116.art.1.Et sic non repugnat etiam id fieri ad intellectu creato respectu eorum effectuum, quorū habet notitiam, & quos potest causare, non tamen respectu omnium, nisi tantum Deus, qui omnia nouit, & omnia causat quantumcumque libera, & contingentia. Causæ autem naturales, quia sunt determinatæ ad vnum, non possunt ea, quæ sunt per accidens, causare per se.

QVÆSTIO XXVI.

De Instrumentis.

IN causa efficiente inuenitur, & agens principale, quod primò,& principaliter operatur, & instrumentale quod ministerialiter, & secundariò,quod non præbet virtutem ipsi agenti,sed à virtute eius mouetur ad operandum, & seruiendum ei, tanquam illi subordinatum & dependens, ideoque pertinet hoc ad perfectum tractatum de subordinatione causarum.De hoc ergo duo inquirimus,alterum pertinens ad formale constitutiuum,scilicet qua virtute constituatur in ratione instrumenti. Alterum ad præsuppositum, an scilicet prærequiratur propria actio instrumenti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ sit propria differentia causæ instrumentali à principali?

OMittimus in præsenti instrumenta moralia,quæ vt instrumenta sint,non requirunt aliquid reale sibi superadditum, sed sufficit aliqua denominatio extrinseca,verbi gratia, aliquod pactum vel designatio,aut præsentia, ad cuius positionem causa physica operatur, & sic tale instrumentum solum se habet vt conditio requisita, & metaphorico modo dicitur instrumentum. Agimus ergo de instrumento proprio & influente,à quo physicè exit effectus:licèt modo ministeriali,& inferiori ad causam principalem. Omittimus etiam instrumentum, quod est ipsa virtus causæ principalis, quæ solet appellari instrumentum, sed impropriè, solum enim similitudine quadam

quadam dicitur instrumentum, quia est ratio agendi, & principium *quo* in virtute formæ agens, vt magis principalis, & subiecti, vt principij *quod*. Verè tamen ista virtus est virtus & ratio agendi principalis agentis. Distinguitur autem ab instrumento propriè dicto, quòd virtus illa solum supponit virtutem radicalem substantiæ, dat verò formalem: instrumentum autem de quo in præsenti supponit tam virtutem radicalem, quàm formalem causæ principalis, & ei ministerialiter deseruit; & hoc aliquando est coniunctum principali agenti, vt humanitas Verbo, baculus percutienti; aliquando separatum vt virtus diffusa ab agente, & Sacramentum respectu Christi.

Igitur distinctio huius causæ principalis ab instrumentali maximè pendet ex duobus, scilicet ex termino, qui est effectus, & ex principio quod est virtus. Ex parte termini oportet videre, quis effectus correspondet instrumento, quis verò causæ principali, vel quomodo vnus, & idem effectus correspondeat vtrique. Ex parte verò principij oportet videre, qua virtute, & modo constituatur instrumentum in actu primo.

Circa primum communiter dici solet, quòd instrumentum debet respicere effectum improportionatum, & excedentem, quia videlicet non assimilatur virtuti instrumenti, sed virtuti principalis agentis. Quod etiam admittit schola Scoti in instrumentis artificialibus, in quibus solum existimat esse propria instrumenta physica, nam in naturalibus non admittit vera & propria instrumenta, quia existimat accidentia non attingere substantiam etiam instrumentaliter. Aliqui tamen absolutè existimant causam instrumentalem non attingere effectum principalis agentis, sed solum dispositiuè conducere ad illum, quatenus aliquid præuium attingit, quo forma aliqua resultat. Quam sententiam suppresso nomine refert P. Suarez disput. 17. Metaphys. sect. 2. num. 10. & attribuitur Fonsecæ 5. Metaphys. cap. 2. quæst. 6. Ipse vero Pater Suarez ibidem num. 17. & sequentibus, in eo præcisè constituit causam instrumētalem, quòd producat effectum nobiliorem se, ad quem non habet proportionatam virtutem, sed indiget eleuatione superioris; causa verò principalis est, quæ respicit effectum non excedentem suam virtutem, siue partialis sit, siue totalis, vnaquæque suo modo. In quo consequenter fundatur causam vitalem in supernaturalibus actibus, qui excedunt propriam virtutem, agere instrumentaliter.

Quantum ad secundum, scilicet, quo principio constituatur instrumentum in actu primo, *aliqui existimant* solum distingui causam instrumentalem à principali, penes denominationem, quia scilicet instrumentalis est illa cui non attribuitur actio, principalis verò cui attribuitur: quod tamen insufficienter dicitur, nam etiam instrumentum denominatur agere, sicut Sacramentum dicitur dare gratiam, minister consecrare, vel absoluere, baculus percutere, &c.

Inter eos verò qui ad instrumentum requirunt aliquam realem virtutem, siue assistentem, siue receptam, *duæ sunt sententiæ*. *Prima affirmat* constitui instrumentum in actu primo per aliquam motionem, quæ sit participatio virtutis per modum transeuntis. Ita communiter tradunt Thomistæ, vt Caietanus 3. par. quæst. 62. articul. 1. & articul. 4. Capreolus in 4. distin. 1. quæst. 1. Nazarius 1. part. quæst. 45. art. 5. & alij communiter. Eandem in schola Scoti tradi cōstat ex Patre Fuente 2. Physic. quæst. 6. difficult. 1. articul. 2. pro instrumentis artificialibus. Verum est aliquos solum requirere motionem moralem, id est quod principalis causa solum per assistentiam suam, & quasi simpathiam reddat instrumentum motum sine alia reali immutatione. Alij verò ponunt realem mutationem in ipso instrumento, quod communius est inter Thomistas.

Secunda verò sententia affirmat, constitui instrumentum in actu primo per potentiā obedientialem actiuā, qua potest obedire superiori agenti ad agendū, eleuari verò hanc potentiam ipso vsu seu concursu concomitante causæ superioris, quatenus adiungit sibi talem causam vt sociam, & administram suæ operationis. Ita P. Suarez 1. tom. 3. partis, disput. 31. sect. 5. & videri potest disput. 17. Metaphys. sect. 2. numer. 19.

Pro resolutione supponimus triplex esse instrumentum, naturale, artificiale, & supernaturale, quæ distinguuntur ratione effectuum, quos producunt, scilicet vel naturales, vel artificiales, vel supernaturales, & ad vnumquodque requiritur eleuatio proportionalis ad talem effectum.

Dico ergo primò. *Necessariò requiritur ad causam instrumentalem, quòd respiciat effectum nobiliorem se, non tamen in hoc solo consistit ratio causæ instrumentalis.* Prima pars admittitur communiter ab Authoribus citatis, & de illa videri potest Sanctus Thomas 3. part. quæst. 62. articul. 1. & in 4. dist. 1. quæst. 1. articul. 4. quæstiuncula 1. vbi inquit: *Sciendum quod actio instrumenti quandoque pertingit ad vltimam perfectionem, quam principale agens inducit, aliquando autem non; semper tamen pertingit ad aliquid, vltra id quod competit sibi secundum suam naturam, siue illud sit vltima forma, siue dispositio. Et huius ratio manifesta est*, quia si instrumentum non attingit effectum perfectiorem, seu vltra suam virtutem, ergo solum attingit id in quod potest sua virtus, & consequenter est causa principalis, siquidem operatur per virtutem quæ adæquat effectum, & assimilat illum sibi, & sic nō indiget in producendo talem effectum, deseruire, & ministrare alteri, quod est instrumentaliter procedere, cùm in se habeat sufficientem virtutem.

Secunda pars conclusionis probatur, quia multæ causæ operantur aliquos effectus vltra propriam virtutem per virtutem participatam ab alio & tamen sunt causæ principales, sicut patet quod aqua, & ferrum calefactum producit calorem, & Luna illuminata producit lucem participando illam à Sole, & tamen sunt causæ principales, quia effectus, quos producunt vniuocè, assimilantur virtuti receptæ, quâ illos producunt, scilicet calori, & luci. Similiter potentia vitalis, vt intellectus eleuatus lumine gloriæ vel gratiæ producit actus supernaturales, qui excedunt propriam virtutem, & tamen producit illos, vt causa principalis; tum quia illi actus non excedunt virtutem superadditam, à qua procedunt, cùm sint supernaturales, sicut ipsa virtus, & solum differunt sicut actus primus, & secundus, quod non sufficit ad rationem instrumenti, aliàs ad omnes actus naturales potentia & habitus se haberent instrumentaliter: tum etiam, quia isti actus sunt vitales, ergo procedunt à principio se mouente, ergo non solum instrumentaliter moto, & deseruienti alteri, sed vt à causa principali. Siquidem quod se mouet, hoc ipso mouet, & operatur ex virtute quam in se habet, nec ministrat alteri, sed sibi, nec ab alio expectat moueri, sed à se incipit, quia se mouet; istæ autem sunt conditiones causæ principalis, scilicet à qua primo & per se incipit motus, & quæ non deseruit & ministrat alteri, sed sibi.

Dico secundò, *Propria, & formalis ratio causæ instrumentalis, vt distinguitur à principali, consistit in eo, quod*

quod operetur, vt motum à principali agente, si ly vt motum dicat totam virtutem, & rationem operandi, non verò si dicat solam concausam cooperantem, vel conditionem requisitam. Hanc conclusionem paucis verbis indicauit Caietan. 1. p. quæst. 19. artic. 8. in secunda responsione ad primam rationem Scoti, vbi loquens de causa inferiori, quæ operatur, vt mota à prima, inquit: *Quod cùm dicitur causa inferior mouet in quantum mota, ly* in quantum mota, *potest denotare causam præcisam, & potest denotare concausam, & si denotet causam præcisam, falsum est, quòd causa secunda mouet ob hoc præcisè, quia mouetur, sed etiam ex virtute propria, si autem denotet concausam sic mouere causæ secundæ prouenit, non ex moueri tantum, sed ex moueri, & modo proprio ipsius causæ secundæ.* Sic ergo dicimus, quòd causa secunda principalis, & instrumentum indigent motione superioris ad agendum, sed in causa instrumentali esse motam est causa præcisa agendi, in causa verò principali est concausa, vel conditio requisita. Et hanc conclusionem communiter tenent Thomistæ supra citati, & videri potest Sanctus Thomas 3. part. quæst. 62. articul. 1. vbi inquit: *Quòd causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo mouetur à principali agente, vnde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti.* Et art. 4. inquit: *Quod instrumentum non operatur nisi in quantum motum à principali agente, quod per se operatur, & ideò virtus principalis agentis habet permanens, & completum esse in natura, virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex vno in aliud & incompletum, sicut & motus est actus imperfectus ab agente in patiens.* Et 2. contra. Gent. c. 21. inquit: *Quod instrumentum nunquam adhibetur ad causandum nisi per viam motus. Et enim ratio instrumenti, quod sit mouens motum.* Et idem latè tradit in 4. distinct. 1. quæst. 1. articul. 4. & 3. part. quæst. 19. art. 1.

Fundamentum conclusionis est duplex; alterum quoad id quod negat, alterum quoad id quod affirmat. *Negat conclusio* instrumentalem virtutem esse innatam, tanquam potentia obedientialis actiua, nec esse solum extrinsecus assistentem. *Affirmat* verò esse receptam in ipso instrumento, & per modum motionis deriuatam à causa principali. Et quoad vtrumque supponit, effectum illum perfectiorem, & excedentem, quem respicit, debere ab ipso instrumento verè, & realiter procedere, alioquin sit ab illo non procedit ab instrumento effectus sibi proportionatus, & non excedens, atque adeo nunquam operatur verè, & realiter, nisi vt causa principalis, id autem quod excedit propriam virtutem verè & realiter non operatur, quod est tollere instrumentum reale, & verum, siquidem verè non operatur nisi principalem effectum suum. Quod si operatur effectum illum perfectiorem, ergo & influxus in illum perfectior etiam est, quam in proprium effectum, ergo & virtus aliqua supponitur in tali instrumento perfectior, & eleuatior ad talem influxum. *Consequentia patet*, quia omnis operatio seu influxus, cùm sit actus secundus, essentialiter supponit actum primum, qui ordinetur ad talem actum secundum, & consequenter sit illi proportionatus, & positiuè ordinatus ad illum, à virtute enim improportionata quomodo potest exire aliquis actus, siquidem disparatè se habet ad illum. Actus autem primus, & secundus coordinatè se habent.

Ex hoc ergo destruitur tam virtus obedientialis actiua, quam virtus solum extrinsece assistens pro constituendo instrumento sufficienter in actu primo. Virtus quidem obedientialis actiua, quia talis virtus si datur in instrumento, oportet quòd sit virtus in actu primo, proportionata ipsi effectui, instrumentaliter quidem & obedientialiter, sed tamen tali modo, quòd sine alia superaddita actiuitate, vel virtute ab illa exire possit effectus, ad quem concurrit causa principalis, ergo oportet, quod habeat positiuum ordinem, & proportionem cum tali effectu, ita quòd concursus influens in talem effectum non sit indebitus, nec extraneus illi virtuti obedientiali actiuæ, alioquin si totum hoc non habet illa virtus, non habet id, quod requiritur ad constituendum instrumentum in actu primo, & in tali virtute, quæ sit influxiua in effectum illum excedentem, sed solum habebit capacitatem, & potentiam, vt constituatur in tali virtute, indigebit autem constitui actu in illa per participationem alterius causæ, siquidem non habet illam à se, & sine illa influere non potest, etiam instrumentaliter in effectum. Rursus hæc virtus obedientialis actiua est congenita ipsi instrumento, & naturaliter illi conueniens, non ab extrinseco superueniens, ergo ex propriis & naturalibus instrumentis ei conuenit, & sic ex propriis talis naturæ conueniet aliqua virtus formaliter potẽs in id, quod excedit talẽ naturã, quod repugnat, cũ ipsa natura à qua dimanat, nõ sit illi effectui proportionata; ergo neq; virtus illa, cuius radix est. Præsertim verò si dari potest instrumentum physicum respectu effectuum supernaturalium, quomodo potest ex natura, tanquam ex radice virtus proportionata formaliter effectui supernaturali dimanare, & in visceribus naturæ virtus attingens supernaturalia contineri?

Quòd verò non sufficiat virtus solùm extrinsecè assistens, & non recepta in ipso instrumento, nec immutans illud, constat, quia per talem extrinsecam subordinationem instrumentum non redditur realiter potentius vel virtuosius quam anteà, ergo non potest aliquem effectum producere, qui excedat propriam virtutem, causa enim non immutata, nec potentior reddita in se, non potest nouum vel maiorem effectum producere ex se, qua anteà, cum careat principio à quo exire possit talis effectus. Vnde videmus, quòd ex sola extrinseca denominatione, verbi gratia, quòd aliquid sit visum vel cognitum, non potest aliquid amplius efficere vel operari realiter quàm sine tali denominatione, eo quod nihil reale ponit in eo, ergo similiter si ex ista extrinseca subordinatione nihil reale additur instrumento, non poterit aliquid amplius operari realiter ex vi illius, quia operatio realiter & verè procedit à virtute intrinseca operantis. *Nec obstat* quòd in aliquorum opinione concursus speciei cum intellectu ad producendam cognitionem saluatur per extrinsecam assistentiam nam in tali sententia etiam debet dici, quòd species non addit aliquam virtutem potentiæ, qua actiuè producat ipsam cognitionem, sed solum formationem extrinsecam.

Denique quòd ista virtus instrumentalis solum se habeat per modum transeuntis à causa principali *probatur*, quia talis virtus non habet radicem in ipso instrumento, quia non oritur ex eius natura, sed ex alterius participatione; ergo non habet permanentiam in instrumento, nisi ex influxu alterius actuali; propriè autem virtus permanens datur causæ operanti principaliter, & vtenti illa aut semper, aut quando voluerit.

Solum poterit aliquis hærere quia character est aliqui permanens in anima, & tamen in sententia Sancti Thomæ 3. part. q. 63. art. 2. se habet per modum potestatis, & virtutis instrumentalis, ergo datur virtus instrumentalis per modum permanentis. *Sed respondetur*, quòd character non dicitur virtus instrumentalis etiam in hac sententia D. Thomæ, quasi per ipsam constituatur instrumentum in actiuitate vltima

vltima ad operandum physicè effectum supernaturalem, hæc enim non est virtus characteristica, sed communis omnibus, quæ per modum instrumenti à Deo sumi possunt, vt instrumenta talium effectuum, siue sint animata, siue inanimata, vnde & aqua Baptismi virtutem instrumentalem consequitur ad operandum gratiam, & in verbis consecrationis prolatis à ministro dari virtutem ad ponendum corpus Christi, docet D. Thom. 3. part. quæst. 78. artic. 4. Ergo præter characterem necessaria est alia virtus per modum transeuntis data ipsis verbis, & Sacramentis. Solùm ergo character se habet, vt virtus designatiua ministri, vt possint quando voluerit exercere validè, vel recipere actiones sacramentales, quæ à Deo recipiant virtutem instrumentalem productiuam effectus supernaturalis: & ex hoc ipso quòd character non est potestas, solum ad agendum istas actiones, sed etiam ad recipiendum validè, non potest esse instrumentalis virtus vltimò constituens rationem instrumenti, quia hæc solum est ad agendum. Quare vt dicit Diu. Thom. 3. part. quæst. 72. artic. 3. ad 2. instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti, vt quando fit aliquid ad hoc, vt instrumentum sit, verbi gratia securis, & quando mouetur à principali agente ad effectum. Ita ergo character est instrumentalis potestas, quasi dans formam instrumenti, seu ministri, siue ad agendum, siue ad recipiendum, non, vt virtus instrumentalis vltimo constituens ad agendum.

Dico vltimò, *Motio principalis agentis eleuans instrumentum etiam in instrumentis quæ mouentur à Deo, est aliquid præuium in instrumento distinctum à concursu simultaneo.* Quid sit concursus præuius, & simultaneus, diximus quæstion. præced. Sic ergo instrumentum vt eleuetur ad producendum effectum, requirit concursum præuium, & non sufficit simultaneus, quia oportet instrumentum constitui in actu primo per modum virtutis proportionatæ, & ordinantis illud ad effectum, vt docet Diu. Thom. 3. part. quæst. 62. art. 4. ad 1. & satis constat per concursum simultaneum non constitui causam in actu primo, sed in actu secundo, siquidem vt præced. quæst. diximus, non distinguitur ab ipsa actione & influxu in effectum: ergo motio constituens instrumentum in actu primo, & ordinans illud ad effectum non est concursus simultaneus, qui effectum facit, & cum instrumento moto & actuato concurrit ad effectum, sed præuius qui causam mouet, aut etiam dat ei virtutem per modum actus primi, vt ordinetur ad effectum faciendum, & continuat, & coordinat instrumentum ipsi causæ principali, vt virtus eius quodammodo in instrumentum transfundatur, vt docet D. Th. in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 3. An verò ista motio respiciat terminum in ipso instrumento producendum, dicemus solut. ad vlt.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur. Instrumentum esse motum à causa principali non dat ei totam virtutem agendi, aliquid realiter imprimendo; ergo non consistit tota ratio instrumenti in hoc, quòd operetur vt motum. *Anteced. probatur*, quia multa instrumenta carent tali virtute per motum illum impressa; vt in instrumentis corporeis, quæ operantur effectus spirituales, sicut Sacramenta operantur gratiam, & phantasma speciem intelligibile media virtute intellectus agentis; hæc enim instrumenta, nec recipiunt virtutem corpoream, quia hæc est improportionata effectui spirituali, neque spiritualem, quia huius non est capax res corporea, ergo non operantur ex virtute per motionem recepta. Instrumentum etiam coniunctum, vt calor in animali non recipit aliquam virtutem per motionem ad producendam carnem, nec enim apparet quid imprimat anima calori de nouo, vt carnem producat, cùm per se ipsam anima non operetur. *Denique* multa agentia non operantur, nisi per impressionem alicuius virtutis, & tamen instrumenta non sunt, vt cœlum non operatur, nisi motum ab Angelo, & recipiendo virtutem ab eo, piper, aut vinum non calefacit, nisi prius calefactum: ergo non consistit instrumentum in agendo per impressionem virtutis ex motu causæ superioris.

Confirmatur, quia illa virtus per motionem data instrumento, vel est ipsi affectui omnino proportionata, & sufficiens, vel non; si hoc secundum; ergo vt proportionata fiat, indigebit alia motione, & sic in infinitum, vel egredietur actio à virtute non proportionata, & ruit totum fundamentum supra traditum. Si primum, iam illa virtus constituet causam principalem, quia cum virtus sit proportionata effectui, & eiusdem ordinis cum illo, assimilat sibi effectum, & sic constituit causam principalem. *Nec refert* quòd detur ista virtus per modum transeuntis, vel permanentis, hoc enim non constituit formalissimè rationem instrumentalis, vel principalis, sed quòd assimilet, vel non assimilet effectum sibi. Et instatur in multis, quæ homo operatur per virtutem transeuntem, & tamen est causa principalis eorum, quia causa vitalis, vt actus prophetiæ per modum transeuntis datur, & non permanentis, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 171. art. 1. & similiter actus charitatis, quando elicitur per auxilium nondum posito habitu in anima, & similia alia exempla multiplicari possunt.

Respondetur. *Ad principale argumentum, negando anteced. Ad probationem quoad primam instantiam dicitur*, quòd licet aliqui exixistiment, quòd virtus illa impressa instrumento corporeo ad effectum spiritualem sit corporea entitatiuè, & spiritualis intentionaliter, sicut species impressa entitatiuè est accidens, & intentionaliter substantia: tamen euidenter S. Thom. docet illam virtutem esse spiritualem, nec repugnare quòd subiectetur in corpore; quia datur modo quodam virtutis incompletæ & transeuntis: Ita docet 3. p. quæst. 62. art. 4. ad 1. & in 4. dist. 1. qu. 1. art. 4. & in qu. 27. de Verit. art. 4. vbi in solut. ad 5. docet: *Quòd illa virtus propriè neque est corporea, neque incorporea; corporeum enim & incorporeum sunt differentiæ entis completi, sed propriè dicitur virtus ad incorporeum, sicut motus magis dicitur ad ens, quàm ens.* Itaque virtus illa cùm proportionari debeat effectui potius quàm subiecto, eò quòd subiectum eleuat ad efficiendum vltra se, si esset virtus corporea, restabat difficultas per quid proportionatur effectui supernaturali faciendo. Et similiter licet species intentionalis in entitate non adæquetur obiecto, in virtute tamen adæquari debet, & eiusdem ordinis esse, vt si obiectũ est spirituale, species non potest esse corporea; si obiectum supernaturale, species propria supernaturalis esse debet; si obiectum increatum, species propria debet esse increata in spiritualitate. Et similiter virtus licet accidens sit, eiusdem tamen ordinis & proportionis cum effectu esse debet.

Ad difficultatem ergo attactam, quomodo virtus incorporea in subiecto corporeo esse possit, S. Thom. *perpetuò respondet* cit. locis, quòd virtus spiritualis incompleta, & per modum motus benè potest subiectari in re corporea, non tamen virtus per modum permanentis, & in esse completo & perfecto. Nec intelligimus nomine virtutis trãseuntis, & permanẽtis, virtutem quæ paruo tempore, vel multo duret, hoc

enim

enim per accidens est, sed intelligitur virtus transiens & permanens, completa, vel incompleta ratione muneris & officij, quod exercet. Quædam enim virtus datur per se primo, & ex natura sua ad constituendum rem in ratione principij operatiui, quædam ad continuandum, & subordinandum aliquid alteri principaliter operanti, tanquam illi ministrans in operando, & sic operans non per se primò, sed ministerialiter, sicut etiam in entitatibus quædam dantur, vt principales partes constituentes, quædam vt nexus & colligationes earum. Igitur virtus, quæ non datur vt per se operatiua, sed vt continuatiua cum alia principaliter operante, dicitur dari per modum motus, quia licet operatiua sit, non tamen hoc habet, nisi ex continuatione actuali ad virtutem principalis agentis, cui ministrat & seruit, dum actu operatur, & ideò dicitur per modum motus dari. Et talis virtus licet spiritualis sit, potest subiectari in re corporea, non absolutè, sed quatenus obediens, & subiicibilis est spiritui, & à fortiori Deo, naturaliter enim corpus subiicitur spiritui, & eius impressionem ac motum recipit; sicut etiam anima rationalis, licet in se spiritualis sit, potest tamen substantialiter informare corpus, quia non est substantia completa, sicut Angelus, sed incompleta; similiter ergo accidens incompletum, & per modum motus poterit informare corpus, eique inhærere & actuare. Et hoc ideò, quia corpus non solum est entitas materialis, sed etiam obediens spiritui in ordine ad aliquos effectus spirituales, vt ad mouendum & excitandum intellectum per sensus & alia similia: debet ergo esse capax recipiendi motus spirituales, nec tamen similiter spiritus est capax motus corporei, quia spiritus non obedit corpori, nec corpus agit in illum, nec per illum causat effectus corporeos. Et per hanc Philosophiam melius intelligitur quomodo Angelus suo spirituali actu moueat cœlum, quomodò intellectus agens vtatur phantasmate ad speciem intelligibilem producendam, & voluntas moueat appetitum sensitiuum, ac denique potentia superior vires inferiores imprimendo illi per modum transeuntis motus suos.

Ad difficultatem insinuatam in argumento de instrumentis coniunctis *iam sæpè diximus*, nos non loqui de illis, quia propriè non sunt instrumenta, sed virtutes ipsarum causarum, quæ hoc ipso quòd sunt coniunctæ, vel ab ipsa substantia profluentes, sine alia noua motione superaddita virtutem agendi habent ab ipsa substantia, eò quòd virtutes illius sunt.

Ad aliam verò difficultatem de quibusdam causis principalibus, quæ non mouent nisi vt motæ, *dicitur*, quòd illæ non mouent vt motæ, taliter quòd ly motæ sit tota ratio causandi, sed solum conditio, vel coadiuuatio requisita, qua posita ipsarum virtus vt principalis operatur.

Ad confirmationem respondetur ex dictis, quòd virtus illa instrumentalis est proportionata ad effectum producendum: *distinguo*; proportione virtutis ministerialis, & præsupponentis aliam priorem virtutem, à qua deriuatur tanquam à principaliori, *concedo*; non præsupponente aliam priorem, cuius gerat vices, & cui deseruiat deriuando ex ipsa effectum, *nego*. Ad rationem autem causæ principalis requiritur virtus, quæ per se primo sit operatiua, & non ex ministerio, & deriuatione actuali alterius. Neque exempla in contrarium allata quidquam obstant, quia ad actum prophetiæ, vel ad actum amoris, & visionis, quando sine habitu charitatis, & luminis producuntur, requiritur aliqua qualitas supplens vicem habitus, & ideò per se primò operatiua est ex natura sua, licet statum habitus non habeat; & ideò per modum transeuntis dicitur dari ratione status, quia licet ex natura sua deberet esse firmiter, & perfectè in subiecto, vtpotè per modum habitus, tamen quia de facto non existit permanenter, sicut alij habitus, sed in statu imperfecto, dicitur dari per modum dispositionis transeuntis, scil. quoad statum existendi in subiecto. Motio autem instrumenti, & qualitas Diuini auxilij dati per modum concursus, non ad supplendum habitum, & virtutem, non solum ratione status imperfecti, sed etiam ex propria natura non sunt per se primo operatiuæ, sed vt deseruientes alteri priori, & principaliori.

Et si instes. Nam illa Dei motio præbet ipsi instrumento virtutem in actu primo; ergo solum dat sufficientiam, & non efficaciam, quia efficax concursus non dat actum primum operandi, sed applicationem eius ad actum secundum; & sic vltra motionem, qua instrumentum applicatur ab agente per modum eleuationis & virtutis, requiretur alia motio efficax ad operandum, sicut in aliis causis principalibus, eritque illa virtus per se operatiua.

Respondetur. Vtrumque effectum dari in instrumento mediante motione Dei eleuatiua, quia & constituitur in actu primo ipsa motione, vt eleuatiua est, & applicatur ad operãdũ efficaciter, quatenus actualis vsus instrumenti est; non enim repugnat vtrumque conuenire eidem motioni, quia ex actuali vsu & motione causæ principalis descendit in ipsam causam antecedenter ad exitum operationis, & quia datur vt virtus solum deseruiens actuali operationi, & vt ministrans & applicans virtutem causæ principalis ad passum & effectum, circa quæ operatur, non est virtus principalis, sed ministrans coniuncta ipsi actuali operationi. Non tamen poterit similiter concursus simultaneus mouere causam, & concurrere ad effectum, quia identificatur cum effectu, & actione, non cum causa.

Vltimò arguitur. Vel illa motio est aliquid impressum instrumento, vel non; si non, ergo per talem motionem non magis redditur instrumentum actuatum ad operandum per ipsam quàm sine ipsa, quod est destruere fundamentum nostrum. Si est aliquid impressum, vel est motus physicus, & sic habebit suum terminum, verbi gratia, qualitatem si est alteratio, vel vbi si est latio, & tunc ille terminus, & non motus constituet instrumentum in actu primo. Si verò est motus aliquis nobis ignotus, ad minus hoc ipso, quòd est motus, est aliquid imperfectius ipsa re producta, & sic non poterit sufficienter constituere instrumentum in actu primo respectu rei perfectioris: præterquam quod videmus instrumenta separata qualitate aliqua constitui in actu primo, vt sagitta, vel baculus cum impulsu aliquo mouentur.

Confirmatur. Quia per illam motionem nihil aliud habet instrumentum, quam subiici, & subordinari causæ principali, quod nihil est aliud, quàm obedientialiter se habere ad illam, sed in creatura datur potentia obedientialis, vt in ea, vel mediã eã fiat quidquid Creator disposuerit, vt S. Thomas dicit in 4. dist. 8. quæst. 2. art. 3. ad 4. igitur ad rationem instrumenti in actu primo superfluit alia motio præter istam potentiam obedientialem.

Respondetur, aliquos, quos refert & impugnat Caietan. 3. part. quæst. 62. articul. 4. sentire, quod illa motio producit aliquem terminum in ipso instrumento. *Cæterùm* falsum hoc est, cùm instrumentum non moueatur ad acquirendum sibi, sed ad mouendũ alia. Est ergo ille motus qualitas aliqua per modum transeuntis & motionis, sicut impulsus in securi, virtus in Sacramentis; non autem motus est ad qualitatem, & ita negamus esse alterationem propriè loquendo

quendo, quæ qualitatem producat in ipso instrumento vt terminum, sed ipsa motio est qualitas mouens, & producens; sed reductiuè potest ad alterationem pertinere, sicut quælibet immutatio per qualitatem aliquam factam largo modo loquendo alteratio dicitur, & sicut illa virtus instrumēti est, quid incompletum in genere virtutis, ita & in genere alterationis, verè tamen aliquid imprimit in ipsum instrumentum ab actione principalis agentis productum, & deriuatum, & in ipso genere virtutis incompletum; *nec obstat*, quòd producat effectum perfectiorem, quia vt dicit D.Thom.q.27.de Veritat.art.4.ad 6.*Incompletus motus potest esse causa eius, quod completum, & supernaturale est, non per modum virtutis principalis, sed instrumentalis.* Et hoc relinquit instrumentum sufficienter proportionatum ad operandum per modum instrumenti deseruientis, non sicut requiritur ad causam principalem: instrumenta verò, quæ operantur per impulsum, non operantur per qualitatem completam, & perfectam, sed per modum motionis datam, vt sup.q.23. de impulsu diximus.

Ad confirmationem dicitur, potentiam obedientialem, de qua loquitur D.Thom.non importare instrumentalem virtutem, aut positiuam habitudinem seu proportionem ad effectum supernaturalem, sed capacitatem tantum per modum non repugnantiæ ad obediendum Deo, siue vt in ipsa creatura aliquid recipiatur, siue vt per eam aliquid fiat, & hæc est congenita cuicumque creaturæ, seu ipsa entitas creaturæ, vt obediens Deo. Sed vltra hanc potentiam obedientialem requiritur aliqua vis impressa instrumento, vt ipse Diu. Thomas in illo eodem loco citato, & in aliis multis à nobis citatis apertè docet, nam potentia obedientialis solum potest constituere aliquid vt eleuabile, non vt eleuatum. Requiritur autem ad instrumentum determinata virtus eleuans, tùm quia potentia obedientialis de se est indifferens ad omnia, quæ Deus velit per illam operari, & sic pro determinatis effectibus oportet determinari; tùm, quia requiritur positiuus ordo, & proportio ad effectum producendum in ipso instrumento producente, vt ostensum est.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in omni instrumento requiratur aliqua propria operatio ad effectum principalis agentis?

SVpponimus per illam virtutem, qua instrumentum à causa principali mouetur ad agendum vltra se, attingere ipsum effectum principalis agentis, & non solum aliquid antecedenter se habens ad ipsum, quia vel illud, quod attingit antecedenter ad effectum principalis agentis, est ipsi proportionatum, & non excedens propriam virtutem, vel excedit. Si non excedit, non respicit ipsum instrumentaliter sed principaliter; si excedit, pari ratione poterit attingere virtute excedēte effectū principalē.

Quare tota difficultas est, an vt eleuetur instrumentum ad agendum vltra propriam virtutem, requiratur aliqua actio in ipso instrumento, quæ ab ipso secundum propriam virtutem procedat, & vlterius eleuetur à causa principali. An verò etiamsi instrumentum nihil omnino agat per propriam virtutem possit ex sola impressione principalis agentis instrumentaliter operari. Et præcipuè habet locum ista difficultas in instrumentis Dei, creaturæ enim non vtuntur instrumentis, nisi tanquam adminiculis, quibus adiuuantur, sicut artifex vtitur acumine serræ, vt necessariæ sibi ad scindendum, & Angelus applicat actiua passiuis, vt indigens actiuitate eorum; Deus autem vtitur instrumentis, non vt indigens illis, sed vt communicans eis, vt sibi cooperentur; & ita difficultas est an vt instrumentum sit eleuabile, etiam à Deo requiratur aliqua propria ipsius actio, quæ suscipiat eleuationem causæ superioris; an verò etiam sine vlla propria actione possit talem motionem recipere, & operari.

Circa quam difficultatem P.Suarez tom. 1. 3. part. disput.31.sect.9. & alij *existimant*, non requiri propriam operationem instrumenti, vt à causa principali assumatur, quod ibi probat discurrendo per omnia genera instrumentorum Dei, naturæ, & artis. Inter Thomistas autem etiam est varietas in hac parte, nam Ferrar.2. contra Gent.cap.21.circa sextam rationem D. Thom. requirit in instrumento propriam actionem distinctam ab ea, quæ sibi communicatur à superiori agente, & sequitur Nazarius 1.p. q.45. art.1. Aluarez 3.p.disp.66.*& alij.* At verò Caiet. 1.p.q.45. art.5. & Bannez ibidem requirunt quidem actionem propriam in instrumento respectu effectus principalis agentis, non tamen distinctum terminum realiter, sed sufficit quòd in eodem effectu, seu termino aliquid correspondeat motioni principalis agentis, & aliquid propriæ virtuti instrumenti, sicut actio collocans tres virgas ex propria virtute, solum dat illis situm localem, ex ratione verò dirigente facit triangulum. Alij verò vt M. Nunno 3.p.q.62.art.1. diffic.7. tenent, non requiri in instrumento aliquam actionem propriam, & realem, vt eleuetur à Deo, nec dispositionem aliquam propriè dictam, sed solum obedientialem, quæ largo modo dicitur operatio, & est non repugnantia ad suscipiendam motionem principalis agentis. Cui etiam suffragari videtur Lorca 3. p. disput.63. loquens de instrumentis supernaturalibus.

Sit vnica conclusio; *Vt instrumentum eleuetur à Deo, requiritur, quod exerceat aliquam propriam actionem, ita quod si omnino sit mortuum, seu carens omni actione non poterit eleuari Cæterùm non requiritur, quod operetur aliquem terminum, qui sit dispositio ad effectum principalis agentis in subiecto, in quo ponitur talis effectus, ita quod sint distincti termini res operatæ per propriam actionem, & per eleuationem, quarum vna sit dispositio ad aliam, sed sufficit quamcumque rem operari in quocumque subiecto, ita quod ex parte modi operandi modificet actionem Diuinam, & hoc est dispositiuè operari. Prima pars conclusionis probatur* ex D.Thom. in 3. p.quæst. 62. artic. 1. ad 2. vbi postquam dixit, quòd instrumentum habet duas actiones, vnam instrumentalem secundum quam operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam propriam, quæ sibi competit secundum propriam formam, sicut securi competit scindere secundum propriam acuitatem, & facere lectum, vt est instrumentum artis; subdit: *Quòd non perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum, & similiter Sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem, ex virtute diuina circa animam:* vbi S.Thom. eodem modo loquitur de instrumento artificiali, & de supernaturali, quod mouetur à Deo, ergo videtur esse de natura ipsius instrumenti, siquidem etiam in supernaturalibus requiritur: imò ex eo probat D. Tho. non posse dari instrumentum creationis, quia instrumentum non participat actionem principalis agentis, nisi in quantum per aliquid sibi proprium operatur ad effectum principalis agentis, quod esse non potest in creatione, cùm creatio sit ex nihilo, circa quod

creatura

creatura non poteſt operari, vt patet in 1. p. quæſt. 45. artic. 5. ergo etiam de potentia abſoluta non poteſt dari inſtrumentum, niſi habeat aliquam propriam actionem.

Ratio verò huius ſumitur ex his, quæ docet ipſe Diu. Thom. quæſt. 3. de potentia articul. 4. quia actio alicuius etiamſi ſit illius vt inſtrumenti, oportet, quòd ab eius potentia egrediatur, ergo requiritur aliqua actio talis inſtrumenti, illa enim eſt actio talis inſtrumenti, quæ egreditur ab eius potentia, alioquin ſi nihil ab ea egreditur nihil operabitur, & ſic non erit inſtrumentum, quia ſi nihil ab eo egreditur, ſed otioſum manet, non magis erit inſtrumentum Dei id, quod dicitur aſſumi pro inſtrumento, quàm quod non aſſumitur. *Dices* egreditur effectus tantum per virtutem communicatam à ſuperiori agente, ſed nihil egreditur à virtute propria inſtrumenti. *Sed contra eſt.* Quia ſi virtus propria nihil agit, ſed tantum virtus communicata à ſuperiori agente, ita quòd actio tantum exit ab illa virtute communicata, & nullo modo à propria virtute, non poteſt ex vi illius conſtitui inſtrumentum in ratione inſtrumenti, vt diſtinguitur à cauſa principali, quia cauſam eſſe inſtrumentalem non conſiſtit in hoc tantum quòd operetur virtute ab alio participata, ſed in hoc quòd operetur vltra propriam virtutem; nam operari per virtutem participatam, nullo modo concurrente propria virtute, vt vltra illam operetur, etiam in cauſis principalibus inuenitur, vt patet in aqua ex calore recepto calefaciente, & in Luna ex luce Solis lucente, & in intellectu ex lumine gloriæ vidente, quæ non operantur inſtrumentaliter, eò quòd effectus eis per ſe primo aſſimilantur. Si ergo inſtrumentum nihil operatur propria virtute, vt habeat effectum vltra propriam actionem, ſed nihil omnino agendo ex ſe, ſolum recipit virtutem à ſuperiori agente, & illa ſola agit, ex hoc præcisè non habemus rationem ſufficientem diſtinguendi illud inſtrumentum à modo agendi cauſæ principalis; ſiquidem hoc quod eſt recipere virtutem, & agere per illam, non eſt operari vltra propriam virtutem, quia de facto ſi nihil operatur inſtrumentum propria virtute, ſed tantum recipit virtutem alterius, in nullo miniſtrat ſuperiori agenti, quia illa virtus ab illo recepta tantum operatur effectum principalis agentis, non illi miniſtrando, ſed præcisè effectum emittendo, licèt per virtutem emendicatam ab alia, quæ tamen virtus ſe habebit, tunc vt primò, & per ſe operatiua non vt motio eleuatiua alterius actionis ſibi miniſtrantis, & deſeruientis. Vt ergo tanquam cauſa inſtrumentalis miniſterialiter operetur, neceſſe eſt, quòd habeat aliquam actionem, quæ in quantum propria eſt, miniſtret, & in quantum eleuata vltra proprium effectum aliquid attingat.

Secunda verò pars concluſionis cõſtat pluribus exemplis, nam poteſt Deus aſſumere actum immanentem, verbi gratia, cogitationem, vel viſionem vt aliquid extra ſe operentur, vt Sanctus Thomas admittit 2. 2. quæſt. 178. artic. 1. ad 1. & tamen actus immanens ſecundum ſibi propria nihil operatur in ſubiecto extra vbi ſit effectus. Similiter inſtrumenta corporalia, quæ aſſumuntur ad producendum aliquid ſpirituale, vt Sacramenta gratiam in anima, ignis torturam in dœmone, nullam diſpoſitionem producunt propria actione in ipſum ſpiritum, quia propria eorum actio corporalis eſt, ergo non requiritur actio propria inſtrumenti ad producendam aliquam diſpoſitionem in eo ſubiecto, in quo effectus principalis ponitur. *Et ratio eſt*, quia virtus Diuina nõ aſſumit inſtrumentum quaſi indigens illo, vel effectu ab ipſo producto ad principalem effectum producendum, ſed ſolum vt cum communicatione, & conſortio illius operetur, ergo ſufficit accommodare ſe modo operandi inſtrumenti, ita quod ab ipſo inſtrumẽto exeat operatio aliqua iuxta modum ſuum, & attingat effectum aliquem vltra virtutem propriam, & ſic ex parte modi operandi diſpoſitiuè ſe habeat, non ex parte alicuius rei operatæ. Quomodò autem illa actio identificetur cum effectu à ſe diſtanti? *Reſp.* quòd actio illa eleuata à Deo eſt virtualiter multiplex, & plures effectus quaſi partiales & inadæquatos reſpicit, ſicut impulſus qui plura proiicit, calor qui in plura ſubiecta agit, & Sol in omnia inferiora, licet continuata, inſtrumentum verò in diſtantia ſupernaturaliter.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur *aliquibus inſtantijs*, ad probandum non requiri aliquam actionem propriam, vt inſtrumentum operetur, ſed ſufficere paſſionem, vel motum. Nam ſufficit contactus vnius corporis cum alio ad faciendum miraculum, ſicut corpus mortuum ad contactum corporis Eliſæi reuixit, & mors Chriſti, ac reſurrectio iam præterita efficienter operantur noſtram iuſtificationem, vt conſtat ex D. Tho. 3. p. q. 50. art. 6. & q. 56. art. 1. conſtat autem quòd mors non eſt actio, ſed paſſio, & reſurrectio præterita iam non eſt actio, ſed ſolum manet terminus talis actionis, ergo non requiritur ad operationem inſtrumentalem propria, & vera actio inſtrumenti. *Ex alia parte inſtatur* ad probandum, quòd ſi requiritur actio propria inſtrumenti præuia ad eleuationem cauſæ principalis, etiam requiretur aliquid productum tanquam diſpoſitio ad effectum principalis agentis; ideò enim negat. D. Tho. 1. p. q. 45. articul. 5. poſſe dari inſtrumentum creationis, quia inſtrumentum debet operari diſpoſitiuè ad effectum principalis agentis, quod in inſtrumento creationis non inuenitur, quia nullum præſupponit ſubiectum, ſed ſi non requiritur, quòd producat aliquid in ipſo ſubiecto, quod de nouo fit, ceſſat iſta ratio, quia inſtrumentum ſaluatur operando diſpoſitiuè in vno ſubiecto, & effectum principalem in alio, vbi nihil operatur diſpoſitiuè, ergo poterit ad creandum aſſumi inſtrumentum, quod operatur aliquid diſpoſitiuè circa vnum ſubiectum, & nihil circa ſubiectum, quod creatur.

Ad primam inſtantiam reſp. In omnibus illis inueniri aliquam propriam actionem; quæ proximè aſſumitur ad operandum inſtrumentaliter, nam ille contactus aliquam actionem adiunctam habuit, vel impulſus, quo proiectum eſt cadauer, vel grauitatis, qua deſcendit, vel etiam aliquam infrigidationem, aut alterius qualitatis alterationem, qua fit contactus corporum ſecundum qualitates ſenſibiles. Mors autem, & paſſio Chriſti, & reſurrectio dicuntur operari inſtrumentaliter noſtram reſurrectionem, vel iuſtificationem ratione ſui termini, cuius ipſæ ſunt conditiones; vt humanitas Chriſti operetur per ſuas actiones & imperium tales effectus. Et ita D. Thom. q. 56. citata, art. 1. ad 3. dicit: *Quod reſurrectio Chriſti eſt cauſa efficiens noſtræ reſurrectionis, in quantum humanitas eius ſecundum quam reſurrexit, eſt quodammodo inſtrumentum Diuinitatis ipſius.* Et aduertit ibi Caietan. quòd reſurrectio Chriſti ſe habuit vt conditio ad hoc, vt humanitas Chriſti eſſet inſtrumentum reſurrectionis noſtræ; & ſimiliter paſſio, vt eſſet inſtrumentum remiſſionis peccatorum. Quare humanitas paſſa, & reſuſcitata eſt inſtrumentum Diuinitatis, mediantibus tamen actionibus, quas facit, vel in noſtra reſurrectione faciet, quæ diſtinctæ ſunt à ſua reſurrectione: nam *ipſe Dominus in voce*

Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, id est in imperio mouente Angelum ad nostram resurrectionem, quod imperium distincta actio est.

Ad secundam instantiam respondetur, non requiri de necessitate, quòd illa actio præuia instrumenti producat terminum realiter distinctum ab effectu principalis agentis, sed sufficit eundem effectum producere, licèt modo ipsius instrumenti proprio, sufficit etiam producere aliquid in subiecto distincto ab eo, in quo producitur effectus principalis agentis, vt cùm assumitur actus immanens ad producendum aliquid extra. Nec Diu. Tho. dixit requiri ad instrumentum, quòd operetur aliquam dispositionem ad effectum principalis agentis, sed quòd dispositiuè operatur, in quo multi hallucinantur, putantes idem esse operari dispositiuè, & operari dispositionem; cùm tamen saluetur operari dispositiuè, quando ex parte modi operandi modificat actionem principalis agentis, vt operetur modo causæ inferioris, licèt non distinctum realiter effectum operetur, vel non in eodem subiecto.

Et cùm vrgetur, quod secundum hoc non repugnabit dari instrumentum creationis in vi rationis Diu. Thom. *Respondetur*, adhuc repugnare tale instrumentum propter modum operandi creatum ipsius instrumenti, quia actio ipsius cùm sit accidens, operatur dependenter à subiecto, vndè si diuina actio eleuat hanc actionem creatam, & iuxta modum operandi eius se accommodat, non potest ex vi illius creare, quia creatio est ex nihilo, & sic opponitur modo operandi actionis, quæ est ex subiecto, & hoc ipso quòd actio est accidens non potest non esse in subiecto, & ex subiecto operari. Quam rationem aduertit D. Tho q. illa 3. de potent. art. 4.

Quòd si instes ex P Suarez vbi supra, quia ad propriam actionem instrumenti non requiritur, quòd sit in eodem subiecto, in quo effectus producitur, sed sufficit, quòd in alio sicut actus immanens existens in anima operatur instrumentaliter ad extra, ergo sufficit quòd actio creatiua instrumentalis existat in vno subiecto vt accidens, & alibi operetur ex nihilo. Quod explicatur exemplo transubstantiationis, quia etiam transubstantiatio caret subiecto, cùm ipsum solum habeat pro termino à quo, & tamen potest dari instrumentum respectu ipsius, ergo ex defectu subiecti non debet denegari instrumentum creationis. Item ad Diuinam potentiam non requiritur alia dispositio in instrumento, quam obedientialis, vt obediat Deo mouenti, & quòd effectus possit ab ipso dependere? ad hoc autem non requiritur quòd Deus accommodet se in modo agendi ipsi instrumento, sed sufficit quòd nolit fieri effectum sine consortio instrumenti, & dependentia ab illo, ergo propria actio instrumenti non requiritur.

Respondetur, quòd benè potest actio esse in vno subiecto inhæsiuè secundum mutationem ipsius, & operari in alio distante à se, tanquam in subiectum inadæquatum per similem mutationem, sed quòd eleuetur ad operãdum extra se sine vlla prorsus mutatione, sed ex nihilo omnino repugnat, quia hoc ipso quòd actio aliqua est motus, & dependens à subiecto, non potest operari sine motu, nisi destruatur actio, & fiat non immutatiua. Et ita poterit Deus intra lineam actionis immutantis, seu motus (& loquimur largè de motu, prout etiam comprehendit actiones spirituales, & quascumque alias, quæ sunt in subiecto) subrogare diuersos effectus, vel subiecta, siue distantia, siue indistantia, quæ per modum mutationis attingantur siue contactu reali, siue virtuali; quòd verò agat sine vlla mutatione, sicut requirit creatio, quæ est ex nihilo, hoc non potest esse nisi destructa specie illius actionis, quæ ex sua natura est motus, seu mutatio aliqua, si autem creat, creat vt non mutatio, atque adeò non operans modo ipsi instrumento se accommodando, quod esset non vti illo vt instrumento.

Nec obstat exemplum de transubstantiatione, quia est vera mutatio, non formalis, sed totalis, neque enim corpus Christi creatur, sed panis mutatur in ipsum, & ita ex parte subiecti, quod transmutatur, & conuertitur potest actio instrumenti eleuari à Deo, vt intra lineam mutationis operetur transubstantiationem, quod insinuat D. Thom. in 4 dist. 8. q. 2. art. 3. ad 3. dicens: *Nihil deperire dignitati corporis Christi, si aliqua creatura accipiat instrumentalem virtutem operandi in id, quod in corpus Christi transubstantiatur.* Sentit ergo Diuus Thomas instrumentum transubstantiationis attingere subiectum, quod mutatur, & ideò talis actio non amittit rationem mutationis licèt eleuetur à Deo ad operandum mutationem non naturalem, neque formalem, sed totalem & ita transubstantiationem esse veram mutationem, tanquam conuersio ab existenti in existens, docet latè Diuus Thom. in 4. distin. 11. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. 3.

Ad aliam instantiam respond. sufficere ad diuinam virtutem dispositionem obedientialem instrumenti, sed tamen ista obedientialis dispositio secundum potentiam est non repugnantia, seu capacitas obedientialis, & secundum actum est aliqua actio, quæ eleuatur à Deo, quia nisi ipsum instrumentum verè producat, & agat instrumentum in actu non erit, non potest autem producere nisi actionem, quæ sit accidens, & mutatio.

Vltimò instabis; in aliquibus instrumentis, in quibus non apparet aliqua actio præuia ipsius instrumenti præter operationem principalis agentis, verbi gratia, sigillum imprimens figuram non apparet, quam actionem habeat præter ipsam impressionem figuræ, similiter in serra non datur virtus actiua, præter virtutem mouentis illam ad scindendum, nam durities non est virtus actiua, sed resistitiua, multo minus quantitas, & figura ipsius serræ actiua sunt; neque grauitas, quia hæc solum mouet deorsum, & sic serra nõ scinderet nisi deorsum versus. Item etiam phantasma attingit instrumentaliter speciem spiritualem productam ab intellectu agente, & tamen non apparet, quid præuium operetur in anima, vel intellectu. Denique si illa propria instrumenti est præuia ad motionem principalis agentis, ergo distinguitur ab illa, aliàs esset præuia ad se ipsam, si verò distinguitur, ergo non eodem motu fit, verbi gratia, scissio serræ, & productio lecti, quod negat Diu. Thom. 3. p. quæst. 63. articul....

Resp. Ad exemplum de sigillo & serra, aliisque similibus instrumentis operari actione propria, v. gr. duritia aut grauitate, quæ impulsa comprimit ceram, & imprimit figuram; & duritia non solum est resistitiua sed etiam diuisiua, vel fractiua alterius, sicut & acumen; duritia enim impulsam per se ipsam diuidit, aut frangit, acumen penetrat, seu diuidit; licèt verum sit, quòd ad sic diuidendum adhuc vt causa principalis dependeat ab impulsu, & motione non quatenus artificiosa, sed quatenus impulsiua præcisè, sicut piper, aut vinum non calefaciunt, nisi prius calefacta à stomacho, ab artificiosa verò motione dependet non ad scindendum, sed ad faciendum lectum, verbi gratia.

Ad illud exemplum de phantasmate latiùs dicetur in libris de anima. *Nunc breuiter dicitur* phantasma non esse propriè instrumentum effectiuum intellectus agentis ad producendas species, sed obiectuum, quatenus

quatenus præbet obiecta habilia, vt intellectus agens producat species, quas non sufficit producere phantasma, quia non est intelligibile in actu, sed determinat ipsum intellectum agentem quasi materiam obiectiuam. Vnde dicit Diu. Thom. 1. part. quæst. 84. articul. 6. in fine corporis: *Quòd cognitio sensibilis non est perfecta, & totalis causa intellectiua cognitionis, sed magis quodammodo est materia causæ.* Et Caietan. 1. part. quæst. 85. articul. 1. in fine, docet quòd phantasma propriè non est instrumentum intellectus, sed vocatur largè instrumentum, quatenus omnis causa ex se non sufficiens ad aliquem effectum, sed indigens virtute alterius, instrumentum eius dicitur, sicut etiam color potest dici instrumentum lucis, quia color sine luce non sufficit mouere visum. Est tamen differentia, quòd lux informat superficiem coloratam informatione reali, intellectus autem agens non informat realiter phantasma neque illi communicat aliquam virtutem, aut lucem, vt aliqui putarunt, sed illuminat phantasmata, inquit Sanctus Thomas quæst. illa 84. artic. 1. ad 4. *Quia sicut pars sensitiua redditur virtuosior ex coniunctione ad intellectum, ita phantasmata, ex virtute intellectus agentis redduntur habilia, vt ex eis species intelligibiles abstrahantur.* Igitur hæc habilitas, illuminatio nuncupatur, non verò in se recipiunt lucem spiritualem informantem illa, sed lux spiritualis, si qua datur, est ipsa species producta in intellectu possibili ab intellectu agente determinato per tale phantasma, quod ex coniunctione ad intellectum est sic habile, vt ex illo formari possit talis species.

Ad vltimum dicitur, illam actionem instrumenti aliquando esse actionem præuiam, & realiter distinctam à motione causæ principalis sicut ablutio aquę, & productio gratiæ, quia sunt termini realiter distincti; aliquando verò solum est præuia actio virtualiter, & secundum aliquam formalitatem tantum, quia termini ipsi solum formaliter sunt distincti, & non realiter, sicut quando securis scindendo facit lectum, diuisio quantitas, & forma producta per artem non sunt termini realiter distincti, sed formaliter, secundum aliquos respectus, & modus, quibus figura illa, aut diuisio perfectior est, & sic sufficit quòd actio præuia sit, secundum aliquam formalitatem distinctam à forma artificiosa, non verò realiter sit distincta.

SVMMA TEXTVS LIBRI PRIMI

PHYSICORVM.

INTENTVM Philosophi in hoc primo libro est. Primò tradere ordinem, methodumque procedendi in hac scientia. Secundò principia rerum naturalium inuestigare, sententias veterum Philosophorum referendo & refutando. Tertiò, tandem propriam sententiam statuendo & probando.

SVMMA CAPITIS I.

Igitur in primo capite proponit ordinem methodumque doctrinæ in scientiis, scilicet, vt primo procedatur ex causis, & principiis, deinde inter principia aßumantur ea, quæ nobis sunt notiora, & manifestiora; procedit enim ordo doctrinæ à facilioribus & notioribus. Tertiò, inquit ea esse nobis notiora, quæ sunt magis confusa, & vniuersalia, sicque ab vniuersalioribus procedendum est, cuius rei tria affert indicia. Primum, *quia totum est notius parte secundum cognitionem confusam, vniuersale autem est quoddam totum.* Secundum, *quia in definito & definientibus prius cognoscimus ipsum definitum, vt quoddam totum, deinde definientia, in quantum eius partes.* Tertium, *quia pueri à principio non discernunt, existimando omnes viros patres, & omnes fœminas matres. Deinde verò incipiunt vnumquodque discernere.*

SVMMA CAPITIS II.

A Secundo capite, vsque ad quartum, incipit afferre, & impugnare sententias antiquorum circa principia naturalia. Et in hoc cap. 2. primo affert opiniones veterum in genere. Deinde specialiter agit contra Parmenidem, & Melißum. Quoad primum generaliter reducit opiniones antiquorum circa principia naturalia ad duo capita, nam quidam posuerunt vnum tantum dari principium rerum naturalium: alij plura. Ex his qui ponebant vnum principium, quidam posuerunt illud immobile, vt Parmenides, & Melißus, alij mobile, vt antiquiores Physici, qui etiam valdè diuisi sunt, nam quidam dicebant hoc principium esse aërem, vt Diogenes, alij aquam, vt Thales, alij ignem vt Heraclitus, nullus verò ex illis posuit solam terram esse primum principium, quia propter eius großitiem potius existimabant esse compositam, quàm simplicem: prima autem principia debent esse simplicia, vt ex eis alia componantur, licet alij antiquiores, quos Theologos & Poëtas vocarunt, terram dixerint esse omnium rerum substantiam & naturam, vt lib. 2. lect. 2. *ex Philos. notat D.Thom. Ex illis verò qui ponebant plura esse principia rerum naturalium, quidam dixerunt esse finita, alij infinita. Qui finita, alij dixerunt esse duo, vt ignem, & terram; alij tria scilicet aërem, ignem & aquam, repellentes terram propter eius großitiem. Alij omnia quatuor elementa, & etiam litem, & amicitiam vt Empedocles. Qui posuerunt infinita, etiam diuisi sunt; nam quidam, vt Democritus, posuerunt infinita indiuisibilia, seu atomos qui erant eiusdem naturæ, differebant verò secundum figuram, & formam, & ex eorum diuersa positione, & combinatione diuersæ res resultabant. Alij vt Anaxagoras posuerunt infinita principia, non tamen indiuisibilia, neque eiusdem generis, sed infinitas partes minimas, verbi gratia, carnis, & oßis, & aliorum huiusmodi, eò quòd dicebant in vnaquaque re inesse omnia, quæ ex illa poßunt fieri, & cùm poßint fieri infinita secundum diuersas generationes ex vnaquaque re, oportet quòd in illa sint infinita, & cùm non fiant ex nihilo, sed ex aliquo, oportet quod illa infinita sint in actu.*

In secundo loco specialiter descendit in hoc capite ad impugnandam opinionem Parmenidis, & Melißi, quorum opinio, quia ponebat vnum principium immobile, non pertinet ad Physicum, qui tantum agit de mobilibus, sed ad Metaphysicum. Inde tamen petitis rationibus ostendit illud principium naturale, ex quo cætera fiunt, non posse esse vnum, neque immobile, & impugnat eos, ex æquiuocatione, qua procedebant, quia non apparet quomodo sumebant rationem entis pro substantia, vel accidente, vel pro quo accidente nec etiam qua ratione sumerent vnum pro vno, continuatione,

vel pro vno indiuisibili. Vndè quia ex æquiuocatione vnius, & entis processerunt isti Philosophi non à Physico, qui non agit de vno & ente, sed à Metaphysico confutari debent.

SVMMA CAPITIS III.

IN tertio capite soluit rationes Parmenidis & Melissi, ostendens non solum peccare falsum assumendo, sed etiam contra formam argumentandi procedendo.

SVMMA CAPITIS IV.

IN quarto capite incipit agere contra alios Philosophos, qui Physici appellantur, qui de principiis tanquam de mobilibus sentiebant. Et proponit duo genera istorum Philosophorum: quidam enim ponebant vnum principium materiale, verbi gratia, aliquod ex elementis; ad separationem autem, & distinctionem rerum ponebant aliqui duo contraria concurrere, puta rarum, vel densum, siue paruum, vel magnum, aut vno verbo dicendo quamcumque excellentiam & defectum. Alij verò Physici posuerunt res naturales fieri ex aliquo principio, in quo omnia erant confusa, sed per quandam segregationem dicebant fieri de nouo ab illa confusione emergendo, & in hoc conueniebant Anaximander, Empedocles, & Anaxagoras; sed differebant, quia Anaximander solum illud vnum in quo omnia confusa erant & commixta, dicebat esse principium; non autem illa multa, quæ in eo erant: sed Anaxagoras etiam illa multa ibi contenta dicebat esse principia, & illa multa dicebat esse infinitas partes minimas, quæ in vnaquaque re præëxistebant, & ex eorum segregatione dicebantur res fieri; dicebant enim isti Philosophi ex nihilo nihil fieri, & consequenter ex aliquo, & illud aliquod dicebant esse ens actu, quia ens in potentia tantum non agnoscebant. Vnde si ex aqua fiebat aër, dicebant aërem præëxistere in aqua. Sed quia rursus repugnat sensui dicere, quòd in aqua sit aër, vel ignis, qui ex illo generantur, ideò ad hoc euitandum dicebat Anaxagoras in qualibet re esse permixtas infinitas partes insensibiles, & minimas eorum, quæ ex tali re fieri possunt & quia possunt, fieri infinita, ideò dicebant infinitas partes minimas dari.

Contra hanc ergo opinionem Anaxagoræ disputat Philosophus in isto capite: & ad hoc facit tria. Primò *proponit eius rationem, seu fundamentum.* Secundò *quinque rationibus illum impugnat, & occasione istarum minimarum partium agit de terminis magnitudinis, & paruitatis in rebus.* Tertiò *denique ostendit motiuum Anaxagoræ, ex malo intellectu suæ positionis processisse.*

SVMMA CAPITIS V.

IN Capite quinto incipit tradere propriam sententiam circa principia rerum naturalium: & primò procedit disputatiuè præmittendo in hoc & sequenti capite quædam, quæ apud Antiquos etiam admissa fuere circa principia. Et tandem in septimo capite resoluit veritatem. Præmittit autem duo: Primum *in hoc capite de contrarietate principiorum.* Secundum *in sequenti, de numero eorum. Igitur in hoc capite quinto ostendit, principia naturalia debere esse contraria: omnes enim Philosophi antiqui aliquam contrarietatem agnouerunt, vt fieret segregatio, & distinctio in naturis, licèt in illa assignanda dissentirent; nam verbi gratia, qui dicebant totum hoc vniuersum esse vnum ens vnamque substantiam immobilem, dicebant pluralitatem rerum solum esse secundum sensum, ideóque solum inducebant contrarietatem secundum sensum vt calidum, & frigidum, qui verò ponebant vnum principium mobile materiale, ponebant rarum & densum, vt ex illo alia fierent. Qui ponebant principia infinita indiuisibilia, ponebant vacuum & plenum, quatenus indiuisibilia relinquebant quasdam partes vacuas, quasdam plenas. Qui verò infinita diuisibilia, scilicet partes minimas ponebant, pro contrarietate assignabant aliquam congregationem & segregationem, secundum quam illæ partes aliquid vnum facerent, vel segregarent. Itaque omnes aliquam contrarietatem agnoscebant in principiis. Denique illam ostendit Philosophus ex inductione & experientia; tùm ex ipsa conditione principiorum, quia principia non sunt ex aliis, & ex alterutris, & omnia alia sunt ex ipsis, quæ conditio etiam conuenit contrariis: tùm ex ipsa generatione & corruptione, quæ sine contrarietate, id est sine esse, & non esse non datur, vt experientiâ constat.*

SVMMA CAPITIS VI.

IN capite sexto præmittit secundum de numero principiorum. Circa quod tria facit. Primò *ostendit, quòd principia ex eo quod sunt contraria, neque sunt vnum tantum neque infinita. Non sunt vnum tantum, quia contrarietas inter plura versatur. Non sunt infinita: tùm quia infinitum est ignotum, tùm quia principia sunt prima contraria, hæc autem solum sunt in genere substantiæ, & sic non sunt infinita: tùm denique, quia si sunt infinita, omnia contraria erunt principia, quod est*

est falsum, quia multa contraria sunt ex aliis prioribus, vt dulce, & amarum ex calido, & sicco, & sic non sunt prima principia: repugnat ergo esse prima principia, & esse infinita: infinitum enim complectitur omnia. Secundò *ostendit principia non posse esse tantum duo, quia principia sunt contraria inter se: ergo oportet dari aliquod tertium, in quo subiectentur, & circa quod exerceant oppositionem, & sic plusquam duo principia esse debent.* Tertiò *ostendit, non esse plus quàm tria, quia sufficiunt duo contraria, & vnum subiectum, vt ex contrariis dicatur aliquid fieri: ergo non est necesse plura ponere, quàm subiectum & formam, & contrarium formæ, quod est priuatio. Et ad hoc plures alias rationes congerit.*

SVMMA CAPITIS VII.

IN capite septimo determinatè resoluit veritatem, & primò procedit ab ipsa generatione seu fieri rei ostendendo, quod ad illud tria requiruntur, scilicet subiectum ex quo aliquid fit, oppositum vndè fit, & terminus, qui de nouo fit: & quidem dari terminum, manifestissimum est, cum videamus res fieri de nouo, quòd verò fiat ex subiecto, & priuatione constat, quia in omni fieri aliquid permanet, scilicet quod fit de nouo, & aliquid non permanet scilicet, id quod antea erat, ergo requirit priuationem illius, quod antea erat, & positionem huius quod modo fit, & quia fit ex aliquo non ex nihilo, cùm ex nihilo nihil fiat; sequitur vt ad fieri requirantur tria, subiectum, forma, & oppositum formæ, scilicet priuatio. Secundò colligit ex his principiis rerum naturalium, duo distincta esse inter se, & per se requisita, ex quibus scilicet, res ipsa constat, scilicet materia & forma, in hæc enim resoluitur vnumquodque tanquam in partes componentes. Aliud principium requiritur ratione distinctum, scilicet priuatio, & dicitur principium per accidens respectu eius quod de nouo fit, sicut hominis musici per se est causa homo & musica, sed quod antea fuerit non musicus per accidens est ad constitutionem ipsius hominis musici.

SVMMA CAPITIS VIII.

IN capite octauo excludit errores Antiquorum circa materiam, & in capite nono errores circa priuationem. Etenim ex ignorantia materiæ Antiqui tollebant generationem substantialem, & solum accidentalem admittebant: ducti ea ratione, quia nihil potest fieri simpliciter seu substantialiter, neque ex ente, neque ex non ente: non ex ente, quia si iam est, non fit: non ex non ente, quia ex nihilo nihil fit: ostendit autem Philosophus ipsos non distinxisse inter ens in potentia, & in actu: ex ente enim in potentia fit ens in actu, & hoc ens in potentia est materia, quæ neque est nihil, neque est illud ens in actu quod fit, sed est ens in potentia ad illas formas, quæ in illa de nouo educuntur.

SVMMA CAPITIS IX.

IN Capite nono & vltimo excludit errores, qui apud Antiquos circa priuationem irrepserant; licèt enim aliqui antiqui materiam dari faterentur, tamen priuationem non distinguebant ab illa, & ita dicebant materium esse non ens, quia videbant eam priuatam omni forma: & sic dicebant aliquid fieri ex non ente, quia fiebat ex materia. Et in hoc fuit inductus Plato, ex ratione Parmenidis, quia quidquid est præter ens, est non ens, materia est præter ens, cùm non sit ens actu, ergo non est ens, & sic non distinguebat inter materiam, & priuationem, Aristoteles autem ostendit materiam non esse quidem ens actu, nec tamen esse priuationem, sed ens in potentia: quia priuatio non appetit formam, neque est in potentia ad formam, sed illi opponitur, eamque destruit: materia autem simul est cum forma recipiendo illam, & componendo ipsum totum: non est ergo idem priuatio quod materia, licèt materia insit priuatio quando non habet formam, vnde definit materiam, quòd est primum subiectum, ex quo aliquid fit cum insit non secundum accidens.

SVMMA SECVNDI LIBRI.

LIBER iste in duas partes diuiditur. In prima tractat de natura. In secunda de causis. Et habent ista duo inter se connexionem, quia natura definitur per modum principij, & causæ motus, ideóque necesse fuit inuestigare causas, tractando de natura.

Igitur de natura agit Arist. duob. primis capitib. de causis verò in reliquis septem.

SVMMA CAPITIS I.

IN hoc capite duo facit Phil. Primò *inuestigat, quid sit natura.* Secundò *ostendit quibus conueniat ratio naturæ.* Circa primum *ponit vnam diuisionem, & tres definitiones. Diuisio est. Eorum, quæ sunt;* quædam sunt à natura, quædam ab aliis causis, *scilicet ab arte, vel à casu. A natura sunt*

animalia,

animalia, partes ipsorum, plantæ & corpora simplicia. Ab arte, vt vestis, lectica, & similia, inter quæ hoc intercedit discrimen; quòd ea quæ sunt à natura, per se habent principium alicuius mutationis; quæ verò ab arte, non habent per se mutationis principium, sed per accidens, quatenus constat aliqua substantia naturalis, verbi gratia, lapide, vel ferro. Definitiones sunt tres. Prima ipsius naturæ, quæ definitur non per aliquid absolutum, sed per habitudinem principij Natura est principium motus, & quietis ius, in quo est primò & per se, & non secundum accidens. *Secunda definitio est rerum naturalium.* Naturalia dicuntur illa, quæ habent in se ipsis principium sui motus. *Tertia definitio est eorum, quæ dicuntur secundum naturam.* Secundum naturam dicuntur tam subiecta quorum esse est à natura, quam accidentia, & affectiones eis conuenientes.

Circa secundum *dicit, quòd definitio naturæ conuenit materiæ, & formæ. Materiæ quidem non sicut antiqui Philosophi, qui non agnoscebant materiam esse puram potentiam, sed aliquod corpus in actu, puta terra vel aqua, aut quid simile, ad quam omnes formæ comparabantur tanquam accidentia. Sed Philos. docet, quòd materia prima est natura tanquam principium intrans compositionem rei naturalis: & secundò, quod etiam forma est natura, quia ex ipsa est species, & ratio naturæ, idque rationibus tribus probat, quæ in textu claræ sunt.*

SVMMA CAPITIS II.

VT magis elucescat quid sit natura, & naturalia, distinguit inter Physicam, & Mathematicam, & obiectum vnius & alterius, & facit duo Primò ostendit distinctionem Mathematicæ à Physica. Secundò declarat extensionem obiecti Physicæ.

Circa primum *proposita prius ratione dubitandi, quia Physica agit etiam de obiecto Mathematicæ, scilicet de quantitate, & indiuisibilibus, & specialiter de figura & aspectu cæli, de quo etiam agit Astrologia: soluit difficultatem positam ostendendo, quòd aliter considerat Mathematicus quantitatem aliter Physicus enim vt subiectam motui, & sensui: Mathematicus autem vt abstrahens à motu & sensu, quæ abstractio non est falsa, quia abstrahentium non est mendacium, sed asserentium. Quòd verò sic considerent Mathematicus, & Physicus idem obiectum ostendit duplici ratione; tùm ex diuersis definitionibus, seu diuerso modo definiendi vtriusque; tùm ex eò quod dantur quædam scientiæ mediæ inter naturales, & mathematicas, sicut Astrologia, Perspectiua, Musica, &c. quæ ea quæ Mathematicus considerat abstractè, applicant alicui sensibili, sicut Astrologus considerat figuram in cælo, perspectiuus lineam in visuali, Musica numerum in sonoro: ergo signum est quòd Mathematica secundùm se abstrahit à materia sensibili, & consequenter à modo scientiæ naturalis.*

Circa secundum *ostendit Physicam extendi circa materiam, & formam, neque esse duas scientias circa ista duo. Et Antiqui quidem non distinguentes materiam primam à forma substantiali parum, vel nihil attigerunt de forma in scientia naturali. Ostendit autem ad eandem scientiam pertinere agere de materia, & forma tum exemplo artis, quæ imitatur naturam, eadem enim ars agit de forma artificiosa, & materia competenti: tum, quia forma est finis materiæ, ad eam enim terminatur omnis mutatio materiæ: eadem autem scientia considerat finem, & quæ sunt ad finem: tùm denique, quia materia & forma, se habent correlatiuè, & consequenter sunt simul cognitione. Et sic concludit, quòd de formis totaliter separatis à materia non pertinet agere ad Physicum, sed eius terminus est in anima rationali, quæ est in materia, & separari potest ab illa.*

SVMMA CAPITIS III.

IN isto cap. incipit secunda pars huius libri, in qua tractatur de causis. Et procedit Philosophus tali ordine, quòd primò agit de manifestis speciebus, & modis causarum in hoc tertio capite. *Secundò de causis minus manifestis, quales sunt causæ per accidens, scilicet casus, & fortuna, de quo* in cap. 4. 5. & 6. *Tertiò ostendit non esse plures species causarum quàm quatuor* in cap. 7. *& tandem duo dubia resoluit circa modum causandi propter finem, & modum causandi ex necessitate* in capite 8. & 9.

Igitur in cap. 3. tria facit Aristot. Primò, *proponit necessitatem tractandi hic de causis.* Secundò *numerat earum genera.* Tertiò *numerat diuersos earum modos.* Quantum ad primum *licet agere de causis vt sic, pertineat ad Metaphysicum, quia multæ causæ non pendent à materia, tamen agere de causis quatenus sunt causæ naturæ, pertinet ad naturalem, qui resoluit & explicat res per suas causas.*

Quoad secundum, *genera causarum sunt quatuor*, Materialis, formalis, efficiens, & finalis. *Materialis dicitur*, ex qua fit aliquid cum insit. *Causa formalis dicitur*, Species & exemplar, *quia causa formalis intrinseca dat speciem rei informando; exemplar autem, seu idea efformando. Causa efficiens dicitur* id, à quo est principium primum motus & quietis, *sicut Pater est causa filij. Causa finalis est* id, cuius gratia aliud fit, *sicut sanitas est causa deambulationis. Ex hoc*

hoc autem infert Arist.tria corollaria. Primum est, *quòd eiusdem rei contingit esse plures causas per se, sicut statuæ est causa æs vt materia, artifex vt efficiens, figura vt forma.* Secundum est, *quòd causæ sunt sibi inuicem causæ, vt laborare est causa bonæ valetudinis, & bona valetudo est causa laboris.* Tertium *est, quòd idem est causa contrariorum secundum diuersa, sicut nauta est causa saluationis nauis per præsentiam, & submersionis per absentiam.*

Circa tertium *explicat quatuor modos, seu diuisiones causarum.* Primus est *in causam priorem, & posteriorem, id est remotam, & propinquam, seu vniuersalem, & particularem & potest esse vniuersalis dupliciter, vno modo per prædicationem, sicut artifex in communi respectu huius & illius artificis, vel potest esse vniuersalis per causalitatem, vt cœlum respectu horum inferiorum, & Deus respectu omnium.* Secunda diuisio est, *alia est causa per se, alia per accidens; per se*, à qua per se pendet effectus, *vt statua à statuario; per accidens* à qua per se non pendet effectus, sed est coniunctum causæ per se operanti, *sicut statuario accidit quod sit Polycletus.* Tertia diuisio est: *causa alia est in potentia, alia in actu,* Quarta diuisio: *causæ aliæ complexæ, aliæ simplices: complexæ vt si coniungantur causæ per se: & per accidens, vt si dicatur quòd Polycletus statuarius facit statuam. Simplices sumendo seorsum vnamquamque causam. Et quot modis dicuntur causæ, tot modis dicuntur causata eis correspondentia.*

Svmma Capitis IV.

A*Git de causis per accidens, quæ sunt casus, & fortuna, & in hoc capite recenset opiniones Antiquorum, in sequenti determinat propriam opinionem quoad fortunam: in sexto quoad differentiam eius à casu. Igitur de casu, & fortuna fuerunt tres opiniones Antiquorum. Prima dicebat, nihil esse casum & fortunam: tùm quia omnia habent aliquam causam determinatam, ac proinde nihil fit à casu: tùm quia veteres numerando causas non meminerunt fortunæ. Secunda opinio in alio extremo dicebat omnia esse à casu non solum in hoc mundo, sed etiam in cœlo, quæ fuit opinio Democriti, qui ex concursu casuali atomorum dicebat mundum, & eius partes esse factas. Tertia opinio Stoicorum dicebat fortunam esse aliquid diuinum, & menti nostræ ignotum, ad quod reducebant omnes effectus. Hanc vltimam opinionem non impugnat Arist. tùm, quia de causa diuina non pertinet agere ad naturalem, sed ad Metaphysicum: tùm, quia infra impugnanda, ostendendo, quòd fortuna est causa per accidens, quod non conuenit rei diuinæ.* Primam *verò opinionem ex eo improbat, quia etiam Antiqui Philosophi non ignorauerunt fortunam, & casum, nec contradixerunt illis, qui casum, & fortunam ponebant: ergo hoc ipso debebant agere de fortuna, & casu, vt ostenderent id esse falsum: tùm quia quædam posuerunt fieri à casu, & fortuna, sicut Empedocles, qui dixit, quòd quando mundus est factus, & eius partes per litem fuerunt distinctæ, accidit aërem, verbi gratia in hunc locum se collegisse, & partes animalium sic fortuito coaluisse.* Secundam *opinionem ex eo improbat, quia videmus multa non à casu fieri, sed ex causis determinatis, vt oliua, & aliæ plantæ ex determinato semine non ex quolibet: quomodo ergo existimandum est quòd nobiliores partes mundi, vt cœlum, & res sempiternæ sint à casu, & non ex causis determinatis?*

Svmma Capitis V.

A*D tradendum propriam sententiam de fortuna, tria facit Philos.* Primò *proponit quasdam diuisiones eorum, quæ causantur, vt videat sub quo illorum ponatur fortuna.* Secundò *definit fortunam.* Tertiò *docet, quomodo verificanda sint ea, quæ de fortuna dici solent.* Quantum ad primum *ponit tres diuisiones ex parte rerum, quæ causantur, & aliam ex parte causarum.* Prima diuisio est, *quædam sunt, quæ semper fiunt, vt ortus Solis: quædam frequenter, vt hominem nasci oculatum: quædam in paucioribus, vt hominem nasci cum sex digitis, & hoc vltimum communiter dicitur fieri à fortuna.* Secunda diuisio, *eorum, quæ fiunt, quædam fiunt propter finem quædam non.* Tertia diuisio, *eorum quæ fiunt propter finem, quædam fiunt ex proposito, seu electione, alia non.*

Ex parte causæ *diuidit causam vt supra in per se, & per accidens, & dicit causam per se esse finitam, & determinatam, causam autem per accidens indeterminatam & infinitam, quia contingit infinita alicui accidere, & aliquando dicitur causa per accidens, ex eo quod accidit causæ, aliquando ex eo quòd accidit effectui. Primo modo: vt si dicas album ædificat: album enim accidit ædificanti. Secundo modo, vt si dicas, fodiens inuenit thesaurum, accidit enim inuentio thesauri fossioni.*

Quoad *secundum dicit, fortunam contineri sub causa per accidens in his, quæ fiunt propter finem, & sic definitur fortuna.* Quod est causa per accidens eorum, quæ fiunt propter aliquid.

Quoad *tertium verificatur de fortuna.* Primum *id quod dicitur quòd est ignota, vt asserebant Stoici, quia cum sit causa per accidens, potest in infinitum extendi: infinitum autem est ignotum.* Secundò *quòd fortuna est nihil, quia causa per accidens habet aliquid per accidens pro effectu,*

quod simpliciter est non ens. Tertiò, *quòd fortuna est cæca, quia de eo quod est per accidens tanquam de infinito, & indeterminato non datur certa ratio, & visus. Quartò, quòd fortuna est bona, vel mala ratione eius quod accidit bonum, vel malum: & sic dicitur infortunium, quando magnum malum accidit, & infortunium, quando magnum bonum accidit. Denique fortuna dicitur incerta, quia est causa per accidens.*

SVMMA CAPITIS VI.

A*Git de differentia inter casum, & fortunam, & facit tria.* Primò, *ponit differentiam inter casum, & fortunam, comparando eas inter se.* Secundò, *comparando ea respectu illorum, quibus conueniunt; & in quibus inueniuntur.* Tertiò *concludit ad quod genus causæ pertineant casus, & fortuna.*

Quoad primum, *differentia est inter casum, & fortunam, quia casus magis amplè se habet, quàm fortuna: omnis enim fortuna est casus, & non è contra. Quod ostendit, quia fortuna non inuenitur propriè, nisi in his, qui agunt ex proposito, cuius signum est, quia bona fortuna, vel est felicitas, vel propinqua felicitati: felices enim dicimus bene fortunatos: felicitas autem solum conuenit rationali creaturæ. Casus autem etiam in aliis rebus inuenitur, sicut dicimus lapidem, vel sedem casu cadere, & sic casus accidit in his quæ fiunt propter finem, si non fiunt causa eius, quod accidit.*

Quoad secundum *constat ex dictis, quibus conueniat casus, & quibus fortuna. Casus enim maximè dicitur in operationibus naturæ, quando fiunt extra suum finem, vt cum alicui nascitur sextus digitus, & sic casus potest habere causam intrinsecam, scilicet naturam: fortuna verò solum inuenitur in his, qui operantur ex proposito.*

Quoad tertium *reducit fortunam, & casum ad genus causæ efficientis, seu mouentis, per accidens tamen eò quòd casus & fortuna, vel conuenit his quæ sunt à natura, vel quæ ab intelligentia, quorum vtrumque est principium motus. Denique excludit opinionem, quæ ponebat casum, & fortunam esse causam cœli.*

SVMMA CAPITIS VII.

I*N hoc capite duo facit Philos.* Primò, *confirmat numerum causarum supra positum, quòd sint tantum quatuor causæ.* Secundò *ostendit, ad Physicum pertinere de omnibus causis agere.*

Primum *ostendit ex eo, quia propter quid quærit de causa, sed ad propter quid non respondetur, nisi aliqua dictarum causarum quæ sunt quatuor, ergo non sunt plures. Minor patet, nam propter quid aliquando reducitur in causam formalem, vel definitionem, vt si dicatur propter quid angulus est rectus? Respondetur, quia constituitur ex linea faciente duos angulos æquales. Aliquando verò redditur causa mouens, vt propter quid aliqui pugnauerunt? quia furati sunt. Aliquando redditur causa finalis, vt cuius causa aliqui pugnant? vt dominentur. Aliquando materialis, vt propter quid aliquid corruptum est? quia constabat ex contrariis: Tot ergo sunt causæ, quot sunt modi quærendi propter quid.*

Quoad secundum *ostendit ad naturalem spectare demonstrare per omnes causas: tùm quia aliquando contingit causas conuenire in vnum, sicut formalis, & finalis potest esse vnum, nam forma rei genitæ est finis generantis, & similiter causa mouens potest esse eiusdē speciei cum effectu, vt in agentibus vniuocis: tùm etiam, quia ad naturalem pertinet agere de omni mobili, & de omni mouente, nam si est omnino immobile, non pertinet ad naturalem, sed ad Metaphysicum. Agendo ergo de omni mobili, quòd constat ex materia & forma, & pendet ab aliquo mouente oportet agere de causa formali & materiali, & mouente, quæ est efficiens. Et quia generatio ipsa, & motus est propter aliquid, forma enim est finis generationis, ideò etiam naturalis demonstrat per causam finalem. Denique in calce capitis ponit exempla demonstrationum naturalium per omnes causas.*

SVMMA CAPITIS VIII.

T*Ractat in hoc capite Philos. vtrum natura agat propter finem occasione accepta ex eo quod dixerat capite præcedenti, Philos. demonstrare per causam finalem, & quia ex hoc pendet alia difficultas, scil. quomodo necessitas inuenietur in naturalibus, siquidem multi Antiquorum negabant naturam agere propter finem, quia omnia eueniunt ex necessitate materiæ, ideò sicut in isto capite agit de fine, ita in sequenti de necessario.* In hoc ergo capite tria facit. Primò *proponit Antiquorum opinionem, & dubitationem circa hoc.* Secundò *improbat eam ostendens naturam agere propter finem.* Tertiò *fundamentis Antiquorum satisfacit.*

Quoad primū *dicit, Antiquos reduxisse effectus naturales in necessitatem materiæ, & ideò dixerunt non esse necesse reddere rationem propter quid natura faciat, neque quod melius faciat, vt si quæratur, propter quid pluat? non est necesse reddere rationem, quòd pluit vt frumentū augeatur, sed pluit propter dispositionem terræ, è qua Sol eleuat vapores, & similiter cur animal habeat dentes duros, & acutos?*

acutos? non est necesse reddere rationem, quòd id fiat propter cibi manducationem, sed quia ex tali materia facti sunt, scilic. densa, & dura: inde verò consequutæ sunt illæ vtilitates, non tamen propter illas facti sunt.

Quoad secundum *ponit quinque rationes ad probandum, naturam agere propter finem, quæ in textu satis claræ sunt, & res ista satis nota est.*

Quoad tertium *excludit tria fundamenta Antiquorum, ex quibus mouebantur ad negandum, quòd natura ageret propter finem.* Primò *quia aliquando natura exorbitat, & peccat non consequendo finem, vt patet in generatione monstri. Cui rationi affert instantiam Philosophus tùm quia etiam ars peccat aliquando, & tamen nullus negat, quòd ars agit propter finem; tùm quia licet natura aliquando exorbitet à suo fine, tamen de se determinatum ordinem habet in procreandis animalibus, & consequenter determinatum finem.* Secundum fundamentum erat, *quia ea, quæ fiunt naturaliter, fiunt ex causis prioribus, scilicet materia, & agente, non autem ex intentione finis, quia naturali modo fiunt, sed oppositum iam supra est demonstratum, cum natura non sit causa per accidens, sicut fortuna, sed determinatis viis procedat, & consequenter ex determinato fine, nisi aliquid impediat.* Tertium fundamentum erit, *quia natura non deliberat, ergo non agit propter finem. Respondet Philos. quod etiam ars non deliberat, quia habet certas & determinatas rationes operandi, & tamen facit propter finem, scilicet vt mota à fine, non vt mouens.*

SVMMA CAPITIS IX.

IN *hoc capite facit tria.* Primò *proponit quæstionem supradictam. An scilicet in naturalibus inueniatur necessarium absolutè, vel ex suppositione, & dicitur necessitas absoluta, quæ prouenit ex causis prioribus, quæ simpliciter necessitant, scilicet materia, & efficiente operante necessario; necessitas autem ex suppositione, est ratione finis, scilicet supposito quod intenditur.* Secundò *ponit opinionem Antiquorum, qui dicebant, omnia prouenire ex necessitate materiæ, vt si dicatur, quòd homo habet pedes inferius propter grauitatem humorum, & manus superius propter leuitatem.* Tertiò *determinat veritatem tum absolutè, tum comparatiuè assimilando necessitatem rerum naturalium necessitati scientiarum.*

Quoad primum *dicit, quod in naturalibus necessitas sicut in artificialibus prouenit ratione materiæ, sed ratio, seu dispositio est ex fine, sicut ad ensem requiritur materia dura, quæ est ferrum, non tamen propter duritiam sic dispositus est ensis, sed propter finem scindendi: sic natura assumit materiam talem, verbi gratia, duram pro dentibus, mollem pro carnibus, non tamen propter ipsam duritiam, vel mollitiem determinat talem finem, sed potius propter talem finem assumit talem materiam. Et hinc manet expeditum, quod secundo loco proponit de opinione Antiquorum.*

Quoad tertium *assimilat necessitatem in generatione naturæ necessitati in scientiis demonstratiuis: tùm quantum ad ordinem, tum quantum ad principia quæ necessaria sunt. Quantum ad ordinem quidem, quia ex illo, quod assumitur vt principium, sequitur de necessitate conclusio, finis autem se habet in operatiuis sicut principium in speculatiuis, licèt quantum ad assecutionem, finis sit posterior. Vnde sicut ex principio disposito sequitur conclusio, sic ex fine intento sequuntur media, siue in operatione artis, siue in generatione naturæ. Quantum ad ipsa principia, quia principium demonstrationis est definitio, & similiter finis pertinere potest ad definitionem in naturalibus: finis enim generationis est forma rei, quam significat definitio.*

SVMMA LIBRI III.

IN hoc libro de duobus agit Aristotel. scilicet de motu & infinito, & complectitur totus liber octo capita. De motu agit tribus primis capitibus, de infinito in reliquis: Cur autem de his duobus agat in hoc tertio libro, diximus in principio agendo de ordine istorum librorum.

SVMMA CAPITIS I.

IN *hoc capite duo facit Philosophus.* Primò *præmittit tres diuisiones tanquam quid præsuppositum ad inueniendam definitionem motus, quam traditurus est capite secundo.* Secundò, *ostendit motum cadere in prædictas diuisiones.*

Circa primum, *diuisio est triplex*; prima est. *Ens, aliud est in actu, aliud in potentia. Quæ diuisio non distinguit ens per genera, quia in omni genere inuenitur actus & potentia.* Secunda diuisio. *Ens diuiditur per decem prædicamenta scil. substantiam, quantitatem, qualitatem & cætera.* Tertia diuisio *specialiter est in his, quæ se habent ad aliquid, motus enim definitur per ordinem ad mobile: nam relatiuum aliud est, quod fundatur super abundantiam & defectum, id est super quantitatem penes maius & minus, aliud quod fundatur super mouens & mobile, actiuum &*

& paßiuum, de qua diuisione plura agit Philosophus 5. Metaphys. *tractans de fundamentis, & diuisione relationum.*

Circa secundum *ostendit ad quam diuisionem ex istis pertinet motus, & dicit duo.* Primò, *quòd motus reducitur seu pertinet ad res, ad quas est motus.* Secundum, *quòd motus diuiditur per genera rerum.* Ratio primi est, *quia motus est quid imperfectum in his generibus, & omne imperfectum reducitur ad suum perfectum.* Ratio secundi est, *quia in omnibus generibus inuenitur priuatio & forma, imperfectum & perfectum; vna enim differentia est perfectior, alia imperfectior. Igitur secundum transitum de imperfecto ad perfectum, quod est motus, tot sunt diuisiones motus, quot entis.*

SVMMA CAPITIS II.

IN *hoc capite tria præstat Philosophus.* Primò *definit motum, & particulas definitionis, eius explicat.* Secundò, *ostendit definitionem benè esse aßignatam.* Tertiò, *tractat illam quæstionem, an motus conueniat mobili, vel mouenti.*

Quoad primum *definit motum hoc modo: Motus est* actus existentis in potentia vt tale est, siue provt in potentia est: *dicitur* actus *quia per motum deducitur aliquid omnis actus propriè est illius in quo inuenitur, motus autem semper inuenitur in aliqua potentia, agit enim aliquid vt est in actu, & mouetur provt est in potentia, sicut si aliquid est actu calidum, & potentia frigidum non mouetur in quantum calidum, sed mouetur vt sit frigidum. Tertio dicitur*, in quantum huiusmodi, *quia contingit aliquid esse in actu & potentia: nihil autem mouetur vt est in actu, sed vt est in potentia, sicut ex ære fit statua, non in quantum est æs in actu, sic enim non fit, nec mouetur, sed iam est, sed vt est statua in potentia.*

Quoad secundum *ostendi hanc definitionem benè esse aßignatam: tum directè tum indirectè. Directè quidem, quia eius quod est in potentia, datur aliquis actus, sed ædificabile verbi gratia, vel alterabile in potentia, ergo oportet illi aßignare actum, vel ergo iste actus est ipse terminus, verbi gratia, domus ædificata, vel ipsa actio, id est ædificatio; domus ædificata esse non potest, quia hæc non actuat ædificabile, sed ædificatione reducitur in actum, ergo ædificatio est actus eius, & hæc est motus, ergo motus est actus existentis in potentia. Indirectè verò idprobat, quia definitiones Antiquorum videntur incongruæ, qui dicebant motum esse quandam alteritatem, alij quòd eßet quædam inæqualitas, alij quòd non ens, quia semper in motu aliquid diuersitatis, vel inæqualitatis, vel non entis inuenitur, cùm non semper eodem modo se habeat: sed ex hoc solum sequitur, quòd motus debeat habere aliquid de potentia, & aliquid de actu, cùm sit actus imperfectus, non autem purè collocari in genere non entis, vel inæqualitatis; vel potentialitatis, sed vtrumque debet dici, scilicet quòd sit actus cum aliqua potentia*

Quoad tertium *ostendit, quòd motus conuenit non potentiæ mouenti, sed potentiæ mobili, & sic potest alia definitione definiri motus, scilicet*, quòd sit actus mobilis, *quia & si mouens aliquando moueatur, tamen id non est in quantum mouens, sed in quantum mobile, id est in quantum patitur tangendo.*

SVMMA CAPITIS III.

IN *hoc capite tria facit Philosophus.* Primò *soluit quandam dubitationem ex præcedenti capite relictam, an motus subiectetur inmobili, vel in mouente, & sit actus vtriusque.* Secundò *ponit aliam dubitationem in vtramque partem, & resoluit, scilicet, an actio & paßio sint in eodem subiecto.* Tertiò, *colligit ex dictis, quomodo poßit quilibet motus in particulari definiri ex applicatione definitionis motus in communi.*

Circa primum *ex dictis in capite præcedenti soluit id, quod aliqui quærunt, an motus sit in mobili an in mouente? & dicit subiectari in mobili, vt tamen causatur à mouente, quia actus est in eo, cuius est actus, & quod reducit de potentia ad actum, tale autem est mobile respectu motus.*

Circa secundum *disputat ad vtramque partem difficultatem propositam, an actio & paßio sint in eodem subiecto, supponendo prius quòd actus actiui vocatur actio, & actus paßiui, paßio: quia illud quod est finis & opus vniuscuiusque est actus eius. Vnde arguit, quia si actio est in agente tanquam motus distinctus, sequeretur agens in quantumagens moueri, quia illud mouetur vbi est motus. Si verò est in passo, sequ turquòd proprius actus non sit in eo, cuius est actus nec enim actio est in agente, cuius est proprius actus. Quòd si dicatur, quòd actio & paßio sunt idem motus, sequuntur quatuor inconuenientia.* Primum, *quod idem secundum speciem erit actus diuersorum, scilicet agentis & paßi.* Secundum: *quod idem erit actio & paßio.* Tertiò, *quod idem erit agere & pati, addiscere & docere.* Quartò, *quod omne agens patietur, & patiens aget, formaliter loquendo.*

Hanc autem dubitationem ſoluit Philoſ.dicendo, quòd actio & paſsio ſunt vnus motus, qui ſecundum quod eſt ab agente dicitur actio,& ſecundum quod in patiente dicitur paſsio. Et ſic ſecundum diuerſam rationem eſt actus duorũ,agentis vt à quo,patiens vt in quo. Ad inconuenientia reſpondet. Primò *ad id,quod inferebatur,quòd docens addiſceret,& agens pateretur,negat id ſequi,quia cum agere & pati ſint diuerſa ſecundum rationem ſeu reſpectũ,licèt idem ſecundum rem, non ſequitur quòd cuicumque conuenit vnum, conueniat & aliud ſecundum eandem denominationem.* Ad tertium & ad ſecundum inconueniens *dicit,non ſequi quòd agere ſit pati,& actio ſit paſsio, ſed ſolum quòd ſint idem cum motu,ſeu eadem res quæ eſt motus,ſed diuerſa ſecundum formalitatem, ſicut licèt ſit idem ſpatium inter duos terminos,eſt tamen alia diſtantia vnius termini,& alterius.*

Denique quoad tertium *oſtendit, quomodo poſsit ex definitione motus ſic vniuerſali, definiri in particulari quilibet motus,v.g. alteratio vel motus localis dicendo,quòd eſt actus alterabilis in potentia,prout in potentia, vel mobilis ſecundum locum,&c.*

SVMMA CAPITIS IV.

A Capite quarto incipit diſputare de infinito. Et procedit Phil. hoc modo,quòd in hoc capite quarto diſputatiuè tractat materiam pro vtraque parte. In quinto capite reprobat opinionem de infinito,quæ erat apud antiquos. In capite ſexto incipit determinare veritatem quoad tria. Primò,*quoad an eſt ipſius infiniti.* Secundò, *quoad quid eſt in capite ſeptimo.* Tertiò *reſpondendo ad rationes oppoſitas in capite octauo.*

Igitur in hoc capite quarto,tria facit Philoſophus. Primò, *proponit ſeu ſupponit pertinere ad Philoſophum naturalem agere de infinito.* Secundò, *ponit quaſdam opiniones antiquorum circa infinitum.* Tertiò, *incipit diſputatiuè inquirere veritatem.*

Quoad primum *oſtendit,quòd pertinet ad naturalem tractare de infinito,quia pertinet agere de motu & magnitudine,& continuo,quæ habent rationem finiti vel infiniti, quia habent diuiſibilitatem,quæ vel finitè,vel infinitè diuiſibilis eſt.*

Quoad ſecundum *proponit opiniones Antiquorum de infinito,& quantum ad id,in quo differebãt, & quantum ad id, in quo conueniebant. Et quoad differentiam fuerunt duo ordines Philoſophorum. Primi,qui poſuerunt infinitum in ſubſtantia,vt Pythagoras & Plato, quia Pythagoras reducebat omnia in numeros,quos putabat eſſe ſubſtantias rerum. Plato verò in ideas ſeparatas,quæ erant ſubſtantiæ. Et numeri dicebantur extra cœlum infiniti: ideæ verò carent loco. Alij poſuerunt infinitum in aliquo accidentali,vt naturales Philoſophi, præſertim Anaxagoras,& Democritus,qui ponebant aliquam ſubſtantiam pro primo principio: dicebant autem accidere illi infinitum, ſicut Anaxagoras ponebat infinitas partes ſimiles,v.g.carnis vel oſsis,& quòd qualibet pars erat commixta alteri & confuſa,diſgregabatur autem per intellectum, qui eſt principium rerum. Democritus autem poſuit non partes infinitas,ſed indiuiſibilia finita. Conueniebant autem iſti Philoſophi in hoc, quòd attribuebant infinito quatuor proprietates. Prima,quòd infinitum eſſet principium in entibus,quia infinitum non eſt ex alio principio. Secunda,quòd ſit ingenerabile & incorruptibile, quia ipſum non eſt ex alio. Tertia, quòd contineat & gubernet omnia: id enim videtur pertinere ad principium. Quartò, dicebant infinitum eſſe aliquid diuinum & immortale,quia eſt incorruptibile.*

Quoad tertium *ponit rationes diſputatiuè.* Primò *ad oſtendendum,quod detur infinitum.* Secundò *ad oſtendendum,quod hoc ſit valdè dubium,& difficile.* Et primum oſtendit quinque rationibus,*tum ex ipſo tempore,quod caret principio & fine, vt erat tunc communis opinio: tum ex diuiſione magnitudinis qua vtuntur Mathematici in infinitum:tùm ex perpetuitate generationis & corruptionis,quæ finem non habet: tùm ex eo,quod omne corpus finitum ab alio ſuperiore continetur: aut ergo erit proceſſus in infinitum,aut deueniemus ad aliquod,quod in altero non continetur: & ſi detur primum,erit numerus infinitus,& ſi ſecundum,erit magnitudo infinita illius vltimi corporis: tùm denique ex imaginatione & intellectu,qui in infinitum poteſt imaginari & apprehendere,quidquid autem apprehendit intellectus,dicebant Antiqui,quod correſpondet illi aliquid ad extra.*

Ex altera autem parte oſtendit non eſſe certum dari infinitum, propter multa inconuenientia quæ inde ſequuntur,vt in ſequentibus oſtendetur,& propter multa difficilia quæ in illo inuoluuntur,præſertim vtrum infinitum ſit ſubſtantia vel accidens, & an ſit magnitudo aliqua ſenſibilis, de quibus poſtea tractabitur. Inter multas autem acceptiones infiniti docet propriè infinitum accipi pro eo, cuius tranſitus eſt ſimpliciter ſine fine,vt linea quæ non habet terminum.

SVMMA CAPITIS V.

IN iſto capite impugnat Philoſophus infinitum. Et diuiditur in duas principales partes. In prima *impugnat opinionem Platonis & Pythagoræ de infinito ſeparato.* In ſecunda *impugnat opinionem de infinito ſenſibili, ſeu in corpore naturali.*

Quoad

Quoad primum *ostendit, quòd substantia non potest esse infinita, quia substantia sine quantitate non est diuisibilis: ergo non est infinita, quia infinitum est diuisibile in partes infinitas: nisi sit infinitũ negatiuè sicut punctum, de quo non agimus in præsenti. Si autem substantia est infinita ratione quantitatis, iam non erit infinita in quantum substãtia, neque infinitũ sub ratione infiniti erit principium & elementũ rerum naturalium, vt Platonici dicebant, quia principium debet esse substãtia, non accidens.*

Quoad secundum *impugnat opinionem dicentium inueniri infinitum in corpore sensibili.* Primò, *per rationes probabiles.* Secundò, *per rationes physicas supposito hoc vniuerso.* Tertiò, *nulla suppositione facta, sed absolute.*

Relictis autem rationibus probabilibus, probatur supposito vniuerso non dari infinitum, quia omne corpus naturale, aut est compositum, aut simplex. Si est compositum, non potest esse infinitum, quia elementa, ex quibus componitur, vel sunt finita, & sic non possunt constituere infinitum; vel alterum illorum est infinitum, & non alia, & sic illud infinitum consumet omnia, quia infinitum omnia occupat, & sic non relinquet aliis locum; vel omnia sunt infinita, & sic non poterunt coniungi, ad componendum mixtum; quia vnumquodque occupabit omnia, & sic non poterunt coniungi, nisi penetrentur, quod repugnat. Si autem sit corpus simplex infinitum, illud conuertet in se alia corpora simplicia, quæ sunt elementa, siquidem elementa ad inuicem contrariantur, & vnum agit in aliud, & sic infinitum consumeret omnia alia, nec relinqueret in vniuerso alia elementa, cùm tamen vid amus plura elementa requiri ad vniuersum.

Et ex hoc probatur absolutè, non dari infinitum, quia eius partes vel erunt finitæ vel infinitæ. Si finitæ, non possunt componere infinitum, nisi altera ex eis infinita sit, & illa consumet reliquas, vt supra dictum est. Si verò omnes sunt infinitæ, sequitur quod loca sint infinita & elementa sint infinita, si corpus illud constet partibus dissimilibus, & redit argumentum supra factum. Si autem omnes partes sint similes, sequitur quod tale corpus moueri non poterit, neque secundùm se totum, quia occupat omnia, neque secundum partem, quia non habebit determinatum centrum in illo corpore infinito ad quod moueatur, & sic determinato & ad certum terminum non mouebitur.

Aliis tribus rationibus probat non dari corpus sensibile infinitum, quæ procedunt ex parte loci, quia neque potest moueri sursum neque deorsum, neque habet aliquam determinatam positionem, vt ante & retro, sursum & deorsum, & denique nullum habet locum, neque est alicubi, quia caret omni termino, & circumscriptione, sine qua talia loca & positiones non dantur.

SVMMA CAPITIS VI.

IN *sexto capite determinat Philos. ex propria sententia de infinito, an sit; & in sequenti cap. quid sit? Et in hoc capite duo facit.* Primò *ostendit quomodo infinitum sit & quomodo non sit?* Secundò, *comparat diuersa infinita ad inuicem. Quoad primum dicit infinitum non esse in actu, esse tamen in potentia. Nam quòd infinitum non sit simpliciter in actu, in capite præcedenti probatum est, quòd verò non sit negandum dari in potentia probat: tùm quia alias non daretur tempus infinitum, quod apud ipsum & antiquos Philosophos magnum erat inconueniens, vt dicetur in lib.* 8. *tùm etiam, quia aliàs numerus non esset in infinitum augmentabilis, quantitas non esset in infinitum diuisibilis, sed deueniretur ad aliquam, quæ vlterius diuisibilis non esset: dandum est ergo infinitum potestate.*

Huius *autem occasione declarat Philosophus, quomodo intelligatur dari infinitum in potentia, intelligitur enim infinitum in potentia, non quia sit possibile poni, sicut æs dicitur statua in potentia, quia ex illo fieri potest: sed dicitur infinitum in potentia, vel ratione additionis, vel ratione detractionis, quod præsertim apparet in successiuis, in quibus vnum fit post aliud, vt vnus dies post alium, qui si sine termino succedãt, dicitur infinitũ in potentia cuius vna pars est actu, & reliquæ in potẽtia.*

Quoad secundum *comparat duo genera infinitorum.* Primò, *comparat infinitum temporis & generationis, quod est infinitum successiuum cum infinito magnitudinis: in vtroque enim vna pars post aliam sumi potest, & semper id quod sumitur finitum est, sed in magnitudine partes permanent, in tempore autem & generationibus transeunt.* Secundò, *comparat infinitum additione & diuisione cum eodem infinito magnitudinis: sicut enim magnitudo potest diuidi per partes in infinitum, ita additione potest crescere per easdem, & vtrumque est in potentia infinitum, & assimilatur materiæ, quæ potest recipere infinitas formas: actu autem non habet nisi vnam: differunt autem, quia per diuisionem potest aliquid diuidi in infinitum, si autem per illas partes quæ diuiduntur, fiat additio, non potest crescere in infinitum.*

SVMMA CAPITIS VII.

OStenso *an sit infinitum, procedit in præsenti capite ad explicandum quid sit. Circa quod duo facit.* Primò *excludit aliquorum Antiquorum definitionem de infinito, & quid sit declarat.* Secundò *assignat ex sua definitione rationem eorum, quæ de infinito dicuntur.*

Quoad primum *duo improbat in sententia Antiquorum.* Primum, *quia definiebant infinitũ id, cuius nihil est extra, seu extra quod est nihil.* Secundò, *quia supponebant tanquam per se notum, infinitum esse aliquid perfectum continens omnia. Et primum impugnat dicens, quod potius infinitum debet definiri,* id cuius aliquid semper est extra, id est accipientibus vnam partem, semper alia restat accipienda, *quod ostendit, quia illud cuius nihil est extra, etiam conuenit definitioni totius & perfecti: tunc enim aliquid est perfectum & totum, seu integrum, quando nihil deest eorum, quæ debet habere, ergo confunditur definitio infiniti cum definitione totius seu perfecti.*

Secundum improbat Philos. quia infinitum non est idem quod totum, seu perfectum, licèt habeat quandam similitudinem cum illo, quatenus potestate est totum, non actu: est enim infinitum quod in infinitum potest diuidi vel augeri: vndè secundum se est in potentia: siue ad diuisionem, siue ad additionem sine termino, non tamen actu est sine termino, quare tali infinito magis competit contineri, quod est materiæ & potentiæ, quam continere, quod est totius & perfecti.

Quantum ad secundum *ex definitione infiniti à se tradita, reddit rationem duorum.* Primum, *quare infinitum per additionem non superat omnem magnitudinem: infinitum autem per diuisionem superat omnem paruitatẽ: nam quod crescit per additionem semper tendit ad perfectum, & ad totum, quod vtique finitatem & determinationem habet respectu partium, quas continet. Per diuisionem verò proceditur à toto ad partes, & consequenter ad imperfectum, & ad materiam, quod infinitatem quandam & indeterminationem dicit.* Secundum est, *quare in numeris inuenitur aliquis terminus ex parte paruitatis, scilicet vnitas, non tamen ex parte magnitudinis, seu pluralitatis: cuius ratio est, quia numerus coalescit ex vnitatibus: vnitas autem indiuisibilis est in numerando, quia vltra vnitatem non numeratur. At vero numerus crescit per ipsam diuisionem continui, quæ in infinitum fieri potest, & sic numerus potest crescere in infinitum.*

SVMMA CAPITIS VIII.

IN Hoc capite respondet Philos. rationibus & inconuenientibus contra suam positionem de infinito, & facit duo. Primò *ostendit, se non tollere infinitum, vt ponitur à Mathematicis, neque omnino tollere, vt ponitur à veteribus Philosophis. Nam pro Mathematicis non requiritur, quod detur aliquod infinitum sensibile, sed sufficit quod infinitum imaginabile puta linea aliqua imaginata sine termino: pro veteribus autem dicit posse admitti infinitum pro principio rerum, quatenus materia est vnum ex principiis, & materia est infinita in potentia ratione priuationis termini, & sic se habet ad modum continui infiniti, quod est infinitum in potentia, & se habet vt materia; sed in hoc deficiebant veteres, quia ponebant infinitum continere alia, cùm potius materiæ sit contineri & determinari.*

Secundò *accedit Philosophus ad soluendas rationes supra adductas pro infinito, quæ solutiones in textu sunt satis clare.*

SVMMA LIBRI IV.

INTENTVM Philosophi in hoc libro postquam supra determinauit de proprietate entis mobilis, quæ est motus, est determinare de duplici mensura, altera ipsius mobilis altera ipsius motus. Mensura mobilis extrinseca est locus, & quia oppositum loci est vacuum, agit primò de loco, deinde de vacuo. Mensura verò ipsius motus est tempus, & ita tertio loco agit de tempore. Diuiditur autem totus liber in 14. capita. In primis quinque agit de natura loci: in quatuor sequentibus de vacuo: in quinque reliquis de tempore.

SVMMA CAPITIS I.

IGitur naturam loci inquisiturus Philosophus, tria in hoc capite facit. Primò *præmittit pertinere ad Philosophum naturalem agere de loco.* Secundò *incipit disputationem de loco in vtramque partem; primo quidem probando quòd locus sit; deinde, quæ est tertia pars capitis, ostendendo quod locus non sit.* Circa primum *ostendit ad Physicum pertinere agere de loco: tùm, quia esse in loco est commune omnibus entibus naturalibus; tùm, quia ad Physicum pertinet agere de omni motu, quorum vnus est motus localis, qui sine loco cognosci non potest.*

Circa secundum, *ostendit dari locum; tùm secundum rei veritatem; tum ex opinionibus Antiquorum.* Ex rei veritate, *primò quia stante eodem loco, videmus mutari corpora, sicut exeunte aqua ex vase subintrat aër, ergo locus aliquid aliud est à corporibus contentis. Secundò, quia locus grauium, & leuium non solum ostendit locũ esse aliquid, sed etiam habere virtutem conseruandi locata, & propter hoc illa corpora tendunt ad talia loca, vt ibi conseruentur.* Ex opinionibus autem Antiquorum id *probat. Primò, ex opinione eorum, qui ponebant vacuum: hi enim debebant admittere locum, quia vacuum est locus priuatus corpore. Secundò, ex opinione Hesiodi, qui posuit primo factum fuisse quoddam*

chaos & confusionem rerum, deinde terram latam & spatiosam quasi locum, & receptaculum rerum, quia omnia credebat esse in loco, & sic locus aliquid est etiam secundum opinionem Antiquorum.

Circa tertium *ponit rationes ad probandum, quod locus non sit. Primò, nam si locus est aliquid, maximè debet esse corpus, siquidem habet longitudinem, latitudinem, & profunditatem: non potest autem esse corpus, quia est simul cum locato, corpus autẽ non potest esse simul cum alio corpore: deinde quia quidquid est, habet rationem causæ respectu alicuius; locus autem respectu locati non est materia, cum locata non constent ex illo, neque forma, quia aliàs omnia locata essent eiusdem formæ & speciei, neque finis, cum magis locus sit propter locata: neque efficiens, cùm potius sit terminus motus, ergo nihil. Item quia omne quod est, est in loco, ergo si locus est aliquid, erit in loco, & ille locus in alio, & sic in infinitum. Denique quia si omne corpus est in loco & in omni loco corpus, ergo cum locatum crescit, crescit etiam locus, aliàs non adæquaretur locus locato, sed locus non potest crescere, quia est immobilis, ergo non datur locus.*

SVMMA CAPITIS II.

ANtequam *Aristoteles determinet, quid sit locus, disputat duo in præsenti capite.* Primum, *an locus sit materia vel forma.* Secundò *probat, quòd nec sit materia, nec forma.*

Circa primum, *proponit duplicem rationem. Primam ad probandum quòd locus sit forma. Secundam ad probandum, quòd sit materia. Prima est, quia locus est duplex, alter communis, alter proprius, communis in quo omnia corpora sunt, sicut cœlum est locus cõmunis omnium: quæ sub illo sunt: proprius est, qui adæquatur vnicuique rei, huiusmodi autem est terminus rei, sed forma est terminus vniuscuiusque, quia per formã terminatur materia, ergo locus est forma quæ tamen ratio non concludit, cùm assumat vtramque affirmatiuam in secunda figura. Secundam rationem deducit ex Platone ad probandũ, quòd locus sit materia, quia locus est spatium inter terminos rei continentis, quod non est aliquid sensibile, quia manet idem recedentibus corporibus sensibilibus, & ita illud spatium est per modũ dimensionis interminatæ, hoc autem habet rationem materiæ, quia est aliquid terminabile per lineam & superficiem, quæ terminant magnitudinem: ergo locus habet rationem materiæ, & receptiui.*

Circa secundum, *obiicit ad probandum, quòd locus non sit materia, neque forma.* Primò, *quia materia & forma non separantur ab eo cuius sunt, locus autem separatur à locato, seu locatum à loco:* Secundò, *quia locus est aliquid extra locatum, siquidem locatum dicitur esse in loco, materia autem & forma non sunt extra compositum.* Denique *si locus est materia & forma, erit intrinsecus locato, & sic mouebitur quando mouetur locatum, sed quòd mouetur est in loco: ergo si locus est materia, & forma, locus erit in loco.*

SVMMA CAPITIS III.

AB *hoc cap. incipit Philos. determinare sententiam suam de loco, & in isto cap. præmittit quædam notabilia. In sequenti tradit resolutionem. Præmittit ergo tria.* Primum *quot modis aliquid possit esse in alio.* Secundum, *an aliquo modo possit esse in se ipso.* Tertium *respondent duabus dubitationibus, quæ obiectæ sunt.*

Circa primum *dicit, octo modis aliquid esse in alio.* Primò *sicut vna pars in toto, vt digitus in manu.* Secundò *è conuerso sicut totum in partibus.* Tertiò *sicut species in genere, vt homo continetur in animali.* Quartò *è contra sicut genus in specie, vt animal in homine.* Quintò, *sicut forma in materia, siue accidentalis, siue substantialis.* Sextò, *sicut res sunt in suo efficiente, imperante, aut mouente, vt regnum in Rege.* Septimò, *sicut amans in amato, seu in suo fine.* Octauò, *sicut in vase, aut continente, & vel locatum in loco, ad quem modum reducitur esse in aliquo, vt in tempore mensurante.*

Circa secundum *inquirit, an aliquid possit esse in se ipso? Et respondet, quòd dupliciter potest aliquid esse in se ipso. Vno modo primo & per se, id est ratione sui immediatè. Alio modo secundum alterum, id est secundum partem, quatenus in aliquo toto sunt partes, quarum vna est in alia. Hoc secundo modo dicit, benè posse dici, quòd aliquid est in se ipso, sicut si accipiatur hoc totum, scil. amphora vini dicitur esse in se ipsa, & non in alio vase: sed hoc est ratione partis, quatenus vinum est in amphora: amphora autem non in alio. At verò primo modo nihil dicitur esse in se ipso, neque per se, neque per accidens. Non per se, quia si aliquid immediatè sit in se ipso, immediatè & per se primo erit continens & contentum.*

Non est aliquid in se ipso per accidens, quia esse per accidens, est esse ratione illius quod est per se, sicut anima dicitur esse per accidens in loco ratione corporis, quod est per se. Vndè si hoc modo aliquid est in se ipso per accidens, sequitur duo corpora esse in eodem loco, scilicet illud ratione cuius est in se ipso, & ipsummet.

Circa Tertium *soluit, Primò rationem Zenonis inductam, scilicet, quòd si locus esset aliquid, etiam locus esset in alio loco, & sic in infinitum: respondet, non sequi, quia locus non est in alio per modum loci, sed per modum formæ accidentalis informantis: est enim superficies, quæ inhæret in corpore, sed continet locatum. Secundò soluit dubitationem positam de loco, an sit materia vel forma,*

&

& dicit quòd locus non potest eſſe materia vel forma locati, quia locus est quaſi vas continens & ambiens locatum, materia verò & forma ſunt partes eius intrinſecæ, in quo ſunt.

SVMMA CAPITIS IV.

IN hoc cap. reſolutiuè tradit Philoſ. ſuam ſententiam circa quidditatem loci. Conſiſtit autem eſſentia in cognoſcendo genus & differentiam, & inde eliciendo integram definitionem, & quia inde ſequuntur paſsiones, quæ notiores ſunt quoad nos, ex illiſque aſcendimus ad cognitionem eſſentiæ. Primò *præmittit affectiones, ſeu paſsiones quaſdam loci.* Secundò *genus eius tradit.* Tertiò *differentiam.* Quartò *integram elicit definitionem.*

Circa primum *explicat imprimis quatuor affectiones loci.* Prima, *quòd locus contineat locatum, & non ſit aliquid locati.* Secunda, *quòd locus proprius ſit æqualis locato.* Tertia, *quòd locato nunquã deficiat aliquis locus, vnus enim alteri ſuccedit.* Quarta, *quòd in loco inuenitur aliqua differentia ſurſum & deorſum, vel quia in diuerſis locis vnus eſt ſuperior, alius inferior, vel quia in eodem loco vna pars eſt ſuperior, alia inferior. Denique colligit ad locum acquiri rationem extremitatis non continuæ, ſed contiguæ locato, ſicut patet in loco proprio, qui eſt adæquatus locato, ſolum autem ei adæquatur vltima extremitate, quæ tangit ipſum. Requiritur verò quod ſit contigua, nam ſi ſit continua, erit ſicut pars in toto, non vt continens reſpectu contenti, & locans reſpectu locati.*

Circa ſecundum, *inueſtigat genus loci proponendo, quòd locus debet eſſe vnum ex quatuor, vel enim locus eſt materia vel forma, vel ſpatium inter extremitates continentis, vel tandem aliqua ſuperficies ipſius corporis continentis. Ex his quatuor, locus non poteſt eſſe materia, neque forma, neque ſpatium: ergo ſuperficies vt continens, & hæc eſt genus loci. Quòd non ſit forma nec materia, probat, quia ſunt partes exiſtentes in re quam componunt, nec ab ea ſeparantur: locus autem non componit locatum, ſed eſt in corpore continente. Quòd non ſit ſpatium illud inter extremitates continentis probat, quia aliàs ſequeretur locum poſſe mutari & cum non mutetur niſi ad locum, locus erit in loco. Sequela verò patet, quia ſi aqua ſit in vaſe, locus aquæ erit illud interuallum, quod eſt inter extremitates vaſis, & aquam, illud autem interuallum non eſt niſi vbi eſt vas: ergo mutato vaſe, mutabitur illud interuallum, atque adeò mutabitur locus.*

Circa tertium, *ſtatuitur differentia loci in eo quod ſit immobilis, in hoc enim differt vas à loco, quòd vas continens aquam mutatur, cùm mouetur aqua locus autem non mutatur: deberet enim mutari ad locum, quare locus eſt ſicut vas immobile, ſicut totus fluuius reſpectu nauis, non ſicut aqua proximè circundans nauem.*

Circa quartum *infert integram definitionem loci,* Quod locus eſt ſuperficies corporis continentis immobilis prima. *Dicitur* ſuperficies corporis continentis, *quia adæquatur locus locato, & ſunt ſimul contiguè, non continuè. Dicitur* immobilis *propter rationem iam dictam. Dicitur* prima, *ad differentiam loci communis, reſpectu enim locati prima ſuperficies, quæ occurrit extra, locus proprius eſt.*

SVMMA CAPITIS V.

EXplicata natura loci, duo facit Philoſ. in hoc capite. Primò *declarat, quomodo diuerſa corpora ſint in loco, & quot modis id contingat.* Secundò *ſoluit dubitationes ſupra poſitas* cap. 1.

Circa primum, *conſtat omnia corpora eſſe in loco tanquam locata & contenta in illo, ſolum autem vltimum corpus, ſeu ſphæra eſt continens alia non contenta. Et de hac eſt tota difficultas quomodo ſit in loco, nam ex vna parte mouetur localiter, ex alia non eſt in loco, quia non continetur ab aliquo. Ad quam difficultatem ſoluendam præmittit, quòd quædam ſunt in loco in actu, quædam in potentia: in actu, vt quando corpus continens eſt diuiſum à contento, & illi eſt contiguum: in potentia, vt quando non eſt actu diuiſum nec contiguum, ſed continuum; quia tamen poteſt diuidi & contiguari, dicitur in potentia continere. Dicit ergo quòd vltima ſphæra eſt in loco per accidens & in potentia, non per ſe & in actu, cum enim omnes partes circumuoluantur, non datur vltima quæ ſit continens aliam, ſed quælibet continuatur alteri, & continetur in potentia ab illa.*

Circa ſecundum *reſpondet Philoſ. ad rationes ſupra poſitas, deinde reddit rationem, cur corpora tendant ad loca naturalia, & in illis quieſcant. Et primò reſpondet ad ſextam, ſi locus eſſet aliquid quod augeretur aucto corpore, & dicit hanc rationem procedere perinde ac ſi locus eſſet ſpatium inter extremitates corporis continentis: cùm autem ſit ſuperficies continens, non creſcit augmentato corpore, ſed cedit ipſi, vt occupet maiorem locum. Ad primam reſpondet locum non eſſe corpus, ſed terminum ſeu ſuperficiem corporis continentis aliud. Denique ad tertiam quòd ſi locus eſſet aliquid, etiam eſſet in loco: reſpondet, quòd locus eſt in alio ſicut ſuperficies in corpore cui inhæret, non tanquam locatum in loco. Deinde aſsignat ex dictis, quare corpora moueantur naturaliter ad ſua loca, & quieſcant in illis, quia enim locus ſe habet, vt continens, & res in vniuerſo naturali ordine ſituantur, ita vt vna immediatè ſit ſupra aliam iuxta ſuam naturam, & proportionem, conſequenter appetere locum proprium*

prium est appetere illud, quod suæ naturæ est magis proportionatum, scilicet suum immediatum, & connaturale continens. Similiter ex eodem sumitur ratio, cur res naturales quiescant in loco proprio, scilicet quia perueniunt ad terminum sibi magis connaturalem & proportionatum.

SVMMA CAPITIS VI.

AB hoc capite incipit secunda pars huius libri, quæ est de vacuo, in cuius tractatu tali ordine procedit Philosophus, quod primo disputat in vtramque partem, an sit vel non sit vacuum iuxta diuersas veterum opiniones, & hoc in cap. 6. *Deinde* cap. 7. *explicato quid significet vacuum iuxta opiniones Antiquorum, soluit eorum rationes, qui ponebant vacuum & tandem cap. 8. & 9. ostendit vacuum non esse in natura.*

Igitur *in hoc c. 6. duo facit Philos.* Primò *ostendit, pertinere ad naturalem tractare de vacuo.* Secundò *disputat in vtramque partem, an detur vacuum.*

Circa primum, *constat pertinere ad naturalem tractare de vacuo, quia pertinet tractare de loco: locus autem carens omni locato vacuum est.*

Circa secundum, *refert imprimis opinionem Anaxagoræ, qui contendebat non dari vacuum, sed tamen eius rationes solum probabant aërem non esse vacuum, sed verum corpus exemplo vtrium inflatorum, qui compressioni resistunt, nisi aër emittatur. Antiqui autem qui vacuum ponebant, non dicebant illud esse aërem, sed spatium omni corpore carens, quale est extra vniuersum, aut quale ponebant Leucippus & Democritus, vt corpora discontinuarentur, quia si omnia esset plenum, putabant omnia corpora continuari & esse vnum. Sic ergo reiecta sententia Anaxagoræ, ponit rationes eorum, qui dicebant dari vacuum.* Prima, *quia si non daretur vacuum, non daretur motus in loco, nam corpus quod mouetur, vel excipitur in aliquo spatio pleno vel vacuo. Si hoc secundum, habetur intentum: Si primum, ergo penetrantur duo corpora, quod est impossibile.* Secunda ratio est, *quia in condensatione partes comprimuntur, & non penetrantur, ergo dabantur aliquæ vacuitates non repletæ partibus, quas partes compressæ subintrat.* Tertia: *viuentia augentur sumpto alimento, & alimentum est corpus, quod non potest penetrari cum corpore viuentis, ergo in aliquibus vacuitatibus seu poris intrat, datur ergo vacuum.* Quarta: *si in vas plenum cinere infundatur apud, tantum aquæ capit, quantum sine cinere, ergo aliqua vacuitas est inter partes cineris, quibus aqua excipitur, penetrari enim cum cinere non potest.*

SVMMA CAPITIS VII.

IN hoc cap. duo intendit Philos. Primum, *declarare quid nomine vacui intelligatur.* Secundum, *instare rationes præcedentis cap. ostendendo efficaces non esse.*

Circa primum *assignat, quomodo vacuum accipiatur secundum communem hominum acceptionem, deinde quomodo secundum Platonicos, tandem quomodo secundum sententiam quam sequitur. Communiter ergo dicebatur vacuum, locus in quo est nihil, accipiebant enim veteres pro eodem corpus tangibile, & ens, quia nihil præter corpora dari putabant. Remouet autem hanc acceptionem, quia cùm apud veteres solum corpus tangibile diceretur esse corpus, si in aliquo spatio poneretur color vel sonus, id est corpus cum colore vel sono, sed non cum qualitatibus tangibilibus, illud esset vacuum, quia careret corpore tangibili, & tamen in illo non esset nihil, quia esset aliquod corpus. At verò Platonici dicebant vacuũ esse id, in quo non est hoc aliquid, nec substãtia vlla corporea. Et cùm hoc aliquid sit per formam, dicebant aliqui vacuum esse materiam corporum. Quod reprobat, quia materia non separatur à corpore quod componit: locus autem & vacuum separatur à corpore locato, neque componunt illud. Ex propria verò sententia dicit, quòd vacuum est locus priuatus corpore, & consequenter aptus repleri: vndè nec est spatium separatum à corpore, neque illi intrinsecum.*

Circa secundum *instant rationes supra factas, quæ non concludunt.* Non prima *quia motus localis neque est in vacuo, neque in pleno penetrando illud, sed quia plenum cedit corpori intrante aëre ipso vel aqua impellente alias partes, aut etiam addensante se.* Non secunda, *quia condensatio fit per compressionem partium, quæ recipiunt se, non in aliquas vacuitates, sed in poros plenos aëre vel alio tenui corpore, quod per compressionem excluditur.* Non tertia *quia augmentum in viuentibus non requirit vacuitates, in quibus intret alimentum, sed sufficit quòd intret in poros, qui sunt pleni aëre vel alio corpore tenui, quod excluditur per alimentum.* Non quarta *quia in cinere non oportet ponere vacuitates, sed partes plenas aëre, qui excluditur per aquam.*

SVMMA CAPITIS VIII.

IN hoc cap. & in sequenti probat Philos. non dari vacuum. In isto quidem cap. rationibus à motu petitis ostendit non dari vacuum separatum à corporibus, tanquam in quo fiat motus. In sequenti

verò

verò etiam abstrahendo à motu, & similiter non dari aliquod vacuum intra ipsa corpora propter condensationem.

Igitur *in hoc cap. procedit duplici via ad negandum vacuum.* Prima *est ex ipsa ratione motus naturalis.* Secunda, *ex ratione velocitatis & tarditatis.*

Circa primum *ostendit non debere poni vacuum propter motum, vt dicebant Antiqui, imò vacuũ obstare motui, quia motus naturalis fit in aliquid determinatum, vt ibi melius res conseruetur, vacuum autem non conducit ad conseruationem: nec est ratio cur moueatur magis corpus in hanc partem quàm illam, cùm nullæ tunc essent differentiæ partium. Si autem non est motus naturalis posito vacuo, quia non est differentia locorum, in quam fiat inclinatio, nec etiam erit motus violentus, quia hic est declinatio quædam à motu naturali: nec etiam dabitur motus proiectionis, quia proiecta feruntur extra proÿcientem propter repercussionem aëris, qui ipso impulsu impedit, ne lapis, verbi gratia, descendat deorsum ferendo illum, quod totum tollitur posito vacuo.*

Circa secundum *probat non dari motum ex ipsa ratione velocitatis in vacuo: velocitas enim vel tarditas prouenit, aut quia medium est rarius, aut quia mobile est ponderosius. Et ex vtraque parte sequitur, quòd in vacuo motus ita erit velox, quod fiat in instanti. Ex parte quidem medÿ, quia eadem est proportio motus facti per medium crassius ad eum, qui fit per medium rarius, quæ est inter ipsam crassitudinem & tenuitatem medÿ, vt si verbi gratia medium sit duplo rarius, mobile duplo celerius feretur: ergo vbi nulla est proportio raritatis medÿ ad crassitudinem, nulla erit proportio celeritatis: vacui autem ad plenum nulla est proportio in tenuitate, ergo nulla erit proportio in celeritate motus, & consequenter si in medio pleno consumitur tempus, in vacuo nullum consumetur. Ex parte autem ipsius mobilis idem ostenditur, quia ideo mobile quanto ponderosius est, & figura magis accommodata, celerius mouetur, quia vehementius scindit aërem, seu corpus medium, ergo vbi nullum est medium, quod scindatur vt in vacuo, nihil obstabit vt summa velocitate feratur, imò tantum descendet minus graue, quantum magis graue, quod est absurdum.*

SVMMA CAPITIS IX.

IN *hoc cap. duo probat Philosophus;* primum est *non dari vacuum etiam præscindendo à motu.* Secundum *non dari vacuum intra ipsa corpora, ratione condensationis vel raritatis.*

Quantum ad primum *ostendit, quòd in vacuo non est corpus quod cedat corpori si in eo ponatur, ergo si vacuum constituitur per dimensiones quasdam interminatas, vt dicebant Antiqui, corpus quod ponitur in illo vacuo, penetrabitur cum illis dimensionibus, cùm tamen non minus illæ dimensiones repugnent penetrationi ratione quantitatis, quàm si esset corpus sensibile.*

Quoad secundum *dicebant Antiqui, non addensari corpora, nisi quia partes se comprimunt, & aliquas vacuitates replent, ne penetrentur, & sic datur vacuum. Quem modum ponendi vacuum ratione densitatis & raritatis ex eo improbat, quia vel intelligitur illas vacuitates seu poros carere omni corpore, vel non esse aliquid distinctum ab ipso corpore, sed subintrare ipsas corporis partes, & causare raritatem. Si primum ponitur idem vacuum, quod hucusque impugnatum est, siquidem vt dicitur caret omni corpore. Si secundum, in primis hoc vacuum non se haberet tanquam spatium, in quo res moueretur, sed annexum esset ipsi corpori & moueretur cum illo, vacuum autem non potest moueri. Deinde tale vacuum cùm sit vacuum raritatis, non esset causa omnis motus, sed solum motus sursum, motus verò deorsum non assignaretur causa ratione vacui. Rationi autem Antiquorum respondet ostendendo, quòd rarum & densum nulla additione & subtractione materiæ fiunt, sed per hoc, quòd eadem materia recipiat nunc maiores, nunc minores dimensiones, sicut enim eadem materia subest modo vni formæ, modo alteri, & eadem est in potentia ad diuersa contraria, ita sub dimensione magna & parua, est eadem materia, quia magnum & paruum quædam contraria sunt. Et sicut calidum fit magis calidum, non per hoc quod aliqua pars, quæ non erat calida, reddatur calida, sed quia tota materia magis reducitur in actum calidi, ita est in raro & denso, non enim adduntur, vel subtrahuntur partes, sed eadem materia suscipit maiores vel minores dimensiones, & transmutatur de imperfecto ad perfectum, vel è contra in dimensionibus habendi.*

SVMMA CAPITIS X.

IN *hoc capite incipit tertia pars huius libri, in qua agitur de tempore. Et procedit Arist. tali ordine, quòd* primo *disputat in vtramque partem an sit tempus & refert opiniones Antiquorum circa illud.* Secundò *tradit resolutionem suam.* Tertiò, *affectiones temporis, & dubia quædam circa eius existentiam & vnitatem resoluit.*

In hoc *ergo cap. tria facit.* Primò, *proponit duas rationes ad probandum non dari tempus.* Secundò, *ad inquirendum, an detur vnum nunc in toto tempore.* Tertiò, *refert & impugnat tres opiniones circa quidditatem temporis.*

Circa primum, *probat non dari tempus duplici ratione.* Primò, *quia tempus componitur ex his, quæ non sunt, scilicet præterito, & futuro; ergo ipsum nihil reale est.* Secundò, *cuiuslibet rei diuisibilis existentis, oportet aliquam partem existere, sed temporis nulla pars existit: nam quædam pars est præterita, alia futura, instans verò non est pars, sed vnio partium, ergo tempus nihil est.*

Circa secundum, *obiicit in vtramque partem, an sit idem nunc in toto tempore, an diuersum. Nam quòd non sit aliud, & aliud probat, quia vel essent simul illa duo nunc, vel successiuè. Non simul, quia duæ partes temporis non sunt simul, nisi vna contineat aliam, & sit maior alia, vt annus continet mensem, mensis diem; vnum autem nunc non est maius altero, cùm vtrumque sit indiuisibile. Nec successiuè, quia sic corrumperetur vnum nunc in alio succedente, & hoc non datur, cum immediatè post, non sit aliud nunc. Quòd verò non sit idem nunc, ostendit, quia nullius rei diuisibilis finitæ est dare tantum vnum terminum, sed ad minus duos; tempus autem est quid finitum, ergo debet habere plura nunc, saltem vt extremitates.*

Circa tertium, *refert tres opiniones.* Prima, *quòd tempus est circulacio cœli.* Secunda, *quòd tempus est ipsum cœlum.* Tertiò *quòd tempus est motus.* Primam *refutat, quia pars temporis etiam est tempus, pars autem circulationis non est circulatio.* Secundam *impugnat, quia Authores eius dicunt tempus esse cœlum, quia omnia sunt sub cœlo, & omnia subsunt tempori, ergo tempus est cœlum. Vbi est duplex defectus, quia & arguitur ex puris affirmatiuis in secunda figura, & cum æquiuocatione existendi in cœlo vt in loco, vel in tempore vt in duratione.* Tertiam *ex eo arguit, quia motus est in re mota, tempus autem vbique dicitur esse, & apud omnia.*

SVMMA CAPITIS XI.

IN *hoc capite accedit Philosophia ad explicandam naturam temporis. Et tria facit.* Primò *præmittit quandam suppositionem.* Secundò, *tradit & explicat definitionem temporis.* Tertiò, *ostendit quid sit instans seu nunc, quod etiam spectat ad notitiam temporis.*

Circa primum, *supponit, quòd licèt tempus non sit quicumque motus, non tamen inuenitur sine motu, cuius signum est quia qui motum non recipiunt, vt qui diu dormiunt, non percipiunt tempus, quia coniungunt vltimum tempus quo dormire cœperunt, cum eo in quo excitantur.*

Circa secundum *colligit definitionem temporis quòd sit* numerus motus secundum prius & posterius. *Constat enim quod quia tempus sine aliquo motu non percipimus, & cum percipimus tempus, motum aliquem intelligimus, quod tempus est aliquid motus. Tempus autem non consequitur, nec est aliquid motus, nisi ratione prioris & posterioris, quia tunc cognoscimus tempus, cum cognoscimus in motu rationem prioris & posterioris, si enim accipiamus idem nunc sine aliquo, quod sit prius & posterius, non facimus tempus, distinguere autem prius & posterius in motu non est nisi per numerationem, igitur tempus erit numeratio, seu numerus motus secundum prius & posterius, & hæc est eius definitio.*

Circa tertium, *declarat quid sit instans seu nunc; est enim illud quod est idem in tempore, partes enim transeunt, sed illud quod simul existit de toto tempore est nunc. Hoc autem est partim idem, partim diuersum in tempore. Est idem, quatenus res mota cum qua identificatur mutatum esse & tempus, manet eadem: est diuersum, quatenus subiicitur alij & alij successioni. Ex quo infert verificari tria, quæ attribuuntur instanti.* Primum, *quòd non datur tempus, nisi detur instans & è contra.* Secundùm, *quòd instans distinguit & continuat partes temporis.* Tertium, *quòd nunc non sit pars temporis,* Ratio primi est, *quia instans est sicut vnitas, tempus autem est numerus, non inuenitur autem numerus sine vnitate.* Ratio secundi est, *quia instans comparatur ad tempus sicut mobile ad motum, & sicut punctum ad lineam. Ab vnitate autem, & continuitate mobilis dependet vnitas motus. A puncto autem continuantur partes lineæ, ergo & ab instanti partes temporis.* Ratio tertij est, *quia sicut punctum non est pars lineæ, ita instans cùm sit indiuisibile, non est pars motus, sed continuans vel terminans illum.*

SVMMA CAPITIS XII.

EXplicata *natura temporis, explicat in hoc cap. quædam eius attributa seu proprietates. Et primo numerat quinque proprietates temporis.* Secundò *comparat tempus ad ea, quæ tempore mensurantur.*

Circa primum, prima proprietas temporis est, *quòd detur in eo minimum pro ea parte, qua est*

numerus, non quatenus continuum sicut numero conuenit minimum, scilicet binarius, qui in alium numerum non est partibilis. Secunda proprietas est, *quòd tempus dicitur longum & breue, multum vel paucum propter continuitatem motus, sed non velox vel tardum, hoc enim dicitur per ordinem ad mensuram temporis, tempus autem non mensuratur tempore.* Tertia, *quòd tempus sit quodammodo idem, quodammodo diuersum. Idem quia est vnus motus mensurans alios, diuersum propter diuersas partes priores & posteriores.* Quarta, *quòd idem tempus redit, non numero, sed specie, sicut idem ver & eadem æstas. Quinta, quòd sicut motum designamus tempore, ita tempus motu, sicut rem numeratam designamus numero, & iterum numerum re numerata.*

Circa secundum *comparat motum ad tria, scilicet ad motum seu moueri: ad res, quæ motui subiiciuntur: ad quietem, quæ est opposita motui. Ad motum comparatur, quatenus motus est id, quod primo & per se mensuratur tempore. Ad res quæ sunt in tempore, quatenus in sua duratione subiiciuntur motui. Et sicut in numero quædam continentur vt partes numeri, quædam vt numerata per ipsum: ita in tempore quod est numerus, quædam continentur vt partes, sicut dies est pars mensis, & mensis anni: quædam vt mensurata per tempus, sicut res quæ subduntur tempori.* Denique *quietem docet mensurari tempore sicut motum, eò quòd quies non est pura negatio motus, sed priuatio in subiecto apto moueri, & sic pertinet ad eandem mensuram.*

SVMMA CAPITIS XIII.

IN *hoc cap. explicat Philos. duo.* Primum, *quædam aduerbia significantia, vel connotantia tempus.* Secundum, *quomodo tempus magis dicatur causa corruptionis, quàm generationis.*

Circa primum *explicat, quid significet nunc seu instans, iam, modo, subito, & similia. Nunc sumitur dupliciter. Vno modo pro indiuisibili copulante partes temporis, sicut punctum lineæ. Alio modo pro eo quod est vicinum tempori præsenti, & instat vt fiat, & idem significat iam. Modo, significat præteritum vicinum tempori præsenti. Olim, præteritum remotum. Subito, cùm tempus in quo fit, est ferè insensibile.*

Circa secundum, *tempus dicitur causa corruptionis, quia est numerus motus, mutatio autem seu motus directè remouet aliquid à sui dispositione, & ideo magis innotescit per corruptionem, qua aliquid à suo statu remouetur, quàm per generationem, qua in esse inducitur.*

SVMMA CAPITIS XIV.

DVo *facit Arist. in hoc vltimo cap.* Primò, *explicat vlterius quod dixerat cap. 12. omnem motum esse in tempore.* Secundò, *soluit tres dubitationes, quæ ad perfectiorem explicationem temporis conducunt.*

Circa primum, *ostendit omnem motum esse in tempore duplici signo: tùm quia in omni motu inuenitur velox vel tardum, quod vtique sumitur per ordinem ad multum, vel paucum tempus in motu: tùm, quia in omni motu inuenitur prius & posterius, quod designatur secundum distantiam ad aliquod nunc respectu præteriti & futuri, & hoc pertinet ad tempus.*

Circa secundum *mouet tres dubitationes.* Prima, *quomodo tempus se habeat ad animam, id est vtrum dependeat à cognitione.* Secunda, *quomodo tempus dicatur esse vbique, in terra, mari &c.* Tertia, *de vnitate temporis, videlicet an sit vnum, & in quo motu sit.*

Respondet Philosoph. primò *ad secundam quæstionem quæ facilior est, quòd tempus dicitur esse vbique quia vbique aliquis motus est, siue actu, siue in potentia, nam etiam cum aliquid quiescit, tempori subditur.*

Ad primã *ponit rationem dubitandi quòd videtur tempus pendere ab anima, eò quòd est numerus: numerus autem dependet à numerante, numerans autẽ est anima, ergo dependet tempus ab eius cognitione. Soluit autem dicendo, quòd tempus vtcumque est ens extra animam quatenus in motu inuenitur prius & posterius, quod ab anima numerabile est. Sed quia non habet esse fixum in re, sed transiens, ideò totalitas, seu perfecta ratio temporis, non inuenitur nisi in anima, in re autem solum est imperfectè.*

Ad tertiam dubitationem respondet, *quòd cùm tempus sit mensura, debet esse in motu magis regulari & perfecto. Primus autem motus inter cæteros est motus localis, & inter locales circularis, & inter circulares motus diurnus, qui est primi mobilis, in illo ergo est tempus. Et huic concordant, quæ dicuntur de tempore, scilicet, quòd omnia sunt in tempore, & subsunt illi, & consumuntur à tempore, & quod tempus reuoluitur, & similia, quæ motui cœli conueniunt, & tale tempus vnum est.*

SVMMA LIBRI V.

POstquam Philosophus egit de natura motus *lib.* 3. & de eius mensuris, quæ sunt locus & tempus *in lib.* 4. hic incipit agere de distinctione motus. *Primò* quidem per suas species in hoc

hoc libro. *Deinde* penes quantitatiuas in sequenti. Et diuiditur liber iste in tres partes. *In prima* agit de speciebus motus in communi, duobus primis capitibus. *In secunda* agit de vnitate & diuersitate eius aliis duobus capitibus, vsque ad 4. In vltima de contrarietate motus vsque *ad cap. 6.*

SVMMA CAPITIS I.

IN hoc primo capite, vt incipiat Philos. tradere species motus, duo præmittit. Primò *distinguit motum per se à motu per accidens.* Secundò, *distinguit omnes modos mutationis ex parte termini à quo in terminum ad quem, quæ quatuor modis variari possunt.*

Circa primum, *distinguit motum ex parte termini ad quem in motum per accidens, & simpliciter ex parte, & simpliciter per se primò: per accidens sicut si dicatur de eo quod fit album, quòd mutatur in id, quod cognoscitur, cognosci enim accidit albo: si verò dicatur quòd albefactio est motus in colorẽ, erit motus simpliciter ratione termini in partem, si verò dicatur de eo quod albefit, quòd mutatur in albũ, erit prædicatio simpliciter primo & per se, quia albefactio per se tendit in albedinẽ. Ex quibus colligit, quòd mutatio per accidens omittenda est, quia non consideratur ab arte, quia determinatam rationem non habet: mutatio autem quæ non est per accidens, inuenitur inter contraria, quantum ad motum ad qualitatem, quantitatem, & vbi, & inter contradictioria quantum ad generationem & corruptionem.*

Circa secundum, *ad inuestigandum species motus docet, quòd cum mutatio sit de quodam in quiddam, quatuor modis contingit aliquid mutari: aut de subiecto in subiectum, aut de non subiecto in subiectum, aut de subiecto in non subiectum, aut de non subiecto in non subiectum. Et exclusâ istâ quartâ, quæ non constituit speciem mutationis, cùm non sit inter extrema opposita: nec enim duæ negationes oppositæ sunt, in reliquis tribus dantur species mutationis, & inuenitur motus. Et quidem mutatio ex nõ subiecto in subiectum, quæ versatur inter contradictionẽ, est generatio vel simpliciter si sit substantia, vel secundum quid si sit accidentis, vt ex non albo in album, in quo manet subiectum simpliciter ens actu, & mutatur ex non esse secundum quid in esse secundum quid: si autem subiectum non sit ens actu, sed ex non esse simpliciter fiat, est generatio substantialis. Mutatio autem de esse est corruptio. Et istæ duæ mutationes non sunt motus. Generatio enim substantialis fit ex materia prima, quæ est subiectum generationis, quæ secundùm se & sine forma non existit simpliciter, ergo non mouetur, quia quod mouetur, existit. Quòd similiter corruptio non sit motus patet, quia corruptio opponitur generationi, sed motui non opponitur nisi alter motus, vel quies: ergo si generatio non est motus neque quies, corruptio ei opposita motus non erit. Ex quo infert, quòd motus per se sumptus solum inuenitur in vno modo mutationis, scilicet, ex subiecto in subiectum, seu de contrario in contrarium, intelligendo per contraria non solum extrema, vt album, & nigrum, sed etiam media, vt viride & rubrum, imo & priuatiua. Denique in calce capitis diuidit motum sic per se sumptum in tres species, quia in tribus tantum prædicamentis inuenitur, scilicet ad qualitatem, quantitatem, vbi.*

SVMMA CAPITIS II.

QVod in calce præcedentis cap. insinuauerat Aristot. in tribus prædicamentis dari motum, in præsenti id probat latius; & circa hoc facit tria. Primò, *excludit omnia alia prædicamenta à motu.* Secundò, *concludit ad quæ prædicamenta de facto sit motus.* Tertiò, *soluit dubitationem quandam, scilicet ad quam speciem motus reducatur mutatio, quæ procedit secundum magis & minus in eadem specie.* Et tandem *docet, quomodo aliquid dicatur non moueri, seu quiescere, quia oppositorum eadem est ratio.*

Circa primum, *excludit Philos. motum à prædicamento substantiæ, & à prædicamento ad aliquid, & à prædicamento actionis & passionis, quæ nomine motus comprehendit. Quòd ergo ad substantiam non sit motus propriè dictus, probat ex supradictis, quia substantiæ nihil est contrarium positiuè: motus autem est inter contraria: cùm sit de subiecto in subiectum. Quòd verò ad aliquid non sit motus directè, & propter se, ex eo probat, quia contingit relationem nasci non mutato eo in quo est relatio, sed termino relationis, vt cùm ego reddor æqualis alteri solum ex eo, quòd ille alter de nouo fit: ergo ad relationem non est per se motus, sed solum relatio consequitur aliquam mutationem, sicut ex mutatione circa quantitatem consequitur æqualitas.*

Quòd verò ad actionem & passionem non sit per se motus, probat, quia actio & passio entitatiuè motus sunt, sed ad motum non datur per se motus: ergo. Minorem probat, quia ad mutationem non est mutatio tanquam subiecti, neque enim mutatio est subiectum mutabile; verbi gratia, motus non albescit aut refrigescit, &c. Neque vna mutatio est ad aliam, vt ad terminum ad quem, quia sic deberet esse ad mutationem oppositam, cum termini à quo, & ad quem sint oppositi, & sic ægrotatio esset ad sanationem, & è contra, ergo moueretur simul subiectum contrariis motibus. Secundò, quia sequeretur processus in infinitum: nam si vna mutatio terminatur ad aliam, etiam ad priorem terminabitur

alia mutatio, & ad illam alia, quia eadem est ratio de omnibus: processus autem in infinitum est impossibilis, nam etsi per accidens posset dari processus in infinitum in motibus, vt si res essent ab aeterno, generationes essent ab aeterno: tamen per se non potest in eis dari processus in infinitum, quia non potest dari vltima generatio, nisi detur prima, si enim non datur prima, sed quaecumque data est alia prior, nulla generatio est completa, quia ista generatio quandiu fit, nondum est, sed fit, & similiter illa alia generatio nondum est, sed fit, siquidem ad illam datur generatio, & de quacumque alia retrocedendo in infinitum est verum dicere, quòd fit, & non est, quandiù, ad illam datur generatio; ergo nulla generatio est completa, & consequenter neque genitum, verbi gratia ignis, quem tamen generari videmus.

Circa secundum, *ostendit ex dictis dari motum ad tria praedicamenta scilicet ad quantitatem, qualitatem, & vbi: reliqua enim, vt vidimus, non terminant motum, & vocatur motus ad qualitatem communi vocabulo, Alteratio: motus autem ad quantitatem non habet commune nomen, sed per species suas vocatur augmentum, & decrementum: motus autem ad vbi, vocari potest latio.*

Circa tertium, *ponit illam dubitationem, ad quam speciem motus pertinet illa mutatio à minus ad magis in eadem specie, vt à minus albo ad magis album, & dicit pertinere ad alterationem, quia magis & minus in eadem specie, etiam quandoque contrarietas est; minus album accedit ad nigrum, & magis album recedit.*

Denique in calce capitis tangit de quiete, quae opponitur motui, & dicit tripliciter dici aliquid immobile, vel quietum. Primò, *negatiuè, quod non est aptum moueri vt Deus.* Secundò, *quod difficile moueri potest.* Tertiò, *quod aptum est moueri, & de facili potest moueri, sed actu non mouetur, quod est priuatiuè quiescere, & hoc solum propriè dicitur quiescere.*

SVMMA CAPITIS III.

IN hoc capite incipit secunda pars huius libri, in qua agit Philosoph. de vnitate & diuersitate motus, & in hoc tertio capite praemittit quaedam necessaria ad determinandum de vnitate, & diuersitate eius. In sequenti autem capite determinat, & resoluit. Praemittit ergo in hoc capite definitiones quasdam de iis quae requiruntur ad agendum de vnitate & diuersitate motus, id est quae dicantur esse simul, vel separatim, quid sit tangere, quid sit esse medium, quid consequenter se habere, quid, sit habitum, & quid continuum: & primo definit haec omnia. Secundò, comparat inter se.

Circa primum, *simul secundum locum dicuntur*, quae sunt in vno loco, *scilicet proximo & immediato, seu proprio. Dicuntur se tangere*, quorum vltima sunt simul: *vltima autem sunt superficies, vel lineae. Definit medium quod est illud*, id quod primo pertingit in quod mouetur continuè quàm in vltimum. *Continuè moueri dicitur, quod nihil vel minimum intermittit in motu. Definit ea quae consequenter se habent, scilicet*, Inter quae nihil eorum quae in eodem genere sunt, medium cadit, & vnum post aliud; *quod potest esse vel secundum situm, vel secundum numerum, vel secundum dignitatem, aut perfectionem, vel secundum tempus. Definit contiguum*, id quod consequenter ad aliud se habet, & ipsum tangit. *Definit denique continuum*, cuius scilicet partes vnico modo, seu indiuisibili copulantur.

Circa secundum, *comparat ista tria, scilicet consequenter se habere, tangere, & continuum, & dicit, quòd consequenter se habere, latius patet, quàm se tangere: nam vt aliqua consequenter se habeant, sufficit ordo in positione, vel modo etiam si non tangant, vt quae separata sunt à materia. Tangere autem latius patet, quam continuum, quia omne continuum tangit partem sibi continuam, non tamen omne, quod tangit, est continuum, cum etiam se tangant quae contigua sunt. Vltimò ponit discrimen inter puncta & vnitates. Primò, quia punctum tangit aliquid, scilicet partes lineae, vnitates autem possunt consequenter se habere, sed non necessario tangunt. Secundò, quia inter duo puncta debet reperiri aliquod medium, non enim duo indiuisibilia sunt immediata; non verò inter duas vnitates necesse est dari medium.*

SVMMA CAPITIS IV.

IN isto capite agit Philos. de vnitate, & diuersitate motus: & tria praestat in hoc capite. Primò *ostendit, vnde sumatur, & quomodo, vnitas & diuersitas motus.* Secundò, *quomodo continuitas.* Tertiò, *quomodo regularitas & irregularitas.*

Circa primũ, *distinguit triplicẽ modum vnitatis & diuersitatis in motu, scil. quòd sit vnus genere, vnus specie, vnus numero. Dicitur motus vnus genere, qui pertinet ad vnum praedicamentũ, sicut omnes lationes sunt vnius generis. Specie dicitur vnus, qui ad vnam speciem terminatur, vt dealbatio ad albedinem. Quia verò instari poterat in motu recto & obliquo, qui possunt terminari ad idem punctũ, respondet lationes non solum respicere terminos materialiter, sed lineas, seu media per quae fiunt, est autem specie diuersa linea circularis & recta. Denique dicitur motus vnus numero, seu vnus simpliciter,*

citer, in quo tria concurrunt à quibus eius vnitas numerica pendet, scilicet vnitas subiecti, termini & temporis; quorum si aliquid discontinuatur, non erit motus vnus numero.

Circa secundum, *ostendit, quid sit necessarium vt motus sit continuus, Ad quod respondet tria esse necessaria sicut ad vnitatem, eò quòd motus continuus est vnus.* Primum. *quòd habeat vnitatem speciei, quæ enim differunt specie, non continuantur.* Secundò, *requiritur vnitas subiecti, diuersorum enim subiectorum non potest esse idem motus.* Tertiò, *requiritur vnitas temporis, quia si tempus non est vnum, interrumpitur quiete, quod est discontinuari.*

Circa tertium, *duas causas ponit irregularitatis motus. Prima, ex parte medij, si via ipsa sit obliqua & non recta. Secunda, ex parte mouentis, scilicet quia non eodem modo mouet, sed modo velocius, aut acrius, modo tardius, aut remissius. Denique ostendit motum irregularem, licèt vniformis non sit, posse esse vnum continuitate, minus tamen vnum est quàm regularis, quia plus diuersitatis habet, sicut linea habens angulum, minus vna dicitur, quàm recta.*

SVMMA CAPITIS V.

HOc *cap. & sequenti tangit Philos. vltimam partem huius libri, scilicet de contrarietate motus, & in hoc 5. capite agit de contrarietate motuum, in sequenti de contrarietate quietum.* Circa *contrarietatem motuum tria facit.* Primò, *proponit quinque modos quibus motus contrariari possunt.* Secundò, *remouet ex illis eos, qui veram contrarietatem non faciunt.* Tertiò, *assignat verum modum contrarietatis.*

Circa primum, *numerat quinque modos, seu combinationes, quibus motus possunt esse contrarij.* Primus, *secundum accessum, & recessum ab eodem termino, sicut generatio, & corruptio, ex esse, & non esse alicuius.* Secundus *ratione contrarietatis terminorum à quibus, vt si vnus motus sit ex sanitate, alius ex ægritudine.* Tertius, *secundum contrarietatem terminorum ad quos, vt motus in sanitatem & ægritudinem.* Quartus, *secundum contrarietatem termini à quo, ad terminum ad quem, vt ex sanitate in ægritudinem.* Quintus, *secundum contrarietatem vtrorumque terminorum, vt motus ab ægritudine in sanitatem, contrariatur motui è conuerso à sanitate in ægritudinem.*

Circa secundum, *excludit à contrarietate motuum, tam quartum, quam secundum modum: nam quartus modus inuenitur in vno tantum motu, idem enim motus est à sanitate ad ægritudinem, vt à termino à quo ad quem. Secundus autem, quia contrarietas motuum non accipitur à contrarietate terminorum à quibus: tùm, quia possunt motus à diuersis terminis à quibus terminari in vnum & idem, vt si ex albo tendatur ad viride, & similiter ex nigro: tum, quia termini à quibus relinquuntur, & consequenter contrarietas eorum, contrarietas autem quæ relinquitur non constituit contrarietatem, sed quæ assumitur, & ad quam tenditur.*

Circa tertium *concludit, quòd contrarietas sumitur in motibus secundum tertium & quintum modum, in mutationibus autem secundum primum. Hi enim restant exclusis illis duobus. In motibus enim contrarietas accipitur secundum speciem, & rationem ipsorum, propriè autem ratio motus est à quodam in quiddam, ergo secundùm contrarietatem istorum sumitur contrarietas motus, sic ægrotare est contrarium ei quod est sanari, & addiscere ei, quod est decipi propter contrarietatem terminorum. Secundò, in mutationibus non habentibus contrarium, vt generatio & corruptio, sumitur contrarietas penes accessum & recessum ab eodem termino penes contrarietatem extremorum, quia carent illo, & sic generatio ignis est accessus ad ignem: corruptio verò ignis recessus ab illo.*

SVMMA CAPITIS VI.

IN *hoc vltimo cap. facit duo.* I. *determinat Philos. de contrarietate quietum, tam in motibus, quam in mutationibus. Et* II. *soluit quasdam dubitationes ex præmissis relictas.*

Circa primum, *distinguit de oppositione motus ad quietem, & de oppositione quietum inter se: & quidem motus & quies opponuntur non contrariè, sed priuatiuè nec tamen opponitur omnis motus omni quieti, sed vnumquodque in suo genere, sicut motui locali quies in loco. Et loquendo secundum veritatem quies in termino à quo est, qui contrariatur motui, sicut motui ab albo in nigrum contrariatur quies in albo, non autem contrariatur quies in termino ad quē, quia potius motus est causa talis quietis, & ad eam tendit, non autem vnum oppositum est causa sui oppositi. At verò quies, & quies opponuntur sicut ipsi motus penes contrarietatem terminorum, in quibus est quies, sicut quies in sanitate cōtrariatur quieti in ægritudine. In mutationibus autem quæ non sunt motus strictè dicti, non datur propriè quies contraria mutationi, sed dici potest quòd non mutatio contrariatur mutationi.*

Circa secundum, *proponit tres dubitationes ad exactiorem contrarietatis motuum explicationē.* Prima *circa alium modum contrarietatis, quæ est penes naturale, & violentum in motibus. Primò inquirit, an sicut datur naturale & violentum in motibus localibus, ita inueniantur in aliis generibus motuum, puta alterationis & augmentationis? Et Respondet etiam in aliis generibus dari violentum &*

& naturale, sicut generationes, & corruptiones violentæ sunt præter naturam, & similiter alterationes aliquæ non secundum naturalem cursum proueniunt, vt cum quis dimittitur à febri diebus non criticis, & hoc modo non inconuenit, quòd generatio contrarietur generationi secundum violentiam, & naturam.

Secunda quæstio est, *an detur generatio quietis, ita quòd generatio eius dicatur via ad statum? Quam controuersiam disputat in vtramque partem, nec soluit eam expressè, sed implicitè; dum dicit non generari quietem, dum res detinetur violenter in aliquo loco, sed cùm naturaliter & tranquille.*

Tertia dubitatio est, *quia ex dictis sequitur duo contraria eidem conuenire, dum enim quis tendit ab albo in nigrum, non statim habet totam albedinem, nec statim exuit totam nigredinem, sed partim habet vnam, partim alteram, quod est habere aliquid de vtroque contrario,* Respondet, *habet duo contraria, non simpliciter & in esse perfecto, & quieto, quod repugnat, sed vnum in abiectione, & aliud in acquisitione, & sic contraria aliquando permiscentur in esse imperfecto.*

SVMMA LIBRI VI.

IN hoc libro explicata diuisione motus per species & contrarietates, intendit tractare de diuisione motus penes partes ex quibus integratur. Et totus liber habet decem capita, & tractat quatuor. *Primum est*, quòd motus sicut, & omne continuum est diuisibile, & non constat ex solis indiuisibilibus. *Secundò*, ostendit quot modis diuidatur motus, & quis sit ordo partium, quæ finitas eius aut infinitas. *Tertiò*, ostendit quomodo quies habeat diuisionem. *Quartò*, expedit rationes Zenonis in contrarium circa indiuisibilia, ex quibus dicebat constare motum & continuum.

SVMMA CAPITIS I.

IN *hoc capite duo facit Phil,* Primò, *ostendit continuum in genere loquendo non componit ex indiuisibilibus.* Secundò, *ostendit motum & tempus in speciali indiuisibilibus non constare* Primum *probat duabus rationibus principalibus. Et ad primam supponit definitiones supra traditas continui, contigui & consequenter. Continuum dicitur*, quorum vltima sunt vnum; *contigua*, quorum vltima sunt simul; *consequenter*, quorum nihil est medium sui generis. *Ex quibus format rationem. Quia non potest continuum componi ex indiuisibilibus, neque per modum continuationis, neque per modum contactus, seu contiguationis, neque per modum consequenter; ergo. Non per modum continuationis, neque contiguationis. quia continua sunt, quorum vltima sunt vnum, & contigua quorum vltima sunt simul, in indiuisibilibus autem non est accipere aliquid vltimum, quia carent partibus respectu quorum sit vltimum; ergo. Non etiam se habent consequenter, quia vnum punctum non est immediatum alteri, sed inter quælibet duo puncta est linea media. Quod ostendit, quia duo puncta debent distare situ, & non possunt se contingere, ergo debet aliquid intercedere, quod indiuisibile non sit; sed diuisibile. Denique partes in quas diuiditur continuum, sunt sibi cohærentes & continuæ, ergo si diuideretur in sola indiuisibilia, illa se mutuo tangerent & continuarentur, quod reprobatum est.*

Circa secundum, *loquendo de motu in speciali præsupponit eandem esse rationem de constitutione ex indiuisibilibus in magnitudine, motu & tempore. Quare si magnitudo componitur ex indiuisibilibus etiam motus, qui super eum fit, componetur ex indiuisibilibus. Igitur cùm impossibile sit aliquid simul moueri, & mutatum esse, aut quando mouetur nondum mutatum est, aut simul mouetur & mutatum est, hoc posterius stare non potest, ergo primum: & consequenter motus non constat ex indiuisibilibus, quæ sunt mutata esse, sed ex partibus motus. Denique idem ostendit dicendum esse de tempore, scilicet quòd non constat ex indiuisibilibus, nam si sit magnitudo diuisibilis in quinque palmos, & detur mobile vnius palmi, prius tempore decurret partem vnius palmi, quàm omnes simul, ergo constat partibus diuisibilibus.*

SVMMA CAPITIS II.

IN *hoc cap. vlterius prosequitur Philos. id quod in fine cap. præced. attigerat, scilicet tempus componi ex partibus diuisibilibus, & non ex solis indiuisibilibus. Et ad hoc ostendit duo.* Primum, *quòd magnitudo & tempus eodem modo diuiduntur.* Secundò, *quòd eodem modo se habent penes finitum & infinitum.*

Primum ostendit: tùm, quia illa dicuntur æquè velocia, quæ eandem magnitudinem percurrunt eodem tempore, & minorem magnitudinem in minori, si ergo detur aliqua magnitudo diuisibilis, quam pertranseat mobile in tempore determinato mobile æquè velox pertransibit partem illius in minori tempore, ergo & tempus ita est diuisibile sicut magnitudo: tùm, quia idem mobile, quod toto tempore decurri t

decurrit spatium decem palmorum, in medietate temporis decurrit medietatem spatij, & in minori minus, & sic de reliquis partibus in infinitum, ergo diuiditur tempus sicut magnitudo.

Circa secundum *ostendit, quòd infinitas vel finitas temporis se habet sicut infinitas aut finitas magnitudinis, siue sit infinitum in extremis, quod omni extremitate caret, siue infinitum diuisione, quod scilicet in infinitum diuidi potest, quale est quodlibet continuum, vtrique verò temporis finitas aut infinitas proportionatur. Ex quibus colligit aliqua corollaria.* Colligit primò *solutionem argumenti Zenonis, quo probabat nihil moueri, quia sunt infinita indiuisibilia in quolibet spatio, quorum vnumquodque à mobili debet attingi, & sic infinita transiret, quod in tempore finito esse non potest.* Respondet *tamen ad hominem, hoc non sequi, quia sicut spatium est infinitum diuisione, non verò per carentiam terminorum, ita & tempus eandem habet infinitatem.* Colligit secundò, *nec finito tempore infinitam magnitudinem, nec infinito tempore finitam magnitudinem percurri.* Colligit tertiò, *nullum continuum generaliter loquendo solis indiuisibilibus constare, nam si sit magnitudo tribus indiuisibilibus constans, & similiter tempus tribus instantibus, & sit vnum mobile velocius, quod totam illam magnitudinem tribus illis instantibus percurrat, aliud verò tardius, quod tantum duo indiuisibilia eiusdem mobilis eodem tempore consumat. Tunc ergo tale tempus respectu mobilis velocioris diuidetur in tria indiuisibilia, quibus transit illam magnitudinem, & rursus idem tempus diuidetur in duo indiuisibilia, quibus mobile tardum duas illas partes percurrit, ergo aut fatendum erit indiuisibile posse diuidi, aut continuum indiuisibilibus tantum non constare.*

SVMMA CAPITIS III.

AB *hoc capite incipit Philosoph. agere de diuisione motus vsque ad cap.5. in quo incipit agere de ordine partium motus. Et in hoc capit.3. præmittit tria theoremata seu præsuppositiones. In sequenti ponit duas assertiones circa diuisionem motus. Præsuppositiones quas præmittit in hoc cap. sunt tres.* Prima, *nunc seu instans est quoddam indiuisibile. Sumitur autem nunc dupliciter.* Primò, *pro eo quod per se primo tale est.* Secundò, *pro eo quod est tale per accidens, seu secundum alterum. Dicitur nunc per se illud extremum, quo pars succedens alteri vnitur: dicitur nunc secundum aliud ipsum tempus præsens, verbi gratia hic dies, hæc hora, quod tamen secundùm se totum non est præsens. In præsenti loquitur de instanti primo modo; & probat esse indiuisibile, quia si esset diuisibile, sequeretur quòd idem esset præteritum & futurum, scilicet idem nunc quod diuiditur in partem præteritam & futuram, & sic idem nunc partim esset præteritum, partim futurum, aut non esset omnino idem sibi ipsi quasi totum simul existens, quod est contra rationem instantis, in quo non inuenimus successionem sicut in tempore. Est ergo indiuisibile, & consequenter idem est nunc copulans partes præteritas & futuras.*

Secunda propositio, *quam supponit, est quòd in instanti nihil potest moueri aut quiescere. Patet, quia si mobile tantum decurrat spatium digitale vnico momento, mobile velocius minori tempore idem spatium decurret, ergo aliquid erit minus instanti, eritque instans diuisibile. Similiter non quiescit in momento loquendo de quiete priuatiua, quia tunc dicitur quiescere cum non mouetur, quod est aptum moueri, in instanti autem non potest moueri, ergo ibi propriè non quiescit, sed in instanti copulantur partes motus.*

Tertia propositio, *omne quod mouetur est diuisibile. Probat, quia omne quod mouetur transit à quodam in quiddam, & sic partim est in termino à quo, partim in termino ad quem, siquidem si vnum mobile esset in termino ad quem, iam cessaret motus, si autem totum esset in termino à quo, nondum moueretur, ergo necesse est quòd dum mouetur, vtrumque participet. Hoc autem est esse diuisibile, quia quod indiuisibile est, totum est in termino à quo, vel in termino ad quem, vbi non loquitur de generationibus momentaneis.* Videatur de hac ratione D.Th. hîc lect. 5.

SVMMA CAPITIS IV.

IN *hoc cap. ponit Arist. duas assertiones circa diuisionem motus.* Prima est, *motus dupliciter diuidi potest, scilicet diuisione mobilis, vel diuisione temporis.* Primum *probat, quia quando mouetur Socrates diuiditur motus eius secundum partes quæ mouentur, nam alius est motus capitis, alius pedis, vel manus, ergo motus diuiditur secundum diuisionem mobilis.* Secundum *probat, quia omnis motus in tempore fit, & omne tempus diuiditur secundum partes successiuas & fluentes, ergo secundum diuisionem temporis diuiditur motus.*

Secunda assertio, *quinque sunt quæ eadem diuisione, qua motus, diuidi possunt scilicet magnitudo super quam fit motus, tempus, moueri, mobile, forma ad quam est motus, siue sit locus, siue qualitas, siue quantitas. Hæc omnia simul cum motu diuisionem habent, & eandem rationem finiti, vel infiniti, licet non omnes formæ per se diuidantur, sed quædam per accidens vt qualitates in motu alterationis, quæ per quantitatem sunt diuisibiles. Probat hoc sigillatim, nam moueri seu motus in tempore fit, & in minori*

minori tempore minor pars, ergo diuiditur motus sicut tempus. Item forma vel locus si acquiritur certo tempore, eius dimidium medio tempore acquiritur, & similiter si mobile transit aliquod spatium tanto tempore, in medietate temporis dimidium mobilis transibit dimidiam partem spatij. Ergo omnia ista eodem tenore diuiduntur sicut motus.

SVMMA CAPITIS V.

IN hoc capite, & sequenti, postquam egit de diuisione motus, agit de ordine partium eiusdem, & quia in motu inueniuntur & partes motus diuisibilis, & mutata esse quasi indiuisibilia, prius in hoc capite agit de ordine inter ipsa mutata esse, in sequenti de ordine inter ipsas partes.

Proponit ergo in hoc capite tria theoremata, seu propositiones. Prima, *quòd mutatum est: necessario est in eo ad quod est mutatum facta mutatione. Probat per omnia genera mutationum: id enim quod mutatur, deserit terminum à quo, & accipit terminum ad quem, ergo tunc habet mutatum esse cùm habet terminum ad quem, vel saltem aliquid de illo assequitur.*

Secunda propositio, *mutatum esse primò & per se consistit in aliquo indiuisibili. Dicitur autem primo mutatum esse, quòd non ratione alterius, seu ratione partis, sed per se primò ratione sui mutatum est, v.g. ratione partis dicitur aliquid mutatum in die, quia in aliquo instanti, vel hora diei mutatum est, & sic constat quòd tale est indiuisibile, quia si haberet partes, non esset per se primo mutatum, sed ratione partis, aut nullo modo esset mutatum.*

Tertia propositio, *in fine motus datur mutatum esse per modum termini in quo totus motus finiatur: in principio autem motus non datur primum mutatum esse. Primam partem ex eo ostendit quia necessario datur non esse motus, quo finiatur successio eius, hoc autem est mutatum esse ex parte finis, ergo. Secundam partem probat. Primò, ex parte temporis, quia non datur prima pars temporis, ergo nec primum mutatum esse, quia mutatum esse sequitur ex motu, deinde ex parte mobilis. Quia omne mobile diuisibile est si igitur datur prima pars motus, & primum mutatum esse, illa prima pars motus facta est tempore diuisibili, ergo medio tempore confecta est medietas illius partis motus, & rursum in minori tempore minor pars, & sic in infinitum: ergo nunquam est dare primam partem motus, & consequenter neque primum mutatum esse ratione diuisibilitatis mobilis. Et simile argumentum fit ex parte spatij, seu termini qui acquiritur, quia est diuisibile: ergo in eo prius acquiritur aliqua pars media, & priusquam media, alia minor, & minor, quia qualibet diuisibilis est: ergo non est dare primum mutatum esse, sicut nec primum, quod adquiritur per primam partem motus.*

SVMMA CAPITIS VI.

EXplicatis in superiori capite his propositionibus, quæ pertinent ad mutata esse, hic declarat ipsum ordinem, quem habent partes motus, & constat tribus præcipuis propositionibus. Prima, *id quod in aliquo tempore mutatur primò, in qualibet parte illius temporis mutatur. Dicitur primò & per se ad differentiam eius, quod mutatur per accidens, & ad motum partis, vt qui mouetur hac die, dicitur moueri hoc mense: quod ergo ratione sui primò mouetur, vel in omni parte temporis mouetur, vel in nulla, vel in altera tantum. Si in omni parte, habetur intentum, si in nulla, ergo semper quiescit, & sic non est ad rem, loquimur enim de eo quod mouetur. Si in altera tantum, mouetur per accidens, seu per aliud, non primò.*

Secunda propositio, *Ante quamlibet partem motus præcedit mutatum esse versus principium. Patet, quia si toto tempore mouetur, in dimidio temporis mutatum est, & in dimidio illius dimidij, & sic in quacumque diuisione sine termino. Item quia ante quamlibet partem temporis datur instans, ergo & ante quamlibet partem motus mutatum esse, dum durat motus; in instanti enim non mouetur, ergo mutatum est.*

Tertia propositio. *Ante quodlibet mutatum esse, datur moueri. Patet, quia mutatum esse est indiuisibile ipsius motus, sicut instans indiuisibile temporis, sed inter motum nullum datur indiuisibile, quod non præcedat aliqua pars, sicut nec inter tempus aliquod instans, quod non præcedat pars temporis: ergo ante quodlibet mutatum esse datur pars motus. Illud autem à quo extrinsecè incipit motus, non est mutatum esse, quia non est inter motum.*

SVMMA CAPITIS VII.

IN hoc capite postquam egit de diuisione & partibus motus, agit de finitate, & infinitate eius, & comparat illam cum finitate & infinitate temporis: & ponit quatuor præcipuas propositiones.

Prima, *impoßibile est tempore infinito pertransire magnitudinem finitam, & eadem ratio est de quiete, quod intelligitur nisi reiteretur eadem magnitudo finita, vt in circulationibus cœli: & probat, quia*

quia si sit magnitudo finita, & hæc percurrit infinito tempore, vtique medietas eius non infinito percurretur, sed finito, cùm sit minor, minusque consumat quàm tota, transitur ergo medietas spatij finito tempore, similiter ergo aliqua medietas tempore finito transitur, ergo vtraque finito tempore, quia ex duobus finitis non componitur infinitum.

Secunda propositio, *non potest magnitudo infinita pertransiri tempore finito, siue motu vniformi & æquali, siue non, Patet, quia si ex illa infinita magnitudine sumatur pars quædam finita, illa pertransitur tempore finito, ergo similiter sumendo aliam atque aliam finitam, similiter tempore finito percurretur, ergo cùm tempus sit finitum, consumitur numeratione partium finitarum magnitudinis, & tamen adhuc non est consumptum totum spatium, quia infinitum est, & finitis partibus non consumitur, ergo.*

Tertia propositio, *eadem ratio est ex parte mobilis quoad finitum & infinitum, scilicet, quod neque mobile finitum magnitudinem infinitam, neque mobile infinitum magnitudinem finitam, neque infinitum mobile infinitam magnitudinem tempore finito pertranseat, sed oportet adæquari omnia finita & infinita, etiam ex parte mobilis, quia eadem proportio requiritur in mobili, & in magnitudine & tempore,*

Quarta propositio, *non potest dari motus infinitus finito tempore. Constat ex dictis, quia quantitas motus accipitur secundum quantitatem spatij, vnde idem est dicere motum infinitum finito tempore, ac dicere magnitudinem infinitam finito tempore pertransiri.*

SVMMA CAPITIS VIII.

Postquam Philos. *determinauit de diuisione motus, & ordine partium eius, hic determinat de diuisione & partibus quietis, seu stationis: distinguitur autem statio à quieto, quia statio dicitur generatio quietis, & sic de statione dicit tria.* Primum, *quòd omne quod stat, seu ad statum tendit, mouetur, quia nondum quiescit, sed generat quietem.* Secundum, *quòd omne quod stat, in tempore stat, quia non mouetur nisi in tempore.* Tertium, *quòd sicut omne quod per se primo mouetur, in qualibet parte temporis mouetur, ita quod stat, in omni tempore stationis mouetur, & sicut non datur primum in motu, ita neque in statione, seu statu, quia sicut non est accipere primam partem temporis, ita nec primam partem stationis & motus.*

De quiete *autem dicit, quòd non est aßignare primam partem quietis, sicut nec primam partem motus. Ratio est, quia omnis quies est in tempore, non in instanti, sicut supra probatum est, quiescit enim aliquid priuatiuè in eo, in quo aptum est moueri, solum autem potest moueri in tempore.*

In calce capitis ponit & probat vnam propositionem, scilicet, mobile quòd primo & per se mouetur, & non ratione alicuius partis tantum, impoßibile est quòd in aliquo tempore sit in aliquo, in quo primo mouetur, verbi gratia, in eodem loco, vel in eadem dispositione qualitatis. Quod ostendit, quia alias quiesceret & moueretur simul, quod repugnat: moueretur, quia ita supponitur, quiesceret autem, quia cum illo primo tempore ibi sit, & illud tempus sit diuisibile, in quacumque parte illius temporis verificatur quod ibi sit, vndè in vna parte temporis se habet sicut antea, quod est quiescere. Vndè colligit, quod in instanti temporis in aliquo quidem loco est, tamen ibi non quiescit, quia quies non est in instanti, sed in tempore.

SVMMA CAPITIS IX.

In *cap. 9. soluit rationes Zenonis & aliorum, qui tollebant motum diuisibilem & succeßiuum. Sunt autem quatuor præcipuæ rationes Zenonis, tamen prima & tertia in idem coincidunt.* Prima ratio est, *quia si daretur motus, sequeretur idem simul moueri & stare, consequens est absurdum, ergo. sequel. probat. quod mouetur singulis instantibus, moueri non potest, & tunc stat in loco sibi æquali, ergo quiescit, ergo simul mouetur & quiescit.* Respondet *Philos. tempus non componi ex solis instantibus, & ideò benè stat, quòd in instantibus non moueatur: moueatur verè in tempore diuisibili, nec tamen in instantibus quiescit, licèt tunc non moueatur, quia non se habet tunc, sicut prius.*

Secunda ratio, *quæ apud ipsum erat præcipua eamque Achillem vocabat. Sequeretur enim quòd res celerrima non poßit tardißimam aßequi, quod est ridiculum: seq. patet, nam si res celerrima, vt Achilles distet vno stadio à re tardißima, v.g. testudine, & moueatur decuplo velocius illa, nunquam poterit illam aßequi, nam dum Achilles illud stadium percurrit, testudo decimam partẽ progredietur, & dum ille decimam partem transiuit, testudo aliam decimam illius decimæ ambulauit, & sic in infinitum; ergo si motus in infinitum diuisibilis est, nunquam Achilles testitudinem currendo superabit,*

Respondet *hoc argumentum procedere est fallacia eadem, qua à diuisione continui in infinitum secundum partes proportionales, probare vellemus non posse diuidi per partes designatas & finitas totum continuum, in parte enim finita & designata consumuntur illæ infinitæ partes proportionales, quæ*

solum sunt infinitæ in potentia. Vnde cum finitam magnitudinem mobile velox conficiat breuiori tempore, quàm tardum, consequenter omnes illas partes proportionales secundum quas habet infinitatem mobile velox consumet breuiori tempore.

Tertia ratio erat, *quia aliàs sagitta quæ velociter mouetur, simul ferretur & staret, quod iam prima ratione solutum est.*

Quarta ratio Zenonis. *Sint duo mobilia æqualia, quæ per idem stadium moueantur motibus contrariis, & vnum incipiat à medietate stadij, aliud à fine æquali velocitate, ita quòd vnum conficiat medium spatij, & aliud integrum spatium, consequenter medietate temporis vnum alterum superabit, & ex alia parte transiit vnum mobile ex illis totum aliud mobile, quod est eiusdem magnitudinis, ergo eodem tempore pertransiit totum mobile, & mediam partem spatij, & sic tempus integrum erit æquale dimidio.*

Respond. *Aristot. esse fallaciam in eo quod comparat eodem modo transitum per spatium quiescens, & transitum per mobile quod mouetur, quando enim mobilia sunt paris velocitatis æquali tempore transeunt idem spatium quiescens, & medietate temporis medietatem spatij, sed si spatium etiam moueretur, benè posset transire vnum totam longitudinem alterius minori tempore, eò quòd vtrumque se mouet.*

Alias *rationes affert contra motum, quæ minus vrgent, v.g. quia dum aliquid est in motu, neque est in termino à quo v.g. in non albo neque in termino ad quem, v.g. in albo, ergo nec album, nec non album, quæ sunt contradictoria.* Resp. *semper alteram contradictoriam esse veram, scilicet, quod nondum sit simpliciter & ex toto album, est tamen secundum quid scil. in fieri & tendentia.*

SVMMA CAPITIS X.

IN *vltimo capite post destructam opinionem Zenonis duo facit.* Primò, *agit contra opinionem Democriti, qui dicebat atomos per se esse mobiles, & sic ostendit indiuisibile per se mobile non esse.* Et secundò, *ostendit contra Heraclitum non dari mutationem infinitam, sicut ipse dicebat, quòd omnia iugi motu mouebantur.*

Circa primum, *præmittit Philosoph. partes dupliciter moueri in aliquo continuo scilicet propriè & per se vel per accidens & beneficio totius. Indiuisibile ergo inquit non posse moueri nisi motu per accidens, sicut qui est in nauigio, scilicet motu totius, non motu proprio & per se; tùm, quia indiuisibile si mouetur vel est in termino à quo vel ad quem, vel partim in vno, partim in altero; si primum nondum mouetur; si secundum, iam non est motus sed cessauit: si tertium erit diuisibile: non indiuisibile: tùm, quia si punctum mouetur in linea, & attingit spatium æquale sibi, & deinde aliud æquale sibi, constat linea solis punctis, si aliquod spatium minus, dabitur minus aliquid indiuisibili, quod repugnat.*

Circa secundum, *ostendit nullam mutationem esse infinitam, quia omnis mutatio extremis clauditur, ergo nuda est infinita. Anteced. prob. inductiuè in omni mutatione, generatio enim est inter ens & non ens, corruptio è contra, alteratio inter qualitates contrarias, augmentatio & diminutio inter quantitatem maiorem & minorem, latio inter loca diuersa, ergo omnis mutatio terminis clauditur.* In calce *corporis dubitat duo. Primum, quomodo motus localis inter extrema claudatur, præsertim in motu circulari.* Respondet *id tantum mutari, quod potest mutatum esse, sicut id albescit quod potest esse album; cùm ergo mutetur corpus per lationem etiam circularem, habet mutatum esse, & consequenter terminis clauditur. Secundum est, an re vera motus possit in infinitum aliquo modo esse.* Et respondet, *quòd si sumantur motus specie diuersi, potest vnus succedere alteri in infinitum vt lationi alteratio, alterationi accretio, & sic de aliis, sicut esset si mundus duraret in æternum. In vna autem specie motus existimauit Aristotel. aliquem motum posse esse perpetuum, scilicet motus cœli quem posuit ab æterno, de quo lib.8. dicitur.*

SVMMA LIBRI VII.

IN hoc libro incipit Aristot. ex motu quem hucusque explicauit assurgere ad ipsa mouentia, vsque ad primum mouens & primum motorem, quod vberius præstat in lib.8. In hoc autem libro duo præcipuè intendit. Primum est tractare de principio motus vsque ad primum motorem, & hoc cap.1.2.& 3. Secundum est comparare ipsa mobilia & mouentia inter se quoad velocitatem, tarditatem & proportionem quam habent; & hoc capit.4.& 5.

SVMMA CAPITIS I.

VT *ostendat Philos. quod in motibus deueniendum est ad vnum primum motorem, duplicem propositionem ponit & explicat in isto capite.* Prima est, *omne quod mouetur ab alio moueri.*

Secunda, *non dari processum in infinitum in motoribus sed sistendum esse in vno primo, qui moueat & non moueatur.*

Prima ergo propositio, *quæ in fronte libri ponitur, procedit de eo quod primo & per se mouetur, non de eo cuius tantùm pars mouetur, & alia mouet, ibi enim etiam distinguitur mouens & motum. Supponit ergo, quòd id quod per se primo mouetur, vel mouetur ab extrinseco mouente, vt si impellatur ab aliquo, vel mouetur ab intrinseco: si primo modo, constat ab alio moueri, si mouetur ab intrinseco, etiam debet distingui mouens & motum, quia in eo quod mouetur à se, semper est vna pars mouens, & altera mota: ex eo enim quòd totum mouetur, non sumitur sufficiens ratio quòd non sit pars mouens, & pars mota, neque hoc est primo & per se moueri, sed mediantibus partibus.*

Secunda propositio est, *in mouentibus non est abire in infinitum, sed est deuenire ad vnum, qui sit princeps motionis. Ratio est, quia si esset processus in infinitum, daretur infinitus motus finito tempore, quia licèt quodlibet mobile finito & determinato motu moueatur, ista tamen collectio motuum infinita est, & tamen omnia finito tempore mouebuntur, quia motus, qui fit ab vltimo mobili finito tempore absoluitur, ergo &c. Denique vt apertè videatur inconueniens, quod sequitur, si infinita mouentia finito tempore moueantur, etiam si plura sint, vrget inde rationem, quia si omnia illa mobilia in vnum continuarentur, fieret ex illis vnum infinitum mobile, quod finito tempore conficeret infinitam motionem, cùm corpus infinitum etiam si circulariter moueatur, infinitum spatium, conficiat, quamuis breui tempore, vt lib. 3. ostensum est.*

SVMMA CAPITIS II.

IN *hoc capite proponit Philos. vnicam propositionem, scilicet id quod primo mouet, id est non interuentu alterius, coniunctum debet esse ei quod mouetur ab illo. Hanc propositionem probat discurrendo per omnia genera motus, scilicet localem, alterationis, augmentationis.* Et de motu locali *id ostendit, quia omnis motus localis vel fit à principio intrinseco, vel extrinseco; si ab intrinseco, manifestum est id quod mouetur, esse coniunctum ei quod mouet; si ab extrinseco, solum potest quatuor modis moueri, scilicet, tractu, pulsu, vectione, & volutatione, seu vertigine, quos sigillatim explanat, & omnes reducit ad tractum, & pulsum; constat autem quòd impellens & trahens proximum est ei quod mouet, vt constat ex definitione pulsus, & tractus: nam pulsus est motus aut à se, aut ab alio ad aliud; tractus autem est ab alio ad se, aut ad aliud motio; ergo quidquid loco mouet, proximum est rei motæ, quæ primo mouetur.*

In motu alterationis *idem probat, supponendo quòd qualitas ad quam est alteratio, est qualitas tertiæ speciei, vt calor & frigus, humor, siccitas, &c. Id ergo quod primo alterat, coniunctum est ei, quod primo alteratur, vt patet in sensibus, manus enim calefit ab igne distante, quia primo aër ei contunctus alteratur, & ab aëre manus, & in visu species coloris primo accipitur in aëre, inde mouet visum, & similiter se habet in reliquis rebus.*

Vltimo in motu augmentationis *auctio non fit nisi opponendo, & diminutio detrahendo ei, quod augetur vel minuitur, ergo illi debet esse proximum id quod mouet tali motu, & sic in omni motu mouens primo est proximum rei primo motæ.*

SVMMA CAPITIS III.

IN *hoc cap. occasione eius, quod in præcedenti dictum fuit, quòd alteratio ad qualitates tertiæ speciei solum terminator, id latius demonstrat discurrendo per alias species, & ostendendo solum ad illas posse terminari alterationem. Præsertim autem probat non versari alterationem immediatè circa figuram, & circa habitus, verbi gratia, vitia aut virtutes & scientias, quæ omnia in textu clara sunt, nec multum interest ea specialiter exponere.*

SVMMA CAPITIS IV.

IN *hoc capit. & seq. disserit Philosophus de comparatione motuum inter se. Et in præsenti quidem tradit quasi in communi, quæ mobilia aut motus comparari possint inter se. In capit, verò vltimo tradit in particulari quomodo proportiones istorum motuum sint faciendæ. Igitur quantum ad primum in hoc capite proponit duas dubitationes.* Prima, *vtrùm quilibet motus comparari possit cum quolibet motu quantum ad velocitatem, & tarditatem, quam quæstionem postquam disputat in vtramque partem.*

Respond. *quòd vt motus comparari possint, debent esse vniuoci, id est eiusdem generis, sicut non benè comparantur vinum, & sonum, vt dicamus vinum esse acutiorem sono; imò & eiusdem speciei esse debent, sicut non benè comparantur albedo & nigredo, sed duæ albedines, vel duæ nigredines, vndè motus*

motus circularis & rectus, & multo minus alteratio, & latio non benè comparantur, sunt enim diuersæ rationis. Nec obstat quòd aliqua vniuoca videmus non posse comparari, vt multum & parum in aqua & aëre, vel saltem duplum & dimidium, nec tamen comparamus aquam cum aëre in multitudine, aut in duplo; non enim hæc obtinent eandem rationem in aqua & aëre, sed diuersam, dicitur enim aër multus respectu aquæ, quia magis diffunditur & extenditur; aqua verò respectu aëris, quia plus materiæ habet, quæ sunt rationes diuersæ comparationis, & solum secundùm quid comparari possunt, non eo modo, quo aqua cum aqua, & aër cum aëre.

Secunda dubitatio est, *specialiter circa alterationes, & generationes, quomodo comparari possint secundum velocitatem, & tarditatem, cum eis non æqualitas, sed similitudo conueniat.*

Respondet. *alterationes posse comparari quoad velocitatem, si circa eandem qualitatem versentur, & fiant æquali tempore sumitur enim ibi æqualitas ratione continuitatis in motu, similitudo verò ratione qualitatum. In generationibus autem fit comparatio penes velocitatem, & tarditatem, quando res eiusdem speciei æquali tempore gignitur, vel corrumpitur, velociores autem quando æquali tempore diuersum quid generatur, vel corrumpitur, id est magis perfectum & absolutum, vt si eodem tempore membra fœtus in vtero ad maiorem perfectionem euadant.*

SVMMA CAPITIS V.

IN hoc cap. quasdam regulas tradit ad declarandum in particulari comparationes, seu proportiones motuum, & tradit septem regulas circa motum localem, tres circa alterationem & augmentationem. Supponit autem in motu locali inueniri quatuor, scilicet id quod mouet, id quod mouetur, tempus & spatium. Prima regula est. *Virtus mouens aliquod mobile tanto tempore, verbi gratia horæ, mouebit dimidium mobile per duplum spatium eodem tempore.* Secunda, *virtus æqualis mouet dimidium mobilis per totum spatium, quo mouebat integrum mobile dimidiato tempore, quo integrum mouebat. Tertia, si aliqua virtus tantum pondus mouet quodam certo tempore per tantum spatium, mouebit dimidium pondus, dimidio illius temporis per dimidium spatium.* Quarta, *dimidium talis virtutis mouebit dimidium eiusdem ponderis æquali tempori per idem spatium.* Quinta *si aliqua virtus tantum pondus per tantum spatium tanto tempore mouet, non est necesse quòd duplum ponderis dimidio tempore moueat, sed potest esse quòd nullo modo mouere illud possit.* Sexta, *si dimidium virtutis mouet dimidium ponderis per aliquod spatium, non sequitur quòd totum & integrum pondus per aliquod spatium moueat, sicut si multi trahunt nauim per aliquod spatium, non poterit vnus trahere aliquo spatio.* Septima, *cùm duæ virtutes ita se habent, quòd vnaquæque per se aliquod pondus certo tempore per aliquod spatium defert, si coniungantur, poterunt vtrumque pondus per æquale spatium eodem tempore mouere.*

Circa alterationem & *augmentationem ponit tres regulas.* Prima, *virtus quæ auget vel alterat tanto tempore, duplo longiori tempore duplum alterabit, scilicet si perseueret eadem.* Secunda, *eadem virtus dimidio temporis augebit, alterabitque dimidium.* Tertia, *si aliqua virtus certo tempore tantum augeat, vel alteret, non sequitur quòd dimidium virtutis eodem tempore dimidium alteret vel augeat, potest enim nullo modo vinci resistentia passi.* Plura de proportionibus videri possunt apud Magist. Soto super 7. Physicor.

SVMMA LIBRI VIII.

INtentum Aristot. est in hoc vltimo libro ex motu præsertim circulari, quem æternum putat sicut & ipsum mundum, ad vnum primum supremumque omnium motorem ascendere, qui sit magnitudinis & mutationis expers, æternus quoque & infinitus in virtute.

SVMMA CAPITIS I.

IN hoc primo cap. Aristot. tria facit. Primò, *supponit motum ab omnibus admitti, qui admittunt naturam: tùm, quia mundum genitum fecere & consequenter per motum: tùm, quia disputatio de natura est, etiam contemplatio de motu.* II. *refert antiquorum opiniones negantes motus perpetuitatem, duplici enim via processerunt. Quidam vt Anaxagoras dixerunt omnes res quieuisse per infinitũ tempus, deinde à mente per motum fuisse excitata & segregata. Alij vt Empedocles vicissitudinem posuerunt motus & quietis, quiescendo per aliquod temporis spatium, & mouendo per aliud, nunc amicitia congregante, nunc distrahente lite. Tertiò, eas refutans ostendit non dari initium motus, sed ab æterno esse. Primò, ex ipsa natura motus, quia si motus habet principium, vel etiam incœpit ipsum mouens & mobile, vel non cœpit, si cœpit vtique per motum, & sic iam ille non fuit primus motus: si non cœpit, ergo mouens & mobile per infinita sæcula fuerunt sine motu, quod est absurdum, nec enim dabitur ratio, cur modo quam ante, cœpit se mouere.*

Secundò

Secundò, *quia si motus initium habuit, cùm prius non esset, ergo dabatur aliquid prius quam ipse motus, ergo & tempus, quia prius & posterius in duratione tempus est, & tempus siue motu non datur, ergo ante primum motum dabatur motus.*

Tertiò, *nullum fuit initium temporis, ergo neque motus. Anteced. patet, quia in quolibet tempore est sumere instans præsens, sed instans est finis præcedentis, & initium futuri, ergo respectu cuiuscumque temporis designati dabatur ante tempus, & dabitur post. Authoritate etiam id probat, quia omnes præter Platonem dixerunt mundum esse æternum.*

Svmma Capitis II.

IN *hoc cap. refellit Philos. rationes Anaxagoræ, & Empedoclis contra æternitatē motus, & facit duo. Primò eos arguit, quia non reddiderunt causam negandi æternitatem motus, aut non sufficientem, deinde soluit rationes eorum.* Circa primum *ostendit insufficientem causam suæ positionis habuisse Empedoclem, & Anaxagoram, qui dicebant motum non esse æternum, sed incœpisse, quia ita natura ipsa comparatum est. Hoc autem dicitur frustra, quia natura maximè ordinatè procedit, in hoc autem quòd mouentia & mobilia quiescant infinito tempore, aut modo quiescant, modo moueantur, nullus ordo aut ratio inuenitur, quia natura aut semper & necessario operatur, aut si habet variationem, est ex certa causa & ratione, infiniti autem ad finitum nulla est proportio.*

Circa secundum, *ponit tres rationes ad probandum motum non semper fuisse, eisque respondet. Primò, quia nulla mutatio clausa terminis est perpetua, omnis mutatio est clausa terminis, cùm inter duo extrema versetur, ergo non est perpetua.* Secundò, *in motibus particularibus motus incipit & desinit, vt cùm lapis de nouo mouetur, ergo similiter tota collectio motuum in toto vniuerso potuit incipere & poterit desinere.* Tertiò, *quia animalia & præsertim homines incipiunt habere motum nullo facto motu ab exteriori, ergo idem poterit contingere in toto vniuerso, cùm homo sit paruus mundus.*

Ad primā *respondet, concludere mutationem quæ est inter contraria ratione suorum terminorum esse finitam, potest tamen per iterationem perpetuari motus, qui contrario caret, sicut circularis.*

Ad secundam *resp. nullum esse inconueniens, quòd aliquid de nouo incipiat moueri quod ante non mouebatur, sed tamen talem motum in singulari antecedit alius, & illum alius in infinitum versus principium.*

Ad tertiam *resp. falsum esse, quòd motum animalium alius motus ab extra non præcedat; tùm, quia alterationes multæ fiunt ab extrinseco principio in ipsis animalibus; tùm, quia in ipso motu locali, in quo se mouent, apprehensio à causa extrinseca excitatur & mouetur.*

Svmma Capitis III.

PRæmittit *in hoc cap. Arist. quandam diuisionem eorum quæ mouentur. Deinde reprobatis duabus opinionibus antiquorum excludit ex præfata diuisione ea membra, quæ inconuenientiam habent.*

Circa primum, *diuisio talis est, dispositio rerum quantum ad motum vel quietem, solum potest esse triplex; aut enim omnia quiescunt & nihil mouetur, aut omnia mouentur & nihil quiescit, aut aliqua mouentur, aliqua quiescunt. Et hoc vltimum adhuc potest sumi tripliciter, vel enim ea quæ mouentur, perpetuo mouentur, & quæ quiescunt, perpetuo quiescunt, aut è contra nihil est, quod semper moueatur aut quiescat, aut tandem aliqua quandoque quiescunt, quandoque mouentur, alia verò perpetuo mouentur, & alia perpetuo quiescunt.*

Circa secundum *explodit duas sententias extremas. Quidam dicebant nihil moueri, vt Zeno, & Parmenides, contra quos disputare ad Physicum non spectat, quia tollunt motum, qui ad omnes scientias & artes pertinet, probare autem id quod ad omnem scientiam & artem pertinet, non est Physici, sed Metaphysici. Alij è contra dicebant omnia esse in perpetuo fluxu & motu, vt Heraclytus & Cratillus. Quod Aristotel. refutat discurrendo inductiuè per omnes species motuum, nullus enim est qui aliquam intermißionem non recipiat, cùm ad sensum constet, nec semper aliquid crescere, aut decrescere, nec semper aliquid alterari, &c. Ex quo constat falsum esse, quòd omnia quæ mouentur, semper mouentur, & quæ quiescunt semper quiescunt, quia constat aliqua ex motu ad quietem, & ex quiete ad motum transire. Similiter manet exclusum alterum membrum diuisionis, quòd omnia interdum quiescunt, interdum mouentur, vt contra Empedoclem cap. præcedenti ostendit.*

Svmma Capitis IV.

CVm *ad primum motum, & primum motorem inueniendum solum duobus principiis innitatur Philosophia, scilicet, omne quod mouetur ab alio mouetur, & quod non datur in motibus per se*

processus in infinitum, licèt hæc principia posuerit in initio 7. libri, nunc explicat illa vberius, & in hoc quidem cap. intendit ostendere illud primum, in sequenti secundum. Et tandē in 6. cap. colligit dari vnum primum motorem. In hoc ergo c. 4. facit tria. Primò, *ponit tres diuisiones seu diuersitates eorum quæ mouentur.* Secundò, *incipit probare per inductionem omne quod mouetur ab alio moueri: & tandem* tertiò *colligit ipsam propositionem esse veram, quòd omne quod mouetur, ab alio mouetur.*

Circa primum. Prima diuisio *est eorum, quæ mouentur aut mouent, quædam per accidens, quædā per se id habent, dicuntur autem per accidens mouere, aut moueri, quæ insunt eis quæ per se mouent aut mouentur, siue vt pars, siue vt accidens, sicut Socrates per se loco mouetur, album verò per accidens.* Secunda diuisio, *eorum quæ per se mouentur alia per se, alia ab alio, alia secundum naturam, alia præter naturam. Et dicuntur moueri secundum naturam, quia habent in se principium motus vt animalia.* Tertia diuisio, *quæ ab alio mouentur, quædam etiam naturaliter mouentur, vt inferiora deorsum, quædam præter naturam, vt inferiora sursum.*

Circa secundum, *incipit inductione ostendere, quòd omne quod mouetur, ab alio mouetur.* Primò *enim id perspicuum est in omni motu præter naturam seu violento, hoc enim est à principio extrinseco.* Secundò, *in motu viuentium, in quibus datur pars mouens & mota, & mouentur ab anima, sicut nauis à nauta.* Tertiò, *dubitationem habet in motu naturali inanimatorum, scilicet in grauibus & leuibus: constat enim non moueri à se ipsis, quia hoc est proprium viuentium, & eorum, quæ possunt sistere motum suum, & quiescere cum voluerint, quòd non habent grauia & leuia. Similiter habent partes omnino similes, & ita vna non se habet vt mouens, & alia vt mota, quòd requiritur in his, quæ mouentur à se. Vt ergo videatur à quo principio moueantur naturaliter, dicit quòd grauia & leuia possunt esse in potentia ad formam, quā grauia sunt, antequam sint genita sicut aqua est potestate aër, & aër est in potentia aqua: vel possunt esse in potentia ad motum, etiam postquam grauitatem habent, & hæc est potentia ad actum secundum quem habent sublato impedimento, similiterque ad locum ad quem mouentur, tanquam ad naturalem sedem vbi quiescant, & in qua conseruentur. Igitur grauia & leuia per accidens mouentur à tollente impedimentum, à quo tamen non mouentur per se, per se autem mouentur ab eo quod generauit, seu fecit leue & graue, ex quo colligit, omne quod mouetur ab alio moueri, quod est vltimum intentum in hoc capite.*

SVMMA CAPITIS V.

IN *hoc cap. secundum principium Aristot. proponit & explicat, scilicet, non posse procedi in infinitum, sed deueniendum esse ad vnum primum, quod moueat & non moueatur, & principaliter tria facit.* Primò, *ostendit non dari processum in infinitum in causis mouentibus.* Secundò, *non esse necesse quòd quidquid mouet, ab alio moueatur, sed posse aliquid mouere, & non moueri. Tertiò explicat, quomodo id quod se mouet, sibi ipsi possit esse causa motus.*

Circa primū, *ostendit non esse processum in infinitum, sed deueniendum esse ad vnum primum mouens immobile, quia quidquid mouetur, necesse est moueri ab alio, vel ergo id à quo mouetur, mouet se, vel rursus ab alio. Si à se tantum, in eo sistitur, & est primum mouens, quod non mouetur vt moueat. Si mouetur ab alio & illud rursus ab alio in infinitum: ergo in talibus mouentibus non datur primum, & consequenter, neque vltimum, cum hoc ab illo pendeat, remoto autem primo & vltimo mouente, nullus est motus.*

Circa secundum, *probat non omne quod mouet necessariò moueri, quia vel omne quod mouet, debet moueri eadem specie motus vel alia, non eadem, alioquin qui doceret Geometriam, deberet eam addiscere, & qui saxum voluit, etiam deberet volui. Si diuersa cùm non sint infinitæ species motuum, sed finitæ, necessario est standum in aliquo, quod nulla specie motus moueatur. Quòd si dicatur esse recursum & circulum inter ista mouentia. Contra est, quia tunc sequeretur moueri aliquid à mouente secundum motum eiusdem speciei, quia si mouens motu locali, mouetur ab alteratione, & hoc ab augmentatione, & illud à motu locali: ergo de primo ad vltimum mouens motu locali, mouetur à motu locali: ex quo colligit non esse dandum processum in infinitum, sed deueniendum ad vnum, qui sit primum mouens, & princeps omnium motuum, quia per se mouens est.*

Circa tertium, *probat, quòd non potest aliquo modo dici, quòd totum mouet se totum, ita quòd primo & per se sit mouens, & motum, quia si se totum moueret, esset idem alterans & alteratum, sanans & sanatum, in actu & potentia respectu eiusdem: deinde nec potest dici, quòd totum sic se mouet, quòd vtraque pars vtramque partem mouet, quia sic non daretur vnum primum mouens in quo sisteretur, sed vtrumque esset primum, & neutrum, quia vtrumque mouet, & similiter vtrumque mouetur ad inuicem, imò hoc perinde erit, ac si totum moueret se ipsum primo & per se: quare in mouente se necesse est, quòd vna pars sit mouens, & alia mota: & istæ partes ita se habere debent in toto, quòd se tangant mutuo, aut vna ab alia, & sic mouens & motum debent esse simul secundum contactum. Et hac ratione dicitur illud totum mouere se ipsum, quia cùm sint ibi tria, scilicet, mouere, moueri, & se mouere, hoc vltimum conuenit toti, non quòd moueat totum, vel à toto moueatur, sed quòd*

quòd in se habendo partem mouentem & motam, per aliquid sui mouet aliquid sui, & sic modet se ipsum. Colligit ergo ex dictis dari aliquod primum mouens immobile, aut cuius pars moueat, & ab alio non moueatur, cum non procedatur in infinitum in mouentibus, & mobilibus.

Svmma Capitis VI.

T*Ria in hoc capite demonstrat Philosoph.* Primum, *quòd primus motor sit sempiternus.* Secundum, *quòd sit vnus.* Tertium, *quòd primum illud, quod à primo motore mouetur, est sempiternum.*

Primum ostendit, *ex eo, quia semper fuit motus, ergo semper fuit mouens, & primum mouens.*

Secundum ostendit, *quia omnes motus reducuntur ad vnum, scilicet ad motum cœli, qui æternus est, & maximè vniformis; ergo ad vnum motorem debent reduci, si enim ad duos reduceretur, non esset vnus, & continuus. Quòd si dicatur, motores orbium sub primo mobili per accidens moueri, & sic primus motor poterit moueri per accidens: & tamen esse principium motus perpetui & continui.* Respondet *motores orbium non moueri per accidens motu accepto in se sicut anima moto corpore, sed motu recepto in ipsis orbibus, quatenus orbis inferior rapitur ad motum superioris orbis, & ideo stat motores orbium esse causas motus æterni.*

Tertium ostendit, *Tùm, quia primum mouens est perpetuum & immobile, ita quòd nec per se, nec per accidens mouetur: ergo id quod immediatè ab ipso est motum, æternum est. Tum, quia nisi daretur primum mobile, quod sempiterno motu & indefectibili moueretur, non essent perpetuæ generationes & mutationes horum inferiorum: si enim non daretur corpus mobile, & variabile, & medium inter primum motorem, & ea quæ corruptioni sunt subiecta, cum primus motor eodem modo semper se habeat, hæc inferiora semper eodem modo se haberent, nec variationi essent subiecta.*

Svmma Capitis VII. VIII. & IX.

T*Ria ista capita consumit Philos. in probando, quisnam motus sit primus & dignior inter cæteros, & ex tribus generibus motuum ostendit localem esse primum inter cæteros. Inter locales autem rectum & reflexum non posse esse continuum, & perpetuum, atque adeò nec primum, circularem verò esse primum, quia est continuus, & perpetuus. In capite ergo septimo docet lationem esse priorem aliis motibus natura, tempore, & dignitate.* Natura, *quia potest esse sine illis: siquidem continua est, aliÿ verò motus non, illi verò sine latione esse non possunt saltem sine latione cœli.* Tempore, *quia latio est æterna, & ab æterno, aliÿ motus variantur tempore.* Dignitate, *quia conuenit nobilioribus entibus vt pote animalibus perfectioribus, & cœlis, & his quæ per se mouentur.*

In octauo *autem capite ostendit inter motus locales, neque rectum, neque mixtum, seu reflexum posse esse continuos, & perpetuos, & de recto probat, quia non potest continuari per infinitam magnitudinem, cum illa non detur, & sic non potest esse perpetuus, nisi fiat per recursum & reflexionem à puncto opposito ad oppositum. Motus autem reflexus continuus, & perpetuus esse non potest, quia motus reflexus discontinuatur à directo, cum detur aliqua quies in puncto reflexionis, & quia reflexus, & directus sunt motus contrariÿ, quoniam ad contraria loca tendunt, ergo non sunt idem motus, & continuus. Hinc rursus respondet ad argumentum Zenonis in sexto libro propositum, quòd mobile decurrit infinita indiuisibilia, & partes finito tempore; responderat enim etiam tempus habere similiter infinita indiuisibilia, quæ responsio fuit ad hominem. Nunc secundum veritatem respondet, partes illas actu non esse infinitas, sed finitas: solum verò in potentia infinitas, infinitum autem in potentia, finito tempore pertransiri potest.*

In cap. 9. *ostendit, nullam esse repugnantiam in motu circulari, vt continuus, & æternus sit, & reddit ad probandum, quomodo id repugnet aliis motibus: in circulari enim motu redditur ab eodem puncto ad idem punctum, & principium coniungit fini, vndè nec debet in reflexione quiescere, neque contrariis motibus agitari.*

Svmma Capitis X.

I*Ntentum huius capitis est ostendere, quòd primus motor est indiuisibilis, id est incorporeus, carens magnitudine, & infinitæ virtutis; ad quod probandum præsupponit tres propositiones, deinde interponit dubitationem quandam de motu proiectorum. Tertio concludit intentum. Primò ergo præsupponit tres propositiones*, quarum prima est. Nulla *virtus finita potest mouere tempore infinito.*

Secunda propositio. *In magnitudine finita non potest dari infinita virtus, quod intelligitur de magnitudine materiali quantum est ex vi & proportione formæ materialis.*

Tertia propositio. *In magnitudine infinita non potest esse virtus finita, quia virtus magnitudinis infinitæ vincit quamcumque virtutem finitam, ergo est infinita.*

Circa

Circa ſecundum. *Interponit dubitationem, quomodo proiecta, verbi gratia, ſagitta moueatur, cùm recedat à proiiciente, nec moueri poßit ab aëre, cum ſit eadem difficultas, à quo iſte aër moueatur.*

Reſpondet, *moueri ab impellente quatenus tangit partem aëris propinquam, & illa aliam, & aliam & eam quæ lapidi adhæret ipſum deferre, ceßat autem moueri cum virtus impreſſa minor eſt in conſequenti, quàm in primo; vnde talis motus non eſt continuus, quia licèt propter vnitatem mobilis videatur continuus, eſt tamen diſcontinuus propter diuerſa mouentia, ſcilicet varias partes corporis intermedij mouentes.*

Circa tertium, *colligit inprimis motorem primum eße vnum, quia eſt principium vnius, & ſempiterni motus; eße immobilem quia non eſt proceſſus in infinitum in mouentibus motis ab alio, & ſic non mouetur nec etiam per accidens, quia non habet neceßitatem mouendi, quia ab alio mouetur, ſed à ſe mouet. Similiter non fatigatur in mouendo, quia non patitur motum aliquem, & ſic virtus eius non fatigatur, neque laborat. Exiſtit autem in principaliori parte mundi, quæ eſt vel ſuprema circunferentia, vel centrum; potius autem eſt in ſuprema circunferentia, quia illa velocißimè rapitur, & ſic ibi maiorem vim ſuam exercet primum mouens. Et dicitur eße ibi non per determinationem ſuæ ſubſtantiæ, ad illum locum, ſed per efficaciam motus, quia inde motus incipit.* Et tandem *concludit non habere magnitudinem ſeu corporeitatem, quia hæc vel eßet finita vel infinita magnitudo non datur, vt in tertio probatum eſt: finita autem non poteſt eße, quia primus motor mouet tempore infinito, ergo habet virtutem infinitam, quæ in magnitudine finita eße non poteſt, ergo caret omni magnitudine.* Et ſic finitur textus Ariſtotelis in libris Phyſicorum.

R.MI P. IOANNIS
A S.TO THOMA
ORD. PRÆDICATORVM
CVRSVS
PHILOSOPHICI,
SECVNDÆ PARTIS
PARS II. & III.

Quæ de Ente mobili corruptibili ad Libros Aristot. de Ortu & Interitu, & de Ente mobili animato ad Libros Aristot. de Anima.

SECVNDA PARS PHILOSOPHIÆ NATVRALIS.

PROOEMIVM.

POST explicatum ens mobile in communi in octo libris Physicorum; & ens mobile incorruptibile, quod est cœlum, de quo in secunda parte Philosophiæ tractari solet, nos autem aliqua de hac materia in prima parte insinuauimus. Sequebatur nunc secundum ordinem pars tertia, quia tamen ab huius scientia Tyronibus posset aliquid intermissum censeri, ideoque cursus noster mancus iudicari. Titulum secundæ partis huic tractatui apposuimus iuxta ordinem nostrum, etiamsi secundum ordinem Philosophiæ tertiæ partis titulus apponi deberet. Sequitur igitur in hac tertia parte Philosophiæ & iuxta nostrum ordinem secunda agere de ente mobili corruptibili, & generabili, secundum omnes illos motus, qui ad generationem pertinent, vel ad illam ordinantur, nam secundum quod res generabiles ordinari possunt per motum localem ad acquirendum locum naturalem, & situationem in vniuerso, pertinet de illis agere ad libros de cœlo, & mundo, vbi licet agatur principaliter de cœlo, adæquatè tamen agitur de toto vniuerso, quod componitur etiam ex elementis, secundum quod disponuntur per situationem corporum in ipso.

Totum autem, quod pertinet ad ens generabile, & corruptibile comprehendit Aristoteles duobus libris. In primo explicat omnes mutationes ad generationem & corruptionem pertinentes. In secundo descendit ad explicandum corpora, quibus conueniunt istæ mutationes, scilicet elementa, & corpora mixta, quatenus videlicet sunt principia qualitatum actiuarum, & passiuarum secundum quas fiunt istæ mutationes, ipsaque generatio & corruptio.

Mutationes autem, quæ principaliter ad ipsam generationem consequuntur, vel ordinari possunt ad illam, sunt septem. *Prima*, & principalis, est ipsa generatio substantialis, & eius oppositum scilicet corruptio. *Secunda* & quæ propinquius ad ipsã ordinatur ad alterationẽ quæ genericè est vna, diuiditur vero in tres species, simplicem alterationem, intensionem & remissionem. *Tertia* est nutritio, vel loquendo communis aggeneratio. *Quarta* augmentatio. *Quinta* reactio, & repassio. *Sexta* addensatio, & rarefactio. *Septima* mixtio. Quę omnia in primo libro tractãtur à Philosopho. Circa corpora verò generabilia tria præcipuè considerat in secundo libro, *primo* circa elementa quibus qualitatibus prædita sint, & quomodo inter se cõtrarientur. *Secũdo* circa mixta quomodo tẽperata sint. *Tertiò* circa omnia corpora quæ corrumpuntur, an videlicet possint iterum reproduci hoc ipso, quod semel desinunt esse, quod etiam de quacunque alia re, quæ corrumpitur potest inquiri.

De materia, & ſubiecto horum Librorum.

CONSTAT ex his quæ diximus in quæſtione prima Phyſicorum, ſubiectum adæquatum Philoſophiæ eſſe ens mobile. Licèt autem obiectum formale ſit vnicum, & impartibile, hoc ipſo, quod ſcientia vna eſt ſecundum ſpeciem athomam, tamen ſubiectum, ſeu materia multiplex eſt, quia vna, eadémque ſciẽtia de diuerſis rebus agit, licèt ſub vnica ratione formali. Et ita inquirimus in præſenti, quæ pars entis mobilis pertineat ad propriam materiam, & ſubiectum iſtius tractatus de generatione, quæ pars quædam eſt vnius ſcientiæ naturalis. Et ferè omnes conueniunt, pertinere ad iſtos Libros illud ens mobile, quod eſt generabile, & corruptibile, cùm in nulla alia parte Philoſophiæ agatur de illo, niſi hic, in libris enim de anima agitur de ente mobili animato, quod licèt corruptibile ſit, non tamen agitur de illo, ſecundum quod corruptibile, ſed ſecundum rationem viuentis ſeu animati, & ſecundum motus vitales. In Libris autem de cœlo, vt diximus ſolum agitur de motu incorruptibili, vel de toto vniuerſo, vt componitur ex corporibus ſimplicibus.

Solum poteſt eſſe difficultas, an ſubiectum iſtorum Librorum ſit ens mobile ad formam ſubſtantialem, & ſic ſolum generatio ipſa ſubſtantialis conſideretur per ſe, de alteratione vero aliiſq; mutationibus ad generationem ordinatis, ſolum tractetur quaſi de ſubiecto ſecundario, & quaſi reductiuè, an verò adæquatum ſubiectum ſit ens generabile vt abſtrahit à generabili ſubſtantialiter, vel accidentaliter, licèt principale ſubiectum ſit generabile ſubſtantialiter, ſeu ipſa ſubſtantialis generatio.

Reſpond. in ſententia D. Th. in prooemio libror. de generat. verius videri ſubiectum iſtorum librorum eſſe ens generabile in ſecundo ſenſu allato, ſcil. vt abſtrahit à generabili ſubſtantialiter, vel accidentaliter, licèt præcipuum ſubiectum ſit generabile ſecundum ſubſtantiam, ſeu generatio ipſa ſubſtantialis. Dicit enim: Quod pertinet ad iſtos libros tractare de mot. bus, qui non ſunt communes omnibus corporibus, ſed inueniuntur in ſolis inferioribus (qui vtique ſunt omnes præter vbi, qui etiam in ſuperioribus corporibus inuenitur:) Inter quos principatum obtinet generatio, & corruptio, alteratio enim ordinatur ad generationem, ſicut ad finem, augmentatio etiam conſequenter ſe habet ad generationem; vbi illa cauſalis D. Th. alteratio enim, &c. Non reddit cauſam cur in iſtis libris agatur de alteratione, ſed cur alteratio ſit motus minus principalis, quam generatio, & ita non agitur hic de alteratione ſolum reductiuè, ſed tanquam de ſubiecto minus principali, ſicut Metaphyſica agit de accidente, ſubiectum autem principale eſt generatio ſubſtantialis, ſicut in Metaphyſica ſubſtantia, vel Deus, in Logica demonſtratio, id enim ſignificat D. Th. dicens, quod in his motibus principatum obtinet generatio. Ratio etiam id conſtat, quia alteratio, & augmentatio & reliqui alij ſunt verè ſpecies motus, & per ſe: ergo de illis agit Philoſophia tanquam de aliquo pertinente ad illam per ſe, & non reductiue, ſicut etiam agit de motu locali in libris de cœlo, & de augmentatione hic: ergo aſſignanda eſt aliqua pars Philoſophiæ, quæ per ſe agat de illis, ſicut agit de motu locali, non eſt autem alia pars, in qua tractetur de alteratione, & augmentatione niſi in iſta.

Vnde colligitur, quod ſubiectum iſtorum librorum eſt mobile ad formam intrinſecam, ſecundum quam fit generatio, vel corruptio, vel quæ ad illam ordinatur. Nec propterea agit de aliquo conflato ex ſubſtantia, & accidenti, ita quod ſubiectum eius ſit aliquod analogum, tum quia ſubiectum eius non eſt accidens, & ſubſtantia, ſed mobile ad formam ſubſtantialem, vel accidentalem, quod in ſe quidem ſubſtantia eſt ſubiectiuè, licèt terminatiuè ad aliquid accidentale terminari poſſit: tum etiam, quia de accidenti, & ſubſtantia poteſt tractari in aliqua ſcientia, tanquam de obiecto vniuoco in ratione ſcibilis, licèt ſit analogum in ratione entis ſicut patet in Metaphyſica, quæ eſt vnica ſcientia, & tractat de accidenti, & ſubſtantia, eò quod bene poſſunt res analogicè conuenientes manifeſtari eodem lumine, & ex eiſdem principiis, & ſic in ratione manifeſtabilis, & ſcibilis conuenire vniuocè.

Obiicies, ſi pertinet ad iſtos libros per ſe agere de augmentatione, & nutritione: ergo non pertinebit per ſe agere de illa ad libros de anima, cuius oppoſitũ diximus ex D. Th. in initio Phyſicorum diſtribuentes partes Philoſophiæ, iuxta ſpecies motus, in quibus agmentatio, quia vitalis eſt, pertinet ad libros de anima, vel agetur de augmentatione in eadem ſcientia bis.

Secundò ſequitur, quod tractatus iſte de generatione præcedat tractatum de cœlo, ſiquidem in tractatu de cœlo agitur de motu locali, qui imperfectior eſt motu generationis, cùm terminetur ad vbi, quod eſt imperfectius quantitate, qualitate, & ſubſtantia, ad quæ motus iſti terminantur.

Ad primum reſpondetur, in his libris agi de augmentatione, & nutritione, non vt ſunt motus vitales, & ab anima viuente, ſed vt ſunt mutationes quædam corruptiuæ, vel generatiuæ partialiter. Non eſt autem inconueniens, quod de eodem bis tractetur in eadem ſcientia ſecundum diuerſas conſiderationes ſicut in libris de cœlo agitur de elementis, quatenus in hoc vniuerſo determinatam ſituationem ad locum poſtulant, in his autem libris quatenus ſunt generabilia, & corruptibilia. In initio autem Phyſicorum diximus de motu augmentationis agi in libris de anima quàtenùs vitalis motus eſt, & ab anima procedit, non ſub ratione motus corruptiui.

Ad secundum respondet. *Ad summum probare, quòd libri de generatione sunt priores dignitate, quàm libri de cœlo, non tamen ordine doctrinæ cum potius ab imperfectioribus procedatur. Addo quod licet motus localis ex præciso conceptu ad suum terminum; qui est vbi, sit imperfectior alteratione & generatione, tamen motus localis, qui conuenit cœlo prius tractari debet in Philosophia, quam alij motus, tum quia subiectum talis motus est aliquid dignius, & superius, scilicet ipsum cœlum; tùm quia habet causalitatem motus eius in reliqua inferiora, & sic dato, quod incipiendum sit ab eo quod est dignius & perfectius etiam à motu locali isto, qui cœlo conuenit incipiendum est, quia prout sic causans, est dignior. Denique motus localis vniuersalior est & pluribus conueniens, quam alteratio, & augmentatio, inuenitur enim in omni corpore; à communionibus autem incipiendum est.*

ORDO QVÆSTIONVM.

TOtum tractatum duodecim quæstionibus absoluemus, nouem circa primum librum; & tribus circa secundum. *Prima*, erit de generatione substantiali. *Secunda*, de corruptione ei opposita. *Tertia*, de alteratione in communi. *Quarta*, de alteratione in speciali, vt de intensione, & remissione, &c. *Quinta*, de reactione, & repassione. *Sexta*, de mixtione. *Septima*, de condensatione & rarefactione. *Octaua*, de augmentatione, & nutritione. *Nona*, de subiecto accidentium, & principio indiuiduationis.

Circa secundum librum: *Quæstio decima*, erit de elementis. *Vndecima*, de mixtis. *Duodecima*, de reproductione rei præteritæ.

QVÆSTIO I.

De generatione substantiali.

TRIA *sunt à quibus differt generatio, scilicet ab alteratione, à corruptione, & à creatione, & consequenter à transsubstantiatione, quæ substantiam rei totaliter attingit; Et ideò declaranda est generatio substantialis secundum quod distinguitur ab istis tribus. Prius tamen præmittendum est de quæstione an est generationis, an detur, & quibus principiis à Philosophia inuenta sit, & quomodo definiatur.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit generatio communiter dicta, & generatio propria viuentium?

GEneratio communiter dicta potest sumi pro generatione, vt abstrahit à substantiali, & accidentali, nam etiam accidens aliquando generari potest, scil. si accipiat esse per transmutationem ex non esse, vt mutatio, & non solùm per transmutationem ex contrario, vt motus. Hoc modo sumpta generatione definitur communissimè: Quòd est *transitus, seu mutatio de non esse ad esse, in subiecto*, siue sit esse substantiale siue accidentale, siue secundum quid, siue simpliciter.

At verò generatio substantialis communiter dicta accipi potest pro generatione communiter inuẽta in viuentibus, & non viuentibus, & sic definitur generatio: Quòd est *acquisitio, seu mutatio formæ substantialis à priuatione illius in materia.* Sumitúrq; ista diffinitio ex variis locis Aristotelis, quibus illam explicauit. Nam in octaua Physic. text. 62. dixit: *Quòd generatio est mutatio de non ente in ens.* Et 1. de generat. c. 4. Quòd est *mutatio totius in totum nullo subiecto sensibili manente*, id est in materia nuda ab accidentibus sensibilibus. Denique cap. 5. eiusdem libri dicit: *Quod generatio substantialis est mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu.*

Denique generatio viuentium specialem definitionem habet, quia specialiori modo procedit. Et definiri solet dupliciter, vno modo communiter, quod est *Processio viuentis ab aliquo*: vbi comprehenditur tam generatio viuentium vniuoca, quàm æquiuoca, tam quæ est ab alio viuente, quàm quæ est à non viuente, sicut cum animal generatur à cœlo. Propriè autem definitur generatio viuentium, quando etiam fit per actionem vitalem generatiuã, & sic diffinitur, quòd est *Processio viuentis à viuente à principio vitæ coniuncto in similitudinem naturæ, saltem in specie infima*, & sic comprehendit omnem generationem vitalem, & rei viuentis substantialis etiam in Deo, vt postea explicabimus.

Est tamen aduertendum, latiùs patere generationẽ substantialem, quàm generationem simpliciter. Generatio enim substantialis dicitur per cõtrapositionem ad accidentalem, siue id, quod generatur sit pars siue totum, siue formæ vltimo complentis, & terminantis totam generationem, siue formæ non vltimæ, sed tendentis ad perfectam, & vltimam. At verò generatio simpliciter, licèt nunquam dicatur de generatione accidentis, quæ semper est secundum quid, tamẽ nec etiã dicitur de omni substantiali, sed de illa tantum, per quam habetur esse simpliciter, & vltimatè completam. Vnde generatio partis non dicitur generatio simpliciter, sed potiùs aggeneratio; & de forma embrionis, quæ est imperfecta & quasi in via, & tendentia ad formam hominis, vel equi, non dicitur generatio simpliciter, quia in illo non consũmatur generatio, sed vlteriùs tendit. De quo videatur D.Th. 1. de Generat. lect. 8. & 9.

Circa definitionem generationis substantialis communiter dictæ illa solùm se offert difficultas, an sit de essentiali eius ratione quòd sit mutatio, an verò hoc accidentaliter illi conueniat, ita quòd possit saluari generatio creata sine mutatione, nam de increata id certum est, cùm in ea non sit transitus de potentia ad actum, in quo fundatur ratio mutationis, sed solum est communicatio actus puri assimilatiua termini generati principio generanti.

Circa hoc ergo, aliqui existimant generationem non esse essentialiter mutationem, sed posse esse, hoc tamen sibi accidere. *Fundamentum est*, quia non est de essentia generationis, quod præcesserit duratione priuatio formæ generandæ, licet enim connaturali modo loquẽdo generatio non fiat, nisi præcedat alteratio, quasi disponens materiam, & inchoãs generationem, atque adeò supponens priuationem formæ generandæ duratione præcedere, tamen potest non præcedere duratione priuatio, si in ipso instanti generationis producatur à Deo materia, quæ toto tempore antecedenti non fuerit, & in illo instanti introducatur forma, vt quando ex speciebus Eucharistiæ generatur aliquid, tunc enim in instanti generationis subrogatur à Deo materia, quæ maneat in ipso generato, & posset etiam talis materia subrogari, etiamsi antecedenter nihil aliud præcessisset, quod generet vices materiæ, & consequenter haberet vices rei priuatæ formam, vt si à Deo crearetur materia de nouo, & applicaretur illi agens educẽs formã, tunc illa generatio nõ posset esse mutatio, quia nõ procedit de priuatione ad formã quod requiritur essentialiter ad rationem mutationis, quæ est de non esse ad esse, tunc autem non datur priuatio in toto tempore antecedenti, cùm materia non fuerit, neque in ipso instanti generationis, quia sic esset simul priuatio & forma.

Nec sufficit dicere quòd præcedit priuatio in instanti naturæ, licèt non in instanti temporis. *Nam contra est*, quia instans, seu prioritas naturæ non designat id quod est prius in existendo, & à parte rei, sed solũ signat formalitatem, secundũ quã aliquid dicitur conuenire, vel non conuenire alicui, nõ autem quod de facto conueniat, vel non conueniat, & sic præcedere priuationem in instanti naturæ nihil aliud est, quàm quod materiæ secundum suam essentiam non conueniat forma, seu ex se careat tali forma, non verò quod de facto in re careat, quia in illo instanti nõ potest carere, siquidem in illo instanti habet formã, ergo non saluatur, quòd de facto & in re sit mutatio quia in re non transit de priuatione ad formam, quia in re non datur talis priuatio. Item etiam quia de ratione mutationis est vt subiectum aliter se habeat nunc, & priùs, vt dicit D.Th.1.p.qu.45.art.2. ad 2. sed materia in illo casu non se habet nun aliter quàm prius, siquidem prius non fuit in rerum natura, ergo non dabitur vera mutatio.

Nihilominus dicendum est, *Omnem generationem creatam, quæ habet causam materialem ex qua fiat, essentialiter, & intrinsecè esse mutationem. Constat hoc in primis* quia Philosoph. perpetuò diffinit generationem per mutationẽ, & ita sentit quod est de eius essentia, & definitione. Patet hoc in isto lib. de Generat. text.23. vbi definit generationem, quòd sit *Transmutatio totius non manente subiecto sensibili*, & text.25. *Quòd generatio est mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu.* Et 8. Physicor. text.62. *Generatio est mutatio de non ente in ens.* & 5. Physicor textu 7. *Quòd generatio est mutatio de non subiecto in subiectum.* Vbi perpetuò assignat Aristot. pro ratione generica generationis mutationem, quòd est esse ipsi essentialem. Vnde D.Thom. q.2. de Potentia artic.1. ad 15. expresè dicit, *Quòd generatio est species mutationis, ex illa parte, qua natura per generationem recipitur in aliqua materia, quæ est mutationis subiectum*: ergo supponit quod mutatio est prædicatum genericum mutationis, & consequenter est illi essentiale. Et idem sumitur ex illis locis, in quibus docet generationem, & corruptionem esse duas mutationes, licèt non sint duo motus, vt in q.28. de veritate ar.1. & 6. & 1.2.qu.113. art.6. vt in sequenti artic. ponderabimus. Denique definitio motus tradita à Philos.3.Phys. etiam conuenit mutationi instantaneæ, & generationi, vt ex Th. & Arist. probauimus 3. Phys. q.14.art.1.

Ratio est, quia generatio essentialiter versatur inter duos terminos *à quo*, & *ad quem*, educit enim, vel introducit aliquam formam quam respicit, vt terminum *ad quem*, siquidem est tendentia in talem terminum, ab eoq; specificatur, si autem essentialiter habet terminum *ad quem*, essentialiter etiam respicit terminum *à quo*, quia est impossibile, quòd intelligatur aliquis terminus *ad quem* fieri de nouo, nisi ex aliquo termino *à quo*, siue negatiuo, siue priuatiuo, siue positiuo, sed omnis transitus, seu tendentia de termino *à quo* ad terminum *ad quem* in subiecto essentialiter est mutatio; cum deseratur vnum, & acquiratur aliud; non enim vtrumque acquiritur, vel vtrumque deseritur, sed vnum accipitur, & aliud relinquitur: idque fit in aliquo subiecto; ergo essentialiter generatio est mutatio. *Et confirmatur*, quia per introductionem formæ in instanti generationis, etiamsi priuatio non præcedat tempore, materia formaliter reducitur de potentia ad actum, & ipsa forma verè, & propriè educitur ex illa potentialitate materiæ, ergo verè & propriè materia transmutatur. *Consequentia patet* quia inuenitur ibi potentialitas materiæ, & indifferentia reducta in actum per formam, & ipsa forma educta in actu de potentialitate illa materiæ: ergo inuenitur materia mutata de potentia ad actum, & informata per formam, quę informatio in genere causæ formalis tollit potentialitatem materiæ, & excludit priuationem in facto esse, ergo datur mutatum esse de facto: ergo etiam generatio, quæ totum hoc efficit est mutatio in fieri, sicut per ipsam formam datur mutatio formalis, & in facto esse.

Ad fundamentum oppositum respond. quod in casu generationis ex speciebus Eucharistiæ, iam diximus in q.2.Physic.art.3 ad vltimũ, quòd ibi non variatur naturalis ordo generationis, quia quantitas conseruata sine subiecto gerit in omnibus vicem substantiæ, & sic recipit dispositiones antecedentes, quibus determinatur materia ad generationem, & consequenter gerit vices materiæ priuatæ forma, & hac ratione præcedit in illa generatione priuatio: nõ quidem in materia, sed in substituto materię, scil. in quãtitate provt gerit vices illius. In instanti autem generationis subrogatur materia à Deo, vt componens rem generatam, cùm eadem determinatione ad formam, quæ ex vi dispositionum præcedebat in quantitate perinde, ac si toto tempore ante præcessisset materia, quia producitur, vt continuata ad id quod gerebat vices materiæ antecedenter; & sic generatio illa fit ex priuatione, quæ in illo instanti expellitur in facto esse à materia, in toto autem tempore antecedenti præcessit non formaliter in ipsa materia, sed virtualiter, scil. in eo, quod loco materiæ habebatur. In casu autẽ quo, quod nihil præcessisset ante de materia neq; de aliquo, gerat vices materiæ, & dispositiones recipiat ad generationẽ. *Respondet.* quod tunc sufficit ad rationem mutationis, qualis tunc inuenitur,

tur, quòd præcedat priuatio prioritate naturæ, non temporis.

Et quando vrgetur, quòd si priuatio non præcessit duratione, non dabitur in re mutatio de tali priuatione ad esse. *Respond*, in primis quod si tunc tollitur mutatio, etiam tolletur generatio, & quòd sufficit vt generatio maneat, sufficit vt maneat mutatio. Vnde addo quòd sufficit priuatio non durratione præcedens, sed in re exclusa & expulsa in illo instanti per formam introductam ab agente extrinseco vel eductam è materia, vt detur in illo instanti mutatio, quæ non petit priuationis existentiam vt in re detur, sed exclusionem priuationis in re, excluditur autem priuatio, etiamsi non præcesserit duratione per hoc solum, quod potentialitas materiæ ab extrinseco agente immutatur educendo formam, & sic formæ carentia excluditur, non per propriam emanationem, sed per extrinseci agentis actionem, atque adeò immutationem. Et licèt prioritas naturæ non dicat existentiam, seu durationem rei, sed solùm quòd ex vi naturæ aliquid conueniat, vel non conueniat, tamen hoc sufficit vt dicatur subiectum mutari, quando per actionem extrinseci agentis excluditur priuatio, non quæ inerat formaliter sed quæ debebat inesse, si per actionem illam non tolleretur educendo formam, vel vniendo.

Ad vltimam autem instantiam, quod mutatio dicit aliter se habere nunc, quàm priùs, *Respondet*. quòd in mutationibus instantaneis, si illas præcedit aliquis motus per modum dispositionis requisitæ, sicut communiter accidit secundum ordinem naturæ, tunc necesse est, quod aliter se habeat nunc, quàm priùs prioritate temporis, in quo dispositiones illæ & motus illi præcedunt, & similiter priuatio formæ generandæ. Cæterùm si mutatio instantanea sumatur secundum præcisum conceptum suum, & remoto eo quod antecedit naturaliter, mutatio dicit aliter esse nunc quam priùs prioritate naturæ, dummodò in subiecto impediatur priuatio, ne detur, per actionem agentis extrinseci introducentis formam, inde enim regulari debet quod sit mutatio, non ex præexistentia priuationis. Et ita in illo reali instanti est priuatio non afficiendo subiectum, sed in expelli ab illo per actionem extrinsecam, quia illa prioritas naturæ non est existentiæ, sed expulsionis, & consequenter mutationis pro illo instanti, in quo est introductio formæ.

Et si dicas, nam ad quietem non sufficit, quòd eodẽ modo se habeat aliquid nunc, & priùs secundùm prioritatem naturæ, aliàs posset aliquid quiescere in vno tantum instanti, sed requiritur, quòd se habeat sicut prius prioritate temporis, ergo similiter requiretur ad mutationem, quæ opponitur quieti. *Resp.* quietem priuatiuam requirere quod aliquid se habeat nunc, sicut prius prioritate temporis, non autem quietem negatiuam, & similiter id requirere motum, qui constat ex duabus mutationibus, scil. generatione, & corruptione, non autem mutationem instantaneam, ex suo præciso conceptu, vt quando non habeat adiunctum motum præcedentem, nec corruptionem formæ oppositæ. Motus autem qui propriè opponitur quieti, est ille, qui includit duas mutationes, corruptionis, & generationis, seu qui est motus successiuus, in quo inuenitur esse alter nunc, quàm prius prioritate temporis, non verò requiritur ad mutationem instantaneam, sicut neque ad quietem negatiuam.

De generatione viuentium.

Circa definitionem generationis viuentium duas particulas oportet explicare. Altera est quomodo sit *processio à principio vitæ coniuncto.* Altera est *in similitudinem naturæ.* Vt prima particula explicetur *est aduertendum*, quòd ad generationem rei non viuentis non requiritur, quòd res genita vel materia ex qua generatur sint coniuncta generanti, & intra ipsum, sed sufficit quòd materia sit iuxta posita, & extrinsecè applicata, vt ex illa aliquid generetur, sicut ignis generat ignem ex ligno iuxta se posito, & applicato non intra se vnito. At verò viuentia intra se formant id quod generant, & ex sua substantia præbent materiam ex qua generetur, imò quanto perfectior est natura viuentis, tanto res genita coniunctior est principio generanti, ita quod in natura intellectuali res, quæ procedit ab intellectu, non solum quando fit, & formatur, sed etiam quamdiu existit intra intellectum manet, nec ad aliam potentiam, vel subiectum emittitur. Et ex hoc distinguit D. Th. 4. cont. Gent. cap. 11. & in 3. distinct. 8. quæst. 1. art. 1. diuersos gradus emanationis in viuetibus penes hoc, quod res genita sit magis, vel minùs coniuncta suo principio generanti, sicut videmus in plantis, & animalibus, quòd procedit & deciditur semen ex ipsis, in quo est virtus formatiua rei genitæ, & materia ex qua formatur. Vnde ipse fœtus in principio colligatur sua generanti, vel fructus arbori, fœtus matrici animalium, sed tamen indè postea separatur, quando nascitur, ideóque dicitur procedere à principio vitæ cõiuncto, tũ quia materia ex qua formatur, & virtus seminis formatiua à generante deciditur, tum quia primò illi colligatur, & intra ipsum formatur anteaquam nascatur. In vita autem sensitiua per ipsas potentias sentientes producitur cognitio, quæ magis intima est suo principio, quia fit per actionem immanentem, sed tamen nõ est totaliter intima, tum quia postulat principium ab extra, scilicet speciem impressam, & producit aliquem terminum, scilicet idolum seu speciem in aliis potentiis, scilicet à sensu externo in sensum communem, & à sensu communi in phantasiam, & ab illa in memoriam, vt in tertio de Anima dicetur. In vita autem intellectiua adhuc emanatio cognitionis est magis intima suo principio, quia licèt in nobis requirat species impressas ab extra prouenientes, tamen species expressa, seu verbum quod formatur per ipsas, non trãsit ad aliam potentiã, sed in ipso intellectu manet. Est tamen altior vita intellectiua in Angelis, qui ab extra non accipiunt species cum careant sensibus, sed intus intellectui nascuntur, vel infunduntur à Deo, ipsa etiam species expressa intra intellectum manet, sed tamen, quia est accidens, & non substantia, ad perfectam generationem non peruenit. Quare perfectissima generatio ex omni parte est in Deo, in quo, & id quod procedit, est substantia, & ita coniuncta suo principio, vt sit vnum, & consubstantiale, cum ipso iuxta illud Ioannis decimo, *Ego & Pater vnum sumus.* Totus hic discursus est Diu. Thomæ.

Secunda particula est in *similitudinem naturæ*, in qua designatur qualis debeat esse res procedens in generatione, & qualis modus procedendi. Requiritur enim ad generationem viuentis, vt id quod procedit non solum sit genitum, sed etiam filius, generantur enim ex viuente pili, vngues, vermes, & alia similia, quæ procedunt actiuè à viuente, & ipso ministrante materiam, ex qua formentur, nec tamen procedunt, vt filij, quia non in similitudinẽ naturæ. Secundò requiritur, vt ipsa generatio sit essentialiter

assimilatiua,non solùm concomitanter,vel in primo modo per se, sed etiam in quarto modo per se, ita quod eo modo sit per se ista *generans assimilat*,atque ista,*calidum calefacit*,*Medicus curat*,eò quòd generatio est actio propagatiua naturæ, & ita debet esse productiua ad imaginem,& similitudinem generantis quasi expressiua illius, quod est esse in quarto modo assimilatiuam, & non solùm in primo modo per se.

Quâ ratione intelligitur, quomodo in Diuinis processio Verbi sit generatio,& non processio Spiritus Sancti,quia processio Spiritus Sancti est quidẽ processio rei similis identicè,& concomitanter, imò & essentialiter in primo modo per se, quia est processio intra Deum & generali notione, quidquid est intra Deum est Deus;formaliter autem,& in quarto modo solum procedit vt impulsus Diuinus,cui ex eo quod est Diuinus,non tam conuenit similitudo, quã identitas essentialiter in primo modo per se cum eo à quo procedit,& sic eius processio non est assimilatiua. At verò Verbum ex ipsa formali ratione quâ procedit, intra intellectum procedit, vt imago, & vt simile in quarto modo per se cum principio generante, & non solum ratione identitatis, quia est intra Deum, & ideò propriissimè est generatio, & processio assimilatiua in substantia, & natura, scilicet in ipso intelligi, & intelligere Diuino, sicut si homo posset producere alterum hominem ex limo terræ, & artificio manus, & similiter per seminalem propagationem, ille qui procederet per propagationem esset filius, qui autem artificiose non esset filius, licèt vterque essentialiter esset verus homo. Sic ergo requiritur ad generationem quod aliquid procedat in similitudinem, tum ex parte ipsius rei generatæ, tam ex parte modi procedendi assimilatiuo modo,& hoc quantum est ex vi generationis, nam per accidens ex aliquo impedimento potest aliquid degenerare à perfecta similitudine, sicut monstrum & tunc erit vera generatio, sed deficiens, & propriè degeneratio.

ARTICVLVS II.

Quibus principiis Philosophia assequatur dari generationem substantialem?

TOta difficultas apud veteres Philosophos circa inuestigationem generationis substantialis consistebat in eo, quod non poterant intelligere materiam primam,quæ esset in potentia ad esse simpliciter,& tamen in se esset ens in re,& consequenter nõ poterant intelligere formam substantialem,quæ daret esse simpliciter materiæ scilicet ipsum primum esse,sic enim materia de se careret omni esse,& consequenter non esset ens; ex non ente autem non fit ens, quia ex nihilo nihil fit,vt latè tractat Philosophus 1. Phys. & in hoc lib. 1. de Generatione & 1. Metaph.c.2.Et ita diximus in q.3 Physicorum,quòd nisi ponatur materia ita esse ens in potentia, quod careat omni esse entitatiuo ex se, hoc ipso caremus omni principio ad ostendendum dari formam substantialem,quæ det primum esse quod est esse simpliciter,& substantiale.

Quare vel ex hoc manifestum sit apud Aristot. & D.Th. qui illum sequitur, omnino ignotum fuisse, quod materia prima haberet ex se actum, entitatiuum,& existentiam incompletam,eò quòd Antiqui existimabant materiam esse non ens, & omnino nihil hoc ipso quod esset ens in potentia,vt constat ex Philosopho in hoc 1.lib.de generatione text.12.vbi inquit: *Hoc maximè timuisse Philosophos antiquos in assignanda generatione substantiali, ne ex nihilo praexistenti aliquid generaretur.* Quod explicans D.Thom. ibi lect.6.circa finem inquit: *Quod maximè timuerunt ex primi Philosophi, quòd aliquid generaretur ex nullo praexistente, quod enim non est ens actu,nihil est. Sic igitur videtur, quod non possit esse generatio simpliciter hoc modo. Quod substantia generetur ex non ento actu,ente autem in potentia.* Existimabant ergo Antiqui,materiam hoc ipso, quod esset ens in potentia esse nihil,& consequenter carere actu entitatiuo,seu existentia partiali,si enim haberet illam, bene staret,quòd materia esset ens in potentia respectu formarum, & tamen non esset nihil, quia vt sit nihil, omni existentiâ debet carere etiam partiali,Philosophi vero antiqui inferebant,quod si esset ens in potentia,& non in actu, erat nihil, ergo existimabant carere omni esse etiam partiali, si esset in potentia ens. Aristot. autem reiiciens hanc sententiam Antiquorum non dicit materiam habere actum entitatiuum seu existentiam, licet sit in potentia ad formas, sed dicit materiam non esse nihil,sed existere quatenus est sub diuersis formis; ratione cuius generatio vnius est corruptio alterius,& sic generationem fieri per se ex ente in potentia,per accidens autem ex ente in actu, quia ad generationem per accidens est, quod extiterit materia sub ista,vel illa forma, quæ corrumpitur,per quam habet esse in actu,vt docet 1. Physicor.tex.66. & 1.de generatione text.17. vt explicat ibi D.Th.lect.7.circa finem.Si autẽ materia,vt concurrit ad generationem per accidens est ens actu, id est per formam quæ corrumpitur,manifestè supponit Arist.materiã ex se non habere actum entitatiuum, vel existentiam partialem, alioquin fieret generatio ex ente in actu per se, quia non per formam,sed per suam entitatem esset existens,seu ens in actu.

Quare, principium ad ostendendum contra antiquos Philosophos, quod detur generatio substantialis, & quod introducatur forma substantialis in materia solum ex duplici capite sumitur. *Primò*, ex esse,quod discernit substantiam ab accidente, sc.esse per se, quod est primum & substans aliis, quia si datur generatio substantialis debet dare esse per se, & introducere formam quæ det tale esse. *Secundò* sumitur principium ex corruptione substantiali quę generationi opponitur.Si enim hæc datur etiam, & generatio substantialis. Primo ergo modo procedendo necessariò sumendum est pro principio,quòd materia sit ens in potentia sine vllo actu entitatiuo, quia generatio substantialis supponitur esse illa per quam acquiritur esse substantiale seu fit ens simpliciter,& quia antiqui dicebant, quod quidquid est ens,debet esse ens in actu, consequenter inferebant, quod si generatio supponit aliquod ens pro subiecto, debet supponere ens actu, & sic nulla generatio datur, quæ possit facere ipsum esse substantiale, id est primum, & fundamentale esse,quòd est substãtiale.Cum ergo iuxta principia Arist.admittamus, quòd ex nihilo nihil fit, & rursùs, quòd generatio substantialis faciat ens simpliciter dando ipsum esse primũ,& substantiale oportet dicere, quod subiectũ ex quo fit generatio substantialis,sc.materia, prima, neque sit nihil neque sit ens actu de se,sed in potentia per se,& in actu per aliud,sc.per formam. Si autem semel ponatur materia de se ens actu, & existens per actum entitatiuum non potest probari cõtra antiquos, quòd forma ei adueniens sit substantialis, & quòd generatio sit substantialis dans primum, & integrum esse,nisi probetur contra ipsos, quod

quod etiamſi ſupponatur eſſe partiale in materia, poteſt per formam aduenientem illi, reſultare eſſe ſubſtantiale,& partes ipſas ſubſtantialiter coniungi. Ad hoc autem non datur principium apud Ariſt.nec poteſt dari, niſi petatur principium.Nec enim nobis poteſt conſtare contra negantes generationem ſubſtantialem, & formam ſubſtantialem, vt negabant Antiqui, dicentes materiam eſſe totam ſubſtantiam rei,non inquam poteſt conſtare,quòd forma aliqua, & actio ſint ſubſtantiales,niſi ratione ipſius eſſe ſubſtantialis (id eſt, primi & ſubſtantis omnibus)quod præbent. Si autem præſupponunt aliquod eſſe partiale in materia,occluditur iſta via,& eneruatur iſtud principium. Vnde enim probabitur,quòd illud eſſe, quod dat formam ſit primum,& ſubſtantiale ſi ſupponit aliud in materia, cui aduenit ? Et ſi dicatur illud eſſe partialiter. Hoc reſtabat probandum, & eſt petere principium, negabant enim antiqui dari formam ſubſtantialem, ſed materiam eſſe totam ſubſtantiam rei. Vndè ergo probatur illa partialia eſſe materiæ primæ & formæ,ita facere vnũ, quod conſtituant generationem ſimpliciter? Sicut ſi producitur aliqua pars integralis, & coniungitur alteri habenti iam eſſe,mutatio illa erit aggeneratio:& non prima generatio,quia ſupponit primum aliquod eſſe,ita ſi in materia ſupponitur eſſe,& forma producta addit ei aliud eſſe, etiamſi ſit partiale,non poteſt probari,quod ſit generatio ſimpliciter : quia ex ipſo primo eſſe, vnde probari debet ſubſtantialitas iſta non probatur, ſiquidem ſupponitur aliquod eſſe in materia, & ſic dicerent Antiqui, quod forma non dat primum eſſe,& ſimpliciter eſſe, ſed additionem ſeu aggenerationem ad eſſe præſuppoſitum, in noſtra autem ſententia,cum ſit tantum vnum eſſe,quod per formam tanquam per principium conuenit cõpoſito & actuat materiam,idem eſt dare eſſe compoſito per formam,& dare primum eſſe, & ſimpliciter eſſe. Aliunde verò non probatur contra Antiquos, iſtas duas partes eſſe ſubſtantiales, ſcil. materiam & formam,niſi vel ſupponatur dari tales partes, quod negabant ipſi,& ſic eſſet petere principium,vel probetur eſſe ſubſtantiales, ex eo quod neceſſariæ ſunt ad generationem & corruptionem, & hoc iterum eſt,quod ipſi negabant, dari ſcilicet generationem, & corruptionem ſubſtantialem, ſed ſolum alterationem,quæ latentes formas apparere faceret, vel occultaret. Quare niſi dicatur formam dare ipſum primum eſſe, & conſequenter materiam ita eſſe in potentia ad formam, quod nullum in ſe ſupponat eſſe,ſed totum habeat per formam,non probatur generatio ſubſtantialis contra Antiquos.

Ex ſecundo principio probatur, dari generationem ſubſtantialem,videlicet ex ipſa corruptione.Conſtat enim dari corruptionem ſubſtantialem, ergo debet dari generatio. *Conſequentia eſt bona*,quia ſi formæ quando deſinunt ſubſtantialiter corrumpuntur,ergo quando incipiunt,ſubſtantialiter generantur, & non ſolum apparent de nouo,alias quando deſinunt, ſolum occultarentur. *Antecedens autem probatur*, tùm quia ſi non eſſet corruptio ſubſtantialis omnis ſubſtantia eſſet incorruptibilis in eſſe ſubſtantiali:tum, quia ſi forma non corrumpitur, ſed manet in materia vel non diſtinguitur à materia : ergo etiam manebunt eius propriæ paſſiones,nec enim eſt cur proprias paſſiones ſeparemus manente forma,& natura, cuius ſunt;conſtat autem,quod quando animal, moritur non manent potentiæ ſenſitiuæ in terra,vel igne,in quem conuertitur. *Nec dici poteſt* quod maneent ibi iſtæ potentiæ,ſed impeditæ, & latentes, ſic enim ſi in igne,verbi gratia,eſt potentia videndi, & audiendi,ſed tamen impedita, ignis eſſet cæcus, & ſurdus,quia habet iſtas potentias cum impedimento. Tum denique conſtat dari corruptionem ſubſtantialem in homine, quia ipſo mortuo anima manet ſeparata à corpore,aliàs non moreretur homo, ſi maneret anima vnita materiæ,& homo eſſet incorruptibilis ſubſtantialiter;nec enim anima latet in materia,nec educitur, ſed deforis venit. Recedente ergo anima oportet, quod in materia incipiat eſſe noua forma.per veram generationem,ſiquidem forma quã habebat,ſubſtantialiter ſeparata eſt ab illo.

Aliæ probationes ſolent afferri ab alijs Authoribus quę contra antiquos parum habent efficaciæ, verbi gratia, quod materia prima eſt in potentia paſſiua ad omnes formas,quod dantur diuerſæ formæ ſubſtantiales,quod diuerſa accidentia, & operationes ſequi debent ad diuerſas formas,eo quod materia de ſe eſt indifferens ad omnia. Hæc enim petunt principiũ, quia hoc erat,quod ipſi negabant, ſcil, dari formas ſubſtantiales,aut accidentia ſequi ad formam de nouo aduenientem,ſed de nouo apparentem in materia,in qua ſecundum ſe latitabat, eò quòd dicebant materiam eſſe ens actu, & non indigere forma ſubſtantiali dante illi primum,& ſubſtantiale eſſe, ſed ſupponente materiæ exiſtentiã, & ſic omnis forma de nouo adueniens erit accidentalis,quia non conueniet ei propria ratio ſubſtantiæ,quæ importat primũ eſſe,quod eſt ſubſtans aliis. Quare niſi affirmetur, quòd materia eſt ens in potentia taliter, quòd etiam primum eſſe habet per formam, iſtæ probationes euacuantur.

Contra generationem ſubſtantialem ſic explicatam pauca ſunt;quæ difficultatem faciant. *Argumentum enim antiquorum quo mouebantur, non habet vim.* Dicebant enim non poſſe dari formam,quæ det primum eſſe quale debet eſſe ſubſtantiale, ſic enim illa forma adueniret ſubiecto nullum habenti eſſe,ſiquidem forma ſubiecto dat primum eſſe, ergo illud ſubiectum eſt nihil, & ita ſimpliciter aliquid fieret ex nihilo,quod eſt non generari,ſed creari. *Ad hoc reſp.*Ex doctrina Ariſtot.& D.Th.quòd materia prima,nec eſt nihil,neq; eſt ens in actu ſeu exiſtens per ſe,& ratione propriæ entitatis, ſed eſt exiſtens per aliud,ſc.per formam, & ita de ſe eſt ens capax exiſtentiæ,ſicut & formæ,licèt non ſit ipſa forma, nec ipſa exiſtentia.Quod autem eſt capax exiſtentiæ vel verè eſt ens,& nõ eſt nihil,vt cõtradictoriè opponitur enti,quia nihil,neque per ſe,neque per aliud eſt capax exiſtentiæ,materia autem, vt ſubiecta formæ, verè exiſtit non verò ſine forma imo etiam ipſum cõpoſitum ſubſtantiale,ſine modo ſubſiſtentiæ, & ſine accidentibus non exiſtit,neque operatur.

*Secundò obiicies.*Quia in ipſa ſubſtantia quæ generatur,ſolũ inuenitur eſſentia,& exiſtentia. Eſſentia fieri non poteſt,cum remotã exiſtentiã non maneãt, niſi prædicata eſſentialia,quæ ſunt perpetuæ veritatis,& independentia à tempore. Exiſtentia autẽ non eſt ſubſtantia, ſed eſt aliquid accidentaliter conueniens ſubſtantiæ,ſuppoſito, quod ab ea diſtinguitur, imò & ipſa actio generatiua accidens eſt de prædicamento actionis:ergo terminus eius eſt accidens.

Reſpondetur, eſſentiam non fieri, nec produci ex parte connexionis eſſentialis prædicatorum obiectiuè ſumptam,ſic enim obiectiuè eſt æternæ veritatis, ſed ſubiectiuè, vt in ſe exiſtens producitur ipſa eſſentia,& ſubſtantia,vt ſubiecta exiſtentiæ, ita quod eſſentia ſe habet vt res exiſtens,exiſtentia vero, vt id quo exiſtit,tanquam terminus actualis productionis, & eſſendi extra cauſas. Et licet exiſtentia dicatur accidentaliter conuenire,non tamen tanquam accidens prædicamentale,ſed accidentaliter prędicabiliter, tanquam modus, vel terminus ſubſtantiæ,

quæ

quæ reducitur ad eius prædicamentum. Reuera tamen essentia ipsa producitur, vt subiecta existentiæ, non seorsum ab illa, sicut neque seorsum à productione, sed per illam, & natura non producitur seorsum à composito, vel supposito, sed in illo. Essentia autem vt subiicitur existentiæ aliquid temporale est, & non æternum, neque æternæ veritatis, quia per temporalem actionem datur existentia, & subiectio essentiæ ad existentiam. Generatio autem est accidēs de prædicamento actionis formaliter, sed terminatiuè respicit substantiam, eo quod exit à potentia generatiua in virtute substantiæ, & ideo est accidens, & tamen ad substantiam producendam tendit.

Denique arguitur, quia si vna generatio succedit alteri, sequitur, quod plures res specie diuersæ participant eandem materiam, atque adeo non erunt substantialiter, & ex omni parte diuersæ. Similiter etiā materia pertinebit ad diuersas species, modò ad vnum, modò ad aliam prout fuerint diuersæ formæ; quibus vnitur, & sic non manebit simpliciter eadem, siquidem actualitatem, & speciem sumit à forma.

Respondetur, non esse inconueniens, quòd res specie diuersæ habeant materiam communem, sicut habent, non tamen simul informando, sed successiuè, quia materia sic ex capax omnium formarum, & in potentia ad illas. Et ita non communicant in eadem materia numero, sed eadem materiæ secundùm potentialitatem seruit ad diuersas formas in diuersis compositis, successiuè vna forma excludente aliam, & diuersum compositum constituente, quod non est inconueniens. Nec inconuenit, quòd materia participet per informationem diuersas species formarum & constituat diuersa composita successiuè, quia est in potentia ad illas, de se autem non habet nisi entitatem potentialem, quam vtique à forma non accipit, sed recipiendo in se formas. actuatur ab illis, & reducitur in actu ad illam speciem à qua informatur, cum enim materia sit pars speciei & cōpositi, quod constituit, ad multas species potest reduci in actu, eò quod ad omnes est in potentia.

ARTICVLVS III.

In quæstione, & mutatione consistit generatio substantialis?

VT cognoscamus, & discernamus substantialem generationem inter multas actiones quæ ad illam concurrunt, oportet duo inuestigare. *Primum*, an sit generatio substantialis actio & mutatio distincta à tota actione dispositiua, quæ per alterationem operatur in materia, an verò posita alteratione vsque ad vltimam dispositionem, sine noua actione resultet generatio. *Secundum est*, in ipsamet generatiua actione, qua debeamus assignare formalitatem, in qua consistat ipsa ratio generationis substantialis inuenitur enim in actione generatiua ratio eductionis vel productionis formæ, similiter ratio vnionis formæ ad materiam, ratio etiam conuersionis, & alia similia, inter quæ oportet discernere, quid formaliter pertineat ad rationem generationis. Quod verò attinet ad actiones subsequentes generationē, non oportet inuestigare, quomodo discernatur ab illis generatio, quia consummata, & transacta generatione, actiones quæ restant, manifectū est quomodo ab illa distinguantur, & ad generationē constituendā non pertineant, sed illam supponant, vt nutritio, augmentatio, & aliæ similes. A quo vero principio immediate procedat generatio substantialis in illo instanti, in quo perficitur, & in quo forma introducitur dicemus art. 7.

Circa primum sentiunt aliqui, generationem non esse actionem distinctam ab alteratione, sed posita alteratione, quasi resultare & consequi ad ipsam, & hæc vocatur generatio, & se habet, vt terminus alterationis, non quidem ab alteratione productus, illámque specificans, hic enim est qualitas, sed consequutus & resultans sine noua efficientia propter connexionem naturalem cum illis dispositionibus sicut resultant passiones positâ essentiâ, sine noua efficientia. *Fundamentum* sumitur, *primò* ex quibusdam authoritatibus D. Th. in quibus frequenter repetit, generationē esse terminū alterationis. Et specialiter in tr. de natura materiæ, id est, opusc. 42. inquit. *Quòd alteratio, per quam spoliatur materia à forma priori in se requirit subiectum actu existens, quia ipsa est motus, in suo vero termino non requirit subiectum actu existens, terminus autem eius generatio est.* Et loquens de generatione hominis 1 p. q. 118. art. 2. ad 4. inquit: *Quòd homo generat sibi simile in quantum per virtutem seminis eius disponitur materia ad susceptionem talis formæ.* Vbi generationem etiam reduplicatiuè, vt est generatio rei similis constituit D.Th. in actione seminis dispositiua.

Deinde sumitur fundamentum ex ratione, quia non possunt accidentia se solis producere substantiam actione substantiali distincta ab accidentali (accidens enim per se producunt) neq; similiter substātia per se immediatè potest talem distinctam actionem producere, cùm non sit immediate operatiua. Neque similiter accidens, vt motum à substantia potest illā distinctam actionem producere, quia est eadem difficultas de illa motione quomodo procedat à substātia, & non medio alio accidenti. Si autem accidens non recipit nouam, & excellentiorem motionem, vt producat substantiam, ergo eademmet actio, quâ producit accidens, non excellentior facta neq. eleuatior producit substantiam, & hoc est quod intendiiur, quod eadem actio, quæ attingit calorē transeat ad substantiam ignis mediante positione caloris resultantem ex connexione ab illum.

Nihilominus oppositum dicendum est, *Generationem esse actionem distinctam ab alteratione, nec substantiam resultare ex alteratione, vel ex qualitate per illam producta sicut propriæ passiones resultant ex essentia, sed per veram efficientiam produci distinctam ab efficientia qua ipsa qualitas per alterationem producitur.* nec D. Th. vnquam dixit substantiam ipsam resultare ex alteratione, vel ex qualitate per illam producta; sed quod generatio (id est actio ipsa) est terminus alterationis, si autem substantia resultaret ex ipsa, non diceretur generatio esse terminus alterationis, sed res ipsa genita, si ergo generatio ipsa est terminus alterationis, ergo est distincta actio ab ea.

Quòd autem D.Th. ponat ipsam generationem tanquam distinctam actionem ab alteratione constat in primis, quia in 3. cont. Gent. c. 163. inquit: *Quod si formæ accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem, non est autem huiusmodi actio disponere materiam, quia hæc fit per alterationem ad quam sufficiunt formæ accidentales, ergo forma generantis est principi actionis, vt forma substantiali introducatur in generatum.* Ita D.Th. vbi distinguit actionem introducentem formam substantialem ab actione disponente materiam, quæ est alteratio, ad quam dicit sufficere formā accidentalē, ad illam vero requirit formam substantialem generātis, licet non vt principium proximum. Item generatio &

& corruptio, ita dicuntur terminus alterationis, quod etiam habent vlteriùs ſuos terminos, & pro ea parte quâ vlteriùs habent terminos, non ſunt ipſa ſubſtantia genita vel corrupta, ſed actio ſeu tendentia ad ipſam. *Anteced. probatur* ex D. Tho. 2.2. q.164. art.1. ad 7. vbi inquit, *Quòd mors poteſt ſumi vno modo pro ipſa priuatione vitæ, alio modo ſecundùm quod nominat ipſam corruptionem, quæ terminatur ad priuationẽ prædictam. De corruptione autem, ſicut & de generatione dupliciter loqui poſſumus; vno modo ſecundùm quod eſt terminus alterationis; alio modo corruptio poteſt accipi cum alteratione præcedenti, prout dicitur aliquis mori, dum mouetur in mortem.* Ecce quomodo D. Th. & fatetur corrumptionem eſſe terminum alterationis, ſicut & generationem ipſam, & tamen corruptionem dicit ad priuationem terminari, atque adeo ſimiliter generatio terminabitur ad oppoſitum priuationis, quod eſt forma, ergo ſentit generationem & corruptione non ſolùm eſſe, quid diſtinctum ab alteratione, tanquam terminum productum, ſeu reſultãtẽ, ſed tãquam actionẽ vtpotè qui reſpiciat terminũ.

Fundamentum autem aſſertionis poſitæ eſt, quia alteratio quæ toto tempore antecedente inſtans generationis procedit, exiſtit in ſubiecto deſinente, & corrupto: ergo non poteſt ex tali alteratione reſultare ipſa ſubſtantia genita, niſi intercedat noua, & diſtincta actio producens ipſam ſubſtantiam. *Antecedens conſtabit* infr. art.6. & 7. cõceditúrq; ab Autoribus oppoſitæ ſententiæ, eò quod alteratio non ſubiectatur in nuda materia, cum ſit motus, ſed in compoſito, ante inſtans autem generationis non datur compoſitum generatum, ſed corrumpendum in inſtanti generationis: ergo in illo ſubiectatur alteratio. *Conſeq. autem probatur*, quia non poteſt reſultare generatio ex alteratione in eo ſubiecto, in quo exiſtit alteratio, ſiquidem illud corrumpitur per generationem, & ſic in eo non reſultat generatio, cum ſint incompatibilia, res quæ generatur, & ſubiectum in quo eſt alteratio illa antecedens ad inſtans generationis. Si autẽ reſultat generatio in alio ſubiecto, in quo alteratio non exiſtit, quia corrumpitur ad corruptionem ſubiecti: ergo non poteſt reſultare ex ipſa talis generatio, alioquin reſultaret ex ipſa, id quod deſtruit ipſam, hoc autem eſt impoſſibile cum reſultantia fundetur in connexione neceſſaria, & per ſe vnius cum alio, non autem poteſt habere connexionem neceſſariam per modum reſultantiæ, cum eo, cum quo eſt incompatibile.

Vnde non poteſt dici, quòd ad iſtam reſultantiam non requiritur quòd alteratio exiſtat in eodem inſtanti in quo generatio reſultat, ſed ſufficit immediatè antea extitiſſe, & virtualiter manere in inſtanti generationis. In hoc enim fundamus totam vim rationis factæ, quia repugnat fieri aliquid per reſultantiam, & non per nouam actionem hoc ipſo, quod non exiſtit, ſed habet incompoſſibilitatem aliquid cum illo, quia reſultantia, vt diſtinguitur ab actione fundatur in connexione neceſſatio, & per ſe vnius cum alio, ita vt exiſtente illa, exiſtat alia reſultans, quia eadem actione fiunt, & ceſſat prima, ceſſat ſecũda, ſicut ipſa paſſio reſultat ex eſſentia, & exiſtit cum illa, ſed alteratio vt eſt actio & motus, in ipſo ſubiecto, quod corrumpitur deſinit, & non exiſtit in inſtãti generationis: ergo ex illa non reſultat res genita, nec per reſultantiam habet eſſe ex illa, cum potius ſit incompatibilis cum illa in eodem inſtanti. *Quòd ſi dicas*, intercedere hanc connexionem; quia diſpoſitio illa neceſſitat ad generationem. *Reſpond.* intercedere connexionem, & neceſſitatem vnius actionis cum altera actione, id eſt actionis alteratiuæ, cum generatiua, & ſic neceſſitatur agens ad illam ſecundam actionem ex ſuppoſitione primæ, ſicut poſito aſſenſu pręmiſſarũ neceſſitatur intellectus ad aſſenſum cõcluſionis, & tamen aſſenſus concluſionis eſt diſtinctus actus ab aſſenſu pręmiſſarum, hæc tamen connexio actionum ſupponit generationem eſſe actionem diſtinctã alioquin non ſequeretur ex vi connexionis vt diſtincta à prima, non autem quod eadem actione, qua fit vnus terminus ſine noua actione, reſultet alius in vi ſolius connexionis, ſicut paſſiones propriæ.

Ad primum fundamentum oppoſitum deſumptum ex authoritatibus D. Th. *reſpondetur*, quod quando dicit generationem eſſe terminum alterationis, ſenſus eſt, quòd eſt finis illius tanquam actio principalior, ad quam ordinatur alteratio, non tanquam ad rem productam per reſultantiam, ſed tanquam ad actionem diſtinctam, quæ præſuppoſita alteratione vt diſponente, oritur neceſſariò à generante, ſicut ſi diceretur quòd aſſenſus cõcluſionis eſt terminus aſſenſus præmiſſarũ. Quod ex ipſa doctrina D. Th. manifeſtum fit, dicit enim quodl. 11. art.4. *Quòd per alterationem materia diſponitur ad formam & per motum localem corpus luminoſum accedit ad ſitum, in quo illuminat, & ſecundum hoc dicitur quod generatio & corruptio ſunt terminus alterationis, & illuminatio motus localis.* Et ſimilia dicit 1. p. q.53. art.3. vbi paríficat motum localem reſpectu illuminationis cum motu generationis reſpectu alterationis ſed conſtat, quòd illuminatio eſt actio diſtincta à motu locali, ergo etiã generatio ſubſtantialis eſt actio diſtincta ab alteratione, & ſic explicatur quod dicit D. Th. quodl. 7. ar.9. quòd alteratio habet duos terminos, ſcil. qualitatem, & formam ſubſtantialem, intelligitur enim habere duos terminos non per modum reſultantiæ vnius termini ad alium, ſed per modum ordinationis huius actionis ad aliam. Et ſic etiam exponitur quod dicit in opuſc. 2. quòd terminus alterationis generatio eſt, intelligitur enim quod eſt terminus per modum finis tanquam actio diſtincta & principalior, non quod ipſa ſubſtantia genita per reſultantiam oriatur ex alteratione ſine noua actione.

Ad id verò quod adducitur ex D. Thom. de generat. hominis, *reſpondetur*, quòd homo dicitur generare ſibi ſimile inquantum per eius virtutem diſponitur materia, non producendo, vel educendo formam ex materia, ſicut aliæ generationes, ſed quia diſponendo materiam vnit illi formam, & ſic illam attingit vt vnitam, quæ expoſitio ſumitur ex ipſo D. Tho. q.3. de poten ar.9. ad 6 vbi inquit: *Quòd in aliis generationibus generans eſt cauſa ipſius formæ, in anima autem rationali eſt cauſa vnionis talis formæ ad materiam per hoc quod diſponit materiam ad eam, nec oportet quòd ſit cauſa ipſius formæ.* An verò ſicut cum producitur forma in aliis generationibus, & datur diſtincta actio producens formam ab alteratione diſponente, ita quando attingitur forma hominis vnitiuè attingatur diſtincta actione D. Thom. non dicit. Et in hoc ſunt diuerſæ opiniones, nam Ferrarienſis cont. Gent. c.89. ſolum videtur admittere, quòd homo virtute ſeminis non producit niſi diſpoſitiones, quibus corpus diſponitur, vt ſit particeps animæ rationalis, ad quas diſpoſitiones neceſſariò ſequitur vnio animæ in corpore, ratione cuius virtus ſeminis eſt cauſa prædictæ vnionis. Et hoc ideò, quia actio hominis non poteſt terminari intrinſecè ad animam rationalem, quę ſpiritualis eſt, ſolùm ergo terminatur ad id quod ex parte materiæ ſe tenet, id eſt, ad diſpoſitiones.

At verò Caiet. 1. p. q.118 art.2. amplius concedit quam diſpoſitiuam attingentiam, ſc. actionem quæ per ſe terminetur ad vnionem animæ ad corpus, non quidem tenentem ſe ex parte animæ, ſic enim infunditur à Deo dum creatur in corpore, ſed ex parte

mate

materiæ quatenus facit non ſolum diſpoſitiones; ſed etiam quod materia ſubſit formæ, non quidem attingendo ipſum eſſe formæ, ſed eius ineſſe, ſeu communicari ad materiam, quatenus corporeo & materiali modo materia ſubeſt, & vnitur formæ terminaturque ad animam quatenus eminenter eſt forma corporea, licèt in ſe ſit ſpiritualis, ſic enim ſaluatur proprius; & formalius quod homo generat hominem, & quòd forma humana eſt formalis terminus generationis, vt informans, & communicata materiæ.

Ad fundamentum ex ratione petitum reſpondetur generationem, vt eſt actio diſtincta ab alteratione procedere à ſubſtantia mediis accidentibus, vt habet rationem inſtrumenti ſubſtantiæ, vt diximus in q. 12. Phyſ. & ſumitur ex D. Th. 3. contra G. c. 69. & 1. p. q. 115. art. 1. ad 5. vbi inquit: *Quòd corpus agit & ad formam accidentalem, & ad formam ſubſtantialem, qualitas enim actiua vt calor, etſi ſit accidens, agit tamen in virtute formæ ſubſtantialis, ſicut eius inſtrumentum, & ideo poteſt agere ad formam ſubſtantialem ſicut & calor naturalis inquantum eſt inſtrumentum animæ, agit ad generationem carnis, ad accidens vero agit propria virtute. Nec eſt contra rationem accidentis, vt excedat ſuum ſubiectum in agendo, ſed quod excedat in eſſendo.* Ita D. Th. qui etiam videri poteſt de hoc 1. p. q. 45. art. 8. ad 2. Fatetur ergo D. Thom. accidens habere ſufficientem motionem, vt attingat ſubſtantiam hoc ipſo, quod eſt virtus ſubſtantiæ quæ in ipſa radicatur, & tanquam aliquid illius, & vt inſtrumentum eius producit, aliàs ſolùm produceret virtute propria, ſi præcisè ſecundùm quod qualitas eſt operaretur, & non vt aliquid ſubſtantiæ. Quid autem addat iſta motio ſupra ipſam virtutem, vt ſit inſtrumentum ſubſtantiæ diximus quæſt. 12. citata art. 3. & videri poteſt D. Th. 1. p. q. 118. ar. 1. ad 2. vbi inquit: *Quòd virtus illa actiua quæ eſt in ſemine ex anima generantis deriuata, eſt quaſi quædam motio ipſius animæ generantis, nec eſt anima, aut pars animæ niſi in virtute ſicut in ſerra, vel ſecuri non eſt forma lecti, ſed motio quædam ad talem formam, & ideo non oportet quòd iſta vis actiua habeat aliquod organum in actu, ſed fundatur in ipſo ſpiritu incluſo in ſemine.* Et idem docet in quæſt. de Anima, art. 11. ad 2. Fatetur ergo D Thom. hanc virtutem non habere aliam vim præter motionem generantis, quæ non eſt aliud quàm egreſſio talis virtutis ab ipſo, poſtquam enim egreſſa eſt virtus à generante, non recipit aliam motionem ab ipſo.

Quod ſi dicas, nam in inſtrumentis eadem actio, quæ attingit terminum proprium, eadem vt eleuata attingit terminum principalis agentis, ergo ſimiliter virtus inſtrumentalis generantis per eandem actionem, quæ eſt alteratio attingit terminum proprium alterationis qui eſt qualitas, & eadem vt eleuata attinget ipſam formam ſubſtantialem vt generatio. *Reſp.* hoc iam non pertinere ad ſententiam quã impugnamus, quæ dicit reſultare ipſam rem genitã poſitã alteratione, obiectio autem procedit de vera efficientia attingente per alterationem inſtrumentaliter rem genitam. *Veritas tamen eſt*, quod alteratio non eſt ipſa actio inſtrumentalis, quæ eleuatione ſuperioris agentis attingit effectum principalem, ſed eſt actio antecedentis habens ſuum terminum qui eſt poſitio, ſubiectatúrq; in re corrupta, & ordinatur ad actionẽ generatiuam, tanquam ad principalem, quæ conſequitur, & inhæret in ipſa re generata. Vnde virtus generantis mouet ordine quodã duplici actione ordinata; prima per alterationem ad diſpoſitionem, quæ eſt proprius terminus eius. Secunda per generationem ſubſtantialem, in quo agit ex motione quadam ſubſtantiæ generantis. Et in hoc illa virtus habet rationem inſtrumenti, licet enim prius operetur vt cauſa principalis effectum proprium, qui eſt ipſa diſpoſitio, tamen poſtmodum inſtrumentaliter, vt virtus ſubſtantię generantis ipſam ſubſtantiam genitam attingit. Nec oportet quòd in inſtrumentis ſemper ſit eadem actio illa quæ præcisè operatur diſpoſitionem, & quę introducit formam principalem, ſed poteſt eſſe diuerſa actio, præſertim quando neceſſe eſt corrumpi diſpoſitionem præuiam per productionem formæ principalis.

Secunda difficultas.

C*Irca ſecundam difficultatem notandum eſt*, quòd generatio habet plures formalitates ſeu reſpectus, habet enim rationem mutationis, conuerſionis, eductionis, ſiue vnitionis, productionis, & tandẽ corruptionis, quæ ex illa ſequitur. Habet rationem mutationis reſpectu ſubiecti eius, quod eſt materia prout pręcisè reducit potẽtialitatem eius in actum. Rationem cõuerſionis habet etiam reſpectu materiæ cum reſpectu ad formas, quarum vnam deſerit, & aliam accipit, & ſic vnam vertit in aliam. Habet rationem eductionis reſpectu formę prout dependenter à materia, & per eius tranſmutationem fit, & exiſtit. Habet rationem vnitionis quatenus tam materiã, quàm formam applicat, & immutat ad communicationem eiuſdem vnitatis in compoſito. Habet rationem productionis reſpectu totius compoſiti, quod de nouo ponit in eſſe, vel etiam reſpectu formæ quam educit. Habet denique rationem corruptionis reſpectu compoſiti præcedentis quod deſtruit, nec oportet quod deſtruat formam, vt patet in corruptione hominis, ſed ſufficit quòd eam amoueat à materia, corrumpátque compoſitum.

Omnes iſtæ formalitates pertinent ad vnam & eandem actionem, quod patet, quia ab vnica virtute, & in ordine ad vnum terminum ſingularem tendit illa actio. Quæcunque autem actio, quæ eſt in indiuiduo, reſpicit terminum à quo, & ad quem, & ſubiectum, ergo fundat iſtas omnes formalitates ſeu reſpectus, qui in materia, & in forma & in termino à quo & ad quem, & in comparatione eorum ad inuicem inueniuntur.

In qua autem ex his formalitatibus eſſentialiùs, & propriùs conſiſtat generatio: art. ſeq. dicemus agendo de termino formali generationis, inde enim dependet hæc reſolutio, tractando quis ſit formalis terminus generationis: conſtat enim quòd cum generatio ſit actio, & mutatio, formalius debet ſumi per ordinem ad terminum ad quem quàm ſecundùm formalitatem, & reſpectum ad terminum à quo.

Solum oportet aduertere in præſenti, Quomodo generatio dicatur conuerſio? Quod conſtabit explicando, quid requiratur ad conuerſionem? Requiruntur enim ad illã quinq; *Primò*, quod terminus conuerſus, qui eſt terminus à quo, deſinat eſſe; quia ſi manet nõ vertitur in alium. *Secundò*, quòd incipiat de nouo terminus ad quem, ſeu conuertens, vel abſolutè in ſuo eſſe, vel ſaltẽ ſecundùm aliquem nouum modũ eſſendi, ſicut alio modo eſt Chriſtus in Euchariſtia, quã in cœlo. *Tertiò*, quòd inter terminũ conuerſũ & cõuertentem ſit aliqua connexio, aut dependentia quatenùs vnus ſuccedit alteri, & ſic ſaltem in ipſa ſucceſſione connectuntur. *Quartò*, quòd ſit inter terminos poſitiuos, quorum vnus corrumpatur, & alius generetur, & quod non corrumpatur abſolutè quaſi per annihilationem, ſed definiendo in aliud in quod conuertitur. *Quintò*, quòd maneat aliquid commune vtrique termino conuerſo, & conuertenti, ſiue per modum ſubiecti, vt in generatione, ſiue per modum

modum accidentis extrinseci, vt in transubstantiatione; licèt videatur probabile quod absolutè potest fieri à Deo conuersio sine hac conditione, vt si converteret totam substantiam panis, & eius accidentia in substantiam & acidétia Christi, aut Angeli; sed tamé tūc non haberet ita propriè rationem conuersionis. Vnde constat esse diuersam formalitatem conuersionis & motus, licèt vterque versetur inter terminos positiuos ad constituendam latitudinem & distantiã vincendam per motum, conuersio autem non respicit terminos positiuos, vt constituunt latitudinem, & distantiam pertranseundam per motum, cùm possit saluari conuersio sine motu; vt in transubstantiatione, sed vt non fiat aliquid ex nihilo, sed supponatur aliquid transferendum, & transponendum in aliud.

Conuersio alia est substantialis, alias accidentalis. *Accidentalis est*, quando fit transitus de vno accidenti in aliud, vt quãdo album fit nigrum, & hæc semper est coniuncta cum motu: *Substantialis est*, cùm fit transitus ab vna forma substantiali ad aliam, & hæc semper habet coniunctã duplicem mutationé, alterã generatiuam, alteram corruptiuã. Ité alia cõuersio est formalis, alia totalis; *Formalis est*, quãdo manéte aliquo subiecto de vna forma fit transitus ad aliã. *Totalis est*, quando tota entitas siue substantia, nullo subiecto cõmuni manente transit in aliam, sicut transubstantiatio in Eucharistia, & hæc non potest fieri naturaliter, quia nulla actio naturalis operatur, nisi præsupposito subiecto, seu materiâ non destruendo illam. De quo vide D.Th. 3.p.q.75.a.8 vbi designat modos loquendi in istis conuersionibus.

Ex his autem colligitur, generationem esse conuersionem, quia licèt generatio pro termino formali à quo, habeat priuationem, tamen quia hæc priuatio antecedens, naturali modo est coniuncta alicui formę positiuę ratione cuius generatio vnius semper est corruptio alterius, & forma ista quę corrumpitur non annihilatur, sed desinit in aliam, ideò verè, & propriè intercedit conuersio in generatione substantiali. Et formalitas conuersionis differt à formalitate generationis, quia generatio habet pro termino à quo priuationem, conuersio formam vt mutandam in aliam succedentem. Et sic est vnica actio, sed duplex mutatio, vt dictum est, eò quòd duplex forma mutatur, vna de non esse ad esse, quæ fit de nouo, altera de esse ad non esse, quæ corrumpitur, actio tamen est vna, quia ab vnico agente dimanat vna causalitas, quæ respicit duplicem terminum vnum à quo, alterum ad quem, inter quos constituitur distantia vnica percurrenda per motum, & actionem. In generatione auté & corruptione hominis non fit conuersio in substantiam formæ rationalis, aut ex ipsa, quia non desinit, sed in ipsam, vt informantem, vel desinentem informare.

ARTICVLVS IV.

Quis sit terminus formalis, & quis adæquatus generationis substantialis?

DIstinguimus in generatione terminum adæquatum, seu totalem, & terminum formalé, seu specificatiuum. *Primus* solet vocari terminus, vt *quod*, seu *qui* producitur. *Secundus* terminus vt *quo*. In termino adæquato, seu *quod* consideramus omnes partes, ipsãnque naturam integram, constituentem, & subsistentiam, quã talis natura subsistit, & existétiam, quã existit. Dicitur enim natura subsistere in supposito subsistente, sicut partes in ipso toto, non quia natura, vel partes reddantur supposita, seu personæ in seipsis, sed quia redduntur terminatæ, & affectæ ipsâ subsistentiâ, & personalitate in qua sunt, sicut partes lineę terminantur puncto, non quia in se fiant punctum, siue per se, siue per accidens, sed quia vnico puncto afficiuntur, & terminantur, sicut corpus afficitur albedine, non fit albedo, sic partes redduntur illo puncto terminatæ, & partes naturæ, & natura ipsa per subsistentiam, & suppositum non redditur in se aliud suppositum, seu persona, sed vnica eadémque subsistétia redditur supposita, & terminata, seu subsistens. Vnde non valet illud sophisma. Natura subsistit per aliud, idest, per personam, suppositum verò subsistit per se, ergo natura, & suppositum sunt aliud, & aliud subsistens. *Resp. enim ad antecedens*, quòd natura subsistit per aliud, quod est ratio subsistendi, & sibi communicatur, vt subsistat, *concedo*, per aliud quod in se fit res subsistens vt quod, *nego*. *Ad consequens* ergo est aliud, & aliud subsistens vt quod, *nego conseq.* vnum vt quo & alterum vt quod, *transeat*; sed hoc est esse distinctũ in ratione entitatis, non diuersi subsistentis, sicut albũ & albedo non faciunt duo alba vt quod, sed vnum vt quo, & aliud vt quod, albedo enim dicitur alba vt quo, idest, ratio & forma albi, licèt sint duæ entitates corpus, & albedo. *Formalis terminus* est id, quo constituitur aliquid tanquam actualitate, & specificatione. Illud autem quo constituitur in sua specie substãtia generata, vel est forma partialis, vel forma totalis. Forma totalis est integra natura, seu constans ex forma, & materia vnitis vt condistinguitur contra suppositum, vel personam, & significatur per modum formæ, quia significatur vt principium, quo aliquid est tale, sicut humanitas est id quo homo est homo. Forma partialis est illud principium, quod distinguitur contra materiam, & illi vnitum componit naturam, resultátque suppositum, seu terminus naturæ, nisi per assumptionem Diuinam impediatur. *Inquirimus ergo in præsenti*, in primis de termino totali, an sit ipsum compositum vt natura, an etiam suppositum quod est terminus eius? Secundò de termino formali, an sit ipsa forma, vel vnio eius in materia?

In hac re variæ sunt sententiæ Authorum, de quibus videri possunt Conimbr. 1. de Generation. capite quarto, quæstione decima quinta, & Cursus Carmel. disputatione secunda, quæstione tertia. Circa terminum enim totalem *aliqui dixerunt* actionem aliquam terminari ad compositum, distinctam ab ea terminatur ad formam, quia sunt res distinctæ. *Alij vero dicunt*, generationem intrinsecè terminari ad formam, extrinsecè verò, & secundariò ad totum compositum, & quasi per resultantiam, non vt terminum essentialem. *Denique alij ponunt* pro termino adæquato ipsum compositum, quod est natura, excludunt autem ipsum suppositum, vel subsistentiam.

Circa terminum verò formalem etiam diuisi sunt Authores, nam *quidam dicunt*, solam formam esse terminum formalem, etiamsi ipsa non producatur, sed sola vnio. *Alij vero dicunt*, solam vnionem esse per se terminum formalem generationis, non verò formam, eo quòd in omni generatione producitur de nouo vnio, non verò semper producitur forma, vt quando generatur homo, oportet autem assignare pro termino formali, & specificatiuo actionis aliquid de nouo factum, eò quòd actio si nihil facit de nouo, non est actio. *Alij denique dicunt*, formam esse terminum formalem, quando per generationem educitur, vel producitur, quando verò non producitur, sed vnitur, vnionem esse terminum formalem; de quo Conimbr. vbi suprà. *Deniq; quidã dicunt*, generationé cõuenire cũ creatione, in eo quod est producere totũ, differre auté in eo præcisè, quod sit eductiua vnionis.

Dico 1. *Totalis & adæquatus terminus generationis substantialis est ipsum compositum, seu totum non solum provt dicit naturam, sed etiam provt dicit suppositum, ita tamen quod subsistentia non se habeat in hoc toto, vt constituens, sed vt terminans naturam constitutam, verè tamen intrinsecè attingitur à generatione, & non extrinsecè.* Hæc concl. est expressa S. Tho. qui perpetuò docet ipsum fieri sicut & ipsum esse solum conuenire rei subsistēti, seu hypostasi vt patet 3. p. q. 35. a. 1. vbi inquit: *Natiuitas potest attribui alicui dupliciter vno modo sicut subiecto, alio modo sicut termino: sicut subiecto attribuitur ei quod nascitur, hoc autem proprie est hypostasis non natura, cum nasci sit quoddam generari, sicut generatur aliquid ad hoc quod sit, ita nascitur aliquid ad hoc vt sit, esse autem proprie est rei subsistentis, nam forma quæ non subsistit, dicitur esse solū quia eā aliquid est, persona autem, & hypostasis significatur per modum subsistentis.* Idem docet de creatione, & de quocumque alio fieri, quod fit ad rē subsistentē 1. p. q. 45. a. 4. Idē videri potest Philos. 7. Metaph. text. 27. vbi inquit: *Quòd neq; species fit, nec quodcūmq; nominari oportet formam, quæ in sensibili est, nec est eius generatio, nec quod quid erat esse* vbi S. Th. lect. 7. inquit: *Quia generatio est eius quod fit, palam est quod generatio non est formæ, sed compositi, nec iterum quod quid erat esse rei generatæ generatur nisi per accidens, sed forma, & quod quid erat esse est, quod fit in alio, id est, in materia non per se.* ita D. Th. Ex quibus verbis colligitur, quod si id quod generatur tanquam terminus totalis, & tanquā *quod* non est forma sola, neque quidditas, seu quod quid hoc enim est ipsa forma totalis, seu natura, quia sola forma partialis non est quidditas & natura, sed principium eius, restat vt terminus totalis sit ipsum suppositū. Vnde etiam patet, non legisse, aut non aduertisse verba Arist. eos, qui dicūt, eū non agnouisse suppositum, seu personam in substantiis, si enim dicit: *Quod id quod fit & generatur non est forma neque quidditas sed compositum,* & nomine formæ intelligitur forma partialis, nomine autem quidditatis, seu naturæ intelligitur forma totalis, restat vt nomine cōpositi intelligatur ipsum suppositū, hoc enim solū est quod condistinguitur à natura, seu forma totali. Et hunc locū Philos. sæpè obseruat D. Th. ad probandum formas non fieri, sed ipsum compositum, seu subsistēs, vt in 1. p. q. 65. a. 4. & aliis locis.

Fundamentum autem conclusionis sumitur ex ipsa doctrina D. Th. quia generatio per se primò tendit ad constituendam rem in esse integrè & perfectè, sed natura rei non habet totum esse nisi habeat illud subsistens, & per se, quia hoc est proprium substantię, vt habeat esse terminatum & subsistens; imò repugnat, quòd hbeat esse, nisi vel in se subsistens, vel alteri subsistenti vnitum, sicut humana natura est in Christo, ergo generatio quamdiu non dat tale esse sic subsistens, in se, vel in alio manca est, & nō integra, nec censetur dare totū suū effectū, ergo tunc est adæquatus terminus in quo sistit generatio, vbi ipsū esse generatū terminatur & sistit: sistit autem in subsistente, ergo subsistens in tali natura est terminus totalis, & vt *quod* generationis. *Et confirmatur*, quia ad generās pertinet non solum dare formam, sed consequentia ad formam, sicut sunt propriæ passiones, sed intimior est subsistentia, quàm passiones, quia istæ sunt accidentia pertinentque ad ornatum vel operationem substantiæ, substantia verò est terminus intrinsecus, & substātialis eius; vnde vnio ad subsistentiā Christi fuit substantialis in natura humana, ergo magis pertinet ad generans illam dare, quam proprias passiones. Omitto, quòd apud D. Th. existentia est propria hypostasis seu suppositi vt *quod*, naturæ autem vt *quo*, vt docet 3. p. q. 17. a. 2. & nos ostendimus, q. 7. Physicorū, ergo si generatio tendit ad dandum esse, terminus eius totalis, & vt *quod* erit id, cui conuenit esse vt *quod*, scilicet ipsum suppositum subsistens.

Et ex hoc deducitur vltima pars conclusionis, scilicet, ipsam subsistentiam seu suppositum pertinere ad intrinsecum terminum generationis, & non solum extrinsecū, & resultantē, vt videtur sentire Conimbric. q. suprà cit. art. 4. conclus. 2. & alij; Quia ille dicitur terminus intrinsecus, qui directè, & per se attingitur ab actione non secundariò & mediatè, ac præsupponendo alium primarium; sed subsistens non potest esse terminus mediatus ac secundarius, supponens aliū primarium productum, quia completum, & integrum esse primò & per se inuenitur in ipso subsistente, nō ante subsistentiam, ergo res vt subsistens, & ipsa etiā subsistentia ingreditur terminum intrinsecum generationis tanquam pertinens ad integrandam, & complendam rem generatam, non vt prædicatum constitutiuum, sed vt terminus intrinsecus rei generatæ respectus esse illius.

Dico secundò, *Terminus formalis generationis non est vnio, sed forma constitutiua rei generatæ. Vnio autem provt dicit applicationem, & coniunctionem extremorum non est terminus, sed applicatio, id vero quod resultat ex tali vnione, si sumatur per modum suppositi, & terminus totalis, si per modum naturæ, est terminus formalis tanquam forma totalis.* Hæc conclusio quæ inter Thomistas communis est, constat ex ipso D. Thom. 3. part. q. 35. sup. cit. vbi postquam dixit, quod natiuitas, & generatio attribuitur tanquam subiecto ipsi personæ, & non naturæ, addit: *Quod tanquam termino attribuitur natiuitas naturæ, terminus enim generationis, cuiuslibet natiuitatis est forma, natura autem per modum formæ significatur.* Vbi loquitur D. Thom. de termino formali, non de totali, quod est subiectum, de quo iam dixerat, quod est persona. Et similiter videri poterit, in 3. distin. 8. q. 1. art. 2. & optimè in 1. dist. 5. q. 3. art. 1. vbi inquit: *Terminus generationis in creaturis potest accipi dupliciter, sicut etiam & principium, dicitur enim principium generationis ipsam generans, & huic principio respondet sicut terminus ipsum genitum. Dicitur etiam principium generationis à quo incipit generatio, & hoc modo principium vel initium generationis est priuatio formæ inducendæ, & huic principio terminus oppositus est forma per generationem inducta*, ita D. Thom.

Et fundamentum colligitur, quia termino adęquato & totali alicuius actionis illud est terminus formalis quod ipso termino se habet vt forma quæ per se specificat actionem, & assimilat genitum ipsi generanti, hæc enim sunt munera termini formalis, scilicet formalizare ipsum terminum totalem, quod vtique fit specificando, seu constituendo, & assimilando ipsum genitum rei generanti. Constat autem, quòd forma termini generati non est ipsa vnio, sed aliquid vnitum, vnio enim se habet, vt communicatio, & applicatio, quâ communicantur extrema, ergo forma constituēs debet esse extremum communicatum, & vnitum, hoc enim est vltimum, quod intendit generans, intendit enim assimilare sibi genitum in forma, & positâ assimilatione cessat; non cessat autem in vnione, quia vnio est applicatio vt forma reddatur vnita, ergo magis se habet, vt terminus formalis forma vnita, quàm vnio coniungēs. *Et confirmatur*, quia si ista vnio, qua vnitur ista forma, adhiberetur alteri eodem modò illam vniret materiæ, ergo propriū distinctiuum & constitutiuum, formale huius generationis non est vni propter vnionem, sed propter formam vnitam. Vnde etiam quando forma nō producitur

ducitur per generationem,sed introducitur,& vnitur, & sic sola vnio producitur,adhuc non producitur,vt constituens formaliter,sed vt communicans,& applicans formaliter id,quod constituit vt forma.

Ex quo colligitur, quod cum assignatur formalis terminus, & ratione alicuius formalitatis designetur, si sumatur ly *formalis* pro communicante, & vniente,sic vnio est terminus formalis, si sumatur pro formalitate terminante & constituente, & assimilante genitũ generanti,sic terminus formalis non est vnio, sed forma vnita; constat autem quod præcipuè iudicandum est de termino formali, secundum quod terminat potiùs,quàm secundum quod mediat. Verum quidem est, quod non potest forma constituere formaliter, nisi connotando, & supponendo vnionem tanquam conditionem,& applicationem,ipsa autem forma vnita se habet, vt constituens.Et sic etiam, vt suprà diximùs,art.3.ex Caietan.1.p.q.118.art.1.in generatione humanâ, licèt forma non producatur, sed vniatur, tamen non sola vnio, sed etiam ipsa forma vnita attingitur à generatione,nõ secundum esse formæ in se,sed secundum inesse,ita tamen, quod vnio se habeat,vt conditio, & forma vnita vt constituens formaliter, & terminans.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguit. *contra primam conclusionem.* Quia saluatur vera generatio sine hoc, quod producatur, vel attingatur suppositum, & similiter sine hoc, quod producatur natura, ergo neque suppositum est totalis terminus generationis,neque natura formalis. *Antecedens patet*,tum in generatione, quia B.Virgo genuit Christum,quæ fuit vera generatio,cum fuerit vera mater eius, & tamen non attingit suppositum, neque producendo,quia in Christo non fuit suppositum creatum, neque vniendo illud naturæ,quia hæc vnio non est facta per actionem Virginis,sed per immediatam assumptionem Dei,tum etiam quia suppositum resultat positâ naturâ tanquam modus,seu terminus illi adiunctus.Vnde si nunc humanitas dimitteretur à Verbo,resultaret de nouo subsistentia creata, ergo supponit terminum generationis omnino productum per actionem, siquidem quod restat solũ fit per resultantiam: ergo suppositum nõ pertinet ad intrinsecum terminum generationis, vt actio est, sed posito termino actionis resultat,tum denique, quia D.Thom.nullo modo attribuit ipsi supposito rationẽ termini,sed subiecti generationis,rationem verò termini ipsi naturæ, vt patet 3.p.q.3.art.1.eò quòd natura,quę constat ex vnione materiæ,& formæ est integra,& totalis substantia,ergo de se terminat totalẽ actionem,& sic vt sit terminus totalis producibilis à generatione,non indiget aliquo alio, sed tamen quia illa natura est terminata supposito,& in illo tanquam in subiecto, ideò dicitur suppositum subiectum generationis non terminus, quia non terminat actionem, sed subiicitur seu supponitur naturæ terminanti.

Quoad secundam verò partem probatur antecedens in generatione Diuina, in qua totalis terminus est persona procedens,natura verò non habet rationem termini etiã formalis,aliàs distingueretur à principio à quo procedit,& sic non esset vna tantum natura in tribus personis.

Resp.neg.ant. Ad primam probationem resp. aliquos existimare actionem B. Virginis in ipsa productione humanitatis, & existentia eius,ita sistere, quòd non dicitur Mater Dei, id est persona subsistentis in ipsa humanitate, nisi materialiter, & secundariò, & per accidens, sicut si modo Deus assumeret meã humanitatem destructa eius subsistentiã, mater quæ me genuit materialiter & per accidẽs diceretur Mater Dei, quia esset mater hominis, cuius natura assumpta est à Deo,sic producendo humanitatem in se existentem, & terminantem generationẽ Virginis dicitur Mater Dei,quia est mater humanitatis,quę aliã actione non pertinente ad Virginem assumpta est à Deo.Si enim actio generantis non tangit suppositum, sed sistit in esse naturæ quodcũque suppositũ illi applicetur materialiter se habebit:& ita B.Virg.formaliter,& per se non dicetur Mater Dei.

Nihilominus in sententia S.Thom.B.Virgo propriissimè,& formaliter est vera Mater Dei,non minùs,quã mater Petri est formaliter mater illius hominis. Etenim in generatione hominum,generans non producit formam,neque eius existentiam,vel subsistentiam,sed forma rationalis in se subsistẽs creatur à Deo,& infũditur, generans autem vnit materiam illi formæ, & sic illud esse animæ, quod fit à Deo communicatur à generante ipsi corpori, & non est aliud esse in ipso corpore, & in toto composito,quàm ipsum esse animæ sic communicatum, quia in ipso composito secundum D. Thom. non datur nisi vnum esse quod quidem prouenit à forma vt à principio *quo*, conuenit verò composito,seu supposito vt *quod*. Vnde cum anima rationalis habeat esse per se existens,seu subsistens, licet communicabile materiæ, ideo generatio hominis formalissimè dicitur attingere personã,quatenùs hoc ipsum esse animæ,quod communicatur toti composito,seu personæ, à generante communicatur corpori, & facit integrum hominem. Et ita dicit D.Thom.1.2.q.4 art.5.ad 2. *Quòd anima humana remanet esse compositi post corporis destructionem, & hoc ideò,quia idem est esse formæ,& materiæ,& hoc idem est esse compositi.* Similiter ergo in Christo est vnicum tantùm esse,quod est personæ seu suppositi & cõmunicatur naturæ,vt docet idem D.Thom.3.p.q.17.a.2. Sed tamen hoc esse Verbi,seu subsistẽtia,ordine quodam communicata fuit prius animæ prioritate naturæ,deinde corpori,quia priùs natura assumpsit animã quam corpus,& mediante animâ corpus,vt docet D. Thom.3.p.q.6.art.1.ita quòd in ipsa creatione animę simul se immiscuit assumptio Verbi impediens propriam subsistentiam,& existentiam animæ, & suam subrogans per assumptionem.Cùm ergo in illo puncto actio B.Virg.generatiua attigit vnionem corporis formati ad animã,quam Deus infundebat,assumebat, illud met esse, & subsistentiam, quam inueniebat in anima,communicabat corpori.Et ita sicut actio generatiua ordinaria illud esse propriũ,& naturale animæ cõmunicat corpori,& hac ratione dicitur formalissimè mater hominis,& personæ subsistẽtis in humanitate,ita generatio Virginis,esse & subsistentiam Verbi,quã inuenit in anima assũpta,communicauit corpori,& ita formalissimè dicitur mater illius hominis, seu personæ Diuinæ,vt subsistẽtis in illa humanitate constante corpore & anima.Nec tamen B. Virgo assumptionẽ ipsã efficiẽter attigit etiã instrumẽtaliter, quia hęc cum ipsa creatione animę immediatè à Deo facta est,sed B.Virgo,animam prioritate naturæ assũptã à Deo,ipsa generatione communicauit corpori, sicut postea in resurrectione vniendo animam corpori sine noua assũptione iterũ resultauit Deus homo assũptio enim animæ virtualiter est assũptio corporis eò quòd anima est de se communicabilis corpori.

Quod si dicas, si tota substentia Verbi, & eius esse fuit collatum animæ, & mediante anima ad carnem, ergo separatâ animâ in morte,caro mansit sine subsistentia Verbi, sicut caro hominis mortui manet sine subsistentia animæ quæ separatur.Hoc autẽ est erroneum,aliàs filius Dei non esset sepultus, quando eius corpus

corpus ſepultum fuit. *Reſp.* ex D.Th.3.p.q 50. attic. 2.ad 2. vbi hoc argumentum ſoluit : *Quòd Verbum Dei dicitur vnitum carni mediante anima, quatenùs caro per animam pertinet ad humanam naturam, quam filius Dei aſſumere intendebat, non autem, ita quod ſit medium quaſi ligans vnita. Habet autem caro ab anima, quod pertineat ad humanam naturam etiam poſt quam anima ſeparatur ab ea, in quantum, ſcilicet in carne mortua remanet ex ordinatione Diuina quidam ordo reſurrectionis, & ideo non tollitur vnio Diuinitatis ad carnem.* Ita S. Thom. ex cuius verbis conſtat carnem in Chriſto manſiſſe vnitam Verbo, non quia habeant diſtinctam ſubſiſtentiam, quæ ſibi suppleatur ſeorſum à forma, nec quia ſubſiſtẽtia animæ communicaretur corpori poſt mortẽ, ſed quia caro mortua etiam pertinet ad humanã naturam propter ordinem ad reſurrectionem, & quidquid pertinet ad naturã humanam non fuit dimiſſum à Verbo, ideo corpus illud manſit aſſumptum non ſub forma animæ, nec ſeparatum ab omni forma, ſed ſub forma cadaueris, quæ ad tempus aſſumpta fuit, inquantum requirebatur ad conſtitutionem corporis humani mortui, quod adhuc ordinabatur ad humanam naturam, ratione reſurrectionis.

Ad ſecundam prob. reſp. quod ſuppoſitum non reſultat vt paſſio, ſed vt terminus naturæ omnino præ-requiſitus ad eius exiſtentiam, vnde ſicut exiſtentia non reſultat, ſed attingitur ab actione, ita & ſubſiſtentia, quæ ipſam antecedit, & licèt exiſtentia antecederet, adhuc ab ipſa actione attingeretur intrinſecè, quia ante ſubſiſtentiam exiſtentia ipſa non eſt terminata, & completa, & ſic neque actio conſtituens rem productam in ratione ſtatus totius, ipſum autem totum attingitur ab actione. Quæ vero reſultant, sũt accidentia, quæ nec pertinent ad ipſum totum, vt partes, neque vt modi, ſeu termini totales, ſicut ſubſiſtentia.

Ad tertiam inſtantiam dicitur, quòd D.Thom. attribuit rationem termini naturæ, & rationem ſubiecti hypoſtaſi, ſeu ſuppoſito, quia ſuſtentat, & ſubiicitur naturæ, & ſic nomine termini abſolutè dicti intelligit terminum formalem tanquam ſpecificatum, in quod tenditur, nomine vero ſubiecti intelligit, terminum totalem, eò quòd ſuppoſitum non eſt ſubiectum ex quo fit generatio (id enim eſt materia prima) ſed quod naſcitur per generationem.

Ad ſecundam partem argumenti reſp. quòd Diuinitas non eſt terminus productus, ſeu procedens, ſed communicatus, & ſic eſt terminus formalis generationis Verbi, eſt enim id, in quo aſſimilatur ſuo principio, & generatio illa, in quantum aſſimilatiua eſt communicatiua naturæ Patris, atque adeò natura, vt natura, eſt eius terminus formalis communicatus, nõ productus; in proceſſione verò Spirit. S. natura vt natura non eſt terminus formalis etiam communicatus, ſed idẽticus, amor verò infinitus eſt terminus formalis, terminus autem productus eſt perſona ſubſiſtens, quæ etiam amor notionalis dicitur.

Secundò arguitur, ad probandum vnionẽ non formã eſſe terminum formalem, quia ſẽper eſt id, quod producitur de nouo, forma autẽ nõ ſemper, vt in generatione hominũ, terminus autẽ formalis debet produci de nouo, quia quod non producitur non terminat actionem, quia nõ accipit eſſe, actio autem noua debet dare nouũ eſſe, imò quando educitur forma nõ producitur, niſi vt educta, & conſequenter, vt vnita ſubiecto, & per hoc diſtinguitur à productione creatiua : ergo formalis ratio ſpecifica generationis eſt terminus vt vnitus, ſi quidem per hoc formaliter, & vltimatè diſtinguatur à creatione. Denique ex ſola variatione vnionis videmus variari ſpecies actionis, vt cum anima rationalis vnitur per generationem, vel reunitur per reſurrectionem, non eſt variatio penes formam, ſed penes diuerſæ formæ vnionem : ergo diuerſa vnio erit ratio diuerſæ ſpecificans, & terminus formalis, iſte enim eſt qui ſpecificat.

Ad primam partem argumenti reſpondetur, quòd nõ eſt neceſſe formalem terminum produci de nouo in ſua entitate, ſufficit quòd in ſui participatione, quâ mediante ſpecificat, proprium enim termini formalis eſt ſpecificare, & formalizare id quod producitur, ad hoc autem non conducit per ſe, quod entitas formæ ſpecificantis de nouo fiat, ſed ſufficit, quòd ipſa de nouo communicetur ſpecificato, & ita communicatio ſeu vnio de nouo fiat, non tamen illa vnio eſt terminus formalis, id eſt formalizans, & ſpecificans, ſed applicans, & vniens, vnde aliud eſt ratio formalis termini, aliud ratio nouiter producti in re quæ generatur; producitur enim de nouo terminus totalis, cui cõuenit eſſe, & produci vt *quod*, forma autem, cui conuenit eſſe vt *quo*, non eſt neceſſe, quod producatur, ſed ſufficit, quòd communicetur, & ſic ſpecificet, & formalizet; ipſa autem vnio non eſt terminus formalis, ideſt forma dans ſpecificationem, ſed applicatio termini formalis. Quæ doctrina ex D. Thom. quæſtion. 3. de potent. articul. 9. ad 6. ad 18. 20. & 21. & notatur à Caiet. 1. part. quæſtion. 118. art. 1.

Ad ſecundam partem argumenti reſpondetur, non diſtingui ſpecificatiue generationem à creatione, quia forma producitur vt vnita, quando educitur, nam etiam in creatione cum producatur ipſum totum producuntur partes, vt vnitæ, ſed quia ad creationem pertinet producere tot um, nihil præſupponendo de partibus, ſed omnes faciendo de nouo, & ex nihilo tã materiam, quàm formam, ideò diſtinguitur ab eductione, quæ producit totum præſupponendo vnam partem, ſcilicet materiam, ex cuius tranſmutatione educitur forma; quæ applicata materiæ totum conſtituit, & ſic per eductionem totum non tam fit, quàm componitur, in creationem verò abſolutè fit. Vnde non ratione vnionis formaliter diſtinguuntur, ſed ratione termini formalis, qui in creatione eſt totum ens ex nihilo, in generatione forma conſtituens tale ens ex præſuppoſito ſubiecto, & ſic etiam in creatione materia pertinet ad formalẽ eius terminũ, quia pertinet ad rationẽ totius entis.

Ad vltimã partẽ argument [illegible] *õdetur* negãdo, quòd diuerſa vnio præciſè ſit diue[illegible] [illegible]rminus formalis in actione ſubſtantiali, qualis eſt [illegible]rrectio, & generatio; vtriuſque enim producitur vnio, & ſic non poteſt ex ipſa ſolũ ſumi diuerſitas formalis iſtarũ actionũ, ſed ex ipſa forma ſumitur, vt ſtat ſub diuerſa ratione, & modo cõmunicandi ſe materiæ, diuersã enim trãſmutationẽ exigit generatio omnis, vt cõmunicans animã corpori, quã reſurrectio, quę ſine tali formatione, & diſpoſitionibus, ſed præſupponendo priorẽ vnionẽ fuiſſe corruptã, vnit animã corpori, & ſic reſpicit formã, vt reunitã, non vt pręcisè vnitã; ſimiliter etiã formatio hominis ex terra, ſicut in Adã, fuit actio diſtincta à generatione, nõ propter diuersã vnionẽ, tanquã terminũ formalẽ, cũ vtrobique fuerit producta vnio, ſed propter ipsãmet formã ſub diuerſo modo trãſmutationis cõmunicatã, & ſic fundantẽ diuersã formalitatẽ ſeu reſpectũ terminãdi actionẽ, quatenùs diuerſas mutationes producit in materia, vt generet, vel vt reſuſcitet, vel vt formet ex terra; formalis autẽ terminus ſumitur ex forma cũ reſpectu ad viã, & ad tranſmutationes, quibus fit; iſtæ enim etiam per actionem producũtur, vt ducẽtes ad terminũ. An vero in actione accidẽtali, v.g. in intenſione, ſola vnio producatur

de

de nouo, an vero formalis aliqua perfectio quæ addatur qualitati infr. q. 5. inquiretur.

ARTICVLVS V.

Quod sit subiectum generationis, & de eius distinctione à creatione?

TRiplex subiectum, seu triplex ratio subiecti distingui potest in generatione. Est enim subiectum mutationis, quod magis obiectum dici potest, quia est id ad quem tendit generatio: est denique subiectum denominationis, scilicet res quæ denominatur generata. In generatione ergo mutatur materia de priuatione ad formam, sed non denominatur producta, neque generata. Dicitur autem producta forma quæ educitur, vel compositum, quod de nouo accipit esse. Denominatur autem generatum ipsum suppositum, quod tanquam genitum respicit ipsum generans. Inter hæc subiecta, inquirimus, quodnam ex illis sit subiectũ inhæsionis cui inhæreat generatio? Est autem difficultas ex differentia inter alterationem & generationem, quia alteratio tam ex parte sui, quàm ex parte sui termini, qui est qualitas, supponit pro subiecto substantiam completam, & in actu, quæ est capax accidentium, actio autem generatiua non supponit, nisi materiam primam, quæ non est capax accidentis antequam habeat formam substantialẽ, hæc autem producitur per ipsam generationem, ergo non supponitur illi tãquam subiectum. Ex alia verò parte materia prima est subiectum mutationis, quia ipsa sola & nõ totũ compositum est, quæ trãsmutatur de vna forma ad aliam, & in ipsa recipitur forma substantialis, eique immediatè vnitur, ergo in ipsa debet esse generatio, quia actio in eo subiecto est, in quo terminus eius, non enim seorsum à termino recipitur actio, vel mutatio. Et ad idem faciunt authoritates S. Th. & Philosophi postea adducendæ.

Dico ergo primò, *Subiectum mutationis in generatione substantiali* est sola materia prima, inhæsionis autem non est sola materia prima, neque materia prima vt subiecta formæ corporeitatis, sed totum compositũ, *quod generatur per illam.* De prima parte conclusionis non potest esse dubium, & in eo sensu loquitur S. Tho. cum pro subiecto generationis assignat materiam primam, & non substantiam in actu, expresse enim loquitur de generatione prout mutatio, & de subiecto mutationis, vt patet 1. de gener. lect. 10. in fine, vbi inquit: *Comparat prædictas transmutationes, secundũ subiectum, quod est tantum potentia, & dicit quòd prima materia est maximè proprium subiectum susceptibile generationis & corruptionis.* Eodẽ modo loquitur 1. p. q. 45. a. 1. ad 2. loquens solum de mutatione, & apertiùs q. 3. de potentia a. 3. ad 4. vbi inquit. *Quòd in generatione, & est mutatio, & relatio, quã refertur genitum ad generans, Ratione ergo mutationes non habet pro subiecto ipsum generatum, sed eius materiam, sed ratione relationis habet subiectum ipsum generatum. In creatione autem est relatio, sed non mutatio, & ideo non est simile.* Dixerat autem in solutione ad 3. immediatè anteà, quòd relatio illa creationis vt est accidens inhæret subiecto & est posterior illo, quod generaliter de omni accidente probabitur inf. q. 9. scilicet subiectum inhæsionis vt *quod* esse compositum.

Ratio autem huius primæ partis est, quia illud est subiectum mutationis, seu motus, quod est subiectũ termini motus, seu terminorum, inter quos motus versatur, constat autem quod termini, inter quos versatur generatio, vt mutatio est, sunt forma, & priuatio, vtrumque autem habet pro subiecto materiam primam, nam ipse est priuata formâ substantiali, & ipsa etiam immediatè informatur substantiali formâ, ergo ipsa est subiectum huius mutationis, quę est generatio; vnde in 1. Physic. assignatur triplex principium, scilicet materia, forma, & priuatio pro ipsa re naturali in fieri, seu pro generatione, materia autem non est principium generationis, nisi vt subiectum talis mutationis, quia subiectum mutationis debet esse principium rei mobilis, non solùm in facto esse, sed etiam in fieri; & in ipsa generatione, cum in hoc distinguatur à creatione, quod procedit ex transmutatione alicuius subiecti, ergo oportet quod materia sit principium generationis tanquam subiectum, non verò ipsum compositum, quia hoc est principiatũ & non principium.

Secunda pars conclusionis, scilicet quod materia prima, vt subest formæ corporeitatis, non est subiectũ inhæsionis ipsius generationis, *Constat manifestè* supponendo, id quod in libris de anima latiùs expendetur, quod in quocumque composito substantiali tantũ est vnica forma substãtialis, quę dat omnes gradus specificos, & genericos, non autem vna forma dat gradũ corporeitatis, alia viuentis, alia sẽsibilis, vt optimè prosequitur D. Th. 1. de Gen. lect. 10. in fine, & Nos in q. 1. de Anima probabimus. Quo supposito rectè sequitur, quòd subiectum generationis non sit materia prima, vt subest formæ corporeitatis. Quia nulla forma substantialis ita cõcomitatur materiam, quòd nũquam exuatur illa, sed hoc ipso quod corrumpitur vna forma substantialis omnes gradus corrũpuntur, quia omnes illi sũt eadẽ & vnica entitas formæ, ergo corruptâ formâ, materia nõ manet sub aliqua forma, vel gradu corporeitatis ad recipiendam formam & de nouo genitã, sed sola & nuda materia recipit illam, & forma præbet materiæ omnẽ gradũ non solùm primum & remotum, sicut est gradus corporeitatis, sed etiam vltimũ & specificum, & sic tollit omnem gradum, quem forma corrupta præbebat.

Certa tertiam partem conclusionis, scilicet quòd subiectum inhæsionis sit ipsum totum compositum sumendo generationem, non pro ipsa alteratione præcedente, quam constat recipi in composio antecedente, quod corrumpitur: sed sumendo generationem pro actione illa substantiali distincta ab alteratione, vt modo supponimus distingui ex dictis suprà *articulo* 3. De hoc maior est difficultas etiam inter Thomistas, plures enim existimant subiectum inhæsionis eius esse ipsam materiam primam, vt videtur sentire Caiet. 3. p. quæst. 35. art. 1. & alij quos citat, & sequitur Cursus Carmelitanus hîc disput. 2. quęst. 5. Alij vero cum Magistro Bannez 1. de generatione c. 4. quæst. 11. dicunt totum compositum esse subiectum inhæsionis respectu ipsius generationis.

Dicimus ergo, quod suppositis duobus principiis, altero à nobis suprà admisso, & probato quod generatio est actio distincta ab alteratione, nec est pura & nuda resultantia: altero infrà probando & admittendo, scilicet quod materia prima immediatè & per se non est capax inhærentiæ accidentis, ita vt per materiã sustentetur in esse ipsum accidẽs, necesse est dicere, quòd generatio in quantum est actio de prædicamento actionis non potest habere pro subiecto inhæsionis solam materiam primam Vnde Cursus Carmelitanus vbi suprà numero. 61. fatetur

fatetur generationem ſubſtantialem ſumptam pro inſtantanea mutatione ſeorſum ab alteratione non eſſe accidens, ſed aliquid ſubſtantiale tanquam modus. Rubio autem & alij admittunt, quod aliquod accidens ſi ſit incompletum, & quaſi vitale poſſit eſſe in materia, & non in toto. *Cæterùm* noſtra ſententia, quam infrà oſtendemus, affirmat nullum accidens poſſe per inhærentiam ſubiectari in materia tanquam in ſubiecto *quod*, ſed debet eſſe in toto compoſito, hoc autem vel eſt ipſum generans, vel id quod corrumpitur, vel id quod de nouo generatur. Et quidem generans non eſt ſubiectum generationis, cum non ſit actio immanens, niſi fortè dicatur ſubiectum actionis tranſeuntis eſſe ipſum agens, ſed tunc reſtat inquirere ſubiectum generationis, vt paſſio eſt, nam in omni ſententia paſſio non eſt in agente, & ſic reſtat explicandũ, an materia ſit ſubiectũ iſtius generationis ſic acceptæ paſſiuè, vel potiùs ipsũ compoſitum? Et deinde reſtat difficultas in opinione, quod actio ſit ſubiectiuè in paſſo, & non in agente, quomodo generatio inhæreat in agente, ſiquidem generatio eſt in paſſo in hac ſententia. Oportet ergo aſſignare aliud ſubiectum. Hoc autem non poteſt eſſe res quæ corrumpitur, quia in inſtanti in quo eſt verum dicere nunc eſt generatio, eſt verum dicere nunc non eſt res corrupta, quia deſinit, per primum non eſſe, ergo nõ poteſt illa generatio, quæ tunc primò exiſtit, inhærere in ipſa ſubſtantia corrupta, ergo nõ ſolùm reſtat, quod inhæreat in ſubſtantia genita.

Quomodo autem terminus generationis poſſit eſſe ſubiectũ, in quo inhæreat, explicatur ex eo, quod ſubiectũ mutatũ per ipsã generationẽ eſt materia prima, quæ eſt pars componens ipsũ terminũ, qui eſt totum. Quare cum actio non inhæreat niſi mediante termino producto, ſeu ab actione attacto cum eo enim identificatur actio, & ipſe terminus totalis componatur ex materia & forma, ſeu habeat materiam partem ſui in idẽ coincidit ſubiectũ & terminus, quia terminus ſubſtantia eſt, & ſic non habet aliud ſubiectũ, cui inhæreat actio niſi in eo, qui eſt terminus totalis cũ quo ipſa identificatur. Cæterũ ſubiectũ accidentiũ ſẽper debet diſtingui ab ipſo termino, quãdo producitur accidẽs, eo, quod per talem actionem non producitur ſubiectum actuale, ſed ſupponitur; per generationem autem ſubſtantialem ſubiectum actuale producitur quod eſt compoſitum. Et licet ſupponatur materia prima, quæ eſt principium recipiendi etiam ipſa accidentia, tamen nec eſt principium *quod* recipiens ea, ſed principium *quo*, id eſt ratio quâ ipſum compoſitum tanquam ſubiectum *quod* habere recipere accidentia, nec etiam eſt principium ſuſtentandi in eſſe ipſa accidentia, quia principium ſuſtentãs in eſſe, ſupponitur habere exiſtentiam, quam præbeat accidentibus; materia autem prima non habet illam niſi per formam, vt in q. 3. Phyſ. oſtendimus, & ſupra art. 1. habet tamen materia eſſe ſubiectum reſpectu formę ſubſtantialis, quia forma non ſuſtentatur in materia præſupponendo eſſe, ſed recipitur vt ex ipſa & materia conſtituatur compoſitum, quod eſt habens eſſe; & ſic diſtinguit D. Th. inter ſubiectum & materiam opuſ. 31. in princ. Cùm ergo generatio, in quantũ actio, ſit accidens, oportet quod pro ſubiecto inhæſionis, & ſuſtentationis habeat compoſitum, & non ſolùm materiam primam, licèt illa ſit principium *quo* recipiendi, & ſubiectum etiam mutationis, vt dictum eſt.

Dico 2, *Generatio & creatio tam completa & adæquata, quæ ſimpliciter dicitur creatio, quam inadæquata, & incompleta, quæ dicitur concreatio, qualis eſt productio materiæ primæ, aut productio formæ dependẽtis à materia quando fit per creationem, differunt, tum ex parte termini formalis, tum ex parte modi producendi, licèt in termino totali materialiter ſumpto tam generatio, quàm creatio completa conueniant.* Hæc concluſio ſumitur ex doctrina S. Thom. 1. part. quęſt. 45. artic. 2, & 3. & 4. & quæſt. 3. de potentia articul. 1. & 2.

Pro cuius explicatione duo aduerte. Primum, quòd licèt creatio ſit vnica, & indiuiſibilis actio attingẽs ipſum totum, & producens partes, tamen non æque denominantur omnia creari, ſed ipſi toti conuenit creari tanquam rei ſubſiſtenti, & habenti eſſe *vt quod*, partibus vero conuenit creari, tanquam principiis conſtituentibus illud totum, & habentibus eſſe non vt *quod*, ſed vt *quo*. Hinc naſcitur illa diſtinctio creationis, quod alia eſt adæquata & completa alia inadæquata, & incompleta, prima enim dicitur reſpectu totius, quod attingitur à creatione, vt abſolutè, & ſubſiſtenter habentis eſſe. Secunda verò reſpectu partium quæ attinguntur, vt habentes eſſe in alio & cum alio, à quo dependent & cui ſubſunt vt ſint, & ideò dicuntur creari. Quæ doctrina eſt D. Th. qui pluribus locis docet solũ creari propriè res ſubſiſtentes ſeu ipſum totum & compoſitũ, materiam verò & formam non propriè creari, aut fieri, ſed concreari, vt patet 1. p. q. 45. art. 4. & q. 44. art. 2. & q. 7. art. 2. ad 3. & quæſt. 3. de potentia art. 1. ad 1.

Secundum quod ſupponimus eſt, quòd tam creatio quàm generatio ſubſtantialis conueniunt in hoc, quod eſt producere totum compoſitum, ſeu facere rem ſubſiſtentem, & completum, cui per ſe conuenit eſſe, ſed differũt quod generatio ſupponit ea, ex quibus conſtare debet hoc totum, vel omnia, vel ſaltem materiam primam; generatio enim hominis neque materiam facit, neque formam, ſed vtraque coniungit, aliæ verò generationes ſaltem ſupponũt materiam primam, licet formam educant, & producant. At verò creatio ita producit totum compoſitum, quod nihil ſupponit eorum, ex quibus coaleſcit, ſiue partes, ſiue totum, ſed quidquid entitatis eſt in re facit & ita creatio eſt talis virtutis, quòd ex vi ſuæ rationis formalis habet attingere in re creata omnem rationem entis, ſiue ſit materia, ſiue forma ſiue potẽtia, ſiue actus. Quare generatio neceſſariò ſupponere debet creationem, nec potuerũt res primò incipere per motũ; in quo hallucinati ſunt. Aliqui antiqui Philoſophi, & Ariſt. ipſe, qui exiſtimãtes non dari alium modum producendi res, quã per motum & generationem, inciderunt in illud incõueniens de æternitate mundi, non inuenientes initium, quo res primum fuerunt productæ, ſi omnes per motum productæ ſunt, nam hoc modo ſemper ſupponebatur aliquid, ex quo mutatio, ſeu motus fieret, ſi enim produceretur aliquid non ſupponẽdo aliud ex quo fieret, ſine mutatione produceretur, quia ex nihilo & non ex ſubiecto fieret. Vt ergo non ponamus infinitum proceſſum, & æternitatem generationum in motibus, oportet deuenire ad productionem materię non ex alio ſubiecto, ſed ex nihilo, & conſequenter per creationem. Et quia materia non fit ſola, & ſine forma, ſed ſub illa & dependens ab illa, ſicut de facto fuit cum in principio creauit Deus cœlum, & terram, ideo creatio ſemper eſt ſubſiſtentium & compoſitorum, partis autem eſt concreatio.

Ex quibus concluſio poſita conſtare poteſt, & declarari differentia inter creationem & generationem, tam ex parte termini formalis, quàm ex parte modi procedendi. Ex parte quidem termini formalis

formalis, quia generatio solum habet pro termino formali formam specificantem, siue vt eductam, siue vt vnitam, creatio autem habet pro termino formali totam rationem entis, quæ reperitur in composito siue ex parte formæ siue ex parte materiæ, & sic coincidit ibi terminus adæquatus & formalis. Vnde S. Thom. 1. p. q. 45. art. 4. ad 1 explicans illud axioma *ex libro de causis prima rerum creatarum est esse*, dicit quod ly *esse* non importet substantiam creatam, sed importat propriam rationem obiecti creationis, nam ex eo dicitur aliquid creatum, quia est ens non ex eo, quod est hoc ens, cùm creatiô sit emanatio totius esse ab ente vniuersali. Igitur formalis ratio, seu terminus creationis non est forma, quæ informat & speciem dat naturæ, sed tota ratio entis, quæ inuenitur in tali re, & sic ex parte termini formalis valde differunt generatio, & creatio, cùm id quod est totale in generatione sit formale in creatione.

Ex parte autem diuersi modi procedendi differunt generatio, & creatio, tum ex parte termini *ad quem*, tum ex parte termini *à quo*; ex parte quidem termini *ad quem*, quia creatio facit ipsum totum simpliciter producendum omnia quæ in eo sunt, generatio autem facit totum vniendo partes, non producendo, vel saltem non omnes, quia materiam præsupponit. Ex parte termini *à quo*, quia creatio est ex pura negatione, seu ex nihilo, quia nullum subiectum supponit, generatio verò ex priuatione, quia supponit subiectum carens formâ.

An creatio sit eiusdem rationis in simplicibus, & in compositis?

Ex *quibus deducitur*, creationem eiusdem rationis esse, siue cùm producit entitatem simplicem, vt Angelum, siue cùm producit compositã vt cœlum, vel terram. Cuius oppositum sentit P. Vazquez 2. tom. 1. p. disp. 164. c. 4. n. 17. & alij qui eum sequuntur, qui dicit primò creationem non solùm esse subsistentiam simpliciter, & totaliter, sed sufficit quòd sit productio alicuius quod suapte natura subsistere potest, & non esse alteri, seu dependere sicut anima rationalis. Secundò addit, quòd in qualibet re composita sunt singulæ productiones singularium partium, & altera totius, quia ex compositione conflatur, tale autem compositum secundum eam rationem, quâ à partibus distinguitur creari non potest eius esse, quia est ex aliquo nempe ex partibus, quæ prioritate naturæ præcedunt, ergo non est ex nihilo, sicut requiritur ad creationem, quod enim nihil præcedat tempore, nequaquam requiritur, vt patet si res ab æterno crearentur, verâ enim creatione fierent, & tamen non præcessisset, tempore nihil. Addit tertiò materiam creari verâ, & propriâ creatione, quia de nihilo fit, & licèt dependeat à forma, non tamen secundum entitatem suam, aliàs mutatâ formâ mutaretur in esse, & entitate; imò quodcumque agens introducens formam in materiam faceret illam existere, quia producens formam non solum facit illam esse, sed etiam quòd per illam habeat esse, idem enim est producere formam, & effectum formalem illius. Et deinde si Deus conseruat materiam mediâ formâ tanquam principio, & materia est ex illa, non creabitur à Deo, quoties producitur vt coniuncta formæ, & ita nullum compositum fieret per creationem præter hominem, quia omne aliud secundum formam non educitur è materia, secundum rationem compositi est ex partibus, non ex nihilo, secundum materiam est ex forma, siquidem fit dependens ab illa. Denique creationem materiæ assimilat creationi animæ rationalis, quia illa naturaliter fit cum coniunctione ad formam, hæc naturaliter cum infusione ad materiam, licèt de potentia absoluta vnumquodque seorsum fieri possit.

Nihilominus dicendum est, *In creatione quã creantur res compositæ, non importari plures actiones quibus partialiter creantur singulæ partes, & aliam quæ ex partibus producat totum, sed vnica actione produci totum & partes, & sic eiusdem rationis esse creationem rei simplicis totalis, & rei compositæ*, quia in vtrisque intenditur ens in quantum ens, materialiter verò se habet, quòd componatur ex partibus, vel non. Vnde S. Tho. perpetuò excludit à proprietate creationis materiam, & formam & partes, quas solum dicit concreari, ipsum verò totum subsistens proprie creari, vt videri potest in q. 3. de pot art. 1. ad 12. & 1. p. q. 7. art. 2. ad 3. vbi expresse affirmat materiam, & formam propriè non fieri, neque creari, sed concreari; specialiter autem loquens de materia, quam Vazq. dicit creari, compositum verò non è diametro opponitur illi D. Th. qui 1. p. q. 44. art. 2. ponens illud argumentum quòd materia non creatur, quia non habet esse actu, per creationem autem solùm fit ens actu, respondet, *Quòd probat argumentum materiam non creari solam sed sub forma, eo quod etiam id, quod tenet se ex parte potentiæ in creaturæ à Deo est*. Cursus verò q. 45. art. 4. ponens oppositum argumentum scil. quod illud propriè producitur per primam emanationem, quod supponitur in secunda, sed quòd supponitur in generatione est materia, ergo materia propriè creatur, & non compositum, quod certè est fundamentum Vazquez *respondet* S. Tho. eadem solutione, quâ argumento anteà posito, *scilicet rationẽ illam nõ probare, quòd sola materia creatur, sed quod materia nõ fit nisi ex creatione, nã creatio est productio totius esse, & non solum materiæ*. Sentit ergo S. Th. quòd illud esse totius, vt distinguitur à ratione materiæ partialiter sumptæ terminat creationem, & sic falsum est dicere, quòd compositum creari non potest, sed solùm pars illa, quæ non est ex alio, sicut est materia.

Fundamentum autem huius, ex quo etiam aperitur deceptio oppositæ sententiæ, *in eo est*, quia ad creationem concurrunt duo, alterum ex parte modi producendi, scil. quòd non fiat ex alio præsupposito, sed ex nihilo; alterum ex parte termini producti, scil. quòd producatur tota ratio entis, seu totum & integrum esse alicuius rei; vnde necessariò exigit, quòd non fiat esse rei ex transmutatione partis, & coniunctione earum in vnum, id enim propriè pertinet ad generationem, non tamen excludit creatio, quòd faciat aliquid ex suis partibus, ita quòd præbeat ipsi toti omnia eius constitutiua, & partes licet non præsupponat aliquam vt ex transmutatione illius perueniat ad ipsum totum. Et in hoc valdè æquiuocat, & claudicat fundamentum Vazq. dum confundit fieri ex aliquo, vt ex parte constituente tantum, vel fieri ex aliquo, vt ex principio transmutationis, quod est principium ipsius fieri. Quod enim fiat aliquid, vt constans ex aliquo tanquam ex parte vel prædicato constituente se, non tollit quòd fiat simpliciter ex nihilo, si aliàs nullum principium præsupponit, per cuius transmutationem fiat, hoc enim est, quod solùm opponitur ipsi creationi, vt est ex nihilo. *Cuius ratio manifesta*

est, quia in creatione fieri ex nihilo tenet se ex parte termini à quo, in composito autem constare ex partibus, & esse ex illis tanquam ex constituentibus, tenet se solum ex parte termini ad quem, cum pertineant ad constitutiuum talis termini, ergo hoc, quod est esse ex aliquo tanquam ex parte cõstituente, non opponitur huic, quod est esse ex nihilo simpliciter tanquam ex termino à quo, ergo neque opponitur ipsi creationi, quia creatio saluatur in hoc præcisè, quòd sit ex nihilo tanquam ex termino à quo, & consequenter non quod præsupponat aliquid tanquam subiectum transmutatum; si autem subiectum ipsum fiat, vt est pars constitutiua totius, magis fit ipsum totum, quàm pars, siquidem non ex præsuppositione partis, vt transmutádæ ad hoc vt fiat totum, sed sine tali transmutatione ipsum totum fit. Si autem non præsupponit partem, vt ex eius transmutatione fiat totũ, sed solum facit partem, vt constituentem totum vtique propter ipsum totum facit partem, & tanquã aliquid minus ipso toto facit eam, ergo principaliter respicit totum, & minùs principaliter partem, ergo directè per creationem fit ipsum compositum, non verò pars, quæ est materia, sed ista concreatur tanquam minùs principalis ad creationem totius, cui directè conuenit esse tanquam rei subsistenti vt *quod*, & consequenter creari vt *quod*, quia creatio directè respicit esse. Itaque fieri ex aliquo vt ex parte constituente, & pertinente ad esse rei non tollit creationem, neque constituit generationem, sed fieri ex aliquo tanquam ex principio præsupposito, per cuius transmutationem fiat ipsa res hoc constituit generationem, quia generatio transmutatio est.

Dices S. Thom. in 2. dist. 1. q. 1. art. 3. inquit. *Quòd esse est per creationem, & aliæ perfectiones superadditæ per informationem & incompositis præcipue illud esse primæ partis, scilicet materiæ*, ergo præsupponit S. Tho. creationem primò, & directè terminari ad materiam, & illi conuenire esse. *Resp.* quòd illud esse primæ partis scilicet materiæ est esse potentiæ, & dicitur præcipuè esse per creationem ex ea parte, qua non præsupponit aliquod subiectum ex quo fiat, non ex ea parte, quâ habeat esse absolutè, & simpliciter, hoc enim non habet nisi dependenter à forma, & hac ratione dicitur concreari, vt ex D. Th. locis cit. cõstat, scilicet ratione esse per formam habiti, non absolutè in se.

Ad instantias adductas à P. Vazquez *respondetur ad* id, quod dicit compositum fieri ex aliquo, scilicet ex partibus, & sic non fieri ex nihilo iam respondimus non fieri ex aliquo vt principio transmutationis, sed ex aliquo, vt intrinsecè constituente, quod non tollit creationem, neque compositum fieri ex nihilo vt ex termino à quo cum pars constituens solum teneat se ex parte termini ad quem.

Ad instantias, quas affert ad probandum materiam creari primò, & per se, *resp.* materiam fieri ex nihilo non vt habens esse, sed vt pars in potentia ad formam rei habentis esse, non est autem inconueniens, quod materia mutetur in esse actuali, sicut mutatur in informatione transeundo de priuatione ad actum & de vna forma ad aliam, & consequenter de vno esse aliud, quod non est corrumpi, nisi per accidens, & quantùm ad successionem in esse non quantum ad totalem desitionem, quia ipsa entitas materiæ est capax existendi per quancumque formam ex his, quas potest recipere, vnde esse modò sub vna forma modò sub alia, non est totaliter desinere, & amittere esse, sed transmutare illud relinquendo vnum modum inadæquatum essendi, & acquirendo alium intra sphæram suarum formarum, à quibus habet esse, sicut si humanitas mea modo assumeretur à persona Diuina acciperet aliud esse, & subsidere non tamen corrũperetur, quia ita exueret proprium esse, quod subrogatur aliud loco illius. Et vno verbo, amittere esse adæquatè, & totaliter est corrumpi, amittere esse inadæquatè, & cum subrogatione, & successione alterius, non est desinere, nec corrũpi. Nec similiter generans, quod inducit formam in materiam dicitur producere, aut generare materiam, licet faciat illam existere, non enim facit materiam quantùm ad potentialem suã entitatem, quæ est propria entitas materiæ, neque ex aliquo subiecto educit, sicut requiritur ad generationem, sed educendo formam ex illa, transmutat eius esse, & ita non facit illam absolutè existere, eò quòd entitas materiæ non est limitata ad esse vnius formæ, sed est capax habendi esse sub quacumque forma & ideò transmutans formas in materia non dat materiæ esse absolutè, sed transmutatiuè de vna forma ad aliam, sicut existens in loco quãtumcumque mutentur superficies, dicitur manere in eodem loco, quia habet eundem effectum existendi in loco, prouenientem à diuersis superficiebus successiuè, quarum vna subrogatur alteri in locando; & animal dicitur habere idem corpus, licèt diuersæ partes succedant, quia sub eadem forma, & dispositione, & ordine succedunt. Sic licèt materiæ succedant diuersa esse inadæquatè ex diuersis formis, quia tamen succedunt in ordine ad conseruandum eandem entitatem potentialem materiæ, quæ est capax omnium formarum, ideò permanet eadem entitas materiæ sub diuersa successione existentiæ, & esse formarum, & ideò generans tales formas, & licèt communicet materiæ effectum formalem, & esse formæ non tamen dicitur materiam corrumpere aut generare, quia non primò, & adæquatè dat esse, sed conseruat entitatem eius in successione diuersi esse: sicut è contra qui diuersas partes materiæ successiuè aggenerat animali, licèt diuersum corpus materialiter tribuat, non tamen dicitur generare illud, sed sub eodem corpore conseruare. Nec tamen, quia materia fit à Deo sub forma, dicitur fieri ex illa, vt ex subiecto, sed dependenter ab illa, vt ab actu. Quare nullo modo potest creatio materiæ assimilari creationi animæ rationalis, quia anima fit vt habens in se esse, & subsistens independenter à materia licet communicabiliter materiæ; & quia communicabiliter, non suppositaliter, materia autem non fit, vt habens esse independenter à forma, sed vt recipiens à forma.

Ad rationem dubitandi, à principio ad probandũ, quòd subiectum generationis, quantum ad inhæsionem non sit res generata *respondetur ex distinctione* quod subiectum mutationis non est subiectum inhæsionis sub eadẽ formalitate, & ratione; est enim subiectum mutationis, quatenùs est in potentia ad aliquam formam, est verò inhæsionis non solum vt recipit, sed vt est in actu dans esse, & sustentans in esse formam in hærentem; Vnde cum ratione materiæ substantia sit in potentia ad formas substantiales, ratione totius habeat existentiam, ita quod ipsa materia secundam se eam non habet, sed provt in toto, inde fit, quod ratione sui sit subiectum mutationis non vero sit subiectum inhæsionis, nisi mediante toto, in quo solũ habetur existentia & ratio sustentandi in esse, vt dicemus infrà quæstione nona, hoc autẽ nõ est res quæ corrũpitur, quia definit esse, ergo res quæ generatur.

Sed

Sed instabis, nam subiectum formæ eductæ, vel vnitæ non solùm quoad mutationem, sed etiã quoad informationẽ est materia, & non compositũ, ergo & subiectũ eductionis, seu generationis. *Antecedens est certũ*, quia id quod est informabile à forma substãtiali nõ est nisi materia prima, illud autẽ dicitur subiectũ formæ, quod est informabile ab ea. *Consequen. tenetur*, quia actio identificatur cum termino ergo quod est subiectum termini seu formæ erit subiectum actionis ad illam. *Confirmatur*, quia in aliis motibus in eo subiecto est actio vbi est terminus, quia subiectum in quo inhæret mutatio debet esse commune vtrique termino mutationis, ergo cũ subiectũ vtriúsque termini seu formæ quæ generatur, sit materia prima, illa enim recipit vtrámque formam, illa etiam debet esse subiectum generationis, quantum ad inhæsionem. Denique faciunt ad hoc authoritates S. Th. vt in 1. de Gen. lect. 10. & 8. Met. lect. 1. & 1. part. quæst. 45. articul. 2. ad 2. & q. 3. de Pot. articul. 3. ad 4. in 2. dist. 12. quæst. 1. ad 1. Vbi perpetuo assignat pro subiecto proprio susceptibili generationis, & corruptionis materiam primam.

Respondetur negando consequentiam, quantùm ad subiectũ inhęsionis; & *ad probationem respõdetur*, quòd actio identificatur cum forma, *distinguo* indæquatè tanquam cum termino formali *concedo*, adæquatè & tanquam cum termino totali, *nego*. Itaque retorqueri potest argumentum, nam generatio identificatur cum termino totali, terminus totalis est compositum, ergo generato est in composito, & non in sola materia, & sic subiectum inhæsionis non erit subiectum formæ, cum qua identificatur generatio, tanquam cum termino formali tantum, sed subiectum generationis quantum ad sustentationem in esse erit ipsum totum, qui directè conuenit esse sustentatiuum, materia autem prima erit subiectum *quo* recipiendi, non subiectum, *quod* sustentandi. *Ad confirmationem respondetur*, quòd in aliis mutationibus subiectum quod mutatur est ipsum compositum, seu ens completum, in actu, eò quòd mutationes illæ sunt ad accidentia, & ideo idem est subiectum inhæsionis, & mutationis. Quod secùs accidit in generatione substantiali, quæ est ad formam substantialem, vbi non potest assignari subiectum inhæsionis, & mutationis sub eadem formalitate, sed subiectum inhæsionis est ipsum totum, secundum quod induit esse, subsistens & sustentans, est autem subiectum mutationis ratione materiæ, cuius potentialitas mutatur ad formam. Nec oportet manere vtrique formæ seu termino commune subiectum inhæsionis; sufficit quod maneat subiectum commune mutationis, licèt actio inhæreat in composito in quo est tale subiectum mutationis, quia materia prima non est sufficiens sustentare accidentia, nisi dependenter à toto vt subiecto *quod*; hoc enim est inhærere illi, vt latiùs dicemus quæstion. 9.

Ad authoritates D. Th. respondetur, loqui de subiecto generationis vt mutatio est non de subiecto inhæsionis excludendo compositum, imò expresè in citato loco q. 3. de Potent. a. 3. ad 4. docet generationem secundùm rationem mutationis esse in materia prima, secundùm verò relationem esse in composito, vt suprà retulimus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in generatione substantiali fiat resolutio omnis formæ vsque ad materiam primam?

RESolui vsque ad materiam primam, idem est quod spoliari materiam primam omni forma tã substantiali, quàm accidentali, quando fit generatio. Et inquirimus an tollatur à materia omnis forma tã substantialis, quàm accidentalis, quando aliqua de nouo introducitur, quod aliis verbis etiam inquiri solet, videlicet eadem accidentia, quæ erant in corrupto, maneant in genito. Et quidem de resolutione omnis formæ substantialis in præsenti non tractamus, sed supponimus totaliter spoliari materiam forma substantiali, quando fit generatio, eò quòd in composito non sunt plures formæ substantiales, vt ostendemus in quæstion. 1. de Anima vnde exclusa vna forma substantiali, vt altera introducatur, omni forma substantiali præcedente spoliatur.

De resolutione ergo omnis formæ accidentalis difficultas est. Nam ex vna parte videtur non posse omnia accidẽtia corrumpi, sed in instãti generationis debere permanere, tùm quia in illo instanti debent esse dispositiones, vt reddant materiam dispositam & determinatam ad hanc formam potius, quàm ad aliã, aliàs maneret materia indifferens, & indeterminata ad talem formam. Similiter debent manere in illo instanti accidentia, quæ se habeant tanquam virtus ipsius generantis, si generans non sit illi coniunctum, oportet enim in illo instanti procedere generationẽ ab aliquo effectiuè, non à generante, quia vt supponimus non est ibi nõ à virtute generantis, vel cœli, aut alterius agentis ibi relicta, quia virtus hæc subiectabatur in re quæ corrumpitur: ergo si desinunt omnia accidentia in illo instanti, perit etiam illa virtus: tùm etiam quia est specialis ratio de aliquibus accidentibus quæ omnino à materia auelli non possunt, verbi gratiâ, quantitas, quæ sequitur ipsam materiam, sicut qualitas formam, & mediante quantitate redditur materia diuisa, & indiuiduata; constat autem in instanti generationis supponi materiam indiuiduam, & ab aliis materiis separatam: ergo habentem quantitatem, per quam fit ista diuisio; quod specialiter vrget in homine, in quo quantitas non potest subiectari nisi in sola materia, quia forma est spiritualis: ergo quantitas materiæ non euacuatur quando producitur homo, & consequenter, neque videntur tolli alia accidentia quæ mediante quantitate subiectantur in substantia, tùm denique est difficultas de aliquibus accidentibus, quæ non videntur competere rei genitæ, nisi maneant in ipsa materia, sicut videmus in cadauere manere eandem cicatricem, eundem colorem nigrum, eadem signa, &c. Aliquando etiam manet calor intra viscera animalis mortui, qui non potest generari à suo corrumpente, præsertim quando suffocatur aqua neque enim aqua potest generare calorem. Similiter si animal sursum impulsu, non potest in cadauere generari ille nouus impulsus, quia non potest produci à generante ipsum cadauer, cum tale generans non habeat vim impulsiuam, cum non sit viuens, ergo ista accidentia non extrahuntur ab ipsa materia, nec alia ei similia producuntur, quia non est causa à qua producantur.

Ex

Ex alia vero parte obstant duo principia satis nota apud D.Thom.scil. quòd accidentia subiectantur in toto, quo pereunte pereunt accidentia; & secundò quòd materia recipit formam substantialem, prius, quam accidentalem, ergo exuta forma substantiali, exuuntur omnia accidentia ante recepta, aliàs manerent aliqua recepta immediatè in ipsa materia ante formam substantialem.

Hinc est, quòd ista difficultas maximè pendet ex alia infra tractanda, *quæst*.9. an videlicet subiectum accidentium sit sola materia, vel ipsum compositum. Qui enim tenent materiam esse immediatum subiectum accidentium, consequenter dicunt non oportere in introductione formæ substantialis resolui omnia accidentia, & ita tenet hanc sententiam P. Suarez, disp.14.Metaph. sect.3. vbi plures citat ex antiquis, & plures etiam referuntur pro hac sententia à Conimbr.1.de Generat.cap.4.quæst.18.art.1. præsertim ex Nominalibus, vt Gabriel Ocham, Gregorius. Videri etiam potest Murcia, disp.1.de Gener.quæst.5. & alij ex recentioribus.

Nihilominùs sententia S.Thom.est, *In generatione substantiali fieri resolutionem accidentium, ita vt nullum, quod erat in corrupto relinquatur in genito, sed de nouo producatur.* Constat hoc ex ipso Diu. Thom.1.p. quæst.76. vbi inquit: *Impossibile est, quod aliqua dispositio accidentalis cadat media inter corpus, & animam, vel inter quamcumque formam substantialem, & materiam suam.* Et hoc ibi probat ratione statim adducenda. Idem docet libr.1. de Gener. lect.10. vbi inquit: *Non manere idem numero accidens, sed id quod prius erat corrumpi per accidens corruptione subiecti, & aduenire simile accidens consequens formam de nouo aduenientem.* Et videri etiam potest, quæst.de spiritualibus creaturis, articul.3.ad 19.& quæst.de anima, artic.9. ad 5. Eandem sententiam communiter sequuntur Thomistæ, Caietan. Soncin. Capreol. Bannez, & alij, quos citant, & sequuntur Conimbr.1.de Gener.capit. 4.quæstion.18.articul.1. Carmelitani, libr.1.de Gener.disputation.3.quæstion.6 Fonseca 5.Meth. c.28. q.20. sect.2.

Fundamentum est illud duplex principium suprà insinuatum. Et quidem primum, scilicet quòd ipsum totum, & non sola materia est subiectum accidentium infrà quæstion. 9. probandum à nobis est; ibi videatur.

Secundum principium, quod ponitur à D Thom. vbi suprà est quia materia, licet sit susceptiua formæ substantialis, & accidentalis, tamen ordine quodam recipit illas, eò quòd ipsæ formæ inter se ordinatæ sunt, & vna essentialiter supponit alteram, sicut gradus vegetatiuus supponit sensitiuum, & actus intellectus supponit potentiam, sic esse accidentale supponit substantale, tanquam naturaliter illi coordinatum, & ab eo dependens, esse autem substantiale datur per formam substantialem.

Quod vt radicitus percipiatur, distinguendum est de accidentibus quæ sunt propriæ passiones & quæ sūt communia. Si sunt accidentia propria certum est, quòd non inhærent materiæ, neque illi vniuntur, nisi mediante forma, eò quod non conueniunt materiæ, nisi vt dimanantia à forma, non dimanant autem à forma, nisi vt vnita materiæ, quia non dimanant ab ea, nisi vt habente esse habet autē esse forma, quando est in materia, vel quia dependet ab illa, vel quia creatur in illa, ergo prius est formam inesse materiæ, & illi dare esse, quàm materiam recipere accidentia dimanantia ab illa, & ita calor in igne producto non potest esse idem numero qui erat in ligno, quando disponebatur a' 'gnem, quia iste dimanat à forma ignis introducta. Si verò accidentia sint communia, vel possunt dici communia, quia licèt dimanēt à forma, dimanant tamen secundum gradum communem, non secundùm vltimam differentiam, sicut quantitas dimanat à gradu corporis, qui est communis omnibus, tàm elementis, quàm mixtis, & de his accidentibus eadem ratio est, atque de propriis, quia vt aduertit D.Thom.1.part quæst.76 art.6. ad 1. sicut dantur diuersi gradus vnius, & eiusdem formæ, ita consequuntur vnumquodque genus, seu gradum sua propria accidentia. Quare ista accidentia prout sic dimanantia, & consequnta, necessariò supponit formam in materia, vt ab ea consequantur, nō vero ipsa prius ponuntur in materia, quàm forma à qua consequuntur.

Si verò sint accidentia communia, & nullo modo dimanent à forma, sed fortuitò conueniant alicui, & tanquam non per se connexa, adhuc talia accidentia non remanent in illa materia, nec illi conueniunt ante formam. *Primò* quidem quia illa accidentia non determinant materiam vltimò, neque disponunt ad introductionem formæ, cum non habeant connexionem per se cum forma, ergo non est ratio cur ponantur in materia antequam forma substantialis ad quam est immediatus ordo materiæ, quia materia est potentia substantialis, & ideo immediatè respicit actum substantialem. Vnde si dispositiones per se requisitæ, & determinantes materiam, non prius recipiuntur, in illa quā forma, multò minùs accidentia nō per se connexa. *Deinde*, quia habitudo materiæ ad formam substantialem est immediata, & essentialis, antequam respiciat accidentalem, quia materia est potentia substantialis, cuius immediatum, & per se correspondens debet esse actus sustantialis ex ordine enim ad actum denominatur, & cōstituitur potentia. Vnde non solum materia respicit formam substantialem, tanquam principalem ordine intentionis, accidentalem autem ordine executionis, vt P. Suarez dicit, vbi suprà numero 56. sed formam substantialem respicit quasi immediatum specificatiuum, & ita debet respicere illam vt prius attactam non solū prius intentione, sed etiam executione, quia quod essentialiter, & primariò terminat habitudinem prius attingitur in executione, quàm secundarium, quia prius essentia constituitur in executione, & non solum in intentione, quàm id quod secundarium. Et præsertim, quia accidēs dependet à substantia in existendo, quia substantia per se existit, accidens autē inexistit, & inhæret, quod autem est prius in ordine existendi, est prius ordine executionis, & non solum intentionis, executio enim respicit esse existentis, & ita cum forma substantialis det materiæ esse substantiale, cōsequenter dat esse in ordine, & linea existendi, quod est prius ordine inhærendi, & consequenter, sic ordo executionis est ordo existendi, etiam in hoc ordine debet esse prior fama substantialis quàm accidentalis. Et hinc est quod quia accidens dependet à substantia secundum ordinem existentiæ, valde assimilatur dependentiæ à causa efficienti, quatenus causa efficiēs præsupponit esse, vt ab ea dependeat effectus & ideò Deus mediā efficiētiā suā supplere potest dependentiā actualē accidētis à substantia sustentante, quia in hoc idem potest facere efficiens, quod sustentans. Quare materia remotā formā substantiali non potest retinere accidentia, & ideò non transeunt eadem numero de corrupto ad genitum existendo immediatè in materia.

Dices sufficere ad sustentanda accidentia esse partiale, quod habet materia, atque adeo licet dicat ordinem primo, & per se ad formam substantialem, adhuc sufficiens esse manet in materia ad sustentanda accidentia

dentia præsertim quæ dimanant ab illa, vt quantitas, vel accidentia communia.

Secundò non sequitur corrumpi accidentia, licet mutetur forma, & esse substantiale, quia subrogatur loco eius aliud æquè benè sustentans tale accidens in esse, qua ratione diximus suprà materiam primam non perire adueniente noua forma, licet mutetur eius esse, quia subrogatur aliud æquè benè præbens esse materiæ.

Ad primum respondetur, non sufficere illud esse partiale materiæ ad sustentanda accidentia, tum quia materia non habet esse partiale, sed tantum esse accipit à forma, eo quòd forma dat esse substantiale, atque adeò primum esse, quod substat aliis, aliàs non esset substantiale, non ergo supponit aliud prius in materia; tum quia dato, quod haberet esse partiale, adhuc non posset sustentare accidentia, nisi dependenter à toto, seu composito tanquam existente vt *quod*, vnde ipsa materia solum est principium sustentandi accidentia vt *quo*, remoto autem vel destructo principio *quod*, & non subrogato alio supplente in omnibus vices eius, principium *quo* neque agit neque recipit. Falsum est autem, quòd quantitas dimanat à sola materia, siquidem dimanat à gradu corporeitatis, quem præbet forma, & sic iuxta diuersas formas videmus variari quantitates alias, si eadem quantitas semper inesset materiæ, fortius, & intimius vniretur accidens materię, quàm forma substantialis, quæ variatur, cùm tamen materia prius essentialiter respiciat formam substantialem.

Ad secundum dicitur, non subrogari accidenti aliud æquiualens, quia subiectum diuersum non potest continere idem numero accidens, quod aliud subiectum, quia vna causa naturalis non continet effectus alterius totaliter etiam quoad omnem indiuiduationem; sola causa prima potest id totaliter continere, & supplere propter omnimodam subordinationem causæ secundæ ad primam in omni ratione entis, de quo diximus, quæstion. 12. Physicor. & dicemus infrà quęstion. 11. Et hac ratione Deus sustentans accidens extra subiectum conseruat illud idem numero. At vero materia subrogatis diuersis formis conseruatur eadem numero, quia quælibet forma inadæquatè respicitur à materia, & omnium illarum est capax, vt à qualibet conseruetur, accidens vero non respicit plura subiecta, sed adæquatè ab vno sustentatur, & indiuiduatur.

Ad primum, à principio de dispositionibus determinantibus materiam, & efficientibus generationem in vltimo instanti *dicemus sequenti articulo*, quia de hoc est specialis difficultas.

Ad secundum respondetur, quod quantitas non sequitur materiam inhæsiuè, & dimanatiuè, sed solum sequitur materiam, vt est sub forma, & vt accipit ab illa gradum corporeitatis, cuius proprium accidens est quantitas, vt Sanct. Thom. docet suprà 1. quæst. 76. Dicitur autem quantitas sequi materiam, sicut qualitas formam, tum propter similitudinem, tum propter generalitatem; propter similitudinem quidem, quia materia est purè passiua, similiter quantitas nullo modo est actiua; propter generalitatem autem, quia tam generalis est quantitas materiæ, sicut gradus corporeitatis, nulla autem materia reperitur sine corporeitate, & nulla sine quantitate.

Quod vero dicitur, materiam indiuiduari per quãtitatem, & debere supponi indiuiduam in instanti generationis, *Resp.* materiam non indiuiduari per quantitatem substantialiter, sed per propriam incommunicabilitatem, quantitas autem solum concurrit non tam ad rationem indiuiduationis, quam ad eius multiplicationem, & diuisionem, hæc enim fit per quantitatem, & se habet vt conditio diuidens & requisita necessario, vt eius diuisione posita, non ab ipsa sed à substantia seu materia sub quantitate diuisa resultet diuersa in diuidualitas substantialis, vt dicemus infrà quæstion. 9. agendo de principio indiuiduationis. Hinc autem quantitatem, qua indiuiduatur, & indiuiduat materia, sufficit quod in instanti generationis habeat, prioritate causæ formalis à forma, prioritate dispositiuæ causæ, & materialis à materia, nõ verò requiritur, quod ipsi materiæ sit coæua, eiq; perpetuo inhæreat, quod ibi latius explicabitur. Nec hoc habet specialem difficultatem in homine, quia licet forma eius entitatiue sit spiritualii, informitatiuè tamen, & virtualiter est corporea & vt *quo*, quatenus præbet gradum corporeitatis, à quo sequitur quantitas, sicut & alia accidentia corporea. Et sic ipsum totum quod resultat, simpliciter est corporeum scilicet homo atque adeò capax quantitatis vt *quod*, principium autem recipiendi quantitatem vt *quo* est ipsa materia vt subest formæ, quatenus dat gradum corporeitatis.

Ad secundum Respond. illa accidentia quæ remanent in genito non esse eadem numero quæ in corrupto, sed similia, vt expresse docet S. Thom. 1. de gener. lect. 10. eo quod aliquæ formæ habent talẽ symbolizationem, & affinitatem, vt petant similia accidentia præsertim in principio suæ generationis quãdo nondum omnem suam perfectionem obtinent, & inter istas est facilis transmutatio, sicut embrionis in animal, animalis in cadauer, & sic cum sint formæ vitales & tendentes ad vlteriorem formam perunt similitudinem in accidentibus. *Aliquando* autem generans producit accidens simile ei quod erat in corrupto propter necessitatem materiæ, ex qua fit generatio. *Pro quo notandum est*, quod formę, quę generantur, aut quando de nouo fit argumentatio, vel nutritio, licet accidentia propria siue proprias passiones nõ habeant ex materia, multa tamen accidentia communia sortiuntur ex determinatione materiæ in quã introducitur forma, quia accidentia communia non emanant à forma, sed à generante præbente illa iuxta occurrentem materiam, & circumstantias, sicut patet quod à generante præbetur vbi, & situs, etiam cũ aliquid generatur extra proprium locum tanquam accidens commune, & mutabile; cum autem generãs ita agat in passum quod etiam repatitur ab illo vt infrà dicemus quæstion. 5. nec perfecte vincit passum in omnibus, oportet quod in ipso genito producantur accidentia aliqua à generante non absolute vt est in se, sed vt modificato, & temperato per reactionem passi, ab illo enim determinatur generans ad producẽdum aliquas qualitates, quas ex se solum non produceret, vnde quando aqua vel ignis, aut ferrum interficit animal, & generatur forma cadaueris siue ab ipsis, siue à cœlo, vt à principali agente tunc illa accidentia communia producuntur, quæ iuxta passi resistentiam, aut exigentiam, generans potest producere, & ita aliquando producitur calor in visceribus animalis; licet ab agente frigido introducatur forma cadaueris, eo quod illud agens frigidum licèt per se & directè solum producat frigus, tamen vt repatitur à calido quando interficit animal, imbuitur qualitatibus calidi, & sic etiam aliquid caloris producit cum forma cadaueris: aliquando verò talis calor producitur per antiperistasim, seu circumobsistentiam contrarij, & à cœlo vt introducente formam cadaueris, tanquam à causa per se. Quid sit antiperistasis dicemus quæstion. 5. Et eadem ratione videmus nutritiuam generare aliquando alimentum cum alienis qualitatibus, & nociuis propter repassionem

repassionem à materia, quæ suis qualitatibus imbuit nutritionem, & similiter generari animal cum aliis qualitatibus, licet semen sit bonum propter infectionem sanguinis, qui est materia. Sic ergo agens, seu generans non solum considerandum est quid possit iuxta modificationem quam, habet ex resistentia passi, seu reactione, & secundum virtutem, quam inde participat, & similiter secundum virtutẽ, quā habet à cœlo, & ab aliis circumstantibus à quibus omnibus determinatur, vel accipit vim producendi aliqua accidentia communia, iuxta exigentiam materiæ in qua operatur, atque adeò potest generare similem colorem, cicatricem, & similiter impulsum, & alia similia non vi sua de nouo impellendo, sed continuando impulsum quatenus ex corpore impulso generatur cadauer, & ita virtus impressa ab impellẽte ipsi animali quod corrumpitur, cum in corrumpente non inueniat dispositionem contrariam à qua extinguatur determinat ipsum corrumpens, & communicat illi vim continuandi similem impulsum in cadauere. *Nec obstat*, quod sensus nullam in hoc sentit mutationem, nec enim ad sensum pertinet iudicare de mutatione indiuiduali, quæ fit ex sola corruptione subiecti, quādo subrogatur illi accidens eiusdem speciei, sed tunc quando alteratur, & mutatur accidens sine alterius similis subrogatione.

Sed adhuc obiicies D. Th. 4. contra Gent. c. 81. dicentem. *Quod materia hominis post eius mortem quæ tali formæ fuit subiecta manet sub eisdem dimensionibus ex quibus habebat, vt esset materia indiuidualis*, ergo non denudatur materia omni accidente saltem quantitate, per quam sigillatur, & determinatur, vt sit hęc indiuidua materia. *Et confirmatur*, quia dispositiones antecedentes non habẽt contrarium à quo corrumpantur subsequentes, siquidem sunt eiusdem rationis cum illis, ergo manent. *Nec dici potest* quod per desitionem subiecti desinũt; *nam contra est*, quia dispositio vltima cum annexa sit ipsi formæ genitæ, non corrũpitur per eius destructionẽ, cũ potius tunc generetur, dispositio autem infrà vltimam est compatibilis cum subiecto corrumpendo, ergo non desinit ex sola desitione subiecti, sed à contrario; hoc autem non datur, quia vltima dispositio non est contraria illi antecedenti, quæ est infrà vltimam, sed est eiusdem speciei, verbi gratia, calor vt octo cum calore vt septem.

Resp. D. Tho. intelligi quod manet materia cum eisdem dimensionibus radicaliter, quatenus materia est radix earundem dimensionum non formaliter, quia non manet eadem quantitas, nec sub eadem forma, manet tamen in materia ordo ad eandem formam, id est ad animam vt recuperandam per resurrectionem diuinitus, & sic manet eadem dimensio radicaliter. Quod confirmat ibidem S. Thom. dicens quod corporeitas est duplex, alia substantialis scilicet ratio corporis de genere substantiæ, quæ non est aliud quam ipsa forma, alia accidentalis quæ est species quantitatis quæ est corpus. Et de hac subdit S. Thom. *Quod licèt cedat in nihilum corpore humano corrupto, tamen non impedit, quod idem homo numero resurgat, quia manet eadem corporeitas, eadem manente forma hominis.* Sentit ergo D. Thom. quod non manet eadem dimensio quantitatiua in materia hominis, sed idem ordo ad formam humanam, vnde habebit easdem dimensiones, quia habebit eandem corporeitatem. Alia loca D. Thom. ex q. 7. & 9. tertiæ partis explicabimus articulo sequenti.

Ad Confir. Resp. dispositiones antecedentes non corrumpi ab vltima dispositione directè tanquam à contrario, sed indirectè, & per accidens, quia introducunt formam incompossibilem præcedenti, & consequenter destruitur subiectum talium dispositionum antecedentium, & sic ipsæ desinunt ad desitionem subiecti in quo erant: non est autem inconueniens quod per accidens, & indirectè aliquid corrumpatur à suo simili, destructo fundamento eius, cui innitebatur.

ARTICVLVS VII.

Quomodo vltima dispositio causetur, vel causet generationem substantialem?

SVppositâ sententiâ, in articulo præcedenti explicatâ, quòd forma introducitur in materiam denudatā omni formâ, tā substātiali, quá accidẽtali duplex vrget difficultas in præsenti articulo pertractāda. *Primò*, quomodò vltima dispositio possit causari ad modum, quo cæteræ antecedẽtes causatæ sunt, aliæ enim in ipso subiecto, quod corrumpitur introducuntur, vltima autem dispositio si in ipso subiecto causaretur, cum ipso corrumperetur, & sic non coniungeretur formæ substantiali, quæ de nouo generatur. Si autem producitur vltima dispositio in subiecto, quod de nouo generatur, tunc non produceretur per alterationem sicut cæteræ antecedentes, & sic non continuabitur illis, & consequenter non erit causa corrumpendi formam, & disponendi materiam vltimate ad introductionem formę, siquidem non existit in subiecto ante generationem formæ substantialis, & consequenter non expellit formam corruptam, neque materiam ipsam disponit, vt recipiat formam de nouo, siquidem post ipsam formam talis dispositio conuenit subiecto, quidquid autem infra talem dispositionem est, compatitur cum forma corrupta, & sic non expellit illam.

Secunda difficultas est, quomodò vltima dispositio possit causare formam quæ de nouo generatur, siuè effectiuè, siuè materialiter, siquidem dispositio illa transit cum subiecto quod corrumpitur, siquidem in sola materia nuda non remanet, supposita sententia explicata articulo præcedenti, & infrà quæstione 9. explicanda, quod accidentia non subiectantur immediate in materia prima, & sic nō transeunt de corrupto ad genitum, ex quo fit quod vltima dispositio non potest materialiter determinare materiam, siquidem non inhæret, nec afficit illam. Similiter etiam non potest effectiuè attingere ipsam formam, quia consequitur post ipsam in subiecto, ergo non potest effectiue illā generare, & sic generabitur forma à dispositione remota effectiue, quæ est minor ipsâ vltimâ, quod stare non potest, quia compatitur cum forma corrupta nec habet perfectam, & vltimam virtutem quæ vltimò ordinetur, & connectatur cum forma genita, ergo non potest illam in influere effectiuè.

Et vrgetur ampliùs, quia si vltima dispositio non efficitur à generante in subiecto corrumpendo, sed in ipsa re genita, ergo in instanti generationis prius efficietur ipsa forma substantialis, & mediante ipsa emanabit vltima dispositio tanquam accidens illius, ergo non est virtus efficiens ipsius generantis respectu formæ substantialis, cum potius ab ipsa forma emanet. Similiter in instanti generationis debet præsupponi materia præparata, & disposita vt introducatur forma, sed tunc materia denudatur omni accidenti, & dispositione, ergo omni effectu formali accidentis disponentis, & determinantis materiam ergo non remanet materia determinata, & disposita neque formaliter, neque virtualiter, nō formaliter

maliter, quia nulla forma disponens tunc est, non virtualiter, quia nulla alia forma remanet, in cuius virtute contineatur illa dispositio, nisi solum quædam cõnotatio extrinseca quod immediatè anteà fuerit dispositio non vltima, quia vltima non fuit in tali subiecto; hoc autem non sufficit vt materia dicatur intrinsecè, & realiter determinata, & disposita.

Denique est generalis difficultas; quomodò in illo instanti dispositiones possint operari effectiuè, quia præcedentes tunc non sunt, sed desinunt esse, subsequentes autem efficiuntur tunc, ergo non efficiunt ipsam generationem. Et dato quod tunc existant, nõ possunt agere effectiuè in subiectum in quo sunt, vt docet S. Thom. 1. 2. quæstion. 85. articul. 1. ad 4. Nec ipsum subiectum agit per illas, quia aliàs eadem pars ageret, & pateretur, esset mouens, & mota.

Difficultates istæ parum vrgent eos qui tenent accidentia subiectari in materia immediatè, & consequenter ea quæ sunt in corrupto posse manere in genito, & sic facile concedunt dispositionem vltimam immitti à generate in ipsam materiã, quando est sub forma corrupta, & sic præparare materiam per dispositionem, vltimam, quam habet ante formam, & consequenter ab ipsa forma non dimanare vltimam dispositionem, pro qua sententia plures citantur à P. Suarez disp. 14. Metaphys. sect. 3. Cæterùm quia multi alij existimant subiectari quidem accidentia in materia sola, præsupponendo tamen prius vnionem ad formam substantialem, vt Conimb. 1. de Generatione cap. 4. q. 4. & probabile reputat Suarez loco citato n. 37. & 40. & 60. ideò adhuc locus est in hac sententia, vt dicatur dispositionem vltimam non dari in materia ante formam substantialem, sed ab ipsa forma dimanare. Vnde ipse Suarez tom. 3. de Gratia lib. 8. c. 13. n. 10. licet dicat esse probabilius dispositionem antecedentem non perire in instanti generationis, sed manere in genito, ibique consummari in ratione dispositionis vltimæ, oppositum tamen admittit vt probabile, sed dicit quòd in ea sententia oportet respondere, quòd vel vltima dispositio non præparat materiam, sed forma recipitur in materia immediatè, hoc ipso quod denudatur omni forma, vel si præparat materiam, ipsa provt præparans non est à forma, sed à generante.

Reducitur ergo difficultas ad hoc, an vltima dispositio procedat à forma genita quasi effectiuè, & dimanatiuè, & tamen præparet, & disponat ipsam materiam, an verò, si præparat materiam non procedat ab ipsa forma, sed ab ipso generante, vel denique an vltima dispositio nullo modo præparet materiam ad formam sed introducatur in nuda materia, dispositio autem vltima sequatur formam tanquam dispositio ornans nõ præparãs, & determinãs materiã ad talẽ formã. Quòd si vltima dispositio vtrumque habet, scilicet determinare materiam, & consequi ad formam, restat videre quomodo id faciat in instanti generationis, & præsertim, an dispositio vltima habeat esse virtus effectiua generantis in illo instanti.

Dico ergo primò. *Siue accidentia subiectentur in sola materia, siue in toto composito, dispositio vltima nunquam est simul cum forma quæ corrumpitur, sed cum illa quæ generatur.* Hæc conclusio tanquam certa in hac difficultate statuenda est. *Et probatur*; quia dispositio vltima expellit formam oppositam à materia, quia vt dicit D. Thom. quæstion. 28. de verit. articul. 8. ad vltimum per calorem in summo expellitur forma aquæ, & ita non sunt simul. *Et patet*, quia hæc expulsio fit per incompossibilitatem dispositionis vltimæ cum forma corrupta, omnes enim dispositiones antecedentes tendunt ad expulsionem & corruptionem formæ, & ideo opponuntur, & contrariantur illi, ergo vltima dispositio est illa, quæ vltimo opponitur, & sic incompossibilis est cum tali forma, siquidem non restat alia vlterior, quæ ad expulsionem eius faciat, ergo non est simul cum tali forma, quia incompossibilitatem habet cum illa: Vnde etiamsi accidentia recipiantur in sola materia, tamen quia non potest habere simul oppositas, & incompossibiles formas, non potest simul habere dispositionem vltimam, & formam corruptam. Et sicut forma genita, vt formaliter expellat corruptam, non requiritur, quod simul cum illa sit in materia, aliàs duæ formæ essent in illa, sed sufficit quod coniungatur illi per successionem & expulsionem non per simultatem, ita vt dispositio vltima expellat dispositiuè formam corruptam, non requiritur, quòd simul existat cum ea, sed quod succedat illi expellendo non simul existendo. Quod autem dispositio vltima sit simul cum forma genita affirmat Diu. Thom quæstion. citata de verit. articul. 7. ad 11. dicens: *Quòd calor consummatus simul introducitur cum forma ignis.* Et sumitur ex dictis, quia illa vltima dispositio, sicut est incompossibilis cum forma corrupta, ita est compossibilis & connexa cum forma genita, ergo simul est cum illa, nec enim materia datur aliquando sine aliqua forma substantiali, cum qua sit illa accidentalis.

Dico secundò. *Dispositio vltima bene compatitur hæc duo, scilicet quod præparet materiam ad formam terminatiuè, quod est non solùm dari ad ornatum, sed ad præparationem materiæ erga formam, & similiter quod talis dispositio causetur à forma in ordine causæ formalis, & secundum dependentiam in esse.* Vtrumque affirmat D. Th. q. 28. de verit. art. 8. in fine corporis, & in 4. dist. 17. q. 1. a. 4. q. 1. & 2. & a. 5. q. 3. vbi affirmat *Dispositionem vltimam esse effectum formæ in genere causæ formalis, & tamen præcedere ipsam in genere causæ materialis.* Sed præsertim videri potest D. Th. in 3. d. 13. q. 3. art 1. vbi distinguit triplex genus dispositionis. *Vno modo ita quod cadat medium inter subiectum, & perfectionem illam, quasi instrumentum perfectionis illius, sicut diaphaneitas disponit ad lucem. Alio modo disponit aliquid ad formam sicut præparando materiam ad receptionem formæ, ita quod præexistat in materia ante formam ordine fiendi non ordine essendi, sicut calor disponit ad formam ignis, non quia medium cadit inter formam, & materiam, sed materia appropriatur ad formam ignis per aduentum caloris. Tertiò modo aliquid disponit ad perfectionem aliquam, sicut quod facit ad bonitatem, & decentiam perfectionis, sicut decor personæ facit ad dignitatem regiam.* Ecce Sanct. Thom. distinguit dispositionem præparantem materiam ad formam à dispositione ornante, & conducente ad decentiam, & in primo ordine ponit dispositionem vltimam, vt calor ad formam ignis, quæ ordine fiendi tantum præcedit non ordine existendi seu vt medium existens inter materiam & formam, & consequenter non prius existens in materia, quàm forma.

Explicatur autem conclusio, ostendendo illa duo non esse incompossibilia, scilicet dependere, seu causari à forma, & præparare, seu determinare materiam ad talem formam consummatiuè, & terminatiuè, sicut dispositio antecedens & alteratio ad illam præparat, & disponit materiam inchoatiuè. Quod patet quia dispositio vltima, verbi gratia, calor vt octo, & est accidens connexum cum forma ignis ab

ab illaque dependens in esse tanquam propria passio in eius radice contenta sicut clare videmus, quod ignis genitus habet calorem vt octo tanquam proprieta em: & secundò habet calor vt octo esse eiusdem rationis, & speciei cum calore vt sex, vel septem qui ante instans generationis disponebat lignũ ad formam ignis, & sic dispositio vltima habet esse terminus & consummatio caloris antecedenter disponentis. Quod S.Thom.apertè fatetur in quæst.28. de verit.articul.9.ad 10. vbi inquit: *Quòd ea, quæ in instanti fiunt dicuntur fieri, & factum esse, quia quatenus illud instans est terminus prioris temporis in quo fiebat, vsurpat sibi id quod priori tempori debetur.* Ergo sentit D.Thom.quod dispositioni vltimæ in facto esse etiam conuenit esse terminum antecedentis dispositionis, & prioris temporis, & sic eius denominationem vsurpat sibi. Igitur dispositio vltima secundum istos duos respectus, seu formalitates potest consequi ad formam, & disponere materiam in diuerso genere causæ, quia enim est accidens incompossibile cum forma præcedente, connexum autem, & subordinatum formæ genitæ tanquam proprium accidens illius, necesse est quod ab ea dependeat, & ad eam sequatur. Quia vero est terminus, & consummatio præcedentis alterationis, per quam materia disponebatur ad formam generandam, ideò per illam vltimam dispositionem terminatiuè, & consummatiuè materia disponitur, & præparatur. Et sic illa vltima dispositio terminat duplicem actionem generantis secundum diuersam formalitatem, scilicet alterationem, & generationem; alterationem quidem, in quantum est consummatio, & terminus præcedentis alterationis, generationem autem in quantum est propria passio connexa formæ substantiali, & sic formam substantialem consequitur. Nec est nouum, ad vnum effectum concurrere duas actiones secundum diuersas formalitates, sicut sol & homo ad generandum hominem, vel si datur vna tantum actio scilicet generatio, illa virtualiter continebit vim alterationis præcedentis cuius loco subrogatur complendo ipsam.

Dico tertiò, *Dispositio vltima non est virtus efficienter influens in generationem substantialem neque in corruptionem formæ opposita.* Est D.Thom.q.28. de verit. art.8.ad 5.ex his quæ secundo loco ponuntur, vbi inquit: *Quòd dispositio non facit aliquid ad formam effectiue, sed materialiter tantum in quantum materia per dispositionem efficitur congrua ad receptionem formæ.* Et loquitur de dispositione vltima. *Ratio autem conclusionis manifesta est ex dictis*, quia dispositio vltima cum sit accidens non potest operari effectiuè, nisi vt virtus recepta in aliquo subiecto, & vt inhærens illi, neque enim calor dicitur calefacere, sed calidum, quia non potest operari forma, seu principium *quo* qualis est calor, seu dispositio vltima nisi operante aliquo principio *quod*, siquidem principium *quo* essentialiter est alicuius operantis per illud, est enim id *quo* aliquid operatur, ergo essentialiter supponit principium *quo*. Si ergo dispositio vltima operatur efficienter generationem, necessariò id facit vt recepta in aliquo subiecto, sed non recipitur in corrupto, quia desinit esse neque in aliquo corpore circumstanti, quia illud non disponitur, neque ex illo generatur res, ergo in ipso genito, vt ostensum est, quia ad eius formam consequitur, ergo non potest effectiuè attingere ipsam generationem, quia non potest effectiuè agere in subiectum, in quo recipitur, vt dicit D.Th.1.2.q.85.a.1.ad 4.& si posset efficere, non tamen generare, quî si recipitur in illo, vt efficiat iam supponit esse generatum, & existens.

Si dicatur, influere saltem effectiuè in corruptionẽ formæ oppositæ; contra hoc instat D.Thom. quæst. 28.de verit.articul.8.in corpore, vbi ostendit gratiam non posse per actus à se elicitos effectiuè operari ad remissionem culpæ quod est corruptio formæ oppositæ, sed per informationem subiecti, informando enim expellit formam oppositam non efficiendo, & *ratio est*; quia efficientia non est directè ad corruptionem alias terminaretur per se primò ad non ens, quod est nihil efficere, sed primò & per se terminatur ad ipsam aliquam generationem, seu ad formam, secundariò ad corruptionem alterius, ergo si dispositio vltima non potest effectiuè concurrere ad generationem, neque effectiuè influet in corruptionem.

Sed ex hac conclusione insurgit grandis difficultas, qua virtute generans, quando est absens effectiuè attingat ipsum genitum, nam dispositio vltima, vt diximus, non concurrit effectiuè ad generationem, dispositio autem infrà vltimam nõ est sufficiens ad producendam formam genitam, v gr. calor vt septem ad producendam formam ignis; tum quia nõ potest producere calorem vt octo cum sit illo inferior, ergo neque formam ignis, tum quia illa dispositio antecedẽs subiectatur in ipso corrupto, quia compatitur cũ eius forma, ergo in ipso instanti generationis non existit, ergo neque effectiuè operatur. *Nec potest dici* quod manet virtualiter, aut quod illa dispositio antecedẽs continuatur cum forma genita, vt significat D. Th.3. p.q.8.a.13.ad 2.dicens: *Quòd dispositio quæ viã generationis præcedit, naturaliter perfectionem sequitur; quam aliquis iam consequutus est, sicut calor qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis*, & q.9.a.3.ad 1.dicit: *Quòd per calorem disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, quâ tamen adueniente calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ. Contra hoc instatur* quia si ita est, non fiet in generatione substãtiali resolutio vsque ad materiam, quia illa dispositio præcedens continuatur cũ forma genita, & sic manet in materia, vel saltem manet aliqua virtus, in qua virtualiter continetur illa dispositio, & hæc virtus aliquod accidens est. Ad hoc ergo

Dico quartò; *Virtus generantis, quæ effectiuè operatur vt decisa, & diffusa ab ipso generante tanquam instrumentum illius, non est dispositio vltima, sed cum dispositionibus antecedentibus inuenitur, & in instanti generationis non operatur effectiuè, vt existens in subiecto corrupto, neque in subiecto genito, sed in parte propinquiori ipsi rei genitæ.* Supponit hæc conclusio, quod generans dupliciter potest se habere erga materiam ex qua generat, vel enim est illi indistans & immediatum immediatione suppositi, virtutis, sicut ignis est proximus ligno quod comburit, & tunc virtus effectiua generantis non est nisi in ipsomet supposito generante, scilicet calor qui est in igne. Aliquando verò generans est distans à materia ex qua generat, & solum est immediatum illi per suam virtutem, sicut sol cum generat herbam, & animal quod mediante semine generat aliud, & tunc etiam datur virtus effectiua diffusa, & decisa ab ipso agente, tanquam instrumentum ipsius, vt dicit S. Th. quæstion.3.de pot.art.11 ad 9. & aliis pluribus locis, & nos probauimus quæstion.12. Physic. De hac ergo virtute diffusa in absentia, vel distantia generantis procedit conclusio. *Et prima pars dicit*; quod non est dispositio vltima, sed cum antecedentibus ponitur. Et hoc manifestum est, quia dispositio vltima est effectus coniunctus, & annexus ipsi formæ genitæ, ita

ita quod non existit nisi vbi existit forma genita, sicut calor vt octo non existit nisi vbi forma ignis, ergo non operatur nisi existente forma ignis, ergo non ipsam formam, seu generationem eius effectiue attingit. *Secunda vero pars*, quod illa virtus effectiua non sit in subiecto corrupto, quãdo operatur in instanti generationis, *constat*: quia in illo instanti non est illud subiectum, siquidem corrumpitur, ergo neque est illa virtus, quæ inhærebat illi quod autem non est, non operatur effectiuè per se ipsum per aliquam autem virtutem, non operatur, quia de hac erit eadem difficultas in quo subiecto sit. *Tertia pars* quod non existat in re genita tanquam in subiecto, neque in eius materia, *constat* ex doctrina S. Th. 1. 2. q. 85. art. 1. ad 4. & q. 110. art. 2. ad 1. & quodlib. 10. art. 5. ad 2. vbi statuit dispositionem, seu accidens non agere effectiuè in suum subiectum, sed formaliter actuando illud, ergo dispositio existens in re genita, non potest illam generare, vt de se constat, quia sic supponeretur existens ante subiectum, & consequenter deberet esse in alio subiecto: nec potest supponi vt existens in materia, & agere effectiuè in ipsam & ex ipsa, quia cum accidens non possit operari nisi vt *quo*, & consequenter ipsum subiectum, cui inhæret debet operari vt *quod*, idem esset dicere quod accidens operatur effectiuè in subiectum, ac dicere quod subiectum operatur effectiuè in se ipsum. Nihil autem se ipsũ mouet effectiuè, & multo minus materia prima, quæ nullo modo est actiua, sed passiua, ergo non potest accidens existens in materia prima operari in illa effectiuè. *Quarta pars conclusionis* scilicet, quod in casu quo generans est distans à materia quam disponit, & ex qua generat, debet assignari aliqua pars proxima quæ per virtutem à generante decisam cum dispositionibus antecedentibus effectiuè agat in partem proximiorem & sic fiat generatio, *inde constat*, quia nihil effectiuè agit in se ipsum, sed oportet distinguere agens, & passum, partem mouentem, & partem motam, ergo oportet quod generatio fiat agente vna parte in aliam, quando ipsum generans non est ibi præsens, vt per seipsum agat. Et hoc etiam bene notarunt Conimb. in c. 5. quæst. 9 art. 2. §. Quare nostra.

Et si instes, quia pars proximior non habet in se dispositionem vltimam, v. g. calorem vt octo, sed aliquid infra illam, aliàs esset in ea ignis genitus, & non solum virtus ad ignem generandum, ergo non potest talis virtus inferior producere dispositionem vltimam effectiuè. *Resp*. quod illa virtus licet entitatiuè, & formaliter sit infra calorem vt octo, & infra dispositionem vltimam, virtualiter tamen in quantum instrumentum generantis à quo est decisa talis virtus, habet vim ad attingendum effectiuè formam substantialem rei genitæ, & ipsam dispositionem vltimam illius. Et hoc sumitur ex D. Th. 1. p. q. 79. art. 4. ad 4. dicente. *Quòd in mixto manent qualitates propriæ elementorum licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementalium*; censet ergo, quòd etiam infra calorem vt octo potest virtualiter manere vis formæ generantis. Itaq; calor qui est infra gradum caloris vt octo, non potest per modum causæ principalis producere nisi calorem similem sibi, & non calorem vt octo, si tamẽ consideretur non solũ vt calor, sed vt calor virtuosus, id est, vt deriuatus ab igne tanquam instrumentum eius ad producendum substantiam similem sibi, & consequenter calorem vt octo, sic operatur illum instrumentaliter nõ principaliter. Quod si absente, vel destructo generante virtus illa debilior & imperfectior facta sit, aut egressa fuerit, quam vt possit producere substantiam, si eam producit, id fiet virtute causæ superioris, sc. cœli, vel causæ primæ supplentis, quod deest de virtute generantis, & sic plures formæ inanimatæ quandoque producuntur à cœlo, vt quando cadauer generatur ex iugulatione, vel ex suffocatione, ferrum enim non est productiuum directè formæ cadaueris, sed ferri; tamen tollendo dispositiones vitales, v. g. calorem, qui est in sanguine relinquit locum cœlo, vt introducat formam cadaueris. Quid autem sit in virtute illa, quæ est quædam qualitas, esse virtutem substantiæ explicauimus q. 12. Phys. quòd non est aliquid superadditum qualitati, sed tantum ab ipsa substantia esse deriuatam, & aliquid illius in ordine ad producendam similem substantiam.

Cæterum in generatione viuentium specialis difficultas est, quomodò distinguatur pars efficiens, & pars effecta, eò quòd viuens non generatur successiuè à parte in partem sicut inanimata, sed organizato corpore & integrè disposito tota generatio in instanti perficitur, & ideò non apparet quomodo à parte vicina procedat ipsa forma viuentis & vltima eius dispositio.

Sed respondetur ex doctrina D. Thom. 1. p. quæst. 118. art. 1 ad 3. & 4. de potent. art. 11. præsertim ad 8. vbi docet; quòd virtus actiua seminis non est in toto semine, sed in spiritibus qui in ipso semine includuntur, in quo etiã spiritu est aliquis calor ex virtute corporũ cœlestium, quorũ virtute agunt ista inferiora, & istæ partes spirituosæ seminis agunt in alias, quæ se habent vt materia, & formant illas, & licet materia illa corpulenta, ex qua fit generatio animalium, varietur per diuersas formas quas vocamus formas embrionis vsque ad perfectæ formæ introductionem, non tamen destruitur illa pars spirituosa in qua est virtus actiua seminalis, nec mutatur, vt dicit S. Thom. solutione illa ad 8. & sic semper manet distinctio inter partes, quæ effectiuè agunt, & partes in quibus introducitur forma animalis, in illis enim partibus spirituosis, quæ spumosiores sunt non introducitur forma genita, quia ex illis non formatur fœtus, sed ex corpulentiori crassiorique materia seminis, & sanguinis; alioquin, vt ibi argumentatur D. Thom. si partes illæ spirituosæ mutarentur, & formaretur ex illis fœtus, vt ex materia, destrueretur illa virtus seminalis, & sic non posset virtute seminis vsque ad completum perfici generatio. Quid autem fiat de illis partibus habentibus virtutẽ seminis postquam forma animalis iam est introducta; *Respõdet* D. Thom. quæst. illa 118. citata ad 4. quòd euanescente spiritu, & dissoluto semine, desinit esse illa virtus actiua, quæ erat in semine, eò quòd erat vis instrumentalis quæ cessat producto iam effectu. Itaque resoluitur pars illa spirituosa; & euaporatur in aliquod corpus; & sic sẽper distinguitur forma Et illa qualitas actiua seminis, licet formaliter sit inferior ad dispositionem vltimam, non tamen virtualiter, in quantum est virtus substantiæ deriuata ab ea ad agendum.

Ex quo manifestum est quomodò dispositio influat effectiuè ad introductionem formæ, vel corruptionẽ; constat enim ex dictis, quòd virtus effectiua influens debet esse in alia parte, vel subiecto ab illo quod disponitur, & sic semper distinguitur pars mouens, & pars mota, euitaturque illud inconueniens, quòd dispositio non existens in vltimo instanti operari possit, existit enim tunc virtus operans in parte proximiori. Similiter etiam constat quomodo materia dicatur disposita siue à dispositione vltima, siue ab antecedenti; non per extrinsecam denominationem, sed per realem informationem, quia ante

instans generationis disponitur materia quasi in fie-
ri, & tendentia ad formam per dispositiones antece-
dentes, quæ subiectantur in ipso toto, quod est cor-
rumpendum, & ipsam materiam determinant ad for-
mam introducendam In instanti autem generationis
determinatur materia in facto esse, & consummatiuè
per ipsam vltimam dispositionem, quæ non recipitur
in sola materia, sed in ipso toto, quia semper est
connexa cum ipsa forma, sed tamen illa dispositio
habet duplicem respectum, seu officium secundùm
quod correspondet duplici principio, scilicet formæ
genitæ ad quam consequitur, vt propria passio, &
alterationi quam terminat & consummat; & non est
necesse, quòd secundùm vtrumque respectum præ-
paret, & disponat materiam, sed sufficit quòd vt ter-
minus alterationis est, illam disponat, non vt proprie-
tas formæ, sed quia de facto inhæret, & existit in ip-
so toto, & in eius materia, vt in principio *quo* reci-
piendi, hoc sufficit vt per realem, & intrinsecam de-
nominationem dicatur disponere illam.

Ad illa loca D. Thom. in quibus videtur dicere,
quòd calor qui erat in corrupto, manet in genito.
Respondetur, non loqui de eodem numero calore,
sed de simili, qui ideo dicitur non cessare, quia per
calorem similem continuatur, non tamen idem nume-
ro manet, vt expresse dicit D. Thom. 1. de Gener. lect.
10. & aliis locis præcedenti art. citatis, & cùm calor
adueniens per introductionem formæ profluat ab
ipsa forma vt eisdem locis, quæ in contrarium ci-
tantur affirmat D. S. non potest loqui de eodem
numero calore, quia hic non potest profluere
à forma introducta, qui antea præcesserat in sub-
iecto.

*Ad difficultates à principio positas respondetur ex
dictis. Ad 1. dicimus*; solam alterationem, quæ pręce-
debat in subiecto corrupto non producere vltimā
dispositionem, nisi interueniente, & adiuuante gene-
ratione, quæ producit formam substantialem, & dis-
positionem vltimam vt illi annexam, & vt terminum
alterationis præcedentis; & secundum respectum ad
formam ad quam sequitur, est posterior illa; se-
cundum verò quod terminat alterationem præce-
dentem, & consummat illam in eodem ordine accidē-
tis, sic fungitur officio dispositionis tanquam termi-
nus, & consummatio eius quæ præcedebat, & quate-
nus consummat & virtualiter continet præcedentem
dispositionem, virtualiter dicitur præcedere.

Ad 2. difficultatem respondetur, vltimam dispositio-
nem non causare effectiuè formam ad quam dispo-
nit, neque se habere vt virtutem generantis, sed solū
vt dispositionem cum duplici respectu, primus ad for-
mam genitam, vt illi annexam per modum propriæ
passionis, secūdum ad dispositiones antecedētes, qua-
rum est consummatio & terminus, & secundum pri-
mum respectum subsequitur formam, secundum po-
steriorem antecedit non duratione, sed naturâ, &
causalitate, vt dictum est.

Ad probationes contra hoc. Ad primum de efficiē-
tia *respondetur*, quòd virtus effectiua generantis non
conuenit dispositioni vltimæ formali, sed dispositio-
ni antecedenti, vt est virtus substantiæ generantis
respiciens formam substantialem producendam, &
ordinata ad illam, & consequenter ad dispositionem
vltimam, quæ ipsam concomitatur, & ita vl-
tima dispositio formalis est terminus seu effe-
ctus virtutis generantis, non virtus efficiens
rei genitæ. *Nisi dicamus*; quod dispositio an-
tecedens, & infra vltimam, in quantum est
virtus substantiæ generantis, est etiam disposi-
tio vltima non formaliter, sed virtualiter, quatenus
virtute illam continet, sicut & formam substantia-
lem.

Ad aliam probationem ex parte præparationis ma-
teriæ *respondetur*, quòd vltima dispositio præparat
materiam consummatiuè, & terminatiuè, seu in fa-
cto esse, ita quod vsque ad instans generationis ex-
clusiuè supponit materiam præparatam in fieri, & tē-
dentia per dispositiones antecedentes, in illo autem
instanti introducitur forma in materiam concomi-
tanter pręparatam per illam dispositionem vltimam,
quatenus terminus est, & consummatio dispositionū
antecedentium, & illis coordinatur, & sic habet
vim illarum tanquam terminus in quo consūmantur,
& sub hac ratione etiam habet vim causalitatis ma-
terialis, & præcedentiæ ad formam sicut habebant
dispositiones antecedentes. Ipsa autem forma secun-
dùm respectum, & causalitatem formalem, quia
informat materiam, intelligitur respicere materiam
secundùm entitatem nudam materiæ, id est, vt sub-
stantialiter informabilis, sic enim materia non est
informabilis à forma substantiali mediatè acciden-
te, sed per se ipsam immediate, & ita sub hoc res-
pectu informandi solam entitatem materiæ respicit
forma, non dispositiones accidentales, solum enim
respicit illas, vt determinantes indifferentiam ma-
teriæ ad talem formam, & ad hoc sufficit, quod
concomitanter sit ibi dispositio in eodem instanti, di-
catur autem præcedere sub respectu, & ordine cau-
salitatis materialis, in quantum terminus, & con-
summatio præcedentium dispositionum, quas vir-
tualiter continet. *Et ita cum instatur*, quomodò
maneat materia pręparata virtualiter an formaliter,
& in qua forma dicatur virtualiter manere illa præ-
paratio ? *Respondetur*, in re, & in ipso instanti gene-
rationis dari ipsam dispositionem vltimam annexam
formæ, quæ tanquam terminus & consummatio præ-
cedentium dispositionum virtualiter illas continet,
& continuat præparationem, & determinationem
quam illę faciebant in materia vsque ad illud instans
exclusiuè.

Ad vltimam difficultatem respondetur, disposi-
tionem, quæ est virtus generantis effectiua non
esse in subiecto, quod corrumpitur, nec in
subiecto quod generatur, quia non agit effecti-
uè in subiectum, in quo est inhæsiuè, vt ex Diu.
Thom. dicitur in argumento, sed est in parte
proximiori, in qua etiam inuenitur virtus ge-
nerantis in eius absentia, vt satis suprà ostensum est.

Cæterùm P. Suarez disp. illa Metaphys. sect. 3. num.
28. non quiescit cum doctrina tradita, existimátque
non satisfacere illam distinctionem de mutua priori-
tate inter dispositionem, & formam; & instat con-
tra illam, quia dispositio si est verè præparans, &
non solum ornatus ac perficiens subiectum, opor-
tet quod determinet, & quasi limitet capacitatem
eius ad talem formam, ergo etiam determinat ip-
sum agens ad talem formam introducendam; ergo
fieri non poterit, vt talis forma effectiuè sequatur ex
forma introducta. *Consequentia patet*, quia si dis-
positio fuit à forma, & forma efficitur ab agen-
te, ergo agens non potest determinari à tali
dispositione quæ producat formam, sed potius me-
diante forma determinatur agens ad talem disposi-
tiomem.

Confirmatur, quia illa dispositio non potest exer-
cere causalitatem materialem, & habere prioritatem
naturæ, neque respectu actionis qua fit forma, ne-
que respectu materiæ, quam disponit. Non respe-
ctu actionis, quia illa dispositio sequitur mediante
forma, ergo non potest habere causalitatem, & prio-
ritatem

ritatem respectu illius actionis, quia fit ipsa forma, siquidem quando fit forma nondum illa dispositio, nec est facta vt possit tunc causare. Respectu verò materiæ non potest habere istam prioritatem, quia non potest disponere materiam nisi informando illam, non autem potest informare illa dispositio materiam in illo priori, siquidem materia ante formam informatur ab accidentibus, illud autem accidens non potest disponere, nisi informando, & inhærendo, quia sine inhærentia non est & sic, neque disponit; si autē in illo priori non disponit, cui inhæret illa dispositio? non formæ quia sequitur ad illam, & sic pro illo priori nondum inhæret formæ. Non composito quia præparat ad illud, non verò disponit illud, sed materiam ad illud, ei autem inhæret quod disponit, ergo inhærebit soli materiæ, atque adeò non est necesse, quòd consequatur ad formam, sed inest materiæ ab agente.

Respondetur, dispositionem vltimam non determinare ipsum agens vt efficiat, sed determinare tanquā effectus eius; dicitur autem vltima dispositio determinare agens non vt virtus eius ad efficiendum, sed vt terminus dispositionis antecedentis, quæ erat virtus determinata ipsius agētis, & ab eo decisa Deinde addo quod agens, neque per ipsas dispositiones antecedentes quas emittit in materiam, determinatur ad generandum, sed antequam illas emittat, determinatur ad generandum & tanquam medium necessarium, & virtutem agendi emittit illas dispositiones quæ se habent vt effectus eius, & virtus determinata ad generandum formam, & sic dispositiones istę procedunt ab agente determinato, siquidem in virtute eius determinate operantur. *Nec obstat* quod dispositiones antecedentes non sufficiunt determinare materiam vel agens; non sunt enim sufficientes determinare in facto esse, & consummatiuè, benè tamen in tendentia, & inchoatiuè; & in quantum virtus sunt substantiæ generantis, etiam effectiuè.

Ad confirm. negatur antecedens. Ad probationem ex parte actionis *respondetur*, dispositionem non suscipere in se actionem qua fit forma, sed præparare materiam in facto esse, vt recipiatur in ea forma, quæ est terminus actionis, & hac ratione disponere dicitur ad actionem in suo termino. Nec requiritur ad munus causæ materialis, quod existētia pręcedat, sicut in causa efficiente, sed sufficit quod in re concomitetur, itaque in nulla duratione detur causa materialis sine existentia, vt in q. 11. Phys. probauimus. *Ad probationē* ex parte materiæ *Resp.* illam dispositionem non posse disponere nisi inhærēdo & informando inhyrentia & existentia concomitante, & in re inuenta, non autem inhærentia formalizante, seu constituente formaliter omnem prioritatem, & causalitatem materiæ erga formam, vel formæ erga materiam: & ita pro illa prioritate naturæ, seu formalitate & conceptu, quo materia intelligitur substantialiter recipere formam, non intelliguntur dispositiones informare materiam (licet de facto ibi sint sed solum materiam substantiale compositum cum forma constituere ipsa autem præparatio & determinatio materiæ erga talem formam solum præsupponitur ibi concomitanter, vel antecedenter, non autem formaliter intelligitur, sed id pertinet ad aliam prioritatem, vel posterioritatē naturæ, est enim ibi antecedenter ratione dispositionum antecedentium, concomitanter autem ratione vltimæ dispositionis, quæ in facto esse illas terminat. Et sic patet ad illam interrogationem vbinam pro illo priori inhæret dispositio? *Dicemus enim*; quod pro illo priori formali non inhæret, quia illa prioritas non est formalitas inhærendi, sed substantialiter componendi, concomitanter verò, & in re tunc inhæret in composito vt in subiecto *quod*, & sustentante illam, in materia verò vt in subiecto *quo* recipiendi, & determinabili per illas dispositiones, nec est necesse ad hoc vt inhæreat in composito quod partim sit in forma, partim in materia, sed sufficit quod in materia vt in subiecto *quo*, & in toto composito vt in subiecto *quod*, vt latiùs dicemus infr. q. 9.

QVÆSTIO II.

De Corruptione.

ARTICVLVS I.

Quomodò differat corruptio in ratione mutationis à generatione, & ab annihilatione?

VT resoluimus in 3. Phys. q. 14. & 5. Phys. q. 19. a. 1. ex Arist. motus vt distinguitur à mutatione cōmuniter dicta, duas exigit conditiones. *Prima* ex parte subiecti; quod eius subiectum sit ens in actu, id est informatum forma substantiali, nō ens in potentia, quod est materia prima, quæ tamē sufficit ad mutationem. *Secunda* ex parte terminorum, vt videlicet motus propriè dictus sit inter terminos positiuos & consequenter propriè seu positiuè cōtrarios, ad mutationem verò sufficit oppositio priuatiua de non esse ad esse, vel è cōtra in subiecto capaci vtriusque Ex quo apparet corruptionem non esse motum strictè dictum vt cōntra ponitur mutationi, eò quòd non est inter terminos positiuos sed versatur ab esse ad non esse. *Dubiū autē est in duobus. Primū*, an ex eo quòd terminus ad quē corruptionis sit desitio formæ, amittat rationem mutationis substantialis & solum sit priuatio generationis? *Secundum*, an ex eo quod solum est in subiecto capaci differat ab annihilatione, qua res totaliter desinit in nihilum? Ideóque manebit dubium an vtraque tam annihilatio, quam corruptio sit mutatio? Et loquimur hic de corruptione in ratione mutationis, nam in ratione actionis sequenti articulo tractabimus, an generatio, & corruptio sint eadem actio, vel quomodo connectantur inter se.

Est ergo aliquorum sententia, corruptionem non esse realem mutationem, sed priuationem tantum actionis, & concursus quo forma præcedens conseruabatur, opponitur enim corruptio genera-

tioni, & non quia aliquid producit, sed quia destruit: ergo priuatiuè se habet, & sic realem mutationem non importat, imò neque identitatem in actione cum generatione, sed connexionem & nexum, quia sicut introducta vna forma sequitur aliam extirpari, ita posita generatione, consequitur corruptio, consecutiuè, ergo se habent non identicè. Et hoc non semper, aliquando enim potest dari generatio sine corruptione, vt si non præsupponatur forma positiua in materia, quæ corrumpatur. *Ratio huius est*, quia corruptio tendit ad negationem, id est ad non esse: ergo non est mutatio positiua, sed negatiua; ex termino enim ad quem denominatur mutatio.

Alia sententia est, per aliud extremum quę sentit corruptionem, ita esse positiuam mutationem, vt etiā annihilatio positiua mutatio sit, eo quod annihilationem requiritur virtus infinita, sicut ad creandum: ergo ipsa annihilatio est aliqua mutatio positiua, seu operatio, siquidem fundatur in virtute positiua.

Nihilominùs, Dico primò, *Corruptio essentialiter, & formaliter est mutatio distincta à generatione.* Dico essentialiter & formaliter, quia suppono generationem ipsam, cui opponitur corruptio non solum radicaliter, sed etiam formaliter esse mutationem vt probatum est quæstion. præced. articul. 1. Corruptio autem, si est mutatio, cum sit formaliter opposita generationi, formaliter etiam erit mutatio sicut ipsa, quod magis verificatur in corruptione, quàm in generatione, eo quod ad corruptionem necessario exigitur, quod præcedat tanquam terminus à quo ipsa forma, quæ corrumpenda est, & non potest præcedere solum prioritate naturæ eò quòd per corruptionem desinit esse forma, nihil autem desinit, nisi prius existat cum sit transitus de esse ad non esse; nihil autem existit, nisi in aliqua duratione non autem in sola prioritate naturæ, quæ non est prioritas existentiæ, sed significationis, & formalitatis, & causalitatis, quatenus per illam significatur hoc dependere ab illo, & secundum hanc formalitatem, & non secundum aliam coordinari cum illo. At verò in generatione, cum procedat de non esse ad esse, non supponit aliquam durationem sui termini à quo, & ita sufficit ad generationem mutationis in generatione, quod priuatio præcedat prioritate naturæ, sufficit enim, vt aliquod subiectum, quantùm est ex natura sua, careat aliquā formā cum capacitate illius, vt indigeat actione acquisitiuā talis formæ, & consequenter quæ respiciat illam tanquam terminum ad quem talis acquisitionis, & consequenter aliquem terminum à quo respiciat qui vtiq; est priuatio, nō quę in illo instāti existat seu afficiat subiectum, sed quæ in illo instanti expellatur, & non permittatur sequi ad naturam. Sufficit autem ad rationem termini à quo, vt in ipso instanti sit in expelli à subiecto non vt existens, & consequenter verificatur mutatio, quod aliter se habeat in isto nunc temporis, quam ante in prioritate naturæ.

Quod ergo, corruptio sit distincta mutatio à generatione manifestè asseritur à D. Thom. quæstion. 28. de verit. a. 1. & 6. & sumitur ex Philosopho 5. Physic. cap. 2. lectio. 2. apud D. Thom. vbi distinguit tanquam duas mutationes eam quæ est de subiecto in non subiectum (hæc est corruptio & eam quæ est de non subiecto in subiectū) hæc est generatio, quæ autem est de subiecto in subiectum est motus, quia versatur inter contraria, & non inter contradictoria. Dicitur autem mutatio dę subiecto in subiectum, vel de non subiecto in subiectum, intelligendo nomine subiecti non ipsum suppositū seu substantiam, sed ipsū esse vel non esse, seu affirmatum, & non affirmatum, vt explicat D. Thom. quæstion. 28. citata articul. 1. *Ratio autem huius est*, quia non solum aliquid mutatur quando acquirit formam, sed etiam quando amittit, imò tunc maximè apparet mutatio, quando forma aliqua amittitur, vt cum aer amittit lucem, vel corpus albedinem, quia tunc verificatur, quod aliter se habet nunc quam prius. Quod autem sit distincta mutatio à generatione, patet, quia respiciunt distinctos terminos tam ad quem, quam à quo, mutatio autem cum consistat in transitu de vno ad aliud, vbi est distinctus terminus à quo, & ad quem, est distinctus transitus, & consequenter distincta mutatio, constet autem, quod corruptio transit de esse formæ ad non esse illius, generatio autem è conuerso, de non esse alicuius formæ ad esse illius, ergo important distinctum transitum, secundum distinctos à terminos quo, & ad quem.

Quod verò corruptio sit mutatio realis ostenditur distinguendo de eo, quod est reale tanquam quid positiuum, vel de eo quod est reale, id est à parte rei inuentum, licèt à parte rei non ponat, sed tollat, sicut dicimus tenebras, & cæcitarem dari à parte rei, quia nō ficte, sed verè inueniuntur. Hoc secundo modo distinguit D. Th. realiter corruptionem à generatione q. 28. citata art. 6. *Et ratio est*, quia hoc modo à parte rei inuenitur, & verificatur ipse terminus formalis, seu mutatum esse corruptionis, scilicet desitio formæ, quia de facto corrumpitur forma, ergo & ipsa mutatio seu fieri realiter inuenitur. Non tamen dicitur mutatio positiua, quia terminus eius positiuus non est, ergo, neque ipsa mutatio positiua esse potest, nec enim positiuè fit, aut transit id quod in se positiuum nō est sicut non esse formæ.

Dices per corruptionem non solùm aliquid negatiuum resultat, vt terminus, scilicet priuatio formę, sed etiam aliquid positiuum, scilicet formam illam manere in potentia materiæ in ordine ad agens supernaturale, quæ antea erat in actu, ergo aliqua positiua mutatio inuenitur in materia, scilicet nouus modus potentialitatis, & ordo ad diuersum agens. *Resp.* materiam ipsam nihil positiuum recipere per ablationem formæ, quod antea non haberet, quia etiam ante dicebat ordinem ad formam, vt educibilem semel ab agente naturali, & pluries ab agente supernaturali. Quare educta forma, & immutata materia per ipsam, cessat respectus ad agens naturale, ne amplius possit eam educere, non ex mutatione potentiæ in materia, sed ex defectu agentis naturalis extrinseci; quando autem forma corrumpitur, nulla amplius mutatio fit in ipsa potentia materiæ quoad istum respectum continendi formam.

Ex conclusione positâ colligitur, quòd si in generatione alicuius rei non detur forma aliqua corrumpenda positiua, sed tantum priuatio tollenda, vt cùm lux destruit tenebras, tunc corruptio, & generatio non sunt duæ mutationes, quia corruptio non inuenit formam, quam destruat, & transire faciat ab esse ad non esse, sed solum inuenit priuationem ex parte termini à quo, quæ non mutatur de priuatione in aliam priuationem, transitus enim de non esse in non esse, non est mutatio, ergo solum erit mutatio de priuatione ad esse, ergo corruptio priuationis non est alia mutatio, quam transitus ad esse, qui vtique generatio est. Et ita doceri solet in materia de iustificatione, quod si culpa quæ destruitur non est nisi priuatio in anima, iustificatio est vnica mutatio in quantum ponit gratiam, & remittit culpam, si verò culpa quæ destruitur, relinquit aliquid habituale per modum positiui, & conuersionis ad creaturam

curam, tunc est duplex mutatio, ablatio illa culpæ, & introductio gratiæ.

Dico secundo. *Corruptio, & annihilatio differunt ex parte termini ad quem, quia per annihilationem res totaliter desinit esse tam ex parte subiecti & ita annihilatio non est mutatio proprie dicta sicut neque creatio, licet significetur per medium mutationis.* Hæc conclusio manifesta est, quia annihilatio opponitur creationi, & ita sicut creatio nullum concursum habet ex parte causæ materialis, sed solum ex parte causę efficientis quæ dat totum esse, tam ex parte formæ, quàm ex parte materiæ, ita annihilatio non est desitio per concursum alicuius causæ materialis, sed per solam ablationem, & suspensionem concursus Diuini perficientis, & dantis totum esse, vndè cum non fiat in aliquo subiecto non est mutatio. Ex quo fit, quòd terminus annihilationis dicitur esse totaliter ipsum nihil, non solum, quia totaliter desinit ipsa res quæ corrumpitur, sed etiam, quia nullus terminus positiuus illi adiungitur, qui de nouo fiat, in quem desinat ipsa rei destructio, sed purè ex parte termini ad quem inuenitur nihil, & hoc præcipuum est in annihilatione, scilicet quod desinat in nihilū, vnde quantum aliquid destruatur, siue totaliter, siue partialiter si tamen non desinat in nihilum, sed adiungatur illi aliquis terminus positiuus, in quem desinat non est annihilatio Et hac ratione in Eucharistia non annihilatur panis licet totus destruatur & desinat esse, non tamen, desinit in nihilum, sed in corpus Christi, & ita est destructio panis per conuersionem, non per annihlationē. *Ratio huius est*, quia annihilatio, vt diximus fit per suspensionem concursus totaliter conseruantis in esse, ergo non solum pertinet ad ipsam totaliter rem aliquam destruere, sed etiam nullum terminum positiuū illi adiungere, & subrogare, in quem destructio rei terminetur, siquidem ad ponendum istum terminum positiuum requiritur actio, & positio alicuius influxus producentis, vel attingentis illum terminum, ergo si annihilatio est suspensio totius concursus, omnem terminum positiuum sibi adiunctum excludit, alias non desinet aliquid per viam annihilationis, sed ex vi productionis alterius termini incompossibilis cum re quæ destruitur. Itaque ad annihilationem vtrumque requiritur, & destructio totius esse, & desitio in nihilum, sine alicuius termini adiuncti positione hoc ipso quod fit per suspensionem Diuini concursus.

Sed dices, bene potest Deus annihilare formam non annihilatâ materiâ, & accidens non annihilato subiecto, ergo non est de ratione annihilationis destructio totius esse, tunc enim licet esse formæ in actu destruatur, sed manet in potentia materiæ, sicut quando per corruptionem desinit esse. *Respondetur.* Istam annihilationem non esse simpliciter, & omnibus modis annihilationem, sicut è conuerso productio solius formæ vel accidentis à Deo non est simpliciter creatio, sed concreatio, quando fit simul cum materia, ita suspensio concursus erga solam formam non est annihilatio simpliciter, sed reducitur ad annihilationem, tanquam ratio quædam illius, & quia habet modum annihilationis, in quantum fit per suspensionem concursus sine hoc, quod illi succedat alia forma, sed desinit in nihilum, ille enim concursus conseruat rem illam cum totali dependentia & subordinatione ad Deum, & ideò eius suspensio dicitur annihilatio, licet solum tollat partem entitatis. Quod verò maneat in potentia subiecti, non quidem in ordine ad agens naturale, sed in ordine ad potentiam Diuinam nō arguit, quod id fiat per actionē positiuam, quia hoc quod est manere in potentia materię non est terminus, vel effectus talis suspensionis concursus, sed in ipsa materia præbebatur ex propria natura materiæ, & quia hoc non destruitur per suspensionem concursus, ideo non est annilatio omnibus modis, tam vt est in actu, quàm vt in potentia subiecti,

Ex quibus colliges malè aliquos affirmare posse per Diuinam potētiam aliquam creaturam attingere annihilationem, eo quod non requiritur tanta virtus ad destruēdū, quā ad producendum, facilius enim est destruere quam ædificare, atque ita cum per destructionem non ponatur aliqua entitas, sed tollatur non inuoluit repugnantiam, quòd à creatura aliqua fiat Oppositum tamen sentit D. Thom. 3. p. q. 13. a. 2. loquendo etiam de causa instrumentali, quam negat dari posse ad annihilationem, *Et ratio est manifesta*, quia licet destruere aliquid ponendo formam seu dispositionem illi incompossibilem sit facilius, quam ædificare, quia talis forma, vel dispositio destruens facilius ponitur, & producitur tamen destruere aliquid per suspensionem, concursus alicuius causæ non pertinet nisi ad illam causam, quæ talem concursum exhibet vnde cum concursus qui suspenditur per annihilationem sit concursus exiens ab ipso Deo, ad nullam causam creatam pertinere potest eius suspensio, nisi ad solum Deum. Quando verò causæ secundæ aliquid corrumpunt, tollitur etiam concursus Dei erga formam corruptam, non quia per ipsas creaturas fiat talis suspensio, sed quia per ipsas fit productio formæ incompossibilis, ad quam etiam Deus concurrit, & concurrendo ad ipsam desinit concurrere ad oppositam, de quo articul. sequenti dicemus.

Ad rationem dubitandi, positam pro contraria sētentia *resp.* ex dictis corruptionem non esse meram priuationem, sed mutationem consequutam ex generatione, & terminatam ad priuationem formæ, est enim transitus de esse ad non esse, & sic probat argumentum, quod non est mutatio realis positiua, id est, ponens aliquid ex parte termini, sed realis corruptiua, seu priuatiua, quæ dicitur realis. quia in re inuenitur, non quia aliquid positiuum ponat in re.

ARTICVLVS II.

Vtrùm corruptio, & generatio sint eadem actio, ratione cuius generatio vnius sit corruptio alterius?

DVæ istæ difficultates connexæ sibi sunt, & ex vnius resolutione alterius resolutio dependet. *Circa primum ergo dubium est*, an corruptio aliquo modo sit actio saltem secundario, an verò ad rationē actionis nullo modo pertineat, & quomodo ab actione generatiua distinguatur? In quo variè sentiunt Auctores. Quidam negant terminari aliquo modo actionem generatiuam in ratione actionis ad corruptionē formæ, tactus enim actionis vbicumque tangit, siue primario, siue secundario est actus efficientiæ, omne autem quod efficientia tangit dando esse tangit, vbi autem non dat esse, sed tollit ibi desinit tangere. Quare corruptio fiet ipsa suspensione concursus, seu omissio, non vero secundaria attingentia actionis. *Alij* existimant efficientiam, seu actionem secundario, & distincta saltem formalitate attingere corruptionem, de quo videri potest Mag. Bannez sup. cap. 4. lib. 1. de Gen. explicans hoc axioma, quod generatio vnius est corruptio alterius, ibique citat Caiet. *Et ratio est*, tum quia generatio, & corruptio sunt vnus

motus, licet includat duas mutationes, vt ex locis præcedenti articulo citatis constat, ergo est vna actio, tunc quia suspensio concursus si sola sit non corrumpit, sed annihilat, adiuncta verò, seu consecuta ex actione, pertinet saltem secundariò ad actionem illam, non enim minus pertinet ad actionem terminum producere quam oppositum tollere, & sic vt corrumpi est verum pati, & verum mutari, ita corrumpere, & destruere est verum agere, saltem secundariò.

Cæterùm vtrumque componi videtur dicendo, quod corruptio non est formaliter actio etiam mediatè, sed virtualiter. Dupliciter enim potest intelligi, quod aliqua actio mediatè attingat aliquem terminum. Vno modo quia principaliter vnum terminum attingit, & continuando eandem influentiam, seu rationem agendi tangit alterum, vt minus principalem, & sub priori contentum, sicut producitur principaliter, & immediatè aliqua natura, & mediatè propria eius passio, mediatione tamen influentiæ, & causalitatis in illam. Alio modo quia producto principali termino cessat influentia actiua, sed mediante causalitate formali, seu informatione formæ productæ fit expulsio, seu priuatio alterius incompatibilis cum tali forma producta, & sic qui facit rem incompatibilem cum altera, dicitur effectiuè illam corrumpere efficientia virtuali non actuali, scilicet mediante termino, cuius informatio expellit, & corrumpit alteram formam per modum effectus formalis secundarij. Dicimus ergo quod corruptio non est actio priori modo, sed secundo, non enim producta formâ vlterius actio influit ad corrumpendum, neque enim influxus intelligi potest, quia respectu formæ corrumpendæ nihil influit, sed tollit, ergo influxus positiuus non continuatur, quia non datur vlterior terminus positiuus, ad negationem autem non est necessarius influxus. At verò posita forma, quæ terminus actionis est, dicitur virtualiter continere actionem, scilicet terminatiuè: hæc autem secum importat incompossibilitatem formæ oppositæ, quia habet adiunctam priuationem illius, & sic tangit illam, & expellit non efficientia, sed incompossibilitate orta ex efficientia formæ, idest, ex forma effecta, & terminante efficientiam. Quæ resolutio deducitur ex Diu. Thom. in 2. distinction. 34. quæstion. 1. artic. 2. ad 5. vbi inquit: *Illud quod corrumpit, & generat non ex eodem habet quod generat, & corrumpit, sed ex eo quod formam suam inducit, generat; & sic in quantum ens generat; ex eo autem quod forma sua necessariò coniungitur priuationi alterius formæ corrumpit.* Vbi Diuus Thomas non ponit corruptionem in influentia actionis, sed in ipsa appositione formæ habentis priuationem adiunctam. Vnde non oportet hoc reducere ad meram suspensionem concursus conseruantis formam oppositam, sed ad actionem producentem formam illi incompossibilem, quâ incompossibilitate positâ, & ex vi illius cessat concursus. Et sic etiam saluatur vnitas actionis, seu motus propter vnitatem termini positiui, duplex autem mutatio in vi illius efficientiæ, quia duplex terminus tangitur alter agendo alter destruendo, vt explicatum est.

Circa secundam difficultatem, quomodo scilicet ordinentur istæ duæ mutationes generatio, & corruptio, ita vt generatio vnius dicatur corruptio alterius, *aliqui existimant* ordinari tantum istas mutationes consecutiuè, & successiuè, non identicè in eadem actione, seu motu. *Cæterùm* Diu. Thom. quæstione vigesima octaua, de veritate, articulo sexto, ad vltimum euidenter dicit: *Quòd generatio vnius dicitur à Phil. corruptio alterius per concomitantiam, quia de necessitate sunt simul, vel propter vnitatem motus, qui ad has duas mutationes terminatur.* Vbi nomine motus intelligitur actio habens illam duplicem mutationem. Et in prima secundæ, quæstione 113. articulo 6. ad secundum, inquit: *Quòd infusio gratiæ, & remissio culpæ secundum substantiam actus idem sunt.* Et eodem modo comparat generationem, & corruptionem. Sentit ergo quod identificantur in ratione actionis.

Quare generatio vnius, quando habet adiunctam corruptionem alterius dicitur esse corruptio duplici ratione; Primò propter successionem, & ordinem formarum sibi succedentium eo quod formæ sunt incompatibiles, & sic intrante vna, recedit alia; & tunc est sensus, quod generatio vnius est corruptio alterius causaliter, quia connectitur, & succedit generationi corruptio. Secundò strictiùs dicitur generatio vnius esse corruptio alterius, non solùm propter successionem formarum, & mutationum, sed propter vnitatem actionis, seu motus, eo quod corruptio non est actio distincta à generatione, sed eadem actio formaliter generatiua, est virtualiter corruptiua ratione termini generati, vt incompossibilis cum forma opposita in qua compossibilitate virtualiter manet influentia positiua, vt terminata ad formam genitam, vt dictum est.

Diximus in conclusione, *quando generatio habet annexam corruptionem* ad denotandum id, quod præcedenti articulo significauimus non dari corruptionem, quæ sit vera, & realis mutatio, nisi quando datur forma positiua corrumpenda, si enim solum præcedit priuatio tollenda per formam generatam, vt quando aër tenebrosus illuminetur, tunc ablatio illius priuationis non fit per mutationem negatiuam distinctam à generatione lucis, sed per ipsam generationem positiuam sine alia mutatione corrumpitur priuatio, eo quòd priuatio non tollitur nisi per positiuum esse, ergo per generationem, quæ est transitus, seu mutatio de non esse ad esse, de priuatione ad formam, licèt verum sit quod per nostros conceptus possumus distinguere in luce conceptum positiuum constituendi lucidum, & conceptum remotiuum tenebrarum, seu non esse priuationis, eo quòd priuatio accipitur à nobis vt ens rationis, atque adeò ad instar esse quod corrumpitur, in re tamen priuatio illa est non esse, & physicè non tollitur nisi per esse, quod totum docet S. Thomas q. 28. de verit. artic. 6. in corpore.

Vnde obiectiones, quæ fieri possunt, ex eo quod generatio aliquando datur sine corruptione nihil obstant, fatemur enim non omni generationi essentialiter annecti corruptionem, sed tantum illi cui annectitur forma positiua corrumpenda, & si forma corrumpenda fuerit partialis, tunc etiam corruptio partialis erit, & productio aggeneratio. Nec D. Tho. in 2. distinction. 34. suprà citata dixit, quòd generatio & corruptio solum ratione differunt, sed dixit, quod forma ignis, & priuatio aëris sunt idem subiecto, sed ratione differunt, quod est dicere priuationem, & formam non distingui realiter, eo quod priuatio, extremum reale non est non tamen est dicere, quod ipsa generatio, & corruptio non sint mutationes distinctæ eo modo, quo dictum est.

Soluuntur obiectiones.

PRimò *arg.* corruptio est priuatio saltem ex parte termini ad quem, generatio autem est positiua actio: ergo nullo modo possunt identificari, vera enim realitas non potest identificari cum eo quod est nihil, & ens rationis.

Secundò, quia eadem ratione, qua probatur generatio

rationem, & corruptionem identificari in ratione motus & actionis, probatur identificari in ratione mutationis, quia sicut eadem dispositiua actio & motus sufficit primario introducere formũ, & secundario destruere oppositam, ita simplex, & vnica mutatio positiua primario erit trãsitus ad formam genitam, & secundario transitus formæ oppositæ, nec enim repugnabit mutationem negatiuam identificari cum positiua, sicut negatiua actio, i. e. destructio cum positiua generatio.

Tertiò, quia si generatio identificatur cum corruptione erit generatio verus motus, quod tamen negat Phil. in 5. Physicor. cap. 1. *sequela patet*, quia in quantum identificatur cum corruptione, habet pro termino à quo aliquid positiuum, & ratione sui vt generatio est, habet terminum ad quem positiuum, ergo saltem identice est inter duos terminos positiuos à quo & ad quem, quod est esse motum saltem identice.

Quartò, si generatio & corruptio habent ordinẽ inter se, oportet quod fundetur in aliqua causalitate seu ordine prioris, & posterioris vnius erga alterum, hoc autem non datur; quia vel mutuo se causant, & hoc non quia corruptio non potest habere causalitatem in generationem, cum sit priuatio vel non mutuo se causant, sed altera tantum est causa, & altera effectus, & hoc non, quia in primis corruptio non potest causare vt dictum est, & sic non potest ipsa esse causa, & generatio effectus: & quia alias esset per se primo intenta, generatio autem vt consecuta. Si autem generatio est causa & corruptio effectus, prius recipietur forma genita, quam expellatur opposita, & sic non recipietur forma genita in nuda materia, nec supponendo expulsam formam.

Denique si generatio vnius est corruptio alterius, oportet, quòd in eodem instanti sint, si enim sunt in diuersis non identificantur, hoc autem esse non potest, quia corruptio tenet se ex parte dispositionis vltimæ, quæ tollit formam incompossibilem formæ genitæ, dispositio autem vltima præcedit formam in ipso subiecto in quo fit corruptio, ergo corruptio non identificatur cum generatione.

Ad primum respondetur, negationem alterius formæ benè posse identificari cum aliqua positiua forma, priuatio enim & negatio diuersorum non opponuntur, sed imbibitur, & identificatur talis negatio cum ipsa forma, in qua fundatur, sicut fides habet obscuritatem, & calor priuationem frigoris, & quæcumque res negationem eius, quod à se distinguitur.

Ad secundum negat. esse eandem rationem de mutatione, & de motu, secundùm quod motus significat actionem per modum influentię, non enim repugnat eandem numero actionem attingere plures terminos ordinate se habentes vel consecutos, siuè negatiuos, siuè positiuos, eò quòd contingit actionem esse virtualiter multiplicem, & ad multa se extendere, sicut & virtus ipsa à qua procedit. At verò mutatio non dicit aliquid efficiens, sed purum transitum inter terminos, & potiùs dicit aliquid effectum, quàm effectiuum, vnde vbi est distinctus transitus inter terminos, ibi est distincta mutatio, non autem vbi est distinctus effectus etiam materialiter, est distincta actio efficiens, sed tamen id quod materialiter se habet ad rationem actionis, nec multiplicat illam, formaliter se habet ad rationem mutationis eamque multiplicat, quia formalitas mutationis solum consistit in illo transitu effecto, vt dictum est.

Ad tertium negatur sequela non enim sufficit ad rationem motus strictè dicti, & vt distinguitur à mutatione habere terminum, à quo positiuum concomitanter, & propter incompossibilitatem adiunctã, sed formaliter & per se. Generatio autem substantialis formaliter, & per se non est à termino positiuo, sed à priuatione formæ. Quod autem corrumpat formam substantialem præexistentem non est, quia habeat illam pro formali termino à quo, per accidens enim, & materialiter se habet ad formam ignis quæ generatur, quod fiat ex stuppa, vel, papyro, vel ligno; per se autem quod fiat ex non igne; sed tamen corrumpit formam præcedenrem quæcumque illa sit, quia sunt incompossibiles formæ in eodem subiecto propter priuationem adiunctam, quia vtraque est forma substantialis, & consequenter prima in subiecto. Vnde non admittit aliam tanquam secundam. Non tamen se habet tanquam terminus à quo formalis forma præcedens, tunc enim se habet vt formalis terminus à quo quando conducit ad constituẽdam positiuam distantiam, vel latitudinem inter terminũ à quo & ad quem, tunc autem constituitur positiua latitudo, & distantia inter terminos, quando sunt positiui, & habent medium, ita quod ipsa extrema conducunt ad talem latitudinem, quatenus ex eorum commensuratione aut coniunctione constituitur medium, & per se postulant transitum ex vna forma ad aliam per tale medium. Formæ autem substantiales non se habent vt extrema, per quorum commensurationem, aut coniunctionem constituatur medium, nec per se ex vna forma ad aliam fit transitus per aliquod medium, sed quæcumque forma immediate receptibilis est in materia, si dispositio contraria non obstet: Vnde solùm ratione dispositionis petit transitum per aliquam formam mediam.

Ad quartum respond. quod inter corruptionem, & generationem datur mutuus ordo prioris, & posterioris, sicut inter formam expulsam & generatam, est enim expulsio formæ corruptæ prior in genere causæ materialis, forma autem generata est prior in genere causæ formalis. Vnde Diu. Thom. quæstion. 28. de verit. articul. 7. inquit. *Quod expulsio formæ præcedentis est prior naturaliter in ratione causæ materialis, omnis enim dispositio ad formam reducitur ad causam materialem, denudatio autem materiæ à forma contraria est quædam dispositio ad formæ susceptionem.* Quod verò introductio formæ sit prior in genere causæ formalis docet in 4. distinct. 17. quæst. 1. art. 4. quæst. 3. *Quia remotio*, inquit, *formæ secundum ordinem causæ materialis præcedit naturaliter introductionẽ formæ, sed secundum ordinem causæ formalis est è conuerso.* Et idẽ habet in 1. 2. quæstion. 113. articul. 8. ad 1. quia agens per formam agit ad remouendum contrarium, sicut sol per suam lucem agit ad remouendum tenebras, & ideo ex parte solis prius est illuminare, quam tenebras remouere, ex parte autem aëris prius est purgari à tenebras, quam consequi lumen ordine naturæ, licet vtrumque sit simul tempore. Quare philosophandum est de corruptione & generatione, sicut de dispositione vltima, & forma vt supra dictum est, nec requiritur ad istam prioritatem ex parte causæ materialis, quod detur prioritas etiam in existendo, sed sufficit quod concomitetur existentia, in re, in illa autẽ prioritate solũ explicatur formalitas, & officiũ illius depẽdentię, & causalitatis. Et licet corruptio sit effectus secundarius formæ genitæ, sicut etiam dispositio vltima, in alio tamen genere causæ, & sub alio respectu, scilicet vt tenet se ex parte causæ dispositiuæ potest habere modum causæ & prioritatis.

Ad

Ad vlt. resp generationem, & corruptionem dari in eodem instanti temporis, sed in diuersa prioritate naturæ. Dispositio autem vltima non est in aliqua duratione ante ipsam formam genitam, nec in subiecto corrupto, licèt secundum diuersas prioritates naturæ antecedat & subsequatur in eodem subiecto genito, sicut supra explicatum est, & idem prorsus dicendum est de corruptione, & generatione.

ARTICVLVS III.

Vtrum corruptio sit naturalis, & per se intenta à natura?

SVpponimus ex 2. Physic. cap. 1. quòd naturale dicitur aliquid ex eo quod habet in se principium sui motus, siue quod est à principio intrinseco naturæ, principia autē intrinseca sunt materia & forma. Illud autem dicitur secundum naturam quæ se habent vt accidentia & affectiones conuenientes naturæ, vel est subiectum cuius esse est à natura. Quæ vero conueniunt à principio extrinseco vel violenter conueniunt vel præternaturaliter. Hoc ergo inquirimus de corruptione, an conueniat ratione alicuius principij intrinseci, & ita sit naturalis, an vero ratione principij extrinseci, & ita sit violenta & præter naturalis. *Et difficultas esse potest*, quia ex vna parte corruptio habet aliquod principium repugnans, scilicet ipsam formam, & compositum quod est, destruitur per corruptionem, & ita non potest esse ei naturalis corruptio, sed violēta vtpotè destructiua eius. Ex parte verò materiæ non inclinatur per se, & directe in corruptionem, quia corruptio est malum & non esse, ergo non est terminus appetitus, ergo neque materia, quia materia, appetitus quidam est, & illud est ei naturale quod est ei appetibile. Non ergo corruptio est naturalis, ex aliqua parte.

Et ex hoc nascitur secunda difficultas, an corruptio possit esse per se intenta à natura eo quod malum vt malum intendi non potest, corruptio autem malum est cum sit defectus naturæ, ergo est præter eius intentionem, sicut etiam monstra non sunt ex intentione naturę, sed ab ea exorbitant, vtpotè defectus illius, natura autem semper intendit id quod sibi est debitum, non quod alienum, & exorbitans.

Nihilominus, Dico primò, *Corruptio simpliciter est naturalis, & non violenta à natura ratione materiæ, quatenus dicit naturam corruptibilem, sumendo naturale, vt opponitur violento.* Tenet hanc conclusionem expresse S. Thom. 1. 2. quæstion. 85. articul. 6. & quæst. 5. de malo articul. 5. Reddit autem materia naturam corruptibilem, tum quia in se habet priuationem, cum aptitudine, & potentialitate ad plures formas, quarū quælibet nō potest plenè satiare materiam, hæc enim est dispositio rei corruptibilis, vt docet S. Thom. 1. part. quæstion 66. articul. 2. Tùm quia admittit compositionem ex contrariis, vt patet in omnibus corporibus sublunaribus, omne autem corpus ex contrariis compositum, est corruptibile, cum contraria agant in inuicem, & sic generant & corrumpunt, siquidem generatio, & corruptio est ex contrariis. Sic ergo fūdat D. Thom. quod corruptio sit naturalis, tum *loco proximè citato*, tum in 3. distinct. 16. quæstion. 1. articul. 1. siquidem materia talibus conditionibus est prędita, scilicet potentialitate ad plures formas, & priuatione aliquarum & susceptione contrariorum, ergo naturale est ei admittere corruptionem formæ, vbi enim principium, & radix naturalis est, id quod conuenit ratione talis principij, naturale esse debet, præsertim si hoc ipsum conducat ad bonum commune, quod sine generatione & corruptione rerum stare non potest.

Nec obstat, quod id quod conuenit solum ratione principij passiui, non videtur esse naturale, quia oppositum eius non est violentum, nec enim potest aliquid pati violentiam solum ratione principij passiui, cum non sit principium resistens agenti. *Ad hæc* non valet illa consequentia, radix seu principium est naturale, ergo & actus, instatur enim in libero arbitrio, quod naturaliter est peccabile cum sit ex nihilo, & tamen peccatum est contra naturam, alioquin peccatum non esset, ergo similiter etiamsi ipsa corruptibilitas sit naturalis, non sequitur, quod corruptio non sit naturalis, non sequitur; quod corruptio non sit contra naturam. *Hæc inquam non obstant. Ad primum* enim diximus, quæstion. 9. Physicor. articul. 4. quod etiam principium passiuum est naturale vt opponitur violento, & habet inclinationem in aliquid à quo si remoueatur realiter, quod non subrogetur illi aliquid æque naturale, dicetur pati violentiam, habetque resistentiam ad illud non actiuam, sed formalem. Et quod sufficiat ad rationem naturæ principium passiuum, docet S. Tho. 8. Physicor. lect. 8. vbi inquit: *Esse contra intentionem Philosoph. vt in materia sit principium actiuum, quod quidem dicunt esse necessarium adhoc quod sit motus naturalis, sufficit enim, quod sit passiuum, quod est potentia naturalis ad actum.* Quare impedimentum talis inclinationis si ipsa totaliter frustretur, erit violentum principio passiuo. Sed aliqui hallucinantur in appetitu seu inclinatione materiæ, quæ est ad plures formas ad quarum totalem collectionem adæquate se habet, ad singulas vero inadęquate, & ideo sublata vna forma in particulari, non violentatur in recipiendo aliam, quia vtraque æque naturalis est, & ideo ablatio vnius non est violenta, cum alia ęque naturalis subrogetur, sed si totaliter impediretur corruptio formarum, & acceptio aliarum, in hoc esset violentia materiæ, quia impediretur naturalis eius tendentia ad plures formas successiuè, & cum corruptione aliarum. Imò ex hoc deducitur argumentum, quia ideo non patitur violentiam materia recipiendo vnam formam & amittendo aliam, quia est in potentia naturali ad omnes, ergo ablatio vnius non erit violenta, ergo erit naturalis, omnis enim motus, aut fit natura aut vi, vt Philos. inquit. Corruptio ergo, naturalis est principio passiuo, quatenus naturale est illi ex propria inclinatione habere plures formas, & non simul, sed successiue, vnam amittendo, & aliam acquirendo.

Ad tertium dicitur, quod illa consequentia non tenet in defectibus voluntariis qualia sunt peccata, tum quia voluntarium opponitur naturali, vnde licet potentia deficiendi libere naturalis sit, sicut ipsa voluntas naturaliter conuenit homini, tamen actus eius voluntarius est, & liber propter indifferentiam potentiæ, tum etiam quia peccata sunt contra naturam vt rationalem, nō vt limitatam & ex nihilo, vnde simpliciter dicuntur contra naturam, quia sunt contra præcipuum quod est in natura, seu proprium ipsius naturæ. At vero corruptio fundatur in inclinatione naturali materiæ ad plures formas, & in se naturalis est, & non violenta, nec voluntaria, & rursus licet sit contraria formæ, quæ corrumpitur quantum ad esse suum, & similiter composito ex tali forma, tamen ex alia parte ordinatur ad bonum commune, quod perpetuatur, & constat ex pluribus compositis & rebus, quarum vna succedit alteri, quod fit per corruptionem eius,

eius, & sic non contrariatur ipsi materiæ, vt pendet à tota collectione formarum, quibus subesse potest, sed solum contrariatur vni formæ particulari quam excludit; non est autem connaturale materiæ solum ab vna forma habere esse, sed à multis successiuè. At verò peccatum voluntatis non ordinatur ad aliquod bonum commune sicut corruptio formæ, sed ab eo deordinatur vniuersaliter & ex omni parte.

Ex quo deducitur id quod in loco citato in quæstione 9. Physic. diximus, quod licet corruptio sit contraria formæ, eique violenta, & ex hac parte corruptio non sit dicenda naturalis, tamen quia ex parte materiæ, naturalis est, simpliciter sortitur denominationem naturalis, & non violenti, non obstante quod istæ duæ rationes concurrant; eo quod denominatio semper fit ab eo, quod magis præponderat, in aliqua natura, magis autem præponderat in hac parte id quod se tenet ex parte materiæ, quia non solum est naturale, & conueniens ipsi materiæ, vt disponitur ad vnam formam quod fiat corruptio alterius, sed etiam ad commune bonum rerum corruptibilium conducit, quę ex successione generationū & corruptionum coordinantur, & ad communem appetitum ipsius materiæ quatenus ad omnes formas extenditur, quod expresè docet D.Tho.q.1. de malo art.3.ad 18.

Ad difficultates in principio motas. Ad primam respond. quod corruptio habet aliquod principium repugnans ex parte formæ solum ratione sui particularis, esse, habet autem aliud principium connaturale ex parte materiæ quatenus ex sua natura petit successionem in formis, & hoc ipsum ordinatur ad commune bonum totius ordinis rerum corruptibilium, & ideo simpliciter denominatur naturalis.

Ad secundam similiter dicitur quod corruptio est malum particularis formæ, sed bonum materiæ, & cōmuni rerum conseruationis. Sed tamen aliud est inquirere quomodo ista corruptio sit naturalis aliud quomodo sit bonum, & appetibile, hoc enim non hæc directè, & primariò, cum sit vt priuatio; vt autem naturalis sic sufficit, quod consequatur ex aliquo principio intrinseco, & naturali, siue sit iuxta primam inclinationem naturę, siue iuxta secundariā tanquam requisitum, aut annexum illi, & ordinatum ad ipsam; vt autem sit bonum primario, & per se, requiritur positiua entitas, vt statim amplius declarabitur.

Dico secundò, *Corruptio non est intenta ab agente particulari, vt agens particulare est, nec immediatè, nec mediatè nec ratione sui, nec ratione adiūcti ordinis ad bonum, sed respectu illius ordinis comparatur per accidens: At vero respectu agentis vniuersalis ordinantis, & Prouidentis totum bonum naturæ, tales defectus sunt de eius intentione non primaria, secundaria, supposito tamen illo ordine ad bonum commune.* In prima parte conclusionis non omnes conueniunt sed aliqui sentiunt talia mala, & defectus posse esse de secundaria intentione naturæ particularis, & non omnino per accidens se habere, id enim insinuare videtur S.Thom. in 4. distinct. 36. quæstion. 1. articul. 1. ad 2. vbi tamen loquitur de natura secundum se, & vt vniuersaliter se extendit ad agens particulare vel vniuersale, vt statim explicabimus, & eodem modo etiam loquitur quæstion. 23. de verit. art. 2.

Pro intelligentia tamen conclusionis est aduertendum, quod in aliquo malo, seu priuatione possumus tria reperire. *Primò* ipsum bonum super quod fundatur malum, vel priuatio, tanquam subiectum, vel ex parte subiecti se tenens. *Secundò* ipsum malum formaliter, seu priuatio secundum se. *Tertiò* aliquis ordo ad bonum quod ex tali priuatione consequitur, non per se, id est, quatenus malum, & defectus est, sed vt deseruit alicui bono, quod non potest stare, nisi interueniat tale malum, sicut non potest esse acquisitio, & generatio termini ad quem, nisi corrupto, & desinente termino à quo, nec potest ostendi fortitudo alicuius, nisi apposita persecutione alterius. Est ergo certum, quod ipsa priuatio, seu malum per se, & ratione sui non potest esse aliquid intentum, eo quod caret in se ratione formali, qua intendi potest, scilicet bono, omne enim quod intenditur & appetitur debet intendi, vt bonum & vt conueniens, ergo quod caret hac ratione formali, secundum se non intenditur, sed si intenditur, erit per aliud, quod ei adiungitur, & quo vestitur, vnde non primario & per se, sed secundario, & per accidens intenditur. Sed tamen hoc ipsum, quod per accidens seu per aliud habent, & ratione cuius intendi possunt non pertinet ad omne agens, nec ad omne intendens, quia non omne agens respicit rationes vniuersaliores, sed agens particulare tantum rationes particulares respicit non communes, & ideo prætermittuntur ab ipso, & solum, quia per accidens sunt illi rei coniunctæ ab eo attinguntur. At vero agens, quod respicit rationes communes & vniuersales, id quod respectu particularis agentis est per accidens attractum, & per se omissum, potest respicere vt conducens ad vniuersaliorem finem suum, & sic potest cadere sub eius intentione saltem secundaria.

Ex hac doctrina componuntur varia loca S.Th. quæ loquuntur de hac re, & veritas ipsa elicitur, quomodo corruptio per accidens se habeat, & quomodo possit esse intenta. Aliquando S.D affirmat corruptionem, & alios defectus cadere sub intentione secunda agentis vniuersalis, sicut 1.p.q.22.a.2.ad 2. *Corruptiones*, inquit, *& defectus in naturalibus sunt contra naturam particularem, sed tamen sunt de intentione naturæ vniuersalis in quantum defectus vnius cedit in bonum alterius, vel totius vniuersi.* Idem docet 3. contra Gentes, c.94. circa finem, & c.71. & omnino idem vult & non amplius in illa distinctione 36. citata, & q.23 de veritat. loquitur enim de natura absolutè, non distinguendo de natura vniuersali, vel particulari. Aliquādo vero affirmat similes defectus omnino esse volitos per accidens etiam à Deo, scilicet ratione eius boni cui coniunguntur, vt patet, 1.p.q.19 a.9. & in q.49. a. 2. vbi dicit: *Quod Deus in rebus causando bonum ordinis vniuersi ex consequenti, & quasi per accidens causat corruptiones rerum* Et denique in 3. contra Gentes, c.4.5. & 6. Videtur intendere, quod malum semper fit præter intentionem.

Hæc autem sic cohærent, quod defectus isti naturales secundum se sumpti sunt priuationes quædam & mala, secundum quam considerationem per accidens se habent tam respectu agentis particularis, quam vniuersalis; malum enim sub ratione mali non potest esse volitum, neque intentum, cum non sit appetibile, sed ab appetitu fugiendum, sed per accidens solum potest se habere respectu operantis, quatenus vel permittit illud, non quidem appetendo, sed non impediendo, vel in quantum par aliud appeti potest, idest, vt induit aliquam rationem boni, vel aliquem ordinem ad bonum, siuè ad bonum commune, siue ad bonum particulare, & sic potest cadere sub aliqua volitione, vel permissione intenta Hæc tamen intentio non spectat ad particulare agens, quia ad ip-

sum

ſum non ſpectat intendere niſi ſuum terminum ad quem,quidquid autem ex parte term ni à quo ſe tenet,nullo modo intenditur, ſed relinquitur, nec etiā ſecundariò,qu a vt ſecundario intendatur,debet ſecūdario ſe tenere ex parte termini ad quē;corruptio autem præcisè ſe tenet ex parte termini à quo reſpectu agentis particularis , ergo nullo modo poteſt cadere ſub eius intentione,ſed ſolum per accidens comparatur ad ipſum.At verò agens vniuerſale licet in quantum concurrit cum agente particulari ad ſuam generationem etiam reſpiciat corruptionem vt terminum à quo,tamen propter ſuam vniuerſalitatem poteſt ſecundum aliam rationem illud quod eſt terminus à quo attingere vt terminem ad quem , tanquam aliquid requiſitum ad bonum commune, etiā quoad ſui corruptionem, ſicut Deus qui omnem creaturam attingit,vt terminum ad quem , & ſolum pro termino à quo habet nihil,vnde dé omni creatura habet diſponere,ſiue quoad exiſtentiam, ſiuè quoad corruptionem , vnde corruptio reſpectu ipſius non ſe habet per accidens tanquam omiſſa, ſed poteſt eſſe intenta ſaltem ſecundariò, vt induit aliquem ordinem boni, & non purè vt priuatio ſe habet. De aliis vero defectibus,qui ex neceſſitate materiæ ſequuntur dicemus concluſione tertia.Et ſic concludit D.Th.1.q.19.art. 9.quod Deus malum naturalis defectus,vel malū pœnæ vult volendo aliquod bonum, cui coniungitur tale malum.Hoc eſt ergo eſſe de ſecundaria intentione, ſcilicet non poſſe intendi niſi præſuppoſito aliquo bono,quod in ſe res illa non habet, ſed ex aliquo cui ad ungitur.

Dices,ergo nulla eſt differentia inter malum culpę, & pœnæ reſpectu voluntatis,& prouidentiæ Dei, ſiquidem etiam ipſum malum culpæ ordinari poteſt ad aliquod maius bonum,puta ad humilitatem,vel pœnitentiam huius,& tamen D.Th.ibi ponit differentiam inter defectus naturales , & mala culpæ , quod malum culpæ Deus nullo modo vult , quia non vult bonum cui coniungitur plus quam ipſam Diuinā bonitatem cui contrariatur,malum autem pœnæ poteſt velle volendo aliquod bonum cui coniungitur.

Reſpond. eſſe latam differentiam inter malum culpæ,& pœnæ,quia licet importet priuationem, & defectum,qui non poteſt ordinari niſi ex coniunctione ad aliquod bonum , tamen quia priuatio mali culpæ opponitur ordinationi ad bonum Diuinum, non poteſt alicui bono cōiungi,ratione cuius poſſit eſſe volitum & ordinatum , quia omne bonum debet eſſe volitum per ſubordinationem ad Diuinum,Deus enim ſolum vult omnia ſub ratione Diuini boni,& ideo ſolum poteſt permitti tale malum, id eſt, non impediri à Deo , & ipſa permiſſio ordinari poteſt ad bonum. At verò malum pœnæ ſeu defectus naturalis nō opponitur bono Diuino,ſed alicui bono particulari,vnde poteſt induere ordinem ad aliquod bonum, quod magis præponderet,& diligatur,quam illud particulare bonum quod deſtruit & ita ratione huius ordinis,ſeu boni cui coniungitur , non repugnat intendi,& ordinari à Deo, & non ſolum permitti.

Dico tertiò. *Monſtra, & defectus alij naturales qui conſequuntur diſpoſitionem materiæ, ex qua aliquid generatur reſpectu agentis particularis , aliquando ſunt fortuita , & nullo modo intenta , aliquando ſecundariò volita ; reſpectu autem agentis vniuerſalis intenta eſſe poſſunt.* De hac concluſione videndus eſt S. D.in 3.cōtra Gent.c.5.vbi dicit: *Si ſit talis priuatio quæ priuat id quod eſt debitum generato , erit caſuale & ſimpliciter malum, ſicut cum naſcuntur partus monſtruoſi,hoc enim non conſequitur de neceſſitate ad id quod eſt intentum, ſed eſt ei repugnans , cum agens intendat perfectionem generati , malum autem actionis accidit in naturalibus agentibus ex defectu virtutis actiuæ.Vnde ſi agens habet virtutem defectiuam, hoc malum conſequitur præter intentionem,ſed non erit caſuale, quia de neceſſitate eſt cōſequens ad talem agentem cum tale agens , vel ſemper,vel frequenter patitur hunc virtutis defectum , erit autem caſuale,ſi hic defectus raro talem comitatur agētem.* ita D. Th. Quapropter agens particulare , quia ſolum bonum particulare intendit, & ſecundum formam particularem agit,tantum intendit facere ſuum effectum meliori modo quo poteſt,& ita ex intentione ſua ſolum datur perfectio effectus , & aſſimilatio perfecta.Quòd verò virtus eius ſit deficiens, vel materia ſit indebitè diſpoſita, hoc eſt præter intentionē eius primariam, eò quòd non pertinet ad formā ſuā tales indiſpoſitiones, vel defectus diſponere, & ordinare,ſed potius quantum poteſt remouere.Sed tamen ſi omnes remouere non poſſit, & tamen operatur & ſequitur defectus,aliquando ſequitur omnino præter intentionem talis agentis particularis, & ſic caſualiter ſe habent,ſicut ſunt illa,quæ vt in paucioribus accidunt,hæc enim caſualia ſunt,& omnino præter intentionem. Aliquando vero ſequuntur defectus non omnino præter intentionem, ſed ex intentione ſecūdaria , quæ potius eſt non recuſatio illius defectus, quam intentio poſitiua eius;vt quando ſunt defectus accidentes materiæ de neceſſitate vel perpetuo,ſicut artifex qui vult facere gladiū eligit materiam duram vt ferrum , & hoc per ſe , ſed quia rubigo ſequitur ferrum,& hæc non cōducit,ſed potius deficit ab eius fine,non eligit illam eſt primaria intētione,ſed quia non inuenit materiam conuenientem ſine tali defectu,eligit ex ſecundaria intentione materiam cum illo propter adiunctam duritiem, quæ conuenit ſuo fini ; & ſimiliter natura in corpore humano eligit materiam conuenientem operationi ſenſuum, & ſic debet eſſe compoſita ex contrariis, ſed quia ex illa cōtrarietate ſequuntur morbi & ſenium,& alij defectus illi ſunt præter intentionem generantis , ſed ex quo non inuenitur materia congrua ſine illis defectibus, eligit cum illis ſaltem ex intentione ſecundariâ, hæc enim quia conueniunt ipſi generato ex parte materiæ,& diſpoſitionum,quæ conſequuntur illam reſpici poſſunt ex parte termini ad quem vtpote conuenientes ipſi rei genitæ ex neceſſitate materiæ, ex qua formatur,ideò poſſunt pertinere ad intentionem ſaltem ſecundariam , quia ſunt de neceſſitate conſecuti ad materiam electam , eligitur enim cum talibus conditionibus quia non eligantur illæ conditiones,ſed quia non recuſantur , & ita aliquo modo attinguntur ſecundariò. Et hac etiam ratione fœmina dici ſolet aliquid occaſionatum , quia eſt præter intentionem particularis agentis , quod intendit meliorem effectū quem poteſt, ſcilicet maſculum , quod vero ſequatur deficientior,ſcilicet fœmina,eſt præter eius intentionem propter indiſpoſitionem materiæ , vel virtutis actiuæ,vt docet S.Thom 1.p.q.92.a.1. ad 1.& 3.cont. Gent.c.94.& q.5.de Verit.art.9 ad 9.

At verò reſpectu agentis vniuerſalis , ſcilicet Dei nihil horum præter intentionem , quia reſpicit fines vniuerſaliores,& ordinem totius boni communis, ad cuius varietatem,& conſtructuram pertinēt etiam ea, quæ reſpectu particularium videntur imperfecta vel defectuoſa, aut monſtruoſa,ſicut quod fœminæ ſint, eſt neceſſarium,propter hominum multiplicationem, & multiplex operatio & virtus naturæ apparet etiam quando erratur in diſponenda materia , & eueniunt monſtra,ſicut multæ ſpecies rerum manifeſtantur ex commixtione monſtruoſa ſeminum in piſcibus & in animalibus, & aliis ſimilibus, quæ omnia non intenduntur

duntur à Deo solùm propter necessitatem materiæ ad quam consequuntur illi defectus, sed propter bonum commune, quod manifestatur, & coalescit etiam ex illis rebus quę solum ex aliquo præsupposito, & per accidens, seu per aliud habent rationem boni.

Ex quibus responderi potest ad quascumque obiectiones, quæ fieri solent, ex eo quod peccata, & mala & defectus non intenduntur, id enim iam solutum est ex prædictis, & ostensum est quomodo aliqua possunt cadere sub intentione saltē secundaria, quia ex parte rei genitæ se tenent, licet ab agente particulari solum intendatur propter necessitatem materiæ, ab agente autem vniuersali propter conducentiam ad bonū cōmune. Ostensum est etiam quomodo aliqua relinquātur per accidens, & permittantur, sicut corruptio res- pectu agentis particularis, quia tenet se ex parte termini à quo & auersio à bono Diuino in peccato, quia nunquā subordinabilis est bono Diuino, sub quo Diuina voluntas omnia attingit. Denique constat quomodo materia inclinetur ad corruptionem, scil ratione generationis, vt scil. possit potentialitatem ad omnes formas implere. Vnde materia etiam singularis, & indiuidua considerata secundū potentialitatem communem ad omnes formas, & vt subest agenti vniuersali, qui eā creauit, potest intendere secundariò corruptionem, quia ad bonum eius pertinet secundariò, & propter successionē formarū. Eadē vero materia, vt subest tantū vni formæ, & agēti particulari, quod illā tantum formam intendit, non respicit corruptionem nisi per accidens, & ex parte termini à quo.

QVÆSTIO III.

De Alteratione in communi.

POST *explicatam rationem generationis, & corruptionis, sequitur agere de alteratione, quæ illi maximè propinqua est, magisque deseruit. Et* Primò, *consideranda est alteratio in communi, prout comprehendit sub se simplicem motum alterationis, intensionem, & remissionem, aliósque alterationis modos, seu actiones, quæ per alterationem fiunt, vt mixtio, & condensatio, & similia.* Secundò, *in speciali considerabimus de istis speciebus alterationis.*

Circa primum *tria occurrunt consideranda.* Primò, *de alteratione quid sit.* Secundò, *ad quem terminum sit.* Tertiò, *an sit motus continuus. De subiecto autem alterationis communis est quæstio, ac de cæteris accidentibus, & ideo* in quæst. 9. *tractabitur à nobis.*

ARTICVLVS I.

Quid sit Alteratio, & quotuplex?

ALTERATIONIS nomen ab altero deriuatur, dicitur enim quasi faciens alterū. Sicut autem dicitur *in c. de differentia*, aliud est esse alterum, aliud esse aliud. Nam ly, *alterum* indicat differentiam accidentalem, ly *aliud*, substantialem. Et ita possumus nomen alterationis communissimè accipere pro omni mutatione accidentali in quocumque genere accidentis, sed non loquimur in præsenti de alteratione, ita vniuersaliter sumpta. Strictius ergo sumitur pro mutatione in qualitate, nam in quantitate, & loco, peculiares mutationes sunt, scil. augmentatio, & motus localis: in qualitatibus autem maximè aliquid fit alterum, præsertim quando per illas ordinatur ad aliquam corruptionem, corruptio enim maximè facit alterum. Vnde adhuc sumendo totū prędicamentū qualitatis, oportet distinguere, quòd quædā sunt spiritua-les, quædam corporeæ; & quædā naturales, quædā intentionales; quædam contrarietatē habentes, quędam non. Et illæ quæ sunt spirituales, vel intētionales, vel contrarietatē non habentes, ad physicā corruptionē, vel generationē nō ordināntur, & ideò licet possint latiori nomine alterationes dici, nō tamē dicuntur alterationes physicæ, de quibus præcipuè agimus in præsenti, quia ad corruptionem, & generationem non ordinantur.

Circa qualitates autem etiam contrarietatem habentes duplici via procedi potest, vel per modū mutationis, vel per modum motus; per modum mutationis, quando proceditur à priuatione ad formam, vt à non albo ad album, quæ est generatio accidentalis, & tunc non est à contrario in contrarium, licet qualitas ipsa habeat contrarium; per modū motus quando proceditur à termino positiuo ad terminum positiuum secundum latitudinem, & distantiam de vno ad aliud, hanc enim dari in qualitatibus manifestum est, vt ostendimus in q. 19. Physicorum, sicut calor & frigus, albedo & nigredo, & alia similia, & tūc est vera contrarietas; & similiter penes magis & minus in eadem qualitate datur positiua distātia, & latitudo à positiuo in positiuum, & totum hoc fit eodem subiecto sensibili manente, ergo habet omnes conditiones requisitas ad motum strictè dictum, vt distinguitur à mutatione; & de hac præcipuè agimus in præsenti.

Hoc supposito, alteratio ista quæ est motus sic diffinitur ab Arist. in hoc primò lib. textu 23. *Quòd alterat o est quando manente subiecto sensibili transmutatur in eius passionibus, aut contrariis motibus medii s.* Ex quo

quo aliqui sic eliciũt definitionem alterationis, *quod alteratio est motus ad qualitatem sensibilem mediā, aut extremam*, seu ad qualitatem habentem latitudinem contrarietatis. Dicitur *motus* ad excludendas mutationes instantaneas, inter quas præcipua est ipsa generatio Dicitur *ad qualitatem*, ad excludēdum alias species motus, quæ versantur circa qualitatem, vel locum. Dicitur *qualitatem sensibilem*, ad excludendum motus, qui fiunt circa qualitates spirituales vt circa habitus, vel actus. Dicitur *mediam vel extremam*, id est, contrarietatem & latitudinem habentem ad excludendum eas qualitates, quæ contrarietatem non habent vt lux, figura & aliæ similes. Quare licet aliæ mutationes ad qualitatem, largo modo dici possint alterationes, & ad eas reducantur, propriè tamen alteratio respicit qualitates contrarias, & corruptiuas, eo quòd ex natura sua alteratio seruit generationi, & corruptioni, vt instrumentũ eius, versaturq; circa qualitates deseruientes generationi, & corruptioni, quæ sunt qualitates contrariæ; & ita Arist. in hoc lib. lect. 2, apud D. Thomam facit hanc consequentiam contra antiquos Philosoph. quod si est impossibile ex aqua fieri ignem, & ex vno elemento aliud, etiam erit impossibile ex albo fieri nigrum & similiter ex aliis qualitatibus, & sic destructa generatione destruitur alteratio, ergo alteratio ordinatur per se ad generationem. Quare rectè D Th. in 3. dist. 15. q. 2. a. 1. q. 1. colligēs omnes conditiones alterationis inquit: *Quòd ad hoc quod alteratio requiritur ex parte alterati, quod sit res per se subsistens, aliter enim subiectum motus esse non potest. & quod sit corpus, quia solū tale mouetur, & quod habeat naturam contrarietati subiectam, quia alteratio est motus inter contrarias qualitates.* Ex parte verò terminorum requiritur, quòd vna qualitate expulsa, alia introducatur, sic enim de qualitate in qualitatem transitur.

Ex his ducitur differentia alterationis à generatione, & à reliquis motibus. Differt enim à reliquis motibus ex parte termini, quia augmentatio est ad quãtitatem, motus localis ad vbi A generatione vero substantiali differt, & ex parte termini, quia est ad substantiam, & ex parte subiecti, quia subiectũ generationis est materia prima, alterationis verò subiectum sẽsibile, seu materia informata, & ex parte mutationis, quia generatio est instanea, alteratio verò successiua, & ex parte termini à quo, quia generatio est à priuatione, alteratio à termino positiuo, & contrario. Differt denique à generatione secundùm quid, quia ista non fit per motum, neque à termino positiuo, sed priuatiuo, sicut cum album fit ex non albo.

Sed obiicies, ad probandum quòd alteratio non ordinatur per se ad generationem, nam productio albedinis, & aliorum colorum est vera alteratio, & non ordinatur per se ad generationem substantialem. Similiter acquisitio figuræ, & illuminatio, & obscuratio sunt alterationes, nec tamen ordinantur per se ad generationem substantialem. *Confirmatur*, quia aliàs si non esset possibilis generatio substantialis, non esset possibilis alteratio, siquidem essentialiter ordinatur ad illam, consequens est falsum, ergo: *Minor probatur*, quia alteratio non pendet per se à mutatione substantiæ, licet pendeat à substantia vt à subiecto, vt patet in rebus incorruptibilibus, vt in cœlo, in corporibus beatis, & in damnatis post diem iudicij, in quibus non est possibilis generatio, & corruptio, & tamen dabitur alteratio vt in cœlo illuminatio, & obscuratio, addensatio, & rarefactio, quædam enim partes cœli sunt densiores, aliæ rariores, imò & confractio dari poterit, cum locutio à beatis in cœlo fieri non possit, nisi per confractionẽ ipsius corporis cœlestis, vt D. Thomas admittit in 2. dist. 2. q. 2. a. 2. neq; enim ibi est aër, qui confringatur, quando formatur vox, neque illa formari poterit sine aliqua addensatione corporis confracti, quia pars diuisa non penetratur cum alia, sed condensatur In corporibus beatis erit respiratio, locutio, tactus, & gustus, quæ sine alteratione non fiunt. In damnatis erit calefactio, & frigefactio, quibus cruciabuntur, ergo dabitur alteratio sine ordine ad generationem. Denique si homines essent ab æterno, non posset in eis esse generatio, vt probauimus in 8. Physicor. & tamen in eis daretur alteratio, quia nutrirentur, & respirarent, & loquerentur, &c. ergo non omnis alteratio per se ordinatur ad generationem.

Resp. alterationem quæ est motus, & versatur inter contraria, per se ordinari ad generationem, vt dictum est. Et *ad probationem in contrarium*, quòd attinet ad albedinem, & alios colores *dicimus*, quod licèt immediatè non deseruiant ad generationem tanquam dispositiones actiuæ illius, ordinari tamen possunt mediatè, & in sua causa, eò quòd isti colores causantur ex temperie primariarũ qualitatum, quæ ad generationem, & corruptionem immediatius conducunt, & ideò colores vt ex talibus qualitatibus consecuti, etiã ordinantur mediatè ad generationem, & in sua causa. Acquisitio autẽ figuræ aliquãdo fit mediante alteratione, vt cum ex rarefactione, vel condensatione, vel ex alia qualitate partes ita mutãtur, vt figuram amittant & mutent, & tunc talis acquisitio figuræ mediatè pertinebit ad alterationem, & eo modo etiã ordinabitur ad generationem. Aliquando verò contingit mutatio figuræ per solum motum localem, vt cum per diuisionem, vel coniunctionem partium per motum localem fit noua terminatio quantitatis, & resultat noua figura, & tunc cum non sequatur ad alterationem, nec ordinabitur per se ad generationem. De illuminatione autem, & obscuratione iam diximus non esse alterationem strictè dictã, sed largo modo, & sic non ordinatur per se ad generationem sicut alteratio, quæ est per se inter contraria physica.

Ad Confirmationem negatur min. nec enim alteratio solùm requirit substantiam tanquam subiectum, sed etiam requirit mutationem substantiæ, quia est initium quoddam substantialis mutationis, eò quòd substantia dependet in sui conseruatione, ab accidentibus vt à dispositionibus, vnde remotio dispositionũ est inchoatio corruptionis. *Ad probationem respondetur*, quòd in cœlo non datur alteratio strictè dicta, quæ est inter contraria, illuminatio enim & obscuratio non est de se alteratio corruptiua, licet per accidens in rebus inferioribus, quatenùs dependent ab influentiis cœli, quæ agunt mediantè lucè, consequatur ex illis alteratio qualitatum corruptiuarum in istis corporibus, Addensatio autem, & rarefactio in cœlis non datur, licèt enim quædam partes inueniantur densiores, scilicet stellatæ, aliæ rariores, scilic. diaphaneæ, tamen hoc habent ab initio suæ creationis, sicut alia accidentia propria, non autem modo acquiũt illam per alterationem.

Ad id quod adducitur de corporibus Beatorum, *respondetur*, omnia illa fieri sine motu alterationis, nã respiratio, & locutio fit per motum localem emittentis aërem, & ferientis; nec respiratio Beatis necessaria erit propter cordis refrigerationem vt temperetur calor, sicut in nobis, quia corpora illa cum sint incorruptibilia, per alterationem caloris non immutantur. Ad locutionem autem sufficit aërem ferire & motu locali diuidere. Quomodo autem hoc fiat in cœlo, valdè difficile est apud Theologos, supposita cœli incorruptibilitate, de qua in libris de cœlo. Quod enim ex D. Th. affertur, de confractione cœlestis corporis in locutione Beatorum, non dicit id D. S. ex

propria

propria sententia, sed supposita opinione aliorum, quod in cœlo potest esse addensatio,& rarefactio,quā tamen dicit æquiuocè conuenire cœlo. *Probabilius tamen videtur* formandas esse voces in aëre existente in faucibus, & ore Beatorum de quibus Psal. 149. *Exaltationes Dei in gutture eorum*,nec est inconueniēs quòd aliquis aër inclusus in corporibus Beatorum ascendat super cœlum,licèt elementalis sit,sicut corpora ipsa Beata virtualiter continent elementa, quia mixta sunt, ille autem aër licet sit incorruptibilis sicut & alia corpora elementalia post diem iudicij, ex defectu motus cœli, poterit tamen addensari, aut rarefieri per compressionem, aut dilatationem partium factam per motum localem sine alia alteratione,sicut etiam si tunc moueatur aqua,partes eius comprimentur sine addēsatione alteratiua,vel latiùs explicabimus infrà q.7. Formata autē voce in illo aëre deferetur ad auditum alterius Beati per cœlum tanquam per medium secundum species intentionales,non secundùm alterationem physicam, vel fractionem corporis cœlestis per sonum. Reliquæ alterationes in corporibus Beatis circa passiones, & sensationes erunt solum actiones animales sensuum penes species intentionales vel actus elicitos,non autem alterationes naturales& corruptiuæ,vt docet D.Th.in 4.dist.44. q.2.art.1. q.1.ad 3.

De corporibus damnatis dicimus,quòd patientur nō per alterationem naturalem,quæ tunc omnino cessabit cessante primò alterante,quod est motus cœli, in cuius virtute alia inferiora alterant, sed alteratione intentionali per amissionem specierum,quæ tunc nō cessabit,quia non dependent à motu cœli,sed à luce, & aliis qualitatibus intentionalibus, ita ignis inferni per species tangibiles maximam sensationem sui causabit in illis corporibus de quo videatur D. Tho. in 4.distinct.44 quæst. 3.art.1.quæst.2.& 3. De homine creato ab æterno dicimus quod sicut careret generatione per tempus infinitum,ita &motu alterationis per idem tampus carere deberet, & mutatione, quæ aliqua generatione fit.

Denique obiicies, nam qualitas habet essentiam simplicem consistentem in indiuisibili, ergo secundū suam essentiam non potest terminare motum,qui diuisibilis est,sed mutationem,solùm autem poterit terminare motum ratione alicuius gradus secundū magis,vel minus,quod non pertinet ad alterationem,vt alteratio est, sed vt intensio, vel remissio. *Antecedens autem manifestum est*, quia qualitas habet speciem constantē ex genere,& differentia,quæ quolibet addito vel subtracto variatur: ergo ipsa in indiuisibili consistit.

Respondetur,quod vt dicit D.Thom.1.2. quæst.52. art.1.qualitas seu forma potest dupliciter considerari. Vno modo secundùm se. Alio modo in ordine ad subiectum, non quod in re forma sit sine subiecto, sed quia est diuersa consideratio formę,vel secundùm se absolutè, vel comparatiuè ad subiectum. Et primò modo species eius,& essentia dicitur indiuisibilis, secundo verò modo habet diuisibilitatem, ratione cuius potest fieri per motum. Hoc autem benè intelligitur respectu intensionis,& remissionis,quæ, vt dicemus quæstion. sequenti, conuenit qualitatibus per comparationem ad subiecta; respectu tamen ipsius qualitatis vt absolutè,& entitatiuè acquiritur videtur currere difficultas proposita quomodo acquiratur per modum diuisibilem forma indiuisibilis in sua specie, & essentia. *Respondetur ergo*, quòd quando ipsa species alicuius rei essentialiter importat contrarietatem & distantiam seu latitudinem respectu alterius oppositæ, tunc licèt formaliter consistat in indiuisibili, quatenus omnia prædicata essentialiter illi conueniunt, & in hoc modo conueniendi non potest aliquod addi vel subtrahi,comparatiuè tamen ad oppositum terminum, latitudinem & contrarietatem fundat,& admittit transitum non solum de priuatione ad aliam:cuius signum est,quia per additionem seu commixtionem vnius formæ cum alia fit variatio speciei, & resultat forma aliqua intermedia vel plures intermediæ,quæ latitudinem & distantiam constituunt inter extremas. Ratione ergo huius latitudinis,& contrarietatis inter aliquas formas, per motum diuisibilē acquiri qualitas,quæ licèt sit indiuisibilis in ipsa formali ratione constituendi speciem,& essentiam suam absolutè,comparatione tamē ad suū oppositum,habet modum acquisitionis diuisibilem. Et quia ista oppositio & contrarietas exercetur inter formas per comparationem ad subiectum,ideo adhuc respectu acquisitionis qualitatis per alterationem, saluatur dictum D Th.quod qualitas est indiuisibilis secundùm se absolutè, diuisibilis autem per comparationem ad subiectum, prout scilicet in illo exercetur contrarietas.

Circa secundum punctum,scilicet quotuplex sit alteratio. *Respondetur*. Alterationem esse motum genericum ad tres species motus alteratiui, scilicet *simplex alteratio,intensio,& remissio*. *Simplex alteratio* respicit ipsam substantiam qualitatis,vt motu acquirendam, scilicet ex aliquo contrario positiuo. *Intensio* respicit augmentum qualitatis penes maiorem gradum, seu magis perfectum, *Remissio* autem minorationem penes gradum magis imperfectum. Et hoc ideò est,quia inuenitur triplex modus latitudinis, & distantiæ in qualitate; potest enim considerari latitudo, vel inter diuersas species quantitatis, vel intra eandem. Inter diuersas,vt inter calorem & frigus,& alias contrarias qualitates, & sic processus ex vna ad aliam fundat motum simplicis alterationis. Intra eandem autem speciem inuenitur maior vel minor participatio eiusdem qualitatis in subiecto, quæ diuersam graduationem, & latitudinem constituit penes magis vel minus, ergo diuersus motus fundatur procedendo à minori ad maiorem gradum per augmentum; & à maiori ad minorem per decrementum,& primum vocatur intensio, secundum remissio.

Quod si dantur aliæ species alterationis,vt *Mixtio, Addensatio & Rarefactio*, & aliæ similes; oportet aduertere, quod istæ non sunt species diuidentes alterationem secundum formalitatem motus, id est, secundùm diuersum modum latitudinis & distantiæ, sed secundum specificationem desumptam ex parte termini, ad quem, sicut addensatio, quia producit densitatem, & rarefactio raritatem, & mixtio qualitatem temperatam,differunt inter se, sicut etiam differt calefactio & frigefactio, & aliæ alterationes ex parte diuersorum terminorum à quibus specificantur, licet quia mixtio & addensatio & rarefactio communiores sint & specialiorem habeant difficultatem, ideo specialiter de eis tractatur in hoc opere.

Dices; cur similiter non dabitur triplex species motus in quantitate, scil.ad quantitatem secundùm se & ad augmentum eius, & ad decrementum, & similiter in motu locali ad vbi secundum se, & ad ascensum & descensum. *Si dicatur*, quòd vbi semper acquiritur sub aliquo modo situationis,vel rectè, vel circulariter vel curuè, & ideo ad vbi seorsum non datur motus. *Contra est*,quia etiam qualitas nunquam acquiritur nisi sub aliquo gradu vel intenso, vel remisso, ergo similiter non requiritur distinctus motus

motus ad qualitatem, & ad intensionem vel remissionem eius. *Confirmatur*, quia in qualitatibus inuenimus alios motus, præter tres istos scilicet motum extensionis erga diuersas partes in qualitatibus corporeis, vel erga diuersa obiecta in aliquibus habitibus, ergo non est ista diuisio adæquata.

Respondetur, esse diuersam rationem de quantitate & qualitate, tum quia quantitas non habet partes contrarias inter quas fiat transitus de vna ad aliam per motum, quia species eius sunt linea, superficies, & corpus, inter quas non est contrarietas, neque motus transeundo de vna ad aliam, imò omnes per se requiruntur in qualibet parte cōtinui: tum etiam quia quātitas quando primò producitur, consequitur ad materiam seu ad substantiā corpoream per modū dimanationis; quando verò præsupposita aliqua quantitate, alia pars superadditur vel tollitur iam est augmentatio vel diminutio, & sic non est locus motui ad quātitatem secundùm se: tum denique, quia omnis motus physicus supponit quantitatem, cum fiat secūdùm contactum, & diuisibilitatem, ergo supponit subiectū diuisibile & tangibile, quod quantitatem importat. Similiter dicitur de vbi, quod est diuersa ratio, eò quòd intra idem vbi non datur latitudo, & distantia vt fiat maius vel minus in ratione loci, eò quòd locus adæquatus est locato, & sic nisi locatum crescat vel decrescat, non crescit locus, augmentum decrementum autem vel locati non pertinet per se ad motum localem, vt acquisitiuus est talis vbi. Solum ergo datur latitudo & distantia inter vnum & aliud vbi, seu inter diuersa loca. At vero in qualitate non solùm datur latitudo inter duas qualitates contrarias, sed etiam intra eandem potest crescere magis vel minus, & sic oportetet, quòd detur motus intensionis & remissionis in eadem qualitate & simplicis alterationis inter diuersas.

Ad Confirmationem respondetur, quod motus ille, quo extenditur qualitas aliqua per subiectum, non est motus distinctus ab aliquo ex prædictis, cum enim ista extensio fiat per multiplicationem seu productionem similis qualitatis, non per transitum de subiecto in subiectum extensio illa qualitatis ad distinctam partē subiecti, perinde se habet, ac nouæ qualitatis productio, quæ si fiat de contrario in contrarium erit alteratio, quæ est motus, si de priuatione ad formam erit generatio accidentis per modum mutationis. At vero quādo qualitas aliqua extenditur ad noua obiecta, vt fit in habitibus inuenitur diuersa difficultas in attingendo vnum obiectum inadæquatum, quàm aliud, hoc non fit per alterationem physicam & strictè dictam, de qua agimus in præsenti, sed est alteratio largo modo loquendo, quæ fit per actionem intentionalem, vel appetitiuā, quatenus ex parte ipsius habitus, & non solum ex parte operantis, vel applicationis materiæ datur distincta difficultas in attingendo vnum obiectum, quàm aliud. Et in aliquorum sententia hoc non fit secundùm perfectionem eiusdē qualitatis, sed secundùm additionem formalem, & aggenerationem habitus partialis ad habitum præëxistentem, & tunc non est alia difficultas in extensione istius qualitatis, quàm in extensione, quæ fit per diuersas partes continui, vtrobique enim producitur noua pars qualitatis, licèt extēsio habituum versetur circa diuersa obiecta indæquata, verbi gratiâ, circa diuersas conclusiones intra eandem scientiam. In sententia verò Sanct. Thom. 1. 2. quæstion 54 articul. 4. quam explicauimus in Logica, quæstion. 27. articul. vltim. per hanc extensionem non fit noua additio formalis per productionem nouæ entitatis & qualitatis, sed est virtualis additio, quatenus eadem qualitas seu habitus sub eadem ratione formali magis explicatur & extenditur ad obiectum, ad quod antea non se extendebat, quod est nouum modum perfectionis acquirere, non nouam entitatem, ideóque talis motus, cum non sit alteratio propriè dicta, non est mirum, quod non constituat speciem distinctam, sed reducitur ad intensionem, licèt non sit intensio penes magis vel minus circa idem sed penes extensionem eiusdem circa inadæquata obiecta.

ARTICVLVS II.

Ad quas species qualitatis detur per se alteratio?

DE hac difficultate agit Aristot. 7. Physicorum capite 3. ibique à pluribus disputatur, hic tamen videtur esse proprius eius locus, vbi de alteratione ex professo agitur.

Supponendum est ergo, in prædicamento qualitatis inueniri quatuor species, seu quatuor diuisiones specierum, quas in Logica quæst. 18. explicauimus, scilicet habitum, & dispositionem, potentiam & impotētiam, passionem, & passibilem qualitatem, figuram & formam, de quibus ibi videri potest, & inquirimus, quænam ex istis speciebus sint capaces terminandi primò & per se alterationem.

Deinde suppono; quod dari alterationem primò, & per se ad aliquam qualitatem, nihil aliud est, quam alterationem ita attingere aliquam qualitatem tanquam terminum, quod non mediet aliqua qualitas vel aliquis alius terminus, ad quem prius talis actio terminetur, tunc autem datur motus secundario ad aliquam qualitatem quando per aliud immediatius attactum mediatè, & secundariò aliud attingitur, sicut verbi gratiâ, attingendo & immutando calorem, vel frigus, tanquam terminum immediatum, attingitur sanitas, vel ægritudo tanquam resultans ex temperamento frigoris, vel caloris, & sic inquirimus, an omnes istæ species qualitatis, vel solum aliqua sit id, quod immediatè, & per se ab alteratione attingitur, an verò solum aliqua ex his possit immediatè attingi, aliæ vero secundariò, & mediatè, & si solum aliqua immediatè terminat alterationem, quænam illa sit.

Sit vnica Conclusio. *Alteratio Physica secundùm quod de illa loquimur in præsenti solum est ad tertiam speciem qualitatis per se primò, id est, ad passionem, vel passibilem qualitatem.* Et Aristot. citato loco 7. Physicor. vbi etiam videri potest Sanct. Thom. & 1. de Generat. lect. 10. & in 1. 2. quæstion. 52. articul. 1. ad 3. Et loquimur de alteratione physica, vt excludamus alterationem latè sumptam, quæ etiam comprehendit instantaneas mutationes, & actiones spirituales, vel animales, quæ circa habitus vel actus versantur, nec ordinantur ad generationem, & circa hæc potest dari alteratio latè sumpta, quæ est productio qualitatis. Et dicimus primò, & per se, quia secundariò, & ex consequenti benè potest dari alteratio physica circa aliquos habitus, vel dispositiones, quæ sunt primæ speciei. *Fundamentum huius sententiæ est duplex. Primum*, quia alteratio physica vt dictum est per se, & essentialiter ordinatur ad generationem substantialem, & ad corruptionem, generatio autem substantialis, & corruptio exigit contrarietatem in dispositionibus, siquidem per contra-

rietatem diſpoſitionum fit expulſio, & introductio formarum oportet ergo, quòd alteratio deſeruiens generationi primò, & per ſe tendat, ad qualitates cōtrarias, ſed contrariæ qualitates cōtrarietate phyſicā, primò, & per ſe inueniuntur in tertia ſpecie qualitatis, vt patet, tū in qualitatibus, quę ſunt primò contrariæ, vt calor & frigus, ſiccitas & humiditas, quæ ſunt qualitates tertiæ ſpeciei, & ſimiliter qualitates, quæ ex iſtis reſultant tanquam qualitates mediæ, & contrarietatem inter ſe habentes, quæ omnes ad tertiam ſpeciem pertinent: tum etiam quia qualitates iſtæ, quæ habent phyſicam contrarietatē primò & per ſe, faciunt tranſmutationem ſubiecti, quod maximè ex contrarietate qualitatum tranſmutatur, & ſimiliter per ſe immutant ſenſus ſecundum contrarietatem quā inducunt, ergo per ſe habent inducere paſſionem tranſmutantem ſubiecta, vel ſenſum, & hoc eſt quod conſtituit tertiam ſpeciem qualitatis, quæ idcirco dicitur paſſio, vel paſſibilis qualitas, quia vel tranſeũter, vel permanenter tranſmutat ſubiectum, & immutat ſenſum, & vt dicit S.Th. 1.p.q.97.a.2. paſſio propriè dicta eſt, per quam aliquid à ſua naturali diſpoſitione remouetur. Ergo alteratio quæ primò & per ſe verſatur circa qualitates phyſicè contrarias, vt ita ordinetur ad generationem, directè ſolum reſpicit tertiam ſpeciem qualitatis, quæ per ſe primò facit tranſmutationem in ſubiecto, & in ſenſu per paſſionem.

Secundum fundamentum ſumitur ex Phil.7. Phyſic. c.3. diſcurrentis per omnes ſpecies qualitatis, in quibus non datur alteratio phyſica primò & per ſe *Breuiter autem probatur*, quia habitus, vel diſpoſitiones aut ſunt ſpirituales, ſeu vitales & pertinentes ad potentias apprehenſiuas, ſiue appetitiuas, aut ſunt purè corporales, vt ſanitas ſeu pulchritudo. Si primò modo ſe habent non pertinent ad præſens, quia non acquiruntur per alterationem phyſicam, de qua loquimur in præſenti, ſed per actionem ſpiritualem, vel animalem, licèt præſuppoſitiuè aliqua alteratio primarum qualitatum etiam ad iſtas diſpoſitiones, ſeu habitus prærequiratur, in eo videlicet, in quo appetitus, vel phantaſia ab aliqua diſpoſitione organorum dependet, quæ fit per corporales qualitates. Si verò habitus & diſpoſitio fit purè corporalis, etiam non poteſt primò & per ſe acquiri per alterationem, quia tales diſpoſitiones important conuenientiam aliquā, vel diſconuenientiam ad ſubiectum ortam ex aliquo temperamento primarum qualitatum, ſicut patet in ſanitate & pulchritudine, ergo prius terminatur alteratio ad illas primas qualitates, & mediatè ad ſanitatem, vel pulchritudinem. Et in hoc conſiſtit vis probationis Ariſt. in loco citato, dum dicit, quòd ad habitum & diſpoſitionem non datur per ſe alteratio, quia ſe habent ad aliquid, non autem datur motus per ſe primò in ad aliquid, vt probatur in 5. Phyſic. quod non eſt ita intelligendum quaſi diſpoſitio, & habitus conſiſtant in relatione prædicamentali, quæ ſola non poteſt terminare motum per ſe: in hoc tamen parificantur relationi prædicamentali, quia ſicut relationes conſequuntur ex fundamento, & ideo ad ipſum fundamentū terminatur motus per ſe primò, ad relationē autem conſecutiuè, ita quia diſpoſitiones iſtæ corporales reſultant ex debita commenſuratione, vel proportione qualitatum, id quod primò attingitur per alterationem, erit qualitas illa vt proportionata, vel attemperata, conſecutiuè autem ipſa diſpoſitio conueniens, vel diſconueniens.

Quod attinet ad ſecundam ſpeciem qualitatis, ſcilicet potentia & impotentia, conſtat, non terminare primò & per ſe alterationem, non ſolum in potentiis ſpiritualibus quas non attingit phyſica & corporalis alteratio, ſed etiam in potentiis naturalibus, tum quia non inuenitur, in potentiis latitudo contrarietatis ſicut nec inuenitur magis, vel minus ratione ſui præciſè, tum quia potentiæ ſunt principia innata, tanquam propriæ paſſiones ab ipſa natura dimanantes, ergo nō acquiruntur per alterationem primò & per ſe, ſed ad generationem conſequuntur. De hoc tamen vide quæ dicimus q. ſeq. a. 1.

Denique in quarta ſpecie ſcilicet figura, & forma, non datur per ſe primò alteratio phyſica, tum quia figura non admittit latitudinem contrarietatis, ſed habet ſe ſicut numerus, quia quolibet addito, vel ſubtracto variatur, & ſic latitudinem non habet: tum quia figura reſultat ex terminatione quantitatis, & ita aliquando producitur ad ipſam quantitatis productionem in ipſa prima generatione rei, vt cum aliquis naſcitur cum tali, vel tali figura; aliquando verò reſultat ex diuiſione quantitatis, & tunc etiam non terminat alterationem, aliquando denique ex alteratione aliqua conſequitur, vt ex nimia denſitate, vel raritate, aut aliquo ſimili, figura ipſa mutatur, & tunc non primo, & per ſe terminat alterationem, & ſed terminatur alteratio primò & per ſe ad illam qualitatem, ex qua conſequitur mutatio in terminatione quantitatis.

Dices; diſcurſum hunc nimium probare, ſequitur enim ex illo, quod ad aliquas qualitates medias, quæ reſultant ex primis, non poſſit dari alteratio primò & per ſe, ſicut ad calorem viridem, vel rubrum & alias qualitates, quæ ex frigore & calore reſultant, & tamen pertinent ad tertiam ſpeciem qualitatis vt denſitas & raritas, aliáque ſimilia, ad quę tamen datur per ſe primò alteratio.

Reſp. eſſe diuerſam rationem, quia iſtæ qualitates ſecundæ, quæ reſultant ex primis etiam per ſe alterationem terminare poſſunt, nec eodem motu attinguntur primò & per ſe terminato ad aliam quallitatem, & ſecundario ad ſe, ſed requirunt diſtinctum motum præter illum, qui terminatur ad primas qualitates, tū quia aliquando fiunt ſine alteratione erga illas, ſicut cum aliquid dealbatur, vel denigratur non præcedēte aliquo frigore vel calore; tum quia quando fiunt iſti colores ex temperie primarum qualitatum, fiunt per mixtionem, ſicut aliæ qualitates ſecundæ, in mixtione autem corrumpuntur qualitates miſcibiles, & ſic fit vna tertia, vnde neceſſe eſt, quod alteratio non ſiſtat in qualitatibus primis, vt in termino, conſecutiuè autem reſultent ſecundæ, ſed potius, quod deſtiuātur primæ, & tanquam ad terminum ad quem tendat alteratio ad ſecundam quę eſt mixta ex illis, & ideò per ſe datur alteratio ad illam. Secus eſt in diſpoſitione corporali vt in ſanitate, quæ non eſt qualitas mixta ex corruptione, ſeu mixtione primarum reſultās, ſed ex proportione, & commenſuratione, ſanitas enim calorem non corrumpit, nec frigus, ſed commenſurata habet.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur* ad probandum dari per ſe alterationem ad primam ſpeciem qualitatis, nam quando acquiritur ſanitas, vel puchritudo, aliquo ſpeciali motu, ſeu mutatione acquiritur, alia eſt enim mutatio de ægritudine ad ſanitatem, quæ eſt ſanatio, quam à frigore ad calorem, quæ eſt calefactio; inuenitur etiam diuerſa contrarietas inter ægritudinem & ſanitatem, quam inter calorem, & frigus & diuerſus terminus à quo & ad quem; ergo dantur omnia requiſita vt dētur diſtincti motus, præſertim, quia illa mutatio ſeu actio,

actio, quæ identificatur cũ sanitate, non identificatur cum calore, & talis motus, seu mutatio, vt ad sanitatem præcise non est nisi alteratio, nec ad aliam speciẽ motus pertinere potest, ergo datur alteratio per se primò ad primam speciem qualitatis, saltem eo modo quo ad qualitates secundas, seu mixtas datur alteratio, licet resultent ex primis. *Et Confir.* quia in prima specie qualitatis datur proprie & per se intensio, & remissio, ergo & alteratio, siquidem intensio & remissio sunt species alterationis, vt a. præced. diximus. Datur etiam in illa vera contrarietas, vt inter errorem, & scientiam, vitium & virtutem, sanitatem & ægritudinem, vbi autem est contrarietas primò & per se, ibi est fundamentum motus primò & per se.

Resp. negando, quòd si diuersa mutatio formaliter ad ægritudinem vel sanitatem quam ad primas qualitates, ex quarum proportione, vel disconuenientia consurgunt; & illa contrarietas inter ægritudinem & sanitatem, & diuersitas termini à quo & ad quem totũ consecutiue se habet, & est materialiter diuersum respectu alterationis, quæ fit ad tertiã speciẽ. Quod deducitur ex ratione D.Th. 1.2. q.52. a.1. ad 3. vbi inquit: *Quòd alteratio primò quidem est in qualitatibus tertiæ speciei, in qualitatibus vero primæ speciei potest esse alteratio per posterius.* Et subdit rationem *quia facta alteratione secundum calidum & frigidum, sequitur animal alterari secũdum sanum & ægrum.* Igitur licèt attingatur sanitas, & ęgritudo ex vi alicuius mutationis, quæ quidem in re est alteratio, tamen quia non attingitur vt terminus primò, & per se attactus, sed vt cõsecutus, siquidem semper debet fieri mediante aliquâ alteratione caloris, au frigoris, aut alerius primæ qualitatis, ideò mutatio ista prout tangit sanitatem, & identificatur cum illa non est primò & per se alteratio physica, nec sanitas per se immediatè attacta, sed consecutiuè, & ideò potius ex ipso argumento sequitur; quòd non detur alteratio primò & per se ad istas dispositiones, sed consecutiuè. Secùs est de qualitatibus mediis eiusdem tertiæ speciei, quæ ex mixtione primarum qualitatum resultant, & ita exigunt distinctum motum terminatum ad ipsas qualitates medias, & corrumpentem ac miscentem primas, quod non contingit in acquisitione sanitatis, vel dictum est.

Ad confirmat. respond. intensionem & remissionem physicam, & corporalem esse species alterationis physicæ & corporalis, sic tamen non inueniri in habitibus, & actibus spiritualibus; vnde nec in illis datur alteratio physica, de qua in præsenti loquimur, & similiter contrarietas, quæ datur, nõ est contrarietas physica seu corporea, sed communiter dicta & quæ ad generationem & corruptionem non ordinatur.

Secundo arguit. nam in secunda specie, quæ est potentia & impotentia, potest dari vera alteratio, nam potentia potest debilitari, & impotens reddi per aliquam nouam transmutaionem, sicut visus, qui est acutus & vigorosus in iuuene, potest fieri debilis in sene, & ingenium etiam potest hebetari, & impotens reddi ex aliquo accidenti, istæ autem transmutationes non possunt pertinere ad aliam speciem motus, quam ad alterationẽ, ergo alteratio potest versari primò & per se circa potentiam, & impotentiam.

Resp. quòd potentia quæ semel dimanauit à natura tanquã à proprio subiecto, non potest tolli, nisi vel per impotentiam oppositam, vel per extrinsecum impedimentum. Primo modo non potest accidere, permanente vnâ & eâdem naturâ in eodem statu, nec enim potest ab eadem natura, modo dimanare potẽtia, modo impotentia sicut ab homine risibilitas, & irrisibilitas. Quod si pro diuersis statibus dimanaret ab eadem natura, modo potentia, modo impotentia, sicut diuersæ passiones solent conuenire pro diuersis statibus, adhuc tamen non terminarent alterationem primò & per se, sed noua dimanatione resultarent. Si verò impotentia consistat in extrinseco impedimento eiusdem potentiæ, tunc alteratio versabitur circa illud extrinsecum impedimentum nõ circa ipsam potentiam; extrinsecum enim impedimentum pertinet ad qualitatem aliquam tertiæ speciei, per quam ipsa dispositio debita organi ita alteratur, quod potentia quæ à dispositione organi dependet, non potest stante tali indispositione, debite operari, & hac ratione visus acutus redditur debilis, & ingenium visus impeditur ex aliqua intemperie dispositionum; & similiter imaginatiua vel phantasia redditur indisposita ad subministrandum intellectui, quod pertinet ad ingenium, & ad istas qualitates dispositiuas potest per se dari alteratio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm alteratio sit vnus motus, & continuus?

VNitas alterationis potest considerari, vel in ratione mutationis, quatenus vnum terminum destruit & alium producit, vel in ratione motus, qui vtramque mutationem includit, quomodo videlicet sit vnus motus vel vna aut plures mutationes. Continuitas autem potest tripliciter considerari in alteratione. Vno modo ratione subiecti in quo est, quod scilicet per partes continuas alicuius subiecti diffundatur qualitas. Secundò ratione temporis, quod scil. sine vlla interruptionis duratione continuetur alteratio. Tertiò ex parte formæ, quod videlicet forma non solum introducatur in instanti, & indiuisibiliter tota, sed aliquid illius continuatiuè in tempore, & aliquid in instanti.

Dico ergo primò. *Alteratio in ratione motus est vnus, includit vero duas mutationes, alteram corruptiuã termini à quo, alteram quæ est acquisitiua termini ad quem.* Quod istæ duæ immutationes dentur, constat ex his quæ supra diximus agendo de generatione, & corruptione, quæ duplicem istam mutationem important, & in q.14. Physicor a.2. vbi ostendimus has mutationes esse necessarias ad motum, quia in illo fit transitus de quodam in quiddam & consequenter acquirendo vnum & corrumpendo aliud. Quod verò motus sit vnus patet, quia est vnus transitus & via de subiecto in subiectum, id est, de termino positiuo in terminum positiuum, inter quos inuenitur latitudo & distantia vel contrarietas, hæc autem est vna, quando solum sunt duo termini inter quos exercetur, sic autem inuenitur in alteratione cum sit transitus de vno contrario in aliud contrarium, ergo datur vnus motus. Et eadẽ ratione est vna actio, quia est vnum agẽs, & vnum passum, & consequenter vna processio causalitatis.

Sed dices, cur similiter generatio substantialis, & corruptio, quæ sunt duæ mutationes non facient vnũ motum, sicut in qualitatibus? *Resp.* quod etiam mutationes, non efficiunt motum, nisi inter ipsos terminos positiuos fundetur aliqua distantia positiua vel contrarietas vincenda, & non solùm esse vel non esse mutandum. *Cuius ratio est*, quia in mutatione, vt præcisa mutatio est, solùm intenditur acquisitio alicuius esse de nouo, & consequenter ex parte termini à quo

à quo solùm per se petit nō esse, seu priuationē. Si verò hæc priuatio sit coniuncta alicui formæ positiuæ, id erit per accidens ad talem mutationem, quatenus scil. illa priuatio inuenitur coniuncta ad aliquam formam. At vero in motu non solum intenditur acquirere esse de nouo, sed distantiam vincere inter terminos inter quos versatur, & hi debent esse positiui, nam inter priuatiuum & positiuum non datur latitudo, quia sine medio opponuntur tanquam esse, & non esse, & si aliquid inuenitur de medio, est ratione alicuius positiui præsuppositi: contraria autem habent medium per quod positiuè distant, & opponuntur. Vndè cum inter formas substantiales, non attendatur aliqua latitudo cōtrarietatis, sicut inuenitur in qualitatibus eo quod ex participatione formarum substantialium, tāquam ex extremis non participatur, nec contēperatur aliquod medium, neque in vna & eadem forma inuenitur magis vel minus, ideò non inuenitur distantia, & cōtrarietas inter formas substantiales fundans motum, sicut iter qualitates.

Secundò instabis contra conclusionem, nam sequitur ex illa, intensio & remissio non sint duo motus cum tamen in a. 1. dixerimus illas esse duas species motus. *Sequela probatur*, nam quando est motus à calore vt vno ad calorem vt speciem, ibi est intensio caloris, qui acquiritur & remissio frigiditatis quæ deperditur, tantum enim deperditur de frigiditate quantum acquiritur de calore, ergo illa frigiditatis mutatio, est remissio, & tamen est vnicus motus, siquidem est tantum vna via, & vnus terminus acquisitus, & vnus deperditus, alioquin quoties intenditur qualitas essent duo motus, alter à minori calore ad maiorē, alter remissius frigiditatis à maiori ad minorem.

Respondetur, intensionē & remissionem secundū se esse motus distinctos sicut accretionem & decretionē, ascensum, & descendū, & tunc sunt contrarij quando versantur circa eandem formam, v. gr. intendendo aut remittendo calorem. Quando autem versantur circa diuersas formas, v. gr. intendendo calorem, & remittēdo frigus, vel habebunt se disparatè illi motus, si formæ ipsæ ordinem & connexionem inter se non habeant, vel coordinatè se habebunt si formæ ipsæ consecutiuè se habeant, ita vt vna remittat vel expellat aliam. Cæterum quando inuenitur motus intensionis corrumpens frigiditatem, vel attenuans, non est per se motus remissionis, quia non est per se minoratio, sed ex consequenti, quatenus est corruptio frigoris inuenti in subiecto. Quia tamen hoc per accidēs est respectu intentionis caloris, ideò ille motus non denominatur remissio, nec fit per modum mutationis corrumpentis aliquid de frigore ex consequenti, & per accidens, cum intendatur calor: motus autem non sumit speciem suam, neque cōstituitur in ratione motus penes id, quod est per accidens & ex consequenti, sed penes id quod est per se, & ex parte termini ad quem se tenet, non ex parte termini à quo tātum. Et ideo quando intenditur calor licèt detur remissio frigoris, non tamen est motus remissionis, quia illa minoratio frigoris præcise tenet ex parte termini à quo, vt terminus mutatus & destructus, & consecutiuè se habens ad acquisitionem caloris, non vt motus per se minoratiuus, cuius terminus ad quem sit minoratio frigoris, & idò non est per se motus remissionis, sed mutatio destructiua frigoris non per se minoratiua, & temperatiua illius. Potest autem dari aliquando intensio sine remissione oppositi, vt in intensione lucis quæ iam supponit tenebras expulsas, & in intensione charitatis, quæ supponit peccatum expulsum per sui primam introductionem, vnde non semper intensio est coniuncta remissioni etiam per modum mutationis, & per accidens factæ.

De Continuitate alterationis.

Dico secundò, *Alteratio quæ vere est motus, est cōtinuus, vt opponitur discreto si attendamus ad continuitatem, quæ fit per extensionem qualitatis in partibus continui, siue quæ fit penes durationem temporis, siue quæ fit per intentionem formæ*. Et dicimus *vt opponitur motui discreto*, quia si sumamus continuum vt dicit rationem perpetui & non cessantis, sic alteratio non est continua, sed finitur, & intertumpitur sæpissime Itaque licèt qualitas possit produci in instanti, vt quando fit vltima dispositio, tamen quando fit per verum motum, neque fit in instanti, neque per multas instantaneas actiones, ita quod inter instans, & instās nihil producatur de qualitate, sed solum disponatur, vt in instanti fiat productio, vt aliqui senserunt. Sed oppositum tenetur communiter, vt videri potest apud M Bannez, super primum librum de generatione, q. 6. de alteratione, & Cursum Carmelitanum, disput. 2. de alteratione, q. 10 Conimbric. & alios.

Duo ergo nobis probanda sunt: primum, quod alteratio non potest fieri in instanti, sed habet successionē in duratione temporis *Secundum*, quod in extensione vel intensione qualitatis non solum in instantibus, sed etiam in tempore intermedio inter instans, & instans producitur aliquid qualitatis, & non cessat actio alterativa.

Primum probatū est à nobis, q. 21. Phys. a. 2. quia motus successiuus non habet esse in instanti, quia hoc ipso, quod successiuus non est indiuisibilis, omnis enim successio dicit partem post partem: ergo dicit diuisibilitatem, ergo non coëxistit, nec mensuratur instantanea duratione. Deinde deducitur ex doctrina D. Th. 1. p. q. 53. a. 3. vt etiam ibi adduximus, quia non potest stare, quod subiectum aliquod toto tempore quiescat sub vna forma, & in vltimo instanti illius temporis sit sub alia forma quasi mutatū ad illam in facto esse, ergo motus nunquā potest perfici in vnico instanti, ita quòd ante illud instans nihil sit motus & terminus motus, seu mutatum esse; quia non potest dari mutatum esse nisi præcedat aliquod moueri, idest, aliqua tendentia ad illam formam acquirendā & oppositam expellendam, vt autem quiescat toto tempore ante, oporter quod ita sit sub vna forma, quod non sit in via corruptionis ad eam, nec tendentiæ ad aliā, sed ita se habeat nūc sicut ante; ergo non potest stare, quòd in vltimo instanti aliquid sit mutatum, & toto tēpore non præcedat moueri, sed quiescere. Quod etiam in instantaneis mutationibus, si ordine & modo naturæ fiāt, apparet, præcedit enim aliquis motus, siue per modum dispositionis, siue per modum applicationis, sicut patet in generatione substantiali, & in illuminatione; nam generatio substantialis fit dependenter ab alteratione præcedenti, quæ est motus; & similiter luminosum non illuminat naturaliter in hoc spatio, vbi ante non illuminabat, nisi quia hic de nouo producitur, vel quia hic nouo adducitur; si de nouo adducitur, præcedit motus localis, si de nouo producitur per generationem naturalem, vt si fiat ignis, præcedit alteratio, & ita naturali modo nunquam ponitur aliquid sub noua forma etiam in instanti, nisi præcedat aliquis motus. Si autem virtute Diuina aliquid producatur, vel creetur subito, sine aliqua dispositione vel motu præcedenti, hoc non pertinet ad naturalem modum operandi, de quo loquimur in præsenti, sic etiam non est mirum, quod cropus Christi ponatur sub speciebus

panis in aliquo instanti,cum ante nullus esset motus ad illud ,quia hoc fit supernaturali virtute naturali nō modo. Et hac ratione probat D u. Thom. loco citato Angelum non posse moueri in instanti quiescendo toto tempore antecedente in alio loco. Si autem Angelus existit in alio loco per totum & integrum instans , sine vllo tempore , vel motu quiescendo , oportet quod aliud sit instans pro existentia in vno loco,& aliud pro existentia in alio, ita quod in vno loco quiescat non toto tempore, sed toto instanti , & in alio instanti sit in alio loco ; sed tunc desitio vnius loci , quæ est in instanti , & per vltimum esse inceptio alterius , quæ est in alio instanti,non mensurantur vnico instanti , sed duobus,& ita motus ille discretus non est in instanti,sed in instantibus. Vndè nunquam verificatur motus,etiam discretus in vnico instanti.

Secundum in hac conclusione pro bandum est , quod datur motus continuus continuitate se tenentur ex parte formæ in hoc sensu , quod si aliquid formæ producitur in instanti,aliquid etiam illius acquiritur in tempore,& non cessat actio , & continuatio formæ inter instans & instans ; & sic negatur ab aliquibus ista pars. Deducitur tamen ex D. Th.in 2. dist. 5.q 3. art.1. vbi probat dispositiones ad generationem substantialem præcedere tempore introductionem formæ , quia alteratio est motus continuus, & ideo principium eius & medium præcedunt introductionem formæ : ergo alteratio datur in tempore, & non est discreta per instantia. Eandem continuitatem alterationis per tempus medium inter duo instantia ponit S. Doctor.in quodl. 6. art.9. & videri etiam potest in primo de gener. lect. 24. circa textum 84.& 5.Phys.lect.7.& sumitur ex Philosopho in eodem 5. Physic. tex. 39. vbi dicit : *Quòd continuus omnis motus est,& simpliciter quidem vnum , & continuum esse necesse est.*

Ratio autem est , quia vel inter duo instantia continuatur aliquis motus,ita quod non cessat actio,neque quiescit,vel cessat inter instans,& instans omnis motus,& actio productiua qualitatis Si primum,ergo ille motus , & fluxus inter instans & instans non potest intellligi sine aliqua forma fluente,quæ in instanti quidem habeat mutatum esse,seu in facto esse fiat,in tempore autem seu motu sit in fieri & moueri, quia motus non est præter res ad quas est motus , & sic si realiter datur motus inter instans & instās,realiter datur forma,cum qua identificatur tanquam cum termino fluente & successiuè transeunte de nō esse ad esse.Si secundū dicatur,est impossibile, quia si in hoc instanti datur qualitas producta , & immediatè post cessat motus,& in sequenti instāti datur aliquid productum,illud nō erit acquisitum per motum,nec per alterationem quæ est motus,sed alia actione distincta à successione & motu,quæ non apparet quæ sit.Deinde , quia inter instans & instans agens est debitè applicatum ad agendum , & passum capax ad recipiendum ,& non impeditum , non minus,quam in sequenti instanti,quia vt supponimus , nec passum est mutatum inter instans & instans à sua dispositione, neque agens à sua actiuitate, quomodo ergo suspenditur ab agendo inter instās & instans?Deniq;in motu locali non cessat aliquis moueri inter instans & instans , quia paulatim de vno loco ad alium transitur per medium,& vincitur distantia inter duo loca,ergo similiter distantia & contrarietas qualitatum & intensionis eius vinci debet per successionem & continuationem motus producendo aliquid inter instans & instans.

Nec potest dici,quod inter instans & instans agens producit aliquid,sed non formā,v.g.calorē, sed dispositionem aliquam ad calorem v. g.raritatem vel quid simile.*Sed contra*, nam præterquam quod ad calorem non datur dispositio,cum ipsa sit prima qualitas , adhuc hoc dato idem argumentum fit de illa dispositione,nam vel est qualitas , vel non:si non est qualitas non est assignabile quid sit & ad quod prædicamentum pertineat,vel si est modus eiusdem qualitatis,quis modus sit præter intensionem , & remissionem,isti enim si producuntur in tempore iam motus intentionis erit continuus Si autem illa dispositio est qualitas,verbi gratia,raritas ergo iam aliqua qualitas producitur inter instans & instans & consequenter eadem ratio erit de ipso calore.

Dices licet in intensione qualitatis motus sit continuus & producatur aliquid inter instans & instans, tamen quando alteratio est de vna qualitate ad aliam v.g. inter album & nigrum, quid qualitatis producitur inter instans & instans ? cum qualitas media non producatur diuisibiliter,sed indiuisibiliter , est enim species vera qualitatis habens esse indiuisibile,& terminans mutatum esse. *Resp.* quod cum transitur de albo ad nigrum per mediam qualitatem,v.g.per pallidum, tunc inter instans & instans fit pallidum imperfectè,quatenus incipit albedo deflorescere & deficere à perfectione sua,& est albedo in corrumpi, quod est pallidum in fieri , & hoc fit inter instans & instans,quia habet latitudinem illa corruptio albedinis , & acquisitio palloris , & ita secundum aliquid latitudinis fit in tempore , & in facto esse consumatur in aliquo instanti.

De indiuisibilibus alterationis.

CVm continuum constet ex partibus connexis, quæ vtique aliquibus indiuisibilibus continuantur , oportet explicare , quomodo in qualitatibus , & alteratione successiua dentur ista indiuisibilia?*Respondet.* quòd iuxta diuersos modos diuisibilitatis in qualitate debent considerari eius indiuisibilia. Est enim inuenire diuisibilitatem extensionis ratione subecti quanti , & diuisibilitatem motus ratione successionis , & denique diuisibilitatem formæ penes magis & minus in intensione & remissione. *Quantum ad primum* , sicut accidentia habent extensionem quantitatiuam mediante quantitate , quæ afficit substantiam , & extendit eam & accidentia quæ in ea sunt , sic mediante quantitate redditur qualitas extensa , & diuisibilis , & consequenter mediante ipsa habebit etiam indiuisibilia continuantia talem diuisibilitatem quantitatiuam. Et sicut substantia non habet diuisibilitatem , nec indiuisibilia , & nisi mediante quantitate , vt probatum est in 9. Physic. quæst. 20. & in quæst. 19. Logicæ, ita neque qualitas ,& alia accidentia materialiter extensa habent indiuisibilia huius extensionis nisi mediante quantitate,est enim eadem ratio de ipsis & de substantia quoad hoc.

Quoad secundum dicimus , quòd in alteratione quatenus motus est dantur indiuisibilia sicut in alijs motibus , scilicet , quod indiuisibilia sunt ipsa mutata esse in successione qualitatis quæ terminant vel continuant ipsam successionem motus sicut explicauimus , quæstione vigesima Physicor. articul. primo. hoc autem mutatum esse,

esse, vt sumitur ex D. Thom. 1. part quæst. 53. articul. 3. explicatur par hoc, quod mobili non sit in eadem dispositione in quolibet instanti illius temporis in quo mouetur. Et sic quatenus illa dispositio est in fieri, dicitur esse in moueri, quatenus terminatiuè est in facto esse, dicitur mutatum, & tunc est alia dispositio, & ita siue hoc mutatum esse consistat in aliquo indiuisibili in quo finitur & terminatur, siue in aliquo alio modo, vel ratione, tamen illud constituit formaliter mutatum esse, quod cõstituit mobile in alia atque alia dispositione terminatiuè, & in facto esse, ita quod omnes partes, quæ sunt in fieri per tempus, sint in instanti in facto esse, & ex illo facto esse sequatur aliud fieri alterius partis quæ in facto esse sit in alio instanti, vsque ad vltimum in quo sistit. Qualitas ergo sic induens diuersa mutata esse, constituit diuersa indiuisibilia successiua motus alterationis.

Quoad tertium, scilicet, de indiuisibilibus ipsius qualitatis seu formæ quæ acquiritur per alterationem, *potest esse difficultas* vel intra eandem qualitatem quando intenditur vel remittitur, an ista latitudo intensionis, vel remissionis quæ diuisibilis est, aliquibus indiuisibilibus partes suas debeat continuare, & copulare. Et de hoc pertinet ad sequentem quęstionem, vbi de intensione, & remissione qualitatum agemus. *Potest etiam esse difficultas*, vtrum in ipsa latitudine seu distantia, quæ inuenitur inter duas contrarias qualitates per quam fit transitus de vna ad aliam (vt inter album & nigrum ponitur pallidum, viride, cæruleum, &c.) an etiam ponenda sint indiuisibilia, quibus ista latitudo & distantia, quæ diuisibilis est coagmentetur. Sed tamen in hoc non apparet ratio aliqua constituẽdi indiuisibilia, quia istæ species non sunt continuæ inter se, nec habent partes eiusdem rationis, quæ indigeant copulari diuersis indiuisibilibus, sunt enim diuersi colores, vel aliæ qualitates mediæ; inter speciem coloris, datur latitudo de colore imperfecto & inchoato, ad alium colorem medium perfectum, & de illo ad alium vsque ad extremum, cum corruptione prioris, qui expellitur, & tunc non acquiritur aliquod indiuisibile copulatiuum partium, sed species quædam determinata, & certa, quæ tamen quia media est & imperfecta, viam parat & transitum ad aliam, quæ ex temperatura, & medietate alterius consurgit, idóque latitudinem facit motu vincendam, non indiuisibilibus copulandam.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Primò obiicies contra continuitatem alterationis. Motus alterationis in intensione, non potest esse continuus, ergo falsa est conclusio, quæ loquitur de omni alteratione. *Antec. probatur*, nã id quod producitur per talem motum est aliquis modus maioris ac minoris radicationis in subiecto, tales autem modi sunt indiuisibiles in se, vt sequenti quæstione probabitur, ergo non possunt terminare motum, quia ad illum terminandum requiritur aliqua diuisibilitas, & latitudo in termino, ita vt parti motus correspondeat pars termini & indiuisibili motus indiuisibile termini. *Confir.* quia quælibet pars motus verè, & propriè aliquid producit, ergo oportet quod in ipso termino motus aliquid cuilibet parti motus correspondeat, & ita habeat parte, priores, & posteriores, ergo si quilibet gradus aliquid indiuisibile est, saltem formaliter totus producetur per primam partem motus, & si nihil relinquetur alteri parti, seu medietati quod producat.

Resp. non repugnare quod partes terminentur ad aliquid indiuisibile, quatenus est partium terminus, sicut partes lineæ terminantur indiuisibili, & similiter in motu omnes partes motus terminantur ipso mutato esse eo quod omnes partes motus se habent in fieri respectu illius; imò omnis terminus debet esse indiuisibilis, & terminare partes diuisibiles, non quod cuilibet sigillatim inhæreat, & adęquate, sed inadæquatè alicui indesignatæ, vt diximus in q. 20 Phys. a. 3. & ita licèt non adæquetur illis informatiuè, adæquatur tamen terminatiuè, quia omnium illarum terminus est. Sic ergo in qualitate qnãdo intẽditur, acquiritur gradus aliquis, seu terminus per motum, qui licet in se sit indiuisibilis, vtpote terminus, virtualiter tamen diuisibilitatẽ dicit secundũ quod partes præsupponit, & illarũ terminus est; & sic non requiritur diuisibilitas in termino secundũ se & formaliter, sed ratione partium, quas terminat & quas successiue oportet acquiri per motum.

Ad Confir. Resp. quod quælibet pars motus producit aliquid, nempe illud mutatũ esse, non tamen quęlibet pars motus producit illud adæquate, licet enim terminus ille indiuisibilis sit in se, est tamẽ terminatiuũ pluriũ, quæ sub illo stare possunt, & illud respiciũt vt factũ esse suũ: quod si haberet partes priores, & posteriores, nõ esset terminus earũ, sed cõpars. Nec prima pars motus producit totũ indiuisibile, seu mutatũ esse, tum quia ibi non datur prima pars motus, vbi omnes sunt indesignatæ, & cõfusæ, tum quia illa medietas producit terminũ inadæquatè, idest, vt partialiter fieri illius, non integrum sit eius.

Secundò arguitur, quia in alteratione, & intensione non est vnus terminus tantũ, sed plures qui continua ipsa actione acquiruntur, ergo non potest esse vnus motus quia non est vnus terminus à quo sumatur vnitas. *Antec. patet.* quia dũ cõtinuatur motus alterationis plures termini producũtur, v. g. plures gradus in intẽsione, vel plures qualitates mediæ in alteratione de vna specie ad aliã, ergo terminus non est vnus, & cõsequenter, neq; motus, sic nec erit continuus. *Confirmatur*, quia si alteratio esset motus cõtinuus, & duraret, v g. per horã in fine horæ esset infinita qualitas producta, quia sũt infinita instãtia, & cõsequenter infinita mutata esse, ergo si sit intẽsio per totã illã horã, attinguntur illa infinita, quorum quodlibet auget intensionem, & gradum, & consequenter in fine horæ qualitas redderetur infinita.

Resp. quod in alteratione cõtinua datur vnus terminus adęquatus, licet plures inadęquati, habet autẽ vnitatẽ terminus adæquatus ratione vltimi, in quo sistit motus, & ad quẽ cæteri ordinãtur, sicut in motu locali, quando plura loca attinguntur, vsq; ad vltimum, ab illo vltimo sumitur vnitas continuata talis motus, & ideò simpliciter est vnus, quia simpliciter terminatur in vno, vt latiùs diximus q. 19 Physicor. Itaq; in quolibet instanti potest acquiri diuersus locus inadęquatus, inter instans autem, & instans fit transitus de loco ad locum, & tunc dicitur esse in loco quasi in mutari, non mutato esse de quo ibi latius diximus. *Ad Confi. Resp.* in primis argumẽtum illud procedere, etiã si alteratio sit motus discretus, sicut intra vnã horam sunt infinitæ partes diuisibiles ita sũt infinita instãtia indiuisibilia eodẽ modo, quo partes infinitæ, & ideò licèt inter instans non sit motus, neque actio, eadem manet difficultas quomodo in infinitis instantibus, quæ includuntur intra horam fiat intensio illa qualitatis, & non fiat infinita. *Resp. ergo*; quod infinitas illa instantium, & partium infinitarum, quæ in quolibet continuo includuntur, est infinitas in potentia, & non actu, quia est infinitas, quæ includitur, & consumitur in partibus aliquotis, & finitis, & ideò est aliquid finitum in actu, & solum infinitum in potentia, vt latius ostendimus in quæst. 15. & 20. Physic Itaque vt sit infinitum in actu oportet, quod constet partibus

partibus infinitis aliquotis, quia debent esse æquales vni tertiò,& non communicantes inter se;illæ autem partes infinitæ sunt proportionales,& indesignatę,& inter se communicãtes,vt locis citatis explicauimus, & eodem modo se habent instantia, seu indiuisibilia,quæ cum partibus ipsis & ad earum modum multiplicantur in continuo, vnde solùm ex illis resultat infinitum in potentia, hoc est,quia potest designari ex quacumque parte in infinitum diuisibilitas totius, & sic ex eo, quod tota hora duret intensio, solum sequitur, quod qualitas habebit infinitas partes in potentia, & similiter indiuisibilia, finitas autem in actu, vtpotè inclusas intra terminos finitos vnius horæ.

Tertiò arguitur, quia si alteratio est motus continuus nõ poterit incipere per primum esse, sed per vltimum non esse, sicut alij motus, hoc autem est impossibile,ergo. *Minor probatur*,quia si incipit per vltimum non esse,est verum dicere nunc agens nõ alterat immediatè post alterabit, in illo ergo nunc, vel agens est debitè applicatum passo, & tunc non est ratio, quare non aget posita illa applicatione,vel nõ est debitè applicatum, & tunc nec immediatè post aget, quia immediatè post non potest compleri tota applicatio,quia diuisibilis est, cum fiat per motum & in parte diuisibili,& sic immediatè post non erit totaliter applicatum in facto esse, ergo neque sequetur actio.Similiter etiam est inconueniens quod qualitas quæ est res permanens non incipiat per primum esse, præsertim cũ sit dispositio determinata,& in illa assignari debet minimum, & consequenter aliquid certum & determinatum,atque adeò debet incipere per primum esse. *Denique Confirmatur*, quia hæc videtur esse mens Arist.8.Physicor.tex.23.vbi inquit: *Quod dicere alterari continuum,est rebus perspicuis aduersari*, & subdit,*quod alteratio non fit per partes sicut congelatio,sed subito sicut cauatio lapidis ab vltima gutta*,quã constat non esse motum continuum.Et idem affirmat Sanct. Thomas super eundem locum lectione 5. & 6.Physicor.lecti.5.& 2.contra Gen.cap.49.& in aliis locis.

Respond. quòd sine dubio alteratio sicut & alij motus, & qualitas per eam producta incipit per vltimũ non esse. Et *ad probat. dicitur*, quòd siue applicatio agentis ad motum fiat in instanti siue non, tamen applicatum esse de facto,pertinet ad mutatum esse,& est in instanti, in illo tamen non incipit intrinsecè, atque ita non bene sequitur agens est applicatum de facto in hoc instanti, ergo in hoc instanti intrinsecè est actio seu motus, non enim sequitur, quod actio sit in hoc instanti intrinsecè,nisi actio ipsa instantanea sit, sed sufficit quod incipiat extrinsecè, quia immediatè post erit. Quare non est necesse quod motus sequatur ipsum applicatum esse,nisi iuxta naturam suam,ita quod si aliquid est applicatum in instanti,motus non dabitur in instanti intrinsecè,sed immediatè post,& ita in illo instanti incipiet extrinsecè sicut graue cũ generatur sursum in eodem instãti incipit moueri non intrinsecè,sed extrinsecè. De facto tamen non datur primum applicatum esse, sicut nec primum mutatum esse in motu, applicatio enim per motum fit. Quòd verò dicitur qualitatem esse rem permanentem, & ita debere incipere per primum esse, *distinguo*, est res permanens quando est in facto esse determinate *concedo*, quando est in fluxu & fieri,*nego*: vel secundò est res permanens incipiens modo parmanenti, *nego*, incipiens modo fluenti, & successiuo, ad modum motus, *transeat*, & nunc accommodatur ipsi modo fiendi qui est per motum,non modo proprio essendi quem habet in facto esse:qualitas tamen quæ est dispositio ad formam substantialem sub statu illo dispositionis,debet dicere aliquid determinatum, præsertim loquendo de dispositione vltima, nam aliæ latitudinem, & indiuisibilitatem habere possunt,& ita illa incipiet in instanti,& non per modum motus.

Ad Confirmationem Respond. Aristot. & D.Thom. in citatis locis solùm intendere contra aliquos antiquos Philosophos, qui ponebant omnia semper moueri, & nunquam quiescere, quod alteratio non est motus continuus, id est non perpetuo durare, non tamen quod quamdiu durat sit discretus; quando verò dicit quod alteratio non fit per partes, sed subito, intelligitur de alteratione pro vltimò effectu,& dispositione, non absolutè, & secundum se.

QVÆSTIO IV.

De Intensione, & Remissione.

ARTICVLVS I.

Quid sit intensio & remissio,& in quibus formis inueniatur?

GEneraliter loquendo omne augmentum, vel decrementum dicitur quantitas, in quacumque re contingat, eò quod id quod nobis sensibilius, & manifestius est in augmentis rerum, est quantitas.Tripliciter autem potest inueniri ratio ista quantitatis in qualitatibus,vel formis. Vno modo per extensionem in subiecto,& hoc solum conuenit qualitatibus, quæ inhærent in subiecto habente partes quantitatiuas, sicut cum albedo diffunditur per aliquod subiectum,& crescit in illo,quia est in pluribus subiectis,&hoc modo dicitur qualitas magna,seu quãta per accidens quantitate subiecti. Alio modo attribuitur quantitas, seu magnitudo qualitati ex parte obiecti, circa quod versatur,sicut conuenit habitibus intellectus vel voluntatis, qui versantur circa aliqua obiecta, & aliquando plura, aliquando pauciora cõprehendunt, & secundum hoc dicuntur extendi, vel augeri in ordine ad obiecta: & hæc vocatur intensio virtualis, seu quantitas virtutis, eo quod magna virtus dicitur per ordinem ab obiectum, seu pondus quod ferre potest.Tertiò modo dicitur quantitas, seu magnitudo qualitatis secundum participationem maioris perfectionis penes magis & minus, & hoc pertinet ad intensionem,& remissionem,

nem, de quo videri potest S.Th.q.1.de verit.artic.11. ad 10.

De hac ergo intensione duo supponimus in præsenti articulo, & alterũ quod difficilius est disputamus. *Primò supponimus*, dari tale in crementum intensionis, & decrementum remissionis, quod pertinet ad quæstionem an est? Hoc autem constat ex ipsa experientia; nã videmus qualitates aliquas crescere, aut decrescere penes magis, aut minus, quod non potest reduci ad alias duas extensiones, seu magnitudines dictas, nam videmus calorẽ, vel albedinem, aut lucem aliquando esse perfectiorem, & maiorem, non quia plures partes subiecti occupet, sed in eisdem, nec quia subiectũ sit densius, vel rarius, siquidem in eodem aëre lux Solis est perfectior quàm Lunæ, stante eadem raritate aëris, & ita hoc augmentum non pertinet ad quantitatem extensionis formalis; similiter neque pertinet ad extensionem virtualem, quia lux & calor & similes qualitates non habent diuersa obiecta circa quæ versentur, sed subiecta quæ informent. Relinquitur ergo, quod sit quantitas, & augmentum intensionis penes magis, & minus.

Secundò supponimus definitionem intentionis quod pertinet ad quæstionem quid est? Definiri autem potest intensio, quòd est *motus ab imperfectiori esse siue statu eiusdem qualitatis ad perfectiorem eodem subiecto sensibili manente*. Remissio verò è contra *à perfectiori ad imperfectiorem*. Ita tradit M. Bannez q.2. de alterat. & dicitur *ab imperfectiori esse, vel statu*, vt definitio abstrahat ab omni opinione, an fiat intensio penes diuersos gradus, vel diuersos modos, vel diuersam participationem in esse, de quibus postea dicemus. Dicitur autẽ *motus* quòd est genus ad alterationem, & consequenter ad intensionẽ, sed quia nõ omnis intensio fit per alterationem propriè dictam, vt in spiritualibus qualitatibus, ideò vtimur generali nomine motus, & excluditur etiam per hoc acquisitio noui status in aliqua qualitate, vel forma non per motum, sed per aliquam eleuationem, vel modũ operandi diuersum sicut Charitas, quæ est in via mutat statum in patria, non per maiorem intensionem & motum, sed per nouam apprehensionem obiecti clarè visi. Denique significatur distinctio intensionis à simplici alteratione per hoc, quod sit eiusdem qualitatis ad perfectiorẽ statũ, seu esse, quia alteratio simplex producit ipsam qualitatem primò & per se, non autem solùm perfectionem statum, vel esse illius.

Inquirimus autem, quænam formæ sint capaces huius incrementi, & magnitudinis penes magis & minus, quæ est intẽsio & remissio? Et hæc difficultas per aliquas conclusiones resoluenda est.

Dico primò. *Substantia est incapax augmenti intensionis, & similiter quantitas & relatio.* Sententia est expressa Philos. & sequuntur communiter omnes eius interpretes, nam in cap. de Substantia, ponitur inter proprietates eius non suscipere magis, & minus: & de quantitate idem docet in cap de quantitate; & de relatione etiam docet quod non suscipit magis & minus, nisi ratione sui fundamenti, sicut est intensior similitudo, quando conuenientia extremorum est maior, licèt formæ ipsæ seu res minus sint intensæ in se, & ita sequitur intensio relationis intensionem fundamenti proximi non remoti.

Fundamentum huius conclusionis, in communi sumi potest, quia ad ista tria prædicamenta primò & per se non datur motus strictè dictus, scilicet qui fit secundum latitudinem positiuam, intensio autem motus est. Quòd si aliquis motus datur, est secundum extensionem, vt in augmentatione quãtitatis, nam substantiam constat fieri per mutationem, & non per motum, cum non fiat ex eodem subiecto sensibili, sed ex materia prima. Similiter quantitas, quando primò producitur, consequitur ipsam generationem sine alio motu; quando autem postea extenditur admittit motum augmentationis, sed non alterationis, & intensionis; vnde vna pars quantitatis addita alteri, non facit perfectiorem gradum, sed eiusdem perfectionis extensionẽ, facit enim maius, non melius. Et hoc præsertim, quia species quantitatis variantur essentialiter penes diuersam terminationem, vt patet in numeris, & figuris, in bicubito, & tricubito. & c. ergo de earũ ratione est indiuisibilitas, seu terminatio, ergo non admittũt in eadem specie latitudinem. Ad relationem denique non datur per se motus, vt in 5. Phys. dicitur, & ibidem probauimus q.19 solùm enim relatio resultat posito fundamento, non ad illam motus datur, ita non habet intensionem per se primò, sed si habet est consecuta ex fundamento.

Secundò in particulari sumitur fundamentum ex D.Thom.in 1.2.q.52.artic.1. quia videlicet forma ex qua sumitur species rei quam actuat, non potest non consistere in indiuisibili, & consequenter non suscipere magis neque minus, si enim id quod speciem constituit haberet latitudinẽ vel tota illa latitudo requireretur ad constituendam speciem, vel sine tota posset species constitui, etiamsi aliquid illius deesset. Si primùm non saluatur diuisibilitas in tali forma, siquidem non constituitur species per ipsam eius latitudinem, sed per totalitatem & consummationẽ eius, quod vtique indiuisibilitatem dicit, vltimũ enim semper est indiuisibile. Si secundum, ergo sine aliqua parte illius latitudinis saluatur species, & sic illud, sine quo saluatur non spectat ad constitutionem speciei, neque est prædicatum quidditatiuum, cùm sine ipso quidditas saluetur.

Ex quo deducitur, formam substantialem non suscipere magis & minus, quia per se intrinsecè ordinatur ad constituendam speciem substantialem rei, cuius est forma. Et licèt qualitas & alia accidentia etiã habeant suam speciem, & essentiam, tamen formæ illæ non ordinantur ad constituendam speciem sui subiecti, quod informant, sed supponunt constitutã, & ita per se primò non constituunt speciem eius in quo sunt. Forma autem substantialis constituit per se primò speciem eius in quo est & propter hoc forma substantialis habet repugnantiam cum intensione, seu receptione magis & minus, non autem ex hac parte id habet forma accidentalis, licèt vt de facto intensio ei conueniat, plures aliæ conditiones requirantur: sed sufficit pro nunc quod forma substantialis in eo, in quo inuenitur dat speciem essentialem & per se; forma autem accidentalis non, sed supponit speciem constitutam. Vnde signanter Diu. Thom. loco citato non dixit ideò formam substantialem non suscipere magis & minus, quia habet speciem, vel dat illam quomodocumque, sed quia participans talem formam, habet speciem secundum ipsam. Quare respiciendum est ad munus quod exercet forma in suo participante, seu in suo subiecto, in quo recipitur; si enim subiectum ita respicit aliquam formam, quòd per ipsam habet speciem suam, & constitutiuum suum, talis forma in tali participante non suscipit magis, & minus. Formæ autem aliæ, quæ ita adueniunt subiecto, vt per eas participans non habeat speciem, sed potiùs speciei constitutę adueniant, ex hac parte non repugnat, quòd aliquam latitudinem habeant in tali subiecto, non obstante quod habeant aliquam speciem, sed non constituentem ipsum subiectum in quo participantur, & ideò ex tali participatione in subiecto non repugnat latitudinem penès magis & minus habere.

Quod

Quod si dicas, nam omnis species consistit in aliquo indiuisibili, sunt enim species sicut numeri, qui quolibet addito, vel subtracto variantur. *Respond.* aliud esse quod species quantum ad sui constitutionem consistat in indiuisibili, aliud quod per ipsum constituatur ipsum subiectum participans talem formam, vel quòd ipsa indiuisibilitas sit aliquod prædicatum ex constitutiuis talis speciei, hoc enim non inuenitur in omni specie, & ideò non omnes repugnant diuisibilitati, & latitudini, quam habent in participatione subiecti, licèt dicatur quælibet species in indiuisibili consistere propter integritatem, quam requirit, omnium prædicatorum essentialium ad sui constitutionem, non tamen omnis species diuisibilitatem excludit ex parte participationis subiecti, vnde sumitur latitudo intensionis, vt dicemus statim.

Dico secundò. *In sola qualitate inuenitur intensio, non tamen in omni specie qualitatis.* Et quidem loquendo de intensione physica, quæ est species alterationis, non est dubium, quòd sicut alteratio non datur nisi in prædicamento qualitatis, ita neque intensio eius species. Sed tamen ne aliquis dicat quòd intensio potest inuenire in spiritualibus, & non solùm in alteratione, ideò generalius probanda est conclusio. Et in primis quòd in hoc prædicamento inueniatur intensio saltem quoad aliquas eius species, nullo modo dubitari potest, cùm manifestæ nitatur experientiæ, sicut videmus calorem aliquando magis intendi aliquando remitti, & idem est de alijs primis qualitatibus & de qualitatibus medijs, vt colore, raritate, & densitate, & similibus.

Discurrendo verò per species istius prædicamenti, quæ sunt capaces intensionis non solùm alteratiuæ (hæc enim ad solam tertiam speciem reducitur sicut ipsa alteratio) sed etiam communiter dictæ, constat in primis, quod habitus & dispositio est capax intensionis, quia habitus virtutum aliquando sunt feruentiores, aliquando remissiores, & similiter scientia aliquando est profundior, & efficacior, aliquando obtusior, non solùm penes extensionem ad diuersas conclusiones, sed circa eandem veritatem potest dari maior claritas, & resolutio ad sua principia, quod pertinet ad maiorem intensionem, & ita denominatur aliquis magis sciens, vel magis virtuosus, & hoc etiam extenditur ad supernaturales habitus, sicut de charitate dicitur ad Philip. 1. *Oro vt charitas vestra magis ac magis abundet*, Apoc. vlt. *Qui iustus est iustificetur adhuc*, & denique in iustitia accepta crescere sanctificatus definit Concil. Trident. ses. 6. cap. 10.

*Quod attinet a*d secundam speciem, *aliqui existimant*, non suscipere magis & minus, vt intellectus & voluntas, potentia visiua, &c. Quia sunt propriæ passiones, & immediatè sequuntur essentiam rei per dimanationem, non autem per motum, & secundum contrarietatem latitudinis conueniunt subiecto. Oppositum tenet Magister Bannez. 1. de Gener. cap. 4. quæstion. 1. conclusi. vltima, ponítque exemplum in potentia visiua, quam constat magis ac minus suscipere, & modo esse acutioris visus, modo hebetioris. Certè Aquila videt intensius, quàm homo, & inter homines, quidam melius & fortius alij, & incomparabiliter videbunt acutius oculi eiusdem hominis post resurrectionem, quam modo *Nec obstat*, quòd sint propriæ passiones animæ, quia etiam calor, & siccitas aliæque primæ qualitates sunt proprietates elementorum, & tamen suscipiunt magis & minus, Caiet. 1.2. quæstion. 52. articul. 1. in fine media via incedit, & dicit quòd potentię naturales, quæ consequuntur immutabiliter substantias non intenduntur, sicut neque ipsæ substantiæ: quæ verò non immutabiliter consequuntur, sed dependenter ab aliqua alteratione, vt durum & molle, aliáque similia non inconuenit, quod suscipiant magis & minus. Et quia potentiæ affixæ organis corporeis dependent à qualitatibus alteratiuis, quibus organa temperantur, ideò videtur, quod illæ possunt suscipere magis & minus, sicut potentia visiua potest esse acutior, & similiter auditus, &c. *Et videtur hæc sententia satis rationabilis*, non enim est ratio, cur non suscipiant magis & minus huiusmodi potentiæ, quæ à qualitatibus primis, vel alteratione dependent, præsertim cum experientia suffragetur, quæ in illis intensionem & remissionem sentit, vt in potentia visiua, & molli & duro, & alijs constat. Nec obstat, quod per generationem instantaneam fiunt, quia etiam aliqua quæ instantaneæ fiunt, possunt intendi vt lux & actus spirituales intellectus & voluntatis. Quod autem aliquæ potentiæ non intendantur, ideò est, vt Caiet. dicit, quia immutabiliter sequuntur, ad aliquam naturam, id est independenter à qualitatibus alteratiuis, & præsertim quæ alicui conueniunt secundum vltimum gradum constitutiuum naturæ, vt intellectus & voluntas ad gradum rationalem, non suscipiunt magis & minus, quia ipse gradus vltimationem quandam dicit. Itaque non est hoc regulandum per hoc, quod aliqua qualitas sit propria passio, vel non, sed per hoc quod aliqua indiuisibilitas sit de ratione alicuius formæ, vel non sit, vt supra insinuauimus. Et ita quia quædam potentiæ sunt immediatè consequutæ ad substantiam, & independentes ab aliqua alteratione, ideò aliquæ non recipiunt latitudinem secundum magis & minus, aliæ verò quæ non ita immediate consequuntur, neque independentes sunt ab aliqua alteratione & primis qualitatibus recipiunt magis, & minus, ratione earum.

Quod attinet ad tertiam speciem qualitatis, non est dubitandum in illa posse inueniri intensionem eamque physicè alteratiuam, siquidē in tertia specie qualitatis, vt probauimus, quæstion. præced. inuenitur propriè alteratio physica, & consequenter intensio inueniri potest, quæ est eius species, idque etiam ad sensum patet calore, & frigore alijsque qualitatibus sensibilibus, quæ ad istam speciem pertinent.

Denique in quarta specie qualitatis non inuenitur motus intensionis quia de ratione figuræ, quæ ad talem speciem pertinet, est terminatio quantitatis, ex qua resultat, & hæc variatur in specie, quacunque varietate terminationis factâ, terminatio autem secundum aliquid indiuisibile fit, & ita non compatitur latitudinem intensionis.

Dico vltimo. *Præter intensionem quæ est motus secundum magis & minus & præter extensionem per partes quantitatiuas corporis, datur etiam augmentum extensiuū in aliquibus quantitatibus non penes partes subiecti, cui inhæret, sed penes obiecta quæ attingūtur, quia sunt obiecta inadæquata, & secundum quod aliquis habitus diuersa obiecta attingit, magis dicitur augeri extensiuè.* Ita sumitur ex D. Th. 1.2. q. 52. art. 1. ad 2. & 2.2. q. 24. art. 5. vbi docet quod habitus quidam augentur per additionem respectu obiectorum, sicut scientia quæ paulatim addiscitur, augetur de nouo, circa diuersas conclusiones, quas antea non attingebat, & hoc augmentum non est intensio; quia non versatur circa eandem veritatem sed circa diuersas: intensio autem scientiæ fit per hoc quod clarius & profundius eandem veritatem comprehendat. *Circa hoc augmentum extensiuum nota tres propositiones D. Tho. Prima*, quod tale

tale augmentum non contingit in omnibus formis seu qualitatibus, sed in illis quæ specificantur ab aliquo extrinseco, seu dicunt ordinem ad aliud. Ita docet 1.2. quæstion. 52. art.1. in fine corp. *Secunda est*, quod neque in omnibus habitibus dicentibus ordinem ad obiectum specificans, inuenitur istud augmentum; charitas enim dicit ordinem ad obiectum nec tamen admittit additionem per augmentum extensiuum, vt docet S. Thom. 2.2. quæst. 24. citata, eò quòd quæcumque minima charitas implet totam legem, & omnibus tentationibus resistit, & sic quælibet attingit omnia obiecta, scilicet Deum, & proximum, non ergo fit maior per extensionem ad obiecta. Scientia verò indiget istâ extensione, quia per distincta media procedit ad distinctas conclusiones probandas, licet omnia coordinata sint inter se, & sub eodem lumine, ideóque ad eundem habitum spectant, sed diuersam explicationem obiecti petunt & distinctas species, vel ordinationem earum, ac distincta media probatiua, de quo latiùs diximus in Logic. quæst. 27. art. 3.

Quod si dicas, nam etiam virtutes morales etiam si sint infusæ possunt habere nouam difficultatem circa diuersa obiecta partialia, vt in loco citato Logicæ diximus, imò inde argumentum sumpsimus ad probandū, quod scientia est simplex habitus, licet vincat distinctas difficultates inadæquatas, ergo falsò & inconsequenter dicimus in præsenti, virtutes morales non suscipere additionem, sed solum scientiam.

Respondetur quòd vt diximus citato loco Logicæ in solutione ad confirmationem primi argumenti; virtutes infusæ vt charitas & fides possunt habere diuersam difficultatem circa diuersas materias, non ex parte ipsius virtutis, sed ex parte operantis, quæ est difficultas accidentalis, & tamen vnica qualitas simplex sufficit ad illas superandas, similiter ergo sufficiet in scientiis ad superandas distinctas difficultates circa distinctas conclusiones, licèt requirat ad illas diuersa motiua inadæquata, eò quòd vniuntur, sub eadem ratione formali, & lumine, sunt enim coordinata inter se illa motiua, quatenùs vnum deducitur ex alio. Itaque ducitur efficax argumentum à simili ad probandum, quòd vna qualitas sufficiet ad attingendum diuersas conclusiones, licet quælibet habeat suam probationem & motiuum distinctum, & diuersam difficultatem ex parte ipsius medij, & non solùm ex parte operantis, quia adhuc restat locus vnitati habitus, quia saluatur principalis ratio, vnde sumitur vnitas eius nempe eadem ratio formalis scientifica, sub qua omnia illa motiua, & probationes coordinantur, & continentur. Vnde si non repugnat, quòd qualitas vna attingat distinctas materias, & vincat distinctas difficultates ex parte operantis, dummodò seruetur eadem ratio formalis, vt patet in virtutibus, etiam non repugnabit stante vnitate rationis formalis, quod eadem qualitas attingat diuersas conclusiones & vincat distinctas difficultates requirentes distincta media sub eadem vnica ratione formali & lumine ordinata.

Tertia propositio est, quòd hoc augmentum extensiuum dicitur à D. Tho. fieri per additionem, quâ augetur habitus secundum se, intensio verò per radicationē in subiecto, & nō per additionē, nō quia noua qualitas addatur in augmento extensiuo; id enim negat S Th. 1.2. q. 54. art. 4. sed quia additur nouum augmentum obiectiuum, & quia ordo ad obiectum dicitur conuenire habitui secundum se, participatio verò & radicatio intensionis fiat per ordinem ad subiectum in sententia D Th. ideò ad distinguendum vnum augmentum ab alio, dicitur illud augmentum fieri per additionem, hoc verò non, quia ibi additur nouum obiectum, & noua explicatio habitus ad illud, hic verò non additur nouum subiectum, sed in eodem fit intensio, nec etiam noua entitaas qualitatis, & ita ex nulla parte fit additio.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, quia non stat quod intentio augeat qualitatem secundùm magis & minus, nisi ipsa species & essentia qualitatis varietur, ergo ratio intensionis explicata est nulla. *Antecedens probatur* quia illud in quo qualitas fit magis & minus, & ipsa propria ratio & species qualitatis, species autem sunt sicut numeri, vt quolibet addito, vel substracto varientur. Si dicatur fieri intensionem per magis & minus non in ipsa ratione essentiali, & specifica, quæ consistit in indiuisibili, sed in aliquo extrinseco, vt in additione gradus vel entitatis nouæ, aut in maiori participatione, vel radicatione de subiecto. *Contra est*, quia in primis intensio non potest fieri per additionem nouę qualitatis eiusdem speciei, vt dicemus articulo sequenti: diuersa autem participatio in subiecto & radicatio, non potest fieri secundum aliquid accidentale, sed secundum ipsam essentiam qualitatis, & oppositum dicit D. Thom. esse propriæ vocis ignorantiam 2.2. quæstion. 24. artic. 4. ad 3. & quæstion. 2. de virtut. art. 11. ergo in ipsa essentia fit variatio per intensionem *Deinde*, quia si intensio non fit secundum variationem in ipsa ratione essentiali seu specie qualitatis, sed in aliquo extrinseco, vel pertinente ad indiuiduationem, sequitur quòd formæ substantiales possint intendi, quia potest saluari indiuisibilis species quam præbet forma cum augmento penes magis, & minus in aliquo extrinseco indiuiduali, vt quia perfectiori modo vniuntur subiecto vel sunt radix perfectioris modi operandi, cur ergo in illis non erit augmentum intensionis? Et idem argumentum fieri potest de quantitate, quia secundum diuersum modum terminandi subiectum potest perfectius & imperfectius participari in subiecto modo quodam extrinseco, & non pertinente ad intrinsecam speciem, cur ergo non recipiet magis & minus.

Respondetur negando antecedens. Et ad probat. dicitur per intensionem non variari speciem, sed modum speciei in actuando subiectum, & perfectius reducendo de potentia ad actum, vt sequenti articulo dicetur. Vt autem additio aliqua, vel subtractio variet speciem alicuius formæ debet addere vel subtrahere aliquod prædicatum quidditatiuum, vel modum talium prædicatorum intrinsecum, & essentialiter requisitum, non autem addere vel tollere solum aliquem modum diuersæ participationis in subiecto, vel additionem nouæ entitatis quasi integralis, sicut videmus in substantia materiali plures vel pauciores partes integrales addi, vel subtrahi, sine variatione speciei.

Ad primam replicam dicitur, non fieri intensionem per additionem nouæ entitatis, sed per maiorem radicationem in subiecto, vt dicemus sequenti articulo. Dicit autem D. Thom. ignorare propriam vocem, qui dicunt augeri formam per radicationem in subiecto, & non secundum essentiam, quia radicationem ipsam intelligebant non pertinere ab entitatem accidentis, cum tamen entitas accidentis ex se postulet inhærere, & participari in subiecto, & sic magis radicari sine dubio entitatem

entitatem ipſam inuoluit, & ita inquit D. Thom. in 2.2. locato citato, quod nihil eſt aliud ipſam ſecundum eſſentiam augeri, quam eam magis in eſſe ſubiecto, quod eſt magis eam radicari. De quo plura artic. 3.

Ad ſecundam replicam reſpondetur obſtare formæ ſubſtantili ne intendatur, quia non habet latitudinem & contrarietatem per quam ſit capax motus, & conſequenter intenſionis, vt iam ſuprà dictum eſt. Et licet ſpecies indiuiſibilis formæ ſtare poſſit cum augmento diuiſibili ſecundum magis & minus, hoc tamen in forma ſubſtantiali locum non habet, quia non ſolum in ſe habet ſpeciem, ſed conſtituit ſuum compoſitum, quod informat in ſpecie, vnde neque ex parte ſuæ ſpeciei, neque ex parte ſuæ participationis, & ſubiecti participantis, latitudinem fundat, ſed, ſi aliquo modo variatur, tota ſpecies variatur in ſe & in participatione ſubiecti. Secus eſt in accidente, per cuius participationem ſubiectum ipſum non conſtituitur in ſua eſſentiali ſpecie, ſed conſtitutum ſupponitur, vnde ex hac parte non impeditur forma accidentalis intendi & remitti. Nec tamen ex eo ſequitur, quod omnes formæ accidentales poſſint intendi, aut remitti, ſi alias conditiones non habeant, vt contrarietatem ſeu latitudinem, ita quod indiuiſibilitas in conſtitutione illarum non ſit intrinſeca, & de ratione earum ſicut in conſtituendis ſpeciebus quantitatis ſupra aduertimus, & in alijs ſpeciebus qualitatis latitudine carentibus, & indiuiſibilitatem includentibus.

Quod ſi dicas Ariſtot. in 8. Methap. tex. 10. & S. Th. ibi lect. 3. dicere, quòd materia forte ſuſcipit magis & minus. Reſpondet D. Th. 1.2. quæſt. 52. art. 1. id intelligi de materia ſecundum materiales diſpoſitiones non ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſecundum quã cõponit cũ forma indiuiſibilem ſpeciem naturæ.

Secundò obycies. Qualitas ſecundum ſe & antecedenter ad reſpectum ad ſubiectum habet contrarietatem, verbi gratia calor cum frigore quia habet contrarietatem cum illo, quam non emendicat à ſubiecto, ſed vbi eſt contrarietas eſt maxima diſtantia, ergo etiam eſt latitudo ſecundum magis & minus, & conſequenter intenſio, & remiſſio; imò iſta contrarietas formarum ſolum eſt penes gradus, quia in gradibus remiſſis non contrariantur qualitates, ſed in intenſis, in quibus ſolum ſe non compatiuntur, ergo non per ordinem ad ſubiectum dicuntur habere magis & minus, ſed ſecundum ſe *Item* ſi Deus ſepararet albedinem niuis & albedinem hominis, perfectior eſſet illa, quàm iſta, & non per radicationem in ſubiecto, quia extra illud ſunt, ergo ſecundum ſe; & ſic non repugnabit ſubſtantiæ intenſionem habere. *Denique* quia eadem eſt albedo in concreto & in abſtracto: ergo ſi in abſtracto non intenditur nec in concreto, vel è contra ſi in concerto intenditur etiã in abſtracto. Quod ſi accidens in cõcreto, vt albũ ſumatur non pro forma exiſtente in ſubiecto, ſed pro compoſito ex corpore & albedine, hoc non intenditur, quia aliquid quod includit, ſcilicet corpus non intenditur.

Reſpond. quòd licèt aliquæ qualitates ſecundum ſe fundent contrarietatem vt inter formam & formam, & nõ ſolùm ſecundum participationem ſubiecti (licèt exerceri nõ poſſit contrarietas, niſi in ſubiecto, quia contraria in eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt) tamen latitudo & diſtantia penes magis & minus in intenſione formarum non ſumitur penes cõtrarietatem aliquam inter formam & formam, ſed penes latitudinem participationis, & radicationis formæ in eodem ſubiecto *Et quando dicitur*, quòd vbi eſt maxima diſtantia etiam eſt latitudo penes magis & minus. *Reſp.* quòd eſt penes magis & minus in diuerſis formis, quæ non ſunt extremæ, ſed mediæ inter extrema contraria; magis autem & minus in eadem forma non fundat contrarietatem, & diſtantiam niſi reſpectu ſubiecti, in quo radicatur, & participatur; atque ita contrarietas inter formam & formam, ſiue penes maximam diſtantiam, ſiue penes formas medias conuenit formis ſecundùm ſe, diſtantia autem penes magis & minus in eadem forma, non conuenit ei niſi ſecundum diuerſam participationem in ſubiecto. Contrarietas ergo inter formam & formã prouenit ex ipſa natura talium formarum, licèt ſtatum perfectum requirat, vt contrarietas exerceatur, quod non fit niſi ingradibus perfectis, quia, imperfecti motus compatiuntur in eodem ſubiecto, vt latiùs dicemus infrà quæſt. 10. *Ad id vero* quod dicitur de albedine hominis, & niuis ſeparata. *Reſpondetur*, quòd vna illarum erit intenſior altera, non propter maiorem radicationem actualẽ in ſubiecto, quâ carent, ſed propter aptitudinalem quam retinet & ordinem quem dicunt ad ſubiectum. Quando autem D. Thom. dicit albedinem ſeparatam habere omnem perfectionem poſſibilem & non poſſe intendi, loquitur de albedine ſi eſſet ſubſiſtens, & neque actu, neque aptitudine reſpiceret ſubiectum *Denique ad id quod dicitur* de albedine in abſtracto & in concreto *dicimus*, quòd eſt eadem forma, ſed non in eodem ſtatu, nec cum eodem reſpectu, quia in concreto reſpicit ſubiectum, in abſtracto relinquit; vnde dicit D. Thom. 1.2. quæſtion. 53. art. 2. ad 3. quòd intenſio & remiſſio tribuitur accidentibus in conereto, & ita non dicitur magis albedo, ſed magis album: album verò pro compoſito non intenditur ratione totius, ſed ratione partis, ſcilicet ratione formæ, vt communicabilis ſubiecto.

ARTICVLVS II.

Vtrùm intenſio fiat per additionem gradus ad gradum, vel per maiorem radicationem in ſubiecto?

C*Onueniunt ferè omnes*, ad intenſionem qualitatis, aut requiri, aut conſequi maiorem aliquam radicationem in ſubiecto, quatenus qualitas intenſa firmior eſt, & tenacior in ſubiecto, & hoc eſt radicatio. *Caterùm difficultas eſt*, an ad iſtam firmitatem, quæ etiam augmentum eſt qualitatis, requiratur additio nouæ entitatis, ſeu formæ ad eum modum, quo fit augmentum in quantitate addendo nouam quantitatem, an verò ſine additione nouæ entitatis per additionem noui modi fiat hæc maior radicatio, & de ipſo modo etiam eſt difficultas, an ſit nouus modus addens nouam vim informatiuam, ſeu rationem formalẽ informãdi ipſi formæ, an verò ſolũ addatur nouus modus, qui ſit noua explicatio, ſeu applicatio eiuſdẽ formæ ſine noua rationis formalis additione. Et vtimur nomine *gradus*, cõmuniter in omni ſẽtentia, quia ly *gradus*, non ſolùm ſignificat diuerſã entitatẽ ſuperadditã, ſed etiã diuerſũ modum, & ita generaliter perfectionẽ intẽſionis nomine gradus deſignamus, ſiue fiat per additionẽ entitatis, & formæ ſiue per additionẽ modi, quia etiam diuerſus modus graduat. Vnde Caiet. qui additionem ab intenſione relegauit 2.2. q. 52. art. 1. tamen expreſſionem graduũ non abhorruit, vt ibidem patet §. ad euidentiam.

In hac rrgo parte pracipue ſententia reducuntur ad duas. Prima, quod intenſio fit ſecundum additionem vnius qualitatis ad aliam, quæ additio cum non

non corrumpat præcedentem, sed illi vniatur, & cõponat cum illa, habet se tanquam partialis qualitas, sicque imaginatur hæc sententia intensionem qualitatis ad modum augmenti quantitatis. *Secunda sententia docet*, quòd intensio fit sine additione nouæ qualitatis seu formæ, sed per eiusdem communicationem maiorem in subiecto, quæ nouam terminationem seu modum inducit in qualitate. Primam sententiam sequitur Scotus in 1. distinction. 17. quæstion. 3. & ex recentioribus Fonseca, Suarez, Vazquez, Rubio, Granados, & alij quos citant, Carmelitani hîc disput. 4. quæst. 8. Secundam sequitur, S. Thom. in 1. dist. 17. q. 2. artic. 2. & quæst. 1. de virt. art. 11. & 1.2. q. 52. art. 2. & 2.2. q. 24. art. 5. & communiter sequuntur omnes Thomist.

Cæterùm in vtraq; sententia explicanda plures aliæ sententiæ diuiduntur. Nam *circa primam sententiam quidam existimant*, illas partiales entitates seu gradus, qui formam intensam constituunt esse eiusdem rationis & æqualitatis, nec plus habere gradum secundum vel tertium, quam primum, reddi autem secundum, quia præsupponit primum, cui superadditur, & sic de reliquis. Alij vero existimant gradus illos esse diuersæ rationis, & gradum secundum non esse eiusdem perfectionis, & æqualitatis cum primo. Ita Pater Suarez, disp. 46. Meta. p. sect. 1. à num. 29. Ad hæc adduntur indiuisibilia, quæ istos gradus tanquam partes vniant, & similiter in ipsis gradibus datur latitudo secundum partes aliquotas finitas, & secundum partes proportionales in infinitum. Et vno verbo; omnia considerantur ad modũ augmenti in quantitate. Sunt tamen qui subordinationem admittant istorum graduum inter se, ita vt secundus præsupponat primum, & tertius secundum, naturali quadam subordinatione, & dependentia, vt à materiali dispositione & sic habent inæqualitatem indiuidualem, de quo videri potest Murzia disp. 2. de alterat. q. 5. Omitto sententiam illam Scoto antiquiorem cuius meminit Sanctus Thom. cit. loc. sent. art. 1. & postea sequutus est Durandus in 1. dist. 17. q. 5. & 7. & alij, quòd intensio producat nouã qualitatem totalem destruendo antiquam, hæc enim sententia non ponit eandem qualitatem intendi, & remitti, sed diuersam generari & corrumpi.

In sententia autem D. Thom. explicanda non parum etiam laboratur circa id quod intelligitur nomine radicationis, seu communicationis maioris, & communiter intelligitur esse aliquem nouum modum, sed valde diuiduntur Authores in explicando, quis modus sit, nam aliqui ponunt esse nouum modum qui præbeat qualitati nouam vim informandi subiectum quasi rationem formalem se communicandi. *Alij verò solum ponunt* modum nouæ terminationis, vel explicationis formæ in subiecto quod pertinet quasi ad vnionem, & applicationem ipsius. Vnde aliqui dixerunt esse nouam vnionem, seu inhærentiam qualitatis. *Alij* nouam existentiam. Alij nouam reductionem subiecti de potentia ad actum, esseque distinctum modũ ab inhærentia, & vnione. *Alij putant* consistere hunc modum in eo, quod plus abiiciatur de forma contraria, ita quod ipsa forma purior, & impermixtior maneat. Et redit hic eadem difficultas, circa præcedentes sententias, an videlicet isti noui modi habeant inter se aliquam subordinationem, nec sint eiusdem rationis & æqualitatis, an vero omnes æquales sint, & solum dicatur secundus vel tertius, quia præsupponit priorem.

Dico ergo primò: *Intensio non fit per additionem alicuius nouæ formæ, vel qualitatis siue quæ corrumpat pristinam, & nouam producat, siue quæ supponendo priorem, aliam producat tanquam partialem illique coniunctam, quæ maiorem efficiat.* Hæc conclusio ne expressa S. Thom. locis nuper allegatis, vbi ex professo quæstionem istam tractat, & resoluit, & quidem quod non producatur forma quæ corrumpat præcedentem, communiter ab omnibus admittitur, quia illa qualitas præcedens non potest destrui à superueniente, quia non est illi contraria, sed eiusdem speciei, nec ex defectu subiecti, vel causæ conseruantis, quia manent, vt supponimus: & quia alias vt diximus non esset intensio augmentũ, & perfectio eiusdem qualitatis, sed generatio nouæ, sicut non posset dici quãtitas augeri si corrumperetur præcedens, & alia de nouo produceretur.

Secunda vero pars, quod scilicet non fiat in intensione noua pars formæ, seu qualitas quæ addatur præexistenti, manifeste est D. Th. & præsertim videri potest loc. cit. ex 1.2. solum ad 2. vbi inquit: *Quod causa augens habitum, facit quidem semper aliquid in subiecto, non autem nouam formam, sed facit quod subiectũ perfectius participet formam præexistentẽ.* Et ad 3. inquit: *Quod id quod est minus calidũ, aut album non est in potentia ad formam, cum iam actu formã habeat sed est in potentia ad perfectũ participationis modũ, & hoc consequitur per actionẽ agentis* Et 2.2. q. 23. art. 5. *Formam*, inquit, *esse maiorem, est eam magis inesse susceptibili, non autem aliam formam aduenire, hoc enim esset, si forma haberet aliquam quantitatem ex se ipsa non comparatione ad subiectum.* Ergo secundũ D. Th. maior radicatio in subiecto non fundatur in noua entitate formæ sed in nouo modo participationis formæ. Vnde non solum negat D. Thom. fieri intensionem per additionem, ne videatur ponere distinctionem formarum, eo quod ad intensionem pertinet quod eadem forma remaneat; sed vlterius se explicauit D. Th. quod non fit per additionem intensio, quia non acquiritur noua forma, sed nouus modus, seu participatio formæ, ergo sentit absolute, non fieri intensionem per nouam entitatẽ, sed per modum.

Nec obstat, quod aliqui obiiciunt dixisse D. Thomam, ignorare propriam vocem, qui dicunt qualitatem intendi secundum maiorem radicationem in subiecto, & non secundum essentiam. Ex quo inferunt sensisse S. D. quod intensio non fit sine additione entitatis. Cæterum sensus D. Thom. clarissimus est, redarguit enim eos, qui volebant qualitatem intendi in subiecto sine hoc, quod intrinsece in se perficeretur; sed solum quia subiectum diuersimode se haberet in participando formã, ipsa forma omnino inuariata manente inde ipsa quod repugnat, & est ignorare propriam vocem, nec enim forma potest communicari subiecto per solam extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam immutationem, siquidem perficitur forma ex ipsa communicatione subiecti, siquidem ad hoc intrinsece ordinatur eius essentia, vt subiectum informet, vnde loc. cit. ex 2.2. art. 4. ad 3. postquam dixit D. Thom. quod ignorant propriam vocẽ, qui dicunt, charitatem non augeri secundum essentiam sed secundum radicationem, vel feruorem subdit, *quia nihil aliud est eam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse in subiecto, quod est magis radicari in subiecto*, ergo augeri secundum essentiam non est apud D. Thom. augeri per additionem, sed est idem, quod magis radicari & inesse subiecto, quod non sine mutatione ipsius entitatis intrinsece inuenitur in forma, per modum scilicet ei additum.

Supposito, ergo quod hæc est sententia S. Thom restat tradere fundamentum huius veritatis. Ad illud autem tradendum supponit S. Thomas tanquam certissimum, quod si augmentum intensionis fiat secundum additionem formæ ad formam, impossibi-

le est hoc intelligere sine aliqua distinctione, & numero formæ ad formam, idem enim sibi ipsi addi nō potest, & ipsa separatio graduum quando qualitas remittitur & perdit illos, manifestè ostendit distinctionem aliquam, eius quod perditur, & eius quod remanet. Quo supposito duo sunt, quæ in sententia Diu. Thom. incompossibilem reddunt intensionem per additionem qualitatis ad qualitatem. Primum, quia secundùm ipsum Diuum Thomam, non possunt duo accidentia numero solo distincta, & eiusdem speciei recipi in eadem parte, & indiuisibili subiecto, vt ostendemus infrà quæstion. 9. Si autem intensio fieret per additionem nouæ qualitatis eiusdem speciei, necessario reciperet idem subiectum diuersa numero accidentia, eò quòd quælibet ex istis qualitatibus, si sola sumatur, & sine coniunctione cum altera, est sufficens facere vnū indiuiduū accidentis, vt patet quando ante additionem manebat qualitas in subiecto indiuidua a sine illa noua parte superaddita, id ergo quod postea superadditur, de se etiam indiuiduari postulat à tali subiecto sicut præcedens, ergo iam sufficienter possunt duo accidentia indiuiduari ab eadem parte subiecti; peraccidens autem est quod coniungantur in vnum. Et in hoc fundatur id quod Diu. Thom. 1. 2. quæstion. 52. articul. 2. citat ex Philos. in 4. Physicor. text 84. quod non potest intensio fieri per additionem, *quia ex calido fit magis calidum nullo addito in subiecto calido*, repugnat enim Diuu. Thom. pro eodem, quod addatur calor, & quod addatur calidum, eò quòd calor non potest addi nisi addatur distinctum subiectū à quo indiuiduatur, & sic perinde est addi calorem, & addi calidum. Sed de hoc infrà tractandum est dicta quæst. 9. ideò in præsenti non oportet illud expendere.

Secundum ergo principium in doctrina D. Thom. est; quia nulla forma potest habere quantitatem, & partes nisi per ordinem ad subiectum, & per accidens, non autem per se, quia aliàs esset composita ex pluribus partibus, & sic non esset pura forma, sed aliquid constitutum, & compositum, quod est contra rationem formæ, quæ debet esse aliquid simplex, & pars componens, non autem res composita. Si autem forma adueniens non componit cum præcedenti, nec constituit vnum per se, solum erit qualitas intensa vnum per accidens, id est, plures qualitates remissæ in eodem subiecto constipatæ, vnde non esset ita vna qualitas intensa sicut remissa, nec motus intensionis esset circa eandem qualitatem, quæ magis aut minus esset talis, sed circa diuersas; & vlterius qualitas operatiua (sicut calor) quando esset intensa non posset vnica operatione operari, sed deberet plures operationes facere quia non procederet ab vnica qualitate, sed à pluribus, & sic faciens actū qualitatis intensum, faceret plures actus, & non vnū, quia procederet à pluribus formis remissis, quarū quælibet haberet operationem suam, quæ omnia valde absurda sunt, & inconuenientia.

Si ergo plures partes componūt vnam qualitatem, vel sunt partes integrantes illius, vel essentiales. Essentiales esse non possunt, tum quia sine qualibet illarum saluatur essentia qualitatis vt patet in qualitate remissa, tum quia partes essentiales si componunt vnum per se habet altera se habere, vt materia, altera vt forma, siue vt potentia, & actus, illæ autem partes siue gradus se habent vt formæ, quia informant subiectum, non autem vna se habet vt materia, altera vt forma, vel vt potentia actus, aliàs qualitas informaret qualitatem, tanquam forma materiam, neque illa quæ se haberet vt materia, esset actiua & operatiua per se, sed solum quando haberet actum suum, quo informaret, cum tamen videamus quòd tam pars remissa caloris, quæ videtur esse materia, quam intensa, quæ videtur esse forma operatiuæ sint, & actuales. Partes autem integrales esse non possunt, tum quia forma ex illis partibus non potest esse composita, quia de ratione formæ est, quòd sit principium compositi, non autem principiatum & compositum, sed simplex principium: tum etiam quia specialiter repugnat formæ, seu qualitati compositio ex partibus integrantibus, partes integrantes sunt materiales, & ratione materiæ conueniunt, vt infrà dicemus quæstione 9. eò quod partes integrales conueniunt in forma, & differunt penes quantitatem, siquidem sine qualibet illarum saluatur quidditas, & substantia rei, & sic additio partis integralis non facit additionem formæ. Cum autem formā sit id, quo aliquid constituitur tanquam principio, additio formæ per modum partis integralis non addit rationem formæ, sed potius materializat ipsam formam, & multiplicat secundum aliquid materiale non formale, & sic non facit formam perfectiorem, & magis talem in ratione formæ quod pertinet ad intensionem sed materialiter multiplicatam, quod pertinet ad extensionem, *Nec potest dici*, quòd sint partes integrales similitudinarie, eo modo quo in virtutibus assignātur partes integrales à D Thom. Theologis 2. 2. quæst. 48. & q. 128. & q. 143. Etenim istæ partes integrales non intendunt virtutes, sed important conditiones quasdam, vel dispositiones, seu habitus adiunctos principaliori virtuti, dantes diuersas operationes, & hæc etiam in virtute remissa inueniri possunt, sicut temperantia habet honestatem, & verecundiam; fortitudo fiduciam, & magnificentiam; prudentia memoriam, docilitatem etiamsi sint remissæ; qualitas autem intensa, & remissa non ita differunt, sed vtraque habet eandem rationem actiuitatis, vel operationis, licet non eundem modum perfectionis, non tamen vna se habet vt conditio, vel dispositio ad alteram.

Denique probatur conclusio, quia multiplicatio entitatum, quanto minor fuerit, tanto est conuenientior naturæ, si ergo non fuerit impossibile, neque inconueniens, quod sine additione formæ; & entitatis nouæ fiat intensio, talis additio non erit ponenda: quod autem hoc non sit impossibile, neque inconueniens probabitur amplius conclusione sequenti vbi ostendimus posse fieri perfectiorem vnionem alicuius formæ sine additione nouæ entitatis idque magis explicat vnitatem, & simplicitatem formæ, quia quanto minor fit additio tanto est simplicior in entitate, licet sit multiplex in virtute, pertinet autem ad rationem intensionis, quod formâ eâdem manente fiat perfectior, & virtuosior, ergo si hoc potest fieri per maiorem communicationē sui ad subiectū, sine additione nouæ entitatis, conuenientius hoc erit ad naturam intensionis.

Dico secundò. *Intensio non fit per additionem alicuius noui modi prabentis formæ nouam vim informatiuam, seu nouam rationem formalem informandi, sed nouam explicationem eiusdem formæ in subiecto tollendo confusionem, & potentialitatem ipsius & reducendo illam ad maiorem vnitatem, & subiectum magis subiiciendo ad talem formam, ex hoc antem consequitur, quod si habuerit contrarium, expellat illud, non tamen in hoc formaliter consistit intensio.* Ita sumitur ex D. Tho. in 1. dist. 17. quæst. 2. artic. 2. ad 3. vbi inquit: *Quòd non est de ratione intensionis alicuius qualitatis, quod sit per remotionem à contrario, sed hoc accidit qualitati secundùm quod est in subiecto participante contrarium, sed hoc est de necessitate intensionis, vt qualitas educatur*

educatur de imperfecto ad perfectum, sicut patet in diaphano, in quo nihil est contrarium luci, quod potest lumen intendi secundùm crementum virtutis dominantis. Hæc autem imperfectio est ex potentialitate ipsius naturæ, quæ subiicitur perfectioni, & actui, cum enim omnis potentia receptiua ad multa se habeat secundùm istam multitudinem ipsius dissimile est principio agenti, quod est terminatum ad actum vnum & secundùm quòd ista coniunctio potentialitatis magis subiicitur actui, perfectior perficitur actus, & ipsum perfectum magis efficitur vnum, & magis assimilatur principio agenti. Ita D. Thomas, qui etiam in 2.2.quæst. 24. art. 5. in corp. & ad 3. explicat istam intensionem fieri per hoc quod subiectum magis reducatur in actum, & per hoc quòd forma magis insit subiecto, & quod fieri maiorem ipsam formam, est eam magis inesse susceptibili, non autem aliam formam aduenire.

Vt fundamentum huius conclusionis tradatur, & explicetur, duo facienda sunt. *Primum*, ostendere, quod non repugnat vnionem, & communicationem formæ ad subiectum, habere latitudinem, & posse variari sine hoc quod addatur noua entitas formæ. *Secundum*, quod modus iste non debeat addere nouam vim informatiuam, sed nouum modum communicationis, & vnionis. Primum constat aliquibus exemplis, nam videmus quod eadem quantitas sine additione partium, & quantitatis nouæ potest mutare terminationem, & modum existendi in subiecto, vt infra dicemus q.7. sicut fit in rarefactione, & condensatione. Similiter forma substantialis animæ sine additione nouæ entitatis potest se diuerso modo explicare & vnire materiæ aduenienti per nutritionem, & in vna parte vnum effectum præbere in alia alium, vt in oculo dat potentiam videndi, in manu tangendi, & potest priuari vno effectu & non alio, & rursus effectum illum quem perdidit præbere, si materia debitè disponatur. Similiter ergo non repugnabit quòd eadem qualitas, diuerso modo subiectum actuet communicatione sua, & diuerso modo explicet suos effectus in materiam secundùm latitudinem, quam habet; cuius signum est ipsa contrarietas formarum, quæ potest magis perfectè, vel imperfectè tolli. Itaque non repugnat totam formam communicari subiecto, sed non totaliter, & secundùm omnem modum, vel effectum, quem potest illi præbere, & sic magis vel minus assimilare sibi subiectum, & reducere potentialitatem eius ad vnitatem actualitatis, sicut etiam totus Deus videtur à quolibet Beato, sed non totaliter, ideoque potest diuerso modo vniri, & se communicare sine additione entitatis per maiorem explicationem eiusdem. Similiter in gratia videmus, quod vnita vni subiecto explicat aliquem effectum, v.g. facere filium adoptiuum, quem in alio subiecto vt in Christo propter incapacitatem personæ facere non potest. Et species visibilis in aëre non reddit informatum subiectum repræsentatiuè, & intentionaliter, sed solum entitatiuè, in oculo autem etiam intentionaliter informat sine vlla additione entitatis, & similia multa alia exempla suppetunt, quæ manifestè ostendunt eandem formam sine additione entitatiua posse explicare diuersos effectus formales, vel eundem diuerso modo, propter diuersam dispositionem subiecti, quæ diuersimodè subiicitur formæ. Imò addo quod etiamsi intensio fieret per additionem formæ ad formam, adhuc necesse esset variari vnionem siquidem cum accrescit vna pars ad alteram partem, & ex vtraque fit vna forma, non potest illa vnio, quæ ante vniebat, & solum modificabat formam antecedentem modificare, & afficere illam nouam formam, quæ ex vtraque conflatur, ergo oportet nouam vnionem dari, sicut & nouam formam conflari, nisi fortè dicatur manere plures vniones partiales diuersarum partiū eiusdem formæ, quod tamen non tollit dari vnicam totalem, quæ ex omnibus conflatur, sicut datur vnica forma quæ ex omnibus illis partibus fit, vnio autem correspondet formæ, ergo sicut formalis totalis est diuersa, ita oportet talem vnionem variari.

Secundum vero explicatur, quia in defendenda sententia D.Thom. duo sunt modi dicendi. *Quidam enim ponunt*, produci per intensionem nouum modum, qui non solum se tenet ex parte vnionis, sed etiam ex parte ipsius formæ, seu principij informatiui, ita quòd addat illi nouam actualitatem, & vim informādi perfectius, quam sine illo modo, & hunc modum distinguunt ab ipsa vnione, & ab existentia, & inhærentia, vocantque illum modum radicationis. *Et fundamentum est*, quia nulla forma potest præbere effectum formalem perfectiorem, nisi in seipsa, & tanquam principium *quo* sit perfectior, & actualior, siue entitatiuè, siue modaliter, ergo præter vnionē oportet, quod forma ipsa perfectior reddatur, & actualior per modum, qui ipsi formæ det vim, & actualitatem informandi. *Alij verò dicunt*, quòd modus qui de nouo producitur, seu resultat per intensionem nō addit aliquid actualitatis, & rationis informatiuæ ipsi formæ, sed solum tenet se ex parte vnionis, & explicationis ipsius in subiecto.

Primus modus dicendi non ita est conueniens, neque perfectè videtur saluare sensum D.Thom. sed videtur ex parte relabi in sententiam impugnatā de additione entitatis ad formam, quæ intenditur vt intensior reddatur. Etenim si ipsa forma, quando redditur intensior, accipit maiorem vim informatiuam tanquam rationem formalem, ergo accipit additionem formæ, siquidem vis informatiua non est aliquid superadditum formæ, sed ipsa entitas, & actualitas formæ, non enim forma informat & causat effectum suū formalem per aliquid superadditum, sicut efficiens per virtutē superadditam efficit, sed per communicationē suæ actualitatis, & entitatis causat formaliter, ergo idem est accipere maiorem vim informandi, quòd accipere nouam actualitatem, seu entitatem formæ. Et hoc est quod opposita sententia dicit, scilicet fieri intensionem per additionem formæ, seu entitatis. *Et confirmatur*, quia ille modus non potest perficere vim imformandi, quæ erat in qualitate remissa, addendo ei virtutem informatiuam accidentalem, & distinctam ab entitate formæ, nec enim forma causat nisi per communicationem sui non per virtutem addditam vt efficiens, ergo per hoc quod ille modus se habet vt forma, seu formalis ratio dans effectum formalem intensionis, cum tamen remissa forma det effectum realem per aliquam realitatem, quod stare non potest, cùm forma intensa tota sit qualitas simplex, non partim qualitas, partim modus, & effectus correspondentes formæ vt intensæ reales sint, non modales tantum, sicut quod sit dispositio ad formam substantialem, quod maiores effectus operetur, &c. Ergo correspondent principio reali non modali. Denique si intensio in ratione intensionis formæ est modus, cum nō sit maior ratio de isto gradu quam de illo, omnes enim gradus per intensionem crescunt, sequitur quod omnis gradus præsertim certus, & aliquotus erit effectus formalis alicuius modi, & reliquum præter omnes gradus erit effectus entitatis formæ, quid autem est illud quod restat præter omnes gradus in qualitate; certè nihil. Similiter in hac sententia forma non intenditur secundùm eandem formalem rationem, sed vnus effectus formalis eius erit realis, & quasi essentialis prouenies à reali

à reali entitate formæ,alius modalis, & non entitatiuus, scil. qui pertinet ad argumentum, & sic non sunt effectus formales eiusdem omnino rationis, nec dicetur propriè intendi forma,quia non perficitur in ipsamet ratione formali priori,vt realis est,sed aliam accipit de nouo,quæ modalis sit. Quare hæc sententia non multum recedit ab ea, quæ ponit partes entitatiuas secundùm additionem gradus ad gradum, siquidem admittit,quòd forma dans affectum formalem remissum, non habet in se sufficientiam, quantum ad ipsam vim formæ, seu rationem formalem præbendi effectum intensum vt tenet se ex parte formæ, sed indiget additione nouæ rationis formalis, licet ponat illam in nouo modo, non in noua entitate formæ.

Si verò ille modus ponatur tanquam conditio,non vt ratio formalis informans, talis modus non potest distingui ab inhærentia, seu communicatione formæ, quia conditio requisita non potest esse aliud quàm applicatio,seu coniunctio ad passum, qua illa forma se explicat,& communicat subiecto perfectiori modo,& antea tota illa forma, & principium formale in subiecto erat,sed non totaliter, ergo modus qui postea acquiritur non pertinet ad vim informatiuam,& nouam rationem formalem ipsius formæ, sed ad nouum modum, qui sit conditio tanquam communicatio,vel applicatio de nouo illius formæ, qua non solum sit tota in subiecto,sed totaliter,& modo perfectiori, sine qua conditione, seu applicatione forma non dat illum effectum perfectiorem,qui entitatiuus quidem est,sicut effectus formalis remissus,& antea præhabebatur in forma,quia tota ibi erat, sed non explicatur totaliter in subiecto:

Et sic intelligitur mens D.Thom. qui perpetuo explicat intensionem formæ per nouam explicationem ipsius in subiecto,non per additionem nouæ vis informatiuæ: dicit enim: *Quòd intensio fit per hoc, quod subiectum magis ac magis terminetur illa forma, & magis participet illam, & acquirat perfectum participationis modum,* vt 1.2.q.52. art.2. *& per hoc quod subiectum magis reddatur in actu ipsius qualitatis.* vt q.1.de verit.art.11.*& per hoc quod forma magis educatur de imperfecto ad perfectum,* vt in 1.distinct.17. citata,*& per hoc quod qualitas magis insit subiecto, & radicetur,* in 2.2.quæst.24.art.4.ad 3. Quæ locutiones indicant modum aliquem applicantem diuersimodè formam subiecto,non dantem nouam vim informatiuam, & mutantem rationem formalem.

Quod si quæras, quomodò ista vnio mutetur per intensionem non addita noua ratione formali informatiua, ita quod ille modus sit noua vnio & noua existentia,& inhærentia formæ in subiecto? *Respondetur*. Quod vnio formæ cum subiecto requiritur ad duo. Primo, vt constituatur vnum ex forma,& subiecto. Secundo,vt mediante tali vnione & coniunctione, forma habeat esse in subiecto, quia ab illo dependet in existendo. Quantum ad hoc secundum non additur noua existentia ipsi qualitati, quia non additur noua entitas,sed tota entitas formæ iam præhabebatur in subiecto,& consequenter tota existentia quia existentia sequitur ipsam entitatem vt productam extra causas, vnde cum in nostra sententia tota entitas formæ sit in subiecto,etiamsi non sit totaliter, consequenter etiam si crescat per intensionem,non mutatur existentia, siquidem non mutatur entitas, & ita quantum ad hoc non mutatur vnio, seu inhærentia in ratione medij dantis existentiam entitati formæ. Quantum verò ad vnitatem, quàm facit forma cum subiecto, in hoc crescit vnio ipsa, seu perficitur, vel potius forma, quæ noua actione immutatur,vt subiectum afficiat, eo quod subiectum est in quadam potentialitate & indeterminatione ad multa, & secundum illam potest subiici diuersis formis,aut eidem formæ non vnico tantummodo & indiuisibili,sed vel magis confusè & potentialiter, vel magis actualiter & determinatè secundum reductionem ad maiorem vnitatem, & similitudinem cum forma. Et sic explicat D.Tho. d.illa 17. citata radicationem istam per maiorem reductionem ad vnitatem, & ad diuersum modum terminandi dissimilitudinem,seu confusionem, & potentialitatem subiecti ad actualitatem & vnitatem formæ. Et hoc sufficienter fit per ipsam vnionem,seu inhærentiam, quia ad vnionem pertinet facere vnitatem,& tollere confusionem, seu potentialitatem ad multa,quæ est opposita vnitati, ergo tunc perfectè forma communicatur subiecto,quando perfecta fuerit ista vnitas per ipsam vnionem,& hoc est magis radicari, id est,magis sibi subiicere potentialitatem subiecti, & eius indeterminationem, seu confusionem ad maiorem vnitatem reducere ad modum radicis arboris, quæ quanto plus penetrat in terra, tanto firmiorem reddit arborem.

Sed dices,vnio vt diximus,quæst.6.Physic. non est modus medians inter formam & subiectum, ergo si maior intensio consistit in maiori vnione,& illa non est modus, intensio non fiet per additionem modi, cum tamen S.Thom.expresse admittat modum in intensione,vt patet in 1.2.quæst.52.art.2.ad 2.

Resp. vnionem in nostra sententia non esse modum tanquam rationem, & medium formale vniendi,quia forma quæ secundum se est actus, secundum se habet rationem formalem faciendi vnitatem,siue accidentalem, siue substantialem, prout ipsa forma fuerit,& sic quia vnitas quæ resultat non est modalis,sed substantialis, vel accidentalis, ideò nec ratio formalis, nec medium vniendi est modus, sed forma ipsa Non tamen negamus inueniri aliquem modum in vnione antecedentem, vel subsequentem, quatenus extrema debent immutari, vel saltem vnum extremorum,vt vniatur,& dependens fiat,& ad vnitatem cum subiecto immutetur; ipsa etiam immutatio passiuè manens in ipso extremo vnito est modus subsequens vnionem,quod magis pertinet ad dependentiam seu statum, quem accipit ex vi vnionis forma,quam ad rationem formalem,seu medium vniendi,pertinet tamen ad intensionem,quia intensio magis præbet statum formæ in communicando se,quam vim formalem informandi.

ARTICVLVS III.

Expediuntur argumenta contra sententiam propositam.

MVlti conantur D.Thom.in contrariam sententiam adducere, & præcipuè fundantur in authoritate illa, quam iam supra explicauimus, quando dicit in 2.2.quæst.24.art.4. ad 3. quæst.1. de virt.artic.11.*Quòd propriam vocem ignorant,qui dicunt qualitatem intendi per radicationem, & non secundum essentiam*,ergo vult S.Thom.quod intensio fiat per additionem entitatis non autem per solam radicationem.Sed iam hanc authoritatem supra explicauimus, & de ea videndus est D.Thom.quodlib.9. art.13.vbi inquit: *Cùm dicimus charitatem secundum essentiam augeri, denotatur augmentum subiecti, vt sit sensus, ipsa essentia charitatis augetur, sicut cum dicimus album augetur secundum essentiam suam, non autem designatur forma specificans motum, vt sit sensus, augetur secundum essentiam,id est augmentum eius*

eius est motus in esse, vel in essentia, & sic dicitur augmentum esse secundum quantitatem. Ecce quomodo D.Th. interpretatur, quid sit augeri secundum essentiam, nō quidem per additionem nouæ entitatis, quasi motus augmenti sit ad nouam entitatem sicut ad terminum, sed quia ipsa essentia est res quæ augetur. *Nec obstat*, quod aliquando negat D.Th. charitatem augeri tanquam subiectum augmenti, negat enim quod charitas dicatur subiectū augmenti quasi inhæsionis, & vt *quod* & sustentans, non tamen quod dicatur subiectum modificationis, quia ipsa forma est, quæ distincto modo explicatur & communicatur subiecto, & sic modificatur ipsa communicatione.

Minus obstat, quod adducitur ex D.Th.3.p.q.7.a.12.vbi expressè admittit dari gradus in calore, & consequenter intensio fiet per additionem gradus non per radicationem. Ac denique additur testimonium Philos.4.Physic.tex.85.vbi inquit: *Quòd sicut ex calido fit frigidum, & è contra, quia eadem quæ erat in potentia, sic & ex calido magis calidum.* Si ergo parificat Arist. eductionem magis calidi ex minus, ipsi eductioni calidi ex frigido, sicut hoc fit per nouæ entitatis productionem, ita & illud. Nec sufficit eductio noui modi, quia hęc non potest intelligi in formis realibus, nisi per nouam entitatem dependentem à subiecto, ergo vbi datur maior eductio formæ, datur & productio entitatis.

Ad hæc facilè respondetur, quod in primo loco D. Thom. non intelligit nomine gradus nouam entitatem additam entitati præcedenti, sed nouam participationem eiusdem in subiecto, & hoc conuenienter appellatur gradus, quia sicut anima per gradus quos habet diuerso modo se explicat in materia, stante eadem entitate, & non omnibus partibus præbet eundem gradum, & formalem effectum, ita qualitas diuerso modo explicat actualitatem suam subiecto; & diuersus gradus non est diuersa entitas formæ, sed eadem diuerso modo se communicans, & effectus præbens.

Ad secundum locum dicitur, quod ex minus calido fit magis calidum sicut frigido calidum, non quantum ad entitatem productam, sed quantum ad entitatem producendi, quia vtrobique fit aliquid de nouo, & habetur terminus *à quo*, & *ad quem*, sed tamen quando fit calidum simpliciter, fit ex potentia ad calidum, quando autem fit magis calidum ex minus calido nō est in potentia ad formam, sed ad modum participationis formæ vt S.Th dicit 1.2.q.52.art.2.ad 3. quod vero dicitur non dari eductionem nisi sit productio, *distinguo*, eductio formæ quoad entitatem non est sine productione entitatis, *cōcedo*; eductio formæ quoad nouam explicationem, & modum participationis in subiecto, non est sine productione entitatis, *nego*; solum enim est melioratio formæ eductæ, & solum productio modi, non entitatis formæ.

Secundò arguitur ratione, quia intensio est motus realiter distinctus à prima productione qualitatis, & est vera alteratio, ergo debet producere realitatem distinctam prima qualitate, & non solum aliquem modum, quia alteratio primò & per se est ad qualitatem & non ad modum, & quia virtus intensa ratione intensionis habet maiorem virtutem producendi, quā non intensa, quia producit perfectiores effectus, modus autem non est virtus, neque producit effectus reales, qui illi specialiter correspondeant. Nec deniq; potest dari nouus modus inhærentiæ seu vnionis, nisi addatur noua entitas inhærens, alias eadem entitas duplici inhærentia inhæreret, ergo oportet, quod id quod additur sit distincta entitas sicut est distinctus motus: vbi autem motus sunt realiter distincti, etiam termini realiter debent esse distincti, alias si esset eadem entitas, etiam motus inter se identificarentur, quia quæ sunt eadem realiter vni tertio, sunt eadem inter se. *Confirmatur*: quia alias si intensio non produceret qualitatem, sed modum posset per solam productionem modi qualitas produci, quod patet, quia motus intensionis non habet minimum, sed incipit secundum successionem, non per primum mutatum esse, sed per vltimum non esse, ergo si per intensionē nō producitur entitas, sed modus, potest per intensionem incipere qualitas ab vltimo non esse gradus, & ita tota qualitas incipiet per modos.

Respondetur, intensionem esse motum realiter distinctum à prima productione qualitatis cum possit à diuerso agente, & pro diuerso tempore procedere, & similiter per se terminatur ad qualitatem tanquam vera alteratio, non tamen ad qualitatem absolutè & entitatiuè, sed ad qualitatē sub tali modo, scilicet, vt perficiendam & meliorandam, sicut transsubstantiatio est actio ad corpus Christi, licèt non producat illud absolute, sed sub nouo modo; & in hoc differt intensio ab aliis motibus, quia in aliis acquiritur aliquid distinctum ab illo quod inerat, vt in augmentatione noua pars, in motu locali nouum, vbi, & locus; in qualitate vero id quod prius inerat melioratur, & perficitur. Vnde non requiritur, quod nouam formam producat, sed eandem sub perfectiori modo attingat: ad hoc autem, vt motus seu actiones distinguātur realiter, non requiritur, quod termini sint realiter, & entitatiue distincti, quasi materialiter, sed sufficit, quod formaliter, alias omnis modus, qui producitur in subiecto, vt sessio, vbi, &c. non deberet distincta actione reali produci. Quando autem dicitur, quod *quæcumque sunt eadem vni tertiò, sunt eadem inter se*, in primis intelligitur quando sunt eadem vni tertiò simul, & non pro diuerso tempore. Deinde quod sint eadem vni tertiò re & ratione, id est sub eadem ratione & formalitate, non eadem vni tertio, quasi materialiter, & secundum diuersas formalitates, vel secundum quod aliquid est virtualiter multiplex, vt intelligit D.Th.1. part.q.28.art.3. alioquin multas habet instantias illud axioma. Quod vero additur qualitatem intensam ratione intensionis habere plures effectus reales, qui correspondent ei in quantum intensa. *Respondetur*, istos effectus non correspondere qualitati secundum se, neque soli modo intensionis superaddito, sed ipsi entitati reali formæ vt subest tali modo, & ideo vt aliqua virtus, vel forma producat nouos effectus, non requiritur additio entitatis, sed sufficit eadem entitas secundum diuersam formalitatem, & communicationem sui, sicut eadem anima secundum gradum sensitiuum producit diuersos effectus reales, quam secundū vegetatiuū, nec tamen requirit nouā entitatem superaddi ad illos, sed eandē diuerso modo communicari in materia. *Quod vero dicitur*, nouam inhærentiam postulare nouam entitatem. *Resp.* nouam inhærentiā formæ non prohabitæ in subiecto, nouam quoque entitatē formæ postulare, formę verò in subiecto pręhabitæ non postulare nouam entitatem, sed eandem nouo participationis modo subiecto communicare, & sic non tam dat nouam inhærentiam absolutè, quam nouam inhęrentiæ terminationem, vt in vltimo argumento dicetur.

Ad confir. resp. quòd si intensio non inueniat qualitatem in subiecto, sed illam primo producat, tunc non solum producit modum, sed etiam entitatem, si autem inuenit qualitatem productam, solum nouum modum superaddit, non nouam entitatem, sicut trans-

ſubſtantiatio corporis Chriſti ſi non ſupponeret illud in rerũ natura,ſubſtãtialiter illud produceret,modò autem non producit illud,ſed conuertit panem in illud ſub nouo modo.

Tertiò arguitur,quia vbi eſt realis ſeparatio eſt realis diſtinctio,ſed ſeparatur vnus gradus ab alio,v.g.ſecundus à tertio, vel à quarto, vt patet in remiſſione qualitatis, ergo iſti gradus realiter diſtinguuntur , & præſertim cum videamus quod continuatio calefactionis eſt ſimilis primæ productioni , & eiuſdem ſpeciei , & vera ac propria actio , & mutatio, ergo realem terminum,& entitatem poſtulat,nec enim eſt mutatio ſine nouitate, neque actio ſine termino producto. *Confir.* quia actiuitas virtutis agentis fit maior per additionem partium,& multitudinẽ formæ, ſicut ferrum candens actiuius agit,quam flamma ſtupæ,ergo etiam intenſio fiet per additionem partium ſiquidem illa eſt intenſio quę facit virtutem aliquam magis actiuam.

*Reſp.*gradus nũquam ſeparari à qualitate,ſed qualitatẽ ab illis,id eſt à quolibet eorum ſeorſum,licet nõ à tota collectione,quod eſt ſignum diſtinctionis modalis,ſicut corpus ſeparatur à quolibet ſitu , vel vbi, nullum vero vbi à corpore. *Quod verò dicitur* de continuatione calefactionis. *Reſpondetur*,quod continuatur ratione ipſius qualitatis ſeu formæ participatæ,& ſic eſt actio eiuſdem rationis cum prima productione qualitatis, eſt tamen diuerſa ex parte modi participationis;& ad talem modum producendum requiritur diſtincta actio & mutatio realis,nam etiam modi per realem actionem producuntur vt diximus , ſicut vbi & ſitus,& alij ſimiles,& ſic talis mutatio eſt cum nouitate eſſendi ſaltem in modo qui eſt terminus productus. *Ad confirmat.* dicemus quæſtione ſequenti agendo de actione, & reactione, & in quæſt.7.agendo de denſitate, vbi oſtendemus,quod ratione denſitatis , ſeu multitudinis partium, non datur maior intenſio qualitatis niſi occaſione illarum partium agens producat intenſiorem qualitatem , de ſe enim multitudo partium ſolum conducit ad conditiones actiuitatis , ſcilicet , vt velocius , vel perfectiori applicatione agens operetur , quibus tamen conditionibus poſitis poteſt agens perfectiorem , & intenſiorem qualitatem producere , vt ibidem latius dicemus.

Quartò arguitur, quia non poteſt intenſio fieri ſecundum perfectiorem modum vnionis, vel inhærentiæ, ergo debet conſiſtere in aliqua additione nouæ entitatis. *Antecedens probatur*, quia vnio & inhærentia qualitatis non eſt diuiſibilis , ſed ſemper eadem, quia naturaliter inhæret ſubiecto,& ſic inhæret quãtum poteſt;ſimiliter tota inhæret,& vnitur,ergo non apparet quomodo creſcere poſſit iſta vnio,præſertim quando entitas qualitatis eſt indiuiſibilis, vt qualitas ſpiritualis , & in eodemmet ſubiecto indiuiſibili intenditur, *Deinde*,quia in ipſa remiſſione non apparet à quo producatur minor illa vnio ſeu radicatio caloris , nam quando calor vt ſex remittitur vſque ad duo , non eſt à quo producatur vnio caloris vt duo; non ab agente remittente , verbi gratiâ, ab aqua remittente calorem, cum potius ſit agens contrarium, quod non poteſt producere calorem vt duo ; nec ab aliquo alio agenti,verbi gratiâ,igne vel aëre, quia in illam remiſſionem non habent influxum , ſi ſit caſus quod tunc non detur ignis approximatus , ſed ſolum aqua remittens. Et præterea , ſi quilibet modus gradualis, verbi gratiâ , vt duo vel vt quatuor eſſet indiuiſibilis,tunc ſi remittitur,aut tota illa vnio perit,aut nihil,ſi tota perit,remiſſio erit corruptio,quia pereũte tota vnione perit tota forma vnita, ſi nihil eſt intentum. *Et confirm.*quia ſi intenſio conſiſtit in maiori vnione,ergo qualitas vt intenſa, non poterit ſeparari à ſubiecto, ſiquidem ſtãte vnione non poteſt ſeparari,ſed remota, ergo ſi intenſio conſiſtit in vnione, vt intenſa,non poterit ſeparari, & ſic ſi Deus ſepararet albedinem niuis& albedinem hominis, illa non eſſe perfectior iſta.

Reſpondetur , vnionem illam habere aliquam latitudinem,ſicut ſupra pluribus exemplis monſtratũ eſt. *Et cùm dicitur* , quod inhæret naturaliter quantum poteſt , *diſtinguo* , quantum poteſt iuxta exigentiam ſubiecti,& diſpoſitionem agentis, *concedo* ; quantum poteſt abſolutè ex vi formæ,*nego* Et quia exigũtur tales diſpoſitiones vt qualitas intenſa ſit,ideò naturalis illa vnio ſemper facit quantùm poteſt iuxta exigentiã ſubiecti,& capacitatem;remotis autem omnibus impedimentis & poſita diſpoſitione requiſita ex parte agentis & paſſi, non ſtat qualitatem non intendi, & iſta intenſio tunc non fit ſine intrinſeca perfectione qualitatis , quia ipſe ordo participationis ad ſubiectum ſic diſpoſitum , aliquid intrinſecum eſt qualitati.

Ad aliam partem argumenti , à quo producatur gradus remiſſior remoto agente intendente , *dico* quòd procedit à duplici cauſa, vna per accidens, ſcilicet ab impediente perfectiorem illum & intenſionem modum vnionis , quatenus redditur ſubiectum indiſpoſitum,& inhabile ſicut qui tollit diſpoſitiones vt anima ſit in corpore, occidit hominem. Alia cauſa eſt per ſe , ſcilicet ipſamet forma ex qua emanat ille modus remiſſior ex vi prioris actionis , qua vnita fuit ſubiecto ab agẽte à quo fuit producta, quæ actio producentis,licèt formaliter modo non detur, virtualiter tamẽ manẽte forma producta quę fuit terminus eius, taliter enim fuit vnita ſubiecto,fortiore illa & perfectiore vnione,quod virtualiter retinet vnionẽ inferiorem, & remiſſiorẽ,ſi diſpoſitiones ad perfectiorẽ tollãtur,eo quod minus perfectũ virtualiter cõtinetur in magis perfectio , ſicut ſi tollatur punctum terminans lineam,reſultat aliud ex vi prioris productionis quãtitatis: iſti autem modi intenſionis quaſi terminationes quædam ſunt, quibus forma magis terminat , & ſubiicit ſibi potentialitatem ſubiecti , determinatur autem,vt reſultet potius gradus iſte, quam ille, verbi gratiâ , vt duo vel vt tria iuxta maius vel minus impedimentum oppoſiti agentis, & diſpoſitionem ſubiecti.

Denique ad id quod additur de illo modo ſi eſt indiuiſibilis. *Reſpondetur*, quòd illa vnio eſt indiuiſibilis entitatiuè , ſicut & ipſa forma diuiſibilis autem virtualiter, quia, vt ſuprà diximus, ſecundum vnitatem, quam facit forma cum ſubiecto, & actualitatem, qua illud reducit ad ſui ſimilitudinem , habet illa vnio creſcere magis & minus , eo quod licet forma ſit tota vnita , ſed non totaliter, & ſic bene ſtat quod entitatiuè ſit indiuiſibilis , reſpectiuè autem diuiſibilis ſeu virtualiter,quia non ſub omni reſpectu,& formalitate,qua participari poteſt,forma eſt vnita, etiamſi tota vnita ſit , vt ſtatim magis explicabimus in ſequenti argumento.

Ad confirmat.reſpond. quòd qualitas intenſa ſeparari poteſt , & dicetur intenſa non ratione vnionis actualis ad ſubiectum,iſta enim deſtruitur facta ſeparatione , ſed ratione ordinis & habitudinis ad ſubiectum cui ineſſe petit non quomodocumque,ſed cum tali vel tali modo participationis, qui pertinet ad intẽſionem qualitatis. Vndè ſicut in accidente ſeparato non manet inhærentia in actu,ſed in aptitudine, qua reſpicit ſubiectum cui debetur, & iſte reſpectus non eſt in potentia, ſed in actu in ipſo accidente ſeparato, licèt

licèt inhærentia ipsa non sit in actu, ita remanet respectus talis, vel talis modi inhærentiæ secundum quē fit intensio, & licet actu non habeat illam vnionem, actu tamen habet respectum, & aptitudinem vt sic vniatur, & ratione illius dicitur actu intensa per ordinem ad subiectum non cui actu vnitur, sed quod actu respicit, & quod ei debetur, vt vni actui tali modo.

Vltimò arguitur, quia per hoc quod fiat intensio per istam radicationem non euitamus inconuenientia alterius sententiæ, quæ ponit per additionem partium, nam vel ponimus plures vniones eadem forma quæ sic radicatur, & explicatur in subiecto, vel vnicā: si plures, ergo iam admittimus in eodem subiecto plures modos numero diuersos, quod in alia sententia euitare intendimus, ne ponat plura accidentia numero distincta in eodem subiecto. Si vnicam vel est diuisibilis, vel indiuisibilis, ergo facta intensione, vel remissione, quælibet vnio corrumpetur, cum intensio consistat in maiori vnione, & consequenter corrumpit minorem, & si est diuisibilis totam corrumpit, corrupta autem vnione corrumpitur forma vnita, & sic incidemus in illam sententiam quæ dicebat intensionem fieri per corruptionem vnius partis, & additionem alterius. Et deinde si quilibet motus intensionis est indiuisibilis, ergo non potest terminare motū intensionis, quia motus non solum requirit indiuisibilia, sed etiam partes, cū motus sit diuisibilis. *Nec potest dici*, quod vnio entitatiua est indiuisibilis, & virtualiter diuisibilis: nam cum ipsa qualitas dicatur intendi penes modos, & non penes entitatem, & istos modos dicimus esse vniones, ergo in ipsis debemus ponere diuisibilitatem, & latitudinem; si autem ponimus, quod entitatiuè sunt indiuisibiles, & virtualiter diuisibiles, rursum restabit alius modus talis vnionis, quo diuisibilis reddatur, & de illo rursus fiet idem argumentum an sit diuisibilis, vel indiuisibilis, & sic in infinitum. Si verò dicatur vnionem esse diuisibilem per partes, ruit fundamentum nostræ sententiæ, iam enim ponimus partes in vnione, & ita si in illa non repugnat non obstante indiuiduatione eius in eadem parte subiecti, cur repugnabit diuersas partes qualitatis dari in eadem parte subiecti? Imo hinc deducitur argumentum contra nostram sententiam, quia per motum intensionis non solum acquiruntur indiuisibilia, sed etiam partes secundum distantiam, & latitudinem quam habet. Postquam ergo acquisiuit gradum vt duo, verbi gratiâ, immediate post non potest acquirere aliquid indiuisibile, sed diuisibile: illud ergo diuisibile, vel est pars modi, vel qualitatis, si qualitatis, habemus intentum; si modi, ergo modus est diuisibilis, & consequenter etiam res vnita.

Respond. vnionem qualitatis intensibilis esse vnicam, & eandem entitatiuè, sicut & ipsa forma vnita, cui omnino proportionatur, esse autem diuisibilem terminatiuè, & respectiuè, quatenus facit maiorem, vel minorem vnitatem subiecti, cum forma, eò quod magis illi assimilatur, & tollitur confusio potentialitatis, quæ est in subiecto ad plura & reducitur ad maiorem subiectionem ad ipsam formam, quod est facere maiorem vnitatem, & conuenientiam cum illa. Vt enim suprà diximus duos effectus fortitur forma ex vnione, primus est habere existentiam dependenter à subiecto cui vnitur, & quantum ad hoc diximus non variatur vnio, quia existentia sequitur ipsam entitatem formæ, quæ entitas indiuisibiliter est eadem vt dictum est: secundus effectus est facere vnitatem, & conuenientiam cum subiecto, & in hoc admittit latitudinem, non in ipsa entitate vnionis, quæ non distinguitur à forma, sed in ipsa terminatione & respectu maioris conuenientiæ. Neque hoc est dare modum modi, vel procedere in infinitum, sed ipsa qualitas vnita diuersimodè perficitur in vnitate, quā facit vnio quantum ad eius terminationem qua fit maior conuenientia eius cum subiecto reducendo confusionem potentialitatis ad vnitatem formæ; & sic non restat alius modus vnionis, sed alius effectus ipsius vnionis secundum diuersam terminationem ad subiectum, & diuersam vnitatem, quam facit cū illo, & in hac terminatione, seu effectu participationis, & conuenientiæ vnio illa diuisibilis est, & hoc est virtualiter esse diuisibilem, id est, ratione effectus, & terminationis, entitatiuè autem esse diuisibilem, id est, ex parte entitatis, seu formæ vnitæ. In istis autem effectibus, seu terminationibus nō est dare plures simul in subiecto, sed successiuè, quia cum intenditur qualitas, destruitur præcedens terminatio gradus remissi, & acquiritur noua, quæ perfectior est, & continet totam rationem præcedentis gradus, sicut figura tetragonum continet trigonum, id est, figura sex angulorū figuram trium, & sicut in quantitate quando crescit, destruitur præcedens terminatio, & inducitur noua, non autem duæ terminationes sunt simul, nec duæ figuræ, & sic nunquam saluatur quod duo modi, vel duo accidentia, vel duæ terminationes solo numero distinctæ sint simul in eadem parte subiecti.

Ad instantiam quæ fit ex parte motus intensionis, *respondetur*, quod licèt quælibet terminatio gradualis sit indiuisibilis, tamen inter vnam terminationem, & aliam datur transitus per modum latitudinis, & distantiæ in fieri, non quia sint partes qualitatis acquirendæ inter modum, & modum, sed quia ipse modus, qui acquiritur, dum est in fieri, est per modum diuisibilem, dum est in facto esse, est per modum indiuisibilem, sicut in motu locali, mutatum esse est indiuisibile, & inter duo mutata esse non dantur partes permanentes, sed fluxus, & fieri, quod per mutatū esse terminatur, & constituitur in facto esse, nec enim proceditur de vno indiuisibi ad aliud immediate, sed mediante fluxu & fieri, quod habet latitudinem vincendam. Quare non oportet ad motum siue localem, siue alterationis assignare plures vniones partiales, nec plures partes qualitatis permanentes & in facto esse simul, sed solum in fieri, & tendentia, qua de vno termino, & mutato esse transitur ad aliud per fluxum, & tendentiam, & cum datur alteratio in qualitate de vno extremo ad aliud, seu de qualitate vnius speciei ad aliam, & transitur per diuersas species medias, inter quamlibet speciem mediam datur motus, & tamen non acquiruntur partes intermediæ, sed de vna specie fit transitus ad aliam, medium autem non est species aliqua partialis, quæ ibi inueniatur, sed ipsum fieri qualitatis, & fluxus, tendens de vno extremo ad aliud est latitudo ipsa vincenda per motum, quia inter quodlibet factum esse datur fieri. Sic ergo non est necesse in intensione signare indiuisibilia, & partes entitatiuas permanentes, quarum vna addatur ad aliam, & componat cum alia, sed sufficit dari transitum successiuum, & fluxum, seu fieri de vna terminatione ad aliam: sicut cum in quantitate tollitur vna superficies terminans, & transitur ad aliam, immediatè post non inuenitur terminatio, siquidem immediatè post sequitur pars, sed inuenitur tendentia ad terminationem, id est ad aliam superficiem. Quæ verò ab oppositæ sententiæ Authoribus de partibus permanentibus qualitatis, & indiuisibilibus eas vnientibus dicuntur, est facere qualitatē sicut continuū, & ad modum augmenti extensiui quantitatis, sicut D. Thom. dixit imaginari eos qui qualitatem per additionem ageri putant in 1. dist. 17. quæst. 2. artic. 2.

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

De Actione, & Reactione.

DE Actione, & reactione agit Arist. à c.6. huius Libri vsque ad 10. *Nos autem agimus de illa immediatè post tractatum de intensione, quia reactio, & repassio est generalis quædam conditio in alterationibus physicis, & ad corruptionem tendentibus, mixtio autem & similiter condensatio, & rarefactio sunt alterationes minus generaliter conuenientes, & ideò de illis agemus post actionem, & reactionem.*

ARTICVLVS I.

Vtrùm aliquid possit agere in se ipsum saltem per accidens?

HÆc est prima conditio requisita ad actionem, & reactionem, scilicet vt non sit identitas inter agens & passũ, & quod talis conditio requiratur ad agendum per se, & directè in aliquod passum tractauimus 7. Physic. q. 22. an vero saltem per accidens, & quasi consecutiue possit aliquid agere in se ipsum, quando scilicet agendo in aliud reflectitur ad se ipsum, in præsenti tractabimus; hoc enim fit, vel per reflexionem, vel per antiperistasim. Prius oportet fundamenta illa, quæ tradidimus in 7. Phys. in præsẽti vberius explicare, ex illis enim dependet tota huius veritatis resolutio.

Igitur tanquam certum in Philosophia proposuimus præfato loco illud axioma Arist. tenendum esse *quòd omne quod mouetur ab alio mouetur*, quod diximus verificari vniuersaliter de omni agente per motum, seu procedente de potentia ad actum, explicaturque à D. Thom de eo quod mouet, & mouetur per se primo, ad excludendum id quod se mouet ratione partium, ita vt vna pars sit mouens, & alia sit mota, tale enim mobile dicitur non mouere, nec moueri per se primo, sed per partem, id autem quod conuenit alicui per partem, non conuenit per se primo, imo motum in partem nomina Philos. motum per accidens in 5. Physicor. quia ipsi toti conuenit per aliud, id est per ipsam partẽ quę distinguitur à toto: alioquin si intelligimus illud axioma, quod omne quod mouetur ab alio mouetur, idest, ab alio supposito distincto, falsificaretur in viuentibus, quibus vna pars mouet aliã, vel ex vno actu proceditur ad alium, & sic dicuntur mouere se ipsa. Intelligitur ergo prædictum axioma quod omne quod mouetur, non primo & per se mouet seipsum, sed ab alio mouetur, siue sit aliud tanquã quoddam distinctum, siue sit tanquam pars, vel tanquam actus diuersus, sicut ex actu finis fit motus ad media, ex principiis ad conclusiones: quod autem eadem res primò & per se sit mouens, & mota est impossibile, & hoc dicimus esse habendum pro principio in Philosophia, quia fundatur in ipsa essentiali natura motus, quæ est de quodam in quiddam, de potentia ad actum, id est per id quod habet de actu, ad id ad quod est in potentia. Vnde Philos. in præsenti libro 1. de Generat. tex. 48. intulit contra Democritum, quod si simile ageret in simile, etiam idem ageret in seipsum, quasi hoc sit maximum inconueniens, nec possit vllo modo admitti.

Ex duplici tamen capite potest hoc axioma eneruari, & restringi. *Primò* dicendo, quod non potest idẽ agere in seipsum, & in eandem partem motu generatiuo, vel corruptiuo, nihil enim potest se generare, vel se destruere, aliis tamen motibus vt locali, & augmentationis, & multò magis motibus spiritualibus potest idem agere in seipsum, & se mouere. *Secundò*, quòd non potest idem agere in seipsum, vel se mouere secundùm eandem rationem, bene tamen secundùm diuersam, id est, secundum quod est in actu potest se mouere, & secundùm quod est in potentia moueri. Nec sequitur quod erit simul in actu, & potentia eodem modo, sed virtualiter in actu, & formaliter in potentia. In summa sufficit habere virtutem actiuam in se, vt possit agere in seipsum tanquam in subiectum, & per formam in materiam & fauet S. Th. quæstion. 8 de Verit. articul. 6. ad 7. vbi inquit: *Quod licèt aliquid quod est in potentia essentiali, non possit seipsum reducere ad actum, sed per aliud, tamen quod est in potentia accidentali sicut habens habitum, dum non considerat, potest per seipsum exire in actum, nisi dicatur quod reducitur in actum per voluntatem, qua mouetur ad actum considerandum.* Quod verò dicitur requiri ad motum, quod ex vna parte motus transeat ad aliam, & ideò prius ipsa virtus mouens debet esse in actu mota, quam moueat, & immutet id quod est in potentia, non cogimur intelligere de actu motus, quo constituatur mouens in actu, sed de ipso motu qui est effectus, qui cum successiuè fiat, prius attingitur vna pars, quam alia, & sic dicitur exire de vno in aliud.

Nihilominùs explicationes istæ sufficientes non sunt, sed intelligi debet propositio allata in tota sua latitudine, & vniuersalitate in quocumque genere motus; atque ita vbi inuenitur progressio de potentia ad actum oportet quod quod nõ moueat seipsum secundùm eundem actum. Nec sufficit habere virtutem operatiuam per quam dicatur aliquid esse in actu ad mouendum seipsum vt est subiectum receptiuum motus, sed oportet quod constituatur in actu vltra ipsam virtutem per aliquem motum, quo moueatur ad aliam partem motus, vel ad alium actum. Et hunc motum per quem est in actu ad mouendum, non potest ab ipsamet virtute habere, siquidem illa vt operetur, exigit motum, ergo quando primò operatur, ab alio habet illlum, à se enim habere non potest nisi operando,

rando, nec operari nisi supponendo motum. *Ratio huius est*, quia virtus mouens, & agens solum est principium *quo* agendi, & similiter est de se indifferens, & in potentia ad plures actiones saltem in indiuiduo. Ex eo autem quod est principium *quo*, sequitur quòd non sit mouens, sed ratio qua aliquid mouet quia omne principium *quo* debet esse alicuius quod se habet vt principium *quod*; vnde illud quod mouet, est subiectum in quo est talis virtus, ergo oportet, quòd concurrat cum tali virtute actiua, non vt in potentia, neque vt patiens ab ipsa, sed in actu & vt agens per illam saltem radicaliter,& vt principium *quod*, atqueadeo prout sic non patitur à tali virtute sed agit mediante illa. Nec oppositum potest percipi, nisi imaginando, quod calor non autem ipsum calidum est calefaciens, seu mouens, quod est dicere calorem non esse principium *quo* calefaciendi, quia principium, *quo* est id, quod aliquid est ratio agendi, & sic supponit alterum cui coniungitur vt agenti, & mouenti *quod* per talem calorem; numquā ergo virtus quæ est principium *quo* est mouens, & subiectū eius est motū ab ipsa siquidē hoc ipso quod dico virtus mouens, ibi iam intellegitur subiectū mouens,vt quod, ergo non distinguitur ibi virtus vt mouens, & subiectū vt motum, sed vtrúmque vt mouens;& eadem ratione neque forma est mouens respectu materiæ, tum quia forma solum est ratio agendi vt *quo*, ipsa quidem substantialiter, & primario, accidentia autem actiua, vt eius instrumenta, & sic eadem ratio currit, ac de illis: tum quia materia sola non est capax motus propriè dicti, sed solum mutationis; motus enim requirit subiectum completum in actu, vt constat ex Philosoph. 5. Physic. & ibi aduertimus quæstion. 19.

Ex eo autem quod ista virtus motiua sit indifferens,& ad plura se habens saltem in indiuiduo, sequitur quod ipsa non sufficit mouere determinatè,& in singulari nisi vt mota, ita vt prius debeat esse in actu determinatè, quam se reducat de potentia in actum *Et huius ratio est*,quia si aliqua virtus est in potentia ad producendum aliquid,& non in actu, oportet,quod vt producat illud moueatur seu mutetur de potentia ad actū,quia ex potentia vt potentia, id est, vt est in statu potentiali non procedit actio; licet enim ex potentia actiua, vt actiua est, procedat actio, tamen quatenus habet statum potentialem illa actiuitas, actio non procedit, nisi talis status tollatur,& ipsum tolli est moueri, Vocamus autem statum potentialem, quamdiu aliqua virtus non est vltimo determinata ad aliquam operationem, vel effectum, sed ita potest operari hoc, quod est adhuc suspensa vt operetur aliud, vel potest etiam impediri, & non operari, tunc enim restat aliquid vt vel expediatur, seu tollatur impedimentum, vel vt tollatur suspensio, & determinetur in singulari ad hoc potius quam ad illud, & multò magis si debeat determinari ad ipsam speciem actus, vel ad aliquam conditionem requisitam. Nihil autem alliud est actuari. seu habere statum actualem agendi,quàm vltimo determinari determinatione tollente potentialitatem, & suspensionem non tollente potestatem, & vniuersalitatem agendi diuersos actus, eò quòd potentialitas, quandiu non est determinata,non est adæquata actui seu effectui faciendo, nec plenè proportionata: restat enim aliquid semper, quo vltimate illi adæquetur vt exeat actio in singulari. Illa ergo virtus quæ operatur supponendo potentialitatem ad operandū, oportet quod mutetur de tali potentialitate ad actualitatem, & talis mutatio non potest nasci à se, quia vt nasceretur, deberet esse sublata potentialitas,ergo ab ipsa potentialitate tolli non potest, sed supponere quod sit mota, & sic sublata potētialitate operabitur.

Quod si de se sufficienter sit determinata in actu, & nullo modo in potentia, operabitur non per motum,& transeundo de potentia ad actum (de quo solum loquimur in præsēti)sed vel per simplicem emanationem,vel per actum excludentem omnem potētialitatem ad agendum qui est actus purus.Emanatio autem licèt respectu essentiæ; à qua passio dimanat non dicat motum, sed simplicem dependentiam, tamen quia hæc essentia habetur à generante producentem formam, scil. proprias passiones, respectu talis generantis & mouentis, iam supponitur moueri ab alio, & non à se.Quare virtus procedens de potentia ad actum in operando, oportet quòd procedat vt mota prius tollendo talem potentialitatem & hoc non à se,sed ab alio, quia non potest tolli nisi per operationem,operari autem non potest,quamdiu est in potentialitate, ergo prius est sublata potentialitas quàm operetur, ergo ab alio debet tolli,& cum non sit processus in infinitum in mouentibus, oportet, quòd primi motus alicuius operantis reducantur ad causas extrinsecas, & illi tandem ad primam causam.

Nec tamen propter hoc reducuntur omnes isti motus ad proprium generans, sed dicimus quòd ad primā causam,quia vt reducatur ad generans, requiritur quod sint tales motus,quod pertineant ad ipsum primum statum,seu instans primum naturæ & naturam vt genitam, & ad motus qui sunt naturæ vt natura, quia scilicet sunt motus quibus mouetur, non præcisè mouent aliud,sicut calefactio ignis non est operatio ei data à generante,quia in illa non explicatur motus naturæ, quia in illo non mouetur, sed mouet aliud.

Ex qua doctrina colligitur primò,quòd etiam viuētia in suis primis motibus, quibus constituuntur in actu, vt possint se mouere in alios actus, indigent mouere extrinseco, eò quòd etiam in illis primis motibus verè mouentur, & operantur exeundo de potentia ad actum.Et benè stat quòd viuens eliciat actiuè illum primum motum, & tamen non moueat se,sed ab extrinseco moueatur,quia ille primus motus nō se habet vt propria passio ipso viuente merè passiuè se habente, sed est propria actio, vtpote vitalis egrediens,&elicita ab ipso,in virtute tamen generātis,& mouentis extrinsecè,eò quòd est vita habita & participata ab alio,& consequenter potest esse mota & inchoata ab alio. Et sic motus cordis & primus motus intellectus, & voluntatis ab extrinseco mouente sunt licet ab intrinseco eliciantur, quia cum perfectior viuētis consistat in eo operari,& in quiescere,& hæc est operatio vitæ, qua scilicet mouet se, mouetur autem,quia per motum mouet, necesse est, quòd à generante detur illi, non solum virtus mouendi, sed etiam virtus mota, id est, constituta in actu vt se moueat, siquidem virtus non est in actu, sed in potentia vt moueat,& operetur, & ita indiget moueri, & esse motam vt moueat, ergo necesse est. quod à generante constituatur virtus viuentis mota, quia pertinet ad primum statum naturæ viuentis, & non potest esse mota à se ipsa ob rationem dictam, quia vt seconstitueret motam, deberet operari; operatio autem cum fiat per motum, supponit esse mo am, debet ergo ille primus motus fieri non à se, sedab alio extra scill.à quo se vita ipsa participatur, ideoque in primo motu vitæ participatæ non est necesse, quod se moueat viuens, sed quod participet motum vitæ, & inchoatiuè viuat non complete, & cōsummate; incipit enim motu illo se mouere,quatenus constituitur in actu se vt in sequēti actu moueat, &

& quia hoc debetur viuenti in ipſo primo inſtanti,
quia eſt perfectio propria,& illi debita,ideò ſicut res
inanimata generatur vt quieſcens in loco proprio,
quia debetur illi quies, per accidens autem, ſi non
ſit in loco proprio,mouetur à generante,vt tendat ad
illum, ita oportet quòd viuens non generetur vt quie-
ſcens, ſed vt motum vt moueat, & ſic pertinet ad
cauſam generantem animal dare motum cordis, qui
eſt primus motus vitæ, & ad generans ſpiritum
pertinet dare primum motum intellectus & vo-
luntatis, quo incipiat ſe mouere in illo genere vitæ,
nam etiam vita intellectiua in nobis eſt participata,
&operatur exeundo de potentia ad actum,&ſic ope-
ratur vt mota.

Secundò colligitur primum illum motum cordis,
vel intellectus aut voluntatis, vel quemcunque ali-
um primum motum cuiuſcunque rei, non poſſe eſſe
deficientem ſi de facto datur, niſi deficiat ipſum mo-
uens, ſicut ſi generans eſt debile, poterit quoque
producere motum cordia debilitatum, & ſimiliter
ſi intellectus & voluntas poſſet moueri in primo ſuo
motu virtualiter, vel formaliter ab aliquo agente
deficiente poſſet quoque ille motus eſſe defectuoſus.
Et dico *formaliter*,vel *virtualiter*, quia licèt in omni
operatione quæ de nouo incipit, Deus ſit primum
mouens,& prædeterminans formaliter, tamen ſi ſup-
ponuntur alij actus præceſsiſſe,ita quòd illa operatio
non ſit ſimpliciter omnium prima, tunc poteſt in
virtute præcedentium actuum incipere motio iſtius
nouæ operationis: nec tenetur Deus mouere iuxta
modum ſuum, ſed poteſt ſe accommodare iuxta mo-
dum relictum virtualiter ex prioribus actibus, &
ideo in aliis operationibus quæ de nouo incipiunt
poteſt aliquis incipere defectuosè ſine hoc quod at-
tribuatur defectus primo mouenti,ſed prius diſponē-
ti.Cęterum in motu qui eſt omnium primus,nec ſup-
ponit alium etiam vt diſponentem,determinatio eius
non poteſt oriri ex aliquo priori actu, nec iuxta illū
accommodari primum mouens ad mouendum, & ita
nec formaliter, nec virtualiter mouetur à ſe, ſed ſolū
à primo motore operante iuxta modum ſuum,& non
iuxta accommodationem relictam ex aliquo priori
actu in ipſo mobili: vnde ex vi talis motus non po-
teſt ſequi aliquis defectus in mobili.Et licet propter
indifferentiam ſuæ potentiæ & libertatem,poſſit non
operari, & non ſequi illum motum primi motoris,
quia mouet non cogendo libertatem, nec tollendo,
tamen ex hoc non ſequitur,quod poſſit illud mobile
deficere,& peccare,ſed ſolū poteſt nō facere per ne-
gationem,aut ſuſpenſionem actus,non ex vi dictami-
nis alicuius deficientis, ſine quo nulla omiſsio, vel
commiſsio peccaminoſa eſt voluntariè. Et ita aliud
eſt poſſe non facere,quantū eſt ex meritis potētiæ &
obiecti,quod pertinet ad libertatē vt nō operetur co-
actè, aliud eſt poſſe nō facere peccando, quod re-
quirit facere cum deficientia in principio volente &
in dictamine proponente,quod dictamen in illo ſtatu
primæ operationis non eſt dabile, cum à ſolo Deo
moueatur,ſicut nec in beatitudine ratione ſtatus op-
timi, nec in Chriſto ratione perſonæ Diuinæ.Et ſic
à poſſe non facere ad poſſe non facere peccando,
ſemper mutatur appellatio etiam reſpectu eiuſdem
actus.

Tertiò colligitur, quòd actus immanens licet reci-
piatur in agēte,non tamen eſt idem mouens, & mo-
tum primo & per ſe, & ſimiliter in emanatione paſ-
ſionum, vt frigoris ab aqua calefacta. *De primo con-
ſtat*,quia licet ſit idem agens & recipiens actionem,
non tamen eſt idem mouens, & motum, quia vt di-
ctum eſt aliud eſt elicere actum,aliud mouere,&mo-
ueri,nam etiam virtus eliciens debet eſſe mota vt eli-
ciat,& ſic prius eſt moueri quam elicere actionē.Nō
eſt autem contra rationem virtutis actiuæ quod ſit in
potentia ad ſuſtentandum actionem, & vt ſibi inhæ-
reat:eſt tamē contra rationē potētiæ actiuæ vt agat,
& eliciat actionem ſi eſt in potētia determinabili,&
ſuſpenſa ad agendum,quę in determinato non poteſt
tolli ab ipſa per ſuam operatioēm, ſiquidē vt operetur
exigit determinari,& ideò,eſſe mouens, & motū op-
ponuntur circa idem tanquā potentialitas indetermi-
nationis,& actualitas determinationis ad agendū,po-
tentia autē ſuſtentans in eſſe, & recipiens per inhæ-
ſionem,non pugnat cum ipſa virtute actiua ad agen-
dum,quia poſſe ſuſtentare aliquam actionem vel for-
mam etiam fundatur in actualitate eſſendi, quia per-
fectius eſt eſſe ſuſtentans,quā inhærens.Præterquam
quòd actio immanens non ſecundum idem procedit
& recipitur,nam procedit in intellectu à potentia &
ſpecie, recipitur autem in ſola potentia;in voluntate
verò procedit ab appetitu vt actuato per propoſitio-
nem obiecti & moto à cognitione, recipitur verò in
ſola potentia voluntatis.

Quod verò attinet ad emanationem propriæ paſ-
ſionis iam oſtendimus in q.12.Phyſicor.& q.23.quo-
modo emanatio non diſtinguatur ab actione generā-
tis,& ita iā ſupponit aliquid diſtinctum à quo proce-
dat,& à quo ſit,quod iterum oſtendemus vberius, q.
2.de anima a.2.

Vltimò ſequitur,bene poſſe aliquid mouere ſeipſum
per hoc quod vna pars moueat aliam,quod etiam ve-
rificari poteſt de motu corruptiuo.*Conſtat hoc*,quia in
viuente vna pars agit in aliam,& vna pars ægra po-
teſt corrumpere ſanā,&nutritio fit per hoc quòd vna
pars corrumpit alimentum,& generat carnem in ali-
quo ſibi propinquiori.Non tamē poteſt effectiuè ali-
quid ſe generare,quia ſic eſſet vt generaret,&non eſ-
ſet,vt generaretur,& conſequenter, neque poteſt ef-
fectiuè ſe corrumpere procedendo non eſſe ad eſſe,
quia corruptio ſequitur ad generationem,quę ſemper
eſt circa alterum,non circa ſe.

De Antiperiſtaſi.

SVppoſito, quod nihil poteſt agere in ſe ipſum
immediatè,& directè, quod eſt agere per ſe;reſtat
videre an poſſit per accidens,ſcilicet ſecundum actio-
nem aliquam reflexam? Contingit autem reflexio
iſta dupliciter; vno modo per hoc ſolùm, quod ali-
qua actio inueniat aliquod obſtaculū ne vlterius trā-
ſeat,ſed qualitas ibi recepta rurſus agat in ſuum agēs
à quo educta eſt,vel in medium per quod tranſiuit,&
ſic in ipſo medio intenſior reddatur. Alio modo in-
uenitur qualitas aliqua creſcere,ex eo quod agēs cir-
cundatur à contrario fortiori,qua circundatione poſi-
ta,reflectit qualitas ad ſe,quia non poteſt tranſire per
contrariū, ſed tunc non fit reflexa eiaculatio à con-
trario, ſed ſolum circumobſiſtentia, quæ non poteſt
vincere totam actiuitatem agentis contrarij, & ideò
reflectitur ab illa in ſeipſam,magíſque intendit ſe. Et
iſta circumobſiſtentia græcè dicitur, *Antiperiſtaſis*,
quaſi circumdatio,& circumobſiſtētiâ contrarij. Dari
autē iſtam Antiperiſtaſim, experientiâ comprobatur,
videmus enim in æſtate aquas ſubterraneas eſſe frigi-
diores,in hyeme calidiores, quia in hyeme circūdan-
te frigore,& conſtipante terrā,calor qui vel ab æſta-
te,vel ab exhalationib.calidis erat ibi incluſus,nō per-
mittitur exire,& ita ad ſe rediēs intendit calorē aquę:
& in æſtate vero laxata permittitur ille calor exire, &
aqua redit ad ſuam frigiditatem. Quæritur ergo quo-
modò illa qualitas agat in ſe ipſam,& ſe intendat,&
à quo fiat illa actio antiperiſtatica?

In quo supponendum est, per talem antiperistasim verè intendi, & perfici qualitatem, non solùm secundum apparentiam, nec solùm secundum condensationem, neque secundum actionem intentionalem sed vera & propria intensione. Quod licèt aliqui negauerint, nihilominus in hac parte experientiæ fidendũ est, quæ est mater Philosophiæ, cum in contrarium non obstet aliqua ratio, quæ experientiam sensuum corrigat. Et talem antiperistasim ponit Aristot. 1. Meteorum, & ibi S. Th. 14. & 15. vbi hoc reducit ad experimentũ, quod iam attulimus de aqua subterranea in æstate & hyeme. *Nec potest dici*, quòd ibi est deceptio sensus, quasi manus calida applicata aquæ fontis videatur sibi frigidior, non quia frigida est, sed quia manus est calida. *Nam contra est*; quod eadem manus tangens aliam aquam communem & illam subterraneam sentit differentiam inter hanc & illam, ergo hoc non potest reduci ad solam dispositionẽ manus, quæ vnica tantum est, sed ad diuersam dispositionem aquæ; imò si manus frigidæ reddantur sicut in hyeme, & tangant illam aquam fontis, & aliã calidam discernunt differentiam frigiditatis in illa, & non in ista, ergo non est ibi deceptio sensus. Similiter hoc non fit per maiorem addensationem, vel raritatem aquæ, tum quia aqua densior qualis est aqua maris, si non ponatur intra terram non sentitur frigida, ergo non prouenit illa frigiditas ex maiore densitate, neque calor ex maiore raritate, quia stante eadem raritate, aqua calida redditur, intra terram, & non extra: Præterquam quod eadem manet difficultas, à qua causa proueniat ista maior addensatio, vel rarefactio, & ridiculum videtur negare experientiam de maiore calore, vel frigore, quod experimur in aqua & affirmare de raritate, & densitate, quam non experimur. Denique neque hoc fit per solam actionem intentionalem, & non per physicam intensionem caloris vel frigoris, nam species intentionales quæ solum sunt repræsentatiuæ, non intendunt alteratiuè ipsam qualitatem. Videmus autem per antiperistasim effectus reales & physicos, qui non possunt reduci ad species intentionales, vt quando aqua ita frigescit, quod congelatur, aut exhalatio ita calefit per antiperistasim quod ignitur: ergo hoc non potest reduci ad actionem intentionalem: præterquam quod calor, vel frigus non emittunt ex se species intentionales perfectiores se ipsis, ergo à talibus speciebus non potest fieri maior intensio qualitatis realis, quia intensio fit à maiori & perfectiori virtute, & ex eadem ratione non potest dici, quod in antiperistasi qualitas reflectens, sine alia causa intendit præiacentem, quia qualitas reflectens cum originetur à præiacente, supra quam reflectit non potest esse maioris virtutis, quam ea à qua procedit, ergo per se solam non potest eam intendere, quia intensio fit à maiori virtute, & simile non potest agere in suum simile, vt sequenti articulo dicemus.

Quare his emissis dicendum est, quod maior illa intensio causata in antiperistasi habet causam per accidens, & causam per se: causa per accidens est obsistentia contrarij, ratione cuius impeditur actio vltra transire, & refrangitur quando contrarium obsistens non est ita vehemẽs, quod possit totaliter extinguere contrarium, ita tamen forte, quod possit refrangere. Causa autem per se talis intensionis aliquando est causa intrinseca & particularis, aliquando extrinseca, & vniuersalis. Est causa intrinseca & particularis, quando positâ antiperistasi crescit in qualitate sibi innata, & ex eius visceribus proueniente, v. gr. quando aqua circundante calore amplius frigescit, vt aquæ puteales in æstate. Et tunc dicimus quòd sicut frigus emanat ab ipsa aqua, & solum propter impedimentum oppositum non emanabat in tota sua perfectione, ita cum obsistente contrario fit reflexio ipsius frigoris, tollitur magis impedimentum, & melius disponitur ipsa aqua ad emittendum frigiditatem perfectiorem, tum quia natura conatur vincere contrarium, & ita ad maiorem sui conseruationem fortius agit; tum quia reflectente frigore, manet corpus proximum, quod, tangit aquam, minus calidum minusque impediens emanationem ipsius, frigore enim in ipsum reflectẽte afficitur, tum denique, quia circundãte calore, euaporantur exhalationes adustæ, si quæ ibi sunt relictæ, & sic redditur aqua minus oppressa, & magis libera, vt in suam proprietatem se reducat.

An vero si per antiperistasim crescit aliquid in qualitate nõ propria, sed extranea, vt quãdo aqua fit calidior, vel exhalatio sicca magis etiam calefit, quæ qualitas non potest dimanare ex ipsa natura aquæ vel exhalationis, tunc dicendum est, quod causa directa illius maioris intensionis est illud agens, quod ibi primo posuit virtutem caloris, quod si non sit sufficiens ad tantam intensionem, & tamen crescat qualitas in ea, tunc oportet, quod adiuuetur ad illam maiorem intensionem, vel etiam ad generandum ignem à causa vniuersali, quæ est cœlum, ad quod pertinet huiusmodi defectibus succurrere quando non est agens proximum determinatum à quo fiat effectus. Cœlum, autem positis dispositionibus necessariis agit vsque ad formam substantialem, sicut quando iugulatur animal, vel suffocatur, laqueus, vel ferrum non generant cadauer, sed remouendo dispositiones requisitas ad temperamentum animalis, & ponendo quæ sufficiunt ad inanimatum, cœlum ipsum generat formam cadaueris. Sed quia cœlum vtpote causa vniuersalis non determinatur ad producendum talem vel talem formam, nisi posita aliqua dispositione ex parte corporis inferioris, ideo qualitas extranea intenditur per Antiperistasim, etiam vsque ad generationem alicuius substantiæ, vbi gratiâ ignis, dispositio ibi est maior congregatio caloris, & reconcentratio eius ex circundatione frigoris, vt docet Diu. Thom. 1. Meteor. lectio. 14. atque ita congregatio illa calidi est dispositio, productio vero intensioris caloris, vel etiam ignis, est à cœlo, siquidem ponenda est causa extrinseca huius qualitatis extraneæ, & non sufficit illud agens quod illam primò produxit, quia vt supponimus debilem virtutem produxit: ergo oportet, quod reducatur ad cœlum, quod est causa extrinseca vniuersalis. Quod vero aliqui, vt P. Suarez disputat. 18. Met. sectio 9 numer. 13. & Rubio hic dicunt aquã reddi calidam in hyeme, propter exhalationes calidas, quæ à sole extrahebantur à terra, sed fuerunt perfecte eleuatæ, & ideo manserunt circa terram vel aquam, & calefaciunt illam, hoc non sufficit: tum quia non semper extrahitur tanta copia exhalationum ex omnibus locis subterraneis, nec de eo nobis constat, & tamen in omnibus subterraneis inuenitur aqua calidior: tum quia manet eadem difficultas, quomodo illæ exhalationes possunt intendere illum calorem in aqua vltra proprium gradum caloris, quem habent ex eo solùm, quod circundantur à frigido. Tum denique, quia iam assignatur pro causa directa illius caloris agens illud, quod talem calorem illis exhalationibus impressit quod fuit sol; vnde si intendatur magis ille calor, nec est recurrere tanquam ad causam directam ad ipsummet solem, qui illum calorem primò produxit, vel ad aliquam causam fortiorem quæ calorem illum intendat, quæ non apparet alia, quam ipse sol vel cœlum.

Ex ista Antiperistasi nascuntur multi effectus, qui mirabiles

mirabiles apparent eò quod habent pro causa contrarium obsistens, sicut quod fulmen generetur intra nubẽ humidã in exhalatione sicca, quod iniecta aqua in calcẽ viuã, vel in prunas fortius erũpat calor, quia per humectationẽ condensantur aliquæ partes, & resoluũtur plures vapores calidi in calce, vel fortius etiã intenditur calor in prunis contra illud frigus, & humectationem aquæ condensãtis partes prunarum: & alia multa exempla possunt occurrere, de quibus in lib. Metheoror. In his tamen omnibus non est idem mouens, & motum, sed reducuntur in diuersa, tam ex parte causæ directæ, quam per accidens vt ostensum est.

De intensione medij per reflexionem qualitatis.

CONtingit interdum qualitatem emissam per aliquod medium, inuento aliquo obstaculo ipsum medium fortius alterare, sicut radij Solis interdũ emissi reflectuntur, & ipsum medium calefaciunt; propter quod ista vltima regio aëris calidior est, quam secunda, vbi concrescunt nubes, quia illuc reflexio radiorũ non peruenit. *Et est dubium* à qua causa fiat illa maior intensio, siquidem tam radij directi, quam reflexi sunt eiusdem intensionis, atque adeò vel simile, aget in simile, vel idem in se ipsum. Et non solum fit per istam reflexionem intensior calor qui virtualiter tantum continetur in luce, sed etiam ipsa lux magis intenditur, sicut videmus, quod lux candelæ si retro ipsam ponatur corpus opacum intensius illuminat ipsum medium, quia ab opaco resilit lux ad medium. Supponimus autem in ista reflexione verè intendi qualitates istas, siue calorem, siue lucem, quia experientia continua id testatur, cum videamus non solũ ipsum corpus opacum, vnde fit reflexio, sed etiam mediũ ipsum reddi clarius, aut calidius, vt patet quia si in ipso medio ponatur scriptura facilius legitur, & melius videtur, ergo signum est ipsam lucem intendi in medio, & ita non potest recurri ad maiorem densitatem, quia aër ipse non est densior in reflexione radiorum, quam in directa emissione. Dicere autẽ quod non intenditur lux illa, sed quod plures luces numero est distinctæ in eodem subiecto ponuntur, sicut cum plures candelæ accenduntur in aliquo loco, hoc est impossibile, quia duo accidentia numero distincta non sunt in eodem subiecto, vt quæstion. 9. ostendemus, quod si ponerentur, adunarentur in vnũ, sicut duæ aquæ fiunt vna aqua, quando coniunguntur, plures autem candelæ magis illuminant aliquem locum, quia quælibet diuersam partem attingit, in qua erat lumen debilius, & sic plus illuminant quam si esset vna tantum candela, & ideò non est simile. Quare inquirẽdum restat à qua causa proueniat illa maior intensio lucis in eadem parte medij, nec enim potest ad solam densitatem corporis opaci vnde fit reflexio reduci; tum quia densitas opaca non importat maiorem lucem, neque illam quam recipit intendere potest, cum sit qualitas diuersæ rationis; tum quia lux non transit superficiem primam corporis opaci, alioquin si transiret, illud per quod transit esse transparens, & non opacum, si autem in sola superficie recipitur, ibi non est densitas, ratione cuius lux ipsa magis congregetur, quia densitas non est proprietas superficiei, sed corporis, cuius tamen partes non penetrat illa lux.

In hac difficultate duo inuoluuntur. Primum & principale est, quomodo in actione reflexa vnum simile agat in aliud simile, & magis intendat illud, v. gr. lux vt duo reflexa agat in lucem vt duo directam, & de hoc agemus in sequenti articulo, vbi omnes difficultates allatas dissoluemus. *Secundum est*, an in ista actione reflexa idem agat in se ipsum, saltem per accidens & supposita reflexione. *Et ad hoc dicimus in præsenti*, quod etiam in actione reflexa, vna pars agit in aliam, non eadem in se ipsam; cum enim illa lux emittitur è luminoso, certum est, quod lux recepta in vna parte, & inhærens illa non transit in aliam, nec enim vnum accidens migrat è subiecto, sed producit aliam lucem, & multiplicat illam ab vna parte in aliam, Vnde quando illa lux tangit corpus opacum ibique inhæret, & propter opacitatem non transit vlterius, rius, agit illa lux reflectendo in medium, & sic nunquam agit in se ipsam, sed in partẽ distinctam, siquidẽ intensiorem qualitatem producit in ipso medio, medium autem distincta pars est à corpore opaco vnde fit reflexio. Quomodo autem obsistente contrario, & reflectente illuminatione, intensior lux generetur, & à qua causa proueniat illa maior intensio, ad sequentem artic. pertinet.

ARTICVLVS II.

Vtrùm simile possit agere in suum simile?

OStenso, quod idem non potest agere in seipsum, restat videre an possit agere in simile, quod est quasi alterum se. *Est autem supponendum*, quod tripliciter potest esse aliquid simile vel dissimile alteri; primò in ipsa specie qualitatis v.g. quod vtrũque habeat, vel non habeat calorem; secundò quantũ ad gradus, vt quod vtrumque sit eiusdẽ gradus caloris, v.g. vt quatuor, vel vt duo; tertiò quantum ad cõditiones agendi, vel patiendi, vt quod sint eiusdem raritatis, aut densitatis, figuræ vel situs, & reliquarum conditionum, quæ aliquo modo conducere possunt ad agendum vel patiendum. *Inquirimus ergo*, an quando agens & patiens habent istam similitudinem, siue omnes istas tres, siue aliquam illarum, possit agens agere in passum? & loquimur de actione quãdo incipit, non quando consummatur, nam in fine actionis potius agens, & passum debent esse similia cũ ad hoc tendat actio vt assimilet sibi passum. Nec est difficultas de agentibus æquiuocis, quæ manifestè sunt dissimilia non solũ passo, sed etiam effectibus, sed loquimur de vniuocis, in quibus licèt effectus sint similes, ideóque consũmatione actionis etiam passum debeat esse simile agenti, tamen à principio debet esse dissimile, vt ad similitudinem istam perducatur.

Dico ergo 1. *Quando agens & patiens sunt similia triplici illo modo similitudinis, non potest dari actio & ita formaliter loquendo simile non potest agere in simile, sed debet aliquo modo esse dissimile à principio.* Est communis sensus Philos. traditurque ab Arist. in hoc l. 1. c. 7. & ibi à D. Th. lect. 19. & aliis multis locis. *Et ratio est manifesta*; quia vnumquodq; patitur in quãtũ est in potẽtia, & agit in quantũ est in actu, ergo passũ vt pasũ nõ debet esse simile omnino agẽti, quia si esset simile deberet vtrũq; esse in actu, vel vtrũque in potẽtia, & sic non fundaret vnũ actionẽ, & aliud passionem. *Conf.* nam agens, si verè agit, oportet, quod aliquid ponat de nouo, quod antea erat, vbi enim non fit aliquid de nouo, nihil fit, sed actum est, & solũ prout id quod antea erat, ergo vt fiat aliquid de nouo oportet, quod modo sit, quod antea nõ erat, & consequenter sit dissimile passum in principio actionis

nis ipsi agenti, vtpotè, non habens in principio, quod postea in fine. Et in hoc fūdatur cōmune dictū, quòd agens intendit assimilare sibi passum, & quòd actio procedit à victoria agentis suprà passum, hæc enim omnia requirunt dissimilitudinem inter agens, & passum à principio actionis.

Dices, inter similia est minus resistentiæ, ergo est facilior actio. Item, similia facilius conseruant suam virtutem sicut duæ manus se calefaciunt, & conseruant calorem, licet æque calidæ sint, ergo simile agit in simile saltem, quando agendo se conseruant. *Resp.* inter duo similia esse minus resistentiæ positiuæ, magis autem negatiuæ, quia est incapacitas recipiendi nouū terminū, nisi sit aliqua dissimilitudo in recipiēte, alias iam illum haberet, non autē de nouo recipit, & ideò non est facilior actio quando est tanta similitudo, vt non possit aliquid de nouo fieri in subiecto. *Ad secundum dicitur*; conseruationem caloris in manibus non fieri intendendo, & augendo ipsum calorē, nec eundem producendo, sed à contrariis defendēdo: si autem vna manus produceret in altera calorē vel illum intenderet, supponeret in altera, vel non esse calorem, vel non esse tantum.

Dico 2. *Si agens sit simile passo in specie, dissimile autem in gradu, & conditionibus requisitis, potest agere in passum.* Conclusio est certa & communiter admissa, ipsáque experientia constat, nam calidum excellens potest agere in calidum remissum, illudqud intendere, & assimilare sibi, & tamen constat iam habuisse speciem caloris.

Tota difficultas reducitur ad hoc: an possit simile agere in simile tam in specie, quam in gradu, dummodo sit dissimile ex parte conditionum, puta quia est magis densum, vel rarum, siquidem experientia videtur monstrare, quod calor in materia densa, vt ferrū ignitum, vel carbo vehementiorem calorem producit, quā flamma in stuppa, & non quia habet calorem intensiorem cum flamma habeat calorem, vt octo, siquidem est ignis, ergo quia habet materiam densiorem.

In hac difficultate aliqui sentiunt densitatem materiæ conducere ad effectum intensiorē, ita vt virtus seu actiuitas sequatur multitudinem formæ in materia, non autem intensionē formæ vt sentit M. Soto 2. Phys. q. 4. ad 5. Toletus, Niphus, & alij. *Et contra vero alij existimant*, actiuitatem formæ solum desumi penes intensionem, & gradus, non penes densitatem, aut raritatem atque ita non posse agere calidum, vt quatuor quantumque densum in aliud calidum vt quatuor magis rarum, atque ita dicetur perfectè simile agens & passum, quando assimilantur in specie & gradu qualitatis, etiamsi in densitate, & raritate, aliisque conditionibus dissimilia sint. Ita M. Bannez cap. 9. de generat. quæst. 2. Carm. disp. 8. q. 2. Conimb. Suarez, Rubio, aliique plures quos citant. *Quorum fundamentum est*, quia ratio formalis actiuitatis & virtutis sumitur ex forma & ex actu, vnumquodque enim agit in quantum est in actu, est autem in actu per formā quæ tollit potentialitatem, ergo quamdiu non crescit in ista forma & in ista actualitate, non crescit ratio formalis agendi, neque actiuitas; dēsitas autem, & raritas non pertinent ad formam caloris, v. gr. vel frigoris, sed ad aliam qualitatem quæ oritur ex constipatione, vel ampliatione partium materiæ, ergo ex vi illius non est maior actiuitas, nec aliqua dissimilitudo quantum ad rationem formalem caloris respectu passi habentis æqualem gradum caloris. Et ita densitas, & raritas solùm pertinebunt ad maiorem extensionem qualitatis, non ad maiorem intensionem qualitatis, & sic conducent ad aliquos effectus extensiuos, vt quod agens velocius, & citius agat, ad maiorem sphæram se extendat. Nihilominus.

Dico tertiò, *Densitas & raritas, & aliæ similes conditiones ad agendum requisitæ, non augent actiuitatem, & virtutē agētis formaliter, & directè, conducere tamen possunt indirectè, & per modum cuiusdam dispositionis, vt virtus aliqua quæ debilior erat fortificetur, & intensior fiat virtute agentis in medio habente talem dispositionem, qua non potest, ita intense produci in medio carente illa.* Itaque nonnunquam conditiones istæ conducunt, vt resultet maior & intensior actiuitas non quidem ab ipsis, sed ab agente, præsupposita tamen tali dispositione aut conditione ipsorum, & posita tali intēsione, poterit corpus densū fortius, & intensius operari, non ratione densitatis, vel aliarum conditionum, sed ratione maioris intensionis. *Prima pars* satis videtur conuinci fundamento secundæ sententiæ, & constat etiam, quia materia siue densa, siue rara potest esse in potentia vt sit magis vel minus calida, ergo etiam in ipsa densitate potest esse diuersitas graduum caloris: ponamus ergo quod sit calor vt sex in materia densa, inquiro in alia materia rara, vel possunt etiā esse sex gradus caloris, vel non? Hoc secundum dici non potest, quia possunt in materia rara esse vsque ad octo gradus, siquidem potest inflammari, & in ignem conuerti, ergo à fortiori potest habere sex; tunc ergo vtráque materia, tàm rara, quàm densa est in potentia ad perfectiorem gradum, scilicet ad septem, ergo non poterit agere, & producere calorem vt septem, sed solum vt sex, siquidem solum operatur ratione qua est in actu, non qua est in potentia, sed hos etiam gradus vt sex potest producere calor in materia rara, ergo sunt æqualis actiuitatis, siquidem habent æquales effectus, scilicet calorem vt sex, licet vna tardius alterâ operetur, ad maiores autem gradus sunt in potentia, ergo ex præcisa ratione densitatis formaliter, & directè non sequitur, quod aliquis calor intensior fiat, nisi aliquid amplius addatur.

Secunda pars conclusionis difficilior est, nec in ea omnes conueniunt, vt videri potest apud P. Suarez disp. 18. Metaphys. sect. 9. Rubio tract. de reactione, & passione q. 8. Murcia disp. 4. q. 4. Sunt enim in hac parte duo principia ab aliquibus tanquam certa admissa, quæ omnem intensionem videntur excludere; primū quod ex maiori densitate corporis, & multitudine materiæ, non fit virtus intensior, neque effectus perfectior, licet eundem effectum velocius producat. Secundum, quod virtus diffusa per medium cum magis, ac magis debilitetur non potest in parte remota intensiorem effectum producere, etiam ibi inueniat maiorem dispositionem, v. g. maiorem densitatem, aut raritatem, & similia: quæ principia admittit Murcia vbi suprà sequens P. Suarez citatū sect. 8. n. 31. sed tamen idem Suarez postea sect. 9. in fine propter argumentū quod deducitur ex actione reflexa, coactus est vnum ex illis principiis negare, & magis inclinat ad negandum hoc secundum, & reuera nos censemus negandum esse ex doctrina, quam tradidimus 7. Physicor. quæstion. 22. articul. 2. & nunc amplius explicabimus.

Sentio ergo, vtrumque hoc principium esse moderādum iuxta sententiam S. Th. nam in primis, vt omnes fatentur non repugnat virtutem emissam ab aliquo agente habere in remotis aliquem effectum quem in propinquo non potest propter indispositionem subiecti, vt optime tradit S. Th. 3. Phys. lect. 4. & in 2. dist. 15. q. 1. a. 2. ad 6. vbi inquit: *Quod cuiuslibet agentis habentis fitū, actio prius recipitur in medio, quā in termino non tamen oportet, quod recipiatur in vtroque eodem modo, sed secundum quod exigit dispositio vtriusque,*

que sicut piscis qui detentus in rete stupefacit manum, præter hoc quod stupefaciat rete, quod stupefactionis capax non est. Sicut ergo virtus emissa, licet lõgius progrediatur, potest effectum aliquem non debilitatum fortiri in distãtia remota (intra suam tamen sphæram) quia ibi inuenit dispositionem conuenientem, & nõ ante, & tunc virtus illa, quæ transeundo per medium videbatur debilitata, efficaciter operatur inuenta cõgrua dispositione, cur similiter non dicemus, quòd licèt in medio formaliter sit qualitas debilitata, quia diffunditur vniformiter difformiter, tamen virtualiter in quantum est, virtus fortioris agentis retinet vim efficiendi effectum intensiorem, vbi inuenerit densiorem materiam, quæ aptior est, vt producatur intensior effectus, non propter ipsam densitatem præcise, sed propter vim caloris, seu qualitatis diffusæ, qui potest diuerso modo explicari, & fortificari; in medio diuersimodè disposito, etiamsi longius distet, quia nunquam illa qualitas amittit quod sit virtus agentis fortioris, & ita quod virtualiter contineat vim producẽdi effectum intensum, vbi inuenerit dispositionem aptam, licet in se formaliter debilitata sit.

Et hoc ipsum in terminis loquens de densitate, & raritate medij ostendit D.Thom.3.Metheor.lect.6.in digressione de coloribus Iridis vbi inquit: *Quòd autem lumen in medio habeat debilius esse, quam in corpore lucido, satis manifestum est, quia medium quod est perspicuum est rarum, & lumen propter raritatem medij facile pertransit, & non est multa permanentiæ in eo, sed in corpore illuminato est densitas, qua corpus lucidum, & etiã lumen aliqualiter terminat, & propter densitatem talis corporis, lumen in eo est maioris permanentiæ. Et in huius signum, lumen existens in medio debilius operatur, quàm existens in corpore lucido vel illuminatiò, debilior autem operatio consequitur debilius esse, quia modus operandi consequitur modum essendi.* Ita D.Th. quibus vltimis verbis aperte fatetur lumen reddi intensius in corpore densiori, quam in medio rariori per quod trãsit, & consequenter in remotiore distantia posse fortius operari, quam in propinquiori propter diuersam dispositionem recipientium. Denique coniunctionẽ diuersorum luminum facere intensius lumen, & multiplicare ipsum, quando radij concurrunt ad idem punctum apertè docet D.Thom.in 2.dist.13.q.1.artic. 3.ad 2.& super.caput 2.Dionys.de diuinis nomin.lect. 2.ergo in sententia D. Th. negandum non est quod propter maiorem coniunctionem radiorum vel multitudinem, & spissitudinem materiæ potest agens intendere suam qualitatẽ quã in medio rariori non intendebat ex defectu dispositionis, quamuis id non fiat formaliter à densitate, vel raritate, sed ab agente diffundẽte illam qualitatem supposita tali dispositione, idq; poterit facere in remoto, etiamsi in propinquiori parte non fecerit ob defectum dispositionis.

Et fundamentum sumitur ex actione reflexa luminis, vel caloris, quia quando lux vel calor reflectitur, partes illæ propinquiores angelo reflexionis recipiũt intensius lumen, & vehementius, & quãto illud corpus vnde fit reflexio fuerit densius, aut tersius tanto lumen intensius producit, vt quando reflectitur à speculo, vel ab auro, & hoc non potest fieri ab ipsa densitate, vel opacitate corporis formaliter loquendo nec est necesse recurrere ad causam vniuersalẽ, quæ est cœlum, ergo fit ab ipsa virtute agentis quatenus habet producere intensiorem effectum, tanquam instrumentum sui agentis, vbi meliorem inuenerit dispositionem. *Minor constat*, quia densitas, vel opacitas non sunt virtutes productinæ lucis, sed omnino illi dissimiles, nec oportet recurrere ad causam vniuersalem, nisi quando omnino deficit causa particularis, quæ in præsenti non deficit, scilicet ipsa virtus agentis diffusa in quantum instrumentum eius est. *Maior autem deducitur ex ipsa experientia*, nam ex reflexione lucis videmus ipsum aërem reddi clariorem, quia melius ibi aliquid videtur, aut legitur: videmus etiam, ex corpore densiore, & tersiore, ita intendi lucem, vt producat & eiaculetur aliud simile lumen vsque ad aliud corpus, vnde dicitur 1.Machabæorum c.6. *Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis.* Videmus etiam calorem per reuerberationem radiorum ita crescere, quod aliquando generat ignem, ergo illud calidum intensius fit, & non solum extensius, siquidem etiam ignem producit. Similiter constat ignem inflammate stuppam, vel sulphur distans, & non aërem intermedium, quia inuenit dispositionem in stuppa, ratio cuius potest crescere calor vsque ad octo, qui in medio non crescit, sed formaliter minor erat calor in parte magis distanti siquidẽ vniformiter differmiter diffunditur, ergo signũ est à qualitate minus intensa formaliter, posse produci intensiorẽ positа tali, vel tali dispositione, eo quod virtualiter est intensior in quantum est virtus & instrumentum substantiæ, & sic habet vim ad producendam totam intensionem vsque ad dispositionem vltimam, si inuenerit subiectum aptum, & cũ illum inuenit in distantibi producet illam.

Ad hæc verè respondent. Authores, Aliqui negant in reflexione luminis esse lumen intensius, sed visum videre clarius, quia mouetur ab ipso corpore denso à quo fit reflexio, solum autem lumen fieri maius extensiuè. *Sed obstat* quia ipsum corpus à quo fit reflexio non potest clarius, vel melius mouere, nisi ratione maioris lucis, quæ est ratio mouendi, ergo si intẽsius, & clarius mouet, etiam intensius lumen est. *Alij dicunt*, in reflexione lucis dari quasi duo luminosa, quia illud à quo fit reflexio iterum per aliam lineam emittit lucem, & illuminat, & sicut quando dantur duo luminosa, v.g duæ cãdelæ in diuersis partibus est maius lumen extensiuè non extensiuè; ita quando fit reflexio à corpore opaco, fit intensio maioris luminis, quia emittitur per diuersam lineam, non quod corpus opacum sit efficiens illius luminis, cum potius opacitas contrarietur luci, sed quia luminosum illud ibi frangens radios, fit quasi duplex in virtute non in entitate. *Sed contra*, quia illa virtualis generatio luminosi (etiam dato quod fiat per diuersam lineam reflexa illa emissio) non potest intelligi, nisi ponatur noua & maior intensio in ipso corpore vnde fit reflexio, nam quando duo luminosa ponuntur in diuersis partibus spatij, ideo fit maius lumen, quia in illa parte vbi ponitur secundum luminosum, erat lux remissior, & ideo potest ibi ab intensiori luminoso intendi, & ita toto spatio intensius lumen videtur ergo si eodem modo fiat in reflexione luminis oportet quòd intensior lux applicetur illis partibus vbi erat minor, vt clarius & lucidius videatur motum medium. Hoc ergo est quod inquirimus, vnde sumatur illa maior intensio luminosi in reflexione.

Alij dicunt esse maiorem lucem solum extensiue, videri autem maiorem intensiuè propter medium ex omni parte illuminatum posita reflexione quod antea non erat. Quod explicat sic, quia aër iste plenus est paruis corpusculis qualia videmus ad radios Solis, corpora autem ista ex directa lucis emissione irradiantur etiam ab vna parte, cum vero fit reflexio irradiantur etiam ab opposita, & ideò medium clarius videtur, & luminosius, quia magis illuminata sunt illa corpuscula, quod est illam lucem extensiue esse maiorem, id est, penes diuersas partes, non intensiue. *Sed contra*, tum quia vbi nulla est istorum corpus-

corpusculorum permixtio vt in regionibus frigidissimis, vbi istæ exhalationes, & corpuscula, aut non eleuantur aut consumuntur, tamē ibi ex reflexione speculi, vel alterius corporis tersi fit maior lux: tum in corporibus celestibus, quæ sunt sine istis athomis, & & tamen cum lux solis incidit in partem stellatam, reuerberatur maior lux, quā in parte diaphana, vt patet in Luna, & in stellis, ergo reflexio lucis etiam sine illis corpusculis intensiorem effectum habet: tum denique quia cum speculū vel aurum recipit in se radios Solis, non solum magis illuminat medium, sed etiam corpus oppositum vt videmus in speculo, & scriptura Sacra dicit de Clypeis aureis, à quibus montes resplenduerunt, splendor autem ille in montibus non poterat fieri maior ex corpusculis illuminatis à lumine reflexo, quia lumem reflexum illuminabat illa corpuscula à parte contraria, & auersa ipsis montibus, ergo maior eiaculatio illa luminis, non fit isto modo per illuminationem athomorum.

Denique alij dicunt, quod per reflexionem non solum ipsum medium illuminatur intensius, sed etiam ipsum luminosum, à quo directè lumen emissum fuit, nisi sit summè intensum sicut sol; si autem non habeat lucem summam, vt lucerna, poterit ab ipsa luce perfici per reflexionem. *Sed hoc*, præterquam, quod non explicat quomodo fiat maior intensio luminis in aëre à reflexione luminis solaris, adhuc respectu lucernæ *patitur easdem difficultates*, eo quod à corpore vnde fit reflexio, non potest lumen lucernæ intensius fieri, nisi transeat per medium, quod est inter ipsam lucernā, & corpus opacum à quo reflexio fit, & de illo lumine quod transit per medium vsque ad lucernam, remanet difficultas soluenda, à quo fiat talis intensio, non enim potest fieri à corpore opaco, vnde fit reflexio, quia densitas, & opacitas formaliter non faciunt maiorem lucem, neque lucerna, quia non recipit in se intensius lumen nisi per medium illuminatum lumine intensiori; & quia ipsa lucerna se intenderet, quia totum lumen quod ibi est ab ea procedit, ab opaco enim formaliter solum refrangitur, non augetur lux.

Quapropter dicendum est; quòd luminosum, vel calidum emittendo directè lucem, vel calorem, & iterū reflectendo non intendit lucem vltra gradus quos in se habet, hoc enim est impossibile, alias excederet virtutem propriam: neque formaliter fit intensior lux à corpore opaco à quo fit reflexio, eo quod dēsitas, vel opacitas nō est ratio formalis producēdi maiorē lucē: sed dicendum est quod lux diffusa à luminoso per medium magis, ac magis debilitatur, quia procedit vniformiter difformiter stante medio in eadem dispositione; si tamen tangit corpus tersum vel densum à quo possit fieri reflexio, intenditur illa lux ab ipsa luce remissiore, quæ erat in medio, non quatenus formaliter remissa, vt de se patet, sed quatenus virtualiter est intensior, quatenus est virtus ipsius luminosi, vel agentis à quo emanauit, à quo habet virtutem, vt vbi inuenerit dispositionem talis densitatis, vel tersitatis, possit explicare se in maiorem effectum & intensionem, in quantum est virtus agentis intensi, sicut diffusus ab igne in aëre intermedio, quia humidus est non producit flammam, & in sulphure, vel stuppa aliquantum distante producit illam, quia licet ibi calor sit remissior formaliter, quam in aëre propinquiori igni, est tamen virtualiter intensior in quantum operatur vt virtus ignis generantis alterum ignem, vbi inuenerit materiam habilem, & non impeditam.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

OBiicies primò, quia lux tangens corpus opacum solum tangit eius superficiem, alias si vltra illā transiret, vltra illam non esset opacum, sed diaphanū sed in superficie non datur densitas, quia hæc petit partes magis coadunatas, ergo si lux nō intrat partes, non recipitur ibi intensius ratione densitatis, ergo ab ipso non potest fieri intensior lux magis, quam ab aëre medio quod est rarum.

Secundò, quia qualitas diffunditur per spatium vniformiter difformiter, ergo non solum debilitatur in se formaliter, sed etiam vt est virtus agentis, & sic etiam virtualiter non potest intensius operari, quia etiam vt virtus agentis est, remittitur: vnde etiam videmus, quòd calor ignis, si sit multum remotus, nō producit ignem, etiamsi ibi ponatur corpus densius, & magis siccum, & lux quæ valde debilitata est non crescit per reflexionem, ergo amittitur illa virtualis intensio.

Tertiò, quia alias idem contingeret in antiperistasi, quod tamē suprà negauimus, nam posset dici, quod aliquod calidum per antiperistasim sit calidius, quia calor ille virtualiter potest esse intensior, licet non formaliter, ita potest intensius agere; etiamsi procedat à calore minus intenso. Cur ergo in antiperistasi dicimus maiorem intensionem fieri à Cœlo, in actione autem reflexa fieri ab agente directo?

Quartò generaliter loquendo vbi corpus est densius, ibi est plus materiæ, ergo est etiam plus formæ, quia omnes illæ partes formam habent, vbi autē est multum formæ est multum actualitatis & consequēter actiuitatis, ergo intensior actio sumitur à multitudine formæ, & densitate materiæ. Suffragatur etiā experientia, quia videmus ferrum candens non habere calorem vt octo, aliàs haberet formam ignis, & nō ferri quod est falsum, siquidem redit ad accidentia ferri relictum suæ naturæ, & tamen actio ferri candentis est vehementior, quam flammæ, ergo ratione densitatis materiæ, potest idem calor intensius operari.

Ad primum, non desunt qui negant lucem recipi in sola superficie, & consequenter negant dari corpora perfectè opaca, sed aliquid habere transparentiæ, eo quod si lux reciperetur in sola superficie daretur superficies lucis separata ab omni parte diuisibili, repugnat autem separari indiuisibile à partibus. *Cæterùm* non apparet cur negemus corpora perfectè opaca, sicut dantur corpora perfectè transparentia, si autem est capacitas, & potentia respectu vnius contrarij perfecti etiam & alterius, trāsparentia autem, & opacitas contraria sunt. In perfectè autem opaco, certum est quòd in sola superficie recipitur lux, & non in profunditate partium, nec propter hoc dabitur indiuisibile separatum, quia qualitas non habet indiuisibile speciei per se ipsam, sed per quantitatis superficiem, hæc autem à partibus non est separata; est autem inconueniens, quod naturaliter indiuisibile sit separatum à partibus, eo quod est terminus earum; quod verò qualitas subiectetur in superficie coniuncta partibus nullum est inconueniens, quia talis qualitas potest suā habere diuisibilitatem in ratione qualitatis, & intensionis, licet in ratione extēsionis qualitatis non habeat nisi superficialem.

Quidquid tamen sit de hoc, ad argumentum respondemus, quod si lux recipiatur in corpore non solum opaco, sed etiam terso, ibi non est difficultas, quia corpus tersum aliquid habet transparentiæ, & sic in partes profundiores intrat lux, & propter

multitudinem partium, & densitatem, geminantur radij, & crescit virtus agentis supposita tali dispositione. Si vero corpus nullo modo sit tersum, sed totaliter opacum, ita quod lux in sola superficie recipiatur, dicimus, quòd licet ibi non recipiatur plus lucis, tamen propter materiæ densitatem, & opacitatē plus ei resistitur ne vlterius directè generetur, & multiplicetur & ex tali resistētia retrocedit lux in partem oppositam, & sic geminatur & multiplicatur, licet non in superficie corporis opaci, tamen ab illa in aërem medium fit explicatio noui effectus, & lucis, non quod ponatur lux similis illi, quæ fuerat producta per actionem directam in aëre medio, sed quod ipsa lux à superficie opaca retrocedens & coniuncta cum luce directè producta, ipsa geminatione & reflexione disponitur, vt operetur intensius, in quantum virtus est luminosi, habens in se intēsiorem lucē virtualiter, quā in illo medio erat diffusa, & sic operatur vt intensior virtualiter, non formaliter. Cuius signum est, quia lux ista sic reflexa nunquam peruenit ad maiorem intensionem quàm sit lux ipsius luminosi, vnde primo orignata est directè.

Ad secundum resp. quòd qualitas diffunditur vniformiter difformiter amittendo, seu diminuendo formalē intensionem, sed non eodem modo diminuitur virtualis, quæ consistit in hoc, quod illamet qualitas etsi diminuta & remissa sit, tamen in quantum procedit à tali agente à quo primo & originaliter emanauit, sic est virtus eius, & operatur in vi illius, à quo primo emanauit si inuenit dispositionem conuenientem, vbi verò dispositionem conuenientem non inuenit, quæ eam faciat amplius explicari, qualitas ipsa formaliter diminuitur ob dispositionem passi non potentis eodē modo multiplicare qualitatem. Quod verò aliquando qualitas ita attenuetur, quod non possit etiā vt instrumentū, & virtus agentis ampliorem effectum producere, hoc ideò est, quia requiritur proportio aliqua in qualitate, etiam vt possit excitari in maiorem effectum tanquam virtus & instrumentū agentis; potest tamen ita esse via corruptionis attenuata & oppressa, vt non possit amplius agere vt virtus agētis sicut etiam tandem amittit esse, hoc enim à posteriori deducitur ex aliis effectibus, licet enim lux possit excitare calorem in subiecto disposito, potest tamen ita attenuari, quod etiam in nulla dispositione possit calorem excitare; similiter ergo poterit ita attenuari, vt non valeat etiam per reflexionem intendi: quando autē potest intendi, hoc fit in virtute ipsius agentis principalis per se loquendo, quia illa qualitas sic diffusa, non solum est effectus habens formaliter tantam vel tantam intensionem, sed etiam est virtus, & instrumentum agentis, quod quandiu est in mensura proportionata, potest in tantam intensionem, explicari, quantum habet agens, si passum permittit.

Ad tertium Resp. diuersam esse rationem in antiperistasi, quia aliquando fit per intensionem qualitatis extraneæ, & non habentis radicem in ipso subiecto, vnde incipit actio, verbi gratia, quando aqua fit calidior in hyeme posita intra terrā, vel exhalatio in nube igitur per antiperistasim, & tunc vel illa qualitas extranea per antiperistasim non crescit vltra virtutem primam à qua introducta est, vt verbi gratiā, si exhalationes calidæ, quæ aquam in hyeme reddebant calidam, habebant intensionem vt quatuor, & à frigido circumstante aliquo modo remittuntur, sed non omnino extinguuntur, tunc si crescit calor per antiperistasim in medio, solum vsque ad gradus vt quatuor poterit procedere à virtute illa primo impressa, quæ habebat calorem, vt quatuor tāquam à causa per se, & in hoc casu eodem modo philosophamur sicut in actione reflexa; vel illa qualitas crescit in illa antiperistasi vltra illos gradus vt quatuor, à quibus primo originata est, sicut quando peruenit ad hoc, vt concipiat ignem, & tunc necesse est suppleri illam maiorem vim ab aliqua causa extrinseca, scilicet à causa vniuersali, quæ supplet deficientiam causæ particularis, nec enim est alia, ad quam recurratur quando effectus fit vltra virtutem causę particularis. Quādo verò intenditur qualitas per antiperistasim non in subiecto extraneo, sed proprio, vt cum aqua redditur frigidior in æstate, tunc non recurrimus ad causam vniuersalem, sed ipsa aqua est causa per se illius maioris intensionis, sicut de actione reflexa dictum est.

Ad 4. Respond. quòd vbi est plus densitatis, & materiæ, est plus de forma, & de actiuitate extensiuè, quia plures partes sunt participantes illam qualitatem, & virtutem, non tamen est plus intensionis, ex vi solius densitatis formaliter loquendo, sed est dispositio, vt positâ illâ concurrentiâ, & coadunatione partium participantium eandem qualitatem, virtus agentis in maiorem, & intensiorem effectum se explicet, coadunationem enim qualitatis ad talem effectum maiorem conducere, constat ex Diuu. Thom. primo Metheor. lection. decima quarta & aliis locis suprà citatis. *Ad argumentum ergo dicitur*, quod solum probat multitudinem formæ, seu densitatem per se conducere ad extensionem caloris seu virtutis, dispositiuè autem & per accidens etiam ad intensiorem effectum potest conducere, vt explicatum est.

Ad experientiam de ferro candente, vel alia materia valde densa, *multi dicunt* producere maiorem calorem etiam vsque ad inflammationem, & calorem vt octo, quia retinet aliquid ignis intra poros ferri, cum enim per ignem euacuetur aliquid ex ferro, consequenter dilatantur eius partes & aperiuntur pori, & in illis particulæ quædam ignis intrant; quod constat ex scintillis, quas ferrum emittit, & splendore seu rubore igneo quo tingitur. *Neque obstat*, quod materia quo densior est minus habet de poris, & tamen facilius comburit stupam sibi applicatam; Dico enim, quòd licet pauciores habeat poros materia densior quantum est de se, tamen quia plus caloris imbibit plus etiam resoluuntur & euaporātur partes tenuiores, & sic aperiuntur pori per calorem, sed & si pauciores aperirentur, tamen hoc ipso quod aperiūtur & recipiunt ignem ex consortio partium densarum, quæ fortius calorem ebibunt, efficiunt vt fortius agat ignis circundatus tota densitate partium, quam si per modum flammæ poneretur in aëre. *Secundò dicitur*, quòd materia densa aliquando potest ignire, vel vt instrumentum ignis cuius virtutem defert & participat, vel vt instrumentum lucis, quæ virtualiter est ignitiua, sicut cum ex speculis per reflexionem radiorum ignis accenditur; & quia materia densa perfectius retinet & conseruat virtutem ignis seu calorem, & à contrariis defendit, ideò etiamsi sit distans ab ipso igne potest ignire, quia virtualiret agit vt instrumentum seu virtus ignis, & producit calorem vt octo in materia apta, quem in ferro, vel in alia non potest, sicut etiam sulphur distans ab igne accenditur non accenso aëre medio, quia virtus vnius agentis melius operatur in vna materia, quàm in alia.

ARTICVLVS III.

Quæ proportio resistentiæ requiratur inter agens, & patiens ad reactionem?

SVpponendum est ex M. Bannez 1. de generat. cap. 5. quæst. 5. & aliis resistentiam triplicem esse, *negatiuam* quæ nihil aliud est quam incapacitas, & repugnantia ad aliquid recipiendum, & positiuam duplicem, alia *passiua* seu materialis quæ est indispositio subiecti seu improportio respectu agentis, & eius virtutis, sicut magna moles lapidis difficulter mouetur propter excessum grauitatis ad virtutem motoris. Alia resistentia positiua est *actiua* seu in genere causæ efficientis, sicut vnum contrarium resistit alteri, & expellit illud, sicut frigus resistit calori, & è contra. Solet etiam vocari resistentia passiua ab aliquibus materialis, ab aliquibus formalis; materialis quidem, quia tenet se ex parte subiecti; formalis autem, quia conuenit passo ratione alicuius formæ quam habet, quæ reddit illam inhabilem, & indispositam. Itaque resistentia negatiua non est superabilis ab aliquo agente quia supponit incapacitatem, & repugnantiam in subiecto, sicut Angelus, & cœlum resistunt corruptioni, resistentia autem passiua & actiua superabiles sunt tanto magis vel minus, quanto est maior, vel minor proportio agentis erga passum, vel è contra. Et istam duplicem resistentiam admittit D. Thom. in 4. dist. 11. quæst. 1. artic. 3. quæst. 3. ad 2. & dist. 17. q. 1. artic. 5. q. 1. ad 3. *Et ratio est manifesta*, quia resistere nihil aliud est, quam retardare seu impedire aliud ne faciat quod potest, vel non ita facile: vbi autem agentia sunt contraria, cum detur pugna inter illa, quia actio vnius conatur destruere, vel minuere alterum, consequenter datur debilitatio virtutis vnius ab altero; debilitata autem virtus retardatur, & impeditur, ergo resistitur illi, sicut cum ignis agit in aquam vel è contra. Similiter inuenitur aliquando talis dispositio ex parte alicuius subiecti, quod impedit agens ne agat, vel ne explicet totam suam virtutem, sicut cum calor informans aquam resistit illi, ne redeat in suam frigiditatem, & illa resistentia non est actiua, quia accidens non agit in suum subiectum, ergo est formalis, & sic datur resistentia sine actione.

Quod si dicas, nam ista resistentia passiua non potest intelligi, neque antequam agens agat neque postquam egit, neque dum agit, ergo non datur *Antecedens quoad primam & secundam partem constat*, quia antequam agens agat nondum ei resistitur, & postquam egit, iam resistentia est superata, vel transacta *Quoad tertiam verò probatur* quia quando agens agit, actu ponit effectum, alias non ageret, & sic vel tollit totam formam oppositam resistentem sibi, & tunc tota forma introducitur, vt in actione instantanea, vel tollit partem seu gradum aliquem, vt in actione successiua, & tunc illa pars quæ tollitur non resistit, aliæ vero quæ non tolluntur, nondum resistunt, quia nondum eis applicatur agens. *Et confirm.* quia non apparet, quomodo passum habens formam resistat oppositæ ratione suæ propriæ informationis, sed potius ratione actionis, qua conseruatur in esse à causa prima, & sic reducitur ad resistentiam actiuam, conseruatio enim illa actio quædam est. *Secundò*, quia resistentia actiua non est aliud, quam actio contraria, vt debilitat virtutem agentis, vt citatis locis docet S.Th. ergo qualitas, quæ est actiua tantum habet resistere quantum agere, & eiusdem erit actiuitatis ac resistentiæ, nec dabitur vnum elementum, vel qualitas magis actiua, & alia magis resistitiua contra Arist. 2. de generation. text. 8. & 4. Methaph. cap. 1. vbi ponit calorem & frigus esse qualitates actiuas, siccitatem & humiditatem passiuas.

Ad primum, omissâ aliorum longâ solutione, *respond.* quòd resistentia passiua fit, dum agens applicatur passo, & ex illo conatur elicere actionem, cum enim agens non possit sine subiecto actionem elicere, quia ab eo vt à causa materiali dependet, & hoc subiectum oportet, quòd sit debite proportionatum & dispositum, vt virtus possit ex eo operari, inde est quod cum agens inchoat, seu facit conatum ad eliciendam actionem ex materia, si non inuenit eam ita dispositã, vt possit, vel absolutè, vel secundum totam virtutem emittere actionem dicitur impediri vel absolutè, vel quoad totam explicationem virtutis, & hoc impediri est resistentia ex parte passi, seu ex parte indispositionis, & conditionis materialis requisitæ, non ergo impeditur actio, quando iam actu agit, siquidem impeditur ne agat, non quando agit, vnde aliud est resistere agenti ex parte materiæ, aliud resistere actioni, eamque retardare seu debilitare, hoc enim fit in resistentia actiua, in qua vnũ pugnat, & consequenter agit contra aliud, in passiua autem resistentia, ipsum agens impeditur exire in actionem, vel in tantam actionẽ propter indispositionem subiecti, vel si ista indispositio superuenit post elicitam actionem, impeditur eius conseruatio seu continuatio, & tunc incipit resistentia passiua, seu impedimentum non eliciendi, sed continuandi actionem, siue in totum, siue in partem. Nec impeditur vt actio facta nõ fiat, sed impeditur, vel ne incipiat, vel ne conseruet & continuet actionem.

Ad confirmationem respondetur, quòd non oportet istam resistentiam, seu impedimentum reducere ad actionem conseruatiuam formæ, sed ad ipsam formam quatenus non solum præbet informationem sui, sed etiam causat expulsionem alterius cum tali dispositione, quâ reddatur difficilior expulsio formæ à tali subiecto, & sic dicitur impedire seu resistere oppositæ agenti, ratione dispositionis illius improportionatę virtuti agentis, licèt verum sit requiri actionem causæ conseruantis formam in subiecto, non vt rationem formalem resistendi, sed vt præbentem existentiam indispositioni illi, à qua fit resistentia.

Ad secundum respon. qualitates primas non esse æqualiter actiuas, sed quasdam esse magis actiuas, vt calor & frigus, quasdam minus actiuas & magis passiuas, vt humiditatem, & siccitatem; & hoc est quod dixit Arist. non verò dixit quòd humiditas & siccitas sunt magis resistitiuæ; sed intelligendum est, quod calor & frigus, quia sunt magis actiuæ, sunt etiam magis resistitiuæ resistentia actiua; siccitas autem & humiditas magis resistunt resistentia passiua, & ideo elementa vbi istæ qualitates prædominantur, dicuntur magis resistere actiuè vel passiuè, prout eis prædominatur qualitas actiuè vel passiuè resistens. Quando autem ita comparamus istas qualitates, loquimur in sensu formali, & ex meritis propriis, potest enim iuuari, vel infirmari virtus illa, seu actiua vel passiua resistentia ex conditionibus requisitis, & concurrentibus ad agendum, vel patiendum, vt ex maiori vel minori densitate, applicatione, situ & aliis similibus, de quibus iam supra diximus, & amplius de istis qualitatibus elementorum agemus infr. q. 10.

Hoc supposito currit difficultas principalis, quænam proportio requiratur inter actiuitatem & resistentiam vt exeat actio, quod aliis verbis solet inquiri, an semper à proportione victoriæ agentis supra passum fiat actio, hoc est an requiratur, quod actiuitas sit maior quam ipsa resistentia passi, an vero sufficiat quod sit æqualis, vel etiam minor. Et dato quod requiratur

inæqualitas ſeu maior actiuitas, ſecundo eſt difficultas, an requiratur, quod ſit determinata proportio, & ſuperioritas, an vero ſufficiat quæcunque indeterminata.

Circa primum eſt duplex ſententia extrema, & duplex media *Prima extrema* tenet etiam à minori actiuitate dari poſſe actionem. *Probat.* exemplo guttæ cauantis lapidem, cuius maior eſt reſiſtentia quam actiuitas guttæ; *ſecundo* quia alias non poſſet dari mutua actio, & reactio inter agens & paſſum, cuius oppoſitum ſequ. art. oſtendemus. *Probatur ſequela*, quia ſi agens, ad hoc vt agat in paſſo, debet ſupponere illud eſſe inæquale, & inferius ſibi, vt agat in illud, ergo tale paſſum non poterit rurſus reagere in ipſum agens, quia inferius eſt illo, vel ſi poteſt, aliqua actio à proportione minoris inæqualitatis.

Secunda ſententia extrema aſſerit, omnem actionem eſſe à proportione maioris inæqualitatis, ita quod omne quod agit vincit paſſum in eo in quo agit. *Fundatur*, quia hoc ipſo, quod aliquod agens agit in paſſum ponit in eo aliquem effectum & imprimit aliquam formam, vel partem formæ: ergo in eo quod imprimit ſubiicit ſibi paſſum *Patet hoc*, quia tale paſſum non impedit exire actionem ab agente, ergo ſubiicitur ei *Et Confirm.* quia intentum reſiſtentis eſt impedire actionem agentis, intentum vero agentis imprimere effectum paſſo, & aſſimilare ſibi ſaltem in aliquo, ergo ſi agit, ſaltem in aliquo conſequitur ſuum intentum, & ſi paſſum in eo non reſiſtit; ergo in eo manet inferius, & agens ſuperius, atque ita agens in quantum agit ſemper vincit, & paſſum in eo, quod patitur ſemper ſubiicitur, licèt ſecundum aliam rationem poſſit eſſe è conuerſo.

Sententiæ mediæ, ſunt duæ, prima diſtinguit duplex genus actionis; altera perfecta, & plena, qua agens totaliter vincit paſſum, & hæc ſemper eſt à maiori actiuitate, ſiquidem totaliter excedit paſſi reſiſtentia & ex omni parte alia actio eſt imperfecta, & remiſſa quæ non poteſt vincere reſiſtentiam paſſi ſed conatur, & hæc non procedit à maiore actiuitate, quia potius cedit reſiſtentiæ paſſi.

Secunda ſententia media diſtinguit de reſiſtentia paſſiua & actiuâ, & dicit quòd in paſſum in quo eſt ſola reſiſtentia paſſiua, agens non poteſt agere niſi ſit maior actiuitas & excedat reſiſtentiam paſſi. *Ratio eſt* quia reſiſtentia paſsiua eſt, quæ impedit agens ne agat: ergo ſi agit non impedit, & ſic non datur reſiſtentia, ſed vincitur, etiamſi violenter fiat, ergo excedit actiuitas reſiſtentiam paſſi. Si verò reſiſtentia ſit actiua, poteſt fieri actio etiam à minore proportione, quia reſiſtentia actiua ſeu reactio non ſolum fit quãdo vtrumque agens eſt æqualis virtutis, ſed etiam quando alterum eſt excedens, & alterum inferius, ergo ab agente inferiore poteſt eſſe actio. Conſtat hoc manifeſtè, quia ſi ponatur calidum vt octo, & frigidum vt ſeptem, non ſolum agit calidum vt octo, ſed etiam frigidum, aliàs ad reactionem requiretur omnimoda æqualitas inter agentia, quod eſt abſurdum, nã potiùs tunc non dabitur actio & reactio cum ſtante æqualitate mutuo ſe impediant, & neutrum agat *Ratio autem huius eſt*, quia quando dantur duo agentia, actiuitas vnius non agit in aliud, quatenus etiam habet actiuitatem, ſed vt paſſum eſt, in quantum autem paſſum poteſt eſſe inferius, licet in agendo ſit maius, ergo inter reſiſtentias actiuas poteſt dari actio à minore actiuitate.

Inter has ſententias 2. & 4. parum aut nihil differunt, quia quarta concedit, quod agens ſemper eſt formaliter ſuperius patiente. *Quare dicendum eſt cum ſecunda ſentẽtia*, quod agens in eo in quo agit formaliter loquendo ſuperius eſt, & maiorem actiuitatem habet quam paſſũ reſiſtentiæ. licet materialiter aliquid minoris actiuitatis poſſit agere in magis actiuum non in quantum magis actiuum eſt, ſed in quantum in aliquo cedit alteri, eique ſubiicitur. Et hæc quidem præter fundamenta allata, ipſa experientia actionis & reactionis, de qua in ſequenti articulo apertè eam comprobat, cum non ſemper vtrumque agens ſit æqualis virtutis, ſed inæqualis, & tamen etiam quod eſt minus, re agit in id quod maius eſt.

Sed difficultas eſt, in intelligendo, quomodo minus actiuum poſſit debilitare virtutem magis actiui ſiquidem magis actiuum ſe toto agit, & ſic videtur totaliter impedire actionem minoris actiui. *Ad quod reſpondetur*, quod licèt actiuum ſe toto agat, non tamen poteſt inſtantaneè deſtruere oppoſitum actiuum, licet ſit minus, ſed ſucceſſiue, eo quod per motum agit in illud, & cũ non conſiſtat in indiuiſibili, ſed habeat latitudinem graduum, paulatim, & diuiſibiliter debet illam amittere, & ſic relinquit locum, vt etiam minus actiuum agat in maius, non quidem vincendo ſeu ſuperando totum, ſed partem aliquam ſaltem minorem reſpectu cuius, quia minor eſt, habet ſuperioritatem, & illam vincit, licet plus perdat de ſua actiuitate, quia à fortiori agente inuaditur. Quare quod ſe toto agat, non infert, quod deſtruat totum de actiuitate oppoſita, ſed iuxta proportionem maioris exceſſus, quem habet illud totum maius ſupra hoc totum minus, plus confirmet de ipſo, ſed non ita extinguet ſubito, vt non relinquat aliquid quod viciſſim agat in illud ſaltem quantum ad aliquid eius, in quo ei proportionatum eſt, & ſic quantum ad hoc patitur agens intenſionis virtutis, non tamen in quantum intenſioris virtutis eſt, ſed quoad aliquid minus. Nec tamen ex hoc ſequitur, quod agens minoris virtutis poterit conſumere actiuitatem maioris, agendo paulatim in partes eius quia cum à maiore agente debilitetur, nõ ſemper durat in eadem virtute, ſed magis & magis debilitatur, quouſque totaliter extinguitur, antequam poſſit conſumere maius actiuum.

Sed dices, ex hoc ſequi, quod non diſtinguitur reſiſtentia actiua à formali ſeu paſſiua, quia ſi agens fortius reſiſtit ſecundum actiuitatem ſuam, tantum reſiſtit quantum agit, agit autem ſecundum omnes partes, ergo ſecundum ſe totum reſiſtit, & ita non poterit ſuperari in aliquo ab agente inferiori. Si vero ſuperatur in aliqua parte ideò eſt, quia ſecundum illam partem non agit, ſed patitur, & recipit actioné alterius, ergo reſiſtentia actiua non diſtinguitur à paſſiua illius partis. *Reſp.* reſiſtentium actiuam conſiſtere in hoc, quod agens præſertim fortius, debilitat virtutem paſſi reagentis in ſe, & ſic debilitando & agendo impedit, ne vlterius agat in ſe; in eo autem, in quo tale agens repatitur à minori agente, non reſiſtit, ſed potius ei aliquo modo cedit. Reſiſtentia autẽ paſſiua, non fit debilitando virtutem, ſed impediendo actionem ex improportione diſpoſitionis, ne agens agat in tale ſubiectum, ſeu paſſum.

Ad primum fundamentum oppoſitum pro prima ſententia reſp. quod gutta cauat lapidem, non quia agat quælibet gutta tollendo aliquid à lapide, ſed quia vltima agit in virtute præcedentium, vt D. Thom. docet 2. 2. quæſt. 24. art. 6. ad 2. quarum quælibet non tollit, & diuidit aliquam partem lapidis, ſed humectando lapidem, & ſiccitati eius ſe opponendo, diſponit lapidem, vt vltima gutta tollat particulam lapidis, introducit enim aliquam humiditatem, licèt valde parum, quouſque continuando ſoluitur aliquid ſiccitatis, & mollificatur duritia, ita vt ipſo ictu vltimæ guttæ cadentis aliqua particula ſeparetur. Et ſimiliter, cum parua aliqua animalia vt formicæ de curſu ſuo lapidem, vel terram terunt, id faciunt impulſu

su pedum sæpissime multiplicato, quo particulas aliquas minutissimas terræ, vel lapidis diuidunt, impulsus enim diuisiuus est, & per multiplicationem, notabilem seperationem faciunt.

Ad secundum respondet. posse agens inferius, & quale reager e in superius actiuum nō quatenus magis actiuum est, sed quatenus in aliquo remanet passium, & inferius quia passiue non resistit. *Quod si dicas,* nam illud agens magis actiuum, habet de oppositâ qualitate plures gradus, v.g. ignis habet calorem vt octo & omnes gradus simul resistūt oppositæ qualitati, scilicet frigori, siquidem omnes agunt, ergo non remanet in se passiuum repectu agentis minoris actiuitatis, & sic non poterit reagere in illud, propter totalem eius resistentiam, sicut non potest quis mouere lapidem magnum, etiamsi aliquali impulsu id conetur, quia lapis ille se toto resistit, & sic nec multum, nec parum mouetur, nisi impulsus omnes partes afficiat, alias terra quolibet motu moueretur contra id quod diximus q.23.Phys. ergo similiter ignis, quia habet calorem in summo, non poterit admittere aliquid de frigore, ita quod corrumpatur aliquid caloris. *Resp.* quòd licèt omnes gradus caloris operentur, & resistant actiue, tamen quia subiectum non habet aliam resistentiam, quam actiuam, non inhabilitatis, & indispotionis passiuæ, & actiuitas resistens, & debilitans oppositum, non destruit totum simul, sed paulatim, & per motum, ideo relinquit locum, vt possit recipere in se aliquid frigoris per rationem passi in ipsam licèt multò debilius, quia est minoris actiuitatis. Et sic debilitatur aliquid de calore, licèt parum, & id quod debilitatur, seu tollitur de calore, non agit, quousque crescente actio & victoria in frigidum, restauratur. At verò in grauitate lapidis non inuenitur resistentia actiua, sed passiua reddendo subiectum improportionatum ipsi mouenti. & cum non possit moueri vna pars aliis non motis, quia continuum est & inamine, ideo non est simile.

Quod si instes, ergo aqua numquam poterat vincere terram, quia terra in resistentia formali seu passiua cætera elementa superat, passiua autem resistentia nisi tota tollatur non recipit actionem agentis, quia subiectum est indispositum, *Respond.* quod siccitas terræ non, potest vinci per impulsum, bene tamen per aliquam alterationē, sicut gutta cauans lapidem, vt dictum est. Et ideo distinguendum est resistentia passiua diuisibiliter resistente, & per gradus, qui possunt diminui, vel intendi, sicut in qualitatibus alteratiuis quæ habēt contrarietatem, hæc enim resistentia successiue tolli potest, & admittere aliquid de opposito, quia paulatim diminuitur, vt cæteræ qualitates contrariæ. Resistentia verò passiua grauitatis, & ponderis non fit diuisibiliter, & per gradus respectu impulsus, sed per modum totius, eò quòd in continuo inanimato non potest vna pars moueri seorsum ab alia, & ideo nisi agens impediat totum & afficiat impulsu omnes partes nō mouet, nec vincit resistentiam ponderis passiuam in continuo.

Ad reliqua fundam. aliarum sententiarum responsū est ex dictis, 2. enim & 4. sententiæ fundamenta concedimus, excepto quod dictum est de resistentia passiua.

Quantum ad II. punctum, supra propositum, an requiratur determinata, & aliquota proportio, vt agens vincat resistentiam passi? *Respond* requiri, ita quod sicut non potest substantialis forma suscipi sub qualibet quantitate, sed requiritur determinata quantitas iuxta exigentiam formæ, ita ad agendum supra paussum requiritur determinata virtus, habens determinatum aliquem excessum, nec sufficit qualibet proportio, etiamsi diuisibilis sit, sed potest esse tam minima virtus, vt non sufficiat ad agendum in aliud. *Probatur ratione* D.Thom. 1.2.quæst.5 art.6.ad 2. vbi inquit: *Quòd non omnia calefacta & illuminata possunt alia calefacere, & illuminare, sic enim illuminatio & calefactio essent in infinitum.* Quæ sequela manifesta est, quia si quælibet virtus quantumuis minima, potest agere, ergo virtus communicata, & impressa ab ista quantumuis minima, iterum posset agere, & similiter iterum communicata ab illa, & cum sit diuisibilis in infinitum, agere posset.

Dices, impedietur illa virtus minima ab aliquo contrario, & sic non aget in infinitum, sed tunc solum aget, quando non inueniet contrarium, seu passum non resistens, & in hoc dicit opposita sententia, non requiri determinatum excessum, vt agens agat, requiri tamen aliquem quicunque ille sit. Si autem ita diminuatur virtus aliqua vt nullum excessum habeat supra passum, tunc non aget, sed hoc non est contra oppositam sententiam quæ dicit non requiri quod excessus determinatus sit, licet ipsa virtus in se determinata esse debeat.

Sed contra, nam si ipsa virtus debet esse determinata vt agat, ergo & excessus supra passum, nam virtus non excedens, est perinde, ac si virtus non esset, ergo eadem ratio est de virtute, & de excessu, ideo enim virtus debet esse determinata vt agat, ne sequatur processus in infinitum, ergo eadem ratione excessus debet esse determinatus, ne posito quolibet excessu agat, quia cū excessus sit in infinitū diuisibilis sicut & virtus, poterit de se agere in infinitū. Quod si impediatur ab alio, id erit per accidens. & sic terminus, & sphæra actiuitatis in agentibus limitatis nō ponetur ab intrinseco, & per se, sed ab extrinseco impediente, & per accidens Vnde in illuminatione per diaphanum, vbi non est impedimentum, poterit minima lux, verbi gratia candelæ, illuminare vsque ad cœlum, & in infinitum.

Si dicas. quia quicumque excessus ad resistentiam passi sufficit, vt dicatur agens plus posse agere, quàm passum resistere, ergo sufficit ad actionem, quia tollitur aliquid de resistentia passi, in eo scil. in quo agens excedit, ergo in eo aget. *Item* quæcunque proportio & excessus constituit maioritatem in virtute, ergo sufficit ad agendum, quia vbi est maior proportio virtutis, sequitur actio. *Respondetur ad primum negando antecedens,* quia ille excessus licet sit maior quasi mathematicè, non tamen physicè, & prout requiritur ad agendum, sicut neque res naturalis potest esse in quacunque minima quantitate, licet mathematicè sit in infinitum diuisibilis. *Ad secundum respondetur,* quemcunque excessum constituere maioritatem quasi mathematicam, & indeterminatam, non physicam & virtuosam, qualis requiritur vt ens naturale sit, & operetur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm omne agens in agendo repatiatur.

Repati agens in agendo nihil aliud est quā ita agere in aliquod passum quod vicissim passum agat in illud, & ita illa actio qua passum rursus agit in suum agens, dicitur reactio, quasi rediens ad suum agens, & vtens illo tanquam passo. Vnde ad istam actionem & reactionem cōcurrere debent tres conditiones.

ditiones. *Prima*, quòd agens,& paſſum cõmunicent in materia, id eſt, quod ſi agens operatur in paſſum, habeat agens materiam, quia poſſit pati ab actione paſſi defectu cuius Cœlum eſt agens in inferiora,nec tamen patitur ab illis , quia non habet materiam capacem actionis horum,inferiorum, v.g. calefactionis aut infrigidationis , & multo minus ſpiritus repati poteſt à corpore,quia caret eius materia. *Secunda eſt* quod agens , & paſſum non ſolum ſint eiuſdem materiæ,ſed vtrumque ſe habeat in potentia ad formam ſeu effectum alterius, v.g. frigidum eſt in potentia ad calorem,& calidum ad frigus , quia carent illis formis, & contrariæ ſe habent. Si autẽ calidum agat in minus calidum vt illud intendat, non repatitur ab ipſo, quia non caret eo calore, quem præbet,& lucidum non repatitur à diaphano quod illuminat, quia diaphanum non opponitur luci. Debet ergo paſſum, & agens contrario modo ſe habere vt detur actio,& reactio. *Tertia conditio eſt* , vt agens & patiens ſint intra ſphæram actiuitatis vtriuſque , extra ſphæram enim actionis non ſequitur actio, vt per ſe notum eſt.

His poſitis , vnum in hac parte eſt certum apud omnes Philoſophos,ſcilicet inter agens,& patiens,in quibus huiuſmodi conditiones concurrunt dari mutuam actionem,& reactionem, id enim continua experientia approbat, & ratio perſuadet. Experientia quidem , quia videmus pomum frigidum calefieri à manu,& ſimiliter gelu liquefieri , manum vero ab vtroque frigefieri: aciem gladij percutientem alterum gladium ad inuicem hebetari;& alimentum communicare corpori ſuas qualitates, ab eius vero calore in carnem conuerti. Similiter conſtat quòd mixtio fit per alterationem miſcibilium ad inuicem, vt ſequenti quæſt. ex Ariſtotele dicemus:ſi autem elementa mutuo in ſe non agerent, mixtio non fieret , nec ad inuicem elementa pugnarent, niſi mutuo in ſe agerent. Denique ratio ipſa id oſtendit , quia ex eo quòd aliquid ſit agens ratione actiuitatis propriæ , non amittit , quòd ſit in potentia ad aliam oppoſitam qualitatem ,& ex eo quòd aliud ſit paſſum,non amittit actiuitatem qua poſſit agere in aliud,ergo ſi iſta duo debitè applicentur,mutuo poterunt agere & pati, quia concurrunt in eis conditiones ad agendum , & patiendum,ſcil. vtriuſque actiuitas, & vtriuſque potentialitas ; & nullum eſt impedimentum ad mutuo agendum,cum non ſit impedimentum ad pugnandum ad inuicem.

Tota difficultas conſiſtit in explicando , quomodò iſta mutua reactio, & repaſſio fieri poſſit.Nam propter argumenta quædam quæ in hac parte ſunt difficilia, Authores diuiſi ſunt. *Et quidam dixerunt*,agens & patiens mutuo agere, ſed non penes eaſdem partes , ſed agere ſecundùm vnam,& pati ſecundùm aliam , quod eſt ſimpliciter non re agere, ſed ſecundùm diuerſas partes habere actionem ; & paſſionem. *Imò alij addunt* omnino non agere,& pati ad inuicem,ſed ſi agens repatitur , id eſſe ex virtute Cœleſtium corporum. *Alij dicunt* , quòd agens, & patiens etiam ſecundùm eandem partem agunt,& reagunt,ſed non ſecundùm eandem contrarietatem qualitatum, verbi gratia,calidum, & frigidum non agere mutuo ratione iſtarum qualitatum ,ſed ignis agit ratione caloris in ſummo,quem habet,patitur autem non à frigore contrario calori , ſed ab humiditatem in quantum eſt ſiccus.

Nihilominus communis ſententia abſolutè tenenda eſt quòd vbi concurrunt conditiones ſupra poſitæ etiam penes eaſdem partes & ſecundùm eandem contrarietatem qualitatum datur actio,& repaſſio. Sumitur ex Philoſ. 1. de Generat. text. 14. & D. Thom. ibidem lect. 20.& communiter Interpretes in hoc. 1. lib. de Gener. qui videri poſſunt apud Conimbric. hîc capit. 9.quæſt.3.Carmel.diſp.8.quæſt.4. Idque conſtat ex experientiis,& fundamento allato. Neque euaditur difficultas dicendo,quòd non datur actio, & reactio ſecundùm qualitates contrarias , ſed ſecundùm diſparatas , vt quod aqua per humidum agat in ignẽ calidum,nam etiam hoc modo contrarietas debet poni,ſiquidem humidum immediatè agit in ſiccum , & deſtructa ſiccitate deſtruit ignem , ſicut ergo inter humidum,& ſiccum datur actio , & reactio, & tamẽ eſt contrarietas immediata inter illa , cur non etiam dabitur inter alia contraria immediata, vt inter calorem & frigus? Similiter etiam ſecundùm eaſdem partes fit actio,& reactio , ſcil. penes illas,penes quas ſe tangunt, nam vbi non ſe tangunt, ſaltem per virtutẽ non eſt applicatio agentis & paſſi, ergo neque actio & reactio quæ agendo & patiendo fit,nec tamen ſequitur,quòd etiam idem poſſit agere in ſeipsũ ſecundùm eandem partem , quatenus eſt in potentia,& in actu;hoc inquam non ſequitur, quia idem non poteſt moueri à ſe reſpectu eiuſdem qualitatis , ſeu formæ, ſic enim eſſet in potentia,& in actu reſpectu eiuſdem ſed reſpectu diuerſorum, agit enim, v.g. calorem , & patitur frigus.

Contra hanc autem reſolutionem ſunt aliqua argumenta, quæ difficilem ſemper habent ſolutionem & ex eis magis dilucidabitur ſententia propoſita:Reducuntur autem ad duas claſſes. Quædam procedunt ad probandum,quod non poteſt dari actio , & reactio ſecundum eandem partem , ſed ſecundùm diuerſam. Quædam vero ad probandum quod non poteſt dari ſecundum eandem contrarietatem qualitatum.

Ex primo capite arguitur, quia ſi mutuo agerent aliqua contraria,poſſet idem ſubiectum ſecundum eandem partem moueri duplici motu contrario , verbi gratiâ frigefieri,& calefieri ; ponamus enim quòd ignis diffundit ſuum calorem per aërem , & aqua per eundem aërem diffundit ſuum frigus, & mediantibus virtutibus ſic diffuſis ad inuicem agunt, & patiuntur, ergo ille aër medius ſimul frigefit,& calefit,quod eſt moueri motibus contrariis, qui ſi ſint in gradibus intenſis ſunt incompoſſibiles , vnde inter agentia contraria intenſa non poterit dari actio , & reactio per aliquod medium.*Confirmatur* , quia ſi agens calidum agit in frigidum, & repatitur ab eo , ſequitur quòd pars vltima illius agentis calidi infrigidetur à paſſo frigido,& ſic manet minus calida , quam reliquæ partes talis agentis , ergo reliquæ partes quæ calidiores ſunt,agent in illam partem minus calidam,ſeu infrigidatam , vna enim pars eiuſdem continui poteſt agere in aliam,dummodò non ſit eiuſdem ſimilitudinis , & actualitatis , ergo ſimul eadem pars calefiet ab aliis partibus talis continui,& frigefiet ab agente frigido à quo repatitur.

Variè ad hoc argumentum ſolet reſponderi Quidam dicunt quòd non poteſt dari actio , & reactio , niſi agens & patiens ſicut coniuncta , non autem per medium,vt euitetur difficultas argumenti. Sed hoc in ſe eſt falſum, & non euitat inconueniens. Eſt falſum , quia actio & reactio datur , quandocunque paſſum eſt intra ſphæram agentis , vt in tertia conditione diximus,& ſic non requiritur,quòd ſint immediata,ſed ſufficit quod intra ſphæram. Non euitatur inconueniens, quia ſi virtus vtriuſque diffunditur per aërem , tandem peruenient ad aliquam partem,ſeu punctum, vbi immediatè ſe tangant,ergo ibi curret eadem difficultas quomodo moueatur illa pars duplici motu contrario. Curret etiam difficultas tacta in confirmatione,

matione, quando vtrumque agens se contingit, & pars vltima tangens mouetur à contrario, & moueri potest à partibus eiusdem agentis. *Alij dicunt* illud medium moueri ab vtroque agente contrario, sed penes diuersas partes medij, & non per eandem lineam, illa enim diuersa agentia diuersas partes medij tangunt, & per illas diffundunt suam virtutem, & sic penes diuersas partes mouetur medium motu cõtrario: cum autem illæ virtutes sic diffusæ perueniunt ad hoc, vt inuicem coniungantur, tunc partes medij agunt ad inuicem reducendo se ad aliquid temperamentum, quousque fortius agens vincat, & totum medium ad se reducat. *Addunt alij*, quòd cum peruenerint illæ virtutes sic diffusæ ad vnum punctum, seu terminum (antequam enim perueniant non mouentur eædem partes, sed diuersæ illis motibus contrariis) tunc illa pars seu terminus non mouetur duplici motu contrario, quia cum illa duo contraria pugnent inter se, vnum resistit, & aliud agit, vnde tantum mouetur ab vno contrario, resistit verò per aliud cuius virtutem in se recipit, & conatur expellere alterum, ne recipiat.

Vtraque tamen solutio non soluit punctum difficultatis. Et supponimus ex supradictis, quod actio, & reactio non saluatur, si ita fiat per diuersas lineas, & partes quod nunquam coniungantur, nec immediatè nec mediatè per virtutem suam, hoc enim non est ad inuicem agere, sed vnam partem agere, aliam pati, quod est idem ac disparate se habere, vel sicut diuersa supposita, quorum vnum agit, aliud patitur. Loquendo autem de agentibus quæ ad inuicem se tangunt, & vnum applicatur alteri penes eandem lineam, seu partem, tunc prima solutio non tenet, quia licet toto illo tempore, quo illa virtus per diuersas partes diffunditur, eadem pars non moueatur motibus contrariis, tamen quando postea miscentur, & in aliquo medio, seu puncto temperantur, & modificantur, ibi mutua actio debet esse, nec enim fit temperamentum nisi per mutuam actionem, & curret argumentum de motibus contrariis in illa parte. Secunda autem solutio corruit, quia quando illæ virtutes diffusæ perueniunt ad idem punctum, & se reducunt ad temperamentum, hoc faciunt, quia ad inuicẽ se debilitant, & pugnant inter se, ergo ista resistentia non est passiua, sed actiua, siquidem fit penes virtutes actiuas, ergo fit duplex motus contrarius, quorum vnus resistit alteri debilitando. & agendo, ergo in illa parte, vbi datur pugna ista, & resistentia actiua, datur ille motus contrarius.

Quare cum tota differentia inter agentia, quæ immediatè se tangunt, & quæ per medium agunt in eo consistat, quod quando coniunguntur, datur mutuus contactus illorum duorum agentium, & consequenter datur duplex superficies, quia ea quæ se tangunt non in eadem superficie conueniunt, sed si se tangunt, sunt contigua, & consequenter plures superficies petunt quæ sunt simul, tunc in istis superficiebus non est inconueniens, quod vna patiatur ab alia, & simul vna agat in aliam; patitur enim vnum, verbi gratia, calorem & agit aliud verbi gratiâ frigus. *Cæterum* quando per modum diffunduntur virtutes, & qualitates oppositæ perueniunt ad vnam superficiem in quam exercent suos diuersos motus, qui cum diffundantur per idem medium, seu continuum, & in ipso continuo non dantur duæ superficies immediatæ, sicut cũ duo agentia se tangunt, oportet quod in vna ad inuicem coniungantur, & operentur; & tunc diximus quòd illa superficies in qua coniunguntur illæ virtutes nõ mouetur motibus contrariis intensis sed remissis, quia temperantur, & modificantur, & in hoc non est inconueniens, sed solum ne moueatur idem mobile motibus contrariis intensis; moueri autem duplici motu contrario remisso, vel altero intenso, altero remisso nõ repugnat, vt diximus quæst. 19. Phys. art. 5. quod ideo est, quia qualitates in gradibus remissis se compatiuntur, ergo & actiones: si autem vnus gradus fuerit intensus, dummodo non sit in summo, compatitur secum aliquem gradum remissum oppositum, ergo benè potest esse quod eadem superficies moueatur duplici illo motu caloris, & frigoris; si vterque quidem temperatur, & mitigatur, ab vtroque motu remisso mouebitur; si autem alter manet intensus, alter verò remissus, etiam ab vtroque mouebitur, licet non sentiatur, nisi motus intensus, quia prædominatur; & in summa, si subiectum est capax duplicis qualitatis contrariæ in gradibus remissis, vel vnius in gradu remisso, alterius in intenso, non repugnabit tali duplici motu contrario moueri, & ad mediocritatem reduci, quousque alterum vincat, & totaliter destruat alterum, de quibus plura dicemus inf. quæst. 10. art. 2.

Sed instabis, quia quando duæ virtutes in gradibus intensis coniunguntur, non potest ex vtraque exire vnica actio, & vnus motus, quia diuersa agentia sunt, ergo neque vnus effectus, seu qualitas, v.g. tepiditas, ergo duæ qualitates exibunt, calor scil. & frigus, & sic mouebitur illa superficies, vel pars duplici motu contrario.

Respondetur, quòd illæ qualitates oppositæ non vniuntur per se ad faciendum vnum effectum, sed quælibet conatur suum producere, sed quia ad inuicem impediuntur, operantur remissè, & faciunt illam qualitatem sic temperatam; nec enim impediuntur omninò operari, sed impediuntur operari intense ideò possunt reduci ad operandum remisse, & subiectum moueri potest duplici motu contrario remisso, quousque præualeat vna ex illis qualitatibus, & aliam consumat. Quòd si omninò manerent æquales, itavt neutra remitteretur, non daretur actio propter æquale impedimentum vtriusque.

Ad confirmatur principalis argumenti respondetur, quòd illa pars vltima aquæ quæ calefit abigne non frigefit à partibus suis immediatis effectiuè, neque per emanationem à se propter impedimentum contrarium ignis calefacientis; & ita siue sit qualitas natiua & emanans, siue extranea, dum occupatur à contrario intensè agente, non potest simul recipere contrariam qualitatem.

Sed dices, quomodò illa vltima pars aquæ impeditur frigefieri, & recipere suam propriam qualitatem & non impeditur frigefacere seu reagere in contrarium, siquidem aqua mediante illa vltima parte, quæ tangitur ab igne reagit in ignem, est enim pars immediata illi, ergo debet habere similem frigiditatem qua reagit in ipsum ignem, ergo à partibus immediatis, vel per emanationẽ naturæ à se. *Resp*, quod impeditur illa vltima pars frigefieri, id est superaddi sibi frigus propter agens contrarium, v. g. ignem, quod fortius est ad impediendum motum contrariũ frigefactionis, & receptionem frigoris. Non tamen impeditur pars illa vltima frigefacere, quando à principio applicatur igni, quia tunc nondũm est totaliter destructa sua frigiditas, quam habebat, & ita donec destruatur ab igne, reagit per illam & aliquo modo frigefacit, quousque calore ipso superante totaliter vincatur, & tunc etiam impedietur, seu desinet frigefacere, nisi frigus ipsum instauretur per aliquã causam vincentem fortitudinem ignis, & tunc vicissim impediet ignem, ne ab illo calefiat, & sic nunquam mouebitur motibus contrariis intensis.

Secundò arguitur, quia sequuntur plura inconue-nientia.

nentia ex eo, quod mutua actio, & reactio detur. *Primum*, quia non posset aliquid agere secundum totam suam intensionem, v.g. ignis non poterit agere calorem vt octo in aërem, vel in aquam, quia dum agit, repatitur, & per passionem aliquid diminuitur, alias nihil repateretur, ergo illud minus producit, & non qualitatem eandem. *Quod si dicatur* vinci illam diminutionem à naturali virtute agentis, & sic demum producere qualitatem intensam. *Contra est*, quia sic prius aget ipsum agens in partem sui, quæ repatitur, vtpote proximiorem, quam in agens contrarium, & sic dum conatur expellere illius vltimæ partis repassionem, vel non aget in contrarium, vel illa pars mouebitur motibus contrariis, quia continuo repatitur à contrario, & à se reducitur ad pristinam virtutem. *Secundum inconueniens est* quod idem subiectum maneret superius & inferius respectu eiusdem, siquidem eadem qualitas quæ patiendo mouetur, agendo intenditur, quia actio non est nisi à proportione maioris inæqualitatis. *Tertium* in casu quo subiectum esset præditum calore vt quatuor, & frigore vt quatuor, si aqua & ignis ageret in tale subiectum, vterque aliquid produceret de nouo, quia ageret & reageret, & non produceret, quia neuter posset excedere illum gradum vt quatuor, quia de calore & frigore non potest haberi vltra octo gradus, tunc autem sunt octo habendo quatuor ex vno, & quatuor ex alio. *Quartum*, Non possent elementa agere in inuicem nisi per mixtionem, nam cum aliquid agit, & repatitur ab alio, illa pars quæ repatitur temperatur, & modificatur ex illo quod recipit & ex eo quod habet, ergo fit mixtio, & sic idem esset actio & reactio quod mixtio *Denique* quia ignis, v.g. non solum resistit aquæ contrariæ per calorem, sed etiam per suam substantiam à qua ille calor conseruatur, ergo habet maiorem resistentiam quam aqua actiuitatem, siquidem resistit per calorem & per substantiam, ergo aqua non poterit per frigus agere in ignem quia maior est resistentia passiua quam virtus, seu actiuitas agentis, quæ sola est qualitas frigoris, substantia enim non agit nisi per accidentias, recipit autem ratione substantiæ, & sic ratione sui resistit.

Ad 1. inconueniens negatur antecedens. Ad probat. dicitur quòd quandiu agens repatitur, & aliquo modo temperatur eius virtus, non poterit agere secundum totam suam intensionem, eo quod modificatur à reagente, sed post ea remoto hoc impedimento, & crescente virtute vel ex natiua emanatione, vel ex causa extrinseca, tunc aget secundum totam suam intensionem. *Et ad instantiam in contrarium resp.* quòd illa pars vltima, quæ repatiebatur, fortificatur & vincit per hoc quod reducitur ad totam suam virtutem à causa intrinseca, si sit virtus natiua per emanationem, vel à causa extrinseca fortificante, si sit virtus extranea, & tunc illa pars simul patitur intense a b vno & remisse ab alio; contrarium enim agens rem issius agit, quando illa virtus sui passi, vel natiua emanatione, vel ab extrinseca virtute fortificatur. Nec repugnat vt supra diximus, idem moueri duobus motibus contrariis, altero remisso altero intēso, vel vtroque remisso, quia tunc non se expellunt.

Ad 2. inconueniens negatur, quòd idem sit superius, & inferius respectu eiusdem in eodem tempore, sed cum patitur diminuitur qualitas, cum vero fortificatur vt intensius operetur, fit maior, & tunc non manet minor, quia vincit oppositum. Vnde nunquam verificatur, quod idem sit superius & inferius formaliter.

Ad 3. negatur sequi illud inconueniens, quia illud agens quod agit in subiectum calidum vt quatuor, & frigidum vt quatuor, vel est fortioris virtutis vt possit vincere aliquem gradum caloris, vel non Si non, tunc nihil aget, sed conseruabit calorem in illo gradu, vt quatuor, nec aliud faciet de nouo, quia non est vnde faciat. Si vero est fortioris virtutis, plus vincet de frigore quam patiatur ab ipso, & in illo plus quod facit, intendet calorem & remittet frigus non vltra gradum vt octo, sed proportionaliter vt si auget calorem ad quinque, remittet frigus ad tria & sic de aliis.

Ad 4. respondetur, in omni actione, & reactione aliquam mixtionem dari saltem imperfectam, id est ipsarum qualitatum sine corruptione substātiæ, præsertim à principio, postea autem, vel vnum ex agentibus totaliter vincit, & sic soluitur mixtio, etiam quoad qualitates; vel manent in aliquo temperamento; quod si tale sit, quod substantiam mutet erit perfecta mixtio, sin minus erit imperfecta, solum quoad qualitates.

Ad vltimum respondetur, quòd ignis in resistentia actiua parificatur aquæ, quia vtrumque agit per qualitates formaliter, & per substantiam radicaliter; quantum ad resistentiam autem passiuam, licet ignis per substātiam, & siccitat resistat passiuæ receptioni frigoris, tamen illa resistentia passiua non est tanta in igne, quanta est actiuitas frigoris ad agendum, quia in resistentia passiua non multum eminet ignis sicut in actiua. Si autem sit aliquod passum quod magis resistat passiuè, quam agens agat actiuè, tunc magis retardabitur eius actio quousque vincat illam resistentiam.

Vltimò arguitur, quia si sint duo agentia inæqualia, vnum non reaget in aliud, quia à proportione minoris æqualitatis non fit actio, & sic illud minus non reaget, si autem æqualis virtutis sint, mutuo se impedient, ergo nunquam dabitur reactio, & repassio, quia semper actio est à proportione maioris inæqualitatis; & de igne dicit Arist. 2. de partibus animi c. 2. quod nunquam est frigidus, ergo saltem ignis non repatietur. *Et Confirmatur*, quia in aliis motibus, vt locali, & augmentationis non est necesse dari actionem, & repassionem, si enim manus mouet lapidem non est necesse moueri ab eo, & quod crescit in augmentatione, non decrescit ex alia parte per diminutionem, ergo nec erit idem in motu alterationis.

Respond. quòd agens in æquale reagit in agens fortius, nō quatenus agens est, sed vt in potentia existit respectu qualitatis contrariæ, & respectu talis potentiæ agens illud remissum fortius est in actiuitate. Sed tamen quia in agendo, simpliciter aliud agens est fortius, ideo agens minoris actiuitatis non agit simpliciter in aliud, sed agit remisse, & imperfectè & in corrumpi, siquidem debilitatur, & destruitur à fortiori agente, & talis modus agendi potest esse à minori actiuitate. *Quod si dicas*, quomodò frigidum vt quatuor potest diminuere de calido vt octo ipsum gradum octauum, qui cæteris est perfectior, siquidem reducit calidum vt octo ad calorem vt septem, & vt sex; ergo tollit gradum octauum. *Respondetur*, quod licet gradus vt octo, vel vnio vt octo sit perfectior cæteris, tamen hoc ipso quod perfectior est, necessario compatitur minus de opposito, & destruit non solum id quod maius est, sed etiam quod minus de forma opposita, si autem aliquid de ipsa compatitur hoc ipso minus perfectionis habet. Et sic minor gradus non opponitur, nec destruit minorem oppositum, quin potius cum eo compatitur, cum simul sint in gradibus remissis, sed opponitur perfectiori, vt perfectior est, & imperfectum excludit.

Ad id vero quòd Aristot. dicit de igne, quod non dicitur frigidus, intelligitur quantum ad denominationem, sicut aqua dicitur calida etiam donominatiue, eo quod frigus nunquam potest prædominari igni, sicut calor aquæ, vt ab ea denominetur frigidus quia semper denominatio fit ab excellentiore prædominante, bene tamen potest ignis recipere aliquid frigoris, alias nunquam extingueretur, si oppositam dispositionem non susciperet.

Ad Confirmat. respondetur in aliis motibus non semper dari contrarium agens à quo fiat reactio, nec enim si ego proiicio lapidem necesse est quod lapis habeat vim motiuam respectu mei, nec est necesse, quod quando aliquid augetur agendo in alimentum, ipsum alimentum habeat vim diminuendi id à quo immutatur. Et ideo non semper sequitur in aliis motibus repassio; sicut inter qualitates cōtrarias, quæ ad inuicē agūt ratione cōtrarietatis actiuæ.

QVÆSTIO VI.

De Mixtione.

QVia Mixtio fit per mutuam actionem & repassionem, ideo valde affinis est mixtio actioni, & reactioni, & sic agimus de illa, antequam de rarefactione, & condensatione.

ARTICVLVS I.

Quid sit Mixtio, & quomodò fiat?

COmmunis & accepta mixtionis definitio est, quod mixtio est *miscibilium alteratorum vnio*, quam diffinitionem tradit Philo. in hoc lib. 1. de gener. cap. 10. & ibi D. Thom. lect. 25. & communiter Philosophi consentiunt.

Pro qua definitione explicanda, duo aduerte. Primò, quòd mixtio dupliciter fieri potest, vno modo impropriè, & largè pro omni coniunctione aliquorum in vnum, etiamsi ex illis non fiat vnum simpliciter, quod potius est constipatio quædam plurium, quam vera mixtio, fit enim per iuxtapositionem partium minimarum congregatarum in vnum, sicut cum diuersa grana miscentur hoc est simul cōfusè aggregantur, vt farina hordei, & tritici, vel alia grana minuta; secundo modo sumitur mixtio strictè & rigorosè, prout non solum aggregantur plura per iuxtapositionem in vno loco & constipationem, sed per veram vnionem hoc est resultantiam vnius per se; & ad hoc requiritur mutatio extremorum, vt non maneat vnumquodq; in se ipso. Primo modo aliqui ex antiquis acceperunt mixtionē vt refert & impugnat Arist. loco cit. tex. 85. & 86. quæ tamē nō est propriè mixtio, sed aggregatio multorū, quia quodlibet granum, vel quælibet pars minima non manet continuata alteri, sed contigua & seorsū seperata, mixtum autem quod simpliciter est tale debet esse eiusdem rationis in toto, & in parte, & consequenter habere partes continuas, in illa autē mixtione quælibet pars minima conseruat suā speciem, non ergo ex illis fit mixtū, sed aggregatum, ergo neque ibi est vera mixtio.

Secundò est notandum, ad mixtionē rigorose dictam quatuor requiri conditiones. *Prima* pertinet ad substantiam. *Secunda* ad quantitatē. *Tertia* ad qualitatē. *Quarta* ad vbi. *Prima est*, quod mixtio præsupponat diuersas substantias ex quibus fiat & tendat ad vnā, quæ ex illis facienda est, hoc enim est quod dicit Philos. loco citat. tex. 83. quod oportet miscibile existere separabile, si enim separata non essent, non oporteret mixtionē facere ex pluribus. Quod vero tendant ad vnū patet quia, si vnum nō fierent, mixtio non esset, sed vel aggregatio multorum, vel generatio simplex vnius ex alio non mixtio, quando enim elementum generatur ex aliquo, non est ibi mixtio, quia non fit mixtum, eo quod non generatur ex pluribus inter se immutatis, & vnitis, sed potius resolutis in tale elementum. *Secunda conditio est* ex parte quantitatis, requiritur enim ad mixtionem quod miscibilia mutuo diuidantur ad hoc, vt vnum intret per partes alterius, quia si extra manet, poterit quidem alterare vel generare ex illo aliquid, sed non misceri cum illo; vnde quādo duo liquores miscentur, videmus vnū diuidere alterum, & permeare illud, & Arist. in tex. vltimo huius c. 10. inquit quod oportet miscibilia esse terminabilia & passiua, hoc autem vt ait D. Tho. est bene terminabile, quod est bene diuisibile in parua, sicut corpora humida, quæ idcirco sunt magis miscibilia. *Tertia conditio est* ex parte qualitatis, quod scilicet sint actiua, & passiua secundum qualitates, nō ita tamē quod vnum prædominetur alteri, adeo vt trahat illud ad se tanquam partē, sicut fit in augmentatione, sed requiritur, quod ex vtroque fiat vnum tertium temperamentū, & ideo requiritur ista qualitatum actiuitas & passibilitas, quia quādo ex elementis fit mixtū vel ex liquoribus, non debent manere qualitates in toto suo vigore & cruditate, sicut sūt in elemētis, sed tempeiari ad inuicē, & sic requiritur mutua alteratio, sicut explicat Philos. loco citato tex. 89. D. Th. ibi lect. 25. *Quarta denique conditio* tenet se ex parte vbi scil. quod conueniant in vnum locum miscibilia alias non fiet mixtio, nec resultabit vnum, nec dabitur mutua actio & passio, si non applicentur localiter in vno loco. Aquo autem agente fiat mixtio præsertim elementorum, dicemus respondendo ad argumenta.

His positis, dico primò. *Datur de facto mixtio qualis à nobis explicata est.* Ita Aristot. cōtra aliquos antiquos, qui mixtionem negabant, vt patet in text. 83. vbi potest videri D. Thom. & constat tum experientia, quia videmus multa ad inuicem misceri id est ex pluribus in vnum tertium conue-

nire, vt ex variis liquoribus in quibus ſimplicia non penitus extinguuntur quoad virtutem, licet formæ ſubſtantiales non remaneant, quod eſt ſignum manifeſtiſſimum mixtionis, in generatione enim quæ mixtio non eſt, vnum penitus extinguitur quoad formam & virtutem, ſicut ſi ex terra fit ignis nihil de terra manet, ſi gutta vini cadat in fluuium, nihil de vino manet, & ideo illa non eſt mixtio, ſed ſimplex generatio, ergo vt mixtio ſit, aliquid manere debet; tum etiam, quia videmus corpora aliqua non eſſe ſimplicia, ſicut elementa, ſed mixta ſeu compoſita, ſiquidem in eis inuenitur aliquid de omnibus elementis videlicet qualitates elementales, ergo oportet quod talium corporum generatio ſit mixtio non ſimplex generatio: tum denique, quia in corporibus datur mutua actio, & reactio, vt in quæſtion. præcedenti oſtenſum eſt, ergo oportet dari mixtionem, ſiquidem ex iſta mutua reactione ipſæ qualitates miſcentur, & temperantur, ergo tãta poteſt eſſe corruptio, quod illa corpora non maneant, in ſuo ſtatu, nec cum debitis diſpoſititionibus, & cõſequenter quod fiat aliquod tertium ex illis, quod eſt mixtũ. *Quod ſi inquiras*, an omnia quatuor elementa concurrant ad cõpoſitionem mixti? De hoc dicemus amplius, q. 11. non enim deſunt qui id negent ſolũ, qui exiſtimãt ignẽ non poſſe deſcendere ad locum mixti, id eſt ad terrã, vbi fiunt mixta, quia aliàs ignis violẽter moueretur. *Sed tamen hoc fundamentum debile eſt*, tum quia in terra verus datur ignis, qui non eſt mixtum, ſed corpus elementale, licet non ita purum ſicut in ſua ſphæra. ergo ex illo poſſunt mixta generari; tum quia nõ repugnat aliquã exhalationem inflammari ſurſum ab igne elemẽtali, & decidere in alias exhalationes, aut etiam vſque ad terram, ſicut fulmen, quæ licèt ſint exhalationes ignitæ, tamen ſecum deferunt ignem, cum videamus comburere, & inflammare multa, ergo nõ eſt negandum poſſe ignem deſcendere, & in mixtis ex tali inflammatione generatis virtualiter manere, & ad alia communicari.

Dico ſecundò, *Optima eſt definitio Ariſtot. tradita de mixtione.* Eam acceptant communiter omnes Philoſophi, licet non defuerit aliquis, qui illam reprehenderit tãquam vitioſam, eo quod traditur per æque ignotum ſcilicet per miſcibile, tam ignotum eſt enim quid ſit miſcibile. quam quid ſit mixtio; & quia in ea circulus committitur, quia mixtio definitur per miſcibile, & miſcibile per mixtionem. Cæterum concluſio noſtra manifeſta eſt, quia per hanc definitionem explicatur natura mixtionis, vt diſtinguitur à ſimplici generatione quæ ſimpliciter fit ex vno quod corrumpitur, ſicut cum ignis generatur ex ligno. At vero in mixtione datur generatio ex cõtemperatione, & congregatione aliquorum quæ inter ſe diuiſa ſunt, vnde oportet fieri per modũ vnionis ſeu congregationis contemperantis, & coniungentis multa diuiſa in vnum tertium. Vnde hæc definitio præſupponit definitionem generationis ſubſtantialis in communi, ſcilicet quod ſit mutatio de non eſſe ſubſtantiali ad eſſe ſubſtantiale in materia, explicat autem id in quo differt generatio mixtiua à ſimplici generatione non miſcente, neque congregante aliqua, ex quibus vnum tertium formetur. Et ideo D. Thom. in hoc primo libro de generatione lect. 25. in fine explicans hanc definitionem Ariſtot. dicit: *Quod mixtio eſt miſcibilium alteratorum corruptorum ſecundum formas, vnio.* Itaque ly *vnio* idem eſt quod actio congregatiua ſeu factiua vnius ex multis ſubſtantialiter, & ita non ſignificat vnionẽ materiæ cũ forma quæ eſt cõmunis omni genreationi, ſed ex pluribus quæ corrumpuntur contẽperationẽ, & congregationẽ in vnũ, & ideò requiritur, quod alterentur miſcibilia, non quacumque alteratioue, ſed corruptiua illorum, & redigente illa ad vnum tertium.

Sic ergo, in iſta diffinitione tria eſſentialiter requiſita ad mixtionem explicantur, ſcilicet ex parte termini *à quo*, ex quibus fiat; ex parte termini *ad quem*, quid fiat; ex parte *actionis*, quomodo fiat, quod eſt plenè explicare mixtionum. Ex parte termini *à quo*, quod non fiat ex vno tantum quod totaliter corrumpatur, ſed ex pluribus miſcibilibus, id eſt in ſe quidem diſtinctis, ſed in vnũ cógregabilibus. Additur *alteratorũ*, propter duo; *Primo*, vt intelligatur quod mixtio primo & per ſe debet fieri in qualitatibus, quæ alteratione ipſa confunduntur, & in vnam virtutẽ ſeu qualitatem mediam conueniunt, hæc enim debet manere in mixto, ſi verum mixtum fiat, ad diſtinctionem eorum quæ miſcentur ſine alteratione ſolum per diuiſionem minimarum partium ſimul congregatarum. *Secundo*. vt ſignificetur talis alteratio quæ ſit corruptiua miſcibilium, vt ex D. Thoma aduertimus, alias non fieret vnum ex ipſis miſcibilibus. Ex parte termini *ad quem*, explicatur, quod fiat vnum tertium ex illis, & non quodlibet eorum maneat. Ex parte etiam actionis ſeu modi procedendi ſignificat ipſa vnio actionem mixtiuam, id eſt quæ non ſolum ſit vnitiua formæ, & materiæ, ſed congregatiua pluirum miſcibilium in vnum.

Ex quibus colligitur quomodò mixtio differat à generatione ſubſtantiali, & quomodo illam includat; differt enim à generatione ſubſtantiali ſimplici, non à generatione ſubſtantiali communiter dicta, quam tanquam genus includit, addit autem ſupra generationem ſimplicem fieri per modum vnitiui, & congregatiui, manentibus qualitatibus ad medium redactis. Et quando Philoſ. probat mixtionem differre à generatione, non loquitur de generatione in genere, ſed de generatione ſimplici, quæ eſt ſpecies generationis. & nomine generationis abſolutè nominatur, ſicut diſpoſitio dicitur ſpecies condiuiſa contra habitum, cum tamen etiam detur diſpoſitio generica ad habitum. Nec propterea negandum eſt dari formam ſubſtantialem in mixto cui qualitas temperata, debita ſit, nam vt docet S. Tho. 4. contraGent. c. 81. *Forma mixti dupliciter intelligi poteſt, vno modo, vt per formam mixti intelligatur forma ſubſtantialis corporis mixti. Alio modo dicitur forma mixti, qualitas quadam compoſita, & contemperata ex mixtione ſimplicium qualitatum, quæ ita ſe habet ad formam ſubſtantialem corporis mixti, ſicut ſe habet qualitas ſimplex ad formam ſubſtantialem corporis ſimplicis.* Atque ita mixtio non ad ſolam qualitatẽ terminatur, ſed ad ſubſtantiam, & ita differt ab alteratione, quia non ſolum illam præſupponit, ſed etiam ſimplex dicitur illa, quæ vel generat corpus ſimplex, ſcilicet elementum, vel quæ generat modo ſimplici, id eſt non per congregationem & temperationẽ multorum, ſed ſimpliciter corrumpendo vnũ & generando aliud, ſicut ſi gutta aquæ iniiciatur in magnam quantitatem vini, non fit ibi vnum tertiũ ex miſcibilibus, ſed ex vno fit aliud, ſcilicet ex aqua vinum.

Vnde colligitur Philoſ. non definiſſe mixtionem per aliquid ignotius, nam miſcibile prius explicauit per ſuas conditiones, deinde mixtionem per miſcibile. Et ſimiliter non commiſit circulum, quia, miſcibile non per mixtionem ipſã notificauit præciſè, ſed per alias conditiones ad miſcibilia requiſitas,

vt

vt constat ex textu, & sic potuit. Aristoteles per miscibile jam aliunde explicatum mixtionem explicare,

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimo arguitur ad probandum mixtionem non dari in rerum natura argumento illo antiquorum, quia vel corrumpuntur, miscibilia ad mixtionem, vel non: si non corrumpuntur, ergo non magis sunt mixta: quam prius, sed solum congregantur in vnum, nō fiunt vnum, si corrumpuntur, ergo ex illis non fit mixtio, quia ex non entibus, non fit mixtio. *Confirm.* quia mixtio, vel fit per diuisionem partium vel per penetrationem, hoc secundum naturaliter esse non potest: primum vero si fiat, imprimis solum mixtio erit per iuxtapositionem vnius partis ad aliam; deinde vel soluitur continuum in omnem suam partem vel non. Primum esse non potest, quia quælibet pars est diuisibilis, & sic non potest diuidi in omnē suam partem, ita vt amplius diuidi non possit; nec secundum, non est maior ratio cur diuidatur in istas partes, quàm in illas.

Resp. miscibilia corrumpi formaliter, sed manere virtualiter in mixto ratione qualitatum; & mixtio fit ex miscibilibus quæ actu existunt in principio, quando mixtio inchoatur, non existunt autem in termino quando generatur mixtum ex illis corruptis. *Ad conf. resp.* mixtionem fieri per diuisionē in partes minimas, nec tamen vna solum manet iuxta illam, sed agit in illam, quia actio & reactio facilius transmutat rem sic diuisam & comminutam in partes minimas, & inde resultat forma mixti. Quando autem quæritur an diuidatur in omnem suam partē? *Respond.* non diuidi in omnem suam partem quasi mathematicè, hoc enim est impossibile, cum omnis pars sit semper diuisibilis, sed soluitur in partes minimas naturales, in quibus scilicet conseruari potest species talis corporis, vt adinuicem agant; aliquando etiam fiet in maiores partes, prout agens, à quo fit mixtio, magis, vel minus comminuerit illas, & materia ipsa patiatur, & ad mutuam actionem, & reactionem sufficiat.

Secundo arguitur mixtio quæ fit ex elementis non est naturalis, neque violenta, ergo nulla. Non est violenta, quia sic non à esset natura ordinata ad producenda corpora mixta, nec productio mixti esset productio rei naturalis. Non est naturalis, quia elementa aliqua debent extra locum suum poni, vt ex eis fiat mixtum, sicut aër & ignis debent descendere ad locum inferiorem, vbi fit mixtum, & præsertim non apparet, quomodo mixta quæ fiunt intra mare ex concursu aëris, & ignis geri possint. *Confir.* quia si elementa conueniunt ad mixtionem, oportet quod moueantur ad locum, in quo fit mixtio ab aliquo mouente; non à se quia de se vnumquodque elementum tendit ad suum centrum, non ad locum cuiuscumque mixti, neque elementa intendunt formam mixti, sed suam propriam generare quantum est de se, præsertim cum elementum sit imperfectius, quam mixtum, & sic non potest ex propria virtute intendere eius generationem, & se mouere ad illam, neque mouentur elementa ab alio mixto, quia loquimur de primo mixto, quod factum est ex elementis, & non supposuit aliud prius mixtum, à quo mouerentur elementa; neque mouentur à cœlo, quia est causa vniuersalis, & remota, nec potest esse immediata causa omnium mixtorum, vt patet in animalibus perfectis.

Respondetur, mixtionem esse naturalem vtpotè à natura ordinatam, & ad naturalis entis productionem terminatam. *Nec obstat*, quòd alicui elemento fiat violentia, quia hæc violentia tenet se ex parte elementi, quod corrumpitur, & transit in mixtum, non autem ex parte ipsius mixti, quod producitur; nullum est autem inconueniens, quod in generatione naturali corruptum aliquam patiatur violentiam, licet enim sit violentia respectu corrupti, est tamen naturalis materiæ, & ad bonum vniuersi ordinata, & ita simpliciter est naturalis mixtio, licet præsupponat aliquam violentiam ex parte eius, quod corrumpitur. Nec est necesse, quòd elementa omnia formaliter intrent in quemcumque locum vbi formatur mixtum, sufficit quòd virtualiter, & per suas qualitates intrent, sicut in profundo maris inuenitur calor in piscibus ad operationes vitales, qui calor est virtus quædam ignis, & potest participari à cœlo.

Ad confirmationem respondetur, quòd elementa ex propriis non mouentur ad mixtionem, benè tamen à causa superiori, v.gr. à cœlo, vel à Deo, qui in principio produxit omnia mixta ex elementis, & licet aliqua dicantur facta esse ex aqua vel ex terra, non propter hoc tollitur, quòd omnia elementa saltem virtualiter concurrant ad mixta, cum etiam in piscibus vt diximus inueniatur calor, qui est virtus ignis, sed dicuntur fieri ex illo elemento, quod magis prædominatur in tali mixto, de quo D. Thom. 1. p. q. 71. in corp. & ad 1.

Ad instantias autem confirm. respondetur, quòd elementum secundùm se, & ex propriis solum mouetur ad suum centrum, & ad generandum suum simile, tamen ex impressione causæ superioris potest agere ad productionem mixti, sicut sola terra non germinat herbã nec producit metalla, sed ex impressione cœli. *Et quando dicitur*, quòd cœlum est causa vniuersalis, & remota, & non potest in omnia mixta. *Respondetur*, quòd respectu aliquorum mixtorum est sufficiens causa vt respectu herbæ, & metalli, & similium, respectu verò animalium perfectorum non est causa sufficiens, & ita oportuit quòd prima animalia producerentur à Deo, deinde cœlum cum prædictis animalibus concurrit ad generandum.

Tertiò arguitur, contra definitionem mixtionis, quia vnio non est aliquid præter relationem, vt diximus in quæstion 6. Physicor. sed relatio non pertinet ad speciē generationis quæ est actio, ergo mixtio quæ est species generationis inconuenienter definitur per vnionem. *Confirmatur*, quia mixtio differt à simplici generatione ex parte termini *ad quem* seu formæ ad quam terminatur, scil. ad formam mixti, ergo sicut generatio definitur, quod est transitus à priuatione formæ substantialis ad formã substantialē in materia, ita mixtio quæ est species generationis deberet definiri quòd sit transitus à priuatione formæ mixti ad formam mixti, non autem per hoc quod sit vnio, formaliter enim est transitus, quia est generatio, non autem vnio, quia non est relatio.

Respondetur, quòd ly *Vnio* in definitione mixtionis non significat ipsam relationem, vel modum vnitiuum extremorum, sed est actio vnitiua & generatiua tali modo, id est ex congregatione miscibilium in vnum, quod temperatur, & congregatur ex omnibus, non autem ex vno tantum generatur, & sic sub nomine vnionis non intelligitur vnio in facto esse, quæ de formali importat relationē inter extrema cōuenientia in vnitatē, quam per vnionem acquirunt, quatenus ad inuicem se communicant, & ideo præsupponere

ſupponere debent actionem aliquam & paſſionem, qua vnum communicetur alteri ad talem vnitatem conſtituendam, non quidem per aliquem modum ſuperadditum tanquam per rationem formalem, eò quòd iſta vnitas in qua extrema conueniunt, non eſt formaliter vnitas modalis, ſubſtantialis, vel accidentalis, & ideo non habet pro medio, & ratione formali modum, ſed ipſam extremorum communicationem quæ fit per eorum entitates tali actione, vel paſſione applicatas; & iſta actio ſic tendens ad communicandum vocatur etiam vnio actiua, & hæc intelligitur nomine vnionis in definitione mixtionis, non quidem actio vniens materiam formæ, quia hoc eſt commune omni generationi, ſed qua vniuntur miſcibilia, ad hoc vt corrupta inter ſe vnum mixtum faciant, & ideo ſtat, quòd vniantur per mixtionem, licet corrumpantur, quia non vniuntur formaliter tanquam extrema componentia, ſed virtualiter in vno tertio, quod reſultat ex talibus miſcibilibus in vnum contemperatis.

Ad Confirm. reſpondetur, Quòd mixtio eſt tranſitus de forma miſcibilium ad formam mixti, ſed quia non eſt ſimplex tranſitus, ſed congregatiuus ex multis, nomine vnionis deſignatur, eo modo quo dictum eſt.

ARTICVLVS II.

Quomodò mixtio fiat in liquoribus tam eiuſdem, quàm diuerſæ ſpeciei?

DVplex eſt genus miſcibilium, quædam ſunt vt liquores, quædam vt elementa: in hoc articulo agemus de liquoribus, in ſequent. de elementis. Circa mixtionem liquorum, *ſupponimus*, poſſe in illis dari mixtionem latè ſumptam, quæ fit per ſolam aggregationem partium in vnum locum, id enim manifeſtè conſtat experientia, cum videamus aliquos liquores inter ſe confundi. *Difficultas eſt in duobus. Primum*, an inter iſtos liquores intercedat propria mixtio, quæ faciat vnum tertium ex corruptione eorum. *Secundò*, ſpecialiter quando miſcentur duo liquores eiuſdem ſpeciei, & eorundem accidentium, an poſſit fieri vera & propria mixtio; cum corruptione miſcibilium, & generatione vnius tertij.

Dico primò; *Inter liquores diuerſæ ſpeciei habentes contrarias qualitates datur vera, & propria mixtio.* Concluſio eſt ſatis nota, ſumiturque ex D. Thom. 3. p. quæſt. 77. art. 8. vbi inquit: *Quod ſi permiſceatur aliquis liquor in tanta quantitate, quod poſſit diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum, quod autem eſt commixtum ex duobus, neutrum miſcibilium eſt, ſed vtrumque tranſit in quoddam tertium ex his compoſitum, vnde ſequeretur quod vinum prius exiſtens non remaneret, ſed liquor permixtus eſſet alterius ſpeciei, puta ſi permiſceretur aqua, ſolueretur ſpecies vini, & eſſet liquor alterius ſpeciei,* Et idem docet in 4. diſtinct. 12. q. 1. a. 3. q. 6. *Ratio eſt*, quia inter liquores habentes contrarias qualitates concurrunt conditiones veræ mixtionis; ſiquidem ex parte quantitatis cum ſint humida facile poſſunt diuidi, vt aduertit Philoſ. in hoc primo libro text. 89. ſimiliter ex parte qualitatis habent quidditates contrarias, ergo ſunt capaces alterationis corruptiuæ, quia hæc fundatur in contrarietate qualitatum, & conſequenter ſic poſſunt temperari, vt corrumpantur liquores, & fiat vnum tertium.

Circa liquores vero eiuſdem ſpeciei, qui non habent qualitates contrarias, & tamen ad inuicem diuiduntur, & copulantur, *difficultas maior eſt*, nam ex vna parte videtur fieri vnum mixtum ſimpliciter ex illis quia fit vnum numero per copulationem partium, ſicut ex duabus aquis in vno vaſe fit vna aqua numero. Ex alia vero parte non datur alteratio, cum nõ habeant qualitates contrarias, ergo neutrum alteratur alteratione corruptiua, quæ eſſentialiter requiritur ad mixtionem, corruptio autem non datur de vno indiuiduo in aliud, quia ſimile non agit in ſimile, ſed de vna ſpecie in aliam. Item, quia alias ſi fieret mixtio ex duobus liquoribus eiuſdem ſpeciei cum corruptione vtriuſque, ſequeretur quòd ſi vinum conſecratum adderetur alteri vino conſecrato, ibi deſineret eſſe corpus Chriſti, cum tamen vtrumque conſecratum ſit. *Sequela patet*, quia fit alterum numero diſtinctum ab vtroque miſcibili, & illud tertium non eſt conſecratum, quia de nouo fit, ergo ſub illo non manet corpus Chriſti. Quod à fortiori ſequitur ſi aliquod vinum non conſecratum miſceatur conſecrato, tunc enim etiam reſultabit vnum numero diſtinctum, quod cõſecrationi non fuit ſubiectum. Et ita apertè affirmat S. Thom. citato loco ex 3. par. Quod confirmatur, quia vt dicitur cap. Cum Marthæ, de celebrat. Miſſarũ, quando vino conſecrato infunditur aliud vinũ, hoc ſecundum nec tranſit in ſanguinem, nec ſanguini commiſcetur, ergo ſupponit decretalis, quod non fit mixtio ex liquoribus eiuſdem ſpeciei. Ad hoc.

Dico ſecundò, *Quando coniunguntur duo liquores eiuſdem ſpeciei, non habentes qualitates contrarias, tunc non fit corruptio neque mixtio, ſed ſola continuatio vnius liquoris ad alium, & in tali caſu non dicit Diu. Thom. fieri aliud numero, vel deſtruere ſanguinem ſub ſpeciebus conſecratis ſi eis miſcetur aliud vinum. Prior pars*, quæ eſt communis Thomiſt. vt aſſerit M. Nunno 3. part. quæſtion. 77. articul. 8. circa 4. concluſionem D. Thom. *probatur*, quia ad mixtionum de qua in præſenti loquimur, non ſufficit diuiſio partium, & continuatio earum, vt fiat mixtio ſicut probat Philoſ. in hoc 1. lib. text. 84. & 85. aliàs mixtio eſſet aggregatio partium, & iuxta poſitio, & ſic quando ignis aggenerat ſibi alium ignem, diceretur ibi fieri mixtio, cum tamen nullum fiat mixtum. Quare mixtio generatiua eſſentialiter requirit alterationem miſcibilium, & talem quæ corrumpat miſcibilia, vt fiat; ergo vbi non eſt alteratio & corruptio penes formam non eſt mixtio, vbi autem non eſt contrarietas qualitatum, nõ poteſt eſſe alteratio corruptiua, quia omnis corruptio in contrarietate fundatur, ergo inter liquores non habentes qualitates contrarias, non poteſt fieri mixtio, de qua loquimur in præſenti, quæ fit ex contemperatione, & corruptione miſcibilium, ſed ſolum poterit dari continuatio vnius partis cum alia, vt cum aqua miſcetur aquæ nullo mixto producto, ſed elemento continuato.

Secunda pars ex eodem contextu D. Thom. quæſt. illa 77. citata. art. 8. dicit enim, *Quod corpus & ſanguis Chriſti manet in ſpeciebus, quamdiu illa ſpecies manent eadem numero, quia conſecratur hic panis, & hoc vinum, vnde ſi fiat tanta permixtio liquoris cuiuſcumque, quod pertingat ad totum vinum conſecratum & fiat permixtum, erit aliud numero, & non remanebit ibi ſanguis Chriſti.* Quæ verba procedũt ex ſuppoſitione, quòd fiat mixtio liquoris cũ liquore, & fiat permixtum, atque adeo ſupponendo corruptionem, & non ſolam continuationem vtriuſque

triusque liquoris. Et *solut. ad 2.* inquit: *Quod permixtione facta corrumpuntur species vel in toto, vel in parte*, ergo supponit fieri permixtionem corruptiuam, & consequenter alterationem fundatam in contrarietate qualitatum, non vero solam continuationem specierum, de hac enim non dicit quòd sufficit ad hoc, vt desinat ibi corpus Christi, imò oppositum approbare videtur in 4. ad Anib. disp. 12. quæst. vnica art. 3. ad 3.

Dico tertiò, *Quando liquores sunt eiusdem speciei, sed habent qualitates contrarias, potest dari vera mixtio & corruptio miscibilium*, & in hoc casu loquitur S. Thomas quòd non manebit sanguis in speciebus consecratis, si misceatur alius liquor eiusdem speciei, qui facit vt sit aliud numero, vt patet ex verbis ipsius citato loco, *Si esset*, inquit, *eiusdem speciei liquor adiunctus, puta si vinum permisceretur vino, remaneret quidem eadem species, sed non remaneret idem numero vinum, quod declarat diuersitas accidentium, puta si vnum vinum esset album, & aliud rubrum*, ergo ex hac declaratione colligitur, quod loquitur S. Thomas de liquoribus eiusdem speciei habentibus diuersa accidentia. Præsertim hoc adiuuatur ex alio loco in quodl. 10. art 3. vbi tractans eandem quæstionem & impugnans eos qui dicebant per quamlibet guttam liquoris mixtam speciebus, desinere ibi esse sanguinem Christi inquit: *Quod ipsa additio non tollit essentiam dimensionis, sed variat terminationem eius, quæ quidem variatur non solum per additionem, sed etiam per diuisionem, vnde si talis variatio sufficeret ad hoc, quod desineret esse sub speciebus corpus, vel sanguis Christi, sequeretur, quod per diuisionem specierum, desineret esse similiter, quod patet esse falsum.* Quare secundum D. Thom. per additionem, vel continuationem liquorum non soluitur substantia miscibilium, vel specifica, vel numerica, per mixtionem autem soluitur, quia est cum corruptione. *Et ex hoc probatur prima pars conclusionis*, quia in liquoribus eiusdem speciei sit dentur accidentia opposita, ratione quorum vnum sit actiuius altero, sicut indicat diuersus color, vel acrimonia talium liquorum, tunc datur sufficiens contrarietas ad corruptioné in qualitatibus, & datur etiam diuisio partium inter ipsos liquores, vt videmus fieri, ergo datur quid, quid requiritur ad veram mixtionem, scilicet diuisio, alteratio, & corruptio. Nec obstat quòd sint eiusdem speciei, quia benè potest vnum indiuiduum sortiri qualitates oppositas alteri, ratione quarum agat ad corruptioné alterius in aliud tertium, in quo illæ qualitates maneant temperatæ, cum non solum vnum indiuiduum, sed etiam vna pars possit agere in aliam in eodem indiuiduo, vt patet in viuentibus, deficiente enim alimento vna pars agit in aliam, & consumit illam, vnde redditur animal macilentum, & tenue, ergo similiter poterit vnum indiuiduum esse fortius altero, sicut vnum vinum est fortius altero, & per suam qualitatem agit in illud, & dissoluere illud, contemperando in vno tertio, tunc enim non agit simile in simile, quia dissimilia sunt secundùm qualitates oppositas.

Ex quo patet ad rationes dubitandi à principio. Ad primum enim respondetur, quòd quando duo liquores sunt omninò similes in specie, & qualitatibus, tunc vnũ non corrumpitur ab alio, nec miscetur, sed continuatur præcedenti, & sic non fit aliquid distinctum numero, sed idem numero fit maius per continuationem, sicut animal crescit per augmentationem; si verò sint diuersarum qualitatum, quæ possunt in vnum contemperari, tunc fit mixtio, & resultat vnum tertium indiuiduum corruptis miscibilibus. Neque est necesse, quòd omnis corruptio sit de vna specie in aliam, sed potest esse de vno indiuiduo in aliud, vt iam explicauimus.

Ad secundum dicitur, quòd si vinum consecratum misceatur alteri consecrato, potest hoc fieri dupliciter; vno modo quando vtraque species vini habet easdem qualitates, verbi gratia est eiusdem acrimoniæ, caloris, &c. alio modo quando habet diuersas qualitates quarum vna potest alteri misceri, & contemperari. Primo modo est certum quod non fit mixtio, sed continuatio vnius speciei ad aliam, & sic non corrumpit miscibilia; illis autem non corruptis, non desinit esse sanguis, sicut argumentatur S. Thomas quia etiamsi diuidatur, & fiant plura indiuidua ex speciebus vini, vel panis, non desinit ibi esse corpus Christi. Si secundo modo fiat, ita quòd inter ipsas species vera mixtio conficiatur, tunc censent aliqui esse probabile, quod ibi desinat esse sanguis Christi, eò quòd fit vnum tertium indiuiduum corruptis miscibilibus, & super illud non cecidit consecratio; quod videtur insinuare S. Thom. dict. quæst. 77. & expresè tenet M. Nunno citatus, licet dicat non esse certum. Existimo tamen non loqui in illo casu S. Doctorem, quo duæ species consecratæ miscentur, quia licet fiat vnum tertium indiuiduum, quia tamen omnes partes fuerunt consecratæ, totum remanet consecratum ratione partium, sicut è conuerso quando diuiditur hostia, & fiunt duo indiuidua, quodlibet retinet consecrationem, quia licet non fuerint consecrata vt duo indiuidua, quia tamen fuerunt consecrata in suo principio à quo diuiduntur & multiplicantur, ideo retinent consecrationem. At verò si vinum non consecratum habens diuersas qualitates misceatur consecrato, ita quòd totum penetrat, & perfundat, in hoc casu fit alterum indiuiduum ex vtroque, & cum non sit consecratum in omnibus suis partibus, & in se sit aliud numero distinctum ab eo quod consecratum fuit, probabile est desinere in illo toto esse sanguinem, & in hoc casu loquitur S. Thom. sed quia non est omninò certum, vinum illud religiosè seruandum est.

Ad confirmationem respondetur, decretalem solum dicere, quòd vinum appositum speciebus non consecratis non miscetur sanguini intus contento, nec illud perfundit, aut tangit, cum non sit ibi modo connaturali & extenso; non tamen docet non misceri speciebus, vt fiat vnum tertium, quo resultante desinat ibi esse sanguis.

ARTICVLVS III.

Quomodò fiat mixtio inter elementa, & quomodò illa maneant in mixto?

De elementorum mixtione duæ possunt esse difficultates. *Prima*, an verè omnia quatuor elementa misceantur, ita quòd ex illis componatur mixtum. *Secunda*, quomodò dicantur manere elementa in mixto virtualiter, & non formaliter, & quid sit virtualiter manere?

De primo, disseruit Aristot. in hoc lib. 2. c. 8. text. 50. vbi ostendit, omnia elementa esse in quolibet mixto, & ad illud concurrere. Et quidé quòd omnia elementa possint esse in quolibet mixto, seu concurrere ad illud iam supra diximus ostendendo quomodò etiam ignis possit ad constituendũ mixtũ concurrere? Quod verò de facto in omni mixto inueniã-

tur omnia elementa asserit Aristot. c ato loco; quod non est intelligendum, ita vt quando quodlibet mixtum generatur, ibi formaliter conueniant omnia elementa, cum hoc vix accidere possit, vt in animalibus, & his quæ generantur intra aquam manifestum est, sed sufficit quòd virtutes elementorum, quæ in prioribus mixtis fuerunt contemperatæ, de vno mixto ad aliud transfundantur. Et quidem ex eo quod inueniatur in mixtis grauitas, manifestum est in illis concurrere elementa grauia, & non solùm terram sed etiam aquam, quia aliàs haberent siccitatē sine aliqua humiditate, & sic non possent continuari, & coagulari, sed magis in pulverem reducerentur, quia nimia siccitas in pulueres reducit. Alia autem duo elementa, scilicet ignis & aër etiam concurrunt in mixto, quia si terra, & aqua concurrunt, oportet, quòd concurrant contemperata, & alterata, non possunt autem alterari, ita vt temperentur, nisi à suo contrario, quia si frigus aquæ, verbi gratia est in summo, non poterit temperari à calore modico, sed à concursu alterius caloris summi, qualis est in igne, si enim esset calor modicus consumeretur à frigore summo, non autem temperaretur. Vt ergo ex elementis fiat temperatio mixtorum, necesse est omnia elementa concurrere, si duo concurrunt vt terra, & aqua propter grauitatem mixtorum, & coagulationem, quæ elementa communiter dominantur in mixtis, vt infra dicemus ex D. Thom. si quæ enim mixta ascendunt, vt quædam metheora ignita, aut etiam vapores, hoc non fit ex propria earum natura, sed ex virtute solis eleuantis, vel ignis deferentis; vnde vapores relicti suæ naturæ resoluuntur in aquam, sicut etiam aues, licet virtute vitali volare possint, tamen naturali pondere decidunt.

Secunda difficultas longior est, pluraque habet explicatu difficiliora; nam cum mixtio fiat ex substantia elementorum & qualitatibus dubitatur, tam ex parte formarum substantialium, quàm ex parte qualitatum quomodo fiat mixtio. Ex parte quidem formarum dubitantur duo. *Primum*, an formæ elementorum substantiales formaliter maneant in mixto. *Secundò*, an dato quod formaliter non maneant, an maneant virtualiter, & per modum gradus, sicut vegetatiuum, & sensitiuum in anima. Ex parte verò qualitatum similiter dubitantur duo. *Primum*, an qualitates elementorum maneant in mixto formaliter, vel solùm virtualiter ratione alicuius tertiæ qualitatis ex illis resultantis. *Secundò*, an hoc sufficiat, vt dicantur elementa manere in mixto.

Ad primam difficultatem respondetur, certum esse quòd in mixto non manent actu formæ substantiales elementorum. Est communis ferè omnium Philosophorum, licet Auicenna senserit manere formas elementorum substantiales integras in mixto, qualitates autem ad medium reduci. Auerroës autem dixit manere easdem formas elementorum, sed non perfectas, & integras, sed remissas, & imperfectas. Nihilominus oppositum constat ex Diuo Th. 1. part. quæstione 76. artic. ad 4. & 2. cont. Gent. distinct. 15. quæstione 1. & communiter omnes sequuntur, de quibus videri potest M. Bannes in hoc 1. libro de Generat. cap. 10. quæstione 2. *Ratio est tum generalis*, quia plures formæ substantiales non possunt esse in eodem composito, quia aliàs non esset per se, & simpliciter vnum vt probabitur in libris de Anima, quæstione 1. *Tum specialiter*, quia formæ elementorum non possunt simul actuare eandem materiam, quia petunt qualitates contrarias in summo, atque adeo non possunt compati in eadē parte materiæ. Quod si sunt in diuersis partibus, quarum quælibet habet diuersam formam elementi, non dicetur mixtum, sed congregatum ex pluribus partibus, habentibus diuersas formas specie quod non est facere vnum mixtum per se. Similiter etiam non possunt manere istæ formæ imperfectæ, tum quia formæ substantiales non possunt intendi & remitti, sed vel tota forma est in materia, vel nihil, si autem non remittuntur, ergo vel manent integræ, vel sunt aliæ, & non ipsæ formæ elementorum; ponere enim aliquas entitates quæ sint principia formarum, & non formæ ipsæ, omnino absurdum est, cum ad compositum naturale solum concurrant tanquam extrema materia & forma, non autem alia entitas: præter quam quod, totum hoc est ponere plures formas substantiales, licet imperfectas in eadem materia, & sic inciditur in idem inconueniens.

Quare ex substantia elementorum sola materia manet in mixto formaliter, formæ autem miscibilium corrumpuntur, ideò enim alterantur miscibilia, vt corrumpantur, & sic explicauit Diu. Thomas in hoc lib. 1. lection. 25. in fine definitionem mixtionis, quod *sit miscibilium alteratorum, & secundum formam corruptorum, vnio*. Nec Arist. vnquam docuit miscibilia manere actu in mixto, sed in potentia & virtualitate, quod explicat ratione qualitatum suarum, in quibus tanquam in virtute formæ continentur, vt infra dicemus. *Nec obstat*, quod secundum hanc doctrinam ex duobus elementis, aut ex tribus poterit fieri mixtum, & non requiritur, quod semper concurrant omnia quatuor, quia illud quod habet aliquam qualitatem in summo, etiam poterit temperari per reactionem à minori qualitate, verbi gratia frigidum aquæ quod est summum poterit temperari à calido aëris quod est excellens, vel ab alio minori, & sic ruit fundamentum quod Aristot. & nos ante posuimus, omnia quatuor elementa esse necessaria in mixto. *Respondetur enim*, quod si elementum habens calorem in summo patitur ab opposito quod non est etiam in summo, licet primo congressu repatiatur, & contemperetur, non tamen sistit in illo temperamento, sed vlterius procedet vsque ad vincendam illam qualitatem minorem, eo quod illa qualitas in summo habet actu naturalem fortiorem emanentem continuo à natura, & per illam continuam emanationem vincet repassionem minoris, & remissioris qualitatis: vnde vt rediga tur ad temperamentum & mixturam permanentem, oportet, quod alia qualitate etiam summa habente similem emanationem à natura resistatur illi, vel suppleatur à causa vniuersali, id quod deberet fieri ab elementali, quod est recidere in idem, illa enim virtualiter est tale elementum. Quare si duo elementa concurrant ad aliquod mixtum, oportet alia duo opposita concurrere, vt temperamentum permanenter fiat ex vtraque.

Circa 2. difficultatem dissensio est inter Scotum, & Caietanum, aliósque Thomistas. nam Scotus in 2. dist. 15. quæst. vnica, videtur concedere, quod formæ elementorum manent virtualiter in mixto, non solum virtualitate accidentali ratione qualitatum, sed etiam virtualitate substantiali ratione graduum, quia forma substantialis mixti continet formam elementorum per modum gradus sicut anima continet vegetatiuum, & sensitiuum. Caietanus verò 1. parte quæstione. 76. artic. 4. & alij Thomistæ tenent formam mixti non continere substantialiter formas elementorum virtuali illa continentia, sed solum accidentali,

accidentali,& ratione qualitatum elementalium, vt postea dicemus.

Fundamentum Scoti est, quia etiam antecedenter ad mixtionem qualitatum forma ipsa substantialis est essentialiter forma mixti, ergo essentialiter est ex formis elementorum & continet illas, mixtum enim ve mixtum continet virtualiter miscibilia ex quibus est, aliàs esset corpus simplex, ergo cum antecedēter ad qualitates detur ista forma mixti, & corpus mixtū, antecedēter ad qualitates datur virtualis continentia elementorū. *Deinde*, quia qualitates, & formæ elementorum pereunt, & id quod de illis manet est in gradu ita imperfecto quantum ad qualitates, quod nullo modo potest virtualiter continere ipsam formam elementi: siquidem qualitas mixta, & temperata non est virtus elementi, ergo non potest elementum manere in mixto virtualiter ratione qualitatum, siquidem qualitates quæ manent non sunt virtutes elementorum, sed deficientes ab illis, ergo solum possunt contineri elementa in mixto virtualiter ratione gradus substantialis Quod si sufficit retinere qualitates elementorum debilitatas, & in statu imperfecto, vt dicantur elementa manere in mixto, posset aqua quando calefit dici mixtum, quia retinet ōnes quatuor qualitates, licet in statu imperfecto, scilicet calorem quia calefit, & aliquid frigoris, quia totum non expellitur, & humidum in gradu excellenti cum aliqua siccitate, tum naturaliter habita, tum ab igne augmentata.

Fundamentum verò sententiæ Caietani ex eo desumitur, quia si daretur in forma mixti continentia illa substantialis elemēti, oporteret quod mixtum haberet gradum elementalem sicut anima habet gradum vegetatiuum, ita quod natura mixti esset principium operationū propriarū mixti & operationum propriarum elementalium ratione gradus elementalis, sicut ratione gradus vegetatiui operatur anima, ea quę sūt propria naturæ vegetātis vere enim & propriè nutritur, generat &c. & sic lapis, v. gr. ratione gradus elementalis deberet ignire, aut madefacere sicut aqua, quod nequaquam habet, ergo non habet gradum illius elementi siquidem non habet operationem. *Prætereà*, vel contineret mixtum per modum gradus omnes formas quatuor elementorum, vel solum alicuius determinati elementi. Si omnium, deberet omnium operationes exercere, quæ tamen ob sui contrarietatem se impedirent, sicut ob gradum ignis deberet ignire, ob gradum aquæ infrigidare, & humectare, &c. quod est contra experientiam. Si alicuius tantum elementi, ergo iam virtualiter continere reliqua elementa sine continentia substantiali virtuali, atque adeò bene stat, aliqua elementa contineri in mixto, & non ratione gradus substantialis, idem ergo dicetur de omnibus elementis. *Denique*, elementum non est aliquid commune respectu mixtorum, sicut vegetatiuum, aut sensitiuum respectu animalium, sed elementa sunt corpora condiuisa contra mixtum: ergo non potest contineri elementum in mixto tanquam gradus.

Ad primum fundamentum Scoti respondetur, ante qualitates dari formam mixti, quæ ex elementis seu miscibilibus corruptis resultat, & quia fit ex corruptione illorum, non continet ea per modum gradus, continentia substantiali, sicut neque liquor mixtus liquores ex quibus miscetur, sed solum illa forma, quæ resultat ex talibus miscibilibus continet virtualiter, & radicaliter qualitates illas, quæ erant in elementis seu miscibilibus, & hoc modo dicitur continere virtualiter accidentaliter elementa, non virtualiter substantialiter.

Ad secundum respondetur, quod formæ elementorum pereunt in substantia, & manent in virtute seu qualitate, non quod maneat eadem qualitas numero, sed quod succedat aliqua similis à primis miscibilibus deriuata. *Et cum instatur*, quod illa qualitas, sic diriuata non est virtus elementi, sed mixti, cum sit modificata & temperata. *Respondetur* esse, virtutem elementi non in statu perfecto, sicut est in ipso elemento, sed cum aliqua modificatione, sicut aliquid ab elemento deriuatum, eiusdē tamen essentialis rationis cum ipsa virtute elementi, si enim haberet illam in summo, haberet illam per modum vltimæ dispositionis ad elementum, & sic non esset virtus participata, sed propria ipsius elementi. Quia tamen est ab elemento ipso diriuata, licet modificata iuxta naturam mixti, dicitur virtualiter continere elementum, sicut multæ qualitates quæ à cœlo participantur in inferioribus, vt lux vel aliæ similes participatiuè sunt qualitates cœlestes, licet non in ea perfectione, qua in cœlo sunt. *Quod verò additur*, quod hoc modo posset vnum elementum dici mixtum quando participat omnes qualitates elementales, *negatur consequentia*, quia quandiu tale elementum non corrumpitur, licèt disponatur per qualitatem alterius elementi ad corruptionem, non potest dici mixtum, quia non habet illas qualitates, vt redactas ad temperamentum ex vi suæ formæ, sed quasdam vt proprias, alias vt disponentes ad corruptionem.

Circa tertiam difficultatem, aliqui existimant, qualitates elementorum nō manere formaliter in mixto, sed virtualiter ratione alicuius qualitatis mixtæ seu mediæ virtualiter continentis illas extremas, & hoc ideò, quia forma mixti substantialiter est vna, ex corruptis miscibilibus consurgens, ergo debet ei correspondere tanquam propria vna qualitas etiam mixta, quod etiam videtur asserere Aristotel. in hoc 2. lib. text. 48. dicens quod ex calido & frigido fit vnum medium, quod non est alterum illorum simpliciter.

Nihilominus oppositum dicendum est, *Manere scilicet in mixto formales qualitates elementorum, verbi gratia formalem calorem, vel formale frigus, redactas tamen ad mediocritatem.* Itaque cum frigidum & calidum miscentur, vtrumque amittit intensionem suam, quod pertinet ad modum, sed non amittit substantiam suam, scilicet rationem ipsam caloris & frigoris, sine illa tamen perfectione, & excellentia intensionis, & sic censet Sanct. Tho. 1. part. quæst. 76. artic. 4. ad 4. *Manent*, inquit, *qualitates propriæ elementorum, licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementalium*, & q. 5. de malo art. 5. ad 6. inquit: *Quod ita contraria sunt qualitates in corpore mixto, sicut sūt contraria elemēta in mūdo. Vndè sumitur ratio*, quia in corpore mixto videmus qualitates non solum quoad sensum habere eandem immutationem, quam in elementis, scilicet calidi & frigidi sed etiam pugnare, & contrariari interse, sicut in corpore animalis contrariæ qualitates pugnant & agunt ad inuicem, ergo signum est formaliter manere qualitates elementales. *Deniq;* si istæ qualitates non essent formaliter in mixto, neq; esset formalis contrarietas, & consequenter non corrumperetur mixtum ex causa intrinseca, siquidem corruptio accidit penes contraria, quæ mutuo in se agunt, vna autem qualitas ex omnibus conflata non agit in se ipsam, vt se corrumpat, ergo si ab intrinseco corrumpuntur, ab intrinseco habent contrarietatem & consequenter qualitates elementorum formaliter, quia in illis solum contrarietas ista exercetur.

Ad oppositum fundamentum respondetur, non debere formæ mixti correspondere vnam qualitatem, sed sufficere, quod correspondeat vna proportio, & temperamentum plurium qualitatum, eo quod ex earum temperamento consurgit mixtum, & ideo retinet illas ad mediocritatem redactas, quia tamen forma mixti est vna, poterit etiam sortiri aliquam qualitatem, quæ vna sit, verbi gratiâ, aliquam virtutem actiuam, sicut magnes attrahit ferrum, vel aliquem colorem proprium ipsius mixti, aut aliquid simile, sed istæ qualitates consequuntur formam mixti, non ex earum temperamento mixtio fit.

Ad testimonium Aristotel. respondetur, Aristotelem non dicere, quod ex calido, & frigido fit vnum medium, quod non contineat formaliter ipsum frigus, & calorem, sed quod vtrumque continet in vno medio, idest redacto ad vnum temperamentum, vel mediocritatem, non vero quod aliqua tertia qualitas resultet eminenter continens frigus, & calorem.

Instabis, quomodo sunt qualitates illæ elementorum, siquidem propriæ passiones nequeunt communicari aliis subiectis, istæ autem qualitates elementorum sunt propriæ passiones eorum; & dato quod possent communicari, non tamen exercendo contrarietatem, quod impedit vt formaliter sint simul, adhuc autem vt remissæ, contrariantur illæ qualitates. *Respondetur*, quod propriæ passiones alicuius bene possunt esse in proprio subiecto essentialiter, in aliis autem participatiuè, sicut lux est in sole vt in proprio subiecto connaturaliter, in aëre autem participatiuè. *Ad aliam partem argumenti respondetur*, quod qualitates remissæ exercent quidem contrarietatem inter se, sed non perfectè, & adæquatè, sed imperfectè, & quantum ad aliquid, quia enim remissæ sunt, non subiiciunt sibi totaliter, nec replent totam latitudinem subiecti, vnde non omnino se expellunt ab illo, id enim esset simpliciter, & perfectè contrariari, de quo latius dicemus infrà q. 10. Opposito autem modo se habet in qualitatibus intensis. Datur tamen aliqua contrarietas in qualitatibus remissis, quia aliquo modo ad inuicem agunt, & patiuntur, quod sine aliqua contrarietate fieri non potest, & ita est ibi contrarietas essentialiter, sed non in omni perfectione.

Circa vltimam difficultatem respondetur, elementa dici virtualiter manere in mixto, quia manent qualitates quæ sunt virtutes elementorum in ipso. Ita sumitur ex D. Th. l. 1. de gener. lect. 24. in fine, & 1. p. q. 76. a. 4. ad 4. vbi inquit: *Quòd secundum Philos. in 1. de gener. formæ elementorum manent in mixto non actu, sed virtute, manent enim qualitates propriæ elementorum licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementalium* Et videri etiam potest 2. cont. Gent. c. 55. & opusc. 33. & aliis locis. Itaque elementa manent in mixto non formaliter, aut virtualiter substantialiter, sed virtualiter accidentaliter, sicut dicitur aliqua forma manere in sua dispositione non vltima, vltima enim semper est annexa ipsi formæ, sed remota, & ad mediocritatem redacta. *Ratio sumitur ex dictis*, quia non est alius modus continendi elementa, nisi vel substantialiter, vel accidentaliter; substantialiter non possunt contineri elementa in mixto, neque formaliter, neque virtualiter tanquam in gradu: ergo virtualiter accidentaliter eo modo quo dictum est.

Sed dices, virtus manens in mixto non potest producere elementa, nec enim calor lapidis vel ferri est talis vt possit producere ignem; ergo prout est in mixto non continet virtualiter elementa, illud enim continet virtualiter, quod continet aliquid tanquam in virtute productiua illius. *Secundò*, mixtum factum ex liquoribus non continet illos, eo quod non potest illos producere ex quibus factus est: ergo neque dicetur continere elementa virtualiter, quia elementa producere non potest. *Tertiò*: quia si ex eo dicitur mixtum continere virtualiter elementa, quia continet qualitates eorum in gradu remisso, etiam dicetur mixtum continere virtute omnia mixta, & vnum elementum aliud; consequens est falsum, ergo. *Sequela patet*, quia mixtum continet omnes quatuor qualitates, ex quibus alia mixta componuntur, similiter vnum elementum continet qualitatem alterius, verbi gratiâ, aër habet calorem non in summo sicut ignis, sed minus intensum, ergo dicetur continere ignem virtualiter, quia in gradu remisso continet virtutem eius, scilicet calorem.

Ad primum respondetur, virtutem mixti posse virtualiter producere elementum, non immediatè, sed mediatè, & crescente dispositione, quam habet, quæ non est vltima respectu elementi, sed remota vt diximus, & ita crescente eius intensione, & perueniente ad eam perfectionem, quam habet in elemento, poterit produci ex mixto, & sic ab extrinseco habent mixta resolui in elementa saltem mediatè.

Ad secundum respondetur, quòd quando vnum mixtum fit ex aliis mixtis, vt ex liquoribus, si retinet non solum qualitates elementales, quæ sunt communes omni mixto, sed etiam particulares, & proprias illorum liquorum, dicetur etiam continere illos liquores virtualiter, sicut vinum temperatum ex aqua continet eius qualitatem, si vero temperetur ex alio liquore, illius qualitatem imbibit. Si autem ita soluatur species liquorum; quod non maneant qualitates propriæ, sed solum qualitates communes elementorum, tunc non dicetur mixtum virtualiter continere illa mixta. Et quia certum est qualitates elementales semper manere in omni mixto, quia sunt omnibus communes, non autem est certum manere semper proprias virtutes mixtorum in aliis mixtis, ideo absolutè dicitur, quod elementa manent virtualiter in mixto, non vero quod vnum mixtum maneat in alio.

Ad tertium respondetur ex dictis, non posse dici, quod vnum mixtum continet virtute alia mixta, nisi eorum qualitates retineat, quod non semper fit, sicut si aliquid fiat ex magnete non continet virtutem attractiuam ferri, continet autem qualitates, seu virtutes communes elementorum, & ideo absolutè dicitur de mixtis, quod continent elementa, idest proprias virtutes elementorum. Vnum autem elementú non dicitur continere aliud virtute, tum quia qualitas, quam habet, non deriuatur ex alio elemento, & sic non est virtus eius: tum quia, etsi vnum elementum habeat aliquid de vna qualitate alterius, sed non de omnibus, quæ in tali elemento sunt, sicut aër licet contineat aliquem calorem, qui inuenitur in igne, non tamen continet aliquid de siccitate ignis, & sic non continet virtute elementum ignis, quia non participat de omni eius qualitate, sed solum de parte. Plura de mixtis dicemus, qu. 11. hîc enim non de natura mixtorum, sed de mixtione agimus.

QVÆSTIO VII.

De Condensatione, & Rarefactione.

ARTICVLVS I.

Vtrùm rarefactio, & condensatio terminetur primo, & per se ad qualitatem?

NIhil notius est densitate, & raritate in corporibus, id enim quotidie videmus, & experimur, earum quoque sensibiles effectus penes quos definiuntur, seu describuntur notissimi sunt, scilicet dilatatio partium quantitatis in raro, contractio, seu compressio in denso. Vnde Philosoph. in prædicamento definit rarum esse *Id quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus:* densum autem è contra *Quod habet multum materiæ sub paruis dimensionibus.* Vnde autem proueniat quantitati sic disponi, quod possit multum materiæ sub paruis dimensionibus concludere, vel parum materiæ sub multis, an ex aliqua qualitate superaddita, vel ex aliqua alia entitate, vel modo, obscurum est & difficile.

In eo autem Authores diuisi sunt, & reducuntur omnes opiniones ad tres. *Prima affirmat*, nouam quantitatem acquiri per rarefactionem, & perdi per condensationem. Quod aliqui ex antiquis sic acceperunt, vt dicerent in quacumque condensatione, vel rarefactione totam quantitatem perdi, & nouam subrogari. Alij vero solùm partem aliquam acquiri, & partem perdi. Quod tribui solet Scoto in quart. distinction. duodecim. quæstion. quart. Marf. Hærueo & aliis, quos citat P. Rubio tractat. de rarefact. quæstione prima.

Secunda sententia affirmat, raritatem, & densitatem fieri penes diuersam positionem partium, & ad illam terminari. Sed hoc explicatur dupliciter. Primò, dicendo quod raritas, & densitas fit per solam compressionem, aut dilatationem partium, eo quod in corporibus inueniuntur pori, idest subtilissima quædam foramina, quę aliis subtilioribus corporibus replentur, & cum fit addensatio constipantur isti pori, cum verò fit rarefactio laxantur, & totum hoc pertinet ad positionem partium in loco secundum maiorem, vel minorem compressionem. *Alij*, vero sic explicant, quod addensatio, & rarefactio non consistunt in sola compressione, vel dilatatione partium, quod pertinet ad situm, sed in ipsa præsentia locali maiori, vel minori, quod pertinet ad extensionem in ordine ad locum seu ad ipsum vbi.

Tertia denique sententia affirmat condensationem, & rarefactionem non terminari ad quantitatem, vel ad vbi, sed ad quandam qualitatem sic disponentem ipsam quantitatem, quod petat maiorem extensionem ad locum vel minorem. Itaque non negat hæc sententia dari in densitate contractionem præsentiæ, & extensionis localis, in rarefactione autem dilatationem, sed dicit hoc esse effectum ortum ex aliqua dispositione quantitatis, quæ sic disponitur per aliquam qualitatem, vt illum effectum habeat, sicut quantitas terminatur per superficiem, & inde resultat qualitas aliqua quæ est figura. An vero semper requiratur ista qualitas, vt detur iste effectus, vel solum connaturaliter petat illam, postea disquiretur.

Dico primò, *Addensatio, & rarefactio non important aliquam additionem, vel diminutionem quantitatis, neque totalem, neque partialem.* Assertio est constans inter Authores secundæ, & tertiæ sententiæ, quos postea referemus. Sumiturque ex diffinitione Philosoph. suprà allata: *Densum est quod habet multum materiæ sub paruis dimensionibus.* Vbi nomine dimensionis non intelligitur ipsa quantitas, vt ordinat partes in ordine ad totum, sed vt extendit, & diffundit illam in ordine ad locum, ratione cuius sumitur externa mẽsura quantitatis, seu dimẽsio eius, nam si loquamur de ipsa quantitate secundum se, hæc non additur, nec tollitur, nisi additâ, vel ablatâ materiâ, cuius partes extendit; vnde repugnat habere multam materiam, idest multas partes materiæ, & non multam quantitatem, vel è contra. *Et fundamentum conclusionis hinc desumitur*, quia quando acquiritur noua quantitas, vel pars quantitatis, acquiri debet noua materia, in eadem enim parte materiæ non potest dari noua quantitas, vel pars quantitatis, sic enim penetraretur cum præcedenti. ergo oportet pro noua quantitate, nouam addi materiam, quæ de nouo ordinetur in ratione partis, & ideo semper augmentatio est coniuncta cum aliqua aggeneratione, vel nutritione, ergo si in rarefactione, & condensatione, noua pars quantitatis adderetur, vel diminueretur, oporteret etiam addi nouam materiam, & sic deberet fieri noua mutatio substantialis, quod tamen est falsum, cum videamus rarefieri, vel condensari aquam, & ceram, sine noua generatione aquæ, vel ceræ, aliàs maneret augmentata illa materia, essetque multum materiæ, non parum, sub magnis dimensionibus contra definitionem, & ideò optimè Sanct. Thom. rarefactionem comparauit intensioni, sicut enim intensio fit non addita qualitate, nec in diuersa parte quantitatis, ita rarefactio fit eadem materia manente, & non augmentata. Denique si fieret noua accessio materiæ seu substantiæ sicut & quantitatis, oporteret disponi illam materiam aliis accidentibus vt videlicet conuerteretur, vel adderetur præcedenti, sicut videmus fieri in nutritione, & aggeneratione, sine quibus tamen rarefactio fit, & condensatio, & sine corporum circumstantium corruptione, ergo non aggenerat sibi nouam substantiam, & consequenter, neque nouam quantitatem.

Dico secundò, *Rarefactio, & condensatio non terminantur solum ad vbi, siue an distantiam, vel propinquitatem partium vel ad situm, & positionem earum, neque consistunt in sola repletione vacuitatum, quæ sunt pori, aut compressione partium, sed hæc sunt effectus consecuti ad densitatem, & raritatem, & aliquando possunt* fieri

fieri ſine formali denſitate , & raritate. *Ratio concluſionis eſt*, quia raritas, & denſitas eſt aliquid pertinens ad partes corporis in ordine ad ſe, & non in ordine ad locum , licet effectum aliquem habere poſſint etiam in ordine extenſionis, vel ſituationis in loco, ergo non poteſt primo , & per ſe terminari ad vbi vel ſitum. *Antecedens probatur* , nam in corpore Chriſti Domini in Euchariſtia, in quo nulla eſt commenſuratio ad locum, eſt raritas, & denſitas, nam oſſa denſiora ſunt carne, ſicut & duriora, & ſanguis rarior vtroque, alioquin ſi iſta diuerſitas in partibus non ſeruaretur , non manerent diuerſæ partes etherogeneæ, & organicæ. Similiter denſitas , & raritas non ſolum ſunt in externa ſuperficie aut ordinatione circa locum , ſed etiam intra partes ; facta enim diuiſione inueniuntur partes intra conſtipatæ , & denſæ , ergo non ſolum terminantur ad vbi , denſitas, & raritas Quod amplius conſtabit ex ſequenti aſſertione oſtendendo , quod raritas , & denſitas ſunt qualitates.

Quod verò non conſiſtat in repletione vacuitatis, vel dilatatione , ita quod rarum ſit quod dilatat poros, denſum quod replet, vel comprimit, manifeſtum eſt in aëre, & in cœlo, nam partes aliquæ cœli inueniuntur denſæ ſicut partes ſtellatæ , & aliæ minus denſæ, ſcilicet diaphanæ, & tamen ibi non ſunt pori, quia non replentur alio corpore ſubtiliori , quod non ſit cœleſte, cum ibi non ſit corpus elementale. Aër ſimiliter eſt rarus, & non habet poros, tum quia eſt fluidæ ſubſtantiæ, & fluendo repleret illos , alias detineretur aër vel aqua inter porum, & porum ne flueret , tum etiam quia in aëre ſi eſſent pori deberent repleri alio corpore ſubtiliori, quod tamen non eſt dare , niſi forte ignis , qui tamen non in omni parte aëris eſſe poteſt. Denique non conſiſtit denſitas in compreſſione partium tantum , vt patet de denſitate corporis Chriſti in Euchariſtia , in qua partes non poſſunt comprimi, & in cœlo denſitas nō fit per compreſſionem partium localem. Denique compreſſiò partium, vel fit per localem motum, ſiue ſituationem , vt quia vna occupat minus, vel magis de ſpatio, vel fit per internam diſpoſitionem partiū, ſicut ex maiori frigore fit conſtrictio , & ex calore dilatatio , licet ſequatur tanquam effectus diuerſa illa occupatio loci. Si primo modo tantum , conſtat non ſaluari raritatem , & denſitatem vt patet ſi in duobus vaſis eiuſdem poſitionis ponatur liquor denſus in vno & rarus in alio , tunc vterque occupat eandem poſitionem loci, & non habet eandem raritatem , nec denſitatem. Si ſecundo modo , ergo denſitas , & raritas non dicunt ſolam compreſſionem partium & ſitualem poſitionem , ſed internam aliquam diſpoſitionem, & hæc pertinet ad qualitatem, vt iam dicemus, & ſimul explicabimus, quando ſine formali denſitate vel raritate poſſit manere compreſſio, vel dilatatio partium extrema.

Dico tertiò. *Raritas , & denſitas formaliter ſunt phyſicæ , & naturales qualitates , & ita rarefactio & addenſatio ſunt alterationes, datur tamen etiam denſitas, aut raritas ſitualis & extrinſeca, quæ non eſt qualitas, ſed ſitus , & ſe habet vt effectus denſitatis & raritatis quæ eſt qualitas, licet aliquando non repugnet hos effectus ſine qualitate fieri.* Hæc concluſio quantum ad primam partem, quod denſitas & raritas ſint qualitates, eſt expreſſa Philoſ. 7. Phyſic. text. 21. & 4. Phyſicor. text. 89. & Diu. Tho. ibidem, & 1. de generat. lection. 14. vbi inquit : *Quod tranſmutatio rarefactionis non poteſt dici augmentum , ſed alteratio fit enim ſecundum tranſmutationem paſſibilium qualitatum ſcilicet rari & denſi.* Et 3. parte , quæſtion. 77. articl. 2. ad 3. *Rarum* inquit, *& denſum ſunt qualitates quædam conſequentes corpora ex hoc, quod habent multum vel parum de materia ſub dimenſionibus.* Et eandem ſententiam ſequuntur communiter Autores , qui videri poſſunt in Curſu Carm. 1. de gen. diſp. 7. q. 2. & 3. Conimb. lib. de gen. c. 5. q. 17. Rub. tractat. de rarefaction. qu. 2. Nec obſtat quod Ariſt. in cap. de qualit. inquit : *Quod rarum & ſpiſſum, aſperum, & lene quandam poſitionem magis videntur partium monſtrare*; & D. Th. 2. de gen. lect. 1. ſuper tex. 8. dicit : *Quod rarum , & denſum non ſunt qualitates phyſicæ, ſed poſitio partium materiæ ſecundum propinquum in denſo , & remotum in raro.* Non inquam obſtat , loquuntur enim de raritate , & denſitate ſituali quæ ſolet eſſe effectus raritatis & denſitatis formalis, ſicut datur figura externa ſitualis, & interna, quæ eſt qualitas, nam contracta manu vel extenſa variatur figura ſitualis, non autem intrinſeca, quæ eſt qualitas. Similiter datur raritas & denſitas , quæ pertinet ad diſpoſitionem internam partium quantitatis & conducit ad generationem & corruptionē & communiter coniuncta eſt cum aliqua mollitudine vel duritia, & ſic debet eſſe qualitas. Ipſe autem ſitus compreſſionis , vel dilatationis partium, ſitualis denſitas, vel raritas eſt. *Et ſic probatur iſta concluſio*, quia in denſitate & raritate inuenitur contrarietas, inuenitur intenſio & remiſſio , vnum enim eſt magis denſum quam aliud, inuenitur diſpoſitio conducens ad generationem, vel corruptionem, ſicut animal ſi nimium rareſiat , & intumeſcat, corrumpitur; ſi partes ſolidantur , conualeſcit , & in diuerſis partibus exigit diuerſam denſitatem vel raritatem, ſicut oſſa debent eſſe denſiora quam carnes, & carnes quam ſanguis , ergo conducunt ad conſeruationem, & ad generationem & corruptionem. Et ſicut hac ratione locus naturalis addit ſupra mathematicum, qualitates aliquas conſeruatiuas, quia conſeruat locatum , ita raritas & denſitas, quia ad conſeruationem, & ad generationem , & corruptionem diſponunt, ad qualitatem pertinebunt. Denique ſunt tangibiles per ſenſum , vt experientia demonſtrat, ergo ad qualitatem pertinent, ſicut molle & durum, frigidum, & calidum.

Et ſi quæras , ad quam ſpeciem ? *Reſp.* quòd ad tertiam, eo quod reſultare poſſunt ex mixtione aliarum qualitatum , puta ex frigore, vel calore , per ſe etiam ordinantur ad generationem, vel corruptionē & ſenſibus paſſionem inferunt , ergo paſſibiles qualitates ſunt. Vnde ſequitur quòd alterationem per ſe terminare poſſunt , quia alteratio eſt ad tertiam ſpeciem qualitatis. *Nec obſtat*, quòd in cœlo inuenitur raritas, & denſitas, quia æquiuoce dicitur in cœlo & in nobis rarum & denſum , vt dicit D. Tho. in 2. diſp 2. q. 2. art. 1. ad 5. *Et conſtat* , eandem qualitatē poſſe quandoque ex diuerſis cauſis prouenire, vel ad effectus diuerſos ordinari , ſicut figura aliquando reſultat ex alteratione qualitatum diſſoluentium partes quantitatis , aliquando ſine tali alteratione ex ſola diuiſione per motum localem ; & ſimiliter lux in inferioribus deſeruit ad generationem , & corruptionem non in cœlo : ſic denſitas & raritas in inferioribus deſeruit ad hoc , vt res ſit generabilis, vel corruptibilis, in cœlo autem vt ſit actiuè generans , vel corrumpens , quod eſt æquiuocè dici , quoad hunc effectum , ſimpliciter tamen ſunt eiuſdem ſpeciei, quia eodem modo immutant ſenſum quod eſt principale in qualitate paſſibili.

Quod vero aliquando detur denſitas & raritas ſitualis penes diuerſam poſitionem partium ſine qualitate , *conſtat*, quia id quod pertinet ad poſitionem partium

partium,& situm,est effectus huius densitatis,vel raritatis, quæ est qualitas, non repugnat autem effectum aliquem ex diuersis causis prouenire, sicut de figura diximus. Similiter ergo potest per compressionem partium, vel laxationem fieri aliquis effectus raritatis,vel densitatis, qui sit situalis densitas, vel raritas sicut quando aquam, vel aërem diuidimus, tunc partes diuisæ non penetrantur cum aliis, sed comprimuntur,alias non posset fieri diuisio, & hæc compressio densitas quædam est,sumpta densitate pro effectu,seu positione situali,non pro qualitate, nec requirit alterationem corruptiuam, sed motum localem,alias omnis motus localis, qui fit extra vacuum exigeret alterationem producentem densitatem, aut raritatem, siquidem motus localis non potest fieri, nisi diuidendo aliquod corpus, & partes diuisæ non possunt penetrari cum aliis, ergo debent comprimi,& condensari, & tamen ibi non datur alteratio,sed solum motus localis. Vnde etiam post diem iudicij dabitur motus corporum præsertim gloriosorum, qui motus diuidet aërem, vel aquam faciendo dictam compressionem partium,& tamen tunc non erit alteratio physica. Si tamen talis compressio, vel laxatio partium fieret,quod etiam ad corruptionem vergeret, tunc non fieret sine alteratione, & consequenter nec sine qualitate.

Dico vltimò, *Densitas, & raritas non se habent vt qualitates actiuæ, sed passiuæ, ita tamen disponentes subiectum,vt qualitates actiuæ illis adiunctæ magis,vel minus disponantur ad operandum.* Conclusio hæc deducitur ex dictis in quæstione præcedenti,quia raritas, & densitas sequuntur ordinationem partium quantitatis,sicut figura terminationem, facit enim densitas multas partes materiæ sub parua dimensione loci,& raritas è contra,ergo sicut quantitas non est actiua,neque figura,ita neque densitas,& raritas. Vnde non videmus,quod raritas, & densitas per se solum similes qualitates producant,sed vtuntur actiuitate aliarum,verbi gratiâ calore, vel frigore etiam ad producendam raritatem, vel densitatem, lapis enim quantumcumque adiungatur ceræ, vel luto, non addensabit illa, sed mediante frigore addensantur, vel per compressionem partium, ergo densitas & raritas non sunt actiuæ. Si vero qualitas actiua recipiatur in quantitate densiori,celerius, & efficacius operabitur,vt ipsa experientia testatur, & quæstione præcedenti diximus, quatenùs partes sic addensatæ conducunt ad efficaciorem operationem,sicut etiam figura rotunda magis conducit ad motum,quam quadrata,& ad penetrandum magis acuta,quam obtusa.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur* ad probandum per rarefactionem acquiri maiorem quantitatem,quia posita rarefactione sunt plura indiuisibilia in actu, quam antea, ergo plus quantitatis.*Consequens patet*,quia indiuisibilia non possunt esse sine partibus,ergo additis indiuisibilibus,adduntur partes. *Antecedens* probatur, quia posita rarefactione aquæ in vase, cuius medietatem solum occupabat ante rarefactionem, postea crescit terminatio quantitatis, & correspondentia ad alia puncta,seu indiuisibilia vasis,vel loci ad quæ antea non correspondebat, ergo sunt noua indiuisibilia,nam antiqua correspondent eisdem,quibus antea,& non possunt diuersis indiuisibilibus vasis correspondere.

Confirmatur,quia per addensationem minor locus occupatur, quam antea, ergo si non diminuitur quantitas;partes illæ penetrantur. *Patet consequentia*, quia tunc quantitas maior occupat idem spatium,quod minor, ergo intra locum minorem ponuntur partes,quæ antea plus loci occupabant,ergo penetrantur in illa. *Nec potest dici*,quod hoc fiat per qualitatem sic disponentem partes quantitatis, vel per nouum situm. *Nam contra est*,tum quia non pertinet ad qualitatem ordinare, & extendere partes quantitatis; si autem fiat sola situatione,non pertinebit rarum,& densum ad qualitatem: tum etiam, quia restat explicandum,quomodo ista qualitas tollat penetrationem partium,quæ modo occupant minorem locum,quam antea.

Respondetur,circa hoc argumentum diuersimodè Authores sentire. *Quidam censent* tot puncta, & indiuisibilia inueniri actu in quantitate maiori,& minori, exemplo illo vulgari de circulo minori incluso in maiori, omnes enim lineæ, quæ transeunt à centro ad circulum maiorem transeunt per minorem,ergo tot puncta,seu lineæ sunt in vno atque in altero. Ita Conimbr. 1. de generat. capite quinto,quæstione decima septima, articulo quarto. *Alij*, vt Rubio censent è contra non esse tot puncta in minori quantitate quam in maiori, posse tamen eandem quantitatem cum eisdem punctis respondere pluribus, vel paucioribus punctis alterius corporis, vel quantitatis solum ratione diuersæ dispositionis,vel situationis eiusdem quantitatis, vt in illis circulis patet,quia si ex illis fierent lineæ rectæ extendendo ipsos circulos, tunc non omnes lineæ vnius transirent per lineas alterius, quia vna illarum excederet alteram, si tamen in circulum redigantur, quidquid transit per maiorem circulum, transit per minorem, & eadem ratione eadem puncta aquæ condensatæ, facta rarefactione correspondent aliis punctis vasis, vel loci propter diuersam dispositionem quantitatis.

Neutra tamen solutio intelligibilis est. Nam quantitas maior excedit minorem in multitudine partium designatarum,& aliquotarum, ergo debet excedere in punctis designatis, quibus partes illæ vniuntur, non enim stat ponere plures partes actu,nisi addantur plura puncta,& indiuisibilia, quibus tales partes vniantur, & certè illud quod dicitur de duobus circulis inæqualibus,quorum vnus includatur in altero si extendantur in lineas rectas manifestè hoc demonstrat; manebit enim linea illa circuli minoris multo minor quam linea circuli maioris, & tunc si vna ex illis iuxta aliam ponatur manifeste videbitur, quod lineæ minoris circuli non omnibus indiuisibilibus,& lineis alterius correspondent,ergo plura puncta,vel plures lineæ sunt in maiori circulo, quàm in minori; ex quo etiam conuincitur, quod ratione diuersæ situationis, & positionis linearum, non potest punctum vnius correspondere pluribus punctis alterius, diuersa enim positio non potest tollere naturam talium indiuisibilium, ergo si in vtraque positione manet indiuisibile vnum,& idem non potest pluribus alterius correspondere, siquidem vnum indiuisibile non potest correspondere parti, quia est illi improportionatum, ergo neque pluribus indiuisibilibus,quia plura indiuisibilia pertinent de facto ad diuersas partes, vnum enim non est immediatum alteri, ergo non potest correspondere pluribus nisi correspondeat parti interiacenti. *Et ad argumentum* de lineis quæ ducuntur ad centrum à maiori circulo per minorem. *Respondetur*, omnes illas diuisiuè transire per circulum minorem, sed tamen non omnes quæ inueniuntur in circulo maio-

maiori in actu inueniuntur in minori, nec est possibile quod omnes, quæ sunt in maiori circulo collectiuè sumptæ transeant per minorem ad centrum, nisi vna linea transeat super aliam, licet quælibet diuisiuè, quæ transit ad centrum, per minorem circulum transire debeat, sed collectiuè non omnes capiuntur in circulo minori, nisi vna sit super aliam, siquidem plures partes in actu, & consequenter plures lineæ, & puncta debent esse in maiori circulo, quam in minori. Sunt autem in potentia infinitæ partes, & puncta in vtróque circulo, loquendo de partibus proportionalibus, & se communicantibus, non de partibus, & lineis in actu componentibus, vt latè monstrauimus in quæstione decima quinta, & vigesima. Physic. Nos autem in præsenti loquimur de lineis, & punctis, quæ sunt in actu, & de his dicimus non esse tot in maiori quantitate, & in minori, nec vnam posse correspondere adæquatè multis.

Ad argumentum ergo factum respondetur, aquam rarefactam plura puncta, & indiuisibilia habere, quā antea, non tamen plures partes, sed maiorem explicationem, & dilatationem earundum partium. Explicatio enim, & extensio partium quoad locum fit per nouam terminationem quantitatis, & consequenter per additionem indiuisibilium, & punctorum, quibus fit noua terminatio, & extensio quantitatis ad locum, quia vt statim dicemus eadem pars, quæ nectitur vnico indiuisibili cum alia, potest pluribus connecti, eo quod indiuisibile inadæquatè correspondet parti, & non adæquatè, ideóque locum habet, vt pluribus indiuisibilibus correspondeat eadem pars, & tunc dicitur dilatari, cum pluribus indiuisibilibus explicatur extensio partis in loco, tunc autem contrahitur, quando vnico indiuisibili, vel paucioribus connectitur. Et ita non est bona consequentia, sunt plura indiuisibilia, ergo plures partes, sed vel plures partes, vel maior explicatio earundem ergalocum.

Ad Confirmationem respondetur, in condensatione comprimi partes non penetrari, nec occupare locum alterius quantitatis totalis, sed locum sibi adæquatum, & commensuratum iuxta partium dispositionem. Quomodo autem compressio partium intelligatur sine penetratione, cum partes quæ ante diuersum spatium occupabant, modo occupent vnum difficile intelligitur. Sed omissis aliis explicationibus, *probabilius videtur*, iuxta doctrinam à nobis traditam 6. Physicorum quæstione vigesima, articulo secundo, & tertio, quod punctum afficit partem lineæ non adæquatè, sed inadæquatè, quia non proportionantur adæquatè pars diuisibilis, & punctum indiuisibile, & idem est de aliis indiuisibilibus respectu suarum partium. Quia ergo quodlibet punctum afficit aliquid de parte, quia immediatè post punctum sequitur pars, quæ diuisibilis est, & non adæquatur illi, in hoc potest esse magis, & minus, vt videlicet illa entitas diuisibilis, quæ afficitur immediatè ipso puncto, afficiatur magis, vel minus inadæquatè, si enim non totaliter, & adæquatè illi correspondet, vtique nec indiuisibili, & vnico modo correspondet, sed potest plus, vel minus correspondere. Quare quando quantitas rarefit, non est necesse addere plures partes, vt dictum est, sed plura puncta, quia pars quæ correspondebat inadæquatè vni puncto, fit correspondens pluribus, & sic laxatur. Quando autem addensatur, fit illa pars correspondens inadæquatè vni puncto, cum tamen possit correspondere pluribus. Et ideò non penetrantur illæ partes, quia ad penetrationem requiritur, quod existentibus pluribus partibus distinctis secundum diuersa indiuisibilia, secundum eadem ponantur sub eodem spatio, sed si minuuntur puncta, seu indiuisibilia, & partes reducuntur, vt sint sub paucioribus punctis, tunc dicuntur comprimi, seu addensari, nec tamen penetrantur, quia nunquam sub diuersis punctis, vel indiuisibilibus existentes, in eodem spatio ponuntur, quod ad penetrationem requiritur, penetratio enim exigit quod plures partes in actu, id est, terminatæ diuersis indiuisibilibus ponantur sub eodem spatio, non autem penetratio fit per hoc, quod partes quæ antea habebant plures terminationes modo habeant vnam, & fiāt partes quasi in potentia. Vnde dicit Philosoph. 4. Physicorum text. 84. quod rarefieri est, quod magna dimensio, quę prius erat in potentia fiat in actu, quod vtique intelligitur de dimensione quoad terminationem localem, quod fit per puncta, & indiuisibilia.

Secundò arguitur, ad probandum quod rarefactio, & condensatio per se primò terminentur ad quantitatem, non ad qualitatem; nam rarum diffinitur, *quod habet parum de materia sub magnis dimensionibus*, densum verò è contra, vbi nulla mentio fit qualitatis, sed solum dimensionis, dimensio autem, siue in ordine ad totum, siue in ordine ad locum, ad quātitatem pertinet, vel saltem ad situm. Deinde, quia videmus per rarefactionem magis explicari, seu extendi quantitatem quoad locum, ergo acquiri debet noua quantitas, nam extensio quoad locum est propria passio, & modus quantitatis, ergo noua extensio ad locum, nouam requirit quantitatem. *Denique*, quia alias quantitas susciperet magis, & minus, siquidem eadem quantitate existente, magis, vel minus explicat partes substantiæ, sicut intensio albedinis consistit in hoc quod magis, vel minus se explicat in actum, & radicatur in materia, imò sicut intensio non acquiritur, nisi acquisito nouo gradu ex parte qualitatis, ita nec rarum, & densum sine noua parte quantitatis. *Confirmatur*, quia sine aliqua qualitate ponitur rarum, vel densum, ergo superfluè qualitas ponitur. *Antecedens constat*, tum quia ista qualitas raritatis non suscipitur nisi in subiecto habente partes cōpressas, et dilatatas, & densitas in habente partes cōpressas, ergo non prouenit à qualitate illa partium dispositio, seu positio, sed supponitur; tum quia posita ista dilatatione partium sine alia qualitate, intelligitur sufficienter rarefactio, ad quid ergo illa qualitas deseruit? Dilatatio enim per situationem, vel positionem partium in loco sufficienter intelligitur; tum denique, quia si extensio in loco est modus, & proprietas quantitatis, non indiget qualitate, vt ab illa dimanet.

Respondetur ad principale argumentum, negando assumptum, Ad primam probationem dicimus, nomine dimensionum rari, & densi non intelligi ipsam quantitatem secundum se, sed secundum commensurationem ad locum, quam eadem quantitas variare potest secundum densitatem, & raritatem. *Cæterùm*, raritas ipsa, & densitas non consistunt in hoc, quod de facto quantitas sit ita extensa, & situata, hoc enim est effectus illius, & in corpore Christi in Sacramento datur densitas, & non situatio in loco, sed consistit in tali dispositione partium, quæ petit illam situationem pro effectu. Et ita licèt non fiat mentio qualitatis in definitione rari, & densi explicitè, intelligitur tamen implicitè, quia idem est dicere rarum est quod habet parum materiæ, ac dicere quod est dispositum habere parum materiæ sub magnis dimensionibus. Quomodo autem in speciebus Eucharistiæ detur rarefactio, & addensatio, cum nulla ibi sit materia. *Respondetur* non esse ibi substantiam

stantiam formaliter, sed suppleri in quantitate, quatenus per separationem gerit vices substantiæ.

Ad secundam probationem dicitur extensionem ad locum esse propriam passionem quantitatis, sed quod sit tanta vel tanta, accidit illi, & per aliquam qualitatem disponitur, neque est necesse vt detur maior extensio, quod addatur noua quantitas, sicut etiam vt graue moueatur velocius circa finem, quã in principio, non indiget additione grauitatis, ita quælibet quantitas vt diuersimodè extendatur, & situetur erga locum, non indiget additione quantitatis, & partium, licet qualitas aliqua detur sic disponens partes, vt nouis indiuisibilibus correspondeant, ita quod magis laxentur, vel minus.

Ad tertiam probationem dicitur, quantitatem non suspicere magis, vel minus per hoc, quod fiat illa maior vel minor extensio, sed raritatem ipsam, vel densitatem suscipere magis, vel minus. Ipsa autem quantitas in ratione ordinandi partes extra partes, non radicatur magis vel minus in subiecto, vt illa maior, vel minor extensio fiat, quantitas enim in ratione quantitatis non potest magis radicari in eadem parte subiecti, neque accipere aliud augmentum quam penes additionem partium, quæ non est intẽtio, cum non fiat in eadem parte subiecti, sed in diuersis, alias penetrarentur illæ partes. Rarefactio autem quæ magis dilatar partes non facit magis radicari, & perfici quantitatem in subiecto, sed facit magis radicari ipsam raritatem, quæ est qualitas, & in ordine ad locum dilatari quantitatem.

Ad Confirmationem Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur, raritatem non subiectari nisi in habente partes dilatatas, non ante ipsam raritatem, sed per ipsam, sicut anima dicitur actus corporis organici, quod tamen per ipsam animam, & corpus est, & organicum. Nec tamen raritas petit partes esse dilatatas actu, sed solum aptitudine, sicut in corpore Christi in Sacramento habet raritatem, & densitatem sine situatione in loco. *Ad secundam probationem dicitur*, quod posita dilatatione partium quoad situm intelligitur raritas, & densitas præsuppositiue, quia qualitas, quæ est raritas, est causa illius dilatationis & situationis partium, quæ est effectus eius, si tamen aliquando detur ista situatio sine tali qualitate non erit raritas formalis, quæ est dispositio partium ordinata ad conseruationem vel corruptionem, sed erit aliquid pertinens ad situationem partium ex motu locali consecutum sine formali raritate, vt supra expositum est. *Ad tertiam probationem dicitur*, quod licet extensio ad locum sit passio quantitatis, tamen quod sit tanta, vel tanta est accidens, & pertinet ad qualitatem, quatenus conducit ad temperamentum partium, vt melius conseruentur, vel corrumpantur. Nec esset repugnans dicere, quod qualitas sit passio quantitatis, sicut patet in figura, licet raritas & densitas in corporibus inferioribus, quatenus fiunt ex mixtura primarum qualitatum, non possit sequi immediatè ad quantitatem, sed mediantibus primis qualitatibus.

Si quæras, an rarefactio requirat motum localem, quo fiat illa maior extensio loci præter alterationem qua fit raritas ipsa? Affirmant Conimb. hîc quæst. 17. art. 5. *Cæterùm* non est necesse ponere motum localem distinctum ab ipsa alteratione, sed hoc est in commune omnibus motibus, seu mutationibus, quæ terminationem quantitatis attingere, vel variare possunt, quod habent vim producendi aliquod vbi non directè, & per se, sicut motus localis, sed consecutiuè, & mediatè prout vbi sequitur ad extensionem quantitatis, sicut generatio substantiæ producit vbi mediatè, quatenus generat substantiam in loco, & augmentatio producit vbi, quatenus addendo quantitatem, ponit illam in loco, & similiter id habet illa alteratio quæ laxat, vel contrahit partes quantitatis. Quare non est necesse assignare terminum à quo localem, qui deseritur; quia non acquiritur locus seu vbi per motum localem, qui deserat vnum locum, & acquirat alium, sed per actiones variantes terminationem quantitatis, quæ mediate acquirunt vbi non destruendo antiquum absolute & totaliter, sed addendo nouum, destruunt tamen antiquum quoàd terminationem, quam ante habebant.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sine rarefactione, & sine additione quantitatis possit aliquid fieri maius altero?

Aliqui *affirmant*, citaturque pro ea sententia Durandus in 2. distinct. 18. quæst. 1. Mag. Sententiarum ibi Henricus, & alij. *Et sumitur fundamentum ex dictis articulo præcedenti*, quia rarefactio est motus ad qualitatem non ad quantitatẽ vel extensionẽ ad locum, nisi ex consequenti: ergo poterit Deus, sine rarefactione extendere quantitatem in loco, & eam magnam facere, neque additis partibus quantitatis, neque addita qualitate rarefactiua, nam sicut materia est in potẽtia ad magnũ, & paruũ mediãte raritate vel quantitate secundũ agens naturale, ita per potentiam obedientialem poterit fieri maius non addita quantitate vel raritate, quia hæc solum est medium naturale seu naturalis agentis. *Confirmat.* Probabile est Deum posse ponere vnũ corpus in diuersis locis stante eadem densitate, ergo etiam poterit ponere illud in loco immediato sibi, & tunc continuabitur cum eo & erit maius, quia occupabit plura loca, & sine additione quantitatis, quia est idem corpus, & sine rarefactione, quia retinet eandem densitatem. *Confirm.* secundò, quia Deus fecit Euam ex costa Adami, non per rarefactionem, sic enim non esset similis carnis & ossium, si ita rarescceret, neque ex materia alia adiuncta, quia hæc debuisset esse maior, quam costa Adami, atque adeo ex illa potius diceretur facta Eua quam ex costa, ergo &c.

Oppositam sententiam tenet San. Thom. 1. part. quæst. 92. art. 3. vbi inquit: *Dicere materiam multipli ari absque rarefactione, est dicere contradictoria esse simul, scilicet diffinitionem absque diffinito*, & in 2. distinctione 18. quæstion. 1. contra Mag. sent. & alios affirmat, quod est inintelligibile, sine additione materiæ seu quantitatis fieri aliquid maius nisi per rarefactionem. Et D. Thom. sequuntur plures qui videri possunt apud Conimbric. cap. 5. de generat. quæst. 18. artic. 1. & Rubio in tractatu de condensat. quæst. 3. intelligitur autem hoc de rarefactione tã secundum qualitatem, quam secundum situm seu positionem loci, vt statim dicemus. *Et probatur* quia implicat intelligi quantitatẽ fieri maiorẽ sine nouis terminis quantitatis, qui antea nõ erãt: termini autẽ quantitatis non sũt nisi, vel in ordine ad se vel in ordine ad locũ. Si in ordine ad se, id est ad ipsas partes secundũ se, necessario additur noua pars,

stantibus

ſtantibus enim eiſdem partibus, non mutantur termini intrinſeci quantitatis, qui conſiſtunt in hoc, quod eſt habere plures vel pauciores partes, ergo ſtantibus eiſdem partibus, & non habendo plures quam ante, quantitas non eſt maior ſecundum ordinem partium ad intra, quam ante. Si vero mutantur termini in ordine ad locum, additur maior dimenſio, ſeu extenſio ad locum, ſine additione partium, & hoc eſt rareſieri, quia in hoc conſiſtit diffinitio rarefactionis. Itaque id quod eſt maius altero ſecundum quantitatem, in conceptu ſuo eſſentiali dicit, vel quod habeat plures partes, quam id quod eſt minus, vel quod correſpondeat pluribus partibus loci ſecundum extenſionem, & primum eſt additio quantitatis, ſecundum rarefactio.

Sed inquires, an dilatatio partium, vel compreſſio actualis in loco neceſſario debeat fieri per ipſã qualitatẽ, quæ eſt raritas, & denſitas, tanquam per medium naturaliter requiſitum vel etiam eſſentialiter? *Aliqui affirmant*, eſſe eſſentiale vt Rubio tractat de rarefact. q. 3. n. 164. & Conimb. hic q. 18 ar. 2. & 3. licet oppoſitum etiam probabile putent. *Et cum vrgetur argumentum*, quia effectus formalis illius qualitatis quæ eſt raritas non eſt ponere partes ſic extenſas quoad ſitum, ſed reddere corpus ſic diſpoſitum, vt illam ſituationem petat, ac proinde ſeparari poſſe illam ſituationem ab illa qualitate. *Reſpondent*, quod qualitas illa neceſſario connotat illam partium ſituationem, & ſine illa intelligi nequit, ſicut nec effectus albi ſine albedine, aliàs poſſet manere denſitas, quæ eſt qualitas, corpore ipſo ſitualiter rarefacto, & laxato, quod repugnat, non autem repugnaret ſi hæc ſitualis extenſio inueniri poſſet ſine raritate quæ eſt qualitas, hæc enim ſola contrariatur denſitati. *Sed contra hoc vrgeo*, quia extenſio ſitualis, vel compreſſio eſt ſecundarius effectus raritatis, vel denſitatis, & eſt ſeparabilis ab illa, vt patet in corpore Chriſti in Euchariſtia, vbi manet denſitas carnis, & oſſis, aut raritas ſanguinis, ſine vlla extenſione quoad locum, ergo ſi poteſt manere raritas ſine extenſione ad locum, etiam cum parua extenſione manere poterit, aut denſitas cum magna. Et hoc ideo eſt, quia raritas non dicit ipſam actualem extenſionem ad locum, ſed aptitudinem ad illam, quæ ſtare poteſt cum oppoſito actu ſicut grauitas cum aſcenſu, & aptitudo accidentis ad inhærendum cum actuali ſeparatione à ſubiecto, ſic raritas quæ eſt aptitudo ad dilatationem loci ſtat cum actuali compreſſione partium, ergo non eſt qualitas medium eſſentiale ad actualem extenſionem dilatandam, vel comprimendam, ſed ſine qualitate, quæ eſt raritas & aptitudo ad dilatationem ſitus partium, imò cum oppoſita qualitate quæ eſt denſitas poterit dari illa maior ſituatio in loco, licet connaturaliter exigat qualitatem quando fit cum alteratione, ſicut aſcenſus ſurſum

poteſt dari in graui, non media leuitate contraria Et ideo ſine additione partium, vel raritate ſituali, ſiue cum qualitate fiat, ſiue non, non poteſt fieri aliquid maius, quam antea. Vnde D. Thom. locis ſuprà citatis in raro & denſo non nominauit qualitatem, ſed ſolum dimenſiones, quod pertinet ad ſitum, aliàs eius ratio non concluderet, ſcilicet quod eſſet ponere diffinitionem ſine definito, ſiquidem definitio raritatis, vt eſt qualitas non eſt habere actu partes materiæ ſub magnis dimenſionibus, ſed habere, diſpoſitionem, ſeu aptitudinem ad magnas dimenſiones ſub parua materia.

Ad rationes dubitandi in oppoſitum. Ad primam reſpondetur rarefactionem alteratiuam eſſe motum ad qualitatem, & ideò ſine illa non inueniri, rarefactionem autem non alteratiuam poſſe ſine qualitate inueniri, non tamen ſine dilatatione aliqua ſituali, quæ connaturaliter exigit qualitatem, nó eſſentialiter, ideóque ſine rarefactione ſaltem ſituali, vel additione partium, non poterit fieri aliquid maius, bene tamen ſine qualitate. *Et quando dicitur*, quod materia eſt in potentia obedientiali ad magnum, & paruum ſine raritate, *negamus antecedens*, quia non ſolum raritas eſt medium naturale, ſed etiam eſſentiale loquendo de raritate, non ſolum vt eſt qualitas, ſed etiam vt eſt ſitus, vt dictum eſt; eſt enim pertinens ad ipſam diffinitionem rari, vt San. Thom. dicit habere magnas dimenſiones cum parua materia.

Ad primam confirmationem reſpondetur illam opinionem à nobis non admitti, vt oſtendimus 4. Phyſ. quæſtion. 16. ſed ea data non conceſſa *reſpondetur*, quod ſi idem corpus poneretur in duplici loco immediato ita quod non ſolum eſſet contiguum, ſed continuum, hoc ipſo reduceretur ad eundem locum, & non occuparet maiorem, quia eſſet continuum ſibi ipſi, nihil autem ſibi ipſi continuatum facit additionem, ſi autem eſſet contiguum, & non continuum eſſet duplex ſuperficies & non vna, & ſic non eſſet eadem quantitas, ſed diuiſa vtpote duplici ſuperficie terminata, vnde non facit maiorem rem, ſed quaſi duplicem.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, coſtam Adami fuiſſe ædificatam in mulierem per acceſſionem nouæ materiæ, vel factæ per creationem de nouo vel per conuerſionem alterius, vt cenſet D. Tho locis citatis. *Et ad replicam reſpondetur* diſt. illa 18. cit. ad 2. Quod non dicitur facta mulier ex illa materia ſuperaddita, ſed ex coſta, quia coſta fuit primum mediante quo reliqua materia pertinuit ad formationem mulieris, ſicut licet embrio acceſſione nouę materiæ creſcat, & fiat in debita quantitate, non tamen dicitur fieri ex materia accedente, ſed ex ſemine, & prima materia, quę ſe habet vt fundamentum formationis totius corporis.

QVÆSTIO VIII.

De Nutritione, & Augmentatione.

Agimus de his motibus in præſenti, non quatenus ab anima ſunt, & propriè competunt corpori animato, ſic enim ad Libros de Anima ſpectant, ſed prout fiunt cum aliqua generatione, vel corruptione, & ſic communiter ſe habent ad ipſam aggenerationem.

ARTICVLVS I.

Quid sint Augmentatio, & Nutritio & quomodo distinguantur?

DVo hæc in præsenti tractamus, quia inter se valde affinia sunt, quid sint augmentatio, & nutritio, & quomodo distinguantur.

Circa primum supponimus, diffinitiones nutritionis, & augmentationis, & inquirimus, an talis vera nutritio inueniatur in rerum natura: Nutritio diffinitur: Quod sit *conuersio alimenti in substantiam aliti* Augmentatio: Quod sit *motus à minori ad maiorem quantitatem.* Aggeneratio: Quod sit *acquisitio partialis substantiæ*, sicut etiam videmus in igne acquirente, & conuertente in se partes papyri.

Igitur nutritionem aliqui negauerunt dari etiam in viuentibus, sed solam substantiam, in qua primo aliquid generatum est, pertinere ad substantiam viuentis eiusque partes dilatari, non autem nouam substantiam ex alimento acquirere, sed solum cedere illam substantiam alimenti in pabulum caloris naturalis. Quæ fuit opinio Mag sent. in 2. distinction. 30. Similiter fuerunt aliqui Philosoph. antiqui, vt refert Aristotel. 2. de Anima text. 40. qui etiam non viuentia dicebant nutriri, imò omnia animalia dicebant virtute ignis nutriri, videmus enim ignem depascere alia corpora, & in se conuertere.

Nihilominus circa hoc sit vnica conclusio. *Vera nutritio datur in viuentibus per conuersionem alimenti in substantiam aliti non tamen in non viuentibus* Prima pars est communis Theologorum, & Philosophorum eamque contra Mag. docet S. Thom. 1. parte, quęstione 119. articulo primo, & in secundo distinctione 30. quæstione 2. articulo 1. & quodlibet 8 articulo 5. *Et fundamentum* sumitur ex duobus. *Primum*, quia videmus corpus hominis crescere, & omnes illæ partes primo, & per se informantur ab anima, siquidem videmus illas sentire, & viuificare, sicut aliæ partes, ergo vel adueniunt per creationem nouæ materiæ, vel per conuersionem alimenti in ipsam vel per maiorem rarefactionem. Non per creationem nouæ materiæ, quia creatio materiæ non est opus naturæ, sed potentiæ creatiuæ, & sic nutritio quæ est operatio partis vegetatiuæ non esset opus naturale, sed excedens naturam Si est per conuersionem, est id quod intendimus. Si per rarefactionem, sequitur, quòd corpus hominis augmentati esset rarius & minus solidum, quam recenter nati, cuius contrarium ad sensum videmus. *Denique probatur conclusio*, quia nutritio ordinatur ad restaurandum id quod deperditur per calorem naturalem: ergo id quod restaurat, debet pertinere ad veritatem humanæ naturæ, alias non subrogaretur in locum eius, quod deperditur. *Nec dici potest*, quòd illa prima substantia quæ accipitur in generatione, non tāguitur à calore naturali, siquidem constat, quòd est substantia corruptibilis, sicut & generabilis, ergo per alterationem mutari potest, & deperdi, sicut tandem in ipsa morte deficit & perit, ergo potest etiam à principio illa prima substantia paulatim deperdi, & loco eius alia subrogari.

Secunda pars conclusionis, scilicet quod non viuentia non nutriantur est sententia Philos. 2. de Anima text. 46. & D. Thom. ibi lect. 9. & in hoc lib. 1. de generat. text. 41. lect. 17. *Ratio est*, quia id propriè nutriri dicimus, quod per virtutem, quam habet consumit aliquid de propria substantia, & restaurat illud per conuersionem materiæ iuxta positæ in propriam substantiam, constat autem quod hoc non inuenitur in non viuentibus, siquidem neque virtus propria rei non viuentis, v. gr. ignis vel aquæ consumit aliquid de propria substantia, sed de aliena, neque per conuersionem extraneæ materiæ restaurat deperditam substantiam, & conseruat præcedentem: ergo non habet propriam nutritionem, qualis fit per intus susceptionem alimenti, & conuersionem in propriam substantiam. Inuenitur tamen nutritio quædam similitudinaria in rebus inanimatis, quatenus ab extrinseco agente contrario possunt aliquid deperdere, licèt non per virtutem propriam, & per aggenerationem aggregare sibi aliquid de materia iuxta posita, quod potius de se est generatio & multiplicatio quædam ex applicata materia, licet per continuationem aggregetur præcedenti.

Sed obiicies, quia non potest restaurari substantia perdita per calorem substantialem, tum quia humidum radicale nequit restitui, vt Medici docent, & similiter Theologi, qui in eo ponunt mirabilem effectum arboris vitæ, quod restaurabat humidum radicale deperditum per calorem naturalem ergo nutritio ex communi alimento facta ad id non sufficit tum etiam quia alias posset homo non mori, nec infirmari ex causa naturali si tantum de alimento, & tam temperatè sumeret quantum deperdit de propria substantia, sic enim perpetuo sustentaretur ne periret humidum radicale. *Confirm.* ex illo Matthæi 15 *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*, ergo nihil transit in substantiam aliti, siquidem omne emittitur. *Conf.* 2. quia ad veram nutritionem requiritur, quod anima viuentis vniatur materiæ alimenti conuertendo ipsum in propriam naturam, hoc autem est impossibile, præsertim in homine, quia ad hoc deberet noua vnio animæ fieri ad illam nouam partem, cum tamen tota anima erat vnita partibus præëxistentibus, quomodo ergo potest mutari illa vnio ad nouam partem? & præsertim cum sit vnio spiritualis, sicut ipsa anima quomodo potest fieri virtute corporea, qualis est calor seu virtus potentiæ nutritiuæ?

Respondetur negando minorem. Ad primam probationem dicitur, quòd humidum radicale potest reparari per humidum nutrimentale, sed non in eo vigore, & perfectione, qua fuit in principio, eo quòd omne agens agendo repatitur, & debilitatur. In hoc autem lignum vitæ habebat excellentiam, quia habebat vim fortificandi humidum radicale contra debilitatem prouenientem ex admixtione extranei, & reddere ita purum, sicut à principio, vt docet S. Tho. 1. p. q. 97. a 4. Et indigeret homo sæpius sumere de illo fructu, quia habebat limitatam virtutem, nec poterat reparare debilitatem, quæ ex alimento postea sumpto proueniret, nisi iterum sumeretur. Quare homo non potest semper viuere, quia ita afficitur peregrinis qualitatibus ab humido extraneo, & nutrimentali, vt tandem humidum radicale dissoluatur, & pereat animal. Videatur D. Th. 1. p. q. 119. supra citata ad 3. & 4.

Ad primam confirmationem respondetur, ex D. Th. ibidem quod in illa authoritate ly *omne* intelligitur in sensu distributionis accommodæ. id est ex omni, quod intrat in os, aliquid emittitur; quod quadat intentioni Christi Domini, quod ea quæ intrant per os non coïnquinant hominem, cuius ratio redditur, quia omne quod intrat, si inquinat hominem est ratione eius, quod impuritatis habet, hoc autem, quod

quod impuritatis habet emittitur, & ſic omne quod intrat non inquinat, quia quod inquinare poteſt, emittitur.

Ad ſecundam confir. reſpond. non eſſe particularem difficultatem in nutritione, ſed eadem procedit in generatione hominis, quomodo vnio animæ ad corpus corporalis ſit. Et dicimus hanc vnionem nullo modo eſſe ſpiritualem, quia neque ipſa ſubſtantia ſpiritualis ſit dependens à corpore, nec ipſa vnitas totius compoſiti reſultans vnitas ſpiritualis eſt, ſed corporea, ſicut & ipſum compoſitum, cuius eſt illa vnitas, nec habet fundamentum in aliqua mutatione & actione ſpirituali ſed corporali quia diſponitur, & applicatur per alterationem materia ad talem formam, & ſic ſi tota immutatio & dependentia, in qua fundatur iſta vnio tenet ſe ex parte corporis ſeu materiæ, tota vtique corporea eſt Quod verò dicitur, quomodò ſi tota anima eſt vnita corpori poſſit aliis partibus etiam tota vniri? *Reſpond.* quod anima eſt virtualiter multiplex, licet entitatiuè indiuiſibilis, & ſic poteſt eſſe vnita tota, ſed non totaliter, nec omni modo quo communicabilis eſt, nec explicata in omnes partes, quibus poteſt de nouo communicari ſicut de intenſione formarum diximus ſupra quæſt. 4.

Secundò obiicies ad probandum, quod etiam non viuentia augeantur, quia ignis adhibito conbuſtibili, & vinum admixtâ aquâ per propriam virtutem conuertunt illa in propriam ſubſtantiam, ergo nihil deeſt, quominùs dicantur augeri. *Si dicatur* deeſſe aliquas conditiones augmenti, ſcilicet quod ſecundùm omnes partes augeatur viuens, & quod hoc fiat per intus ſuſceptionem non per iuxtapoſitionem. *Contra eſt*, quia etiam prima conditio reperitur in non viuentibus, vt cum vinum miſcetur aqua, omnes partes eius ab aqua tanguntur, quia omnis eius virtus debilitatur. Secunda etiam conditio non deeſt, quia lapis, verbi gratia vel ferrum, & alia metalla intra poros ſuſpiciunt aliqua corpora, quæ conuertuntur in ipſa; præterquam quod iſta conditio non videtur neceſſario requiſita ad augmentationem, ſi enim motus, localis, & alteratio, ſunt veri motus, etiãſi fiant ab extrinſeco, cur ſola augmentatio petit ab intrinſeco fieri, & per intus ſuſceptionẽ? Vnde D. Thom. 2 de Anima lect. 8. apertè dicit in elemẽtis ſolum ignem nutriri.

Reſpond. Hæc omnia non ſufficere ad nutritionem propriè dictam, licet ſufficiant ad impropriam, quæ in re eſt generatio & multiplicatio alicuius ex materia ſibi coniuncta per accidens autẽ, quia res genita propinqua eſt generanti, & illi fit continua, videtur augeri res inanimata Ad propriam autem augmentationem, vt diſtinguitur à virtute generatiua, requiritur, quod per ſe primò aliquid immutetur, & conuertatur loco partiũ quæ deperditæ ſunt ex ipſa virtute intus depaſcente proprias partes, & ſic intus ſuſcipiente ad reſtaurandum illas. Et hoc non inuenitur in non viuentibus. *Nec obſtat*, quod ignis videtur aliquid deperdere & aliquid acquirere, vt cum aſpergitur aqua vel oleo, guttæ illæ aliquid de igne extinguunt, & rurſus ignis ille oleum vel aquam ipſam in ſe conuertit. *Reſpond. enim*, quod hæc deperditio & acquiſitio ſit propter mutuam actionem & reactionem, non autem propter ſpecialem rationem nutritionis, hæc enim non conſiſtit ſolum in deperditione, & acquiſitione, quæ naſcitur ex communi ratione actionis, & reactionis, ſed ex eo quod aliquid per virtutem propriam agat in partes ſuas, eaſque depaſcat, & in earum ſubrogationem per intus ſuſceptionem aliquid in ſe conuertat Vnde ſi in non viuentibus inuenitur conuerſio alicuius in propriam ſubſtantiam, etiamſi intra poros eius ingrediatur (licet communiter fiat per iuxtapoſitionem extrinſecam) tamen hoc non fit propter virtutem reſtauratiuam deperditi, ſed generatiuam, & agentem in quodcumque ſibi approximatum vel iuxtapoſitum, atque ita in non viuentibus generatio rei proximæ, & ſi illi continuabilis, facit per accidens, quod per ſe, & propriè nutritio in viuentibus. Et licet alij motus non ſemper petant fieri à principio, & virtute intrinſeca, augmentatio tamen id petit, quia eſt motus vitalis, & nutrioni coniunctus, & ordinatus ad reſtaurationem partis intrinſecæ, quæ fuerat deperdita à propria virtute.

Ad locum D. Thom. dicimus loqui de nutrimento improprio, & ſimilitudinario, qualis fit per generationem rei approximatæ, & continuabilis cum generante, licèt id in igne magis appareat propter actiuitatem fortiorem in materiam ſibi appoſitam. Et non dixit D. Thom. abſolutè ignem nutriri, ſed quod eſt in eo ſimilitudo augmenti & nutrimenti; & videtur nutriri.

Diſtinctio augmentationis à nutritione.

C*Irca ſecundum punctum in titulo articuli propoſitum, dubium eſt?* an ſint motus, & actiones diſtinctæ realiter augmentatio & nutritio, ita quod augmentatio, vt tendit ad quantitatem ſit diſtinctus motus realiter à generatione De quo egimus in 5. Phyſicor. quæſtion. 19. art. 3. vbi oſtendimus ad quantitatem dari per ſe motum diſtinctum à nutritione. In præſenti ergo vberius explicanda eſt iſta diſtinctio. Et ſupponimus, non loqui de augmentatione largo modo, prout reſpicit, quodcunq; augmẽtũ in quocunq; genere, ſiue qualitatis, ſiue quãtitatis, ſed ſpecialiter in genere quantitatis, & non de illo augmento, quod fit per rarefactionẽ, ſed quod fit per additionem partium non ſolùm per iuxtapoſitionem, quod in re fit per veram generationem, ſed quæ fit ſpecialiter in viuentibus per motum à minori ad maiorem quantitatẽ per intrinſecam virtutem. De hac inquirimus an ſit diſtinctus motus à nutritione, quia illa tendit ad quantitatẽ, iſta ad ſubſtantiam.

Multi ergo negant ad quantitatẽ dari per ſe motũ ex duplici principio inducti. *Primò*, quia exiſtimant quantitatẽ ſemper ſe habere vt propriam paſſionem corporis, ſiuè partialis ſit, ſiuè totalis, ac proinde non terminare actionem aliquam ſeorsũ ab ipſa productione corporis, eò quòd propria paſſio nunquam producitur diſtincta actione è productione eſſentiæ, ad quam conſequitur, ſicut etiam ipſa quantitas totalis, quando producitur, vt conſecuta ad primam generationem ſubſtantiæ. *Secundò*, quia exiſtimant quantitatem immediatè inhærere materiæ, & ſic tranſeunte materia de vna forma ad aliã, etiã quantitas tranſit, ergo non requiritur motus diſtinctus productiuus quantitatis, ſed ſufficit actio vniens formam materiæ, & conſequenter quantitatem vnius quantitati alterius. Solùm ergo faciunt augmentationem motuũ per accidens, id eſt ratione alterationis adiunctæ non per ſe, & ratione quantitatis, quẽ producat; quia hæc non acquiritur, ſed ſupponitur in materia, atque adeo quando vna quantitas additur alteri, ſolum producitur aliquod indiuiſibile vniens illas, ſicut etiam nutritio in nobis ſolum producit vnionem animæ ad nouam partem materiæ. Denique Ariſtot. in hoc lib. de generat. tex. 4. inquit: *Quod nutritio, & accretio eſt idem, ratio autem diuerſa.*

Accumulatur autē noua difficultas ex alio capite, quia in nostra sententia substantia secundum se non habet partes, sed solum per quantitatem, vt docuimus in Logica q.16.art.1. & in Physica q.20.art.2. ergo substantia vt distinguitur à quantitate non potest terminare nutritionem, siquidem nutritio non est ad totam, & integram substantiam, sed ad partem, hanc autem non habet substātia nisi per quantitatem, ergo non est alia actio terminata ad partem substantiæ, & ad quantitatem, quia per illam substantia habet rationem partis.

Nihilominus opposita sententia communis est inter Philosophos, vt testatur Rubio hîc tractatu de augmentatione q.2. & Carmelitani disp.5.q.1. Et quidem augmentationem esse vere & proprie motum, terminarique ad quantitatem, perpetuo docet Arist. qui tres species motus nominauit, alterationem, augmentationem, & lationem, vt constat 5.Phys.cap.2. & in postprædicamentis cap. de motu inter alias species motus numerat accretionem, & decretionem, idque etiam probauimus & defendimus in q.19.Phys. art.3. Nunc solum restat probare, quod augmentatio à nutritione distinguatur. Quod aliqui probant, quia distinctum est subiectū nutritionis, scilicet ipsa materia alimenti ex quo fit noua pars substantiæ, & subiectum augmentationis, in quo ponitur quantitas. Alij ex distinctione termini primarij vtriusque, quia nutritio est ad substantiā, augmentatio ad quātitatem. Alij ex operatione nutritionis, quia potest fieri nutritio, & impediri à Deo resultantia nouæ quantitatis, & sic separabitur nutritio ab augmentatione. Sed tamen istæ rationes inefficaces sunt nisi aliquid addatur, quia in ipsa generatione substantiali instari possunt, nam forma producitur in materia, quantitas vero, & propriæ passiones in ipso composito; similiter distinctus terminus est ipsa substantia, & propria eius passio in ratione rei productæ; potest etiam impediri ne resultet propria passio à natura quando generatur, & tamen negari non potest, quod eadē actione generatur natura, & producitur propria passio consequens, ergo similiter posset aliquis dicere quod producitur eadem actione substantia partialis in nutritione, & quantitas partialis tāquam quid consecutum ad illam, non obstāte quod sint distincti termini entitatiue, & habeant distinctum subiectum, &c.

Quare aliter probanda est conclusio posita sicut probauimus in quæstione 19. Physicor. citata. *Et est duplex ratio. Prima*, quia quantitas partialis non est obiectum augmentationis absolutè loquendo, sed ratione augmentatæ, & crescentis, ad quod non sufficit productio nouæ partis substantiæ, quæ nutritur, & quantitas, quæ ad illam sequitur, sed quantitas vt superaddens præexistenti, ad quod requiritur, quod ita acquiratur quantitas, quod plus acquiratur de illa, quàm deperdatur, & quantùm ad istam formalitatem non est propria passio, sed accidens, & petit fieri distincto motu, nec enim hoc semper conuenit quantitati. *Et hinc sumitur secunda ratio*, quia augmentatio non durat tantum, quantum nutritio, nutritur enim animal quamdiu viuit, & in omni nutritione sicut acquiritur noua pars substantiæ, ita & noua quantitas partialis; augmentatio autem non durat per totam vitam, nec enim semper animal crescit, licèt semper nutriatur, ergo signum est, quòd ad augmentationem non sufficit noua nutritio, nec sola emanatio quantitatis partialis, quia hoc totum inuenitur in omni nutritione, nec tamen inuenitur semper augmentatio, ergo aliquid amplius requiritur ad augmentationem, quam emanatio partialis quantitatis; hoc autem non est aliud quam respicere quātitatem vt crescentem, & super addentem a liam, sub hac enim ratione non est quantitas propria passio, nec solâ actione nutritionis fit, sed nouam actionem, seu mutationem requirit, nutritio enim solum respicit nouam partem substantiæ, & ex consequenti nouam partem quantitatis prout emanat ab illa, augmentatio autem respicit quantitatem vt maiorem, est enim motus à minori ad maiorem quantitatem, illa autem formalitas maioris, & minoris non est in quantitate propria passio, sed aliquid accidentale, & ideo quantitas vt stat sub illo respectu, & formalitate terminare potest nouum motum. Et hæc ratio probat, quod non solum per accidens, & ratione alterationis, sed per se & ratione quantitatis habet terminate motum, quia habet fundare illam formalitatem secundum rationem maioris, & minoris.

Ex quo manet explicatus formalis terminus nutritionis, nec enim est sola vnio, sed ipsamet forma substantialis, non sicut in generatione, scilicet vt totaliter, & de nouo introducta in totam materiam, sed vt de nouo applicata, & informans partem inadæquatam materiæ. Comparatur autem nutritio ad aggenerationem sicut aliquid specificum, & particulare ad genericum, & commune, quia aggeneratio est sola acquisitio substantiæ siue fiat in viuentibus, siue non, nutritio autem, solum est vitalis acquisitio substantiæ, sicut generatio communiter dicta est aliquid superius ad generationem vitalem. Augmentatio autem dicit pro formali termino quantitatem, vt maiorem modo explicato, & statim explicando.

Ad fundamenta opposita respondimus quæst.19. citata, & ostendimus, quod quantitas licet secundum se sequatur ad corpus partialiter, vel totaliter tanquam propria passio, tamen in quantum maior, & vt crescens, sic non est propria passio, sed requirit specialem mutationem, qua plus acquiratur de quātitate, quam deperdatur. *Si instes*, quia quantitas vt maior, vel minor solum addit relationem maioris, vel minoris, ad relationem autem non datur per se motus. *Respondetur*, quòd quantitas vt maior formaliter importat relationem, & sic non potest terminare per se motum, fundamentaliter autē dicit formalitatem aliquam ad quam potest per se dari motus, sic enim est quantitas vt coniungenda præcedenti sine tanta, vel maiori deperditione, sic enim fit motus à minori ad maiorem quantitatem, quod non potest per solam nutritionem fieri secundum se, quia licet semper partem quantitatis attingat, nō tamen semper acquirit illam cum fundamento augmenti, & maioritatis, id est, cum coniunctione nouæ quantitatis sine deperditione antiquæ. Quod vero dicitur materiam esse subiectum quantitatis independenter à forma, hoc omnino negamus, vt ostēdetur infr. quæst. 9. materia enim solum se habet vt subiectum *quo* inhæsionis tanquam ratio recipiendi, non vt ratio actualitatis sustentatiuæ, nec quantitas sequitur materiam nudam, sed ratione formæ corporeitatis.

Ad authoritatem Philos. resp. ex D.Thom. citato loco de Gener. lect. 17. Aristot. loqui de nutritione, & augmentatione ex parte materiæ, circa quam versantur, quia ex eodē alimento aliquis nutritur, & augetur quā diu augmētatio durat, non tamen loquitur de augmētatione, & nutritione pro ipsis actionibus, quasi sint eadem actio, vel mutatio, nam circa eandem materiam possūt diuersæ actiones, seu mutationes

nes versari secundùm diuersam formalitatem. Præter quam quod frequenter Aristoteles dicit aliqua esse ratione diuersa, id est, essentia, & diffinitione, seu formalitate, & sic intelligitur in præsenti, non autem ratione, id est solum per intellectum.

Ad vltimam difficultatem dicemus articulo sequenti.

ARTICVLVS II.

Quomodò intelligatur nutritio fieri ad partes substantiæ?

HÆc difficultas currit in nostra sententia quam tradidimus in Logica quæst. 16. art. 1. & in Physica quæst. 20. art. 2. quòd substantiæ non conuenit habere partes formaliter, nisi per quantitatem, ex se autem solum radicaliter, & tamen constat ex dictis quod nutritio terminatur formaliter ad substantiam non totalem, sed partialem.

In præsenti ergo breuiter fundamentum, quod in citatis locis posuimus resumendum est. Denegamus itaque partes formaliter ipsi substantiæ, & solum concedimus illi radicaliter; per quantitatem autem dicimus constitui partes formaliter in esse, & formalitate partis quia formalitas partis requirit diuisibilitatem, & ordinationem, qua vna ponatur extra aliam, & addat aliquid ad aliam, si enim est intra illam & non coordinata, & extra, manebit penetrata & confusa cum illa, vnde omnes partes reducentur ad carentiam diuisibilitatis, neque enim potest aliquid diuidi, nisi accipiendo vnum, & relinquendo aliud, vbi autem omnia sunt confusa, & penetrata intra alia, non sumitur vnum, quin tollatur aliud. Si ergo substantia ante quantitatem haberet partes sub formalitate partium, id est, vt ordinatas, & diuisibiles in ordine ad se, licet non in ordine ad locum, & hoc substantialiter haberet, & non mediante aliquo accidenti, oportet quòd illæ partes substantialiter non se totis, sed penes extremitates, seu indiuisibilia vnirentur. Si autem per indiuisibilia vniuntur, ergo habet substantia sufficiens principium impenetrationis ex vi vnionis substantialis partium, & sic superfluit quantitas, siquidem proprium quantitatis est extendere partes resistendo penetrationi, non quidem actualiter, quia Diuina virtute possunt duæ quantitates penetrari, sed secundùm aptitudinem, sicut accidens petit inhærere aptitudinaliter. *Sequela probatur*, quia si in substantia ante quantitatem vnirentur cum formalitate partium, quę est ordinatio, & diuisibilitas in ordine ad se, ergo sine confusione, & non se totis vniuntur, confusio enim opponitur ordinationi, ergo nulla pars quantumuis minima est intra aliam, nec se tota vnitur alteri, ergo debet vniri per aliquid indiuisibile, seu per extremitatem, quia si per aliquid diuisibile, aliquid illius esset intra alteram, ergo si omnino est extra per aliquid indiuisibile vnitur. Si ergo dantur indiuisibilia substantialia, vt partes ordinentur inter se, & non penetrentur, nec se totis vniãtur, ergo habet in se sufficiens principium resistendi penetrationi tum inter se, quia non se totis vniuntur, tum corpori contiguo, & propinquo, nec enim stat, quod aliquid resistat penetrationi partiũ inter se ne confundantur, & non resistat corpori contiguo, ne penetretur, quod enim sufficit ad impenetrationem continuitatis, sufficit ad impenetrationem contiguitatis. Et præsertim, quia si datur indiuisibile substantiale continuatiuum partium, etiã dabitur terminatiuum, vt in eo subiectetur indiuisibile quantitatis terminatiuũ, quia non potest in hac sententia in partibus subiectari, ergo sicut indiuisibile substantiæ continuatiuũ facit, quod partes continuatæ nõ penetrentur inter se, nec se totis vniantur, ita indiuisibile substantiæ terminatiuum faciet, quòd cum alio corpore contiguo non penetretur, sed maneat indiuisibile terminatiuum iuxta indiuisibile alterius corporis quod est non penetrari, nec se totis coniungi.

Dices, ergo substantia materialis quantum ad id quod entitatis substantialis est, tota est sub tota quantitate, & tota sub parte: nõ auté est contra ipsũ effectum formalem quantitatis, quia quantitas extendit partes substantiæ, & ordinat illas vnam post aliam, ergo facit quod pars substantiæ sit sub parte quantitatis, & tota sub tota. *Sequela verò probatur*, quia si ita est, quod pars substantiæ correspondet parti quantitatis, & non tota cuilibet parti, ergo iam ex parte substantiæ, & quantum ad id quod substantiale est, datur distinctio partis à parte, quæ non potest formaliter à quantitate prouenire, quia quantitas accidens est, illa autem ratio partium substantiæ in ratione substantiali accidentalis non est: ergo euertitur fundamentum allatum, quod substantia non habet ex se partes substantiales, siquidem subtracta quantitate, non solum accidentales habet, quæ sunt quantitatis, sed etiam substantialis eis correspondentes

Respondetur. In hoc latere æquiuocationem, & posse esse differentiam in modo loquendi. Oportet enim distinguere, quid habeat substantia secundùm se remota quantitate, quid formaliter habeat per quantitatem, quid denique exerceat substantialiter, suppositâ tamen quantitate vt conditione. Nam substantia secundum se, & remotâ quantitate non habet formalitatem partium, quia remouetur principium diuidendi, & distinguendi partes vt ordinatas, & sub formalitate ordinationis, qua vna sit extra aliam. Ex ipsa autem quantitate formaliter solùm habetur accidentalis distinctio partium, quia effectus formalis non potest excedere suam formã. Ex ipsa autem substantia posita quantitate ordinante, & distinguente accidentaliter tanquam conditione, resultat vnio substantialis partium sic ordinatarum, sicut quando per quantitatem fit diuisio, ex ipsa materia resultat incommunicabilitas, & indiuiduatio substantialis, vt infrà dicemus quæst. 9. *Ratio autem est*, quia si positâ diuisione quantitatis non solùm accidentaliter, sed etiam substantialiter differunt, aliàs Petrus, & Paulus non essent duo indiuidua substantialiter diuersa, ergo quando fit continuatio, & vnio quantitatis ad quantitatem, etiam substantialiter partes vniuntur, aliàs illud compositum ex partibus non esset vnum totum substantiale, sed substantialiter essent duo, & accidentaliter vnum, & sic quando indiuiduum augmentatur, & non maneret idem indiuiduum substantialiter, ergo necesse est quòd supposita vnitate quantitatis inter partes, fiat etiam vnio substantialis inter ipsasmet partes, vt illud indiuiduum substantialiter sit vnum. Vnde Diu. Thom. in 3. distinct. 13. quæstion. 1. articul. 2. quæstion. 2. dicit: *Quòd in corpore naturali inuenitur triplex vnio membrorum ad inuicem. Prima est secundùm conformitatem naturæ, quia omnia membra constant ex eisdem similibus partibus & sunt vnius rationis, sicut manus, & pes ex carne, & osse, & sic dicuntur membra vnum sicut genere vel*

vel specie. Secunda est per colligationem eorum ad inuicem per neruos, & iuncturas, & sic dicuntur vnum continuatione. Tertia est secundum quod diffunditur vitalis spiritus, & virtus animae per totum corpus. Quarta est secundùm quod omnia membra perficiuntur per animam, quae est vna numero in omnibus membris. Ecce quomodo Diuus Thomas in ipsis membris quae vtique sunt partes integrales distinguit vnionem per modum continuationis, quae sine dubio est quantitatis, ab vnione quae est secundùm conformitatem naturae, quae est vnio substantiae, siquidem in substantia conformantur partes naturae. Similiter in quaestione de Anima articul. 10. ad 16. dicit: *Quod Anima est forma substantialis corporis dans esse, & speciem toti, & partibus, & totum ex partibus constitutum est vnum simpliciter*, & loquitur de partibus integralibus ipsius corporis, de quibus procedebat argumentum, & loquebatur in articulo. Sentit ergo Diu. Thom. partes ipsas vniri substantialiter, & tanquam extrema vnita constituere totum faciendo vnum simpliciter, quod vtique est substantiale.

Ex quo colligitur, partes quae in nutritione, vel augmentatione adueniunt, non fieri vnum substantialiter per identificationem vnius partis cum alia, nam ea quae physicè identificantur, separari non possunt nisi ablata identificatione, haec autem tolli non potest per ablationem vnionis, & compositionis, siquidem non datur in illa sententia; neque per ablationem alicuius modi, quia non est identificatio illa rei cum modo, nec enim modus aliquis in substantia aduenit per aduentum partium, quis enim est iste substantialis modus? Ergo non potest modalis identificatio in substantia dari. Si autem identificatur realitas substantiae, cur non poterit separari, & tolli vnum non ablato alio? si autem separari possunt, vt de facto separantur, non datur identitas, sed vera compositio in vno esse, sicut inter materiam, & formam, quae possunt separari. In partibus autem integralibus fit separatio etiam substantialis, vt cum diuiduntur partes, & resultant diuersa indiuidua, ergo quando coniunguntur, non erant identificata, sed vnita, quia separabilia, nec per identitatem vnum, sed per compositionem, nec enim vnitas identificationis addit super vnitatem compositionis nisi quod ista est ex extremis separabilibus, illa caret extremis, & ita non habet aliquid separabile, sed idem. Et mirum est, quòd cum materia, & forma componunt vnum non identificantur, sed vniuntur, & tamen sunt partes essentiales physicae, partes autem integrales non vniuntur, sed identificantur, cum tamen dicat Diu. Thom. ordinari ad vnum totum constituendum quaestion. de spirit. creat. articulo quarto ad decimũ quartum. Quare facta additione partium, & distinctione earum secundùm quantitatem, etiam fit vnio substantialis inter ipsas partes sic quantitatiuè distinctas, & continuatas sicut facta diuisione, & separatione, fit etiam distinctio substantialis, & non solum accidentalis inter indiuidua.

Nec obstat, quòd aliquando S. Doctor videtur asserere, quòd formae aliquae, seu naturae habent hanc totalitatem partium per accidens, & ratione quantitatis, ratione vero essentiae, seu substantiae totum est in toto, & totum in parte, vt patet in 1. part. quaestion. 76. articul. 8. & 2. contr. Gentil. capit. 72. & alibi saepè, imò in 3. ad Anibal. distinct. 21. art. 1. ad 4. dicit quòd in diuisione continui non fit omninò nouum corpus, licet vnum diuidatur in multa. *Respondet*. sensum D. Thom. esse, quòd tota forma, & substantia est in qualibet parte, si sumatur secundùm modum substantiae sine quantitate, posita tamen distinctione partium per quantitatem, non negat D. Thom. fieri vnionem, & compositionem substantialem, non autem solam identificationem, sicut etiam fit substantialis diuersitas, si fiat diuisio per quantitatem. Et quando dicit, in diuisione continui non fieri omnino nouum corpus, licet vnum diuidatur in multa, sensus est manifestus, quòd non fit nouum corpus nouitate generationis ex materia, benè tamen nouitate multiplicationis, & diuisionis corporis, quia modo ponuntur in actu, quae ante erant in potẽtia multa, & vnum in actu. Quare ante diuisionẽ non sunt plura in actu pluralitate existentiae, & diuersi esse, sunt tamen plures partes substantiales pluralitate extensionis, & continuationis, quae formaliter fit per ipsam quantitatem ordinantem partes, & continuantem, ea tamen continuitate posita, fit substantialis vnio inter ipsas partes quatenus facta distinctione per quantitatem, illa entitas substantialis, quae subiicitur parti quantitatis, inadaequatè comparatur ad totum substantiale, & diuisibilis, & separabilis est ab illo, & propter ea indiget vniri & componere cum altera entitate sibi adiuncta, & hoc est dari vnionem, & non identificationem inter partes substantiales, supposita tamen distinctione facta per quantitatem.

Ex hoc autem patet ad argum. cuius occasione haec omnia dicta sunt, scilicet quomodò per nutritionem acquiratur pars substantiae, cum rationem partis habeat à quantitate. *Dicimus enim*, quòd per nutritionem acquiritur pars substantiae, sed tamen affecta quantitate, & ita ex quantitate, quâ est affecta habet formalitatem partis; ex se autem solum radicaliter est pars, & per nutritionem formaliter, & directè non acquiritur formalitas partis, quae est quantitas, sed entitas substantiae inadaequatè se habens ad totum, quae radicaliter est pars, & subiicitur illi quantitati, à qua habet formalitatem partis; & rursus per nutritionem, illa entitas quae habet formalitatem partis secundùm quantitatem, trahitur ad esse totius per veram, & substantialem compositionem, & vnionem tanquam entitas inadaeqnatè participans esse totius, & consequenter non vt totum, sed vt componens totum compositione substantiali, licèt coordinationem, & formalitatem partis habeat per quãtitatem. Itaque sicut generatio directè producit substantiam totalem, & indiuiduam licèt in ratione diuisionis, & designationis à quantitate dependeat, & sub ea indiuiduetur, ita aggeneratio, seu nutritio respicit directè substantiam partialem, licèt formalitas partis à quantitate dependeat ordinante, & continuante partes, sicut indiuiduatio dependet à quantitate vt diuidente & separante. Plura de hoc videri possunt citato loco Logicae, quaest. 16. & quaest. 20. Physic.

ARTICVLVS III.

In qua actione consistat formaliter nutritio, & vbi resideat nutritiua facultas?

PLures actiones concurrere ad nutritionem, & augmentationem certum est, quarum aliquae sunt praeuiae, aliae consummatiue; sicut etiam in generatione animalium plures praecedunt actiones, non solùm disponentes, sed etiam formas inter medias generantes,

rantes,quovſque deueniatur ad vltimam,in qua generatur ipſum animal. Cùm ergo nutritio ad hoc tendat,vt alimentum conuertat in ſubſtantiam aliti,& alimentum à principio ſit valdè diſſimile, eget pluribus alterationibus,& decoctionibus,quovſque aſſimiletur ipſi viuenti , & in eius ſubſtantiam conuertatur. Similiter cùm ſubſtantia ipſa animalis habeat tot & tam diuerſas partes , quæ diuerſa indigent mutatione alimenti , ſicut aliter nutritur caro , aliter neruus , aliter oſſa , aliter fit ſanguis , aliter ſpiritus , aliter ſemen ; oportet varias eſſe actiones,quibus alimentum diſtribuatur,& nutritio fiat.

Breuiter autem , (quia res iſta magis ad Medicos pertinet) proponemus mutationes , quæ in alimento requiruntur,quovſque totaliter conuertatur in partes ſolidas. Igitur antequam alimentum exuat formam inanimatam,& induat formam viuentis , præcedunt duæ mutationes,altera in ore animalis,altera in ventriculo antequam tranſeat in formam ſanguinis.In ore fit mutatio maſticando , & conterendo cibum,alteratio autem fit per ipſam ſaliuam, & humorem oris quæ ad alterandum cibum plurimum valent;vt docet Galen.libro primo , de ſimplicibus, capite ſexto.In ventriculo autem,qui habet ſubſtantiam neruoſam,membraneam, fibriſque contextam, vt facilè contrahi,& dilatari poſſit , congregatur cibus deductus per fauces , & ibi fouetur calore ventriculi,ſicut in lebete ad ignem res concoquuntur, quovſque fiat ex alimento ibi poſito maſſa quædam liquida,quæ vocatur chilus,eſtque albi coloris , & ibi ſecernitur,quod impurum,& groſſum eſt ab eo, quod eſt magis purgatum,& ſuccus ille magis defæcatus per venas quaſdam, quas meſaraicas , ſeu meſenterij vocant,defertur ad iecur , vt ibi tranſmutetur in ſanguinem , quod verò craſſum , & excrementitium eſt , ad inteſtina detruditur , vt foras mittatur.

Deducto alimento in forma illa liquida à ventriculo ad iecur, tranſit ibi in ſanguinem maiori virtute, & calore decoctus,& depuratus, & ideo non potuit iſta decoctio fieri in ventriculo,quia petit maiorem calorem & virtutem,vt magis purificetur tranſeundo in formam ſanguinis.In illa autem maſſa ſanguinaria in iecore facta,relucent etiam alij tres humores,ſcilicet flaua bilis,ſeu cholera,atra bilis , ſeu malancholia,& pituita,ſeu phlegma , de quibus videri poteſt , Galen. 2. de naturalibus facultatibus capite nono,& libro quarto,de vſu partium, capite tertio. An verò ſanguis induat formam viuentis , licèt reſpectu partium ſolidarum, adhuc habeat eſſe alimentum proximum dicemus ſtatim.

Ex iecore fit multiplex , & varia diſtributio tam ſanguinis , quàm aliorum humorum in varias partes corporis,& receptacula.Nam imprimis natura ſeparat choleram,& melancholiam , quæ ad nutrimentum aptæ non ſunt,& emandat choleram ad folliculum fellis ipſi iecori vicinum , melancholiam ad ſplenem,pituita vero ſimul cum ſanguine miſcetur per corpus & venas , quia facilè in ſanguinem mutatur.Quòd ſi ex atra , aut flaua bile non fiat diſcretio , ſed pariter cum ſanguine inuoluatur per venas inde conſurgit ægritudo,& mala animalis diſpoſitio. Alius verò humor ſecernitur ex iecore,qui cedit in lotium,ſeu vrinam , eò quòd è ventriculo deſcendit ille humor cum maſſa alba,ſeu chilo , quaſi eius vehiculum,& quia amplius non deſeruit conuerſâ illâ maſſa in ſanguinem,redundat in vrinam , & foras emittitur.Scio aliquos negare, quod omnes quatuor humores fiant in hepate,ſed ſolum ſanguinem , cui cognata eſt hepatis conditio , quæ eiuſdem coloris eſt.Sed tamen quod diximus,communiter ſentit Medicorum ſchola,cumGaleno 2.de facultatibus capite primo.tum propter experientiam, quia inueniuntur ſimul omnes quatuor humores in iecore ante maſſæ diſcretionem , tum quia virtus quæ eſt in iecore ſicut habet efficaciam ad conuertendum materiam ſibi miniſtratum à ventriculo in ſanguinem , ita in reliquos humores , qui non ſunt maioris perfectionis,nec maiorem decoctionem requirunt.

Sanguis autem , qui nutriendo animali deſeruit, bifariam ex iecore diffunditur ; pars trahitur ad cor vt ibi formentur ſpiritus vitales , qui puriſſimus , & delicatiſſimus ſanguis ſunt,& ad cerebrum,vbi ſpiritus animales generantur , qui ad functiones partis ſenſitiuæ , & ſenſuum operationis deſeruiunt. Pars deriuatur per venas quæ variis ramuſculis totum peruadunt corpus,vt ipſi nutriendo deſeruiat.Et primum ab ipſis venis ſugendo attrahitur ſanguis, deinde à partibus adhærentibus per poros ; adiuuaturque ipſa pituita, quæ cum ſanguine fertur vt perlabatur per venas , & per totum corpus. Et denique ſanguis poſitus in poris , tranſit à forma liquida in ſolidam,ſiue in carnem,ſiue in oſſa,aut neruos, & ſimilia ; & tunc conſummatur tota nutritio , quia pars ſolida non amplius deſeruit pro nutrimento, ſed ſolum eſt pars nutrita ; ſanguis autem licet ſit pars nutrita ex alimento externo, ſeruit tamen tanquam alimentum internum pro parte ſolida nutrienda.

Denique ſanguis attractus ad cor maiori virtute decoquitur,itavt puriſſimus euadat, fiuntque ſpiritus vitales ad pulſationem requiſiti , & ad functiones vitæ,quia in eis præcipuè reſidet calor vitalis,ſiquidem à corde non poterat calor deriuari,niſi per aliquem liquorem,ſeu humorem,in quo talis calor viuificus inſideret;& ſicut calor ille eſt purior,& viuidior,vtpotè ab ipſo principio vitæ profectus,ita maximè depurat,& attenuat ipſum ſanguinem , in tantum, quòd ſpiritus mortuo animali euaneſcunt propter tenuitatem ſuam. Similiter quia cerebrum eſt principium vitæ ſenſitiuæ , ſanguis eò delatus per venas,maximè purificatur , fiuntque ſpiritus animales,quibus calor ad ſentiendum requiſitus ad ſenſus, & ad neruos defertur , & in iſtis ſpiritibus inſident imagines , ſeu ſpecies , ſiquidem dormiente animali per commotionem ſpirituum , variæ formæ offeruntur,quæ ſomnia efficiunt.Scio Ariſtotel.ſentire, ſanguinem non in iecore formari , ſed in corde , in eóque etiam effici ſpiritus,tum vitales , tum animales , quia putat cor eſſe principium vitæ ſenſitiuæ. Medici tamen cenſent officinam ſanguinis eſſe iecur,ibique formari,tum ipſum , tum alios tres humores, quia iam ibi habet colorem rubeum , & inde diſtribuitur per venas,in quibus verus ſanguis inuenitur.In corde autem generari non ſanguinem abſolutè , ſed puriſſimum qui ſunt ſpiritus vitales , in capite autem fieri animales. Hæc ſufficit breuiter delibaſſe pro intelligendo artificio nutritionis.Plura de his apud Medicos videri poſſunt,& apud Conimbric. ſuper caput quintum, de Generat. quæſt. tertia.Rubio tractat.de augment. quæſtione prima , & ſeptima.

His poſitis , *reſtat explicandum*;an nutritio ſolum conſiſtat formaliter , & proprie in illa vltima conuerſione , qua alimentum internum conuertitur in partem ſolidam, an etiam in illa conuerſione , qua alimentum externum conuertitur in ſanguinem, & humores , quod dependet ex illa celebri quæſtion

stione, an sanguis informetur ipsa anima, vel tantum sit humor nutrimentalis, ex quo etiam deducetur in qua parte tanquam in subiecto sit facultas nutritiua. Quomodò verò in ipsis poris fiat nutritio, & aliorum humorum emissio, dicemus infrà articulo 5.

Ad hanc ergo quæstionem dico primò: *Nutritionem ibi propriè, & formaliter inueniri vbi alimentum transit in partem solidam, ita quod non amplius remanet alimentum, sed alitum, & nutritum: imperfectè tamen, & inchoatiuè inuenitur nutritio in ipsa sanguinis & humorum formatione, iuxta sententiam quam statim approbabimus, quod sanguis animatur.* Itaque de actione nutritiua loqui debemus sicut de generatiua in viuentibus, sicut enim generatio non perficitur vnica actione, sed pluribus, quæ per diuersas forma, transeunt vsque vltimam, in qua consummatur generatio, vltimâ formâ introductâ, vt explicat S. Tho. q. 3. de Potent. a. 9. ad 9. constat enim quod prius disponitur materia seminis, & sanguinis, & efformantur mẽbra, & introducitur forma embrionis, & tandem forma animalis perfecti; ita in nutritione prius alimentũ diuersis dispositionibus transmutatur, & diuersas formas substantiales induit, nec enim eadẽ forma substãtialis, quæ erat in pane, vel in alio cibo, manet in massa liquida, quæ fit in ventriculo, & multo minus in sanguine. Specialiter autem cum nutritio essentialiter habeat fieri ex alimento, oportet quod ibi consummetur nutritio, vbi consumitur alimentum, transitque in rem alitam, tunc autem transit in illam, quando non amplius manet, nutrimentum, si enim nutrimentum manet, adhuc non est consummatè nutritum, sed nutribile, restatque aliquid transmutandum, vt purè nutritũ sit, ibi ergo consummatur nutritio, vbi fiũt partes solidæ, quia partes solidæ, ita sunt nutritæ, quod amplius non nutriunt, nec se habent vt nutrimentũ, sanguis autem si nutritur, etiam vlterius potest esse nutrimentum.

Ex quo deducitur; facultatem nutritiuam iuxta diuersas functiones quas exercet, in diuersis organis seu partibus debere poni. Etenim facultas naturalis, pro ea parte, qua facit sanguinem, qui ita est nutritus, quod etiam est nutrimentum partium solidarum, est in iecore, quia ibi est virtus formatiua sanguinis. Virtus autem formatiua spirituum & nutritiua illorum est in corde, quia ibi spiritus formantur, & inde distribuuntur. Similiter facultas nutritiua spirituum animalium est in illa parte, vbi talis spiritus formantur, nempè in cerebro, vt iam suprà diximus. Denique, facultas naturalis, quæ conuertit substantiam humidam, scil. sanguinem in partes solidas, est in toto corpore diffusa, & in ipsis partibus solidis, quæ agunt in sanguinem vel humorem alium positum in poris, & inde coagulant illum in partem solidam, sicut caro nutritur ex sanguine posito in poris, & aliæ partes solidæ, vt ossa, nerui, cartilagines, & alia similia ex proportionato sibi alimento.

Dico secundò, *Probabilius est sanguinem & spiritus viuere & informari forma animalis saltem quoad gradum negatiuum.* Distinguimus solum illum duplicem sanguinem, quorum primus est nutrimentalis, & habet veram formam sanguinis, nam si quis alius inuenitur illo imperfectior non est verus sanguis, sed humor non plenè decoctus, licet aliquo modo sanguini immixtus, & eius colore tinctus. Hanc conclusionem negant aliqui existimantes sanguinem etiam spirituosum non viuere, sed esse in venis, & corpore, sicut aqua in vase. Ita Conimb. cap. 4. huius lib. quæst. 24. art. 2. cum aliis multis quos citant, & Rubio tract. de augmen. q. 5. Et fundatur *primò* in Arist. in 2. de part. animal. c. 3. qui dicit: *Quod sanguis non est continuus carni, neque cognatus, sed in corde, ac venis quasi in vase continetur.* & in 2. de hist. anim. cap. 19. inquit: *Quod palpitat intra venas sanguis omnium animalium, pulsusq; simul vndique mouetur. Secundò*, quia sanguis est quid liquidum ergo non potest continuari corpori solido, sed in eo contineri. *Tertiò* quia sanguis est alimentum pro partibus solidis, ergo non potest habere eandẽ formam cum illis, siquidem de ratione alimenti est, quod conuertatur in substantiam aliti, ergo transit de vna forma ad aliam, & consequenter non habet eandem formam cum re nutrita. *Denique* videmus, quòd quãdo sanguis emittitur è vena extra corpus, continuatur is qui fluit extra cum eo qui est in vena, sed qui est extra non animatur, ergo neque qui est intra.

Nihilominus oppositum est probabilius, & conformius D. Thom. qui sentit sanguinem pertinere ad veritatem humanæ naturæ, & ideo connumerat illum cum aliis partibus, quæ resurgent in homine tanquam partes humanæ naturæ, vt patet in 3. p. q. 54. art. 2. & quodl. 5. & in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. vbi optimè distinguit de sanguine, seu humore, prout, est in statu transmutationis de forma humoris in formam membri, & sub hoc statu non resurget, sed secundum se vt habet formam determinatam sine statu transmutationis, sic resurget. Quando autem dicit D. Thom. 3. 7. quæst. 31. art. 5. ad 1. *Quod sanguis non est actu pars, sed potentia tantum*, ipse se statim explicat, quòd sanguis est potentiâ caro, ex sanguine enim fit caro, & ita sanguis non est actu talis pars. Et cum 1. p. quæst. 119. art. 1. ad 3. inquit: *Quod humidum nutrimentale nondum peruenit ad suscipiendum perfectè naturam specieĩ, sed est in via ad hoc sicut sanguis*, benè ibi aduertit Caietan. non dixisse D. Thom. absolutè quod non participat naturam speciei, sed quod non perfectè participat, & ita non concluditur, quod non sit pars animata, sed quod non sit perfecta pars, sicut membrum, seu caro. Sequuntur D. Thom. communiter eius discipuli Caietan. citatis locis. & M Bannez 1. de Generat. cap. 4. quæst. 13. art. 5. Et pro eadem sententia stat Aristot. in vltimo loco nuper allegato pro sententia contraria, vbi expresè licit quod sanguis animatur, & feruet, ergo sentit ita contineri in venis, quod etiam animatur ab anima. *Et ratio est*, quia sanguis participat accidentia vitæ, habet enim calorem, imò est caloris vehiculum, augetur etiam & crescit, vt quotidiè experimur, & mouetur in toto corpore; pertinet etiam ad veritatem naturæ animalis multò magis quàm vngues, & pili, qui tamen informantur eadem forma totius, licet non eodem gradu; quia non sentiunt, ergo non est aliqua ratio cur dicamus non informari sanguinem eâdem animâ, licet non eodem gradu. Item est magnum inconueniens, quod ad constituendum vnum corpus, & naturam, quę est vnum ens simpliciter, concurrat aliquid, quod non informatur eadem forma, & consequenter non est continuum sed contiguum alteri, sic enim ex sanguine & ex aliis partibus non consurget vnum ens per se, sed vnum per accidens, scilicet conflatum ex diuersis rebus discontinuis, natura autem animalis est vna tanquam vnum ens simpliciter, ergo sanguis non pertinet ad veritatem humanæ naturæ, quia non pertinet ad vnitatem eius simpliciter. Nec obstat dicere, quod sanguis est pars non integralis, neque essentialis, sed vt quid necessarium ad seruandam vitam. Nam quomodocunque appelletur

appelletur, non informatur eadem forma totius, nec continuatur in eodem ſuppoſito, ſed ſolum aggregatur illis vt res diſtincta, ergo non componit vnum ſimpliciter cum aliis partibus, & conſequenter non pertinet ad veritatem talis naturæ, qua non componit, nec conſtituit illam, ſed ſe habebit ſicut diſpoſitiones; quæ etiam requiruntur ad conſeruandam vitam.

Sed inquires, an hoc dicimus de ſanguine, intelligendum ſit de aliis humoribus, & etiam de lacte, & ſemine; & qua vita dicatur viuere. *Respondetur*, omnes iſtos humores, qui cum ſanguine, vel ex ſanguine generantur vitali forma informari, habent enim accidentia vitæ & nutriuntur, atque augentur ſicut conſtat de lacte, & ſemine, quæ augentur, & calorem vitalem participant quandiu ſunt intra animal, & ſimiliter eſt de cholera & pituita, quæ pertinent ad integritatem, & compoſitionem corporis animalis, quod non minus ex quatuor humoribus, quam ex quatuor elementis.

Nec obſtat, quod dicit S. Thom. 1. parte, quæſt. 119. art. 2. quòd ſemen non informatur anima, & idem docet in 3. de potent. art. 12. & ſimiliter in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. artic. 2. quæſt. 5. docet quod lac, & ſemen non reſurgent in hominibus. *Non inquam obſtat*; quia ſenſus eſt, quòd ſemen non informatur anima perfectè, ſicut caro & reliqua membra, ſed imperfectè, & cum tendentia ad vlteriorem informationem, vel formationem, quia ſemē eſt in potentia, vt ex eo fiat caro, & membra fœtus. Atque ita in eo gradu & ratione, qua ſanguis dicitur informari anima, licet ex eo nutriantur partes & fiant membra, pertinet etiam ſemen, licet ex eo formetur fœtus, dicit enim Diuus Thomas in ſecundo diſtinct. 30. quæſt. 2. artic. 2. ad 2. *Quod ſanguis aliquo modo dicitur eſſe de ſubſtantia generantis, & multo amplius ſemen quod eſt ad vlteriorem digeſtionem productum.* Quare ſi in ſententia S. Th. ſanguis informatur anima licèt non ſecundum omnē gradum, à fortiori ſemen, aliàs non verificaretur quòd generans de ſua ſubſtantia generat filium, ſi ſemen non eſt ſubſtantia eius, ſed diſtinctum ſuppoſitum, ſicut aqua in vaſe, ita quòd non decidatur à toto, qui ei non continuatur. *Sed tamen eſt aduertendum*, quod ſicut in ſanguine conſideratur, & & ipſa ſubſtantia ſanguis, quæ informatur anima, & ſtatus eius quatenus eſt in tranſmutatione & via ad nutriendum, & formandum membrum, ſcilicet carnem vel oſſa, & in hoc ſtatu reſurget in hominibus, quia eſt ſtatus corruptibilis, non integritatis naturæ, ita neque reſurget ſemen & lac, quia ſunt humores ſolum deſeruientes ſtatui generationis, & corruptionis. Vnde videmus ſine ipſis ſaluari veritatem humanæ naturæ, ſicut in pueris non eſt ſemen, eorum totum nutrimentum ipſi neceſſarium eſt ad agendum corpus, & in his quæ non genuerunt, non eſt lac, ſed hoc non obſtat, quia etiam ſine manu, aut pede ſaluatur eſſentialiter humana natura, & tamen informantur eadem anima, & pertinet ad eius integritatem. Semen tamen deciſum, & lac emiſſum perdunt actualem informationem vitæ, quia diſcontinuantur à viuente, ſed nos loquimur de illis, quam diu ſunt coniuncta, & non emiſſa.

Quando autem inquiritur quo gradu vitæ informentur iſti humores? *Reſpondetur*, quod informantur gradu vitæ imperfecto, ſcilicet vegetatiuo, quia non ſentiunt ſicut neque vngues, & capilli, ſed creſcunt & nutriuntur, & ita ſanguis, quando extrahitur non dolet, ſicut nec capillus, quando tonditur. Quare Diuus Thomas, in loco nuper citato ad tertium inquit: *Quod humores ſunt de perfectione corporis humani, ſicut & aliæ partes, quamuis non perueniant ad totam perfectionem ſicut aliæ partes. Sicut autem partes omnes vniuerſi perfectionem à Deo conſequuntur, non æqualiter, ſed ſecundum ſuum modum vnumquodque, ita etiam humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali, non tamen eodem modo ſicut partes perfectiores.* Qui locus manifeſtiſſimus eſt pro noſtra ſententia, nec enim perficiuntur ab anima rationali, niſi vt à forma.

Ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ reſpondetur notando ſententiam Caiet. 1. p. q. 119 art. 2. quam ſumpſit ex D. Thoma, diſt. 44. citata, quod in ſanguine & ſimilibus humoribus eſt duplex reſpectus, ſeu officiū, nam & habent rationem partis integralis, licèt minus perfectæ, & habent rationem viæ & tendentiæ ad perfectiores quæ ex imperfectioribus formantur, ſicut elementa in mundo comparantur ad mixta, vt corpora minus perfecta ex quibus mixta formantur, & ſunt tamen partes vniuerſi, licet minus perfectæ. Et in toto quantitatiuo linea, & ſuperficies verè ſunt partes in ſuis extenſionibus, tamen reſpectu profunditatis ſeu corporis ſunt termini ſeu indiuiſibilia, ita non repugnat aliquid quod abſolute ſit vera pars in corpore, & tamen comparatiue ad alias partes perfectiores, ſit materia, ex qua formantur, & ita ſanguis eſt pars imperfecta, & præbens materiam ex qua aliæ partes ſolidæ formantur. Quod alio modo diſtingui poteſt de ſanguine, quoad ſubſtantiam, vel quoad ſtatum tranſmutationis de liquido in ſolidum, & primo modo eſt pars in ſe, ſecundo modo eſt deſeruiens parti perfectiori.

Sic ergo dicimus ad authoritates Ariſtotelis, quod ſanguis eſt intra venas ſicut aqua in vaſe quantum ad rationem liquidi, ſed tamen vt liquor animatus, quia vt ibi dicit Ariſtotel. ſanguis animatur, & feruet in venis. *Nec obſtat* quod aliquando ſanguis exſudatur tanquam ſudor, & excrementum. *Reſpondet. enim*, quod vel ille humor non eſt ſanguis perfectus & excoctus, ſed adhuc informis, licet colore ſanguinis tinctus ex laxatione nimia corporis, qua ille humor ſanguine permiſcetur eiuſque colore tingitur; vel ſi ſudatur verus ſanguis, id contingit, aut ex ruptione venæ, aut ex nimia pororum laxatione in quibus ſanguis continetur, non quia in ſe excrementum ſit.

Ad primam rationem reſpond. quod licet ſanguis ſit ſubſtantia liquida, poteſt tamen aliis membris cōtinuari mediantibus fibris, quæ in corporibus animalium habentium craſſum ſanguinem, vt in tauris manifeſtius apparent. Item continuatur aliis membris in ſuo principio, ſcilicet in iecore, & in corde, vbi ſanguis decoquitur, & ibi animæ informationē habet, & continuatur, licet, quia liquidus eſt, dicatur eſſe in illis vt in vaſe. Tertiò, continuatur in poris cum membris ſolidioribus, quatenus paulatim coagulatur, & ſolidatur cum illis. Nec eſt inconueniens, partem ſolidam continuari coagulatæ, & coagulatam liquidæ, ſicut lac dum ex vna parte concreſcit, continuatur alteri parti liquidæ, & pars aquæ congelatæ alij parti adhuc liquidæ. Quod vero additur de ſanguine dum emittitur è venis, & de lacte dum exprimitur, & de ſemine dum eiaculatur. *Reſpondetur*, non continuari tales humores extramiſſos, ſed decidi, & ita licèt videantur continuari, ſanguis qui eſt in vaſe, & qui eſt in aëre, & qui in vena, ibi tamen dum ē vena erumpit, corrumpitur, & amittit vitam, aliamque formā induit, ſicut cadauer, licet aliquid caloris vel ſimilis virtutis retineat. Neque hoc eſt mirum, cum etiam membrum aridum videatur continuari ſano, & virga ſicca viridi, & tamen non con-

tinue,

tinue, sed contigue se habent, quia habent diuersas formas. Discontinuatur autem sanguis, quia rumpuntur fibræ quæ tenuissimæ sunt, & sic decidit à vena, mutaturque in aliam speciem & formam, sicut cadauer.

Ad secundum fundamentum dicitur, quod sanguis est nutrimentum intrinsecum & decoctum non extrinsecum. Non est autem inconueniens, quod nutrimentum in sua vltima decoctione sit informatum anima non quoad gradum perfectum, se quoad vegetatiuum, transit autem in formam membri solidi, quod nutrit, non induendo nouam formam, sed nouum gradum, & nouum modum informationis substantialis. *Et cum vrgetur*, quod tunc nutritio vltima, qua fit conuersio in partem solidam, non erit substantialis mutatio, quia non est à priuatione formæ ad formam. *Respondetur* quod est substantialis mutatio perfectè, & consummatiuè, & à priuatione gradus perfecti ad perfectum. Vt autem inueniatur ibi transitus à priuatione formæ ad formam, sumenda est tota collectio mutationum à mutatione cibi seu alimenti, ex tertia vsque ad vltimam mutationem in formam carnis, vbi est vltimus terminus intentus, licet quia paulatim fit, quando est in vltimo complemento iam non est mutatio de forma in formam, sed de priori gradu forma in vltimum, seu in modum informandi perfectum & substantialem, quod etiam substantialis mutatio dici potest.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm augmentatio dum durat, & nutritio totâ vitâ sint successiua, & continuæ?

DVplex est controuersia de continuitate horum motuum. *Primò*, an durent continue, id est toto vitæ tempore, *Secundò*, an sint motus continui & successiui, id est non discreti, nec instantanei, sed diuisibiliter, & per partes continuentur, & rursus, an si per partes cõtinuantur, habeant continuitatẽ regularem, id est quod si tantum acquiritur an tanto tempore, dimidiũ in medietate acquiratur, & quarta pars, in quarta parte tẽporis, an vero irregulariter, sicut eũ excauatur lapis à guttis cadentibus, ita tollitur pars lapidis in hoc tempore, quod tamen in medietate temporis non tollitur dimidia pars lapidis, sed disponitur toto illo tempore, vt in vltimo tollatur.

Quoad primum, duo videntur certa. *Primum* quod nutritio propriè loquendo, & nisi aliquod impedimentum per accidens obstet, durat toto vitæ tempore post primum instans, & post aliquantulum temporis, quod requiritur vt alimentum apponatur, & disponatur vt conuerti possit in substantiam aliti, in quo tamẽ tẽpore incipit alteratio, & dispositio ad alimentũ conuertendũ, & sic iam inchoatiuè est nutritio. *Secundum est* quod augmentatio non durat toto vitæ tempore secundum quod à nutritione distinguitur. *Primum probatur*, & explicatur ex Aristotele dicente in hoc primo libro: *Quamdiu saluum manet animal, etiamsi decretionem subeat, nutritur, sed non semper crescit*, vbi etiam videri potest S. Thomas, lectione decima septima. Et explicatur sic, quia non est necesse, vt ita duret nutritio toto vitæ tempore, quod si in quocumque etiam breuissimo tempore non detur, pereat animal, sed quod semper sit indigentia à limenti, & nutritionis, quamdiu viuit animal, ita vt in nullo statu vitæ ponatur terminus huic indigentiæ naturaliter loquendo, sicut naturaliter ponitur status, & terminus augmentationi, ita vt amplius non crescat. Quod si aliquo tempore cessat, vel propter morbum, & debilitationem, vel propter carentiam alimenti, non statim peribit animal, incipiet tamen in statu corruptionis esse. *Ratio*, huius perpetuæ necessitatis præter quotidianam experientiam, sumitur ex ipso viuentium temperamento, quod constat ex calido, & humido, & calor debet esse abundans, eò quod functiones, & operationes viuentium calore ministrantur: calor autem propter sui acrimoniam agit in humidum, atque illud depascit, sicut videmus in igne, qui lignis, aut oleo, aut aliis combustibilibus conseruatur, & ita si humidum ipsum in viuentibus non instauretur, etiam auanescet. Et ideo quia calor continuè perdit de substantia humidi, si debet durare, oportet, quod continuo conuertat alimentum extrinsecum in suã substantiam, ipsumque intrinsecum alimentum si continuò non sustentetur, & foueatur ab extrinseco, breui peribit. Et hæc est ratio, quare nutritio toto vitæ tempore duret, quia toto vitæ tempore aliquid deperditur per calorem consumentem humidum, & & consequenter deperditum indiget reparari. Sed quia non semper æqualiter calor agit in humidum, nec semper est eadem dispositio caloris, vel humidi, nec appositio alimenti, in hoc est latitudo, & aliquando interruptio, licet non statim moriatur animal, sed incipit disponi, vt moriatur, si desit alimentum. Vnde etiam colligitur ratio quare aliqua animalia dicuntur aliquibus temporibus sine alimento viuere, vt glires, vrsi, aliqui serpentes, & si qui similes (si historiæ, veræ sunt) hoc enim ideo est, quia licet externum alimentum non recipiant, habent tamen internum aliquem humorem crassiorem, seu pituitã, quæ tempore illo à calore naturali concoquitur vice alimenti & ob caloris defectum lentè, & paulatim illum consumunt. Si qui verò homines dicuntur plures dies vixisse, aut annos sine cibo, vel id fabulosum est, vel causam naturalem non habuit, sed vel per verum miraculum, vel à Dœmone cibi aliqui ministrati sunt, aut ipsi sibi occultè ministrabant, aut ob aliquam caloris naturalis debilitatem, ita paruum consumebant, vt viderentur non comedere.

Quod verò augmentum non duret toto tempore vitæ experientiâ manifestum est, & asseritur ab Aristotele loco nuper citato, & tertio de anima textu 59. & à Diuo Thoma super eadem loca, & secunda secundæ quæstione 147. articulo quarto ad secundum, & in secundo distinctione 30. quæstione secunda artic. primò ad quintum, & prima parte quæstione 119 articulo primo ad quartum. Quod semen non informatur anima, & idem docet in 3. de potent. articulo 12. & similiter in quarto distinctione 44. quæst. 1. articul. 2. quæst. 3. *Et fundamentum deducitur*, tum ex continua reactione, qua alimentum ipsum agit in calorem naturalem, siquidem ipsum debilitat, & minuit, calor autem deficiens non potest tantum ex alimento conuertere, quantum deperdit; & sic non potest augeri animal: augmentum enim prouenit ex eo quod plus acquiritur, quam deperditur: tum etiam, quia id quod acquiritur, cum sit extraneum, etiam suas qualitates imprimit humido nutrimentali quod aduenit de nouo est ita purum, sicut humidum primum radicale: vbicumque enim fit mixtio extranei non ita purificatur virtus, sed per ipsam mixtionem languescit, & mutatur; & consequenter

quenter relinquitur illa virtus minus conducens ad augendum, quia virtus permixta, & extraneata minus potest se explicare,& augeri,quàm fortis, & puratum denique,quia si viuentia semper augerentur acquirerent tantam quantitatem,quod non possent vnica anima eam informare, & ab vno corde viuificare,nisi eius virtus etiam augeretur,& fortificaretur,vnde quanto magis viueret animal, tanto adhuc posset diutius viuere secundum naturam,quia maiorem haberet virtutem.

Sed obiicies,quia si calor naturalis debilitatur per continuam reactionem alimenti, & ideò minus de alimento conuertit, etiam minus de humido consumit, in eodem enim calore fundatur,quod consumat de proprio, & acquirat de alieno, & consequenter non bene infertur cessare augmentum, quia plus perdit,quam restaurat, siquidem ea ratione, qua non restaurat propter debilitatem caloris, neque etiam consumit.*Secundò*, quia videmus iuuenē habere fortiorem calorem, & melius alimentū decoquere, quam infantē, & tamen infans augetur, non iuuenis, ergo male fundatur ista ratio in fortitudine, & perfectione caloris. *Tertiò*, quia noua materiâ additâ, additur viuēti nouus calor, ergo & noua virtus, ergo quando augetur animal non decrescit virtus, sed augetur, diminutio autem accidit ex debilitatione virtutis,non autem debilitatur, sed crescit crescente subiecto, & sic in quacunque nutritione, cum noua pars aggeneretur præexistēti, nouum etiam augmentum, & noua virtus ei aduenit. Denique quia posset animal sustentari cibo facilis digestionis, quando perueniret ad terminum augmenti, & tunc facilius conuerteret tale alimentum,quam perderet de propria substantia, ergo tunc augeretur.

Ad primam respondetur calorem debilitatum minus consumere de humido nutrimentali, & aduentitio,præsupponitur tamen plus consumpsisse de radicali, quando peruenit ad illum statum caloris debilitati per ætatem. De humido autem aduentitio, quanto minus consumitur, tanto magis animal grauatur, indéque potiùs generantur morbi, & tandem animal moritur. Similiter quanto magis calor debilitatur, tanto difficilius decoquit alimentum extraneum, quia magis dissimile, & crassius est, facilius autem consumit humidum proprium, & partes suas, sunt enim facilioris euaporationis à calore naturali. Tempore autem quo durat augmentum, quia purior adhuc est substantia, & humidum radicale, consequenter calor vitalis magis virtuosus, & purior est, ideóque plus potest de alimento conuertere, quàm de propria substantia deperdere.

Ad secundum respondetur. Quòd calor in iuuene est fortior quasi accidentaliter, non quasi essentialiter,id est entitatiuè,& in ratione caloris est fortior, sed non vitaliter,aut animaliter,quia non est ita purus propter admixtionem extranei, licet propter maiorem soliditatem, & densitatem partium corporis, & pluralitatem partium calor in iuuene fortior sit & vegetior, pluresque actiones operetur, quæ maius robur postulant. Et quia humidum aduentitium minus consumitur à calore, ipsumque magis impurum reddit, ideo nec tantum perdit de isto humido quando adolescens,vel infans,nec tamen plus acquirit de augmento. *Nec obstat*, quod aliquando cessante statu, & ætate augmenti, pinguescat animal quod etiam pertinet ad augmentum,crescit enim in latera. *Sed respondetur*: Quod animal non dicitur augeri nisi quando crescit secundum longitudinem, ita quod ossa,& partes solidiores fiant maioris quātitatis,augmētum verò illud in sola pinguedine, vel carne,etiamsi diffundatur in latera,& multo magis si solum crescat in humore aliquo magis turgido,non est augmentum simpliciter, & quoad omnes partes animalis, sed solum secundum quid, & quoad aliquam partem, scilicet quoad carnem vel humorem, &c.

An verò dentes semper crescant, Arist. affirmat lib.2. de generatione animalium cap. 4. & saltem non decrescunt, quia propter necessitatem cibi conterendi prouidit natura, ne ipso continuo attrito decrescant, sed aliunde suppleatur eorum defectus, alias totaliter deficerent cum animalis dispendio.

Ad tertium Respond. Quod calor de nouo adueniens in materia acquisita non est eiusdem puritatis & efficaciæ in ratione vitalis,sicut primus calor insitus,in quo generatur viuens,licet propter spissitudinem,& soliditatem sit fortior,sicut calor in ferro cādenti, sed non secundum vim vitalem, in hoc enim magis,ac magis debilitatur ipsa continua reactione, actione,& repassione,neque enim in quocumque calore consistit perfectio vitalitatis, siquidem si nimis excrescat,potiùs interit animal.Illud ergo temperamentum vitalitatis nunquam ita perfectè inuenitur in materia acquisita sicut in primò insita & generata.

Ad quartum dicitur;quòd cibus quantumcumque delicatus, aut facilius digestionis semper est impurior ipso humido radicali, & insito. Vnde licèt ex hoc possit dilatari vita, si impurum reddatur humidū ex cibo minus crasso, & indigesto, tamen tandem consumetur, quia aliquid impuritatis miscetur, & solum proprium erat arboris vitæ humidum radicale ad illam priorem puritatem reducere.

Circa secundam difficultatem, scilicet an nutritio, & augmentatio sint motus successiui, & continui à tempore, quo animal incipit nutriri. *Aliqui existimant* non esse motum continuum, nec successiuum. Quam sententiam sequitur Tolet.§1. de generation. quæst.11.& Pomponatius lib.de nutrit. & augmentat. cap.19.& alij,& probatur primo ex D.Thom.2.2.q. 24.a.6,vbi inquit: *Augmentum corporale in animalibus, & plantis non est motus continuus,ita scilicet quod si aliquid augetur in tanto tempore necesse sit, quod proportionaliter in qualibet parte illius temporis aliquid augeatur sicut contingit in motu locali, sed per aliquod tempus natura operatur disponens ad augmentum, & nihil augens actu,& postmodum producit in effectu id, ad quod disposuerat augendo ipsum animal,vel plantam in actu*.Ita D.Thom.

Secundò probatur ratione difficili. Quia si nutritio sit motus successiuus, & continuus, sequitur quod substantia alita incipiat per vltimum non esse, & substantia alimenti desinat per vltimum esse vtrumque autem repugnat modo incipiendi, & desinendi substantiæ.*Sequela constat*,quia motus successiuus nó incipit in instanti intrinseco,quia in instanti non datur successio, & sic non est verum dicere, nunc est, quod pertinet ad primum esse,sed nunc non est,immediate post erit,quod pertinet ad vltimum non esse. Similiter cum ad inceptionem nutritionis desinat nutrimentum, quia quamdiu non est nutritio, nutrimentum non est conuersum; si est verum dicere nunc non est nutritio, & immediatè post erit etiam erit verum dicere, nunc est nutrimentum, & immediatè post non erit,ergo nutrimentum desinet per vltimum esse. *Min. vero probatur, quoad primam*

desinet per vltimum esse *Min. vero probatur*, *quoad primam partem*, tum quia omnis substantia incipit per primum esse, vt diximus in 6. Physic. neque enim minus consistit in indiuisibili substantia vt aucta, quam vt primo generata, nec minus procedit de priuatione ad formam, quod est carere latitudine, nec minus exigit determinatam quantitatem, atque adeò non potest in quauis minima introduci. *Deinde*, quia si in aliquo instanti est verum dicere, nunc non est forma viuentis in alimento, & immediatè post erit, vel in illo instanti est completa, & vltima dispositio, vel non, si est ergo & forma, quia vltima dispositio non est sine forma. Si nõ ergo vel deest aliquid diuisibile, vel in diuisibile: si indiuisibile, non poterit incipere immediatè post quia immediate post non sequitur indiuisibilis duratio: si diuisibile, ergo immediate post non incipiet, siquidem prius immediate post incipiet medietas illius diuisibilis, quam tota, ergo immediate post non erit tota, & completa, atque adeo nec vltima dispositio. *Quoad secundam vero partem probatur*, quia si aliqua substantia desinit per vltimum esse, sequitur vel dari duo instantia immediata, scilicet instans vltimum desitionis, & primum inceptionis sequentis formæ, aut dare materiam sine forma pro aliqua duratione, si designente vnâ formâ altera expectat aliquod tempus vt incipiat.

Denique sequitur, quòd alimentum possit desinere, vel forma viuenti introduci antequam materia sit plene disposita, quia si disponitur successiuè, & continue, & si conuertitur alimentum in substantiam aliti, quando peruenerit ad vltimas partes alimenti, in quibus conseruari possit versus minimum, prius attingetur medietas vnius partis motu successiuo, quam alia medietas, ergo in illa vltima medietate desinet alimentum ratione minimi antequam introducatur vltima dispositio, siquidem hæc successiue introducitur.

Postremò, suffragatur Aristot. qui 8. Physicor. text. 23. docet diminutionem continue non fieri, exemplo lapidis excauari à guttis cadentibus, quæ non continue diminuunt partes lapidis, ita vt si tanto tempore extrahatur tanta pars, in medio illius temporis extrahatur medietas, sed toto illo tempore disponitur, & in vltimo pars extrahitur, ergo idẽ dicendum erit de augmentatione.

Omitto conueniens, quòd aliqui inferunt quia si nutritio incipit immediate post instans, alteratio desinit in illo instanti quia immediatè post iam est substantia, quam disponebat alteratio. *Omitto hoc*, quia iam supra quæst. 1. diximus vltimam dispositionem non introduci ab alteratione formali, sed ab ipsa generatione substantiali, quæ est alteratio eminenter, quia introducitur ducitur simul cũ forma substantiali. Vnde in ea duratione, qua introducitur forma substantialis siue in instanti, siue post instans iam est vltima dispositio, & desinit alteratio, quæ immediate anteponebat aliquid infra dispositionem vltimam.

Nibilominus dicendum est; *Augmentationẽ & nutritionem esse mutationes successiuas & continuas, prout ly successiuũ, & continuũ opponitur instantaneo, siue vnico instanti; siue discretis non tamen est continuum, si ly continuũ dicat regularem proportionẽ, ita vt si augeatur tantum in tanto tempore, immedietate eius augeatur dimidium, & in quarta parte temporis quartum sed nutritio, & augmentaoio admittit irregularitatem & consequenter aliquid discontinuationis propter dependentiam, quam habet nutritio à dispositione alimenti, quæ non semper est æqualis, & à virtute subiecti, quandoquè infirmatur, & non semper est in eadem dispositione.* Hæc conclusio secundum vtramque sui partem explicat mentem Philosophi, & D. Thom. Nam pro ea parte, qua Philosophus ponit augmentationem esse motum proprie dictum 5. Physicor. cap. 2. consequenter affirmat non esse instantaneum, nec per sola instantia, fieri vnde expresse Diuus Thomas 3. part. quæstion. 33. artic. 1. in corp. & ad 4. infirmat. *augmentationem non esse actionem instantaneam, sed successiuam.* Idem est autem de nutritione, quæ augmentationem concomitatur. Quod verò non sint motus continui in secundo sensu, id est regulares, & secundum proportionem assignatam constat ex locis Arist. & D. Th. allegatis in primo, & vltimo argumento.

Ex his sumitur fundamentum conclusionis, quod est duplex: *Primum* quia augmentatio est verus motus, vt distinguitur contra mutationem, vt in 5. Physic citato dicit Arist & nos probamus ibi quæst. 19. sed motus non potest esse in instanti, vt ibi probauimus quæst. 14. & 21. ergo augmentatio est motus successiuus.

Secundum fundamentum est, quia ad nutritionem & augmentationem non requiritur determinata quantitas, sicut ad primam generationem, ergo augmentatio, & nutritio successiue debet fieri diffundendo qualitatẽ vniformiter difformiter. *Antea probatur*, quia in nutritione, & augmentatione supponitur viuens habere iam quantitatem requisitam ad suam consistentiam tam quoad organa, quibus operari potest, quam quoad debitam mensuram vltra minimum, in quo esse non potest, ergo iam non requiritur determinata quantitas in alimento conuertendo, neque propter ipsius viuentis exigentiam, quia iam habet sufficientem quantitatem vltra minimam, neque propter partem de nouo aggregandam, siquidem non magis requiritur quantitas vt informetur de nouo pars aggreganda, quam vt iam aggregatæ contineantur sub forma, quando enim adueniunt de nouo, & vniuntur, tanquam partes adueniunt; ergo non exigitur ad illas maior quanlitas, quam vt partes totius esse possint, & cum aliis partibus totum componere, vt autem aliquid possit esse pars, non requiritur determinata quantitas, ergo neque vt aggregetur tanquam pars. Imò quantò minor est pars, tantò perfectius aget in illam, & conuertet in se sicut ignis minores partes stuppæ, vel ligni conuertit in se, neque expectat vt ad determinatam partem crescant, ergo ad aggenerandum rei iam productæ aliquam materiam, non conducit determinata quantitas, sed quantò minor est perfectiùs aggenerabitur. *Vnde patet consequentia*, quia si non requiritur determinata quantitas, sed quæcumque minor, ac minor est capax aggenerationis, non obstabit aliquid continuitati augmentationis, nisi ex parte qualitatis, quæ est dispositio, non detur continuitas. Ex hac autem parte non deficit; quia dispositio illa fit per alterationem, quæ est motus continuus, & ipsa qualitas dispositiua diffunditur vniformiter difformiter, ita vt si in hac parte datur dispositio vltima, in parte immediata detur immediatum infra illam, & in alia minus, ac minus vsque ad non gradum, ergo continuando actionem aggenerantis, continuabitur etiam introductio dispositionis in parte minori, ac minori immediatè consequenter, & sic eadem proportione in eis introducetur forma aggenerantis.

Quòd si inquiras: Quæ sit ratio ponendi istum modũ diffusionis qualitatis vniformiter difformiter?

Respondetur in primis id constare ex experientia, nam quantò aliquis magis appropinquat ad ignem tantò fortius calefit, & quantò magis recedit, minus, ergo calor non diffunditur ab igne æqualiter in tota sua sphæra, sed in vna parte magis, in altera minus. *Secundò constat ratione*: quia qualitas non diffunditur ab agente per hoc, quod eadem numero transeat de vno subiecto ad aliud, sed per multiplicationem producitur ab vna parte in partem immediatam, & sic est diuersa qualitas in vna, & in alia, quælibet autem pars medij, in quo multiplicatur qualitas, imperfectiori modo recipit qualitatem, quam sit in subiecto proprio, ergo imperfectius illam producit, & sic quantò magis elongatur ab ipso primo agente, tantò magis debilitatur ipsa qualitas à sequentibus partibus producta. *Minor constat*, quia si æquali modo reciperent omnes partes medij qualitatem, nunquam agens haberet terminum ab intrinseco & per se, quia si non debilitaretur eius virtus, tam intensum effectum produceret in parte immediata, quam in parte distanti; & rursus illa pars distans æque poterit effectum suum ponere in parte immediata, quam in distanti, & de qualibet est eadem ratio, ergo poterit sine termino producere in quacumque distantia, nisi ponatur impedimentum extrinsecum, & sic ab intrinseco nõ, determinata sphæra virtutis Si autem qualitas paulatim diminuitur, nec ponitur æqualiter in omnibus partibus, ergo necesse est, quod duæ partes non sint similes, neque æquales, sed altera magis, altera minus participet, & hoc est multiplicari vniformiter difformiter, id est cum dissimilitudine per omnes partes sed cum vniformitate in obseruando istam inæqualitatem.

Ad argumenta facta in contrarium. Ad primum ex authoritate D. Th. respon. ex dictis, quod augmentatio non est continua continuitate regulari, ita quod si in tanto tempore crescit in medietate temporis crescat dimidium, non tamen negat continuitalem successiuam, quæ opponitur instantaneis mutationibus, vt ex eodem D. Thom. diximus. Quòd autem dixit D. Tho. quòd aliquo tempore operatur natura disponens, & non augens auctu, verificatur in duobus casibus, tum in tempore immediato post primum instans generationis in quo alimentũ non statim est dispositum, tum si ex aliqua infirmitate, vel ex defectu alimenti discontinuetur ipsa dispositio requisita ad introducendam formam viuentis, & sic necesse sit iterum consumere tempus, vt disponatur. Extra hos casus si dispositio currenti modo introducatur, & sine impedimento, per motum continuum fit.

Ad secundum respond. Quòd introductio formæ substantialis generatiue & totaliter, quando primo fit, debet incipere per primum esse, & opposita desinere per primum non esse: continuatio autem, & aggeneratio substantiæ partialis non est inconueniens, quod incipiat ad modum motus, & per vltimum non esse, & iuxta modum diuisibilitatis partium. *Et ad primam impugnationem primæ partis*, *Respon.* Quòd substantia secundum se, & vt totaliter fit prima generatione, indiuisibilis est, & modo indiuisibili fit, in quantum fit integra, & totaliter, vt autem subest quantitati, & ad modum partis, & diuisibilitatis acquiritur, modo etiam diuisibili fit, & secundum latitudinem partium, & tunc non fit absolutè à priuatione formæ, sed à priuatione formæ, vt tanta, & in tanta materia, & in tali parte, quæ diuisibilis est, & ratione eius induit modum diuisibilitatis. Et licèt nutritio fiat aliquando sine augmentatione non tamen fit sine noua quantitate, quæ constituat rationem partis in substantia, quæ de nouo acquiritur non absolutè, sed vt aggenerata, & secundũ rationem partialem. *Quando autem dicitur*, quod à priuatione ad formam non est transitus diuisibilis *Resp.* Quòd absolutè ita est, sed per accidens, & ratione adiunctæ diuisibilitatis datur latitudo, & transitus diuisibilis, quatenùs transit nõ à priuatione substantiæ absolutè, sed à priuatione substantiæ vt tanta ad hoc, vt tanta sit, neque ad hoc exigitur determinata quantitas in ipsa parte quæ aggeneratur, sicut requiritur in toto quãdo de nouo generatur, vt iam ostensum est, sufficit enim ad aggenerationem determinata quantitas præsuppotiuè, in eo scilicet, cui addenda est noua pars substantiæ, non in ipsa parte, quæ de nouo acquiritur, siquidem acquiritur vt pars & per modum diuisibilis, non per modum totius vt totum, & vnum est.

Ad secundam impugnationem huius primæ partis Respondetur, supponendo, quòd vltima dispositio in nutritione eodem modo concomitatur formam substantialem, vt partialem, seu partialiter introductam, sicut vltima dispositio ad generationem concomitatur ipsam formam substantialem, vt primò introducendam, & per modum totius, ita quod eodem modo seruatur prioritas, & posterioritas inter vltimam dispositionem, & formam substantialem in vna atque in alia. *Quo supposito Respon.* ex his, quæ diximus, q. 21. Phys. art. 2. quòd benè potest qualitas certa, id est determinati gradus, qualis est dispositio vltima incipere in parte incerta & indesignata per vltimum non esse. Et ita in ipsa aggeneratione, quando in aliquo instanti est verum dicere, nunc non est dispositio vltima, siue introductio formæ, & immediatè post erit, & inquiritur, an in illo instanti desit aliquid diuisibile vel indiuisibile. *Resp.* deesse aliquid diuisibile indesignatum, & indeterminatum, non determinatum. *Et quando infertur*, ergo immediate post non incipiet, *nego conseq.* quia per se loquendo immediatè post sequitur aliquid diuisibile indesignatum, & sic per partem motus, qui immediate post erit, vincitur illa pars diuisibilis talis qualitatis, quæ restat acquirenda.

Quod si vrgeas. Nam in nostra sententia immediatè post iam non sequitur motus alterationis, sed actio ipsa substantialis, à qua mediate fit ipsa dispositio vltima, vt supra, quæstion. 1. diximus, ergo non vincitur illa pars diuisibilis per motum, quod si per generationem vincitur, iam supponitur res genita, quando dispositio vltima introducitur, & vincit illam diuisibilitatem, quæ deerat vt res generaretur. *Resp.* quòd aliqui dicunt deesse aliquid diuisibile, & vinci per motum in tempore immediato siquidem etiam motus diuisibilis est. Quòd & nos diximus, q. 21. Physicor. loquendo de motu, qui immediatè post illud instans incipit. Loquendo autem de actione substantiali, quãdo immediate post instans incipit, sicut in nostro casu, cum immediatè post nõ desit aliquid acquirẽdũ per motũ alterationis quia iam iste cessat, sed per actionẽ substantialẽ, quæ introducit formã, & dispositionẽ vltimam (supponimus enim nõ deesse aliquid præter talẽ vltimam dispositionẽ) ideo dicendũ est, quod quãdo immediate post instãs incipit actio substãtialis nutritionis, iam in illo instãti nõ deest ex parte qualitatis disponẽtis scilicet vltimæ dispositionis, nisi aliquid indiuisibile, scilicet ipsa vltima dispositio, quæ est terminus reliquarum partium dispositionis, terminus autem aliquid indiuisibile est, sed tamen aliunde, scil. quia introducitur in parte incerta, & indesignata cõtinui, ideò

ideò ex parte talis quantitatis,(quæ etiam ad dispositiones pertinet) diuisibili modo introducitur illa vltima dispositio,sicut & forma substantialis,& per vltimum non esse incipit, sed hoc est per accidens, vt iam diximus, quatenus substantia acquiritur ad modum partis,& in parte incerta,forma autem certa,& indiuisibilis in parte incerta incipit per vltimum non esse vt diximus,q.21.Phys.art.2.in 2.reg.

Ad secundam partem argumenti, resp. quod alimentum quoad illam partem,in qua incipit conuersio per vltimum non esse necesse est quod desinat per vltimum esse,quia inceptio vnius,& desitio alterius proportionatè se habent in hoc,sed hoc totum est per accidens,& quia illa pars substantiæ desinit vt tanta,& diuisibiliter,non vt tota,& indiuisibiliter.

Ad tertiam resp. Quod vt diximus,q.8.Phys.art.3. quando in alimento conuertendo peruenitur ad illas vltimas angustias,vt iam non sit quantitas, in qua etiam via corruptionis conseruari possit forma alimenti,illæ dispositiones,quæ non perueniunt ad vltimam per accidens redduntur vltimæ,quatenus sublata quantitate requisita destruuntur omnes dispositiones conseruantes formam alimenti, & consequenter ipsa forma soluitur à materia, & agens potest vtendo generatione introducere formam suam. Sic ergo per accidens ex remotione quantitatis, & consequenter reliquarum dispositionum, quæ in eo fundantur,potest introduci forma substantialis, & dispositio vltima eam consequens, quia non manet impedimentum in materia, & generans vel virtus eius est sufficienter approximata, vt substantialem generationem in illa eliciat.

Ad vltimum resp. Philosophum stare pro nobis, quia solum negat continuitatem, quæ importat regularitatem non vero negat continuitatem quæ opponitur instantaneæ mutationi, hoc enim non deseruiebat ad eius intentum,sed primum,quia ibi intendebat nullum motum esse continuum, id est perpetuum nisi localem,& circularem,ad quod sufficit, quod augmentatio non est perpetua,sed sæpè interrumpitur propter indispositionem subiecti aut defectum alimenti,& in hoc tenet similitudo de excauatione lapidis per guttas, quia licet quando fit non fiat in instanti neque enim pars, quæ extrahitur potest separari,& remoueri nisi in tempore,tamen propter dispositiones requisitas ex parte guttarum mollificantium,sæpè interrumpitur,sicut etiam augmentatio.Vltima autem gutta extrahens partem, diuisibili motu extrahit, non tamen tali proportione, quod si tanta pars extrahitur tanto tempore, medietas eius medietate temporis extrahatur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in nutritione, & augmentatione quælibet pars viuentis augeatur, & nutriatur?

RESTAT in his vltimis articulis examinare conditiones,quas Aristotel. ponit in augmentatione quæ sunt tres.*Prima*,quod aliquid de nouo adueniat, seu addatur.*Secunda*, quod quælibet pars augeatur. *Tertia*,quod res augmentata eadem maneat. *Prima* per se est satis nota, *de secunda* agemus in hoc articulo,*de tertia* in sequenti.

De secunda ergo conditione triplex oritur difficultas. Prima,an ita augeantur omnes partes viuentis,quod non solum partes aliquotæ, sed etiam proportionales?*Secunda*, quomodo alimentum quod est in poris intrat ad partes solidas inter porum,& porum, sine penetratione? *Tertia*,quomodo ex eisdem partibus emittantur partes,quæ corrumpuntur, & euaporantur,& aliæ excrementitiæ particulæ per eosdem poros sine hoc quod penetrentur cum alimento, quod est in eisdem partibus?

Ad primum aliqui existimant in augmentatione non solum partes aliquotas, & certas augeri, sed etiam proportionales.*Et fundantur in eo*, quia Aristotel. docet omnes partes augeri, sine vlla distinctione,ergo & partes proportionales,quia verè sunt partes.Deinde, quia partes aliquotæ non habent aliam entitatem distinctam à proportionalibus ergo si augetur aliquota,debet augeri etiam proportionalis. *Denique*,quia augeri aliquid immediatè,& per se potest sumi dupliciter.Vno modo quia non per aliquid extraneum,sed sibi intrinsecum alio modo,quia non secundum partem tantum,sed secundum omnes partes augeatur. Primo modo tam pars aliquota, quam proportionalis dicetur augeri, quia mediante vltima parte,seu extremitate suscipit incrementum. Secundo modo,nec pars aliquota,nec proportionalis augebitur, quia alimentum solum applicatur ipsi extremitati,non intus per omnes partes transit, aliàs vel augmentatio esset mixtio,vel penetratio partiũ.

Nihilominus partes proportionales non possunt dici augeri continuitate,seu magnitudine, sed solùm aliquotæ,& determinatæ,quibus additis adduntur, etiam nouæ partes proportionales pluralitate quasi multitudinis in potentia non incrementi, quia scilicet, plures partes possunt accipi proportionaliter, quam anteà. Sumitur ex Diuo Thoma 1.de generatione, lection. 15. qui explicans illud dictum Philosophi. *Quòd de ratione augmenti est,vt quodlibet signum sensibile maius, minúsve reddatur*,inquit, *quod quodlibet signum sensatum,id est qualibet pars sensibilis eius, quod augetur fiat maior in augmento,aut minor in diminutione. Nec valet dicere* Aristotel.solum voluisse dicere,quod per ipsas partes sensibiles motus augmentationis redditur sensibilis, licet non propterea neget partes etiam proportionales augeri. *Sed contra est*, quia hoc commune est omni motui sensibili, vt fiat in magnitudine habẽte partes sensibiles,&sic nihil speciale diceret Philos.& D.Tho. de motu augmentationis,quomodo petat partes eius augeri,& deinde, quia si motus,vt sit sensibilis, requirit partem sensibilem,& aliquotam, ergo cum pars proportionalis per se sensibilis non sit, sed per aliquotam, quia non est designabilis, ergo per se non terminat motum sensibilem, ergo neque motum augmentationis, qui essentialiter est species motus naturalis, seu sẽsibilis.*Ratio autem conclusionis est*,quia partes proportionales si crescerent, aut minuerentur possent fieri maiores, vel minores, & sic crescendo per augmentum fierent designatæ, siquidem crescente quantitate, vsque ad aliquem terminum deberet crescere,& partes sub illo termino essent designabiles. *Deinde*, quia partes proportionales non minus sunt infinitæ in parua quantitate, quàm in magna, quia in vtráque indeterminatæ, & indesignabiles sunt.Crescente ergo quantitate, vel partes illæ manent indeterminatæ, & indesignatæ sicut antea,vel non. Si non ergo fiunt designatæ & aliquotæ & sic in aliquotis fiet augmentum, & cum essent in infinitum partes illæ proportionales numerabiles, si fiunt aliquotæ,& designatæ manebunt infinitæ partes designatæ,quod est reddi infinitum in actu Dicere autem quod aliquæ indesignatæ, fiunt designatæ, & augentur, præterquam quod non est maior ratio de

de vna, quam de alia, iam hoc erit negare quod non omnes partes simul augentur. Si verò æque indesignatæ manent sicut antea, ergo non augêtur, neque crescunt magis, quam antea in ratione continui, & & diuisibilis, licèt quia adduntur nouæ partes aliquotæ etiam plures proportionales addantur, quæ in illis includuntur additione pluralitatis, non incrementi, sed illa pluralitas non est in actu seorsum, sed inclusa in partibus aliquotis.

Ad rationes oppositas, Resp. ad Arist. dicimus, quòd docet omnes partes augeri, sed quomodò augeantur, non dicit, augentur enim partes aliquotæ etiam secũdum continuitatem, quia maiores fiunt, & in plures partes sunt diuisibiles, partes autem proportionales non fiunt maiores secundum continuitatem, quia nõ sunt capaces, vt maiores sint, hoc ipso quod indesignatæ sunt, quia licèt quælibet pars designata sit diuisibilis, tamen non est determinatè diuisibilis, nisi per aliquotam. Vnde aliquota crescet, vel minuetur accipiendo terminum maiorem, vel minorem, quod pertinet ad diuisibilitatis determinationem, sed solum partes proportionales crescent in numero adueniente noua parte aliquota, quia pluries designari potest, & in plures partes proportionales diuidi.

Ad 1. rationem dicimus: quòd partes aliquotæ non habent aliam entitatem à proportionalibus, sed non eundem modum, quia aliquotæ habent extensionem determinato modo & ideo determinatè crescere, vel minui possunt, proportionales autem sunt in determinatæ, & ita non sunt capaces crescendi & decrescendi continuè, quia augmentum non fit nisi accipiendo nouum terminum maiorem, vel minorem, & consequenter determinatum.

Ad 2. resp. quòd augmentem appositum extremitati partis auget aliquotam continue, & secundum determinatũ, proportionaliter autem nõ continuè, nec secundum terminum determinatum, sed ad modum numeri, quia pluribus modis redditur ipsa quantitas diuisibilis.

Circa secundam & tertiam difficultatem supponimus alimentum non deduci ad partes solidas, nisi per poros, qui sunt tenuissima quædã foramina, quæ replêtur corpore tenui alimenti, & per quos exit sudor, vel aliæ euaporationes, est tamen inter porum, & porum pars aliqua solida, aliàs totum esset vacuũ. Est autem necesse ponere istos poros, quia aliàs non possẽt minutiora corpuscula, vel liquida, aut euaporabilia subintrare, vel exire à corpore, nisi vel penetrando alias partes, quod est impossibile, vel diuidẽdo, quod esset corrumpere, & dolorẽ causare. *Neque obstat*, quod Arist. in hoc 1. lib. tex. 80. refutat aliquorũ sententiam, qui admittebant poros, vt mediis illis fieret augmentatio, *sic enim* inquit Aristot. *fieret augmentatio per iuxtapositionem. Respond. enim*, vt cõstat ex littera & ex D. Tho. ibi lect. 23. circa finem, illos Philosophos posuisse poros vt in illis essent quædam corpuscula, seu athoma quæ componerent additionẽ sine vlla transmutatione, hoc autem esset destruere augmentationem, & alterationem.

Hoc posito restat difficultas, quomodò ex ipsis poris partes solidæ augeãtur, ita quod transeat alimentum ad partes inter porum, & porum, & tamen non diuidat illas, nec penetret. Et similiter partes, quæ resoluuntur, & deperduntur per calorem debent euaporari, & emitti per ipsos poros, ipsi autem pleni sũt alimento, ergo penetrabuntur, cum ipso alimento existendo simul, & transeundo per ipsum porum.

Respondetur. Neque penetrationem fieri, nec diuisionem in nutritione, quia alimentum liquidum, seu sanguis positus in poro, à vicina parte carnis per virtutem nutritiuam coagulatur in carnem, & vnitur illi extremitati partis tangentis porum, & in ea parte sic coagulata fiunt etiam pori de nouo, resoluitur autem aliquid carnis in euaporationem excrementitiam, & illa potest transire per porum, quia facta coagulatione sanguinis in carnem, iam sanguis occupat minus loci in poro, & in ipsa parte noua carnis fiunt etiã pori de nouo, & sic datur locus sudori, vel euaporationi exeunti: sicut posito lebete aquæ ad ignem, & calefacta parte immediatiori, pars superior quæ frigidior non est, descendit, & pars calida leuior effecta ascendit, sine vlla penetratione, quia pars frigidior sua grauitate scindit partem subtiliorem, & calidiorem. Sic coagulata parte sanguinis in carnem occupat minus loci, quia dẽsior facta est, & sic dat locum vt alia pars subtilior intret, vel alia emittatur. Similiter cum illa pars sanguinis coagulatur in carnem, vnitur extremitati partis non autem scindit, vel intromittitur in partem solidã, sed pars solida paulatim resoluitur vi caloris, & illi paulatim succedunt illæ nouæ, quæ coagulãtur, & sic pars præcedens non penetratur, nec diuiditur, sed eius extremitati vnitur, interiores autem partes vi caloris paulatim resoluuntur, & sic penes extremitates fit augmentatio. Denique pori isti facile dilatantur, vel constringũtur, sicut fit in vteribus secundũ quod magis, vel minus replẽtur alimẽto, præsertim in partibus teneríoribus, & facilè cedentibus, & tunc plus vel minus intrat de alimento, aut exit de excremento faciendo constipat omnem aliquam partium quantum requiritur, vt magis porus dilatetur, & sic non est necessarium recurrere ad penetrationem, vt exeant illi vapores per poros, quando pleni sunt, sed ad constipationem, vel condensationem aliquam. Neque ex hoc sequitur fieri nutritionem per iuxtapositionem tantum, sicut aquæ additur aqua, sed vltra illam etiam requiritur conuersio partis iuxtapositę in substantiam alitæ, & deperditionem alterius, quæ per illam nouam reparetur.

Sed quæres, cur aliquæ partes non crescunt, sicut palpebræ vero partes etiam cessante augmentatione totius semper crescunt, vt capilli, & vngues. *Respond.* partes corporis non esse eiusdem temperamenti, & qualitatis, & ita non eodem modo recipere augmentum, sed aliquas tardiùs, vel parum crescere sicut palpebræ, alias toto vitæ tempore, sicut dentes propter necessitatem ne continuo attritu ciborum destruantur, quædam etiam propter abũdantiam materiæ, & facilitatem transmutandi perpetuò augentur, sicut capilli, & vngues, semper enim suppetunt excrementiæ fuligines, ex quibus capilli coaugmentantur, & ista excrementa in quacumque ætate abundant, nisi propter aliquod impedimentum, aut dispositionem contrariam impediatur illa capillorum formatio, vt in caluis, possunt tamen semper crescere, quia calor semper habet sufficientem virtutem ad plus resoluendum, & conuertendum de istis excrementis in capillos, & vngues, quia minori indigent decoctione. Quod verò aliqui crescant magis in quibusdam partibus, in aliis, per accidens est propter abundantiam caloris in aliquibus, & defectum in aliis partibus, vel etiam propter abundantiam, aut defectum alimenti.

ARTICVL

ARTICVLVS VI.

Quomodò viuens maneat idem toto tempore nutritionis, & augmenti?

HÆc est vltima conditio, quam Aristot. exigit ad rationem augmentationis, vt id quod augetur semper maneat idem, vt patet in hoc libro text. 33. & 34. & ibi D.Th.lect.14. *Et ratio est aperta* quia si id quod augmentatur non maneret idem corrumperetur, & desineret esse, & consequẽter aliud generaretur, & sic non fieret augmentatio eiusdem, sed corruptio vnius & generatio alterius, & ita augmẽtum esset in perditionem, & malum rei augẽdæ, cum tamen augmentatio, & nutritio ordinentur ad conseruationem eiusdem subiecti, & continuationem eius; si autem corrumperetur, cessaret finis talis nutritionis, transiretque in generationem, & corruptionem, si autem non corrumpitur, ergo manet idem, quod anteà, quia non desinit esse.

Cæterùm ex ipsa natura nutritionis oritur dubitatio circa istam conditionem, & quod nutritio fit per nouarum partium accessionem & antiquarum deperditionem, ergo non manent eædem partes quæ antea, imò tandem omnes corrumpuntur, & aliæ adueniunt, ergo neque manet idẽ totum, quia hoc non est aliud, quam suæ partes. *Nec soluitur hoc dicendo*, quod manent eædem partes formales, & non materiales. *Contra enim est primò*, quia partes formales nõ sunt aliud, quam materia ipsa, & entitas partium sub tali forma, & modo ergo desinente ipsa materia per successionem nouarum partium, etiam forma, quæ in tali materia erat soluitur, & sic non stat materiales partes deperdi, & non formales. *Secundò*, quia vnitas numerica partium, & totius dependet à materia, & quantitate eius, vt à principio indiuiduationis, ergo si partes materiales deperduntur, etiã principium identitatis numericæ soluitur, atque adeo non manet idem numero viuẽs, neque idem numero totum, sicut neque partes. *Tertiò*, quia in animalibus imperfectis, & plantis cum noua parte materiæ aduenit noua pars formæ, ergo saltem in illis mutantur partes formales, quia mutatur ipsa forma, seu anima.

Ad primum respondetur. Quod Philosophus in hoc 1. de Generat. text. 35. & 36. dicit, quòd secundùm speciem, seu formam manet, & secundum materiam aduenit, & recedit in augmento, atque ita manet idem numero formaliter non materialiter. Quod aliqui sinistrè voluerunt interpretari, quod manet caro secundùm speciem, id est, ea quæ primò accipitur à generante, aduenit verò & recedit ea, quę sumitur ex alimento. Quæ expositio excluditur à D. Thom. 1. part. quæstion. 119. articul. 1. ad 2. & supra à nobis exclusa est, quia cum calor naturalis agat in omnes partes alterabiles, non est ratio cur non agat in illas, quæ per primam generationem acceptæ sunt. An verò omnes partes etiam duriores, vt ossa totaliter per calorem consumantur, vel aliquid semper de eis remaneat; *Aliqui affirmant*, sed res est omnino incerta propter varietatem temporis vitæ, nam animalia, quæ longissimo tempore viuunt non est dubium, quin calor etiam duriores parte ab initio generationis acceptas tandem transmutet, & consumat, quæ tamen breuioris vitæ sunt, fortassis non consument omnes istas partes duriores, prout magis, vel minus durauerit vita.

Quare S. Thom. distinctionem illam Philosophi explicat de carne secundum speciem, & secundùm materiam iuxta diuersam considerationem, si enim consideretur secundum id, quod est formale in ipsa, sic manet eadem caro, secundùm verò id quod est materiæ, sic non manet, sed paulatim consumitur, vt videmus in continua nutritione ignis per ligna. Hoc autem formale intelligitur, dispositio illa sub qua manet caro quantum ad figuram, temperamentum ordinem ad reliquas partes, & ad formam. Et intelligitur manere hæc formalitas, seu dispositio vnitate continuationis sub partibus materiæ succedentibus, non vnitate indiuisibilitatis, de quo videri potest Diuu. Thom. 4. contra Gentil. cap. 82. ad 4.

Ad primam replicam contra hanc solutionem respondetur, quòd quando dicuntur partes materiales deperdi, & non formales non intelligitur, quòd succedentibus partibus materiæ eadem forma accidentalis ita permaneat, quòd transeat de subiecto in subiectum, hoc enim esse non potest, sed sicut deperduntur partes materiales, ita & accidentia prout illis affixa, quod est etiã ipsa accidentia materialiter sumpta transire, dicuntur autem partes formales non deperdi, quia sub eadem continuatione ordinantur partes eodem modo ad componendum ipsum totum, non vnitate indiuisibilitatis, quæ illi non debetur, sed continuationis. Cuius rationem accipere possumus ex Diuo Thom. dicta quæstion. 119. articul. 1. ad 4. & ex notatis à nobis quæstion. 6. Physicor. articul. prim. quia quando in igne, vel viuente paulatim consumpto alimento aliud substituitur, semper manet idem numero, qui semper, quod additur, transit in præëxistens. Quæ ratio consistit in hoc, quòd quando continuè, & paulatim aliquid additur alteri, id quod superadditur, ipsâ continuitate fit vnum cum præëxistente, & rursum cum aliquid superadditur etiam fit vnum cum illo; vnde licet successiuè deperdatur, tamen ratione illius continuitatis semper verificatur aliquid de ipso toto manere cum parte superueniente, & consequenter ratione talis continuationis sub similibus accidentibus, & dispositione manere eandem vnitatem numericam, non quidem numericam, non quidem ita perfectam sicut quæ indiuisibiliter sunt vnum, sicut Angelus, vel cœlum, sed vnitate continuationis. Si verò tota simul materia vnius auferetur ab eo, & alia totalis de integro substitueretur, non esset idem numero, quia talis neque identicè, neque continuatione cum alia vnum esset.

Quod si instes: In hoc non poni maiorem vnitatem in viuenti, quàm in fluuio, vel populo, quæ dicuntur vnum, licèt partes fluant, & homines mutentur, quia fluunt sub eadem habitudine, & dispositione, & ordine, quod est habere solum vnitatem ordinis, non substantiæ. *Respondetur*, esse laram differentiam, quia populus non dicitur vnus vnitate aliqua physica secundùm continuationem partium, quia homines sunt diuersi numero solùm habentes coadunationem conuictus, quæ est vnitas moralis, & secundùm quid, quatenùs sub eisdem legibus, & societate viuunt. Fluuius autem etsi habeat omnes partes continuas, & fluentes, tamen vna pars non continuatur alteri per conuersionem, & commixtionem, sed per successionem præcisè, quia vna est post aliam, vnde partes, quæ modo succedunt, nullam habent vnitatem cum partibus, quæ à viginti annis habebantur in fluuio, quia pars succedens non

non commiscetur, & conuertitur in substantiam totius, sed emittitur consecutiuè post aliam. Oppositum verò est in partibus animalis, in quibus non præcisè vna emittitur post aliam, sed conuersione ipsa in substantiam præexistentis pertinet ad eandem vnitatem cum ipso secundum conuersionem, & continuationem, non pura, & sola successione. Et præterea in animalibus perfectis datur etiam vnitas formæ indiuisibilis, vt dicemus q. 2. de anim. a. 1. & sic animal ita est dispositum, quod potest retinere aliquid omnimodè, & indiuisibiliter vnum siue formam, siue aliquas partes duriores saltem pro aliquo tempore, fluuius autem nullo tempore idem est permanenter, & indiuisibiliter, sed sola successione est vnus.

Ad secundam replicam suprà positam respondetur, quòd vnitas numerica sumitur ex materia signata, & subordinata ad quantitatem, & reliquas dispositiones, ex quibus pendet vnitas, vel diuisio, vt q. seq. dicemus. Vnde sic materia debet esse vna sicut vnitas ipsa numerica, quam præbet vna est, si enim est vna continuatione, sufficit quòd materia signata tanquam principium vnitatis eius non sit identicè vna etiam materialiter, sed sufficit quod continuatione sit vna, & secundum partes formales, seu secundum sigillationem continuationis, non indiuisibilis vnitatis. Secus est, si vnitas numerica sit omnino indiuisibilis, & identica sicut in cœlo, tunc enim requiritur etiam similis identitas in materia, quæ est principium illius numericæ vnitatis.

Ad tertium respondetur. In illis animalibus aduenire nouam formam, sicut & nouam partem materiæ, sed vtrumque continuatione fieri vnum, & subordinatione ad idem totum, quod componunt, ratione cuius partes materiæ dicuntur manere eædem formaliter, etiamsi non habeant formam indiuisibiliter eandem. Quod si etiam detur forma substantialis indiuisibiliter eadem maior aliqua vnitas dabitur, sed tamen hoc non requiritur, sed poterit saluari vnitas numerica simpliciter vnitate continuationis, & subordinationis prædictæ componentis semper vnum super vnum totum permanens per conuersionem vnius in aliud non per solam successionem. Itaque vnitas numerica non eodem gradu inuenitur in omnibus, sed est maior, vel minor, secundum quod magis accedit ad indiuisibilitatem, vel immutabilitatem partium, aut recedit.

QVÆSTIO IX.

De Subiecto accidentium, & principio indiuiduationis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm accidentia materialia subiectentur in toto composito, vel in sola materia?

DVPLEX subiectum solet communiter distingui, scilicet *Denominationis*, & *Inhæsionis*. Subiectum denominationis est illud, quod denominatur à forma id est, suscipit prædicationem eius. Subiectum inhæsionis est illud cui vniter forma, id est suscipit actualitatem, & esse eius. In subiecto denominationis includitur omne illud, de quo verificatur prædicatio formæ, siue sit subiectum principale, siue minus principale, siue extrinsecæ denominationis, siue intrinsecæ; nam non solum dicitur lapis albus qui est subiectum principale, sed etiam quantitas dicitur alba, quæ est subiectum minus principale, & paries denominatur visus extrinsecè, homo autem videns intrinsecè. In subiecto inhæsionis comprehenditur subiectum *quod*, id est, ipsum subsistens, seu suppositum, quod se habet vt agens, vel recipiens tanquam subiectum vltimum, & subiectum *quo*, id est, id quod est ratio, seu medium recipiendi.

De subiecto denominationis nulla est difficultas apud Authores, quod accidens denominare possit ipsum suppositum, sicut cum dicitur homo albus, nec nos dubitamus posse partem denominari etiam ab accidentibus, vt cum dicuntur capilli crispi, oculi cærulei, superficies alba, &c. licet in verificanda denominatione totius, & partis obseruanda sit regula S. Th. 3. part. quæst. 16. articul. 8. quòd quando aliqua forma indifferenter potest denominare totum, & partem, si solum sit in parte, non denominat totum absolutè, sed solùm secundùm restrictionem partis, sicut Æthiops non denominatur albus ab albedine dentium, eo quòd albedo nata est conuenire toti corpori, & parti. E contra verò, si solum aliquod accidens natum sit conuenire parti, & non toti absolutè denominat totum, licet soli parti conueniat, sicut homo dicitur videns absolutè, licet solum oculis videat, & crispus, licet solum crispetur in capillis. Et hac ratione Christus non dicitur absolutè creatura, quia hoc prædicatum est transcendens fundatum in ipso esse limitato, quod non conuenit soli naturæ, sed personæ, imò primò conuenit personę, quam naturę. Dicitur tamen absolute seruus, quia seruitus fundatur non in ipso esse, sed in dependentia alicuius ab alio in suis operationibus, seu motu, seruus enim non se mouet, sed mouetur ab alio sicut instrumentum, principium autem motus est natura, non persona.

Quare tota difficultas est, de subiecto inhæsionis immediato, ad quid videlicet immediatè terminetur inhærentia accidentis, & à quo immediatè sustentetur in esse?

Sententiæ præcipuæ in hac parte reducuntur ad duas. Prima tenet, materiam primam esse subiectum sufficiens inhæsionis accidentium. *Secunda asserit*, solum compositum esse immediatum eorum subiectum. De forma autem nulla fit mentio, quia non est ratio recipiendi, sed actuandi, & dandi esse, & ita, si est non subsistens, est eadem ratio, ac de materia respectu accidentium dimanantium ab illa: de forma autem subsistente vt anima rationali est eadem ratio, ac de composito, quia est subsistens,

ſtens, & de facto eſt ſubiectum intellectus, & voluntatis.

Prima ſententia communiter tribuitur Auerroi, qui poſuit quantitatem, ſeu dimenſiones interminatas eſſe coæuas materiæ, vt refert S. Thom. præſertim opuſc. 32. cap. 4. & ſæpè iuxta eandem ſententiam videtur loqui vt in 4. diſtinct. 12. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 4. & 4. contra Gent. cap 81. & aliis in locis, & plures ex antiquis ſequuti ſunt eandem ſententiam, qui citantur à M. Bannez 1. de Generat. cap. 4. quæſt. 9. art. 3. & à P. Suarez diſp. 14. met. ſect. 3. in princip. Ex recentioribus autem alij qui non ſolum quantitatem interminatan, ſed etiā figuratam & terminatam tribuunt materiæ tanquam ſubiecto, ita quòd eadem quantitas cum materia tranſeat de corrupto in genitum. Sed diuiduntur, nam aliqui tribuunt materiæ ſecundùm ſe, & independenter à forma, quod recipiat quantitatē & accidentia; pro qua parte plures ex antiquis citat M. Bannez loco cit. art. 1. Alij exiſtimant materiam eſſe ſubiectū inhæſionis accidentium, ſuppoſitā tamen forma ſubſtantiali, à qua primò actuatur; pro qua ſententia ſtat P. Suarez cit. loco à num. 31. pluresque citant, & ſequuntur Conimbric. 1. de Gener. c. 4. q. 4. art. 1. Addunt tamen in fine articuli non dependere materiam in hoc munere ſuſtentandi accidentia à forma, vt à conditione ſine qua non, ſed vt à cauſa habilitante ipſam materiam & perficiente ineſſe, vt poſſit ſuſtentare accidentia, nam ex ſe ſufficiens non eſt, quia ſine forma non habet eſſe. Denique multi putant accidentia pendere à materia vt à cauſa materiali, à forma verò vt à cauſa, à qua effectiuè dimanant accidentia, & ſuſcipiuntur in materia, & ideo quando fit tranſitus in materia de vna forma ſimili ad aliam ſimilem, poſſunt qualitates corruptæ tranſire ad genitum, eò quòd non repugnat qualitatem quæ procedit ab vno, ab alio ſimili conſeruari.

Sententiam autem D. Thom. communiter ſequuntur Thomiſtæ vt Caiet. ad cap. 7. de ente & eſſentia. Capreolus in 2. diſt. 3. q. 1. art. 3. Durandus in 8. ſn 2. parte diſt. quæſt. 4. num. 15. & videri poteſt M Bannez citato loco, & Flandria 5. Metaphyſ. q. 16. art. 17. licet concedat relatiua accidentia ſubiectari poſſe in ſola materia, ſicut relatio qua materia reſpicit formam.

Vt ergo ſententia D. Thom. explicetur oportet duo aduertere. Primum, quid requiratur vt aliquid ſit ſubiectum inhæſionis. *Secundùm*, quid ſit ipſum inhærere, & quid ad illud requiratur? Quantum ad primum, duæ conditiones requiruntur, vt aliquid ſit ſubiectum inhæſionis. Prima potentialitas ad formam accidentalem recipiendam. Secunda actualitas ad ſuſtentandum ineſſe. Quantum ad ſecundum requiruntur aliæ duæ conditiones; prima quòd ſit forma realis, id eſt, realitas, & non modus; ſecunda quòd eius actuatio non det eſſe ſimpliciter, ſeu primum eſſe ſubiecto, ſed ſupponat primum eſſe, præbeat autem eſſe dependens, & conſequutum. Vnde in hoc maximè differt forma ſubſtantialis ab accidentali, quod licet vtraque vniatur, & dependeat à ſubiecto, tamen forma ſubſtantialis ſolùm dependet à potentialitate ſubiecti, vt in eo recepta, incommunicabilis reddatur, non tamen dependet ab eius actualitate, ſed potius informat puram potentiam, quæ eſt materia prima, forma autem accidentalis non ſolum dependet à potentialitate ſubiecti, in qua recipitur, ſed etiam ab eius eſſe à quo ſuſtentatur, quia eſſe quod dat forma accidentalis, eſt eſſe ſecundarium, & conſequutum, quod neceſſariò ſupponit primarium, & ideo dicitur inhærens, dependet ab ipſo eſſe ſubiecti tanquam à primo eſſe præſuppoſito, non autem dat primum eſſe. Vnde dicit D. Thom. opuſc. 31. in princip. *Quòd propriè id quod eſt in potentia ad eſſe ſubſtantiale, eſt materia prima, quod autem eſt in potentia ad eſſe accidentale, dicitur ſubiectum, ſubiectum enim dat eſſe accidenti, quia accidens non habet eſſe niſi per ſubiectum, vnde dicitur, quod accidens ſit in ſubiecto, non autem dicitur quod forma ſubſtantialis ſit in ſubiecto, & ſecundum hoc differt materia à ſubiecto, quia ſubiectum eſt, quod non habet eſſe ex eo quod aliquid ei aduenit, ſed quod eſt per ſe, & habet eſſe completum, vt homo non habet eſſe per albedinem: ſed materia dicitur quod habet eſſe, ex eo quod ſibi aduenit, quia de ſe eſt eſſe incompletum, imo nullum eſſe habet, vt Commentator dicit in ſecundo de anima.* Vnde ſimpliciter loquendo forma dat eſſe materiæ, accidens autem non dat eſſe ſubiecto, ſed ſubiectum accidenti.

Dices; etiam materia prima requirit reſiſtentiam vt recipiat formam ſubſtantialem, alias reciperetur in nihilo, ſeu in non ente, ergo iſta doctrina non ſubſiſtit: Item accidens non recipitur in ipſa exiſtentia ſubiecti, nec in quantum eſt ens actu, ſed vt eſt in potentia ad tale accidens, vt ad formam ſicut dicit Diu. Thom. 1. contra Gent. cap. 23. & 1. p. quæſt. 3. artic. 6. quod ſubiectum accidentis comparatur ad ipſum vt potentia ad actum, quia accidens quædam forma eſt faciens eſſe in actu ſecundum eſſe accidentale.

Reſpondetur ad primum, quòd materia prima ad recipiendum formam ſubſtantialem requirit eſſe concomitanter, ſed non præſuppoſitiuè, & vt id, ratione cuius recipit, in re tamen ſemper exiſtit, & recipit exiſtendo, quia à forma ipſa ſubſtantiali habet eſſe, & ſic non recipitur in nihilo, ſed in ente quod ex ſe eſt capax exiſtentiæ, & in potentia ad illam, vt autem ſubeſt formæ de facto per illam eſt exiſtens, & in actu. Ad recipiendum autem iſtam formam, quæ dat primum, & ſubſtantiale eſſe, non prærequiritur aliquod eſſe in materia, ſed capacitas & potentia ad eſſe, in quo iam differt ab ipſo nihilo, & non ente, quia nihil neque habet exiſtentiam, nec eſt capax exiſtentiæ, & actualitatis, non ſolum obiectiuè, ſed etiam ſubiectiuè, exiſtendo autem recipit formam, non quia præcedat exiſtentia, ſed quia cōcomitatur. At verò forma accidentalis, dat primum eſſe, ſed ſecundarium & conſecutiuum, ideò neceſſario ſupponit ſubiectum eſſe exiſtens antecedenter, & ab eius eſſe redditur dependens tanquam ab eſſe fundamentali, quod ſubſtat illi, & in quo conſolidatur ipſum eſſe accidentis.

Ad 2. dicitur, quòd accidens recipitur in ſubiecto, prout eſt in potentia ad effectum formalem, & & ſpecificum accidentis, qui communicatur ſubiecto tanquam actualitas eius: at verò idem accidens quoad exercitium exiſtendi dependet ab exiſtentia ſubiecti, quæ eſt exiſtentia per ſe, non vt à ratione formali recipiendi, ſed vt à terminante exiſtentiam accidentis, quod per ſe ſtare non poteſt, ſed in alio, & ita ab illo, vt ab eſſe primo per ſe ſubſtante terminatur, & dependet in exercitio exiſtentia accidentis. Et ideo poteſt à Deo ſuppleri, vt ſine ſubſtantia ſuſtentante eſſe accidentis permaneat, quia ſolum dependet ab ipſo quoad exercitium exiſtendi, & quoad terminationem in alio, exercitium autem exiſtendi melius ſupplere poteſt cauſa prima efficiendo, quàm ſubſtantia ſuſtentando, & terminando Vnde ſubſtantia non eſt cauſa pure materialis reſpectu exercitij exiſtendi accidentium, ſed aliquid habet admix

admixtum de formali in ratione terminantis, & sustentantis, quatenus ipsum esse subsistens subiecti communicatur accidentibus, non vt reddat ea subsistentia, sed vt in alio existentia, sic tamen terminata, vt non amplius alteri communicari indigeant vt sustententur in esse, sicut etiam quando alicui substantiæ de nouo adueniunt partes pertinentes ad esse totius, trahuntur ad subsistentiam totius, non vt subsistant seorsum, & totaliter, sed vt inadæquatè, & in alio, & tanquam partes dependentes à toto, ita accidentia, vt secundariò existant, & hoc est inhærere, id est sic dependere vt secundario terminentur ab ipso esse substantiæ, & reddantur existentia in alio non per se primo.

Sit ergo vnica conclusio; *In sententia Diu. Thom. Quod materia est pura potentia, nullo modo potest ipsa materia etiam supposita forma vt conditione tantum esse per se sola subiectum inhæsionis accidentium materialium, sed ipsum compositum est subiectum inhæsionis, materia autem solum est receptiua accidentium tanquam subiectum* quo*, quatenus est id quo compositum recipit accidentia post receptam formam substantialem in materia, & loquimur de accidentibus materialibus, quia accidentia spiritualia vt intellectus & voluntas in sola anima recipiuntur quæ subsistens est sine vlla dependentia à materia.* Hæc sententia sine dubio est D. Thom. qui communiter docet materiam primam non esse subiectum accidentium, vt affirmat in cap. 7. de ente, & essentia & 1. p. q. 76. art. 6. & quæst. 77. art. 6. vbi inquit: *Quod quia forma substantialis facit esse simpliciter, eius subiectum est ens in potentia tantum, forma autem accidentalis non facit esse simpliciter, sed esse tale aut tantum, aut aliquo modo se habens, subiectum enim eius est ens in actu.* Nec oppositum huius docuit Sanct. Doctor. quæstione vigesima quinta, de veritate articulo quinto, vel sexto, vt ibi manifestè videri potest.

Fundamentum huius sententiæ sumitur ex dictis, quia in materia prima non inueniuntur conditiones, & requisita, vt formaliter, & propriè sit subiectum inhæsionis accidentium, bene tamen vt sit principium componendi tale subiectum, & id *quo* subiectum redditur recipiens, forma vero est principium *quo* redditur actuatum ad sustentandum. Quod desint materiæ conditiones dictæ *probatur*, quia subiectum inhæsionis debet constare illis duabus conditionibus, scilicet actualitate ad firmandum, & terminandum in esse, potentialitate ad recipiendum; ex parte autem actualitatis materia prima caret ex se omni actualitate tam formali, quam entitatiua, vt probauimus in 1. Physicorum quæstione tertia, & suprà quæstione prima, & dato quod aliquod esse haberet, illud est imperfectum, & non sufficiens ad existendum simpliciter sine forma, nec per se solam constituit esse substans, & subsistens in actu, sed solum est principium compositi subsistentis, & substantis, ergo non constituit rationem subiecti accidentium. *Probatur consequentia*, quia quod est propriè subiectum, & non solum principium subiecti seu subiectum *quo* accidentium, debet esse substans, & simpliciter habens esse; nam accidens dependet in suo esse ab illo, quod est esse simpliciter, nec sufficit esse inchoatum, seu principium essendi, quia accidens non acquirit esse in subiecto, nisi vt accipiat terminationem, & sustentationem in suo, siquidem de se accidens est forma, & principium existendi, sed quia imperfecta, & secundum quid exigit non sistere, nec terminare hoc esse in se, sed in alio subsistente, nec sese habet vt forma substantialis, quę ipsum primum esse constituit, accidentalis autem supponit illud & dat esse secundarium & descendens à primo, materia autem est pars seu principium illius primi esse substantis & subsistentis, nec in se habet illud, quia cum forma substantiali constituit vnum esse simpliciter, ergo constituit vnum esse subsistens, & substans, ergo secundum se, & sine forma non habet illud esse substans, nisi tantum vt *quo*, & vt principium substandi. *Et confirmatur* quia primò & per se substans esse substantia prima, vt docet Philosoph. in cap. de substantia, est enim proprietas eius, quod sit maximè substans, & consequenter principaliter & primò, at substantia prima non est sola materia, sed compositum, quia est hoc aliquid, vt ibi dicit Aristot. materia autem non est hoc aliquid, vt constat ex 7. Met. & 5. Physicor. vbi probat Philos. materiam non esse subiectum motus, quia non est hoc aliquid, & constat manifestè, quia hoc aliquid seu primò substans est id, quod substat prædicatis superioribus & accidentibus, id ergo se habet vt substans accidentibus, tanquam prima substantia, quod substat prædicatis superioribus; illud autē substat prædicatis superioribus, quod subiicitur illis, & de quo illa prædicantur, sed non prædicantur de materia prædicata superiora, vt homo, animal, &c. Quia materia est pars, sed non id de quo ista prædicantur, ergo non est hoc aliquid, neque maxime, & primò substans, ergo neque formaliter & per se est subiectum accidentium, quia subiectum debet esse substans, & terminans, & sustentans accidentia, ergo si id facit materia, erit in virtute primi sustantis seu primæ substantiæ, quia id quod est primo & maxime tale est causa à quæ participant ea quæ non sunt maxime talia similem effectum, ergo materia si substat in virtute primæ substantiæ id habet, non in virtute propriæ actualitatis, etiam dato quod illam haberet, quia non habet illam vt prima substantia, sed vt componens primam substantiam, & vt pars; ab ipsa vero prima substantia per se dependebit accidens vt à terminante & sustentante eius esse, non vt à conditione tantum.

Quod vero ex parte potentialitatis materia prima non sit immediatè susceptiua accidentium *patet;* tum quia potentialitas illa essentialiter respicit formas ordine quodam, primo substentialem deinde accidentalem primo enim respicit eam cum qua constituit naturam, & esse simpliciter, quod est esse substantiale, deinde eam cum qua constituit esse accidentale, & secundum quid. *Et huius ratio est,* quia potentialitas materiæ est potentialitas substantialis, ergo essentialiter ordinatur, & specificatur ab actu substantiali, ergo immediatius recipit formam substantiam, quam accidentalem, siquidem potentia susceptiua duarum formarum, illam immediatius respicit quæ est illi magis proportionata, & ad eius specificationem per se pertinet, ergo cum forma substantialis sit actus specificans potentiam substantialem illique immediatè proportionatus, essentialiter materia respicit illam immediatius, quàm formam accidentalem, & consequenter, sicut non est capax recipere formam accidentalem nisi mediate: id est mediante forma substantiali, ita nec erit capax recipere, quia eo modo recipit, quo respicit. Deniqne fit argumentum in actibus sensuum, & in virtutibus operatiuis, actiones enim immanentes subiectantur in eo principio à quo eliciuntur, alioquin non essent immanentes, sed non eliciuntur à potentia subiectata in sola materia, siquidem non habent à materia actiuitatem & influxum, sed ab anima, cuius instrumentum & virtus est illa potentia,

tentia, & eodem influxu, quo potentia operatur substantia, cuius est potentia influit, & sic cum influat forma mediante tali virtute oportet, quod ipsi sit vnita, & non soli materiæ. Si autem talis potentia, & actus eius est vnita non solum materiæ, sed etiam formæ, idem dicemus de quantitate, & reliquis accidentibus, tum quia est eadem ratio, tum quia illa virtus sensitiua & actus eius debent recipi in parte organica, & modo extenso, alias non operaretur materialiter, ergo sicut potentia, & eius actus respiciunt vtrumque principium, scilicet formam & materiam vt subiectum inhæsionis, ita & quantitas mediante qua inhærent.

Vltima denique pars conclusionis, quod materia sit subiectum, *quo* seu principium recipiendi, *constat* quia materia est prima radix pontentialitatis & receptionis in composito cum sit potentia, & primum in genere recipiendi, vnde quidquid in composito recipitur habet pro principio *quo* & primâ radice recipiendi ipsam materiam, similiter forma substantialis est prima radix & principium actualitatis & esse, siquidem est principium ipsius esse simpliciter, seu esse substantialis, quod datur per formam vnde autem oritur esse simpliciter, à fortiori dependet esse secundum quid, ergo materia & forma solum se habent vt principium *quo*, quia sunt constitutiua ipsius subiecti à quo dependet accidens quantum ad rationem potentialitatis per materiam, & actualitatis per formam.

Quare non est imaginandum, quòd subiectum inhæsionis sit compositum, taliter quod cuilibet parti æque inhæreat & recipiatur in illa accidens, sed recipitur mediante materia, vt principio *quo* recipiendi, & in forma non recipitur, sed à forma dependet tanquam à principio dante actualitatem & esse, quod quia est esse simpliciter terminat, & firmat in existendo accidens, quod dat esse secundum quid? Et sic tam materia, quàm forma se habent vt principia subiecti inhæsionis, sed non æqualiter, nec vtrumque recipiendo, sed alterum vt principium recipiendi, alterum vt principium actualitatis & esse simpliciter & per se, à quo dependet esse secundum quid accidentis. Nec requiritur ad recipiendum accidens in composito, quo quæ libet pars recipiat, sed sufficit quod vna pars sit ratio recipiendi vt principium *quo*, sicut visio non recipitur in omni parte hominis, sed solùm in oculis & ratione eorum conuenit toti homini videre, sic accidens mediante materia recipitur tanquam principio *quo* recipiendi, licèt etiam à forma dependeat, vt à principio dandi esse. Et hac ratione ipsum compositum dicitur subiectum *quod* accidentium, non solum quia est subiectum denominationis, sed quia est habens in se conditiones, & principia requisita ad inhæsionem, scilicet principium potentialitatis ex parte materiæ, & actualitatis ex parte formæ. Nec est in accidente duplex vnio ad vtramque partem compositi, quia non se habet vtraque vt extremum, sed extremum integrum est compositum, materia autem & forma non sunt extremum cui fit vnio, sed principia constituentia tale extremum, & ideo est tantum vnica vnio non duplex, etiam partialis, quia illæ duæ partes scilicet, materia & forma, non sunt duæ partes tanquam duo extrema vnionis, sed vt constituentes vnum extremum, in quo indiuisibiliter sint omnes conditiones, vt sit subiectum accidentium, non in qualibet parte seorsum conditiones istæ inueniuntur.

Sed inquires, an hoc compositum, quod dicimus esse subiectum, sit ipsa natura quæ componitur ex materia & forma? an vero suppositum? Si enim est natura, cum sit etiam principium *quo*, nondum assignamus principium *quod* inhæsionis, sed solum principium subiecti inhæsionis; si vero ipsum suppositum est subiectum *quod*, ergo variato supposito variabuntur accidentia, & ita si modò Verbum dimitteret humanitatem, vel si assumeret meam, omnia accidentia humanitatis variarentur. *Respondetur* quod sine dubio suppositum est subiectum inhæsionis vt terminus, sicut materia, & forma principium *quo*, alterum recipiendi, alterum actuandi vt diximus. Quare accidentia humanitatis Christi non sunt inhæsiue in verbo per modum receptionis, sunt tamen terminata à Verbo mediatè, mediante scilicet terminatione humanitatis, & ex consequenti enim manet terminatum, & ab existentia eius dependens quidquid illi vnitum est, & adiectum. Vndè si humanitas dimitteretur à Verbo, non mutarentur accidentia, sicut mutantur solutâ vnione formæ, & materiæ, quia à materia & forma dependent accidentia vt à principiis immediatis, à subsistentia vt à termino mediato variatis autem principiis quibus immediatè aliquid vnitur, desinit quoque forma vnita, non autem variato eo quod se habet vt terminus, & vt quid immediatum; sicut in Eucharistia destructa substantia panis & vini, quia tamen manet quãtitas, cui immediate vniuntur accidentia, illa non destruuntur; si tamen destrueretur quantitas, destruerentur accidentia ei coniuncta, etiamsi substantia maneret.

Et si petas an quantitas se habeat vt principium *quo*, sicut materia, quia est ratio & medium recipiendi accidentia materialia eo modo, quo intellectus est ratio recipiendi intellectionẽ. *Respondetur* quòd quantitas non est principium tanquam radix ad recipiendum accidentia, & ita propriè non est principium *quo* recipiendi, sed medium, quia videlicet quãtitas non est principium substandi, quod pertinet ad rationem subiecti inhæsionis, sed dicitur esse medium recipiendi, quatenus inter ipsa accidentia est ordo, ita quod omnia non æque immediatè conueniunt substantiæ, sed vnum est dispositio ad aliud, vel ratio quare vnum conueniat subiecto, sicut propriæ passiones, quæ inter se habent ordinem, vna est ratio, quare altera dimanet, sicut voluntas ratione intellectus, & quantitas disponit ad recipiendum qualitatem, & potentia cognoscens ad recipiendum actum cognoscitiuum. Non tamen dicitur accidens esse medium quasi præbeat rationem, vel virtutem substentandi, sicque constituat rationem subiecti. Et sic colligitur ex D. Thom. 3. part. quæst. 77. articul. 7. ad 2. vbi inquit: *Quòd accidens non potest per se esse subiectum accidentis, sed vnum accidens per prius recipitur in substantia, quam aliud, sicut quantitas, quam qualitas.* Et similiter 1. 3. quæstion. 7. articul. 1. ad 3. inquit. *Quod duo accidentia aliquando comparantur ad subiectum sine ordine, vt album & musicum, aliquando cum aliquo ordine, puta quia subiectum recipit vnum accidens alio mediante, sicut corpus recipit calorem mediante superficie, & sic vnum accidens dicitur alteri inesse.* Videantur quæ diximus in Logica quæst. 15.

Sequitur ex dictis; potentiam susceptiuam accidentium debere entitatiuè esse substantialem, siquidem non quomodocunque est receptiua, sed etiam sustentatiua accidentium, ad sustentandum autem requiritur perfectius esse, scilicet esse simpliciter, à quo dependeat esse rei, quæ sustentatur & inhæret. *Cæterùm* relatiuè, & terminatiue, dici potest potentia

potentia receptiua accidentium accidentalis ad differentiam potentiæ receptiuæ substantialis formæ, ad eum modum quo potentia obedientialis entitatiuè est naturalis, secundum capacitatem autem subiicitur principio supernaturali, & terminatur ad formam supernaturalem. Quod vero potentia, & actus debeant esse in eodem genere, intelligitur de potentia, & actu, quæ omnino adæquantur, non de potentia, & actu, quæ se habent excedenter. De quo axiomate vide explicationes positas, quæstion. 12. Physic. articul. 2.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimo examinari oportet fundamentum *P. Suar.* disp. 14. met. sect. 3. vbi tenet, quod materia prima esse potest & aliquando est subiectum proprium, cui soli quantitas inhæreat, quia materia de se habet potentialitatem ad recipiendum accidens, & habet sufficiens esse ad ipsum sustentandum, cum non careat existentia siquidem est ens actu & extra causas, aliàs esset nihil; quod autem dependeat à forma non refert, quia dependet illa vt à causa extrinseca, sicut etiam compositum dependet à dispositionibus, & tamen non recipit accidentia per ipsas, ergo materia secundum se est sufficiens subiectum inhæsionis accidentium. *Antecedens probatur*, nam materia habet entitatem sufficientem ad sustentandum formam substantialem, ergo à fortiori vt sustentet accidentia quia sunt debilioris entitatis, & sic minus actualitatis supponunt in subiecto. Quod verò, ita de facto contingat, quod soli materiæ vniantur accidentia, probat exemplo hominis, in quo quantitas non potest vniri formæ, quia spritualis est, ergo soli materiæ, quia non restat aliud in quo vniantur. Eodem autem modo vnitur quantitas in corpore humano, & in aliis corporibus. *Deinde*, quia accidentia eadem manent in genito & corrupto, vt idem color eadem figura &c. *Item* quia materia debet determinari per dispositionem ad formam, & per ipsas debet forma educi, quantitas etiam prius debet diuidere partes materiæ, quam illi applicari forma, quæ solum applicatur tantæ, vel tantæ materiæ; ergo prius debet recipere quantitatem & dispositiones, quam formam substantialem. *Et confirmatur*, quia accidentia nullo modo pendent à forma, nec forma habet causalitatē in ipsa, nec enim materialiter causat ea, cum non dicat potentialitatem receptiuam illorum, nec formaliter, cum non informet accidentia, sed materiam, neque efficienter, cum multa accidentia non emanent à forma, nec forma efficiat sine accidentibus, ergo.

Respondetur, quod materia non est ens actu sine forma, cum ab ipsa participet existentiam, vt ex se autem habet capacitatem receptiuam esse substantialis mediante forma, vt sæpè probatum est. Et dato quòd ex se haberet aliquod esse non communicatum per formam, sed independens ab illa, non tamen est sufficiens ad sustentandum accidentia, quia non est esse substans & terminatum in se vt possit terminare esse accidentis, vt dicatur esse in alio; nec potest immediate respicere esse accidentale quod est secundum quid nisi prius respiciat esse simpliciter, quod est esse substantiale. Quare non dependet materia à forma, vt à conseruante, sicut compositum dependet à dispositionibus, siquidem forma non potest conseruare materiam, nisi mediante aliquo effectu formali, iste autem effectus formalis nō est dispositiuus materiæ, quia est substantialis informatio, dat enim effectum formalem præbendo ipsum esse substantiale, vel determinando indifferentiam, potentialitatem ipsius esse quod habet materia, ergo oportet quod materia in suo esse dependeat à forma, si conseruatur ab illa, siquidem determinatur per formam, & accipit esse substantiale à forma. Quod verò materia habeat sufficientem vim ad sustentandam formam substantialem, non arguit quod possit sustentare accidentalem, quia formam substantialem non sustentat dando illi esse, sed accipiendo ab illa, & tantum præbet ei modum existendi receptibiliter, & non permittendo vlterius communicari, accidentalem autem formam sustentat, dando ei esse, tanquam per se terminans & substans illi, & ita ad primam sufficit potentialitas receptiua esse substantialis, ad secundam verò requiritur substãtialis actualitas, & completa ac per se, quæ secundarium esse accidentis sustentat.

Ad id vero quod dicitur de homine sustentante quantitatem, & reliqua accidentia, *ex dictis constat*, quòd forma humana non concurrit recipiendo, sicut nec aliæ formæ, quia nec est subiectum *quod* recipiens, cum non sit totum, sed pars, nec est subiectum *quo* recipiendi cum non sit principium recipiendi, sed actuandi, quod etiam requiritur ad inhæsionem ex parte subiecti, sicut & conditio potentialitatis ad recipiendum cuius principium est materia. Et non repugnat animam rationalem esse rationem, & comprincipium ad inhæsionem accidentium materialium licèt in se sit entitas spiritualis, quia non concurrit ad talem inhæsionem, quatenus spiritualis est, sed in quantum dat gradum corporeum & sensitiuum, sicut enim non repugnat, quod anima sit entitas spiritualis, & propter eminentiam suam eliciat operationes corporeas sensuum, & præbeat effectum formalem corporeum constituendo corpus & animal, ita non repugnat, quod se habeat vt principium, quoad terminanda accidentia corporea in esse: accidentia tamen in materialia vt intellectum, & voluntatem, immediatè sola anima recipit, quia vt spiritus recipit, & sic est subiectum subsistens & vt *quod* & non solum vt *quo*.

Ad id quod dicitur de accidentibus manentibus in genito, & corrupto iam supra negatum est & explicatum, q. 1. art. 7.

Ad confirmationem respondetur, quòd forma concurrit ad inhæsionem accidentium non vt principiū recipiendi, quod est potentiale, sed actuandi, non quidem ipsamet accidentia constituendo cum eis aliquam naturam sed informatione actuante materiam, & quia dat esse substantiale quod est esse primum & esse simpliciter, ideo est ratio terminandi & sustentandi esse secundarium, quod est esse accidentale, siquidem per formam substantialem præbetur esse subsistens; à quo vt à primario termino dependet esse inhærens, quod non est in se, sed in alio.

Secundo arguitur, illi subiecto inhærent accidentia, de cuius potentia educitur forma substantialis, sed accidentia educitur de sola materia, vt constat, ergo accidentia inhæret soli materiæ. *Confirmatur*, quia saltem generatio substantialis, quæ est actio, non potest habere pro subiecto ipsum compositum, sed solam materiam primam, quia ex sola illa educitur eique vnitur forma, & similiter relatio quam habet materia ad formam, & ad Deum creantem, & ad aliam materiam sibi similē, vel dissimilem, non possunt subiectari nisi in ipsa materia, quia solam ipsam denominant, & non compositum, ergo.

Respondetur negando maiorem. Nec obstat quod accidens disponens materiam debet educi ex eodem subie

subiecto, ex quo educitur forma ad quam disponit; dicimus enim quod bene stat accidens inhærere composito,&tamen determinare ac disponere materiam, quia accidens quando inhæret composito,mediante materiâ tanquam principio *quo* receptionis receptionis recipitur, & sic sufficienter datur locus vt ipsam materiam disponat, & dicatur educi ex ipsa tanquam ex principio *quo* recipiendi, quia sicut in composito inhærent accidentia mediante potentialitate materiæ, per quam recipiuntur tanquam per principiū *quo*,ita ex eius potentialitate in eodem sensu dicantur educi, ex composito autem simpliciter tanquam ex subiecto *quod*.

*Ad confirmationem respond.*quod attinet ad generationem,ipsam inhæsiue esse in toto composito generato,tanquam in subiecto *quod*,à quo dependet vt forma quædam in suo esse, eius tamen exercitium in ratione actionis eductiuè solum respicere pro subiecto eductionis ipsam materiam.Quod vero attinet ad relationem, siue creationis vel potius concreationis materiæ ad Deum,siue materiæ ad formam vel ad aliam materiam, dicimus quod aliquæ sunt, quæ solum habent materiam pro fundamento, sicut illæ in argumento relatæ, non tamen habent illam solum pro subiecto inhæsionis,eadem enim ratio est de relatione,ac de reliquis accidentibus, sicut etiam relationes fundatæ in ipsis accidentibus,verbi gratia in albedine, vel actione, licet proximè fundentur in accidentibus, inhærent tamen toti composito, vt in subiecto substante, sic etiam relationes, licèt fundatæ in materia tamen inhærent toti, vt substanti. Quod vero denominent solam materiam, & non compositum à quo sustentantur, non tollit quominus composito inhæreant, & non materiæ, quia denominatio fit in subiecto iuxta applicationem, & exercitium illo; contingit autem applicari vni subiecto secundum formalitatem & respectum sustentandi formam in esse,& sic denominat subiectum sustentans vnionem, alij autem applicatur secundum exercitium, & formalitatem extremi,seu partis vnitæ, & sic non denominat subiectum vnitum, quia non est pars, sed materiam. Itaque diuersis applicatur & denominat secundum diuersam formalitatem, & effectum. *Nec obstat*, quod relatio identificatur cum fundamento, & sic si fundamentum non inhæret quod est materia, nec etiam debet inhærere relatio, quæ identificatur cum illa. *Respondetur enim*, quod id,quod identificatur cum alio vt modus,bene potest in suo esse dependere à toto, & quantum ad formalitatem modi,quàm superaddit,inhærere quantum vero ad materiale, & identicum,cum quo entitatiue est idem,non inhærere;sed hoc est tantū materialiter, scil. quia illa entitas cuius est modus non inhæret:sicut sessio non distinguitur realiter à sedente, & tamen entitas sedentis non inhæret, ipse verò modus inhæret, id est dependet in suo esse ab esse substantiæ.

Tertiò arguitur, nam si accidentia inhærent toti, & non soli materiæ, sequitur quod agant ad corruptionem sui,imò ipsum subiectum agat ad sui corruptionem consequens est falsum, ergo *sequela patet*, quia calor,verbi gratia,agit ad corruptionem aquæ in qua est, ergo agit per se ad corruptionem sui cum per se agat ad corruptionem causæ sui, quæ est aqua. Et similiter ipsa aqua,quæ est subiectum, agit per calorem in se receptum, nam cum calor sit qualitas actiua,& insit aquæ, non ipsa sola,sed subiectū per illam operatur,calidum enim est,quod calefacit, non calor; ergo si per calorem destruitur aqua, & aqua subiectum caloris, aqua agit ad sui destructionem. Similiter etiam sequeretur, quod aqua calida non posset calorem à se expellere, & se reducere ad frigiditatē,impossibile est quod tota aqua sit agens, & patiens, ergo non potest tota esse subiectum caloris, & tota agere in calorem corrumpendo illum. *Quod si dicatur*,calorem non se habere vt virtutem efficientem in aqua,sed vt dispositionem ad formam ignis, *tunc fit instantia*, quia accidentia disponunt materiam ad formam, & non compositum, ergo inhærent illi,siquidem non disponunt nisi inhærendo, & ita sicut denominant materiam dispositam, ita & sustentantem talem dispositionem.*Confir.*quia potest continuari aliquis motus in corrupto,&in genito,vt quando canis cadens è turri moritur in medio, non discontinuando motum, ergo non potest subiectari in composito, quia sic discontinuaretur.

Resp.negando, quod calor, vel aqua calida agant effectiue ad sui corruptionem,quia vt supra diximus q.1.ex D.Th.accidēs nunquam effectiue in suū subiectum,sed vna pars continui agit in aliam,& vnum contiguum in aliud,& sic calor nunquam destruit se effectiue,sed illud efficiens quod agit in calidum,vel illa pars quæ agit aliam, destruit illum calorem; & quando vna pars agit in aliam, & multiplicat calorem,aliqui dicunt aquam,vel subiectum in quo multiplicatur solum se habere vt deferens non vt causa principalis producens. *Cæterùm* non videtur posse intelligi, quod medium sit deferens, nisi sit etiam producens, quia non defertur, nec transit idem numero accidens de subiecto in subiectum, vel de parte in partem, ergo multiplicatur accidens per sui communicationem,& consequenter per productionem, quia nouum & distinctum accidens est.Quod si producit, ergo vt causa principalis se habet, quia assimilat passum,seu effectum productum formæ illi per quam agit vna pars in aliam, quod est signum esse causam principalem in agendo,quia causa principalis est illa, cui immediatè & per se assimilatur effectus, licet quia non est accidens proprium, nec habet radicem in tali subiecto, sed solum participatiue,& per modum transeuntis,dicitur habere modum causæ instrumentalis, quantum ad modum habendi formam, non quantum ad ipsam formam habitam,quæ per se & principaliter est operatiua alterius sibi similis, v.gr.calor caloris. *Ad id vero* quod dicitur de aqua reducente se ad frigiditatem,*diximus* in 8.Physic,q.23.& supra q.5.a.1.quod illa reductio fit à generante mediante forma aquæ, quia est propria passio,quæ semper reducitur in ipsum generans tanquam in efficiens. Quod verò attinet ad dispositiones, iam diximus quod in re dispositiones nunquam inhærent in sola materia, quia in re semper est informata forma, & sic semper datur compositū cui inhæreant,quia tamen mediante materia tanquā principio *quo* receptionis inhærent, ideo materiam dicuntur disponere,& determinare,sed ab ipso composito sustentari.

Ad Confirm.respondimus supra quæst.1.artic.7. illum motum non esse continuum ex parte subiecti cū corrumpatur illud in quo prius erat, sed discontinuari in ipso instanti generationis, licet quia solùm illo instanti discontinuatur per quietem negatiuam, & non priuatiuam,videatur continuari ex parte temporis.

Vltimò arguitur,quantitas sequitur materiam sicut qualitas formam,ergo saltem quantitas debet inhærere materiæ,quia si sequitur materiam præcedit formam, & sic erit in sola materia, quod præsertim vt iam dictum est verificatur in homine, in quo quantitas nullo modo potest inhærere formæ quæ spiritualis

spiritualis est, ergo soli materiæ. *Et confirm.* quia diuersæ formæ non recipiuntur in eadem materia, sed in diuersa, est autem diuersa per diuisionem quantitatis, ergo prior est quantitas in materia tanquam diuidens, & afficiens ipsam, quam quod forma recipiatur. Denique hæc videtur sententia Sanct. Thomæ, quia in 4. distinction. 12. quæstion. 1. articul. 2. quæstion. 4. docet ex Auerroë, quod oportet intelligere dimensiones interminatas ante aduentum formæ substantialis, aliàs non posset intelligi diuisio materiæ, vt in diuersis partibus materiæ diuersæ formæ substantiales essent, similiter in 4. contr. Gentil. capit. 81. dicit, *Quod anima rationalis manet post mortem, materia etiam quæ tali formæ fuit subiecta, manet in eisdem dimensionibus, ex quibus habebat, vt esset materia indiuidualis*; ergo secundùm Diu. Thom, materia secundùm se est subiectum quantitatis.

Respondetur, quòd illud axioma quantitas sequitur materiam, & qualitas formam intelligitur sic, quod sequitur ad compositum ratione materiæ, & qualitas ratione formæ, vnde non oportet quod subiectentur nisi in ipso composito. Imò non est intelligendum, quòd quantitas sequatur ad materiam nudam sine forma, cum constet sequi ad gradum corporeitatis, qui præbetur à forma; sed intelligitur sequi materiam, vel quia solum inuenitur in rebus materialibus, qualitas autem sequitur actum, etiamsi immaterialis sit, & sic proprium est qualitatis qualificare, sicut & formæ; tum etiam quia quantitas se habet in genere accidentium sicut materia in genere substantiæ, quia non est actiua, sed medium receptiuum aliorum accidentium, & inter reliqua primum, quæ omnia proportionem, & analogiam dicunt ad materiam primam, & ideò dicitur sequi illam secundum istas conditiones.

Ad Confirmationem respondetur, diuersas formas recipi in diuersis partibus materiæ, siue in materia diuisa per quantitatem non existentem ante formam, sed concomitantem ipsam, & consequentem eam, sicut aliæ dispositiones, quarum vna & prima est quantitas, sed tamen quia dispositiones vt suprà quæstione prima, latè tractatum est, licet in genere causæ formalis sequantur formam, tamen in genere causæ materialis qua determinant, & disponunt materiam præintelliguntur ad formam prioritate naturæ, seu dependentiæ, non existentiæ, ita quantitas secundùm quod intelligitur diuidere materiam, & coaptare illam formæ, vt tanta materia & non plus subiiciatur formæ, sic intelligitur præcedere formam præcedentiâ naturæ, quia sic consideratur per modum dispositionis materialis, & sic vocatur quantitas interminata sub præcisa ratione qua facit diuisionem, vt dicemus articulo tertio, eadem tamen quantitas vt formata, & suis terminis figurata, sequitur formam, & in re ac secundùm durationem semper existit cum forma, & dependenter ab illa.

Ad Diu. Thom. dicimus, quòd in primo loco vtitur sententia Commentatoris quantum ad hoc quod est quantitatem interminatam præintelligi in materia prioritate naturæ, nam quod non præexistant in materia dimensiones secundùm durationem, expresse reprobauit in Auerroë S. Tho. opusc. 32. cap. 4. In secundo loco loquitur D. Thom. ex suppositione, & ad hominem contra Gentiles negantes resurrectionem, quos conuincit ex his quæ ipsi concedebant, scilicet materiam semper habere easdem dimensiones, vt dicebat Commentator. sic soluit Ferrar. ibidem & Bannez hìc quæst. 9. art. 3. Potest tamen etiam dici, quòd materia dicitur à D. Thom. manere sub eisdem dimensionibus, quatenus tali formæ fuit subiecta, vt sit sensus, quòd materia quæ vt subiecta formæ sub eisdem dimensionibus manet post mortem, non quia maneant eædem dimensiones, sed quia fuit subiecta formæ sub talibus dimensionibus, & manet in materia ordo ad illas dimensiones, sicut & ad formam cui sub illis fuit subiecta, non tamen ipsæ dimensiones actu manent, sed ordo ad illas. Et hoc ideò est, quia ibidem paulò post dicit D. Thom. quod corporeitas quæ est forma accidentalis secundùm quàm dicitur corpus esse in genere quantitatis, in nihilum cedit corpore humano corrupto, ergo sentit D. Thom. quod quantitas non manet actu, hæc enim est corporeitas quæ est forma accidentalis.

ARTICVLVS II.

Quid debeat fieri in accidente, vt separatum maneat à subiecto?

SVpponimus accidens reale, quod verè, & propriè est inhærens, posse separatum à subiecto conseruari, & dicimus accidens inhærens, quia modus qui non habet distinctum realiter à subiecto, sed identificatur cum eo, ideo non est capax existendi separatim ab eo, quia si realiter separaretur hoc ipso haberet esse realiter distinctum à subiecto, quia separatum. Accidens ergo præsertim absolutum, quod non est modus, sed realiter distinctum, sine subiecto conseruari potest à Deo, vt patet exemplo quantitatis, quæ in Eucharistia sine substantia panis, & sine alio subiecto inhæsionis conseruatur à Deo. Et deinde, quia vis sustentatiua accidentium conuenit substantiæ non informando ipsū accidens, sed suo esse coniungendo, & mediatè terminando quoad exercitium existentiæ, non quoad informationem aliquam, seu genus causæ formalis dantis speciem accidenti; & ita coniunctio illa ad substantiam ordinatur ad hoc, vt accidens conseruetur in esse, & actu existat non in se, sed in alio, quia non est capax existendi in se, & per se, sicut substantia; cum ergo existat in alio tanquam in extrinseco sibi vt conseruetur in esse, & habeat existentiam sic dependentem, & terminatam, totum hoc potest Deus supplere sine tali causa sustentante, quia omnis conseruatio existentiæ excellentius fit à prima causa efficiente, quam ab aliqua causa creata extrinseca, siue materiali, siue efficiente, siquidem id facit in virtute primæ causæ, & sic eâ remotâ, adhuc in virtute Dei sustentari potest, quia illa dependentia à substantia solùm est dependentia in existendo non in constituendo naturam accidentis. Si tamen effectus hic non esset sola conseruatio in esse, sed aliquis alius effectus formalis, non pertinens præcisè ad exercitium existentiæ, sed ad aliquam specificationem, vel formalitatem intrinsecam, non posset à solo efficiente Deo suppleri, quia efficiens supplet existentiam, quam propriè respicit, & præbet, non autem specificationem, vel formalitatem aliquam constitutiuam. Et in hoc consistit ratio Sanct. Thom. 3. part. quæst. 77. art. 1. quod idcirco potest Deus conseruare accidens sine subiecto, quia effectus magis dependet à causa prima, quam à causa secunda, & ideo remotâ causa secunda per quam conseruabat esse accidentis, adhuc se sola potest illud

lud conseruare. Quare solùm supplet Deus effectum causæ secundæ, in eo, quod est conseruare esse, non in eo quod est constituere, vel quoad specificationẽ formalizare. E ita non supplet Deus causam materialem exercendo officium causæ materialis, vel formalis, sed solum id, in quo illa causa erat conseruatiua existentiæ, in hoc supplet per efficientiam id, quod illa faciebat per terminationem, vel sustentationem.

Sed tunc est difficultas, quid producat Deus in accidente, & quid in illo fiat, vt se solo & sine substantia sustentetur in esse In quo aliqui sentiunt, quod additur aliquis modus ipsi accidenti, quando sustentatur extra subiectum, & redditur per se existens. Quod insinuat Caiet. 3. part. q. 77. art. 1. licet obscurè loquatur, & esse probabile fatetur Suarez 3. tom. 3 p. disp. 56. sect. 2. Oppositũ verò tenet Scotus in 4. disp. 12. q. 1. M. Soto ibi, & Nunno super locum citatum 3. p. D. Thom.

Nihilominus dicimus, *Quod accidens per separationem non acquirit nouum esse, sed antiquum remanet*, vt sæpe affirmat D. Thom. quæst. 77. citata, præsertim art. 1. ad 3. vbi dicit; *Quod remanent accidentia virtute diuina in illo esse indiuiduato, quod antea habebant* Et loquitur de illo quod habebant in substantia panis & vini. *Ratio est*, quia actio Diuina conseruans esse accidentium, non mutat earum entitatem, aliàs non conseruaret eandem, ergo neque mutat esse proprium, hoc enim non mutatur entitate immutata, nec vnit illis aliquam existentiam extraneam, quia non potest assignari quænam sit, nec enim est Diuina, cum non vniantur accidentia Deo; nec creata esse potest, cum nulla detur aliena, quæ illis accidentibus vniatur, nec possit existentia vnius creata seruire alteri propter sui limitationem. Actio ergo Diuina separans accidentia non est productiua noui esse, sed conseruatiua antiqui, licet non cum dependentia antiqua.

Nec obstat, si dicas, quòd inhærentia accidentis, & existentia sunt idem realiter, vel saltem inhærentia est medium recipiendi accidentium existentiam, sicut subsistentia est medium recipiendi existentiam substantiæ, ergo non potest remoueri inhærentia nisi remoueatur existentia.

Respondetur quòd inhærentia est modus existendi distinctus ab ipsa existentia accidentis sicut in substantia distinguitur subsistentia ab existentia, & sic separari potest existentia ab inhærentia, & manere sine illa, saltem vt modus sine modo, eò quòd inhærentia essentialiter est modus dependentiæ à causa materiali, & subiectiua tantum, seu à causa substante, existentia verò præcipuè à producente; & quia Deus est principaliter producens, potest istam sine illa conseruare Et ex hoc amplius constat differentia inter existentiam substantiæ, & accidentis, quod existentia substantiæ est existentia perfecta, & per se, & dat primum esse, & sic per se requirit, & supponit subsistentiam, quæ est terminus totius, quia illud esse primo conuenit toti, seu termino, non parti, quæ dependenter à toto habet esse, & consequenter supponit ipsum totum tanquam prius. Vnde remotâ subsistentiâ remouetur talis existentia substantialis, prout est existentia perfecta & per se; parti enim non conuenit nisi vt *quo*. At verò accidens non habet existentiam perfectam, & totalem, sed indigentem alteri adiungi, vt ibi terminetur, & non decidat; vnde prius conuenit ei talis existentia, quam inhærentia, per quam perficitur, cum alteri innitatur, & terminata reddatur, non sicut existentia substantiæ, quæ quæ ex se postulat non inniti alteri, sed per se subsistere. Et ita sublato subiecto, cui innititur accidens, conseruat Deus sine ista innitentia ipsum esse, quod antea conseruabat.

Secundò dico; *Quod non est necesse producere nouũ modum positiuum superadditum accidenti separato, vt existat per se, sed sufficit conseruare illud esse sine illa inhærentia, & sic solum consequitur modus priuatiuus, scilicet existere sine illa dependentia*; sicut ad hoc quod Deus producat se solo effectus aliquos in rerũ natura, verbi gratiâ, sanitatem sine medicina, & lucem sine Sole, aut hominem sine generante, non indiget ponere nouum modum in ipsa re sic producta, sed solum remotis causis secundis dare illis esse quod per tales causas daret, ergo similiter ad separandum accidens sufficit separata causa secunda illius esse conseruare, ergo non requiritur alius nouus modus superadditus. Et præsertim quia ille modus, nec potest esse substantialis, nec accidentalis: non substantialis, quia nulli substantiæ est debitus, vel proprius, substantiæ enim debetur modus existendi per se sine aptitudine ad inhærendum, illud autem accidens manet cum aptitudine ad inhærendum, & solum actuali inhæsione destituitur, ergo non accipit modum substantialem. Nec etiam est accidentalis, quia modus accidentalis non potest extra subiectum sustentare, & constituere cum ex se petat subiectum & respiciat illud hoc ipso quod accidentalis est, & positiuus constituens subiectum in modo accidentali essendi, seu proprio accidentis; ergo non datur, sed sola continuatio existentiæ cum priuatione dependentiæ à subiecto, sicut quãdo anima separatur à corpore, licet amittat modum informandi positiuum, nõ tamen acquirit nouum modum nisi tantum priuatiuum; scilicet existere sine corpore, & habere suum esse non communicatum corpori.

Sed obiicies, ille concursus Dei quo sustentãtur accidentia sine subiecto, non est idem quo sustẽtabantur ante mediante substantia, sed perfectior, & efficacior, ergo habet distinctum terminum, & distinctam perfectionem in illo, ergo vel nouum esse, vel nouum modum.

Secundò D. Thom. affirmat quæst. illa 77. art. 1. ad 4. quòd quantitas separata, ita habet esse, quod componitur ex *quo* est, & *quod* est, quod antea non habebat, & articul. 1. ad 2. dicit, quòd accidens accipit modum substãtiæ, & aricul. 3, quod accipit vnitatem substantiæ, ergo habet aliquid positiuum, quod ante non habebat. *Tertiò* connaturalius est, vt quando tollitur aliquis modus, præsertim si sit modus terminans esse, succedat alius, sicut ablata terminatione quantitatis, vt figura, aut situs, vbi, succedit alius modus, ergo sublata inhærentia, alius modus succedit & præcipuè, quia nobilior modus existendi separatè, & sine dependẽtia à subiecto, quam cum illa, existere autem sine dependentia non potest esse sine aliquo positiuo & non per solam negationem dependentiæ, ergo à fortiori modus existendi separatè à subiecto. Quod si illa perseitas non est positiuus aliquis modus euacuatur fundamentum ad ponendum contra Scotum, quod subsistentia sit modus positiuus. Denique concursus, quo per materiam conseruabatur accidens erat idem cum concursu ipsius causæ secundæ sustentantis, modo autem inuenitur sine tali concursu causæ secundæ, & sine eductione, & dependentia à subiecto, ergo est distinctus, & consequenter distinctum terminum habet in ipso accidente.

Ad primum respondetur, quod ille concursus quo Deus conseruat accidens separatum distinctus est ab

ab illo conseruaturin subiecto, non ex parte rei productæ, vel modi superadditi, sed ex parte modi producendi, quatenus conseruatur illud accidens cum concursu non identificato cum sustentatione materiæ, antea autem conseruabatur cum concursu identificato cum tali subiecti sustentatione, ista autem diuersitas modi agendi non infert nouum modum positiuum superadditum ipsi rei productæ, sed sufficit quod tollat aliquam dependentiam, quam antea habebat, idem enim quod Deus producit concurrendo cum alia causa, potest producere agendo se solo, vt in exemplis supra adductis patet, sine hoc quod nouum modum producat, superadditum ipsi rei productæ.

Ad secundum respondetur, quòd D. Thom non explicat, quòd iste modus, quo existit accidens separatum, sit modus positiuus & superadditus, sed sufficit quod sit priuatiuus, vt explicatum est. Et quando dicit, quòd accidens separatum est compositum ex esse & quod est, ly *quod est*, non importat essentiam accidentis cum modo positiuo, sed sufficit ipsa essentia accidentis cum remotione inhærenti, sic enim componit cum sua existentia tanquam id quod est, id est, tanquam entitas actu non existens in alio, nec informans vt *quo*, & consequenter vt *quod*, & ad hoc sufficit negatio inhærentiæ cum conseruatione existentiæ, & consequenter cum compositione cum ipsa. Dicitur etiam habere modum aut virtutem substantiæ, non positiuum modum accipiendo, sed inhærentiam relinquendo, in quo se habet ad instar substantiæ.

Ad tertiũ respõdetur quòd etiã hîc succedit aliquis modus modo inhærentiæ, sed priuatiuus non positiuus; nec enim semper succedit positiuum alteri positiuo, vt patet cum mortuo filio non succedit Patri altera relatio, sed priuatio relationis, & luci succedunt tenebræ, & visui cæcitas; cur ergo non poterit succedere modo inhærentiæ priuatio eius? *Et quando dicitur*, quod est nobilior modus existendi in accidente separato, *Respondeo*, quòd est nobilior per remotionem actualis dependentiæ quæ est quædam imperfectio, non per modum superadditum positiue postulantem illam perfectionem sicut modus substantiæ, quæ habet perseitatem intrinsecam: sic concursus Dei sic conseruans perfectior est, quatenùs per se sine causa secunda agit, non quia perfectiorem effectum, seu modum producat sicut in superioribus exemplis ostensum est, & sicut anima rationalis ex separatione habet perfectiorem statum essendi, quam cum existentia in materia, quatenus ab illa aliquo modo aggrauatur, & materializatur, nec tamen nouum modum positiuum oportet quod acquirat. *Quod verò additur de ipsa substantia, Respond.* quòd substantia non solum habet negationem actu dependendi, sed non habet capacitatem, nec aptitudinem ad inhærendum, & ita debet habere modum sic existendi, quod excludat omnem potentiam dependendi, non autem quod solum remoueatur actualis dependentia, in accidente autem solum actualis inhærentia remouetur; vnde sufficit in ea actualis priuatio sine modo positiuo; in substantia autem modus positiuus requiritur, quia ab intrinseco reddit incapacem inhærentiæ.

Ad vltimum, iam diximus concursum diuinum quo sustentatur accidens esse distinctum ab eo quo sustentabat mediante subiecto, quia non identificatur cum illo, sed remoto illo operatur, nec tamen sequitur quod producat nouum modum positiuum, sed idem esse cum remotione dependentiæ à causa secunda, vt explicatum est.

ARTICVLVS III.

A quo principio sumatur indiuiduatio substantiæ materialis?

P*Ro clariori notitia terminorum oportet supponere*, quid sit formaliter indiuiduatio in substãtia, quid eius principium, & quis terminus. Indiuiduatio ergo potest considerari & Mataphysicè; & Logicè, & Physicè. Methaphysicè dicit vltimum gradum in serie cuiuscumque prædicamenti, sicut genus supremum dicit gradum primum; & iste gradus vltimus fit per differentiam vltimam, quæ est indiuidualis contrahens speciem, Logicè dicit relationem subiicibilitatis ad prædicata superiora, & prædicabilitatis de vno tantum, id est de seipso, & vtrumque est secunda intentio. Physicè est ipsa vnitas numerica; qua aliquid ita est vnum, quod est indiuisum in se & diuisum à quolibet alio, sicut illud definit Sanct. Thom. 1. part. quæstion. 29. articul. 4. Itaque qua parte dicit vnitatem indiuisam dicit incommunicabilem & vlterius indiuisam dicit indiuiduationem, vt in vno tantum; qua parte dicit diuisam à quolibet alio, supponit vel admittit multiplicationem indiuidualem, ita quod vnum indiuiduum diuidatur & separetur etiam à quolibet indiuiduo sub eadem specie constituto, si detur. Vnde in hac difficultate non possumus loqui de indiuiduatione substantiæ materialis, quin etiam loquamur de eius multiplicatione, & vtriusque rationem assignemus.

Principium indiuiduationis, dicitur fundamentum illud vel radix, vnde sumitur ista vnitas sic indiuisa seu vlterius indiuisibilis in plura, & diuisa qualibet alia etiam similis vnitatis indiuidualis. *Et inquirimus* an desumatur ex principiis constitutiuis & propriis ipsius naturæ, an vero ex aliquo quod sit extra conceptum naturæ, & quidditatis. Oportet enim quod ad indiuiduationem multiplicandam concurrant duæ conditiones; prima, quod id quod indiuiduat pertineat ad substantiam & substantialem vnitatem faciat, siquidem indiuiduum substantiæ etiam pertinet ad Prædicamentum substantiæ, tanquam vltimum in eius linea, secunda, quod ita multiplicet substantiam substantialiter, quod non assentialiter, nec formaliter, quia indiuidualis distinctio non opponitur vnitati formali, prout specifica est, sed totam speciem, & quidditatem conseruat in vno indiuiduo & in alio, non autem formalem distinctionem specificam, & quidditatiuam facit.

Terminus indiuiduationis est subsistentia seu suppositalitas, quæ per se solũ inuenitur in indiuiduis substantialibus, quæ per se terminantur & per se sistunt in esse; accidentia autem non habent in se terminationem & subsistẽtiam, sed per inhærentiam ad rem subsistẽtem redduntur terminata. Et non indiuiduatur substantia per istũ terminũ, sed per illam modificatur, seu terminatur, quatenus redditur vlteriori supposito incommunicabilis, videmus enim quod humanitas Christi Domini nõ habet propriam subsistentiam, & tamen habet propriam singularitatem, quia vt singularis & distincta ab aliis naturis assumpta est, non autem per ipsum Verbum singularizata est.

Ex

Ex quo nascitur, quod cum subsistentia se habeat vt terminus, & modus vltimus substantiæ, non repugnat ex eadem natura singulari si impediatur, aut remoueatur propria subsistentia, postea dimanare aliam numero diuersam à priori sine vlla singularitatis diuisione, sicut ex eadem numero quantitate si remoueatur superficies, vel punctum terminans dimanabit aliud, sic ab eadem numero natura etiamsi multiplicabilis non sit, quia singularis est, siue sit corporea, siue incorporea, illæ plures subsistentiæ sic succedentes dimanabunt, & sub eodem ordine ad principium indiuiduans continentur, quia dimanat ab eisdem principiis in virtute primæ generationis, quæ ita produxit hanc naturam singularem sub ista numero subsistentia, quod si impediretur succederet alia loco illius, quæ omnes per modum vnius censentur sub tali natura singulari, & eius principiis & generatione, & ita hæc diuersa successio non multiplicat naturam, siquidem etiam eidem singulari naturæ conuenit, siue materialis, siue immaterialis sit. Quanquam in hoc hærere potest sententia, & non improbabiliter defendi, quod ab vnica & singulari natura solum potest emanare vnica subsistentia propria, ita quod si semel habuit propriam, & illa impediatur per assumptionem hypostaticam, si iterum dimittatur talis natura, non emanabit alia subsistentia, sed peribit substantia, eò quòd subsistentia, & existentia non se habent sicut propriæ passiones, quæ supponunt naturam existentem, non ad constituendam existentiam pertinent, sicut terminus subsistentiæ, & existentiæ, quibus sublatis perit & definit natura, sicut etiam cum motus cordis cessat, non potest alius emanare, quia perit natura, multo ergo minus dimanabit existentia, vel subsistentia semel ablata. At vero si nunquam propria subsistentia emanauit, sicut modo in humanitate Christi, quæ nunquam habuit propriã subsistentiam, si dimitteretur, emanaret in vi primæ generationis.

Variæ sententiæ.

Circa principium ergo indiuiduationis variæ sunt Philosophorum sententiæ, quæ varietas inde orta est, quia multa requiruntur ad singularitatem quæ non videntur in vnam radicem & principium reduci posse. Nam in indiuiduatione inuenimus vnitatem, & sic videtur sequi ad entitatem; inuenimus etiam diuisionem à quolibet alio, & sic videtur sequi quantitatem: inuenimus quod sit vltimus gradus in serie prædicamentali, & sic videtur sequi ad eandem formam, ad quam se iungunt alij gradus: inuenimus, quod non constituit gradum quidditatiuum, neque facit differre essentialiter, cum omnia indiuidua sint eiusdem rationis, & sic videtur sequi ad accidentia, quæ extra quidditatem sunt. Denique indiuiduum habet incommunicabilitatem, quia non est commune, nec communicabile pluribus, & sic videtur sequi materiam.

Ex his diuersæ sententiæ deriuatæ sunt, quæ præcipue reducuntur ad quatuor, prima affirmat vnumquodque indiuiduari se ipso & ex propria entitate, & sicut se ipsa habet vnitatem formalem, & omnis vnitas est passio entis, ideo ipsam entitatem ponit pro principio indiuiduationis. Ita tenet P. Suarez disputation. 5. Met. section. 4. & pro ea citantur alij antiqui, vt Niphus, Zimara, Auicen. Averroës, & alij.

Secunda sententia, per aliud extremum est Scoti, qui videns indiuiduationem non addere prædicatum quidditatiuum, nec facere differre quidditatiuè, dixit indiuiduationem fieri per aliquid distinctum, & tanquam extrinsecum adueniens naturæ, quod vocauit hæcceitatem, cuius effectus formalis est reddere naturam indiuisibilem in partes subiectiuas. Nec oportet quærere intra naturam principium singularitatis, sed solum in natura est potentia & indifferentia, vt sit hæc vel illa, sed per additionem entitatis extrinsecæ id debet fieri, sicut per entitatem ab extra aduenientem, quæ est prædeterminatio, indifferentia potentiæ operantis determinatur, vt iuxta modum suum singularem & certum effectum operetur, & sicut per additionem existentiæ redditur ipsa essentia actu existens. Ita sumitur ex Scoto in 2. dist. 3 quæst. 6.

Tertia sententia, attendens ad diuisionem, quam facit indiuiduatio intra eandẽ speciem, & quia actus est qui distinguit assignat pro principio indiuiduationis aliquam formam. Quidam formam substantialem, quod attribuitur Averroi 1. de anima, cap. 7. & Auicen. libr. 6. naturalium. part. 1. alij quantitatem quod Scotus citat. loco, quæstion. 4. attribuit Gotifredo, & ex parte sequuntur, Soncinas 7. Met. quæstion. 34 Ferrar. 1. contra Gent. cap. 21. Capreolus in 2. distinct. 3. quæstion. 1. quatenus ex duobus quæ ad indiuiduationem requiruntur, scilicet quod sit incommunicabile multis, & distinctũ numeraliter ab aliis, hoc secundum tribuunt quantitati, fauetque D. Thom. in 4. distinction. 11. quæstion. 1. articul. prim. quæstion. 3. ad 3. & aliis locis postea citandis.

Quarta sententia, attendens ad modum proprium indiuiduationis, & singularitatis, qui est incommunicabilitas, affirmat materiam primam esse principium indiuiduationis, id est vltimum subiectum incommunicabile. Sed cum materia de se sit pura potentia, & indifferens ad plura indiuidua, imò ad plures species, indiuiduatio autem supponit naturam specificam constitutam, ideo quidam assignauerunt pro principio indiuiduationis materiam vt informatam forma substantiali, quia actus est qui distinguit; Alij verò ponunt materiam, vt signatam quantitate, seu cum ordine ad quantitatem esse principium indiuiduationis, quod frequenter dicit S. Thom. & sequuntur Thomistæ. Inter quos tamen est magna varietas declarandi istam signationem quantitatis, an sit ipsa quantitas vt actualiter informans materiam, an vero radicaliter præhabita in materia, an solum vt connotata, & per modum conditionis inclusa; de quo postea agemus. Nec defuerunt, qui subsistentiam & existentiam pro principio indiuiduationis assignarunt, vt refert Scotus loco cit. quæstion. 3. eò quòd habent rationem vltimi termini incommunicabilis.

RESOLVTIO.

Dico primò. *Non potest natura specifica ex sola entitate sua quæ præ ise includit prædicata quidditatiua, esse principium adæquatum indiuiduationis.* Itaque sola entitas & essentia rei se ipsa & sine alio ordine, vel extrinseco superaddito, non est principium indiuiduationis. Vbi non loquimur de entitate nisi secundum sua prædicata quidditatiua, & non secundum omnia alia, quæ in re concernit, sic enim ipsam materiam & quantitatem, & accidentia includit, & sic non est dubium habere in se principium indiuiduationis; qua ratione dixit. D. Th. 1. par. q. 29. art. 1.

art. 1. substantiam se ipsa indiuiduari accidentia vero ex subiecto, eo quod substantia intra suam entitatem includit vnde indiuiduetur, sicut includit vnde subsistat, accidens vero requirit aliud ens præter se, vt existat & indiuiduetur, quia non in se, sed in alio existit.

Hæc conclusio ex eisdem locis D. Tho. & Aristot. *colligitur*, quibus postea ostendemus, principium indiuiduationis sumi ex materia signata, quantitate, & ideo infra adducentur *Fundamentum vero sumitur primo*, quia ad indiuiduationem rei materialis non solum requiritur vnitas indiuisa in se, sed etiam diuisa à quolibet alio indiuiduo intra eandem speciem, cum enim natura materialis sit capax plurium indiuiduorum, oportet quod principium indiuiduationis sit sufficiens distinguere non solum ab indiuiduo alterius speciei, sed etiam propriæ, ergo oportet indiuiduationem dimanare à tali principio, quod sit principium distinctionis substantialis, & non essentialis, seu formalis, quia scilicet non opponitur, nec destruit vnitatem formalem, siquidem per differentias indiuiduales non differunt indiuidua quidditatiuè & formaliter, sed conueniũt in eadem essentia & ratione speciei athomæ, ergo illa distinctio faciet solum differentiam materialem, siquidem non opponitur vnitati formali, nec tollit illam; sed illa est distinctio specifica & formalis quæ fundatur in ipsa diuisione formæ vt forma est, id est in ipsa contrarietate formarum, quæ ex intimis formæ nascitur, quatenus vna forma habet oppositionem cum alia, vt notat S. Tho. 10. *Met. lect.* 11. ergo indiuiduatio seu differentia indiuidualis non potest oriri ex ipsa entitate, secundum aliquod prædicatum quidditatiuum seu formale, & essentiale, quia sic deberet talis diuisio efficere, quod vnum prædicatum essentiale esset in vno indiuiduo & non in alio, quod esset tollere indiuidualem distinctionem & facere specificam, ergo nõ potest oriri ex prædicatis quidditatiuis, & essentialibus, ita quod sit in vno indiuiduo vnum prædicatum quidditatiuũ, & non in alio, ergo oportet id reducere ad aliquod principium, quod quidẽ pertineat ad substantiam rei, nec tamen essentialem & formalem diuisionem faciat, solùm ergo faciet materialem, quia formalis non est, licèt formas ipsas & quidditates materialiter diuidat atque adeò non potest procedere ex entitate formæ, vt constituit vnitatem formalem & essentialem, & facit officium formæ, sed quatenus ei adiungitur aliquid, quod sine distinctione formali faciat distinctionem formarum, id est, quod ipsæ formæ distinguantur, sed non ex vi formalis & essentialis rationis, ergo ex aliqua ratione præter essentialem, sed totum quod est entitas formæ & naturæ, est essentialis ratio, quia pertinet ad quidditatiuum conceptum talis entitatis, ergo ex solo præciso conceptu entitatis, sine aliquo adiuncto extra conceptum essentiæ non est principium, vnde oriatur diuersitas indiuidualis, quare oportet assignare pro principio talis diuisionis numeralis aliquid, quod sit substantia, nec tamen ad formalem distinctionem faciendam concurrat, sed solum ad materialem, quia indiuidua differunt substãtialiter, vt diuersæ substantiæ, & non essentialiter seu formaliter, sicut partes integrales differunt tanquam partes substãtiales, sed non vt essentialiter pertinentes ad compositum, quia sine qualibet, vel aliqua earum, saluatur essentia compositi.

Quod si dicas, quòd esse indiuiduũ est prædicatum intrinsecum & essentiale ipsi composito, quia per modum totius ponitur in prædicamento, & sic includere debet etiam ipsum gradum vltimum indiuiduationis, de quo prædicantur omnia prædicata superiora: ergo debet indiuiduatio ex principiis intrinsecis oriri. *Respondetur*, indiuiduum esse quid intrinsecum per modum terminantis, & modificantis, seu per modum subiecti potius quam prædicati, siquidem est id quod omnibus prædicatis superioribus subiicitur; vnde pertinet ad rem per modum constituentis subiectum, non naturam, & per modum modificantis quidditatem. Nec requiritur, quod oriatur ex essentialibus principiis, sicut propriæ passiones, sed sufficit quod conueniat per denominationem intrinsecam, & tanquam modificatio intrinseca, & secundum id quod pertinet ad statum rei, magis quam ad intrinsecam entitatem, & constitutionem. Hic tamen status, & hic modus ita conuenit rei, quod dicit ordinem, & connotationem ad aliquas conditiones extrinsecas, & non omnino absolute extrinseca quidditate conuenit.

Secundo probatur conclusio, quia vnitas indiuidualis in quantum indiuidualis, & similiter indiuidualis multiplicatio non conuenit naturæ, neque in primo, neque in secundo modo per se, licet conueniat in tertio, qui non est modus prædicandi, sed existendi, sicut nec quartus modus per se est prædicandi sed causandi. Si ergo non conuenit naturæ, neque in primo modo dicendi per se, neque in secundo, ad hoc vt ei conueniat, indigebit aliquo principio extra naturam, quod sit ratio conueniendi, & sic non omnis entitas seu quidditas secundum se considerata est principium & radix distinctionis, & vnitatis numericæ *Consequentia patet*, quia quod non conuenit alicui ex propria & intima connexione, ergo conuenit per aliud quia in intrinseca eius ratione non est sufficiens principium conueniendi *Antecedens verò probatur*, quia quod conuenit alicui per se, est de conuenit omni, omne enim quod est per se, est de omni, vt docet Aristot. in primo Poster. & communiter omnes Logici, sed constat, quod singularitas non dicitur de omni, siquidem sine hac vel illa singularitate determinata, inuenitur natura & totus eius conceptus quidditatiuus, ergo quod sit hæc singularitas in tali natura, non per se illi conuenit, neque de omni, sed per aliud quod est extra conceptum naturæ.

Respondebis primo, quod singularitas vagè, essentialiter & intrinsecè conuenit naturæ, siquidem omnis natura hoc ipso quod realis est, debet esse singularis; & hoc sufficit, vt dicatur conuenire per se, ita quòd non indigeat alio principio vt conueniat, licet singularitas vt determinata & hæc, non per se conueniat, sed per aliud, quia per aliud determinatur. *Secundo*, quod dato quod indigeat alio principio præter naturam vt conueniat, illud erit ipsum efficiens, per quod producitur in rerum natura, & fit entitas realis seu extra causas, atque adeo fit singularis, non autem indiget alio principio formali seu radicali, præter ipsam naturam, & entitatem rei.

Sed contra primam solutionem instatur, quia in præsenti non inquirimus principium indiuiduationis in communi & vagè, sed determinatè, & secundum vltimum determinatiuum prout redditur hæc, & discernitur ab omni alio indiuiduo in singulari, ergo impertinenter recurritur ad indiuiduum vagum, sed oportet assignare principium vltimò determinans etiam indiuiduum vagum, vt sit hoc determinatè: sicut stat bene conuenire per se aliquid vagè, & secundum disiunctionem alicui, vt quantitati

tati habere aliquam figuram vel vbi, & tamen hæc figura, vel hoc vbi determinate non conuenit ei per se, & sic semper restat assignare principium, & rationem, ob quam talis determinata indiuiduatio, vel figura, aut vbi conueniat, esto in communi & vage per se respiciatur; sicut enim indiuiduatio vaga & in communi petit principia indiuiduantia in communi, ita determinata indiuiduatio, principia determinata; & hæc oportet assignare, sola enim entitas secundum se communis est ad hanc vel illam indiuiduationem.

Contra secundam autem solutionem, quam etiam infra impugnabimus, instatur, tum quia causa efficiens æque respicit naturam & indiuiduationem eius, vtrumque enim producit, ergo de se non est principium proprium indiuiduationis vt à natura distinguitur; tum quia causa efficiens solum est executiua, & præbens esse extra causas, iuxta id quod vnaquæque res petit secundum exigentiam suam, ergo efficiens non potest esse ratio intrinseca & fundamentum seu principium propter quod aliquid conuenit alicui, sed supposita ratione conuenien-di, ad efficientem solum spectat ponere illam in esse; & sicut in ipsa natura debet dari intrinsecum principium omnium prædicatorum, quæ illi conueniunt; efficiens autem solum est causa extrinseca producens, & dans esse, ita debet assignari principium intrinsecum indiuiduationis & non solum causa extrinseca producens, & illud est, quod inquirimus; atque ita non negamus efficiens esse principium indiuiduationis, sed extrinsecum & executiuum, non intrinsecum & formale determinans intrinsece infferentiam naturæ, vt indiuiduetur hac potius indiuiduatione, quàm illa, & sic ex efficienti sumitur indiuiduatio executiuè, & tanquam à principio ponente illam in esse extra causas, non autem vt à principio intrinseco formali; vnde etiam efficiens plurium indiuiduationum seu indiuiduorum est productiuum, & non solum ratio vnius tantùm indiuiduationis.

Tertiò probatur conclusio destruendo fundamenta Suarez. *Primò*, quia vnitas est passio entis, ergo ad entitatem realem per ipsam sequitur vnitas realis, hæc autem necessariò est singularis, quia in re non datur vnitas abstracta, vnde hoc ipso, quod ponitur in rerum natura sine alio addito fit singularis, ergo vnitas transcendens quatenus realis, debet coincidere cum numerica. *Secundo*, quia indiuiduatio pertinet ad lineam Prædicamenti, & ad gradum Metaphysicum, siquidem de indiuiduo prædicantur alia prædicata superiora, sed omnes gradus metaphysici profluunt ab eadem entitate & forma, & se ipsis conueniunt illi, ergo sicut alij gradus proueniunt ab eadem entitate, & non distinguitur in re, sed solum per intellectum, ita & indiuiduatio, atque adeò non indigebit alio supperaddito ad habendam istam indiuiduationem & vnitatem, sed sicut se ipsa est realis entitas, ita se ipsa est realis & singularis vnitas. *Tertiò*, quia non dependet indiuiduatio ab accidentibus, vt à principio, quia accidentia non possunt esse principium substantialis vnitatis, & possunt variari accidentia, etiam ipsa quantitas, non variata indiuiduatione naturæ & substantiæ, ergo non sumitur ab accidentibus indiuiduatio; nec etiam à materia, quia hæc est potentialis, & indifferens ad plures formas specificas, ergo etiam ad plures indiuiduas, ergo ipsa indigebit indiuiduari ex alio principio, non autem erit principium indiuiduationis. Si autem non indiget, sed se ipsa indiuiduatur, cum tamen sit communis & specifica cur etiam aliæ naturæ substantiales, licet ex se communes sint per se ipsas non indiuiduabuntur? & ex alia parte forma est quæ distinguit, & est in actu per se, & non indifferẽs, & in potentia, ergo potius ipsa erit principiũ indiuiduationis.

Ad primum respondetur, quod vnitas est passio entis, & sequitur ad totum ens, sed iuxta diuersas considerationes vnitatis sequitur ad diuersas considerationes entis, nam vt est vnitas formalis, & specifica sequitur ad entitatem ex parte formæ, & actualitatis, vt autem illa vnitas est incommunicabilis, & indiuidua, sequitur ad entitatem, vt habet in se principium incommunicabilitatis. Et ita si est natura materialis quæ ratione materiæ incommunicabilitatem habet, vnitas vt indiuidua sequitur ad vnitatem ratione materiæ vt est principium incommunicabilitatis. Et sicut vnitas communis & vniuersalis sequitur ad ipsam entitatem, vt est in statu abstractionis, & non remoto illo statu, ita vnitas vt indiuidua, quia pertinet ad statum contractionis sequitur ad entitatem non absolutè, sed vt est in tali statu contractionis, & incommunicabilitatis quod habet ratione materiæ. Itaque ad entitatem realem sequitur vnitas realis, sed iuxta modum, & statum entitatis sequitur modus & status vnitatis, quod enim sit vnitas singularis, vel vniuersalis, aut vnitas formalis, & specifica sequitur ad entitatem non absolute, & secundum se consideratam, sed vt est sub tali statu & modo. Et cùm dicitur quod natura hoc ipso quod ponitur in re non est vniuersalis, sed singularis, respondetur, quod hoc ipso quod ponitur in re, non ponitur nuda, & absoluta ab omni circumstantia, & statu incommunicabilitatis, sed cum illo & ita redditur vnitas singularis, & indiuidua, non ratione entitatis absolute sumptæ, sed circumstantionatæ, & incommunicabilis. Itaque aliud est, quòd natura posita in re est singularis, aliud ex quo principio, & radice habet quod sit singularis & hæc, & licet natura secundùm se sit indifferens ad plura indifferentia negatiua, tamen ista indifferentia tolli debet non per principium essentiale, sed per modificatiuum essentiæ, eò quòd illa indifferentia solum est vt natura modificetur, & materializetur per singularitatem, & indiuiduationem, non autem vt amplius quiddititatiue constituatur.

Ad secundum respond. quòd indiuiduatio pertinet ad gradum Metaphysicum non vt prædicatum constitutiuum, & quidditatiuum, sed modificatiuum, & pertinens ad statum naturæ, vnde magis habet rationem subiecti, quam prædicari, quia est vltimum, cui alia insunt. Sumitur autem indiuiduatio ab eadem entitate, à qua reliqui gradus, sed non sub eadem habitudine, sed connotando accidentia aliqua à quibus dependet indiuiduatio. Nec intelligitur sumi ab eadem entitate, id est à forma partiali, à qua alij gradus desumuntur, & non à materia, sufficit enim quod sumatur ab eadem forma totali; verbi gratia, ab humanitate quæ etiam includit materiam, seu principium incommunicabilitatis, & sub ista habitudine entitatis, seu formæ, non vt dicit constitutionem quidditatis, sed vt dicit rationem, & habitudinem incommunicabilitatis sumitur gradus indiuidualis, sicque non totalitér extrinseco prouenit, vt contra Scotum statim dicemus, sed ab ipsamet entitate, à qua reliqui gradus desumuntur, sub diuersa tamen habitudine, & connotatione alicuius extrinseci. Ad verificandam autem prædicationem aliquam, non est necesse, quod aliqua identificentur

ficentur ex omni parte, & omni modo, ſed ſufficit materialis identificatio, ſicut patet in prædicatis accidentalibus, vt cum dicitur corpus eſt album, identificantur enim ratione ſuppoſiti habentis albedinem, vt docet D. Thom. 1. part. quæſtion. 13. articul. 12.

Ad 3. Reſpond. quod ab accidentibus non fit indiuiduatio ſubſtantialis, vt à ratione formali, & principio, ſeu radice propria, ſed vt à conditionibus requiſitis, vt exerceatur indiuiduatio, ſicut poſtea dicemus, & ſumitur ex definitione Porphirij, cum dicit: *Quod indiuiduum eſt cuius collectio proprietatum non eſt in alio.* Eſt autem materia principium, & radix huius indiuiduationis, non quatenus eſt in potentia, & indifferens ad plures formas, ſic enim potius eſt principium generis, quod eſt totum potentiale, ſed dicitur principium indiuiduationis, quatenus eſt vltimum ſubiectum, vltra quod non fit communicatio, & ſic reddit ipſas formas, & totam entitatem non communicabilem pluribus, quod eſt proprium indiuidui, quod non eſt commune multis, & ſic principium incommunicandi eſt principium indiuiduandi. Vnde patet quod materia ſecundum diuerſas conſiderationes, & eſt ratio habendi communitatem, & indiuiduationem; communitatem quidem, quatenus eſt indifferens, & communis ad plures formas, indiuiduationem autem, quatenus eſt principium non communicandi aliis ſubiectis, ſeu partibus materiæ, quatenus vltimum ſubiectum eſt. Sed tamen non exercet hanc incommunicabilitatem inter partes materiæ, niſi ſuppoſita ſeparatione, & diuiſione, quæ fit per ſignationem quantitatis tanquam per conditionem requiſitam, vt ſtatim dicemus. *Quod vero dicitur,* quod eadem materia indiuiduatur ſe ipſa, *dicimus* quòd indiuiduatur ſe ipſa, vt principio indiuiduationis totius, & conſequenter etiam ſui; vnde non inuenitur ſub diuerſis formis materia eadem numero poſitiuè, ſed negatiuè, materia enim de ſe, remota omni forma non habet vnitatem poſitiuam, & indiuiduatam, ſed indifferentem ad formas, & ad indiuiduationes earum, eſt tamen principium indiuiduandi cum ordine ad deſignationem accidentium vbi tranſit materia de vna forma ad aliam. Et manet quidem materia eadem ſecundum ſe, id eſt ſecundum rationem potentialitatis ſuæ, non tamen cum eadem ſignatione quantitatis, & accidentium, & ſic non manet poſitiue indiuiduata ex ſe ipſa, licet in re ſemper id habeat, ſed ex ſe ſolùm eſt principium indiuiduationis Et ſic dicit S. Th. 1 de gen. lect. 9. in fin. *Quod materia eorum quæ tranſmutantur aliqualiter eſt eadem, aliqualiter alia, eſt enim eadem ſubiecto, ſed non ſecundum eſſe, quia aliam rationem, & aliud eſſe accipit ſecundum quod eſt ſub diuerſis formis, & ſecundum quod ordinatur ad diuerſas formas.*

Denique ad id quod dicitur, quòd forma eſt principium indiuiduationis; quia actus eſt qui diſtinguit. *Reſp.* quòd actus eſt qui diſtinguit formaliter, ſed modus diſtinguẽdi materialiter, & incommunicabiliter, eſt ex parte materiæ, vt ex principio, ſupponendo tamen quod materia ſit in actu per formam, quia ſine forma non datur indiuiduatio in actu, ſed hoc requiritur concomitanter, & propter exiſtentiã, non quia forma ſit radix, ſeu ratio propria indiuiduationis, vt præciſe dicit modum diſtinctionis indiuidualis, de quo ſtatim plura dicemus.

Dico ſecundò, *Non poteſt aſſignari pro principio indiuiduationis hæcceitas ab extrinſeco totaliter aduenienſ ſubſtantiæ, & non ab aliquo principio intrinſeco materiali proueniens.* In hac concluſione excludimus ſententiam Scoti. *Et notandum eſt,* quod hæcceitas poteſt dupliciter ſumi; vno modo vt ſit idem quod differentia indiuidualis, ſeu vnitas numerica, quæ formaliter conſtituit, & reddit naturam hanc, & ſingularem, & ſic non eſt dubium dari hæcceitatem, ſi enim datur effectus formalis hæcceitatis, ſeu differentiæ indiuidualis, ſcilicet eſſe hoc, quod mirum, quod detur hæcceitas, quæ eſt forma ipſa, ſeu differentia indiuidualis? Quod ſi Scotus non amplius vellet dicere, quàm quod natura redditur indiuidualis formaliter per differentiam indiuidualem veriſſima eſt, nec vllus ei contradicit; ſed non tangit tunc punctum difficultatis, quia in præſenti ſupponimus dari differentiam indiuidualem, inquirimus autem de principio talis indiuiduationis ſeu vnitatis, quia cum omnes gradus metaphyſici, & prædicata quidditatiua ex vnica forma proueniant, reſtat difficultas, an gradus indiuidualis qui quidditatem non conſtituit ratione quidditatis, ſed in ratione modificantis, & incommunicabilis vnitatis, ne de pluribus prædicetur proueniat etiam ab eadem forma, vel à materia, vel à quo? Si vero intendit hæcceitatem eſſe non ſolùm differentiam indiuidualem, ſed non dari aliud principium indiuiduationis intra ipſam entitatem à quo illa hæcceitas proueniat; ſed eſſe formam ab extrinſeco aduenientem, ſicut albedo, vel aliud ſimile accidens, in hoc ei contradicimus. *Et ratio eſt,* quia illa entitas quæ dicitur hæcceitas vel eſt ſubſtantialis vel accidentalis. Non accidentalis, tum quia conſtituit indiuiduum ſubſtantiale ſeu primam ſubſtantiam in linea, & prædicamenta ſubſtantiæ, ergo non poteſt eſſe accidentalis entitas; tum quia, nec eſt accidens proprium, neque commune, non proprium, quia hoc dimanat à principiis naturæ, & ſic omni tali naturæ conuenit indiuiduatio autem non conuenit omni naturæ, ſed vni tantum indiuiduo; non commune, quia hoc poteſt adeſſe, & abeſſe, ſeu variari ſine corruptione ſubiecti, principium autem indiuiduationis, vel hæcceitas illa non poteſt adeſſe ſine corruptione huius ſubiecti indiuidui. Si autem eſt ſubſtantialis entitas, ergo in aliqua ſubſtantia fundatur, & ratione illius conuenit, quia vel eſt entitas ſubſtantialis, vel modus; ſi entitas, non diſtinguitur ab ipſa re, quæ eſt ſubſtantia, & ſic non venit ab extrinſeco, ſed eſt idem cũ entitare quod eſt declinare in aliam extremam ſententiam; ſi autem eſt modus ſubſtantialis, fũdatur, & originatur in ipſa ſubſtantia alias ſubſtantialis non eſſet ſi ſubſtantiam non afficeret ſubſtantialiter, neque naturalis eſſet, ſi ex ipſa ſubſtantia naturali non originaretur, ſiquidem modus naturalis identificatur cum ſubſtantia, & proportionatur illi, ergo originatur ab ea, vel oportebit aſſignare aliud principium ſubſtantiale à quo originetur, & ſic illius erit indiuiduatio, non autem alterius, à qua non originatur, & ſic neceſſario ponendum eſt pro principio hęcceitatis, & ſingularitatis aliquid intra ipſam ſubſtantiam, & hoc dicimus eſſe materiam, non autem hæcceitatem ab extrinſeco tantum aduenientem.

Dices, ſufficit, quod iſte modus ſubſtantialis ab extrinſeco efficiente proueniat, non autem habeat pro principio ipſammet ſubſtantiam, aut eius materiam; tum quia aliquando modus ſubſtantialis poteſt ab extrinſeco prouenire, vt modus tranſſubſtantiationis, aut vnionis ſubſtantialis, quæ prouenit tantum ab efficiente, tum quia ideo requirimus nos prædeterminationem phyſicam in cauſis efficientibus ſubordinatis, vt determinentur ad producendum indiuiduum, cum de ſe ſint indiffe-

rentes ad plura, & tamen illa prædeterminatio totaliter est ab extra, scilicet à causa prima & non nascitur, nec fundatur in ipso subiecto operante, vt in principio illius ergo neque hæcceitas.

Respondetur, quòd iste modus singularitatis, sicut & ipsamet natura debet prouenire ab efficiente extrinseco in genere causæ effectiuæ, & per modum exequentis, cum quo tamen stat, quod requirat pro principio radicali, & fundamentali aliquid tenens se ex parte subiecti, efficiens enim non producit inesse effectum, nisi iuxta principia à quibus dependet, & iuxta proportionem sui fundamenti à quo oritur, & fundatur, sicut etiam propriæ passiones producuntur ab efficiente, dependenter tamen à natura à qua orginantur, & deriuantur, & similiter existentia, & subsistentia ab ipso efficiente procedunt, sed tamen iuxta principia naturæ cuius sunt, nec tamen ipsa existentia & subsistentia sunt principia indiuiduationis, vt iam supra diximus, sed termini, & complementum, vnde datur in humanitate Christi indiuiduatio naturalis, nec tamen oritur ex subsistentia naturali. De modo autem transubstantiationis, vel vnionis hypostaticæ si datur, non est ponendum aliquod principium in natura, quia non sunt naturales, sed supernaturales. *Quod vero dicitur de prædeterminatione, Respondetur*, quòd potest considerari, vel entitatiue, vt res quædam est in se indiuiduabilis, & sic indiuiduatur à subiecto, sicut reliqua accidentia, vel modi inhærentes de quibus dicemus infra. Si autem consideretur sub præcisa ratione efficientis, & in eius linea quatenus est vltima applicatio causæ inferioris ad agendum ex subordinatione ad superiorem, à qua dependet in agendo, sic necessario debet ab extra prouenire, & non habere aliud principium quam efficiens superius, quia propria eius ratio in hoc solum consistit quod determinatio, & applicatio efficientis sit. Substantia autem vt indiuiduetur in se formaliter debet etiam à causa materiali dependere, & à principiis naturæ, quam indiuiduat, licèt in quantum effectus producendus, debeat à causa efficiente dependere & fieri.

Dico tertiò. *Primum & radicale principium indiuiduationis non potest esse forma substantialis, nec accidentalis, licet ad illam requiratur.* De forma substantiali id sæpius docet D. Thom. dicens non esse hanc, & singularem per se, sed ex materia cui adiungitur, seu ex ordine ad illam, vt specialiter videri potest in 2. contra Gent. cap. 93 ratione 2. vbi inquit: *Quod differentia, quæ ex forma procedit inducit diuersitatem speciei, quæ autem ex materia, inducit diuersitatem secundum numerum.* Et 10. Met. lect. 11. *Quæcumque*, inquit, *contrarietates sunt in ratione, id est ex parte formæ, faciunt differre speciem, quæ vero sunt ex parte materiæ, quæ sunt propria indiuidui, quod est acceptum cum materia, non faciunt differre speciem.* Et denique pro communi principio habet D. Thom. quod nulla forma, vel natura multiplicat numerum, nisi in diuersitate materiæ, vt videri potest in 2. dist. 3. q. 1. a. 4. & 1. p. q. 50. a. 4. & de ente & essentia cap. 6. *Ratio autem & fundamentum est*, quia forma vt forma, est principium speciei, ergo est principium alicuius communicabilis in plura, seu communis ad multa, ergo prout stat sub conceptu formæ, non est principium indiuiduationis, sed oportet quod induat aliud principium, quam formæ, sc. rationem incommunicabilis ad plura, quam si forma habet ex se, erit forma immaterialis, non informans materiam, si autem ex se id non habet, sed ex materia, quia illi communicatur, indiuiduabitur ex materia. Vnde roboratur hæc ratio; quia principium indiuiduationis debet virtualiter, & in radice continere id quod ipsa indiuiduatio formaliter, sed indiduum est id quod non est communicabile multis, sed de vno tantum prædicari potest, ergo principiũ talis indiuiduationis debet esse principium talis incommunicabilitatis ad plura, forma autem vt forma non est principium incommunicabilitatis nec vnitatis vt indiuiduæ, sed vt formalis, & specificæ, & vt communis multis, cum enim forma ex vi formæ non sit recipiens, sed receptibilis, ex ipsa ratione formæ, communicabilis est, quia recipi est communicari, & sic de se importat conceptum communicationis ad alia, in quibus recipiatur, & consequenter ad quæ comparatur tanquam ad inferiora, & subiecta sibi. At verò materia est recipiens, & ideo non communicatur alteri vt inferiori & subiecto sibi, sed si communicatur formæ potius est vt extremum, cui formæ se communicat, quam extremum quod communicatur, nec enim est id quod recipitur, sed id in quo recipitur, & cui fit communicatio, sicut non proprie dicimus humanitatem communicatam Verbo, sed Verbum humanitati, nec vas liquori, aut hominem gratiæ, sed gratiam homini, & liquorem vasi. Tandem, quia forma est principium differentiæ, & distinctionis formalis, distinctio autem indiuiduorum est materialis, ergo magis habet pro fundamento materiam quam formam: *Minor patet*, quia duo indiuidua non differunt quidditatiue, licet substantiæ sint, quia omnia prædicata quidditatiua quæ sunt in vno, sunt in altero, aliàs non participarent infimam, & vltimam speciem, si disconuenirent in aliquo prædicato quidditatiuo, & essentiali, quia hoc ad ipsã naturam, & speciem pertineret, quidditas enim & natura, species rei est, & quæ differunt quidditate, specie differunt, ergo si conueniunt duo indiuidua in speciei infima, conueniunt in omnibus prædicatis quidditatiuis, & specificis, & consequenter non differunt inter se in aliquo prædicato quidditatiuo.

Quare sicut videmus, quòd partes integrales non differunt essentialiter, siquidem participant eandem formam, sed materialiter, licet substantialiter; ita & indiuidua, quia vt aliqua fiant indiuidua, sufficit partes integrales diuidere, & soluere continuitatem earum, ergo, si quando sunt continuæ non differunt essentialiter, neque quando discontinuantur, quia discontinuatio sola non importat aliquod essentiale, & quidditatiuum prædicatũ faciens differentiam, sed solũ materiẽ & diuisionẽ, & consequenter non facit diuisionem formalem, licet faciat diuisionem formæ, & substantiæ, ergo oportet, quod ista distinctio non proueniat ex ipsa forma secundum quod facit officium formæ, id est, vt præbet formalem effectum diuidendo, & distinguendo formaliter, sed ex aliquo alio præter formam, diuidere enim, seu distinguere formam, & non secundum formalem distinctionem, est distinguere formam non secundum quod facit officium formæ, sed secundum aliquid illi adiunctum quod forma non sit, seu non exercens officium formæ. Sicut autem materia non potest esse principium distinctionis formalis, licet recipiat illam ita è conuerso, licet forma diuidatur secundũ distinctionẽ nõ formalem, illamq; participet, non tamẽ potest prouenire ab ipsa forma vt à principio, sed ab alia parte, quæ est materia.

Secunda verò pars conclusionis, scilicet de forma accidentali, manifeste traditur à Diu. Thom. opusc. 70. q. 4. a. 2. & opusc. 15. c. 7. & opusc. 29. & 7. Met. lect. 5. & in 4. dist. 12. q. 1. a. 2. quæstiunc. 3. ad 3.

Et ratio *est manifesta*, quia indiuiduatio substantiarum materialium, & distinctio earum substantialis est, ergo oportet quod principium eius proprium, & radicale sit substantiale, nec enim accidentia possunt esse prima radix distinctionis substantialis, sed semper id quod substantiale est, reducendum est ad substantiam tanquam ad radicem, ergo cum indiuiduatio substantiæ sit aliquid pertinens ad ipsam lineam, & prædicamentum substantiæ, necesse est quod reducatur in aliquid substantiale vt in vltimam radicem. Deinde, qua primum principium indiuiduationis debet esse principium incommunicabilitatis ad aliquid sibi inferius, quantitas autem, & reliqua accidentia de se communicabilia sunt tanquã formæ, ergo non possunt esse primum principium incommunicabilitatis in substantia, imò potius ipsa quantitas, & accidentia indiuiduatione indigent in se ipsis, eamque habent à subiecto vt articulo quinto dicemus, ergo non sunt principium radicale indiuiduationis, licet possint deseruire ad illam vt conditio. *Obiectiones contra hanc resolutionem sequent. art. ponentur.*

ARTICVLVS IV.

Quid sit materia signata quantitate, quæ est principium indiuiduans?

Expressa Diu. Thom. sententia est innumeris locis, materiam quantitate signatam esse primum principium indiuiduationis, & specialiter videri potest, opuscul. 29. & opuscul. 32. & opuscul. 15. cap. 7. & opuscul. 70. quæstion. 4. articul. 2. & in 4. distinct. 12. quæstion. 1. articul. 2. quæstion. 3. ad 3. & 3. part. quæstion. 77. articul. 7. & 1. part. quæstion. 29. articul. 1. de ente, & essentia cap. 6. & 7. Metaph. lection. 15. *Fundamentum sumitur* ex dictis præcedent. articul. vbi ostendimus indiuiduationem importare vnitatem, non quomodocumque, sed cum modo incommunicabilitatis ad inferiora; similiter multiplicatio indiuidualis in substantia requirit illas duas conditiones, scilicet quod faciat distinctionem substantialem, & non essentialem: quæ omnia non possunt à forma prouenire, vt exercet officium formæ, benè tamen à materia, non sub indifferentia, & potentialitate, sed vt determinata, & signata, vt statim dicemus. Et præterea ex Aristotel. probatur, quia in 5. Metaph. text. 12. & 10. Metaph. text. 25. *Et aliis locis* expresse affirmat ea esse vnum numero, quorum materia est vna, quæ vero differunt secundum contrarietatem, & distinctionem formæ, differunt specie. Expresè etiam 12. Metaph. text. 49. probat Deum esse vnum numero, quia caret materia, & quæcumque numero sunt multa, materiam habent. Quæ auctoritas valde premit Authores oppositæ sententiæ, & aliqui, vt Scotus dicunt Philosoph. non loqui de materia proprie dicta, sed de hæcceitate. Vazquez verò secundo tomo, prima parte, disputatione centesima octuagesima prima, fatetur Aristotel. loqui de materia prima, sed ad locum Aristot. non respondet, nec ad illum etiam respondet Petr. Suarez libro primo, de Angelis capite decimo quinto, & disputatione quinta, Metaph. sectione secunda, à numero vigesimo tertio, sed ad alia loca Aristotel. in quibus non facimus tantam vim, vnde contra ipsos non est quod vrgeamus auctoritatem Philosoph.

Contra Scoti verò interpretationem vrgemus, quia si nomine materiæ intelligeret Philosoph. hæcceitatem, quando probat, quod Deus est vnus numero, quia caret materia, sensus esset quod est vnus, quia caret hæcceitate, quod est absurdum, sic enim sine hæcceitate esset vnus numero. Vel si intelligitur, quod ideo Deus est vnus numero, quia non habet materiam, sed hæcceitatem loco materiæ, petit principium, cum enim hæcceitas sit ipsa differentia numeralis, & indiuidua, sensus esset, quod Deus est vnus numero, quia est vnus numero, vel ideo non est multiplicabilis numero, quia non habet hæcceitates plures, quod est petere principium, de hoc enim inquiritur, cur non habeat hæcceitates, & differentias numerales? *Secundo*, quia probat Philosoph. Deum esse vnum numero, quia caret materia, ita quod est spiritualis, & immaterialis, ergo de illa materia loquitur, per cuius carentiam aliquid redditur spirituale, & immateriale, sed redditur aliquid spirituale, & immateriale per carentiam materiæ primæ, seu materiæ corporalis, non hæcceitatis, ergo de ea loquitur Philosoph. quando dicit Deum esse vnum numero, quia non habet materiam. *Minor constat*, quia per carentiam hæcceitatis dicitur aliquid vniuersale, non verò spirituale, neque actus purus; Deus autem dicitur carere illâ materiâ, quam si haberet non esset spiritualis, neque actus purus, ergo ratione carentiæ talis materiæ dicitur aliquid non multiplicari numero. *Et aduertendum est*, quod istæ probationes Philosophorum quibus probant vnitatem Dei, aut eius perfectionem non sunt contemnendæ, sed explicandæ, quia per ipsas cognouerunt verum Deum. Testatur autem Apostolus ad Roman. 1. *Quod cum ipsi cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* Si autem probationes quas afferunt ad vnitatem Dei probandam, & alia similia non valent, sequitur, quod non cognouerunt verum Deum, qui vnus est.

Dico secundò, *Signatio materiæ non fit formaliter per ipsam quantitatem tanquam per formam inhærentem materiæ, & afficientem ipsam, sed fit per intrinsecum ordinem materiæ ad quantitatem, vt ad formam diuidentem, & separantem, & ita quantitas potius est terminus signationis materiæ ad quam dicit ordinem, quam forma intrinsice signans, & hoc modo dicitur se habere, vt conditio, & connotatio indiuiduationis, & in isto genere scilicet vt conditio, quantitas est primum, licet materia sit primum, & radicali indiuiduandi principium.* Itaque materia signata quantitate, idem est quod materia ordinata ad quantitatem, vt diuidentem, quæ diuisio licet non fiat sine informatione quantitatis, & quantitas vt dispositio quædam est dimanat à forma, tamen sub ratione diuidentis præcedit in genere causæ materialis ipsam formam, sicut de dispositionibus sæpius dictum est, licet in genere causæ formalis è conuerso sit.

In hac conclusione explicanda satis variant Thomistæ, nam cum in indiuiduo reperiantur duo, quia & est vnitas incommunicabilis pluribus, & est diuisio, seu separatio ab alio indiuiduo, dicunt aliqui concurrere ad vtrumque materiam, & quantitatem, illam vt subiectum vltimum incommunicabile, hanc vt formam diuidentem, & separantem, ita tamen quod quantitas concurrit vt actu informans, quia sic actu diuidit. Ita Ferrar. 1. contra Gentil. capit. 17. & Soncinas 7. Met. quæstion. 34. *& alii.* Quidam verò ponunt materiam vt ordinatam ad hanc quantitatem, non vt informatam illa, esse principium indiuiduationis. Sed diuiduntur, quia aliqui intelligunt per materiam determinari ad hanc quantitatem per aliquem

aliquem modum substantialem superadditum, qui est quasi determinatio, & signatio materiæ in ordine ad quantitatem. Alij vero simpliciter dicunt, ipsam materiam signari, non quantitate ipsa actu informante, nec modo substantiali superaddito quo determinetur, sed ipso ordine & habitudine, qua respicit talem quantitatem.

Vt autem inter has varietates sensum nostrum explicemus, dicimus, quod in materia ly *esse signatam* potest dicere duo. Vno modo id quod est esse notatam, & designatam, quod pertinet quasi ad manifestationem, & apparentiam designationis erga nos. Alio modo ly *signata* est idem quod clausa, & incommunicabilis reddita etiam respectu alterius materiæ, & indiuidui, & hoc supponit separationem & diuisionem ab alio cum reclusione in se. Et primo modo non est dubium materiam signari ipsa quantitate vt informante, & reliquis accidentibus, hæc enim reddunt nobis materiam sensibilem, & designabilem, sed non loquimur in hoc sensu in præsenti, sed de ipsa indiuiduatione substantiali loquimur. Et sic dicimus, quod in secundo sensu materia sola non sufficit indiuiduare non intellecta quantitate, quia materia, & habet habitudinem seu respectum ad formam, & ad aliam materiam similem sibi. Secundum habitudinem ad formam, importat potentialitatem, & confusionem ad multa, & sic non fundat indiuiduationem, sed potius est principium generis, quatenus est principium potentialitatis ad plures formas, quibus actuari, & determinari potest, & sic species constituitur ex materia, & forma, & sic materia potest concipi in communi, imò esse principium gradus communioris, scilicet generis. At vero respectu alterius materiæ sibi similis, incommunicabilis redditur, licèt possit per mixtionem misceri, & confundi cum alia, sed tunc fiet corruptio formarum, & accidentium, nec stabit diuisio materiarum: stante autem diuisione, pertinet ad materiam, & non ad formam facere istam incommunicabilitatem, quia pertinet ad ipsam ratio vltimi subiecti, vnde nec formam vltra communicari finit, nec ipsa alteri materiæ communicabilis est substantialiter, hoc ipso quod diuisa est: sed vt sit diuisa, requiritur quantitas non vt præcisè informans, sed vt separans, & diuidens, qua diuisione facta, ex materia nascitur substantialis incommunicabilitas, & multiplicatio.

Hoc posito dicimus, quod signatio materiæ non fit per ipsam inhærentiam quantitatis, seu per quantitatem vt informantem, neque per aliquem modum absolutum superadditum materiæ. Non per quantitatem vt informantem, tum quia quantitas, sicut & alia accidentia inhærent toti composito, ergo signatio materiæ non fit per ipsam informationem quantitatis, siquidem informatio non est in ipsa materia, sed in composito, ergo signatio materiæ per aliud, quam per informationem sumenda est; tum quia etiamsi Deus separaret quantitatem à substantia, adhuc maneret indiuiduum, & tamen non maneret informatio quantitatis, sed ordo ad illam, ergo quantitas non indiuiduat per informationem actualem, sicut etiam anima separata per ordinem ad corpus indiuiduatur, vt docet Diu. Thom. 6. cap. de ente, & essentia, & accidens separatum manet indiuiduatum per ordinem ad subiectum: tùm etiam, quia ipsa quantitas in quantum informans indiget indiuiduari sicut & alia accidentia, ergo provt sic formaliter non est indiuiduans, sed indiuiduata, nulla enim forma in quantum forma se ipsa est indiuidua, vt docet Diu. Thom. opuscul. 70. quæstion. 4. articul. 2. tum denique quia quantitas, & reliqua accidentia ratione informationis solum dant esse accidentale, sed indiuidua non solum quantum ad vnitatem, quam habent in se, sed etiam quantum ad distinctionem ab alio substantialiter se habent, differunt enim differentiis indiuidualibus, quæ sunt intra genus, & lineam substantiæ, quia indiuidua substantiæ ad prædicamentum substantiæ pertinent, ergo non potest præberi iste effectus ab aliqua forma accidentali, quia non solum ratione constitutiui, sed etiam ratione distinctiui duo indiuidua substantiæ substantialiter distinguuntur, & sic dicit Diu. Thom. opuscul. 70. citat ad 4. *Quod ea quæ differunt numero in genere substantiæ non solum differunt accidentibus, sed etiam materia, & forma.* Et in eodem loco ad secundum, inquit: *Quod dimensiones, cum sint accidentia, per se non possunt esse principium vnitatis indiuiduæ substantiæ, sed materia provt talibus dimensionibus subest, intelligitur esse principium talis vnitatis, & multitudinis.* Et idem docet opuscul. 29. & opuscul. 15. capit. 7. vbi inquit: *Quod non habet ex dimensionibus materia corporalis suscipere formam particulariter.* Et denique 7. Metaph. lect. 15. docet. *Quod quantumcumque aggregentur formæ, non erit certa assignatio huius singularis, nisi per accidens, in quantum contingit omnia in simul collecta in vno solo inueniri.* Et sic infert quod collectio accidentium non est principium indiuiduationis, vt quidam dicunt, sed materia designata.

Quod vero materia non sit principium indiuiduationis, vt modificata aliquo modo absolutio in ordine ad quantitatem, *probatur*, quia ille modus superfluè ponitur, nam vt materia sit radix indiuiduationis, non indiget nisi quod sit vltimum subiectum, hoc vero non habet per modum superadditum, sed per seipsam. Quod vero determinetur ad hanc quantitatem non habet per illum modum superadditum, nec enim mediante modo suscipit quantitatem, sicut nec alia accidentia, sed subiectum suscipiens ea, per se immediatè habet potentialitatem receptiuam illorum, & eadem difficultas currit de ipsismet modis qui recipiuntur in tali subiecto, an sint singulares per se, vel à materia, si enim singularizantur à materia, supponitur illam sine modo esse principium indiuiduationis saltem respectu illius modi, & eadem ratione erit respectu aliorum. Si autem est singularis per se, ergo iam aliquid indiuiduatur per seipsum sine materia, cur ergo non alij modi, & formæ, & accidentia id habebunt?

Quapropter signatio materiæ explicanda est per ordinem ad quantitatem vt diuidentem, & separantem ipsas partes materiæ. Sicut autem materia licet non informetur ab accidentibus, nisi mediante composito, tamen dicit ordinem ad illa vt ad dispositiones, quibus ipsa potentialitas materiæ determinatur respectu istius formæ potius quam alterius, ita dicit ordinem ad quantitatem vt ad vnam ex dispositionibus; sed tamen quantitas inter alias dispositiones non solum habet officium informandi subiectum in quo est, dando ei formalem effectum extensionis quantitatiuæ, sed etiam respicit ipsam vt diuidentem vnam portionem materiæ ab alia, qua diuisione posita tanquam conditione resultat non ex ipsa quantitate formaliter, sed ex ipsa materia incommunicabilitas, & distinctio substantialis respectu materiæ sic diuisæ, & hæc est indiuiduatio substantialis. Et sic intelligo materiā signari radicaliter quantitate, non quia materia sola sit radix quantitatis, cum radix illius sit corpus, quod non dicit solam

solam materiam,sed materiam informata forma corporeitatis,sed dicitur radicaliter signari, quia non per ipsam actualem informationem quæ in composito,quod est ipsum corpus fit, sed per ordinem ad quantitatem vt determinantem, & diuidentem materiam,id est ipsa diuisione subiicientem formæ tantum,vel tantum de materia,nascitur ex ipsa materia incommunicabilitas determinata substantialis, & substantialiter indiuiduans,posita tamen illa diuisione quantitatis,vt conditione requisita.Et sic intelligitur Diu Thom. qui quantitatem nunquam ponit vt principium indiuiduationis absolutè, sed cum restrictione, scilicet, tanquam principium secundarium,vel vt quoddam principium,vel vt conditio,vt videri potest in 4.distinction.12.quæstion.1.articul. 1.ad 3.& 3.part.quæstion.77.articul.2.& 4. contra Gentil.capit 65. Et tamen inter accidentia specialiter attribuit quantitatem rationem indiuiduandi quodlibet.7.articul.10. quia reliqua accidentia non faciunt diuisionem, & tandem explicat quod sola materia est principium indiuiduationis, quantitas vero solum concomitanter,non vero vt causans formaliter ipsam indiuiduationem in subiecto licèt demonstret illud sensibus, vt designatum opuscul.29. & opuscul.32.capit.3.& opuscul.70.quæstion.4.articul.2.ad 2. de eadem sententia videri potest Caietan. 1.part.quæstion.29.articul.1.Mag.Bannez 1.de generation.capit.5.quæstion.3.articul.8. Gonçalez 1.part. disputation.23. Theologi Carmelitani tractat.1.disputation.1.dub.5. *Et ratio sumitur ex dictis* quia sic saluamus principium indiuiduationis substantiale ex parte rationis formalis distinctiuæ, & facientis incommunicabilitatem; saluamus etiam quantitatem, & proprietates indiuiduales,quarum collectio ad indiuiduationem requiritur, vt constat ex definitione indiuidui, & non vt formaliter constituentes,quia indiuiduum constitutum, substantiale est,ipsæ vero accidentia sunt,ergo vt conditiones requisitæ,quod amplius ex argument. solutione elucidabitur.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur *contra dicta*, quia iste ordo quem ponimus,patitur easdem difficultates, ac modus absolutus,vel alia accidentia actuantia, quæ reiicimus;siquidem etiam ordo ille informat materiam,& indiuiduatione indiget. *Item* quia quantitas non diuidit materiam, nisi afficiendo ipsam & compositum,ergo informando indiuiduat, & consequenter iam supponit subiectum indiuiduatum. *Item* quia si se habet tantum vt conditio,poterit Deus eam supplere, vt patet in applicatione agentis ad passum. *Item* in natura diuina, & humanitate Christi, sine incommunicabilitate datur indiuiduatio, vtraque enim est communicabilis supposito; & sine diuisione in Angelo datur indiuiduatio, ergo non requiritur quantitas vt conditio. *Denique*, vel materia signatur per quantitatem vt terminatam, vel vt terminatam, terminata esse non potest, cum stante eodem indiuiduo, terminatio quantitatis variari possit, modo enim est maior, modo minor; interminata esse non potest, cum in se indiuidua non sit, nec determinata, sed variari possit.

*Ad primam probat.respond.*quod ordo ille est ad quantitatem vt diuidentem, qua diuisione supposita, exercetur incommunicabilitas substantialis ipsius materiæ, & oritur ab ea respectu materiæ per quantitatem diuisæ; & ita ordo non indiuiduat formaliter substantialiter, sed requiritur vt conditio ad hoc, vt materia exercere possit incommunicabilitatem substantialem respectu extremi diuisi. *Ad secundam probationem respondetur*, quod quantitas non diuidit nisi actuando, *distinguo*, actuando formaliter *nego*,concomitanter *concedo*;diuisio enim vt diuisio non est informatio,sed duplicatio,& discontinuatio actuationis; actuatio enim saluatur in vno, sicut mea quantitas actuat me totum, diuisio autem formaliter dicit huius actuationis discontinuationem,quæ quidem actuationem supponit,sed non dicit illam formaliter:imò quantitas vt actuans,indiuiduari indiget in se,sicut cætera accidentia:vt autem diuidens determinat, quod tantum vel tantum de substantia subiiciatur formæ, & sic est conditio ad determinandum, & determinatè indiuiduandum substantiam.

Ad tertiam probationem dicitur, quod quantitas diuidens non requiritur ad indiuiduationem ex parte vnitatis,sed ex parte multiplicationis indiuiduorum, & vt exerceri possit incommunicabiliter substantialis respectu huius & illius. Vnde est conditio intrinsecè requisita ad multiplicationem, nec enim alium modum multiplicandi materiam nouimus,nisi per diuisionem, neque hanc fieri nisi per quantitatem, cuius est distinguere partes, & ita non est conditio, quæ suppleri possit, sicut neque suppleri potest existentia ad efficiendum, apprehensio ad finalizandum, sic diuisio ad multiplicandum materialiter in substantia, siue partes, siue totum.

Ad quartam respondetur, quod communicabilitas naturæ ad personalitates nihil obstat singularitati, sed iuuat ad illam,quia singularitas, & indiuiduatio solum dicunt incommunicabilitatem ad inferiora, seu ad alia à se diuisa, non autem ad suum terminum per quem redditur subsistens natura,& vlteriori termino, seu supposito incommunicabilis. Esse autem communicabilem proprio termino per quod indiuiduatio redditur subsistens in se, nihil obstat singularitati, sed illam reddit vltimo completam, & terminatam, imò & communicari accidentibus nihil obstat incommunicabilitati indiuiduationis.

Ad vltimam dicitur quod Diu.Thom.opuscul.70. quæstion.4 articul.2.affirmat,quod quantitas quæ signat materiam est quantitas interminata: *Dimensiones*,inquit,*possunt dupliciter considerari,vno modo secundum earum terminationem, & sic non possunt esse principium indiuiduationis, quia cum talis dimensionum terminatio varietur frequenter circa indiuiduum, sequeretur,quod indiuiduum non maneret idem numero semper: alio modo possunt considerari,sine ista terminatione in ratione dimensionis tantum,quamuis nunquam sine aliqua determinatione esse possint, sicut nec natura coloris sine determinatione albi vel nigri, & sic collocantur in genere quantitatis,vt imperfectum:& ex his dimensionibus interminatis efficitur hæc materia signata,& sic indiuiduat formam,& sic ex materia causatur diuersitas secundum numerum in eadem specie. Vnde patet, quod materia secundum se considerata non est principium diuersitatis secundum speciem, nec secundum numerum,sed sicut est principium diuersitatis secundum genus prout subest communi formæ,ita est principium diuersitatis secundum numerum, prout subest dimensionibus interminatis.*Subdit autem *solutione ad tertium*, quod cum nullum accidens habeat rationem propriam diuisionis nisi quantitas,dimensiones ex se ipsis habent quādam rationem indiuiduationis secundum determinatum situm prout situs est differentia

rentia quantitatis, ideo habet duplicem rationem indiuiduationis vnam à subiecto sicut & quodlibet aliud accidens, aliam ex seipsa, quatenus habet situm, ratione cuius etiam abstrahendo à materia sensibili imaginamur hanc lineam & hunc circulum. Quare secundum Diu. Thom. quantitas interminata nihil aliud est, quam quantitas vt præcisè facit diuisionem, & differentiam situs, & sub hac ratione quæ est communis omni quantitati dicitur signare materiam, quatenus diuidendo illam ponit conditionem requisitam, vt exerceat materia suam incommunicabilitatem, vt dictum est. Et ex materia sic indiuiduata indiuiduantur formæ tam substantiales, quam accidentales in ea receptæ, etiam ipsa figura, & formatio quantitatis, qua redditur terminata, ideóque vt suprà diximus per respectum ad quantitatem, vt diuidentem, (& hoc est interminatam) non autem vt informantem, & actuantem, sumitur signatio materiæ provt diuidens.

Secundo obiicies, nam materia non potest respicere quantitatem, nisi provt continet illam, & est informabilis ab illa, sed non continet nec respicit quantitatem, nisi mediante forma substantiali, ad quam prius terminatur eius respectus, quam ad accidentalem, qualis est quantitas, ergo potius signatur per formam substantialem, quam per quantitatem, nec enim prius continet quantitatem vt hanc, quam formam substantialem vt hanc.

Confirmatur, quia quantitas non habet pro radice, & principio materiam, sed corpus, ergo non respicitur à materia nisi mediante corpore, & consequenter mediante forma corporeitatis. *Confirmatur secundò*, nam materia de se est indifferens, vt contineat hanc quantitatem vel illam, sicut & formam à qua dimanat, ergo non continet hanc quantitatem, nisi prius materia sit hæc, ergo est hæc ante quantitatem, seu non per quantitatem, siquidem, quia est hæc, continet hanc quantitatem: imò fit circulus in isto modo indiuiduandi, siquidem materia est hæc, quia signatur ab hac quantitate, & quantitas est hæc, quia continetur in hac materia.

Respondetur distinguendo maiorem principalis argumenti, non respicit quantitatem, nisi provt continet illam & formatur ab ea, *distinguo*, formatione, & continentia inhæsionis tantum, *nego*; formatione dispositionis sub prioritate causæ materialis ad formam, & ad sui etiam formationem, & inhæsionem *concedo*. *Ad minorem distinguo*, non continet, nec respicit quantitatem, nisi tantum mediante forma substantiali, quatenus quantitas se habet vt informans, & actuans *transeat*, sub causalitate, & prioritate dispositionis, & diuisionis *nego*, vt dispositionem enim prius materia respicit quantitatem, quam formam substantialem, licèt in genere causæ formalis sit è conuerso, eò quòd per dispositionem sub præcisa formalitate dispositionis determinatur ad formam substantialem materia. Prima autem dispositio materiæ est à quantitate vt diuidente, & segregante hanc materiam ab illa, & sub hoc officio, & respectu diuidendi præcisè dicitur quantitas interminata, quia licet in re nunquam sit, nisi sub aliqua terminatione, & figura, tamen secundum se, alia est formalitas, & respectus quantitatis, vt diuidentis, & distinguentis, alia vt terminantis, & informantis; & primum quo disponitur materia ad formam, est diuidi, & segregari ab alia parte, seu materia, quæ ab illa forma pro illo statu non potest informari, & sub hac separatione præintelligitur in materia quantitas ante formam substantialem prioritate dispositionis, licet eadem sub ratione informationis accidentalis præsupponat formam & non nisi mediante illa, subiecto conueniat. Nec est absurdum, quod eadem forma sub diuersis respectibus, & considerationibus præcedat, & sequatur formam substantialem, causæ enim adinuicem sunt causæ, & secundum vnum respectum est effectus, secundum alium causa, vt suprà latè tractatum est quæstione prima, articulo septimo.

Ad primam confirmationem respondetur, quod quantitas vt propria passio sequitur formam, vt dispositio antecedit illam, sicut de aliis dispositionibus dictum est loco citato, & non solum coaptat materiam formæ extendendo eius partes, & informando illam, sed etiam diuidendo, & separando ab alia, vt per hanc diuisionem tanta vel tanta materia subiiciatur formæ. Quod autem in diuerso genere causæ præcedat, & sequatur materiam, non est inconueniens, sicut de aliis dispositionibus dictum est præfato loco.

Ad secundam confirmationem respondetur, quod materia est indifferens ad hanc quantitatem, vel ad illam tanquam ad formam, qua actuari debet materia, & ideo non recipit hanc quantitatem singularem, antequam ipsa materia singularis, & determinata sit, sed tamen ipsa quantitas vt diuidens antecedit ipsam singularitatem sui subiecti tanquam conditio requisita, vt materia exerceat suam distinctionem, & incommunicabilitatem substantialem erga aliam materiam, & sic per talem diuisionem signatur materia, quatenus separatur, & diuiditur ab alia, vt substantialiter possit erga illam, suam incommunicabilitatem exercere. Vnde non committimus circulum, tum quia proceditur in diuerso genere causæ à materia, vt à radice primæ incommunicabilitatis ad quantitatem, vt ad conditionem diuidentem, & designantem, in diuerso autem genere causæ, circulus non est vitiosus; tum etiam quia quantitas non est ratio multiplicandi indiuiduationem provt determinata, seu terminata, sed præcisè provt diuidens, sub hac enim præcisione sufficienter ponit conditionem requisitam, vt materia exerceat suam incommunicabilitatem respectu alterius, & sit ratio indiuiduandi formas sibi aduenientes, & sic à quantitate vt diuidente, & nondum vt indiuiduata, ad materiam, vt recipientem, & indiuiduantem eandem quantitatem, non fit circulus, nec est nouum, quod aliquod subiectum respiciat formam secundum rationem, aut gradum communem, & illa ratio communis sit conditio, aut medium, vt aliæ rationes in particulari respiciantur, sicut ab anima secundum rationem animalis habet corpus potentias sensitiuas, sine quibus non disponitur ad vitam rationalem, licet in re sensus non dentur in homine sine rationalitate, & rursus qui habet animam rationalem tanquam formam, habet sensus ab illa vt à causa formali.

Vltimò arguitur, quia distinctio numerica est substantialis, & actualis, ergo non est à quantitate, quia est accidens, nec à materia, quia non est actus; actus autem est qui distinguit. Quod si à quantitate vt à conditione indiuiduatur, cur non etiam à forma vt à conditione? Præsertim cum quantitas ipsa sit variabilis, & modo maior, modo minor, & similiter ipsa quantitas indigeat indiuiduatione, sicut alia accidentia, ergo non est principium indiuiduandi. Denique quia diuisio, & receptio quantitatis est in corpore, & non in sola materia, ergo potius dicendum est, quod corpus est principium indiuiduationis, quam materia.

Respon

Respondetur ex dictis, quòd distinctio numerica est substantialis, quia habet pro ratione, & principio radicali substantiam, quantitatem autem tanquam conditionem quatenus diuidens est, diuidere autem non conuenit formæ substantiali ratione sui, nec alteri formæ accidentali, & sic quantitas, & non alia forma est conditio. Actus autem est qui distinguit, distinctione formali, potest tamen habere modum distinctionis indiuidualis à materia, quatenus est prima ratio incommunicabilitatis, distinctio autem indiuidualis dicit pluralitatem vnitatum cum tali modo, scilicet incommunicabilitatis. Quòd autem ipsa quantitas varietur, & indiuiduetur, hoc conuenit illi in quantum est quantitas terminata, & informans subiectum sicut reliqua accidentia, sic enim quantitas accidentaliter, & materialiter in eodem indiuiduo variari potest secundum varias terminationes, sed formaliter, & quantum ad rationem diuidendi, & separandi ab altero indiuiduo semper manet eadem. Itaque non magis variatur quantitas quam varietur indiuiduum, quod vtique sub eadem absoluta vnitate, stat bene quod recipiat diuersas partes, & diuersam quantitatem mutet diuerso modo terminantem, aut figurantem, sed eodem modo diuidentem, ad eum modum quo verificatur, quod manet semper idem corpus numero, & eadem materia. Denique licèt corpus sit id quod diuiditur, & informatur per quantitatem, materia tamen est principium incommunicabilitatis, & ideo est principium indiuiduationis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm accidentia indiuiduentur à subiecto, nec possint esse in eodem duo numero distincta?

IN sententia Sanct. Thom. certissimum est indiuiduationem accidentium sumi à subiecto in quo sunt, seu in ordine ad illud; quod innumeris locis affirmat D. Thom. & specialiter videri potest 1. part. quæstion. 29. articul. 1. & quæstion. 39. articul. 3 & opuscul. 29. & 36. & 2. 2. quæstion. 24. articul. 5. quæstion. 1. de veritate, articul. 11. & 3. part. quæstion. 35. articul. 5. & quæstion. 77. articul. 2. & alibi sæpè. *Fundamentum est*; quod ipse Diu. Thom. communiter repetit, præsertim 7. Metaph. lect. 15. & opuscul. 70. quæstion. 4. articul. 2. quia nulla forma receptibilis est de se indiuidua, & singularis, nisi per ordinem ad subiectum recipiens, de se enim potius forma est communicabilis, nisi per subiectum detineatur, & limitetur. Quare omnis incommunicabilitas nascitur tanquam ex principio ex subiecto recipiente, nisi forma sit separata, & per se incommunicabilis subiecto; tunc enim ex ipso modo talis forma redditur singularis, & incommunicabilis. Si autem ex subiecto redditur incommunicabilis, ex ipso etiam habet indiuiduationem. Ratio autem, cur formæ de se sint communicabiles multis, quantum est ex vi conceptus, & officio formæ, iam suprà diximus, & attigit Diu. Thom. 4. contra Gentil. capit. 81. & Caietan. capit. 6. de ente & essentia in quæst. de principio indiuiduationis ad 6. quia formæ solùm possunt fundare, vel distinctionem formalem oppositam vnitati formali, vel distinctionem formarum, licet non modo formali. Prima solum pertinet ad pluralitatem specificam, sicut è contra vnitas formalis ad vnitatem specificam, quæ se est communis multis. Secunda vero necessario debet conuenire formæ ex alio principio, quam ex vi formæ, seu per ordinem ad aliud, cum in se non sit nisi forma informans, quia autem receptibilis est in alio, ordinem dicit, & habitudinem ad illud, in quo semel recepta forma non potest transire ad aliud neque fieri communis multis, ergo inde vt ex principio, vel per ordinem ad illud habet incommunicabilitatem, & consequenter indiuiduationem, quia principium indiuiduationis vt sæpè dictum est, est incommunicabilitas, & diuisio secundum modum incommunicabilitatis.

Dices, ex se habet forma communicabilitatem ad subiectum, & in hoc genere redditur per materiam vlterius incommunicabilis ad aliud, vt ad subiectum quod informet. *Cæterùm*, de se forma accidentalis non est communicabilis ad formas alias inferiores cum ipsa sit infima, & in hoc consistit ratio indiuiduationis, non in primo. *Sed contra*, quia si forma accidentalis est vna numero ex se, & incommunicabilis pluribus inferioribus, etiam erit incommunicabilis multis tanquam subiectis, & sic vtramque incommunicabilitatem habebit à se, non vnam à subiecto, aliam à se. *Patet antecedens*, quia accidens hoc ipso quod est vnum numero, ex se non potest transire de subiecto in subiectum, & multò minus manendo in vno, poni in alio, ergo hoc ipso, quod est vnum numero, & incommunicabile inferioribus tanquam formis numero diuersis, etiam erit incommunicabile pluribus subiectis, & sic ex omni parte indiuiduabitur per se, redeuntque argumenta supra facta contra indiuiduationem rei per seipsam. Si enim id non conceditur substantiæ, multò minus accidenti. Deinde quia si forma accidentalis de se est communicabilis multis subiectis, redditur autem incommunicabilis per hoc subiectum determinatum, ergo de se est communis, & vniuersalis per modum quinti prædicabilis, quæ est prædicatio accidentis de subiecto, licèt non sit communis, nec prædicabilis per modum secundi prædicabilis, quæ est speciei de indiuiduo, scilicet formæ de hac & illa forma: sed vniuersalitas quinti prædicabilis non conuenit accidenti, quod est vnum numero, ergo vt sit vnum numero, dependet etiam ab incommunicabilitate per modum quinti prædicabilis, quod est respectu subiecti. *Minor patet*, quia accidens vnum numero, verbi gratiâ, hæc albedo, non potest verificari denominatiuè de pluribus subiectis, sed solum de vno, sicut enim albedo facit album, ita hæc albedo hoc album, & non amplius, ergo solum potest prædicari de vno, ergo quod est vnum numero per modum secundi prædicabilis non est commune modo quinti prædicabilis.

Sed inquires, an ipsa materia prima sit principium indiuiduationis radicale solum, & remotum, vt quo indiuiduationis accidentium, an verò solum ipsum compositum, cui inhærent? *Respondetur* solùm à composito quod est ens completum in actu, non à materia indiuiduari, vt docet Sanct. Thom. opusc. 29. circa finem. Licèt enim accidens indiuiduetur à composito quod est subiectum, & subiectum ipsum à materia prima vt à radice, tamen hoc est in linea indiuiduationis substantialis, quæ quidem præsupposita esse debet ad accidentalem, sed tamen formaliter loquendo radix illius indiuiduationis accidentium sistit in ipso composito, quia sistit in ente completo, & in actu, hoc enim est subiectum sustentatiuum accidentium, vt accidentia sunt, & licet materia prima sit principium *quo*, sustentandi accidentia ex parte

parte receptionis, tamen non est determinatè, & formaliter radix indiuiduanti accidentia nisi prout in actu fit per formam in composito, de se enim est principium commune ad formas substantiales, & accidentales, immediatè quidem substantialium, mediatè accidentalium, & ita per se loquendo, & in linea indiuiduationis accidentalis determinatè sistit hæc radix in ipso subiecto, quod est compositum, sicut resolutio fidei, vt fidei est, sistit in Deo vt dicente, & testificante, licèt præsuppositiuè requiratur quod sit intelligens, & sit immaterialis, & actus purus; sed hæc resolutio non est fidei vt fidei, sed cognitionis discursiuæ, qua veritas Diuina cognoscitur reducendo ad suas rationes, & principia.

Dices saltem quantitas indiuiduatur à se, quia est prima in suo genere, scilicet vt conditio requisita ad indiuiduandum. Vnde Diu. Thom. 3. part. quæstion. 77. articul. 2. & quodlib. 7. articul. 10. & aliis locis fatetur, quantitatem se ipsa indiuiduari. *Respondetur*, de hoc satis nos dixisse articulo præcedenti, quod quantitas consideratur dupliciter: vno modo quantum ad effectum diuidendi partes materiæ, & quantum ad hunc effectum à se indiuiduatur, id est partes propriæ quantitatis non ab alia quantitate diuiduntur, sed per se ipsam, reliquæ vero formæ, & substantiæ per quantitatem. Et ita in hoc habet aliquid speciale inter cætera accidentia. Alio modo consideratur quantum ad effectum formalem quem præbet informando, sicut alia accidentia, extendit enim partes substantiæ, & terminat, & sic consideratur vt quantitas terminata, & sub hac consideratione quãtitas indiuiduatur à subiecto sicut alia accidentia, & non se ipsa tantum participat enim esse à subiecto sicut alia accidentia. Vnde dicit Sanct. Thom. opusc. 70. quæstion. 4. articul. 2. *Quod quantitas habet duplicem modum indiuiduationis, vnum ex subiecto, sicut & quodlibet aliud accidens, alium ex se ipsa in quantum habet situm ratione cuius in abstrahendo à materia sensibili, imaginamur hanc lineam, & hunc circulum.* Quare qua parte indiuiduatio importat diuisionem ab alio, numeraliter dependet à quantitate, vt à conditione requisita, & faciente diuisionem, & in hoc aliæ formæ etiam substantiales dependent à quantitate, ipsa verò non dependet ab alia vt à tali conditione. Qua parte verò indiuiduatio dicit vnitatem indiuisam in se, dependet quantitas à subiecto, à quo habet accidens esse, & consequenter etiam sustentatur in vnitate. Nec Diu. Thom. in aliis locis adductis loquitur, nisi de quantitate vt facit diuisionem, in quo quantitas præbet conditionem requisitam ad indiuiduandum tanquam primam in illo genere.

Difficultas ergo restat in hoc articulo, quæ & præcipua est circa id quod sæpè affirmat Diu. Thom. quod duo accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto, seu in eadem parte, eo quod ab illo indiuiduantur, vt expressè affirmat 3. p. quæstion. 35. articul. 5. & in 3. distinction. 23. quæst. 3. art. 4. quæstiunc. 3. & in 4. distinct. 12. quæstion. 1. artic. 1. quæstiunc. 3. & aliis multis in locis. Et quidem multi in hoc etiam conueniunt saltem loquendo de accidentibus absolutis, sed non ex eodem fundamento, aliqui enim id probant ratione superfluitatis alij propter identificationem, quia posito accidente eiusdem speciei cum alio in eadem parte subiecti redigitur in vnum cum illo, sicut si misceantur duo liquores.

Ceterùm fundamentum Diu. Thom. sumitur ex principio indiuiduationis sæpe iam dicto, quia forma ex vi formæ non habet principium diuisionis numeralis, sed formalis, ergo debet sumi ex aliquo principio extra formam, quod se habeat vt principium materiale recipiens, & reddens incommunicabilem talem formam, atque adeo accidẽs cum in se solum habeat rationem formæ, materiam verò non includat intrinsecè, sed solum dicat ordinem ad illam, ex isto ordine multiplicabitur multiplicatione non formali, quæ est numerica. Si autem ex parte istius principij materialis non incipit diuisio, non remanet in ipsa forma aliqua ratio multiplicationis indiuidualis. Et sic rectè dixit Caietan. 3. part. quæstion. 35. articul. 5. fun. dari hanc doctrinam Diu. Thom. in illa maxima, *Quod omnis diuisio fit, aut per principia formalia, aut per quantitatem, seu diuisionem materialem*, & ita remota diuisione materiali, & quantitatiua ex parte subiecti, & stante vnitate formali ipsius formæ non datur principium multiplicationis numericæ. Cuius intelligentia consistit in hoc, quòd semper diuisio numerica debet causari, & oriri ex aliquo principio materiali diuiso. Quod si hoc principium materiale non multiplicatur, semper forma manebit vna ex vnitate principij extrinseci indiuiduantis, hoc autem principium indiuiduans accidentia est subiectum in quo recipitur, quia ex ipso prouenit incommunicabilitas, vt satis probatum est supra, ergo si hoc principium materiale non diuiditur, ita quod ab ipso incipiat distinctio materialis, non poterit dari multiplicatio indiuidualis formæ accidentalis. Quòd si forma accidentalis semel indiuiduatur per ordinem ad hoc subiectum, in quo producitur, siue sit subiectum proprium, siue extraneum, etiamsi postea separetur, vel in alio subiecto ponatur, non amittit indiuiduationem, quia retinet ordinem, & respectum ad illud primum subiectum vnde indiuiduatum fuit. Nec est inconueniens, quòd duæ albedines indiuiduatæ à diuersis subiectis, diuinitus separentur ab illis, vel etiam vniantur in vno tertio subiecto conseruata cuiusque indiuiduatione; nam tunc erunt plura indiuidua accidentia in vno subiecto per accidens, non tamen per se indiuiduabuntur ab illo, sed à diuersis subiectis in quibus producta fuère, & per ordinem ad quæ indiuiduationem suam primò factam præsupponunt.

Nec obstat, quòd illæ vniones in illo tertio subiecto in quo recipiuntur, etiam sunt eiusdem speciei, nec ab alio indiuiduantur, quàm ab illomet subiecto, ergo saltem illæ duæ vniones recipientur simul in eodem subiecto tanquam duo indiuidua eiusdem speciei. *Respondetur enim*; quòd illa vnio si sumatur pro inhærentia accidentis, est modus identificatus cum ipso accidente, & multiplicatur numero ad multiplicationem ipsius entitatis realis accidentium. Vnde in illo casu in quo supponitur ipsa accidentia esse indiuiduata non ab illo subiecto in quo sunt, sed ab aliis quorũ propria sunt, iã possunt ipsa accidẽtia indiuiduare in se modos, non ratione subiecti cui de nouo coniunguntur, sed ratione suæ entitatis indiuiduatæ ex aliis principiis, & subiectis ad quę ordinem dicũt; sicut etiã quãdo separata sũt à subiectis, modos aliquos in se recipiunt, & indiuiduãt. Si autẽ loquamur de vnione, non pro inhærentia, sed pro immutatione, qua subiectum immutatur ad illa accidentia suscipienda, illæ immutationes sequuntur actionem Dei transferentis accidentia ad illud subiectum, quæ cũ diuersa immutatio sit à naturali alteratione producente accidens in subiecto, diuersæ etiam speciei vnionem dicet ex parte immutationis. Quare si duo accidentia diuersa numero supernaturali actione vni subiecto vniantur, id debebit fieri immutatione di-

uersæ speciei, vt non sint duæ vniones eiusdem speciei ab eodem subiecto indiuiduatæ. Quâ etiam ratione, si vnam humanitatem plures personæ Diuinæ diuersis vnionibus assumpserint, debebunt esse vniones diuersæ speciei, quia ad diuersas personas terminantur.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò obiicies; si non potest plura accidentia eiusdem speciei recipere subiectum nisi diuidatur, ergo neque plura indiuidua diuersæ speciei, nam illa verè plura indiuidua sunt, ergo etiam ad dandas illas diuersas indiuiduationes, diuersitas subiecti requiretur, quod est apertè falsum. Similiter etiam non poterit idem subiectum recipere duo accidentia numero distincta successiuè, nisi etiam successiuè plurificetur, non plurificatur autem successiuè subiectum: Quod verò tempus discontinuetur non refert, quia tempus solum est circumstantia, non radicale principium indiuiduationis, & sic non requiretur diuisio radicalis principij quod est subiectum. Ac tandem videmus plura lumina esse in eodem subiecto si applicentur plura luminosa, cuius signum est, quia fiunt plures vmbræ, quæ solo numero sunt distinctæ, sicut & luces.

Respondetur, quòd in receptione plurium accidentium specie, non fit multiplicatio numeralis, sed specifica, posita tamen in suis indiuiduis. Et ideò non indiget diuidi principium materiale, cum diuiso fiat ex parte formæ, & distinctionis formalis, sed sufficit ponere in subiecto capacitatem plurium formarum specie diuersarum, quæ vt Diu. Thom. docet 8. de veritate articulo 14. recipiuntur secũdum diuersas potentias subiecti, id est, secundùm diuersos respectus participandi formas, sicut dulcedo recipitur ex participatione humidi, albedo ex participatione lucis. Hæc autem capacitas non inuenitur in materia prima ad plures formas substantiales simul habendas, quia quælibet forma substantialis habet priuationem alterius, quia quælibet dat primum esse, & esse simpliciter. Cæterùm quando non dantur formæ diuersæ speciei, si multiplicatio debet fieri, cum non oriatur ex parte formæ, vt forma, seu distinctionis formalis, oriri debet ex diuisione principij materialis, ad quod cum dicat forma habitudinem, resultat multiplicata indiuiduatio in forma.

Ad secundam partem argumenti respondetur, quod in casu successionis formarum eiusdem speciei, non est necesse subiectum entitatiuè diuidi in actu, quia non datur multiplicatio formarum in actu, sed vna tantum est in actu, alia verò præteriit, & in actu non est; vnde sicut multiplicatio est in potentia, vnitas verò in actu, ita sufficit vnum subiectũ materiale in actu, licet in potentia, & virtualiter se habeat ad plura. Et sic tempus non est principium radicale multiplicandi, sed solum circumstantia, est tamen principium consumendi vnum quod præteriit, & relinquendi in actu solum vnum quod existit & indiuiduatur actu.

Ad tertiam partem argumenti respondetur, quòd duplex luminosum, cum non penetretur, sed quodlibet sit in diuersa parte medij, diuersum quoque lumen efficit, vel intendit secundùm diuersas lineas. Quod verò fiant duæ vmbræ, etiam fiunt in diuersis partibus spatij, sicut & ipsæ luces diuersæ sunt, à quibus corpus opacum per diuersas lineas tangitur.

Secundò arguitur, in his quæ relatiuè se habent; cum enim relatiua respiciant terminum extra se, ex multiplicatione illius, & non solum ex subiecto habebunt multiplicari, cur enim non à terminis multiplicabuntur sicut à subiectis? Et sic vnus pater ad plures filios habebit diuersas relationes, siquidem pereunte vno filio manet respectus ad alios & idem est de albo respiciente plura alba vt similia. Tum duæ species intentionales, vel duæ visiones, aut conceptus repræsentantes duo indiuidua eiusdem speciei non differunt, nisi numericè sicut obiecta ipsa, & tamen sunt simul in eadem potentia. Similiter charitas habuit in Christo duos actus, erga Deum alterum necessarium, quo fruebatur, alterum liberum, quo merebatur diligendo Deum, & tamen erant eiusdem speciei, sicut charitas ipsa à qua procedebant. Denique causa efficiens, & finalis duas numero actiones efficere, & finalizare possunt, ergo & causa materialis plures numero formas recipere.

Respondetur aliquos sentire, quòd plura accidentia relatiua, vel respectiuè se habentia ad diuersos terminos, seu habentia diuersos status, vel modos possunt multiplicari numero in eodem subiecto. Sed est expresse contra Diu. Thom 3. part. quæstion. 35. articul. 5. vbi loquitur de relatione ad plures filios, quam dicit non multiplicari in vno patre, quia fundamentum est vnum, scilicet potentia generatiua vt reducta ad actum, & quod fit per plures actiones, vel ad plures terminos materialiter se habet, nam etiam vnica actione contingit plures filios generari, & nasci ex vno partu, & tunc relatio est vna, quia fundatur in vnica actione, termini autem materialiter solum plures; eodem autem modo se habet relatio ad plures filios natos per plures actiones, vel per vnam; de quo latius egimus in Logica q. 17. art. 6. Itaque relatio patris potest attingere adæquate omnes procedentes ab isto, quia sub hac ratione fundatur ista relatio. Mortuo autem vno filio manet relatio eadem ad alium quasi intensiue, sed non quasi extensiue, & adæquate: Et idem est de conuenientia albi ad plura alba, vel pauciora.

Et ad instantiam, cur non sumetur multiplicatio à diuersitate terminorum ad quos, sicut à diuersitate subiecti? *Respondetur*, causam esse, quia terminus ad quem non respicitur per se, vt principium materiale, & diuisionis materialis, sed vt formale, & specificatiuum, quia species sumitur ab obiecto, & à termino ad quẽ. Quòd vero ratio ista formalis inueniatur in pluribus, vel paucioribus, pertinet ad materiale eius, & facit ad extensionem talis actus, non ad principium multiplicandi ipsum, quia non est principium incommunicabilitatis, & incommunicabilis multiplicationis, sed est subiectum habens in se rationem formalem, quam respicit talis actus, & ita respiciendo rationem formalem, respicitur id, in quo inuenitur tanquam materiale attactum, non vt incommunicabile reddens. Cuius signum est, quia eadem actio potest diuersos terminos materiales attingere, quasi inadæquate contentos sub eadem ratione formali. At vero subiectum, seu causa materialis, ita formas recipit, quòd incommunicabilitatem ex ipsa receptione præbet, atque adeo indiuiduationem; & si multiplicatur, indiuiduatio multiplicabitur. De causa vero efficiente, & finalizante, dicimus quod non se habent, vt intrinseca indiuiduationis principia incommunicabilitatem fundantia, sed vt extrinseca, vel exequendo, vel alliciendo, seu dirigendo. Vnde quòd plures actiones numero distinctas attingant, vel non attingant,

gant, non ex efficienti præcisè sumitur, aut fine, sed ex dispositione materiæ à qua in hac parte efficiens pendet, & cui se accommodat, vt plures numero actiones habere possit, materia vero ex se habet hoc principium.

Ad aliam partem argumenti, de speciebus, conceptibus, & actibus *respondetur*, quòd respectu obiectorum se possunt habere dupliciter. Primò quòd talis species, vel cognitio adæquatè se habeat ad istud indiuiduum; secundò quòd inadæquatè, quia attingit plura vt contenta sub vna ratione, aut medio. Si hoc secundo modo, non multiplicantur species vel actus, sed eadem species multis actibus deseruit, & eadem numero visione plura in hoc medio contenta video, quia illa pluralitas est materialis ex parte obiecti attacti, quæ non est principium multiplicandi indiuidualiter visiones. Si primo modo, sunt actus aut repræsentationes specie distinctæ, quia id quod indiuiduationis est in obiecto respicitur per se, & vt adæquans talem actum, & consequenter vt specificatiuum eius, & ideò tales differentiæ indiuiduantes, quia sumuntur vt rationes adæquandi, & per se distinguendi actus, sumuntur vt specificantes, & licet in se entitatiuè solum indiuidualiter differant, tamen obiectiuè sunt specificatiua diuersa.

Quod verò attinet ad actus charitatis, aliqui tenent Christum Dominum non habuisse, nisi vnum numero actum charitatis regulatum à visione beatifica, qui vt ferebatur in Deum erat necessarius, & non meritorius, vt autem in creaturas, ferebatur liberè, & sic poterat esse meritorius, de quo videri potest Aluarez 3. p. disp. 45. & in id aliqui Thomistæ inclinant. Alij nec improbabiliter existimant charitatem habere plures actus specie incompleta, & imperfecta distinctos, sicut distinguuntur diuersi actus religionis, vt deuotio, oratio, votum, adoratio, &c. Et fortitudo habet duos actus, aggredi, & sustinere, & aliæ virtutes similiter, quos actus simul exercere possunt, atque adeo non solo numero distinguuntur, licet procedant ab habitu eiusdem speciei, sed habent diuersam speciem incompletam, sicut duæ partes eterogeneæ in homine: sic charitas habet duos actus distinctos, vt fatetur D. Th. 2. 2. q. 44. a. 1. ad 1. alium erga Deum, alium erga proximum, qui possunt esse simul, ergo plus quam numero distinguuntur. Quid ergo mirum, quod etiã erga Deũ possit eadẽ charitas habere duos actus specie quasi incõpleta, & partiali distinctos, alterum necessarium fruitionis regulatum visione beata, alterum liberum regulatum scientia infusa non vidente clare Deum, & consequenter tales actus sint simul, sicut actus erga Deum, & erga proximum? Sed de his plura Theologi.

CIRCA LIBRVM SECVNDVM.

QVÆSTIO X.

De Elementis, & Primis Qualitatibus.

ARTICVLVS I.

Quid sit Elementum, & quotuplex, & quæ sint qualitates primæ?

ELEMENTVM sumi potest dupliciter. Vno modo latè, & communiter prout complectitur prima principia, & causas intrinsecas rerum, qua ratione 1. Phys. q. 2. art. 1. ex D. Tho. diximus tria ista, scilic. principium, causa, elementum, habere se sicut magis, & minus commune, saluari autem elementum per hoc quod sit aliquid principium, & causa intrinsece componens. Causa autem magis communiter se habet, & complectitur etiam principia extrinseca, à quibus aliquid procedit cum dependentia, & participatione. Principium autem adhuc communius dicitur id, à quo aliquid procedit, etiamsi sine dependentia, & participatione, vt in diuinis. Alio modo sumitur elementum strictius pro principiis, quæ in se etiam sunt composita, & principiata, vtpote corpora composita ex materia, & forma, quia tamen sunt corpora simplicia dicuntur elementa, quatenus distinguuntur à mixtis, quæ ex illis componuntur. Et sic sumuntur pro quatuor vulgaribus elementis, terra, & aqua, aëre, & igne; de quibus agitur tum in 3. de cœlo, tum hic; sed ibi agitur de illis secundum quod petunt determinatam situationem in vniuerso; in præsenti autem prout sunt prima generabilia, & corruptibilia, sicque ad generationem, & corruptionem spectant. Definitur autem elementum, *quod est corpus, in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus inest actu, vel potentia, ipsum autem est indiuisibile in diuersa secundum speciem*. Lv *corpus*, ponitur loco generis, & excludit illa elementa, quæ sunt prima principia corporum, vt materia, & forma, non autem sunt corpus, neque enim materia est corpus, sed principium corporis. Reliquæ particulæ ponuntur ad distinguẽdum ista elementa à reliquis mixtis, quæ non sunt cora simplicia, & dicitur non diuidi in alia corpora, id est, resolui per alterationem, & corruptionem, mixta enim resoluuntur in elementa, elementa verò non resoluuntur in alia, sed vnum corrumpitur ab alio, vel in vnum tertium, quod est mixtum, conspirat: dicitur autem inesse elementum actu, vel potentia in mixto, quatenus elementa virtualiter manent in mixto per suas qualitates, vt suprà quæstione quinta, dictum est. Et licet etiam partes integrantes sint in corpore, actu, vel potentia, & in eas diuidatur totum, non tamen diuiditur per resolutionem alteratiuam, sed per diuisionem quantitatiuam

ratiuam, ipſæ autem partes etiam reſoluuntur in elementa.

Quotuplex autem ſit elementum etiam ex tractat. in 3. de cœlo conſtat, omiſſis enim antiquorum opinionibus, conſtat ponenda eſſe quatuor elementa, quæ ſuprà numerata ſunt. Id probat Ariſtotel. tum in 3. de cœlo, ex motibus localibus, & ſituatione in vniuerſo, & ex grauitate, & leuitate, quæ omnes probationes in idem redeunt, quia ſolum ſunt quatuor loca inſra cœlum, ſcilicet ſummum, quod tangit cœlum, infimum, quod eſt centrum terræ, alterum prope ſummum, & alterum prope infimum, & ſic correſpondet etiam leuitas ſumma ſupremo loco, grauitas ſumma infimo, mediis autem locis grauitas, & leuitas media, & ſic ſunt quatuor elementa, quæ petunt iſta quatuor loco, & leuitates, atque grauitates. In præſenti autem probat numerum elementorum ex numero qualitatum contrariarum, ſcilicet calore, & frigore, ſiccitate, & humiditate. Cum enim iſtæ ſint qualitates primæ propriè, & per ſe conueniunt primis corporibus, quæ vocamus elementa, ex his autem aliqua debent competere in ſummo ipſis corporibus ſimplicibus, ſi enim nulla competerent in ſummo, ſed omnes temperatè, & moderatè, competerent eo modo quo mixtis, in quibus omnes qualitates ſunt moderatæ. Conueniente autem aliqua qualitate in ſummo, ſolum poſſunt fieri quatuor combinationes in conuenientia iſtarum qualitatum, ergo ſolum poſſunt dari quatuor elementa. *Minor probatur*, quia ſolum poſſunt fieri iſtę combinationes ſcilicet calidum & ſiccum, calidum & humidum, frigidum & humidum, frigidum & ſiccum. Aliæ vero duæ, quæ poſſunt fieri inter qualitates contrarias, vt frigidum & calidum, ſiccum & humidum, non pertinent ad rem, nam ſi vtraque eſt in gradu intenſo non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Si autem altera eſt intenſa, vel eſt intenſa in ſummo, & ſic totaliter excludit oppoſitam, nec facit combinationem cum illa, vel eſt intenſa citra ſummum, ita quod admittat aliquid de oppoſito in gradu remiſſo & hoc magis pertinet ad mixta, quam ad elementa, quia mixta ſunt illa, quæ poſſunt habere omnes quatuor qualitates inter ſe temperatas; tunc autem illud corpus, quod haberet calidum & frigidum, nõ repugnaret habere omnes quatuor qualitates, poſſet enim etiam alias duas, ſcilicet humidum & ſiccum eodem modo temperatas habere, ſicut calidũ & frigidum, ſuppoſito, quod nullam haberet in ſummo; ergo vt aliquid ſit elementum non habens omnes quatuor qualitates, oportet, quòd aliquam habeat in ſummo, vt ratione eius aliquam totaliter excludat.

Cæterùm, quia hæc ratio ſupponit dari quatuor primas qualitates, oportet explicare quid ſint, & quomodo ſint primæ. Quia ergo primum dicitur in aliquo genere per negationem alicuius prioris, illæ dicuntur primæ qualitates, quæ non habent alias priores ſaltem in illo genere. Vnde definiri poſſunt primæ qualitates ad modum primorum principiorum: *Quæ nec ex aliis qualitatibus, nec ex ſeipſis mutuo fiunt, ſed aliæ ex ipſis.*

De iſtis autem primis qualitatibus poſſumus loqui, vel abſolute in omni genere qualitatis, vel ſtrictius in genere corporali, vel adhuc ſtrictius in genere corruptibili. Primo modo certum eſt qualitates ſpirituales, tam dignitate, quàm cauſalitate eſſe priores, quia per ipſas mouentur prima corpora, à quibus dependent primæ qualitates corporales. Secundo modo datur etiam aliqua qualitas prior iſtis primis qualitatibus, ſicut ſunt qualitates cœleſtes, inter quas principalior eſt lux, tum quia primò facta eſt à Deo, cum dictum eſt Geneſ. 1. *Fiat lux*; tum quia eſt immaterialior cæteris, & minus pendens à motu; manebit enim illuminatio etiam ceſſante motu cœli, tum quia conuenit perfectiſſimo corpori, ſcilicet Soli, & Cœlo Empyreo. Similiter figura, & forma ſunt qualitates communes corpori corruptibili, & incorruptibili, nec ſemper ſequuntur ad alterationem primarum qualitatum, ſed ad ſolam diuiſionem continui, vel ad creationem ipſius corporis incorruptibilis. At verò tertio modo dantur primæ qualitates generabiles, & corruptibiles, quæ ſunt prima contraria in qualitatibus phyſicis, & ſunt illa quatuor, ſcilicet calor & frigus, ſiccitas & humiditas. Et dicuntur primæ qualitates, quia in genere alteratiuo & corruptibili, ipſæ primò deſeruiunt ad omnem generationem ſubſtantialem, tam mixtorum, quàm elementorum, & ideo propter ſuam vniuerſalitatem in deſeruiendo ad generationem, ſunt primæ, & deinde, quia deſeruiunt ad primam ſenſibilitatem, & primum ſenſum omnium, qui eſt tactus, ſunt enim per ſe primò tangibiles, tactus autem eſt primus ſenſus & fundamentum cæterorum. Et denique, quia omnes aliæ qualitates corruptiuæ, & alteratiuæ in iſtis inferioribus, reſultant ex iſtis tanquam ex prioribus, & ſimplicioribus, ſicut odor, ſapor, color, grauitas, leuitas, molle, durum & alia ſimilia, quæ ſunt qualitates mixtæ, quia proprie conueniunt corporibus mixtis, & ſic reſultant ex aliis prioribus, quæ conueniunt corporibus ſimplicibus, & non ſunt aliæ, quam illæ quatuor dictæ, quas in elementis reperiri conſtat.

Quod ſi dicas; nam præter iſtas qualitates dandæ ſunt aliæ virtuales in elementis, quæ dicuntur tales, quia mediis ipſis ſubſtantia elementi producit ipſas quatuor primas qualitates, nam cum aqua, verbi gratiâ, vehementer calefit, nihil retinet de frigiditate formali ſiquidem non ſentitur in ea aliquod frigus, & tamen retinet aliquid de virtuali, quia poteſt expellere per ſe illum calorem, & ad frigiditatem reduci, illa autem frigiditas non poteſt immediate à ſubſtantia aquæ dimanare, quia ſubſtantia non eſt per ſe actiua, ergo ab aliqua qualitate quæ dicitur virtualis frigiditas, & idem eſt in aliis elementis. *Reſpondetur*, aliquos ita ſentire, quòd dentur iſtæ virtuales qualitates, quales etiam inueniuntur in aliquibus mixtis, ſicut piper & vinum dicuntur virtualiter calida, & alia inueniuntur virtualiter frigida. *Cæterùm* in elementis non poſſumus illas admittere ſicut in mixtis Nam iſtæ qualitates virtuales in elementis, vel ſunt eiuſdem ſpeciei cum formalibus, vel non. Si ſunt, ergo ſuperfluunt, ad quid enim duæ qualitates eiuſdem ſpeciei? Et currit eadem difficultas, quomodo ſcilicet iſtæ qualitates virtuales à ſubiecto poſſint dimanare, nam ſi dimanãt per alias, erit proceſſus in infinitum: ſi per ſeipſas, cur ſimiliter non dimanabunt qualitates formales? Si non ſunt eiuſdem ſpeciei, quomodo poſſunt eſſe ratio producendi qualitates formales, cuius ſpeciei non ſunt? ſiquidem ſimile ſolum agit in ſibi ſimile. Itẽ quia vel illa qualitas virtualis eſt per ſe ſenſibilis vel non. Si nõ, eſt qualitas ignota, & nõ conuenit primo corpori per ſe ſẽſibili, quale eſt elementũ, omnes enim qualitates eius ſẽſibiles sũt, ſi eſt ſẽſibilis, ergo erit eiuſdẽ ſpeciei cũ aliis, quæ ſimiliter ſenſibiles ſunt. Et cum alias non indigeat ſubſtantia ad emanationem qualitatis ſibi conuenientis alia qualitate media, vt fiat iſta emanatio, ſuperflue ponuntur iſtæ qualitates virtuales, vt primę formales emanent. Quod vero in aliquibus mixtis iſtæ qualitates virtuales inueniantur,

non

non est ad illud munus, vt videlicet aliæ qualitates mediantibus illis emanent, sed vt ipsa agant in alia, piper enim non se calefacit, sed stomachum, cum enim mixta fiant ex commixtione elementorum, contingit in aliquibus tale fieri temperamentum, vt calor vel frigus prædominetur, & cum illud temperamentum mixti à calore stomachi dissoluitur, prodit fortius illa qualitas prædominans, scilicet calor vel frigus, & acrius operatur.

Sed inquires, quare ab Aristotele quædam ex istis primis qualitatibus vocentur actiuæ, quædam passiuæ? *Respondetur*, Aristotel. tum in hoc libr. 2. text. 8. tum in 1. Meteor. dicere, quod ex istis qualitatibus calor & frigus sunt actiuæ; siccitas & humiditas passiuæ. Quod non est sic intelligendum, quasi ipsa siccitas & humiditas absolutè & secundum se non sint actiuæ, agunt enim adinuicem & producunt sibi similia; humiditas enim humectat, siccitas exsiccat, & expellunt se tanquam contraria. Intelligitur ergo, quòd comparatiuè ad mixtum, & in ordine ad constituendum illud, siccum, & humidum magis materialiter se habent, & passiuè, quàm calidum, & frigidum. Vnde ea, in quibus humidum prædominatur, sunt benè passiua, quia facilius terminantur terminis alienis, quod pertinet ad humidum, vel retinent proprios, quod pertinet ad siccum, quæ autem sunt vehementiora in agendo, magis participant de calore, aut frigore, quia pertinet ad calidum & frigidum congregare, vel disgregare, quod importat actionem.

Ex dictis colligere possumus, quomodò explicandæ sint definitiones istarum primarum qualitatum, quas Aristotel. in præsenti definit iuxta actiuitatem, vel passiuitatem earum. Calidum ergo definitur, *id quod homogenea, & similaria congregat*, frigidum, *quod congregat dissimilia*, humidum, *quod facile terminatur alieno termino, difficile proprio*. siccum è conuerso, *quod difficile terminatur termino alieno, facilè proprio*. Quæ definitiones intelliguntur more physico, id est, quòd tales qualitates istos effectus petunt, quantum est ex se, licet per accidens impediri possint. Nam calidum dicitur congregare homogenea, quia id petit ex vi suæ actiuitatis; imò si aliquando videtur congregare ea, quæ sunt diuersi generis, aut laxare, & resoluere ea, quæ sunt eiusdem, vt cum congregat plures cibos, & ex illis facit liquorem in stomacho, aut cum resoluit glaciem, plumbum, æs, & similia; id facit non congregando ea, quæ sunt diuersi generis manentibus in diuerso genere, sed potius vnam quandam substantiam tertiam ex illis educundo, verbi gratiâ, liquorem tertium, quem facit esse vnum, & consequenter congregat rem vnius generis; & similiter resoluendo glaciem, aut liquefaciendo plumbum, facit vnum esse, quæ sunt vnius generis, quia per ipsam resolutionem, & liquefactionem, segregantur, quæ sunt vnius generis ab alio, sicut quod admixtum est plumbo, & aliis metallis secernitur, & in alimento, quod impurum est ab eo quod est purum, & ita semper, quæ sunt vnius generis congregantur à calore, & disgregantur, quæ sunt diuersi generis. Frigus verò si congregat, non id facit resoluendo, sed potius spissando, & ideo non excernit; sed vnum cum altero aggregat. Per accidens tamen dicitur frigus dissoluere, non rarefaciendo, sed quia recedente calore, manent partes suo officio impeditæ, & solutæ, vt cum dicuntur membra solui frigore, quia recedentibus spiritibus vitalibus membra manent impedita. Similiter siccum dicitur difficilè terminari alieno termino per se, & ex vi siccitatis, non per accidens, sicut ignis verbi gratiâ, ex vi siccitatis difficile terminatur alieno termino, imò de se libertatem quærit, & si nimis occludatur perit, tamen quia dominatur calor, & facit ipsum ignem ratum, hac ratione non operatur sola siccitas, sed etiam raritas, quæ facilè cedit alieno termino. Et similiter pulueres minutissimi propter suam tenuitatem admittunt multum de aëre inter partes minutas, & sic si non constipentur facile cedunt.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

CONTRA *numerum elementorum fit argumentum de igne*: quia si esset elementum, deberet habere locum determinatum in vniuerso, sicut reliqua elementa habent, sed hoc est falsum, ergo. *Minor probatur*, quia si haberet talem locum deberet esse suprà aërem, quia ignis maxime leuis est, sed non competit ei esse suprà aërem, tum quia Aristotel. 1. Meteor. cap. 4. dicit: *Quod id quod prope lunam est, non est ignis, licet à nobis ignis vocetur*, tum quia ibi neque lucet, neque calefacit, si autem ibi esset non posset tam vastum corpus non sentiri, & in luce, & in calore: tum quia caret pabulo in tanta altitudine, ergo non potest ibi conseruari. *Confirmatur*, quia elementa apud nos inueniuntur, cum qualitatibus mixtis, vt aqua cum sapore, datur enim aqua dulcis, vel salsa, vel amara; inuenitur etiam terra cum peculiaribus virtutibus ad diuersos effectus, qui exigunt temperamentum particulare, ergo non est elementum, sed mixtum.

Respondetur, concedendo proprium locum ignis esse supra aërem, & prope cœlum, hoc enim petit naturalis inclinatio eius, quia habet maiorem leuitatem, quam aër, esset autem contra naturam dare igni talem inclinationem, & perpetuo priuare illum tali loco. *Ad locum ergo Aristotel. dicimus*, quòd non negat propè lunam esse ignem quoad substantiam elementi, sed quoad conditiones quas habet apud nos, & ratione quarum vocatur ignis, ibi enim propter suam tenuitatem potius videtur esse flamma, apud nos autem propter nimiam concretionem dicitur ignis. Sicut glacies non est elementum aquæ, sed excessus frigoris concreti in aqua.

Ad secundam probationem respondetur, quòd ignis ibi non lucet propter nimiam raritatem, vt enim aliquid luceat, requiritur, quòd sit corpus terminatum, & spissum, vt emittat radios, sicut etiam cœlum empyreum non lucet, licet sit lucidissimum propter suam raritatem, vt aduertit D. Thom. 1. part. qu. 66. articul. 4. Non calefacit autem ignis hæc inferiora, quia calor ignis funditur in directum, & ad latera, quia ibi diffundit suam virtutem, in quod tendit, in inferiora autem non tendit, & sic non diffundit calorem ad hæc inferiora, vel ita parum, quod ad tantam distantiam non sentitur. *Ad tertiam dicitur*; quòd ignis in propria sphæra non indiget pabulo, sicut apud nos, quia hic patet multis contrariis, & cum sit substantia valde tenuis, facilè interimitur, nisi in aliqua densiori materia fortificetur, quod non currit in sphæra propria.

Ad confirmationem respondetur, aliquos sentire non dari purum elementum, sed solum elementa inueniri in mixtis, contra quos videri potest M. Bannez 2. de gener. cap. 3. quæst. 1. circa vltimum argumentum. *Dicendum ergo*, quòd elementum potest dici purum dupliciter. Vno modo substantialiter, id est, quòd non habeat aliam formam substãtialem, quàm elementi. Alio modo accidentaliter, & quoad suas qualita-

qualitates, de quibus possumus loqui dupliciter, vel prout sunt in propriis locis, vel extra illa. Igitur quoad formam substantialem omnia elementa etiam extra loca naturalia sunt pura, quod patet, quia ex hoc, quod ponantur extra propria loca non corrumpuntur, nec fiunt mixta, ergo manent substantialiter elementa. Quoad qualitates autem certum est, alicubi inueniri elementa pura, sicut ignis in sua sphæra, aut prope concauum lunæ, vbi nullum aliud corpus reperiri potest, à quo reddatur impurus; & terra etiam in profundioribus partibus, quo non perueniunt alterationes cœli, erit pura propter exclusionem alterius corporis mixtionem facientis. Et probabile est etiam in profundo maris inueniri aquam puram, sed ibi nec habebit saporem nec colorem. Quòd vero aqua vsualis apud nos saporem habeat, extraneum est ipsi, & non ex propriis; & præsertim salsedo maris ex adustis exhalationibus prouenit, & à Deo attributa est illi propter generationem piscium, & commoditatem nauigationis, vt dicemus in Meteoris tractat. 7

Secundò arguitur: quia numerus quatuor elementorum, neque deducitur ex motu corporum simplicium, neque ex loco eis debito, neque ex combinationibus primarum qualitatum, ergo ex nullo principio. *Antecedens probatur*, nam si attendamus ad motum sunt tres differentiæ, scilicet à centro, ad centrum, circa centrum, ergo erunt tria elementa. Si attendamus ad locum, sunt duo, scilicet sursum & deorsum, duæ etiam virtutes mouendi, scilicet grauitas, & leuitas, ergo solùm duo elementa. Si attendamus ad combinationes primarum qualitatum, illæ possunt fieri multò plures, quam quatuor, possunt enim coniungi istæ primæ qualitates secundum diuersos gradus pluribus modis, vt calidum in summo, & siccum infrà summum, & similiter calidum, & siccum in summo, idémque de calido, & humido, & de frigido, & sicco dici potest. In gradibus autem remissis plures etiam combinationes fieri possunt, cum etiam contrariæ qualitates in gradibus remissis simul esse possint, & non solum qualitates non contrariæ. Plures ergo combinationes possunt fieri, quam quatuor, & consequenter plura elementa.

Respondetur. Quòd quando colligimus numerum elementorum ex motu simplicium corporum, intelligitur de simplicibus corporibus corruptibilibus, incorruptibile enim quod est cœlum mouetur circulariter, seu circa centrum, vt monstrat eius figura, & quotidiana experientia. Motus ergo simplicium corporum corruptibilium solùm est à centro, vel ad centrum, sed duobus conuenit per extremum, scilicet terræ in ipso centro, & igni distantissimè à centro, id est prope cœlum; aliis duobus medio modo; scilicet propè centrum aquæ, & propè ignem, aëri. Idem dicimus de loco, quod est duplex, loquendo quasi in genere, scilicet sursum, & deorsum, sed diuiditur in quatuor modos, scilicet sursum, & deorsum per extremum, & sursum, & deorsum medio modo. Grauitas etiam, & leuitas inuenitur, vel in summo vt in terra, & igne, vel medio modo vt in aqua, & aëre. Quod verò attinet ad alias combinationes iam suprà diximus illas non esse possibiles pro elementis, sed vel pro mixtis, si qualitates contrariæ reducantur ad temperamentum, vel si pro elementis sunt possibiles qualitates in gradu remisso, id necessario debet esse cum exclusione sui contrarij, nam si vtrumque contrarium admittatur in gradu remisso, habebit temperamentum omnium qualitatum primarum, quod est proprium mixti. An verò detur elementum, cui conueniant duæ qualitates in summo, vel duæ in gradu excellenti, & nulla in summo, dicemus art. 3.

ARTICVLVS II.

Vtrùm qualitates contrariæ se expellant in gradibus intensis, & compatiantur in remissis?

CONtrarias qualitates mutuo se expellere, tum experientia quotidiana monstrat, tum definitio ipsa contrariorum tradita ab Aristotel. 10. Metaph. capit. 6. contraria sunt, *quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt.* Difficultas ergo est, an ista repugnantia, & expulsio fiat ratione ipsius entitatis qualitatum, an solum ratione gradus, & status, quem habent, itavt solùm in gradibus intensis contrarientur, non in remissis. Inde enim dependebit cognoscere, in quo fundetur ratio contrarietatis, & cur vnum contrarium expellat alterum, deseruiétque hæc doctrina etiam pro contrariis moralibus, & intellectualibus.

Dico primò: *Contrarietas, quæ est specialis oppositio, licet originetur à contradictoria, & priuatiua, aliquid tamen speciale addit suprà illas, scilicet quod in ea inueniatur medium cum positiuis extremis.* Constat hoc ex 10. Metaph. text. 15. lect. 6. apud Diu. Thom. & opuscul. 37. de oppositis. *Et ratio est*; quia de ratione cuiuscumque oppositi est, quod repugnet suo opposito, si enim non repugnat illi, sed solum conuenit cum illo, & simul possunt esse non est oppositum illi, sed appositum, & conueniens. Debet ergo vnum includere negationem alterius, quia repugnantiam, & exclusionem alterius habet; excludere autem non potest nisi negando illud. Omnis autem negatio, & positio principaliter inueniuntur in contradictoriis, deinde in priuatiuis, cæcitas enim importat negationem visus, in contrariis album negationem nigri, & in relatiuis filius non est pater illius cuius est filius. Hæc autem sunt omnia genera oppositorum.

In quo autem consistat specialis repugnantia contrariorum, difficile satis explicatur. Specialem enim repugnantiam habere constat, quia specialiter distinguitur ab aliis speciebus oppositionis, inter quas vna est ipsa contrarietas. Difficile autem explicatur propter aliqua, quæ mutuo se expellunt, & sub eodem genere inueniuntur maxime distare, & tamen contraria non sunt, vt duæ formæ substantiales, verbi gratiâ, forma ignis, & aquæ sub genere corporis, duæ formæ animalium, verbi gratiâ hominis, & vermis sub eodem genere animalis, maximè enim distant inter se, quia plura habent intermedia minus distantia, seu disconueniẽtia, neque enim requiritur ad maximam distantiam, quod in ipsis formis inueniatur magis, & minus, aut quædam successiua expulsio, tum quia dantur aliqua contraria immediata, quæ non successiuè, & paulatim, sed indiuisibiliter, & non per partes se expellunt, vt par, & impar, sanũ, & ægrũ, & ideo necesse est alterum eorum inesse in subiecto capaci; alia verò sunt mediata, vt album, & nigrum, neque enim necesse est alterum inesse; & similiter error, & scientia, odium, & amor sunt contraria, & tamen non se expellunt successiuè, sed simul, ac totaliter.

Dicendum

Dicendum tamen est, hanc specialem repugnantiam consistere in eo quod diximus, quod contrarietas habet medium cum positiuis extremis, quanto enim aliqua oppositio minus latitudinis habet, & magis coarctat, vt vnum affirmetur, seu assumatur, & aliud relinquatur, tanto maior est, quanto plus habet latitudinis & minus coarctationis, tanto magis relinquit de medio, quia non est necesse alterum extremorum assumere, sed potest assumi medium, tanto autem extrema magis se coarctant, & minus relinquunt de medio, quantò vnum ex ipsis extremis vniuersalius est, & minus determinatam distantiam relinquit in repugnando alteri. Et ita contradictio caret omni medio, & latitudine, & distantia, tam ex parte ipsarum formarum inter se, quam ex parte subiecti in quo sunt, quia versatur inter puram negationem, & affirmationem, id est inter esse, & non esse. Priuatio autem, & forma etiam inter se carent medio, cum priuatio sit quædam negatio formæ, sed tamen ratione subiecti potest habere medium, quia requirit subiectum determinatum, vt talis negatio priuatio sit, & quia non semper tale subiectum determinatum inuenitur potest dari medium sicut lapis, neque est cæcus, neque videns, quia subiectum non est capax visus, & consequenter, neque cæcitatis. At verò contraria, licèt priuationem includant, aut fundent, tamen habent illam imbibitam in aliquo positiuo, quia contraria positiua extrema seu formas requirunt, inter quas contrarietas versatur, quæ tamen debent recipi in eodem subiecto, quia contraria debent versari circa idem, id est circa subiectum capax vtriusque. Quare non solùm ratione determinati subiecti, id est habentis capacitatem vtriusque contrarij, sed etiam ex parte ipsorum extremorũ, oportet quod fundetur determinata distantia, & oppositio inter ipsa contraria, eo quod contraria debent esse comparabilia ad inuicem, quia vnũ dicitur melius altero, sicut virtus melior vitio, scientia errore albedo nigredine, sanitas ægritudine, &c. quæ autem sunt sub diuerso genere, non sunt comparabilia, sed magis distant, quam vt comparari possint, quia non possunt ad inuicem transmutari, neque vnum meliorari præ alio, sicut non dicitur album melius quantitate, vel figura, sed vnum dicitur melius per comparationem ad suum oppositum sub eodem genere; & ideo oportet, quod contraria, quia comparabilia sunt adinuicem, & transmutabilia, contineantur sub eodem genere, & consequenter habeant determinatam distantiam, non solum ratione subiecti, sed etiam ratione suis generis, quod non habent priuatiue, neque contradictorie opposita, quia extrema, inter quæ versantur, non sunt sub eodem genere, scilicet negatio, & forma, vlterius autem non opponuntur in respiciendo, sicut relatiua, sed in transmutando, & expellendo ab eodem subiecto.

Additur vero in definitione contrariorum, quod non solum sint sub eodem genere, sed etiam *quod maximè distent*, id est, quod sub illo genere se habeant vt termini, seu vltima, inter quæ fit transmutatio, & processus de vno in aliud, in illis enim quæ differunt genere physico, non est accipere transmutationem de vno in aliud, neque est medium per quod fiat transitus, quia non communicant in materia (genus physicum vocatur materia) sicut qualitas non transit in substantiam, nec substantia in quantitatem, sed transmutatio fit in his, quæ sunt in eodem genere. Vnde cum in ista transmutatione fit processus de vno in aliud, & sistatur in aliquibus vltimis, ne procedatur in infinitum, illa quæ vltimo sistunt processum, & transmutationem, dicuntur maximè distare quia extremè distant. Vnde ex transmutatione rectè colligitur contrarietas, vt collegit Phil. 10. Met. & D. Thom. ibi lect. 6.

Vt autem ex his constare possit quomodo in formis substantialibus non inueniatur contrarietas propriè dicta, *est notandum*, quòd ista transmutatio est duplex, alia sine motu, sicut quæ fit in materia prima, vt est pura potentia ad formas substantiales, alia cum proprio motu, quando scilicet potest inueniri inter formam, & formam aliqua continuatio, vel secundum magis, & minus, vel secundum additionem, aut minorationem formæ, quæ illam variare faciat, in formis enim substantialibus si variatio, sicut in numeris, in quibus quælibet additio variat speciem, in qualitatibus autem contrariis & Physicis fit variatio ad modum continuitatis, ex eo enim vna forma transmutatur in aliam, quia aliqua additione, vel diminutione fit alia, sicut album degenerando in pallidum, & in viride fit nigrum, & calidum diminuendo gradus caloris fit tepidum, & transit in frigidum. Prima ergo transmutatio non peruenit ad contrarietatem propriam, sed est principium cõtrarietatis, quia quęlibet forma substantialis habet adiunctam priuationem alterius, priuatio autem est principium contrarietatis, & sic principia naturalia dicuntur esse contraria contrarietate inchoata, quæ est priuatio, & forma, vt diximus 1. Phys. q. 2. Secunda verò contrarietas est formalis, & propria *Ratio est*, quia prima transmutatio non fit secundum distantiam determinatam vincendam per motum, & per modum cuiusdam continuitatis sed per modum mutationis, & hoc ideo est, quia quælibet forma substantialis hoc ipso, quod substantialis est, dat primum esse, quod est esse simpliciter, & sic excludit aliam per incompossibilitatem, quia repugnat in eodem subiecto duas formas esse æquè primas, & dare primum esse, quod est esse simpliciter, & sic non opponuntur penes aliquam distantiam maximam, & positiuam sub eodem genere, sed penes primum, & totale esse, & non primum, seu non totale, inter quæ non est latitudo, nec distantia diuisibilis, sed indiuisibilis oppositio, de quo etiam diximus quæstion. 2. Physic. & quæst. 19. & supra etiam quæstion. 5.

Secunda autem transmutatio cum habeat transitum diuisibilem, & determinatam distantiam ex parte ipsorum extremorum, seu formarum inter quas versatur, quatenus inter ipsas formas est aliqua continuatio, vel successio secundum magis, & minus, ratione cuius vna forma facilius, vel difficilius remouetur à subiecto, & dat locum alteri ex ipsa propria ratione sui, quod etiam inuenitur in ipsis habitibus, & actibus, sicut remissio amoris dat locum odio, & qui remittit virtutem, paulatim admittit vitium: ideo fundatur perfecta, & consummata contrarietas in huiusmodi transmutatione, quia inuenitur in ea perfecta latitudo, secundum quam formæ sint transmutabiles, & distant maximè sub eodem genere, quæ est definitio contrariorum

Sic ergo formæ substantiales licet sint sub eodem genere, & possint habere distantiam secundum maiorem, vel minorem conuenientiam, non tamen habent rationem magis, vel minus in accedendo, vel recedendo ad inuicem, ita quod transmutentur de vna ad aliam per motum. Dupliciter enim potest sumi distantia. Vno modo, vt opponitur conuenientiæ & similitudini, & sic est idem, quod dissimilitudo. Alio modo vt dicit recessum continuitatis, & propinquitatis; & sic primo modo est distantia in relatione, secundo in quantitate, seu diuisibilitate. Et primo

mo modo potest inueniri in substantia, quia quædam magis conueniunt, & alia minus sub eodem genere, & ita magis participant de similitudine, vel dissimilitudine. Secundò autem modo non est diuisibilitas in quantitatibus autem distantia secundum latitudinem diuisibilem, vel inter formam, quatenus formæ tales sunt quod per additionem, vel minorationem variantur, vel quatenus penes magis, & minus crescere, aut decrescere possunt, & ratione illius magis, vel minus excludere formam oppositam, & cum maximè excludit, seu opponitur tunc maximè distat. Formæ ergo, quæ ex sua propria ratione non possunt fundare exclusionem per modum latitudinis, & diuisibilitatis, sed per se, & ab extrinseco sine vlla latitudine, & diuisibilitate se excludunt, contrarietatem non fundant. Quæ doctrina videri potest in D. Thom. 10. Met. lect. 6. & 11. Met. lect. 12.

Ad id vero quod dicitur de actibus erroris, & sciẽtiæ, odij, & amoris. *Resp.* quod etiam habent latitudinem diuisibilem, quia suscipiunt magis, & consequenter per se, & ab intrinseco, se magis, vel minus excludunt ab eodem subiecto, secundum quod forma opposita est magis radicata, & intensa, & difficilius expellitur. Et licet etiam aliquæ formæ substantiales difficilius expellantur, quam aliæ, id tamen non est ex ipsa ratione formæ, quæ ex propria ratione habeat magis, vel minus inesse, sed propter dispositiones, quibus forma introducitur, & conseruatur in subiecto, & istæ suscipiunt magis, & minus. *Quod verò dicitur*, de contrariis mediatis, vel immediatis. *Resp.* omnia contraria habere mediũ ex parte latitudinis formarum, quia suscipiunt magis, & minus, si talia contraria sint de genere qualitatis, nã par, & impar sunt de genere numeri, non tamẽ omnia habent latitudinem, & medium ex parte capacitatis, & indifferentiæ subiecti, quia in aliquibus subiectum ita est determinatũ, vt vnũ vel alterũ contrarium necessario debeat habere, & respectu subiecti sic determinati, & dispositi dicuntur contraria aliqua immediata, quę vero subiectum habent, non ita determinatum, vt necessario habeat alterum contrariorum, respectu illius dicuntur mediata; & ita explicat D. Th. 10. Met. citato lect. 10.

Dico secundò: *Contraria in gradibus intensis naturaliter repugnant esse simul, non tamen de potentia absoluta quantum est ex vi contrarietatis, licet ex aliquo adiuncto aliquando sit impossibile. Prima pars satis manifesta est*, tum experientia, quia crescente calore videmus non compati frigus; tum ex definitione, quia contraria pugnant inter se, ergo aliquod debet vincere, & aliud cedere, seu expelli, aliàs pugna non terminaretur, sed quando vnum contrarium est in gradu intenso, perfectè sibi subiicit subiectum, & vincit illud, ergo oportet, quòd expellat aliud oppositum, quia est impedimentum, ne perfectè subiiciat sibi subiectum. Denique motus est inter contraria, ergo accessus ad vnum habet pro termino à quo recessum ab alio, sed terminus à quo excluditur per terminum ad quem; ergo vnum contrarium expellit aliud.

Secunda pars maiorem habet difficultatem, & negatur ab aliquibus, eò quòd contraria afferunt secum priuationem, & si ponantur simul, sequitur quod erit forma, & sua priuatio, quod nec de potentia absoluta stare potest; præterquam quod in aliquibus est omninò impossibile, verbi gratiâ, quod sint simul error & scientia, odium & amor, par & impar, & alia similia. Quare oportet reddere rationem cur quædam possint simul reperiri diuinitus, quædam non.

Dico ergo, quòd cum omnia contraria fundentur in priuatione, omnia conueniunt in hoc quod debet esse in se priuata alio contrario, quia quælibet forma & natura propter sui limitationem habet priuationem alterius. *Cæterùm* hæc non est propriè priuatio contrariorum, sed negatto quædam imbibita in essentiali conceptu cuiuscumque entis limitati, sicut homo habet negationem lapidis, & leonis, &c. Secũdò habent contraria priuationem respectu subiecti quatenus se expellunt à subiecto, in quo inhærent, & non solum à ratione & prædicatis essentiæ, seu formæ in se. Et hoc modo non conuenit omnibus formis ista priuatio, quædam enim se compatiuntur in subiecto, vt calor & color, & similia, alia verò se expellunt, & sunt contraria. Sed in his adhuc est differentia, quia quædam habent istam priuationem expulsiuam formæ oppositæ à subiecto quasi secundario, & consecutiuè ad informationem ipsius formæ in subiecto: quædam verò habent illam quasi antecedenter, & ex parte subiecti requisitam, vt talis forma in illo subiecto subiectetur, illudque informet, ita quòd subiectum non possit suscipere vnum contrarium, nisi prius in se supponat priuationem alterius. Quando ergo primo modo se habet contrarietas in formis, cum priuatio, seu expulsio alterius sit effectus secundarius post informationem formæ, quia non repugnat de potentia absoluta impediri, quia est priuatio secundario consecuta, non pertinens ad essentialem informationem formæ sicut etiam stat benè duas quantitates penetrari, & nõ se expellere à loco, quia expulsio illa est effectus secundarius quãtitatis. Deinde nisi aliud obstet, benè poterit talis effectus impediri in formis contrariis, etiamsi sit priuatiuus, & expulsiuus alterius formæ, quia videlicet ipsa priuatio formæ non est requisita antecedenter, & ex parte subiecti ad hoc, vt aliud contrarium recipiat. *Ratio huius est*, quia omnis expulsio aliquorum à subiecto, nascitur ex aliquo, quod per se est expulsio, per se autem primo, expulsio est inter esse & non esse, quæ est prima ratio omnium oppositionũ, non ex aliquo præsupposito consecuta, & ideo contradictoria oppositio est radix, & principium cæterarũ oppositionum, ergo in his, in quibus per se primò, & essentialiter inuenitur ipsa ratio exclusionis, nullo modo potest etiam de potentia absoluta esse coniunctio, eò quòd essentia vnius in ipsa exclusione consistit. Vbi autem vnum essentialiter non est exclusio alterius, poterit vnum esse cum alio, etiamsi naturaliter sequatur ad alterum ad modum propriæ passionis, quia potest impediri ista resultantia. Si autem antecedenter prærequiratur ex parte subiecti negatio alicuius, vt recipiatur forma opposita, non poterit tunc coniungi in tali subiecto, quia ipsa negatio, quæ presupponitur essentialiter est exclusio.

Quòd si dicatur, requiri ex parte subiecti negationem contrarij non essentialiter, sed naturaliter, imò illa negatio, & expulsio est causata ex opposita forma introducta, non autem prius acquiritur in subiecto quam forma ad quam sequitur, vt negatiuum ad positiuum, non ergo distinguitur ab expulsione consecuta, & sic poterit esse aliquid simul videns, & credens, amans, & odiens idem obiectum; ægrum & sanum in eadem parte. *Contra est*, quia hoc ipso quod requiritur ex parte subiecti priuatio, nõ pertinet ad dispositionem, cum prtuatio non sit aliquid positiuũ determinans & disponens, sed pertinet ad habilitatem & capacitatem subiecti, vt recipiat aliquam formam, vnde si sine tali priuatione est incapax, nullo modo sine ea forma recipi potest: credẽs enim, verbi gratiâ, requirit vt subiectum sit capax credendi, quod sit

sit non videns, quia requirit obiectum esse non visũ denominatiuè à negatione videntis, & requirit subiectum esse in motu, seu non possidere per visionem, videns autem requirit subiectum quiescens in re visa, quies autem est priuatio motus. Similiter odiens requirit subiectum fugiens, quod excludit quietem, quæ est in amore, & idem est in tristitia & gaudio, & aliis quæ opponuntur penes fugam, & prosecutionem, seu quietem; ægritudo etiam, est tendentia ad mortem sanum vero est quies in forma vitali, id est, petit quòd informet anima sine motu ad corruptionem *Quod verò dicitur* talem negationem, seu exclusionem causari, & con sequi ad formam oppositam introductam. *Respondetur*, quòd sine illa negatio ex parte subiecti requisita causetur à forma, v.gr ab actu fidei, negatio videndi, siue præsupponatur ab alia causa in subiecto, quod est verius, tamen illa reuera requiritur ex parte subiecti, vt sit capax talis formæ, & ideò non relinquitur in subiecto semel habente talem formam capacitas ad oppositum, quia obstat priuatio eius requisita ex parte subiecti vt recipiat aliam. *Cæterùm* in aliis formis expulsio vnius formæ præcisè sequitur formam & conditionem eius, quæ introducitur, quatenus incompossibilis est cum altera, & sic præcisè est expulsio eius, expulsio autem semper sequitur causam expellentem, id est, formam tanquam secundarius effectus eius, tanquam negatiuũ ad positiuum. Quando verò negatio habilitat, & disponit subiectum, vt possit recipere aliquam formam, illa negatio non est præcisè expulsio, & secundarius effectus formæ, nec requisitum in subiecto vt expulsio formæ, sed vt conditio pertinens ad habilitatem eius vt recipiat, & ideo posita receptione, non stat oppositum poni, posita verò causa expulsionis, stat impediri effectum qui est expulsio. Et sic intelligo D. Thom. 1.2. q.67. art.3. quando dicit, quòd opinio, & fides opponuntur cum scientia, seu euidentia ex parte subiecti, & non solum ex parte medij, vel obiecti, quia scilicet requiritur ad hoc, vt subiectum sit capax fidei, quod sit non videns, & sic præsupponitur exclusio scientiæ, vt recipiatur fides.

Et si quæras, quænam sunt istæ formæ, quæ ex parte subiecti supponunt priuationem, seu exclusionem formæ oppositæ, vt subiectum sit capax suscipiendi illa? *Respondetur primò*, esse formas quæ sunt contraria immediata, in quibus etiam includuntur actu illi euidentes & ineuidentes, fugæ & prosecutionis. *Secundò*, formæ substantiales. *Tertiò*, formæ situales, quæ distantiam aliquam important. *Primæ quidem formæ*, vt recipiantur, exigunt, quòd subiectum sit in aliqua quiete, vel motu, seu priuatione opposita, vt explicatum est; quod in contrariis mediatis non currit, nam calor, v. gr. vt recipiatur in subiecto solum requiritur quòd sit in potentia calidum, & nihil amplius. *Secundæ verò formæ*; quia se habent vt formæ substantiales, quæ dant primum esse, & consequenter supponunt non dari aliquam priorem formam dantem prius esse. *Tertiæ*, quia vbi est diuersitas distantiæ non potest vna distātia simul esse cum altera, quia sic esset indistans ab illa, ergo nequeunt esse simul formæ illæ, quæ diuersitatem istam distantiæ includunt.

Sed obiicies: Nam in habitibus intellectus, & voluntatis curret ratio allata; quia poterunt simul esse habitus vitij & virtutis, erroris, & scientiæ, & opinionis, siquidem habitus isti vt recipiantur in subiecto, non præsupponunt priuationem oppositam, sed solum expulsio vnius consecutiuè se habet ad alterum ergo poterunt simul denominare subiectum, & sic poterit aliquis simul denominari temperatus & intemperatus, superbus & humilis, sciens & errans. *Respondetur*, quòd habitus isti sint virtutis acquisitæ, non repugnant simul esse cum habitibus oppositis in gradibus remissis, sed in intensis, sicut alia omnia contraria, si physicè tantum considerentur, & ita vnus actus vitij non expellit habitum virtutis acquisitæ quoad suam entitatem physicam, vt constat ex D. Thom. 1. quæst. 71. artic. 4 atque adeo requiruntur plures actus generantes habitum vitiosum, & ille expellet virtutes secundùm legem aliorum contrariorum; opponuntur enim habitus sicut inclinationes oppositæ, quæ in actum non se explicant, & ita solum opponuntur ratione contrarietatis physicæ, sicut alia contraria. Cæterum quantum ad denominationem, non denominat vterque habitus subiectũ duplici ratione. *Primò* quia in contrariis, solum denominat forma prædominans, vt si in subiecto sit calor vt sex, & frigus vt duo, simpliciter denominatur calidum, non vero calidum & frigidum. Et ita ille habitus faciet denominationem (etiamsi solum attendamus ad physicam informationem) qui fuerit perfectior & intensior. *Secundò*, quoad denominationem habituum moralium, ille habitus simpliciter denominat, qui non solum est entitatiuè in subiecto, sed supponit conuersionem ad finem suum in subiecto, semper enim finis prædominatur in denominando subiectum inclinatum ad aliquid, etiamsi minus intensos actus, vel habitus habeat in subiecto, quàm qui oppositum finem respiciunt, quia conuersio finis rapit totum suppositum. Et quia non potest aliquis simul esse conuersus ad duos fines vltimos peccati & virtutis, ideo non potest simul denominari superbus & humilis, temperatus & intemperatus, licet habeat vtrumque habitum entitatiuè, sed solum ab illo, ad cuius finem est conuersus. Habitus autem erroris & scientiæ nunquam possunt esse simul, quia scientificus habitus semper est perfectus ratione euidentiæ, qua perfectè conuincit subiectum, & ita non compatitur cum opposito, sicut forma intensa quæ vincit subiectum.

Dices: cur actus contrarij vitales ita sibi contrariantur, vt nullo modo simul esse possint, habitus autem non? *Respondetur*, quod actus si solum essent productiui suorum habituum tanquam actiones & motus ad illas, & non amplius, eodem modo contrariarentur, sicut ipsi habitus, seu formæ productæ, sicut in alterationibus physicis, verbi gratiâ, calefactione & infrigidatione, est eadem contrarietas, quæ in ipsis qualitatibus productis, vt diximus in Physicis, quæst. 19. art. vlt. At verò actus potentiarum non solum sunt actiones productiuæ habituum, sed etiam in seipsis sunt perfectiones & dispositiones potentiæ, quæ ratione sui, & non ratione habituum habent suam oppositionem. Et quia actu explicant ordinem ad obiectum, & priuationem, vel positionem in ordine ad illud, & non solum informationem subiecti, habitus autem solum informat subiectum, & ponit in eo inclinationem, & non actu se explicat erga obiectum, ideò contrarietas habituũ non tanta est, sicut in actibus, nec tam perfecta.

Dico vltimò: *In gradibus remissis naturaliter possunt esse qualitates contrariæ, si aliàs inter illas non sit essentialis oppositio, & prærequisita ex parte subiecti, vt recipiatur qualibet illarum formarum.* Sumitur hæc conclusio ex D. Thom. quæst. 8. de Verit. artic. 14. vbi inquit: *Quod quando sint formæ in fieri, possunt esse simul, vt dum aliquis dealbatur, adhuc est in nigredine.* Dum autem est in gradibus remissis adhuc est in fieri,

fieri, quia adhuc deest aliquid acqu rendum. Et 1. p. q. 76. a 4. inquit, *Quòd in mixto sunt qualitates contrariæ*; constat autem illas esse temperatas, & remissas. *Ratio autem sumitur à priori, & à posteriori. A priori*; quia istæ formæ habent latitudinem in crescendo, ergo etiam in expellendo: ergo aliquid contrariæ formæ potest esse, antequam alia opposita sit totaliter expulsa, & sic nisi aliquid obstet ex parte subiecti per modum incapacitatis, & repugnantiæ, vt diximus, quantum est ex vi formæ habentis latitudinem, non repugnat, quod contraria forma paulatim, & cum aliqua latitudine intret, & sic non totaliter excludat aliam, sed in aliquo gradu cum illa compatiatur. *A posteriori autem id constat*, ex mixtione, & mutua actione & reactione; hæc enim nō saluantur, si qualitates contrariæ compatibiles non sint in gradibus remissis, nam mixtio esse non potest, nisi maneāt formæ elementorū in mixto nō substātiales sed accidētales reductæ ad temperamentū; illud autē sūt cōtrariæ. Iā nō potest actio & reactio dari, nisi agens habeat formam, qua agat, & recipiat oppositā qua patiatur, ergo tunc debent esse qualitates contrariæ in subiecto, & nō in gradibus intensis, quia ipsa actione, & repassione, debilitantur & temperantur, ergo in remissis, vel saltem vna in gradu intenso, & altera in remisso.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur* ad probandum repugnare, quòd duo contraria possint esse simul in eodem subiecto in gradibus intensis etiam de potentia absoluta quia hoc implicat, ergo. *Antecedens probatur*, tum ex Arist. 4. Meth. text. 27. dicente; *Quod cum fieri non possit, quod contradictoria de eodem simul sint vera, perspicuum est, neque contraria simul in eodem esse posse.* tum etiam ratione, quia in vno contrario includitur priuatio alterius ex propria natura talis contrarij, priuatio autem est negatio formæ in subiecto apto, ergo vnum contrarium non potest esse cum altero, sicut nec priuatio cum forma opposita, præsertim, quia posita illa forma in subiecto, non potest impediri eius effectus formalis, quorum vnus est priuatio. *Confirmatur*, quia ipsa informatio vnius contrarij est formalis etiam expulsio alterius, & non effectiua, siquidem vna forma non expellit aliam nisi in genere causæ formalis, & consequenter ipsa informatio est expulsio, ergo simul cum tali informatione non potest stare alterius contrarij informatio, aliàs esset simul informans, & expulsa, quod est esse informans, & non informans.

R*espondetur*, quòd contraria includunt oppositionem contradictoriam, aut priuatiuam non primò, & per se, sed consecutiuè & secundario, quia sequitur ex informatione vnius exclusio alterius. *Et ad probationem ex Aristot. respondetur*, quod intelligitur de contrariis secundùm effectum secundarium, qui est expulsio, secundum quem benè sequitur, quòd non possunt contraria simul inesse, quia includunt in se contradictoria, mediatè scilicet & secundario, non primario, vt dictum est. Vnde subdit ibi Arist. *Quod impossibile est contraria simul eidem inesse, sed aut ambo secundum aliquid, aut alterum secundùm aliquid, alterum simpliciter.* Fatetur ergo quòd secundùm aliquid, id est, secundùm gradus remissos possunt simul inesse, licet non perfectè, & secundùm gradus intensos. *Ad probationem verò ex ratione dicitur*, quòd vnū contrarium importat priuationem alterius ex consequenti, & secundario, potest autem diuinitus impediri & separari, faciendo, quod illæ duæ formæ tantum informent subiectum, quoad positiuum, non quoad priuatiuum. Vnde illa priuatio, si ponatur in subiecto, & de facto sit consecuta, priuatum reddit illud formâ oppositâ; sed nos dicimus fieri diuinitus, vt non consequatur illa priuatio, sed ponatur in subiecto opposita forma.

Ad confirmationem respondetur, quòd informatio vnius contrarij est expulsio alterius in genere quidem causæ formalis, non tamen primario, sed consecutiuè, & secundario, nam etiam forma in genere informandi habet suos effectus secundarios, sicut gratia habet pro effectu secundario reddere filium adoptiuum quantitas extendere substantiam quoad locum; & tamen sine istis effectibus possunt istæ formæ reperiri diuinitus. Similiter ergo contraria sine effectu priuatiuo.

Secundò arg. quia duæ formæ eiusdem speciei, & duæ formæ substantiales non possunt in eodem subiecto esse simul, ergo neque duo contraria in gradibus intensis. *Antecedens constat ex præcedent. quæst. Consequentia vero probatur*, quia plus distant nigredo, & albedo, quam albedo intensa, & remissa, ergo magis repugnabunt esse simul. *Confirmat.* quia non potest idem simul denominari à duobus contrariis, nec moueri duplici motu contrario. Si autem non repugnaret esse simul duo contraria ab vtroque denominaretur subiectum, siquidem ab his informatur, & ad vtrumque moueretur, siquidem acquirit illa, ergo repugnat esse duo contraria præsertim intensa in eodem subiecto, si enim intensa sunt, subiectum denominant.

R*esp.* duas formas substantiales non posse esse simul propter rationem sæpius allatam, quia vtraque dat primum esse, & simpliciter esse, & sic necessario supponit omnem aliam exclusam, quæ prima etiam sit. Formæ autem accidentales eiusdem speciei licèt magis conueniant specificè & entitatiuè, quam duæ contrariæ diuersæ speciei, repugnat tamen quòd sint simul in eodem subiecto; quia hoc ipso, quod sunt in eodem, non plurificantur, sed vnum fiunt. Vndè propter maiorem conuenientiam magis repugnat, quòd tanquam distincta & diuisa in eodem subiecto sint; & multo magis, quod vna sit intensa alia remissa, quæ istæ trminationes sunt oppositæ, & vna importat exclusionem alterius, remissio enim importat talē gradum qualitatis sine vlteriori additione gradus, nam si vlteriorem haberet, non esset remissa; & sic repugnat simul coniungi cum intensa. Quod respectu qualitatum diuersæ & contrariæ speciei non currit.

Ad confirmationem respondetur, quòd denominatio fit à qualitate prædominante, vt dictum est, vt si sit calor vt sex, frigus vt duo, simpliciter denominatur calidum. Si vero per diuinam potentiā duo contraria sint in gradibus intensis in eodem subiecto, vtrumque denominabit positiuè, non tamē cum priuatione alterius, quia hæc impeditur diuinitus, sic enim afficit forma subiectum, quod non excludit contrarium, & sic denominabitur calidum & frigidum, non calidum, & non calidum. De motibus verò contrariis, qui tendunt ad formas contrarias, dicimus esse eandem rationem, ac de ipsis formis, quas acquirunt, & eo modo quo erunt illæ formæ compatibiles, erunt & motus. Si verò sint contrarij motus penes accessum & recessum, si sit accessus & recessus circa eandem formam vt generatio & corruptio eiusdem, simul iungi non possunt. Circa diuersas vero vt generatio vnius, & corruptio alterius, oppositi motus nn sunt, sed potius connectuntur, licèt in casu quo Deus coniungat duas qualitates oppositas,

tas, ita datur generatio vnius, quod non corruptio alterius, siquidem simul conseruantur.

Vltimò arguitur contra id, quod dicimus, quod in gradibus remissis naturaliter contraria esse possunt, nam contraria remissa verè sunt qualitates contrariæ: ergo eis conuenit definitio contrariorum, hæc autem est, quod ab eodem subiecto se expellant, ergo etiam qualitates remissæ ab eodem subiecto se expellunt. *Antecedens patet*, quia aliàs si contrariæ non essent, tota cõtrarietas qualitatum consisteret in gradibus non in ipsa substantia qualitatum. *Confirm.* quia qualitas remissa potest agere sibi similem, ergo expellere contrarium, sed non contrarium excedens, & intensum, ergo remissum, ergo qualitatis remissæ ab eodem subiecto. *Confirm. secundò* quia aliàs sequitur, quòd poterit subiectum denominari à duabus formis contrariis, verbi gratiâ à calore, & frigore, & moueri motibus contrariis in gradu remisso, imò poterit aliquid summè calidum imprimere calorem intensum, v.gr. vt sex, in frigidum vt duo, nihil destruendo de frigore, quia compatitur cum illo gradu caloris vt sex, frigus vt duo, ergo non expellit illud.

Respondetur, Quòd contraria remissa habent contrarietatem imperfecto modo, & quasi in fieri, vnde non exercent omnem rationem contrarietatis propter latitudinem, quam habet subiectum respectu vtriusque contrario remisso. *Et quando dicitur*, quòd contraria mutuò se expellunt. *Respondetur*, quod mutuo se expellunt actu, vel aptitudine, in aliquo enim statu, & gradu non se expellunt actu, sed compatiũtur in latitudine subiecti. *Et cum instatur*, quia aliàs contrarietas esset ratione graduum, non verò ratione entitatis. *Respond.* quòd est ratione entitatis positæ in debito statu, & modo, ita quod ratio contrarietatis est in ipsa entitate, requiritur autem intensio, vel remissio, tanquam conditio & status, pro modo expulsionis, & sic non absolutè se expellunt in quocumque gradu, sed quantum introducitur de vno, tantum expellitur de alio in gradu sibi repugnanti, in gradu autem imperfecto non se expellunt.

Ad primam confirmat. respondet. Quòd calidum in gradu remisso poterit agere sibi simile in subiecto, vbi non inuenerit similem gradum caloris, sed tunc non expellet de frigore opposito nisi illud, quod repugnat ad introductionem talis caloris, & quia in gradu remisso illi non repugnat, si solum inuenerit frigus in gradu remisso, nihil de illo destruet. Si autem in gradu intenso tantum, de illo remittet, quantum requiritur, vt simul cum illo esse possit iuxta naturam actionem, & reactionem, vt si sit calor vt septem, & applicetur frigidum, vt quatuor, reducet illud ad mediocritatem vt sex, vel vt quinque & reliquum remanebit de frigiditate.

Ad secundam confirm. resp. illa inconuenientia non sequi, quia vt iam diximus denominatio non fit nisi à qualitate prædominante, & ita denominabitur in gradibus remissis non absolute calidum, & frigidũ, sed tepidum; motus autem contrarij non repugnant in gradibus remissis, sicut nec ipsæ qualitates, vt dictum est. *Ad secundum inconueniens, Respondetur*, quòd in illo casu, si subiectum est frigidum vt duo, sine aliquo alio calore tunc calidum vt sex aget in illud frigus, & destruet quia licèt gradus frigoris vt duo sint compatibiles cum sex gradibus caloris, per accidens tamen, quia introducitur calor per alterationem, & mutuã actionem, & reactionem, ideò destruet aliquid de frigore, & tandem consumet illud; hoc tamen est propter introductionem caloris illo modo factam; ex parte autem subiecti, non repugnat cum calore vt sex frigus vt duo loquendo in genere causæ formalis; si autem subiectum habeat frigus vt duo, & simul aliquid caloris, verbi gratiâ, vt cum vel duo, tunc calidum, vt sex non expellet frigus, quia aget intendendo calorem, quamdiu compatitur cum frigore vt duo, non alterando & reagendo in frigus.

ARTICVLVS III.

Quæ qualitates conueniant cuilibet elemento?

COnstat in quolibet elemento ad minus duas qualitates inueniri: videmus enim aquam esse frigidam, & humidam, ignem calidum, & siccum. *Difficultas vero est in duobus.*

Primum assignare cuilibet elemento quænã qualitas conueniat in summo, an vero duæ in summo conuenire possint. *Secundum* si vtraque non conueniat in summo, sed vna in gradu excellenti citra summum, an opposita istius conueniat ei in gradu remisso pro ea parte latitudinis quæ illi deest vsque ad summum, verbi gratiâ si conuenit siccitas igni in gradu excellenti vt sex, an conueniat ei humiditas opposita, vt duo.

Circa primum, sicut duæ probabiles sententiæ. Prima assignat vnicuique elemento vnam qualitatem in summo, aliam in gradu excellenti hoc ordine Igni calorem in summo, siccitatem in excellenti gradu. Aëri humiditatem in summo, calorem in excellenti gradu, aquæ frigus in summo, humiditatem in excellenti gradu. Denique terræ siccitatem in summo, frigus in excellenti gradu. Quæ sententia valde communis est inter philosophos, vt testatur Magist. Bañez, hîc libr. 2. q. 2. Conimbr. lib. 2. de generation. cap. 3. q. 4. & expresse videtur teneri à Philosopho, hoc lib. 2. text. 23. *Secunda sententia* specialiter tenetur à D. Th. ibidem lect. 3. in fine, qui affirmat calorẽ in summo conuenire igni, frigiditatem terræ. Aër est magis humidus quã calidus, aqua verò est magis humida quam aër, sed non ita frigida sicut terra. Siccitas autem conuenit magis igni, quam terræ. Hæc tamen Diuus Thomas, non omnino certo affirmat, sed probabiliter, nam etiam admittit, prima parte q. 69. a. 1. ad quintum, secundum D. Basilium terram habere pro principali proprietate, siccitatem. Quare secundum hoc, non conuenit frigiditas in summo terræ, sed aquæ, quia non est aliud elementum cui conueniat.

Fundamentum primæ sententiæ sumitur ex duobus quæ supponit. Primum, quòd cuilibet elemento aliqua qualitas in summo debet conuenire. Secundum quod nulli competunt duæ qualitates in summo. *Primum patet*, tum quia istæ qualitates primæ debent habere aliquod subiectum cõnaturale, & proprium, ergo illi debet competere talis qualitas in perfectissimo gradu, qui naturaliter competere potest, siquidem ille sumitur per ordinem ad proprium & connaturale subiectum, tum quia si in elemento nulla qualitas inueniretur in summo, sed infrà summum gradum, esset capax qualitatis oppositæ in aliquo saltem gradu. Primò quoad illam partem quæ sibi deest vsque ad summum, siquidem subiectum capax vnius contrarij, est etiam capax alterius, nisi habeat illud in summo; deinde cum quodlibet elementum habeat

beat duas qualitates, si neutram habet in summo, habebit aliquid de qualitatibus contrariis, & sic habebit omnes quatuor qualitates, quod est proprium mixti, non elementi. *Secundum probatur*, quia alicui elemento, verbi gratiâ aër, non conuenit duplex qualitas in summo, cum enim sit calidus, & humidus, si calor competeret in summo, esset ita actiuus sicut ignis, & adhuc fortius, quia est densior. Eadem autem ratio videtur de vno elemento, ac de omnibus. Deinde, quia cum qualitas in summo sit dispositio vltima ad formam substantialem, si competeret duplici elemento eadem qualitas in summo, v.g. siccitas quæ conuenit igni, etiam terræ, esset in duobus eadem dispositio vltima ad formas diuersas speciei, quod est inconueniens, quia vltima dispositio est propria eius ad quod est.

Ex his suppositis infert hæc sententia, igni non posse conuenire calorem & siccitatem in summo, ergo altera tantum qualitas debet conuenire, & hæc est calor, cum ignis sit actiuissimus. Debet ergo siccitas alteri elemento conuenire in summo, & non potest, nisi terræ, tum quia de reliquis elementis aëre, & aqua constat, quam parum sicca sint & quam fluida, tum quia per excellentiam vocatur arida, Genes. 1. tum quia maxime cõuenit terræ diffinitio sicci, quod videlicet difficil termineiur alienis terminis, hoc enim magis conuenit terræ quàm aliis elementis. In reliquis elementis, aër non potest esse summè frigidus, tum quia alias nihil haberet de calore, cum tasit excellenter calidus, tum quia parum haberet de leuitate, cuius comes est calor, frigus autem densitatis, & grauitatis, ergo competet illi humiditas in summo, quod etiam definitio humiditatis testatur, scilicet quæ facile cedit terminus alienis, nihil autem facilius cedit & diuiditur quam aër. Frigus autem in summo conueniet aquæ, tum quia non restat aliud elementum cui conueniat, tum quia aqua est magis contraria igni quam terra, cum ignis intra terram conseruetur, non intra aquam, ergo cum ignis sit calidissimus aqua erit frigidissima.

Fundamentum autem secundæ sententiæ sumitur ex qualitatibus terræ & aquæ, inde enim fit argumenad qualitates ignis & aëris. Nam quod terræ conueniat summa frigiditas deducitur ex duobus. *Primò* ex maxima distantia à cœlo, cuius lux & motus est causa caloris, & ita quod naturaliter maximè distat à cœlo, debet esse maximè expers caloris. *Secundò*, quia etiam, inter ipsa elementa, magis distat ab igne, & sic magis debet ei contrariari, sicut in situ, ita & in qualitate. *Tertiò*, quia terra est densissimũ corpus inter elementa maximè graue, proprium autem frigoris est constipare & condensare & grauitatem inducere, sicut è contra calor est causa leuitatis & raritatis, & summũ calidum, scil. ignis est maximè rarum & leue, ergo maxime densum & graue, erit summe frigidum; imò si terra esset summè sicca, naturaliter esset redacta ad pulueres, quia summè siccum puluerizatur, vt docet Aristotel. hoc 2. lib. text. 49. & ibi S. Th. lect. 8. E contra vero, si aqua esset summe frigida, esset naturaliter congelata, videmus enim crescente frigore aquam gelari, & indurari, cum tamen naturaliter sit fluida. *Nec dici potest*, quod gelu contingit in aqua aliquibus exhalationibus permixta, non in aqua pura. *Contra enim est*, tum quia mare est plenum istis exhalationibus, ratione quarum habet salsedinem, & tamen non congelatur; tum quia ad gelu non videntur conducere illæ exhalationes, & concretiones terrestres, imò aqua quanto subtilior est, & magis purificata & tenuis, facilius congelatur, frigus enim de se compressiuum est partium fluidarum, quia fluidæ sunt magis coagulabiles, ergo remotis istis exhalationibus, vel saltem imminutis, quando aqua subtilizatur per ignem, & relinquitur ad gelu, melius congelabitur.

Quod verò aqua humidor sit, quam aër, & consequenter in summo humida, deducitur, tum ex effectu, quia ad sensum videtur magis humectari, & madefieri ab aqua, quam ab aëre, tum etiam quia aqua est maximè terminabilis alienis terminis, vt docet Arist. 4. Meteor. tex. 29. lect. 7. apud D. Tho. & in hoc secundo libro de gen. text. 49. hæc autem est definitio humidi, quod sit terminabile alienis terminis: tũ quia aër magis exsiccatiuus est. quam aqua, videmus enim res humectatas ab aqua, exsiccari ab aëre, non è contra. *Nec dici potest*, quod aër exsiccat per accidens ratione exhalationum siccarum, quæ per illum sunt sparsæ. Etenim si aër ita esset humidus, non permitteret in se istas exhalationes siccas, sicut nec aqua illas permittit, humiditas enim nimis excedens corrumperet exhalationes siccas humectando illas, ergo si aër non corrumpit eas, ideo est, quia non est ita humidus, sicut aqua. Et similiter si aër exsiccat ratione caloris consumentis humidum, cur non etiam consumet humiditatem propriam, sicut viuentia ratione caloris, proprium humidum consumunt? Denique pisces, qui sunt in aquis humidiores sunt, quam volucres, quæ sunt in aëre: humor etiam phlegmaticus, qui correspõdet aquæ maximè humidus est inter omnes humores, ergo & aqua inter omnia elemẽta.

Quod si semel terra non habet summam siccitaté, neque aqua summum frigus, restat quod summam siccitatem attribuamus non aëri, qui satis humidus apparet, sed igni, aëri vero attribuamus frigus, & humiditatem in gradu excellenti non in summo. Atque ita vnum elementum, scil. ignis habebit duas qualitates in summo, aliud vero sibi immediatum, scilicet aër neutram habebit in summo. Reliqua duo elementa habebunt alteram in summo, alteram in excellenti grado, vt dictum est.

Vtraque hæc sententia probabilis est, & in D. Tho. vtraque habet fundamẽtum, & vt vidimus, & vtriusque argumentis facile responderi potest, vt inter argumendum insinuatum est, cum enim elementa non videamus in sua totali puritate, sed inter hæc corpora, quibus facile admiscentur, non possumus ex sensu, & experientia, sed solum discursu probabili, rem hanc indagare.

Circa secundam difficultatem, scilicet an in elementis detur aliqua qualitas remissa contraria illi, quæ est in gradu excellenti, verbi gratiâ si in terra est frigus in excellenti gradu, sit aliquid caloris? *Respond.* hoc debere decidi iuxta opiniones iam relatas in præced. difficultate. Nam qui tenent in elemento posse dari duas qualitates non in summo, consequẽter tenentur asserere, nihil de oppositis qualitatibus dari in eo, quia si darentur oppositæ qualitates, omnes quatuor qualitates essent in vno elemento, quod tamen est proprium mixti. Et præterea, etiamsi ponatur vna qualitas in sũmo, & alia in excellenti gradu, non poterit dari tertia qualitas in gradu remisso, tum quia ideo Aristoteles docet in hoc secundo libro text. 25. & 26. facilius generari vnum elementũ ex suo symbplo, quam ex dissymbolo, quia in elemento symbolo solum vna qualitas debet corrumpi, in dissymbolo autem duæ, ergo si darentur in quolibet elemento tres qualitates tot deberent corrumpi in symbolo, quot in dissymbolo, nempè duæ contrariæ, altera in gradu excellenti, altera in remisso, licet in elemento dissymbolo intensius inueniantur qualitates corrumpendæ, quam in symbolo. Imò omnia

omnia elementa essent symbola, quia in omnibus dabitur aliqua qualitas, in qua conueniat cum alio elemento, vbi autem est conuenientia est symbolizatio *Nec obstat*, quod conueniat in qualitate remissa quia hoc nō tollit conuenientiā illā esse verā ergo & veram symbolizationem. Quòd tamen opposita sententia existimat non vrgere, quia elementa symbola, vt sequenti art. dicetur, consistunt in hoc, quod sint similia, non quomodocumque, seu in qualitate aliqua prædominante, non in qualitate remissa. Quā sententiam defendit Rub. hic tract. de primis qualitatibus quæstion. 9. Carmelitani disput. 10. quæst. 1. & alij.

Opposita sententia à plerisque defenditur, de qua videri possunt Conimbricenses lib. 2. de gener. c. 3. q. 5. Astudillo q. 4. & alij. Et reuera habet fundamenta satis efficacia, quia corpus, quod est capax vnius contrarij, est capax alterius, nam etiam elementum habēs aliquam qualitatem in summo potest aliquid recipere de opposita saltem via corruptionis, vt cum aqua amittit aliquid de frigiditate, & calorem admittit, ergo si in statu naturali postulat aliquam qualitatem non in summo, etim in eodem statu erit capax oppositę in gradu remisso. *Nec potest dici*, quod non habet de facto talem qualitatem remissam, ne diminuat aliquid de illa qualitate, quam habet in summo, nam si ignis, v. gr. haberet aliquid de humiditate, etiam propter eam calor diminueretur, & aqua habens sūmam frigiditatem, si haberet aliquid siccitatis oppositæ humiditati semper esset congelata, & non fluida. *Sed contra est*, quia actiuitas caloris non remittitur nisi per suum contrarium, illa autem humiditas parua, & remissa nihil obest calori, nisi aliquid tollat de siccitate debita igni, nam si nihil tollit remanet tota dispositio naturalis ignis, non tollit autem de siccitate debita, quia si ignis petit siccitatem citra sūmum, verbi gratia, vt sex, quòd habeat humiditatem vt duo, nihil tollit de gradu vt sex, si autem de illo tolleret, impediret rationem ignis, nō quia esset cōtra calorem, sed quia contra siccitatem debitā. Aqua autem non congelatur ob siccitatem natiuam, quam habet in gradu remisso, sed ob admixtam, & extraneam, quæ facit quasi glutinosam materiam, & consequenter congelationem. Denique si elementum habens qualitatem in gradu excellenti, verbi gratia, ignis siccitatem vt sex, non haberet oppositam qualitatem in gradu remisso, posset illa siccitas crescere vsque ad octo in instanti, siquidem caret contrario. Non sufficit autem ad successionem motus ipsa latitudo intensionis, sed etiam requiritur contrarietas vincenda, vt patet in luce, quæ admittit latitudinem intensionis, & tamen fit in instanti, quia caret contrario. Vndè aliqui oppositæ sententiæ dicunt, quod solum ab extrinseco ille motus erit successiuus propter resistentiam formæ substantialis, quæ non potest corrumpi, nisi dispositiones aliæ introducātur, quæ per motum debent fieri. Sed hoc est, quod ista sentētia conatur inferre tanquam inconueniēs, quia si non est resistentia non erit successio in introducēda dispositione, nec ab intrinseco motus erit successiuus, sed per accidens. Quare vtraque sententia (vt diximus) eam habet probabilitatem, quam sentētia relata in prima difficultate, & iuxta illas, altera defendenda est ex istis.

ARTICVLVS IV.

Quomodo detur transitus de vno elemento ad aliud, tàm in symbolis, quàm in dissymbolis?

DVo sunt supponenda, & in duobus aliis est difficultas. Primum quod supponimus est, quod elemēta illa dicuntur symbola, quæ habent conuenientiam in aliqua qualitate, dissymbola verò quæ nō habent, ex Arist. in hoc 2. libr. text. 25. Intelligitur autem, quod habeant conuenientiam in aliqua qualitate prædominante, nam si solùm conueniunt in aliqua qualitate remissa, in aliis verò intensis disconueniūt, maior erit disconuenientia, quam conuenientia: & ita simpliciter dicentur esse dissymbola, & disconuenientia, & secundùm quid conuenientia. *Secundò est certum*, quod tam symbola, quam dissymbola elemēta possunt ad inuicem transmutari vnum in aliud, siuè mediatè, siuè immediatè siquidem habent materiam communem & capacem omnium illarum formarum.

Difficultas vero prima est, an vnum elementum immediatè possit trāsire in quodlibet aliud, an verò prius debeat transire in aliquod mixtum vel saltem in elementum magis symbolum, quam in magis dissymbolum. *Et ratio dubitandi est*, quia terra, & aqua, v. g. non possunt transire ad inuicem, nisi prius vtraque qualitas aquæ, v. g. remittatur, vt enim corrumpatur prius debent qualitates remitti, cum paulatim, & successiuè destruantur. Cum ergo remittitur frigiditas, & humiditas aquæ, prius peruenitur ad gradum vt quatuor per introductionem caloris, & siccitatis, quam perueniatur ad calorem vt octo destruendo totā frigiditatem, ergo in illo puncto, in quo miscentur omnes illæ quatuor qualitates generatur mixtū, antequam transeatur ad contrarium elementum, siquidem remittētibus se illis qualitatibus, oppositæ quoque introducuntur vt remissæ, & temperatæ, & consequenter vt deseruiunt ad mixtum.

Secunda ratio dubitandi, quia non potest fieri immediatus trāsitus de vno elemento ad aliud, etiā inter elemēta symbola, ergo à fortiori neq; inter dissymbola. *Antec. patet* quia inter terram, & ignē, v. g. quæ sunt symbola in siccitate requiritur quod illa dēsitas terræ transeat in magnā raritatē, quod nō potest fieri immediatè, siquidē prius debet attingere eā raritatē, quæ est in aqua, quā eā, quæ est in igne, quia maior est. Inter elementa autē dissymbola vt ignem, & aquā aqua calefacta non transit in ignē nisi prius attenuata, & resoluta in vapores, atque adeo prius trāseundo in aërem. *Horum ratio est*, quia de extremo ad extremū nō fit transitus in qualitatibus nisi per medium, ergo cum elementa dissymbola sint extrema, nō fit in eis transitus, nisi per aliquod medium, præsertim secundum densitatem, & raritatem.

Secunda vero difficultas, nascitur ex priori, quomodo dixerit Philosophus in hoc secundo libro text. 25. quod facilior, est transitus inter elementa symbola, quam dissymbola. *Contra enim est*, quia hæc transmutatio fundatur in contrarietate elementorum ad inuicem, & actiuitate transmutantis, sed inter dissymbola est maior contrarietas, cum contrariētur secundum duplicem qualitatem, & consequenter duplici actiuitate agant, ergo non minus conuertetur elementum dissymbolum, quam symbolum, quia

quia ſi in hoc vna tantum qualitas agit, in illo duplex, & aliquando eſt maior actiuitas, vt cum ignis, agit in aquam per calorem, qui maximè actiuus eſt, facilius ergo conuertetur aqua in ignem, quam in aërem. Et ſic experientia videmus, quod guttæ aquæ iniectæ in ignem facilius conuertuntur, quam paruę particulæ terræ, & tamen terra eſt ſymbola igni.

Nihilominus ad primam difficultatem Reſp. ex quolibet elemento poſſe immediatè generari aliud, & non ſolum mediate. Aliqui oppoſitum ſentiunt, tum generaliter de quolibet elemento, vt aliqui apud Toletum in hoc libro q. 8. tum ſpecialiter de elemẽtis diſſymbolis, vt Rub. tract. de generat. elementorũ q. 1. cum aliis, quos citat. Noſtra tamen reſolutio eſt expreſſa D. Thom. hoc ſecundo libro lect. 4. §. *Proſequitur*, vbi concludit, *vniuerſaliter manifeſtum eſt, quod quodlibet elementum ex quolibet generatur*; & hæc ipſa ſunt verba Ariſtotel. ibidem text. 14. Nec ſufficit dicere, quod quodlibet elementum ex quolibet generari poſſit mediatè, non tamen neceſſe eſt, quod immediate generari poſſit ex quolibet. Hoc inquam non ſufficit, quia hac ratione etiam dici poteſt, quod quodlibet mixtum quantumcumque perfectum ſaltem mediatè poteſt generari ex quolibet, & tamen non dicimus, quod homo poteſt fieri ex lapide. Nec tamen nos dicimus ſemper ita contingere, quod ex quolibet elemento fiat aliud immediatè, ſed quod poteſt ita fieri, neque ex vi ſuæ diſpoſitionis repugnat, atque ita non ſe habet ſicut animalia, quæ naturaliter ad ſui tranſmutationem exigunt tranſire per diuerſas formas, & generationes, vt aduertit Sanct. Thom. quæſtion. 3. de potent. articul. 9. hoc enim elementa non exigunt ex natura ſua, ſed poteſt immediatè fieri tranſitus de vno elemento ad aliud niſi per accidens ex debilitate agentis aut ex alio impedimento oppoſitum contingat, ſed ex ſe poteſt eſſe tanta actiuitas elementi ſupra aliud quod immediatè illud in ſe conuertat, ſicut ſi in maximum ignem iniiciatur gutta aquæ. *Et ratio eſt*, quia elementa etiam diſſymbola non habẽt qualitates ita conſiſtentes in proportione quod ea conuenientia & proportione remota, amittant formam ſuam, ſicut viuentibus, ſed habent pro diſpoſitione qualitatem in tali intenſione, quod etiamſi remoueatur ab illa, non ſtatim amittant formam ſubſtantialem, ſed poteſt à contraria qualitate intenſi alterari quouſque generetur aliud elementum contrarium, ſicut patet in aqua, quæ retinet formam elementi etiamſi nimium calefiat, aut euaporetur, quouſque tota reſoluatur in aliud elementum, ergo non eſt neceſſarium, quod in tranſitu de vna qualitate extrema ad aliam per qualitatem remiſſam, fiat amiſſio formæ elementalis, & acquiratur forma mixti, vel alterius elementi ſymboli, ſed poteſt conſeruari forma elementi, etiã amittendo de qualitate propria & acquirendo de contraria, quouſque elementum contrarium ſit genitum, nam tota illa remiſſio qualitatum non ponitur in elemento in tali temperamẽto, ſicut requiritur ad mixtum, ſed in illo, in quo adhuc compatitur elementum viã corruptionis, vt magis explicabitur ſoluendo oppoſita argumenta. *Et hæc eſt ratio Ariſtot.* & D. Thom. vbi ſupra, quod quia omnia elementa habent contrarietatem ad inuicem, ideo quodlibet elemẽtum poteſt generari ex quolibet immediatè, quia ratione huius contrarietatis poteſt vna qualitas, ita continuatè agere in aliam, quod vincat illam totaliter, & generet elementum ſibi ſimile. Et licet contrariæ qualitates ad inuicem agendo repatiantur, non tamen ſemper prorumpunt in aliquod temperamentum permanenter factum ſicut requiritur ad mixtum, ſed vna ex qualitatibus, quæ actiuior eſt, continuat actionem in elementum, & tandem vincit illud.

Ad ſecundam difficultatem. Reſpon. Quòd per ſeloquendo, & ex natura rei, eſt facilior tranſitus inter elementa ſymbola, licet per accidens poſſit oppoſitum contingere. Quod explicatur dupliciter; primò, quia elementa ſymbola non ſolum habent maiorem conuenientiam in ipſis qualitatibus primis, ſed etiam in aliis, quæ iuuant ad modum habendi illas, ſicut aër non ſolum conuenit cum igne calore, ſed etiam in raritate, ratione cuius facilius recipit impreſſionem ignis, quam aqua, imo quam aliud elementum etiam ſymbolum vt terra. Secundo id explicatur ratione ipſius contrarietatis inter qualitates primas, quia licet in elementis diſſymbolis pugnent duæ contrariæ qualitates contra duas, in ſymbolis verò vna tantum, tamen non æqualis actiuitatis ſunt illæ duæ, neque ita facile vtraque operatur, ſicut quando ſola vna qualitas alteri contrariatur, ſicut ignis contrariatur aquæ ſecundum calorem, & ſiccitatem, ſed difficilius ſiccitas ignis tollit humiditatem aquæ, quam humiditatem aëris; tum quia humiditas aëris eſt rarior, & ſic minus reſiſtens; tum quia magis iuuari poteſt ſiccitas ignis à calore ſibi coniuncto reſpectu aëris, quam reſpectu aquæ, cum in aqua occupetur vtraque qualitas circa ſuum oppoſitum in gradu ſummo, aut excellenti, in aëre verò ſolum occupatur circa vnam, & ideo iuuari poteſt ab altera in ſui introductione, nam etiam calor coniunctus ſiccitati ad ipſam ſiccitatem citius introducendam iuuat; tum denique quia ſiccitas, non ita actiua eſt, ſicut calor, & ideo lentiori modo agit in humiditatem, quam calor in frigus. Itaque duæ qualitates quando vtraque habet ſuum contrarium, in quod agat, non ita ſe iuuant ad inuicem ſicut quando vna tantũ qualitas eſt corrũpenda. Nec tamẽ ſemper iſta facilitas tranſmutandi elementum ſymbolum æquè reperitur, ſed poteſt aliquando impediri, vel propter maiorem denſitatem, vel propter minorem actiuitatem qualitatis ſymbolæ, nam terra v. gr. licet ſit magis ſymbola cum igne ratione ſiccitatis, quam cum aëre difficilius tamen tranſmutat in ſe ignem, quam ignis terram, vel etiam quã ipſe aër, aut aqua terram tranſmutẽt, quia ſiccitas terræ parum eſt actiua, & eius etiam denſitas difficilius generatur.

Ad rationes dubitandi pro prima difficultate. Ad primã Reſp. quòd aliquando actiuitas elementi agentis eſt tantum circa elementũ, in quod agit, quod fortiorem imprimit qualitatem, quam requiratur ad temperamentum mixti, vt cum in magnum ignem iniicitur gutta aquę. Deinde dicitur quòd et ãſi paulatim remittantur qualitates vnius elementi, & introducãtur oppoſitæ, non eſt neceſſe, quod ſtatim corrumpatur, & generetur mixtũ, vt probatũ eſt exemplo aquæ nimium feruentis, quæ tamen non habet calorem vt octo, & conſequenter aliquid de frigore retinet, & ſimiliter de humiditate, & ſiccitate, neque enim generatur mixtum ex quocumque qualitatum concurſu, ſed ex tali temperatura, quæ habeat modum permanentis, non mere tranſeuntis ad aliud elementũ. Et ſic elemento non conueniunt quatuor qualitates in ſuo naturali ſtatu, & ex propria natura, via autem corruptionis non repugnat.

Ad ſecundum. Reſpond. ſimiliter, quòd elementa denſiora, cum rarefiant, poſſunt prius peruenire ad raritatem elementi medij, quã extremi, non tamen neceſſe eſt, quod amittant formam propriam, & trãſeãt in elementum medium, ſed ſub illa raritate poſſunt adhuc retinere formã ſuã, in ſtatu tamẽ non naturali,

turali, sed via corruptionis, illam enim raritatem habent per modum transeuntis. Et sic argumentum nõ probat prius debere elementum medium, v.g ex terra aërem, quam ignem, sed prius debere accipere statum medium, sub forma tamen terrę attenuatæ per modum exhalationis, aut quid simile, & via corruptionis tendentis; & similiter aqua attenuatur in vapores, qui tamen substantialiter sunt aqua, siquidẽ concrescente frigore aqua fiunt, & ita illa attenuatio nondum constituebat aërem, sed via corruptionis conuertebat aquam.

Ad argumenta secundæ difficultatis respondetur ad primam; quòd transmutatio fundatur in contrietate requisita inter terminos in principio transmutationis, quatenus requiritur recessus à termino à quo, & accessus ad terminum ad quem, sed tamen facilitatio transmutationis fundatur in maiori conuenientia, quatenùs ponit minorem repugnantiam ex parte impedimentorum, quibus retardatur accessus ad terminum ad quem. *Ad secundum dicitur*, quòd licèt sint in elementis dissymbolis duę qualitates cõtrariæ contra alias duas, non tamen æquali actiuitate, & modo, tum ex parte raritatis, vel densitatis, tum ex eo, quod altera est minus actiua, tum quia non se adiuuant mutuo, sicut quando vna sola qualitas est vincenda. Quod verò etiam in elementis symbolis non solum duæ, sed etiam omnes qualitates sunt corrumpendæ, id est, per accidens propter desitionem subiecti, non propter contrarietatem qualitatũ, quæ per se conducunt ad faciliorem vel difficiliorem transmutationẽ. *Ad vltimũ dicitur*, non fieri æqualẽ comparationem inter particulam terræ, & aquæ iniectam igni, quia ista densior est, quàm illa, sed si attenuetur particula terræ per exhalationem tanta tenuitate sicut aqua, facilius conuerteretur ab igne.

Quomodo verò ex duobus elementis possit vel non possit generari aliud tertium, non est difficultas tanti momenti, nam per se, & in quarto modo semper vnum elementum generat sibi simile. Per accidens autem potest aliquando ex contrariis elementis vnum tertium generari propter aliquod impedimentum generandi proprium, licet in elementis symbolis id, aut vix, aut nunquam contingat eò quòd qualitas symbola vnius intenditur ab alia symbola, non expellitur. Videatur Aristot. hîc text. 29. & D. Thom. lection. 4. M. Bañez quæstion. 3. & alij Interpretes.

QVÆSTIO XI.

De Mixtis, & temperamento eorum.

ARTICVLVS I.

Quæ sint mixta perfecta, quæ imperfecta, & quod temperamentum eorum?

MIXTA generaliter loquẽdo sunt ea corpora, quæ ex elemẽtis fiũt tanquã ex simplicibus corporibus: atque ita omne corpus quod nõ est elementũ, sed ex elemẽtis dicitur mixtũ quasi ex illis cõpositum, & aliud dicitur perfectũ, aliud imperfectũ. Quod multipliciter intelligi potest. *Primò*, ratione diuersorum gradũ, sicut perfectiora sunt viuentia non viuentibus; & inter viuẽtia, sensitiua sunt perfectiora, & inter sensitiua datur etiam magna latitudo secundùm quod magis vel minus participant de sensibus. Vel *secundò* diuidi potest perfectio, & imperfectio mixtorum, secundùm quod magis, vel minus elongantur à corpore simplici, seu elementali, & sic ea quæ pluribus corruptionibus indigent vt resoluantur in elementa, perfectiora sũt, quia plus distant à potentialitate & imperfectione elementorũ. Quæ verò immediatè sunt resolubilia in ipsa elementa imperfectiora mixta sunt, quia minus distant à simplicitate, & potentialitate elementi, & hac ratione mineralia, & quædam aliæ impressiones metheorologicæ dicuntur mixta imperfecta, quia immediatè, vel quasi immediatè sunt resolubilia in ipsa elementa; licet reuera aliqua ex his metheoris substãtialiter sint elementa, quia eorum substãtia est vapor, vel exhalatio, quæ substantialiter sunt terra, & aqua attenuatæ, aliquando verò sunt composita ex duobus solũ elementis, vel tribus, ideóq; hæc propriè dicuntur mixta imperfecta, de quo M. Bannez, in lib. 2. c. 3. q. 1. Denique dicuntur mixta perfecta vel imperfecta, ratione status, scil. quod est in fieri, & tendentia ad perfecti generationem, dicitur esse imperfectum ratione status, vt v.g. quando animalia generantur, & prius transeunt per formas imperfectas, v. gr. per formã embrionis ad formam equi, tunc enim dicitur animal esse in statu imperfecto, & in via, & tendentia, & similiter cum ex elementis fit transitus in mixtum, dicitur esse imperfectè mixtum, quia est est in fieri, & tendentia.

Est autem commune mixti præsertim si perfecta sint, quod constet ex quatuor elementis, vt probat Arist. in hoc lib. tex 49. lect. 8. apud D. Th. & nos iam supra probauimus q. 5. de mixtione. Elementa autem non concurrunt ad mixtum, nisi vt temperata & modificata, & consequenter vt corrupta, vtpotè non habentia illam intensionem qualitatum quæ inuenitur in ipsis mixtis secundùm se; quando autem non solum intensio illa qualitatis actu deest, sed nec radicaliter competit, quia non manet radix quæ tam intẽsam qualitatẽ petat, tunc fit mixtum, quia fit alia substantia ab elementali, ex elementis tamen consurgens. Quod enim aliquando actu desit illa intensio, non constituit mixtum in actu, vt patet cum vehementer calefit, & tamen nondum amittit formã aquæ, neque est mixtum in fieri, quia ex tali calefactione & remissione frigoris, potest fieri transitus ad ignem.

Ex his nascitur difficultas apud quosdam quidnam sit illud temperamentum, quod ad mixtorum constitutionem requiritur? Non quidem temperamentum substantiale nam hoc non est aliud, quàm ipsa forma substantialis mixti, quæ dici potest tempe-

ramentum ipsum, vel quia ex temperatis & modificatis elementis resultat, vel quia est radix & principium qualitatum temperatarum, & quæ sunt propriæ mixtorum. Quòd vero ipsæ formæ substantiales mixtorum sint formaliter compositæ ex formis elementaribus, sicut aliqui dixerunt apud D Th. opusc. de mixt. element. & in hoc 2. lib. lect. 1. iam supra reiecimus q. 5. Difficultas ergo solũ esse potest de tẽperamento accidentali, an videlicet illa temperatio primarum qualitatum, qua mixtum ipsum componitur ex qualitatibus miscibilium, sit qualitas aliqua tertia distincta ab illis, vel solum ipsæ qualitates elemẽtales ad mediocritatem redactæ. *Nam quidam voluerũt*, formaliter in mixtis non interuenire quatuor primas qualitates, sed ex illis corruptis vnã quasi simplicem ab illis distinctam resultare, quibus fauere videtur D. Thom. in hoc 1. lib. lection. 24. & opusc. de mixt. elementorũ, vbi ponit, quòd remissis qualitatibus elemẽtalibus constituitur quædam qualitas media, quæ est propria mixti. *Alij censent* manere quidem quatuor illas qualitates formaliter in mixto, sicut dari experimur calorem & frigus in mixtis, v. g. in animalibus, & siccitatem & humiditatem (quod etiam fatetur D. Thom. 1. part. quæst. 76. art. 4. ad 4.) præter illas tamen inueniri aliam quintam qualitatem simplicem, quæ omnes illas attemperet & in proportionem reducat. Et certè aliquas qualitates mixtorum proprias inueniri præter qualitates primas ad medium redactas, negari non potest, vt sunt quædam occultæ virtutes herbarum aut lapidum, vis attractiua magnetis, potentia vitalis, in viuentibus, & alia similia. Sed tamen ista sententia, pro officio proportionandi qualitates primas ponit illam quintam qualitatem. Alij alias quasdam medias qualitates inueniunt inter calorem & frigus, inter siccitatem & humiditatem, quod ferè non recedit à prima sententia. Alij denique sentiunt proportionem primarum qualitatum non esse aliud, quàm ipsas primas qualitates ad mediocritatem redactas & coniunctas sine alia noua qualitate supperaddita vel proportionante istas, vel virtualiter continente.

De his opinionibus iam supra diximus quæstion. 5. Certè manere primas qualitates formaliter in mixtis nullatenus negari potest, cum illarum effectus manifestè videamus, verbi gratia, calefacere & frigefacere, & insuper habere inter se istas qualitates mutuam actionem & passionem, siquidem mixta habent intra se principium corruptionis, quod non esset, si intra se non haberent qualitates contrarias formaliter, eò quòd vna sola qualitas simplex non potest exercere contrarietatem, & consequenter corruptionem, quæ sine contrarietate non fit. Requiritur ergo pluralitas qualitatum contrariarum etiam in mixtis & viuentibus vt intra se habeant causam corruptionis. Similiter nõ exigitur qualitas illa quinta vel media, aut superaddita ad hoc præcisè, vt illę qualitates proportionentur, & ad moderationem reducantur, hoc enim superfluè fieret per qualitatem superadditam, cum ipsæ primæ qualitates si remittantur, hoc ipso moderatæ & temperatæ maneant, & mutuò se compatiantur in subiecto, ergo illa qualitas superaddita, neque est necessaria, vt illæ primæ qualitates reddãtur moderatæ, nec vt compatiãtur simul in subiecto, nam hoc ipso, quòd sunt in gradibus remissis vtrumque habent, & reddunt subiectum in quo inhærent temperatè dispositum. Nec potest afferri instantia de conceptu secũdæ operationis intellectus, qui est distinctus à conceptibus primæ operationis, & probabile est, quod est quidam simplex conceptus formatus ex primis conceptibus apprehensiuis. *Sed hoc nõ obstat*, quia in mixtis illa qualitas simplex nõ habet aliud officium speciale præter illam proportionem, & moderationem primarum qualitatum, quas constat temperari, hoc ipso, quod remittitur, & diminuitur earum intensio, ad istam autem remissionem non opus est qualitate superaddita, sed absentia gradus intensioris. At verò in intellectu secundum diuersam combinationem conceptum, fit diuersa repræsentatio, quæ vtique diuersam qualitatem requirit, & non solam diminutionem intensionis, & gradũum in conceptibus, & si illa repræsentatio reducitur ad vnitatem ex ipso modo repræsentandi, etiam vnicum exigit conceptum & qualitatem, ideòque in secunda operatione intellectus, seu in propositione mentali probabiliter ponitur nouus quidã conceptus ad vnitatem præsentabilem reducens, & distincto modo repræsentans, quam simplices primæ operationis conceptus.

Denique quod præter qualitates primas ad mediocritatem temperatas, dentur aliæ qualitates, quæ sunt propriæ mixtorum, non quidem tollentes primas, sed supponentes, & eis vt instrumentis vtentes, manifestum est in exemplis adductis de virtutibus occultis & potentiis vitalibus, quæ licet ad constitutionem organi, & exercitium suum exigant calorem, aliásque qualitates, tamen illæ potentiæ sunt distinctæ à calore & frigore, & similibus, vtpotè cum sint vitales potentiæ, & actiones & habeant vitales à calore, & aliis qualitatibus distinctas, licet per illas tanquam per instrumenta ministratas, vt latiùs probabitur in libr. de Anima, quæstion. secund. & 3.

Quod si dicas, nam sanitas & morbi, aliáque similia quæ resultant ex conuenienti dispositione primarum qualitatum, sunt qualitates superadditæ primis, ergo similiter in mixto erit qualitas superaddita illa, quæ proportionat & ad temperamentum reducit primas qualitates. *Respondetur*, quòd sanitas, ægritudo & pulchritudo, & similia sunt qualitates distinctæ resultãtes ex debita vel indebita proportione humorum, quia non solum faciunt ipsam mixturam primarum qualitatum moderando illas, ad hoc enim solum non requirebatur distincta qualitas, sed quia vltra illam mixturam qualitatum, conuenienter, vel disconuenienter disponunt subiectum in ordine ad conseruandum vel corrumpendum ipsam vitam, vel proportionem debitam partium, vel humorum, aliud est autem misceri qualitates in vnam temperaturam & moderationem, aliud conuenienter, vel disconuenienter disponi in ordine ad subiectum, non solum secundùm qualitates primas, sed etiam secundùm vitales. Et huius signum est, quia istæ dispositiones sanitatis & ægritudinis non inueniuntur in omnibus mixtis, in quibus tamen inuenitur mixtura qualitatum, sed solum in animalibus.

ARTICVLVS II.

Quid sit temperamentum æqualitatis, & ad pondus, & an sit dabile?

TEmperamentum in mixtis inuentum dupliciter sumi potest; vno modo pro temperamento secundùm proportionem, alio modo pro temperamento omnino æquali. Primum vocari solet temperamentum secundùm iustitiam, seu secundùm debitum seu exigentiam subiecti, quia tale est quale exigit proportio subiecti. Secun dũ vocari solet temperamentum

tum ad pondus, quia videlicet qualitates ita in æquilibrio miscentur, vt neutra excedat aliam, sed omnes in eodem gradu & pondere concurrant. Et ideò vno tantummodo reperiri potest, quia in indiuisibili consistit. Primum vero multis modis reperiri potest iuxta diuersam subiecti exigentiam & naturam. Vnde diuersis nominibus solet nominari, aliquando enim dicitur temperamentum difforme simplex, scil. quando vna tantum qualitas prædominatur, reliquæ autẽ ad æqualitatem redactæ sunt: aliquando verò difforme compositum, scil. quando duæ qualitates prædominantur, & reliquæ in gradu ęquali conueniunt; & in his potest esse magis & minus secundùm infinitas combinationes, quia infinitis modis contingit variari temperamenta, sicut & figuras.

Dari ergo temperamentum proportionale & iuxta exigentiam & debitum cuiuscumque subiecti certum est, quia multa mixta inueniuntur in statu sibi perfecto, & connaturali, atque adeo tunc ei conuenit temperamentum sibi connaturale & debitum. *Difficultas est*, an detur temperamentum in omnimoda æqualitate seu æquilibrio & ad pondus, tum in qualitatibus primis, tum in qualitatibus motiuis secundùm locum, vt in grauitate & leuitate. Nam ex vna parte non videtur repugnare, quòd ipsa miscibilia, seu qualitates sic refrangãtur, quod tantũ maneat de vna quantum de alia, v. gr. quòd calor diminuatur vt quatuor, & frigus maneat etiam vt quatuor, aut de quolibet maneat gradus vt duo. In hoc enim nihil apparet repugnantiæ præsertim, quia hoc non repugnat ex parte subiecti, cũ subiectũ sit capax vtriusque qualitatis contrariæ in gradu temperato & remisso, neque ex parte agentis, quia si in aliquo corpore, v. gr. dominatur calor & humiditas, deinde ab aliquo sicco & frigido agatur in illud, ita vt paulatim remittatur de calido & humido, & paulatim etiam crescat frigus & siccitas, debet necessario deueniri ad vnum punctum in quo omnia sint æqualia, alioquin non possent transire ad maiorem siccitatem, & frigiditatem, nisi prius perueniendo ad æqualitatem, ergo saltem pro aliquo tempore possibile est temperamentũ ad pondus. *Cõfirmatur*, quia tactus in homine est perfectissimus, vt docet Aristoteles 2. de partibus animal. c. 16. & D. Th. 1 p. q. 91. a. 3. ad 1. sed tactus solum sentit excellentiam tangibilium, vt dicit Arist. de anima text. 118. id enim sentit, in quo vincitur eius proportio, & temperatura, ergo oportet, quod tale sensorium habeat æqualitatem illarum qualitatum ad pondus nam si aliqua qualitas excederet in ea, non sentiretur excellentia talis qualitatis. Similiter temperamentum ad pondus est omnium perfectissimum, quia perfectissimè distat ab extremis scil. à qualitatibus summè intensis: ergo debetur alicui perfectissimo mixto, qua est homo, præsertim in suo perfectissimo statu, sicut fuit in statu innocentiæ, vel erit in statu gloriæ, vel fuit in Christo Domino, licet in rei veritate non secundum omnes partes conueniat animali seu viuenti, quia partes aliæ sunt etherogeneæ, & diuersam temperiem, atque mixturam postulantes. *Confirm.* authoritati D. Th. qui 1. p. q. 91. a. 1. in corp. & ad 3. docet, quod in homine est maxima æqualitas complexionis, & elõgatio à contrariis: ergo est temperamentum æqualitatis ad pondus, quia hoc est maximæ æqualitatis.

Nihilominus dicendum est; *quod licet ex parte ipsius mixti non repugnet habere aliquod temperamentum ad pondus, repugnat tamen ex parte agentium naturalium & ex parte modi agendi, quia semper agunt secundum aliquam qualitatem prædominantem, & multo magis id repugnat in viuentibus præsertim secundum omnes partes quæ postulant diuersa temperamenta.* Plures sequuntur, hanc sentẽtiam qui videri possunt in Cursu Carmelitano, disp. 11. q. 1. & Bannez, libr. 2. c. 7. q. 1. Et videtur esse manifeste D. Th. in 3. dist. 26. q. 1 ad 4. vbi inquit: *Quod impossibile est quod complexio perueniat ad tantam æqualitatem, quin alterum contrariorum prædominetur, quia alias non fieret mixtio nisi vnũ ageret in alterum dominans ad medium reducendo, altero resistente, & præcipuè hoc oportet in corpore humano, quod calor operetur propter operationes animæ quæ indigent calore, vt instrumento, vt dicitur in 2. de Anima. Ratio autem est*, quia licèt elementa concurrant ad mixtum præbendo illi materiam vnde fiat, tamen etiam aliquod illorum debet esse actiuius, & prædominari efficienter in alterum, semper enim actio est à proportione maioris inæqualitatis, ergo oportet quod illud quod est fortius, etiam vehementius imprimat suas qualitates, quia ex fortiori causa sequitur fortior & maior effectus, & sic nõ erunt omnes qualitates æquales ad pondus hoc ipso, quoad ad agendum requiritur excessus agentis super alia. Nec potest hoc temperari dicendo, quod elementa magis actiua possunt esse minoris quantitatis, & densitatis, ea vero quę minus actiua sunt esse magis densa, & ita quod vni deest de intensione & actiuitate, recõpensatur in alio per densitatem, sicque ad æqualitatem ponderis concurrunt. *Sed contra hoc est*, quia hoc toto posito adhuc impedietur actio, quæ semper est à proportione maioris inæqualitatis: ergo si ad hoc, quod resultet æqualitas temperamenti ad pondus, supponitur æqualitas agendi in concurrentibus, & agentibus, siue hoc fiat per illam recompensationem siue non, tollitur actio, nec enim intelligendum est, quod vnum ex miscibilibus se habeat pure passiuè, & aliud actiuè, sed vtrumq; actiuè, & contrariè concurrit, & destruendo alterum ergo si supponuntur qualitates ad pondus libratæ in effectibus, & in agẽtibus, quocumque modo id fuerit impedient se in agendo, siue propter æqualitatem intrinsecã, siue recompensatam in ipsis qualitatibus extrinsece.

Difficilius est, si dicatur posse fieri mixtum non per actionem ipsorum miscibilium inter se, sicut quando est vera mixtio, sed ab aliquo tertio, verbi gratiâ, à cœlo vel alia causa vniuersali quæ efficaciam habeat temperandi ad pondus omnes qualitates elementorum ad mixtionem concurrentium. Nihilominus etiam in hoc currit ratio facta: quia cœlum non efficit mixtum, nisi ipsa elementa adiuuando, & mediantibus qualitatibus talium elementorum, quæ in mixtis relucẽt, ergo oportet, quòd aliqua qualitas elemẽtis sit vincẽs, & pręd ominãs, alias nõ resultaret actio. *Et ratio huius est*, quia cœlũ non producit mixtum, nisi interueniente motu & alteratione, quia est primũ alterãs, & cõsequenter, ita imprimit in elemẽta; quod mouet eorũ qualitates, vt alterentur & alterent, faciantq; verã mixtionẽ, ergo eodẽ modo requiritur, quod vna qualitas superet, & dominetur aliis, vt possit agere in illas etiã præsupposito motu cœli eas alterãte, ergo nõ possũt, ita æqualiter tẽperari ad pondus, quod vna qualitas maneat omnino æqualis alteri. Solũ ergo poterit à Deo produci ista æqualitas ad pondus, faciendo vnũ mixtum sine aliqua alteratione præcedente, & mutua reactione miscibiliũ.

Secunda vero pars de viuentibus manifesta est, quia partes etherogeneæ diuersũ exigunt temperamentũ sicut diuersus gradus caloris debet esse in corde ad generandos spiritus, quam in manu vel pede ad mouendum: & ossa sunt ficciora, & duriora, quam aliæ partes, ergo non possunt esse æqualiter temperatę ad pondus, essent enim homogeneæ. *Neque dici potest*, quod

quod si vna pars excedit in calore alia excedit in frigore, & sic recompensando vnam cum alia totum viuens redditur æqualis temperamenti. *Nam contra est*, quia hoc non est ponere temperamentum ad æqualitatem in quolibet membro, sed quolibet esse inæquale alteri, reddi autem ipsum totum æquale secundum proportionem; præterquam quod calor sẽper debet vincere in animali; quia est principale instrumentum vitalium actionem. *Si vero dicatur*, quòd licet diuersæ partes animalium diuersum habeãt temperamentum, tamen sensus tactus, qui per totum corpus est dispersus, habet temperamentum ad pondus. *Contra est*, quia actus non consistit in indiuisibili temperamento, cum in quibusdam partibus efficacior sit, & viuidior, quã in aliis, vt in extremitatibus digitorũ, & consequenter in aliquibus habeat aliquã qualitatem magis prædominantẽ, & minùs ad æqualitatem redactam, quam in aliis. Præterquam quod census tactus non reddit totum animal temperatum ad pŏdus, cum multæ qualitates restẽt dissimilatis tẽperamenti & diuersarum qualitatum, in quibus habent aliquem excessum, sicut in corde debet esse maior calor, quam in aliis partibus; vndè quod in sensu actus temperentur ad æqualitatem, non facit quod absolute illæ partes sint redactæ ad pondus, sed secundum quid, id est, vt exigitur ad sensum tactus.

Quod verò addimus, non dari etiam qualitatem ad pondus in virtutibus motiuis, eodẽ fere nititur fundamento, quia si daretur æqualitas ad pondus in virtutibus localiter motiuis, istud corpus non posset moueri ad aliquẽ locum naturalem ex propriis principiis, & sit non esset corpus naturale, imo non haberet determinatum locum in vniuerso, quia sic esset in aliquo corpore æqualis leuitas & grauitas ad pŏdus tantum ageret vna quantũ alia, & sic si grauitas traheret deorsum, impediretur à leuitate mouente sursũ. Vndè nulla ageret, quia à proportione omnimodæ æqualitatis non datur actio, & ita non haberet locũ determinatum, omnia enim loca grauium & leuium sunt sursum vel deorsum, neutrum autem tali corpori competeret, impedientibus se grauitate & leuitate. Nec potest dari locus medius inter aërem & aquã, v.gr. quia cum inter ista duo non mediet aliquis locus in vniuerso, sed sint sibi immediata, manifestum est quòd in vniuerso non datur naturaliter locus pro aliquo corpore, quod in æquilibrio esset graue & leue. Quod si à Deo fieret, vel non deberetur sibi locus naturalis in vniuerso, sed æque bene esset vbicumque poneretur, sicut si aliqua pars cœli poneretur in hoc mundo inferiori, vel pertineret reductiuè ad duplex elementum, scilicet, aquæ & aëris, & in quolibet inueniri posset, sicut animalia quæ viuunt in terra, & in mari. Si autem dicatur, quod posset præponderare in illo corpore grauitas habendo maiorem densitatem vel leuitas habendo plus caloris, qui actiuior est, licet in intensione essent pares. *Contra est*, quia leuitas petit raritatem, si oritur, à calore partes ipsas resoluit. Vnde corpora magis spissa leuia non sunt, & aër inspissatus minus leuis redditur, ergo illa raritas impediret illam densitatem stante æqualitate leuitatis, & grauitatis & similiter calor, qui est causa leuitatis mitigaret frigus, qui est causa grauitatis Et licet calor sit actiuior frigore, id erit in genere alterandi, non in genere localiter mouendi, ergo ipsa æqualitas grauitatis & leuitatis, si est ad pondus, etiã concomitanter habet æqualitatem in aliis ad eas concurrentibus.

Ad primum à principio respondetur, repugnare, quòd qualitates illæ, ita refrangantur ad æqualitatẽ, propter modum naturalem agendi vnius in alteram per mutuam actionem, & reactionem quæ necessario supponit aliquam ex illis qualitatibus prædominari. Et sic non repugnat ex parte subiecti recipere illas qualitates in æquilibrio si dentur, sed ex parte modi agendi naturalium agentium. *Ad instantiam, positam* de repugnantia. Respond. quod in illo casu si peruenitur ad æqualitatem qualitatum per modum transeuntis, in nullo puncto cessabit actio, sicut in puncto reflexionis datur quies: sed si immediatè post detur actio & motus, necessaria aliqua qualitas prædominabitur, & non erunt ad pondus. Quod si instetur, quod potest esse quod qualitates illæ sint æquales in intensione, & gradibus, licèt dissimiles in actiuitate, plus enim agent, quatuor gradus caloris, quã quatuor humiditatis. *Respondetur*, quòd hoc ipso, quod excedit vna aliam in actiuitate, agit in illam, & resoluet, sicque reducet ad minorationem, & sic nunquam manebit temperamentum in illa æqualitate graduum, nisi totaliter cesset actio, quod quidem pro aliquo puncto, & quasi per modum transeuntis intelligi potest, sed permanẽter per modum temperamenti dari non potest, cum actio alteratiua id non permittat.

Ad confirmationem respondetur, tactus requirere proportionem non quidem æqualem ad pondus & quasi mathematicam, sed physicam, & secundum aliquam latitudinem, cum videamus in quibusdam partibus esse tactum viuaciorem, quàm in aliis, & in quibusdam animalibus plus, in aliis minus, quod non esset si ad sensum tactus exigeretur mathematica, & indiuisibilis qualitatum proportio. Quòd verò non sentiatur, nisi excellentia tangibilium, verũ est, sed ad hoc sufficit quòd excedat illam proportionem, quam habemus in tactu, & sic argumentum conuincit non omnes qualitates sentiri per tactum, sed tantum quæ excedunt illam proportionem tactus, quæ non est æqualitas ad pondus, sed secundũ proportionẽ & excessus proportionis illius est qui sentitur. Nec Philos. in illo loco de Anima dixit requiri omnimodã medietatem, & æqualitatem ad tactum, sed sufficit proportionalis, & sic dixit, *veluti medietate quadam existente*, vbi particula *veluti* diminutiua est, & à mathematico rigore temperãs. *Ad id vero* quod additur, quod æqualitas ad pondus est perfectissima. *Resp.* quod est perfectissima quasi mathematicè, & quantitatiuè cõsiderata, sed non physicè, & in ordine ad finem alterationis, & motus, quia sẽper requirit qualitatẽ actiuã prædominantem, & sic perfectissimum temperamentum iudicandum est, non ex perfectissima æqualitate, sed ex perfectissima conuenientia ad finem mixti, qui est eius operatio, & motus. *Ad secundam Conf. Respondetur*, quod D. Thom. affirmat in homine esse maxime æqualitatem complexionis non æqualitate mathematica, sed physica, vt dictum est, & comparatiue ad alia animalia.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

De Reproductione rei corruptæ.

ARTICVLVS I.

Vtrùm repugnet rem corruptam iterum reproduci?

DVæ *extremæ sententiæ circa hoc inueniuntur. Prima* fuit quorundam Antiquorum, qui dicebant post determinata tempora redire easdem omninò res, quę iam desierant, quod Platoni plures attribuunt, vt videri potest apud Sanct. Augustin. 12. de ciuitat. capit. 13. Ex Scholasticis autem non defuerunt, qui censerent non esse omninò impossibile redire aliquid per naturam, quod fuerat corruptum, licet non omnia, quod probabile reputat Scotus in 4. distinction. 43. quæstion. 3. & alij. *Secunda opinio fuit* in alio extremo, quod nec per potentiam absolutam Dei potest reparari ad aliquid quod totaliter fuerat corruptum. Et dicunt *totaliter corruptum* ad excipiendum hominem, qui quando moritur, non totaliter corrumpitur, sed manet eius anima, & corpus, & solùm vnio dissoluitur. Ita Durandus in 4. distinction. 43. quæstion. 3. & alij quos citant Conimbr. 1. de generatione capite vndecimo, quæstione secunda, articulo primo.

Similiter circa res successiuas, quidam existimant posse diuinitus reproduci eundem numero motum, & tempus, vt cum aliquibus sequuntur Conimbr. citati quæstione tertia, articulo secundo. Alij cum communiori sententia oppositum tenent, vt Mag. Bañez hic quæstione vltima, Rubio Sotus Ferra. & alij, quos citant, & sequuntur Carmelitani disputat. 13. quæstion. 2.

Dico primò. *Quæcumque res permanens semel corrupta, non potest naturaliter eadem numero redire, potest tamen supernaturaliter.* De hoc secundo non est tanta difficultas, & potest videri Diu. Thom. quodlib. 4. articul. 5. & 4. contra Gentil. capit. 81. Nam de homine est articulus fidei, quòd idem numero resurget, & eadem ratio est de reliquis, etiamsi totaliter sint corrupta, tum quia in homine, omnia accidentia corporalia totaliter pereunt, à quibus tamen dependet indiuiduatio hominis, & ideo redire debent; tum quia si redit idem totum quod perierat, cur non poterit redire pars quæ perit, verbi gratiâ, forma corruptibilis? Tum quia etiamsi res omnino annihiletur, nulla potest afferri implicatio, cur repugnet à Deo reproduci, siquidem re aliqua annihilata neque potentia Dei est diminuta, neque actio eius immutata, aut transacta, sicut actio quæ est motus in creatura. Quòd verò ipse effectus sit annihilatus, non ponit illum in statu difficiliori, vt reproducatur, quam antea erat vt produceretur, quando erat nihil, ergo non est aliqua implicatio in reproductione respectu potentiæ diuinæ, licet sit respectu potentiæ creatæ, quæ agit per actionem limitatam, & & per motum transactum, quæ redire non potest, & ideo neque effectus idem numero, vt statim dicemus.

Prima verò pars conclusionis etiam est communis sententia quam tenet Sanct. Thom. *locis suprà citatis.* Et sumitur ex Aristotel. in cap. de oppositis, vbi inquit: *Quod à priuatione ad habitum non datur regressus,* & 5. Physicorum text. 37. inquit: *Non posse redire eandem numero sanitatem.* Sequuntur communiter Authores qui videri possunt in cursu Carmelit. hic disputation. 13. quæstion. 1. & apud Conimbr. quæstione prima, articulo tertio. Aliqui existimant hoc fieri non posse, quia determinatio causæ ad hunc singularem effectum potius, quam ad alium pertinet ad causam primam, quæ indifferentiam causæ secundæ erga singulares actiones, & effectus tollit, ac determinat. Et quia postquam Deus determinauit ad hanc actionem numero, non amplius ad eam determinat, ideo non amplius redit ista actio numero, & consequenter, neque iste effectus numero, quia dependet à tali numero actione. Sed restat istis authoribus ostendere, an illa denegatio determinationis diuinæ sit indebita causis secundis ex principiis naturæ earum, vel ex sola Dei voluntate. Si hoc secundum, ergo ex sola natura rei non repugnat idem numero redire, quod est incidere in opinionem Scoti, siquidem ad solam Dei voluntatem reducitur, quod denegetur talis concursus. Si primum, restat ostendere ex quonam principio naturæ sit indebita talis determinatio semel data.

Quapropter conuenimus cum hac sententia (in hoc enim est sententia communis,) quod vt aliquid semel corruptum redeat idem numero, requiritur quod redeat etiam eadem numero actio, quæ illam produxit, siquidem singularitas, & vnitas rei in facto esse, quando fit in rerum natura, dependet à singularitate, & vnitate actionis, actio enim importat rem ipsam fieri, & tendentia ad esse, vndè si fieri est diuersum, non potest factum esse, & terminus esse idem, nisi actio diuersa talis eminentiæ sit, quod ex omni parte contineat totum quod est in altera actione etiam indiuidualiter, quod solum inuenitur in actione diuina respectu creatæ. Et hac ratione probauimus in quæstione duodecima, Physicorum, non posse eundem effectum procedere à duplici causa totali creata, quia nec potest eadem actio emanare à duplici causa creata, nec actio vnius totaliter, & omni modo continere actionem alterius, etiam quoad indiuiduationem, propter limitationem actionis singularis creatæ. Atque ita quod redeat eadem actio numero, à qua dependet vnitas singularis istius effectus in suo fieri, seu quotiescumque fit vel est, quia redit eadem actio formalis creata, per quam primo effecta est, vel quia redit eadem actio eminentialiter, id est illa actio quæ eminenter continet totam actionem qua res illa facta est, etiam in quantum singularis est. Et hoc dicimus non posse inueniri in aliqua actione creata, sed solum

lum in Diuina, quia non poteſt aliqua actio creata cum limitata ſit continere omnia principia indiuiduantia alterius actionis, ſcilicèt eandem materiam ſub eadem ſignatione, accidentibus, ac tempore, à quibus omnibus dependet indiuiduatio actionis, & conſequenter effectus eius vt producti, quæ tamen omnia ſubſunt actioni diuinæ, quia vnica actione tendit in omnes effectus, non vero pro quolibet effectu habet ſuam diſtinctam actionem; & ita quia etiam ceſſante effectu non ceſſat actio Dei, eo quod etiam antequam effectus producuntur in tempore, erat actio Dei æterna, quia non diſtinguitur ab eius ſubſtantia, ideo poteſt Deus id quod deſiit reproducere, quia ſemper manet eadem actio Dei, qua produxit. *Et hæc ratio Sanct. Thom.* in 2. diſtinction 1. quæſtion 1 articul. 4. ad 3. vbi inquit: *Quod Deus non habet operationem determinatam ad aliquem effectum, imo vna ſola operatione poteſt omnes effectus quos vult producere, vnde eundem effectum ſpecie quem natura producit, poteſt Deus ſine natura operante facere.* At verò quòd actio creata formalis, quæ præteriit redeat eadem numero, fieri non poteſt, non ſolùm quia Deus non vult præbere eundem numero concurſum, quem antea præbuit, ſed quia illa actio, quæ præteriit, non poteſt eadem numero redire niſi redeat idem numero tempus, ſeu motus à cuius continuitate, & vnitate dependet vnitas illius actionis, quæ deſiit eſſe, & ipſa deſitione diſcontinuata eſt. Non poteſt autem idem motus, & idem tempus numero poſtquam præteriit redire, ſiue ſit tempus continuum, ſiue diſcretum, aut ſpirituale, vt, *ſequenti concluſione* dicemus, à qua dependet veritas iſtius.

Dico ſecundò. *Neque per potentiam abſolutam poteſt res ſucceſſiua ſemel tranſacta iterum reproduci, & idem eſt de quibuſcumque actionibus, quæ fiunt, aut dependent ab aliquo motu.* Hæc ſententia eſt expreſſa Diu. Thom. quodlibet. 4 articul. 5. & communiter ſequuntur Authores ſuprà relati. *Et præcipuum fundamentum* ſumitur ex doctrina Diu. Thom. citato loco, quia ſi res ſucceſſiua ſemel tranſacta reproduceretur, erit & non erit idem numero, & correſpondebit eidem tempore imaginario, & non correſpondebit habebit prius, & poſterius reſpectu eiuſdem, & denique erit ſucceſſiuum fluens, & non fluens, ſed permanens. Quæ omnia manifeſte implicant. Quòd autem ſequantur *probatur*, quia ſi motus heſternus hodie reproducitur, ergo eſt idem numero qui fuit heri, & qui fuit hodie, vel ergo eſt vnum per continuitatem, vel per identitatem. Non per continuitatem, quia motus heſternus, & hodiernus interrupti ſunt per ceſſationem talis motus, vt ſupponitur, ſiquidem iam ille motus tranſiuit, & ceſſauit. Non per identitatem, quia identitas magis exigit vnitatem, & magis opponitur interruptioni, quam continuitas, ergo ſi interrumpitur, & diuiditur motus non poterit eſſe idem numero, ſed interrumpitur per intermediam quietem, vel ceſſationem, ergo implicat, quod ſit vnus per identitatem, qui tranſiuit heri, & qui hodie reproducitur, vnum enim, & diuiſum, ſeu interruptum contradictoriè opponuntur, motus autem, & tempus ceſſatione interrumpuntur, & diuiduntur, ſicut ſuperficies quantitatis interpoſito aliquo corpore medio diuiditur, & non remanet vna, ſeu indiuiſa.

Nec obſtat dicere; quod habeat eaſdem partes motus hodie, & heri. *Nam contra eſt*, quia habendo eaſdem partes, ſimul habet diuiſionem, & interruptionem in illis, quia illæ partes tranſierunt, & interruptæ ſunt ceſſatione intermedia, & tamen per reproductionem fit vnum, & idem quod eſt non eſſe interruptum, ſed indiuiſum, ipſa enim interruptio facit diuiſionem, ſeu potius eſt diuiſio in ſucceſſione.

Secunda, & tertia implicatio probatur, quia ſi tempus præteritum, verbi gratiâ, hora immmediatè præterita immediatè poſtquam eſt præterita, reproduceretur, vel ſic reproducta faceret maius tempus, vel omnino idem. Si omnino idem, ergo eſſet permanens, & non fluens, & ſic non correſponderet diuerſo tempori imaginario, quod repugnat, & eſt contra ipſam rationem temporis, cuius eſſentia conſiſtit in hoc, quod poſitiuè faciat id quod tempus imaginarium negatiuè, ſi autem tempore imaginario tranſeunte, tempus poſitiuum non tranſit, ſed eſt idem numero hora præterita, & quæ modo eſt, ergo manet res permanens, & non ſucceſſiua, quod eſt contra eſſentiam temporis. Et hoc patet quia tempus non fluit, niſi deſinente vna parte, & incipiente alia, componitur enim ex futuro præterito, & præſenti, ſi autem reproduceretur idem tempus præteritum, non conſtaret ex præterito, & præſenti, ſed ſolum ex præſenti, præteritum enim fit præſens, & ſic non flueret per deſitionem vnius partis, & acceſſionem alterius, ſed ſtaret in eodem. Quare identitas temporis reproducta contradicit ſucceſſioni, & fluxui temporis, atque adeo eius eſſentiæ, & quidditati. Si autem tempus heſternum, ſeu hora immediatè præterita reproducta faceret maius, & ſuperadderetur ad præteritam, ergo iam non idem tempus, quia idem reſpectu eiuſdem, non facit maius, & ſic erit idem tempus, & non idem. Et præſertim, quia idem tempus poſitiuum non poteſt correſpondere durationi imaginariæ heſternæ, & hodiernæ, quia ſi correſponderet vtrique, faceret additionem, quia aliquid maius poſſet menſurari per illud tempus ſic correſpondens vtrique, quam ſi vni tantum durationi correſponderet. Si autem vtrique non correſpondet, non erit idem tempus heri præteritum, & hodie reproductum. *Nec valet dicere*, quòd tempus verum, & poſitiuum poteſt coëxiſtere diuerſis partibus temporis imaginarij, eo quòd hæc coëxiſtentia non eſt per aliquem realem modum, ſed per comparationem intellectus: quod non currit in corpore poſito in duplici loco adæquato, quia debet exiſtere per diuerſa vbi, & per diuerſas præſentias, quibus in ſpatio ponitur. *Contra enim eſt*, quia ſiue iſta coëxiſtentia temporis, fiat per modum ſuperadditum ſiue non, tamen conſtat quòd duratio poſitiua, quæ correſpondet tanto tempori imaginario, non poteſt fundare correſpondentiam alteri tempori imaginario, quia idem non poteſt eſſe diſtans à ſe, & additum ſibi, tempus autem imaginarium hodie, & heri eſt diſtans negatiuè, ergo non poteſt ſine diſtantia poſitiua repleri, ſicut nec diſtantia localis ſine nouo corpore, ergo tempus poſitiuum quod repleuit tempus imaginarium heſternum, non poteſt replere hodiernum, ſine diſtantia poſitiua ſui, ſicut tempus imaginarium diſtans eſt; diſtantia autem poſitiua cum identitate omnimoda implicat. *Si inquiras* de tempore Angelico an poſſit à Deo reproduci cum à motu non dependeat? *Reſpondetur* quòd licet non dependeat à motu corporeo, includit tamen prius, & poſterius in actibus, licèt quilibet actus in ſe ſit indiuiſibilis, ideóque neceſſario exigit componi ex tranſitu vnius, & aduentu alterius; hoc autem deſtruitur, idem reproducitur, ſicque eadem ratio currit, ac de tempore ſucceſſiuo non diſcreto.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

CONtra primam conclusionem argu. quia tota ratio propter quam diximus non posse idem numero reparari per naturam, est quia non potest eadem numero actio redire semel extincta. *Contra quod fit instantia.* 1. Quia non repugnat per diuersam actionem conseruari idem numero effectus, qui per aliam factus est, sicut calor factus per hunc ignem potest conseruari per alium, & per eundem motum cœli continuum conseruatur hodie idem homo, vel lapis qui heri conseruabatur, & tamen pars motus cœli quæ est hodie, non fuit heri, ergo non repugnat per diuersas actiones, vel diuersas partes actionis eundem effectum numero attingi, & consequenter reproduci, si destruatur. 2. Quia si ista ratio aliquid probat, etiam probaret Deum non posse idem numero reparare, eo quòd actio Dei, vt passiuè immutans, etiam transit, verbi gratiâ, actio qua factus est Adam, vel actio qua infusa est gratia iam perdita, & quicumque concursus Dei semel datus, statim transit, ergo æque probat illa ratio de causis naturalibus quod non possint idem numero reproducere, atque de Deo. *Confirm.* quia stante eodem efficiente, & eadem numero materia, & quantitate aliisque accidentibus, manent eadem principia indiuiduantia, ergo poterit idem indiuiduum reproduci, nam quod sit diuersum tempus non refert quia tempus non est principium indiuiduans intrinsecum, sed extrinsecum. Nec desunt aliqua exempla id suadentia, vt cum ex vna aqua plures fiunt, & iterum congregantur, idem totum fit quod antea erat, & cum auricula, vel nasus præcisus vnitur iterum animali, manet eadem pars viua quæ ante, ergo idem numero reparari potest.

Respondetur ad primam instantiam, quod idem effectus numero potest à diuersis numero actionibus conseruari conseruatione extrinseca non intrinseca. Vocamus conseruationem extrinsecam, quæ fit per remotionem contrariorum, & applicationem conuenientium extrinsecorum: intrinsecam verò, quæ fit per effluxum ab aliqua causa, sicut lux conseruatur à luminoso, calor verò conseruatur fouendo illum, & applicando materiam conuenientem, & remouendo contraria. Id ergo quod conseruatur per effluxum ab aliqua causa, si mutetur actio influens, non manebit idem numero effectus, quia est eadem ratio de ista actione sic continuante, atque de prima producente. Si verò conseruatio sumatur secundum extrinseca, potest conseruari idem numero effectus per diuersam actionem, quia per illam non procedit effectus, neque dimanat à causa, sed solum ea quæ extrinseca sunt illi applicantur, vel ab ea remouentur, quod non variat entitatem indiuiduam; si autem res semel perit, vt reproducatur non sufficit causa conseruans per extrinseca, sed per influxum dans esse de nouo. Quòd verò eadem actio continuata conseruet eandem, rem numero, cum tamen actio illa habeat diuersas partes, ideo est quia etiam res conseruata habet durationem vnam continuatiuè, & secundum diuersas partes, non indiuisibiliter vnam.

Ad secundam instantiam respondetur, quòd actio Dei passiuè sumpta, & concursus ad extra qua obiectatur in creatura; perit pereunte effectu, sed quia restat actio quæ se tenet ex parte Dei, in qua continetur eminenter res illa, quæ periit, & concursus quo facta est, & omnis alia actio causæ creatæ, etiam quoad indiuiduationem, ideò potest eundem effectum numero causæ creatæ se solo producere, & etiam reproducere, quod causa creata non potest.

Ad confirmationem respondetur, quòd ex eodem agente, & materia sub diuersis circumstantiis præsertim temporis, non potest produci idem effectus numero, licèt enim tempus sit extrinsecum ipsi indiuiduo in facto esse, non tamen ipsi indiuiduo in fieri, & actioni qua fit & producitur, quatenus fit per actionem quæ est mutatio, tempus autem fundatur in motu, seu mutatione, & secundum vnitatem, vel discontinuitatem motus, datur vnitas, & discontinuatio temporis. Et ita cum in præsenti agatur de reproductione eiusdem indiuidui, quod pertinet ad fieri, & ad actionem, optime ex diuersitate temporis colligitur diuersa actio creata, seu mutatio, ex diuersa autem actione, diuersitas effectus producti.

Ad exempla autem quæ afferuntur respondet. quòd in illa diuisione aquæ, si redit idem indiuiduum, ideo est quia mansit tota entitas partium eius sub diuersa terminatione, vnde potest iterum coniungi, & fieri indiuiduum entitatiuè, sed non terminatiuè, sub diuersa enim terminatione, seu modo quantitatis ponitur, & ita terminatio quantitatis penes diuersas partes semel amissa, non redit, entitas autem modo diuisa, & iterum coniuncta redit, quia simpliciter non perierat manentibus partibus eius diuisis, & solum variatur terminatio, & vnio partium quæ non variat essentialiter indiuiduum. *Sed melius dicitur*, diuersum indiuiduum aquæ fieri, quando iterum coniunguntur partes illæ diuersæ, præsertim si in partes notabiles totaliter sit diuisum, itavt prior indiuiduatio substantialis amissa fuerit, hæc enim reparari non potest. si autem mansit maior pars integra, & solum paruæ particulæ diuisæ sunt, & iterum vnitæ, currit prima solutio. *In secundo autem exemplo*, non amittitus indiuiduatio totius, eo quod solum modica quædam pars fuit abscissa, & ideo non mirum quod maneat idem indiuiduum, non tamen manet eadem pars, quæ de nouo vnitur in ratione partis, & terminationis, sed est noua auricula, vel nasus si omnino præcisus fuerat, quia tunc facta præcisione non mansit illa particula informata anima, nec sub eadem quantitate. Vnde si de nouo informatur naturaliter, noua pars facta est. Secus si supernaturaliter restituereiur, vt cum Dominus restituit auriculam Malcho, tunc enim id fit per actionem Diuinam, quæ continet eundem numero effectum qui amissus fuerat, quoad omnia, quod non continet agens naturale vt dictum est.

Secundo arguitur contra secundam conclusionem, quia non minus in potentia Dei continetur eadem actio, & motus successiuus, quo aliqua res fuit producta, quam res ipsa, quæ fuit producta, & iterum corrupta, siquidem vtrumque est effectus Dei, & ab eo participatur, ergo si res semel facta, & corrupta reproduci potest, etiam actio, & motus successiuus qui præterierat. *Confirmat.* quia potest Deus actionem instantaneam præteritam reproducere, verbi gratiâ, illuminationem, quia hæc cum instantanea sit non dependet à successione temporis magis quam res ipsa permanens, ergo similiter non repugnabit actionem successiuam iam præteritam reproducere nec enim videtur esse dispar ratio. *Confirmat.* 2. quia si motus non potest reproduci, maxime propter dependentiam à tempore, hæc autem dependentia, vel est à tempore reali, vel ab imaginario. Si à reali est petere principium, quia hoc tempus essentialiter est ipsemet motus, & sic repugnare reprodu-

ctionem

ctionem motus propter tempus, est repugnare reproduci motum propter motum. Si ab imaginario, præterquam quod hoc tempus, est aliquid fictum, à quo non pendet per se ens reale, etiam adhuc instatur, quia sicut albedo quæ intrinsecè indiuiduatur ab hoc subiecto, potest manere separata ab illo retinendo ordinem ad illud, ita non repugnabit manere hoc tempus reale, & verum in alio tempore imaginario, cum ordine tamen ad imaginarium præteritum.

Respondetur, Deum continere illam actionem, & motum in sua omnipotentia iuxta modum, & naturam eius, idest, vt dependentem intrinsecè in sui vnitate à continuitate temporis, quam dependentiam non habet vnitas rei permanentis, & ideò ista reproduci potest eadem numero non prima. *Instabis* ergo aliquid est redditum impossibile omnipotentię Dei, & cum omnipotentia requirat necessariò possibilitatem cuiuscumque creaturæ, reddita vna impossibili, mutaretur tota potentia Dei. *Consequens patet*, quia iste motus, & ista actio erat possibilis produci, illa vero transeunte iam non est amplius possibilis, ergo redditur illa creatura impossibilis. *Respondetur*, nihil esse immutatum de omnipotentia Dei, nec de possibilitate creaturæ, quia ille motus numero, sic erat possibilis pro illo tempore, & impossibilis pro aliis postquam trāsiuit, & ita eodem modo se habet nunc, sicut antea, nec nouam impossibilitatem acquirit, sed nunc est possibilis pro illo tempore quo fuit, & impossibilis pro alio, quod etiam habuit ab initio. Quod non currit in re permanenti, quæ est terminus illius motus, & à quo sumit speciem, motus enim sumit speciem ab illo, cum quadam dependentia ab vnitate temporis in suo fieri, quod non habet ipse terminus in facto esse.

Ad primam confirmationem respondetur, actionem instantaneam dependere ab instanti temporis, sicut actionem successiuam à successione, & ideò reproduci non posse in alio instanti: actiones autem immanentes si qualitates sunt, poterunt sicut aliæ qualitates reproduci à Deo non vitali modo, sed vt quędam entitates sunt; modo enim vitali dicunt essentialem ordinem ad potentiam creatam vitalem, à causa autem creata nullus effectus potest reproduci. Si verò actiones sunt, & non qualitates, eodem modo loquendum est de illis, ac de aliis actionibus instantaneis.

Ad secundam confirmationem respondetur, motum dependere non solum à tempore positiuo, quod in re motus quidam est, sed cōnotare essentialiter tempus imaginarium, vt correspondens ipsi tempori positiuo, sicut locus positiuus correspondet, & replet locum imaginarium. Et licet tempus imaginarium sit quædam negatio, quæ non se habet vt causa à qua dependeat ens positiuum, potest tamen se habere vt aliquid essentialiter requisitum, sine quo non inuenitur, sicut sine negatione leonis non inuenitur homo, & sine obscuritate non inuenitur fides, & sic de multis aliis, à quibus tamen negationibus non dependent vt à causis. Et ad vltimam instantiam respondetur, non posse saluari tempus positiuum sine correspondentia de facto ad imaginarium, & cum sola aptitudinali, eo quod de essentiali ratione temporis est, quòd sit ens actu successiuum, & fluens, non verò successiuum in potentia, & aptitudine; vnde actu debet habere partes distantes, & succedentes: ergo & actu correspondentes distantiæ durationis imaginariæ: seu replentes illam, sicut locus positiuus, imaginarium. At verò accidens essentialiter non est inhærens actu, sed aptitudine, ideóque saluatur eius indiuiduatio per ordinem ad subiectum, non per actualem correspondentiam, quæ fit per coniunctionem ad illud.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnia corruptibilia habeant determinatam periodum durationis à natura?

LOquimur de termino naturaliter imposito durationi corruptibilium iuxta intrinsecam dispositionem, & temperamentum, nam respectu causæ violentæ, & extrinsecæ, à qua aliquid corrumpi potest, non potest certus terminus designari, quia se habet per accidens, & fortuito.

Respondeo, *Ergo omnia corruptibilia habere ab intrinseco determinatum terminum suæ durationis eo modo quo corruptibilia sunt, non tamen omnia eundem habent terminum.* Ita sumitur ex Aristotel. in præsenti libr. capit. 10. text. 57. & ibi communiter interpretes, vt Magist. Bannez Conimbr. & alij. Et videri etiam potest Diu. Thom. in 2. distinction. 19. quæstion. 1. articul. 4. Dixi, *eo modo quo corruptibilia sunt*, propter elementa, quæ per partes corrumpi possunt, sed non integrum elementum. Imponitur autem rebus terminus durationis. *Primò* quidem à diuina voluntate, & ordinatione. Vnde dicitur Iob. 14. *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Et omnia tandem finienda esse saltem pro die indicij constat ex illo 2. Petri 3. *Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, &c. Secundò* terminus durationis corruptibilium dependet à causa vniuersali quæ est cœlum, quia est in perpetuo motu atque adeo causare debet contrarietatem aliquam, & alterationem, quæ vnicuique rei finem afferat, & corrumpat, aliamque generet. *Tertiò* oritur iste terminus ex causa intrinseca corruptibilium mixtorum, quia sunt composita ex contrariis, quæ ad inuicem agunt, & patiuntur, & consequenter causant alterationem, quæ est via ad corruptionem. Et cum vis actiua, & resistiua sint finitæ, & limitatæ, oportet quod finitum, & limitatum terminum habeant agendi, & patiendi, atque adeo tandem desinant.

Secunda verò pars conclusionis, ipsa experientia manifeste constat, cum quædam animalia sint longioris vitæ, quam alia, vt homines, quam oues, vel equi, & inter res inanimatas, lapides quidam, & metalla, quam viuentia. Ad quod multum iuuat complexio, quod sit magis vniformis, & habeat partes magis homogeneas, hæc enim melius conseruantur, vbi autem est multiplex varietas, & diuersa reperies partium, ibi est plus contrarietatis, & consequenter plus corruptionis, quia accidentia sunt magis diuersa, & opposita. Facit etiam maior humidi coctio, & tenacior, humida enim minus tenacia, & fluida, magis dilabuntur, vt humida aquea, quæ permiscentur frigido, quod est temperamentum minus vitale. Eacit etiam durities, membra enim magis compacta, & solida diutiùs durant, vt videmus in ossibus; vnde etiam in animali mortuo facilius carnes, & adhuc facilius viscera, & interiora organa, quæ molliora sunt, corrumpuntur. Denique loci temperies multum iuuat, & aliæ extrinsecæ influentiæ cœlestes.

Sed obiicies primò, nam elementa non sunt composita

posita ex contrariis, ergo solum ipsa ab intrinseca causa non sunt corruptibilia, neque certam habent durationis periodum. *Secundo* si res inanimatæ propter compositionem ex contrariis certum terminum habent, ergo in eis vnum contrarium agit in aliud, & sic vna pars rei inanimatæ aget in aliam, & rursus conuertet aliquid de corpore sibi adiuncto, vel intra poros posito: ergo nihil ei deerit vt dicatur nutriri sicut viuentia. *Tertio* quia mors per peccatum inducta est, non est ergo naturalis homini, quin potius naturale est homini, & cuicumque rei desiderium perpetuandi suum esse, non ergo à natura determinatur certus durationis terminus. *Quarto*, per lignum vitæ reddebatur homo immortalis, ergo non erat ei naturalis periodus vitæ, aliàs non posset illo naturali cibo prolongari. Similiter arte medica per aurum potabile, seu quintam essentiam auri liquati, longissimè protrahitur vita ergo non est naturaliter, & necessariò constitutus vitæ terminus. *Denique* in prima mundi ætate homines longissimè viuebant ergo periodus vitæ, etiam nunc poterit ad illorum terminum naturaliter extendi, ergo non est præfinitus terminus naturaliter saltem ita breuis sicut nunc, poteritque arte aliqua prolongari.

Ad primum respondetur, quòd elementa ab intrinseca natura habent esse passiuè corruptibilia, non actiuè agente vna parte in aliam, nec per contrariorum admixtionem intrinsecam, quia compositionem miscibilium non admittunt, nec sunt resolubilia in alia elementa, & sic ab intrinseco non habent quasi actiuam corruptibilitatem ex contrariis, sed passiuam, vnum elementum in aliud. Mixta verò inanimata ab intrinseco habent causam corruptionis, quia sunt ex contrariis, & semper aliqua qualitas prædominatur, vt docet Sanct. Thom. in 2. distinct. 19. quæst. 1. artic. 4 ad 2. sed tamen, quia homogenea sunt, & omnes partes habent eandem dispositionem, vix potest vna agere in aliam, ideóque ferè semper indigent adiuuari ab extrinseco corrumpente. Cum vero ignis remoto combustibili deficit, non est, quia ab intrinseco vna pars agat in aliam, sed quia propter tenuitatem suam non potest à contrariis defendi, nisi alicui densiori materiæ inuitatur.

Ad secundum respondetur, inanimata carere determinatis partibus, & organis à natura destinatis, vt vna agat in aliam, & subministret alij, & ideò per se non habent nutriri per intus sumptionem, quia nutritio requirit determinata organa, & partes destinatas à natura ad reparationem eius, quod deperditur; licèt propter mixtionem contrariorum vna pars possit agere in aliam quando in aliqua prædominatur aliquod contrariorum, tamen hoc de se æquè potest conuenire cuilibet parti vbi qualitas prædominetur, cum omnes homogeneæ sint, nec à natura sint destinatæ aliquæ partes, & organa specialia ad talem reactionem, & reparationem. Quòd verò conuertat in se id quod iuxta ponitur, potius est generare sibi simile, & per accidens aggregare, quam nutrire, vt latius suprà diximus quæstione octaua.

Ad tertium respondetur, quòd mors est naturalis, & debita homini considerato secundum sua naturalia vt componitur ex contrariis, est autem pœnalis homini considerato secundum statum, quem acceperat à Deo ex originali iustitia, in quo locum non habebat mors, & ideo eo amisso in pœnam inducta est, sicut rebellio appetitus sensitiui etiam in pura natura esset, & tamen facta est pœnalis supposita amissione status. Videatur Sanct. Thom. 2. 2. quæstion. 164. articul. 1. ad 1. & 1. 2. quæstion. 85. articul. 5. & 6. Quòd vero cuilibet sit naturale desiderium se perpetuandi, dicimus esse hoc desiderium eo modo, quo res possunt, non quidem durandi sine termino in eodem indiuiduo, id enim per naturam impossibile est, sed perpetuitas intenditur absolutè in specie per multiplicationem, in indiuiduo quantum potest secundum leges naturæ.

Ad quartum respondetur, quòd lignum vitæ non reddebat hominem simpliciter immortalem, sed restaurabat puritatem humidi radicalis ab admixtione extranei, & fortificabat virtutem naturalem, idque limitate, & ad tempus, quia virtus eius erat finita, & sic debebat iterari eius sumptio, vt longius protraheretur vita, vt docet Sanct. Thom. 1. part. quæstion. 97. articul. 4. Vndè non tollebat periodum determinatum vitæ, sed ampliabat. An vero effectus illos naturaliter faceret? Sanct. Thom. in 2. distinction. 19. quæstion. 1. articul. 4. ad 5. videtur concedere quod virtus illa ligni erat naturalis, sed non dabat immortalitatem simpliciter, vt dictum est. At vero in corp. artic. dicit, *Quòd lignum vitæ subueniebat homini, quia virtute diuinitus concessa alimentum assumptum in perfectam assimilationem assumebatur.* Virtus autem diuinitus concessa non videtur naturalis, & ex principiis naturæ orta. Vndè dubius est Magist. Bannez in hac re 1. part. quæstion. 97. artic. 4. dub. vnic. ad 4. Si tamen dicatur supernaturalis illa virtus, videtur pertinuisse ad vim miraculosam, & solum instrumentaliter fuisse in illo fructu, non radicaliter, sicut si alicui rei concederetur virtus sanandi cæcitatem. *Ad illud vero de quinta essentia auri liquati, dicimus* esse merum commentum, nulla enim ars potest ita purificare humidum, & fortificare virtutem debilitatam, licèt reparare, & à contrariis aliqualiter defendere possit, & à morbis aliquibus præseruare.

Ad vltimum respondetur, quod in prima mundi ętate etiam dabatur certa vitæ periodus, & terminus sed longior, quam nunc propter maiorem naturæ virtutem, quam nunc, maiorem alimentorum naturalium efficaciam, præsertim non dum terra per salsedinem aquarum diluuij pene sterilizata; maiorem aëris salubritatem, & hominum, sobrietatem, & vigorem omnium pene causarum naturalium. Et nihilominus, D. u. Thom. in q. 4. de malo, art. 8. ad 11. & in 2. dist. 32. q. 1. art. 3. ad 4. existimat virtute Diuina fuisse tunc concessam diuturnitatem longiorem ad multiplicationem generis humani. *Et hæc sufficiant pro expositione librorum de generatione, ad laudem, & gloriam* Saluatoris nostri IESV CHRISTI, & B. Virginis, & S. Thom. Aquinatis.

SVMMA TEXTVS LIBRORVM.

De Generatione.

SVMMA LIBRI I:

INTENTVM Arist. in hoc 1. libro est disserere de ortu & interitu rerum in communi, & de his quæ generationem ipsam consequuntur, vel concomitantur: in secundo autem libro agit de generabili, & corruptibili in particulari, scilicet, de elementis quæ sunt prima corpora generabilia, & de mixtis, quæ ex illis primis constantur. Circa generationem in communi decem capita distribuit hoc ordine. In primis duobus refert antiquorum sententias circa generationem & corruptionem, & distinctionem earum ab alteratione. In duobus sequentibus suam sententiam declarat: à 5. cap. vsque ad 10. agit de his quæ generationem, & concomitantur, vel consequuntur sicut de augmentatione, & nutritione, de actione, & reactione, contactu, & mixtione.

SVMMA CAP. I.

IN hoc cap. intendit Philo. refutare duas opiniones Antiquorum circa differentiam generationis & alterationis, in seq. vero c. alias duas circa modum quo dicebant aliqui fieri generationem. Opiniones ergo Antiquorum, quas refutat in hoc 1. cap. sunt duæ. Prima eorum qui ponebant tantum esse vnum principium rerum naturalium, illudque esse ens actu. Hi enim non poterant distinguere generationem ab alteratione. Secunda opinio fuit eorum qui ponebant plura principia, qui quidem poterant ponere generationem substantialem distinctam ab alteratione, sed de facto non ponebant illam, quia ipsas qualitates dicebant esse formas elementorum, vt calorem, & frigus, negabant autem posse vnum elementum conuerti in aliud, quia non ponebant illa esse composita ex materia & forma, sed esse primas materias nō resolubiles in alia principia, specialiter autem arguit Empedoclem quòd sibi contradixerit, quia ex vna arte negabat vnum elementum generari ex alio secundum substantiam, ex alia ponebat omnia à principio fuiße vnum per confusionem, & chaos, quasi amicitia ea omnia confundente: quod sine corruptione esse non poterat, aut si non erat corruptio, & generatio, quomodo ex illo vno emergebant plura diuersificata?

SVMMA CAP. II.

DVo facit Aristot. in hoc cap. Primò proponit duas alias opiniones Antiquorum circa modum generationis substantialis. Secundò specialiter disputat contra secundam, eiusque rationem soluit. Quòd primum docet Aristot. iam tunc fuisse communem opinionem quòd generatio, & alteratio distinguerentur, & quòd generatio fiebat per congregationem aliquorum, sicut corruptio per disgregationem; alteratio verò per aliquarum paßionum transmutationem. In aßignanda autem congregatione ex qua fiebat generatio, alia erat opinio Platonis, alia Democriti, & Leucippi. Nam Plato dicebat fieri generationem per congregationem superficierum, seu linearum: Democritus autem per congregationem athomorum, seu corporum indiuisibilium.

Quòd 2. ponit rationem Democriti, & soluit eam. Ratio erat hæc; vel corpora naturalia cōponūtur ex corporibus indiuisibilibus, vel ex diuisibilibus. Si primū habetur intentū. Si 2. ergo illa diuisibilia poterunt iterum diuidi, & sic si fiat totaliter omnis diuisio poßibilis, tunc illa facta, vel quod remanet erit corpus diuisibile, & hoc non, quia supponimus factam omnem diuisionem: vel erit nihil, & sic corpus ex nihilo componeretur, ex nihilo autem nihil fit: vel erunt puncta, & hoc est impoßibile, quia alias corpus ex solis punctis componeretur, punctum autem additum puncto, non facit maius, cum careat quantitate: vel tandem resoluetur in qualitates, & hoc non, quia alias corpus ex solis qualitatibus constaret, & qualitates sic resolutæ essent separatæ à corpore. Respond. Aristot. corpus esse diuisibile in alia diuisibilia succeßiuè, & sincategorematicè, & in potentia, non autem posse omnem diuisionem actu esse positā, sed ita diuidi aliquid in actu, quod adhuc manet diuisibile, sicut dicimus ex materiâ aëris posse diuersæ generari, sed non simul, semper enim remanet ad aliquid in potentia. Postremò ostendit non fieri generationem naturalem

naturalem per congregationem diuersarum rerum, , quia generatio non fit per positionem, & situationem partium sicut artefacta, vt nauis, aut domus, tum quia hoc totum dissoluitur, & aliud totum generatur.

SVMMA CAPITIS III.

TRia facit Arist. in hoc cap. Primò inquirit an detur generatio simpliciter id est qua fiat ens simpliciter, & substantialiter. Secundò proponit duo dubia ad resolutionem quæstionis necessaria. Tertiò soluit principalem quæstionem.

Circa 1. ponit rationem dubitandi, quia si fit ens simpliciter debet fieri ex suo contrario, scil. ex non ente simpliciter, hoc autem est impossibile, quia id ex quo aliquid fit, existit in eo quod fit, & prædicatur de eo sicut lignum ex quo fit arca, est in arca, & de ea dicitur, & sic non ens existeret in ente, & prædicaretur de eo.

Circa 2. proponit duo dubia, ex quibus pendet resolutio quæst. Primum, quare generatio nunquam cesset ex parte causæ materialis, si enim in generatione fit ens simpliciter, in corruptione desinit aliquid simpliciter & si per corruptionem consumitur aliqua entitas, cum autem tota entitas vniuersi sit finita, tandem consumetur per corruptiones rerum. Resp. causam huius non esse, quia materia fit infinita, cum nullum infinitum in actu detur, nec quod res quæ generantur modo fiant minores quam ante, & sic deinceps, cum non videamus istam minorationem, sed res æquales suis generantibus fieri, sed causam esse, quia corruptio vnius est generatio alterius, eadem materia permanente, & ita finita materia sufficit pro infinitis generationibus. 2. Dubium est, quare si corruptio vnius est generatio alterius, quædam dicuntur generari simpliciter, vt dum homo fit ex embrione, quædam secundum quid, vt dum ex homine generatur cadauer, potius dicitur mori hominem, quam generari aliquid. Resp. hoc iudicandum esse ex termino generationis, aliquando enim acquiritur forma completa & vltima, aliquando forma media, & qua paratur via ad aliam. Quandò acquiritur forma primo modo, dicitur generari aliquid simpliciter, quia ibi sistit generatio, vt cum fit homo, equus, lapis, &c. Tertiò autem modo dicitur fieri secundum quid, quia adhuc restat aliquid faciendum, vt cum fit forma embrionis, restat fieri hominem, & cum fit cadauer, restat fieri terram ad quam tenditur per formam cadaueris. Secundò cum generatur accidens fit generatio secundum quid cum substantia, fit ens simpliciter. Tertiò cum generatur aliquid, quod non facile sentitur vt aër, dicitur vulgo generari aliquid secundum quid.

Circa 3. respondet dari generationem simpliciter. Ratio est, quia datur progressio ad esse simpliciter vt ad formam ignis, ex non esse talis formæ quod est non esse simpliciter in materia, ergo datur generatio simpliciter, sicut & corruptio, cum è contra mutatur illud esse simpliciter in non esse. Quid sit autem illud subiectum commune vtrique formæ, scil. materia, an sit non ens? Respondet esse ens in potentia, non vero ens actu, solum autem habet esse non ens ratione priuationis adiunctæ, quia caret forma. Et sic non fit generatio ex non ente omnibus modis, sed ex ente in potentia.

SVMMA CAPITIS IV.

EXplicata quæstione an est, circa generationem simpliciter, scil. eam dari, in hoc cap. explicat quid sit. Et facit duo. Primò docet quid sit generatio, & alteratio. 2. Differentias inter eas assignat.

Circa 1. supponit differre accidentia à substantia quia illa inhærent in ista, vt albedo in homine, & circa vtrumque posse dari mutationem, videmus enim aliquando hominem substantialiter perire, aliquando secundum accidentia, vt secundum colorem vel calorem mutari. Quo supposito dicit alterationem esse mutationem circa qualitatem eodem subiecto sensibili manente, *vt dum calefit aqua quæ prius erat frigida. Generatio verò substantialis, est mutatio secundum totam rei substantiam, vel subiectum & ideo non manet idem subiectum sensibile, vt cum ex ligno generatur ignis, solum enim manet materia prima, quæ non est secundum se sensibilis, sed ratione formarum.*

Circa 2. ad tradendum differentias inter alterationem & generationem, supponit quod in ipsa generatione aliquando fit etiam transmutatio qualitatum, vt cum ex aqua frigida fit ignis calidus, aliquando non fit mutatio qualitatum, quia similis qualitas manet in genito, & in corrupto, non vero contraria, v. g. cum ex aqua fit aër, in vtroque manet diaphaneitas, seu transparentia: Hoc supposi*to assignat duas differentias inter alterationem, & generationem. Prima ex parte termini producti, quia in alteratione producitur qualitas, in generatione vero, forma substantialis. Secunda ex parte subiecti, quia subiectum alterationis est materia informata, seu facta in actu, generationis vero est materia prima informabilis, quæ est ens in potentia.*

SVMMA CAPITIS V.

AB hoc cap. incipit Philos. tractare ea quæ generationem consequuntur, vel concomitantur. Et 1. agit de augmentatione, & nutritione in isto cap. In quo tria præstat. Primò ponit differentiam augmentationis ab alteratione, & generatione. Secundo explicat modum quo fit augmentatio, & diminutio. Tertiò explicat quomodò differat nutritio & augmentatio.

Circa 1. dicit augmentationem differre ab alteratione & generatione in duobus, Primum ex parte

terminorum ad quos, quia alteratio est ad qualitatem, generatio ad substantiam, augmentatio autem ad quantitatem. Secundò, quia id quod generatur, vel alteratur, non necessariò mutat locum, vt cum in eodem loco corrumpitur lignum, & fit ignis, augmentatio autem cum faciat crescere quantitatem, necessariò mutationem aliquam exigit in loco in quo extenditur, & opposito modo se habebit diminutio.

Circa 2. ad explicandum modum augmentationis proponit duo dubia & soluit, duo autem colligit corollaria seu suppositiones. Primum dubium est an id quod augetur, requirat additionem alicuius habentis magnitudinem, vel carentis illa. Respondet requiri quod alimentum, ex quo fit augmentatio quantitatem habeat; tum quia debet habere materiam, quæ sine forma non est, neque hæc sine quantitate, tum quia debet addere quantitatem ad præcedentem, ergo aliquam habere debet. Secundum dubium est, supposito quod tam illud corpus cui aduenit augmentum, quam alimentum debent habere quantitatem, quodnam ex illis dicitur? Respon. non augeri alimentum, sed corpus illud cui alimentum aduenit per illud augmentum. Sumitur ratio ex triplici conditione ad augmentum requisita. Prima vt illud quod augetur secundum omnes partes augeatur: Secunda vt omnibus, & singulis eius partibus aliquid de nouo addatur. Tertia vt illud quod augetur idem numero perseueret. Cum ergo alimentum non permaneat, sed conuertatur in substantiam viuentis, id autem quod alitur, & in cuius substantiam conuertitur, perseueret idem, perfectò hoc est corpus quod augetur.

Duo autem quæ supponit vt certa. Alterum est per augmentationem primò augeri partes similares id est quæ sunt eiusdem rationis in toto & in partibus, vt tota caro totum os, &c. Ratione autem partium similarium dicit augeri partes dissimilares, v.g. pes, manus, brachium, quæ ex ipsis similaribus, & aliis adiunctis constant. Alterum est quod augmentatio fit secundum partes formales, quatenus viuens toto tempore manet idem numero, quod secundum partes formales verificatur.

Circa 3. colligit duas intercedere mutationes in augmento viuentis, vnam substantialem qua alimentum corrumpitur, & formam viuentis induit, alteram accidentalem, qua maior quantitas acquiritur & istæ mutationes conueniunt in vno, scil. quod vtraque fit per aliquam additionem alimenti & quantitatis; differunt vero in duobus; primum quod augmentatio fit ex quanto in potentia, nutritio verò ex eodem vt in potentia caro, vel os secundum quod nutritio durat tempore vitæ, augmentatio verò non, sed quandiu virtus est ita fortis, vt plus poßit conuertere, quam deperdere.

SVMMA CAPITIS VI.

IN hoc cap. agit Philos. de contactu requisito inter agens, & paßum. Et facit duo primò explicat necessitatem agendi de contactu corporum, secundò explicat tres modos contactus, & quis eorum pertineat ad præsens explicat.

Circa primum ostendit necesse esse agere de tactu quia necesse est agere de actione, & reactione mutua, & de elementis, & mixtis, quæ ex eis fiunt, quæ omnia sine contactu fieri non possunt, & ideò de illo est agendum.

Circa secundum ponit tres modos contactus. Primus, qui sequitur solam positionem localem & competit corporibus etiam Mathematice consideratis, & sic definitur, quòd ea se tangunt quorum extrema *(id est superficies)* sunt simul, & habent determinatam magnitudinem, *Secundus est propriè contactus physicus, quando scilicet actiua & paßiua mutuo in se agunt & patiuntur, & extrema sunt simul sicut aër & aqua quãdo mutuo in se agunt & sunt cõiuncta, est enim contactus physicus, quia est secundum motum seu actionem & paßionem. Tertius est contactus communiter dictus, quia non est mutuus, nec reciprocus, sed ita vnum agit, quod non patitur ab alio, sicut intelligentiæ tangunt cœlos, sicut cœlum tangit hæc inferiora, sicut contristans contristatum. Et sola secunda acceptatio contactus pertinet ad præsens. Denique concludit duo. Alterum est quod agens & patiens habent contrarias qualitates. Secundum est quod moueri communius se habet, quam agere, sumendo agere stricte vt opponitur paßioni, quæ est cum corruptione, & sic agere est mouere cum dispositione ad corruptionem, quod non omni mouere competit.*

SVMMA CAPITIS VII.

IN hoc cap. & duobus seqq. agit Philos. de actione & reactione, & quidem in hoc cap, explicat conditionem agentis, & paßi, tum absolutè, eum quando mutuo repatiuntur. In sequentibus adducit duas opiniones Antiquorum circa modum agendi & patiendi. Et tandem in cap. 9. ex propria sententia explicat quatuor conditiones ad agendũ & patiendũ requisitas. Igitur in hoc sit 7. cap. facit tria. Primò explicat conditionem, & naturam agentis, & paßi quantum ad hoc, quod debeat paßum esse simile agenti vel dißimile. Secundò, quantum ad hoc quod agens repatiatur à paßo. Tertiò explicat, ad quod genus causæ pertineat agens & paßum.

Quantum ad primum refert inprimis duas Philosophorum opiniones, quarum prima dicebat agens & paßum debere esse dißimile, si enim vtrumque est simile non est maior ratio cur hæc agat, quam illud. Secunda dicebat debere esse simile, quia quæ sunt disparata & dißimilia, nec agunt, nec patiuntur, vt album non agit in dulce, neque in graue aut leue, &c. Vtramque Arist. reiicit vt diminutam. Quòd enim non poßint omnino esse similia probat, quia non eßet ratio cur alterum esset agens, alterum

alterum patiens, & quia alias multo magis aliquid in seipsam ageret, si ageret in omnino simile. Quod vero non possint esse omnino dissimilia constat, quia agens & passum non possunt esse omnino diuersa, vt calor & quantitas quæ in se non agunt, sed debent esse contraria, contraria autem sub eodem genere sunt, & sic habent aliquam conuenientiam & similitudinem. Quare ex hoc colligit, quod agens & passum partim debent esse dissimilia, scilicet à principio actionis, quia tunc contraria sunt, partim similia, scilicet in fine actionis, quia agens intendit assimilare sibi passum.

Circa secundum an videlicet agens repatiatur à passo supponit duas diuisiones. Prima, quod mouens, aliud est primum, scilicet à quo primo incipit motus, aliud vltimum scilicet, quod est immediatum mobili. Secunda, alterans aliud est primum, scilicet quod alterat, & non alteratur, vt cœlum, vt medicus qui curat, & non alteratur ab ægroto: aliud est vltimum, quod per se attingit passum vt medicamenoum in sanatione. Sic ergo respondet, quod quando agens & passum habent materiam communem & eiusdem rationis, agens potest repati sicut omnia sublunaria quia habent materiam communem, id est ad inuicem transmutabilem. Quæ vero non habent materiam communem, vt cœlum respectu sublunarium, ita agunt, quod non repatiuntur. Et vno verbo primum agens seu alterans non repatitur sed vltimum.

Circa tertium docet, quod agens pertinet ad genus causæ efficientis, tum quia ab eo incipit alteratio, efficiens autem est vnde incipit motus; tum quia non pertinet ad aliud genus causæ, non ad finem & formam quia agens est actu agens quando ab eo egreditur actio, tunc autem nondum sunt finis, nec forma, quia si essent, cessaret actio. Nec pertinet ad genus causæ materialis, quia hæc patitur, & sic potius ad eam pertinet passum.

SVMMA CAPITIS VIII.

DVo facit. Primo proponit tres opiniones antiquorum Philosophorum circa modum agendi & patiendi. Secundo refutat illas. Circa primum, opinio prima fuit Empedoclis, quod corpora agebant ad inuicem, & patiebantur, quatenus vnum habet poros, vel concauitates quibus alterum subintraret quasi penetrat, & sic fit mixtio, & mutua actio. Secunda opinio fuit Democriti & Leucippi ponentium eosdem poros, sed plenos athomis seu corpusculis, quæ cum essent discontinua aliquid vacui relinquebant per quod moucbantur, & per congregationem eorum fiebat generatio, per disgregationem vero corruptio. Tertia opinio fuit Parmenidis & Melissi qui ponebant omnino esse vnum in mundo, segregari autem per vacuitates aliquas, remoto autem vacuo omnia vnum esse, & similiter vacuum requirebant, vt esset motus, nam si moueretur per plenum, dicebant penetrari corpora.

Circa 2. comparatis istis opinionibus inter se, & in quo conueniant & differant, quod non multum interest, impugnat opiniones illas duas de poris, & athomis. Et quidem Empedoclis opinionem reducit ad secundam, non enim differunt, nisi quia secunda opinio ponit illas vacuitates plenas corpusculis, seu athomis, prima verò solum ponit illa foramina, seu poros quibus subintrent alia corpora minuta ad agendum. Superfluè autem inquit poni istos poros ad istum modum actionis, quia vel corpuscula eos intrantia tangunt partes solidas, vel non. Si non tangunt, ergo neque intra illas agunt. Si tangunt, etiam sine poris ab extra approximata tangent. Secundam vero opinionem de athomis latius impugnat, Sed breuiter id probatur, quia vt ista opinio dicit, actio, & passio fit per vacuum, sed ipsa athoma non habent vacuum, ergo nec agunt nec patiuntur inter se. Cum omne quod agit est molle, vel durum, aut aliqua simili qualitate affectum, sed corpus indiuisibile, neque est molle, nec durum, &c. ergo non agit, nec patitur.

SVMMA CAPITIS IX.

IN hoc cap. ad statuendam veram opinionem circa modum actionis, & passionis duo facit. Primo ponit conditiones requisitas ad agendum, & patiendum, Secundo ostendit opinionem Democriti de athomis destruere generationem, alterationem, & augmentationem.

Circa primum, conditiones requisitæ ad actionem, & passionem reducuntur ad quatuor. Prima quod agens sit in actu, & passum in potentia, sicut ignis agit vt actu calidum, lignum patitur vt est in potentia ad calorem. Secunda quod agens, & passum se tangant, vel immediate si sit agens vltimum & immediatum, vel mediatè si sit remotum, sicut sol mediante aëre tangit terram. Tertia conditio quod agens, & passum non sint continua, id est similia & eiusdem rationis in agendo, aliàs enim continua secundum quantitatem bene possunt agere & pati, sicut pars corporis calida calefacit non calidam. Quarta quod sint in debita propinquitate, & vnum intra sphæram actiuitatis alterius. Excludit autem quintam conditionem, quam aliqui posuerunt, scil. quod passum non secundum omnem partem patiatur, quod est falsum, quia si passum est diuisibile, & habet partes, si omnibus applicetur agens secundum omnes patietur.

Circa 2. ostendit opinionem Democriti præced. cap. relatam tollere alterationem, & augmentationem. Alterationem quidem, quia constat posse totum corpus alterari calore, vel frigore sine vlla diuisione corporis, illi autem athomi intra poros congregantur generatione, & disgregantur corruptione, quod sine diuisione esse non potest. Augmētationem vero tollit, quia in augmentatione qualibet pars debet augeri, in illa autē opinione non datur pars quæ augeatur, sed omnia sunt indiuisibilia & deinde solum apponerentur athomi ad athomos, quod non est augeri intrinsece, sed per iuxtapositionem.

SVMMA CAPITIS X.

IN vltimo isto cap. agit de mixtione, quæ maximè conducit ad generationem eorum, quæ fiunt ex elementis. Diuiditur autem hoc cap. in tres partes. In prima ostendit dari mixtionem; in secunda explicat quomodo mixtio fiat. In tertia colligit quid sit miscibile, & quid sit ipsa mixtio.

Circa primum refert opinionem negantium mixtionem hoc argumento, quia ea quæ miscentur, vel permanent sicut antea, vel corrumpuntur, vel vnum permanet, & aliud corrumpitur. Si primum, & tertium non fit mixtio, quia quod se habet sicut ante, non miscetur, quia non mutatur. Si secundum, ex re destructa, & non existente, non fit mixtio, ergo. Respond. Philos. dari mixtionem, eamque distinguit à cæteris mutationibus. Datur quidem mixtio, quia miscibilia manent in mixto non secundum actum, sed virtute & potentia, & sic ex ipsis alteratis, & per suas qualitates manentibus, fit mixtio. Distinguitur autem à reliquis mutationibus; à simplici quidem generatione, quia in ea totaliter aliquid corrumpitur, non ex concurrentia plurium, & cum virtuali eorum permanentia, aliquid generatur. Ab alteratione differt, & augmentatione, quia quod alteratur, & augetur, idem permanet facta alteratione, & augmentatione, quòd verò miscetur, facta mixtione non manet idem, sed mutatur in aliud.

Circa secundum refert primum duas opiniones antiquorum circa mixtionem. Prima dicebat fieri mixtionem per diuisionem in partes minutissimas, quæ secundum se diuisibiles, sed ad sensum non amplius diuisibiles apparent, sicut si farina tritici misceatur farinæ hordei. Secunda dicebat, quod mixtio fit per diuisionem in minima, quæ non solum secundum sensum, sed etiam secundum se non sunt amplius diuisibilia. Vtramque refutat Philos. quia secundum hoc mixtio non esset aliud quam aggregatio plurium in vno loco, quorum quodlibet secundum se integrum maneret, & ab alio separatum, licet sensus id non discerneret: vnde vlterius fieret, quod mixtum non esset homogeneum, id est, quod quælibet pars mixta, cum tamen oppositū videamus, mixtio enim conuenit toti & partibus. Repugnat etiam diuidi continuum in partes amplius indiuisibiles, alioquin ex indiuisibilibus continuum componeretur quod in 6. Physic. explosum est.

Verum ergo modum mixtionis tradit explicando tres eius conditiones. Prima, vt miscibilia sint mutuo actiua, & passiua, quæ enim mutuo non agunt, non miscentur, sicut ea quæ non habent materiam eiusdem rationis. Secundo vt facile cedant, & diuidi possint, sicut mollia, & humida facile miscentur, non dura vt lapis, & ferrum. Tertio, vt non sint nimis magna, quia hæc difficile alterantur, sed in paruas partes diuidantur, vt vna possit aliam intrare agendo in aliam, & facile alterando. Quare mixtio ita fit secundum istas conditiones, vt proportionetur actiuitas vnius resistentiæ alterius, & sic in vnum temperamentum conueniant, nam si vnum nimis vincat alterum, non fit mixtio, sed simplex corruptio, & generatio, vt si in amphoram vini cadat gutta aquæ.

Circa tertium docet, quod miscibile est illud quod agit, & illud quod patitur, vt ex vtroque fiat mixtum secundum temperamentum. Mixtio autem est Miscibilium alteratorum vnio.

SVMMA LIBRI II.

EXPLICATA generationis, & corruptionis natura, restat ad ipsa generabilia, & corruptibilia descendere. Et primo occurrunt elementa, quæ sunt corpora simpliciora in genere corruptibilium, deinde mixta, quæ ex eis constant. Et quatuor facit. Primò explicat principia generationis elementorum & eorum numerum. Secundò explicat ipsam elementorum generationem. Tertiò, generationem mixtorum. Quartò, vniuersales causas generationis, & corroptionis, eiusque perpetuitatem.

SVMMA CAPITIS I.

AGit hoc cap. de principio materiali elementorum. Et primo relatis his quæ in primo libro tractata sunt, reiicit varias opiniones antiquorum, qui pro principio materiali elementorum ponebant aliquod corpus: alij vnum tantum scil. aërem, vel ignem: alij plura vt ignem, & terram, vel etiam aërem & aquam, &c. alij dixerunt esse vnum receptaculum omnium formarum, non explicantes, quid per illud receptaculum intelligerent: hæc inquam reiicit, & suam sententiam explicat, quod principium materiale elementorum non est aliquod corpus sensibile, sed materia prima, quæ potest esse pars cuiuslibet corporis, nec tamen est separata ab omni forma substantiali, neque ab omni contrarietate, id est ab omni prima qualitate, & ita per hanc contrarietatem fit transmutatio de vna forma ad aliam, & circa talem materiam tanquam circa subiectum commune fiunt generationes, & corruptiones elementorum. Et hoc ideò quia contraria non possunt agere ad inuicem, & transmutari, nisi ratione alicuius subiecti communis, in quo exerceatur, & fiat transmutatio elementorum.

SVMMA CAPITIS II.

ASsignat in hoc cap. principium formale, seu formas elementorum, non quidem formas substantiales, sed accidentales. Et duo facit. Primùm docet formas istas elementorum debere esse formas tangibiles non quascumque, sed primas. Secundò enumerat omnes qualitates tangibiles, & ostendit quatuor ex eis esse primas ad quas cætera reducuntur.

Circa 1. ostendit formas proprias elementorum debere esse qualitates tangibiles, quia elementa considerantur vt generabilia,& corruptibilia; ergo vt actiua,& passiua, sed exercent passionem, & actionem per contactum, ergo propriè eorum formæ sunt qualitates vt tangibiles & cum sint prima corpora,debent esse primæ qualitates tangibiles.

*Circa 2. reducit omnes qualitates tangibiles ad septem contrarietates quas attingit tactus, scil. calidum & frigidum humidum & siccum,graue & leue,durum & molle,lubricum & aridum,asperum & lene,crassum & tenue. Ex quibus,duæ, scil. graue & leue sunt principia actionis quæ est motus localis. Reliquæ verò reducuntur ad quatuor illas primas,scil. calidum & frigidum,humidum,& siccum,quia sunt primæ in agendo & patiendo,& ideò sunt propriè formæ primorum corporum generabilium, quæ generantur & corrumpuntur per actionem,& passionem. Calidũ autem,& frigidum sunt actiua, quia calidum est,*quod congregat ea quæ sunt eiusdem generis, *frigidum*, quod congregat ea quæ sunt diuersi generis. *Humidum & siccum sunt passiua,quia humidum est,*quod facile cedit alienis terminis; *siccum* quod difficile alienis,& facile continetur propriis.

SVMMA CAPITIS III.

IN hoc cap. duo facit Philos. Primò ostendit numerum elementorum,esse quatuor. Secundò docet, quis locus,& quæ qualitas dominetur in quolibet elemento.

Circa primum ostendit numerum elementorum ex combinationibus quatuor primarum qualitatum, & ex authoritate Antiquorum. Ex combinationibus quidem,quia quodlibet elementum debet habere duas qualitates,vt per vnam conueniat cum vno elemento,per aliam differat. Non possunt autem combinari duæ qualitates contrariæ, quia se excludunt, solùm ergo debent combinari non contrariæ. Istæ autem solum quatuor modis conbinari possunt, scilicet calidum & siccum, calidum & humidum, frigidum & humidum, frigidum & siccum, ergo tantum erunt quatuor elementa, quia tantum sunt quatuor combinationes. Ex authoritate id probat, quia nullus Antiquorum excessit quaternarium numerum elementorum licèt aliqui pauciora posuerint.

Circa secundum attribuit elementis, primò quòd superiora, scilicet ignis, & aër habent superiorem locum sub cælo, inferiora vero scilicet aqua & terra inferiorem,id est circa centrum. Secundò quòd extrema scilicet ignis, & terra puriora suut, quàm media. Tertio superiora esse inferioribus contraria, Quarto igni dominari calorem,aëri humiditatem, aquæ frigiditatem, terræ siccitatem.

SVMMA CAPITIS IV.

AB isto c. incipit agere Phil. de generatione elementorũ per tria capita sequentia. Et in isto primo ponit quatuor regulas ad dignoscendum,quomodo elementa in inuicem trasmutantur. Et supponimus alia esse elementa dissymbola,seu extrema,quæ scil. non conueniunt in aliqua qualitate vt ignis, & aqua,alia media quæ in aliqua qualitate conueniunt vt ignis,& aër,aqua,& terra.

Prima ergo regula est,absolutè loquendo quodlibet elementum potest conuerti in aliud,siquidem contrarietatem aliquam habent. Secunda regula,facilior est transmutatio inter symbola elementa quàm inter dissymbola,quia in illis est minus contrarietatis,quam in istis. Tertia regula,ex duobus dissymbolis facilius tertium aliquod generatur,quam vnum dissymbolum ex alio, vt ex igne & aqua facilius generatur aër,quam aqua,vel ignis,siquidem plus contrarietatis est vincendum, vt inter se transmutentur,quàm vt in vnum tertium conspirent. Quarta regula,ex duobus elementis symbolis non generatur tertium,sed vnum ex alio,sunt enim facilis transmutationis.

SVMMA CAPITIS V.

INquirit in hoc c. Aristot, de materia ex qua fit transmutatio elementorũ,nam licèt supra determinauerit,quòd sit materia prima,quæ est communis omnibus,hic specialiter cõtra Aliquorum opiniones procedit; aliqui enim ponebant aliquod corpus completum seu ens in actu esse materiam huius transmutationis,siue vnum corpus seu elementum esset,siue plura. Alij verò ponebant non omnia elementa esse transmutabilia ad inuicem,sed solum symbola. Alij nulla omninò esse ad inuicem transmutabilia. Et priores opiniones refutat in prima parte, c. alteram verò in secunda parte. Vltimam verò opinionem in seq. c. reiicit. Priores ergo opiniones contra quas sæpius egit, præsertim in 1. Phys. ex eo hic impugnat,quia si aliquod ens completum & in actu esset principium transmutationis elementorum,talis transmutatio esset alteratio,non substantialis generatio, quia manet subiectum integrum & completum sub vtroque termino, ergo eius esse substantiale, & primum non mutatur,sed accidentale & superadditum.

Circa 2. partem cap. ostendit contra præfatam sententiam omnia elementa etiam dissymbola esse transmutabilia,quia habent contrarietatem ad inuicẽ,& sic agunt & patiuntur,& transmutantur. Et secundò ostendit nulla elementa,nec extrema,nec media esse principium generationis aliorum, quia si omnia sunt generabilia,nullum est principium generationis, quia principium generatiouis est ingenerabile,aliàs esset processus in infinitum.

SVMMA CAPITIS VI.

REiicit in isto c. 3. sententiam,quæ est Empedoclis,quòd scil. nulla elementa sint ad inuicem transmutabilia. Quam sententiam dupliciter coarguit. Primò eam contradictionis arguendo. Secundò ad

ad impossibile deducendo. Contradictionis quidem arguit, quia Empedocles fatebatur elementa esse adinuicē comparabilia, quæ comparatio fieri potest, aut secundùm quantitatem, aut secundum virtutem seu qualitatem, vel eiusdem speciei, vel diuersæ. Quæ autem sic sunt comparabilia sunt etiam transmutabilia, quia agunt & patiuntur. Ad impossibile autem deducit, tum quia tollit augmentum, id est quod possit vnum elementum crescere, si non potest de alio transmutare, tum quia tollit generationem, si enim elementa non corrumpuntur, nec transmutātur, sed solùm congregantur vel disgregantur, non datur noua forma substantialis, sed solùm accumulatio diuersorum, ergo non datur generatio substantialis.

SVMMA CAPITIS VII.

AB isto c. incipit agere de generatione mixtorum postquam de elementorum qualitatibus, numero, & generatione actum est. Tractat autem de mixtis isto c. & seq. in isto quidem c. proponit dubiū quomodo mixtum fiat ex elementis. In seq. ostendit omnia quatuor elementa concurrere ad mixtionem.

Circa 1. supponit duas fuisse opiniones, circa elementa, alteram quod sunt transmutabilia, quia habent materiam communem. Alteram Empedoclis, quod transmutabilia non sint, quam præced. c. reiecit, & in isto iterum reiicit quia ex ea sequitur non dari veram mixtionem, quia non transeunt elementa in mixtum, sed elementa manent, & solum quia congregata sunt, dicuntur mixtum. Vnde respondet ad dubium propositum dicendo, quòd qualitates elementorum sunt contrariæ vt calor & frigus siccitas & humiditas, & suscipiunt magis & minus, atque ita aliquando vna earum est perfecta & in actu, & de opposita nihil est nisi in potentia, vt si calor sit in summo, aliquando verò vna non est perfecta in actu, quia non est in summo, sed aliquid de opposita permittit. Sic ergo vnum elementum potest alteri applicari dupliciter. Vno modo ita vt vnum superet aliud & transmutet in se, & tunc non sequitur mixtio, sed simplex generatio alio modo taliter quòd neutrum vincat totaliter, sed in vnum tertium attemperatur, quia qualitates eorum remittuntur, & ad certum gradum attemperantur & tunc fiet mixtum. Vndè non est necesse, quod in mixtione elementa, ita corrumpantur, quod nihil de illis remaneat, nisi materia, sed ita transmutantur, quod qualitates eorum remanent refractæ & hoc est manere virtualiter.

SVMMA CAPITIS VIII.

OStendit in hoc cap. in mixto concurrere omnia quatuor elementa. Quod probat sic, quia mixta sunt in terra, & ad eam naturaliter mouentur, ergo participant de terra, quod etiam ostendit eorum crassities. Terra autem cum sit nimis sicca nisi iuuetur ab aqua, non coagulatur, sed redigitur in pulueres, ergo vt figura mixti sic debite terminata, indiget humido coagulante, quod est aqua. Rursus terra & aqua alterantur in mixto, ergo à suis contrariis, contraria autem sunt ignis & aër, ergo etiam ista duo elementa ad mixtum requirumtur. Secundò id ostendit à signo, quia mixta nutriuntur istis duobus elementis, scil. aqua & terra, vt patet in plantis, quæ simpliciori alimento nutriuntur, & tamen duobus elementis indigent, scilicèt aqua & terra ad sui alimentum, ergo à fortiori alia viuentia, si autem eis inest terra & aqua etiam ignis & aër propter rationem supra allatam, ergo similiter ex omnibus elementis erunt, sicut ex illis nutriuntur. Incidenter verò docet inter elementa solum ignem nutriri, non tamen propriè sicut viuentia, quæ per intus susceptionem, ignis autem consumendo pabulum appositum.

SVMMA CAPITIS IX.

AB hoc cap. tractat vltimam partem libri, scilicet de vniuersalibus causis generationis, præsertim de causa efficiente. In hoc ergo cap. facit duo 1. Enumerat triplicem causam pro generatione requisitam, scil. materialem, formalem, & efficientem. 2. Reiicit opiniones circa causam efficientem & relinquit probatum, quòd illa requiritur præter materiam & formam.

Circa 2. ostendit requiri tres causas ad generationem, duas intrinsecas scil. materiam & formam, aliam extrinsecam, scilicet efficientem. Et in his materia est principium vt sint & non sint, quia habet potentiam ad vnam formam & ad priuationem eius. Forma autem est principium tantum vt res sit, & ab ea res habet speciem, & cum ea coïncidit finis, quia eius gratia operatur agens in materia. De efficiente verò estt ota difficultas.

Circa 2. ergo proponit duplicem opinionem antiquorum circa causam efficientem. Prima fuit Platonis, qui posuit ideas seu species separatas per impreßionem sui in materiam causare species rerum & per abiectionem corrumpere. Alia fuit opinio, quæ non distinguebat materiam ab efficiente, sed ipsam dixerunt esse transmutationis principium, per qualitates, quas habet, vt per calidū & frigidum. Reiicit autem primam opinionem, tum quia si idea separata per sui impreßionem faceret res, cum ista idea semper sit eadem, semper faceret idem, non autem modò faceret, modò non faceret, tum etiam, quia in artificialibus datur efficiens præter ideam, vt Medicus effectiue sanat, & doctor docet, ergo etiam in naturalibus, quia ars imitatur naturam. Secundam autem opinionem reiicit, tum quia materia est pura potentia paßiua, ergo non est principium actiuum, seu efficiens sed paßiuum; tum quia in arte, instrumenta & materialia non se mouent, sed mouentur ab arte, ergo & in natura, materia non mouet, sed mouetur, quantumcunque habeat illas qualitates, sicut serra licet habeat qualitatem ad scindendum, nisi moueatur ab alio, non mouet.

SVMMA

SVMMA CAPITIS X.

IN hoc c. tradit sententiam suam de causa efficiente generationum. Et tria facit. 1. Repetit & supponit ea quæ in 8. Physic. dixerat de vnitate primi motoris, & primi motus. 2. Proponit dubium de varietate generationum & corruptionum vnde proueniat. 3. Colligit quædam corollaria.

Circa 1. supponit, quod dictum est in 8. Physic. scil. dari vnum primum motorem, & vnum primum motum circularem, & per se continuum per quem primus motor est causa perpetuitatis generationum, quia cum ille motus sit perpetuus atque continuus, rationabile est, quod sit causa reliquorum motuum, qui non semper sunt, potius enim id, quod est, debet esse causa eius quod non est, quàm è conuerso.

Circa 2. oritur ex hoc statim dubium, quia idem manens idem semper facit idem, sed primum mobile est idem, & motus eius semper vnus, ergo non alterabunt generationes & corruptiones, sed semper idem facient, cuius oppositum videmus. Resp. Arist. quod in cœlo est duplex motus. Alter vniformis ab oriente in occidentem, qui est proprius primi mobilis, & iste non causat varietatem generationum & corruptionum. Alter est non vniformis, sed constat accessu & recessu ad nos, & hunc causat sol per Zodiacum & ratione huius causatur varietas generationum sicut accidente sole ad nos in puncto arietis omnia reuirescunt, recedente autem in puncto libræ, decrescunt. Et sic non manet semper idem & secundum illas partes contrarias accessus, & recessus, causat contrarios effectus generationis & corruptionis.

Circa 3. colligit duo corollaria. 1. Quòd singulis viuentibus statuta est certa ac determinata vitæ periodus, & terminus. 2. Quod generationes & corruptiones possunt esse perpetuæ, quia causa earum efficiens, quæ est Sol, habet perpetuum motum, & perpetuitatem generationum intendit. Postremo ostendit quod sicut dictum est in 8. Physic. & 12. Met. si motus est, motor est, & si motus est continuus. & perpetuus, motor debet esse sempiternus, ad quem omnes motus reducantur.

SVMMA CAPITIS XI.

IN hoc c. intendit probare Arist. generationes non esse perpetuas quasi in rectum, sed circulariter. Et ad hoc facit tria. 1. quædam præmittit ad probandum intentum 2. probat illud 3. soluit duo dubia.

Circa 1. supponit quasdam generationes esse necessarias, quæ scilicet habent causam determinatam, vt quod cras oriatur Sol, quasdam contingentes, vt quod cras Petrus ambulet, Supponit. 2. quod quando in vna generatione est tota materia alterius, ex generat. prioris sequitur posterioris generatio, sicut ex euaporatione sequitur nubes, ex nube pluuia. Si vero generatio vnius non sit tota materia alterius, sicut fundamentum non est tota materia domus, ex generatione prioris non sequitur posterius; licèt è contra generata domo sequitur fuisse generatum fundamentum.

Circa 2. probat generationes esse perpetuas per circulum & regressum in idem, non per rectam tendentiam in res semper diuersas, sine regressu ad priores. Si enim esset semper tendentia recta si esset finita, tandem consumeretur, & sic non esset perpetua. Si infinita non haberet primum & vltimum, & sic vnum non esset propter aliud tanquam propter finem, quia ibi non est finis, vndè ex positione vnius non esset necessarium ponere alterum. In circulum autem videmus perpetuari generationes propter circularem motum, quo eadem semper regrediuntur suis temporibus, & sic Sol extrahit vapores, & iste coguntur in nubes, nubes resoluitur in pluuiam, & terra madefacta iterum euaporat & facit nubes, estque inter istas necessaria series, quia vnum dat totam materiam alteri.

Circa 3. ponit duo dubia. Primum, cur in quibusdam est circuitus in generationibus, vt vapor, nubes, pluuia, in aliis non, vt inter homines & animantia. Resp. quod in illis est tota materia alterius, non in his, tota enim materia nubis est vapor, tota verò materia hominis non est pater eius. Secundùm dubium, an ita sit circularis generatio, quòd regrediantur idem numero iam corruptum, vel solum in idem specie? Resp. quòd ea quæ in transmutatione non corrumpuntur in substantia, reiterantur eadem numero, vt idem Sol qui occidit oritur. Quæ vero in substantia corrumpuntur non iterantur eadem numero, sed specie.

TRACTATVS I.

De Metheoris in communi.

CAPVT PRIMVM.

Quæ materia, quæ causæ sint Metheorologicarum impressionum?

RELICTA causa finali, quæ ad præsens non spectat, & formali, quam secundum speciales rationes specialiter sumus explicaturi; de materiali, & efficienti in communi agemus.

Est ergo aduertendum, quòd proxima materia harũ impressionum Metheorologicarũ, est duplex scilicet vapor, & exhalatio. Vapor est quidam subtilis halitus, qui ex humore aqueo prouenit, seu procedit, sicut videmus in olla ferueuti, quæ euaporat ex se subtiliores partes, quæ vi caloris eleuantur in sublime, sic ex aqua virtute solis, & astrorum eleuantur vapores, ex quibus fiunt pluuiæ, rores, &c. Exhalatio autem est halitus quidam, qui ex terra educitur, virtute solis & astrorum, ideóque siccus ex tali adustione; & ex hac fiunt Metheora sicca & ignita, vt venti, tonitrua, fulmina, cometæ, &c. Et sic vtraque hæc retinet speciẽ fumi, & in vtrisquè est calor nõ proueniẽs à corpore è quo educuntur, sed impressus à calefaciente, à quo eleuantur. Et vapor quidẽ non ascendit vltra mediã aëris regionem, exhalatio verò etiam ad tertiam & supremã partẽ ascendit. Cuius ratio est quia secunda aëris regio cum sit frigida, vt statim dicemus, quando ad eam peruenit vapor, qui ex naturæ aqueæ statim concrescit, reduciturq; in aquam sicut videmus, quod in hyeme, si ad spirationẽ oris manũ admoueas, ipse halitus in humorẽ aquamq; concrescit: exhalatio autem, quia non est naturæ aqueæ, non concrescit ibi à frigore, sed potest vlteriùs ascẽdere, quãuis sæpè mixta cũ vapore ipso concrescente ibi sistat, vt dicemus tractantes de nube, aliquãdo deorsũ impellatur, sicq; generantur venti, Vt autẽ exhalatio ista igne corripiatur, sicq; fiant ex illa metheora ignita, non debet esse summe sicca, sed pinguedinẽ aliquã retinere, qua flamma nutriatur, quod enim summè siccũ est flammã in se nequit sustinere, sicut patet in cinere, qui ab igne consumi non potest. *Porrò aduertendum est*, quòd ista materia Metheororum, sc. vapor, & exhalatio, solũ ex duobus elementis prodit sc. ex aqua, & terra, quia illa solũ sunt vaporabilia, & habent partes crassas, & subtiles, per quarũ segregationẽ fit euaporatio, & probabilius apparet, quod specie non differunt ab elementis, à quibus educuntur, quia solũ differentia ab illis penes raritatem, & densitatẽ, & ideò per solã condensationem vapor reducitur ad aquã. Vnde easdem proprietates retinet cum aqua. Qui autem dixerit specie differre, sed ob imperfectionem istarum specierum posse mutuò de vna ad aliam fieri transitum, nihil improbabile dicet, præsertim in vaporibus, & exhalationibus, quæ euaporantur ex mixtis, sicut v. g. in humoribus quæ è corpore animalis, resoluuntur, & exhalantur.

Causa efficiens impressionum Metheorologicarum est etiam duplex. Vna per se, alia per accidens, per se est virtus solis, astrorum; & cæterorum corporũ cœlestium inprimentiũ elementis, vt in his generentur Metheora, istæ enim causæ calore suo exhalant vapores & exhalationes subtilizando, & segregando partes subtiles à crassis separãt, ex calore vero imprimunt leuitatem, vt sursum ferantur, quia calor immediatè, & per se non mouet loco nec producit vbi, sed leuitas, quę ad calorẽ sequitur. Deindè in sublimi ea inflammant mediante motu, aut aliis dispositionibus, vel etiam coagulant, si humida sint aut disponunt, vel mouent secundum diuersas formas Metheorologicas, vt videbimus in progressu. Causa autem per accidens, quæ vt in plurimum concurrit in his Metheoris est antiperistasis, id est circumobsistentia, contrarij, tunc enim crescit aliquod contrarium ex eo quòd à suo contrario circundatur, & obsidetur; quæ causa dicitur per accidens. quia circumdatio contrarij non influit in illum effectum, sed est occasio talis effectus, & ex crescentia eius, vt pluribus explicauimus in q.5. de gener. art.1.

CAPVT II.

Quæ sint loca in toto vniuerso vbi accedunt Metheorologicæ impressiones?

TOta hæc vniuersi machina ex elementari, & cœlesti mundo consistit; cœlestis constat vndecim sphæris, seu corporibus simplicibus, quorum primi septem ab orbe Lunæ vsque ad orbem Saturni septem Planetis deputantur. Primus, scilicet Lunæ, Secundus Mercurio, Tertius Veneri, Quartus Soli, Quintus Marti, Sextus Ioui, Septimus Saturno. Quorum motus varij sunt, & eorum magnitudo diuersa, vt explicauimus in libris de cœlo. Supra hos septem orbes Planetarum est firmamentum seu Aplane qui continet stellas fixas, quarum licèt immensus sit numerus, eas tamen quas Astrologi obseruarunt, in sex quasi classes magnitudinis diuersæ distribuunt, de quibus in libris de cœlo actum est. Supra firmamentum collocatur nouus orbis, qui dicitur Chrystallinus, eo quod nullum habet astrum, sed est perfectè diaphanus, & hic orbis est, qui in sacris litteris vocatur aquæ super cœlos positæ, non enim ibi sunt elementares aquæ, & fluidæ, sed cœlestes vt D. Thom. 1. par. quæst. 78. artic. 1. explanat; mouetur autem orbis iste motu proprio ab occidente in orientem, quadraginta nouem millibus annorum secundum computationem, Alfonsi Regis, vel secundum Prolomeum triginta sex millibus. Supra hunc est decimus orbis, seu primum mobile qui summa rapiditate hoc est 24. horis mouetur ab oriente in occidentem, secumque rapit omnes inferiores sphæras, & efficit motum diurnum. Vltimo constituitur à Theologis cœlum Empyreum, hoc est igneum, seu lucidissimum. De quo agit Diu. Thom. prima parte quæstione 66. articulo tertio & vt notat Doctor sanctus, hoc cœlum non inuenitur per rationes astrologicas, cum non moueatur, sed ex authoritatibus sanctorum videlicet Basilij Hom. secunda in Hexameron à medio, Bedæ & Strabi super primum caput Genes. est autem cœlum hoc ad gloriam Beatorum ordinatum, & ideo perpetuo quiescit, pulchritudine summa, luceque conspicuum, quæ tamen ob sui raritatem radios in nos non emittit, vt videri possit; & creditur ex parte superiori quadratum esse non rotundum iuxta illud Apocalypsis vigesimum primum *Ciuitas in quadro posita est.*

Elementaris autem mundus quatuor simplicibus corporibus seu elementis constat, scil. igne, aëre, terra,

terra,& aqua. Et relicto igne, qui ob sui acrimoniam omnia consumit, in reliquis omnibus Metheora cõtingũt, præsertim verò in aëre, qui in tres regiones diuiditur, suprema, quæ nubes excedit, & ob ignis vicinitatem est rarior, & calidior, alia media vbi nubes & pluuiæ generantur, & quæ frigida est; infima deniq; nostris hic vsibus deseruiens, quæ calida est ob reflexionẽ radiorum. Solis, è terra iterũ ascendentiũ, quæ reflexio terminatur vsque ad mediã aëris regionem. Has autem diuersas regiones experientia docet, altissimi enim montes superant non solùm hanc nostram regionem sed etiam secundam, & vsque ad tertiam transcendũt, vt Olympus in Thessalia, de quo S. Aug. refert 3. de Genes. ad lit. c. 2. aërem in eius vertice esse adeò tenuem, vt neque aues, neque homines sustinere valeat. Licèt autem ex natura sua aër sit summe humidus, & excellenter calidus, in suprema tamẽ regione calidior est ob vicinitatem ignis, quam natura sua postulat, in media regione frigidior, quàm eius naturalis cõditio exigat inuenitur. Tùm propter vapores ipsum refrigerantes. Tùm propter defectum radiorũ solis, & elongationem ab igne. Tùm propter antyperistasim. Nec tamen ideò aër istius regionis grauior est aëre nostro, quia noster aër ob multas terræ concretiones spissior multo, & crassior, ideoque in infima parte ponendus. Nec violenta censenda est hæc frigiditas in aëre cum & vniuersali naturæ consentanea sit, & naturali concursu causarum fiat, & à dispositione naturali ipsius aëris sit, mediante inter duas regiones calidiores.

Igitur secundum ordinem elementorum disponemus tractatus de metheoris, vt primo de his, quæ in aëre generantur, deinde de his, quæ in aqua, & mari contingunt, & tertio de his, quæ in terra fiant dicamus, prius tamen oportet inuestigare, an in cœlo possint esse metheora.

TRACTATVS II.

De impressionibus cœlestibus quæ in ipso cœlo videntur.

CAPVT PRIMVM.

De Galaxia, seu circulo lacteo.

APPARET serena nocte in cœlo via quædã, seu circulus candidus ad modum lactis, quia Græcis Galaxia dicitur, à Latinis via lactea, de qua Ouidius primo Metamorp.

Est via sublimis cœlo manifesta sereno.
Lactea nomen habet candore notabilis ipso.

Adeo autem notabilis, vt in diuersas opiniones, & fabulas mentes Philosophorum, ac Poëtarum diuerterit. Nota est fabula de lacte opis, seu Iunonis, ex cuius aspergine lacteã illam viam emersisse finxerunt. Alij ex casu Phaëtontis semita illam relictã. Alij ex conuersione solis ad orientẽ ob facinus Thiestis. Huiusmodi igitur nugis relictis varias Arist. refert. Phil. sententias, in c. 8. 1. metheor. lect. 12. apud D. Th. de huiusmodi circulo. Quorum quidam ad calorem, seu ignem, qui in cœlo sit eius causam retulerunt: qui ex eo coarguuntur, quia elementarem qualitatem, aut substantiam in cœlestibus ponunt, cuius opositum late demonstrat Phil. in 1. de cœlo. Alij vero putarũt illum circulum esse splendorem aliquarum stellarũ, quæ à sole propter vmbram terræ non aspiciuntur, & sic nec obscurantur à splendore solis. *Sed hoc omnino falsum est.* Primò quidem quia vmbra terræ, vt docent Mathematici non pertingit nisi ab orbem Mercurij, qui est secunda sphæra, non autẽ ad firmamentum: cum autem corpus solare sit maius tota terra secundum principia perspectiuorũ, eius radij coëunt post finẽ vmbræ corporis opaci sibi oppositi. Vndè iunguntur radij solis post sphæram Mercurij, vbi terminatur vmbra terræ, & sic totum firmamentum illustrat nec à terræ vmbra aliquid eius absonditur. & sic omnes stellas firmamẽti aspicit. Et secundò etiam si non aspiceret, tamen cum sol in cursu suo annuali in diuersis partibus cœli, & Zodiaci ponatur, diuersimodè stellas respiceret, modò scilicet vnas, modò alteras, atque adeo non ex eisdem stellis constaret via lactea, quod est contra experientiam.

Arist. autem posuit viam lacteam non esse in cœlo, sed in suprema aëris regione, esseque quandam exhalationum copiam late diffusam, & à vi frequentium stellarum, quæ in ea parte cœli sunt, eleuatam quasi perpetuum quendam cometam flagrare, in ea enim parte, qua gignitur iste circulus magna frequentia, & spissitudo stellarum est, quæ sporaticæ, id est, seminata dicuntur, à quibus perpetuo exhalatio illa eleuatur, & inflammatur in aëre, sicque claritatem illam candidam emittit, quia sicut inquit Phil. exhalatio eleuata ab aliquo sidere & inflãmata, cometæ faciem exhibet, sic à multitudine stellarum, quæ sunt in illa cœli parte eleuata copia exhalationis, diffusam illam viam ostendit ad modũ circuli lactis claritatem habentis; & signum, inquit, huius est, quia via lactea non est vbique similis, sed in vna parte ostendit duplum lumen, quam in alia. Cuius non est alia causa, quam multitudo exhalationum in vna parte conglobata, quæ in alia rarior est, & ideò tantam non iaculatur claritatem. Quòd autem non fiat similis circulus sub Zodiaco, in quo magna etiam stellarum frequẽtia est, manifesta est responsio, quia sub Zodiaco non potest diu congregari exhalatio, quia dissipatur à nimio calore solis, & cæterorum Planetarum decurrentium in illo, sicut eadem de causa circa solem, & lunam non generatur cometes, quia dissipatur in breui exhalatio per motum, & calorem solis, ac lunæ, & ideo circulus lacteus intersecat, & diuidit zodiacum, protenditurque à septentrione ad meridiem, cingens, & seccans cœlum per Sagittarium, & Geminos.

Sententia Aristotel. contradicit vniuersa Astrologorum schola, & diutissima experientia, quæ circulum illum lacteum non in aëre, sed in ipso Aplane, seu octaua sphæra, ponit cum compertũ sit ab obseruationibus astrologicis eodẽ motu moueri, quo octaua sphæra, & non est aliud, quam multitudo, & frequentia stellarũ, quæ sibi propinquæ sunt, & exiguæ, & ita propter distantiã nimiã vna discerni nequit ab alia, sicq; omnes vnũ videntur splendorem efficere, vel potiùs sunt partes quædam densiores octauę sphęræ, in quibus densius lumen recipitur, vt possit terminare visum, vt non transeat, sicut per diaphanũ, & ideò partes illæ densæ reflectunt lumen, & iaculantur illud quod quia nõ adeo excellens est candidũ refert colorem. Sane quòd Galaxia non sit in aëre, neq; ex inflãmatione exhalationum resultet, multiplex experientia suadet. *Primò*, quia impossibile est tantã, exhalationum copiam tanto circulo necessariam in tot annorum sæculis eodẽ semper tenore suppetere, & durare in aëre, cũ vix sit cometa, qui vno anno duret, nullus, qui ad duos annos peruenerit adhuc sciatur, præsertim quia in frigidissimis regionibus ferè nullæ exhalationes ascendunt ob caloris penuriã ideoq;

regiones

regiones aliquæ, quæ maximè ad Polum accedunt, ventis carere dicuntur;& tamen ibi apparet Galaxia. Secundo,quia cum circulus iste transeat per sagittarium,& geminos,quando sol decurrit,illa signa feruore suo dissiparet omnē exhalationem ei suppositā, sicque appareret tunc circulus diuisus.Deniq; quia si in aëre esset,non videretur eodē modo ex omni parte terræ,sicut neq;cometæ videntur sub eadem stella ex omni parte.Constat autem circulum istum ex omni parte terræ videri,& circa eadem astra.Signum ergo est in cœlo esse. Quare subiectum Galaxiæ, octaua sphæra est,vt diximus, vbi tanquā in luminoso corpore residet illa claritas,quæ per cœlos,& elementa diaphana defertur vsque ad nos,sicut lux solis.

Sed quid agemus de Arist. Iauellus putat codicem, quem tunc habemus corruptum esse,quia secundum antiquam translationē, quam sequitur Albertus ponitur Galaxia in octaua sphæra.Sed mirum est,quod in translatione D.Th.qui Alberti discipulus fuit, id non inueniatur?Sanè non improbabiliter posset dici: quod licèt Galaxia sit in octaua sphæra subiectiuè, tamen quod color eius appareat candidus causatur ab exhalationibus aëris supposita densitate,aut multitudine stellarū,quæ in illa parte cœli sunt.Ita quod sicut cœlum ex ea parte,qua diaphanum, & rarum est apparet cæruleum, non quia cæruleum sit in se, cum sit expers coloris,sed quia propter exhalationes continuas,& distantiam visus,ita apparet; sicut sol, aut luna,in ortu suo aliquando videntur ardere, ob eandem causam; sic in ea parte, qua cœlum modicè densum est,apparet album,non quia in se album sit, sed quia lux eius per aërem exhalationibus plenum traiiciens,speciem candoris refert, & ideo ab exhalationibus causari dicitur ab Arist. Galaxia.Hæc tamen non asseueranter dixerim,quia neque in Authore aliquo reperio.

CAPVT SECVNDVM.

De macula lunæ?

EXperientia docet in luna,præsertim quando plena est apparere maculas quasdam, quæ effigiem hominis repræsentant,vel vt Alberto videtur, leonis caudam habentis versus orientem,caput versus occidentem.Sententias diuersas de illa refert D.Th.2.de cœlo lect.12.Putarunt aliqui nihil in tale luna inueniri,sed visum nostrum hallucinari sicut collum columbæ,quando radiis solis opponitur coloribus quibusdam spargi videtur, qui tamen ibi non sunt. Sed cum hi non assignent causam deceptionis huius, decepti ipsi videndi sunt.Alij putant causam huius esse interpositionem alicuius corporis inter nos,& lunā, ob quam plene claritas lunę videri nequit,sicque ex illa parte,qua illa corpora interponuntur obscuram videri,ac maculosam.Alij existimant maculam hanc esse imagines montium, ac nemorum, quæ in luna velut in speculo quodam resultante terra. Vtraque hæc positio refellitur à D.Th. quia ex illis sequeretur non videri lunam ex omni parte terræ cum eisdē maculis; quod experientiæ aduersatur. Etenim corpus,quod interponitur intes nos,& lunā,non eodem modo interponitur ex omni parte terræ,& sic neque similem ex omni parte vmbram efficere potest,sicut quando luna eclypsat solem,non ex omni parte videtur eclypsis,quia nō eandem seruat interpositionem, respectu omnis partis terræ, similiter, neque terra vbique eandem dispositionem montium, ac nemorum habet præsertim in mari, & sic non posset inde imaginem illam vmbrosam in luna tanquam in speculo vbique gignere, neque ex omni parte eodem modo apparere.

Vera igitur causa huius maculæ est dissimilitudo partium ipsius lunæ. Quædam enim sunt densiores, aliæ rariores;densiores plus imbibunt de luce, sicut etiam ferrum plus imbibit de calore, quam lignum; rariores autem minus, & ideo densiores plus lucis iaculantur, clarioresque apparent, & rariores verò subobscuræ, & vmbrosæ propter paucitatem lucis. Habet autem hanc partium diuersitatem luna, eo quòd cum infimum corpus sit inter cœlestia,accedit quodammodò ad naturalem elementalium, ideoque quandam obscuritatem,& deformitatem habet quasi ipsis propinqua,& proportionata, sicut etiam terra; quia infimum elementum est magis grossum, ac deforme est cæteris,sic luna quia infimum est inter cœlestia deformitatem aliquam sortitur.

CAPVT TERTIVM.

Num in cœlo metheorum aliquod de nouo generetur?

RAtionem dubitandi præbuit portentosum illud sidus,quod apparuit anno Dō.1572. inter sidera Cassiopeæ,quæ sunt tredecim,& cum tribus illarum perficiebat figuram quadrangularem, durauit autem duobus annis;& primo plus quam sidus primæ magnitudinis effulsit, vtpote qui stellā Veneris claritate superabat; deinde post menses aliquot visum est quasi tertiæ magnitudinis sidus, ac tandem euanuit. Nostris etiam diebus sidus aliud visum est nouum in cœlo circa annum 1603. tanta magnitudine vt caniculæ maioris amplitudine videretur.Supponunt autē Astrologi,qui de ea re scripserūt illam stellam fuisse in cœlesti regione non in aëre,sicut quibusdā visum fuit.Tum quia visa est eodē modo moueri,sicut astra, cum tamen cometæ qui sunt in aëre,tardius ferātur. Tum quia quæ apparent in aëre,non eodē modo videntur ex omni parte terræ.Stella autem illa, & in omni parte,& eodem modo vbiq; visa est,& ob eandē rationem non potuit esse exhalatio inflāmata in aëre sub aliquo sidere minori,quæ tunc faceret illud apparere maius. Tunc enim nō posset ex omni parte terræ videri exhalatio illa,nec sub eodem sidere præsertim,quia cum exhalatio in aëre tardius moueatur, quā sidus,non posset semper circa sidus apparere,cū non vniformiter moueantur sidus,& exhalatio.Obseruatū etiam fuit ab Astrologis nō fuisse sidus illud aliquod ex tredecim,quibus cōstat Cassiopea,fuerūt enim tūc obseruatę tredecim in Cassiopea sicut modo,& vltra illas splenduisse nouam hanc stellam.

Hoc supposito quidam dixerunt:fuisse metheorū,seu cometam in cœlo generatū secundum causas naturales,& ideo fatentur esse possibile,quod metheora naturaliter in cœlo generētur.Sed obstat sententia hæc communi Phil.consensui,qui cum Arist.in primo de cœlo constituunt,cœlum esse incorruptibile,& consequenter ab omni impressione elementali alienum. Sanè si naturaliter cœlum ab elementali impressione pati posset,quis dubitet sphærā ignis aliquid in cœlo lunæ sibi cōtiguo tot sæculorū decursibus immutasse?Quare nullo modo ponendū est metheorū aliquod corruptibile in cœlo generare posse. Et ideò tanquā probabilius fatendū est sidus illud supernaturali Dei virtute miraculosè formatum fuisse in regione cœlesti ad aliquem effectum nobis occultum,sicut etiā tempore Iosue cœlum stetit, & in vita S. Hilarionis simile quid accidisse narrat D. Hieron. Ezechiæ quoque

quoque tempore sol decem lineis retro conuersus est. Et in passione Christi Domini luna soli opposita propter plenilunium subito sub ipso collocata est, vt solē eclipsaret. Qua propter non est mirum, quod his etiam temporibus aliquid virtute supernaturali à Deo immutatum sit in corpore cœlesti.

TRACTATVS III.

De Metheoris ignitis in aëre apparentibus.

CAPVT PRIMVM.

De cometarum materia, & causa efficienti.

ETsi plura sint metheora ignea, variis inter se differentiis segregata, tamen inter omnia primum sibi locum vendicat Cometa, qui dum apparet ita omnium in se oculos conuertit vt nemo sit, qui eius naturā scire non appetat, ignarus, vt inquit Seneca 7. natur. q. c. 1. vtrùm mirari debeat, an timere? Igitur circa generationem Cometæ diuersę fuerunt Phil. sententię, quas refert Arist. 1 metheo. c. 7. & ex parte secutus est postea Seneca citatus. Et quidē omnes conueniebant in hoc, quod cometa esset stella quædā cœli ex his qnas errantes dicimus, quæ sunt planetæ, vel omnes, vel saltē quinq; ex illis excepto sole, & luna, vt dicit D. Th. 1. metheor. lect. 9. & quidem Democritus, & Anaxagoras existimabant cometā esse coniunctionē aliquarū stellarū errantiū, quæ quādo inter se appropinquant, apparent propter confusionem luminis, quasi stella longior, & cometa. Huic sententiæ ex parte conuenit illa quæ est Apponij, & Senecæ existimantium cometā esse coniunctionem plurium stellarum errantium, quæ diuersæ sunt à septem planetis, habentque motum ab illis distinctum, quas Seneca putat esse nobis ignotas, & stellæ istæ certis tēporibus apparentes cometæ sunt. Alij existimarunt cometam non esse plurium stellarum coniunctionem, seu congregationem, sed vnam ex stellis errantibus, quæ propter viciniam ad solem non apparent obscuratæ ab eius splendore cum vero digreditur à sole post longum tempus discernitur, habetque comam, vel propter partem sideris ab eo fluentē, vel propter exhalationem attactam, & suppositam ipsi sideri, in qua repercussus solis splendor, vt in speculo claritatem illam reddit, quæ quasi coma sideris, cui subiicitur, apparet.

Has opiniones improbat Phil. pluribus rationibus. Et quidē quod cometa non sit plurium stellarū errantium congressus, *patet primo*: quia planetæ solū possunt coniungi in Zodiaco, quia solū in illo suos motus peragunt, cometæ autem frequenter sub variis cœli partibus apparent, & pauci sub Zodiaco, quia exhalatio, quæ est eorum materia dissipatur ibi à calore Zodiaci. *Secundo*: quia Planetarum inter se congressus pauco tempore durat, vt patet in coniunctione Solis, & Lunæ, Cometa autē solet multis diebus, & mēsibus durare. *Tertiò*. quia quādo omnes planetæ inter se disiuncti cernuntur, apparet interdū cometa, & aliquando posito congressu Planetarum, aut inter se, aut cum aliqua stella firmamenti non apparet, ergo falsa est illa sententia. Ex quo etiam conuincitur positio Appollonij, & Senecæ. Præterquā quòd ponere plures stellas errantes, quàm septem Planetas, est præter communem Astrologorum, & Phil. scholam, quia cum ex motu deprehendantur tales stellæ, vbi non agnoscitur motus earū, neq; fundamentum est, vt ponantur, quod autem cometa non sit vna stella ex errantibus ex eo conuincit Arist. quia aliquando visi sunt duo cometæ simul, quod & refert Scaliger exercit. 70. in Cardanum, se vidisse duos cometas diuersæ latitudinis simul, ergo cometa nō est vna stella. Et deinde, quia si apparitio cometæ esset digressio & separatio stellæ à sole, occultatio eius esset per hoc, quod iterum appropinquaret ad solem. Testatur autem Arist. 1. Meth. c. 6. lect. 10 apud D. Th. quod omnes cometæ suo tempore apparentes defecerunt sine hoc, quod appropinquarent ad solem existentes adhuc super Orizontem longe à sole, imò retrocedendo à sole quidam cometa cum peruenisset ad zonam Orionis, ibi fuit dissolutus, ergo.

Igitur Arist. omnesque eius sectatores consentiūt in hoc, quod cometa fit ex materia sublunari, & nō in cœlo, sed in aëre apparet. Est ergo materia cometę multa exhalatio sicca, & calida, & pinguis, & benè condensata, & crassa, talis enim materia apta est, vt incēdatur, & inflammationem diu potest retinere propter pinguedinem, & viscositatem, & quando continuò ascendit huiusmodi exhalatio propter aliquam stellam illi prædominantem, diutius durat cometa; illud autem, quod perfectè incenditur de tali exhalatione habet figuram stellæ; reliqua verò exhalatio magis diffusa & nondum perfectè ignita comę figuram facit, vt dicemus *sequenti capite*. Aliquando verò exhalatio supposita alicui stellæ, vnum quid videtur cum stella, & tunc sola coma est in regione aëris stella manente, seu existente in cœlo, sicut quando apparet circulus circa solem, aut lunam qui in aëre est, planetis in cœlo manentibus. Quòd autem hæc sit materia cometæ à signo probat Philosophus, quia apparente cometa, magna ventorum vis, & siccitas generatur propter multitudinem exhalationis è terra, euocata in aëre, de quibus Philosophus exempla aliqua refert, quæ circa suum tempus acciderunt. Denique quòd in aëre sit huiusmodi apparitio, Mathematici conuincunt, quia deprehendunt instrumentis suis, quibus metiuntur altitudinem cœli, cometam inferiori loco, quam lunam apparere, ergo non in cœlo, sed in elementali plaga apparere debet. Confirmabitur amplius hoc *in capite sequenti*.

Causa autem efficiens cometa remota est sol, & astra materiam illam viscosam, & pinguem è terra educentia, proxima autem inflammans cometam, est vel motus exhalationis, motus enim est causa caloris, & aliquando ignis, vel particula aliqua decidens in illam materiam ex elemento ignis, vel fulmen aliquod ex nube in partem superiorem vibratum, in quam frequenter fulmina erumpunt. Non est autem habitus aliquis recipiens in se radios solis, & sic lucens, aliàs posset de nocte eclipsari per interpositionem terræ inter ipsum, & solem.

CAPVT II.

De accidentibus Cometarum.

ACcidētia cometæ partim sūt intrinseca, vt color, figura, motus, significatio; partim extrinseca, vt locus, & tempus. Igitur color cometæ non est verus, sed apparens, hoc est non ex mixtione quatuor primarum qualitatum proueniens, sed ex luce, & inflammatione cometæ Solet autem triplex esse color

cometæ,

cometæ,quidam enim ſunt argentei coloris alij rubei
& cruenti,alij nigri,& triſtes,quæ diuerſitas colorum
ex diuerſitate materiæ quæ incenditur prouenit, ſi
enim exhalatio ſit rarior & tota inflammetur, appa-
ret albi coloris, ſicut flamma rarior apud nos can-
didum refert colorem; ſi vero ſit exhalatio adeo
denſa,vt non perfectè inflammetur,igniatur tamen,
apparet rubeus, ſicut ferrum, aut carbo ignitus. Si
denique ſit nimium vſcola,& denſa materia,vt neque
inflammari, neque igniri poſſit, ſed potius ignem
ſibi propinquum extinguat, tunc apparet quaſi car-
bo niger, vel etiam propter nimiam fumoſitatem
materiæ, occultatur ignis,apparetque nigri aut fu-
midi coloris.

Figura cometæ etiam triplex eſſe ſolet. Alij enim
ſunt criniti, id eſt habentes figuram comæ, ſeu cri-
niũ,alij barbati,id eſt ſpeciem barbæ referentes, alij
caudati. Quæ diuerſitas prouenit ex diuerſitate den-
ſitatis,raritatis,ac diffuſionis materiæ, ſi enim exha-
latio in medio ſit denſa, & ſecundũ omnes extremi-
tates rara,ac diffuſa; quãdo inflãmatur apparet quaſi
ſtella crinibus ſparſa, ſi verò ſecundũ vnam extremi-
tatem ſit ſolùm rara & materia ibi longe extendatur,
tunc quando inflãmatur apparet cauda. Si denique
exhalatio ſit rara, & attenuata verſus aliquas extre-
mitates, ſed non verſus omnes & illæ ſint modicè
extenſæ, diffunditur ſplendor per illas ad modum
barbæ. Vndè ſequitur quod ſi tota materia cometæ
ſit vndique adenſata,& ex nulla parte rara apparebit
ad modum pilæ ignitæ non autem vt radios emit-
tens, quia radij ex raritate ſplendoris, & materiæ
inflammatæ proueniunt.

Motus cometæ varius eſt;aliquando enim mouetur
ab oriente in occidentem motu primi mobilis, qui
imprimitur in corporibus cœleſtibus,& adhuc durat
in igne,& ſuprema parte aëris;quia verò aër non re-
cipit totam efficaciam huius motus,ſed propter mo-
tus ipſius deficientiam,& aëris tenuitatẽ languidius
mouetur, inde eſt quod cometæ tardius moueantur,
quam ipſum cœlum,ideoque videantur quodam mo-
do moueri ab occidente in orientẽ retardando priorẽ
motum ab oriente in occidentem.Mouentur etiam à
ſeptentrione ad auſtrum & ad alias partes,ob virtu-
tem alicuius ſideris dominantis & trahentis come-
tam,aut propter materiam,quæ ſibi ab aliqua parte
ſuppeditatur,ad quã inflammandam ſerpit ignis co-
metæ,& ob eandem rationem poteſt moueri ſurſum,
aut deorſum,quia ex parte inferiori, aut ſuperiori
ponitur illi materia, quam inflammet, deficiendo
ex parte oppoſita.

Significatio cometæ eſt multiplex. *Primò* enim ſigni-
ficat magnam ventorum vim & terræ motus; quia
dum cometa generatur, magna copia exhalationum
eaque craſſa eleuatur, vt nutriatur cometa, vnde ſi
talis exhalatio liberè è terra aſcendat ad aërem ma-
gna pars illius relinquitur in media & infima regio-
ne aëris,à qua cauſantur venti:ſi vero liberũ exitum
è terra non inueniat concutit terrã ſicq; terræ mo-
tus. *Ex quo ſequitur*, quòd enuntiet tempeſtates, quæ
ad ventorũ ortum ſequuntur. *Secundò*,ſignificat ſte-
rilitatem terræ,& famem, quia cum ex forti calefa-
ctione Solis & ſtellarum multa exhalationum copia
aſcendat,ſuccus terræ conſumitur ob tantã euocatio-
nu exhalationum,ſicq; manet ſicca & ſterilis,& fru-
ctus pereunt. *Tertiò* ſignificat intemperiẽ aëris, epi-
dimiã,& alios morbos,quia cum exhalatio illa craſ-
ſa ſit & viſcoſa,ac nimium calida,aërem reddit vene-
noſum & conſperſum exhalationibus iſtis, qui atta-
ctus ab hominibus,eiſque adhærens, humores cor-
rempit, & morbos generat. *Ex quo quartò ſequitur*,
quod ſignificet mortes Principum, & magnorũ,quia
facilius à tali aëre inficiuntur, vtpotè delicatius vi-
uentes.Quæ tamen cauſa non eſt ſufficiens,cum plu-
res infantes ſint Principibus teneriores, ac multiè
plebe delicatius viuant,quam aliqui Principes;quo-
rum tamen mortem cometa non deſignat.Sed verius
eſt mortem Principum in ſpeciali ſignificare ex be-
neplacito Dei,cometam tanquam ſignum mortis re-
gum exhibet,vt ait Damaſ.2. de fide c.27. aut ſaltem
ex vſu, quia videmus frequenter ſic accidere mortes
Principum ex apparentia cometarum. Deniq; ſigni-
ficare ſolet bella,& prælia propter multitudinẽ ſiccę
exhalationis & calidæ, quæ choleram excitat ac nu-
trit,& ad iram vindictamque inclinat.

De loco cometæ,qui accidens eſt extrinſecum,dixi-
mus in præcedenti capitulo,quod generantur in ſu-
prema aëris parte. De tempore autem dicimus,quod
omni anni tempore cometa gigni poteſt præſertim
in autumno, quia propter nimium calorem æſtatis
præcedentis multa viſcoſa & craſſa calidaque exha-
latio in terra genita eſt, quæ tunc eleuatur in autũ-
no, nec tamen propter feruorem caloris diſſipatur,
ſicut fieret in æſtate, ſi aſcenderet; in hyeme vero
frigus & humiditas ſiccitatem & calorem exhala-
tionis impediunt. Tempus autem,quo durat cometa
certum non eſt, cum aliquando multas exhalatio-
num copia ei ſuppetat aliquando pabulum deficiat,
aliquando ignis qui materiam illam depaſcit, lentus
eſt diuque durat; aliquando fortis & cito materiam
conſumens. Dicitur tamen in excidio Hieroſolymi-
tano tempore Titi, vno anno perpendiſſe cometam
ſupra ciuitatem vt Auctor eſt Ioſephus lib.7.de bel-
lo Iudaico, c.44. Raro vltra ſex menſes cometæ du-
rant; de quo videri poteſt Seneca 7. natur. q. c.12.
& ad 80. dies eorum durationem extendit Plinius,
lib.2. cap.23.

CAPVT III.

De Tonitru,& Fulgure.

RElictis opinionibus Philoſophorum, quas in 2.
Metheororum c.2. lect.16. apud D. Tho. refert
Ariſt. circa generationem tonitrui: vera cauſa ſoni-
tus illius eſt exhalatio ſicca & calida intra nubem
denſam compreſſam,eamque motu ſuo diſrumpens,
ex qua dirruptione ſequitur ingens ille ſonus. Con-
tingit autem ſic: quando exhalatio ſicca & calida
includitur intra nubem craſſam,ac denſam, exhala-
tio illa vel motu, vel antiperiſtaſi incaleſcit ac rare-
fit,& ampliorem locum quærit, nubes verò frigore
ſecundæ regionis compreſſa,& coagulata comprimit
etiam exhalationem illam,quæ dum creſcente calore
exitum quærit & huc illúdque diſcurrit, vehemen-
tia caloris agitata nubem contundit & rumpit ſicq;
cauſat fortem ſonitum qui vocatur tonitruum ſicut
etiam venti verberantes mare, ingentem ſonum ex-
citant, & caſtanea poſita ad ignem incaleſcente ab
ſubtilizato ſpiritu exitum quærente, cum ſtrepitu
frangitur.Eadẽ quoque ratio eſt ſonitus quem edunt
tormenta bellica; & ſclopetæ incenſo puluere tor-
mentario, qui in anguſto loco incluſus, dum igne
accenſus rareſit,& ampliorem locum quærit, aërem
concutit ac frangit ingenti boatu, pilamque emittit.
Non eſt tamen neceſſarium ſemper ad tonitruum,
quod exhalatio attendatur & ignem corripiat, cum
ex ſola conceſſione poſſit generari vehemens ille
ſonitus; imò vt placet aliquibus, inter quos eſt Lu-
cretius, & Seneca, ſine eruptione exhalationum,&
fractione nubis poſſunt tonitrua edi ex vehementi
nubium colliſione inter ſe,ſicut ex colliſione aquarũ
immanis

immanis fluctuum resoluat fremitus. Quòd vero sine nubibus aër tonare visus sit in his montibus, qui flãmas eructãt, propriè illa nõ sũt tonitrua, sed emissio alicuius spiritus, & exhalationis in terræ cauernis inclusæ cum arena, & cineribus, aut etiã saxis commixtæ, quæ per montium voragines erumpens ingẽtem edit sonum ad modum bellici tormenti. Porrò multiplex est tonitruorum differentia, aliquãdo enim edunt mugitum, seu graue quoddã murmur per modum tumultuationis. Cuius causa est quod spiritus, & exhalatio clausa in concauis partibus nubium voluntatur in illis, & agitatur, nõ tamẽ tãto impetu, vt scindat nubẽ, quia nondũ multũ incaluit, & tũc raucum edit sonum, signumque esse solet pluuiæ. Aliquando vero exhalatio scindit nubem vno ictu continuo, ad eum modum, quo membrana, vel pannus toto conatu rumpitur, & tunc obliquè nubes scinditur successiuè, incensa sicca exhalatione, quę nubem successiuè percutit, ac disrumpit. Aliquando vero pluribus ictibus exhalatio succensa scindit nubem, & tũc fit crepitus similis combustili in igne crepitanti, quod contingit quando exhalatio est subtilior, & inflammata quærit ampliorem locum inter distinctas partes nubis, sicque diuersis vicibus illas percutiẽs, frãgit. Plures differentiæ videri possunt in Arist. lib. 2. c. 8.

Fulgur, non est aliud, quam exhalatio in nube accensa, & igneo tincta colore. Inceditur aliquando hæc exhalatio ex motu, & collisione spiritus ad nubem, aliquando per antiperistasim circumobsistentis frigoris nubis. Si motus exhalationis, & collisio fit ad nube densam, & resistentem, fit fulgur simul cum tonitruo; si vero nubes non adeo resistat, quia leuior est & non crassa, fit sola coruscatio sine tonitru, qualem æstiuis noctibus persæpè videmus. Sed quæret aliquis, si ex collisione, & diruptione nubis prouenit incensio, & inflammatio exhalationis, prior ergo est motus eius, & sonitus inde resultans, quam fulgor, quod ex tali inflammatione fit, quare ergo apparet fulgur prius, quam audiatur tonitruum. *Resp.* Aristot. causam esse, quia visus præcedit auditum, visio enim non indiget tempore, sed in instanti, quo apparet lucidum emittũtur eius species ad oculum, & fit visio; auditus autem cum percipiat sonum, qui fit per motum, & tempore perficiatur, species quoque eius, tẽpore, & successiuè deferuntur ad auditum, & sic indiget tempore vt percipiatur sonitus, & ideo potest prius videri fulgur, apparétque hoc in percussione, quæ à longè videtur; prius enim videmus malleum tangere rem percussam, & iterum eleuari ad secundum ictum, quam audiatur sonus prioris ictus, & remi prius videntur ferire aquam, & eleuari, quam audiatur sonus primæ percussionis.

CAPVT IV.

De Fulmine, & eius effectibus.

FVlmen dicitur exhalatio ignita è nube magno impetu excussa. Differt à fulgure, & à tonitruo; à fulgure quidẽ, quia exhalatio fulguris magis rara est, fulminis vero crassior, vtpotè quæ non dissipatur in aëre, sed ad terram descendit. Item, quia fulgur non excutitur, nec vibratur à nube, fulmen vero è nube vibratur, vnde & maior vis requiritur ad fulmen, quã ad fulgur. A tonitruo vero differt, quia tonitruum est sonus factus eo modo quo diximus, fulmen vero est ignea substantia ex nube excussa. Generatur ergo fulmen hoc modo. Quando exhalatio bene sicca, & aliquãtulũ addẽsata, taliter, quod partes eius bene inter se sint cohærentes, includitur intra crassam, & magnam nubem, accidit vt exhalatio illa, vel motu, vel per antiperistasim incalescat, & incendatur sicut fulgur, tunc vero cùm exhalatio illa sit densior, fortius incalescẽs, nubẽ illã vehementiori impetu concutit, ac sibi diu resistentem magna vi frangit, & si cõtingat, quod per inferiorẽ partẽ eã rũpat, ipsa vehementia impetus, qua nubem disrũpit, fertur ad terras, & quia partes habet bene cohærentes, non statim dissipatur in aëre, sed ad terram pertingit omnia quæque obuia dissipans, ac perfringens, sicut fecit in nube; quia vero fulmen, ita fortiter vibratur, commotionem causat in aëre, qui natus est ab exhalationibus moueri, & ideo fulmẽ præcedit, & sequitur plurimus habitus ad modũ vẽti, ratione cuius aliquãdo fulmen nõ rectè descẽdit, sed obliquatur, & varias in partes, iuxta venti illius impetum deducitur. Habet autem nonnunquam fulmen odorem sulphureum; cuius causa est, vel quia exhalatio ex qua constat, è terra sulphurea eleuatur, vel quia ob siccitatem, & humiditatem sic aliquando temperatur in nube exhalatio, vt qualitates sulphuris acquirat.

Sed quæres, an fulmen deferat aliquando lapidem, vt vulgo putatur, sicque possimus dicere fulmen esse lapidem *Resp.* quod vt notat D. Th. 3. Metheororum, lect. 2. fulmen nunquam est corpus solidũ, seu lapis, sed spiritus, aut exhalatio sicca, & accensa, licèt possit contingere, quòd deferat secũ lapidem, qui tamen non est fulmen, sed aliquid delatum à fulmine, sicut globus emissus à bombarda non est ipse impetus, seu vis bombardæ, sed aliquid ab eius vi delatum. Potest autem lapis iste aliquando generari in ipsa nube ab exhalatione, calida digerẽte humidum nubis, si enim vapor nubis sit viscosę humiditatis, habẽs admixtum multum exhalationis terrestris, quod potest aliquando contingere, fit illud humidum ad modũ luti, quod ab exhalatione sicca, & accensa decoquitur, & exsiccatur, ad modum quo lateres decoquuntur, sicque induratur quasi lapis, qui è nube maiori impetu, quam pila tormenti bellici excutitur, quidquid sibi obuium fuerit euertens, ipsamque terram penetrans, licet, vt Plinio videtur lib. 2. naturalis Historiæ, c. 55. non altius quinque pedibus intra terram mergatur.

Hinc fit, varia esse genera fulminum, aliqua enim sũt valde penetratiua, & tenebrantia, & talia habent flammam tenuem propter multitudinem exhalationis subtilis, ideóque per angustissima loca solent penetrare: alia vero sũt, quæ dissipãt, & findũt, & talia constãt exhalatione dẽsa, & indurata, ac nonnunquã lapidem ferunt; alia denique vrunt, eo quod exhalatio, licet sit densa non tamen est omnino indurata, & ideo propter densitatẽ ignitur, sicut carbo, nõ vero in flammam vertitur, & ideo nec penetrat, sicut flãma, nec findit sicut lapis, sed erit sicut carbones.

Fulminum effectus, adeo varij sunt & mirabiles, vt naturam videantur excedere, inuenitur enim aliquãdo fulmen liquefacere ensem in vagina, & aurum, aut æs in sacculo, ipsa vagina, & sacculo prorsus illæsis, & de milite quodã narrat D. Th. lib. 3. Metheororum lect. 2. qui ictus à fulmine habẽs scutũ ligneũ, & sub eo arma ferrea fulmẽ confregit, & partim liquefecit arma, scuto illæso; solet etiam hominem interficere illæsis vestibus, & ossa commi nuere integra carne. *Horum autem ratio est*, quia fu lmen vt diximus solet esse subtilis exhalationis be ne tamen coadhęrentes, & vnitas habens partes, & ideò in corporibus flaccidis, ac porosis subtilitate sua per poros ingreditur, & quia sibi non resistunt talia corpora, nec diu in illis moratur, ideò non mu ltũ operatur in eis, vbi vero inuenit corpora duriora, & sibi resistẽtia diu in eis moratur,

moratur,& sic maiorem imprimit effectum,præsertim quia spiritus quando ei resistitur,multiplicatur, & fortificatur,agitque vehementius, magni enim turbines,qui arbores è radicibus euellunt, & saxa frangunt,molliores arundines,& stramina illæsa relinquunt;sic fulmen in vagina, & sacculo non diu moratur,& eadem facilitate,qua intrat, exit;ferrum autem,aut æs intus existens fortius adurit. Visum est etiam aliquando fulmen percussisse dolium vini, & fractis tabulis,& asseribus,vinum ipsum stetisse concretum,neque effundi, vt refert Albertus Magnus, tractatu de Tonitruo,capite vigesimo secundo,& ex Seneca D.Thom.lect.cit. Aliquando verò è contra, vt refert Lucretius,inuentum est fulmen totum vinum consumpsisse, dolio intacto. Causa primi est, quia aliquando contingit vinum esse grossum,ac viscosum,& siccas habens exhalationes admixtas, & ideò à calore addensari potest, sicut addensatur sal, & sulphur;& si super tale vinum cadat fulmen subtile, & penetratiuum, dolium ob sui resistentiam frangit;vinum autem,quia non habet poros, vt penetrari possit, diffunditur fulmen circa exteriores partes,& in crustum addensat,& sic quasi corio circundat,detinetque vinum ne effundatur; si vero dolium non sit adeò forte, & fulmen non sit subtile, sed grossius,ideóque calidius,non penetrat vas, & ideò tale fulmen non multum lædit dura, & resistentia,sed rara;vnde ob nimium calorem,& siccitatem consumit vinum,dolio non læso,quia non restitit vehementiæ fulminis.

Si quæras,quare animalia percussa à fulmine, faciem inueniantur habere versam contra impetum fulminis? *Resp.* causam esse quia animal naturaliter vertit se ad illam partem, vnde sentit sibi venire nocumentum,vnde quando à vento, qui antegreditur fulmen,tangitur,vertit se ad partem fulminis à quo citius interficitur,quàm possit caput auertere,& ideo manet conuersum ad partem vnde fulmen vibratur. Plures effectus vide in Iauello in tractatu 6. Metheororum,cap.4.

CAPVT V.

De aliquibus ignibus in aëre apparentibus.

VT ab eo quod frequentius accidit exordiamur, *Primò*,occurrit de sideribus discurrétibus,seu stellis quas videmus in aëre volitare,quæ dupliciter generantur. Vno modo,quando exhalatio aliqua tenuis successiuè extenditur,& accenditur,& ita ignis per materiam illam successiuè aggeneratur, sicque videtur stella discurrens,quia enim exhalatio est tenuis,de facili accenditur, & splendorem exhibet. Alio modo contingit,quia exhalatio,in vno loco accenditur,& deinde motu fertur ad alium locum,aliquando quidem sursum à leuitate innata,aliquando deorsum,pulsa à frigore secundæ regionis,vel alicuius nubis,aliquando ad latus,quando scilicet leuitas sursum ferens, & frigus deorsum trudens non ad modum se vincunt, & ita in latus tendit. Quando autem per antiperistasim accenditur talis exhalatio, & quando deorsum fertur,manifestum est gigni infrà supremam aëris partem, quia in suprema,frigus non est,à quo antiperistasis fiat, & deorsum impellatur exhalatio.Proinde quando magna istarum stellarum copia apparet, horridi denunciantur venti tempestatesque, eò quòd ad earum generationem exhalationum siccarum copia debet ascendere, ex qua etiam venti gignuntur.

Secundò generantur in aëre ignes quidam, qui dicuntur capræ saltantes cum scilicet materia exhalationis in longum protenditur magis,quam in latum & in lateribus est rarior, vt quasi fila habere videatur,tunc si inflammantur,illa materia videtur saltare propter scintillationem tenuis materiæ, & quia in longum protenditur, videtur habere similitudinem capræ,& sic appellantur capræ saltantes, vel certè generatur hoc Metheorum,si diuersæ sint exhalationes disiunctæ quidem inter se, sed aliqua subtiliori parte concretæ, per quam vna alteri ignem porrigat, vt quasi ab vna ad aliam saltare ignis videatur.

Tertiò contingit Draco volans, generaturque ex exhalatione nó admodum calida,nec valdè densa,& coagulata, quæ dum in sublime ascendit, occurrit aliquando frigidæ nubi, & deorsum impellitur, & motu, aut per antiperistasim accenditur, & quia ab impulsione frigidę nubis obliquatur,& flectitur,speciem habet ventris Draconis, quia vero subtilior est ex vna parte,qua recedit à nube, videtur scintillare,& ignem euomere, ex alia vero parte qua nubem frigidam attingit quasi constringitur, & speciem refert caudæ Draconis.

Quartò contingit lancea, & fax;lancea fit quando exhalatio æquali crassitudine in altum porrigitur & inflammatur,& immobilis videtur stare;fax autẽ, quando conglobatur multa exhalatio æquè distensa, & fit subtilis,vt simul tota inflammetur, tunc subito ardet tanto aliquando splendore, vt noctem velut diem illustret.

Quintò contingunt aliqui ignes in infima regione aëris;primò quidem in tempestatibus, qui à nautis ignis sanctus dicitur,à Græcis Castor, & Pollux, & Helena. Constat ex exhalatione pingui, & viscosa, inflammaturque agitatione, & motu ventorum, vel per antiperistasim; & aliquando apparet vnum, aliquando verò duo. Si in inferiori parte nauis appareat, formidabilis esse solet nautis, & infaustæ significationis;si vero in antenis; & superiori parte, faustus, & propitius, quia cum illa exhalatio eleuatur, signum est non ita turbatum esse aërem, cum iam non impediatur ascendere, ideóque frangitur tempestas. Si verò in inferiori parte appareat, signum est plurimæ turbationis ventorum, à quibus impeditur ne ascendat. Aliquando inuenitur ignis, qui vocatur lambens,& apparet in capitibus hominum,aut equorum, generaturque frequenter ex sudore animalium præsertim calidi temperamenti, quia incalescente corpore emittit vaporem illum viscosum,& pinguem,qui rarefactus,motu ipso animalis calorem ignemque concipit, qui dispersus per aërem solet capillis inhærere,& scintillare. Similiter contingit aliquando ignis, qui vocatur fatuus, qui frequenter apparet in cæmeteriis, & super capita pendentium in patibulis, quia generatur ex viscosa exhalatione habente partes satis conglutinatas,quæ lis frequenter ex cadaueribus emittitur,& per antiperistasim frigoris nocturni,vel collisionem,ac motum accenditur, & ad motum aëris mouetur modo huc,modo illuc; vnde aliquando homines sequi videtur,aliquando præcedere, aut alio tendere secundum aëris motum, ideóque fatuus dicitur.

TRACTATVS IV.

De Coloribus in aëre apparentibus.

CAPVT I.

De Iride, eiusque significatione.

INTER omnia Metheora, quæ ex luce ac radiis solis apparent, nullum pulchrius, ac mirabilius est quàm Iris, de qua Ecclesiasticus, cap. 43. *Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo. Girauit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum.* De ea agit Arist. 3. Meth. ibique D. Th. latissimè lect. 5. 6. & 7. Relictis vero antiquorum opinionibus, & fabulis circa Iridis generationem, *dicendum est*, cum Arist. generari Iridem ex oppositione solis ad nubem roridam, quæ à parte exteriori sit translucida; vt lumẽ imbibat, & ex interiori sit opaca, vt nubem repercutiat. Vnde definitur Iris: *Quod est arcus multicolor in nube rorida, opaca, & concaua ex reflexione radiorum solis oppositi apparens.* Pro huius intelligentia *est notandum*, quòd radius corporis luminosi est triplex, rectus, reflexus, & refractus. Rectus est, *qui multiplicatur per medium secundùm lineam rectam.* Reflexus est, *qui occurrit medio, per quod trãsire vltra non potest, sed redit in seipsum, vel in partem contrariam, aut obliquam*, sicut quando radius lucis cadit super speculum & reflectit. Refractus est, *qui non habet incessum rectum, nec reflexum, sed veluti decidentem, & fractum*, quia ratione medij crassioris franguntur radij, & ita solet apparere luminosum, aut coloratum maius, vt quando astra videntur maiora in caligine, aut quando videtur lignum tortuosum in aqua In omni autẽ corpore plano, & terminato, vt inquit Arist. citatus, refrangi potest radius. Dicimus autem corpus planũ, & terminatum, quod ex vna parte, scil anteriori est diaphanum, seu tersum, ex alia parte, sc. ex posteriori est opacum, sicut videmus, quando specula ex parte anteriori sunt posita, & tersa, & ex parte interiori sunt opaca, vt ibi fiat refractio, & reflexio lucis, aut coloris, & aliquando corpus aliquod diaphanum fit speculum ex profunditate, seu tenebrositate, quam habet à parte interiori, sicut aqua nimis profunda, & vmbrosa. Ad refractionem tamen lucis non requiritur semper, quòd corpus in quo fit refractio, sit plenè speculum, sed sufficit quod medium reddatur crassius, vt ibi frangantur radij, sicut in guttis eleuatis ab aqua, refranguntur radij solis, & efficiunt varios colores, fit enim refractio, quando opacitas, seu densitas medij non est tanta, vt reflexionem causet, est tamen talis, vt non permittat radium transire vnitum, sed frangit illum.

Igitur circa Iridem duo explicanda sunt; Alterum de coloribus eius, *Alterum* de figura est semicirculi. *Circa colores aduertendum est*, quod ad illos concurrunt duo, scil. sol oppositus nubi roridæ, & nubes habens partes roridas, seu diaphanas ex parte exteriori, ex parte autem interiori densas, seu opacas, tunc enim radius solis feriens ex directo nubem, refrangitur in corpore illo diaphano, & terminato, quod est nubes rorida, veluti in quodam speculo recipiente lucem, & refrangente illam; vnde vt contingat Iris, debet nubes esse opposita soli. Quia verò lux taliter refrangitur in guttis illis roridis, vt densitate ipsa medij, & opacitate nubis modificetur, & non maneat lux pura, ideo apparet ex illa luce sic refracta color, quia lux modificata est color, & non manet pura lux.

Quod si quæras, an colores sint in nube ipsa sicut in subiecto, an vero in partibus roridis, quæ fluunt ex nube, & faciunt ipsam esse corpus speculare? *Respondet.* Diu. Thom. 3. Metheor. lect. 3. digressione, de coloribus Iridis, dub. 4. quod sunt subiectiuè in partibus roridis, seu guttulis cadentibus non in ipsa nube, quia in illo subiecto sunt colores, vbi sunt actu principia eorum, principia autem colorũ Iridis sunt radij incidentes in partes roridas nubis, seu in diaphanum ipsarum partium terminatum aliquo modo per opacum nubis, ergo in illis sunt sicut in subiecto & non in nube, licet visui appareant esse in nube, quia propter nimiam distantiam non discernit oculus guttas illas roridas à nube, quia quando vnum corpus videtur iuxta aliud à longe, videntur ambo veluti in eadem superficie; vnde aliud est subiectum talium colorum quod est illud vbi refrangitur radius luminosi, aliud est locus in quo videntur à sensu, scil. nubes ipsa propter distantiam, ob quam visus non discernit inter vnum, & aliud.

Quæres secundò, quæ sit causa varietatis colorum Iridis, *Respondetur*, tres præcipuè colores in Iride videri, sc. puniceum, seu flauum, viridem, & purpureum. Quorum causa est hæc, quia radius lucis refractus ab exigua opacitate, causat colorem puniceum, seu flauum; refractus verò à mediocri opacitate facit viridem, refractus verò à maiori, facit purpureum, eo quod magis accedit ad nigredinem; licet aliqui è contra censeant, viride magis accedere ad nigrum, & ideo fieri in opacitate densiori, nubes autem in parte exteriori subtilior est, & magis translucida, ideóque ibi causatur flauus color, quia fit refractio in perspicuo minus denso, in parte media mediocris est opacitatis, in parte vero interiori maioris: vnde in media parte fit viridis, & aliquando cæruleus, si fit satis humida, & minus densa, in vltima purpureus. Sic explicat D. Th. lect. 6. tertio Metheororum dicẽs, quod vbi est fortior, & intensior actio luminosi in nubem propter minorem distantiam, ibi clarus color solis mutatur in puniceum, & talis refractio fit in prima circumferentia, seu periferia nubis; refractio autem facta in secunda periferia est debilior, & facit viride, in tertia autem circumferentia alurgus; seu cæruleus, aut rubeus; nec sunt plures colores principales in Iride, quia nec plura loca vbi fiat refractio.

Quæres tertiò, an hi colores sint veri, vel apparentes? *Respondetur*, quod colorem esse verum, potest dupliciter accipi. Vno modo, quod ly *verus* sit idem quod naturalis, seu permanens in subiecto perfectè in eo habens esse, & ly *apparens* sit idem quod per modum transitus, & imperfectè existens: alio modo ly *verus* potest sumi, prout dicit essentiam ipsam coloris, siue perfectè, siue imperfectè existat. *Dico ergo*, quod primo modo colores Iridis non sunt veri, sed apparentes, prout ly *verum* opponitur apparẽti, quia solum ex modificatione lucis ibi apparent, non ex mixtione primarum qualitatum. Secũdo vero modo, colores Iridis sunt veri, quia colores Iridis habent essentiam, & formam coloris, quæ resultat ex lumine, quæ est vera causa colorum, quia ex eius participatione colores fiunt; vnde & sensus non fallitur in coloribus diiudicans eos esse colores; constat autem quod color secundùm veritatem est obiectum visus: ita sentit D. Th. lect. 5. dub. 3.

Circa figuram Iridis multa tractant perspectiui, quorum rationes examinare ad præsens non spectat. *Solum breuiter dicimus*, quod sole existente in Oriente, vel

vel in occaſu ſi fiat Iris in nube ſibi oppoſita appa-
ret ſemicirculus , quia tunc partes roridæ nubis in
quibus fit Iris maximè apparent ipſi ſoli,quia maxi-
mè ſunt ei oppoſitæ , & ideo ſol tunc emittit radios
directè in totum orizontem ſibi oppoſitum,quod te-
gitur à nube,& cum Orizonte habeat ad modum ſe-
micirculi,conſequenter radij directè,& ex oppoſito
emiſſi à ſole in illum ad modum ſemicirculi tendun-
tur,vnde cum impingunt in nubem roridam,tegentẽ
ſemicirculum conſequenter efficiunt colores in gut-
tis,quæ ſunt prope nubem , quia Iridi ex directo ſol
opponitur,non verò his quę ſunt propè terram,quia
ex directo tunc non reſpicit terram,ideo non fit co-
lor in nube,& in terra,ſed ſolum in nube,& in ro-
ratione,quæ directè à ſole aſpicitur, vbi radius non
frangitur , licet aliquando Iris non videatur habere
pedem in terra,quia pars illa directè à ſole aſpicitur,
vt claudens Orizontem. Si autem ſol ſit eleuatus ab
Oriente,aut ab Occidente,tunc ſi fiat Iris circa Ori-
zontem non apparet ſemicirculus,quia tunc ſol di-
rectius reſpicit terram quàm Orizontem,& ideo nu-
bes exiſtens circa Orizontem rorida,magis ei occul-
tatur,quia minus ei opponitur,corpus enim quanto
magis opponitur luminoſo, tanto magis ei apparet,
& ab eo illuſtratur. *Notandum eſt autem*, quòd ali-
quando poteſt duplex Iris ſimul cauſari,idque dupli-
citer;primo exiſtente ſole in meridie,ſi ponatur nu-
bes rorida ex parte occaſus,& alia ex parte Orientis
tunc efficitur duplex Iris ex emiſſione radiorum in
diuerſas illas partes, tunc autem valde exigua appa-
rebit , quia ſol non eſt eis perfectè oppoſitus. Alio
modo poteſt cauſari duplex Iris in eodem ſitu,ſcil.in
Oriente,vel in Occidente. *Ratio huius eſt*,quia con-
tingit aliquando eſſe duplicem nubem roridam in
vna parte,vna altior alia , & in vnam directè emit-
tens radios ſol efficit Iridem;Iris vero cauſata in tali
nube cauſat aliam in ſibi vicinam veluti in ſpeculo,
quia in tali ſitu ponitur , vt in eam poſſit emittere
radios ſuorum colorum,vnde talis Iris debilior eſt in
vltima quàm in prima,quia non fit ex repercuſſione
lucis directè,ſed ex repercuſſione radiorum,ſeu lucis
iam modificatæ in prima , & quæ erat color. Poteſt
autem fieri arcus etiam à luna,& aliquando viſus eſt,
licèt raro;non tamẽ habet plures colores,ſed vnum
ſc.album,quia lux lunæ valde tenuis eſt,vnde non ita
profundè penetrat nubem,ſed in exteriori ſuperficie
ſolummodo candorem illum aſpergit ſimilem ipſi
luci lunæ,quæ candida videtur.

Circa ſignificationem Iridis dicimus habere duplicẽ
ſignificationem naturalem,& ex inſtituto,naturaliter
ſignificat duo;*primum eſt* pluuiam , quia cum nubes
rorida ſit,reſolubilis eſt in aquam , & ſic ſignificat
pluuiam,quæ eſt nubis reſolutio. *Secundò*, ſignificat
de proximo non futuram magnam pluuiam. Cuius
ratio redditur à D.Th.quodl.3.a.30.quia magna plu-
uiæ inundatio ſolum contingit , quando nubes ſunt
valdè grauidæ , & copioſa vaporum multitudine ni-
greſcentes,tunc autem nubes denſa non eſt ad reci-
piendos radios ſolis,quin potius veluti corpus omni-
no opacum eis reſiſtit;quare oportet nubem generã-
tem Iridem,non eſſe ita nigram,& opacam,ſed trãſ-
lucidam,ſicque non magnæ pluuiæ effectricem.

Ex inſtituto autẽ Dei,ſignificat Iris non amplius
futurum diluuium vniuerſale in terra,vt patet Geneſ.
9. vbi Dominus dicit ad Noë: *Arcum meum ponam
in nubibus,& recordabor fœderis mei vobiſcum,& non
erũt vltra aquæ diluuij.* Quòd autem ex inſtituto hoc
ſignificet,*patet*,quia ante diluuium erat Iris , nec ta-
men ſignificabat diluuium non futurum;licèt nõ de-
fuerint aliqui,qui putarunt non fuiſſe ante diluuium
arcum in nubibus,decepti tamen ſunt,cum naturali-
ter in nube rorida ſol exprimat illos colores.

CAPVT II.

De varietate colorum aeris,itemque de halo , ſeu corona,voragine,& hiatu.

VArios in aere colores ex lucis repercuſſione
cõſurgere,quotidiana nobis experientia demõ-
ſtrat,qua nubes aliis,atq; aliis coloribus illuſtrari vi-
demus;hi autem colores non ex mixtione primarum
quatuor qualitatũ,ſed ex reflexione luminis in addẽ-
ſatum aërem,aut vaporem gignuntur. Vnde eorum
materia eſt vapor,aut exhalatio, ſeu aer addenſatus,
in quem radij impingunt ; efficiens eſt luminoſum
radios emittens;forma eſt lux variè modificata,& re-
cepta in illa materia,partimque ex diuerſa receptio-
ne in materia , partim ex diuerſo aſpectu luminoſi
oriuntur colores.Igitur ſi id, in quod incidit lux in
aere,eſt valde denſum,apparet veluti vmbroſus, &
niger color;ſi autem denſum aliquantum ſit,& ſimul
humidum apparet cæruleus , ſoletque ſignum eſſe
pluuiæ,quia coagulationẽ vaporũ teſtatur, ſi adhuc
autẽ minus denſũ ſit mediũ, purpureus color effici-
tur qualem præcipuè videmus in occaſu ſolis ex te-
nuitate lucis,& exhalationum generari.Si tenuiores
adhuc ſint exhalationes,apparet puniceus color,nõ-
nunquã verò albus,ſeu argenteus color videtur,non-
nunquam aureus ; cauſatur enim candor in nube ex
multitudine lucis receptæ in nube,quæ exhalationes
habet plures,& minus humorum ; vnde tales ſolent
apparere nubes circa meridiem, aut feruorem ſolis;
aureus autem fit ex receptione radiorũ ſolis directa,
& multitudine lucis quando materia non nimis den-
ſa,& humida eſt;vnde nec pluuiam deſignat.

Apparet autem aliquando circa ſolem,aut lunam,
vel etiam aſtra fulgentiora,circulus quidam,aut co-
rona cingens aſtrum,quæ à Græcis halo dicitur, &
differt ab Iride,quia Iris eſt ſemper ſemicirculus,ha-
lo verò eſt circulus plenus.Fit autem halo, quando
exhalatio , aut nubes æquali denſitate circa aſtrum
ſpargitur , tunc enim radius aſtri recta tendere non
valens ob denſitatem medij,intercidit,ſeu refrangi-
tur , diffunditurque circa extremitates orbicularis
denſitatis,ideóque varij colores in ea reſultant, qui-
bus aſtrum cingi videtur,& corona dicitur,quę tamẽ
aliquando deficiente materia , ſeu exhalatione inte-
grè non apparet.Si corona addenſetur , ſignum eſt
pluuiæ,quia multitudinem humidorum vaporum , à
quibus addenſantur,id teſtatur.Si ab vna , vel pluri-
bus partibus diſſipetur,ventos,è quibus talis diſſipa-
tio fieri incipit,deſignat.Si tota ſimul euaneſcat, ſe-
renitatem indicat ob purificationem aeris ab huiuſ-
modi exhalationibus.

Contingit autem aliquando,quòd nocte circa lu-
nam,aut aſtrorum lumen,multę exhalationes conſti-
patæ in ſublime aſcendant, quæ in medio denſiores
ſint,& ex parte extremitatum rariores,taléſque ob-
ſcurantur in medio , illuſtrantur verò in extremis,
vnde referunt ſimilitudinem foueę,quæ ſi magna ſit,
dicitur vorago,ſi parua hiatus. *Ratio eſt*, quia quod
eſt obſcurum,videtur nobis remotius,aut profundius
quod vero magis illuſtratur,ac nitet,videtur propin-
quius,eo quod candidum magis mouet viſum, vnde
& pictores ſi antrum , aut profunditatem aliquam
volunt depingere,nigro, vmbroſóve colore vtuntur
appoſito circa illum albo.

CAPVT III.

De Virgis, & Pareliis.

VIrgæ generãtur circa latera ſolis, quæ deſignãtur ab Aſtrologis Septentrio, & Auſter. Quando ergo ex latere ſolis ponitur aliqua nubes habens aliquas denſas, & alias raras, quæ proximè poſſit in aquam reſolui, ſi talis nubes perpendiculariter feriatur à radiis ſolis efficitur ſimilitudo virgarum, quæ variis coloribus imbuuntur ob refractionem in nube illa rorida, & denſiori, quia radij ſolis ad nubis cauitatem ſe accommodantes perpendiculariter verſus terram refranguntur penetrando nubem, & ideo figuram virgarum, & colores in illis efficiunt. *Notant tamen aliqui*, quòd dupliciter contingunt huiuſmodi virgæ, aliquando enim nubes non eſt continua, ſed foramina habens ad modum panni per forati, & trãſeuntes radij ſolares per huiuſmodi foramina, refractique ab aliquibus vaporibus exiſtentibus in foraminibus nubis, cauſant ſimilitudinem cordarum, quæ viſui noſtro apparent, tanquam virgæ, aliquando verò nubes eſt continua, ſed rarior in aliquibus partibus, quàm in aliis, & radij ſolares penetrantes nubẽ in partibus raris, efficiunt virgas aliquando virides, aliquando puniceas, aliquando nigras, prout dominatur lux, & modificatur in illa materia.

Parelij autem nihil aliud ſunt, quàm imagines ſolis in nube aliqua expreſſæ, quæ traductæ ad nos plures ſoles videmur aſpicere. Contingit autem ſic, quãdo ad latera ſolis occurrit nubes rorida, ſeu quæ in aquam proximè reſoluatur, & habet æqualem denſitatem, ſimiliterque ex parte exteriori eſt tranſlucida, & diaphana, ex parte verò interiori terminata, taliter quod ſe habeat vt ſpeculum, ſol imaginem ſuam in eam imprimit, ſicut in ſpeculo, & ex eo quod eſt æquè denſa perfectè refert imaginem ſolis, & quia radij illi non refranguntur, quia ferit illam eo modo, quo ſpeculum, quod nos ponimus contra ſolem, aut in obliquo ad latus eius, & ſimilitudinem ſolis oſtendit, aut etiam ſicut in pelui aquæ videmus eclypſim ſolis, quia ibi eius imago apparet effigies, & imago ſolis, non autem colores, ſicut in irigide, & ita apparent nobis aliquando duo ſoles, aliquando etiam tres, ſi in duplicem nubem habentem illas conditiones cadant radij ſolis, aut ſi ex vna nube reflectatur imago ad aliam, ſicut ex vno ſpeculo ad aliud. Poteſt etiam fieri huiuſmodi imago, & generatio Pareliorum circa lunam; ſic enim refert Plinius libro tertio ſecundo, capite trigeſimo ſecundo, tres aliquando lunas ſimul viſas. Narrat autem Ariſtoteles lib. de Metheor. capite ſecundo, aliquando conſpectos fuiſſe parelios apud Boſphorum tempore meridiano, & duraſſe vſque ad ſolis occaſum. Rarius tamen contingit fieri Parelios exiſtente ſole in meridie, ſed aſcendente ab ortu, aut vergente ad occaſum, quia cum ſol eſt in meridie emittens directè radios ad terram, denſitatem nubium ad huiuſmodi Parelios aptam diſſoluit, nec debet nubes eſſe infrà ſolem, aut valdè propè, ſed quaſi oblique illum excipere, alias diſſipabitur ab eius feruore.

TRACTATVS V.

De Ventis.

CAPVT I.

De materia, & cauſa efficiente ventorum.

VARIE circa generationem ventorum Philoſophi antiqui opinati ſunt, qui tamen penitus naturam eorum non penetrarunt, quia vel impetum aëris, vel agitationem eius, aut fluxum, ventos eſſe putauerunt. Illud tamen præſupponendum eſt, vt certum, non quemlibet aëris motum appellari ventum, quando enim manu, aut flabello aërem expellimus, quando cymbalis crepantibus, aut tormentis bellicis ingenti ſtrepitu aër concutitur, motus aëris cauſatur, non tamen ventus. Igitur ſecundùm Ariſt. 2. Metheor. lect. 7. apud D. Th. & ſeqq. materia ventorum eſt exhalatio ſicca, & calida, non tamen debet eſſe taliter calida, & ſicca, vt ſit inflammabilis, quia non debet eſſe viſcoſa, aut pinguis, ſed debet eſſe terreſtris, & ideò participare qualitates terræ, quales ſunt frigidum, & ſiccum, propter quod ab aliquibus dicitur, quòd exhalatio illa debet eſſe frigida, & ſicca, quia conſiderant qualitatem, quam habet è terra, & quam à ſecunda aëris regione, à qua repercutitur, participat; ab aliis autem dicitur calida, conſiderando calorem extrinſecum, quem habet ab eleuatione ſolis, à qua ſubtilizatur. Nec tamen negandum eſt, exhalationes iſtas habere vapores admixtos: tum quia ſępè è mari exoriuntur venti, à quo licet exhalationes conſurgant propter eius ſalſedinem, & terrenæ concretionis admixtionem; tamen non puræ exhalationes, ſed mixtæ vaporibus eleuantur. Tùm quia venti è mari exorti humidi ſolent eſſe, & aliquando pluuias generant, & nubes congregant, quod ſine mixtione vaporum fieri non poſſet. Quòd autem materia ventorum ſit exhalatio prædicta, multis ſignis probat Philoſophus. Primò quidem, quia eo tempore maximè vigent venti, quando multitudo huiuſmodi exhalationum ſuppetit, vt in vere, & autumno, & matutino tempore ſole Oriente, quo commouetur aër, quia tunc exhalatio à terra aſcendit ob ſolis ortum, & ſimiliter igneus color aeris ſole Occidente, & etiam cometæ ventos denunciant, quia ex ſiccis exhalationibus generantur ſicut color ille, & ipſius cometæ. Secundò ab effectu, quia venti exſicant, quod non facerent, niſi ex materia ſicca conſtarent, & ideò pluuiæ ceſſare faciunt ventos, quia humectant, & infrigidant ſiccam illam, & calidam exhalationem, quæ erat materia ventorum. Et rurſus ceſſante pluuia ſolet ventus incipere, quia cum pluuia ceciderit, terram humectat, & tunc exhalat terra exhalationem ſiccam, ſicut ſi in vas plenum cinere infundatur aqua, exhalatur multum à cinere, ex illa autem exhalatione facta à caliditate ſolis generantur venti, quia talis eſt eorum materia.

Circa motum ventorum, & vim à qua cientur, magna difficultas eſt id perfectè explicare, occulta enim valde cauſa eſt, in tantũ quòd peculiariter Deo attribuitur in Sacra Scriptura, vt Pſ. 134. *Qui producit ventos de theſauris ſuis.* Difficultas autẽ in eo eſt, quia motus ventorum non eſt ſurſum, nec ſolum deorſum, ſed in obliquum, quod exhalationi non competit, nec ex principiis materiæ, ex qua conſtat, quæ eſt ſubſtantia

terrena,quæ deorsum grauitat , nec ex calore solis, qui sursum attrahit; & est similis difficultas illi,quam infrà tractabimus de fluxu,& refluxu maris.Cum ergo tria concurrant ad ventum,scil aër,in quo fit agitatio,& vis in obliquum faciens impelli has exhalationes,& ipsum aërem,dicimus huic motui duplicē causam assignari.Prima est influxus astrorum,& præsertim solis,& lunæ; nam sicut ex impressione lunæ mare fluit,& refluit, ita ex impressione eiusdem,aut aliorum astrorum obliquatur exhalatio,& truditur in hæc inferiora. Secunda causa frigiditas secundæ regionis ad quam aliquando exhalatio, quæ pertingit est satis subtilis,ac viscosa, & pinguis multum in se caloris suscipiens,& tales eleuantur vltra secundam regionem,nec eis obsistere potest frigiditas eius,aut inter nubes includuntur , præstantque ignitis metheoris materiam; aliæ verò exhalationes magis terrestres sunt.Et ideò ab illo frigore addensantur paululum,& deorsum truduntur, nec permittuntur sursum ascendere:Cum autem ipsæ calore sibi impresso à sole,vel ab alio astro sursum conentur , fit vt tali agitatione obliquentur, & aërem agitent , tanta nonnunquam vi,vt arbores,domósque euertant,nimirum propter multitudinem exhalationum confestim ascendentium, & addensatarum ab illo frigore secundæ regionis, à quo deorsum aguntur. Correspondet etiam impetus maior , ac minor ventorum vehementiæ,qua ab astris sursum eleuantur exhalationes illæ terrestres, & condensabiles à frigore secundæ regionis.Fatendū tamen est multas alias causas nobis occultas ad ventorum motum concurrere, hæ tamen probabilius à Philosophis sunt cognitæ.

CAPVT II.

De numero ventorum, eorumque proprietatibus.

EGimus in præcedenti capite de ventis secundùm communem eorum rationem, de aliquibus enim particularibus vētis,qui magis turbines,quàm venti dicendi sunt,infrà agemus,Nunc autem de numero ventorum,iuxta hydographiæ rationem,ac eorum,qui artem nauticam colunt,agendum est.Igitur principales venti sunt,quatuor, qui ex quatuor Angulis cœli oriuntur,& spirant;diuiditur enim mundus in quatuor partes,sc.Orientem,& Occidentem,Meridiem,& Septentrionem : Ventus ergo ab Oriente spirans vocatur *Subsolanus*, ab Occidente *Fauonius*, seu *Zephyrus*,à Meridie *Auster*, à Septentrione *Septentrio*,seu *Notus*.Has quatuor partes duplicant nautæ,significantque octo partes cœli, vnde venti spirant,& tales partes vocāt *Rumbos*.Deinde istas octo partes iterum duplicant , & intermediis designant alias octo,quas vocant, *Medias partidas*,& in vltimo has sexdecim partes iterum duplicant , quia inter media secant,quas vocant *quartas* , sicque fiunt 32. venti à triginta duabus cœli partibus spirātibus,pro vt latius in acu nautica,& hydographię circulis scripti videntur,& quidem sexdecim ventorum propria nomina sciuntur , aliorum non ita; quæ tamen ad præsens describere tædio esset,& oneri.

Obseruandum tamen est , aliquos esse ventos,qui prouinciales dicuntur , eo quod incertis regionibus agnoscuntur, & vltra non transeunt , sicut Athenis teste Plinio lib.2.cap.43.Flat Scyro,qui reliquę Gręciæ ignoratur.Et aliqui venti sunt, qui principaliter dominantur, & infestant regionem aliquam, sicut Calabriam Yapix,Galliam Circius,Atobulus Rutiā, vt ait Senec.libr.5. natural.quæstionum,cap.17. Alij autem venti sunt , quos Græci Ethesias, hoc est,anniuersarios vocant , eo quod singulis annis certis temporibus spirant , sicut in ortu Orionis contingunt venti intolerabiles, vt dicit Aristoteles 2.Metheor.lect.9. apud D.Th.& in canicularibus diebus post ortum carnis,venti quidam solent spirare, quos à nomine anniuersario Ethesias vocant. Similiter post tropicum , seu conuersionem solis æstiualem, quando facto solstitio in Iunio in signo cancri conuertitur sol versus capricornum flant venti Boreales. *Cuius ratio redditur à Philosoph,loco citato*,quia Boreales venti flant à locis, qui sunt sub polo arctico, seu Septentrionali,in quibus est magna nimium, & aquarum copia , hæc autem magis liquefiunt à sole post solstitium,seu post tropicum,aut conuersionem æstiuam,quàm quando ad nos appropinquat in vere aut in ipso solstitio,seu tropico æstiuo , quia sol maiorem effectum imprimit post solstitium ; quàm antea , eo quod diutius durauit calor eius in terra , & magis dispositæ materiæ dominatur , quam quando ad nos ascendit,vel etiam in ipso solstitio ; & ideò tempore caniculæ sunt maximi calores,quod est post solstitium, & tunc liquefactis penè niuibus Septentrionis exhalatur copia spirationum, eo quod niues multam concretionem terrenam habent , & sic flant venti.

Circa ventorum proprietates notandum est,quòd illæ spectari possunt , vel penes principia substantialia,ex qua constant,vel penes id,quod à sole, & syderibus habent,vel penes regiones,vnde spirant,& per quas transeunt.Primo modo ventis competit esse siccos,& frigidos,sicut ipsa terra est , vnde eleuatur exhalatio,& si habent admixtos vapores , qui eleuantur ab aqua, habent etiam ex hac parte esse humidi,& frigidi. Secundo modo venti sunt calidi, & sicci,& si habent admixtum vaporem calidi, & humidi,calore extrinsecus à sydere impresso,sicut aqua calida est ab igne.Tertio modo diuersis ventis diuersæ competunt proprietates, nam Septentrio est frigidus,& siccus , quia ex locis frigidissimis spirat, & plenis niue,vnde & serenitatem inducit,quia ob frigiditatem suam dissipat humidum vaporem, prohibétque ne resoluantur in aquam;& similiter terram constringit ne emittat ex se humidos vapores ; & quia minus tortuosum , & obliquum flatum habet directè tendens per nubes,secat illas,& dissipat,non cogit. Dicitur tamen Septentrio in aliquibus locis, vt apud Cyrenem,& Hellespontum,pluuiam creare. Auster est calidus,& humidus,quia oritur in meridie & transit per mare,quod ob salsedinem calidas spirationes excitat,cogit etiam nubes,& pluuiam inducit propter oppositam causam à Septentrione ; licèt in Africa dicatur nubes dissipare;Subsolanus est calidus , & siccus propter præsentiam solis à quo mouetur,& à quo exsiccatur , & calefit illa exhalatio. Denique Zephyrus est humidus,& frigidus,quia sole accedente ad occasum,vnde hic ventus spirat, remanet exhalatio eius frigida , & ob solis absentiam non exsiccata,sed humida.Ex his autem qualitatibus sequitur in ventis , quòd alij salubres sint hominibus,alij noxij,variósque morbos inducant , maximè enim salubres sunt Septentrio,& Zephyrus, seu Fauonius, Auster verò noxius,& veluti corpora dissoluens, quia causat putredinem ob calidum , & humidum,quod præstat.

Caput III.

De Turbinibus, Ecnephiæ, Typhonis, & Præstere.

De his agit Aristoteles *in initio tertij Metheoror.* Sunt autem turbines istis cęteris omnibus periculosiores, ac formidabiles ob nimiam violentiam, qua obuia quæquæ prosternunt. Igitur Ecnephias generatur ad modum fulminis, quando scilicet multa exhalatio spissa, & minus subtilis intra nubem cauam congregatur, fit tunc, vt motu, aut antiperistasi incalescat, ac maiorem libertatem quęrens è nube segregatur, eamque disrumpat more fulminis, nisi quod incensa non est sicut fulmen, & ita deorsum impellitur magna velocitate, & violentia propter fortitudinem frigidi segregantis, vt inquit D. Thom. 3. Metheoror. lect. 1. sub æquinoctiai à nostris nautis talis turbo nonnunquam visus est magno ipsorum periculo. Dicitur autem ex tali turbine asperginem aquæ calidæ profluere, quæ vermes gignit, vestesque putrefacit.

Tropheo autem, seu Typho generatur eo modo quo Ecnephias, nisi quod rotato circulo mouetur; quando enim ex diuersis nubibus, aut diuersis partibus eiusdem nubis flatus erumpunt, & conglobantur inter se, ac impinguntur, eò quòd à frigiditate loci per angustam nubis scissuram expellitur flatus, & ad aliud corpus, seu flatum repercutitur, fit vt illi flatus durante tali pugna retorqueantur inter se, ac vorticem efficiant, sicut videmus, quod in angiportis, & angustis viis puluis rotatur à vento, & in fluminibus vortices efficiuntur ab aqua impingente ad saxum aliquod. Talis igitur flatus maxima vi segregatur, & excussus à nube ob fortitudinem frigidi segregantis per antiperistasim, non tamen incendentis illum, & in gyrum contortus dicitur Typho; qui tantâ vehementiâ discurrit, vt saxa, & arbores secum rapiat, ac nonnunquam nauigia integra in altum eleuet à mari, gyro illo ea inuoluens. Quòd si tales flatus, vel antiperistasi, vel repercussu, contingat aliquantulum inflammari, dicitur ille turbo Præster, sternens, & comburens omnia, differtque à fulmine, eo quod fulmen plus de igne habet, & de flatu minus, hic è contra plus flatus, minus ignis corrumpit; & etiam, quia fulminis materia subtilior est, quam istius. *Obseruandum tamen est*, ad has tempestates excitandas multum conducere, quorundam siderum influxus, in quorum ortu frequenter stellæ accidunt, vt in Ortu Orionis, Hiadum, & Aquarij; sicut etiam loca quædam sunt, quæ maxime infestantur procellis, vt promontiorum bonæ spei, & ille maris tractus, quo à Sina in Iaponem itur.

TRACTATVS VI.

De Metheoris humidis genitis in aëre.

Caput I.

De Nube, & Pluuia

Nvbes principium sunt omnium concretionum humidarum aëris, sicut optimè notauit D. Thom. in cap. 37. Iob circa illa verba: *Nunquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas scientias?* Materia ergo nubium est vapor calore solis, aut aliorum astrorum eleuatus. Hinc dum ad mediam aëris regionem peruenit, tū ob debilitatem radiorum solis, quorū reflexio illuc non attingit, tum ob frigus illius secundæ regionis condensatur, & talis vapor addensatus dicitur nubes. Quia verò ex eis vaporibus aliqui habent partes raras, & aëreas, facile in aëris naturam permutantur, aut etiam ventis deseruiunt exhalalationibus permixtis; alij verò grauiores sunt, & ex his generatur pluuia, vndè non omnes nubes in pluuiam resoluuntur, sed multæ in aërem, aliæ in ventos ob exhalationes admixtas, aliæ in nebulas, & caligines diffunduntur. Vt postea dicemus.

Igitur cum pluuia nihil aliud sit, quam nubes in aquam resoluta: quæres primo quæ sit ratio, cur pluuiæ minutim cadant, & non tota simul effundatur è nubibus, cum naturali grauitate, ac pondere, sic videretur fieri debere. In quo videtur peculiaris Dei prouidentia relucere, sicut Scriptura sacra testatur *Iob 25.* vbi dicitur: *Qui ligat aquas in nubibus suis, erumpant pariter deorsum. Respond.* Causam huius esse tenuitatem vaporis à modico, & nimis violento frigore addensatam, tunc enim paulatim addensatur vapor, & in quam conuertitur; vnde & paulatim decidit, & non tota simul ruit, & sicut insecundæ nubes, quæ in aërem conuertuntur, non simul secundum omnes partes, sic multo melius quando in aquā conuertuntur, quæ crassior est, & maiorem requirit densitatem conuertūtur paulatim, & minutim in aquam, non simul. Addo etiam, quod nubes ipsa ex sui dispositione veluti stillicidium quoddam est ob partium suarum raritatem modice addensatam, vnde & aquam stillatam dimittit, & consequenter minutim, & non simul.

Illud tamen aduertendum est; maiores, crassioresque guttas generari ob maioris frigoris vim, quæ nubem magis addensat, & consequenter densiores guttas aquæ facit, quod frequenter contingit in æstate, quia tunc ob calorem circundantem nubem, per antiperistasim intenditur frigus; & consequenter addensatur aqua, fiuntque guttæ crassiores.

Secundo quæres, cur imber cum magno strepitu, & impetu descendit, quod & Dominus cum admiratione interrogauit *Iob 36. Quis dedit vehementissimo*

mo imbri cursum, aliquando verò sensim sine strepitu illabitur, quasi aqua ex stillicidiis eliquata. *Resp.* causam vehemētiæ impetus, esse frigus comprimēs partes nubis, & cum violentia in eas intrans, tanto autem violentius & fortius intrant, quanto maior est caliditas frigiditati resistens, eamque nitens expellere, tunc enim ob contrarium vincendum cū maiori violentia nubem ingreditur, & comprimens fortius eius partes cū maiori impetu facit eā resolui, sicut quādo fortiter comprimitur ex spongia aut pannos madefactos, copiosius, & fortius descendet aqua; compressio autem nubis à violentia frigoris fit, cuius signum est, quod in æstate quando est maior caliditas, & frigus violentius nubem intrat, impetuosius descendit imber; & similiter grando, quia generatur ex frigore violento per antiperistasim caloris circumdantis descendit impetuosè. Deseruit etiam ad huiusmodi impetum vis ventorum, quia impulsæ exhalationes eadem vi secum deferūt aquam, sicut in magnis tempestatibus videmus. E contra verò quia quando generatur nix, nō est caliditas circumstans, ratione cuius violentè frigus comprimat nubem, sed liberè in eam ingreditur, & congelat, inde est quod sine impetu descendit, nisi ab aliquo vento nimis impellatur, quando verò nubes est remisse calida, ita quod nō multum resistit frigori comprimēti, sed facile penetrat partes nubis, blande quoque compressa nubes à tali frigore paulatim decidit, ac sine strepitu. Ex quibus patet, quod ad pluuiam generandam, vapores debent esse calidi; & ita calidiores venti, vt australes solent pluuiam generare.

Quæres tertio: An naturaliter sit possibilis, talis aquarum inundatio, quod vniuersale diluuium possit efficere? Fuisse præter vniuersalem cataclismum inundationes alias, partim ex pluuiis, partim ex maris eruptione constat ex scriptoribus historicis; & vnam extitisse ante vniuersale diluuium tempore Enos, quæ tertiam terræ partem perdidit refert Genebrandi Chronographia, & plures alias referunt S. August. 18. de Ciuitate cap. 8. & 10. & S. Isidor. lib. 14. originum cap. 22. *Respond.* tamen non posse naturaliter tantam fieri inundationem aquarum, vt vniuersale inducat diluuium. *Ratio est*, quia dispositio naturalis totius vniuersi non ordinatur ad eius destructionem, aut ad destructionem ordinis vniuersi, qui ex elementorum dispositione constat, quare nec facultas in natura, vt totam terram aquis perdat, & eius compositionem & ordinem dissoluat, & ideo Deus in cœlesti corpore tot astra, quorum virtutes, & effectus sibi aduersantur protulit, ne si omnia ad eundem effectum conspirarēt, totius huius inferioris mundi ordinem dissiparent. Fuit ergo vniuersale diluuium speciale diuinæ potestatis opus, sic agentia naturalia disponentis, vt vltra suam naturalem potentiam in mortales omnes desæuiret.

Quæres quartò: Quæ sit causa aliquarum pluuiarum, quæ præter vsitatum cursum extraordinariæ, & prodigiosæ sunt, vt quod pluat sanguine, lacte, ranis, pisciculis, aliquando decidat ferrum, & lapides. *Respond.* res istas ordinari ex dispositione diuina ad inducendum hominibus terrorem. Potest tamen aliquarum reddi naturalis causa; sanguine enim, & lacte aliquando pluit, non quia veram formam sanguinis, & lactis habeant hæ pluuiæ, sed colorem solum, & apparentiam, quod contingit vel ex eò, quòd ex locis cruento humore madidis Sol vapores eleuat, qui colorem illum retinent, sicque pluuiam illo inficiunt, vel quia ex forti aliqua decoctione ab igne, seu calore intra nubem incluso, vapores habentes admixtas partes fumosas, qua facile colorem recipiunt, in ruborem permutantur, aut in candorem, ex eo quod humidiores partes resoluuntur, & manent clariores, sicut nix, quæ aliquod concretionis terrestris habet etiam candorē recipit. Ranę autem, aut pisciculi, videntur aliquando decidere, aut quia ab aliquo violento turbine eleuantur, & postea decidentes pluere illis videtur, aut quia intra humidum, & calidum nubis tale temperamentum aliquando concurrit, sicut in paludibus ad generanda huiusmodi animalia, præsertim quando viscosus humor, ex quo communiter in aqua generantur includitur in nube.

De præsagiis autem temporum, & signis pluuiæ videri potest Plinius lib. 18. naturalis historiæ cap. 3. Iabelus tract. 3. Metheor. cap. 2. Conimb. tract. 7. c. 3. vbi late de huiusmodi signis agunt, nos breuitatis causa, quia res est non multi momenti, omittimus,

---

Capvt II.

De Niue, & Grandine.

NIX generatur è nube, quæ ab excellenti frigore congelatur & ideo nix siccior est, quam pluuiæ quia frigus dum congelat, & constringit, humorem expellit. Contingit autem sic: Quando nubes habens plures partes aëreas admixtas per aërem spargitur; frigus excellens, quod tunc viget, ingreditur partes illas nubis, & cum resolui debeāt partes eius in aquam, ab excellenti illo frigore cōgelantur, & duriores aqua efficiuntur. Quare verò non omnino rigescant, sicut aqua gelata, statim dicemus. Causa ergo efficiens niuis est frigiditas excellens sparsa per nubem, non admodum obscurā, sed claram, congelans, & adunans partes nubis, quando debent resolui. Generatur autem nix in media aëris regione, vbi frigus maius est, & in illis regionibus, quæ non multum incalescunt radiis solis, vnde in montibus altissimis perpetuo nix conseruatur, & gignitur ob excellentem algorem talium regionum; & quia illuc non peruenit radiorū solis reflexio ferè nunquam æstatem sentiunt, & similiter in partibus septentrionalibus, vbi obliquè solis radiis feriunt, perpetuò ferè generantur niues.

Nix est candida & mollis. Causa candoris eius est multiplex. Primò quidem, quia propter claritatem nubis è qua generatur, multum participat de luce, quæ principium est candoris in corpore terminato, quod coloris est susceptiuū, sicut aqua quæ diaphana est, si terminetur & solidetur per gelu, redditur alba. Secundò propter partes aëreas, quibus abundat nix, tales enim spumam generant, vnde & Aristot. 2. de generatione animalium cap. 2. niuem spumam appellat, spuma autem de se alba est, & si adiungatur ei excellēs frigus, intensior candor generatur, quia frigus candoris parens est, vt in hominibus septentrionalibus videmus, & quando laxior est spuma, tanto albior apparet nix. Dicitur tamen nix vetustate rubescere, vt in 5. de histor. animal. cap. 19. refert Arist. quia partes aëreæ, tempore consumuntur, redditurque illa mixtura qualitatum, quæ ruborem referat. Causa autem quarè nix sit mollis, est quia calidum vaporis in nube non

simul

ſimul expellitur à frigore, ſed ſucceſſiuè, & ideo non permittitur omnino rigeſcere calido repugnãte, & ſic remanet aqua addenſata, ſed non omninò rigida ſicut gelu, ſed mollior. Item etiam, quia intrant nubem vapores illi, qui non habent admixtũ multum de terreſtri concretione, & ſic vapor ille eſt nimium ſubtilis; vt autem geletur, & indureſcat aqua, debet eſſe craſſa, & terreſtres habens concretiones, quo enim ſubtilior minus dura efficitur, vnde vapor ille, qui nimium eſt ſubtilis, non maiorem duritiem admittere poteſt, quam illa, quæ in nube videtur, vnde non dureſcit, quia non eſt capax tantæ congelationis, ſicut ſi eſſet aqua craſſa, pruina autem magis dureſcit, quia habet plus craſſitudinis, & terreſtris concretionis.

Grando autem generatur, quando aqua pluuia congelatur, antequam ad terram perueniat, vt auctor eſt Ariſt. lib. 1. Metheoror. c. 12. lect. 15. apud D. Thom. vndè materia grandinis eſt imber, ſeu aqua nubis calida reſoluta; proximum efficiẽs eſt, aut frigus circumſtantis aëris per antiperiſtaſim eius calorem expellens, & congelans. Fit autem hoc modo, quando nubes calidi vaporis reſoluitur in aquã, contingit aliquando, vt reſolutio iſta fiat propter calidum congregans frigidum naturale vaporis peruenientis ad ſecundam regionem, & facit ipſum in aquam conuerti, tantò vehementius, quantò fortius à calido circumſtante frigidum congregatur. Vndè & tunc oriuntur maiores guttæ in pluuia, quia fortior congregatio frigidi plus materiæ conuertit in aquam; quando autem magis, ac magis includitur frigidum, & circumdatur à calido, non ſolùm facit reſolui aquam, ſed etiam ipſam congelat, & fit grando. Quod autem poſſit ſine multa mora congelare aquam ex eo eſt, vt dicit Philoſophus, quia vehementia frigoris à circumdante, & congregante calore tanta eſt, quod minori tempore congelat, quam motus localis aquæ fiat, ſicut in hyeme ſolet aliquando tantum vigere frigus, quod decidentes guttæ, prius congelantur, quàm in terram cadant, quod ergo facit rigor frigoris in hyeme toto aëre ſparſus, facit parum frigus vaporis à circumdãte calore congregatus, & incluſus per antiperiſtaſim, & ideò quantò propinquius ad nos grando generatur, tanto durior eſt, & magis congelata, quia conſtipatur frigus à calore prope nos exiſtente qui maior eſt. Deſeruit autem ad citius congelandam aquam, etiam ipſius vaporis calor, quia aqua calida citius congelatur, quàm frigida, quia cum rarior ſit ea, quæ eſt calida, minus reſiſtit contrario, & citius ab eo vincitur. Generatur autem grando, & in ſecunda aëris regione, & in infima; in ſecunda quidem aëris regione, aut quia omnia rigeſcunt gelu, ſi grando generetur in hyeme, aut quia circumſtante calore noſtro conſtipatur frigidum nubis, & non ſolum reſoluitur, ſed vſque ad congelationem induratur à frigido aquã reſoluta. In infima autem fit, quando à calido vnitur frigiditas aquæ deſcendentis, quia licet aqua illa calidi vaporis ſit, natiuam tamen habet frigiditatem, & comparatione noſtri caloris frigida, quæ proindè vnita à maiore calore vſque ad congelationem intenditur. Et ſignum, quod generatur aliquando in infima regione eſt, quia ſecum grãdo defert paleas, aut aliud quidpiam, quod prope terram volitat. Quando autem congelatio hæc, quæ accidit circa aquam, accidit circa niuem, quæ in minuta granata à frigore condenſatur, dicitur granedula. Contingit autem gra do, omni anni tempore, præſertim tamen in autumno, aut verè, quia tunc præſertim eleuatur vapor calidus, qui tamẽ nõ conſumitur, ſicut in æſtate, poteſtque ex illo generari grando; in hyeme vero ob rigorẽ, non ita eleuãtur vapores calidi.

CAPVT III.

De Nebula & Glacie.

SIcut in nutritione viuentium, accidit, quòd ex alimento pars conuertitur in ſubſtantiam aliti, ſcilicet quod magis depuratur, & defœcatur à calore naturali, pars vero in excrementa tanquam inutilis reiicitur: Sic in vapore nubis quædam partes ſunt craſſiores & humidiores, quæ in aquam conuertuntur, quædam flatuoſæ, quæ in ventos, quædã ſubtiles, & minus ad conuerſionem aquæ idoneæ & à frigore noctis paululum addenſatæ deſcendũt vſque ad nos, & tales ſunt de facile in aërem conuertibilis, vocanturque nebula ſeu caligo. Itaque partes illę nubium, quæ deberent in aërem conuerti ob ſubtilitatem, & carentiam humiditatis, addenſatæ à frigore noctis, & ad nos deſcendentes nebula eſt, & ideo aſcendente ſole facile diſſipantur, ſoletque ſignum eſſe ſerenitatis, quia ſcilicet non ſunt nubes, vt in aquam conuerti poſſint, ſed infœcundæ, & tanquam reliquiæ nubium, vt Philoſophus dicit. Contingit autem aliquando vt nebula ingroſſetur à vaporibus ex aqua, ſeu lacu aliquo, aut terra humida aſcendentibus, & tunc tterum vapor ille eleuatur à ſole, fitque nubes, quæ in aquã ſoluitur. Ex hoc autem conſtat, quòd nebula leuior eſt quam nubes, quia facilius à ſole diſſipatur, & quia humore caret, à quo prægrauatur vapor, licet ob frigus addenſans deſcendat, non tamen ideò fit grauior licet ei cauſa aſcendendi deficiat, quæ eſt calor, quem quia nubes craſſiores plus retinent, non deſcendunt.

Glacies eſt aqua congelata. Ad congelationem autem aquæ licet requiratur tanquam efficiens cauſa excellentia frigoris, tamen ex parte materiæ requiritur, quòd aqua admixtum habeat aliquid de concretione terreſtri, quæ ad indurationem, & concretionem maximè iuuat. Etenim ſolum frigus non ſufficit aquam congelare, alias aqua cum ex natura ſua poſtulet ſummum frigus, vt diximus quæſt. 11. de Generat. ex ſua natura poſtularet congelationẽ, & ſic non eſſet fluida naturaliter, quod eſt falſum. Quare aqua gelata non eſt aqua omnino pura, ſed terrena concretione admixta; quod idem in grandine & niue accidit, quæ congelantur ob admixtam terreſtrem concretionem, & exhalationem cum vapore, vnde & aliquid caloris comitatur aquam gelidam, quantum concretio terreſtris admittit. *Si quæras*, vtrum mare poſſit congelari? *Aliqui negant*, præſertim ob calidas exhalationes, quibus mare abundat propter ſalſedinem ſuam, & ita dicunt, quòd licet videatur ſuperficies æquoris conſtringi, tamen eam aquam non eſſe maris, ſed fluminum, & paludum quæ in mare intrant, & quia leuiores ſunt in ſuperficie enatant, & tales gelantur. Nihilominus hac de re nulla poteſt eſſe dubitatio, cum ex noſtri temporis nauigationibus conſtet circa arcticum polum ad octuageſimum gradum, aut circiter mare Septentrionale, adeò gelu indurari, vt innauigabile reddatur. Narrat id etiam de mare Scythico Pomponius Mella lib. 3. de ſitu orbis; de

mari

mari Gothico Olaus magnus lib. 11. de rebus septentrionalib. cap. 3. Herodotus idem contigisse scribit in Bosphoro Diu. Thom. in illud Iob 38. *Superficies abyssi constringitur* inquit, mare iuxta superficiem congelari, non tamen in profundo, quia illuc vis frigoris non pertingit.

Capvt IV.

De Rore, Pruina, Melle, & Manna.

Eadem est materia Roris, & Pruinæ, scilicet vapor exiguus, & subtilis: in causa efficienti partim conueniunt, partim differunt; conueniunt, quia vtriusque efficiens est frigiditas noctis, sed vnius, scilicet Roris est frigiditas, quæ solum vaporem illum subtilem addensat in aquæ guttulas; alterius scilicet pruinæ est frigiditas intensa non solum in aquam addensans vaporem, sed indurans, & congelans, vndè & pruina durior est niue; ex quo fit, quòd ros est temperatè calidus, & frigidus, quia generatur ex modica frigiditate, quæ non omnino excludit calorem. Pruina autem est omninò frigida, vtpotè frigore intenso generata, ideò solet pruina gigni stante Borea, qui frigidus est. Ros autem fit serena nocte, quæ si nebulosa sit, & turbulenta exiguum, ac subtilem vaporem dissipat; nec in guttulas finit addensari, & sic ros est signum serenitatis.

Si autem quæras, quo in loco generentur ros, & pruina. *Respondetur*, Diuersas circa hoc esse opiniones; videtur tamen probabilius, quòd generetur ros infra secundam regionem aëris, seu in superior parte infimæ, aut circa illam, vt tenet Commentator 1. lib. Metheoror. cap. 4. quia ibi est debitum temperamentum ex calido, & frigido, tum ex frigore noctis, tum ex propinquatione ad secundam regionem, aliàs si in ipsa secunda regione generaretur, nimis condensaretur ille vapor, ab immodica frigiditate secundæ regionis, per quam caderet ros si per cacumina montium, in quibus tamen etiamsi altissimi non sint, non inuenitur. Ac denique quia si generaretur in suprema parte secundæ regionis, vt dicit Albert. quia ibi est temperamentum calidi, ac frigidi, cur non etiam suprema pars infimæ regionis erit locus per se roris? Quia idem habet temperamentum ex appropinquatione ad secundam regionem, & nostram, ne ponamus locum roris superiorem esse loco pluuiæ. Cur autem in montium cacuminibus ros non decidat, causa est, quia vapor roris est admodum exiguus & subtilis, quia ex locis humidis exhalatur, nec ita altè ascendit. Tum, quia summitates montium ventis perflantur, qui concretionem roris impediunt. Pruina autem generatur in infima aëris regione, quando intensum frigus in ea viget, ibi enim condensatur aqua, & guttula eius congelantur, præsertim concurrente influxu alicuius Planetæ frigidi, & sicci, qualis est Saturnus. Pruina ordinariè fit in principio hyemis, tunc enim albescunt campi, & tecta domorum pruina, propter intensionem frigoris congelantis vaporem tenuem; rigente verò hyeme non permittitur vapor ille ascendere, & ideò non fit pruina.

Mel generatur ex vapore subtili, sicut ros, sed vlterius habet ille vapor admixtas aliquas partes terrestres, subtiles, & humidum etiam aëreum, vnde ex commixtione talium partium, quando humidum non multum dissoluitur, sed caliditate aëris digeritur ac decoquitur fit succus, seu ros dulcis, qui nocte frigoris pinguescens adhæret floribus ac foliis, vnde ab apibus colligitur, & in aluearia defertur. Nec enim apes mel efficiunt licet perficiant, ac magis decoquant, sed colligunt ex herbis & floribus. Vndè videmus, quòd cellulæ earum vno, aut altero die repletę inueniuntur, quod non esset, si ab eis deberet fieri, & ex earum alimento generari, & etiam in autumno seu hyeme non reparant mel sibi detractum, licet aliqui flores, & herbiculæ suppetant illo tempore, quia tunc non generatur mellis ros; vnde inquit Aristotel. libr. 5. de historia animalium, cap. 22. quod apes fauos construunt è floribus, ceram ex arborum lachryma effingunt, mel ex aëris rore colligunt. Et sane in aliquibus floribus, præsertim antelucano tempore succum prædulcem inueniri, experientia testatur his, qui flores intentos sugunt, ac dulcem eliciunt succum.

De melle siluestri, quale Diu. Baptistam comedisse refertur in Euangelio, quidam existimant probabilius esse mel montanum à siluestribus apibus confectum, quod summè amarum est, vocaturque à Plinio libr. prim. cap. decim. sext. ericeum, quia ex erica eligitur ab apibus, ex qua iniucundum contrahit saporem, sicut etiam in Sardinia mel amarum gignitur, quia ex absynthio ab apibus colligitur. Tenet illam sententiam Ysidorus Pelusio. libr. prim. Epistol. quint. & Epistol. 132. Chrysostomus & Theophilact. qui dicunt agrestibus apibus fieri illud mel.

Similem generationem, quam mel, habet manna, nisi quòd manna humidum aqueum, seu vapor valde decoquitur, & terræ partes manent cum exigua humiditate, & ex tali maiore decoctione fit liquor candidus, sicut etiam mel candidum, ob maiorem humidi decoctionem generatur. Manna autem in ramis, herbis, & lapidibus aspergitur, indéque in medicinæ vsus asportatur. Nec putandum manna Hebræorum specie distinctum fuisse ab isto vulgari, nisi quòd eius generatio altioribus causis perficiebatur, vt tamdiu duraret, & talibus temporibus colligeretur, fortè Angelis sic materiam disponentibus, ministrantibus, ac pluribus perfectionibus, & qualitatibus illud secundum Dei ordinationem immutationibus, vndè & Angelorum panis dictus est. Sed tamen hæc specificatam distinctionem non efficiunt, sed accidentalem, sicut vinum, quod Christus ex aqua conuertit, non differebat specie à vulgari vino, licèt multò esset excellentius. Vnde & in modum pruinæ cecidisse manna super terram Scriptura refert c.16 Exodi.

* *
*

TRACTATVS

TRACTATVS VII.

De Mari, eiúsque motu & salsedine.

CAPVT I.

De situ Maris.

SVpponendum est, quod licet varia ab Historiis Maria numerentur, omnia tamen ex Oceano, qui est ipsum elementum aquæ vastissimum, omnem terram circumdans, ortum habent, vel manifestè vel occultè; nam mare Balthicum circa Daniam ex Oceano influit, Mare Mediterraneum per fretum Gaditanum ex Oceano incipiẽs vsque ad Palæstinam terminatur. Ex mediterraneo verò primo per Proponsidem, Ægeúmque mare, deinde per Bosphorum circa Constantinopolim emergit mare, seu Pontus Euxinus, cuius vltima pars paludem Mæotim claudit. Mare Rubrum circa Æthiopiam, & extremas Africæ oras versus orientem, ex Oceano circa oppidum Aden incipit, inde per 350. leucas inter Ægyptum penetrãs prope Palæstinam desinit. De nomine Rubri maris an à calore dicatur, an ab Erithra Rege, qui interpretatur Rubrus, decertant Scriptores; & multi eiusdem esse coloris cum cæteris affirmant. Felicius ex nostrorum nauigationibus compertum est, quod aquæ illius ob arenarũ ruborem, & coraliorum, quibus scatet, abundantiã rubrũ referunt colorem, licèt è mari extracta aqua perlucida sit, sicut cæteræ, quod ex Ioanne Barrio decade 2. lib. 8. c. 1. Conimb. referunt hic tr. 8. c. 2. Mare Persicum ostium habet in Oceano Indico, indéque Persidis partem alluit, in eóque Tigris, & Euphates influunt, & hæc sunt maria, quæ apertè ex Oceano oriuntur. Præter hæc verò numeratur adhuc mare Caspium circa Armeniam, quod occultis viis ex Oceano creditur oriri, vndique tamen montibus cingitur, & magis lacus multorum fluuiorum in cursu stagnans, quam mare nominari posset. Igitur circa Oceanum, qui aquarum omnium parens est *notandum est*: Quòd eius congregatio in vastissimo illo loco, quo iacet, tertia die creationis mundi facta est, cum Deus dixit Genes. 1. *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in vnum, & appareat arida*, quantum enim est de se aqua petit terram operire, sicque operiebat in principio; ad vsum autem hominum Diuinâ prouidentiâ factum est, vt terra appareret, aquæ verò elementum in vnum locum congregaretur; quæ congregatio mare, seu Oceanus dicitur. Ille verò locus, seu hiatus, & intercapedo, in qua interfusa est huiusmodi aquarum vastitas, abyssus dicitur propter profunditatem suam immensã; quę tamen non vbique ęqualis vbique est, sed mõtes, ac rupes, campósque sub aquis illis esse certum est, insulæ enim maris non aliud sunt, quam excelsi montes è maris profundo emergentes, & similiter vadosa loca, aut rupes ad superficiem maris, aut non longè à superficie ascendentes, terra est è profundo maris eleuata vsque ad superficiem.

An verò ex hac aquarum congregatione mare in tumorem eleuatũ sit, ita vt terra sit altius, dubiũ est apud Philosophos & Theologos; & difficultas non est in aqua, quam prope littus videmus, sed de ea, quæ longius à terra protenditur, an ita in tumorem, seu in maiorem altitudinem eleuetur, vt maneat ibi mare terra altius. Nam D. Tho. 1. p. q. 69. a. 1. ad 2. censet probabilius esse, quòd mare terrâ sit altius, quod experimento compertum esse in mari Rubro affert ex D. Basil. homil. 4. in Hexameron ante medium, qui eandeem tenet sententiam. Alij verò plurimi Authores oppositum tenent in eámque sententiam adducunt Sanct. Hieronym. in illud Psalm. 32. *congregans sicut in vtre aquas maris*. Et Diu. Augustin. 135. aliosque Patres. Sane, quod Diu. Thom. & Diu. Basil. non loquuntur de mari comparato ad altissimos montes terræ, illud argumento est, quod D. Basil. de mari Rubro loquitur respectu terræ Ægypti, quæ montosa non est, sed planior, & mari depressior: cuius simile in Zelandiæ littore nos ipsi vidimus, vbi ad oculum mare terrâ ipsâ altius est. Ipsæ etiam insulæ, quæ montes quidam sunt in medio mari ostendunt tumorem aquæ non vincere altitudine supremos montes; habere tamen tumorem aliquem mare, ita quòd terrâ altius sit, negandum non videtur, quia tanta aquarum immensitas, quæ totam operiebat terram in vnum locum congregari non posset, & manere depressior terra nisi consumpta multa aquarum copia, quæ tamen potius crescit ex fluminum in mare influxu, & generatione aquæ, præsertim circa septentrionem. Quare ex tali aggregatione aquarum in tumorem aliquem, excrescere debuit mare, quo terram superuincat, licèt non altissimos terræ mõtes. Adde, quod locus ille, in quo congregatæ sunt aquæ, nec tantus, nec tam profundus esse, videtur, vt absque tumore profunditatem aquarum, quæ totam terram operiebat potuerit excipere, sicut patet in diluuio, in quo non obstante tota profunditate, in qua continetur, nihilominus terram operuit. Et quòd faciat vnam sphæram cum terra, non obstat eius elationi, nam etiam montes faciunt vnã sphæram cum terra, quia totum hoc respectu cœli, cuius centrum sunt, quasi nihil reputatur. *Nec valet dicere*, quod si mare est altius terra, tunc æquali vento flante citius naues portum peterent, quam ab eo discederẽt, cum è portu ascenderẽt, ad portum vero tendentes descenderent. *Hoc inquam non valet*, nam mare non ita sensibiliter à terra eleuatur vt circa portum possit deprehendi illa maior celeritas. Præsertim quia fluxu, & refluxu circa portus existente, impeditur ille maior ascensus, aut descensus; sed existimandum est, quod mare secundum se eleuatius est terrâ, præsertim, vbi multum à terra distat, quæ tamen eleuatio propè terram non sentitur, eo quod ibi modicè, & ferè insensibiliter supra terram videatur eleuari, præsertim propter æstus fluxum, & refluxum quotidianum, qui eleuationem istam, aut deprimit, aut æquat, aut extollit. Quòd verò dicunt aliqui citius vnâ horâ oriri, & occidere Solem in Hispania existentibus, quã quindecim gradus vltra Hispaniam versus nouum orbem præcedentibus, quod non esset, nisi mare esset altius terrâ nostrâ. Hoc nihil est, quia quòd Sol nobis citius hic oriatur, quàm ibi, causa est distantia loci, qui à Sole tam cito illuminari ibi non potest

potest ſicut hic, nam etiamſi vltra illos quindecim gradus ponerentur altiſſimæ inſulæ, tardius ibi orietur Sol, & tamen altiores eſſent noſtrâ terra, quia eſſent montes altiſſimi, ergo illa ratio eſt nulla. Sed de his latius agemus Deo dante ad 1. part. D.Thom. in 2. tomo agentes de opere ſex dierum.

CAPVT II.

De motibus maris.

PRæter deſcenſum, qui aquæ competit ex naturali grauitate, & motum, qui à ventis mari imprimitur, aliqui motus in mari videntur, qui occultiſſimas habent cauſas; deprehẽditur enim Oceanũ moueri ab Oriente in Occidentẽ, qui enim ex Hiſpania in nouũ orbem traiiciunt, intra menſem plus minus curſũ conficiunt, quando vero reuertũtur ex America in Hiſpaniam, trium, aut quatuor mẽſium ſpatium conſumant obtinente in contrarium aquæ motu. Eundem motum inueniri in Mediterraneo, eodem ſigno deprehenſum eſt, cum tardius ex Hiſpania in Palæſtinam quàm è contra curſus fiat. Huiuſmodi motum occulto ſiderum, & cœli influxui tribuendum, præſertim diurno ſolis, aut lunæ motui, qui à primo mobili rapiuntur, probabilius cenſetur. Alius motus, qui in Oceano aduertitur, eſt à ſeptentrione ad Auſtrum, qui magis circa ſeptentrionem notatur. Et videtur Ariſtotel. lib. 2. Metheoror capit. 1. lection. 1. *apud Diuum Thomam circa finem*, huiuſmodi motus cauſam reducere in altitudinem partis ſeptentrionalis reſpectu Auſtralis, à qua proinde neceſſe eſt aquas defluere. Albertus lib. 2. Metheoror. tractat. 3. capit. 6. addit multum aquæ generari circa ſeptentrionem propter loci frigiditatem, & ſolis abſentiam, & propterea ad Auſtrum decurrere. Sed hęc cauſa licèt in mari Mediterraneo verſus ſeptentrionalem eius partem, quæ eſt Pontus Euxinus, locum habere videatur non tamen in Oceano, quia ex parte poli Auſtralis, ſeu Antarctici vehementius frigus vigeat, quam in ſeptentrionali, & ita deberet etiam multum aquæ ibi generari, fierique motum ab Auſtro ad ſeptentrionalem. *Probabilior ergo eſt prima Ariſt. cauſa.* quia terrâ declinius eſſe videtur à ſeptentrione ad Auſtrum, ideóque ex ea parte aquæ fluunt, licèt multum ex his motibus cœleſtium preſſioni tribuendum ſit. Omitto alios motus, qui in Oceano notantur, non generales, ſed ex variis finibus, & concurſum aquarum in modum vorticis confluentium, vt in ſinu Mexicano, & in Oceano Æthiopico, & promontorio bonæ ſpei, aliiſque locis, vbi aquæ reflexionem accipiunt ex ſinuoſa gyratione circa terram, indéque maiori impetu fluunt.

Principalis, ac notabilior magiſque mirabilis maris motus eſt quotidianus æſtus, ſeu fluxus, ac refluxus, quo per ſex horas fluit, & à littore recedit, tamen æſtus non eodem modo in omnibus maris tactibus inuenitur. Nam in medio mari, non deprehenditur, ſed circa littora, & in his variè, nam in aliquibus partibus vix ſentitur æſtus, vt in aliquibus locis maris mediterranei, vt apud Barchinonem, & Narbonam, & in mari Thyrreno, ob quam cauſam aliqui putant in mari mediterraneo æſtum non eſſe, cum tamen in aliis eius locis ſentiatur. In Oceano Hiſpanico, Gallico, Belgico, & communiter circa alias partes, ſex horis fluit, ſex refluit; circa aliquas tamen Galliæ partes, vt circa Aquitaniam ſeptem fluit, & quinque refluit. In aliquibus Africæ locis fluit quatuor horis, refluit octo. Inter cætera mirabilis eſt maris æſtus in littoro Cambayæ in faucibus Indi fluuij, vbi duabus horis mare triginta leucas inundat, duabus iterum tantum ſpatij detegit, & ita tanta rapiditate agitur, vt homines cymbali ſonitu ad moueantur, ne incauti rapiantur ab æſtu. Deniquè in Eurypo, quod eſt anguſtum illud mare inter Eubœam inſulam, & Aulidem, ſepties in vigintiquatuor horis fluit, & refluit mare.

Generalis cauſa huius motus marini relictis variis Philoſophorum opinionibus, lunæ attribuendus eſt, ſecundum quod diuerſimodè à ſole aſpicitur, diuerſoſque in mari motus cauſat. Hanc opinionem perpetuo ſequitur D.Thom. vt opuſculo 34. de occultis naturæ operibus, in quæſtione 22. de veritate a. 13, & præcipui Antiquorũ Philoſophorum, vt Auerto, Albumezar, Cicero, & ex modernis omnes. Huic ſententiæ atteſtatur experientia, quia ad lunæ mutationem videmus mutationem æſtus marini fieri, vt in plenilunio, magni, & feruentes æſtus exiſtunt, decreſcente verò luna mitiores. Item variatur æſtus quater in die communiter, & ordinariè (aliquibus locis ſupra relatis exceptis) ſecundùm motum lunæ diurnum, qui in quatuor partes diuiditur; ac denique, quia luna inter omnes planetas humidis corporibus denominatur, ſicque peculiarem influxum, & impreſſionem in mare habet. Sed qua virtute id faciat luna, dubium eſt, an ſcilicet attrahendo, ſeu eleuando aquam ad modum magnetis trahentis ferrum, & rurſum deponentis, an verò rarefaciendo aquas maris, & condenſando, an denique ſolum diuerſo luminis aſpectu. Sanè quilibet dicendi modus ſuos habet Authores, nullus tamen plenè ſatisfacit, nam quod fiat attractione, non eſt cauſa ſufficiens, quia etſi vis eleuatiua aquæ, & vaporum, aſtris conueniat, tamen quod non ſolum eleuet, & attrahat, ſed etiam deponat, & deprimat, non ita facile apparet, præterquam quod reſtat aſſignare, cur non omnibus aquis etiam paludum, & fluuiorum non imprimatur iſta attractio, & denique, quia motus ille non eſt eleuatio aquæ ſurſum, ſed in latera agitatio. Quòd etiam per rarefactionem, & condenſationem non fiat, manifeſtum eſt, cum eodem modo craſſa ſit aqua influxu, atque refluxu. Nec denique ex ſolo diuerſo aſpectu luminis, nam luna non exiſtente in Orizonte, aut quando omnino eſt lumine priuata ex noſtra parte, vt in nouilunio, æſtus non ceſſant, & luna non illuminat. Quare referendum eſt hoc ad impreſſionem aliquam non per modum attrahentis, ſicut in magnete, ſed per modum mouentis huc, aut illuc aquas, ſicut etiam motus ventorum fit non per ſolam eleuationem exhalationum, ſed etiam per motum in obliquum, quæ vis imprimens motum hunc, nobis penitus non eſt explorata, ſicut multarũ rerũ cauſas manifeſte nõ agnoſcimus.

Sed reſtat tunc aſſignare cauſam diuerſitatis marini æſtus, vt quod in vna parte concitatior ſit, in alia mitior, & cur non omnibus aquis extra mare imprimat luna hunc motum; cur etiam in aliquibus puteis æſtus reciprocatio ſentiatur? *Ad hoc Reſpond.* huius diuerſitatis rationem prouenire partim ex ipſo ſitu regionis, aut littoris, partim ex materia, quæ apta non eſt ad impreſſionem illam lunæ, videmus enim virtutibus iſtis occultis certam quandam materiam correſpondere, in quam agere poſſint

possint, & in alias non possunt, magnes enim potest attrahere ferrum, non lapidem, & Remora detinere potest nauim; non verò alium piscem; sic luna, quæ occulta quadam vi maximam aquam impellit, non potest alias aquas sic mouere; & similiter variè temperari potest impressio ista lunæ ex materiæ diuersitate, regionum situ, & aliorum astrorum influxu; sicut sol, licet eandem semper virtutem habeat, vapores eleuandi, & gignendi, non tamen in omnibus regionibus generat, nec pari modo vbique; sic licet luna eandem semper virtutem habeat mouendi aquam, non tamen primo modo omnis aqua mouetur, & ideo in diuersis locis videmus diuersimodè fieri æstus marinos, vel propter locorum situm, aut littorum altitudinem, vel depressionem, aut (quod fortè in multis accidit locis) propter obices, & tortuosas aliquas vias intra ipsum mare inclusas, quibus retardatur aqua in ascensu, vel descensu; Ac denique propter regionis illius qualitatem, aut siderum influxum. Et eadem ratio est, cur in aliquibus locis vix sentiatur æstus marinus, quia languidè motum, & impressionem lunæ suscipiunt, ob aliquam ex prædictis causis, in aliquibus verò concitatior multo est impetus, quam in aliis. Similiter putei aliqui marini æstus reciprocationem excipiunt, quia per occultas aliquas vias, aut criptas, maris recipiunt motum plus, aut minus, tardius, aut citius, prout viæ illæ expeditæ sunt, scilicet aut rectæ aut flexuosæ.

CAPVT III.

De salsedine maris.

SAlsedo ex aquæ saporibus vnus est, prouenitque, vt Philosoph. dicit 2. Metheorotum capit. 3. lection 6. apud Diu Thom. ex admixtione alicuius sicci terrestris, & adusti cum humido, hac enim ratione sudor, vrina, cinis, & quod ex eo fit lixiuium amara sunt, quia indigesta, & adusta, cum ergo salsedinem hanc in mari experiamur, necesse est causam reddere vnde salsedinem illam obtinet. Relictis autem Philosophorum opinionibus, qui partim fabulosas, partim non veras de huiusmodi salsedine causas afferunt Aristotel. & communiter Philosophi huiusmodi salsedinis causam assignant, multitudinem exhalationum siccarum, quæ non sunt omnino decoctæ, sed adustæ, & cum per mare sint dispersæ, salsedinem ipsi inurunt. Quòd enim ab huiusmodi sicco adusto non decocto salsedo proxime causetur, diximus experimento sudoris, & aquæ liquatæ per cineres, seu lixiuij, & aliorum. Quòd verò mare huiusmodi exhalationibus sit respersum, experientia videtur demonstrare. Tùm quia aqua marina calefacit, & exsiccat, vt Medici dicunt, & idcirco ignem, si magnus sit non extinguit, eademque de causa loca maritima calidiora sunt: Tùm etiam quia aqua maris, nimis crassa est, vnde magis leuat pondera, quam aqua dulcis, hæc autem crassities ex multitudine exhalationum ei admixtarum prouenit, quæ humectatæ ipsam veluti coagulant, & grauem efficiunt: Tùm denique, quia aqua marina eliquata per terram, aut arenam, vel Solis vi in vaporem eleuata, fit dulcis, quia secernuntur exhalationes illæ adustæ, & terrestres.

Hæc autem licet vera sint semper, *tamen restat dubium*; à qua causa tanta siccarum exhalationum copia generetur, vt totum mare salsum reddat, nam quod soli adurenti tribuatur huiusmodi eleuatio exhalationum, quia scilicet è fundo maris, vt dicunt aliqui eleuantur vapores crassi, & terrestres, qui vltra superficiem aquæ transire non possunt, ideo per illam dispergantur, faciuntque salsedinem, non videtur sufficiens. *Primò*, quia calor solis non potest ita penetrare vsque ad fundum maris, vt inde vapores eleuet, & dato, quod possit, si per medium ita crassum è fundo maris vsque ad superficiem illos eleuat, cur non poterit etiam eleuare illos vltra superficiem, vbi amplior solis calor viget, & medium, scilicet aër minus crassum est? *Secundò*, quia vbi Sol parum calefacit ob longissimam distantiam, ita vt ferè nihil sentiantur eius radij, vt circa Polum Arcticum, vbi etiam per multos menses Sol non apparet, quomodo habet tantam vim eleuandi vapores terrestres è fundo maris, aut adurendi ipsum, vt in eo salsuginem generet. *Tertiò*, quia non plenè satisfit illi difficultati, quomodo magni fluuij, & lacus, & stagna quæ ita continuo feriuntur à Sole, sicut mare, non redduntur salsa ab eius exustione, nam quod aliqui dicunt flumina continuo fluere, & ideo non directè, & immobiliter recipere Solis ardorem, nihil est, cum aliquibus locis fluat, & refluat mare, ac moueatur maiori impetu, quam fluuij. Quod verò stagna, & paludes paruæ sint respectu maris, & ideo pauciores radios Solis excipiant, non satisfacit, quia secundum sui proportionem tot recipiunt radios, sicut mare, nam si ponamus stagnum vnius leucæ, tantum recipit de radiis Solis, quantum vna leuca maris, ergo quod sufficit ad inducendam salsedinem in vna leuca maris, cur non in vna leuca stagni?

Igitur quod in hac parte probabilius videtur est, quod sicut mare ex natura sua petit operire terram, quod autem eam discoopertam reliquerit, & in vnum locum secessit, ad Deum, tanquam ad immediatam causam referendum est, qui tertia die creationis dixit: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in vnum, & appareat arida*; Genes. 1. ita similiter aqua ex natura salsedinem non habet, neque alium saporem, quia sapor ex quatuor primarum qualitatum temperie resultat; nulli verò elemento ex natura sua conueniunt quatuor primę qualitates, & vt in quæstion. 10 libr. 1. de generat. ostendimus, & consequenter neque sapor salsus, sed iste attributus est elemento aquæ immediatè à Deo, impartiendo illi magnam exhalationum adustarum copiam, ex quibus generatur salsedo, quæ tamen maximè iuuatur ab ardore solis, ob quam causam superficies maris salsior est, quam fundum. Et etiam aliquando inuenitur mare salsius, aliquando verò minus salsum, vel ob maiorem solis ardorem augentem exhalationes adustas, vel ob regiones, & terras, quas mare decurrit, quæ sunt salsiores. Quæ causa aliquando deficiens, salsedinem remittit. Ego verò libentius huic opinioni assentior, quia non est causa creata, quæ possit totum integrum elementum immutare, & ideò qualitates peregrinæ, quæ conueniunt alicui integro elemento, in Deum referendæ sunt, vt quod mare sit congregatum in vnum locum, quod terra sit paulum à centro eleuata, & aquis discooperta, quod non sit perfectè sphærica, sed

sed montosa: omnia hæc in Deum referimus, licet inueniuntur etiam à causis naturalibus, sed non totaliter ab eis fiunt. Fuit autem prædicta salsedo mari indita tertio die creationis, quando congregatæ sũt in vnum locum, nam si antea, cum totam terram operiebat, salsum fuisset, valde nocuisset terræ salsis eam qualitatibus imbuendo, sicut post in vniuersali diluuio valde nocuit. Finis autem ob quem huiusmodi salsedo mari tributa est, fuit; tum ob generationem, & nutritionem piscium, quos constat in aqua dulci, non omnes diu posse viuere, præsertim cete illa grandia, & pisces, qui nunquam aquas dulces ingreditur; tum ob nauigationis commoditatum, quod maximum est humanæ vitæ beneficium, illi autem salsa aqua accommodatior est, vtpotè crassior, & grauior, quæ magis naues sustentat & eleuat. Tum denique, ne maris aquæ putrescerent, iugi solis ardore repercussæ, sicut stagna cõputrescunt, quamuis à vento moueantur, qui à sole diu feriuntur. Cur autem putei aliqui, aut lacus salsi inueniantur? *Ratio est*; aut quia è mari quod salsedinis parens est, per subterraneas, & occultas vias salsum liquorem excipiunt, aut quia ex terris, per quas decurrunt, quæ salsæ solent esse, salsedinem contrahunt.

TRACTATVS VIII.

De fontibus, & fluminibus.

CAPVT I.

De ortu, & origine fontium, & fluminum.

RELICTA horrida maris vastitate, vt fontium, ac fluminum amœnitatẽ quæramus, illa primum se offert quæstio, quomodo fõtes, ac flumina oriãtur, & quod sit eorum principiũ. De quo valde apud Philosophos dubitatum est, & forte vix adhuc solutum. De hoc agit Aristotel. 1. Metheoror. capit. 13. & D. Thom. lection. 16. & 17. *Quidam ergo* fontium principium referunt ad aquã pluuiarum, quæ intra quasdam cauitates terræ velut in cisterna quadam, aut lacu colligitur, indeque per saturigines fontium deriuatur in torrentes, ac fluuios, qui tanto plus aut minus durant, quanto amplior locus intra terram, aquæ multitudinem congregat, vt in multum tempus possit materiam fonti, ac fluuio ministrare. *Alij existimant* (inter quos est Aristotel. loco citato) principium fontium, ac fluminum sumi ex vaporibus, qui intra sinum terræ generantur, & concrescunt in aquam, cum enim terra multis in locis concaua sit, & plena voraginibus, necesse est tales concauitates, & hiatus aëre repleri, ne detur vacuum, deinde aer ille frigore terræ ingrossatus concrescit in vaporem, illeque in guttas, quæ collectæ aquam efficiunt, eamque subministrant fontibus, ac fluminibus, quod etiam videmus in æstate, quando partes inferiores terræ frigidæ sunt veluti resudare terram, & in guttas concrescere, quæ proinde in magnis, atque humidis partibus magnam aquarum vim generare possunt, & ideo inquit Arist. videmus in montibus crebrius emanare fontes, & oriri fluuios, quia loca montana sunt quasi spongiæ, quæ aquas hinc inde sugunt, & emittunt; & etiam figura montium maximè iuuat ad recipiendam aquarum multitudinem, & ad generandam aquam ex vaporibus in se inclusis propter maiorem vim frigoris, & humiditatis, intra concauitates suas receptam, vndè & in maximis montibus maiores fluuij, & frequenter fontium scaturigines emanant. *Alij* denique arbitrantur omnes fontes, & flumina è mari ortum ducere iuxta illud Eccles. 1. *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Sic tenent plures ex Patribus, vt Diu. Basil. homil. 4. in Hexameron D. Hieronym. *illum locum Ecclesiastæ* D. Damasc. lib. 2. fidei cap. 9. D. Isidor. lib. 3. Originum capit. 10. Idem etiam videtur tenere Diu. Thom. secund. distinction. decim. quart. quæstion. prim. articul. quint. ad quart. vbi dicit: *Quod ex impressione corporum cœlestium aqua subingreditur terram, vt fit apta ad generationem mineralium, & animalium, & exinde in locum proprium naturali motu reuertitur.* Sic ergo per subterraneas vias, & hiatus terræ ipsa etiam caliditate terræ sugente & adiuuãte impressione cœlesti aquæ maris terram subintrant, & veluti sanguis in corpore animalis ex iecore in varias venas deriuatur, sic intra terram per varias concauitates veluti per venas aquas scaturit. Nec alia videtur esse sufficiens causa, vt tot & tam ingentibus fluminibus, quæ in tota terra sunt, perpetuam subministret materiam. *Vltimo aliqui sentiunt*, quod tertia die creationis Deus è mari magnam aquarũ vim per terræ viscera, & concauitates distribuit, & in multis ac magnis terræ finibus amplissimam recondidit aquarum congeriem, vndè subministratur in materia fontibus, lacubus, & fluminibus, ex quibus tunc plures, ac magni fluuij, etiam vsque nunc durant, eruperũt, alij emersere successus temporis facta aliqua terræ mutatione, qua locus egressioni aquarum daretur; fatentur tamen hi Authores, amnes minores & torrentes licet ex ista aqua à mari deriuata ordinariè oriantur, maximè tamen conducere ad eorum generationem, aquam pluuialem & vapores, quos terra in aquam condensat. His enim causis deficientibus, & ipsi deficiunt.

Omnes istæ sentẽtiæ in aliquo veritatem attingant, licet aliquæ non plenæ. Quare in hac parte pro certo duo statuenda sunt. *Primum est*, loquendo de materiali causa fluminum, & fontium, non vnicam causam habere, sed multis iuuari, siquidem aqua intra terram multis de causis generatur, & ab omnibus à quibus generari potest, potest etiam iuuari fontium, ac fluminum subministratio. Causæ autem quibus generatur aqua intra terram, si attendamus ad materialẽ, vel est aer qui grossior effectus intra terram cogitur in vaporem, & tandem in aquam generatur, vel est ipsa aqua subministrata terræ per occultos meatus, vel à principio mundi, vel postea nouis ruptionibus, aut casibus, vel etiam terra ipsa attrahente, & sugente, ministrata.

Secundum est, quantum ad causam efficientem, eam esse vel generatiuam aquæ intra terram, vel attractiuam, & deductiuam ad loca vnde fontes oriuntur, & flumina, hæc enim proportionaliter habent correspondere causæ materiali, sicut enim materia

materia fluminũ,& fontiũ,& quædã est generata ex aëre,ex quo fit vapor & aqua,quædam est attracta ex ipso mari per occultas vias, ita oportet causam efficientem aliam esse attractiuam, aliam generatiuã & iuuari etiã poterit antiperistasi,aut alia causa per accidens compressa enim aqua fortius ascendit, vel attrahitur,& aëre ipso,qui intra terras est moto vel recedente,aqua aliquando sequitur illam,ne vacuum detur.

Hoc supposito dicimus primò. *Causa materialis propinqua fluminum & fontium est aqua à Deo inclusa intra sinus terræ, quando terram discooperuit aquis, & secundò aqua generata ex ipso aere, & humiditate intra terrã incluso. Et tertiò iuuatur ex aqua pluuiali præsertim pro fontibus & torrentibus qui ad tempus durant quia nõ sunt perennes nec magni. Primà pars negari non potest*, cum Deo specialiter in scriptura tribuatur dispositio terræ,& aquæ,taliter quod scaturiant fontes, & aquis terra abundet Psal. 103. *Qui emittis fontes in conuallibus.* Prouerb. 8. *Quando æthera firmabat sursum , & liberabat fontes aquarum.* Ecclesiast. 1. *Omnia flumina intrant in mare,& mare non redundat,ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Quod sane stare non potest , nisi mare per occultas vias aquam subministret, vt flumina perenniter fluant, vt expresè Sanct. Hieronym. interpretatur ad illum locum Ecclesiastæ , & Diu. Thom. in 2. distinct. 14. cit. aliique Patres. Hoc etiam demonstrat in tot locis intra terram inuenta aquarum vis, quæ multiplici meatu intra terram currit, naturaliter enim terra sugit aquam ob suam siccitatem, habet etiam plures specus & cauernas, quæ sicut replentur aëre, ita & aqua, quæ prohiberi non potest.vt intret à mari, si talis apertura est qua intrat aër : nec solus aër intra terram videtur sufficere ad generandam tantam vim aquæ, quantam intra viscera terræ inueniunt fossores , & erumpere ex illa videmus , & cum plus aquæ generetur in nubibus quam intra terram,quia ibi est plus aëris,nec tamẽ aqua decidens sufficit pro omnibus fontibus , & fluminibus ; cum fere tota quæ decidit terræ siccitate absorbeatur , idem ergo erit de aëre intra terram ingrossato nisi aliunde perenniter aqua subministretur. Denique in ipsis primis diebus quibus factus est mundus fit mentio quatuor fluminũ qui e paradiso oriebantur,nec tamen tota illa aquæ vis poterat ex aëre intra terram collectio iam tunc esse generata , qui a tam paucis diebus non videtur potuisse ex aëre tantam aquam generari,aliàs si id eadem proportione postea fieret , paucis diebus tum terra repleretur aquis , nec etiam poterat esse generata à pluuiis , quia tunc nondum Deus pluerat super terram,vt dicitur Genes.2.ergo alia aqua fluuiorum à mari videtur fuisse subministrata.

Quod vero iuuetur etiam fontium & fluminum origo ex aqua generata ex aëre intra terram incluso , & ex pluuiis collecta *patet* , quia reuera intra terram multus aër colligitur , vt constat , tum ex terræ motibus , vt tract. seq. dicetur, tum quia multi specus,& cauernæ intra terram inueniuntur. Aër autem intra terram inclusus præsertim in locis humidis , & ipso terræ frigore addensatur , & fit aqua,sicut quando cogitur in nubes.Ex aqua etiam pluuiali multum aquæ colligitur , qua videmus inundare fluuios , & torrentes , ergo ex istis omnibus iuuatur,præsertim,si omnes non sint magni, nam pro omnibus præsertim amplissimis fluuiis, & lacubus,quæ in tota terra sunt, hæc sola causa non sufficit cum nec sic tantus aër intra terram quantũ aquæ in fluminibus apparet , nec in omnibus locis , è quibus decurrunt fluuij æqualiter videatur disponi aër intra terram,vt conuertatur tam abunde in aquam.

Dico secundò ; *Causa efficiens fluuiorum, & fontium est in primis motus cœli mouens aquam ad mixtionem intra terram, & similiter generans vapores ex aëre humido intra eam incluso. Secundò frigus terræ cogens aërem humidium sicut cogit secunda regio aeris,& facit nubes. Tertiò ipsamet aqua è mari intrãs terram , tum aerem ipsum subterraneum , tum etiam terram conuertens in aquam.* Hæc conclusio quantũ ad duas vltimas causas negari non potest, naturaliter enim vnum elementum agit in aliud vt aqua in terram & aërem , aër etiam frigore naturaliter fit grossior,& in vapores cogitur,atque in aquam resoluitur. Ergo si istæ causæ intra terrã sunt , ex illis subsequetur similis effectus. *Prima verò* ponitur à D. Thom. loco cit. ex dist.14.in 2. sentent.in illis verbis supra relatis. *Et ratio est manifesta*, quia cœlum agit in elementa, vnum generetur ex alio,& alteri misceatur, & vt moueatur ad motum cœli, vt videmus in fluxu, & refluxu maris, & in agitatione ventorum,& generatione nubium & pluuiarum, ergo sicut hæc fiunt ex impressione cœli , ita & generatio aquæ in terra ex aëre , & motus elementi aquæ , ad subterranea terræ loca.

Dico tertiò; *Causa efficiens ascensus aquæ pro fontibus & fluminibus quæ generantur in locis sublimioribus,est primo ipse motus cœli eleuans aquas* sicut agitat aquam maris quando crescit per fluxum , & refluxum,vt supra diximus,& sicut eleuat vapores ad generandum pluuiam. *Secundò ipsa terra dispositio qua quasi spongia siccitate sua & cauernositate sugit aquas*, vndè montes quia petrosi sunt, & cauernosiores facilius in se congregant , & attrahunt aquas;quam causam ponit Arist.1.Metheoror.suprà cit. *Tertiò ipsa aqua compressio, qua aliis terræ locis quasi fistulis constringitur , & ad ascensum iuuatur*, aqua enim expressa aliquo pondere,aut intra fistulas inclusa ascendit vt videmus quotidianis experimentis per artificiosos aquæ ductus : multo ergo melius id fiet à natura intra terram , quam ab aëre.

CAPVT I.

Dubia quædam circa ortum , & decursum fluuiorum,& fontium enodantur.

PRimò inquires ; quomodo tam perenni,& indefectibili motu effluant flumina,& fontes scaturiant, cum non nisi violento motu attrahantur ad superiora loca,scil.ad montes vnde frequenter oriũtur. *Respond.* attractionem illam , licet sit violenta aquæ secundum suam naturam elementalem consideratam,esse tamen ad alios fines necessariam,scilicet ad mixtorum & viuentium generationem , & conseruationem, & ideò motus cœli, qui est principium viuentiũ,ita imprimit elementis quod contra motus proprios aliquid in eis facit ad propagationem mixtorum, sicut eleuat vapores, & exhalationes ad generationem nubiũ,& aliorum metheororum , licet illis violenta sit , & sicut ipsum mare congregatum est in locum vnum , licet petat operire terram , & terra ipsa aliquanto eleuatior est facta,

facta, vt aqua congregaretur, & multa alia accidūt, quæ ipsis elementis videntur violenta in propriis naturis, aliis verò mixtis necessaria sunt, aut etiam gubernationi vniuersi, vt subest tot motibus, & ideò simpliciter est naturalis.

Secundò inquires, si flumina, & fontes è mari oriū-tur, cur saporem amittunt, nec retinent maris salsedinem, cur etiam aliquando deficiunt, vel minnū-tur, cum mare nunquam deficiat? *Respond.* aquam maris ipsa terra sugente & eliquante attenuari, sicque illam crassitiem exhalationum adustarum amittere, quæ erat causa salsedinis, nec tamen è terra qua liquatur, exhalationes salsas excipit, quia non quælibet exhalationes, vel terræ æqualitates salsedinem inducunt, sed exhalationes adustæ, aut taliter temperatæ sicut mari impressæ sunt. Dicitur etiam aquam maris per ceram, vel arenam eliquatam, salsedinem exuere; quod argumento est, posse illam intra terram amittere quasi ibi spongiatam. Addūt alij, cum aqua separatione facta tertia die, fuit etiam per terræ venas dispersa, hanc nō recepisse salsedines, sed mare tantum, ideoque ex illa reliquam dulcorari.

Quod verò *dicitur de fluuiorum deficientia. Respondetur*, quòd licèt mare nunquam deficiat, tamen eius aquæ deriuatio multis de causis impossibilis est in aliquibus locis, sicut in aliis expeditur via, vt de nouo fiant fluuij, aut fontes. Causæ deficiendi in fluuiis esse possunt. *Primò*, quia aliquando terra nimis exsiccatur caliditate excessiua à cœlo. *Secundò*, quia aliquando decidente terra, vel terræ motu concussa, aut alia simili causa obdurantur viæ, qua fluuius currebat. *Tertiò*, noua terræ induratio, quæ aquas detinet, & non amplius sugit, neque attrahit. *Quartò*, noua aliqua ruptio vel excauatio terræ, qua in lacum stagnat aqua, quæ in fluuium decurrebat. *Quintò*, arborum aut lapidum, aliorumvè metallorum noua procreatio aut euulsio, qua vel impeditur decursus aquæ, aut aliò deflectitur. Tandem ipsa terra mutuo agens in aquam eam consumit, sicut è contra aqua generatur etiam è terra.

Tertiò inquires, quæ sit causa cur mare tot fluuiorum accessionibus non augeatur? *Respondetur*, id primò esse, quia aqua maris aliunde etiam exoneratur per ipsas terræ cryptas, & meatus subintrans, & ministrans aquam fluuiis, & sic quod ex vna parte intrat, alia exit. Secundò multū de aqua maris exhalatur solis ardore, motuque cœli & elementorum actione, ipsáque fluuialis aqua, cum leuior sit marina, tenuiter superlabitur ei, faciliusque exhalatur à sole. Tertio, addimus accessione fluuiorum augeri mare, sed non redundare, hoc est, super terras se non effundere, eò quòd omnes fluuij comparati ad mare, paruæ quantitatis sunt, & ita non possunt exundationem facere, licet augeant aliquid. Scriptura autem solum dicit (*quòd flumina intrant in mare, & mare non redundat*) *Eccles.* 1.

Quartò inquires, quid dicendum sit de extraordinariis effectibus, quorundam fontium & fluminum? *Respondetur*, multos esse effectus occultissimos in aquis, quorum ratio prorsus nescitur, alios qui aliqualiter ex dispositione solis, vel cœli possunt indagari. Nam quòd aliqui fontes habeant talem qualitatem, verbi gratia, calorem, odorem, saporem potest ex qualitate terræ, & salubritate cœli perpendi, feruent enim quidam qui ex terra sulphurata emanant, alij medicinales sunt diuersis morbis, alij mouentur ad instar maris ex aliqua occulta cum mari communicatione. Quod autem aliqui sint, qui flammam nutriant sicut oleum, qui inebrient sicut vinum, qui omnia pondera respuant, aut quidquid iniectum sit, absorbeant, aut in lapides conuertant, aut talis vel talis coloris reddant animalia quæ inde bibunt, & alia multa similia, quæ de variis fontibus, & fluuiis, aut lacubus referuntur, si vera sunt, occultas valde habent causas, nec facilè à nobis assignari possunt, nisi diuinando, sicut multarum aliarum rerum naturalium virtutes omnino rescimus, sicut diuersarum herbarum, lapidum, radicum, animalium, & aliarum rerum similium.

CAPVT III.

De quarundam aquarum saporibus aliisque qualitatibus.

ETsi supra disputatum sit de salsedine maris, quæ ad saporem aquæ pertinet, tamen de saporis præstantia, aliisque qualitatibus aquas afficientibus nunc differendum est. Reducuntur autem istæ qualitates ad tres communiores, scilicet ad calorem & frigus; ad varietatem saporum & odorum; ad diuersitatem motuum quibus decurrunt, aut agitantur.

Quod attinet ad calorem, constat plures fontes ebullire quasi æstu nimio ferueſcētes, alios tepidiores, alios frigidiores, imò alioqui variant hanc dispositionem, & aliquando calidi, aliquando frigidi aut tepidi inueniuntur non solum ex aëris & cœli temperie sed ex propria emanatione. Communiter autem caliditas aquarum intra terram, non à solis radiis, qui intra viscera terræ parum roris habent, & ita hyeme, atque in regionibus septentrionalibus, vbi acerrimum frigus viget, non possent dari istæ aquæ calidæ, quas constat inueniri in Islandia prope montem Heclam, & adhuc in magis subpolari regione, scilicet in Groenlandia, vbi congelatum mare ab aquis fontis calidissimi propè littus emanantis à duritia resoluitur communiter: ergo calorem istum ebibūt aquæ ab ignibus subterraneis, qui propè aquarum decursum terram depascunt, & aquas ipsas sic calefaciunt, sicut in lebete ad ignem admoto, cuius signum est odor ipsarum aquarum, qui sulphureus est, & ipsa terra sulphurata per quam decurrunt; vbi autem generatur sulphur, quæ est materia & pabulum ignis subterranei, vt ignis ardet. Et hæc quidem ordinaria causa est aquarum calidarum, quæ in tanto excessu calidæ sunt, vt ferueant. Quæ verò mitiori calore præditæ sunt etiam ab aliis causis incalescere possunt, vt ab exhalationibus calidis, quas sol à terra eleuat, & per antiperistasim terra occlusa tempore hyemis calor intenditur, vt in libris de Gener. diximus. Et fortè aliquando tanta exhalationum copia, & talis antiperistasis accidere potest, vt calor aquæ intensissimè crescat. Sed hoc, nec ita communiter accidit, neque ita diuturnam causam habet, sicut calor illarum aquarum, quæ perenniter fluunt cum feruore.

De frigore excellenti aliquarum aquarum, in quo genere celebratur ab Authoribus fluuius Cydnus, apud Tharsum Ciliciæ, & aqua Melenis fluuij apud Pamphyliam, aliique fontes passim occurrũt frigiditatis excellētis, non est dubiũ frigus hoc in

in ipsa natura aquæ multum habere fundamentum, quia ex se postulat excedentem intensionem frigoris: sed quomodo à contrariis se defendat, ne amittat illud, cum passim alios fluuios, & fontes videamus frigiditatem amittere, & aqua propter suæ substantiæ tenuitatem vix potest qualitates istas à contrariis defendere, *dubium est. Respondetur tamen,* quod præter cœlestes influxus occultos quibus maximè istæ corporum, & elementorum qualitates transmutantur, aut conseruantur, potest etiam causa esse ipse tractus terræ, per quem aqua decurrit, quæ infra halitus frigidiores generat, quibus decurrentē aquam perpetuo afficit, quasi suppositis ei niuosis qualitatibus, aut ex frigore subterraneo per antiperistasim generato, vt in montibus, fontes participant illum algorem; cuius manifestum erit signum, si aqua illius fluuij, vel fontis extracta in vase aliquo, & relicta eidem soli, aut cœlo frigiditatem amittat, hoc enim euidens est, non habuisse causam inhærentem ipsi aquæ perpetuò, sed à terra, per quam decurrit emendicatam. Illa verò alternatio, quæ in aliquibus fontibus, aut aquis inuenitur, vt intra vnum diem feruéant, & algeant, crescant, aut decrescant, causam habet aliquem motum cœli speciali modo in illo loco impressum, sicut etiam mare fluit, & refluit diuerso modo in vno loco atque in alio, ex diuersa cœli impressione.

De sapore, & odore aquarum, constat eas esse qualitates peregrinas, nec elementorum proprias, sed à mixtis ebibitas. Vnde iuxta qualitatem terræ qua aqua effluit, tales participat qualitates, redduntur enim aquæ acerbæ per alluminosa loca decurrentes, amaræ per nitrosa, ferratæ per ferri venas. Feruntur & aliqui fluuij dulcem exhibere saporem vt Himera fluuij in Sicilia, alij pinguem, alij alias similes, qui ex ipsa terrarum dispositione emendicantur. Plures aquæ grauem odorem efflant, vel quia putrescunt aëre non perflatæ, sed quasi restagnatæ, vel quia ex venis grauis odoris scaturiunt, vt qui è sulphurea terra deriuantur. De salsedine iam suprà diximus agentes de mari. Etsi autem præstantior censeatur aqua quę subtilior est, minusque peregrinis qualitatibus imbuta, minusque ponderosa, ideóque aliquando excedat fluuialis fontanam, aliquando fontana fluuialem, tamē ad speciales morbos curandos, vel virtutem nutritiuam iuuandum specialiter aliquæ aquæ suas virtutes habent, quas vel ex terra participant, quam decurrunt, seu vnde deriuantur, vel à cœlesti influxu particulari. Quæ autem aquæ specialiter salubriores sint, ad Medicorum curam pertinet.

TRACTATVS IX.

De Terræ motibus, & subterraneis ignibus.

CAPVT I.

Quæ sit vera causa terræ motus?

POST considerationem eorum, quæ generantur in aëre, & aqua, seu ex illa deriuantur, restat vltimo considerare ea quæ in terra generantur, quarum quædam pertinent ad mixta, vt metalla, quæ tamen non sunt ita perfecta, sicut ea, quæ super terram generantur, & pertinent quasi ad eius ornatum, vt quæ vnque germinant in terra, metalla autem, & fossilia intra viscera terræ sunt, & quasi vnum corpus cum ipsa efficiunt, ideoque in hoc opere de Metheoris, seu mixtis imperfectis tractantur, quia maximè ad ipsa elementa accedunt. Tùm etiam, quia eorum materia est sicut aliorum Metheorum, scilicet vapor vt exhalatio, vt sequent. tract. dicemus. Alia non pertinent ad mixta vt ignes subterranei, & terræ motus, & primò tractabimus de his, secundò de metallis in sequenti tractatu.

Igitur circa causam terræ motus varias affert sententias Antiquorum Aristotel. 2 Metheor. cap. 7. lection. 12. apud Diu. Thom. & sunt tres. *Prima Anaxagoræ*, quia causam terræ motus posuit esse aërem ingredientem terram, qui non potest liberè sursum ferri, sed errauit in hoc, quòd existimauit terram esse figuræ planæ, & quasi natare in aëre, & aërem subingressi terram ex parte inferiori, & cum non possit liberè ferri sursum, causare terrę motum. Quod tamen inconuenienter dicitur, tum quia terra non est plana, sed in globum rotunda propter grauitatem suam, qua ponderant omnes partes ad centrum, tum quia si terra cum sit plana natat in aëre, aër subintrans habet exitum sine terræ motu, scilicet exeundo ex parte etiam inferiori, qui est locus aëris. Ab hac opinione non est multum dissimilis Thaletis opinio, qui dixit terram supernatare aquis, & ex motu aquarum, quasi ex procellis his terram tremere, quod planè fabulam redolet, aqua enim potius est superior terra, quàm sub ea.

Secunda sententia fuit Democriti, qui dixit, quòd cum terra habet sinus suos plenos aquæ, & pluit, itavt pluuia non inueniat ibi receptaculum, moueat terram. Quæ sententia valde debilem causam terrę motus affert, potius enim pluuia descendens per superficiem terræ decurret, quàm eam mouebit.

Tertia fuit Anaximenis, qui terræ motus causam posuit partes terræ cadentes, cum rumpuntur ex nimia siccitate solis, illo enim casu percutiunt terrā, & tremere faciunt. Quæ etiam sentētia insufficientem causam affert, plerumque enim terræ motus accidunt, vbi nulla pars terræ cecidit, & continuatur per longum terræ tractum, nec tamen in omni illo partes terræ cadunt, & ad tantum motum, & sonitum, quem terræ motus faciunt necesse esset valde notabiles partes terræ prius cadere, quod non videmus, potius enim ex ipso terræ motu contingit cadere partes terræ.

Igitur vera causa terræ motus est multitudo spiritus, seu exhalationis siccæ vi solis eleuata, aut etiam per antiperistasim calefacta, & quærens liberum exitum, si non inuenit, quatit terram, sicut cum à vento mouentur corpora, in quæ impergit, si sit vehemens, & sicut puluis tormentarius ignem concepto cum sonitu exit. Itaque exhalatio sicca, sicut illa quæ est materia ventorum mota violenter intra terram, quia non inuenit liberum exitū est causa terræ motus. Nam quòd hæc sit aptissima causa ad terræ motus *patet*, quia terra cum sit corpus grauissimum, non potest moueri nisi ab aliquo maximè motiuo quale est ventus, seu exhalatio sicca, quæ habet vehementissimū motū, vt videmus in ventis, & propter suā subtilitatem penetrat partes ter-

 ræ

ræ, & eleuat eas, ſeu mouet. Generari autem iſtas exhalationes, ſeu ſpiritus intra terram conſtat, quia ſunt in eo plures cauitates, quæ aere replentur, ne detur vacuum, ex ſe etiã terra emittit exhalationes ſiccas, vel virtute ſolis, vel ignis ſubterranei euaporatas, ergo quando iſtæ generantur in magna copia, & liberum exitum non habent, & aliunde aer propter ſuam inquietudinem, & ſubtilitatem mouetur, terram concutiet. Et quia non ſemper iſtæ conditiones concurrunt, vt vel ſit multa copia exhalationum ſiccarum, vel non ſit liber exitus ideo non ſemper fiunt terræ motus, licet nunquam deſit aër intra terram, aliquando etiam moderatur ſiccitas exhalationum ex humiditate adiuncta, & ſic langueſcit earum vis ad mouendum. Denique id probat Ariſtoteles; quia plerumque iſti terræ motus accidunt temporibus, quo abundant iſtæ exhalationes ſiccæ, vt vere & autumno, in æſtate enim & hyeme conſumuntur propter exuberantiam caloris vel frigoris, licèt aliquando, ſed rarius etiam in hyeme, & æſtate contingant terræ motus: ſimiliter loca cauernoſa & ſpongioſa ſunt iſtis terræ motibus obnoxia, vt circa Helleſpontum, Achaiam, Siciliam, &c. quia iſta loca generant plures ſtatus & copiam ſpiritus.

CAPVT II.

De accidentibus & effectibus terræ motuum.

ACcidentia terræ motus quædam ſunt antecedentia, quaſi præſagia, & ſigna ipſius; quædam concomitantia, ſed ab ipſo edita vt ſonus, duratio, extenſio & ſimilia; quædam ſubſequentia tanquam effectus, vt ſubuerſiones montium, fluuiorum eruptiones & ſimilia.

Circa præſagia, ſeu ſigna terræ motus, varia aſſignari ſolent. *Primò* eſt motus aliquis extraordinarius in puteis, vt ſi aqua ebulliat & aſcendat, ſi fiat turbida, & grauem odorem efflet, aut etiam mare intumeſcat ſine flatu; hæc enim ſunt præſagia, multi & copioſi ſpiritus è terra erũpentis, & aquas mouentis vel turbantis. *Secundum ſignum* ſumitur ex aere, ſi aër fiat caliginoſus ſine interpoſitione nubis, ſi fiat tranquillus, ſi inſolitum frigus ingruat, & extra tempus, vt in vere vel æſtate, ſi appareat nubecula quædam ſereno cœlo interdiu, vel poſt occaſum ſolis per modum lineæ extenſa. *Ratio eſt*; quia terræ motus cauſatur ex copia exhalationum ſiccarum, quæ includuntur in terra, & conſequenter cum non exeant, abſunt ab iſto aëre, quibus ab aere remotis contingit aerem ingroſſari per frigus, & humiditatem remotis exhalationibus ſiccis & calidis, quæ ipſum mouebant & calefaciebant. Vndè contingit reddi aerem magis caliginoſum, quia craſſior, & tranquilliorem, quia ſine ventis, quorum materia eſt exhalatio ſicca; & reddi frigidum, quia ſine calidis exhalationibus; & eadem ratione nubes fiunt tenues deficiente ſpiritu & exhalatione, cuius motu conglomerantur, & fiunt nubes magnæ, ſicut vndæ in mari vehementius ſtante vento.

Circa ſecundum, cauſatur ſonus à terræ motu ob vehementem ſpiritus colliſionem, ex aere autem repercuſſo ſonus editur. Et ſecundum variam terræ diſpoſitionem varia quoque differentia ſoni reſultat, ſicut etiam ſpiritus in nube incluſus, & tonitruum cauſans, diuerſas ſonorum formas edit. Itaque aliquando cauernæ, ſeu meatus quibus ſpiritus cietur, ampli ſunt, & magni, & ventum excitant, aliquando ſunt anguſti, & tenuem ſonum faciunt, aliquando recurui, & ambagibus flexi, & reddunt ſonitum terribilem, & ſic aliis, & aliis modis diſpoſita terra, colliſionem, & ſonitum diuerſum parit. Quod verò attinet ad durationem, vel interpolationem terræ motus, hæc dependent ex copia maiori, vel minori exhalationum, quæ plus, vel minus durat, & ex continuitate illius, ita quod non deficiat, nec attenuetur, ſic enim interpolabitur, quouſque magis fortificetur. Denique prout terra ipſa locum dederit ſpiritui diſcurrenti, ſic extendetur plus, vel minus quouſque inueniat exitum, aut aliquod grande obſtaculum, quod mouere non poſſit, aut incidat in loca nimis humida, quæ ſiccitatem, & caliditatem exhalationum extinguat, aut temperet. Et aliquando ſolet materia ad terræ motum requiſita diſcurrere, & ceſſare quouſque alia pars materiæ ſufficienter diſponatur, & incaleſcat & ſic iterum moueatur. Et hac ratione contingit durare multis diebus terræ motus cum interpolatione, & iterum redire.

Circa tertium varij ſunt effectus quos terræmotus edit, prout eius violentia maior, vel minor fuerit. Aliquando enim terram in orbem agit, montes deijcit, parietes & recta ſubruit, vel inclinat, terram aperit, & hiatu ſuo quidquid inuenerit abſorbet etiam integras vrbes, amnes nouos effundit, aut fontes antiquos exſiccat vel aliò deriuat, ignes euomit, terram in altum eleuat & multa alia ſimilia facit, non quidem ſemper omnia neque ſimul iſta, ſed aliquando aliqua, aliquando nullus, prout fuerit impetus ſpiritus, & maior exhalationum copia, & fortitudo.

Ex his colliges, quæ loca terræ motibus magis ſint ſubiecta, ſcilicet illa quæ plus exhalationum ſiccarum, & flatuum generant. Talia ſunt loca montoſa, ſpongioſa, quæ cauernis & meatibus plena ſunt, quæ temperata, nec multo calore feruentia, nec frigore nimio rigentia. E contra limoſa humida arenoſa, nimis frigida, exceſſiuè calida, rarò motibus iſtis ſubijciuntur, quia non facile cedunt ſpiritui, & vel humore ipſo ſiccitatis rigorem emolliunt, vel frigore conſtipant, vel calore conſumunt.

Secundo collige; genera terræ motuum quomodò diuidantur. Ariſtoteles in tremorem & pulſum diuidit, alij concuſſionem, & inclinationem vocant quando ad latera viciſſim quatitur terra, videtur tremere, quando ab imo in ſurſum & è contra, videtur pulſari. Sub iſtis alij plures ſpecies numerant fere ex effectibus deſumptas, vt quod terræ motus ſit cõcutiens, ſubuertens ſcindens, perforans, & alia ſimilia faciens, quæ iuxta variam diſpoſitionem locorum, & exhalationum variantur.

CAPVT III.

Qua materia & vi ignes ſub terra ardeant?

NVtriri ignes ſubterraneos, exempla quotidiana monſtrant, tum quia à foſſoribus reperiuntur, tum quia è terræ & præſertim montium ſpiraculis eructant. Notum eſt Æthnæ incendium in Sicilia; in Campania montis Veſuuij in Islandia montis Heclæ, & plures alibi montes fumantes reperiuntur, dè quibus Pſal. 103. *Qui reſpicit terram & facit*

& facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant. Et Tertullian. lib. de pœnitentia c. 12. montes istos igniuomos fumariola quędam ignis ęterni appellauit. *Dissiliunt,* inquit, *superbissimi montes ignis intrinsecus fatæ. Et quod nobis iudicij perpetuitatem probat, cum dissiltant, cum deuorentur, nunquam tamen finiuntur.*

Igitur quod attinet ad materialem causam, seu pabulum quo ignes isti nutriuntur, illud est ordinariè sulphur, ac bitumen, tum quia materia ista nutriendis ignibus aptissima est, cum bitumen sit pingue, & calidum, sulphur calidum & siccum, tum quia loca quæ ignibus ardent, plerumque abundãt sulphure; & odorem sulphureum exhalant, tum autem, quia in sacris literis plerumque fit mentio istorum ignium, eius adiungitur sulphur, vt Psal. 10. *Ignis & suphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Et Apocalyp. 19. *Missi sunt hi duo in stagnum ignis & sulphuris* & Isai. 30. *Nutrimenta eius ignis, & ligna multa, spiritus domini tanquam torrens sulphuris succendens eam,* Nec dubium est, quin correptus ignis, & nimium saginatus materiâ sulphureâ, etiam terram ipsam, saxaque, & metalla corripiat, & dissoluat, nam & saxa igniuomis montibus iactari, & in cineres, ac fauillas redigi in historiis legimus & recentibus exemplis comprobamus. Sed tamen communior & magis ordinaria materia istorum ignium, præsertim quæ facilius corripit flammam, est assignata materia, sulphuris, & bituminis.

De causa autem efficienti, seu vi accendente istos ignes in terra, dicendum est, illam probabiliorem causam reputari, quod accenduntur à motu exhalationis calidæ & siccæ, adiuuante etiam antiperistasi propter frigus terræ circunstans, hoc enim modo exhalationes intra nubem accenduntur, hac ratione ex lapide attrita ferri excitatur scintilla, quid ni, ergo motu exhalationis, siue in materia sulphurea excitari possit ignis intra terram sicut & intra nubem? Quod verò recurritur ad solis influxum, & astrorum, nimis remotus videtur esse ab excitandum incendium tanta terrestris corporis spissitudine obsistente. Specialiter autem diuino imperio esse accensum facile persuaderi potest, si ignes isti cum igne inferni aliquam habent communicationem, vt Tert. verba insinuant. De igne autem inferni dicitur loco cit. Isai. *Spiritus domini tanquam terrens sulphuris succendens eam.* Et Iob. 2. *deuorabit eum ignis qui non succenditur* (id est non causis naturalibus fouetur) nisi forte nomine spiritus, ipsam exhalationem, quæ ad modum venti se habet & spiritus dici solet, intelligatur.

Varia est autem horum ignium dispositio, pro, ut materiæ copia suppetit, vel deficit, aut contraria permittunt, aut locus ipse vbi generantur dispositus est. Quidam occultè terram vorant, quidam euomuntur exterius. Alij perpetuo durant, alij per interualla. Quidam ingenti strepitu saxa, cineres aliaque id genus eructant, alij nullam ex se materiam eiiciunt. Quidam per cacumina montium quasi per caminos se produnt, quidam in profundioribus partibus æstuant. Et sic multa alia sunt quæ potius terrorem in nobis extorquent, quam scrutationem peculiarem exigant.

TRACTATVS. X.

De Metallis.

CAPVT I.

De materia, & causa efficienti metallorum in genere.

CVARE pertineat ad tractatum meteorologicum agere de metallis, iam supra declaratum est tract. præced. Distinguit autem Arist. 3. metheoror. cap. 6. & D. Thom. ibi lect. 9. fossibilia à metallis. Fossibilia dicuntur, ea quæ quidem fodiuntur, & extrahuntur à terra, & sunt similia ipsi terræ, quia vel indurantur vt lapides, vel fiunt quasi pulueres, vt minium, aliàque terræ similia: Metalla dicuntur quæ magis generantur per coagulationem, & sunt ductilia, seu fusilia, sicut aurum, argentum, & similia.

De materia igitur metallorum quidam censent esse humorem pinguem, qui metalla liquefacta in eam resoluuntur. Alij esse aquam terræ permixtam. Alij sulphur & argentum viuum, eo quod hæc in venis metallicis plerumque reperiantur, Vnde & professores artis chymicæ, ista duo adhibent pro conficiendis metallis. Aristoteles cit. loco docet fossilia habere pro materia exhalationem siccam adiuncta caliditate exsiccãte humidum simul cum virtute cœlesti commensurante ei frigidum, vnde fossilia sicut lapides magis sunt resolubilia in pulueres quam liquabilia, licet aliqua vt sulphur etiam liquari possint. At verò metalla habent pro materia exhalationem vaporosam inclusam intra partes terræ, & à virtute cœlesti, quæ est præcipua virtus mineralis simul cum frigido coagulante, & aliquo calore temperante indurans. Itaque metalla exhalationem requirunt pro materia, & non solum vaporem, sed oportet, quod sua exhalatio vaporosa sit, & vt coaguletur metallum non debet separari siccitas sicut in rore, & pruina segregatur ab humido, vt generentur, & ideo sunt humida, metalla vero non segregant siccam exhalationem, sed conspergunt vapore, vt coagulatio velut massa fiat & recoquatur, sicut videmus indurari lateres ex luto per decoctionem. Et huius signum est, quod aliquando è nubibus visa est decidisse massa metallica ex ære, vel ferro, aut etiam lapis cum venis metallicis, in nube autem nõ possũt ista generari ni si ex sicca exhalatione aspersa vapore, & coagulata, sicut si viscosum lutum coqueretur in furno. Ergo ex eadẽ materia multo perfectiori modo disposita in minerali decoquetur & formabitur metallũ, Item metalla sunt ductilia, & aliqua facile liquabilia, ergo signũ est ex vaporosa exhalatione formari, quia si esset totaliter sicca diuideretur in minutas partes, non ductile, nec facile liquabile.

D. Thom. lect. 9. in 3. metheororum vtrumque conciliat dicens, quod materia remota metalli est illa exhalatio vaporosa, sed proxima est sulphur,

& argentum viuum vt dicunt Chymici, eo quod ipsi Alchimistæ faciunt aliquando ex ista materia metallum. Quod vtique non tam ex ipsa formatione facta ab Alchimistis, quæ incerta est, quam ex eorum ratione roboratur, quia in venis metallicis inueniri solet aliquid de sulphure, & argento viuo. Sed tamen quia hoc non semper inuenitur, eatenus videtur hæc Alchimistarum opinio à D. Th. probata, quatenus ita potest esse, quod proxima materia metalli possit esse sulphur, & argentum vnum, sed nō semper requiratur de necessitate, quia nō semper in mineralibus omnium metallorū inuenitur.

Quod attinet ad causam efficientem metallorum, dicimus, eam non esse solum elementum, quia metallum est mixtum, ergo non potest ab vno solo elemento generari. Et præterea occultas aliquas qualitates participat, quales in auro inueniuntur, quæ ex solo elemento participari non possunt debet ergo participari à cœlo. Et ita virtus cœlestis eò per terram immissa dicitur principalis virtus mineralis. Vtitur autem vt instrumentis calore, & frigore, illo vt decoquente, hoc vt coagulante, & constipante. Nec dubium est, quin à Deo procreata sit intra terram ingens metalli vis, sicut & lapidum, & aliorum mixtorum in prima creatione, sed sicut plures arbores, & plantæ postea germinarunt virtute cœlesti, ita & plura metalla postea generata sūt eadem virtute.

Illa autem Astrologorum distributio, qua singulis planetis vim ad singula metalla attribuuntur, vt soli aurum, lunæ argentum, Mercurio argentum viuum, Veneri æs, Marti ferrum, Ioui stannum, Saturno plumbum, syderibus autem firmamenti gemmas magis videtur per attributionem dicta, quam certa aliqua ratione stabilita.

CAPVT II.

De speciebus, proprietatibusque, & locis, quibus generantur metalla.

Species metallorum paulo ante recensita sunt à nobis Aurum, argumentum argentum viuum, æs, ferrum, stannum, plumbum. Hæ præcipuæ species. Aliquæ ad has reducuntur; vt cuprum ad æs, stannum etiam à plerisque reductiuè solum numeratur, cum ex argento, & plumbo concrescat, sicut aliquando aurum, & argentum, & æs confluxere in mixturam, quæ æs Corinthium vocata est, & in magno pretio habitum. Inter omnia aurum non solum æstimatione hominum, sed naturæ iure eminet vtpotè purius, solidus, splendidius, ponderosius, & ad diuersas operationes etiam medicas, & salubres plus valens, vnde in omnia honorum insignia, & splendidam, ac magnificam rerum demonstrationem, ab auri fulgore fit mutuatio.

Omnia metalla ponderosa sunt, omnia solida, præter argentum viuum, omnia ductilia, & percussione dilatantur præcipuè aurum, & argentum, quæ in tenuissima fila, & bracteolas, aut folia ducitur, omnia denique liquescunt igni, & funduntur, difficilius ea, quæ plus concretionis habent, vt ferrum, & aurum.

Loca propria generationis metallorum sunt venæ minerales, quæ quasi matrices intra terram constitutæ sunt, quo cœlestis virtur penetrat, & materialia attemperat ex quibus fiunt, idque longo tempore propter materiæ duritiem. Quæ est ratio, vt per artem vera metalla, aut nunquam, aut vix fiant, quia deest illi vena, seu matrix mineralis, & virtus illa cœlestis, quæ in tali minerali sic attemperatur. Quod autem aliqui fluuij auri ramenta deuehant, non est quia illud producunt, sed quia exedendo terram extrahunt, quia propinque ad mineralia decurrunt. Nec vero omnis terra huiusmodi metallis gignendis apta est, sicut nec omnis fert omnia tellus, quia nec dispositionem habet, ex parte mineralium, nec aspectum conuenientem astrorum ex parte cœli. Quæ vero regiones cuiuscumque metalli feraces sint, ad historicum potiùs pertinet, quàm ad Philosophum.

TERTIA

TERTIA PARS PHILOSOPHIÆ NATVRALIS,

DE ENTE MOBILI ANIMATO, SEV IN TRES Libros Aristotelis de Anima.

PROOEMIVM.

CIRCA SVBIECTVM, DE QVO AGITVR IN ISTO TRACTATV DVBIVM EST: An subiectum horum librorum sit Anima, vel corpus, seu ens animatum? *Et quod sit Anima colligi videtur*: *Tùm* ex inscriptione librorum, qui dicuntur de Anima, non de animali, vel de animato: *Tùm*, quia illud est obiectum alicuius scientiæ, vel libri, de quo traditur definitio, siquidem ex definitione tanquam ex principio colliguntur propriæ passiones conuenientes eidem, cui conuenit definitio, sed in hoc opere non definitur animal, vel corpus animatum, sed Anima, cum dicitur, quod est *actus corporis organici*, esse autem actum non conuenit corpori animato, sed ipsi formæ, quæ est Anima, ergo Anima est, quæ definitur in hoc tractatu, & consequenter subiectum, de quo demonstrantur passiones, quod est vtique subiectum, de quo agit ista scientia. *Denique*, ipsæ passiones, quæ in hac scientia demonstrantur sunt passiones Animæ. Vnde dicit Aristoteles, in Proœmio Librorum de Anima, quod intendit quærere naturam ipsius Animæ, & substantiam, & quæcunque accidunt circa illam, quorum aliæ propriæ passiones Animæ esse videntur, aliæ autem communes, & propter ipsam animalibus inesse videntur: ergo apertè distinguit Animam de qua hic agit ab animali, & passiones animæ ab his, quæ per Animam conueniunt animali, seu corpori animato, ergo hic agit de Anima, non de ente animato.

Ex alia verò parte videtur, subiectum horum librorum esse ens animatum, siquidem est pars scientiæ de ente mobili, & hîc agitur de aliquo ente mobili speciali: Anima autem non est ens mobile, sed principium entis mobilis, & pars eius, ens autem animatum est ens mobile. *Deinde*, quia affectiones, quæ demonstrantur in hoc libro sunt ipsius animati, *vt quod*, Animæ autem solum *vt quo*, sicut sentire, mouere, appetere, &c. Ergo subiectum *quod* non est Anima, sed ens mobile animatum, sicut in aliis libris ens mobile corruptibile vel incorruptibile est id de quo agitur. *Denique*, quia alias non tractaretur in tota Philosophia de ente animato, si hic non agitur, quod est inconueniens, cum sit ens mobile, & principalius, quàm Anima, quæ solùm est eius pars.

Resolutio est, quam tradit D. Thom. in Proœmio Libror. de Anima, & insinuat etiam, 1. Physic. lect. 1. Dicit ergo D. Thom. quod commune omnibus animatis est Anima, & ideò ad tradendum de rebus animatis scientiam, necessarium fuit primò tradere scientiam de Anima tanquam communem eis. Aristot. ergo volens tradere scientiam de ipsis rebus animatis, primò tradidit scientiam de Anima, tanquam in communi, postmodum verò determinat de propriis, & singulis animatis in sequent. libris de sensu & sensato, & de paruis naturalibus, & de animalibus, & plantis, qui sunt sicut partes librorum de Anima: & ita S. Thom. in libro de sensu, & sensato, lect. 1. inquit: *Quòd Philosophus distinxit, hanc considerationem in tres partes, nam primò quidem considerat de Anima secundum se, quasi in quadam abstractione; secundò considerationem facit de his, quæ sunt Animæ secundùm quandam concretionem ad corpus, sed in generali; tertiò considerationem facit applicando omnia hæc ad singulas species animalium, & plantarum. Prima igitur consideratio continetur in lib. de Anima, tertia in libris, quos scribit de animalibus & plantis: Media verò continetur in libris, quos scribit de quibusdam quæ pertinent communiter ad omnia animalia, vel ad plura genera eorum, vel etiam ad omnia viuentia, circa quæ tract.* in libr. de sensu, & sensato, & aliis paruis naturalibus. Ita D. Thom. Itaque Libri isti de Anima non sunt integer tractatus, sed pars quædam tractatus de corpore animato: intentum enim Philosophi in hac vltima Philosophiæ parte, est agere

de ente mobili animato, sicut in libris de generatione egit de ente mobili corruptibili; sed sicut in lib. de generatione, prius egit de generatione ipsa, & motibus eam consequentibus, deinde de ipsis corporibus generalibus, quæ sunt elementa, & mixta: ita in præsenti volens agere de ente mobili animato: primò agit de ipsa Anima, quæ est ratio communior, in qua omnia animata conueniunt, & à qua denominantur animata: deinde agit de ipso corpore, tùm in fine libri tertij de Anima, tùm præcipuè in aliis libris de sensu, & sensato, & paruis naturalibus, & de plantis, & de animalibus, quæ se habent vt complementum librorum de Anima, & omnia vnum tractatum efficiunt, cuius integri tractatus obiectum est ens mobile animatum, quod denominatur tale ab Anima quæ est eius forma, & principium, ratione cuius dici potest, quod Anima se habet vt obiectum *quo* huius tractatus, & formalis ratio eius, quia est id, quo redditur corpus animatum. Vnde necesse fuit prius agere de ipsa Anima tanquam de principio communi entis animati, & hoc præstat Philosophus in istis tribus libris de Anima.

Ad rationes dubitandi à principio concedimus, quæ secundo loco sunt positæ, loquendo de obiecto integri huius tractatus. *Ad eas verò, quæ primo loco sunt positæ; ad primam dicitur,* inscribi istos libros de Anima, quia in eis non agitur de toto obiecto adæquato, quod est ens animatum, sed de parte eius, seu principio, quod est Anima, qua constituitur ens animatum. Vnde in aliis lib. quibus completur totus iste tractatus non est inscriptio de Anima, sed de rebus animatis.

Ad secundum dicitur: quod definitio, quam in istis tribus libris tradit Aristoteles, & passiones, quas in eis demonstrat solum conueniunt Animæ, & non rei animatæ, & ita in istis libris, vt diximus non agit Philosophus de toto obiecto adæquato huius operis, sed de parte illius, quod est principium seu forma entis animati, & talem formam definit Aristoteles in præsenti: obiectum tamen adæquatum totius operis non est Anima, sed animatum.

ORDO HVIVS TRACTATVS DE ANIMA.

Aristoteles tribus libris distinxit tractatum hunc de Anima in communi. In primo retulit, & impugnauit varias Philosophorum opiniones circa naturam Animæ. In secundo suam sententiam explicauit circa eandem naturam Animæ tam in communi, quàm quoad Animam vegetatiuam,& sensitiuam, earumque potentias. In tertio principaliter agit de intellectu, seu de Anima intellectiua. Tùm quoad potentias ei immediatè ministrantes, quæ sunt sensus interiores vt phantasia, tum quoad ipsam vim intellectiuam in se, tum quoad potentias consequentes, quæ sunt appetitiua,& loco motiua.

Nos *totum tractatum in* 12. *quæstiones diuidimus.* In prima *agemus de Anima in communi eiusdemque definitionibus.* In secunda, *de proprietatibus Animæ in communi, vt de potentijs, & indiuisibilitate, &c.* In tertia *de Anima vegetatiua, & de potentijs ei correspondentibus.* In quarta, *de Anima sensitiua, & sensibus in communi.* In quinta, *de sensibus externis secundum se.* In sexta, *de sensibili externo seu obiecto sensuum in communi.* In septima, *de eisdem obiectis in particulari.* In octaua. *De sensibus internis.* In nona, *de Anima rationali secundum se.* In decima, *de intellectu agente, & poßibili.* In vndecima, *de actu intellectionis, & conceptu.* In duodecima, *de appetitu & loco motiuo. De Anima autem separata seorsum non agemus, quia quatuor quæ præcipuè de ea disputantur, in quæstionibus præfatis miscentur. De statu eius, & immortalitate in* quæst. 9. *de modo intelligendi tam vniuersalia, quam singularia,* quæst. 10. *de potentia motiua, & an remaneant aliæ potentiæ in Anima separata,* quæst. 12.

QVÆSTIO I.

De Anima in communi eiusque definitionibus.

ARTICVLVS I.

Explicatur prima definitio Animæ.

Dari Animam, (quod pertinet ad quæstionem an est) superfluum est inquirere, cum ex ipsis operationibus, & effectibus manifestè constet dari aliqua, quæ vitaliter se mouent, sicut experimur animalia sentire, nutriri, se mouere; & forma, quæ talium operationum est principium, vocatur Anima: de qua Philosophus duplicem tradidit definitionem in 2. de Anima cap. 1. & 2. Prima ita se habet: *Anima est actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis*: Addunt aliqui particulam *substantialis*, scilicet quod sit actus primus substantialis, quam tamen Aristot. non expressit, sed explicauit, & deduxit. Secunda definitio est: *Anima est id quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus primò.*

In præsenti articulo solùm primam definitionem explicamus, in qua quatuor particulæ indigent explicatione. Prima, cum dicitur *actus primus*. Secunda, *corporis physici*. Tertia, *organici*. Quarta, *potentia vitam habentis*. Definitur enim Anima per actum primum

mum, quia est forma dans esse, deinde verò per ordinem ad subiectum, cuius conditiones requisitæ sequentibus particulis designantur, quibus explicatur proportionatum, & conueniens subiectum Animæ; intendit enim Philosophus in hac definitione tradere naturam Animæ, in quantum Anima est, id est non solùm vt dicit formam, sed etiam vt dicit gradum viuentis, licet gradus sine forma non sit.

Primum Ergo quod occurrit explicandum circa hanc definitionem est, quod dicitur *actus primus*. Circa quam particulam latè discurrit Caiet. lib. 2. de Anim. cap. 1. & alij interpretes: & in primis non intelligitur, quod sit actus primus informans actu, sufficit quod ex se, & ex propria ratione sit informatiuus, vt patet in Anima separata, quæ verè est actus primus, & tamen non informat actu. Per hanc ergo particulam duo possunt explicari. Primò, quod Anima sit actus primus, id est substantialis, quia accidentalis supponit substantialem, & ita non est primus: & consequenter etiam excluditur actus secundus, qui est operatio, hæc enim supponit primum, non solùm, quia accidens est, sed quia est egressio ab aliquo agente, quod debet esse prius. Per hanc etiam particulam distinguitur Anima à partibus organicis, quæ non sunt primum principium viuendi, sed instrumenta ipsius Animæ, ipsa autem est primum principium, seu actus primus viuendi; & ideò etiam Anima non est corpus, etiamsi aliqua Anima corporea sit, vt docet D. Thom. 1. p. q. 75. art. 1. eò quòd Anima est primum principium vitæ ipsi corpori, non ergo ipsa est corpus. Secundò explicatur, quod sit actus primus ita formaliter, quòd possit separari, & cessare ab actu secundo, in quod differt à formis elementorum, quæ non possunt ab aliquo actu secundo cessare per se, & ab intrinseco, nisi impediantur, sicut viuentia, quæ habent certum terminum in suis operationibus, quo habito cessant ab intrinseco. Et sic intellexit S. Thom. 2. de Anim. lect. 1. super text. 5. Caietan. ibi q. 2. Bañez 1. p. q. 75. a. 1. dub. 2. Sed tamen non est necesse hoc intelligere in illa sola particula *actus primus*, in hac enim conuenit Anima cum omnibus formis substantialibus, sed sufficit hoc colligere ex aliis particulis, quibus Anima discernitur ab aliis formis inanimatis. Vnde verò deducatur quod Anima debeat esse actus informans, & non solum assistens corpori tanquam motor, quod tamen præsupponere videtur Aristot. in hac definitione, dicemus in solutione argumentorum.

Secunda particula est *corporis Physici*, per quam distinguitur Anima tum à formis separatis, quales sunt Angeli, tùm à formis artificialibus, & mathematicis, tùm à formis inanimatis. A formis separatis, quia illæ non informant materiam, Anima verò est actus corporis, & ideò debuit definiri per ordinem ad corpus tanquam ad informabile, sicut quæcumque forma dicens ordinem ad extrinsecum, definitur per illud tanquam per additamentum. A formis artificialibus, & mathematicis differt per ly *physici*, corpus enim quod informatur ab anima, debet esse physicum, seu naturale, & constitui naturale ab ipsa Anima, non artificiale, nec mathematicum. A formis inanimitatis differt per illam particulam *corporis*. Dupliciter enim explicatur ab Authoribus. Primò, quòd nomine *corporis* intelligitur ipsa materia prima, quæ immediatè est capax formæ corporeæ, & sic non distinguitur per istam particulam Anima à reliquis formis, quia omnes informant materiam primam. Et hæc explicatio indicatur à D. Th. 2. de Anim. lect. 1. ad text. 4. & sequuntur plures Authores apud Conim. hîc. q. 1. art. 1. Secundò explicatur formaliùs illa particula *corporis*, non pro materia prima nuda, sed formata gradu corporeitatis, quia licèt Anima informet immediatè materiam dando illi gradus omnes, neq; enim in vno composito dantur plures formæ substantiales pro pluribus gradibus, vt infra art. 3. ostendemus, tamen Anima in quantum Anima, id est secundum gradum Animæ necessariò supponit gradum *corporis* in materia, non quidem præstitum ab alia forma, sed à se constitutum, præsuppositum tamen ad gradum animæ. In præsenti autem definitur Anima secundum formalem rationem gradus Animæ, & ideò potiùs dicitur actus *corporis*, quàm actus materiæ, quia sumitur Anima formaliter, vt exercet gradum Animæ, non vt præbet gradum *corporis*. Quæ expositio est D. Thom. q. de spiritualib. creat. art. 3. ad 2. & 2. de Anim. lect. 1. circa textum 4.

Quòd si instes. Nam hoc modo etiam formæ inanimatæ dici poterunt actus corporis, quia supra gradum corporeitatis, qui est communis, addunt aliquem determinatum, quo vnum corpus differt ab alio. *Respond*. in re ita esse, quòd gradus specificus, & vltimus rei inanimatæ addit actualitatem supra gradum communem corporeitatis, sed tamen speciali modo dicitur de gradu Animæ, quod sit actus corporis, quia non solùm addit determinationem, & specificationem gradus corporeitatis communis, sed etiam eleuationem super illum in altiori modo operandi, scilicet se mouendo; corpus autem, in quantum corpus solùm operatur vt motum: aliæ verò formæ inanimatæ addunt quidem supra gradum corporeitatis determinando, & specificando illum, non tamen eleuando supra illum, quia non operantur nisi vt motæ, & non se mouendo.

Tertia particula definitionis est *organici*. Vbi duo nota. *Primum*, quid sit corpus organicum. *Secundum*, quotuplex sit organizatio, vt inde videamus, de qua intelligatur definitio. *Primum declaratur* ex similitudine organi artificialis, quod diuersis partibus constat, quibus diuersos sonos facit, vel modulationes: sic illa forma, quæ vnam tantum operationem non habet, sed plures, quarum vna est mota, alia mouens, exigit partes diuersas & etherogeneas, sicut videmus in animali esse diuersas rationes, & officia, aures, oculos, pedes, manus, &c. in corpore autem inanimato, omnes partes sunt eiusdem rationis, seu homogeneæ, quia licet habeant diuersas operationes, in qualibet tamen parte omnes ei conueniunt, sicut si ignis calefacit omnes partes calefaciunt, & si mouetur sursum, omnes partes mouentur, etsi magnes trahit ferrum, omnes partes attrahunt. Vndè non requirunt partes organicas, sed omnes eiusdem rationis, viuentia autem ita habent diuersas operationes, quod non omnes idem parti conueniunt, sed vna vni, & alia alteri, eò quòd vna mouet aliam, & sic non omnes æque mouentur, & mouent, & ita dispositio partium in animali habet se ad modum artificiosum, quia est ordinata, & organica. Quæ explicatio sumitur ex D. Thom. 2. de Anim. lect. 1. circa text. 4.

Secundum verò explicatur, quia organizatio sumitur dupliciter, scilicet accidentaliter & substantialiter; accidentaliter pro ipsa dispositione accidentali, qua disponitur & temperatur pars organica, verbi gratia quod habeat talem quantitatem & figuram, talem mixtionem primarum qualitatum, talem colorem, &c. Substantialiter consistit organizatio in hoc, quod organum sit viuificatum, & informatum ab anima, ratione cuius partes organicæ in cadauere æquiuocè sunt tales, oculus enim mortui, non est magis oculus, quam qui est in lapide.

Et quidem, quòd partes organicæ differant inter se saltem accidentaliter certum est, & ipsâ experientiâ

constat, cum videamus diuersa accidentia esse in oculo, & in aure, & in aliis partibus, quarum quædam sunt molliores, aliæ duriores, aliæ huius figuræ, aliæ alterius. Et quidem Diu. Thom. 1. part. quæstion. 76. articul. 3. ad 3. inquit: *Quòd partes dissimilares animalium non potest dici, quod sint diuersarum specierum, sed diuersarum dispositionem. Sed difficultas est*, an istæ partes differant etiam substantiali aliquâ differentiâ proueniente ab ipsa forma, ita quod diuerso modo partes istæ à substantiali forma informentur? Quam disputationem latè tractat Suarez tractat. de Anima libro primo capite secundo. *Sed breuius resolui potest, dicendo*, quòd inter istas partes datur differentia aliqua substantialis, non quidem à diuersa forma proueniens, quia in eodem indiuiduo non sunt diuersæ formæ substantiales, sed ab eadem forma, quatenùs virtualiter est multipex, siue dando diuersum gradum v. gr. sensitiuum, vel vegetatiuum, siue diuersum modum informandi diuersas partes. Quæ est resolutio D. Thom. in q. de Anim. art. 9. vbi docet, *In rebus animatis non solum requiri diuersa accidentia ad diuersas operationes, sed etiam diuersas partes, & quod Anima singulis partibus dat esse substantiale secundum illum modum, qui competit operationi earum.* Et articul. 14. docet: *Quòd licèt Anima sit vna forma, partes tamen corporis diuersimodè perficiuntur ab ipsa.* Et qu. de spiritualibus creatur. artic. 4. ad 14. inquit: *Quòd secundum rationem speciei magis conuenit caro mea cum carne tua, quam ossa mea cum carne mea*, & similiter nominat diuersam speciem in partibus organicis in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. Sic ergo partes organicæ habent diuersam speciem incompletam, & secundum quid etiam in genere substantiali, quatenùs diuerso modo informantur ab Anima, qui diuersus modus in eo consistit, quòd quælibet pars organica participat à forma talem informationem substantialem, vt principium sit & radix diuersorum accidentium & operationum. Neque hoc difficile intelligitur, cum videamus eandem Animam diuersos gradus habere, vt vegetatiuum, & sensitiuum, &c. nec omnes communicari cuilibet parti, nam vngues, & capilli participant gradum vegetatiuum, & non sensitiuum, si ergo, quoad communicationem graduum diuerso modo Anima informat substantialiter, cur non etiam quoad informationem partium organicarum? Neque ad hoc oportet ponere diuersas vniones entitatiuè, sed sicut forma est vnica, licèt virtualiter multiplex, ita est vnica vnio, licèt multiplex virtualiter quia diuersos effectus habet, sicut & ipsa forma, quia vnio non est aliud, quàm ipsa communicatio formæ.

Hoc supposito, cùm dicitur in definitione, *quòd Anima est actus corporis organici*, ly *organici* vtroque modo debet intelligi scilicet accidentaliter, & substantialiter; vtrumque enim requirit Anima, & vtrumque consequitur ex eius informatione, scilicet & quod ipsæ partes organicæ sint animatæ per informationem Animæ, & quòd habeant dispositiones, & accidentia sibi debita, & conuenientia. Neque enim in definitione Animæ cùm dicitur corpus physicum & organicum, intelligi oportet, quòd hoc habeat antecedenter ad informationem animæ, sed per ipsam. Vnde dicit D. Thom. in quæst. de Anim. art. 1. ad 15. *Quòd in definitionibus formarum aliquando ponitur subiectum vt informe, sicut cum dicitur motus, actus entis in potentia, aliquando ponitur subiectum formatum, sicut cum dicitur, motus est actus mobilis, lumen est actus lucidi, & hoc modo dicitur Anima actus corporis organici physici, quia Anima facit ipsum corpus organicum, sicut lumen facit aliquid esse lucidum.* Et in hoc sensu idem est dicere, actus corporis organici atque dicere actus corporis animati, & viui secundum diuersas partes etherogeneas distincti, sicut si explicetur forma per effectum formalem, quem facit in proprio subiecto; quia tamen etiam in ly *organici* intelligi debet organizatio accidentalis, quia vt diximus, ea requiritur ad ipsam dispositionem organorum, non inconuenit intelligere, quod Anima sit actus corporis organici in hoc sensu, quod est organicum dispositiuè etiam antecedenter ad informationem Animæ, disponitur enim materia per organizationem, vt introducatur Anima; post introductionem autem Animæ etiam dantur dispositiones organicæ, quia dantur accidentia, quibus disponitur materia illa ad retinendum formam, & ad operandum, licèt verum sit, quod dispositiones, quæ præcedebant informationem Animæ, ipsa introducta non maneant eædem numero propter mutationem subiecti, vt latè ostendimus in lib. de generat. quæst. 1. & 9.

Vltima particula definitionis est *potentia vitam habentis*, quæ ponitur ad maiorem explicationem præcedentium particularum. Est autem duplex vita, alia in actu secundo pro operatione, quæ dicitur vita accidentalis, alia in actu primo pro ipsa informatione formæ viuentis. In præsenti ergo illa particula, *potentia vitam habentis*, communiter sumitur pro vita accidentali, quæ est operatio in actu secundo, vt intelligatur, quod Anima ipsa est actus primus, quia est in potentia ad operationem vitalem, quæ est vita in actu secundo. Quæ expositio sumitur ex Diu. Thom. 2. de Anima lection. 2. & prima parte, quæstiun. 76. articul. 4. ad 1. Quare per hanc particulam *potentia vitam habentis*, magis explicatur illa particula *organicum*, corpus enim organicum etiam postquam animatum est, ad hoc habet organa, vt vitales operationes per illa exerceat, & sic potentia habet vitam, id est habet in actu primo potentiam ad vitales operationes. *Nec obstat*, quod vitales operationes sunt multæ, Anima verò est vna in ratione formæ informantis; quia omnes illæ operationes sub vna formali ratione respiciuntur ab Anima & procedunt ab ipsa, sc. sub ratione vitalis, & animati. Quia tamen vt diximus suprà, etiam potest intelligi corpus organicum non pro corpore animato substantialiter, sed per organizationem accidentalem disposito ad informationem Animæ, potest etiam intelligi illa particula *potentia vitam habentis* de potentia proxima ordinata ad ipsam vitam substantialem, quæ est Anima in actu primo, & non solùm ad operationem in actu secundo. Et ita per hanc particulam explicatur, quale debeat esse corpus organicum, non sicut cadauer, quod est corpus mortuum, nec sicut embrio, quod solum remotè est dispositum ad recipiendam animam, sed in potentia proxima vitam habens, id est organizatum cum dispositione proxima ad recipiendam formam vitalem. Nec est inconueniens, quod Anima, & quælibet forma substantialis definiatur cum aliqua connotatione ad accidentia, quibus disponitur materia, quia debet definiri forma per ordinem ad informationem, & hæc dependet à dispositionibus tanquam à conditionibus requisitis.

An verò ista definitio sit essentialis & vniuoca respectu omnis animæ, dicemus articulo sequenti, vbi idem inquiretur de secunda Animæ definitione.

Solvvntvr Argvmenta.

Contra singulas particulas definitionis arguitur. Primò contra primam particulam *actus primus*, intelligitur enim nomine actus primi actus substantialis infomans, iste enim propriè est actus primus, hoc autem

autem non est certum, sed probandum erat ab Arist. non supponendum. Nam plures ex Antiquis negarunt Animam esse formam substantialem, sed quandam harmoniam, vel temperamentum humorum, plures etiam existimarunt, quod si Anima erat substantia, solum vniebatur vt motor, non vt informans,& ipse Arist. in hoc secundo li.c.1.in fine dicit,nondum constare vtrum Anima sit vera forma,vel motor corporis, ergo in definitione non debuit poni illa particula *actus primus*,quæ formam substantialem, & informationem designat. *Confirm.* quia Anima est actus perfectissimus in genere viuentis, ergo non debet esse actus primus, sed secundus, quia iste est perfectio primi, vtpotè magis elongatus a potentialitate. *Confirm. secundò.* Quia non potest Anima esse actus primus, ex eo quòd ab intrinseco sit separabilis ab actu secundo, siquidem non potest anima cessare ab omni actu, vel secundum cognitionem si sit in vigilia, vel quo ad nutritionem, vel saltem quo ad motum cordis. Et deinde, quia sola Anima humana operatur liberè, ita quod positis omnibus requisitis possit cessare ab actu: Reliquæ omnes naturaliter operantur, & sic non possunt cessare ab actu secundo positis omnibus requisitis ad agendum, si verò non ponantur omnia requisita, etiamsi formæ sint inanimatæ, non operabuntur, sed cessabunt ab actu. Denique formæ inanimatæ vt lapis, vel terra naturaliter quiescunt, ergo ex natura sua possunt separari ab actu secundo, qui est motus.

Resp. Arist. in definitione tradita nihil supponere probandum. Sic enim processit Arist. ad tradendam definitionem Animæ, quod prius in toto libro primo exclusit errores Antiquorum, qui non benè explicabant naturam Animæ, quibus exclusis propriam tradit definitionem, & id quod verè conuenit Animæ. Conuenit autem Animæ esse actum primum, id est substantialem & informantem. Et hoc probari non potest probatione à priori, cum non sit propria passio, sed ipsa substantia, & natura Animæ, quæ non habet aliquid prius, à quo per connexionem consequatur: potest tamen probari indiciis, & experientiis, quia constat dari corpora animata, quæ viuunt, & se ipsa mouent, vt ipsis sensibus videmus, debent ergo habere aliquam formam, qua constituantur in esse proprio viuentis, & animalis, & hæc forma non potest esse accidens, quia res inanimatæ substantialem formam habent, quâ constituantur, alioquin si neque etiam res inanimatæ haberent formam substantialem, nulla res neque animata, neque inanimata constaret forma substantiali, quod esset incidere in errorem antiquorum Philosophorum, qui negabant formas substantiales, & substantialem generationem, quod supponitur iam impugnatum in li. de gener. & in 1. Phys. non autem hic erat probandum. Si ergo res inanimatæ habent formam substantialem constituentem se, à fortiori res animatæ, quæ sunt perfectiores, & nō minus generantur substantialiter quàm illæ: & sic propria earum forma, quæ vocatur anima, actus substantialis, seu actus primus esse debet. Quod verò Philosophus dixit in fine capitis primi, nondum constare Animam vniri vt motorem, vel vt informantem, id dixit, quia nondum id explicuerat, sicut feci in sequenti capite, constat enim Animam non solùm præbere motum corpori, sed etiam ipsum esse, & speciem & quidditatem rei animatæ.

Ex his autem colligitur, Animam non esse ipsum temperamentum qualitatum, seu humorum, vt aliqui posuerunt, & attribuit Galeno D. Thom. 2. cont. Gent. cap. 63. quia qualitates illæ temperatæ pertinent ad dispositiones, quibus Anima coniungitur corpori, non autem ad ipsam rationem substantialem Animæ, quæ non potest consistere in ipsa forma accidentali, sed in substantiali, vt dictum est.

Ad primam. confir. Resp. animam esse actum perfectissimum in linea actus primi, & in ratione formæ constituentis & radicaliter continentis actum secundum, non in linea & ratione ipsius actus secundi, seu formæ consummantis & vltimò perficientis, hoc enim pertinet ad formas accidentales, quæ se habent vt ornatus, & perfectiones secundæ ipsius substantiæ, in quibus consummantur. Et sic quod actus secundus sit perfectior in ratione actualitatis, quàm primus, nō arguit, quòd sit perfectior in ratione formæ radicalis, & constitutiuæ, sed in ratione formæ consummantis, & accidentalis: si autem actus secundus inueniretur purificatus ab imperfectione accidentis, & in linea substantiali, ille esset perfectissimus, & plusquam Anima, sicut in Deo, qui est actus purus. *Quod verò dicitur* actum secundum esse finem operantis, *resp.* esse finem sumendo operationem non abstractè, & condiuisè ab operante; sed in concreto cum ipso, quia ipsa res operatiua est propter se ipsam vt operantem, vt docet S. Thom. 3. contra Gen. c. 17. & Caiet. 1. 2. q. 3. art. 2. & ita intelligitur, quod vnumquodque est propter suam operationem, id est propter se ipsum vt operans, quasi ipsum in potentia respiciat se ipsum operans in actu vt finem. Est etiam operatio finis *quo*, non finis *qui*, quia per operationem apprehendimus id, quod desideramus: finis autem quo non est necesse, quod sit perfectior re finalizata.

Ad secundam confirm. Respond. omissis aliis explicationibus, quod Anima separabilis est ab omni actu secundo diuisiuè, non ab omnibus collectiuè, si enim omnes actus vitales cessarent, animal esset mortuum. Quia verò Anima habet plures actus, non verò ad vnum tantum determinatur, sicut res inanimata, & illos habet secundum determinatam mensuram ab intrinseco, ideò ex sua natura habet non omnes semper exercere, sicut non potest animal semper se mouere, quia ab intrinseco lassatur, nec semper generare nec semper augeri, etiam plantæ; neque hoc est ex defectu materiæ extrinsecæ, vel impedimento, sed ex intrinseca virtute, quæ deficit, si continuè operatur, quod non habent inanimata, semper enim generabunt, si habuerint materiam, & semper mouebuntur extra centrum si non sint impedita. In motu autem cordis, non potest animal cessare, quia ille motus vitalis, est illi à generante ad modum propriæ passionis, mouetur enim ab alio, vt habeat inde principium motus; in illis verò motibus, in quibus se ipsum perfectè mouet & non à generante, potest cessare ab intrinseco, vt diximus, non quidem ab omnibus motibus collectiuè, sed à quolibet diuisiuè, etiamsi animal sit in vigilia.

Secundò arguitur. Quia anima in re non est actus corporis, sed materiæ primæ formalissimè loquendo, nam illius est actus quod actuatur ab ipsa, & est in potentia ad ipsam physice, & in re, & non secundum metaphysicas distinctiones, sed id quod est in potentia ad animam & in re suscipit illam, est materia prima nuda, sic enim recipit formam, & vnitur illi physicè, siquidem non est alia forma dans gradum corporis, & alia dans gradum animæ, sed vna & eadem, ergo talis forma in re, & Physicè non est actus informans corpus, sed informans materiam, & constituens corpus; sicut & constituens animatum. *Confirmat.* Quia aliàs anima formaliter in quantum anima, esset forma accidentalis, quod est absurdum.

Sequela patet, quia in quantum anima supponit mate-

materiam actuatam ipsa corporeitate, ergo non dat primum actum, ergo neque substantialem, quia substantialis actus est primus, & sicut si essent plures formæ in vno composito, secunda deberet accidentaliter conformare, vt ex D. Thom. dicemus art. 3. similiter, si vnus gradus supponit corpus in actu constitutum, necessariò erit gradus accidentalis.

Respondetur, Quòd Anima est forma informans materiam, sed tamen dicitur actus corporis duplici ratione. Primò intelligendo ly *corporis*, non pro subiecto informabili, sed pro composito constituto per animam, sicut cum dicitur lux esse actus lucidi, id est constituti per lucem: & eodem modo dici potest anima actus animati, id enim significat corpus organicum id est corpus viuum, & animatum vt supra exposuimus. Neque tunc difinitio animæ includet ipsum definitum, sed definietur forma per suum effectum formalem, scilicet anima per animatum, licet rursus ipse effectus formalis dicet ordinem ad causam suam, quia effectus, & causa correlatiuè se habent. Secundò intelligi potest nomine corporis subiectum informabile, sed tunc non intelligitur definitio de ipsa anima, vt absolutè est forma, sed specificatiuè vt est gradus; nec ly *corpus* intelligitur ipsa materia informabilis, sed illud, quod se habet vt materiale ex parte gradus inferioris respectu gradus superioris, anima enim non solum se habet vt informans, & constituens corpus sicut aliæ formæ, sed vt eleuans corpus ad superiorem gradum, & altiorem modum operandi, & respectu animæ sic eleuantis debuit poni pro materiali, non solum id quod informat, sed ipsum corpus quod eleuat. *Nec obstat*, quod anima solum educitur de potentia materiæ, non verò de potentia gradus corporei, nec physicè informat ipsum. *Respondetur enim*, quod anima vt forma informans, & educibilis, est actus corporis ratione materiæ tantum, quæ in corpore includitur, sed in quantum eleuans, & graduans, respicit ipsum corpus, & non solam materiam, quia eleuat illud ad altiorem gradum.

Ad confirmationem Respondetur, Animam non esse formam accidentalem etiam secundum gradum animæ, quia non dat esse distinctum à gradu corporeitatis, & substantiæ, sed explicationem maiorem eiusdem; vnde non potest accidentale esse præbere, quia est in eadem linea, & prædicamento substantiæ, & ab eadem forma proueniens. Quando autem dantur duæ formæ entitatiuè distinctæ, & quæ non dant vnum & idem esse, sed diuersum, tunc secundum esse non potest esse substantiale, sed accidentale, quia superuenit subiecto informato, & habenti esse primum, non verò idem esse secundum maiorem explicationem & graduationem præbet, vt dicemus art. 3.

Tertiò obiicies; Quia in illa particula *potentia vitam habentis*, vel intelligitur vita substantialis, quæ habetur per informationem animæ, vel accidentalis, quæ consistit in operatione. Primum esse non potest, quia sic non esset habens vitam in potentia, sed in actu, quia corpus viuum, seu organicum actu est informatum ab anima. Si secundum in primis diffiniretur anima per aliquid sibi posterius, scilicet, per operationem, quæ ab ea emanat: deinde deberet dici actu vitam habens, quia animal semper habet aliquam operationem in actu, saltem motum cordis, vt diximus. Denique, quia sic hæc prima definitio coincideret cum secunda, qua dicitur, quod anima est primum principium nutriendi, sentiendi intelligendi, &c. quæ omnes sunt operationes vitæ.

Respond. quòd vt suprà diximus illa particula *potentia vitam habentis*, de vita pro operatione intelligitur. Et *ad probationem in contrarium. Respond.* Quod operatio est aliquid posterius anima in genere causæ effectiuæ, & in executione, est tamen prior illa in genere causæ finalis, & in intentione, quia vnumquodque est propter suam operationem. *Ad secundam instantiam respond.* Quòd anima de se non est nisi actus primus, & consequenter non habet operationem nisi in potentia. Quod verò semper habeat operationem aliquam sibi adiunctam non tollit, quòd sit in potentia ad quamlibet diuisiuè quantum est ex se, quia potest ab intrinseco cessare à qualibet, in qua perfectè se mouet, vel transmutare se de vna operatione ad aliam. In motu autem cordis non mouetur à se, sed à generante licèt per illum motum viuat tanquam per primum motum vitalem non deriuatum ab alio priori motu, sed à mouente extrinseco, quatenus est principium viuentis, & causa vitæ, & consequenter primi motus vitæ, quia etiam viuentia non se mouent nisi vt mota, & ab extrinseco principio dependentia. De quo latius diximus, in quæst. 23. Physicor.

Ad tertiam instantiam dicemus art. sequenti, in quo secundam Animæ definitionem explicabimus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm secunda definitio Animæ rectè sit tradita, & an sint istæ definitiones essentiales?

SEcunda definitio Animæ, quæ sumitur ex hoc secundo libro textu 24. & ex D. Thom. ibi lect. 4. sic se habet: *Anima est id, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primò*, id est, est primum principium intelligendi, mouendi, sentiendi, & viuendi. Hanc definitionem tradit Aristot. vt per eam magis explicet primam, eamque demonstret. Vnde duo oportet explicare in hoc articul. *Primò*, definitionem ipsam in se. *Secundò*, quomodo per ipsam demonstretur alia prior.

Circa primum dicimus duo. Primum, quod ista definitio est recta, & exacta. *Ratio est*, quia explicat omne quod pertinet ad animam per gradus, & officia sua, ergo est exacta. *Anteced. constat*, singulas particulas explicando, Prima est illa particula, *id quo*, cui coniungenda est vltima particula, qua dicitur, *Primò*, id est quo primo viuimus, & sentimus, quasi sit primum principium viuendi Et illa particula, *quo* denotat formam seu principium intrinsecum, extrinseca enim principia non sunt id, quo aliquid constituitur in esse, sicut causa, efficiens, & finalis non est id, quo aliquid constituitur, sed à quo mouetur, vel cuius gratia fit. Dicitur *primò* ad denotandum, quod Anima debet esse principium substantiale, & radicale, potentiæ autem operatiuæ non sunt id, quo primò operamur, aut viuimus, sed instrumenta operandi, & viuendi. In reliquis particulis denotantur principales gradus, & operationes animæ, scilicet gradus vegetatiuus in illa particula, *qua viuimus*, gradus sentiendi in illa particula, *quo sentimus*, gradus intellectiuus in illa particula, *qua intelligimus*, operatio autem appetendi, & loco mouendi in illa particula, *quo loco mouemur*.

Dices: viuere est commune omnibus gradibus viuentium, ergo nòn explicatur in hac definitione gradus vegetatiuus in particulari. *Secundò*, Illa particula, *loco mouemur* vel explicat gradum viuendi, aut potentiam operandi, Non primum quia loco motiuum est aliquid consecutum ad gradum sentiendi, & intelligendi multò magis, quàm appetitiuum, quia ab appetitu dependet, & sequitur motus progressiuus. Si autem sumitur pro potentia, cur non ponitur in definitione appetitus, qui est principalior potentia,

quam

quam loco motiua, nec minus nobis nota, quam illa. *Denique* inconuenienter ponitur in definitione, quod viuimus, & sentimus, &c. Quia id videtur solum conuenire nobis, non autem omni alij viuenti. Et similiter illa copulatio viuendi, & sentiendi. &c. non verificatur de aliqua anima in particulari, nisi tantum de humana, cui soli conueniunt omnes illi gradus simul, ergo non potest applicari omni animæ.

Ad primum respondetur. Quòd viuere dupliciter sumitur, vno modo abstractè & in communi, alio modo pro eo quod est primum in genere viuendi, & ipso communi nomine vitæ nominatur, quia est fundamentum ad reliquas omnes vitas. In definitione ergo sumitur ly *viuere* in hoc secundo sensu. Vnde dicit D.Th. in hoc 2. lib. lect. 4. super text. 24. *Quòd viuere refert. Arist. ad principium vegetatiuum, quia prius dixerat, quod viuere propter hoc principium, inest omnibus viuentibus.*

Ad secundum dicitur: quod in potentia loco motiua implicitè inuoluitur appetitiua, quia potẽtia loco motiua est executiua appetitus, imò aliqui volunt eam non distingui ab appetitu, de quo dicemus infr. q.12. Quare per loco motiuum compendio intelligit Arist. etiam appetitiuum, quia motus progressiuus est executio appetitus, & per ipsum tanquam per effectum notiorem melius nobis innotescit appetitus.

Ad tertium resp. quod ly *viuimus*, & sentimus, &c. non loquitur solum de nobis hominibus, sed de nobis viuentibus seu animatis, nec restringi debet ad speciem humanam, sed ad genus viuentium. Nec illa particula & sumitur copulatim, sed distributiuè, scilicet quod quæcumque anima aliquam ex illis operationibus seu gradibus habeat, Licèt aliqua anima propter suam eminentiam, scilicet anima humana, omnes illas habeat. Et sic virtualiter traditur hic definitio animæ, quod nullum est inconueniens, explicatio enim rei communis iuuatur per inferiora in quæ diuiditur, ad quæ dicit ordinem.

Secundò explicari oportet, an ista definitio, & similiter prima, articulo præcedenti tradita, & quæ per istam demonstratur, sint definitiones essentiales. In qua parte Authores diuisi sunt; nam quidam existimant hanc secundam definitionem essentialem esse, quia illa particula, *quo viuimus, sentimus, &c.* sumitur pro principio radicali viuendi, principium autem radicale essentia animæ est. Vnde M. Ban. 1. part. quæst. 75. art. 1. in explicatione huius secundæ definitionis, sentit esse valdè probabile, quod sit definitio essentialis, idemque sentit Caiet. 2. de Anima. cap. 2. quæst. 4. Alij intelligunt istam secundam definitionem esse descriptiuam, quia traditur per operationes vitæ, quæ sunt aliquid posterius, & accidentale. Et ita hanc sententiam videtur ponderare D. Thom. 2. de Anim. lect. 3. in principio docens, quòd prima definitio Animæ demonstratur per istam secundam à posteriori, & per effectus. Vnde hanc sententiam sequitur P. Suar. tractatu de Anima, lib. 2. capit. 3. circa tertium punctum & alij. De prima autem definitione Animæ, scilicet, quod sit actus corporis organici, communis sententia est, quod sit definitio quidditatiua.

Respondeo ergo, & dico secundò. *Vtramque definitionem absolutè esse essentialem, & in vtraque connotari aliquid extrinsecum per ordinem, ad quod definitur anima, licèt in hac secunda definitione connotetur aliquid extrinsecum, quod magis se habet vt effectus animæ in genere causæ efficientis, & sic est aliquid magis notum quoad nos ad demonstrandum à posteriori, primam definitionem.* Vt explicetur fundamentum huius conclusionis *aduerto*, quod substantia incompleta, qualis est forma, & etiam ipsa Anima, non potest definiri absolutè, & in ordine ad se, sicut substantia completa, & totalis, sed in ordine ad aliquid extrinsecum, qui tamen ordo formæ ipsi intrinsecus, & essentialis est, eo quod forma essentialiter dicit ordinem ad alterum, quod informat, vel componit. Est autem in forma substantiali duplex ordo essentialis, & intrinsecus, scilicet ordo informandi, & ordo operandi, est enim forma principium dandi esse, & principium etiam seu radix operationis, & in ratione informandi respicit materiam, seu subiectum, quod est informabile à se, in ratione autem operandi respicit actum secundum, seu operationem, non quidem proximè sicut potentia, sed remotè, & radicaliter sicut primum principium. Inter istos autem duos ordines, seu respectus, primus qui est ad materiam, seu subiectum intimior est formæ, & prior in illa, tùm quia id quod illi præbet est esse, & substantialem speciem, tùm quia forma, & materia adinuicem sunt causæ, & ita forma definitur per ordinem ad materiam, non solum vt causatam à se in ratione informatæ, sed etiam vt ad causam sui in quantum recipit illam, & dependet ab illa in esse. At verò forma substantialis, licèt essentialiter habet esse radix potentiarum, & operationum, cum non sit radix illarum per aliquid superadditum, sed per se ipsam, tamen non respicit operationem nisi vt effectum, non vt causam è qua specificatur, neque enim operatio specificat ipsam substantiam, quæ est radicale eius principium, siquidem substantia non specificatur ab aliquo extrinseco, sed ipsæ potentiæ animæ sunt quæ specificantur ab actibus, & obiectis. Vnde vt supra diximus operatio sola non est finis, cuius gratia ipsius operantis, sed finis effectus, finis autem est ipsemet operans in actu.

Hoc supposito probatur conclusio: quia vtraque definitio traditur per aliquid intrinsecum, & essentiale ipsi animæ, ergo est quidditatiua. *Anteced.* quoad primam definitionem *probatur*, quia in illa dicitur, quòd anima est actus primus corporis, sed esse actum primum est illi essentiale, quia non est aliquid extrinsecum, vel consecutum ad aliam priorem rationem, sed per propriam, & intrinsecam essentiam anima actuat, & informat tanquam actus primus: similiter ordo ad corpus, seu ad materiam est intrinsecus, & essentialis ipsi formæ, seu animæ, ergo traditur ista prima definitio per aliquid quidditatiuum, & essentiale. *Quoad secundam verò definitionem probatur*, quia vt diximus, in forma substantiali esse radicem potentiarum & operationum, est aliquid essentiale, & quidditatiuum, siquidem non habet hoc forma substantialis per aliquid superadditum quod sit extra essentiam, fundatur enim in ipsa essentia connexio cum passionibus, & operationibus, si autem esset radix illarum per aliquid superadditum essentiæ, de illo esset eadem difficultas, quomodo dimanaret, & connecteretur cum tali essentia, constat autem, quod ista secunda definitio traditur per ipsam primam radicem operationum vitalium, quia dicitur anima esse id, quo viuimus, & sentimus primò; ergo definitur per primam radicem viuendi, & sentiendi. Et licèt operationes sint extrinsecæ ipsi animæ tanquam effectus eius, tamen ordo radicalis ad illas, essentialis est animæ; & sicut prima definitio traditur per ordinem ad aliquid extrinsecum, scilicet, corpus seu materiam & tamen est essentialis definitio, quia ordo ad corpus essentialis est animæ, seu formæ, ita hæc secunda definitio essentialis erit, licet tradatur per ordinem ad operationes extrinsecas, quia ordo radicalis ad illas, essentialis est animæ. Quod si per ly *viuere*, & sentire, &c. intelligamus

non operationes vitales, sed ipsam informationem, seu effectum formalem, quo substantialiter aliquid constituitur in esse viuentis, vel sensitiui, &c. tunc multò euidentius definitio hæc est quidditatiua, quia traditur per effectum formalem intrinsecum;& quidditatiuum ipsius animæ, ad quem dicit essentialem ordinem. Quod verò in hac secunda definitione connotetur aliquid magis conducens ad demonstrationem à posteriori respectu primæ, statim explicabimus.

Circa secundum, quod in præsenti articulo inquirimus, scilicet, quomodo demonstretur prior definitio animæ per hanc posteriorem *dubium est*, quomodo ista secunda definitio differat à priori, siquidem vtraque videtur tradi per ordinem ad operationes;dicitur enim de ista secunda, quod est primum principium, quo viuimus,& sentimus,quod pertinet ad operationes vitales, & prima definitio dicit, quod anima est actus corporis potentia vitam habentis, vbi ly *vitam* explicauimus de vita accidentali, quæ vtriquè est operatio vitalis. *Et secundò est dubium*, an ista secunda definitio demonstret priorem à posteriori, vel à priori.

Ad primam difficultatem respond. istam secundam definitionem differre à prima,tum in modo explicandi & definiendi, tùm in rebus explicatis. In modo quidem definiendi,quia hæc secunda definit animam, vt principium radicaliter operatiuum, prima verò vt principium informatiuum, licet etiam addatur ordo ad operationem vitalem in illa particula, *potentia vitam habentis*, in qua solum ponitur in communi id, quod secunda definitio in particulari explicat per omnes gradus,seu operationes vitæ; vnde etiam differunt in hac particula, & in explicando ordinem ad operationes vitales. Et hinc constat,quod etiam differunt in ipsis rebus explicatis, quia prima definitio traditur per habitudinem animæ ad corpus,& hoc est quod primo & per se explicat, & hæc habitudo est causæ formalis ad id quod informat. Secunda verò definitio traditur per habitudinem ad ipsos effectus, qui ex tali forma resultant,siuè formales,si ly *viuimus, & septimus* explicetur de ipsa vita substantiali, vel per habitudinem ad effectus operatiuos, & in genere causæ efficientis,si intelligatur de viuere & intelligere accidentaliter pro operatione.

Ad secundam difficultatem respondetur, quòd Philosoph. in hoc secundo capite, vbi tradit hanc secundam definitionem docet per eam demonstrari primam tanquam per notiorem. Vt autem explicemus, quomodo demonstretur, *aduerte*, quod definitio à posteriori, quæ est per effectus non ordinatur nisi ad demóstrandum causam esse,seu quoad an est, & dicitur demonstratio *quia*, & non *propter quid*, vt si vellemus demonstrare, quod datur anima in rerum natura, idque ostenderemus ex effectibus, quia datur operatio vitalis,scilicet sentire,& intelligere, &c. ergo datur anima, hæc esset demonstratio à posteriori, & quia. Nunc autem Philosophus non intendit per hanc secundam definitionem demonstrare, quod detur anima, sed quod prior definitio rectè sit tradita. Et ad hoc assumit non ipsas operationes animæ tanquam effectus eius, sed ipsum munus, seu officium animæ, vt est radix suarum operationum ad ostendendum, quod cui conuenit tale munus,etiam conuenit quod sit actus primus respectu corporis. Et sic D. Thom. in hoc 2.lib.lection.4.circa textum 24.hoc modo exponit syllogismum Philosophi: *Duorum,quorum vtroque dicimur aliquid esse,aut operari,vnum scilicet quod est primum est forma & aliud quasi materia, sed anima est primum,quo viuimus, licèt anima, & corpore viuamus, ergo Anima est forma respectu corporis viuentis,seu organici, quæ fuit definitio animæ supra posita.* Vbi manifestum est non procedere ex aliquo effectu,quasi ex operationibus vitalibus probet animam esse actum corporis organici,siue sumantur operationes vt effectus,siuè vt fines; sed tota probatio Arist. consistit in eo, quod cum in viuente includantur duæ partes, scil.corpus, & anima,illud ex his duobus dicetur forma,seu actus primus,quod est primum,quo viuens viuit, & sentit; cuius exemplum ponit in scientia & sanitate,quia est id,quo primò scimus,vel sumus sani, ergo anima debet esse, quo primò viuimus, aut sentimus, ergo erit forma seu actus corporis. Vbi sumit Aristot.pro medio,quod forma est primum, quo aliquid dicitur tale, sicut in exemplo scientiæ, & sanitatis constat, & primum, quo dicimus viuere, & sentire est Anima, quod est secunda definitio, & inde infert, quòd Anima debet esse actus primus corporis, quod est prima definitio. Non ergo sumit pro medio ipsas operationes Animæ tanquam aliquid extrinsecum, vt procedat ab effectu ad causam, sed aliquid intrinsecum ipsi Animæ, scilic. esse primum principium istarum operationum, ad probandum inde aliud etiam intrinsecum conueniens ipsi Animæ, scilic. quòd sit forma, & actus primus corporis organici, quasi demonstrans vnum officium, seu munus intrinsecum Animæ ex alio.

Quòd si inquiras. An sit ista demonstratio à priori, vel à posteriori, & quo modo tradatur per aliquid notius? *Resp.* D. Thom. in hoc 2. lib. lection.3. in initio, & super textum 13. dicere quòd hæc demonstratio est à posteriori, & per effectus. Quòd verum est,considerando istam secundam definitionem quantùm ad id, quod connotat in obliquo, dicitur enim principium sentiendi, & viuendi, id est, operatiuum vitæ, & sensus, & sic dicit aliquid, quod est posterius, & notius quoad nos, & sic esse principium talium operationum, in obliquo connotat ipsas operationes,quæ se habent vt effectus posteriores. Considerando autem id, quod directè ponitur in ista diffinitione, scilicet esse principium seu radicem ipsam sentiendi, & viuendi, sic manifestum est non dari à posteriori, tanquam per effectum, quia esse radicem operationum non est effectus naturæ,sed ipsamet natura. Sed quia in ipsa natura iste ordo ad operationes est tanquam formalitas quædam,& respectus posterior,quàm formalitas,seu ordo ad materiam,& subiectum informabile; potest etiam intelligi, quod sit demonstratio à posteriori,eo modo,quo inter formalitates alicuius rei vna dicitur consequi, & posterior esse quàm altera,sicut etiam inter ipsa Diuina attributa potest dari demonstratio à priori, vel posteriori secundùm quod vna ratio intelligitur prior alterâ, vel consecuta ad illam. Denique potest demonstratio ista à priori sumi in alio sensu scilic. intelligendo per ly *sentimus, & viuimus* non operationes ipsas, sed ipsum esse viuendi & sentiendi, quod primò præbetur ab Anima,tunc enim per aliquid requisitum ad officium formæ,demonstratur quod anima sit actus, vel forma, scil. quia est id, quo primò constituitur, & denominatur aliquid tale, probatur esse formam talis:qua ratione D.Th. explicat hunc syllogismum, seu demonstrationem super illum text. 24. Et sic vtraque explicatio locum habet in D.Th. secundum diuersas considerationes.

Quod si dicas: nam esse actum, seu formam,non est effectus consecutus in Anima, sed aliquid illi essentiale: similiter esse primum, quo aliquid constituitur non habet, rationem causæ formalis, vel efficientis, aut alterius causalitatis,ad hoc quod aliquid sit actus, vel forma, ergo non est demonstratio à priori *Resp.* Quod ly *forma*, & actus potest sumi dupliciter, vno modo

modo entitatiuè, vt est in se secundum quod distinguitur contra potentiam; alio modo secundum respectum formæ, & vt exercet officium informandi Primo modo non potest demonstrari quòd aliquid sit forma, quia essentia rei est indemonstrabilis. Secundo modo potest demonstrari, quod alicui conueniat officium formæ, quia conuenit illi id, quod requiritur ad tale munus, scil. esse primum, quo aliquid constituitur in esse talis. Et hoc ideò, quia omne prædicatum respectiuum potest demonstrari per absolutum, quod habet vt fundamentum, tanquam rationem priorem, eo modo, quo in Diuinis vnam rationem attributi demonstramus per aliam. Et *quando dicitur*, in quo genere causæ sit hæc demonstratio? *Respond.* quòd reducitur ad causam formalem, eo modo, quo fundamentum est causa rei fundatæ, scilicet ad modum specificantis illam, & deriuantis ex se; aut saltem ad causam materialem sustentantem rem fundatam: imò etiamsi solùm se haberet vt conditio requisita, dummodò essentialiter requireretur, demonstratio esset per causam formalem reductiuè, non informantem, sed modificantem, vel apponentem conditionem ad constitutionem requisitam.

Quòd verò hæc demonstratio fiat per aliquid notius quoad nos, ex eo constat, quia esse actum corporis organici non est ita notum sensibus, sicut est notum per ipsas operationes & motus, quod aliquid sit viuens, & sentiens; ex quo concluditur, quòd oportet dari aliquid, quod primum constituatur in esse viuentis, & hoc debet esse actus informans tale corpus, & hæc informatio & actuatio in se, non est ita nota.

Ex dictis constat, non habere locum argumenta, quæ deducuntur contra hanc demonstrationem ex eo, quòd est per operationes tanquam per effectus, nec operationes se possunt habere vt fines, quia potius viuens est finis operationum; & substantia ipsa non specificatur à fine, vel obiecto sicut potentiæ. Cæterùm iam diximus non fundari hanc demonstrationem in operationibus, vt in effectibus ad causam, sed in ratione principij quo aliquid est primò tale, ad hoc quod est esse formam rei talis.

Sed instabis in Anima rationali, quæ vt intellectiua est primum principium intelligendi, & prout talis non est actus corporis organici, quia intelligere non exercetur per organum corporeum, ergo vel non conuenit illi prima definitio, vel hæc secunda non demonstrat adæquatè primam. *Resp.* animam rationalem per se, & essentialiter esse formam hominis, vt definitur in Concilio Viennensi Clement. 1. de summa Trinitat. Et in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8. *Ex quo infertur*, quòd etiam in quantum rationalis verè est Anima, quia verè constituit hominem quantum ad id, quod proprium hominis est, scilicet in quantum rationalis, quia esse hominem habet ab anima vt à forma, & consequenter esse rationalem, quod constituit hominem vt homo est. *Cum ergo dicitur*, quod non est actus corporis organici in quantum intellectiua est. *Respond.* Quod etiam in quantum intellectiua est actus corporis organici, non quidem quod potentia intellectiua sit affixa, & dependens ab organo, sed quia vtitur illo ministerialiter, quatenùs pro isto statu est dependens à phantasmatibus vt ministrantibus vt ministrantibus sibi species. Atque ita non repugnat formam spiritualem esse actum corporis, non per dependentiam ab illo, sed per communicationem suæ actualitatis ad illud. Et licet esse talis formæ, in se spirituale sit, tamen quia eminenter est corporeum, potest modo corporali, & non spirituali communicare tale esse corpori, vt amplius dicemus infra quæst. 9. & videri potest de hoc D. Thom. quæst. de Anima artic. 1. ad 13. & 18. & 19. & quæstion. de spiritualib. creat. articul. 2. ad 4. & 1. part. quæstion. 76. articul. 1. ad 5.

Quòd si dicas. Cur similiter accidens spirituale non poterit inhærere corpori, si corpus est capax existentiæ spiritualis per Animam? *Resp.* causam esse, quia acidens spirituale non est eminenter corporeum neque gradum corporeitatis habet, eo quod illud accidens dicitur spirituale quod est participatio quædam seu virtus gradus spiritualis in eo est, in quo spiritualis est; vnde nihil habet de participatione gradus corporei, & sic neque potest corporeum esse dare, neque ab illo dependere in sua sustentatione sicut dependet res inhærens. Nec tamen repugnat omnis communicatio spiritualis accidentis subiecto corporeo, quando scilic. communicatur ei modo imperfecto, & quasi motio & eleuatio superioris, sicut virtus instrumentalis, qua mouetur corpus à spiritu ad aliquem spiritualem effectum, quia impressio per modum motus inhæret corpori non absolutè, sed vt obedientialiter subiicitur spiritui, de quo diximus q. 26. Physic. art. 1. & iterum infra q. 10. tractando de intellectu agente.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in quocumque viuente sit tantum vna forma substantialis ad omnes gradus?

Difficultas præsens, quæ satis apud Antiquos disputata est, & communis est omni composito substantiali, ex quadruplici capite oritur. *Primò* an multiplicentur formæ substantiales iuxta plura prædicata quidditatiua, ita quòd diuersa prædicata à diuersis formis proueniant? *Secundò est specialis difficultas* circa formam corporeitatis, an sit coæua materiæ, reliquæ verò formæ superueniant illi? *Tertiò* ex parte graduum vitæ specialem difficultatem habet in viuentibus, an proueniant à diuersis formis? *Quartò* ex parte diuersarum partium etherogenearum, vel ex parte diuersorum humorum in animalibus; videntur enim singula ista exigere diuersas formas propter diuersas proprietates, & officia quæ habent. Et ita diuersi Authores antiqui secundum hæc diuersimodè moti sunt ad ponendum diuersas formas. Et difficultas currit supponendo, quòd quælibet forma præbeat gradum, & prædicatum quidditatiuum singularizatum, sic enim inquirimus, an ista prædicata, & diuersi gradus, prout in singulari, proueniant à diuersis formis in eodem composito?

In hac parte est controuersia cum Scoto, & eius schola, & ante ipsum fuit cum Auicenna, & multò ante cum Platonicis, qui ponebant diuersas formas esse in diuersis partibus eiusdem compositi, & in corde, cerebro, hepate; quod in homine non ita difficile intelligebatur apud ipsos, quia Animam intellectiuam, solùm ponebant, vt motorem, non vt formam substantialem, & sic permittebantur aliæ formæ esse in corpore, vt constitueretur mobile ab Anima, vt inquit San. Thom. 1. p. 76. artic. 4. Supponendo autem Animam humanam vniri, vt veram formam hominis, eadem difficultas currit in ipsa, atque in aliis compositis. Scotus ergo in 4. distinct. 11. qu. 3. sentit rationes Diu. Thom. non concludere vnitatem formæ, & ita in homine præter Animam intellectiuam ponit formam corpereitatis, seu mixti propter rationes infra adducendas.

Nihilominus tanquam certa conclusio & communi

ni Authorum approbatione recepta statuendum est, *In nullo composito substantiali, quod est vnum per se, posse dari plures formas substantiales, neque propter diuersa prædicata, seu gradus, neque propter diuersitatem partium etherogenearum.* Hæc conclusio est perpetua in D. Thom. vt patet 1. p. quæst. 76. art. 3. & 4. & 2. contra Gentil. cap. 58. & 7. Met. lect. 12. & q. de Anima art. 11. & sequuntur communiter alij Authores, qui latè citantur à P. Suarez disp. 15. Met. sect. 3. num. 12. & lib. 1. de Anim. cap. 6. & art. M. Bannez. lib. 1. de generat. sect. 8.

Rationes præcipuè sunt duæ, quæ diligenter in præsenti tractandæ sunt. *Prima ratio principalis* sumitur ex ipsa propria, & intrinseca ratione formæ substantialis, quia de eius ratione est, quod det esse simpliciter, sicut forma accidentalis dat esse secundum quid, quod dicitur *secundum quid*, quia superuenit alicui esse præsupposito, & sic non constituit, esse simpliciter in ipsa re, quam informat, sed esse vt tale, id est vt superadditum alteri esse, per quod res supponitur existens: si ergo darentur plures formæ substantiales incompletæ in vno composito, necessariò vna forma superueniret alteri, & præsupponeret ipsum compositum habere aliquod esse per priorem formam quo absolutè & sine addito redderetur existens, & extra causas, hoc enim est simpliciter dare esse, & ita sumimus in præsenti ly *simpliciter* ad euitandam omnem æquiuocationem, scilicet pro eo, quod reddit absolutè, & sine addito aliquid existens, ergo si per vnam formam substantialem, quantumuis incompletam redditur aliquid absolutè, & sine addito existens, siquidem verè supponitur corpus, verbi gratia, vel substantia constituta, per secundam formam, iam non fit esse simpliciter, quia supponitur, sed vt tale, quod est esse secundum quid, & proprium accidentium. Itaque repugnat quod detur aliquod esse à forma substantiali, & non sit primum esse, quod est esse simpliciter, & substans aliis, & consequenter idem est dari plures formas substantiales in aliquo composito & dari plura esse, quorum quodlibet sit primum, & substantiale, quod omnino repugnat.

Hæc ratio euacuatur à Scoto, & ab omnibus, qui tenent materiam primam secundùm se esse ens in actu entitatiuè, sicut enim materia prima apud istos habet esse in rerum natura simpliciter, id est sine addito, quia verè existit, & tamen per introductionem formæ mutatur ad tale, vel tale esse, & non constituit ens per accidens cum forma, quia illud esse quod habet esse incompletum, & adhuc in potentia ad vlteriorem actum, atque adeo cum illo potest componere esse completum, quod simpliciter sit vnum: sicut in compositione metaphysica gradus quilibet includit aliquod esse, qui tamen cum vlteriori gradu componit aliquid vnum per se; sic similiter in compositione physica dici potest de formis incompletis, quarum quælibet dat esse cum potentia ad vlteriorem formam & esse. Quandò autem dicitur, quòd ex duobus entibus in actu non fit vnum per se, intelligitur de duobus entibus in actu plenè & completè, si enim adhuc est in potentia ad vlteriorem actum, cum illo componet, non vt ens in actu, sed vt in potentia.

Hæc euasio coëgit P. Suar. loco sup. cit. ab hac ratione abstinere, & aliundè probare conclusionem positã, tum inductione, quia eadem forma accidentalis, v.g. albedo dat esse genericum, & specificum & similiter eadem forma in Angelis vtrumque facit, cur ergo eadem forma substantialis in rebus compositis id non faciet? Tum etiam quia nulla forma est in re existens, quæ specifica non sit, quia genericum sine specifico dari non potest. Habet enim quælibet forma distinctum esse à materia, & aliis formis specificis, ergo debet habere specificam differentiam; si autem habet, vtique illam communicat materiæ, quia quidquid in se habet, totum præbet materiæ, quam informat.

Cum verò vrgetur exemplo ipsius materiæ, quæ in eius sententia habet esse, & tamen illud communicat aliis formis completúrque quasi specificè per formas, ergo similiter potest aliqua forma dare actualitatem genericam materiæ, & tamen vlterius esse complebilem per formas specificas. *Respond.* materiam esse fundamentum substantiæ compositæ, & per modum potentiæ inchoare ipsum compositum, & ita de se est indifferens, vt per varios actus compleatur: at verò forma est complementum naturæ substantialis, & ita hoc ipso quod habet determinatam specificam rationem formæ, si vniatur materiæ complet illam, & constituit in vltima specie, nec relinquit indifferentem vlterius ad aliam formam. Cæterùm in hac parte restat probãdum P. Suar. cur omnis forma sit complementum ita vltimum, & perfectum, quod non possit vlterius perfici, & compleri, atque ita prima forma complebit informando & dando esse, sed non perfectè & vltimò, sed adhuc in potentia ad vlteriorem actualitatem, sicut perficitur Anima per potentiam tanquam per formam, & potentia per habitum, & habitus per actum, quia isti actus ordinatè se habent in perficiendo, & vnus est perfectior altero ordine quodam. Vnde respondebit Scotus, quod prima forma substantialis dat esse specificum non in specie vltima, sed subalterna cum potentialitate ad vltimam formam specificam, & per illum gradum subalternum distinguitur ab aliis formis dantibus alios gradus, sicut materia quia habet gradum substantię partialis communissimum, distinguitur specie ab aliis, & est in potentia ad alia. Quarè non videtur hac ratione satisfactum.

Oportet ergo redire ad ipsam rationem D. Th. quæ valde philosophica est, & iuxta principia Arist. ab ipso D. Th. tradita, & à nobis explicata 1. Phys. quæst. 3. & 1. de gen. q. 1. art. 2. quòd materia est ens in potentia, & non habet ex se aliquem actum etiam entitatiuum, aliàs non fieret compositum substantiale, neque substantialis generatio, quia non fieret esse simpliciter, sed præsupponeretur. Et ideò S. Th. quæst. illa 76. art. 4. fundans hanc rationem, subdit. *Quòd Antiqui, qui posuerunt materiam primam esse aliquod ens actu, putà ignem, aut aërem, aut aliquid huiusmodi, dixerunt, quod nihil generatur, aut corrumpitur simpliciter, sed omne fieri dixerunt esse alterari*, vt dicitur 1. Physicorum. Sentit ergo D. Thom. eandem esse rationem ponendi materiam primam, quòd sit ens actu, & ponendi plures formas substantiales, quarum vna supponat aliam, vtrumque enim æquè tollit vnitatem per se compositi, & generationis substantialis. Et ita non admittimus instantiam de materia prima.

Nihilominus ne solùm alligemus rationem factam huic sententiæ de materia prima, duo addimus in præsenti. *Primum*, quod est contra rationem formæ substantialis, dare illud esse incompletum, & cum potentia ad vlterius esse, quia vel illud esse, quod præbet, sufficit se solo ponere extra causas rem, quam constituit, vel non sufficit, sed indiget vlteriori forma incompleta, & esse eius, vt ponatur res extra causas. Si hoc secundum non est esse formæ substantialis, quia non est principium alicuius esse sufficientis existere per se, sed indigentis consortio alterius, ergo ex vi talis formæ incompletæ nondum fundat conceptum formæ substantialis, sed vel materiæ, quæ si habet esse, solum est receptiuum alterius, & ita est substantia solùm vt recipiens non vt dans esse, vel vt forma accidentalis, quæ dat esse indigens alterius esse sub-

fulcimento, non autem per se existens. Si dicatur primum, talis forma est completè substantialis, quia complete dat esse substantiæ, quod est esse per se, nec dependet ab alio esse vt sit, & sic reliquæ formæ aduenientes sunt accidentales, vtpotè supponentes esse completè substantiale, & per se.

Secundum est: quia vel forma habet potentialitatem, vt vlterius informetur, vel solum relinquit in materia locum, & potentialitatem, vt informetur ab vlteriori forma. Primum esse non potest, quia forma quantumcumque sit imperfecta, & incompleta, non tamen est informabilis ab vlteriori forma substantiali, quia ipsa nihil habet de materia, nihil est autem informabile ab vlteriori forma substantiali nisi materia, quia potest componere cum forma substantiali, cuius ratio est, quia illud, quod componit substantialiter cum forma debet esse in potentia ad talem formam, ita quod educatur ex illa, vel infundatur illi, non potest autem vna forma substantialis educi ex alia forma, sed solùm ex materia, quæ est in potentia ad omnes formas, si autem educeretur ab alia forma, illa non esset purè forma, sed aliquid haberet etiam de materia, & sic nunquam duæ formæ, quæ purè essent formæ substantiales inueniri possent in eodem composito substantiali. Si dicatur secundum, currit ratio facta à principio, quia tunc vna forma non determinat aliam substantialiter componendo cum illa, sed vnaquæque cum materia facit suum compositum, ergo non restat aliquid per quod vniantur vnitate per se, sed erunt sicut plura composita accidentalia in eodem subiecto, verbi gratia, album, & dulce, quæ solùm vniuntur vnitate subiecti, quæ est per accidens, & secundum quid, non autem vnitate alicuius formæ, in qua habeant vnum esse per se. Nisi fortè dicatur, quòd illa duo composita incompleta se habent sicut partes integrantes, quæ componunt vnum totum, aut dicendo quod vltima forma constituit compositum in ratione totalis esse, vt significat Scot. citato loco §. Ad rationes. *Sed contra primum est*: quia plures partes integrantes, si non informantur eadem forma substantiali, sed diuersis, solùm possunt habere vnitatem, vel ratione eiusdem materiæ, vel ratione vnius quantitatis, neque enim est aliud principium faciendi vnitatem, nisi vel materia, vel forma substantialis, vel accidentalis; remota ergo vnitate substantialis formæ solum remanet vnitas ratione materiæ, vel quantitatis; vtrumque autem est vnitas secundum quid, sicut vniuntur album, & dulce in eodem subiecto. *Contra secundum autem est*, quia tunc solùm dabitur vnitas ordinis, aut ad modum numeri, in quantum vltima forma claudit, & determinat reliquas, siquidem non informat illas, sed materiam, vt probatum est, & sic non faciet vnum substantialiter.

Ex quo patet, diuersam esse rationem de compositione physica, & metaphysica, quia Metaphysica solum fit penes diuersos gradus, quarum multiplicatio non est secundum diuersas formas, quare vna informat aliam, sed secundùm diuersas considerationes eiusdem integræ, & totalis rei, secundùm quod consideratur magis indeterminata in potentia, vel magis determinata in actu, eo quod non est actus purus, sed constans ex actu, & potentia, & consequenter diuersas istas graduationes admittens secundum determinabile, & determinatum; at verò compositio physica fit per veram, & realem informationem, non potest autem vna forma substantialis informari ab alia, quia nihil habet in se materia, ex qua educatur alia forma, solùm autem informat illud, à quo educitur, vel cui infunditur; vnde solum potest admittere aliam formam, quatenus in eadem materia relinquit illi locum, & compatitur cum illa; & sic compositum indè resultans solùm erit vnum vnitate potentiæ seu materiæ informatæ, non vnitate formali, & actuali, quæ est vnitas per se.

Secunda ratio principalis contra Scot. deducitur ex ipsa prædicatione, quia omnes gradus generici, & specifici prædicantur essentialiter de quolibet inferiori, sicut homo essentialiter est animal, & rationale, & viuens, & corpus, sed non potest essentialis prædicatio de eadem resumi à diuersis formis, ergo debet prouenire ad eadem. *Min. probat.* quia quæ sumuntur à diuersis formis prædicantur de aliquo, cui conueniunt iuxta modum, quo tales formæ in eo sunt; Formæ autem, quæ alicui conueniunt, vel vna per se coordinatur, & subordinatur alteri, vel non; Si non, solùm sequitur prædicatio per accidens, quia vna forma non determinat aliam, nec per se subordinatur alteri, ergo neque per se prædicatur de alia, sed per accidens, quia omnis prædicatio subordinationem, seu coordinationem importat prædicati, & subiecti. Si autem per se coordinantur illæ formæ, fiet quidem prædicatio per se, sed in secundo, modo sicut cum risibile prędicatur de homine, eo quod se habet vt forma distincta connexa cum altera, & consequenter prædicatur de illa in secundo modo per se, vt mox ostendemus; omnes autē gradus superiores, & inferiores prædicantur essentialiter in primo modo per se de illo, cui cōueniunt, ergo nō debēt prouenire à diuersis formis.

Resp. Scotus, quod in prædicatis, quæ sumuntur à diuersis formis, solùm sequitur quod neutra forma includat alteram, nec prædicetur de illa, & consequenter quòd genus non prædicetur de differentia, non tamen quòd vtraque non prædicetur de composito, seu subiecto. *Sed hoc & falsum est, & non euacuat vim argumenti. Est falsum,* quia vt benè notat Caiet. q. illa 76. art. 2. prædicata, quæ sumuntur à diuersis formis etiam vnum prædicatur per se de alio, licet non in primo modo per se, sed in secundo, sicut cùm dicitur homo est risibilis, ignis est calidus, licèt calidum, & risibile sumantur à forma accidentali. Non euacuat vim argumenti, quia facimus vim in eo, quod tales formæ fundant prædicationem respectu sui compositi, & constituti, v. g. rationale, & animal, & viuens respectu hominis quem constituunt, & inquirimus, quam prædicationem fundent respectu huius constituti, an per se, vel per accidens; Si per accidens, est falsum, cùm homo per se sit viuens, & animal. Si per se, vel per se secundo modo, & hoc est falsum, cum sint essentiales prædicationes, & primi modi. Si per se primo modo, non stat quòd sumantur à diuersis formis, quia duæ formæ, hoc ipso quod sunt distinctæ ita se habent, quod vna non est essentialiter alia, sed distincta, licet sit illi coordinata, ergo non fundat prædicationem essentialem, & primi modi sed coordinationis, & connexionis duorum distinctorum, quæ est prædicatio per se secundi modi, & sicut inter se sunt connexæ illæ formæ, sic manent connexæ in ipso composito, quod constituunt, neque enim ibi maiorem vnitatem, & perseitatem habet, quam inter se; ergo non fundabunt prædicationem in primo modo, sed in secundo, sicut duæ formæ connexæ.

Aliundè posset instari hac ratio facta etiam in nostra sententia, quia materia & forma sunt entitates diuersæ, & tamen præbent composito prædicata essentialia in primo modo per se, sicut à materia sumitur prædicatum materialis, & corruptibilis, & alia similia, à forma verò quod sit corpus, viuens, animal, &c. Cur ergo repugnabit à diuersis formis sumi prædicata quidditatiua, quæ in primo modo per se, & essentialiter prædicentur? *Respond.* esse disparem rationem inter materiam, & formam, & inter ipsas formas inter se, quia materia, & forma ex propria, & intrinseca

seca essentia sua se habent sicut actus, & potentia ipsúmque compositum essentialiter constituunt etiam in primo modo per se, quia actus, & potentia essentialiter, & in primo modo per se pertinent ad constitutionem compositi. At verò duæ formæ distinctæ non se habent sicut actus, & potentia, & ita solùm possunt alicui composito conuenire, quatenùs inter se habent coordinationem, & vna est præambula ad aliam, vt docet S. Thom. q. illa 76. art. 3. atque adeò solum fundant perseitatem in secundo modo, qualis potest esse inter duas formas, quarum vna consecutiuè se habet ad aliam, & secundum connexionem. In summa, non fundatur essentialis prædicatio in primo modo per se, nisi vel vnum sit intra essentiam alterius, & non distinctum ab illo, vel si sit distinctum, essentialiter se habeant, vt actus, & potentia, quia tunc vnum respicit alterum non vt consecutum, & connexum cum illo inter se solum, sed vt essentialiter componens ipsum tertium, quod constat ex actu, & potentia; quæ verò se habent vt duo actus, seu vt duæ formæ, possunt quidem habere connexionem, quâ vnum consequatur ad aliud, non tamen quod essentialiter se respiciant in ratione componendi essentialiter, quia quod per se essentialiter componit, solùm est actus, & potentia, non actus & actus: & ita si duo actus faciunt essentialem prædicationem, solùm potest esse, quia essentialiter includitur vnum in altero, non verò si distinguitur ab illo.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur* ex Scoto, quia in corpore Christi separatâ Animâ mansit idem corpus numero, vt communiter dicunt PP. & S. Thom. admittit 3. par. quæst. 50. articul. 5. & si in illo triduo seruaretur Eucharistia, esset idem corpus, quod antè fuit consecratum, & tamen non haberet Animam rationalem, ergo aliqua forma mansit, quæ separata Anima constitueret idem corpus numero sicut anteà. *Confirmatur.* Quia omnia cadauera ex quacumque causa generentur sunt eiusdem rationis, sed à diuersis causis specie differentibus non potest semper produci effectus eiusdem speciei, ergo cadauera sunt eiusdem rationis propter eandem formam corporeitatis. *Confirmatur secundò.* Quia Anima intellectiua in se spiritualis est, & inextensa, in corpore autem inuenitur extensio, figura, corruptibilitas, &c. ergo hæc non sunt ab Anima, cuius esse est spirituale, & indiuisibile, ergo ab alia forma præter Animam. *Denique* ipsa Anima intellectiua creatur à Deo, homo autem non creatur, sed generatur, ergo formalis terminus generationis, non est ipsa Anima intellectiua, quia vbi est diuersa actio, scilicet generatiua, & creatiua, diuersus terminus formalis esse debet, & consequenter diuersa forma, vna quæ sit terminus creationis, altera generationis.

Respondetur. Quod corpus Christi mortuum, & viuum dicitur idem numero ratione suppositi, in quo sustentatur, non ratione formæ, quâ constituitur. Itaque terminatiuè est idem numero, non formaliter, id est solum ratione suppositi, à quo habetur vnitas numeralis vt à termino, & sic est idem numero suppositaliter, licèt non omnibus modis sit idem numero, vt D. Thom. affirmat loco citato ex 3. par. & non potest Scotus maiorem identitatem in ipso corpore saluare, quam suppositalem, eo quod ablatâ formâ specificâ, remanet tantum generica corporeitatis omnibus communis, ergo non remanet idem indiuiduum specificum, quod antea, solum ergo erit idem indiuidualiter ratione suppositi.

Ad primam confirmationem respondetur, In primis non esse certum omnia cadauera, esse eiusdem speciei. Similiter agens principale cadaueris non est illud ferrum, quo animal iugulatur, & interficitur, illud enim est instrumentum tantum, principale autem est cœlum, vel elementum prædominans, quatenus ex abundantia alicuius qualitatis, verbi gratiâ caloris, vel frigoris animal moritur, tunc enim per illam qualitatem tendit ad formam elementi, in quam vltimo resoluendum est cadauer mediante illâ qualitate, verbi gratia, in ignem, vel aquam, vel terram, & tunc ab illo elemento prædominante dispositiuè in tali qualitate, generabitur, quia ad illud tendit. Et iuxta diuersitatem elementi, ad quod tendit erit diuersitas cadaueris. Sed esto, sint omnes formæ cadaueris eiusdem speciei, adhuc restat eadem difficultas, quia vel sunt omnia eiusdem speciei infimæ, & sic præter formam genericam corporis necesse erit producere specialem cadaueris, & de illa inquiremus quomodo possit à diuersis agentibus produci, etiam in sententia Scoti. Vel forma cadaueris solum est forma generica corporis, remota anima, quæ dabat esse specificum hominis, & sic iam homo ante mortem habet in se formam cadaueris, vndè per mortem non fiet generatio aliqua substantialis, sed solùm separatio formarum, vt sit ista sine illa, & consequenter, neque corruptio substantialis erit, quia corruptio vnius est generatio alterius. Igitur cum forma cadaueris sit medium, & via ad diuersas formas, puta ad diuersa elementa, non repugnat à diuersis agentibus procedere, sicut calor, & frigus possunt à diuersis agentibus introduci, quia sunt media, & dispositio ad diuersas formas.

Ad secundam confirmationem respondetur. Formam humanam; licet entitatiuè sit spiritualis in se, eminenter tamen esse corpoream, & sic potest præbere esse corporeum, & reliquos gradus, quos eminenter continet, sicut enim causa æquiuoca eminens operatur effectum, quem formaliter non habet, sic etiam forma eminens se habet ad modum causæ æquiuocæ, & præbet effectum informando, quem formaliter tantùm non habet, sed eminenter, quia vt forma eminens informat. Et eodem modo, licèt esse existentiæ formæ humanæ sit spirituale in se entitatiuè, tamen eminenter est corporeum, & sic potest communicari corpori modo corporeo, sicut subsistentia Verbi, licèt sit spiritualis, potest tamen propter suam eminentiam supplere subsistentiam corporis, & terminare illud, sic esse Animæ communicatur corpori, quia forma eius est. Vnde Diu. Thom. 1. 2. quæstion. 4. artic. 5. ad secundum docet: *Quòd in Anima separata remanet idem esse compositi, eò quod esse Animæ est subsistens, & idem est esse totius, & formæ.* Nec tamen similiter esse Angeli communicari potest corpori, quia non est forma, neque qualitas spiritualis perfecta, quia non potest esse inhærens, & dependens à corpore, esse autem Animæ cùm sit subsistens non dependet à corpore, sed ad communicationem sui esse trahit corpus.

Quod verò dicitur, animam intellectiuam creari à Deo, hominem verò generari, non arguit duplicem formam, sed sufficit quod eadem subordinetur duplici agenti secundum diuersam considerationem. Itaque Anima vt in se subsistens terminat creationem, vt autem vnita & informans terminat generationem; & creatio se habet vt superior, & vt subordinans sibi generationem, non quatenus creatio est præcisè, sed vt infundens, seu creans illam in corpore, generatio autem attingit animam non vt productam, sed vt communicatam materiæ, prout vnio & communicatio ista ex parte materiæ se tenet, & per dispositiones tendit ad illam, & sic habet diuersum terminum

num formalem generatio, & creatio, licèt non diuersam formam; imò si respicerent diuersas formas, generatio non fieret per communicationem, & vnionem animæ humanæ, & sic homo non generaret hominem formaliter in quantum homo est, nec similem sibi in specie.

Secundò arguitur: Quia plura videntur esse in homine, quæ non possunt ab eadem forma prouenire, quia contrarietatem habent inter se, ergo dantur diuersæ formæ. *Antecedens probatur:* nam quoad ipsam substantiam animæ, habet Anima rationalis incorruptibilitatem, & indiuisibilitatem, Anima autem sensitiua corruptibilis, & diuisibilis est: Anima rationalis creatur à Deo vt subsistens, Anima verò sensitiua educitur è materia, sicut & eius operatio totaliter à materia dependet, & ita forma embrionis, quæ est sensitiua educitur de potentia materiæ, nec corrumpitur in aduentu animæ rationalis, aliàs disponeret ad sui corruptionem, quia disponit ad animam rationalem. Quoad potentias verò operatiuas, est contrarietas, quia quædam non possunt subiectari in Anima rationali, sed in organo corporeo, vt sensus, alioquin manerent in Anima separata, & tamen effluere debent ab aliqua forma, & in ea subiectari à qua emanant; aliæ vero potentiæ subiectantur in ipsa Anima vt intellectus, & voluntas. Quoad operationes autem est contrarietas vt patet in actibus voluntatis, & appetitus, pugnant enim adinuicem sensualitas, & voluntas, velle agere studiosè, & velle prauè agere.

Confirmatur, quia alias non posset homo producere vltimam dispositionem requisitam ad vnionem animæ rationalis, siquidem illa dispositio debet emanare ab ipsa forma, sicut omnes aliæ vltimæ dispositiones à suis formis, sed homo non producit animam rationalem, ergo neque vltimam dispositionem ab ea dimanantem: ergo neque vnit animam corpori, quia forma ab eo agente introducitur, à quo causatur vltima dispositio.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem respondetur, Animam rationalem, licèt in se sit incorruptibilis, & indiuisibilis, modo tamen corruptibili, & corporeo informat, quia recipitur ad modum materiæ recipientis, materia autem est informabilis modo corporeo, & corruptibili, quia est indifferens ad plures formas, & sic informatur ab vna cum capacitate acquirendi aliam, & relinquendi illam, neque esse ei connaturale actuari ab vna forma cum impossibilitate transeundi ad aliam, quòd requiritur ad incorruptibilitatem. Et quia Anima rationalis eminenter est sensitiua & corporea, potest extensionem, & diuisibilitatem præbere. Nec omnis Anima sensitiua educitur de potentia materiæ, sed illa quæ tantùm est sensitiua formaliter, non quæ eminenter, & in se spiritualis. Et licet operationes sensitiuæ dependeant à corpore, non tamen principium talium operationum educitur de materia, si sit principium eminens, & habens etiam alias operationes spirituales, quæ ab illa non dependent, sed solum quando est principium adæquatè corporeum, & determinatum ad operationes sensitiuas. Forma autem embrionis certum est, quod corrumpitur in aduentu formæ perfectioris, vt docet S. Thom. quæst. 3. de potent. articul. 9. ad 9. sicut quæcumque dispositio præcedens corrumpitur aduenieente forma, & per accidens disponit ad sui corruptionem, disponendo ad introductionem nouæ formæ.

Ad secundam probat. dicitur, Quòd omnes potentiæ, quæ sunt in homine, dimanant ab eadem Anima, sed non eodem modo, quædam enim dimanant absolutè, & simpliciter, vt intellectus, quædam dependenter à corpore, & vt est forma communicata corpori, & ita inhærent in organo corporeo, & sunt proprietates Animæ vt coniunctæ, non pro omni statu, vt docet S. Thom. 1. p. quæst. 77. artic. 8. sicut alia est proprietas lapidis in centro, scilicet quiescere, alia extra centrum, scilicet moueri.

Ad tertiam probat. dicitur, ad illam contrarietatem operationum, non requiri diuersas formas substantiales, sed sufficere diuersas potentias eiusdem formæ, sicut non repugnat, quòd aliquod corpus in aliqua parte sit frigidum, in alia calidum, vel siccum, & secundum diuersas qualitates sortiatur diuersas, & contrarias operationes, ergo multò melius continget in Anima, quæ est forma eminentior, imò ex eo probat D. Thom. esse vnam Animam, quia si intensè elicit operationem vnam, remittitur quoad aliam, quod est signum procedere vtramque ab eodem principio.

Ad Confirm. respondetur, hominem propriissime generare alium, & producere vltimam dispositionem ad eius vnionem, quæ dispositio est proprietas consequens Animam vt coniunctam, & in statu coniunctionis, non absolutè vt ens spirituale est in se, & tales proprietates possunt procedere ab agente, quod non est productiuum Animæ, sed coniunctiuum, & hoc est generans, & non solùm Deus infundens. Videatur de hoc Caiet. 1. p. q. 118. art. 2. & Bannez, 1. de generat. q. 8. art. 3. ad 7.

Vltimò arguitur. Anima est forma corporis, & facit cum illa compositionem naturalem, ergo est aliquid distinctum à corpore, corpus autem non est sola materia, sed compositum ex materia, & forma, materia enim est pura potentia, corpus autem aliquid est in actu: imò Anima non solum est forma, sed motor corporis, corpus verò est motum ab Anima, vt docet Aristotel. 8. Physicorum, ergo distinguitur realiter à corpore, & non est forma constituens corpus, aliàs idem esset mouens, & motum, nec distingueretur realiter pars mouens, & mota? ergo oportet, quod alia sit forma constituens corpus, alia verò Anima mouens corpus. Et præsertim vrgetur hoc in sententia, quæ tenet non fieri resolutionem vsque ad materiam primam, sed manere eadem accidentia in genito, quæ erant in corrupto tunc enim necesse est, quod vel aliqua forma substantialis, quæ erat in corrupto maneat, vel quod accidentia in sola materia sustententur: hoc secundum est impossibile, cum materia sit ens in pura potentia, ergo primum. *Confirm.* Quia partes etherogeneæ differunt specie, quia alia est species carnis, alia ossis, vndè in 8. Phys. text. 30. dicit philosophus, quod non sunt continuæ illæ partes viuentis, sed contiguæ, & D. Thom. 1. p. quæst. 11. artic. 2. ad 2. dicit quòd carent forma totius, ergo quælibet habet suam distinctam. Id etiam constat ex diuersis proprietatibus, & operationibus specie diuersis, quas habent, sicut alia est operatio auditus, alia oculi, alia cordis, &c. ista autem sunt signa distinctionis specificæ & consequenter diuersarum formarum, quia vnica forma non potest constituere diuersas species *Idem argumentum fieri potest* de sanguine, & reliquis humoribus, qui non informantur eadem Anima, sed sunt sicut aqua in vase, & tamen pertinent ad integritatem totius.

Respondetur. Quod Anima dicitur forma corporis, sicut aliquid dicitur forma respectu compositi, seu effectus formalis, sicut albedo est actus, seu forma albi, & lux forma lucidi, sic Anima forma corporis per ipsam constituti. Quando verò dicitur Anima componere cum corpore, si loquamur de compositione physica, & reali, intelligi debet nomine cor-

poris ipſa materia, quæ eſt altera pars compoſiti: ſi verò intelligatur nomine corporis materia formata forma corporeitatis, ſic non intelligitur compoſitio phyſica animæ cum corpore, ſed compoſitio gradus inferioris, id eſt animalis cum gradu ſuperiori, id eſt corporis. *Ad id, quod dicitur:* quòd Anima eſt motor corporis. *Reſpond.* Quod Anima non eſt motor *vt quod*, ſed *vt quo*, mouet autem mediante organo, quatenùs vna pars organica mouet aliam; forma enim reſpectu materiæ non ſe habet effectiuè, ſed formaliter, & materia ipſa condiſtincta à forma non eſt capax motus, ſed mutationis à forma in formam, & hoc à generante, & introducente formam? pars autem organica dicit compoſitum ex materia, & forma, licèt partiale, & ita poteſt per vnam partem moueri alia à forma, vt à principio *quo*, ab ipſo verò toto vt à principio *quod*. Neque ad hoc requiruntur diuerſæ formæ ſubſtantiales, ſed eadem cum multiplici virtute, & gradu ſecundùm quod exigit diuerſas potentias, & temperaturas & conſequenter diuerſa organa, non verò diuerſas formas. Illam autem ſententiam, quæ tenet non fieri reſolutioem omnium accidentium vſque ad materiam primam reiecimus q.1. de Generat.

Ad confirm. Reſpond. partes etherogeneas, vel ſolùm differre ſpecie accidentali, de quo dicemus infrà, vel ſi differunt ſpecie ſubſtantiali ſolùm eſt ſpecies incompleta & ſecundùm quid, de quo D.Thom. 1.2.q.72. art. 7. hoc autem non petit diuerſas formas ſubſtantiales, ſed ſufficit vna forma eminentior, vel hábens plures gradus, & ſic exigens illam diuerſitatem incompletam partium. Quando autem Philoſoph. dixit, quòd partes iſtæ non ſunt continuæ, non negat continuum in genere quantitatis, & vnitatis ſubſtantialis, ſed in ratione homogenei, quæ eſt vnitas, ſeu ſimilitudo etiam in diſpoſitionibus, aut qualitatibus. Et ſimiliter D. Thom. dicit non habere formam totius quantum ad modum denominationis, in homogeneis enim ſicut tota aqua, v.g. denominatur aqua, ita pars aquæ dicitur aqua, in viuentibus autem totum denominatur, v.g. homo, vel equus, non autem manus, vel oculus, denominatur equus, vel homo. *Quod verò dicitur* de diuerſis proprietatibus & operationibus *dico*; quòd talis diuerſitas non infert diuerſitatem formarum, ſed eminentiam eiuſdem ad plura; tunc autem diuerſæ operationes ſunt ſigna diuerſæ formæ ſpecificè, quando ſunt adæquatæ, & totales, non autem quando inadæquatæ. Et ſic quando dicitur, quòd ab eadem forma non dantur diuerſæ ſpecies, *diſtinguo*, diuerſæ ſimpliciter, & adæquatè *concedo*, diuerſæ partialiter, & ſecundum quid, vel accidentaliter, *nego*, forma enim eminens, & virtualiter multiplex petit illam diuerſitatem partialem, ſicut & diuerſas potentias, & temperaturas, & organa, quæ ſi ſint in debito, & connaturali ſtatu vna non contrariatur alteri, benè tamen ſi exorbitent à debito temperamento. De ſanguine, & humoribus iam diximus in 1. de generat. q.8. quomodò informentur ab eadem Anima.

ARTICVLVS IV.

Quæ ſit diuiſio Animæ, & quot ſint gradus, & modi viuentium?

SEcundùm D.Thom. 1.p.q.78.art.1. tres ſunt animæ, & quatuor modi viuentium, & quinque genera potentiarum. Tres Animæ dicuntur, *Anima vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua.* Anima enim in præſenti generaliter ſumitur pro eo, quod conſtituit viuens, quo ſenſu dicit D. Thom. 2. de Anim. lect. 3. circa text. 20. *Quod in plantis eſt vita, & conſequenter Anima.* Modi viuentium dicuntur ſecundum quatuor gradus vitæ, ſcilicet *vegetatiuum, ſenſitiuum, loco motiuum, & intellectiuum*, Genera potentiarum ſunt quinque, ſcilicet *potentia vegetatiua ſenſitiua, appetitiua, loco motiua, & intellectiua.*

Circa iſtas diuiſiones ſunt aliqua dubia, quæ in præſenti examinanda ſunt. *Primum* eſt, an prima diuiſio Animæ in vegetatiuam, ſenſitiuam, & intellectiuam recta ſit, & quomodo colligatur; *Reſp.* rectam eſſe, eamque tradi ab Ariſt. in hoc lib. cap. 3. & D. Thom. ibi, & communiter ab interpretibus. Eius autem ſufficientia colligitur à D. Thom. 1.p. qu. 18. art. 3. & q. 78. art. 1. ex eo, quòd omni viuenti, & omni Animæ commune eſt ſeipſum mouere, & in hoc primum diſtinguitur à non viuente, quia non viuens tantùm mouetur ab alio, viuens autem ſe ipſum; Quarè diuerſitas vitæ ex diuerſo modo ſe mouendi debet deſumi. Eſt autem triplex modus ſe mouendi, ergo & triplex vita. *Min. prob.* quia principium motus eſt agens, & finis, finis quidem quoad directionem, & allicientiam: agens autem quoad executionèm, executio autem dependet ab aliqua forma tanquam à principali principio, & ab inſtrumento tanquam à medio operandi. Aliqua ergo ſunt quæ mouent ſe ipſa ſolùm quoad executionem motus, non verò ad acquirendum finem, vel formam, quibus moueant ſe, ſed tam finis, quàm forma operandi ſunt illis determinata à natura, & paſſiuè illis dantur, non ſe mouent ad illa, & hic eſt infimus gradus vitæ, ſcilicet vegetatiuus, plantæ enim mouent ſe quoad executionem nutritionis, & generationis, non tamen finem ſibi præſtituunt, neque formas, quibus operentur, acquirunt. Alia verò ſunt quæ mouent ſe ipſa non ſolùm quoad executionem motus, ſed etiam quoad ipſas formas, quæ poſſunt eſſe principium motus, quia non habent illas determinatas à natura, ſed acquirere illas poſſunt, & huiuſmodi eſt vita ſenſitiua, ſenſus enim licèt ſint potentiæ operatiuæ, tamen indigent formis intentionalibus, quibus obiecta vniuntur potentiis, à quibus tanquam à principiis formalibus, & ſpecificatiuis operationes ſuæ dependent. Vnde iſte modus ſe mouendi altior eſt, quam modus vitæ vegetatiuæ, quia principia operandi non ſunt totaliter determinata à natura, ſicut in vegetatiuis, ſed ad ea poſſunt ſe mouere, potentiæ enim ſenſitiuæ indifferentes ſunt ad has, vel illas ſpecies, ſeu obiecta. Alia denique mouent ſe ipſa etiam quoad determinationem finis, quia non habent à natura totaliter determinatum finem, ſed illum ſibi præſtituunt, & ita non aguntur, in cognoſcendo finem, ſed ſe agunt, ideóque indigent ratione conferente proportionem finis cum mediis, & ſic mouent ſe omni modo, quo aliquid ſe mouere poteſt, ſcilicet quoad finem, & quoad formas operandi & quoad executionem motus. Et hæc vita intellectiua adhuc admittit diuerſos, & perfectiores modos operandi, ſecundum quod minori, vel maiori mutatione ab extrinſeco agente indiget ad ſuas operationes, nam Anima humana ita eſt infima in hoc genere, quòd non ſolùm ab agentibus ſpiritualibus, ſed etiam ab ipſis corporibus perfici, & moueri poteſt ad acquiſitionem cognitionis mediantibus ſenſibus. Intelligentiæ verò ſeparatæ vt Angeli, non indigent moueri ab obiectis, ſed à ſuo creante mouentur accipiendo à principio omnes formas perfectiuas intellectus, quibus moueri poſſunt, & quantò paucioribus indigent, tantò ſunt perfectiores, quia tantò minus mouentur ab extrinſeco & magis ſe mouent in cognoſcendo. Sed tamen omnia iſta ha

habent vitam & principia se mouendi ex participatione extrinseci agentis, à quo producuntur, & mouentur, scilicet ab ipso generante à quo participant vitam, & ad hoc determinantur, & aguntur, vt se agant. Vnde perfectissima vita est in Deo, qui omnibus modis est, & operatur à se sine determinatione ab alio.

Obiicies, vegetatiuam debere excludi à ratione vitæ, eò quòd omnis eius operatio non egreditur rationem alterationis, aut alicuius attractionis vel expulsionis, seu actionis transeuntis, quod totum inueniri potest in rebus inanimatis, nam alteratio à quocumque elemento fit; augmentatio etiam sufficienter fit per aggenerationem, vt in igne per extrinsecam appositionem, vndè si Deus se solo produceret in planta eandem quantitatem, quam producit augmentatio, æquè benè diceretur augmentata, ac si eam acquireret, quod tamen non currit in cæteris animalibus, in quibus nutritio, & augmentatio fit cum sensu, & discretione alimenti, & cum voluptate, quando capitur cibus, vel dolore, & fame, quando deest. Attractio etiam potest fieri per virtutem inanimatam vt patet in magnete. Denique in Deo solùm inuenitur vita per cognitionem & amorem, ergo illa solum dicentur viuere, quæ participant aliquo modo cognitionem, & amorem, aliàs non participant Deum vt viuentem, & sic non habent in se vitam vt participatam, quia omnis vita participatur à vita, quæ est in Deo.

Ex alia parte videtur, quod sicut loco motiuum est distinctus gradus à sensitiuo, ita sit distincta Anima, & sic erunt quatuor Animæ, sicut quatuor gradus; neque enim est ratio, cur reductiuè pertineat ad Animam sensitiuam, & sic non condistinguatur in ratione Animæ; in ratione autem gradus non reductiue, sed distinctè numeretur à gradu sensitiuo.

Ad primam dubitationem Resp. Sine dubio vegetatiuum etiam vt inuenitur in plantis propriè habere rationem vitæ, quia ab intrinseco, & per determinata organa se mouent, sicut videmus, quod fructificant, & crescunt, & nutriuntur, quod totum est operatio vitæ, & sic etiam appellantur in Scriptura vt 1. Corinth. 15. *Tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur*. Et August. 1. de Ciuitat. cap. 10. docet plantas licet non sentiant, viuere tamen, & posse mori, & occidi, in cuius confirmationem affert illud Psalm. 77. *Et occidit in grandine vineas eorum. Respondetur ergo ad argumentum.* Quòd licet vita vegetatiua non operetur actione immanenti, sed transeunte, tamen quia operatur mouendo se, hoc sufficit ad rationem vitæ, sicut patet in ipsa actione generatiua, quæ vitalis est, & tamen est actio transiens, & alteratione vtens, & indigens. Addo quod istæ operationes vitales, non fiunt à solis qualitatibus elementalibus, licet illis vtatur viuens ad suas operationes, sed fiunt à potentiis, quæ sunt qualitates distinctæ, & superadditæ ad istas, vt infr. q. 3. probabitur. Quare alteratio, & expulsio, & attractio, etsi quæ sunt similes actiones, non fiunt à viuenti, eo modo quo ab inanimatis, quia fiunt mouendo se, & mediantibus partibus organicis, quod non fit ab inanimatis, sed si ignis calefacit, omnes partes calefaciunt, & si magnes trahit ferrum, secundum omnes partes trahit. Similiter dicendum est de augmentatione, neque enim acquisitio maioris quantitatis quomodocunque pertinet ad viuens, sed acquisitio illius per talem modum, scilicet acquisitio illius mouendo se, & per intus susceptionem, non per iuxta oppositionem, sicut ignis, & alia inanimata augentur, quòd non fieri per veram nutritionem, & augmentationem ostendimus 1. de Generat. q. 8. Itaque eadem quantitas ab extrinseco addita, vel vnita aut aggenerata non pertinet ad operationem vitalem, eadem tamen modo vitali acquisita, id est per intus susceptioné, & per potentias determinatas, pertinet ad operationem vitæ, sicut etiam idem vbi, si acquiratur motu progressiuo acquiritur per operationem vitalem, si verò acquiratur motu grauitatis, & leuitatis, aut alio simili, erit operatio inanimata. Itaque pertinet ad speciem istarum operationum, etiam modus ipse, quo fiunt.

Ad vltimam instantiam Resp. vegetatiuam etiam participare vitam Dei, non eo modo, quo est in Deo, sed secundùm aliquam rationem inadæquatam, participant enim quendam modum vitæ, scilicet hoc quod est se mouere & non purè moueri ab alio quod formaliter inuenitur in Deo. Licèt non participent ipsam speciem, seu gradum vitæ Diuinæ, quòd est cognoscere & amare.

Ad secundum Resp. Esse disparem rationem de gradibus viuentium, & de generibus animarum. Genera enim animarum sumuntur ex diuerso genere operandi in mouendo se; modi verò seu gradus viuentium sumuntur ex maiori, vel minori perfectione intra idem genus se mouendi. Et ideò quando gradus viuentium dicitur sensitiuum, & loco motiuum, ibi ly *sensitiuum* non sumitur pro ipso genere sentiendi, sed pro modo, seu gradu, quatenùs dicit imperfectum, & infimum gradum in genere sensus, sicut sunt illa sensitiua, quæ licet habeant tactum, & motum dilatationis, vel constrictionis, non tamen habent motum progressiuum, quia non habent perfectè omnes sensus, vt statim dicemus: at verò loco motiuum est idem quod sensitiuum perfectum, id est quæ habent sensus percipientes res distantes, hoc enim ipso debent habere facultatem, & instrumenta, quibus possint ad res distantes moueri, & ad hoc ordinatur motus progressiuus, seu loco motiuus. Vndè oportuit distinguere istos duos gradus, quasi imperfectum, & perfectum intra genus sensitiui. Cæterùm, cum Animæ diuidantur penes ipsa genera vitæ, & se mouendi, sub isto genere Animæ sensitiuæ comprehensus est vterque ille gradus sensitiui imperfecti, & loco motiui, nec potuit ibi poni tanquam diuersum genus Animæ. *Nec potest instari*, quod etiam sensitiuum continetur sub vegetatiuo tanquam species sub genere, atque adeò sufficiebat etiam numerari vegetatiuum in diuisione animarum, & non numerari sensitiuum. *Respondetur enim*, quod sensitiuum non condiuiditur à vegetatiuo in communi sumpto, cum illud includat, sed est species condiuisa contra alteram speciem vegetatiui, quale inuenitur in planta, & istæ species sunt subalternæ, & pertinent ad diuersa genera vitæ, eò quòd important diuersum modum se mouendi secundum diuersum ordinem, & non solùm secundùm magis, vel minus perfectum intra eundem, sicut dictum est de sensitiuo magis perfecto, & minus perfecto in eodem ordine seu genere se mouendi, & ideò dicuntur diuersa genera viuentium vegetatiuum, & sensitiuum, sumpto vegetatiuo non in communi, sed pro vegetatiuo infimo, condiuiso contra sensitiuum, sicut est in plantis.

Secundum dubium oritur ex hoc, quod vltimò dictum est in præcedenti, scilicet quomodò intelligatur diuisio quatuor graduum viuentium, & quinque generum potentiarum. *Ratio dubitandi est*: quia non apparet cur inter gradus viuentium numeretur loco motiuum, & non appetitiuum. Si enim hoc est, quia appetitiuum nō est per se, & directè gradus vitæ, sed aliquid consecutum per modum inclinationis ad vitam sensitiuam, vel rationalem, vt S. Thom. docet 2. de Anim. lect. 5. & 1. p. q. 78. art. 1. idem potiori ratione dicetur de loco motiuo, quia multò magis est aliquid

aliquid consecutum, cum sit executiuum ipsius appetiui, mouetur enim potentia motiua ab appetitu, vt executiua illius, ergo à fortiori non erit gradus. *Secundò*, non apparet quomodò vegetatiuum, & sensitiuum diuidunt Animam, & gradum viuendi, & potentiam operandi: quod si diuerso modo applicatur, & sumitur in illis, hoc ipsum oportet explicari. *Tertiò*, quia gradus viuendi, vel distinguuntur à priori, & ex sua radice, scilicet ex ipsa Anima, quæ dat vitam substantialem, vel à posteriori scilicet ex operatione potentiæ, per quam habetur vita accidentalis. Si primo modo, erunt tres gradus viuendi, sicut & tres animæ. Si secundo modo, erunt quinque sicut & sunt quinque potentiæ, & operationes. Quomodo ergo adæquatur ista diuisio quatuor graduum? Denique restat explicare, quomodo sumantur diuersi gradus viuendi in vita intellectuali, sicut est intelligere humanum, Angelicum, & Diuinum, & in Angelico tot species vitæ intellectiuæ.

Resp. Aliquos sentire, quod si attendamus ad vitam substantialem tot erunt gradus viuentium, quot sunt Animæ, eò quòd non possunt multiplicari composita, seu concreta plus quàm formæ. Si autem attendamus ad vitam accidentalem, seu operationes vitales, additur ille quartus gradus loco motiui, propter potentiam gradiendi, quæ inuenitur in animalibus perfectis. Ita Conimb. 2. de Anim. cap. 3. q. 2. art. 2. At verò P. Suar. tract. de Anima lib. 1. c. 7. num. 13. absolutè docet non esse magis multiplicandum numerum animarum, quam graduum viuentium, censet enim quod loco motiuum est commune omni animæ.

Nihilominus prædicta diuisio, quæ ex Aristot. docetur à D. Thom. 1. p. quæst. 78. citata, *deserenda non est*. Et ita dicendum, quòd non solùm inuenitur distinctio Animarum penes illum triplicem ordinem, seu genus vegetatiui, sensitiui & intellectiui, sed etiam in vnoquoque genere distinguendi sunt gradus secundùm latitudinem participandi magis vel minùs perfectè tale genus vitæ. Et quidem in vita vegetatiua non datur aliqua latitudo gradualis, eò quòd propter imperfectionem illius vitæ, tota constringitur ad actionem nutriendi & generandi, & istæ inueniri possunt in omni vegetabili, etiam in plantis, iuxta illud Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen*, & sic pertinet ad vegetatiuum plantæ non solùm nutriri, sed etiam generare. Vnde non datur locus ad diuersos gradus huius vitæ penes participationem plurium, vel pauciorum operationum vegetatiuarum, cùm omnibus non repugnet vtraque operatio vegetatiua, in qua tota perfectio & graduatio illius vitæ resumitur, licèt dentur diuersæ species talium vegetabilium, iuxta diuersam perfectionem, quam habent in eadem graduatione participandi vtramque operationem. In vita autem intellectiua, sunt etiam diuersi gradus non penes diuersas operationes intelligendi, & volendi, omnia enim intellectiua habent intellectum & voluntatem, sed penes diuersum modum communicandi cum materia, & corpore, vel recedendi ab illo, & accedendi ad immaterialitatem Diuinam. Sed tamen non pertinet ad Philosophum naturalem de illis agere, sed sistit in Anima intellectiua coniuncta corpori: de substantiis autem separatis agit Metaphysicus & Theologus.

Restat ergo, quòd in vita sensitiua inueniatur diuersa graduatio penes latitudinem, quæ datur in participanda maiori, vel minori perfectione sensus, nam quidem sensus solùm percipiunt res sibi coniunctas, vt tactus & gustus; alij etiam percipiunt distantia, & propterea fundant & exigunt potentiam loco motiuam, id est, tendentem ad res distantes, quas apprehendunt, frustra enim apprehenderent res distantes, si naturaliter carerent instrumentis acquirendi illas, quod fit per motum progressiuum, & per potentiam loco motiuam. Et quia non omnia animalia habent sensus perfectos, sed quædam imperfectos, vt ostrea & conchilia, alia verò habent sensus perfectos, & ideò mouentur ad res distantes, ideò ponitur in vita sensitiua duplex gradus, alter sensitiui communiter dicti, alter sensitiui perfecti, quòd dicitur loco motiuum, quia progressiuè loco se mouent, siue volando, siue ambulando, siue natando.

Nec obstat, si dicas pro sententia P. Suarez, quòd etiam ostrea, & animalia imperfecta loco se mouent saltem motu dilationis & constrictionis, ergo omnibus conuenit potentia loco motiua. *Respondetur enim*, quòd loco motiuum non sumitur in præsenti, ita communiter, pro quocunque modo mouendi se in loco, sed pro motiuo perfecto, & per modum progressiui, quod solùm conuenit animalibus habentibus sensus cognoscentes distantia, eò quòd istæ motus est primò & per se ad locum distantem, motus autem dilatationis, aut constrictionis, non est primò & per se ad mutandum locum, sed consequitur motum aliquem alterationis in animali, & ita diuersus modus se mouendi, est in motu progressiuo.

Ad rationes dubitandi respondetur. Ad primam, quòd loco motiuum sumitur dupliciter. Vno modo accidentaliter pro ipsa potentia mouendi, alio modo substantialiter, & pro radice, quæ supponitur ad istam potentiam. Primo modo non dicit gradum, sed potentiam subordinatam appetitui, & ideò in diuisione potentiarum ponitur appetitiuum, & loco motiuum. Secundo verò modo pertinet ad rationem gradus. *Quòd si instes*: cur non dicetur idem de appetitiuo, quod radicaliter sumptum, etiam sumatur pro gradu? *Respondetur*, ideò esse quia appetitiuum inuenitur in omni animali etiam imperfecto? & etiamsi progressiuè non moueatur; cuius signum est, quia etiam animalia imperfecta sentiunt dolorem, si enim pungantur constringunt se, dolor autem est actus appetitus fugientis. Vnde per ly *appetitiuum* non designatur specialis gradus in animalibus, cum in omnibus inueniatur; at verò loco motiuum sumptum pro progressiuo, solùm competit, habenti sensum, & appetitum perfectum, & sic designare potest gradum, & perfectionem in animalibus.

Ad secundam respondetur. Quòd quia viuentia ordinantur ad operationes vitales tanquam ad propriam perfectionem, ideò aliquando significatur per ipsam vitam radix, & principium viuendi, quod est Anima, aliquando gradus, seu participatio ipsius vitæ, aliquando potentia, seu operatio vitalis, & ita potest ly *vegetatiuum, & sensitiuum* accommodari diuisioni animæ, & graduum, & potentiarum.

Ad vltimam, respondetur. Istos quatuor modos seu gradus viuendi desumi à priori ex ipsis animalibus seu principiis vitæ, non quomodocunque, sed vt fundant latitudinem participandi diuerso modo vitam. Et ita licèt solùm sint tres Animæ, tamen secundùm latitudinem magis, vel minùs perfectè participandi vitam, fundantur plures gradus, non quidem in Anima vegetatiua propter suam coarctationẽ, sed in sensitiua, & intellectiua. Sed tamen de speciebus intellectiuæ vitæ in his, quæ sunt separata à materia, non pertinet considerare ad Philosophum naturalem, sed solùm de intellectiuo coniuncto corpori, vt diximus.

Tertia difficultas est: an omnes istæ diuisiones sint vniuocæ vel analogæ? *Respondetur*, sine dubio vniuocas esse eo modo, quo vniuocatio potest reperiri in

in formis, quæ sunt entia incompleta, scilicet, reductiuè ad sua composita, quæ est sententia D. Thomæ 2. contra Gent. cap. 60. & 61. & sumitur ex Arist. hoc 2. lib. cap. 1. & 2. tradentis eandem definitionem pro omni Anima. *Ratio est*, quia Anima rationalis (de qua sola potest esse difficultas) vel esset analogicè Anima, quia simpliciter & propriè non est Anima informans corpus, vel quia ita excellenter est Anima, quod sola ipsa simpliciter, & absolutè Anima est, quia constituit mouens seipsum omni modo, reliquæ verò Animæ diminutè & imperfectè. Primum stare non potest, quia Anima rationalis est vera forma hominis, vt supra diximus, esse definitum ab Ecclesia, & ratione constat, quia verè constituit hominem vt homo, & vt rationalis est & non constituit vt materia, ergo vt vera forma. Secundum etiam est falsum, tum quia ea, quæ constituuntur per istas animas vniuocè conueniunt, & in eodem prædicamento constituuntur, v.g. planta, equus & homo, ergo etiam ipsæ formæ & gradus eadem vniuocatione gaudent, siquidem solum habent vniuocationem reductiuè sicut sua composita: tùm etiam, quia nulla ratio analogiæ intercedit inter istas animas, omnes enim essentialiter, & intrinsecè sunt principia se mouendi, & essentialiter competit illis definitio Animæ, neque enim minus essentialiter est actus corporis organici Anima plantæ, quàm Anima equi vel hominis, licet diuersa perfectione & gradu.

Quòd si dicas, vnam animam dependere ab alia in ratione animandi, sicut sensitiua dependet à vegetatiua & rationalis à sensitiua. *Respondetur.* Quòd hoc non sufficit ad analogiam, quia non est dependentia in ipsa participatione rationis superioris; hæc enim æqualiter participatur, sed est dependentia in ipsa compositione, & in exercitio informandi, quia gradus vnius animæ non potest exercere suas operationes, & informationem, nisi supponendo priorem gradum alterius, sicut etiam superficies supponit lineam, & corpus, superficiem, vt componatur corpus, & tamen sunt species quantitatis vniuocè participantes ipsam rationem extensionis. Itaque dependentia, & inæqualitas in ipsa participatione prædicati communis constituit analogiam, quatenùs vnum per habitudinem ad aliud, & non simpliciter dicitur tale, sicut accidens & substantia respectu entis. Cæteræ verò dependentiæ ipsarum specierum inter se quoad exercitium & informationem, aut aliquid simile non faciunt analogiam, vt notat D. Thom. 1. Perihern. lect. 8.

Nec obstat, quòd Anima intellectiua dicatur simpliciter Anima, quia constituit se mouens omnibus modis. Hoc enim solùm probat, quòd sit perfectissima inter animas, & simpliciter, id est, omnibus modis, non tamen, quòd aliæ Animæ non sint etiam simpliciter tales, id est absolutè, & vniuocè, siquidem simpliciter dant esse substantiale vitale, aliàs homo & equus non vniuocè conuenirent, quia homo est perfectior species, neque corpus, & superficies in ratione quantitatis, quia corpus habet omnes tres dimensiones, superficies verò duas.

ARTICVLVS V.

Quomodò possint omnes gradus vitæ in vna forma contineri?

DIfficultas est de ipso modo continendi, an formaliter vna Anima contineat plures gradus, sicut numerus maior continet minorem, an solùm virtualiter sicut sol, v.g. continet calorem vel herbam.

Triplex est sententia. Quidam attribuunt Animæ rationali solùm continentiam virtualem aliorum graduum sensitiui & vegetatiui. *Alij dicunt* formaliter illos continere, non tamen vnum perfici ex coniunctione & contractione per alterum, sed totam perfectionem, quam habet gradus vegetatiuus, v.g. in animali esse ipsam differentiam sensitiui. Ita P. Suar. tract. de Anim. lib. 1. c. 6. num 7. *Alij denique dicunt* formaliter inueniri gradus superiores in Anima perfectiori, & gradus sic contractos etiam perfici in seipsis, ita quòd vegetatiuum plantæ differt specie à vegetatiua, quod est in equo, vel homine. Ita M. Bannez 1. p. q. 76. art. 4. dub. 2. & alij qui citantur à Carmelit. hîc disp. 4. quæst. 3.

Respondetur ergo, quòd secundùm sententiam D. Thom. gradus in forma superiori continentur eminenter, formaliter, & non virtualiter tantum, ita quòd ex parte modi continendi eminenter, ex parte verò rei contentæ formaliter continet vegetatiuum, & sensitiuum, & non aliquid loco ipsius, sed ipsam veram & formalem rationem vegetatiui & sensitiui, quæ etiam ex coniunctione ad perfectiorem gradum intrinsecè in sua propria ratione perficiuntur.

Pro huius intelligentia supponendum est, quòd vnum continere alterum, potest esse tribus modis. *Primò formaliter tantùm*, quando scil. continetur aliquid in ea proprietate, qua in se est, tum quoad perfectionem, quàm quoad imperfectionem, sicut calidum continet calorem, album albedinem. *Secundò, virtualiter tantùm*; quando scilicet continet virtutem, à qua potest præstari, vel procedere illa forma, seu effectus, sicut vinum & piper continent virtualiter calorem, & lux solis virtualiter est calor, & Angelus virtualiter discurrit, quia sine formali discursu cognoscit ea, quæ nos per discursum, & lux & piper sine igne vel calore formali calefaciunt; & denique omnia semina virtualiter continent fructum. *Tertiò* continet vnum *formaliter & eminenter*, aliud quoad perfectionem formalem illius sine limitatione, & restrictione imperfectionis propriæ, sed in altiori perfectione & modo. Et hoc contingit, quando res aliqua in sua formali & propria constitutione non includit imperfectionem repugnantem formæ altiori, & eminentiori. Et hac ratione inueniuntur in Deo perfectiones formaliter, & eminenter, quæ in creaturis cum restrictione & limitatione inueniuntur, sicut inuenitur in Deo sapientia, potentia, bonitas, & similia eminentiori modo, quàm in creaturis, sed tamen formaliter, imò quidquid perfectionis in creaturis est, semotâ imperfectione, & consequenter modo eminentiori reperitur in Deo. Et in rebus creatis vidimus, quòd maior numerus continet minorem formaliter, vt senarius binarium, non cum restrictione & limitatione ternarij, sed perfectiori & ampliori modo. *Dicimus ergo*, quòd Anima nobilior continet inferiores gradus formaliter & eminenter, sicut figura perfectior imperfectiorem, & numerus maior minorem. Vnde D. Thom. quodlib. 1. articul. 6. inquit: *Quòd formæ substantiales se habent sicut numeri, vel sicut figuræ, semper enim maior numerus vel figura, continet in se minorem, sicut quinarius quaternarium, & pentagonum, trigonum.* Quòd si aliquando dicit, quòd Anima humana in virtute habet corporeitatem ad alios gradus, quodlib. 11. art. 5. & quæst. de spiritualib. creat. art. 3. ad 16. idem est, quòd eminenter, non autem virtualiter tantùm, excludendo continentiam formalem, apertè enim in q. de Anim. art. 11. docet: *Quòd substantia Animæ rationalis, est vegetabilis, vel sensibilis. Ratio autem huius est*: quia Anima essentialiter est forma, & principium *quo* constitutiuum sui compositi: ergo si

compositum formaliter constituitur passiuè in ratione sensitiui & vegetatiui, etiam ipsa forma debet formaliter vt *quo* continere alios gradus, quia quidquid est in effectu formali formaliter passiuè, & *vt quod*, debet esse in ipsa forma formaliter actiuè & *vt quo*.

Sed instabis. Quia formæ elementorum solum sunt virtualiter in mixto, & tamen in ipso mixto sunt effectus formales elementorum, & calidum & frigidum, & alia similia. *Secundò* quia Anima potest præbere effectum formalem, quem non habet in se formaliter, sicut in se non est entitas corporea & tamen constituit compositum corpore um

Ad primum respondetur, quòd formæ elementorum substantiales non constituunt mixtum, neque aliquem gradum eius, neque enim mixtum denominatur elementum, sicut animal denominatur viuens, & corpus, & ita forma constituens animal debet esse formaliter vegetatiua, & corporea, non autem elementalis, licèt, quia habet qualitates elementorum, vt frigidum & calidum, virtualiter dicatur continere elementa, non formaliter.

Ad secundum respondetur. Quòd forma cum solum sit principium *quo* constitutiuum compositi, sufficit quòd si constituit illud sensitiuum, & vegetatiuum, & corporeum, in se sit corporea & sensitiua *vt quo*, licet entitatiuè, & *vt quòd*, neque corporea sit, neque vegetatiua, sed spiritualis: & sic Anima rationalis, est corporea *vt quo* formaliter, quia modo corporeo informat, & rem corpoream constituit, licet in se entitatiuè sit res spiritualis: quâ ratione etiam concursus, & motio Diuina potest esse principium *quo* liberi actus, licet in se entitatiuè & *vt quod* non habeat indifferentiam, sed sit determinatum ens. *Et ratio est*, quia si Anima rationalis solum præberet gradum rationalem formaliter, & reliquos virtualiter, non esset homini ratio conueniendi formaliter cum equo, & planta, sed virtualiter tantum, & sic ex vi Animæ, quia informatur homo, non magis diceretur esse animal, quàm sol dicitur calidus, quod est absurdum.

Vltima pars conclusionis, scil. quod vegetatiuum, vel sensitiuum coniunctum & contractum per gradum inferiorem intrinsecè perficiatur etiam in ipsa linea vegetatiui & sensitiui, *probatur*. Quia vegetatiuum in communi est aliquid potentiale, & contrahibile per differentias inferiores, quibus perficitur, & actuatur, ergo illud vegetatiuum, quod ponitur in planta, v.g. & in equo specie differunt non solum, quia planta & equus differunt secundùm proprias rationes, sed etiam quia ipsum vegetatium diuersimodè perficitur actuatione, & perfectione intrinseca, siquidem vegetatiuum in communi erat in potentia intrinseca vt perficeretur, ergo perfectio, quæ illi aduenit, etiam in ratione ipsa vegetandi, intrinseca est. Perfici autem diuersimodè in ipsa ratione vegetandi, manifestum est, quia redditur principium diuersarum operationum, etiam in ratione vegetandi, sicut videmus, quòd in animalibus nutriiua producit sanguinem & spiritus, & carnemt, quod in arboribus non facit, ergo signum est, quod etiam in ipsis potentiis, & ratione propria vegetatiui intrinsecè perficitur ex coniunctione & contractione ad plantam, vel ad animal, & in quolibet animali iuxta modum illius perfectiori, vel imperfectiori modo, vegetatiua ipsa fit principium diuersarum operationum.

Nec obstat. Quòd idem calor secundùm speciem est in animali, & in igne, & in animali generat carnem sine intrinseca mutatione in sua specie, non verò in igne. *Respondetur enim*, quòd calor habet duos effectus, vnum principalem, scilicet calidum reddere, & calefacere, & secundùm hoc eiusdem speciei est in igne, & in animali, & ita non indiget variare speciem. Alter effectus est, quem habet in animali tantum, scil. generare carnem, & hic effectus est instrumentalis respectu caloris, & ita non oportet, quòd in ipso calore, qui est instrumentum, varietur species, sed in principali agente, à quo mouetur color, scilicet in ipso principio vitæ vegetatiuæ, à quo vitaliter procedit nutritio. Vnde in tali principio debet dari varietas specifica, eò quòd per se, & principaliter, est principium diuersæ nutritionis specificæ in planta, & in animali. Ex quo etiam patet differentia inter phantasiam hominis, & bruti ex vna parte, & vegetatiuum plantæ & animalis ex alia, quod phantasia in homine est probabile quòd sit eiusdem speciei cum phantasia equi, licèt in homine sit eleuatior quàm in equo, quia illa maior eleuatio non mutat obiectum specificum phantasiæ, licèt mutet modum operandi cum aliquo discusu circa tale obiectum, & ideò probabile est, non sufficere ad distinctionem specificam, de quo inf. quæst. 8. At verò vegetatiuum in planta, & in animali, mutat obiectum specificum, quia in vno generat carnem, in alio non tanquam agens principale, Gradus etiam sensitiuus perficitur in diuersis animalibus ex eo, quod habet in animalibbs perfectis omnes sensus, quos non habet in imperfectis, & præsertim in homine ex coniunctione ad gradum rationalem habet potentiam ridendi & flendi, quam non habet in aliis, vt inf. solut. ad vlt. dicemus.

Hinc colliges: Quòd illud vegetatiuum, quod est in planta, ibique contrahitur & specificatur, non continetur formaliter in anima rationali, vel in alia, Anima perfecta, quia illud vegetatiuum quod est in planta, non tantum est gradus, sed species, quia illo specificè & vltimò constituitur; vna autem species non potest aliam continere formaliter eminenter, eò quòd vna species propter sui limitationem, & oppositionem, quam habet respectu alterius speciei, non potest illam continere, vt optimè tradit S. Thom. 1. p. q. 84. art. 2. ad 3. Solùm ergo potest aliquid formaliter & eminenter continere alterum, vel quia est gradus, aut pars constitutiua illius, sicut homo est sensibilis & corporeus, & quinarius habet in se binarium; vel quia est causa à qua participatur esse quod est in altero sicut à Deo participatur omnis perfectio, quæ est in creatura, & sic illa, quæ sunt ordinis Diuini, possunt eminenter continere perfectiones inferiorum, sicut fides practicum, & speculatiuum. Itaque Anima formaliter eminenter, continet vegetatiuum, quod est gradus; illud autem vegetatiuum specificum, quod est in planta formaliter & eminenter, non continet, sed tantùm virtualiter, quatenùs superiori modo exercet id, quod vegetatiuum plantæ.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur. Quia vna differentia, v.g. rationale formaliter non continet superiorem, v.g. sensibile, vt diximus in Logica, q. 10. quia non prædicatur de illa, ergo neque anima rationalis continet sensibile formaliter, quia differentiæ istæ sumuntur ab Anima. *Confirmatur*. Quia vel Anima rationalis continet sensitiuum formaliter, quia sensitiuum est eius ratio formalis, & hoc constat esse falsum, cùm ratio formalis intellectiui addat ad sensitiuum, vel continet formaliter, quia sensitiuum & intellectiuum identificantur in vno tertio, quod constituunt, & tunc illud tertium continebit formaliter istas animas, non verò Anima intellectiua sensitiuam.

Resp.

Respondetur. Esse disparem rationem de differentiis, & de animabus, quia differentiæ sunt actus metaphysici, quia contrahunt genus, & constituunt speciem, quòd cùm fiat penes præcisiones, & diuersas explicationes conceptuum, stat benè quòd differentia vltima non contineat superiorem, quæ est pars generis, sed ab illa præscindat. Cæterùm Anima dicit actum physicum, ad quem pertinet realiter substantialiter constituere totum compositum, & ita cum sit vnica forma physica, & realis in quolibet composito, oportet quòd ipsa formaliter, & vt *quo* contineat omne illud, quod formaliter vt *quod* inuenitur in composito.

Ad Confirmationem respondetur. Quòd Anima est formaliter sensitiua & corporea vt *quo* ad eum modum, quo ratio superior & inferior inuenitur formaliter in specie, quam constituunt; sicut enim istæ rationes inueniuntur formaliter in ipso composito ita inueniuntur in ipsa forma constitutiua illius, sed tanquam in principio *quo* simplici modo, & tanquam in forma. Et ita non oportet, quòd ratio sensitiui sit ratio intellectiui metaphysicè loquendo, & secundum conceptus formales, sed quod forma physica entitatiuè sumpta, quæ formaliter constituit physicè compositum in ratione intellectiui, constituat etiam in ratione sensitiui, & ita contineat vtramque rationem, non vt constitutum ex illis tanquam compositum *quod*, sed tanquam forma, & principium *quo* constituendi compositum secundum vtramque rationem.

Secundò obijcies ex P. Suarez vbi sup. contra vltim. partem conclusionis: quia si vegetatiuum, quod est in equo, verbi gratia habet rationem specificam vegetatiui distinctam à vegetatiuo, quod est in homine, ergo constituitur in aliqua specie athoma intra genus, & lineam vegetabilis, & sic quando aduenit illi ratio specifica in linea sensitiui, vel rationalis, non poterit iam constitui vnum per se, quia iam supponitur species athoma constituta in genere vegetatiui, & sic non est vlterius contrahibilis ab alia differentia specifica eleuatiori. *Confirmatur.* Quia vel datur in equo vegetatiuum illud solum, in quo conuenit planta, vel aliquod aliud in quo non conuenit cum illa. Si primum solum datur vegetatiuum genericum, non autem specificum intra lineam vegetatiui; si secundùm illud vegetatiuum specificum non potest esse aliud quàm sensitiuum, quia in omni eo, quod sensitiuum non est, conuenit animal cum planta: si autem à sensitiuo prouenit aliqua specifica differentia in ipso vegetatiuo, præterquam quod est impossibile, quod ab vno genere proueniat alterius generis differentia, est etiam impossibile, quod ab eadem simplici differentia, scilicet sensitiua proueniat duplex athoma differentia, altera in ratione sensitiui, altera in ratione vegetatiui. *Denique confirmat.* Quia si vegetatiuum specificè contraheretur in linea vegetatiui, & sensitiuum in linea sensitiui, quando coniungitur rationali, sequeretur, quòd potentiæ à talibus gradibus emanantes essent diuersæ speciei in homine, in equo & in planta, siquidem oriuntur à principiis specie distinctis etiam in linea vegetabilis & sensibilis; Consequens autem est falsum, quia potentiæ sensitiuæ in brutis, & homine, sunt eiusdem speciei, vt visus, & auditus, quia habent idem obiectum, scilicet visibile, & audibile, & similiter vegetatiua in plantas & in equo, habent idem obiectum, scilicet alimentum.

Respondetur. Vegetatiuum non constitui in specie sua, & perfectione intrinseca per differentiam aliquam distinctam à sensitiua, sed per eandem, quatenùs habet eminentiam ad perficiendum ipsum vegetatiuum etiam intra lineam vegetatiui; quoniam stante simplici illa differentia sensitiui propter suam eminentiam respectu vegetatiui, habet non solùm constituere differentiam in ratione animalis, & sensitiui, sed etiam perficere vegetatiuum intra rationem vegetatiui, eò quòd etiam ad ipsas operationes sensitiui necessariò prærequiritur vegetatiuum, & ad tale sensitiuum, tale vel tale vegetatiuum, sicut diuerso modo nutriri debet homo quam equus quàm alia animalia, & sic de reliquis, vnde oportet ipsam nutritiuam, quæ est propria potentia gradus vegetatiui etiam in ratione nutritiuæ aliter perfici in vno quàm in alio, quatenùs intrinsecè, & essentialiter deseruit ipsi gradui sensitiuo.

Ad primam Confirmationem respondetur. Quòd vegetatiuum equi, & plantæ & habent conuenientiam genericam, seu communem, & habent differentiam specificam etiam intra lineam vegetatiui ortam ab ipso sensitiuo, non solùm vt formaliter constituit naturam, & gradum sensitiuum, sed etiam vt habet eminentiam ad perficiendum vegetatiuum, quod sibi deseruiat, faciendo quod in ipso sit principium diuersæ operationis vegetatiuæ deseruientis tali sensitiuo. Neque est inconueniens, quod ab eadem simplici differentia, propter sui eminentiam super illum gradum communem vt sibi deseruientem, proueniat non solùm propriæ naturæ constitutio, sed etiam illius communis gradus perfectio, vt deseruiens propriæ naturæ.

Ad secundam Confirmationem respondetur. Quòd licet gradus imperfectior & communior, intrinsecè perficiatur ex coniunctione ad perfectiorem, non tamen est necesse, quòd in omnibus potentiis & perfectionibus intrinsecè immutetur, & specificè distinguatur, nam in planta, & in animali vis augmentatiua, verbi gratia, non est necesse, quòd specie differant, quia in vtroque respicit idem obiectum scilicet quantitatem vt augendam, generatiua autem differt in vno, & in alio, quia respicit diuersam naturam generandam pro obiecto, & idem est de nutritiua, quæ in vno facit carnem, in alio lignum, & hoc est obiectum à quo specificatur, non solum alimentum, & tamen sunt potentiæ partis vegetatiuæ. Similiter in homine sensus externi sunt potentiæ eiusdem rationis & speciei, atque in aliis animalibus, quia habent idem obiectum: aliquæ tamen potentiæ sunt in parte sensitiua hominis, quæ non sunt in sensitiuo bruti, sicut est potentia ridendi & flendi, quæ per ordinem ad sensitiuam exercetur nam modo sensibili fit risus & fletus, & tamen non est in brutis, ergo sensitiuum in homine etiam in ratione sensitiui est principium operationis specie distinctæ, atque in bruto, ergo etiam in seipso est sensitiuum specie distinctum.

QVÆSTIO II.

De Proprietatibus Animæ in communi.

DVO genera proprietatum possumus in Anima considerare. Quædam in ordine ad se vt quòd sit diuisibilis, vel indiuisibilis, quædam in ordine ad operationes & obiecta, scilicet ipsas potentias. De his ergo in communi tractabimus in ista quæstione. In ordine autem ad materiam conuenit Animæ informatio, de qua nihil occurrit scribendum in præsenti, præter ea, quæ diximus, in quæst.6. Physic. *de vnione, &* quæst.11. *de informatione formarum.*

ARTICVLVS I.

Vtrùm aliquæ Animæ sint diuisibiles, aliæ indiuisibiles?

NOn est difficultas in præsenti de anima rationali, ex eodem enim principio, quo constat esse spiritualem, colligitur, quod sit indiuisibilis, siquidem illud dicitur spiritus, quod est immateriale, & carens partibus, ideóque incapax extensionis. Quòd verò Anima humana spiritualis sit, saluâ fide negari non potest, vt probabitur infra quæst.9. cum Anima sit immaterialis, & incorruptibilis, & ita dicitur homo compositus ex corpore & spiritu, vt habetur in cap. Firmiter, de Summ. Trinit.

Secundò est certum, non posse aliquas animas perfectorum animalium ita esse diuisibiles, vt etiam facta diuisione conseruentur in vtraque parte diuisa, perit enim vita à membris abscissis, sicut si abscindatur pars aliqua equi vel bouis. *Sed difficultas est*, an dum manent vnitæ corpori ad eius extensionem extendantur, sicut aliæ formæ accidentales extenduntur, vt albedo, vel calor, & extenso modo informant subiectum, an verò ita sint indiuisibiles, & inextensæ in se, quod ad extensionem materiæ, quam informant, non reddantur extensæ, etiam per accidens, expresse enim de quantitate per accidens respectu animarum loquitur S.Th.1. p.q. 76.art.8. nec de alia poterat loqui.

Circa hanc ergo difficultatem versantur duæ sententiæ extremæ, & duæ mediæ. Prima extrema aliquorum Antiquorum asserebat, omnem Animam etiam rationalem esse diuisibilem, quæ tamen in hoc vltimo admittenda non est, facit enim Animam rationalem corpoream. *Secunda sententia extrema* omnem Animam facit indiuisibilem etiam plantarum & animalium imperfectorum, quæ attribui solet Simplicio, Marsilio Ficino, & aliis apud M. Bañez 1. p. quæst.76.art.8. ad 2. *Inter sententias medias, prima* facit omnes Animas diuisibiles præter rationalem, quia incorporea est, reliquæ verò corporeæ sunt, & consequenter diuisibiles. Ita Scotus, Durandus, Ægid. & alij plures, qui ibidem citantur à M. Bañez: & ex recentioribus sequitur P. Suarez disp.15. Metaphys. sect.10. num.32. Rub. hîc, & alij. *Secunda sententia media* excipit non solùm animam rationalem, sed etiam animas animalium perfectorum, quæ indiuisibiles sunt. Hæc est S. Thom. 1. p. loco citato, & quæst. de spiritualib. creaturis art. 4. de Anim. articul. 10. & 2. Thomistæ Caietan. Ferrar. Ban. vbi supra, & Suar. tractat. de Anima lib.1. capit.13. Carmelit. hîc disp.5. & plures alij.

Dico primò: *Certum est, quòd non solùm Anima intellectiua, sed etiam quæcunque alia secundùm gradum animæ formaliter loquendo non est principium quo diuisibilitatis & extensionis. Patet hoc*; quia quantitas est proprietas consequens gradum corporeitatis, & ita est communi omnibus corporibus animatis & inanimatis, ergo non est propria animæ secundum gradum animæ, & sic formaliter vt anima, non est principium *quo* diuisibilitatis, quia illud est principium *quo* formaliter, quod est ratio ipsa, sub cuius formalitate talis proprietas egreditur, & conuenit.

Dico secundò: *Anima secundùm gradum corporeitatis, quem includit, est principium quo indiuisibilitatis, & hoc etiam competit Animæ intellectiuæ, licet eminentiori modo. Ratio est manifesta*, quia diuisibilitas, seu quantitas, est propria corporis, ergo illa forma, quæ est principium constituendi corpus, est etiam principium *quo* quantitatis, siquidem per illam constituitur corpus, sed anima est forma constitutiua corporis secundum gradum corporeitatis, quia in ipso composito, quod est corpus, non datur alia forma substantialis, à qua constituatur in esse corporis, ergo omnis Anima secundùm gradum corporis est diuisibilis vt *quo*.

Dico tertiò; *Quantitas, quæ oritur ab Anima secundùm gradum corporeum non reddit ipsam entitatem animæ diuisibilem etiam per accidens, ad eum modum, quo formæ inanimatæ vel qualitates corporeæ redduntur extensæ ratione quantitatis sui subiecti, nisi quando anima ita est imperfecta, quod etiam in ipso munere, & officio animandi diuisibilitatem petit, sicut inuenitur in animalibus imperfectis.* Hanc existimo esse mentem S. Thom. vt manifestè colligitur ex q. de spiritual. creatur. art.4. vbi inquit: *Quod totalitas non potest attribui formis, nisi per accidens, in quantum scilicet per accidens diuiduntur diuisione quantitatis, sicut albedo diuisione superficiei, sed hoc est illarum tantum formarum, quæ coëxtenduntur quantitati, quod ex hoc competit aliquibus formis, quia habent materiam similem, & in toto, & in parte. Vnde formæ, quæ requirunt magnam similitudinem in partibus, sicut non habent huiusmodi extensionem, & totalitatem, sicut animæ præcipuè animalium perfectorum.* Et 1. p. q.76. artic.8. *Forma*, inquit, *quæ requirit diuersitatem in partibus sicut est anima, & præcipuè animalium perfectorum, non æqualiter se habet ad totum & ad partes. Vnde non diuiditur per accidens, scilicet per diuisionem quantitatis, sic ergo totalitas quantitatiua non potest attribui animæ, nec per se, nec per accidens.* Quæ loca Diu. Thomæ omnino expressa sunt. Et cum dicit, quod animæ, præcipuè animalium perfectorum, &c. significat hoc conuenire ipsi animæ secundum se, licet magis hoc reluceat in animalibus perfectis. Sed tamen quod in animalibus imperfectis, & in plantis anima sit diuisibilis docet in 2. de Anima lect.4. circa text. 20. & quæstion. de Anima articul. 10. ad 15.

15. quod quomodo intelligatur statim explicabimus.

Nec obstat, quod ipse D. Thom. in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. q. 3. dicit: *Quòd forma substantialis ligni est in qualibet parte eius, quia totalitas formæ substantialis non recipit quantitatis totalitatem, sicut est de totalitate formarum accidentalium.* Ponit ergo D. Th. differentiam inter formas accidentales & substantiales, sed accidentales quæ cadunt super quantitatem solùm per accidens sunt diuisibiles, ergo omnes substantiales, nec per accidens. *Respond.* loqui S. Thom. de totalitate formæ substantialis quoad naturam & essentiam, vt patet in illis vltimis verbis: *Vbicumque erat tota natura panis, est tota natura corporis Christi*, non tamen negat, quin per accidens possit extendi quoad partes integrales, quæ quantitate discernuntur & ordinantur. At verò formæ accidentales quæ quantitatem præsupponunt, licet etiam per accidens, id est, per quantitatem extendantur, tamen quia ex sua natura quantitatem præsupponunt, & in ea fundantur, ideo ipsis vt fundatis in quantitate, magis intrinsecum est extendi modo quantitatis quam formæ substantiali ex natura sua.

Fundamentum ex D. Thom. *potest sumi à priori, & posteriori. A priori fundatur in eo*, quòd forma aliqua non quantificatur à quantitate totius, nisi quando partes, & totum sunt eiusdem rationis, quando autem per se, & essentialiter forma petit corpus organicum vt informet, ita quod ipsa organizatio est dispositio necessariò requisita, vt absolutè forma sit in materia, talis forma dicitur indiuisibilis in informando, quia vnio eius ad materiam non potest dari nisi supponatur organizatio tanquam integra, vel vltima dispositio, ita quod sine illa nullo modo informat. Quandocumque autem ad informationem alicuius formæ plures partes requiruntur, ita quod sine illis nullo modo potest dari informatio, comparatur ad omnia illa indiuisibiliter forma, quia comparatur essentialiter, & necessario; sicut quia ad ignem requiritur calor vt octo, tota illa dispositio per modum vnius comparatur ad informationem formæ ignis, licet calor vt octo plures gradus includat: sic similiter licet organizatio plures partes includat, tamen in ordine ad informationem animæ per modum vnius indiuisibilis dispositionis, quia Anima essentialiter est actus corporis organici. Quare ex ipsa vi, & ratione informationis non comparatur ad corpus organicum diuisibili modo, sed indiuisibili, quia comparatur ad pluralitatem partium in organizatione inclusam, tanquam ad dispositionem necessariò requisitam. Si autem ipsa informatio animæ respectu organizationis, seu corporis organici indiuisibilis est, non restat ei locus vndè diuisibilitatem quantitatiuam accipiat, quia per se non potest quantificari, cum Anima non sit corpus, sed principium, seu forma corporis, solum autem corpus est subiectum per se quantitatis, quia est totum seu compositum, vel secundum alios materia est subiectum quantitatis, quia habet partes materiales, non autem forma: per accidens autem nulla forma habet quantitatem, nisi eius informatio diuisibilis sit, vt contingit in qualitatibus corporeis, & formis inanimatis, nam quod ab aliqua forma dimanet quantitas non sufficit, vt ipsa quantificetur, vt patet in Anima rationali, à qua dimanat quantitas, & tamen non quantificatur. Requiritur ergo quod ipsa forma modo diuisibili informet, & non diuisibili modo respiciat plura, vt ab illis dicatur per accidens quantificari.

Dices: Hac ratione etiam probaretur animalia imperfecta, & plantas habere animas indiuisibiles, quia petunt organizationem, imò quælibet forma inanimata, quia quælibet habet minimum in quantitate tanquam debitam dispositionem, vt diximus in quæstione 8. Physicor. ergo si ex eo, quod anima exigit corpus organicum tanquam per se informabile est forma indiuisibilis, similiter quæcumque forma exigit determinatam quantitatem, vt informet materiam, ita quod infra illud minimum non possit esse, dicetur illa forma indiuisibilis respectu illius minimi, quod tamen etiam habet partes sicut in corpore organico.

Respondetur: Rationem factam probare absolutè de omni anima respectu corporis organici, quod connaturaliter requirit, sed diuersimodè applicari ad animalia perfecta, & imperfecta, eò quòd diuerso modo requirunt organizationem ad vitam: sunt enim quædam animalia, quæ habent vitam nimis imperfectam, & paucarum operationum, & sic requirunt organa minus perfecta: & ita contingit, quod diuiso corpore maneant in qualibet parte organa sufficientia ad illam vitam ita imperfectam, & materialem saltem pro aliquo tempore, & consequenter in illis potest diuidi anima perinde ac, si multiplicaretur per generationem, & hac ratione dicuntur animæ illæ diuisibiles, vt aduertit Sanct. Thom. quæstione de Anima artic. 10. ad 15. Quanquam nec omni modo, & ex omni parte diuisibilitas ista reperiatur, nam si lacerta verbi gratia, vel alij vermes diuidantur in longum à summo vsque deorsum partes dissectæ non viuunt; sed si diuidantur penes latitudinem, & similiter arbores non omni modo decisæ viuunt, quod est signum hæc viuentia non esse diuisibilium formarum, nisi quatenùs multiplicatur dispositio organizationis sufficiens ad motum illius vitæ imperfectæ, quia si alio modo diuidantur, perit vita. *Quod verò dicitur*, de formis inanimatis, quòd habent minimum ex parte paruitatis. *Respondetur*, esse disparem rationem, quia illud minimum solum requirunt ratione limitationis formæ, non ratione virtutis, & perfectionis propriæ talis formæ, quasi pro dispositione propria requirat illam determinatam quantitatem, sicut viuentia organizationem. Vndè ex hoc non tollitur, quin talis forma respiciat diuisibili modo partes materiæ, quas informat, quia omnes homogeneæ sunt, licèt intra quamcumque minimam quantitatem non possit talis forma saluari, propter generalem rationem limitationis, quâ non solùm quantitas, sed omnia accidentia determinata esse debent in paruum, & in magnum: & ita cum reliquas partes materiæ informat forma inanimata, non coarctatur ad determinatam partium dispositionem, & figuram, & quantitatem iuxta quam informet sicut forma viuentis ad determinata organa.

Nec obstat, quòd etiam partes organizatæ animalis crescunt, & sub illa quantitate non requiruntur necessariò ad informationem animæ, ergo in illis extendetur sicut inanimata. *Respondetur enim* quòd licèt in hoc sit aliqua latitudo & extensio materialis partium, tamen formalis extensio, & coordinatio earum indiuisibili modo, id est necessario, & per se requiritur. Dicitur autem formalis extensio ipsa connexio partium, & organorum, quæ ita requiritur ad informationem animæ, vt non possit vna seorsum ab alia informari, licèt partes possint crescere vel minui, sub eadem tamen connexione, & ordine cum aliis.

Secundò sumitur ratio à posteriori ex aliquibus indiciis, vt affert Aristot. lib. de iuuentute & senectut. capit. 1. constat enim quòd partes animalium perfectorum

fectorum decisæ nunquam viuunt, ergo signum est, quòd illa forma viuens non informat diuisibili modo, si enim diuisibilis esset in informando, non tam citò ac diuiditur, periret vita, præsertim, quia si diuisibili modo informaret, potius ex ipsa diuisione perficeretur, quia id quod est pars, fieret subsistens. *Quod si dicas*, amittere vitam partem abscissam, non propter indiuisibilitatem animæ, sed quia desunt dispositiones requisitæ. *Contra est*: quia si istæ dispositiones sunt requisitæ ad animam, quod sine tali organizatione partium non potest informare, ergo anima in informando respicit indiuisibili modo illas partes, sicut respicit materiam dispositam omnibus dispositionibus vsque ad vltimam modo indiuisibili. Si autem informatio materiæ organizatæ indiuisibiliter requisita est, sequitur quòd ipsa Anima non est capax diuisibilitatis etiam per accidens, quia quantificatio per accidens, vel est ex receptione quantitatis, aut receptione formæ in subiecto quanto, vel ex informatione facta modo diuisibili. Primum non conuenit formæ substantiali, nisi vt quo, non enim quantitatem recipit nisi compositum, vel materia vt subiectum *quod*. Secundum non sufficit sine tertio, quia si informatio non fiat modo diuisibili, forma non communicat in quantitate cum subiecto, ita vt subiiciatur illi, sed potius quantitatem subiecti respicit modo, vt dispositionem.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur*, quia omnes Animæ præter rationalem sunt corporeæ, ergo sunt capaces diuisibilitatis saltem mediatè, & per accidens, ad hoc enim sufficit, quod forma existat in subiecto habente quantitatem, & quod ipsa forma in se corporea sit, sicut videmus in accidentibus corporeis, & formis inanimatis: siquidem tales formæ corporeæ, correspondent diuersis partibus subiecti modo etiam partiali, ita quod non tota forma cuilibet parti respondeat, ergo quæcumque formæ corporeæ diuisibiles sunt. Imò ex eo formæ aliquæ spirituales sunt, quia incapaces extensionis, ergo si animæ brutorum sunt incapaces illius, non est cur negemus esse spirituales. *Conf.* Quia omnis operatio, & potentiæ animarum irrationalium sunt diuisibiles, & diuisibili modo fiunt, ergo etiam ipsa anima diuisibilis est. *Anteced. constat*, nam potentia videndi verbi gratia est extensa in pupilla, & ibi exercetur sensatio diuisibili modo, ita vt remota extensione non possit exerceri, & sine diuisibilitate operari, sicut Anima rationalis operatur per intellectum, ergo sicut potentiæ sunt extensæ, ita etiam ipsa entitas animæ.

Resp. Quòd licèt omnes illæ animæ sint corporeæ non tamen est necesse, quod in se passiuè sint capaces extensionis etiam per accidens, nisi quando eadem informatio diuisibili modo fit, vt explicatum est. Vndè negamus, quod sufficiat ad hoc, vt aliqua forma sit diuisibilis per accidens, quod existat in subiecto habente quantitatem, & sit corporea, seu eiusdem ordinis cum subiecto, sed requiritur etiam, quòd actuatio ipsa, & informatio diuisibili modo fiat, siquidem forma non potest reddi diuisibilis per susceptionem passiuam quantitatis, quia quantitas, vt sæpè dictum est, non inhæret in forma, sed in composito, vel in materia, solùm ergo potest reddi diuisibilis ex modo ipso informandi rem diuisibilem, quod scilicet diuisibili modo informet, non autem ex eo, quòd præcisè informet rem diuisibilem quomodocunque, sed ex eo, quòd informet communicando cum ipsa in modo extensionis, & quantitatis, non autem accipiendo ipsam extensionem plurium partium, vt dispositionem vnico modo requisitam ad informandum, etiam in prima & indiuisibili inceptione quia primo informat. Non ergo sufficit informatio subiecti diuisibilis, sed requiritur etiam, quod modus informandi diuisibilis sit. Et ita formæ quæ habent eandem diuisibilitatem in informando quam materia, quantificantur etiam per accidens ab illa, quia non magis respiciunt totum, quàm partem ad informandum, formæ autem quæ ex sua propria ratione respiciunt ipsum totum, seu dispositionem, aut compositionem plurium partium, qualis est organizatio, tanquam vltimam, vel essentialem dispositionem, licèt habeat actuare omnes illas partes non tamen habent in se partes recipere, quia modo indiuisibili, & sub ratione totius, ac dispositionis indiuisibilis illas respiciunt. Quomodò autem tota forma actuet quamlibet partem & totum, & quomodò augmentato animali non superaddatur noua pars formæ dicemus sequenti argumento. *Quod verò dicitur* de formis spiritualibus. *Respondetur.* Illas non solùm dici spirituales, quia non sunt capaces extensionis in se passiuè recipiendæ; sed etiam quia sunt independentes in suo esse spirituali à materia, sicque excedunt totum ordinem materialem, quod non conuenit animabus brutorum.

Ad confirmationem respondetur, esse disparem rationem inter potentias, & operationes, quæ sunt accidentia, & ipsam animam, quia accidentia corporalia extenduntur ad extensionem sui subiecti, nec excedunt limites organi illius, seu partis cui inhærent, vndè non sunt formæ respicientes corpus organicum pro subiecto, sed vnum tantum organum, seu pars est subiectum illius potentiæ, seu operationis, verbi gratia potentia visiua in organo oculi, auditiua in aure, & sic de aliis, & tactus, qui per totum corpus diffusus est habet totum corpus, quasi pro vno organo, & æquè exercetur in vna parte, atque in toto. Quare ista accidentia siue potentiæ sint, siue operationes diuisibili modo sunt in subiecto, & præsertim, quia exercentur mediis qualitatibus calore, & frigore, &c. à quibus dependet dispositio organorum. At verò Anima est forma eminentior, respicitque pro materia informabili corpus organicum, ita quod si organizatum non sit, non informatur ab Anima, ideóque & diuisibiles partes debet habere in corpore informando à se, & omnes illæ partes diuisibiles, & organizatæ per modum vnius respiciuntur, quia per modum vnius vltimæ dispositionis, sicut calor vt octo diuisibilis est in se, & modo indiuisibili respicitur à forma ignis.

Secundò arguitur. Quia forma perfectorum animalium educuntur de potentia materiæ diuisibilis, & modo diuisibili, vt patet, tùm quando primò generatur animal, tùm quando postea augetur; quando enim primò generatur, educitur forma ex certa ac determinata materia dispositiuè organizata, & non educitur tota à toto, & tota à parte, hoc enim videtur inintelligibile, & vix concipitur in re spirituali, quantò magis in re corporea, ergo forma quæ educitur, debet esse extensa, sicut ipsa materia: educitur etiam modo diuisibili, quia per actionem extensam, & diuisibilem, scilicet, per generationem corpoream, & cum dependentia non solùm à materia, sed ab eius partibus: ergo Anima diuisibilis esse debet. Similiter quando Anima augetur ex noua parte materiæ, educitur noua pars formæ, siquidem actio augmentatiua est eductiua formæ, non vnitiua tantum, & non educit totam formam, vt de se patet, ergo partem, & sic Anima constat partibus.

Confirmatur. Quia non est intelligibile, quòd forma corporea dùm est in materia, tota sit in toto, & tota in qualibet parte modo naturali, sic enim res

cor

corporea esset modo sacramentali, sicut Corpus Christi est in Sacramento, ergo dicendum est; quòd est tota in toto, & pars in parte, & sic est diuisibilis. *Confirmatur secundò*: quia si forma illa est vna, & indiuisibilis, ergo necessariò debet esse in eadem numero materia tota illa forma, succedente autem noua materia, sicut per nutritionem succedit, vel illa forma manet eadem indiuisibilis, quæ primò fuit generata, & producta vel non. Si non, ergo per nutritionem perit Anima, & cum non habeat partes, ita vt pars vna pereat, alia maneat, totaliter peribit, quod est animal mori, dum nutritur. Si autem est eadem indiuisibilis: ergo transit de vna materia ad aliam, & indiuiduatur à diuersis materiis, & sic quando aduenit noua materia per nutritionem, ita vt prima illa materia, sub qua animal fuit generata, totaliter sit consumpta, verum erit dicere, quòd illa forma non est educta ab illa materia quam actuat, siquidem solùm fuit educta ab illa materia, in qua primò fuit generata, postmodum verò per nutritionem vnitur materiæ, à qua non educitur, & sic erit forma independens ab illa materia, cui per nutritionem vnitur, quod est proprium formæ spiritualis.

Respondetur. Animas animalium perfectorum educi de potentia materiæ, & à partibus eius, & cum dependentia ab illis quantum ad suum esse materiale quod habent, non tamen sub modo informationis diuisibili ex parte ipsius formæ, neque vt recipiens in se passiuè ipsam quantitatem, & ideò forma illa sic educta non habet quantitatem, nisi vt principium *quo*, sicut etiam non est corpus, nisi vt *quo*, & ita non oportet, quòd proportionetur partibus materiæ, secundùm æqualitatem partis ad partem, ita vt forma habeat partes, sicut habet materia, sed secundùm æqualitatem proportionis, quia se habet illa forma vt principium, quo compositum habet partes, & quantitatem. Et hoc sufficit, vt dicatur educi à partibus materiæ, & non tota à toto, & tota à parte, quia ipsa forma habet in se totum, & partes vt *quo*, passiuè autem habere illas, & vt *quod* etiam per accidens non conuenit formæ, licèt dependeat in suo esse à partibus materiæ. Denominatiuè autem habere partes per accidens non conuenit formæ, nisi quando informatio sua diuisibilis est, quod non competit Animæ, vt ostendimus. Quod verò actio generatiua sit extensa, non obstat & instatur manifestè in generatione hominis, quæ est actio extensa, & quantitatiuo modo facta, & tamen forma inextensa est. Et hoc ideò, quia actio generatiua est in ipso composito subiectiuè, vt diximus quæst. I. de Generat. vel secundùm alios in materia, & diuisibilis per accidens, sicut reliqua accidentia diuisibili modo se accommodantia subiecto: Anima autem non est in materia tanquam accidens sed tanquam forma eminentior respiciens indiuisibili modo corpus organicum, vt dictum est. Quomodò autem dicatur esse tota in toto, & tota in parte, statim dicemus.

Ad instantiam verò, de diuisibilitate Animæ quando augetur animal, quod maiorem habet difficultatem. *Respondetur*. Quòd talis forma reuera non educitur ex materia, quæ successu temporis aduenit, sed solùm à principio sunt educta à materia illa, in qua primò generata est, sed tamen ita fuit educta ab illa & dependens in ipso fieri, quod in conseruari fit dependens tam ab ipsa, quàm à qualibet alia materia succedente intra limites suæ informationis. Itaque redditur dependens à materia, in qua primò generatur, & educitur ab illa quantum ad suum fieri, & quia illa materia successiuè continuatur eadem formaliter, licèt non eadem materialiter, continuatur etiam per nutritionem illa dependentia Animæ à materia non per nouum fieri, & educi, sed per prioris conseruationem, & continuationem. Est simile in ipsa materia prima, quæ quando prima creata est à Deo, fuit creata vt dependens ab illa forma, sub qua creata est, quando verò postea successiuè generantur formæ, redditur dependens à forma generata, non quia de nouo fiat & creetur, sed quia fit dependens in conseruari de nouo ab illis formis, quæ intra suam potentiam continentur, & de nouo educuntur. Anima autem rationalis sicut prima eductione non educitur, sed creatur, & vnitur materiæ, ita per nutritionem extenditur ad aliam materiam, quæ ei de nouo vnitur sine dependentia ab illa in esse; forma verò bruti non solum vnitur materiæ nutritionis de nouo aduenienti, sed redditur dependens ab illa in conseruari, sicut à priori materia fuit educta in fieri, & in primo sui esse, quando generatum est animal, & ita non solùm vnitur materiæ de nouo aduenienti, sicut anima rationalis, sed redditur dependens in suo esse, quantùm ad conseruari ab illa, non autem pars formæ educitur ab illa.

Ad primam Confirmationem respondetur. Quòd forma non comparatur ad materiam, sicut corpus ad locum, vt sit totum in toto, & pars in parte, vel tota in parte, quia forma corporea non comparatur ad materiam media quantitate, quæ sola distinguit partes & totum, neque vt subiectum quantitatis, quia vt sæpè diximus, quantitas solùm inhæret composito, vel materiæ; & ita cum forma non sit in materia modo locali, sed modo substantiali antecedenter ad quantitatem, neque ipsa sit corpus, licèt sit corporea, tanquam principium corporis, ita educitur ex toto & ex partibus materiæ, à quibus dependet, quod tamen in se non habet distinctionem totius, & partis, nisi vt *quo*, non denominatiuè vt *quod*, etiam per accidens. Solùm ergo potest conuenire formæ extensio, & diuisibilitas per accidens ratione informationis diuisibili modo factæ, vt dictum est, quæ non inuenitur in Anima. Argumentum autem factum si aliquid probat non solùm diuisibilitatem per accidens, sed partes, & diuisibilitatem per se, probat in Anima. Cæterùm substantiæ spirituales, vt Angelus, & Anima rationalis sunt indiuisibili modo positiuè, etiam in ordine ad locum, quem tangunt ratione suæ indiuisibilis virtutis, & sic sunt totum in toto loco, & totum in parte loci, quod est proprium spiritualis entitatis. Et iste est miraculosus modus corporis Christi in Eucharistia, quia cum sit corpus habens quantitatem, comparatur tamen ad locum modo indiuisibili. Anima autem non est corpus, neque habet quantitatem in se, neque comparatur ad materiam vt ad locum, sed vt ad substantiam partialem, cum quâ componit, sicque non est miraculum, quod organizationem eius respiciat vnico, & indiuisibili modo, vt dispositionem vltimam.

Quòd si instes. Nam Anima est in loco saltem per accidens mediante eo corpore, in quo est, & tunc designatâ parte animalis, verbi gratia, pede, vel ibi est tota Anima; vel pars; si hoc secundum, iam est diuisibilis: si primum, ergo erit tota in toto, & tota in parte loci, saltem per accidens, quia similiter in alia parte animalis erit tota Anima. *Respondetur*. Animam esse totam in qualibet parte materiæ, licet non totaliter, quia potest etiam aliam partem informare. Quando autem comparatur ad locum mediante ipso composito, & eius quantitate, potest dici, quòd per accidens extrinsecè est diuisibiliter in loco, scil. ratione corporis diuisibilis, cui est vnitâ, sicut corpus Christi dicitur ratione specierum esse in loco diuisibili, sed hoc dicitur per accidens extrinsecè, quia non resultat in ipso corpore Christi aliqua intrinseca correspondentia

tia ad locum specierum, sicut neque in Angelo aut Anima rationali, quando sunt in aliquo corpore, & mediante illo correspondent loco corporis diuisibili. Alio modo potest aliquid esse per accidens in loco, id est, per aliud, ita tamen quod etiam intrinsecè detur in eo correspondentia diuisibilis ad locum; sicut qualitates corporeæ, & formæ inanimatæ quæ sunt extenso modo in corpore. Primo modo habet Anima perfectorum animalium esse in loco per accidens, non vt quod, sic enim esset spiritualis, sed vt quo, non secundo modo. *Ad secundam Confirmationem respondetur.* Idem argumentum debere solui in Anima rationali, quæ etiam indiuiduatur per respectum ad corpus, cuius est forma, & tamen constat, quòd corpus includit materiam fluentem, & non eodem modo semper perseuerantem. *Dicimus ergo*, quod sufficit ad indiuiduationem istarum animarum quod respiciant corpus idem numero identitate formali, licet non materiali, quia licet partes fluant continuò, manent tamen sub eadem ratione formali, quia manent sub eadem successione, dispositione & figura, & ordine ad eandem formam, vt abundè explicatum est quæst. 8. de Gener. & quæst. 6. Physic. quod verò dicitur formam equi verbi gratia, non esse eductam ab illa materia, quæ per nutritionem accedit. *Respondetur.* Non esse eductam ab illa materialiter sumpta, sed ab illa formaliter, quatenùs hæc continuatur & subrogatur illi, à qua educta fuit, & manet eadem cum illa sub eadem formalitate & dispositione, & vlteriùs, quia licèt non educatur ab illa materia succedente per nutritionem, vnitur tamẽ forma dependenter ab illa in conseruari, & ita animæ istæ perfectorum animalium non remanent independentes in esse suo à materia, cui per nutritionem vniuntur, vt dictum est.

Vltimò arguitur. Nam Animæ perfectorum animalium modo diuisibili informant, ergo sunt diuisibiles per accidens. *Conseq. patet*, quia ex eo negamus esse diuisibiles quia modo diuisibili non informant. *Antecedens probatur*; quia non informant omnes partes eodem modò, cum sint etherogeneæ, & dissimilares, & quælibet earum diuisibilis & extensa, & diuisibili modo suscipiens informationem in seipsa: ergo ab illorum extensione & diuisibilitate denominatur Anima per accidens diuisibilis. *Deinde*, quia Animæ imperfectorum animalium non minus habent corpus organicum, licet imperfectum, quàm Animæ perfectorum animalium. Nisi dicatur, quòd animalia imperfecta habent multiplicata organa, & duplicem appetitum & potentiam motiuam, vt facta diuisione quælibet pars moueri possit progressiuè, motus enim progressiuus ab appetitu & phantasia procedere debet, & ita nisi in qualibet parte decisa maneat distinctus appetitus, & phantasia, non poterit distinctus motus poni, hoc autem satis absurdum videtur, & sine fundamento, ergo idem dicendum est de perfectis, & imperfectis animalibus. Vnde Aristoteles lib. de iuuent. & senectut. c. 1. dicit: *Quòd quædam animalia imperfecta sunt insecta, quia diuisa non viuunt, vt apes, & vespæ. Confirmatur*, quia multoties membra perfectorum animalium decisa viuunt saltem paruo tempore, sicut caput abscissum saltat, & mouetur, & corpus etiam truncum aliquando mouetur, vt videtur admittere Aristoteles 3. de partibus animalium, cap. 7. aliique id referunt. Certè abscisso capite, adhuc videmus animalia palpitare, nec videtur cessare vita quousque cor totaliter perdat motum, non potest autem cessare motus cordis in illo instanti, quo caput est abscissum, sed indiget tempore, vt deficiente sanguine & respiratione suffocetur. Denique experientiâ constat partem aliquam abscissam, vt nasus, vel auricula, si cito iungatur, posse medicamentis restaurari ad vitam, ergo signum est animam mansisse ibi diuisam, si enim amisisset Animam, non posset iterum viuificari, quia à priuatione ad habitum non est regressus.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur. Quòd licet Anima respiciat diuersas partes organicas, vt diuerso modo informabiles, & ex parte sui diuisibiles, tamen ex parte formæ, modo indiuisibili, quia eminenti modo respicit omnia illa organa, vt vnicam dispositionem vnico & indiuisibili modo requisitam, sicut forma ignis respicit calorem vt octo in se quidem diuisibilem per plures gradus, vnico tamen modo, & indiuisibili respicitur à forma videlicet tanquam dispositio vltima, & præcisà requisita. Et argumentum si aliquid probaret, etiam procederet contra Animam rationalem, quæ non minus respicit plures partes organicas vt diuersas, & diuisibili modo informabiles ex parte sui, non ex parte formæ. Et licèt quælibet pars organica sit extensa, non tamen reddit informationem Animæ diuisibilem, quia ita illam informat, quòd non quælibet pars constituitur animal, sed omnes simul vt informatæ per modum vnius, sunt vnicum animal.

Ad secundam probationem respondetur. Quod etiam Animæ animalium imperfectorum respiciunt diuersa organa per modum vnicæ, & indiuisibilis dispositionis; sed differentia est, quod in animalibus imperfectis propter imperfectionem vitæ, & paucitatem actionum quas habent, cum paucioribus organis saluatur sufficiens dispositio in eis, quæ non saluatur in animalibus perfectis, & ideò factâ diuisione manent ea, quæ ad talem vitam sufficiunt. Quæ est solutio S. Thom. quæst. de Anima art. 10. ad 15. Nec nos dicimus; quòd in istis animalibus habentur organa duplicata, vel potentiæ, verbi gratia duplex appetitus, vel phantasia, sed habent tantum vnam animam & appetitum in actu, sed plures in potentia & factâ diuisione plurificantur in actu, sicut res inanimaæ facta diuisione fiunt plura in actu, cum ante essent vnum. Et sic factâ diuisione in animalibus imperfectis, resultant in partibus diuisis diuersæ animæ, habentes in singulis diuersum sensum, & appetitum, & organa, & sic ratione huius dicuntur Animæ illæ diuisibiles. Quæ est solutio D. Thom. quæst. de spiritualibus creat. art. 4. ad 19. & in 2. cont. Gentil. cap. 58. vbi expresè dicit: *Quòd animalia, quæ diuisa viuunt, habent in eadem parte motum, & sensum, & appetitum.* Vnde si taliter diuidantur ista animalia, quòd non resultent in illis diuersa organa sufficientia ad motum, non amplus viuunt diuisa, vt si lacerta diuidatur à summo vsque deorsum. Aristot. autem in illo loco dicit, quòd inter ipsa animalia imperfecta, aliqua sunt insecta, vt vespæ & apes, & alia annulosa, vt lumbricæ, & hæc secunda diuisa viuunt, & distinguuntur ab illis insectis, non verò negat omnia animalia imperfecta viuere decisa. Et de his dicit, quòd habent vnum principium vitæ antequam diuidantur, sed cum diuiduntur, fiunt actu plura.

Ad Confirmationem respondetur. Quòd non est existimandum animalia viuere abscisso capite, & oppositum est fabulosum, aut arte Dœmonis procuratum vel si verè aliquando accidit, Dei virtute factum est in Martyribus ad gloriam fidei. Cæterùm caput abscissum videtur aliquando saltare, & corpus palpitare non propter vitalem motum Animæ, sed propter agitationem spirituum, qui in ipsa receptione ictus conglobantur circa cor, aut caput, & si sint fortes, & multiplicati, in illa vltima euaporatione efficiunt saltum, & mouent partem illam. Cor autem in corpore trunco, aliquantulum viuit, donec suffo

suffocetur, & spiritus vitales exhalentur, non fit ex eo quòd Anima sit diuisa in capite, & in trunco, præsertim cum hoc videamus fieri in homine, cuius Anima non diuiditur, sed quia nondum est separata à trunco, donec deficiat cor. Quod an ita sit, quod de capitato homine adhuc viuat paululum, licet sine sensu, quia ablata est phantasia, & spiritus animales diuiso capite cessant, non ita magni momenti est, nec ad præsens pertinet id disquirere.

Ad experientiam de parte abscissa, quæ iterum vnitur reliquis, & viuit. *Respond.* Quòd si ita est, licèt illa pars diuisa verè sit mortua, tamen quia adhuc omnes dispositiones non sunt plenè resolutæ, sed aliquæ similes manent, non repugnat iterum conglutinari calori naturali, & ab ipso corpore animato iterùm disponi, vt viuificetur, sicut etiam vulnus à natura curatur, & partes conglutinantur, & sicut pars ipsa abscissa si comedatur, calore naturali potest iterùm disponi, vt informetur forma animæ. Vnde licèt à priuatione ad habitum non sit regressus, quando forma totaliter est ablata ab aliquo corpore, ita quòd omnino est amissa, tamen si forma adhuc manet, non repugnat quod partem aliquam à se separatam possit per dispositiones iterùm ad sui informationem trahere, sicut quamcunque aliam materiam, ex qua potest nutriri.

ARTICVLVS II.

Vtrùm potentiæ Animæ sint ab ipsa distinctæ, & ab ea dimanent?

MVlti negant distingui, & consequenter negant dimanare. Vndè nos vtrumque coniungimus, quia vnum ab alio dependet.

Igitur circa distinctionem potentiarum à substantia, cuius sunt potentiæ, variè dissident Authores. *Quidam* vniuersaliter omnes potentias dicunt non distingui à substantia, nec realiter, nec formaliter. *Ita multi* ex Nominalibus, Gabr. Och. Greg. qui videri possunt apud Conimb. 2. de Anim. cap. 3. quæst. 4. articul. 1. & apud Suarez in tract. de Anima lib. 2. cap. 1. Et non desunt aliqui, qui modò id defendant. *Alij dicunt* potentias distingui ab anima non realiter, sed formaliter, Ita Scotus in 2. distinct. 16. quæstione vnica & eius schola. *Alij* distinguunt de potentiis intellectiuis, & sensitiuis à vegetatiuis, & dicunt potentias intellectiuas, & sensitiuas distingui realiter à substantia Animæ, quia earum effectus, & operationes aliquid accidentale sunt; potentiæ verò vegetatiuæ, quia producunt substantiam, siue generando, siue nutriendo, non distinguuntur à substantia animæ, quia id quod producunt substantia est. Ita Duran. in 1. dist. 3. in secunda parte dist. quæst. 2. & D. Bon. ibidem. *Alij* denique vniuersaliter dicunt omnes potentias realiter distingui à substantia: quæ est communior sententia Authorum.

Dico ergo primò: *Potentiæ Animæ siuè sensitiuæ, siuè intellectiuæ, siue vegetatiuæ, realiter ab ipsa substantia animæ distinguuntur.* Itaque vbicumque operatio distincta est ab ipsa substantia, quia accidentalis est, licèt effectus productus sit substantia, principium proximum elicitiuum, accidentale esse debet. Hanc conclusionem tradidimus in quæst. 12. Physicor. artic. 2. Eam tenet D. Th. 1. p. quæst. 77. art. 1. & quæst. 54. art. 3. & q. de Anima art. 12. Sumitúrque ex Arist. in prædic. cap. de qual. vbi inter species qualitatis ponit potentiam, & impotentiam, ergo sentit potentiam non esse substantiam.

Fundamentum sumitur tum à posteriori, tum à priori. A posteriori quidem, quia videmus dari plures virtutes actiuas, quæ sunt accidentia superaddita substantiæ, sicut calor positus in ferro actiuè calefacit, & frigus frigefacit manum, & tamen constat esse accidentia, quia ferrum aliquando habet calorem, aliquando non, ergo in ferro calor est accidens, ergo similiter in igne, cuius est propria passio, cum sit eiusdem speciei calor in ferro, & in igne; & quod actiuè agat manifestum est, quia calor ferri causat calorem in manu, & non formaliter, quia non informat manum, cum sit in ferro, ergo actiuè. Similiter ergo Anima habebit actiuas virtutes distinctas ab ipsa substantia Animæ, quibus operetur operationes sensitiuas, & intellectiuas, quæ accidentales sunt, & similiter actiones partes vegetatiuæ, quæ minus nobiles sunt, & medio colore, & frigore, cæterisque qualitatibus primis perficiuntur. *Nec potest dici*, quod Anima, quæ est substantia nobilior, non indiget potentiis superadditis, sicut aliæ substantiæ. *Nam contra est*: quia idem posset dici de mixtis respectu elementorum, quod quia nobiliora sunt elementis, non indigebunt qualitatibus actiuis superadditis, nec similiter cœlum, cum tamen videamus mixta agere per istas qualitates elementales, quæ accidentia sunt, & cœlum agit per lucem, quæ est accidens, quia aliquando adest, aliquando abest, vt videmus in Luna. *Deinde*, quia si Anima est nobilior substantia, quàm elementa, etiam habet nobiliores operationes, elementum autem ignobiliores, quibus ita proportionatum est, sicut Anima suis operationibus, ergo non magis dicetur Anima sufficiens principium ad operandum per suam substantiam, quàm elementum *Denique* si Anima nobiliores operationes, vt *intelligere*, & *sentire*, potest per suam substantiam immediatè elicere, etiam ignobiliores poterit, vt *calefacere*, aut *exsiccare*, & similia, constat autem quod ad istas actiones requirit accidentia superaddita, scilicet calorem, qui aliquando adest, vel abest, & consequenter accidens est, ergo omnes operationes anima elicit medio accidenti.

Aliud signum à posteriori sumitur: ex eo quòd potentiæ Animæ distinguuntur inter se, ergo etiam ab Anima, quia si in Anima identificarentur, etiam inter se, nam quæcumque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se. Distingui autem inter se constat. *Tum*, quia vna mouet aliam, vel repugnat illi, sicut intellectus mouet voluntatem, & è contra, & appetitus repugnat voluntati, & rationi: *Tum etiam*, quia vna non suscipit denominationem alterius, sicut non verificatur, quod intellectus velit, aut voluntas intelligat: *Tum* quia recipiunt in se habitus, qui sunt accidentia, siue sint acquisiti, siue infusi, quæ aliquando adsunt, aliquando non, & inter se distinguuntur realiter, quia separantur inter se, sicut Fides potest esse sine Charitate, ergo sicut isti habitus sunt accidentia, & tamen præbent virtutem operandi, ita potentiæ, quæ per tales habitus operantur, accidentia erunt. *Tum denique*, quia ipsæ potentiæ separantur inter se, sicut homo cæcus non habet potentiam visiuam, & tamen habet auditiuam, per cæcitatem enim non amittit solum ipsum actum videndi, nam etiam dormiens amittit illum, & tamen non est cæcus, nec solùm amittit potentiam quantum ad modum operandi, sed quoad substantiam, quia nullo modo potest videre, quid enim absurdius quàm quod cæcus possit videre? Quod poterit, si potentiam videndi retinet; ergo potentia visiua est accidens superadditum substantiæ, quia adest & abest, substantiâ ipsâ animæ inuariatâ. *Quod si dicatur*, cæcum non amittere potentiam videndi, sed poni impedimentum

mentum in organo, quo posito Anima non potest videre, ex impedimento posito, non ex potentia ablata. *Contra est*, quia si destructo organo adhuc manet potentia in Anima, quia ipsa substantia Animæ est potentia, ergo Anima separata habet istas potentias visus, & auditus, &c. siquidem non distinguuntur ab illa, hoc autem est impossibile, quia Anima separata est entitas spiritualis, potentiæ autem visiua, & auditiua, sunt corporeæ, quia modo corporeo operantur, & circa obiectum corporeum, & ratio formalis distinguens vnam ab alia & constituens, corporea est, v.g. lucidum, coloratum, aut sonorum, &c. ergo non sunt ipsa substantia Animæ. Si autem istæ potentiæ sunt in organo corporali, & cum ipso identificantur, ergo sicut ipsa organa realiter inter se distinguuntur, quia sunt diuersæ partes animalis, ita & ipsæ potentiæ, ergo non identificantur in aliquo tertio.

Scio non deesse Recentiores aliquos, qui admittunt in Anima separata manere omnes istas potentias, quia omnes illæ sunt ipsa entitas animæ, vt potens exercere per organa corporalia suas sensationes: Et addunt, quòd ipsa potentia visiua entitatiuè est spiritualis, & actio videndi spiritualis, & solum connotatiuè & extrinsecè dicitur corporea, quatenùs organo corporeo vtitur ad attingenda obiecta externa. Ita propabibile reputat P. Lessius de summo bono lib. 2. capit. 8. & alij Recentiores. Cæterùm assertio hæc euertit multa Philosophiæ principia, quæ tangunt potentiarum distinctionem, & constitutionem, præsertim quia actio & obiectum circa quod versatur, necessariò proportionari debent inter se & adæquari, cum omnino essentialis ratio actus erga aliquod obiectum sit. Si ergo actio visiua entitatiuè spiritualis est, & à spirituali vi Animæ exit, oportet quòd proportionetur & specificetur ab obiecto spirituali, quod illius spiritualis actionis proprium & per se obiectum sit, eiúsque entitatem spiritualem specificet. Quod si ita est, ergo quando Anima videt vel audit, exercet actum respicientem obiectum spirituale, ergo indiget lumine & speciebus spiritualibus, ergo immateriali & spirituali modo tendit ad tale obiectum spirituale, ergo ille actus intellectio est, quia spiritualis & immaterialis, & speciebus ac lumine spiritualibus elicitus, quid ergo illi deest, vt sit intellectio? Et sic confundetur intellectio cum sensatione. *Deinde*, quodnam est illud obiectum spirituale, circa quod versatur auditio, vel visio, aut gustus entitatiuè, quando nihil de obiecto spirituali recordantibus, actus horum sensuum exercentur? *Item*, species sensibiles, aut tollendæ sunt vt superfluæ, aut ab illis emanabit actus in entitate spiritualis, scilic. visio & auditio. *Denique* similiter dicetur, quòd actiones Animæ vegetatiuæ, nutritio, & generatio entitatiuè spirituales sunt, & connotatiuè, seu ratione organorum, solùm dicentur corporeæ, si enim potentiæ Animæ sunt eius entitas spiritualis, etiam istæ potentiæ spirituales, earúmque actiones spirituales erunt entitatiuè. Constat autem nullum dari obiectum spirituale, vnde possint desumere istæ actiones spiritualitatem, neque modo aliquo spirituali fieri. Ergo hæc absurda sunt.

Ratio autem à priori conclusionis posita est generalis pro omni substantia creata, & non solùm pro anima, & à nobis explicata est in q. 12. Phys. citata. Et breuiter reducitur ad duo principia: *Primum:* quòd operatio in creaturis est accidens. *Secundùm*, quia potentiæ specificantur ab operatione, seu actu; substantiæ autem non conuenit specificari ab aliquo extra se. Hoc secundum principium artic. seq. explicabitur, vbi ostendemus, quomodò potentiæ specificentur ab actu, & obiecto? Primum verò per se notum est: constat enim quòd operatio est aliquid procedens à substantia, & aliquando illi adest, aliquando abest, nec semper operans est in actu secundo. Ex hoc verò deducitur, quod sit operatio est accidens, potentia quæ est principium proximum elicitiuum illius, & specificatur ab illa, debet esse accidens distinctum à substantia. Hæc consequentia aliquibus difficilis videtur, & vrgetur aliquibus instantiis, quas adduximus, & soluimus dicta quæst. 12. Est tamen ea consequentia expressa D. Thom. qu. illa 77. art.... vbi inquit, *Quòd si actus non esset in genere substantiæ, potentia quæ dicitur ad illum actum non potest esse in genere substantiæ.* Vbi pondero illud verbum, *potentia quæ dicitur ad illum actum*; aliud est enim potentia capax actus, siue ordinata, aut condiuisa actui, aliud, potentia quæ dicitur ad actum. Potentia enim, quæ dicitur ad actum, importat potentiam specificabilem ab actu, & ad illum essentialiter se habentem. Substantia autem non potest specificari ab operatione, quia in se, & in sua specie, & quidditate non pendet ab actu secundo, qui est operatio, eò quòd actus secundus est accidens, accidens autem supponit totam substantiam constitutam, siquidem ab illa sustentatur in esse, ergo substantia non specificatur ab actu, quia si specificaretur, non esset constituta in specie ante actum. Si ergo datur potentia specificabilis ab actu, impossibile est, quòd si operatio est accidens, potentia specificabilis sit substantia, & sic benè valet illa consequentia, quod si specificatiuum est accidens, specificabile non est substantia. Quod verò debeat poni actus, & potentia in eodem genere, id est in eodem prædicamento, nec somniauit D. Thom. nec ad propositum conducebat, quin potius oppositum docet in 1. dist. 7. quæst. 1. art. 2. ad 2. Nisi genus latissimè sumamus pro genere substantiæ, vt sic, & accidentis vt sic, in his enim duobus benè sequitur, quòd si potentia essentialiter est ordinata, & specificabilis ab aliquo, & hoc à quo specificatur est accidens, talis potentia non est in genere substantiæ, non quia actus, & potentia debeant esse in eodem prædicamento cum ipsa potentia; quæ est qualitas dicatur specificari ab actione, quæ est aliud prædicamentum, sed quia potentia quæ est specificabilis non potest esse in genere substantiæ, si specificatur ab accidenti, quia substantia ab accidenti specificari non potest, cùm sit ad se, & non ad aliud extra se, cum non sit entis ens.

Vndè sequitur, quòd etiam potentiæ vegetatiuæ debent distingui ab ipsa substantia animæ, quia licèt habeant pro effectu producto substantiam, operatio tamen ipsa, qua producunt, accidens est quia adest, & abest operanti, & ad illam ordinatur per se & specificatur potentia, ergo debet potentia ipsa esse distincta à substantia, quæ specificabilis non est ab accidenti. Quod autem debeat aliquis actus specificari ab obiecto, & aliqua virtus ab actu, ostẽdemus seq. art.

Denique alia ratio D. Thom. explicata à nobis est citato loco Physic. quia si substantia esset immediatum principium operandi, semper esset actu operans, sicut quia est forma immediatè informans, quando est in materia, semper actu informat, & quia immediatè ab ea emanant passiones semper actu emanant, ergo similiter, si per se & immediatè operaretur, semper actu esset operans, quia ratione suæ actualitatis operaretur, sicut ratione actualitatis informat, ergo eodem modo esset actu operans sicut actu informans, & actu emanans. Quod si hoc instetur in ipsa forma accidentali, verbi gratia, in calore, qui per se ipsum est forma informans subiectum, & tamen per seipsum est potentia immediata respectu calefactionis. *Respondet.* Quòd calor non est

princi

principium primum operandi, sed tanquam instrumentum substantiæ quam supponit vt radicem, & idçò non operatur per se ipsum, sed beneficio substantiæ, non autem informat beneficio substantiæ, sed per se, & ita est capax vt sit operans in potentia, & non semper in actu, sicut ipsa substantia, cuius est instrumentum. Et similiter substantia, quia solùm est radix operandi & non immediatum principium, non est semper in actu operans, quia de se non habet omnia requisita extrinseca ad operandum in actu, sed indiget potentiâ superadditâ, & applicatione, & aliis multis, vt sit in actu secundo operans.

Dico secundò: *Potentiæ dimanant ab Anima, non per veram productionem ab Anima elicitam, sed ad eius productionem consecutam.* De ista dimanatione videantur, quæ diximus q. 12. Physic. art. vlt. & q. 23. art. 2. In communi constat substantiam habere aliquam causalitatem erga proprias passiones, cùm sit sufficiens principium in substantia, vt ei conueniant, & cum ea connectantur passiones, sicut quod igni conueniat calor, & soli lux, & rursus proprietates dependent ab ipsa substantia, quia sunt accidentia eius, & experientia ipsa videmus ab aqua remoto igne emanare frigus, à graui emanare motum, ergo est aliqua dependentia istarum passionum ab ipsa substantia, ergo est aliqua causalitas, principium enim à quo aliquid dependet in esse, causa est.

Difficultas est, an sit causalitas effectiua? nam quòd sit causalitas materialis inter substantiam & proprias passiones, non est dubium, quia est subiectum illarum, sed talis causalitas etiam conuenit substantiæ respectu accidentium communium, quæ recipit; vndè ex hoc non discernitur propria ratio emanationis. Quòd verò habeat rationem causæ finalis, non est etiam difficultas, quia substantia est principale operans, & propria passio est tanquam instrumentum illi deseruiens, ergo habet ipsam pro fine. Imò & aliquid habet de causa formali, quatenus ipsa essentia est ratio formalis propter quam connectitur, & conueniunt ipsi tales passiones, ratio autem formalis ad causalitatem formalem pertinet. Sed tota difficultas est in efficientia. *Et consistit in hoc*, quia vel illa dimanatio est vera, & propria ratio, seu causalitas effectiua, vel non. Si non, ergo proprietates non dimanant à natura in genere causæ efficientis, quia causa efficiens sine efficientia, & actione intelligi non potest, & sic restabit inquirendum, quomodo passiones causentur ab essentia. Neque enim valet dicere quod resultant vel emanant, hoc enim est verbis ludere, inquirimus enim, quid est illa resultantia, & illa emanatio, si non est efficientia, & quomodò natura dicatur producere passiones suas, & causare, si efficienter non attingit. Si verò dimanatio est propria actio, & efficientia, sequuntur duo magna absurda. Primum, quod substantia per se immediatè sit operatiua. Secundum, quod aliquid producat effectum in se ipso, & sic erit simul mouens, & motum, agens, & patiens, quod sæpè negauimus in q. 23. Phys. & 1. de gen. q. 5. Nec potest dici quod causantur ab essentia non per actionem ipsius, sed generantis, quia sic non producentur propriè, & per se ab absentia, à qua dimanant, & reddit argumentum, quod essentia non erit causa productiua passionum.

Propter hoc P. Suar. tract. de Anima lib. 2. c. 3. num. 10. & disp. 18. Met. lect. 3. n. 4. & 5. existimat, quod dimanatio est vera, & propria actio naturæ distincta ab actione generantis, qua producitur substantia, absolutè tamen docet dicendum esse, quod generans non solum generat formam seu substantiam, sed etiam passiones, saltem mediatè, quia pertinet ad agens producere substantiam instructam suis principiis, & accidentibus, quibus indiget ad operandum. Nihilominus non minus vrgetur hæc sententia argumentis factis, nam generans vel omnino sistit, & terminat actionem suam in productione substantiæ, & vlterius non transit ad attingendum ipsas proprietates, vel actione sua verè attingit illas. Si primum, ergo nullo influxu pendent propriæ passiones ab agente principali, quia non potest alia causalitate attingere, quam efficienti, & hæc tota sistit, & consumitur in ipsa substantia producta, neque vlterius transit, seu influit, ergo propriæ passiones nulla causalitate intrinseca & propria attinguntur à principali agente, quod enim mediet ipsa substantia nihil refert, si physicè, & realiter ipsum generans non influit actione sua in ipsa accidentia; vndè sequitur non posse generans perfectè ponere extra causas suum genitum in eo statu, quo possit se conseruare, & operari (dependet enim à dispositionibus, & multo magis à propriis passionibus quæ sæpe dispositiones esse solent) si non potest illas producere, & attingere. Si verò dicatur secundum, ergo frustra ponitur similis actio ex parte ipsius essentiæ, seu substantiæ, ad quid enim seruiunt istæ duæ actiones, altera generantis, altera essentiæ, à qua dimanat passio? Siquidem prima, quæ est generantis sufficit, verè enim generans sufficiens est ad producendum substantiam, & passiones, sicut est sufficiens dare esse ipsi substantiæ, quod dependeat à passionibus & dispositionibus. Ac denique vel vtraque actio ex æquo se habet ad productionem talis proprietatis, vel non. Si ex æquo, ergo altera actio ex illis superfluit, idem enim facit vna, quod altera, & sic vtraque etiam poterit dici dimanatio, cum tamen à generante nullo modo dicantur dimanare passiones. Si non ex æquo, restat explicare in quo differant istæ duæ efficientiæ, scilicet illa quæ est ab essentia, & quæ est à generante.

Quare dicendum est cum D. Thom. 1. part. q. 77. art. 6. ad 3. *Quod emanatio propriorum accidentium non est per transmutationem, sed per naturalem resultantiam*, sicut ex vno naturaliter aliud resultat, & in solutione ad 2. dixerat, quod subiectum est causa quodammodo actiua respectu proprij accidentis. Quod in citatis locis Physic. sic explicauimus, quod emanatio respectu essentiæ non est actio, sed naturalis connexio, respectu autem generantis actio est, quæ quidem immediatè attingit substantiam, & quia substantia tali proprietati connexa est, ideo mediantè tali connexione attingit ipsam proprietatem. Itaque emanatio entitatiuè est ipsa actio generantis, quæ substantiam, & proprietates attingit, denominatiuè verò induit formalitatem dimanationis respectu essentiæ, quia est medium seu ratio, ipsa essentia, vt actio agentis non in substantia sistat, sed vlteriùs ad proprietatem transeat, & dicitur ab ea dimanare propria passio, quia se habet vt ratio, & medium, à quo generatio habet attingere ipsam propriam passionem, & non sistere in substantia. Et vocatur naturalis resultantia, id est transitus actionis ad vlteriorem terminum, in vi naturalis connexionis, sed tamen ipsa essentia non est primum principium, vndè incipit illa actio, incipit enim à generante, ideoque non dicitur propriè efficiens; sed est medium, vt actio attingat vlteriorem terminum propter connexionem cum illo, & ideò dicitur quodammodo actiua. *Iste modus probabilior est*, quia saluat veram, & propriam efficientiam respectu propriarum passionum, sed non distinctam ab actione generantis, ne cogamur ponere duplicem actionem respectu propriæ passionis, alteram ab essentia, alteram à generante, vel negare, quod generans influat, & attingat ipsas passiones.

Vndè non obstat difficultas supra allata, respondetur enim; quod dimanatio entitatiue est actio propriè dicta, sed quia habet duo principia, alterum à quo primo egreditur, scilicet generans, alterum medio quo attingit propriam passionem, quia connectitur cum illa, ideò respectu primi dicitur actio, seu operatio, respectu secundi emanatio, seu resultantia. Nec sequuntur illa inconuenientia ibi insinuata, quia substantia immediatè non agit actione propriè dicta, siquidem illa emanatio vt actio est, procedit à generante mediante eius virtute actiua, ab ipsa autem re genita, cuius est propria passio illa, quæ dimanat, non procedit primo & per se illa actio, sed est ab illa vt à medio connexo per se cum passione vt explicatum est, quod non repugnat ipsi substantiæ. Nec sequitur, quod idem moueat se ipsum, quia cum illa actio primo, & per se procedat à generante, iam inuenitur distinctio inter mouens, & motum, sicut est inter generans, & genitum. *Et ad vltimam replicam Respond.* quod propria passio producitur ab essentia, à qua dimanat in virtute ipsius generationis, vt primò terminatæ ad se, & mediante se ad passionem, non per aliam actionem distinctam à generatione entitatiuè.

Dico tertiò; *Etiam vna potentia, seu propria passio potest emanare ab altera, & non immediatè ab essentia, quando inter ipsas potentias inuenitur aliquis ordo, seu subordinatio.* Est D. Thom. 1. part. quæst. 77. articul. 7. ad 1. & videri etiam potest in 1. distinct. 3. quæst. 4. articul. 3. & in 2. distinct. 24. quæst. 1. artic. 2. Est tamen contra P. Suar. loco citato de Anima, numer. 16. & 17. Deducitur tamen manifestè ex dictis, siquidem ibi ponitur emanatio vnius ab alio, vbi ponitur necessaria connexio vnius cum alio ordinatè se habens, ita quod vnum est ratio alterius, sed etiam inter ipsas potentias inuenitur huiusmodi connexio, & ordo, ita quod vna non conuenit nisi mediante alia, sicut voluntas non nisi mediante intellectu, & sensus exteriores sunt propter interiores, ergo istæ potentiæ, ita attinguntur à generante, quod vna est ratio, seu medium attingendi aliam, nec potest illa generatio æquè immediatè omnes attingere, sed ideo attingit vnam, quia est connexa cum alia, sicut ideo attingit primam passionem, quia est connexa cum essentia.

Sed instat Pater Suarez, quia neque inter potentias diuersorum graduum, neque inter potentias eiusdem gradus inuenitur talis actiua emanatio, ergo. Nō inter potentias diuersorum graduum, quia non apparet, quomodo ab intellectu dimanet potentia sentiendi, vel nutriendi, ita quod habeat efficientiam in illas, præsertim quia ad efficiendum requiritur existentia, intellectus autem non prius existit quam sensus, sed è contra, eo quod gradus sensitiuus ordine executionis præcedit rationalem. Additur etiam exemplum in rebus inanimatis, sicut humiditas in aëre non oritur effectiuè à calore neque è contra, ergo idem erit in potentiis animæ. Neque etiam inter potentias eiusdem gradus, verbi gratia inter potentias sensitiuas apparet, quomodò effectiuè emanet visus ab auditu, vel è contra. *Et ratio est*, quia ab illo dimanat aliquid effectiuè, à quo dependet effectiuè, constat autem quod in operatione vitali, visus non pendet ab auditu, neque è contra, sed omnes potentiæ dependent immediatè ab anima in suis actibus, ergo & in sui emanatione. Ac denique sicut anima confert immediatè esse vegetatiuum, & sensitiuum cur non poterit immediatè conferre omnes potentias, sicut & immediatè influit in illas?

Respondet. ad primam instantiam, quod ab intellectu immediatè, & secundum se non dimanat potentia vegetatiua, & nutritiua, sed mediatè, quatenus intellectus est coniunctus corpori, & ab intellectu vt coniuncto dimanat sensus internus, vt ei ministrans, & à sensu interno externus, qui ei ministrat, & à sensibus externis præsertim à tactu nutritiua, & generatiua, quæ eorum temperamento deseruiunt. In plantis autem potentiæ nutritiua, & generatiua, cum non sint coniunctæ superiori gradui non dimanabunt ab aliqua potentia priori, sed vna ab alia, vel ab ipsa anima. Nec obstat, quod hæc causalis est falsa, quia aliquid est rationale est sensibile, ergo rationale non est causa potentiarum sensibilium, & emanationis earum. *Respondetur enim*: quod illa non est bona causalis, quasi sit adæquata, vel in genere causæ formalis, est tamen rectè in genere causæ finalis, quatenus sensus deseruit intellectui vt principaliori, & est quædam participatio illius. Emanatio autem vnius potentiæ ab alia non fundatur nisi in subordinatione potentiæ imperfectioris ad perfectiorem, semper enim dimanat imperfectius ab eo quod perfectius est, non è contra, vt docet D. Thom. quæst. illa 77. artic. 7. vbi inquit: *Quòd potentiæ animæ, quæ sunt priores secundum ordinem perfectionis & naturæ, sunt principia aliorum per modum finis, & actiui principij*: emanatio autem fundatur in connexione vnius cum alio, quatenus est id, à quo aliud participatur, siue per modum principij actiui, siue per modum finis.

Ad id, quod dicitur requiri existentiam ad efficientiam emanationis. *Respond.* requiri existentiam in ipso efficiente à quo primò, & per se oritur ista productio, & hoc est generans, vel eius virtus, non tamen requiritur quod præcedat existentia in facto esse in ipsa essentia, à qua dimanat propria passio, quia non est principium ipsius actionis, sed connexionis primi termini producti, qui est substantia cum secundo termino, qui est propria passio. Et ita Diuus Th. locis supra citatis excludit prioritatem durationis inter essentiam, & passiones, sufficit enim, quod complete in facto esse simul existant non quod prius.

Quod verò additur de proprietatibus rei inanimatæ *Respondetur*, quod si in eis fuerit connexio, & subordinatio non est inconueniens, quod vna oriatur ex alia verbi gratia, quod ex summo calore in igne oriatur siccitas, & ab humiditate in aëre calor, eo quod vnum deseruit alteri. Si verò nullam connexionem habent, ita quod vnum non deseruiat alteri non emanabit vna mediante altera, quia deest subordinatio.

Ad secundam instantiam respondetur, quod visus non emanat ab auditu, vel è contra, quia inter istas potentias non est ordo, vel subordinatio inter se, sed ab aliquo tertio priori, verbi gratia ab aliquo sensu interiori, cui ministrat. Non dimanat autem vna potentia ab alia, nisi inter eas sit ordinatio, & connexio. Vndè non est necessaria dependentia effectiua, & motio vnius potentiæ erga aliam in operatione sua, ad hoc, vt emanet altera, sed sufficit aliqua participatio ab illa, & quod ministret, seu deseruiat illi, sicut dicit Diuus Thom. quæstione 77. articul. 7. *Quod potentiæ, quæ sunt priores secundum ordinem perfectionis, & naturæ, sunt principia aliorum per modum finis, & actiui principij.* Videmus enim, quod sensus est propter intellectum, non è conuerso, sensus enim est quædam deficiens participatio intellectus. Quare non oportet attendere ad motionem, qua vna potentia mouet aliam, in ordine executionis, cum potius sensus exterior moneat interiorem, & interior intellectum, nec tamen ab illo dimanat, sed potius attendenda est perfectio finis,

finis, ita quod aliqua potentia sit superior, cui inferiores ministrent, vel à qua participent perfectionem, ab illa enim dimanant propter connexionem, & subordinationem ad illam.

Nec obstat: quod generatio, quæ in ratione actionis est emanatio prius in executione attingit imperfectum, quam perfectum, vt vegetatiuum, quam sensitiuum, & sensitiuum, quam rationale. *Respondetur enim*: quod generatio dispositiuè considerata, & quando est in fieri, prius attingit imperfectum, quam perfectum, siquidem dispositiuè procedit. Cæterum considerata perfectè & consummatiuè quando vltimò formam introducit, tunc è conuerso se habet, priùs enim attingit perfectiorem rationem, quam imperfectam, sicut prius attingit formam substantialem, quam accidentalem, eo quòd specificatur generatio sic considerata ab eo, quod est vltimum, & specificum in tali forma, distinguitur enim generatio hominis à generatione equi penes gradum specificum, & athomum vtriusque non penes genericos, & sic etiam prius attingit potentias, seu proprias passiones gradus specifici, & vltimi, quam gradus imperfectioris, & communioris, quæ illi deseruiunt. Et in generatione hominis, licèt intellectus secundum se emanet ab Anima vt creata à Deo, tamen intellectus vt vnitus corpori, etiam attingitur à generante vniente animam, ab illo autem vt vnito dimanant sensus non ab eo absolutè, quia solùm ministrant illi vt vnito.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Contra primam conclusionem adduximus, & soluimus instantias, quæst. 12. Physicor. citata. Solum in præsenti addimus tria vrgeri præcipuè ab Authoribus oppositæ sententiæ. *Primum*, quia distinctio potentiarum à substantia est multiplicatio entitatum sine causa, & eadem difficultas remanet in explicando, quomodò eadem forma substantialis possit esse principium radicaliter operans, ac si sit formaliter, & immediate operans; & è conuerso in ipsa forma accidentali eadem est difficultas, quomodo possit esse principium immediatum operandi, & tamen etiam est actus immediatè terminans generationem accidentalem, & formaliter informans. *Secundò fit instantia*, cur repugnabit dari aliquam substantiam, quæ eminenter contineat vim accidentalis potentiæ, si enim vna forma substantialis potest eminenter continere gradum alterius, cur non poterit eminenter continere gradum accidentis; Et sic per se ipsam immediatè operari. *Tertia instantia est*, quia si distinguerentur potentiæ, & propriæ passiones ab essentia, possent separatè ab illa conseruari saltem diuinitus, & sic potentia visiua separata posset videre, & intellectus intelligere sine principio vitali intelligente, & vidente: & tunc maneret Anima æquè viua, & intellectiua sicut antea, alias esset destructa, ergo & aliquam operationem haberet, quia sine operatione nulla est vita.

Respondetur ad primam instantiam. Necessitatem illius multiplicationis satis supra explicatam esse, quòd vero substantia radicaliter sit operatiua per seipsam, non habet eandem difficultatem, quio ista radicalis ratio non exigit amplius quàm actualitatem ipsam constitutiuam naturæ sine alio ordine dependente, & specificabili ab operatione accidentali, sed solum, quod sit talis, cui debeatur potentia proximè operatiua. At verò quod sit potentia proximè operatiua, est impossibile, supposito quod operatio est accidens, vt necessariò est in creaturis, quia est egressio ab operante, & aliquando conuenit illi, aliquando non: ergo etiam impossibile est, quod potentia ordinata, & specificabilis à tali operatione (specificari autem potentias ab actu ostendemus artic. seq.) non sit accidentalis, eò quòd de ratione potentiæ est, quod sit reducibilis in actum, & consequenter minor illo: ergo est accidens sicut ille, licet enim potentia visiua videatur eminentior actu, & operatione sua, quatenus producit illam, tamen quia non est potentia per se reducta, & constituta in actu vltimo, sed reducibilis, ex hac parte minor est actu, & ordinabilis, & specificabilis ab ipso, ratione cuius actus secundus est perfectior actu primo, vt dicitur prima secundæ, qu. 71. art. 3. Neque est simile de emanatione, quæ non est operatio primò exiens à substantia, sed à generante media natura rei productæ. Neque etiam est simile de forma accidentali, quia hoc ipso, quod accidentalis est, est entis ens, & informat subiectum non vt absolutè sit, sed vt ad aliquid deseruiat, & talis forma non repugnat quod hoc modo informet, & simul operetur, vt immediatum principium efficiendi, forma autem substantialis non informat, nec terminat generationem, & forma ordinabilis, & specificabilis ab altero, nec vt entis ens, sed vt absolutè constituens esse, & ideo non currit similis ratio, sicut in forma accidentali.

Ad secundam instantiam respondetur ex dictis, repugnare, quòd aliqua substantia creata sit immediatum principium operandi, eò quòd non potest dari substantia creata, cuius operatio non sit accidens, sed substantia ipsa; siquidem omnis operatio est causalitas, & egressio ipsa ab operante, eique adesse, & abesse sine destructione subiecti potest, & ita oportet, quòd potentia immediatè elicitiua talis operationis, & in actu primo se habens ad illam sit etiam accidens, eò quòd omnis potentia est minor actu secundo, & ordinabilis, & specificabilis ab ipso. Et non repugnat, quod vna substantia eminenter contineat aliam, non tamen quod per seipsam sine accidentibus exerceat suas operationes, eò quòd indigentia accidentium, fundatur in limitatione substantiæ, quæ nunquam potest tolli, hoc ipso quod creata est, diuersitas verò gradus non fundatur in sola limitatione, sed in ordine superioris & inferioris, non repugnat autem, quod ordo, vel genus superius faciat eminentiori modo id, quod inferius, quia continet illud, ideo enim superioris ordinis est, neque hoc tollit limitationem rei creatæ, quæ gradus istos admittit, sicut tolleretur limitatio, si non indigeret substantia accidentibus.

Ad tertiam instantiam dicitur. Non apparere implicationem manifestam, quod propriæ passiones, quæ sunt realiter distinctæ à subiecto diuinitus separentur ab illo, sicut quantitas quæ est propria passio corporis separatur in Eucharistia. De quo videatur M. Bannez 1. part. quæst. 77. artic. 1. dub. 1. ad 4. Potentiæ autem vitales si separentur, existent quidem sine subiecto, sed non operabuntur vitaliter sine illo propter essentialem dependentiam vitalis motus à principio intrinseco quod est anima, quæ est primum principium se mouens. Et in illo casu anima sine potentiis diceretur intellectiua & sensitiua radicaliter, non formaliter proximè, sicut aqua calida est radicaliter frigida, & sic propositiones in quibus affirmantur propriæ passiones, possunt falsificari quoad actualem conuenientiam, licet non quoad radicalem, & quoad debitum.

Contra secundam conclusionem obiicitur: quia si propriæ passiones emanant à subiecto non potest reddi ratio, cur quibusdam proprietatibus ablatis, seu impeditis aliæ resultent, vt ablata frigiditate aquæ resultat alia frigiditas, & ablato motu grauis

resultat alius; quibusdam verò passionibus ablatis, aliæ non resultant, sicut ablato visu non resultat alius, & ablato motu cordis non resultat alius. Et ablata existentia, vel subsistentia non resultaret alia, quia non esset à quo resultaret.

Secundò fit argumentum ad probandum non posse eadem actione produci animam, & eius potentias ex P. Suarez tract. de Anima, lib. 2. cap. 3. num. 6. & 10. nam Anima non producit seipsam, & tamen verè producit suas potentias, ergo non potest actio productiua illius esse productiua potentiarum. *Deinde,* quia istæ actiones separantur, siquidem potest Deus creare animam impediendo emanationem intellectus, & postea tollere impedimentum; tunc verè producetur intellectus extra causas, & non per creationem, quæ iam transacta est, ergo alia actione. Et idem est in aqua, quæ ablato frigore per calorem iterum reducitur ad frigiditatem, id enim fit per nouum motum, quo paulatim, & successiuè reducitur, ergo distincta actione ab illa, qua primò producta est. *Denique,* quia si actio generantis est quæ terminatur mediatè ad potentias, & ideò dicitur emanatio, ergo nullo modo potest attribui ipsi essentiæ productio & emanatio talium passionum, siquidem actio illa generantis non potest egredi ab ipsa essentia, ergo neque constituere illam causantem, seu efficientem proprias passiones, quia non emittit ex se illam actionem, siquidem egreditur à generante; si autem est alia actio, quæ egreditur ab essentia, hoc est quod intenditur.

Ad primum respondetur, proprias passiones esse in duplici differentia; quædam, quæ emanant ab essentia cum dependentia ab aliquo extrinseca tanquam à conditione vel statu, sine quo non conueniunt, quædam verò emanant absolutè ab essentia sine dependentia ab aliquo extrinseco. Quæ hoc secundo modo se habent, etiamsi impediatur, dimanare iterum possunt, dum ipsa natura vel essentia non destruitur. Quæ verò primo modo se habent, non poterunt dimanare ab essentia, nisi talis conditio, vel status requisitus ponatur, & quia hoc non semper est in potestate ipsius naturæ, ideò non semper emanat propria passio semel impedita. Sic potentia visiua, si semel amittatur, non emanat ab Anima, quia dependet ex dispositione organi, in quo subiectatur, & hoc naturaliter reparari non potest, si semel destruatur. Si tamen reparetur diuinitus, statim resultabit ab Anima. Vt autem resultet frigus ab aqua, vel motus à lapide extra centrum non requirit istam reparationem organorum, sed solùm ablationem impedimenti. Motus autem cordis semel amissus reparari non potest, quia eo ablato non manet Anima, quæ est principium emanationis eius, & ideo non potest iterum emanare, nisi iterum Anima vniatur, quod solùm potest fieri à Deo. Subsistentia autem & existentia poterunt iterum resultare ex vi prioris actionis, si semel impediantur, dummodò maneat ipsa natura, quæ erat in alio, nam si non remanet, non mirum, quod iterum non resultent.

Ad secundum argumentum ex P. Suarez, *respondetur*, quòd actio generatiua & productiua passionum est virtualiter multiplex, & diuersam denominationem suscipit attingendo diuersos terminos ordinatè se habentes, & ita attacto primo termino, non amplius dicitur illum producere, sed in virtute illius transit ad secundum, illumque producit iam non producendo primum, nec tamen idcircò debet distingui duplex actio, sed vna virtualiter attingens diuersos minos.

Ad secundam partem argumenti respondetur, non parari actiones, quæ adæquatè, & totaliter sint distinctæ, sed solùm nouum complementum & explicationem superaddi ad actionem priorem, quæ fuerat impedita respectu sui termini secundarij. Vnde si creatur Anima impedito intellectu, postea sublato impedimento non fit noua creatio, neque actio, totaliter & adæquatè distincta à creatione, sed prima creatio, quæ virtualiter manet in Anima, sublato impedimento accipit non actionem nouam, sed complementum, & explicationem sui, respectu termini, ad quem fuit impedita. Et quoties impeditur illa actio, iterum si tollatur impedimentum compleri & explicari postulat in illum terminum secundarium, qui sibi debetur. Et ita rectè dicit Caiet. 1. part. quæst. 18. art. 1. quòd illa emanatio propriæ passionis erat complementum primæ generationis: sicut, si modò natura humana dimitteretur à Verbo, propria subsistentia resultaret ex vi primæ generationis. Nec ponimus, quòd illa prima actio, quæ iam formaliter & entatiuè cessauerat, reuiuiscat, quando fit noua emanatio propriæ passionis, sed dicimus, quòd virtualiter manet in ipsa substantia, quatenus manet primarius eius terminus productus, & in vi illius primæ productionis in illo termino manentis, resultat non actio noua, sed complementum nouum prioris productionis, vt habet connexionem essentia cum illa passione.

Et si instes, quia hoc, quod nos vocamus complementum actionis præteritæ, reuera actio est, cum sit vera productio nouæ illius proprietatis, & aliquando est cum nouo motu, vt cum aqua successiuè reducitur in frigiditatem, quæ fuerat amissa. Solùm ergo verbis ludimus vocando complementum actionis, quod verè est actio. *Respondetur*, vocari à nobis complementum, & non actionem nouam, quia solùm respicit partem illius actionis, & non totum, quod ipsa poterat: actio enim generatiua, si non impediretur potens erat producere substantiam, & proprias passiones: posito autem impedimento, quando de nouo resultat passio, illa noua resultantia solùm est potens in propriam passionem non in substantiam, & propriam passionem simul, & hoc quod est attingere propriam passionem habet in vi connexionis essentiæ iam productæ cùm tali passione, & quia producta fuit, non solùm vt esset in se, sed vt propriam passionem haberet sibi connexam, impeditur verò illa actio non vt sit essentia, sed vt in illa sit passio, sublato impedimento explicatur actio quoad partem sui, non fit actio noua. Rectè ergo vocatur complementum actionis, & non integra, & adæquata actio. Quod verò aliquando fiat cum nouo motu, hoc ipsum virtualiter continetur in vi prioris productionis, cui non solùm debetur vt propria passio fiat in subiecto, quod producitur, sed etiam quod expellatur suum contrarium si ibi sit, & cum remotione illius fiat, illa autem actio, seu emanatio prout est à contrario in contrarium dicitur motus.

Ad vltimam partem argumenti respondetur. Quòd actio egrediens à generante, non egreditur ab essentia primordialiter, & per se, & eo modo, quo à generante, hoc enim repugnat, cum iam sit egressa illa actio sed est ab essentia, vt à medio ratione cuius illa actio transit ad vlteriorem terminum propter connexionem, quam habet cum essentia, non est autem inconueniens, quòd eadem actio pendeat à duplici principio, non vt æquè immediatè egrediens ab vtroque, sed ab vno, vt à primo principio processionis, ab altero vt à medio quasi connectente, & dante rationem vt transeat ad vlteriorem terminum. Et ita essentia non causat passiones per causalitatem totaliter alienam, sed etiam propriam sui, non vt à primo egrediente, sed vt ab applicante & mediante, sicut

ficut actio, quæ est à principali agente, est etiam ab instrumento, non vt à primo principio, sed vt à deferente & applicante virtutem agentis ad talem effectum, & similiter à causa prima, & secunda, dependet eadem actio secundum diuersam subordinationem. Et hæc actio per se vna habet vnum terminum adæquatum per se, plures autem inadæquatos, & ordinatè se habentes, vnum sc. primarium, & specificatiuum, alterum secundarium & consequentem, sicut ignis plura corpora calefacit, & sol plura subiecta illuminat.

ARTICVLVS III.

Vtrùm potentiæ specificentur, & distinguantur per actus & obiecta?

GEneraliter loquendo constat potentias, habitus & actus esse quoddam genus entis, nec purè absolutum, nec purè relatiuum, sed habere rationem absoluti cum aliquo respectu transcendentali ad alterum, eò quòd tribuuntur à natura in ordine ad alterum, ad quod deseruiunt, & ideo non sunt purè absoluta, & quia deseruiunt non ad purè recipiendum, sed ad operandum, ideo non se habent vt purè relatiua. Sed tamen quia essentialiter, & intrinsecè, id est, ex proprietate suæ naturæ ordinantur ad alterum, ideo dicuntur specificari ab illo. Et inquirimus tria. *Primum*, in quo genere causæ dependeant, & accipiant specificationem ab altero. *Secundum*, quomodo sumatur vnitas & distinctio potentiarum ab vnitate, vel distinctione obiecti, an à formali, vel à reali vnitate; & quid sit in obiecto formalis, & propria ratio obiectiua. *Tertium*, an sit eadem ratio specificandi in potentiis & in actibus.

Circa primam difficultatem, vt Caiet. rectè obseruat. 1. p. quæst. 77. art. 3. potentias distingui per actus & obiecta quatuor modis intelligi potest. *Primò*, quòd ly *per* dicat causam intrinsecam, id est, differentiam ipsam specificam potentiarum, & hoc nullus potest dicere, cum constet obiectum esse extra ipsum actum & potentiam; & sic non posse esse intrinsecam eius differentiam. *Secundò* potest intelligi, quòd distinguantur per actus & obiecta, non tanquam per causas, sed tanquam per effectus secutos, vt per aliquid posterius. Sed hoc non est distinguere potentias verè & propriè per actus & obiecta, sed distinctas supponere, & solùm earum distinctionem tanquam per effectum vel signum manifestare, siquidem actus vt effectus, est aliquid posterius ipsa vnitate vel distinctione potentiæ, & sic iam supponit illam, non causat, atque adeo solum potest esse signum & manifestatiuum eius. Non autem in præsenti non inquirimus, an potentiæ manifestentur distinctæ per actus & obiecta, sed an distinguantur.

Tertiò intelligi potest quòd potentiæ dependeant ab actu & obiecto, non vt à causa specificante secundùm specialem modum causandi, sed ea ratione communi, qua omnes res pēdent à causis extrinsecis, scilicet à finali & efficienti, respectus enim ad istas causas transcendentaliter & intime imbibitur in omni re creata.

Quartò denique potest intelligi, distingui potentias per actus & obiecta, tanquam per causas quidem extrinsecas, sed non illa solum ratione communi, qua res omnes transcendentalem ordinem dicunt ad causam efficientem & finalem, sed speciali ratione, quatenus licet extrinseca principia sint, pertinent tamen ad diffinitiuum principium potentiarum, quod est inducere rationem causæ formalis extrinsecæ.

Hæc est communis Thomistarum sententia, quam his verbis expressit S. Thom. 1. p. quæst. 77. art. 1. ad 1. *Actus licet sit posterior potentia in esse, tamen est prior in intentione secundùm rationem, sicut finis agente; obiectum autem licet sit extrinsecum, est tamen principium vel finis actionis, principio autem & fini proportionantur ea, quæ sunt extrinseca rei.* Vbi in prioribus verbis exclusit opinionem, quæ specificat potentias ab effectibus, & tanquam à posteriori, dum distinguit in actu rationem effectus, secundùm quam est posterior in esse, eò quòd efficiens propriè respicit in effectu dare illi esse & existentiam, seu ponere extra causas, & sic actus in quantum est quidam effectus, id est vt habet existentiam à causa, sic non specificat illam; specificatio enim abstrahit ab esse. Alio modo sumimus actum, vt est prior in intentione secundum rationem; vbi non sumitur actus prout est quædam entitas, seu effectus productus in sua existentia, sed secundum rationem suam, id est, secundum formalem rationem, qua respiciuntur à potentia. Quod in vltimis verbis declarat, dum dicit: *Quod principio & fini proportionantur, ea quæ sunt extrinseca rei.* Vbi per ly *extrinseca* excludit sensum illum, quod obiecta sint intrinsecæ differentiæ potentiarum. Et per ly *proportionantur*, excludit sententiam illam de specificatione ab obiecto secundum communem rationem causæ agentis, vel finalis, eo quod proportio & coaptatio ad alterum respicit illud secundum id quod essentiale est tali proportioni, non secundum rationem existentiæ, coaptatio enim vnius rei ad alteram cui proportionatur non est dependentia in existendo sed ab existentia abstrahit, & ad definitionem pertinet ipsius proportionis.

Et ex hoc sumitur fundamentum prædictæ sententiæ, quia omnis dependentia quam imaginari possumus, vel est in ipsa ratione existentiæ, vel vt abstrahit ab existentia ipsa constitutione essentiæ. Quæ dependent ab alio in existentia, prout sic non specificantur ab illo, specificatio enim & definitio abstrahunt ab existentia, quia existentia nulli rei creatæ essentialis est, neque ad definitionem pertinet: constat autem quod omnis dependentia ab efficienti, est solum dependentia quoad existentiam, quia efficiens vt tale, solum respicit rem sub existentia seu vt ponendam extra causas; & eodem modo finis solum habet mouere efficiens ad agendum, & consequenter in eadem linea respicit effectum, scilicet in ordine ad existendum. Vndè respectus ad efficiens, & ad finem prout sic non specificat, quia non respicit definitionem rei secundum se, sed sub existentia. Constat autem dari aliqua, quæ non solum in sui definitione & specie secundum se sumpta dicunt ordinem ad alterum ad quod definiuntur, & sine quo non constituitur eorum species, sicut patet in his quorum essentia consistit in proportione & coaptatione cum altero, sicut se habet potentia & actus ad obiecta, ergo specificantur per illa non secundum ordinem efficientis & finis, quæ licet sint causæ extrinsecæ, tamen non respiciunt rem nisi secundum ordinem existentiæ, non sint illa, ergo respiciunt illa secundum rationem causæ formalis, materialis enim hic locum non habet (materia enim non est obiectum sed subiectum rei,) & non secundum rationem causæ formalis intrinsecæ, quia obiectum est extra potentiam & separatum ab ipsa, ergo secundum rationem causæ formalis extrinsecæ.

Quod si dicas, nam potentia passiua non minus specificatur ab obiecto & actu, quàm actiua, & tamen passiua solum potest specificari à mouente à quo patitur, mouens autem, & efficiens idem sunt, ergo ruit doctrina tradita, quia vel debemus ponere aliquid specificari per ordinem ad efficiens, vel negare quod potentia passiua specificetur à suo principio extrinseco quod est mouens.

Respondetur doctrinam traditam in vtraque potentia procedere, tàm passiua quàm actiua, vt expressit S. Thom. 2. de Anima lect. 6. dicens: *Quod quia potentia est quoddam principium agendi, vel patiendi, oportet, quòd actus ponantur in definitionibus potentiarum*: constat autem quod non minus essentialiter & per se ordinatur potentia actiua ad actum quem facit, quam passiua ad actum quem recipit; actiua autem specificatur ab actu, quem facit, non quatenus facit, sic enim ponit illum in esse, sed quatenus proportionatur illi vt faciat, ex proportione enim ad actum & obiectum constat specificatio per proportionem ad actum quem recipit, & ad obiectum à quo mouetur. Vnde obiectum mouens potentiam passiuam dicitur determinare ad actum, & mouere per modum principij formalis, & non mouet quoad exercitium tantum, sed quoad specificationem vt docet D. Thom. 1.2. quæst. 9. art. 1. datur ergo motio potentiæ passiuæ non effectiua, sed formalis & specificatiua. Imò finis licet specificet actum humanum, non tamen id facit finalizando & sub causalitate finis, sed vt induit rationem obiecti, vt benè aduertit Caiet. 1. 2. qu.... art. 3. Et ita alia est causalitas, seu motio finis & efficientis, alia obiecti vt formalizantis & specificantis. Quare potentia passiua non specificatur à mouente, vt mouens est quoad exercitium, sed à mouente quoad specificationem & per modum principij formalis, quod est ipsa forma vt ratio agendi formalizans, non à motione efficientis, vt efficiens est.

Quod si dicas, nam D. Thom. in locis citatis, quando explicat quomodo potentia & actus specificantur ab obiecto, ponit exemplum in causis efficientibus, sicut calefactio inquit, est à calore, & infrigidatio à frigore, ergo sentit quod principium specificans est effectiuum, calefactio enim effectiuè est à calore.

Resp. Quod D. Thom. non sumit specificationem à principio effectiuo quomodocumque sed vt fundante, seu habente proportionem formalem, quatenus scil. est causa efficiens per se perseitate quarti modi, vt calidum calefacit, sic enim calefactio specificatur à calido, vt à ratione formali, per se enim petit talem proportionem, nec potest intelligi calefactio per se in quarto modo nisi à calido, & sic intrat in conceptu essentiali calefactionis non quatenùs efficiens illius præcise, sed quatenus proportionem perseitatis quarti modi fundans. Quod si sit causa æquiuoca calefactionis, erit virtualiter, & eminenter in quarto modo sicut eminenter est calidum; omne autem calidum in quarto modo per se calefacit, sicut ædificator ædificat, & medicus curat, siue sit formaliter talis, siue eminenter.

Secunda Difficultas.

Circa secundam difficultatem præsupponenda sunt duo. *Primum* quod in obiecto aliud est ipsa entitas, quæ materialiter in eo consideratur, aliud ipsa formalitas obiecti secundum quam pertinet ad talem potentiam & actum, illumque specificat, aut distinguit: quæ formalitas nihil aliud est, quam proportio ipsa, seu coaptatio cum tali actu vel potentia, proportio autem respectus est. Et hinc contingit posse plura obiecta entitatiue, & materialiter diuersa conuenire in vna formalitate obiectiua, & è contra posse in vna entitate materiali obiecti fundari diuersas formalitates obiectiuas, sicut manifeste patet exemplis; videmus enim corpora substantialiter diuersa, vt lapis, lignum, homo conuenire in vna ratione colorati, & proportione mouendi visum: & è contra eandem entitatem, v. g. lapidem fundare formalitatem visibilis vt coloratum, & tangibilis vt frigidum, & intelligibilis vt substantiam, & generabilis vt è materia producibilis, & creabilis vt ex nihilo factibilis. Vnde benè dixit Caietan. 1. part. quæst. 1. art. 1. 3. aliam esse diuisionem rei vt res, aliam obiecti vt obiectum. Et scientiæ dicuntur secari, sicut & res, non quidem in esse rei, sed in esse & formalitate obiecti.

Ex quo colligitur, quid sit obiectum formale, quid materiale, quid adæquatum. Dicitur enim obiectum adæquatum illa ratio, quæ terminat, & complectitur quidquid potest cadere sub attingentia alicuius potentiæ, siue primariò, siue secundariò tam quoad rationem formalem sub qua attingitur, quam quoad materiale quod attingitur. Obiectum formale dicitur illa formalitas, seu respectus, secundum quem fit proportio & coaptatio inter obiectum & potentiam. Materiale dicitur illud, quod tali habitudini, seu formalitati substernitur, & subiectum eius est. Sunt autem diuersi termini, quibus explicantur rationes istæ obiectiuæ, sicut dicitur ratio formalis *sub qua*, ratio formalis *qua*, obiectum *quod*. Ratio formalis *sub qua* sumitur dupliciter, vno modo vt tenet se ex parte potentiæ, seu habitus, & sic est ipsa vltima ratio virtutis qua determinatur & proportionatur erga tale obiectum. Alio modo sumitur ex parte ipsius obiecti, & sic est vltima formalitas proportionans, & coaptans obiectum potentiæ, vel actui, sicut in obiecto visibili color non est vltimum quod proportionat obiectum visui, sed lux, & ideo lux potest dici ratio sub qua ex parte potentiæ. Ratio *qua* dicitur solum ex parte obiecti, non ex parte potentię, & est illa formalitas quæ constituit obiectum attingibile à potentia vel actu, etiam si non sit vltima formalitas, sicut color est ratio quæ attingitur in corpore, & non solum lucidum. Non tamen repugnat, quod etiam aliquid quod est ratio *sub qua* ex parte obiecti, sit etiam ratio *qua* attingitur tanquam vltimum, sicut lux attingitur in re visibili. Denique obiectum *quod*, est ipsum totum quod constat ex obiecto materiali, & formali, in hoc enim fertur potentia, non tanquam in rationem, seu formam attingendi, sed tanquam in rem attactam.

Secundò supponimus, non attendi formaliter in obiecto potentiæ, realitatem, seu entitatem prout habet esse in se, sed proportionem & coaptationem ad potentiam. Quæ quidem proportio, vt subiectiuè existat in re, debet esse realis, sed secundum comparationem ad potentiam non consideratur formaliter quod sit subiectiuè in ipsa re, sed quod se habeat obiectiuè ad talem potentiam, licèt aliundè, si potentia ipsa solum respiciat ens reale, etiam in ratione obiecti realitatem petat, non prout existentem, sed prout comparatam ad potentiam, existentia enim semper est in ordine ad se, & subiectiuè, ad potentiam autem semper se habet obiectiuè. Vnde ens rationis, licet in se subiectiuè non habeat realitatem, potest tamen esse obiectum actus intellectus, & specificare illum ratione proportionis obiectiuæ quam induit in ordine ad intellectum, quando habet fundamentum reale, & ad instar realitatis concipitur, tunc enim perficere & specificare potest intellectum perfectione reali, non innata sibi, aut existente in se, sed

emendicata & appropriata ab entitate reali ad cuius instar obiectiuè concipitur, vt diximus in Logica qu. 1. art. 3. ad 1. Et ita, licet realitas & entitas subiectiuè considerata conueniat enti reali, & rationis analogicè, & non eodem modo simpliciter, obiectiuè tamen simpliciter & vniuocè inueniri potest in ente rationis, quia supposita emendicatione ab ente reali, & fundamento ipsius, proportio ipsa & coaptatio ad potentiam, quæ sola pertinet ad rationem obiectiuam, per se inuenitur, quia verè & propriè coaptatur, ita vt verum & proprium actum intelligendi terminet, sicut alia obiecta.

Nec obstat, quòd ens rationis habet esse per ipsum actum intellectus, ergo non perficit, nec specificat illum, sed perficitur ab illo. *Respondetur enim*, quòd ens rationis habet esse ab intellectu per modum existentiæ non realiter, sed denominatiuè, scilicet quantum ad denominationem cogniti, quæ consequitur actum intellectus, & ideò talis denominatio consecuta non est ratio perficiens intellectum, sed vt effecta & consecuta, perficit autem ens rationis intellectum in quantum antecedenter ad istam denominationem, ratione sui fundamenti induit coaptationem, & proportionem obiectiuam, qua verè & propriè terminat vt obiectum intellectus, eo quod licet sit ens fictum, non tamen fictè obiicitur & intelligitur, sed verum actum terminat vera terminatione, etsi ficta entitate.

His positis difficultas est, quomodò distinctio realis potentiarum & actuum sumi possit ab obiectis non realiter distinctis, sed solum formaliter vel secundum rationem. Multi enim difficile intelligunt quomodo sola distinctio rationis in obiectis possit distinctionem realem causare in potentiis, sicut verum & bonum quæ in obiectis solum ratione distinguuntur, causant distinctionem realem in intellectu & voluntate. *Cæterùm in hoc non inuenio specialem difficultatem*; quia obiectum non distinguit potentias vel actus ratione distinctionis, quam in se habeat, sed ratione specificationis quam præbet, hoc ipso quod specificat obiectiue, & specificatio ipsa realis est, vtpote actibus & potentiis realibus conueniens, sic enim distinctio realis esse debet, quia realitas specificans realem distinctionem inuoluit. Non est autem difficile intelligere, quod causa, seu virtus quæ entitatiue est vna, causet effectus realiter distinctos, quia non causat illos per distinctionem quam in se habet sed per virtutem, quæ potius quanto magis est vnita seu vna, plures effectus facit, sicut patet in virtute solis, & in virtute diuina respectu omnium creaturarum. Sic similiter in obiectis benè stat, quòd entitatiue obiectum sit vnum, & tamen causare possit diuersas specificationes reales; quia virtualiter est multiplex, & in illo fundantur diuersæ rationes formales; de quo videri potest Caietan. 1. p. quæst. 77. art. 3. circa solutionem ad tertium. Vbi etiam S. Th. docet, quod id, quod est idem secundum rem, & diuersum secundum rationem potest ad diuersas animæ potentias pertinere. Et videri etiam potest ibidem quæst. 58. artic. 2. ad 2. vbi ostendit intellectum & voluntatem differre realiter, etiamsi verum & bonum, quæ sunt eius obiecta, differant ratione, eo quod diuersitas potentiarum non sumitur ex distinctione materiali obiectorum, sed ex formali.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Circa tertiam difficultatem, an sit eadem ratio specificandi in potentiis & in actibus. *Respondet.* iuxta D. Thom. quæstion. 77. citata potentias specificari ab actibus immediatè, & idem est de habitibus, quia habent rationem actus primi, immediatus autem ordo actus primi est ad actum secundum, licet potentia sit principium operatiuum magis vniuersale, & indifferens, quam actus, habitus verò magis determinatum, & magis se habet vt principium dispositiuum ad operandum, quam per se primò operatiuum, vt diximus in logica q. 18. at verò actus secundus, cum sit ipsa operatio, non ordinantur ad vlteriorem actum, sed solum ordinatur immediatè ad obiectum, circa quod versatur, & ita specificatur ab illo, obseruando tamen id quod dictum est, quod specificatio ista, & distinctio sumatur ex diuerso obiecto formali, non materiali.

Et hoc quidem non solum habet verum in actibus immanentibus, sed etiam in transeuntibus, qui sumunt suam diuersam specificationem ex obiectis formaliter consideratis & non solum materialiter, licet oppositum probabilius iudicet Suar. tractat. de Anima lib. 2. cap. 2. num. 15. & videri etiam potest disput. 48. Metaph. sect. 2. & 3. Sed tamen oppositum diximus in 5. Physic. q. 10. artic. 1. Et constat in multis actionibus, quæ versantur circa eundem terminum materialem, & tamen specie distinguuntur, sicut idem homo potest fieri per generationem, creationem, & & transsubstantiationem quæ sunt actiones specie diuersæ: & circa eundem locum potest terminari ascensus & descensus & motus obliquus, & idem viuens produci ab alio viuente generatione vitali, vel à sole generatione non vitali, & multa alia exempla multiplicari possunt in actionibus transeuntibus, in quibus attingitur idem terminus materialis, sub diuersa tamen formalitate, imò circa eundem terminum numero, datur diuersus modus agendi causæ superioris, & inferioris. Verum quidem est, quod vt ibidem notauimus, quando actiones specie distinctæ circa eundem terminum versantur, non solum differunt ex parte modi tendendi, sed ex parte alicuius formalitatis attactæ, & relucētis in termino ad quem, ita quod aliquid producatur ab vna actione quod non ab alia per se loquendo, vt ibidem inductione ostendimus. In actionibus autem immanentibus non est necesse, quod ex parte obiecti attacti aliquid attingatur per vnum actum, quod non per alium, sed sufficit, quod ex parte medij, & modi attingendi sit diuersitas, sicut eadem conclusio, quæ scitur per medium physicum, & per medium mathematicum, non differt ex parte rei scitæ, sed ex parte medij, seu principiorum quibus probatur, vel manifestatur vna vel altera, quod est differre ex parte diuersæ scibilitatis.

Quòd si dicas, quia in obiecto nihil reale est, sic attingi ab actu immanente, sed denominatio quædam extrinseca, *Respondetur*, obiectum non dici formare, nec specificare actum ratione denominationis extrinsecæ, desumptæ ab actu tendente ad se, sic enim daretur circulus in specificatione actuum, quia actus desumitur ab obiectum formale ex eo quod attingitur à tali actu, sicque præsupponeretur actus, vt obiectum haberet formalitatem specificantem, si formalitas illa esset extrinseca denominatio ab actu desumpta. Formalitas ergo specificatiua obiecti fundatur in ipso obiecto antecedenter ad actum, & ad ipsam denominationem ex illo deriuatam, & est ipsa proportio, qua obiectum est attingibile & terminabile tali modo ab actu, non denominatio illa qua attactum est ab actu. Hæc autem proportio & coaptatio obiecti, vel realiter, & intrinsecè est in ipso obiecto, quia ex se fundat talem cognoscibilitatem in propria entitate, vel est realitas connotata ab ipso, si ex propriis & intrinsecis non cognoscatur, sed ad instar alterius, & connotatiuè ad alterum.

Quo

Quomodò verò distinguantur obiectum motiuum, & terminatiuum, latè diximus in Logica, quæst. 21. art. 4.

De subiecto verò potentiarum, an sit compositum, vel ipsa Anima, non est specialis difficultas, præter eam, quæ à nobis discussa est de subiecto omnium accidentium lib. 1. de generat. quæst. 9. artic. 3. Quod autem sint genera potentiarum in viuentibus, iam suprà quæst. præcedenti ostendimus esse quinque, quod ibi explicatum est.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, quia vnica potentia potest respicere plura obiecta etiam realiter diuersa, & è contra vnum obiectum potest respici à potentiis realiter diuersis, ergo non adæquatur inter se multitudo obiectorum & vnica potentia indiuisibilis, vel è contra. *Nec sufficit dicere*: quod licèt obiecta sint plura specie diuersa, actus tamen qui est immediatum specificatiuum potentiæ est vnius speciei. *Nam contra est*, quia etiam in eadem potentia inueniuntur actus specie diuersi, vt actus fidei, scientiæ, opinionis, &c. Et similiter in voluntate, ergo eadem manet difficultas. *Confirmat.* quia potentia est vna, ergo specificatiuum vnum, ergo vel actus solum, vel obiectum solum, non autem actus & obiectum. *Respondetur*, ex dictis potentiam non specificari ab obiectis materialiter sumptis, sed formaliter, & secundum illam proportionem, qua coaptantur potentiæ, vnde si sint plura obiecta formaliter, semper erunt plures potentiæ, licet sint vnum entitatiue, & materialiter, & similiter è contra, etiamsi sint plura materialiter, si in formalitate vna conueniunt, eandem potentiam specificabunt. *Quod verò dicitur*, de actibus specie distinctis. *Respondetur*, dari quidem in aliqua potentia plures actus specie diuersos secundum suas peculiares rationes, & obiecta quæ attingunt, conuenire tamen in aliqua ratione vniuersaliori, secundum quam procedunt à potentia, & ista ratio quæ superior est & vniuersalior respectu actuum, est adæquata & specificatiua respectu potentiæ, quæ est principium magis vniuersale, quàm quilibet actus, & ita vniuersalius specificatiuum respicit; qua ratione dixit S. Thom. prima secundæ quæstione 54. articul. primo ad primum, quod potentiæ differunt secundùm rationem genericam obiectorum, habitus verò secundum specificam.

Ad confirmationem respondetur; quod non repugnat esse vnum specificatiuum potentiæ immediatum, aliud mediatum & sic specificatur potentia immediatè ab actibus, vt conueniunt in vno modo procedendi, vel immutandi illam, mediatè verò ab obiectis quatenus illo modo sint attingibilia ab omni actu talis potentiæ, sicut enim potentiæ, respiciunt, & ordinantur ad actus, ita actus ad obiecta. *Nec obstat*, quod actio specificatur à principio vt sæpè dicit Diu. Thom. & sic non potest specificari à termino, qui est obiectum. *Respondetur enim* quod in potentiis cognoscitiuis etiam obiectum habet rationem principij quatenus per modum speciei concurrit fœcundando potentiam: in alia autem specificatur actio à principio non vt purè effectiuo, sed vt formaliter proportionato ipsi termino ad quem & ordinato ad illum in quarto modo per se vt diximus; & sic non excludit terminum obiectiuum in ipsamet proportione quæ ad illum est.

Secundo arguitur, quia actus, & obiecta sunt posteriora potentiis, actus enim procedunt à potentiis, obiecta autem attinguntur ab actibus, & vt attracta, unt posteriora illis, ergo non possunt specificare potentias per modum causæ specificantis à priori, sed per modum effectus, & à posteriori. *Nec potest dici*, quod licet actus in vno genere sint posteriores vt effectus, in alio sunt priores vt finis. *Nam contra est*, tum quia actus non est perfectior potentia, cum potentia sit causa eius, ergo neque finis, quia finis perfectior est iis, quæ sunt ad finem; & similiter obiecta aliquando sunt imperfectiora actibus & potentiis, tum etiam quia potentia & actus sunt quædam qualitates, absolutæ, ergo in se intrinsece constitui debent, & non per aliquid extrinsecum, quia in se non sunt res respectiuæ. Quod si respicit finem tanquam causam, sicut etiam efficieniem, hoc etiam conuenit ipsi substantiæ quæ causam efficientem respicit, & finalem, & tamen non specificatur ab illis, quia res absoluta est, ergo similiter potentia, & actus, quia res absolutæ sunt, non dicentur specificari à fine, sicut nec ab efficiente. *Confirmat.* quia si potentia specificatur ab obiectis, etiam habitus specificabuntur, hoc autem est inconueniens, quia res tam diuersæ, sicut habitus & potentia non possunt habere idem specificatiuum, scilicet actum & obiectum.

Respondetur solutione datâ, quòd actus sunt posteriores potentia in existendo seu in exercitio, priores autem in intentione & per modum finis. Quæ est solutio S. Thom. prima parte, quæstion. 77. articul. 3. ad 1. & similiter obiecta sunt posteriora actibus in exercitio attingentiæ passiuæ, sunt tamen priora in ratione specificationis, & proportionis, quam exigunt respectu actuum & potentiarum. *Ad replicam respondetur, ex supra dictis*, quod operatio potest dupliciter considerari, primo vt entitas quædam est per modum effectus, vel causalitatis deriuatæ ab ipsa causa, & sic non est finis operantis seu finis cujus gratia, sed est finis effectus, qui non est perfectior suo efficiente sed potius ab ipso perficitur, imò sic operatio potius est medium seu causalitas ad effectum quâ finis. Alio modo sumitur actus seu operatio, prout præcise constituit in actu secundo ipsam potentialitatem causæ operantis, quæ est in actu primo, & sic est finis, non tam ipsius causæ, quàm potentialitatis eius, & potest specificare ipsam potentiam, eo quod potentia vt constituta in actu secundo est finis sui ipsius, vt solum constituta in actu primo. Itaque potentia respicit operationem vt finem, id est se ipsam, vt operantem in actu secundo, quod est operationem in concreto, & non secundum se seorsum habere rationem finis.

Ad secundam replicam dicitur, quod potentia & actus sunt aliquid absolutum, vt distinguitur à relatiuo prædicamentali & secundum esse, non vt distinguitur à transcendentali, & secundum dici. Itaque non dependent ab aliquo extrinseco vt à purè terminante, sicut relatiua secundum esse, benè tamen ab aliquo extrinseco vt specificante, à quo scilicet dependent non solum quoad existentiam, sicut à causa efficiente, & finali extrinseca, sed quoad constitutionem in ipsa propria specie, vt supra diximus. At verò substantia non dependet ab aliquo fine, vel efficiente, vel à quocumque alio extrinseco tanquam à specificante, sed solum dependet à fine, & efficiente vt à causante existentiam & esse. Vndè nihil est omninò absolutum tam in specie, quam in existentia, nisi solus Deus.

Ad confirmationem respondetur, specificari habitus, & actus, & potentias ab obiectis, sed non eodem modo, nec cum eadem vniuersalitate, & indifferentia, & immediata tendentia: actus enim secundus immediate tendit ad obiectum, habitus autem in actu primo determinato, & disponente potentiam ad operandum

dum benè vel malè; potentia autem in actu primo indifferenti & vniuersaliori,& vt simpliciter principium operandi. Et sic diuerso modo respiciunt obiectum, & vnum vt subordinatum alteri.

Vltimò arguitur, nam si potentiæ specificantur ab actibus, & obiectis,vbi sunt eadem obiecta & actus, erunt potentiæ eiusdem rationis,sed potentia visiua equi, & hominis habent idem obiectum, scilicet colorem visibilem & non sunt eiusdem speciei,quia sunt proprietates emanantes à formis specie diuersis & consequenter etiam debent esse diuersæ speciei,eadem enim proprietas specifica non potest emanare à principiis specie diuersis, sic enim esset proprium vtriusque, quod repugnat.

Resp. aliquos sentire, quod istæ potentiæ, possunt considerari dupliciter; vno modo respectu subiecti,cuius sunt proprietates naturales, & sic differunt speciẹ, quando consequuntur ad diuersas naturas; alio modo respectu obiecti, circa quod versantur, & hoc modo non differunt specie nisi obiecta diuersa sint formaliter; sic visus equi & hominis in ratione potentiarum sunt eiusdem speciei, licèt in ratione proprie tãtum differant specie. Ita Caiet. 2. de Anima capit. 10. & explicatur exemplo mallei ferrei, & aurei,qui differunt specie in ratione metalli,non in ratione artificialis, & membra hominis & leonis differunt specie propter diuersam dispositionem licet eandem operationem exerceant. *Sed huic solutioni restat explicare* quænam ex istis duabus rationibus simpliciter sit essentialis potentiæ, & consequenter an simpliciter differant essentialiter, vel non. Nam in duplici specie essentiali poni non possunt, sicut in exemplis allatis, licet illa sint vnum in genere naturali & plura in artificiali, vel è contra tamen genus artificiale accidentaliter se habet ad naturale, & non essentialiter, ergo restat explicare in potentia visiua equi & hominis, quæ ex parte obiecti sunt eiusdem speciei, & ex parte subiecti differunt, quænam dicatur illis essentialis species, & ita an simpliciter sint eiusdem vel diuersæ speciei.

Quare alij tenent quòd illæ potentiæ sunt eiusdem speciei, tam in ratione potentiæ,quam proprietatis, de quod visus & aliæ similes potentiæ, non consequuntur in homine secundum gradum specificum, sed genericum, quatenus sunt de genere animalium perfectorum: Quæ autem sequuntur gradum genericum non est inconueniens, quod sint in subiectis specie diuersis, quia non emanant ab eis quatenus specie diuersa, sed vt conueniant in superiori ratione. Neque est instantia in intellectu, qui sequitur gradum genericum intellectiui & tamen est diuersæ speciei in diuersis. Etenim intellectus non manet eiusdem speciei in diuersis gradibus, sed iuxta diuersam immaterialitatem diuersæ speciei,intellectus consequitur, & diuersum respicit obiectum specificatiuum, potentia autem visiua in equo & homine idem habet specificatiuum. Hunc modum dicendi refert Mag. Bann. 1. p. q. 77. art. 3. dub. vn. ad 2.

Et iuxta illum addere possumus, quod in potentia visiua & similibus,vel possumus considerare speciem essentialem, & hæc semper desumitur ab obiecto,& sic simpliciter sunt eiusdem speciei in equo & in homine, nec dimanant à principiis specie diuersis, sed ab eo quod est genericum, vel commune in animalibus perfectis participantibus istas species,sicut in omnibus animalibus ex gradu communi dimanat potentia tactus, & in omnibus viuentibus potentia nutriendi & augmentandi. Vel possumus considerare peculiares aliquas qualitates,quæ accidentaliter perficiunt, vel afficiunt istas potentias aliter in vno animali, quam in alio, sine variatione essentiali earum, vt quod aquila perfectius videat homine, & homo perfectiorem tactum habeat, quam alia animalia & similiter, quod cogitatiua in homine discurrat circa singularia, non in bruto, & similia. Et quoad istas accidentales perfectiones, illæ potentiæ sunt propriæ diuersorum animalium, quia tales perfectiones conueniunt illis potentiis ratione diuersorum subiectorum in quibus sunt, & de quibus illas participant. Et ita in ratione proprietatis differunt specifice specie accidentali, ita quod id quod est intrinsecum proprietati vt proprietas talis,vel talis naturæ specie diuersæ, est accidentale potentiæ visiuæ secundum se,& quidditatiuè consideratæ,secundũ ordinem ad obiectum,qui est simpliciter specificatiuus.

QVÆSTIO III.

De Anima vegetatiua, eiúsque potentiis.

ARTICVLVS I.

Quid sit Anima vegetatiua, & quot eius potentiæ?

PRIMVS gradus viuentium est gradus vegetatiuus; cuius propriam rationem & essentiam, sicut & aliorum graduum ex propriis operationibus venamur. Est autem proprium huius gradus operari circa ipsum corpus viuens, vt docet San. Thom. 1. part. quæst. 78. art. 1. & 2. quòd vegetatiuum est infimus gradus vitæ, & ex ea parte qua vitæ est, eleuatur supra corpus inanimatum mouendo se & operando erga se: sed quia infimum est & valde imperfectum, non extenditur ad acquirendam aliam perfectionem, quam quæ pertinet ad proprium corpus vel conseruandum in indiuiduo vel multiplicandum in specie, ad differentiam sensitiuæ, quæ operatur vltra se, quatenus mouetur ad apprehendenda obiecta exteriora, & multò magis intellectiuæ, quæ mouetur ad apprehendendum vniuersaliter omnia entia.

Igitur Animæ vegetatiuæ assignat D. Th. ex Philosoph. de Anima lect. 9. circa text. 49. & 1. parte, quæst. 38. art. 2. triplicem operationem scilicet nutrire, augmentare, & generare vitaliter, hæc enim sufficiunt ad omnes operationes vitæ vegetatiuæ, licet vt bene aduertit Caietan. citat. loco 1. partis, in fine commentarij, dicantur esse tres potentiæ animæ vegetatiuæ solum in genere, nam plures aliæ sunt in specie deseruientes istis, sicut ad nutritiuam deseruit attractiua, expulsiua, degestiua & similes, quæ an distinguantur realiter, an solum penes diuersa officia, postea disquiretur. Quòd ergo sufficiant ista tria genera potentiarum constat, quia finis partis vegetatiuæ est conseruatio ipsius viuentis tam in proprio indiuiduo, quàm in specie, in hoc enim resumitur quidquid pertinere potest ad ipsum corpus viuens, vt videlicet viuat in se,& in specie sua;in conseruatione autem sui includitur duplex operatio, scilicet nutritio & augmentatio, nam ratione primi restauratur, quidquid perditur per calorem naturalem, & ratione secundi ex statu imperfecto in quo generatur, perducitur ad statum perfectum, scil. debitam quantitatem & robur. In conseruatione autem speciei attenditur generatio, qua producit sibi simile propagando ipsam speciem.

Nec

Nec obstat, quòd etiam non viuentia generant sibi simile vt ignis, & mediante generatione speciem conseruant, ergo generatio non est propria actio viuentium. Et ex alia parte multa sunt viuentia, quæ generationem non habent sicut quæ fiunt solum ex putrefactione. *Respond.* quòd non viuentia generant generatione communiter dicta, quæ est totaliter ex materia extrinseca, viuentia autem speciali generatione, quæ est ex propria substantia viuentis, ratione cuius est generatio propagatiua ex principio coniuncto ipsius viuentis & communicato ipsi genito, & sic dicit D. Thom. 1. p. quæst. 78. art. 2. ad 2. *Quod generatio in rebus inanimatis est totaliter ab extrinseco, sed generatio viuentium est altiori modo per aliquid ipsius viuentis quod est semen in quo est aliquod principium corporis formatiuum.* Idemque tradit in secundo de Anima lection. 7. Hoc autem principium corporis formatiuum, non solum debet esse virtus actiua quæ est in partibus spirituosis & subtilioribus seminis, sed etiam debet habere principium materiale, quatenus partes crassiores præbent materiam ex qua formatur fœtus. Quomodò autem dicatur ex semine fieri res generata tanquam ex principio vitæ coniuncto, explicauimus, quæst. 1. de generat. artic. 1. & similiter quomodo semen habeat vitam, fiatque ex superfluo alimenti, explicauimus, ibidem q. 8.

Ad aliam partem argumenti dicitur quod licet anima vegetatiua habere possit istas tres operationes, non tamen est necesse, quod in omni participante vitam vegetatiuam inueniantur de facto, nam operatio generatiua non inuenitur in pueris ob statum imperfectum, in aliis deest ipsa potentia ratione sterilitatis, in aliis ob imperfectiorem naturæ, quia ex sola putrefactione generari possunt, inter quæ numerant aliqui anguillas, salamandras, & alia similia; quædam verò sunt quæ indifferenter ex semine & ex putredine generari possunt vt mures, vespæ, & alia similia. Ista ergo participant imperfectè vitam vegetatiuam, sicut etiam inter animalia non omnia participant omnes sensus, & operationes sicut talpæ non habent visum, & ostrea non habent motum progressiuum.

Ex dictis colligitur definitio Animæ vegetatiuæ, & explicatur ea, quam tradidit Aristot. 2. de Anima textu 49. definiuit enim Aristot. animam vegetatiuam ab actu perfectiori quem habet, & qui cæteros præsupponit, scilicet à generatione quæ solùm conuenit animalibus perfectis, & in statu perfecto existentibus, dicens: *Quod anima prima* (id est vegetatiua) *est principium generandi tale quale ipsa est.* Quam definitionem explicans ibi: S. D. lection. 9. inquit: *Quòd quia omnia definiuntur, & dominantur à fine, finis autem operum animæ vegetabilis, est generare alterum simile sibi, sequitur quod ipsa sit conueniens definitio animæ vegetabilis, vt sit generatiua alterius similis secundum speciem.* Idem tradit prima parte, quæst. 78. artic. 2. ostendens quomodo nutritiua, & augmentatiua sunt potentiæ habentes effectum in ipsomet viuente in quo sunt, generatiua autem habet effectum in alio distincto, licet ex ipsius generantis corpore decidatur, hæc autem est perfectior operatio, quia per eam anima vegetatiua quodammodo appropinquat ad sensitiuam, quia hæc vt diximus habet operationem suam circa res exteriores, & deinde quia producere simile sibi est actio rei iam perfectæ in se. Quapropter in definitione Aristotel. quando dicit: *Quòd vegetatiua est principium generandi*, debet subintelligi, quod sit principium vitale, principium autem vitale, ad generandum præsupponitur quod sit viuum respectu sui ad operandum circa se, non enim posset vitaliter circa aliud operari, nisi primo posset circa se, & consequenter supponitur, quod sit nutritiuum & augmentatiuum sui. Vnde si velimus exprimere in definitione omnia quæ pertinent ad animam vegetatiuam, definiri potest: *Quod est principium nutriendi, augendi & generandi vitaliter.* Sed tunc illæ particulæ & non debent intelligi collectiuè, quasi debeant omni animæ vegetatiuæ conuenire, sed distributiuè, vel secundum accommodam distributionem, ita vt animæ perfectæ conueniant omnes illæ operationes, imperfectæ verò saltem aliquæ.

Sed obiicies, nam in primis Aristot. dicit 2. de Anima text. 35. *Quòd naturalissimum est viuentibus perfectis & non orbatis generare*, ergo generatio non potest esse propriissima viuentium. *Patet consequentia*, quia illa actio est magis naturalis, quæ est magis propria naturæ, vt natura est, non vt vita est. *Quod si dicatur*, esse naturalissimum viuenti, non ratione naturæ vt sic, sed ratione naturæ viuentis, tunc dictum Philosophi non est verum, *sed instatur in multis: primò quidem*, quia non potest dici naturalissimum, quia magis necessarium, sic enim magis necessaria est nutritio, quia requiritur ad conseruandum propriam vitam in quocunque statu, etiam in pueritia, in qua non conuenit generare, imò propter conseruandam vitam animal abstinet à generatione. *Secundò*, quia si est naturalissimum, quia perfectissimum, sequitur, quod in animalibus naturalius sit sentire, vel loco moueri. Et in hominibus intelligere, quam generare, quia hæc perfectiora sunt.

Secundò obiicies quia Arist. in hoc 2. lib. textu 54. solùm numerat duas operationes, vitæ vegetatiuæ, scilicet vti alimento & generare, non ergo debent poni tres, scilicet nutrire, augere & generare. Præsertim cum actio augmentatiua non possit distingui à nutritiua, quia quantitas consequitur substantiam sine nouo motu, nutritio autem ad substantiam acquirendam ordinatur.

Denique, plures aliæ operationes dantur in anima vegetatiua, quæ versantur circa materiam exteriorem, & non circa ipsum corpus viuens, sicut attractio alimenti, digestio illius, expulsio superflui, & aliæ similes, quæ versantur circa corpus extraneum, & nondum informatum forma viuente, ergo plures operationes debent poni in anima vegetatiua, quam quæ versantur circa ipsum corpus viuens.

Ad primum facile respondetur quoad primam partem, quod generatio dicitur opus naturalissimum, quia est commune omni naturæ etiã inanimatæ loquendo de generatione quoad substantiam & secundum rationem communem generationis, est tamen propria viuentium loquendo de generatione ex parte modi procedendi vitaliter, & per propagationem ex ipsa substantia generantis decisa.

Quod autem attinet ad expositionem Aristotelis, dissentiunt expositores in explicando, qua ratione dixerit esse opus naturalissimum generationem. *Sed breuiter dico* non dici naturalissimum opus, quia est perfectius, cum in multis animalibus aliæ sint perfectiores operationes, vt in argumento dictum est. Neque ex eo, quod sit magis necessarium respectu ipsiusmet viuentis absolutè, cum magis propriæ vitæ sit necessaria nutritio: sed ob duplicem causam. *Primò*, quia generatio est communis omni naturæ etiam non viuenti, saltem quoad substantiam generationis, vt dictum est. *Secundò*, quia magis in eam propendet natura etiam viuentium non propter bonum proprium, sed propter bonum commune scil. propter perpetuitatem speciei, quæ generatione ipsa conseruatur. Quam causam tradit D. Thom. 2. de Anima lect. 7. ad illum textum Arist. & Caietan. ibi: &

& M. Bañez 1.p.q.78. art.2. dub.4. eam vero negat Suarez 2. de Anim. cap.7.n.6. licet primam causam admittat num. 6.sed male eam negat, cum sit expresse approbata ab Aristot.qui causam reddidit cur generatio sit naturalissimum opus, scil. quia maximè propendet natura in conditionem illam perpetuitatis, quam consequitur generatione, & non sola nutritione & conseruatione propria. Itaque conseruatio speciei secundum quod propagatione multorum perpetuatur, maiori pondere allicit naturam, quam nutritio, seu conseruatio in esse proprio; tum quia est bonum commune, & quælibet pars naturaliter magis inclinatur in bonum commune, quam in proprium, vt patet in manu naturaliter se exponente ictui capitis, & aqua ascendente sursum ne detur vacuum: tum quia mediante generatione efficacius consequitur perpetuitatem, quam nutritione, nam ex natura rei certam habet periodum, illa per generationem in infinitum durat, quantum est ex vi naturæ, nisi obstaret decretum superius Diuinum terminandi generationes completo numero beatorum. Naturalissimum autem est vnicuique intendere perpetuitatem, quæ cum in indiuiduo sit impossibilis per conseruationem, fit in specie per generationem.

Nec obstat fundamentum P. Suarez. quia videlicet nutritio ordinatur ad propriam conseruationem in se, generatio autem in alieno indiuiduo, magis autem inclinatur vnumquodque in bonum proprium, quam in alienum, quia amicabilia ad alterum oriuntur ex amicabilibus ad se.

Respond. enim quòd inclinatur aliquid magis in bonum proprium vt distinguitur contra alienum, non contra bonum commune, ad hoc enim maior est ponderatio quam ad proprium, quia etiam proprium continetur sub communi, & ab eo dependet, & sic amicabilia ad alterum oriuntur ex amicabilibus ad se, quando est alterum omnino alienum, non quando est alterum quasi bonum commune & superius, respectu cuius hæc maxima non currit. Et ita omnis creatura naturaliter magis fertur in Deum, quasi in bonum commune, vt docet S. Thom. 1.p.q.60. artic.5. Neque est verum conseruari etiam speciem in proprio indiuiduo, conseruatur enim sine perpetuatione, quæ est conseruatio secundum quid, in genito autem conseruatur tanquam in propagato de sua substantia, & in parte sui.

Ex quo etiam patet ad instantias primi argumenti, licèt enim magis necessaria sit nutritio ad se conseruandum quam generatio, hæc tamen est magis necessaria ad perpetuitatem consequendam. Cum quo tamen stat, quod magis tenetur homo ad conseruandam propriam vitam quam ad generandum etiam in casu necessitatis propagandi genus humanum, eo quod conseruatio propriæ vitæ est fundamentum & medium necessarium etiam ad ipsam propagationem, & ita quia sublata vita propria tollitur tam proprium indiuiduum, quam propagatio speciei, ideo magis tenetur ad illam, quam ad istam, sed ad illam vt ad medium, ad istam verò vt ad finem, & ideo naturalius se habet ad generationem, quia gratia huius finis, scilicet perpetuitatis omnia agunt quæ secundum naturam agunt, vt dicit Arist. in eodem loco.

Ad secundum respond. Aristotelem numerasse illas duas operationes animæ vegetatiuæ, quia sub illa quæ alimento vtitur, continetur tam nutritio, quam augmentatio, vtraque enim alimento vtitur licet diuersimode, alia ad restaurandum & conseruandum, alia ad perficiendum & augendum, postea tamen vtramque operationem explicuit textu 38. & sequentibus. Quod verò dicitur, non dari motum ad quantitatem distinctum à nutritione refutatum à nobis est q.19. Physicor.& quæst. 8. de generatione.

Ad vltimum respond. omnes illas operationes contineri sub nutritiua, quia illi deseruiunt, eique ministrant, sicut sub generatiuo continetur operatio præparatiua seminis, resolutio ipsius, & formatio fœtus. Quod vero dicitur non versari illas actiones circa corpus viuum, *distinguo*, proxime & formaliter *transeat*, dispositiue *nego*; disponitur enim materia alimenti vt nutriatur & transeat in corpus viuum.

ARTICVLVS II.

Quid sit potentia nutritiua, eiusque obiectum, & facultates ei ministrantes?

HÆc tria pertinent ad cognoscendam vim nutritiuam, & ex ea manebit explicata vis augmentatiua, quæ illi deseruit. Plura autem de nutritione & alimento egimus quæst.8.de generat. & ideo hic breuiter de ipsa potentia nutritiua agendum est.

Circa primum ergo, scilicet circa ipsam potentiam nutritiuam *dubium est*, an sit qualitas aliqua de secunda specie, scilicet aliqua potentia, an verò sit calor aliquis vitalis, vel saltem temperamentum, vel mixtura aliqua primarum qualitatum sine potentia aliqua superaddita In quo P. Suarez tract. de Anima lib.2. cap.9. existimat temperamentum primarum qualitatum se habere vt dispositionem, seu virtutem dispositiuam ad introducendam animam in materiam alimenti, virtutem autem inductiuam ipsius animæ in alimentum, siue educendo, siue vniendo formam esse ipsam animam immediatè, & ab ea procedere istam actionem, non ab aliquo accidente superaddito. Præter istas autem actiones, scilicet inducere formam substantialem, & disponere ad illam non datur alia operatio quæ correspondeat virtuti, seu potentiæ superadditæ illis primis qualitatibus. Alij autem ex Iunioribus constituunt hanc potentiam nutritiuam in ipso calore naturali, fortassis quia est principium actiuum in nutritione & augmentatione.

Nihilominus S. Thom. perpetuò assignat calorem & qualitates primas pro instrumentis vitæ vegetatiuæ, & operationum eius, quæ vtique sunt nutritio & generatio, requirit autem tanquam principalem virtutem aliquam qualitatem superiorem ad primas. vt videri potest 2. contra Gent. c.68.& 1.p.q.78. art.2. ad 2.& q.118. art.1.ad 3. Non potest autem talis virtus vti calore & aliis qualitatibus vt instrumento quod mouet & sibi deseruit, nisi distinguatur ab illis.

Fundamentum est quia generatio, & nutritio habent effectus excedentes calorem, & temperamentum quatuor primarum qualitatum, tum in ipsa substantia rei operatæ; tum in modo operandi, ergo requirunt aliquam virtutem altiorem ab illis qualitatibus distinctam. *Consequentia patet*, quia non habemus aliud principium distinguendi virtutes, & potentias, nisi per diuersos effectus & modos operandi. *Ant. probatur*, nam quantum ad substantiam rei operatæ videmus in generatione fieri aliquos effectus excedentes primas qualitates, vt est formatio membrorum, eductio animæ, vel introductio & alia similia, quæ constat distingui ab actionibus primarum qualitatum, non enim est idem calefactio etiam facta ab animali, & formatio membrorum & introductio animæ Similiter in nutritione formantur membra saltem partialiter, & aggeneratiuè,

ſiquidem membra ipſa ſuccedente alimento, de nouo inſtaurantur, vel augeſcunt, ergo eadem ratio eſt de ipſa, atque de generatione. Ex parte autem modi operandi, conſtat manifeſte, diſtingui, quia animal operatur iſtas actiones vitaliter, ſiue generando, ſiue nutriendo, qualitates autem elementales quantum eſt ex ſua ſpecie non operantur vitaliter, conſtat enim quod calor in ferro, vel in ligno eſt eiuſdem ſpeciei cum calore animalis, & tamen ibi non operatur vitaliter, ergo modus vitaliter operandi aliquam virtutem ſpecie diſtinctam poſtulat ab ipſo calore ſecundum ſe.

Nec valet dicere, quod ipſe color vt coniunctus animæ eſt medium, quo anima operatur vitaliter, nec indiget alia virtute, vel potentia ſuperaddita ad dirigendum talem calorem *Contra enim eſt*, quia iſtæ actiones nutritiue eſſentialiter, & ſpecifice ſunt vitales, & in ratione vitalis diſtinguuntur ſpecie à non vitalibus, ergo calor ſecundum totam ſpeciem quam habet non poteſt eſſe ſufficiens potentia, & virtus iſtarum actionum. *Conſequentia patet*, tum quia calor qui eſt in animali, non eſt diſtinctus ſpecie à calore ignis, ergo non poteſt ſine alia virtute ſuperaddita effectus ſpecie diſtinctos habere; tum quia calor non eſt potentia vitalis etiam in animali, ergo non poteſt eſſe immediatum principium operationis vitalis, Anima autem per ſuam ſubſtantiam ſine potentia vitali ſuperaddita non operatiua vitaliter, & multo minus mediante inſtrumento non vitali, qualis eſt calor ex ſua ſpecie. *Nec obſtat*, quod ad nutritionem non datur ſpeciale organum, ſed fit in toto corpore, & ſic non videtur dari ſpecialis potentia. Hoc enim eſt reſpectu vltimæ nutritionis, quando ex ſanguine partes ſolidæ nutriuntur, vt caro & oſſa; ad primam autem digeſtionem internam & commutationem alimenti in ſanguinem, dantur ſpecialia organa, ſcilicet ventriculus & hepar.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Circa ſecundum punctum, ſcilicet quodnam ſit obiectum potentiæ nutritiuæ conſtat ex Philoſopho in hoc. 2. lib. textu 42. & D. Thom. ibi lect. 9. quod obiectum ſeu materia nutritiuæ eſt alimentum, circa illud enim verſatur nutritiua, tanquam circa materiam quam transſmutat in ſubſtantia & quo res alita nutritur. Vnde dicit Philoſ. ibidem tex. 48. quod in nutritione ſunt tria, ſcilicet quod alitur, quo alitur, & alens primum. Quod alitur eſt corpus viuens, quia eſt ſubiectum cui per alimentum transſmutatum nouæ partes adueniunt, & ſuccedunt. Id quo alitur eſt nutrimentum, ſumendo ly *quo* pro principio materiali, non effectiuo, & ita non ſolum dicitur id quo nutritur, ſed ex quo transſmutatur, ſicut ſemen eſt id quo generatur animal, non ſolum vt principio effectiuo ratione virtutis formatiuæ, ſed etiam vt principio materiali, quatenus de ipſo ſumitur etiam materia fœtus. Alens primum, eſt ipſa Anima, quæ eſt primum principium nutriendi.

Sed inquires, quomodò dicatur alimentum eſſe obiectum non ſolùm potentiæ nutritiuæ, ſed etiam generatiuæ, vt affirmat Ariſtotel. textu 47. cum tamen diuerſum ſit obiectum nutritiuæ, & generatiuæ, obiectum enim generatiuæ, eſt fœtus ipſe qui generatur obiectum autem nutritiuæ eſt viuens ipſum, quod nutritur. De alimento etiam verificatur quod illo vel ex illo nutritur animal, ex alimento autem non generatur proles, ergo non habet vtraque potentia alimentum pro obiecto etiam materiali.

Reſpondetur nihilominus veriſſimum eſſe dictum Ariſtotelis, & explicari à D. Thom. ibi lect. 9. quod etiam alimentum eſt factiuum generationis, eo quod ſemen eſt ſuperfluum alimenti. Quod intelligitur eſſe ſuperfluum, non quia ſi excrementitium, cum potius fiat ex ſanguine defœcatiſſimo, ſed quia eſt reſiduum ipſi nutritioni, neceſſarium autem generationi. Itaque omnes potentiæ vegetatiuæ vtuntur alimento tanquam materia ad ſuas operationes, ſed diuerſimodè nam nutritiua vtitur ſubſtantia alimenti pro reparatione ipſius viuentis, augmentatiua vtitur quantitate, ſeu magnitudine alimenti pro ipſius augmentatione, generatiua autem vtitur reſiduo alimenti pro ipſius propagatione, & ita ſupponitur operatio nutritiuæ ad generatiuam, eique reſiduum ſui alimenti tanquam materiam ſubminiſtrat, ideoque non ita abſolute dicitur animam generare ex alimento ſicut nutriri, ſed generare ex reſiduo alimenti, quod per varias transſmutationes nutritiuæ ſegregatur ad vaſa ſeminalia, ibique diſponitur ſemen, vt illo vtatur generatiua ſicut etiam ad nutritionem prolis ſegregatur ex alimento iam transſmutato & conuerſo in ſanguinem, lac in fœminis. Et in huius ſignum qui ſunt profuſiores in venerem, cum indigeant multa materia ſeminali attrahunt de materia nutritiuæ, ita quod aliquando emittunt ſanguinem, & debilitant naturam. E contra verò animalia pinguiora ſunt pauci ſeminis, vt docet Diu. Thom. 1. part. quæſtione 19. artic.... quia indigent plus conuertere in proprium corpus quam ſegregare de reſiduo pro ſemine.

Quotuplex autem ſit alimentum, ſcilicet extrinſecum & remotum, quod ab animali aſſumitur, & intrinſecum, ſeu propinquum, quod ab eo diſponitur & tranſmutatur, vt conuertatur in partes ſolidas, & quas tranſmutationes ad hoc ſubeat, & in qua parte animalis reſideat facultas nutritiua, diximus in quæſtione 8. de generat. articul. 3.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Circa tertium punctum, ſcilicet quæ facultates miniſtrent nutritiuæ? In primis inueniuntur duæ potentiæ principales, ſcilicet nutritiua, quæ reſpicit ſubſtantiam reparandam, & augmentatiua, quæ reſpicit augendam. *Secundo* loco occurrunt quatuor potentiæ miniſtrantes iſtis duabus principalibus, ſcilicet attractiua, retentiua, expulſiua, & decoctiua, & ſi quæ ſunt aliæ, ad iſtas reducuntur. *Tertio* loco inueniuntur accidentia, ſeu qualitates primæ miniſtrantes omnibus iſtis potentiis, quæ ſunt qualitates non vitales, ſed communes etiam non viuentibus, ſcilicet calor & frigus, & ſimilia, quæ ſe habent vt diſpoſitiones, & ideo iſta accidentia diſtingui à potentiis vitalibus certum eſt, cum ipſa vitalia non ſint. Quod etiam reſpectu potentiæ attractiuæ, & retentiuæ fatetur ipſe Suarez loco citato cap. 9. n. 14. licèt id neget de facultate nutritiua: quod ſtatim expendemus.

Igitur circa ipſas potentias vitales illa eſt difficultas, an realiter diſtinguantur inter ſe, quod etiam *ſequenti articulo* tractandum erit circa potentiam generatiuam an diſtinguatur à nutritiua. Plures enim Authores omnes illas potentias faciunt vnam quæ omnes iſtas operationes exercet, & ab illis denominatur modò nutritiua, modò generatiua, modò augmentatiua. Sed tamen inter augmentatiuam, & nutritiuam minus videtur ponenda diſtinctio, eamque negant Conimbricen. 2. de Anima capit. 4. quæſtione vnica, Suarez tract. de Anima lib. 2. capit. 9. qui nec formaliter eas diſtinguit, vt patet in fine capitis, Rubio 2. de Anima tractat. de potentiis Animæ

vegetatiuæ quæstione 2. Et alij plures quia ab his Authoribus citantur; & idem tenent aliqui Thomistæ, quos suppresso nomine citat Magister Bañez 1. p. quæstione 78. articulo 2. dubio 2. conclusione 2. Non caret probabilitate, ista sententia, quoties enim non est euidens requiri distinctionem potentiarum ad diuersas operationes, magis inclinare debemus in partem quæ non distinguit, eo quod natura semper studet compendio. Est etiam conueniens ratio, quia ad virtutem augmentatiuam non requiritur, nisi quod virtus nutritiua sit ita fortis quod possit plus conuertere de alimento quam deperdat de humido proprio, vt docet Sanct. Thomas 1. part. quæstione 119. articul. 1. ad 4. Ad hoc autem non requiritur noua virtus, sed eadem fortior, & perfectior. Vtraque etiam potentia respicit eundem effectum, & specifice, scilicet substantiam viuam, siuè absolute, siuè vt maiorem, & augmentatam, & vtraque vitali modo. Cur ergo non prouenient ab eadem potentia tanquam duæ operationes subordinatæ vel ad eundem ignem ordinatæ, sicut etiam calefactio, & illuminatio ab eadem virtute solis proueniunt; quia sunt actiones inter se subordinatæ. Quare Aristot. 2. de generatione animalium cap. 4. docet quod eadem materia est ex qua augetur, & ex qua constituitur primum; & facultas quoque augens eadem quæ in principio est, sed maior; non ergo est necesse ponere duas facultates.

Nihilominus opposita sententia probabilior est, & inter Thomistas magis recepta, vt tradit Magister Bañez citato loco conclusione tertia, & eam tenet Caiet. 1. p. quæstione 78. artic. 2. in fine commentarij, aliique plures Thomistæ quos citant, & sequuntur Carmelitani hîc disput. 8. quæstione 3. & sine dubio inclinat in illam Diu. Thom. tum quia circa quæst. 78. dicit esse tres potentias, augmentatiuam, nutritiuam, & generatiuam; tum quia vnicuique assignat distinctam operationem & obiectum, quæ sunt principia distinctionis potentiarum, nutritiuæ enim assignat conseruationem, & reparationem substantiæ, augmentatiuæ acquisitioné quantitatis debitæ; generatiuæ productionem alterius viuentis. Tum denique quia in fine corporis ponit, quod vna potentia deseruit alteri, ergo non est eadem potentia, sed distincta, quia eadem non seruit sibi ipsi, licet actus vnius potentiæ possit seruire & subordinari alteri actui eiusdé; sed D. Thom. non dicit quod vnus actus subordinatur alteri; sed quod vna potentia seruit alteri, ergo sicut quando dicitur quod vnus actus deseruit alteri colligitur distinctio ipsorum actuum, ita quando dicitur quod vna potentia deseruit alteri, debet colligi distinctio potentiarum.

Et ex hoc sumitur fundamentum istius sententiæ, quia inuenitur sufficiens distinctio in istis obiectis, & in modo operandi ad distinguendum istas potentias alio enim modo, & circa distinctum terminum operatur nutritiuam quam generatiua, cum vna operetur propagando, & producendo simile distinctum à se, alia verò reparando partes eiusdem viuentis, scilicet nutritiua. Augmentatiua autem respicit terminum genere distinctum, scilicet quantitatem non prout consequitur naturaliter ad primam productionem substantiæ, sed prout acquiritur per veram mutationem, & motum procedendo de contrario in contrarium, vt ostendimus quæst. 19. Physicor. & quæst. 8. de generat. ergo non minus petit motum, seu operationem, & potentiam distinctam quam alteratio & motus localis, quæ sunt ad diuersa prædicamenta. Ex alia autem parte istæ potentiæ propter suam materialitatem & imperfectionem non possunt ita eleuari vt eminenter in se vniât tam diuersos actus & obiecta in aliqua ratione superiori, cum etiam anima sensitiua quæ perfectior est quam vegetatiua, non possit in vna potentia vnire eminenter omnes actus, & obiecta sensuum exteriorum vel interiorum, ergo probabilius est distingui debere istas potentias.

Vnde non valet dicere, quod solum datur vna potentia respiciens plures actus inadæquatos, qui omnes versantur circa vnum obiectum totale & adæquatum, scilicet alimentum, in quo diuersas illas operationes operetur vnica, & eadem potentia. *Nam contra hoc est,* quia si illa ratio aliquid probaret, etiam concluderet sensus internos, & externos esse vnam potentiam, licet habeat inadæquatos actus, sicut etiam omnibus sensibus seruit vna anima, eo quod sicut animæ vegetatiuæ sufficit ad vnitatem potentiæ, quod versetur circa alimentum, licet diuerso modo secundum diuersos actus inadæquatos, ita poterit dici, quod animæ sensitiuæ sufficit vna potentia, quæ versatur circa sensibile, diuersi autem modi immutandi sensus, dicentur esse diuersi actus inadæquati eiusdem potentiæ, & præsertim cum hic etiam inueniatur subordinatio vnius ad aliud, sicut sensus externi seruiunt internis, & in internis sensus communis deseruit phantasiæ.

Vnde potius ista subordinatio vnius ad aliud est principium colligendi distinctas potentias per se loquendo, & ab intrinseco, quia subordinatio limitationem dicit, & distinctionem postulat, idem enim sibi ipsi non subordinatur. Sed tamen possunt aliquãdo plures actus inter se coordinati pertinere ad eandem potentiam, & virtutem, quando inuenitur aliqua ratio superior, & vniuersalior sub qua vniantur rationes illæ, quæ in inferioribus, & limitato modo consideratæ distinctionem postulabant, sicut verbi gratia, intellectus, quia respicit res sub quadam vniuersali ratione, scilicet sub abstractione ab omni conditione materiali, quidquid in materialibus distinguitur, vbi vnitur. Et similiter sol quia respicit omne alterabile, & corruptibile sub ratione quadam vniuersali, quæ omne corruptibile comprehendit, scilicet quatenus dependet, & continuatur cum primo alterante quod est incorruptibile, ideò respicit omnia illa sub vnica ratione. Et quando ratio alicuius virtutis vniuersalizatur, tanto magis vnita est, & ad diuersos actus inadæquatos, & obiecta se extendit, è contra verò quantò magis particularizatur, tanto magis distinguuntur potentiæ, & adæquantur actibus, & obiectis diuersis. Non est autem aliqua ratio, cur in anima vegetatiua ponamus rationem, & modum operandi tam vniuersalem quod sub vnica ratione plures illos actus inadæquatos comprehendat, tum quia est infimi gradus in genere animæ, tum quia non supponit alias potentias magis inferiores, respectu quarum sit superior & illas vniat. Quare si semel in potentiis non habentibus vniuersalitatem & superiorem modum procedendi, ponimus vnitatem potentiarum, ratione subordinationis ad eundem finem, fere omnes potentias sensitiuas & artes inferiores dicemus esse vnam virtutem, quia subordinantur inter se ad vnum finem. Tunc autem eadem potentia attingit finem & ea quæ ordinantur, ad illum eadem virtute licet inadæquatis actibus, quando vel medium & terminus sunt eiusdem rationis, & specificationis, vel modo vniuersaliori respicitur formalitas aliqua superior sub qua omnia illa materialiter contineantur.

Quod autem aliqui disputant, an distinguantur specie calor vitalis, elementalis, & cœlestis, *Difficultas est parui momenti,* neque enim calor dicitur vitalis,

aut cœlestis ratione alicuius intrinseci, quo in esse talis constituatur, sed ex ordine ad causam illam extrinsecam, à qua deriuatur & attemperatur, & modificatur, scilicet ad ipsum viuens & ad ipsum cœlum, vt bene notat Caiet. prima parte, quæstion. 118. articul. 1. circa solution. ad 3. sicut etiam calor arte distributus & dispositus, vt in concoctione cibi non est specie distinctus à naturali. Et hoc ideo, quia omnes isti calores retinent eundem effectum essentialem & primarium, scilicet calefacere, aut reddere calidum, reliqui omnes effectus sunt consecuti, secundum quod à diuerso agente sic attemperante, aut modificante resultant.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Ad fundamenta supra posita patet ex dictis, debere distingui istas potentias, quia non sunt ita vniuersales, & sub ratione, altiori procedentes, vt possint ista obiecta & actus inadæquatos sub vna ratione superiori vniuersali vnire. Nec augmentatiua, solum, differt à nutritiua, quia fortior est, cum auget, quam cum solum nutrit & non auget. Non enim est fortior intra eandem lineam, verbi gratia in generanda carne molliori, aut duriori seu aliis modis intra lineam carnis, ad hoc enim non requiritur alia potentia distincta, sed eadem perfectior facta. Requiritur autem alia & perfectior potentia, si producit perfectiorem effectum in linea distincta, scilicet, quatenus est acquisitiua maioris quantitatis, & debitæ perfectionis, & roboris; hoc autem requirit distinctam potentiam, quia licet versentur circa alimentum, diuerso tamen modo & ratione, nec respiciendo formaliter eundem effectum, licet respiciat corpus viuum, quia in eodem corpore viuo diuersi effectus inueniuntur, & diuersæ operationes petentes distinctas potentias, sicut diuersam operationem & formalitatem postulat effectus faciendi aliquid maius, aut robustius, quam reparare solùm partes deperditas, sicut fit in nutritione. Nec est idem de calefactione, & illuminatione, quia hæc vniuntur in ratione aliqua superiori, scilicet in luce cœlesti, quæ ad vtrumque habet eminentiam, in igne enim à diuersis qualitatibus prouenit illuminatio & calefactio, scilicet, à calore & luce. *Cùm autem dicitur*, quòd cessante augmentatione, cessabit potentia illa augmentatiua, tanquam superflua. *Respondetur*, quòd non est superflua per se, & ab intrinseco, sed per accidens & ratione status, sicut etiam generatiua potentia non tollitur in sensibus, nec deest in pueris, licet actum exercere non possint. Et in resurrectione, omnia ista membra & potentiæ dabuntur propter integritatem hominis, non propter exercitium actus. Similiter ergo propter eandem integritatem manet augmentatiua, etiam quando non exercet actum suum. *Ad Aristotel. denique respondemus*, quòd dicit eandem esse facultatem augentem, nunc & quæ erat à principio, sed non dicit, quòd illa quæ est à principio & post, sit eadem cum nutritiua. Et cum dicit esse eandem nutritiuam & generatiuam, intelligitur quod sit eadem genere non specie.

Sed adhuc obiicies, nam ad producendam quantitatem non requiritur alia virtus, quam ad producendam substantiam materialem, ad quam immediatè sequitur quantitas, ad producendam autem maiorem quantitatem sufficit addere nouas partes substantiæ, ita vt non plus deperdatur de substantia, quàm acquiratur, siquidem quantitas non producitur seorsum à substantia, & ita augmentatiua non habet distinctum actum à nutritiua, scilicet conuersionem alimenti in rem alitam quoad plures partes, ergo neque diuersum terminum ad quem distinctum ab ipsa nutritiua, nisi penes plures, vel pauciores partes, quod non variat formaliter & specificè illum terminum, sed accidentaliter. *Confirmat.* quia virtus producens quantitatem non est alia quantitas, cum quantitas non sit actiua, & productiua, ergo erit virtus directè productiua substantiæ, & ex consequenti, quantitatis. *Patet consequentia*, quia si non est virtus productiua substantiæ, neque ipsa virtus est quantitas, ergo erit qualitas, quæ posterior est quantitate, & supponit illam, ergo non datur virtus per se primo productiua quantitatis, & exemplo patet in igne, qui augetur ex combustibilibus eadem virtute, qua generatur.

Respondetur, quòd ad producendam quantitatem, siue totalem, siue partialem absolutè, & vt passio quædam est substantiæ, non requiritur actio distincta à productione substantiæ, sicut ad producendas alias proprias passiones sufficit ipsa substantiæ productio, vt attingit secundariò passiones. Ad producendam autem quantitatem sub tali statu & modo, sicut requiritur ad augmentationem, scilicet, quantitas vt maior & vt crescens, sic non est propriè passio, sed accidens, cùm non habeat necessariam connexionem cum substantia viuente, vt de se manifestum est, & ideò non mirum, quod distinctam actionem, & motum terminare possit. Addo, quòd quantitas non est propria passio viuentis sub gradu viuentis, sed corporis sub gradu corporeitatis. Vnde quantitas etiam vt maior, & crescens non est absolute terminus augmentationis, sed vt constituens debitum statum viuentis, & in perfecto robore, & ad hoc non sufficit virtus nutritiua communiter, nec quomodocumque attingens quantitatem, sed virtus roboratiua ipsius viuentis, & constitutiua eius in maioritate, & incremento vitali, quod sine quantitate non fit. Sed tamen vt fiat, non sufficit virtus attingens substantiam, & ex consequenti quantitatem etiam partialem, sed sic attingens quantitatem vt maius robur, & incrementum vitale faciat; quod non semper facit nutritiua, vt patet cum animal nutritur & non crescit, nec roboratur, sed infirmatur, & tamen acquirit partes, de quo plura diximus, quæstion. 8. de generat.

Ad confirm. respondetur, quòd virtus sic augmentatiua quantitatis secundum statum perfectiorem viuentis & roboratiuum eius, non est virtus solius substantiæ productiua, nec est quantitas quæ actiua non est, sed qualitas, quæ quidem supponit quantitatem non augmentatam in subiecto, producit vero quantitatem vt augmentatam, & sic tale augmentum quantitatis non supponit, sed est posterior illo, nec tamen est quantitas, sed qualitas, quia bene potest qualitas esse virtus ad producendum quantitatem, sicut ad producendum substantiam, quæ tamen ex genere suo est prior qualitate, sed quia qualitas operatur in virtute substantiæ, cui inhęret, sic potest aliam cui non inhæret, attingere, & similiter quantitatem. In igne vero & aliis inanimatis est disparratio, quia illa non habent augeri per se, & ab intrinseco, nec propriè nutriri, sed solum generare aliud ex materia sibi propinqua, quod cum sibi continuatur, seu coniungitur, dicitur aggenerari & augeri, augmento extrinsecus apposito, & consequenter per accidens faciente maius, quatenus generat ignem de nouo, & ille continuatur præcedenti, non quia intendit perfectiorem statum & robur, quod cum maiori quantitate detur illi.

Denique obiicies ad probandum, quòd potentia nutritiua, vel augmentatiua non sit distincta à calore, seu primis qualitatibus temperatis, quia si datur talis

poten

potentia, vel agit in alimentum aliquid præter calorem, vel nihil. Si nihil, superfluit: dicere autem, quòd illa potentia dirigit calorem, explicari non potest quid sit illa directio, & quomodo erga calorem fiat. Si aliquid agit præter calorem, restat explicare quid sit, nã aliam potentiam non producit, vt de se patet; si autem aliquam primam qualitatem, ad illius productionem alia prima qualitas sufficit, imò ad producendam substantiam, sufficit ipsa qualitas prima, vel plurium qualitatum temperamentum in virtute substantiæ, istæ enim sunt dispositiones, quæ virtute substantiæ producunt substantiam, ergo alia potentia superfluit. *Confirm.* quia in diuersis partibus animalis, vis nutritiua diuersos effectus producit, verbi gratia, neruum, ossa, carnem, sanguinem, &c. & hoc non ratione diuersarum potentiarum, aliàs multiplicaremus tot potentias nutritiuas, quot partes etherogeneas, ergo ratione diuersi temperamẽti, & dispositionis primarum qualitatum & sic istæ sufficiunt ad producendum, per eandem enim qualitatem, vel qualitates, quibus pars aliqua disponitur, per easdem alimentum immutatur ad suscipiendam formam talis partis.

Resp. potentiam illam requiri vt distinctum à calore, quia effectus, qui producitur, non potest fieri modo vitali, nisi per potentiam vitalem, calor autem vitalis potẽtia non est ex sua natura, cum inueniatur in rebus inanimatis, licet deseruire possit instrumentaliter potentiis vitalibus, vt S. Th. dicit prima parte quæst. 118. articul. 1. ad. 3. sic ergo dicimus, quòd illa potentia aliquid facit præter calorem, tum quoad modum, quia vitali modo operatur effectum, quod calor non potest etiam immediatè coniunctus animæ, quia non est potentia vitalis: tum quoad substantiam, quia formatio illa membrorum & organizatio, quæ fit totaliter à generatiua, & in partibus aduenientibus à nutritiua, non est effectus solum caloris, aut aliarum qualitatum, quia non est solum reddere calidum, aut temperatum, sed talis substantiæ & organizationis partem producere, quod requirit altiorem virtutem, sicut calor ignis sine virtute artis superadditæ, non potest disponere cibos, neque facere lebetem ex ferro, nec enim vt calor delineat & componit artificium illius vasis. Et hoc vocamus dirigere & vti calore vt instrumento, non directione cognoscitiua, sed impressiua virtutis vitalis, aut artificiosæ ad effectum vltra speciem calidi, & aliarum primarum qualitatum.

Ad conf. dicitur, virtutem nutritiuam esse vnam, quæ ob sui eminentiam habet in diuersis partibus etherogeneis diuersos effectus & formationes facere: & sicut generatiua in corpore extraneo, scilicet ex fœtu format diuersa membra, nec pro quolibet membro diuersa potentia generatiua ponitur, ita nutritiua in proprio corpore ipsius viuentis, pro diuersis partibus diuersas formationes, & effectus, & temperamenta facit, non ratione diuersarum dispositionum tantum, sed ratione virtutis eminentis iuxta diuersas dispositiones, illas diuersas partes vitaliter producentis. Et licet per illas qualitates disponatur alimentum seu materia, illæ tamen nihil producunt in virtute propria, sed virtute potentiæ nutritiuæ vitalis, à qua mouentur vt diximus.

ARTICVLVS III.

An generatiua distinguatur ab aliis potentijs vegetatiuis, & quæ potentiæ, ei deseruiant?

QVod generatiua non distinguatur à nutritiua, sentiunt Auctores multi, qui vt in præcedenti articulo retulimus non distinguũt argumentatiuam & nutritiuam, vt videri potest apud Conimbricens. l. 2. de Anima cap. 4. quæst. vnica, Rubio 2. de Anima tract. de potentijs animæ vegetatiuæ, q. 2. & inclinat Suarez lib. 2. de Anima, c. 10. licèt tandem resoluat, quòd virtus formatiua in generatione est longè distincta à virtute alente. Et facere videtur Aristot. in hoc 2. de Anima text. 42. vbi inquit: *Quoniam eadem est vis nutriendi, & generandi, primum de alimento determinare necesse est*, & in lib. 2. de gener. animalium, c. 4. dicit: *Quòd si facultas augens vegetalis animæ est, eadem quæ generet, quoque est.* Fundamentum vero fere consumitur in probando, quod actus generatiuæ & nutritiuæ sunt eiusdem rationis formalis, & solum materialiter differunt, nam in primis ex parte modi operandi, vtraque actio est vitalis, & ex parte materiæ, vtraque vtitur alimento, non quidem alimento extrinseco, sed intrinseco, quale est sanguis vel humor, & ex parte termini ad quem, vtraque versatur circa substantiam viuam, generatiua quidem totalem de nouo generando, nutritiua vero partialem. Est autem eiusdem rationis formalis respicere totum & partem in substantia, sicut ipsa substantia totalis & partialis eiusdem rationis sunt. *Et conf.* quia in igne, verbi gratia, eadem est virtus generandi nouum ignem, & aggenerandi partem, ergo etiam in viuentibus. *Patet conseq.* quia viuentia eminentiorem virtutem habent, quam inanimata, ergo si ista possunt in vnica virtute vnire generatiuam & aggeneratiuam, à fortiori viuentia, aggeneratiua autem in viuentibus nutritiua est. *Conf.* 2. quia etiam nutritiua habet virtutem organizandi, sicut generatiua, ergo eiusdem rationis sunt. *Antec. constat,* quia per nutritiuam restaurantur partes animalis, quæ organizatione, & formatione constant, & similiter si fiat vulnus, vel abscindatur pars, restauratur à nutritiua, & continuantur partes, quod non fit sine formatione aliqua venarum, arteriarum, neruorum, &c. quæ omnia organizationem important. Quòd si loquamur de ipsa virtute, quâ semen decoquitur, & fit ex sanguine, multo magis id videtur pertinere ad nutritiuam partem, quia semen fit ex decoctione sanguinis, qui est vltimum & residuum alimenti, illa autem actio decoctiua est virtutis nutritiuæ, sicut etiam decoquitur lac per virtutem nutritiuam; & non caret probabilitate, quòd vasa seminalia ipso semine nutriuntur tanquam alimento, vnaquæque enim pars eo humore videtur enutriri, quem elaborat, alias haberet duas actiones, alteram elaborandi semen, alteram nutriendi ex sanguine, ergo tunc pertinebit ad nutritiuam partem, seminis elaboratio.

In hac difficultate, vnum videtur certum, & à nemine posse negari, scilicet, virtutem illam semini inclusam, quæ in illis spiritibus valde subtilibus residet, distinctam esse saltem numero ab ea nutritiua, quæ est in viuente à quo deciditur, & similiter à nutritiua quæ est in viuente, quod generatur. *Constat hoc,* quia semen decisum est corpus separatum à generante & effectus eius, similiter corpus generatum

est distinctum à semine,& ab eo causatum,& diuersa forma informatum,ergo potentia seu virtus quæ est in semine, ab vtroque distinguitur, nec enim transit de subiecto in subiectum. *Difficultas est in duobus. Primum* circa ipsam virtutem seminis, an sit non solum numero, sed etiam specie distincta à nutritiua,an vero in re nutritiua;licet ab actu quem exercet generandi,denominetur generatiua. *Secundum*, an illa virtus quæ elaborat,& decoquit ipsum semen, sit ipsamet nutritiua virtus, an vero alia potentia, quæ talem vim generatiuam imprimat semini.

Dico ergo primò, *Virtus illa quæ est in semine deciso non solum indiuidualiter, sed etiam specificè differt à nutritiua.* Sumitur ex D.Th.1.p.q.78.art.2.vbi distinguit istas tres potentias partis vegetatiuæ, nutritiuam,augmentatiuam,& generatiuam. Specialiter autem de illa seminali virtute probatur, quia per nutritiuam solum fit aliquid simile ei,quod deperditur in eodem subiecto, vt si nutritur caro fit per nutritiuam pars carnis, & si nutriuntur ossa, vel nerui fiunt per nutritiuam partes ossium,& neruorum, & nihil amplius. At verò semen non conuertit materiam,circa quam operatur in semen,sed in membra, & partes corporis, & organizando illud quoad omnes partes suas:ergo illa virtus seminis alia est à virtute nutritiuæ, quia hæc magis limitata est,semen verò organizat totum corpus, & sic est virtus nobilior, quam nutritiua, & ad generatiuam ordinatur nutritiua,& augmentatiua,vt dicit D. Tho. citato loco 1.p. Nec potest hæc virtus constitui, solum in aliquo calore quantumcumque cœlesti,aut vitali,quia omnis calor, neque est potentia vitalis, neque habet alium effectum per se nisi calefacere, virtus autem seminalis plures alios effectus facit tanquam virtus viuentis.Denique semen decisum non viuit formaliter,quia non habet organa,neque est animal in actu, sed virtus emissa ab animali,sicut cum sanguis,vel alius humor funditur, siquidem facta separatione non amplius informatur ab anima illius,à quo deciditur,alia verò anima non generatur de nouo in semine per solam decisionem, neque enim diuisio est sufficiens dispositio ad generandum de nouo animam in substantia ita rudi, & non organizata. Quare semen formaliter in se non nutritur,quia non assumit alimentum,neque etiam nutrit fœtum,siquidem efformat ipsum, & organizat, vt introducatur anima,& antequam anima sit introducta, fœtus non est capax,vt nutriatur,quia nondum est viuens,postquam autem anima est introducta,à propria virtute nutritur fœtus, non per virtutem seminis, ergo virtus seminis non est virtus nutritiua, neque sui, neque alterius, sed distinctum obiectum habet à nutritiua, scilicet producere aliud à se distinctum, non se ipsum alere,& nutrire.

Dico secundò: *Potentia, quæ in ipso viuente est ad generandum, & cuius participatio est illa virtus relicta in semine deciso, etiam est virtus distincta à nutritiua, & non est sola anima substantia & respicit vt principalem terminum, & effectum ipsum genitum, seu filium & habet ipsi semini imprimere virtutem formatiuam fœtus,& spiritus viuaciores,& subtiliores. Probabile est etiam esse eiusdem speciei virtutem generatiuam in animali masculo, & in fœmina,licet habeat diuersos actus accidentaliter distinctos intra eandem speciem,sicut est præparatio seminis, & resolutio illius, attractio,& retentio,& ministratio materiæ conuenientis ad locum generationis.*

Prima pars conclusionis probatur: quia ad minus eiusdem rationis est,vel eminentioris, virtus principalis quæ in agente residet, & quæ est decisa, & participata ab ipso, quia eundem finem, & obiectum vtraque respicit, & eundem terminum seu effectum operatur, sicut in igne calor emissus, & calor ipsius ignis eiusdem rationis sunt, quia eundem effectum & terminum respiciunt. Si ergo virtus,quæ est in semine deciso distinguitur à nutritiua,respicitque obiectum formale, & terminum distinctum, scil. efficere propagationem producendo viuens distinctum à se,non conseruationem proprij corporis,quod facit nutritiua, ergo similiter virtus generatiua,quæ est in ipso viuente, & à qua deriuatur illa, quæ est in semine, non potest esse eiusdem rationis cum nutritiua, respicit enim similiter distinctum obiectum formale,scil. propagationem,& assimilationem rei distinctæ,non conseruationem sui. Ad hæc sufficienter colligitur distinctio istarum potentiarum ex distinctione organorum, in quibus resident istæ potentiæ, sicut ex hac ratione colligimus distingui potentias sensitiuas,quia habent distincta organa, in quibus resident sicut visus est in oculo, tactus in toto corpore,&c.Constat autem potentiam generatiuam residere in peculiari organo,seu parte,qua deficiente, simpliciter animal est impotens ad generandum, nutritiua vero quoad aliquem actum,scil. decoctionem alimenti habet distinctum organum à generatiua,scil.ventriculum,quoad alium vero actum,id est,conuersionem vltimam alimenti in partes solidas est diffusa per totum corpus ergo istæ potentiæ differunt inter se.

Nec potest dici: quòd est eadem potentia quæ in diuersis partibus corporis habet diuersos actus, iuxta diuersas earum dispositiones propter eminentiam talis potentiæ, sicut enim eadem virtus nutritiua in ossibus generat ossa,& in carne carnem sic non repugnat,quòd eadem potentia in vasis seminalibus sit generatiua,& in aliis partibus corporis. *Sed contra est:* quia si hoc aliquid valeret, non esset aliqua ratio,quare non diceremus, quòd omnes virtutes sensitiuæ essent vna, & eadem potentia, quæ in organo visus exerceret visionem, & in auditu auditionem, &c. propter eminentiam talis potentiæ, si enim parti vegetatiuæ, quæ imperfectior est, potest attribui vna potentia, quæ omnes illos actus in diuersis organis exerceat, cur parti sensitiuæ,quæ longè perfectior est non attribuetur eadem eminentia, & vnitas potentiæ cum diuersitate actuum in diuersis organis?Sed veritas est non dari talem eminentiam in istis potentiis,quæ adeo materiales,& corporeæ sunt,sicut iam supra ostendimus.Et sufficit,quòd vnica anima omnia organa, & partes animalis informet, non autem quòd vnica potentia omnes illos actus exerceat, potentia enim se habet vt virtus & instrumentum operandi, quod iuxta diuersos actus,seu operandi modos distingui debet.Diuersitas autem illa potentiæ nutritiuæ in generando carnem,vel ossa,vel neruos,&c. materialis solum diuersitas est,formaliter enim respicit eundem modum operandi, sc. per conuersionem alimenti restaurare deperditum in quibuscunque partibus animalis.At verò generatiua etiam in isto modo operandi disconuenit cum nutritiua, quia non respicit restaurationem, & conseruationem eiusdem viuentis,sed propagationem illius in suo simili. *Multò minus vrget quod aliqui dicunt:* potentiam generatiuam esse in omnibus partibus corporis diffusam, quia licet non omnes partes corporis possint generare, ex omnibus tamen elaboratur, & participatur semen, eò quòd est virtus formatiua omnium membrorum in fœtu, & ita ex

omnibus membris generantis debet participari illa virtus. *Sed contra est:* nam præterquam quod Medici cum Galen.in lib. de semine,communiter docent, non fieri semen ex omnibus partibus animalis, contrariatur manifestæ experientiæ, nam homo carens manibus, aut pedibus, aut oculis etiam à natiuitate generat fœtum integrum,& non carentem illis partibus,ergo semen non attrahitur ab omnibus partibus animalis de facto,quas tamen de facto generat.

Secunda pars conclusionis probatur: quia habet eosdem actus virtus generatiua in fœmina & in masculo quantum ad speciem & substantiam termini, ad quem tendunt, scil. ad generandum fœtum, licet accidentaliter aliqui actus differant. Nam licet in fœmina sit virtus actiua ad ministrandum materiam siue sanguinis, siue seminis imperfecti, & ad congregandum illam in locum generationis,& probabile etiam est,quòd ad ipsam formationem fœtus habet actiuitatem semen fœmineum, certum tamen est se habere vt quid imperfectum & potentiale, & consequenter vt passiuum ad hoc,vt perficiatur spirituoso semine virili,& ideo licet coniunctum semini virili & commixtum,habeat actionem eiusdem speciei in ordine, ad productionem fœtus, & in hoc fundetur, quòd sit virtus eiusdem speciei, tamen certum est, quòd antecedenter ad istam actionem, in quam influit vt coniunctum semini virili,debet habere aliquos actus,qui non conueniunt virtuti generatiuæ masculi,sicut est attractio & retentio seminis virilis,congregatio materiæ, & alia similia, quæ illi conueniunt in quantum virtus fœminea est,id est, imperfecta & passiua, perfectibilis autem ab actiuitate & viuacitate seminis virilis; sed tamen istæ actiones minus principales sunt, & solum deseruientes principali actioni, quæ est formatio fœtus, & introductio animæ. Et ideò quia in illa conueniunt specificè virtus generatiua fœminea & mascula,quia respiciunt eundem terminum actiuo modo, licet vna magis imperfectè & dependenter ab alia, vt à perfectiori, & in hoc quod est perfici ab alia passiuè se habeat,ideo probabile est vtramque virtutem esse eiusdem speciei. Illud autem est certum, quod ad resoluendum semen, non requiritur alia virtus distincta ab ipsa potentia generatiua animalis,vt aliqui ponunt.*Et ratio est:* quia virtus generatiua ex sua propria ratione est communicatiua sui,quia non potest attingere suum terminum, nisi communicando talem virtutem per decisionem & resolutionem seminis, ex quo tanquam ex principio coniuncto debet formari fœtus, ergo ad eandem virtutem & potentiam, ad quam pertinet producere & formare fœtum,quæ est virtus generatiua, pertinet etiam resoluere & emittere semen, per quod talis formatio & productio vitaliter fit.

Ad fundamenta oppositæ sententiæ ex authoritate respondetur: Illum locum Aristot. explicari à D. Thom.2.de Anima lect.9. text.42. quod est eadem virtus nutriendi & generandi genericè, & non specificè,quia scil. vegetatiua & generatiua ab eadem communi potentia animæ continentur,id est ab eodem gradu procedunt, non tamen sunt vna, & eadem potentia proxima, sed vt ibi dicit D. Thom. nutritiua est quædam specialis potentia à generatiua.

Ad primum fundamentum ex ratione respondetur. Quòd licet nutritiua,& generatiua versentur circa alimentum, seu vtantur illo, longè tamen diuersa ratione, vna enim respicit substantiam viuentis, vt propagandam in suo simili, altera vt restaurandam ab eo,quod deperditur. Vnde habent distincta organa in animali & distinctam mutationem postulant in suis actionibus.Quare si potentiæ sensitiuæ, quæ nobiliores sunt propter diuersum modum immutationis ab obiecto & diuersitatem organorum diuersæ potentiæ sunt, cur non etiam nutritiua & generatiua? Et sic non respiciunt totum & partem secundum idem, sed generatiua respicit totum distinctum & propagandum,nutritiua autem respicit partem, sed non illius totius, quod generatur,sed ipsius viuentis, quod restauratur. Et ad exemplum de igne & aliis inanimatis. *Respondetur*,ea non nutriri,vt ostendimus in 1. de Gener. quæst.8. per se enim ignis non restaurat partes deperditas,sed solum ex materia sibi apposita generat alium ignem. Quòd si propinquus sibi sit, facit continuationem cum illo,& sic ratione continuationis dicitur aggenerare: sed hoc per accidens est, ratione scilicet continuationis, & propinquitatis ignis geniti, & generantis, per se enim solum ignis habet potentiam generatiuam ex materia sibi extrinsecus apposita.

Ad secundum respondetur. Quòd in nutritiua est vis formatiua membrorum restaurando id quod amittitur respectu eiusdem viuentis, non vero ad propagandum sibi simile sicut in generatiua.Vnde nutritiua per se respicit partes materiales,& fluentes, quas restaurat sub eadem organizatione, quæ fuerunt. At vero generatiua per se respicit partes formales,id est,ipsam organizationem, & differentiam partium,quæ sunt in re genita,vnde nutritiua non valet per se producere partem integram etherogeneam,v.g. pedé,vel oculum,si abscindatur, sed solùm sub eadem parte fluentem materiam reparat, generatiua autem omnes partes, & omnia organa de nouo format in re,quam producit.

Ad vltimum respondetur. Quòd in semine elaborando possumus considerare actiones duplicis generis,aliæ quasi præcedentes & disponentes,aliæ, quasi consummantes, & ipsam vim seminalem imprimentes illi materiæ,ex qua fit semen.De primis non est inconueniens, quod pertineant ad nutritiuam, siquidem semen fit ex residuo alimenti, & sic supponit alimentum à nutritiua decoctum & dispositum, vt ministretur semini, ideóque dixit D. Thom.1.part.quæst.78. art.2. quod generatiuæ deseruiunt nutritiua,& augmentatiua,sicque videmus foueri & accendi generatiuam ministrato fomite, & materia à nutritiua, ideóque maximum remedium reprimendi luxuriam, est abstinentia alimenti. *Cæterùm* ipsa impressio virtutis seminalis non à nutritiua,sed à generatiua descendit,ideóque semen decisum non agit in virtute nutritiuæ, sed generatiuæ,nec assimilat generatum viuenti, vt nutrienti se,sed vt generanti. Quòd verò vasa seminalia nutriantur ipso semine,vt aliqui existimant, vel communi sanguine,vt alij, & quòd sanguis decoquatur ad purum,vt fiat semen,totum hoc pertinet ad nutritiuam, sed habet se antecedenter & dispositiuè ad præparandum semen, non autem pertinet ad ipsam impressionem virtutis seminalis, quâ constituitur vltimatè in ratione seminis, hoc enim fit à potentia generatiua.

QVÆSTIO IV.

De Anima ſenſitiua, & potentiis eius in communi.

QVONIAM Anima ſenſitiua eſt illa, quæ per cognitionem ſenſibilem poteſt operari, non poſſumus eius naturam inueſtigare, niſi per operationem ſenſitiuam, & potentias quibus operatur. Vnde perfecta cognitio Animæ ſenſitiuæ explicatis ſenſibus, ſeu potentiis ſenſitiuis tam in communi, quàm in particulari, earúmque obiectis accipienda eſt, & ſic primò tractabimus de potentiis ſenſitiuis in communi, deinde agemus de illis in particulari, tum de exterioribus, tum de interioribus.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ſenſus ſint potentiæ paſſiuæ, vel actiuæ?

CErtum eſt, omnem potentiam apprehenſiuam verſari circa aliquod obiectum, ſiquidem experientiâ conſtat, nos res aliquas cognoſcere, & id, quod cognoſcimus, obiectum eſt potentiæ. Certum eſt etiam, potentias iſtas operationem aliquam, ſeu actum ſecundum habere, cum aliquando experiamur nos cognoſcere in actu ſecundo, & in vigilia eſſe, aliquando ab actu ceſſare, vel ſimpliciter ab omni actu ceſſando, ſicut in ſomno, vel à cogitatione peculiari alicuius obiecti.

Difficultas eſt: Quomodò obiectum comparetur ad potentiam cognoſcitiuam, antequam eliciat actum, an videlicet potentia perfici debeat ab obiecto ſecundùm aliquam intrinſecam mutationem, & ita paſſiuè comparetur ad ipſum obiectum, an verò obiectum merè extrinſecè ſe habeat, & potentia ſolum ſit actiua in ordine ad ſuam operationem eliciendam. *Et ſecundò eſt difficultas*, quomodò operatio iſta eliciatur, an à ſola potentia, an à ſolo obiecto, potentia merè paſſiuè recipiente, an ab vtroque.

Circa primum exiſtimarunt aliqui non requiri coniunctionem obiecti cum potentia cognoſcitiua antecedenter ad operationem, nec habere rationem principij concurrentis cum potentia, ſed ſolùm extrinſeci termini, circa quod potentia operatur, Quod ſentiunt omnes qui negant dari ſpecies intentionales, contra quos agemus inf. q.6. art.2. *Alij* attribuunt ſenſibus rationem agendi & patiendi, ita tamen quòd ſint diſtinctæ potentiæ ſenſus agens, & ſenſus patiens, & in quantum agens format ſpecies, in quantum patiens recipit, quod attribuitur Ianduno, & Apollinari. *Alij* ſimpliciter fatentur potentiam ſenſitiuam eſſe paſſiuam reſpectu obiecti, perficique ab eo mediante ſpecie, vt poſſit in actum ſecundum, & operationem ſuam procedere, quæ eſt ſententia communior, quæ ideò admittit ſpecies intentionales, vt ab illis determinetur, & actuetur potentia ex parte obiecti ad eliciendum actum, qui iuxta diuerſitatem obiecti variatur.

Dico ergo primò: *Obiectum coniungi debet potentiæ cognoſcitiuæ, & concurrere cum illa in ordine ad eliciẽdam ſuam operationem & actum ſecundum.* Concluſio hæc conſtat illo communi axiomate apud Philoſophos recepto *ex obiecto, & potentia, paritur notitia*, de quo videri poteſt D. Thom. 8. de Verit. art.6. & 1.p. quæſt.79. art.2. & aliis locis infra citandis, & ex D. Auguſt. aliiſque Patribus communiter in ore Theologorum verſatur. *Et quidem fundamentum illius latius conſtabit* ex tradendis inf. quæſt. 6. art.2. Vbi oſtendemus dari ſpecies intentionales, quæ loco obiecti concurrant cum potentia ad cognitionem. In præſenti ſufficit illam deducere ex ipſa natura cognitionis, quia cognitio verſatur circa obiecta trahendo illa ad ſe, & per aliquam vnionem, vel aſſimilationem ad ipſa, non enim reſpicit obiecta agendo in illa realiter, neque enim cognitio noſtra immutat realiter obiecta, vt patet, cum aliquem videmus, qui ex eo præciſè, quod ſit viſus, non manet realiter mutatus; nec etiam reſpicit illa per inclinationem & pondus tendendo ad ea, hoc enim pertinet ad voluntatem, ergo reſpicit illa per aſſimilationem & coniunctionem aliquam intra potentiam cum obiecto; non poteſt autem aliqua potentia facere & operari coniunctionem & aſſimilationem cum aliquo, niſi ipſo concurrente tanquam extremo coniunctionis, aſſimilationis, nec enim coniunctio & aſſimilatio fit ſine concurſu extremorum. Sed latiùs de hoc agemus infra quæſt. 6. art.2.

Dico ſecundò: *Potentia ſenſitiua paſſiuè ſe habet reſpectu ſpecierum, quibus vice obiectorum actuatur, tam in eſſe entitatiuo, quàm in eſſe intentionali, ſed per ſe, & principaliter in eſſe intentionali.* Non omnes conueniunt in hac concluſione, ſed *aliqui* dixerunt obiectum concurrere ad cognitionem terminatiuè tantum, non verò motiuè, vt Henric. quodlib. 4. quæſt. 7. *Alij* quod concurrit obiectum ad cognitionem ex æquo cum potentia, & quaſi illi aſſiſtens, non per ſe illam informans, niſi quatenus ſpecies accidentia ſunt, quæ entitatiuè inhærere debent, ſicut reliqua accidentia. Quæ eſt ſententia Scot. in 1. diſtinct.3. quæſt.7. & ſequitur P. Suarez lib.2. de attributis negatiuis cap.12. num.6. & 10. imò diſtinctionem illam de ſpecie in eſſe intentionali, & in eſſe entatiuo reiicit in lib.3. de Anima, cap.2. n.26. quamuis putetur deſumpta ex Ariſt. in lib. de mem. & reminiſc. cap.1. & ex D. Th.3. contra Gent. c.52. vt poſtea ponderabitur, & latius inf. q.6. art.2.

Nihilominus ſententia D. Thom. affirmat potentiam cognoſcitiuam per ſe, & in genere cognoſcitiuo pati ab obiecto, & ab ipſo actuari & perfici, & non ſolum per accidens & in genere entitatiuo, quatenus ſpecies eſt accidens inhærens, de quo videri poteſt 1.p.q.79. art.2. & Caiet. ibi, & 1. part. q.14. art.1. M. Bañez ad eandem q.79. dub.1. & communiter alij Thomiſtæ, & Doctores, qui infra q.6. art.... afferentur. Itaq; qui rationem potentiæ paſſiuè, ſeu materialis vno tantummodo conſiderant, ſcil. eo modo, quo materia recipit formas vel ſubiectum accidentia, qui eſt modus recipiendi entitatiuè, & ſecundùm conſtitutionem alicuius tertij, difficilè intelligunt, quòd potentia cognoſcitiua per

per se, & in genere cognoscibili se habeat passiuè erga obiectum, sed solum per accidens, quatenus species est accidens inhærens, & passiuè per inhærentiam debet recipi in potentia, sicut etiam recipitur in aëre, quando ab obiecto transmittitur ad oculum. Remoto autem accidente, seu modo recipiendi per inhærentiam, non inueniunt, quomodo obiectum possit informare, nisi per assistentiam, & concursum simultaneum.

At verò D. Thom. profundius scrutatus naturam cognoscitiuam, distinguit duplicem rationem passiuæ receptionis, est enim passiua immaterialis, & passiua materialis. *Materialis* est, ad recipiendam aliquid constituendo aliquod esse cum illo, & sic recipitur aliquid tanquam pertinens ad se, & communicans in esse cum ipso recipiente, non autem recipitur aliquid tanquam pertinens ad alterum extra se, & non communicans secum in esse, quæcunque enim forma, siue propria, siue ab extrinseco proueniens, informando subiectum, ita redditur propria istius, quod non alterius, in quo recipitur. Et sic recipere formas est commune cognoscenti, & non cognoscenti. *Passiua immaterialis*, quæ non solum recipit formas proprias & ad se pertinentes, sed etiam potest recipere formam alterius, seu fieri alia à se. Et ideo notanter S. Thom. 1. part. quæst. 14. art. 1. ponit differentiam inter cognoscentia, & non cognoscentia, *Quod non cognoscentia nihil habent nisi formam suam, cognoscentia autem possunt habere etiam formam rei alterius.* Vbi aduerto non dixisse D. Thom. quod cognoscentia possunt habere formam alteram, sed formam rei alterius, nam formam alteram potest habere quæcunque res, quæ recipit in se perfectionem aliquam, vel formam ab extrinseco prouenientem, nam illa forma est altera, id est, distincta à se, & ab extrinseco proueniens, sed non est alterius, quia hoc ipso, quod in se recipitur fit sua, ita quod non pertinet ad alterum, sed ad se, neque enim inhæret, aut subiectatur in altero, & licèt subiectaretur, tamen prout est in se informat, vt propria eius & vt sua. Cognoscentia autem in hoc eleuantur super non cognoscentia, quia id, quod est alterius, vt alterius, seu prout manet distinctum in altero, possunt in se recipere; ita quod non solum sunt id, quod in se sunt, sed etiam possunt fieri alia à se, sicut, quando video colorem, non fit oculus coloratus in se, sed color, qui est in alio realiter, ponitur intentionaliter, & visiuè in oculo. Et ad hoc requiritur immaterialitas in ipsa potentia sic recipiente, vt probat D. Thom. in eadem quæst. 14. art. 1. & quæst. 2. de Verit. artic. 2. quia non potest vnum fieri alterum, seu trahere ad se formam alterius, vt alterius, in ipso esse materiali, & entitatiuo, in quo existit, sic enim posset fieri alterum, & trahere illud ad se, nisi per aliquam immutationem aut conuersionem vnius in alterum, & si ita fieret, adhuc non diceretur fieri alterum à se manente altero, sed transmutare illud in se, & fieri proprium. Receptio ergo ista debet fieri immateriali modo, quia non potest fieri secundùm conditionem materiæ, cuius proprium est coarctare, & restringere formam, & reddere illam incommunicabilem vlteriori subiecto, & componere cum altero secundùm transmutationem in esse, & sic vt aliquid fiat alterum à se, & recipiat illud, non vt communicans in esse cum illo, sed vt alterum à se, oportet, quòd careat illâ conditione restrictiuâ materialitatis, & habeat conditionem amplitudinis, quæ vocatur immaterialitas. Quod totum videri potest in D. Thom. explicante hanc rationem cognoscibilitatis ex immaterialitate prima parte, quæst. 14. art. 1. & q. 2. de Verit. art. 2. vt etiam expendemus inf. q. 6. a. 2.

Ex hoc ergo manifestè colligitur, potentiam cognoscitiuam formaliter in linea cognoscitiuæ esse passiuam, & actuabilem ab obiecto, nec sufficere, quòd illi assistat ad simul concurrendum cum ipsa. *Ratio est:* Quia potentia cognoscitiua ad habendum actum cognitionis dependet ab obiecto, siquidem actus, quando egreditur à potentia, egreditur vt specificatus, & determinatus circa tale obiectum, sed non procedit partialiter ab obiecto, & partialiter à potentia, sed vnico partu, & egressione procedit, quia egreditur vt actus vitalis, & egressione vitali, & per illam egressionem participat quidquid in se habet, tam quoad vitalitatem ex parte animæ, quàm specificationem ex parte obiecti, ergo cùm partus iste, & egressio immediatè fiat à potentia animæ, necesse est, quod talis potentia prius in se perficiatur, & actuetur ab obiecto, vt actus ipse per talem egressionem participet id, quod ab obiecto habet, quia non habet nisi vnam tantum egressionem, quæ necessariò est à potentia, quia vitalis est, ergo quidquid ab obiecto habet, prius supponitur esse in ipsa potentia, vt ex illa oriatur, sicut si filius habet vnicam natiuitatem à matre, impossibile est, quòd egrediatur à patre, & per eius influxum, nisi matre prius suscipiente virtutem & influxum à patre, & ideo potentia, & obiectum in ordine ad cognitionem producendam comparantur sicut pater & mater, quia potentia fœcundatur ab obiecto, sicut mater à patre.

Quòd si recurratur ad primam opinionem dicendo, quòd obiectum nullo modo influit cum potentia, sed solum terminatiuè se habet respectu actus, qui à sola virtute potentiæ elicitur. *Contra est:* Quia obiectum non potest se habere terminatiuè tanquam terminus immutatus per actum cognitionis, cum constet obiectum non immutari realiter per hoc præcisè, quod sit cognitum, cùm cognitio sit actus immanens, & ita in quantum cognitio, non transit ad obiectum immutando ipsum realiter, ergo obiectum solùm est terminus extrinsecè attactus, ergo debet supponere intra ipsam potentiam, aliquod principium determinans & actuans ipsam ad hoc, vt possit elicere actum talis determinatæ specificationis, quæ desumitur ex tali obiecto, & per quod trahat illud ad se, & vniat secúdùm aliquam assimilationem, & cùm fiat hæc vnio, & assimilatio intra potentiam, vbi obiectum non est immaterialiter, & entitatiuè secundum modum, quo est in se, oportet, quòd sit secundum esse immateriale, seu intentionale, siue secundùm similitudinem suam, & sic debet prius esse in ipsa potentia illamque fœcundare vt potentia possit vitaliter exire in actum, ergo obiectum non se habet purè terminatiuè & extrinsecè, sed motiuè & intra potentiam, & fœcundans illam.

Ex quibus colligitur, quod potentiam vt cognoscitiuam, & in linea cognoscibili obiectum informat, & vnitur ei alio modo vnionis quàm inhærentiæ, quod & si neget Suarez vbi supra, sumitur tamen ex D. Thoma, 3. contra Gent. cap. 51. vbi inquit: *Quòd Deus non potest esse forma alterius rei secundum esse naturale, sed secundùm esse intelligibile, quia species vnita alicui intellectui non constituit aliquam naturam, sed perficit ad intelligendum.* Et idem videri potest in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 1. in fin. & 8. de Verit. art. 1. Itaque aliquæ formæ vniuntur purè ad perficiendum aliud, aliæ verò ad constituendum aliquod tertium, & consequenter ad communicandum in esse, & hæc vocatur vnio entitatiua, & realis, non quia alia intelligibilis, realis non sit, id est, à parte rei, sed quia non ordinatur ad constituendam aliquam tertiam naturam per modum partis, ista enim compositio Deo repugnat, quia Deus non potest se habere per modum par-

tis,

tis, & ordinari ad componendum aliquod totum, sic enim esset imperfectius, & minus ipso toto, quia omne totum est maius sua parte, & omnis pars ita componit totum, quod perficitur in se, & non solum perficit. Vnio autem intelligibilis, & intentionalis, qua obiectum in esse obiecti actuat potentiam, est purè ad perficiendum ipsam potentiam, non autem vt obiectum perficiatur, & ideo est distincta vnio à prima & non repugnat Deo, quia esse formam & informare, seu coniungi alicui purè perficiendo ipsum, & non vt pars seu forma, quæ perficiatur in se, non repugnat summæ perfectioni Diuinæ. Sed de his vberius dicemus inf. q. 6.

Circa secundam difficultatem huius articuli aliqui existimant, sensum, ita esse potentiam passiuam, quod non solùm actuatur ab obiecto ad eliciendam sensationem, sed quod etiam ipsa sensatio, seu cognitio passiuè conuenit sensui, ita quòd sensatio purè consistat in ipsa informatione speciei, non quatenus entitas inhærens est, sed quatenùs repræsentatiua, & intentionaliter, seu vice obiecti actuat, & informat sensum. Quod solet tribui Ægidio, Nipho. Veneto, & aliis, imò & Caietan. 2. de Anima, capit. 5. Sed reuera Caietan. oppositam tenet, vt videri potest 1. part. quæst. 79. art. 2. licet in illo loco de anima subobscurè loquatur. *Alij existimant*, sensationem esse quidem veram actionem, & non purum pati, sed elici solum virtute speciei, & non concursu actiuo potentiæ, sicut aqua calida non calefacit actiuè ratione aquæ, sed solùm virtute caloris: sola tamen potentia recipit sensationem passiuè. Quod tribuitur Alberto Magno in 2. p. Summæ de homine tract. de sensib. Animæ. *Alij dicunt* è contra quòd sola potentia actiuè elicit sensationem, specie ipsa non concurrente, sed repræsentante obiecta.

Cæterùm sententia S. Thom. & vera & communis est: Quòd licèt sensus, & potentia cognoscitiua sit passiua in recipiendo species, siue entitatiuè & inhæsiuè, siue intentionaliter, & repræsentatiuè, potentia tamen actuata, & fœcundata specie vice obiecti, actiuè elicit actum cognitionis, vnica & indiuisibili elicientia, & partu, dependentè à potentia fœcundata, non autem partialiter concurrente specie, & partialiter potentia. Sumitur ex Philos. 3. de Anim. text. 8. & ex D. Thom. ibi lect. 7. & 8. & quodlib. 8. art. 3. inquit: *Quòd sensus formati per species habent propriam operationem quæ est iudicium de proprijs obiectis*, & vbicunque agit de intellectu possibili ostendendo contra Auerroistas, quòd non datur vnus intellectus in omnibus, sed in quolibet distinctus, id probat, quia operatio intellectus debet attribui cuilibet intelligenti, vt in quæstione de Anima, artic. 3. & de spiritualib. creatur. art. 9. & opusc. 16. contra Auerroistas; & vbicunque distinguit actionem immanentem à transeunte, actionem immanentem dicit esse cognitionem, vel volitionem, ergo sentit non consistere in pura passione.

Nec obstat, quòd prima parte, quæst. 34. art. 1. ad 3. inquit D. Thom. *Quod intelligere importat solum habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solùm informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per similitudinem rei intellectæ*: si autem cognitio, & intelligere consisteret in operatione, importaret rationem originis, quia operatio origo quædam, & deriuatio est ab agente. Vnde in Deo inuenitur formalissime cognitio sine operatione procedente ab intellectu quantum ad essentialia, aliàs distingueretur ab eo, ergo intelligere, & cognoscere ex sua propria ratione non importat operationem, sed informationem passiuam potentiæ. Specialiter etiam loquẽs de sensu dicit: *Eius operationem perfici per mutationem à sensibili*, 1. p. q. 27. art. 5. & q. 85. art. 2. ad 3. ergo consistit in pati. *Hoc inquam non obstat*, quia D. Thomas loquitur de informatione vitali, quæ sine operatione non potest dari. Obiectum enim dupliciter informat potentiam, vno modo vt principium cognitionis mediâ specie impressâ, alio modo vt terminus cognitionis in specie expressa, seu verbo intellectus. Et quando obiectum terminat in tali specie expressa, etiam habet habitudinem informantis, quatenus per cognitionem terminatam ad ipsum obiectum in esse cognito, & per modum termini fit vnum cum ipsa potentia perfectè, & in actu vltimo. Et in hac vnione formaliter importatur habitudo informationis in esse cognito, præsuppositiuè tamen requirit operationem, quæ est ipsa cognitio elicita à cognoscente, aliàs non informaret vitaliter, & in esse cognito ipsum obiectum in specie expressa: præsupponit etiam operationem non solum vt cognoscentem, sed etiam vt producentem ipsam speciem expressam, seu verbum, sed hoc habet illa operatio in quantum dictio, non vt præcisè cognitio est. Vnde has operationes non negat D. Thomas. In Deo autem non est operatio accidentalis, quæ actuet ipsam potentiam, sed est operatio actus puri, quæ non distinguitur ab operante, sed est ipsa eius substantia, & ita operatio non procedit in Deo, sed notionaliter procedit vna persona ex alia. Quod vero attinet ad sensus, dicuntur perfici in immutatione à sensibili, non quia solùm passiuè immutentur, & non actiuè agant, sed quia non agunt formando sibi verbum, aut idolum sicut imaginatiua, sed tantum ex motione obiecti operando, vt quæst. 85. citat. 1. part. significat, dicemus infra quæst. 6. & 8.

Et ex hoc sumitur fundamentum conclusionis posita, quia potentia actuata specie verè & propriè operatur & agit, siquidem habet actum vitalem, tunc enim cognoscens actu viuit, quando actu cognoscit, quia sicut viuens vita vegetatiua quando actu nutritur, vel generat, actu viuit in illo gradu vitæ, ita quando actu cognoscit, actu viuit vita cognoscitiua, cum ergo talis actus vitalis sit, oportet, quòd procedat actiuè à potentia, & non merè passiuè in illa fit, siquidem proprium est viuentis se mouere, & in tantum est in actu secundo vitali, in quantum est in actu secundo se mouendi, & consequenter non patiendi, pati enim est moueri, mouere autem est agere.

Quòd autem operatio ista procedat à potentia actuata obiecto, ita quod etiam ab obiecto dependeat, vt à principio ostendemus infra quæst. 6. art. 2. & similiter in quo genere causæ concurrat species, an effectiuè, an formaliter. Sufficit nunc attendere verba D. Thom. prima parte, quæst. 56. artic. 1. vbi inquit: *In actione quæ manet in agente, oportet ad hoc, vt procedat actio, quod obiectum vniatur agenti, sicut, oportet, quod sensibile vniatur sensui, ad hoc vt sentiat actu, & ita se habet obiectum vnitum potentiæ ad huiusmodi actionem, sicut forma, quæ est principium actionis in aliis agentibus, sicut enim calor est principium formale calefactionis in igne, ita species rei visæ est principium formale visionis in oculo.* Et idem docet q. 8. de Verit. artic. 6. *Nec obstat*, quòd actus sit perfectior specie vtpotè vitalis, & sic non videtur posse ab illa depẽdere. *Dicitur enim*, quod hoc non infert quod non possit ab illa pendere, sed non ab illa solùm, sed ab illa vt complente, & determinante potentiam vitalem, vt actus vitalis determinatus exeat, sicque in specificando & determinando actus non est perfectior specie. Quòd verò non partialiter concurrat potentia, & species, sed vnica, & indiuisibili actione, vt benè aduertit Caiet.

1. part.

1.part.quæst.79. art.2. inde constat, quia quidquid in cognitione relucet pro indiuiso correspondet potentiæ, & obiecto, neque enim potentia influxum aliquem habere potest nisi determinatum,& specificatum per obiecta, neque obiectum concursum aliquem habere potest nisi vitalem. Quare vnicus, & indiuisibilis concursus est, scilicet vitalis determinatus,& specificatus,& quod specificationis est,habet ab obiecto, quod vitalitatis à potentia non tamen potest operari vnum sine altero, ita quod imaginemur influxum vitalem, & non specificatum, vel è contra,sed sicut in aliis agentibus idem est pro indiuiso influxus ipsius agentis, & virtutis eius determinatæ,& influxus in speciem rei & in substantiam, & indiuiduationem, ita & in potentia cognoscitiua vnus, & indiuisibilis est concursus virtutis vt vitalis, & vt determinatæ ad specificationem talis actus per speciem obiecti. Vnde patet non posse speciem esse totam rationem agendi, sicut in aqua calida calor, eo quod operatio cognitionis non potest totaliter prouenire à forma extrinseca, sed virtute vitali animæ, cum sit actus vitalis, ergo non potest se habere sicut calefactio aquæ calidæ, in qua operatio totaliter procedit à calore vt ab vnica radice actiuitatis. *Nec potest instari* in lumine gloriæ, quæ est tota ratio operandi visionem Dei, & tamen non est aliquid vitale,ergo similiter posset dici, quod species est tota virtus operationis cognoscitiuæ,licèt non sit aliquid vitale. *Sed contra est*: quia lumen gloriæ est tota virtus proxima,& proportionata respectu visionis,quia cum tota visio sit supernaturalis non potest habere pro immediata, & proxima virtute proportionante aliquid naturale. Supponit tamen tanquam virtutem actiuam radicalem ipsam potentiam animæ, à qua est tota vitalitas radicaliter,vt proportionata autem, & eleuata respectu actus eliciendi, tota est à lumine. *Cæterùm* species solum habet vice obiecti fœcundare, & determinare potentiam non virtutem illi dare actiuam, neque radicalem, neque proximam. Vndè si respectu speciei, & actus ab ea procedentis merè passiuè se haberet potentia, & non actiuè, consequenter, neque vitalitatem haberet operatio.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur*: quia actiuum, & passiuum sunt rationes distinguentes potentias, vt patet in intellectu agenti, & possibili, qui hac solâ ratione distinguuntur à D. Thom. 1.p. quæst.79. art.3. & qu. de Anim.art.3.& 4. & aliis multis locis,ergo similiter dicendum est non posse potentiam cognoscitiuam esse simul passiuam, & actiuam, passiuam ad recipiendas species, & actiuam ad formandam cognitionem, sed vel id pertinere ad diuersas potentias, vel solum esse potentiam passiuam aut solùm actiuam. *Confirmatur*, quia aliàs potentiæ vegetatiuæ ex suo genere essent perfectiores sensitiuis,siquidem ex suo genere sunt solùm actiuæ,sensitiuæ verò prius passiuæ, quàm operariuæ, actiuum autem ex suo genere est perfectius passiuo, ergo quidquid sub tali genere continetur perfectius est, quam id, quod sub alio genere imperfectiori. Constat autem sensitiuas potentias perfectiores esse vegetatiuis,quia nobilioris animæ sunt.

Confirmatur secundò, quia ratio, quare sensus dicuntur potentiæ passiuæ est, quia aliàs possent se ipsas sentire,si non indigerent externo sensibili mouente, respectu, cuius passiuè se habent: hæc autem ratio instatur in ipso intellectu, tactus enim sentit proprium calorem, vt cum sentit ardorem febris, & intellectus intelligit se ipsum, ergo ex hoc non debet negari, quod sint potentiæ actiuæ. E contra etiam ex eo, quod ignis non possit se comburere, sed alia, non tollitur, quod sit actiuus, ergo nec ex eo quod sensus non possit se, sed alia sentire, non tollitur, quod sit potentia actiua.

Respondetur, actiuum, & passiuum non semper distinguere potentias, sed intelligi cum duabus conditionibus. *Prima*, quod actiuum, & passiuum sumatur respectu eiusdem, nam respectu diuersorum non repugnat, quod aliquid sit simul passiuum, & actiuum; potest enim pati ab obiecto, & agere, seu operari respectu cognitionis, pati à causa superiori, & agere effectum. *Secunda conditio est*, quod actiuum, & passiuum subordinatè se habeant, vnum respectu alterius, vel saltem omnino disparatè, sic enim distingui debet passiuum ab actiuo, cui subordinatur,& à quo mouetur, & similiter ab illo, quod ad se nullo modo pertinet. *Cæterùm* passiuè,& actiuè se habere cum aliqua coordinatione, & habitudine ad aliquem finem, vt quod aliquid patiatur ad hoc, vt agat talis passiuitas, & actiuitas non distinguunt potentias, sed identificantur, dummodo illa potentia dicatur passiua respectu alicuius mouentis à se distincti,& actiua in ordine ad operationem, & hoc modo potentiæ cognoscitiuæ sunt passiuæ respectu obiecti mouentis, & actiuæ respectu operationis, quam eliciunt.

Ad primam confirmat. Respond. potentias sensitiuas etiam poni sub genere actiuo, & non solum sub passiuo, quia patiuntur vt agant non vt nihil agant, vnde non cõdistinguuntur contra genus actiuorum, ideoque eius nobilitatem participare possunt,idque multò perfectius,quàm potentiæ vegetatiuæ:quia ad perfectiorem operationem ordinantur. Addo, non omne passiuum etiam ex genere esse ignobilius quocunque actiuo, sed solum comparatiuè respectu actiui, à quo mouetur, & cui subordinatur; potentiæ autem sensitiuæ non subordinantur vegetatiuis.

Ad 2. confirm. Respond. Philosophum non ideò solum dicere, quod sensus est potentia passiua, quia aliàs sentiret se ipsum, sed docet debere pati ab exterioribus sensibilibus,eo quod non habet sensibilia omnia intra se, vt Empedocles, & alij dicebant, qui ponebant animam componi ex omnibus sensibilibus, & aliquid habere de omnibus intra se, ex hoc enim sequeretur, quod sine sensibilibus externis & sine mutatione facta ab ipsis, sensus sentiret se ipsum, & in se omnia sensibilia. Et tactus non sentit calorem sibi inhærentem, sicut patet in eo, qui habet febrem ethicam, qui iam non sentit eam, sed solùm calorem iuxta se positum, de quo amplius dicemus infra. Intellectus autem est reflexiuus suprà se, & ideo potest pati in se ipso, non tamen secundum idem, sed ab alio actu præcedente directo,quod sensui non potest conuenire propter suam materialitatem.Ignis autem est actiuus in aliud extra se actione transeunte,sensus verò actione immanenti, ideoque si non pateretur à sensibilibus externis, sentiret se ipsum.

Secundò arguitur: si sensus sunt potentiæ passiuæ, eo modo dicentur passiuæ sicut intellectus, qui patitur recipiendo species à phantasmatibus, quæ se habent vt obiecta eius,ergo sicut intellectui possibili correspondet intellectus agens, ita sensibus correspondebit sensus agens;omni enim passiuo correspõdet actiuum proportionatum,& sui generis, atque ita sicut intellectus patitur ab actiuo spirituali, quia à materiali non potest, ita dabitur sensus agens, vt intentionali modo moueat sensum, quia illa patitur modo intentionali. *Confirmatur.* Quia si sensus respectu operationis simpliciter est actiuus, & operatio est

eſt finis principalis illius, cur non dicetur ſimpliciter ſenſus eſſe potentia actiua, ſed dicitur conſiſteſe in pati à Philoſoph. in hoc 2. lib. text. 51. *Confirmat.* 2. quia eadem ratione probaretur, quod voluntas eſt potentia paſſiua, quod tamen nullus dicet, ſiquidem voluntas eſt primum mouens quoad efficaciam, & executionem, & ſic non poteſt eſſe potentia paſſiua. *Sequela probat.* quia ideò ſenſus dicitur potentia paſſiua, quia mouetur ab extrinſeco obiecto, vt à principio ſpecificatiuo, & non eſt in actu per ſe ipſum, ſed per obiecta, ſed etiam voluntas mouetur ab ipſo obiecto vt à principio ſpecificatiuo, ergo eſt in potentia ad ipſum, & ſic erit potentia paſſiua.

Reſpondetur: ſenſum dici potentiam paſſiuam ſicut intellectus non reſpectu cognitionis, ſed reſpectu formationis ſuæ, vt ponatur in actu primo ad cognoſcendum, eo quod vtraque potentia debet actuari ab obiecto mediante ſpecie, non tamen requiritur quod detur ſenſus agens, ſicut requiritur intellectus agens; tùm quia obiecta ſenſibilia per ſe ipſa, & vt ſunt extra animam, ſunt ſufficienter ſenſibilia in actu ad emittendas ſpecies, & mouendum ſenſum, eò quòd licet intentionaliter moueant, mouent tamen ſenſibiliter & corporeè & hoc non excedit vim ipſius ſenſibilis corporei, quod eſt extra ſenſum, vt patet in obiecto viſus, quod eſt cæteris perfectius, quod ita fit viſibile in actu per lucem, quod non indiget alia luce, vel qualitate ſuperaddita, vt intentionaliter moueat, & producat ſpecies, & terminet viſum. Videmus etiam, quòd remoto obiecto externo ceſſant ſpecies, & ita dependent ab ipſis obiectis in conſeruari, ſicut lux à ſole: ergo & in fieri, & non tanquam è cauſa materiali, quia obiectum non recipit ſpecies, ſed emittit, ergo tanquam à cauſa efficienti, vel extrinſeca ſpecificante, ergo non indigent ſenſu agente, ad emittendas ſpecies, & mouendum ſenſum. Tùm etiam, quia ſi daretur ſenſus agens, deberet exiſtere in ipſo animali, & non eſt aſſignabilis pars, vel organum, in quo ſit, neque etiam ſi daretur, poſſet agere actione tranſeunte, & corporea in res tam varias, & diſtantes, ſicut verbi gratia, cum videmus cœlum, quomodò poſſet noſter ſenſus agens ex ipſo cœlo educere ſpecies non per ſe ipſum cum non ſit ei coniunctus, non per virtutem à ſe emiſſam, quomodo enim ex tam modico corpore & virtute, poteſt emitti virtus vſque ad cœlum, & inde reducere ad nos ſpecies, cum vix ſufficiat totum corpus ſolis ad emittendam lucem ad nos, & reflectendum ad ſe. Sed de his latius dicemus *infr.*

Ad 1. *confirm. reſpond.* quòd ſenſus dicitur potiùs potentia paſſiua, quàm actiua, quando fit comparatio ipſius cum ſuo obiecto, à quo mouetur, quando verò comparatur cum ſuâ operatione dicitur actiua. Eſt autem potior comparatio potentiæ cum obiecto: tum quia ab illo perficitur, & determinatur quoad ſpecificationem operandi: tùm quia per hoc magis diſtinguitur à potentiis vegetatiuis, quæ non mouētur ab obiectis, ſed præciſè agunt circa illa. Tùm, quia Ariſtot. in hoc præcipuè impugnabat veteres Philoſophos, qui exiſtimabant, ſenſum non actuari ab obiectis externis, ſed ipſam Animam in ſe eſſe compoſitam ex omnibus ſenſibilibus, vnde oportuit monſtrare, quod obiecta ſunt extra animam, & ab ipſis mouetur ſenſus; tùm denique, quia actiuitas ſenſus ſolum eſt in genere intentionali, quod neceſſario præſupponit obiectum vniri ipſi potentiæ, & eſſe intra illum, & hoc eſt pati, loquendo de paſſione largo modo, & ita per talem paſſionem melius explicatur actiuitas potentiæ intentionalis.

Nec obſtat, quod etiam ſenſus poteſt agere actiuitate phyſica, vt cum alterat rem ſibi coniunctam calore, vel frigore, aut etiam inficit aërem, vel ſpeculum, ſicut oculus menſtruatæ, vel faſcinantis. *Reſp.* enim iſta omnia non conuenire ſenſui, vt formaliter eſt cognoſcitiuus, ſed ratione temperamenti, quod materialiter ſe habet ex parte organi, in quo includuntur qualitates alteratiuæ, quæ ſi ſint vehementes, poſſunt aërem alterare, & inficere, & etiam vſque ad ſpeculum ſe diffundere.

Ad 2. *confirm. Negatur ſequela: ad probat. Reſp.* quòd potentia cognoſcitiua non dicitur paſſiua, quia quomodocumque mouetur, aut ſpecificatur ab obiecto, ſed quia mouetur trahendo res ad ſe per vnionem, & aſſimilationem ad obiectũ; ſic enim pati debet ab ipſo obiecto, quia debet coniungi illi, voluntas autem inclinatur, & tendit ad res. Vndè non patitur ab illis, ſed tendit ad eas, & ſic præſupponit illas iam eſſe vnitas in cognitione, & animam pati ab ipſis præſuppoſitiuè in cognitione intellectus, non formaliter in ipſa inclinatione voluntatis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ſenſibile rectè diuidatur in commune, proprium, & per accidens?

DIfficultas hæc ad duo reducitur. *Primò*, vt conſtituamus differentiam inter iſta ſenſibilia. *Secundò*, vt explicemus, quod ſint ſenſibilia communia, quot propria,

Circa primum. Dico primò: *Rectè diuiditur ſenſibile externum in ſenſibile proprium, commune, & per accidens.* Dico *ſenſibile externum*, quia ſenſibile commune non dicitur illud, quod à ſenſu interiori percipitur, proprium verò, quod ab externo, vt aliqui voluerunt apud D. Thom. 2. de Anima lect. 13. & refert M. Bañez 1. part. qu. 78. art. 1. dub. 4. notab. 3. Quod S. D. reiicit, quia obiectum ſenſus communis eſt illud ipſum, quod eſt proprium cuiuslibet ſenſus externi, licet altiori ratione cognitum ab ipſo, neque enim imaginandum eſt, quod ſenſus communis percipit ſenſibilia communia tantum, non verò propria, omnia enim, quæ percipiuntur ſenſu exteriori, ſenſus communis attingit, & comparat inter ſe. Quare ſenſibile commune etiam deſumitur per ordinem ad ſenſus externos, & dicitur commune, quia à pluribus ſenſibus externis attingi poteſt, ſicut magnitudo à tactu, & à viſu: proprium verò, quod ab vnico tantum ſenſu attingitur.

Igitur hanc diuiſionem ſenſibilis externi in commune, & proprium, & per accidens tradit Ariſtot. 2. de Anima text. 63. D. Thom. ibi lect. 13. & 1. part. quæſt. 78. art. 3. ad 2, & quæſt. 17. art. 2. Et ſumitur ratio diuiſionis, quia omne, quod comparatur ad ſenſum tanquam obiectum, vel comparatur per ſe, vel per accidens; ſi per accidens, quia videlicet accidit ipſi obiecto, eſt ſenſibile per accidens. Si per ſe, vel eſt adæquatum illi ſenſui, & directè mouens ipſum, vel non adæquatur illi, ſed pluribus eſt commune, eſt tamen per ſe requiſitum, vt ſenſibile moueat tanquam circumſtantia aliqua illius v.g. quod ſit extenſum, figuratum, &c. Et primum eſt ſenſibile proprium, ſecundum eſt ſenſibile commune.

Dico ſecundò, *Senſibile commune, & proprium in vno conueniunt, & in rebus differunt. Conueniunt in hoc, quod vtrumque comparatur per ſe, & non per accidens ad ſenſum. Differũt primò, quia ſenſibile commune pertinet*

net ad plures sensus, proprium ad vnum tantum. Secundo, quia sensibile proprium pertinet directè, & per se primo ad specificationem sensationis, sensibile commune pertinet vt modus ipsius sensibilis proprij, per se tamen requiritur eius modificatio ad sensationem. Tertiò, quod circa sensibile commune contingit deceptio sensus, non tamen circa sensibile proprium. Sumitur hæc conclusio ex D. Thom. 2. de Anima lect. 13. & 1. part. quæst. 17. art. 2. & aliis locis statim citandis. *Ratione primæ partis est*; quia sensibile commune ita pertinet ad plures sensus quod tamen conducit vt res aliqua sentiri, aut nisi per illam modificetur, vt tali modo sentiatur, sicut v. g. sine quantitate seu magnitudine non potest res aliqua sensibili, & corporeo modo videri. Similiter motus, & quies, & alia similia ita modificant ipsum obiectum sensibile, vt variare possint cognitionem, seu iudicium de ipso, & saltem ita afficiunt obiectum sensibile, quod sine aliquo ex istis accidentibus sentiri non possit, quia per sensus externos attingitur res in singulari, & prout exercet singularitatem, singulare autem sensibile per se dependet ab istis conditionibus, seu accidentibus, sine quibus singularitas non exercetur, ergo ita conducunt per se ad ipsam rationem sensibilis, sicut conducit singularitas.

Secunda verò pars conclusionis, quantùm ad primam differentiam constat, dicitur enim sensibile commune, vt contraponitur proprio, ergo non potest esse solùm vnius sensus, quia sic esset proprium illius, sed debet esse plurium. Non tamen requiritur, quod ad omnes sensus externos pertineat, sed sufficit, quòd ad aliquos, sicut patet de figura & extensione, quæ non percipiuntur auditu, & odoratu, benè tamen visu, & tactu. Tertia differentia infrà examinabitur, ostendendo, quomodò sensus possit decipi circa sensibilia. Secunda verò differentia additur à D. Thom. lect. 13. citata. vbi inquit: *Quòd quædam sunt, quæ faciunt differentiam in transmutatione sensuum, non quantùm ad speciem agentis, sed quantùm ad modum actionis. Qualitates enim sensibiles mouent sensum corporaliter, & situaliter: vnde aliter mouent secundùm quod sunt in maiori, vel minori corpore, & secundùm quod sunt in diuerso situ, scilicet vel propinquo, vel remoto.* Ergo secundum Diu. Thom. sensibilia communia non pertinent per se ad specificationem sensus, sed ad modificationem, quia sic debet esse modificatum obiectum proprium cuiuscumque sensus, vt sensibiliter mouere possit in exercitio & hoc pendet à circumstantiis, quibus afficitur, & sine quibus in exercitio non mouet, ergo sensibilia communia per se pertinent ad sensus, non perseitate specificatiuâ, sed specificationis modificatiuâ. *Et ratio est.* quia quod est per se primò specificatiuum, est etiam distinctiuum, ab eodem enim principio aliquid constituitur in specie, & distinguitur ab alio, sed sensibilia communia non distinguunt vnum sensum ab alio, quia communia sunt, ergo non possunt per se primò esse specificatiua. Et tamen ex alia parte conducunt per se & necessariò ad hoc, vt propria & specificatiua obiecta in exercitio moueant sensus, sicut dictum est, quia præbent aliquas conditiones, vel modificationes, sine quibus non potest corporaliter, & sensibili modo ista transmutatio exerceri, quia sine quantitate, figurâ, motu vel quiete non inueniuntur corporales & sensibiles transmutationes, ergo sensibile commune per se requiritur, non tanquam specificatiuum sensus, sed tanquam modificatiuum, & per se requisitum ad immutationem sensus à suo sensibili in exercitio.

Dico tertiò; *Sensibile commune non immutat sensum per speciem condistinctam à specie sensibilis proprij, sed in eadem specie repræsentatur sensibile commune, tanquam conditio & modificatio sensibilis proprij, sensibile autem per accidens repræsentatur in eadem specie, tanquam subiectum sustentatiuum vtriusque, scilicet sensibilis proprij & communis.* Hæc conclusio communis est inter Authores, vt videri potest apud M. Bannez 1. p. quæst. 78. articul. 3. dub. 9. & Suarez tractat. de Anima. lib. 3. cap. 8. num. 5. & apud Carmel. disput. 9. q. 2. licet non desint Thomistæ, qui oppositum sentiant, vt refert M. Bannez, id quæetiam attribuitur Scoto in 4. distinct. 12. quæst. 3. Nihil minùs nostra conclusio clarè deducitur ex D. Thom. loc. cit. ex 2. de Anima. vbi dicit: *Quòd sensibilia communia faciunt transmutationem sensuum non quantum ad speciem agentis, sed quantum ad modum actionis.* & 1. p. quæst. 78. art. 3. ad 2. inquit: *Quòd sensibilia communia non mouent sensum primo, & per se, sed ratione sensibilis qualitatis, vt superficies ratione coloris. Ex quo sumitur fundamentum conclusionis*, quia impossibile est moueri aliquam potentiam ab aliquo, nisi ratione proprij specificatiui talis potentiæ, siquidem impossibile est, quod specificatum transeat limites, & adæquationem sui specificatiui, sed proprium, & formale specificatiuum cuiuscumque sensus est sensibile proprium illius, non autem sensibile commune, siquidem formale specificatiuum alicuius potentiæ debet illam à reliquis distinguere, ergo debet pertinere ad proprium sensibile, vt obiectum illius, quia si distinguit illam à reliquis, oportet, quòd sit proprium illius, ita quod non alterius, ergo vt sensibile commune moueat specificatiuè aliquem sensum, oportet, quòd non moueat ratione sui, sed ratione sensibilis proprij & induendo rationem formalem illius ergo vt condistincta à sensibili proprio non possunt emittere speciem ad sensum, quia species emissa est quæ immutat, & mouet potentiam, potentia autem non potest moueri, nisi sub ratione sui specificatiui proprij, si autem essent duæ species distinctæ, altera sensibilis proprij, altera communis, illa quæ esset communis, non repræsentaret sensibile proprium, & consequenter non repræsentaret rationem formalem talis sensus. Itaque sicut modificatio, seu modus non potest poni seorsum à re cuius est modus ita sensibile commune, quod modificat proprium, non potest seorsum à sensibili proprio, cuius est modus repræsentari, præsertim cùm ex istis modificationibus dependeat singularitas sensibilis proprij, & ideò si sensibile proprium repræsentatur in aliqua specie; vt singulare, iam ibi inuoluuntur sensibilia communia, à quorum modificatione singularitas illa pendet.

Dico quartò: *Sensibilia communia sunt accidentia pertinentia ad quantitatem, & numerantur quinque principalia, scilicet figura, motus, quies, numerus, & magnitudo. Ad hæc reducuntur alia minus principalia, vt tempus, quod pertinet ad motum, vel quietem, est enim realiter duratio, seu numerus motus, & similiter situs & locus, qui reducuntur ad magnitudinem, & figuram, situs enim est figura exterior, locus est magnitudo ambiens.* Igitur conclusio posita est Aristot. hoc 2. lib. tex. 64. vbi illa quinque sensibilia communia numerat, & Sanctus Thomas ibi lect. 13. & 1. part. quæstion. 78. articul. 3. ad 2. vbi omnia sensibilia communia docet reduci ad quantitatem & numerat illa quinque. Et quod ista quinque sint sensibilia communia constat, quia pluribus sensibus cognoscuntur, nam magnitudo oculis, & tactu percipitur, & similiter figura, numerus autem non solum per istos duos sensus, sed etiam per auditum, & alios potest percipi, motum etiam, & quietē visu, & tactu, & auditu cognoscimus Quòd verò non sint plura, *prob.* quia ista reducuntur omnia,

omnia, quæ possunt cognosci pluribus sensibus, ex omnibus enim prædicamentis, substantia, & relatio per se pertinet ad intellectum, substantia quidem, quia per se non potest mouere sensum, nisi per aliquod accidens externum, quo reddatur sensibilis remoto verò accidente, sola substantia non est cognoscibilis, nisi vt quidditas, quod est proprium obiectum intellectus. Relatio autem quia indiget collatione, & ordinatione, vt cognoscatur, quæ est propria intellectus. Reliqua omnia prædicamenta in his inuoluuntur, nam motus, & quies pertinent ad actionem & passionem cum aliqua extensione factam, inde enim extenditur motus; numerus & magnitudo ad quantitatem, ad quam etiam reducitur locus, & tempus, quatenùs secundùm aliquam extensionem dicuntur; figura pertinet ad qualitatem, sed quantitatis terminationem importat, ad quam etiam pertinent sensibilia propria & ad figuram reducuntur situs, & habitus, quæ aliquam externam figurationem ac dispositionem situationis important. Quare non est aliquod sensibile commune, quod ad ista non reducatur, eò quòd omnia ista prædicamenta aliquid quantitatis vel ordinem ad illa important.

Dico vltimò: *Sensibile per accidens est substantia, cui tanquam obiecto inhærent sensibilia propria, & communia; & distinguitur sensibile per accidens à sensibili per se, quia sensibile per accidens non pertinet ad obiectum sensus, nisi in quantum est subiectum obiecti sensus, vnde subiectiuè trahitur ad rationem obiectiuam sensus, & sic verè & propriè attingitur à sensu, non vt ratio formalis immutans sensum, sed vt subiectum cui per accidens inest talis ratio.* Hæc conclusio sumitur ex Diu. Thom. in hoc secundo libro de Anima lect. 13. vbi docet ex Philosopho: *Quòd secundùm accidens sensibile dicitur, vt si dicamus, quod Socrates est sensibile per accidens quia accidit ei esse album, hoc enim sentitur per accidens, quod accidit ei, quod sentitur per se, vnde nihil patitur sensus ab hoc in quantum huiusmodi.* Addit infra S.Thom. alias duas conditiones sensibilis per accidens. *Prima*, quòd accidat ei, quod per se est sensibile. *Secunda*, quòd sit apprehensum à sentiente per aliam potentiam, ita quod non omnino lateat ipsum, apprehendaturque, vel per imaginatiuam, vel per intellectum. Quòd verò sensus externus etiam aliquam notitiam habeat, ipsius sensibilis per accidens, licet ab eo non immutetur per se, sed mediante sensibili proprio manifeste dicit Sanct. Thom. 1. part. quæstione 17. art. 2. attingit enim sensus, externus totum illud quod ei obiicitur, verbi gratia corpus coloratum. Et ita colligendo ex his rationem sensibilis per accidens, dicemus, quod sensibile per accidens generaliter potest dici omne illud, quod accidit sensibili per se, ita quod nec quoad substantiam, nec quoad modificationem per se respiciatur ab illo sensu. Et hac generali ratione non solùm substantia dicitur sensibile per accidens, sed etiam quodcumque sensibile proprium vnius sensus comparatum ad aliũ sensum, erit ei sensibile per accidens, sicut album dulce per accidens attingitur à visu in quantum dulce, sed hoc non facit, quod dulce sit sensibile per accidens, sed quod sit visibile per accidens, sentiri autem potest etiam per alium sensum; vt autem sit sensibile per accidens absolute, & respectu omnium sensuum requiritur quod à nullo sensu percipiatur per se, & hoc solùm potest esse substantia, seu subiectum ipsum cui inest ratio obiectiua sensus: sentitur enim non quia per se constituat, aut conducat ad rationem obiecti, siue tanquam specificans, siue tanquam modificans, sed quia sustinet, & recipit id quod præbet rationem obiectiuam visus vel alterius sensus, & sic percipitur, vt coniunctum obiecto, non vt constituens obiectum, vel conducens ad lineam obiecti, licet conducat ad sustentationem obiecti in suo esse. Cuius signum manifestum est, quia mutato subiecto, vel etiam omnino remoto, vt si accidens separetur ab omni subiecto eodem modo poterit mouere sensum illud accidens separatum, atque coniunctum mutato subiecto, vel non mutato, dummodo maneat sensibile illud proprium, cum sensibilibus communibus, quæ sunt modificationes per se requisitæ ad exercendam sensationem.

Vndè non obstat, quod subiectum ipsum, seu substantia non minus videatur debere pertinere ad circunstantias modificantes sensibile proprium, quàm ea, quæ quantitatis sunt, cum non minus constet requiri ad indiuiduationem accidentis substantiam; quàm quantitatem, singularitas autem requiritur ad hoc vt sentiri possit ipsum sensibile. *Hoc inquam non obstat*, quia sustentatio subiecti, quâ substantiam recipit accidens, requiritur ad ipsum sensibile, non sub speciali ratione, qua sensibile est & obiectum, sed generali ratione, qua est accidens inhærens, & in linea seu genere entitatiuo, quatenùs illa inhærentia, & ordo ad subiectum requiritur ad existendum, & ad ipsam indiuiduationem in genere entis. Et sic quia obiectum non potest mouere obiectiuè, & in linea cognoscibilis, nisi supponatur habere existentiam, ideò requiritur substantia, seu subiectum tanquam sensibile per accidens, & vt aliquid præsuppositum in alia linea, & genere, scilicet in genere entitatiuo, non tamen formaliter constituens, aut conducens ad rationem ipsam obiecti, & motionem eius in sensu, sicut sensibile proprium, vel commune, siquidem si sine subiecto conseruetur sensibile, eodem modo mouebit sensum, non autem si mutetur sensibile proprium vel commune.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Primò arguitur, Quia non videtur rectè poni differentia inter sensibile commune, & per accidens, quia sensibile per accidens est illud, quod accidit sensibili per se, sicut accidit albo, quod sit Socrates, vel Petrus, hoc autem reperitur in sensibili communi, nam accidit albo, quod sit in motu, vel quiete, quod sit talis magnitudinis, vel figuræ, ergo eodem modo erit sensibile per accidens. *Nec potest dici* quòd licèt sensibili proprio, v.g. albo accidat, quòd in singulari habeat talem magnitudinem, vel figuram, tamen quòd aliquam habeat non accidit albo, aliqua requiritur, vt possit mouere potentiam. *Contra est*: quia etiam requiritur, quòd accidens sit in aliquo subiecto, licet per accidens sit quòd sit in isto, vel illo, accidens enim sine subiecto, est accidens in abstracto, non in concreto, quod sentiri non potest, ergo nulla est differentia inter sensibile commune, & per accidens.

Confirm. nam sensibilia communia non imprimunt speciem aliquam distinctam à sensibili proprio vt dictum est, quia sunt extra rationem specificatiui potentiæ si secundum se sumantur, ergo non differunt à substantia, quæ etiam non sentitur per se, sed mediante sensibili proprio, nam secundum se est extra latitudinem specificatiui sensus, & solùm ab illo attingitur vt vestitur sensibili proprio, ergo ex hac parte non est distinctio inter sensibile per accidens & commune. Ex alia autem parte videtur substantia magis pertinere ad sensibile commune quàm quantitas, vel quæ pertinent ad quantitatem, quia substantia est radix talium accidentium & ipsa nihil operantur vel mouent, nisi in virtute substantiæ, cum operentur tanquam accidentia eius, sed quod se

quam accidentia eius, sed quod se habet vt radix mouendi, & immutandi sensum non est per accidens sensibile, quia non per accidens mouet, nec per accidens est radix mouendi, sed per se, & per virtutem sibi propriam, quæ est proprium & per se sensibile, ergo.

Respond. quòd, vt suprà diximus, sensibile commune & per accidens, licèt in hoc conueniant quod vtrumque accidat sensibili proprio, est tamen differentia, quod sensibile commune accidit sensibili proprio in esse rei, per accidens enim concurrit quãtitatis & qualitatis coniunctio in vno subiecto, per se tamen requiritur & per se modificat in esse obiecti sensibilis, vt mouere possit sensibili modo potentiam. At verò substantia per se requiritur ad sustentandum in esse & in genere entis sensibile proprium, non tamen vt per se modificans & conducens in ratione & modo sensibilis obiecti. *Et ratio est,* quia sensibile externum est aliquid apparens externè, substantia autem est interna quidditas, & de se latens. Vnde licèt requiratur tanquam radix, & sustentans ipsa accidentia externa ea generali ratione, qua omnia accidentia dependent à substantia, non tamen vt formaliter modificans aut pertinens ad ipsam sensibilem & externam apparentiam & rationem obiecti sensibilis, vt sensibilis seu apparentis externè, ad quod tamen conducit quantitas seu ea quæ ad quantitatem pertinent, quia quantitas extendit quoad locum externum, & ea quæ quantitatis sunt, ad externam modificationem pertinent, & ita sensibilem apparentiam & motionem per se afficere & modificare possunt. Substantia autem ex eo quod latens, & ex eo quod radix est, non conducit sensibiliter & externè, sed entitatiuè, sicut etiam relationes coniunctæ sunt ipsi sensibili, sed non per se conducunt quia occultæ sunt. Et licèt requiratur, quod sit accidens in concreto, vt sentiri possit, tamen non id requiritur formaliter ex vi conducentiæ ad sensibilitatem externam & apparentem, sed generali ratione ad omnia accidentium munera & entitatiuam existentiam: & ita substantia non requiritur per se formaliter ad rationem obiecti sensibilis, sed per se radicaliter & in ratione entis.

Ad confirm. Resp. ex dictis, quòd sensibile commune etiam conuenit cum sensibili per accidens, quod neutrum emittit per se & seorsum à sensibili proprio distinctam speciem, sed in ratione modificandi speciem sensibilis proprij valde differunt sensibile commune & per accidens, quia sensibile commune per se modificat perseitate ipsius sensibilis, vt externè apparentis, sensibile autem per accidens non, licèt in genere entis, & per modum radicaliter continentis & sustentantis sensibile, requiratur substantia, & tanquam quid occultum, non sensibiliter mouens externè aut modificans. Vnde ex eo quod substantia sit prima radix, & primum principium accidentium & virtutis mouendi sensibiliter, non sequitur quòd per se conducat perseitate formali sensibilitatis externæ, & vt requiritur ad motionem externam, sed perseitate radicali, vt generaliter requiritur ad omnia accidentia in ratione entis, & cuiuscumque operationis, & sic ipsum obiectiuè mouere radicatur in substantia, non vt in obiecto, sed vt in subiecto, ac proinde licèt per se requiratur, vt in re existant talia accidentia, non tamen per se obiectiuè, sed per se subiectiuè.

Secundò arg. ad probandum. quòd sensibilia communia & per accidens imprimant speciem sui peculiarem. Etenim species est naturalis similitudo rei, nec potest excedere rem illam cuius est species, nisi aliquid sibi addatur, ergo species coloris qui est obiectum visus, non potest repræsentare figuram seu magnitudinem, quæ est sensibile commune nisi aliquid addatur tali speciei, quia res istæ sunt omnino distinctæ & primò diuersæ; scilic. quantitas & qualitas & ita similitudo naturalis vnius, non potest esse alterius, debet ergo aliquid in specie addi; vt illud repræsentet, & hoc quod additur est particularis repræsentatio sensibilis communis. Nec potest per modum vnius species aliqua res ita diuersas adunare, nisi prout in aliquo tertio conueniunt hoc autem etiam in speciebus Angelicis, quæ sunt eminentissimæ, valde difficile explicatur, multò ergo minùs conueniet speciebus sensibilibus sensibilitate externâ. Et idem probatur de specie ipsius substantiæ, quæ necessariò debet esse in oculo, aliàs non esset in intellectu, quomodò est autem possibile, quòd species coloris repræsentet hominem vel lapidem, nisi aliquid speciale ei addatur; & hoc quod additur, & peculiariter ei correspondet, species illius est.

Conf. 1. quia contingit inuariato colore & luce, variari visionem ex sola variatione sensibilis communis, verbi gratia, ex diuerso situ, motu, vel figurâ, ergo necesse est variari speciem, si enim hæc non variaretur, neque visio, sed non variatur species coloris vel lucis, quæ sunt sensibilia propria, ergo species aliqua sensibilium communium. Quòd si nec ista variatur, ergo nihil omnino agit sensibile commune, sed se habebit sicut substantia, quæ est ipsum sensibile per accidens, & in ratione obiecti nihil omnino agit, nisi per sensibile proprium. Si verò aliquid agit sensibile commune, ergo speciem, non enim datur aliud, quod agat.

Conf. 2. quia aliqua sunt sensibilia communia, quæ attinguntur sine sensibili proprio, ergo sine specie sensibilis proprij, & tamen habent aliquam speciem, sine illa enim non sentirentur, datur ergo peculiaris species sensibilis communis sine sensibili proprio. *Anteced. prob.* nam cùm alicui infligitur vulnus, aut verberatur, sentit aliquid, scilicet dolorem, & tamen non sensibile proprium tactus, verbi gratia, calidum aut frigidum, &c. sed diuisionem illam, aut compressionem partium, vel aliquid durum, seu asperum, quæ sunt sensibilia communia. Similiter, si manns tangeret, sentiret ibi resistentiam & soliditatem duram, & non qualitates tangibiles, quæ sunt proprium sensibile tactus, cum cœlum careat illis, ergo sentiri, potest sensibile commune sine proprio. Ac denique cùm aliquid videtur à longe & non discernitur eius color, vel cum clausis oculis sentitur opacum corpus, quod transit ante illos, nec tamen tunc videtur color aut lux, ergo aliquod sensibile commune sentitur sine proprio.

Resp. quod vna & eadem species repræsentat obiectum, & modificationem eius, non tanquam duo obiecta, sed vt vnum, non enim species præsertim rei singularis & materialis, quæ præcisiua non est, potest repræsentare rem aliquam ita abstractam à modis & circumstantiis, quod nihil de modificatione repræsentet. Nec pro illa parte, quâ repræsentatur ille modus, dici potest, quòd est distincta species & directa repræsentatio saltem illius modi, dicitur enim quòd species repræsentans aliquid cum aliqua modificatione, non respicit modificationem illam, vt distinctum repræsentabile directè, nec per distinctam repræsentationem, sed per eandem vt modificatam, sicut enim modificatio illa non est propriè obiectum, sed modus obiecti ita nec eius repræsentatio, est directa repræsentatio, sed repræsentationis modus, quod aliqui explicant dicentes, quòd non repræsentat, sed exercet. Reuerà tamen, licèt repræsentet, non tamen vt per se directè repræsentabile, sed vt modum eius, quod per se repræsentatur.

Nec inconuenit, quòd idem sensibile commune diuersis repræsentationibus repræsentatur, verbi gratia, colore, sono, & quia hoc ipso, quod est commune, accommodatur singulis iuxta eorum capacitatem ibíque diuersimodè modificat. *Quòd verò dicitur* non posse vnam speciem repræsentare plura per modum vnius, nisi sit eminens, vt in Angelis *Resp.* quod eminentia requiritur ad repræsentandum plura obiecta per modum obiectorum, sub ratione aliquâ superiori vniente & manifestante illa. Ad repræsentandum autem plura, quorum vnum sit obiectum, aliud modificatio eius, non requiritur eminentia, sed potiùs quantò species est magis materialis & imperfecta, tantò minus abstrahit ab istis modificationibus, eáque concernit. Dicitur autem substantia esse in sensu, non per se seorsum à sensibili proprio, sed sub illo, & vt induta externâ illâ sensibilitate, sicque potest ad intellectum peruenire, nec requiritur vt aliquid sit in intellectu, quod sit in sensu sicut in intellectu, sed per effectus & accidentia sua.

Ad 1. confirm. resp. quòd inuariato colore quoad substantiam & modum, non variatur sensatio, variato autem colore quoad modificationem, verbi gratia quoad figuram, situm, &c. variatur diuersa sensato etiam modificatiuè, nec est necesse variari specificatiuè ex parte obiecti directi. Illa autem modificatio sufficiet fortassè ad variandum accidentaliter intrinsecè visionem, & indiuidualiter; sicut de notitia abstractiua & intuitiua diximus in Logica quæst. 23. & in hoc differt sensibile commune à sensibili per accidens, quòd sensibile per accidens, nec etiam modificatiuè modificatione obiectiuâ variat sensationem, sensibile autem commune, licèt non imprimat speciem condistinctam simpliciter à proprio, benè tamen modificationem distinctam, vt ex D. Thom. explicatum est.

Ad 2. confirm. resp. quòd attinet ad cœlum posse dici, quod habeat qualitates tangibiles positiuè & per se, si admittamus quòd qualitates per se sensibiles, non solùm sunt calidum & frigidum, & aliæ primæ qualitates, sed etiam durum & molle, asperum & lene, siue oriantur ex primis qualitatibus, siue ex alia causa proueniant, de quo quæstion. 6. dicemus; cœlum autem durum est & solidum, & tersum, & sic sentiri potest, sicut sentitur fluidum & molle, &c. Si autem istæ qualitates non sunt per se primò tangibiles, aut ita se habent in cœlo, quod non possunt agere actione reali in tactum, sicut requiritur ad sentiendum per illum, tunc solùm negatiuè sentietur durities in cœlo, quatenùs ibi resistentiam aliquam experitur, sicut cùm ab Angelo aliquis impeditur, seu detinetur, non sentit aliquam qualitatem tangibilem in Angelo, sed resistentiam aliquam negatiuam. Quando autem infligitur alicui vulnus, aut verberatur, id quod sentitur est durities corporis aut diuidentis in vulnere, ac comprimentis in verbere, ex ipsa autem diuisione sentitur dolor, quia etiam pertinet ad tactum, vt dicemus q. seq. art. vlt. durities verò qualitas tangibilis est, vt ibi dicemus. Denique quando oculis clausis aliquod opacum sentitur, ideò est quia palpebræ claudentes oculos, aliquid transparentiæ habent, per quam admittitur aliquid lucis, & sic apposito corpore opaco lux ipsa magis impeditur, & sic sentitur opacitas.

Tertiò arguitur contra numerum sensibilium communium. Videntur enim ex vna parte esse plura, ex alia pauciora. Esse plura, quia tempus est sensibile commune, cadit enim sub sensum, vt dicit Arist. 4. Physic. text. 98. & tamen non est proprium sensibile alicuius sensus determinari. Item situs, distantia, habitus, seu vestis cadunt sub sensum, & similiter raritas, & densitas, pulchritudo, & alia similia, asperum, & molle, & tamen non sunt sensibilia propria, quia pluribus sensibus percipiuntur. *Esse pauciora probatur*, quia quies & motus non videntur pertinere ad sensus, nam quies est aliquid priuatiuum, & ita non dicit rationem sensibilis, sicut nec tenebræ sentiuntur, motus autem, quia constat ex præterito, & futuro, sensus autem non percipiunt præteritum, nec futurum, ergo neque partes motus & præsertim per visum non potest percipi motus, quia visio est in instanti, motus autem, & quies in tempore. Denique numerus vel sumitur materialiter, & sic est magnitudo multiplicata, nec debet poni tanquam distinctum sensibile à magnitudine, vel formaliter pro numerabilitate, & sic solùm pertinet ad intellectum numerantem, & non est sensibile commune.

Respondet. ad primam partem argumenti, omnia illa, quæ sunt sensibilia communia contineri sub istis assignatis, quæ ex Aristot. numerauimus, quia omnia illa aliquid participant de quantitate. Et quidem si participant de quantitate continua, reducuntur ad magnitudinem, de qua aliquid participant situs, distantia, & vestis, quæ istam quantitatem connotant. Si participant de discreta, reducuntur ad numerum, ad quem etiam reducitur vnitas, quia est principium numeri. Si participant aliquid de quantitate successiua reducuntur ad motum, ad quem etiam pertinet tempus quod est duratio, & mensura motus. Pulchritudo autem sensibilis constat ex debitâ dispositione coloris, & figuræ, id est ex sensibili proprio, & communi, vt pertinent ad visum, vnde & pulchra dicuntur, quæ visa placent. Raritas verò, & densitas, asperum, & molle, grauitas, & leuitas ipso tactu sentiuntur, secundum quod sunt qualitates tangibiles ortæ ex primis qualitatibus, & præsertim grauitas, & leuitas prout important rationem ponderis solo tactu percipiuntur. Si autem in aspero, & leni solùm attendatur id, quod situationis est, ad magnitudinem, & quantitatem reducuntur.

Ad secundam partem argumenti respondetur, quietem dupliciter sumi. Vno modo pro priuatione motus, & sic non sentitur positiuè, sed negatiuè, vt tenebræ. Alio modo sumitur pro consistentia, seu immobilitate in loco, vbi non solum priuationem motus importat, sed etiam existentiam in loco, cum immobilitate, & sic sentitur positiuè tanquam sensibile commune. Quod verò attinet ad motum, *dicimus*, quod partes eius possunt cognosci dupliciter vno modo secundum comparationem præteriti & futuri, & sic solùm ab intellectu apprehenduntur comparante illas; alio modo considerantur sub ratione transeuntis præcisè, & vt opponuntur immobilitati, & consistentiæ, & sic etiam per sensum attingi possunt, quatenùs rem ipsam sensibilem transire videt, ipsásque partes motus, vt præsentes transeuntes discernit, non sub ratione præteriti, vel futuri. Quod verò fiat visio in instanti, non obstat, quia durat vltra instans, & si potest percipere motum, & quietem, quæ sunt in tempore. *Quòd verò dicitur de numero Respondet.* non cognosci à sensu ratione ordinis, quem habet numerus maior ad minorem, vel è contra, quod pertinet ad rationem mensuræ, sed ratione multiplicationis, & diuisionis, in quo differt à magnitudine, quæ est quantitas continua.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sensibile positum supra sensum sentiatur, & an lædat sensum?

PROCEDIT *difficultas de sensibus externis*, qui non mediantibus idolis tanquam speciebus expressis, attingunt obiecta, sed immediatè in se ipsis. Et sub aliis verbis solet proponi hæc difficultas, an requiratur ad sensum externum aliquod medium inter ipsum, & sensibile, ita quòd nec sit inhærens ipsi sensui, nec omnino contiguum, sed cum aliquali distantia? Est autem *duplex* medium, alterum externum, alterum internum: *Externum* est corpus distinctum, coniunctum ipsi sentienti. *Internum* est pars aliqua ipsius sentientis, coniuncta organo. Et de vtroque inquiritur, an sensus possit sentire aliquid sibi immediatè appositum sine tali medio interno, vel externo? *Et inde nascitur secunda difficultas,* an vehemens sensibile applicatum, & coniunctum sensui lædat ipsum actione reali, vel etiam intentionali?

Circa primam difficultatem non desunt, qui existimant posse absolutè sensibile positum supra sensum sentiri. Et saltem de tactu, & gustu id existimant Conimb. lib. 2. de Anim. c. 11. q. 3. art. vlt. P. Suarez, lib. 3. de Anim. c. 27. *Alij* etiam de odore idem existimant. *Alij* de omnibus sensibus etiam de visu quoad corpora lucida, nam opaca posita supra oculos velant ipsos, & sic impediunt visionem. De quibus sententiis videri potest Cursus Carmelit. hîc disp. 9. q. 3. Rub. lib. 3. de a. c. 1. q. 3. & agendo de singulis sensibus externis pleniùs id attingemus.

Nihilominùs sententia D. Thom. oppositum tenet in hoc secundo de Anim. lect. 15. super textum 75. Et sine dubio est expressa Aristotel. ibidem, loquitúrque de omnibus sensibus externis, quia inquit: *Quòd si super ipsum instrumentum sensus, vel id, quod sonat, vel id quod olet, posuerit, nullus profectò sensus efficietur, simili modo re se habet in tactu, & gustu, sed non apparet.* Videri etiam potest in eodem libro cap. 11. text. 116. & D. Thom. ibi lection. 23. vbi specialiter loquitur de tactu, & ostendit organum eius esse intus, quia sensibilia posita super carnem sentiuntur, non autem posita super organum sensus, & sic caro est medium, non organum tactus. Idem autem de visu, & auditu, & olfactu docet ibi, & lect. 15. citata: *Nullum inquit sentitur, si tangit organum sensus, sed ab odore, & sono mouentur media, à medio autem vtrumque organorum, auditus, scilicet, & olfactus, sed cum aliquis ponit corpus odorans, aut sonans super organum sensus non sentitur, & similiter est in tactu, & gustu.* Videatur Caiet. lib. 2. de Anim. cap. 7. & 10. M. Bann. 1. p. q. 78. art. 3.

Rationem huius aliqui sumunt à posteriori, quia experientia constat, quòd visibile positum supra oculum non videtur, & ex ipsa natura coloris, quia est motiuus diaphani, vt definit Aristot. & sic non potest immediatè mouere potentiam, nisi mediante diaphano. *Alij probant* ex eo, quod sensatio cùm sit actio aliquo modo immaterialis, requirit pro principio speciem in eo gradu immaterialitatis, in quo ipse sensus inuenitur, vt autem exit species immediatè ab obiecto nimis crassa, & materialis est, indigétque subtilizari per aliquod medium, videmus enim, quòd ipsa distantiâ species attenuantur, & subtilizantur, quæ enim distant tenuiori modo videntur, eò quòd species magis tenues sunt, ergo per medium redduntur species minùs crassæ.

Cæterùm rationes istæ & experientiæ nòn videntur conuincere; prima enim experientia, vt Caiet. aduertit loc. cit. non multum probat, licet enim coloratum in corpore opaco positum supra oculum non videatur, quia sua opacitate tegit visum, tamen si poneretur luminosum supra oculum non apparet, vnde impediretur videri, de hoc autem nulla est experientia, quia luminosum igneum non potest poni supra oculum, dissolueret enim illum, luminosum autem cœlestem multò minùs nostris oculis superponitur. Quòd autem color sit motiuus diaphani ideo est, quia non inuenitur lux prope oculum, nisi diaphano ibi existente, si autem lux remaneret, color immediatè per ipsam moueret potentiam. Experientia autem secundæ rationis æquiuocat de subtilitate attenuationis & proportionis, seu immaterialitatis, medium enim attenuat species, infirmando, reddendóque imperfectiores, non autem magis spiritualizando, & immaterialiores reddendo, sic enim viuaciorem, & perfectiorem redderet speciem, siquidem esse intentionale, & repræsentatiuum speciei ex maiori immaterialitate crescit: vnde si in medio species redderetur subtilior quantum ad immaterialitatem, perfectior esset in repræsentando, cum tamen videamus per distantiam medij magis attenuari & imperfici. *Nec potest dici*: quòd principalior vis assimilandi est in obiecto, sed instrumentalis in medio, conducens tamen vt species immaterialior euadat, sicut manus est principalior vis mouens malleum, & tamen sola manus non ita perfectè mouet malleum, & facit ictum, sicut mediante ipso malleo. *Contra enim est*: quia species procedit vt naturalis similitudo ab eo, cuius est species, & sic toto naturæ impetu procedit, neque indiget medio, vt similitudo fortior euadat, impulsus vero non ita procedit à manu, sed potest ex densitate materiæ instrumenti, in quo recipitur, reddi fortior impulsus, nec tamen per densitatem redditur perfectior similitudo speciei. Præterquam, quòd non constat nobis, quòd medium sit instrumentum conducens ad perfectionem speciei, sicut instrumentum manus ad recipiendum fortiorem impulsum. Denique, quia videmus obiecta videri à valde parua distantia inter oculum & obiectum, non apparet autem, quomodo in tam paruâ distantia subtilizari possit species in aliqua notabili proportione respectu eius, qua exit ab obiecto.

Quæ efficacior videtur illa ratio, quam Caiet. insinuat loc. cit. cap. 10. quia si sensibile immediatè positum supra sensum posset sentiri, non repugnaret videri aliquid sine specie, imò & ipsum sensum sentire seipsum, atque adeo reflectere supra se, quod repugnat eius materialitati & limitationi, vt dicemus art. sequent. *Sequela verò probat.* Quia species vt immediatè exit ab obiecto non magis immaterialis exit, quam sit ipsa immaterialitas obiecti in se, verbi gratia, quam sit ipsa lux secundum quam ipsum obiectum potest terminare sensationem, sine hoc, quod formetur idolum intermedium, in quo videatur, vel sentiatur, ergo si talis species prout immediatè exit ab obiecto seruire posset sensui, non est cur ipsum obiectum lucidum factum, per seipsum non posset etiam seruire sensui. Quod si potest, ergo ipsa pupilla quæ in se lucida est, & ad alios oculos mittit species, cum videatur ab eis, poterit à se ipsa videri seu ab oculo in ea existente, præsertim quando species primo exeunt ab ipsa pupilla, possent ei deseruire, vt seipsam videret, cum enim in se habeat lucem receptam, à se primo incipit emissio speciei suæ.

Quòd si dicas; non posse primam speciem produci ab ipsi pupilla, nisi in aëre vel corpore à se distincto, cum

cum non poſſit idem eſſe agens, vel paſſum, ſemel autem productæ ſpecies emittuntur per lineam rectam, non autem redeunt ad ipſum oculum. *Contra eſt*: quia caſu quo res poſſet ſentiri immediatè poſita ſupra ſenſum non indigeret ſpecie emiſſa per lineam rectam, vel obliquam, ſed immediatè, & per intimam coniunctionem ſpeciem emitteret, & ſic quodcumque corpus intra oculum poſitum vt ſanguis, ſpiritus vitalis, humor quicunque, & ſimilia viderentur, imò & ipſe oculus ſeipſum, quod eſt contra experientiam; nec idem ageret in ſeipſum, ſed pars pupillæ exterior in interiorem. Denique hoc eſt conueniens operationi ſenſitiuæ, quæ eleuatior, & immaterialior eſt, quàm naturalis, ad alterationem autem, & motum naturalem requiritur indiſtantia applicationis inter agens & paſſum, quia agens naturale determinatur à ſua materia, circa quam operatur, ergo conueniens eſt, quòd natura cognoſcitiua ſit aliquo modo independens à tali indiſtantia & contactu naturali, & ſic operetur non exiſtente ſenſibili ſupra ſe, ſed aliquo modo diſtanti, & per aliquod medium.

Dico ſecundò. *Senſibile vehemens lædit organum ſenſus directè ratione actionis realis, ſeu alteratiuæ, quatenus immutat ipſam diſpoſitionem organi, ratione autem actionis intentionalis præciſè non lædit organum per ſe directè, ſed per accidens.* De prima parte concluſionis non eſt dubium; cùm experientia videamus vehementiam lucis ſolaris feruore ſuo diſſipare ſpiritus, & temperiem organi. Et hoc ideò, quia actio naturalis eſt idem, quod alteratio phyſica, vnde ſi vehemens ſenſibile habeat talem alterationem, ita poterit excedere, quod temperiem organi corrumpat, & ſic lædat ſenſum.

De ſecunda parte eſt difficultas, & aliqui Authores exiſtimant, etiam ratione actionis intentionalis, qua emittuntur ſpecies, ſi vehementes ſint lædere ipſum ſenſum, quia proportionem eius excedunt, quod cum pluribus Thomiſtis, quos citant, docent Carmelitani, diſp. 7. art. 4. & M. Bañ. 1. parte, quæſt. 78. art. 3. dub. 5. & Caietan. 3. de Anima, ſuper textum 143. imò videtur eſſe D. Thom. 2. de Anim. lect. vlt. & 3. de Anima, lect. 2. ſuper text. 143. Quibus tamen locis S. Thomas ſolum dicit, quòd ſenſibile excellens corrumpit proporriocem organi ſenſus, ſed tamen quomodo id faciat actione naturali, an intentionali, ibi non explicat. Et Caietan. ipſe in ſolut. ad 2. tandem docet, quòd actio ſenſibilis in ſenſu non eſt corruptiua, niſi per accidens, quod eſt excellentia ſenſibilitatis in obiecto. M. Bañez etiam loco citato ſolutione ad primum in ſecunda reſponſione maximè inclinat in aliam ſententiam.

Sed tamen quod me maximè mouet, eſt, quia expreſsè ita tenet D. Thom. in additionibus, quæſtion. 85. art. 2. quod eſt in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. art. 4. Vbi inquirit, an oculus non glorioſus, poſſit addere lucem corporis glorioſi, & determinat; quod ſic: in ſecundo autem argumento obiicit: *Quia claritas corporis glorioſi erit maior, quàm claritas ſolis, ſed claritatem ſolis in ſua rota oculus non poteſt aſpicere, ergo neque lucem corporis glorioſi.* Et reſpondet; *quod claritas intenſa non offendit viſum, in quantum agit actione animæ, ſed ſecundum hoc magis delectat, offendit autem in quantum agit actione naturæ, calefaciendo, & diſſoluendo organum viſus, & diſgregando ſpiritus, & ideò claritas corporis glorioſi quamuis excedat claritatem ſolis, tamen de ſui natura non offendit viſum, ſed demulcet.* Qui locus D. Thom. manifeſtiſſimus eſt, ibique ex profeſſo diſtinguit inter actionem naturalem, & intentionalem in vehementi ſenſibili, quod in aliis locis non facit.

Et ratio huius eſt: quia læſio, ſeu corruptio organi eſt paſſio naturalis, ſiquidem ipſa temperies phyſica organi diſſoluitur, alioquin non corrumperetur, ſi temperamentum eius phyſicum maneret illæſum, ergo requirit actionem naturalem, & non purè intentionalem, actio enim purè intentionalis ſolum infert effectum, & paſſionem intentionalem; ſi verò naturalem paſſionem infert, vel habet adiunctam actionem naturalem, vel eminenter habet facere id, quod actio naturalis, hoc autem ſecundum ſine fundamento diceretur, quia non conſtat actionem intentionalem eminenter eſſe alteratiuam & corruptiuam. *Neque obſtat*, quòd ſenſus conſiſtit in proportione quadam, ſenſibile autem excellens excedit illam proportionem, & ſic moleſtat, & lædit. *Contra enim eſt*: quia ex hac improportione ſolùm ſequitur, quòd ſenſus non poterit percipere, & intentionaliter moueri ab illo obiecto ita improportionato in ratione intentionali, non tamen ſequitur, quòd diſſoluetur temperamentum organi ab illa intentionali motione, niſi introducantur qualitates contrariæ, quæ illud temperamentum diſſoluant, conſtat autem illud temperamentum ex qualitatibus naturalibus, vnde niſi contrariæ qualitates ponantur, non diſſoluetur; qualitates autem intentionales non contrariantur illis qualitatibus, cùm ſolùm ſint repræſentatiuæ, non autem naturaliter alteratiuæ, ergo ex præciſa motione intentionali, qualitates naturales organi non læduntur, nec deſtruuntur. Et ſic experientia teſtatur, quod vel ipſum vehemens ſenſibile habet aliquam alterationem naturalem, verbi gratia, calefaciendi ſpiritus, aut ipſe ſenſus nimia attentione, & conatu conſumit ſpiritus, & calorem nimium excitant, quo lædatur organum.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

C*Ontra primam concluſionem fit argumentum ex* quibuſdam experientiis, nam in tactu & guſtu non poteſt negari, quod ſenſibilia poſita ſupra ſenſum cognoſcantur, nam ſi ipſum ſenſorium tactus ſiue ſit caro, ſiue neruus, pungatur ferro, ſentitur maximus dolor, & ſimiliter res ſapida ſupra linguam poſita guſtatur, imò & humor intra linguam febricitantus incluſus ſentitur, & facit omnia guſtari vt amara, ergo res poſita ſupra ſenſum ſentitur. Idem videmus de odoratu, quòd exhalatio odorifera intrat vſque ad membranas narium, & vſque ad ipſum cerebrum, & tamen ſentitur. In auditu etiam aliquando experimur ſentiri ſonum intra aures, vt cum digito premitur os auriculæ, & cum fit magna commotio aëris prope nos, ita vt intrare poſſit per aures. Denique in viſu conſtat aliqua animalia fulgorem ab oculis emittere, & illum ſentire & clauſis oculis videtur quidam ſplendor nobis oberrare, qui non eſt alius, quàm ille, qui intra palpebras poſitus tangit pupillam: ipſum etiam lumen vt videatur, debet continuari vſque ad oculos, vt ex Ariſtot. docet D. Thom. lib. de ſenſu, & ſenſato, lect. 5.

Reſpondetur. Quòd in duobus ſenſibus, guſtus & tactus, certum eſt requiri maiorem approximationem ſuorum obiectorum, quàm in aliis ſenſibus, non tamen immediatam coniunctionem, ſed per aliquod medium, aliàs poſſent etiam accidentia ſibi inhærentia ſentire, quod eſſet reflectere ſupra ſe, quod repugnat ſenſibus ita materialibus. Quare ſemper requiritur aliquod medium inter ſenſorium tactus, & ipſum obiectum: mediam autem eſt caro in lingua, vel in corpore, ſenſorium autem eſt ner

neruus sub carne positus, vt sequenti quæstione latiùs dicemus. Quòd si sensibile immediatè tangat ipsum neruum vbi est sensorium, tunc illa pars, quæ afficitur immediatè ipso sensibili non sentit illud, sed pars ipsi proximior id sentiet. Quòd si sensibile occupat totum sensorium æqualiter, tunc vna pars non agit in aliam, neque sentietur; sicut medium, quod tali qualitate affectum est, non aget in organum eadem qualitate affectum. Si verò calor inæqualiter afficit sensum tactus, & ipsummet organum, non est inconueniens, quod pars affecta maiori calore, sentiat minorem, & minor sentiat maiorem, quia species intentionalis vnius partis recipitur semper in alia proximiori. Sed de hoc iterum dicemus infra, qu.7. artic. vlt.

Ad id quod dicitur de odoratu, respondetur, quod quando exhalatio illa intrat, vsque ad cerebrum sentitur illa, quæ propinquior est sensorio odoratus, non quæ supra illud ponitur. Similiter auditus non sentit strepitum intra se factum, sed in aliquibus concauitatibus auriculæ iuxta sensorium auditus positis, de quo sequenti quæstione. De visu verò dicimus fulgorem illum, qui est intra pupillam non videri, sed qui inde emicat, & extra oculos diffunditur, sicut videntur aliqua animalia de nocte oculis radiare, & fulgorem emittere. Lumen autem continuatum vsque ad oculos non videtur, vt immediatum est ipsi pupillæ, sed, vt est in medio, vel obiecto aliquantulum distante, nec fulgor aliquis intra palpebras inclusus videtur, sed per ipsas palpebras, quæ aliquid perspicuitatis habens confusè videtur aliquis fulgor extra, præsertim si sit vehemens.

Secundò arguitur contra secundam conclusionem. Nam Aristot. 2. de Anima, text. 123. dicit: *Quòd excellentia sensibilium corrumpit sensum, quia destruit eius proportionem, seu temperamentum*, & idem affirmat, lib. 3. text. 143. & D. Thom. super ista loca. *Ratione etiam arguitur*: tum quia nimius fulgor excæcat oculos, vt si solem intente videamus, lux autem non est de se qualitas corruptiua realiter, sed solum agens intentionaliter; ergo intentionalis actio corrumpit sensum: tum etiam, quia sensus intrinsecè consistit in quadam mensuratione, & proportione, vt possit sensibilia sentire, ergo si sensibile excedat hac proportionem, dissoluet illam, vtpotè illi improportionata, & excessiua. *Confirmatur*, quia experimur, quòd si sensibile sit excellens, sensus molestatur, & tristitiam sentit, ergo ex tali dissonantia, & improportione potest etiam corrumpi. *Consequentia patet*, quia vnumquodque à suo contrario læditur; & corrumpitur intra illam lineam, in qua contrarietatem habet, sed sensus intra lineam intentionalem dicit proportionem cum sensibili, ergo intra eandem læditur, & corrumpitur à sensibili, scilicet intra lineam actionis intentionalis. Vnde quia aër, per quem transit species, non habet talem proportionem cum sensibili in ratione sensibilis, ideo nullo modo læditur vel corrumpitur ab ipsis speciebus intentionalibus, in sensu autem est proportio cum obiecto in ratione sentientis, & cum speciebus intentionalibus, ergo lædi potest, & corrumpi ab actione intentionali specierum.

Respondetur, tam Aristot. quam D. Thomas in illis locis affirmare, quòd excellens sensibile corrumpit sensum, sed non explicare modum, quo id fiat, an scilicet actione naturali concomitanter se habente cum intentionali, an vero formaliter per ipsam actionem intentionalem, atque ita nihil probant contra nos, præsertim cum ex D. Thoma supra citato, constet, quòd illa læsio sensus non fiat ab actione intentionali, sed naturali. *Ad argumentum ex ratione respondetur*, quòd nimius fulgor lædit oculos ratione actionis naturalis, id est, calefactionis, eò quòd lux eminenter est alteratiua, sicut videmus, quòd calefacit lux solis, & sic nimis calefaciendo oculos, dissipantur spiritus, qui subtilissimi sunt, & sic lædit visum, quod non facit lux, non est calefactiua, sicut de luce corporis gloriosi dixit D. Thom. supra citatus. *Ad secundam probationem dicitur*: quòd sensus consistit in quadam proportione dupliciter, tum in actu primo, tum in actu secundo. In actu primo quantum ad temperamentum organi, & spirituum animalium, qui si dissipantur, impeditur sensatio. In actu secundo est proportio in attingendo obiectum cognoscitiuè, quod si non attingat, tristatur & lassatur potentia. Hæc secunda proportio destrui potest ex sola excellentia rei sensibilis intra lineam seu actionem intentionalem. Prima verò, quæ pertinet ad temperamentum primarum qualitatum non destruitur nisi per actionem naturalem, vt dictum est, & ideo non potest corrumpi, & lædi sensus sola intentionali actione, seu repræsentatiua, nisi aliqua naturalis alteratio, & corruptiua ei adiungatur, vel eminenter contineatur in actione intentionali.

Ad confirm. Respond. Quòd sensus molestatur à sensibili: Tum actione naturali dissoluendo organum & spiritus, aut ex nimia attentione sentientis consumendo illos, quod totum pertinet ad alterationem naturalem. Potest etiam contristari ab excellenti sensibili tristitia obiectiua, quatenus tale obiectum apprehenditur vt nociuum, vel si non sufficienter, res desiderata cognoscitur, quod est intentionaliter lædi, seu malè affici. Et sic vnumquodque læditur à suo contrario, læsio autem & corruptio sensus in temperamento organi est corruptio naturalis, non intentionalis, & ideo naturali actione, vel qualitate naturali debet fieri non à sola intentionali; licet verum sit quod si excellens sensibile non potest attingi à sensu, quia improportionatum est quodam modo lædi dicatur sensus in genere intentionali. Aër autem non habet tale temperamentum, & ideo neque ab intentionali actione, neque à reali illud amittet.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm sensibus externis conueniat deceptio, & reflexio supra suos actus?

FErè ex eodem principio oritur, quod aliqua potentia admittat deceptionem, seu falsitatem, & reflectat supra suos actus, quia vtrumque videtur exigere aliquam comparationem, seu collationem, ideo vtrumque hic breuiter expediemus. *Est autem notandum* duplicem esse veritatem, vel falsitatem: alteram iudicatiuam, & hæc est conformitas, vel deformitas per modum attributionis vnius ad alterum. Secunda est apprehensiua, quæ solum est conformitas repræsentationis, seu apprehensionis ad rem repræsentatam.

Dico ergo primò: *In sensu externo non est formaliter falsitas, neque deceptio, & dicitur formalis falsitas, quæ contraponitur formali veritati, & consequenter est falsitas, indicatiua.* Est Diu. Thom. 1. part. quæst. 16 artic. 2. quæst. 17. art. 2. quæst. 1. de verit. articul. 9. & 11. *Et ratio est*: quia veritas, vel falsitas iudicatiua debet fieri per compositionem, vel diuisionem, quia respicit esse, vel non esse rei, quod non significatur nisi componendo, aut diuidendo. Hoc autem iudicium compositionis est collatiuum, & consequenter non

potest inueniri in sensu exteriori, qui purè apprehendit obiectum, non autem iudicat comparando vnum alteri, & conferendo, sed ex directa immutatione obiecti apprehendendo: vnde nec reflectit supra suum actum, vt statim dicemus.

An verò in sensu interno possit esse veritas, vel falsitas per modum iudicij, & non solum per modum apprehensionis; S. Thom. *affirmatiuè respondet* in q. 1. de verit. art. 11. vbi loquitur de sensu interno, & affert illud Philosoph. 4. Meth. *Quòd sensus non est dominus falsitatis sed phantasia*, & 1. p. quæst. 78. art. 4. ponit, *quòd sensus interior cognoscit intentiones cum quadam collatione, & comparatione.* Vnde cum habeat collationem, & discursum participet circa singularia, licet non circa vniuersalia, non circa substantiam, non repugnat, quod iudicet de illis comparando, & conferendo, & consequenter, quod falli possit per inadæquationem, vel verificari per adæquationem ad rem.

Dico secundò: *In sensu externo per se non est deceptio apprehensiua circa proprium sensibile, non solum in communi, & quantum ad rationem formalem, quam non potest transgredi, verbi gratia, quod visus non videat coloratum, neque in communi, neque in particulari, hoc enim est impossibile, sed etiam circa obiectum proprium in particulari per se non decipitur sensus, sed solum per accidens; circa sensibile autem commune, vel sensibile per accidens bene potest pati deceptionem.* Est Diu. Thom. tum in 3. de Anim. lect. 8. circa text. 161. tum in 1. part. quæstion. 17. articul. 2. & quæstion. 85. artic. 6. & quæst. 1. de verit. art. 11. Quibus omnibus locis docet, quod circa proprium sensibile sensus externus per se nunquam decipitur, verbi gratia, visus circa colorem, si sit debitè propositus, & medium, vel organum non sit indispositum, sed si medium sit indebite dispositum, aut organum non rectè ordinatum, tunc non per se, sed ex illo accidente decipi potest circa colorem, sicut si medium sit infectum colore viridi, omnia apprehenduntur, vt viridia, & si lingua, quæ est organum gustus si infecta humore amaro, omnia sapiunt amare. At verò circa sensibilia communia, aut sensibilia per accidens potest accidere deceptio ex ipsa propria ratione sensibilis communis, eò quòd ab illo sensus non immutatur immediatè, sed mediante alio, & hoc per se est occasio deceptionis, quia quod per alterum sentitur ex se potest latere, altero apparente, tota autem causa deceptionis inde nascitur, quòd vnum lateat, & alterum appareat, & hoc maximè contingit in deceptione apprehensiua, quæ iudicio mentis præbet occasionem deceptionis, eò quòd apprehendit id, quod apprehendit id, quod apparet, & non manifestat id, quod latet, sicut in colore apparet aurum id, quod in re est auricalchum, si enim totum apprehenderetur, & appareret, non deficeret ipsa apprehẽsio, & sic quãtum est ex vi propositionis obiecti, iudicium non deficeret, nisi voluntarie se vellet auertere ab apprehensione facta, & tunc non esset deceptio, sed voluntaria auersio. Quod non contingit in sensibili proprio per se loquendo, & ex vi sua, cùm per se immediatè imprimat speciem, & moueat sensum, & sic per se immediatè apparet, & non latet quoad aliquid, nec mouet secundum incommensurationem, sed sicut in se est.

Dico tertiò: *Sensus exterior non est reflexiuus super actum suum proprium; neque super ipsam potentiam.* De hac conclusione diuersæ sunt sententiæ, quas refert M. Ban. 1. p. quæst. 78. art. 3. dub. 10. imò & D. Th. aliquando videtur sentire, quod in sensibus potest esse aliqua reflexio, quia cognoscunt se sentire, vt affirmat quæst. 1. de verit. artic. 9. & 3. de Anima lect. 2. & Caiet. 2. de Anima cap. 13. dicit, quod sensus sentit sensationem suam quoad an est, non tamen vt rem cognitam, & reflectendo supra se, quod est exercitè cognoscere se sentire, non autem signate. Et hoc modo fere omnes Authores conueniunt in conclusione prædicta scil. quod sensus non intelligit reflexe sensationem suam, aut se ipsum tanquam rem cognitam. Vnde D. Thom. aperte tenet, quod sensus proprius, seu externus non percipit suum actum, v. g. potentia visiua nõ percipit se videre, sed id spectat ad sensum communem, vt docet 1. p. q. 78. art. 4. ad 2. & in 2. contra Gent. cap. 66. ex eo probat distingui intellectum à sensu, quia sensus non cognoscit se ipsum, nec suam operationem, sensus enim non videt ipsum, nec videt se videre, intellectus autem cognoscit se ipsum. Itaque sensus nullo modo reflectit supra se, ita vt respiciat actum suum, vel se ipsum tanquam rem cognitam, benè tamen attingit ipsum actum vt exercitum: oculus enim videns, hoc ipso quod videt: experitur se esse in actu, & non in otio, sicut quando in tenebris non videt.

Prima pars, scilicet quod non reflectat supra se tanquam supra rem cognitam, *Deducitur* tum ex limitatione obiecti sensus; tum ex materialitate ipsius potentiæ, & organi, in quo est sensus. Ex limitatione quidem, quia obiectum adæquatum sensus externi, verbi gratia visus est res visibilis à qua immutatur, visibile autem est color lucidus, sed ipsa potentia visiua, & actus eius neq; est color, neque est lux, si enim esset, impediretur videre alios colores, videret enim omnes ad modum suum, ergo visio, & potentia visiua non sunt res visibiles, ergo non possunt attingi à visu vt res cognita, & visa, siquidem quidquid non est visibile est extra latitudinem obiecti specificatiui, & adæquati talis potentiæ. Intellectus autem cum habeat pro obiecto ipsum intelligibile, & intelligibile sit ita vniuersale, sicut ens, etiam ipsa potentia intellectiua, & actus eius sicut comprehenduntur sub ente, ita & sub intelligibilitate, atque adeo ita sunt intelligentes, quod etiam sunt intelligibiles, & ita potest intellectus supra se reflectere, non autem potentia visiua, quia non est visibilis.

Ex materialitate etiam organi probatur. Quia potentiæ sensitiuæ operantur modo corporeo & dependenter ab organo corporeo, & vt immutatæ modo corporeo ab obiecto sensibili, sed nihil corporeum potest immutare se ipsum, siquidem omne corporeum agit, vt quantum & extensum, ergo dependenter à contactu, contactus autem non est eiusdem ad se, sed vnius ad alterum siue partis ad partem, siue totius ad totum, ergo immutatio sensibilis non potest fieri eiusdem ad se; sine immutatione autem facta ab obiecto non fit sensatio, quia debet moueri à præsentia obiecti. *Quæ est ratio* D. Thom. 1. p. quæst. 87. art. 3. ad. 3. In intellectu autem non currit, quia non oportet moueri semper ab obiecto, sed potest ipse formare speciem sui ad instar alterius, & cognoscere se. *Et si dicas*, quia etiam spiritualis potentia non potest agere in se ipsam, aliàs esset idem agens, & patiens, mouens, & motum. *Resp.* Quòd intellectus etiam quando se intelligit non est simul mouens, & motum quia mouet se ipsum, in quantum est factus in actum per speciem obiecti, & inde ad instar illius format speciem sui actus tanquam de vno actu se moueat ad alium, ad quem est in potentia. Sensus autem non potest sic reducere se ipsum de potentia ad actum, quia cum sit corporeus, oportet, quod operetur aliquo contactu, non autem solum transeundo de vno actu ad alium in eadem parte, per diuersas autem partes non potest operari, quia vna pars organi non habet totam potentiam, & alia pars aliam potentiam, vt

vt vna operetur in aliam, nisi fortè in sensu tactus, qui ita est extensus per totum corpus, vt vna pars agat per contactum in alium, sed hoc non est reflexio, quæ requirit reditionem super eandem potentiam & eandem partem, in quantum est eadem.

Secunda verò pars, quòd sensus exterior attingat actuum suum, quoad exercitium licet non vt rem cognitam in actu signato, *constat*, quia sensus exterior operatur experiendo id quod cognoscit, & non modo inanimato, nec potest attingere obiectum, nisi vt in exercitio cognitum, quia attendendo, & aduertendo illud attingit, ergo cum aliquali cognitione sui actus in exercitio. Vnde etiam in sensu datur maior, vel minor attentio, & aduertentia, quod vtique non est sine aliqua experientia maiori, vel minori ipsius cognitionis erga obiectum.

Cæterum attingere ipsum actum sensationis externæ, v. g. visionis vt rem cognitam, pertinet ad sensum communem, vt affirmat Aristoteles lib. de somno & vigil. c. 2. lect. 3. apud D. Thom. & in 3. de anima text. 136. quia scilicet aliquo sensu sentimus nos videre, & non sensu proprio, ergo sensu communi, vbi manifeste supponit sensus proprios, seu externos non reflectere supra se ad cognoscendum proprios actus; sed id pertinere ad sensum communem.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, ad ostendendum, quod sensibus conueniat deceptio, & falsitas iudicatiua, vel non conueniat apprehensiua. Nam D. Thom. quæst. 1. de verit. artic. 11. dicit: *Quòd veritas, & falsitas in sensu propriè dicitur secundum quod iudicat de sensibilibus*, est ergo in sensu falsitas iudicatiua, Deinde si non ponitur falsitas apprehensiua maxime est, quia sensus immediatè informatur à specie proprij sensibilis, hoc autem sæpius contingit falli, potest enim ratione distantiæ aliquod album iudicari nigrum, & cœlum apparet cæruleum, & in iride apparent colores, qui veri non sunt: potest etiam sensibile proprium ita paruum esse, quod non sufficiat mouere potentiam, ergo circa illud poterit decipi sensus. *Quod si dicatur*, hoc esse per accidens propter impedimentum potentiæ, vel medij, & distantiam obiecti. *Contra est*, quia etiam circa sensibilia communia non accidit deceptio nisi ratione alicuius impedimenti; si enim medium, & organum sint rectè disposita, & in distantia proportionata ponatur obiectum, semper videtur magnitudo, & figura sicut est in se, siquidem species, quæ informat circa sensibile proprium, etiam informat circa commune tanquam à quo modificatur, ergo non est aliqua differentia inter sensibile proprium, & commune quoad deceptionem.

Confirmatur; Quia sensus, vt decipiatur circa aliquod obiectum, debet apprehendere ipsum aliter quam est, sed non potest apprehendere sensibile commune per propriam speciem illius, aliàs apprehenderet illud sine sensibili proprio, quod supra reiecimus. Ergo apprehenditur per speciem proprij sensibilis, illa autem species repræsentat naturaliter totum id quod repræsentat, ergo si repræsentat sensibile proprium, & commune, sicut non potest decipi circa sensibile proprium, ita nec circa sensibile commune ibi inclusum, quia vtriusque est naturalis similitudo.

Respondet. ad authoritatem D. Thom. quod ibi loquitur de sensu interiori, vt patet in illomet articulo in vltimis verbis corporis, vbi distinguit de sensu, qui cognoscit rem præsentem, & de imaginatione, quæ rem absentem, & hanc dicit, frequenter decipi, illum verò non nisi organum, vel medium sit impeditum. Et ita sensus, qui iudicat de sensibilibus, ita vt sit in illo falsitas, vel veritas, est sensus interior, non exterior. *Ad rationem Respond. solutione ibi datâ Ad replicam Respond.* Quòd circa sensibile commune per se loquendo potest contingere deceptio etiam positis illis conditionibus, vt quando prope nos videmus lignum intra aquam & videtur vt diuisum, & tamen non est distans, neque medium est indebite dispositum, neque organum. Itaque circa sensibilia communia, & per accidens contingit deceptio ex ipsamet ratione talis sensibilis, quia non apparent sensui per se, sed per aliud, & ita fundare possunt latentiam vnius, & apparentiam alterius, quod est causa deceptionis. *Et quando vrgetur* quod sensibile commune informat per speciem sicut sensibile proprium. *Respond.* Quod informat mediatè, scilicet per sensibile proprium, vnde non apparet, neque informat æque immediatè, sed ita quod potest latere, & præbere occasionem deceptioni.

Ad confirm. resp. Quòd sensibile commune non apprehenditur per speciem propriam, & seorsum à sensibili proprio, sed modificans illud, & talis modificatio repræsentatur quidem naturali repræsentatione, sed non æque immediatè cum sensibili proprio, & ita potest confusus informari ab illa specie quoad sensibile commune, & apparentius, seu manifestius quoad proprium, stante autem apparentia vnius, & latentia alterius, seu minori apparentia potest formari iudicium adæquatum circa id quod apparet, & minus adæquatum, seu rectum circa id, quod per se non apparet, & ita datur occasio deceptioni iudicando solum rationem maioris apparentiæ: de eo verò quod magis latet non iudicando sicut est, & sicut apparet per aliud; in vna autem specie licet multa repræsententur naturaliter, sed non omnia æquè immediatè, & clarè, sed inuoluta, sicut in specie hominis repræsentatur quantitas, qualitas, actio, substantia, & alia multa, quæ non omnia æque immediatè repræsentatur, & ex apparentia vnius fit deceptio ad latentiam alterius.

Secundò arguitur contra tertiam conclusionem: quia in primis est contra D. Thom. qui dicit: *Quod sensus redit ad se, licèt non reditione completa, quia scilicet cognoscit actum suum, licet non essentiam suam*, vt constat ex quæstione 1. de verit. artic. 9. & in 3. de Anima lect. 2. imò Aristot. ibid. text. 138. ponens argumentum, quod visu non sentimus nisi colorem, sed visio non est color, ergo non videmus nos videre *Respondetur*, quòd etiam visu discernimus rem non coloratam, vt tenebras, & quod visio licèt non habeat colorem in esse intentionali, habet tamen in esse spirituali, seu intentionali, quia sensus, & sensibile idem est. Sentit ergo, quod sensus cognoscit actum suum, & ita non indiget sensu communi ad illud cognoscendum. *Deinde*, quia aliquis sensus debet reflectere supra se, constat enim, quòd per aliquem sensum cognoscimus nos videre, & audire, vel ergo per eundem, & sic est intentum, vel per alium, & de illo idem inquiretur, quomodò cognoscatur actus eius? & sic vel erit processus in infinitum, vel deueniemus ad aliquem sensum, qui reflectat supra se, materialitas ergo non obstat reflexioni.

Confirm. Quia si sensus communis, verbi gratia, & non proprius sentit ipsum actum visionis, ergo etiam sentiet colorem, qui est obiectum visionis, aliàs non perciperet distinctionem visionis albi à visione nigri, sed color cum sit specificatiuum visus, non potest

test pertinere ad duplicem potentiam, ergo non cognoscitur à sensu communi, sed à propria potentia visiua. Neque etiam apparet, quomodo visio speciem sui producat in sensu communi, vt possit illam percipere.

Respond. Quod attinet ad mentem Aristot. & D. Thom. satis clarè colligi ex locis supra additis, vbi apertè negant istam reflexionem. Et ita loca allata possunt dupliciter intelligi. Primò, quòd quando ponunt sensum reflectere, seu redire ad se imperfectè, seu incompletè, loquuntur de reflexione, non quæ respicit actum, vt rem cognitam, quæ est perfecta, & propria reflexio, sed quæ respicit actum vt in ipso exercitio expertum, & sic sentiendo, & experiendo obiectum, cognoscitur actus, quo tangitur.

Secundò Respond. Quòd quando dicunt sensum redire ratione incompleta, loquuntur non de sensu externo solùm, sed de toto genere sensibilis cognitionis includendo etiam sensum communem, & sensus internos, & de toto isto genere, seu collectione est certum, quòd in sensu, id est in toto isto genere potentiarum sensitiuarum datur reditio incompleta, quatenùs aliquis cognoscit se videre, aut audire, non per proprium sensum externum, sed per internum, & vnus internus per alium, vel per intellectum, & ista reflexio non est completa, seu perfecta, quia non est eiusdem numero potentiæ supra se ipsam.

Ad rationem Respond. Quod in homine non currit argumentum, si quidem actum sensus interioris cognoscit intellectus, & sic non est processus in infinitum, quia etiam intellectus se cognoscit. In brutis autem non est necesse ponere, quòd sensus interiores cognoscunt reflexè suos actus, quia sensus interni in brutis operantur per instinctum naturalem, non per collationem, & ita non oportet, quòd de actibus suis internis iudicent, vel apprehendant, oportuit autem, quod exteriores actus & sensationes apprehenderentur ab animali, quia animal debet mouere sensus externos ad quærenda obiecta conuenientia, & fugienda nociua, & ita oportuit de eorum actibus habere cognitionem, vt ad illos moueri, vel retineri possint, quando conuenit; quæ ratio non currit in actibus sensuum internorum, quia purè aguntur instinctu in brutis, & non vt moti ab alio sensu, vel ab intellectu.

Ad confirm. Respond. Quòd omnia obiecta sensuum exteriorum attinguntur à sensu communi, vel phantasia, & similiter actus sensuum exteriorum sub altiori ratione formali, & secundum distinctam immutationem, quàm in sensibus externis, cognoscuntur enim à sensu communi non secundùm particularem modum, quâ in quolibet sensu attinguntur, sed secundùm communem modum, quo inter se sunt comparabilia ista obiecta, & similiter attinguntur actus ipsorum sensuum externorum, de quibus constat recordari animal, & in somno aliquando repræsentari. Non repugnat autem idem obiectum materiale pertinere ad diuersas potentias secundum diuersas rationes formales. *Quod verò dicitur* de specie ipsa producta à visione. *Respond.* Non esse necesse, quod à sensu visus mittatur ad sensum internum species peculiariter, & seorsum repræsentans visionis actum, sed producendo speciem repræsentantem obiectum suum, non quomodocumque, & vt est ad extra, sed extra, sed vt est cognitum ab ipso visu, sic inuoluitur in tali repræsentatione ipse actus visionis, quatenùs obiectum repræsentatur vt visum, de quo amplius dicetur quæst. 7.

QVÆSTIO V.

De Sensibus externis in particulari quoad se.

IN Sensibus quatuor considerantur, potentia, actus, medium per quod obiectum mouet, & obiectum ipsum, seu species eius. De obiecto, & speciebus cuiuscumque sensus externi agemus quæst. sequent. *In præsenti autem de potentia, actu, & medio; pertinet enim ipsum medium, præsertim internum ad ipsum organum, in quo est potentia, & ita non potest conuenienter agi de potentia sensitiua secundum se, nisi agendo etiam de medio, per quod immutatur.*

ARTICVLVS I.

Quod sit subiectum potentiæ visiuæ, & medium illius?

CIrca primum, scilicet subiectum seu organum visus, licet apud omnes constet potentiam hanc esse in oculis, tamen quia fabrica oculorum constat ex variis, & diuersis partibus tam externis, quàm internis, *controuersia est inter Authores*, in quanam parte ex illis inhæreat potentia visiua, & perficiatur visio. Et ideò vt punctum difficultatis attingamus, breuiter præsupponenda est ipsa oculorum fabrica, & contextura, vt possimus disputare, in quanam parte determinatè sit potentia visiua.

Igitur tota fabrica oculorum in tres præcipuas partes distribuitur: prima pertinet ad exteriorem situm, & quasi aditum ipsum oculorum, qui constat orbiculari illa figura in modum oui parui, sicut exterius videmus, & palpebris ipsis tegitur, ac superciliis cingitur. Secunda pars est ipsummet oculorum organum, quod interius quinque tunicis, tribusque humoribus constat, aliísque musculis, venis, & similibus instrumentis, tùm ad oculorum motum, tum ad spirituum animalium subministrationem requisitis. Tertia pars est intima, nec nobis patet, qua videlicet oculi continuantur ad cerebrum, vnde participant spiritus subtilissimos ad visionem requisitos, & illa continuatio fit per duos neruos, qui optici dicuntur, & è cerebro descendentes inter se vniuntur, & inde iterum in duos ramos diuisi, alter ad sinistrum oculum, alter ad dexterum terminatur. De prima parte, seu exteriori fabrica oculorum non est specialis difficultas, nec aliquid explicandum in particulari.

In secunda autem parte, seu in ipsomet organo visus inueniuntur tres humores. Quidam nimis perlucidus, qui *chrystallinus* dicitur, & vsque & exteriorem

riorem oculi faciem se extendit, éstque ipsa pupilla, licèt aliquando nigricantis coloris appareat, tùm propter humoris copiam, quæ tota videri non potest, sicut quando aqua est profunda, tùm propter quandam tunicam, quam habet sibi substratam, vt mox dicemus, quæ diuersos oculorum colores constituit. Secundus humor est *vitreus*, qui & si sit splendens, & transparens minus tamen, quam chystallinus, sed ad modum vitri in fornace decocti se habet. Iste à parte interiori circũdat, & recipit humorem chrystallinum, sed non totaliter illum concludit, quia à parte exteriori in superficie manet detecta pupilla, vt recipiat lumen, & species. Tertius humor est *albugineus* similis albo oui, qui totam cauitatem oculi replet, vt videmus, & intra ipsum recipiuntur illi duo humores vitreus, & chrystallinus, qui pupillam componunt, & deseruit ad illam humectandam, & fouendam, quia delicatissima est.

Sunt autem in isto organo visus quinque tunicæ, seu membranæ. Prima, & magis interior dicitur *specularis* ob translucentiam, & similiter aranea ob subtilitatem. Secunda dicitur *reticularis*, quia in modum retis multis arterijs, & venulis intexitur. Tertia dicitur *vuea* à similitudine coloris vuæ in folliculo seu superficie, si detrahatur, & ab hac tunica, quæ posita est sub humore chrystallino deducuntur varij oculorum colores, nam alij sunt nigri, alij cærulei, alij cæsij, alij caprini, &c. Quarta dicitur *cornea*, quia tenuis, & splendida, ac fortis est sicut cornu. Quinta, dicitur *adnata*, seu adhærens, quia totum oculum fouet, & consistere facit, & etiam dicitur alba à colore, quem habet. De quibus videri potest Galen. 10. de vsu partium, cap. 1. & 2. Vesalius, libr. 14. anathomes, capit. 8. Valuerde, lib. 7. Simon Portius, libr. de coloribus oculorum, capit 3. & ex Philosophis recentioribus Bannez, prima parte, quæst. 78. tract. de visu. dub. 2. Suarez, libr. 3. de Anim. capit. 18. Conimbric. 2. de Anim. capit. 7. quæstione 6. Carmelitan. hîc disput. 10. quæstione 6. Quo autem ordine, & situatione ponantur istæ tunicæ, & humores non multum refert ad præsens institutum. *Sed dicimus*, quod humori chrystallino, & vitreo includendi ipsum deseruiunt quatuor tunicæ, quæ illum circumdant, scilicet, specularis, quæ est magis interior, secundò reticularis, tertiò vuea, quartò cornea. Istæ duæ vltimæ continent pupillam, & cornea data est illi in munimentum, vuea est sub pupilla: relinquendo illam nudam ex parte exteriori vt recipiat species, reticularis ambit humorem vitreum vsque ad chrystallinum, quia ei supernatat, & per eam ministrantur spiritus, & sanguis, qui in humore chrystallino, & vitreo non est, quia caret venis. Denique humori albugineo deseruit tunica adnata, seu alba, quæ foris, & pinguis est & alio nomine dicitur pericranium.

Quod attinet ad tertiam, & interiorem partem oculi, quâ communicatur cerebro, & cónsistit in illis neruis opticis, seu visoriis, non est aliquod peculiare artificium, quod explicemus, sed illi à cerebro proficiscuntur, alter à parte dextra, alter à sinistra, & aliquantulum progressi coniunguntur inter se, & rursus separantur vnusquisque ad diuersum oculum. Vestiti sunt autem duplici membrana, interna tenui, & externa dura, ex illisque ortum habent tunica vuea, & cornea, & per illas communicantur spiritus visorij, & ab oculis ascendunt species ad sensum communem. Et hæc omnia fere ex ipsa experientia anathomicæ dissectionis constant.

His suppositis, tota difficultas de sede potentiæ visiuæ reducitur ad duas opiniones. *Prima* illam collocat in pupilla, seu chrystallo, estque multorum sententia, quos referunt, & sequuntur Conimb. citat. loco qu. 7. artic. 2. Suar. cit. loc. de Anim. Rub. tract. de sensu visus, quæst. 8. & alij. *Fundamentum est duplex. Primum* ex ipsa qualitate pupillæ, quæ est omnino perlucida, & splendida, tenera, & mollis, & præcipua inter omnia, quæ organum visus constituunt, reliqua enim siue tunicæ, siue humores, illi vt principaliori deseruiunt, vel ad ornatum, vel ad defensionem, ergo conuenienter illa ponitur potentia visiua. Nam ex eo quod transparens est, caret omni colore oportet autem eo carere organum visus, quia vt dicit D. Thom. 1. part. quæstion. 75. artic. 2. & in hoc 2. de Anim. lection. 17. pupilla debet carere omni colore, vt possit omnes colores percipere. Similiter ex eo quod est tenera, & mollis facile immutatur ab obiectis externis per species. Et denique quia præcipuum est inter omnia, quæ concurrunt ad structuram oculorum, reliqua verò ei deseruiunt. *Alterum fundamentum est à posteriori*, quia læsa pupilla perditur irreparabiliter potentia visiua, si autem lædantur alij humores, aut tunicæ non est irreparabilis visus, vt multi Medici affirmant apud Suar. loco citato, ergo signum est in pupilla subiectari potentiam visiuam. Denique in neruis non potest consistere, quia non rectè dicitur, quod nerui videant, sed per eos ministrantur spiritus animales ad videndum, ergo in eis non est potentia visiua. *Secunda sententia* collocat potentiam visiuam in ipsis neruis opticis tanquã in principali parte organi visus. Hoc videtur tradi pluribus locis à D. Th. præsertim libr. de sens. & sensat. lect. 5. circa illa verba Aristot. *Non in vltimo oculi* (id est in superficie) *Anima, aut Animæ sensitiuum est, sed manifestum quoniam interius.* Vbi S. D. explicat. *Quòd principium visionis est interius iuxta cerebrum vbi coniunguntur duo nerui, & ideò oportet, quòd intra oculum sit aliquid perspicuum receptiuum luminis, vt sit vniformis immutatio à re visa vsque ad potentiam visiuam.* Et idem confirmat. lect. 21. eiusdem libri dicens: *Quòd si aliquis dicat, quòd sicut sunt duo organa visus, scilicet duo oculi, ita nihil prohibet in anima esse duos visus: dicendum est hoc esse falsum, quia ex duobus oculis fit aliquid vnum, & vna est operatio amborum, in quantum, scilicet visio vtriusque oculi concurrit per quosdam neruos ad aliquid intrinsecum in suum organum, quod est circa cerebrum.* Et tandem in opusc. 43. c. 3. dicit: *Quòd organum proximum, & extrinsecum visus sunt oculi primum autem, & intrinsecum sunt nerui visuales.* Quare S. Thom. negat pupillam pertinere ad organum visus, sicut etiam lect. illa 5. de sens. dicit, sed vlterius affirmat, pupillam se habere vt organum externum, nec ibi consummari visionem, sed intra in neruis visualibus.

Nec potest dici cum Rubio, quod loquitur S. Thom. de organo, seu principio visiuo radicali, non de proximo, & formali. *Contra enim est*, quia radicale principium est cerebrum, à quo omnes sensus originantur, ergo si solùm assignaret D. Thom. organum radile visus, assignaret commune principium, & omnium sensuum, atque adeo nihil speciale notificaret de sensu visus, de quo illo loco agebat. Et incongrua ratione procederet, ponendo visum consummari in neruis visoriis, eo quod visus debet esse vnus, si hoc probaret ex vnitate radicali organi, in quo omnes sensus radicantur, sic enim non probaret vnitatem principij visiui proximi, sed vnitatem principij radicalis omnium sensuum exteriorum, quod esset contra suum intentum de vnitate visionis in sensu visus.

Fundamentum autem sumitur ex dictis, quia potentia visiua est vna, & visio elicita circa vnum obiectum est vna, ergo oportet, quòd habeat vnum subiectum, facta

facta autem diuisione, sicut discontinuantur alia accidentia, vt color, calor, &c. ita & potentia visiua, quæ vtique corporea est, diuidetur in diuersis illis partibus,& ita habebit anima duas potentias visiuas, & duas auditiuas, si quælibet earum subiectatur in diuersis organis, id est in duplici pupilla externa. *Quod si dicatur*, quòd licèt pupillæ sint duæ exterius, intus tamen colligantur in aliquo vno: hoc est nostrum intentum, quia in illo vno, in quo colligantur erit vnica illa potentia, non autem colligantur, nisi in neruis visoriis, eò quod tota massa pupillæ, & humoris vitrei diuiditur in duobus organis & cauernis oculorum.

Dices, potentias visiuas reuerà esse duas, sicut & pupillæ duæ sunt,& visio quæ est actio immanens, & consequenter subiectatur in potentia, à qua elicitur, est duplex, vt etiam concedit Suarez & Conimb. & oppositæ sententiæ Authores; & tamen non videntur obiecta duplicata, non quidem propter coniunctionem neruorum, sed quia in eodem situ & ordine,& sub eodem axe, vt loquuntur perfectiui obiectum propositum intuemur: vnde si axes ipsi oculorum inæqualitatem aliquam habeant, vt cum aliquis comprimemdo oculum, eleuat aliquantulum pupillam, res videntur geminatæ, sicut etiam cum in aliquibus inspicillis habentibus plures angulos refranguntur imagines, etiam res apparent multiplicatæ per illos, cum tamen in omnibus istis casibus nerui maneant æque coniuncti, non ergo ex eorum coniunctione vnitas visionis prouenit, neque ex diuisione geminatio rei visæ. Adde quod vt refert Vesalius, lib.4.de fabr. corp. humani c.4. ipse in anathome cuiusdam capitis reperit neruos illos non coniungi, sed diuisos à cerebro ad oculos peruenire, & tamen ille homo non videbat obiecta geminata, sed sicut alia simplicia.

Respondetur, nos non facere vim in eo quod obiecta videantur geminata positis duobus oculis, sed quia superfluit ponere duas visiones, & duas potentias de eadem re indiuidualiter solum diuersas, sicut enim sufficit vnus gustus pro omnibus saporibus, & vnus odoratus pro omnibus odoribus, & vnus intellectus pro omnibus intelligibilibus, cur non sufficiet vnus visus pro omnibus visibilibus; An quia natura prouidit duas potentias, vt si vna amitteretur, altera remaneret? Sed hac ratione etiam posset prouidere tres, vel quatuor, aut plures, vt si plures deficerent, aliqua saltem remaneret. Itaque licet duo oculi deseruiant ad recipiendas species ab obiectis per duplicem lineam rectam, tamen non ibi consummatur visio, nisi vt ipsi oculi inter se coniunguntur, vt sit vna potentia,& vna visio, quam coniunctionem non videmus fieri, nisi vbi nerui visorij coniunguntur. Et huius signum etiam affert Aristot. in illo lib. de sens. & sensat. lect.5. citata apud Diu. Thom. *Quia hi, qui vulnerantur circa tempora scissis poris, qui continuant pupillam visiuo principio, subito fiunt tenebræ per visus amissionem, sicut si lucerna extinguatur est enim pupilla, quasi lampas quædam illuminata exteriori lumine, & ideò quando præscinduntur pori continuantes pupillam principio visiuo, non potest lumen huius lampadis vsque ad visiuum principium peruenire, & ideo visus obscuratur.* sic ibi. Quare rectè D. Thom. in libr. de sensat. lection. 21. dixit: *Quòd non est dicendum esse duos visus, seu duas potentias visiuas, ex eo quòd sunt duo oculi, seu duo organa, quia ex illis duobus fit aliquid vnum, & vna operatio amborum.* Atque ita totum inconueniens Aristot. & D. Thom. sistit in hoc, quòd non ponantur plures potentiæ visiuæ, & plures visiones circa idem, quia superfluit altera,& sunt duo accidentia solo numero diuersa ab eadem anima. Quod verò inde sequatur videri obiecta geminata non inferunt; nam etiam in diuersis hominibus aspicientibus idem obiectum per diuersas visiones, omnes vident obiectum vt vnum, non vt geminatum: tunc vero obiectum vt geminatum videtur, quando species ita refranguntur, quòd mutant lineas,& videntur, sicut si à diuersis locis seu partibus species emitterentur. Neque enim species visibilis emittitur ab obiecto indiuisibili modo, sed secundùm latitudinem medij, ita quòd à quocunque oculo ibi posito, idem videatur, & ita siue vnus, siue plures oculi in illo medio ponantur, idem obiectum videbunt, quia sub eadem linea tendunt species; & sic imaginantur perspectiui, quòd species visibiles comparantur ab obiecto ad oculum per modum pyramidis, cuius basis sit in obiecto, & cuspis in oculo; si vero species refrangantur, ita quòd mutentur lineæ, per quas emittuntur, tot videntur obiecta, quod refractiones, vt constat in perspicillis plurium angulorum,& tunc obiecta videntur, quasi in pluribus locis constituta, quia sub diuersis lineis species diuiduntur.

Quòd verò dicitur de his, qui neruos visorios non habent coniunctos, *dicitur*, imprimis rem illam esse incertam; & dato quòd ita fuerit, fortassis in ipsa morte fuerunt nerui illi laxati ex aliqua causa, & sic diuisi, sicut inuenti fuerunt in anathome. Vel tertio potuerunt habere aliquem alium modum coniunctionis, v.g. per aliquas fibras vel tenues ramusculos, qui non ita potuerunt discerni facta scissione, & sic aliquo modo fuerunt vniti, vt in eis vnica potentia visiua poneretur.

Adhuc tamen Instabis: quia non apparet quomodo potentia visiua occupare possit totum organum ab oculis vsque ad neruos illos, nam in oculis etiam dari potentiam visiuam negari non potest secundùm Aristot. & D. Thom. qui dicunt organum visus esse naturæ aqueæ, vt patet in lib. de sens.& sensat. lect.4. & 2. de Anim. lect.17. non autem apparet quo modo incipiat visio in pupilla,& cõsummetur in neruis, quia sic potentiæ in oculis essent diuisæ, & consequenter plures, licet in neruis esset vna. *Confirmatur*, quia in pupilla, & in neruis sunt oppositæ qualitates in ordine ad videndum, nam pupilla est diaphana, & expers omnis coloris, ideoque omnium colorum perceptiua, nerui autem sunt terrestres, & colorem habentes suffuscum, sicque non omnes colores poterunt percipere: imò impediuntur ipsi nerui videre, quia sunt interius post omnes tunicas oculorum, quæ impediunt transparentiam pupillæ, præsertim tunica vuea, quæ colorem habet, & reticularis, quæ densior est, & habet venas & humorem albugineum, qui est coloris albi, & sic omnia videntur alba. *Confirmatur secundò*, quia pupilla est terminata aliquo opaco, sicut specula terminata sunt, id enim requiritur, vt illæ species ibi sistant, & refrangantur, vt experientia constat, quia vnus homo intuetur imaginem sui in pupilla alterius, sicut in speculo, ergo non potest visio formari in neruis, qui sunt post pupillam, quia illuc species non perueniunt impediente opacitate illa quæ terminat pupillam. Denique est difficile, quomodo ipse humor chystallinus debeat esse organum visus etiam partiale. Tum quia reuera non est purè diaphana pupilla, cùm sit aliquo modo nigricans: tum quia oculi sunt naturæ igneæ, quod indicat fulgor, qui confricatis oculis aliquando apparet, & ex aliquorum animalium oculis eiaculatur, ergo non sunt naturæ aqueæ.

Respondetur, nullum esse inconueniens quòd organum visus sit quoddam etherogeneum, cuius exterior

rior pars sit crystallina, vt recipiat lucem, & sicut D. Thom. vbi supra, sit quasi lampas illuminata lumine exteriori, interior verò pars in neruis illis consummetur, & ibi species vniantur, vt fiat vnica visio, dependet vero à duplici crystallo, seu pupilla quasi duabus viis ad extra procedendo, vt facilius haurire possit species ex omni parte vnientes. Neque hoc est ponere plures potentias, & postea vnum, sed solum vnam potentiam subiectiuè ponimus in illo concursu interiori oculorum, dispositiuè autem, & ministratiuè in crystalloide, quæ diuiditur in duobus oculis, & ibi fit prima actio dispositiua, & inchoatiua ad videndum scilicet haurire species intra se, ad quod requiritur pars diaphana deinde fit visio, quod pertinet ad ipsam partem interiorem, vbi vtriusque oculi, & specierum haustarum fit concursus.

Ad primam confirmationem respondetur, illa omnia procedere ex falsa imaginatione, quasi nerui visorij terminentur extra omnes tunicas & humores, ita quod non tangant, nec immergantur in ipso humore crystallino, quasi fistulæ quædam per quas à pupilla attrahuntur species, quas in omni opinione necesse est attrahi per neruos, tum vt ab ipsa pupilla ad sensum communem ascendant species: tum vt spiritus animales à cerebro descendant ad pupillam. Sunt autem nerui illi perspicui, & non terrestres, nec subfusci, quia ex ipso cerebro, quod est frigidum & humidum, perspicuitatem illam participant. Sic ergo pupilla est quidem magis diaphana, & ita melius ebibit species, & deseruit tanquam medium organicum & intrinsecum, vt in organo recipiantur species. Nerui autem illi habent quidem perspicuitatem, sed non ita perfectam sicut crystallum, & ideo magis seruiunt ad vniendum species, quàm ad recipiendum & hauriendum à medio extrinseco, oportet enim id, quod continuatur cum medio extrinseco esse magis transparens, sicut est ipsa superficies pupillæ, deinde vitreus humor minus est transparens, & deinde nerui visorij, in quibus species vniuntur, & consummatur visio, minus sunt transparentes, licet habeant id, quod sufficit ad recipiendum species visibiles, vt dictum est,

Ad secundam confirmationem respondetur, pupillam non esse terminatam opaco, sicut speculum, sed esse spissiorem in parte interiori, seu in centro, & hoc sufficit, vt ibi species refrangantur, & possit rei exterioris imago resultare, non enim solũ imago resultat in speculo terminato per opacũ, sed etiam in corpore diaphano, quando inspissatur in parte interiori, sicut patet in aqua, in qua redditur imago, sicut in speculo, non quia terminatur opaco, sed propter ipsam copiam aquæ causantis illam reflexionem. Similiter ergo non repugnat, quòd per crystalloidem, & humorem vitreum species transeat, & attrahatur per ipsos neruos, qui intra pupillam immerguntur, & tamen quod ipsa pupilla ob copiam humoris reddat imaginem rei exterioris, sicut aqua vt dictum est,

Ad vltimum dicitur: pupillam in se esse diaphanam, videri tamen nigricantem, tum propter copiam humoris, qui non omninò penetratur à visu, & sic videtur, sicut visio maris, quod aliquo modo nigricare videtur; tum ob tunicas, quibus vestitur, & à quibus colorem aliquem referre videtur. *Quod verò dicitur de ignea natura. Respondetur*, oculum potius esse aqueum, quia participat naturam diaphani & lucidi: dicitur tamen igneæ naturæ non propter caliditatem sed propter splendorem, seu fulgorem, quem participat, & qui prouenit à spiritibus, qui sunt subtilissimi, & calidissimi, sicut quædam substantia splendida, & aliquando foras emittit aliquid splendoris: cuius signum est, quia tunc magis resplendent oculi, quando fit magna commotio spirituum, vt in vehementia iræ, vel in ardore concupiscentiæ, tunc enim sublucent oculi propter multitudinem spirituum; De quo videatur S. Thom. lib. de sens. & sensat. lect. 3.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ patet ex dictis. Ad primam enim dicitur, pupillam esse ita dispositam, vt possit esse organum visus pro parte exteriori ad hauriendum species, non tamen totale organum, in quo visu consummatur. Quod verò organum visus debeat esse expers omnis coloris, vt omnes videat, verum quidem est, sed hoc non solum inuenitur in pupilla, sed etiam in neruis visoriis ei immersis, licet magis perspicua sit pupilla, quia immediatè accipit species visibiles. Et hoc dicit D. Thom. conuenire pupillæ, sed non soli, neque in ea sola totum organum visus esse.

Ad secundum respondetur, non solùm læsâ pupillâ, sed etiam læsis neruis continuantibus pupillam cum principio visus, quod est prope cerebrum, extingui visum, vt docet Arist. & D. Thom. lib. de sens. & sensat. lect. 5. & sic non potest inde sumi argumentum, quod magis sit in pupilla, quam in neruis, sed quod vtrumque pertineat ad organum visus, vnum, externe, aliud intimè, vt explicauimus.

Ad vltimum dicitur: quòd nerui vident eliciendo visionem, pupilla verò introducendo species, & accipiendo à medio in potentiam quæ est inchoatio quædam dispositiua ad visionem. Neque inconuenit, quòd per illos neruos descendat spiritus à cerebro, & simul ibi consumetur visio, vbi est eorum concursus.

Circa secundum punctum huius quæstionis, scil. quodnam sit medium visus, supponimus requiri medium, & inquirimus quale esse debeat. Et primum constat, tum quia obiectum absens non potest videri: tum quia non debet esse immediatè positum supra sensum, ergo requirit præsentiam obiecti cum aliquo medio, id est, sine immediata coniunctione ad visum, & hoc secundum probauimus quæst. præcedenti, art. 3. Primum verò ostendemus quæst. seq. art. 1. generaliter de omni sensu externo. Secundum autem quod in præsenti inquirimus, est, quale medium sit? Et constat debere esse perspicuum, seu diaphanum illuminatum, neque enim alio medio potest reddi obiectum visibile, vel species continuari vsque ad oculum. Quomodo autem requiratur lumen non solum ex parte obiecti, sed etiam ex parte medij ostendemus quæst. seq. Nunc experientia ipsa sufficit, quia videmus per carentiam lucis, aut per opacitatem impedientem diaphanum cessare visionem, ergo ex parte medij, quo defertur species rei, & mediante quo continuatur, seu applicatur obiectum ipsi visui requiritur perspicuum, seu diaphanum illuminatum.

An verò requiratur aliquis aër vel sufficiat quodcunque corpus diaphanum sine aliquo aëre? *Respondetur*, de necessitate non requiri aërem, tum quia posito crystallo, vel vitro immediatè supra oculos potest videri obiectum post ipsum vitrum existens; tum quia in cœlo oculi Beatorum videbunt, vbi tamen nihil aëris datur, tum quia pisces intra aquam vident, dummodo crassitudo aquæ non impediat lucem, aliàs ad quid illis darentur oculi à natura, si intra aquam non viderent? Sufficit ergo quodcunque perspicuum, licet nos per aërem melius videamus.

ARTICVLVS II.

Quomodò fiat actio videndi, & quid sit?

DE actu visionis tria possunt inquiri: Primum quid sit, an sola apprehensio obiecti, an etiam iudicium. Secundum, quomodo fiat, an emittendo aliquid extra se, an recipiendo ab obiecto, & immanenter operando. Tertium ex parte termini, an producat aliquid idolum, in quo obiectum videatur & terminetur ipsa actio visiua. De hoc vltimo agemus quæst. sequ. artic. 3. vbi id de omnibus sensibus tractabitur. In præsenti solùm expediemus duas primas difficultates.

Circa primum, distinguere oportet de iudicio, quod est cum collatione, seu comparatione extremorum, vel quod est simplex discretio vnius ab alio, & largo modo potest vocari iudicium. Vt enim latius dicemus in quæst. 11. tria in iudicio inueniuntur. Primum est præsuppositiuè, scil. comparatio vnius ad alterum, qua dicitur hoc esse illud, seu non esse, pertinetque ad propositionem apprehensiuam. Secundum formaliter pertinet ad iudicium, scilicet determinatio potentiæ, & adhæsio ad vnam partem, quod fit per assensum, seu dissensum. Tertium quod ad istam additionem consequitur, scilicet discretio vnius ab alio, qua ita iudicatur vnum, quod reiicitur aliud, non conueniens tali rei iudicatæ, sicut etiam in electione, quæ correspondet iudicio inuenitur discretio vnius præ alio. Quod autem illud primum, scil. comparatio distinguatur à secundo, quod est assensus, sicut propositio apprehensiua, & iudicatiua, constat ex his quæ diximus 1. parte Logicæ q. 5. & amplius dicemus, inf. q. 11. a. 3.

Hoc supposito constat, quòd in visu, & in aliis sensibus externis non potest dari iudicium quantum ad assensum, & comparationem, sed solum quantum ad discretionem simplici modo, non compositiuo, quod est iudicium imperfecto modo: in nobis tamen potest in sensu interno, qui est cogitatiua dari iudicium secundùm aliquam comparationem, vel collationem, vt latiùs dicemus infra quæstione 7. artic. 3. Sumitúrque hoc ex D. Thom. quæst. 1. de verit. artic. 11. vbi iudicium per collationem, & compositionem aliis sensibus negat præter cogitatiuam, & ita iudicium naturale, quod tribuit sensibus, solum intelligitur de iudicio imperfecto discretionis, quod enim fit cum aliqua collatione, seu resolutione, discursum aliquem importat, & comparationem inter extrema, quod totum excedit rationem specificam sensus externi, qui solùm tendit in suum sensibile illo simplici modo, quo immutatur ab eius præsentia.

Quòd verò detur in sensu externo illud iudicium imperfectum discretionis apprehensiuæ, *constat*, quia ad discernendum vnum ab alio non requiritur collatio, sed sufficit distincta immutatio, quæ sentiatur, & experiatur, visus autem experitur aliter se sentire nigrum, aliter album, & auris aliter audire sonum acutum, aliter grauem, & lingua aliter sentit amarum, aliter dulce, ergo discernit istas differentias, siquidem diuerso modo sentit vnum & aliud, licet non conferat. Vnde dicitur Iob. 12. *Nonne auris verba diiudicat, & fauces comedentis saporem*; Et in hoc sensu Aristot. dicit 2. topicor. cap. 2. *Quod iudicare se habet vt genus ad sentire, & intelligere.* Et 2. de Anima text. 63. dicit *Sensum indicare de sensibilibus propriis*, vbi videri potest D. Thom. lect. 13. verificatur enim de iudicio quantum ad discretionem sentiendi differentias illas, vt dictum est.

Circa secundum punctum fuit antiqua Platonis opinio, quod visio fiebat per emissionem radiorum visualium ab oculis, quæ luci externæ se continuando, visionem efficerent; quam sententiam sequutus est Galen. 7. de placitis Hippocratis, & Platonis, & libr. 10. de vsu partium in fine, & multi ex antiquis Platonicis, licèt non eodem modo ab illis explicetur. *Quidam enim* dixerunt emitti ab oculis radios, seu spiritum lucidum, à quo medium alteratur, indéque splendor quidam peruenit vsque ad obiectum visibile, & cum speciebus commixtus perficit visionem. Sed quia isti negant species obiecti peruenire ad visum, quod non negauit Plato, ideo iste modus non explicat sententiam Platonis. *Alij* ergo ponunt radios illos emitti ab oculis, & pertingere vsque ad ipsum visibile, vel saltem vsque ad certam distantiam, ad quam perueniunt species visibiles & inde radios illos simul cum speciebus reuerti ad oculum, in eoque visionem perficere. *Alij* denique dicunt species ipsas prius ad oculos peruenire, & postea egredi spiritus illos, seu radios ab oculis per aërem vsque ad certam distantiam, & in illis esse virtutem formandi visionem in aëre, cum approximant obiecto. Ita Valles lib. 2. controuers. cap. 28.

Nihilominùs omnino dicendum est cum schola Peripathetica, *Visionem non fieri per illam missionem radiorum, sed recipiendo in se species obiecti, potentiam illis actuatam formare visionem tanquam actum in ipsa manentem, & nihil extra se producentem.* Ita Aristot. in lib. de sens. & sensato. capit. 2. & D. Thom. ibi lect. 4. de quibus etiam videri potest Magister Bann. 1. part. quæstione 78. artic. 3. tractatu de visu in fin. Conimb. 2. de Anima cap. 7. quæstione 5. Suarez. lib. 3. capit. 17. *Fundamentum sumitur primò*, quia visio est actus vitalis, ergo elici debet à potentia vitali, & à concursu animæ, nec sufficit media virtute diffusa elici in aëre, quia sic primò inciperet visio vbi non est principium vitale, scilicet extra ipsum videntem, & sic illa visio non esset actio vitalis. Neque est simile de generatione, quæ mediante virtute decisa à generante fit, nam illa virtus decisa nisi coniungatur viuenti, verbi gratia fœminæ non potest vitaliter generare, sed fiet generatio virtute cœli, sicut cum semina plantarum mandantur terræ. Adde, quòd visio est actus immanens, quæ solum reddit videntem, non verò alterat id, quod est extra se, ergo debet perfici in ipso oculo, non verò in aëre, seu in aliquo extra videntem. *Secundò*, quia ille radius emissus ab oculo, vel est aliquod corpus, vel aliquod accidens, v.g. aliqua lux, vel splendor. Non primum, quia tale corpus, vel moueretur motu locali ab oculo ad obiectum, & sic visio non fieret in instanti, sicut nec motus localis, nec posset ad rem valdè distantem, v.g. vsque ad cœlum peruenire illud corpus, nisi multo tempore, & requireret magnam quantitatem ex oculis emitti ad tam varia obiecta, quæ conspicit, & sic valde attenuaretur, vel corpus illud non moueretur motu locali, sed per multiplicationem, & generationem in ipso medio, & sic non posset fieri sine corruptione ipsius medij, in quo fieret illa generatio, & multiplicatio corporis nec posset fieri in instanti, sed in multo tempore. Si autem ille radius emissus est accidens, v.g. aliqua lux, vel splendor, vel debet peruenire vsque ad ipsum visibile, vel solum vsque ad aliquam distantiam. Primum esse non potest, quia à tantillo corpore, qualis est pupilla non potest emanare splendor, vel lux, quæ perueniat ad tantam distantiam, sicut sunt omnia visibilia, quæ videmus etiam vsque ad ipsum cœlum, cùm maior sit splendor alicuius lucernæ, vel ignis, qui tamen ad tantam distantiam non peruenit; imò si tantum splendorem

suffi

sufficit eiaculari oculus, non est ratio cur de nocte non videat, illuminando medium. Si verò solùm vsque ad certam distantiam peruenit, in primis non est assignabilis, nisi diuinando, quanta sit illa distantia, ad quam potest peruenire. Deinde, si perueniat ad talem distantiam verbi gratia viginti palmorum, & hoc sufficit, vt ibi fiat visio cum speciebus ad illum locum peruenientibus, ergo si in illo loco ponatur oculus cum eisdem speciebus videbit, etiamsi radios non emittat, denique non potest fieri reflexio illius lucis vsque ad ipsum oculum, præsertim quando visibile est in magna distantia, vt cœlum, nam Sol cùm sit corpus ita magnum, & tantâ luce præditum, non potest radios suos reflectere vsque ad se, quomodò ergo poterit oculus existens in terra emittere radios illos vsque ad ipsum solem, & iterum reflectere vsque ad se?

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

OBijcies primò, authoritatem Philosophi, qui in secundo de cœl. text. 49. inquit: *Nihil differre vtrum dicamus visum moueri ad res, vel visibile ad visum.* Et in problemat. sect. 31. problemate 16. ait: *Luscos contractis oculis propterea videre, quia radius exiens per angustiorem locum, non ita facilè distrahitur in propatulo.* E contra verò in 5. de generat. animal. cap. 1. inquit; quod ideo oculi prominentes non ita perfectè videant, sicut concaui, quia istorum motus rectà procedit, & non ita in vastum sicut illi. *Et confirm.* quia negari non potest ab oculis fascinantium emitti qualitates noxias quæ lædunt illos, quos fascinant, ergo aliqui radij exeunt ab oculis, qui illis qualitatibus prauis imbuunt. Et de Antipheronte narrat Arist. 3. meteor. cap. 4. habuisse ante oculos imaginem, seu idolum sui, quia visus propter imbecillitatem non poterat aërem propellere, ergo sentit aliquem motum fieri à visu in aërem.

Respond. De mente Aristot. satis constare, quia ex professo impugnat illam sententiam loco citato de sens. & sensat. Si quando verò vtitur opposita, non est ex propria sententia, sed iuxta sententiam aliorum, vel ad eum modum, quo Mathematici, seu perspectiui vtuntur nomine visus, imaginando lineas visuales, ac si essent radij ab oculis emissi, qua ratione S. Th. interpretatur Philos. loc. citat. de cœlo, & q. de spirit. creaturis art. 9. ad 12. similiter interpretatur Augustinum. Quod verò fertur ex Philos. de habentibus oculos prominentes concauos, vel luscos. *Respond.* Non sumi ibi radium pro eo, qui emittitur ab oculis ad videndum res, sed pro eo motu, quem faciunt species ingredientes ad oculum, quia aliquando procedunt per lineam, seu radium magis vnum, & sic magis reconcentrantur in oculo & fortius videt, aliquando verò species ipsæ magis dissipantur, sicut in oculis prominentibus & minus vnitæ ingrediuntur, ideoque visio fit secundum lineam, vel radios magis dissipatos, & sic minus videt.

Ad confirm. dicitur. Qualitates illas noxias procedere ab oculis, vt alterantibus corpus contiguum qualitatibus, quas habent in spiritibus, seu humoribus noxiis ipsorum oculorum; sed de hac alteratione non agimus in præsenti, sed de emissione radiorum visualium ad videndum obiectum, *Quòd verò dicitur* de Antipheronte, *non est ad propositum*, quia ille non emittebat radios ad obiecta, quæ videbat, sed humorem aliquem qui ab oculis diffluens addensabatur in aëre propinquiori, nec poterat propelli propter debilitatem, & ita fiebat quasi speculum ex humore addensato, in quem species ipsius tanquam in speculo quodam refrangebatur, & formabatur illa imago, seu idolum sui, sicut in quocumque alio speculo formari posset, vt exponit D. Th. 3. met. lect. 5.

Secundò arguitur; quia distantia, & magnitudo rei, cum sint sensibilia communia non habent propriam, & peculiarem speciem in oculo, ergo non possunt discerni nisi ratione emissionis radiorum ab oculo, ita vt quanto longius radij protenduntur, cognoscatur distantia, quando verò non protenduntur, propinquitas; neque enim per speciem coloris potest illa distantia discerni, & aliàs speciem propriam non habet in oculo.

Conf. Quia non videtur credibile ex omnibus rebus perenniter emanare species, & imagines, ita vt quandocumque, & vbicumque ponatur oculus, inueniat species paratas ad videndum. Similiter neque videtur credibile tot imagines rerum in tam parua pupilla poni cum tanta distinctione, vt singula quæque discernat, siquidem species ipsæ cum sint extensæ oportet, quod vna ponatur supra aliam in oculo & & consequenter cum confusione.

Resp. Illud argumentum etiam currere in opposita sententia, nam etiamsi visio fiat per extramissionem, restat explicare quomodo illa emissio radiorum facta ab oculo possit ipsam distantiam discernere, an pertingendo vsque ad ipsum obiectum distans, & sic non soluitur difficultas, quomodo radius emissus ab oculo possit vsque ad cœlum pertingere, vel solum perueniendo vsque ad medium & non vsque ad ipsum obiectum, & sic restat explicare, quomodo possit metiri, & sentire illam distantiam, quæ restat à medio vsque ad obiectum. *Quare ad argumentum relictis varijs solutionibus, Respond.* ex D. Thom. 2. de Anima lect. 15. quod secundum perspectiuos visio fit per hoc, quod corpus emittit species ad modum pyramidis, cuius basis est in ipso corpore, & cuspis in oculo, eo quod res visa est maior in quantitate quam pupilla, vel saltem potest videri vt coniuncta cum aliis rebus facientibus maiorem quantitatem in toto medio, in pupilla autem semper tangitur quasi in cuspide, quia est multo minor de se, quam res ipsæ visæ; quando autem basis est magis distans à cuspide, seu angulo, tanto ipsa latera pyramidis sunt longiora, & angulus ipse redditur minor, vnde quantò à remotiori videtur, minus res ipsa videtur & tanta potest esse distantia, quod euanescat.

Dices: ergo cum à quolibet puncto possit aliquod corpus videri, sequitur, quod fieri possint infiniti anguli in eadem specie quod est absurdum. *Deinde*, quia si ratione distantiæ fit minor angulus, ergo crescente distantia, minuetur angulus, & ita in dupla distantia aliquid videbitur duplo minus, quod est contra experientiam, quia intra certam distantiam, v. g. decem, vel quinque palmorum videtur res omnino eiusdem magnitudinis.

Resp. Primum non esse absurdum, quia non sunt infiniti anguli in actu, sed in potentia, quia scilicet à quocumque puncto designari potest angulus sicut & cuspis respectiuè ad rem ipsam visam, quod non est inconueniens. *Ad 2. dicitur*, quod non ex quacumque distantia fit notabilis elongatio obiecti, quæ sentiatur visu, præsertim si sit perfectæ, & acutæ virtutis, quæ possit maiorem distantiam vincere. Vnde licèt duplicatâ distantiâ reddatur angulus minor quasi geometricè, & mathematicè, non tamen visualiter, & perspectiuè, eò quòd species illæ non sunt notabiliter debilitatæ, quia non sequitur in debilitatione, & repræsentatione sua modum anguli mathematici, sed visualis: hic enim in quantum visualis multum pendet à luce & à dispositione medij, quando enim medium nihil habet interiectum, facilius decipitur visus in mensuranda distantia, quàm si sit aliquod corpus

corpus interiectum, cuius quantitate distantiam metiatur. Itaque non ex qualibet anguli variatione in ratione quantitatis fit etiam variatio in ratione visualis.

Ad confirm. Respond. Quòd cum species sint similitudines naturales, & naturaliter effluant à corporibus, non est inconueniens perenniter deriuari istas species, quandiu obiectum manet. Quod verò tot imagines rerum recipi possint in eadem pupilla non est inconueniens, quia illæ qualitates intentionales non sunt contrariæ inter se, cum earum officium solum sit repræsentare, non verò alterare, & quælibet pars speciei totum repræsentet, quia modo immateriali id facit, & licèt sit accidens extensum in pupilla, non tamen ratione extensionis repræsentat, sed ratione virtutis intentionalis, quæ eadem est in qualibet particula speciei, nec vna confunditur cum alia, siquidem minima sufficit in qualibet parte pupillæ, & ab effectu id constat, quia plures oculi positi in eodem medio idem vident, cum tamen in quolibet oculo non ponantur, nisi particula speciei, quæ est in toto medio.

ARTICVLVS III.

Quod sit organum potentiæ auditiuæ medium, & actus?

Circa organum auditus eodem modo procedendum est, sicut in explicando organo visus, quod constat tribus præcipuis partibus. *Prima* est omnino exterior, scilicet ipsæ aures. *Secunda* omnino interior, & tangens ipsum cerebrum, & est neruus quidam descendens à cerebro, & inde in duos ramos diuisus vtrumque sensorium auditus tangens. *Denique* est pars quædam media spirituosa, & aërea, tecta pellicula quadam, seu membrana, quæ dicitur tympanum, vel myringa.

De auribus, seu externa parte auditus, structura eius satis apparet, est enim anfractuosa, & inæqualibus partibus disposita, augustamque viam præbens interiori auditui, tum vt aër refrangatur per illas obliquitates, nec immediatè à vehementia soni pulsetur auditus & lædatur: tum vt ab externis iniuriis defendi possit, illo obstaculo interposito. Similiter via, quæ intrat ad interiorem auditum est angusta, ne aqua vel aliud corpus spissum de facili intret, & impediat auditionem, si enim aqua intret ad cauitatem interiorem, & dissoluat partem illam aëream, quæ ibi est, surdescit auditus, vt docet Arist. 2. lib. text. 83. & ibi D. Th. lect. 17.

Secunda pars organi auditus magis interior, & quæ immediatè sequitur post istam exteriorem, in primis ab istis anfractibus aurium, & via, ita angusta intratur ad cauitatem satis amplam, in qua est aër, seu substantia quædam spirituosa, & tenuis, quæ dicitur aër immobilis, vel ædificatus, vt appellat Arist. eo quod ad percipiendos omnes sonos, qui fiunt motu aëris, debet organum auditus omni tali motu, & sono carere, sicut organum visus in pupilla debet carere omni colore, & luce, & esse perspicuum. Non tamen aër iste est elementalis, sed animatus, aliàs facilè corrumperetur, & corrumperet cerebrum existente ibi tanta humorum copia, & frigore, quo abundat cerebrum, sicque nimis capiti noceret elementalis aër, cum à frigore cerebri ingrossaretur. Ista autem substantia tenuis aërea tegitur versus partem externam aurium pellicula quadam, seu membrana, quæ tympanum appellatur, eo quod in formam tympani est facta, & sustentatur tribus paruis ossibus, quorum vnum simile est includi duobus pedibus innitenti, aliud simile malleolo, aliud stapedi. Et quidem ossa ista, & membrana seu tympanum ipsa experientia constat inueniri in capite, facto anathome; sed tamen aër ille, seu substantia tenuis nequaquam inueniri docet Vesalius lib. 1. de fabrica corporis humani cap. 8. & Valuerde lib. 1. cap. 3. Quod aliqui vt Suar. lib. 3. cap. 22. referunt ad hoc quod in morte pars illa propter sui tenuitatem facile exhalatur. Et fortasse si caput aliquanto tempore detineatur facile id crediderim, sicut etiam alij spiritus tenuissimi exhalantur. Sed licèt aër ipse propter dictam tenuitatem non reperiatur in capite mortuo, sed dissipetur, saltem non poterit non reperiri cauitas ipsa seu locus aëris ita disposita, vt appareat intra illam membranam, seu tympanum non esse aliquod corpus crassius quo occupetur, & ideò tenui aliqua, seu spirituosa substantia repleri debere. Quod à signo patet; quia aliquando intus fit sonus, cum indispositum est organum auditus, ergo ibi est aliquis aër, alias non posset ibi sonus fieri. Tandem intima pars auditus consistit in neruis qui descendunt à cerebro vsque ad aures, sicut de neruis opticis, seu visoriis, vt diximus artic. 1.

Ex his tribus partibus quibus tota fabrica auditus constat; de prima quæ omnino externa est non est dubium in ea non esse potentiam auditiuam, nam etiamsi abscindatur auricula quoad totam partem externam, adhuc auditus sentitur, ergo potentia non est in ipsis auribus externis, præsertim quia ad exercendam actionem auditus, requiritur delicatior substantia, quia ipsa operatio spiritualior, & virtuosior est, quam vt possit exerceri illa exteriori parte aurium, quæ satis crassa est. Quare solum restat differentia inter illas duas partes interiores, scilicet aërem tympano opertum, quæ est satis delicata substantia, & neruos à cerebro descendentes. Et aliqui ponunt sensorium in neruo, vt Albert. Mag. & Galen. in id etiam videtur inclinare. *Alij* communius constituunt in ipso aëre interiori, quæ videtur esse sententia Arist. 2. de Anima tex. 82. *Auditus*, inquit *connaturalis est aëri propter id autem, quod in aëre est*, Quem locum exponens S. Thom. ibi lect. 17. inquit: *Quod aër, qui est in auribus est firmiter dispositus cum hac proprietate, quod sit immobilis ad hoc, quod animal possit sentire per certitudinem omnes differentias motus, sicut enim humidum aqueum, quod est in pupilla caret omni colore, vt possit cognoscere omnes colorum differentias, ita oportet, quod aër, qui est intra tympanum auris careat omni motu, ad hoc quod possit discernere omnes differentias sonorum.* Sequuntur hanc sententiam Caiet. 2. de Anim. c. 8. Conimbric. ibi, quæst. 4. art. 2. Carmelitani, disput. 11. quæst. 7. Suar. lib. 3. de Anima cap. 22. & communiter alij.

Fundamentum est, quia organum sensitiuum debet esse valde conforme, & proportionatum suo obiecto, constat autem, quod sonus, qui est obiectum auditus causatur ex aëris percussione, vt ostendemus quæstione sequenti, ergo conuenienter pro organo, & subiecto potentiæ auditiuæ assignatur ille aër connaturalis, & interior, qui est aër animatus vtpote habens in se potentiam vitalem, & vocatur aër æquiuocè, quia est substantia spirituosa, & tenuis & similis aëri.

Nihilominus proportionaliter loquendo ad ea, quæ diximus de organo visus artic. 1. quod est pupilla cum dependentia à neruis opticis, in quibus consummatiuè, & formaliter est visus, ne cogamur duas potentias visiuas superfluè multiplicare, sed quod organum vt primò receptiuum specierum est pupilla, vt autem elicitiuum visionis communicata sibi specie est

neruus

neruus visorius, *ita de potentia auditiua idem dicendum est propter eandem rationem*, vt etiam aduertit S. Thom. opuscul. 43. capit. 3. vbi inquit: *Auditus est vis ordinata, in neruis mollibus à cerebro procedentibus ad apprehendendum sonum causatum ex aëris commotione constricti inter percutiens, & percussum.* Itaque organum potentiæ auditiuæ sicut & visiuæ habet duplicem functionem, prima est accipere species, seu haurire illas è medio, & quantum ad hoc conuenienter ponitur organum auditus in illa substantia, quæ valdè affinis est medio deferenti species. Secunda functio, & præcipua est elicere sensationem, & hæc quia virtuosior est & actiuior & vnica in vnoquoque sensu, conuenienter ponitur in illa parte, quæ tenacius participat vim spirituosam cerebri, id est spiritus animales, & per modum vnius potest ipsam potentiam sensitiuam habere, & operationem elicere. Conuenienter ergo ponitur vis auditiua in neruis illis, qui vniuntur inter se, & sic possunt habere vnicam potentiam, & quia cerebro propinquiores sunt, efficacius in illis operantur ipsi spiritus, qui à cerebro descendunt, quia propinquius ipsos participant.

Circa medium auditus aduertendum est, quòd triplex medium distingui potest. Primum vbi generatur sonus quod dicitur medium soni realis. Secundum, per quod defertur ipse sonus, quod dicitur medium soni intentionalis, seu specierum soni. Tertium, per quod infertur in potentiam auditiuam, quæ est medium intrinsecum ipsi organo & pars illius. De primo medio dicemus quæstione sequenti, vbi ostendemus, quomodo generetur sonus, & quod necessario requiratur collisio aëris saltem ad primam eius generationem. *De secundo medio est difficultas*, an per quodcumque corpus etiamsi sit solidum, & densum possint deferri species intentionales soni, vt quotidiana experientia videmus, & in aqua posse audiri sonum formatum in aëre, constat, quia pisces audiunt intra aquas, & qui sub aquis natant, etiam audire aliquantulum compertum est. Sed quando corpus ita est densum quod non relinquit aliquid aëris, dubium est, an deferantur species soni. *Et dicimus videri probabilius*, quod densitas corporis etiamsi porosum non sit, non impedit traiectionem specierum intentionalium auditus, licet oppositum etiam sit probabile. *Prima pars constat*; quia intra parietes crassissimos audimus sonum exteriorem nec potest dici, quod species transeant solum per poros: tùm quia valde debilitarentur, & ita ad paruam crassitiem parietis aut nullus, aut exiguus valdè sonus audiretur: tùm quia per aquam defertur sonus, & per ignem, nec tamen habent poros, quia sunt fluida: tùm quia beati in cœlo audient, & deferentur species per corpus solidissimum cœli, vbi nullus est aër, vt docet S. Thom. in secundo dist. 2. quæst. 2. articul. 2. si tamen medium nimis incrassescat, species ipsas retundi, & corrumpi constat ipsa experientia, vt quando aliquis sub terra clamat, si multa moles terræ sit superposita non auditur, & similiter si multa corpora sint interposita, aut medium sit nimis crassum.

Secunda verò pars, quod oppositum etiam sit probabile, constat, quia corpora, per quæ deferuntur species ad auditum, vel habent poros, vel sunt corpora valde subtilia, vt aqua, & ignis, & similiter in cœlo species deferentur, vel per corpus subtile, si cœlum subtile est, vt multi putant, vel saltem diuina virtute deferentur tanquam per medium minus connaturale, vel quia species illæ efficaciores erunt, vtpotè à maiori virtute procedentes ex ore beatorũ. *Caterùm* quod per corpus omninò clausum, & crassum, ita quod nihil aëris, vel subtilioris corporis retineat, deferantur species auditus, neque experientia probari potest nec suffragatur ratio; quia medium, in quo generatur sonus debet esse valdè subtile, ita vt collidatur aër inter corpora percutientia. Ergo à fortiori medium, per quod talis sonus defertur, & multiplicatur debet esse eiusdem subtilitatis, ergo multò melius per quod multiplicantur species eius, quia subtiliores sunt, quam ipse sonus.

Circa tertium medium, quod est internum in ipso organo, constat debere esse aërem illum, seu spirituosam substantiam, quæ intra aures est, quia si illa cauitas impleatur aqua, vel alid quouis humore, animal non amplius audiet, imò plerumque surditas prouenit ex nimia crassitudine illius aëris, & ad perfectè audiendum oportet, quod sit attenuata, & subtilizata. Quarè Aristot. in hoc 2. de Anim text. 83. & D. Thom. ibi lect. 17. inquiunt, quod auditus fit in aqua dummodo non ingrediatur aqua ad ipsum connaturalem aërem, sed cum hoc accidit, non audiet animal, propter corruptionem aëris, qui requiritur ad audiendum, & ita docet experientia, quod dum intrat aqua per aures in his, qui immerguntur, deficit auditus.

Debet autem iste aër esse immobilis, vt docent Aristot. & D. Thom. citati, quia si aliquis sonus intus efficeretur, hoc ipso impediretur audire, sonos externos, sicut alij sensus impediuntur videre sua sensibilia, si aliquo illorum affecti sint. *Nec obstat*, quod dicit Aristot. text. 82. *Quod cum externus aër mouetur etiam mouetur internus, ergo internus non est immobilis. Respondetur* enim loqui Aristot. de auditu non rectè disposito, sed ab externo aëre commoto; de rectè autem disposito subdit: *Quod aër debet esse immobilis, vt exactè sentiat omnes differentias motuum.* Ex hoc tamen tanquam ex signo optimè deducit Aristot. debere intus in aure esse aliquem internum, quia aliquando contingit intus moueri, & fieri sonum, ergo signum est ibi aliquem aërem esse intra aures.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

OBiicies primò: si organum auditus esset aër internus deberet esse in omnibus animalibus, sed in aquatilibus non est aër, siquidem cum continuo sint intra aquam opplentur eorum auditus aqua, & ita nunquam audient, sicut nos non audimus, quando illa cauitas aurium oppletur aqua. Item multa animalia habent sensum auditus in medio corpore, & non in capite, vt Arist. docet 4. de histor. animal. cap. 8. & in aliis non apparet locus determinatus ipsius auditus, vt dicit in 2. de partibus animalium cap. 12. ergo in istis non potest organum auditus consistere in aliquo aëre interno, quia in medio corporis non datur talis aër. *Confir.* Quia non minus aër est medium ad species visibiles quã ad audibiles, & tamen organum visus non est in aliquo aëre, sed in pupilla, quæ est humoris chrystallini, & aquei. Ergo non benè colligitur, quod organum auditus debet esse in aëre, quia medium idoneum ad deferendas species est aër. *Resp.* quòd de organo aquatilium proportionaliter dicendum est, quod est aliqua substantia tenuis respectiuè ad eorum auditum, quæ etiam aër vocari potest, sed non ita tenuis sicut apud nos, eo quod crassiori medio vtuntur, & ita non læditur organum auditus in illis ab aqua circumstante autem etiam ingrediente aures. Non enim est aër, sed animatus ille, qui est & quædam spirituosa substantia, quæ in aliis potest esse crassior, in aliis subtilior, sicut spiritus animalis ad videndum in aliis subtiliores sunt, in aliis crassiores, & calor cordis in animabus terrestribus indiget refrigeratione, & respiratione aëris, quia sua subtilitate facilius penetrat ad

ad cor, in piscibus verò sufficit refrigeratio aquæ sine respiratione aëris. Eodem modo sufficit eis ad auditum crassior substantia, & quæ non lædatur ab aqua, quæ nobis non sufficit. *Et si instes*: ergo multo minus audient aquatilia, quam terrestia, siquidem habent medium, seu organum crassius, quod vtique impedit auditum, & tamen experientia docet, pisces satis perfectè audire, quia quolibet strepitu facto aufugiunt. *Respon.* Quòd in habentibus aërem tenuem pro organo auditus ex aliqua crassitudine aduentitia tollitur illud connaturale temperamentum, & ita ex abundantia humoris viscosi generatur surditas. *Cæterùm* animalia, quæ ex suo naturali temperamento habent organum crassius non ideò imperfectius audient, quia illa crassitudo non est aduentitia, sed naturalis, & ita afficitur his qualitatibus, quæ ad perfectum auditum deseruiunt, sicut in animalibus respirantibus si aqua loco aëris intret non fit sufficiens refrigeratio, sed suffocatur cor, in animalibus autem non respirantibus fit sufficiens refrigeratio etiam per aquam. Ex alia etiam parte compensatur auditus in piscibus, quia cum intra ipsam aquam non generetur sonus, sicut in hoc aëre, medium est multò magis sedatum, & quietum, & sic species audibiles ad illos delatæ multò melius sentiri poterunt, etiamsi temperamentum sit crassius. *De aliis animalibus in argumento relatis respondetur.* Quòd in illis licèt organum auditus non sit in capite, tamen ita dispositum est, vt habeat aliquam substantiam tenuem pro organo auditus, est autem accidentalis differentia, quod sit in capite, vel extra caput.

Ad confirmationem respondet. Quòd in visu aër est medium solùm in quantum diaphanum, quod non minus saluari potest in humore chrystallino, quam in aëre imò ibi perfectius in ordine ad hauriendas species, & retinendum illas cum maiori tenacitate. At verò in auditu aër est medium non propter diaphaneitatem, sed propter subtilitatem, quæ requiritur ad edendum sonum, qui est proprium obiectum auditus, & ideò organum auditus debet esse substantia aërea, & subtilis, vt habeat affinitatem cum aëre, in quantum subtilis, & sonatiuus.

Secundò arguit. contra id, quod dicimus aërem illum internum debere esse immobilem, vt possit percipere omnes differentias sonorum. *Contra est*: tùm quia in sensibus non impedit realis sensibilitas intentionalem, nam color realis, verbi gratia, non contrariatur intentionali, neque intentionalis impedit qualitatem realem, ergo etiamsi auris habeat realem sonum non impeditur habere alios intentionaliter, tum quia visus afficitur luce, & diaphaneitate realiter, & tamen sunt obiecta visibilia, nec propterea impeditur videre alia obiecta visibilia, scilicet colores: similiter vis imaginatiua omnia corporalia cognoscit, quia omnia sub imaginatione cadunt, & tamen non caret omni corpore: ergo non requiritur carere omni illo sensibili, quod percipi potest à tali potentia.

Respond. quòd vna qualitas realis, verbi gratia, color, non contrariatur alteri intentionali in ordine ad existendum in eodem subiecto; impedit tamen in ordine ad mouendum, & ipsa species intentionalis ex qualitate medij, per quod transit imbibit alium modum mouendi. Et quidem in gustu, & tactu non est ita difficile, quia cum res tangibilis, & gustabilis debeat coniungi cum ipso organo seu medio interno coniunctione reali, si gustus est affectus amaro humore, vel tactus excessiuo calore, eadem qualitate reagendo inficiunt rem sibi coniunctam, & res illa humore illo infecta redditur amara, & speciem amaritudinis inducit in linguam. *Cæterùm* in visu, & auditu, & sensibus, quæ petunt obiecta non esse sibi omnino immediata, & quasi superposita difficilius est, quomodo qualitas existens in ipso organo, verbi gratia, color, vel sonus inficient, vel afficiant non quidem ipsum obiectum, quod est aliquantulum distans, sed speciem ipsam, quæ sibi inhæret, vt mutent repræsentationem eius ad modum illius qualitatis, qua organum est affectum. *Nihilominus dicimus*: quòd color, vel sonus, si esset in ipso organo, impediret cognitionem alterius coloris, vel soni distincti, quia non haberet talis potentia dispositionem requisitam ad cognoscendum omnes colores, eo quod non haberet aliquam dispositionem respicientem omnes vniuersaliter, & indifferenter, sed tantum particulariter vnum, eo quod affectus est illo particulari, & consequenter non potest virtus illius indifferenter extendi ad alios, vtpotè particulariter conformatus illi: nunc autem, quia lucem, & diaphaneitatem habet, omnia videt sub ratione diaphani, & lucidi, quod indifferenter se habet ad omnes colores, & videt illos vt lucidos, & vt terminatiuos & motiuos diaphani. Similiter auditus debet esse liber ab omni sono particulari, sed debet habere aërë, quantùm ad subtilitatem, & tenuitatem, quia hæc ratio est communis omni sono, quod fiat per collisionem subtilis corporis, quod est aër. Vndè tale corpus subtile indifferens est ad omnes sonos. Non ergo ex contrarietate coloris cum specie intentionali, aut mutatione repræsentationis eius, sed ex defectu ipsius potentiæ, quæ hoc ipso, quod esset affecta vno determinato colore, non posset indifferenter, & vniuersaliter omnes respicere, nec habere specificatiuum complectens omnes alios colores, nisi tantum illum, quo afficitur, quia solum illi posset conformari, nascitur impedimentum videndi alios colores, quia non potest visus extra suum specificatiuum ferri, tunc autem non posset specificatiuum excedere modum, & virtutem illius coloris, quem in se haberet, cum specificatiuum debeat conformari specificato.

Quod si inquiras. Quomodò quando medium est affectum determinato colore, non autem ipsum organum, impediatnr species transiens per illud medium, & repræsentet iuxta colorem ipsius medij, & tamen non currat ibi ratio facta? *Respond.* impediri tunc illam speciem ob aliam rationem, nempè quia color qui est magis immediatus potentiæ fortius mouet, & cum ita interponatur, vt non nisi per illud possint species transire impedit earum motionem, vt non fiat nisi ad modum ipsius coloris, qui est in medio, quia miscetur in illa linea, qua tendit ad oculum alia species fortior, vtpotè immediatior potentiæ, & confundit propriam motionem talis speciei, ne sentiatur distinctè vt est in se, sed ad modum fortioris mouentis, cum quo miscetur, & per cuius lineam transit.

Quomodò verò de intellectu probetur, quòd debeat esse incorporeus, quia omnia corpora cognoscit dicemus, infra, quæstione 9. neque enim probauit D. Thom. quod est incorporeus, quia omnia corpora cognoscit, sed quia omnes naturas, seu quidditates corporeas, quod proprium est intellectus, & sic debet carere omni corporea quidditate, seu natura, tam accidentali quàm substantiali,

Quod verò dicitur de imaginatiua, Respondetur, quòd illa respicit omnia corpora sensibilia sub ratione imaginabili, quæ non attingit quidditates ipsas, sed accidentia omnia sensibilia, & ideo imaginatiua caret omni accidente perceptibili à sensibus, & habet qualitatem altiorem illis, quæ omnes potest percipere, non

non tamen illam qualitatem, quæ est ipsamet potentia imaginatiua, quia non potest in se reflectere, & ita impeditur omnes qualitates corporeas absolutè cognoscere, licèt possit omnes sensibiles externas. Et similiter oculus, quia intra se habet aliquid visibile, scilicet diaphanum, & lucem, omnia videt sub ratione lucidi, & diaphani, quia etiam diaphaneitas requiritur saltem ex parte medij, videt tamen omnes colores, quia nullum determinatum habet.

ARTICVLVS IV.

Quæ sit potentia, actus, & medium odoratus?

EOdem fere ordine procedendum est in explicatione huius sensus, sicut aliorum duorum. Diuiditur ergo organum odoratus in tres partes præcipuas, scilicet in exteriorem, quæ est nasus, interiorem, in qua attrahitur odor, & omninò intimam, qua continuatur cerebro per neruos communicantes spiritus animales, & per eosdem deferuntur species odoris ad sensum communem. Quod attinet ad extimam partem, nasus ipse constat parte superiori ossea, & parte inferiori cartilaginea, est autem cartilago pars quædam durior carne, & mollior osse. Et desinit in duo foramina, quæ per partem superiorem osseam continuantur, vt videre est in caluaria, in qua pars ossea nasi, remanet cum illis foraminibus.

Quod verò attinet ad partem interiorē concurrunt tria in interiori fabrica nasi. *Primò* occurrit quoddam os ad radicē superiorem nasi positum, quod spongiosum est, & multis foraminibus patens, ideóque à Medicis vocatur cribrum, quod à natura prouisum est, ne aër aspiratione attractus, liberè ingrediatur cerebrum, & frigore suo capiti noceat. In hoc verò osse quasi bipartiti meatus, seu viæ cernuntur, quædam quæ ducit ad fauces, & respirationi deseruit, quædam quæ naso ipsi, seu odoratui deseruit, & quodam septo cartilagineo, quasi pariete quodam diuiduntur. *Secundò* sunt in superiori parte nasi quædam tubercula, seu carneæ partes in similitudinem mamillarum, quæ dicuntur processus, seu carunculæ mamillares, quibus species odoris imbibuntur, & attrahuntur ab exteriori parte nasi, & osse illo cribroso. *Tertiò* est membrana quædam, seu pellicula, quæ tunica exsanguis vocatur, & cooperit illas mamillas, potestq; eleuari, sicut palpebræ, quæ claudunt oculos & eleuantur ad videndum, vnde nisi ista tunica eleuetur non fit odoratio, eleuatur autem respiratione ipsa. In animalibus autem sine respiratione odorantibus vt in piscibus, non datur ista membrana, eo quod sine respiratione possunt odorari.

Quod attinet ad vltimam, & magis intimam partem odoratus, constat duobus neruis descendētibus à cerebro, à quibus dependent illæ carunculæ mamillares, & per eas expanduntur vsque ad ossa foraminosa. Quæ omnia ex anathomistica experientia constant, & etiam ab interpretibus in hoc loco communiter afferuntur.

Ex his oportet discernere, in qua parte totius huius fabricæ sita sit potentia odoratiua, de quo plures opiniones videri possunt, apud Conimbr. 2. de Anim. capit. 9. quæstion. 4. articul. 2. *Breuiter dicimus probabilius videri potentiam odoratiuam esse in parte superiori, & propinquiori cerebro, scilicet in carunculis mamillaribus, vt vniuntur illis neruis à quibus pendent.* Hæc est conformior Aristoteli, & D. Thomæ, multisque Medicis, & aliis recentioribus, qui citantur apud Cursum Carmalitanum disput. 12. quæstione 3. Est tamen contra Vall. quem sequitur P. Suar. lib. 3. de Anim. cap. 25. vbi tenet organum olfactus esse in interiori parte ipsius nasi, cui addi potest Auerr. 2. collect. c. 17. qui existimat esse in membrana narium. Sententia ergo Aristot. constat ex lib. de sens. & sensat. lectio. 5. apud Diu. Thom. vbi inquit: *Quamobrem odoratus sensitorium eo proprium est loco, vbi cerebrum est.* Et D. Thom. ibi dicit. *Quod est circa cerebrum.* Constat autem quod carunculæ mamillares, vt vnitæ illis neruis, sunt propè cerebrum, & non sunt pars cerebri, vt arguit Auerr. quia licèt illi sint aliquantulum similes in qualitatibus, simpliciter tamen sunt diuersæ naturæ, vt ex anathome constat. *Sumitur autem ratio huius, tum à conuenientia, tum à signis. A signis quidem*, quia in ipsis partibus nasi non potest esse odoratus, tum quia absciso naso adhuc aliqui odorantur; tùm quia ad percipiendum odorem, intus respiramus, quasi ad locum intimiorem odorem attrahentes. In osse autem cribroso non potest esse odoratus, tum quia est materia valdè dura, nec apta ad exercendam sensationem, quæ est operatio valde subtilis: tum quia alias etiam non eleuata illa membrana, seu operculo, quo mamillæ teguntur, fieret odoratio in animalibus respirantibus, siquidem fieret in illo osse, quod est ante membranam tegentem mamillas, cuius oppositum docet Aristot. libr. de sensu & sensat. lect. 14. apud D. Thom. & apertius 2. de Anima text. 100. & ibi S. Th. lect. 20. & postea ostendetur.

Conuenientia autem ea est, quia illæ mamillæ sunt benè dispositæ ad sentiendum odorem, quia sunt spongiosæ, & facile mouentur à respiratione, illaque hausta simul odorem spirantem percipiunt, tum quia ex propinquitate cerebri habent actu frigidum, & humidum, quod etiam testatur continua pluuia muscosa, quæ per eas partes emungitur, ergo est conueniens dispositio ad percipiendum odorem, quod fit per exhalationem siccam, & calidam, ergo frigidum, & humidum non in ea intensione, qua est in cerebro, sed in eo temperamento, quod est infra cerebrum, est habile ad recipiendam impressionem fumalem sicci, & calidi, ideoque conuenienter tribuitur odoratus tali temperamento, quod est quasi aqueum, non quatenùs perspicuum sicut in visu, sed quatenùs est in potentia ad impressionem calidi, & sicci, quæ pertinent ad odorem, qui in calido, & sicco fundatur, vt quæst. sequenti dicemus, & experientia ipsa constat in floribus, quæ calore afflatæ odorem spirant. Denique homo inter omnia animalia est imperfectioris odoratus, vt docet Aristot. text. 92. cum nec ita à longè odoretur sicut vultures, nec tot differentias odorum cognoscat, sicut canes, vel aliæ feræ quæ ipso odoratu multas herbas discernunt. *Ratio autem traditur* ibi à D. Thom. lect. 19. quia homo habet magnum cerebrum, & magis humidum præ aliis animalibus in sua proportione, & ideò olfactus in ipso obtusior est propter multam participationem humidi ex celebro, odorabile autem aliquam siccitatem requirit.

Circa medium olfactus distinguendum est, de medio extrinseco seu deferente species, & de medio intrinseco imbibente illas in ipso organo odoratus. Et similiter potest considerari medium deferens tam respectu ipsius odoris realis, qui defertur, & extenditur per fumosam exhalationem, quam respectu intentionalis odoris, quæ sunt eius species, quia in organo ipso recipi dubium non est. Sed quomodo in medio necessarium sit recipi, aut diffundi realem exhalationem vsque ad odoratum, vel non sit necesse, dubium est, & similiter an istud medium, per quod defer

defertur, tam exhalatio, ſeu odor realis, quàm intentionalis an ſit ſolus aër, vel aliquod aliud corpus.

Circa hoc ergo dico primò: *Odor poteſt diffundi non ſolum per aërem, ſed etiam per aquam* Ita Ariſtot. 2. de Anima text. 67. lect. 20. apud D. Thom. De aëre conſtat quotidiana experientia. De aqua conſtat etiam exemplo piſcium, qui intra aquas olfaciunt, & piſcatores odoribus aſſatorum piſcium, vel aliis ſalſamentis in aquam proiectis piſces attrahere conſtat, & ſimili per ipſas aquas aſcendere odorem videmus, quando in piſcinis, quæ fundum habent nimis ſordidum, grauis ſentitur odor ex ipſo fundo aſcendens, & non ſolum ex corruptione aquæ, ſed etiamſi aqua de nouo iniiciatur. Et ſimiliter cum in fundo lebetis, qui calefit in parte inferiori eſt aliquid odorabile, tunc enim cum partes inferiores calefiunt aſcendunt exhalationes calidiores, & ſubtiliores, & conſequenter etiam odor in illis incluſus. Non tamen poterit ſentiri odor ab animali reſpirante, ſi exiſtit intra aquam, non ex defectu ipſius odoris & ſpecierum eius, ſed quia in animalibus reſpirantibus non attrahitur odor ad potentiam, niſi per reſpirationem, quæ intra aquam dari non poteſt.

Secundò dico: *Non diffundi ſemper odorem realiter vſque ad ſenſum olfactus, ſed ſufficit, quod intentionaliter ad illum perueniat, realiter autem ſolum per aliquod ſpatium diffundatur, quod ſi realiter perueniat ad olfactum, non tamen ſentitur, quatenus ibi realiter eſt, ſed quatenus intentionaliter.* Aſſertio hæc conſtat ex traditis à Diu. Thom. 2. de Anim. lect. 20. videri poteſt Caietan. ſuper cap. 8. quæſt. vnic. Ban. 1. part. quæſt. 78. art. 3. dub. 2. de odore. Conimb. cap. 9. q. 3. Carmelit. diſp. 12. quæſt. 2. Et pro ea explicanda *aduerte*, quod odor realis ſemper fit cum aliqua reſolutione, ſeu exhalatione tenui, ſeu fumoſa, licet non ſemper videatur, vt quæſt. 7. q. art. 5. oſtendetur, conſtatque ipſa experientia, quia conſtat odorem facile conſumi, ſi res aliqua aëri ſit expoſita, ſi verò ſit operta, & tecta, diutius conſeruat odorem, quod non eſſet, ſi ſolùm emitteret ſpecies intentionales, non verò exhalaret odorem ipſum realem, quia emiſſio ſpecierum, non conſumit odorem exiſtentem in ipſo odorabili.

Quod ergo odor debeat aliqualiter diffundi per medium mediante illâ fumoſâ exhalatione, probabilius eſt in ſententia D. Th. qui diſtinguit proprium modum, & immutationem odoratus ab aliis ſenſibus, præſertim auditus, & viſus, quia odoratus fit cum aliqua alteratione, & immutatione ipſius ſenſibilis, vt dicit lib. 3. de Anima lect. 1. in fine, & quæſt. de Anima art. 13. in corpore, & 1. part. quæſt. 78. art. 3. *Oportet*, inquit, *per calidum alterari aliquo modo corpus, ad hoc vt ſpiret odorem. Et ratio eſt*, quia odorem realiter exhalari ab ipſo odorabili conſtat experientia, cum videamus communicari odorem his, quæ tangunt res odorabiles, & etiam ipſis remotis in illis permanere odorem, & ad olfaciendum aliqua immutatio ſenſibilis requiritur in ipſo odorabili, vel in medio, & non ſufficit mutatio localis, ſicut in ſono, quia odor non generatur ſolâ mutatione loci ſine mixtione qualitatum, vt videmus experientia, ergo requirit alterationem, non quidem in ipſo organo ſenſus, ſicut guſtus, & tactus, ergo ſaltem in ipſo medio, vel in ipſo ſenſibili.

Quòd verò non ſit neceſſe alterari totum medium alteratione illâ reali fumoſæ exhalationis, ſed ſufficere, quod ad aliquam diſtantiam perueniat, & deinceps intentionalis diffundatur vſque ad ſenſum, deducitur ex aliquibus experientiis, tum quia vultures à remotiſſima diſtantia ſentiunt odorem cadauerum, & à multis leucis, vt refert D. Thom. lect. 20. citata, ſi autem per totum illud ſpatium diffunderetur odor realis, conſumeretur totus odor rei odorabilis, tam longa, & copioſa exhalatione. Secundò; quia illa fumalis exhalatio tardius mouetur ſecundum realem multiplicationem, quàm ſentiatur eius odor, factâ enim euaporatione alicuius odoris in aliqua parte domus, ſtatim ſentitur in parte diſtantiori eius odor, etſi exhalatio illuc nondum peruenerit, imò & clausâ ianuâ ſentitur odor, licet fumus non ita poſſit per illam tranſire. *Denique* exhalatio fumea ſurſum aſcendit, odor autem etiam à parte inferiori ſentitur, ergo non requiritur, quòd fumalis euaporatio perueniat realiter ad ſenſum, ſed ſufficit quòd intentionalis. Quòd verò aliquando perueniat vſque ad ipſam potentiam, conſtat quando odores ſunt fortes, & propè potentiam applicantur: tunc enim odor ipſe realiter diffuſus, ſtatim attinget potentiam, vnde etiam videmus cerebrum grauari, vel releuari odoribus. Sed tamen ſenſatio non efficitur ex immutatione reali, ſed intentionali, quia phyſica mutatio eſt, quæ ordinatur ad generationem, vel corruptionem alicuius accidentis, vel ſubſtantiæ, & ita eſt communis rei animatæ, & inanimatæ, ſenſatio autem non fit per generationem, vel corruptionem alicuius. Ergo formaliter non fit per mutationem phyſicam, & realem, ſed intentionalem.

Circa actum odorandi nihil eſt ſpecialis difficultatis, præter id, quod iam notauimus, quòd animalia reſpirantia non olfaciunt niſi mediante reſpiratione, ideóque intra aquas odorari non poſſunt. Cuius cauſam Ariſtot. dixit eſſe, quia ſine reſpiratione non eleuatur illa membrana, quæ operit olfactum, & ita manet clauſus ſicut oculus demiſſis palpebris. Galenus autem non admittit hoc operculum, ſed dicit, ideò non ſentiri odorem intra aquam, quia ſine reſpiratione non peruenit odor ad ventriculum cerebri, vbi ipſe exiſtimat odorationem fieri. Sed cauſa iſta eſt ſufficiens, quia ſi ſenſorium odoratus non eſt occluſum, neque impeditum, cur ſpecies odoris non peruenient ad ipſum etiam ſine reſpiratione? Quid autem dicendum de animalibus, quæ extra aquas eleuantur, & ibi reſpirant, licet intra illas etiam viuant, vt Delphines, Crocodili, ranæ, & ſimilia? *Reſpondetur*, iſta animalia carere illa membrana, vt intra aquas ſine reſpiratione odorentur, quando autem extra aquas reſpirant, multò melius poterunt odorari, non habendo illud operculum. Nec tamen exiſtimandum eſt, quod hoc operculum ita eſt expanſum ſuper odoratum, ſicut palpebræ ſuper oculos, nec quod poſſit eleuari ab aëre externo; ſed ipſamet via, quâ defertur odor ad interiorem partem, quia arcta eſt, & dilatari poteſt, dicitur eſſe operculum ipſius odoratus, quia dum comprimitur operit & tegit, dum dilatatur dicitur eleuari, ideóque non poteſt aliquâ vi externâ aperiri, ſed ſolum actione ipſa animalis reſpirantis.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *obiicitur* contra ea, quæ diximus de organo odoratus: nam illud conſtituendum eſt tanquam organum odoratus, quod maiorem, & propinquiorem ſympathiam habet cum ipſo obiecto odorabili, ſed odor generatur ex ſicco & calido, & emittitur per fumoſam exhalationem, de quo quæſtione ſequenti, ergo organum odoratus ponendum eſt in aliquo, quod magis participet de calido & ſicco; carunculæ autem mamillares, quia prope cerebrum ſunt, magis participant de humido, & frigido, ergo in eis non eſt conſtituendum organum odoratus, ſed magis in

partibus narium interioribus, quæ sunt cartilagineæ, & ita magis de siccitate participant, vel etiam in membrana exangui, aut in interioribus ventriculis cerebri, qui magis spiritibus animalibus abundant, & ideo plus de fumosa exhalatione habere possunt. Et saltem ex hoc deducitur infirmam esse illam consequentiam Aristot. quòd organum odoratus debet esse frigidum & humidum, quia debet esse in potentia ad calidum & frigidum, quod est odor, nam potius debet esse actu calidum & siccum, vt actu possit esse proportionatum obiecto odorabili, sicut auditus & visus suis obiectis proportionantur, vt supra vidimus, deinde quia organum & potentia solùm debent esse in potentia ad species intentionales sui obiecti, non ad realem eius immutationem, siquidem speciebus, & non reali qualitate odoris actuatur, non ergo benè infert Arist. quòd debet esse frigidum & humidum actu, quia debet esse in potentia ad calidum & siccum, cum solùm sit in potentia ad species odoris, qui fit ex calido & sicco. *Confirmatur.* Quia supra diximus, auditum, & visum consistere in illo concursu neruorum, ne sint duæ potentiæ visiuæ vel auditiuæ in duabus pupillis, vel auribus, ergo similiter ne sint duo odoratus, non debent esse in duabus illis mamillis internis, sed in aliquo concursu neruorum.

Respondetur. In constitutiuo organi potentiæ requiri proportionem inter ipsum & obiectum, non similitudinis, sed receptionis, qualis est inter actiuum & passiuum, quia obiectum comparatur actiuè ad potentiam & ad dispositionem organi, sicut organum visus est perspicuum, quod est in potentia ad lucem & ad colorem, & aër vt immobilis est organum auditus, qui est in potentia ad motum, seu sonum. Vnde rectè Philosophus probauit quod organum olfactus habet esse in potentia, vt immutetur à calido & sicco, seu exhalatione fumida calidi & sicci, & consequenter debet carere tali sicco, & calido. Et cum in his, quæ constant qualitatibus contrariis physicis, quantùm caret de vna, tantùm habeat de alia, seu prædominetur alia, oportet, quòd si organum odoratus caret sicco & calido, prædominetur in eo frigidum & humidum. Exhalationes verò, quæ à spiritibus animalibus fieri possunt, erunt in se odorabiles & imprimentes in organo. Vnde hoc potius probat ipsas debere esse obiectum odorabile, quam organum odorandi.

Ad id verò, quod dicitur contra consequentiam Aristot. *iam responsum est*, quomodo verificetur sicut in aliis sensibus visus & auditus, in quibus organum non proportionatur obiecto secundùm similitudinem, sed secundùm receptionem & proportionem potentiæ receptiuæ ad actum. Quod verò additur solùm debere esse in potentia ad species intentionales, non ad ipsas reales qualitates. *Respondetur*, vtrumque habere debere, nam potentia in ratione potentiæ recipit species intentionales, & in ratione organi physicè dispositi debet carere qualitatibus sui obiecti, sicut organum visus debet carere colore reali, & auditus sono, nec sufficit carere speciebus coloris. Vnde licèt sensus solum debeat actuari intentionaliter à specie: physicè tamen debet organum carere qualitate sui obiecti, & consequenter esse in potentia ad ipsam, tanquam actuabile & capax illius, & tanquam carens ipsa, licèt de facto non actuetur, aliàs si illam haberet, & non careret illâ, hoc ipso haberet impedimentum, ne vniuersaliter & indifferenter posset ferri in colores & in odores, &c.

Ad Confirmationem respondetur, duas aures, vel duos oculos ita esse inter se distantes, vt non possit vniri, nisi in occursu illorum neruorum. *Cæterùm* carunculæ mamillares sunt inter se coniunctæ, & ita vel immediatè vniuntur, vel mediantibus neruis in eisdem mamillis concurrentibus, ideóque in illis dicitur esse olfactus.

Secundò arguitur, contra id, quod dictum est, odorem non diffundi realiter vsque ad potentiam, sed sufficere quod intentionaliter. Nam contra hoc videtur stare, tum experientia, tum ratio. Experientia, quia constat cerebrum refici odoribus suauibus, lædi vero grauibus, hoc autem non fit sine reali mutatione, non verò solâ intentionali, quia intentionalis impressio non alterat physicè. Item videmus quòd ventus ex aduerso flans auertit odorem à sensu, è contra verò defert illum etiam à longissimo tractu, vt cum defert aëris corruptionem. Ergo signum est fieri hoc per realem ipsam odorum exhalationem, non per solam intentionalem immutationem, hæc enim nec à vento fertur, nec ab eo impeditur, cum fiat in instanti, vtpotè sine contrario. Denique constat, quòd animalia respirantia, ipsâ respiratione attrahunt odorem, & si non respirant, non odorantur, ergo signum est attrahere odorem realem, & non solum species eius, quia istæ non indigent respiratione, vt attrahantur, quia immateriali actione diffunduntur, sicut in aliis sensibus. *Et hinc sumitur ratio:* quia odor non sentitur in instanti, species autem intentionales in instanti diffunduntur, quia non habent contrarium, à quo retardentur. *Confirmatur.* Quia non requiritur fumosa exhalatio ex parte odorabilis: Tum quia in aquis, & sub aquis emittitur odor, nec tamen ibi potest dari talis exhalatio: Tum quia aliàs res paruæ, & minuti pulueres citissimè perderent odorem, quia cum continuo exhalent illum odorem, siquidem continuo sentiri possunt, & illi sunt ita minuti, citissimè resolueretur illa qualitas per exhalationem, quod est contra experientiam, qua videmus diu durare.

Respondetur negando antecedens, & ad primam experientiam dicimus, cerebrum lædi vel confortari odoribus, quia aliquando ipse realis odor peruenit vsque ad cerebrum, si copiosus & fortis sit, & tunc realiter ipsum alterat lædendo, vel recreando, aliquando verò solum intentionaliter peruenit ad odoratum, & tunc solum recreatur delectatione intentionali, sicut visus in videndis rebus pulchris, ex quo etiam indirectè potest prouenire ipsi corpori aliqua bona dispositio.

Ad secundam experientiam dicitur, ventum flantem diuertere, aut afferre odores etiam quantum ad species intentionales, quia cum istæ non traiiciantur in instanti, sed per motum, vt statim dicemus, datur locus, vt illæ partes aëris, in quibus species multiplicantur, aliorsum impellantur per ventum, & impediantur à suo motu recto, quo traiiciuntur, sicut idem contingit in speciebus soni, quæ per motum diffunduntur. Hoc tamen non prohibet, quin etiam fumosa exhalatio realis emittatur ab ipso odorabili, & hæc etiam per motum venti diuerti possit, licèt non in omnibus partibus aëris ista exhalatio deriuetur.

Ad tertiam experientiam dicitur: Quòd animalia respirantia dicuntur attrahere odorem, non quia species ipsa attractione multiplicent, aut trahant ad se, cum ipsæ naturaliter deferantur tam ad animalia respirantia, quàm non respirantia, & ad ipsum odoratum perueniunt, etiam in illis in quibus respiratio non est. Sed illa, quæ respiratione indigent, dicuntur attrahere species odoris; quia attrahunt aërem, in quo species illæ sunt. Causa autem cur indigeant respiratione ista animalia ad odorandum, vt

assi

assignat Aristoteles in hoc 2. lib. text. 100. lect. 20. apud D. Thomam, & lib. de sens. & sensat. lect. 14. est, quia oportet in istis animalibus, eleuari, seu laxari illam membranam, vel operculum, quo odoratus operitur, vt transeant species ad ipsum, sicut palpebræ oculorum debent eleuari, vt videamus; quæ membrana, cum in animalibus non respirantibus non habeatur, non indigent respiratione ad odorandum. Sed hoc non variat specie ipsos odoratus, quia non variat modum sentiendi, & immutandi intentionaliter, licet variet aliquid accidentale circa indigentiam, vel non indigentiam respirationis.

Ad rationem respondetur, non traiici species odoratus in instanti, sicut species visibiles. Et disparitas est, quia licet species intentionalis non habeat formaliter contrarium, potest tamen generari dependenter ab aliqua alteratione, seu motu habente contrarium, & non sufficit non habere contrarium, vt in instanti motus fiat, sed requiritur etiam, quòd non dependeat à motu in sui productione, quia cum motus fiat in tempore, si vt generetur dependet ab aliquo motu, simpliciter dependet à tempore. Dependent autem species odorabiles, sicut & audibiles in sui prima productione ab aliquo motu alteratiuo, vel locali vt ostensum est. Vnde cum primo generentur per motum, non possunt in progressu fieri instantaneè, quia iam earum natura ad motum determinata est, & saltem ratione primi motus non potest simpliciter fieri in instanti. At verò species visibiles etiam in sui prima productione non dependent ab alteratione, vel motu physico, sed solum à luce, & perspicuo, quæ sine motu physico operantur, nec dependenter ab alteratione physica.

Ad confirmationem respondetur, benè posse sub aquis emitti exhalationem, cum videamus aquam calefactam à fundo exhalari, & attenuatam ascendere, siue virtute solis, siue vi ignis. *Quod verò dicitur* de minutis pulueribus, & aliis rebus odoriferis paruæ quantitatis, *Respondetur*, omninò consumi per exhalationes illas fumidas si desint causæ conseruantes odorem, & non sint multi pulueres simul, qui mutuò se adiuuent, sicut si esset corpus magnæ quantitatis. Sed non non est æqualiter in omnibus, neque omnia æquè citò consumuntur: tum quia non est solum attendenda paruitas quantitatis in istis rebus odoriferis, sed etiam dispositio, & tenacitas vel efficacia, quam habent ad retinendum odorem: tum etiam, quia illa exhalatio fumida odoris tenuissima est, & ita licet continuo emittatur, non tamen potest tam cito totam vim odoris exhaurire.

ARTICVLVS V.

Quid de potentia, medio, & actu gustus?

SVpponimus sensum gustus esse realiter distinctum à sensu tactus, quod immerito aliqui negauerunt, cum vtriusque obiecta & actus sint valde distincta, & hæc sunt principia vnde dignoscimus distinctionem potentiarum, scil. penes actus & obiecta; imo etiam est distinctum organum, cum non vbicunque reperitur tactus reperiatur gustus. Est distinctum obiectum, quia gustu discernimus differentias saporum, vt amarum & dulce, & varias alias mixturas, quæ ex illis fiunt, & ex humido benè digesto per calorem consurgunt: tactu autem discernimus temperaturas primarum qualitatum, vt calidum & frigidum, durum & molle, & alia similia. Est distinctus actus, quia diuersa delectatio percipitur in sapore, quam in delectatione tactus, ergo est diuersa operatio, quia delectatio in operatione est, & ipse etiam modus operandi est diuersus; quia tactus fit simplici applicatione rei tangibilis sine alia immutatione, quæ faciat commixtionem aliquam cum ipsa re, quæ tangitur; gustatio autem fit per applicationem rei sapidæ cum mixtione aliqua humiditatis lingua ad rem saporosam. Et licèt ad gustandum requiratur sensus tactus, hoc non tollit, quin sit distinctus sensus, quia etiam ad reliquos sensus requiritur tactus, & tamen distinguuntur ab illo.

Neque obstant aliqua loca Aristotel. quæ significant gustum esse tactum quendam vel speciem tactus, sicut in 2. de anima tex. 94. dicit, *Quòd gustabile est quoddam tangibile*, & in lib. de sens. & sensat. lect. 5. apud D. Thom. dicit, *Quòd gustus est quadam species tactus*, & in 3. Ethicor. cap. 10. vbi dicit, *Quòd in cibo & potu capitur voluptas ex tactu. Respondetur* ex doctrina D. Thom. 2. de Anim. lect. 21. super textum 101. duplici solutione; *Prima*, quòd gustus dicitur quidam tactus, quatenus conuenit cum tactu in modo requisito ex parte applicationis ad sentiendum, scilicet, quia requirit etiam contactum sui obiecti ad sentiendum illud, sicut & ipse tactus; non verò quasi conueniat cum tactu in ipsa ratione specifica & essentiali sentiendi, quia circa diuersum obiectum versantur. *Secunda est*, quòd gustus dicitur tactus quidam, vel eius species, vel sumendo tactum genericè prout dicit sensum cognoscentem per contactum, in quo distinguitur à tribus reliquis sensibus, qui requirunt aliquod medium extrinsecum deferens species, non autem sumendo tactum pro speciali potentia respicientem qualitates tangibiles, vel dicitur gustus esse tactus radicaliter & fundamentaliter, quia licèt omnes sensus requirant tactum, specialiter tamen gustus in eo fundatur, quia obiectum eius, scilicet sapor fundatur in humido & sensatio ipsa gustus perficitur in humectatione seu mixtione humidi linguæ cum re sapida; humidum ad tactum pertinet, & inde est, quod vt dicit Philosophus in 3. Ethicor. textu supra citato, & aduertit D. Thom. lect. 21. citata, ad delectationes gustus prout est discretiuus saporum, non est temperantia, sed prout est tactus quidam, & discernit qualitates tangibiles alimenti, in quibus fundatur sapor. *Neque obstat*, quòd gustus percipit humidum, quod est qualitas tangibilis, vt patet, quando bibit aquam, dicitur enim, quòd sentit humidum non simpliciter, sed saporosum. Et aqua sentitur, vt habens aliquem saporem, putà amarum, vel salsum, vel dulcem; si autem esset aqua omnino pura elementalis sine omni sapore, non sentiretur à gustu, sed à tactu, in quo fundatur gustus.

His suppositis, circa organum potentiæ gustus generaliter loquendo constat esse linguam, per quam sapores diiudicamus, & in non habentibus linguam aliquid loco illius correspondere. Docet Aristot. in 1. de histor. Anim. cap. 11. & 2. lib. de partib. Anim. cap. 17. Vt autem constet in qua parte linguæ potissimum resideat potentia gustatiua, oportet eius fabricam breuiter præsupponere. Est igitur lingua substantiæ aliquantulum rarioris & laxioris; vt facilè humores & saliuam imbibat, quæ ad miscendos & deuehendos sapores valde conducit. Nititur basis, seu radix linguæ osse quodam fortiori faucibus cohærente. Intra linguam nouem musculi inueniuntur: & designatur, vel quasi diuiditur ipsa lingua lineâ quadam, vt quasi duæ medietates appareant, vt sic videatur speciem quandam habere duplicis organi, sicut oculi, aures, & nares in substantia

tamen

tamen est vna, & continua. Habet quoque duas venas maiusculas, duas arterias, duos quoque neruos, alterum duriorem pro motu deseruientem cum musculis, alterum molliorem pro discernendis saporibus. Quæ omnia ex ipso anathome constant.

Dicimus ergo: *Quod organum gustus quantum ad dispositionem debet esse siccum in actu, & humidum in potentia, quoad subiectum autem inhæsionis est in illo neruo molliori*; quia est siccioris naturæ, quam ipsa caro linguæ; *qui neruus licet per totam linguam sparsus sit, vt in tota illa sapor gustetur, tamen in cuspide linguæ acrius viget.* *Prima pars* huius resolutionis est Aristot. lib. de sensu, & sensat. lect. 9. apud D. Thom. vbi dicit: *Quòd sicut organum odoratus debet esse aqueum, vt sit in potentia ad siccum, sine quo non fit odoratus in actu, ita etiam organum gustus debet esse tenerum, vt sit in potentia humidum, sine quo non est gustus in actu.* Et ratio est, quia organum gustus sicut in aliis sensibus sic debet esse dispositum, vt non habeat actu qualitates sui obiecti, sed potius oppositas, ita quod sit in potentia ad eas, quæ sunt in suo obiecto, sicut organum visus ratione perspicuitatis est in potentia ad colores & lucem, auditus ad motum & sonum aëris, odoratus ad calidum & siccum, ex quo formantur odores, ergo similiter gustus debet esse in potentia ad humidum, ex quo formantur sapores, vt sequenti quæstione expendemus, ergo debet esse actu in qualitate opposita scilicet in sicco. Sed tamen ista siccitas non debet esse ignea, quæ adurit & consumit humidum, sed terrea, quæ facile humidum recipit, in humido autem formantur sapores. Vnde fit nimis sicca, siccitate illa adurente, sicut in febricitantibus, malè disposita est ad gustum, de quo videri potest D. Thom. lect. illa 21. citat.

Secunda pars, scilicet potentiam gustus esse in illo neruo molliori deducitur ex dictis, quia caro linguæ est nimis humida, cum sit spongiosa & attractiua humoris, & ita magis deseruit tanquam medium internum ad recipiendum sapores & species eorum, quàm ad eliciendam ipsam sensationem; neruus autem ille siccior est, & terreæ naturæ, sicut communiter sunt nerui, & quia mollior est, est aptior ad eliciendam sensationem, quam ille alter neruus durior, qui ad motum exercendum cum musculis magis deseruit. Et ita in illo neruo molliori collocat gustum S. Thom. opusc. illo 43. cap. 3. Et quod in cuspide linguæ magis gustus vigeat, manifestum est ipsa experientia quia ibi viuaciùs sentitur delectatio & discretio saporum. Sed tamen quia etiam sentitur, delectat ad fauces, & ad radicem linguæ, & in tota ipsa lingua, ideò in tota illa simpliciter ponitur.

Sed obijcies Aristotelem, qui in libro de sensu & sensato, lect. 5. apud D. Thom. circa finem, vbi dicit: *Quòd gustus, & tactus sensitorium est cor, quia cor est calidissimum, sicut cerebrum frigidissimum*, ergo non debet poni in lingua. *Deinde ratio etiam vrget*, quia saliua nimis conducit ad sensum gustus, ita quod sine humectatione, aut non sentitur sapor, aut vix, eò quòd sapores fundantur in humido, ergo illud conuenientius ponitur pro organo gustus, quòd maiorem conuenientiam habet cum humido, & sic non in neruo, sed in ipsa carne linguæ, quæ humidior est, debet poni potentia gustus, & inter ipsas partes linguæ magis in radice, quàm in cuspide, quia in illa maximè generatur saliua in illis glandulis carneis, quæ ibi sunt, in cuspide autem, quia acutioris figuræ est minùs potest de saliua retineri. Et dato, quod in neruo consistat organum gustus, adhuc magis sentiretur in radice, quàm in cuspide linguæ, quia ibi est magis expansus, & extensus ille neruus, & sic plus habet virtutis. *Confirmatur*, quia aliqui cibi sunt valde sicci, & in pulueres redacti, deseruiúntque ad siccandas humiditates, ergo ad illorum gustum magis erit necessaria humiditas in actu quàm in potentia.

Respondetur, ad locum Aristot. quod vt ibi sanctus Thomas explicat, loquitur de principio sensitiuo radicali, à quo primo emanat calor vitalis requisitus ad sensum, sed hæc virtus caloris, quæ deriuatur à corde in ordine ad alios tres sensus, scilicet visum, auditum & odoratum non fertur immediatè à corde, sed ad cerebrum priùs tendit, & inde ad organa istorum sensuum, respectu verò gustus & tactus immediatè est à corde, cuius signum est, quia circa cor est dolor maximè sensibilis. Ita explicat ibi D. Thom. Aristot. qui non negat organum gustus esse in lingua, sed differentiam constitui in ministrando calore cordis gustui & tactui ex vna parte & aliis sensibus ex alia. Quod an verum sit postea disquiretur, licet illud non possit esse dubium, quòd primum principium totius caloris vitalis, siue mediante cerebro ministretur, siue non esse ipsum cor.

Ad rationem respondetur, humectationem requiri in lingua, & gustu non tanquam virtutem sentiendi, sed tanquam condimentum, & temperaturam obiecti gustabilis, nisi enim alteretur res sapida illo humore linguæ, non potest sentiri, & ideò cum requiratur ex parte ipsius obiecti, non sequitur, quòd organum potentiæ gustatiuæ debeat esse in parte magis humida, sed in parte recipiente species saporis humectati à lingua. Hæc autem dispositio organi non debet esse similis qualitati sui obiecti formaliter, sed proportionata ad recipiendum, & sic formaliter potius debet esse oppositæ qualitatis, & in potentia ad illam, quam formaliter similis, & ita quia sapor fundatur in humido, ideò humiditas linguæ requiritur ad perficiendum ipsum obiectum quod est sapor, non autem vt in eo constituatur potentia, quæ debet esse receptiua saporis. Et eadem ratione negamus debere gustum perfectius esse in radice linguæ, vbi est abundantia saliuæ, quia hæc non est dispositio potentiæ gustatiuæ, sed obiecti gustabilis prout applicatur gustui. Et dato, quod pertineret ad gustandum actiuè, non deberet esse in tanta abundantia, sicut est in radice linguæ, sed in eo temperamento, quod est in cuspide, propter quod etiam licet neruus sit magis expansus in radice linguæ, non tamen est ibi ita temperatus, & actiuus ad discernendum sapores, sicut in cuspide.

Ad Confirmationem respondetur, quod licèt aliqui cibi videantur aridiores, & sicciores, habent tamen sufficientem humiditatem, vt generent saporem, vt dicemus quæst. sequent. & tamen si siccitas præualeat humiditati, vergunt in amaritudinem, sicut cineres amarissimi sunt, quia valde sicci.

Circa medium gustus, supponimus sensationem huius potentiæ non fieri sine speciebus intentionalibus, hoc enim est commune omni sensui, vt dicemus, quæst. sequenti; quia sensatio non fit sine concursu obiecti intentionali modo applicati. Species autem intentionales per aliquod medium deferuntur ab obiecto ad sensum, & hoc medium, vt sæpè diximus, est duplex, aliud extrinsecum, seu distinctum ab ipso sentiẽte, licet vsque ad ipsum sensum extendatur, & cum ipso contiguũ sit, non continuum, sicut aër deferens species vsque ad oculum vel auditum. Aliud est medium intrinsecum, id est continuum, & non solum contiguum animali, scil. organum ipsum, seu pars organi, quæ species recipit, vt ipsam possint actuare potentiam, & ad illam peruenire.

Dicimus ergo, *Quòd in sensu gustus non est assignandum medium extrinsecum deferens species saporum, sed solum medium intrinsecum, cui immediatè coniungitur ipsa res gustabilis, vt ibi alteratione aliqua,*

seu

seu immutatione facta per humectationem linguæ, species eius ad potentiam gustatiuam perueniant.

Hoc autem medium internum est ipsa caro linguæ superposita neruo sentienti sapores, & est humida humore illo saliua valde alterante cibum. Sumitur hoc ex Aristotele 2. de Anim. text. 101. lect. 21. apud D. Thomam, vbi inquit: *Quòd gustabile est quoddam tangibile, & hæc est causa quare non sit sensibile per medium corpus extraneum, neque enim tactus tali medio percipit*; sic ergo æquiparatur gustabile tangibili quantum ad hoc, quod vtrumque obiectum contactu quodam applicari debet ad potentiam, & non solum per medium extrinsecum emittere species.

Sic ergo probatur conclusio ipsâ experientiâ, quia sapores non possunt sentiri, nisi habeant contactum cum lingua, nullus enim sentit saporem extra positum, & hoc ideò, quia sapores non possunt sentiri, nisi alterentur & immutentur physica alteratione ordinata ad ipsius viuentis nutritionem, ad hoc enim iste sensus ponitur in animali, vt possit ea, quæ ad alimentum pertinent discernere & assumere, & sic oportet, quòd ipsa immutatio cibi, seu saporis fiat in ipso animali. Requiritur ergo contactus physicus ad organum gustus tanquam ad medium internum, vt ibi sapor ipse mediante illa mutatione discernatur, & sentiatur, sicut etiam odorabile aliquam exhalationem fumosam, quæ realis alteratio est debet habere, vt sentiatur, sed quia non est materialis sensus, sicut gustus, nec ita proximè ordinatur ad ipsam animalis conseruationem seu reparationem, non est necesse, quòd illa immutatio odorabilis fiat in ipso animali, sed sufficit, quòd in aliqua parte medij, & inde deferantur species ad odoratum.

Quòd si obiicias: Aristotelem non bene probasse, quòd gustus est quidam tactus, quia tangibile fundatur in humido: nam etiam odor fundatur in sicco, & siccitas est qualitas tangibilis; non minus quàm humiditas. Ergo eadem ratione deberet dici odoratum esse quendam tactum; & odorabile esse tangibile. *Confirmatur*, quia si gustus esset quidam tactus, organum gustus non deberet distingui ab organo tactus, sed vtrumque esset terreum, & in potentia ad humidum, vt tangibile, quod tamen falsum est, vt supra diximus. *Confirmatur secundò*, quia gustus non semper requirit contactum rei gustabilis, sicut si ori applicetur aqua, & in partibus distantibus aquæ, ponatur aliquid dulce vt mel, statim sentitur eius sapor, antequam ori admoueatur, ergo potest sentiri aliquid nondum habens contactum: imò sufficit, quòd habeat contactum mediante saliua, saliua autem medium extrinsecum est, cum sit corpus distinctum à lingua, ergo per medium extrinsecum potest gustari.

Respondetur, quòd licèt odor fundetur in sicco, & sapor in humido ex parte ipsius rei odorabilis & gustabilis, tamen ex parte applicationis ad sensum longè differunt, quia vt sapor gustetur debet misceri cum humido linguæ, ibique fieri alteratio physica, quæ sine contactu fieri non potest, & consequenter gustus præsupponit tanquam conditionem necessariam ipsum sensum tactus, cui fit ille contactus. At verò siccum odoriferum non debet immutare physicè ipsum siccum, vel humidum olfactus, aut ibi alterationem habere, sed sufficit quod in medio exhalet, & ideò quia non requirit istum contactum physicum, nec ipsum odorabile, dicitur tangibile, nec odoratus dicitur tactus illo speciali modo.

Ad primam Confirmationem respondetur. Quod gustus non est tactus essentialiter, sed præsuppositiuè illo speciali modo, quia requirit contactum, & alterationem physicam obiecti, quæ tactu dignoscitur, vt possit gustari, ideóque supponit organum distinctum formaliter, licet in eadem parte, in qua est gustus, sit etiam tactus, sicut in aliis sensibus inuenitur etiam tactus, quia tactus diffusus est per totum corpus, licèt speciali modo requiratur ad gustum, vt dictum est. Et licèt organum gustus sit terreum, & in potentia ad humidum, non tamen formaliter, vt humidum est tangibile, sed vt saporosum, sic enim solùm in lingua sentiri potest, quod etiam est signum distingui ista organa, vt etiam aduertit S. Thom. 2. de Anim. lection. 22. ex Aristot. ibi. textat. 112.

Ad secundam Confirmationem conceditur sequela, & ad experientiam in oppositum *dicitur*, quòd illum saporem mellis distantis non sentit gustus, nisi quatenùs per aliquam mixtionem diffunditur vsque ad partes aquæ, quæ ori applicantur, alioquin non sentitur. *Quod verò dicitur de saliua. Respondetur*, illam non esse medium diffundendi species saporis, sed alterandi cibum & saporem eius in ore, & cum illa alteratione & mixtione species saporis imprimuntur in lingua, cui ita adiacet ipsa saliua, quòd non potest illi commisceri sapor, seu cibus, quin commisceatur linguæ.

ARTICVLVS VI.

Quid de potentia, actu, & medio tactus?

C*Irca potentiam tactus sunt duæ difficultates. Prima*, quam Aristoteles mouet in hoc secundo libro, text. 106. an tactus sit vnus sensus in specie athoma, an tantum vnus genere. *Secunda*, an organum sensus tactus sit quæcunque pars corporis, an tantum neruus. Circa medium verò quo species tactus communicantur dubium est de medio interno, an sit caro superposita neruo, vel aliquid aliud.

Circa primum videntur esse tactus diuersæ speciei, quia inter tangibilia inueniuntur diuersæ contrarietates, quæ non possunt reduci ad vnum genus, & modum immutandi sensum, ergo debent constituere diuersos sensus specie. *Consequentia patet*, quia sensus distinguuntur penes diuersum modum immutandi potentiam, & eliciendi sensationem, vnde sint diuersæ contrarietates non reducibiles ad vnum genus, & modum immutand potentiam, oportet diuersas potentias constitui. *Antecedens autem constat*, quia tactus attingit diuersas cõtrarietates, vt sunt calidum & frigidum, siccum & humidum, fames & sitis, voluptas & dolor, quæ non possunt reduci ad genus, quia sunt contrarietates primæ, quia vna non oritur, nec deriuatur ab alia, contrarietas enim inter calidum & frigidum, est æquè prima, atque contrarietas inter humidum & siccum, quia vtraque est inter qualitates primas. Similiter voluptas & dolor, fames & sitis dicunt contrarietatem internam, & non alicuius exteni tangibilis, magis autem distat sensibile internum, eiusque contrarietas à tangibili externo, quàm duo sensibilia externo, vt calor & sapor, cum externa per medium aliquod attingantur, interna sine medio, ergo magis debent constituere diuersos sensus, quam sensibilia externa. In aliis autem sensibus videmus, quòd tantùm est vna contrarietas, ad quam cætera reducuntur, sicut ad album & nigrum reducuntur aliæ contrarietates colorum.

In hac difficultate Aristot. nihil resoluit, licet eam proposuerit D. Thom. in 2. de Anim. lect. 22. licèt incli-

inclinet in hanc partem, quòd tactus sit vnus sensus genere, & plures in specie, tamen in qu. de Anima art. 13. ad 17. & 1. p. q. 78. art. 3. ad 3. vtramque partem vt probabilem admittit. Hinc est, quod etiam in hac parte discipuli D. Thom. sunt diuisi, nam Caiet. 2. de Anim. c. 10. Flandr. ibidem, & Iauell. ibi quæst. 47. tenent quod sint plures tactus specie. At verò Magister Bannez 1. p quæst. 78. art. 3. dub. 1. de tactu tenet, quod est vnus specie.

Nihilominùs probabilius videtur, *Tactum esse vnum sensum secundum speciem athomam, & in hoc perfectè saluamus commune dictum, quod tantum sunt quinque sensus externi, quod absolutè non saluaretur si essent plures specie distincti.* Hanc sententiam, vt diximus probabilem reputat D. Thom. locis citatis, & absolute eam docet opuscul. 43. cap. 3. *Et ratio sumitur ex eo,* quòd omnes illæ contrarietates, quæ dicuntur esse primæ conueniunt in vno genere proximo, quod est obiectum tactus, licèt genus illud sit innominatum. Quod sic explico, quia licet calidum, & frigidum, siccum, & humidum sint primæ contrarietates in genere naturali, possunt tamen conuenire in genere intentionali, quatenus habent eundem modum immutandi sensum, scilicet cum contactu rei tangibilis, & alteratione sentientis: reducuntur etiam ad vnam contrarietatem obiectiuam, quia sentiuntur secundùm aliquem excessum, vel conuenientiam ad temperamentum sensus, id est secundùm conuenientiam, vel disconuenientiam ad ipsum sentientem: quod autem hic excessus sit in calore, & frigore, sicco, & humido, materialiter, & per accidens se habet. Reliquæ autem contrarietates, vt famis, & sitis, voluptatis, & doloris, mollis, & duri, & aliæ similes, omnes reducuntur ad istas calidi & frigidi, &c. in illisque fundatur, vt postea dicemus. *Et confirmatur,* quia temperamentum animalis resultat ex omnibus quatuor qualitatibus, & sic se habet, quòd omnes illas respicit per modum constituentium temperamentum vnum conueniens, vel disconueniens animali, licèt inter ipsas qualitates primas physicè, & entitatiuè consideratas sint diuersæ contrarietates irreducibiles ad aliquam vnam naturalem, benè tamen ad aliquam animalem secundùm quod temperamentum animalis est conueniens, vel disconueniens, & sic sub eodem modo sentiuntur, quatenùs scilicet id, quod tangitur, congruit, vel non congruit cum tali temperamento, siue congruitas sit in siccitate, siuè in frigore, siue in qualibet alia qualitate, & hanc si excedat, vel corrumpat, habebit inconuenientiam, siue incongruitatem, & similiter contrarietas famis, & sitis, voluptatis, & doloris, &c. omnes fundantur in ista conuenientia, vel disconuenientia primarum qualitatum, vt deseruiunt temperamento animalis. Quare tactus non respicit primò, & per se contrarietates physicas istarum qualitatum, neque ipsas in se absolutè consideratas, sed vt deseruiunt ad constituendum temperamentum animalis, & sic reducuntur ad vnam contrarietatem omnes illæ contrarietates physicè distinctæ, scilicet ad conuenientiam, vel disconuenientiam ad temperamentum animalis.

Vnde patet ad fundamenta opposita. Respondemus enim, quòd in qualitatibus tangibilibus dantur plures contrarietates primò diuersæ materialiter; & in genere naturali, & ordinabiles tamen ad vnam contrarietatem animalem, id est, secundùm temperamentum conueniens, vel disconueniens ipsi animali, cui subordinantur omnes illæ aliæ contrarietates, & sub ista formalitate respicitur à tactu, & sic habet vnicam rationem formalem specie athoma. *Quod verò dicitur* voluptatem, & dolorem, famem, & sitim sentiri sine medio, imprimis etiam hoc dato solùm esset accidentalis differentia, non essentialis, id est non in ipsa ratione formali, & modo immutandi sensum, sed accidentalem, scilicet in ipso medio applicandi species sensui, quod pertinet ad applicationem, seu instrumentum non ad formalem rationem sensus. *Et deinde dicitur,* quod etiam illa sentiunt intra, per aliquod medium, quatenus quælibet pars non sentit, quod sibi supra ponitur, aut inhæret, sed quod sibi contiguum est in parte proximiori, & sic vtitur illa parte tanquam medio interno, & sentit per illud, vt iam supra quæst. 4. aduertimus, & iterum quæst. 7. explicabimus. *Quod autem dicitur* magis distare sensibile internum ab externo, quam duo externa. *Respondetur* magis distare quantum ad illam rationem accidentalem vtendi illo sensibili externo, vel interno, sed non in ipsa ratione formali specifica, quæ est ratio mutandi sensum; in hoc enim conueniunt internum, & externum tangibile, non tamen duo externa sensibilia sicut sapor, & odor, & similia. In aliis autem sensibus datur vna contrarietas, quæ sit vna non solum cognoscibiliter, & obiectiue, sed etiam physicè, & materialiter, in tactu autem solum inuenitur vna contrarietas, vt pertinens ad conuenientiam, vel disconuenientiam temperamenti animalis, vt explicatum est, licet maneant plures contrarietates primæ in genere physico.

Circa organum tactus constat in toto corpore nos sentire, quando ab aliquo tangimur, quod necessarium fuit animali, vt posset in omni parte se conseruare à nociuis, & amplecti ea, quæ sunt conuenientia. *Difficultas est* de partibus sentientibus, vt carne, & neruis an æqualiter in illis sit organum tactus, & potentia tangendi, an verò solum in neruis. Et loquimur de partibus sentientibus, quia aliquas ipsa experientia constat non sentire, quia nimium sunt terrestres, vt vngues, capilli, & similia.

Sententia Arist. collocat tactum in neruis sub carne, dicit enim in hoc 2. lib. text. 116. *Quare manifestum est, quod intus sit tangibilis sensitiuum, sic enim vtique accidit, quod & in aliis, apposita enim super sensorium non sentiunt, super autem carnem posita non sentiunt, quare medium tactus est caro.* Vbi solum carni attribuit esse medium, non organum. Hæc authoritas rationem insinuat de se satis difficilem, quia si ideò organum tactus, attribuitur neruo, quia non potest sentiri, quod ponitur supra sensum, sentimus autem per tactum aliquid positum supra carnem, & sic caro non est organum potius hac ratione deberet attribui carni sensorium tactus, quia caro licet sentiat etiam habet medium, quo sentiat, scilicet cutem & ita tangit rem non immediatè positam supra se, sed supra aliquid distinctum internum tamen, nam medio externo certum est tactum carere. Quod si dicatur, carnem etiam detracta cute sentire, hoc idem instatur in neruo, quia denudata carne adhuc sentit, & quidem vehementissime, & tunc dicimus, quòd sentit neruus non in ea parte, cui superponitur sensibile, sed ratione partis proximioris, cur ergo non poterit idem dici de carne, quod detracta cute sentit id, quod superponitur ratione partis immediatæ?

Cæterùm Aristot. non videtur sumpsisse carnem, in qua negat esse organum tactus pro carne, vt distinguitur à cute, sed totum illud, quod est caro cum cute pro eodem sumitur, quia cutis se habet sicut pars quædam, seu terminus carnis, vnde quando dicit carnem esse medium, non condistinguit carnem à cute, sed totum hoc est medium, quod verò aliqua pars illius carnis vel terminius eius, qui est cutis dicatur habere ratio

rationem medij non est ad propositum, quia medium semper habet poni aliquid distinctum, & distincti temperamenti, sicut neruus, & caro, quæ sunt partes distinctæ, & etherogeneæ, sed caro, & cutis sunt homogeneæ, quia cutis solum est extremitas carnis. Quod si hoc sufficeret, vt diceretur medium, idem diceremus de carne, quod vna pars illius sit medium, & alia organum. Imò currit eadem difficultas de cute, quæ etiam sentit tangibilia, quomodò posset ipsamet esse organum, & medium, & sentire rem superpositam, nisi negando rationem Philosophi.

Quod verò dicitur neruum detractâ carne sentire si pungatur, *dicimus*, quòd si totaliter, & ex omni parte caro detraheretur, ita vt non posset tangi mediante carne, neruus fortè non sentiret id, quod sibi immediatè apponeretur, quia neruus se solo est nimium terrestris, sicut ossa, & pili, à carne autem mollificatur. Vndè dicit Aristot. 2. de generat. Anim. cap. 4. & in hoc 2. de Anim. text. 79. *Quod nerui, pili, & ossa, non habent in se aliquem sensum.* Quare si totaliter detrahatur caro, nullam sensationem exercebit. Et ideò S. Thom. 2. de Anim. lect. 22. dicit: *Quòd caro non est organum tactus, sed medium connaturale. Secundo dicitur*, quod dato, quòd neruus sentiret in illo casu, id esset indirectè, & non per medium connaturale, sed vna pars nerui sentiret punctionem non sibi super positam, sed proximioris partis, quod non erit connaturale, nec per lineam rectam obiecti tangibilis in organum, sed quasi ad latus.

Cur autem similiter non dicemus, quod caro sit organum tactus sentiendo non id quod sibi immediatè superponitur, sed quod proximæ parti. *Respond.* esse disparem rationem, quia caro cum non habeat aliquid sibi suprapositum sicut neruus, quod deseruire possit, vt connaturaliter, & per directam emissionem aliquid tangat, ideò non potest connaturaliter esse organum tactiuum, id tamen potest conuenire neruo, quia connaturali modo habet carnem supra se tanquam medium, quo sentiat, eo verò deficiente per accidens, & indirectè, & minus connaturaliter potest sentire id quod proximiori parti apponitur, caro verò quia non habet quomodò directè tangat per aliquid superpositum, non mirum, quod etiam indirectè non possit tangere.

Quod si dicas: nam si in oculo, & aliis sensibus semel d est medium internum, quod est pars organi, vt pupilla in oculo, non potest videre, ergo si caro est medium in sensu tactus, remota carne non sentiet neruus. *Respond.* esse disparem rationem de tactu, & aliis sensibus quia in aliis requiritur organum, seu medium internum, vt per illud possit haurire species, & illud est determinatum in certa parte corporis, ita quod eo remoto nihil remanet, quod directè, vel indirectè possit haurire species. In tactu verò propter eius magnam necessitatem in toto corpore animalis, & in partibus eius, non requiritur ad hauriendum species alia dispositio, quàm vt possit fieri contactus ipso obiecto, hoc autem connaturaliter quidem, & directè, id est ad tangendum per lineam rectam, fit conuenienter per carnem superpositam neruo, si tamen ea remoueatur, adhuc remanet locus contactui ad obiectum tangibile in ipso neruo, non quidem per lineam rectam, quia sic sentiret aliquid sibi immediatè superpositum, sed solum indirectè, & coniunctum parti viciniori.

Circa medium tactus externum aliqui dixerunt dari medium externum, quod interiiciatur inter corpus, & rem tangibilem, quod attribuitur Auerroi, idque videtur sumi ex Arist. 2. de Anima text. 113. & 114. Cùm verò vrgetur quod etiam illud corpus medium, siue sit aqua, siue aër etiam potest sentiri, vt cum est nimis calidum, & frigidum: *Respondet* id esse, quia non sunt ista elementa in sua naturali dispositione, si enim in ea essent, non sentirentur. *Caterùm* hoc falsum apparet, cum in ipsa naturali dispositione aqua habeat excessum frigoris, & ignis excessum caloris, seu calorem summum, ergo maxime ibi sentiretur. Et idem est de quouis alio corpore, quod immediatum sit ad superficiem animalis, nam si qualitates in illo intendantur proculdubio sentitur à tactu, ergo tactus non requirit medium externum, sed potius contactum immediatum, ad hoc enim ordinatur iste sensus, vt ea, quæ immediatè tangit animal possint ab eo sentiri, sicut sentimus corpora dura, vel mollia immediatè superposita carni.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Contra id, quod diximus de medio, & organo tactus sentit P. Suar. lib. 3. de Anima c. 27. putans, quod sensibile positum supra sensum non repugnat, quod sentiatur; quod etiam alij Authores sentiunt, vt supra præcedenti quæstione retulimus, & probabilem iudicant Conimb. lib. 2. de Anim. cap. 10. q. 3. art. 3. in fine. Fatetur tamen Suar. in cap. 26. non posse ab ipso sensu sentiri qualitatem organo proprio inhærentem. Ducit autem argumentum ab experientia, videmus enim non solum neruum, sed etiam carnem sentire, vt si caro pungatur vel vena, ergo non solùm neruus sentit, sed etiam aliæ partes. *Nec dici potest* quòd caro sentit tanquam organum. *Contra enim est*: tum quia experientia debet in hac parte præponderare, videmus autem nos in cute, & carne actu sentire; cur ergo negabimus ibi elici sensationem, & consequenter esse organum tactus, & non solum medium? tum quia in pulmone, in hepate, in corde, non dantur nerui, & sentitur dolor. Ergo non solum neruus est organum tactus. *Confirm.* Quia Aristot. maxime posuit sensorium tactus in corde lib. de sens. & sensat. lect. 5. apud D. Thom. & tamen ibi neruus non est.

Respond. solutione datâ inter arguendum, quæ sumitur ex Arist. hoc 2. lib. text. 110. & ex D. Thom. ibi lect. 22. vbi inquit: *Quod inefficax est argumentum ad probandum quod caro sit sensus tactus ex eo, quod statim ac tangitur fit sensus, non enim fit in ipsa, sed in neruo coniuncto.* Vnde non præponderat experientia in hac parte, nec nos negamus illam, sed dicimus experientiam monstrare, quod si caro pungatur fit sensus, non tamen monstrat, quòd fiat ab ipsa carne, & non in neruo coniuncto, sicut positâ specie in pupilla statim sentimus visionem, non tamen constat, an fiat à pupilla, an à neruo visorio. *Ad aliam replicam dicitur*, etiam in illis partibus dari neruos, aut aliqua principia neruorum, qui ob suam subtilitatem satis vehementer sentiunt: vel etiam in partibus illis propinquis, vel contiguis dantur nerui, à quibus fiat ipsa sensatio.

Ad confir. Resp. Iam supra aliquid de hoc tractatum esse. Circa radicale enim principium sensuum est duplex celebris sententia. *Altera* Arist. qui dicit cor esse principium, & radicem sentiendi, vt in loco citato in argumento, & in 2. de gener. animal. c. 4. & lib. 5. c. 2. Specialius tamen videtur ponere tactum, & gustum in corde, alios in cerebro. *Contraria sententia est* Gal. 8. de vsu partium c. 4. & aliis locis, in quibus principium sensuum dicit esse cerebrum. Et huic sententiæ videtur subscribere D. Thom. 3 p. q. 8. art. 1. & a. 6. vbi omnē virtutē sensitiuam dicit esse à capite, & videri etiā potest in 3. dis. 13. q. 2. art. 2. ad 3. & opusc. 43. c. 4. Sanè cor dici potest principiū radicale sentiēdi quan

quantum ad subministrationem caloris vitalis. *Cæterùm* quantum ad temperamentum, & modificationem talis caloris, & subministrationem spirituum animalium prout requiritur ad operationes sensitiuas, præsertim perfectas, sine dubio cerebrum est prima radix, & principium sentiendi: tum quia in cerebro initiantur nerui, per quos spiritus animales subministrantur, vt ex anathome constat, tū quia læso cerebro cessat sensatio, & obstructis meatibus cerebri animal dormit, & pósito nimio conatu, & attentione ad sentiendum, cerebrum dolet, non cor.

Est tamen pro Aristot. argumentum: Quia cor prius formatur in animali quam cerebrum, & statim sentit, quia palpitat, & si ibi pungatur, se retrahit, ergo sensus tactus originatur à corde. Similiter decapitato homine adhuc cor sentit, & breui tempore palpitat, & si pungatur sentit. Ergo sensus tactus radicatur in corde. *Respond.* Hoc argumentum solum procedere de tactu, quia quoad alios sensus, desunt organa sublato capite. Adhuc tamen de tactu non conuincit; tum quia licet cor formetur ante cerebrum, tamen in illo motu palpitationis non sentit, est enim ille motus potius partis vegetatiuæ, quam sensitiuæ tanquam principium motuum vitalium, non formaliter sensus. Nec scimus si cor pungatur in illo imperfecto statu, quando prius est formatum quàm caput, si pungatur an se retrahet. Quis enim hoc vidit, cùm cor tunc sit intra matricem animalis generantis, nec possit ibi videri an se retrahat, si pungatur? Decapitato autem homine, cor non sentit dolorem, quia iam deest phantasia & consequenter non mouetur appetitus, in quo formaliter est actus doloris. Quòd verò in corde sentiatur dolor, & tristitia, & ira ideò est, quia ibi est appetitus irascibilis, & ad hoc sentiendum etiam participat influxum, & spiritus animales à cerebro.

Secundo arguit. Quia in carne est temperamentum magis delicatum, reductum ad mediocritatem quàm in neruo, vtpotè minus terrestre, ergo, maximè est in potentia ad patiendum à qualitatibus excessiuis, quas solum sentit tactus vt quæst. sequenti dicemus, & sicut aër est melius receptiuus quam terra, ita temperamentum aëreum, quod correspondet carni propter suam raritatem, magis quàm terrestre, quod correspondet neruo, vnde Aristot. lib. 2. de partibus animal. cap. 1. & 5. in 1. de histor. Animal. cap. 4. dixit carnem esse sensorium tactus.

Respond. Probare argumentum, quòd caro habet temperamentum, aptum ad præcise recipiendum, & ebibendum species tangibiles non tamen vt ibi fortius imprimatur species, vt ita eliciatur sensatio, experimur autem minus sentiri, quod leuius tangitur, & sic ad tactum non sufficit facilitas recipiendi, sed etiam fortiter imprimendi, & ad hoc magis conducit illud terrestre temperamentum nerui cum aliqua mollitudine. *Ad Aristotel. autem dicimus*, quòd nomine carnis intelligit non carnem nudam, sed includentem neruum, sicut lingua dicitur gustare ratione nerui in ea inclusi. Videantur etiam quæ diximus quæst. præcedenti, ostendendo, quòd sensibile supra sensum non sentitur, & argumenta ibi soluta. Restabat agere de sufficientia diuisionis in quinque sensus externos, sed res est paruæ difficultatis, & à D. Thom. sufficienter explicata 1. p. quæst. 78. art. 3. & in 3. de Anima lect. 1. & ex dictis sufficientar intelligi potest.

QVÆSTIO VI.

De obiectis Sensuum externorum in communi.

EXPLICABIMVS *primò* in hac quæst. *generales conditiones obiectorum externorum, deinde in sequenti singula obiecta in speciali perquiremus. Conditiones autem generales videntur reduci ad duas.* Primò, *quòd obiectum sit præsens, & nullo modo res in absentia possint sentiri.* Secundò, *quòd obiectum per species vicem sui gerentes sensus informet, & ideò de his prius agemus.*

ARTICVLVS I.

Vtrùm requiratur necessariò quod obiectum exterius sit præsens vt sentiri possit?

MVlta de hoc tractauimus in quæst. 23. Logicæ, vbi ostendimus notitiam intuitiuam sensuum externorum non posse etiam diuinitus ferri in rem absentem, Nunc absolutè inquirimus, an possit in sensibus inueniri notitia abstractiua, & consequenter de re absenti; Et loquendo naturaliter, satis constat non posse res in absentia sentiri sensu externo, ex defectu speciei impressæ, quæ naturaliter ab obiecto præsenti immittitur, & dependet in fieri, & conseruari ab ipso obiecto, sicut experientia constat in speciebus visibilibus, quæ remoto obiecto in momento cessant, & de aliis sensibus idem probari potest ea generali ratione, quia non possunt species desinere nisi vel à contrario, vel ex defectu subiecti, vel ex defectu causæ conseruantis; remoto autem obiecto constat non diu durare posse species, & hoc non propter aliquod contrarium, quia species intentionales carent contrario, simul enim informant potentiam species albi & nigri, calidi & frigidi, odoris suauis & insuauis, siquidem hæc simul sentiri videmus: præterquam quod potest, quando remouetur obiectum non dari aliquod contrarium à quo corrumpatur species, & tamen cessat cognitio ob defectum speciei. Ex defectu autem subiecti non desinunt istæ species, quia supponimus organum, & potentiam, in quo subiectantur, & medium per quod transeunt manere immutata, & in tali casu loquimur, & tamen remoto obiecto, species euanescunt, & cognitio cessat; ergo signum est dependere naturaliter ab obiecto in fieri & conseruari.

Nec obstat, quòd sonus auditur etiā cessante collisione & motu corporum, solet enim fieri ictus, & videri à longè, & post breue tempus audiri sonus, ergo sentitur remoto obiecto, nempe illo ictu, & idem est de odorabili, nam remotâ fumeâ exhalatione, adhuc sentitur odor per aliquod tempus, remanent ergo species in absentia obiecti. *Resp.* quòd in primo casu manet realis sonus in aëre, licèt non in collisione corporum, à quibus primum formatur, & ita quando

quando realiter sonus durat in aëre, durare potest species ex illo emissa. In secundo casu, licèt fumea exhalatio euaporari cesset à corpore odorabili, tamen ea quæ prius euaporata est, remanet in aëre, vel in corpore propinquo, quatenùs ibi manet realis odor exhalatus, qui continuo emittit speciem sui, & sic sentitur res in præsentia, scilicet odor exhalatus qui remanet, & sonus in motu aëris, licet non in collisione corporum perseuerans.

Difficultas ergo tota reducitur ad virtutem Diuinam, an possit per ipsam in absentia obiecti aliquid sentiri conseruatis speciebus in sensu, remoto obiecto, & sensatione sic elicita? *In quo est aliquorum sententia*, posse rem absentem videri diuinitus, dummodo repræsentetur vt præsens. Ita P. Suarez 3. de Anima c.3.num.5. Conimb. 2. de Anima cap.6.q.3. art.1. Et P. Suarez sentit talem cognitionem verè quidem esse abstractiuam, vtpotè rei absentis (vbi manifeste sentit ad intuitiuum & abstractiuum requiri præsentiam, & absentiam physicam, & non solum repræsentatam) reuera tamen iudicare rem vt præsentem, quia ita videret, ac si esset præsens. *Fundamentum est*, quia non repugnat Deum conseruare in sensu externo speciem sui obiecti etiam remoto obiecto, ergo neque repugnabit, tunc illud cognoscere. *Consequentia est certa*, quia ad cognitionem eliciendam non requiritur aliud, quàm potentia informata specie obiecti, tunc autem est potentia informata specie, ergo cognoscit. *Antec. patet*, quia species emissa ad oculum solum dependet ab obiecto vt existat, in genere causæ effectiuæ, hanc autem potest Deus supplere, quia magis ab ipso dependet effectus in genere efficientis, quàm à causa secunda, ergo non repugnat conseruari à Deo speciem in oculo remoto obiecto, sicut lumen in medio, remoto luminoso. Quod verò dependeat species ab obiecto in genere causæ formalis extrinsecæ nihil obstat, quia hæc dependentia non petit existentiam in obiecto specificante, potest enim exerceri ista causalitas extrinseca ab obiecto non existente, vt patet cum rem futuram considero, aut præteritæ recordor.

Confirm. quia saltem potest Deus facere, quòd res longissimè distans imprimat speciem suam in speculo, quod est prope me, multiplicando scilicet speciem per medium vltra sphæram suæ naturalis emissionis: tunc autem visa imagine in speculo videbitur res absens & longissimè distans, tanquam ibi præsens, ergo similiter non repugnabit, quòd remoto speculo species continuetur vsque ad oculum, sicque videatur absens posita ibi tali specie.

Nihilominus oppositum tenendum est, *implicare scilicet quod res aliqua physicè & realiter absens immediatè in se attingatur à sensu externo.* Quod vero attingatur in alio, vt res in imagine non est difficultas in præsenti, quia hoc nihil aliud est, quàm videri ipsam imaginem, quæ præsens est, licet res repræsentata per ipsam in se sit absens. Vnde vt tollatur æquiuocatio, quando dicimus requiri præsentiam Physicam obiecti loqnimur in sensu formali, id est eius quod propriè & immediatè se habet vt obiectum, ita quod benè stat, quòd loco alicuius obiecti supponatur aliud, in quod feratur seensus, & decipiatur interius iudicium putans esse alterum, tamen sensus externus directe fertur in illud externum, quod sibi supponitur. Similiter potest aliquãdo ex vehementia imaginationis aliquis decipi, aut deludi, putans se verè videre, aut sentire exterius rem aliquam, quam tamen non habet præsentem, sed tunc nec videt, nec sentit exterius, sed imaginatur sentire, aut videre. Loquimur ergo quando sensus exterior verè, & propriè elicit actum: & de hoc dicimus essentialiter postulare, quod obiectum exterius in quod fertur sit præsens physice, in quod talis actus immediatè terminetur, nec sufficit quod species sit in sensu repræsentans aliquid vt præsens, sed requiritur quod ipsum obiectum præsens sit vt terminet actum.

Hæc concl. sumitur ex D. Thom. qui frequenter distinguit obiectum sensuum exteriorum ab interioribus, quia illi versantur circa præsens, isti autem etiam circa absens, vt patet 1.p. q.78. artic.4. & 1.2. quæstion.15. artic.2. & quæstion.35. artic.2. ad 2. vt latius ostendemus infra quæstion. 8. Explicans autem Diu. Thom. quodnam sit illud præsens, dicit esse præsens, quod habet esse extra videntem, ergo sentit ex ipsa propria specifica ratione sensus externi debere obiectum esse præsens præsentia exteriori & physica, & non solum repræsentatiua. Debet autem esse præsentia extra videntem, quia vt docet S. Thom. 1.p.q.14. art. 9. ideò Deus non habet scientiam visionis de rebus possibilibus, licèt sibi repræsententur, *Quia ea quæ apud nos videntus, habent esse distinctum extra videntem*, & in q.3. de verit. art. 3. ad 8. inquit: *Quòd scientia visionis addit supra simplicem cognitionem admixtionem alicuius, quod est extra genus notitiæ scilicet existentiam rerum.* Sed existentia rei quæ extra genus notitiæ est existentia physica, & non solùm repræsentata, hæc enim non est extra genus cognoscibilitatis præsentiam rei in se, & non solum in specie quod etiam amplius patebit cum art. 3. ostenderimus sensus externos non formare idolum, sed terminari immediate ad obiectum in se.

Ratio autem & fundamentum ad hoc reducitur, quia sensus externi ex sua natura sunt infimi in genere cognitionis, & immediatè continuantur ipsis rebus à quibus accipiunt species, & magis materiales sunt inter omnes potentias cognoscitiuas. Vndè quia ex ipsis originatur omnis nostra cognitio, & in ipsos resoluitur, oportet quòd moueantur sensus externi ab obiectis accipiendo ab eis species, & rursus quod cognitio terminetur ad res ipsas prout extra sunt. Et licèt primum, scilicet moueri ab obiectis & procedere ab ipsis species effectiuè, possit suppleri à Deo infundente, vel producente speciem in potentiis loco obiecti, & sic quantum ad productionem speciei non exigat sensus essentialiter præsentiam obiecti, tamen quoad secundum suppleri nou potest, quia pertinet ad specificatiuam rationem, sensationis externæ quatenus externa est. *Et probatur ex duplici conditione*, quam habent sensus externi, nam debent habere cognitionem experimentalem, & in aliquibus earum, vt in gustu & tactu exigunt contactum realem neque possunt videre obiectum per reflexionem in se ipsis, neque in alia potentia interiori, vel exteriori, à qua moueantur, quia sunt vltimæ potentiæ inter omnes cognoscitiuas; ergo immediatè debent attingere obiectum in se ipso. Quod sit experimentalis cognitio in sensu exteriori patet, quia tunc maximè aliquid experimur cum ipso sensu exteriori tangimus; cum autem experientia sit vltimum, in quod resoluitur nostra cognitio, & per quam tanquam per inductionem introducitur in nobis, non potest vltimatè resolui cognitio, nisi in ipsum obiectum vt est realiter in se, quia si in aliquid aliud præter rem ipsam resolueretur, vt in imaginem, vel idolum aut medium aliquod, restaret adhuc istud medium, vel idolum conferre cum ipsa re seu obiecto cuius est, vt constaret an esset verum necne: vnde semper restaret eadem difficultas conferendi istud medium, cum obiecto, cuius est repræsentatiuum. Quare necesse fuit ad habendam certitudinem, & euidentiã experimentalem deuenire ad

cogni

cognitionem, quæ ex propria sua ratione tenderet ad res in se ipsis, & hæc est cognitio sensus exterioris, atque adeo ex ipsa propria ratione cognitionis vltimæ, & experimentalis exigit obiectum esse præsens, & nullo modo absens.

Nec obstat, quòd cognitio experimentalis potest dari in Angelo formando verbum, in quo vt in termino cognitionis experiatur rem in se. *Respond.* enim experientiam Angeli esse intellectualem, non sensibilem, nec per species acceptas ab obiectis sensibilibus, sic enim certificari non posset experimentaliter de obiecto, nisi haberet aliquam cognitionem resolutam vsque in ipsum immediatè. Cùm autem Angelus certificetur per species desuper infusas, non habet experientiam de re quantum ad certitudinem cognitionis per resolutionem in ipsam rem, sed quantùm ad rem attactam, quæ est coëxistens sibi, inde denominatur experimentalis, & intuitiua. Sensibilis autē cognitio intrinsecam certitudinem habet experimentalem haustam ab obiectis, & sic in ipsam, vt est in rē debet resolui.

Postremò, si remoto obiecto externo posset sensus illud percipere, ergo posset oculus in tenebris videre, & posset gustus & tactus obiectum non contactum sentire, quæ omnia absurda sunt. *Minor probatur*, quia si videtur obiectum absens seu non existens, ergo videtur tale obiectum, etiamsi lux illud non attingat, & consequenter etiamsi medium non sit illuminatum, quia si lux ipsum visibile non attingit, reliquum medium licet sit illuminatum, nihil omnino conducit ad visibilitatem obiecti, & sic eodem modo videbitur, si tota lux sit ablata à medio. Est autem impossibile, quod aliquid in tenebris videatur, cum specificum obiectum visus sit lucidum. *Nec dici potest*, quod est lucidum repræsentatiuè, hoc enim est proprium sensibus internis, & intellectui, qui apprehendunt lucem, vt repræsentatam, & ita etiam in tenebris possum recordari lucis; quia compatitur lux repræsentata cum tenebris, videre autem in tenebris obiectum oculis externis, est videre lucem non illuminantem, nec tendere in lucidum externum, quod est verè lucidum & hoc est specificatiuum oculi. In tactu autem & gustu multo magis constat rem absentem non posse habere contactum physicum, sine contactu autē quomodo potest aliquid gustari aut tangi.

Ad fundamenta oppositæ sententiæ Respondetur, quòd Deus potest conseruare speciem sensibilem in absentia obiecti, per modum cuiusdam entitatis realis, sicut potest illam conseruare in aëre, vel extra omne subiectum, in hoc enim solùm dependet species, quantum ad existentiam ab obiecto immittente, vel subiecto sustentante, causalitatem autem existentiæ Deus se solo supplere potest. *Cæterùm* non potest supplere, vt cognitio eliciatur ab illa specie in sensu externo circa obiectum absens, eo quod essentialiter petit terminari ad obiectum vt extra existens, nec sufficit species impressa posita in sensu, sicut etiam in Angelo, licet detur species innata, non potest repræsentare futurum contingens, aut cogitationem cordis quia talia obiecta non sunt in statu debito ipsi Angelo. *Et quando dicitur* quòd dependentia ab obiecto in genere specificantis non petit existentiam. *Respondetur*, quòd specificatio absolutè non petit, benè tamen specificatio vt talis, scilicet vt est circa obiectum vt externè, & sensibiliter & modo experimentali attingendum, sicut notitia vt intuitiua petit obiectum præsens & existens; licèt non vt notitia absolutè.

Nec obstat, quòd vulgò dicuntur aliqui videre rem intra terram occultam, vt qui dicuntur inspectores aquarum, vulgò *Zahories*, qui aquam latentem sub terra vident & linces dicuntur vltra parietes videre. *Respond.* enim quòd etiam toto hoc concesso non videtur aliquid absens, sed id quod intra terram, vel vltra parietem vere existens est, quarum species valde tenues, & imperfectas, vtpotè per illa corpora opaca, vel eorum poros exeuntes; sibi tamen sufficientes propter nimiam perspicacitatem, res illas nobis occultas vident, qui maiori luce, & specierum perfectione indigemus. Reuera tamen multa ex his in fabulas reiicienda sunt, & illi aquarum inspectores non vident ipsas aquas infra terram, sed signa aliqua scaturientis vndæ, v.g. vaporem aliquem tenuem è terra illa exeuntem, aut aliqua signa, vt tales herbas talem odorem, aut sonum, vnde per discursum colligunt ibi esse aquam, aut aliquid simile, & aliqua animalia ex similibus signis, vel ex aliqua impressione humiditatis refugiunt transire per aliquem locum infra quem est aqua. De lincibus res est incerta, nec facile credenda, quod visu externo vltra parietem videant.

Ad confirm. respondetur quòd in speculo non videtur obiectum ipsum, sed imago illius, quæ per refractionem lucis, & specierum generatur vt statim dicemus, & illa imago semper videtur vt præsens.

De visione rei in speculo.

Circa materiam tamen huius confirmationis difficultas est, quid videatur in speculo, an imago aliqua ibi denuo genita an obiectum ipsum; *Et aliqui existimant* non videri imaginem, sed obiectum ipsum cuius est illa imago. Ita Conimb. 2. de Anima cap. 7. quæst. 8. art. 2. & Pater Suarez 3. de Anima cap. 2. numero 15. dicuntque esse communem sententiam perspectiuorum. *Et fundamentum est*, quia illa imago speculi nihil aliud est, quàm species visuales refractæ ad oculos reflectentes, sed species ipsæ videri non possunt, quia in se non sunt lux, neque color sed qualitates intentionales vicem gerentes coloris, ergo non sunt id quod videtur, & sic non potest esse res visa, imago speculi, nec sola, nec simul cum obiecto, quia ipsa visibilis non est, cum sit ipsa species, sed per illas species inde refractas obiectum videtur. *Confirmatur*, quia si ibi generaretur imago, deberet videri per speciem distinctam ab ea, quæ immittitur ab obiecto, cùm sit distincta res ab obiecto ipso: si autem ibi distincta species ab imagine generaretur, sequeretur non fieri ibi reflexionem speciei, quia non est eadem species quæ eat, & redeat, sicut requiritur ad reflexionem, ergo est distincta. *Confirmatur secundò*, quia etiam experientia huic parti suffragatur, siquidem in specie visibili quælibet pars repræsentat totum obiectum, vt patet, quia modicum quid speciei ponitur in oculo & videt totum: in speculo autem in alia parte videtur caput, in alia pes; ergo id quod ibi videtur non est imago, seu species: similiter imago refrangitur in superficie speculi, id autem quod videtur, quasi in profunditate speculi videtur, ergo id quod videtur non est imago, sed species.

Nihilominus oppositum tenet S. Thom. qui sæpius docet per speciem speculi videri speculum, & ea quæ in speculo apparent, vt patet 1. p. quæst. 12. art. 9. in argumento, sed contra, & quæst. 8. de veritat. art. 5. in 2. argumento sed contra, & in 3. dist. 14. q. 1. art. 1. q. 4. ad 2. *Quando*, inquit, *videntur res in speculo: species istarum rerum non imprimuntur à rebus in sensu sed à speculo, vnde imprimuntur omnes istæ species vt conclusa in vna specie speculi, non quod sit alia species speculi, & alia rei visæ in speculo.* Quam authoritatem artigit Suarez loco citat. numero 10. nec contra illam opponit aliquid, quod sit alicuius momenti. Est enim mani-

feſtum , quod ſi id , quod videtur in ſpeculo vide-
tur per ſpeciem ipſius ſpeculi , non vtique id quod
videtur eſt per ſpeciem obiecti , neque obiectum
ipſum, ſed aliqua imago genita in ſpeculo. Quod ex-
preſſè affirmat ipſe D.S.3. part. quæſtione 76.art.3.
& in 4.diſt.10.quæſt.1.art.3.quæſtiunc.3.vbi inquit:
*Quòd imago ſpeculi non eſt ibi vt forma abſolutè quie-
ſcens in ſubiecto , ſed aggeneratur ex reuerberatione.* Si
ergo generatur imago, non ergo ſolùm reflectitur
ſpecies. *Et ratio eſt* , quia ſi ſolùm fieret reflexio ſpe-
ciei, & non generaretur imago ex illa reuerberatio-
ne, ſufficeret ſpeciem viſibilem impingere in quod-
cumque opacum , vt inde reflecteretur & veniret ad
oculum, ſiquidem hoc ipſo, quod tangit in opacum,
non tranſit vltra , ſed reflectitur , ſicut lux quando
incidit in opacum , cur ergo ſpecies reflectens ex
quocumque opaco non efficit viſionem ſui obie-
cti,ſed ſolùm quando reflectitur ex ſpeculo , niſi quia
non ſufficit ſola reflexio ſpeciei, ſed requiritur gene-
ratio imaginis quando inuenitur diaphanum denſum
terminatum aliquo opaco, vbi fiat reuerberatio lucis,
& ſpecierum, quæ illam imaginem generet. Item
videmus quòd ſi ſpeculum ponatur ex oppoſito ra-
diorum ſolis, non redditur in eo ſimilitudo obiecti
oppoſiti, & tamen ſpecies tangens opacum in inte-
rior parte ſpeculi , non tranſit vltra , ſed reflectitur,
neque illa reflexio impeditur ex radiis ſolis, ſed ma-
gis iuuatur , ergo cum non videatur aliquid in ſpe-
culo ſic poſito contra radium ſolis , ideò eſt, quia non
ſufficit reflexio ſpeciei,ſed requiritur generatio ima-
ginis ex illa reuerberatione in diaphano terminato
per aliquod corpus opacum, & obſcurum , impe-
ditur enim hoc ſi feriatur ſpeculum directè à radiis ſo-
lis,quia illi radij multiplicati tollunt omnem obſcuri-
tatem corporis opaci, ſicque impediunt generatio-
nem imaginis in ſpeculo , illamque diſſipant Deni-
que , ſi ſolùm fieret reflexio ſpeciei à ſpeculo ad ocu-
lum , cum quælibet pars ſpeciei eodem modo repræ-
ſentet totum integrum obiectum ſicut eſt in ſe, à
quocumque ſpeculo reflecteretur ſpecies , eodem
modo ſemper repræſentaret totum obiectum, ſiqui-
dem ex quocumque ſpeculo reflectit ſaltem aliqua
particula ſpeciei : conſtat autem quod in paruis ſpe-
culis repræſentatur valde paruum obiectum , in aliis
verò in tota ſua quantitate , ergo ſignum eſt, non
ſufficere reflexionem ſpeciei, ſed generari imaginem,
quæ iuxta diuerſam diſpoſitionem ſpeculi aliquan-
do eſt minor aliquando maior , & illa eſt quæ vide-
tur non autem obiectum directè.

Ad fundamenta oppoſita reſpondetur , imaginem il-
lam ſpeculi , quæ videtur non eſſe ipſam ſpeciem vi-
ſibilis vt quod, ſed eſt id quo res aliqua videtur. Eſt
ergo imago generata ex reuerberatione ſpecierum, &
lucis in diaphano denſo terminato aliquo corpore
opaco & obſcuro , ſicut etiam in nube obſcura, &
habente partes anteriores roridas generatur Iris ex
radiorum ſolis reuerberatione non diſſipantis obſcu-
ritatem nubis Quomodò autem qualitas intentiona-
lis poſſit eſſe ratio generandi illam imaginem , quæ
imago vtique realis eſt, cùm ſit viſibilis, licèt non ha-
beat ibi radicalem permanentiam, ideóque apparens
dicatur ſicut colores Iridis? *Reſpondetur* , quòd ſpe-
cies intentionalis ſe ſola non habet vim generandi
colorem illum naturalem , cuius eſt repræſentatiua,
non tamen eſt inconueniens quod ex refractione lu-
cis modificata & coniuncta refractioni ſpecierum
generetur imago illa apparens , ita quod lux refra-
cta ſit principium generandi colorem illum appa-
rentem ſicut ex refractione lucis in nubibus vide-
mus generari colores apparentes , ſpecies autem
intentionalis etiam refracta ſe habet , vt modificans
illam lucem , vt talis determinatus color , vel figura
reſultet ex eius refractione in ſpeculo , ſicut etiam
aliquando generantur imagines ſolis in nubibus ex
refractione radiorum ſolis , & ſpeciei illius , quæ vo-
cantur parelij, de quibus egimus in tractatu 4. me-
theororum cap. vltimo. Itaque licèt ſpecies intentio-
nalis non ſit ex ſe productiua veri, & naturalis colo-
ris , ſed ſolum repræſentatiua , non tamen repugnat
quòd refractio ſpeciei intentionalis ſit modificatiua
refractionis lucis ad generandum imaginem talis vel
talis coloris. Verum quidem eſt,quòd ad hoc requi-
ritur , quòd refractio lucis ſit fortis , & vehemens,&
corpus ſpeculi terſum , & vniforme, quia , vt dicit
D. Thom.3. metheororum lect.8. vniformitas , ſeu
regularitas ſpeculi facit colorem apparentem eſſe v-
num , ſi verò debiliter refrangatur lumen, vel ſpecu-
lum non ſit vniforme , cauſatur diuerſitas colorum,
ſicut videmus in iride , & in alijs ſimilibus coloribus
apparentibus : ſi autem partes roridæ in nube fue-
rint vniformes, & intus fuerit ſpiſſa , ita quod forti-
ter refrangat lumen ſolis , apparet quaſi alter ſol in
ſpeculo, & ſic formantur parelij , vt dicit S. Thom.
loc.cit. Quare ex luce , & ſpecie refractis nata eſt
generari imago apparens eius rei , quam repræſen-
tat ſpecies.

Ad 1.confirm.Reſpond. imaginem generatam in ſpe-
culo videri per ſpeciem ipſius ſpeculi, vt diximus ex
D. Thom. locis citatis, quod intelligendum eſt per
ſpeciem ſpeculi non abſolutè vt vitrum quoddam
eſt,ſed vt affectum luce , & ſpeciebus refractis, ſic e-
mittit ex ſe ſpeciem repræſentantem vitrum cum tali
luce & imagine formata , ſicut iris videtur per ſpe-
ciem nubis roridæ illuſtratæ à ſole.

Ad ſecundam dicitur , experientiam illam primam
potius eſſe pro nobis , ſi enim quælibet pars ſpeciei
repræſentat totum vt eſt in ſe, conſequenter quæli-
bet pars ſpeciei reflectens, ſi non generaretur imago,
repræſentaret totum obiectum vt in ſe eſt , cum ta-
men videamus, quod in paruis ſpeculis videtur ima-
go valde parua,quia ſcilicet generatur ibi imago non
iuxta perfectam vniformitatem ſpeculi , ſed inæqua-
lis, vel puſilla. Secunda verò experientia nihil obſtat,
quia ſpecies, & lux non refrangitur in ſuperficie ſpe-
culi vbi eſt diaphanum, ſed in profundo vbi eſt ter-
minatum ab opaco obſcuro , & quia ibi ſit refractio,
ibi videtur imago. *Vel ſecundò dicitur* , quòd ſicut in
iride videtur color eſſe in parte ſpiſſa , & terminata
nubis,licet reuera colores non generentur, niſi in par-
tibus roridis & externis , quia viſus non diſcernit
propter diſtantiam partes externas & roridas nubis
ab internis ita in ſpeculo , licet imago ſit in ſuperfi-
cie ſpeculi, videtur tamen eſſe in profundo, vbi ter-
minatur & ſit refractio , quia viſus non diſcernit di-
ſtantiam inter ſuperficiem primam , & terminatio-
nem vltimam niſi valde appropinquet. *Et ratio huius*
redditur à D. Thom.3. metheororum lect. 6. di-
greſſione de coloribus iridis quæſtione 4. quia quan-
do vnum corpus diſtans videtur per aliud, tunc vide-
tur eſſe in eadem ſuperficie cum ipſo , & cum nubes
videatur per iridem, vel iuxta, videtur in eadem ſu-
perficie cum ipſa, ſic imago videtur in ſpeculo tan-
quam in profundo , quia terminatio ſpeculi vbi ſit,
refractio videtur mediante ſuperficie , & quaſi in vno
cum illa.

ARTI

ARTICVLVS II.

Vtrum necessariò sint ponendæ species impressæ in sensibus?

VArias hoc nomen species, significationes habet, vt diximus ex Porphirio cap. de specie. Inter alia significat rem speciosam, seu formosam, aut formatam & consequenter à forma species nominatur; vndè vlteriùs deriuatum est nomen ad significandum speciem repræsentatiuam alterius modo intentionali, quia videlicet repræsentat alterum eique assimilatur solum formaliter, ita quod non existit in eadem materiali entitate, in qua obiectum repræsentatur, sicut species lapidis in oculo ita repræsentat lapidem, quod non est lapis materialiter, & entitatiuè. Et ita propter specialem rationem formæ vocatur species, quia ita purè repræsentat, id quod formaliter est in obiecto, quod materialem eius entitatem exuunt, & ita sunt ipsum obiectum formaliter, & purè repræsentatiuè. *Inquirimus ergo*, an ad formandam cognitionem in sensibus requirantur istæ similitudines, seu species gerentes vicem obiecti & loco illius informantes potentiam sensitiuam ad producendam cognitionem, & consequenter quod teneat se ex parte principij cognoscendi concurrendo cum potentia ad elicientiam actus? An verò ex parte termini requiratur aliqua species, seu similitudo, quæ tanquam expressa repræsentet obiectum per modum termini? art. seq. inquiremus.

Igitur non defuerunt qui negauerint requiri speciem impressam, inter quos recensentur aliqui Antiqui, vt Plotinus, Galenus, Prophirius: ex Peripateticis autem Durandus in 2. dist. 3. q. 6. num. 27. negauit requiri species intentionales, & Valles in 2. controuersiarum capit. 28. & quoad sensus externos eas negauerunt plures nominalium vt Ocham, Gabr. Gregorius, & alij qui citantur apud Conimb. 2. de Anima cap. 6. q. 2. art. 1. *Fundamenta sumi possunt* ex variis difficultatibus, quæ ex positione talium specierum resultant.

Prima difficultas est, quia valde difficile intelligitur ista specierum natura, nam vel istæ species sunt similes obiecto entitatiuè & realiter, vel dissimiles. Si dissimiles, quomodò possunt repræsentare res illas, cum quibus conuenientiam non habent, & fundare intentionalem, seu repræsentatiuam similitudinem in reali dissimilitudine, & disconuenientia? Si sunt similes realiter & entitatiuè, euertitur totum fundamentum ad ponendum istas species, nam si ideò ponuntur, quia obiecta secundum suam entitatem realem, verbi gratia lapis aut equus non possunt informare potentiam, similiter neque species poterit, si est entitatiue sicut ipsum obiectum in se. *Et vrgetur amplius difficultas*, quia species non potest dici similis obiecto, ex eo quod habeat conuenientiam cum obiecto, neque in substantia, sicut duo indiuidua, sic enim non posset informare potentiam, neque in accidente, sicut imago, tum quia aliàs species coloris, verbi gratia, esset color, & sic subiectum in quo poneretur, redderet coloratum, quod nullo modo videmus, tum quia non est expressa similitudo, quod requiritur ad imaginem, sed solùm impressa, & tanquam instrumentum, quo potentia tendit in obiectum, & quia facit tendere ad illud, dicitur similitudo intentionalis, quod est esse similitudinem valde analogam, & secundum quid, quia scilicet facit tendere in obiectum, non quia illi assimilatur.

Secunda difficultas est, quia non apparet, quomodò species istæ informent & faciant vnum cum potentia; nam vel ponuntur in potentia, vt res cognitæ, vel vt formæ informantes. Primum stare non potest, quia species ipsæ non sunt visibiles nec cognoscibiles tanquam obiecta, restaret enim eadem difficultas, quomodo talia obiecta cognoscerentur sine speciebus informantibus potentiam, licet ex alia parte etiam sit difficile, quomodo species illæ non cognitæ, ducant in cognitionem obiecti. Si dicatur secundum, vel illa informatio est entitatiua & realis, sicut substantia, vel accidens informant, vel est aliqua informatio tertia distincta, quæ nec sit substantialis, neque accidentalis. Hoc 2. non est intelligibile, neque enim realis vnio intelligi potest, quæ nec sit substantialis, neque accidentalis, sicut nec forma aliqua datur quæ non sit substantia, vel accidens. Primum verò non sufficit, quia species sæpè inhærent potentiæ realiter, nec tamen cognitionem causant, vt patet, cùm species conseruantur in memoria, nec tamen actu recordamur obiecti, ergo alia est vnio intentionalis, qua actu nobis vnitur obiectum in ordine ad cognitionem, & quâ nobis inhæret species tanquam accidens quoddam; præterquam quod informatio intentionalis non ordinatur ad constituendam vnam tertiam naturam, quia ex repræsentatione, & potentia non constituitur aliqua natura realis, sed ipsa potentia, fit ipsum obiectum repræsentatum in alio esse, vt dicit Commentator relatus à Caiet. 1. p. q. 14. art. 1. nam repræsentatio, vt repræsentatio est, non constituit naturã realem, quia hæc est repræsentabilis, nõ repræsentatio, sed ipsam rem reddit præsentem potentiæ, & hæc præsentia vnio quædam est repræsentatiua & intentionalis, quæ ita ordinatur ad coniungendum obiectum potentiæ, quod illa coniunctio non constituit ex obiecto & potentia aliquam naturam, quæ videtur vnio inexplicabilis, cum non sit accidentalis, neque substantialis.

Et ex hoc nascitur tertia difficultas, quia species secundùm se, neque est substantia, neque accidens, ergo non est ponenda tanquam aliquid reale. *Consequentia patet*, quia omnis entitas realis adæquatè diuiditur in substantiam & accidens. *Antecedens probatur*: quia speciei accidit quod sit substantia, vel accidens, nam substantiæ separatæ se ipsis informant intellectum per modum speciei ad cognoscenda verò reliqua obiecta extra se, indigent specie superaddita, quæ est accidens, ergo ex ipsa propria, & formali ratione sua non sunt accidens, nec substantia, & consequenter nihil. Et ad idem facit, quod diximus, quod non ordinatur species formaliter, vt repræsentatiua ad constituendam aliquam naturam. Vnde potest Deus supplere se solo vicem speciei in intellectu beati, sine hoc quod aliquam compositionem faciat cum illo.

Quarta difficultas est, circa causationem passiuam talium specierum, non enim videntur educi ex subiecto, quia earum esse est intentionale & repræsentatiuum, ergo prout sic non educitur ex potentia reali, nec videntur effici ab obiecto, quia obiectum habet esse imperfectiori modo, id est modo materiali, species autem nobiliori modo, vtpotè quia habens esse abstractius, & minus concretum. Nec potest recurri ad cœlum, quod sit causa illarum, aliàs cessante motu cœli, cessaret specierum productio & sic nulla res visibilis post diem Iudicij videri posset. Et est eadem difficultas de cœlo ipso, quomodo producit speciem sui, nam eodem modo reliqua obiecta producent. Ex alia verò parte inconueniens est, quod omnia obiecta sint agentia ita æquiuoca & eminentia, quod possint producere speciem, quæ sine dubio est effectus æquiuocus respectu obiecti.

Confirm. quia ſi educantur ſpecies ex ſubiecto extenſo, & corporeo, & in eo ſubiectentur, ergo ipſæ ſpecies extenſæ ſunt, ſicut alia accidentia; & per actionem alteratiuam educentur; vtrumque autem eſt inconueniens, nam ſpecies viſibiles ſine vlla alteratione medij tranſeunt per illud, & ſimiliter in quolibet puncto totum obiectum repræſentant, in quocumque enim puncto ponatur oculus in medio, totum & integrum obiectum percipit, ergo ſunt independentes ab extenſione.

Quinta difficultas eſt, circa cauſationem actiuam, ipſarum ſpecierum, ſcilicet quo genere cauſandi concurrant cum potentia ad cognitionem. Neque enim poteſt eſſe concurſus effectiuus, quia effectio cognitionis debet eſſe vitalis, ſpecies autem, cum ab exteriori principio proueniat, vitalem concurſum habere non poteſt in ipſam elicientiam cognitionis. Et deinde, quia in iſto influxu effectiuo ſpecies non poteſt eſſe æque principalis, cum potentia principalius ſit vitalis, & ſpecies ſuperueniet ipſi tanquam determinans, & ſic in agendo eſt ſubordinatè, & inferior ipſi potentiæ. Vndè ſaluari non poterit ratio ſpeciei in ſubſtantiis ſeparatis, quia non poſſunt ſubordinari potentiæ. Si verò dicatur ſpeciem concurrere in genere cauſæ formalis in primis non poteſt eſſe cauſa formalis intrinſeca, cum ſpecies non informet ipſam cognitionem, ſed potentiam, neque in genere cauſæ formalis extrinſecæ, quia non ſe habet vt exemplar, & idea, ſed vt principium cognoſcendi quo, non vt res cognita, ad quam reſpiciat operans, nec ſe habet vt obiectum extrinſecum, ſic enim ſufficeret obiectum extrinſecè poſitum ſine ſpecie interius informante, ergo non poteſt explicari quo genere cauſæ concurrat.

Sexta difficultas eſt, quia alias ſpecies ſolum poſſet repræſentare rem præſentem, cum tamen videamus nos cognoſcere abſentia, & impoſſibilia, & entia rationis. *Sequela probatur*, quia ſpecies eſt ſimilitudo repræſentatiua virtualis, vel formalis, & vtroque modo requiritur inter repræſentans, & repræſentatum relatio realis; ſi autem obiectum non ſit præſens, vel exiſtens, realem relationem habere non poteſt, ergo nec manere ſimilitudo repræſentans.

Vltimò, circa potentias ſenſitiuas eſt ſpecialis difficultas, quia ſpecies ad hoc ponuntur, vt determinetur potentia ab eis loco obiectorum, ſenſus autem externi habent obiecta præſentia phyſica, & aliqui immediatè ſibi coniuncta vt tactus, ergo ſufficienter ab ipſis obiectis determinatur ſine alia ſpecie, imò & lucem videri ſine ſpecie aliqui exiſtimant, de quo ſeq. q. quod non currit in intellectu, quia cum ſpiritualis ſit non ſufficit præſentia obiecti corporalis, vt ab eo moueatur, quia ſpirituali modo moueri debet, ideoque requirit ſpeciem ſpiritualem ſuperadditam determinantem illum.

Nihilominus communi Philoſophorum conſenſu receptum eſt, *dandas eſſe ſpecies intentionales impreſſas pro potentiis cognoſcitiuis*, licet in explicanda natura, & affectionibus harum ſpecierum varient Authores propter earum eleuationem ſuper alias formas. Igitur dari iſtas ſpecies quibus mediantibus vniatur obiectum potentiæ non in ſua entitate materiali, ſed in quadam repræſentatione, & intentione, affirmat Ariſt. in multis locis in 2. de Anima text. 121. *Senſus*, inquit: *eſt ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia*, & in 3. de Anima text. 138. & text. 3. & 7. ponit *intellectum recipere ſpecies intelligibilium*, vbi videri poteſt D. Thom. lect. 7. & lib. de memoria & reminiſcentia cap. 1. lect. 3. apud Diu. Thom. dicit: *In memoria manere veluti picturam, ſeu effigiem rei ſicut cum ſignatur aliquid annulo.* Similiter S. Dionyſius 7. de diuinis nominibus, & ſæpius in libro de cœleſti Hierarchia, intellectus Angelorum dicit eſſe plenos formis, ſeu ſpeciebus. Item D. Aug. 10. confeſſ. cap. 10. Et 2. ſuper Geneſim ad literam c. 10. Et 11. de Trin. c. 2. & 9. de Trin. c. vltimo & D. Anſel. in Monologio c. 36. Apud D. Thom. paſſim hoc ipſum occurrit, & ſpecialiter videri poteſt 1. p. q. 55. art. 1. quæſt. 79. art. 2. & 3. contra Gentes c. 49. & opuſc. 13. & 14. & alibi ſæpe.

Neceſſitas ponendi iſtas ſpecies deducitur, tum ab experientia, tum à ratione. Ab experientia & in ſenſibus externis qui cognoſcunt in præſentia obiecti, & in internis qui in abſentia rerũ cognoſcunt. *In ſenſibus externis ſumitur experientia*, tum in ſono, tũ in viſu. Non enim ſufficit ſonum eſſe præſentem intra ſphæram noſtri auditus, vt ſtatim audiatur, vt patet cum à longe ſit ictus, & non ſtatim percipitur, ergo non ſufficit ſola & mera præſentia obiecti, vt percipiatur à ſenſu, ſed aliquid ab obiecto emittitur ad ſenſum, quo cognoſcatur, & hoc vocamus ſpeciem. In viſu conſtat, quod obiectum poſitum intra ſphæram viſus debiliter videtur ſi eſt diſtans, & melius ſi appropinquat, ergo aliquid virtutis emittit, quæ per diſtantiam debilitatur, & propinquitate roboratur, ſi enim nihil virtutis emitteretur, non eſſet ratio cur eodem modo non operaretur intra totam illam diſtantiam, cum obiectum non eſt occultatum, ſicut ſi ignis ſine diffuſione caloris calefaceret, eodem modo calefaceret diſtans, vel propinquum, dummodo eſſet intra præſentiam ſubiecti. Ad hæc ſtante obiecto in eodem ſitu, in quo non benè diſcernitur, ſi admoueantur perſpicilla, clarius apparet, & ſi perſpicilla habeant plures angulos res videntur multiplicare, ergo ſignum eſt, quod datur aliquid virtutis emiſſæ ab obiecto, quod vocamus ſpeciem, quia hæc mutatio non fit in ipſo obiecto, illud enim videmus immutatum, ergo fit in aliquo præter obiectum per quod fit repræſentatio & viſio, & hoc dicimus ſpeciem. Denique illud quod videmus in ſpeculo non eſt, quia ibi ponatur obiectum, cum potius manere poſſit retro videntem, & tamen in ſpeculo apparet, ergo aliquid eſt præter obiectum, quam facit illam reflexionem ad oculum, & illam apparentiam rei poſitæ retro nos, & illud quidquid ſit, ſpeciem vocamus, quia repræſentationem facit obiecti.

Ex internis ſenſibus deducitur experientia, quia cognoſcimus res in abſentia & in ſomnio, ergo oportet quod aliqua ſimilitudo ſeu aliquod vice obiecti ſit in illis potentiis, ratione cuius obiecta ipſa cognoſcant, nam ſi nihil remanet, & obiecta præſentia non ſunt, vnde poteſt potentia ſe determinare ad cognoſcenda iſta obiecta potius quam illa, & vndè habet repræſentationes illas quas clauſis oculis, & in abſentia obiectorum nos ſentire experimur; *Dices* manere quidem aliquam repræſentationem tanquam picturas relictas ex ſenſibus, in quas, tanquam in obiecta & terminum cognitionis feratur cognitio ſenſuum internorum. Contra eſt, quia ſi dantur iſtæ imagines ſic expreſſæ, illæ vtique ſunt intentionales ſimilitudines, neque enim materiales imagines intra ſenſus generantur, vel ponuntur, ſed ſolum qualitates aliquæ repræſentatiuæ, nam vel illæ imagines materiales ſunt, & conſtant veris coloribus & figura vel ſolum repræſentationes colorum & figuræ ſunt non verus color. Si hoc ſecundum, ſunt ſpecies intentionales, id eſt qualitates repræſentatiuæ rerum non res ipſæ. Si primum, tales colores vel ſubiectarentur in ipſis ſenſibus, & ſic alterarent illos & coloratos redderent, aut ſonantes, ſi eſſet qualitas ſoni, &c. vel ſubiectarentur in alio ſubiecto, quod ingrederetur ad ſenſus, & ſic multæ ſubſtantiæ deffluerent

ab

ab obiectis ad sensus, quæ fuit antiquorum Philosop. sententia, quod defluerent ab obiectis ad sensus athomi, seu particulæ, quibus res repræsentantur, vt dicit Boet. lib. 3. de consolat. met. 3. sic autem multum impediretur sensus, tum externus, tum internus à tot substantiis, qui infarciretur ad cognoscendum, ipsaque obiecta per hoc, quod multum viderentur, tandem consumerentur, diffluendo istas particulas, quæ omnia absurda sunt.

Ratione eadem veritas stabilitur, quia potentia quantumcumq; habeat virtutem efficiendi vitaliter actum cognitionis, dependet ab obiecto vt simul cum ipso cognitionem eliciat, & hoc ideò est, quia potentia per cognitionem debet esse assimilatiua vitaliter, non solùm communi ratione, quâ omne agens intendit assimilare sibi effectum eo modo quo potest, sed speciali ratione, quatenùs tendit ad vniendum, & coniungendum sibi obiectum & trahendum ad se; in qua cognitione seu operatione, non fit assimilatio per hoc, quod potentia operans faciat aliam potentiam sibi similem, sed solum facit simile, seu assimilationem ex parte obiecti, circa hoc enim operatur & negotiatur potentia, nec enim intendit in hac assimilatione propagationem, & multiplicationem sui, sed solum manifestationem, aut expressionem, aut vnionem actualiter exercitam erga obiectum. Non potest autem potentia emittere ex se vitaliter hanc assimilationem, & vnionem, seu tendentiam erga obiectum, nisi cum concursu ipsius obiecti, & non sufficit terminari ad obiectum, quia vt terminetur ad obiectum debet egredi à potentia vt determinate tendens ad illud obiectum ad quod terminatur, siquidem notitia est partus quidam potentiæ determinatus circa hoc obiectum, eique potentiam assimilans, ergo necesse est, quod non à sola potentia procedat quæ indifferens est ad multa obiecta, sed etiam ab obiecto vt illi assimilatio fiat, imò etiamsi virtus potentiæ sit determinata erga tale obiectum in ratione viuentis, non tamen est determinata in ratione fœcũditatis, nisi ab obiecto perficiatur, & determinetur, sicut virtus fœminæ licet sit determinata ad generandum, dependenter tamen à fœcunditate viri. Non potest autem exire cognitio ab obiecto vt extra, sed vt est intra ipsam, eamque actuat, & afficit media specie sui, eò quod ille actus, seu cognitio vitaliter exit à potentia, & quando exit ab ipsa, exit vt determinatus, & specificatus circa tale obiectum & non potest exire seorsum ab obiecto, & seorsum à potentia, quia ab obiecto vt est extra non potest exire vitaliter, nec vt entitas vnica & indiuisibilis, cùm multum distet aliquando obiectum à sensu; oportet ergo quod aliquid loco sui, & repræsentatiuum sui ponat in potentia, vt exeat cognitio ab ipsa cum sua determinatione & specificatione & dependentia quam habet ab obiecto per vnicum & indiuisibilem partum, & vitalem processionem potentiæ.

Et quod ista actuatio & determinatio intrinseca potentiæ, debeat fieri per speciem, *constat* quia ipsum obiectum nisi intrinsece immutet, & actuet potentiam non relinquit eam magis potentem, magisque determinatam ad tale obiectum quam ad aliud, sed in eodem statu, atque si non esset obiectum, ergo non relinquit in ea principium à quo dependeat verè, & in re determinatio illius actus, & exeat vitaliter actus vt determinatus est; oportet ergo quod sit aliquid vice obiecti tanquam similitudo & species eius; quod præcipuè apparet requiri, quando obiectum absens, & cognoscitur in absentia, aut quando est in longinquo, aut quando est corporeum, & intelligitur spiritualiter ab intellectu, generaliter verò in omni cognitione id requiritur, quia vnio obiecti ad potentiam non debet fieri solum realiter & secundum conditiones, & modum vnionis realis & entitatiuæ, tum quia sine vlla alteratione & immutatione physica ipsius potentiæ fit, tum quia non ordinatur ad constituendum vnum esse physicum, vel naturam ex potentia & obiecto, quia repræsentatio sola obiecti non constituit naturam tertiam, quæ ex repræsentatione & potentia coalescat, quia si natura resultans est quædam physica natura, non potest constare aliquo quod sit tantum repræsentatio, & non physicum. Solum ergo potentiam repræsentatiuè & cognoscibiliter perficit, & cum ea componit intentionaliter non physicè, licet vt accidens inhærens est, etiam physicè actuet, sed hoc per accidens est ad formalitatem speciei, vt vice obiecti præcisè repræsentat: tum denique quia sunt sine contrarietate physica, ea enim quæ physice contraria sunt vt album & nigrum, in visu non contrariantur, sed simul sunt, non ergo est immutatio physica, sed intentionalis & repræsentatiua, & conditionibus physicæ immutationis carens.

ARTICVLVS III.

Expediuntur difficultates artic. præcedenti posita.

AD I. *difficultatem à princ. Resp.* esse diuersitatem opinionum, an species impressa sit similitudo formalis obiecti, an solum virtualis, & vtraque inter Thomistas vt probabilis defenditur, vt videri potest apud Ledesmam, de perfect. Diuina quæst. 4. art. 4. fol. 245. easdemque probabiles iudicat P. Suarez 3. lib. de Anima c. 2. numer. 20. licet magis inclinet in eam, quæ affirmat esse solum virtualem repræsentationem. Existimo tamen non esse difficultatem tanti momenti, & vtrumque secundùm diuersas considerationes rectè dici. Nam si loquamur de similitudine formali, quæ sit entitatiua certum est, quod nec species impressa, nec expressa sunt formales similitudines, cum non habeant entitatem eiusdem formæ cum esse & entitate obiecti, sed diuersas omnino conditiones & entitates sint, & in diuerso esse species dicatur esse obiectum, scilicet repræsentatiuè. Similiter est certum, quòd in hoc esse repræsentatiuo, non habet species impressa ita perfectam, & in actu secundo repræsentationem, sicut expressa, ac per hoc magis formatam, seu formalem esse repræsentationem in verbo, seu specie expressa, quam in impressa, vt ampliùs in artic. seq. & infr. q. 11. dicemus, & constat quod expressa species, seu conceptus repræsentat rem vitaliter, vt imago viua procedens ab intellectu, & rem ipsam vt terminum cognitum & intellectum in ipsa, species verò impressa vt cognoscibilem & in actu primo, & sic magis formatur repræsentatio per speciem expressam magisque ponitur in actu secundo, & determinatur in esse cognito, quam erat in specie impressa, & quoad hoc species impressa se habet vt semen obiecti, & virtualis repræsentatio magis determinanda, & exprimenda in conceptu.

Cæterùm in alio sensu potest species impressa dici vera, & propria, & formalis similitudo obiecti, quatenus verè formaliter habet esse intentionale, quod est esse repræsentatiuum, nam esse imaginem dicit intentionem quandam circa formam, vt inquit D. Thom. libro de memoria, & reminiscentia lect. 5. vbi etiam addit: *Quòd motus qui fit à sensibili in sensum imprimit in phantasia quasi quandam figuram sensibilem, quæ manet sensibili abeunte ad modum quo illi qui sigillant cum annulis imprimunt figuram quandam* in

incera. Et in 1. contra Gent. capit. 53. loquens de ſpecie impreſſa inquit: *Quod vtrumque eſt rei intellectæ ſimilitudo, per hoc enim quod ſpecies intelligibilis quæ eſt forma intellectus & intelligendi principium eſt ſimilitudo rei exterioris, ſequitur quod intellectus formet intentionem illi rei ſimilem.* Denique videri poteſt in quodlib. 8. art. 4. & 3. contra Gentiles cap. 49. vbi ſpeciem non ſolum vocat ſimilitudinem quidditatis, ſed quod etiam ſit ipſa natura, & quidditas rei in eſſe intelligibili, quod vtique ſtare non poteſt ſine vero & proprio eſſe intentionali. *Et ex hoc ſumitur fundamentum pro iſta parte*, quia ad formalem ſimilitudinem in ſenſu dicto ſufficit formalis, & vera conuenientia in eo eſſe, in quo talis ſimilitudo datur, ſed in eſſe intentionali, ſeu repræſentatiuo habet ſpecies impreſſa conuenientiam cum obiecto, imò eſt ipſamet quidditas obiecti, quatenus totum quod in obiecto inuenitur realiter, transfertur ad ſpeciem repræſentatiuè; ergo habet formalem ſimilitudinem. Et in hoc differt exemplum vulgare de ſemine, quod ita eſt virtus generantis in eſſe naturali, quod nullo modo participat eſſe ipſius geniti, ſed ſolum eſt virtus ad illud. At verò ſpecies impreſſa ita eſt virtus obiecti ad eliciendam cognitionem & formandum verbum quod tamen formaliter in ſe habet eſſe intentionale, in quo conuenit cum obiecto repræſentatiuè, ſed non entitatiuè, & cum ſpecie expreſſa conuenit in eodem eſſe intentionali, licet non ſit ita formatum & expreſſum ſicut in ipſo verbo.

Vndè ad argumentum contra hoc factum à principio reſpondetur, ſpeciem eſſe ſimilem obiecto non entitatiue ſicut duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, ſed intentionaliter ſicut imago, & idea reſpectu ſui repræſentati. *Et cum vrget*. quod non poteſt dici ſimilitudo per modum conuenientiæ in natura, aut per modum imaginis, ſed ſolum per modum inſtrumenti requiſiti ad tendendum in tale obiectum. *Reſpondetur*, eſſe quidem inſtrumentum per modum ſeminis cognoſcibilis ſed tamen non manere in ordine ſolius eſſe naturalis, ſed habere etiam formaliter ordinem eſſe intentionalis, ſeu repræſentatiui, & in hoc eſſe, ſeu ordine, eſt ipſummet obiectum repræſentatum, ſeu vices eius gerens, licet virtualiter dicatur repræſentare comparatiuè ad verbum, quod in actu ſecundo, & ſecũdum perfectam formationem in eſſe intellecto repræſentat, & non ſolum in eſſe intelligibili & in actu primo. Et licet P. Suar. loco citato numero 26. ſolum admittat ſimilitudinem analogam inter ſpeciem, & obiectum, imò ſolum intentionem per modum tendentiæ ad illud, & per modum inſtrumenti, indeque reputat infirmam eſſe rationem, qua probatur ex ſimilitudine ſpeciei cum obiecto, non poſſe dari ſpeciem Dei vt eſt in ſe: tamen hoc totum eſt conſiderare ſpeciem in eſſe accidentis & entitatiue; repræſentatiue autem & ſecundum eſſe intelligibile, oportet quod ſit eiuſdem immaterialitatis, & intelligibilitatis cum obiecto, imò ipſummet obiectum in illo eſſe intelligibili etiam quoad vltimum gradum & conſtitutiuum illius. Vnde ſi repugnat, quod ſpecies corporea immediatè repræſentet ſpiritum, multo magis quod creata repræſentatio Deum. ſed de his dicemus aliquid infr. q. 11. & lat. 1. p. q. 12.

Ad 2. difficultatem Reſpond. ſpeciem informare dupliciter potentiam, ſcilicet entitatiue ſeu inhærendo, intentionaliter autem & vice obiecti perficiendo, ſeu potius transformando potentiam in obiectum. Et *ratio eſt*, quia ſpecies inter omnes alias formas hoc habet ſpeciale, quod non ſolum informat pro ſe, ſed vice alterius, ſcilicet obiecti, imò propter ſe non requiritur, ſed propter obiectum à quo perficitur potentia ſine hoc, quod cum ipſo obiecto conſtituat naturam aliquam. Vndè hæc vnio obiectiua non debet reputari intelligibilis, ſed maximè ad intelligendum conducens, & ex ipſis effectibus manifeſtè colligitur debere poni, nam forma intentionalis entitatiue conſiderata dependet in ſuo eſſe à ſubiecto ſicut reliquæ formæ, & actuat ſubiectum ſicut ipſæ. At verò obiectum repræſentatum in ſpecie, non accipit aliquod eſſe à ſubiecto, nec conſtituit cum illo aliquam naturam ſed ita præſentatur potentiæ, quod determinat, & actuat illam intelligibiliter ſine hoc quod realiter alteret illam, & transmutet aut componat aliquod tertium cum illa. Item potentia non vtitur entitate ſpeciei tanquam principio ſpecificante actus ſuos, ſed obiecto in ea repræſentato vnitur, tanquam ſpecificatiuo, ſed potentia debet actuari à ſuo ſpecificatiuo in quantum ſpecificatiuum eſt, ergo ſi ab entitate ſpeciei non ſpecificatur, benè tamen ab obiecto repræſentato, alia vnio ſeu actuatio, aut determinatio debet intercedere inter obiectum repræſentatum, & potentiam, & hæc dicitur vnio intelligibilis, ſeu intentionalis, inter entitatem verò ſpeciei, & potentiam eſt vnio accidentalis, id eſt inhærentiæ. Denique ſpecies inhæret potentiæ, etiam quando actu non cognoſcitur obiectum, ſed ſpecies conſeruentur in illa per modum reliquorum accidentium, cum verò potentia actu cognoſcit, tunc non ſolum actuatur entitatiuè ipſa ſpecie, ſed actuatur ipſo obiecto in ea contento, & repræſentato, ab hoc enim non ſemper actuatur potentia, ſed tunc quando actu cognoſcit.

Nec ſufficit dicere, quòd quando actu cognoſcitur obiectum, ſpecies non de nouo actuat, ſed ſolum potentia excitata denuo operatur vtendo iſta ſpecie. *Contra enim eſt*, quia nec potentia excitari, neque operari poteſt, niſi vt actuata à ſpecie ea actuatione quæ ſit principium ſpecificationis actuum, actus autem non ſpecificantur ab ipſa entitate ſpeciei vt inhærente, ſed ab obiecto in ea contento & repræſentato, ergo repugnat dicere, quod ſpecies non actuat nouo modo, ſed tantum potentia operatur & vtitur illa, ſiquidem vt operetur debet præſupponi potentia actuata à ſpecie, non ratione eius, quod continet, ab hoc enim ſpecificatio & determinatio illius actus dependet, ſicut etiam in cauſis inſtrumentalibus aliter operatur inſtrumentum ratione eius quod in ſe eſt, verbi gratia, calor vt calefaciens, aliter, ratione eius, cuius vices gerit, id eſt ratione virtutis animæ, vel ignis. Quod ergo in genere efficientium videmus in inſtrumentis, proportionaliter dicendum eſt in cauſis formalibus in genere cognoſcibili, quod ſpecies & informat ratione ſui per inhærentiam, & ratione obiecti cuius gerit vices per cognoſcibilitatem, quaſi inſtrumentum quoddam formale, ſeu vice obiecti informans, nec enim poteſt potentia operari ſolum ratione actuationis entitatiuæ, niſi etiam actuetur vice obiecti, quia ab ipſo obiecto pendet ſpecificatio & determinatio actus. Et hanc duplicem vnionem, ſeu actuationem D. Thom. affirmat, nam de obiectiua ſæpè dicit potentiam cognoſcitiuam fieri ipſum obiectum non componendo cum illo aliquam naturam, ſed intentionaliter ſe transformando in illud vt 1. parte quæſtion. 14. articul. 1. & quæſtion. 2. de veritate articul. 2. & 3. de Anim. lection. 13. & 3. contra Gentiles capit. 51. vbi dicit: *Speciem non conſtituere aliquam naturam cum intellectu, ſed perficere ipſum ad intelligendum*, & ideo non repugnare diuinæ eſſẽtiæ in ratione ſpeciei actuare intellectum. Ratione verò actuationis entitatiuæ & inhæſiuæ dicit 1. p. quæſt. 55. art. 1. ad. 2. quod ſenſus non eſt ipſa ſimilitudo, neque intellectus ipſa ſpecies,

cies, sed fit ex vtroque vnum, sicut ex actu, & potentia.

Et quando instatur, quod omnis vnio realis, vel accidentalis, vel substantialis, *Respondetur*, quod in re ita est, quod omnis talis vnio vel identice, vel formaliter sit accidentalis, vel substantialis, sed non requiritur quod solum formaliter; sicut passiones entis vt verum & bonum non sunt formaliter ens, sed identice, aliàs non essent passiones entis, sed ens ipsum cui passiones conueniunt; vnio autem obiectiua intelligibilis datur ratione ipsius veri, seu cognoscibilitatis, quæ est passio entis. Requiritur tamen ad istam vnionem obiectiuam præsuppositiue, vel concomitanter aliqua realis, & intima vnio, vel in genere causæ formalis inhærentis, sicut nostra species quæ est qualitas, vel in genere causæ materialis sustentantis sicut substantia Angeli sustentat intellectum suum, & in ratione speciei illi deseruit, vel in ratione causæ efficientis sicut Deus operando intra intellectum, & dando illi esse per immensitatem etiam in ratione speciei potest illum actuare: & posita aliqua vnione ex istis, potest etiam secundo modo, seu in genere intelligibili fieri vnio, distincta tamen à prima, quia distincto modo fit, & distinctos habet effectus, perficiendo & actuando immaterialiter, & faciendo, quod potentia in esse cognoscibili sit obiectum, non tertiam aliquam naturam ex repræsentatione & potentia constituendo, benè tamen potentiam actuatam relinquendo.

Ad 3. difficultatem ex dictis resp. quod species sub formalitate intentionis cognoscibilis, non est determinate substantia vel accidens, sed in vtroque reperiri potest, pertinet enim species ad duplex genus, sc. ad entitatiuum sicut quælibet aliæ formæ existentes, & ad intelligibile. Vt autem diximus ordo intelligibilis, identicè quidem est ens, & præsuppositiuè, non formaliter, cum pertineat ad passionem entis, sequitur enim addens quod sit verum & intelligibile, non autem formaliter est ens & ita species, vt intrat ordinem intelligibilem & intentionalem non est formaliter substantia, vel accidens, sed solum identice & præsuppositiue. Pertinet autem species ad ordinem intelligibilem, quia ex sua natura est vicaria obiecti, & repræsentatiua illius, vt per talem repræsentationem reddatur intelligibilis, & cognoscibilis à potentia, & sic eius munus ad ordinem cognoscibilitatis spectat. Et respectu huius ordinis per accidens, & materialiter se habet quod entitas speciei sit substantia vel acidens, dummodo enim habeat reddere rem intelligibilem & cognoscibilem illo immateriali modo qui requiritur, vt potentiam informet, nihil per se conducit quod sit entitas substantiæ, vel accidentis loquendo in quarto modo per se; esto in re necessario debeat esse accidens vel substantia. Et sic inuenimus munus speciei in substantiis separatis respectu proprij intellectus cui coniunctæ sunt, & in Deo etiam respectu Beatorum, quibus intentionaliter & per modum speciei vnitur, quia in se habet sufficientem immaterialitatem, vt per se, & non per aliam superadditam speciem intelligibilis sit respectu omnium intellectuum quibus illabitur, & intimus est illapsu efficiente in eis esse.

Ad 4. difficult. respond. Quòd attinet ad subiectum eductionis, speciem intentionalem, quæ accidens est, ab illo subiecto educi, cui inhæret, siue sit potentia cognoscens, siue medium per quod transit; vbi inhæret, inde educitur. Et licèt habeat esse intentionale, tamen quia hoc identice & materialiter in re quoddam accidens est, in quantum accidens, à subiecto dependet & ab eo educitur, sicut etiam formæ artificiales, quia in re accidentales sunt à subiecto naturali educuntur, modo tamen artificioso.

Quòd verò attinet ad causam efficientem in speciebus intelligibilibus *facilis est responsio*, nam substantiis separatis infunduntur species in sua creatione, vel separatione ab Authore naturæ, supposita D. Thom. sententia quod non accipiunt cognitionem, seu species à rebus. Quod si accipiunt oportet ponere in eis intellectum agentem, qui à rebus externis species hauriat & efficiat, sicut nostra intellectus à phantasmatibus. Quod verò attinet ad species intelligibiles quas nos pro isto statu accipimus illæ effectiuè procedunt ab intellectu agente, qui illas à phantasmatibus educit, vt infr. tractabimus quæstione 10.

Quòd verò attinet ad species sensibiles, si loquamur de speciebus sensuum interiorum, illæ fiunt à sensibus externis, quia phantasia (id est cognitio internorum sensuum) est *motus factus à sensu secundum actum* vt dicitur: *de Anima.* Quomodò autem inferiores sensus agere possint, & emittere species in sensus internos, qui petunt species superiores, dicemus qu. 8. art. 3. Et est ferè eadem difficultas, quomodò obiectum externum effectiuè producat species immaterialiores se in ipsos sensus. Et ad hoc explicandum reducitur totius difficultatis summa, possuntque de hoc esse tres sententiæ. *Prima*, quòd fiant ab aliquo sensu agente, quem posuerunt aliqui ad modum intellectus agentis, vt ab obiectis externis eliciat species, sicut hic à phantasmatibus. *Secunda*, quòd fiant ab obiectis virtute participata à cœlo, & intelligẽtia mouente, quia obiectum cum sit ita materiale, & grossum non potest intentionales species producere, nisi ex virtute aliqua participata à superiori causa & intelligentia. Et huic sententiæ fauet S. Thom. quæstione 5. de potentia articul. 8. vbi id clare affirmat. *Tertia sententia est*, quod species producuntur effectiuè ab ipsis obiectis, quia secundum se sunt sufficienter in actu non solum vt moueat, sed etiam vt terminent sensationem, hac enim ratione vt dicemus artic. seq. sensus externi non formant idola, aut speciem impressam, quia obiecta ipsa sunt sufficienter in actu ad terminandum cognitionem sensus, & ad mouendum.

Inter has sententias, prima omnino expungenda est, sicut reiicitur à S. Thom. 1. p. quæst. 76. art. 3. ad 1. & quæst. de spirit. creaturis art. 9. & quæst. de Anima art. 4. ad 5. Ratio autem quare sensus agens omnino poni non potest, ea est, quia talis virtus quæ vocatur sensus agens debet esse virtus in ipso animali existens (si enim esset in obiectis, non esset sensus, & cessaret prædicta sententia) si autem in animali existat, oportet illi assignare peculiare organum, & sedem cum sit peculiaris potentia, cùmque externam cum agat in exteriora obiecta, quod nusquam in toto corpore animalis apparet, nec facilè capi potest, quomodo sensus vnus, & potentia vna corporea habeat tantam amplitudinem, vt pro omnibus sensibus tam diuersas species possit ab obiectis extrahere. Nisi dicatur, tot esse sensus agentes, quot sunt cognoscentes, & in vnoquoque organo esse sensum agentem pro speciebus illius generis, quod certè sine vllo fundamento, vel experientia (cui res naturales innituntur) affirmatur. Prætereà talis sensus agens siue vnus sit, siue plures, oportet, quòd ad producendas species ex obiectis, vel ipsis appropinquet, vel virtutem suam ad ea diffundat. Primum repugnat experientiæ, cum constet tam multa nos sentire & eorum species in nobis habere sine hoc quòd sensus noster rebus ipsis appropinquet, sed à longè manendo. Secundum maiorum difficultatem habet, quomodo possit sensus agens

agens virtutem suam emittere ad obiecta ita distantia & tam breuissime, vt vnico instanti vsque ad cœlum virtutem emittat, & inde eliciat species, easque ad oculos reuehat; quomodo item tam exigui corporis virtus, totum cœlum discurrit, vt è toto species hauriat?

De secunda verò & tertia sententia existimo non esse considerabilem diuersitatem inter illas, sed rectè dici posse, quod obiecta emittunt intentionales species cum subordinatione & participatione ad influentiam cœlestem, dummodo tamen influentiæ istæ non sint dependentes à motu cœli sicut generationes & corruptiones physicæ, id enim expresè aduertit S. Thom. loco cit. ex quæst. 5. de Potentia: *Cessante*, inquit, *motu cœli erit quidem actio in istis inferioribus illuminationis, & immutationis medij a sensibus, non autem erit actio per quam transmutatur materia, quam sequitur generatio & corruptio.* Et constat quod post diem iudicij exercebitur visio & sensatio aliorum sensuum, tam in cœlo empyreo, vbi non est motus, quàm in toto hoc vniuerso vbi fuerint beati, ergo efficientia specierum sensibilium non dependet à motu cœli, sed ab alijs influentiis illius, quibus actuata corpora præsertim per lucem quoad species visibiles, illas producunt. Quod si ita est, vt probabile apparet, à non modica difficultate liberabimur inf. quæst. 8. expendendo à quo principio fiant species intentionales sensuum internorum, quæ nobiliores sunt speciebus sensuum inferiorum, ad omnia enim ista virtus cœli sufficiens principium erit.

Vnde non obstat quod in hac quarta difficultate obiicitur, quòd species sunt nobiliores obiectis, solum enim sunt nobiliores secundum quid, & quantum ad modum intentionalis immaterialitatis, quæ simpliciter sensibilis est, & tamen quoad illam iuuantur à causa superiori, scilicet cœlo, quæ ad istam maiorem perfectionem intentionalem, habet eminentem virtutem.

Ad Confirmat. respond. quod illæ species in quantum inhærent sicut accidentia corporea, extenso modo inhærent in medio, & in potentia sensitiua. *Cæterùm*, sicut in quocunque puncto potest calor extensus habere omnes gradus etiam vt octo, ita virtus speciei repræsentatiua totius obiecti, potest in quocumque puncto inueniri, quia ista non dependent ab extensione circa subiectum, sed à virtute qua respicit obiectum.

Ad quintam difficultatem respondetur, quòd species comparata ad obiectum cuius gerit vices nullam efficientiam habet circa ipsum, sed nudam repræsentationem, quæ non est efficientia erga obiectum, cum plerumque tale obiectum non existat, vt circa illud operari possit, & tamen æquè benè repræsentat: & sic non pertinet ad speciem efficere aliquid circa obiectum, sed solum loco illius subrogari, & reddere illud vnitum & præsens potentiæ, quod nihil efficientiæ dicit, sed tantum imitationem, vel similitudinem, quæ ad genus causæ formalis reducitur, qua redditur obiectum cognoscibile, & proximè habile ipsi potentiæ, vt ipsi vniatur cognoscibiliter, quod totum pertinet ad genus causæ formalis, quæ vice obiecti actuat, & repræsentat. Similiter respectu potentiæ, quam actuat species, non habet efficientiam, quia nullum accidens effectiuè operatur in subiectum, cui inhæret, vt multis probauimus in 1. de Generat.

Restat ergo videre; an respectu actus, seu cognitionis species se habeat in genere causæ effectiuæ, & sic probabilius est, quod species non solum concurrit repræsentando obiectum, id est, viuendo illud potentiæ intentionaliter in quo genere nihil efficientia relucet, sed etiam ad eliciendam ipsam cognitionem effectiuè concurrit cum potentia. Et ita sentit D. Thom. 1. p. quæst. 56. art. 1. & quæst. 85. art. 2. de quæst. 2. de Veritat. art. 6. vbi inquit: *Quòd similitudo cogniti, qua informatur potentia, est principium cognitionis secundùm actum, sicut calor calefactionis.* Constat autem quòd calor est principium effectiuum calefactionis. *Et ratio est*, quia cognitio est actus potentiæ assimilatiuus & productiuus speciei expressæ, sed potentia sola non est sufficiens principium effectiuum huius similitudininis expressæ, siquidem non potest ipsi soli assimilari talis effectus, ergo oportet assignare alterum principium effectiuum, cui simul cum potentia assimiletur iste effectus, illud autem principium cui effectus assimilatur effectiuum est. Non est autem aliud principium cui assimiletur species expressa, vt egrediens à potentia, nisi impressa, quæ determinat illam ad tale obiectum, ergo cum in tali egressione quæ effectiua est, egrediatur à potentia & specie illa cognitio & similitudo, manifestum est quòd non sola potentia est principium effectiuum, sed potentia vt determinata per speciem, & consequenter species ipsa effectiuè cooperatur.

Ad instantias allatas contra hoc in hac quinta difficultate respondetur. Ad primam de concursu vitali dicimus, quòd species non est principium concursus vitalis radicale, & principale, sed determinatiuum & specificatiuum eius, eò quò potentia ista vitalis dependet ab obiecto in suo concursu vt à determinante & specificante, principium autem concursus vitalis per modum determinantis, non oportet quod sit intrinsecum, sed ab extrinseco potest prouenire, sicut habitus qui superuenit potentiæ & cum ipsa concurrit effectiuè, & tamen potest ab extrinseco prouenire; sed est differentia quod habitus, seu lumen determinat potentiam ex parte virtutis & confortando vires eius erga determinatum obiectum, species autem solum repræsentando & vniendo intentionaliter obiectum, & hoc simul cum potentia parit notitiam etiam concurrendo effectiuè, sicut in generatione animalis concurrit actiuè semen viri, quod potest magis ac magis perfici intra lineam suæ actiuitatis & virtutis, sicut potentia per haitum, sed tamen vlterius indiget semine fœmineo, quod ex coniunctione ad spirituosam virtutem seminis virilis, effectiuè influit in productionem fœtus.

Ad aliam instantiam respondetur, quòd species de se non est inferior ad ipsam potentiam in influendo, quia potentia solum habet perfici à specie quantum ad vltimam determinationem specificationis obiectiuæ, quòd verò species ipsa subordinetur potentiæ, vel non subordinetur in ordine ad eliciendam cognitionem, per accidens ipsi est. Et aliquando species subordinatur potentiæ, vt quando sustentatur ab ipsa, & est accidens ei ab extrinseco superueniens, tunc enim tota vitalitas est à potentia, & species in influxu ad actum vitalem ei penitus subordinatur. Aliquãdo verò potẽtia subordinatur speciei, vt quando species sustentat potentiam, & est radix influendi vitalitatem in actum eius, sicut quando ipsa substantia spiritualis, verbi gratia, Angeli habet rationem speciei pro cognitione sui, non subordinatur potentiæ, sed potius eam subordinat sibi in ratione immaterialitatis obiectiuæ, & vitalitatis multò perfectius hoc faci Deus, respectu cuiuscunque intellectus beati, quia Deus est radix prima prima omnis vitalitatis & immaterialitatis intellectus, & sic vniendo se per modum speciei, non subordinatur intellectui, sed subordinat illum sibi. Imo loquendo per locum intrinsecum, si obiectum ipsum per se sit perfectè immateriale & intelligibile, & non careat vitalitate, quia

est

est radix vitæ potius debet subordinare sibi potentiam tanquam fœminam intelligibilem, quæ fœcundatur obiecto, quam è contra. Sed propter imperfectionem speciei, quæ solum est vicaria obiecti, & caret radice vitalitatis subordinatur potentiæ, & animæ ad vitalem influxum in actum. Vnde etiam patet ad aliam replicam, quod species & potentia, non ex æquo concurrunt ad cognitionem, sed species vt subordinata, vel vt subordinans potentiam, sicut explicatum est.

Ad sextam difficultatem respondetur, quod licet species, seu similitudo, vt habeat relationem realem prædicamentalem ad obiectum, requirat existentiam illius, tamen vt sit repræsentatiuum eius, & exerceat repræsentationem ad potentiam, sufficit transcendentalis ordo ad obiectum qui remanet etiam non existente obiecto, & est fundamentum illius relationis, sicut mortuo Imperatore potest imago eius repræsentare ipsum, licet non respicere realiter ipsum. Et sic diximus in Logica quæst. 21. art. 1. quòd licet signum consistat in relatione secundùm esse, tamen exercitium repræsentandi non fit per relationem ipsam, sed per fundamentum eius, quod est esse repræsentatiuum, sicut pater licet relatione sit pater, non tamen relatione generat, sed fundamento relationis, quæ est potentia generatiua. Videatur ibi.

Ad vltimam difficultatem, quod attinet ad tactum & gustum, *dicitur*, quòd licèt ad eorum sensationem requiratur contactus & applicatio localis, quia immediata debent esse obiecto, tamen hoc non sufficit ad eliciendam sensationem, nam etiam ignis est coniunctus ligno, nec tamen sentit, sed requiritur vitalis & intentionalis coniunctio, quæ plus petit quàm entitatiuam coniunctionem, quæ etiam non cognoscentibus est communis, sed oportet, vt obiectum fiat vnum cum ipsa potentia in ordine cognoscibili, id est, intentionali, & repræsentatiuo modo, quantumcunque propter materialitatem ipsius potentiæ tactus, requiratur etiam propinquitas localis obiecti. Quod vero attinet ad sensus internos, etiam ipsi requirunt species, tum propter generalem rationem omnium cognoscentium, quia actuari & determinari debent ab obiectis modo intentionali & cognoscibili, tum specialiter, quia cognoscunt in absentia, & sic requirunt suppleri obiecti præsentiam per subrogationem speciei. Nec sequitur, quòd si species conseruantur in absentia, perpetuò repræsentent in actu, sicut nec repræsentant actu omnes species, quæ inhæsiuè conseruantur in intellectu, eò quòd licèt præbeant effectum formalem entitatiuum existendi in potentia, sed non intentionalem, nisi quando actu applicatur, & excitatur potentia erga tale obiectum, eò quòd intentionalis informatio est coniuncta cum vitali concursu potentiæ ad actum determinatum eliciendum erga tale obiectum, à quo mediante specie actuatur, & determinatur potentia. Sic autem informare subiectum, vt semper operetur, non conuenit omni formæ informanti, vt patet in habitu existente in potentia, nec tamen semper operante; sic species, licet entitatiuè inhærendo informet potentiam, tamen intentionaliter non informat, nisi quando potentia coniungitur actui, & applicatur seu excitatur ad illum, quia informatio obiecti est ad pariendum notitiam tantum, species autem per suam entitatem informat inhæsiuè, & quando informat intentionaliter, est quando obiectum mediante specie, & non solùm entitas speciei informat. Et ideò vt supra diximus, distincta est vnio speciei entitatiua ab intentionali, quia in entitatiua sola species informat, in intentionali, obiectum est quod informat ad notitiam formandum, licet mediante specie, vt vices sui generente & vt contentum in ea.

Quomodo autem diuersæ species quæ videntur solo numero distinctæ, quia repræsentant obiecta numero distincta, sint in eadem potentia simul, vt cum videmus duos homines aut lapides, explicauimus lib. 1. de Generat. quæst. 9. Verè enim non videntur solo numero distingui, quæ diuersa indiuidua repræsentant, si diuersa accidentia, aut modos eorum repræsentant, quæ specie differunt inter se, & habent etiam illa pro obiecto proprio; sed duplex species eiusdem indiuidui, hæc multiplicatur, & differt solo numero.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm sensus externi forment idolum, seu speciem expressam vt cognoscant?

LOquimur de sensibus externis, quia de formatione idoli in sensibus internis sequen. quæst. agemus. Est autem idolum seu species expressa (in intellectu vocatur etiam conceptus seu Verbum, quia loquendo seu dicendo exprimitur) similitudo quædam per modum imaginis repræsentans in actu secundo & per modum termini cogniti ipsum obiectum, ideóque frequenter vocatur à D. Thom. medium *in quo*, seu ad instar medij *in quo*, vt in quæst. 4. de Verit. art. 2. ad. 3. distinguit autem illam D. Thom. à specie intelligibili, & ab actu cognitionis, & ab intellectu, & à re intellecta, vt videri potest in quæst. 8. de Potent. art. 1. & quæst. 9. art. 5. vt latius explicabimus infra quæst. 11. artic. 2. simulque causas ob quas necesse est ponere hoc verbum sic distinctum ex D. Thom. assignabimus.

Difficultas ergo est; vtrum etiam in sensibus externis necesse sit formare aliquam talem speciem seu imaginem, non quidem propter aliquam necessitatem ex parte obiecti, quia neque est absens, neque immateriale, sed propter necessitatem ex parte actionis, quia debet habere terminum. *Et hinc sumitur ratio dubitandi*, quia impossibile est intelligere veram actionem sine termino, actio autem immanens vera actio est de prædicamento actionis: nam si non est actio, sed qualitas, restat inquirere qua actione producatur talis qualitas, siquidem alicuius actionis debet esse terminus, & de illa procedit ratio facta. Constat autem, quòd ille terminus est species expressa, quia est qualitas assimilatiua obiecti, & terminus cognitionis, & manet intra ipsam potentiam cognoscentem, quia ab actione immanente fit, ergo talis terminus productus pertinet ad ipsam potentiam, vt reddat eam cognoscentem, & sic habet omnes conditiones speciei expressæ. *Nec potest dici*, quod illa actio producit aliquid extra potentiam, tum quia non est actio transiens, tum, quia nihil immutatur extra potentiam à visione vt visio est reali immutatione, sed solum denominatione extrinseca visi. *Quod si dicatur*, producere aliquid in sensibus internis, hoc verum quidem est, sed tamen ibi non producunt sensus species expressas, sed impressas, quia producunt id quod est principium cognoscendi sensibus internis, ergo si quid producunt per modum speciei expressæ, sibi ipsis deseruit, non sensibus internis.

Circa hanc difficultatem P. Suarez 3. lib. de Anima, cap. 5. refert opinionem aliquorum Thomistarum, qui censent per cognitionem abstractiuam produci aliquid terminans ipsam, non verò per cognitionem intui

intuitiuam, citatque pro hac ſententia Caietanum 1. part. quæſt. 27. art. 1. & alios. Sed tamen Caietanus *citato loco* non negat vniuerſaliter pro omni cognitione intuitiua verbũ, ſeu ſpeciem expreſſam cum eam concedat pro omni intellectione in viatoribus, in beatis autem partiale verbum concedit non adæquatum; ſolum verò negat Angelum in cognitione ſui formare verbum, reſpectu verò reliquarum cognitionũ non negat, inter quas plurimæ ſunt intuitiuæ, ergo male attribuitur Caietano, quod indiſtinctè dixerit in notitia intuitiua nõ formari verbum. Aliam refert opinionem ex Scoto, Durando, & Gabriele, quod verbum ſeu ſpecies expreſſa, non eſt diſtincta à cognitione, & ita non eſt imago in qua res videtur, ſed actus quo videtur. Ipſe verò Suarez tenet ibidem, quòd in omni cognitione producitur terminus, ſed ſolum modaliter diſtinctus à cognitione; illique intrinſecus, præter quem nullum alium, neque realiter, neque modaliter diſtinctum docet produci à cognitione. Itaque in ipſo actu intelligendi diſtinguit id quod productionis eſt, & quod qualitatis, & dicit quod vt productio, ſolum modaliter diſtinguitur ab illa qualitate, ſicut omnis actio diſtinguitur à ſuo termino, vt autem qualitas eſt, eſt ipſum verbum mentis, neque oportet ponere aliam qualitatem quæ ſit intellectio. Vnde non ex indigentia, & neceſſitate obiecti, quod ſit abſens, vel præſens, vel immateriale, ſed ex neceſſitate actionis, quia exigit terminum, producitur illa qualitas; quæ eſt verbum ſeu ſpecies expreſſa, idque ad alias potentias extendit ibi num. 10. Sequuntur Conimb. 3. de Anima cap. 8. quæſt. 3. art. 4. ad 5. vbi in ſenſibus externis fatentur gigni aliquem terminum ſimilem verbo per expreſſionem rei cognitæ.

Nihilominus omiſſâ nunc formatione verbi in intellectu, de quo redibit ſermo quæſt. 2. nunc ſolùm agimus de ſpecie expreſſa, ſeu idolo formato à ſenſibus externis, & inquirimus an ſit neceſſaria ad terminandum cognitionem ſenſitiuam. *Et quod attinet ad mentem S. Thom. conſtat ipſum perpetuo denegaſſe ſenſibus externis hanc formationem ſpeciei in ſe ipſis, vt in illa cognoſcant obiecta ſua*, vt patet in quodlib. 5. art. 1. ad 2. & quodlib. 8. art. 3. & 1. p. quæſt. 85. art. 2. ad 3. cui conſonat, quod docet eadem 1. p. quæſt. 27. art. 5. quod operatio ſenſus externi perficitur in immutatione à ſenſibili, non quia neget operationem ſenſitiuæ potentiæ, ſed quia ſufficienter formatur à ſpecie proueniente ab obiecto, vt in eius præſentia perficiatur ſine formatione alterius ſimilitudinis. Neque exigi talem formationem vt operatio ipſa, ſeu actio terminum habeat, docet in 1. cont. Gent. cap. 100. vbi oſtendit non eſſe de ratione actionis immanentis, vt habeat aliquid operatum & factum ab ipſa, *ſicut audire*, inquit, *& videre, huiuſmodi enim perfectiones ſunt eorum, quorum ſunt operationes, & poſſunt eſſe vltimum, quia non ordinantur ad aliquod factum quod ſit finis.*

Nec obſtat quod in lib. de ſomno & vigil. lect. 2. docet D. Thom. ex Ariſtot. permanere ſimulachra in ſenſibus externis etiam in abſentia ſenſibilium, vt cum aliquis defixit oculos in ſole, omnia ei videnti lucida etiam remotis oculis à ſole, & cum intenſe reſpexit colorem viridem, aut purpureum, etiam remotis inde oculis, omnia illi apparent illius coloris, quod non eſt, niſi quia ſimulacra illa remanent in oculis; ſed non poſſunt manare ſpecies impreſſæ, quia iſtæ dependent in fieri & conſeruari ab obiectis, ita vt in eorum abſentia non permaneant ergo ſolum verificari poteſt de ſpeciebus expreſſis, quæ manent in oculis. *Reſpond.* quòd illa ſimulacra quæ dicuntur manere in oculis, in abſentia ſenſibilium, non ſunt ſpecies aliquæ expreſſæ in quibus cognitionem ſuam perficiat ſenſus, nec ſpecies impreſſæ ab obiectis ad ſenſus, quia iſtæ ceſſant obiectis remotis, ſed illæ ſpecies impreſſæ (hæc vocantur ab Ariſt. & D. Thom. ſimulacra, ſeu ſimilitudines) quæ ab oculis ad ſenſum communem & alios ſenſus internos deriuantur, recipiunturque in ſpiritibus, & in illis deferuntur ad ſenſus interiores. Quando ergo facta eſt aliqua vehemens impreſſio ab aliquo excellenti ſenſibili, & cum magna attentione ſenſus, tunc omnes ſpiritus, qui ſunt in oculis replentur illis ſpeciebus, eiſque vehementer imprimuntur: vnde cum non omnes ſtatim aſcendant ad ſenſum communem propter multitudinem ſpirituum quos excitauit attentio, & propter vehementiam ſenſibilis imprimentis ſpecies in ſpiritibus, vt mittantur ad ſenſum communem, fit inde; vt etiam remotis oculis ab obiecto, & occurrentibus aliis ſpeciebus alterius obiecti, cum illæ quæ ſunt in ſpiritibus pro ſenſu communi nondum ſint totaliter emiſſæ ob copiam ſpirituum, confundunt & impediunt alias, quæ ab aliis obiectis veniunt & ſic videntur omnia ſimilia illis obiectis, quæ ante videbantur ſaltem confuſe, & iuxta impreſſionem factam in illis ſpiritibus nondum emiſſis, & adhuc impreſſionem illam retinentibus, quia fortis fuit. Non autem requiritur quod maneant ſpecies expreſſæ, vel quæ ab obiectis imprimuntur, ſed quæ à ſenſibus tranſmittuntur ad ſenſum communem, & in ſpiritibus imprimuntur.

Quapropter in ſententia D. Thom. duo colliguntur Primum, quòd ſenſus externi ſpecies aliquas imprimunt per cognitionem ſuam, eaſque producunt in ſenſus internos. *Patet hoc*, quia ſenſus interni non participant ſpecies immediatè ab obiectis, ſed mediantibus ſenſibus externis, qui primo accipiunt ab obiectis, & inde tranſmittunt ad ſenſum communem & alios, nec ſunt aliæ viæ per quas ſpecies iſtæ mittantur; & præſertim, quia ſenſus interiores non ſolum iudicant de obiectis ſenſuum, ſed etiam de actibus eorum, vt quod oculus viderit, auditus audierit, &c. ergo oportet, quòd ſpecies tranſmittantur à ſenſibus ad interiores potentias, quia debent repræſentare obiecta vt cognita ab exterioribus ſenſibus; vnde & phantaſia dicitur à Phil. 3. de Anima, quod eſt *motus factus à ſenſu ſecundum actum*, quia ſcilicet à ſenſu cognoſcente in actu, mouetur phantaſia, quæ motio non niſi per impreſſionem alicuius ſpeciei fieri poteſt. Habet ergo ſenſus factus in actu, id eſt actu cognoſcens vim producendi, & imprimendi ſpecies in potentias interiores.

Secundum eſt, quod ſenſus externus non format idolum, ſeu ſpeciem expreſſam, in qua obiectum ſuum cognoſcat: hoc enim præcipuè S. D. excludit. *Fundamentum eſt*, quia cognitio ſenſitiua eſſentialiter eſt experimentalis, experientia deducta ab ipſis obiectis, & ex motione eorum in ſenſus. De ratione autem talis cognitionis eſt, vt in illam vltimate reſoluatur omnis noſtra cognitio, vtpotè ab ipſa inchoata, ergo neceſſe eſt, quod obiectum non attingat in aliqua imagine à ſe formata, ſed immediatè in ipſomet obiecto in ſe. *Patet conſeq.* quia ſi res cognoſcitur in imagine formata ex impreſſione ipſa obiectorum, nondum eſt experimentalis ipſius rei in ſe, ſed in alio, ſcilicet in formatione imaginis, in qua res illa repræſentatur, erga illa cognitio adhuc eſt reſolubilis ſecundum comparationem illius imaginis ad ipſam rem cuius eſt imago, vnde enim iudicari debet & reſolui, quod illa imago ſit talis rei in ſe ipſa, niſi res cognoſcatur in ſe ſine imagine tanquam terminus cognitionis? Si enim in alia imagine cognoſceretur, de illa

illa rediret eadem difficultas, quomodo deberet vltimate iudicari per experientiam quod esset imago talis rei, non cognita ipsa re in se sine imagine, ergo in cognitione desumpta ad ipsis rebus, oportet vltimam, & experimentalem cognitionem reducere ad aliquam cognitionem, quæ fiat sine imagine, sed immediatè attingat rem ipsam in se, & continuetur, seu coordinetur cognitio cum ipsis rebus, de qua ratione supra egimus art. 1. & ostendimus non currere in Angelis, etsi habeant scientiam experimentalem, quia eius certitudo non est resolubilis in ipsas res, à quibus scientiam non accipiunt, sicut nos. Quod autem species expressa naturaliter repræsentet, non sufficit certificare nobis experimentaliter, quia potest falso repræsentare, vt sæpè fit in phantasia, ergo certitudo experimentalis non potest sistere in intellectu formante verbum, neque in phantasia formante idolum, sed debet rosolui in sensum, attingentem rem in se sine imagine. In Angelo autem, qui non habet sensus, debet accipi certitudo experientiæ non ab ipsa re, à qua non accipit species, sed ex infusione superioris causæ, dantis illas speciet. Omitto, quod cognitio externa propter sui imperfectionem & materialitatem non potest se ipsam attingere, neque accidentia quæ in se sunt, sed obiecta corporeo modo sibi applicata, illa autem imago, seu species expressa deberet inhærere ipsi potentiæ elicienti illam, & consequenter deberet cognitio, quæ mediante tali imagine formatur immediatè ferri in tale accidens inhærens ipsi potentiæ, quod pertinet ad quendam modum reflexionis. Cæterùm de efficacia huius rationis agemus infr. q. 8. art. 3. vbi explicabitur quomodo sensus interni vtantur idolo, seu imagine.

Ad rationes dubitandi à principio. Ad primam Respond. quod vt diximus in q. 14. Physic. & in q. 19. Logic. in prædicamento actionis, actio immanens non est formaliter actio physica de prædiccamento actionis sed metaphysica, quæ est qualitas, virtualiter autem potest esse transiens & productiua, sed in quantum immanens, formaliter est qualitas, alias non esset immanens per se & ratione sui, sed ratione termini inhærentis ipsi agenti, quod est esse immanentem non in ratione actionis, & vt actio est, sed ratione termini non vt ab actione attracti, sed vt per passionem recepti. Nam omnis actio, quæ per modum causalitatis est fieri, & transitus termini de fieri ad factum esse, non est immanens in ipsa ratione, & statu actionis, sed in ipso facto esse termini. Actio enim vt actio, dicit fieri, & tendentiam, seu causalitatem termini, ergo vt actio & sistendo intra lineam prædicamenti actionis repugnat, quòd sit immanens, & quod sub formalitate immanentis sit actio, vt causalitas præcisè, seu fieri, nisi dicatur immanens, quia terminus eius manet non in alieno subiecto sed in ipso agente, sed hæc immanentia, seu inhærentia termini in ipso agente, vel in alio subiecto, omnino per accidens se habet ad actionem in ratione ipsa actionis, quia non ipsa actio perficit immanenter, neque actuat ipsum agens, sed est fieri ipsius termini, & terminus est qui actuat & inhæret agenti, non vt agens, sed vt passum inhærentiæ eius. Quid autem pertinet ad essentialam variationem actionis, quod terminus eius qui inhæret in passio, habeat pro passo ipsummet agens, vel aliud subiectum extra agens? In sententia autem S. Thom. actio immanens, per se ipsa ratione actionis immanens est, quia non datur vt fieri ipsius termini, sed vt perfectio, & actus vltimus ipsius agentis, actio autem transiens, seu de prædicamento actionis primo respicit ipsum terminum cuius est fieri, quam actuare vltimo ipsum agens; quæ est ratio S. Thom. 1. contra Gent. cap. 100. quia actio immanens est vltima perfectio, & quæritur propter se, vt constituat cognoscentem, vel intelligentem in actu secundo, quæ est summa cognoscentis perfectio, non autem quæritur propter vlteriorem terminum. Vnde vltima felicitas seu beatitudo in ipsa operatione, & actu secundo cognoscendi consistit, non in aliquo termino producto. Quòd si aliquando producitur per istam operationem terminus, verbi gratia verbum, seu species expressa, non est propter ipsum terminum, sed magis terminus propter cognitionem, scilicet, vt in eo producto exerceatur contemplatio & cognitio, & in ipsa perfecta contemplatione vltimo sistitur. Ergo actio immanens vt formaliter immanens non est de prædicamento actionis, sed qualitas habens vim & eminentiam actionis producentis, vt amplius dicemus quæst. 11. art. 1. Videatur Caietan. 1. part. quæst. 79. art. 2. 5. Quoad secundum, Ferrar. 2. contra. Gent. cap. 9. & 82. Bellar. lib. 2. de Christo cap. 17. qui hanc sententiam tenet.

Ex quo patet ad omnia, quæ in primo argumento tanguntur. Nam quod dicitur omnem actionem debere habere terminum, respondetur, debere habere, sed non eodem modo, nam actio immanens vt formaliter immanens solum habet terminum contemplatum, aut amatum, seu terminum obiectum, non productum, ideoque vocatur actio metaphysica non physica, id est immutatiua termini; vt autem virtualiter & eminenter transiens, habet terminum productum, sed non semper de necessitate, quia in primo, scilicet in termino contemplato, saluatur. Actio autem formaliter transiens semper habet terminum productum, seu immutatum, quia est formaliter fieri & tendentia ad terminum. *Quando autem instatur*, quod si illi actus immanens est qualitas, qua actione producitur; *Respond.* procedere actionem immanentem per simplicem emanationem, sicut actio ipsa transiens emanat à suo agente: eò quòd immanens virtualiter est transiens, potéstque esse productiua termini, ipsumque causare, & sic habet modum procedendi sicut ipsa actio, alias non posset vsum productionis habere respectu termini producti, si sic non procederet; in se verò formaliter solum habet respicere terminum obiectum, & sic est qualitas non causalitas. *Et cum dicitur*, quod ista qualitas quæ est cognitio est assimilatiua, & habet quidquid requiritur ad speciem expressam. *Respond.* quod vt dicit Diu. Thom. quæst. 8. de poten. art. 1. & quæst. 9. art. 5. & aliis locis actio intellectus & verbum seu species expressa distinguuntur, nec ipse actus cognoscendi est similitudo, sed obiecti expressi, seu repræsentati contemplatio, & apprehensio, habetque se vt tendentia ad attingendum obiectum, non vt actualis expressio, seu assimilatio. *Et ratio est*, quia cognitionis effectus solum est reddere potentiam actiuè, & in actu secundo cognoscentem, similitudo verò seu imago expressa, reddit obiectum actu repræsentatum, & vt terminum cognitionis intra ipsam potentiam formatum, & terminantem cognitionem, quia ibi immaterializatur, & spiritualizatur per modum termini cogniti, sicut in specie impressa per modum principij intelligibilis, vt infra q. 12. art. 2. dicemus.

Ad 2. argumentum Resp. quòd visio & actus immanens non respicit obiectum extra, tanquam terminum productionis, seu immutationis, sed vt terminum cognitionis. Terminus autem cognitionis ex natura sua non petit esse intra ipsam potentiam cognoscentem, nisi quando ibi redditur formatus & proportionatus in ratione termini cogniti, eo quod extra non habet sufficientem immaterialitatem ad terminandum

dum c g itionem, sed solùm intra potentiam, sicut in intellectu, in quo non redditur obiectum proportionatum, & formatum, vt terminet, nisi per lucem spiritualem, & hæc extra intellectum non diffunditur, & ita non redditur obiectum, extra intellectum terminus spiritualizatus, & proportionatus ei, sed solùm vt in ipso verbo exprimitur intelligibiliter. In visione autem sensitiua est è contra: quia lux externa reddit obiectum sufficienter visibile, & proportionatum ad terminandum visionem in actu; intra oculum autem non potest magis proportionari ab ipsa luce oculo, imò multò minus, eò quòd id quod ponitur intra potentiam non manet habile, vt sentiatur sensatione externa, quæ non sentit id quod est intra se, sed extra propter imperfectionem, & materialitatem talis cognitionis, & quia sic requiritur ad experimentalem cognitionem, quæ sumitur à rebus, vt explicatum est.

Ad vlt. Respond. quod sensus externi producunt in internos species impressas, vt per eas cognoscant, sicut obiecta sensibilia externa producunt in ipsis sensibus externis species, quibus ea sentiant, hunc enim processum seruari ab obiectis ad sensus, & à sensibus externis ad internos docet Diuu. Thom. 4. cont. Gent. cap. 11. Quod verò sensus externi producant speciem expressam, quæ ad sensus internos delata, eis tanquam in termino obiecta repræsentet, non admittimus, sed species expressa sensum internorum ab ipsis formatur, vt dicemus quæst. sequen. art. 3. Quod si formaretur talis species expressa à sensu externo, non esset vt in ea cognosceret, sed vt sensus internus in ea ad se delata sentiret, quod non est contradicta; & sic saluaretur, quod citato loco dicit D. Thom. & aliis locis supra citatis, quod in isto processu impressionis specierum ab obiectis ad sensus, & à sensibus externis ad internos, semper principium & terminus pertinent ad diuersas potentias.

QVÆSTIO VII.

De obiectis sensuum exteriorum in particulari.

ARTICVLVS I.

Quid sit color qui est obiectum visus?

Explicatis hucusque generalibus conditionibus obiectorum sensibilium, deinceps ad particularia obiecta descendimus. Et primo occurrit obiectum visus, quod est color, & lux, & in præsenti agemus de colore, in sequenti verò articulo de luce.

Relictis autem variis Antiquorum opinionibus circa naturam coloris, de quibus Aristot. lib. de sensu & sensato lect. 6. apud D. Thom. & videri potest Magister Bañez 1. p. quæst. 78. artic. 3. dubio 1. de visu, in præsenti solum examinabimus definitiones traditas ab Aristot. de colore, quæ sunt duæ. Prima in lib. de sensu & sensato cap. 4. *Color est terminus, seu extremitas perspicui in corpore terminato.* Secunda est in hoc 2. de An. textu 67. & 73. *Color est qui mouet actu perspicuum.* Perspicuum autem definit Arist. *quod est visibile non per se, sed alieno colore, seu lumine.* Lumen autem definitur, *quod est actus perspicui, vt perspicuum est,* id est quod reddit diaphanum illustratum. Prima definitio traditur de colore in se, altera verò secundum suam proprietatem, id est secundum visibilitatem, quæ est propria passio rei visibilis.

Circa primam ergo definitionem est difficultas, quid nomine extremitatis perspicui intelligendum sit, & quid nomine corporis terminati. Nam aliqui putant quod ly *extremitas* sumitur pro eo, quod est indiuisibile in genere quantitatis, scilicet pro superficie, vel aliquo simili, & inde magnam sentiunt difficultatem in explicanda hac definitione Aristot. quasi velit quod color sit superficies, vel sit solum in superficie corporis colorati, & ideò, vel reiiciunt definitionam Aristot. vt Pater Suarez lib. 3. de Anima cap. 15. num. 4. vel dicunt solum explicare naturam coloris sub proprietate & officio visibilis quod non exercet nisi in externa superficie, vt sentiunt Conimbricenses 2. de Anima capit. 7. quæst. 1. art. 2. ad 3. Magister Bañez libro supra citato, Rubio & alij. Videturque habere fundamentum in D. Thom. libro de sensu, & sensato lect. 6. in fine vbi inquit: *Quod si corpora intrinsecus quidem habeant superficiem in potentia, non autem actu, ita etiam intrinsecus non colorantur actu, sed potentia, quæ reducitur ad actum facta corporis diuisione, illud autem intrinsecum, non habet virtutem mouendi visum, quod per se conuenit colori.* Sed non potest dici quod corpora non habent colorem intus quoad essentiam coloris, ergo solum intelligitur quod superficie habent illum in actu quantum ad ipsum exercitium, & munus visibilitatis, & sic ista definitio coloris solum potest intelligi quoad proprietatem & exercitium visibilis.

Nihilominus in vtroque Authores isti decipiuntur. Et quod attinet ad D. Thom. constat duo in hac parte dixisse. *Primum*, quod color dicitur extremitas in genere qualitatis, seu diaphaneitatis non in genere quantitatis quasi sit superficies, vel in superficie tantum. *Secundum est*, quod color entitatiue non est in sola superficie, sed etiam intra ipsum corpus, licet vt videatur, solum appareat in superficie, quia ibi tantum illuminatur à luce. Primum patet in dicta lect. 6. circa finem immediatè ante illa verba citata vbi dicit: *Quòd autem dicit colorem esse extremitatem perspicui, non repugnat rei, quod dixerat supra, colorem non esse extremitatem, illud enim dixit de extremitate corporis hoc autem de extremitate perspicui, quod nominat corporis qualitatem, sicut calidum & album, & ideo color non est in genere quantitatis sicut superficies, quæ est extremum corporis, sed in genere qualitatis, sicut & perspicuitas, quia extremum & id cuius est extremum, vnius generis sunt.* Ergo sentit D. Thom. colorem dici extremitatem non sicut superficies, vel solum in superficie, sed sicut qualitas extrema, id est consecuta ex perspicuitate quasi quædam deficientia perspicui, & vltimum in quod resoluitur.

Quod vt intelligi possit, aduerte, quod color non est qualitas prima, sed causata ex aliquo priori, scilicet vel ex modificatione lucis, vel ex mixtione primarum qualitatum, nam colores apparentes in aëre fiunt ex modificatione lucis in ipso aëre aliquibus vaporibus ingrossato, vnde concurrere debet ibi etiam aliqua perspicuitas & aliqua opacitas. In corporibus autem mixtis fit color permanens ex concursu qualitatum elemẽtalium, inter quas etiam inuenitur aliqua perspicuitas & opacitas, sicut aqua & aër sunt clara & perspicua, terra verò opaca. Et ita ipsum perspicuum aliquando inuenitur coniunctum luci, vt in igne, stellis, sole, & aliquando inuenitur coniunctum suo contrario, id est opacitati, & tunc terminatur alieno termino, id est opacitate, & sic fit color ex tali

tali terminatione perspicui: Aliquando inuenitur perspicuum secundum se, id est neque coniunctum luci, neque colori, sed cum sola transparentia, vt aër, aqua vitrum, &c. vt benè notauit Caiet. 2. de Anima super text. 8. Sic ergo color in corporibus mixtis resultat ex concursu qualitatum elementalium, quæ in mixto sunt virtualiter, sed cum in elementis sint non solum qualitates primæ calor, & frigus, &c. sed etiam perspicuitas & opacitas, ad designandum quod color non resultat ex sola congregatione & mixtione illarum, scilicet caloris, & frigoris, sed istarum, scilicet perspicui & opaci, quatenus in ipso mixto manent etiam virtualiter perspicuituas vnius elementi, & opacitès alterius, ideo definitur color, quod est extremitas perspicui, id est qualitas consecuta non ex calore, & frigore sicut qualitates sensibiles, sed ex commixtione perspicui, & opaci quasi qualitas quædam deficiens & extrema, seu in quam desinit perspicuitas facta terminatione opaci, & sic dicitur extremitas perspicui in corpore terminato, id est opaco. Et huius signum accipitur ex coloribus apparentibus, videmus enim, quod secundum diuersam mixtionem opacitatis nubis cum perspicuo vaporum vel aëris, resulas per modificatienem lucis, modo color puniceus, modo flauus, modo cæruleus, modo nigricans, modo albus; sicut nubes multum de luce imbibentes, albæ apparent, mult ûhabentes de opacitate & copia vaporum cæruleæ: aut nigræ ideoque solent esse signum pluuiæ; ergo cum iste color resultet ex diuersa commixtione perspicui cum opaco in modificatione lucis, similiter sequetur color in mixlis ex eadem mixtione perspicui cum opaco, licet in his detur causa permanentior, & diuturnior colorum, non in illis, ideoque apparentes dicuntur. Est ergo color quasi quædam vmbra perspicui, aut lucis in terminatione opaci, ideoque extremitas illius vocatur.

Secundum, quod S. Thom. asserit constat ex eodem loco cit. scilicet lect. 6. de sensu & sensato vbi inquit: *Manifestum est, quod in iis quæ colorantur ab exteriori* (id est à reuerberatione luminosi) *perspicuum est susceptiuum coloris, & etiam in his, quæ colorantur interius, perspicuum est quod facit ea participare colorem, quod quidem perspicuum in corporibus inuenitur secundum magis & minus; quæ enim istorum corporum plus habet de aëre, vel de aqua, plus habent de perspicuo, minus autem habent, quæ superabundant terrestri.* Quare secundum D. Thom. color etiam in interiori corporis parte datur, & non ibi etiam prouenit ex perspicuo, non quidem formaliter existente, sed virtualiter, quia qualitates elementorum sunt virtualiter in mixto & redactæ ad mediocritatem. Quando ergo D. Thom. in verbis supra citatis in argumento dicit, quod si superficies intra corpora est in potentia, non autem in actu, ita etiam intrinsecus colorantur in potentia non in actu, optime dictum est, quia est conditionalis nihil ponens in esse. Nam in re sicut fuerint superficies, ita erunt & colores. Et superficies quidem intra corpus inuenitur vt actu continuans, sed vt potentia terminans, solum enim terminat actu, quando est vltima, & in extremo corporis. Et similiter intra corpus dabitur color quoad entitatem sicut superficies, sed non quoad terminationem & motionem visus, hoc enim non potest facere in actu, nisi actu sit manifestatus ille color, & positus in extera superficie.

Altera definitio coloris supra relata ex Aristot. traditur à posteriori per effectum, seu propriam passionem coloris, scilicet in quantum visibilis seu motiuus diaphani actuati, seu illustrati per lucem, hoc enim est diaphanum secundum actum. Sed tamen color prout est in partibus inferioribus corporis est impeditus mouere diaphanum actu, quia non potest coniungi ipsi diaphano, & perfundi luce nisi ad externam superficiem reducatur, ibi autem est habilis ad mouendum diaphanum, si luce illustretur. Vnde colligitur explicatio definitionis. Nam inprimis non traditur definitio coloris per ordinem ad visum, quia in hoc conuenit cum luce, & sic non oportuit hoc exprimi in definitione, scilicet quod sit motiuum & specificatiuum visus, sed supponi, solum autem tradi id, quod proprium est coloris in eo in quo distinguitur à luce. Secundò ly *motiuum* debet sumi in definitione pro motiuo intentionali, non reali, seu alteratiuo, nam diaphani in actu, id est actuati, & illustrati à luce, non potest dari motiuum nisi intentionale formaliter loquendo, nam quodcumque aliud alterans, verbi gratia, calidum aut frigidum æque bene possunt alterare illud corpus diaphanum in tenebris atque in luce, quod autem præcise potest mouere diaphanum vt illustratum luce, est color vt intentionaliter agens. Tertiò diaphanum secundum actum, est idem quod diaphanum illuminatum luce, quia licet corpus illud quod est diaphanum possit aliis formis informari & in actu poni, tamen in quantum diaphanum, non nisi à lumine actuatur & perficitur, aliæ verò formæ etiam non diaphano sunt communes.

Ex quo colligitur, quam benè sit tradita hæc definitio, nam supponendo id, in quo conuenit color cum reliquis sensibilibus, scilicet quod intentionaliter mouent sensus, quod in ly *motiuum* imbibitur, in reliquis explicat differentiam coloris ab illis sensibilibus. Nam lux mouet quidem visum, sed perfectiori modo quàm color, scilicet non supponendo diaphanum illustratum, sed sed illustrando illud, & ita ad ipsum pertinet illustrare perspicuum, non verò illustratum mouere, hoc enim est proprium coloris. Reliqua sensibilia aliorum sensuum, mouere quidem possunt diaphanum, sed non vt diaphanum est, quia etiam per opacum transeunt, vel saltem non requirunt diaphanum illustratum, sicut audimus, & odoramus, & gustamus etiam in tenebris, & per corpus opacum transit species soni, vt cum intra parietes audimus, & sine diaphano per immediationem contactus gustamus, & tangimus. De hac explicatione videatur S. Thom. 2. de Anima lect. 15. Quare non potuit meliori modo declarari color, vt motiuus est, quam per dictam definitionem, in qua id, quod peculiare est coloris in quantum color est explicatur, & in quo à luce & reliquis sensibilibus distinguitur, id autem quod commune est, in ly *motiuum* imbibitur.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Contra primam definitionem argui potest; quia cum dicitur color *extremitas perspicui*, vel ly *extremitas* sumitur in genere quantitatis, vel in genere qualitatis. Primum dici non potest, vt iam probatum est, cum color non sit de genere quantitatis, nec in sola eius superficie subiectetur. Secundum etiam est falsum, quia si color est extremitas perspicui, erit eiusdem generis cum perspicuo, siquidem extremum eiusdem generis est cum eo, cuius est extremum, constat autem quòd color non est eiusdem generis cum perspicuo, sed longe ab eo differt, imò perspicuum est susceptiuũ coloris, & comparatur ad ipsum vt potentia ad actum. *Si verò dicatur* quòd color est extremitas, seu in extremitate, quia solũ in eo mouet visũ; *Contra est* tum quia color non est in ipso perspicuo seu

seu extremitate eius, sed in corpore mixto, tum quia non solum est in extremitate, id est in superficie, sed etiam intus in corpore, & sic si solum definitur pro extremitate, definitur non quoad essentiam coloris, sed quoad exercitium visibilitatis. *Confirm.* quia color est quædam participatio lucis, seu lux obscurata admixtione opaci, vt docet S. Thom. 2. de Anima lect. 14. idque constat in coloribus apparentibus ex modificatione lucis, ergo male dicitur quod est extremitas perspicui, nec traditur definitio communis colori apparenti & permanenti.

Resp. ex dictis, quod extremitas hic intelligitur in genere qualitatis, non quantitatis. *Ad replicam dicitur*, quod extremitas est duplex alia intrinseca rei terminatæ per illam, alia extrinseca seu consecuta, sicut & terminus rerum alius est intrinsecus, alius extrinsecus. Intrinsecus est eiusdem generis, extrinsecus potest esse alterius, quia distinctum, & diuisum quid est à re terminata, & hoc modo color est extremitas, seu terminus perspicui extrinsecus, non intrinsecus, quia est resultans & deficiens à perspicuo, sicut explicatum est, tanquam ex opacitatis mixtione in colorem desinens & deficiens. Nec obstat, quod perspicuum possit suscipere colorem vt vitrum quod coloratur, aut etiam species coloris, quæ in diaphano multiplicantur, hoc enim non tollit quod etiam ex perspicuo cum mixtione opaci resultet color, & sic color sit extremitas extrinseca, seu resultans ex perspicui admixtione & deficientia. *Quod vero dicitur* colorem esse in interiori parte corporis. *Resp.* verum esse, quòd entitatiuè etiam color in partibus interioribus licet non motiuè, quia quousque ponatur exterius & illustretur non potest mouere visum. In partibus autem interioribus licèt non sit perspicuitas formaliter, est tamen virtualiter, quia ex admixtione perspicuitatis cum opacitate generatur illa mixtio, & ita virtualiter manet in colore, sicut qualitates primæ in secundis. Quod si aliquod corpus nihil habeat perspicui etiam virtualiter, nihil habebit coloris sicut terra si in sua puritate detur; quomodo autem tunc videatur, statim dicemus.

Ad confirmationem Respondetur. Quòd color est participatio lucis mediante perspicuo, seu diaphano obumbrato per opacitatem, nam cum perspicuum sit immediatè susceptiuum lucis, quod est extremitas perspicui, etiam est extremitas lucis, seu lucidi quia perspicuum lucidum est, & sic saltem mediatè, id est, mediante perspicuo, color est participatio lucis. In coloribus autem apparentibus, etiam color generatur ex perspicuo cum aliqua opacitate, sed ibi perspicuum est actu lucidum, & ex modificatione lucis & perspicui resultat color in opacitate nubis, seu corporis densi; in coloribus autem permanentibus resultat color ex perspicuo non actu lucido, sed in potentia, seu susceptiuo lucis. Vnde vnica definitione omnes isti colores comprehenduntur, dicendo, *quod est extremitas perspicui.*

Secundò arguitur contra secundam particulam eiusdem definitionis. scilicet *quod sit in corpore terminato.* Etenim nec in omni corpore terminato seu mixto, datur color, nec in solo mixto datur, sed etiam in purè elementali, nec ad temperaturam primarum qualitatum sequitur determinatus color, ergo male assignatur quod sit in corpore terminato, id est, mixto seu opaco. *Antecedens probatur*, nam pupilla oculi nullum habet colorem, vt supra diximus & est corpus mixtum, & non merè transparens, sed aliqua opacitate mixtum, vnde non videntur interiores partes eius. Ignis etiam est flaui coloris, & tamen non est mixtum, sed elementum, & Aristot. in elementis ponit colorem, in lib. de colorib. in princ. & patet in in terra, quæ in tota sua puritate colorem aliquem habet, quia visibilis est, & non videtur vt lucida, ergo vt colorata. *Quoad tertiam partem probatur antecod.* quia videmus in aliquibus corporibus albedinem sequi ad frigus, vt in niue, & in animalibus quæ generantur in partibus septentrionalibus, vt hominibus, vrsis, leporibus, &c. In aliis albedo sequitur ad colorem, vt in cera, in calce, & similibus, eodem modo videmus in nigredine, quod aliquando sequitur ad calorē, & pipere, in hominibus Africæ; aliquando sequitur ad frigus, sicut humor melancholicus est frigidus & niger, ergo color determinatus non sequitur ad determinatum temperamentum.

Respondetur negando anteced. Ad primam probationem dicitur, quòd pupilla non habet in se opacitatem, sed est pure transparens sicut crystallum, alioquin species visuales non transirent per ipsam ad interiores partes, mixtum autem quod habet colorem, non est mixtum transparens, sed quod habet aliquam opacitatem, quæ admisceatur perspicuo, quod autem pure perspicuum est, non est corpus terminatum respectu visus. Quod verò pupilla non videatur in partibus interioribus, non est propter opacitatem, sed propter nimiam humoris copiam, vt quæst. præced. diximus, sicut aqua copiosa obscuratur in sui profunditate, & ob eam rationem potest exterior superficies pupillæ reddere imaginem sicut speculum, quia terminatur à parte interiori. *Ad secundam partem argumenti dicitur*, quòd ignis in sua puritate non habet colorem, apud nos enim flamma, quanto purior, tanto splendidior, & minus flaua videtur, & in sua sphæra ignis nullatenus apparet flauus propter sui puritatem & raritatem. Ille ergo color prouenit igni ex concretione exhalationis terrenæ vel fumeæ, quæ igni adiungitur, in cuius signum, quanto densior est materia, cui ignis adhæret, tanto rubicundior flamma apparet, vel tristior, vt in carbone, sulphure, &c. Terra autem si in sua puritate videretur, nihil coloris in ea appareret, sed videretur vt luce ipsa affecta, & vt lucidum terminatum opacitate, si luce afficiatur, vel vt corpus vmbrosum & densum, & contra lucem sit, vmbram enim faceret & impediret lucem, sicque vt impedimentum luminosi appareret. *Ad tertiam partem argumenti dicitur*, quòd color non sequitur immediatè mixtionem quatuor primarum qualitatum, sed mediante perspicuitate & opacitate, & secundùm quòd calor, & frigus aliquando plus de opacitate, aliquando plus de perspicuitate respiciunt, inde est, quod aliquando diuersi & contrarij colores ex calore vel frigore oriuntur. Si enim calor excitat plures fuligines & concretiones opacas, reddit corpus magis opacum & nigrum, vel etiam iuxta humidi temperaturam, & modificationem, cæruleum, aut viride, &c. Si verò calor reddat corpus rarius, & minus habens de concretione terrestri, sic magis relinquit de perspicuo, & reddit colorem clariorem, v. g. album, vel flauum, &c. Similiter frigus aliquādo generat concretiones spumosiores, vt ins niue, quæ cum rariores sint propter spumam, magis retinent de persp[illegible]o & claritate: aliquando verò frigus nimis addensat & constipat, neque spumam generat, & tunc magis opacat colorem, & ad nigrum vertit.

Tertiò arguitur contra secundam definitionem coloris nam in primis non solus color est motiuus diaphani intentionaliter: deinde non solùm color mouet diaphanum illustratum, sed etiam tenebrosum, ergo mala est definitio coloris, quæ vtrumque illi tribuit. *Antecedens quoad primam partem constat*, nam lux etiam est motiua diaphani, etiā postquam est illustratum, quia lux etiam per species intentionales videtur,

ergo

ergo emittit tales species, & sic mouet intentionaliter diaphanum postquam est illustratum & actuatum per lucem. *Quoad secundam partem probatur,* quia positi in loco tenebroso videmus obiectum existens in luce & colores eius, ergo illi colores non solum mouent diaphanum illustratum, sed etiam illam partem tenebrosam, in qua est oculus, aliàs non videret, si ad illum non perueniret species coloris, & sicut lux à longè videtur de nocte emittendo speciem sui per medium tenebrosum, & non illuminatum, cur etiam color illuminatus non valebit emittere species sui per medium tenebrosum, neque actu illustratum.

Confirmatur, quia vel intelligitur quòd color se solo sit motiuum diaphani illustrati, vel color vt perfusus luce & illuminatus in se. Si primum est falsum vt ostendemus art. seq. imò sequeretur inde, quòd color secum se esset perfectior luce, quia secundùm se esset motiuus medij illuminati, ergo medium illuminatum se haberet passiuè ad colorem vt actiuè mouentem; actiuum autem secundùm se est perfectius passiuo. Si secundum ergo non definitur hic color per se, sed ratione lucis, quia ratione illius est motiuus diaphani, & cum motiuum debeat esse perfectius passiuo, color autem cum luce non sit perfectior, sed eiusdem rationis cum medio illuminato, malè dicitur quod sit motiuum diaphani secundùm actum.

Respondetur ad primam partem argumenti, proprium esse lucis reddere diaphanum actu illustratum, quod verò intentionaliter moueat diaphanum, est illi commune cum colore, cui non conuenit illustrare medium, sed tantum mouere illustratum, lux autem vtrumque facit. Sed insuper addimus, peculiare esse luci, quod possit mouere medium etiam non illustratum, sed tenebrosum, color autem non nisi illustratum actu; & in hoc differunt, sicut ex Aristotele 2. de Anima, textu 71. docet ibi Diuus Thomas lectione 15. ipsaque etiam experientia comprobat, nam de nocte videmus lucem à longè positam, ita quod omne intermedium est omninò tenebrosum, ergo lux ad mouendum intentionaliter medium non indiget quod totum illud sit actu illustratum. Similiter quædam, quæ in se sunt lucentia, licet non illuminent medium, videntur de nocte, vt oculi quorundam animalium, & squamæ piscium, de quibus dicit ibi Sanctus Thomas, quod ista videntur in tenebris & in lumine, sed in tenebris vt lucentia, in lumine vt colorata: Et reddens rationem visibilitatis eorum, inquit: *Quòd ista in sua compositione retinẽt aliquid de luce, quod omnino vinci non potuit ab opaco, & quia modicum habent de luce, in præsentia maioris lucis occultantur, & non videntur vt lucidum, sed vt coloratũ & lux eorum quia debilis est, non potest diaphanum perfectè reducere in actum secundùm quod natum est moueri à colore. Vnde sub eorum luce, neque eorum color, neque aliorum videtur, sed solum lux ipsorum, lux enim cum sit efficacior ad mouendum quam color, & magis visibilis, cum minori immutatione diaphani videri potest.* Et idem docet infra de igne, aliisque corporibus actu lucidis. itaque cum hæc lucida non illuminent medium ea luce, quæ sufficiat ad visionem colorum, consequenter non illuminant illos realiter, & tamen quia videntur in se vt lucida, oportet quòd immittant species intentionales sui, ergo lux potest intentionaliter mouere medium, etiamsi actu non sit illustratum per intentionalem emissionem specierum, color autem non nisi medium illuminatum mouet.

Ad secundam partem argumenti respondetur, quòd cum color videtur ab oculo existente in parte obscura, non est simpliciter in tenebris, sed habet aliquam lucem licet minorem illa, in qua est ipsum obiectum coloratum, sufficientem tamen vt per eam transmittatur species coloris, & continuetur cum oculo. Quod expressit S. Thomas supra lect. 14. in fine, dicens: *Quòd verò colores illuminati ab eo qui est in obscuro videantur, contingit ex eo, quod etiam medium illuminatur quantum sufficit ad immutationem ipsius.* Itaque si medium sit omninò tenebrosum, nihil de coloribus videbitur, sed solum de luce, quæ quia perfectè visibilis est in actu, sufficienter mouere potest diaphanum intentionaliter, etiamsi actu non sit illustratum, vt experientia ipsa comprobat; color autem non potest, quia non est ita perfectè visibilis sicut lux. Vnde cum quæritur cur color illuminatus non poterit videri existente medio tenebroso? *Respondetur*, quod videbitur id quod luminis est in illo colorato, non autem color ipse, vt diximus ex D. Th. eò quòd lux in genere visibili efficacior est, & ita cum minori dispositione medij potest species suas multiplicare per illud, quam color, & sic datur immutatio sufficiens ad videndum lucem, quæ non sufficit ad videndum colorem.

Ad Confirmationem respondetur, quòd color mouet vt affectus, & perfusus luce, non quidem vt dante virtutem mouendi, sed vt complente & determinante, & vltimo formalizante in ordine ad visum. Et sic color definitur ratione sui, non ratione lucis, licet ad exercendam rationem suam, exigat determinationem, & actuationem, lucis, nam secundùm diuersitatem coloris diuersimodè mouet visum, licèt omnes illi diuersi modi exigant communiter rationem lucis, vt determinatiuam & completiuam omnium. *Et quando additur*, quòd erit eiusdem rationis color vt illuminatus cum diaphano vt illuminato, & sic non aget in illud, *Respondetur*, quòd vtrumque est eiusdem rationis quantum ad effectum formalem lucis, & realem informationem eius, sed quantum ad intentionalem emissionem specierum, color etiam vt illuminatus est diuersæ species intentionales, etiam stante eadem luce saluatur, & consequenter habet virtutem diuersam ad immutandum intentionaliter ipsum lucidum, sicque non agit in lucidum per virtutem eiusdem rationis cum luce, sed per diuersam, scilicet per colorem habentem diuersitatem in immutando, quia aliter immutat viride, aliter album, aliter nigrum, &c. *Dici etiam potest*, quòd lux non est qualitas per se primo passiua, sed actiua illustrando diaphanum, & producendo lucem; & in hoc genere simpliciter est perfectior colore, ipsúmque actuat & illuminat; in alio tamen genere, scilicet in genere intentionali potest pati à calore illuminato, quatenus emittit species per lucidum, & sic non sunt in actu & potentia respectu eiusdem, sicut lumen intellectuale per se primò est actiuum intellectionis, secundariò tamen receptiuum speciei & actus, ideóque non simpliciter imperfectior illis in sua specie.

ARTICVLVS II.

Quid sit lux, & quomodo ad colorem & visum comparetur?

QVatuor circa lucem inquiri possunt. *Primum* circa genus supremum, an lux sit qualitas, vel corpus, seu substantia. *Secundum*, circa genus subalternum, an sit qualitas realis, vel intentionalis.

Tertium, an distinguatur specificè à colore. *Quartum*, an requiratur ex parte ipsius coloris seu obiecti visibilis, an ex parte medij. Et non distinguimus inter lucem & lumen, quia solum dicitur lux, prout est in ipso corpore luminoso, lumen verò lux diffusa ab ipso, seu participata à luminoso.

Circa primum statuimus vt certum, quòd lux non est corpus, neque forma corporea substantialis, sed est qualitas. Probat D. Thomas 1. part. quæst. 67. art. 2. & 3. tum quia lux diffunditur per corpus diaphanum, vt videmus, ergo si esset corpus, vel diuideret illud, vel penetraretur cum illo, quorum primum est contra experientiam, secundum contra naturam: tum quia si esset corpus, non posset in instanti diffundi per tantum spatium, nam vel illud corpus defertur motu locali per spatium, & tunc non posset in instanti diffundi, quia motus non est in instanti, vel per nouam generationem & multiplicationem illius corporis, & sic diffusio luminis esset cum generatione, & corruptione substantiali, quam nullam videmus in aëre dum spargitur lux: tum quia lumen ipsum non posset corrumpi, nisi generata aliqua forma substantiali ei incompossibili, nam corruptio sine generatione non est, non videmus autem luci succedere nisi tenebras, quæ non sunt corpus. Quod verò non sit forma substantialis patet, tum quia lux est per se visibilis, non autem forma substantialis, quæ non est sensibile per se, sed per accidens; tum quia, dum lux diffunditur in aëre, si esset forma substantialis, vel corrumperet formam aëris, quod est contra experientiam, vel duæ formæ substantiales essent simul, quod est impossibile. Est ergo forma accidentalis, nec alia quàm qualitas, quia effectus reales, & qualificatiuos habet, vt ex astris & sole videmus prouenire.

Circa secundum dicimus, quod lux est qualitas naturalis & non intentionalis, id est, repræsentatiua sicut species coloris, quæ non est color, sed similitudo eius, lux autem non est in aëre per modum similitudinis, sed verè & realiter. *Cuius rationem reddit* D. Thom. 1. part. quæst. 67. art. 3. tum quia lux reddit aërem realiter illuminatum, & corpus à quo diffunditur realiter est luminosum, species autem lucis non reddit illuminatum, sicut nec species coloris coloratum, ergo lux est qualitas realis, & non solum intentionalis; tum etiam, quia habet effectus reales, v. g. calefacere, rarefacere, disgregare visum, & alia similia, ergo non est solum qualitas intentionalis.

Ex quo colligitur, quòd lux vt videatur tanquam obiectum, indiget specie intentionali, siquidem eodem modo videtur sicut aliæ res visibiles, scilicet actuando potentiam modo intentionali, ergo si ipsa in se, non est qualitas intentionalis, sed realis, indiget specie intentionali superaddita vt possit videri. Et sic dicit D. Thom. quæst. 10. de Veritate, artic. 8. ad 10. in 2. loco positum, *quòd lux corporalis non videtur per essentiam nisi quatenus est ratio visibilitatis visibilium, & forma quædam dans eis actu esse visibile, ipsa enim lux quæ est in sole, non videtur à nobis nisi per similitudinem eius in visu nostro existentem, sicut species lapidis* (id est substantia) *non est in oculo, sed similitudo eius*. Itaque lux per suam essentiam immediatè actuat & informat visibile, redditque illud completum in ratione visibilis, & hoc modo dicitur videri per suam essentiam, quatenus est ratio visibilitatis formaliter ipsimet visibili immediatè per se ipsum. *Cæterùm* vt obiectum quod videtur ab oculo, non videtur per se ipsum sine specie, sed mediante specie, vt hic dicit D. Thom. & sic intelligendus est, quando dicit in qu. 8. de veritate art. 3. ad 17. *Quòd aliquid videtur per suam essentiam, sicut quando essentia visibilis coniungitur visui, sicut oculus videt lucem*: intelligitur enim de visione lucis, non vt obiectum quod videtur, sed vt est ratio visibilitatis completiua ipsi colori visibili.

Circa 3. dicimus, colores specie distingui à luce, quod præsertim habet verum in coloribus permanentibus qui conueniunt corporibus mixtis, hos enim constat non formari per lucem, nec dependere ab illa, sicut colores apparentes, cuius signum manifestum est, quod isti colores non variantur ad aspectum, seu variationem lucis sicut colores apparentes, nam eodem modo videmus albedinem, vel nigredinem in præsentia solis, vel ad lucem candelæ, positam in vmbra, vel illustratam à luce, non ergo variatur ad aspectum, & modificationem lucis. *Ratio autem à priori est*; quia colores oriuntur ex causis permanentibus nempè ex mixtione qualitatum elementalium præsertim perspicuitatis, & opacitatis; quæ tunc causæ internæ ipsorum corporum, & permanentes in eis, lux autem non habet causam internam, & permanentem in ipso corpore mixto, sed prouenit à luminoso, ergo non sunt eiusdem speciei color, & lux imò colores ipsi inter se specie differunt, lux autem semper est vna, & eadem pro omnibus coloribus. *Et ex hoc etiam sequitur*, quòd colores apparentes licèt causentur ex modificatione & participatione lucis, vt ex causa efficiente eorum, tamen etiam specie distinguuntur à luce, tum quia præter lucem etiam concurrit perspicuum & opacum, & sic non in sola luce consistunt, sed habent easdem causas proximas quas alij colores, scilicet perspicuum, & opacum commixtum lumen, & dependentes à reuerberatione lucis, vnde solum respiciunt lumen vt causam efficientem non vt specificam: tum quia colores apparentes eodem modo immutant visum, quo permanentes, & seruant inter se contrarietatem sicut album, & nigrum, viride, & cæruleum suam contrarietatem habent, & transitum de vno ad alium. Addunt tamen super hoc ipsam reuerberationem, seu modificationem lucis ex qua temperantur, & ideo secum ferunt rationem lucidi.

Ex quo sequitur; legitimam esse definitionem lucis traditam à Phil. *lux est actus perspicui* 2. de Anima text. 69. vbi videri potest S. Thom. lect. 14. Quod enim lux sit actus, seu forma diaphani clarè constat, quia quando non habet lucem, sed tenebras, habet priuationem, & est in potentia ad aliquid quo tunc caret, ergo id cuius est illa priuatio, & ad quod est in potentia, aliqua forma seu actus est ipsius diaphani, nec enim priuatio est nisi alicuius formæ, qua caret subiectum. Quod verò sit actus solum diaphani, difficilius est, cum lux etiam corpora opaca actuet, & illustret, alias non viderentur, ergo inhæret & recipitur in illis, & sic est actus opaci sicut & diaphani. *Respond. tamen* quòd lux non actuat simpliciter nisi diaphanum, quia totum illud actuat, cum totum perfundat, opacum autem non actuat nisi secundum quid, id est quoad superficiem, quæ etiam aliquid de perspicuo participat, sicut & de colore, qui vtrique ex perspicuo fit. Fortassis etiam lux non actuat opacum, seu colorem formaliter, sed actiuè, quia tangit vltima superficies diaphani & lucis ipsam superficiem opaci, vt ex illo eliciat speciem visibilem, de quo statim dicemus,

Circa quartum est celebris difficultas, an lux requiratur ex parte medij per quod transire debent species visibiles, an etiam ex parte obiecti, seu coloris, quasi actuando ipsum vt visibilis reddatur? In quo S. Thom. refert duas opiniones 1. part. quæst. 79. art. 3. ad 2. *Quidam*, inquit *dicunt quod lumen requiritur ad*

ad visum vt faciat colores actu visibiles. Secundum alios vero lumen requiritur ad videndum, non propter colores vt fiant actu visibiles, sed vt medium fiat actu lucidum. Itaque secundum hanc secundam sententiam lux superadditur coloribus, non reddendo eos visibiles per informationem intrinsecam, seu inhærentiam, sed reddendo medium aptum, & dispositum vt à coloribus moueatur. Et quia sine luce diaphani, seu medij non potest videri color, inde fit quod per lucem color apparere dicatur, & visibilis reddi non intrinsecè in se, sed disponendo medium, seu diaphanum illi coniunctum, vt moueri possit à colore. Et istæ opiniones etiam inter recentiores inualuerunt, habetque vnaquæque suos patronos, tum inter Thomistas, tum extra eorum scholam, de quo videri potest Magister Bannez 1. part. q. 79. art. 3. dub. vlt. Medina 1. 2. quæstione 8. artic. 3. Conradus ibi Caietan. dubius est in hac parte 2. de Anima text. 69. Videri etiam possunt Carmel. hic disp. 16. quæ. 5. & Conimb. lib. 2. de Anima cap. 7. quæstione 4. Afferunt autem varia loca D. Thom. pro vna & altera parte, in quibus videtur vtrumque probabile reputare.

Nihilominus resolutio nostra est; *quod lux neque dat entitatem coloribus, neque visibilitatem earum intrinsecam, sed per se, & antecedenter ad lucem colores sunt visibiles. Requiritur tamen lux ad complendum colorem in ratione efficiendi species intentionales & quoad hoc sufficit, quod tangat illum, & actiuè afficiat, probabile tamen est, quod etiam formaliter, aut saltem affectum aliquem in eo ponat quo perficiatur, vt intentionaliter moueat.*

Prima pars huius conclusionis ex dictis in præc. dubio deducitur, quia color permanens habet causas intrinsecas permanentiæ suæ, scilicet mixtionem elementalium qualitatum, nec variatur ad variationem lucis, aut ex eo quod sit in luce. Vnde si habet causas interiores, non lucem constat quod desinere non potest color ex defectu lucis tanquam ex defectu causæ efficientis vel conseruantis, nec tanquam ex contraria forma, quia defectus lucis non est color contrarius, ergo permanet color in absentia lucis. *Nec potest dici,* quod permanet entitas coloris, sed non virtus visibilitatis eius, qua possit diaphanum mouere, *Contra enim est,* quia esse visibile est propria passio coloris, vt S. Thom. 2. de Anima lect. 14. aduertit, nec enim ex se est insensibilis, sed sensibilis, siquidem est cognoscibilis ex se modo corporeo, ergo de se & non ex aliquo superuenienti sensibilis est sensibilitate externa, & non vt audibilis vel odorabilis, &c. ergo vt visibilis; sed esse visibile est habere potentiam seu virtutem vt videatur, ergo color de se & ab intrinseco habet hanc virtutem, vt mouere possit visum, & diaphanum. *Si dicatur* esse visibile terminatiuè tantum, non motiue nisi à luce *Contra est,* quia si sic esset, solum esset visibile per accidens & non per se, siquidem quod solum est visibile terminatiuè, solum per aliud videri potest, à quo mouetur visus, licet mediante ipso ad aliud terminetur, quod est non per se & immediatè, sed per accidens, & mediante alio esse visibile. Si ergo color est visibilis per se oportet quod per se, & non solum per aliud habeat virtutem mouendi potentiam tanquam propriam passionem, licet requirat tanquam complementum actuationem lucis, siue illuminando medium per quod color debet mouere, siue perfectionem aliquam ipsi colori imprimendo, vt statim dicetur.

Hanc eandem partem manifestè S. Thom. docet pluribus locis, vt videri potest lib. 3. de Anima lect. 10. q. & quæst. de Anima artic. 4. ad 4. vbi expresè docet: *Colorem esse visibilem per se, & non habere id virtute luminis, sed solum à lumine habere quod diaphanum sit actu lucidum, vt possit moueri à colore.* Luculentius id tradit 2. de Anima lect. 14. circa finem, vbi docens, quod secundum Aristot. sententiam lumen non est necessarium ex parte colorum, sed ex parte diaphani, subdit; *Dicendum est ergo, quod virtus coloris in agendo est imperfecta, respectu virtutis luminis. Nam color nihil aliud est, quam lux quædam quoddammodo obscurata ex admixtione opaci, vnde non habet virtutem vt faciat medium in ea dispositione, qua sit susceptiuum coloris, quod tamen potest facere lux pura.*

Secunda pars conclusionis ex hoc etiam deducitur, quòd scilicet lux perficiat colorem in linea & genere intentionali, siquidem non perficit colorem vt in se sit, vel vt intensior, aut perfectior sit, sed vt actu moueat diaphanum, ob rationem quam D. Thom. affert. præcit. loco, quia color est forma imperfecta comparatione ad lucem, forma autem quæ est imperfecta non potest disponere passum vt recipiat similitudinem suam sicut potest forma perfecta, & ideo color indiget luce, vt possit actuatus ab ea mouere medium ad recipiendum similitudinem suam, & non in genere reali, quia non mouet diaphanum vt reddatur actu coloratum, sed solum specie, seu similitudine coloris affectum, ergo motio illa non est realis, sed intentionalis, & sic totum, quod perficit lux in colore, est in linea, & gradu intentionalis motionis.

Tertia pars conclusionis est, quòd color indiget perfici ab ipsa luce tanquam à complemento virtutis, qua intentionaliter moueat, & quod hoc potest fieri ab ipsa luce vel actiuè concurrendo cum colore ad emissionem speciei, & tunc sufficit esse contiguam lucem ipsi colori, vel formaliter informando prius ipsum colorem, vel saltem aliquem effectum relinquendo in illo, quo reddatur perfecta illa virtus coloris & moueat diaphanum. Quod ergo indigeat color ipsâ luce tanquam complemento suæ virtutis ad intentionaliter mouendum, *constat*; quia sine luce experimur nos non videre, nec colorem mouere, requiritur ergo necessatio lux, & non vt conditio applicatiua, quia quantumcumque color sit debite applicatus & in distantia proportionata, sine luce non mouet visum, ergo præter conditionem applicatiuam lux requiritur, & sic in aliquo genere causæ, non materialis, quia color non subiectatur in luce, sed in corpore colorato, ergo vel formalis, vel efficientis, & hoc in idem coïncidit, quia si requiritur vt formalis causa in ordine ad mouendum, etiam efficienter se habebit, quia forma actuans in ordine ad aliquam actionem, influere debet in actionem. Finalis autem causa hic non habet locum, quia lux non est finis coloris, sed motio visus, hæc enim est actus ad quem ordinatur. Vnde D. Thom. perpetuo requirit lucem tanquam pertinentem ad virtutem coloris vt moueat visum, sicut in 2. de Anima lect. 14. verbis supra relatis, *Quòd virtus coloris est imperfecta, & non habet virtutem vt moueat medium, sicut habet lux pura.* Et quodl. 8. *art.* 3. dicit: *Quod color, nisi superueniat lux, non mouet visum.* Denique sæpissime repetit, *quod lux est ipsi colori ratio vt videatur,* sicut 2. 2. q. 1. art. 3. & 8. de verit. art. 14. ad 6. & in 2. dist. 20. quæst. 2. art. 2 ad 2. expresse dicit: *Quòd complementum formale visibilis in quantum huiusmodi, est ex parte lucis, quæ facit visibile in potentia, esse visibile in actu,* & idem fere docet in 1. d. 45. quæst. 1. art. 2. ad 1. & aliis multis locis, ergo verum est in sententia D. Thom. quòd lux licèt non constituat entitatem coloris, aut visibilitatem eius intrinsecam, tamen complet virtutem, eius ad mouendum visum, sicut etiam species complet potentiam ad cognoscendum.

Quod verò attinet ad modum quo id facit lux, scilicet vel formaliter actuando colorem, vel aliquem effectum in illo relinquendo, vel simul cum ipso influen-

fluendo, licet non actuet illum, sed quasi partialiter concurrat, ex his modis hic vltimus minus habet apparentiæ & veritatis, quia ista duo, color & lux se habent vt subordinata, ad mouendum visum, seu efficiendum speciem, siquidem lux se habet vt perficiens & complens virtutem coloris ad mouendum, vt ex Diuu. Thom. vidimus, quando autem ad vnum effectum concurrunt duæ virtutes altera imperfectior & determinabilis & inferior, altera vt perfectior & determinans, nunquam virtus perfectior concurrit pur, extrinsecè, & partialiter, sed aliquid ponendo in virtute inferiori, vel quia per se illam actuat, vel per effectum suum in ea relictum, & impressum, alias si virtus inferior in se nihil habet de nouo, nisi tantum extrinsecam assistentiam, intrinsecè & in se immutata manebit, ergo actio quæ ab intrinseco illius emanet, non poterit procedere, quandiu intrinsecum eius immutatum manet in sua imperfectione, cum non nisi à perfecto possit emanare. Color autem de se habet imperfectam virtutem ad mouendum diaphanum, perficitur autem à luce, ergo cum color emittit speciem à se, & ab intrinseco oportet quod intrinsecè etiam perficiatur à luce, vel aliquo eius effectu.

Quid autem ex his duobus verius sit, an lux per se ipsam informet colorem inhæreatque in ipso, seu in corpore colorato, an solum effectum aliquem illi imprimat, ipsa autem lux maneat solum in diaphano illi colori contiguo, non est quæstio magni momenti, & vtra pars dicatur non facile ab alia conuincetur. Sed tamen cum effectus ille impressus à luce in colorem non facile explicetur quid sit qualitas an modus, & quidquid dicatur easdem patitur difficultates, ac de ipsa luce, & ex alia parte ipsa lux est virtus receptibilis in superficie corporis opaci, sicut verè lux recipitur in toto perspicuo mediante diaphaneitate, ita poterit lux recipi in ipsa superficie externa opaci. Imò hinc deducitur argumentum ad probandum dari indiuisibilia, quia in corpore opaco lux non potest recipi vltra superficiem, probabilius est, ergo quod actuat ipsum colorem in superficie.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, ad probandum, quod lux sit qualitas intentionalis, & non naturalis, nam lux per suam essentiam immediatè videtur, vt docet S. Thom. quæst. de verit. artic. 3. ad 17. & in 2. dist. 23. quæst. 2 art. 1. vbi inquit: *Quòd lux non videtur ab oculo per aliquam similitudinem sui in ipso relictum, sed per suam essentiam oculum informans*, idemque insinuat 1. p. quæst. 56. art. 3. *Et ratio est*; quia lux habet esse visibilis in vltimo visibilitatis actu, & habet vniri per se oculo, ita vt non impediat sensationem sui, sed potius ad videndum iuuat, ergo habet, quidquid requiritur ad rationem speciei intentionalis, quæ ad hoc solum ponitur, vt obiectum ipsum repræsentet reddendo illud vltimatè visibile in oculo. *Confirm.*; quia dicit D. Thom. quæstione 5. de potentia artic. 1. ad 6. quod lumen non est in aëre sicut forma perfecta, sed per modum intentionis, ergo est forma intentionalis.

Respond. ad loca D. Thom. omnia illa explicari debere vt supra diximus ex illo loco quæst. 10. de veritate art. 8. ad 10. in secundo loco positum vbi docet: *lucem corporalem videri per essentiam quatenus est ratio visibilitatis ipsis rebus, vt autem est in luminoso videtur à nobis per similitudinem, seu speciem.* Quare cum dicit in locis adductis quod videtur lux per suam essentiam & non per similitudinem, non loquitur de luce vt obiectum quod videtur seorsum à colore, sed vt est ratio completiua visibilitatis ipsi colori, sic enim per essentiam suam reddit actu visibile illustrando colorem per se ipsum, si tamen videatur vt obiectum seorsum per speciem videtur, sicut conceptus seu verbum quo res intellecta redditur in actu, per se ipsum intelligitur *quo*, seu in quo, si autem cognoscatur vt *quod* indiget alio conceptu.

Ad rationem Respond. quod lux habet rationem vltimæ visibilitatis vt *quo* respectu colorum, tamen vt res visa & vt obiectum, *quod*, licet non indigeat alio lumine, indiget tamen specie repræsentatiua sui. *Nec sufficit*, quòd realiter perueniat ad oculum, & realiter informet illum, quia lux, quæ est super oculum, non potest esse res visa ab ipso, nihil enim videtur, quod est super oculum, sed solum lux extra videri potest, & ita indiget specie repræsentatiua quia se ipsa non vnitur.

Ad confirmat. respond. quòd Diu. Thom. sumit ibi rationem intentionalem, seu modum intentionis non prout dicit repræsentationem, & contraponitur obiecto repræsentato, sed prout dicit modum transeuntis, & contraponitur rei permanenti & fixæ. Quia enim species intentionales habent esse in aëre per modum transeuntis, & dependenter ab obiecto in fieri & conseruari, ideò quæcumque qualitas, seu virtus, quæ per modum transeuntis datur, dicitur esse modo intentionali, licet non sit repræsentatio intentionalis, sicut in quæst. 3. de potent. art. 7. ad. 7. virtutem, qua Deus agit in causas inferiores, vocat vt intentionem quia est per modum transeuntis.

Secundò arguitur ad probandum, quòd lux non requiratur ex parte obiecti quasi inhærens & actuans ipsum colorem, licet ex parte medij requiratur, vt obiectum mouere possit. Nam lux est actus diaphani, ergo non colorum, quia isti sunt in corpore non diaphano sed opaco. *Confirmat.* quia colores per se, & non à luce habent visibilitatem intrinsecam, completiuam autem & consummatam non habent à luce, vel tanquam à formali ratione, vel tanquam à conditione requisita. Non tanquam à ratione formali, quia color est visibile per se, & non per accidens: si autem non esse perfectè & consummatè visibile per se, sed per lucem, non esset per se visibile, quia non esset per se motiuum, sed per aliud, in tantum autem est visibile in quantum est motiuum visus. Non tanquam à conditione, quia non dat approximationem aliquam coloris ad visum, quam ergo conditionem ponit; Nec potest requiri lux tanquam causa aliqua vniuersalis mouens & determinans, quia sicut obiecta aliorum sensuum non requirunt istam motionem lucis, aut alterius causæ vniuersalis, præter generalem Dei concursum, sic neque colores id requirent, quia non minus est in actu ipse color secundum se, nec minus perfectè est visibilis ex propria ratione, quam sonus sit audibilis vel odor odorabilis, sicut ergo ista, non requirunt aliam causam determinantem, & perficientem vltimo per modum causæ vniuersalis ad mouendum intentionaliter, cur id requiret color? *Denique confir.* ex multis locis. S. Thom. vbi affirmat lucem non se tenere ex parte obiecti, seu coloris vt in quæst. de Anima art. 4. ad 4. & 2. de Anima lect. 14 & 3. de Anima lect. 10.

Respond. quod vt supra diximus, lux est actus perspicui simpliciter, quia totum actuat & perfundit, coloris autem in opaco, solum quoad superficiem, vbi aliquid etiam perspicui est, saltem quoad colorem, qui perspicuum includit virtualiter.

Ad confirm. Respond. colorem esse per se visibilem ab intrinseco visibilitate imperfecta, & indigente luce vt determinante & perficiente, sicut potentia ipsa

visus

visus est per se visiua, sed indifferenter, determinati autem debet à specie & sine ipsa non potest videre. *Et cum vrgetur*, quo genere causæ id fiat, an ratione formali, vel conditione *Respond.* nec esse conditionem, nec rationem formalem quasi primam & fundamentalem, sed vltimam & consummatiuam, sicut intellectus perficitur per lumen habituale, & determinatur per speciem, & totum pertinet ad formalem rationem agendi intellectualiter vnumquodque in genere suo sic totum illud, lux & color formaliter se habet cum subordinatione vnius ad alterum, ad mouendum intentionaliter, & obiectiuè. Neque hoc habet rationem causæ vniuersalis mouentis, licet habeat modum quendam causæ vniuersalis, quatenus omnes colores perficere & actuare in genere mouendi intentionaliter, non in entitate sua. Vnde tantum abest quod color reddatur visibilis per accidens quod potius per se habet primam visibilitatem, imperfectam tamen, à luce autem vltimam & consummatam. Cur autem solum id tribuamus colori, non aliis sensibilibus externis; *Dicimus* id exigere naturam coloris, vt in ratione visibilitatis dependeat & compleatur per lucem, sine qua nihil videtur, quia lux est vltima ratio visibilitatis, & ad obiectum visus pertinens. Aliquid tamen simile inuenitur in aliis sensibilibus, sapor enim nisi humectatione linguæ immutetur & actuetur, non potest species sui emittere; nec qualitates tangibiles sentiri, nisi habeant aliquem excessum super temperamentum tactus, & odor nisi resoluatur in fumosam aliquam euaporationem, non sentitur, & sic in aliis sensibilibus inuenimus aliquid, quo immutentur vel actuentur, aut determinentur, vt species sui imprimere possint, nisi aliquod sensibile tale sit, & tam perfectum, vt sine alio superaddito, sui speciem emittere possit.

Ad 2. confir. Resp. D. Thom. in illis locis explicare mentem suam, quod lux non tenet se ex parte obiecti, seu coloris, quasi dans ipsius entitatem, & visibilitatem primam & imperfectam quam habent in suo genere & ex se. Non tamen negat D. Thom. quod ipsis coloribus præbeat lux vltimam, & consummatam rationem visibilitatis, & perfectam virtutem ad mouendum visum, sicut docet in illa lect. 14. in 2. de Anima. Dicitur tamen illustrare & actuare medium, seu perspicuum potius quam colorem in definitione lucis, quia licet actuet colorem, illum tamen illustrat & actuat ad mouendum intentionaliter visum, quæ motio fit per medium quod est perspicuum, & ita compendio vtraque actuatio inuoluitur, dicendo, quod illustrat perspicuum.

Vltimò arguitur color resultat ex participatione lucis, & est eiusdem speciei in ratione visibilitatis cum eo, ergo & in natura, seu quidditate specifica. *Patet Conseq.* quia quæ conueniunt in proprietate conueniunt & in natura, a qua illa dimanat, visibilitas autem proprietas est, tam lucis, quam colorum. *Antec.* est D. Thom. vt supra retulimus in 2. de anim. lect. 14. quod color est quædam lux obumbrata, & lib. de sensu & sensato lect. 7. dicit quod in extremo corporum, contingit in esse illud quod in aëre fuit lumen, & ibi facit colorem album. Constat etiam albedinem ideo disgregare visum, quia multum participat de luce. Et in coloribus apparentibus manifestius est, ipsos esse quasdam participationes lucis; & tamen tam isti, quam colores permanentes, & lux sunt eiusdem speciei, quia conueniunt in eadem ratione motiua visus, nec aliam speciem habent in genere qualitatis, quam esse motiuum visus.

Respond. colores esse participationem lucis mediate, scilicet mediante perspicuo quod est susceptiuum lucis, quod mixtum opacitati facit colores. Et D. Thom. non dicit quod colores sunt lux ipsa, aut eiusdem speciei, sed lux obumbrata, id est participata, & mixta opaco, vel quod in extremitate corporum est illud, quod in aëre fuit tamen, non tamen dicit quod est lumen ipsum, aut eiusdem speciei, sed participatio eius, quæ hoc ipso quod est participatio, non est eiusdem speciei, sed ex illa deriuatum. *Quòd verò dicitur*, esse eiusdem visibilitatis. *Respond.* quod bene stat aliqua participare eundem modum visibilitatis, & tamen inter se differre specie entitatiua, sicut patet quod colores diuersæ speciei vt album & nigrum, & viride participant eandem rationem visibilis, & similiter ad eandem scientiam spectant res diuersarum specierum induuntque eandem rationem, scibilis, seu cognoscibilis. Et hoc ideo quia cognoscibilitas seu visibilitas non est propria passio rerum cognoscibilium adæquata ipsis rebus, vt res sunt, & secundum specificas earum differentia, sed vt obiecta sunt, & immutatiua potentiæ. Et potest contingere quod multa, quæ in ratione rei diuersa sunt, conueniant in eodem modo immutandi potentiam. Et ita lux & color, licet sint diuersæ speciei entitatiue, conueniunt tamen in eadem proprietate obiectiuæ visibilitatis. *Quòd verò dicitur* de albedine & coloribus apparentibus, *Respondetur*, quod albedo habet multum de luce virtualiter, & participatiue, non formaliter & specifice, prædominatur enim lux in compositione albedinis sicut vnum elementum aliquando prædominatur in mixto præ alio. Et colores apparentes resultant ex modificatione lucis, cum mixtione tamen perspicui & opaci, & ita non sunt ipsa lux, sed aliquid ex reuerberatione lucis resultans. Nec ratio coloris consistit in hoc præcisè, quod sit motiuum visus, sed quod tali modo sit motiuum visus, quo non est lux, sed subordinatum luci.

ARTICVLVS III.

Quid sit sonus, & in quo subiecto sit?

SOnus definitur quod est. *Qualitas sensibilis ex forti percussione, seu collisione corporum sonantium & medij resilientia resultans.* Equidem *qualitas sensibilis* ponitur pro genere, constat enim quod sonus est obiectum proprium alicuius sensus, scilicet auditus, ergo debet esse qualitas, eaque pertinens ad tertiam speciem, siquidem est possibilis qualitas, à qua passio causatur in sensu. Nec iste sonus est motus, sed causatur à motu, tum quia motus est sensibile commune non proprium, tum quia differentiæ motus sunt tardum, aut velox & similia, soni autem, acutum graue, &c.

Quòd vero attinet ad differentiam soni, quia essentiales & intrinsecæ differentiæ nobis perspectæ non sunt, eas ex effectibus, aut causis extrinsecis circumscribimus. Cum autem ad generandum sonum tria corpora debeant concurrere, vt aduertit S. Thom. 2. de anima lect. 16. scilicet percutiens, percussum, & confractum seu medium resiliens, licet aliquando idem sit corpus percussum, & resiliens, seu confractum, vt cum ipse aër partem aëris collidit, vt in sonitu ventorum; explicatur definitio soni per ordinem ad duas causas per se requisitas ad sonum, scilicet efficientem & materialem. Efficiens explicatur per hoc quod dicitur *resultans ex forti percussione.* A corporibus enim vt percutientibus & frangentibus medium, effectiuè fit sonus, & ab ipso sono emanant

spe

ſpecies ad auditum. Requiritur autem quod percuſſio ſit fortis, id eſt cum reſiſtentia aliqua percuſſi, & non cedendo. Cauſa verò ſubiectiua, ſeu materialis explicatur in *medij reſilientia*, ibi enim ſcil. in medio ſubiectatur fractio, & conſequenter ſonus, vt ſtatim dicemus.

Additur denique illa particula *corporum ſonantium* ad expendendum, quod non quælibet corpora edunt ſonum, ſed vt ſint ſonantia, requiruntur aliquæ conditiones, quas breuiter enumerat S. Thom. dicta lect. 16. & lect. 17. in princip. ad textum 85. Prima, quod corpora ſint dura, vel ſaltem cum aliqua vi ſint fractiua aëris, ſicut etiam ventus frangit aërem, licet non ſit corpus durum, aut cum virga aërem percutimus, aut cum intra nubem ſpiritus diſrumpitur. Si verò corpus ſit molle aut facile cedens vt capilli, lana, ſpongia, & ſimilia, ſonum non faciunt. *Secunda*, quod habeant ſuperficiem lenem, ita quod vna pars non ſupereminneat alteri non eſt vniformis ſuperficies, aër incluſus inter corpora collidentia, non vniformiter frangitur, nec continuo, nec cum impetu, aut concitatione, quia cum partes ſint inæquales, quæ ſupereminentior eſt, detinet partem aëris fracti, & ceſſare facit motum, non concitat. Concitatio, enim, & quaſi ſubita fractio medij ſonum generat, ideoque colliſio facta intra aquam non generat ſonum; quia propter craſſitudinem medij non poteſt fieri concitata confractio. Aliæ duæ conditiones requiruntur ad ſonum vt melius fiet, ſcilicet vt corpora ſint concaua, ſicut cum manus ſe collidunt, quia plus aëris includitur intra concaua, & ſic multiplicatur fractio, & fit maior ſonus; altera, quod corpora ſe percutientia habeãt plus aëreæ compoſitionis quam terreſtris, ideoque plus ſonat æs, vel argentum, quam plumbum, vel ferrum. Et ex hoc patet, quare etiam requiratur reſilientia, ſeu confractio medij, quia corpora percutientia non generant ſonum niſi faciant ictum, neque actus fit niſi in ipſa aëris fractione & concitatione, quâ expellitur.

Circa ſubiectum ſoni dubium eſt in duobus, *Primum* an ſonus recipiatur in corpore percutiente, vel percuſſo, vel in medio in ipſo refracto. *Secundum*, an ſonus iſte realis deferatur vſque ad aliquam diſtantiam, & ſpecies eius inde deferantur ad auditum, an incipiant deferri ab ipſo primo motu quò excitatur ſonus, & per quod medium deferantur iſtæ ſpecies.

Ad primam partem dubij reſpond. corpora ſe percutientia eſſe quaſi effectiua ſoni, ſubiectum autem in quo eſt in actu eſſe ipſum medium confractum. Ita Diu. Thom. ſecundo de Anima lection. 16. ad textum 77. vbi inquit: *In corpore ſonante non eſt ſonus niſi in potentia, in medio autem quod mouetur ex percuſſione corporis ſonantis, ſit ſonus in actu. Et propter hoc dicitur, quod ſonus in actu eſt medij & auditus, non autem ſubiecti ſenſibilis.* Videatur Magiſter Bannez 1. part. quæſtione 78. artic. 3. dub. 3. de auditu P. Suarez lib. 3. cap. 19. Carmel. diſp. 11. q. 2. Conimb. & alij. *Ratio eſt*, quia in eo, ſubiectatur ſonus, vbi & motus, quem ſonus comitatur. Motus autem non ſubiectatur in corporibus percutientibus, hæc enim mouent effectiue, non verò mouentur, ergo in corpore ex percuſſione confracto, quod eſt medium, ſeu aër colliſus, licet enim corpus percuſſum non ſemper repercutiat, ſed ſolum patiatur motum percutientis, vt cum quis verberatur, tamen in ipſo corpore percuſſo non fit motus fractiuus aëris, ſed ſolùm contactiuus illius, & ita ſi quis verberaretur in vacuo eſſet percuſſus, & pateretur motum, non tamen eſſet ſonus; & intra aquam cum piſcis aliam mouet vel impellit, percutit illum, nec tamen fit ſonus ibi, vt dicemus, quia aër nõ frangitur. Ergo motus fractiuus, ſeu colliſiuus medij ſolum eſt in ipſo medio, & conſequenter etiam ſonus, quia ſonus ſequitur motum, non vt præciſe eſt contactiuus, ſed vt confractiuus aëris. Nam vt contactiuus præciſe, ſæpè ſe tangunt plura corpora in aëre, vel intra aquam, vt cum duæ manus auerſæ ſe tangunt, cum duo corpora non collidendo, ſeu premendo fortiter ſe tangunt, & tamen non fit ſonus. Conueniens etiam eſt, vt quia ſonus eſt qualitas non diu ſubſiſtens ſed fluens, etiam in ſubiecto fluido, quale eſt aër confractus ſubiectetur.

Ad ſecundam partem dubij, quod attinet ad ſubiectum ſoni realis, qui extra auditum fit in aëre extrinſeco, *dicimus* ſubiectari ſonum in toto illo aëre, ſeu medio, in quo fit motus confractiuus eius. Quod *ſumitur ex D. Thom.* 2. de Anima lect. 16. circa textum 80. vbi inquit: *Conſiderandum eſt, quod generatio ſoni in aëre conſequitur motum eius vt dictum eſt. Sic autem contingit de immutatione aëris apud generationem ſoni, ſicut de immutatione aquæ cum aliquid in aquam proiicitur. Manifeſtum eſt enim, quod fiunt quædam gyrationes in circuitu aquæ percuſſæ, quæ quidem circa locum percuſſionis ſunt paruæ & motus eſt fortis. In remotis autem gyrationes ſunt magnæ & motus debilis, & tandem motus euaneſcit, & gyrationes ceſſant.* Quare ſonus in toto illo corpore realiter ſubiectabitur, vbi motus percutiens aërem ſubiectatur percuſſione illa gyratiua, ibi enim ſonus generatur. Et quòd in illa gyrationes aër moueatur, ſignum eſt, quia ſonus non ſolum auditur per lineam rectam, ſed à quocumque latere, vel etiam ſi vero, aut ante fiat, ergo ſonus non emittitur ſicut lux per lineam rectam, ſed in gyrum. Et eodem modo ſpecies ſoni emittuntur proportionate ad generationem ſoni. Vbicumque ergo ſubiectatur talis motus gyratiuus, ſeu confractiuus, ſubiectatur & ſonus.

Ex quo ſequitur, aliquando ſonum realem peruenire vſque ad ipſas aures, & tam fortem eſſe poſſe, vt ingrediatur intus ad aurem auditus. *Patet hoc*, quia ſi ſonus generatur & multiplicatur per aliquam diſtantiam, ſi intra illam ſint aures, vtique ad ipſas perueniet ſonus realis. Sed tamen, quod ingrediatur ipſe ſonus per foramen aurium interius, raro continget quia in ipſis aurium anfractibus valde detinetur commotio illa aëris, & frangitur. Sed tamen ſi quis habeat abſciſſam auriculam, poterit ſine iſto impedimento ingredi motus aëris & ſonus realis intus, aut etiamſi tanta ſit aëris commotio, vt ab illis auriculæ anfractibus non poſſit totaliter conſumi, & euaneſcere. Non tamen eſt neceſſe quod aëris motus, ſeu ſonus realis perueniat vſque ad aures vt audiatur, ſicut D. Thom. aduertit in 2. diſt. 2. quæſtion. 2. articul. 2. ad 5. vbi dicit: *Quædam deferri ad ſenſum, ſecundum eſſe ſpirituale & materiale, ſicut ſpecies odorum cum permixtione fumali euaporationis, tamen & ſpecies extenditur vltra fumalem euaporationem, & ſimiliter eſt de ſono, & motu.* Sentit ergo quod ſonus emittit ſpecies etiam vltra ſpatium, in quo realiter generatur, & ſic cum ſonus percipiatur mediantibus ſpeciebus, poterit percipi etiam, vbi motus & ſonus realis non eſt. *Deinde id conſtat*, quia audimus intra parietes incluſi, imò & piſces audiunt ſub aqua ſonum generatum in aëre, vt ſupra diximus, *quæſt. præced.* & tamen motus aëris, & conſequenter realis ſonus per parietes non tranſit, neque aquam commouet, ergo ſpecies vltra tranſeunt quam realis ſonus. Et certè, cum à longo tractu vt ab vna leuca, vel amplius auditur ſonitus cymbali, aut tormenti bellici in breuiſſimo tempore, quomodo

pu

putandum est totum illum aërem moueri, aut tam cito agitari, vt sonus realis perueniat ad aures, sicut videmus ipsa experientia, in beatis etiam post resurrectionem in cœlo, vox quam formabunt in ore, defertur per cœlum ad aliorum aures, & tamen non mouebit reali sono, seu motu cœlum, & per quod defertur.

Ad tertiam partem dubij, scilicet vnde incipiant emitti species intentionales soni, *non est facile id explicare.* Nam si incipiunt emitti ab illa parte vbi cessat sonus, seu motus realis, sequitur quod cum ibi languescat & euanescat motus, etiam species soni non repræsentent sonum nisi tenuem & remissum, & sic nunquam possemus vehementem sonum audire. Si verò incipiunt emitti species, vbi incipit tota ipsa soni vehementia, ergo simili ratione qua à primo motu, seu gyratione soni incipit species emitti, emittetur etiam species à secunda & tertia parte motus, seu gyratione, quæ multiplicantur in aëre & generatur post primam, de omni enim parte motus, seu gyratione est eadem ratio, quod species emittat, & sic quilibet sonus percipietur per multiplicatas species, quot scilicet fuerint illæ gyrationes, seu motus multiplicati, & sic fiet quædam confusio in omni sono, perceptis tot sonis quot species è gyrationibus illis emittuntur, quod est contra experientiam. Deinde, quia species soni successiuè deferunt ad auditum, non in instanti, & stante vento contrario non deferuntur, sed dissipantur, & hoc non est ex ipsa ratione intentionalis speciei, quia hæc non habet contrarium, nec resistentiam, & sic in instanti fiet, nec ab opposito vento impedietur, sicut nec species visibiles, ergo id habet ex ratione motus & soni realis, mediante quo species ipsæ deferuntur, & sic in instanti non traiiciuntur ad aures, & ab opposito vento dissipantur.

Respond. quòd sine dubio statim atque generatur sonus realis, etiam eius species emittuntur, licet sonus ipse realis & motus per aliquod spatium etiam multiplicetur, siquidem si aliquis apponat aurem illic, vbi primo sonus generatur, percipiet illum, sicut & in qualibet alia parte spatij, vbi durat sonus realis & multiplicatur, ergo iam ibi dantur species soni, sine ipsis enim non erit auditio, non ergo emissio specierum incipit, vbi sonus realis desinit. *Ad replicam verò, contra hoc dicitur*, quod licet quælibet gyratio emittat speciem suam minoris, ac minoris soni, tamen quia omnes per modum vnius continuantur à vehementiori vsque ad remissiorem, ideo non faciunt confusionem, aut complicationem multorum sonorum in auditu, sed coordinationem, & continuationem. Species autem illæ sic coordinatæ & continuatæ, plus durant quam motus ipse & sonus realis, & ita licet ipse languescat, & euanescat, tamen species à vehementiori gyratione impressæ durant & mouent, licet ipsa distantia etiam diminuat vigorem specierum repræsentantium sonum, sicut etiam fit in ipsis speciebus visibilibus, quæ quantò longiorem angulum efficiunt, tantò debilius repræsentant, sic species audibiles, quanto maiorem efficiunt orbem & gyrationem, tanto debilius repræsentant sonum, vtpotè magis à distanti. Quare semper vehementius repræsentatur sonus ab illa parte, vnde primo emanauit, quia ibi etiam fuit motus efficacior, licet illa etiam species longitudine spatij debilitetur, & tandem euanescat.

Ad 1. Resp. quòd species audibiles non deferuntur in instanti, sed successiuè, quia magis materiales sunt & dependentes à motu locali & alteratione, à quo non dependent species visibiles, quæ solum dependent à luce, cuius diffusio etiam instantanea est: & licet species audibiles non habeant contrarium, in quantum intentionales sunt, habent tamen dependentiam in sui productione ab aliquo habente contrarium, scilicet à motu locali vel alterationis, mediante quo producuntur, species autem visibiles neque habent contrarium, neque habent contrarium in sui productione dependent. Si autem semel species audibiles successiuè traiiciunt, potest ventus diuertere aërem in quo sunt, & impedire ne veniant ad auditum.

Inquires, an sonus quando primo generatur, debeat primò generari in aëre confracto à corporibus percutientibus, an etiam possit generari in aqua. *Respond.* de hoc esse diuersas opiniones, nam quidam antiquorum præsertim ex interpretibus Græcis Aristotel. censent, etiam intra aquam posse generari sonum. Et Conimbric. id etiam reputant probabile 2. de Anima cap. 8. quæstione 1. articul. 2. & absolute id sentit Pater Suarez l. 3. de Anima capit. 19. numero 3. Communiter autem interpretes Latini præsertim Diu. Thom. censent requiri aliquem aërem ad generandum sonum, de quo etiam videri potest Magister Bannez 1. part. quæstione 78. articul. 3. dubio 3. de auditu. Itaque prima soni realis generatio aërem requirit quem feriat, postea tamen continuari per aquam etiam sonus realis, & multo melius traiectio specierum intentionalium potest fieri per aquam. Sumitur hæc resolutio ex Diuo Thoma 2. de Anima lect. 16. vbi prius loquens de medio vbi sonus auditur (quod vtique est medium diffusionis) dicit: *Melius audiui in aëre, quàm in aqua*, subdit tamen de medio vbi primò generatur sonus, *quod necessarium est ad soni generationem in aëre, vel aqua, quod aliqua corpora firma, & dura percutiant se inuicem, & percutiant aërem.* Igitur quando etiam ex aqua generatur sonus, vt cum fluxus maris, aut nubes se collidunt, debet aliquis aër frangi. *Et ratio est*, tum ex ipsa experientia, quia infra mare pisces quantumcumque grandes, & velocissimi in suo motu non faciunt sonum, neque audiuntur, si autem saltent extra mare statim audiuntur: & ipsa aqua maris etiam in profundo mouetur aliquando velocissimè, & impingit ad rupes, vel ad alia loca solida intra mare, nec tamen sentitur aliquis sonus, è contra verò in fluuiis, si aqua sit parum profunda, & impingat ad saxa statim auditur, quia etiam aërem percutit; tum etiam ratione, quia vt fiat sonus oportet, quòd corpus medium inter percutiens, & percussum, ita frangatur, quod velociter & quasi subito impellatur, si autem languide feratur, neque confestim exeat non excitatur sonus, aqua autem propter sui crassitiem non potest ita premi, vt confestim exeat, sed paulatim dilabitur, ideóque non est aptum medium ad excitandum sonum. Quod verò iam excitatum in aëre per aquam ipsam deferri possit, *constat*, quia pisces intra aquas positi audiunt, imò intra parietes audimus intrantibus speciebus per corpus solidum, vel eius poros. Imò & ipse motus realis quo editur sonus non repugnat aquam commouere, sicut sonitus tormenti bellici prope aquas explosi etiam gyrationes facit in aqua, & à magnis tonitruis etiam nubes ipsæ mouentur, quæ sunt vapores aquæ.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Obiicies 1. sonus definitur ab Aristot. text. 85. per metum, & vocem dicit esse percussionem, seu motum aëris respirati vt patet text. 60. ergo non bene ponitur quod sit qualitas. *Si dicatur*; loqui Ari-

stot. in sensu causali, quia motus est causa soni, *adhuc vrget difficultas*, quia motus localis solum producit vbi, non qualitatem, quæ solum fit per alterationem, quomodo ergo sonus est qualitas, si causatur à percussione quæ est motus localis; *Confirm.* quia sonus sic productus, nec est qualitas prima, nec secunda, neque transiens aut permanens, ergo nulla. *Anteced probatur,* Non est qualitas prima, quia non calor, aut frigus, &c. quæ sunt primæ qualitates. Non est secunda, quia non calor, aut frigus, &c. quæ sunt primæ qualitates Non est secunda, quia non est mixta ex his, neque ex illis resultat. Non est permanens, quia non durat nisi durante motu, qui est transiens. Non est transiens, quia est terminus motus, & sic in illo quiescit & cessat motus. Vnde neque est in tertia specie qualitatis, quia nec alterationem causat, nec ab ea causatur.

Respond. Aristot. locutum esse in sensu causali, cum sonum appellat motum, quod de voce dicit S. Thom. ibi lect. 18. *Et ad instantiam Respond.* in illa ruptione, & confractione aëris, quæ prout diuisio, est motus localis, inueniri etiam motum alterationis adiunctum, productiuum soni, non quidem alterationem producentem dispositiones ordinatas ad corruptionem substantialem, sed alterationem late sumptam qualis poterit inueniri etiam cessante motu cœli, vt impulsio, illuminatio, & similes. Qua autem motus ille aëris fit ab aliquo impulsu, qui est qualitas, & cum aliqua addensatione aut rarefactione, poterit etiam refrangendo subtiliter aërem producere qualitatem maxime affinem, & dependentem à motu quæ est sonus, sicut motus ipse est dependens ab impulsu quæ est qualitas, vel ab aliqua addensatione aut rarefactione aëris. Itaque motus localis præcise non producit nisi vbi, vt tamen fit cum impulsu, aut aliis qualitatibus, etiam qualitatem potest producere.

Ad confirmat. Respondetur, non esse adæquatam illam diuisionem qualitatis in primam & secundam, sed posse dari aliquam quæ nec sit prima, nec orta ex primis, vt diaphaneitas (inuenitur enim etiam in cœlo) opacitas, impulsus & similiter sonus. *Quòd verò dicitur* de qualitate permanente, vel transeunte, *Respond.* quòd sonus est qualitas transiens, non quia non sit qualitas in facto esse, sed quia eius conseruatio dependet ab aliquo transeunti, scilicet à motu, sicut etiam impulsus datur per modum transeuntis, quia datur vt dependens ab impressione impellentis & sic D.Thom. lect. illa 16. vocat sonum qualitatem non habentem esse fixum & quiescens. Vnde sonus incipit ad modum motus, sicut qualitates quæ per motum producuntur, vt quæst. 21. Physic. dictum est. Et sic patet quomodo possit sonus ad tertiam speciem qualitatis pertinere, quia & causatur ex aliqua alteratione latè sumpta, & causat alterationem intentionalium specierum.

Secundò arguitur, quia non requiritur percussio corporum sonantium ad sonum, ergo male ponitur in definitione. *Anteced. probat.* cum pannus, vel papyrus rumpitur, fit sonus, nec tamen corpora dura se percutiunt, & cum virgâ verberatur aër non tangendo corpus durum, & cum castanea ad ignem edit sonitum, & nubes se collidunt fit sonitus sine percussione corporis duri. *Denique* si requiritur illa collisio fortis & velox, quia motus languidus non causat sonum, ergo omnis generatio soni erit violenta, quia illa collisio fit motibus contrariis, atque adeo non potest vterque esse naturalis.

Respond. negando antec. Ad primam probat. dicitur, quod in diuisione panni vel papyri fit percussio aëris, eo quod cum impetu scinditur, sufficit autem percussio ad aërem vt fiat sonus, licet non fiat ad alud corpus durum; aliquando enim aër habet non solum rationem medij confracti, sed etiam corporis percussi, vt 2. de Anima lect. 16. notat D.Thom. & patet in sono excitato à vento, in sonitu castaneæ, vel bombardæ & similium. Vnde illa tria corpora percutiens, percussum & medium fractum non semper requiritur, quod sint distincta materialiter, sed idem corpus, scilicet aër potest esse percussum & confractum. Vnde supra diximus non requiri de necessitate ad generationem soni corpora dura, sed sufficit confractiua aëris. *Et sic patet ad exempla omnia quæ afferuntur. Et ad vltimam partem argumenti dicitur*, quòd licèt motus requisitus ad sonum sit violentus respectu corporis percussi, non tamen respectu generationis soni, sic enim stat benè, quod actio respectu vnius effectus sit violenta, & non respectu alterius, vt proiectio sagittæ sursum, vel eleuatio exhalationis, & agitatio eius, violentæ actiones sunt respectu acquisitionis loci sursum, non tamen respectu calefactionis vel addensationis aut rarefactionis, quæ sequitur ad illum motum sic percussio aëris & sonatio est violenta percusso, non violenta sono.

Vltimò arguitur contra id quod diximus de subiecto soni, nam si est aër collisus, ergo vbi fuerit multum de aëre, erit multus sonus, & vbi parum aëris frangitur, erit paruus sonitus, cum tamen è contra accidere videamus, nam in pulsatione cymbali parum de aëre frangitur, scilicet illud quod est inter linguam & oram cymbali, & tamen longissime auditur. E contra verò si plumbum aut ligna centies maiora se percutiant, non edunt tantum sonum, sicut cymbalum, & tamen multo plus aëris percutiunt. Item differentiæ sonorum non sumuntur ex aëre collisio, sed ex corporibus percutientibus, inde enim discernimus, quod iste sit sonus cymbali, ille lapidum vel lignorum, ille grauis, alter acutus; quod totum non potest ad aëris collisionem reduci, sed ad qualitates corporum percutientium, præsertim cum aliquando fortius percutiatur aër à duobus lignis, & cum maiori impetu, quam cymbalum à lingua, & tamen minor sonus efficitur, ergo subiectum illius non est aër, sed corpora percutientia, à quibus differentia, & inæqualitas sonorum resultat.

Confirmatur, quia etiam aqua est frangibilis sicut aër, licet non æquè velociter, ergo in ea poterit generari sonus, licet non ita proprie, sicut in aëre, & ita Diuus Thom. 2. de Anima lectione 16. dicitur quòd proprium medium vbi generatur sonus est aër, & medium in quo auditur est aër & aqua. Non ergo absolute est medium necessarium aër, sed solum magis proprium. Et suffragatur experientia, quia intra aquam pisces se audiunt, quia vnus fugit alium non ex visu, qui ibi non est vbi nec est lux, ergo ex auditu. Vnde & branchiis quosdam sonos dicuntur efficere, & ranas sub aqui edere sonos, experientia monstat, & docet Arist. 4. de hist. animalium cap. 9.

Respond. maiorem sonum edi à maiore fractione aëris, si reliquæ conditiones non desint, & qualitates corporum sonantium, vt quod sint magis leuigata, solida, dura, plusque admittant de compositione aërea, sicut æs, & argentum, quod non inuenitur in ligno & lapide, & ita ab istis licet non fiat tanta fractio aëris in quantitate, fit tamen perfectior & subtilior, & consequenter vehementior ad propellendum aërem, & sic causat perfectiorem sonum, quia rumpit aërem conciratiori modo, & facit ipsum velocius exire, quod conducit ad sonum magis excitandum, & si alias motus & contactus corporum fit

sit maior extensiue, & ita minor contractus, seu motus aëris in cymbalo maiorem elicit sonum, quam maior motus in ligno, quia iste est maior solum in extensione, ille in intensione seu in qualitatibus conducentibus ad excitandum magis sonum.

Ad aliam partem de differentia sonorum Resp. illam quidem effectiue esse à corporibus diuersimode sonantibus, subiectiue autem esse in aëre confracto, qui prout diuerso modo fuerit confractus, diuersum habet sonum, & illius species emittit. Vnde licet aër sit vnus & idem in se tamen vt diuersimode percussus, in genere sonantis diuersus est. *Et quando dicitur* quod sonus est in illis corporibus, quæ mediante sono sentiuntur per accidens *Respond.* verum esse, sed tamen quod sentitur non est cymbalum seu corpus percutiens, sed percussum, vel confractum ex cymbalo percutiente, ita quod cymbalū solum sentitur vt agens, non vt subiectum soni, licet hoc subiectū soni, scil. aër cōfractus, non sit subiectum nisi cum habitudine & connotatione ad cymbalum percutiens, quia sonus ipse pendet à motu & actione, & ita sensibile per accidens directum est, ipse aër resiliens, seu confractum à percussione, sensibile autem connotatum & in obliquo attactum tanquam agens huius percussionis est corpus percutiens. Quare nunquam contingit inæqualitas soni, cum æquali confractione aëris, licet possit contingere cum æquali, aut maiori contactu corporis, minor sonus.

Ad 2. confirm. Respond. aquam propter sui crassitiem non posse cum impetu frangi, ita quod concitate fugiat & resiliat, sed paulatim labitur & recedit, sicque non causat sonum, languescente compressione. Et D. Thom. non solum dixit, aërem esse proprium medium vbi generatur sonus, sed etiam addit, necesse esse, quod corpora ipsa percutiant aërem, & sonus generetur. *Ad experientias illas dicimus*, eas non satis constare multique eas negant, vt ex Alberto Magno Magister Bannez cit. dub. 3. Si tamen admittantur, dicimus à ranis fieri sonum illum intra aquas ob retentionem alicuius aëris intra guttur vel poros, qui dum exit, illum sonum edere potest quousque aqua oppleantur, præsertim si pori sint aliquantulum laxati, ita vt sufficienter possit aër refrangi in ore ranarum dum exit. Et de branchiis piscium dicimus non edere sonum intra aquas nisi expellent aquam & attrahant aliquem aërem, vt in Acheloo amne dicit Arist. excitari sonum à piscibus hoc modo, & sic exponit illum D. Thom. 2. de Anima lect. 18. Quod verò pisces fugiant intra aquas, non est propter auditum, sed vel quia vident illos, si aliqualis lux descendat, aut squamæ ipsæ reluceant, vel propter olfactum, vel quia tangunt illos cum prope accedunt.

ARTICVLVS IV.

Quid sit vox, quid echo?

DEfinitur vox ab Aristot. 2. de Anima text. 87. quod est *Percussio aëris respirati, qui fit ab Anima in pulmonibus ad arteriam vocalem cum quadam imaginatione.* Vbi definitur vox per suas causas, & in habitudine ad illas. Nomine percussionis seu ictus, intelligitur causaliter ipse sonus, vox enim in se quidam sonus est. Deinde explicantur causæ huius percussionis, ex quibus habet sonus ille esse animalis seu vitalis. Explicatur enim causa efficiens, tum principalis quæ est Anima, tum instrumentalis scilicet pulmo & arteria vocalis, quibus alia instrumenta istis connexa adiunguntur, vt statim explicabimus? tum etiam causa directiua, scilicet imaginatio, à qua procedit vox, vbi etiam insinuatur causa finalis, quia finis vocis est exprimere conceptus, seu imaginationem, & sic imaginatio vt exprimenda se habet vt finis, vt directiua, tanquam efficiens. Denique causa materialis explicatur in eo quod dicitur *aëris* est enim vox sonus in aëre refracto receptus.

Sed inquires, quænam sint instrumenta requisita ad formandam vocem, exinde enim dignoscemus quibus animalibus competit vocem formare. *Respond.* ergo requiri quod animal sit respirans, vox enim est sonus aëris respirati. Similiter animalia exanguia, id est quæ sanguine non nutriuntur, carent voce, quia carent pulmone & arteria, & respiratione non egent, quæ datur, vt ipso aëre calor sanguinis, & spirituum refrigeretur, de quo videri potest Aristot. hîc textu. 87. & ibi S. Thom. lect. 18. vbi numerat quatuor genera animalium exanguium.

Instrumenta ergo formandæ vocis quædam sunt interna, & gutturalia, quædam externa, quæ videntur in ore & lingua. Gutturalia seu interiora, principaliter reducuntur ad duo, scilicet ad pulmones, & ad arteriam vocalem, quæ etiam aspera dicitur, quia inæqualis est. Ad hæc duo reuocantur multa alia, quæ concurrunt ad ista, vt ex parte pulmonum etiam debent adiungi musculi thoracis & intercostales, quibus comprimitur aër, vel admittitur ad pulmones. Et ex parte arteriæ vocalis adiungitur larinx, quæ est ad caput, seu finem arteriæ quasi ostium ipsius, & contegitur membrana quadam cartilaginosa ne quid cibi aut potus per eam ingrediatur. Secundo adiungitur gargario, seu gurgulio, quæ est caruncula quædam sub extremum palati dependens, & per humoris influxionem solet intumescere sicut vna; plurimum verò confert ad vocem efformandam, vel emittendam, vnde qui gargarium occupant aqua, vel alio liquore, non possunt interim loqui. Alia instrumenta sunt quasi externa, quæ etiam conferunt ad formationem vocis, aut valde illam iuuat, sicut lingua, palatum, dentes, labia, quibus percussus aër disponitur ad meliorem formationem vocis & distinctiorem, licet lingua si totaliter præscindatur, nullo modo formari possit vox. Plura de his videri possunt apud Conimb. 2. de Anima cap. 8. quæst. 3. articul. 1. propriéque ad Medicos & ad anathomen spectant.

Quod attinet ad echo seu sonum reflexum, dari quidem istam reflexionem, constat experientia ipsâ, & ratione, quia sonus, seu vox defertur per gyrationes seu circulos quibus mouetur aër, sicut cum aqua impulsu aliquo, seu ictu lapidis, gyrationes efficit; isti autem circuli si in corpus aliquod durius seu crassius impingant, vel dissipantur, & sic non fit echo, vel retrocedunt efficiendo alias similes gyrationes, & sic dicuntur reflecti. Vnde non quælibet corpora reddunt echo, sed quæ ita sunt disposita vt non dissipent, sed restaurent gyrationes, sicut corpora concaua, leuia, & benè compacta, quæ aërem in se non absorbeant nec frangant totaliter, vt in fornicibus lagenis, ripis fluminum, & aliis similibus; corpora verò nimis mollia, aut aspera, & inæqualia, seu hiatibus plena dissipant illas gyrationes, nec integras conseruant, vnde nec restaurant.

Difficultas est in duobus. Primum an possit causari sonus reflexus ex reditione ipsius soni realis? *Secundum*, an fiat aliquando reflexio specierum audibilium, idque sufficiat ad echo?

Ad 1. Respond. posse generari sonum reflexum per reditionem soni realis. Et intelligimus per reditionem

nem non eiusdem numero soni, cum sonus sit accidens, quod transire non potest de vno subiecto ad aliud, sed per multiplicationem soni, factam tamen non in rectum, sed multiplicando versus partem vnde incepit propter obsistentiam alicuius impedientis. Sic sentit S. Thom. 2. de Anima lect. 16. circa textum 50. in fine lectionis, vbi postquam dixit sonum multiplicari ad instar gyrationum, subdit, *Si autem antequam huiusmodi gyrationes deficiant, fiat reuerberatio aëris moti, & sonum deferentis ad aliquod corpus, gyrationes reuertentur in contrarium, & sic auditur sonus ex aduerso & hoc vocatur echo. Et ratio est,* quia conducit ad hoc vt melius audiatur sonus reflexus, quod reflectat non solum species, sed etiam realis sonus & motus aëris, tunc enim melius emittet species in partem reflexam, si ibi sit realis sonus in reflectendo qui possit species illas emittere, & emittendo multiplicare & confortare, ergo si realis sonus & motus potest pertingere ad corpus aliquod, vnde reflectat, & inde continuare realem reflexionem in sono, id magis conducet ad auditionem illius echo. Potest autem sic realiter pertingere, & reflectere motus soni, vt cum ipsæ gyrationes realiter se diffundunt, si ibi tangant corpus absistens habensque reliquas conditiones, vt sonus non penitus extinguuntur sed generetur vel fortificetur, ibi generabitur sonus, & inde deferetur per spatium aliquod, & inde mittet species ad auditum.

Ad 2. tota difficultas consistit quando fit echo à voce, vel sono tam exiguo quod non potest realiter pertingere ad corpus oppositum, sicut sunt aliqua specialia loca, in quibus licet submisse aliquis loquatur, auditur in parte distante echo. Ex alia verò parte videtur hoc non sufficere ad sonum reflexum, quia quod species reflectant, non facit ipsum sonum, seu vocem esse diuersam, sed eandem; siquidem vt supponimus, sonus solum directe diffunditur realiter, & non reflectitur, ergo non potest audiri tanquam duplex sonus, sed tanquam idem, hoc autem non est echo, qui est diuersus à sono directo. Et præsertim, quia experientia docet, quod sonus directus, & reflexus non audiuntur simul, sed vnus successiue post alium. Ergo non fit per solam reflexionem specierum, quia species reflexæ possunt esse simul cum directis, cum sint continuatæ & productæ ab eodem reali sono, & sic simul percipietur reflexus sonus, & directus, & non vnus successiuè post alium. Denique ad summum ex ista intentionali reflexione solum concludetur, quod ille sonus audietur tanquam multiplex apparenter non realiter; sicut etiam in visu, si oculus digito eleuetur, apparet quasi duplex obiectum ob diuisionem speciei in diuersa linea, cum tamen sit vnicum obiectum.

Resp. probabilius videri, quod ad formandum echo reale requiritur reflexio soni realis, tamen ad multiplicandum auditionem soni modo reflexo, sufficit reflexio specierum. Nam quod aliquando fiat echo per reflexionem solam specierum, vrgenter videtur probari illa experientia, quando vox submisse prolata resistit, & reflexe auditur, tunc enim motus realis non potest peruenire ad corpus vnde fit reflexio & tunc fiet reflexio apparens, seu repræsentatiua tantum. Et sicut in visu non solum lumen, sed etiam species reflectuntur, vt in speculo, in quo per reflexionem generatur illa imago, quæ ibi videtur, cur non etiam reflectentur species audibiles? Sed sicut in speciebus visibilibus non quæcumque reflexio facit videri obiecta, sed quæ in corpore terso, & pellucido generat imaginem, ita nec quæcumque reflexio specierum audibilium facit echo, sed quæ in tali corpore sic disposito fit, vt inde quasi noua species generetur & cum nouo vigore, ita vt videatur de nouo formari sonus, licet solum intentionaliter non realiter reflectatur.

Vnde ad dubitationem positam pro secunda parte Respond. Quòd licèt sonus realis non sit diuersus, tamen species refractæ, & reflexæ diuersæ sunt, & ab illa dispositione corporis obsistentis sic de nouo efformatæ, vt quasi altera vox, vel sonus videatur, sicut ex speciebus visibilibus generatur in speculo noua imago, quæ repræsentat quasi alterum obiectum ex speculo ad oculum, ita species audibilis refracta à corpore obsistente non generat nouum sonum, sed nouam repræsentationem, & quasi imaginem soni, quæ ab illo corpore quasi noua vox auditur. *Et cum instatur,* quod sonus reflexus successiue auditur post directum *Respondet.* hoc esse, non quia sit diuersus sonus realis, sed diuersus intentionaliter, quia tamen species audibiles ex sua natura non deferuntur in instanti, sed motu quodam, ideò repræsentatur illa reflexa species tanquam diuersus sonus successiue post directum emissus, & non in eodem instanti, sicut si in speculo generaretur imago non in eodem instanti, quo species visibilis emittitur ab obiecto, sed aliquanto post. Quare etiam concedimus, quod in reflexione intentionali auditur multiplex sonus repræsentatus vt multiplex, licet in re non sit multiplicatus sonus realis.

Dices: cur ergo sonus reflectens intentionaliter, & non realiter, non auditur quasi in profundo corporis obsistentis, sed quasi in superficie, è contra verò quando species visibiles reflectunt in speculo, videtur imago quasi in profundo speculi, non in superficie, *Respondetur;* ideo esse, quia in speculo si tersum sit & pellucidum, species intrant per eius diaphanum, nec reflectuntur quousque inueniant opacum, vndè resiliant, quod cū non inueniant nisi in profunda parte vitri, apparet imago in profundo: si verò speculum non sit perfectè translucidum, & politum statim resultat imago à superficie, vel propè, vbi inuenit impedimentum, vt refrangatur. Species autem audibiles statim vt tangunt corpus durum, vel concauum, & cum aliis dispositionibus ad reflexionem, statim reflectuntur, ista autem durities, & reliquæ dispositiones non solum sunt in parte profunda corporis, sed etiam in superficie exteriori, & ita inde incipit reflexio.

Contra primam partem huius secundæ difficultatis obiicies, quia non videtur posse sonum reflexum generari ex refractione soni realis, nec etiam apparet quomodo ille secundus sonus, seu motus generari possit, nam vel continuatur cum motu directo vel discontinuatur. Si continuatur, non erit reflexus, sed idem cum directo, cum tamen sit illi contrarius, & ad oppositum locum tendens. Si discontinuatur, ergo non poterit ab illo corpore quiescente vnde reflectitur, produci, nec in tanto vigore & perfectione, sicut audimus ipsum echo, eo quod tangitur illud corpus à sono valde debili & diminuto, cum ad illud peruenit, echo autem auditur vt sonus perfectus & vigorosus. Specialiter verò est difficultas in voce, quia vox est sonus dearticulatus, & ab animali formatus; illa autem vox reflexa in illo puncto reflexionis non generatur ab animali, sed à corpore obsistente. *Nec potest dici,* quod hoc facit vt instrumentum animalis. Nam si tuba admota ori non potest dearticulatum sonum formare, quomodo vox iam emissa, & tangens parietem poterit ab ipso dearticulari?

Respond. multa ex his tangere difficultatem in generali de motu reflexo, de quo abunde egimus in libris

bris de generat. quæst. 5. Dicimus ergo quod motus reflexus discontinuatur directo, & est distinctus. Et cum dicitur quod non poterit produci ab illo corpore quiescente, *diximus*, quod non producitur virtute propria, sed virtute impulsus ibi respecti, impulsus enim ille, vt à primo impellente egrediens, habent vim mouendi vsque ad certum terminum, sed à corpore obsistente habet, quod ille terminus non sit in directum, sed in obliquum, vel in contrarium. Itaque à corpore quiescente habetur obliquitas impulsus non directa tendentia, obliquitas autem potest esse non per actionem, sed per modificationem actionis & motus, & hæc sumi potest à corpore quiescente, dummodò ibi impulsus affigatur, & indè modificetur, vim tamen mouendi semper habet à prima virtute vnde processit. *Nec obstat*, quod videtur cessare primus ille motus & impulsus aëris, quo prima agitatio facta est, siquidem refrangitur & diuiditur in corpore obsistente, & ita non auditur prima vox, sed alia, quia prima terminata est. *Respond. enim* quod licet primus motus aëris cesset, & terminetur, non tamen cassat impulsus, qui per aërem diffunditur, & in corpus obsistens impingit, indéque multiplicatur in oppositam partem, non accipiendo à corpore obsistente virtutem & impulsum, sed modificationem eius, vt scilicet in partem aliam deflectat; vel si impulsus cessauit in aëre, saltem species multiplicantur, & perueniunt vsque ad corpus obsistens, ibique refranguntur, & sic quia prima species terminatur, & frangitur, iam non auditur ipsa, sed secunda, quæ reflexè generatur.

Et cum instatur, quòd non potest à corpore illo obsistente produci impulsus in tanto vigore, sicut audimus, cum ibi perueniat remissior & languidior, *Respond.* quòd aliquando motus est ita diminutus, vt etiamsi perueniat ad illud corpus obsistens, inde non vigoretur, neque maior fiat, & tunc parum, aut nihil sentitur de echo: aliquando verò est ita vigorosus ille sonus, vt in obsistente corpore non diminuatur; aliquando verò motus est diminutus in se, in tali tamen dispositione, vt licet directè tendens diminueretur, tamen ex dispositione corporis, in quod impingit, non solum habeat obliquari, sed ratione talium dispositionum vigorari, non quod ab ipso corpore obsistente vim impulsiuam accipiat, sed ipse primus impulsus, qui in se diminuebatur, vt virtus primi impellentis habet talibus dispositionibus positis posse crescere non à se, sed à primi impellentis virtute ibi in illo impulsu virtualiter perseuerante, nisi ita diminuatur, & debilitetur, quod nullis etiam dispositionibus adiunctis crescere possit, de quo vide quæ diximus quæst. 5. cit. de generat. Et sic patet quomodo sonus reflexus aliquando crescere possit, sicut calor, aut lux reflexa.

Ad id quod dicitur, de voce quomodo generari possit à corpore obsistente; *Respond.* vocem ibi non generari aut formari à pariete, sed multiplicari ea virtute qua per aërem in directum sonus vocis multiplicabatur, nec enim aër multiplicans vocem id facit propria virtute, sed virtute animalis primo formantis, quæ per aërem diffunditur. Eadem ergo attingens corpus durum reuertitur, non accipiendo ab illo corpore virtutem aut formationem vocis, sed virtutem, quæ per aërem diffundebatur obliquando & modificando. Nec est simile de tuba, quia cum admoueatur ipsi ori, impedit ipsam primam formationem vocis, ne fiat dearticulatè, sicut loquens voluerit, sed vt tuba permiserit, & impulsum exceperit sed voce semel formata, multiplicatur per aërem aut obliquatur à pariete in ea dearticulatione & modo, quo primum formata est.

Quid si dicas, in ipso corpore obsistente frangi & dissipari ipsum sonum quoad eius figuram, qua in gyrum circulabatur, siquidem est ille sonus quidam aëris impulsus, qui facillimè dissipatur, cum in aliquod corpus impingit; & sic amittet ibi vox dearticulationem. *Respond.* quod aliquando corpus in quod impingit sonus, talis est vt eius figuram, & integritatem violet & dissipet, & tunc non redditur sonus reflexus, sed dissoluitur vox, aut confunditur eius dearticulatio, aliquando verò corpus illud est æquale & lene, & sic dispositum, vt sonum illum non dissipet, sed integrum seruet, & solum impediat, ne in directum tendat, sed retrocedat; & tunc fit echo nec tamen omnes eius partes audiuntur sed vltimæ syllabæ, quia priores partes reflectunt dum adhuc in auribus non transierunt species soni directi, quibus occupatur, quando verò illæ transeunt, solum restant vltimæ partes reflexæ vocis quæ seorsum à sono directo & distinctim audiantur.

ARTICVLVS V.

In quo consistat odor, qui est obiectum olfactus?

SVpponimus odorem, verè, & propriè esse qualitatem, nec consistere solum in substantia fumidæ exhalationis, vt aliqui ex antiquis dixerunt, quos referunt Conim. 2. de Anima c. 9. qu. 1. art. 1. Et illam opinionem refutat Arist. lib. de sensu & sensato c. 5. lect. 12. apud D. Thom. *Et eius falsitas constat, tum ratione, tum experientia.* Si enim odor esset fumida illa substantia, cum experiamur diffundi odorem à corpore odorifero, consequenter dum odor communicatur, corpus diminueretur, sicut diminuitur aqua per euaporationem, ergo quandiu odor durat & exhalatur à corpore, duraret continuo illa corporis diminutio, quod certe aliquam sensibilem minorationem faceret, cum sit valde continua, quod tamen experientiæ aduersatur. *Ratione etiam constat*, quia odor est sensibile proprium alicuius sensus, substantia autem est sensibile per accidens, ergo odor formaliter non potest esse substantia.

Quare supponendum est, quod odor est in genere accidentis, & illud est qualitas, tum quia alterat & alteratione acquiritur, tum quia in aliis generibus non potest inueniri tale accidens. *Restat inquirere eius differentiam.* Definiri ergo solet odor, quod est *qualitas ex temperamento primarum qualitatum resultans siccitate dominante, seu excedente, & calore humidum decoquente.* Dicendo ex temperamento primarum qualitatum resultans, manet dictum, quod est qualitas secunda, seu mixta, & quod subiectum eius proprium est mixtum, nam in elementis non inuenitur odor, si sumantur in sua puritate.

Explicatur ergo in mediata causa, ex qua fit odor, quæ cum sit qualitas mixta, præcipuè explicanda est per mixtionem, seu temperamentum qualitatum ex quibus componitur, & ideo dicitur, quod est resultans ex temperamento primarum qualitatum. Modus autem temperamenti designatur dicendo, quod siccitas debet excedere humidum contrario modo ad sapores, in quibus humidum excedit siccum. Et hoc ex ipsa experientia deducitur, quia videmus res odoriferas maximè sentiri aliquo calore exsiccante, vt in calore æstatis, vel ignis, res odoriferæ resoluuntur, & magis redolent; similiter fumea exhalatio sicca est & exsiccare solet, & regiones, quæ producunt res odoriferas, vt aromata, sicciores, & cali-

calidiores esse solent. Denique ea, quæ sunt optimi odoris solent esse amari saporis, dulcia autem secundum suum natiuum temperamentum raro solent esse odorifera, quia in eis prædominatur humidum. Cæterùm licet siccitas debeat prædominari in odore, non tamen totaliter vincere humidum, nam quæ omninò sunt arida vel tosta, vt ossa vehementer sicca, aut cineres, odore carent & similiter terra sicca non redolet, respersa verò pluuiali aqua, efflat odorem, ergo aliquid humoris requiritur. Item in lapidibus, & lignis, lapides nimis duri non olent, quia humore carent, ligna odorem retinent, quia siquid humoris concocti habent. Deniquè inter metalla aurum caret odore propter nimiam duritiem terrestrem, ob quam caret humore, æs autem, & ferrum odorem aliquem habent, quia aliquid humoris retinent. Videatur Aristot. loco citato de sensu & sensato & D. Thom. ibi.

Deniquè, quod requiratur calidum digerens humidum intelligitur de digestione attenuante, & disponente ad siccitatem, vt illa dominetur. Et sic videmus ea, quæ sunt calidioris temperamenti, odorem perfectius efflare, & ipso igne res odoriferæ odorem suum resoluunt, & perficiunt. Semina etiam calidiora affici odore ait Aristot. in problematis sect. 12. & rosas melius olere si plantentur iuxta alia, quia ab illis participant calorem, nonnulli affirmant.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò obiicitur ad probandum quod odor sit substantia; nam odor nutrit, confortat cerebrum, aut etiam lædit, imò & corrumpit corpora, & per continuam exhalationem odoris res odoriferæ minuuntur, & flaccescunt, quæ omnia signa sunt substantialis naturæ. Vnde Aristot. in problemat. sect. 13. quæstione 10. odorem dicit esse halitum, seu exhalationem, quæ vtique substantia est, & Gal. 2. aphorismor. dicit partes magis tenues, & aëreas nostri corporis odore nutriri, & attractione aëris, vt omittam de his, qui ad fontes Gangis in extrema Indiæ parte solo odore florum dicuntur nutriri, vt referunt Plinius, & alij apud Conim. loco citato quæst. 1. artic. 1.

Respond. odorem non nutrire, secundùm quod est sensibile odoratus, sed substantia illa odorifera, in qua odor inest, dicitur nutrire, seu confortare si exhaletur, præsertim spiritus animales aëre illo odorifero mirum in modum recreantur, & exhilarantur. Nec nos negamus à rebus odoriferis exhalari fumeam aliquam exhalationem, seu substantiam, sed negamus illam esse formaliter ipsum odorē, sed odoris subiectum. Sic ergo nutritio non fit odore, licet possit fieri re odorifera, vel exhalatione eius, in quantum conuertibilis est in substantiam aliti. Et sic intelligendus est Aristot cum dicit consistere odorem in exhalatione, intelligitur enim subiectiuè, non formaliter, expresse enim in cap. 5. lib. de sensu & sensato excludit opinionem dicentem odorem esse substantiam. Quod verò dicitur aliquos sustentari odore florum, fabulam redolet, neque enim animal nutritur nisi alimento per os sumpto, & in stomacho decocto. Quod si exhalatio florum tam viuida est, vt multum vaporis odoriferi exhalet, vaporibus illis exhalatis nutriat, non odoribus.

Secundò arguitur: Quia multa dantur odorifera, quæ humida sunt, vt aquæ distillatæ, muscum quod ex sanguine cuiusdam feræ componitur, ambarum, vel ex spermate ceti, vel ex aliqua humida substantia maris natum, zibettum ex felium humore ortum; quæ tamen inter omnia odorifera sunt prima, & maxime humida. Et præterea, quia si odor fit ex calore attenuante humidum, potius debet prædominari calor, quam siccitas. Constat autem multa, quæ sunt excellentis saporis esse etiam optimi odoris, vt mel, vinum, & alia similia quæ tamen humida sunt, ergo non oportet prædominari siccitatem. *Confirm.* Quia odor est communicatiuus sui, vt patet in tactu rei odoriferę, ergo non est qualitas secunda, quia qualitates secundæ non se communicant, vt patet in colore, grauitate, & leuitate & aliis similibus, quæ suo contactu non reddunt rem coloratam grauem, aut leuem, &c.

Respond. Illa omnia licèt liquida sint, continere tamen exhalationes aliquas siccas, in quibus continetur odor, sicut etiam mare redditur salsum propter exhalationes adustas, quæ illi communicantur, sic in aliis humidis, vt ambaro, zibetto, balsamo, &c. imprimuntur exhalationes aliquæ sic temperatæ, & siccæ, vt odorem retineant. Sed cur inquies: si ita est minus redolent ista odorifera è propinquo, quam è longinquo, imò ambarum, & zibettum si in magna copia adhibeantur, videntur grauem colorem exhalare? *Respond.* Id accidere ob multitudinem exhalationum terrestrium, quæ in ipsa re odorifera constipantur, & per fumeam exhalationem magis attenuantur ab ipso calore, & sic purius, & defœcatius ibi sentiuntur, quam in sua propria substantia, vbi crassiores sunt illæ exhalationes. *Ad id, quod dicitur* de calore attenuante humidum. *Respond.* calorem quidem directè gignere calorem, sed tamen dispouere ad siccitatem, seu ad formandas exhalationes siccas, quæ in illo humido seu liquore, odorem efficiunt. *Quòd verò additur* aliqua posse esse simul boni odoris, & saporis: *Respond.* quod si aliquando id contingit est secundum diuersas partes, quarum, quædam habent in exhalationibus siccitatem prædominantem, aliæ humidum benè digestum, quod ad dulcedinem declinat, de quo vide S. Th. hoc 2. de Anima lectione 19.

Ad confirmat. Respondetur, quòd inprimis non repugnat, aliquam secundam qualitatem realiter esse communicatiuam, sicut sonus multiplicatur, & similiter sapor, & aliæ similes, licèt aliæ communicatiuæ immediatè non sint. *Secundò dicitur*, quòd licèt istæ secundæ qualitates se ipsis immediatè non sint communicatiuæ, bene tamen mediantibus qualitatibus primis, vt instrumentis, seu dispositionibus, quibus talis secunda qualitas generatur. Et sic cum odor petat siccitatem prædominantem, mediante siccitate, quæ est qualitas communicatiua, & similiter mediante calore, aliisque qualitatibus temperantibus, potest odor ipse generari, & multiplicari per aliud corpus, & sic Arist. 2. de Anima text. 127. dicit aërem redolere per immutationē ab odore, quod intelligi potest per immutationem mediatam, id est mediante exhalatione illa fumosa, eiusque siccitate, & calore, quibus aër ad odorem recipiendum disponitur. Exhalationes autem istæ odoriferæ non sunt in aëre penetrando illum, sed diuidendo, sicut alij vapores, & exhalationes, quæ virtute solis ascendunt, aut ab igne euaporantur.

De speciebus odorum non agimus, quia minus nobis notæ sunt, vt Aristot. ait lib. de sensu, & sensat. lect. 9. apud D. Thom. De aliquibus tamen speciebus odorum agit ibi D. Thom. lection. 13. vbi videri potest.

ARTI

ARTICVLVS VI.

Quidnam sit sapor, qui est obiectum gustus?

DEfinitur sapor ab Aristot. vt explicat D.Thom. in lib.6.de sensu & sensato lect.10. quod sapor *est passio facta à sicco terrestri in humido aqueo cum additione calidi, quæ gustum secundum potentiam alterando in actum reducit.* Dicitur *passio*, id est qualitas tertiæ speciei, quæ est passio, vel passibilis qualitas. Reliquæ particulæ adduntur ad explicandam differentiam saporis ex suis causis. Et primò dicitur, quod sit qualitas mixta, seu secunda, cum dicitur *facta* seu resultans *ex sicco terrestri*, &c. Secundo ostenditur ex quibus qualitatibus, seu cuius conditionis esse debeant, vt ex eis resultet sapor, scilicet *ex sicco terrestri in humido aqueo.* Intelligitur autem siccum illud esse terrestre, & non igneum, quia igneum propter sui tenuitatem est nimis acre, & consumptiuum humidi, & ineptum ad nutritionem, terrestris autem siccitas magis ad nutrimentũ deseruit. Exprimuntur autem istæ potius qualitates, scilicet humidum, & siccum, quia calidum & frigidum sunt qualitates magis actiuæ, & pertinent ad rationem efficiendi, quæ est causa magis extrinseca, siccum autem, & humidum magis præbent materiam sapori. Non exprimitur autem, quodnam ex his duobus debeat excedere alterum, quia ex his duobus humidum præsupponitur, siccum verò superadditur, id est, aliqua exhalatio, quæ substantialiter est terrenæ speciei, ideóque à tali sicco tanquam ab adueniente extrinseco fit sapor, licet intrinseca radix illius sit humidum, & hoc ipso, quod manet humidum aqueum, nec totaliter resoluitur, satis significatur, quod vt fiat sapor, debet dominari humidum illud, sapor autem pinguior & crassior debet esse odore, ideóque humidum prædominari debet.

Tertiò additur causa instrumentalis, scilicet *additione calidi*, seu à concoctione calidi, vt denotetur saporem principaliter fieri à calore, nam à frigore potius imperficitur, & crudescit. Vnde in regionibus frigidis, & temporibus non calidis, fructus non maturescunt: vbi autem calor tollit illam cruditatem sapor temperatur. Oportet tamen aliquid frigoris manere, non ad concoctionem humidi, sed ad temperandum calorem, ne si nimium excedat, consumat totum humidum. Quod autem aliqui cibi valde calidi optimum saporem habent, non est, quia non retineant aliquid frigoris, aliàs esset summus calor & ignis, sed quia calor ibi habet aliquem excessum: imò licet materia rei sapidæ vehementius calefiat, tamen exhalationes, seu vapores, quibus sapor immiscetur, humidiores sunt.

Denique ponitur finalis causa saporis, scil. quòd sit alteratiua gustus, ad hoc enim ordinatur vt ad finem, licet aliam alterationem faciat emittendo species, quæ est alteratio latè sumpta; & ordinatur ad illam obiectum tanquam ad finem effectum, quia fit ab illo, non tanquam ad finem, cuius gratia; & per hæc sufficienter distinguitur sapor ab odore & sono, & aliis sensibilibus.

Inquires: quæ etiam sint præcipuæ species saporis; *Respondetur*, vel posse nos loqui de saporibus extremè contrariis, vel de intermediis, magis tamen principalibus, & notis, vel denique de his, quæ ex tali mixtura fiunt; sicut etiam in coloribus dantur aliqui extremi, vt album & nigrum, alij intermedij principales, vt rubeus, viridis, &c. alij denique ex istis & earum mixtura resultantes. Et idem est in odoribus, licet species odorum minus notæ nobis sint, vt ex Aristot. de sens. & sensat. lect. 9. apud D.Thom. constat, eò quod homo est imperfectioris olfactus inter animalia, & minus discernit eorum differentias.

Igitur species saporum extremè contrariæ sunt duæ, scilicet amarum & dulce: species intermediæ principales, ad quas aliæ reducuntur, præter illas duas extremas sunt sex, scilicet pingue & salsum, acetosum, austerum, ponticum & acutum. Species autem, quæ ex eorum mixtura possunt fieri, sunt innumerabiles, sicut quotidie fiunt arte irritante gulam. Hæc est sententia Arist. 2. de Anim. text. 105. lect.21.apud D.Thom. Sed tamen in priori parte de extremis saporibus contradicit illi Galen.lib.4. simplic.qui dixit extremos sapores esse ponticum & acutum, quia proximè accedunt ad duas primas qualitates contrarias, scilicet calorem & frigus, ponticus enim (idem est quòd limonius) causatur ex grosso frigore, & sic limonia frigidum succum habent; acutus autem causatur ex vehementi & subtili calido. Quoad secundam vero partem addunt alij alias species, vt insipidum, quod videtur distingui ab illis, & per se percipitur à gustu. Et alij alias addunt species, quæ tamen ex istarum mixtura constare videntur.

Retinenda tamen est Arist. sententia, quam S. Thom. sequitur cit.loco, & de sensu & sensato, lect. 11. & communiter Interpretes, qui videri possunt apud Conimb. cap.10. quæst. 1.art.2. Carmel. disp. 13. quæst.2.Ratio est; quia contrarietas in saporibus maximè desumenda est penes id quod est proprium ipsis, scilicet penès modum afficiendi potentiam gustus, in hoc autem clarè videmus, quòd amarum & dulce extremè contrariantur, dulcis enim optimè afficit gustum & conuenientissimè, amarum deterrimè, & ita maximè abominatur ipsum, ergo isti in genere saporum maximè sunt contrarij, licet causaliter, & remotè, id est, ex parte primarum qualitatum à quibus causantur, alij sint magis contrarij non in se, sed in qualitatibus ex quibus oriuntur, scilicet calido & frigido, &c.

Vnde patet ad fundamentum Galeni, dicitur enim; quòd illa contrarietas calidi & frigidi, inuenta in pontico & acuto, est contrarietas alterius generis à sapore, & solum materialiter & remotè ad sapores concurrens, tanquam ex quibus fit, non vt formaliter constituens contrarietatem saporum, sicut etiam album & nigrum sunt contraria in genere colorum, licèt in genere calidi & frigidi, à quibus vt à primis qualitatibus mixtio eorum dependet, non habeant aliquando contrarietatem, quia potest à frigido causari albedo in vno subiecto, & ab eodem nigredo in alio, & similiter à calore, vt supra diximus, & experientia monstrat.

Quòd si dicas, saltem ex maiori distantia & contrarietate inter siccum & humidum causari contrarietates saporum, quia sapor sequitur humidum à sicco temperatum. *Respondetur*, quòd licet ex humido temperato sumatur sapor, non est necesse quòd contrarietas saporum sumatur ex contrarietate humidi & sicci, vt docet D.Thom. 2. de Anima, lect.21. sed est peculiaris contrarietas & alterius generis, licet orta ex mixtione humidi & sicci, non tamen ex maxima contrarietate sicci & humidi, oritur maxima saporum contrarietas. *Nec etiam obstat*, quod sapor extremè dulcis non lædit gustum, sicut in aliis sensibus obiecta extremè contraria lædunt illos: hoc enim peculiare est in saporibus, vt manente dulcedine non detur excessus qualitatum, quibus gustus lædi possit in sua temperatura, quia quandiu dulcedo manet, qualitates illam causantes debent esse benè dispositæ &

& temperatæ. Quòd si dulcedo ita excedat quod debitam illam proportionem dissoluat, etiam dulcedo ipsa corrumpetur, & sic non à dulcedine lædetur sapor, sed à nimia humiditate, vel calore. &c.

Quòd verò sapores medij sint rectè assignati, *constat*, quia ad illos omnes reduci possunt. Nec obstat instantia de insipido, quia insipidum est dulce remissum, vel amarum non intensum; vnde ad vnum ex illis reduci potest, quasi imperfectum in illo genere. De reliquis constat benè esse assignatos, & experientia constat dari illos. Dulce enim inuenitur, sicut in melle, saccaro, & similibus. Amarum vt in absinthio, felle, cicere, &c. Pingue vt in butyro, carne, medulla, lacte. Salsum vt in sale. Acetosum, vt in aceto & aliis putrefactis. Austerum vt in fructibus non maturis & agrestibus. Ponticum vt in limoniis. Acutum vt in sinapi, pipere, & similibus. Quos omnes gustus iudicat vt distinctos, & si qui alij dantur, ad istos reducuntur, vel ex eorum mixtura proueniunt. Numerat autem illos D. Thom. lect. 11. de sensu & sensato, taliter, quòd sapor pinguis non condistinguatur à dulci, vt ibidem dicit, sed sub eo connumeretur. Et similiter in 2. de Anima, lect. 21. dicit duo ex illis in vnum reduci, quod intelligendum est de pingui & dulci. Et sic erunt octo species, duæ extremæ amarum & dulce, reliquæ mediæ principales & genericæ, innumeræ verò quæ ex istarum mixtura fiunt.

Obiicies contra definitionem saporis, quia plures cibi sunt valde aridi, & dantur ad medendum ægritudinibus ex nimia humiditate contractis; & cineres sunt aridissimi, & tamen aliquem habent saporem, scilicet amarum, ergo non requiritur ad saporem quod humidum præemineat. Vnde Philos. non dicit quòd sapor causatur ob humido in sicco, sed è contra, ergo supponit siccum debere prædominari, quia agit humidum, & actio est ex virtute prædominante. *Quod si dicatur*, debere prædominari humidum, quia debet esse alimentum id quod habet saporem, sequitur ergo quod omne alimentum debebit esse humidum, quod est falsum, cum fames sit appetitus calidi & sicci, non humidi. *Confirmatur*, quia hæc definitio ex vna parte est diminuta, quia non explicat quale debeat esse hoc humidum, an aqueum, an aëreum, nec quale siccum, terrestre, an igneum. Ex alia parte est redundans, quia explicat saporem tam in genere entitatiuo vt resultat ex mixtione sicci & humidi, quàm in genere intentionali, vt mouet sensum, quod est definiri secundùm duplicem ordinem & genus, id autem vnica definitione præstari non potest.

Respondetur, aliud esse, quòd res aliqua saporosa plus siccitatis habeat quàm humoris, aliud quod sapor sequatur ad ipsam siccitatem, potius quàm ad humiditatem. In re enim valde sicca potest dari sapor non consecutus ad siccitatem, sed ad partes aliquas, in quibus humiditas præualet, scilicet ad aliquos vapores vel partes tenuiores ibi inclusas, quæ sufficientem humiditatem retinet ad saporem, licet adiuncta siccitate nimia aliarum partium maiorum, aut ex defectu decoctionis, aliisque imperfectis accidentibus degeneret ille sapor in extremum imperfectum, scilicet in amarum, sicut cineres. *Quod verò dicitur*, in definitione Philos. potius dici, quòd sapor fiat à sicco in humido, quàm ab humido in sicco. *Respondetur*, ideo hoc dici à Philos. quia etsi humidum prædominetur ex parte materiæ, sed siccum attemperat & modificat humidum, & vtrumque à calore vt actiuiori decoquitur, vnde radix saporis est ipsum humidum præbens materiam, & simpliciter id quod ad perfectionem, aut suauitatem saporis pertinet; experimur enim ea quæ sunt perfectioris saporis abundare humido, siccitas autem se habet vt disponens & modificans. *Quod vero dicitur de alimento*, *Respondetur*, alimentum vt saporosum est, fundari in humiditate, sed vt nutrimentale est non fundatur in humido principaliter, sed in calido & sicco licet conspersо humiditate aliisque qualitatibus. Et ideo fames quia est appetitus cibi vt nutrimentalis est, est appetitus calidi & sicci, appetitus autem saporis magis est appetitus rei delectabilis ad gustum, quàm vt nutrimentalis, & licet non sit directè appetitus humidi, est tamen appetitus eius quod fundatur in humido.

Ad Confirmationem Respondetur, non explicari, sed implicari in definitione, quale humidum sit saporosum, quia non debet esse purè humidum, sed sicco admixtum; & consequenter tale humidum debet esse aqueum, non aëreum, nec siccum igneum, sed terrestre, quia hæc sunt nimis subtilia, & ad nutriendum non conducentia. Adde quod D. Thom. in definitione supra tradita expressit, quod humidùm saporosum debet esse aqueum. Nec vitiat definitionem, qnod explicetur sapor in vtroque genere reali & intentionali, quia sapor definitur vt sensibilis, & sic radicaliter est in genere intentionali, sequiturque intentionale genus ad hoc reale.

ARTICVLVS VII.

Quod sit obiectum tactus?

TRia sunt explicanda circa obiectum tactus. *Primum*, quænam sint qualitates tangibiles, *Secundum*, an vt sint tangibiles debeant esse excessiuæ supra temperamentum tactus. *Tertium*, an debeant esse inhærentes ipsi organo, vt sentiantur, an manere in tangibili.

Circa primum, constat experientiâ, nos non solum tactu dignoscere qualitates primas vt calidum frigidum, &c. sed etiam alias multas, vt molle & durum asperum & lene, &c. imò plures Authores secundum istas differentias distinguunt varios tactus specie, vt videri potest apud M. Bannez 1. p. quæst. 78. art. 3. dub. 1. de tactu, & Conimb hic. cap. 11. quæst. 2. art. 1. Quot autem sint istæ contrarietates, quæ sensu tactus attinguntur? *Respondetur*, in primis esse illas duas calidum & frigidum, humidum & siccum, quæ sunt primæ qualitates elementales. Deinde inter qualitates secundas numerantur sex, scilicet durum & molle, asperum & lene, graue & leue (ponderant enim tactui) acutum & hebes, dolor & voluptas, fames & sitis; hæc enim pertinent ad tactum stomachi. Addunt aliqui tactum titillationis & pruritus, sentitur enim non tanquam calidum aut frigidum, aut aliquid simile, sed vt delinitio quædam, & commotio tactus. Denique ad veneream voluptatem ponunt aliqui distinctum modum & obiectum tactus à reliquis. Et hæ sunt præcipuæ contrarietates qualitatum tangibilium.

Dubitari autem potest; an omnes istæ qualitates seu contrarietates sint tangibiles immediatè & primò, an vna mediante alia. Nam D. Thom. 1. p. quæst. 78. art. 3. ad 3. & 2. de Anim. lect. 22. totum fundamentum quod ponit ad probandum, quod sint plures tactus specie diuersi est, quia dantur plures contrarietates primæ tangibiles, quarum vna non reducitur ad aliam, & sic sentit de se istas qualitates esse immediatè tangibiles, alias assumeret propositionem falsam

falsam. Imò etiamsi tactus sit vnus secundùm speciem athomam, quia conueniunt omnes istæ contrarietates in aliquo genere proximo, adhuc erunt omnes immediatè tangibiles, sicut licet omnes colores conueniant in vna contrarietate albi & nigri, omnes tamen sunt visibiles æquè immediatè, nec indigemus ad videndum viride, verbi gratia prius videre album & nigrum. Et deinde, quia saltem duæ primæ contrarietates, scilicet calidi & frigidi, sicci & humidi, non dependent vna ab alia, sed immediatè quælibet est tangibilis: imò & alij sentiri possunt, sicut in cœlo durum, aut molle, asperum vel lene immediatè sentirentur à tactu, si ibi admoueretur, quia sentiret resistentiam, sine tactu tamen frigidi vel calidi, quod ibi non est, & denique titillatio immediatè facit sensum, sine hoc quod præcedat tactus frigidi, aut calidi, &c.

Ex alia verò parte etiam difficultas est Primò, nam sensus tactus non constat ex omnibus illis contrarietatibus quas potest sentire sed solum ex contrarietate calidi & frigidi, humidi & sicci, ergo solum immediatè poterit istas sentire, quia illas immediatius sentit, quæ sibi sunt propinquiores. *Deinde*, quia quando plura obiecta pertinent ad vnam potentiam, non omnia possunt æquè primò pertinere, sed ordine quodam, ergo aliquæ pertinent per se primò, aliæ verò mediantibus istis. *Denique*, quia vt sentiantur istæ qualitates per tactum debent immutare organum vt S. Thom. docet quæstion. de anim. articul. 13. sed plures ex his qualitatibus non sunt actiuæ, nec producunt sui simile in organo tactus, nec enim asperum & lene reddunt manum asperam vel lenem, grauitas, aut leuitas nec grauiorem aut leuiorem, ergo solum possunt immutare tactum mediante calido & frigido, & sic mediantibus illis sentiuntur.

Respondetur veriorem videri priorem partem, quòd scilicet omnes istæ qualitates sint æquè primò tangibiles, & non vna mediante alia, quantum ad rationem immutandi tactum intentionaliter. *Et præter fundamentum allatum confirmatur*, quia omnes istæ qualitates per se & ab intrinseco sunt sensibiles, non vt sensibile commune aut per accidens, ergo vt sensibile proprium tactus, nec enim ad alium sensum spectant, ergo sunt immediatè & per se sensibiles, licet inter illas sint aliquæ principaliores alijs, sicut inter colores, omnes sunt æquè primò visibiles, licet quidam efficacius & viuacius moueant, & principaliores sint. Et sic dicit D. Thom. quod omnia ista possunt dici, quod pertineat ad eandem potentiam, quatenus sub eodem genere continentur, licet innominatum, sicut etiam si solam contrarietatem frigidi & calidi sentiret, attingeret illas, vt conueniunt in aliquo genere innominato tangibili.

Vnde patet ad rationem dubitandi. Ad primam dicitur, quod licet contrarietates secundæ oriantur ex primus quantum ad mixtionem physicam, in ratione tamen obiecti tangibilis per se habent suam formalitatem obiectiuam, sicut etiam colores medij oriuntur ex extremis physicè, & in esse qualitatis, habent tamen suam rationem formæ visibilis, non minus quàm colores extremi. *Et quod dicitur*, organum tactus non constare ex omnibus illis contrarietatibus. *Respondetur*, non constare ex omnibus formaliter, benè tamen virtualiter & eminenter, quatenus ad omnes habet virtutem & potentiam. Non est autem necesse, quòd organum habeat actu id, quod sentit, sed solum in potentia, imò debet carere illa, vt satis supra dictum est.

Ad secundam probationem dicitur: Quod plura obiecta pertinent ad vnam potentiam ordinatè, quatenus sub vna ratione formaliter vniuntur, non quia necesse sit vnum mediante alio cognosci, sicut omnes colores mediante luce, omnia tangibilia mediante proportione temperamenti, quæ est ratio illa generica innominata.

Ad tertiam respondetur. Quòd etiam in istis secundis qualitatibus requiritur realis immutatio organi tactus, sed non eodem modo, nam in agendo & immutando realiter non est inconueniens, quod dependeant à primis tanquam à prioribus dispositionibus in genere physico, sicut etiam ipsæ potentiæ sensitiuæ vtuntur instrumentaliter istis primis qualitatibus calido & frigido, &c. ad suas operationes. Cæterum in immutatione intentionali, & in constituenda ratione intentionali, & in constituenda ratione obiectiua, non dependent secundæ qualitates tangibiles à primis, sed per se sunt obiecta tactus, licet ad alterandum physicè, dispositiuè dependeant à primis qualitatibus tanquam à conditione requisita, vt sentiantur.

Circa secundum punctum, an tactus solum possit percipere qualitates excessiuas, *Communis responsio est*, solum illas posse sentiri, vt tradit Philos. hoc 2. lib. text. 118. vbi inquit: *Calidum & frigidum, durum & molle non sentimus, sed excellentias tanquam sensu, velut medietate quadam existente eius, quæ in sensibilibus est contrarietatis.* Subscribit ibi S. Doctor lect. 23. dicens: *Organum tactus non sentit illam qualitatem secundùm quam est in actu, non enim sentimus id, quod est calidum aut frigidum, durum aut molle, secundùm illum modum quo hæc insunt organo tactus, sed sentimus excellentias tangibilis.* Ita D. Thom. quem communiter sequuntur Authores. Caietan. super illum textum, & Flandr. Carmelit. hic disput. 14. quæst. 2. aliique plures. *Et ratio est*, quia sensus debet esse in potentia ad suum sensibile, & non actu habere illud, si enim actu habet, prohibetur sentire extraneum, eo quòd sensus debet pati à suo sensibili, & sic non habere actu illud in ea ratione, in qua sentiri potest: quod præcipuè vrget in tactu, qui debet immutari à suo sensibili non solum intentionali immutatione, sed etiam reali, & per contactum alteratiuum, ergo organum tactus non solum debet carere intentionali specie sui sensibilis, sed etiam reali ipsa physica qualitate, quam sentit, siquidem pati debet ab ipsa reali & physica passione, & consequenter actu non habere illā in esse reali. Cum ergo tactus habeat in se aliquid frigoris & caloris, cæterarumque contrarietatum, quia in se formaliter est mixtum, & tangibile ab alio tactu, necesse est, quod non sentiat illum calorem, vel frigus, quod habet, & consequenter neque inferioris gradus, quia hoc etiam habet, sed solum excedens, quia ab hoc solum immutari potest, aliàs si posset sentire calorem, quem actu habet, semper esset in continuo tactu. Attestari quoque videtur experientia, quia manus nimis calida minorem calorem non discernit, neque æqualem, ergo signum est solum posse sentiri qualitatem excedentem.

Contra hoc tamen obiiciant aliqui Authores oppositi non leuia argumenta. Primum, ab experientia, quia vna manus sentit alteram manum, & pes pedem, licet sint eiusdem temperamenti. Ergo non solum sentiuntur qualitates excessiuè, sed etiam æquales, vel minores. *Secundum*: Quia quælibet qualitas tangibilis; quantumcunque remissa & tepida, est cognoscibilis per tactum, & de facto cognoscitur, cum possit esse nociua, vel proficua animali, & causat dolorem vel voluptatem, sed nullus tactus habet qualitatem ita remissam in quocunque gradu, in quo potest sentiri, quia temperamentum tactus debet habere vigorem & determinatum gradum qualitatum, ergo si solum possunt sentiri qualitates excedentes, qualitas remis-

remissa infra illum gradum non esset sensibilis, quia non est potentia, quæ illam sentire possit. *Et confirmatur*, quia calor vehemens immittit calorem secundùm omnes gradus quos habet, & non solum secundùm excellentiores, cum sit agens naturale, quod agit secundùm omnes, ergo etiam tactus debet omnes illos sentire, cum naturaliter, & sine præcisione sentiat, ergo non solum excellentiores, sed etiam inferiores debet sentire.

Tertiò instantur rationes facta pro nostra sententia, nam quòd sensus debeat esse in potentia ad sensibile, solum requiritur quod sit in potentia intentionali, non reali, ergo benè stat quòd sensus possit immutari intentionaliter à qualitate remissa, licet non possit physica immutatione immutari nisi ab excedente, aliàs si deberet organum tactus esse in potentia ad omnes qualitates tangibiles, omnibus carere deberet, quod est impossibile cum sit mixtum ex illis, ergo poterit immutari ab aliquibus, licet habeat illas. Et vrget hoc Murcia 2. de Anima disput. 10. qu. 2. quia qualitates secundæ non actiuæ, solum intentionaliter possunt immutare potentiam, ergo percipientur tactu, licet sint remissæ, sicut manus mollis potest sentire minorem alterius mollitudinem. Idem argumentum fit de gustu, qui non caret omni sapore in seipso, nam linguam si manducet quis, saporem in ea inuenit, vt quotidie experientia ipsa monstrat in his, quæ comedunt linguas aliorum animalium.

Ad primum respondetur, quòd quando duæ manus, vel aliæ partes eiusdem temperamenti se tangunt, non sentiunt in illa ratione temperamenti in qua conueniunt, sed in alia, verbi gratia si sunt eiusdem temperamenti calidi, sentient se in siccitate vel humiditate, aut mollitudine aut asperitate, & denique in eo, in quo non omninò conueniunt, sed vbi sit aliquis excessus.

Ad secundum respond. qualitates remissas etiam esse sensibiles dupliciter, primo indirectè quia videlicet qualitas remissa est coniuncta oppositæ magis intensæ, & sentiendo illam, indirectè sentitur remissa & tepida, sicut si calidum vt duo, applicatur tactui habenti calorem vt quatuor, non sentitur directè calor, sed si illud calidum vt duo habet frigus oppositum adiunctum, illud sentitur directè & ratione illius etiam calor ille minor sentitur, quatenus temperans frigidum; quod si nihil habuerit de frigido, vel aliis qualitatibus temperantibus, vel temperatis à calore, non sentietur calor, sed hoc erit per accidens. Secundò sentiri potest qualitas remissa directè, sed non à quolibet tactu sed ab illo qui in suo temperamento habuerit similem qualitatem in minori gradu, vt si tactus habet calorem vt quatuor nō sentiet calorem vt duo, si tamen calor tactus magis temperetur, & reducatur ad minus quàm vt duo, sentiet illum, & idem erit de frigore & aliis qualitatibus, eo quòd nec omnes tactus sunt eiusdem temperamenti, nec idem est semper in eodem statu qualitatis, sed potest crescere aut decrescere, & sic constitui in statu, quo sentiat qualitatem valde remissam. Quòd si qualitas ita remissa sit, quòd infra illam non possit reperiri temperamentum tactus, illa pro tali statu non erit tangibilis directè sed indirectè vt dictum est, sed hoc est per accidens, per se enim & ex ratione propria tangibilis est quælibet qualitas, licet non pro omni statu, nec omni modo.

Si instes, sequi quòd tactus nunquam posset percipere voluptatem & delectationem quia hæc consistit in eo quòd percipiantur res proportionatæ tactui, dolor verò in eo quod exuperantiæ illius proportionis attingantur, vt S. Thom. docet in additionibus, quæst.86. art. 3. ad 3. Respondetur, dolorem non consistere in quacunque exuperantia, sed in illa quæ dissoluit organum & lædit, vel speciem talis dissolutionis imprimit; voluptas autem in proportione sic superante qualitates tactus in agendo, quod non superet in dissoluendo, sed rursus à tactu reparatur, & ipsam proportionem in suo temperamento conseruet & foueat, non tamen debet esse omninò mathematica proportio & æqualis, sic enim nihil omninò ageret. Potest etiam cōtingere voluntas per informationem speciei rei tangibilis omninò proportionata & conuenientis quoad vnam qualitatem, agendo tamen alteratiue per aliam, in qua modicè vincat qualitatem sibi oppositam in tactu. In beatis autem erit tactus conuenientissimus sine alteratione per solam speciem proportionati tangibilis.

Ad Confirmationem respondetur, quòd calor vehemens, omnium graduum caloris speciem mittit, sed per modum vnius, non quemlibet gradum seorsum, & de tota illa intensione sensus tactus sentit exuperantiam & excessum, gradus verò ibi inferiores, aut æquales sentire non potest, quia non repræsentantur seorsum ab intensioribus, sed vt facientes vnum cum illis, si enim seorsum sentirentur remissi, illi qui restarent, non sentientur vt intensi. Vt ergo faciunt vnum intensum, sic sentiuntur per modum vnius, non vt seorsum quilibet remissus est, & sic vt remissi, non sentiuntur in illo calore.

Ad tertium respondetur, quòd sensus directè est in potentia ad immutationem obiecti intentionalem, sed ad hoc requiritur tanquam necessaria conditio, quod careat illa reali qualitate, cuius intentionalem immutationem sentit, vt diximus quæstion.5. art.4. si enim habet sensus reales illas qualitates, non est aptus ad recipiendas earum species, sed emittendas, quia obiectum natum est species emittere, vnde per tale obiectum non potest recipere species similes illi, quia diuersa semper esse debet dispositio emittentis species & recipientis. Quòd si sensus recipit species non in quantum habet realem qualitatem illam, sed vt est in potentia ad intentiones eius recipiendas, licet ex alia parte habeat actu qualitatem realem, ex hoc sequitur, quod habere qualitatem realem non per se conducat ad recipiendas species eius, sed esse in potentia & carentia illius, tunc autem melius est in potentia, cum caret forma ergo habere illam nonnullum impedimentum est ad recipiendas species, quia minus est in potentia ad illas; quod verò etiam sit totale impedimentum ostendimus citato loco. Specialiter verò in sensu tactus, quia ad percipiendum obiectum indiget etiam reali alteratione qualitatis tangibilis saltem connaturaliter loquendo, ideo oportet quod etiam careat illa qualitate reali secundùm quam physicè immutari debet, & ita à remissa qualitate non poterit fieri sensatio, si tactus habet illam realiter in æquali vel maiori gradu.

Et *cum sit instantia*, quòd hac ratione carebit tactus omni qualitate tangibili reali, quia omnes sentire potest. *Respondetur*, quod solum carere debet qualitatibus excessiuis seu extremis, quas sentire potest, non temperatis secundùm quas sentire potest; quòd si temperamentum istud varietur in minus, tunc etiam remissiorem qualitatem sentire poterit, quæ possit agere aliud temperamentum remissum. Vnde S.Thom.2.de Anima, lect.23. dicit: *Tactum excipi ab illa regula, quod sensus debet carere qualitate sui obiecti, eò quòd in se est quoddam mixtum & conflatur ex ipsis qualitatibus tangibilibus, sed verificatur, quod debeat carere excellentia illarum qualitatum, quam solum sentit, quia consistit in quodam medio.* Ad id *verò*, quòd vrgetur de qualitatibus secundis, quæ non

non sunt actiuæ, *Respondetur,* in primis hoc non esse certum, nam mollia mollificant,& dura comprimunt, licet lentiori modo agant quam qualitates primæ. Deinde sufficit, quod agant mediantibus primis non solum introducentibus formas sibi similes, sed etiam disponentibus ad qualitates illas medias producendas, sed dependenter à primis. Et manus sentit minorem alterius mollitudinem indirectè ratione asperitatis adiunctæ.

Ad vltimum dicitur, quòd lingua vt organum sentiens est,non habet saporem, sed si illum accipit, est quia remouetur à sua naturali dispositione, vt cum lingua febricitantis repletur humore amaro. Si verò comeditur lingua, habet saporem, sed tunc iam non est organum sentiendi, sed caro mortua & abscissa ab aliis partibus, ideoque sicut alia obiecta sapida, suum saporem habet. Et idem est de odore respectu narium.

Circa tertium punctum, scilicet an tactus sentiat qualitatem tangibilis coniuncti,vel eam quam emittit in sensorium tactus? *Respondetur* ex dictis, quæst. 5. art. 6. supponendo sensum tactus, quia verè sentit,requirere species intentionales sui obiecti, & quia valde naturalis est, requirere alterationem physicam propter coniunctionem qualitatum tangibilium,quæ naturaliter alteratiuæ sunt, nisi alteratio ipsa impediatur, sicut post diem iudicij impedietur cessante motu cœli,à quo omnes alterationes per se pendent. Vnde alteratio physica non per se exigitur & essentialiter ad sensationem tactus,sed solum ob connaturalem ordinem corporum se tangentium cum qualitatibus alteratiuis, vnde in igne inferni cessabit alteratio physica in corpora damnatorum, aliàs corrumperet illa,& tamen erit tactus acerrimus, vt docet S. Thom. in addit.quæst. 86. art.3. Per se autem requiritur informatio intentionalis, quia tactus verè cognoscitiuus est, & sic requirit necessariò,quòd informetur ab obiecto modo cognoscibili & intentionali, & non solum modo entitatiuo; sic enim etiam informantur inanimata à formis suis, non vt repræsentatiuè fiant obiecta sua, sed vt ex forma & subiecto fiat aliquid naturale, & constituatur aliquod tertium entitatiuè.

His suppositis respondetur dubio, quòd organum sensus tactus non sentit id, quod sibi immediatè inhæret in ipso neruo sensorio, nec qualitatem realem in eo productam,sed qualitatem ipsius obiecti tangibilis,vt tamen communicata carni, & mediante carne intentionaliter communicatam ipsi neruo sentienti. *Constat hoc,*quia cùm tangibile debeat esse realiter approximatum ipsi sentienti, & per carnem communicatur qualitas tangibilis, illa quæ est in carne immediatius sentietur, & mediante illa, etiam ea quæ est in ipso tangibili externo. Quod si tangibile non alteret physicè, vt in corporibus damnatis sentietur qualitas ipsa existens in tangibilis & tantò fortius, quantò magis ignis inferni interiora omnia occupabit, & per poros se intus miscebit, nec tamen qualitatem realem imprimet, sed intentionalem in sensum. Qualitas verò realis posita supra ipsum neruum immediatè non sentitur, licet vna pars possit alteram sibi viciniorem alteratam sentire, vt loco citato diximus, ita vt nunquam vna pars qualitatem sibi immediatè inhærentem sentiat. In quo etiam conuenit P. Suar. lib. 3. de anim.c.26.conclus.1.

Obiicies, si caput animalis tangeret immediatè solem,calefieret ab ipso non minus, quam calefit aër,& tamen non sentiret calorem qui est in sole, quia sol caret illo, ergo calorem sibi inhærentem. *Secundò, sequitur,* quòd nunquam possit sentire calorem, vt octo, quia hic non potest communicari ab igne ipsi carni,nisi corrũpendo illam,calor enim vt octo solum est cũ igne, ergo si alteratio physica requiritur ad sensationem actus,requiretur alteratio caloris vt octo,ad sentiendum calorem vt octo: hæc autem alteratio caloris vt octo, non est extra ignem. *Tertiò,* ardor febris non minus sentitur, quam qualitas, quæ est in tangibili externo, hæc autem afficit etiam ipsum neruum, sicut & frigiditas contractiua neruorum ipsos afficit, & sentitur ab eis. *Denique,* immutatio intentionalis à qualitate tangibili fit in instanti, cum careat contrario, immutatio verò physica fit successiuè, cum fiat motu alterationis. Ergo ante alterationem physicam iam est facta immutatio intentionalis, & consequenter sensatio ipsa.

Ad primum Respond. Quòd in illo casu, quod non sit corpus medium inter solem, & animal, sentiet calorem, non qui est in sole, sed in ipso animali, non tamen immediatè positum supra neruum,sed positum in carne capitis, quæ immediatior est soli, quam neruus, & ita immediatius afficitur calore, sicut & sanguis, qui tunc efferuesceret ab illa actione solis,& ita non sentitur aliquid immediatè positum supra organum, sed super medium illius, quod est caro.

Ad secundum dicitur: Quòd etiam calor vt octo, potest sentiri, non solum qui est in ipso igne, sed qui communicatur carni antequam neruo, communicatur autem carni comburendo illam,& sic cum incipit quoque diffundi species caloris vt octo ad sensum,& fit acerrimus dolor, vt enim species transeat ad neruum, non requiritur, quòd alteratio fiat in ipsomet neruo,sed sufficit,quod in ipsa carne ei coniuncta. In corporibus autem damnatis ignis applicatus carni sine alteratione physica, & combustione, speciem caloris vt octo immittet in neruum, & præsertim quia ignis ille vt diximus, etiam intra corpus ingredietur per poros.

Ad tertium dicitur: Calorem febris præcipuè sentiri in ipso feruore sanguinis,& spirituum, vbi inhæret immodicus ille calor, sanguis autem est quid distinctum à neruo, licèt illi coniunctum sicut caro. Cum autem neruus contrahitur à frigore, prius illud frigus transit per carnem,& inde potest species emittere,quibus sentiatur. Ipsa autemmet contractio neruorum,quæ est effectus frigoris dolorem causat non tamen sentitur ab illa parte, in qua immediatè est, sed à viciniori, à qua immutatur intentionaliter.

Ad vltimum Respond. Quòd immutatio intentionalis in istis sensibus crassioribus, licet non habeat contrarium, habet tamen dependentiam à motu alterationis, vel locali, & ad modum eius generatur, & ideo non fit in instanti, sicut in visu, cuius species à tali motu non dependent, vt supra agendo de sono diximus.

QVÆSTIO VIII.

De sensibus internis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm dentur sensus interni, & quot sint?

Dari sensus aliquos inernos probatur Sanctus Thom. 2.p.quæst.78.art.4.ex eo quod animalia cognoscunt res in absentia & non solum in præsentia, alioquin

alioquin non moueretur animal ad quærendum aliquid abſens, ſicut videmus moueri ad quærendum cibum, vel potum, vel filios, & ſimiliter memoriam habent rei præteritæ, quia reuertuntur ad eadem loca, v.g. ad eoſdem nidos, paſtus, &c. Res autem abſentes non percipiuntur á ſenſibus externis, qui ſolum cognoſcunt immutationes obiectorum. Denique ſomniare non ſolum homines, ſed etiam alia animalia quę memoriam habent, experientiâ compertum eſt, & affirmat. Ariſtot in 4. de hiſt. animalium cap. 10. quia canes etiam per quietem latrare conſtat. Somnium autem non poteſt eſſe actus ſenſus externi, quia tunc dormiunt, neque intellectus, quia alligatur in ſomno, ergo pertinet ad aliquam ſenſum internum.

Cum ergo de quæſtione an eſt circa ſenſus internos dubitari non poſſit, reſtat inquirere circa eorum numerum, quidditatem, & ſpecies tam impreſſas, quam expreſſas, & actus. Et primo occurrit de numero talium ſenſuum quot ſint. Solent autem ſignificari ſenſus interni aliquot nominibus explicantibus eorum officia, & munia ſicut ſunt ſenſus communis, phantaſia ſeu imaginatiua, æſtimatiua, ſeu cogitatiua, memoria, & reminiſcentia. *Eſt autem difficultas in duobus. Primum* in explicando cuiuslibet ſenſus officia. *Secundum*, an ſint ita diſtincta, quod requirant plures potētias diſtinctas realiter, & quot debeant poni.

Circa primum, occurrit in primis ſenſus communis. de quo conſtat apud omnes Philoſoph. debere poni vt docet Ariſtot. lib. de ſomno & vigilia cap. 2. & 3. de Anima text. 136. & S. Thom. ibi lect. 3, & 1. p. quæſt. 78. artic. 4. & quæſt. de Anima artic. 13. Neceſſitas autem & proprium munus huius potentiæ eſt, tum vt poſſit fieri comparatio & diſcretio inter ſenſibilia à diuerſis ſenſibus externis cognita, v. g. inter colorem & ſonum, vel ſaporem, &c. Hæc enim diſcerni non poſſunt à ſenſu aliquo externo; quia vnus ſenſus externus non poteſt cognoſcere aliquid de obiecto alterius, & conſequenter neque iudicare de conuenientia, vel differentia illorum inter ſe, ſed oportet ponere potentiam altiorem omnibus, quæ de omnibus illis ſenſibilibus iudicet. Nec per omnes potentias ſenſuum externorum coniunctim ſumptas poteſt hoc iudicium formari, cum à nulla ſeorſum exeat actus, qui aliquid de obiecto alterius attingat; ab omnibus autem ſimul nullus actus exit. Secundo ponitur ſpecialiter ſenſus communis; vt poſſit fieri ſupra ipſos actus ſenſuum externorum reflexio, nam ſenſus ipſi reflectere non poſſunt ſupra ſe, quia reſtringuntur ad ſua obiecta directa à quibus ſpecificantur, ergo vt cognoſcantur actus ipſorum ſenſuum, v.g. vt quis cognoſcat non ſolum colorem, ſed ſe videre colorem, neceſſe eſt recurrere ad potentiam ſuperiorem, quæ tales actus cognoſcat, & hæc eſt ſenſus communis. Deniq; ponitur ſenſus communis, vt ab eo adminiſtretur virtus, id eſt ſpiritus animales & influxus ad omnes ſenſus externos, eo quod omnes radicantur in cerebro, & nerui eorum vniuntur & terminantur in fronte vbi ſedem habet ſenſus communis, vt poſtea dicetur, ergo deſeruit ſenſus communis vt ſit origo & principium diſtribuendi ſpiritus animales aliis ſenſibus.

Secundo loco eſt phantaſia, ſeu imaginatiua. Deſeruit primò ad retinendas ſpecies à ſenſu communi hauſtas, ideóque pro illis ſpeciebus habet vim memoriæ, & cognoſcit res in abſentia, vt S. Thom. docet 1. p. quæſt. 78. art. 4. Secundo ad componendas formas varias inter ſe ſicut ex ſpecie montis, & ſpecie auri format ſpeciem montis aurei, quod propriè pertinet ad imaginationem, vt docet S. Thom. 1. p. q. 12. art. 9. de quo dicemus amplius infra & art. ſequenti.

Tertio loco ponitur æſtimatiua. Ad hāc pertinet cognoſcere non ſolum ſenſibilia externa, ſed etiam intentiones quaſdam, quæ ſenſu externo non percipiuntur & ideo vocantur inſenſatæ, quia vltra ſenſus externos cognitæ; v. g. amicitiam, rationem vtilis & nociui, quæ ſenſus externus non percipit, ſicut ouis fugit lupum non quia talis coloris, vel figuræ ſit, ſed quia ſibi inimicus, & auis colligit paleam, non quia habet talem colorem, vel tactum, ſed quia vtilis eſt ad nidificandum. Et pro iſtis intentionibus percipiendis ponitur æſtimatiua, vt docet S. Thom. 1. p. quæſt. 78. articul. 4. & quæſt. de Anima art. 13. in corpore.

Quarto loco ponitur memoria, id eſt potētia conſeruatiua & retentiua ipſarum ſpecierum non ſenſatarum ſeu intentionum. Et requiritur ſpecialiter memoria pro iſtis intentionibus ſeu ſpeciebus conſeruandis, quia vt inquit S. Thom. citato loco 1. partis, principium memorandi in animalibus oritur ex aliqua huiuſmodi intentionum, v.g. ex aliqua ratione nociui, vel conuenientis & ſimilium. Inde enim mouetur animal ad rememorandum de aliquo, quod ante cognouit, & ideo oportet quod detur aliqua potentia ad conſeruandum ſpecies iſtas inſenſatas, & hæc eſt memoria.

Quinto loco eſt cogitatiua & reminiſcentia, quæ ſpecialiter ponitur in homine, quia vtitur aliquo diſcurſu & collatione circa iſtas intentiones, & circa modum recordandi earum. Vnde id, quod eſt æſtimatiue in brutis, quæ naturali inſtinctu formant illas intentiones inſenſatas, in homine dicitur cogitatiua, quia cum aliqua collatione, & diſcurſu cogitat & format dictas intentiones, eo quod iſtæ potentiæ ex coniunctione ad intellectum, modum quendam diſcurſiuum participant. Similiter memoria in hominibus non ſit ſemper per ſimplicem aut ſubitam recordationem, ſed cum quadam collatione, & inquirendo ex vno ad aliud, quouſque deuenimus ad id, quod volumus recordari, & hoc dicitur reminiſcentia, quia non ſimpliciter recordamur, ſed cogitando & inquirendo.

Circa ſecundum, maior eſt difficultas & diuerſitas ſententiarum inter Authores. Nam *quidam* poſuerunt eſſe quinque ſenſus interiores ſicut exteriores, nempe ſenſum communem, imaginatiuam, phantaſiam componentem & diuidentem, æſtimatiuam, & memoriam. Quam ſententiam tribuit Auicennæ D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. & tribuitur etiam Alberto Magno 2. de Anima tract. 4. cap. 7. quamuis phantaſiam componentem & diuidentem ponat ibi poſt æſtimatiuam, quia poteſt homo componere tam ſpecies ſenſatas, quam inſenſatas. *Secunda ſententia* ponit quatuor potentias realiter diſtinctas, ſcilicet duas pro ſpeciebus ſenſatis; & alias duas pro inſenſatis, eò quòd iſti modi cognoſcendi ſenſata, vel inſenſata de ſe fundant diuerſas potētias propter diuerſum & abſtractiorem modum cognoſcendi in intentionibus inſenſatis, quàm ſenſatis. Et in quolibet ordine iſtorum datur duplex potentia, altera benè apprehenſiua, altera bene retentiua, licet etiam cognoſcitiua ſit, eò quod in potentiis materialibus exiguntur diuerſa temperamenta ad retinendum, vel ad apprehendendum, eò quod humidiora facilius recipiunt, & ſicciora melius retinent. Pro ſpeciebus ergo ſenſatis ſeruiunt ſenſus communis ad apprehendendum in præſentia obiectorum, imaginatiua autem ad conſeruandum & cognoſcendum res in abſentia. Pro ſpeciebus autem inſenſatis ſeruiunt æſtimatiua ad apprehendendum inſenſata, vt inimicitiam & amicitiam in præſentia obiecti, memoria autem ad conſeruandum, & cognoſcendum in abſentia. Cogitatiua autem &

remi

reminiſcentia non conſtituunt diuerſas potentias, ſed ad æſtimatiuam & memoriam pertinent, prout habent adiunctam perfectionem diſcurſus ex coniunctione ad intellectum. Ita Diu. Thom. 1. p. quæſt. 78. articul. 4. quem communiter ſequuntur eius interpretes.

Tertia ſententia, conſtituit tres potentias in ſenſibus interioribus, ſcilicet phantaſiam, quam cum ſenſu communi confundit, vim iudicatiuam, & memoriam. Hæc à Conimb. 2. de Anim. cap. 3. q. 1. art. 1. attribuitur Galen. D. Greg. Niſſeno. Damaſceno, & Nemeſio. Eam etiam aliquibus iunioribus tribuit Bañez citato loco 1. partis dubio 1. qui tamen æſtimatiuam non diſtingunt à phantaſia, ſeu imaginatiua, & deinde ponunt ſenſum communem & memoriam.

Quarta ſententia tantum duas potentias interiores conſtituit, ſcilicet ſenſum communem qui apprehendit & iudicat de omnibus ſenſibilibus externis, & phantaſiam quæ ſeruit pro ſpeciebus ſenſatis & inſenſatis apprehendendis retinendis, & comparandis. Ita Fonſeca 5. Metaphyſ. capit. 28. quæſtione 7. lect. 3. Conimb. citato loco art. 3.

Quinta ſententia ponit vnicam potentiam, quæ omnia iſta munera exerceat, ſenſataque & inſenſata obiecta apprehendat, retineat, & componat. Ita Pater Suarez libro tertio de Anima capit. 30. numero 16. & 13. Vbi nec realiter, nec formaliter dicit diſtingui has potentias, ſed ſolum penes diuerſos actus, ſicut nec intellectus diſtinguitur per hoc, quod ſit practicus, vel ſpeculatiuus ratio & memoria, &c. Et hoc conatur probare ex Ariſtotele libro de memoria, & reminiſcentia capitulo primo. Vbi phantaſiam & memoriam dicit eſſe eandem potentiam, & lib. de ſomniis cap. 1. potentiam imaginandi dicit eſſe eandem cum ſenſu, vtique communi. Et ſic Caiet. 2. de Anima cap. 15. docet ex Phil. non conſtare, quod ſint tres potentiæ realiter diſtinctæ, ſed operationes.

Nihilominus ſententia D. Thom. defendenda eſt; *ſcilicet dari quatuor ſenſus interiores realiter diſtinctos.* Hoc enim aperte tradit 1. p. quæſt. 78. art. 4. & quæſtione de Anima art. 13. Et in illomet loco qui citatur à Suarez lib. de memoria & reminiſcentiæ lect. 2. cum obiiceret D. Thom. quod poſſet videri ex his quæ ibi Philoſ. dicit, quod phantaſia & memoria non ſunt diſtinctæ potentiæ à ſenſu communi, reſpondet diuerſas eſſe potentias, quia neceſſe eſt ad diuerſas potentias pertinere receptionem formarum ſenſibilium, quod pertinet ad ſenſum, & conſeruationem earum, quod pertinet ad phantaſiam, ſeu imaginationem. Similiter etiam ad aliud principium pertinet recipere formam, & conſeruare receptam per ſenſum, & intentionem aliquam per ſenſum non apprehenſam, quam æſtimatiua vis percipit etiam in aliis animalibus; vis autem memoratiua retinet, cuius eſt memorari rem non abſolute, ſed prout eſt in præterito apprehenſa. Subdit autem quod ſenſus communis eſt radix phantaſiæ, quæ præſupponit actum ſenſus communis. Et ſic ſoluitur authoritas Phil. quod imaginatio attribuitur ſenſui realiter.

Fundamentum ſententiæ Diu. Thom. manifeſtum eſt; quia ſumit diſtinctionem iſtarum potentiarum interiorum ab eo, quod maximè connaturale eſt & proprium diſtinctioni potentiarum materialium, ſcilicet ex diſtincta ratione formali obiecti & ex diſtinctione organi materialis, in quo potentiæ reſident. Ex parte quidem obiecti ſumitur diuerſitas, quia datur abſtractior & eleuatior modus cognoſcendi in vno ſenſu interiori, quam in alio, quod ſufficit ad diſtinguendum cognitiones in ſpecie & conſequenter proxima & immediata earum principia, in rebus autem ſenſitiuis non ſunt alia principia iſtorum actuum, niſi potentiæ, cum hic non habeat locum diuerſitas habituum, ſicut in intellectu; nec potentia poteſt eſſe ita eleuata, vt eminentiam habeat ad tam varios actus diſtinctæ ſpeciei & abſtractioris immaterialitatis. *Et confirm.* quia in ſenſibus externis diſtinctio potentiarum fit penes motionem magis vel minus ſpiritualem obiectorum ſicut viſibile immaterialius mouet, quàm guſtabile & odorabile, ergo ſimiliter in ſenſibus interioribus ponetur diſtinctio actuum & potentiarum penes immutationem magis, vel minus immaterialem & abſtractam.

Dari autem iſtam diuerſam abſtractionem conſtat, quia intentiones inſenſatæ, ſunt abſtractiores quam ſenſatæ, quia intentiones iſtæ non ſolùm repræſentant rem, vt conuenientem vel diſconuenientem ſenſui, à quo res percipitur, ſicut aliqui colores contriſtant viſum, alij delectant, ſimiliter ſapores, ſed etiam vt conuenientem, vel diſconuenientem ipſi naturæ, eiuſque conſeruationi, aut propagationi, ſicut ouis non ſolum cognoſcit in lupo colorem vel figuram, vt diſconuenientem ſenſui viſus, vel tactus, ſed ſentit in lupo diſconuenientiam ſuæ naturæ, & auis colligit paleam, non quia vtilis, aut delectabilis eſt guſtui, vel viſui, ſed quia vtilis eſt ad nidificandum pro ſui conſeruatione & prolis vt aduertit S. Thom. 1. parte quæſt. 78. articul. 4. ergo aliquod altius motiuum datur in iſtis intentionibus & abſtractiori modo procedunt, quam obiecta ipſa ſenſibilia ſecundum ſe, ergo exigunt altius principium, ſiquidem conuenientia illa, vel diſconuenientia ipſi naturæ aut conſeruationi eius nullo ſenſu externo repræſentatur, & excellentior eſt, & vniuerſalior quàm conuenientia vel diſconuenientia ad quemlibet ſenſum particularem, ergo exigit altiorem potentiam, quam illam quæ ſolum iudicat de ipſis ſenſibilibus, & conuenientia particulari illorum.

Vlterius verò ipſæ potentiæ apprehenſiuæ diſtingui debent iuxta diuerſitatem organorum, quia ad retinendum, & conſeruandum requiritur diſtincta diſpoſitio organi, quam ad recipiendum tantum ſine retentione, quia quæ ſunt humidæ diſpoſitionis facilè recipiunt, ſed non retinent, ipſa enim humidiate, & mollitie facile diſſipatur, quod impreſſum eſt. Quæ autem ſicciora ſunt, non ita facile recipiunt, ſed ſemel recepta valde retinent, & difficile amittunt. Quæ autem de vtroque participant de humiditate & ſiccitate, iuxta id quod prædominatur de ſiccitate, vel humiditate aut facilius recipiunt, aut facilius retinent; & ita potentiæ illæ, quæ per ſe principaliùs ordinantur ad retinendum & conſeruandum, ſiccioris temperamenti eſſe debent, quæ verò non niſi ad apprehendendum ordinantur, humidioris temperamenti eſſe debent, & ita oportet quòd organa diuerſa ſint, potentiæ autem materiales quæ à diſpoſitione organorum dependent, quando ordinantur ad diuerſos actus requirentes diuerſa organa, etiam potentiæ ipſæ diuerſæ eſſe debent. Plura de his dicemus articulo ſequenti.

Denique quod attinet ad cogitatiuam, & reminiſcentiam, non oportet quod ſint aliæ potentiæ ab æſtimatiua & memoria, ſed iſtæmet vt participantes ex coniunctione ad intellectum aliquem modum diſcurſus circa ſingularia, & ita ſolùm inueniuntur in homine. Vnde non eſt neceſſe ponere in homine vnam potentiam æſtimatiuam, quæ cognoſcat res inſenſatas eo ſimplici modo quo bruta, id eſt per inſtinctum, & aliam, quæ diſcurrendo cognoſcat eadem obiecta inſenſata, ſed ſufficit vna tantum potentia quæ res inſenſatas cognoſcat cum illa collatione & diſcurſu ex participatione intellectus, loco enim

instinctus naturalis nobis seruit collatio, & ita non oportet ponere aliam potentiam, quæ ex instinctu, & non ex collatione possit æstimare; sicut quia appetitus sensitiuus in homine participat aliquid de libertate, non oportet ponere duos appetitus, alterum, qui cum aliqua libertate, alterum qui sine illa appetat.

Dices; species non recipi in organo, sed in ipsa potentia, vel in spiritibus animalibus, ij autem sicci non sunt, ipsa vero potentia ex sua propria ratione habet, quod sit magis vel minus retentiua specierum. *Secundò* receptio specierum est intentionalis, & ita non requirit easdem conditiones ad diu retinendum, vel recipiendum, quas requirunt naturales formæ, & sic non sequitur requiri siccitatem ad melius retinendum species intentionale, ruitque fundamentum D. Thom. *Tertiò* adhuc in receptione rei naturalis non repugnat, aliquid esse ita temperatum, vt facilè recipiat, & diu retineat sicut plumbum aut cera, cur ergo negabimus organis sensuum interiorum;

Ad 1. *Respond.* species non conseruati in spiritibus, sed in illis moueri & transmitti de vna potentia ad aliam, spiritibus enim quia facilè mouentur, aptissimè ponuntur tanquam vehicula specierum: potentia autem quæ retinet & conseruat species, id facit ratione organi, & iuxta eius dispositionem; vnde dicimus homines siccioris complexionis diutiùs memoriter retinere, licet difficulter apprehendant, alios è conuerso; & ita complexio organorum, in quibus istæ potentiæ reperiuntur, talem etiam debent habere complexionem, nec oppositum experientia monstrat.

Ad 2. *Respond.* receptionem & conseruationem specierum non esse intentionalem sed naturalem, conseruantur enim inhærendo, sicut reliqua accidentia in subiecto, in quo existunt, sicut species visibiles cum recipiuntur in aëre dependent à luce diaphani, species soni cum motu producuntur, & species odoris, vel tactus cum alteratione. Vnde non mirum, quod ad conseruandum istas species in esse qualitatis aliquæ dispositiones exigantur in subiecto, quia tunc purè naturaliter informant: quando verò potentia actu vtitur illis, tunc intentionalitèr tantùm actuant.

Ad 3. *Respond.* posse quidem inueniri illud temperamentum ex humido & sicco, & de facto etiam dari in sensibus interioribus, sed non sufficere pro potentiis sensitiuis & memoratiuis, sed requiri quòd prædominetur humidum pro apprehensiuis, propter velocitatem, quam habent in apprehendendo, & ita requirunt facillimam impressionem, immemoratiuis autem debet prædominari siccitas propter diuturnitatem in retinendo: non potest autem vtraque hæc prædominatio simul reperiri in eodem organo, sed in diuersis, vel in partibus ita diuersis, quod sint quasi diuersa organa. Plumbum autem non ita facile recipit, sicut retinet, & cera quando est liquefacta & facilè recipit, non bene retinet, quando autem est durior è conuerso se habet.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, ad probandum non dari sufficientem rationem ad constituendum sensum communem, ex eo quod debet iudicare de sensibilibus omnium sensuum externorum in eorum præsentia. Nam imprimis ad hoc non requiritur specialis potentia, sed sufficit fieri hoc iudicium per omnes sensus externos simul, per quos informatur Anima de omnibus sensibilibus. *Deinde*, quia ille sensus communis superadditus, vel iudicat de omnibus sensibilibus per vnam speciem, vel per diuersas. Si hoc secundum, poterit vnica potentia simul informari pluribus speciebus & actibus, quod D. Thom. etiam intellectui denegat: imò illæ diuersæ species non repræsentant sensibilia comparatiuè, sed absolutè vnumquodque in se, quia eo modo repræsentant, quo in sensibus externis, in quibus obiecta solum absolute repræsentantur, & non cum comparatione vnius ad aliud, siue quantum ad differentiam, siue quantum ad conuenientiam. A quo ergo fit illa repræsentatio collatiua; Si primum dicatur, obstat quia non potest ab ipsis sensibilibus formari vnicâ species, nec enim obiecta ita diuersa, vt color & sonus & sapor possunt conuenire in vnam speciem naturaliter repræsentatiuam eorum. Nec etiam potest formari ex speciebus iam receptis in ipsis sensibus externis, quia istæ non habent perfectionem & vim producendi speciem adeo eminentem & superiorem, quæ omnes illas contineat, nec enim possunt aliquid excellentius producere quã sint in se. Et eadem ratione proportionaliter applicata probatur, quod nec possit pluribus actibus, neque vnico illa potentia omnia sensibilia discernere.

Confirm. nam etiam sensus communis potest in absentia cognoscere, quia etiam in somnio sensus communis cognoscit & iudicat ea, quæ videt somnia esse, vt docet S. Thom. 1. p. quæst. 84. art. 8. ad 2. in somnio autem non videntur res præsentes, quia sensus externi sunt impediti. Et similiter 1. part. quæst. 78. art. 4. ad 6. dicit D. Thom. esse commune omnibus sensibilibus interioribus, videre in similitudine in absentia corporum, ergo si sensus communis etiam in absentia cognoscit, non est necesse ponere ipsum vt potentiam distinctam à phantasia, solum ad hoc, vt iudicet in præsentia sensibilium.

Respond. negando antecedens. Ad 1. probat. dicitur ex Aristot. in hoc lib. 3. text. 146. & D. Thom. ibi lect. 3. quod est impossibile, quod aliquis discernat vnum sensibile ab alio, v. g. album à dulci ex eo solum, quod vnumquodque per distinctas potentias apprehendat, non enim potest Anima iudicare de vtroque sensibili nisi cognoscendo id in quo conueniunt & differunt: potentiæ autem externæ ita attingunt sua obiecta absolute, quod nullo modo comparatiuè, quia nihil de alio obiecto, cui fit comparatio attingunt, sicut visus ita specificatur & limitatur ad colorem, quod nihil attingit de sono vel sapore, ergo non potest discernere quomodo conueniant vel differant inter se: & etiam illæ duæ potentiæ vel tres coniunctæ, non possunt comparatiuè cognoscere, quia non conferunt nec loquuntur inter se, sed vnaquæque tendit ad suum obiectum absolutè sine communicatione cum alia.

Ad 2. *probat dicitur.* in sensu communi recipi plures species, quæ ex omnibus sensibus externis terminantur ad sensum communem, & vtitur illis sensus communis tanquam inadæquatis, repræsentantibusque altiori modo, non solum obiectum in se, sed quod sit cognitum à sensu, seu actum ipsum sensus externi; non repugnat autem potentiam cognoscere plura simul inadæquata, quia sic sunt plura vt vnum non plura adæquata, quæ sunt plura vt plura, sicut visus simul informatur specie viridis, & albi, vt conueniunt in vno subiecto vel medio, sic sensus communis informatur specie coloris & soni, vt conueniunt in ratione sensibilis, pertinentque ad idem subiectum cognoscens. Et eadem ratione cognoscit differentiam istorum sensibilium, non quia sibi repræsentatur ratio conuenientiæ & differentiæ, vel quia actu collatiuo, vel comparatiuo cognoscat & discurrat, sed per simplicem inspectionem, & cognitionem distinctam vnius, & alterius differentias ipsas & conuenientias cognoscit, nec ad hoc amplius requiritur

ritur, quàm quod ipsa potentia habeat amplitudinem complectendi illa omnia obiecta, sic enim vnumquodque potest discernere ab alio intra illam latitudinem, sicut visus discernit omnes colores, & auditus omnes sonos, quia sunt obiecta proprij sensus, vt Sanct. Thom. docet 1. part. quæstion. 78. articul. 4. ad 2. eodem modo sensus communis discernit omnia sensibilia non per comparationem & collationem inter se, sed quia distinctè omnia illa cognoscit, sicut visus omnes colores inter quos discernit.

Ad confirmat. Respond. quod sensus communis non percipit res absentes vt absentes sunt, licet id quod in se est absens, apparenter possit proponi vt præsens ipsi sensui communi, & sic potest ab ipso cognosci. Et ita contingit in somnio, quod aliquãdo descendente sanguine ad ipsa organa sensuum exteriorum descendunt simul cum ipso species impressæ, quę remanserunt in spiritibus, vel sanguine, & sic videntur quasi si res ipsæ essent apparentes, eò quòd ab ipsis organis sensuum externorum species ipsæ iterum eiaculantur ad sensum communem, & immutant ipsum ad eum modum quo ipsimet sensus immutant sensum communem, quando actu percipiunt sunt obiecta præsentia, non enim aliter sensus externi immutant sensum communem, quam emittendo species ad ipsum. Quotiescumque ergo per commotionem spirituum, vel sanguinis emittuntur species à sensibus externis ad sensum communem, apparent illi res vt præsentes, etiamsi ad extra præsentes non sint. Et hoc modo sæpè fiunt præstigiæ etiam in vigilia & apparitiones in somno vt docet Diu. Thom. 1. part. quæst. 111. art. 3. & in 2. dist. 8. quæst. 1. artic. 5. Videantur quæ dicemus infra art. 3.

Secundò arguitur, quia etiam sensus externus potest cognoscere actum suum, ergo ad id non indiget sensu communi. Anteced. probat. ex D. Thom. qu. 10. de veritat. articul. 9. vbi dicit *Visus primò dirigitur in colorem, sed in actum visionis suæ non dirigitur nisi per quandam reditionem, dum videndo colorem videt se videre.* Et quæst. 1. de verit. art. 9. *sensus*, inquit, *cognoscit se sentire.* Id etiam affirmat Aristotel. 3. de Anima cap. 2. quia aliàs esset processus in infinitum, si nulla potentia perciperet suam sensationem, sed indigeret aliâ potentiâ ad id percipiendum. *Confirmat.* quia vt sensus communis percipiat tales operationes sensuum externorum, requiritur quod habeat species repræsentantes illas, tales autem species non possunt formari ab ipsis obiectis, prout sunt extra, quia prout sic nihil habent de ipso actu & sensatione sensus externi: nec possunt formari ab ipsis sensibus externis, quia si possunt emittere speciem repræsentantem suum actum, ergo iam cognoscunt illum, siquidem speciem eius formant.

Respond. D. Thom. in illis locis solum velle, quod sensus externus cognoscit suum actum per modum exercitij, & experientiæ actualis, non per modum perfectæ cognitionis, & quasi in actu signato, sic enim expresse docet Diu. Thom. quod non potest redire ad se sensus reditione completa, id est cognoscendo se perfecte, & ita in prima part. quæst. 78. art. 4. ad 2. affirmat quod sensus externus non potest videre suum actum, sed indiget sensu communi. Ratione autem huius exercitij, quando sensus est in otio percipit se non sentire, id est non exercere sensationem experitur, non ipsum actum vt quod cognoscit. Et tristatur vel delectatur de sua cognitione non formaliter id enim pertinet ad appetitum, sed obiectiuè, quia de tali cognitione vt de obiecto, appetitus lætatur.

Ad Arist. dicitur, expresse in lib. de somno & vigilia cap. 2. lectione 3. apud Diu. Thom. affirmare, quòd visus non videt se videre, sed sensu communi id sentimus. Vnde quando in 3. de anima dicit, quod sentimus nos videre, aut visu, aut alio sensu, non determinat quod visu, sed disputatiuè procedit, deinde resolutiuè concludit, quod eiusdem virtutis est videre colorem & visionem eius, & sic quod illa potentia, quâ videmus nos videre non est extranea à visu, sed ratione differt, quod est dicere illam potentiam, qua sentimus nos videre, id est sensum communem esse eiusdem generis, sed non eiusdem speciei cum sensu externo, vt sumitur ex D. Thom. ibi lect. 2. Nec illa ratio de processu in infinitum aliquid probat, quia in nobis sistitur in intellectu, qui aliarum potentiarum actus, & sui etiam cognoscit: in brutis autem sistimus in æstimatiua, & memoria, quæ aliarum potentiarum actus cognoscunt, æstimatiua autem non cognoscit actum suum præsentem vt quod, sed memoria potest recordari illius, vt præteriti, & ibi sistitur.

Ad confirm. Respond. requiri speciem repræsentantem actum sensus externi, sed non requiri, quod sit distincta à specie repræsentante suum obiectum, prout cognitum à sensu. Licet enim obiectum exterius solum emittat ad sensum speciem repræsentatiuam sui, tamen sensus externus cognoscens, emittit ad sensum communem speciem obiecti vt cogniti à se, nec ad hoc requiritur quod cognoscat actum suum, sed quod exerceat, & sic formet speciem obiecti exercitè cogniti. Vnde sensus communis informatus tali specie, non solum cognoscit obiectum, v. g. colorem sed etiam actum, v. g. visionem, quatenus apprehendit colorem visum.

Tertio arguit. ad probandum, quòd potentiæ interiores non debent distingui penes obiecta sensata, & insensata. Nam species insensatæ sunt illæ, quæ repræsentant non ipsas res sensibiles, sed conuenientias vel disconuenientias, sed ad illas repræsentandas sufficit phantasia, præsertim quia non possunt repræsentari tales intentiones, nisi etiam repræsentando res ipsas sensibiles in quibus existunt, ergo vna & eadem potentia potest seruire pro vtroque obiecto. *Antecedens probatur*, quia phantasia potest mouere appetitum, vt expresse probat Phil. 3. de Anima capit. 6. & 7. appetitus autem non mouetur nisi à ratione conuenientis, vel disconuenientis, ergo illam apprehendit phantasia. Similiter æstimatiua non potest cognoscere illas intentiones insensatas in abstracto, sed in concreto, nam ouis cognoscendo lupum inimicum, non attingit inimicitiam in abstracto, & seorsum à lupo, sed iudicat in particulari hoc subiectum, scilicet lupum esse sibi inimicum, ergo necesse est quod solum cognoscat inimicitiam, quæ est res insensata, sed etiam lupum, qui est res sensata: nec sufficit vnum cognosci ab vna potentia & aliud ab alia, quia iudicium de vtroque id est quod iste sit inimicus, procedit ab vna potentia, scilicet ab æstimatiua, ergo debet cognosci vtrumque extremum, & consequenter pro rebus sensatis & insensatis, non oportet diuidere potentias.

Confirm. nam vnus & idem appetitus sufficit ad tendendum in res sensatas, & insensatas, ergo eago eadem potentia sufficiet ad apprehendendum illas. *Patet conseq.* quia appetitus conformatur apprehensioni, sicut mobile proprio mouenti; & sicut vnicus intellectus sufficit pro voluntate ad omni quæ voluntas potest appetere, ita vnica potentia apprehensiua pro appetitu.

Resp. quòd species insensatæ, quæ pertinent ad æstimatiuam, non dicuntur tales, quia solum repræsentant rationem conuenientis, vel disconuenientis ad

ad ipsummet sensum, quilibet enim sensus hoc habet, quod cognoscit conuenientiam vel disconuenientiam obiecti proprij, sed ponuntur species insensatæ ad repræsentandum conuenientias vel disconuenientias superiores, v.g. quod sit conueniens aut disconueniens in ordine ad conseruationem naturæ vel prolis, vt etiam aduertit S. Thom. 1. parte, quæst. 84. art.4. Itaque lupus, v.g. potest habere rationem coloris conuenientis ad visum ouis, & disconuenientiam in ordine ad naturam & conseruationem propriam, & similiter palea videtur vt conuenientis coloris ad visum auis, & similiter vt conueniens ad fabricandum nidum, in quo se conseruet & prolem. Et prima conuenientia non requirit speciem insensatam, quia quælibet potentia sensitiua sufficit ad apprehendendum conuenientiam talis sensus, sed secunda conuenientia constituit species insensatas, vt ibidem dicit Sanct. Thom. quatenus non solum attingitur conuenientia ad proprium sensum, sed ad alias vtilitates, vt diximus. Cum autem Philosoph. docet appetitum moueri à phantasia, nomine phantasiæ vtitur tanquam nomine communi pro omnibus sensibus internis, quia cognoscunt secundum apparitiones (apparitionem significat phantasia) & sic non excludit æstimatiuam, quod aduertit D. Thom. 3. de Anima lect. 16. in principio, sicut etiam communiter solemus dicere, quod intellectus conuertitur ad phantasmata, sumendo phanthasma, non solum pro actu imaginatiuæ, sed etiam æstimatiuæ. Vnde etiam possumus dicere, quod appetitus mouetur à phantasia mediatè, scilicet mediante æstimatiua.

Ad secundam partem anteceden. Respond. æstimatiuam non cognoscere species insensatas in abstracto sed in concreto, sed tamen ipsum subiectum in quo sunt, in concreto attingit sub altiori ratione, scilicet quatenus fundat illas intentiones insensatas quæ abstractiores & perfectiores sunt, quam rationes sensatæ: sicut etiam coloratum in concreto attingit visus, & sensus communis, sed iste sub altiori ratione, quam ille. Atque ita ipsum subiectum attactum ab vtraque potentia se habet, vt quid materiale, potestque sub diuersis rationibus formalibus pertinere ad diuersas potentias. Nec tamen istæ potentiæ superfluunt, licet idem subiectum materiale attingant, quia sub diuersis rationibus formalibus procedunt, & sub diuersa cognoscibilitate attingunt, atque adeo diuersa obiecta simpliciter habent, & ipsæ res sub diuersis respectibus fundant hanc diuersam cognoscibilitatem.

Ad confirmat. Respondetur, in primis appetitum principaliter moueri ab æstimatiua apprehendente rationem conuenientis, vel disconuenientis ipsi naturæ, vt S. Thom. docet 3. de Anima lection. 4. in fine, appetitus autem est inclinatio totius naturæ, & sic mouetur proximè & immediatè ab eo quod est conueniens naturæ, quod est intentio insensata, & apprehenditur ab æstimatiua. Mediatè autem mouetur à phantasia, seu imaginatiua. Deinde etiamsi dicamus, quod immediatè mouetur ab imaginatiua, vt insinuat S. Thom. prima parte, quæst. 81. articulo 3. ad 2. tamen sicut est duplex potentia apprehensiua, ita est duplex appetitus sensitiuus, scilicet irascibilis, & concupiscibilis, & irascibilis principaliter mouetur ab æstimatiua, vt ibidem docet Sanct. Thom. articulo 2. ad 2. & quæstione 25. de veritate, articulo 2. eo quod concupiscibilis magis mouetur secundum delectationem sensus, irascibilis autem etiam contra delectationem sensus mouetur ab arduo, & ab intentionibus insensatis, quæ instigant ad vindictam, seu iram.

Vltimò arguitur ad probandum, quod non rectè distinguitur inter phantasiam, & sensum communem & æstimatiuam & memoriam; nam illa differentia benè recipiendi, & benè retinendi non infert distinctas potentias, sed sufficit distinctas partes organi ponere, quarum vna sit humidior, alia siccior. Vnde & in cerebro solum tria organa reperiuntur quorum primum quod est in fronte seruit pro sensu communi & imaginatiua. Videtur etiam sufficere vnica dispositio ad bene recipiendum, & retinendum præsertim species intentionales, sicut videmus aliquos esse bene apprehensiuos, & benè memoratiuos, & sicut videmus in speculo facile generari imaginem intentionalem & facile retineri. *Confirmat.* nam ratio præteriti ponitur inter species insensatas à D. Th. 1. part. quæst. 78. articul. 4. ergo si phantasia cognoscit sub ratione præteriti, seu absentis, cognoscit sub ratione insensata, quod est non distingui à memoria, vel æstimatiua.

Respond. quod vbi est diuersum temperamentum organi, ibi est diuersa potentia, quia si esset eadem, idem temperamentum requireret. *Nec obstat*, quòd ipsa anima vnica existens informat diuersa organa, & partes habentes diuersa temperamenta, & sic etiam posset quis imaginari, quòd eadem potentia actuaret diuersas partes organicas, seu diuersa temperamenta pro diuersis operationibus, licèt ipsa in se sit vna. *Hoc inquam non obstat*, quia potentiæ sunt virtutes particulares ipsis organis affixæ, & ab eis dependentes, anima verò est principium radicale plurium potentiarum. Vnde ipsa natura anima ex sua propria ratione petit diuersa organa, potentiæ autem non petunt nisi quælibet suum, tum propter maerialitatem, & imperfectionem talium potentiarum, tum quia si semel vna potentia potest diuersa organa actuare, & in illis operari diuersas operationes, non est ratio cur ponamus distinctas potentias in omnibus organis corporis, sed possemus dicere quod est vnica potentia in omnibus organis, habens tamen distinctas operationes, & pro qualibet operatione suum organum requirit. Quare semel penes diuersa organa, & temperaturas distinguimus istas potentias materiales, & sensitiuas conformiter ad earum naturam, cum requiratur diuersum organum, seu temperamentum ad benè recipiendum, vel benè retinendum, consequenter distinguitur potentia, apprehensiua, & retentiua, quantum est ex natura rei, & talis diuersitas organi simul exigit, & refunditur in diuersum modum formalem attingendi obiectum, quia propter materialitatem talium potentiarum & obiectorum, non respicitur obiectum ab aliqua potentia, nisi sub illa formalitate sub aqua deseruit ad tale munus, quod exigit talem diuersitatem organorum: præterquàm quod nunquam datur ista diuersitas organorum pro potentiis, nisi etiam habeant diuersum modum cognoscendi, & consequenter nisi respiciant obiecta sua formalitate diuersæ cognoscibilitatis.

Quòd verò dicitur solùm inueniri in cerebro tria organa seu tres cellulas pro tribus potentiis, dato quod illæ deseruiãt pro organis potentiarum, vt dicemus artic. sequ. aduertere oportet, quod vt dicit D. Thom. opuscul. 43. cap. 4. illa prima cellula, quæ est in fronte, & deseruit pro sensu communi, habet quandam diuisionem, ita vt fiant inde duo organa, & in vna parte residet sensus cõmunis, vbi magis abundat humiditas, in alia quæ aliquando siccior est, residet imaginatiua de quo amplius art. seq.

Vnde etiam patet ad exempla allata, de illis qui bene recipiunt & bene retinent, id enim non habent secundum eandem potentiam, & organum, sed retinent secundum memoriam, & recipiunt secundum apprehensiuam; in diuersis autem non repugnat esse ista diuersa temperamenta, licet minus frequenter id

id contingat. In speculo autem non recipitur illa imago nisi per modum transeuntis, vtpotè dependenter à præsentia obiecti, & reuerberatione lucis, vndè non oportet ponere ibi dispositionem aliquam benè retentiuam imaginis, quia non retinetur in absentia, sicut memoria retinet species.

Ad confirmat. Resp. quod non omnes intentiones sunt insensatæ, sed aliquæ etiam sensatæ sunt sicut docet D. Thom. 1. par. q. 78. art. 4. ad. 2 quod sensus communis respicit intētiones sensuum exteriorum, sicut sentit nos videre & audire. Illa autem intentio præteriti est communis rei sensatæ, & insensatæ seu his quæ cognoscuntur in absentia: computatur autem à D. Th. etiam inter intentiones insensatas, quia pertinet etiam ad illas, licet non solum ad alias.

ARTICVLVS II.

Quid sint phantasia, & reliquæ potentiæ interiores, & in quibus subiectis sint?

DIco 1. *Phantasia communiter sumpta pro potentiis interioribus præter sensum communem definitur à Philos.* quod est motus factus à sensu secundū actum. Ita Arist. 3. de Anima text. 161. & D. Th. ibi lect. 6. & in l. de somniis c. 1. lect. 1. apud D. Th. *Pro explicatione huius definitionis aduerte duo: Primum*, quod hic non definitur directa ipsa potentia, sed actus eius, id est ipsum phantasiari, licet facile reduci possit ad definitionem potentiæ loco motus ponendo, potentia quæ mouetur & cætera. Nec definitur hic definitione formali, sed causali, sicut sonus definitur quod est motus factus ab aëre & ira definitur, quod est accēsio sanguinis circa cor, quia causatur à tali accensione. *Secundum est*, quod phantasia sumitur dupliciter vno modo communiter pro omni potentia interiori formante obiecta sua, & faciente apparere, ad distinctionem sensus communis & sēsuum exteriorum qui non faciunt apparere sua obiecta, sed solum cognoscunt illa à quibus immutantur. Et sic omnis potentia interior præter sensum communem habet commune nomen phantasiæ, quæ vt tradit D. Th. lect. 6. citata deriuatur à nomine *phos*, quod græce significat idem quod lux, & inde deriuatur *phanos* quod est illuminatio, seu apparitio, & phantasia, quæ est sensus cognoscens & formatus secundum apparitiones, quia necessario supponit obiecta apparuisse in sensu, & exinde formatur alia apparitio. Alio modo sumitur phantasia specialiter pro potentia imaginatiua, vt distincta ab æstimatiua, & memoria & appellatur nomine illo generico propter penuriam vocabulorum, præsertim quia ad imaginatiuam maximè pertinet ipsa apparitio & formatio imaginum, ad æstimatiuam autem spectat alius actus principalior qui est intentiones cognoscere, & æstimationem facere de rebus secundum conuenientiam, vel disconuenientiam earum in ordine ad se.

Igitur diffinitio tradita intelligitur de actu phantasiæ generaliter sumptæ, prout pertinet ad omnes actus interiores, præter sensum communem, qui ideo excipitur, quia in eo consummantur apprehensiones sensuum exteriorū, & ex eius influxu pendent actiones exteriorum sensuum, siquidem eo ligato dormiunt. Ergo reliquæ potentiæ quæ moueri possunt à sensu etiam communi, qui plenè & consummatè iudicat, phantasia dicuntur, & ita D. Th. l. de memor. reminisc. lect. 2. inquit quod phantasia sequitur totam immutationem sensus, quæ incipit à sensibilibus propriis & terminatur ad sensum communem. Et sic sensus definitionis est, quod actus phantasiæ est motus, id est actus procedens non ex immutatione ab obiectis ipsis immediatè, sed ab obiectis vt cognitis & sensu perceptis & iudicatis per sensum communem. Itaque phantasiari & sentire distinguūtur tanquam duo genera cognoscendi; & diffinitur vnum vt condistinguitur ab altero, & sicut sentire in cōmuni dici debet quod est motus factus à sensibili secundum se, ita phantasiari in communi definitur quod est motus factus nō à sensibili, sed à sensu, id est ab obiecto iam cognito.

Dico secundò: *Phantasia vt est specialis potentia, quæ dicitur imaginatiua non solum est retentiua specierum: sed etiam verè & propriè cognoscitiua.* Oppositum huius docuit Anicenna, quem refert Sanct. Th. 2. contra Gentil. cap. 74. qui dixit tam imaginatiuam quæ seruat species sensatas, quam memoriam quæ seruat insensatas non apprehendere, sed solum conseruare species. Cæterū quod vtrumque munus habeat, scilicet conseruare species & cognoscere res absentes docet D. Th. in q. de Anima a. 13. & 1. part. q. 8. art. 4. & 1. 2. q. 15. art. 1. vbi dicit: *Quod imaginatiua est apprehensiua similitudinum corporalium etiam rebus absentibus*, & q. 17. a. 7. ad 3. inquit: *Quod apprehensio imaginationis subiacet imperio rationis.* Et quod moueatur appetitus non solum ab æstimatiua, sed etiam ab imaginatiua, quod vtiq; sine apprehensione fieri non potest, docet 1. p. q. 81. a. 3. ad 2. *Ratio autem est*; quia phātasia ordinatur ad hoc, vt res sēsatas possimus apprehendere in absentia, & non solū vt præsentes sunt sicut cognoscuntur à sēsu, eo quod indiget animal moueri, & quærere multa quæ sibi nō sunt præsentia, ergo oportet dari potentiam aliquam, quæ retineat, & conseruet species in absentia rerum, & oportet etiam dari potentiam, quæ cognoscat res in absentia, & consequenter quæ formare possit Idola seu species expressas, in quibus repræsententur res absentes, vel imaginatæ, quod vtique est phantasiare seu imaginari. Hæc autem cognitio absentium seu imaginatorum, non potest pertinere ad sensum communem, tùm quia sensus communis solū cognoscit in præsētia obiectorum, quia iudicat de obiectis cognitis obiectorum, quia iudicat de obiectis cognitis a sensibus externis, & consummat eorum apprehensiones, tum quia colligit D. Th. 3. de Anima lect. 6. phantasia est motus factus à sensu communi, ergo distinguitur ab illo, sicut mobile à mouente præsertim in rebus corporalibus. Ponere autem, quod vna potentia vtroque illo modo cognoscit, scilicet, dependenter à præsentia sensibilium, & independenter ab illa, seu in absentia eorum, videtur excedere imperfectionem potentiarum materialium, vt art. præcedenti ostensum est. Quod vero vna potentia conseruet species, sed non cognoscat per illas, sed alteri potentiæ tradat ad cognoscendum inconueniens est, vt in conclusione quarta ostendemus; est enim eadem ratio in hac parte de imaginatiua, & de memoria, quam ibi ostendemus non solum conferre species, sed etiam per illas cognoscere. Specialiter autem id debet tribui imaginatiuæ, tum quia cognitio absentium, & imaginatorum non potest tribui sensui communi, quia vt diximus solùm cognoscit in præsentia sensibilium, & dependet ab illis quantum ad perfectum & consummatum iudicium; tum quia non potest perti-

nere ad æſtimatiuam, quia hæc ſuperiori modo cognoſcit, quam imaginatiua, ſcilicet intentiones inſenſatas, vt ſequenti concluſione amplius explicabimus: ergo ipſamet quæ retinet ſpecies, debet cognoſcere in abſentia, nec enim repugnat retinere & cognoſcere per illas.

Dico tertiò, *probabilius eſt, quòd cognitio imaginatiuæ differt ſpecie à cognitione ſenſus communis, & multò certius, quod differt ſpecie à cognitione æſtimatiuæ.* Itaque ſenſus communis & imaginatiua non ſolum differunt ſpecie, quia vna benè recipit & alia benè apprehendit, ſed etiã, quia in ratione cognoſcitiui ſpecie differunt earum cognitiones. Hanc primam partem tenent aliqui Thomiſtæ, vt videre eſt apud Curſum Carmel. diſp. 15. q. 2. n. 53. licèt oppoſitum teneat M. Bañez ſupra citata concl. 4. eò quòd ſpecies quibus cognoſcit imaginatiua, ſũt eiuſdẽ rationis per quas cognoſcit ſenſus communis, ſiquidem ipſaſmet conſeruat.

Cæterùm noſtra concluſio deducitur ex D. Thom. 1. part. q. 79. art. 7. ad 2. vbi inquit: *Quòd præteritũ & præſens poſſunt eſſe differentiæ potentiarum ſenſitiuarum ſecundùm differentiam obiectorum, non autem potẽtiarum intellectiuarum,* conſtat autem, quòd differentia cognitionis inter ſenſum communem & imaginatiuam eſt penes præſens & abſens, ergo conſtituunt differentiam ſpecificam in ratione cognoſcitiui.

Ratio eſt, quia ſiue vtatur eiſdem ſpeciebus, ſiue diuerſis, tamen certum eſt, quòd imaginatiua vtitur illis altiori modo & magis immateriali, & ad plura ſe extendendo, ergo datur diuerſitas ſpecifica in ratione cognitionis. *Antecedens conſtat*, quia imaginatiua reſpicit obiectum ſuum vt imaginabile, quod eſt magis abſtractum, & magis vniuerſale & liberum, quàm ſenſibile, quod ſolũ dependet ab ipſa immutatione & præſentia rei ſenſibilis. Potẽtiæ autem in ratione cognoſcitiui diſtinguuntur ſpecie penes obiectum magis vel minus abſtractum, magis vel minus vniuerſale, & ſuperius, ergo cum hoc inueniatur in cognitione imaginatiua & ſenſus communis, vtique diſtinguentur in ratione cognoſcitiui. Et deinde, quia cum principalior actus imaginatiuæ ſit cognoſcere & formare ſuos conceptus, quàm retinere & conſeruare ſpecies, inconueniens eſt, quòd ſpecificatio talis potẽtiæ ſumatur ab actu minus principali, cũ nihil ſit principalius in potentia, quàm eius ſpecificatio, ſpecificatur autem potentia ab actu, ergo ſi principalior actus eſt cognitio, ab eo ſpecificabitur potentia imaginatiua, & conſequenter ſi eſſet eiuſdem ſpeciei cognitio eius cum cognitione ſenſus communis, ſimpliciter erunt eiuſdem ſpeciei iſtæ duæ potentiæ, & ſic erunt duo accidentia eiuſdem ſpeciei in eodem ſubiecto, quod eſt inconueniens.

Quòd verò eiſdem ſpeciebus vtantur iſtæ duæ potentiæ, nihil obeſt, quia dato quòd ita ſit, adhuc poſſunt diſtingui ſpecie propter diuerſum modum vtendi illis ſpeciebus, quia altior modus eſt in imaginatiua, quàm in ſenſu communi, ſicut etiam fides & prophetia vti poſſunt eiſdem ſpeciebus, quibus cognitio naturalis, ſed quia diuerſo modo illas ordinant & diſponunt, ideo cognitiones illæ ſpecie differunt, & idem eſt in aliis habitibus naturalibus ſpecificè diſtinctis, & vtentibus eiſdem ſpeciebus. Imò ipſe ſenſus communis etiã recipit à ſenſibus externis ſpecies quæ in ipſis ſunt, & tamen quia altiori modo illis vtitur, quam ipſi ſenſus particulares, cognitio eius ſpecie differt à cognitione ſenſuum externorum.

Secunda vero pars concluſionis de diſtinctione inter imaginatiuam & æſtimatiuam cõſtat ex dictis præc. art. & ex nuper allatis cõfirmatur, quia æſtimatiua reſpicit intentiones inſenſatas vt amicitiam vel inimicitiam, & ſimiles conuenientias vel diſconuenientias, quæ non ſolum ſunt reſpectu ſenſus particularis, ſed reſpectu conſeruationis totius, vel eorum quæ ad ſe pertinent, quæ vtique ſunt obiecta abſtractiora & ſuperiora, nec à ſenſu attingibilia; vnde & ratione illius maximè appropinquant animalia ad modum cognoſcendi rationis, & prudentiam quandam participant, imò & in homine ipſa æſtimatiua diſcurrit circa particulares intentiones, cum in aliis animalibus ducatur inſtinctu naturali, vt S. Th. docet q. 25. de Veritat. art. 2. Quæ omnia indicium ſunt diſtinctionis ſpecificæ à cognitione imaginatiuæ, quæ ſolum reſpicit res ſenſibiles, ſiue veras, ſiue fictas vel abſentes, multò magis, quàm ſit diſtinctio inter modum cognoſcendi viſus vel auditus.

Ex dictis colligi poteſt, diffinitio imaginatiuæ: *Quòd eſt potentia ordinata ad conſeruandum ſpecies ſenſatas, & cognoſcendum res abſentes vel imaginatas.* Æſtimatiua autem, *quod eſt potentia apprehendens inſenſata ex ſenſatis.*

Dico quartò, *Memoria eſt potentia diſtincta ab æſtimatiua, & eſt cognoſcitiua non ſolum conſeruatiua ſpecierum.* Quòd ſit conſeruatiua nullus dubitat, aliàs non eſſet memoria, ſi non conſeruaret ſpecies. Quòd vero ſit etiam cognoſcitiua, licet id negauerit Auicenna citatus à D. Thom. 2. contra Gent. cap. 74. id tamen affirmat D. Th. tum in q. 10. de Verit. art. 3. in corp. vbi dicit: *Quòd in parte, ſenſitiua, quæ fertur ad præſens in quantum præſens eſt, ſi feratur in præteritum requiritur altior virtus quàm ipſe ſenſus, & hæc eſt memoria, quæ tamen in parte intellectiua non diſtinguitur ab ipſo intellectu apprehendente*; tum etiam 1. part. q. 79. art. 6. dicit: *Memoriam ſenſitiuam eſſe apprehenſiuam præteriti*, tum denique in quæſtione de Anima, art. 13. docet requiri, quòd ea quæ prius fuerant apprehenſa per ſenſũ, & interius conſeruata, iterùm reuocentur ad actualem conſiderationem. Et hoc quidem pertinet ad rememoratiuam virtutem, quæ in aliis quidem animalibus abſque inquiſitione ſuam operationem habet, in hominibus autem cum inquiſitione & ſtudio, vnde in hominibus non ſolum eſt memoria, ſed etiam reminiſcentia. Neceſſe eſt autem ad hoc potentiam ab aliis diſtinctam ordinari, quia actus aliarum potentiarum ſenſitiuarum eſt tantum motus à rebus ad animam, actus autem memoratiuæ potentiæ eſt è contra motus ab anima ad res. Ita D. Th.

Ex quibus locis deducuntur tria, Primum, quod potentia memoratiua debet eſſe cognoſcitiua, quia experimur in nobis dari iſtam cognitionem præteritorum vt præterita ſunt, quando eorum recordamur. Neceſſe eſt autem, quod iſta cognitio pertineat ad eandem potentiam, quæ conſeruat ſpecies illas in abſentia, quia vt dicit Diuus Th. oportet, quòd ea quæ fuerunt conſiderata, iterum ad memoriam reuocentur, ergo maximè pertinet ad memoriam ipſa excitatio, qua aliquid reuocatur ſeu incipit habere actualem conſiderationem, hæc autem excitatio non poteſt fieri niſi per aliquem actum incipientem vti aliqua ſpecie: ergo ſi ipſa memoria excitatur, debet producere actum in quo excitatio conſiſtit, qui eſt vſus ſpeciei, & conſequenter, qui ſit cognitio, quæ ſola eſt vſus ſpeciei. *Nec poteſt dici*, quod excitatio fit non in ipſa potentia conſeruante ſpeciem, ſed in potentia apprehendendi, quæ eſt diſtincta ab ea, quæ conſeruat ſpeciem. *Nam contra eſt*, quia ipſa exci-

tatio

ratio non fit nisi vtendo specie,ergo si in potentia apprehendente non datur species,sed in conseruante,non poterit ipsa apprehendens excitari,nisi prius per aliquem motũ talis determinata species transferatur à potentia conseruante ad apprehendentẽ. Quomodo autem potest transmitti illa species à potentia conseruante,si non cognoscit,aut discernit quænam species transmittenda sit ad talem excitationem. Sed si expectat aliquem motum localem, quo species illa moueatur & transferatur ad potentiam apprehendentẽ vt primo excitetur,restat difficultas,quomodò sine cognitione aliqua dirigatur motus ille localis,vt hanc speciem potius deferat, quàm illam, cum ibi non sit obiectum præsens, à quo species immittatur,nec potẽtia cognoscẽs,quæ dirigat,cũ per vsum talis speciei fiat prima cognitio,seu excitatio.Quod totũ cessat si ipsamet potẽtia,quæ conseruat speciẽ,per illius vsum excitetur.

Secundò colligitur,distingui debere memoriam ab æstimatiua,vt sentit D.Th.quæst.de Anim.a.13.& 1. p.q.78.art.4.& q.79.a.7.ad 2.non solum propter diuersum temperamentum & organum, quod exigit memoratiua vt retineat,& æstimatiua vt apprehendat,sed etiam propter diuersum modum cognoscẽdi,quia memoratiua respicit obiectum vt præteritum,& ita abstrahit à præsentia rei & ab immutatione obiecti exterioris , & ita importat motum animæ ad res, apprehensiua autem fit per motum rerum ad animam:nam licet æstimatiua apprehendat res insensatas,illas tamen apprehendit vt præsentes,verbi gratia, inimicitiam lupi,quãdo lupus est præsens.Istæ autem differentiæ inter memoratiuam & apprehensiuam sufficiunt ad inducendum diuersitatem potentiarum apprehensiuarum , cum siut potentiæ materiales, quæ non possunt aliquo altiori, & eminentiori modo vnire illas rationes. Quomodò vero appetitus sensitiuus nõ distinguatur penes absens & præsens,sicut potẽtiæ apprehẽsiuæ iã sup.dixim.art.præc.eò quòd appetitus eandem rationem formalem respicit ex parte potentiæ in appetibile præsens vel absens , cum tendat per modum motus & inclinationis ad res,pertinet autem ad eandem potentiam motiuam ferri ad terminum adhuc non existentem , sed absentem, & tangere illum acquisitum,& præsentem. Potentiæ vero apprehensiuæ distinguuntur penes diuersam abstractionem seu immaterialitatem , secundum quam trahit res ad se,& hæc est diuersa secundum quod magis vel minus est dependens ab ipsa materiali præsentia obiecti.

Sequitur tertiò ? cogitatiuam & reminiscentiam in homine non distingui ab æstimatiua & memoria, sed esse ipsasmet potẽtias,cum quadam perfectione participata ex coniunctione ad rationem secundùm quam discurrere possunt circa sua obiecta singularia,quod quidem pertinet ad diuersum modum operandi,non ad diuersam potentiam,quæ solum ex diuersa immaterialitate obiecti diuersificatur per se.Vnde eadem potentia intellectus procedit & sine discursu in actibus primorum principiorum,& cum discursu in aliis sine variatione potentiæ,& appetitus sensitiuus in nobis participat aliquid libertatis,vt docet D.Th. in 1.2.q.74.art.3.& tamen non est alia potentia specie diuersa ab appetitu sensitiuo,non habente talem libertatem.

Dico quintò, *Non inueniuntur omnes sensus interni in omnibus animalibus, sed sensus communis inuenitur in omnibus tam perfectis quàm imperfectis,imaginatiua verò & memoria,non inuenitur in omnibus,& probabile est,quod neque æstimatiua.* Sumitur hæc conclusio ex variis locis Arist.& D.Th.nam in 3.de Anima text. 15 .lect.5.apud D.Th. negat phantasiam quibusdã animalibus vt formicæ,api & vermi.Explicat autẽ D.Th.quod imperfecta animalia habent phantasiã indeterminatam,nõ autem determinatam & distinctam à sensu,non enim phantasiantur aliquid,nisi dum mouẽtur à sensibili, quod vtiq; est proprium sensus communis,qui solum mouetur in præsentia sensibilium.Postea Phil.inf.text.56.lect.16.apud D. Th.dicit quòd omnia animalia etiã imperfecta habent phantasiam & appetitum,quia cum læduntur, retrahunt se & dolent,cum autem aliquid conueniens sentiunt,dilatantur, habent ergo appetitum, quia dolor & delectatio ad appetitum spectat,ergo phantasiam,id est,sensum internum habere debent, appetitus enim non mouetur nisi à sensu interno,id est,iudicio cõuenientiæ vel disconuenientiæ rei.Sed addit,phantasiam illam solum moueri ad præsentiã sensibilis,& cum tangitur animal,non autẽ percipere aliquid distans ad quod moueatur vel fugiat, & sic phantasia non est ibi aliquid præter sensum communem, qui percipit ad præsentiam sensibilis conuenientiam vel disconuenientiam ipsi sensui. Itẽ in l.de memoria & reminisc.lect.2.apud D.Th. dicit omnia immobilia animalia carere memoria.Et luculenter explicat ista loca S.Th. 1. Meth. lect.1. vbi solum ponit memoriam in his,quæ mouentur ad distans,quibus conuenit motus progressiuus.

Itaque in omnibus animalibus etiam solum tactũ habentibus aliquis sensus interior datur scillicet sensus communis,quia vt dictum est,habent appetitum quia habent dolorem & contrahunt se quãdo punguntur, & delectationem, quia dilatant se quando sentiunt aliquid conueniens, ergo habent apprehensionem internam, quia oportet,quod cognoscant ipsam sensationem externam,quia dolor quo refugiunt non respicit solũ obiectum ad extra in se,sed sensationem eius vt disconuenientem, & similiter appetitur delectatio,quia appetitur sensatio conueniens circa aliquod obiectũ,de tali enim sensatione delectatio debetur.Nõ potest autem cognosci sẽsatio externa conueniens vel disconueniẽs per ipsũme sensũ tactus,aliàs reflecteret sup.se,ergo indiget sensu interno cognoscẽte talẽ sensationẽ,& conuenientiã vel disconuenientiã eius,& sic sumendo phantasiã cõmuniter pro quocunq;sensu interno , in omnibus animalibus datur phantasia.

Quod verò in animalibus imperfectis non sit phãtasia distincta à sensu communi,id est imaginatiua, *probatur*, quia secundum D.Th.primo Metaph.citato,tres sunt gradus in animalibus,quædam enim non cognoscunt rem distantem aliquo modo sed solum per contactum , quædam percipiunt, rem distantem saltem imperfectè, licet non omni modo,quædam perfectè & omni modo. Animalia primi generis sunt,quæ non habent sensum percipientem res per medium extrinsecum,sicut sunt visus,auditus,& olfactus,sed solũ per tactum & gustũ, & talia animalia non recipiunt rem distantem, & consequenter carent motu progressiuo, qui solum mouetur ad rem distantem.Vndè etiam carent sensu cognoscente rem in absentia, quæ est imaginatiua distincta à sensu communi,quia si non cognognoscunt rẽ distantem, sed solum coniunctam per contactum , multò minus poterunt cognoscere in absentia.Animalia verò secũdi generis habẽt quidem aliquẽ sensum percipientem rem distantem, & per medium extrinsecum emittentem species, v.g. visum, & consequenter possunt percipere res in absentia,& habere motum progressiuum, & sic competit illis memoria seu imaginatiua,quæ percipit res in absentia ; & tamen sensus internus in eis habet aliquam indeterminationem & confusionem , ratione cuius negauit illis Philosoph

in 3. de Anima, text. 156. phantasiam distinctam scilicet à sensu communi, vnde cognoscunt rem absentem cum dependétia ab aliquo actuali exercitio, quod faciunt; v. g. dum formica reuertitur ad foueam, cognoscit illam, si vero interrumpatur eius semita, nescit reuerti ad locum suum, sed vagatur. Et ita D. Th. tertio de anima, lection. 6. dixit: *Quòd ista animalia non phantasiantur aliquid, nisi dum mouentur à sensibili.* Denique animalia tertij generis habent perfectam memoriam, & imaginatiuam etiam capacem disciplinæ, & assuefactionis, vt canes, equi & alia, quæ habent auditum, & mouentur perfectè ad res absentes, quas quærunt vel fugiunt.

An vero imperfecta animalia habeant æstimatiuam, quæ saltem in præsentia obiectorum cognoscat intentiones insensatas, *dicimus* probabilius esse, quod carent illâ, loquendo de æstimatiua determinata, & distincta à sensu communi. *Et ratio est*, quia huiusmodi animalia non percipiunt aliquid, nisi vt conueniens, vel disconueniens ipsi sensui tactus, cum à nullo alio moueantur, & hoc in præsentia ipsius obiecti tangibilis; ad cognoscendum autem conuenientiam, vel disconuenientiam alicuius sensus, sufficit sensus ipse cum iudicio sensus communis de actu eius; caret vero æstimatiua perfecta, quæ cognoscit conuenientiam, vel disconuenientiam non solum sensus proprij, sed etiam vniuersaliores vtilitates, vel disconuenientias, quia si caret illis sensibus externis, qui magis spirituales sunt, quàm tactus, quanto magis æstimatiua, quæ longè perfectior est istis. Vndè dicit Sanctus Thomas, in 3. de Anim. lect. 16. quod huiusmodi animalia non imaginantur aliquid distans, quia nihil imaginantur nisi ad præsentiam sensibilis. Sed cum læduntur, imaginantur illud, vt nociuum & retrahunt se, & cum delectantur, extendunt se super illud, & sic in eis est phantasia, vel concupiscentia imperfectè, in quantum imaginantur aliquid vt conueniens, non autem vt hoc vel illud, hic aut ibi, sed habent confusam imaginationem. Negat ergo illis species illas insensatas de hoc aut illo, hic aut ibi, &c. quod est negare æstimatiuam.

Dico vltimò: *Organa sensuum interiorum ita sunt disposita quod sensus communis est in prima parte frontis, eiq; fere coniunctum est organum imaginatiuæ. At verò æstimatiua est post mediam partem cerebri, & memoria declinat ad partem vltimis capitis, seu ad occipitium.* Et loquimur de animalibus perfectis, nam in imperfectus solum oportet assignare organum eius sensus quem habent. Et animalia quæ secta viuunt, non habent sensum communem in aliqua parte determinata cerebri, sed vbicumquè sensus & motus vigere potest, etiam post diuisionem, ibi est organum sensus interni sicut & appetitus, nam cum ille motus quem faciunt postquam sunt diuisa, sit progressiuus, oportet quod procedat ab appetitu, & consequenter supponat sensum internum, à quo appetitu dirigatur: & præsertim cum istæ partes diuisæ doleant, si pungantur & retrahūt se, dolor autem est actus appetitus, ergo sicut appetitus est diuisibilis, & diuersus resultat in illis partibus diuersis, quia sufficit ad illum quælibet dispositio organorum ob imperfectionem suam, ita & sensus communis.

Loquimur ergo de animalibus perfectis in quibus sensus interni sunt in capite, & dependenter à crebro, ita vt eo diuiso non sentiant. Omitto enim sententiam, quam sæpè insinuat Aristot. Quod isti sensus interni sint in corde, quod non potest intelligi nisi radicaliter, quatenùs ex corde vt ex radice dimanat calor vitalis, & spiritus vitales, à quibus pendet omnis operatio vitalis; si vero intelligatur non de organo radicali, sed de proximo, sustineri non potest, cum videamus ex læsione capitis lædi istas potentias internas. Vndè S. Th. absolute ponit in capite omnes sensus internos & externos 3. p. q. 8. art. 1. & de internis idem habet 1. part. q. 78. art. 4 & specialiter opusc. 43. c. 4. assignat organa sensuum internorum modo à nobis posito. Et communiter apud Phil. & Medicos assignantur tres cellulæ in cerebro, prima in fronte quæ per quandam interpositionem diuiditur in duas, quarum prima, quæ anterior est, deseruit sensui communi, quia humidior est: & aptior ad apprehendendum, ibiq; inueniuntur terminari omnes viæ, quæ ducunt ad sensus externos. Aliæ duæ cellulæ sunt in posteriori parte capitis à medio. Et prima quæ est magis in media parte capitis seruit pro æstimatiua, seu cogitatiua; Quæ verò declinat ad posteriorem partem capitis seruit pro memoria quia pars illa siccior est, & aptior ad conseruandas species, & si ibi fiat læsio. sentimus quoque memoriam lædi. Et hoc etiam iuuat ad ponendas istas potentias distinctas, quia inueniuntur istæ cellulæ, seu organa distincta pro ipsis potentiis, licet aliqui Medici dicant, eas deseruire pro aliis ministeriis, verbi gratia, pro efformandis spiritibus animalibus, vel pro excrementis cerebri euacuandis. At verò Pater Suarez lib. 3. de Anima c. 31. n. 7. concedens cum Galeno istas tres cellulas interiores, dicit eas non deseruire pro diuersis potentiis, sed pro diuersis partibus, seu officiis eiusdem potentiæ. Quod est reducere difficultatem ferè ad quæstionem de nomine, an sint illæ partes seu officia vocanda potentiæ, in potētiis enim materialibus, quæ non habent tantam perfectionem & eminentiam, si inueniuntur distincta organa cum diuersis temperamentis, & diuersa officia seu actus, cur non ponemus distinctas potentias, cum hæc sint principia distinguendi illas.

ARTICVLVS III.

Expediuntur difficultates contra præcedentem doctrinam.

PRimo argui potest ad probandum, quòd in ratione cognoscitiui non differunt imaginatiua, & sensus communis, æstimatiua, & memoria, illis argumentis quibus a. 1. præced. arguebatur istas potētias absolutè non distingui, præsertim quia distinctio penes absens & præsens, penes apprehendere & retinere, & similia, solum sunt differentiæ accidentales in genere cognoscitiuo, *tum* quia eisdem speciebus cognoscitur absens & præsens, *tum* quia in intellectu conueniunt eidem potentiæ, *tum* quia in appetitu sensitiuo non variatur potentia penes absens, & præsēs, licèt variari possint actus, *tum* quia ex parte organi non videntur reperiri, nisi tria loca, vel cellulæ pro potentiis interioribus. *Denique* quia etiam sensus communis apprehendit res absentes, vt patet quando in somno apprehendit, vt docet S. Th. 1. part. q. 84. art. 8. ad 2. ergo ratio absentis non distinguit sensum communem ab imaginatiua.

Ad hæc omnia iam responsum est præced. art. Et in summa diximus ex D. Th. 1. part. q. 79. artic. 7. ad 2. rationem præteriti, & præsentis ex parte obiecti posse distinguere potentias apprehensiuas materiales, non verò potentiam intellectiuam, eo quod ista ex suo genere & propria ratione obiectiua abstrahit à conditionibus materialibus & respicit res in vniuersali. Vndè modus præteriti vel præsentis, qui sūt modi singularitatis, nō possunt variare potentiā intellectiuā, benè tamen potentiam sensitiuā,

quæ

quæ versatur circa singularia secundum immutationem, qua ab obiecto immutatur potentia, & trahuntur res ad ipsam, vnde quod ista mutatio pendeat à præsentia sensibili, & singulari ipsius obiecti, vel ab illa abstrahat, & independenter ab illa moueat, diuersum modum abstractiorem ponit in ipsa immutatione & motione obiecti. Appetitus autem non trahit res ad se, neque immutatur ab illis intentionaliter, sed inclinatur in res apprehensas, & mouetur ab anima ad res, vnde modus tendendi per inclinationem & motum, ad res ipsas, non variat modum potentiæ penes absens & præsens, quin potius eadem vis motiua debet respicere absens vt tendat, & præsens vt quiescat, licet diuersi actus sint tendere & quiescere per modum appetitus.

Quod verò eisdem speciebus vtantur istæ potentiæ iam supra diximus, quod etiamsi essent eædem species ex parte obiecti repræsentati, non tamen ex parte modi vtendi illis & repræsentandi, quia sensus communis vtitur speciebus sensibilibus, vt combinatis ad iudicandum & discernendum tam de illis, quàm de actibus sensuum externorum, & sic non solum repræsentant res ipsas, sed etiam actus potentiarum, quod non est in sensu externo. In imaginatiua autem adhuc diuersimode combinantur, tum quia diuersas species componit imaginatiuo modo, tum quia deputat species à dependentia præsentiæ, constat autem ad diuersum lumen specie posse easdem species sufficere cum diuersa combinatione, & modo vtendi sicut in diuersis scientiis & habitibus naturalibus & supernaturalibus.

Quòd verò sensus communis dicatur cognoscere res in absentia iam supra diximus, formaliter & per se sensum communem semper ferri in præsens, vel quòd in se præsens sit, vel quòd appareat, vt præsens; quòd si res non existens in se repræsentetur ad modum existentis, quia species mediantibus spiritibus animalibus descendunt ad organa sensuum externorum, & indè reuertuntur ad sensum communem, quasi eiaculatæ à sensibus externis, vt aliquando accidit in somno, & in præstigiis etiam vigilantium, tunc sensus communis apprehendit res apparenter præsentes, seu repræsentatas per modum præsentiæ, licet hallucinetur, sed tamen imaginatiua & memoria apprehendunt res, etiamsi non appareant vt præsentes, sed sub ratione præteriti aut imaginabilis.

Secundo arg. ex P. Suarez lib. 3. de anima cap. 30. num. 13. nam potentia quæ cognoscit abstractiuè, & in absentia obiecti. potest etiam cognoscere in præsentia, nam impossibile est, quod cognoscat abstractiuè, nisi aliquando in præsentia obiecti fuerit immutata, siquidem debet recipere species ab ipsis obiectis, prout à sensibus externis percipiuntur, id est in eorum præsentia, ergo si tunc attendat memoria vel phantasia ad cognoscendum id, cuius recipit species, cognoscet rem vt præsentem, & sic non oportet ponere distinctas potentias, ad cognoscendum vt præsens vel vt absens, siquidem eadem potentia cognoscit vtrumque, si autem ly *absens* specificaret, nunquam cognosceret præsens.

Quod si dicatur, non immutari imaginatiuam, vel memoriam immediatè in præsentia obiecti, sed eo absente, ergo dum est præsens obiectum & mouet sensum, non immutatur phantasia, sed aliquo tempore post immutabitur, & interim nihil agitur in illa, quod videtur contra experientiam, quia eò ipso quod sensus mouetur ab obiecto, immutatur etiam phantasia, ergo ita facile excipit species sicut sensus apprehendit, & sic non oportet quod distinguantur. Quod si non simul cum sensu immutatur phantasia, sed aliquando post, ergo oportebit, quod res aliquandiu sit præsens sensui, vt possit imaginatiua, vel memoria immutari, siquidem non tam facile mutatur, cum tamen experiamur quod statim ac res videtur attente, in memoria remanent species. *Confirm.* quia sicut sensus communis concurrit cum sensibus externis ad suas sensationes, ita & imaginatiua, nam si imaginamur circa eandem rem, quam præsentem habemus, minimè idem sentimus, ergo non oportet distinguere phantasiam à sensu communi, vel memoriam ab æstimatiua ratione absentiæ vel præsentiæ.

Respond. quòd licèt memoria vel imaginatiua immutentur in præsentia obiecti & tunc illud cognoscant, adhuc tamen distinguuntur à sensu apprehendente, quia sensus apprehendens solum in præsentia obiecti, & dependenter ab illo, & sistendo in illo cognoscit, memoria autem & imaginatiua cognoscit in præsentia obiecti, non sistendo ibi, nec dependenter ab illa, sed vt possit etiam in absentia percipere, quòd est præcipuum, adquòd ordinatur, & ita quod cognoscat in præsentia, nō est per se in istis potentiis, sed propter alia, scilicet vt cognoscant etiam in absentia, ad quod tamē requiritur, quod prius recipiant species in præsentia, & dum recipit, cognoscit. Nec tamen superfluit sensus apprehendens tantū in præsentia, quia in memoria non solum seruatur species repræsentantes obiectum externū, sed etiam repræsentantes ipsum actum visionis vel auditionis, recordamur enim nos vidisse vel audisse, & cognouisse, & iudicasse de obiectis, & de actibus sensuum, ergo oportet, quod quando species imprimuntur ipsi memoriæ, iam supponatur cognitio, & iudicium consummatum de ipsis obiectis sensuum, & de actibus eorum, & de differentia & conuenientia obiectorum inter se; hoc autem non fit per ipsos sensus externos, qui non iudicant de actibus propriis, vel de differentia aliorum obiectorum, ergo vt ista in memoriam referantur, oportet, quod antè memoriam sint cognita, & cum non possint à sensibus externis cognosci nisi obiecta tantùm non actus, oportet pro illis poni sensum apprehendentem internum præter memoriam.

Ad id, quod dicitur ita facile immutari phantasiam sicut sensum communem. *Respond.* ita facile quoad impressionem, sed non quoad retentionem specierum, neque quoad formationem ex diuersis speciebus præconceptis, neque quoad cognitionem in absentia, vnde ea quæ leuiter videmus, non perfectè retinemus, sed facile obliuiscimur si autem aliquando retinemus, hoc est vel ex bonitate dispositionis, vel ex nimia attentione, quæ æquiualet pluribus aliis actibus non ita perfectis. Requiritur autem diuersa dispositio ad retinendum, vel ad apprehendendum in absentia, quam ad apprehendendum dependenter à præsentia obiecti.

Quod si instes, nam phantasia vnicam rationem formalem debet habere, qua feratur in obiectum: propria autem eius ratio est cognoscere in absentia, & per hoc distinguitur à sensu communi, ergo nunquam poterit cognoscere præsentia, quia non potest sub ratione absentis cognoscere illa: debet autem cognoscere præsentia, siquidem immutatur & recipit species ab obiectis præsentibus & cum sit cognitio à sensu dependens, in præsentia eius etiam formatur, excipiendo autem species statim cognoscit, quia formatur illis, ergo potest phantasia cognoscere præsentia.

Respond. phantasiam cognoscere præsentia quando

do actu mouent sensum, sicut etiam intellectus ea cognoscit, sed non sub ratione præsentiæ tantum, id est dependenter ab immutatione ipsius sensibilis præsentis, sed sub ratione altiori, id est sub ratione imaginatiuæ, quod ad præsentia & absentia se potest extendere, sine alligatione tamen ad præsentiam. At verò memoratiua nunquam cognoscit præsentia, sed semper sub ratione præteriti seu memoriæ; res verò insensatas præsentes, æstimatiua percipit.

Ad confirmat. Respondetur. imaginatiuam non concurrere per se ad sensationes externas, neque istas ab illa per se dependere, quia possumus bene sentire aliquid sine hoc quod imaginemur, licet aliquando simul possimus sentire & imaginari, sed hoc est per accidens & concomitanter.

Tertio arg. ad probandum non dari æstimatiuam, quia species illæ insensatæ, quas dicimus deseruire huic potentiæ vt odium, amicitia, filiatio, &c. excedunt omnem rationem sensibilem, sunt enim relationes, quæ nec sunt sensibile proprium, neque commune cum inter illa non numerentur, neque per accidens cum non sint substantia, ergo excedunt omnem rationem sensibilis. *Item* quia non potest cognosci, quod hoc sit conueniens, vel nociuum isti, vel illi, nisi per comparationem huius ad illud: vti autem comparatione non conuenit nisi potentiæ discursiuè, quæ collatiua est, non sensui vt sensus est, & vt inuenitur in brutis. *Deniquè* istæ species insensatæ non possunt aduenire per sensus externos, quia ab illis non percipiuntur, nihil autem ad internos sensus transit, nisi quod per externos percipitur. Nec sensus externus potest generare species ita perfectas, & suprà se excedentes, sicut sunt species insensatæ.

Respond. ad primam partem argumenti non cognosci relationes à sensu interno sub proprio modo relationis, scilicet cum comparatione ad terminum, vel discursu, neque in vniuersali, sed vt se tenent ex parte fundamenti, seu vt exercentur in illo, non vt in actu signato & secundùm se relatio potest apprehendi, fundamentum autem est res ipsa sensibilis provt conuenientiam, vel disconuenientiam fundant, sic autem non sentitur à sensu externo, quia illud fundare conuenientiam, vel disconuenientiam, non est color vel sonus, aut odo, vel aliquid, quod sensu externo percipitur, ipsa tamen relatio vt condistincta à fundamento & vt comparatiuè accepta ad terminum, non attingitur per æstimatiuam sine collatione. *Et cum dicitur*, quod tales relationes non sunt aliquo modo sensibiles per se, vel per accidens. *Respond.* quòd directè non sunt aliquod tale sensibile nec formaliter, benè tamen fundamentaliter, quatenus in illis fundantur, sicut in natura & qualitatibus lupi fundatur contrarietas ad ouem. Et non est necesse, quòd omnia quæ cognoscuntur, in intellectu, vel sensu interno, sint cognita per sensum externum, sed sufficit, quod in specie, quæ emittitur ab obiecto & deinde à sensu virtualiter contineantur illa omnia, & explicari possint in potentia superiori, & sic dicit D.Thom. 1.p. quæst.78.artic.4. ad 4. quòd licèt operatio intellectus oriatur à sensu, tamen in re apprehensa per sensum intellectus multa cognoscit, quæ sensus percipere non potest, & similiter æstimatiua, licet inferiori modo. Itaque benè potest cognosci per sensum internum aliquid, quod directè & formaliter à sensu externo non cognoscatur, sed sit modus aliquis, seu respectus fundatus in illis sensibilibus, & in eis virtualiter contentus.

Ad secundam partem Respondet. in brutis non esse necessariam comparationem collatiuam, sed sufficere naturalem instinctum, quò immediatè repræsentet rem aliquam vt nociuam, vel vt conuenientem. Naturalis autem instinctus dicit quandam determinationem naturæ, & necessariam tendentiam ad aliquid, comparatiua autem cognitio fit cum quadam indifferentia qua externa comparantur, ita vt resoluatur aliquid in sua extrema vel compositiuo modo fiat ex illis. Quod quidem in homine æstimatiua cum collatione & discursu quodam facit, quem participat ex coniunctione ad rationem, vt S.Thom. docet 1.part.quæst.78.art.4.ad 5. ideóque vocatur cogitatiua, quia cogitando, seu comparando, seu conferendo cognoscit: in brutis autem non fit cognitio per comparationem & collationem extremorum, sed per naturalem instinctum, id est, ex ipsa vi & inclinatione naturæ habentis potentiam ad cognoscendum nociuum, vel conueniens ex ipsa determinatione naturæ, non ex comparatione extremorum, vt docet D. Thom. quæst. de Anima art.13.& 2.2.quæst.47. art.15.ad 3.& 1.2.quæst.13. art.2.ad 3. Et sicut iste instinctus naturalis datur ab authore naturæ ad apprehendendum conueniens vel disconueniens, ita ad iudicandum quod hic, & nunc, sit conueniens sibi vel disconueniens, nam ad hoc totum se extendit naturalis instinctus, qui est non solum ad apprehendendum, sed etiam ad discernendum seu iudicandum, sicut etiam reliqui sensus discernunt inter sua obiecta non quidem cum aliqua comparatione seu collatione, sed quia non vnum tantum obiectum, sed plura possunt attingere, & vnum distinctè ab alio, & non confuse, ideo dicuntur discernere inter illa; sic æstimatiua discernit seu iudicat de conuenientia, vel disconuenientia rei, ipso naturali instinctu, seu determinatione potentiæ, qua cognoscit ista distinctè.

Ad 3.prob.Respond. species insensatas accipi per sensus exteriores, non vt formaliter cognitas ab eis, sed vt virtualiter contentas in ipsis rebus sensibilibus, quas apprehendunt, res enim insensatæ continentur & accipiuntur ex sensatis, nec est necesse quod omnia quæ cognoscuntur ab intellectu vel sensu interno, cognoscantur formaliter in externo, sed sufficit in obiecto illo contineri, vt ex illo accipi possint, vt sequenti art. amplius dicemus.

Vltimò arg. quia si memoria est potentia cognoscitiua vt diximus, non differet ab æstimatiua vt diximus, non differet ab æstimatiua, quia cognoscet per easdem species per quas apprehensiua, quia eas conseruat. *Nec sufficit dicere* quòd vna cognoscit in præsentia, & alia in absētia, quia vt vidimus aliquādo apprehensiua vt sensus cōmunis apprehendit in absentia, vt in somnis, & similiter memoria aliquando cognoscit in præsentia, vt cum accipit species ad conseruandum, tunc enim mouetur ab obiectis præsentibus. *Confirm.* quia si potentiæ memoratiuæ sunt cognoscitiuæ, semper actu cognoscerent, quia semper habent species sibi inhærentes, & se informantes, quod sufficit ad cognitionem. Deniquè Diu.Thom.opscul.14. in principio dicit: *Quòd memoria non habet aliquem actum, sed loco actus solum tenet, quasi parata capienti à se.*

Ad hæc omnia iam supra respondimus, potentiam apprehensiuam, & memoratiuam habere easdem species, sed diuerso modo ordinatas, scilicet cum dependentia à præsentia, & immutatione obiecti, vel sine illa, cum quo tamen stat, quod potentia apprehensiua possit rem in se absentem, apparenter tamen præsentem cognoscere, quasi in imagine, sic enim solum attingitur res absens materialiter, & per accidens, formaliter autem vt præsens. Et similiter memoratiua aliquando tangit rem præsentem, quia

acci

accipit speciem ab illa, non tamen ibi sistendo, & ab ea dependendo, sed sub ratione præteriti formando vt possit memorari.

Ad confirm. negatur sequela, quia benè stat species actu inhærere potentiæ quoad suam entitatem, non tamen actu repræsentare ex defectu excitationis & vsus talis speciei, sicut quando dorminus; non enim species semper repræsentatiuè informare, sed aliquando solum entitatiuè, constat quando sunt in aëre. Videatur S. Thom. 1. part. quæstione 79. artic. 6. ad 3. & 2. contra Gent. cap. 74. in fine, vbi ostendit, quomodo in intellectu possint species conseruari, & si actu non intelligat. In illo autem loco ex opuscul. 14. loquitur expresse D. Th. non de memoria sensitiua, sed de intellectiua, quæ non habet distinctum actum ab ipso intellectu, neque est potentia distincta ab illo, sed solum dicitur memoria quia conseruat species, vt infra quæst. 10. dicemus.

ARTICVLVS IV.

Quæ sint species impressæ, & expressæ in sensibus internis?

SVpponimus, dari species in sensibus internis sicut datur cognitio. Quod si illæ potentiæ internæ sunt altiores in cognoscendo, etiam requirunt altiores species, vel saltem altiori modo ordinatas, vt cognitio eleuatior elici possit. Specialiter autem, quando obiecta repræsentata sunt altioris abstractionis, vt intentiones insensatæ, requirere videntur aliquas species perfectiores, & eleuatiores repræsentantes tales intentiones, sicut odium, inimicitiam, filios, parentes, &c. Istæ enim formalitates non repræsentantur in sensibus externis, & tamen cognoscuntur ab internis, ergo datur aliquod principium repræsentatiuum illarum, quod non debet esse ita materiale, & imperfectum quod sistit in ipsis rebus sensatis, sicut sistunt sensus externi, ergo perfectior species debet esse, quam species sensus externi, quæ solum repræsentat res sensatas. Vnde immerito Suarez negat istas species insensatas, lib. 3. de Anima capit. 30. Quòd si velit dari quidem illas, sed non distinctas à sensatis repræsentantibus subiecta intentionum insensatarum, non contendo, dummodo distinctæ esse debeant, & perfectiores, quam illæ quæ solum repræsentant res sensatas, & nullo modo intentiones insensatas, vt in sensibus externis.

Quare de istis currit difficultas, quâ virtute & à quo agente generentur istæ species insensatorum, quæ perfectiores sunt sensatis, & ab imperfectiori nunquam perfectius generatur.

Respondetur ergo, species istas insensatas colligi ex ipsis sensatis, quia in ipsis continentur tanquam intentiones eis conuenientes, qua virtute ab istis speciebus sensatis educantur cum sint superiores illis, est duplex modus dicendi, & vtrumque probare videtur M. Bañez 1. part. quæstion. 79. articul. 3. dub. 1. ad 2. argum. in fine. *Primus est*, quod illa species insensata sit ab ipso obiecto sensibili emittente ex se immediate species istas ad potentias interiores per sensus externos. In quo illud semper difficultatem facit, quomodo cum illæ species indifferenter per aërem diffundantur, quomodo non percipiantur ab omnibus, sed si lupus, verbi gratia, emittit species inimicitiæ respectu ouis, sola ouis percipit illam inimicitiam lupi, non vero alia animalia vt canis vel homo, &c. quia licet illa inimicitia lupi non repræsentetur vt contraria cani, sed oui, tamen hoc ipsum dicimus quod percipiet canis, scilicet quod lupus sit inimicus oui, & non ipsi cani, siquidē species illa repræsentans inimicitiam ad ouem, æque diffunditur ad sensus canis, & aliorum animalium, qui in eodem medio sunt, & sic omnes percipient, quod lupus sit inimicus oui, quia specie illa informantur. Quod si hoc semel concedatur, eadem ratione percipiet quodlibet animal quaslibet intentiones insensatas, siue ad se pertineant, siue ad alium, verbi gratia, quod lupus sit amicus alterius lupi, quod ista palea sit vtilis ad nidificandum tali aui, quod ista herba sit nociua tali animali, vel conueniens alteri, & denique omnes istæ intentiones, quæ sunt innumerabiles à quibuscunque percipientur, quia omnium sensus æquè actuant & informant, vtpotè ab obiectis immediate emissæ, cum tamen nos nihil tale sentiamus.

Alter modus dicendi est; quòd istæ species insensatæ non fiunt immediatè ab obiectis exterioribus, sed quod fiunt ab ipso animali à quo solo percipitur illa intentio, idque virtute animæ vtentis sensitiua potentia vt formatiua illarum specierum. Vndè dicit S. Th. opuscul. 43. cap. 4. *Quod æstimatiua est virtus apprehendens de sensato, quod non est sensatum, sicut ouis inimicitias lupi.* Vbi pondero, quod dicit apprehendere hoc ex sensato, non ex sensibili: obiectum autem prout extra non est sensatum, sed sensibile. Itaque ab illa potentia in qua obiectum redditur sensatum, fiunt virtute animæ species illæ eleuatiores, seu quæ dicuntur insensatæ, quia sicut in anima est virtus radicalis ad apprehendendum intentiones insensatas, ex præsuppositione cognitionis rerum sensatarum, ita est virtus ad hoc, vt species sensatæ, licèt crassiores & imperfectiores sint, possint immittere species perfectiores insensatas virtute ipsius animæ operantis per potentiam sensitiuam tanquam per instrumentum naturaliter motiuum superioris potentiæ, ad hoc enim dantur sensus externi vt moueant internos saltem virtute animæ. Ad quod etiam valdè iuuat virtus cœlestis, quæ eminentiam habet ad influendum super actiones intentionales, vt dicit Diuus Thomas, quæstione 5. de potentia, artic. 8. Imò hæc eadem difficultas currit in obiectis ipsis materialibus externis respectu sensuum externorum, quomodo scilicet possint obiecta ita materialia, & crassa producere species illas, quæ sunt magis materiales & perfectæ, quam accidentia materialia, quæ repræsentant. Et tamen dicimus ab obiectis emitti, quia sensibilia sunt ex natura sua, & præsertim, quia quantùm ad hanc actionem emittendi species intentionales subordinantur virtuti cœlesti, quæ ad intentionales actiones habet eminentiam. Eodem etiam modo dicemus, quod species semel receptæ in sensibus habent vim mouendi æstimatiuam eius in quo sunt, & consequenter emittendi species insensatas quæ sunt perfectiores, contentæ tamen in ipsis obiectis sensatis, idque faciunt, tum virtute animæ, tum virtute cœlesti, quæ sunt virtutes superiores. Quæ sit autem hæc virtus animæ? Iam diximus esse potentiam sensitiuam inferiorem, non vt cognoscitiua est suo modo inferiori, sed vt actiua, & motiua est potentiæ superioris, sic enim est productiua speciei non sibi, sed superiori potentiæ deseruientis, & sic operatur virtute animæ, quæ eminenter omnes potentias continet, & dat isti inferiori motiuam vim superioris in emittenda specie.

Ex quo patet ad rationem dubitandi, scilicet qua virtute fiant cum sint perfectiores, quam species sensatæ, hoc enim ex dictis iam solutum est.

Alius modus formandi istas species datur, non per simplicem, & naturalem emissionem ab obiectis, vel poten-

potentiis inferioribus, ſed per formationem ipſiusmet æſtimatiuæ, quæ ex præconceptis ſpeciebus format alias non minus, quam imaginatiua. Sed hæc formatio præſupponit præceſſiſſe iam aliquam ſpeciem, eámque fuiſſe præconceptam, ideóque illa formatur ex idolis ſeu ſpeciebus expreſſis, de quibus ſtatim dicemus.

Secunda ergo difficultas eſt circa ſpeciem expreſſam ſeu idolum, quod formant potentiæ interiores cognoſcentes rem in abſentia. Conſtat enim ponendam eſſe iſtam ſpeciem expreſſam ex parte termini cognitionis, & non ſufficere ſpeciem impreſſam. quæ ſe tenet ex parte principij, & generaliter eſt neceſſaria pro omni cognitione, ſiue in præſentia, ſiue in abſentia rei, eo quod obiectum mediante illa debet concurrere cum potentia ad eliciendam cognitionem. Exigitur tamen quod etiam obiectum terminet talem cognitionem ſecundum eſſe proportionatum ad terminandum illam. Et ita ſi res ſit abſens, oportet quod in aliqua imagine, vel ſimilitudine expreſſa repræſentetur vt terminet cognitionem, & ſimiliter ſi ſpirituali modo debeat cognoſci à potentia. Vndè D. Thom. 1. cont. Gent. c. 53. dicit: *Quòd ſpecies expreſſa debet formari, quando poteſt indifferenter cognoſci res abſens, & præſens, & ſecundo quando res debet immaterialiter ſeu ſpiritualiter attingi & in primo conuenit cam intellectu imaginatio, quæ etiam etiam rem abſentem cognoſcit*, quæ omnia vberius explicamus infra quæſtione 1.

Eſt ergo difficultas; an iſta ſpecies expreſſa ſeu idolum formetur ab ipſamet potentia cognoſcente per illud, an ab alia exprimente, & proponente illlud potentiæ vt cognoſcat; facit enim difficultatem in hac parte, tum authoritas D. Thom. tum ratio. Authoritas eſt opuſc. 14. vbi inquit: *In verbis quæ in imaginatiua fiunt, non eſt ratio verbi expreſſa, aliud namque eſt in ea, vnde ſimilitudo exprimit, & aliud in quo terminatur, exprimitur enim à ſenſu, & terminatur in phantaſia, cum phantaſia ſit motus factus à ſenſu ſecundum actum.* Et infra dicit: *Quòd intellectus non emittit ad aliquid aliud conceptiones ſuas, ſicut facit ſenſus.* Idem docet 4. contra Gent. capit. 11. vbi inquit: *Quòd ſenſibile exterius formam ſuam exterioribus ſenſibus imprimit, à quibus procedit in imaginationem, & vlterius in memoriæ theſaurum, in quolibet tamen cuius emanationis proceſſu principium, & terminus pertinent ad diuerſa, non enim aliqua potentia ſenſitiua in ſe ipſam reflectit.* Ita Diuus Thomas, vbi rationem inſinuat, quia videlicet potentia ſenſitiua non poteſt reflectere in ſe ipſam, ergo neque intendere in ſpeciem expreſſam inhærentem ſibi, vt in ea cognoſcat obiectum, ſic enim in ſe ipſa ſeu in aliquo ſibi inhærente cognoſceret. *Confirmatur hoc*; quia poſſunt fieri apparitiones in phantaſia, non per aliquam vitalem actionem producendo imaginem, ſed quia facta commotione in ſpiritibus animalibus ſeu ſanguine, vbi reſident ſpecies ex ſenſibus relictæ, variè combinãtur illæ ſpecies, & apparent ipſi phantaſiæ diuerſæ repræſentationes, quas vtique tanquam terminum repræſentatum intuetur, & conſequenter vt ſpeciem expreſſam. Et quòd hoc fiat per motum ſanguinis & ſpirituum, & non per vitalem expreſſionem conſtat, quia in ſomno apparẽt iſtæ imagines ex deſcenſu ſanguinis ad principium ſenſitiuum, & commouendo ſpecies quæ in ipſis ſpiritibus reſident, vt ex Philoſ. in lib. de ſomno, & vigil. docet S. Thom. 1. p. quæſt. 111. art. 3. & quæſt. 3. de malo artic. 4. & qu. 16. art. 111. Et eadem ratione Angelus, vel Dæmon poteſt in ipſa phantaſia apparitiones iſtas formare, per eandem commotionem ſpirituum, & ſanguinis, vt eiſdem locis docet S. Th. Illa autem commotio localis Angeli, non eſt elicientia vitalis ipſius imaginatiuæ.

Nihilominùs dicendum eſt, *Quòd ſpecies expreſſa ſeu idolum non formatur in phantaſia ſeu potentia interiori, niſi per actum vitalem potentiæ cognoſcentis, licet verum ſit, quòd ſpecies impreſſæ, quæ per modum principij debent concurrere ad cognitionem, locali motu poſſunt imprimi, & deferri ad ipſam phantaſiam, illamque excitare ad formandum tale idolum*, & hoc ſolùm intendit Diuus Thomas *in locis præallegatis*; aliàs enim ex eo attribuit phantaſiæ neceſſitatem formandi idolum, quia indifferenter poteſt cognoſcere abſentia, in quo conuenit cum intellectu formatio verbi fit per cognitionem, etiam in phantaſia. *Ratio autem eſt*, quia ſpecies expreſſa eſt imago vitalis, quia repræſentat non vt principium cognitionis, ſed vt terminus eius, & conſequenter non ante vitalem actionem, ſed poſt ipſam, & dependenter ab ipſa vt terminus eius, aliàs non eſſet expreſſa ſpecies, & per modum termini repræſentans ipſi cognitioni, ergo licet ſpecies impreſſa, quæ eſt principium cognitionis, poſſit per motum extrinſecum aduenire, tamen expreſſa, quæ eſt terminus cognitionis & operationis immanentis non poteſt per extrinſecam operationem, ſed per cognitionem vitalem produci. Quòd verò talis ſpecies expreſſa non poſſit formari ab vna potentia, & deſeruire alteri, vt in ea tanquam in termino cognoſcat, patet, quia quod formatur ab vna potentia, non poteſt eſſe terminus operationis elicitæ ab altera, nec formaliter illi reddere rem cognitam & repræſentatam per modum termini; ſed ſi ſpecies formata ab vna potentia repræſentat alteri, ſolum poteſt eſſe mouendo illam obiectiuè, ſiquidem extra illam eſt, & ſic vt tale idolum ſeu imago repræſentaret, & cognoſceretur ab alia potentia, deberet emittere ſpeciem ſui ad illam ſicut imago exterior, quæ obiectiuè mouet potentiam, per ſpeciem ſui mouet illam. Si autem ſpecies expreſſa deberet informare aliam potentiam mediante ſpecie à ſe emiſſa, iam non informaret vt terminus cognitionis, ſed vt obiectum mouens ad extra.

Ad Authoritates D. Thom. ad 1. reſpondetur, quod negat verba imaginatiuæ potentiæ eſſe expreſſiua, non quia non ſint formata per cognitionem æſtimatiuè, ſed quia in modo formandi dependent non à ſola potentia & ſpecie, ſed etiam ab aliis motibus corporalibus & phyſicis, quibus ſpecies ipſæ deferuntur à ſenſibus ad phantaſiam, vel ex memoria depromuntur, & agitatione & commotione ſpirituum aut humorum ſpecies ipſæ diſponuntur, vt moueri poſſit phantaſia. Et hæc motio aliquando fit ab ipſomet homine, non ſolum dormiente, ſed etiam vigilante, & per voluntarium vſum, vt dicit D. Th. quæſt. 3. de malo art. 4. aliquando etiam poteſt fieri à cauſa extrinſeca. Et ſpecies, quæ à ſenſu emittuntur ad phantaſiam, vocat D. Thom. in eodem loco, & aliis ſupra citatis; quod ſunt impreſſiones relictæ à ſenſibus, quæ in dormientibus deſcendunt cum ſanguine, ſeu ſpiritibus ad principium ipſum ſenſitiuum, & inde mouent phantaſiam, perinde ac ſi ab ipſis obiectis exterioribus moueretur. Impreſſiones autem illæ non ſunt ſpecies expreſſæ, quia iſtæ non mouent cognitionem, ſed ſunt terminus actus, ſeu cognitionis. Quia ergo expreſſio propriè loquendo debet eſſe partus quidam purè intentionalis, & in genere cognoſcitiuo; ideo formatio illa verbi, ſeu ſpeciei, quæ dependet neceſſariò ab aliqua commotione phyſica & alteratione ſpirituum vel humorum, in quibus ſpecies diſponuntur & deferuntur, cadit à propria & perfecta ratione expreſſionis, & ratione illius

illius dicitur fieri cognitio illa, & formatio verbi per immutationem extrinseci mouentis, & non per expressionem perfectam, sicut fit in intellectu nostro, cui licet phantasia ministret species, vt instrumentum intellectus agentis in genere obiectiuo & intentionali, tamen ipsæ species impressæ spirituales sunt, & verbum quod formant spirituale est, vndè non dependet ab aliqua physica commotione spirituum, vel humorum, aut alia alteratione physica vt formetur, sed purè intelligibiliter exprimitur. Et tamen quia dependet à phantasmatibus, adhuc imperfectiori modo exprimit verbum quàm Angeli, vt dicit S. Th. 4. contra Gent. c. 11.

Quòd verò dicit D. Thom. quod intellectus non mittit ad aliquid aliud conceptiones suas sicut facit sensus. *Respondetur*, non intelligi, quòd sensus mittat conceptiones suas, ita quòd potentia, cui mittit non formet conceptionem seu idolum, sed formatum ab alia recipiat, vt per illam formaliter cognoscat, sed intelligitur, quòd conceptiones formatæ à sensu mittunt ad illam species impressas eorum, quæ concipiunt, quod tamen non facit intellectus, quia non habet potentiam supra se quam moueat. Et in hoc sensu apertè loquitur D. Th. contra Gent cap. 11.

Ad rationem respondetur, non colligi, quòd potentia sensitiua sit reflexiua, ex eo quòd formet idolum, & mediante illo cognoscat obiectum repræsentatum in illo, dummodo non cognoscat ipsum verbum in actu signato, & tanquam obiectum cognitum, sed vt medium cognoscendi, sicut etiam non reflectit supra ipsum actum, licèt vtatur illo tanquam medio cognoscente & tendente ad obiectum, sic vtitur idolo formato vt repræsentante sibi obiectum extra, tanquam termino producto ad repræsentandum aliud, non vt sentiatur in se, quod requirebatur ad reflexionem.

Ad Confirmationem respondetur, apparitiones quæ fiunt in somno, non esse species expressas formatas à sensu, & repræsentatas, seu apparentes phantasiæ, sed vt colligitur ex D. Thom. & Aristot. species impressæ, quæ relinquuntur ex sensibus, ponunturque in ipsis spiritibus, seu sanguine, delatæ in phantasiam mouent ipsam ad formandum idola, & cognoscendum, sicut cum erat in vigilia. Contingit autem sic: quando dormitur obstructis viis, seu meatibus sensuum externorum per vaporum copiam, contingit per agitationem sanguinis, & spirituum descendere spiritus ipsos ad principia sensitiua, id est, ad organa sensuum sic obstructorum, & quia species ab ipsis sensibilibus impressæ in spiritibus illis sunt affixæ, vtpotè cum per illos deferantur ab vna potentia ad aliam, rursus tales species ab ipsis sensibus in quos descendunt mediantibus spiritibus eiaculantur in phantasiam, ipsamque mouent eodem pacto, ac si sensus vigilaret, quia dum vigilat, non aliter mouet phantasiam, quam emittendo species in spiritibus inclusas ad illam. Et quia contingit istas species diuersimodè commisceri & combinari, & similiter ipsam agitationem spirituum & humorum aliquando esse magis turbulentam, aliquando magis sedatam & puram, inde etiam contingit somnia aliquando esse magis turbida & difformia, aliquando magis vniformia & pura, aliquando repræsentare res maximè distortas & monstruosas, aliquando proprias, prout fuerit combinatio specierum in illis spiritibus, vel dispositio aut infirmitas phantasiantis. Et quia Angeli, vel dæmones possunt intra cerebrum localiter mouere spiritus, in illis combinare species, quæ à principiis sensitiuis mittantur ad phantasiam inde est, quod variis apparitionibus possunt illam mouere non solum in somno, sed etiam in vigilia, & aliquando ita fortiter, quod putet aliquis se videre res extrinsecùs, cum tamen solum sint species delatæ ad principia sensitiua, & inde mouentes phantasiam maiori aliqua viuacitate à Dæmone procurata, vt ex locis D. Thom. cit. colligitur, & affirmat in 2. dist. 7. quæst. 1. art. 5. ad 4.

An verò ista idola formentur aliquando per compositionem seu collationem, an simplici quidam formatione? *Respondetur*, quòd Auicenna, vt refert D. Thom. 1. part. quæst. 78. art. 4. posuit quandam distinctam potentiam à cæteris, quæ deseruiret pro formandis speciebus secundùm compositionem, vt ex specie auri & montis, speciem montis aurei. Sed tamen, vt aduertit D. Thom. hoc quod est formare per compositionem collatiuam, solum inuenitur in homine, propter quod æstimatiua in ipso dicitur cogitatiua, quia conferendo & discurrendo circa intentiones singulares, formare potest species. At verò bruta non hoc faciunt per compositionem collatiuam, sed naturali instinctu, & sic modo ipso & formali ratione procedendi, illa formatio in brutis simplex est. Cæterum id quod naturalis instinctus facit, combinatio est diuersarum specierum quæ per agitationem humorum & spirituum inter se commixtè mouent ad diuersas res compositas repræsentandas, & ita ex parte rerum repræsentatarum & combinationum specierum comparatio datur etiam procedendi quasi modo collatiuo & comparatiuo id in brutis, non ex modo cognoscendi & faciant, sed per modum mixtionis specierum quæ commixtæ faciunt formari idola repræsentatia res compositas & coaceruatas.

Quod si dicas; cur similiter in sensibus externis non fit hæc commixtio specierum, sicut in internis, sed distinctæ vnumquodque cognoscitur? *Respondetur*; etiam aliquando contingere in sensibus externis ex diuersa dispositione medij per quod deferuntur species, vt cum species soni, aut odorum confunduntur, aut cum species visibiles refranguntur in angulis perspicillorum, & multiplicantur aut confunduntur, aut paruæ apparent vt in aliquibus speculis; frequentius tamen id accidit in internis sensibus, tum quia medium quo deferuntur species sunt ipsi spiritus, qui aptiores sunt ad commixtionem istam propter sui velocitatem, & mobilitatem; tum quia potentiæ ipsæ maiorem vim habent ad combinandum istas species & spiritus ipsos commouendos, tum quia minus pendent à præsentia & immutatione obiectorum quàm sensus externi, & ita facilius obiecta mutant in speciebus.

TRACTATVS DE ANIMA INTELLECTIVA.

QVÆSTIO IX.

De Anima rationali secundum se.

ARTICVLVS I.

Quomodo naturaliter constet animam rationalem esse immortalem, & per se subsistentem?

PLVRES fuisse qui animam nostram immortalem negauerint, tum ex antiquis Philosophis vel potius insipientibus quàm ex modernis hæreticis, seu Atheistis manifestum est. Et quidem Sapientiæ 2. introducuntur quidam dicentes: *Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus, & spiritus diffundetur tanquam mollis aër, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis.* Et non solum aliquos hæreticos & antiquos aliquos Philosophos constat existimasse animas hominum interire, sicut & pecudum, sed etiam Aristoteles non benè sensisse de animæ immortalitate non pauca sunt quæ persuadeant, vt sentit D. Gregorius Nyssenus, licet excusetur à D. Thom. 2. contra Gent. cap. 79. & quodlib. 10. artic. 6. & 12. Meth. lect. 3. & aliis locis, de quo postea agemus. Certum tamen est subobscurè de hac re Aristot. fuisse locutum, & quadam perplexitate detentum, eò quòd ex vna parte posuit mundum ab æterno & generationes rerum, negauit autem contra Pythagoram animas, transire de vno corpore in aliud, & contra Platonem negauit easdem res statutis temporibus iterum redire, vnde cogebatur ponere omnes animas ab æterno productas in infinitis hominibus actu nunc esse separatas si essent immortales, ipse autem negauit infinitum in actu, 3. Physic. Vnde valde in hac parte Aristot. opprimebatur circa animæ nostræ immortalitatem.

Cæterùm animam nostram immortalem esse & subsistere soluto corpore, ita rationis lumine insitum videtur, vt etiam apud Gentiles & barbaras nationes pro constanti res ista habita sit, cum ferè omnes agnouerint restare post hanc vitam pœnas pro delinquentibus, & pro bonis præmia, de quo videri potest Clemens Alexandrin. lib. 4. Stromatum cap. 7. & 8. Origenes lib. 7. contra Celsum Eusebius de præparatione Euangelica cap. 18. Lactantius lib. 7. Institutionum, cap. 8. Cicero in 1. Tusculanar. quæst. Tertullianus lib. de Anima, cap. 34. vbi id tribuit Platoni, Socrati & Pythagoræ, & videri possunt plura apud Eugubinum lib. 9. de perenni Phil. cap. 3. Nicolaum Fauent. lib. 1. de immortalitate anim. c. 11. aliósque recentiores.

Fundatur hæc veritas pluribus argumentis, sed præcipua reducuntur ad tria. *Primum* est ad Scripturæ authoritatem. *Secundum* ad rationem speculatiuam ex operatione animæ deductam. *Tertium* ad rationem moralem ex gubernatione Dei. *Quod attinet ad primum*, licèt tota Scriptura nihil principalius nobis significet, quàm vitam æternam restare post hanc vitam bonis, sicut & malis supplicia æterna, & in vtrisque resurrectionem futuram, nec solum animas bonorum post hanc vitam conseruari speciali aliqua gratia Dei, sed etiam animas malorum, quæ omni gratia Dei carent, atque adeò naturaliter immortales esse debent: specialiter tamen videri pòtest *Sapientiæ secundò*, vbi error oppositus ad longum refertur, & condemnatur. Item Ecclesiastes 11. *Reuertatur puluis in terriam suam, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Item Iob. 3. loquens de hominibus iam defunctis, *ibi*, inquit, *impij cessauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore paruus, magnus ibi sunt, &c.* Item Lucæ. 16. *mortuus est mendicus, & ab Angelis portatus in sinum Abrahæ, mortuus est & diues, & sepultus est in inferno. Apocalypsi 6. vidi animas interfectorum propter verbum Dei, &c.* & alia multa loca passim occurrunt, quæ rem istam clarissimè testificantur nec indigent peculiari ponderatione. Vnde tandem hæc veritas diffinita est in Concil. Lateranen. sub Leone X. vbi dicitur. *Cum nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quod mortalis sit, & aliqui temere philosophantes, saltem secundum philosophiam verum esse asseuerentes, sacro approbante Concilio damnamus omnes, asserentes animam intellectiuam mortalem esse, & hoc in dubium vertentes, cum illa non solum per se, & essentialiter forma existat verùm & immortalis.* Vbi cum Concilium damnet eos qui secundum Philosophiam voluerunt ponere animam mortalem manifeste supponit naturaliter esse immortalem. Superfluum est autem Sanctorum authoritates pro hac parte adducere, cum nihil tam frequens apud Patres repetatur, quam animarum post hanc vitam præmia, & supplicia, & tandem resurrectionem futuram.

Quoad secundum, ex his quæ D. Thom. docet 1. p. quæst. 75. artic. 2. & 6. & 2. contra Gent. cap. 79. formare possumus hanc rationem speculatiuam ex propria animæ intellectiuæ operatione desumptam. Nullum principium intellectualis operationis potest esse dependens à corpore in essendo: Sed anima rationalis est principium intellectualis operationis, ergo in suo esse non est dependens à corpore, sed extra illud subst. Rursus illud quod est subsistens independenter à corpore, & in se est forma, non potest corrumpi ab aliquo agente creato, licet possit annihilari à Deo, ergo simpliciter anima est immortalis, seu incorruptibilis ex natura rei, licet sit dependens in esse & conseruari à Deo, sicut omnia alia entia quantumcumque immortalia.

Primus syllogysmus huius rationis est consequentia legitima, vtpotè inferens in *Ferio. Minor prob.* quia illa operatio est intellectualis, quæ potest vniuersaliter attingere omnes naturas corporeas ex parte obiecti, & per abstractionem vniuersalem ex parte modi cognoscendi, & aliquo modo saltem discursiuè attingi

attingit substantias spirituales & separatas; ad hæc enim tria reducit D. Thom. probationem intellectualis operationis in 2. contra Gent. cap. 49. & 66. & quæst. de anima art. 1. & 1. part. quæst. 75. artic. 2. Et quod possimus intelligere omnes naturas corporeas constat experientia ipsa, quia intellectus noster habet pro obiecto quidditatem sensibilem, vnde nulla natura corporea siue sensibilis datur quam non possit intellectus noster percipere, quidquid enim sensu patere potest penes exteriora accidentia ab intellectu attingi potest quoad substantiam, ergo necesse est quod talis potentia careat omni natura corporea, sicut visus caret omni colore, vt possit omnes differentias colorum percipere, non tamen caret omni visibili, quia habet rationem diaphani lucidi, & ideo omnia videt sub ratione lucidi, & per medium diaphanum: ita etiam potentia intellectiua ad percipiendum omnes naturas corporeas debet omni natura corporea carere, quod est esse spiritualem, sed tamen non debet carere omni quidditate & ratione entis, quia omnia ad modum entis, & quidditatis cognoscit aliàs destrueretur.

Ex parte etiam modi cognoscendi nempe per modum abstractionis, & vniuersalitatis & comparationis & reflexionis, constat operationem ipsam debere esse intellectualem, quia talis modus abstractionis, & vniuersalitatis excedit omnia corporalia, quia induit proprietates immaterialitatis; potest enim apprehendere rem abstractam in vniuersali independenter à loco & tempore, quod est proprium rei incorporalis & immaterialis, vniuersale autem sub modo vniuersalitatis abstractum independenter se habet à determinato loco & tempore, imò abstractio, quam facit noster intellectus se extendit ad omnes gradus quantumcumque superiores, & analogos, sub quibus comprehenduntur etiam ipsæ res spirituales, sicut substractione substantiæ, in qua conueniunt etiam Angeli, & similiter in abstractione qualitatis, quæ abstrahit à corporali & spirituali, ergo ex modo operandi talis operatio intellectualis est quia modus ille superat omnem corporalem.

Et ex hoc prob. quoad 3. eadem min. quia licet non percipiat noster intellectus res spirituales quidditatiuè vt sunt in se, tamen discursiuè & collatiuè illas attingit, & consequenter aliquid altius omni corpore cognoscit, & altiori modo hoc ipso, quod per viam remotionis res spirituales attingit negando, seu remouendo ab illis omne quod corporeum est sicut si visus posset attingere sonum remouendo ab illo quidquid visibile est, rectè colligeremus, quòd obiectum visus non esset coarctatum & liminatum ad solum colorem, quia attingere sonum remouendo ab illo omne visibile non stat cum hoc quod visibile sit specificatiuum visus, quia nulla potentia potest aliquid attingere remouendo suum specificatiuum ab illo. Si ergo noster intellectus potest attingere rem spiritualem per viam remotionis id est remouendo ab illa omnem conditionem corpoream, necesse est quod specificatiuum talis potentiæ non sit aliquod corpus, sed aliquid altius omni ratione corporea. Quod verò res spirituales hoc modo attingamus constat, tum experientia cum multa de illis demonstremus; tum ex ipsa inclinatione virtutis, quæ contrà omne pondus corporeum, & suprà omnem sensum & delectationem rapitur ad spiritualia, ergo debet illa cognoscere, alias non amaret; tum denique quia, vt dicit Apost. Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, ergo spiritualia attinguntur.

Restat ergo prob. mai. huius primi syllogismi; quod nullum principium intellectualis operationis est dependens à corpore. *Et prob.* quia intellectualis operatio vt vidimus est spiritualis, & excedens omnia corporalia, ergo necesse est quod radix & principium à quo egreditur sit substantia spiritualis, siquidem operatio non habet aliquod esse quod non accipiat à principio à quo procedit, ergo si habet esse spirituale, accipit illud à suo principio, ergo illud non potest esse corporeum, quia non potest dare esse excedens se ipsum. Si autem substantia illa non est corporea, sed spiritualis, ergo est independens in essendo à corpore, quia si esset dependens cum anima sit forma, dependeret vtique à corpore vt à materia, alioquin si non dependet ab ea, vt à materia, ergo remota tali materia & corpore adhuc anima stare potest. Si autem à materia dependet in essendo, ergo debet contineri ipsa materia & educibilis esse ab illa, & reducibilis in illam, & producibilis ab agente naturali per actionem corpoream, & dispositiones corporeas, ergo nihil illi deest vt sit corporea, siquidem in virtute actiua & materiali corporea continetur.

Quomodò verò anima cum forma spiritualis sit, informet materiam, quin contineatur in illa, dicemus artic. sequent. An verò aliquod accidens spirituale imperfectum per modum motionis possit inhærere corpori, & in eius potentia contineri, dicemus. q. seq. artic. 2.

Sic ergo probato quod anima rationalis est forma subsistens & spiritualis, *restat probare secundum*, quod inde deduximus, scilicet quod sit incorruptibilis. *Et suppono*, quod solum dupliciter potest aliquid corrumpi, scilicet vel per se, vel per accidens. Per se corrumpitur id, quod per se generatur, sicut res subsistens. Per accidens desinit quod ad definitionem alterius corrumpitur sicut forma, vel accidens, quæ desinunt ad destructionem subiecti in quo sunt. Res autem subsistentes habent esse mediante triplici causa, scilicet efficiente à qua fiunt, & conseruantur; & formali, quia forma est quæ dat esse rei; & materiali, non quæ sit subiectum inhæsionis, hoc enim non datur respectu rei subsistentis, sed quæ sit pars constituens vt in rebus corporeis subsistentibus. Finalis autem causa hic locum non habet, nam finis non dat ipsum esse tanquam principium, sed perficit & consummat tanquam finis, & ordinat ad se. Et licet finis in intentione præcedat ipsum efficiens, tamen non exequitur suum effectum nisi mediante causa efficienti. Materialis etiam causa in præsenti locum non habet, quia anima non est res composita ex materia corporali, & forma, sed est simplex forma informans materiam independens autem vt ostensum est à corpore in suo esse, & consequenter à materia quam informat, nec enim habet aliam materiam, quam corpoream & sensibilem, quam informat, & sic si non dependet à corpore in operando & essendo, etiam non dependet in esse à materia, sicut formæ non subsistentes. Ergo anima non potest corrumpi corruptione per accidens, id est per ablationem subiecti, seu causæ materialis, si enim non dependet ab illa in esse, sublata illa, adhuc remanet eius esse.

Solum ergo potest corrumpi per se, scilicet vel per ablationem causæ formalis, vel per suspensionem influxus efficientis. Primum nõ habet locum in præsenti, cum anima non sit composita ex forma & materia, sed simplex forma, ergo non potest amittere esse per separationem alicuius formæ dantis sibi esse. Solum ergo potest amittere esse per suspensionem influxus causæ efficientis, prout ab illo dependet existentia effectus; existentia enim rei non potest tolli per contrarium, non corrupta eadem forma cuius ratione

datur; quia sic deberet tolli vna existentia, & succedere alia, si autem alia succedit, manet res existens quia manet sub aliquo esse, solum ergo potest tolli per suspensionem influxus, quo conseruatur in esse à suo agente, & sic nullus negat, quod anima potest desinere sicut etiam Angelus, & cœlum, sed talis desitio erit annihilatio, non corruptio, & sic semper anima manet incorruptibilis respectu agentium naturalium, quæ non possunt corrumpere annihilando, & suspendendo influxum, à quo res conseruatur in esse à suo creante, sicut nec possunt totum esse producere creando, & sic à nullo agente creato potest separari existentia ab aliqua re, nisi separando, aut non conseruando formam, qua mediante participatur esse, qua mediante participatur esse in ipsa re habente formam. Et ideo dicitur, quod formæ subsistenti conuenit esse per se, non per se, id est essentialiter sed per se, id est non per aliud sed immediatè, quæ est propriissima expositio huius propositionis D. Thom. *esse per se conuenit formæ*, quam obscuram & difficilem vocat Suarez vbi supra num. 20. sed dicimus, quod formæ per se conuenit esse non per se in primò, aut secundo modo, cum non habeat connexionem essentialem, vel intrinsecam ipsum esse cum forma creata, sed conuenit per se in tertio modo, id est per se singulariter, seu subsistenter, quia formæ subsistenti conuenit esse immediate, & non mediante alia forma, & sic per se subsistenter, seu immediatè habet esse. Ex quo fit, quod tale esse non potest tolli à tali forma remouendo aliquam formam, sed solum remouendo influxum efficientis primi, & talis influxus non potest remoueri nisi per annihilationem, & suspensionem illius, reliqua verò agentia creata solum possunt corrumpere introducendo aliquam formam contrariam, aut incompossibilem cum præcedenti quæ dabat esse. Potest etiam Deus supplere hoc esse assumendo illam formam ad suam diuinam subsistentiam, & existentiam, sed hoc nõ est corrumpere, sed meliorare & perficere esse formæ.

Vnde cessant omnes instantiæ P. Suarez contra hoc axioma *quod esse per conuenit formæ*, quæ procedunt ad probandum quod est non conuenit essentialiter ipsi formæ, sed contingenter, imò & de facto separatum est à forma secundùm sententiam Thomist. in Incarnatione, in qua humanitas assumpta est ad existentiam diuinam. Sed constat ex dictis quod ly *per se* non sumitur à nobis pro eo quod est essentialiter, & in primo, aut secundo modo per se, sed pro eo quod est immediatè, & in tertio modo per se. Vndè tandem ipse Suarez num. 24. in hanc expositionem conuenit dicens, quod si existentia distinguitur à natura, non potest tolli à forma, quia per se conuenit illi hoc est immediatè.

Hæc ratio non solum probat animam non desinere ex vi separationis à materia, sed etiam postquam separata est non corrumpi, sed semper durare, quia hoc ipso quod habet esse subsistens vt forma simplex & independens à materia, vel composito, sed solum acceptum ex influxu Dei conseruantis, constat ipsum esse animæ non posse ab aliqua causa creata corrumpi etiam post separationem, quia à nulla causa creata potest impediri, vel auerti influxus Dei, alias posset annihilare, quia remoto, vel impedito influxu Dei creantis, vel conseruantis res totaliter decidit in nihilum.

Tertia probatio est moralis ratio deducta ex distributione præmiorum & pœnarum, quæ in hac materia magnum habet pondus, & multi sancti ea vtuntur. supponit autem hæc ratio duo principia lumine naturali nota. *Primum est* dari vnum supremum Rectorem totius vniuersi, qui est Deus ad quem pertinet rectè disponere & prouidere omnes res vniuersi, præsertim actiones humanas. *Secundum est*, quod cum homo ex sua propria natura rationalis sit oportet, quod supremus eius finis sit viuere secundùm rationem, & consequenter secundùm virtutem, quia virtus est quæ homines facit rectè operantes secundùm rationem. Quare felicitas hominis non potest consistere in his quæ pertinent ad temporalem fortunam, & sufficientiam rerum corporalium, quia hæc communia sunt bonis & malis, imò plerumque mali magis prosperantur in hac vita, & tamen agunt contrà rationem; neque in hoc attingunt felicitatem, seu finem rationalis vitæ.

Ex quibus principiis deducitur, virtute deberi aliquod præmium post hanc vitam, & culpæ pœnam, alias non rectè ordinaretur hoc vniuersum circa actiones humanas & finem rationalis vitæ. Nec enim potest virtus habere in hac vita debitum præmium, tum quia ea quæ in hac vita dantur præter virtutem, solum possunt pertinere ad felicitatem aliquam temporalem in aliquo bono ciuili vel delectabili, & in sufficientia bonorum huius vitæ; hæc autem non possunt esse conueniens præmium virtutis, quia sunt inferioris ordinis ad ipsam & propter bonum virtutis & honoris hæc omnia relinqui possunt & debent; vndè sunt communia malis & bonis, ergo non possunt esse congruum præmium bonorum: Tum etiam quia in vita hac plerumque virtus caret omnibus istis, & est in magna tribulatione, & labore, & est in magna tribulatione, & labore, & miseria, iuxta quod dicit Apost. 1. ad Corint. 15. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Non potest autem labor & miseria huius vitæ esse præmium virtutis, cum potius sit exercitium, & meritum eius, vt potè valdè laboriosum; præmium autem virtutis debet esse aliqua felicitas propria hominis vt homo est, & consequenter debet esse libera à miseriis, felicitas enim miseriæ opponitur. Si ergo non omnis virtus in hac vita liberatur ab istis miseriis & labore, non omnis virtus habet præmium & felicitatem sibi debitam, ergo vel perpetuò careret illa, vel debet habet illam post hanc vitam.

Nec valet respondere ex Scoto in 4. dist. 43. quæst. 2. virtutem secum afferre suum præmium, scilicet pacem internam, voluptatem maximam, honorem externum, & similia. *Nam contra est*, quia hæc non sunt præmia virtutis, sed proprietates eius, & sic adhuc pertinent ad meritum; non potest autem meritum respicere pro præmio id quod est sibi connaturale & proprium vt meritum est. *Adde* quod hæc omnia non sunt coniuncta cum felicitate aliqua, sed compatiuntur cum magna tribulatione & miseria, & labore in exercitio virtutis, quia vt dicit Apost. 2. ad Timoth. 3. *Omnes qui volunt pie viuere in Christo Iesu persecutiones patientur*, non ergo possunt ista præmiare virtutem, alioquin sua ipsa difficultate & labore præmiaretur, quod est ridiculum; imò posset secundùm hanc rationem in republica bene instituta, iustè denegari præmium virtuti & pœna peccato, quia ipsa virtus est sibi sufficiens præmium, & similiter peccatum est sibi pœna & supplicium, ergo iustè potest quodcumque aliud præmium vel pœna denegari. Honor autem debetur quidem virtuti, sed non semper redditur, vel quia virtus est occulta, vel quia habet aduersarios à quibus potius contemnitur, & ita si non esset alia vita, communiter virtus careret præmio.

Additur ad hoc, quia vel in hac vita debet homo viuere secundùm rationem, vel secundùm sensum. Hoc secundum est omnino contra ipsam rationem, nec constituit perfectionem hominis, in eo quod perfectissimum illi est, scilicet in quantum rationalis, si non debet

debet viuere secundùm rationem, sed secundùm sensum. Si primum, debet in multis contradicere corpori, & appetitus reprimere quos contra rationem esse videmus, & propria commoda contemnere, propter altius bonum, quod est bonum rationis, & virtutis, ergo illud bonum rationis superat omne bonum corporale huius vitæ, siquidem etiam suprema bona corporis, v.g. voluptates & honorem externum homo debet negligere propter bonum rationis, & aliquando etiam vitam ipsam debet postponere bono virtutis, ergo si anima desineret cum corpore, inclinatio ad operandum secundum rationem esset inclinatio ad destruendum se ipsum siquidem relinquendo bona corporis, corpus afficeretur damno & consequenter anima, si cum corpore interiret.

Quare relinquitur, rem istam demonstrari rationibus naturalibus, & moralibus, quod immerito negat Scot. vbi supra, nec benè Cai. dixit in 3. Eccl. hactenus nullum Philosophorum demonstrasse immortalitatem animæ. Sed fortasse loquitur de philosophis antiquis, nam loquendo de ratione D. Thom eam defendit 1. p. q. 75. a. 2. & respondet ad rationes Scoti.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

P*Rimo instari potest*, contra rationem deductam ex operatione animæ, quia anima intelligit cum dependentia à phantasmatibus & à sensibus corporeis, ita vt numquam possit absolui ab ista connotatione & dependentia. Vnde ergo constat nobis operationem animæ esse in se spiritualem, si nunquam possumus eam independentem à rebus & sensibus corporeis videre.

Secundo, quia ipsa anima non solum quoad operationem, sed etiam quoad indiuiduationem & consequenter quoad esse dependet à corpore, indiuiduatur enim & distinguitur indiuidualiter vna anima ab altera per ordinem ad corpus, ergo tam ex parte operationis, quam ex parte indiuiduationis habemus indubitata signa materialitatis in anima, & ita quidquid dicitur de modo illo immaterialitatis, & spiritualitatis in operando, vel in subsistendo, si regulatur per istas dependentias, omnino eneruat istas rationes quia non stat illa spiritualitas cum tanta dependentia, & ordine ad corpus.

Tertiò quando dicitur debere animam carere omni corpore, quia potest intelligere omnia corpora, instatur in primis, quia non intelligit anima nostra omnia corpora simpliciter, sed solum quæ per sensus offeruntur, & eo modo quo per sensus cognoscuntur, nam si à tali modo extrahantur, vt si ponatur corpus sine quantitate, vel eo modo quod est corpus Christi in Eucharistia, non valet intelligi ab anima nostra, Quod si solum loquimur de omni corpore per sensus externos cognito, hoc etiam attingit imaginatiua, quæ ad omnia corpora se extendit hoc ipso quod ad omnia imaginabilia, & tamen non est spiritualis. *Deinde* dato quod intelligat omnia corporea, non sequitur quod caret omni corporeitate, alias etiam probaretur quod caret omni quidditate, & entitate quia potest cognoscere omnes quidditates, & entitates; imò vt sensus percipiat aliquod obiectum, non debet carere illo realiter, sed solum intentionaliter, sicut potentia visiua non caret luce, nec diaphaneitate, & tamen vtrumque cognoscit. Illa autem ratio de cognitione & attingentia substantiarum separatarum nihil omnino probat, quia res istas spirituales non cognoscimus nisi ad instar rerum corporearum, & cum connotatione ad corpora; nec potest ab istis connotationibus expediri nostra cognitio intellectiua, ergo ex hoc nullo modo probatur spiritualitas illius cognitionis, quia non probatur omnimoda separatio à conditionibus corporeis.

Quarto, principium intellectuale non excedit omne corporeum, quia intellectus non potest esse perfectior quam natura à qua dimanat, sed anima est actus corporis, ergo & intellectus talis animæ. *Et confirmatur*, quia si esset pure spiritualis, esset se ipsa intelligibilis anima & ipse intellectus, siquidem intelligibilitas fundatur in immaterialitate, ergo quod in sua entitate est omnino immateriale per se ipsum est intelligibile, & sic ipsa anima redderet intellectum actuatum sua propria intelligibilitate quando intellectus dimanat ab ipsa, & sic repugnat quod intellectus dimanet vt pura potentia cum debeat dimanare, vt intelligibiliter actuatus ab ipsa natura spirituali à qua dimanat, si in se ipsa spiritualis est.

Quintò, contra rationem qua ostenditur animam esse subsistentem, & non corrumpi ad corruptionem corporis instatur in primis, quia & si non dependeat à corpore in subsistendo, non tamen probatur quod non dependeat à corpore vt à dispositione requisita, seu conditione vt conseruetur in esse sicut dependet in indiuiduatione. *Deinde* illa propositio cui tota hæc ratio innititur, scilicet quod esse per se conuenit formæ non rectè intelligitur conuenire in tertio modo per se, seu subsistenter & immediatè, quia in primis existentia immediatè conuenit supposito, seu subsistentiæ, quia est id quod primo fit & consequenter, quod primo existit, suppositum autem in homine est corruptibile, ergo ex eo quod alicui immediatè conueniat existentia non sequitur quod non possit corrumpi. *Denique*, quia hoc ipsum quod alicui immediatè conuenit potest dependere ab aliquo extrinseco à quo immutetur vel corrumpatur, sicut quantitas immediatè conuenit corpori, & tamen potest multis modis mutari & corrumpi, verbi gratia per diuisionem augmentationem, diminutionem, &c. Alia quæ contra spiritualitatem animæ militant seq. art. adducemus.

Ad 1. *responderi solet*, intellectum nostrum dependere à phantasmatibus & sensibus vt à proponentibus & ministrantibus obiecta, non autem tanquam à præbentibus formalem rationem, & modum operandi. Sed quia hoc ipsum est quod quæritur, restat eius reddere rationem. Vnde addimus, hoc ipsum comprobari indiciis & signis supra allatis; tum quia intellectus taliter cognoscit obiecta corporea, quod etiam supra se reflectit, ergo oportet, quod eius obiectum sit aliquid superius & altius, quam illa obiecta corporea ministrata per sensus, siquidem non solum illa cognoscit, sed etiam ad se reflectit, ergo signum est quod à sensibus & limitantibus ad se modum cognoscendi intellectus: tum quia percipit quidditates corporum, & interiorem substantiam ad quam non pertingunt sensus, sed solum ad exteriora accidentia, ergo signum est non limitari modum operandi intellectus ad obiecta sensus, & ad modum operandi ipsorum. Quare intellectus tantæ amplitudinis est, vt possit saltem per viam negationis & remotionis discernere inter corporalia, & spiritualia, atque etiam illa attingere separando omnem rationem corporeitatis per viam negationis, quod signum est, non limitari, & deprimi operationem intellectiuam animæ ad modum materialem si enim potest ipsam remouere, & remouendo vsque ad spiritualitatem obiecti attingere, vtique excedit omnem vim cognitionis corporeæ, nulla enim talis operatio potest etiam per viam remotionis excedere suam specificam rationem, quæ corporea est, ergo operatio quæ illam excedit, corporea non est.

Ad secundum resp. quod indiuiduatio animæ sequitur eius naturam non solum in se sed in ordine ad ali-

aliquem terminum prout eſt communicabilis, vel in-
communicabilis alteri, quia indiuiduatio pertinet ad
rationem vltimi, ſeu incommunicabilis, ſi perfecta,
& completa ſit. Cum autem Anima licet in ſe ſit in-
dependens à materia & ſubſiſtens, ſit tamen commu-
nicabilis illi, non poteſt compleri & totaliter indiui-
duari ad ſe, ſed in ordine ad materiam cui communi-
catur. Hæc tamen dependentia ſeu ordo non tollit,
quod ſubſtantia illius animæ non ſit ſpiritualis, & in-
dependens in eſſe à corpore, quia ſpiritualitas ſequi-
tur immaterialitatem rei in ſua entitate, communi-
catio autem illa non eſt propter eſſe formæ, quæ in
ſe habet illud, ſed propter eſſe compoſiti, quod ex illa
forma reſultat, quia forma licet habeat in ſe eſſe, ſed
non terminatum in ſe, vt Angeli, ſed communica-
bile, non omnis autem communicatio ſit propter de-
pendentiam in eſſe, ſed etiam propter abundantiam.

Ad tertium Reſpond. Inſtantias illas eſſe inefficaces.
Prima quidem, quia Anima noſtra poteſt attingere
omnia corpora quoad ſuas quidditates, licet non
poſſit attingere naturaliter omnes modos, ſeu per-
fectiones quas poteſt Deus in corporibus ponere,
cum nec etiam Angelus qui purè ſpiritualis eſt poſ-
ſit modum illum ſacramentalem attingere, & alia
ſimilia ſupernaturalia, quæ fieri poſſunt in corpori-
bus. Et tamen quia aliquo modo poteſt Anima no-
ſtra attingere talem modum, ſaltem credendo illum
& diſcurrendo circa illum ſufficit vt ſpirituali modo,
& ſuper omnia corpora dicatur intelligere. Simili-
ter ſubſtantiam ſine quantitate attingit intellectus
noſter cum multa diſputet, & definiat circa ſub-
ſtantiam denudatam quantitate. Imaginatiua autem
licet attingat omnia corpora, quantum ad id, quod
per ſenſus de illis poteſt attingi, quæ ſunt exteriora
accidentia, non tamen quantum ad quidditatem &
ſubſtantiam, nec vtendo illis taliter, vt per diſcur-
ſum & per viam remotionis poſſit attingere ad ſpi-
ritualia, nec in vniuerſali abſtractione naturam ac-
cipiendo, ſed indiuidualiter, quibus tamen modis
intellectus corpora attingit, & ideo caret omni cor-
pore, vt ſuper corpora omnia poſſit. Imaginatiua au-
tem licet poſſit plura fingere, non tamen ens rationis
quod eſt vniuerſalitas fundare, ſed ſolum circa ſingu-
laria fictiones formare poteſt.

Ad 2. inſt. dicitur, potentiam non debere carere
obiecto formali ſub quo cognoſcit, ſed omni obie-
cto materiali quod cognoſcit, ſicut viſus non caret lu-
ce & diaphano, ſed colore, vnde omnia cognoſcit per
modum lucidi, & per medium diaphanum. Simili-
ter Anima non caret quidditate, vel ſpiritualitate,
quia omnia intelligit per modum quidditatis, & ſpi-
ritualitatis, & ita ſi haberet aliquid corporeum, ad
modum illius reliqua corpora attingeret.

Ad 3. inſt. Reſpond. etiam ex dictis, quod licet non
poſſit noſter intellectus remouere omnem connota-
tionem & habitudinem ad corporea, à quibus acci-
pit cognitionem & conſequenter debet illa conno-
tare tanquam terminum à quo; tamen quia ex par-
te termini ad quem, poteſt per viam remotionis ſpi-
ritualia attingere, & per modum vniuerſalitatis pro-
cedere, ideo aſcendit ſuper omnia corpora & ſuper
omnem modum corporeum qui indiuidualis eſt, &
non vniuerſalis, & non alligatur ad rationem forma-
lem corpoream, ſiquidem poteſt illam remouere & ad
ſpiritualia peruenire per viam remotionis.

Ad 4. Reſpond. quod intellectus non eſt perfectior,
quam eſſentia animæ, ſed ſicut Anima in ſuo eſſe
eſt independens à corpore, poteſt tamen communi-
cari corpori, vt materiæ, ita intellectus poteſt ob-
iectiue terminatiue attingere res ſpirituales, licet
communicando obiectis corporeis, à quibus abſtrahit
illam cognitionem. Non pertinet autem ad ipſum
informare organa corporea, id enim facit Anima, ſed
ſolum attingere quidditates corporeas modo operan-
di incorporeo & independenti ab organo, & hoc
ipſum intellectus habet ab Anima radicaliter, & ita
ſemper Anima eſt nobilior.

Ad conf. Reſp. quod Anima ſe ipſa eſt intelligibilis
& actuat intellectum per modum ſpeciei ad cogno-
ſcendam ſuam ſubſtantiam, ſed non pro omni ſtatu,
ſed in ſtatu ſeparationis, in ſtatu autem coniunctio-
nis alligatur cognitio eius ad ſenſus, & ad obiecta
corporea, vt ab illis hauriat ſpecies, & ita impeditur
aliquid intelligere, niſi per ſpecies à ſenſibus acce-
ptas.

Ad 5. Reſpond. quod ſi ſemel Anima eſt ſubſiſtens
& independens à materia in fieri, quia non educitur
ab illa, neque in eius potentia continetur, vt eius
modus operandi oſtendit, non poteſt dependere
in ſui conſeruatione à corpore, quia ſic ſublato
corpore, vel annihilaretur, vel corrumperetur
ſicut aliæ formæ. Hoc ſecundum eſſe non poteſt,
cum ſupponamus, non contineri in materia, nec
educi ex illa, ergo nec reſolui poteſt in illam ſicut
aliæ formæ. Nec primum quia annihilatio non ſit
per defectum diſpoſitionum, ſed per ſuſpenſionem
concurſus diuini. Per hunc autem modum etiam de-
ſinere poteſt Angelus, ſed hoc non tollit quod ſit ſim-
pliciter incorruptibilis ſicut etiam Angelus. *Quod
verò inſtatur* contra illam explicationem, quod eſſe
per ſe conuenit formæ in tertio modo; *Reſpond.* quod
exiſtentia conuenit immediatè ſuppoſito vt *quod*, at-
que adeo mediante forma vt *quo*, & ita ſi forma tol-
litur non remanet illa exiſtentia. At verò forma ha-
bet eſſe vt *quo* non per aliam formam tanquam per
principium habendi. Vnde ſi ipſa forma ſit ſubſiſtens,
& non dependens à materia, non poteſt ab illa tolli
exiſtentia per defectum principij intrinſeci ſe haben-
tis vt *quo*, ſed ſolum per remotionem principij ex-
trinſeci à quo deriuatur eſſe quod eſt per ſuſpenſio-
nem concurſus, ſeu annihilationem. Et non repugnat
aliquid conuenire immediate alicui vt *quod*, & tamen
tolli ab illo, quia tollitur forma, ſeu principium ra-
tione cuius conuenit, ſicut quantitas conuenit ma-
teriæ, ſeu corpori, vt immadiato recipienti *quod*, &
tamen poteſt multis modis variari quantitas, & ex-
tenſio. Cæterum quod conuenit immediatè alicui
tanquam principio quo, non poteſt ſeparari ab illo
niſi tale principium in ſe deſinat, vt ſi forma non ſit
ſubſiſtens, ſed corruptibilis. Si autem tale principium
ſit in ſe ſubſiſtens, quod illi per ſe conuenit, non po-
teſt ab eo tolli ex defectu principij formalis quod eſt
ipſummet, ſed ſolum ex remotione efficientis.

ARTICVLVS II.

Quomodo anima rationalis ſit entitatiuè ſpiritualis & forma corporis?

DIfficultas oritur ex eo, quod in Anima rationali
duo coniungenda ſunt, quæ inter ſe non vi-
dentur cohærere, ſcilicet eſſe veram & ſubſtantialem
formam corporis, & in ſe eſſe ſpiritum, & eſſe illi
connaturale quod informet corpus, & ſimiliter eſſe
cõnaturale quod ſit extra corpus quando eſt ſeparata.

*Nibilominus vtrumque certiſſimum eſt conuenire ani-
mæ rationali*, licet ſtatus informandi corpus ſit con-
naturalior animæ, ſtatus autem ſeparationis non ita
connaturalis eſt: nec tamen eſt violentus, ſed præ-
ternaturalis.

Prima pars constat ex dictis supra quæst. 1. & 1. Physic. quæst. 4. definita est enim in Concil. Viennensi, vt refertur in Clementina vnica, de summa Trinitate §. Porro vbi sic dicitur: *Doctrinam seu positionem asserentem, aut vertentem in dubium quod substantia animæ rationalis, seu intellectiua verè & per se humani corporis non sit forma, vt erroneam & veritati catholicæ inimicam, prædicto approbante Concil. reprobamus. Et ratio est manifesta*, quia homo componitur ex anima & corpore siquidem homo non est substantia simplex, alias non posset separari anima à corpore, in quo consistit mors. Hoc autem compositum quod vocamus hominem intrinsecè & essentialiter est rationale, id enim pertinet ad eius definitionem, quod est animal rationale, & manifestat eius operatio quæ est discurrere, & ratiocinari, ergo oportet quod constituatur intrinsece per formam rationalem, siquidem rationalitas ista seu gradus rationalitatis & operationis eius, non possunt prouenire ab aliquo principio materiali seu ab ipsa materia, quia hæc est communis aliis rebus irrationalibus, vt patet in corpore, quod manet separata anima ergo prouenit à forma, & sic ipsa anima est forma corporis, & oportet quod sit forma excedens omnes conditiones materiæ, quia operatio eius propria, quæ est intelligere & ratiocinari, non limitatur & deprimitur ad conditiones materiæ, vt dictum est articul. præced.

Quod si dicas, quod ipsa anima est totus & integer homo, corpus autem solum est mobile ab ipsa anima non informabile ab illa. *Contra hoc est*, quia sic homo non esset animal nec propriè haberet operationes animales & vegetatiuas, siquidem animal essentialiter est corpus & operationes eius essentialiter sunt corporeæ & sensibiles, ergo oportet quod corpus in hoc animali non solum se habeat vt mobile, sed vt pertinens essentialiter ad eius constitutionem, & consequenter quod sit informabile ab anima, per quam constituitur corpus illud animale. Si autem homo non sit animal, sed anima, præter quam quod est contra eius definitionem, quia dicitur animal rationale, non autem anima, sequitur quod homo in quantum homo non sit mortalis, & corruptibilis, quia non esset res composita, sed simplex, scil. sola anima, quæ cum sit subsistens, & non informans non potest corrumpi per ablationem formæ, quia non componitur ex forma, & materia, neque per resolutionem in materiam, quia non educitur de potentia materiæ, nec in ea continetur, ergo neque in eam resoluitur, id enim resoluitur in materiam quod educitur ex illa.

At verò quod anima sit spiritualis, & taliter informet materiam, quod materialis non sit, nec dependens à materia in art. præc. manet probatum ex ipsa operatione talis animæ quæ est intelligere, excedit enim omnia corpora, tam ex parte obiecti attacti, quam ex parte modi operandi vt ibi probatum est. Suffragantur denique scriptura, & Concilia, in quibus dicitur animas nostras esse spirituales, vt *Ecclesiastes* 12. *Et spiritus reuertatur ad eum, qui fecit illum* Psam. 30. & Matth. 27. *In manus tuas commendo spiritum meum*, & in Conc. Lateran. *c. Firmiter*, & in Clemen. 1. de summa Trin. vbi definitur, *Quod Deus vtramque de nihilo condidit creaturam Angelicam & & mundanam, corporalem, & spiritualem, deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.*

Secunda verò pars, quod scilicet status separationis non ita sit cõnaturalis animæ, nec tamen sit violẽtus, sed præternaturalis, *ex eo constat* quia anima naturaliter est forma corporis, ergo connaturalis actus eius est informare, & communicari per modum formæ, ergo connaturali modo non petit separationem, sed statum coniunctionis. *Adhac*, ille est connaturalis status animæ sub quo creatur à Deo modo ordinario & conformiter ad naturas rerum, constat autem animas creari à Deo separatas sed infusas corporibus iuxta illud Genes. 1. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, quia proprium est animæ esse partem hotem hominis & pars connaturaliter fit in suo toto, de quo videri potest D. Thom. 1. p. q. 50. art. 4. ergo connaturalis eius status, est status coniunctionis ad corpus. Quod verò status separationis non sit omnino violentus animæ, sed solum præternaturalis ex eo patet, quia violentum est quod fit ab exteriori principio passo non conferente vim, seu constat quod anima in se ipsa habet principium subsistẽdi, & permanendi extra corpus, ergo ad hoc vt permaneat separata, non fit illi aliqua vis, sed iuxtà propria principia statum illum sustinet. Dicitur autem præternaturalis ille status, quia non oritur per se & connaturaliter ex ipsa anima, vel ex modo, quo creatur à Deo, sed tanquam accidens extraneum supposita actione corruptiua corporis ei prouenit.

Ex dictis colligitur; animas rationales multiplicari ad multiplicationem corporum, quia anima est forma substantialis, multiplicatis autem corporibus multiplicantur indiuidua hominis, ergo & formæ substantiales indiuidualiter multiplicantur, quia duo indiuidua substantialia differunt secundùm esse substantiale, ergo etiam secundùm formam, quæ est principium dandi esse, alioquin si vnam formam haberent, vnum esse haberent, & hæc est ratio D. Thom. prima parte quæst. 76. art. 2.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò *arguitur* ex authoritatibus, nam Ecclesiastes 3. dicitur: *Vnus est interitus hominis, & iumentorum & aqua vtriusque conditio, sicut moritur homo sic & illa moriuntur similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius.* Quæ verba maximam continent difficultatem, & saltem probare videntur quod ex natura sua anima nostrá corruptibilis sit, licet beneficio Dei duret post mortem. Quod aperte dicitur in 7. Synodo general. in Epist. Sophronij ab eodem Concilia approbata. Item Arist. lib. 1. de Anima textu 12. & 13. dicit: *Quod si intelligere est phantasia, vel non sine phantasia, non continget sine corpore esse*, sed in hoc 3. lib. text. 30. dicit quod intelligere nostrum non est sine phantasia, ergo clarè colligitur, quod intelligere non est sine corpore. Similiter in 3. de Anima cap. 5. dicit intellectum passibilem esse corruptibilem, sed intellectus passibilis est per quem anima intelligit, ergo anima est in quantum intellectiua, est corruptibilis. Alia loca omitto ex aliis libris, quæ minus clarè loquuntur, aut eandem continent difficultatem.

Respond. quod in illo loco Ecclesiastes, loquitur Salomon in persona insipientium, vt interpretatur S. Thom. 1. quæst. 75. artic. 6. ad 1. quæ interpretatio vera est, tum quia ibi Salomon præmittit, *dixit in corde meo de filiis hominum, vt probaret eos Deus, vt ostenderet similes esse bestiis, idcirco vnus est interitus hominis, & iumentorum, &c.* Quasi dicat hoc dico in corde meo, non de meo sensu, sed de filiis hominum, quibus probandis Deus ordinauit, quod simili modo moriantur homines, & iumenta, & inde seducuntur ipsi, vt dicant nihil esse homini iumento amplius: tum etiam quia hæc eadem repetuntur, *Sapientiæ secundo*, & expresse ponuntur esse dicta in persona impiorum, ibi *Dixerunt impij apud se non rectè, &c.* Itaque

quę quædam affirmant impij vt vera, scilicèt quod idem est interitus iumentorum & hominum quantum ad corpus, & similis est processus vitæ quantum ad indigentiam spirationis, sed male inferunt, quod nihil habet homo iumento amplius, & quod spiritus iumentorum descendit, &c. Ad authoritatem 7. Synodi dicitur animas nostras esse immortales beneficio Dei creantis & conseruantis sicut Angeli 1. non beneficio speciali aut miraculoso, sed connaturali ad ipsam animam.

Ad Arist licet possemus ab eo nos expedire, dicendo in hac materia fuisse lubrice locutum, nec aperte suam declarasse sententiam, ob rationem art. praeced. insinuatam, tamen quia S. Thom. ipsum defendit 2. contra Gen. cap. 79. *respondemus ad 1. authoritatem*, quod ibi loquitur Arist. sub conditione, si intelligere sit phantasia, vel non sine phantasia tanquam sine organo in quo sit, tunc intellectus non esset separabilis, sed corporeus, quæ conditionalis verissima est. At verò in 3. de anima quando determinatè dicit quod intelligere non est sine phantasmate, loquitur de phantasmate vt obiecto, seu vt ministrante obiecta intellectui, non tanquam actu proprio, vel organo operationis intellectiuæ, & sic omnia consonant.

Ad alium locum ex 3. de Anima Respond. ibi passibilem intellectum non sumi pro potentia intelligente, quam communiter vocamus intellectum passibilem, sed sumitur pro anima passionibus subiecta, quæ vocatur intellectus, quia intellectui deseruit & vna ex passionibus eius est reminisci. Ita interpretatur D. Thom. ibi lect. 10. in fine. Et est valde textualis interpretatio, nam paulo antęa præmiserat Phylos. quod intellectus separatus solum est, quod vere est, & hoc est immortale & perpetuum, subdit autem immediatè, *non reminiscitur autem, quia hoc quidem impassibile est, passiuus autem intellectus est corruptibilis, & sine hoc nihil intelligit anima.* Sensus ergo Phylos. est, quod anima intellectiua licèt sit immortalis & perpetua, non tamen reminiscitur separata, quia tunc est expers passionum, caret enim imaginationibus corporeis, passiuus autem intellectus, id est cognitio cum passione corporea, desinit esse & consequenter iam non reminiscitur, quia reminiscentia est actus memoriæ, quæ est in parte sensitiua, cum aliquo discursu, quæ desinit corrupto corpore. Et hic est passiuus intellectus, id est discursus cum passione reminiscentiæ, qui omnino desinit esse, & sine eo non intelligit anima, scil. eo modo, quo nunc intelligit per conuersionem ad phantasmata.

Secundo arguitur ratione, quia anima est dependens à corpore in subsistendo, & dat formaliter esse corporeum, & vegetatiuum corpori, & ab ea dimanant proprietates corporeæ vt quantitas, calor, potentia sensitiua, &c. ergo nihil ei deest, quo minus sit corporea entitatiuè. *Anteced. probatur per suas partes*, nam imprimis anima vnita non subsistit per se, quia subsistentia reddit incommunicabilem naturam, anima autem existit communicabiliter ad corpus, & sic non subsistit in illo. Vndè infirmatur illa consequentia, anima habet operationem, cui non communicat corpus, ergo habet esse independens à corpore, negat enim Scotus consequentiam in 4. dist. 43. quæst. 2. quia habere operationes sine corpore stat dupliciter, vno modo sine corpore vt organo, alio modo sine corpore vt supposito operante. Primo modo antecedens est verum, sed consequens falsum, secundo verò modo antec. est falsum, quia non intelligibilis anima, sed homo. Similiter vnio animæ non est spiritualis quia est corruptibilis, & tamen est in ipsa anima, quia verè vnitur & immutatur in vnione ad corpus. Quod verò anima det gradum corporeum formaliter & quod ab ea dimanent illæ proprietates corporeæ constat ex supra dictis q. 1. quia in homine non est nisi vna forma à qua ille gradus præbeatur & illæ proprietates dimanent, ergo ab ipsa anima hoc præstari debet.

Respond. ad 1. partem arg. quantum ad subsistentiam animæ, quod subsistentia importat duo, primum est esse per se, vt opponitur modo inhærentiæ. Secundo importat existentiam per se, vt opponitur omni communicabilitati in alio. Anima ergo dum est in corpore habet esse subsistens priori modo in actu, & secundo modo in aptitudine, quia licet de facto communicetur corpori, est tamen potens separari, & in illo statu separationis actu erit subsistens sine communicatione, sed in aptitudine erit communicabilis. Semper tamen siue in corpore, siue extra habet in se ipsum esse independens à corpore, licet actu sit communicatum corpori. In quo differt ab aliis formis etiam substantialibus, quæ licet negent inhærentiam, quæ solum est propria accidentium, tamen non habent prius in se existentiam, & deinde illam communicant corpori, sed solum sunt principium existendi, vt *quò*, formaliter autem existentia non est in ipsa forma, sed in composito vt in recipiente, ipsa vero forma se habet vt ratio, seu principium *quò* habendi illam, sicut albedo non habet in se esse album, sed esse album conuenit primò & per se subiecto, albedo verò est ratio habendi esse album. At verò anima rationalis illud esse substantiale, quod opponitur inhærentiæ non solum habet vt principium *quò*, sed etiam vt res existens formaliter in esse, licet communicabiliter ad corpus, sicut si albedo haberet in se esse album, ideóque anima dicitur in se subsistens quoad rationem habendi esse independens à composito, licet non quoad incommunicabilitatem. Et hac ratione vocatur à D. Thom. esse animæ etiam vt est in corpore subsistens, id est independens à corpore, & habens in se prius ipsum esse quam in composito, quia ab anima communicatur composito, ita quod est idem esse animæ, & esse compositi, vt affirmat in 1. p. q. 76. artic. 1. ad 5. & 1. 2. quæst. 4. artic. 5. ad 2. Aliquando verò dicit quod anima quandiu est in corpore conuenit subsistere aptitudine non actu vt patet in 4. ad Anib. dist. 12. quæst. 1. art. 1. ad 3. Quod intelligitur de subsistentia, quoad rationem incommunicabilitatis quam solum explicat in statu separationis, saltem quoad exercitium non communicandi, quod non habet in statu coniunctionis nisi in aptitudine. Vnde valet illa conseq. quod si anima habet operationem independentem à corpore vt ab organo cui inhæret oportet, quod etiam esse ipsius animæ sit independens à corpore, licet tam operatio quam esse communicentur ipsi composito vt suppositaliter subsistenti, nec enim ex independentia operationis probamus animam subsistere suppositaliter, sed subsistere independenter à corpore licèt communicabiliter ad corpus, ideóque etiam remoto corpore poterit operari operatione illa non dependente ab organo in esse.

Solum potest esse defficultas quomodò existentia animæ quæ spiritualis est & incorruptibilis communicetur corpori, seu composito, quod existit modo corporeo & corruptibili, præsertim in sententia D. Thom. quæ non ponit aliam existentiam in composito quam in ipsa forma, vt patet in locis allegatis, & ex his quæ diximus libro 1. physicor. quæst. 7. artic. 8. Cæterum in hoc eadem restat difficultas in sententia opposita, quæ ponit plures existentias partiales in materia & forma, vt ex illis resultet vna tertia composita,

posita, quæ ipsi toti conueniat, ideò enim partiales sunt quia faciunt vnam totalem. Quomodo ergo existentia spiritualis animæ potest commisceri existentiæ materiæ, vt resultet vna existentia tertia, quæ conueniat ipsi toti? nec enim vna existentia informat aliam vt materiam. Quare sicut ipsa entitas animæ cum spiritualis sit, tamen quia eminenter est corporea formaliter vnitur materiæ in ratione formæ, & præbet ei gradum vegetatiuum, & sensitiuum, & rationalem, ita ipsa existentia animæ, quia eminenter est corporea potest communicari ipsi composito, & reddere illud existens; sicut etiam subsistentia Verbi, licet in se spiritualis sit & diuina, tamen quia eminenter continet omnem perfectionem subsistentiæ corporeæ, potest per se ipsam immediatè terminare & reddere subsistentem naturam corpoream, & in sententia D. Th. etiam existentem. Id ergo habet anima nostra tanquam forma, quod Verbum diuinum tanquam persona quoad hoc quod est reddere rem corpoream existentem.

Neque ex hoc sequitur quod separata anima adhuc manet compositum quia manet esse ipsius compositi in ipsa anima, vel quod esse animæ sit generabile, aut corruptibile sicut ipsum esse compositi, siquidem esse animæ est esse compositi, & hoc corrumpitur & generatur imò cum omne ens habeat esse proprium, aliud esse habebit compositum quam anima. *Sed Respond. facile* quod separatâ animâ non manet esse compositum, quia non manet esse animæ vt communicatum, sed vt communicabile, & sic generatur, aut corrumpitur quantum ad ipsam communicationem, & in ratione esse communicati, qua ratione est esse compositi, non in ratione esse absolutè, sicut etiam persona Verbi de nouo incepit esse persona hominis non persona absolutè. Omne autem ens habet esse proprium, vt distinguitur contra extraneum seu alienum, non contra commune, seu communicatum, potest enim ipsum esse proprium totius communicari partibus, vel esse partis communicari toti, & tamen manet proprium, quia illa pars seu forma propria est totius.

At verò quod obiicitur de vnione an sit materialis, vel spiritualis. *Respond.* quòd vt ostendimus quæst. 6. Physic. non datur vnio, quæ sit modus distinctus per modum medij & rationis formalis vniendi, sed ipsæ partes se ipsis vniuntur quantum ad rationem formalem vniendi, sed non se ipsis applicantur seu immutantur, vt se cõmunicent, & ex ipsis vnitas illa resultet, sed hæc applicatio est ab efficiente ipsam vnionem, seu communicationem & vnitatem extremorum, & ideo talis applicatio debet esse superaddita extremis vnibilibus, potestque esse modus & de nouo fit in illis, quando de nouo vniuntur, & communicantur inter se, ipsa autem vnio non est nouus modus tanquam ratio formalis vniendi, quia formalis ratio vnionis est formalis ratio vnitatis resultantis ex vnione, vnitas autem resultans non est modalis, sed substantialis, ergo & ratio formalis est ipsa substantialis ratio extremorum secundum se, solumque illis deest applicatio, vt resultet vnitas, & fiat vnio.

Nec est putandum nullam omnino perfectionem, & immutationem, acquirere animam, ex eo quod sic applicatur vt sit in corpore & vniatur illi, vt putauit Scotus in 4. distin. 43. quæst. 2. nam saltem acquirit modum aliquem, & statum connaturalem essendi & operandi in corpore & cum communicatione ad corpus quem statum amittit in separatione à corpore. Et licèt non haberet in corpore aliquid amplius quam communicare se, & perfectionem suam corpori, vt Scotus putat, tamen hoc ipsum, perfectionem aliquam, & immutationem debet ponere in ipsa anima, quia hanc communicationem facit tanquam causa formalis & tanquam pars constituens totum, omnis autem causa creata perfectior est cum actu causet quam cum cessat causare, & aliquo modo immutatur in causando, & omnis pars connaturali modo existit cum communicatur ipsi toti in actu, sicut lapis, ex eo quod est in centro. Hæc autem immutatio prout in anima subiectatur, aliquid spirituale est non proueniens ab ipso generante quod tantum vnit animam ex parte corporis, coaptando, & disponendo illud ad animam, sed ex parte Dei infundentis animam corpori, vel reunientis illam, sic enim ordinat illam ad corpus, & facit quod actu communicet & extendat suum esse ad corpus, & talis applicatio producit in anima modum aliquem spiritualem respicientem corpus, quo dicitur in se applicata & communicata illi, sicut etiam Angelus ex eo quod per modum operantis applicatur corpori resultat in ipso vbi quoddam, seu præsentia erga illud corpus quæ est modus spiritualis in ipso Angelo, quia amittitur, & acquiritur motu locali; sic multo melius ex eo quod anima non per modum operantis, sed per modum informantis vniatur corpori, aliquis modus resultat in anima quo dicitur applicata & communicata corpori ab agente spirituali eam infundente, vel reuniente qui modus subiectiuè est in ipsa anima; sed cum respiciat pro externo corpus cui facit præsentem animam, potest desinere ab anima sicut vbi Angelicum desinit quia est circa corpus, licet vtrumque spiritualis modus sit.

Denique ad id, quod dicitur de communicatione gradus corporei & sensitiui, nullo modo probat entitatem corporeã in anima, quia non præbet illos gradus limitate, modo inferiori sicut aliæ formæ, sed eminenter & secundum quod continentur in gradu rationali qui etiam communicatur corpori non vt dependens ab ipso, sed vt sibi ministret corpus, & deseruiat in ordine ad operationem intellectiuam, & ideo eminenter debet continere illos gradus sensitiuos, & corporeos tanquam ministrantes, & deseruientes intellectiuo, eo quod non intelligit nisi accipiendo ex corpore obiecta, quæ intelligit, ideoque requirit potentias corporeas vt ministrantes sibi. Et sic benè possunt eminenter præberi gradus corporei, & potentiæ corporeæ dimanare ab entitate animæ spirituali, vt est eminenter corporea sine vlla dependentia in esse à corpore, de quo iam suprà diximus q. 2. & videri potest Caietan. 1. part. q. 76. artic. 1. circa responsionem ad 1.

QVÆSTIO X.

De intellectu agente, & possibili.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sit necesse poni intellectum agentem distinctum à possibili, & quid sit?

CELEBRIS valde est apud Antiquos Philosophos, & recentiores diuisio hæc intellectus in agentem, & possibilem, nec solùm ab Aristotele stabilita fuit in 3. de anima cap. 5. text. 18. sed etiam ab aliis Græcis, licet in eius explicatione non parum errauerint. Igitur tria ad eius exactam explicationem in hoc articulo facienda

da sunt. *Primùm* explicare proprium munus intellectus agentis propter quod ponitur à Philosophis. *Secundùm*, an sit aliquid extra animam, vel propria ipsius facultas. *Tertium*, an sit potentia distincta ab intellectu possibili.

Circa primum, constans sententia est Phil. ad hoc requiri intellectum, agentem vt species impressas intellectui possibili tribuat, quas requiri ad omnem cognitionem supra late probauimus quæst. 4. & 6. Igitur distinctio intellectus agentis, & possibilis quam tum ad formalitatem istam agendi, & patiendi, non sumitur per ordinem ad ipsam cognitionem, quæ est operatio elicita ab intellectu vitaliter, & ita erga illam intellectus actiuè se habere debet, sed sumitur ista diuisio penes formationem intellectus in ordine ad suum obiectum intelligibile: quia enim intellectus eliciens cognitionem prius debet actuari specie impressa repræsentante obiecto, si careat illa, dicitur esse in potentia, vt formetur, & actuetur & sic vocatur intellectus possibilis vel passibilis, quia pati debet seu formari à specie ipsa, & obiecto in ea repræsentato. Et quia omni passiuo vt reducatur de potentia ad actum correspondet aliquod actiuum, necesse est, quod si intellectus noster reducitur de potentia ad actum, vt formetur per species intelligibiles, detur aliquod actiuum per quod talis reductio fiat, & tales species producantur in intellectu, & hoc vocamus intellectum agentem, id est producentem species, & formantem per illas intellectum ad intelligendum.

Totus hic discursus ferè ab omnibus admittitur loquendo in generali, & nondum determinando, an istud principium actiuum producens species sit in anima, vel extra. Solum Duran. qui negauit requiri species impressas ad cognoscendum, consequenter negauit necessarium esse intellectum agentem, qui illas producat, vt docet in 1. dist. 3. q. 5. Sed tamen addit, adhuc si darentur istæ species non requiri intellectum agentem tanquam potentiam animæ, quæ illas species producat, sed sufficere ipsam animam cum phantasia, vt producat illas. Sed nos fatemur illo discursu non probari nisi quod detur tale principium agens species & actiue immutans intellectum. Quod verò sit potentia animæ statim probabimus in 2. puncto. Et quod species impressæ necessariæ sint ad intellectionem, & ad omnem cognitionem, supra q. 6. probatum est. Quod verò substantia animæ se ipsa non operetur sed mediante potentia quæst. 12. Physicor. probatum est. Mediante autem phantasia quæ est potentia corporea non potest anima spirituales species producere nisi eleuet illam vltra suam virtutem, & hæc eleuatio ab alia virtute & potentia debet prouenire.

Circa secundum punctum celebris fuit aliquoram antiquorum sententia, ponentium intellectum agentem separatum ab ipsa anima in alia intelligentia infundente species, contra quam disputat D. Thom 1. p. quæst. 79. art. 4. & q. 84. art. 4. & 2. contra Gent. cap. 77. & 78. & loc. aliis. Fuit autem hæc controuersia inter eos, qui intellectum distinguebant à sensu, nam qui ponebant intellectum esse sensum, non distinguebant species sensibiles ab intelligibilibus, neque aliud principium à quo istæ species effluerent ponebant, quam ipsa obiecta externa, vt ex Democrito refert Arist. lib. de diuinatione per somnium, & D. Th. 1. p. q. 84. art. 4. Qui autem agnouerunt intellectum esse virtutem spiritualem, & immaterialē, à sensu & distinctum non facile inueniebant principium, à quo species spirituales fierent, cum ipsa obiecta sensibilia ad hoc non sufficerent. Vnde diuisi sunt in tres opiniones. *Quidam* vt Plato posuerunt ideas separatas, id est quidditates rerum extra indiuidua, à quibus dicebant vt ab exemplaribus participari formas entitatiuas in materia ad essendum, & intelligibiles in intellectu ad repræsentandum vt refert D. Th. 1. p. q. 74. art. 3. & q. 84. art. 4. & 6. Alij negabant istas ideas exemplariter causantes species, sed ponebant substantiam separatam seu intelligentiam effectiuè infundentem illas tunc solum quando homo intelligit, & habet phantasmata proposita vt determinent ad intelligendum. Quæ fuit opinio Auicennæ, vt refert S. Thom. citat. quæstion. 84. art. 4. & 2. cont. Gent. cap. 76. Tertia sententia fuit Aristot. 3. de anima text. 17. & 18. lect. 60. apud D. Thom. quòd intellectus agens est potentia animæ ex phantasmatibus producens intelligibiles in intellectu possibili.

Hæc sententia Aristotelis de intellectu agente communiter recepta est ab omnibus Philosophis, & omissa illa opinione Platonicorum de ideis separatis quæ omninò fabulosa est, cum non possit dari in rerum natura aliqua substantia quæ singularis non sit, vt ostendimus, in Log. quæst. 3. artic. 2. Contra Auicennam, & alios ponentes intellectum agentem esse substantiam separatam, probatur sententia Arist. Quia vel illa substantia separata infundit species intelligibiles à sensibus abstractas, & connotantes obiecta sensibilia, vel non abstractas à sensibus, sed purè participatas à spiritualibus substantiis, sicut sunt in Angelis. Hoc secundum nullo modo dici potest, cùm satis constet pro isto statu animam nostram non intelligere obiecta purè spiritualia, & nihil de sensibilitate connotādo, sed solùm obiecta sensibilia. Si dicatur primum, talis potentia actiua, & factiua specierum, per abstractionem à sensibus, non excedit vim animæ nostræ, nec requirit spiritualem actiuitatem omninò abstractam à sensibus, sicut est illa substantia separata, cum operatio illa abstrahens species à sensibilibus, non operetur independenter à phantasmatibus, neque efficiat species repræsentantes sine connotatione ad illa vt in nobis experimur, ergo non requiritur ad talem operationem virtus spiritualis separata ab omni corpore, sed potius corpori communicans, & sic ista virtus magis connaturalis est animæ coniunctæ corpori, quam substantiæ separatæ.

Quòd si dicatur, illam virtutem, separatam concurrere ad abstrahendum istas species modo perfecto & eminentiori, vtpotè cum sit causa æquiuoca, & vniuersalis, ex modo tamen animæ nostræ imperfici, & reddi species illas sic imperfectè, & connotatiuè repræsentantes: *contra hoc vrgetur* rationibus D. Th. 1. p. q. 79. art. 4. & 2. cont. Gent. cap. 76. & q. de anim. art. 5. quia causa vniuersalis non producit se sola effectum proprium causæ particularis, nisi supponendo in ipsa causa inferiori propriam, & peculiarem virtutem respectu talis effectus, vt patet in cœlo, quod est causa æquiuoca respectu horum inferiorum, & tamen supponit in causis inferioribus proprias virtutes, quibus producit determinatos effectus, nisi fortè sit generatio rei tam imperfectæ, quod ad illam sufficiat virtus cœli, sicut in animalibus, quæ ex putrefactione generantur, quod in præsenti applicari non potest, cum species intelligibiles & cognitio intellectualis sint perfectissimi effectus, qui in his inferioribus fiunt, ergo oportet quod præter virtutem superioris intelligentiæ, quæ vt causa vniuersalis concurrit, detur virtus particularis, & propria animæ, quæ talem abstractionem à sensibilibus faciat modo particulari, & sibi proprio, & hanc vocamus intellectum agentem vnde Arist. comparauit intellectum agentem non ipsi Soli, qui est causa

vniuersalis, sed lumini recepto in aëre, quod est virtus particularis; id autem à quo participatur virtus intellectus agentis in anima nostra est Deus, de quo dicitur Psal.4. *Signatum est super nos lumen vultus tui domine*, quia solus Deus est creator animæ, & lumen ipsi præbens sicut solus infundit species Angelis, & intra intellectum operatur.

Denique experimur nos posse intelligere cum volumus, & abstrahere à sensibilibus intelligibilia, alias si hoc non experiremur, non possemus habere notitiam harum actionum. Omnis autem actio non fit modo connaturali ab aliquo agente, nisi per virtutem in eo existentem, nec vtitur aliquo cùm vult, nisi habeat potentiam operatiuam illius, ergo connaturale est, vt habeamus vim & potentiam abstrahendi tales species, & non solum ab intelligentia separata fiant, & & hæc virtus vocatur intellectus agens.

Circa 3. punctum scilicet an sit intellectus agens potentia distincta ab intellectu possibili. *Aliqui dixerunt* intellectum agentem esse habitum primorum principiorum, vt refert S. Thom. quæst. de anim. a. 5. & 3. de an. lect. 10. quod tamen ex eo reiicit D. Th. quia etiam ipsa principia cognoscimus per species abstractas à singularibus, ergo oportet antequam generetur ipse habitus præexistere tales species abstractas, ergo & intellectum agentem abstrahentem illas, non omnia obiecta intellectus agens redderet intelligibilia in actu. *Deinde* quia habitus principiorum est cognoscitiuus, sicut enim per scientiam cognoscimus conclusiones, ita per habitum principiorum, principia, ergo non potest iste habitus esse factiuus specierum impressarum pro potentia cognoscitiua, quia ipse cognoscitiuus est, & sic aliquas species debet supponere, quibus primo cognoscat, non autem illas facere. Quando autem Aristot. 3. de anima text. 17. & 18. dicit, quod intellectus agens est sicut habitus & ars, loquitur solum per modum comparationis, quia sicut ars inducit formam artificialem in materiam rudem & in potentia, ita intellectus agens per species impressas tanquam per formas perficit, & actuat intellectum possibilem. Et dicitur habitus, vt contraponitur priuationi, per quam aliquid est in potentia, intellectus autem agens non est in potentia ad recipiendum, sed in actu ad agendum. Ita explicat D. Thom. ibidem lect. 10.

Qui ergò fatentur intellectum agentem esse potentiam, etiam actum illius negant esse cognitionem, quia cognitio oritur à potentia, & obiecto prout mediante specie repræsentatur potentiæ, vnde si operatio propria intellectus agentis esset cognitio deberet procedere à specie, & potentia, & consequenter speciem ipsam supponere. Ergo non faceret talem speciem, & sic non faceret omnes species intelligibiles, sed aliqua deberet fieri per actum non cognoscitiuum, & illum dicimus esse proprium intellectus agentis, vt distinguitur ab actu procedente à potentia actuata, per speciem, & recipiente illam.

Difficultas ergo est: an iste actus factiuus specierum, & non cognoscitiuus, ita adæquatus sit potentiæ, vt exigat illam esse distinctam ab intellectu possibili cognoscente. Et aliqui Authores negant distingui has duas potentias, sed esse eandem cum duplici vi, seu efficientia, quod probabile reputat P. Suar. lib. 4. de anima c. 8. n. 13. citatque Niphum, Maiorem, & Abulensem.

Oppositum tamen tenet D. Thom. 1. part. quæst. 79. art. 7. & 10. & 3. de anima lect. 10. & in 2. distinct. 17. quæstion. 2. artic. 1. Sumiturque ex Aristot. qui in hoc 3. de anima text. 17. dicit: *Quod necesse est in anima differentias has easdem in esse, atque quidam intellectus est talis, vt omnia fiant, quidam talis vt omnia agat.* Loquitur ergo de illis tanquam de diuersis intellectibus, & differentias istas ponentibus in anima. *Ratio autem est*: quia intellectus, vel essentialiter est potentia cognoscitiua, ita quod adæquatus eius actus sit cognitio, vel habet duplicem actum inadæquatum, alterum non cognoscitiuum, & factiuum specierum, alterum cognoscitiuum, & non factiuum earum, nam vno & eodem actu non potest fieri, cognitio enim procedit eliciriuè à potentia actuata per species, & consequenter illa elicientia, supponit aliquam speciem iam factam, & actuantem potentiam, vt procedat ab illa. Si primum manifestum est intellectum agentem esse distinctam potentiam, siquidem, si adæquatus actus intellectus cognoscentis est cognitio, non potest alium actum elicere, qui cognitio non sit, & sic formatio specierum, quibus primò fit cognitio, non potest per cognitionem ipsam fieri, sed supponi debent ad cognitionem. Si secundùm, inprimis non potest vterque ille actus conuenire vni, & eidem potentiæ, nisi detur aliqua ratio communis, sub qua conueniant illi duo actus, & à qua specificetur illa vnica potentia habens illos. Ratio autem faciendi species sine cognitione, & ratio eliciendi cognitionem per species, non conueniunt in aliqua ratione communi constituente vnam potentiam, sed sunt rationes ita distantes, quod ex se sufficiunt fundare distinctas potentias, vt patet in sensu cognoscente, & virtute emittente species ab obiecto, seu faciente illas sine cognitione. Non est autem anima nostra tantæ eminentiæ, vt virtus eius in vnica ratione superiori, & eminentiori vniat illam duplicem virtutem faciendi species, & intelligendi, neque in Angelo datur talis perfectio, vt vnica potentia sit factiua specierum, & cognoscitiua.

Ad hæc accumulantur aliqua inconenientia. Primum, quia eadem potentia se ipsam moueret, & reduceret de potentia ad actum, esset enim potentia ad species, & faceret illas. *Secundùm*, quia alias etiam possemus dicere, voluntatem & intellectum esse eandem potentiam inadæquatè respicientem cognoscere, velle vt consecutum ad cognoscere, & velle vt consecutum ad cognoscere, quia se habet ordine quodam, sicut etiam facere species non cognoscitiuè, ordinatur ad ipsum cognoscere. *Tertium*, quia alias ratio actiui, & passiui non esset sufficiens ratio distinguendi potentias, cum tamen sint rationes maximæ diuersæ, & primæ differentiæ entis; primò enim diuiditur penes actum, & potentiam, & consequenter penes potentiam actiuam, & passiuam, quæ fundantur in actu, & potentia, quæ est ratio D. Thom. in illa q. 79. art. 7. ad distinguendum intellectum in agentem, & possibilem, quia est diuisio penes passiuum, & actiuum, cum tamen non admittat alias diuisiones intellectus.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur in fauorem Durand. Quia non potest intelligi, quomodo intellectus agens agat in phantasmata, quæ sunt corporea, & eleuet illa. *Item* quia aliàs si intellectus agens formaret species, & non produceret cognitionem, nobilior esset, quam intellectus possibilis, qui cognitionem elicit, siquidem omne agens est nobilior patiente.

Confirm. ex duplici exemplo. *Primum* quia Angelus non minus est substantia intelligens, quam anima, nec minus indiget speciebus, & tamen non habet intellectum agentem, quo illas acquirat, sed infunduntur à Deo, ergo similiter pertinebit ad Deum præbere animæ species non infusas, sed à sensibilibus abstractas. *Secundum est*, quia etiam sensus externi indigent speciebus acceptis ab obiectis,

&

& tamen non requiritur sensus agens, licèt species sint abstractioris rationis, quam ipsum obiectum materiale in se, ergo similiter poterunt species intelligibiles fieri sine intellectu agente.

Respond. ad 1. partem argumenti Duran. quod dicemus sequenti artic. explicando modum, quo intellectus agens agit in phantasmata corporea. *Ad secundam probationem Respond.* non sequi, quod intellectus agens sit simpliciter nobilior, sed solum in ordine ad formationem specierum in quo intellectus possibilis est illi inferior, quia est in potentia; simpliciter tamen & respectu actus nobilioris, qui est intelligere, excellit intellectus possibilis, licet dependenter ab speciebus, sine quibus non intelligit. Sed de hoc statim dicemus ampliùs.

Ad confirm. Respon. Intellectum Angeli cognoscitiuum non indigere intellectu agente acquirente illi species ab obiectis: tum quia caret sensibus, à quibus immediate abstrahuntur species intelligibiles, ab ipsis enim obiectis immediatè solum emittuntur species corporeæ, non intelligibiles quæ non mouent intellectum propter suam imperfectionem, & improportionem, nec posset conuenienter id fieri, nisi intellectus agens Angeli immediatè coniungeretur obiecto, vt ab illo species hauriret, & sic non posset à distanti cognoscere, quod possunt homines. Tum etiam, quia intellectus Angeli non est acquisitiuus suæ perfectionis, sed à principio statim est perfectus, & non in potentia vt perficiatur, sicut inter corpora Cœlum statim à principio habet suam perfectionem, & omnem formam sibi debitam, vnde sicut frustrà poneretur potentia augmentatiua in Cœlo, vt perfectionem quantitatis acquireret, cum ab initio petat habere illam, ita superfluè poneretur intellectus agens in Angelo ad acquirendum species, & proficiendum imperfectione intellectus, cum à principio debeat esse perfectus, & plenus sapientiâ, sicut dicitur Ezech. 28. de primo Angelo, *quod erat plenus sapientia, & perfectus à die conditionis suæ.* Totum verò oppositum est in anima humana, quę paulatim acquirit perfectionem intellectiuam, & crescit in illa, sicut corpora generabilia augmentantur in sua perfectione, vnde sicut ista requirunt potentiam augmentatiuam ita illa potentiam acquisitiuam specierum, quæ est intellectus agens. Neq; id debet fieri à solo Deo, quia non est connaturale rebus, vt ad proprias operationes non habeant virtutes proprias, quibus possint operari cum voluerint, sed à solo Deo id fiat.

Ad secundum exemplum de sensu agente *iam supra responsum est,* quòd ipsa obiecta sensibilia de se sufficienter possunt emittere species sensibiles, & immutare sensus, & ideo non est ponenda aliqua potentia in ipso animali factiua talium specierum. Neque hoc poterat connaturaliter fieri, cum enim species visibiles, verbi gratia, versentur circa obiectum nimis distans, sicut cum videmus ipsum Cœlum, impossibile erat, quod potentia aliqua existens in animali haberet tantam virtutem, vt posset operari etiam circà ipsum Cœlum educendo species ex illo, licet enim sint intentionales, tamen per veram, & realem actionem educuntur de suo subiecto; quomodo ergo sensus agens existens in animali posset ex ipso Cœlo species educere, cum ab illo sit ita distans, nec posset virtutem vsque ad illum diffundere, & vsque ad se ipsum iterum reflectere, cum nec virtus solis, qui tam magnum corpus est, possit tantam reflexionem facere.

Secundò arguitur pro sententia Auicennæ ex Aristotel. 3. de Anima textu 18. vbi inquit: *Quod intellectus agens est separabilis, & immixtus, passioneque vacat, cum sit substantia actus.* Et textu 20. inquit: *Quod iste intellectus, non aliquando quidem intelligit, aliquando non intelligit separatus autem est solum hoc quod vere est, & hoc solum immortale, & perpetuum est.* Sentit ergo Aristoteles, quod intellectus agens, est intellectus separatus, & substantia quædam vt patet in illis verbis, cum sit substantia actus. Est etiam perpetuo intelligens, quod non conuenit animæ nostræ, quæ quandoque intelligit in potentia, ergo est aliquid separatum ab anima.

Ratione etiam arguitur: Quia proprium munus intellectus agentis est illuminare intellectum, hoc autem est proprium virtutis altioris, quam ipsa anima: *Tum* quia Deus est lux vera quæ illuminat omnem hominem: *Tum* etiam quia infundendo species, fit illuminatio; hæc autem infusio pertinet ad Deum, vt patet in Angelis: *Tùm*, quia alias posset intellectus cognoscere quæcumque obiecta, quando vellet, si intra se haberet vim factiuam specierum, quod tamen constat esse falsum.

Respond. Quod in prima authoritate Aristot. solum dicit, quod intellectus agens est separabilis, quod verum est, quia manet in anima separata. Quod verò dicit esse substantiam actu, idem est ac dicere, quod per suam essentiam, quæ nomine substantiæ intelligitur est actus, seu actiuus, actiuitas enim fundatur in actu, ad distinctionem intellectus possibilis, qui secundum suam entitatem, seu substantiam est in potentia ad species, per quas formatur, & reducitur in actum. Sic explicat Diu. Thom. hunc locum Aristot. & sic reddit rationem, quare intellectus ille vacat passione, id est receptione, quia per suam entitatem, seu substantiam est actu, id est actiua potentia; non autem voluit dicere, quod sit substantia aliqua separata, & cum sint diuersæ potentiæ intellectus agens, & possibilis, non est anima in actu, & potentia secundùm idem. In secundo autem loco, vt D. Thom. interpretatur ibidem circa illum textum, & q. de anima art. 5. ad 3. Aristot. non loquitur tantum de intellectu agente, sed de tota parte intellectiua, quæ vtrumque intellectum includit agentem, & possibilem, & hæc est anima intellectiua, quæ separari potest à corpore, sicut etiam dicit Aristot. 12. Metaph. text. 17. *Quòd forma nunquam est ante materiam, sed posterius, & manet anima non omnis, sed intellectus;* quòd verò prętet animam detur intellectus agens separatus, qui species producat in intellectus possibili, nec somniauit Aristot. Cum verò dicit, quod perpetuo intelligit, explicat D. Thom. quæst. 10. de veritat. art. 8. ad vltimum, quòd intellectus agens semper intelligit, quia ex parte sua non deest, quin semper possit intelligere, licèt desit ex parte phantasmatum, & obiectorum, quæ non semper præsto sunt.

Ad rationem Respond. Quòd illuminare per modum proximæ virtutis illuminatiuæ pertinet ad intellectum agentem, seu per modum causæ primæ, pertinet ad Deum, qui non impedit causam particularem, sicut non impedit solem, vt illuminet, neque sol lumen aëris, vt immediatè luceat. Similiter concedimus, quod infusio specierum est illuminatio facta à Deo, sed præter illam datur etiam alius modus illuminandi non per infusionem specierum, sed per abstractionem earum à phantasmatibus, & hoc conuenit intellectui agenti, qui est in anima. *Quòd verò dicitur,* quòd aliàs posset intellectus noster cognoscere, quando vellet. *Respond.* hoc non sequi, quia non semper obiecta sunt applicata ipsi intellectui in phantasmatibus, sicut sol non illuminat nisi detur diaphanum, vel colores. Neque requiritur ad istam abstra

abstractionem, quòd prius cognoscat obiecta, vt ex illis cognitis abstrahat & formet species, sicut ex obiectis ad extra emittuntur species sine hoc quod cognoscant, sed sine cognitione mouent sensus.

Tertiò arguitur in fauorem sententiæ Suarez, ad probandum non distingui intellectum agentem à possibili, quia non repugnat eandem potentiam habere vim producendi species, & recipiendi illas ad cognoscendum; in spiritualibus enim idem potest esse principium agendi, & recipiendi, licèt non in sensibus. *Et ad hoc sunt aliquæ congruentiæ. Primò,* quia intellectus possibilis habet vim formandi species ex speciebus præconceptis, cur ergo non habebit ad formandum illas ex non præconceptis? *Secundò,* quia hoc modo intellectus noster erit medium quoddam inter intellectum Angeli, & sensum, quia neque ex se habebit species, vt Angelus, neque ab alio agente recipiet illas vt sensus, sed ex obiectis formabit, & recipiet. *Tertiò* quia alias anima separata remaneret illa potentia penitus ociosa, cum ibi non sint phantasmata, à quibus extrahantur species, ergo si non habet alium actum, vacabit ibi.

Confirmat. Quia intellectus agens, vel operatur actione vitali, vel non. Hoc secundum dici non potest, cum sit actio propria animæ, vt anima est. Si primum debebit esse actio immanens, siquidem cum sit potentia spiritualis, in qua non datur pars mouens, sed pars mota, sed totum est indiuisibile, consequenter actio manebit in eadem potentia, & sic non producet species extra se intellectus agens, sed in se ipso, potentia autem, quæ recipit species etiam cognoscit per illas, ergo non distinguitur intellectus possibilis ab agente. Denique omne agens est honorabilius patiente, ergo intellectu s agens erit nobilior possibili, ex alia verò parte cognoscens est nobilior non cognoscente, ergo vt ista componantur, idem erit intellectus agens, & cognoscens.

Respond. Etiam in spiritualibus diuersa principia esse actiuum & passiuum, quando circa idem versantur, cum fundentur in illo, quod est primum distinctiuum in genere entis, scilicet in actu & potentia. Et præsertim hoc currit in intellectu nostro, quia est pura potentia in genere intellectiuo, respectu specierum, ergo non solum debet carere illis, sed etiam actiuitate faciendi eas, sicut materia prima, non solum caret formis naturalibus, sed etiam virtute faciendi illas, quia est pura potentia. Et deindè quia intellectus possibilis cum essentialiter sit potentia cognoscitiua, non potest alium actum habere, qui non sit cognitio, actio autem intellectus agentis, non est cognitio, quia facit species etiam ad primam cognitionem requisitas.

Et ad primam congruentiam in contrarium respondetur, quod intellectus possibilis ex præcognitis speciebus potest alias formare, quia format illas cognoscendo & componendo, sed prima species non potest formari ex aliis prioribus præconceptis, sed per virtutem non cognoscitiuam, & hoc sufficit ad distinguendum potentiam.

Ad secundam dicitur, quòd vt intellectus noster cognoscitiuus sit medius inter intellectum Angelicum & sensum, sufficit, quòd in ipsamet cognitione reluceat hæc mediatio, quia scilicet nec habet pro obiecto rem corpoream modo corporeo, vt sensus, nec spiritualem modo spirituali vt Angelus, sed quidditatem corpoream modo spirituali.

Ad tertiam dicitur: Quòd intellectus agens in anima separata erit ociosus quantum ad nouam abstractionem specierum, quia caret phantasmate à quo abstrahat illas, sed poterit habere alium actum, nempe illuminare species iam abstractas in ordine ad actualem vsum illarum, si verè talis actus datur, de quo sequenti artic. & videri potest in D. Thom. qu. de anima, art. 13. ad 7. vel etiam si nullum actum habeat pro illo statu, debet tamen manere in anima tanquam ornamentum quoddam illius, & virtus, quia potest anima re vniri corpori, in quo suam operationem exercebit, sicut in corporibus Beatis, in quibus etiam manebit augmentatiua & generatiua potentia, propter integritatem naturæ, non exercitium actionis.

Ad confirmationem respondetur, actionem intellectus agentis esse transeuntem & vitalem, sicut etiam actus vitæ vegetatiuæ transeuntes sunt & vitales. *Et cum dicitur,* quod non potest mouere seipsum, quia non habet partem mouentem, & partem motam. *Respondetur,* intellectum agentem non mouere seipsum, sed intellectum possibilem, & sic distinguitur mouens & motum. Et non dicitur in viuente vna pars mouere seipsam, vt taliter agat, sed quia vna pars mouet aliam, dicitur ipsum viuens mouere seipsum, non vna pars seipsam. Neque oportet, quòd omnis intellectus sit cognoscens, sed tantùm intellectus formatus per species, non intellectus formans species, quod non currit in sensibus, in quibus obiecta ipsa sufficienter formant species suas, quæ corporeæ sunt, non autem datur sensus formans illas, vt supra ostendimus. *Quòd denique dicitur,* agens esse honorabilius patiente. *Respondetur,* etiam intellectu agentem esse perfectiorem possibili, prout est in statu puræ potentiæ, & indigens formari per species, non tamen est nobilior ipso intellectu formato & vitaliter cognoscente, sicut etiam obiectum est perfectius sensu in ordine ad dandum illi species, non simpliciter, & respectu elicientiæ cognitionis.

ARTICVLVS II.

Quomodo intellectus agens illustret phantasmata & intellectum possibilem?

OMnia munera intellectus agentis ad tria possunt reduci. *Primum,* circa species, quas format, & consequenter ad obiecta intelligibilia, quæ in illis relucet. *Secundum* quoad phantasmata, ex quibus tales species abstrahuntur. *Tertium,* quoad cognitionem intellectus possibilis, quæ ex illustratione intellectus agentis dependet.

Circa primum, proprium munus intellectus agentis circa species est facere species actu intelligibiles & spirituales. Sed quia species non solù debet esse spirituais in sua entitate, sed in ipsa repræsentatione, & consequenter in obiecto repræsentato, quatenus repræsentationi illi proportionatur, posuerunt aliqui obiectum, quod repræsentatur in speciebus formatis ab intellectu agente, relucere etiam in phantasmatibus cum aliqua intelligibilitate in actu, vel quia ex virtute intellectus agentis aliqua illustratio deriuatur ad phantasmata, per quam obiectiuè redditur apparens in phantasmate id, quod quidditatis est, & non id, quòd singularitatis & materialitatis est, sicut in pomo facit lux, quod appareat obiectiuè color, & non sapor vel odor: aut quia ex ipsa anima intellectiua, in qua radicatur phantasia producuntur phantasmata habilia ad mouendum intellectum, & talis habilitas dicitur ab aliquibus relucentia obiecti intelligibilis, quatenus ab illo potest extrahi species propria intellectus, sed hæc solùm est illustratio radicalis, prima verò est formalis; de quo plus tractabitur in secundo puncto.

Nihilominus dicendum est *quod obiectum non redditur intelligibile in actu, nisi primo in ipsis speciebus formatis ab intellectu agente, non in ipsis obiectis sensibilibus ad extra, neque in ipsis speciebus, aut cognitionibus sensuum, neque in ipsis phantasmatibus. Patet hoc*, quia obiectum in omni illo statu ante formatam speciem intelligibilem est actu sensibile & materiale, & repræsentatur vt singulare, ergo non est actu intelligibile, sed in potentia. Non potest autem id, quod in se est materiale, & sensibile in actu, & intelligibile in potentia, reddi actu intelligibile sine aliqua mutatione & immaterialitate; quia intelligibilitas sequitur immaterialitatem, obiectum autem ad extra non immutatur, neque fit immateriale. Similiter neque in phantasmatibus, quia semper sunt corporea, & à conditionibus corporeis denudari non possunt, nisi totaliter destruantur, cum essentialiter sint corporea & sensibilia, ergo restat, quòd intelligibilitas in actu, & immaterialitas obiecti, primò, & per se reluceat in ipsa specie formata ab intellectu agente, quatenus modo immateriali & abstracto repræsentat quidditatem rei sine singularitate. Nec sufficit phantasma radicaliter esse illustratum, quatenùs ex coniunctione ad animam intellectiuam, redditur habile, vt ab eo abstrahatur species intelligibilis, hæc enim habilitas non reddit phantasma actu immateriale, sed intra limites rei corporeæ relinquit: ergo non constituit illud actu immateriale & spirituale, ergo neque actu intelligibile, intelligibilitas enim sequitur immaterialitem. Quod verò sit habile, vt intellectus agens ab eo abstrahat speciem intelligibilem, non amplius ponit in phantasmate, quàm connaturalem subordinationem ad intellectum agentem, non immaterialitatem aliquam in actu ei conuenientem.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Circa *secundum punctum* quomodo intellectus agens concurrat cum phantasmate ad productionem speciei intelligibilis, & quomodo influat phantasma in illam speciem, satis diuisi sunt Authores. *Quidam enim* absolutè negant phantasma concurrere in genere causæ efficientis ad productionem speciei intelligibilis etiam instrumentaliter, sed solum in genere materiali obiecti & exemplaris, vnde intellectus agens educat, & depingat speciem suam. Ita Pater Suarez lib. 4. de anim. cap. 2. numer. 12. dicitque esse sententiam aliquorum Thomistarum. *Inter Thomistas autem communis sententia est*, quòd phantasma sit instrumentum intellectus agentis, sed in explicando quomodo sit instrumentum, diuisi sunt. Nam Caietanus posuit, quòd intellectus agens operatur in phantasma, non per formalem illuminationem, sed per obiectiuam, quam sufficere putat, vt phantasma concurrat ad speciem intelligibilem. Distinguitur autem formalis illuminatio ab obiectiua in hoc, quòd formalis illuminatio fit per inhærentiam lucis in subiecto illuminato, obiectiua autem per apparentiam obiecti ex assistentia extrinseca luminis, sicut in opinione, quæ dicit, lucem non inhærere in colorato, sed in medio, ipso aër illuminatur formaliter, id est, inhærenter, color autem illuminatur obiectiuè. Sic intellectus agens phantasmati coniunctus, licet ei non inhærens facit apparere obiectum intelligibile in ratione intelligibilis. *Alij è conuerso existimant*, aliquid virtutis spiritualis seu luminis deriuari ab intellectu agente in phantasmata, illustrarique formaliter sicut lumen probabile est inhærere in corpore colorato, & sicut ars imprimit instrumento aliquid virtutis ad facienda artefacta; quo exemplo vtitur D. Thom. 2. contr. Gent. c. 77. ad explicandum hanc illuminationem intellectus agentis. *Alij* putant phantasmata non illustrari formaliter, neque obiectiuè à lumine intellectus agentis, sed solum radicaliter, quatenus phantasia radicata in eadem anima spirituali, in qua est intellectus agens producit phantasmata illuminata, id est, habilia, vt ab eis intellectus agens abstrahat species, & hæc habilitas reddit phantasma intelligibile in actu. Ita Ferrar. 2. cont. Gent. cap. 77. Tandem alij vt M. Bañez 1. parte, quæstion. 79. artic. 3. dub. 2. conclus. vltim. & latiùs dub. 4. Conimbric. 3. de anim. cap. 5. quæst. 4. articul. 2. Carmelitani hîc disp. 20. quæst. 2. Rub. & alij tenent, intellectum agentem illustrare phantasmata ratione effectus ex illis deducti, sc. ratione speciei intelligibilis, in qua solum redditur obiectum intelligibile in actu, quod erat intelligibile in potentia in phantasmatibus. Sed quo concursu phantasmatis id fiat? *Respondent*, quod vtitur intellectus agens phantasmate, vt instrumento eleuato, & obiecto eius determinatur ad producendas determinatas species.

Dicendum nihilominùs est: *Phantasma necessaria debere concurrere ad producendam determinatam speciem intelligibilem in intellectu possibili: neque istum concursum posse saluari alia meliori via, quam ponendo, quod phantasma concurrat vt instrumentum intellectus agentis ad talem productionem. Prima pars huius conclusionis* deducitur ex D. Thoma, qui in quæst. 10. de Verit. art. 6. ad 7. inquit: *Quod in receptione, qua intellectus possibilis species rerum accipit à phantasmatibus, phantasmata se habent, vt agens instrumentale & secundarium, intellectus vero agens, vt agens principale, & primum. Et ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili, secundùm conditionem vtriusque, & non secundùm conditionem alterius tantum, & ideo intellectus possibilis recipit formas vt intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, sed vt similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum.* Idem videri potest in quæstion. de anim. articul. 5. ad 6. & 1. parte, quæstion. 85. artic. 1. ad 3. & 4. & multis aliis locis. *Ratio verò est*, quia intellectus agens non habet in se actu omnium rerum species determinatè & distinctè, aliàs si sic contineret illas, non indigeret anima vniri corpori, vt ex illo per sensus hauriret species, nisi fortè dicatur, quod habet illas confusè, & in communi, determinat verò illas ex coniunctione ad sensus. Sed tunc restaret eadem difficultas, quomodò fieret illa maior determinatio & distinctio specierum (quæ vtique spiritualis esse debet) ex coniunctione ad sensus, & determinatione phantasmatum erga illas. Si autem intellectus agens habet in se, & continet species perfectiores & distinctiores, quàm sint in sensibus, vel æquè perfectas, anima ex vnione ad corpus non acciperet cognitionē, sed solum imperficeretur in illa. Est autem contra rectum ordinem naturæ, quod naturaliter inclinet ad id, vnde magis redditur imperfecta in eo, quod præcipuum est in tali natura, & ad quod cætera ordinantur, scilicet in ipso intelligere, & sic potius deberet inclinari anima & principaliùs ad statum separationis à corpore quia in eo quod sibi proprium est & specificum, scilicet in intelligere ex propria sua natura magis perficeretur separata à sensibus, quàm illis coniuncta, quia naturaliter in se haberet sine sensibus species æquè distinctas, vel distinctiores, quā ex sensibus. Quare intellectus agens ad producēdum determinatas species indiget conuerti ad sensus, & ex illis eas debet accipere. Cuius etiam signum accipitur ab experientia, quia læsâ phantasiâ, aut impeditâ sensatione, intellectus totaliter impeditur in cognoscendo.

Secunda verò pars conclusionis probatur : *Tum* ex reiectione aliarum sententiarum : *Tum* ex propriæ explicatione. Nam inprimis dicere quòd phantasmata concurrunt cum intellectu agente solum ratione illustrationis radicalis est omninò insufficiens, quia ex illa radice, phantasia, & actus eius non accipiunt aliquam immaterialitatem, vel virtutem excedentem rationem corporeitatis & materialitatis, quo maneant magis proportionata rei spirituali, qualis est species intelligibilis faciendæ; ergo quantumcunque ponatur habilis radicaliter, si ex ista radice non habet in se aliquid spiritualitatis semper restat eadem difficultas, quomodo possit actualiter influere in rem spiritualem.

Ex eodem principio euertitur altera sententia, quæ ponit aliquid spiritualis lucis deriuari ex intellectu agente, quod realiter afficiat & inhæreat ipsi phantasmati, reddatque phantasma intelligibile in actu, talis enim illustratio immaterialis omninò immutabit illud & destruet, nam quando primò productum fuit à phantasia illud phantasma, solùm fuit productum, vt corporeum, ergo vt intelligibile in potentia, & nullo modo in actu. Ergò si repræsentatio eius per illam virtutem deriuatam ab intellectu agente, mouet vt intelligibile in actu, & immateriali in actu, illa repræsentatio mutatur, cum antea solùm esset intelligibile in potentia, & consequenter phantasma ipsum immutatur, quia repræsentatio intrinseca est illi; si autem manet materiale & intelligibile in potentia, etiam postquam afficitur illa virtute & immaterialitate intellectus agentis, ergo prout sic non mouet intellectum in actu, sed in potentia: A qua ergo virtute habet mouere actu?

Quòd si recurrat ad sententiam Caiet. de apparentia obiectiua in phantasmate, ad quam non requiritur mutatio intrinseca, sed solum extrinseca assistentia, sicut color apparet mediante luce non intrinsecè informante. *Contra est*; quia vel illa extrinseca assistentia habet aliquam actionem ad hoc, vt appareat obiectum intelligibile, vel nullam. Si nullam, ergo non datur ille nouus effectus apparendi obiectum intelligibile, nec enim apparet ex vi ipsius phantasmatis, vt à phantasia productum est. Si autem habet aliquam actionem, ergò & terminum, & iste vel est in ipso phantasmate, & hoc non admittit Caiet. qui non ponit intrinsecam mutationem in ipso phantasmate deriuatam ab intellectu agente, vel habet effectum illa actio in intellectu possibili, & hoc solùm est species impressa, de qua currit difficultas, quomodo ad illam concurrat illud phantasma, vel est in aliquo iuxtà ipsum phantasma, sicut lumen in aëre diffunditur vsque ad colorem, & illi manet contiguum; & hoc esse non potest, cum illa virtus deriuata ab intellectu agente sit spiritualis, & non possit per rem corpoream magis diffundi, quàm in ipso phantasmate immediatè subiectari, quod etiam corporeum est. Quare data illa sententia de obiectiua & extrinseca apparentia coloris, non est simile in phantasmate, quia apparentia hæc est intelligibilis & spiritualis, quæ in re corporea esse non potest, benè tamen in colore apparere corporaliter vnum, & non alia.

Sententia autem P. Suar. & eorum, qui nullum influxum ponunt ex parte phantasmatis in specie intelligibili, nisi per modum materiæ *ex dictis manet impugnata*, neque enim possunt explicare istum concursum materiæ. Nam in primis fatentur phantasmata non esse materiam, ex qua educantur species intelligibiles, siquidem educuntur ex subiecto spirituali cui inhærent, ex illo enim educuntur, in quo sunt, species autem non recipitur inhæsiuè in phantasmate, sed sub intellectu possibili. Item dicunt phantasma non esse materiam, circa quam operatur intellectus agens, quia solum operatur circa intellectum possibilem, sed quod præbet veluti materiam intellectui agenti ad efficiendam speciem intelligibilem. Sed quid est illud veluti materia? quod postea declarat Suarez *num.* 12. dicendo, quòd se habet ad instar materiæ, aut excitantis animam, aut verò ad instar exemplaris. Sed totum hoc, quòd est dicere ad instar, relinquit rem obscuram, & inexplicatam, quia in præsenti inquirimus, quem concursum verè & propriè habeat phantasma, non ad cuius instar se habeat, nam esse ad modum materiæ vel exemplaris, vel extrahit illud à vera & propria causa materiali & exemplari, vel relinquit verè & propriè intra limites talis causalitatis. Si extrahit, restat explicare, in qua alia causalitate ponit. Si relinquit, ergo non ad instar; sed verè & propriè materia vel exemplar est. Et de materia non apparet, quomodo in genere causæ materialis concurrat phantasma, cum non recipiat speciem intelligibilem, neque ad illam disponat; nisi dicatur esse materiam obiectiuam, sicut Philosoph. comparat phantasmata coloribus ad visum, & D. Thom. prima parte, quæst. 8. artic. 6. dicit: *Quòd sensibilis cognitio non est totalis causa intellectualis cognitionis, sed quodammodo est materia causæ.* Sed hoc ipsum nos fatemur, quod est materia per modum obiecti seu repræsentantis obiectum, quod redditur intelligibile ab intellectu agente, sicut diximus quæst. 26. Physic. artic. 2. & hac ratione diximus ibi non esse propriè instrumentum effectiuum, sed obiectiuum, verè enim hoc habet, sed quomodo hoc obiectum concurrat ad hoc vt reddatur intelligibile in specie facta ab intellectu agente, hoc est quod inquirimus, in præsenti. Similiter excitatio non potest fieri nisi respectu potentiæ cognoscentis, aut certè quomodocumque fiat, si phantasma est corporeum & potentia, quæ est excitanda est spiritualis, semper remanet eadem difficultas, quomodo possit id, quod est corporeum, agere in spirituale. Nec sufficit esse radicatam vtramque potentiam, phantasiam, & intellectum in eadem anima. Nam si sola radicatio sufficit, etiam excitabitur intellectus per solum sensum externum, quia radicatur in eadem anima. Nec apparet, quomodo cum sint tam varia phantasmata ex quibus determinantur diuersæ species, quæ fiunt ab intellectu agente, sola radicatio phantasiæ in anima, quæ est indifferens ad omnia illa, sufficit ad tales determinatas species producendas.

Quapropter dicendum est, intellectum agentem non reddere obiectum intelligibile aut apparens in ipso phantasmate, sed vti phantasmate tanquam instrumento à se moto & eleuato ad producendam speciem spiritualem & intelligibilem, in qua primò repræsentatur, obiectum modo intelligibili & immateriali. Quod enim instrumentum corporeum eleuatum virtute spirituali possit effectum spiritualem producere exemplis, & ratione & authoritate D. Thomæ constat; exemplis quidem, quia Angelus operans circa aliquod corpus facit, quod in se resultet vbi spirituale dicens ordinem ad tale corpus: ignis eleuatus à Deo, torquet spiritus per aliquem effectum spiritualem in eis productum: sacramenta corporea eleuata à Deo causant gratiam in anima, vt tractari solet tertia parte, quæst. 72. & diximus in quæst. 26. Phys. & licet hæc fiant miraculosè tamen hoc ipsum ostendit, non esse impossibile, quod mediante corpore moto in spirituali agente, possit produci effectus aliquis spiritualis.

Ratio autem huius est. Quia vnio spiritus ad corpus natu

naturaliter ordinatur ad perficiendum ipsum intellectum, aliàs non peteret naturaliter anima nostra talem vnionem, si ex illa non posset perfici in cognoscendo, ergo oportet subordinari id quod sensitiuum & corporeum est spirituali virtuti ad formandum id, quod pertinet ad perfectionem intellectus, quod vtique non est aliud quàm species. Et sicut virtus artificis determinatur à securi ad producendum inscisionem acutam, & rursum instrumentum dirigitur ab arte, vt inscisio fiat recta vel orbicularis, ita virtus intellectus agentis determinatur à phantasmate, vt talis obiecti, seu quidditatis speciem eliciat, & rursus phantasma ex illa motione & eleuatione intellectus agentis producit speciem repræsentantem modo immateriali, & sine conditionibus materiæ illam quidditatem.

Ex authoritate etiam D. Thom. constat. 1. p. quæst. 85. art. 1. ad 4. *Quòd phantasmata, & illuminantur ab intellectu agente, & iterum ab eis per virtutem intellectus agentis species intelligibiles abstrahuntur. Illuminantur quidem, quia sicut pars sensitiua ex coniunctione ad intellectum redditur virtuosior, ita phantasmata ex virtute intellectus agentis redduntur habilia, vt ab eis intentiones intelligibiles abstrahantur, abstrahit autem intellectus agens species intelligibiles à phantasmatibus, in quantum per virtutem intellectus agentis accipere possumus in nostra consideratione naturam specierum sine indiuidualibus conditionibus, secundum quarum similitudines intellectus possibilis informatur.* Vbi D. Thom. illuminationem intellectus agentis ponit respectu phantasmatum, abstractionem verò respectu specierum, cum autem sine abstractione non detur immaterialitas, & consequenter neque intelligibilitas in actu, frustra dicuntur phantasmata reddi intelligibilitas in actu, frustra dicuntur phantasmata reddi intelligibilia in seipsis, sed solum species, quia ex illis abstrahuntur obiecta, vt intelligibilia in actu repræsentant. Illuminatio autem phantasmatum non ponitur à D. Thom. in eo, quòd aliqua lux vel perfectio immaterialis ponatur in phantasmatibus, sed solùm quod reddantur habilia, vt ex eis abstrahantur species, quæ habilitas non est aliquid radicale in phātasmatibus cum dicantur fieri habilia virtute intellectus agentis, vt etiam dicit 1. p. q. 84. art. 1. ad 4. virtus autem ista non est radix phantasmatum, hæc enim est anima, & sic non ponit in eis aliquid radicale, sed actuale, & ideo non potest esse aliud, quam motio, seu impressio aliqua, qua phantasma mouetur & subordinatur intellectui agenti, & sic tanquam instrumentum habilitatur ad species producendas, sicut securis ab arte habilitatur ad producenda arte facta: qua ratione vocatur intellectus agens sicut ars ab Arist. 3. de anim. text. 17. & comparatur phantasma instrumento à S. Thom. q. 10. de v. sup. cit. & quodlib. 8. art. 3.

TERTIA DIFFICVLTAS.

Circa *tertium punctum* communiter à D. Thom. attribuitur intellectui agenti, quod non solum efficiat species abstrahendo & reddendo obiecta intelligibilia in actu, sed etiam quod illuminet intellectum possibilem manifestando suo lumine prima principia, & mediatè ea, quæ per principia cognoscuntur, vt constat ex D. Thom. quæst. 10. de Verit. art. 6. in fine corporis, & tractat. Caiet. 3. p. quæst. 9. artic. 4. circa dub. 2. & similiter tribuit intellectui agenti, quod faciat conuersionem intellectus possibilis ad phantasmata, vt docet in 3. dist. 14. q. 1. art. 3. quæst. 5. ad 3. Difficilius est, quod docet in 3. contra Gent. c. 45. in fine. *Quòd anima separata intelligit substantias separatas per lumen intellectus agentis, quod est similitudo in anima intellectualis luminis quod est in substantiis separatis*, hoc enim est facere intellectum agentem potentiam cognoscitiuam, quod nos affirmare non possumus. Et idem docet in quæst. de anim. art. 15. ad 9. vbi inquit: *Quòd anima separata per intellectum possibilem recipiat species effluentes à substantiis separatis per intellectum agentem habebit virtutem ad intelligendum.* Quæ verba valde obscura sunt. Solent etiam distingui in intellectu agente tres actiones circa phantasmata, sc. illustrare phantasmata, reddere obiecta intelligibilia in actu, quæ antea erat in potentia, & abstrahere speciem quam producit in intellectu possibili. Itaque difficile videtur tot actus intellectus agentis distinguere, tam circa phantasmata, quàm circa intellectum possibilem.

Nihilominus dicendum videtur; *effectus istos intellectus agentis in intellectum possibilem præter productionem specierum, quas primo producit intellectus agens, non esse immediatè ab ipso intellectu agente, sed mediatè, quatenus in speciebus sic abstractis, virtus luminis intellectualis relucet redditis ipsis obiectis intelligibilibus quæ deseruire etiam possunt ad alia obiecta manifestanda & attingenda.* Itaque mediantibus speciebus influit intellectus agens in omnes illos actus intellectus, qui sunt cognitiones, non autem immediatè influere potest, & lumen quod præbet totum est desumptum ex illis speciebus manifestantibus obiecta intelligibiliter. Sumitur hæc explicatio ex D. Thom. quæst. de anim. art. 4. ad 6. vbi inquit: *Quòd intellectus possibilis factus in actu, non sufficit ad causandam scientiam in nobis nisi præsupposito intellectu agente. Si enim loquamur de intellectu in actu, qui est in ipso addiscente, contingit, quod intellectus possibilis alicuius sit in potentia quantum ad aliquid & quantum ad aliquid in actu, & per quod est in actu, potest reduci etiam quantum ad id, quod est in potentia in actum, sicut per id, quod est actu cognoscens principia, fit in actu cognoscens conclusiones, quas prius cognoscebat in potentia. Sed tamen actualem cognitionem principiorum habere non potest intellectus possibilis, nisi per intellectum agentem, cognitio enim principiorum à sensibilibus accipitur, à sensibilibus autem non possunt intelligibilia accipi, nisi per abstractionem intellectus agentis.* Reducit ergo D. Thom. dependentiam cognitionis intellectus possibilis ab agente, ad dependentiam, quam illa cognitio habet à sensibilibus. Sensibilia autem sunt obiecta, quæ redduntur intelligibilia in ipsa specie, quam intellectus agens abstrahit. Ergo tota ratio illuminationis intellectus agentis mediantibus obiectis intelligibilibus & speciebus habetur. *Et ratio est*: Quia intellectus agens non potest illuminare cognoscendo, nec lumen aliquod habituale producendo in intellectu, quia habitus si est acquisitus, fit mediantibus actibus cognoscitiuis, si est infusus non fit ab intellectu agente, sed à Deo. Ergo tota illuminatio intellectus agentis debet sumi ex parte obiecti repræsentati in specie, quatenus ex vno obiecto manifestatur aliud.

Quod verò attinet ad illos actus, qui numerantur in intellectu agente circa phantasmata, illi non sunt distincti ab ipsa actione productiua specierum, sed solum addunt respectus aliquos seu connotationes, nam hoc ipso, quod producitur species repræsentans intelligibiliter obiectum, quod erat in phantasmate sensibiliter, dicuntur obiecta reddi intelligibilia in actu, & phantasmata ipsa dicuntur illuminata & habilitata reddi ex impressione intellectu agentis, vt talis species producatur, eò quod ista species producitur per ministerium phantasmatis, & consequenter talis productio, & respicit ipsam speciem vt productam, & obiecta in ea repræsentata, vt

red

reddita intelligibilia per repræsentationem ipsam immaterialem,& totum hoc fit vnica actione, quæ omnia ista requirit & respicit, sicut agens principale vnica actione respicit instrumentum vt ministrans, & motum à se,& terminum vt productum,& finem, ad quem talis terminus ordinatur.

Ad loca D. Thom. quæ difficultatem habent, ad primum dicitur. Quòd intellectus agens dicitur suo lumine manifestare prima principia, non quia præbeat ipsum lumen qui est habitus primorum principiorum, quia iste habitus acquiritur per aliquem actum cognoscitiuum, cum non sit habitus infusus vel innatus, vt docet D. Thom. 1. 2. quæstion. 51. art. 1. sed ex ipsa cognitione terminorum assensus, eius generatur, & habitus ipse producitur. Sed quia non indiget ad sui assensum nisi explicatione terminorum, & hæc per ipsas species etiam vt primo abstractas ab intellectu agente habetur, dicuntur illa principia lumine intellectus agentis manifestari.

Quod verò attinet ad conuersionem intellectus ad phantasma, cum illa conuersio sit cognoscitiua, spectat ad intellectum possibilem. In quo autem consistat ista conuersio, explicamus infra art. 4. & similiter quæ sit eius necessitas.

Ad illa verò loca, quæ loquuntur de virtute intellectus agentis in anima separata, quorum interpretationes videri possunt apud Ferrar. 3. contra Gent. cap. 45. & Magistrum Bañez, prima parte, quæst. 79. artic. 3. dub. 1. ad 3. Nos breuius dicimus. Quod quando dicit D. Thom. quòd anima separata per intellectum agentem habet virtutem intelligendi substantias separatas,& per lumen intellectus agentis intelligit illas, non est sensus, quòd per intellectum agentem intelligat, eliciendo ipsam cognitionem, vel quòd intellectus agens aliquã speciem in anima separata producat, cum non habeat phantasmata seu obiecta, à quibus illam desumat; sed quia in anima separata intelligit seipsam, & alias animas & Angelos ad modum sui; speciem autem sui dicitur habere per intellectum agentem radicaliter sumptum, quia anima intelligit se per seipsam in statu separationis,& ipsa radicaliter est intellectus agens, & ideo per intellectum agentem radicaliter sumptum anima accipit lumen intelligendi se, & alias substantias separatas in statu separationis, cum in statu coniunctionis accipiat sui & aliorum species per intellectum agentem formaliter sumptum pro potentia operante circa phantasmata.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

Circa primum punctum posset tangi illa difficultas, quomodo intellectus agens reddat obiectum intelligibile in actu abstrahendo à conditionibus singularibus, cum non solum vniuersale, sed etiam singulare directè possit intelligi. Sed de hoc agemus art. 2.

Circa secundum punctum occurrunt difficultates P. Suarez lib. 4. de anima, cap. 2. n. 7. quæ ferè desumuntur ex communibus difficultatibus circa instrumentum corporeum ad producendum effectum spiritualem, eò quod non apparet, quæ virtus accrescat instrumento corporeo ad producendam rem spiritualem, quia si est virtus corporea est improportionata ad effectum spiritualem; si est spiritualis non potest afficere, & recipi in phantasmate corporeo. Si non est virtus, sed aliqua vnio, vel contactus, vel assistentia causæ principalis, ad instrumentalem, certè non potest illa vnio maior esse, quam quæ fit per radicationem in eadem anima, quia hæc est magis indiuisibilis & naturalis, sed sola radicatio non sufficit ad habilitandum phantasma in ordine ad talem effectum spiritualem, ergo neque sufficiet quæcunque vnio seu coniunctio causæ spiritualis principalis cum tali instrumento. Quòd si sufficeret radicatio in eadem anima non requireretur intellectus agens, vt causa principalis habilitans, sed ipsamet anima per talem radicationem sufficeret ad habilitandum phantasma per modum instrumenti. Specialiter autem cum in sententia D. Thom. requiratur in instrumento aliqua actio præuia, vt ad principalem effectum deseruiat, phantasma autem nullum effectum habere possit circa ipsum intellectum, quia corporeum est, neque circa aliud corporeum apparet, quid operetur, consequenter non potest habere vim instrumenti; qua ratione in quæst. 26. Physicor. articulo secundo diximus phantasmata non esse propriè instrumentum effectiuum, seu obiectiuum.

Respond. phantasma cum sit corporeum non posse effectiuè operari, per virtutem propriam ad effectum spiritualem alias haberet se vt causa principalis, & præterea semper maneret improportionata illa virtus respectu sui effectus, cum iste sit spiritualis, & illa corporea. Quare operatio phantasmatis ad producendam speciem intelligibilem, debet esse ex virtute per modum motionis ab intellectu agente, qui est spiritualis. Et talis virtus spiritualis, quæ datur per modum motionis, seu per modum transeuntis non repugnat subiectari, & inhærere in re corporea quatenus corpus est obediens spiritui, & subordinatum ipsi, hoc enim necessarium fuit, vt possent communicari spiritualia corporalibus, naturaliter enim corpora reguntur per spiritum, & ei subordinantur, & ab eo mouentur. Et rursus non repugnat aliquas spirituales formas perfici ex coniunctione ad corpus, & ex hoc minus spirituales sunt, non per aliquid intrinsecum corporeitatis, sed per ordinem ad corpora quibus communicabiles sunt. Et hac ratione inter formas substantiales spirituales, Angelus immaterialior est quam anima, non quia anima in se habeat aliquid corporeitatis intrinsecè, sed quia dicit ordinem ad corpus cui potest communicari, dicitur autem aliquid magis, vel minus spirituale, non solum quia caret corporeitate in se, sed etiam quia caret ordine ad corpus. Sicut ergo in substantiis spiritualibus, id quod est forma completa, & perfecta sicut Angelus, repugnat informare corpus, non tamen hoc repugnat substantiæ spirituali incompletæ, qualis est anima nostra, quæ hoc ipso minus spiritualis est, quam Angelus, quia & si non in se includat corpus, ad illud tamen dicit habitudinem; ita in formis accidentalibus, formæ, seu virtutes perfectæ, & completæ, quæ vel sunt formæ principales, vel per modum principij, seu potentiæ principalis se habent in operando, nullatenus possunt inhærere in corpore, virtutes autem incompletæ, & per modum motionis, quæ solum ordinantur ad subordinandum aliquod corpus spiritui in ordine ad aliquem effectum spiritualem, non repugnat informare & inhærere corpori, vt latius ex Diu. Thom. ostendimus quæstione 26. Physicor. articul. 2. Talis ergo motio communicatur ab intellectu agente ipsi phantasmati, non verò communicatur illi lux aliqua immaterialis, quæ reddat ipsum phantasma in se illustratum: & intelligibile in actu, sic enim non solum moueretur ad producendam rem spiritualem, sed etiam in se spirituale redderetur. Illa autem motio, sed virtus spiritualis ita imperfecta est, vt propriè non sit in genere spirituali, sed reductiue, & ita dicit Diuus Thomas quæst. 27. de verit. art. 4. ad 5. *Quod illa virtus proprie, neque est corporea, neque incorporea, sed virtus ad incorporeum.*

Quod verò dicitur in sententia D.Thom.instrumentum debere operari dispositiue ad effectum principalis agentis. *Respond.* quod verum esse etiam in ipso phantasmate, operatur enim repræsentatiue, & de se habet vim ad operandum repræsentationem, seu speciem similem sui, quia ex speciebus præconceptis natæ sunt fieri aliæ species similes ex parte rei repræsentatæ, sed quod istæ species sint spirituales, & intelligibiles, hoc requirit virtutem altiorem eleuantem illud phantasma, vt possit efficere speciem similem suæ repræsentationis non sensibili modo, sed spiritualis, & intelligibilis ordinis. Et licet sit in alia potentia, tamen quia est coniuncta, & naturaliter subordinata intellectui, potest ab illo accipere virtutem, seu motionem ad operandum, sicut calor existens in igne assumitur vt instrumentum artificis ad fundendum æs, aut faciendum vas artificiosum modificando calorem & temperando, & calor animalis à nutritiua & generatiua virtute modificatur ad producendam carnem. Et quia operatio, qua vna species præconcepta producit aliam non est effectiua per modum physicæ alterationis, sed per modum intentionalis, & obiectiuæ actionis, seu repræsentationis, ideo diximus in illa q. 26. Physic. non esse instrumentum effectiuum sed obiectiuum, id est non efficiens naturale, sed efficiens intentionale.

ARTICVLVS III.

Quod sit obiectum adæquatum, & specificatiuum intellectus possibilis?

LOquimur de obiecto specificatiuo & adæquato, quia cum intellectus eleuari possit ad attingendum aliquod intelligibile, quod sibi non est connaturale, nec proportionatum secundum naturam, vt cum eleuatur ad videndum Deum, distingui communiter solet in intellectu duplex hoc obiectum, proportionis, & extensionis, & primum pertinet ad specificatiuum proportionatum, iuxta cuius varietatem, diuersas intellectuum species distinguimus, vt nostrum & Angelicum, & in Angelico varias species. Secundum autem simul cum primo constituunt adæquatum obiectum.

Ex his emergunt duæ graues difficultates. Prima quomodo intellectus possit excedere suum obiectum connaturale & specificatiuum, sic enim videtur excedere suam propriam & connaturalem quidditatem, quæ ab illo desumitur, non ab obiecto eleuationis, nec facile expeditur quomodo etiam visus non possit eleuari vltra colorem quantum ad obiectum extensiuum, & sic eleuari ad percipiendum sonum, vel spiritum, vel Deum. *Secunda difficultas*, quomodo sit vniuocum adæquatum obiectum intellectus, vnamq; induat rationem constituendi vnam potentiam, si coalescit ex obiectis ita diuersis, quæ solum analogice possunt conuenire, vt Deus visus in se, & creatura modo suo connaturali intellecta. Quibus expeditis restat assignare nostro intellectui obiectum proprium & connaturale, siue in statu vnionis ad corpus, siue in statu separationis, assignare etiam obiectum extensiuum.

Circa primam difficultatem suppono intellectum nostrum in suo connaturali obiecto, & modo proportionali intelligendi, verbi gratia, intra limites quidditatis sensibilis, aliquo modo complecti omne ens etiam ipsum Deum vt cognoscibilis illo modo quo per quidditatem sensibilem attingi, & repræsentari potest. *Non est de hoc difficultas*, nec in hoc laborandum esset in assignando obiecto proportionato & extensiuo, quia sic tantum datur vnum formale obiectum proportionatum, ad cuius modum & limitem trahuntur reliqua omnia, quæ materialiter sub eo includi & tangi possunt. Cæterum cum eleuatur ad Deum clarè visum, vltra illum formalem modum & rationem intelligendi eleuatur, nec enim Deus clarè visus attingitur sub rationali formali quidditatis sensibilis, nec ad instar alicuius rationis formalis creatæ. Non ergo obiectum extensionis est penes extensionem de vno obiecto materiali ad aliud materiale sub eodem formali, sed de formali proportionato, & specificante ad formale eleuatum, & excedens, & proprium alterius superioris intellectus. Quomodo possunt hæc fieri? Et si possunt intellectu, cur non in visu, & aliis potentiis? *Hæc est difficultas.*

Variæ sunt in hac parte Authorum sententiæ. Præcipuè reducuntur ad tres. *Prima tenet*, quod Deus clarè visus continetur sub vnico & eodem obiecto specificatiuo, & motiuo intellectus. *Secunda*, quod continetur in latitudine obiecti materialis & terminatiui, & hoc sufficit, nec oportet attendere ad obiectum, seu motiuum formale, de quo P. Suarez lib. 2. de attributis negatiuis Dei c.7. Vazq. 1.p.disp.37. Ad quod reducitur, quod aliqui dicunt specificaintellectum solum ab intelligibili vt sic. Quod verò sit naturale, aut supetnaturale; non pertinere ad specificatiuum, sed ad vires quibus proportionatur intellectus pro naturali, vel supernaturali. De quo videri potest M. Gonzalez, & Nazarius ad 1. part. quæstione 12. articul. 1. *Tertia sententia* affirmat sub diuerso motiuo contineri intra latitudinem nostri intellectus Deum clare visum, & alia obiecta. Vndè fatentur, obiectum vt specificatiuum nostri intellectus esse analogum, non vniuocum in se, de quo videri potest M. Bañez, & Zumel ad eundem locum 1. p. Potest tamen illud obiectum sic analogum specificare vnam potentiam specificatione vnitatis athomæ, quia forma præsertim extrinseca dare potest effectum, quem non habet, sicut albedo facit album, & in se non est alba. Ad quod accedunt, qui dicunt in intellectu nostro esse tres gradus diuerso modo specificabiles, nempè specificus in quo conuenit homo cum aliis hominibus; genericus, in quo conuenit cum Angelis; analogicus in quo conuenit cum Deo, & supernaturalibus, & licet vnus gradus sit excedens respectu alterius, quilibet tamen suum habet proportionatum obiectum.

Nihilominus resolutio nostra ex his omnibus colligenda est secundum quod in aliquo attingunt veritatem. Distinguimus ergo in potentia intellectiua propter suam maximam amplitudinem, id quod capacitatis est, quod est commune omnibus intellectibus, & se habet per modum potentiæ actuabilis, ab eo quod est luminis & virtutis connaturalis, quæ in vnoquoque intellectu variatur iuxta modum suæ naturæ. Et dicimus, *quod respectu capacitatis, in quo omnes intellectus creati conueniunt, vnicum est omnium obiectum terminatiuum, quod respectu huius capacitatis specificatiuum est, scilicet omne intelligibile finito modo attingibile. Respectu verò luminis & virtutis connaturalis, obiectum specificatiuum est illud quod est motiuum intellectus iuxtà modum naturæ cuiuscumque intellectualis substantiæ, sicut in nobis pro hoc statu coniunctionis obiectum motiuum, & specificatiuum est quidditas rerum sensibilium, pro statu separationis quidditas spiritualis ipsis animæ, ad cuius modum intelligit reliquas substantias spirituales. Et in vnoquoque Angelo, proprium specificatiuum est ipsa substantia spiritualis propria ad cuius modum reliquas cognoscit, &* iuxta

iuxta illius proportionem, lumen, seu vis intellectiua est maior vel minor, perfectior, vel imperfectior specificè, sicut natura ipsa specie distincta est. Itaque in intellectu aliud est capacitas, aliud virtus: capacitas correspondet intellectui possibili, vt est sub statu puræ potentiæ, seu capacitatis, virtus verò intellectui vt formato specie sibi connaturali, seu modo habendi species connaturales, siue per intellectum agentem abstractas, siue per ipsam spiritualem substantiam, & species ei infusas actuetur intellectus, vt à proprio motiuo.

Prima ergo pars nostræ resolutionis de capacitate intellectus, & vnica ratione illius, quæ non admittit diuisionem per varias differentias, sed vnica est in omnibus intellectibus sumitur ex D. Thom. 1.p.quæstion.79.art.7. vbi inquit: *Quod intellectus respicit suum obiectum secundum communem rationem entis, eo quod intellectus possibilis est quo est omnia fieri. Vnde secundum nullum differentiam entium diuersificatur intellectus possibilis.* Quo loco Caietan. rectè aduertit potentiam intellectiuam non adæquari à suo obiecto motiuo, sed solum à terminatiuo. Excedit ergo capacitas specificationem, quæ à motiuo sumitur, & ita vt dicit D. Thom. respicit pro obiecto omne ens, nec in ista amplitudine diuersificatur intellectus aliqua differentia entium, sed omnes amplectitur. Constat autem, quod in motiuis specificantibus diuersos intellectus, vt intellectus Angelicos & intellectum hominis, non ab omni ente sumitur specificatio motiua, sed diuersa à diuersis, vt ab intellectu humano quidditas sensibilis, ab aliis diuersæ naturæ spirituales. Videndus est etiam pro hac sententia Sanct. Thom. opusc. 2. c.104. vbi explicat, quomodo intellectus noster sit in potentia ad duplex agens, ad connaturale sibi, quod est intellectus agens, & ad supernaturale à quo etiam potest actuari respectu intelligibilium non connaturalium, sicut in ligno est potentia ad formas naturales & artificiales, & sic capacitas ligni extenditur ad artificiale & naturale, connaturalitas autem ad solum naturale agens.

Ratio huius à posteriori satis manifesta est, quia intellectus noster pro statu non potest intelligere spirituales substantias nisi cum ordine, & connotatione ad quidditates sensibiles, in statu autem separationis potest illas intelligere, vt sunt in se, & in statu beatificationis potest clare videre Deum, vt in se est, ergo capacitas istius potentiæ non est alligata modo intelligendi per connotationem ad phantasmata, vel sine illis ad rem spiritualem creatam, vel ad increatam in se. Similiter constat dari diuersas species intellectuum, licèt omnes istam amplitudinem capacitatis habeant, sicut differt intellectus hominis ab intellectu Angeli, & diuersi intellectus Angelici inter se, ergo ex alio principio sumitur specificatio gradualis in intellectibus, scilicet ex proprio, & connaturali motiuo, ab alio verò capacitas, quæ se extendit ab omne intelligibile, neque adæquari potest à proprio, & connaturali motiuo, vnde sumitur illa gradualis differentia.

Ratio autem à priori huius est; quia potentia intellectiua fundatur in immaterialitate excludente omnem materiam, & corporeitatem in se ipsa, quia debet esse potentia mere spiritualis, sed hoc ipso quod habet immaterialitatem sic segregatam ab omni materia, habet capacitatem ad quodcumque intelligibile, quia modus informandi, & immutandi potentiam intellectiuam ex parte obiecti intelligibilis quantumcunque sit intelligibile perfectissimum, non est alius, quam modus spiritualis, & immaterialis, ergo hoc ipso, quod aliqua potentia immaterialis est, est capax cuiuscumque intelligibilis quia est capax vt spirituali modo actuetur. Igitur exclusio omnis immaterialitatis, quæ constituit potentiam spiritualem in se, hoc ipso habet infinitatem quandam respectu omnis intelligibilis, quatenus modus actuandi cuiuscumque obiecti intelligibilis, non excedit modum actuandi spiritualem; & sic adæquatum, & specificatiuum obiectum capacitatis intellectiuæ est omne obiectum spirituali modo informatiuum, quod est omne intelligibile, & hoc est obiectum terminatiuum intellectus, licet pro graduali differentis diuersorum intellectuum deseruiant duersa obiecta motiua, quæ diuersum lumen, & modum intelligendi præbent intellectui, & sic intellectus quantum ad actiuitatem luminis, & virtutis intellectiuæ diuersificatur secundum diuersas naturas, in quibus fundatur, & secundum quorum modum redditur potentia intellectiua actualior, & perfectior in ratione virtutis operatiuæ, remanente semper capacitate passiua ad omne intelligibile in quocumque intellectu.

Dices: Cur non dicemus idem de potentiis sensitiuis, quod quilibet sensus quantumcunque infimus & externus hoc ipso habet capacitatem, & coaptationem vt à quocumque obiecto sensibili actuetur, eo quod obiectum sensibile quantumcumque perfectum nihil aliud petit, quam sensibili modo actuare potentiam, licet quantum ad vim operatiuam quilibet sensus habeat diuersam speciem sensibilis potentiæ ab alio, sicut quæcumque potentia intellectiua habet capacitatem vt actuetur à quocunque intelligibili, licèt secundum vim operatiuam & gradualem diuersitatem, vnus intellectus differat ab alio specie.

Respond. esse disparem rationem in intellectu, & in sensu in hac parte, quia capacitas in intellectu excedit vim operatiuam connaturalem, & specificationem, quæ sumitur ab obiecto motiuo, in sensu autem capacitas cognoscendi omnino limitatur ad eius connaturalem virtutem operatiuam, & ad obiectum motiuum ab eoque adæquatur tota eius capacitas. *Ratio est*, quia omnis capacitas cognoscendi prouenit ex vna radice, nempè ex immaterialitate, quanto enim aliquid magis segregatum est à materia, magis aptum est fieri alia à se, non in ratione ipsa materiali & entitatiua, sed in formali repræsentatiua. Sed hæc immaterialitas in spirituali natura genericè sumpta est completa, & perfecta, quia omni corporeitate caret, vnde hoc ipso proportionem habet, vt actuetur ab omni obiecto carente corporeitate, quale est obiectum actu intelligibile, & immateriale, quia modus actuandi omnium istorum obiectorum, in eo conuenit, quod modo spirituali actuent potentiam, & ita capacitas, seu proportio receptiua omnium illorum vna & eadem est, sed virtus operatiua, lumen quo fertur in obiecta, non potest eiusdem rationis esse in omnibus, quia hoc non fundatur in sola immaterialitate, seu præcisa carentia materiæ, sed in actualitate maiori, vel minori ipsius naturæ spiritualis, quæ tantò maior, vel minor est, quantò magis vel minus accedit & assimilatur ipsi actui puro, qui est summa spiritualitas, & indè sumuntur diuersæ species in intelligentiis, vt docet D. Thom. cap.6. de ente & essentia. Cæterùm potentiæ sensitiuæ ex ipso genere sensibili, opposito modo procedunt, quia ex ipsa sensibilitate potius habent esse in materia & corporeitate, nec ab ea se expediunt. Vndè ex ratione generica sensibili, non habent capacitatem determinatam ad omne sensibile, quia potius sensibilitas & corporeitas ex genere suo impedit tantam capacitatem, & siccum ex genere suo sensibile, non sit segregatū ab omni materia, sed tantum habeat de immaterialitate,

quantum de virtute operandi super conditiones materiales, inde fit quod capacitas potentiæ sensitiuæ adæquatur ab eius virtute & ratione motiua, nec vltra potest extendi & eleuari, quia eleuaretur vltrà adæquatum obiectum cognoscendi, si vltra motiuum eleuaretur. Et hæc est ratio, cur visus non potest eleuari ad audiendum, quia eius capacitas & non solum vis operatiua, seu modus operandi limitatur ad visibile, nec aliam immaterialitatem habet ad cognoscendum, nisi tantum circa visibile, cum de se potiùs habeat materialitatem & corporeitatem ex ipsa ratione sensibilitatis, vnde non induit immaterialitatem absolute, & simpliciter per carentiam, materiæ, sed limitatam pro respectu ad obiectum à quo intentionaliter immutatur iuxta suam proportionem.

Ex his colligitur non esse assignandum obiectum analogicum intellectui, neque ex parte virtutis passiuæ, neque ex parte virtutis proportionatæ, & connaturaliter operatiuæ. De hoc 2. *non est difficultas*; cum virtus eius operatiua, & lumen sit vnius speciei, vtpotè à natura vnius speciei orta, & sub vnica ratione formali, & motiuo tendens ad obiectum. De primo verò, scilicet de capacitate dicimus esse vniuocam, & eius obiectum vniuocum, non in ratione entis & secundùm se, sic enim constat complecti omne genus entis, & totam eius amplitudinem quæ analoga est, sed in modo quo intellectus passiuè est actuabilis, & eleuabilis ad intelligendum, scilicet vt finito modo obiectum intelligibile est, hoc enim constituit genericam rationem intellectus creati, quæ vniuoca est, cum pertineant omnes creaturæ intellectuales ad vnum prædicamentum, & similiter omnes intellectus: solum autem finito, & infinito modo, intelligi, analogizat in genere intelligibili, quia sola hæc ratio constituit intellectus diuersorum generum, & prædicamentorum. scilicet diuinum & creatum, intellectus verò creatus secundum capacitatem respicit omne intelligibile finito modo sicut materia prima omnes formas modo substantiali, & ideo vniuocè receptibiles, licet aliquas solum supernaturaliter acquirere possit, scilicet quæ iam desierunt esse, & tamen vniuoce eas respicit, quia vniuocè cum illis componit si ponantur.

Colligitur secundò: Quodnam obiectum adæquatum sit nostri intellectus, quodnam proportionatum & specificum connaturale? Adæquatum enim est omne illud intelligibile, quod finito modo attingi potest siue per eleuationem, siue per connaturalem virtutem. Sub qua latitudine non solum includitur omne ens quatenus attingi potest sub proportionato, & connaturali modo cognoscendi, sed etiam vt eleuari potest vltra talem modum, & participare modum cognoscendi superioris intellectus, etiam ipsius Dei per visionem beatam, quod quidem licet excedat naturales vires, seu operatiuam vim intellectus, non tamen excedit capacitatem ipsius intellectus, vt dictum est. Ens etiam rationis sub isto obiecto continetur non tanquam obiectum excedens, & eleuatum, sed tanquam formabile & cognoscibile ad instar entis realis & induendo modum illius.

Obiectum autem proportionatum nostri intellectus pro hoc statu vnionis ad corpus est quidditas rei sensibilis, & quidquid per connotationem ad illam cognoscibile est vt dicit Diu. Thom. prima parte, quæst. 84. artic. 6. Et nomine quidditatis non solam substantiam prædicamentalem intelligimus, sed quidquid per modum naturæ alicuius, & essentiæ concipi potest, etiam accidentia & modi, imò & singularitas ipsa ad instar essentiæ alicuius accipi potest. Pro statu verò separationis obiectum illius proportionatum est quidditas spiritualis propriæ substantiæ, de quo videri potest D. Thom. prima parte, quæstion. 80. art. 1. & 2. vbi hoc ipsum affirmat. *Et constat manifestè*, quia anima pro hoc statu, non potest immediatè res spirituales attingere, eo quod ab obiectis sensibilibus accipit cognitionem suam, nec alio modo intelligit, quàm ex sensibilibus, & conuertendo se ad phantasmata, vt experientia ipsa testatur, & ipsa natura animæ postulat, quæ cum sit infima in toto ordine intelligibili, maximè conformatur intellibili infimo, & imperfecto, quale est intelligibile in potentia, hoc autem debet esse aliqua quidditas non spiritualis, & immaterialis in actu, sed immaterialis in potentia, & per abstractionem facta intelligibilis in actu, & ita vocatur quidditas rei sensibilis, ex eo enim quod ad modum quidditatis, & substantiæ accipitur, modò intelligibili res illa concipitur, & vt abstrahens à conditionibus materialibus, verbi gratia, à loco & tempore aliisque sensibilibus à quibus abstrahunt res spirituales tale enim intelligibile connaturale debet esse alicui intellectui, & non alteri quam nostro, qui coniungitur sensibus, vt ab ipsis sensibilibus possit cognitionem suam haurire per modum quidditatis ea intelligendo, & abstractè.

Quòd verò obiectum proportionatum animæ separatæ, sit quidditas spiritualis præsertim ipsiusmet animæ, *constat*: quia tunc caret conuersione ad corpus, neque intelligit accipiendo species à sensibilibus, sed accipiendo infusas à Deo; & per conuersionem ad substantias separata, & sic pro illo stata habet vim operatiuam altioris luminis, & perfectioris rationis formalis, scilicet sub ratione totaliter separata à corpore etiam quoad connotationem.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, potentia passiua seu capacitas nostri intellectus distinctum obiectum & amplitudinem habet, quam eius virtus operatiua seu connaturale lumen, ergo & distinctam specificationem, siquidem hæc sumitur ab obiecto; hoc autem inconueniens est, quod vna & eadem potentia plures habeat specificationes. *Confirmat.* quia adhuc currit eadem difficultas, propter quam distinguimus capacitatem intellectus à vi operatiua, nam ad videndum Deum non solum eleuatur potentia passiua, sed etiam virtus operatiua & actiua intellectus, nec sola ratio generica intellectus, sed etiam ratio specifica, homo enim in quantum homo glorificatur, virtus enim actiua, & specifica eius influit in visionem Dei vitaliter: ergo eleuatio datur vltra specificatiuum proprium, & sic non est necesse illam capacitatem passiuam distinguere. *Confirmat. secundò* quia vel illa capacitas passiua est potentia mere naturalis, vel obedientialis. Si dicatur primum, non potest extendi nisi ad obiectum naturale non ad supernaturale, ad hoc enim non seruit nisi petentia obedientialis. Si dicatur secundum, petimus principium, & non explicamus difficultatem, inquirimus enim rationem, quare potest eleuari obedientialiter intellectus ad videndum Deum, non autem visus ad audiendum, & reddimus rationem quia Deus non est extra capacitatem obedientialem intellectus, cum hoc ipsum sit quod inquirimus, quare obedientialiter est capax, si intra eius specificatiuum naturale non continetur?

Respondet. distinguendo antecedens, habet distinctum obiectum quasi generice, & includendo sub sua vniuersalitate specificatiuum, *concedo*, habet intel

distinctum quasi specifice, & constituens diuersam specificationem, *nego*. Et sic non est distincta specificatio in vnica potentia, sed capacitas amplior ex ratione generica seu communi intellectus, quam ex specifica vt explicatum est. Et sicut corpus ratione materiæ quæ est capax plurium formarum, est etiam capax plurium accidentium communium quæ ab ipsa non dimanant, & ita est amplior potentia passiua corporis, quam actiua, nec propterea plures specificationes habet, ita suo modo in genere intelligibili plura potest intellectus passiuè, quam actiue. Et hæc potentia passiua etiam est in Angelo, quia licèt non habeat intellectum possibilem sicut in nobis, id est quod sit pura potentia sine vlla specie, aut quod sit in potentia respectu intellectus agentis, habet tamen ita amplam capacitatem passiuam, sicut noster intellectus. Quando autem eleuatur intellectus noster supernaturaliter, non accipit nouam specificationem, vel speciem ex illa eleuatione, quia essentialis species semper est natiua, sed accipit accidentalem participationem superioris specificatiui, id est diuini ordinis, qui essentialiter conuenit Deo.

Ad primam confirmationem respond. eleuari potentiam intellectus operatiuam, ipsamque beatificari, & influere in visionem vitaliter vitalitate eleuata, sed tota ista eleuabilitas conuenit actiuitati illi vt capacitatem habet passiuam non enim capacitas illa aliquid distinctum est à vi operatiua intellectus, sed ipsa vis operatiua capacitatem habet ratione suæ genericæ rationis, vt spiritualis est & carens omni corporeitate, ad hoc vt eleuetur ad operandum vltra suam connaturalem vim specificatiuam. Et beatificatur homo in quantum homo & secundum specificam rationem sui intellectus, vt tamen eleuatam ad altiorem modum, quam suus specificus modus intelligendi, nam si in illo solo maneret, non beatificaretur, sed ille specificatiuè sumptus beatificatur, vt tamen eleuabilis est supra se ratione capacitatis passiuæ ad omne intelligibile quæ ipsi communis, & generica est pro omni intellectu. Aliud est ergo quod eleuatur, aliud ratione cuius eleuabilis est.

Ad secundam confirmationem respondet. illam capacitatem potentiæ intellectiuæ esse entitatiuè naturalem, respectiuè autem seu terminatiuè respicere tùm agens connaturale, tùm supernaturale, & respectu huius obedientialis est. *Cùm verò instatur* quia in hoc petimus principium, negatur? nos enim non reddimus rationem cur hoc vel illud obiectum contineatur intra latitudinem huius intellectus, quia est capax illius obedientialiter, sed dicimus capacitatem intellectus extendi ad omne intelligibile finito modo, quia spiritualis potentia est, & carens omni materialitate corporea, & ex hoc sequi, quod potentiam obedientialem habeat vt sit eleuabilis ad quodcumque intelligibile, etiam ad Deum clare visum. Nec est difficile quod tantæ capacitatis potentia emanet à determinata animæ natura, nam substantia ipsa animæ ex eo quod spiritualis est, tantæ capacitatis est radicaliter, quantæ intellectus ipse formaliter.

Secundo arguitur, non minus differt intellectus noster ab intellectu Angeli, vel Dei, quam visus ab auditu, sed visus non potest eleuari ad audiendum etiam participatione, & per eleuationem accidentalem, ergo neque intellectus noster ad intelligendum modo Angelico vel modo diuino, etiam participatiue. Quod verò ex generica ratione intellectus respiciat omne intelligibile, non obstat nam etiam visus ex generica ratione respicit sensibile in communi, & sic poterit eleuari participatiue ad omne sensibile in particulari. Quare exemplum quod vulgo affertur de oculo noctuæ, qui potest eleuari ad videndum sicut aquila, non tenet, quia oculus noctuæ & aquilæ sunt eiusdem speciei, licet vnus perfectior alio, vnde eleuatio ad illum non est extractio à proprio specificatiuo. Intellectus autem noster, & Angeli specie differunt, & multo magis intellectus noster, & intellectus Dei, vnde eleuatio ad illum est ad aliquid extra specificatiuum suum. Dicere autem quod intellectus noster & Angeli non differunt specie, falsum est, cum naturæ ipsæ diuersæ sint specie, & consequenter immaterialitates. *Nec valet dicere* quod intellectus habet potentiam passiuam seu capacitatem infinitam, sensus autem restrictam & limitatam. *Contra enim est*, quia intellectus etiam finitam capacitatem habet, tùm quia finitus est, & finitæ immaterialitatis, nec potest infinito modo intelligere, tùm quia alias non satiaretur videndo Deum finito modo, quia alij modi restarent videndi Deus in infinitum quorum est capax, & illos desiderare potest.

Respondet. intellectum hominis & Angeli simpliciter specie differre sicut & eorum naturæ, quia specificatio sumitur in ipsa actiuitate & virtute operatiua, quæ in illis diuersæ speciei est. At vero capacitas passiua, quæ sumitur ex ratione communi & generica spiritualis potentiæ, excedit specificationem virtutis operatiuæ in speciali, & est susceptiua cuiuscumque intelligibilis, vt dictum est. Cæterum sensus, nec ratione particularis specificationis, nec ratione genericæ capacitatis est capax vt eleuetur vltra suam specificam vim operandi, quia hæc capacitati suæ adæquatur, eo quod generica ratio sensibilitatis non habet de se immaterialitatem determinatam, sed potius materialitatem, incipit autem eleuari super materiam ex ipsa determinata virtute operandi supra conditiones materiales, & cognoscendi determinatè, vnde coincidit in illis virtus operatiua, & capacitas immaterialitatis suæ. Spiritualis vero potentia ex ipsa communi ratione caret determinatè omni corporeitate, & est immaterialis perfectè, capaxque omnis intelligibilis, vt explicatum est. Quare nec vtimur illo exemplo oculi noctuæ & aquilæ per omnia, nec negamus differre specie intellectum nostrum & Angelicum, licet aliqui dicant differre hos intellectus in ratione proprietatis & respectu ad naturas, non in ratione potentiæ & respectu ad obiecta. Quod si intelligatur de his intellectibus, quoad capacitatem passiuam verum est, quia idem obiectum terminatiuum habent, sed hoc pertinet ad rationem communem & genericam omnis intellectus. Si vero intelligatur quoad specificam rationem operatiuæ virtutis, & gradualis differentiæ, non potest esse verum, quia idem est esse proprietatem & esse potentiam, est enim proprietas vt qualitas, & est de genere potentiæ vt qualitas est. Itaque ratio generica in intellectibus est determinatæ capacitatis, quia spiritualitatem determinatam habet, & est indeterminatæ actiuitatis, & solum in genere, & in confuso illam dicit, determinatur autem ad hanc & illam actiuam virtutem per specificationes suas.

Ad vltimam replicam de infinitate intellectus, dicitur; quod intellectus habet capacitatem finitam categorematicè, infinitam tamen sincategorematicè, & secundum quid, tùm quia in infinitum potest cognoscere secũdum magis ac magis, tùm quia infinita accidentia potest attingere simul, vt anima Christi infinitas cogitationes, tùm quia rem infinitam potest attingere, scil. Deum licet finito modo. *Et quod additur*

de

de satietate visionis beatæ, *Respondetur*, illam etsi minimam, perfectè satiare, quia etsi non omni modo attingatur Deus ex parte cognoscentis? ex parte tamen rei cognitæ attingitur omne bonum, & attingit rem infinitam continentem in se omnes illos modos infinitos quibus potest attingi, & sic licèt illos non habeat formaliter, & ex parte cognoscentis, habet tamen obiectiuè, & ex parte rei visæ, sicque in illo possidet omne bonum, quod sufficit ad satietatem simpliciter voluntatis.

Tertiò arguitur, potentia passiua intellectus, debet habere aliquod specificatiuum, cum ipsa sit alicuius speciei, ergo tale specificatiuum debet esse ei proportionatum, siquidem potentia, à quo accipit speciem, debet proportionari illi, ergo in illo non potest includi intelligibile supernaturale, siquidem hoc semper est excedens, & nunquam proportionatum specificatiuè, & intrinsecè, sed tantum obedientialiter, & sic si eleuatur illa potentia, vltra specificationem suam eleuatur. *Quod si dicatur*, potentiam illam passiuam respicere pro specificatiuo sui intelligibile connaturale tantum. *Contra est* quia si ita est, solum illud habebit pro specificatiuo, & sic si eleuatur vltra, eleuatur suprà specificatiuum suæ capacitatis, quod est manere in eadem difficultate. *Confirm.* quia ens naturale & supernaturale sunt diuersi ordinis, & exigunt principia intellectiua diuersi ordinis; vnum exigit lumen naturale, aliud supernaturale, ergo non possunt specificare potentiam vnius tantum ordinis & speciei, qualis est potentia intellectiua, præsertim quia res supernaturalis non potest prius esse in sensu, quam in intellectu, ergo non potest ad obiectum nostri intellectus pertinere, quin obiectum intellectus prius debet esse in sensu, quam in intellectu, cum ab illo accipiatur.

Respondet. capacitatem illam intellectus secundum se, & secundum communem, & quasi genericam rationem, non habere obiectum specificatiuum, seu motiuum connaturale, sed terminatiuum: complectens generice omne genus intelligibile finito modo actuans, & sic non indiget obiecto proportionato suæ naturæ & specificationi positiuæ, sed non repugnante suæ capacitati, nam illa capacitas non est positiua proportio respectu omnium obiectorum, sed positiua respectu connaturalis actiui seu motiui, negatiua autem seu non repugnans respectu supernaturalis, & sic non constituitur aliquod specificatiuum ex naturali & supernaturali, quia reuera illa capacitas non specificatur, sed generica & communis est omni intellectui, siquidem non pertinet ad speciem determinatam illa capacitas, sed ad genus intellectuale, sufficitque habere vnum obiectum adæquatum terminatiuum genericum, quod conuenit in vna ratione communissima, scil. intelligibilis finito modo actuant, siue supernaturaliter, & per eleuationem actuet, siue connaturaliter, & proportionate; nec requiritur ad vtrumque positiua capacitas, sed sufficit non repugnantia ad vnum, & positiua potentia ad aliud, specificatur autem, & positiuè contrahitur & constituitur illa capacitas ab obiecto motiuo proportionato sibi; sed hoc non est secundum amplitudinem totius capacitatis, sed secundum propriam virtutem, & lumen, & secundùm gradum suum.

Ad primam confirmationem respondet. quod supernaturale, & naturale, licet sint diuersi ordinis, possunt tamen conuenire in aliqua ratione obiectiua communi (nam etiam qualitates supernaturales prædicamento & genere conueniunt cum naturalibus) quæ sit terminatiua adæquatæ vnius potentiæ; conueniunt enim in ratione intelligibilis finito modo, & in hac ratione non solum res creatæ supernaturales, sed ipse etiam Deus conuenit cum reliquis obiectis in vna ratione intelligibili in communi & confuso, secundum quam potentia intellectiua est capax omnis intelligibilis finito modo, non autem existimandum est quod supernaturale seorsum & secundum rationem particularem respicitur à potentia intellectiua, sed vt conuenit in aliquo communi cum naturali, nec enim habet proprias vires potentia intellectiua ad attingendum supernaturale secundum se & seorsum à naturali, sed est eleuabilis ad illud. Quod vero supernaturale non cognoscatur prius in sensu non obstat, quia non est connaturale obiectum, quod est quidditas sensibilis, sed eleuatum & supernaturale, ideoque non est necesse prius attingi in se à sensu, attingi enim à sensu pertinet ad obiectum connaturale nostri intellectus, non ad omne.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm singulare materiale pro hoc statu sit directè cognoscibile ab intellectu?

In *hac difficultate concertatio est inter Scholam D. Thom. & Scoti*, & quælibet suos habet fautores. Scotus ergo in 4. distinct. 45. quæstion. 3. sentit dari in nostro intellectu speciem rei singularis materialis directè & propriè repræsentantem illam. Quia verò Scot. ponit, primum quod noster intellectus cognoscit non esse singulare, sed speciem specialissimam, vt patet in primo distinct. tertia, quæstion. secunda, & nos tractauimus in quæst. 1. Physicor. non videtur ponere has species repræsentatiuas singularium esse omnino primas, quas format intellectus agens, alias non repræsentaretur primū species specialissima, sed res singularis Scot. sequuntur plures ex antiquis, ex modernis autem Pater Suarez, libro quarto de Anima, capit. 3. & disputation. 6. mer. sect. 6. Rubio, Valentia, & alij quos citant Carmelitan. disputation. 18. quæst. 6.

Oppositam sententiam tenet S. Thom. 1. parte, quæst. 86. articulo primo, & quæst. 85. articulo 1. ad tertium, Caietanus ibi, Ferrarius secundo contra Gentes, capit. 110. Capreol. in 1. distinction. 35. quæstion. secunda in solution. ad argumenta contra 4. conclus. Fons. 1. met. cap. secundo section. quinta quæstion. tertia, & probabiliorem reputant Conimbr. 3. de Anima, capite quinto, quæst. 4. art. 3. & communiter Thomistæ.

Pro resolutione huius aduerte tria. Primum nos posse loqui vel de specie impressa vel de expressa seu conceptu. Et de ipsa impressa, vel quæ fit beneficio intellectus agentis antequam intellectus intelligat, vel quæ formatur ab ipso intellectu cognoscente ex præconceptis speciebus: Nam maior difficultas est de specie impressa, an directè repræsentet singulare, quam de conceptu, & magis de specie primo abstracta, quàm de formata ex aliis præconceptis speciebus.

Secundò aduerte; quod singulare potest dupliciter cognosci. *Primò* in actu signato, & vt quidditas quædam est, nam etiam modus ille singularitatis suam habet naturam & quidditatem, & sic potest cognosci ab intellectu, sicut vna ex aliis quidditatibus. Alio modo potest cognosci in actu exercito, scilicet prout rem ipsam singularizat, & sub conditionibus singularibus, & materialibus modificat. Et sic inquirimus an directè attingatur ab intellectu, sicut videmus

attin

attingi à sensu. Et differt inter istas cognitiones, quia in prima attingitur indiuiduatio, vt forma quædam secundum se, in secunda attingitur id quod participat eius effectum formalem vt subest illi.

Tertiò aduerte, aliud cognoscere rem aliquam directè, aliud propriè, vel distinctè. Cognoscere propriè seu distinctè contraponitur huic quod est attingere rem solum in confuso & in communi, vel secundum aliquid extraneum, & quod sibi proprium nō est, proprium enim opponitur communi, vel extraneo, & distinctum opponitur confuso. At vero directè cognoscere contraponitur ei quod est reuerti seu regredi supra principia ipsa cognitionis, siue sint principia elicientia vt potentia, habitus, species, & ipsa anima, siuè sint ministrantia, sicut sensus ministrant intellectui, & sunt distinctæ potentiæ ab obiectis ipsis, nam si ipsamet obiecta sunt, quæ præbent species, non redditur indirecta seu reflexa cognitio ex eo, quod tendatur in illa, sicut in sensibus externis directa cognitio est in obiecta, licet ab illis species ministretur sensibus. Vnde constat non esse idem obiectum directæ cognitionis, & obiectum immediatè attactum: nam etiam secundarium & mediatum obiectum directè attingi potest, & sine reflexione, si ex parte principij elicientis non se teneat.

Dico primò, *Species impressa intelligibilis quæ pro hoc statu abstrahitur à sensibus non potest repræsentare singulare directè sub exercitio, & modificatione singularitatis, benè tamen ipsam singularitatem potest attingere per modum quidditatis.* Hæc conclusio est expressa D. Thom. qui non negat posse intellectum cognoscere singularia, quæ cognoscit sensus, sed non eo modo quo sensus, scilicet secundum dispositiones materiales, & accidentia exteriora, sed penetrando ad intimam naturam, vt dicit quæstion. 10. de verit. articul. 5. ad quintum. Vt autem naturam ipsam intelligat, debet relinquere quod modificationis materialis & exercitij singularitatis est, vel vt ipsammet singularitatem intelligat, debet per modum quidditatis eam accipere, & non sub modificatione, & exercitio materiali, sed tale exercitium non nisi reflexe & connotatiuè potest intelligere ab aliquo conceptu quidditatis reuertendo ad exercitium ipsum singularitatis, quod relinquit in sensibus. Docet ergo S. Thom. hanc conclusionem prima parte, quæstione 86. articulo 1. & in 5. de Anim. lectiõn. 8. & quæst. de Anima art. 20. & quodl. 12. art. 1. & alibi sæpè, nec oportet verba adducere quia clarissima sunt.

Sumitur autem ex Aristot. eadem conclus. tum in 1. Physicor. text. 46. vbi inquit: *Quod vniuersale est notum secundum rationem, singulare secundum sensum.* Et in 3. de anima text. 10. vbi dicit: *Quod anima, sensitiua parte discernit calidum & frigidum, quorum quædam est ratio caro, alia verò esse carnis discernit aut separabili, aut sese habente ad se ipsam, perinde ac se se habet, cum extensa fuerit linea flexa.* Ita se habent Aristot. verba, ex quibus D. Th. aliique interpretes sumpserunt hanc locutionem, quod intelligamus qui vocatur à Philos. *pars animæ separabilis*, cognoscit esse carnis, cum se habet quasi linea extensa, rationes verò indiuiduales in carne, vt frigidum vel calidum attingit parte sensitiua seu per sensus, & quasi per lineam flexam ab intellectu Respond. Suarez lib. 4. de anim. citat. numer. 9. mentem Aristot. solum esse, quod idem sit intellectus, qui cognoscit vniuersale, & qui singulare, sicut eadem est linea extensa & reflexa. Et quandocumque Aristot. dicit quod sensus est singularium, intellectus verò vniuersalium, sensus est, quod sensus solum est singularium, intellectus verò vniuersalium & singularium. *Sed hæc responsio non euacuat vim testimonij Arist.* nam neque ipse, neque nos negamus intellectum non nostrum cognoscere vniuersale, & singulare, sed non eodem modo vtrumque, neque eodem modo sensum & intellectum, & de hoc diuerso modo est tota quæstio quid sit. *Vnde responsio Suarez non est ad punctum difficultatis*, sed ad id quod supponit difficultas. Itaque Itaque cum Aristot. ponat diuersum modum in cognoscendo vniuersale, vel singulare in intellectu, quod etiam ipse Suarez fatetur dicens, quod sicut eadem linea curua est, & recta habens se tantummodò diuersimodè, ita & intellectus duo illa cognoscens? restat explicare hunc diuersum modum, quo intellectus cognoscit singulare & vniuersale, & qua ratione dicatur intellectus in cognoscendo singulare se habere sicut lineam flexam, quod nos referimus ad cognitionem reflexam vt statim probabitur, non autem explicat P. Suarez in quo illa reflexio, & ille diuersus modus consistat.

Fundamentum huius conclus. sumitur ex propria & formali ratione & modo quo procedit intellectus in cognoscendo, ab eo quo procedit sensus. Etenim tunc aliquod obiectum incipit pertinere ad intellectum, & sub ea ratione attingitur proprie & directè, sub qua incipit esse intelligibile, & discerni à sensibili, constat enim quod sicut intellectus & sensus sunt potentiæ valde diuersæ, ita in suis obiectis intelligibile sensibile differre debent, & ratio intelligibilis necessario est, quæ directè attingitur ab intellectu, sed res sensibiles redduntur intelligibiles per hoc quod tale obiectum remouetur à materialibus conditionibus, quæ ipsum singularizant, & solum per modum quidditatis attingitur, ita quod quidditas seu substantia rei, est proprium & per se obiectum intellectus, ergo non potest intellectus directe ferri ad hæc obiecta prout modificata illis materialibus conditionibus, quæ singularizant, sed prout ab illis abstrahit, ergo directè non potest attingere singularia sub exercitio singularitatis & materialium conditionum, sed sub ratione quidditatis. *Maior est certa; & minor probatur*, quia res sensibiles vt subsunt conditionibus materialibus quibus singularizantur possunt attingi à sensu, id enim constant experientiâ ipsâ, quia sensibus cognoscimus res sicut in se existunt ad extra, & ibi existunt cum conditionibus materialibus vt singularizata ab illis: ergo quandiu sub illis conditionibus sunt, nondum intelliguntur vt pertinentia formaliter ad intellectum, & vt obiecta actu intelligibilia, secundum id, in quo primo discernitur intelligibile à sensibili, siquidem sub illo statu & conditionibus, adhuc attingi possunt à sensu, ergo ibi nondum relucet id quod est proprium intellectus, sed ad summum id quod est commune sensui, & intellectui etiam in opposita sententia, quæ dicit vniuersale propriè cognosci ab intellectu, singulare autem & ab intellectu & à sensu; sed intellectus quæcumque obiecta intelligit, sub propria ratione intelligit, non sub ratione communi sibi & sensui, siquidem quidquid attingit est in quantum intelligibile, vt intelligibile autem discernitur à sensibili, & non dicit rationem illi communem, ergo sub hac ratione intellectus directe rem attingit; sed vt probatum est quandiu res intelligitur sub conditionibus materialibus, & exercitio singularitatis, intelligitur sensibilis & sub ea ratione qua à sensibus potest attingi & de facto attingitur, vt autem per modum quidditatis attingitur, redditur intelligibilis, & immaterialis ex ipso modo quo accipitur, scilicet sine materialibus conditionibus loci, & temporis, &c. ergo ratio quidditatis & non modificatio singularitatis est proprium obiectum intel-

intellectus, quidquid autem cognoscit aliqua potentia, sub ratione proprij obiecti attingit, & non aliter. Alias excederet modum proprium, & essentialem operandi. Quare solum poterit intelligi singulare ab intellectu, prout ad modum quidditatis accipitur, non vt subest exercitio singularitatis, & sub eius modificatione, sub hac enim ad modum sensibilem reducitur ipsa quidditas.

Dices 1. singulare etiam reddi intelligibile, non quatenus ad modum quidditatis accipitur, sed quatenus spirituali modo repræsentatur, id est per speciem entitatiuè spiritualem, & modo spirituali, quod non fit in sensu, licet ex parte rei repræsentatæ, obiectum materiale sit.

Secundò. Quidditas rei non videtur proprium ac formale obiectum intellectus, tum quia non semper intelligimus quidditates rerum, sed raro & difficulter; tum quia, quia interiora penetrat, etiam exteriora attingit, & ita intellectus attingens essentiam, etiam passiones & accidentia eius attingit, ergo non solum sub ratione quidditatis, sed sub ratione singularitatis exterioritatis potest intellectus res cognoscere: tum denique quia etiam intellectus Angeli respicit interiora rei, & quidditatem, & tamen directè attingere potest indiuidua, vt S. Thom. docet 1. part. quæst. 57. art. 2. ergo hoc non debet obstare, vt intellectus noster etiam directè attingat singularia, licet in quidditatem feratur.

Ad 1. Resp. quod valde materialiter & per accidens respicitur specificatiuum proprium intellectus, & discretio eius à sensu, si solum ponitur differentia in ipsa entitate speciei, non in obiecto repræsentato, & modo repræsentandi eius. Nam obiectum repræsentatum est quod specificat & discernit, non entitas speciei. Vel ergo hoc obiectum sub eisdem conditionibus, & materialitate manet, sub quibus erat obiectum sensuum, vel non. Si non manet, ergo relinquit illas, ergo non fertur directè in illas intellectus, siquidem abstrahit ab illis, & relinquit illas, & sic habemus intentum, quod singularitas non directè ab intellectu attingitur, sed relinquitur. Si verò obiectum manet sub eisdem conditionibus & materialitate, parum refert, quod entitas speciei repræsentantis sit spiritualis, si quidem entitas non specificat sed obiectum, obiectum autem manet omnino idem sicut in sensu, ergo specificatio, & sic non respicitur, vt intelligibile in esse obiecti, nec manet proportionatum in esse obiecti ipsi potentiæ, ergo non attingitur ab ea.

Ad 2. Resp. aliud esse intelligere quidditatem rei, aliud ad modum quidditatis. Intellectus non semper intelligit quidditatem rei, quia non semper penetrat rem vt est in se; semper tamen ad modum quidditatis intelligit, quia ex modo suo conatur inter interiora penetrare de qualibet re, siue accidens sit, siue substantia. Et ideo quidditas dicitur à Philosoph. proprium obiectum intellectus 3. de anima text. 26. & ibi à D. Thom. lect. 11. Et 2. 2. quæst. 8. art. 1. *Dicitur* inquit, *intelligere quasi intus legere: & hoc manifeste patet considerantibus differentiam intellectus, & sensus, nam cognitio sensitiua occupatur circa qualitates sensibiles exteriores, cognitio autem intellectiua penetrat vsque ad essentiam rei, obiectum autem intellectus est quodquid* vt dicitur 3. de Anima. Quare licet intellectus de facto non semper penetret vsque ad quidditatem rei, modus tamen cognoscendi de se debet esse tendens ad quidditatem, quod non posset esse, si repræsentatio ipsa speciei directè esset ad obiectum sub modificatione materiali, & singularitatis conditionibus, quæ exterius occupant, & ad interiora non intratur, nisi his remotis, quia quidditas communis est de se, & ideo sine conditionibus singularitatis accipitur. Et ad 2. probat. dicitur, quod qui cognoscit interiora etiam exteriora attingit, sub modo tamen interiorum, & vt ad illa pertinent & ordinantur. Vndè intellectus, vel intelligit singularitatem in actu signato & per modum quidditatis, & tunc directè cognoscit illam, vel si in exercitio attingit, oportet quod fiat conuersio eius ad sensus, in quibus sub hoc exercitio repræsentatur, & à quibus abstrahit obiectum intelligibil. Et ita diximus quæstion. 1. Physicor. intellectus etiam quando intelligit quoad an est, non abstrahit ab ipso quid est, sed in ipsa quidditate attingit prædicatum communissimum, scilicet rationem entis vt sic & ordinem ad esse. Ad 3. probat. dicitur, quod Angelus intelligit quidditates multo intimius quam nos, non abstrahendo à singularibus & discurrendo. sed comprehendendo, & secundum influxum à superiori causa à qua emanant, scilicet à Deo. Vndè quia incipiunt à substantia & ab interiori radice, possunt directè procedendo vsque ad indiuiduationem peruenire, quæ ibi fundatur & radicatur, & procedit à Deo sicut ipsa natura & quidditas; Angelo autem repræsentantur res prout à Deo originantur in hoc vniuerso, & secundum quod habent connexionem in vniuerso. Nos autem non attingimus substantiam, & quidditatem rei incipiendo ab ipsa, sed ascendendo à singularitate, & relinquendo conditiones eius, quia à sensibilibus accipimus, relinquendo quod sensibilitatis proprium est, quia est solum in potentia intelligibile non in actu. Vnde non attingitur singularitas, nisi vt ex parte termini à quo, atque adeò per reflexionem & connotationem ad sensus, in quibus directè repræsentatur singularia.

Dico 2. Conceptus formati ab intellectu de re singulari sub illa reflexione & connotatione ad phantasmata ad quæ fit conuersio, non repræsentant directè singulare, licet possint esse proprij & distincti conceptus rei singularis. Prima pars concl. deducitur ex Din. Thom. prima parte, quæst. 86. artic. 1. ad 2. vbi inquit: *Quod singulare non impeditur intelligi quia singulare; sed quia materiale, quia nihil intelligitur nisi immaterialiter.* Et solut. ad 3. *quod singulare quod sensus intelligit concretè, intellectus intelligit abstractè & immaterialiter quod est cognoscere in vniuersali. Ex quo fit argumentum.* Ratio quæ obstat repræsentationi directæ rei singularis, est materialitas, sed conceptus non est minus immaterialis, imò multò magis, quam species impressa, cum repræsentet obiectum intellectum in actu, & consequenter minus potentialitatis habet in ratione intelligibili, ergo oportet quod repræsentatio ipsa conceptus, immaterialis sit, ergo non repræsentat directè singulare, alias negandum esset quod ratio non cognoscendi singulare directè non sit eius materialitas, sed singularitas ipsa, quod negat S. Thom. Et certè si semel ponitur quod immaterialitas conceptus non repugnat directæ repræsentationi rei singularis, non video quomodo colligi possit ex immaterialitate intellectus & speciei impressæ, quod non possit directè cognosci, aut repræsentari singulare. *Ad hæc,* vt intellectus noster cognoscat per reflexionem singularia, oportet quod conuertatur supra phantasmata, & illa conuersione vtatur ad cognoscendum singulare, sed hæc conuersio fit per ipsum conceptum non per speciem impressam, quia fit per cognitionem quæ ipso conceptu terminatur, ergo maxime conceptus est qui reflexione cognoscit singularia, & attingit illa, imò si in conceptu non fieret reflexio & indirecta repræsentatio, non verificaretur, quòd intellectus cognosceret singulare indirectè, seu reflexè.

Dices, conceptus reflexus supponit directum, ergo reflexa

reflexa repræsentatio singularis in conceptu supponit aliquem directum conceptum supra quem cadat, sed potest aliquis formare primum conceptum ex singularibus, vt si quando primo excitatur, attendat ad aliquod singulare, ergo tunc non habet conceptum reflexum, siquidem non supponit alium priorem. *Quod si dicatur* supponere phantasma suprà quod cadat. *Contra est*, quia tunc non habet intellectus speciem repræsentantem ipsam phantasiam, aut phantasma vt reuertatur supra ipsum, & frequenter experimur nos concipere & formare propositiones de singularibus, nulla habita recordatione phantasmatis, vel phantasiæ, sed obiecti tantum, quomodo ergo tunc formatur conceptus reflexus de singulari in phantasmate?

Respondetur, reuera reflexionem fieri super phantasma ipsum, quia ibi & non alio conceptu priori ipsius intellectus, repræsentatur singulare: & dicitur reflexio, quia licet non sit super actum ipsum, vel potentiam elicientem, est tamen super actum, vel potentiam originantē cognitionem intellectus. *Et ad replic. Resp.* non requiri speciē repræsentantē ipsum phantasma vel phantasiam seorsum ab obiecto, nec quod cognoscatur in actu signato, quid sit phantasma, vel phantasia, sed sufficit dari speciē repræsentantem obiectum vt abstractū à phantasmate, & consequenter connotantē illud in obliquo, sicut etiam cum reflectit intellectus super actum suum, non habet propriam speciem actus seorsum ab obiecto, sed repræsentando obiectum tanquam cognitum, seu terminans cognitionem reuertitur ad considerandam cognitionem ipsam. Vndè ratione talis connotationis, conuertitur intellectus ad phantasmata in quibus singularia ipsa repræsentantur, quæ reflexio sufficit ad cognoscendum singulare, vt mox dicemus, licet aliquando etiam perfectiori reflexione vtatur intellectus, scilicet reuertendo super actum suum, & ex actu ad phantasma, non tamen semper id requiritur, vt mox dicemus, Non ergo semper experimur ipsa phantasmata & phantasiam secundùm se, semper tamen experimur conuersionem ad obiecta phantasmatum, scilicèt ad singularia secundum conditiones repræsentatas in phantasmate.

Secunda pars conclusionis; quod conceptus ille sit proprius & distinctus singularium, non videtur admitti ab aliquibus antiquioribus Thomistis; qui solum admittebant conceptum confusum rei singularis, Caiet. 1. part. q. 86. art. 1. & Capr. in 1. dist. 3. quæst. 2. in solut. ad argum. contra 4. conclus. Alij verò oppositum tenent vt Ferrar. 1. contra Gent. cap. 65. circa 8. rationem ad 3. dub. & M. Bañez 1. p. q. 86. art. 1. dub. 2. Ratio sumitur ex D. Thoma, quia intellectus cognoscit singularia, vt sunt extrema propositionum quas format, & secundum quod vnum singulare discernitur ab alio, format enim hanc propositionem *Petrus est homo, Petrus non est Paulus, Ioannes non fuit Christus*, & similia; extrema autem illa si non cognoscuntur determinate, sed in confuso pro aliquo homine, non certificabitur intellectus de illa veritate determinatè, nec poterit discernere vnum indiuiduum ab alio, nec enim discernuntur per rationem confusam siquidem in illa conueniunt. At D. Thomas simpliciter concedit quod cognoscit intellectus per reflexionem extrema illa propositionum de termino singulari, vt patet 1. p. q. 86. art. 1. & q. 10. de verit. art. 5. ad 3. & in 4. dist. 50. q. 1. art. 3. ad 3. & aliis locis, ergo concedit determinatam & propriam distinctionem conceptus, siquidem terminus qui in illa propositione ponitur & cognoscitur est determinatè singularis, & ponitur ibi vt discernitur determinate ab alio indiuiduo, quod fieri non potest per conceptum communem vt cum dicitur Socrates non est Plato. Denique ad proprium conceptum indiuiduorum sufficit cognoscere eorum distinctionem & comparationem inter se & cum vniuersali, intellectus autem comparat vniuersale ad singulare, & singularia comparat inter se attingendo eorum distinctionem, & per ordinem ad vniuersale faciendo inductionem ex indiuiduis ad ipsum vniuersale, ergo non est cur negemus intellectui proprium & distinctum conceptum singularium, & non solum confusum, licèt vtendo reflexione, & consequenter phantasmate in ordine ad quod fit reflexio.

Dices, si conceptus rei singularis est proprius & tamen reflexus, ergo oportet quod quia reflexus est, directè non repræsentet singulare, sed vniuersale, & consequenter conceptus singularis erit conceptus communis, & vlterius oportet quod omnis conceptus rei vniuersalis propriè repræsentet rem singularem, quia in omni conceptu vniuersalis dari debet conuersio ad phantasmata, quæ sunt singularia determinata, ergo si hæc reflexio sufficit ad conceptum proprium rei singularis, omnis conceptus quantumcumque abstractus rei vniuersalis, erit proprius rei singularis hoc ipso, quod conuertitur ad phantasmata.

Resp. conceptum rei singularis, vel communis differre penes modum tendendi ad eadem obiecta, scilicet quia opposito modo procedunr, nam conceptus rei vniuersalis abstractæ à phantasmatibus habet pro termino ad quē ipsum vniuersale, & pro termino à quo, singulare à quo abstrahit, & quod relinquit, conceptus autem rei singularis habet pro termino à quo vniuersale, non quod relinquit, sed à quo reflectit ipsum conceptum ad singulare, quod in connotato & obliquo, & vt terminum à quo repræsentabat, illud enim obliquum & connotatū exprimit, seu attendit conceptus & attendendo, & exprimēdo cognoscit ex reflexione ab ipsa natura communi, quam repræsentabat. Conceptus autem denominatur vniuersalis, vel singularis ab eo quod vltimate intendit, & vt terminum ad quem vbi vltimatè sistit, quia motus à termino vbi sistit, denominatur ideóque conceptus communis non est singularis, quia quod in vno est terminus vltimus, non est in alio. Non sufficit autem quæcumque conuersio ad phantasmata, vt conceptus dicatur singularis, sed conuersio ad phantasmata exprimens id, quod in connotatione & in obliquo tantum repræsentabatur in conceptu communi, & à natura vniuersaliter, & in communi repræsentata tendens ad singulare phantasmatis, vt ad vltimo intentum.

Dico 3. species impressæ, quæ formantur in intellectu nostro ex præconceptis speciebus, seu conceptibus rerum singularium etiam non repræsentant illa adæquatè, & directè, sed sicut ipsi conceptus à quibus formantur, licè possint repræsentare propriè & distinctè singularia. Supponit hæc conclus. id quod S. Thom. affirmat 1. par. quæst. 12. art. 9. quod intellectus natus est ex præconceptis speciebus formare alias species, quæ in memoria manent. Istæ ergo species cum formentur ex conceptibus, & conceptus repræsentent singulare propriè & distinctè, licèt per aliquam reflexionem ad phantasmata, formare etiam possunt species repræsentantes singulare distinctè, & propriè, sed non directè neque adæquatè. *Ratio sumitur ex dictis*, quia illa species sic formata immaterialis est, ergo debet repræsentare modo immateriali, & secundū leges repræsentationis immaterialis, id est cū segregatione à materialibus

libus conditionibus saltem ex ipso modo repræsentandi, licet ex parte rei repræsentatæ, possit illud quod connotatiue & in obliquo pertinebat ad speciem, exprimi & attingi distinctè, per reflexionem tamen. Et deinde, quia sic repræsentabat ipse conceptus à quo species illa formata est, quia vt ostendimus conceptus etiam non potest repræsentare directè, ergo neque species illa, quia excedere non potest conceptum à quo formata est. *Dices*, ille conceptus à quo formata est species, habet duo, & respicere naturam vniuersalem & terminare reflexionem ad singulare quod est obiectum phantasmatis. Quid ergo prohibet formari speciem repræsentantem de illo conceptu non naturam vniuersalem, sed terminationem solum reflexionis, & consequenter ipsi singulari erit adæquata, quia tantum repræsentabit ipsum? *Resp.* obstare duo, tum ipsa immaterialitas speciei non solum in entitate, sed etiam in repræsentatione, debet enim necessario correspondere illi obiectum repræsentatum immaterialiter, ergo sine conditionibus materialibus quæ ipsum reddunt sensibile, atque adeo non intelligibile, & immateriale actu: tum quia si repræsentat terminationem reflexionis vt talem, oportet ibi præsupponi directum in ordine ad quod reflexa illa terminatio ponitur, ergo si de illo conceptu accipitur id, quod pertinet ad terminationem reflexionis, non potest accipi illa repræsentatio vt adæquata est singularium, sed vt deriuata à natura vniuersali directè repræsentata, alias reflexionem non terminat, sed absolutè & directè repræsentabit singulare, quod in illo conceptu antea non erat.

Ex quibus colliges; quomodo anima separata possit intelligere singularia corporea per species quas hinc secum defert, nam animam separatam non solum cognoscere singularia quæ apud se sunt, sed quæ in hac vita cognouit, constat ex illo Luc. 16. vbi dictum fuit ad diuitem *Recordare quod recepisti bona in vita tua*, & ipse recordabatur se habere quinque fratres, & sic oportet ponere in anima aliquas species rerum singularium, quæ hic cognouit, & tūc non potest vti conceptu conuertente se ad phantasmata, quia caret illis, ergo vel debet vti nouis speciebus à Deo sibi infusis, vel aliquibus quæ remanserunt in memoria ex hac vita & formatæ sunt ex speciebus præconceptis circa singularia. Et primum solum non sufficit, quia species illæ infusæ non sunt ita perfectæ, & efficaces sicut species intellectus Angeli, quia nec virtus ipsa animæ est ita fortis sicut in Angelo, ideoque species infusæ in anima magis repræsentant res in communi, quam possint descendere vsque ad singularia. Vnde necesse est, quod vt per illas species etiam singularia attingantur, ab aliqua determinatione species illæ vniuersales & superiores determinentur, sc. vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem habitudinem, vel per diuinam ordinationem, vt docet S. Thom. prima part. quæst. 89. artic. 4. & quæst. 19. de veritate. articul. 2. præcedens ergo cognitio in hac vita habita relinquit in ipsa memoria speciem non solum repræsentantem rem, sed etiam reflexionem eius, quam habuit in hac vita ad phantasmata in quibus singulare repræsentabatur, aut etiam affectus inde secutos in voluntate, & reliqua omnia connotata, quæ explicabantur in illo conceptu, & sic licet anima separata non reflectat ad phantasmata, retinet tamen species repræsentantes eam reflexionem, quam in hac vita habuit ad tale, vel tale singulare, & sic repræsentat illud modo reflexio antea facto in hac vita, & in illa specie repræsentato.

De necessitate conuersionis ad phantasmata.

SEd *inquires*, an ista reflexio ad phantasmata, & cognitio indirecta singularium sit idem quod conuersio ad phantasmata, quæ communiter ad omnem cognitionem pro isto statu dicitur necessaria, & quid sit illa; an vero requiratur reflexio supra ipsum actum intellectus, & potentiam eius, vt inde deueniatur ad phantasma, & cognoscatur singulare? *Respondetur*, non requiri ad cognitionē singularis, reflexionem supra proprium actum intellectus, quæ est reflexio rigorosè dicta, sed sufficit reflexio super phantasma, quod est actus alterius potentiæ; dicitur tamen reflexio, quia est ordinatio actus & conuersio ad potentiam vnde originatur ipsa cognitio intellectus. Aliquando tamen datu etiam prima reflexio, & mediante illa potest etiam pertingi ad singulare in phantasmate, vt S. Thom. docet quæst. de anima, artic. 20. ad 1. ex his quæ 2. loco ponuntur, & quæst. 5. de verit. artic. 5. Sed tamen non requiritur semper hæc reflexio, quia hæc ordinatur ad cognoscendum actum intellectus in actu signato, experimur autem nos cognoscere singularia ad extra sine hoc quod aliquid attingamus de actu nostro, vel reflectamus ad illum, non ergo requiritur ista reflexio super actum intellectus ad cognoscedum singulare, imò nec super ipsum phantasma, vt actus quidam est in se, sæpius enim experimur nos in intellectu agere de singularibus sine hoc quod recordemur actus phantasiæ, & multi qui Philosophiam ignorant, quid sit ille actus non attingunt. Sufficit ergo reflexio ad obiectum repræsentatum in phantasmate, quod est singulare, hoc enim connotatur in ipsa specie abstracta ab intellectu agente, tanquam terminus à quo qui relinquitur, exprimitur verò directè in ipso phantasmate. Et per hoc quod intellectus conuertitur ad attendendum id, quod connotatiuè in sua specie repræsendatur, dicitur conuerti seu reflectere ad phantasmata, id est obiectum directè repræsentatum in phantasmate.

Et quod hæc reflexio intellectus ad phantasmata sufficiat ad cognoscendum singulare, sumitur ex D. Thom. prima parte, quæst. 86. artic. primo, vbi inquit: *Quod intellectus noster indirectè & per quandam reflexionem potest cognoscere singulare, quia sicut supradictum est, etiam postquam species intelligibiles abstraxerit, non potest secundum eas actu intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata, in quibus species intelligibiles intelligit, vt dicitur in tertio de anima.* Reducit ergo S. Thom. reflexionem cognitionis attingentis singulare, ad ipsam necessitatem conuertendi se ad phantasmata in cognitione sua, quæ conuersio tunc dicitur reflexio, cum attendit intellectus ad id quod connotatiuè, & quasi in obliquo in specie intelligibili repræsentatur, & respicit illud vt principaliter, & vltimate intentum ad cognoscendum. Et si ad hoc plures attendissent, non ita aspera appareret eis sententia Diui Thomæ de cognitione singularium indirectè & per reflexionem, quia hoc solum reducitur ad conuersionem ad phantasmata, secundum quod per hanc conuersionem intenditur cognitio singularitatis, quæ solum in obliquo tangitur in specie immateriali, & abstracta.

Necessitas autem huius conuersionis ad phantasmata in quolibet actu nostræ intellectionis traditur à Diuo Thoma, prima parte, quæstione 84. articulo septimo, ex Aristotel. tertio de anima text. 39. vbi dicitur. *Quod nihil sentiens, nihil addiscet, aut intelliget,*

gat, sed oportet eum speculetur, aliquod phantasma speculari. Cuius rationem affert ibi Diuus Thomas, quia proprium obiectum nostri intellectus est quidditas materialis, seu natura, aut substantia, aut interioritas rei existentis in materia corporali. Cum ergo natura hæc non existat nisi in aliquo indiuiduo, non potest cognosci ab intellectu plenè & complete, nisi vsque ad indiuiduum se extendat, eo quod intellectus nititur cognoscere verum, & ad hoc ordinantur eius conceptus & cognitio, veritas autem sumitur per conformitatem ad esse vel non esse, esse autem inuenitur in indiuiduis, ergo vt intellectus ad veritatem ordinet conceptiones suas, oportet ordinare ad esse, quod inuenitur in singularibus, & consequenter ad phantasmata, in quibus singularia repræsentantur. *Ad hæc*, cum species illæ sint abstractæ à singularibus materialibus, licèt non repræsentent hoc aut illud determinatè, sed in communi, tamen non possunt totaliter abstrahere à connotatione indiuiduorum, quia natura illa sic abstracta similitudinem ad rem vt existentem in indiuiduis habet, & ita sicut in concipiendo res non potest totaliter præscindere ab aliquo esse, vel ordine ad esse, vel ad instar esse, quia ens sub quo omne obiectum intelligitur, dicit ordinem ad esse, ita non potest præscindere ab aliqua similitudine indiuidui, in quo solum reperitur esse, & ita conuerti ad phantasma est necessarium in omni cognitione in qua adumbratur aliquod esse rei sensibilis, quod in solis, singularibus inuenitur, singularia autem in sensibus repræsentantur. Et hoc ipsum testatur experientia, quando enim conamur aliquid perfectè intelligere, formamus phantasma, in quibus ea inspiciamus, quasi ad similitudinem singularium veritatem explorantes, vel si non adhibentur phantasmata conuenientia, est periculum declinandi ad falsitatem.

Quòd vero reducitur hæc dependentia à phantasmatibus ad pœnam peccati, vt facit Scotus in 1. dist. 2. quæst. 3. & dist. 45. quæst. 3. vel ad subornationem naturalem potentiarum, quarum si vna attingit illud met obiectum, quod alia, oportet, quod vna operante, altera etiam operetur, optimè refutatur à Caiet. 1. p. q. 84. art. 7. quia etiam ante peccatum Adam intelligebat per conuersionem ad phantasmata, & accipiendo species à sensibilibus, vt docet S. Th. 1. p. q. 94. art. 2. ad hoc enim anima naturaliter vnitur corpori, vt per sensus accipiat species, & dependenter à ab eis intelligat, hoc autem naturale est animæ, nec ex peccato ei prouenit, aliàs ratione peccati pereret esse in corpore, & dependenter à corpore intelligere, & species accipere. Eadem autem ratio est accipiendi species, & vtendi illis, quia vtitur illis eo modo quo repræsentant, & repræsentant cum connotatione ad corpus. In statu autem glorificationis non habebit anima istam dependentiam à phantasmatibus, quia habet scientiam infusam non acceptam à sensibus, quæ ipsi animæ separatæ datur, & cum reunitur corpori, habet ita plenum dominium in illud ex glorificatione, quod potest vti scientia animæ separatæ sine dependentia à sensibus, constat enim quod tunc perfectè cognoscet Angelos quod non esset si non vteretur scientiâ animæ separatæ. Quod vero operante vna potentia circa vnum obiectum, etiam alia potentia quæ illud attingit circa idem debeat operari, est falsum, cum potius tales potentiæ se impediant si vna intensè operetur circa idem, quod alia; phantasmata autem potius adiuuant intelligentiam, vt experientia testatur.

ARTICVLVS IV.

Expediuntur difficultates contra doctrinam præcedentis articuli.

PRimò *arguitur*; quia singulare materiale directè intelligi neque repugnat ex parte speciei repræsentantis, neque ex parte ipsius conceptus, ergo ex nulla parte. Antec. quo ad prim. part. probatur, tum quia species Angelorum non minus imò multo plus sunt spirituales, & immateriales, quam nostræ, & tamen repræsentant etiam directè ipsam singularitatem, vt admittimus, ergo ex parte speciei seu repræsentationis speciei non repugnat species rei singularis repræsentans directè illam; *tum* etiam quia non videtur repugnare, quod detur species expressa repræsentans directè singulare, vt plures authores sentiunt, ergo neque repugnabit dari speciem impressam saltem formatam ex præconceptis speciebus repræsentantem singulare, siquidem non minoris immaterialis est conceptus, seu species expressa, quam impressa, ergo si potest stante illa immaterialitate representare conceptus ipsum singulare, cur non species impressa? *Confirm.* quia in anima separata remanent species repræsentantes singularia determinata, sicut Luc. 16. de illo diuite dicitur, qui recordabatur se habere quinque fratres, & quod recepisset bona in ista vita, omnia singularia sunt determinata & sensibilia, & tamen hæc singularia non intelligit per conuersionem ad phantasmata, vt de se patet, quia cessant cum corpore in quo subiectantur, neque per species de nouo infusas, quia hæ non possunt distinctè, & perfectè repræsentare indiuidua sensibilia, quæ apud nos fiunt, eo quod non potest anima tanta efficacia operari circa istas species infusas, sicut Angeli, vt supra ex D. Thom. diximus, ergo species quas hinc defert, debent ei repræsentare distinctè & determinatè ipsa singularia. Præterquam quod illæ species, vel sunt supernaturales, & sic anima indigeret supernaturali lumine ad cognoscenda obiecta singularia sensibilia, & consequenter ex vi status naturalis illa non cognosceret, vel si sunt naturales, ergo connaturale erit animæ cognoscere singularia materialia directè, atque adeo id etiam pro hac vita debebit ei conuenire.

Resp. negando antecedens. Ad primam probationem dicitur esse longè disparem rationem de speciebus Angelicis, & de nostris, nam species Angelicæ infunduntur à Deo & repræsentant res prout à Deo deriuantur, & vt dicit Aug. 2. de Genesi ad litteram, cap. 8. *Quæ infra Angelos sunt ita causantur, vt prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo*, quod testimonium citat & sequitur S. Thom. 1. part. quæst. 55. artic. 1. Quare species illæ non repræsentant singularia accipiendo à rebus repræsentationem, sed à principio ipsarum rerum quod est Deus. Ex hoc autem cernitur differentia, quod species nostræ non possunt immaterialem repræsentationem obiecti induere (nam quod entitatiue species ipsa immaterialis sit, non formaliter consideratur in specie sed materialiter) nisi exuendo conditiones materiales, sub quibus sensibiliter repræsentantur obiecta, & ideò vt ad tales conditiones materiales conuertatur intellectus, non potest directe tendere per abstractionem, quia abstractio potius elongat ab illis, sed indiget reuerti, seu reflecti ad sensus, vbi materiales illæ condi-

ditiones repræsentabantur, & attingebantur. At verò species Angelicæ cum non sumantur à rebus, sed deriuentur à Deo qui est principiũ immateriale causans res materiales, non repugnat quod species ab ipso exemplatæ repræsentent immateriali modo naturas in vniuersali, & extendantur vsque ad indiuidua sub eis contenta directe, eo quod non repræsentant illas naturas provt abstrahunt ab indiuiduis, sed provt descendunt à Deo; à Deo autem non solum deriuatur natura, sed etiam indiuiduatio eius. Quare nos non dicimus omni speciei intelligibili repugnare repræsentationem directam rei singularis materialis, sed speciei quæ sit intelligibilis per denudationem, & abstractionem à conditionibus materialibus, non quæ est intelligibilis per participationem à principio spirituali causante res materiales, quod est Deus. Et sic etiam species Angelicæ non adæquantur singularibus, sed vniuersaliori, & eminentiori modo repræsentant, tam naturas quàm indiuiduationem. Vnde non indigent reflectere, & conuerti ad sensus repræsentantes singularia, cum sensus non sint principia suæ cognitionis, sed ex ipso rerum omnium principio habẽt etiã singularia attingere.

Ad 2. probationem dicitur, quod vt iam ostendimus, etiam non datur conceptus repræsentans directè singulare, bene tamen distinctè & propriè supposita reflexione ad phantasmata, vt iam probatum est licèt verum sit quod in specie ipsa impressa connotatiue, & in obliquo continebantur ipsa singularia, provt ab illis repræsentabat abstractè, & ideo cõceptus exprimit conuersione ipsa ad phantasmata id quod in connotato solum & in obliquo erat in specie. Vnde ille secundus conceptus exprimens singulare, repræsentat quidem illud distinctè, & propriè, id est tanquam vltimum terminum quem intendit, sed ex priori conceptu deriuatum in quo natura directè repræsentabatur in vniuersali, & ideo dicitur reflexus, quia ex priori conceptu descendit, & ex natura vniuersali reuertitur ad eius indiuiduationem; vt sit autem conceptus reflexus stat bene, quod directe repræsentet id quod respectu prioris reflexum est: sed tamen ipsemet conceptus rei singularis, vt diximus, quia immaterialis est, non repræsentat singulare tantum & adæquate, sed vt contentum in natura communi, & ex illa reuertens & descendens ad inferioria. Nunquam ergo datur conceptus, seu repræsentatio immaterialis adæquata singulari immateriali, sed requiritur, quod sub modo immateriali illud repræsentetur, modus autem non est, quod sola entitas speciei sit spiritualis, sed etiam formalis ratio attingendi & repræsentandi naturam immateriali modo, id est abstracto à conditionibus materialibus, licet ad eas attendendas ex parte rei cognitæ etiam reflectat.

Ad confirm. Respond. quòd anima in statu separationis intelligit ad modum Angelorum tanquam spiritus separatus, non vnitus, nec accipiens à corpore. Et ideò accipit species infusas & deriuatas non ab ipsis rebus, sed ab ipso rerum principio Deo, nec sunt ei supernaturales, sed pro illo statu connaturales. Sed tamen propter imperfectionem luminis intellectualis in anima non potest ita perfectè penetrare vsque ad indiuidua ex vi illarum specierum sicut Angelus, ideòque indiget determinatione aliqua, vel ex præcedenti cognitione relicta, vel ex aliqua noua immutatione, aut ordinatione diuina circa ipsam facta vt dictum est. Quare species quas hinc secum defert, in quibus repræsentabatur singulare sub modo immateriali & cum reflexione, etiam deseruire possunt ad determinandas illas species infusas vniuersales, siquidem singulare repræsentant, sed eo modo, quo fuit cognitum, id est cum reflexione.

Secundò arguitur. Quia si species abstracta non repræsentat singulare, sed naturam in communi, seu modo indifferenti, oportet quod ad formandum conceptum de re singulari, licet per reflexionem determinetur ab aliquo, sed non ab aliquo intra intellectum, quia illud si est vniuersale æquè est indifferens, si singulare inquiritur, quomodo producatur ab intellectu, & erit eadẽ difficultas: nec ab aliquo extrinseco, v. g. phãtasmate, quia cum sit corporeum & extra intellectum, non potest illum determinare intrinsecè, cum non sit intra illum, nec determinat, quia est obiectum cognitum, aliàs ad formandum conceptum rei singularis oportet cognoscere ipsum phantasma quod est contra experiẽtiam; nec etiam assignari potest qua specie cognoscatur ipsum phãtasma, cum de re singulari non sit species in intellectu ante ipsam reflexionem, vniuersalis autem species non sufficit, redit enim difficultas quomodò determinatur ad hoc singulare phantasma. Nec denique determinat phantasma speciem vniuersalem per aliquam simpathiam potentiarum, quia hæc simpathia nihil immutare potest in repræsentatione ipsa speciei, & in conceptu producto, & cum hæc simpathia semper detur, quia non est aliud quàm naturalis connexio potentiarum, semper intellectus cognoscet singulare. *Confirmatur*, quia absurdum videtur, tantum requiri ad cognoscendum substantias separatas in hac vita, sicut ad cognoscendum singulare materiale, illas autem solum cognoscimus connotatiuè & in obliquo, si ergo similiter dicimus, nos cognoscere singularia, æquiparamus illa substantiis separatis, cum tamen hæc contineantur sub quidditate materiali, quæ est obiectum proportionatum intellectus, substantiæ verò separatæ extra illud sunt.

Respondetur, speciem repræsentantem vniuersaliter & indifferenter, determinari ad formandum conceptum de re singulari, extrinsecè quidem ab ipso phantasmate vt ab obiecto magis determinato ad quod conuertitur intellectus, intrinsecè verò à specie ipsa abstracta, quæ in obliquo & de connotato habitudinem importat ad illa singularia phantasmatis tanquam ad terminum à quo relictum, repræsentat enim naturam abstractam ab illis, vnde relinquit aliquam connotationem & habitudinem ad illa, ratione cuius semper illa repræsentatio & cognitio per eam facta, à phantasmatibus dependet. Itaque ipsa species repræsentans naturam mouet etiam ad cognoscendum obliquum & connotatum talis naturæ, & originem vnde primò abstracta est, & similiter ad verificandum id quod de illa natura cognoscitur, quia verificatio fit in ordine ad esse & ad singularia in quibus natura existit, vt iam explicauimus. Ad cognoscendum autem rectè flexè aliquid, non requiritur noua species directè repræsentans, sic enim reflexio non esset, sed eadem quæ directè repræsentat vnum seruit pro reflexione, quatenus in obliquo & connotato repræsentat aliud, sic enim ostendimus in Logica, q. 23. ex variis locis D. Th. quòd reflexa cognitio non fit pe aliam speciem ab obiecto directo, sed per ipsammet, quatenus cõnotat, seu dicit habitudinem aliquam ad id, quod reflexè cognoscendum est, puta ad actum ipsius intellectus vel phantasiæ, vt videri potest in q. 10. de Veritat. art. 9. ad 4. & 10. & in 3. dist. 23. quæst. 1. art. 2. ad 3. Vbi docet actum, habitum & speciem cognosci reflexè per species ipsius obiecti, quatenus cõnotat potentiã seu principia cognoscẽdi. Sic ergo per

per speciem repræsentantem vniuersale, non quomodocunque sed vt abstractum à phantasmatibus, à singularitate vt à termino à quo, habet vndè reflectere & reuerti possit super ipsa singularia quæ in phantasmate directè repræsentantur, & ita sufficit extrinseca & obiectiua determinatio ex parte phantasmatum cum intrinseca illa repræsentatione speciei connotatiuè, & in obliquo attingentis singularia. *Et quando dicitur*, quòd si phantasma determinet vt obiectum cognitum, necesse est cognoscere ipsum phantasma. *Respondetur*, quod non est necesse cognoscere ipsum phantasma, vt res quædam est in se, sed sufficit cognoscere obiectum eius, quod est singulare, & sic reflectetur supra repræsentatum in phantasmate, licet non reflectatur super entitatem phantasmatis repræsentantis. Nec sunt ita difficiles istæ reflexiones, quin multò maiores faciant quotidie etiam homines rusticissimi, licet entitates conceptuum pauci intelligant, sed hoc non requiritur ad reflexionem singularium.

Ad Confirmationem respondetur, substantias separatas & singularia materialia è diametro opponi in modo cognitionis nostræ, licèt vtraque videantur, connotatiuè & solum in obliquo attingi ab ipsa. Substantiæ quidem separatæ, quia excedunt omnem quidditatem materialem etiam abstractè cognitam; singularia autem materialia, qui non perueniunt adhuc ad talem abstractionem, sine qua obiectũ non proportionatur spirituali potẽtiæ abstrahenti, & immaterialiter cognoscenti; & ideo non eodem modo, sed extremè diuerso & opposito cognoscuntur; sicut etiam effugere possunt intellectum aliqua obiecta, quia excessiuæ cognitionis, vt Deus, alia quia minimæ entitatis, & etiam in visu quædam quia valde lucida, alia quia nimis minuta, non videntur, sed opposito modo.

Tertiò arguitur, quia iste modus cognoscendi singularia opponitur cognitioni eorum distinctæ, ergo non est ponendus. *Antecedens probatur*, quia semel abstracta specie hominis ab aliquo indiuiduo, quando alius occurrit, vel alia species abstrahitur, vel non. Si non abstrahitur, ergo iste homo in singulari non poterit distinctè cognosci, quia species quæ est in intellectu fuit abstracta ab alio homine, & consequenter ab alio phantasmate, & ad illud dicit connotationem & habitudinem, non ad aliud, ergo per illam non poterit fieri conuersio ad aliud phantasma repræsentans alium hominem in singulari. Si autem abstrahitur alia species repræsentans hominem ab alio indiuiduo abstractum, erunt duæ species in intellectu eiusdem rationis & speciei, quod in sententia D.Th. est impossible, in alia, superfluum *Confirmatur*, quia si cognitio singularium est per reflexionem non ad ipsam entitatem phantasmatis, sed ad obiectum, hoc in omni cognitione intellectus pro hoc statu inuenitur, & sic omnis cognitio intellectus esset cognitio rei singularis. Nec videtur ista directa cognitio singularia requirere magnam perfectionem, cum conueniat sensui, & quidquid conuenit potentiæ inferiori, conuenire potest superiori; nec tantam imperfectionem, quæ non possit nostro intellectui conuenire, cum intellectui Angelico conueniat directè intelligere singularia per suas species, quæ abstractiores sunt nostris.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur: quòd species semel abstracta ab vno indiuiduo, si aliud indiuiduum occurrat, pro eodem etiam applicari potest, nisi fortè ex tali indiuiduo melius natura ipsa communis intelligi possit, quæ ex priori nondum plenè intellecta erat, tunc enim noua species produci poterit, eò quòd in istis speciebus variatio repræsentationis est variatio intrinseca, cum repræsentatio ipsa naturalis sit. Cæterum si in ipsa natura communi non est aliquid variandum, sed solùm in nouo indiuiduo cognoscendo, non oportet nouam speciem generari, sed illa eadem poterit ad diuersa indiuidua, quæ in phantasmate occurrunt, applicari, ad omnia enim similia vnum simile sufficit, in quo omnia conueniunt. Quòd si ipsa indiuidua inter se habeant accidentia distincta & dissimilia, ad illa concurret species illorum diuersorum accidentium, quæ in intellectu generantur, nam etiam accidentia in communi abstrahuntur, & secundùm quidditatem suam, & vbi diuersa occurrunt accidentia, diuersæ species illorum accidentium applicantur, & sic cognoscitur diuersum indiuiduum. Vbi autem est eadem similitudo naturæ & accidentium, eadem species sufficit cum diuersa applicatione sicut etiam idem habitus prudentiæ ad omnia singularia applicatur media cogitatiua, de quo D.Th. in 1. p. quæst. 68. artic. 1. ad 2. & 2. 2. quæst. 47. art. 3. ad 1. Videndus est etiam, quæst. 2. de Verit. artic. 6. ad 3. & quæst. 10. artic. 5. vbi ostendit, quomodo per motum mentis ad phantasmata se miscet intellectus singularibus.

Ad Confirmationem respondetur, quòd licèt in omni cognitione indigeamus conuerti ad phantasmata, sed non semper eodem modo; aliquando enim vtimur phantasmate vt connotato tantum in specie intelligibili, & sic ab ipso singulari conuertimur ad naturam ipsam in communi, & in confuso cognoscendam, non distinctè in hoc vel illo indiuiduo, & tunc cognoscitur res in vniuersali, & indiuidua quoad distinctã eorum cognitionem relinquuntur, solum vero aliquid in confuso accipitur simile phantasmati, & mediante phantasmate verificandum in re, & in esse singulari, & in hac cognitione non dicitur intellectus cognoscere singularia. Aliquando vero vtitur intellectus phantasmate descendendo ab illa confusione & ratione communi, ad percipiendum aliquid distinctè in singulari quod in phantasmate repræsentatur, & tunc vtitur reflexione speciei ad exprimendum distinctè in intellectu id, quod connotatiuè & in obliquo solum repræsentabatur in specie, in phantasmate autem directè, & ita incipit habere illud pro termino ad quem vltimatum, & sic dicitur cognoscere singulare. Nec ista cognitio aliàs comparationes vel difficultates habet, quam procedere à communi seu confuso ad distinctum, quod cuilibet etiam rustico datum est. Et quod intellectus noster directè non cognoscat singularia sicut sensus est propter perfectionem supra illum, cognoscit enim idem quod potentia inferior, sed altiori modo, & non sicut ipsa, vt dicit S. Thomas 1. part. quæst. 86. articul. 1. ad 4. Quod verò non cognoscat directè sicut Angelus, prouenit ex imperfectione sua, quia sumit immateriales species denudando à materialibus obiectis, & sic relinquere debet immaterialitatem singularitatis, Angelus vero accipiendo ab ipso immateriali principio species repræsentantes non solum naturam, sed etiam indiuiduationem, quatenus totum à Deo descendit sub modo immateriali, non autem accipit speciem adæquatam cuilibet singulari, sub modo materialitatis eius: itaque tam noster intellectus, quam Angeli intelligunt singularia non per adæquationem, sed per vniuersalitatem, sed noster intellectus abstrahendo illam & relinquendo singularitatem. Angelus verò descendentem à Deo etiam singularitatem contemplatur.

Ex quo denique soluuntur minutiores obiectiones, verbi gratia, quòd intellectus illud directè debet cognoſcere, à quo fortius mouetur, mouetur autem à ſingulari, quod eſt in ſenſu, quia ſenſus eſt immediatum eius motiuum. *Item* ſaltem indiuiduum ſubſtantiæ debet directè cognoſcere, quia ſenſus non cognoſcit ſubſtantiam, ſed exteriora accidentia, & ſic non eſt alia potentia, à qua directè cognoſcatur. *Item* intellectus directè comparat vniuerſale ſingularibus, & à ſingularibus cognitis abſtrahit vniuerſale, & ſingularia inter ſe comparat & diſtinguit, ergo oportet quod directè ipſa ſingularia attingat, præſertim cum prius illa cognoſcat quam vniuerſale, hoc enim ab illis abſtrahit. Et præſertim hoc occurrit in intellectu practico, qui verſatur circa ſingularia. *Sed reſpondetur ad primum*, quod intellectus mouetur à ſingulari non immediatè, ſed mediante intellectu agente reddente ſpeciem immaterialem & ſpiritualem, non ſolum in entitate, ſed etiam in repræſentatione, & ita non mouetur à ſingulari per adæquationem ad ipſum, ſed per vniuerſalitatem ſub qua continetur illa ſingularitas, & à qua abſtrahitur vniuerſalitas, & ita fortius mouet ſingulare ad apprehendendum naturam eius, non ſingularitatem eius. *Ad ſecundum reſpondetur*, quòd ſubſtantia indiuidualis, vt hæc cognoſcitur à ſenſu vt ſenſibili per accidens, ab intellectu non per adæquationem, ſed vt contenta ſub vniuerſali ſubſtantia, nec eſt neceſſe directè attingi ab intellectu. *Ad tertium dicitur*, quòd vniuerſale repræſentatiuè inuenitur in ſpecie facta ab intellectu agente, qui non cognoſcit, ſed ex phantaſmatibus per ſuperiorem & eleuatiorem virtutem efficit ſpeciem immaterialiter & abſtractè repræſentantem. Vniuerſale autem cognoſcitiuè & comparatiuè fit ab ipſo intellectu, non quidem primo cognoſcendo ſingulare diſtinctè, ſed primo cognoſcendo valde in confuſo, & in communi, deinde per reflexionem ſingulare attingendo, & poſtea etiam comparatiuè & collatiuè ex ſingularibus vniuerſale eliciendo, & iterum ad ſingularia deſcendendo vt voluerit. Et ſufficit illa reflexa cognitio ad intellectum practicum, qui verſatur circa ſingularia, vt affirmat D. Thom. *locis ſupra allegat, in reſponſ. ad 3. argum.* & ſumitur ex Philoſoph. 3. *de anima, text.* 57. *&* 58.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm memoria, ſynderesis, ſpeculatiuum & practicum ſint diuerſæ potentiæ?

PRimò *inquires*, an memoria propriè dicta inueniatur in intellectu, & an ſit potentia ab ipſo diſtincta?

Reſpondetur, quòd memoriæ duo actus ſeu officia attribuuntur. *Primum eſt*, conſeruare ſpecies, quod non pertinet ad actum cognoſcendi, ſed ad paſſiuam informationem & retentionem ſpecierum. *Secundum eſt*, recordatio præteritorum, quod pertinet ad actum cognitionis. Fuerunt ergo, qui vtrumque munus memoriæ, denegauerunt parti intellectiuæ, vt de Auicenna refert S. Thom. 2. *cont. Gent. cap.* 74. *& quæſt.* 10. *de Verit. art.* 2. & hoc ideo, quia ipſe exiſtimabat, ſpecies non exiſtere in potentia, niſi dum actu cognoſcit: & præſertim, quia noſter intellectus pro hoc ſtatu cum vult cognoſcere præterita, præſto habet memoriam ſenſitiuam, vnde ſpecies hauriat, ad quid ergo opus eſt ſeruare ſpecies in intellectu pro recordatione præteritorum? *Quod confirmatur*, quia ideo ſenſus externi non indigent cōſeruatione ſpecierum, quia poſſunt eas ab obiectis accipere quoties voluerint, ergo etiam ſuperfluè ponuntur in intellectu, cum ad manum habeat phantaſmata, vnde illas extrahat, cum voluerit. *Alij* qui ponunt intellectum directè cognoſcere ſingularia, conſequenter non poterunt negare, quod in intellectu detur vtrumque memoriæ munus, ſcil. conſeruare ſeu retinere ſpecies & actum recordationis elicere.

Nihilominus S. Thom. ſententia inter vtſque media via procedit. Nam contra Auicennam docet in parte intellectiua conſeruari ſpecies, & negat memoriam quantum ad actum recordationis quo directè cognoſcat ſingularia præterita. Sumitur ex ipſo D. Thom. 1. *p. quæſt.* 79. *art.* 6. *& q.* 10. *de Verit. art.* 2. adiuncto etiam eo quod docet 1. *part. quæſt.* 86. *art.* 1. & ſupra ponderauimus de cognitione ſingularium reflexa. Vnde pro iſta parte probanda, quod non datur actus memoriæ in intellectu quantum ad directam notitiam rei præteritæ, quæ ſemper ſingularis eſt, vniuerſale enim non præterit, ſed ſolum res prout exiſtens, non eſt opus aliam adhibere probationem, quam quæ *præced. artic.* allata eſt, ad probandum non dari cognitionem ſingularium directam in intellectu. Et ex eiſdem principiis manet probatum, quod datur quantum ad indirectam, poſſunt enim manere ſpecies in intellectu repræſentantes ſingulare à ſe cognitum reflexè, & ita per ſpeciem repræſentantem obiectum vt cognitum à ſe, & ipſum actum ſuum quo cognouit, recordatur intellectus rei præteritæ, vt docet S. Thom. d. q. 79. art. 6. ad 2. in fine, & quæſt. 10. de verit. art. 2.

Quare ſolum reſtat probare primam partem ſententiæ D. Thom. contra Auicennam. *Et hanc probat ſanctus Doctor*; quia ſpiritualis & immaterialis natura, qualis eſt intellectus non minus eſt conſeruatiua ſpecierum quas recipit, quam materia corporalis, cum potius natura ſpiritualis immutabilior, & firmior ſit. Species autem de ſe ſunt formæ permanentes, non ſicut operationes & actus ſecundi; præſertim quando ſunt ſpecies indifferenter & repræſentantes res in abſentia & in præſentia, vt videmus dari in parte imaginatiua, & tales ſunt etiam in intellectu, qui vtique in abſentia etiam intelligere poteſt, ergo non eſt ratio cur intellectus non conſeruet illas. *Deinde*, quia intellectus non perdit habitus, ſed conſeruat illos, alias non diceremur ſcientes in habitu, ſed ſolum quando actu intelligimus, ergo ſimiliter conſeruat ſpecies, quia habitus ſcientiarum ex illis formatur, & ex illis dependet; imò ſi quis amitteret ſpecies quibus poſſet ſcire, ſtatim habitum ſcientiæ amitteret, ſicut anima carens ſpeciebus, quando creatur, non poteſt dici ſciens, etiam ſi entitatem habitus haberet, quia non eſt proximè potens ad actum cognitionis & ſcientiæ, carendo ſpeciebus. Et ita Ariſtot. 3. *de anima text.* 6. dicit. *Animam eſſe locum ſpecierum, non totam, ſed intellectiuam*, locus autem conſeruatiuus eſt rei locatæ, ergo & anima ſpecierum, quæ non in eſſentia animæ, ſed in potentia intelligente ſunt.

Et quia memoria propriè dicitur per ordinem ad actum eius cognoſcitiuum, qui eſt recordari, vbi non eſt propriè recordatio, neque memoria eſt, vt etiam ſentit D. Thom. *quæſt.* 10. *de verit. articul.* 2. Sola autem conſeruatio ſpecierum non facit ſimpliciter memoriam, etiamſi ſit conſeruatio ſpeciei de re præterita, quia iſta per ſe ordinatur ad actum, & ita vbi deficit actus memorandi, propriè deficit memoria.

Ex

Ex quo patet; id quod vocamus memoriam in intellectiua parte, scilicet conseruare species, non petere distinctam potentiam ab intellectu, quia in potentiis immaterialibus ad conseruandum seu retinendum, non requiritur peculiaris dispositio quæ diuersam exigat potentiam sicut in corporalibus petitur distinctum temperamentum, & organum ad diu conseruandum, quàm ad simpliciter recipiendum, in spiritualibus autem ipsa natura immaterialis recipiens immaterialiter, sufficit ad diu conseruandum, quia immaterialia minus sunt subiecta mutationi & corruptioni. Et sicut intellectus recipit habitus, quos diu conseruat, ita poterit cõseruare species, quantum est de se, sine additione alterius potentiæ, quousque ab aliquo contrario corrumpantur. Non ergo opus est distinctâ potentiâ memoriæ pro eo, quod est conseruare species. Pro actu autem memorandi multo minus quia non cognoscit directè, sed reflexè singularia præterita, vt diximus, hoc autem proprium est intellectus, qui solum indirectè cognoscit singularia: ergo quantum ad hoc sufficit potentia intellectiua, nec enim penes indirectos seu reflexos actus potentiæ distinguuntur, sed penes directos, quando inducunt diuersum immaterialitatis modum in cognoscendo.

Ad fundamenta Auicenn. Ad. 1. *respond.* Species permanere in absentia sensibilium, vt constat in parte sensitiua, cum recordamur rei absentis, aut mortuæ, & sic non possunt dari species solum quando quis actu cognoscit, aliàs postquam aliquis desiit cognoscere, & obiectum etiam desinit esse, non posset cognosci, quod aduersatur experientiæ. Ergo multo magis species intelligibiles non dependebunt ab actuali cognitione obiecti, quia magis immateriales sunt, & ad obiecta absentia se extendunt. *Quod verò dicitur*, non indigere intellectum conseruatione specierum cum ad manum habeat phantasiam & memoriam sensitiuam, vndè accipiat. *Respond.* hoc futile esse, tum quia magis hoc pensandum est ex ipsa natura specierum & intellectus, quæ sunt immateriales, & magis se conseruant, quia minus corruptioni sunt obnoxia, tum quia manent in anima separata, vt possit recordari singularium, quæ hic cognouit, & per illas species determinare eas quæ sibi infunduntur, vt diximus præced. art. tum denique, quia intellectus recordatur non solùm res ipsas, sed etiam actus suos, & se hoc vel illo modo intellexisse, vel voluntatem affectam fuisse, & hoc non conseruatur in memoria sensitiua, cum sit quid spirituale, ergo in intellectu, vt possit huius recordari.

Ad conf. resp. esse diuersam rationem de sensibus externis, quia cum non possint cognoscere nisi in præsentia obiecti, & ita præsentis, vt non sit impeditum emittere species per medium, frustra seruarentur species in sensibus. In potentiis vero quæ cognoscunt res in absentia, aut in vniuersali, & indifferenter ad præsens, vel absens, & immaterialiter, oportet conseruari species, tum propter fines dictos, tum quia natura earum id exigit, vt explicauimus.

Nec pertinet præcise ad intellectum cognoscere præteritum nisi, vel in communi & per modũ quidditatis, quod non est actus memoriæ, quæ præcisam quidditatem non respicit, sed sub existentia præterita, vel comparando præteritum ad præsens, & futurum, sub qua relatione intellectus metitur tempus; vel solum indirectè illud cognoscit, & non per distinctam realiter potentiam ab intellectu, sed per eandem secundum diuersa officia, vel formalitatem.

Secundò inquires, an sint diuersæ potentiæ ratio superior & inferior? *Resp. negatiuè*; quia per rationem superiorem & inferiorem, non designantur diuersæ potentiæ, sed diuersa principia regulatiua actionum, quia per rationem superiorem intelligitur ratio seu lex suprema, quæ respicit rationes æternas, ratio vero inferior est quæ respicit temporales, vt ex D. August. 12. de Trinit. *c.* 4. *&* 7. *&* 8. docet S. Thom. 1. *p. quæst.* 79. *art.* 9. *&* 1. 2. *q.* 74. *art.* 7. *&* 9. *&* 10. Igitur ratio superior, & inferior habent se sicut principia vniuersalissima, vel minus vniuersalia, quorum vnum potest regulari, aut reduci, vel defendi per aliud, sicut in scientiis, Metaphysica vtitur altissimis principiis, ideoque sapientia dicitur, Physica vero, aut Mathematica, principiis minus vniuersalibus, & quæ per priora regulantur, & in artibus, illæ quæ sunt superiores, & architectonicæ respiciunt altiora principia, quam inferiores seu ministeriales; sic in practicis rationes æternæ respiciunt vltimum finem & sunt supremæ regulæ seu principia agendorum; rationes vero temporales sunt regulæ inferiores, & per priores regulandæ. Omnia autem hæc comprehenduntur sub vno modo intelligendi, & sub vniuersalitate entis, ideoque non magis pertinent ad diuersas potentias, quam artes superiores & inferiores, scientiæ superiores, & inferiores, principia vniuersalissima, vel minus vniuersalia, quæ omnia inter se ordinata sunt, & sub eodem modo intelligendi ad modum quidditatis sensibilis contineri possunt.

Dices, appetitus sensitiuus immediate regulatur à cogitatiua, hæc vero mouetur à ratione, ergo ad distinctas potentias pertinẽt ratio inferior & superior. *Resp.* cogitatiuam quidem esse mouens inferius, non tamen rationem inferiorem, aliud est autem ratio inferior, aliud mouens inferius. Ratio inferior est principium regulandi modo rationali, licèt non supremo, & vniuersalissimo modo ratiocinandi. Cogitatiua autem non regulat & mouet rationali modo, sed si in aliquo deliberat aut regulat est ex participatione rationis mouentis & deliberantis. Vndè per se & primordialiter non est ratio regulans.

Tertiò inquires an speculatiuum & practicum petant distinctas potentias? *Respond. negatiuè* quantum est ex vi practici & speculatiui, nisi aliàs differant in diuersa immaterialitate, sicut speculatiuum Angeli, & practicum hominis, *Ratio autem est*, quia ad eundem intellectum pertinet attingere veritatẽ in se, & ex illa dirigere operationes, & voluntatem quæ est inclinatio consecuta ad intellectum. Constat enim, quòd intra idem genus intelligendi, & in eadem potentia potest dari cognitio veritatis & directio operis seu voluntatis, quia ad cognitionem per se sequitur inclinatio seu voluntas, & ita cognitio per se est directiua voluntatis in agendo. Speculatiuum autem & practicum distinguuntur per hoc, quod speculatiuum apprehendit res, vt sciat illas, practicum autem dirigit, exequatur seu faciat extra intellectum, nam ad dirigendum speculationem ipsam intra intellectum sufficit speculatio, & non requiritur practica directio, quia speculatio antecedenter ad practicum habere debet sufficientia principia ad dirigendum se, vt sine errore procedat, & vt attingat veritatem, aliàs non posset antecedere practicam directionem vera, & recta speculatio, ergo directio & ordinatio speculationis, non est practica, sed speculatiua, & ideo *in Logica, quæstione prima*, defendimus Logicam esse speculatiuam, quia non dirigit opus quod est praxis, sed opus quod est speculatio, & ideo anteuertit omne practicum, quia practicum sequitur ad speculatiuum vtique ordinatũ & rectum, & non errori subiectum, quod fit per regulas Logicales,

gicales. Nec ratio boni, quam respicit practicus intellectus, est bonum vt appetibile formaliter, sed vt dirigibile, & cognoscibile, & sic non extrahitur à ratione veri, bonum enim etiam est verum & cognoscibile.

Quartò inquires, an synderesis, & conscientia sint distinctæ potentiæ ab intellectu? *Respondet negatiuè*, vt docet S. Thom. 1. p. quæstione 79. articul. 12. & 13. sed synderesis nominat habitum principiorum regulantium practicè actiones, conscientia verò applicationem eorum ad operandum: neutrum autem distinctam potentiam exigit ab intellectu. Et licet aliqui dixerint synderesim ad voluntatem pertinere, quia versatur circa bonum, tamen quia non versatur circa illud per modum inclinationis & affectus, sed per modum directionis regulantis, quæ fit per iudicium, ideo ad potentiam iudicatiuam, & cognoscitiuam pertinet. Vndè dicitur Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Et Rom. 2. dicitur. *Ostendi legem naturalem scriptam in cordibus*, ostensio autem ad intellectum pertinet; quod etiam affirmat Hier. hom. 1. in Ezech. Aug. lib. 2. de Serm. Domini in monte, D. Thom. cit. locis. *Et ratio est*, quia sicut in discursu speculatiuo oportet deuenire ad aliqua principia naturaliter nota in ratione veri, ne sit processus in infinitum, ita in practicis ad aliqua principia naturaliter nota in ratione regulantis, & conuenientis, vt, *quod bonum est faciendum, malum fugiendum*, & habitum talium principiorum vocamus synderesim.

An vero sit habitus acquisitus, an naturaliter congenitus? *Resp.* aliquos sentire, quod est omnino indistinctus ab ipso intellectu. Sed D. Thom. 1. 2. quæst. 51. art. 1. & 2. cont. Gent. cap. 78. dicit habitum principiorum esse partim acquisitum, partim naturalem. Est acquisitus, quatenus dependet à speciebus, vt ex ipsorum terminorum cognitione innotescat, & ita de se intellectus, antequam species aliquas acquirat, sine vllo habitu est, cum enim habitus iste sit lumen determinatum, & circa determinata obiecta ad quæ inclinat, non potest esse idem cum potentia & ex sola eius indifferentia, & potentialitate resultare, sed ex aliqua determinata repræsentatione obiectorum, quæ speciale lumen determinent, & circa specialia obiecta inclinationem ponant. Est autem naturalis ille habitus, non formaliter in se, sed radicaliter, quatenùs positis speciebus & explicatis terminis ex ipsa natura intellectus prouenit tanta adhæsio, & inclinatio ad illam veritatem, quod nullo modo potest ei dissentiri, sed naturali vi adhæret illi euidentiæ, & hoc modo dicitur habitus ille naturalis, non in sui productione, quasi à natura detur, sed in ipsius adhæsione & assensu ex naturæ proportione ad illam veritatem stabilito.

Conscientia, dicitur applicatio scientiæ seu regulæ & principiorum illorum ad operandum, vnde habet se tanquam actus seu applicatio non vt habitus, nec vt distincta potentia. Pertinet autem ad intellectum, quia est applicatio dirigens, manifestans, &c. licèt supponat motum voluntatis, quatenus illa applicatio voluntariè fit, & practico modo ea generali ratione, qua omnes potentiæ applicantur à voluntate ad operandum. Vndè conscientiæ tribuitur id quod intellectus est, vt scire, Ecclesiastic. 7. Scit enim conscientia tua; similiter iudicare & testificari, 1. ad Corinth. 10. *Vt quid libertas nostra iudicatur ab aliena conscientia*. Rom. 2. *Testimonium illis reddente conscientia*. Et similiter dicitur conscientia ligare, excusare, condemnare, &c. Quæ omnia ad cognitionem spectant. *Nec obstat*, quod etiam dicitur bona vel mala, hoc enim est, quia est regulatiua & applicatiua ad bonum & malum sicut etiam dicitur intellectus bonus Psal. 110. qui est intellectus practicus. Aliquando tamen attribuitur nomen conscientiæ ipsi synderesi, cuius veritas applicatur ad operandum, attribuendo nomen effectus ipsi causæ, vt ex Patribus docet S. Th. 1. p. quæst. 79. art. 13. & videri etiam potest quæst. 17. de verit. Plura de conscientia pertinent ad Theologos, 1. 2. quæst. 19.

QVÆSTIO XI.

De intellectione, & conceptu.

ARTICVLVS I.

Vtrùm intellectio sit de prædicamento actionis, vel qualitatis, distinguaturque realiter à verbo mentis?

TRES *sententias generaliter in hac parte reperio. Prima ait*: intellectionem esse actionem de prædicamento actionis tanquam formalis causalitas, cuius terminus productus est verbum, seu conceptus. Ita Conimb. hîc c. 8. q. 3. art. 3. Fonseca 5. Metaph. c. 15. q. 10. sect. 2. & alij etiam ex Thomistis.

Secunda sententia tenet consistere intellectionem in qualitate, sed non distingui à verbo mentis, produci tamen hanc qualitatem vera & propria actione distincta ab ipsa intellectione, sicut quælibet actio distinguitur à suo termino. Ita Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 6. num. 5. & lib. 3. de anima cap. 5. num. 11. miraturque valdè, Thomistas distinguentes actum intelligendi à verbo tanquam duas qualitates impugnare Scotum, qui distinxit ipsum dicere ab intelligere, siquidem si ponunt duas qualitates debent ponere duas actiones sicut & termini sunt distincti. Sententiam Suarez sequitur etiam P. Vasquez 1. p. disput. 38. cap. 2. & disp. 141. cap. 4. q. 3. & patrocinatur Scotus, qui sentit verbum mentis non esse aliud, quam actum intelligendi in facto esse, vt colligitur ex eius doctrina in 1. dist. 3. q. 8. & q. 6. §. Hic sunt, & q. 7. §. *Ad argumenta opinionum*. Addit autem Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. & dist. 27. quæst. 1. & 2. quod dicere & intelligere sunt distinctæ actiones ex natura rei, quem ex eo redarguit Suarez, quia si verbum & actus intelligendi idem sunt, ergo per quam actionem producitur verbum, producitur etiam actus intelligendi, & sic eadem actio erit ducere & intelligere, quia habet eundem terminum, verbum & actum intelligendi.

Tertia sententia est, intellectionem esse veram operationem de genere qualitatis, quæ per se respicit terminum cognitum, seu obiectum, non terminum productum, virtualiter tamē esse productiuam verbi,

verbi, & hoc verbum est qualitas distincta ab ipsa intellectione. *Prima pars* est Caiet.1.p.q.79. art.2.§. *Quoad secundum*, & q.34.art.1. ad 2. Ferrariensis 2. contra Gent.c.9.in fine,& c.82.§. *Quod si obiciatur*. Capreoli in 1.dist.35.q.1. art.3. & aliorum plurium quos citant, & sequuntur Carmelitani:hic dist.21. q.1.n.6.Secunda pars,quod virtualiter sit actio productiua termini,est eorundem Authorum.qui licet dicant esse qualitatem,non tamen agnoscunt contra Scotum dictionem, seu productionem verbi distinctam ab ipso intelligere, vt Caiet.1.p.q.27.art.1. Bañez, Zumel,Nazarius *super eundem locum. Tertia pars* quod sint duæ qualitates, verbum & intellectio, sequitur ex sententia prædicta, quæ ponit intellectionem esse qualitatem, & tamen producere verbum,viderique possunt Authores apud Carmelitanos,cit.loc.q.3.n.42.

Dico ergo primò: *In sententia Sancti Thomæ,quatuor sunt ponenda in intellectu nostro ad intelligendum requisita, scilicet potentia, seu virtus (ad quam etiam pertinet habitus, seu lumen) species intelligibilis,actus intelligendi, & verbum, seu conceptus,aut species expressa.* Constat hoc ex ipso Diu. Th. quæstione 8. de potentia.artic.1.vbi inquit: *Quod intelligens in intelligendi ad quatuor potest habere ordinem, scilicet ad rem quæ intelligitur, ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu,ad suum intelligere, & ad conceptionem intellectus, quæ quidem conceptio à tribus prædictis differt.* Id ipsum docet quæstione 9.de potentia, articul.5. & videri etiam potest in quæstione 4.de veritate,art.2.

*Nec potest dici:*quod D. Thom.non docet differre verbum ab ipso intelligere, vt est qualitas in facto esse, sed vt est actio tendens in fieri ad verbum vt ad terminum. Cæterum cum actio ista non sit actio de prædicamento actionis,sed qualitatis,vt ex D.Th.ostẽdemus,relinquitur quod sit qualitas distincta,hoc ipso quod D. Th. dicit differre intellectionẽ à verbo, de qua distinctione statim agemus.

Ratio autem conclusionis ea est,quam insinuat D.Th. *citato loco*,quia ista quatuor ita se habent, quod vel possunt separari, vel vnũ est causa alterius,ergo distinguuntur. *Antecedens patet*, nam species & potẽtia separantur aliquando, quia datur potentia sine specie vt in nobis,illa verò adquiritur, & aduenit, vel per acquisitionem,vel per infusionem. Ab ipso verò intelligere distinguitur potentia,& species,tũ quia intelligere est operatio procedens ab illis; tũ quia aliquando non intelligimus actu,sed potentia. Et eodem modo distinguuntur à verbo, quod est actualis terminus intellectionis. Verbum autem distinguitur ab intelligere, non quia verbum ipsum possit separari ab intelligere actuali,sed quia verbũ est aliquid procedens per intelligere,tãquam imago expressa per actum exprimentẽ,alioquin si non esset res procedẽs per intellectionem vt expressiuam,& consequenter distincta ab illa,nõ possemus ex nostro verbo colligere,& explicare productionẽ verbi Diuini per intellectionem,vt communiter faciunt Patres & Theologi. Potest tamen ipsum intelligere inueniri sine verbo, ideoq; separatur ab illo,in diuinis quidẽ manifeste Spiritus Sãctus, & Filius intelligunt,& nõ producũt verbũ,in nobis autẽ probabiliter visio beata illud nõ producit,vt dicemus infra.

Dico secundò. *Intellectio etiam vt distinguitur à conceptu producto, non est actio de prædicamento actionis,sed de genere qualitatis.* Itaq; est actio metaphysica,cuius munus est per modum actus vltimi,& secundi,actuare ipsum operantem,& sic manere in illo,non autem se habere præcisè, vt via & motus ad rẽ productam:sicq; actio metaphysica de se & formaliter solũ respicit pro termino obiectũ,non productum,licet secundario non repugnet producere.

Hanc conclusionẽ sæpè docuimus, & est expressa D.Th.opusc.48.tractatu de actione,c.7. vbi concludit. *Quod actio immanens non est directè in prædicamento actionis*. Excluditur autem à prædicamento actionis propter duo. *Primum*, quia actio prædicamentum dicit aliquid fluens cum motu,vt docet S. Th.in 1.dist.8 q.4.art.3.ad tertium,nõ quia actiones instantaneæ non pertineant ad prædicamentum actionis,sed quia debent esse immutatiuæ,& illatiuæ passionis,eo quod actio quæ est prædicamentum se habet comparatiuè ad passionẽ, vnde actio non inferens passionem non est de genere illius prædicamenti.Intellectio autẽ per se, & formaliter non infert passionem,sed tanto perfectior est,quantò minùs pendet ab immutatione, & passione,nam licèt antecedenter ad cognitionem requiratur in nobis aliqua mutatio,quatenus indigemus recipere aliquã speciem,vel lumen, siuè ab intellectu agente,siuè à Deo infundente, tamen ipsa elicientia actionis si perfecta est,non fit cum aliqua passione,quia si hoc esset, ordinaretur intellectio ad acquirendam aliquam formã in subiecto,qua acquisita cessaret actio, inducta enim passione per receptionem formæ producta actio cessat & solum remanet passio. At verò intellectio non cessat per acquisitionem alicuius formæ, quia etiam producto conceptu, seu verbo quod est eius terminus, remanet intellectio contemplans in illo, imò tunc est perfectior intellectio, quando iam perfectè formatum est verbum, ergo intellectio formaliter loquendo, & vt perfecta,non infert passionem,nec respicit terminũ productum,seu formam,quã acquisitã cesset & ita non est actio inferens passionem & terminata in illã,sed solum respicit obiectum,vt consideratione attactũ.

Secundum fundamentum est;quia intellectio ordinatur ad perficiendum ipsum operans,non ad perficiendum ipsum operatum,ergo non est formaliter actio de prædicamento actionis. *Patet consequentia*, quia actio formaliter loquendo est via & causalitas,non autem finis vltimatè intentus, ad hoc enim datur actio vt aliquis terminus transeat de non esse ad esse. Vnde pertinet ad ipsum fieri, seu ad ipsam tendentiam termini in facto esse. At verò intellectio non præcise se habet vt via, & causalitas alicuius termini,seu effectus, sed vt perfectio vltimatè intenta ab intellectu, & si aliquem effectum habet,potius ordinat illum ad se, quam è contra, eo quod perfectio intellectus non est in producendo aliquem effectum,sed in attingendo veritatem,& si producit effectum,v g.conceptum est,vt in eo contempletur veritatem,& sic contemplatio est vltimũ quod actuat,perficitque intellectum, vnde beatitudo,quæ est summa perfectio intellectus in actuali intellectione, & contemplatione consistit. Intellectio ergo & contemplatio sunt operationes finis, non actiones viæ, & ideo non pertinent ad prædicamentum actionis, quæ tantùm est via & causalitas,vnde D.Th.comparat ipsum intelligere ipsi existentiæ,seu esse in genere intelligibili 1.p.q.14. art. 4.& expressius q. 34. art.1. ad 2. vt infra in vltima conclusione ponderabimus, & assignat illam causam, quia intelligere non significat actionem vt ab agente exeuntem,vbi excludit illam à prædicamento actionis: non enim solum dixit non esse actionem exeuntem extra agentem, sed non exeuntem ab agente,quod est negare rationem viæ, & causalitatis præcisè ordinatæ ad terminum.

Et totum hunc discursum complexus est S. Doctor 1.*contra Gentil*.c.100.vbi inquit: *Quod huiusmodi actiones*

actiones immanentes sunt perfectiones eorum quorum sunt operationes, & possunt esse vltimæ, quia non ordinantur ad aliquod factum quod sit finis. Operatio verò vel actio ex qua sequitur aliquid præter ipsam, est perfectio operati, non operantis, & comparatur ad ipsum sicut ad finem. Ita Diuus Thom. quia ergo actus immanens non ordinatur ad terminum producendum vt ad finem, sed ad obiectum intentionaliter attingendum, quæ attingentia est perfectio operantis, ideo actio immanens non est directè actio de prædicamento actionis, nec per se productiua. Et in hoc etiam conuenit Scotus in 1. dist. 2. quæst. vltima, & dist. 26. & in aliis locis, qui ideo distinxit dicere ab intelligere, quia actio immanens qualis est intellectio non producit aliquid, vt constat ex 9. metaph. & 1. ethic. Sed differimus à Scotho, quod ipse non posuit intellectionem esse virtualiter actionem productiuam, & ideo dixit, quod dicere non est actus intelligendi, licet sit actus intellectus; consequenter verò ponendo, quod verbum non distinguitur ab intellectione in facto esse, dixit esse duas actiones dictinctas intelligere, & producere verbum. Vt autem in hoc explicemus nostram sententiam.

Dico tertiò: *expressio productiua verbi, seu dictio non est actio distincta ab ipso actu immanente intellectionis, sed ipsa intellectio est virtualiter actio productiua verbi; nec indiget intellectio alia actione per quam producatur, quia procedit per emanationem, neque alia actione, qua producat, quia ipsa virtualiter est productio.* Hæc conclusiò communiter tenetur à discipulis D. Thom. 1. p. quæst. 27. art. 1. vbi videri potest Caiet. Nazarius, Bañez, Zumel, & alij. Est expressa D. Thomæ nam in quæst. 4. de. verit. artic. 2. ad 5. inquit: *Quod in nobis dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc, quod est ex se exprimere aliquam conceptionem; nec aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo, & ideo omne intelligere in nobis, proprie loquendo est dicere.* Similiter in 4. contra Gent. c. 11. dicit: *Quod verbum est terminus operationis intellectualis, intellectus enim intelligendo concipie, & format verbum.* Et idem habet opusculo 13. & 14. Et ad idem consonat quod dicit 1. part. quæstione 27. artic. 1. *Quod quicunque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, producit verbum.*

Ratio conclusionis est; quia dicere est productio verbi exprimentis, & manifestantis rem, non quomodocumque, sed vt intellectam & cognitam, seu vt terminum intellectionis, sed res non potest reddi intellecta in actu, nisi per ipsum intelligere & intelligi, ergo neque potest verbum procedere ab intellectu, nisi per ipsum intelligere. *Maior manifesta est*, quia verbum non potest exprimere rem ipsam nisi aliqua imagine vitali, & animata, & non alia vitalitate quam cognitionis, quia non pertinet nisi ad principium cognoscitiuum verbum ipsum & imago, siquidem est locutio, & locutio solum, pertinet ad principium cognoscitiuum, ergo debet exprimere rem vt vitaliter attactam ab ipsa cognitione, ergo non solum vt intelligibilem in actu primo, sed vt intellectam in actu secundo. Vnde etiam per voces exteriores non solum repæsentamus res, sed etiam cognitionem nostram, id autem repræsentat vrebum interius, quod vox exterius. Constat etiam, quod verbum exprimit rem vt locutam ergo vt cognitam, quia incognitum non est locutum, ergo similiter ipsa locutio seu dictio erit cognitio. *Vnde prob. minor.* quia res non dicitur intellecta nisi ratione intellectionis, intelligi enim essentialiter dependet ab intelligere, ergo expressio rei per modum in tellectæ, est expressio ipsius intelligere, seu ipsum intelligere vt expressiuum, & manifestatiuum, de se enim intelligere manifestatio est, & lumen, vndè per se habet esse expressiuum, seu manifestatiuum, aliquando quidem ex necessitate & indigentia quia obiectum ipsum non est sufficienter explicatum, & euolutum, & ita proceditur ab imperfecto ad perfectum, sicut in nobis fit per discursum, & cogitationem, & sic præcedit verbum intelligere perfectum, sed procedit ab intelligere imperfecto, & in fieri, & generaliter, quandocumquæ formatur verbum, ipsum fieri verbi etiam est intelligere in fieri. Aliquando verò procedit verbum ex abundantia intelligendi, quatenus intellectus quantò perfectius intelligit, tantò magis facit impetum ad manifestandum se, naturaliter enim intellectus est manifestatiuus, & communicatiuus sui, & quia manifestat res, vt intellectas, oportet, quod illud dicere, seu exprimere sit substantialiter intelligere. Et hoc modo procedit Verbum diuinum per intelligere Patris non ex indigentia, sed ex intelligentia.

Secunda pars conclusionis, quod ipsa intellectio sit virtualiter actio productiua, *Constat ex præcedente*, quia dictio est ipsamet intellectio vt expressiua, sed dictio est actio productiua verbi, ergo intellctio vt expressiua est productiua, & cum sit genere qualitatis vt ostensum est, solũ virtualiter erit actio productiua. Et deinde, quia intellectio procedit ab intellectu, & specie, vt à virtute productiua sui, & ipsius verbi mediante intellectione, siquidem, vt diximus, verbum est terminus expressus ipsius intellectionis, sed intellectio non habet vt virtus intelligendi, & vt principium per modum actus primi, siquidem intellectio est actus secundus intelligentis, & vltimum quo constituitur in actu, ergo si verbum procedit mediante intellectione, non procedit mediante illa vt virtute, & actu primo producentis, ergo vt mediante actione productiua, quia illud quod se habet, vt actus secundus inter producens, & productum, est ipsamet actio productiua, siue formaliter, siuè eminenter. Vnde constat quod ipsamet intellectio, licet sit qualitas, tamen quia habet rationem actus secundi, & ita neuter est actio productiua, de se habet procedere à suo principio eo modo, quo procedit actio scilicet per modum emanationis, non per actionem mediam saperadditam.

Dico quartò; *intelligere, & dicere differunt, vt res & modus, intelligere autem & verbum differunt sicut res & res.*

Prima pars sumitur ex Diu. Thom. 1. part. quæst. 34. artic. 1. *ad tertium*, vbi inquit: *Quod dicere, & intelligere differunt, nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, dicere autem importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum, nihil enim aliud est dicere quam proferre verbum. Et in 4. de veritate articulo secundo ad quintum*, inquit: *Quod in nobis dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc, quod est exprimere aliquam conceptionem.* Ergo secundum Diuum Thomam distincta habitudo importatur in ipso discere, quàm in intelligere, & consequenter diuersus modus.

Ratio est manifesta; quia dicere identificatur cum intellectione, quia vt probauimus non est actio distincta, & seorsum ab illa. Ex alia parte actualis dictio ponit aliquam habitudinem in intelligere præter ipsam substantiam intellectionis, quia intellectio de se non dicit habitudinem productiui, nec respicit terminum vt productum, sed vt cognitum

cognitum, dicere autem respicit terminum & dictum, seu vt productum; iste autem respectu, seu habitudo, aliquis modus est. Potest etiam separari ab intellectione, licet non è contra, vt in visione beata secundum sententiam probabilem non generatur verbum, & in diuinis intellectio prout in Filio, & Spiritu Sancto non producit Verbum, ergo reperiuntur signa distinctionis modalis, quia dictio nunquam potest esse sine intellectione, benè tamen intellectio sine dictione, distinguuntur ergo istæ formalitates, quatenùs intelligere respicit obiectum vt præcisè intelligibiliter attingendum, dictio autem vt productiuè, & ponendo inesse ipsum verbum.

Quoad secundam partem conclusionis, constat ex dictis, quia intellectio non est actio, quæ sit sola & pura causalitas, sicut actio de prædicamento actionis, sed est qualitas ipsius operantis, vt *in conclusione secunda* ostensum est. Quòd verò ipsum verbum sit etiam qualitas, *constat*, quia est imago expressa repræsentans obiectum, ergo si species impressa est qualitas, quia repræsentatiua est saltem virtualiter, non minus erit qualitas species expressa, quia perfectius repræsentatiua est, & magis in actu quàm species impressa. *Item etiam*, quia per expressionem generatur aliquid simile ipsi speciei impressæ, quæ est principium intelligendi & exprimendi, ergò oportet quod sit qualitas sicut ipsa species, non modus aliquis ipsius, aliàs non diceretur simpliciter illi similis, ita vt ex sua ratione non repugnet, quòd ipsa verbi productio sit generatio, vt in Verbo Diuino, vt dicitur 1. part. q. 27. art. 3.

Dico vltimò: *Intelligere formalissimè consistit in operatione habente se per modum actus vltimi ipsius intelligentis in ordine ad obiectum, ideoque formalitas illius, vt distinguitur à dicere magis consistit in actuatione quàm in origine.* Ita sumitur ex D. Thom. 1. parte quæst. 34. art. 1. ad 3. vbi inquit: *Quòd intelligere solum dicit habitudinem intelligentis ad rem intellectam vbi nulla ratio originis importatur*; licet enim intelligere originetur ab intellectu, & emanet vitaliter ab eo, quia operatio vitalis est, tamen non reddit intelligentem ex eo solum, quia procedit, sed quia obiectum attingit, & in illa attingentia obiecti non explicatur formaliter ordo originis, sed supponitur.

Et ratio est, quia illud est formaliter intelligere, ex quo formaliter & immediatè sequitur intelligi in obiecto, & attingentia illius in subiecto, ita quod constituatur intellectus attingens obiectum; tunc enim principaliter denominatur intelligens, quando constituitur apprehendens obiectum, ergo licet ad hoc, vt vitali modo fiat ista apprehensio, requiratur egressio ab ipso intelligente, tamen hoc est commune omnibus actibus vitalibus; vt autem specialiter constituatur in ratione intelligentis oportet, quòd id habeat secundùm attingentiam obiecti, in qua completur ratio apprehensionis, licèt vt vitalis sit rationem processionis supponat, & requirat in nobis, in quibus vitalis actus est operatio superaddita potentiæ, & ab illa vitaliter emanans, in Deo autem intelligere non est superadditum intellectui, nec procedit ab illo, aliàs distingueretur ab illo realiter. Quare principalis ratio intellectionis, vt intellectio est, non est ipsa egressio seu origo ab operante, sed actuatio ipsa qua in genere intelligibili constituit intellectum in actu secundo coniunctum ipsi obiecto, seu tendens ad illud intentionaliter & intelligibiliter. Cuius signum est, quia intelligere non ordinatur solum ad terminum aliquem egredientem & procedentem, quale est verbum, sed etiam ipso producto adhuc intellectio actuat & informat intellectum, & ita perficit illum tanquam vltima actualitas, non tanquam via ad terminum.

Et ex his colligitur; quomodo dicatur intelligere se habere ad formam intelligibilem sicut esse ad formam naturalem, vt docet D. Thom. 1. p. quæst. 14. articul. 4. & quæst. 34. art. 2. ad 2. vbi inquit: *Quod intelligere se habet ad intellectum in actu, sicut esse ad ens actu, non enim intelligere significat actionem ab intellectu exeuntem, sed in intellectu manentem.* Quam rationem etiam attingit quæst. 54. art. 2. Hoc autem non intelligitur de ipsa intellectione, vt est dictio seu expressio, sic enim non se habet vt esse actuans, sed tanquam actio & productio effectiua; sed intelligitur de ipsa intellectione, vt præcisè est vltima actualitas intellectus in ordine ad obiectum, sic enim actuat, & informat intellectum & formam intelligibilem in esse intelligibili, illũq; constituit in actu vltimo & perfecto, & ita maximè conuenit ipsi contemplationi. Non repugnat autem quòd actio quando est immanẽs det esse ipsi agenti, licèt non quando est transiens, vt docet D. Thom. q. illa 54. cit. non quidem esse physicum & naturale, hoc enim supponitur, vt operatio intelligendi exeat ab intelligente, sed esse intelligibile, quod accidentale est in creaturis, in quibus intellectio est operatio emanans; in Deo autem est ipsum esse substantiale, sed ibi non emanat intellectio, vt operatio.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur, ad probandum quòd intellectio, vt distinguitur à Verbo, non potest esse qualitas, sed de prædicamento actionis, nam expresè negat Philosophus actus immanentes esse qualitates, vt patet 10. Ethic. cap. 3. *Nec enim* inquit *virtutis operationes qualitates sunt.* Constat autem operationes virtutis, actus imanentes esse, & 9. Metaph, c. 9. diuidit veram & propriam actionem in immanentem & transeuntem: ergo vtraque debet esse propria actio, quia vtraque est membrum illius diuisi. *Confirmatur*, quia non potest intelligi, quòd intellectio sit vera & propriè qualitas, nisi sit effectus propriè per actionem productus, quæ enim est ratio vt ad talem qualitatem non detur actio, sed sine actione dimanet: præsertim, cum in nostra sententia dimanatio passionum à natura fiat per actionem non ipsius naturæ, sed generantis, in præsenti autem non est actio generantis, qua illa qualitas attingatur, ergo non est emanatio per modum propriæ passionis, erit ergo emanatio per modum veræ actionis.

Respondetur, Aristotelem in primo loco loqui de qualitatibus permanentibus, quales sunt habitus, non de qualitatibus trãseuntibus, quales sunt actus, & ita intellectio, cum sit actus, non pertinebit ad habitum, sed ad dispositionem. Et hoc sumitur ex ipso textu Philosophi, quia in illo soluebat quoddam argumentum Platonicorum contra Eudoxum, quo probant, delectationes non esse de genere bonorum, quia boni dicimur per qualitates, delectatio autem non est qualitas, sed motus, ergo non est de genere bonorum, sed imperfectorum, quæ argumentatio non valet, nisi ly *qualitas* sumatur pro qualitate permanente, qua modo permanenti dicimur boni. *Respondet autem Philosophus*, quod etiam operationes virtutis sunt qualitates, scil. non permanentes, & tamen bonæ sunt, non ergo ratio boni restringitur ad solas qualitates permanentes,

manentes, ſed etiam ad operationes, quæ ſunt actus ſeu qualitates tranſeuntes.

Ad ſecundum locum ex 9. Metaphyſicorum *dicimus*, potius ſtare pro nobis, nam ibi in text. 15. diuidit Philoſophus actiones ex parte potentiarum dicendo: *Quòd quarumdam potentiarum actiuarum finis eſt ſolus vſus potentiæ, & non aliquid operatum per actionem, ſicut vltimus finis potentiæ eſt viſio, & præter eam non fit à potentia viſiua aliquod opus operatum, in quibuſdam verò potentiis actiuis, fit aliquod opus præter actionem, vt ab arte ædificatiua fit domus præter ipſam ædificationem.* Et ſubdit: *quòd actio immanens non perficit aliquod operatum, ſed ipſum operans. Et ita eſt in ipſo ſicut perfectio eius.* Vnde potius colligitur, quod operatio immanens vt viſio & intellectio non ſunt actiones de prædicamento actionis, ſed de genere qualitatis eò quod non ſe habent, vt pura, & nuda cauſalitas tendens ad effectum, ſed vt perfectio vltima ipſius operantis, ſi quidem etiam producto effectu remanet actuans vitaliter ipſum operantem, quod non haberet ſi eſſet actio de prædicamento actionis, deſinit enim producto effectu.

Ad Confirmationem reſpondetur, quod qualitas, quæ eſt operatio & actus ſecundus, non procedit per aliam actionem, benè tamen qualitas quæ non eſt operatio, nam hoc ipſo quod eſt actus ſecundus immanens, eminenter habet vim actionis tranſeuntis. Et non indiget alia actione media procedere, quia ipſa actus ſeu operatio eſt, & ad qualitatem quæ actus non eſt, datur actio. Nec dicitur emanate tanquam propria paſſio, ſed modum, quo actiones emanant, quia non procedunt media alia actione, aliàs eſſet proceſſus in infinitum, quia illa alia actio exigeret aliam actionē qua procederet. Quare non ſolæ paſſiones ſunt quæ emanant, ſed etiam actiones & relationes, ſiue actio ſit de prædicamento actionis, ſiue ſint actus, & operatio de prædicamento qualitatis, licèt enim non ſint actiones cum imperfectione quæ eſt motus, ſunt tamen actiones perfectæ. Et ideò non debent carere illa perfectione actus ſecundi, qua ſeipſa emanat ab agente, hoc enim non fundatur in imperfectione motus, ſed in ipſa ratione actus ſecundi.

Secundò arguitur; quia vel intellectio eſt vera & propria cauſalitas ipſius verbi vel non; ſi hoc ſecundum, ergo verbum producitur alia actione, quàm cognitione, ſiquidem aliqua actione debet produci, vnde dictio diſtinguetur ab intellectione; nec intellectio erit eminenter actio, ſed tantum qualitas abſoluta, & conſequenter producetur per aliam actionem. Si dicatur primum, non eſt cur intellectio excludatur ab actione prædicamentali, aut cur dicatur qualitas, quia non poſſunt in vnum conuenire qualitas, quæ dicit entitatem in facto eſſe, & actio ſeu cauſalitas quæ dicit rem in fieri & tendentia fieri enim eſt aliquid imperfectum, qualitas autem in facto eſſe dicit perfectam inexiſtentiam *Nec poteſt dici*, quòd actio quæ non eſt qualitas non ſolùm importat cauſalitatem & fieri, ſed etiam fluxum & motum. *Nam contra eſt*; quia illuminatio, & aliæ actiones inſtātaneæ verè & propriè ſunt actiones, & tamen ſunt ſine motu: ergo non requiritur motus ſucceſſiuus, ſed ſufficit mutatio, hæc autem etiā inuenitur in intellectione, nam intellectio illa, & conceptus informat intellectum, eique inhærēt, & mutant ipſum de non intelligēte inintelligentem, ergo habent rationem propriæ actionis. Denique gratis dicitur, quòd ad rationem actionis propriæ requiratur, quod ſit cum motu & fluxu, de ſe enim ſolùm exigit quod ſit cauſalitas conſtituens cauſam efficientem in actu cauſantem, ergo ſicut cauſa efficiens non dicit eſſe mouentem, ſed cauſantem, ita neque actio dicet eſſentialiter rationem motus, ſed cauſalitatis, præſertim cū motus ſit poſt prædicamentum, actio autem prædicamentum ſit.

Reſpondetur, intellectionē habere veram & propriam cauſalitatem, licet non cum imperfectione ſed eminenter & perfectè neque enim ratio cauſalitatis reſtricta eſt ad prædicamentum actionis, niſi ſit cum tali imperfectione, quod tantum ordinetur ad effectum, vt via & tendentia ad terminum, non autem propter ſe operatur tanquam vltimum, quod intendit agens. Et hoc ideo, quia prædicamentum actionis eſt, quod denominat agens ab effectu ſecuto ſeu paſſione ſubiecti, condiuiditur enim actio prædicamentum contra paſſionem, licet enim iſta ſex vltima prædicamenta, non ſint denominationes extrinſecæ dependet tamen eorum denominatio ab aliquo extrinſeco, vt docet S. Thomas, opuſc. 48. tractatu de ſex vltimis prædicamentis, & nos diximus in Logica, quæſt. 19. Quare vt aliqua actio ſit de hoc prædicamento oportet, quod reſpectu ſubiecti ſit mutatio ſeu motus, & reſpectu effectus ſit pura & mera cauſalitas ordinata ad ipſum. Quod ſi ratione ſui, operatio aliqua ſeu actus ſecundus quæritur, nec propter effectum producendum tantum, ſed etiam producto effectu manet & perficit ipſum operantem, & non ſolum operatum, talis actus ſecundus excedit prædicamentū actionis, quæ non quæritur propter ſe, ſed propter effectum, & vt via ad illum, ſed eſt de prædicamento qualitatis, quia ſubiectum actuat & qualificat. *Et quando dicitur*, quòd non poſſunt conuenire in vnum cauſalitas & qualitas. *Reſpondetur*, id verum eſſe de cauſalitate imperfecta, & tantum ordinata ad effectum, quæ ceſſat effectu producto, vtpotè via ad illum, non potius ordinat effectum ad ſe, & ordinatur ad perfectionem vltimam operantis. Et ita manet, etiam effectu producto, ſicut producto verbo adhuc manet intellectio, licèt in quantum gerit officium cauſalitatis reſpectu conceptus producti, inferior ipſo videatur, ſed tamen ſimpliciter eſt perfectior, quia non ſiſtit in hoc, ſed etiam manet, & perficit operantem poſt effectum productum, neque eſt ſolum via ad perficiendum operatum.

Ad id quod dicitur, etiam in intellectione inueniri mutationem. *Reſpondetur*, quòd inuenitur mutatio quaſi metaphyſica, id eſt reductio actus primi ad ſecundum, non autem phyſica, quæ conſiſtit in corruptione vnius, & poſitione alterius formæ in ſubiecto, eò quòd eſt actus ſecundus non de ſe ordinatus ad effectum, ſed propter ſe & ratione ſui perficit operantem, & non ſolum operatum, talis autem mutatio non pertinet ad prædicamentū actionis, ſed excedit illud. Et ita licèt conceptus ſeu verbum producatur, vt inhærens & eductum de ipſo ſubiecto, non tamen requiritur, quòd id fiat per eductionem ſeu actionem formalem, ſed per eminentem, quæ eſt ipſa qualitas intellectionis, vt actus ſecundus & operatio virtualiter productiua & conſequenter eductiua, ipſa autem intellectio non educitur per aliam actionem, ſed ſeipſa emanat, ſicut aliæ actiones & relationes. Quare non gratis dicitur requiri ad prædicamentum actionis, quod ſit cauſalitas cum motu, eò quòd eſt cauſalitas imperfecto modo, & ordinata præciſè ad perfectionem ipſius operati, & ad eius eſſe non ad perfectionem operantis, ideoque mutationem rei operatæ importat, & corruptionem oppoſiti etiam in inſtantaneis.

Quòd

Quod si inquiras; quomodo potest intellectio esse virtualiter actio, nisi conueniant ei conditiones actionis, quarum vna est, vt identificetur cum re producta tanquam fieri, & causalitas cum termino, intellectio autẽ si est qualitas non potest idẽtificari cum verbo, quod est qualitas distincta, & sic non identificata; nisi dicatur quod est virtualiter actio, quia habet virtutem emittendi verbum, & actionẽ productiuam eius; sed tunc intellectio se habebit vt actus primus, non vt actus secundus, quia sic esset virtus emittens actionem. *Respondetur*, quòd actiones immanentes non habent omnes conditiones transeuntis sic enim non emi nenter, sed formaliter essent sicut ipsæ. Illa autem conditio actionis, quod identificatur cum termino solùm conuenit actioni, quæ præcisè est via & causalitas effectus, & ordinata ad ipsum, non vero eius actionis, quæ per se est vltimum ad quod ordinatur operans, & ad perficiendum ipsum, non vero solum ad perfectionem operati ordinatur: hæc enim non identificatur cum effectu, sed etiam producto effectu perficit operantem. Quare actus immanens solum est virtualiter actio, quia est actio quantum ad emissionem & originationem effectus, non quantum ad identificationem & subordinationem ad effectum. Nec tamen dicitur se habere vt virtus in actu primo, quia formaliter est actus secundus, perficiens operantẽ, & originans effectum operatum, non tamen sistens in ipso, & subordinatus illi, sed potius effectum ordinans ad se, vt perficiat operantem in illo: in quo valdè assimilatur actioni Diuinæ quæ vt actio est tenet se ex parte Dei, & solũ infert mutationem in effectu, operatur quippe Deus per actionem immanẽtem, & in hoc imitatur eum actio immanens creata, quod emittit ex se effectũ, & est actus secundus originans ipsum, non autẽ identificatur ei, sed sola mutatio ipsius, quæ est fieri passiuum eius, non autem facere actiuum, quod ex parte actionis immanentis se tenet. Cum autem Philosophi dicunt, actionem & passionem nõ distingui nisi modaliter, loquuntur de actione, quæ identificatur cum motu, hæc enim non distinguitur realiter à passione & termino, sed modaliter.

Vltimò arguitur, quia dictio est actio distincta ab intelligere, ergo &c. Anteced. probatur 1. quia intelligere est qualitas distincta à verbo in nostra sentẽtia, ergo distincta actione procedit quam ipsũ verbum, verbũ autem procedit per dictionem, ergo distinguitur dictio ab intelligere secundo. Quia dictio supponit intellectionem, quia ex hoc quod intelligit procedit verbum, vt dicit S. Thom. 1. p. q. 29. art. 1. & ex alia parte intelligere vt contemplari supponit dictionem, quia in verbo dicto fit contẽplatio. Similiter dicere importat ordinem originis, intelligere habitudinem informationis, qua intellectus actuatur ab obiecto, vt docet S. Th. 1. p. q. 34. a. 1. ad 1. ergo distinguuntur vt actio, & non actio. Tertiò. Quia separari potest intelligere à dicere, quia vt dicemus seq art. datur aliquando intellectio sine hoc quod producat verbũ, ergo non sunt eadẽ actio intelligere & dicere. *Confir.* quia ipsa intellectio habet quidquid requiritur ad rationem verbi, ergo ipsa non est dictio, sed dictio est id quo producitur intellectio in facto esse. *Antec. constat*, quia verbum est notitia, vt illud vocat S. Thom. 4. de verit. artic. 2 ad 2. intellectio autem notitia est. Intellectio etiam manifestat, quia actu per illam attingit obiectum intellectus; est etiam qualitas & non dicit rationem originis, sed informationis, ergo habet quidquid requiritur vt sit expressa repræsentatio & qualitas manifestans non per modum tendentiæ & viæ, sed per modum qualitatis informantis & termini.

Respond. negando antec. Ad 1. probat. Respond. in primis illam conseq. quæ est Pat. Suarez 2. de Trinitate c. 6. n. 5. esse infirmam, quia esto intellectio & verbum sint distinctæ qualitates, non sequitur debere produci diuersa actione, eadem enim actio potest habere plures terminos inadęquatos, & inter se ordinatos. *Secundò addimus*, intellectionem esse qualitatem per modum actus secundi, & operationis, & ita esse virtualiter, seu eminenter productiuã vnde & quia operatio est, exit emanãdo à suo principio, non per aliam actionem, & quia virtualiter productiua est, non per aliam actionem, sed per se producit verbum, quia per se est expressiua. *Ad 2. probationẽ dicitur*, quod dictio supponit intellectionem, & intellectio dictionem secundum diuersas considerationes, non tanquam duo omnino diuersa, sed vt formalitates, seu modi eiusdem operationis, supponit enim dictio intellectionem sicut formalitas, seu modus rem ipsam cuius modus est, sicut sensitiuum supponit vegatatiuũ nõ sicut entitatem, & formã diuersam, sed vt gradum eiusdem. Et ita cum dicit D. Th. quod quia intelligit, concipit seu dicit, non est sensus quod vna actio est causa alterius, sed quod in eodem actu vna perfectio, seu formalitas est ratio alterius; ex eo enim aliquid est dicens seu loquens, quia est intelligens, non entitate diuersa, sed eadem includente vtramque perfectionem. Et contemplatio supponit verbum productum in quo contemplatur, & productionem eius, non tanquam actionem distinctam, sed tanquam vnam & eandẽ secundum diuersos status, seu respectus; nam cognitio est formatiua sui obiecti faciendo verbum, quod cognoscendo & exprimendo format, & sic vt respicit obiectum cognitum est cognitio, vt expressum & formatum in ratione repræsẽtationis est expressio & productio, rursúsque cognitio perficitur in ratione contemplationis in ipso verbo expresso, & producto, in quo obiectũ attingitur. Quod verò intelligere secundum se non importet habitudinem originis, sed informationis, non infert distinctam actionẽ entitatiuè, sed formaliter, id est quoad habitudinẽ, seu formalitatẽ exprimendi, idẽ enim actus, seu operatio est actus secundus potentiæ, virtualiter tamen est actio productiua, seu expressiua cõceptus non per nouã entitatẽ actionis, sed per diuersã eiusdem cognitionis habitudinem. *Ad 3. probationem dicemus seq. art.* non enim dicere separatur vnquã ab intelligere, sed è contra quod est signum distinctionis modalis.

Ad confir. Resp. verbum manifestare repræsentãdo intellectionem autem manifestare operando, & cognoscendo, & verbum dicitur notitia terminatiue, seu per modum termini, in quo fit notitia, non formaliter & per modum operationis, vt etiam aduertit S. Thom. 1. p. q. 34. a. 1. ad 2 differt autem esse manifestatiuum, & expressiuum per modum repręsentationis, vel per modum operationis & actus, quod primũ dicit rationem imaginis & similitudinis tanquam res expressa, & dicta; secundùm autẽ dicit rationẽ actus vltimi & tendẽtiæ ad obiectũ, vt cognitum non faciendo illud præsens per modũ similitudinis, sed præsens factum vitali actu attingendo, & operatione ipsa seu actu vltimo repræsentatum obiectum cognoscendo.

ARTICVLVS II.

Vtrum ad omnem intellectionem sit necessaria productio verbi?

SVpponendum est, quòd vt sup. q. 8. a. 3. attigimus, necessitas ponendi verbū in nostra intellectione ex duplici principio fundari potest. *Primò* propter ipsum obiectum, secundò propter ipsam potentiæ operationem: Propter ipsam actionem fundant hanc necessitatem plures Authores, qui existimant verbum, ideò solum requiri vt operatio ipsa terminum habeat, eo quod illam operationem existimant esse formaliter de prædicamento actionis, actio autem sine termino dari non potest, vnde respondent difficultati, non posse dari intellectionem actionem sine verbo, & in Deo etiam intelligere habet verbum, licet non sub omni consideratione, sed vt est intelligere fœcundum in Parte. Sic sentiunt P. Suarez disput. 18. Metaph. sect. 2. à num. 7. & lib. 2. de attributis negatiuis capit. 12. & 13. Videri etiam potest lib. 3. de Anima cap. 6. Conimbricēses 3. de Anima capit. 8. quæstione 3. artic. 2. Molina 1. p. quæst. 27. art. 1. Vazquez, Rubio, Monte sinos, & alij quos cit. Carmelitan. hic disput. 12. quæst. 5.

E contra verò apud D. Thom. & eius scholam verbū requiritur in intellectu, non ex parte potentiæ, aut operationis eius vt productiuæ, sed ex parte ipsius obiecti, vel vt reddatur præsens si sit absens, vel vt reddatur sufficienter immateriale, & spirituale in ratione termini intellecti & cogniti intra intellectum, nec solum sit intelligibile in actu primo per modum speciei impressæ; vel denique vt reddatur obiectum manifestatum in aliqua repræsentatione tanquam res dicta & locuta. Et ad duo prima requiritur verbum ex indigentia ipsius intelligentis, & obiecti intellecti, ad tertium autem requiritur verbum propter abundantiam intelligendi, quatenus ex abundatia cordis os loquitur, & propter ea dixit Augustinus, quod verbum in Deo non procedit ex indigentia, sed ex intelligentia, quia non procedit vt reddat essentiam Diuinam intellectam in actu, aut Patrem intelligentem, quia essentia se ipsa est in actu puro intelligibilis, & intellecta, sed vt manifestetur, & repræsentetur in magine, id quod est in intelligentia.

Hæc sententia sumitur ex D. Th. qui necessitatem ponendi verbum in nobis desumit ex prima & secunda causa, in 1. contra Gent. c. 53. vbi inquit: *Quod intellectus per speciem rei formatus intelligendo formas in se ipso quandam intentionem rei intellectæ, quæ est ratio ipsius quam significat definitio. Et hoc, quidē necessarium est, eo quod intellectus intelligit indifferenter rem absentem, & præsentem, in quo cum intellectu imaginatio conuenit, sed intellectus hoc amplius habet, quòd etiam intelligit rem vt separatam à conditionibus materialibus sine quibus in rerū natura non existit, & hoc nō posset esse nisi intellectus intentionem sibi prædictam formaret.* Idem docet 4. contra Gent. c. 11. & opusc. 13. & 14. & quod requiratur etiam propter manifestationē specialiter videri potest in q. 4. de verit. a. 2. *præsertim ad primum & aliis locis*, vbi docet, quod Pater dicendo verbum manifestat, & & exprimit totam Trinitatem, & omnem creaturam, vt etiam docet 1. p. q. 34.

Ratio & fundamentū huius conclusionis facile constare potest; quia *in præcedenti articulo* ostendemus intellectionem ex se nō esse actionem productiuā, nec respicere terminū vt productū, sed vt cognitū, vnde propter assignandum terminū à tali actione productū præcise non est ponendum verbū, sed vlterius oportet assignare necessitatē producendi tale verbū, & hāc nō possumus desumere nisi ex obiecto, quod in esse obiecti formari debet intra intellectū, & intra ipsū poni vt intelligatur, eo quod intellectus est potentia perfectè trahens res ad se, & vniens illas sibi non solū vnione quadā tendēte ad rem vt est extra, sed intelligente illam secundum omnes respectus, & modos quibus potest res ipsa præscindi, componi, cōparari, diuidi, &c. Hęc autem omnia requirunt obiectū cognosci, & attingi prout est intra intellectum, quia extra illū nō est res ipsa abstracta, cōparata, diuisa, &c. Sed hoc sortitur beneficio intellectus, ergo potētia, quæ de se cognoscitiua est obiecti secūdū omnes istos modos quos sortitur intra se, & non extra, necesse est terminari ad obiectū vt intra se formatū, & nō vt præcisè manet extra se. Nec sufficit ad hoc obiectū esse intra potentiā per specie impressā, tū quia species impressa tenet se ex parte principij eliciendi intellectionem, actus autem intelligendi non terminatur ad ipsam speciem impressam, quia sic semper deberet esse reflexa, vt potè conuertēs se ad suum principiū à quo elicitur: tū etiā quia ex eadē specie impressa possūt formari plures conceptus, seu species expressæ, quia potest intelligi res secundum diuersos respectus inclusos virtualiter in eadem specie, vel secundum, comparationem vnius speciei ad aliam, ergo non sufficit species impressa, vt ad illam terminetur intellectio, sed requiritur determinata, & expressa species in qua deteminate proponatur intellectui ex parte termini id quod inuolutum est in specie impressa ex parte principij.

Ad hæc si obiectum est absens ita vt in se ipso terminare non possit cognitionem, necessario requiritur, quod hæc terminatio suppleatur in aliqua repræsentatione, nec sufficit ipse actus intelligendi, quia iste est ipsa cognitio, non res ipsa cognita, multo minus species impressa quia ab ipsa, vt à principio elicitur cognitio, ergo in illa non habet rationem termini nisi per reflexionem: reflexio autē supponit actum directū, & de illo inquiremus quem terminum habeat. Quod si obiectum sit præsens sed non sit spirituale, & proportionatum ipsi intellectui, manifestum est quod ad ipsum vt sic non potest terminari intellectio nisi reddatur proportionatum, & spiritualizatū etiam prout terminat cognitionem, obiectum autem non redditur spirituale, & immateriale nisi intra intellectū, quia denudatio à materialibus conditionibus non conuenit rei materiali ad extra, sed prout intra intellectum. Quod si obiectum ipsum in se spirituale sit, vel est extra ipsum intellectum sicut vnus Angelus respectu alterius Angeli, & tunc non potest Angelus ille distinctus deseruire alteri per modum speciei etiam impressæ, quia non potest intra ipsum intellectum per substantiam poni cum non habeat aliquam vnionem ad ipsum, neque per modum formæ cum sit substantia, & intellectus accidens, neque per modum materiæ cum non sit eius subiectum, neque per modum efficientis cum non causet intellectum nisi solus Deus. Si verò substantia Angeli sit intima intellectui, vt est respectu sui proprij intellectus cuius est subiectum, & cui seruit per modùm speciei impressæ adhuc non sufficit pro specie expressa terminante intellectionem, quia vt probat D. Th. 4. contra Gent. c. 11. cum intelligere Angeli non sit eius substantia, seu eius esse, etiam verbum, seu conceptus, Angeli non est

eius

eius substantia, sed accidens. Cuius probationis efficacia cõsistit in hoc quod verbum repræsentat obiectum, vt intellectum, & cognitum, & non solum vt intelligibile, ergo si intelligere & intelligi est accidens, etiã verbum vt intellectũ oportet quod sit accidens, & non substantia, tum etiam quia vnam & eandem rem contingit multipliciter intelligi, & non vno tantũ modo; & ideo intelligere quod per modum operationis nascitur ex intelligente, non potest esse eius substantia, seu eius esse, quia hæc debet esse fixa & determinata, operatio verò est multiplex & varia, manente eadem substantia, ergo etiam terminus illius debet esse varius & multiplex, siquidem potest diuerso modo intelligi idem obiectum, per terminum autem qui est verbum, constituitur obiectũ in ratione intellecti, ergo per aliquid accidentale, & non per suã substantiã debet terminare ipsam operationẽ; & hoc intra intellectũ, quia formatio, & expressio obiecti fit per cognitionem, & locationem seu manifestationem internã, & sic oportet, quod talis terminus formatus, extra ipsam cognitionem non sit, & consequenter neque extra potentiam.

Quod si inquiras; quomodo ipsum verbum possit deseruire ad cognoscendum obiectum nisi prius cognoscatur tanquam imago repræsentans, cum tamen nullus experiatur se prius videre hanc imaginem vt in ea videat obiectum? Quomodò etiam potest per cognitionem formari, si ipsa cognitio nõ respicit obiectum, nisi in ipso verbo repræsentatum?

Respond. quod imago est duplex: alia exterior, & instrumentalis, quæ vt cognita ducit in cognitionẽ obiecti, & talis imago prius debet attingi, & cognosci quam obiectum ipsum; alia est interior & formalis quæ non est obiectum cognitum, sed ipsa est ratio, & forma terminans cognitionem, & hæc non debet esse cognita obiectiue, sed solum cognitionem reddere terminatã formaliter respectu obiecti, debet autem formari per cognitionem ipsum verbum, quia vt dictũ est verbum repræsentat rem vt cognitam & intellectam, & sic intellectione ipsa debet formari. Et vocatur aliquãdo verbũ à D.Th. instrumentũ, quo intellectus vtitur ad cognoscendum, vt quodlib. 5. a. 9 sed tamen non sumit instrumentum pro signo instrumentali, quod obiectiue mouet potentiã, sed pro medio intelligendi formali & intrinseco ipsi cognoscẽti. Nec repugnat, quod eadem cognitio simul cognoscat & formet, vt dicit D.Thomas opusc. 14. sicut visio omitteret ex se lucem vel colorem, simul videret & produceret obiectum suum, aliàs si prius formaretur verbũ, oporteret prius dicere, quam cognoscere, & illa dictio seu locutio cæco modo fieret dicendo quod non cognoscit. Est ergo ipsa cognitio considerata in fieri, & in statu imperfecto formatiua verbi, ipso autẽ formato redditur perfecta & completa cognitio tãquam contemplatio, licèt etiam postea iterum possit dicere ad manifestandum obiectum ex abundantia intelligentiæ, vt iam supra explicauimus.

His suppositis, circa principalem difficultatem articuli, illi qui existimant verbum poni in intellectu ex eo præcisè, vt sit terminus productionis, consequenter in omni intellectione, nulla excepta, ponũt produci verbũ. Ita P. Suar. lib. 2, de attributis negatiuis c. 11. & alij supra citati. Qui verò tenent intellectionem de se non esse actionem productiuã, sed requiri ver bũ, vt obiectum reddatur proportionatum, & terminans cognitionem per modũ rei intellectæ affirmãt in omni intellectione requiri verbum in qua obiectum ipsũ per suam entitatem nõ est intelligibile, & intellectũ in actu, & hoc respectu, omnis obiecti creati inuenitur, respectu autem Dei clarè visi, probabilius est nõ formari verbũ creatũ quod immediatè repræsẽtet illũ in esse intellecti.

Itaque hæc sententia duas habet partes Prima, quod in omni intellectione circa obiectum creatum, vel Deum non clarè visum, formatur verbum. Quæ sine dubio est sententia D.Th. vt videri potest 1. p. q. 27. a. 1. & q. 9. de potentia a. 5. & q. 4. de veritate a. 2. & 4. contra Gent. c. 11. & multis aliis locis; in quibus expresse ponit verbum esse distinctum à specie impressa, & ab actu intelligendi, præsertim illa q. 9. de potentia a. 5. & q. 8. a. 1. & aliis locis præcedẽti a. citatis. *Ratio verò constat ex dictis*, quibus probauimus necessitatem ponendi verbum.

Secunda verò pars sententiæ propositæ quod respectu Dei clare visi non detur hoc verbum creatum, *sumitur ex dictis, & ex ratione D.Th.* qua 1. p. q. 12. a. 2. excludit omnẽ similitudinẽ repræsentatiuam Dei in se in quo genere intrat verbum, concedit autem S. Doctor, similitudinem ex parte potentiæ, seu virtutis, id est lumen attingens Deũ in se, sicut etiam visio attingit Deũ in se, negat autẽ similitudinẽ per modum imaginis, & repræsentationis, quia similitudo virtutis, seu luminis & ipsius visionis consistit solũ in proportione actiuitatis, & operationis erga obiectũ, quæ est proportio per modũ tendentiæ & respectus nõ repugnat autẽ rem inferiorem tendere, & respicere superiorem, & creaturam ad Deum in se. Repræsentatio vero est per modum similitudinis, quæ vel conuenit per adæquationem vnum cũ altero, vel continet illud vt semẽ rem genitã; nihil autem creatum adæquatur Deo, aut continet illũ vt est in se. Vndè ratio Diui Thomæ explicatur, quia repræsentatio ipsa, in qua formalissime consistit ratio speciei, licet entitatiuè sit accidens, intelligiliter tamen debet esse eiusdem immaterialitatis cũ obiecto, quod immediatè & primo repræsentat, siquidem ipsa repræsẽtatio speciei realiter inuenitur in ea, & non est aliud quã ipsa res repræsentata immaterialiter & intelligibiliter sumpta. Sic ergo illa realitas, quæ est repræsẽtatio speciei in ratione repræsentationis formaliter, & in esse intelligibilis, qua cõparatur ad obiectũ, vel est creata, vel increata; si increata, est actus purus in esse intelligibili, & consequenter non potest inueniri in entitate creata. Si creata, in infinitum distat ab obiecto increato, multo magis, quã repræsentatio corporea ab obiecto spirituali in se, implicat autem, quod repræsentatio corporea propriè & immediatè repræsentet rem spiritualem, vt est in se Nec obstat quod etiam implicat visionem corporeã attingere rẽ spiritualẽ, cum tamen non implicet visionem creatã attingere Deum. *Resp. enim* visionẽ implicare ex alio principio, quia scilicèt res spiritualis est omnino extra obiectum adæquatum sensus, quod non currit in intellectu creato respectu Dei Repræsentatio autem speciei vtrobique repugnat ex eodem principio, scilicèt ex defectu similitudinis, & immaterialitatis cum obiecto.

Nec dici potest; quod repræsentatio speciei entitatiuè est creata, sed terminatiuè increata, & quod finito modo repræsentat Deum *Sed contra*, quia repræsentatio speciei, licèt quoad entitatem sit inferior obiecto, quoad immaterialitatem tame est impossibile, siquidem in ipsamet specie repræsentatio formaliter sumpta continet intelligibiliter, & intentionaliter ipsum obiectum immediatũ, cuius est species, ergo & immaterialiter, quia intelligibilitas

tas immaterialitate fundatur, ſed continentia illa ſubiectiuè eſt in ſpecie nec ſolū extrinſecè & terminatiuè ſpecies eſt immaterialis, ſed etiam in ipſa ſpecie intrinſecè immaterialitas inuenitur, quia repræſentatio intrinſecè in ea inuenitur, & hæc debet eſſe intrinſecè immaterialis, quia intrinſecè intelligibilis, & eiuſdē immaterialitatis cum obiecto, quia immediatè ei proportionata per ſimilitudinē. Quod verò accidens repræſentet ſubſtantiā, ideo eſt quia poſſunt eſſe eiuſdē ordinis in immaterialitate, & intelligibilitate, licèt nō in entitate, immaterialis autē intelligibilitas eſt, quæ per ſe attenditur in ſpecie, non entitas; ſed ſi immaterialitas intelligibilis fuerit Diuina, & actus purus hoc ipſo non capitur in entitate creata, ſed debet etiā entitas eſſe diuina, quia actus purus nulli potentialitati miſcetur. Quod verò Deus repræſentetur finito modo nihil refert, quia etiam finito modo nō poteſt repræſentari Deus in ſe intelligibilitate creata, & quæ ſit propria alicuius creaturæ, ſic enim repræſentaretur per effectū, & non in ſe ipſo immediatè finito modo, ergo licèt finito modo repræſentetur, tamē ſi quidditatiuè attingitur vt eſt in ſe, hoc ipſo illa intelligibilitas nō eſt creata, quia non eſt alicuius creaturæ, ſed pertinet ad quidditatē Dei, & eſt actus purus, quia non immediatè proportionatur alicui rei creatæ, ergo rei increatæ, ergo eſt propria Dei, & ſic actus purus; ſicut etiam non poteſt ſpecies corporea repræſentare quidditatiuè rem ſpiritualem, licèt non comprehenſiuè & omni modo.

Tota hæc implicatio currit ſimiliter in ſpecie expreſſa, quia ſpecies expreſſa etiam eſt ſimilitudo, & repræſentatio intellectualis obiecti, immediate illud repræſentans, & conſequenter immediatè ei proportionatur Repræſentat autem obiectum non vt intelligibilē ſicut ſpecies impreſſa, ſed vt in actu intellectū. Ex parte quidē obiecti eadē implicatio eſt atquè in ſpecie impreſſa, quia idē obiectum eſt. Quod vero ſit finito modo intellectum, non magis cōducit vt repræſentetur per ſpeciem creatā, quam quod ſit finito modo intelligibilis per ſpeciem impreſſam, & tamē vt diximus etiam hoc modo repugnat dari ſpeciem creatam Dei in ſe immediate.

Quod verò reddatur intellectum in actu à me, quod non videtur habere poſſe diuina eſſentia per ſe ipſam, quia ſolum eſt intellecta à ſe per ſe ipſam, non à me, ſed per aliquid ſupperadditum *non obſtat*, quia eſſe intellectū duo dicit alterū quod obiectum ſit applicatū ad intelligere per modū termini, alterū quod ſit formatum vltima actualitate, ita quod ipſo intelligi conſtituatur in actu vltimo intelligibilitatis. Primum requiritur in viſione beata, ſed non requirit verbum à ſe formatum, ſed ſufficit applicatio, & vnio ad obiectum ſeu verbum iam formatum, ſicut intellectus poſtquam formauit verbum cum in ipſo contemplatur obiectum non format nouum verbum, ſed vnitur, & applicatur formato: ſic Deus eſt de ſe non ſolum intelligibilis ſed in vltimo actu intellectus reſpectu omnis intellectus cui præſens, & vnitus eſſe poteſt intimè. Vndè poſita vnione eius in intellectu per modum ſpeciei, poteſt per ipſum intelligere beati reſpici Deus vt verbum formatum & ſibi vnitum, & ſic ad ipſum terminari, ſicut ſi conceptum vnius poneret Deus in mēte alterius, & ad aliud terminaretur intellectio. Secundum autem eſſe non poteſt, quia intelligibilitas Dei attingens eum vt in ſe eſt nulla creata intelligibilitate formari poteſt, ſed hæc ſemper diſtat in infinitum, & ſic non repræſentat Deum, in ſe immediatè, ſed effectum Dei.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRrimo *arg.* ex Patre Suarez, 3. de Anim. cap. 5. ad probandū, quod verbum non ponatur propter indigentiā obiecti, ſed vt ſit terminus actionis productiuæ, nam imprimis D. Thomas vbicunque loquitur de verbo non adſtruit illud ex indigentia obiecti, ſed propter vim intellectionis, vt patet 1. part. quæſt. 27. artic. vbi ait: *Quicumque intelligit ex hoc ipſo quod intelligit procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio intellectus ex vi intellectionis proueniens.* quæſt. 9. de potētia art. 5 ait: *Quod verbum eſt de ratione ipſius intelligere.* Et quæſt. 4. de veritate art. 2. & ſuper Ioannem cap. 1. lect. 1. & 4. contra Gent. cap. 11 ait. Angelū formare verbū, & tamen habet ſubſtantiā ſuam ſibi præſentē intuitiuè ergo verbum non ponitur propter indigentiā obiecti, ſcil. vt reddatur præſens intellectui. *Ratione etiam arguitur*, quia ſi ex indigentia obiecti producitur verbum, maximè quia obiectum eſt abſens & per ipſum verbū redditur præſens, ſed ſi hæc ratio valeret, nunquam produceretur verbum niſi in cognitione abſtractiua, & ita Angelus ſe cognoſcens, verbum non produceret. Si verò dicatur præter hanc præſentiā Angeli requiri aliam magis intimā & veluti penetrationē potentiæ cū obiecto. *Contra eſt*; tum quia intellectus ſpeciebus impreſſis reformatus, ſufficienter habet obiectū intime ſibi vnitū nec eſt cur magis penetratum, & vnitum requirat; tū denique quia nō repugnat quod ſpecies impreſſa ſimul ſe teneat ex parte principij cognoſcendi & ſit terminus in quo reluceat obiectum, quę enim in hoc eſt repugnantia?

Reſp. de mente D. Th. ſatis conſtare locis ſupra à nobis allegatis, pręſertim primo contra Gent. c. 53. & in illis locis quæ allegat P. Suarez, vt q. 9. de potentia art. 5. & q. 8. art. 1. aperte diſtinguit ſpeciem intelligibilem impreſſam, & actum intelligendi, & verbum intellectum, & tamē ipſum intelligere reponit eſſe actionē immanentē, quæ non eſt de prædicamento actionis, nec per ſe reſpicit terminum productum, ſed cognitum, vt articul. præcedenti ex ipſo D. Th. oſtendimus, ergo non propter indigentiā actionis vt habeat terminum requiritur verbū ſed propter indigentiā obiecti vt reddatur ſufficiēter præſens & vnitum, non ſolum entitatiuè ſicut eſt ſubſtantia Angeli ſuo intellectui, ſed etiam intelligitur per modum intellecti in actu quod accidentale eſt etiam ipſi Angelo.

Ad rationem Reſpond. ad primam probationem dicitur, non ſolum requiri verbum propter abſcētiam phyſicam obiecti, hæc enim non ſemper inuenitur, ſed etiam vt obiectum in ratione termini cognitionis reddatur, immateriale & intentionale in actu vltimo, vt D. Tho. affirmat 1. contra Gent. citato c. 53. & ad hoc non ſufficit præſentia quā habet obiectū in ſpecie impreſſa, hæc enim præſentia tenet ſe ex parte principij ad producēdā intellectionē nō autē per modū termini, quia ad hoc oporteret, quod intellectus reflecteretur ſuper ipſā ſpeciē & ita nō ſeruit ad intellectionē directā: tum quia ſpecies impreſſa cōtinet obiectū per modū intelligibilis, non per modū intellecti, & expreſſi in actu ſecūdo, quod enim aliquid ſit intellectū & expreſſū neceſſario dependet ab intelligere & exprimere, ſpecies autē intelligibilis præcedit ipſū intelligere, & exprimere, ergo nō poteſt in ipſa repræſentari obiectū vt expreſſum & intellectum in actu, vbicūque operatio intelligendi, & exprimēdi eſt aliquid accidētaliter ſuperueniēs ipſi ſpeciei & intellectui,

&

accidẽtaliter superueniẽs ipsi speciei & intellectui, & ita species impressa existit in intellectu etiam ipso non intelligente per illam, species autem expressa cessante intellectione cessat, quia repræsentat rem vt intellectam in actu: tum denique quia species impressa repræsentat cum aliqua indifferẽtia & potentialitate determinabili per expressionẽ verbi, & intellectionem, siquidem intellectio, quæ est accidens superueniens intellectui potest variari, fieríque modo cum diuersa attentione, modo cum diuersa intensione, ergo oportet quod species impressa reducatur in actum, & terminetur per ipsum intelligere & consequenter quod ipsum verbum distinguatur à specie impressa, eò quod in verbo expressè & determinatè repræsentatur obiectum vt taliter, vel taliter intellectum in actu secundo, non vt solum intelligibile in actu primo. Vnde patet cur repugnet speciẽ impressã tenere se ex parte termini intellectionis, vt petitur in vltima probatione.

Secundò arguitur, ad probandum in omni intellectione formari verbum etiã in visione Dei, primo quidẽ authoritate D.Th. tum 1.p.q.27.a. vbi inquit: *Quod quicumque intelligit, ex hoc quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum*; quod frustra limitatur ad intellectionem rei creatæ, vel intellectionem abstractiuam, aut alias similes limitationes, alias non probaret D.Th. dari in Deo processionẽ verbi, si nõ datur in nobis nisi cum tot limitationibus, cum quibus non datur in Deo: tum etiam in q.4. de veritate a.2. dicit: *Quod omne intellectum in nobis est aliquid realiter procedens ab alio, & hoc vniuersaliter verum est, de omni quod à nobis intelligitur siue per essentiam videatur, siue per similitudinem.* Vbi etiam includit visionem Diuinam, in qua videtur Deus per essentiã, & nõ per similitudinem. *Ratione etiam probatur*, quia omnis intellectio est vera & propria operatio seu actio, ergo debet habere terminum, quia actio non habens terminũ, nihil agit, & sic non est actio. Si verò intellectio non est actio; sed qualitas producta, ergo supponit actionem per quã producatur, & sic illa actio erit intellectio, vt operatio, qualitas verò illa erit verbum vt terminus actionis. Et dato quod intellectio illa in ratione intellectionis non habeat terminum productum, sed cognitum, adhuc tamen non repugnat in visione beata, quod illa intellectio sit expressiua & manifestatiua eius quod intelligit per modum locutionis, ergo per talẽ expressionem & dictionem producetur verbum, non quidem ad reddendum obiectum intellectum in actu, sed vt dictum & expressum à beato.

Respondetur ad primum locum S. Thom. quod illa verba, *Quicumque intelligit*, non est necesse quod distribuant pro omnibus indiuiduis, sed pro omnibus generibus intelligentium, quasi sit sensus in omni natura intelligente ex eo, quod natura intellectiua est, habet, quod procedat aliquid intra ipsam & nõ solum extra, siuè hoc contingat in omni indiuiduo, siuè non. Intentum enim S.Th. in illo articulo erat probare contra Sabellianos, & Arrianos, quod datur in Deo processio aliqua ad intra, & hoc probat quia in omni intelligente datur processio ad intra per actionem immanentem. Ad hoc autem impertinens est quod in omni indiuiduali actione procedat verbum, sufficit autem, & conducit quod in omni natura intelligente detur processio ad intra, sic enim optimè infert, quod etiam in natura Diuina seu in Deo qui intelligens est, datur aliqua processio ad intra, & tamen non probat quod in omni indiuidua intellectione datur processio ad intra, hoc enim esset nimis probare, cũ in Deo Spiritus sanctus, & Filius intelligant, nec tamen producant ad intra verbũ. Quod & Sanctus Thomas aduertit dum eodem loco, q.34.a.1 ad 4. afferens eandem propositionem. *Quicumque intelligit*, &c. vt inde probaret, quod etiam Verbum producit aliud verbũ, limitat illã propositionẽ, vt intelligatur de omni intelligente fæcundo, non de eo quod intelligit vt verbum procedens, sicut intelligit Filius.

Ad secundum locum respondetur, loqui de his qui intelligunt non per similitudinem, sed per essentiã quæ non est ipsum intelligere, & intelligi per se ipsam, sed indiget operatione accidẽtali, & de se est in potentia, vt sit intellecta in actu, qualis est essẽtia Angeli, non vero loquitur de essentia quæ est actus purus, & cuius immaterialitas non compatitur repræsẽtari repræsentatione, & immateria ita e creata, quæ longè illi improportionata est. Et hoc sumitur ex ratione ipsa, quam reddit Sanctus Thomas, ibi, quia *ipsa conceptio*, inquit *est effectus actus intelligendi*, quia scilicet, vbi essentia aliqua non est suum intelligere, nec sua conceptio, sed conceptio est effectus actus intelligendi, ibi necessario requiritur, quod procedat & producatur verbum, quia hoc ipso quod conceptio est effectus, ipsa essentia seu obiectum, per quod fit cognitio, non est per se in vltimo actu intelligibilitatis, sed per aliquid superadditum, quod est effectus actus intelligendi, & sic vbicumque verbum est effectus, intellectio producere debet illud. In visione autem beata, Diuina essentia, quæ est species intelligibilis, se ipsa est in actu vltimo intelligibilitatis, cũ sit actus purus, & consequenter non per aliquem effectum redditur intellecta repræsentatiuè, sed solùm illa immaterialitas, quæ est actus purus; redditur attactu per actum visionis beatæ, & ei vnita in ratione termini.

Ad rationem iam respondimus præcedenti articulo, intellectionem esse actionem metaphysicam, id est actum secundum operantis non physicam formaliter id est causalitatem ipsam operati, & sic non petit essentialiter terminum productum sed cognitum, licèt virtualiter possit esse actio vt dictio expressiua est, ipsa autem intellectio, licèt sit qualitas, emanatiuè tamẽ procedit, & non per aliam actionem, quia actus secundus est veraque operatio, vnde non indiget alio actu secundo constitui agens, vt producat illam. Nec tamen superfluit verbum, quia est similitudo per modum termini repræsentans seu reddens præsens obiectum. In visione autem beata, nec per modum locutionis, & expressionis potest verbum produci, quia verbum sic procedit in ratione dicti, & expressi, quod repræsentat obiectum secundum propriam, & immediatam immaterialitatem eius, repræsentat enim obiectum, vt intellectum in actu, & consequenter sub actualitate vltima intelligibilitatis, & immaterialitatis Diuinæ quod repugnat in repræsentatione seu immaterialitate creata. Nec sufficit repræsentare illam, vt intellectam à visione creata, quia visio ipsa non est obiectum seu res intellecta, sed essentia ipsa, ac proindè, licet connotetur quod sit cognita me, à immaterialitas tamen, & intelligibilitas sub qua repræsentatur, non est mei, qui sum cognoscens, sed obiecti cogniti, & repræsentati.

Ex quo soluitur instantia; quæ solet hic molestè fieri, quia verbũ non ponitur nisi ad hoc vt reddatur obiectum intellectum à me, non ab alio. Deus autem ex se non est intellectus in actu à me, sed

ſed à ſe,ergo vt repræſentetur eſſentia Diuina non abſolutè vt in actu ſecundo intellecta in ſe, ſed vt limitatè intellecta à me,requiretur verbum creatũ, quia ſic limitate eſſe intellectam à me,aliquid accidentale & temporale eſt. *Sed reſpondetur ex dictis,* quod eſſe intellectũ in actu dupliciter dici poteſt, vel reſpectu obiecti, quia de ſe ſolùm eſt intelligibile in actu primo, redditur autem in actu vltimo intellectum;vel reſpectu ſubiecti,quia applicatè ad iſtud ſubiectum redditur intellectum,id eſt apprehenſum & tentum ab iſto.Dicimus ergo,quod verbum ponitur,vt reddat obiectum intellectũ in actu vltimo ex parte obiecti,ſecundum quod intellectũ in actu vltimo condiuiditur contra intelligibile in actu primo, & hoc modo Diuina eſſentia vt obiectum intelligendum, & ordinis intelligibilis eſt in actu vltimo intellecta non ſolùm à ſe, ſed reſpectu cuiuſcumque modi,quo poſſit intelligi,quia eſt infinite intellecta in actu,ita quod per nullam actualitatẽ poſſit reddi magis in actu.Cæterùm vt reddatur obiectum illud intellectum applicatè ad iſtud ſubiectum,id eſt tentum & apprehenſum ab eo,nõ requiritur verbum ſeu ſpecies expreſſa, ſed ſufficit intellectio ipſa ſeu actus cognoſcendi,quo redditur obiectum ipſum in ſe & ipſum verbum, & conceptus infinitus applicate vnitus iſti limitate, ſicut etiam in ratione ſpeciei impreſſæ vnitur, quod ſupra aliquibus exemplis declarauimus.

Tertiò arguitur,quia per illud intelligere creatum habet Diuina eſſentia vniri in ratione ſpeciei expreſſæ, ergo aliquid producitur de nouo per talem intellectionem,ſcilicet Diuinam eſſẽtiam eſſe vnitam in ratione verbi,& conceptus,quod ante non erat,hoc autem non producitur in ipſa eſſentia,ergo in ipſo intellectu.*Maior probatur*, quia intellectio illa etſi non format verbum reddendo rem intellectam in eſſe obiecti, reddit tamen obiectum intellectũ applicate ad iſtud ſubiectum,ergo ipſam eſſentiam vnit in ratione verbi & ſpeciei expreſſæ ipſi intellectui,& ſic aliquid de nouo producit, videlicèt illam vnionem,*Confirmatur*,quia Deus non poteſt ſupplere intellectionem ſe ipſo,quia eſt vitalis operatio, ergo neque rationem verbi,quia eſt vitalis terminus repræſentans. *Patet conſequentia,* quia non minus repugnat ſuppleri terminum vitalem,quam operationem vitalem,non minus enim repugnat quod ſit filius alicuius,qui ab eo non eſt genitus ,quam quod ſit generatio alicuius, quæ ab eo non proceſſit.*Confirmatur ſecundo*,quia alias nõ eſſet ratio,cur etiam ſubſtantia Angeli non ſeruiat ſibi ipſi pro ſpecie expreſſa, ſiquidem eſt ſufficienter immaterialis, & intima intellectui,cũ deſeruiat illi pro ſpecie impreſſa.Nec requiritur,quod ſit ſuũ intelligere, vt deſeruiat pro verbo, nam apud nos intelligere,& verbum diſtinguuntur realiter, & tamen deſeruit verbum ipſi intellectui , vt forma & ratio intelligendi, ſufficiet ergo quod ipſum intelligere terminetur intus ad eſſentiam vnitam in ratione ſpeciei, illamque ſua luce actuet , non quòd verbum producat.

Reſpond. quòd circa vnionem eſſentiæ Diuinæ in ratione ſpeciei expreſſæ, quidam Thomiſtæ cenſent produci per intellectionem noſtram , & hoc modo ſaluant quod habeat terminum intra ſe productum,licet non verbum,ſed vnionem illam Alij, & melius non ponunt vnionem aliquam informatiuam ſeu phyſicam produci per noſtrã intellectionem,ſed intellectionẽ purè contemplari eſſentiam Diuinã iam vnitam in ratione ſpecie expreſſæ, ſed ſolùm ipſam intellectionem dici vnionem , quatenus eſt intentionalis apprehenſio , & tendentia ad obiectum,de quo videri poteſt Caietanus,prima parte, q.27.art.1.& quæſt.76.a.2. Magiſter Bañez, ibi q.27.art.primo, dubio primo, ad primum argumentum. Nauarrete tomo primo,controuerſia.34. §.quarto, ad ſextum argument. *Ratio eſt*,quia ille modus vel eſt diſtinctus ab intelligere ipſo,vel nõ. Si non,ergo non aſſignatur terminus talis actionis. Si eſt dictinctus,vel productus per intelligere quatenùs dictio,vel quatenùs contemplatio,& pura intellectio.Si quatenùs dictio, erit verbum , quia eſt aliquid dictum ſeu locutum quod verbum eſt, ſi vt contemplatio, ſupponit verbum vnitum, ſicut nos contemplamur obiectũ in verbo iam producto & vnito nobis,& tamen per illã contemplationẽ nõ producimus vnionẽ verbi iam exiſtentis in nobis, ſed in verbo vnito contemplamur.Et ſicut ſi Deus meo intellectui vniret conceptũ,qui productus fuit à Petro , poſſem elicere operationem terminatam ad illum,& vnientem me illi,non vnione informationis conceptus, quæ iam ſupponitur, ſed vnione contemplationis, & apprehenſionis, quæ eſt ipſamet cognitio,ita Deus ſe ipſo vnit ſuam eſſentiam in ratione ſpeciei impreſſæ , & expreſſæ , phyſico modo ; intellectus vero elicit actũ,qui eſt vnitiuus apprehenſiuè ſeu cognoſcibiliter , id eſt tendendo ad obiectum,non reali informatione ipſum vniendo. *Et cum dicitur*, quod intellectus trahit rem ad ſe,& reddit obiectum intellectum applicatè ad ſe. *Reſpondetur*,quod hæc tractio,& applicatio fit contemplando , & attingendo obiectum cognoſcibiliter;non vniendo informatiuè,& realiter eſſentiam ſeu terminatiuè, ſed circa vnitam realiter , intelligendo,& apprehendendo.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quod cũ Deus vnitur in ratione verbi , non ſupplet , quòd hoc verbum dicatur procedens à noſtro intellectu, hæc enim denominatio ſuppleri non poteſt , ita vt dicatur aliquis terminus vitaliter procedens , vel genitus ſi vitaliter non procedit , ſed ſolum vnitus Quòd autem ſupplet Deus eſt , quòd hoc verbum dicatur repræſentare obiectum per modum termini repræſentatiui,non per modũ termini procedẽtis,& producti à noſtro intellectu. Eſſe autem terminum repræſentatiuum intelligibiliter, per ſe habet Diuina eſſentia & ſuppleri poteſt in ratione cauſæ formalis terminantis,& in ſe vitaliter repræſentantis,non tamẽ ab iſto viuente ſeu intelligẽte procedentis , ſed ei vniti,ſicut ſi conceptum vnius Deus vniat alteri intellectui.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur ex ſupra dictis, non poſſe ſubſtantiam Angeli eſſe per ſe ſpeciem expreſſam,quia non eſt per ſuam ſubſtãtiam ſuum intelligere, & intelligi in actu vltimo, & ſic non poteſt repræſentari vt intellecta niſi per aliquam accidentalem qualitatem ſuperadditam,ſicut nec ipſum intelligere, & intelligi eſt ſubſtantia Angeli,ſed operatio ſuperaddita,quod eſt ſignũ, ipſam ſubſtantiam Angeli ſecundum ſe non eſſe in actu vltimo intelligibilitatis, ſed actuabilem eſſe. *Et ad replicam*, quòd etiam diſtinguitur in nobis verbum ab intelligere. *Reſpondetur*,quòd diſtinguitur, vt terminus ab ipſo formatus & productus, ſicque ab eo diſtinctus, repræſentatiuè tamen ipſũ obiectum vt intellectum imbibens ; ſubſtantia autem Angeli , non formatur nec procedit ab intelligere, vt terminus eius nec poteſt ſolùm extrinſeca intellectione attacta formari, quia iſta formatio nõ eſt per ſolam lucis aſperſionem ſicut colores redduntur lucidi, ſed per intrinſecam formationem repreſen

præſentationis vitalis,& in actu ſecundo, quòd ex ſe ſubſtantia Angeli non habet.

ARTICVLVS III.

An ſint tres operationes intellectus, quid ſint?

DAri in noſtro intellectu tres operationes intellectus, quæ ſunt ſimplex apprehenſio, enunciatio, ſeu iudicium, & diſcurſus *experientia in nobis teſtatur*, & in ſummulis ſæpius explicuimus, affirmatque Diu. Thom. 1. poſter. lection. 1. & colligitur ex Ariſtotel. in hoc 3. de anim. text. 21. lect. 11. apud D. vbi Philoſoph. docet dari duas operationes intellectus, ſcilicèt, ſimplicium apprehenſionem, & compoſitionem. Nec enunciationem vocat, ſed compoſitionem, vt hoc nomine etiam diſcurſum comprehendat, qui compoſitione quadam conſtat, non enunciatiuo modo, ſed illatiuo conceptus coniungente. Circa has ergo operationes dubiola aliqua ſe offerunt.

Primò inquires, vndè oriatur, quòd in homine iſtæ operationes diſtinctæ ſint? *Reſpondetur*, ex imperfectione noſtri intellectus id prouenire quia procedimus de imperfecto ad perfectum, & de potentia ad actum. Ita ſumitur ex Diu. Thom. in 1. part. quæſtion. 58. articul. 5. vbi docet: *Quod quia intellectus noſter procedit de potentia ad actum, & de imperfecto ad perfectum, cognita ſeu viſa aliqua re, non ſtatim attingit quidquid illi conuenire poteſt*, indiget ergo tranſire ad aliud & componere cum illo, vt cognoſcat ei conuenire, intellectus autem Angeli, quia in genere intellectuali perfectus eſt, ſtatim viſa aliqua re penetrat quidquid illi conuenit, quia non vtitur diſcurſu, ſed comprehenſione, & ſic in eo datur ſimplex, & vnicus modus operandi, qui tamen ita virtuoſus eſt, vt æquiualeat noſtro diſcurſui, & multiplicatis actibus: ſicut etiam in naturalibus res generabiles, & corruptibiles, quæ procedunt de imperfecto ad perfectum ſucceſſiuè acquirunt ſuam perfectionem, & non vnico actu: quæ verò incorruptibiles ſunt, non acquirunt ſuam perfectionem ſucceſſiuè generando, & corrumpendo, ſed ſtatim illam habent à principio, vt cœlum. Sic in ſpiritualibus anima rationalis, quæ infima eſt in gradu intellectiuo, ideóque vnitur corpori corruptibili, acquirit ſucceſſiuè ſuam perfectionem ſcientiæ, & non vtitur indiuiſibili comprehenſione, ſed diſcurſu, & compoſitione. Angeli verò, quia ſunt perfectè ſeparati à corpore, & communicatione ad corpus, ſunt etiam perfecti intellectus, nec habent ſucceſſiuè acquirere ſcientiam, ſed comprehenſiuè, & ſimplici actu, penetrante quidquid eſt in obiecto.

Dices, ergo ſaltem quoad illa, quæ naturaliter non conueniunt alicui rei, ſed moraliter, vel ſupernaturaliter, poterit Angelus compoſitione vti, & ſucceſſiuè acquirere vnum poſt aliud. Et deindè quoad propoſitiones negatiuas, ſeu quoad diuiſionem, cum poſſit res omnino diſparatas, & quæ ſub vna ſpecie contineri non poſſunt, negare de aliquo, non poterit id facere ſine aliqua compoſitione ſpecierum, & actuum, quia ad vnicam reduci non poſſunt, & conſequenter neque ad vnicum actum.

Reſpondetur, aliquos ita concedere, vt argumentum intendit in cognitione Angeli rerum ſupernaturalium, vel in diuiſione, ſeu negatione facienda. Sed immeritò, quia ſupernaturale lumen non deſtruit, ſed perficit naturam, & de ſe ſimplicius lumen eſt, & altius quam naturale itaque vel ſe accommodat naturæ intelligentis, & eius modo ſicut de cognitione fidei docet Sanct. Thom. 2. 2. quæſtion. 1. art. 2. vel naturam eleuat, & rapit ad altiorem, & ſimpliciorem modum ſuum. Si primo modo, fiet in Angelis ſine diſcurſu cognitio ſupernaturalis, quia eius modo ſe accommodat, non illud deſtruit. Si ſecundo modo, magis eleuat à diſcurſu, quia ad altius, & ſimplicius lumen, & modum ſimpliciorem rapit intellectum. Atque ita in Angelis vnica ſpecie à Deo infuſa, vel attemperata repræſentat ſubiectum, non ſolùm ſub forma ei naturaliter manifeſta, ſed ſupernaturaliter, & ex obedientiali potentia conuenienti.

Quod verò dicitur de diuiſione, & negatione. *Reſpondetur*, quòd Angelus quando cognoſcit negando vnam formam, ſeu prædicatum de aliquo ſubiecto, quod in ſpecie repræſentatiua ſubiecti non continetur, vt ſi dicit, *lapis non eſt Angelus*, aut quid ſimile, quod in ſpecie lapidis non continetur, & vult Angelus vtrumque extremum negatum diſtinctè, & expreſsè cognoſcere, tunc coniunget duplicem ſpeciem in ordine ad faciendam illam collationem, & comparationem negatiuam, ſeu diuiſiuam, ſed non eliciet duplicem actum componentem; ſed vnicum ſimplicem vtentem vtraque illa ſpecie tanquam inadæquata vnius actus, & cognitionis, qua attingit vtrumque per modum vnius ſic comparati. Non dicetur tamen compoſitio vel diſcurſus ratione plurium ſpecierum concurrentium ad vnum actum eliciendum modo inadæquato, ſed ex pluralitate actuum ex diuerſis ſpeciebus formatorum, & per collationem aliquod tertium formantium, non ſimplici modo vtraque ſpecie vtentium, & elicientium vnicum actum. Si tamen non velit Angelus, quodlibet extremum negatum diſtinctè, & expreſsè in ſe videre, ſed videre negationem alicuius qer formam negatam, & in conceptu vnius veritatis, contradictorium ſuum tanquam falſum agnoſcat, ad hoc ſufficiet videre ipſam affirmationem, quâ poſitâ cognoſcitur negatio eius vt falſa; & cognitâ aliquâ naturâ, cognoſcitur non eſſe aliquid aliud præter ſe, ſed tunc illa negatio attingitur quaſi in confuſo, & in obliquo. Videatur Sanct. Thom. 1. part. quæſtion. 58. articul. 4. ad 2.

Secundò inquires, in quo conſiſtat ſimplicitas apprehenſionis, & compoſitio? Nam ex vna parte multa complexa ſunt, quæ pertinent ad primam operationem, definitio enim ad primam operationem pertinet, vt ait Diu. Thom. 3. de anima lection. 11. & 1. part. quæſtion. 17. articul. 3. & quæſtion. 1. de veritate articul. 3. Ex alia verò parte, nec ipſa compoſitio excludit ſimplicitatem, formatur enim propoſitio ex pluribus conceptibus, per modum vnici, & indiuiſibilis conceptus, quia ille conceptus, ſimplex qualitas eſt, vt diximus in ſummulis, quæſtion. 5. art. 2. ergo ſimplicitas non obeſt compoſitioni.

Reſpondetur ſimplicem apprehenſionem, aut compoſitam, non dici ratione ipſius ſimplicitatis, aut compoſitionis in eſſe qualitatis, aut entitatis, nec iterum propter ſimplicitatem, aut compoſitionem obiecti etiam in ipſa entitate obiecti in ſe, ſed compoſitio præcipuè reſpicit aliquam conſtructionem artificioſam, quæ in ipſa cognitio-

ne formatur ex pluribus cognitionibus, ſimplex verò cognitio eam excludit. *Ratio eſt*, quia quod præcipuè intellectus intendit per compoſitionem, & diuiſionem, eſt attingere veritatem artificio ſeu conſtructione, quia non poteſt comprehenſione ſicut Angelus & vnico intuitu. Ergo illud dicitur ad ſimplicem operationem pertinere; quod intelligitur ſine illa conſtructione artificialiter compoſitiua, ſed eſt extremum, vel pars in ordine ad veritatem attingendam, ideoque non reſolubilis in aliam partem, & hoc pertinet ad primam operationem. E contra verò quidquid habet rationem totius artificiali modo conſtruibilis & reſolubilis, dicitur ad cōpoſitionē pertinere, quidquid ſit an totum hoc ſit repræſentabile in vnica qualitate & entitate in pluribus coordinatis, hoc enim per accidens ſe habet ad artificioſam conſtructionem veritatis. Vnde non dicitur ſimplex vel compoſita operatio, penes ſimplicitatem vel comparationem conceptuum quaſi phyſicam & entitatiuam, ſed artificioſam, procedendo de vno ad aliud, quod ſaluatur etiam ſi totius compoſiti & conſtructi vna imago producatur, quæ entitatiuè vna ſit, plura inadæquata & coordinata obiecta complectens, nam ſaltem præſuppoſitiuè debet plures actus, & conceptus ſupponere, ex quibus conſurgat & formetur imago illa comparando vnum ad alium, quod in Angelo non eſt, qui non ex pluribus congregat veritatem, ſed ſimplicitate intellectuum reſplendet, vt dicit S. Dionyſius 7. c. de diuinis nomin.

Quod verò obijcitur de ſimplici operatione componente definitionem aut terminum complexum. *Reſpond.* quod non eſt compoſitio perfecta ſimpliciter conſummatè, quia non per modum totius & terminando compoſitionem, ſed imperfecta qua ſolum componitur pars, & non totum, ſicut cum formatur brachium aut caput, vtique illæ partes conſtant ex aliis partibus, vt brachium ex manu & cubito, oſſibus, carne, neruis, &c. tamen iſta non componunt adhuc totum ſimpliciter, ſed partem compoſitam, ideoque non conſummatur ibi ratio totius, nec ſiſtit generatio & formatio compoſitionis, quæ ſolum ſiſtit in ipſo toto. Verum eſt, quod in iſtis artificialibus, præſertim rationis, quæ maximè ordinatione & relatione fiunt, facilè mutatur id quod eſt pars in totum & è contra, ſicut etiam in artificialibus realibus, domus, quæ eſt pars alterius, poteſt ſeparari, & fieri totum & è contra immo aqua, quæ modo eſt totum, fit pars vniendo alteri aquæ, & fit totum ſeparando ab illa. Quamdiu ergo aliquid ſumitur ad modum partis, licèt complexæ, & compoſitæ, ad primam operationem pertinet, quia illa conſtructura, ſeu formatio non ſimpliciter componit totum, aut veritatem adhuc manifeſtat, ſed ſolum partem, & extremum huius conſtitutionis. Quando autem per modum totius ſumitur oratio ſiue enuntiatiua ſit, ſiue non, pertinet ad ipſam comparationem & diuiſionem, veritas tamen in ſola enunciatiua oratione inuenitur, de quo plura diximus in Summulis quæſtion. 5.

Tertio inquires. An ſecunda operatio ſit idem quod iudicium, vel ſit diſtinguenda duplex compoſitio; alia per modum enuntiationis, alia per modum iudicij. *Reſpond.* iudicium aliquando ſumi largius, pro quacumque diſcretione inter vnum & aliud, ſicut etiam ſenſus externus diſcernit inter album, & nigrum, amarum & dulce, qua ratione dicit S. Thom. quodlib. 8. art. 3. *Quod propria operatio ſenſuum eſt indicium de proprio ſenſibili*, & de hoc egimus ſuprà q. 5. art. 2. Aliquando ſumitur iudicium ſtrictius pro aſſenſu, vel diſſenſu circa aliquam veritatem vel falſitatem, quæ fit affirmando aut negando. Et hoc modo aut fit pet collationem & comparationem extremorum, aut ſupponit illam & cadit ſuper illam aſſenſus vel diſſenſus. Et ideò tale iudicium non inuenitur in brutis, quia collatione carent; in Angelis autem eminentiori modo, quia ſine conferentia comprehendunt & iudicant. In nobis autem quia affirmatione, vel negatione fit, circa extrema coniuncta ſeu veritatem, non circa rem ſimplicem, ideo ad ſecundam operationem pertinet.

Difficultas autem eſt in duobus, Primùm, an iudicium ſit actus diſtinctus ab enuntiatione apprehenſa, ſeu repreſentata, an idem ſit formatio enuntiationis & iudicij? *Secundùm*, dato quod ſit actus diſtinctus an ſit ſimplex actus, vel compoſitus.

Ad primum reſpond. ſine dubio diſtingui enunciationem vt apprehenſam, ſeu repræſentatam ab ipſo iudicio quòd eſt aſſenſus ſeu ſententia mentis, aut adhæſio ad vnam partem determinatam. *Et hoc à poſteriori conſtat*, quia aliquando apprehendimus aliquam enuntiationem ſeu compoſitionem, & ſuſpendimus iudicium, ſeu ſententiam, ſicut ſi dicamus, aſtra ſunt paria an non; formatur aliqua compoſitio enuntiatiua prædicati de ſubiecto; nec tamen fertur iudicium ſed ſuſpenditur quia nondum plene cognoſcitur veritas: nam ſi euidenter cognoſcatur, non poteſt detineri iudicium, quia intellectus poſitis præmiſſis euidentibus, cogitur aſſentiri concluſioni, vt oſtendimus quæſt. 24. Logicæ. Vbi ergo non cogitur intellectus, poteſt ſuſpēdere iudiciū, & tamen formatur & repræſentatus enunciatio, quia formatur totum illud, ſupra quod poteſt cadere iudicium aſſenſus, vel diſſenſus, quod conſtat cōpoſitione ſubiecti & prædicati, ergo diſtinguitur enuntiatio repræſentata, & apprehenſa à iudicio, *A priori autem id manifeſtatur*, quia diuerſum eſt obiectū iudicij, & enuntiationis tantū repræſentatæ. Nam per enuntiationem apprehēdūtur extrema vt cōiunctāter ſe, & fit collatio ſeu comparatio vnius extremi ad aliud: iudiciū autem facit comparationem & collationem illius propoſitionis compoſitæ ad id, quod eſt in re, vel ad principia à quibus dependet veritas rei. Et ideò iudicium hoc poteſt ſequi poſt diſcurſum, & reddit intellectum determinatum & adhærentem illi veritati, quia attingit, & comparat veritatem ad ſuas cauſas, vel ad id, quod eſt in re, & ita certificatur, ſeu adhæret intellectus veritati ipſi prout ſic cauſis ſuis aut fundamentis comparatur. Ergo eſt diuerſa vtrobique comparatio & obiectum, ſicque erit diuerſus actus quantum eſt ex natura rei. Et ideo veritas formalis inuenitur in hoc iudicio, vt ſæpius dicit S. Tho. locis ſupra cit. licèt, ſignificatiuè inueniatur in enuntiatione, eo quod veritas ſumitur per conformitatem & comparationem rei enunciatæ ad id quod eſt, vel non eſt re iuxta ſua principia, & ideo ibi formaliter inuenitur vbi formaliter iſta comparatio fit, non vbi ſolùm exprimitur vnio extremorum.

Vnde conuincitur eorum ſententia, qui non diſtinguunt inter coniunctionem extremorum inter ſe quod fit in enuntiatione, & comparationem ipſius enuntiationis ad id quod eſt, vel non eſt in re, & ideo dicūt nō diſtingui iudicium à compoſitione, ſeu enūtiatione, vt docet Suarez lib. 3. de an c. 6.

Sed

Sed contra est; quia iudicium formaliter loquendo non reespicit repræsentationem extremorum, vt comparatorum, & vnitorum inter se, sed ipsam enunciationem comparat per conformitatem, aut difformitatem ad esse, vel non esse in re, ideóque de se postulat distinctum actum, quia habet diuersam comparationem, & obiectum; Non negamus tamen aliquando intellectum vnico actu complecti posse vtrumque, & simul vnire aliqua extrema inter se, & conformare ei, quod in re est, vt cum actu video Petrum esse album, aut sedere, & id pronuncio non enunciatiuè tantum, sed etiam assertiuè, & per assensum dicendo *Petrus verè est albus*, seu absolutè *Petrus est albus*, vbi implicitè inuoluitur vere est, vel ita est in re; vnico tamen signo, seu enunciatione exprimitur, quia non solum in verbo *est* significare possumus vnionem extremorum, sed etiam certificationem, & verificationem assensus, & assertionis. Itaque in iudicio inueniuntur hæc tria; præsuppositiuè, compositio extremorum enunciatiua; formaliter assensus intellectus comparans extrema enunciata conformiter ad rem: consecutiuè, discretio vnius à suo opposito.

Ad 2. aliqui dicunt, iudicium esse actum compositum, quod affirmat Petr. Suarez cit. conformiter ad suam sententiam, quod nō distinguitur iudicium à compositione, & comparatione vnitiua extremorum inter se, sicut enim non possumus apprehendere propositionem simplici actu, vt in negatiuis clarius constat, ita neque simplici actu iudicare. *Respondetur*, tamen illud iudicium formaliter non requirere compositionem, sed præsuppositiuè, quatenus supponit plures actus, quibus formatur enunciatio, & super quæ cadit iudicium. *Ratio est*, quia iudicium non format compositionē, & vnionem extremorum, sed ipsam enunciationem, seu extrema vnita comparat ad id, quod est in re cum determinatione, & adhæsione intellectus. Ad hoc autem sufficit simplex actus comparatiuus, quia ad istum actum non pertinet vnire aliqua, & coniungere, sed eorum quæ coniuncta, & vnita sunt, conformitatem ad esse, vel non esse in re concipere, quæ est simplex comparatio, non vnitiua extremorum, sed extrema vnita supponens; & illa conformitas, seu comparatio ad id, quod est in re sumitur non in actu signato, sed vt in exercitio determinans, & adhærere faciens intellectum, quod est assensus ad propositionem illam vt veram, seu conformem rei, idem est enim dicere per assensum ita hoc est, ac dicere verè est, seu conformiter ad rem.

Dices, hoc iudicium, quod nos distinguimus à formatione enunciationis non pertinet ad secundā operationem, sed ad tertiam, discursus enim terminatur ad tale iudicium, tunc enim sistit discursus, cum resoluitur, & sententiatur conclusio, ergo non potest pertinere ad secundam operationem, quia secunda operatio est medium transeundi ad tertiam, iudicium autem est terminus tertiæ, in quo sistit discursus. *Respondetur*, iudicium non esse discursum, quia non est motus illatiuus, sed pertinere ad secundam operationem, in qua est collatio, seu comparatio ipsius enunciationis compositæ, ad id quod est in re, cum adhæsione intellectus, hoc ipso quod comparatur illi secundum conformitatem. Sic ergo secunda operatio, quantum ad enunciationem, præbet materiam discursui, & ordinatur ad illum, sed secunda operatio quantum ad assensum, & iudicium est finis, & terminus, ad quem ordinatur discursus, vt ad perfectionem, quam intendit. Et hoc ideò, quia in secunda operatione inuenitur veritas, vel falsitas, sed non innotescit statim ex simplici, & nuda enunciatione, quæ est prima formatio secundæ operationis, & status eius imperfectus. Ad manifestandum autem veritatem, quæ ibi nondum potest innotescere, ordinatur inquisitio, & discursus, quæ probatione sua manifestet, & ordinet, ac determinet intellectum ad cognoscendum ita esse, vel non esse in re. Qua probatione facta formatur consummata comparatio, & collatio secundæ operationis quę est iudicium. Et ita secunda operatio in statu imperfecto, id est sine sufficiente manifestatione veritatis ordinatur ad discursum, & discursus rursum ad secundam operationem in statu perfecto, & consummato, in quo quiescitur per assensum in veritate.

4. *Inquires*; an per istas tres operationes formentur distincti conceptus. *Respondetur* de prima, & secunda operatione id expresè doceri à D. Thom. multis locis, vt quodlib. 5. articul. 9. & quæstion. 9. de potentia articul. 5. ex Aristotel. 3. de anim. text. 12. super quem locum etiam videri potest Sanct. Thom. Non verò apparet quod discursui seorsum attribuat distinctum verbum, seu conceptum, nam potius dum cogitamus, quod fit per discursum, nondum perfectè formamus verbum, vt ex Augustin. docet Diu. Thom. 1. part. quæstion. 34. articul. 1. ad 2. & opuscul. 13. Formatur ergo verbum tam in prima, quam secunda operatione, quia in vtraque est distinctum obiectum repræsentandum, in prima, ipsa natura, seu quidditas rei, aut res ipsa in se, in secunda ipsa veritas, quæ non sufficienter explicatur per primam operationem, quia ibi repræsentatur res aliqua absolutè, & in se, in secunda incipit repræsentari secundùm conuenientiam, & comparationem ad aliud, secundùm quam explicatur veritas, vel falsitas, scilicet, quod ita sit, vel non sit, sicut repræsentatur conuenire, vel disconuenire. Hoc enim si posset repræsentari in prima operatione, non indigeret de potentia ad actum in secunda, sed haberet se, sicut conceptus Angeli, qui statim intelligit non solùm rem, sed etiam quidquid illi conuenit, vel non conuenit euoluendo, & comprehendendo totum. Noster autem intellectus cum procedat de potentia ad actum, non potest in prima apprehensione totum euoluere in actu, indiget ergo nouo conceptu in secunda operatione euoluente, & repræsentante, quod in prima non potest. *Nec sufficit dicere*, quod plures conceptus primæ operationis, vt coordinati inter se, sufficiunt pro secunda. *Contra enim est*, quia non sufficit coordinatio successionis, ita quod vnus conceptus post alium fiat, sed coordinatio proportionis, & conuenientiæ secundum prædicationem, nam potest aliquando eost vnum conceptum simplicem succedere alius disparatè se habens, & disconueniens illi, ergo ad videndam illam conuenientiam, vel disconuenientiam, & proportionem vnius cum alio, requiritur aliqua specialis cognitio, & penetratio vnius extremi ad aliud, & non sola coordinatio successionis in conceptibus, sed coordinatio super conuenientia conceptuum, & proportione inter se.

An verò conceptus ille secundæ operationis sit vnus entitatiuè, qui tamen coordinationem illam conceptuum simplicium respiciat, vt plura obiecta inadæquata, sed per modum vnius coordinata, licèt præsuppositiuè in prima operatione supponantur plures conceptus, ex quorum coordinatione, &

& collatione resultet ille conceptus secundæ operationis, diximus quæstion. 5. summularum, & aliquid sequent. articul. attingemus. Sufficit aduertere, quòd Sanct. Thom. 1. part. quæstion. 85. articul. 5. ad 1. dicit quod compositio, & diuisio intellectus per quandam differentiam, vel comparationem fit. Vbi autem plura intelligi possunt sub vnica ratione comparationis, vel differentiæ aut vnitatis, vnica specie, vel vnica cognitione, aut conceptu attingi possunt, vt articul. sequent. dicetur; non ergo repugnat comparationem illam, aut differentiam qua fit compositio, aut diuisio, vnico conceptu terminari, licèt formato, & collecto ex multis qui præcedunt in simplici, seu prima operatione, vt ex illis collatiuè formetur, secunda, in quo longè abest ab Angelo, qui licet rem compositam attingat, tamen non compositè, nec collatiuè vnius ad alterum, nec formatur ex pluribus præsuppositis, & collatis, sed vnico intuitu, & comprehensione totum illud attingit: in nobis autem sicut mixtum fit ex miscibilibus, non actu existentibus, sed præcedentibus, & alteratis, & corruptis, sic ex præcedentibus conceptis collatis, vnus resultat, qui compositus dicitur obiectiuè, & ratione præsuppositorum.

Quod verò attinet ad discursum, cum non constet nisi pluribus propositionibus non facientibus, aut componentibus vnam tertiam, sed inferentibus videtur quod non producat distinctum verbum à propositionibus, sed illas cum diuersa modificatione, & habitudine, scilicet vt inferentes, vel vt illatas. Vnde sicut per discursum fit transitus de vna propositione ad aliam ita oportet ad producendum id, quod propositionis est in illo conceptu, seu verbo concurrere secundam operationem, & quantum ad id quod motus, seu illationis est, concurrere tertiam, quod est respicere illud verbum, seu conceptum vt modificatum. *Et sic cum dicitur*, quod est distincta operatio, ergo habet distinctum verbum, *conceditur*, quod est distinctum modaliter, non realiter ab eo quod propositionibus ipsis repræsentatur: cum verò ex simplici apprehensione proceditur ad repræsentationem compositam, distinctum obiectum relucet in repræsentanda quidditate, vel veritate. Et sic discursus secundùm causalitatem (id est, secundum illationem) præsupponit discursum secundùm successionem (id est, secundùm plures propositiones succedentes) vt dicit Sanct. Thom. prima parte, quæstione decima quarta, articulo septimo, non vero ex pluribus propositionibus vnam facit.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm intellectus possit plura per modum plurium intelligere?

IN *hac parte sunt duæ sententiæ*. Prima, quæ attribuitur Scoto, in 1. distinction. 3. quæstion. 6. alijsque eius sectatoribus, & sequuntur Conimbric. 3. de Anima, capite octauo, quæstione sexta, articulo secundo. Petr. Suarez libr. 3. de Anima, capite septimo, & alij, qui tenent per se plura, vt plura cognosci, etiam non attenta vnitate tanquam formali ratione, vel conditione requisita; Aristotelem autem, & D. Tho. oppositum dicentes explicant, quod loquuntur de cognitione perfecta, quia intensa cognitio vnius remittit alterius cognitionem.

Opposita sententia est, Diu. Thom. prim. part. quæstione duodecima, articulo decimo, & quæstione quinquagesima octaua, articulo 2. & quæstione 85. articul. 4. & de Veritat. quæstion. 8. articul. 14. & 1. contra Gentil. capit. 55. Sequuntur communiter eius discipuli, Caietanus, Ferrar. super loca citata. Capr. in 2. distinction. 3. quæstion. 2. Magist. Bannez super quæstion. 85. citat. *& alij*. Nec Diu. Thomas hoc affirmat de solo intellectu nostro aut sensu, sed vniuersaliter tam de sensu, quàm intellectu, tam nostro quàm Angelico. Et ita reducitur hoc ad vniuersalem rationem, quæ omnem intellectum comprehendat. Sumitque hoc ex illo dicto Aristotel. 2. Topic. c. 4. *Quod contingit plura scire, non autem cogitare, seu intelligere.*

Cum autem certum sit, quòd diuerso tempore possumus plura intelligere per modum plurium, & per diuersos actus, *difficultas est*; an simul, id est, eodem tempore, potestque in duplici sensu controuerti. *Primus*, an eodem tempore eliciendo plures actus, qui adæquati sint, & quilibet integrum habeat obiectum. *Secundus*, an eliciendo tãtum vnum actum, qui plura habeat obiecta non attendendo ad hoc, quòd reducantur ad aliquam vnitatem, sed in sola pluralitate remanendo. Rursus videndum est ex quo principio repugnet intelligere plura vt plura simul, an ex limitatione potentiæ, vt aliqui existimant, qui consequenter affirmant solum repugnare intellectui intelligere plura, vt plura perfectè, eo quod subiectum ex sua limitatione non est capax plurium formarum perfectè, & adæquatè, benè tamen imperfectè, an verò repugnet ex ipso modo operandi, & repræsentandi, qui non potest tendere, nisi per modum vnius in obiectum suum, ratione cuius Diu. Thom. nunquam recurrit in hac parte ad limitationem potentiæ operantis, sed solum ad repræsentationem specierum quas dicit se habere sicut figuras terminantes potentiam. Ergo de hoc oportet reddere rationem.

Dico ergo primò, *Respectu vnius actus eliciendi non possunt plura intelligi per modum plurium, id est non reducendo illa plura ad aliquam rationem formalem vnam.* Hæc citatis locis expressè ponitur à Diu. Thom. nec opus est verba referre, quia id ex professo probat, sed rationibus eius est probandum. Inprimis ergo maxime hæc conclusio nititur experientiæ, quæ Philosophiæ est mater, videmus enim quod cùm plura volumus comprehendere ad vnum nos colligimus, ipsa verò dissipatione distrahimur. Et redigimur ad vnum, vel ad vnam comparationem, vel differentiam, vel ad vnam aliquam circumstantiam loci, vel temporis, &c. atque ita sub aliquo modo vnitatis pluralitas reduci debet, vt cognoscantur plura; & hoc est cognosci non per modum plurium, & si cognoscantur plura. Deindè instat ratio Diu. Thom. adducta, quia repugnat duas formas completas, & perfectas simul actuare idem subiectum, sicut quod idem corpus figuretur duplici figura, aut duplici colore informetur, sed si redigantur in vnum, sub quo plura attingantur, illud vnum erit ratio formalis, vel ex parte rationis formalis se tenebit, & illa plura materialiter, & inadęquatè attingentur. In qua ratione considerandum est, quod Sanct. Doctor. non loquitur de quibuscumque formis, sed de habentibus rationem aliquam termini, & perfectè, atque adæquatè existentibus

tibus in subiecto. Ad hoc enim seruiunt exempla allata de figura, & colore, quia figura ex terminatione quantitatis resultat, color autem ex terminatione qualitatis, quæ est perspicuitas, vt diximus suprà quæstione septima. Talis ergo terminus quando est perfectus id est vltimus debet esse vnus, quia plures, & vltimi repugnant, si enim vnus terminus est vltimus non relinquit vlterius terminabile subiectum, alias vltimus non esset, ergo repugnat quod alter vltimus ei adueniat. Species autem informant per modum terminantis, quia inesse repræsentatiui se habent vice obiecti, obiectum autem est terminus cognitionis. Sed tamen, quia etiam est principium, ideo obiectum prout in specie impressa non est perfectè, & vltimatè terminus, sed virtualiter, & ideo non repugnat plures species impressas simul informare potentiam, sicut reseruantur in ea plures species; repugnat autem esse plures species expressas, seu conceptus per modum plurium, quia ibi obiectum se habet per modum termini perfecti, & vltimi respectu cognitionis actualis.

Sed dices, hac ratione probari, quod non posset simul intellectus informari cognitione visionis beatæ, infusæ, & acquisitæ, quæ tamen fuerunt simul in Christo; & Angelus simul cognoscit essentiam Diuinam, essentiam suam, & alia. Vt huic obiectioni satisfiat plenius.

Dico secundò, *Non repugnat plures operationes simul simultate durationis esse in intellectu, & vnamquamque suum terminum habere, dummodò sint diuersi ordinis, id est vna supernaturalis altera naturalis, vel vna deriuetur ex alia, seu sit causa alterius, sic enim primus terminus non est vltimus simpliciter, sed coordinatur alteri.* Sumitur ex Diu. Thom. quæstion. 8. de veritate articul. 8. ad 6. 11. & 14. vbi concedit, quod si vnum est ratio intelligendi aliud, vnum eorum erit quasi formale, & aliud quasi materiale, & sic illa duo sunt sicut vnum intelligibile. Et sic dicit, quod Angelus simul cognoscit se per suam essentiam, & alia obiecta per alias species. Et similiter præmissas, & conclusionem simul attingit, quia minor, & conclusio simul tempore cognoscuntur, vt docet Philosoph. 1. Poster. Quæ exempla satis probant conclusionem, quia illa obiecta diuersis actibus cognoscuntur, quia diuersis speciebus, vt essentia Angeli per se, alia obiecta per species, & sic contingit variari cognitiones aliarum rerum, non variata cognitione suæ essentiæ. In præmissis autem, & conclusione sunt diuersi actus, quia est discursus secundum causalitatem in quo vnus actus est causa alterius, & sic diuersis actibus constat. Et hoc ideò est, quia quando vnus actus est ratio, & causa alterius, habet se vt illuminans illum, ab vno autem luminoso in eodem instanti multiplicari possunt lumina in toto suo spatio secundum virtutem suam, ergo similiter non repugnabit multiplicari lucem in spiritualibus in eodem instanti, quod fit, dum ex vno actu illuminamur ad alium. Semper tamen hæc se habent per modum vnius, quia procedunt ordine quodam, & cum subordinatione vnius ad aliud, quatenus id quod illuminatiuum est se habet vt formale ad id quod illuminatum, & sic facit vnum intelligibili modo. Similiter si vna cognitio sit supernaturalis, & alia naturalis non terminant potentiam secundùm idem, sed vna secundùm potentiam obedientialem, alia secundùm naturalem. Non repugnant autem duo termini etiam vltimi, si sint respectu diuersorum, vel in diuerso ordine, quia sic non opponuntur, nec vnus excludit alium, sed solum intra eundem ordinem, & respectu eiusdem, ideóque non repugnant scientia creata, infusa, & naturalis, quia sunt secundùm diuersos ordines, & lumina. *Quod si instes*; quia subsistentia Diuina, & creata repugnant in eadem natura, licet sint diuersi ordinis. *Respondetur*, esse diuersam rationem, quia per subsistentiam Diuinam non additur entitas ipsi naturæ vt sit assumptibilis, sed eadem quæ termino creato terminata est, debet assumi. Per lumen autem supernaturale crescit virtus intellectus diuersa, & ita diuerso actu terminabilis est.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

PRimò arguitur ex Petr. Suarez; quia simul videmus albedinem, & nigredinem, simulque audimus diuersos sonos, eorumque differentias percipimus, ergo & plura possumus simul cognoscere, & per diuersos actus. Et quod per modum plurium *probatur*, nam possumus videre duos homines vel lapides non comparando vnum alteri, sed vt disparate se habētes, videmus enim quidquid sub sphæra visus nostri cadit sine hoc, quod omnia illa comparemus inter se. *Et ratio est*, quia attentio potentiæ est diuisibilis, habetque latitudinem, ergo potest diuidi illa attentio, & circa vnum poni media attentio, circa aliud, alia media, etiamsi omnia obiecta disparate se habeant, & sic simul intelligere plura vt plura. *Confirmat.* quia intellectus potest cognoscere plura per modum vnius comparationis vel differentiæ, vt etiam Sanct. Thom. admittit, ergo etiam absolutè, nam comparatio non tollit difficultatem, sed addit, quia extrema plura cognoscuntur, & vlterius comparantur. *Confirmat.* 2. quia etiam cum comparantur, cognoscuntur illa extrema per diuersas species, verbi gratiâ album, & nigrum, siquidem eorum pluralitas, & diuersitas videtur, ergo non solum illa simul cognoscuntur quæ per vnam speciem cognoscuntur. Si dicatur cognosci per plures ordinatas, quæ vnitate ordinis vnum sunt. *Contra est*, quia Diu. Thom. 1. part. quæstion. 12. articul. 10. dicit, quod si partes eiusdem totius diuersis, & propriis speciebus intelliguntur, non cognoscuntur simul, cum tamen etiam tunc cognoscantur vt ordinatè se habentes, quia vt partes componentes.

Respondetur, omnia illa videri reducta ad aliquem modum vnitatis, vel vt adunata in eodem loco, seu medio, vel vt contigua, vel aliquo modo ordinata, alioquin si seorsum vnum ab alio videmus, statim visiones partimur. Et intellectus cum differentia rerum cognoscit, etiam ad vnitatem reducit, quia ipsa differentia, comparatio vna est. *Ad probationem dicitur*, quòd etiam si visus non comparet illa plura inter se, potest tamen vnica visione attingere, videndo illa, vt aggregata in vno loco, vel vt contigua, aut componentia, vel vt propinqua, aut distantia intra aliquam lineam, sub qua aggregat ea, quæ vnica visione attingit, & sic semper reducit ad aliquam vnitatem, quam si soluit, visiones diuidit. *Et ad rationem dicimus*, quòd licet attentio sit cum latitudine quoad intensionem, sicque possit ad plura, vel pauciora intra eandem sphæram extendi, tamen quoad modum terminationis in actu, & operatione, non habet latitudinem, sed si est vnica operatio, vnicam debet habere terminationem, licet sub illa varia obiecta materialia, & inadæquata congregentur. Quòd si diuidantur operationes, & in eis minuatur attentio, oportet quod vna se habeat vt ratio alterius ad hoc vt simul sint, vel quod sint diuersi ordinis vt explicatum est.

Ad primam Confirmationem dicitur, quòd comparatio addit ad extrema aliquam cognoſcibilitatem, ſed non difficultatem, aliquando enim additio rei cognoſcibilis non auget difficultatem, ſed facilitat, ſicut lux addit rem viſibilem coloribus, & probatio medij aliquid cognoſcibile ad concluſiones, & tamen facilitant, quia manifeſtant, ſic comparatio, vel quæcumque reductio ad vnitatem rerum cognoſcibilium, quia ordinat, & melius determinat intellectum, facilitat ad deducendum eum ad cognitionem, non reddit difficiliorem intelligentiam.

Ad ſecundam Confirmationem reſpondetur ſolutione ibi data. Ad replicam dicitur; quòd Diu. Thom. loquitur, quando partes totius non cognoſcuntur, vt ordinatæ vna cum altera, & comparando cum illa, ſic enim ſimul illæ partes cognoſcentur, & vt redactæ ad aliquam vnitatem; ſed loquitur quando vna pars ſeorſum ab alia conſideratur, & ſecundum id quod entitatis eſt in ſe, vel ſecundùm habitudinem, quam habet ad totum, non ad alias partes, ſicut ſi quis ſolum conſideret oculum, vel manum, nihil de aliis partibus recordando.

Secundò arguitur, quia plures ſpecies intentionales ſimul ſunt in aëre, & per illum tranſeunt ad ſenſus, plures etiam ſpecies reſeruantur in intellectu, & memoria; ergo non repugnat informari eandem potentiam, vel ſubiectum pluribus formis eiuſdem generis. *Nec valet dicere*, quòd ſunt in eſſe imperfecto, & quaſi in fieri, non autem in eſſe perfecto. *Contra eſt*, tum quia formam informare, & eſſe in actu completo eſt idem, ſed tunc informant illæ formæ, ergo ſunt in eſſe completo: tum quia illæ formæ poſſunt informare viſum externum, & elicere viſionem, & tamen tunc non informatur vnica ſpecie expreſſa, quia hæc non datur in oculo, neque vnica impreſſa, quia ſunt plures, ergo poteſt cognoſcere plura, vt plura, id eſt, vt informatur pluribus ſpeciebus. *Confirmatur*, quia in propoſitione negatiua, vt, homo non eſt lapis, ſunt plures ſpecies hominis, & lapidis, quæ non vniuntur, ſed potius diuiduntur negatione. Et ita cognitione confuſa plures ſpecies concurrunt, quæ in vnum non ordinantur, manent enim confuſę, in cognitione autem diſtincta vnum cognoſcitur ſeorſum, & diſtinctè ab alio, vt concluſiones, & præmiſſæ. Poſſunt denique inueniri ſimul ſpecies diuerſi ordinis, vt ſupernaturales, & naturales, cur ergo non eiuſdem generis.

Reſpondetur, iam ſupra datam eſſe differentiam, quòd ſpecies impreſſæ in aëre, vel in potentia ſine actu cognitionis, ſunt formæ tantum informantes, non terminantes adæquatè, & in actu vltimo Nuſquam autem S. Th. reiicit multitudinem ſpecierum ſeu cognitionem plurium vt plura, ex eo quòd plures formæ informantes ſunt, ſed ex eo, quòd adæquatè terminant, & figurant, nam plures formas accidentales ſpecie diuerſas inhærere, & informare eandem potentiam, vel ſubiectum, vt plures habitus, plures qualitates, quomodo potuit negare, aut ignorare D. Thom. *Cum ergo inſtatur*, quod formam informare, eſt eſſe in actu completo, *diſtinguo*, ſi ſit forma tantum entitatiua, *tranſeat*, ſi ſit forma intentionalis, & intelligibilis, *nego*, in hac enim oportet, quòd non ſolùm informet entitatiuè, ſed etiam intentionaliter, & non ſolùm ſpecies impreſſa per modum principij, ſed etiam expreſſa per modum termini, & tunc eſt in actu completo per modum terminantis, nec poſſunt in eadem re dari duo termini adæquati, & vltimi.

Ad ſecundam partem argumenti dicitur, quòd licet in viſu externo non formetur ſpecies expreſſa, elicitur tamen viſio quæ terminatur ad obiecta, quæ extra ſunt per modum vnius diſpoſita, ſiue vnitate ordinis, vel loci, vel aggregationis, aut propinquitatis, &c. Et viſio ſit terminata ad obiecta per modum vnius, eſt in actu completo.

Ad Confirmationem reſpondeeur, omnia illa obiecta aliquo modo vniri ſaltem ſub conceptu differentiæ, & diſconuenientiæ, quæ in re quidem ſeparationem, aut diuiſionem aliquã ponit, ſed in mente per modum vnius comparationis diuiſiuæ accipitur, & ſic extrema illa ſub aliqua vnitate rediguntur. In cognitione confuſa plura accipiuntur per modum vnius non ordinatè, & diſtinctè, ſed aggregatione quadam, & indeterminatione, quæ etiam ad vnitatem potentialem, & imperfectam reducit. In cognitione præmiſſarum, & concluſionis ſunt plures cognitiones ordinatæ, & quarum vna eſt ratio, & cauſa alterius, illamque illuminat, & ſic ſimul ſunt, quia coordinantur. De ſpeciebus diuerſi ordinis, iam diximus poſſe eſſe ſimul, quia fundantur in diuerſis operationibus. & diuerſis virtutibus: per eleuationem enim virtus creſcit, ſeu duplicatur, quia eleuatur, & ſic diuerſis operationibus terminabilis eſt, quod non currit in operatione, & virtute naturali, quæ eſt vnius generis, niſi vna operatio ſit cauſa alterius, & coordinetur vnitate ordinis, ſeu illuminationis cum altera, vt explicatum eſt.

QVÆSTIO XII.

De Appetitu, & loco motiuo.

ARTICVLVS I.

An detur appetitus elicitus in animalibus, & quotuplex ſit.

DARI *appetitum elicitum in animalibus*, ſatis ipſa experientia notum eſt, tum in nobis qui quotidie actus appetendi experimur, & patimur, tum in brutis quæ moueri, & allici videmus ex aliquo conuenienti propoſito, vel fugere, & deterreri ab aliquo diſconuenienti.

A priori autem demonſtratur hæc veritas à Diu. Thom. 1. part. quæſtion. 19. articul. 1. & quæſtion. 10. articul. 1. ex eo quod appetitus elicitus ſequitur ad apprehenſionem, & ſic vbi datur intellectus dabitur appetitus intellectiuus, qui eſt voluntas, vbi

au em

autem datur apprehensio sensitiua, dabitur appetitus sensitiuus. Est autem ratio Diu. Thom. in hunc modum. Omnis res hanc habet habitudinem ad suã formam, seu perfectionem naturalem, quod, si habeat illam quiescat in ea, si non habet, tendat in eam, quod breuius in quæstione octuagesima, citat. exposuit dicens, quòd ad quamlibet formam sequitur inclinatio ad aliquid vt inductione ipsa manifestum est, cum videamus ad diuersas naturas, seu formas, diuersas sequi inclinationes. Imò in omni entitate, siue sit forma, siue materia, si est proportio, & conuenientia ad aliquid, siue intrinsecum, siue extrinsecum, hoc ipso datur in tali entitate inclinatio ad talem rem sibi coniunctam, & inclinationem hanc vocamus appetitum. Quare hæc propositio, quod ad omnem formam sequitur inclinatio, per se est nota in hac materia, & ipsa inductione potest esse manifesta. Addit Diuus Thomas, quòd natura intelligens, seu cognoscens in quantum cognoscens, constituitur in actu per formam cognoscibilem, per quam res apprehendit, ergo ex ipsa sequitur inclinatio ad bonum sic apprehensum, hæc autem inclinatio vocatur appetitus elicitus, seu voluntas, ergo in omni cognoscente talis appetitus datur.

Hanc rationem, putant aliqui solum esse congruentiam desumptam ex proportione ad res naturales, vt P. Vazquez 1. part. quæstion. 19. cit. in commentario, art. 1. & obiicit contra illam aliquas difficultates, quæ ferè coincidunt cum eis quas ponit Caietanus in eodem articulo. Et reduci possunt ad tria præcipua. *Primum*, quia S. Thomas ponit intellectum constitui per formam intelligibilem, & inde infert debere dari appetitum ad bonum apprehensum per talem formam, cum tamen solum inferendum esset, dari appetitum ad ipsam formam vt quiescat in illa, vel quærat illam. Vnde ergo infertur, deberi dari appetitum erga obiectum apprehensum per talem formam, cum proportio ad res naturales solùm inferat, quod ad formam detur inclinatio.

Secundùm est, quia dato, quòd forma intelligibilis sit ipsa res apprehensa in alio esse, scilicet in esse intentionali, adhuc consequentia S. Thom. non concludit intentum, tum quia ex forma apprehensa in quantum apprehensa infert appetitum ad ipsam rem in proprio esse naturali habendam, quod non apparet, in cuius virtute inferatur, solum enim videtur ex forma apprehensa debuisse inferri inclinationem ad formam in eodem esse, non autem in esse naturali: tum etiam quia ad summum potest inferri inclinatio naturalis ad talem formam intelligibilem, quòd vero sequatur appetitus elicitus ad ipsum bonum apprehensum per talem formam, non apparet quomodo inferatur: tum denique, quia ex eo quod intellectus fiat in actu per formam intelligibilem, solum sequitur aliqua inclinatio in ipsomet intellectu ad talem formam, quòd verò sequatur inclinatio, quæ sit alia potentia distincta in ipso toto, quæ est voluntas, seu appetitus elicitus, non apparet quomodo teneat.

Tertium denique est, circa propositionem, quam affert D. Thomas, quòd res ad suam formam naturalem habet habitudinem, vt cum non habet eam tendat in ipsam, cum vero habet illam quiescat in ea. Quæ propositio implicans videtur, quia res non habens formam suam naturalem, caret esse hoc ipso, quod caret formâ, quia per formam constituitur in esse, quomodo ergo potest appetere? *Nec dici potest*, quòd appetit formam naturalem, quæ est proprieta, non illam quæ est constitutiua rei in se.

Nam contra est, quia hoc non seruit intento Diu. Thomæ, infert enim ex forma intelligibili appeti ipsum obiectum, non autem proprietatem obiecti. Et deinde non solum dicit, quòd potest appetere formam, quam non habet, sed etiam quamlibet perfectionem naturalem, ergo condistinguit formam contra aliam perfectionem, forma autem est id quod constituit, alia autem perfectio non potest esse nisi proprietas aliqua, vel accidens: ergo loquitur etiam de forma constituente, quę nullatenus appeti potest, quando non habetur, quia sublatâ formâ, cessat omnis appetitus.

Ad primum respondetur, D. Thom. supponere id quod certum est in hac materia, & aliàs sæpè probatum ab ipso, quod intellectus in esse intelligibili constituitur determinatè, & specificè per formam intelligibilem, ita quòd potentia intellectiua, sine forma intelligibili est indifferens, & indeterminata ad diuersas formas intelligibiles, & ad diuersas intellectiones, vnde ex tali potentia solum potest sequi voluntas, prout est potentia quædam etiam indifferens ad diuersos modos, & determinationes appetendi, intellectus verò actuatus, & determinatus per formam intelligibilem, quæ sumitur ab obiecto, est radix, & principium actus determinati ex parte appetitus. Vnde optimè infert ex intellectu sic constituto, & determinato per formam intelligibilem sequi inclinationem non ad ipsam formam intelligibilem, in quantum est intentionalis species, sed ad ipsum obiectum apprehensum, quia species non est forma in esse intelligibili actuans intellectum ratione eius, quòd habet de entitate accidentali, sed ratione obiecti repræsentati; hoc enim est, quod per se respicitur ab intellectu, vt ab illo actuetur in esse intelligibili, species autem solum se habet tanquam vices gerens obiecti. Igitur idem est sequi inclinationem ad formam intelligibilem, ac sequi ad ipsum obiectum, vt intelligibiliter determinat intellectum, siue determinet per seipsum immediatè, siue media specie; vt gerente vices sui. Quare appetitus, qui sequitur ad intellectum sic informatum, non debet esse ad ipsam qualitatem, quæ est species intentionalis, sed ad ipsum obiectum repræsentatum, prout repræsentatur conueniens, quia omnis inclinatio sequitur ad formam in quantum dicit aliquid conueniens ipsi, vt appetatur. Potest autem in obiecto repræsentato per speciem, non solùm proponi, & apparere ratio obiecti conuenientis ipsi intellectui, & ipsi esse intelligibili, sed etiam ipsi naturæ, vel aliis potentiis, aut rebus, & ideo appetitus, qui sequitur ad formam apprehensam, non solùm debet esse ad appetendum id quod intellectus est, sed etiam id quod naturæ, & aliarum potentiarum, quia omnis ista conuenientia repræsentari potest in tali obiecto.

Ad secundum respondetur, concludere intentum rationem D. Th. *Et ad primam impugnationem dicitur*, ex dictis, quod ex forma apprehensa optimè infertur appetitus ad ipsam in esse naturali, quia forma apprehensa non solum ostendit conuenientiam apprehensibilitatis ad intellectum, sed etiam realitatis ad naturam, & quia ex forma sequitur inclinatio ad id quod conueniens est in forma, si conueniens est intellectui vt apprehendatur, & naturæ vt acquiratur, vel fugiatur realiter, ad omne id debet se extendere appetitus, licet modus tendendi ad rem sit per cognitionem.

Ad secundam impugnationem dicitur, efficaciter inferri ex forma apprehensa appetitum elicitum, vt expressius significat Diu. Thom. quæstion. 80.

citat.articulo primo,vbi videri potest Caietan. eò quòd potentia apprehendens, & ipsa apprehensio est aliquid distinctum à natura,ergo etiam oportet quòd inclinatio secuta sit aliquid distinctum ab ipsa natura,si quidem forma ad quam sequitur,nō est sola natura,sed aliquid apprehensum mediante actu elicito distincto ab ipsa natura, & sic etiam ipsa actualis tendentia appetitus debet esse aliqua operatio egrediens à natura, vt conformetur ipsi formæ ad quam sequitur. Quòd si est operatio egrediens, supponere debet potentiam, mediante qua egrediatur,quia natura creata substantialis,non est immediatè, & per se operatiua. Si vero substantia aliqua seipsa sit operatiua, vel operatio ipsa, vt Deus, in tali natura operatio volendi non distinguitur ab eius esse, sicut nec apprehensio ipsa,& intellectio; nec tamen dicetur appetitus ille naturalis vt distinguitur ab apprehensiuo, quia verè fit per cognitionem,licèt ipsa cognitio sit ipsa natura.

Ad vltimam impugnationem dicitur, quòd sicut intellectus intelligit non solùm sibiipsi, sed etiam toti supposito,quia omnes actus eius dirigit, & de omnibus iudicat propter suam vniuersalitatem, ita & inclinatio inde secuta non est solùm sibiipsi, sed etiam toti supposito, quia illa potentia inclinans, eiusdem vniuersalitatis est, atque apprehendens.

Ad tertium argumentum respondetur,loqui Diu. Thom. absolutè, & indifferenter de omni forma comparata ad id,cuius est forma, scilicet ad suppositum,quod quidem respectu formę vt constituentis non inclinatur quærendo illam, sed quiescendo in illa,sed respectu formæ distinctæ,potest dari inclinatio ex parte eius, quod distinguitur non solùm quiescendo,sed etiam quærendo, quando non habet illam,sicut homo,verbi gratiâ, non potest inclinari ad quærendam formam hominis,quia per illam constituitur, sed quiescit in illa,benè tamen materia hominis potest inclinari ad formam hominis etiam quærendo illam quando non habet, quia materia non constituitur ipsa forma,sed actuatur ab illa.Potest tamen res constituta per aliquam formam appetere esse ipsius, tum quiescendo in illo quantum ad id quod habet,tum etiam quærendo quantum ad id quod deest, sicut appetit conseruationem in esse, quia ista conseruatio est aliquid superueniens,& contingenter conueniens ipsi rei,scilicet continuatio existentiæ.Vnde intellectus constitutus in actu per formam apprehensam fertur in ipsam rem,vel quiescendo in illa, si iam habet,vel quærendo si non habet,& hoc intelligitur de quacumque perfectione, quæ tali rei conueniens esse potest,siue sit proprietas eius,siue quodcumque accidens.

Quomodo verò D.Tho.procedat in hac ratione, qua probat dari appetitum elicitum ex ipsa apprehensione,cum apprehensio solum sit conditio, non verò ipsa ratio formalis appetendi,vt diximus in q. 13.Phys.*Resp*.quod vt infrà magis explicabitur D. Th.non procedit ex sola apprehensione,seu ex solo apprehenso,sed ex ipsa forma apprehensa,vbi licet ly *apprehensum* sit conditio, seu status sub quo forma mouet ad appetitum elicitum, tamen ly *forma*,quæ tali apprehēsione subiicitur,rationē importat specificandi,quod infrà amplius ponderabitur.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

C*Irca secundum punctum huius articuli*, de diuisione appetitus eliciti, *constat primo diuidi in appetitum rationalem*,qui dicitur voluntas, *& in sensitiuum*,qui etiam sensualitas appellatur. *Secundo appetitus sēsitiuus diuiditur in irascibilē, & concupiscibilem.* De prima diuisione non est difficultas, quòd fiat in membra realiter distincta, cum vnus appetitus sit corporeus,alter spiritualis, vnus comitetur animam separatam, alter destructo corpore non remaneat. De secunda diuisione, est difficultas,an sint diuersæ potentiæ appetitus irascibilis, & concupiscibilis, & quomodo ex diuerso modo apprehensionis sumatur diuersitas appetituum.

Circa quæ aliqui sentiunt, non esse diuersas potentias.Quod attribuitur Scoto in 3.dist.26.quæst. 1.& sequitur P.Suarez lib 5.de Anima,c.4.n.2.&3. *Fundamentum est*, quia sufficit vnica potentia apprehensiua ad mouendum irascibilem, & concupiscibilem,scilicèt phantasia,seu imaginatiua, ergo sufficiet vnica potentia appetitiua,sicut in spiritualibus vnica voluntas;sicut enim à voluntate mouetur totum suppositum, ideóque sufficit vnica potentia vniuersalis ita totum suppositum mouetur ab appetitu sensitiuo præsertim in brutis, ergo sufficiet vna potentia, præsertim quia natura semper studet compendio, & vnitati.

Secundo, quia actus irascibilis etiam versatur circa bonum concupitum, ordinatur enim irascibilis ad defendēdum ea,quæ concupiscimus,vnde dicit Aristotel.8.de animalibus, quod pugna animalium est propter res concupitas, vt propter cibos, vel venerea,& Iacobi 4.dicitur:*Vnde bella, & lites in vobis?nonne ex concupiscentiis vestris?* Ergo conuenienter eidem potentiæ tribuitur concupiscere, & defendere concupitum,quomodo enim tuebitur vna potentia id,quod alia concupiscit.

Tertiò,quia irascibilis tendit in ipsam consecutionem rei concupitæ, ergo substantialiter habet concupiscere, nec distinguitur ab eo nisi accidentaliter, quatenus vincit impedimenta huius assecutionis.

Denique si sunt potentiæ distinctæ, non est assignare, quænam sit perfectior, nam ex vna parte irascibilis habet obiectum altius, vtpotè arduum, & eminens bonum,ex alia parte ordinatur ad concupiscibilem, quia defendit id quod concupiscimus, ergo melius est dicere quod est vna potentia.

Nihilominus oppositum est expresse D.Thom. 1.p. q.81.articul.2.vbi dicit esse duas species appetitus sensitiui,irascibilem, & concupiscibilem, & quod non reducuntur in vnum principium.Similiter idē affirmat in 3.de anima,lect.14.circa tex.4.vbi Aristot.docet quòd in parte rationali est voluntas, in irrationali autem concupiscentia,& ira. Et subdit, *Si autē tria in anima,in vnoquoque erit appetitus.Ratio & fundamentum est à priori*,ex diuersitate obiecti supposita imperfectione,& materialitate appetitus sensitiui,quæ non potest in aliqua superiori, & vniuersali ratione vnire ista obiecta sicut voluntas.Itaque obiectum formale appetitus est bonum appetibile ordinis sensitiui, ergo illa distinguentur in ratione formali talis obiecti,quæ distinguūtur in ratione formali talis boni;sic autem se habet obiectum concupiscibilis,& irascibilis,ergo ex vi obiecti formaliter,& realiter distinguuntur. *Consequ patet*,quia posita diuersitate obiecti,& nō aliqua ratione superiori vniente illa, per se sequitur distinctio potentiarum,sicut & distinctio obiectorū. *Minor vero probatur*,quia vt aliquid sit obiectum concupiscibile,sufficit quęcūque ratio boni conuenientis sibi,ad hoc enim ratione cōuenientiæ tendi debet per

per aliquem appetitum. At verò iraſcibilis reſpicit bonum ſub quadam ſpeciali conuenientia, nempe vt arduum,& eminens. Nomine autem ardui non intelligitur ſolum id quod eſt difficilè in ſe paſſiuè, quaſi impeditum vt poſſit conſequi, ſic enim potius retraheret appetitum,&inducere tfugam,dicit autem Diu.Thom. lect.illa 14. *Quòd non habet rationem quod aliqui dicant, iraſcibilem dicere fugam mali.* Intelligitur ergo nomine ardui id,quod actiuè eſt arduum, hoc eſt bonum vt habens eminentiam & vim ad vincendas difficultates,non quia habeat illas in ſe,ſed quia vincit illas, & reſiſtit contrariis, & corrumpentibus, quæ præſtant impedimentum, vt dicit Diu.Thom.quæſtion.81.citat. Et ideò ſpes Diuina licèt pro materia reſpiciat Deum, vt rem aſſequendam,tamen formaliter reſpicit eum,vt auxiliantem,ſeu vincentem mala. Quare bonum ſub ratione vincentis malum, eſt obiectum iraſcibilis, non ipſum malum vt fugiendum præciſè, nam potius hoc pertinet ad concupiſcentiam quæ fugit malum per triſtitiam: bonum autem ſub ratione conuenientis eſt obiectum concupiſcibilis.Hæc autem in ipſa ratione formali boni vt appetibilis,contrarias,& diuerſas rationes formales inducunt,nam ad alliciendum appetitum,concupiſcibile ſimpliciter allicit,arduum verò comparatione illius potius videtur horrorem, & retractionem inducere, eò quòd contrario modo procedit,ſcilicèt proponédo bonum laborioſum,aſperum,& difficilè, & vt vincens per virtutem, & vim ad propellendas illas difficultates, ergo in ipſa ratione boni appetibilis contrario,& diſtincto modo ſe habent iſta bona,& quaſi reducuntur ad differentiam actiui, & paſſiui, quod maximè diſtinguere ſolet potentias. *Nec obſtat*, quòd vnum iſtorum coordinetur,vel ſubordinetur alteri,vt dicit P.Suarez, nam multas potentias, & habitus videmus ſubordinari inter ſe, & tamen propter hoc non ſunt vnum,ſed potius ob hoc diſtinctionem petunt,ſicut ſenſus externi ſubordinãtur internis,& artes,ſeu virtutes inferiores ſuperioribus,nihil enim ſubordinatur ſibi ipſi.

Cur autem in voluntate vniantur iſtæ duæ rationes boni concupiſcibilis,& iraſcibilis, nec petant duas potentias,optimè explicat Diu.Thom.1.part. quæſt.82.art.5.& quæſt.22. de Veritate, articul.4. quia voluntas reſpicit vniuerſalem rationem boni, ſicut intellectus vniuerſalem rationem veri, ergo ſicut vnicus intellectus æquiualet omnibus ſenſibus, ita voluntas omnibus appetitibus Et præſertim,quia voluntas non fertur in aliquod bonum,vt determinata, ſed cum quadam collatione, & comparatione ad aliud bonum,quod poteſt comparatiuè ad iſtud accipere,vel relinquere, ergo oportet quòd talis potentia,vt reſpicit bonum collatiuè, & comparatiuè ad alterum, habeat eminentiam ſuper vtrumque, & ſub ratione ſuperiori illa comprehendat, cum ergo bonum iraſcibilis, & concupiſcibilis poſſit appeti à voluntate collatiuè, & comparatiuè vnius ad aliud,conſequenter oportet, quod vnico,& eminenti modo vtrumque reſpiciat, appetitus autem ſenſitiuus non vnico, ſed diuerſo modo, quia non appetit cum comparatione vnius ad aliud,ſed quodlibet abſolutè, & determinato modo.Quæ eſt explicatio S.Thom.2. de veritate, articul. 4.

Quòd ſi dicas, non poſſe quidem appetitum ſenſitiuum eſſe ſimul iraſcibilem, & concupiſcibilem, eâ eminentiâ,qua voluntas; quia non reſpicit bonum vniuerſale,neque modo comparatiuo, & collatiuo; poſſe tamen reſpicere vnicâ tendentiâ vtrumque, ſicut appetitus innatus qui vnicus cum ſit & appetit centrum, & motu ſuo tollit impedimenta quantum poteſt, ergo ſimiliter ad eundem appetitum pertinebit appetere rem per concupiſcibilem,& tollere impedimenta,ſeu vincere difficultates,quod eſt iraſcibilis. *Reſpondetur*, appetitum innatum non eſſe virtutem, ſeu potentiam appetendi,ſed eſſe habitudinem formæ ad id, quod eſt ſibi conueniens, vnde caret appetitu ardui vt arduum eſt,nam virtus illa, qua res inanimata vincit difficultates,& tollit contraria,non eſt virtus appetitiua,ſed merè executiua,vnde non mirum, quod vincat contraria,quia ad hoc ipſum ordinatur executio.Cæterùm vbi appetitus eſt virtus,& potentia ſuperaddita, reſpicitque ipſam arduitatem vincendi contraria, non ſolum per modum executionis,ſed etiam per modum appetibilis, oportet diſtingui appetitum ardui,ab appetitu concupiſcibili,ob diuerſitatem formalem boni in ratione appetibilis.

A poſteriori vero probatur, has potentias diſtingui,*tum* quia requirunt diſtincta organa,& temperamenta,nam iraſcibilis requirit multum roboris, & viuaciores ſpiritus,ideóque reſidet in corde,vndè diffinitur ira: *Quod eſt accenſio ſanguinis circa cor*,at verò concupiſcibilis petit molliorem diſpoſitionem,& reſidet in hepate,per concupiſcentiam enim dilatatur,ſeu demulcetur ſanguis, ſicut per triſtitiam conſtringitur.Diſtinctio autem per organa,& temperamenta, diſtinctas potentias infert in rebus materialibus.Et eadem ratione requiritur diſtinctio inter iſtas potentias,quia videmus pugnare inter ſe paſſiones iraſcibilis, & concupiſcibilis, & vnam mitigare alteram,ſeu extinguere.Nec ſufficit ad hoc diuerſitas actuum,ſicut odium opponitur amori,gaudium triſtitiæ,& tamen ſunt eiuſdem potentiæ.*Nam contra eſt*, quia paſſiones concupiſcibilis,& iraſcibilis non ſe mitigant,& deſtruunt propter contrarietatem obiectorum, ſicut odium, & amor vel propter ſolum diuerſum motum localem dilatationis,& conſtrictionis, ſed propter diuerſam alterationem,& temperamentum,quia concupiſcentia dilatat molliendo, ira vero accendendo exaſperat,quæ ſunt ſigna diuerſi temperamenti, & organi,atque adeò & potentiæ.

Ad primum fundamentum P.Suarez dicitur etiam potentias apprehenſiuas diſtingui, ſicut & appetitus,quia ſenſus communis,& phantaſia apprehendunt res ſenſatas,id eſt,vt conuenienter ſenſui, & ſic poteſt regulare concupiſcibilem: Æſtimatiua autem apprehendit res non ſenſatas,id eſt, ſecundùm rationem vtilis,& conuenientis ad ipſum totum,& ad eius conſeruationem, & defenſionem, & ſic regulare poteſt iraſcibilem, quæ reſpicit bonum laborioſum,& arduum,non ſenſatum, ſeu ſecundum ſenſum.Ita ex Diu.Thom.1.part.quæſtion. 81. art.2.ad 2. *Quod vero dicitur* de vnitate voluntatis reſpectu concupiſcibilis, & iraſcibilis, *iam ſolutum eſt*, & reddita differentia, quare in parte intellectiua non diuiditur voluntas in iraſcibilem, & concupiſcibilem, ſicut in parte ſenſitiua.

Ad ſecundum reſpondetur, iraſcibilem ſupponere concupiſcibilem, & ab ea originari, ſicut etiam voluntas ſupponit intellectum, & ab eo deriuatur, & potentia motiua ſupponit appetitiuam, & ab ea deriuatur, nec tamen propter hoc ſunt eadem potentia, ſed diuerſæ,imò hoc eſt commune omnibus potentiis ſubordinatis vt inferior ſupponat ſuperiorẽ tanquã dirigentem,& mouentem,& tamen diſtinguuntur. Sic ergo iraſcibilis reſpicit rem concupitam vt aſſequibilem vincendo difficultates

ficultates, quod supponit rem esse concupitam vt fruibilem,& delectabilem, & quanto maior est concupiscentia, tantò fortiùs insurgit irascibilis ad purgandum,& tollendum eius impedimenta. Vndè irascibilis originatur à concupiscibili, intendente, & amante, terminatur verò ad ipsam vt fruentem pacificè, vt constat ex Diu. Thom. prima parte, quæstione octuagesima prima, articulo secundo. Nec est inconueniens quòd vna potentia tueatur, quod alia appetit, sicut quod exequatur per potentiam motiuam id, quod desiderat per appetitiuam, & potentiæ vegetatiuæ ministrant sensitiuis alimentum,& spiritus, quibus indigent,& multæ aliæ potentiæ inferiores ministrant superioribus, & tamen sunt distinctæ.

Ad tertium dicitur, quòd irascibilis appetit executionem, non tamen eo modo apetit, quo concupiscibilis, sed diuerso, vt explicatum est, & ita vtrique potentiæ conuenit appetere genericè sumptum, sed non sub eadem specifica ratione, vt Diu. Thom. docet quæstione illa octuagesima prima, articulo secundo. *Nec obstat*, quòd ad eandem potentiam pertinet tendere in vnum, & fugere eius contrarium, id enim verum est de simplici fuga,& reiectione sui oppositi, sicut ad concupiscentiam pertinet amor,& odium, tristitia,& gaudium circa opposita. Cæterùm tendentia ad contrarium per modum victoriæ, & propulsationis difficultatum, sic non sufficit simplex reiectio oppositi, sed requirit peculiarem aliquam eminentiam, seu rationem formalem respicientem bonum vt vincens difficultates, sicut charitas simpliciter odit peccatum, & tamen distincta virtus pœnitentiæ datur ad destruendum illud per modum expiatiuæ satisfactionis.

Ad vltimum dicitur. Irascibilem esse simpliciter excellentiorem concupiscibili, vt docet D. Thom. quæstione vigesima quinta, de Veritate, articulo secundo, eo quòd obiectum eius est excellentius, vtpotè bonum eminens vincens difficultates, quod maiorem actiuitatem debet habere, quia plus resistentiæ debet vincere,& quia dirigitur à nobiliori regula, id est, ab æstimatiua, & rationibus insensatis, quæ inter sensibilia summum locum tenent, magisque accedunt ad rationem. *Nec obstat*, quod deseruit concupiscibili, & ad eam ordinatur, imò versatur circa media, concupiscibilis verò versatur circa finem amando,& fruendo. *Respondetur enim*, quod ordinatur ad concupiscibilem non absolutè, sed vt pacatè,& quietè fruentem, & remotis contrariis, quod pertinet ad superiorem vim, sicut Rex ordinatur ad pacem, & quietem rustici, & tamen est superior illo, ita pax & quies concupiscibilis est finis ipsius irascibilis,& tamen est superior concupiscibili, respicitque ipsam non vt finem cuius gratia, sed vt finem effectum, quia ordinatur ad fruitionem ipsam efficiendo illam, vt pacatam,& à contrariis defensam. Et similiter non versatur circa media absolutè sumpta, sic enim etiam pertinent ad concupiscibilem, sed circa media vt defensa, & resistendo difficultatibus, quod est respicere media modo superiori,& eminentiori, sicut requiritur ad vincendas difficultates, imò non solùm media, sed etiam finem ipsum respicit non sicut concupiscibilis præcisè desiderando, sed respicit vt assequendum, difficultates vincendo, quod est respicere sub maiori actiuitate, & virtute ipsum finem.

Circa aliam difficultatem supra positam, quomodo sumatur diuersa ratio formalis distinguendi appetitus ex diuerso modo apprehensionis, vt sumit Diu. Thom. prima parte, quæstione octuagesima prima, articulo secundo, cum tamen apprehensio solum se habeat vt conditio ipsius finis, seu boni appetendi. *Respondetur*, quod ipsa apprehensio formalis, vt dicit applicationem rei appetibilis ad appetitum, non est formalis ratio specificans, vel distinguens ipsos appetitus, sed tantum conditio applicans. Cæterùm ipsum appetibile, quod tali apprehensioni, seu applicationi subest, distinguit appetitus secundum diuersum modum proportionis ad istum, vel illum appetitum. Itaque apprehensio radicalis ex parte ipsius obiecti appetibilis, quatenus fundat apprehensionem magis, vel minus vniuersalem, aut vt simpliciter amabile, vel secundùm rationem ardui,& vincentis difficultates, aut secundum alias similes rationes, sic pertinet ad rationem fomalem specificantem, & distinguentem appetitus. Ipsa vero apprehensio non radicaliter ex parte obiecti, sed formaliter sumpta ex parte potentiæ, applicationem, seu conditionem dicit, non rationem formalem, quod expresè deducitur ex Diu. Thom. quæstione vigesima quinta, de Veritate, articulo primo, ad sextũ,& quæstione vigesima secunda, articulo quarto, ad primum,& prima secundæ, quæstione trigesima, articulo tertio ad secundũ, prout ostendimus,& deduximus in 2. Physicorum quæstione decima tertia, articulo primo, vbi etiam ostendimus quomodo apprehensio, ita sit conditio finis, quod non sit supplebilis, eo quod non possit aliquid esse volitum, quin præcognitum. Videatur ibi.

ARTICVLVS II.

Quæ sit radix libertatis in voluntate?

DAri liberum arbitrium in nobis, tum ex sacris litteris, tum experientiâ ipsâ notius est, quàm vt probatione indigeat. Dicitur enim Ecclesi. 10. *Reliquit eum in manu consilij sui*,& Iosue 24. *Optio vobis datur, eligite hodie, quod placuerit*, & 1. Corinth. 2. *Potestatem habens suæ voluntatis, &c.* Denique quot peccata, tot sunt testes libertatis nostræ, sine qua nullum potest esse peccatum.

Difficultates autem quæ circa libertatem istam explicandam ortæ sunt, variæ,& multiplices, ac penè inextricabiles factæ sunt. Plura ad Theologos pertinent. In præsenti ad tria capita reducimus secundùm quod libertas voluntatis ad tria potest respicere; primò ad radicem internam, ex qua oritur; secundò ad causam externam, ex qua dependet, quæ est Deus eiusque concursus, quomodò cum illo componatur contingentia voluntatis; tertiò ad obiectum circa quod versatur, quomodò videlicèt ab illo habeat indifferentiam, vel necessitatem.

Circa primum punctum suppono, quod libertas formaliter in voluntate consistit, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 83. articul. 3. tum quia à voluntate elicitur præcipuus actus liber, qui est electio, eò quod maximè resplendet libertas actionis in eligendo vnum, & reiiciendo aliud, electio autem est actus voluntatis, quia versatur circa bonum, eligitur enim id quod est conueniens, reiicitur autem id, quod disconueniens, quæ est ipsa ratio boni, aut mali. Tùm, quia dominiũ, quod maximè pertinet ad potestatem liberam formaliter inuenitur in volũtate, eò quòd de illo dicimur habere dominium, quo vtimur

vtimur cum volumus, & quod est in manu nostra, vnde non debet esse à principio extrinseco totaliter, sic enim solum passiuè, & non denominatiuè erga illud nos haberemus, sed debet esse à principio intrinseco, & non potest esse ex impetu naturæ, sic enim esset omninò determinatum non differenter, & cum potestate ad vtendum, vel non vtendū, quod requiritur ad dominium, natura autem ex determinatione agit. Nec potest esse solum principiū cognoscitium, quia hoc etiam necessitatur, & determinatur ab ipso obiecto, & ex naturalibus principiis, ergo oportet quod sit principium voluntarium, quod est ipsa voluntas; vndè tunc maxime dicimur esse voluntarij in aliquo actu, quando cum pleno domino illum agimus, & non interueniente aliqua necessitate, vel seruitute.

Dico ergo primò. *Indifferentia libertatis consistit in potestate diminutiua voluntatis non solum super actum suum ad quem mouet, sed etiā super iudiciū à quo mouetur.* Vt explicetur conclusio oportet distingnere rationem differentiæ, quæ opponitur necessario & constituit liberum, vnumquod que enim contrarium magis elucescit ex ordine ad suum contrarium. Igitur necessarium vt dicit D. Thom. quæst. 22. de veritat. articul. 6. importat duo, primum est esse fixum & immutabile, & sic opponit casuali seu contingenti, & fallibili. Secundum est, quod sit determinatum ad vnum, cum carentia potestatis ad plura, & sic opponitur libero, quòd est cum potestate ab vtrumlibet, siuè habeat contingentiā siuè non, in Deo enim liberum caret contingentia, & habet omnimodam infallibilitatem cum summa libertate. Indifferentia etiam est duplex, alia passiua, siuè potentialitatis, alia actiua, siue potestatis. Prima est imperfecta, & non conducit ad agendum, sed magis obest, quanto enim aliquid magis est potentiale ad plura, & indeterminatum, magis elongatur ab agendo, & indiget determinari & actuari, vt de facto operetur. Quare ista indifferentia potentialitatis non est de ratione liberi, sed si inuenitur in agente libero, & imperfectionis, quia non est sufficienter in actu, & ita quanto magis tollitur, & remouetur ista potentialitas, tanto magis perficitur libertas, quia reducitur in actum. At vero potentia actiua seu potestatis, adhuc est duplex, quædam est indifferentia solum per modum vniuersalitatis in agendo, quatenus aliqua causa est æquiuoca, & non solum vnum effectum agere potest, sed etiam plures, & diuersæ speciei, & hoc etiam potest inueniri in causis necessariis, nam etiam sol plura potest agere, & sensus, & intellectus plures actus elicere. Alia est indifferentia dominatiua, seu arbitratiua, quæ ita habet eminentiam ad agenda plura quod non potest obligari, & coarctari ad agendum, sed potest agere vel non egere. Et hanc differentiam dicimus consistere in hoc, quod non solum habeat potestatem super actum seu effectum ad quem mouet, sed etiam super iudicium à quo mouetur, ita quod in manu sua habeat discernere, & iudicare, & auertere illud iudicium à quo mouetur, quod quia non habet brutum, cuius appetitus non potest auertere iudicium semel positum, ideo caret libertate.

Ita docet D. Thom. quæstion. 24. de veritate articulo 1. in fine vbi inquit: *Homo per virtutem rationis iudicans de agendis potest de arbitro suo iudicare, in quantum cognoscit rationem finis, & eius quod est ad finem, & habitudinem, & ordinem vnius ad alterum, & ideò non est solum causa sui ipsius in mouendo, sed etiam in iudicando, & ideò est liberi arbitrij, vt si diceretur liberi iudicij de agendo, vel non agendo.* Et ibidem articul. 2. inquit: *Iudicium est in potestate iudicantis secundum quod potest de suo iudicio iudicare, de eo enim quod est in nostra potestate possumus iudicare. Iudicare autem de iudicio suo est solius rationis, quæ super suum actum reflectitur, & cognoscit habitudinem eorum de quibus iudicat, & per quæ iudicat, vnde totius libertatis radix est in ratione constituta.* Et de eodem videri potest, prima parte, quæstion. 83. articul. 1. & quæstion. 6. de malo articul. 1. *Et ratio est,* quia vt voluntas habeat plenum dominium suarum actionum, oportet quod à suo mouente non coarctetur, & determinetur, sed potius ab ipso mouente eius libertas & differentia conseruetur & perficiatur, ergo oportet, quod habeat potestatem, non solum super id, ad quod mouet, sed etiam super id à quo mouetur, quod est iudicium, & hoc est habere potestatem dominatiuam, id est potestatem arbitrandi, & discernendi. *Consequentia patet*, quia si semel posito iudicio, voluntas non posset arbitrari de illo, nec haberet potestatem supra suum mouens, hoc ipso vel maneret totaliter alligata illi iudicio, & sic non maneret libera, sicut in brutis posito iudicio, appetitus alligatur illi, & non potest illud auertere, vel non posset homo pro sua voluntate disponere de agendis, & applicare intellectum ad arbitrandum, sed casualiter gubernaretur. *Nec potest instari* in præmotione Dei, supra quam non habemus potestatem, vt possimus illam auertete, & tamen sumus liberi. *Respondetur enim*, quod vt infra, & sequenti articulo dicemus præmotio Dei etsi non sit dependens à nostra potestate, est tamen propter suam vniuersalitatem radix, & principium nostræ potestatis, & modi indifferentis, & dominij; vnde etsi non possit voluntas super ipsum, non tollitur libertas, quia potius ab illo datur super omnes potentias animæ, non super id quod est extra, qualis est Deus. At verò si supra iudicium internum non haberet dominium, careret libertate dominatiua super omnes potentias animæ, & supra præcipuam quæ cæteras dirigit, scilicet intellectum.

Quod si dicas, voluntatem Dei esse liberam, & tamen non posse iudicium suum semel habitum mutare vel auertere, quia est immutabile. Similiter Angelus post perfectam electionem manet inflexibilis iudicij, nec potest illud auertere, & tamen est liber, ergo libertas non petit dominum supra iudicium suum. *Resp.* voluntatem Dei ita habere in manu sua suum iudicium, quod est ipsummet iudicium suū, & ita operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Sed quia hoc iudicium est summe perfectū, nec operatur operatione temporali, sed æterna, ideò dominium voluntatis eius non est dominium mutandi iudicia, & actus suos, faciendo illos temporales de æternis, sed iudicium illud vnicū existens, & immutabile, quoad entitatem potest liberè mutare omnia obiecta, & propter eminentiā suam, habere rationem volitionis, & nolitionis eiusdē obiecti. Vndè talis causa eadem manens potest immutare omnia, & non causare idē propter eminētiam suam ad omnia; licèt semel applicato actu illo pro volitione determinate non possit immutari talis respectus, quia æternus est, licèt in ipsamet æternitate ex meritis obiecti potuisset opposi tū velle, non tamen ex suppositione, quod iam est volitum. *Ad illud vero de Angelo dicitur.* quòd modo etiam potest mutare iudicia circa illas res, de quibus nō perfectè, & totaliter deliberat. De illis vero de quibus iam perfectè deliberauit, dicitur esse inflexibilis iudicij, nō ex defectu dominij, & potestatis supra illud iudicium, sed

ex perfecta,& totali adhæsione ad illud,& ita ex sua voluntate fit immobilis,non contra illam.Et simpliciter habet dominium illius iudicij etiam quoad mutationem,quia potuit non eligere illud à principio,licèt ex suppositione , quod velit adhærere illi, non possit illud mutare propter perfectam comprehensionem rerum , & perfectam determinationem ad id,quod eligit ex tali comprehensione , & hoc est simpliciter esse liberum, solùm vero ex suppositione , quod sic perfectè velit adhærere , esse immobilem.

Dico secundò *proxima,& immediata radix libertatis in voluntate est indifferentia iudicij in ratione.* Constat ex eisdem locis Diu.Thom.allatis,& specialiter videri potest 1.2.q.17.artic.1.ad 2. vbi inquit: *Radix libertatis sicut subiectum est voluntas, sed sicut causa est ratio.*Et idem habet 1.part.q.83.art.1.& q.24.de ver. art.1. & q.6.de malo,artic.1.& 1.contra Gent.cap.85.*Ratio vero sumitur ex* præced.art. quia omnis appetitus elicitus sequitur ad apprehensionem,seu ad formam apprehensam:sed voluntas prout libera est appetitus elicitus, ergo vt sic debet sequi, & radicari in aliqua apprehensione indifferenti,nec enim inclinatio potest excedere vim formæ, ad quam sequitur , & habere in se plus quam contineatur in forma , ergo appetitus ille prout indifferens,non potest sequi ex forma apprehensa,sine indifferentia,quæ est forma determinata, & coarctata ad vnum.Vnde videmus quod quando iudicium caret omni indifferentia , & solum est coarctatum ad vnum,motus qui sequitur in voluntate est indeliberatus,& carens libertate, ergo ita dependet appetitus vt liber à forma apprehensa indifferenter, sicut quilibet appetitus elicitus à forma apprehensa , & cognita vt sic.

Difficultas vero est; an taliter requiratur indifferentia iudicij ad libertatem voluntatis, vt stante iudicio indifferenti, repugnet voluntatem necessitari. Quæ quæstio non potest latius disputari in præsenti,quia multa tangit,quæ ad determinationem voluntatis spectant, sed breuiter punctum difficultatis attingemus quantum deseruit ad explicandam libertatem voluntatis.*In hac ergo difficultate.*P.Suarez Prologomeno 1.de gratia, capit.4. tenet id non repugnare,nec ex parte omnipotentiæ Diuinæ, quia potest voluntatem creatam,quando voluerit , vbi voluerit,& quomodo voluerit immutare , vt docet Augustin.in Enchiridio,capit.98.ergo posito iudicio indifferenti,potest voluntatem immutare ad necessitatem. Ex parte autem voluntatis non est repugnantia,quia cum potestas dominatiua habeat duas partes,scilicet,ad agendum,& non agendum, poterit impediri quoad vnam partem , & quoad aliam ordinaria à Deo ad operandum , impedita potestate ad agendum aliud , cum enim omnis potestas creata sit subiecta,& deriuata à Diuina , potest impedire illam quoad vnam partem, negando , verbi gratiâ,concursum suum ad nolendum, & dando solum concursum ad volendum. Accedit quod in re prædeterminatio Physica,quam ponunt Thomistæ, datur à Deo stante iudicio indifferenti , & antecedenter ad vsum libertatis immittitur illa qualitas in voluntatem , qua determinatur ad vnam partem tantum,ita quod illâ positâ voluntas non potest resistere,& oppositum facere , quæ licèt ab illis non vocetur necessitas,sed determinatio,tamen in re nihil amplius requiritur ad necessitandum , quia illa qualitas extrahit voluntatem à sua naturali indifferentia.Denique Diu.Thom.quæstion.12.de veritate articul.8.fatetur posse voluntatem necessitari à Deo sed non cogi.

Nihilominus dico tertiò. *Repugnat necessitari voluntatem stante iudicio indifferenti, quod dirigitur voluntas in illa operatione.* Hæc conclusio communiter tenetur inter recentiores Thomistas,vt indicat Magist.Bañez 1.part.quæstion.19. articul.10. dub.1.§. sed dices, in secundo corollario. Aluarez in libr.de auxiliis,disputation.126.conclusion.5.& tenet etiam P.Vazquez prima parte , disputatione nonagesima nona,capite octaua,& videri etiam potest disputat. 90 cap.2.numer. 8. & disputatione 98.capite 5.numero 31.

Ratio vero est: quia ad hoc vt necessitetur voluntas stante iudicio indifferenti,requiritur,quòd ponatur in voluntate tale impedimentum,quod non solùm de facto efficiat vnum,& non aliud , hoc enim quotiescumque de facto operatur,interuenire debet, neque enim potest vtrumque oppositum operari, sed alterum tantum. Requiritur ergo tale impedimentum , quod impediat voluntatem non solum ne faciat , sed ne facere possit oppositum etiamsi ab indifferenti iudicio moueatur ; implicat autem , quod non destructa voluntate , tollatur ab ea potentia,ne possit oppositum eius quod proponitur sibi cum indifferentia , siquidem hoc essentialiter postulat potentia voluntatis,vt respectu obiecti determinatè , & sine indifferentia propositi, moueatur voluntas determinatè, & sine indifferentia;respectu autem obiecti indifferentis, habeat potestatem ad vtrumlibet, ergo si tollitur per impedimentum, non solùm quod de facto non faciat hanc partem,vel omittat,sed quod non possit oppositum respectu obiecti indifferentis , hoc ipso tollitur per tale impedimentum potentia voluntatis , & essentialis eius ratio.Quod præsertim vrgetur , quia non stat obiectum indifferens proponi , & non moueri voluntatem ab illo vt indifferenter proposito , alias si ab illo non mouetur , vel mouetur ab alio, vel à nullo.A nullo moueri non potest, quia sic ferretur voluntas in incognitum , vel omninò nihil ageret,quod est non moueri , nec necessitari ad aliquem actum,sed suspendi ab omni actu ; si ab alio, vel vt indifferenti,vel vt necessario,& determinato. Si vt indifferenti,est eadem ratio,ac de primo.Si vt necessariò, tollitur casus in quo procedimus nempè quod stante iudicio indifferenti, voluntas necessariò velit.Vndè etiam in hoc casu iudicium ipsum indifferens non ligatur , vt solum repræsentet vnum , & occultet aliud , ex cuius repræsentatione constat differentia , tunc enim destruitur casus , quia non manet iudicium indifferens , sed id quod repræsentatur , & proponitur solum apparet vt determinatum ad vnum , & sic est perindè ac si iudicium indifferens non sit. Si autem iudicium indifferens ad vtrumque apparet , & mouet , ergo supponit in voluntate esse potentiam hic & nunc mobilem ad vtrumlibet , siquidem à mouente indifferenti hic & nunc mouetur , stante autem potentia mobili ad vtrumlibet, & de facto sic mota ab obiecto , non stat tolli potentiam, ne possit vtrumlibet, quod requiritur ad hoc vt necessitetur , ergo implicat necessitari voluntatem stante iudicio indifferenti mouente voluntatem , siquidem non habet aliud motiuum ex parte obiecti.

Denique alia est implicatio;quia dictamen iudicij indifferentis est illud , quod proponitur voluntati cum aduertentia,quod operetur circa illud , si velit, sic enim proponitur,quod ex vi propositionis potest omitt ere,quamdiu enim hoc non aduertitur, remanet naturalis,& indeliberata propositio,sicut in actibus primo primis.Stante ergo iudicio indifferenti cū illa plena aduertentia , si Deus necessitat voluntatem

tem per suam impressionem, vel concursum, aut destruit illud iudicium aut conseruat. Si destruit, non currit casus, sed stat pro nobis, quia tunc non stante, sed destructo iudicio indifferenti necessitatur voluntas. Si conseruat, ergo conseruat falsam aduertẽtiam, quia iudicium indifferens est illud, quod proponitur cum plena aduertentia, & tali iudicio quod possit omittere, & tamen voluntas tunc alligata, & coarctata non potest omittere. Quomodo ergo continuatur indifferentia iudicij, quod talem aduertentiam petit?

Dices: Illam aduertẽtiam solũ esse, quod possit voluntas omittere quantum est ex meritis obiecti, quod in illo casu etiam verificatur, siquidem non ex vi obiecti, sed ex impressione extrinseca necessitatur voluntas. *Sed contra est*: Quia illa aduertentia, quæ præcise ex meritis obiecti est, & non absolute, non est practicè indifferens, nam si voluntas sentit se impeditam, ita quod non potuit resistere, quia in illa datur illa determinatio, & coarctatio, ergo perinde est tali voluntati sic affectæ proponere aliquid, vt indifferens ex meritis obiecti, ac si proponeretur aliquid indifferens appetitui bruti, hoc enim esset proponere aliquid vt indifferens potentię impeditæ ad vtendum illo, & sic non mouebitur illa potentia ab illo dictamine vt indifferenti, sed solum ab altera parte illius dictaminis, ergo vel altera pars occultatur, seu non proponitur voluntati, vel proponitur. Si proponitur, ergo mouet illam sub ratione indifferentiæ, cum tamen potentia voluntatis supposito impedimẽto indifferens non sit, sed necessitata, & nõ potẽs nisi ad vnum sicut potentia bruti. Si autem occultatur, & solùm proponitur vna pars dictaminis, ergo non manet dictamen indifferens, siquidem nõ proponitur cum indifferentia, & sic verum est, quod stante dictamine indifferenti, & non reducendo illud ad dictamen determinatum, & necessarium, non tollitur indifferentia voluntatis, quia manet potentia mobilis ab indifferenti iudicio, si iudicium ipsum indifferens stat, iudicium enim ipsum indifferens, motio est indifferens voluntatis.

Ad fundamentum oppositum patet ex dictis istam repugnantiam esse ex parte voluntatis, vt est potentia mota, & subordinata iudicio, sic enim non stat subordinari iudicio indifferenti mouerique ab illo stante indifferentia, & voluntatem ipsam manere sine potentia ad vtrumlibet, vt explicatum est. *Vnde quando dicitur* potestatem voluntatis nostræ totaliter esse subiectam voluntati Diuinæ. *Respondetur*, ita esse sed conuenienti modo, non repugnanti, conueniens autem modus est vt subijciat Deus voluntatẽ sibi non contra radicem indifferentiæ illius, quæ est iudicium indifferens, sed iuxta illud, vel mutando dictamen indifferens si voluntas necessariò operatura est. Et similiter potest Deus mouere, & mutare voluntatem quãdo voluerit, & quomodo voluerit, quia potest mutare dictamen indifferens in aliud indifferens, vt velit libere, vel in necessarium vt feratur necessario, vel totaliter suspendere vt nihil velit, non tamen vt stante indifferenti iudicio necessario velit.

Ad id quod dicitur, de prædeterminatione physica, quam nos ponimus. *Respond.* esse longè disparem rationem, vt dicemus *sequenti articulo*, quia hæc physica motio non coarctat potestatem voluntatis, sed aperit cor intendere his, quæ proponuntur per rationem, sicut dicitur Actor. 16. de Lydia purpuraria, *cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ à Paulo dicebantur*. Itaque sunt oppositæ motiones, physica prædeterminatio quæ aperit cor, & physica motio, quæ potestatem cordis claudit necessitãdo ad vnum, & arguere ab vno ad aliud non habet apparentiam, & multo minus, quod dicit P. Suarez citat. loc. numer. 8. in fine, quod prædeterminatio physica extrahit voluntatem à sua connaturali indifferentia, quod est non distinguere de indifferentia potentiali, seu suspensiua, & de actiua, seu dominatiua, nam à prima extrahit prædeterminatio, quæ actu mouet ad operandum actum determinatum, sed non ad operandum determinate ex parte modi operandi, & ideò conseruat secundam indifferentiam, quæ ex parte modi operandi se tenet. Et omnia mouentia voluntatem, ad hoc mouent, vt voluntas non maneat perplexa, & suspensa, sed vt actum determinatum eliciat, non tamen vt modum volendi, & se libere determinandi tollant. Et cum in isto genere Deus sit actualissimum, & vniuersalissimum agens, & radix ipsa libertatis, mouet ipsam voluntatem vltima actualitate ad actum, vt non sit perplexa, & suspensa circa ipsum, eius tamen modum operandi conseruat, qui est modus se determinandi, licèt dependenter à motione Diuina, quæ licet ex parte Dei immutabilis, & infallibilis sit, ex parte tamen effectus, quem operatur, aliquid liberum & mutabile operatur.

Quod si tandem quæras, quid sit ista libertas seu dominatiua potestas in ipso actu libero & elicito? *Respondetur*; multos sentire solum esse denominationem extrinsecam, non aliquid physicum, vt docet P. Vazquez, prima secundæ, disputat. 34. capit. 3. referens se ad disputation. 95. vbi de actu peccati, & moralitate eius id docet consistere scilicet in respectu ad obiectum dissonum, qui respectus est denominatio rationis seu relatio rationis. Nam idemmet actus amoris secundum entitatem elicitus cum plena aduertentia est liber, remotâ aduertentiâ non est liber, ordo autem in actu ad plenam aduertentiam, ordo rationis est, & denominatio extrinseca, quia non procedit actus realiter ab ipsa aduertentia, sed regularetur extrinsecè ab illa. Et idemmet actus charitatis in via, si continuetur separatâ animâ cum visione beata, vel quotidie cum animæ purgatorij beatificantur, actum charitatis in quo actualiter perseuerant, continuant visa Dei essentia, quia charitatis non excidit, sed eiusdem speciei est in via & in patria, & tamen in via est actus liber, in patria, necessarius, ergo idem actus numero tranfertur de libero in necessarium, & sic non ponit al quid reale intrinsecum immutans actum.

Cæterum difficultas hæc non est magni momenti. Satis tamen probabile est actum liberum in ratione libertatis realem aliquam habitudinem dicere ad suum principium liberum, ratione cuius dicitur in actu secundo liber. *Ratio est*; quia licet ille actus non procedat realiter ab aduertentia iudicij, procedit tamen realiter à voluntate, quæ quæ realiter dependet & mouetur ab obiecto proposito per iudicium, ergo si aduertentia mutatur, mutatur iudicium regulans ipsam voluntatem, quia sine aduertentia nõ applicatur, nec regulat ipsam, ergo etiam habitudo voluntatis ad tale iudicium habens distinctam aduertentiam mutatur, sicut si simile respicit alterũ simile, si mutatur vnum, mutatur relatio, seu respectus ad illud, constat autem quod voluntas respicit realiter intellectum, & dictamen eius, sicut mobile suum mouẽs, ergo mutato dictamine, incipit nouo respectu reali illud respicere, quia est nouum mouens respectu voluntatis mobilis, ergo similirer actus huius mobilis incipit noua relatione respicere illud dictamen, & aduertentiam liberam eius, secundum quam mouetur, & à qua realiter pendet, ergo cùm libertas actus

actus cōsistat in respectu, & habitudine ad principiū liberum, & hoc principium sit voluntas, vt mota & dependens realiter à tali iudicio (siuè physicè, siuè moraliter, dummodo realis dependentia sit) consequenter est sufficiens fundamentum, vt realis relatio detur in ipsa ratione liberi, quæ est in actu volunatis. Quare licet aduertentia non sit principium effectiuum actus liberi, est tamen motiuum ex parte obiecti, ab obiecto autem mouente, aut terminante raliter dependet actus, & realiter respicit illud relatione mensurati ad mensuram (quæ realis est) & mobilis ad suum mouens. Similiter adueniente visione Dei clara, sine dubio existimo valde mutari voluntatem in actu amoris, aut non eundem numero continuari, quia incipit procedere ille amor nō solum cum maiori intensione, quam antea, quod sufficiebat ad mutationem realem etiam in eodem actu, sed exit cum excellentiori perfectione tanquam actus quiescentis in fine habentis summum gaudium, maximum feruorem, & multas alias perfectiones, quæ vel petunt nouum actum exire, vel eundem notabili mutatione reali, sicut etiam quando intenditur amor, licet maneat idem actus, realiter tamen perficitur & immutatur. Charitas ergo non excidit, sed tamen perficitur.

ARTICVLVS III.

Quomodo originetur libertas voluntatis à radice extrinseca, quæ est Deus?

Sicut libertas voluntatis dependet à radice intrinseca, quæ est indifferentia iudicij, ita depēdet à radice extrinseca agente, quæ est Deus, & ab obiecto indifferenti circa quod versatur.

Tota difficultas consistit in componendo contingentiam & indifferentiam voluntatis cum summa immutabilitate, & infallibilitate Dei mouentis, de quo latius spectat ad Theologos. Nobis sufficit in præsenti sententiam D.Th. proponere, & notare ea, quæ conducunt ad soluenda argumenta, seu sophismata, quæ in hac parte mirum in modum multiplicantur.

Igitur D.Thom. perpetuo reducit libertati, & indifferentiæ nostræ conseruationem, in actibus suis, ad ipsam dependentiam, & participationem, quam habent à motione, & participatione Diuina, quæ propter suam vniuersalissimam virtutem, non solum habet mouere, & determinare ad actū faciendū, sed etiam participare, & communicare ipsum modum, quo causa debet illud facere, infallibilitas autem quę fundatur in vniuersalitate virtutis præbentis omnia tam substantiam, quam modum actus, impossibile est, quod destruat modum operandi liberum, quia præbet, & communicat illum ex ipsa vniuersalite operandi omnia. Quare vniuersalitas operandi infert infallibilitatem, quia si omnia comprehendit, non potest deficere in tota vniuersalitate; & infallibilitas vniuersalitatis non violenter, nec contra modos causarum inferiorum operatur, sed dando illos & conseruando consequitur infallibilitatem. Videndus est D.Th.q.6. de malo art. 1. ad 3. vbi inquit: *Deus mouet voluntatem immutabiliter propter efficaciā virtutis mouentis, quæ deficere non potest, sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diuersa, non inducitur necessitas, sed manet libertas sicut etiam in omnibus prouidentia Diuina infallibiliter operatur, & tamen à causis contingentibus proueniunt effectus contingenter in quantū Deus omnia mouet proportionabiliter vnumquodque secundum modū suum.* Idem docet 1. part. quæstion. 19. articul. 8. & 3. contra Gent. cap. 94. vbi inquit: *Hoc quod ponitur prouisum esse à Deo, vt sit futurum, si sit de genere contingentium poterit non esse secundum se consideratum, sic enim prouisum est vt sit contingens potens non esse, non tamen est possibile, quod ordo prouidentiæ deficiat, quin contingenter eueniat, vnde potest poni, quod iste non sit regnaturus si secundum se consideretur, non autem si consideretur vt prouisum.* Et in 1. ad Anibal. dist. 47. quæst. vnic. artic. 4. ad 2. inquit: *Quod licet contrarium eius, quod est volitum à Deo, non possit stare cum voluntate Diuina, possibilitas tamen ad contrarium potest stare cum ea propter contingentiam causæ mediæ, & hoc sufficit ad hoc, quod effectus sit contingens & non necessarius.* Et quod loquatur de voluntate Dei, vt prædeterminante causas istas, patet ex his, quæ docet in corpore articuli; *Quod voluntate Dei non solùm res in esse producuntur, sed etiam rebus producendis modum, quo producantur, prædeterminauit, vnde cum voluntas Dei efficaciter impletur, oportet, quod res fiant, & eo modo fiant, sicut voluntas Diuina disposuit.* Quare prædeterminatio Dei secundum D.Th. non solum prædeterminat effectū causæ, sed etiam modū ipsum quo causare debet, scilicet modum contingentiæ, seu libertatis, vel necessitatis, & ideo nullum istorum modorum tollit, sed perficit.

Denique videndus est Diuus Thom. 1. Perih. lect. 14. vbi inquit: *Quod voluntas Diuina intelligenda est, vt extra totum ordinem entium existens, vt causa quædam profundens totum ens, & omnes eius differentias sunt autem differentiæ eius possibiles, & necessarium & ideo ex ipsa voluntate Diuina originantur necessitas & contingentia in rebus, & distinctio vtriusque secundum rationem proximarum causarum; ad effectus enim, quos voluit necessarios ordinauit causas necessarias, ad effectus verò quos voluit esse contingentes, originauit causas contingenter agentes, id est potentes deficere. Et secundum harum conditionem causarum effectus dicuntur, vel necessarij, vel contingentes, licet omnes dependeant à voluntate Diuina, sicut à prima causa quæ transcendit ordinem necessitatis, & contingentiæ.* Ita Diu. Thom. In quam doctrinam sine dubio Caietan. incidit 1. part. quæstion. 22. artic. 4. qui non inueniēs aliquid, quod perfecte quietaret intellectum in cōponendo ineuitabilitatem Diuinæ prouidentiæ cum euitabilitate effectus liberi, seu contingentis, nec reperiens aliquid à D. Thom. dictum super hoc, tandem dicit suspicari, quod sit aliquid in Deo eminentius, & altius, quam euitabilitas, vel ineuitabilitas, vt ex passiua prouisione euentus, neutrius combinationis alterum membrum sequatur. Et si sic est, inquit quiescit intellectus non euidētia veritatis, sed altitudine inaccessibili veritatis occultæ. Magis ergo quiesceret Caietan. si hoc ipsum reperisset in Diu. Thom. sicut habet in isto loco, ponendo in Deo aliquid eminentius quam necessitas, vel contingentia à quo deriuetur contingentia ipsa, & necessitas in causis. Et illam eminentiam vocamus nos infallibilitatem, quæ non extrahit causas à suo modo, vel indifferentia, sed potius illam dat, & præbet. Vnde implicat, quod aliquid ei resistat, quia si resisteret, hoc ipsum deriuaretur à Deo, quia operatur omnia, & sic iam non esset resistentia, sed datio, seu denominatio. Dat tamen Deus ipsum posse resistere, & posse facere oppositum. *Vnde quando dicitur*, quod inspirationi Diuinæ potest resisti, non intelligitur de resistentia respectu ipsius causalitatis, & ordinis Diuini in causando, huic enim vniuersalissimo modo nihil

nihil poteſt reſiſtere, cum extra totum illum ordinem nihil ponatur, ſed intelligitur de reſiſtentia reſpectu obiecti propoſiti, & effectus, ad quem eſt illa inclinatio, & motio. Quare in ipſa vniuerſalitate operandi, & mouendi omnes cauſas, tam quoad ſubſtantiam actus, quam quoad modum fundatur infallibilitas in agẽdo ex parte Dei, ſimul cum omnimoda mutabilitate, contingentia, & libertate ex parte noſtra, hanc enim cauſat illa vniuerſaliſſima, Dei cauſalitas & ideò eius cauſalitas ineuitabilis eſt, quia vniuerſaliſſima, & omnia complectẽs; & tamen effectus in ſe, & ſecundùm ordinem inferiorum cauſarum eſt mutabilis, quia hoc ipſum cauſat Deus, & ſic non lædit, cum cauſa & radix illius ſit,

Sed dicunt aliqui diſcipuli Scoti, ſufficere ad hoc ipſum decretum, & voluntatem Dei ſine motione & qualitate aliqua Phyſica operante in voluntatẽ, & præeunte noſtram libertatem, nam Phyſica qualitas, nec antiquis fuit nominata, nec eſt poſſibilis quia nihil creatum poteſt eſſe altius voluntate & ei dominari, ſicut illa qualitas ſeu motio deberet dominari voluntati; nec ſi daretur, libertatem relinqueret, quia mouet determinatè ad vnum, & non cum ea eminentia, quâ volũtas Diuina, quæ infinita eſt, illa autem qualitas infinita non eſt, & ſic mouet Deus (inquiunt) per ſimpathiam quandam, quia poſito eius decreto ſtatim flectitur, & obedit creatura. *Sed contra eſt*, quia hoc ipſo quod aliqua virtus eſt ſuperior in agendo reſpectu alicuius mobilis, oportet quod mobile ſubiiciatur non ſolum virtuti mouenti, ſed etiam motui eius, ſi enim eſt mobile, debet eſſe capax motus, ſeu ſubiici virtuti vt actualiter mouenti, ergo hoc ipſo quod voluntas eſt mobilis & inferior, ſeu ſubiecta virtuti diuinæ, debet eſſe inferior eius motione; motio enim non operatur ratione ſuæ entitatis, ſed ratione virtutis cuius eſt motio, ſicut motio artificis ſubiicit ſibi materiam artis. Non eſt ergo cauſa aliqua creata altior voluntate, vt poſſit illam mouere intus, ſed tamen motio diuina, licèt entitatiuè ſit entitas creata, virtute tamẽ Diuina agit, & ſubdit voluntatem Deo. Nec tollit hæc motio libertatem, ſed præſtat, quia dat non ſolum facere determinatum actum, ſed modum quo actus faciendus eſt ſcilicet vt libere fiat, & cum poteſtate differenti, quam non lædit, ſed cauſat vt radix eius. Quin potiùs ſimpathia illa, qua creata ſubordinatur Deo multo magis tollit libertatem, aut non habet infallibilitatem in ſe intrinſecè. Etenim ſympathia illa, ſi datur, conſiſtit in naturali quadam ſequela & neceſſaria ſubordinatione, quam habet creatura ad Deum, vt ipſo volẽte non poſſit non ſequi operatio in creatura, ergo poſita Dei voluntate & decreto, voluntas noſtra naturali ſequela, & ex ipſa via & pondere naturæ, quatenus creata eſt, prorumpit in actum, ergo multo magis tollitur libertas per iſtam ſympathiã, ſeu naturalem ſequelam quam per poſitiuam Dei motionem, ſiquidem poſita Dei voluntate naturali ſequela ſequitur ille voluntatis actus, & ſic fiunt hic omnes conſequentiæ, quæ in prædeterminatione phyſica, quod non poſſit voluntas reſiſtere illi Dei voluntati, quod maneat determinata ad vnum, &c & hoc tanto fortius, quanto non dependet hoc ab aliqua Dei operatione perficiente, & actuante, ſed ſolum naturali ſequela voluntatis id ſequitur. Si autem non ſequitur naturali ſequela, poſita voluntate Dei, ſed morali quadam, & contingenti ſequela, ſequitur quod poſita voluntate Dei non manet infallibile, quod effectus fiat, ſed oportebit dare aliquam operationem vincere illam contingentiam, & non per ſolam ſimpathiam. Quod ſi poteſt ſubiectio creatæ voluntatis ad Deũ fundare infallibilitatem operandi ſine neceſſitate, cur non poterit qualitas illa creata, quæ eſt virtus Dei, fundare eandem infallibilitatem, non neceſſitando voluntatem? Quam qualitatem phyſicam, licèt antiqui ſub hoc nomine, & ſignificatione non ponant rem tamen ſignificatam omnino ponit D. Thom. & ſimiliter prædeterminationem, vt oſtendimus, quæſt. 25. Phyſic. art. 1. negat enim D. Th. eſſe qualitatem permanentem, & per modum habitus 1. 2. quæſt. 110. art. 2. affirmat tamen habere rationẽ motus, fierique à Deo in anima: & quæſtion. 3. de potentia articul. 7. ad 7. affirmat habere eſſe illam virtutem actualem, qua Deus mouet cauſas, ſicut colores habent eſſe intentionale in aëre, & virtus artificis in inſtrumento, quod totum dicit realitatem vt diſtinguitur à morali ſeu extrinſeca denominatione aut ente rationis, & hoc vocamus phyſicum, non ſumendo phyſicum pro eo, quòd pertinet ad ens mobile, & corporeum, hac enim ratione quomodo in voluntae, & ſpirituali natura motio corporea deberet poni? ſed ſumitur pro eo quod eſt reale & intrinſecum, vt diſtinguitur contra motionem moralem extrinſecam, aut fictam.

Vnde etiam obiter colligitur D. Thom. quando loquitur de motione, qua Deus mouet voluntatem & determinat eius potentialem indifferentiam, nõ loqui de motione morali, ſed de intrinſeca attingente voluntatem intra ſe, quam ideò phyſicam, id eſt realem vocamus. Nam motio moralis prius attingit rationem, quam voluntatem cum fiat media perſuaſione, vel propoſitione obiecti, hæc enim vocatur motio moralis ad diſtinctionem eiuſque fit intra volũtatem, non medio obiecto alliciente, ſed motione operante, & immutante. Hoc autem modo Deum immutare, & non ſolum proponendo obiectum, aut alliciendo mille locis expreſſiſſime docet S. Th. 2. vt 1. p. q. 105. a. 4. & 106. a. 2. & 111. ar. 2. & 116. art. 1. & prima ſecundæ q. 6. a. 1. ad 3. & q. 9. ar. 6. quæſt. 78. ar. 3. & quæſt. 80. ar. 1. & quæſt. 3. de malo, articul. 3 ad 15. quibus locis diſtinguit de mouente ex parte obiecti, & perſuaſionis, quod conuenit obiecto propoſito, & de mouente interius, vt condiſtinguitur ab obiecti motione, & hoc ſecundum attribuit Deo, ergo plus attribuit, quam motionem moralem. Et hæc eſt expreſſa doctrina Auguſtini contra Pelagium, qui etiam fatebatur Deum operari in nobis per gratiam ſuadendo omne quod bonum eſt (quæ eſt motio moralis) vt patet in libr. de gratia Chriſti, contra Pelag. capit. 10. Quod totum dicit Auguſtinus, reduci ad legem, & doctrinam, non ad ſubminiſtrationem virtutis. Vndè concludit, capit. 24. *Non lege atqae doctrina inſonante forinſecus, ſed interna, atque occulta mirabili, ac ineffabili poteſtate, operari Deum in cordibus hominum, non ſolum veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Vbi non ſolum excludit extrinſecam perſuaſionem per ſenſus factam, ſed etiam non ſufficere docet internam, quæ conſiſtit in reuelatione, & tenet ſe ex parte obiecti, ſed vlterius debere dari operationem intra voluntatem, quæ iam non eſt moralis motio, quia non fit mediante obiecti propoſitione.

Vt autem argumentis ſeu ſophiſmatibus, poſſit reſpondæri, quæ in hac parte multiplicantur, verbi gratia, quod ſtante motione Dei, quæ non eſt in mea manu, nec poſſum eam auertere, non ſtet actum voluntatis non poni; quod ſit determinata illa motio ad vnum & ſic ſequitur quoque voluntatem determi-

terminari: quod illa suppositio motionis Diuinæ est omnino antecedens voluntatis actum, ergo illa stante non stat facere oppositum, nec illi resistere atque adeò non stat libertas. Hæc & alia similia quæ istam incompossibitatem Diuinæ determinationis cum nostra indifferẽtia concernũt, æquiuocãt de necessitate absoluta, vel ex suppositione, & secũdum quid de necessitate consequẽtiæ, & consequẽtis, de sensu composito & diuiso. Qui ab aliquibus sic intelligitur, quod sensus diuisus fiat diuidẽdo, & separando concursum Dei, quasi sine ipso indifferens maneat voluntas, sensus autem compositus intelligatur posito ipso concursu Dei, & prædeterminatione, & ea posita tollatur indifferentia. Sed hæc intelligentia rudis est, & longe distans à nostra sententia, qui potius dicimus ipsum motum seu prædeterminationem Dei in voluntate perficere libertatem, non auertere. Sed sensus compositus, & diuisus debet sumi secundum diuersas formalitates seu considerationes in eodem concursu, seu auxilio Dei, & in voluntate repertas, & componendo secundùm vnam, vel sub vnius respectu præcisè non explicatur libertas (& non dicimus quod tollatur, sed quod non explicetur,) sed modus infallibilitatis, diuidendo autem illam considerationem, & accipiendo sub alia, explicatur libertas, sicut in eodem effectu vt præcise consideratur formalitas seu respectus vnius causæ ex illa parte adhuc non intelligitur habere esse, vel non tale esse, consideratus verò ex alia parte habet illud. Sic ergò in motione, vel prædeterminatione Dei considerari possunt tres habitudines, seu formalitates, & totidem in causa libera creata. Ex parte Dei consideratur modus operandi, qui ex parte ipsius Dei se tenet, quia est Diuinus, & immutabilis, & vniuersalissimus. Secundò ordo ad terminatũ effectum in se. Tertiò ordo ad modum quo effectus procedit, tam ab ipsa causa creata, quam vt subest motioni Diuinæ. Ex parte causæ creatæ cõsideratur primo ipse effectus in se, & in sua substãtia, secundò modus quo illum efficit, verbi gratiâ, necessario, vel contingenter. Tertiò ordo ad primam causam, à qua participatur & ad ipsum modum, quo prima causa operatur illum. Cum ergo Deus mouet causam secundâm liberam, seu contingentem, si consideretur causa illa, vt operans effectum modo sibi proprio, sic operatur illum modo contingenti, & cum potentia ad deficiendum, vel resistendũ illi, & ad resistendũ motioni Diuinæ vt causanti talẽ actum, & talẽ modũ, siquidẽ hoc ipsũ causat Diuinus cõcursus, nẽpè vt tali modo fiat, vt possit resisti ipsi actui, & consequenter ipsi motioni, vt talem actum, modumque attingit. At verò si totum hoc scilicet actum voluntatis creatæ, & modum eius comparemus, & componamus cum ipso concursu secundum modum, quo tenet se ex parte Dei, sic est ineuitabile, quod eueniat non effectus solum, sed effectus cum modo, scilicet, effectus libere factus, quia totum hoc prouidet, & causat Deus, ineuitabiliter parte sua, sed euitabiliter ex parte rei factæ, imo etiam, quando solùm dat sufficientem concursum, nõ efficacem, adhuc operatur ineuitabiliter ex parte sua, quia id, quod intẽdit in illo concursu, ineuitabiliter fit, scil. quod homo habeat principium, vndè operetur sed quod de facto non operetur.

Et secundum istam distinctionem, & habitudines in ipso Diuino cõcursu repertas, verificantur oppositæ propositiones, quæ de eodem affirmari videntur. Dicitur enim ex vna parte, quod inspirationi, & illuminationi Diuinæ possumus resistere vt dicitur in Concilio Triden. session. 6. cap. 6. & inde probatur nos liberè, operari quia illi possumus resistere, quia ipsũ posse resistere, & signũm infallibile operationis liberæ, sed tũc cõsideramus ipsam Dei motionem existentẽ quidẽ in homine, sed in sensu diuiso, hoc est, considerando in illa, non habitudinem, ad modum operandi ex parte Dei, qui immutabilis, & infallibilis est, sed diuidendo ab illo modo, consideramus solum habitudinem ad causã, & modum causæ creatæ, quem ipse etiam Diuinus concursus intendit & attingit. Ex alia verò parte dicit scriptura Esth. 13. *Non est qui possit tuæ resistere voluntati*, & *Roman.* 9. *Voluntati eius qui resistet?* Et Augustin. de correction. & grat. capit. 14. *Deo volenti saluum facere nullum humanum resistit arbitrium.* Et D. Thom. primæ secundæ, quæstion. 10. articulo quarto, ad tertium. *Si Deus mouet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moueatur, non tamen est impossibile simpliciter, vnde voluntas à Deo non ex necessitate mouetur,* Quod vtiquè procedit posita motione Dei non ablata. Et quæstion. 112. articulo tertio: *Si ex intentione Dei mouentis est, quod homo cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur.* Vbi tota infallibilitas à D. Thom. ab Augustino, à scriptura reducitur ipsam voluntatem, & motionem Dei, cui nihil resistit, non ad præscientiam aliquã rei faciendæ ante omne istam voluntatem Dei; & tunc fit sensus compositus nostræ voluntatis cum voluntate & motione Dei, vt explicat modum immutabilem & vniuersalissimum ex parte Dei.

Ex dictis colliges quomodò rectè intelligatur definitio libertatis: *Quod est facultas, seu potentia, quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere.* Quæ definitio cõmuniter est apud omnes recepta. Et intelligenda est in omni amplitudine positis omnibus requisitis, tam ex parte causarum secundarum mouentium, qua ex parte causæ primæ, quia vt diximus etiam posita Diuina motione, & prædeterminatione potest voluntas agere, vel non agere, quia hoc ipsum posse resistere & dissentiri præbet, & conseruat illa Diuina motio, licèt de facto non resistet, nec dissentiet, cõparando voluntatem sic motam ipso modo mouẽdi Dei immutabili, & infallibili, definitio autem libertatis non dicit, quòd positis omnibus requisitis libertas nõ aget, sed quòd potest non agere, eò quod nulla requisita possunt illam potestatem tollere, multò minus Diuina præmotio, quæ propter suum vniuersalissimum modum operandi est causa huius potestatis libertatis creatæ, eamque non tollit, sed conseruat, & perficit tanquam radix illius. Vndè perperam P. Suarez Prolog. 1. suprà citato cap. 3. carpit Thomistas, quasi dicant potentiã esse liberam, quæ positis omnibus requisitis potest non agere; excipiendam tamen esse præmotionem Diuinam, si ly omnibus requisitis sumatur collectim in sensu composito; si autem ly omnibus intelligatur in sensu diuiso, id est aliquam illarum conditionum tollendo, potest libertas agere. Et contra hoc procedit eius impugnatio, quia ablata aliqua conditione requisita, etiam quæcũque causa naturaliter agens potest non agere, sicut sol potest non illuminare clausa fenestra. Sed nos iam supra reiecimus illam intelligentiam sensus compositi, & diuisi, & ideo non est, quod immoremur in respondendo Patri Suarez, sed sufficit dicere, quod positis omnibus requisitis etiam motione Dei prout præbet determinationem ad actũ, tollendo quidem indifferentiam potentialem & sufdum

pensiuam, præbendo autem & conseruando modum indifferentiæ actualis: & potestatis dominatiuæ potest oppositum facere voluntas; licet si consideretur modus operandi ex parte Dei, qui est immutabilis, & intendit aliquid in indiuiduo fieri, nō stet oppositū poni, quia non stat destrui illā immutabilitatem; sed sicut optimè saluatur immutabilitas actus Diuini cum libertate ipsius, qua potest oppositum, etiam saluatur eadem immutabilitas cū libertate creata causata à se, quæ est participatio quædam libertatis Diuinæ per quam potest modo suo proprio oppositum facere, licet immutabili modo ex parte Dei fiat. Itaque tunc prædeterminatio Dei & motio vniuersalissimæ suæ causalitatis tollet libertatem nostram, quando immutabilitas actus diuini tollet contingentiam, & mutabilitatē causæ creatę. Plura de his ad Theologos mittamus. pro Philosopho enim naturali hæc sufficiant de illis verò agemus Deo dante I. tomo I. p. pærsertim vbi ostendemus excludendam esse scientiā mediam, ne sumatur infallibilitas diuinorum decretorum ex suppositione effectus creati præuisi, ante omne decretum Dei.

ARTICVLVS IV.

Circa quæ obiecta versetur libertas?

AD discernendum obiecta, in quæ voluntas fertur liberè, & in quæ necessariò, distinguēdū est de libero quoad exercitiū, & quoad specificationem, & similiter de necessario. Quoad specificationem dicitur necessarium, quod ex ipsa ratione obiecti caret aliqua ratione terminante alium actum quam talis speciei, verbi gratiâ, amoris, & non odij. Quoad exercitium dicitur, quod ex parte subiecti talem habet dispositionem, quod non potest non elicere hunc determinatum actum Itaque necessitas specificationis tenet se ex parte principij specificantis, & cum hoc sit obiectum, oportet explicari penes id quod ex parte obiecti se tenet, scilicet quando ex parte obiecti nihil repræsentatur mali, quod possit odio haberi, & ita excludit libertatem contrarietatis, sed est posse amare, vel odio habere. Necessitas quoad exercitium tenet se ex parte principij operantis, & cum hoc sit subiectum, oportet explicari penes id quod tenet se ex parte subiecti, & elicientiæ, id est quando subiectum est taliter affectum, quod non potest suspendere actum circa aliquod obiectum, & ita excludit libertatem contradictionis, quod est velle, & non velle. Et opposito modo debet explicari libertas specificationis, & exercitij.

Vndè obiter colligo, quod licet possit dari obiectum circa quod necessitetur voluntas quoad exercitium, vt in visione clara Dei, tamen hæc necessitas non prouenit formaliter ex ipso obiecto, vt obiectum est, sed ex ipsa disposione subiecti circa tale obiectum. In quo veram existimo sententiam Caietan. I. p. q. 82. a. 2. Quam sequitur Bannez ibidem. *Ratio est*; quia obiectum, vt obiectum formaliter solū est principium specificandi, & sic ab ipso provt tale non prouenit formaliter necessitas exercitij, sed exercitium, seu elicientia formaliter prouenit à subiecto operante, & eius necessitas ex ipsa dispositione, & statu subiecti, est enim voluntas talis naturę, quod si toto pondere fertur in obiectum, fertur necessariò, quia nihil remanet, quo possit retinere & suspendere elicientiam, tūc autem fertur toto pondere, quando adæquatur vniuersalitati eius totaliter obiectum etiā cū plena aduertentia, tunc enim cum voluntas ratione suæ naturæ, & formalis rationis sit determinata ad bonum vt sic quando ex omni parte & totaliter poponitur bonum in omni sua vniuersalitate, & plenitudine non est in voluntate indifferentia, sed totalis determinatio ad tale bonum. Nec tamen quando dicimus naturaliter, & necessariò ferri voluntatem ad tale bonum, fertur per modum appetitus innati, sed eliciti, licèt necessariò, & ita dicitur naturalis ille appetitur, quia necessarius, non quia innatus procedit enim ex cognitione, imò ex plena aduertētia, & ideò maximè est volūtarius, quia ex maxima & plena cognitione, scil. ex visione Dei, & ex principio interno, scilicet ex ipso pondere voluntatis.

Quibus suppositis dico; *quòd obiectum necessariū quoad specificationem etiam datur pro hac vita, & est vnum tantum, scilicet beatitudo in comm, in quantum est ratio formalis appetendi bona. In beatitudine autē duo includuntur, scilicet esse, & bene esse, seu beate esse*, si enim aliquis non est, nec beatus est, & similiter si benè non est, beatus non est, & sic proprium esse, & benè esse necessitāt quoad specificationē, *& quidquid necessarium est quod specificationem ad alistorum reducitur. Reliqua vero omnia, quæ cum his duobus non habent necessariam connexionem, liberè sunt appetibilia. At verò quoad exercitium nihil necessitat voluntatem si aduertenter procedat, nisi solum Deus clare visus.* Prima pars sumitur ex D. Thom. I. 2. quæst. 10 articul. 2. præsertim ad 3. vbi inquit: *Quòd finis vltimus de necessitate mouet voluntatem, quia est bonum perfectum, & similiter illa, quæ ordinantur ad hunc finem, sine quibus finis haberi non potest, sicut esse, & viuere, & huiusmodi*, & quæst. 6. de mal. artic. vnic. ad 7. *Nullum bonum*, inquit, *superat virtutem voluntatis, quasi ex necessitate eam mouens, nisi id, quod est secundum omnem considerationem bonum, & hoc solum est donum perfectum quod est beatitedo, quod voluntas non potest non velle, ita scilicet quod velit eius oppositum, potest tamen non velle actu, quia potest auertere cognitionem beatitudinis, in quantum mouet intellectum ad actum suum.* Videatur etiam S. Doctor. I. parte, quæstion. 82. articul. I. & quæstion. 22. de Verit. articul. 5. & 6. *Ratio autem sumitur ex dictis*; quia illud est bonum necessitans quoad specificationem quòd in ipsa ratione formali, qua specificat voluntatem, non habet nisi rationem boni, quod est proprium specificatiuum voluntatis, voluntas autem, necessitatur non exire limites suæ specificationis, alias mutaret essentiam & speciem suam, ergo quando obiecto, non est nisi proprium specificatiuum voluntatis, tunc tale obiectum non est capax odij, & sic necessitat voluntatem, vt si tendit in illud, tendat per modum amoris, quia non est in obiecto, nisi specificatiuum amandi, quod est bonū, ergo sicut coarctatur voluntas ad suam rationem formalem specifiatiuam, ita ad amandum illud obiectum, quoad specificationem. Et ex hoc etiam probatur, quod beatitudo necessitans voluntatem non est beatitudo materialiter sumpta in aliquo, & vt induit rationem obiecti, quod appetitur, sed beatitudo vt exercet rationem formalem, propter quam aliquid appetitur. Vnusquisque enim desiderat quiescere in bono, quod est benè, seu beatè se habere, & hoc est vltimum per modum finis, quod vnusquisque petit, & ideò induit rationem formalem, propter quam cæteræ appetuntur, quia est ipsa ratio formalis, quæ in fine desideratur, ideò enim aliquid pro fine habetur, quia in eo intenditur quiescere tanquam in bono, ipsa ergo beatitudo, seu quies vltima

ma in bono sicut est ratio formalis appetendi finem, ita est ratio motiua propter quam cætera appetuntur. Cum ergo voluntas in omni suo actu debeat respicere aliquem finem, & à ratione formali motiua finis moueri, hæc autem est idem quod beatitudo sumpta pro ratione formali beatitudinis, quod est velle benè se habere seu quiescere in bono, sicut non potest voluntas exire limites suæ rationis formalis specificatiuæ & motiuæ, ita nec potest non necessitari ad beatitudinem vt ratio formalis est, quia hæc est ipsa ratio boni.

Vnde colligitur; quòd si beatitudo ipsa pro materiali aliqua sumatur in quo existimatur inueniri ratio formalis beatitudinis, non necessitatur voluntas ad talem beatitudiem materialiter & obiectiuè sumptam, nisi constet, & manifestè appareat voluntati, rem illam esse, cui adæquatè & vniuersaliter conueniant omnes conditiones beatitudinis quod est esse omne bonum, quod solum potest cōstare videndo Deum ipsum, Deus autem cognitus non in se, sed per connotationem ad creaturas, & per viam remotionis, licet in se sit summum bonū, tamen dum non apparet positiuè in seipso, sed per effectus, non terminat adæquatè voluntatem, nec necessitat quoad specificationem, quia negatio non est specificatiuum, sed positio boni, nec necessitat bonum admixtum alicui limitationi. Omnia autem bona quæ non repræsentantur vt plenè bona, vel connexionem necessariam habentia cum pleno bono displicere possunt voluntati, & non necessitant illam.

Dices; qui peccat sciens se amittere beatitudinem, facit contra ipsam beatitudinem, ergo displicet ei de facto & efficaciter. licet vellet non amittere illam, sicut qui proiicit merces, in mare, displicent ei merces non absolutè, sed vt onerantes & exponentes periculo, ergo similiter beatitudo, licet absolutè non displiceat, tamen vt prohibens illud peccatum displicet, & sic non necessitat quoad specificationem, quia potest considerari ex aliqua parte, ex qua non sit appetibilis. *Secundò*, qui seipsos occidunt, aut sunt in inferno displicet eis ipsum esse & viuere, quatenus consideratur vt miseriis plenum, ergo non necessitat quoad specificationem, & vt adæquatè & plenè bonum, sed vt obiectum displicentiæ pro aliqua parte.

Ad primum respondetur, quòd peccans diuertit à vera beatitudine ad apparentem, & ab eo quod in re & materialiter est vera beatitudo ad id quod sibi proponitur & apparet tanquam beatitudo; vult enim delectari aut quiescere in aliquo bono, quod est beatè seu benè se habere quantum ad rationem formalem, errat tamen in ipsa re materiali, quam eligit ad quiescendum, non ergo beatitudo formalis vt formaliter considerata, seu vt ratio appetendi vnquam displicet, id est, nunquam est ratio displicendi, sed semper necessitat quoad specificationem, licet materialis beatitudo quam amittit, id est, res illa in qua dicitur esse beatitudo non necessitet quoad specificationem, sed considerari possit vt pœnalis, & onerosa hic, & nunc, ex aliqua parte.

Ad secundum similiter respondetur, quod etiam qui se occidit, habet odio esse materialiter consideratum, & vt subiectum miseriæ, non formaliter quia ipsum non esse desiderat sub aliqua ratione essendi, scilicet sub ratione essendi liberum à miseriis, quæ sunt mala quædam & defectus essendi. Addo, quòd qui se occidit, intensius desiderat esse formaliter consideratum, quam qui se non occidit, quia ex eo quod ita ardenter appetit esse sine miseriis, quod non potest illas tolerare nec carere quiete vel delectatione ideo ita intensè mutetur ad destruendam miserim, quod etiam subiectum miseriæ, quod est ipsa vita, non vult tolerare, quam tamen tolerat alter, qui non ita ardenter appetit esse sine miseriis. Vnde constat quod qui se eccidunt, nimis appetunt beatitudinem seu conditiones eius, quales sunt delectatio, abundantia, carentia, miseriæ, &c. quia neque ad horam patiuntur carere illis, ita vt si careant, etiam subiectum quatenus carens illis velint destruere, & sic *qui amat animam suam perdet eam*, id est ex nimio amore perdet.

Vltimum quod dicimus in conclusione, scilicet necessitari voluntatem quoad exercitium ab ipsa visione clara Dei, *sumitur ex ratione* insinuata à D. Thom. prima parte, quæstion. 82. articul. 2. quia voluntas videntis Deum per essentiam videt omne bonum. *Exod. 33. Ego ostēdam tibi omne omne bonū*, & sic de necessitate inhæret Deo, sicut ex necessitate volumus esse beati. Cuius rationis vis in eo consistit, quia visio summo bono non potest proponi cessatio amandi ipsum, nisi proponatur cessatio volendi esse beatum, quia vellet relinquere totalem, & vniuersalem rationem beatitudinis, quæ per illud exercitium habetur, & amatur, ergo non potest displicere illud exercitium, quo tale summū bonum amatur, nisi displiceat ei vniuersalis ratio boni, quæ in illo exercitio habetur, hoc autem esset egredi limites suæ rationis formalis specificantis, quæ continetur sub vniuersali ratione boni seu beatitudinis Plura de his spectant ad Theologos citato loco 1. partis, & 1. 2. quæstion. 10.

ARTICVLVS V.

Vtrùm voluntas sit perfectior potentia intellectu?

CErtant in hac difficultate *Schola D. Thomæ & Scoti*. Existimant enim Scotus in 4. dinct. 49. quæstion. 4. voluntatem esse potentiam perfectiorem intellectu; eúmque sequitur eius schola, aliique plures vt Bonauentura, Ægidius, Argentinas, Gabr. Mai. ad eandem distinction. 49. *Fundamentum* sumitur ex quatuor præcipuis conditionibus, quæ astruerere possunt nobilitatem alicuius potentiæ, scilicet ab obiecto, ab efficacia potestatis, ab actu seu effectu præstantiori, ab opposito suo, quod est deterius.

Ab obiecto sumitur prima ratio; quia obiectum voluntatis est perfectius; vtpotè ipsum bonum, quod est perfectio & actualitas entis, & respicit ipsum esse, in quod voluntas tendit; existentia etiā est maxima actualitas & perfectio in ente, & bonum ipsum est perfectiùs quàm verum, cum perfectio entis per bonitatē explicetur, & vnūquodque in tantum sit bonum in quantum perfectum & integrum. Ergo obiectum proprium voluntatis est excellentius obiecto intellectus.

Ab efficacia potestatis deducitur secunda ratio: Nam obiectum voluntatis est bonum seu finis, qui est prima causarum, & ideo habet voluntas potestatem mouendi cæteras potentias, & dominum super illas, etiam super intellectum: ergo tanto præstantior est voluntas intellectu, quanto imperans

perans imperato, superior inferiori, potentia formaliter libera, eà, quæ formaliter est necessaria, licet radicaliter sic libera, præsertim cum nulla alia potentia possit habere dominium supra voluntatem, ergo ipsa est actualior,& perfectior omnibus,quia potestas mouendi in actualitate fundatur.

Ab actu & effectu tertia ratio deducitur, quia præstantissimus actus voluntatis, qui est charitatis, excedit præstantissimum actum intellectu, vnde charitas excellentior est reliquis virtutibus Paulo attestante 1. Corinth. 13. Maior autem *horum est charitas*, & constat, quia per actum charitatis magis aliquis appropinquat Deo, & vltimò disponitur ad gratiam, ergo oportet, quòd ipsa potentia etiam sit præstantior simpliciter intellectu. Vnde D. Thom. 1. part. quæstion. 82. articul. 3. fatetur, quòd cognitio eorum quæ infra nos sunt, est perfectior amore eorum, respectu verò rerum, quæ supra nos sunt præstantior est amor cognitione, ergo præstantissimus actus voluntatis excedit præstantissimum intellectus,& sic ipsa potentia simpliciter est præstantior. *Ab effectu etiam patet. Tum*, quia à voluntate simpliciter denominamur boni, vel mali; non ex actu intellectus. *Tum*, quia inter spiritus angelicos, ordo qui excedit in amore, scilicet Seraphim est simpliciter perfectior reliquis etiam quam Cherubim, qui excedit in scientia, ergo ex amore sumitur maior excellentia inter Spiritus, & consequenter inter potentias.

Ab opposito denique deducitur quarta ratio. Quia illud est simpliciter perfectius, cuius oppositum est pessimum, oppositio enim & destructio alicuius tantò est deterior, quantò id, quod destruit est excellentius, ergo quando aliquid est pessimum, eius oppositum est optimum. Inter peccata autem, odium Dei, quod directè opponitur charitati, est pessimum inter omnia vitia, etiam peius infidelitate, ergo amor eius, qui est oppositum est excellentior omni cognitione.

Oppositam sententiam tenet S. Thom. prima parte, quæst. 82. art. 3. contra Gent. cap. 26. & quæst. 22. de Verit. art. 11. videndus est etiam prima parte, quæst. 26. artic. 2. vbi intellectualem operationem dicit esse perfectissimum in qualibet intellectuali natura,& Caietan. ibi,& quæst. 82. citata, cùm aliis Interpretibus D. Thom. ad prædicta loca, & Suarez 5. de Anima, capit. 9. Vazquez 1. 2. disput. 11. cap. 8. Rubius, & Conimb. in præsenti in 3. de anima aliique plures. Itaque hæc sententia docet intellectum esse perfectiorem simpliciter, quam voluntatem, posse tamen voluntatem esse secundùm quid perfectiorem. Vocamus autem perfectionem simpliciter potentiæ, illam, quæ desumitur ex obiecto secundùm modum mouendi & mutandi potentiam, hoc enim est, quòd pertinet ad ipsam substantiam seu essentiam potentiæ, quæ essentialiter desumitur ex ordine ad obiectum formaliter consideratum,& sic potentia quæ altiori modo immutatur ab obiecto dicitur habere rationem obiectiuam altiorem. Perfectio autem secundùm quid prouenit ex aliis conditionibus præter illam,& pertinentibus ad obiecta materialia, vel ad alias conditiones, seu circumstantias extrinsecas præter genus causæ obiectiuæ & specificantis, vt benè aduertit Caietan. 1. p. quæst. 26. cit. art. 2. Itaque respectiuè ad rationem specificatiuam potentiæ, seu obiectiuam reliqua omnia comparantur, vt perfectiones secundùm quid.

Igitur, quòd intellectus sit altior voluntate ex vi specificationis obiectiuæ, *fundatur in eo*; quia modus specificandi intellectus est immaterialior, actiuior & perfectior, quàm voluntatis, magisque recedens à potentialitate, & concretione, ergo potentia ipsa est perfectior. *Consequentia optima est*, quia immaterialitas est segregatio à materialibus & potentialibus conditionibus, omnis autem imperfectio fundatur in potentialitate & materialitate, quæ limitationem & oppositionem dicit ad actualitatem, ergo quanto aliquis modus obiecti, & potentiæ est immaterialior, tanto est actualior & perfectior, quia magis segregatur à potentialitate. *Antecedens verò probatur*, Quia obiectum intellectus immutat ipsum abstractiori & immaterialiori modo, quia sic mouet intellectum, vt possit ad omnia penetrare, quæ in obiecto sunt, & sub quocumque statu & conditione, siue existentiæ, siue non existentiæ, præscindendo, componendo, diuidendo, &c. Vnde dicitur intellectus, quasi intus legens, quia vsque ad vltima ingreditur, quantum est de se, nisi ex defectu luminis, vel specierum impediatur, voluntas autem nihil horum facit, sed factum ab intellectu supponit, & prout sibi propositum fuerit obiectum, sic inclinatur, nec ita amplè ad omnia se extendit, sed solùm ad rationem conuenientis, & licèt feratur in finem per modum intendentis & mouentis ad illum, tamen hoc ipsum debet prius ab intellectu abstractiori modo attingi & proponi, aliàs voluntas non mouebitur. Igitur in attingentia obiectiua, primum locum obtinet intellectus, licet in motu quasi applicatiuo & effectiuo voluntas excedat, sed tamen genus mouendi effectiuè est posterius genere obiectiuo in potentiis; ab obiecto enim sumitur specificatio, motio autem finis, quæ est prima causarum, licet exerceatur per voluntatem, non tamen incipit ab ipsa, sed ab intellectu proponente & alliciente voluntatem. Vnde constat, quod in genere obiectiuo, & finali intellectus simpliciter est primum mouens, & in attingentia obiectiua primò apprehendit & attingit obiectum, voluntas autem ex eius apprehensione mouetur, ergo in vi motionis specificatiuæ eminet intellectus suprà voluntatem. Et ita liberiùs & abstractiùs procedit attingendo obiectum sub quocunque statu possibilitatis, vel existentiæ sub præcisione, vel sub compositione in ordine ad se, vel ad alia, & secundùm omnes formalitates reperibiles in obiecto, voluntas autem solùm sub illo statu, quo potest allicere, & mouere per modum conuenientis, & secundum aliquem ordinem ad existentiam & assequibilitatem.

Denique intellectus propinquior est ipsi animæ, & prius, sequitur ad illam tanquam prior passio quàm voluntas, non tanquam dispositio ad voluntatem requisita, quin potiùs voluntas se habet vt inclinatio consecuta ad intellectum vt ad formam, ergo in dignitate, & immaterialitate magis accedit ad naturam animæ intellectus, magisque de illa participat, quàm voluntas, quanto enim aliqua propria passio immediatior est suo principio, seu essentiæ à qua sequitur, tanto est perfectior, quia sequens passio dependet ab ipsa, non è contra,& vnumquodque, quanto naturaliter propinquius est suo principio, tanto perfectius est.

Quòd verò voluntas secundum quid sit altior intellectu, constat ex dictis, quia est primum mouens in genere efficiendi, & applicandi alias potentias quoad exercitium, ergo in hoc genere excedit intellectum, qui solum mouet obiectiue; *idque etiam probant argumenta facta in contrarium, vt constabit ex eorum solutione.*

Ad primum ergo fundamentum in oppositum negatur, obiectum voluntatis in formali ratione obiecti, & modo immutandi potentiam esse perfectius, licet

licet in re, materialiter aliquando sit perfectius. *Et cum dicitur*, quod obiectum ipsius est bonum & finis, *distinguo*, bonum & finis prius ab intellectu apprehensum & mediante ipso regulans *concedo*, non apprehensum *nego*: bonum autem apprehensum perfectius in ratione obiecti attingitur ab intellectu, quam à voluntate, quia attingitur sub ratione quidditatis, & consequenter altiori, & abstractiori modo, & sic bonum non est perfectius vero in ratione immutandi obiectiuè potentiam. Quare non est existimandum, quod bonum & finis & existentia non pertineant etiam ad intellectum, sed pertinent altiori modo, quatenus in ratione cuiusdam quidditatis attinguntur, non sub eo modo, quo attinguntur à voluntate, scilicet sub exercitio mouentis finaliter, qui motus cum sit allectiuus, & ordinatus ad assequendum rem in esse, minus immaterialis & abstractus est. Vndè cum etiam bonum & finis attingantur ab intellectu, modo tamen altiori, non potest fieri ex hoc argumentum ab probandum quod voluntas sit perfectior potentia intellectu. Et hoc expressit S. Thom. prima parte, quæstione 82. articul. 3. vbi inquit: *Quòd obiectum intellectus est ipsa ratio boni appetibilis, bonum autem appetibile, cuius ratio est in intellectu, est obiectum voluntatis.* Vbi dicendo quod ratio boni est obiectum intellectus, significat, quod secundum rationem, & quidditatem attingitur ab intellectu, qui est modus altior & abstractior, à voluntate vero non attingitur ratio boni, id est quidditas, sed motio & exercitium boni. *Nec obstat dicere*, quod verum est quoddam bonum particulare & sic est minus in ratione boni ipsa ratione boni vniuersali. Dicitur enim, quod etiam bonum est quoddam verum, & sub eo continetur, vnde ad inuicem se continent & continentur, sed tamen etiam ipsa ratio vniuersalis boni ab intellectu attingitur, vnde ex hac parte non est inferior ipsa voluntate, quia totum quod attingit voluntas, vniuersaliter etiam attingit intellectus sub altiori ratione obiectiua, scilicet sub ratione veri, licèt ipsum verum vt res quædam est, contineatur sub bono, sicut etiam bonum continetur sub vero.

Ad secundùm respondetur, probare, quod voluntas sit altior intellectu in vi causæ motiuæ, & applicatiuæ quoad exercitium, non in vi causæ obiectiuæ, & specificatiuæ, in hoc enim semper est eleuatior modus specificandi in obiecto intellectus, quia modo magis immateriali immutat, & hoc est maioris nobilitatis in vi obiectiuæ specificationis. Et idem dicitur de formali libertate, vel necessitate, hoc enim non pertinet per se ad perfectionem obiectiuæ specificationis, sed ad modum mouendi ex parte subiecti. Et tamen ipsam formalem libertatem habet voluntas ab intellectu, vt à radice participare. Vndè ex hoc non est imperfectior intellectus, sed perfectior radicaliter.

Ad tertium quoad primam partem de actu charitatis. Respond. in primis ex Caietan. 1. p. quæst. 26. art. 2. & quæst. 82. art. 3. quod charitatis actus non est excellentior perfectissimo actu intellectus, qualis est visio beata, oportet autem comparationem istam actus ad actum semper fieri ex æquo, id est perfectissimi actus vnius potentiæ cum perfectissimo actu alterius, non autem cum aliis actibus minus perfectis quos potest vincere charitas. *Secundò dicitur*, quod actus charitatis est perfectissimus ratione rei attactæ, & coniunctionis ad ipsam, non ratione modi specificandi obiectiue, hic enim in intellectu semper est altior, & abstractior, vt dictum est. Sed tamen potest dici aliquis actus voluntatis simpliciter perfectior actu intellectus, non in modo obiectiuæ specificationis, sed in aliquo effectu particulari, quia scilicet aliquod obiectum prout in re contingit esse perfectius, quam in modo intelligendi, & voluntas modo affectiuo tendens ad rem vnitur obiecto, & tangit illud vt est in re, & sic in ratione coniunctionis, & vnionis affectiuæ, perfectior dicitur actus voluntatis, quam intellectus, quando in obiecto ipso volito inuenit in re tantam immaterialitatem, & perfectionem vel maiorem quam intellectus. Sed hoc non est ex ipso modo proprio, & intrinseco potentiæ, quo tendit ad obiectum, sed ex perfectione ipsa quam obiectum habet in se. Vndè si tale obiectum immediate vniatur intellectui vt fit in visione beata, etiam in ratione vnionis erit excellentior actus. Et quando D. Thom. dicit amorem rerum superiorum esse nobiliorem cognitione ipsarum, loquitur in sensu valde formali, scilicet de rebus superioribus, quatenus manent in statu superiori ad ipsum intellectum, ita quod non immediate intellectus coniungitur illis, tunc enim licet ex modo intrinseco potentiæ, intellectus altiori & nobiliori modo procedat, tamen quia non adæquat in coniunctione ad obiectum iste modus, id quod in obiecto est, quia sibi non sufficienter apparet, ideò in ratione coniunctionis manet inferior voluntate, sicque simpliciter ille voluntatis actus est nobilior, quia coniunctio ad rem nobiliorem & superiorem, semper præeminet reliquis omnibus: sicut etiam vnio hypostatica simpliciter est nobilior quocumque actu intellectus, vel voluntatis, quia ad supremum ordinem eleuat & summe Deo coniungit.

Ad secundam partem argument. de effectibus Respond. quod attinet ad primum effectum, scilicet reddere hominem simpliciter bonum, quod facit voluntas non intellectus, *dicimus*, quod ille effectus est in genere morali, non in genere specificationis obiectiuæ physicæ in quo intellectus supereminet, & de quo solùm hic agimus. *Vel secundò*, quod istum effectum moralem rectificandi non habet voluntas vt contraposita intellectui, qua ratione solùm debet fieri comparatio, sed vt subiecta regulæ rationis, & ita à ratione participat rectificationem vt à perfectiori principio. Vnde non rectificat sola voluntas, sed etiam ratio, idque tanquam perfectius principium, licèt non denominetur aliquid simpliciter rectus nisi ab ipsa voluntate in qua consummatur rectificatio, vt voluntaria, licèt inchoetur à ratione vt à regulante. Quoad alium effectum de ordine Seraphinorum, *dicimus* denominari ab excessu amoris non tanquam à perfectiori simpliciter, & in se, sed à perfectiori quem influunt in alios, vel in quo specialiter excelluerunt in via. Denominatio enim ordinis Hierarchici, potius sumitur ab officio, & munere quod exercent in alios, quam ab eo, quod in se sunt. In alios autem non possunt influere visionem beatam, seu lumen gloriæ, quia gloriam solus Deus dat. Extra visionem autem beatam perfectior est charitas, quam quælibet alia scientia, vndè cum Seraphim ministrent Deo in perficienda ista virtute in aliis, hinc est quod denominantur ab isto perfectissimo ministerio, quasi ardentes, & incedentes.

Ad vltimum dicitur, quod odium Dei potest considerari, vel in esse physico vt opponitur amori, vel in esse morali, vt importat specialem auersionem à Deo in ratione charitatis. Primo modo non est pessimum odium physicè, sic enim peior est priuatio gloriæ & perpetua damnatio, quæ est maxima elongatio à Deo in termino. At verò secundò modo, pessimum est odium, quia magis directè opponitur

nitur conuersioni Dei, quam facit charitas, & sic est magis directa auersio, sed hoc est in genere moris potius, quam in genere amoris physice considerati, nos autem solum loquimur in genere physico, & obiectiuo, non de perfectione in esse morali.

ARTICVLVS VI.

Vtrum voluntas moueat alias potentias imprimendo aliquid reale in illas?

ETsi in hac difficultate multi sint modi dicendi, præcipuè tamen possunt reduci ad tres sententias. *Prima affirmat* quando duæ potentiæ in eadem anima existentes, ita se habent, quod vna subordinatur alteri, & mouetur ab illa, non requiritur aliqua motio physica, & realis impressa à potentia mouente in mota, sed sufficere radicationem, & coniunctionem in eadem anima, ratione cuius per naturalem sympathiam, vna potentia operante, aut appetente, alia ei subordinata operatur & exequitur. Hanc sententiam, aut tenent, aut probabilem reputant plures Authores etiam ex Thomistis, Conimb. 7. Physic. cap. 2. quæst. 1. a. 7. Idque dicunt esse multorum Phil. huius temporis. Idem docent 1. Post. c. 1. quæst. 4. & Vazq. 1. 2. disp. 34. c. 3. Montesinos 1. art. 2. quæst. 9. art. 1. quæst. 4. num. 92. & M. Nauar. 2. tom. in 1. p. q. 14. art. 8. contr. 10. §. 4. ad 2. partem arg. & M. Led. lib. de auxiliis, quæst. vnica art. 3. p. 82. quamuis oppositam, vt probabiliorem admittat p. 152. & M. Torre, tom. 1. de Relig. q. 8. art. 7. disp. 3. Fuit autem hæc sententia olim Scot. in 2. dist. 42. quæst. vni. conc. 3. Imò influxum Dei in causas secundas vult Scotus esse per sympathiam, non per qualitatem impressam, sed eò mera subordinatione causæ secundæ ad ipsum. Hanc sympathiam aliqui influxum seu motionem moralem vocant, sumendo moralitatem pro extrinseca subordinatione, qua nihil ponitur in re mota.

Secunda sententia solum agnoscit concursum simultaneum voluntatis cum aliis potentiis ita quod ex voluntate & potentia inferiori fit quasi vna integra causa, quæ operatur illum effectum, non autem quod aliquid præuium motione sua imprimat voluntas in aliis potentiis ad operandum. Ita Conimbricens. in lib. Ethicorum disput. 4. quæstion. 3. art. 1. & 3. de Anima cap. 13. quæst. 5. art. 3.

Tertia sententia fatetur per motionem vnius potentiæ in aliam, quæ effectiue mouet aliquid reale imprimi in potentia mota, ratione cuius operatur vt subordinata alteri. Hanc sententiam ex Caiet. 2. 2. q. 23. art. 8. docet M. Ledesm. vbi supra pag. 152. & pro ea etiam videri potest M. Martinez 1. 2. quæst. 9. art. 1. dub. 3. idem sentit M. Torre, vbi supra loquendo de actibus elicitis ab vna virtute existente in alia potentia, vt cùm religio elicit orationem, fides confessionem vocalem & similia, secutus in hoc Caiet. 2. 2. quæstion. 81. articul. 4. ac denique posse vnam potentiam, vel habitum vnius potentiæ aliquam impressionem realem ponere per suam motionem in alia potentia vel habitu, valde commune est inter Thomistas? Imò si qui ponunt motionem per sympathiam, seu radicationem in eadem anima, non tam ex proposito id tractant, quam ponunt differentiam inter motionem Dei in causas secundas, & voluntatis in suas potentias, quod licet ista fiat per sympathiam & radicationem, illa non nisi per realem motionem.

Vt resolutionem ex mente Diui Thom. tradamus, aduertendum est; quod motio vnius potentiæ in aliam potest dupliciter intelligi. *Primò sic*, quod ex tali motione recipiat potentia mota aliquam maiorem virtutem ad producendum effectum aliquem, seu perfectionem; vltra id quod potest ex propria virtute, sicut cum ex motione charitatis eleuatur fortitudo, vel temperantia, non solum ad operandum temperate vel fortiter, quod est propriæ virtutis, sed etiam propter Deum supernaturaliter amatum seu cum habitudine ad illum, quod ex se non poterat, de quo etiam plura exempla statim afferemus. *Secundò sic*, quod potentia mouens solum applicet, & determinet potentiam motam inferiorem ad operandum actum sibi proprium, non tamen perfectiorem, aut eleuatiorem, quam sit in se, sicut si voluntas applicet visum ad videndum, & auditum ad audiendum, & nihil amplius, & idem inquirimus, an potentia mouens imprimat aliquid potentiæ motæ, vt manent applicata.

Dico ergo primò: *Quando potentia inferior, vel virtus operatur aliquid vltra proprium modum suum non quasi habitualiter & permanenter; sed in aliquo actu ex actuali participatione superioris potentiæ, non potest hoc fieri per solam sympathiam, & radicationem in eadem anima sed per impressionem realem, & physicam à voluntate, vel virtute superiori deriuatam ad inferiorem.* Hæc sententia perpetuo docetur à D. Thom. qui nusquam meminit illius sympathiæ, seu radicationis: sed solum impressionis, diffusionis, virtutis relictæ ex potentia superiori, quæ omnia immutationem realem explicant factam à potentia superiori in inferiori, & aliquid reale in ea relictum quod ad effectum aliquem realem ordinatur. Et in primis pondero illum locum Diu. Thom. 2. 2. de veritate articul. 13. vbi inquit: *Quandocumque sunt duo agentia ordinata, secundum agens dupliciter potest agere. Vno modo secundum quod competit suæ naturæ, alio modo secundum quod competit naturæ superioris agentis, impressio enim superioris agentis manet in inferiori, & ex hoc inferius agens non solum agit actione propria sed actione superioris agentis, sicut sphæra solis mouetur proprio motu, qui spatio vnius anni expletur, & motu etiam primi mobilis, qui est motus vnius diei. Similiter aqua mouetur motu proprio tendente in centrum, & habet quendam motum ex impressione lunæ, quæ mouet ipsam, vt patet in fluxu, & refluxu maris. Ratio autem, & voluntas sunt quædam potentiæ operatiuæ ad inuicem ordinatæ. Vnde voluntas potest habere duplicem actum, vnum qui competit ei secundum suam naturam, in quantum tendit in proprium obiectum absolute, & hic actus attribuitur voluntati simpliciter vt velle, & amare, quamuis ad hunc actum præsupponatur alius rationis, à quo proponitur obiectum. Alium verò actum habet, qui competit ei secundum id, quod ex impressione rationis relinquitur in voluntate, cum enim proprium rationis sit ordinare, & conferre, quandocumque in actu voluntatis apparet aliqua collatio, vel ordinatio, talis actus erit voluntatis non absolutè, sed vt motæ, & directæ à ratione.* Idem docet è conuerso de actu intellectus vt moto à voluntate, & ex eius impressione speciali operante, in 1. 2. quæstion. 17. articul. 1. vbi docet imperium esse actum rationis vt motæ ab efficacia voluntatis. Et hanc virtutem, seu motionem docet esse sicut impulsum, & alterationem in 1. part. quæstion. 82. articul. 4. *Dicitur*, inquit, *aliquid mouere per modum agentis, sicut alterans mouet alteratum, & impellens impulsum & hoc modo voluntas mouet intellectum, & omnes vires animæ vt Anselmus dicit.* Ita D. Thomas.

Quod verò aliqui respondent, quod voluntas efficax dicitur impellere, quia eo ipso quod ponitur eius mo-

motio efficax, ſequitur propter ſympathiam de neceſſitate operatio in aliis potentiis. Dicitur etiam voluntas mouere quaſi alterans, quia propria operatio alterius potentiæ quæ à voluntate mouetur, eſt quædam alteratio perfecta. *Sed contra eſt*; quia ſi voluntas dicitur alterans vel impellens, quia operatio potentiæ motæ ab ea eſt alteratio, vel quia ſequitur effectus in potentia inferiori poſita voluntate, ſine alia motione, ergo relinquit D. Thomas inexplicatum id, quod intendebat explicare, ſc. quomodo ipſa voluntas fit mouens, ſi enim voluntas dicitur alterans, quia eius effectus in potentia mota alteratio eſt, reſtat videre an hunc effectum in potentia mota, voluntas facit alterando, id eſt, motione aliqua phyſica vel non, & hoc intendebat ibi D. Thom. & proponebat explicare, ergo diminutè procedit, & ab intento diuertit, ſi proponendo explicare quomodo voluntas moueat, ſolum explicat quòd eius effectus ponatur in potentia inferiori, vel quod ſit alteratio in potentia mota.

Secundò videndus eſt D. Thom. in 3. diſt. 23. quæſt. 1. art. 1. vbi docet virtutes motas à voluntate ab ea recipere formam aliquam ipſius, ſecundùm quod omne mouens & agens imprimit ſuam ſimilitudinem in motis & patientibus. Et ibidem diſtinct. 27. quæſt. 2. art. 4. quæſt. 3. ad 5. inquit: *Quod vnaquæque virtus quæ eſt in inferiori potentia, habet quandam formam, quæ eſt virtus ex participatione ſuperioris potentiæ, ſed formam, quæ eſt hæc virtus, habet ex natura propriæ potentiæ per determinationem ad proprium obiectum, & hanc formam & modum ponit virtus circa ſuum actum, & iterum illam formam, & modum quem habet ex ſuperiori.* Quòd verò iſtud, quod habet ex ſuperiori, ſit aliquid intrinſecum, & reale in inferiori, apertè dicit D. Thom. quæſt. 14. de Verit. art. 5. ad 4. vbi inquit: *Quòd id, quod ex charitate relinquitur in fide, eſt fidei intrinſecum*, conſtat autem charitatem mouere fidem, ergo motio iſta, & impreſſio potentiæ mouentis in potentiam motam, non poteſt apud D. Thom. explicari per ſympathiam & colligationem potentiarum in anima, quæ nihil imprimit intrinſecum in potentia mota, nec formam aliquam participatam à ſuperiore, vt in effectu ſuo illam imprimat, ergo ſecundùm D. Th. motio potentiæ ſuperioris per impreſſionem nouam fit, non per ſympathiam.

Denique D. Thom. 1. p. q. 56. art. 2. dicit: *Quod vna virtus pertinere poteſt ad plures potentias, ita quòd in vna ſit principaliter & ſe extendat ad alias per modum diffuſionis, vel per modum diſpoſitionis, ſecundùm quod vna potentia mouetur ab alia, & ſecundùm quod vna potentia mouetur ab alia, & ſecundùm quod vna potentia accipit ab alia.* Ergo non ex colligatione in eadem eſſentia, ſed ex extenſione per modum alicuius diffuſionis vel diſpoſitionis dicitur vna potentia mouere aliam.

Fundamentum concluſionis ſumitur ex dictis, quia vt conſtat in exemplis allatis à D. Thom. quæſtion. illa 22. de Verit. aliquando virtus inferior habet elicere actum phyſicè & realiter, non ſolùm ſecundùm virtutem propriam & connaturalem, ſed etiam ſecundùm virtutem participatam à ſuperiori potentia, ſed ad hoc non ſufficit ſympathia, & colligatio naturalis potentiarum in vna natura, nec ſola extrinſeca coniunctio, & aſſiſtentia potentiæ ſuperioris ad inferiorem, ergo neceſſaria eſt motio, ſeu impreſſio realis de nouo facta. *Maior conſtat* exemplis illis D. Thom. de mari fluente & refluente ex impreſſione Lunæ, de ſphæris inferioribus raptis à primo mobili de voluntate non ſimplici modo volente, ſed cum aliqua collatione & comparatione ex participatione diſcurſus. *Minor vero probatur*, quia illa ſympathia & colligatio potentiarum neque immutat potentiam inferiorem in ſe, aliquid de nouo illi addendo & confortando ipſam, neque in ſua radice, hoc eſt in ipſa natura, quia vt ſupponit hæc ſententia, quando ſuperior potentia operatur, nulla realis mutatio fit in inferiori potentia ex tali operatione, & multò melius in ipſa natura, quæ eſt eius radix, aut in vnione potentiarum, ſi enim natura, vel vnio mutatur realiter, cur non multò minus ipſa potentia ſeu virtus? Solum ergo fit mutatio in ipſa potentia ſuperiori operante, cuius actu poſito ſine alia mutatione, ſed ſolum per naturalem colligationem alterius potentiæ ſequitur actus in inferiori, & ſic actus ſuperior purè concomitanter ſe habet, non verò realiter perficit naturam vel inferiorem potentiam. Sed potentia, quæ nec in ſe, nec in ſua radice immutatur, non poteſt perfectiorem & excellentiorem effectum elicere quàm ante, ſiquidem cauſa creata eodem modo ſe habente, ſequitur idem effectus, ergo ſi realiter & phyſicè maior & excellentior effectus progreditur ab inferiori, quam eius connaturalis virtus poſſit ex ſe, neceſſariò à ſuperiori debet perfici & immutari realiter.

Confirmatur hoc; quia virtus inferior ex colligatione in eadem natura & radice cum potentia ſuperiori, vel habet maiorem perfectionem permanenter & perpetuo, ſicut calor in animali habet generare carnem, imaginatiua in homine diſcurrere, & tunc non ex colligatione ad potentiam ſuperiorem vt operantem hic & nunc, ſed ex ipſa prima dimanatione à natura, accipit illa maiorem virtutem & perfectionem. Vel potentia inferior non ex ipſa prima dimanatione, ſed ex operatione, & motione ſuperioris hic & nunc facta, habet perfectius operari, in quo caſu loquimur in præſenti, & ad hoc non ſufficit ſympathia ſeu colligatio potentiarum, ſed requiritur noua aliqua immutatio, & impreſſio in potentia inferiori, quæ ilii virtutem addat, ſeu ad perfectiorem effectum realiter virtuoſiorem reddat, eò quòd effectus ipſe perfectior debet realiter exire à tali virtute inferiori in illo autem principio à quo exit immediatè effectus aliquis, oportet eſſe proportionem cum talis effectu exeunte; ſola autem vnio vel colligatio potentiarum in eadem natura, non facit maiorem proportionem in potentia quoad hunc effectum determinatum, quia illa vnio & colligatio ſemper manet eadem & de ſe indifferens eſt ad omnes effectus potentiarum, ergo ex vi illius præciſè poteſt reddi virtuoſior potentia inferior, quando ſolum exiſtente motione, & operatione cauſæ ſuperioris, inferior perfectius oparatur, & non ex dimanatione prima à tali natura redditur potentia illa potentia illa perfectior. Denique hæc ſympathia non poteſt intelligi ſufficiens pro potentiis, quæ non deſpoticè ſeruiunt voluntati, ſed cum aliqua reſiſtentia, ex ſola enim colligatione & coniunctione ad ipſam non flectuntur eius imperio, ſed reſiſtere poſſunt ergo indigent motione aliqua, & impreſſione vincente earum reſiſtentiam.

Dico ſecundò: *Etiam motio ſuperioris potentiæ, quæ tantum applicat inferiorem ad agendum ſecundùm eius virtutem propriam, nec aliam maiorem ſuperaddit, non fit per ſolam ſympathiam & colligationem potentiarum in vna natura, ſed per realem impreſſionem, & immutationem in ipſam.* Hæc concluſio ſumitur ex eiſdem ferè locis D. Thom. allegatis, quia in pluribus eorum loquitur de potentia ſuperiori applicante & imperante tantum inferiori, non virtutem de nouo operatiuam ei communicante, & præſertim videri poteſt 1. 2. qu. 10. art. 1. & 1. p. qu. 82. art. 4. & in locis

locis supra cit. vbi loquitur de motione charitatis imperantis. *Ratio & fundamentum est*, quia diuerso modo exeunt actiones ab inferiori potentia, quando subordinatur in sua applicatione,& exercitio voluntati, quam si non subordinaretur, ergo non solum quando confertur noua virtus, sed quando virtus propria exercetur, & applicatur ad actum, oportet intrinsecè & realiter perfici potentiam, vt tali modo exeat actus. *Consequentia patet*, quia talis modus non affigitur actui producto ab extrinseco, sed cum illo nascitur ex sua potentia, & ita præsupponit in potentia principium sufficiens ad producendum illum, hoc autem non habet nisi ex superioris potentiæ applicatione, ergo. *Antecedens primum probatur*, quia cum illæ potentiæ exercent suos actus,vt imperatæ & applicatæ à potentia superiori,exeunt cum aliqua noua habitudine, tum ad finem potentiæ imperantis, tum ad ipsam efficientiam potentiæ imperantis. Ad finem quidem,quia iste actus imperatus & procedens à potentia inferiori, hoc ipso, quod ex illo imperio procedit, subordinatur illi fini superioris potentiæ, sicut cum actus temperantiæ fit propter charitatem, subordinatur fini charitatis, & recipit mercedem charitatis, induit ergo habitudinem aliquam ad talem finem, & sicut respicit realiter obiectum, suum ita & finem sibi appositum, qui vt circumstantia finis se habet, illique subordinatur obiectum. Ad efficientiam autem potentiæ imperantis, quia egreditur ille actus, vt voluntarius mobilis ad nutum voluntatis, vel virtutis imperantis, à quo potest cohiberi vel emitti, quod non habent alij actus ei non subiecti, vt actus nutritiuæ, vel augmentatiuæ, ergo diuersa habitudine respicit iste actus voluntatem imperantem & applicantem, quam actus qui ei non subduntur, nec ab ea possunt cohiberi vel omitti. Et iste respectus non est rationis, sed realis, verè enim & in re detinet voluntas aliquos actus aliarum potentiarum & ad libitum vtitur, quibusdam despoticè & ad nutum, quibusdam cum resistentia,ergo non est cur istæ habitudines non sint reales, fundamentum enim & terminus reales sunt, scil. potentiæ illæ & actus,vsus & detentio, vel cohibitio voluntatis quæ in re fiunt, cur ergo non fundabunt respectum realem? & sic actus progrediens cum tali respectu,vel sine illo,diuerso modo immutatus exit à sua potentia.

Nec potest hic locum habere illa sympathia seu colligatio potentiarum, hæc enim vnio potentiarum non est sufficiens ad determinandum potentiam inferiorem magis modò quàm ante, ad eliciendum voluntariè actus suos & dirigendum ad talem finem potius, quàm ad alium, siquidem vnio illa naturalis est,& eodem modo semper se habens & perseuerans, & communis seu indifferens ad omnes potentias, quæ sunt in anima & ad actus earum, ex quo ergo principio determinatur ista potentia & actus ad faciendum actum tali modo,& cum habitudine ad talem finem, & quod fiat cum tali applicatione, aut intensione vel impulsu, &c. si ipsa operatio voluntatis nihil immutat in potentia illa inferiori, nec realiter determinat, cum tamen indifferens sit. Nec vnio illa & colligatio potentiarum ad positionem actus potentiæ superioris est principium determinandi inferiorem potentiam, quia cum ipsa vnio & colligatio etiam cõmunis,& indifferens sit de se ad omnes actus & potentias, restat de ea eadem difficultas, à quo principio determinetur, siquidem actus potentiæ superioris non ponit aliquid, nec determinat ipsam vnionem, sicut neque potentiam, est enim eadem ratio de potentia inferiori & de vnione ipsa. Denique sympathia ista non operatur nisi per modum naturalis sequelæ, & connexionis, vt dicunt Authores oppositi, & specialiter Montesinos loco cit. Naturalis autem sequela non habet locum in his, quæ fiunt ex libero imperio voluntatis, siquidem actus potentiæ inferioris, non se habet vt propria passio consecuta ad positionem superioris, nec egreditur ab ipsa superiori potentia per emanationem, sed elicitur ab inferiori potentia ex applicatione superioris, non ergo habet hic locum naturalis sequela, non enim procedit ille actus vt consecutus naturaliter, sed vt ortus & elicitus ab inferiori, conuenientius ergo ponitur ex impressione, & motione superioris oriri, quam naturali sequela consequi.

Quod verò dicunt aliqui sufficere concursum simultaneum voluntatis cum potentiis inferioribus in effectum suum, nec requiri motionem illam applicantem, *non habet locum in præsenti, primò* ex generali ratione, quia simultaneus concursus non est in causam, sed in effectum, vnde potest conuenire etiam causis non subordinatis, sicut duo portantes lapidem habent simultaneum concursum in ipsum motum, non vnus subordinatur & applicatur ab alio in operando. Itaque aliud est dependere causam vt consequatur effectum, seu vt effectus ponatur ab alia causâ, aliud est subordinari alteri causæ, & esse inferiorem illâ in causando. Ad primam dependentiam sufficit concursus simultaneus diuersarum causarum, imò etiam dependet causa ab illa applicatione & reliquis conditionibus sine quibus non causat, nec tamen subordinatur illis, vt causa inferior sed ad hoc requiritur, vt causa superior moueat, & applicet inferiorem vt causet, non in effectum solummodo influat. *Deinde*, ille simultaneus influxus non habet locum in præsenti, quia voluntas non potest partialem influxum habere in actum intellectus, aut appetitus, cum eius influxus & actus solùm sit volitio, non autem partialiter potest intellectiuum actum elicere. Si ergo nihil intellectionis etiam partialiter est à voluntate, sed totum ab intellectu, quomodo intelligi potest, quod simultaneo concursu influat in actum intellectus,vel alterius potentiæ,quam mouet, sicut duo portantes lapidem, quorum vterque aliquid motus elicit? Multò minùs potest intelligi quod voluntatis influxus simultaneus,non sit partialis cum influxu aliarum potentiarum, sed identificatus cum illo, ita vt sit totaliter ab intellectu, & totaliter à voluntate. Hoc enim esse non potest, nisi sit sicut causa prima, quæ est intima cuilibet causæ creatæ,vt potè dans illi esse, & tanquam prima eius radix in operando. Vndè nihil etiam partialiter potest esse à causa secunda, quod non sit etiam à causa prima. Nulla autem causa creata potest ita sibi subordinare causam inferiorem,vt nec partialem concursum habere possit, qui non egrediatur ab inferiori, quia nulli causæ creatæ subordinatur alia in omni ratione entis. Quòd si talis dependentia datur in causa inferiori respectu superioris, multò magis oportebit determinari à causa superiori, & applicari ad agendum, per motionem in ipsam causam, vt potè sibi omnimodo subordinatam ad operandum. Vndè per hunc modum simultanei concursus non euitatur præmotiuus, sed fundatur.

Soluuntur Argumenta.

PRimò arguitur, ex P. Vazquez disp. illa 34. *vbi supra.* Quando aliqua causa secunda habet propriam virtutem sufficientem & concursum causæ primæ, nec noua ratio in effectu resultat, quæcumque alia causa accidat superuacanea est, nec omnino conducit ad eam actionem, sed in aliis potentiis est integrũ

principium ad producendas ſuas operationes ſecundùm omnem rationem quæ in illis reperitur, ergo quantumcunque voluntas velit in eas phyſicè influere, ſuperuacuè ſe habebit, *Maior eſt per ſe nota*, quia quod integrè fit ab vna cauſa ſecunda, non poteſt naturaliter fieri ſimul ab alia, ſuperuacuè ergo talis cauſa accedit ad producendum talem effectum, nec oppoſitum in aliquo exemplo conſtare poteſt *Minor probatur*, quia intellectus, vel bi gratia, aut ſenſus poſito lumine & ſpecie eſt integrum principium producendi ſuas operationes, ergo tales potentiæ poſſunt integrè ſuas operationes producere. *Confirmatur*, quia plures potentiæ ſunt in nobis, quarum vna ſine alia non poteſt, vt intellectus non poteſt operari ſine interiori, vt patet in dormientibus, aut non attendentibus, ligatis enim ſenſibus internis, nihil per externos ſentimus, & tamen nihil reale influunt iſtæ potentiæ in alias, poſtquam ſunt actuatæ ſua virtute requiſita & ſpecie, ergo neque oportebit voluntatem influere in alias potentias, etiamſi ſine illa operari non poſſint, alioquin vbicumque vna potentia ſine alia non poſſet operari, deberet præmouere illam, & influere in eam.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem & minorem argumenti. Ad maiorem; quod fit integre ab vna cauſa non poteſt ab alia naturaliter fieri, *diſtinguo*, quod fit integrè in omni genere, tam quoad ſpecificationem, quam quoad exercitium, *concedo*: quod fit integrè in ſuo genere, ſed non quoad aliquam conditionem, verbi gratia quoad applicationem, vel quoad aliquem modum, aut perfectionem altioris virtutis, non indiget altera cauſa, vel mouente, vel perficiente, aut eleuante, aut applicante, *nego*. *Ad minorem*, potentia inferior habet ſufficiens principium ad operandum, *diſtinguo*, ad operandum intra ſuum genus ex parte ſpecificationis, *concedo*, ex parte exercitij ſeu applicationis ad operandum, vel ad operandum iuxta participationem alterius potentiæ, *nego*. Et licet concurſus diuinus ſufficiat ad applicandum cauſam ſecundam, tamen quia non tollit leges, & ſubordinationem aliarum cauſarum quas non venit ſoluere, ſed adimplere, ideò etiam alio cauſæ ſuperiores, quæ mouent inferiores ad operandum ſua motione & influxu aliquid imprimunt cauſis inferioribus, vt applicent eas ad operandum. *Nec valet reſponſio Vaſquez*, quod cœlum ſolùm influit in hæc inferiora tollendo ea, quæ impedire poſſunt operationem cauſarum ſecundarum & applicando ea quæ diſponere poſſunt, non autem per ſe influendo in ipſas cauſas inferiores. *Sed tamen hoc mirum eſt*, quòd cœlum poteſt applicare cauſas diſponentes, & remouere impedientes & applicare non poſſit per ſe operantes? Nam illa applicatio in cauſas diſponentes, quomodo eſt à cœlo niſi motu ſuo imprimat aliquid in ipſas. Si verò imprimit, cur etiam non poterit imprimere aliquid in cauſas per ſe operantes? præſertim in illis effectibus, qui excedunt propriam virtutem cauſæ inferioris, & ex particulari virtute cœli procedere debet, vt quod mare fluat & refluat ex impreſſione lunæ, quod aquæ aſcendant ad montes, quod fiant cometæ, vel aliæ ſimiles impreſſiones à cœleſti virtute productæ, quæ non ſolum fiunt per remotionem impedimentorum, ſed per poſitiuam communicationem virtutis ad illos effectus occultos & excedentes.

Ad confirmationem negatur minor in eo, in quo vna cauſa dependet ab alterius operatione. *Et ad probationem dicimus*, quòd intellectus ad intelligendum nõ oportet, quod accipiat à phantaſmatibus niſi in eo genere, in quo dependet, ſcilicet obiectiuè, efficienter enim dependet ab intellectu agente producente ſpecies ex phantaſmate tanquam ex obiecto, & in iſto genere aliquid imprimitur intellectui ſcilicet ſpecies, & rurſus vt intellectus actu intelligat, requiritur quod imprimitur intellectui, ſcilicet ſpecies; & rurſus vt intellectus actu intelligat, requiritur quod conuertatur à phantaſmate, ſed non indiget alio influxu, quia nec aliam habet dependentiam à phantaſmate. Similiter ſenſus exteriores dependent ab interioribus non abſolutè, vt applicentur ad oparandum, ſed quantum ad ſubminiſtrationem ſpirituum animalium, ſine quibus non exercetur ſenſatio, vt patet in dormientibus; ſed communicatio iſtorum ſpirituum, quæ realis eſt, non fit per actum ſenſus interni, qui eſt cognitio, ſed per ſubminiſtrationem à virtute naturali effectiua eorum, quæ illos diſtribuit ad ſenſus. Vel dependent ſenſus externi ab internis, non in ipſa elicientia ſenſationis, ſed in iudicio, quod formatur de illis in ſenſu communi, vbi conſummatur tota ſenſatio externa, vnde qui eſt diſtractus, reuera videt & ſentit externè, ſed non aduertit, quia non iudicat, & ita quantum ad hoc iudicium dependent ſenſus externi ab internis, non quantum ad ipſam viſionem, vel ſenſationem, quam eliciunt.

Secundò arguitur: Quia voluntas ſolum habet operationem immanentem, ergo extra ſe non efficit aliquem effectum, *patet conſequentia*, quia alias illa actio eſſet tranſiens, & non immanens in ipſo agente. *Antecedens autem probatur*, quia non poteſt voluntas operari aliquem actum, qui non ſit velle, ſeu appetere, volitio autem, ſeu appetentia ſolum eſt actus immanens denominans volentem, ergo ſolum poteſt operari operatione immanente. *Quòd ſi dicatur*, illam volitionem denominare volentem ipſam voluntatem, in qua exiſtit, & à qua elicitur, cæterum effectiuè poſſe aliquid imprimere per modum tranſeuntis in alia potentia, quo non reddatur volens, ſed voluntariè applicata ad operandum. *Contra eſt*, quia iſta virtus non eſt explicabile quid ſit, vt *ſequenti argumento* ponderabimus. *Et deinde redit argumentum*, quia iſta virtũs deriuari debet media volitione, illa autem volitio eſt actus immanens, & ſic non poteſt operari in alias potentias, ſolùm enim operatur vbi eſt, ad operandũ autem extra ſe requiritur actio tranſiens.

Reſpondetur aliquos tenere, quòd voluntas non ſolum eſt elicitiua actus immanentis, ſed etiam tranſeuntis ab eo diſtincti, vt ſentit Caietan. 3. de Anima cap. 6. Oppoſitum verò ſentit Ferrar 2. contra Gent. c. 82. & Capreol. in 2. diſtinct. 1. quæſt. 2. ad *argumenta Aureoli contra primam concluſionem. Et hoc probabilius videtur. Dicimus ergo*, actionem immanentem virtualiter eſſe tranſeuntem, & poſſe habere aliquem effectum extra ſe, eò quòd actus immanens eſt eminentior tranſeunte, cum naturaliter ſit directiuus illius, actio enim tranſiens eſt actio executiua, immanens verò imperatiua & directiua, per voluntatem enim, & intellectum dirigimus ea, quæ agenda ſunt, vnde potentiæ immanenter operantes naturaliter ſunt digniores potentiis operantibus tranſeunter, illáſque ſubordinant ſibi. Quare actus immanens eminentior eſt tranſeunte in dirigendo, & ſic eminenter & virtualiter poteſt tranſeunter agere, vt conuenienter poſſit potentias inferiores mouere directione ſua. Et hoc ſumitur ex D. Thom. in opuſc. 11. artic. 3. vbi dicit *Quòd Angeli non poſſunt mouere aliquod corpus per contactum quantitatis, cum ſint incorporei, ſed per contactum virtutis: nihil autem in Angelis altius, quàm eorum intellectus, cum & ipſi à Dionyſio intellectus, vel mentes nominentur, vnde eorum motiones à virtute intellectus procedunt: ipſa autem conceptio intellectus ſecundùm quod habet efficaciam tranſmutandi aliquid, imperium nominatur. Vndè ſi mouent, nullo modo niſi per imperium mouere poſſunt.* ita D. Thom. qui locus ſatis manifeſtus

nifestus est; Idem probatur experientia sensuum interiorum, videmus enim ad considerationem rei appetibilis immutari sensibiliter corpus, vel concupiscendo, vel irascendo, ergo imaginatio vim habet immutandi, seu mouendi spiritus, qui motu suo etiam sanguinem mouent. Nec posset vnus sensus emittere species in alios, nisi actus eius, qui immanens est vim haberet producendi transeunter tales species, & mouendi spiritus animales quibus insident species ipsæ intentionales. Quare actus appetendi immanens est, & reddit potentiam volentem, sed habet pro effectu vlteriori talis volitionis motum aliquem, seu impressionem causatam in potentia inferiori, quæ non reddit illam volentem formaliter, sed ministerialiter, id est, subordinatam & ministrantem appetiui seu voluntati in suis actibus.

Ad Replicam vero respondetur, illam virtutem seu impressionem emanare medio actu volitionis, qui licèt habeat terminum immanentem intra se, tamen quia virtualiter est transiens, potest vlterius habere effectum in aliquo extra se, nec enim repugnat vnum actum habere plures effectus ordinatè se habentes. Et coniungitur seu tangit voluntas potentiam, quam mouet virtualiter, nam cum mouet intellectum æquè immediatè est in anima intellectus quàm voluntas, & sic potest immediatè mouere ipsum. Quod si motus corporali modo faciendus sit, vt cum phantasia mouet appetitum, hoc fit mediantibus spiritibus animalibus, qui mouentur ab ipsis sensibus, non solum vt in illis communicentur species intentionales, sed vt moueatur appetitus sensitiuus, quatenus motis spiritibus mouetur sanguis, & sic peruenire potest motio illa ad locum appetitus, qui est in corde vel hepate.

Tertiò arguitur; quia non potest explicari quid sit illa impressio realis, quam potentia superior ponit in inferiori; nam in primis non est qualitas, præsertim in motione, qua solùm applicatur potentia inferior ad exercitium operationis, nam qualitas non inclinat nisi ad qualitatem similem, ergo ponere qualitatem solùm pro exercitio operis, & non pro aliqua specie facienda, omnino fictitium est. *Patet consequentia*, quia illa qualitas cum sit deriuata à voluntate, verbi gratia in intellectum, debet in intellectu ponere aliquid simile ipsi voluntati, seu modo voluntatis; quidquid autem in operatione intellectus relucet siue quoad speciem, siue quoad indiuiduationem, siue quoad vitalitatem vel intensionem, totum est generis apprehensiui non volitiui. Secundò non potest esse aliquis modus, quo denominetur ille actus voluntarius aut liber, quia hoc solùm pertinet ad extrinsecam denominationem, pendet enim ex hoc solum quod detur aduertentia in ratione, quâ positâ, actus qui ante non erat liber, redditur liber, hoc autem nihil intrinsecum in eo ponit. Nec est modus aliquis applicationis vel coniunctionis, aut propinquitatis, quia semper illæ potentiæ sunt coniunctæ, & applicatæ in eadem anima, & super hoc additur alius modus, & non explicatur quid sit. Nec est aliqua relatio, tùm quia hæc per se non est actiua, tum quia requirit nouum fundamentum vt consurgat, & hoc oportet explicare quid sit. Nec denique ponit solum influxum simultaneum in effectum, hic enim non est in potentiam, vt reddat eam motam & applicatam, sed in effectum vt reddatur productus.

Respondetur, virtutem illam, seu motum causæ superioris in inferiorem, nunquam se habere per modum qualitatis permanentis & habitualis, quia potentia inferior non manet permanenter & habitualiter ordinata ad illam operationem vel applicationem, sed quamdiu causa superior voluerit, & ita solum per modum transeuntis potest illa motio illi dari, quamdiu sc. applicauerit causa superior, & durauerit eius motio, est ergo motio qualitas aliqua per modum transeuntis, sicut causa prima imprimit in causas secundas, & causa principalis in instrumentalem, idque vocat S. Thom. quod sit aliquid per modum diffusionis & dispositionis, secundum quod vna potentia mouetur ab alia, & accipit ab alia, sicut dicit 1. 2. q. 56. art. 2. Et hæc dispositio seu diffusio respicit aliquam peculiarem rationem in actu potentiæ inferioris & motæ relucentem, verbi gratia, voluntas mouetur ab intellectu; & participat ab ipso non solùm elicere volitionem quoad substantiam ipsius velle, sed etiam quoad modum, verbi gratia quod modo collatiuo velit, & similiter intellectus motus à voluntate, non solùm habet producere intellectionem, sed cum tali modo, scilicet cum efficacia mouendi & applicando in exercitio, quod ex se non habet intellectus, sed participatiuè à voluntate, quæ est primum in genere mouentium efficaciter quoad exercitium, & sic imprimis intellectui, vnde producat actus suos, cum efficacia mouendi alia, vt docet D. Thom. 22. de Verit. art. 13. Quod si tantum applicet voluntas potentias inferiores ad actus proprios, tunc motio voluntatis non ponit aliquid in potentia inferiori, pertinens ad virtutem pro nouo effectu faciendo, qui excedat propriam virtutem, sed ad faciendum proprium suum actum, cum nouo modo, id est, cum subiectione ad potentiam superiorem, seu ad voluntatem & similiter cum habitudine & ordine ad finem aliquem determinatum sibi præstitũ à superiori, & hæc subiecto seu actualis subordinatio aliqua noua habitudo est in inferiori actu respectu superioris, requiritque aliquem nouum modum seu mutationem in tali actu, qui modus seu habitudo, cum afficiat ipsum actum intrinsecè oportet, quod cum egrediatur & pariatur à potentia, à qua immediatè exit, & sic supponat in ipsa potentia inferiori sufficiens principium & rationem præbendi istas habitudines & formandi actus cum illis, & hoc à superioris potentiæ motione debet haberi.

Vltimò arguitur; quia voluntas non mouet, nec applicat alias potentias nisi per imperium, seu imperium non potest aliquid reale imprimere potentiis imperatis, ergo. *Maior à nobis conceditur*, voluntas enim mouet, vt superior, & vt imperans. *Minor probatur*, quia imperium formaliter est actus intellectus non voluntatis, vt docet S. Thomas prima secundæ, quæst. 17. art. 1. actus autem intellectus nihil reale ponit in aliis potentiis, solum enim denunciat, & aduertit, quid agendum sit, hæc autem aduertentia nihil reale ponit in aliis nisi rem esse cognitam & denunciatam. *Et confirmatur*, quia in brutis non datur imperium vt ibidem determinat S. Thom. art. 2. ergo non poterunt applicari aliæ potentiæ ab appetitu sensitiuo mediante phantasia, immediatè autem non apparet, quomodo ex ipso actu appetitus deriuetur virtus aliqua ad alias potentias.

Respondetur, admittendo quod voluntas non mouet nisi mediante imperio, vnde dicit S. Thom. qu. 17. cit. art. 2. ad 1. *Quòd vis appetitiua dicitur imperare motum, In quantum mouet rationem imperantem*: imò illæ solum potentiæ mouentur à voluntate, quæ ex apprehensione natæ sunt moueri. Et videmus quod deficiente aduertentia etiam postquam quis voluit & elegit, nulla potentia inferior mouetur ad executionem. *Ad minorem ergo negamus*; quòd imperium seu actus practicus intellectus non habeat vim mouendi aliàs potentias, & imprimendi aliquid

in illas, non vt præcisè cognitio est & aduertentia, sed vt efficaciam habet ex motione voluntatis sibi adiuncta, & ex motione voluntatis sibi communicata, iam enim vt diximus ex D. Thom. 14. de Veritat. a. 5. ad 4. constat quod charitas quæ est in voluntate imprimit aliquid intrinsecum fidei, quæ est in intellectu, & ex his quæ docet 2. 2. de Verit. art. 13. & aliis locis supra allatis etiam constat voluntatem mouere intellectum, & aliquid illi imprimere. Deinde vero intellectus motus à voluntate potest mouere aliàs potentias, tùm voluntatem ipsam, quæ sibi coniuncta, & immediata est in anima; tùm imaginatiuam, quæ intellectui subordinatur, sicut particulare agens vniuersaliori, sicut corpus cœli motui Angeli, & per imaginatiuam corporali modo mouetur appetitus, deinde membra; sic enim ab intellectu per imperium moueri sensitiuum appetitum docet S. Thom. 1. 2. quæst. 17. art. 7. præsertim ad secundum, & ex illa motione per imperium rationis, & motionem imaginatiuæ in appetitum, sequi aliquam qualitatem, quæ ex motu locali cordis consequitur, apertè ibi affirmat.

Ad confirmationem respondetur. Quod bruta, licèt non habeant imperium, quantum ad id, quod imperium dicit de collatione, & ordinatione vnius ad alterum, quod rationis est, benè tamen quantum ad ad id quod dicit de efficacia, & impetu mouente, & ita appetitus sensitiuus in eis mouetur ab apprehensione faciente impetum ex instinctu naturæ, non ex ordinatione rationis, illi autem apprehensioni efficaci non potest resistere appetitus, sed statim mouet cor, & inde alias vires, quæ ad motum pertinent.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm detur potentia loco motiua distincta ab appetitu, & quomodo inueniatur in anima separata?

LOquimur de potentia loco motiua quantum ad motum progressiuum, qui solus ab apprehẽsione dependet, motus enim naturalis vt fit in corde, vel in graui & leui, non dependet ab appetitu, neque ab apprehensione. De potentia ergo loco motiua secundùm motum progressiuum est duplex sententia etiam inter Thomistas. *Prima affirmat* motum hunc elici actiuè ab ipso appetitu, non verò ab ipsis membris, sed in illis recipi, si rectè sint disposita ad recipiendum motum, & sic membra non mouent, sed mouentur à principaliori membro, in quo est appetitus nempe à corde. Quæ sententia sumitur ex Caiet. 3. de Anima. c. 6. alias 10. & Ferret. 2. cont. Gent. c. 82. & probabiliorem reputat M. Bannez 1. p. quæst. 78. art. 1. dub. 1. *Fundamentum sumitur tùm ex authoritate, tùm ratione. Authoritate*, quia ita sentire videtur D. Thom. 1. p. quæst. 75. art. 3. ad 3. vbi inquit: *Quod alia vis motiua est exequens motum, per quam membra redduntur habilia ad obediendum appetitui, cuius actus non est mouere, sed moueri.* Et 2. contra Gent. capit. 82. in fine inquit: *Quod virtus, quæ dicitur exequens motum, facit membra esse obedientia imperio appetitus, vnde magis sunt virtutes perficientes corpus admoueri, quam virtutes mouentes.* Consonat Aristot. 3. de anim. text. 48. & 54. vbi docet: *Quod appetitus est id, quo animal mouet, id verò quod mouetur est animal, organum vero motus aliquid corporeum est.* Et de eodem videri potest, in lib. de motu anim. lect. 4. apud D. Thom. vbi dicit: *Principia mouentia esse phantasiam, intellectum, electionem, voluntatem, & concupiscentiam.*

Ratione probatur: quia ad motum progressiuum non requiritur aliud principium eliciens motum, quam principium impellens, impulsus autem quædam inclinatio est, & appetitus, nec requiritur ad hoc aliud principium elicitiuum, ex parte autem membrorum sufficit habilitas ad recipiendum hunc impulsum, his enim duobus positis, sequitur motus, & quodcumque aliud principium eliciens superfluum videtur. Ad hæc videmus variari motum ad quamlibet variationem appetitus, siue quoad vehementiam impulsus, siue quoad remissionem, siue quoad modum, & figuram motus. Conueniens etiam est quod eadem potentia, quæ est inclinatiua ad motum sit assecutiua eius, ad quod inclinat, assecutio autem fit per motum, ergo motus est effectus potentiæ inclinantis, quæ vtique est appetitus.

Oppositum tenent plures Authores, vt Nazarius 1. p. quæst. 54. art. 5. qui citat Zumel. Caiet. Ripam & alios, sequitur etiam P. Suar. lib. 5. de anim. c. 10. *Fundamentum sumitur etiam ab authoritate, & ratione. Authoritate D. Thom.* qui semper distinguit potentiam executiuam motus à potentia appetiua, illique aliquam actionem tribuit, licet cum subiectione, & obedientia ad appetitum, quas potentias in illis ipsis locis pro opposita sententia citatis agnoscit distinguens vnam vt imperantem, alteram vt exequentem, licèt hæc, quia mouet vt mota, magis videatur moueri, quam mouere. Et expressius 1. p. quæst. 78. art. 1. ad 4. dicit; quod sensus, & appetitus in quantum huiusmodi non sufficiunt ad mouendum, nisi superaddatur eis virtus aliqua, nam in immobilibus animalibus est sensus, & appetitus, non tamen habent vim motiuam. Hæc autem vis motiua non solum est in appetitu, & sensu, vt imperante motum, sed etiam est in ipsis partibus corporis, vt sint habilia ad obediendum appetitui animæ mouentis. Et eandem virtutem distinctam à voluntate videtur agnoscere in Angelis quæst. 6. de pot. art. 3. ad 2. & in quæstion. de anima artic. 13. ad 13. Et actionem distinctam ei tribuit in 2. contra Gent. cap. 35. *In nobis*, inquit: *actio virtutis motiuæ est media inter actum voluntatis, & effectum, vt in præcedentibus ostensum est.* Denique opusc. 43. cap. 5. distinguit vim exequentem montem ab imperante, & dicit: *Quod vis exequens est vis exterior, quæ diffusa est in musculis, & lacertis, & neruis membrorum.* Aristot. etiam *locis citatis* ab opposita sententia, aliquod organum corporeum ponit pro principio motus distincto ab appetitu.

Ex ratione etiam sumitur fundamentum: Quia virtus illa, quæ ponitur in membris ad obediendum appetitui, licèt illi subordinetur, verè tamen vitalis est, ergo non potest esse mere passiua, sed oportet quod sit actiue mouens, seu eliciens *Anteced. prob.* quia illa virtus non requiritur præcise, vt motus recipiatur passiuè, & inhæreat in subiecto, ad solam enim inhærentiam impulsus, non requiritur virtus aliqua, & qualitas cui immediatè inhæreat, sicut in lapide videmus recipi inhæsiuè impulsum sine hoc, quod præsupponatur virtus aliqua in lapide ad recipiendum, requiritur ergo illa, tanquam virtus vitalis eliciens, & producens motum. Vndè & communiter actiones istæ, quæ motu membrorum fiunt, vt ambulare, scribere, pingere, & similia, motus vitales dicuntur, & ex illis maximè discernimus viuentia à non viuentibus. Si autem passiuè se haberent membra in isto motu, non magis moueretur animal in illis, quam mouetur iaculum vel lapis impulsus, quæ à proiiciente recipiunt vim impulsiuam passiuè.

Ad

Ad hæc videmus motus istos externos vitaliter fieri, & tamen præuenire appetitum; vt cum aliquis mouet pedes aut oculos inaduertenter, nec tamen tunc mouet vt res inanimata cum non moueatur motu grauitatis deorsum, sed eleuando pedem, vel conuertendo oculos retrorsum. Postremo appetitus dicitur frequenter à D. Thom. locis allegatis principium motus vt imperans, non vt exequens, nihil autem imperat sibi ipsi, sed virtuti distinctæ, ergo oportet, quod virtus executiua & obediens, non sit merè passiua, patiens enim vt patiens non mouetur imperio sed actione, eliciens autem actionem mouetur ab imperio.

Hæc secunda setentia sine dubio apparet probabilior, & inhærentior menti S. Thom. meliusque explicat quomodo vna pars organica mouet aliam, quod stare non potest si solum est virtus passiua in membris seu partibus organicis, non verò motiua alterius partis & elicitiua motus, nam appetitus non est in omnibus membris, sed in vno tantum, ergo si in membris non est virtus actiua motus, omnia membra præter illud in quo est appetitus, mouebuntur passiuè, quomodo ergo vna pars organica mouet aliam?

Ad 1. opposita sentent. ex authorit. D. Thom. Resp. in 1. loco apertè distinguere in isto motu duplicem potentiam, alteram imperantem, alteram imperantem, alteram exequentem. Cum autem dicit per hanc exequentem, reddi membra habilia ad obediendum appetitui, & eius actum esse moueri, non mouere, sensus est quod reddit membra habilia hæc potentia motiua vitaliter & animaliter, licet ex subiectione ad appetitum, cuius est pars organica, & ministerialis. In virtutibus autem ministerialibus magis relucet moueri, seu obedire alteri quam mouere & agere, licèt agendo obediat & moueatur, sicut mobile vitale, non vt mouens principale, sed vt organicum & ministeriale. In 2. loco contra gent. non dicit absolutè D. Thom. quod actus potentiæ motiuæ est moueri, sed quod magis perficit ad moueri, eò quod facit membra obedire appetitui. Vbi ly *facit*, actiuitatem & elicientiam dicit, quia vitali actione facit obedire, & subiici appetitui, sed vt mouens organicum & motum, non vt primo mouens, *Et ad Aristot. dicitur* quod præter appetitum & phantasiam, quæ sunt principalia & impertinentia in hoc motu, etiam admittit principium organicum, & ministeriale, quod in libro de motu animalium dicit, non solùm esse cor, sed etiam neruos & iuncturas, & spiritus, quibus de vna parte fit motus ad aliam, sicut in rotis horologij, quibus istas organicas partes comparat Philosoph. & de illis latè ibi differit, vt videri potest apud D. Thom. ibi lect. 6. 7. & 8.

Ad 1. rationem Resp. quod impulsus per modum amoris est elicitiuè ab appetitu, sed impulsus per modum executionis est imperatiuè ab appetitu, & elicitiuè à potẽtia motiua membrorum, indeque deriuatur ad proiecta externa & ad aërem deferentem illa vt differuimus 7. Physic. quæst. 23. Quare posita efficacia appetitus imperantis, & habilitate membrorum vitaliter obediente, id est per aliquam actionem, quæ ex subiectione, & motu appetitus agat, sequitur motus vitalis membrorum, non merè passiuè, se habentibus membris. Quare non est superflua ista vis actiua, vt motus ille sit vitalis, etiam in executione membrorum.

Ad 2. resp. variari motum ad variationem appetitus directiuè, non elicitiuè, eo quod variatio illa fit etiam in membris exequentibus vitali modo, & sic non merè passiuè se habentibus ad appetitum, sed etiam elicientibus motum. Similiter vt potentia inclinatiua, & intendens assequatur suum finem sufficit quod mediis instrumentis & organis sibi subiectis, & elicientibus executiuè motum, assequatur ad quod intendit, non passiuè se habentibus.

Circa secundum punctum, de potentia motiua animæ separatæ, *suppono*, hanc quam habet in corporeis organis, non manere in anima separata, quia hæc omnino corporea est, vtpotè à corporeis organis dependens. *Sed difficultas est in duobus. Primum*, an reuera anima separata habeat vim se mouendi actiuam sicut Angelus. *Secundum*, an ista vis sit aliquid distinctum à voluntate, & imperio practico efficaci. Et circa primum sumitur difficultas, quia anima separata non potest se mouere, nisi ad modum Angeli per contactum virtutis non quantitatis, quia caret illa, sed anima separata non potest habere contactum virtutis, quia non potest habere motum erga alia corpora, vt docet S. Thom. 1. p. quæst. 117. art. 4. & quæst. 17. de malo, art. 10. ad 2. eò quod virtus animæ est determinata ad mouendum corpus proprium & viuificatum à se, & solum mediante illo poterit alia mouere; cuius signum est, quia non potest mouere anima membrum aridum, quia non est viuificatum à se, si autem habet in se vim motiuam, posset illud mouere, nec enim impeditur eius exercitium à corpore, sicut nec impeditur exercitium intelligendi: posset etiam anima recedere à corpore vincendo dispositiones eius, & iterum motiua virtute corpus intrare & informare; sicut informat alimentum de nouo. Quæ omnia cum absurda sint, non possumus ponere vim motiuam in anima, nisi mediante corpore, eo verò remoto nullum aliud corpus per se mouet, ergo neque se mouet per contactum virtutis actiuæ, mutando loca.

Propter hoc fundamentum existimant aliqui; animam separatam se non mouere, sed moueri ab Angelis, quod aliquibus Thomistis suppresso nomine attribuunt Conim. tract. de anim. separata disp. 6. art. 2. Vlterius vero existimauit Durandus in 3. dist. 22. quæst. 2. animas, neque se mouere, neque moueri, eo genere motus, quo corpore, neque eo genere motus quo Angeli, quia non possunt mouere corpora. De anima vero Christi, solum dicit descendisse per effectus, quos causauit in inferno, quamuis, neque hoc pertinaciter afferat, sed fatetur se alium modum probabiliorem ignorare. *Alij* vero authores, qui non possunt negare animam Christi descendisse realiter ad limbum Patrum, licet per alios effectus descenderit ad infernum terrendo damnatos, dicunt tamen descendisse virtute diuina, quasi motam à Verbo, sicut instrumentaliter potest mouere alia.

Cæterum vtraque sententia stare non potest. Et quidem Durandi sententia præterquam quod non saluat in proprietate descensum Christi ad inferos, ex se ipsa redarguitur, quia vel animæ sanctorum erant in limbo seu inferiori parte terræ, vel nõ; si non erant, ergo neq; per præsentiam neque per effectum eò descendit anima Christi, quod est totaliter negare articulum Fidei de descensu animæ Christi, contra illud ad Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ?* Et fuisse animas in inferno dicitur 1. Petri 3. *In quo & his, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit, qui aliquando fuerant increduli, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë*, qui vtrique spiritus animæ erant separatæ: ergo erant in carcere, id est in aliquo certo loco, vbi ante non erant. Si vero dicatur, ibi realiter fuisse animas ad quas Christus misit

esse

effectus suos, ergo sicut illæ animæ eo deportatæ, aut motæ sunt, potuit etiã anima Christi eo moueri. *Alia vero sententia ex eo improbatur*, quia secundum fidem anima Christi realiter descendit & fuit mota ad loca inferiora, & non merè passiuè deportata aut descendens, sicut lapis, vel res proiecta, neque instrumentaliter mota, sed vitaliter, ergo habet potentiam se mouendi. Non fuit passiue deportata tantum, quia absolute dicitur descendisse, quod rei portatæ non adaptatur propriè, sicut neque ascendisse verificabitur, nisi propria virtute ascenderit. Dicitur etiam penetrasse omnes inferiores partes terræ Ecclesiast. 24. non penetrat autem propriè, qui solum deportatur ab alio. Non fuit instrumentaliter mota, quia vitaliter descendit, id est per se, non vt lapis per grauitatem, nec sicut res proiecta, quæ impulsu fertur vt instrumentum: si autem vitaliter descendit, habet potentiam vitalem intrinsecam se mouendi, & ista non potuit sibi ab extrinseco superaddi à verbo, alias vitale principium non esset, debuit ergo ex se eam habere, siue hęc potentia sit ipse intellectus practice operans siue alia vis distincta. Ad hæc S.Th. 1. p. q. 53. art. 1. in arg. sed contra, probat Angelum moueri: *Quia de fide est animam beatam moueri vt patet in descensu Christi ad inferos*, & in 3. p. q. 52. a. 1. ad 3. dicit: *Quòd anima Christi descendit ad inferos, eo genere motus, quo Angeli mouentur*, constat autem Angelos mouere se vitaliter, ergo & anima Christi.

Quare simpliciter hæc sententia tenenda est quod anima separata vitaliter mouetur in loco, cum enim habeat intellectum & voluntatem, & non vbique existat, sed in parte determinata vniuersi, potest habere voluntatem existendi in alio loco propter aliquam conuenientiam, sicut anima Christi voluit esse in lymbo Patrum, & animæ Purgatorij volunt esse in cœlo, & diues ille in inferno petiuit, vt Lazarus mitteretur ad se Luc. 16. & anima Samuëlis apparuit Sauli Eccl. 46. & 1. Reg. 18. ergo si potest habere appetitum mutandi loca, debet ei esse prouisum à natura de virtute qua possit acquirere locum. *Patet consequentia*, tùm quia Aristo. tribuit potentiam motus progressiui illis animalibus, quæ habent vim cognoscendi res distantes & appetendi illas, frustra enim daret illis appetitum, si negaret, vnde possent consequi, quod appetunt; tùm etiam quia si anima appetit alibi esse per se loquendo, maneret immobilis, & frustrata omni illo appetitu, vel solum per accidens & fortuito posset id consequi, si aliquis Angelus vellet illam deportare quod quam incongrue dicatur in illis nobilissimis substantiis, quod res istæ solum fortuito eis prouisæ sint, de se satis patet. Et hanc sententiam tenet Caietanus, 3. part. q. 52. art. 1. §. quoad 3.

Ad fundam. opposita resp. Ad 1. conceditur animam contactum virtutis moueri. Et præterquam quod potest aliquam qualitatem vel effectum occultum operari in corpore, nam de anima Christi dicit S.Th. in 3. dist. 22. q. 2. ar. 2. operatam fuisse aliquam lucem in illis partibus terræ; loquendo de motu locali, dicendum est aliquẽ posse producere in corpora, licet multo debiliorem naturaliter, quam Angeli. Et cum oppositum adducitur ex D.Th. q. illa 117. resp. quod D. Th. loquitur de virtute animæ in vi formæ non in vi spiritus, & de virtute motiua organica, quia loquitur de anima virtute suæ naturæ per quam determinatur ad viuificandum corpus, hac enim vti non potest anima separata. Subdit vero D.Th. *Quòd super hoc aliquid potest ei conferri virtute diuina*. Quod non est idẽ, quod conferri per miraculum & supernaturaliter, sed ratione status separationis, vt bene explicat Caiet. vbi sup. 3. p. sicut enim animæ separatæ conferuntur species infusæ virtute diuina ratione status sine miraculo, sicut & Angelis, ita confertur vis motiua, non quantum ad ipsam potentiam mouendi, quæ naturaliter ab intrinseco conuenit, sed quoad expeditionẽ huius potentiæ, quia cum motus fiat per dictamen practicum intellectus, nõ possunt fieri ista dictamina ad mouendum localiter per modum spiritus, & non per modum formæ informantis, nisi per intellectum independenter à phantasmatibus, & modo purè spirituali intelligentem, & hoc accipit ex vi status separationis, & specierum infusarum à Deo, potestque perfici virtute diuina, vt fortius moueat corpora quã naturaliter, possit, aut quod etiam dæmones cohibeat.

Cùm verò instatur, quia alias posset mouere anima membrum aridum, & à corpore recedere. *Resp.* non posse animam vti illâ potentia motiua nisi pro statu separationis, aut nisi totaliter dominetur corpore vt anima beata reunita corpori, quæ independenter à virtute organica mouebit illud. Nunc autem sicut intelligit dependenter à phantasmate ita mouet dependenter à virtute organica, & appetitu sensitiuo regulato per phantasiam, anima verò separata mouet independenter ab omni virtute organica, & consequenter debet regulari per cognitionem independentem à phantasmate. Sicut autem in hac vita diuinitus aliquando communicatur raptus, quo intellectualis cognitio independenter à phantasmate fiat, ita aliquando anima eleuat se cum corpus virtute motiua non organica, quæ ad illam cognitionem sequi potest anima recedere à corpore stantibus dispositionibus, quibus informat illud, quia non potest vti, nisi virtute organica, quandiu non intelligit vt separata, sed dependenter à phantasmate, per virtutem autem organicam non potest à suo corpore separari cum organum corpus sit: Nec in partes alimenti intrat motu locali, quia id non fit per apprehensionem, à qua necessario dependet localis ille motus, vnde valde ruditer imaginantur, qui informationem in nouas partes alimenti, aut recessum ab illis, motu locali animæ fieri æstimant, sed naturali informatione, aut corruptione corporis.

Circa 2. an vis motiua animæ sit distincta ad intellectu & voluntate, supposito quod non est organica neque indiget anima, quod partes seu membra obediant appetitui, cum careat partibus, res est magis pertinens ad Theologos, qui id tractant agendo de Angelis; solùm enim videtur requiri potentia distincta, vt producatur motus per actionem transeuntem, quia intellectus, & voluntas sunt potentiæ immanentes. Quare si actus immanens non est virtualiter transiens, omnino oportet ponere distinctam potentiam ab intellectu, & voluntate, quæ actionem transeuntem motus localis producat. Si verò actus immanens virtualiter est transiens, cessat ratio multiplicandi istas potentias in spiritu separato, qui non mouetur organicè, nec in eo membra obedire debent appetitui, sed solum transeuntem motum ponere in re mota. Certe D. Thom. opusc. 11. art. 3. dicit: *Angelos conceptione intellectus quæ est imperium cœlos mouere.* At vero quæstione sexta, de potentia articul. 3. ad 2. dicit: *Quod in Angelis mediante voluntate, & voluntas mediante virtute, & virtus immediate mouet motum localem*; vbi ly *virtus* contra distinguitur à voluntate. Quod vtrique verum est, *sed possumus respondere*, quod virtus illa distincta à voluntate est intellectus practicus, vt habens efficacem conceptionem imperij, nec aliam tertiam virtutem cogunt illa verba nos ponere. *Et hæc sufficiant pro Commentaris in Libros de Anima, & in totam Philosophiam*, ad laudem Saluatoris nostri Dei, Beatissimæ Virginis, & S. Thomæ Aquinatis.

SVMMA

SVMMA TEXTVS Librorum de Anima.

IN LIBRO PRIMO.

CIRCA hunc librum, non est quod textum per capita distinguamus, quia in eo Aristoteles solùm facit duo. In primo capite ponit proœmium, in quo proponit dignitatem vtilitatemque huius scientiæ, & quo ordine de anima agendum sit. In reliquis quatuor capitibus varias refert Philosophorum antiquorum sententias circa naturam animæ, easque refutat. Præsertim recitatis in cap. 2. variis opinionibus. In 3. ostendit animam non esse substantiam, quæ se ipsam mouet vt aliqui dicebant. In 4. ostendit animam non esse harmoniam, seu temperationem contrariorum. In quinto ostendit animam non esse corpus subtilissimum, vt dicebant alij.

SVMMA LIBRI SECVNDI.

IN hoc libro tradit propriam sententiam de anima, & potentiis eius, per 12. capita. In quibus potissimum quatuor tractat. Primum de natura & definitionibus animæ cap. 1. & 2. Secundùm de diuisione potentiarum animæ in communi cap. 3. Tertium de potentiis animæ sensitiuæ à cap. 5. vsque ad 12.

SVMMA CAP. I.

I*Ntendit Arist. in hoc cap. tradere primam definitionem animæ, secundam verò cap. sequent. Et facit tria in hoc cap.* Primò *præmittit quasdam diuisiones.* Secundò *quibusdam quæ ad animæ naturam pertinent, probatis, tradit definitionem ipsam animæ.* Tertiò *explicat quasdam animæ conditiones in definitione inclusas.*

Circa 1. *quatuor diuisiones præmittit.* Prima est, *entis aliud substantia, aliud reliqua genera accidentium.* Secunda, *in substantia, aliud est materia, aliud forma, & materiam dicit esse potentiam & non esse hoc aliquid, formam verò esse actum quo constituitur hoc aliquid* III. diuisio *actus alius est primus, alius secundus: primus vt scientia, secundus vt contemplatio.* IV. diuisio, *naturalium corporum alia sunt viuentia, alia non viuentia. Viuere autem dicuntur quæ per mutationem, accretionem & diminutionem mouentur. Quare omne corpus naturale particeps vitæ, debet esse substantia.*

Circa 2. *probat primo tres particulas seu conditiones conuenientes animæ, deinde ex illis definitionem animæ colligit.* Prima conditio est, *quod anima est actus. 2. quod est actus primus non secundus. 3. quod est actus primus respectu corporis organici.* Primùm probat, *quia anima est actus viuentis, non verò corpus ipsum, siquidem corpus non est in alio vt receptum, anima autem est in corpore, ergo est actus eius.* Secundum probat, *quia anima aliquando cessat ab operatione vt in somno, ergo non est anima ipse actus secundus qui est operatio, ergo actus primus.* Tertium probat; *quia imperfectior anima, scilicet vegetatiua vt in arbore habet corpus organicum, videmus enim in arbore radices, fibras, ramos, folia, &c. quæ sunt tam variæ partes, ergo à fortiori aliæ animæ quæ perfectiores sunt, corpora organica habebunt. Ex his colligit definitionem animæ, quod est* Actus primus corporis physici organici.

Circa 3. *colligit tria.* Primùm, *quod anima & corpus non fiunt vnum per aliquod medium quia actus & potentia immediate ordinantur inter se.* Secundùm, *explicari posse, quod anima sit actus exemplo arte factorum vt in securi, quia si esset compositum physicum figura illa esset eius forma substantialis, & exemplo oculi, qui si esset animal, eius forma esset visus.* Tertium, quod colligit est, *quod anima non est separabilis à corpore quantum ad eas partes, quæ sunt actus corporis, benè tamen quoad illas, quæ non sunt actus corporis, v.g. intellectus.*

SVMMA CAP. II.

I*Ntendit Aristot. in hoc cap. secundam animæ definitionem tradere, per quam manifestat & demonstrat priorem. Et facit tria.* Primò *quasdam suppositiones præmittit.* Secundo *traditam*

defini

definitione secunda, mouet duas dubitationes. Tertiò *resoluit quomodo per hanc secundam definitionem, demonstretur prima.*

Circa primum *præmittit tria.* Primùm, *non esse inconueniens de eadem re plures dari definitiones, & ex vna aliam demonstrari, quia vna explicat aliquam causam rei, quod alia non.* II. est. *animatum differre ab inanimato per vitam, hac enim inanimatum caret.* III. est, *multipliciter dici vitam, sunt enim plura genera vitæ, sc. vegetari, sentire, loco moueri, intelligere & cuicumque aliquid horum inest, viuit.*

Circa 2. colligit in primis definitionem animæ ex prædictis, ostendens animam debere complecti omnia illa genera vitæ & sic definit animam secunda definitione sic: Anima est principium quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primo. *Qua definitione tradita, proponit duo dubia.* Primum *vtrum ista sint ipsa substantia animæ vel potentiæ eius, ratione quarum dicatur sensitiua, vel vegetatiua, &c. 2. an distinguantur ratione, seu definitione, an subiecto, seu loco. Respondet primo ad hoc secundum dubium, manifestum esse quod istæ potentiæ sentiendi, vegetandi, intelligendi, &c. definitione, seu specie distinguantur, siquidem earum actus, specie distinguuntur. An verò distinguantur subiecto seu loco, id est quod vna potentia sit in vna parte seu organo, alia in alio, dicit in quibusdam distingui sc. in illis quorum partes abscissæ non viuunt, in alijs verò, quæ abscissa viuunt, oportet in eadem parte potentias habere vitales. De intellectu verò adhuc non constat petere partem organicam, determinatam, sed esse à corpore separabilem. Ad primum dubium respondet, illa quatuor esse partes seu potentias animæ, quia designant principia formalia operationum, quod non prohibet radicaliter esse substantiam animæ, & in diuersis, diuersos gradus speciesque constituere.*

Circa 3. *ostendit primam definitionem per istam secundam tali demonstratione, id quo primo viuimus, sentimus, loco mouemur, &c. est actus primus corporis organici, sed anima est talis, ergo anima est actus primus corporis organici, quæ est prima definitio. Minor constat, quia in viuente sunt tria, corpus, anima, & cōpositū, sed compositum non est quo viuimus, sed quod viuit, corpus etiam seu materia, nō est quo viuimus, quia est in potentia ad viuēdū, ergo sola anima est id quo viuimus, &c.*

SVMMA CAPITIS III.

Expeditis definitionibus animæ incipit agere Aristotel. de eius potentiis. Et in hoc cap. agit de potentiis animæ in communi, deinde in sequentibus de eis in speciali. In quo cap. tria facit Ar. Primò *enumerat potentias animæ & gradus à quibus emanant.* Secundò *declarat quomodo animæ definitionibus præcedentibus explicata sit communis ad istos gradus, & animas.* Tertiò *comparat istos gradus inter se, secundū quod vnus includit alterū, & secundum quod conueniunt viuentibus.*

Circa I. *potentias animæ docet esse quinque loquendo in genere. Primò est* potentia vegetatiua, *Secundò*, sensitiua *Tertiò*, appetitiua. *Quartò* loco motiua. *Quintò*, intellectiua. *Gradus autem animæ secundum quos constituuntur & differunt animæ, sunt quatuor videlicet.* gradus vegetatiuus, sensitiuus, loco motiuus & intellectiuus.

Circa II. *docet non definiri definitionibus antecedentibus animā in communi separatam, vt posuit Plato, sed rationem communē animæ ab omnibus illis gradibus non distinctam nisi per rationē.*

Circa III. *docet primò, istos gradus ita se habere vt perfectior includat inferiorem sicut sensitiuum continet vegetatiuum, & intellectiuum vtrumque, sicut vna figura, v.g. quinque angelorum continet aliam quæ est trium angelorum. Deinde docet qualiter in vnoquoque viuente sit anima, & quomodo distinguantur gradus viuentium attentis eius potentiis & actibus, nam in plantis est sola anima vegetatiua. 2. in animalibus imperfectis sensitiua imperfecta habens solum tactum. 3. In animalibus magis perfectis sunt alij sensus præter tactum. 4. In perfectioribus quinque sensus sunt cum motu progreßiuo 5. In perfectissimo animali, est intellectiuum, id est in homine.*

SVMMA CAPIT. IV.

IN hoc cap. incipit agere Arist. de potentiis animæ determinate. Et primò agit de potentiis animæ vegetatiuæ: & facit tria. Primò *explicat potentias, seu operationes partis vegetatiuæ.* Secundò *docet, quod anima exercet triplex genus respectu corporis, scilicet formalis causæ & efficientis.* Tertiò *agit de obiecto potentiarum partis vegetatiuæ, quod est alimentum.*

Circa I. *supponit in primis vitam vegetatiuam communem esse omni viuenti, quia secundum ipsam omnibus inest viuere. Deindè aßignat ei duplicem actum, scilicèt generare, & nutriri. Quod enim generare sit actus viuentis probat, quia naturalissimum est viuentibus perfectis, non orbatis, id est mutilis, nec sponte genitis, id est ex putri materia, generare sibi simile, quia per hoc consequuntur quandam perpetuitatem.*

Circa II. *explicat illam triplicem causalitatem animæ, est enim causa formalis, quia est actus corporis: est finalis, quia est finis proximus generationis seu terminus eius: est efficiens, quia est principium actionum vitalium. Ex quo reprehendit duos errores antiquorum. Alterum, qui dicebat ignem & terram esse causam nutriendi, vt in plantis pars inferior hæret terræ, rami verò sursum, & dicebant ferri ab igne tendente sursum. Alterum, qui dicebat, ignem esse simpliciter*

causam nutritionis, quia inter omnia corpora maximè videtur nutriri. Elementa enim non possunt actu esse in viuente, nec formæ elementorum, sed anima.

Circa 3. *explicat rationem alimenti inquirendo an debeat alimentum esse simile viuenti vel dissimile, seu contrarium? Respondet alimentũ à principio debere esse dissimile viuẽti, quia debet transmutari in ipsum, in fine autem debere esse simile, quia in ipsum conuersum est. Vnde considera, quod in alimento sunt tria. Primum quod sit substantia, & sic est obiectum nutritionis, qua per conuersionem substantiæ deperditum restauratur. Secundò quod sit quantum, & sic est obiectum augmentationis. Tertiò quod relinquat superfluum, & sic præbet materiam generationi faciendo semen.*

SVMMA CAPITIS V.

AB isto cap. vsque ad 12. agit Arist. de anima sensitiua & potentijs eius. Et primo quidem agit de potentijs eius, & obiectis in communi, de potentiis in hoc cap. de obiectis in sequenti, deinde à cap. 7. de quolibet sensu in particulari vsque ad finem libri.

In hoc ergo cap. duo facit: Primò *ostendit sensum esse potentiam passiuam* Secundò *excitari ac reduci in actum à suo obiecto.* Primùm *probat ex duobus, 1. ex actu, quia sensus cum sentiunt alterantur, & mutantur, quia vt sentiat aliter se habere debet quàm ante, ergo debet pati & recipere, siue speciem siue proprium actum.* Secundò *ex obiecto, quia sensus non sentit se ipsum, sicut oculus non videt se, ergo alterum, ergo patitur ab alio, éstque potentia passiua.*

Circa 2. *ad explicandum à quo excitetur, & reducatur in actum potentia ista sensitiua præsupponit duo; alterum, quod dupliciter potest dici aliquid potens sentire, scilicet potentiâ proximâ & remotâ, sicut dicitur potens scire potentiâ proximâ, qui habet scientiam, nec impedimentum aliquod adest: potentiâ vero remotâ, qui nondum habet habitum scientiæ, sed potest acquirere, sic qui habet potentiam sensitiuam dicitur proximè potens sentire, remotè veò qui nondum habet illam. Alterum est, quod passio dupliciter dicitur. Vno modo pro receptione alicuius disconuenientis seu tendentis ad corruptionem, alio modo pro receptione cuiuscunque etiam perficientis, & in hoc secundo sensu dicitur sensus potentia passiua. Quo supposito, respondet potentiam sentiendi remotam, qualis est in semine vel corpore organizato, reduci in actum à generante introducente animam & potentias. At verò potentia proxima sentiendi reducitur in actum ab obiecto sensibili, sicut intellectus ab intelligibili, cum hoc tamen discrimine quod obiectum sensus est sensibile extra positum, obiectum verò intellectus est vniuersale intra intellectum repræsentatum & formatum, & ideo intelligimus cum volumus, quia intus species habemus, non verò sentimus cum volumus, sed cum obiecta occurrunt.*

SVMMA CAPITIS VI.

AGit in hoc cap. de sensibili, seu de obiecto sensus in communi, & duo facit. 1. Diuidit ipsũ 2. Comparat membra diuidentia.

Circa 1. *diuiditur primo sensibile in per se & per accidẽs. Per se quod ratione sui sentitur, vt color, sonus Diuiditur rursus sensibile per se* in sensibile propriũ & commune. Proprium *dicitur, quod est vnius tantum sensus obiectũ, vel illud circa quod non errat sensus, vt color erga visum.* Cõmune *est, quod à pluribus sensibus percipitur, vt motus à visu & tactu. Numerat ergo quinq; sensibilia communia,* figura, magnitudo, numerus, motus & quies. *Sensibile per accidens est quod non immutat sensũ per se, nec ab eo patitur sensus, sed ratione alterius adiuncti, vt substantia videtur ratione coloris.*

Circa 2. *facit duas comparationes. Prima sensibilis proprij & communis ad sensibile per accidens, quæ differunt in hoc quod sensibile commune, & proprium per se immutant sensum, sensibile autem per accidens ratione alterius cui coniungitur. Secunda, sensibilis proprij, & communis inter se, quod licet vtrumque sit per se sensibile, perfectius tamen sensibile proprium, quia illi magis proportionatur temperamentum cuiusque organi.*

SVMMA CAP. VII.

INcipit agere de sensibus in particulari. Et I. in hoc cap. de visu, in quo agit. duo 1. de obiecto visibili. 2. de medio videndi.

Circa primum *proponit prius adæquatum obiectum visus quod est visibile vt sic, sub quo lux & color quæ lucem aliquam participant, continentur. Deinde in speciali explicat visibilia sub hoc adæquato obiecto contenta, scil. colorem perspicuum, & lumen Color definitur, quod est* motiuus perspicui in actu. *Perspicuum verò quod est* visibile non secundum se simpliciter, sed per externum colorem, *vt aër & aqua. Lumen autem definit, quod est* actus perspicui vt perspicuum est, *proprie enim res transparentes luce actuantur, & illustrantur absolute & simpliter, opaca solum in superficie. Ex quo colligit lumen non esse corpus, quod probat contra Empedoclem, quia alias cum lumen diffunditur per aërem, vel per vitrum, duo corpora penetrarentur, & quia lumini opponitur tenebra vt priuatio, ergo est forma circa idem subiectum, non corpus.*

Circa 2. *docet falsam esse sententiam Democriti, quod corpus inter medium quantumcunque diaphanum impediat visum, ita vt si vacuum esset, multo melius res aliqua videretur, etiam formica in cælo. Sed hoc refellit, quia visio requirit immutationem factam ab obiecto in oculo, hæc autem immutatio non potest fieri nisi species transeant per medium, sensibile enim supra sensũ positum, nõ sẽtitur.*

SVMMA CAPITIS VIII.

IN hoc c. agit Arist. de auditu. eiusque obiecto. Et facit quatuor. Primum agit de sono diuidendo illum in directum & reflexum, agitque de directo. 2. tractat specialiter de sono reflexo qui est echo. 3. de organo in quo residet auditiua potentia. 4. de aliis diuersis sonis, præsertim de perfectissimo, qui est vox.

Circa 1. supponit sonum, alium esse in potentia, alium in actu. In potentia, quando considerantur corpora quæ sunt sonatiua seu effectiua soni. In actu verò, quando actu percutiunt. Supponit 2. sonum fieri, vel reflexe vel directe. Explicat autem quid concurrat ad sonum directum efficiendum, sc. duo corpora se collidentia & medium ipsum percussum, eo quod sonus resultat ex percussione, idem autem non percutit se, sed alterum, & sic corpora percutientia debent esse diuersa; explicat autem conditiones corporum sonantium, scil. quod sint duræ vt medium diuidant, leuia, id est aliquo modo perpolita, quod alterum saltem sit concauum, quod percussio sit velox, ne tarditate dilabatur aër sine sono.

Circa secundam partem dicit sonum reflexum, seu Echo fieri cum sonus per aliquam distantiam delatus occurrit corpori solido, à quo retrocedit versus audientem, sicut proiecto lapide in aqua fiunt circuli, quousque occurrat corpus solidum impediens, ne vlterius transeant, sed retrocedant.

Circa 3. partem docet aërem externum sono percussum continuari vsque ad aërem internum, qui est intra aures sub quadam tunica inclusus, quæ vocatur miringa, & multiplicatæ species soni in interno aëre recipiuntur, sicque fit auditio. Est autem aër iste internus consistens nec fluens sicut aër externus, imò si moueatur internus aër & faciat sonum, non audimus sonos externos.

Circa 4. partem, diuidit sonũ in grauem & acutum; acutus est qui breui tempore auditum acriter mouet, grauis qui mouet parum, ideoq; tardus dicitur. Deinde agit de voce, quæ est perfectißimus sonus, definitque illam quod est sonus animalis factus ab aëre à pulmone per respirationem ad guttur vsque emisso cum intentione significandi aliquid. Vbi etiam explicat instrumenta quibus ista vox efficitur. Ex quo colligit duo, alterum quod aër respiratione attractus duo habet officia, sc. refrigerare cor, & formare vocem accommodatam ad explicandum affectus internos: alterum est quod pisces, & animalia non respirantia vocem non edunt, licet aliis instrumentis sonum aliquem efficere posint.

SVMMA CAP. IX.

AGit in hoc cap de odore & odoratu. Et facit tria. Primò explicat naturam odoris & species eius. Secundò medium per quod immutatur. Tertiò organum in quo residet olfactus.

Circa 1. supponit difficile nobis esse iudicare perfecte de odoribus, eò quòd homo imperfectißimi odoratus est inter animalia, ideoque minus discernit odorum species & naturam, de illisque agit per analogiam ad sapores, quorum optimum gustum habet homo, quia gustus quidam tactus est, tactus autem habet optimum temperamentum in homine, sicut requiritur ad prudentiam & acumen ingenij, vnde & molles carne ingeniosi res sunt. Sic ergo explicat species odoris ad similitudinem saporum, dicens quòd sunt duæ species extremæ admodum saporis dulcis & amari, quæ possunt dicit grauis odor, & bonus odor, sub quibus aliæ mediæ species continentur. Odoramus enim non solum odorabile, sed etiam inodorabile. Dicitur autem inodorabile tripliciter, aut quia nullum habet odorem, aut quia valde parum & tenuiter, aut quia pessimum habet odorem.

Circa 2. ostendit quod medium per quod transit odor est non solum aër, sed etiam aqua. De aëre satis constat experientiâ; de aqua probat, quia pisces sub aquis accurrunt ad cibos, qui sibi projciuntur, quod esse non posset, nisi odorem sentirent. Ex quo infert omnia fere animalia odorari, tam aquatilia, quam terrestria, tam exanguia, quam sanguine prædita, tam respirantia, quam non respirantia. Ne tamen videretur alicui, quod odorari respirando, vel non respirando, diuersitatem faceret odoratus, aduertit potentiam olfaciendi in omnibus esse eiusdem rationis, quia respicit idem obiectum, scilicet odorabile, quod vero fiat cum respiratione vel sine illa, pertinet, ad modum accidentalem ex parte potentiæ, non ad modum diuersum obiecti.

Circà 3. docet, quod quia sapores humiditate constat, & odores siccitate prædominante, oportet organum carere illa qualitate seu temperamento odoris, & oppositam habere quod est humidum.

SVMMA CAP. X.

IN hoc cap. agit de gustu & gustabili quod est sapor. Et breuiter agit quatuor. Primò ostendit gustabile debere esse tangibile. Secundò sensum gustus attingere gustabile & ingustabile. Tertiò quale sit organum gustus. Quartò quot species saporis.

Primùm probat, tum quia sapor non sentitur nisi tangatur sine medio, tum quia non percipitur nisi humectetur saliua, humidum autem est qualitas tangibilis.

Secundum ostendit, quia gustus etiam percipit ingustabile. Sed ingustabile dicitur tripliciter Primò per negationem, quia non habet saporem aut parum, ita vt non sit perceptibilis. Secundò quia habet illum vehementem & excessiuum. Tertiò, quia prauum. Et non sumitur hic ingustabile pro purè negatiuo, sed pro priuatiuo, quod sc. est capax saporis. Sub gustabili autem dicit etiam includi potabile, quod aliquid saporis participat.

Circa 3. *docet organum gustus debere esse humidum in potentia, quia carere debet sapore qui humido constat, vnde illo humido quo redditur res saporosa carere debet, si autem infesta est lingua prauo humore, non sentit alium saporem externum.*

Circa 4. *docet esse duas species saporis extremas, scilicet dulce, & amarum, sicut in coloribus album & nigrum. Alias duas species esse propè illas, scilicet pingue & salsum, quæ iam non sunt ita simplices. Alias quatuor medias inter istas, scilicet sapor acer, austerus, acerbus, & acidus, & ita omnes species sunt octo.*

SVMMA CAPIT. XI.

A*Git de 5. sensu qui est tactus. Et proponit quatuor dubia, in quæ totum caput diuiditur.* Primum est *an sint plures sensus tactus, vel vnus tantùm. Quod dubium non plene soluit, licèt inclinet in eam partem quod sint plures, eo quod vnius sensus est vnus contrarietatis ad quam cæteræ illius sensus reducuntur, sicut visus est albi & nigri, gustus amari & dulcis, in tactu autem sunt plures contrarietates primæ, non reducibiles in vnam, vt calidum & frigidum, humidum & siccum, voluptas & dolor, &c. Ex alia verò parte, cum sit in toto corpore vna caro, per quam sentimus tangibilia, videtur nobis esse vnum sensum, quod tamen non sufficit, quia caro est medium sensus tactus, quòd licèt sit vnum sensus possunt esse distincti, sicut auditus & visus sunt distincti, licet medium quod est aër sit vnus.*

Secundùm dubium. *An sit aliquod medium externum in tactu sicut in visu & auditu, id est aliquod corpus non continuum ipsi tangenti, sed contiguum per quod sentiatur. Ad quod disputatiuè respondet, non resolutiuè, nam si duo corpora se tangant in aqua, media aqua inter tangibile & tactum (siquidem sentitur manus humectata ab illa, ergo etiam erit medius aër inter tangibilia, licet ob sui raritatem non discernatur.*

Tertium dubium. *An omnes sensus externi conueniant in hoc, quod sentiant per medium externum.* Respond. *conuenire, cum duplici tamen discrimine. Primum, quod in prioribus tribus, sc. visu, auditu, & odoratu obiectum percipitur per medium externum, magnum & notabile; gustus autem & tactus per modicum. Secundò quia in tribus prioribus obiecta prius immutant medium, quàm potentiam, in tactu verò simul patitur potentia ab obiecto & medio, sicut si quis percutitur super arma, simul patitur ab armis & à percutiente.*

Quartum dubium, *an sensorium tactus sit ipsa caro, vel aliquid sub ea latens, vt neruus?* Resp. *carnem non esse ipsum sensorium tactus, sed medium, non externum & discontinuum ab organo. Numerat deinde obiecta tangibilia, sc. calidum & frigidum, siccum & humidum, durum & molle, asperum & lene, dolor & voluptas, &c. debet ergo sensorium tactus esse liberum ab his qualitatibus, non quidem omninò, alias non esset mixtum, sed habet illas temperatas, sentit vero solum excessiuas.*

SVMMA CAPITIS XII.

I*N hoc vltimo cap. comparat Arist. sensus externos inter se, & facit tria.* Primùm *proponit duo in quibus conueniunt. 2. Soluit duo problemata. 3. Proponit vnum dubium & soluit.*

Circa primum *dicit conuenire omnes sensus in duobus.* Primò, *quod omnes sensus suscipiunt formas sine materia hoc est species intentionales, sicut cera suscipit figuram sigilli, & non materialitatem ferri.* Secundò, *quod omnes sensus sunt in aliquo materiali subiecto, v.g. in sensorio seu organo, potestque diuidi organum in proximum, seu particulare, in quo potentia residet, & in commune seu mediatum, scil. illud in quo primum, seu immediatum continetur.*

Circa 2. primum problema est, *quare sensibile vehemens vt nimia lux offendit sensum.* Resp. *quia fit vehemens alteratio in organo, quod certam requirit mensuram temperamenti & si illa exceditur offenditur sensus.* Secundum problema *quare non sentiant plantæ cum habeant animam. Resp. quia carent illis sensoriis seu organis tali temperamento dispositis, sicut requiritur ad sentiendum.*

Circa 3. *proponit hoc dubium; an plantæ & aliæ res non sentientes patiantur ab obiectis sensuum vt à colore sono, &c. Videtur enim solum potẽtias sensitiuas ab illis pati posse, quia relatiue se habent potentiæ, & obiectum, deinde quia carent sensu, ergo non patiuntur à sensibili, denique quia species albi non imprimit albedinem in ligno vel in alio insensibili.* Respond. *Philos. non pati ab obiectis sensuu omnia insensibilia, sed solùm illa quæ deseruiunt tanquam medium ad deferendum species, sicut fere sunt corpora diaphana, recipiuntque illas species, non vt effectus permanentes, sed per modum transeuntis.*

SVMMA LIBRI TERTII.

AGGREDITVR in hoc libro Philos. explicare naturam animæ intellectiuæ. Ad quod agit tria. Primum præmittit ea quæ ministrant intellectui, scil. sensus internos, & propterea in

Principio recolligit numerum sensum exteriorum, proceditque ad explicandos sensus internos. In 2. parte agit de ipso intellectu. In tertia de consecuto ad ipsam, scilicet appetitu & loco motiuo. Et hæc per 13. capita.

SVMMA Cap. I.

IN *hoc cap. colligit numerum sensuum externorum. Et facit duo.* Primò *probat non esse nisi quinque sensus.* Secundò *soluit dubium illud cur sint plures sensus externi.*

Circa primum, *probat esse tantum quinque sensus externos. Et ratio eius reducitur ad hanc formam, vt S. Thom. notat hoc lib. lect.* 1. *Quicumque habet aliquod organum sensus per quod cognoscuntur sensibilia, cognoscit per illud organum quæcumque sensibilia pertinent ad talem sensum, sed animalia perfecta habens omnia organa sensus, ergo cognoscunt omnia sensibilia, sed non habent nisi quinque sensus, ergo non sunt plures respectu propriorum sensibilium. Maior constat, quia qui habet sensum tactus, per illum cognoscit omnes qualitates sensibiles, ergo similiter in aliis sensibus. Minor etiam prob. quia necessario proportionantur media per quæ mouentur sensus, & ipsa organa; sed non datur nisi medium internum vel externum; internum conuenit tactui, & gustui, qui sine externo medio sentiunt, si verò loquamur de medio externo, illud solùm est aër vel aqua, ignis enim propter summam actiuitatem non patitur à sensibilibus, neque terra propter nimiam densitatem, sola verò aqua & aër facile patiuntur à sensibilibus. Hoc autem medio aëris & aquæ vtuntur visus, auditus, & olfactus, ergo non sunt plures sensus externi, quia nec plura media immutantia. Quantum verò probet ista ratio, videri potest apud D. Th. 1. p. q. 78. art 3.*

Circa secundùm *proponit difficultatem, quare plures sensus dati sunt à natura? Et respondet, quod vt non confundantur sensibilia communia cum propriis, datis enim pluribus sensibus quædam apprehenduntur à pluribus, & sunt communia, quædam à quolibet sensu, & sunt propria sensibilia.*

SVMMA Cap. II.

INcipit *in hoc cap. agere de se sensibus internis. Et primò de sensu communi in isto, in seq. autem de phantasia. Igitur in hoc cap. facit duo. Primò proponit dubium quoddam & soluit. Secundò resoluit dari sensum communem.*

Circa primum *tale dubium proponit. Cum constet nos cognoscere sensationes nostras, quæ cognoscimus nos videre, nos audire, &c. quæritur an hoc fiat ab eodem sensu vel ab alio. Respondet primo distinguendo in visione quod dupliciter sumi potest, vno modo vt immutatur, à sensibili externo, & sic solùm videt colorem, alio modo cum facta immutatione percipit se viuere, & sic etiam sentit ipsam visionem, & non solum colorem, scilicet in exercitio ipso. Secundò soluit dicendo, quod ipsa visio seu videns quodammodo dici potest coloratum, quatenus actus sentiendi fit vnum cum sensibili mediante specie, & sic eiusdem virtutis est videre colorem, & visionem qua specie coloris formatur, & sic potentia, qua videmus nos videre, non est extranea ab ipsa potentia visiua.*

Circa 2. *assurgit ex hoc ad probandum dari sensum vnum communem præter istos quinque externos qui de omnium actibus iudicet. Nam licèt vnusquique sensus iudicet de suis obiectis propriis & discernat inter illa, vt inter album & nigrum ipse visus, tamen non poterit discernere inter album & dulce, quia ad hoc necesse erat cognoscere vtrumque extremum, visus autem non nisi vnum cognoscit, & tamen experimur nos cognoscere istas differentias & discernere inter sensibilia diuersorum sensuum, ergo oportet ponere alium distinctum sensum communem, qui hæc omnia percipiat. Quomodo autem ille sensus communis moueri posit à sensibilibus ita diuersis & in se contrariis. Resp. quod ea quæ sunt contraria in sensibus externis, respectu sensus, qui est vniuersalior non habent contrarietatem, quia procedit sub altiori ratione, sicut centrum circuli vnit omnes lineas quæ à contrariis partibus veniunt.*

SVMMA Capitis III.

AGit *in hoc cap. de phantasia, & facit tria.* Primò *reijcit antiquorum Philosoph. opinionem, qui confundebant sensum & intellectum.* Secundò *ostendit, quod phantasia neque est intellectus, neque sensus.* Tertiò *ostendit quid sit.*

Circa 1. *excludit opinionem Empedoclis, & Homeri, qui non distinguebant intellectum à sensu, eo quod intelligibile putabant esse aliquid corporeum sicut & sentire, existimantes vtrumque fieri similitudine corporea, quia terram dicebant intelligi terra, & aquam aqua. Refutat autem hanc sententiam dupliciter, primò quia intelligere solùm conuenit hominibus, sentire pluribus aliis animalibus, ergo non sunt idem. Secundò, quia intellectu contingit sæpè nos falli, & errare sensus autem non errat circa proprium sensibile, ergo aliud est sensus ab intellectu.*

Circa 2. *probat phantasiam non esse opinionem, neque sensum, neque intellectum, licet non sit sine sensu. Non est opinio, quia opinari non possumus cum volumus, phantasiari autem sic, vt enim opinemur requiritur fundamentum & ratio, vt imaginemur sufficit fictio. Item opinionem sequitur fides, & fidem persuasio, hæc autem irrationalibus non conuenit, quibus tamen conuenit phantasiari. Non est sensus, neque in potentia quia hic semper adest animali, phantasiari autem & imaginari non semper, quia non semper aliquid apparet: neque est sensus in actu, tum quia sensus semper est ve-*

rius circa proprium obiectum, phantasiam autem decipi contingit, tum quia quæ sensu tenemus & tangimus, certo cognoscimus: quæ imaginamur, non certo semper tenemus; tum denique quia in dormientibus datur imaginatio, sensus verò non operatur, sed ligatur. Non est intellectus, quia intellectus est circa prima principia, circa quæ non est falsitas, imaginatio verò sæpe fallitur nec primis principiis innititur.

Circa 3. concludit quid sit phantasia, quam definit per proprium actum, dicens quod Phantasia est modus factus à sensu secundùm actum, *id est esse actum internum, qui causatur à motione obiecti sensibilis actu cogniti per sensum. Imaginatio enim non versatur circa obiecta ad extra immediatè, sed vt cognita seu sensata à sensibus externis, indeque alia non sensata elicit, obiecta autem sensata & cognita possunt potentiam interiorem mouere. Et sic phantasia, quæ interior potentia est, ab exteriori sensu non à sensibili ipso immediatè mouetur. Dicitur tamen phantasia, quasi apparitio, sumpto nomine à præcipuo sensu mouente qui est visus & ab eius lumine.*

SVMMA CAPITIS IV.

AB isto cap. incipit agere Aristot. de intellectiuis potentiis earumque actibus, quæ est secunda pars huius libri, & hoc per quinque capita à 4. vsque ad 8. hoc ordine. In hoc 4. cap. agit de potentia intelligente quæ dicitur intellectus possibilis, in seq. de intellectu agente, in 6. cap. de duplici actu eius, scil. simplici apprehensione & compositione, in 7. de aliis duobus actibus, sc. practico & speculatiuo. In 8. colligit quædam, quæ conueniunt animæ intellectiuæ ex prædictis.

Igitur in hoc 4. cap. agit de intellectu possibili, & diuiditur in duas partes. In prima *explicat, quid sit potentia intellectiua cognoscens seu intellectus possibilis.* In secunda *soluit quædam dubia.*

Circa primum *explicat naturam potentiæ intellectiuæ per id in quo conuenit cum sensu, & per id in quo differt. Conuenit cum sensu quia est potentia passiua seu receptiua specierum non quidem passione propriè dicta quæ est immutatio corruptiua, sed receptione intentionali. Vnde colligit intellectum, licèt non sit capax passionis propriè dictæ esse tamen receptiuum specierum & nullam ex se habere, sicut materia prima ex se nullam habet formam. Differt verò à sensu in duobus. Primo, quia intellectus non est potentia organica seu corporea, alias non posset omnium corporum naturas percipere. Secundò quod sensus ratione organi læditur ab excellenti sensibili, intellectus verò perficitur à maximo intelligibili.*

Circa 2. *proponit quatuor dubia.* Primum *circa obiectum intellectus an per eandem in facultatem cognoscamus vniuersale & singulare, & distinguit singulare ab vniuersali, quia illud dicit aliquid determinatum ad hanc materiam & has conditiones materiales, vniuersale verò solam quidditatem ipsam seu naturam sine conditionibus illis naturalibus. Et sic respondet, singularia materialia (de his enim tantum est sermo) cognosci per sensum, vniuersale verò per intellectum, in cognitione vero singularium se habere sicut lineam rectam & reflexam.*

Secundum dubium, *quomodo intellectus sit passiuus, cum sit immaterialis, omne vero receptiuum ratione naturæ recipit. Resp. receptionem naturalem seu materialem fieri ratione materiæ, intentionalem vero quæ est passio impropria in immaterialibus debet fieri.*

Tertium dubium, *an intellectus sit per se ipsum intelligibilis an per aliquod superadditum; Resp. intellectum per se esse immaterialem, sed non intelligere se per essentiam suam, quia est in pura potentia intelligibili, & non in actu, vnde cum recipiat species ab obiectis, ad instar illorum obiectorum intelligitur & non immediatè se ipso.*

Quartum dub. *cur id quod est intelligibile non semper intelligit. Resp. quod res existens in materia sunt intelligibiles in potentia, intelligibile autem in potentia non est idem intellectu, nec illi conuenit intellectus.*

SVMMA CAPIT. V.

IN hoc cap. agit de intellectu agente. Et facit tria. Primo *probat debere dari intellectum agentem præter possibilem.* Secundò *ostendit in quibus conueniat cum intellectu possibili, & in quo differat.* Tertiò *explicat quia sit intellectus in actu.*

Circa 1. *probat debere dari intellectum agentem, ex eo quod datur intellectus possibilis, qui non semper est in actu, sed aliquando in potentia, aliquando in actu, ergo oportet quod sit aliquid per quod reducatur in actum, alioquin semper erit in potentia, reducitur autem in actum primum per species intelligibiles, ergo oportet dari aliquam potentiam, quæ producat istas formas seu actus primos, & tamen non cognoscit supponit species.*

Circa 2. *conuenit in tribus cum intellectu possibili, primo quia est separabilis à corpore, cum non sit potentia organica, sed spiritualis, agit enim in intellectum possibilem. 2. Quod est impassibilis. 3. Quod est mixtus, id est non compositus ex naturis corporeis, neque actus organi corporei. Differt in vno, quia intellectus agens est in actu cum sit potentia actiua, possibilis in potentia ad recipiendas species.*

Circa 3. *numerat tres conditiones intellectus in actu. Primo quod sit res ipsa intellecta non in esse rei, sed in esse repræsentatiuo. Secundo, quod intellectus in actu sit prior tempore & natura in-*

tellectu in potentia ordine perfectionis, quia potentia non reducitur in actum, nisi per id quod est actu, nec scientia aliqua fit, nisi ex præexistente aliqua cognitione, vt 1. Post. dicitur. Tertio quod intellectus in actu semper est in actu, possibilis vero aliquando est in potentia, aliquando reducitur in actum. In calce cap. colligit quod intellectus est separatus, id est sine organo corporeo, quod incorruptibilis, quia caret corpore, quod perpetuus. Quomodo vero intelligat anima separata? Respond. non reminisci, seu intelligere (scilicet eo modo quo nunc) quia corrumpitur intellectus passiuus, id est phantasia à qua hic dependet intellectiua cognitio, & sit reminiscentia.

SVMMA CAP. VI.

Agit de duplici actu intellectus, & facit duo. Primo diuidit actum intellectus in simplicem & compositum. Secundo explicat vtrumque.

Circa 1. diuiditur actus intelligendi in simplicem apprehensionem, qua intelligimus res simplici modo, vt hominem, equum, &c & in compositum, qua ista simplicia coniungimus vel separamus, vt faciendo propositionem, homo est animal, vel homo non est lapis. In prima nec est veritas nec falsitas, in secunda vero vtrumque. Deinde simplex præcedit compositam, & ad illam ordinatur.

Circa 2. explicat operationem simplicem seu cognitionem indiuisibilium ex obiecto suo, distinguitque triplex indiuisibile seu incomplexum. Primum quod solum est indiuisibile ex parte modi, licet non sit ex parte rei, vt si aliquod complexum in se per modum vnius accipiatur, accipiendo illud per modum vnius extremi, vt si dicatur homo albus ambulat ly homo albus sumitur per modum vnius. Secundo dicitur indiuisibile quod habet vnam speciem sui, licet alias habeat partes, vt domus, homo, lapis, &c. Tertio dicitur indiuisibile secundum modum & rem, quod nec actu habet partes nec in potentia, vt punctum.

Secundum autem operationem, quam dictionem vocat, hoc est affirmationem vel negationem, dicit esse semper veram vel falsam, intellectum autem non semper esse verum vel falsum, intellectus enim versatur circa quidditatem rei, in qua non contingit falli, sed in applicatione huius ad illud, quod est in compositione.

SVMMA CAP. VII.

In hoc cap. agit de alia diuisione actuum intellectus, scilicet in practicum & speculatiuum. Et facit duo. Primo repetit diuisionem supra positam cap. 5. de intellectu in actu & in potentia, ponitque inter illa duplex discrimen: primum quod intellectus in actu est idem cum obiecto non in esse rei sed in esse repræsentatiuo, intellectus autem in potentia caret illa specie, & sic est res diuersa ab obiecto: secundum, quod intellectus in potentia ordine generationis in eodem homine præcedit intellectum in actu, proceditur enim de potentia ad actum.

Secundò diuidit intellectum in practicum & speculatiuum, & vtrumque explicat. Explicare autem intendit circa intellectum practicum & speculatiuum duo, scilicet quomodo à phantasmatibus moueatur practicus intellectus, & quomodo differat à speculatiuo. Ad hoc autem explicandum præmittit, quomodo se habeat sensus in mouendo, huius enim motui assimilat motum intellectus. Et dicit quod sensus habet tria. Primum moueri ab obiecto à quo reducitur de potentia ad actum, non per motum physicum & corruptiuum sed per motum intentionalem in quo assimilatur sensus intellectui, qui etiam non patitur physice. Secundò inuenitur in sensu cognitio conuenientis aut disconuenientis, quod natum est causare delectationem, vel tristitiam. Tertium sequitur ex tali sensu in appetitu, fuga vel prosecutio. Similis ergo motus conuenit intellectui, quia & mouetur à phantasmatibus sicut sensus à sensibilibus, & apprehendit rationem conuenientis & disconuenientis altiori modo, id est affirmando & negando, & sequitur deinde appetitus vel fuga. Et sicut omnes sensus externi terminantur ad sensum communem, vt ad quoddam medium & centrum, ita ad intellectum omnia sensibilia & phantasmata.

Ex hoc ergo explicat illa duo de intellectu practico, primum quod mouetur à phantasmatibus tam in præsentia: vt cum aliquid terribile per sensus videtur, quam in absentia, vt quando discurrit circa futura, & deliberat de illis. Secundum, quod practicus intellectus & speculatiuus non differunt ex parte potentiæ, sed ad idem genus pertinent, quia vterque versatur circa verum & falsum, speculatiuus quidem absolute, practicus verò vt conueniens vel disconueniens ad operandum.

SVMMA CAPITIS VIII.

In isto cap. colligit in summam tria corollaria. Primum circa illud quod communiter dicebant antiqui quod anima est omnia; & dicit verum esse, sed non in sensu quo ab illis dicebatur. Est enim anima omnia, quia omnia cognoscit, per intellectum quidem est omnia intelligibiliter, & vniuersaliter, per sensum sensibiliter, & non est omnia realiter in se, sed repræsentatiue & per species.

Secundum est quod intellectus in omni sua cognitione dependet à phantasmate & sensu, eo quod res quas intelligimus non sunt subsistentes sine sensibili magnitudine & accidentibus vt Plato ponebat Vnde qui speculatur res, oportet & speculari phantasma, quia per illud verificatur, quod cognoscit intellectus in abstracto.

Tertium est *quod differt inter phantasiam & intellectum, quia intellectus habet verum vel falsum in sua compositione & diuisione, phantasia autem non respicit verum vel falsum.*

SVMMA CAPIT. IX.

AB isto cap. incipit vltima pars libri 3. in qua agit de potentia motiua, & appetitiua per quinque cap. hoc ordine. Primo agit de facultate motiua cap. 9. & 10. per ipsam verò notificat de appetitiua, quæ ad motum concurrit. Deinde comparat potentias, seu principia animæ quoad duo, primo, quomodo insint animalibus perfectis, & imperfectis cap. 11. Secundo quænam earum sint necessariæ, quænam vtiles solum. Tandem in vltimo cap. comparat animam ad corpus, ostendens quomodo non possit esse corpus simplex, quod informatur ab anima.

Igitur in hoc cap. 9. agit de potentia loco motiua, motu scil. progressiuo ostendendo quid non sit, in cap. seq. ostendendo quid sit. Diuiditur ergo hoc in duas partes: In prima indicat dubitationem quandam circa potentias animæ, quomodo distinguantur & quod sint, nam aliqui videbantur ponere illas indeterminate & sine fixo numero, alij diuidebant in partem rationalem & irrationalem, contra quas diuisiones agit disputatiuè, non autem resoluit.

In 2. ergo parte *ostendit, quod potentia loco motiua, de qua in præsenti agitur, nec est vegetatiuum, nec sensitiuum, nec intellectiuum, nec appetitiuum. Non est vegetatiuum, tum, quia motus progressiuus non fit sine imaginatione, vegetatio autem vt nutriri & augeri, ab imaginatione non pendet, tum quia in plantis est vegetatiuum & non progressiuum. Non est sensitiuum, quia in multis animalibus inuenitur sensus, & tamen sunt immobilia, vt quæ adhærent saxis, & hoc ex natura sua, non ex priuatione alicuius potentiæ debitæ. Non est intellectiuum quia nec est intellectus speculatiuus, cum hic non tractet de agendis, sed de naturis rerum in se considerandis, motus autem solum est de agendis, quia fit prosequendo vel fugiendo; nec est intellectus practicus, quia sæpè proponitur & præcipitur aliquid fugiendum vel prosequendum, nec tamen sequitur motus, vt patet in incontinentibus. Nec denique est appetitiuum, quia continentes concupiscunt & appetunt, nec tamen mouentur ad operandum.*

SVMMA CAPITIS X.

ASsignat in hoc cap quid sit potentia loco motiua, & quæ principia ad motum concurrant, & facit tria. 1. Assignat principia dirigentia, seu imperantia motum, scil cognitionem & appetitum. 2. Distinguit diuersos appetitus. 3. Assignat omnia quæ concurrunt ad istum motum, non solùm potentiam directiuam sed etiam organicam.

Circa primum, *nomine cognitionis seu intellectus comprehendit non solùm intellectiuam, sed etiam imaginatiuam, multi enim sequuntur phantasiam potius quàm rationem, & in brutis nullam esse rationem constat. Similiter non intelligitur cognitio speculatiua, sed practica; quia speculatiua quærit ratiocinari propter scire, practica autem propter operari, seu mouere. Sunt ergo ista duo principia motus progressiui, quia non mouetur aliquis, nisi propter aliquem finem vel consequendum, vel fugiendum, & hoc est appetibile, appetibile autem mouet appetitum in quantum cognoscitur, ergo cognitio & appetitus sunt principia motus, & hæc reducuntur in vnum principium, scilicet in ipsum appetibile cognitum, quod est primum vnde motus incipit in intellectu & appetitu.*

Circa secundum, *docet esse duplicem appetitum, scilicet voluntatem, quæ mouetur ab apprehenso per intellectum, & sensitiuum, qui mouetur ab apprehenso per sensum, & hos esse distinctos appetitus patet, quia contrariis motibus mouentur, quod enim placet vni, displicet alteri, & è conuerso, vt patet in continentibus, & in incontinentibus.*

Circa 3. *docet tria concurrere ad motum progressiuum, scilicet id quod mouet, id quod mouetur, & instrumentum motus. Id quod mouet est duplex, scilicet mouens immobile, & hoc est ipsum appetibile, & mouens motum, & hoc est appetitus motus ab appetibili cognito intentionaliter. Id quod mouetur & non mouet est corpus. Instrumentum, quo mouet, est pars organica vt cor, quod in se habet principium & finem motus, quia pulsu & tractu quasi circulatione mouet.*

SVMMA CAP. XI.

DIuiditur hoc cap. in duas partes. In prima *ostendit quomodo conueniant principia motus progressiui animalibus imperfectis.* In secunda *quomodo perfectis.*

Circa 1. *docet etiam imperfectissimis animalibus conuenire appetitum & imaginationem quæ sunt principia motus. Nam appetitum in eis esse constat, quia dolent retrahendo se si pungantur, & delectantur dilatando se si aliquid delectans sentiant, hi autem sunt actus appetitus. Est etiam imaginatio, quia appetitus non mouetur nisi à propositione conuenientis vel disconuenientis, sed in aliquibus hoc proponitur valde confuse & indeterminatè & ita non mouentur in distans.*

Circa 2. *affirmat perfectissimo animali quale est homo, conuenire perfectissime principium mouendi, quia per appetitum deliberatiuum mouetur, comparando scilicet & conferendo vnum ad aliud quod proprium est rationis. Addit Arist. aliquando appetitum inferiorem non deliberatiuum vincere deliberationem, vt in incontinentibus, aliquando è contra deliberatiuum vincere appetitum inferiorem, sicut continentes; & hoc est magis naturale, quia inferior naturaliter debet moueri à*

supe

superiori. Cum autem ratio practica mouet, oportet quod non solum concurrat ratio vniuersalis quæ parum mouet, sed etiam particularis, quæ dicit hic & nunc. Et potest peccare ex hoc solum, quod particularis malè applicet.

SVMMA CAP. XII.

Comparat facultates seu potentias animæ inter se, & ad diuersa genera viuentium vt ostendat, quænam sint necessariæ, quæ vtiles. Et ponit duas conclusiones. 1. Omne viuens quandiu viuit, necessariò debet habere nutritiuam potentiam, sed non omne viuens debet habere sensum. Prima pars constat, quia in tota vita vel est augmentum, vel status, vel decrementum, quorum nullum fit sine nutritione. Secunda pars patet in plantis quæ viuunt & non sentiunt.

Secunda Conclusio: *Animalibus sensus tactus & gustus sunt simpliciter necessarij, reliqui solùm vtiles. Prima pars probatur, quia sine tactu & gustu non possunt quærere alimentum, & sentire noxium vel conueniens, sine hoc autem non potest conseruari vita. Neque potest hoc supplere intellectus, non est enim poßibile quod aliquod corpus habeat intellectum sine sensu, vnitur enim anima intellectiua corpori ad acquirendam cognitionem rerum sensibilium, hæc autem per sensus attinguntur. Secunda pars patet, quia gustus & tactus sufficiunt ad conseruandam vitam, reliqui ergo non propter neceßitatem, sed propter vtilitatem conducunt, quia ordinantur solùm ad sentiendum res distantes, non se tangentes.*

SVMMA CAPIT. XIII.

In hoc vltimo cap. probat Philosoph. non posse corpus animalis esse simplex sicut in elementis. Ad quod inducit duas rationes supponendo quod omne sensitiuum debet habere tactum, vt ostensum est. Prima ratio est; quia organum tactus non vtitur medio externo quod est corpus simplex ad tangendum, v.g. aëre vel aqua, sed immediatè sentit rem attactam, ergo corpus tangens non potest esse simplex, sed organicum, quia debet percipere qualitates tangibiles, & sic esse in aliquo temperamento, seu medio ad eas percipiendas, ergo debet esse mixtum & temperatum non simplex. Secunda ratio: quia tactus non est perceptiuus vnius tantum qualitatis sed plurium, quia à multis ei potest nocumentum venire, ergo est in potentia ad omnes, & sic debet constare temperamento earum, non vna tantum, est ergo corpus temperatum non simplex.

Ex quo colligit tria. 1. Destructo tactu destrui animal, quia destruitur sensus alimenti. 2. Sensibilia excellentia corrumpentia tactum, etiam corrumpere animal. 3. Quod simpliciter solus tactus est necessarius simpliciter animali, nam gustus, quem supra dixit esse necessarium, id habet propter tactum adiunctum, nam secundum se solum est propter voluntatem cibi.



INDEX
RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM,
Quæ in hoc opere Philoſophico continentur.

Prior numerus Paginam, Poſterior Columnam deſignat.

D.

Definitio.

Demonstratio.

Denominatio.

Dens.

Densitas.

Deus.

Dictio.

Differentia.

E.

Ebrius.

Effectus.

F.

O

Obiectum.

Proprij

Sanguis.

Terminus

FINIS.